Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 R
3 ſl

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

COMMENTARII

IN

LIBRUM PSALMORUM:

NEC NON IN

JESAIAM PROPHETAM.

In PSALMORUM COMMENTARIIS, præter multos locos qui CALVINI manu in ipſius exemplari emendati bona fide hic etiam repræſentantur, Hebræus quoque contextus è regione Latinæ interpretationis additur.

CUM

INDICIBUS LOCUPLETISSIMIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Editio ut poſtrema ita optima.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.
M. DC. LXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNES CALVINUS

PIIS ET INGENUIS

LECTORIBUS

SALUTEM.

SI tantum utilitatis afferat Eccleſiæ Dei Commentariorum meorum lectio, quantum ego ex ſcriptione fructus percepi, non erit cur me ſuſcepti laboris pœniteat. Tametſi librum Pſalmorum in hac tenui noſtra ſchola expoſueram ante tres annos, hac opera perfunctus, ſtatueram non publicare latius, quæ apud domeſticos familiariter depoſueram. Et priuſquam enarrationem aggrederer fratrum meorum rogatu, dixeram quod verum erat, me ideo ſuperſedere, quod fideliſſimus Eccleſiæ doctor Martinus Bucerus ſumma, quam in hoc opere præſtitit, eruditione, diligentia, & fide, id ſaltem conſequutus erat, ne tantus eſſet operæ meæ uſus. Nec vero de Wolphgangi Muſculi Commentariis, ſi jam tunc in lucem prodiiſſent, tacere fas fuiſſet, quando & hic ſedulitate & induſtria non parum laudis bonorum judicio meritus eſt. Nondum ad finem operis perveneram, dum, ecce, novis precibus ſolicitor, ne meditationes meas fideliter & dextre, non abſque magno labore, exceptas perire ſinam. Ego in propoſito manere: tantum quod pridem in animo fuerat, promittere (ne genti noſtræ in libro tam utili deeſſet adjumentum) me ſcripturum aliquid Gallice. Id dum tentare cogito, repente præter conſilium, inſtinctu neſcio quo, periculum in Pſalmo uno feci Latinæ enarrationis. Jam ubi ſucceſſus voto reſpondens ſpem longe ſuperabat, crevit animus: itaque idem in paucis aliquot tentare incipio. Hoc animadverſo familiares, ac ſi me tenerent obſtrictum, audacius ſtimulare, ne in curſu deficerem. Una mihi fuit obtemperandi ratio, quæ me initio ad primam experientiam impulerat, ne quando, me repugnante vel inſcio, emergerent in publicum, quæ ex meis ſermonibus excepta fuerant. Is certe metus ad opus texendum magis me pertraxit, quam tulerit libera voluntas. Interea tamen in operis progreſſu certius intelligere cœpi, quam non ſupervacua eſſet lucubratio: ac privato quoque meo exemplo expertus ſum, me lectoribus non ita exercitatis, commodum fore intelligendis Pſalmis adjutorem. Quam varias ac ſplendidas opes contineat hic theſaurus, verbis aſſequi difficile eſt: equidem quidquid dicturus ſum, dignitate longe inferius fore ſcio. Sed quia præſtat guſtum aliquem tantæ utilitatis vel tenuem dare lectoribus, quam prorſus de ea tacere: breviter attingere licebit, quod rei magnitudo non patitur plane explicare. Librum hunc non abs re vocare ſoleo ἀνατομὴν omnium animæ partium: quando nullum in ſe affectum quiſquam reperiet, cujus in hoc ſpeculo non reluceat imago. Imo omnes hic dolores, triſtitias, metus, dubitationes, ſpes, curas, anxietates, turbulentos denique motus, quibus jactari ſolent humanæ mentes, Spiritus Sanctus ad vivum repræſentavit. Reliqua Scriptura continet, quæ Deus ſervis ſuis mandata injunxit ad nos perferenda. Hic vero Prophetæ ipſi cum Deo loquentes, quia interiores omnes ſenſus retegunt, quemque noſtrum vocant aut trahunt ad proprium ſui examen, ne quid ex tot infirmitatibus, quibus ſumus obnoxii, totque vitiis, quibus ſumus referti, occultum maneat. Rarus & ſingularis profectus, ubi excuſſis omnibus latebris, cor hypocriſi, deterrima tabe, abſterſum in lucem producitur. Denique ſi invocatio Dei maximum ſalutis noſtræ præſidium eſt, quando non aliunde melior ac certior peti ejus poteſt regula, quam ex hoc libro: ut quiſque in ejus intelligentia optime profecerit, bonam cœleſtis doctrinæ partem erit aſſecutus. Seria precatio, ex neceſſitatis noſtræ ſenſu primum, deinde ex promiſſionum fide naſcitur. Hic tam ad mala ſua ſentienda optime expergeſient lectores, quam de quærendis remediis admonebuntur. Atque adeo quidquid ad nos animandos facere poteſt, ubi orandus eſt Deus, in hoc libro monſtratur. Nec vero tantum occurrunt promiſſiones; ſed inter Dei invitationem & carnis impedimenta, nobis ſæpe in medio ſtatuitur, qui ſe ad precandum accingit: ut ſi quando nos exagitent variæ dubitationes, luctari diſcamus, donec liber ad Deum animus aſſurgat. Neque id modo, ſed per hæſitationes, metus, trepidationes: nitamur tamen ad orandum, donec ſolatii nos non pœniteat. Sic enim ſtatuendum eſt, quamvis januam precibus noſtris præcludat diffidentia, non eſſe tamen cedendum, quoties vacillant animi, vel inquietudine feruntur, donec ex ſuis certaminibus victrix emergat fides. Et multis in locis animadvertere licet, ſervos Dei ita fluctuantes inter orandum, ut alternis vicibus fere oppreſſi, palmam arduo conatu obtineant. Illic ab una parte ſe prodit carnis infirmitas: ab altera vero ſe exerit vis fidei, ſi non tam ſtrenua quam optandum foret, parata ſaltem ad certandum, donec paulatim ſolidum robur acquirat. Quia tamen quæ ad rationem rite precandi valent, toto opere ſparſa reperientur, ſupervacua repetitione non onerabo lectores, neque etiam morabor eorum progreſſum. Tantum hoc in tranſcurſu indicare operæ pretium fuit, præſtari nobis hoc libro, quo nihil magis eſt optabile, non modo ut familiaris ad Deum pateat acceſſus, ſed ut infirmitates, quas pudor hominibus fateri prohibet, fas ac liberum ſit coram eo explicare. Jam vero ſacrificium laudum, quod ſibi pretioſiſſimum & ſuaviſſimi odoris eſſe pronuntiat Deus, quomodo rite offerre oporteat, hic etiam ad amuſſim præſcribitur. Nuſquam magis luculenta tum ſingularis erga Eccleſiam Dei beneficentiæ, tum omnium ejus operum præconia leguntur, nuſquam tot narrantur liberationes, vel tam ſplendide ornantur paternæ erga nos ipſius providentiæ & curæ documenta: nuſquam denique vel Dei laudandi ple-

nior traditur ratio, vel ad præſtandum hoc pietatis officium acrius ſtimulamur. Adhæc, quamvis præceptis, quæcunque ad vitam ſancte, pie, juſteque formandam valent, refertus ſit liber, præcipue tamen nos ad crucis tolerantiam inſtituet: quæ vera eſt obedientiæ probatio, ubi propriis affectibus valere juſſis, Deo nos ſubjicimus, patimurque ejus arbitrio vitam noſtram ita gubernari, ut quæ nobis acerbiſſimæ ſunt ærumnæ, quia ab ipſo proficiſcuntur, dulceſcant. Poſtremo non generalia ſolum recitantur bonitatis Dei encomia, quæ doceant in ipſo ſolo acquieſcendum, ut certum in omni neceſſitate ab eo auxilium piæ mentes expectent: ſed gratuita peccatorum remiſſio, quæ ſola & Deum nobis placat, & tranquillam cum eo pacem nobis acquirit, ſic commendatur, ut nihil prorſus deſit ad ſcientiam æternæ ſalutis. Cæterum, ſi labor à me in his Commentariis ſumptus lectoribus proderit, ſciant mediocri certaminum (quibus me Dominus exercuit) experientia me non mediocriter fuiſſe adjutum: non modo ut accommodarem ad præſentem uſum, quidquid licuerat doctrinæ colligere; ſed ut ad conſilium Scriptoris cujuſque Pſalmorum intelligendum familiarior pateret via. Et quum inter eos præcipuus ſit David; ut ejus querimonias de inteſtinis Eccleſiæ malis plenius cognoſcerem, mihi non parum profuit, eadem quæ ipſe deplorat, aut ſimilia perpeſſum eſſe à domeſticis Eccleſiæ hoſtibus. Neque enim, quamvis ab eo longiſſime diſtem, imo ad multas, quibus excelluit, virtutes ægre lenteque aſpirans, contrariis vitiis adhuc laborem: ſi quid tamen mihi cum ipſo commune eſt, conferre piget. Ergo quamvis inter legenda fidei, patientiæ, ardoris, zeli, integritatis documenta, merito innumeros mihi gemitus diſſimilitudo expreſſerit: magnopere tamen profuit, quaſi in ſpeculo cernere tum vocationis meæ exordia, tum continuum functionis curſum, ut quidquid præſtantiſſimus ille Rex ac Propheta pertulit, mihi ad imitationem fuiſſe propoſitum certius agnoſcerem. Conditio quidem mea quanto ſit inferior, dicere nihil attinet. Verum, ſicuti ille à caulis ovium ad ſummam imperii dignitatem evectus eſt, ita me Deus ab obſcuris tenuibuſque principiis extractum, hoc tam honorifico munere dignatus eſt, ut Euangelii præco eſſem ac miniſter. Theologiæ me pater tenellum adhuc puerum deſtinaverat. Sed quum videret legum ſcientiam paſſim augere ſuos cultores opibus, ſpes illa repente eum impulit ad mutandum conſilium: ita factum eſt, ut revocatus à Philoſophiæ ſtudio ad leges diſcendas traherer, quibus tametſi ut patris voluntati obſequerer, fidelem operam impendere conatus ſum; Deus tamen arcano providentiæ ſuæ fræno curſum meum alio tandem reflexit. Ac primo quidem quum ſuperſtitionibus Papatus magis pertinaciter addictus eſſem, quam ut facile eſſet è tam profundo luto me extrahi, animum meum, qui pro ætate nimis obduruerat, ſubita converſione ad docilitatem ſubegit. Itaque aliquo veræ pietatis guſtu imbutus, tanto proficiendi ſtudio exarſi, ut reliqua ſtudia quamvis non abjicerem, frigidius tamen ſectarer. Nec dum elapſus erat annus, quum omnes purioris doctrinæ cupidi, ad me novitium adhuc & tyronem diſcendi cauſa ventitabant. Ego qui natura ſubruſticus, umbram & otium ſemper amavi, tunc latebras captare: quæ adeo conceſſæ non ſunt, ut mihi ſeceſſus omnes inſtar publicæ ſcholæ eſſent. Denique dum hoc mihi unum in animo eſt, ignobile otium colere, Deus ita per varios flexus me circumegit, ut nuſquam tamen quieſcere permitteret, donec repugnante ingenio, in lucem pertractus ſum. Eoque conſilio, relicta patria, in Germaniam conceſſi, ut in obſcuro aliquo angulo abditus, quiete diu negata fruerer. Ecce autem, quum incognitus Baſileæ laterem, quia multis piis hominibus in Gallia exuſtis, grave paſſim apud Germanos odium ignes illi excitaverant; ſparſi ſunt ejus reſtinguendi cauſa improbi & mendaces libelli, non alios tam crudeliter tractari quam Anabaptiſtas, ac turbulentos homines, qui perverſis deliriis non Religionem modo ſed totum ordinem Politicum convellerent. Ego hoc ab aulicis artificibus agi videns, non modo, ut indigna ſanguinis innoxii effuſio, falſa ſanctorum Martyrum infamia ſepeliretur; ſed ut poſthac per cædes quaslibet abſque ullius miſericordia graſſari liceret: ſilentium meum non poſſe à perfidia excuſari cenſui, niſi me pro virili opponerem. Hæc mihi edendæ Inſtitutionis cauſa fuit: primum, ut ab injuſta contumelia vindicarem fratres meos, quorum mors pretioſa erat in conſpectu Domini; deinde, quum multis miſeris eadem inſtarent ſupplicia, pro illis dolor ſaltem aliquis & ſolicitudo exteras gentes tangeret. Neque enim denſum hoc & laborioſum opus, quale nunc extat, ſed breve duntaxat Enchiridion tunc in lucem prodiit: neque in alium finem, niſi ut teſtata eſſet eorum fides, quos videbam ab impiis & perfidis adulatoribus ſcelerate proſcindi. Porro, an propoſitum eſſet mihi famam aucupari, patuit ex brevi diſceſſu, præſertim quum nemo illic ſciverit me authorem eſſe. Quod etiam alibi ſemper diſſimulavi, & in animo erat idem inſtitutum proſequi, donec Genevæ non tam conſilio, vel hortatu, quam formidabili Gulielmi Farelli obteſtatione retentus ſum, ac ſi Deus violentam mihi è cœlo manum injiceret. Quum rectum iter Argentoratum tendenti bella clauſiſſent, hac celeriter tranſire ſtatueram, ut non longior quam unius noctis mora in urbe mihi foret. Paulo ante, hujus optimi viri & Petri Vireti opera profligatus erat Papatus: ſed res adhuc incompoſitæ, & Urbs in pravas & noxias factiones diviſa. Unus homo, qui nunc turpi defectione iterum ad Papiſtas rediit, ſtatim fecit, ut innoteſcerem. Hic Farellus (ut incredibili zelo promovendi Euangelii flagrabat) ſtatim ad me retinendum obnixe nervos omnes intendit. Et quum privatis & occultis ſtudiis me intelligeret eſſe deditum, ubi ſe vidit rogando nihil proficere, uſque ad execrationem deſcendit, ut Deus otio meo malediceret, ſi me à ferendis ſubſidiis in tanta neceſſitate ſubducerem. Quo terrore perculſus ſuſceptum iter ita omiſi, ut mihi & verecundiæ & timiditatis meæ conſcius, obeundo certo muneri fidem meam non obſtringerem. Vix quatuor menſes præterierant, quum nos ab una parte aggreſſi ſunt Ana-

Digitized by Google

Anabaptiſtæ: ab altera, ſceleratus quidam apoſtata, qui clandeſtinis quorundam Procerum opibus fretus, multum negotii faceſſere nobis poterat. Interea ſeditiones domeſticæ, & quidem aliæ ſuper alias mirifice nos jactarunt. Ego qui natura timido, molli, & puſillo animo me eſſe fateor, inter prima rudimenta hos tam impetuoſos fluctus excipere coactus ſum: quibus etſi non ſuccubui, me tamen non tanta ſuſtinuit magnanimitas, quin turbulenta ejectione plus quam decebat lætatus ſim. Atque hoc vocationis vinculo ſolutus & liber, ſtatueram primitus quieſcere, dum præſtantiſſimus Chriſti miniſter Martinus Bucerus me iterum ſimili qua uſus fuerat Farellus, obſecratione ad novam ſtationem retraxit. Jonæ itaque exemplo, quod propoſuerat, territus, in docendi munere perrexi. Atque etiam quum ſemper eſſem mei ſimilis, celebritatem fugitans, neſcio quo modo ad Imperiales conventus raptus ſum, ubi, vellem nollem, neceſſe mihi fuit in conſpectum multorum prodire. Poſtea quum Dominus urbis hujus miſertus, exitiales illas turbas ſedaſſet, ac mirabili ſua virtute diſſipaſſet tam ſcelerata conſilia, quam ſanguinarios conatus, mihi priſtinæ ſtationis repetendæ præter animi votum impoſita fuit neceſſitas. Etſi enim majori curæ erat hujus Eccleſiæ ſalus, quam ut ejus cauſa mortem oppetere recuſarem: mihi tamen multos excuſationis colores ſuggerebat mea timiditas, cur non libenter humeros de integro ſubjicerem oneri tam arduo. Vicit tandem officii religio ac fides, ut gregi, à quo avulſus fueram, me reſtituerem: quanto tamen cum mœrore, quantis lachrymis, & quanta anxietate, Dominus mihi optimus teſtis eſt, & multi pii homines, qui hac moleſtia liberatum me optaſſent, niſi idem metus, quo urgebar, conſtrictos ſimul mecum tenuiſſet. Ab eo tempore quam variis certaminibus me exercuerit, & quibus experimentis probaverit, ſi narrare velim, longa erit hiſtoria. Sed ne quid inutili ſermone lectoribus faſtidii afferam, quod paulo ante attigi, breviter nunc repeto: quum mihi ſuis veſtigiis viam monſtraret David, non parum inde ſolatii me fuiſſe expertum. Nam ſicuti ſanctum illum Regem continuis bellis fatigarunt Philiſtini, & alii exteri hoſtes, ſed interior perfidorum hominum malitia & improbitas gravius vulneravit: ſic ego undique laceſſitus, vix momentum unum, vel ab externis vel ab inteſtinis pugnis, quietum habui. Quum multa ſæpius molitus ſit Satan ad diruendum hujus Eccleſiæ ſtatum, eo uſque ventum eſt, ut ego, qui imbellis ſum ac meticuloſus, mortiferos conflictus oppoſito meo corpore frangere coactus fuerim. Totis quinque annis, quum nimia potentia inſtructi eſſent perverſi homines, & pars etiam plebis eorum illecebris corrupta, effrænem licentiam appeteret, pro diſciplina tuenda nobis abſque intermiſſione pugnandum fuit. Profanis enim hominibus, cœleſtiſque doctrinæ contemtoribus ſuſque deque erat Eccleſiæ ruina, modo quam optabant poteſtatem adepti, pro libidine quidvis auderent. Multos etiam inedia & fames, quoſdam inexplebilis ambitio, vel turpis quæſtus cupiditas agebat in furorem, ut omnia miſcendo, ſe potius nobiſcum peſſundarent, quam manerent in ordine. Hoc tam longo temporis tractu vix quidquam ab illis omiſſum puto, quod in Satanæ officina fabricari ſoleat. Nec tandem alius improbis eorum machinationibus potuit eſſe finis, quam in ignominioſa eorum clade, quæ etiam triſte mihi ſpectaculum præbuit: nam etſi quolibet ſupplicio digni erant, ſalvos tamen & incolumes florere malebam, quod factum eſſet, niſi ſanis conſiliis fuiſſent prorſus immorigeri. Hoc quinquennii examen quamvis durum mihi ac moleſtum fuerit, non leviſſime excruciat eorum malignitas, qui virulentis calumniis me, ac meum miniſterium oppugnare non deſinunt. Etſi enim bonam partem maledicendi libido excæcat, ut impudentiam ſuam cum dedecore ſtatim prodant, alios non ita tegit ſua verſutia, quin ipſi quoque convicti, probroſe jaceant: ubi tamen centies purgatus quis fuerit à crimine, abſque ulla cauſa repeti, toleratu acerba eſt indignitas. Quia arcana Dei providentia mundum gubernari aſſero, inſurgunt protervi homines, ac Deum hoc modo fieri peccati authorem cauſantur. Futilis calumnia, & quæ, niſi cupidos auditores nacta eſſet, facile per ſe evaneſceret: ſed multorum animos vel invidia & livor, vel ingratitudo, vel pravitas occupat, ut à nullo quantumvis præpoſtero, atque etiam prodigioſo mendacio abhorreant. Alii æternam Dei prædeſtinationem, quæ reprobos ab electis diſcernit, contendunt evertere: alii patrocinium liberi arbitrii ſuſcipiunt: mox in eorum partes multos rapit non tam inſcitia, quam perverſum neſcio quod ſtudium. Atque has moleſtias ſi inferrent profeſſi hoſtes, ferendum eſſet. Qui autem ſub nomine fraterno deliteſcunt, nec modo veſcuntur ſacro Chriſti pane, ſed eum quoque aliis miniſtrant; qui denique pleno ore gloriantur ſe Euangelii eſſe præcones: eos tam nefaria bella moliri, quam deteſtabile eſt? Hic vero cum Davide *Pſal.* 41: 10. conqueri optimo jure licet, *Homo pacis meæ, & qui mecum panem edebat, extulit contra me calcaneum.* Item, *Pſal.* 55: 14. *Unanimis meus, & collega qui mecum ad Templum Dei pergebat, cum quo dulce communicabam conſilium, me hoſtiliter probriis impetivit.* Alii de meis theſauris, alii de immenſa potentia frivolos rumores ſpargunt: ab aliis jactantur meæ lautitiæ. ſcilicet, qui tenui victu & plebeio veſtitu contentus, nec à minimis etiam quibuſque plus frugalitatis requirit, quam in eo ſpectatur, is nimium lautus habebitur? Potentiæ, cui invident, utinam ipſi eſſent ſucceſſores: Regnum enim meum mole qua obruor laborum æſtimant. Me non eſſe pecunioſum, ſi vivus quibuſdam non perſuadeo, mors tandem oſtendet. Me quidem, quia nihil plus quam ſuppetit appeto, minime pauperem eſſe fateor. His figmentis quum nullus ſit color, plauſum tamen apud multos ideo obtinent, quia major pars hoc unum tegendis ſuis flagitiis remedium eſſe confidit, ſi albis nigra miſceantur: atque hoc optimum impunitatis & licentiæ compendium fore, ſi concidat ſervorum Chriſti auctoritas. Accedunt etiam placentarii ſcurræ, de quibus conqueritur David *Pſal.* 35: 16. Nec menſarum liguritores ſolum, ſed quicunque potentum gratiam falſis delationibus venantur. Ad has injurias vorandas pridem aſſuetus, quamvis prope occallu-

rim, fieri tamen non poteſt, ubi creſcit protervia, quin amaris interdum punctionibus feriar. Nec ſatis erat à vicinis ita inhumaniter tractari, niſi à mari etiam glaciali neſcio quæ intemperies hominum male feriatorum turmam contra me accenderet. Loquor adhuc de inteſtinis Eccleſiæ hoſtibus, qui Euangelium Chriſti magnifice jactantes, quia craſſum de carnali Chriſti manducatione eorum commentum non amplector, pluſquam hoſtili impetu in me feruntur: de quibus etiam cum Davide mihi teſtari licet, *Pſal.* 120: 7. *Dum pacem quæro, eos ad bellum ruere.* Porro in eo ſe prodit immanis omnium ingratitudo, quod hominem, cui in defenſione cauſæ communis ſtrenue laboranti ſuppetias debebant, à lateribus & tergo adoriantur. Certe ſi vel exiguo humanitatis ſenſu præditi forent, maxima quæque odia placare debuerat, qui in me effuſo impetu fertur, Papiſtarum furor. Sed quando hæc Davidis fuit conditio, ut de populo ſuo bene meritus, gratis tamen exoſus multis eſſet, ſicuti queritur, *Pſal.* 69: 5. *Se ſolviſſe quod non rapuerat:* mihi non levi ſolatio fuit, dum gratuitis eorum odiis impetor, quorum officiis ſublevari me decebat, ad tale tamque præclarum exemplar me formare. Atque etiam ad Pſalmos intelligendos non parvo mihi adjumento fuit hæc peritia, ne velut in regione incognita peregrinarer. Et agnoſcent lectores, niſi fallor, ubi intimos tam Davidis, quam aliorum ſenſus explico, non ſecus ac de rebus familiariter compertis differere. Porro quum fideliter ſtuduerim hujus theſauri communem piis omnibus uſum facere, etiamſi non adeptus ſum quod volebam, nonnihil tamen gratiæ meretur hic conatus. Neque tamen aliud poſtulo, niſi ut ex ſua quiſque utilitate & fructu, quem percipiet, æquus ac ingenuus ſit laboris mei cenſor. Certe quod dixi, lectio ipſa clare monſtrabit, me ut placerem nequaquam quæſiiſſe, niſi quatenus prodeſſem. Itaque non modo ſimplex docendi ratio ubique à me ſervata eſt, ſed quo longius abeſſet omnis oſtentatio, à refutationibus ut plurimum abſtinui, ut liberior patebat plauſibilis jactantiæ campus. Neque unquam contrarias ſententias attigi, niſi ubi periculum erat, ne tacendo dubios ac perplexos relinquerem lectores. Nec me latet, quanto ſuaviores multis ſint illecebræ, ex multiplici congerie ſuggerere materiam ambitioſi ſplendoris: ſed nihil pluris fuit, quam Eccleſiæ ædificationi conſulere. Faxit Deus, qui mihi hunc animum dedit, ut ſucceſſus etiam reſpondeat.

Genevæ, 10. *Kal. Auguſti.* M. D. LVII.

JOAN.

Digitized by Google

JOANNIS CALVINI
COMMENTARII
IN
LIBRUM PSALMORUM.

ARGUMENTUM PSALMI I.

Sive Ezra, ſive alius quiſpiam Pſalmos in unum volumen collegit, videtur operis initio Pſalmum hunc locaſſe præfationis inſtar: quo pios omnes hortaretur ad Legis Dei meditationem. Summa autem eſt, felices eſſe qui ſtudium ſuum cæleſti ſapientiæ addicunt: profanis autem Dei contemptoribus, quamvis ad tempus ſe beatos putent, peſſimum tandem exitium inſtare.

PSALMUS I.

BEatus vir qui non ambulat in conſilio impiorum, & in via ſceleratorum non inſiſtit, & in cathedra deriſorum non ſedet:

2. Sed in Lege Domini deſiderium ejus, & in Lege ejus meditatur die & nocte.

אַשְׁרֵי הָאִישׁ אֲשֶׁר לֹא הָלַךְ 1
בַּעֲצַת רְשָׁעִים וּבְדֶרֶךְ חַטָּאִים לֹא
עָמָד וּבְמוֹשַׁב לֵצִים לֹא יָשָׁב׃
כִּי אִם בְּתוֹרַת יְהוָה חֶפְצוֹ 2
וּבְתוֹרָתוֹ יֶהְגֶּה יוֹמָם וָלָיְלָה׃

BEatus vir.] Hæc (ut nuper attigi) præcipua eſt ſententia, bene ſemper fore piis Dei cultoribus qui aſſidue in ejus Lege proficere ſtudent. Quia enim à majori parte mundi ridetur eorum ſimplicitas acſi operam luderent, hoc clypeo muniri utile fuit, cunctos mortales ſine Dei benedictione miſeros eſſe: Deum vero nullis niſi doctrinæ ſuæ ſtudioſis propitium eſſe. Cæterum quia ſemper tanta corruptio in mundo graſſata eſt, ut fere communis vivendi ratio nihil aliud eſſet quam defectio à Lege Dei, antequam Propheta felices Legis diſcipulos eſſe pronunciet, cavendum eſſe præcipit ne eos abripiat vulgi impietas. Nam à malorum deteſtatione incipiens, fieri non poſſe admonet ut cor ſuum quiſquam applicet ad meditationem divinæ Legis, niſi ab impiorum ſocietate ſe colligat, ac ſeparet. Utilis certe admonitio. videmus enim quam inconſiderate in Satanæ laqueos ſe omnes projiciant: ſaltem quam pauci ſibi caveant à vitiorum illecebris. Quare ne tam ſimus improvidi, hoc tenere neceſſe eſt, mundum exitialibus corruptelis refertum eſſe: ut primus ad recte vivendum ſit ingreſſus, renunciare impiorum conſuetudini, quæ nos alioqui ſua labe inficeret. Quia autem priore loco Propheta cavere pios juſſit à malis obſtaculis, hunc quoque ordinem ſequamur. Quod beatos eſſe affirmat quibus nihil commune eſt cum impiis, vix communis ſenſus vel opinio admitteret. nam quum naturaliter felicitatem omnes appetant, videmus tamen quam ſecure ſibi indulgeant in peccatis: imo ut quiſque pro ſua libidine à juſtitia longiſſime receſſit, quia votorum ſuorum compos eſt, beatus cenſetur. Contra vero hic Propheta docet, neminem ad Dei timorem & cultum, Legiſque ſtudium rite poſſe animari, donec ſtatuerit, miſeros eſſe omnes impios, & eodem implicitum iri exitio qui non procul ab eorum conſortio diſceſſerint. Sed quia res eſt difficilis, impios, quibus permiſti ſumus ita fugere, ut ſimus prorſus ab ipſis alieni, Propheta ad augendam exhortationis vehementiam, verborum congerie utitur. Ac primo quidem ambulare vetat in eorum conſilio: deinde ſtare in via: poſtremo in cathedra ſedere. Summa quidem eſt, dandam eſſe operam ſervis Dei ut ab illorum moribus in totum abhorreant. Sed quia aſtute ſuas fallacias inſinuat Satan, ne quis incautus fallatur, oſtendit Propheta quomodo paulatim à recta via deflectere ſoleant homines. Neque enim primo ſtatim gradu ad ſuperbum uſque Dei contemptum procedunt: ſed poſtquam cœperunt malis conſiliis aurem præbere, longius ſubinde eos Satan abducit, donec in manifeſtam defectionem ruant. Ideo à *conſilio* incipit Propheta: quo nomine intelligo pravitatem quæ nondum palam ſe exerit. Deinde nominat *viam*, quæ ſumitur pro vivendi ratione vel inſtituto. Tertio ponit *cathedram*: qua voce metaphorice deſignat conceptam ex continuo vivendi more duritiem. Eodem etiam referri debent tria verba, *ambulare*, *inſiſtere*, & *ſedere*. Nam ubi quis ſponte poſt pravas concupiſcentias erravit, eum inebriat peccandi conſuetudo, ut ſui oblitus, in malitia obdureſcat: quod Propheta vocat *in via inſiſtere*. Tandem ſequitur deſperata obſtinatio, quam ſeſſionis metaphora deſignat. An eadem ſit gradatio in vocibus חטאים רשעים & לצים, viderint alii: mihi quidem non videtur, niſi ſaltem in poſtrema. *Deriſores* enim dicuntur, qui abjecto omni Dei timore, peccandi licentiam ex fiducia impunitatis arripiunt, & quaſi nunquam ſit reddenda ratio, ſecure Dei judicio illudunt. Quia tamen חטאים vocant Hebræi palam ſceleratos, non male junguntur cum profeſſa vivendi ratione. Cæterum ſi Prophetæ ſeculo neceſſe fuit pios Dei cultores, ut vitam ſuam recte componerent, ab impiorum conſortio retrahi, quo hodie corruptior eſt mundus, eo magis ſollicite, ut ab ejus inquinamentis puri ſervemur, fugienda nobis eſt noxia omnis ſocietas. Quanquam non tantum ab impiis recedere fideles jubet Propheta, ne eos inficiat contagio, ſed huc uſque admonitio ſe extendit, ne ſibi quiſque impietatis ſit magiſter. fieri enim poteſt, ut qui nihil labis contraxit ex malis exemplis, malos tamen ſponte imitando, eorum ſit ſimilis. In ſecundo verſu non ſimpliciter beatos pronunciat (ut alibi) qui Deum timent, ſed pietatem deſignat per Legis ſtudium: quo docemur non aliter Deum rite coli, niſi quum obeditur verbo ejus. Non ergo pro cujuſque arbitrio fingenda religio eſt, ſed ex Dei verbo ſu-

menda eſt pietatis regula. Quod de Lege ſola hic loquitur, non perinde accipi debet acſi reliquæ Scripturæ nullus daretur locus: quin potius quum tota Scriptura nihil aliud fuerit quam Legis expoſitio, ſub capite ipſo comprehenditur corpus. Legem ergo cum ſuis acceſſionibus Propheta commendat. nec vero aliter ſtaret quod nuper diximus, propoſitum ei fuiſſe ad Pſalmos quoque legendos hortari fideles. Quod autem primo requirit ut *deſiderium piorum* ſit *in Lege Domini*, ex his verbis diſcamus, minime Deo probari coactum vel ſervilem cultum, nec alios eſſe idoneos Legis diſcipulos, niſi qui hilari animo ad eam accedunt, & quos ita delectat ejus doctrina, ut nihil potius ducant vel ſuavius quam in ea proficere. Ex hoc Legis amore fluit aſſidua ejus *meditatio*, quam mox ſubjicit Propheta. Fieri enim non poteſt quin ſe libenter in ea exerceant quicunque vero ejus amore tanguntur.

3. Et erit tanquam arbor plantata ſuper rivos aquarum, quæ fructum ſuum dabit tempore ſuo, & cujus folium non defluet: & quicquid faciet ſecundabitur.

3 וְהָיָה כְּעֵץ שָׁתוּל עַל־פַּלְגֵי
מָיִם אֲשֶׁר פִּרְיוֹ יִתֵּן בְּעִתּוֹ וְעָלֵהוּ
לֹא יִבּוֹל וְכֹל אֲשֶׁר־יַעֲשֶׂה יַצְלִיחַ׃

Similitudine illuſtrat proximam ſententiam, & ſimul confirmat. nam quomodo felices cenſendi ſint, qui Deum timent, oſtendit: quia ſcilicet non ad momentum duntaxat fluxa inanique lætitia fruantur, ſed ſtabilis ſit eorum conditio. Subeſt autem tacita antitheſis inter vigorem arboris in loco irriguo plantatæ, & evanidam ejus ſpeciem, quæ tametſi pulchre viret, tamen propter ſoli ſterilitatem cito areſcit. Nam de impiis videbimus Pſalmo 37. v. 35. interdum ſimiles eſſe cedris Libani. Omni enim opum & honorum copia ſic affluunt, ut nihil ad præſentem felicitatem deſit: ſed quantumvis in ſublime erecti ſint, longeque & late ramos ſuos projiciant, quia tamen ſub terra nulla eſt radix, neque etiam humor ſuppetit unde ſuccum trahant, ſtatim evaneſcit ac perit, vel marceſcit totus eorum decor. Sola igitur Dei benedictio eſt quæ nos in proſpero ſtatu conſervat. Qui ex hac ſimilitudine colligunt, fideles fructus ſuos tempeſtive proferre, quia prudenter diſcernunt quando bene agendum ſit: argute, meo judicio, philoſophantur, extra Prophetæ ſenſum. Nihil enim aliud voluit quam perpetuo florere Dei filios, ſemperque irrigari arcana Dei gratia, ut quicquid illis accidit, adjumento ſit in ſalutem: quum impios rapiat ſubita tempeſtas, vel immodicus calor abſumat. Quod autem *fructum proferre* dicit *tempore ſuo*, hoc verbo juſtam maturitatem exprimit: quia impii licet præcoces fructus oſtentent, nihil tamen producunt niſi abortivum.

4. Non ſic impii, ſed tanquam quiſquiliæ quas projicit ventus.

4 לֹא־כֵן הָרְשָׁעִים כִּי אִם־כַּמֹּץ
אֲשֶׁר־תִּדְּפֶנּוּ רוּחַ׃

Poterat impios conferre arbori cito exareſcenti, *Jer. 17. verſ. 6.* ſicuti Jeremias ſimiles myricæ in deſerto creſcenti eos facit. Sed hac ſimilitudine non contentus, longe contemptius eos dejicit: nempe quia non reſpicit lætam fortunam in qua ad breve tempus exultant: ſed magis expendit quiſnam demum eos exitus maneat. Senſus ergo eſt, Quamvis nunc feliciter habeant impii, mox tamen quiſquiliis ſimiles fore: quia ubi Dominus eos ad inopiam redegerit, iræ ſuæ flatu huc & illuc diſpellet. Porro hac loquendi forma docet nos Spiritus ſanctus, fidei oculis contemplari quod alioqui incredibile videri poſſet. Quamvis enim emineat impius inſtar proceræ arboris, ſtatuere tamen oportet, paleam vel glumam fore ſimulac ejus altitudinem ſtatu ſuo dejicere volet Deus.

5. Propterea non conſiſtent impii in judicio, neque ſcelerati in concilio juſtorum.

6. Quia novit Jehova viam juſtorum, & iter impiorum peribit.

5 עַל־כֵּן לֹא־יָקֻמוּ רְשָׁעִים
בַּמִּשְׁפָּט וְחַטָּאִים בַּעֲדַת צַדִּיקִים׃
6 כִּי־יוֹדֵעַ יְהוָה דֶּרֶךְ צַדִּיקִים
וְדֶרֶךְ רְשָׁעִים תֹּאבֵד׃

Quinto verſu Propheta docet, felicis vitæ ſtatum in recta conſcientia fundatum eſſe: ideoque non eſſe mirum ſi ex felicitate quam ſibi imaginati ſunt impii, repente excidant. Subeſt autem ſpecies conceſſionis: acſi tacite fateretur Propheta, impios quidem ſibi placere, ſuoſque triumphos agere quamdiu res in mundo miſcentur: ſicuti latrones in ſylvis vel ſpeluncis extra judicis conſpectum laſciviunt: ſed res non ſemper ita fore confuſas: ubi autem in legitimum ordinem reductæ fuerint, ſuas impiis iſtis delicias excuſſum iri, ut ſentiant ſe ebrios fuiſſe, dum felices ſibi viſi ſunt. Videmus nunc ut Propheta miſeros eſſe impios aſſerat: quia felicitas interius ſit conſcientiæ bonum. Non negat, antequam cogantur ad examen, proſpere illis ſuccedere omnia: ſed felices eſſe negat, niſi ſolida eos & firma integritas ſuſtineat. nam ex probatione juſtorum vera demum integritas apparet. Porro quamvis Dominus judicium, quo juſtos à reprobis diſcernit, quotidie exerceat, quia tamen id fit ex parte tantum, altius oculos attollere convenit, ſi cupimus conſilium juſtorum, cujus hic fit mentio, aſpicere. Incipit quidem nunc defluere impiorum proſperitas, quoties ſui judicii ſigna proferit Deus. tunc enim expergefacti, velint nolint à cœtu juſtorum ſe abdicari agnoſcunt. Sed quia non ſemper hoc, neque in omnibus completur, patienter expectandus eſt ultimæ revelationis dies quo ſegregabit Chriſtus agnos ab hœdis. Quanquam tenendum eſt, generaliter miſeriæ addici impios, quia intus ſibi male conſcii ſunt: & quoties reddenda eſt vitæ ratio, tanquam expergefacti, ſomnium fuiſſe intelligunt, quod ſibi viſi ſunt extra ſeipſos felices. Cæterum quia res videntur fortuito hic verſari, nec facile eſt in confuſa permiſtione agnoſcere quod dixerat Propheta, ideo nos ad aliud principium revocat, Deum ſcilicet eſſe mundi judicem. unde ſequitur, fieri non poſſe quin rectis & juſtis bene ſit, impiis autem peſſimum exitium impendeat. Quamvis ergo in ſpeciem nihil Dei cultoribus proſit integritas, quia tamen proprium Dei munus eſt, ipſos tueri, & eorum ſaluti conſulere, ſub ejus præſidio felices eſſe neceſſe eſt. Inde vero rurſum colligere licet, quia certus eſt ſcelerum ultor, quamvis ad tempus diſſimulet, tandem perditurum omnes impios. Quare ne fallat nos imaginaria eorum felicitas, in rebus turbatis ſemper nobis occurrat Dei providentia, cujus eſt ſtatum mundi ad rectam normam componere.

Digitized by Google

Argumentum Psalmi II.

Gloriatur David regnum ſuum, quamvis ingenti hoſtium multitudine & valida potentia oppugnetur, fore tamen perpetuum: quia Dei ſuffultum eſt manu & virtute. Addit etiam, invitis hoſtibus propagatum iri uſque ad ultimos terræ fines. Ideoque Reges & alios Primores hortatur, ut depoſita ſuperbia, jugum à Deo impoſitum manſuetis animis ſuſcipiant: quia fruſtra excutere nitentur. Cæterum hic typus vaticinium continet de futuro Chriſti regno.

Psalm. II.

Utquid tumultuantur gentes, & populi fremunt inane?	1 לָמָּה רָגְשׁוּ גוֹיִם וּלְאֻמִּים יֶהְגּוּ רִיק׃
2 Convenerunt Reges terræ, & Principes congregati ſunt ſimul contra Jehovam, & contra Chriſtum ejus.	2 יִתְיַצְּבוּ מַלְכֵי־אֶרֶץ וְרוֹזְנִים נוֹסְדוּ־יָחַד עַל־יְהוָה וְעַל־מְשִׁיחוֹ׃
3 Diſrumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipſorum.	3 נְנַתְּקָה אֶת־מוֹסְרוֹתֵימוֹ וְנַשְׁלִיכָה מִמֶּנּוּ עֲבֹתֵימוֹ׃

SCimus quam multi conſpiraverint contra Davidem, & conati ſint obſtare ne regnaret: à quibus ſic terreri potuit ſecundum carnis ſenſum, ut ſpem regnandi protinus abjiceret. Nec vero dubium eſt quin anxie cum graviſſimis tentationibus ei luctandum fuerit. Sed quia ſibi probe conſcius erat, ſe nihil temere tentaſſe, ut ambitio pravaque cupiditas pleroſque ad res novas impellit: quia potius certo perſuaſus erat, ſe, quum nihil tale appeteret, divinitus creatum eſſe Regem: alta fiducia contra totum mundum ſeſe erexit, quemadmodum his verbis magnifice tam Regibus, quam eorum copiis inſultat. Fatetur quidem ſibi arduum eſſe certamen, quia non exigua tantum manus, ſed integri populi cum Regibus in eum conſpirent: ſed deinde animoſe jactat, fruſtra id fieri: quia bellum non cum homine mortali, ſed cum Deo ipſo ſuſcipiunt. Porro incertum eſt, loquaturne tantum de hoſtibus inteſtinis, an vero querimoniam ſuam ad exteros quoque extendat. Et certe quum in eum hoſtes undique inſurrexerint, & poſtquam turbas in populo compoſuit, ſuo etiam ordine infeſti fuerint vicini: ego utroſque libenter complector, tam Judæos quam Gentiles. Durum enim eſſet ſub pluribus gentibus ac populis notari unam gentem: item de multis Regibus fieri ſermonem, ſi in unum Saulem reſpiceret. Adde quod figuræ complemento melius quadrat, diverſas hoſtium ſpecies conjungi: quia ſcimus Chriſto non modo cum domeſticis hoſtibus, ſed etiam cum extraneis fuiſſe negotium: quia communis fuit ad machinandam ejus ruinam totius mundi conſpiratio. Et Judæi quidem in Chriſtum, ſicut in Davidem, priores furere cœperunt: deinde alias gentes eadem inſania corripuit. Hæc ſumma eſt, quamlibet robuſtis præſidiis valeant qui conantur eum evertere, irritos tamen eſſe eorum tumultus, & vana conſilia. Populis motum & fremitum aſſignans, Regibus & Proceribus conventum ad ineunda conſilia, aptiſſime loquutus eſt. Interim ſignificat, ubi diu multumque conſultaverint Reges, ubi populi effuderint ſuos impetus, omnes nihil profecturos. Sed notanda eſt fiduciæ ratio, quod ſcilicet non temere vel privato motu ſe ingeſſerit ad regnandum, ſed tantum Dei vocationem ſequutus ſit. Unde colligit, in ſua perſona Deum impeti: quia fieri non poteſt quin regni, cujus eſt auctor, ſe vindicem oſtendat. Nam ſe titulo Meſſiæ vel Chriſti inſigniens, non niſi Dei auſpiciis ac mandato ſe regnare prædicat: quia allata per manum Samuelis unctio eum Regem ex privato homine creaverit. Non putabant quidem hoſtes Davidis ſe contra Deum ruere, imo hunc ſibi eſſe animum fortiter negaſſent: non tamen abs re David illis Deum opponit, quaſi recta contra eum ſuos impetus dirigant: quia regnum ab ipſo erectum labefactare volentes, cæca ferocia in ipſum incurrunt. Nam ſi Deo ſunt rebelles quicunque poteſtati ab eo ordinatæ reſiſtunt, id longe verius competere debuit in ſacrum illud regnum quod ſingulari privilegio ſancitum fuit. Sed jam ad figuræ ſubſtantiam venire operæpretium eſt. Quod enim de Chriſto vaticinatus fuerit David, hinc certo liquet, quod ſciebat regnum ſuum non niſi umbratile eſſe. Atque ut ad Chriſtum referre diſcamus quæcunque de ſe olim cecinit David, tenendum eſt principium iſtud quod paſſim in omnibus Prophetis occurrit, illum cum poſteris non tam ſua cauſa creatum fuiſſe Regem, quam ut Redemptoris imago foret. Tametſi autem hoc ſæpius repetendum erit, in præſentia tamen breviter monendi ſunt lectores (quia temporale illud regnum velut arrha quædam veteri populo fuit æterni regni, quod demum in Chriſti perſona vere ſtabilitum fuit) quæ de ſe pronunciat David non violenter vel allegorice ad Chriſtum torqueri, ſed vere de eo prædicta eſſe. Nam ſi regni naturam expendimus, abſurdum foret, omiſſo fine vel ſcopo, ſubſiſtere in prima umbra. Hic quidem Prophetico ſpiritu deſcribi Chriſti regnum, Apoſtoli nobis idonei ſunt teſtes, qui videntes impios contra Chriſtum conſpirare, hac doctrina ſe ad precandum armant, Actor. 4. verſ. 24. Sed ne quibus cavillis obnoxia ſit fides noſtra, ex omnibus Prophetis palam conſtat, proprie in Chriſtum competere quæ teſtatus eſt David de ſuo regno. Sit igitur hoc fixum, quicunque Chriſti imperio ſe non ſubjiciunt, eos cum Deo bellare. Nam quum Deo placeat nos per Filii ſui manum regere, fruſtra profitentur ſe ejus imperium non abnuere qui parere ipſi Chriſto recuſant. Vera enim eſt ſententia, Quiſquis non honorat Filium, neque Patrem honorat qui miſit illum. *Joan. 5. verſ. 23.* Ac noſtra magnopere intereſt, individuam hanc conjunctionem tenere, quod ſicuti Dei majeſtas in Filio unigenito refulſit, non niſi in ejus perſona timeri & coli velit Pater. Jam ex hoc loco duplex conſolatio elici poteſt. nam quoties mundum tumultuari continget, ut Chriſti regnum turbet vel moretur, ſi nobis occurrat in memoriam, impleri quod jam olim prædictum eſt, nulla novitas nos percellet. Quin etiam quæ experti ſunt Apoſtoli, cum præſentibus exemplis conferre valde proderit. Per ſe quidem tranquillum eſſet Chriſti regnum, unde etiam vera pax mundo exoritur: ſed fit hominum vitio & malitia ut nunquam ſine turbis emergat. Quare nihil mirum eſt vel inſolitum ſi tumultuetur mundus, ſimulac erigitur Chriſto ſolium. Sequitur altera conſolatio, quod ubi ſuas vires in unum contulerint impii, etiamſi immenſa ſua multitudine opibus & præſidiis confiſi, non modo ſuperbas blaſphemias deſpument, ſed cælum ipſum furioſe impetant: illis tamen inſultare tuto poſſumus, hoc uno verbo freti, quod Deum in cælis laceſſunt. Quare dum videmus hoſtium copia & viribus Chriſtum prope obrui, nobis in mentem veniat bellum ipſos Deo inferre, cui non prævalebunt, ideoque irritum & inane fore quicquid moliri non

ceſſant. Diſcamus præterea hanc doctrinam ad totum Euangelii curſum extendere. Nam ad Chriſti perſonam non debere reſtringi, illa quam citavi Apoſtolorum precatio clare teſtatur.

3. *Diſrumpamus vincula eorum.*] Proſopopœia eſt in qua Propheta loquentes ſuos hoſtes inducit, quo melius impium & ſacrilegum eorum conſilium exprimat: non quod palam Deo ſe rebelles eſſe profeſſi fuerint: (quovis enim potius colore tegebant ſuam contumaciam, ac ferociter jactabant Deum à parte ſuâ ſtare) ſed quum illis penitus decretum eſſet per fas aut nefas dejicere ex regio jure Davidem, quicquid ore profferrent, hæc tamen eorum fuit conſultatio, quomodo poſſent regnum divinitus ordinatum evertere. Nec vero mihi dubium eſt quin ſuum imperium metaphorice *vincula* & *jugum* in eorum perſona appellans, faſtum eorum oblique perſtringat. nam quaſi de ſervili & pudenda ſubjectione contemptim loquentes inducit: ſicuti videmus omnes Chriſti hoſtes non minus indigne ferre ſi cogantur ſubeſſe ejus imperio, quam ſi extrema illis ignominia imponeretur.

4. Qui habitat in cælis irridebit, Dominus ſubſannabit eos.	4 יושב בשמים ישחק אדני ילעג למו :
5. Tunc loquetur ad eos in ira ſua, & in furore ſuo turbabit eos.	5 אז ידבר אלימו באפו ובחרונו יבהלמו :
6. Ego vero unxi Regem meum ſuper Sion montem ſanctum meum.	6 ואני נסכתי מלכי על־ציון הר־קדשי :

Poſtquam & ſtrepitum, & conſilia, & ſuperbiam, apparatum & copias, vireſque & conatus hoſtium retulit David, his omnibus opponit Dei potentiam, quam illis fore contrariam inde colligit, quia ejus decretum oppugnant. Quemadmodum autem nuper Reges terræ appellans, infirmum & caducum ſtatum notabat: ſic nunc rurſum Deum nominans cæli habitatorem, hoc elogio extollit ejus potentiam: acſi diceret, illæſam, & integram manere, quicquid homines moliantur. Quantumvis enim ſeſe efferant, nunquam pertingent in cælum uſque: imo dum cælum terræ miſcere cogitant, ſaltant quaſi locuſtæ, Dominus interea quietus è ſublimi ſpectat veſanos eorum motus. Deo autem riſum tribuit ob duas cauſas: Primum ut ſciamus non opus illi eſſe magnis præſidiis, ut compeſcat homines impie tumultuantes, quaſi res difficilis eſſet & laborioſa, ſed hoc ludendo facturum quoties libuerit. Deinde ſignificat non ceſſare Deum quamdiu regnum Filii ſui turbari patitur, quia vel alibi ſit occupatus, vel ſuccurrere non poſſit, vel Filii ſui honorem negligat: ſed conſulto differre vindictam in maturum tempus, donec illorum furorem ludibrio expoſuerit. Teneamus ergo, ſi non ſtatim manum ſuam exerat Deus contra impios, ſuum illi eſſe tempus ridendi: & quanquam nobis interea flendum ſit, hæc tamen cogitatio doloris acerbitatem mitiget, imo etiam lachrymas abſtergat, quod Deus non diſſimulat tanquam lentus vel debilis: ſed quia vult ad tempus quieto contemptu hoſtium petulantiam frangere. Per adverbium *tunc*, opportunum judicii tempus notat: perinde acſi dixiſſet, poſtquam viſus fuerit Dominus pro nihilo ducere impios eorum conatus qui ſe regno Filii ejus opponunt, repente mutata vice oſtendet nihil ſe gravius ferre tali audacia. Porro ſermonem Deo attribuit, non ut erudiat hoſtes, ſed eorum dementiam tantum convincat. Imo *loquendi* verbo nihil aliud intelligit quam demonſtrationem cæleſtis iræ, quam impii non niſi experti ſentiunt. Putabant hoſtes Davidis ſibi in eo perdendo minimum fore negotii, quod ex ignobili tugurio profectus, temere aſpiraſſet ad regnum. Prophetia & unctio Samuelis illis inſtar fabulæ erat. Ubi vero tandem Deus, illis profligatis, Davidem in regno locavit, non tam lingua quam manu loquutus eſt, ut palam faceret ſe regni illius auctorem eſſe. Diſcamus ergo hic de reali ſermone agi, quum Dominus verbum nullum proferens, decretum tamen ſuum manifeſtat. Sic quoties iræ ſuæ documentis regnum Filii ſui aſſerit contra impios, utcunque taceat re ipſa, ſonore loquitur. Poſtea David ſub Dei perſona clarius explicat quomodo hoſtes ſui impie contra Deum ipſum ruant: nempe quia ferre nequeant quem inſtituit Regem. Summa eſt, quantumvis protervìant impii, ſenſuros tandem quid ſit bellum cælo inferre. Eſt autem emphaticum pronomen *Ego*, quo ſignificat Deus longius ſe ab hominibus terrenis diſtare, quam ut ſuam unius gloriam tota eorum multitudo vel minimum obſcuret. Quoties ergo formidabilis eſt nobis hominum potentia, veniat nobis in mentem quanto unus Deus præponderet. Cæterum his verbis immutabile Dei decretum, quod fidem noſtram inter turbulentas mundi procellas fulciat, nobis proponitur: quia ſcilicet Deus regnum Filii ſui, cujus auctor eſt, haud dubie tuebitur ad finem uſque. Ideo quicquid machinentur homines, nobis hoc unum ſufficiat, Dei unctionem non poſſe ab ipſis deleri. *Montis Sion* diſerte hic fit mentio, non quod primo illic unctus fuerit David, ſed quia ſuo demum tempore ſolenni conſecrationis ritu patefacta fuit oraculi veritas, & effectu ſancita. Quanquam autem David ſe & alios his verbis revocavit ad Dei promiſſionem, ſimul tamen innuere voluit ſacrum eſſe ſuum regnum, & à templo Dei inſeparabile. Id porro verius in Chriſti regnum competit, quod & ſpirituale eſſe ſcimus, & Sacerdotio conjunctum, & præcipuam divini cultus partem.

7. Narrabo decretum: Jehova dixit ad me, Filius meus es, ego hodie genui te.	7 אספרה אל חק יהוה אמר אלי בני אתה אני היום ילדתיך :
8. Poſtula à me, & dabo Gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.	8 שאל ממני ואתנה גוים נחלתך ואחזתך אפסי־ארץ :

7. *Narrabo*, &c.] Ut ignorantiæ prætextum eripiat David ſuis hoſtibus, præconis munus ſuſcipit ad Dei edictum promulgandum, vel ſaltem profitetur ſe non venire ſine certo & liquido vocationis ſuæ teſtimonio: acſi diceret, non temere ſe prodire in medium, ut regnum occupet, ſed proferre Dei mandatum, ſine quo temere ſe in illum honorem extuliſſet. Cæterum hoc in Chriſto verius impletum fuit: nec dubium eſt quin David ſpiritu Prophetico in eum præcipue reſpexerit. Nam hoc modo inexcuſabiles redditi ſunt omnes impii, quod non miraculis ſolum probavit Chriſtus ſe legitima poteſtate à Deo fuiſſe inſtructum, ſed hoc palam quoque fecit Euangelii præconio. Imo hoc idem teſtimonium quotidie in toto orbe perſonat. Nam quamvis initio Apoſtoli Chriſtum à Deo Patre creatum eſſe Regem teſtati

teſtati ſunt; deinde poſt eos idem munus obierint doctores: quia tamen legatione omnes pro Chriſto ipſo functi ſunt, recte & apte ſibi ipſe unus vendicat quicquid per eos egit. Ideo etiam Paulus ejus perſonæ tribuit quod Euangelii miniſtri ejus nomine egerunt. Veniens, inquit, annunciavit pacem propinquis & longinquis. (Epheſ. 2. verſ. 17.) Atque hinc etiam melius ſancitur Euangelii auctoritas, quia licet ab aliis publicetur, Chriſti tamen vocari non deſinit. Sic enim ſtatuendum eſt, quoties ab hominibus Euangelium audimus, non tam ipſos, quam eorum ore Chriſtum loqui. Atqui hoc ſingulare beneficium eſt, quod Chriſtus, ne dubia ſit nobis regni ſui majeſtas, propria voce nos ad ſe comiter invitat. Quo magis cavendum eſt, ne quod promulgat edictum, impie repudiemus. *Filius meus es.* Potuit quidem David regii juris intuitu cenſeri Dei filius, quemadmodum ſcimus, Principes, eo quod præ aliis excellant, tam Deos quam Dei filios vocari. Sed hic Deus ſingulari elogio Davidem ornans, eum non modo ſupra cunctos mortales, ſed etiam ſupra Angelos extollit. Quod prudenter expendit Apoſtolus ad Hebræos capite 1. v. 5. dum hoc nulli unquam Angelo fuiſſe dictum admonet. Quamvis enim Angelis inferior eſſet David, quatenus tamen geſtavit Chriſti perſonam, merito illis longe præfertur. Sciamus ergo hic Dei filium non unum quempiam ex multis, ſed unigenitum deſignari, ut ſolus in cælo & in terra emineat. Quod autem Deus ſe illum genuiſſe pronunciat, referri debet ad hominum ſenſum, vel notitiam. David enim genitus à Deo fuit, dum clare apparuit ejus electio. Itaque adverbium *hodie*, tempus illius demonſtrationis notat: quia poſtquam innotuit creatum divinitus fuiſſe Regem, prodiit tanquam nuper ex Deo genitus: quia homini privato tantus honor haberi non poterat. Eadem in Chriſto quoque relatio tenenda eſt, non enim genitus dicitur, niſi quatenus Pater Filium ſuum eſſe teſtatus eſt. Scio locum hunc de æterna Chriſti generatione à multis fuiſſe expoſitum, qui & in adverbio Hodie argute philoſophati ſunt, acſi perpetuum actum extra tempus notaret. Sed hujus vaticinii fidelior ac magis idoneus interpres eſt Paulus, qui Actorum cap. 13. verſ. 33. ad illam quam dixi cæleſtis Chriſti gloriæ demonſtrationem nos revocat. Genitus ergo fuiſſe dicitur, non ut Filius Dei eſſe, quoad ſe, inciperet, ſed ut talis pateſieret mundo. Denique hæc genitura non de mutuo Patris & Filii reſpectu intelligi debet: ſed tantum ſignificat, eum qui fuerat ab initio abſconditus in arcano Patris ſinu, & obſcure deinde ſub Lege adumbratus, ex quo prodiit cum claris inſignibus, cognitum fuiſſe Dei Filium: ſicuti etiam dicitur Joan. 1. verſ. 14. Conſpeximus gloriam ejus tanquam unigeniti Filii. Simul tamen memoria tenendum eſt quod docet Paulus ad Romanos capite 1. v. 4. fuiſſe declaratum Filium in potentia dum reſurrexit a mortuis. Ideoque præcipue in diem illum competit quod hic dicitur. Quicquid ſit, ſolenne & legitimum manifeſtationis tempus Spiritus ſanctus hic deſignat, ſicuti infra Pſalmo 118. verſ. 24. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.

8. *Poſtula à me.*] Verum quidem eſt, rogatum (Joan. 17. verſ. 5.) fuiſſe à Chriſto Patrem, ut ipſum gloria ornaret, quam apud eum poſſederat ab initio ante creationem mundi: ſimplicior tamen ſenſus eſt, quod Pater Filio nihil negabit de propagando ejus regno in ultimos uſque terræ fines. Sed in re nova inducitur Chriſtus ſeſe Patri cum precibus offerens, quo illuſtrior ſit gratuita in hac parte Dei liberalitas, quod Filium ſuum toti mundo præficere dignatus eſt. Etſi enim quatenus æternus eſt Sermo Dei, penes eum jure ſummum imperium, & majeſtas ſemper fuit, ut nulla acceſſione creſcere potuerit: tamen exaltatus in carne fuit, in qua induerat ſervi formam. Quare non eſt hoc ſolius Deitatis elogium, ſed ad totam Mediatoris perſonam extenditur: quia poſtquam exinanitus fuit Chriſtus, datum illi fuit nomen (Philip. 2. verſ. 9.) quod eſt ſuper omne nomen, ut coram eo flectatur omne genu. Quanquam autem ſcimus Davidem præclaris victoriis potitum late regnaſſe, ut multæ gentes illi tributariæ fuerint, minime tamen completum in eo fuit quod hic dicitur. Nam ſi cum aliis monarchiis ejus regnum conferas, ſatis anguſtis finibus incluſum fuit. Ideo ne fruſtra atque etiam abſurde vaticinium hoc de immenſa regni amplitudine editum fuerit, ad Chriſtum venire neceſſe eſt, qui ſolus mundum ſibi ſubegit, ac ſuo imperio terras omnes & populos complexus eſt. Itaque hic, ut pluribus aliis locis, Gentium vocatio prædicitur: ne unius tantum gentis Rex credatur qui à Deo mittendus eſt redemptor. Quod autem regnum hoc diſſipatum, multis ruinis deforme mutilumque cernimus, ex hominum malitia provenit, quæ eos tam felici & optanda ſubjectione reddit indignos. Cæterum quamvis impediat hominum ingratitudo ne perfecte floreat regnum Chriſti, non tamen hujus prophetiæ effectum abolet: dum Chriſtus diſperſas reliquias undique colligit, & in miſera vaſtitate ſuos retinet ſacro fidei vinculo conjunctos: ut non unus duntaxat angulus, ſed totus orbis ejus imperio ſubjaceat. Adde etiam quod utcunque ferociant impii, ejuſque dominationem repudient: non tamen ſua contumacia jus & poteſtatem ipſius redigunt in nihilum: quo etiam pertinet quod proxime ſequitur.

9. Conteres eos virga ferrea, quaſi vas figuli confringes eos.	9 תְּרֹעֵם בְּשֵׁבֶט בַּרְזֶל כִּכְלִי יוֹצֵר תְּנַפְּצֵם׃

Hoc diſerte expreſſum eſt, ut ſciremus potentia inſtructum eſſe Chriſtum, qua invitis quoque & reluctantibus imperet. Subindicat enim David non omnes ſponte jugum ſubituros, ſed multos fore præfractos ac rebelles, quos tamen violenter domitos in ordinem coget. Regni quidem, de quo loquitur, ſpecies & decor in eo magis refulget, quod voluntarius populus ad diem occurrit ut ſe morigerum præbeat: ſed quia major pars indocili ferocia ſeſe contra attollit, neceſſe fuit hoc quoque adjungi, talibus obſtaculis ſuperiorem fore hunc Regem. Atque hujus quidem bellicæ virtutis ſpecimen exhibere cœpit Deus in perſona Davidis, à quo ſcimus hoſtes quamplurimos armis fuiſſe victos ac proſtratos: ſed in Chriſto plenior conſtat veritas, qui non gladio vel haſta, ſed Spiritu oris ſui impios ad interitum uſque percutit. Mirum tamen videri poſſet, quum Prophetæ alibi Chriſti manſuetudinem, clementiam, & facilitatem celebrent, hic rigidum & auſterum, plenumque terroris deſcribi. Sed quia ſevera hæc ac formidabilis dominatio non niſi ad incutiendum hoſtibus metum poſita eſt, humanitati, qua ſuos Chriſtus blande & ſuaviter fovet, minime contraria eſt. Nam ut ſe placidis ovibus amabilem paſtorem exhibet, ita feras beſtias neceſſe eſt ab eo durius tractari, ut earum truculentiam vel corrigat, vel compeſcat. Itaque Pſalmo 110. verſu 5. poſtquam laudata eſt piorum obedientia, ſimul potentia armatur Chriſtus, qua Reges & exercitus ſibi adverſos in die iræ ſuæ perdat. Et certe utrumque illi apte tribuitur, quia à Patre miſſus eſt ut pauperes (Jeſa. 61. verſ. 1.) ac miſeros ſalutis nuncio exhilaret, captivos ſolvat, ægrotos ſanet, triſtes & afflictos ex mortis tenebris educat in lucem vitæ. Rurſum quia multi ſua ingratitudine ejus in ſe vindictam provocant, ad ſubigendam eorum duritiam quodammodo novam perſonam in-

induit. Sed quæritur quodnam ſit ferreum iſtud ſceptrum, quod Chriſto in manum dedit Pater ad frangendos hoſtes. Reſpondeo pro armis omnibus Spiritum oris ſui ei ſufficere, ſicuti nuper ex Jeſaia citavi. Ergo ut digitum non moveat Chriſtus, loquendo ſatis valide fulminat contra hoſtes ſuos, & ipſa virga labiorum eos in nihilum redigit. Quantumvis enim fremant, calcitrent, ac furioſo impetu reſiſtant: coguntur tandem judicem ſuum ſentire cui regium honorem negant. Denique variis modis conteruntur, donec fiant ſcabellum pedum ejus. Quomodo Euangelii doctrina ſceptrum ſit ferreum, colligere licet ex Paulo, ubi docet ejus miniſtros præditos eſſe armis ſpiritualibus, ut dejiciant omnem altitudinem quæ ſe extollit adverſus Chriſtum, &c.

2 Cor. 10. verſ. 4.

Fateor quidem etiam ipſos fideles mactari Deo in ſacrificium, ut eos ſua gratia vivificet: quia humiliari nos prius oportet, quam Chriſtus nobis manum porrigat. Sed quia Chriſtus diſcipulos ſuos ad pœnitentiam ita erudit, ut illis nequaquam terribilis appareat: quin potius oſtenſo paſtoris pedo, triſtitiam eorum mox in gaudium vertat: adeo non utitur ſceptro ferreo ad ipſos frangendos, ut ſalutari manus ſuæ umbra magis eos protegat, virtuteque fulciat. Quare non niſi in rebelles & incredulos competit fractura iſta, qui non pœnitentia ſubacti, ſed deſperatione oppreſſi Chriſto ſuccumbunt. Cæterum quanquam non omnes voce compellat, quia tamen verbo ſuo denunciat quæcunque in eos exercet judicia, vere dicitur impium Spiritu oris ſui interficere.

2 Theſ. 2. verſ. 8.

Pulchra autem ſimilitudine ſtultam eorum ſuperbiam traducit. Quamvis enim dura ſit & pluſquam lapidea eorum obſtinatio, vaſis tamen fictilibus magis fragiles eſſe docet. quia tamen non ſtatim conteri videmus quicunque Chriſto reſiſtunt, imo ſub ferreis eorum malleis Eccleſia infirma teſtæ ſimilis eſt, pios omnes admonitos eſſe convenit, ut quotidiana Chriſti judicia tanquam horribilis ruinæ, quæ manet omnes impios, præludia reputando, diem ultimum patienter expectent, quo ipſos adventus ſui flamma prorſus abſumet. Interim ſufficiat eum in medio hoſtium ſuorum dominari.

10. Et nunc Reges ad mentem redite, erudimini Judices terræ.

11. Servite Jehovæ in timore, exultate in tremore.

10 וְעַתָּה מְלָכִים הַשְׂכִּילוּ הִוָּסְרוּ שֹׁפְטֵי אָרֶץ׃

11 עִבְדוּ אֶת־יְהוָה בְּיִרְאָה וְגִילוּ בִּרְעָדָה׃

Poſtquam ultionem Dei propoſuit David tanquam judicii ejus præco: nunc Prophetæ ac doctoris partes ſuſcipiens, incredulos ad pœnitentiam hortatur, ne ſero experiri cogantur non futiles, nec irritas fuiſſe minas. Nominatim vero Reges & Proceres alloquitur, qui non ita facile manſueſcunt. Adde quod inanis ſapientiæ faſtus quo turgent, eos quid rectum ſit diſcere non patitur. Porro ſi ne ipſis quidem Regibus parcit David, qui videntur legibus ſoluti, & exempti communi ordine, multo magis ad vulgus hominum pertinet ejus exhortatio, ut omnes à ſummo uſque ad infimum humiliet. Per adverbium *Nunc*, ſignificat mature illis eſſe reſipiſcendum: quia non ſemper eadem dabitur opportunitas. Interim ſubindicat adhuc ſe utiliter eos monere, quia pœnitentiæ locus eſt ſi maturent. Quum eos jubet intelligentia eſſe præditos, oblique falſam prudentiæ confidentiam in ipſis perſtringit: acſi dixiſſet, Hoc recte ſapiendi initium eſſe, depoſito faſtu ſe addicere Chriſti imperio. Ergo quantumvis ſibi placeant mundi Principes in ſuo acumine, ſciamus eos plane deſipere donec fiant humiles Chriſti diſcipuli. Porro intelligendi modum definit, eos Domino *ſervire* jubens *in timore*. Nam quia altitudine ſua confiſi, ſe communi jure ſolutos ſomniant, hæc maxime ſuperbia eos excæcat, ut ne Deo quidem ſubeſſe dignentur. Ergo donec ipſum timere didicerint, recta mente privatos eſſe admonet. Et certe quia eos indurat ſecuritas, ut obſequia ſua Deo ſubtrahant, primum cogendi ſunt ad timorem, ut corrigatur eorum rebellio. Cæterum ne moleſta illis ſit hæc ſervitus ad quam eos vocat, *Exultandi* verbo, ſuavem & optandam eſſe docet, quia materiam afferat veræ lætitiæ. Sed ne ſuo more laſciviant, & inanibus gaudiis ebrii, ſe beatos eſſe fingant, dum inimici ſunt Deo: iterum nomine *tremoris*, ad ſupplicem modeſtamque ſubmiſſionem eos hortatur. Eſt enim antitheſis inter lætum & hilarem tranquillæ conſcientiæ ſtatum, dum fideles Deum quem reverentur, ſibi propitium eſſe gaudent: & effrenem petulantiam, ad quam impios rapit Dei contemptus & oblivio. Subindicat igitur Propheta, quamdiu intemperanter pro carnis libidine exultant ſuperbi, ſuo exitio eos ludere: hoc vero unicum & ſalutare eſſe gaudium, acquieſcere in Dei metu & reverentia.

12. Oſculamini Filium: nequando iraſcatur, & pereatis de via, quando exardebit brevi ira ejus: beati omnes qui confidunt in eo.

12 נַשְּׁקוּ־בַר פֶּן־יֶאֱנַף וְתֹאבְדוּ דֶרֶךְ כִּי־יִבְעַר כִּמְעַט אַפּוֹ אַשְׁרֵי כָּל־חוֹסֵי בוֹ׃

Clarius adhuc exprimit quemnam Deus timorem & cultum exigat. Nam ſicuti regnare vult per manum Filii ſui, & in ejus perſona gloriæ ſuæ notas & inſignia inſculpſit: hæc noſtræ erga eum obedientiæ & pietatis legitima eſt probatio, reverenter amplecti quem nobis Regem præfecit, ſecundum illud, Qui non honorat Filium, neque Patrem honorat qui miſit illum.

Joan. 5. verſ. 23.

Nam Oſculi nomine, ſolenne honoris teſtimonium vel ſymbolum deſignat, quo ſubditi erga ſuum Regem defungi ſolebant. Summa eſt, Deum honore ſuo fraudari niſi in Chriſto colitur. Quanquam autem Hebraicum nomen בר tam filium quam electum ſignificat: utrovis tamen modo accipias, idem manebit ſenſus. Vere enim electus à Patre fuit Chriſtus, cui data fuit omnis poteſtas, ut ſolus ſupra homines & Angelos emineat. qua de cauſa etiam dicitur ſignatus eſſe à Deo, quia peculiaris in eum dignitas collata eſt, quæ ab omnibus creaturis eum eximat.

Joan. 6. verſ. 27.

Quod Purum vertunt alii interpretes, durius eſt ac magis coactum: ego vero nomen Filii libenter retineo, quod ſuperiori ſententiæ reſpondet, ubi dictum fuit, Filius meus es, ego hodie genui te. Quod ſequitur continuo poſt, Chriſti contemptoribus non impune ceſſurum eſſe ſuum faſtum, admonet: acſi dixiſſet, Quia non ſpernitur Chriſtus abſque Patris contumelia, qui eum ſua gloria ornavit, tale ſacrilegium Pater ipſe inultum non ſinet. Jam vero ne ſpe longioris moræ fruſtra ſe lactent, atque ex præſenti quiete ſibi inanes faciant delicias, denunciat iram ejus brevi momento exarſuram. Videmus enim ſi ad tempus conniveat Deus, & impios toleret, ex illius lenitate creſcere ipſis audaciam: quia ejus judicium niſi ex carnis ſenſu & experientia non concipiunt. Scio particulam כמעט ſecus à quibuſdam exponi, nempe ſimulac ira Dei vel modice exarſerit, actum fore de reprobis; ſed magis con-

ſenta-

ſpontaneum eſt ad tempus referre, ne callum ex ſuo torpore obducant ſuperbi, atque ex Dei patientia impunitatem ſibi promittant. Porro tametſi videtur cauſæ redditio eſſe, & adverbium quod ponitur, ſæpius apud Hebræos cauſale eſt: nolui tamen ab interpretatione magis recepta diſcedere. Placuit tamen reddere per adverbium Quando, quod tam cauſam quam tempus notat. *Perire de via* quidam exponunt Propter viam perverſam, vel ſceleratam vivendi rationem. Alii reſolvunt, ne via veſtra pereat: ſecundum illud Pſalmi primi, Via impiorum peribit. Mihi magis arridet diverſus ſenſus, quod David fore denunciet, ut eos intercipiat ſubitus Dei furor, dum ſe putabunt adhuc eſſe in medio ſtadio. Scimus enim ut Dei contemptores ſibi in ſecunda fortuna blandiri ſoleant, & quaſi in lato campo ſe jactent. Non abs re igitur minatur Propheta, quum dixerint, Pax & ſecuritas, ſe procul diſtare à fine ſuo putantes, repentino interitu abreptum iri. Clauſula Pſalmi temperat quod prius de ſeveritate dictum fuit: quia promiſcue omnibus terrorem incuteret ferrea Chriſti virga, & igneus Dei furor, niſi addita eſſet hæc conſolatio. Poſtquam ergo de horribili, quod incredulis impendet, judicio diſſeruit, nunc propoſita gratiæ Dei dulcedine, fideles & pios ejus cultores ad bene ſperandum invitat. Eundem quoque ordinem Paulus tenet. Nam ubi dixit in promptu ſibi eſſe vindictam contra incredulos, continuo poſt addit, ſermonem ad fideles dirigens, Poſtquam impleta fuerit veſtra obedientia. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. Quia enim fideles rigorem, de quo meminit, ad ſe extendere poterant, aſylum ſpei ipſis aperit, quo confugiant ab ira Dei: quemadmodum & Joël poſtquam impios citavit ad horribile Dei tribunal, conſolationem mox ſubjicit, Quiſquis invocaverit nomen Domini, ſalvum fore. Seorſum enim legenda mihi videtur exclamatio hæc, *Beati omnes qui confidunt in eo.* Quamvis autem tam ad Deum quam ad Chriſtum referri poſſit pronomen, melius tamen, meo judicio, convenit de Chriſto intelligi quem prius oſculari juſſerat.

1 Theſſ. 5. verſ. 3. *2 Cor 10. verſ. 6.* *Joël. 2. verſ. 32.*

ARGUMENTUM PSALMI III.

David regno pulſus, licet ultima rerum omnium deſperatio urgeret, Deum tamen invocat, ejuſque promiſſione ſe fulcit contra ingentes terrores, hoſtium ludibria, crudeleſque impetus, ipſam denique mortem, quæ tunc ſe oculis ingerebat. Tandem ſibi totique Eccleſiæ de felici exitu gratulatur.

PSALM. III.

CAnticum Davidis, quum fugeret à facie Abſalom filii ſui.

1 מזמור לדוד בברחו מפני אבשלום בנו׃

QUam acerbus fuerit Davidis mœror in conſpiratione domeſtica, quæ ex proprii filii perfidia exorta erat, cuique noſtrum ex naturæ ſenſu colligere promptum eſt. Jam quum hanc cladem ſua culpa divinitus illatam ſibi eſſe ſciret, ob ſtuprum alienæ uxori oblatum,& fuſum innoxium ſanguinem, totus concidere potuit & anxietati ſuccumbere, niſi Dei promiſſione erectus, vitam in morte ſperaſſet. Porro quia peccata ſua non attingit, ſciendum eſt alteram ſolum precationum ſuarum partem hoc Pſalmo complexum eſſe. Quod enim de adulterio, & ſceleſta Uriæ proditione pœnam Deus ſumebat, non dubium eſt gravibus diriſque animi tormentis initio fuiſſe conſtrictum. ſed poſtquam humiliatus coram Deo animum collegit, certus de impetrata venia, Deum à ſua parte ſecure ſtatuit, quem ſciebat regni ſui ſemper fore præſidem. De filio autem, totaque ejus factione conqueſtus eſt: quia ſciebat eos ad labefactandum Dei decretum impie inſurgere. Ita ſi quando Deus improbis & ſceleſtis hominibus ad nos caſtigandos tanquam flagellis utatur, cauſam primo expendere convenit, nihil ſcilicet nos perpeti, quod non promeriti ſimus: ut hæc meditatio nos ad pœnitentiam erudiat. Verum ſi Deum potius quam nos oppugnant hoſtes, continuo poſt ſuccedat hæc fiducia, ejus præſidio nos fore ſalvos: cujus gratiam, quæ nobis promiſſa eſt, ſpernunt illi, & conculcant.

2. Domine, quam multiplicati ſunt oppreſſores mei: multi inſurgunt contra me.

2 יהוה מה רבו צרי רבים קמים עלי׃

3. Multi dicunt animæ meæ, Non eſt ſalus ipſi in Deo. Selah.

3 רבים אמרים לנפשי אין ישועתה לו באלהים סלה׃

Docet ſacra hiſtoria non modo regia poteſtate exutum fuiſſe Davidem, ſed ab omnibus fere deſertum: ut totidem fere haberet hoſtes, quot ſubditos. Quanquam enim profugum comitati ſunt pauci quidam fideles amici, non tam eorum cuſtodia, quam deſerti latebris tutus evaſit. Quare non mirum eſt, objecta illa multitudine fuiſſe territum: quia nihil magis inopinatum accidere potuit, quam tam ſubita defectio. Sed raræ fidei ſignum fuit, quod tanto metu perculſus, querimoniam ſuam in Dei ſinum deponere auſus eſt. Et certe hoc unicum ſedandis noſtris timoribus remedium eſt, quicquid nos curarum angit, in eum rejicere: ſicuti viciſſim qui ſe ab eo reſpici non putant, proſtratos jacere neceſſe eſt. Deinde hoſtium ſuorum ſuperbiam clarius & magis emphatice exprimit, quod ſibi inſultent tanquam perdito ac deſperato. Significat autem inde illis creviſſe audaciam, quia à Deo abjectum eſſe confiderent. Forte etiam his verbis oblique notatur eorum impietas, quod pro nihilo ducerent Dei auxilium in Rege, quem elegerat, ſervando. Atque hoc ſecundum magis probabile eſt. neque enim Abſalom Dei favorem ſibi pollicitus eſt, ſed præterita ejus ratione, victoriam ex ſuis viribus ſperavit. David ergo eum & reliquos ita loquentes conſulto inducit, ut oſtendat immani & barbaro Dei contemptu in furorem animari, acſi ſuſque deque ducerent quod toties mirabiliter ereptus eſſet ex maximis periculis. Nam etſi impii dum inſurgunt ad nos perdendos, non palam eo inſolentiæ prorumpunt ut Dei favorem negent quicquam nobis profuturum: quia tamen vel fortunæ tribuunt omnia, vel ut quiſque viribus pollet, eum ſtatuunt fore victorem, & ideo per fas & nefas intrepide ruunt, quod illis perinde ſit Deum habere iratum, vel propitium: hinc conſtat nihili ab eis æſtimari illius gratiam, & ludibrio haberi fideles, acſi nihil prodeſſet, ſub Dei manu & cuſtodia eſſe. Quod vertunt quidam, Multi dicunt de anima mea, præſenti loco non quadrat. Nam etſi ל hoc ſenſu interdum capitur apud Hebræos, plus tamen aliquid exprimere nunc David voluit, nempe ſua præcordia quodammodo transfigi hoſtium ludibriis. Ergo Anima ſedem affectuum mihi ſignificat. Atque huic ſententiæ ex oppoſito reſpondet quod

Pſal. 35. verſ. 3. quod alibi videbimus, Dic animæ meæ, Salus tua ego ſum. Docet igitur ſuo exemplo David, quamvis una voce totus mundus nos ad deſperationem impellat, Deum unum potius audiendum eſſe, ac ſpem ſalutis ab eo promiſſam ſemper eſſe intus fovendam: & quia animas noſtras confodere tentant impii, precibus eſſe confirmandas. De voce Selah, non conveniunt inter ſe interpretes. Quidam tradunt affirmationis notam eſſe, tantundemque valere ac Vere, aut Amen. Alii accipiunt pro ſeculo. Sed quia סלל attollere ſignificat, probabilis eſt eorum opinio qui hac voce elevationem in concentu notari putant. Quanquam ſimul tenendum eſt, canendi modulos ſententiæ aptatos fuiſſe, atque ita concentum cum re, vel ſubjecta materia (ut loquuntur) fuiſſe conjunctum: ſicuti nunc poſtquam conqueſtus eſt David ſpem ſuam probroſe fuiſſe deriſam, acſi nihil eum juvaret à Deo protegi, in hac blaſphemia inſiſtit, quæ ejus animum graviter vulnerabat: ſicuti paulo poſt, ubi ſibi ſubjecit fiduciæ confirmationem, eandem vocem iterum repetet.

4. Et tu Jehova, clypeus es pro me, gloria mea, & exaltans caput meum. | 4 ואתה יהוה מגן בעדי כבודי ומרים ראשי׃

5. Voce mea ad Dominum clamavi, & exaudivit me de monte ſanctitatis ſuæ. Selah. | 5 קולי אל יהוה אקרא ויענני מהר קדשו סלה׃

Copula in particulam adverſativam reſolvi debet, quia David plenam fiduciæ vocem ſacrilegæ hoſtium proterviæ opponens, quicquid loquantur illi, ſe nihilominus in Dei verbum recumbere teſtatur. Porro certam ſpem liberationis prius ab eo fuiſſe conceptam hinc apparet, quod nulla ſit caſtigationis Dei manu inflictæ mentio. Quin potius Dei auxilio fretus, animoſe cum hoſtibus ſuis congreditur, qui legitimum Regem è ſolio dejicere volentes, impium & ſceleratum bellum gerebant. Denique culpam ſuam ante confeſſus, non niſi præſentem cauſam expendit. Sic enim Dei ſervos, ubi ab improbis vexantur, poſtquam de peccatis ſuis ingemuerint, & ſuppliciter confugerint ad Dei miſericordiam, ad præſentis cauſæ intuitum oculos referre decet, ut non dubitent ſibi indigne vexatis Deum fore adjutorem. Præſertim ubi per ipſorum moleſtias Dei veritas oppugnatur, hac fiducia magnifice in ſublime efferri decet, minime dubium eſſe quin Deus promiſſionum ſuarum fidem contra perfidos nebulones aſſerat. Nam alioqui videri poſſet David hæc ſibi falſo arrogare, quum ſeipſum Dei gloria & auxilio nudaſſet. verum quia perſuaſus eſt non prorſus ſe excidiſſe à gratia Dei, quin ſtet adhuc firma electio; ideo animum reſumit ad bene ſperandum. Ac primo quidem Deum clypeo comparans, ſe ejus virtute munitum intelligit: hinc etiam colligit eundem eſſe ſuam gloriam: quia regiæ dignitatis qua ipſum dignatus erat, futurus ſit aſſertor & cuſtos. Hinc fiducia illa, ut capite erecto incedere audeat.

5. *Voce mea ad Dominum.*] Declarat ſe nunquam ita fractum fuiſſe rebus adverſis, vel impiis ludibriis dejectum, quin ſua vota ad Deum converteret. Atque hæc vera fuit fidei ejus probatio, quod eam precando exercuit inter ipſas anguſtias. Nihil enim minus conſentaneum, quam frenum rodendo gemitus noſtros à Deo ſubducere, ſi ejus promiſſionibus fidem habemus. Neque eſt in his verbis pleonaſmos: ſed diſerte vocis ſuæ meminit David, quo melius exprimeret, utcunque obſtreperent impii, ſe tamen minime obmutuiſſe quin clare ſonaret in ore ſuo Dei nomen: quod in tam gravi duraque tentatione difficile fuit. Fieri etiam poteſt ut hanc precationis vocem opponat tumultuoſis eorum clamoribus qui vel fortunam accuſant, vel Deo maledicunt, vel ſine modeſtia ejulant: denique confuſo impetu profundunt doloris ſui intemperiem. Sed mihi hoc præcipue videtur notaſſe David, inter hoſtium blaſphemias, quibus tentabant fidem ejus obruere, ſe non fuiſſe elinguem: quin potius vocem ad Deum extuliſſe, quem impii fingebant ab eo averſum. Addit non fruſtra ſe clamaſſe, ut ad eandem conſtantiam pios omnes hortetur. Quod dicit *è monte ſanctitatis*, vel (quod idem valet) *è monte ſancto*, non recte à quibuſdam de cælo exponitur. Fateor quidem cælum alibi ſæpe vocari ſanctum Dei palatium: ſed hic non dubito quin David reſpexerit ad Arcam fœderis, quæ jam in monte Sion locata erat. Diſerte vero affirmat ſe illinc fuiſſe exauditum, licet in deſertum fugere coactus eſſet. Refert enim ſacra hiſtoria, quum Abiathar ſacerdos Arcam à Levitis portari juſſiſſet, Davidem hoc non fuiſſe paſſum. Atque in eo mira enituit ſancti viri fides. Quia enim ſciebat electum à Domino fuiſſe illud Arcæ domicilium, divelli à ſacro illo divinæ præſentiæ ſymbolo maluit, non ſecus ac propriis viſceribus, quam præter cæleſte decretum aliquid novare. Nunc gloriatur quamvis privatus eſſet Arcæ conſpectu, non tamen loci diſtantia factum eſſe quin votis ſuis propinquus eſſet Deus. Quibus verbis ſignificat ſe mediam viam tenuiſſe, ne vel ſignum viſibile contemneret, quod Dominus pro temporis ruditate inſtituerat: vel ſuperſtitioſe loco affixus, quicquam de gloria Dei carnale conciperet. Ita non temere voces in aërem evanidas ſparſit, ut ſolent increduli, qui precantur etiam ipſi, ſed quo debeant voces ſuas dirigere, incerti ſunt. David autem recta ſe ad Tabernaculum convertit, unde promiſerat Deus ſe propitium fore ſervis ſuis. Hinc orandi fiducia, cui non defuit ſucceſſus. Hodie quum in Chriſto nobis ſit exhibitum quod olim adumbrabant Legis figuræ, multo familiarior nobis ad Deum acceſſus patet, modo ne à via ſcientes ac volentes erremus. 2 Sam. 15. verſ. 24.

6. Ego decubui, & ſomnum cepi: & evigilavi, quia Dominus ſuſtentat me. | 6 אני שכבתי ואישנה הקיצותי כי יהוה יסמכני׃

7. Non timebo à myriadibus populi qui undique adverſum me poſuerunt caſtra. | 7 לא אירא מרבבות עם אשר סביב שתו עלי׃

Si retinemus præteritum in verbis tempus, miram & prope incredibilem animi conſtantiam David prædicat, quod inter multas mortes tam ſecurus dormierit, acſi extra omne diſcrimen fuiſſet. Et certe quamvis inter ſævos curarum fluctus æſtuaverit, illos tamen fide ſedatos fuiſſe certum eſt, ut ipſe quantumvis anxius in Deo quieſceret. Ita pii ſemper ab omni metu emergunt victores, ſicuti impios qui in Deum non recumbunt, etiam in minimis periculis obruit deſperatio. Quidam temporis enallagen eſſe putant, ideoque in tempore futuro reddunt, Jacebo & dormiam: quia mox futuri temporis verbum ſubjicitur, Dominus ſuſtentabit me. Sed quia continuum actum hic deſignat, in tribus primis verbis neceſſe eſſe non putavi mutare tempus. Sciendum tamen eſt, ſecuritatem hanc non referri proprie ad tempus

afflictio-

affictionis, vel ſaltem non reſtringi: potius enim, meo judicio, quantum bonum ex fide & precibus adeptus fuerit, David commemorat, nempe pacem & tranquillum animi bene compoſiti ſtatum. Hoc metaphorice ſignificat, ſe ordinariis vitæ actionibus ſecure perfunctum eſſe, dicens, Ego, inquit, in lecto non jacui pervigil & inquietus, ſed placide dormivi, quum anxiis & trepidis non contingat talis dormitio. Sed notemus, Davidem Dei præſidio, non autem ſuo ſtupore fuiſſe ita ſecurum. Nam impios quoque ſopitos tenet mentis ebrietas, dum ſe fœdus cum morte pepigiſſe ſomniant. At ſecus David, qui niſi Dei virtute ſuffultus & ope protectus, quietem non habuit. Proximo verſu inæſtimabilem vim ejus fiduciæ amplificat, quam ex Dei protectione concipiunt pii omnes. Nam ut immenſa eſt Dei potentia, ita ſtatuunt invictam fore contra quoslibet impetus, furores, apparatus, & copias totius mundi. Et ſane niſi hunc tribuimus Deo honorem, ſubinde concident nobis animi. Quare in periculis diſcamus non metiri humano modo Dei auxilium, ſed quicquid objectum fuerit terroris, ideo deſpicere, quia frivolum eſt quicquid adverſus Deum moliuntur homines.

8. Surge Domine, ſerva me Deus mi: quia percuſſiſti omnes inimicos meos in maxilla, dentes impiorum confregiſti.

8 קומה יהוה הושיעני אלהי כי־הכית את־כל־איבי לחי שני רשעים שברת׃

9. Domino eſt ſalus, ſuper populum tuum benedictio tua. Selah.

9 ליהוה הישועה על־עמך ברכתך סלה׃

8. *Surge Domine.*] Quia proximis verſibus gloriatus eſt David de pacato ſtatu, videri poſſet nunc à Domino petere ut tota vita incolumis maneat: acſi dixiſſet, Domine quando abs te proſtrati ſunt hoſtes mei, hanc gratiam in finem uſque proſequere, & continua. Sed quia novum non eſt ut David in Pſalmis permiſceat varios affectus, magis probabile videtur, poſtquam fiduciæ ſuæ mentionem inſeruit, ad eaſdem iterum preces redire. Servari igitur petit, quia erat in præſenti diſcrimine. Quod ſequitur de hoſtibus percuſſis, bifariam exponi poteſt: vel ut precando in memoriam revocet ſuperiores victorias, vel ut Dei auxilium expertus, & potitus ſuo voto, gratiarum actionem ſubjungat. in quam ſententiam libenter inclino. Primum igitur refert, ſe ad Dei opem fugiſſe in periculis, & ſalutem ab eo ſuppliciter precatum. Deinde ob eam allatam gratias agit: quo teſtatur liberationem ſe Deo acceptam ferre.

9. *Domino eſt ſalus.*] Quia ל interdum pro מן accipitur apud Hebræos, quidam non incommode vertunt, à Domino eſt ſalus. Sequutus tamen ſum quod ſimplicius erat, penes Deum ſalutem conſtare. Quibus verbis non modo ſervandi partes & laudem uni Deo vendicat, ejus manum omnibus humanis ſubſidiis tacite opponens: ſed ut mille immineant mortes, obſtare tamen Deo non poſſe quo minus ad ſervandum ſufficiat: imo in promptu exerat nullo negotio quam ſemper apud ſe habet ſalutem. In fine Pſalmi affirmat David non tam ſibi privatim hoc fuiſſe datum, quam toti populo, ne peſſum iret quæ in ejus regno fundata erat communis Eccleſiæ ſalus. Agnoſcit ergo David, ideo diſſipatam fuiſſe impiam conjurationem, quia Deo cura eſſet Eccleſiæ ſervandæ. Colligimus tamen ex hoc loco, Eccleſiam à malis omnibus ſemper liberatum iri: quia Deus, cui ſuppetit ſervandi facultas, ab ea gratiam ſuam & benedictionem nunquam ſubducet.

ARGUMENTUM PSALMI IV.

Poſtquam Deum initio precatus eſt David ut ſibi opem ferat, ſtatim ſermonem ad hoſtes convertens, Dei promiſſione fretus tanquam victor triumphat. Itaque ſuo exemplo nos docet, quoties res adverſæ urgent, vel extremæ anguſtiæ premunt, meditandas eſſe promiſſiones Dei, quibus ſpes ſalutis oſtenditur: ut hoc clypeo objecto, omnes tentationum motus perrumpere liceat.

PSALM. IV.

PRæfecto in Neginoth canticum Davidis.

1 למנצח בנגינות מזמור לדוד׃

QUo tempore compoſitus fuerit hic Pſalmus incertum eſt, niſi quod ex contextu probabilis conjectura elicitur, tunc profugum fuiſſe & exulem. Ego itaque ad tempus refero, quo eum perſequebatur Saul. Et tamen ſi quis de altera fuga accipere malit ad quam eum compulit conjuratio Abſalom, non valde contendam. Sed quia paulo poſt uno verbo notabit diuturnum ſibi fuiſſe certamen, melius convenit quod priore loco adduxi. Scimus enim quam varie jactatus fuerit antequam emergeret, ex quo infeſtus illi eſſe Saul cœpit. De vocibus quas hic verſus continet, hoc tantum breviter attingam: Quod למנצח nonnulli vertunt In ſeculum, quaſi ad ordinariam cantionem editus fuerit Pſalmus: tanquam coactum rejicio. Rectius ſentiunt alii מנצח vocari, qui præ aliis excellit, & eminet. Sed quia de genere excellentiæ & dignitatis non inter omnes convenit, nobis ſufficiat hac voce notari Præfectum cantorum. Nam Victoris nomen mihi non probatur: quia licet præſenti argumento reſpondeat, aliis tamen locis, ubi reperi videbimus, nullo modo convenit. נגינות ego à נגן deduco, quod ſignificat pulſare: ideoque non dubito inſtrumentum fuiſſe muſicum. Unde ſequitur, Pſalmum non modo aſſa voce, ſed adhibitis quoque muſicis inſtrumentis fuiſſe canendum, quæ regebat & moderabatur Præfectus ille cujus facta fuit mentio.

2. Dum clamo, reſponde mihi Deus juſtitiæ meæ: in anguſtia dilataſti mihi, miſerere mei, & audi precationem meam.

2 בקראי ענני אלהי צדקי בצר הרחבת לי חנני ושמע תפלתי׃

His verbis probatur Davidis fides, qui ad extrema redactus, & quidem longa malorum ſerie fere conſumptus, mœrori tamen non ſuccubuit: nec fractus fuit animo quin ad Deum liberatorem confugeret. Nam precando teſtatus eſt David, ſibi omnibus præſidiis nudato ſpem in Deo fuiſſe reſiduam. Porro *Deum juſtitiæ ſuæ* appellat, acſi diceret juris ſui vindicem, quod paſſim omnes eum damnarent, & hoſtium calumniis, perverſiſque vulgi judiciis oppreſſa eſſet ejus innocentia. Idque diligenter notandum eſt. Nam quum nihil ſit acerbius quam nos immerito damnari, & una cum injuſta vi perferre infamiam, id

id tamen quotidie ſanctis accidit, ut ſcilicet bene agendo male audiant: ſicque exerceri expedit, ut averſi ab omnibus mundi illecebris, ab uno Deo toti pendeant. Ergo Juſtitia pro bona cauſa capitur, cujus teſtem Deum conſtituens David, conqueritur homines ſibi malevolos eſſe & iniquos: ſuoque exemplo nos docet, ſiquando non appareat coram mundo noſtra integritas, non decere tamen nos animis frangi, quia in cælo eſt vindex noſter. Dixerunt profani homines nullum eſſe virtuti melius theatrum conſcientia: atqui hæc conſolatio longe exuperat, quod ſcimus nos in Dei & Angelorum conſpectu ſtare, dum injuſte homines nobis inſultant. Hac for-
1 Cor. 4. verſ. 5. titudine prædictum fuiſſe videmus Paulum. Nam quum apud Corinthios multi de eo ſparſi eſſent ſiniſtri rumores, ad Dei tribunal provocat. Eadem
Jeſa. 50. verſ. 6. & ſequentibus. fiducia Jeſaias quæcunque in ipſum probra jaciebant hoſtes, deſpicit. Quare hæc una patientiæ noſtræ fultura eſt, ſi nullus æquitati ſit locus in mundo, in Deum reſpicere, ejuſque judicio eſſe contentos. Objici tamen poteſt quæſtio, quum tota hominum puritas meræ ſint apud Deum ſordes, quomodo ſuam juſtitiam in ejus conſpectum proferre audeant. Quod ad Davidem ſpectat, facilis eſt ſolutio: quia non niſi hoſtium ſuorum reſpectu, de ſua juſtitia gloriatur, ſibi enim probe conſcius erat, nihil ſe niſi ex Dei vocatione & mandato tentaſſe: ideoque non temere juris ſui patronum advocat. Hinc colligimus, Davidem, quo alacrius toti mundo Deum opponeret, hoc elogio ipſum ornaſſe. Quod bis audiri poſtulat, in eo nobis & doloris vehementia, & precandi ardor exprimitur. Secundo etiam loco oſtendit unde impetrandi fiduciam concipiat, nempe ex Dei miſericordia. Et certe quoties aliquid petimus, hinc initium facere convenit, ut Dominus pro gratuita ſua bonitate miſeriis noſtris ſuccurrat.

Dilataſti mihi.] Quidam putant Davidem ſibi promittere quod nondum erat expertus, & effectum gratiæ Dei ſpe ſua antevertere. Atqui, meo judicio, priſtina Dei beneficia potius commemorat, quibus ſe confirmet in poſterum. Sic enim ſolent fideles revocare in mentem quæ ad fidei confirmationem valent. Et multi poſthac occurrent ſimiles loci, ubi David quo fidem ſuam erigat contra terrores & pericula, varias experientias colliget, quibus didicerat ſemper Deum ſuis adeſſe, nec eorum vota unquam fruſtrari. Eſt autem metaphorica loquutio, qua ſignificat ſibi undique obſeſſo & clauſo patefactum fuiſſe exitum. *Anguſtiam*, de qua loquitur, non minus ad animum quam ad rem ipſam puto referri. neque enim ferreus fuit David, quin res adverſæ eum in miſeras anxietates conjicerent.

3 Filii viri, uſquequo gloria mea ad ignominiam, diligetis vanitatem, quæretis mendacium? Selah.	3 בני־איש עד־מה כבודי לכלמה תאהבון ריק תבקשו כזב סלה׃
4 At ſcitote quod ſelegit Jehova benignum ſibi, Jehova exaudiet dum clamavero ad eum.	4 ודעו כי־הפלה יהוה חסיד לו יהוה ישמע בקראי אליו׃

3. *Filii viri.*] Hunc ſuaviſſimum Davidi fructum protulit ſua precatio, quod collecto animo potuit non modo repellere hoſtium ſuorum furorem, ſed ultro eos laceſſere, ac intrepide deſpicere quicquid machinabantur. Quare ut firma nobis conſtet fiducia, non niſi iiſdem armis inſtructos in arenam deſcendere convenit, quoties ab improbis impetimur. Summa autem eſt, quum Deus ſuo præſidio Davidem tueri velit, fruſtra ad eum perdendum eniti cunctos mortales, quantumvis magnas alioqui ad nocendum vires afferant. *Filios* autem non Adam vel hominis, ſed *viri* appellans, obiter eorum arrogantiam perſtringere videtur. Neque enim quibuſdam Hebræis aſſentior, qui Proceres notari putant. Sed potius ironica eſt conceſſio, qua eorum inſolentiam ſubſannat: quia nobiles & cordati ſibi eſſe videbantur, quum tamen cæca duntaxat eos rabies ad nefarios conatus impelleret. In voce *uſquequo*, damnatur prava eorum obſtinatio. Significat enim David non ſubito tantum aliquo motu fuiſſe incitatos: ſed penitus eorum cordibus infixum fuiſſe contumax nocendi ſtudium. Niſi enim eos recto ſenſu privaſſet ſua malitia, multis experimentis, quæ eos ab incepto deſiſtere cogerent, probaverat Deus ſe Davidis eſſe cuſtodem. Quia autem illis propoſitum erat, probroſe dejicere quem in ſolium regium extulerat Deus: quærit quouſque ſuam gloriam pergent in dedecus trahere. Notandum autem eſt quod apud ſummos & infimos omni genere ignominiæ gravatus, gloriæ tamen ſibi divinitus conceſſæ poſſeſſionem animoſe retinet: nec dubitat quin eam tandem aſſerat Deus, quibuſcunque maculis indigne aſperſa fuerit. *Diligetis vanitatem.* His verbis partim exprobrat hoſtibus perverſam libidinem qua videbat ipſos impelli, quamvis pium zelum falſo prætexerent: partim eorum ſtultitiam deridet, quod contra Deum pugnando, ſucceſſum tamen ſibi promittant. Et valde emphatica eſt objurgatio. Nam impii quantumvis craſſa malitia in omne ſcelus ruant, ſe tamen fallacibus blanditiis deludunt, nequis eos ſenſus mordeat. Exclamat ergo David, quamvis ſponte cæcutiant, & fucato colore ornent ſuam injuſtitiam, nihil eos proficere. Et certe quamvis ſibi blandiantur impii, ubi ad ſerium examen tracti fuerint, ſemper hoc conſtabit, ideo ipſos hallucinari quia ab initio propoſitum eſt fallaciter agere. Cæterum ex hoc loco nobis ſumendus eſt invictæ conſtantiæ clypeus, quoties prudentia & aſtu ſuperari nos videbimus ab improbis. Nam quibuſcunque machinis nos impetant, ſi modo erimus nobis bene conſcii, ſtabit Deus à parte noſtra, adverſus quem non prævalebunt. Polleant ingenio licet, ſuppetat illis facultas nos lædendi, in promptu ſint rationes & ſubſidia, acute omnia diſpiciant: quicquid tamen excudent, mendacium erit ac vanitas.

4. *Scitote quod ſelegit.*] Confirmatio eſt ſuperioris ſententiæ. hanc enim ſibi fiduciæ cauſam eſſe oſtendit, quia Deo regni ſui auctore nititur. Et certe tunc demum licebit ſecure contra hoſtes noſtros gloriari, ſi nobis certa erit Dei vocatio. Itaque David minime hic ſuas vires jactat, vel opes, vel exercitus, quibus ſibi regnum acquiſierit: ſed quia divinitus electus eſt, eos ſine profectu multa conari ſignificat, quia ſenſuri ſint Deum ſibi adverſum, cujus potentiæ ſuccumbent. Ac primo quidem dicit ſe à Deo fuiſſe ſegregatum: quo ſignificat non hominum arbitrio, vel propria libidine, ſed cæleſti decreto eſſe eximium. Nam quum פלה Hebræis dividere ſignificet, hoc loco ad excellentiam refertur: acſi diceret, Vos nullum Regem admittitis, niſi veſtris ſuffragiis electum, vel qui vobis allubeſcit: atqui hoc proprium Dei munus eſt, quemcunque voluerit, aſſumere. Per nomen *Benigni* non dubito quin jus regium ſibi ex re ipſa vel effectu aſſerat, acſi notam vel inſigne ſuæ vocationis proferret. Vere enim dictum fuit vetere proverbio, Propriam dotem Regum eſſe clementiam. Deus autem quos honore dignatur, ne ſint mortua idola, donis ad ſuum munus exequendum neceſſariis inſtruere ſolet. Nonnulli חסיד paſſive accipiunt non pro benefico, ſed qui Dei favore in ſolio locatus eſt. Sed quia nullum hujus ſignificationis exemplum mihi in Scriptura occurrit, commu-

nem

nem ſententiam ſequi tutius judico, quod Deus Regem elegerit qui vere ſuæ vocationi reſpondet, quia miſericors eſt ac beneficus. Hinc colligit ſe exauditum iri quoties ad Deum clamaverit. Nam in eo præcipue fidem ſuam probat Dominus, quod opus ſuum non deſerit, ſed quos ſemel amplexus eſt, perpetuo tuetur. quo docemur, intrepide ambulare in viis noſtris: quia nunquam irritum erit quicquid fuerimus aggreſſi ex ejus nutu. Hoc nobis fixum maneat, nunquam Dei auxilium defore ſincere in ſuo curſu pergentibus: ſine qua conſolatione ſingulis momentis fideles concidere neceſſe eſt.

5. Contremiſcite, & non peccabitis: loquimini in corde veſtro ſuper cubile veſtrum, & tacete. Selah.

5 רִגְזוּ וְאַל־תֶּחֱטָאוּ אִמְרוּ בִלְבַבְכֶם עַל־מִשְׁכַּבְכֶם וְדֹמּוּ סֶלָה׃

6. Sacrificate ſacrificia juſtitiæ, & ſperate in Domino.

6 זִבְחוּ זִבְחֵי־צֶדֶק וּבִטְחוּ אֶל־יְהוָה׃

5. *Contremiſcite.*] Nunc hoſtes ſuos ad reſipiſcentiam hortatur, ſi forte adhuc ſanabilis ſit eorum inſania. Primo autem contremiſcere eos jubet, vel tumultuari: quo verbo eorum ſtuporem perſtringit, quia Dei timore & vivo ſenſu vacui, præcipites ruant. Et certe hinc tantum audaciæ impiis omnibus, ut bellum cum Deo ſuſcipere non dubitent, quia eos obdurat ebria ſecuritas: & eorum ſocordiæ callum obducit voluntarius ſtupor, dum & ſe ipſos & Deum obliti, ſequuntur quocunque impellit libido. Hanc eorum furori optimam fore medicinam dicit, ne amplius peccent, ſi à ſuo veterno expergefacti, moveri ac trepidare incipiant: acſi diceret, Simulatque torporem veſtrum & indolentiam excuſſeritis, ita fiet ut reſideat peccandi cupiditas. Ideo enim bonis ac ſimplicibus moleſti ſunt impii, tantaſque turbas excitant, quia ſecum nimis ſunt pacati. Poſtea admonet ut ſecum *in cubili loquantur*, hoc eſt, in otio, & quaſi in alto receſſu rationes ſubducant: quod opponitur intemperanti ipſorum fervori. Tandem ſilentium illis præcipit. Notandum vero eſt, hujus ſilentii cauſam eſſe motum vel trepidationem cujus nuper meminit. Nam ſiquos ad peccandum abripuit phrenetica temeritas, hoc principium eſt reditus ad ſanam mentem, ſe ex ſopore expergefacere ad metum & terrorem. Sequitur deinde compoſita meditatio: tum volvunt ac revolvunt quo ſe projecerint. ita demum qui nihil prius non audebant, diſcunt modeſti eſſe ac quieti, ſaltem veſanos ſuos impetus compeſcunt. *Loqui ſuper cubile*, ex communi uſu & experientia dictum eſt. Scimus enim, dum interdiu verſamur inter homines, ſenſus magis diſtrahi: deinde ſæpius perperam fieri judicium ab externa ſpecie: contra ſolitudo nos magis attentos reddit. Deinde non obſtat pudor quin vere quiſque ſua vitia reputet. Subducit ergo David hoſtes ſuos à teſtibus vel arbitris, quo ſe rectius ac ſimplicius examinent. Hæc autem exhortatio ad nos omnes ſpectat: quia nihil proclivius eſt quam ut alii alios inani plauſu decipiant, donec ſinguli in ſe ipſos deſcendant, ac ſecum ipſi loquantur. Paulus ad Epheſ. capite 4. verſ. 26. hunc locum citans, vel ſaltem alludens ad ſententiam Davidis, Græcam verſionem ſequutus eſt, Iraſcimini, & ne peccetis: prudenter tamen & concinne ad ſuum propoſitum aptavit. Nam illic docet, quum vitioſe iracundiam ſuam profundant homines contra proximos, juſtam in ſe ipſis iræ materiam habere, ut à peccato abſtineant: ideoque jubet potius intus eos fremere, ſibique iraſci. deinde non tam ſuccenſere in perſonas, quam in vitia.

6. *Sacrificate.*] Plerique exiſtimant Davidem ad reddendum pœnitentiæ teſtimonium hoſtes ſuos hortari: & certe fateor in hunc finem mandata ex parte fuiſſe Sacrificia, ut populum ſtimularent ad vitæ novitatem. Sed dum ego expendo quale hominum genus Davidem oppugnaverit, non dubito quin eorum hypocriſin mordeat, & retundat fallacem jactantiam. David enim quum profugus in deſertis, vel cavernis, vel montibus, vel in regionibus exteris erraret, videri alienus poterat ab Eccleſia Dei. Et certe vulgo eum putabant inſtar putridi membri à ſanctorum corpore reſectum. Interim penes hoſtes erat Arca fœderis, illi Templum occupabant, primi erant in offerendis ſacrificiis. Ergo eadem confidentia qua ſemper inflatos ſcimus fuiſſe hypocritas, ſeſe contra Davidem jactabant. Nec dubium eſt quin ſuperbe Dei nomine abuſi fuerint, quaſi unici ejus cultores. Quemadmodum autem impiis exprobrat Jeremias, templum Domini mendaciter ipſos obtendere: ſic etiam David Deum externis ceremoniis placari negat, quoniam requirat pura ſacrificia. Subeſt enim tacita antitheſis inter ſacrificia juſtitiæ, & omnes inanes & adulterinos ritus, in quibus ſibi placent fucati Dei cultores. Summa igitur eſt, Jactatis Deum à vobis ſtare, quia vobis patet altare ejus, ut illic veſtras hoſtias cum magna pompa mactetis: me autem, quia à Sancta terra exulo, & à Templi acceſſu prohibeor, putatis à Deo negligi. Atqui longe aliter colendus eſt Deus, ſi velitis in eo ſperare. nam impura veſtra ſacrificia quibus ejus altare polluitis, nihil aliud quam ejus iram provocant: tantum abeſt ut reddant vobis propitium. Diſcamus igitur ex hoc loco, ſi nobis certamen ſit cum veræ pietatis corruptoribus, quamvis plenis buccis ejus nomen detonent, & ſe venditent externo ejus cultu, poſſe eorum jactantiam tuto refelli: quia recta ſacrificia non offerant. Sed interim ſimul cavendum eſt ne vana oſtentatio pietatis, præpoſteram confidentiam veræ ſpei loco in nobis foveat.

Jer. 7. 4.

7. Multi dicunt, Quis oſtendet nobis bonum? attolle ſuper nos lumen vultus tui Jehova.

7 רַבִּים אֹמְרִים מִי־יַרְאֵנוּ טוֹב נְסָה־עָלֵינוּ אוֹר פָּנֶיךָ יְהוָה׃

8. Dediſti lætitiam in corde meo pluſquam quo tempore frumentum eorum & vinum eorum multiplicata ſunt.

8 נָתַתָּה שִׂמְחָה בְלִבִּי מֵעֵת דְּגָנָם וְתִירוֹשָׁם רָבּוּ׃

7. *Multi dicunt.*] Quidam exiſtimant Davidem hic conqueri de crudeli hoſtium ſuorum malitia, quod vitam ſuam cupide appeterent. Ego autem non dubito quin David unicum votum quo ardebat, variis deſideriis comparet, quibus totus fere mundus huc illuc agitur. Nam quia principium hoc non tenent profani homines, ſolos demum omni ex parte eſſe beatos quibus propitius eſt Deus: deinde peregrinandum eſſe in terra, ut ſpe & patientia contendant ad meliorem vitam, in caducis bonis ſubſiſtunt. itaque modo illis proſpere ſit ſecundum carnem, non magna Dei cura tanguntur. Quum ergo pecudum more hoc vel illud pro ſumma felicitate arripiant, merito ſe ab illis David ſeparat, ſcopum ſibi prorſus contrarium præfigens. Nec vero refello quod quibuſdam placet, Davidem conqueri de ſuis grega-

gregalibus, qui quum impares eſſent ferendis ærumnis, præ tædio & ægritudine gemebant, quietem ſibi optantes. Ego tamen latius extendere malo, ut David unico Dei favore contentus, ſe nihil reſpicere vel morari teſtetur quid alii cupiant. Hæc autem comparatio non parum amplificat, dum fideles poſthabitis bonis præſentibus, in Deo acquieſcunt, nec quicquam pluris faciunt quam illum ſibi propitium ſentire. Primum ergo ſignificat David, deſipere eos omnes qui ſibi optantes lætam fortunam, non incipiunt à Dei gratia: ita enim fieri ut illos vagi errores circumagant. Deinde aliud vitium perſtringit, quod craſſi & terreni homines, carnis quieti & commodis addicti, in ſola eorum fruitione ſubſidant. Unde etiam fit ut ſuſque deque illis ſit Deus, quaſi eo non indigeant, dum ſuppetunt reliqua ex voto. Ipſe vero contra, ut aliis omnibus bonis careat, paternum Dei amorem ſibi inſtar omnium eſſe teſtatur. Hæc igitur ſumma eſt, Tametſi cupide præſentibus deliciis vel commodis vulgo inhient homines, ego tamen perfectam felicitatem non alibi quam in Dei gratia ſtatuo. *Lumen vultus Dei* accipit pro ſerena facie, ſicuti rurſum videtur obſcura nobis & obnubila Dei facies, dum aliquod iræ ſignum oſtendit. Pulchra autem metaphora dicitur *attolli* hoc lumen, dum in cordibus noſtris refulgens, fiduciam & ſpem generat. Neque enim ſufficeret à Deo nos amari, niſi ad nos perveniret amoris ſenſus: ſed corda noſtra Spiritu ſuo irradians, vero & ſolido gaudio nos exhilarat. Docet autem hic locus, quamvis affluat rerum omnium copia, miſeros tamen eſſe quibus propoſitum non eſt, in Deo acquieſcere. Rurſum vero fideles, quamvis inter multas moleſtias vexentur, hoc uno vere beatos eſſe, quia illis refulget paterna Dei facies, quæ omnes tenebras illuminat, mortemque ipſam vivificat, ut ita dicam.

8. *Dediſti lætitiam.*] Altera comparatione vim ſui affectus melius exprimit atque illuſtrat, quod ſcilicet bonum illud quod optaverat, adeptus, minime invideat aliorum opulentiæ & deliciis, ſed præclare contentus ſit ſua ſorte. Summa eſt, pluris ſibi eſſe propitium Dei vultum, quam ſi horrea frumento referta, cellaſque vino plenas haberet. Quanquam autem in voce מעת, variant interpretes, quia nonnulli vertunt A tempore, ac Davidem intelligunt hoſtium ſuorum bonis fuiſſe lætatum: mihi tamen longe melius congruere videtur alter ſenſus, quod ſcilicet ſe uno Dei favore magis gaudere dicat, quam terrenos homines dum bonis omnibus fruuntur, quorum deſiderio ut plurimum ardent. Dixerat enim, rebus proſperis intentos ac deditos Deum non magnopere curare: nunc vero addit, largo vini & frumenti proventu non perinde eſſe lætos, ut ipſe eſt unico divinæ bonitatis ſenſu. Atque hic verſus utilem doctrinam continet. videmus enim ut terreni homines, poſtquam ſpreta Dei gratia, totos ſe ingurgitarunt in caducas delicias, adeo non ſatiari, ut ipſa copia magis eorum cupiditates inflammet. ita fit ut in media ſaturitate, cæca inquietudo mentes eorum ſollicitet. Nunquam ergo tranquilla pax & ſolidum gaudium nobis obtinget, donec affulgeat Dei favor. Etſi autem fideles ſua commoda ipſi quoque expetunt, præpoſtero tamen ardore ad ea non feruntur, quin patienter ſuſtineant illis privari, modo ſe Deo curæ eſſe intelligant.

9. In pace ſimul dormiam & quieſcam: quia tu Jehova ſeorſum in fiducia locaſti me.

9 בְּשָׁלוֹם יַחְדָּו אֶשְׁכְּבָה וְאִישָׁן כִּי־אַתָּה יְהוָה לְבָדָד לָבֶטַח תּוֹשִׁיבֵנִי׃

Concludit, ſe perinde ſecurum eſſe ac quietum, quia protegitur Dei manu, acſi omnibus mundi præſidiis vallatus eſſet. Scimus autem bonum hoc præ aliis eſſe optabile, nempe vacuum eſſe omni metu, nec torqueri vel angi ulla cura. Ideo confirmatio eſt proximæ ſententiæ, quod gaudium de luce paterni Dei amoris conceptum, merito aliis omnibus præferat: quia interior pax animi, quæcunque fingi poſſunt bona exuperet. Multi locum hunc ita exponunt, quod ſperet David hoſtes ſibi reconciliatum iri, ut cum illis placide dormiat: quia dederat illi Deus, ſine moleſtia & nemine obturbante quieſcere. Meo tamen judicio hic aptior erit ſenſus, quod ſeorſum non minus tranquille aget, quam in magna turma: quoniam ipſum Deus tuetur. Nam in particula, יחדו ſubaudio כ ſimilitudinis notam. Nec placet quod לבדד quidam ad Deum referunt, ita vertentes, Tu ſolus Domine in fiducia locaſti me, quia ſublata antitheſi inter duo adverbia Simul & Seorſum, vel ſolitarie, multum gratiæ ex ſententia decedet. In ſumma, gloriatur ſibi ita ſufficere unius Dei tutelam, ut ſub ea non minus ſecure dormiat, licet omnibus humanis cuſtodiis nudatus, quam ſi multas circum ſe excubias haberet, vel undique munitus eſſet multis ſodalibus. Itaque ejus exemplo diſcamus hunc honorem Deo tribuere, quoties ab hominibus nihil defenſionis apparet, ut ſola ejus manus inſtar ingentis exercitus in pace nos contineat.

ARGUMENTUM PSALMI V.

David graviter injuſta hoſtium ſævitia oppreſſus, & plus adhuc malorum metuens, Dei auxilium implorat. Quo autem facilius impetret quod petit, poſtquam ex precandi ardore magnitudinem doloris ſui oſtendit, primo hoſtium ſuorum intolerabilem malitiam profert, quam à Deo relinqui inultam abſurdum foret. Deinde fidem & patientiam ſuam, conſolationem etiam inſerit, quaſi de proſpero ſucceſſu nihil dubitet. Tandem concludit, ubi liberatus fuerit, fructum gratiæ piis omnibus fore communem.

PSALM. V.

PRæfecto ſuper Nehiloth canticum Davidis.

1 לַמְנַצֵּחַ אֶל־הַנְּחִילוֹת מִזְמוֹר לְדָוִד׃

HEbraicam vocem quidam, Hæreditates, alii, Exercitus vertunt. Priores hanc rationem afferunt ſuæ ſententiæ, quod David pro ſalute duodecim Tribuum precatus ſit. Alteri vero, quia obſeſſus ab ingenti hominum multitudine, ſe contulerit ad Dei præſidium. atque ita particula Super valebit Contra. Sed quia ænigmaticas iſtas inſcriptiones non probo, libenter ſubſcribo eorum ſententiæ, qui vel inſtrumentum, vel tonum muſicum fuiſſe docent: de ſpecie autem non admodum laboro.

vel *ſuſurrum,* 2. Verba mea auſculta Jehova, intellige ſermonem meum.

2 אֲמָרַי הַאֲזִינָה יְהוָה בִּינָה הֲגִיגִי׃

3. Adverte

3. Adverte ad vocem clamoris mei, Rex meus, & Deus meus, quia ad te precabor.

3 הקשיבה לקול שועי מלכי ואלהי כי אליך אתפלל׃

Non audeo certo ſtatuere, uniuſne ſolum temporis quas ab hoſtibus ſuis injurias perpeſſus eſt, deploret hoc Pſalmo David: an vero generaliter de variis perſequutionibus queratur, quibus diu vexatus fuit ſub Saule. Eum etiam quidam ex Hebræis ad Abſalom uſque extendunt, quia per viros doloſos & ſanguinarios putant Doëg & Achitophel notari. Mihi tamen magis probabile videtur, quum Saule mortuo tranquillam regni poſſeſſionem adeptus foret David, preces quas in ſuis ærumnis & periculis meditatus fuerat, ſcriptis mandaſſe. Jam ut verba tractemus, quod rem unam tribus modis exponit, hæc repetitio affectus vehementiam notat, & longam orandi perſeverantiam. Nec enim ſuperflua congerie delectatus eſt, ut abs re profunderet diverſos loquendi modos: ſed quemadmodum ſerio ad precandum intentus erat, multiplices ſuos gemitus repræſentavit. Significat ergo nec frigide, nec pauculis tantum verbis oraſſe, ſed prout urgebat vis doloris, ſe in deflendis apud Deum ſuis malis fuiſſe anxium: & quia non ſtatim apparebat exitus, in iiſdem querimoniis repetendis fuiſſe aſſiduum. Quod autem diſertis verbis vota non concipit, ſpecies eſt reticentiæ magis emphatica, quam ſi diſtincte loquutus foret. Nam quid cupiat in corde ſuo premens, melius oſtendit ſe intimos animi ſui ſenſus coram Deo ſic efferre, ut lingua ad loquendum non ſufficiat. *Vox* etiam *clamoris* pro clamoſa vel ſonora voce, ad notandum ſtudii ardorem pertinet. Neque enim clamavit David tanquam ad aures ſurdi, ſed fervor doloris, interiorque anxietas in clamorem erupit. Etſi autem verbum הגה (unde nomen הגיג quo hic uſus eſt Propheta) Hebræis tam clare effari, quam tacite ſuſurrare ſignificat, videtur hæc ſecunda expoſitio melius præſenti loco congruere. Nam ubi verba ſua in genere propoſuit David, ea videtur in obſcuras querimonias & clamorem partiri. Sub priore autem membro notat confuſum ſtrepitum, qualis in Cantico Ezechiæ deſcribitur, ubi vocem articulatam impedit dolor, Sicut grus & hirundo garriebam: gemebam inſtar columbæ. Porro ſiquando vel ignavi ſumus ad precandum, vel cito labaſcunt pii impetus, hinc ſtimuli ad nôs pungendos petendi ſunt. Deum quoque vocando *Regem ſuum & Deum ſuum*, quia acrius ſe ad bene ſperandum incitavit, diſcamus hæc elogia in ſimilem aptare uſum, nempe ut Deum nobis familiarem reddamus. In fine teſtatur, ſe non frenum rodere, ut ſolent increduli: ſed ad Deum gemitus ſuos dirigere. Nam qui poſthabito Deo, vel intus fremunt, vel apud homines querulantur, indigni ſunt quos Deus ipſe reſpiciat. Quidam vertunt, Quando ad te precor. ſed mihi videtur potius eſſe cauſæ redditio, in qua Davidi propoſitum fuit, animum ſuum in fiduciam attollere, ſumpto hoc generali principio, Quicunque Deum in ſuis malis invocant, nunquam ab ipſo repulſam pati.

4. Jehova mane audias vocem meam: mane diſponam tibi, & ſpeculabor.

4 יהוה בקר תשמע קולי בקר אערך לך ואצפה׃

Poteſt etiam hæc ſententia in futuro tempore modi indicativi legi. Ego tamen optantis potius eſſe ſentio, quemadmodum reddidi. Poſtquam enim Deum rogavit ut ſuis votis annueret, nunc ad feſtinationem eum ſollicitat. Nam etſi non improbo, quod quidam ipſum putant ad matutinas preces alludere, quæ in Templo quotidie ſacrificiis conjungi ſolebant ex Legis præſcripto: non tamen dubito quin longioris moræ tædio compulſus, ſalutem ſuam accelerari cupiat: acſi dixiſſet, Simulatque expergiſcar, hæc prima futura eſt mea cogitatio. Tu itaque Domine opem qua indigeo, ne longius differas: ſed mox reſpondeas votis meis. *Diſponere Deo* tantundem valere interpretor, ac recta ſe ad eum applicare. Plerique, quaſi ecliptica eſſet loquutio, ſubaudiunt Orationem. Sed potius (meo judicio) teſtari voluit David, ſe minime flecti huc vel illuc, ac diſtrahi, ſed hunc ordinem ſibi eſſe ſtatutum ut ad Deum confugiat. Eſt autem tacita antitheſis inter vagos & erroneos eorum diſcurſus qui ad mundi auxilia circumſpiciunt, vel pendent ex ſuis conſiliis, & rectum fidei ductum: quo fit ut pii omnes à vanis illecebris retracti, ſe ad unum Deum convertant. Nam ערך Hebræis ordinare vel diſponere, interdum comparare vel aptare ſignificat. Optime autem convenit ſenſus, quod profiteatur David ſe minime diſtractum iri per flexuoſos circuitus, ſed recta ſe ad Deum venturum. *Speculandi* verbo tam ſpem & patientiam, quam ſollicitudinem deſignat. Nam quum צפה apud Hebræos tam expectare quam aſpicere ſignificet, non dubito quin dicere velit David, poſtquam ſuas curas in Dei ſinum depoſuerit, ſe ſuſpenſo animo quaſi in excubiis fore, donec re ipſa pateat fuiſſe à Deo exauditum. Etſi autem deſiderio ſemper inquietudo aliqua ſubeſt; qui tamen ſpeculatur quam expetit Dei gratiam, patienter eam expectat. Docet itaque hic locus frivolas eſſe preces quibus non eſt ſpes annexa, quæ mentes velut in ſpeculam evehat.

5. Quia non Deus volens impietatem tu: non habitabit tecum malum.

5 כי לא אל חפץ רשע אתה לא יגרך רע׃

6. Non ſtabunt inſani coram oculis tuis: odiſti omnes qui iniquitatem perpetrant.

6 לא יתיצבו הוללים לנגד עיניך שנאת כל פעלי און׃

7. Perdes qui loquuntur mendacium: virum ſanguinarium & doloſum abominabitur Jehova.

7 תאבד דברי כזב איש דמים ומרמה יתעב יהוה׃

Hic ſibi David ex hoſtium malitia & pravitate conciliat Dei favorem. Eſt quidem velut abrupta oratio, ut ſancti precando ſæpe balbutiunt: verum hæc balbuties Deo gratior eſt, quam omnes quantumvis nitidæ ac ſplendidæ rhetorum figuræ. Porro ad hunc ſcopum tendit David, quum ad ſummum crudelitatis & perfidiæ venerint hoſtes ſui, fieri non poſſe quin eos mature Deus compeſcat. Ratiocinatur autem ab ipſius Dei natura. nam quum illi placeat juſtitia & rectitudo, inde colligit, de improbis & ſceleratis omnibus vindictam ſumpturum. Qui enim fieri poteſt ut impune effugiant ejus manum, quandoquidem judex eſt mundi? Locus notatu apprime dignus. Scimus enim quantopere nos conſternet effrenis impiorum protervia. nam quia Deus non ſtatim eam cohibet, vel ſtupemus attoniti, vel deſpe-

deſperatione concidimus. Atqui David hinc potius fiduciæ materiam petit. Nam quo majore licentia graſſantur hoſtes, eo alacrius Deum vindicem implorat, cujus officium eſt improbos omnes perdere, quia odio habet omne ſcelus. Diſcant ergo pii omnes, quoties illis certamen eſt cum vi, fraudibus, & injuſtitia, ad Deum aſſurgere, ut ſe ad certam ſpem liberationis animent: ſicuti etiam eos hortatur Paulus 2 ad Theſſ. 1. v. 5. Documentum, inquit, eſt judicii ejus, quod nunc crucem ſuffertis: quia juſtum eſt apud Deum rependere iis qui vos affligunt, afflictionem: vobis autem qui affligimini, relaxationem nobiſcum. Et certe alioqui non eſſet mundi judex, niſi impiis omnibus apud eum merces ſua eſſet repoſita. Nunc tenemus hujus doctrinæ uſum: nempe dum improbis laſcivientibus, nobis obrepit dubitatio an Deus curam noſtri gerat, ut hunc clypeum opponere diſcamus, Deus, cui odio ac deteſtationi eſt omnis iniquitas, iſtos elabi inultos non ſinet: licet vero ad tempus eos ferat, tandem conſcendet tribunal, ſeque vindicem oſtendet. Cæterum hinc colligitur etiam univerſalis doctrina, Deum, quamvis per Satanam & impios operetur, eorumque malitia utatur ad exequenda ſua judicia, non tamen eſſe peccati auctorem, nec peccatum ei placere: quia ſemper juſtus ei finis propoſitus eſt: ut merito eos damnet ac puniat quos arcana ſua providentia impellit quo viſum eſt. Verſu quinto רע quidam in maſculino genere accipiunt pro ſceleſto homine: ſed ego malitiam potius intelligo. Simpliciter enim pronunciat David, nullum Deo conſenſum eſſe cum injuſtitia. poſtea ad homines ipſos deſcendit, negans *inſanos coram ejus oculis ſtaturos.* Eſt autem optima conſequentia, Deo exoſa eſt iniquitas: ergo de omnibus iniquis juſtam ultionem ſumet. Inſanos vocat, more Scripturæ, qui cæca cupiditate ad peccandum ruunt. Nihil enim magis furioſum impiis, qui abjecto Dei timore, nocendi libidine feruntur: imo nulla eſt amentia deterior, quam Dei contemptus, quo fit ut fas omne pervertant homines. Quamvis autem hoc ſibi ad conſolationem proponat David, ſimul tamen inde elicitur utilis eruditio ad timorem Dei: nam Spiritus Deum ſcelerum ultorem fore pronuncians, frenum nobis injicit, ne ſpe impunitatis peccemus.

8. Et ego in multitudine miſericordiæ tuæ ingrediar domum tuam: adorabo in Templo ſancto tuo in timore tui.

8 וַאֲנִי בְּרֹב חַסְדְּךָ אָבוֹא בֵיתֶךָ אֶשְׁתַּחֲוֶה אֶל־הֵיכַל־קָדְשְׁךָ בְּיִרְאָתֶךָ׃

Copulam adverſative poſitam eſſe quidam putant, quaſi David ſe impiis comparans, Deum ſibi propitium fore prædicet: ſed expendant lectores annon magis conveniat illative accipere, hoc modo, Quum impios ferre nequeas Domine, ego igitur manu tua ſervatus, ſolennes tibi pro liberatione accepta gratias in Templo tuo agam. Si prior expoſitio magis placeat, ſimpliciter ſuam erga Deum pietatem commendans Propheta, ſe ab eorum ordine disjungit, de quibus loquutus eſt. Sed videtur circumſtantia loci poſcere ut Deo gratiarum actionem promittat: nam quia hoſtes ſuos nuper Deo exoſos eſſe dixerat, nunc concepta ſalutis fiducia, ſe ad gratitudinem invitat. Veniam, inquit, ad Templum *in multitudine miſericordiæ tuæ:* acſi diceret, quamvis nunc fere perditus videri queat, ſe tamen Dei gratia ſalvum fore & incolumem. Docet itaque hic locus, quum nos urgent extremæ tentationes, ſtatuendam eſſe Dei gratiam ante oculos, ut inter ſumma quæque diſcrimina bene ſperemus. Adhæc quia caro gratiam Dei vel maligne extenuat, vel æſtimat vulgari modo, diſcamus ingentem ejus magnitudinem efferre, quæ ſufficiat vincendis terroribus. Quanquam autem conſilium Davidis fuit, ſibi certam ſalutem polliceri ex Dei miſericordia: ſimul tamen oſtendit, ubi fuerit ſervatus, gratum ſe & memorem fore. Jam quia hypocritæ gratias agendo, nihil aliud quam nomen Dei profanant, ut ſunt impuri & polluti: ideo ſe aſſerit venturum cum *Dei timore*, ut ſincero & integro corde eum adoret. Cæterum hinc colligere licet generalem doctrinam, donec ſuæ bonitatis guſtum Deus nobis præbuerit, acceſſum nobis ad eum non patere: nec quenquam rite orare, niſi qui gratiam ejus expertus, ſibi propitium fore ſtatuit ac perſuaſus eſt. Adjungitur tamen Dei timor, qui rectam piamque fiduciam à carnis ſecuritate diſcernat.

9. Jehova deduc me in juſtitia tua propter adverſarios meos: dirige coram facie mea viam tuam.

10. Quia non eſt in ore eorum rectitudo: intimum eorum pravitates, ſepulchrum patens guttur eorum, linguis ſuis doloſe agunt.

11. Fac eos errare Deus, cadant à conſiliis ſuis, in multitudine ſcelerum ſuorum diſperde eos: quia rebelles fuerunt tibi.

9 יְהוָה נְחֵנִי בְצִדְקָתֶךָ לְמַעַן שׁוֹרְרָי הַיְשַׁר לְפָנַי דַּרְכֶּךָ׃

10 כִּי אֵין בְּפִיהוּ נְכוֹנָה קִרְבָּם הַוּוֹת קֶבֶר־פָּתוּחַ גְּרוֹנָם לְשׁוֹנָם יַחֲלִיקוּן׃

11 הַאֲשִׁימֵם אֱלֹהִים יִפְּלוּ מִמֹּעֲצוֹתֵיהֶם בְּרֹב פִּשְׁעֵיהֶם הַדִּיחֵמוֹ כִּי־מָרוּ בָךְ׃

9. *Jehova deduc me.*] Quidam ita exponunt, Oſtende mihi quid rectum ſit, & fac ut totus juſtitiæ tuæ addictus ſim: idque propter adverſarios, quia periculum eſt ne ſancti malis & fraudulentis impiorum artibus impulſi, à recta via declinent. Pia quidem & utilis ſententia eſt: ſed altera expoſitio aptior, ut Deus ſervum ſuum per medias hoſtium inſidias ſalvum deducat: & quum videbitur undique captus & conſtrictus, exitum ei patefaciat. Dei ergo juſtitia hoc loco (ſicuti plurimis aliis) pro fide & clementia ejus capitur quam in tutandis fidelibus oſtendit. Ideoque præpoſitio *In* tantundem valet ac Pro vel ſecundum. David enim Deum ſibi itineris ducem eſſe optans, ex ejus juſtitia ſpem impetrandi ſibi facit. acſi dixiſſet, Domine, quia juſtus es, auxilio tuo me protegas, ut pravas hoſtium machinationes evadam. Idem ſibi vult poſterius membrum, ubi poſtulat *viam Dei coram facie ſua dirigi.* Hoc eſt, divinitus ſe eximi ab anguſtiis, quibus ſic incluſus erat, ut, ſecundum carnem, nunquam ſe exiturum putaret. Sic autem fatetur ſe vitandis hoſtium inſidiis parem non eſſe, niſi & prudentiam ſuppeditet Deus, & viam per invia aperiat. Idem & nos ejus exemplo facere convenit: ut nobis diffiſi, quum nos conſilium deficiet, aut invaleſcet hoſtium improbitas, ad Deum properemus, in cujus manu ſunt exitus mortis, ut alibi videbimus.

10. *Quia non eſt in ore eorum.*] Eaſdem querimonias denuo repetit, quo majore odio ſuos adverſarios apud Deum gravet: in ſe vero provocet ipſius

Dei miſericordiam, qui injuſte oppreſſis opem ſe laturum promiſit. Atque hoc notandum eſt, quo crudelius in nos ſæviunt hoſtes, vel magis ſcelerate nos vexant, eo majore fiducia gemitus noſtros in cælum eſſe tollendos: quia Deus non patietur ad extremum uſque graſſari eorum furorem: malitiam quoque & perverſos aſtus in lucem protrahet. Primo loco accuſat eos perfidiæ, quod nihil rectum, aut ſincerum loquantur: cauſam aſſignat, quod intus referti ſint iniquitate. Poſtea comparat eos ſepulchris, acſi diceret, voraciſſimos eſſe gurgites: quo notatur inexplebilis fundendi ſanguinis cupiditas. Tandem eorum fallacias iterum recenſet: unde colligimus, non mediocribus injuriis fuiſſe tentatum: ſed illi certamen fuiſſe cum hoſtibus deterrimis, & quibus nulla erat vel humanitas vel moderatio. tam miſere oppreſſus, non modo continuat ſuas preces, ſed ex ſtatu confuſo & deſperato materiam ſperandi petit. Quod autem Paulus, Rom. 3. verſ. 13., locum hunc citans, ad totum genus humanum extendit, non facit præter mentem Spiritus. nam quum axioma iſtud pro confeſſo ſumat, ſub Davidis perſona nobis deſcribi Eccleſiam tam in Chriſto capite quam in membris: ſequitur, in hoſtium numero cenſeri debere quicunque non regeniti ſunt Dei Spiritu, ſive exteri ſint, ſive domeſtici. Neque enim David hoc loco vel Aſſyrios vel Ægyptios ad Dei tribunal vocat: ſed Judæos degeneres, qui in carne circumciſi, ſe ex ſancta Abrahæ progenie eſſe gloriabantur. Non ergo detorquet Paulus hæc verba à genuino ſenſu, ea ad cunctos mortales accommodans: ſed proprie aſſerit, oſtenſum fuiſſe à Davide quales natura ſint.

11. *Fac eos errare.*] Quia אשם Hebræis, tam excindere vel perdere, quam peccare, ſignificat, & metaphorice pro Errare vel hallucinari capitur, uterque ſenſus præſenti loco apte quadrat: ſed quia continuo poſt ſubjicit David, *cadant à ſuis conſiliis*, non dubito quin hoc primum votum ſecundo affine ſit ac ſimile. Duo itaque hæc ſimul conjungo, tanquam cauſam & effectum, ut Deus mente privatos in errorem impellat: deinde ut eos ſua conſilia fruſtrentur. unde enim fit ut impii fruſtra conſultent, inconſiderate etiam ac ſine judicio ferantur, & turpiter impingant, niſi quia Dominus in aſtutia eos deprehendit? Intercipit eorum vafritiem, ſpiritu ſoporis & vertiginis eos inebriat, ut deſipiant in rebus minimis. Ergo ſi nobis timemus ab inſidiis & fraudibus hominum: & qui nobis nocere cupiunt, videmus ſagaces & acutos eſſe: redeat nobis in memoriam hæc ſententia, perpetuum eſſe Dei munus, ſtupore & amentia eos percutere qui ad peccandum ſapiunt. Sic fiet ut nobis dormientibus quamvis aſtutas eorum machinationes Dominus flatu ſuo diſſipet, ac tandem proſtituat eos ludibrio. In ſumma, optat David manum Dei injici ſuis hoſtibus, ac prohiberi à pravis ſuis deliberationibus. Et certe neceſſe eſt, quum Satan fraudum omnium artifex, omnes nocendi modos impiis ſuggerat, quæ callide excogitant, divinitus in nihilum redigi. Cadere à conſiliis, intelligit, non aſſequi neque efficere quod ſtatuerant. Pœnam deinde illis imprecatur quam meriti ſunt: quia dum homini innoxio inique & ſceleſte fuerunt infeſti, *Deo* quoque *rebelles fuerunt*. Hoc quidem minime cogitant ſuperbi, tanti eſſe miſeros homunciones, ut lædatur Deus in ipſorum perſona: neque enim ictus ſuos magis in cælum putant vibrari, quam ſi pulverem aut lutum pedibus calcarent. Atqui hanc inæſtimabilem mercedem ſuis cultoribus Deus rependit, quod in ſe recipit ipſorum cauſam. Quiſquis ergo ſibi recte conſcius erit, nec ab integritate deflexerit, indigne vexatus, non eſt quod dubitet Deum inſtar clypei hoſtibus ſuis objicere.

12. Et [a] lætentur omnes ſperantes in te, in æternum [b] exſultent: & protege eos, & [c] oblectentur in te diligentes nomen tuum.	12 וישמחו כל חוסי בך לעולם ירננו ותסך עלימו ויעלצו בך אהבי שמך׃
13. Quia tu benedices juſto Jehova, benevolentia quaſi ſcuto circumdabis eos.	13 כי אתה תברך צדיק יהוה כצנה רצון תעטרנו׃

a vel, *lætabuntur*, b *exultabunt*, c *gaudebunt*.

12. *Et lætentur omnes.*] Sive in futuro tempore, ſive in modo optandi legantur hæc verba, non ita multum ad ſenſum intereſt. utroque enim modo fixum manebit quod voluit Propheta: nempe ſi Dei manu liberetur, fructum hujus gratiæ piis omnibus fore communem: acſi dixiſſet, Domine ſi mihi opem tuleris, non in me ſolo reſidebit tuum beneficium, ſed patebit ad omnes tuos cultores: quia ſic fiet ut magis confirmetur eorum fides, nomenque tuum celebrent. Ergo ut facilius liberationem à Domino impetret, eam à fine vel effectu commendat, quod piis omnibus majorem fiduciam ſuggeret, eoſque animabit ad laudem & gratiarum actionem Deo reddendam. Docet autem hic locus, nos Deo ingratos eſſe, niſi accommodamus in uſum noſtrum quæcunque in proximos noſtros confert beneficia: quibus teſtatur bonitatem ſuam communiter piis omnibus ſemper expoſitam fore. ideoque additur ratio lætitiæ, *quia* Dominus *eos proteget*. Nam quoties uni ex fidelibus ſe beneficum oſtendit, ſtatuere debent (ut diximus) eundem erga ſe fore. Porro docet hic locus, non aliunde quam ex Dei præſidio naſci verum gaudium: quia licet mille mortibus ſimus expoſiti, abunde nobis ſufficere hoc debet, protegi nos Dei manu. Sed hoc fiet ſi nos inanes mundi umbræ non decipiant, ut ſub illis deliteſcamus. Hoc etiam notandum eſt, quod in Deo ſperantes, dicit *nomen ejus diligere*. Nec enim fieri poteſt quin ſuavis ſit Dei memoria, noſque ſolide oblectet: imo rapiat in amorem ſui, poſtquam ipſe nobis ſuæ bonitatis guſtum præbuit. Sicuti rurſum omnes increduli ſepultum vellent Dei nomen, ejuſque memoriam cum horrore fugiunt.

13. *Quia tu benedices.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam: quod ſcilicet ex ſua perſona commune documentum fidei ſumpturi ſint omnes Dei ſervi: quia ab uno exemplo judicium de perpetua erga omnes pios gratia fieri velit. Atque iterum admonet, non aliud eſſe legitimum gaudium, niſi quod ex ſenſu paternæ Dei benevolentiæ concipitur. *Benedicendi* verbum Hebræis (quum de hominibus ſit ſermo) bene precari ſignificat: quum vero ad Deum refertur, tantundem valet ac bene fortunare (ut loquuntur) vel bonis omnibus cumulare. Nam quia efficax eſt favor Dei, benedictio ejus, bonorum omnium affluentiam ex ſe producit. Nomen *juſti*, non ad unum hominem reſtringitur, ſed indefinite omnes Dei cultores ſignificat. Cæterum juſtos vocat Scriptura, non qui tales operum meritis cenſentur, ſed qui ad juſtitiam aſpirant: quia poſtquam Dominus eos favore ſuo complexus eſt, peccata non imputando, rectum ſtudium pro juſtitiæ perfectione illis fert acceptum. Eodem pertinet quod ſequitur, *Coronabis eos gratuito favore* vel beneplacito, *tanquam ſcuto*: intelligit enim probe fore undique munitos fideles: quia nulla ex parte illis deerit gratia, quæ & invictum eſt propugnaculum, & certam ſecum ſalutem adfert. Quanquam autem Coronandi verbum

quo utitur, ſæpe ornatum vel decus Hebræis notat: quia tamen additur ſimilitudo ſcuti, non dubito quin metaphorice pro Munire vel circumdare ſumatur. Senſus ergo eſt, quantumvis magna & varia pericula juſtos obſideant, Deo tamen propitio ſalvos fore.

Argumentum Psalmi VI.

David manu Dei afflictus, quia ſe agnoſcit iram Dei ſua culpâ provocaſſe, ut levationem impetret, peccatis ſuis veniam dari poſtulat: ſimulque deplorat, ſi è medio tollatur, Dei laudandi facultatem ſibi ablatum iri. Deinde recepta fiducia, Dei gratiam celebrat, ſermonemque ad hoſtes convertit, qui ejus malis inſultaverant.

Psalm. VI.

Præfecto in Neginoth ſuper octavam, Canticum Davidis.

1 לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינוֹת עַל־הַשְּׁמִינִית מִזְמוֹר לְדָוִד׃

Cantici nomen oſtendit, Davidem, poſtquam liberationem à malis quæ deplorat, adeptus fuerat, ſui doloris affectus hoc Pſalmo complexum eſſe. Quale vero fuerit caſtigationis genus, incertum eſt. Nam qui reſtringunt ad morbum, rationem cur ita ſentiant, ſatis firmam non adducunt. Inſiſtunt in verbo אמל quod ægrotare quidem ſignificat, ſed metaphorice hic accipi, magis probabile eſt. Objiciunt, Ezechiam, ubi à morbo convaluit, de morte idem cecinisse. Atqui Pſalmo 116., ubi nulla fit morbi mentio, eadem querimonia in perſona totius Eccleſiæ legitur. Quanquam autem ex his verbis elicimus, Davidem in ultimo diſcrimine verſatum eſſe: fieri tamen poteſt ut alio afflictionis genere quam corporis morbo laboraverit. Quare ſumamus quod certius eſt, dura aliqua clade fuiſſe percuſſum, vel inflictam fuiſſe pœnam, quæ mortis tenebras undique ejus oculis offunderet. Illud quidem tenendum eſt, non eodem quo precatus eſt articulo Pſalmum fuiſſe compoſitum: ſed quas in periculis, & triſtitia preces conceperat, poſtea data relaxatione, in monumentum fuiſſe ab eo digeſtas: ideoque mœrorem cum quo aliquandiu luctatum fuiſſe certum eſt, cum poſteriori lætitia conjungit. Quantum ad vocem *Octavæ* ſpectat, quia alibi diximus נגינות organum muſicum eſſe, neſcio an conveniat citharam octo chordarum notari: facile igitur patior referri ad tonum, ut certum cantus diſcrimen deſignet. Quanquam in re obſcura, & levis etiam momenti, liberam cuique conjecturam relinquo.

2. Jehova, ne in furore tuo arguas me, & ne in ira tua corripias me.

2 יְהוָה אַל־בְּאַפְּךָ תוֹכִיחֵנִי וְאַל־בַּחֲמָתְךָ תְיַסְּרֵנִי׃

Quamvis malum forte ab hominibus inflictum eſſet, prudenter David, ſibi cum Deo negotium eſſe reputat. Male enim in ſuis ærumnis proficiunt, quibus non ſtatim occurrunt ſua peccata, ut ſe iram Dei promeritos fuiſſe ſentiant. Et tamen videmus quantus torpor omnes fere occupet in hac parte. nam quum ſe miſeros eſſe clamitent, ad manum ferientem vix centeſimus quiſque reſpicit. Quare undecunque proveniant mala: diſcamus protinus ſenſus noſtros ad Deum referre, eumque agnoſcere judicem, qui nos ad ſuum tribunal reos citat: quando ſponte non anteverterimus ejus judicium. Sed quia ſæpe fit ut homines, dum coguntur ſentire iratum ſibi eſſe Deum, potius ad impias querimonias proſiliant, quam ſeipſos incuſent, ac ſua peccata: notandum eſt, Davidem non ſimpliciter quicquid ſuſtinet malorum Deo aſcribere, ſed fateri juſtam rependi mercedem ſuis peccatis. Non enim expoſtulat cum Deo, quaſi infeſtus ſæviat abſque cauſa: ſed arguendi & caſtigandi partes ei tribuens, tantum optat pœnis ſtatui modum. quibus verbis declarat juſtum eſſe ſcelerum ultorem. Cæterum ubi confeſſus eſt jure ſe corripi, ſummum jus vel rigorem deprecatur. Neque enim pœnam omnino refugit, quod iniquum eſſet, atque ei quoque noxium magis eſſet quam utile: ſed tantum iram Dei exhorret, quæ interitum peccatoribus minatur. Nam iræ & furori tacite opponitur paterna & levis caſtigatio: ſicuti ex Jeremiæ verbis patet, Caſtiga me, inquit, Domine: ſed in judicio, non in ira tua. *Jer. 10. verſ. 24.* Dicitur quidem iraſci Deus peccatoribus, quoties illis pœnas infligit, ſed improprie: quia non modo aliquam gratiæ ſuæ dulcedinem aſpergit, quæ dolorem mitiget, ſed pœnas temperans, & clementer manum ſuam ſuſtinens, ſe illis propitium eſſe demonſtrat. Quia tamen neceſſe eſt, quoties ſcelerum ultor apparet, horrore nos percelli, non abs re David, pro carnis ſenſu, iram & furorem ejus metuit. Senſus ergo eſt, Ego quidem Domine dignum me fateor quem in nihilum redigas: ſed quia ferendæ tuæ ſeveritati par non eſſem, ne me pro meritis tractes: quin potius ignoſcas peccata, quibus iram tuam in me provocavi. Nos vero quoties rebus adverſis premimur, diſcamus, exemplo Davidis, ad hoc remedium confugere, ut Deo reconciliemur: quia minime ſperandum eſt ut nobis bene ſit ac proſpere, niſi ipſo favente. Unde ſequitur, nunquam defore malorum congeriem, donec peccata nobis remittat.

3. Miſerere mei Jehova, quia infirmus ſum: ſana me Jehova, quia territa ſunt oſſa mea.

3 חָנֵּנִי יְהוָה כִּי אֻמְלַל אָנִי רְפָאֵנִי יְהוָה כִּי נִבְהֲלוּ עֲצָמָי׃

4. Et anima mea territa eſt valde: & tu Jehova uſquequo?

4 וְנַפְשִׁי נִבְהֲלָה מְאֹד וְאַתָּה יְהוָה עַד־מָתָי׃

3. *Miſerere mei.*] Quum Dei miſericordiam implorat, hinc melius patet, iræ & furoris nominibus non ſævitiam vel immodicum rigorem, ſed tantum judicium notaſſe, quale Deus in reprobos exercet, quibus clementer tanquam filiis non parcit. Nam ſi de injuſta pœnæ gravitate conqueſtus foret, nunc tantum ſubjiceret, Moderare tibi, ne delicti menſuram puniendo excedas. Ergo ad ſolam miſericordiam ſe conferens, nihil ſe aliud optare oſtendit, quam ne ſecum jure agatur. Jam quo Deus ad ignoſcendum magis propenſus ſit, ſe prope deficere teſtatur. Infirmum enim (ut prius admonui) non ſe vocat quia ægrotet, ſed quia dejectus ac fractus ſit. Quia autem hunc finem in pœnis ſumendis Deo propoſitum eſſe ſcimus, ut nos humiliet, ſimulac ferulis ejus ſubacti ſumus, ejus miſericordiæ aperta eſt janua. Adde quod quum proprium ſit ejus munus infirmos ſanare, jacentes erigere, fulcire debiles,

mor-

Digitized by Google

mortuis denique vitam reſtituere: hæc una ratio ad petendam ejus gratiam nobis ſufficit, ſi malis ſuccumbimus. Ubi vero ſpem ſalutis non alibi quam in ſola Dei clementia ſibi repoſitam eſſe teſtatus eſt, ſuamque dejectionem flebiliter in medium protulit: cauſæ ſubjicit ſuum effectum, ſanitatem à Deo petens. Atque hic ordo nobis tenendus eſt, ut quicquid petimus à Deo bonorum, ſciamus ex fonte gratuitæ bonitatis fluere: & pœnis tunc demum eximi, poſtquam noſtri miſertus eſt. *Quia territa ſunt.* Confirmat quod nuper attigi, ſe ex malorum gravitate ſpem concipere levationis: quia Deus ad opem miſeris ferendam eo promptior eſt, quo magis urgeri & fere obrui cernit. Porro terrorem attribuit oſſibus, non quod ſenſu prædita ſint: ſed quia ex vehementia doloris totum corpus concutitur. Nec carnem nominat quæ tenerior eſt, ſed oſſium nomine intelligit præcipuum robur ſuum fuiſſe tremefactum. Cauſam deinde aſſignat, animam ſuam valde territam eſſe dicens. Nam copula (meo judicio) cauſalem particulam valet: acſi dictum eſſet, Tam gravis eſt ac violenta interior cordis anxietas, ut totum corporis robur conturbet. Nam animam pro vita accipi, mihi non probatur, neque etiam convenit.

4. *Et tu Jehova uſquequo?*] Ecliptica oratio ad exprimendam doloris vehementiam facit, quæ non animos modo tenet conſtrictos, ſed fauces etiam: ut ſermonem in medio curſu abſorbeat. Senſus tamen hic in oratione abrupta ambiguus eſt. Quidam enim ſubaudiunt, Me affliges, vel corripere perges: Alii, quouſque differes miſericordiam tuam? Sed quæ proxime ſequitur ratio, hunc ſecundum ſenſum magis probabilem eſſe oſtendit: nempe dum optat David ſe à Domino reſpici. Conqueritur ergo ſe nunc à Deo relictum eſſe, vel nullum haberi ſui reſpectum, ſicuti longe à nobis abeſſe videtur quoties ejus auxilium vel gratia re ipſa non apparet. Hoc autem nobis pro ſua indulgentia concedit Deus, ut ipſum accelerare optemus ad opem nobis ferendam: ubi de mora conqueſti ſumus, ne votum noſtrum vel dolor ultra metas erumpat, permittendum eſſe Dei arbitrio, ne aliter maturet quam viſum fuerit.

5. **Convertere Domine, eripe animam meam: ſalvum me fac propter miſericordiam tuam.**

6. **Quia nulla in morte memoria tui: in ſepulchro quis confitebitur tibi?**

5 שובה יהוה חלצה נפשי הושיעני למען חסדך :

6 כי אין במות זכרך בשאול מי יודה לך :

5. *Convertere Domine.*] Sicuti abſentiam Dei nuper deflevit, nunc poſtulat ſibi dari ſignum ejus præſentiæ. Nam in eo ſita eſt noſtra felicitas, ſi à Deo reſpicimur. Putamus autem à nobis alienum eſſe, niſi probet ſe habere curam noſtri. Ultimo in diſcrimine verſatum fuiſſe tunc Davidem, ex his verbis colligimus, dum & animam ſuam eripi quaſi ex mortis faucibus, & ſe in ſalutem reſtitui precatur. Morbi tamen nulla fit mentio: ideoque de genere afflictionis judicium ſuſpendo. Cæterum rurſus confirmat David quod ſecundo verſu attigerat de miſericordia Dei: nempe liberationem ſe non aliunde quam ab ipſa ſperare. Quare nunquam miſeriis ſuis remedium invenient homines, donec propriæ merita, quorum fiducia ſe decipiunt, obliti, ad gratuitam Dei bonitatem confugere didicerint.

6. *Quia nulla in morte.*] Poſtquam omnia gratis in nos contulit Deus, nihil viciſſim exigit, niſi ut ſimus beneficiorum ſuorum memores. Ad hanc gratitudinem refertur quod dicit David, nullam in morte fore Dei memoriam, in ſepulchro nullam fore ejus laudem. Nam intelligit, ſi fuerit ejus gratia à morte ſervatus, gratum ſe ac memorem fore. Deplorat autem hanc ſibi facultatem ereptum iri, ſi fuerit è medio ſublatus: quia amplius non verſabitur inter homines, ut Dei nomen celebret. Porro hinc perperam & inſcite quidam colligunt mortuos carere omni ſenſu, nec ullum in ipſis vigere: quia non niſi de mutua gratiæ Dei prædicatione agitur, in qua ſe vivi homines exercent. Scimus enim ideo nos in hac terra locatos eſſe, ut uno conſenſu & ore Deum laudemus, huncque eſſe vitæ noſtræ finem. Nunc quamvis mors finem afferat talibus præconiis, non tamen ſequitur, fideles animas corporibus exutas privari intelligentia, vel nullo tangi Dei affectu. Adde quod in morte ipſa Dei judicium apprehenderat David: quod eum obmuteſcere cogebat, quoad laudes Deo canendas. Nam quum ſola Dei bonitas ſenſu percepta, os nobis ad eum celebrandum aperiat, ubi ablata eſt hilaritas, laudes quoque ceſſare neceſſe eſt. Quare nihil mirum ſi ira Dei, quæ nos terrore abſorbet, laudes ejus extinguere dicatur. Atque hinc ſolvitur altera quæſtio, cur David mortem tantopere exhorruerit, quaſi extra mundum nihil ſpei reſiduum foret. Docti viri, tres cauſas numerant cur Patres ſub Lege tanto conſtricti fuerint mortis metu: nempe quod gratia Dei nondum Chriſti adventu patefacta, non niſi obſcuræ promiſſiones tenuem futuræ vitæ guſtum dabant. Deinde quod præſens vita, in qua ſe Deus patrem declarat, per ſe ſit optabilis. Tertio quod anxii erant ne qua poſt ſuum diſceſſum accideret in religione mutatio. Atqui mihi non ſatis ſolidæ videntur iſtæ rationes, neque enim ſemper idem timor Davidis animum occupavit: utpote qui ſatur dierum, animam in ſinum Dei placide ſuo tempore depoſuit. Secunda autem ratio nobis hodie eſſet cum vetuſtis Patribus communis: quando magis illuſtribus documentis paternus Dei erga nos amor etiam in hac vita refulget. Ego vero (ut nuper dixi) in hac querimonia Davidis aliud conſidero: nempe quod Dei ultoris manum ſibi adverſam inſtare ſentiens, metu obruitur, ut fere obſtupeſcat. Idem & de Ezechia dicendum, quod non ſimpliciter mortem, ſed iram Dei, & quidem non vulgarem, fuerit deprecatus. *Jeſa. 38. verſ. 3.*

7. **Laboravi in gemitu meo, natare faciam per ſingulas noctes lectum meum: lachrymis meis culcitram meam madefaciam.**

8. **Caligavit præ indignatione oculus meus: conſenuit in perſequutoribus meis.**

7 יגעתי באנחתי אשחה בכל לילה מטתי בדמעתי ערשי אמסה :

8 עששה מכעס עיני עתקה בכל צוררי :

Quanquam hyperbolicæ ſint loquutiones, non tamen Poëtice amplificat David ſuum mœrorem, ſed vere & ſimpliciter, quam durus acerbuſque fuerit, declarat. Nam ſemper illud tenendum eſt, non fuiſſe corporalibus malis tam graviter vulneratum, ſed quod Deum ſibi infeſtum cogitans, quaſi apertos inferos cernebat: quæ triſtitia alias omnes ſuperat. Atque ut quiſque ſincere Deo addictus eſt, ejus ira durius percellitur. Quo factum eſt ut ſancti rara alias fortitudine præditi, tenerrimam mollitiem hac in parte oſtenderint. Nec aliud nos impedit, quam carnis noſtræ ſtupor, quo minus in nobis experiamur

mur quod David in ſe deſcribit. Qui vero mediocriter experti ſunt quid ſit certare cum formidine æternæ mortis, nullum in his verbis exceſſum reperient. Quare ſciamus Davidem conſcientiæ terroribus afflictum, non vulgari modo ſeipſum cruciaſſe, ſed fere jacuiſſe exanimem. Quod ad verba ſpectat, oculum ſibi caligaſſe dicit: quia & animi dolor facile ad oculos penetrat, & illinc ſe maxime profert. Quia verbum עשש pro quo reddidi Conſenuit, interdum ſignificat recedere è ſuo loco: nonnulli exponunt, evanuiſſe vel fugiſſe oculorum aciem. Alii intelligunt, tumore, qui ex fletu naſcitur, abſconditos fuiſſe oculos. Mihi tamen primum illud ſimplicius viſum eſt, quod queratur David, quaſi ſenio deficere oculos. Quod addit *per ſingulas noctes*, hinc colligimus quaſi longo dolore contabuiſſe, & tamen nunquam deſtitiſſe à precibus.

9. Diſcedite à me omnes operarii iniquitatis: quia audivit Dominus vocem fletus mei.

9 סורו ממני כל־פעלי און כי־שמע יהוה קול בכיי׃

10. Audivit Dominus deprecationem meam, Dominus orationem meam ſuſcipiet.

10 שמע יהוה תחנתי יהוה תפלתי יקח׃

11. Pudefiant & turbentur valde omnes inimici mei, retrocedant & pudefiant repente.

11 יבשו ויבהלו מאד כל־איבי ישבו יבשו רגע׃

Poſtquam dolores ſuos & moleſtias exoneravit David in ſinum Dei, nunc quodammodo induit novam perſonam. Porro non dubium eſt quin diuturno languore confectus fuerit, antequam ad hanc fiduciam emergeret: quia nuper vidimus multas ab eo noctes in continuo fletu conſumptas fuiſſe. Nunc quo moleſtius ei fuit moræ tædium, alacrius ad canendum triumphum ſeſe excitat. Sermonem vero in adverſarios dirigens, ſignificat hanc non fuiſſe ultimam partem tentationis, quod impii homines tanquam perdito & deſperato inſultabant. Scimus enim quam inſolenter ſe efferat eorum ſuperbia & crudelitas contra Dei filios, ubi cruce oppreſſos vident. Et huc eos Satan impellit, ut ad deſperationem adigat fideles, dum ſpem ſuam ludibrio haberi vident. Cæterum docet hic locus gratiam Dei piis unicam eſſe vitæ lucem: ſimulac aliquod iræ ſuæ ſignum dedit Deus, non modo expaveſcere, ſed fere demergi in tenebras mortis. rurſus ubi Deum propitium agnoſcunt, vitam illis protinus reſtitui. Notandum autem quod ter repetit David, exauditas fuiſſe ſuas preces: quo teſtatur liberationem ſe Deo ferre acceptam: & in hac fiducia ſe confirmat, quod non fruſtra ſe ad Deum contulerit. Atque ita ſtatuere oportet, ſiquem ex precibus noſtris fructum percipere volumus, non eſſe ſurdas Dei aures ad vota noſtra. Per vocem *fletus* non modo vehementiam & ardorem deſignat, ſed innuit ſe luctu & flebilibus querimoniis fuiſſe occupatum. Notanda quoque eſt confidentia & ſecuritas Davidis, quam ſibi ex Dei favore ſumit. Nam hinc docemur, nihil eſſe in toto mundo quod non deſpicere liceat, ſi perſuaſi ſumus nos à Deo amari. Et ſimul tenemus quid valeat paternus erga nos ejus amor. Per adverbium *repente* ſignificat, ubi deplorata videtur piorum ſalus, præter ſpem divinitus ipſos eripi. Nam dum res confuſas in lætum ſtatum ſubito Deus convertit, eo magis illuſtrat, & admirabilem reddit ſuam potentiam.

ARGUMENTUM PSALMI VII.

David iniqua calumnia gravatus, Deum ſibi patronum ac vindicem advocat, eique tuendam commendat ſuam innocentiam. Ac primum quidem teſtatur ſe non male conſcium ſibi eſſe. Deinde oſtendit magni referre ad Dei gloriam, ut judicium contra impios exerceat. Tertio, ut ſe ad fiduciam animet, Dei bonitatem & juſtitiam ſecum reputat, & promiſſionem in medium proponit. Poſtremo quaſi voti compos, hoſtium ſuorum ſtultitiam & irritos conatus deridet: imo Dei auxilio fretus, ſibi promittit, quicquid machinati fuerint, in eorum perniciem ceſſurum.

PSALM. VII.

Siggajon Davidis, quod cecinit Jehovæ ſuper verbis Chus filii Jemini.

1 שגיון לדוד אשר־שר ליהוה על־דברי־כוש בן־ימיני׃

De voce Siggajon non conſentiunt inter ſe Hebræi interpretes. Quidam enim pro muſico inſtrumento accipiunt. Aliis videtur eſſe concentus ad carmen modulandum. Alii putant initium fuiſſe tritæ cantilenæ, ad cujus modulos Pſalmum hunc David cantari voluerit. Alii Hebraicum nomen Latine Oblectationem reddunt. Mihi ſecunda opinio videtur maxime probabilis, certam fuiſſe melodiæ, vel cantici ſpeciem: acſi quis vel Sapphicum vel Phaleucium carmen dicat. Sed ego de re levis momenti non contendo. Porro quod Pſalmus fuiſſe compoſitus dicitur ſuper verbis Chus, mihi non placet (quod vulgo tamen receptum eſt) per Verba negotium intelligi. Fateor quidem Hebræis uſitatam eſſe loquendi formam, ut Verbum pro re vel cauſa ſumatur: ſed quia paulo poſt exprimit David falſi criminis invidia ſe fuiſſe gravatum, non dubito quin de ipſa delatione vel calumnia hic loquatur, cujus auctorem vel certe miniſtrum fuiſſe interpretor Chus, aliquem ex conſanguineis Saulis. Neque enim ſatis firma ratione moventur quidam, ut Saulem oblique ſub nomine alieno perſtringi dicant. A vero nomine ſecundum ipſos, ideo abſtinuit David, ut regiæ dignitati parceret. Plurimum (fateor) apud ipſum valuit ſacræ unctionis reverentia: ſed quum alibi diſerte Saulem nominet, ubi non minus acriter in eum invehitur, nec minus atro carbone eum depingit, cur hic potius ejus nomen ſupprimeret? Meo itaque judicio, hic ſine figura proprio nomine exprimitur improbus delator, qui Davidi odium ex ficto crimine conflaverat: ſive à Rege fuerit ſubornatus, ſive favorem captans, ultro Davidem calumniatus fuerit. Scimus enim Davidem vulgo magna infamia flagraſſe, quaſi in Regem & ſocerum ſuum ingratus ac perfidus fuiſſet. Quanquam autem Saul ex familia Jemini fuit, nihil tamen abſurdi erit, ſi dicamus unum ex ejus cognatis Davidem falſo accuſaſſe.

2. Jehova Deus mi, in te confido, ſerva me ab omnibus perſequentibus me, & libera me.

2 יהוה אלהי בך חסיתי הושיעני מכל־רדפי והצילני׃

d by Google

3. Ne forte rapiat tanquam leo animam meam : diſcerpat, & non ſit qui liberet.

3 פן יטרף כאריה נפשי פרק ואין מציל׃

Initio multos ſibi hoſtes eſſe dicit : ſecundo autem verſu unum quempiam ſingulari numero deſignat. Et certe quum omnium animi in eum accenſi forent, merito ab omnibus ſuis perſequutoribus eripi petiit. Sed quia impia Regis crudelitas, inſtar facis, contra hominem innoxium totius populi odia inflammabat, merito etiam peculiariter in ipſum, ſtylum convertit. Ita primo verſu rem deſcribit qualis erat : ſecundo autem verſu fontem, vel cauſam mali oſtendit. Porro quod præfatur Deo ſe confiſum eſſe, in hoc verbo magna ſubeſt emphaſis. Eſt quidem præteriti temporis, ideoque proprie vertendum eſſet, In te confiſus ſum : ſed quia tempora verborum ſubinde mutantur apud Hebræos, malui vertere Confido : præſertim quum ſatis conſtet, continuum (ut loquuntur) actum notari. Neque enim fiduciam jactat David, à qua jam exciderit, ſed quam conſtanter fovet in ſuis anguſtiis. Atque hæc vera eſt fidei noſtræ probatio, quum rebus adverſis afflicti, in Deo tamen ſperare non deſinimus. Hinc etiam colligimus, clauſam eſſe precibus noſtris januam, niſi eam clavis fiduciæ aperiat. Nec ſupervacuum eſt, quod Jehovam appellat Deum ſuum, ſed hoc velut aggere oppoſito, tentationum fluctus repellit, ne fidem ſuam obruant. In ſecundo verſu, leonis ſimilitudine Saulis ſævitiam amplificat, quo propenſior ſit Deus ad opem ferendam : ſicuti hoc ſibi munus vendicat, miſeras oves è faucibus luporum eripere.

4. Jehova Deus mi, ſi feci iſtud, ſi eſt iniquitas in manibus meis :

4 יהוה אלהי אם עשיתי זאת אם יש עול בכפי׃

5. Si rependi pacem mecum colenti, malum : & *non* eripui qui me affligebat ſine cauſa :

5 אם גמלתי שולמי רע ואחלצה צוררי ריקם׃

6. Perſequatur inimicus animam meam, & comperhendat : & proſternat in terram vitam meam, & gloriam meam in pulvere detineat. Selah.

6 ירדף אויב נפשי וישג וירמס לארץ חיי וכבודי לעפר ישכן סלה׃

4. *Jehova Deus.*] Hic David, ut ſibi Deum conciliet, ſe injuſte & nullum ob crimen vexari teſtatur. Et quo plus vehementiæ habeat teſtimonium, imprecatione utitur. Nam ſiquid deliquit, paratum ſe eſſe dicit ad ſubeundam noxam : imo ſeſe ad graviſſima quæque ſupplicia offert, niſi ab eo crimine prorſus immunis ſit, cujus eum fere convictum omnes putabant. Quia autem non alia lege optat ſibi à Deo ſuccurri, niſi comperta fuerit ſua integritas, docet nos ſuo exemplo, quoties ad Deum confugimus, dandam in primis eſſe operam ut probe nobis ſimus conſcii de cauſæ noſtræ juſtitia. Magnam enim ei injuriam facimus, ſi eum acceſſere velimus malæ cauſæ patronum. Pronomen *Iſtud*, de re vulgo nota eum loqui ſignificat. Unde colligere licet, calumniam quæ à Chus profecta erat, longe lateque ſparſam eſſe. Quum autem injuſtis hominum præjudiciis damnatus, nihil remedii in terra cerneret, ſeſe ad Dei tribunal recepit : ac ſatis habuit, coram cæleſti judice ſuam innocentiam aſſerere. quod pios omnes imitari decet, ut contra perverſos rumores unico Dei judicio contenti ſint. Clarius deinde profitetur nullum à ſe commiſſum fuiſſe crimen. Tandem duas ſpecies commemorat, quod injuriam nullam intulerit : quin potius ſtuduerit hoſtes ſuos juvare, à quibus tamen ſine cauſa læſus fuerat. Sic autem reſolvo quintum verſum, Si quem in pace laceſſivi, ac non potius ſuppetias tuli indignis qui me gratis perſequebantur. Nam quum vulgo exoſus foret David, acſi regnandi cupiditas eum ad perfidam defectionem impuliſſet, & ſtruendas Sauli inſidias, cui obſtricta erat ejus fides : priore membro ab illa infamia ſe purgat. Ideo forte Saulem vocat pacatum ſuum, quia jure regio ſanctus ac tutus eſſe debebat, ne quid hoſtile in eum tentare fas eſſet. Quanquam poteſt hoc nomen indefinite accipi : acſi dixiſſet, Nemo qui modeſte ſe ab injuria continuerit, ac ſe humaniter erga me geſſerit, vere queretur ſe fuiſſe ullo meo maleficio offenſum. Et tamen ita vulgo perſuaſi erant de Davide, in media pace eum moviſſe graves turbas, & cauſam dediſſe bello. Unde melius apparet, modo probetur Deo, in hac ſola conſolatione acquieſcere. In ſecunda parte verſus longius progreditur, nempe quod non tantum bonis amicus fuerit, ſed etiam improbis : nec tantum ſe cohibuerit ab omni vindicta, ſed opem tulerit inimicis, à quibus graves injurias perpeſſus erat. Et certe non admodum præclara virtus eſſet, bonos & placidos amore proſequi, niſi in malis quoque patienter ferendis moderatio & æquitas accederet. Ubi vero quiſpiam non modo acceptas injurias non retaliat, ſed malum beneficentia vincere conatur, verum ſpecimen divinæ virtutis exhibet. atque hoc modo unum ſe ex filiis Dei eſſe demonſtrat, quia non niſi à Spiritu adoptionis talis manſuetudo procedit. Quod ad verba ſpectat, quia חלץ dividere ſignificat, quidam ut nihil ſubaudiant, ita exponunt hunc locum, Si ego me ſubduxi à perſequutoribus quin ſuppetias illis ferrem. Receptior tamen eſt altera interpretatio, ut ſit eripere vel eruere à periculo : quia ſeparamus quæ volumus in tuto locare. Ita ſubaudienda erit negatio, quod in Pſalmis non raro fieri videbimus.

6. *Perſequatur inimicus.*] Magnum optimæ fiduciæ ſignum, quod nullam quantumvis atrocis pœnæ ſpeciem recuſat David, ſi in maleficio deprehenſus fuerit. Talem conſcientiam ſi poſſemus coram Deo afferre, promptior ad ferendum ſtatim nobis auxilium eſſet ejus manus. Sed quia ſæpe fit ut qui nos infeſtant, provocati à nobis fuerint : vel quia offenſi ardemus ſtudio vindictæ, indigni ſumus, quibus Deus ſuccurrat : imo januam noſtra intemperies precibus noſtris claudit. Primo David hoſtium libidini ſubjici paratus eſt, ut vitam ſuam comprehendant, & proſternant in terram : deinde proſtitui eorum ludibrio, ut etiam mortuus æternæ ignominiæ ſubjaceat. Quanquam nomen כבוד quidam pro vita ſumi volunt, ut ter idem repetat. Sed mihi plenior videtur fore ſenſus ſi referas ad memoriam : acſi dixiſſet, Non modo me hoſtis perdat, ſed mortuum quoque afficiat probris omnibus, ut nomen meum in luto vel ſtercore habitet.

7. Surge Jehova in furore tuo, evehere in hoſtium meorum indignationibus, & evigila ſuper me *ad* judicium *quod* mandaſti.

7 קומה יהוה באפך הנשא בעברות צוררי ועורה אלי משפט צוית׃

8. Et congregatio populorum circumdabit te: & propter hanc in excelſum revertere.

8 ועדת לאמים תסובבך ועליה למרום שובה :

9. Jehova judicabit populos: judica me ô Jehova ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum integritatem ſuper me.

9 יהוה ידין עמים שפטני יהוה כצדקי וכתמי עלי :

7. *Surge Domine.*] Hoſtium ſuorum indignationibus iram Dei opponit. atque idem nobis in ſimili rerum noſtrarum ſtatu agendum. Nam dum ardent impii, & ad nos perdendos furoris ſui flammas projiciunt, rogandus eſt Deus ut ipſe quoque incaleſcat: hoc eſt, re ipſa oſtendat non minus ſibi eſſe zeli & potentiæ ad nos ſervandos. Surgendi verbum metaphorice ſumitur pro Conſcendere tribunal, vel ſe accingere ad reſiſtendum: quia dormire videtur Deus quamdiu auxilium ſuum differt. Ideo rogat etiam paulo poſt David ut expergiſcatur: quia hoc inſtar oblivionis erat, miſerum & oppreſſum omni ope deſtituere. In fine verſus oſtendit, ſe nihil petere niſi ex Dei præſcripto. Atque hæc nobis in precibus tenenda eſt regula, ut vota noſtra formemus ad ejus voluntatem, ſicuti etiam Joannes admonet. *1 Joan. 5. verſ. 14.* Nec ſane aliter ex fide concipitur oratio, niſi dum in primis reſpicimus quid Deus præcipiat, ne temere vel fortuito proſiliant animi noſtri ad appetendum pluſquam licet. David ergo ut rite precetur, in verbum Dei & promiſſionem recumbit: acſi diceret, Domine non me aliqua ambitio, vel ſtultus impetus, vel pravum deſiderium impellit ut inconſiderate petam quicquid carni meæ arridet: ſed mihi prælucet verbum tuum, cui ſecure innitor. Nam quum Deus ultro ipſum vocaſſet ad ſpem regni, ejuſdem partes erant ſervum, quem delegerat, tueri & aſſerere. Itaque perinde eſt acſi dixiſſet, Quum ego privata ſorte contentus eſſem, tibi placuit me Regem creare: nunc ergo tuum eſt cauſam hanc ſuſcipere contra Saulem & ejus aſſeclas, qui tuum decretum evertere moliuntur, dum me oppugnant. Verbum עורה poſſet etiam tranſitive accipi pro Erigere, vel ſtabilire Davidi jus ſuum. Summa tamen huc redit, quod Dei vocatione fretus, manum ſibi ab eo porrigi cupit. Ideoque fidelibus cavendum eſt ne has metas excedant, ſi Dei præſidium ſibi adeſſe cupiunt.

8. *Et congregatio populorum.*] Quidam locum hunc ad populum Iſraëliticum reſtringunt, acſi promitteret David, ſimulac in regni ſolium evectus foret, ſe operam daturum ut populus antea diſſipatus, iterum coaleſceret in purum Dei cultum. Nam ſub Saule vel neglecta fuerat religio, vel tanta ſcelerum licentia graſſata fuerat, vt pauci ad Deum reſpicerent. Ergo ſecundum illos interpretes ſenſus eſt, Domine ubi Regem me conſtitueris, totus populus ex vaga confuſaque alienatione in viam redibit, ut agnoſcant omnes te in medio ſui præſidere, teque ut Regem unicum adorent. Sed hoc potius communiter de multis populis dictum accipio. Fructum enim liberationis ſuæ hic commendat David: quia longe lateque patebit ejus fama: acſi dixiſſet, Domine regnum mihi aſſerendo, non privatim modo beneficium hoc conferes in meam perſonam, ſed commune multis populis documentum erit juſti tui judicii, ut oculos convertant ad tuum tribunal. Alludit enim David ad coronam populi quæ Regem ſuum in ſolenni conventu circumdat. In eundem ſenſum continuo poſt ſubjicit, ut Deus qui ad tempus in ſilentio jacuit, in ſublime ſe attollat, ut gloriam ſuam conſpicuam reddat non uni vel alteri, ſed totis populis. Subeſt enim tacita comparatio, etiamſi unius hominis ratio habenda non ſit, eſſe tamen conſentaneum ut Deus mundum in metu & reverentia judicii ſui contineat.

9. *Dominus judicabit populos.*] Pendet hæc ſententia ex proximo verſu. Precatus fuerat David ut Deus ſe populis judicem oſtenderet: nunc ſumit hoc pro certo & confeſſo, proprium eſſe Dei munus judicare populos. Nam futurum verbi tempus, ut in generalibus ſententiis, continuum actum denotat. Neque hic de populo uno tantum loquitur, ſed cunctas gentes comprehendit. Nam quia Deum agnoſcit totius mundi judicem, inde poſtea ratiocinatur, cauſæ ſuæ & juris aſſertorem fore. Atque hoc nobis, quoties deſerti oppreſſique videmur, in memoriam redire debet, quia Dei eſt mundum gubernare, nequaquam poſſe fieri ut munere ſuo ſe abdicet: nihilo ſcilicet magis quam ut abneget ſeipſum. Ex hoc fonte, quantumvis longa malorum ſeries nobis incumbat, fluet perennis conſolatio: quia tuto colligere licebit, tutandæ noſtræ innocentiæ illi fore curam. Abſurdum enim foret, eum qui multis populis præeſt, hominem unum negligere. Neque enim idem quod terrenis judicibus, illi contingit, ut in magnis & publicis negotiis occupatus, privatas cauſas negligat. Porro iterum ſuam integritatem in medium profert, ne videatur, ſicuti ſolent hypocritæ, falſo Dei nomen obtendere. Nam quia perſonas Deus non accipit, non niſi ex cauſæ bonitate ſperandum eſt ut ſtet à parte noſtra, nobiſque faveat. Sed quæritur quomodo ſuam integritatem jactet coram Deo David, qui alibi deprecatur ejus judicium. Solutio facilis eſt, quia hic non agitur quomodo reſpondeat, ſi exigat ab eo Deus totius vitæ rationem: ſed ſe hoſtibus ſuis comparans, non fruſtra ſe eorum reſpectu juſtum eſſe aſſerit. Ubi autem pro ſe quiſque ſanctorum in Dei judicium prodit, longe diverſa eſt ratio: quia tunc unicum illis aſylum ſupereſt in miſericordia Dei.

10. Ceſſet quæſo malitia impiorum, & dirigas juſtum: quia probans corda & renes Deus juſtus.

10 יגמר נא רע רשעים ותכונן צדיק ובחן לבות וכליות אלהים צדיק :

11. Clypeus meus ſuper Deum, qui ſervat rectos corde.

11 מגני על אלהים מושיע ישרי לב :

12. Deus judicans juſtum, & contemptorem Dei quotidie.

12 אלהים שופט צדיק ואל זעם בכל יום :

10. *Ceſſet quæſo.*] Initio precatur ut Deus impiorum malitiæ modum & finem imponat. unde ſequitur, diuturnam, non exigui temporis fuiſſe crucem. Aliis potius videtur dira eſſe imprecatio, qui verbum גמר tranſitive accipiunt pro Perdere vel conſumere. Ita ſecundum eos optat David, ut malum quod concipiunt impii, Deus in ipſorum capita retorqueat. Mihi tamen ſimplicius illud videtur, ut David ſuis moleſtiis exitum dari poſtulet. ideoque votum à fine mox ſequitur, ut Deus *juſtum* vel *dirigat*, vel ſtabiliat. Nam utrovis modo legas, parum intereſt. Senſus enim eſt, ut Deus juſtos injuſte oppreſſos

preſſos reſtituat & fulciat: ut conſtet eos divinitus in ſuo ſtatu manere. *Quia probans corda.* Copula hoc loco non inepte in cauſalem particulam reſolvitur. Neque enim dubium eſt quin addita ratione precationem ſuam confirmet David. Quanquam autem jam tertio oſtendit ſe bonæ conſcientiæ teſtimonio fretum audacter accedere, plus tamen exprimit quam antea, quod non externis tantum operibus integer extiterit, ſed arcano etiam cordis affectu puritatem coluerit. Ac videtur fiduciam hanc, hoſtium ſuorum inſolentiæ opponere, à quibus probabile eſt tales calumniarum nebulas fuiſſe in vulgus ſparſas, ut miſerum hominem cogerent *cor & renes* ſuos Deo in examen offerre. Fieri etiam poteſt ut fucoſos illis prætextus excutiat, quibus ſatis habebant, homines decipere. Oſtendit enim licet theatri plauſum tulerint, hoc nullius eſſe momenti: quia mox ad Dei tribunal venturi ſint, ubi non de titulis, vel externo ſplendore operum, ſed de cordis integritate erit cognitio.

11. *Clypeus meus.*] Non mirum eſt quod ſubinde precibus meditationes permiſcet David, quibus ſe ad fiduciam animet. Quantumvis enim alacriter ad Deum feramur, ſtatim labaſcit, vel ad languorem inclinat ardor noſter, niſi vires novas colligat. Ergo ut eodem tenore preces ſuas continuet David, ſententias ſibi ex communi pietatis doctrina ſuggerens, fidem ſuam fovet, atque etiam excitat. Dicit autem, quia Deus *rectos corde ſervat*, ſe ejus præſidio ſatis munitum eſſe. Unde ſequitur, recte ſibi fuiſſe conſcium. Quum autem non juſtos ſimpliciter, ſed rectos corde dicit, videtur ad interius illud cordis & renum examen reſpicere.

12. *Deus judicans.*] Alii legunt, Deus judex juſtus, & Deus iraſcitur quotidie. Quanquam autem hunc quoque ſenſum verba admittunt, quia tamen in priore plenior eſt doctrina, libenter eum ſequutus ſum: ſicuti & doctiſſimis quibuſque magis probari video. adde quod ad præſentem cauſam melius quadrat. Quia enim hoc ſuis maledictis adepti erant Saul & ſimiles, ut Davidem totus fere populus damnaret: hac ſe una ſpe pius vir ſuſtentat, quod Deus, rebus in mundo confuſis, diſcernit tamen inter juſtos & impios. Itaque à perverſis hominum judiciis ad eum provocat qui falli nunquam poteſt. Quæritur tamen quomodo quotidianum judicium Deo tribuat, quem videmus pœnas in longum tempus ſæpe differre. Et certe Scriptura non abs re ejus μακροθυμίαν prædicat. ſed quanquam non ſtatim judicia ſua exequitur, quia nullum tempus eſt, imo nullus dies præterit, quo non certis documentis probet, quæ permiſta ſunt in mundo, à ſe diſcerni: fixum hoc manet, nunquam eum ab officio ſuo ceſſare. Quiſquis enim oculos attollet ad conſiderandum mundi regimen, clare videbit, patientiam Dei longe à conniventia differre: certe fideles de die in diem ad eum intrepide confugient.

13. Niſi converſus fuerit, gladium ſuum acuet: arcum ſuum tetendit, direxit illum:

13 אִם־לֹא יָשׁוּב חַרְבּוֹ יִלְטוֹשׁ קַשְׁתּוֹ דָרַךְ וַיְכוֹנְנֶהָ׃

14. Et ei paravit vaſa mortis, ſagittas ſuas perſequentibus aptabit.

14 וְלוֹ הֵכִין כְּלֵי־מָוֶת חִצָּיו לְדֹלְקִים יִפְעָל׃

15. Ecce parturiet iniquitatem, & concepit pravitatem, & pariet mendacium.

15 הִנֵּה יְחַבֶּל־אָוֶן וְהָרָה עָמָל וְיָלַד שָׁקֶר׃

13. *Niſi converſus.*] Hi tres verſus duobus modis exponi ſolent. Quidam enim putant, ſi perrexerint hoſtes Davidis in ſua malitia, denunciari vindictam quam meretur eorum obſtinatio. ita in ſecundo membro nomen Dei ſubaudiunt: acſi dictum eſſet, Si non reſipiſcat hoſtis meus, ſentiet tandem Deum ſuis armis inſtructum eſſe ad tuendam juſtorum ſalutem. Si hoc modo accipias, tertius verſus erit cauſæ redditio, quia impii quum meras violentias concipiant, parturiant iniquitatem, & fraudes pariant, recta Deum impetunt, & ex profeſſo in certamen provocant. Sed rectius (meo judicio) alii uno contextu legunt iſtos duos verſus: quanquam ne illi quidem in exprimenda mente Davidis mihi ſatisfaciunt. Neque enim dubito quin David horribiles hoſtium conatus referens, Dei gratiam hac deſcriptione magis illuſtret. Nam quum validis copiis & armorum apparatu muniti, furioſe in eum irruerent, nihil niſi exitium ſpirantes, quis non dixiſſet de ipſo actum eſſe? Subeſt autem ironiæ ſpecies, dum ſibi mortis formidinem ab ipſis proponit. Nam tantundem eſt acſi dixiſſet, Niſi animi propoſitum mutaverit hoſtis meus, vel impetum ſuum ac vires alio converterit, quis impediet quominus ſub ejus manu peream? Nam quum illi arma ſuppetant, cædem meam modis omnibus machinatur. Saulem vero proprie deſignat, ideoque dicit ſagittas aptaſſe perſequutoribus: quia multos ad manum habebat ſatellites, qui operam ſuam libenter ad perdendum Davidem locaſſent. Prophetæ igitur conſilium fuit, ex periculi magnitudine ingentem Dei gratiam extollere. Converſio hic non pro reſipiſcentia, ſed tantum pro diverſa voluntate accipitur: acſi dixiſſet, fuiſſe in arbitrio hoſtis, quicquid dictaſſet libido, perficere. Unde melius apparet quam admirabilis fuerit quæ repente præter ſpem ſequuta eſt mutatio. Quum dicit Saulem paraſſe arcui ſuo inſtrumenta mortifera, ſignificat nihil mediocre agitaſſe, ſed illi fuiſſe decretum lethaliter vulnerare quem petebat. דולקים Ardentes quidam vertunt, quia hæc quoque verbi ſignificatio eſt apud Hebræos: ſed præſenti loco magis convenit quod reddidi. Conqueritur autem David, ſibi non ab uno tantum homine fuiſſe timendum, ſed à magna turba: quia Saul multos perſequutores in hominem miſerum & profugum armabat.

15. *Ecce parturiet.*] Hactenus quam formidabile inſtaret diſcrimen, expoſuit David: nunc ſuperbos conatus Saulis cum magnifico apparatu deridens, irritos cecidiſſe prædicat. Adverbio demonſtrandi miraculum amplificat in re inopinata: Ecce, inquit, quum iniquitatem enixus fuerit, ſicuti moleſtiam conceperat, demum exiit inanis flatus ac vanitas: quia Deus prava ejus conſilia fruſtratus eſt. Iniquitas & moleſtia pro quibuſvis injuriis ſumuntur, quas Saul Davidi inferre cogitabat. Quanquam autem in verbis ordinem eſſe inverſum putant quidam interpretes, quia parturire ante ponitur, quam concipere: ego tamen exiſtimo gradus apte fuiſſe diſtinctos, modo ita reſolvas, Ecce iniquitatem parturiet, quia moleſtiam concepit. hoc eſt, ſicuti pridem apud ſe meditatus eſt mihi perniciem, ita inferre conabitur. Poſtea addit peperiſſe mendacium, quia ſpe ſua deceptus fuerat: quemadmodum Jeſaias dicit, ventum parere incredulos, quorum pravæ audaciæ non reſpondet eventus. Quoties ergo videbimus impios de nobis perdendis conſilia coquere, nobis in mentem veniat ipſos ſibi mentiri. Cæterum patienter feramus, ſi uſque ad partum non appareat fruſtratio. *Jeſa. 26. verſ. 18.*

16. Puteum

16. Puteum fodit, & effodit eum: & cecidit in foveam quam fecit. | 16 בור כרה ויחפרהו ויפל בשחת יפעל:

17. Convertetur pravitas ejus in caput ejus, & ſuper verticem ejus violentia ejus deſcendet. | 17 ישוב עמלו בראשו ועל קדקדו חמסו ירד:

Hic David non tantum ſucceſſu caruiſſe dicit impias machinationes, ſed mirabili Dei providentia in contrarium finem verſas eſſe. Id metaphorice primum canit, ſimilitudinem putei & foveæ uſurpans: deinde ſine figura idem ſimplicibus verbis pronunciat, quod ſcilicet iniquitas redierit in caput auctoris. Non dubito autem quin proverbialis fuerit apud Hebræos loquendi forma, quiſquis puteum fodiſſet, in eum cadere: quum notare vellent doloſos homines inſidiis ſuis ac fraudibus capi, vel necis artifices arte perire ſua. Duplex autem eſt hujus doctrinæ uſus. nam quibuſcunque nocendi artibus polleant hoſtes noſtri, ſperandus eſt hic exitus quem Deus promittit, ut ſeipſos proprio gladio confodiant. neque enim hoc fortuitum eſt, ſed malum quod innoxiis intendunt, Deus arcana manus ſuæ directione in eorum capita retorquet. Rurſum ſiquando nos carnis libido ad lædendos proximos, vel ad pravum aliquod facinus nos inſtigat, ſuccurrat hæc Dei ultio, Qui foveam aliis parant, in eam dejici. Ita fiet ut quantum ſibi quiſque, ſuæque ſaluti conſulere volet, ab omni ſe cohibeat injuria.

18. Celebrabo Jehovam ſecundum juſtitiam ejus: & canam nomini Jehovæ excelſi. | 18 אודה יהוה כצדקו ואזמרה שם יהוה עליון:

Quia in hunc finem ſuos Deus liberat ut ſacrificia laudis ei viciſſim rependant, David hic pro accepta liberatione ſe gratum fore promittit: & ſimul confirmat quod elapſus eſſet à morte, hoc minime eſſe dubium vel obſcurum Dei opus. Neque enim vere & ex animo ſalutis ſuæ laudem Deo adſcriberet, niſi ſerio perſuaſus eſſet, aliter ſe quam humanitus fuiſſe ſervatum. Quare non modo debitam ſuo liberatori gratitudinem promittit, ſed ſummatim affirmat quod recenſuit toto Pſalmo, ſe vitam Dei gratiæ debere, quia non paſſus eſſet ſibi à Saule eripi. Juſtitia Dei hoc loco pro fide accipitur quam ſervis ſuis præſtat in tuenda eorum vita. Neque enim juſtitiam ſuam Deus intus abſconditam tenet, ſed eam profert in uſum noſtrum, dum nos contra omnem injuſtam vim defendit, ab oppreſſione liberat: & quamvis à ſceleſtis hominibus oppugnemur, ſervat tamen incolumes.

ARGUMENTUM PSALMI VIII.

David paternam Dei erga humanum genus beneficentiam reputans, ſimplici gratiarum actione non contentus, in admirationem ejus rapitur.

PSALM. VIII.

PRæfecto ſuper Haggithith canticum Davidis. | 1 למנצח על הגתית מזמור לדוד:

2. Jehova Domine noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in tota terra, ad ponendum decus tuum ſupra cælos. | 2 יהוה אדנינו מה אדיר שמך בכל הארץ אשר תנה הודך על השמים:

AN גתית muſicum inſtrumentum ſignificet, an modulationis ſpeciem, an vero celebris ac noti carminis initium, ego incertum relinquo. Nam qui Pſalmum ita vocari putant, quod in urbe Gath fuerit compoſitus, coactam expoſitionem nimis procul accerſunt. Ex tribus vero primis ſententiis quam eligas, non magni intereſt. Quid vero contineat Pſalmus ipſe, & quorſum ſpectet, præcipue videndum. Proponit quidem ſibi David ante oculos miram Dei virtutem & gloriam in toto mundi opificio & gubernatione: ſed hanc partem leviter tantum perſtringens, in conſideratione ſummæ erga nos bonitatis inſiſtit. Et certe quanquam in toto naturæ ordine ampliſſima occurrit celebrandi Dei materia, quia tamen propria experientia magis afficimur, non abs re ex profeſſo ſpecialem erga humanum genus gratiam David commendat: quia hoc eſt maxime illuſtre ſpeculum in quo perſpicere licet ejus gloriam. Mirum tamen eſt cur ab exclamatione incipiat, quum res ipſa prius narrari ſoleat, quam extolli ejus magnitudo. Atqui ſi tenemus quod alibi dicitur, non poſſe verbis exprimi Dei opera, nequaquam mirum videbitur, Davidem hac loquendi forma ſe fateri narrationi imparem. Quia ergo David inæſtimabilem gratiam, qua Deus humanum genus dignatus eſt, ſecum expendens, ſenſus omnes ſuos abſorberi ſentit vel obrui, exclamat rem admiratione dignam eſſe, quia verbis concipi non poteſt. Adde quod Spiritus ſanctus, qui Davidis linguam direxit, non dubium eſt quin communem hominum torporem in illius perſona excitet, ne immenſum Dei amorem, & innumera, quibus fruuntur, beneficia parce tantum & frigide ſuo more laudent: ſed potius nervos omnes intendant ad hoc pietatis exercitium. Nam hoc epiphonema quo uſus eſt David, declarat, ubi intenta ad hanc cogitationem fuerit tota humani ingenii facultas, longe infra ſubſiſtere. Nomen Dei hic poſitum eſſe interpretor pro celebri ejus notitia, quatenus ſcilicet ſe nobis patefacit. nam arguta eorum ſpeculatio mihi non placet, quibus nihil aliud eſt Dei nomen, quam Deus ipſe. Nam hoc ad opera aut virtutes ex quibus cognoſcitur, potius quam ad eſſentiam referri debet. Terram ergo admirabili Dei gloria plenam eſſe dicit, ut decus ejus ſupra cælos conſcendat. Recte enim (meo judicio) verbum תנה quidam accipiunt in Machor, hoc eſt, infinitivo modo, pro Locare. Nam in ſecundo membro amplificatio eſt: acſi dixiſſet minorem eſſe terram, quam ut decus vel magnificam Dei formam contineat. Atque hoc modo אשר non erit relativum, ſed expletivam vel exegeticam particulam valebit.

3. Ex ore infantium & lactentium fundaſti robur propter adverſarios tuos, ad profligandum inimicum & ultorem. | 3 מפי עוללים וינקים יסדת עז למען צורריך להשבית אויב ומתנקם:

Jam

Jam in ipſum argumentum quod tractandum ſuſceperat, ingreditur: nempe quod Dei providentia, ut ſe proferat in humano genere, non adultam ætatem expectet, ſed à prima uſque infantia clare jam refulgeat quantum ſatis ſit ad refellendos omnes impios, qui profano ſuo contemptu Dei nomen extinguere cuperent. Quod quidam מפי tantundem ac בפי valere putant, abſurdum eſt: quia emphaſin, qua uſus eſt David, perperam diminuit. Senſus ergo eſt, Deum, ut providentiam ſuam commendet, non opus habere magna Rhetorum facundia, ac ne formato quidem ſermone, quia mutas infantium linguas ad eam celebrandam ſatis promptas & diſertas habeat. Quæritur tamen quo ſenſu pueros gloriæ Dei faciat præcones. Stulte (meo judicio) philoſophantur, qui hoc fieri putant, dum pueri articulate incipiunt loqui, quia tunc quoque vis animæ intellectiva apparet. nam ut demus, parvulos ad ſeptennium uſque vocari, quomodo à mamma pendere fingent, qui diſtincte jam loquuntur? Nihilo melius convenit allegorice parvulos & lactentes ſumi pro fidelibus, qui Dei Spiritu renati, nihil vetus ſapiunt. Et quid attinet Davidis verba torquere, quorum genuinus ſenſus tam apte fluit? Parvulos & lactentes dicit ſatis validos eſſe patronos qui Dei providentiam aſſerant. Cur viris non mandat iſtas partes, niſi ut oſtendat linguas infantiles, antequam verbum effari queant, ſonore tamen loqui quam liberalis ſit Deus erga genus humanum? Unde enim ſtatim ab utero egreſſis alimentum præſto eſt, niſi quia Deus mirabiliter ſanguinem in lac transformat? unde etiam ſugendi induſtria, niſi quia idem Deus arcano inſtinctu linguas eorum aptat? Ergo optima ratione David, quamvis ceſſent omnes viriles linguæ, os elingue infantium ad celebrandam Dei laudem ſatis idoneum eſſe pronunciat. Cæterum quod parvulos non ſolum teſtes vel præcones Dei gloriæ inducit, ſed eorum ori attribuit firmum robur, magna energia non caret. Perinde enim eſt acſi dixiſſet invictos eſſe Dei milites, qui totum impiorum exercitum, ſi ad conflictum ventum fuerit, facile diſſipent ac proterant. Notandum enim eſt, contra quos infantibus munus injungat tuendæ gloriæ Dei: nempe contra ferreos Dei contemptores, qui Gigantum more bellum cælis indicere non dubitant. Quum ergo Cyclopes iſti furioſo impetu convellant, ac pervertant quicquid eſt pietatis in mundo, ſuaque duritie cælum ipſum perfringere conentur, David per ludibrium in aciem puerorum ora educit, & ſatis validis armis inſtructa eſſe, ac fortitudine pollere dicit ad proſternendam eorum ſuperbiam. Ideo mox ſubjicit, *Propter adverſarios.* Neque enim forti potentia bellare neceſſe eſt Deo ad vincendos fideles, qui ſponte vocem ejus ſequuntur, propenſumque obſequium exhibent ſimulac digito ſignum dederit. Fateor quidem lucere Dei providentiam præſertim fidelium cauſa, quia ſoli oculati ſunt ad eam ſpectandam. Verum quia dociles ſe præbent, placide ipſos Deus erudit: contra hoſtes vero proprie ſe armat, qui nunquam niſi coacti cedunt. Quidam *fundandi* verbum nimis reſtricte accipiunt, quod ſcilicet in ipſo partu vel generatione hominis Deus gloriæ ſuæ fundamenta jaciat. Ego enim pro Stabilire poſitum eſſe non dubito, acſi dixiſſet Propheta, pro bellicoſis & firmis copiis, puerorum ora Deo ad perdendos impios ſufficere. *Ad profligandum.* In verbo השבית variant interpretes. Proprie eſt facere ceſſare. nam eſt in conjugatione Hiphil à neutro שבת, quod ceſſare ſignificat. Sed metaphorice plerumque ſumitur pro Perdere vel redigere in nihilum: quia interitus finem affert. Alii vertunt, ut compeſcas: quaſi intelligeret David ſilentium illis imponi, ut maledicere vel obſtrepere deſinant. Sed quia ad hoſtile prælium plena gratiæ alluſio eſt in hoc loco (ut nuper expoſui) mihi verbum militare placuit, Ad profligandum. Sed quæritur quomodo hoſtes ſuos profliget Deus, quorum ſacrilega petulantia violenter contra omnia divinæ providentiæ exempla impingere non ceſſat. Reſpondeo, non profligari quod ad modeſtiam cogantur: ſed quia cum ſuis blaſphemiis & canino latratu turpiter confuſi jacent. Summa eſt, à prima hominis generatione vel exortu ita conſpicuum eſſe divinæ providentiæ fulgorem, ut infantes à matrum uberibus pendentes, eorum furorem proſternant: quia etiamſi centies crepent, fruſtra robur quod in illa debilitate ſe profert, ſubvertere nituntur. Quanquam autem in omnibus incredulis regnat ulciſcendi libido, ſicuti Deus filios ſuos manſuetudinis Spiritu regit: tamen pro loci præſentis circumſtantia hoc epithetum Propheta Dei contemptoribus attribuit, qui non modo truculenti ſunt in homines, ſed veſana rabie ad Deum quoque oppugnandum ardent. Quod ad explicandam Prophetæ mentem attinet, jam defunctus ſum fidi interpretis officio. Tantum reſtat unus ſcrupulus, quia videtur Chriſtus Matth. cap. 21. verſ. 16. teſtimonium hoc alio trahere, dum id ad pueros decennes accommodat. Sed facilis ſolutio eſt, Chriſtum à majori ad minus ratiocinari: nihil ſcilicet abſurdi eſſe ſi Deus, qui pueros adhuc infantes gloriæ ſuæ vindices conſtituit, poſtquam ad ſeptem annos & ultra progreſſi ſunt, præconium ex eorum linguis eliciat.

4. Quando video cælos tuos, opera digitorum tuorum, lunam & ſtellas, quas concinnaſti.	4 כי־אראה שמיך מעשה אצבעתיך ירח וכוכבים אשר כוננתה :
5. Quid eſt homo, quod memor es ejus, & filius hominis, quia * eum viſitas?	5 מה־אנוש כי־תזכרנו ובן־אדם כי־תפקדנו :

* vel, *ejus recordaris.*

Quoniam particula כי apud Hebræos tantundem ſæpe valet ac Latinis Quia, & ſimpliciter affirmat, Græci fere & Latini veteres ſeorſum legerunt quartum verſum, acſi perfecta eſſet ſententia: ſed non dubium eſt quin ſequenti conveniat. Itaque duos verſus contexere neceſſe eſt. Rurſum tamen Hebraicum illud כי, adverſative exponi poſſet pro Quamvis, hoc ſenſu, Tametſi in cæleſti machina incomparabilis Dei majeſtas refulget, ac merito in ſui intuitu detinet hominum oculos: peculiari tamen modo gloriam ejus in tam benigno, quo homines proſequitur, favore ſpectari. nec ſenſus hic male quadraret: ſequi tamen libuit quod magis receptum erat. Cæterum ad notandum Prophetæ conſilium attentos lectores eſſe convenit, nempe quod hac comparatione ingentem Dei bonitatem amplificat, quia mirum ſit cæli Creatorem, cujus tam ſublimis gloria ſurſum nos in ſui admirationem rapit, euſque deſcendere ut curam generis humani ſuſcipere dignetur. Atque hæc antitheſis ex voce אנוש colligitur, quia hominem à fragilitate potius quam virtute denominat. Videmus enim miſeros homines in terra reptando, viliſſimis quibuſque creaturis eſſe permiſtos. merito itaque deſpicere poſſet eos Deus, nulloque loco ducere, ſi rationem haberet dignitatis. Ideo interrogative eorum ſortem extenuat Propheta, ſignificans, inde clarius perſpici mirificam Dei bonitatem, quod tantus opifex, cujus refulget in cælis majeſtas, calamitoſum hoc & nullius pretii animal, ſumma gloria ornare, & innumeris opibus locupletare velit. Neque enim, ſi in animo erat liberalitatem ſuam exercere, neceſſe ei fuit ex pulvere & luto deligere homi-

homines, quos præferret aliis omnibus creaturis: quia ſuppetebat in cælis materia. Ergo quiſquis non ſtupeſcit ad hoc miraculum, pluſquam ingratus & ſtupidus eſt. huc ſpectat quod cælos vocat Dei, & opera digitorum ejus. Qui fit enim ut ab illa tam nobili & præclara opificii ſui parte egreſſus, ad nos vermiculos ſe demittat, niſi ut bonitatem ſuam magis illuſtret? Unde etiam colligimus, nimis perperam Dei gratia eos abuti, qui ex ſua præſtantia ſuperbiendi anſam arripiunt. Quaſi vero aut eam adepti ſint propria induſtria, aut merito eam poſſideant: ac non potius ſua eos origo admoneat, abjectis alioqui & ſordidis prorſuſque indignis eſſe collatam. Ergo quicquid in nobis honorificum cernimus, ad gratuitum Dei favorem celebrandum, ſenſus noſtros excitet. In fine quarti verſus, pro eo quod alii vertunt Præparare vel fundare, reddere viſum eſt Concinnare. videtur enim reſpicere Propheta ad pulcherrimum ordinem quo Deus ſtellarum poſitum tam apte diſtinxit, & curſum moderatur. Deum memorem eſſe hominis, tantundem valet, ac paterno amore hominem complecti, tueri ac fovere ſub fide ſua: & providentiam ſuam ad eum uſque extendere. פקד quia omnes fere interpretes pro viſitare accipiunt, nolui ab eis diſcedere, quum ſenſus optime congrueret. Quia tamen recordari interdum ſignificat, & iteratio ejuſdem ſententiæ ſub diverſis verbis frequenter in Pſalmis occurrit, non incommode ita vertetur, quaſi dixiſſet hoc mirum eſſe quod Deus aſſidue de hominibus cogitet.

6. Quia minuiſti eum paululum à Deo, & gloria & decore coronaſti eum:	6 ותחסרהו מעט מאלהים וכבוד והדר תעטרהו׃
7. Præfeciſti eum operibus manuum tuarum: omnia poſuiſti ſub pedibus ejus.	7 תמשילהו במעשי ידיך כל שתה תחת רגליו׃

6. *Quia minuiſti.*] Mihi dubium non fuit quin copula Hebraica כי in adverbium cauſale mutanda fuerit: quaſi poſitum eſſet, Nam certe. confirmat enim quod nuper dixit de immenſa Dei gratia erga homines, quod ſcilicet illis ſe propinquum & eorum memorem oſtendat. Ac primo quidem tot decoribus ornatos eſſe dicit, ut eorum conditio, divina & cæleſti gloria non longe ſit inferior. Deinde externum in omnes creaturas imperium & jus commemorat. ex quo apparet in quam altum dignitatis gradum eos Deus extulerit. Equidem non dubito quin præclaras dotes commendet, quæ declarant homines ad imaginem Dei formatos eſſe, & creatos ad ſpem beatæ vitæ & immortalis. nam quod ratione præditi ſunt, qua diſcernant inter bonum & malum, quod illis inditum eſt religionis ſemen, quod mutua eſt inter eos communicatio, ſacris quibuſdam vinculis aſtricta, quod inter eos viget honeſti reſpectus & pudor, & legum moderatio: hæc non obſcura ſunt ſummæ & cæleſtis ſapientiæ ſigna. Quare non immerito exclamat David, gloria & decore ornatum eſſe humanum genus. Coronari enim, metaphorice hic capitur, quaſi dixiſſet veſtitum eſſe & decoratum honoris inſignibus, quæ non longe à divino fulgore abſint. Quod אלהים Græci verterunt Angelos, mihi non diſplicet. Certe nomen hoc ſæpe ad Angelos transferri notum eſt, & verba Davidis perinde valere interpretor, acſi dixiſſet, parum abeſſe homines à divino & cæleſti ſtatu. Quia tamen magis genuina videtur altera verſio, & in eam fere Hebræi conſentiunt, eam ſequutus ſum. Nec obſtat quod Apoſtolus ad Hebræos 2. verſ. 7. ab Angelis, poſuit, non autem, à Deo: quia ſcimus quam libere ſibi permiſerint Apoſtoli citare Scripturæ locos: non quidem ut torquerent in alienum ſenſum, ſed quia illis ſatis fuit digito monſtrare, quod docebant, Dei oraculis eſſe ſancitum. Quare modo de ſumma rei conſtaret, verba mutare, nulla illis fuit religio. In nodo altero ſolvendo plus eſt difficultatis. nam quum hic de præſtantia hominum diſſerat Propheta, & dicat eos ad Deum prope accedere, Apoſtolus ad Chriſti exinanitionem trahit. Primo videndum eſt, qui conveniat, quod de toto genere humano dictum eſt, Chriſti perſonæ aptari. Deinde quomodo exponere liceat, Chriſtum fuiſſe imminutum in morte ſua, dum ſine forma & decore, ſub crucis probro & maledictione quaſi deformis jacuit. Tametſi vero ſufficeret ad primam quæſtionem ſolvendam, quod quidam dicunt, aptam & congruam eſſe anagogen à membris ad caput: ego tamen ultra progredior. quia non tantum omnis creaturæ primogenitus eſt Chriſtus, ſed humani generis inſtaurator. nam quæ hic recenſet David, proprie ad creationis initium & integram naturam ſpectant. Porro ſcimus Adæ lapſu totum humanum genus à nativa ſua origine excidiſſe: quia & prope deleta fuit Dei imago, & exuti fuimus præcipuis donis quæ nos quaſi ſemideos factura erant: denique ex ſumma excellentia ad triſtem fœdamque inopiam redacti. Tali corruptione ceſſavit Dei liberalitas, quam hic David prædicat: ſaltem ut in puro ſuo nitore minime appareat. Quamvis enim non prorſus extincta fuerit, quantula tamen portio inter miſeras ruinas cernitur? Sed quia rurſus donorum omnium plenitudinem cæleſtis Pater in Filium ſuum contulit, ut ex hoc fonte hauriamus omnes: jure in eum primo gradu competit quicquid per ipſum nobis Deus largitur. imo ipſe eſt viva Dei imago, ad quam nos reformari oportet: unde reliqua omnia dependent. Siquis excipiat, Davidem prius rogaſſe, quidnam eſt homo, quia tam liberaliter Deus in animal contemptibile & nullius pretii favorem ſuum effudit, talem non eſſe in Chriſto admirationis cauſam, qui non unus quilibet eſt ex vulgo hominum, ſed unigenitus Dei filius: facilis ſolutio eſt, quod humanæ Chriſti naturæ datum eſt, eſſe gratuitum: imo hoc maxime illuſtre miſericordiæ Dei ſpeculum eſſe, quod mortalis homo & filius Adæ, unicus eſt Dei filius, & Dominus gloriæ, & Angelorum caput. Et ſimul notandum eſt, quicquid donorum accepit, ideo magis gratuitum cenſeri, quia magis ad nos pertinet. Ergo præſtantia ejus & cæleſtis dignitas ad nos quoque extenditur, in quorum gratiam ea ditatus eſt. Quod de brevi abjectione deinde tractat Apoſtolus, non eſt exegeticum, ſed κατ' ἐπεξεργασίαν ad ſuum inſtitutum deflectit, quod alio ſenſu dictum
fuerat. Neque enim dubitavit Paulus hoc modo per *Rom. 10.*
amplificationem ornare Moſis verba, ubi dicit, *verſ. 6.*
Quis aſcendet in cælum, &c. Non ergo tantum *Deut. 30.*
ſpectavit Apoſtolus quid David ſenſiſſet, verum ad *verſ. 12.*
nomen *diminutionis* & *decoris* alludens, illam in morte Chriſti, hoc in reſurrectione conſtituit. Eodem fere accedit expolitio illa Pauli, ad Epheſios capite 4. verſ. 8. qua locum Pſalmi 68. verſ. 19. non tam interpretatur, quam pia deflexione ad Chriſti perſonam accommodat.

7. *Præfeciſti eum.*] Jam ad ſecundum illud quod nuper attigi, caput deſcendit: hinc ſcilicet conſtare quanto amore complexus fuerit Deus homines, & quanti eos fecerit, quum illis dominium contulit rerum omnium. Nam quum ipſe nulla re indigeat, in illorum uſus deſtinavit omnem cæli & terræ opulentiam. Rarus certe & incomparabilis honor, quod mortalis homo vice Dei in mundo tanquam ſuo jure dominatur: & quocunque flectat oculos, videt nihil ſibi ad beatam vitam deeſſe. Porro quod primæ ad Corinth. 15. v. 27. citatur hic locus, ubi de ſpirituali

Chriſti

Chriſti regno agitur, ſicui videtur ab hoc ſenſu nimis remotum: in promptu eſt reſponſio, nempe generale hoc eſſe, totum mundi ordinem ita eſſe compoſitum, ut hominum felicitati ſerviat. Quomodo id uni Chriſto proprie conveniat, jam oſtendi paulo ante. Hoc videndum modo reſtat, quam longe pateat omnium ſubjectio. Certe ſiquid adverſum eſt hominibus in cælo vel in terra, jam collapſa eſt illa ordinis integritas. unde ſequitur, humanum genus, poſtquam defectione Adæ diſſipatum eſt, non modo hac tam præclara & honorifica ſorte privatum eſſe, ac priori dominio non potiri: ſed captivum teneri ſub deformi pudendaque ſervitute. Quanquam autem Chriſtus legitimus eſt cæli & terræ hæres, per quem recuperant fideles quod ipſis in Adam ablatum fuerat, non tamen adhuc re ipſa plenam imperii ſui poſſeſſionem adiit. Unde colligit Apoſtolus hoc ſolide completum non iri, donec abolita mors fuerit. Sic itaque ratiocinatur, Si Chriſto ſubjecta ſunt omnia, nihil ejus membris adverſum eſſe debet. Atqui videmus mortis tyrannidem adhuc graſſari. Sequitur ergo manere ſpem melioris ſtatus. Hoc autem ab illo quod dixi principio manat, naturaliter in hunc finem conditum eſſe mundum, ut ad felicitatem hominis ſpectent ſingulæ ejus partes tanquam ad ſuum ſcopum. Sic alibi probat, omnes nos ad Chriſti tribunal eſſe olim ſiſtendos ultimo die, quia ſcriptum ſit, Mihi flectetur omne genu. Subaudienda enim eſt minor propoſitio, multos adhuc ſuperbe & contumaciter excutere jugum, & minime ad genuflexionem eſſe propenſos.

8. Oves & boves univerſos, atque etiam jumenta agreſtia:

8 צנה ואלפים כלם וגם בהמות שדי׃

9. Volucres cælorum & piſces maris, quod perambulat ſemitas marium.

9 צפור שמים ודגי הים עבר ארחות ימים׃

10. Jehova Domine noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in tota terra.

10 יהוה אדנינו מה אדיר שמך בכל הארץ׃

Nondum penitus ſoluta videtur proxima quæſtio. nam ſi expoſitive narrat hic Propheta quomodo Deus omnia nobis ſubjecerit, talis ſubjectio ad præſentem terrenæ vitæ uſum reſtringitur. Reſpondeo, Prophetam hic non omnia complecti, de quibus loquutus erat: ſed exemplum in parte una duntaxat vel ſpecie proferre. imo eam maxime partem elegit, quæ rudibus quoque & craſſis ſatis conſpicua eſt. Nemo enim tam hebeti vel tardo eſt ingenio, qui ſi aperiat oculos, non videat mirabili Dei providentia fieri ut equi & boves hominibus ſua obſequia præbeant: ut ad eoſdem veſtiendos lanam producant oves, ut iiſdem alimentum ex propria carne omne genus animalia ſuppeditent. Quo magis viſibile eſt dominii hujus documentum, quoties vel cibo veſcimur, vel fruimur reliquis commodis, divinæ gratiæ ſenſu nos magis decet affici. Non ergo ſimpliciter intelligit David, omnibus Dei operibus præfectum eſſe hominem, quia ſe lana & pellibus veſtiat, quia animalium carne veſcatur, quia eorum laborem ad ſua commoda applicet: ſed tantum demonſtrat in hoc ſpectaculo dominium illud quo ipſum Deus ornavit. Huc autem ſpectat ſumma, Deum in homine creando ſpecimen immenſæ erga eum gratiæ & pluſquam paterni amoris edidiſſe, quod merito nos omnes reddere debeat attonitos. Jam quamvis hominis defectione conditio illa fere peſſum ierit, manere tamen adhuc quaſdam illius divinæ liberalitatis reliquias, quæ ad creandam nobis admirationem ſufficiant. Sed quia in hac lugubri diſſipatione non amplius refulget legitimus ille naturæ ordo, fideles tamen, quos Deus ſub Chriſto capite ad ſe colligit, reſidua bonorum, quibus in Adam ſpoliati fuerant, parte ſic potiri, ut ampla illis admirationis materia ſuppetat, quod tam benigne ab eo tractentur. Etſi autem David tantum in temporalibus Dei beneficiis ſubſidit, noſtrum tamen eſt altius progredi, & inæſtimabiles cæleſtis regni theſauros, quos in Chriſto explicuit, & quæcunque ad ſpiritualem vitam pertinent dona, reputare, ut hæc conſideratio corda noſtra ad pietatis ſtudium accendat, nec torpere nos ſinat in celebrandis ejus laudibus.

ARGUMENTUM PSALMI IX.

David poſtquam recenſuit ſuperiores quas adeptus erat victorias, ac in earum ſucceſſu, Dei gratiam & virtutem magnifice extulit: nunc denuo ſurgentibus novis hoſtibus & periculis, implorat ejuſdem Dei fidem quem prius Liberatorem erat expertus, eorumque ſuperbiam proſterni optat.

PSALM. IX.

PRæfecto Almuth Laben, canticum Davidis.

1 למנצח על־מות לבן מזמור לדוד׃

INſcriptio hæc varie exponitur. Nonnulli enim transferunt, Super morte Laben: & hunc præcipuum aliquem ex ducibus hoſtium fuiſſe volunt. Alii malunt, fictitium fuiſſe nomen: putantque in hoc Pſalmo notari Goliath. Alii muſicum fuiſſe inſtrumentum docent. Mihi vero rectius, vel ſaltem (ut in re obſcura) magis probabile videtur, initium fuiſſe celebris carminis, ad cujus modulos compoſitus fuit Pſalmus. Quod autem diſputant interpretes quam victoriam hic prædicet David, meo judicio inane eſt. Primum quod epinicium eſſe exiſtimant, in quo ſimpliciter Deo gratias agat David, contextus eorum errorem coarguit. Etſi enim major pars in canendis Dei laudibus conſumitur, tamen hoc totum ad precationem referri debet. nam ut animum ſuum ad fiduciam erigat, more ſuo commemorat quam inſigni Dei potentia ereptus ante fuiſſet ex vi & manu hoſtium. Quare abſurdum eſt, gratiarum actionem, quam multas liberationes complecti voluit, ad victoriam unam reſtringere.

2. Celebrabo Jehovam in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.

2 אודה יהוה בכל לבי אספרה כל נפלאותיך׃

3. Lætabor & exultabo in te, pſallam nomini tuo ô Excelſe.

3 אשמחה ואעלצה בך אזמרה שמך עליון׃

4. Dum vertuntur inimici mei retrorſum, concidunt & profligantur à facie tua.

4 בשוב אויבי אחור יכשלו ויאבדו מפניך׃

2. *Celebrabo Jehovam.*] Ita præfatur ut Deum ad opem in præſentibus malis ferendam ſibi conciliet. Nam quia Deus continuo tenore gratiam ſuam erga fideles proſequitur, quicquid in nos contulit, ſpem noſtram in poſterum tempus fovere debet. Eſt quidem in iis verbis gratitudinis profeſſio, ſed tamen ſe hac memoria ſimul animat David ad bene ſperandum: & hoc modo januam ſuæ precationis aperit. Totum cor pro integro accipitur, vel ſincero, quod opponitur duplici. Ita ſe non ſolum à craſſis hypocritis diſcernit, qui ſummis tantum labris, abſque interiore affectu, Deum laudant: ſed quicquid præclare hactenus geſſit, ſe in ſolidum teſtatur agnoſcere profectum à mera Dei gratia. Nam quamvis profanos quoque homines, ubi aliqua memorabili victoria potiti ſunt, Deum ſua laude fraudare pudeat, videmus tamen, poſtquam uno verbo confeſſi ſunt à Deo ſe fuiſſe adjutos, ſtatim ad vanam jactantiam relabi: & ſibiipſis canere triumphos, acſi Deo nihil deberent. Denique nihil aliud quam ludunt, quoties obtendunt Dei nomen ſuis rebus geſtis: quia poſt oblatum Deo libamen, ſacrificant ſuis conſiliis, induſtriæ, virtuti, copiis. ita enim ſub unius ſuperbi Regis perſona, communis omnium ambitio ſcite perſtringitur à Propheta Abacuc capite 1. verſ. 16. Imo videmus veteres illos & famoſos duces, quum ſuo nomine ſupplicationes decerni peterent, nihil minus quam falſorum deorum honorem curaſſe: ſed tantum fallaci titulo ad ſuam jactantiam fuiſſe abuſos. Quare merito David filiis hujus ſeculi ſe diſſimilem eſſe affirmat. quorum fallaciam detegit prava illa partitio, dum ejus laudis, quam ſe Deo tribuere finxerant, majorem ad ſe partem rapiunt. nam certe hoc non eſt Deum laudare in toto corde, ſi vel minimum ex ejus gloria delibat mortalis homo, quod ſibi arroget: tantum abeſt ut tolerabilis ſit ſacrilega eorum ſuperbia, qui ſeipſos efferendo, gloriam ejus, quantum in ipſis eſt, obſcurant. *Narrabo omnia mirabilia.* Confirmat hoc membro quod prius dixi, non de una tantum victoria aut liberatione verba fieri: quia ſibi in genere meditanda proponit David quæ Deus in ejus gratiam miracula ediderat. Porro miracula appellat, non quævis beneficia ſibi divinitus præſtita, ſed liberationes illas magis inſignes & memoratu dignas, in quibus cæleſtis potentiæ ſpecimen lucebat. Nam etſi Dominus bonorum omnium auctor vult agnoſci: quibuſdam tamen donis clariores notas inſculpit, quæ ſenſus noſtros alioqui torpentes melius expergefaciunt. Ergo perinde eſt acſi teſtetur David ſe non vulgari modo fuiſſe à Deo ſervatum, ſed conſpicuam illic fuiſſe Dei virtutem, quia manum ſuam ſupra communem & uſitatum ordinem mirabiliter extulerit.

3. *Lætabor & exultabo*] En quomodo ſincere & abſque fuco Deum celebrent fideles: nempe dum in ſeipſis minime acquieſcunt, nec eos inebriat ſtulta carnis confidentia, ſed in Deo ſolo lætantur. quod nihil aliud eſt quam lætitiæ materiam ex mera ejus gratia petere, quoniam in ea conſiſtat tota felicitas. Tenenda eſt enim antitheſis inter gaudium quod ex ſeipſis captant homines, & quod in Deo quærunt. Ac quo melius exprimat David, ſe nihil ſibi facere reliquum quod ipſum vana delectatione detineat vel occupet, Exultandi verbum addit, quo ſignificat plenum lætitiæ cumulum ſibi in Deo omni ex parte conſtare, ut ne minima quidem gutta alibi quærenda ſit. Jam memoria quoque repetere convenit quod ſupra attigimus, Davidem priora gratiæ Dei documenta ſibi proponere, ut alacrius ſua ad Deum vota concipiat. nam qui precationis ſuæ exordio ſibi lætitiæ materiam in Deo ſuppetere affirmat, optima fiducia ſe præmunit.

4. *Dum vertuntur.*] His verbis cauſam reddit, cur Dei laudes ſuſcipiat canendas: quia ſcilicet ſe toties victorem non propria nec militum ſuorum virtute, ſed gratuito Dei favore fuiſſe agnoſcat. Priore membro hiſtorice narrat, hoſtes fuiſſe proſtratos vel in fugam compulſos: poſtea ex fidei ſenſu adjungit hoc non accidiſſe humanitus vel fortuito, ſed quia Deus contra ipſos in acie ſteterit. Prudenter ergo David, quum hoſtes ſuos terga dare conſpiceret, mentis oculos ad Deum extulit, ut ſentiret non aliunde quam ex abſcondito ejus auxilio victoriam ſibi manare. Et certe ipſe unus eſt qui Spiritu conſilii regit ſimplices, rurſumque aſtutos dementat, ſtuporeque percutit: qui mollibus & pavidis inſpirat fortitudinem, audaciſſimos vero quoſque metu percellit: qui infirmos inſtruit novo robore, robuſtos vero debilitat: qui manus imbelles ſuſtentat, gladios vero à bellicoſis defluere facit: denique qui proſperum vel triſtem pugnæ eventum quocunque vult, inclinat. Ergo quoties videbimus hoſtes noſtros cadere, cavendum eſt ne ſenſus noſter in hoc aſpectu ſubſiſtat, ſicuti profani homines videndo cæcutiunt: ſed nobis occurrat hæc doctrina, quæ retro aguntur, profligari à facie Domini. Verba futuri temporis in præſens converti, quia David Dei gratiam, quæ illi pridem oſtenſa fuerat, ſibi ante oculos iterum proponit.

5. Quia feciſti judicium meum & cauſam meam: ſediſti ſuper ſolium judex * juſtus.

* vel, *juſte.*

5 כי־עשית משפטי ודיני ישבת לכסא שופט צדק׃

6. Increpaſti Gentes, profligaſti impium. nomen eorum deleviſti in ſeculum & ſemper.

6 גערת גוים אבדת רשע שמם מחית לעולם ועד׃

Ultra progreditur hoc verſu, ſibi manum adjutricem à Deo fuiſſe porrectam, quia injuſte affligebatur. Et certe videndum eſt ut militemus ſub Dei auſpiciis, ſi cupimus eum nobis adeſſe. ideo appellat ipſum judicem juſtitiæ, vel juſtum, quod idem valet: acſi diceret, Deum egiſſe pro more ſuo & ratione perpetua, quoniam bonas cauſas ſoleat tuendas ſuſcipere. Epithetum Juſti malui reddere in nominandi caſu, quia ſic magis emphatica eſt loquutio: acſi dixiſſet Deum tandem ſuſcepiſſe judicis perſonam, tribunalque conſcendiſſe ut judicis partes impleret. Ideoque jus & rectum à ſua parte ſteriſſe gloriatur, juris ſui & cauſæ Deum vindicem fuiſſe dicens. Quo etiam pertinet quod proximo verſu ſequitur, profligatum fuiſſe impium. Neque enim hoſtes proſtratos videns, eorum cladi ſimpliciter inſultat: ſed eos injuſtitiæ condemnans, dicit quas meriti erant pœnas, dediſſe. Gentium nomine intelligit non paucos tantum impios fuiſſe deletos, ſed ingentes copias, & quidem ex diverſis partibus inſurgentes. Hinc autem melius refulget Dei bonitas, quod in unius ſervi ſui favorem ne totis quidem populis pepercerit. Quod famam eorum dicit in ſeculum fuiſſe extinctam, ſic accipe, quod ſine ſpe reſurgendi exciſi, & æternæ ignominiæ addicti fuerint. Neque enim alioqui diſcernere liceret quomodo ſepeliat Deus nomen impiorum cum ipſis, niſi quia pronunciat memoriam juſti ſemper in benedictione fore. *Prov. 10. verſ. 6.*

7. Inimice, finitæ ſunt vaſtitates in ſeculum, & urbes deſtruxiſti: periit memoria ipſorum cum ipſis.

7 האויב תמו חרבות לנצח וערים נתשת אבד זכרם המה׃

8. Et

8. Et Jehova perpetuo ſedet, ſolium ſuum ad judicium paravit.

8 ויהוה לעולם ישב כונן למשפט כסאו׃

9. Et ipſe judicabit orbem in juſtitia, judicabit populos in rectitudine.

9 והוא ישפט תבל בצדק ידין לאמים במישרים׃

7. *Inimice, finitæ.*] Varie exponitur ſeptimus verſus. Quidam enim literam ה, pro interrogationis nota accipiunt, acſi David hoſtes ſuos compellans, quæreret ſintne impletæ vaſtitates, ſicuti ipſi ſtatuerant omnia perdere. Nam verbum תמם nunc perficere, nunc finem imponere ſignificat. Ita ironice perſtringeret David ſtultam hoſtium confidentiam. Alii ſine interrogatione magis apertam ironiam faciunt, putantque duplicem ſtatum deſcribi: quia David priore loco hoſtes inducit ſævo impetu graſſantes, & obſtinate pergentes in ſua ſævitia: ut videri poſſint nullum finem facturi, niſi penitus exciſo Davidis regno. Deinde è regione ſtatuit Deum in ſolio ſedentem, ut furioſos illos conatus reprimat. Si placeat hic ſenſus, copula ו in adverſativam particulam reſolvenda erit, hoc modo, Tu quidem hoſtis nihil niſi cædes & urbium ruinas ſpirabas: atqui demum ſe judicem in cælo ſedere Deus oſtendit, qui res in terra turbatas componat. Aliis videtur David gratias Deo agere, quod quum impiis decretum eſſet omnia perdere, finem impoſuerit eorum vaſtationibus. Coactius alii impletas vaſtitates exponunt, quod Deus juſta vindicta, quas in Davidem machinati fuerant impii, in eorum capita verterit. Alii primum Davidem conqueri exiſtimant, quod Deus miſeram populi ſui diſſipationem tacitus diu tulerit: atque ita factum ſit ut impii pro libidine omnia perderent: poſtea conſolationis loco ſubjicere, Deum tamen præeſſe rebus humanis. Mihi non diſplicet, ironice primo deſcribi quam formidabilis inter primos motus fuiſſet hoſtium potentia: deinde opponi Dei judicium, quod illorum progreſſus repente præter ſpem abrupit. Scimus enim impios, quamvis non aperte abrogent Deo imperium: tamen non minus audacter ad omnem ſcelerum licentiam ruere, quam ſi compedibus vinctus eſſet. Similem fere loquendi formam annotavimus Pſalmo 7. verſ. 13. Atque hæc comparatio auxilii divinitus allati miraculum optime illuſtrat, quod nec impii ſibi nocendi modum ſtatuerint, niſi omnibus funditus deletis, & initio viſa fuerit inſtare ultima vaſtitas: rebus vero ita confuſis tempeſtive apparuerit Deus. Ergo quoties nihil præter interitum nobis occurrit, meminerimus oculos conjicere ad cæleſte ſolium, unde rebus humanis proſpicit Deus. Omnes enim tentationum conflictus hoc clypeo repellere convenit: licet in mundo ad ultimam deſperationem redacti ſimus, Deum nihilominus in cælo judicem ſedere. Imo quum diſſimulat, nec ſtatim medetur malis noſtris, fidei ſenſu apprehendere convenit occultam ejus providentiam. Primo dicit Deum perpetuo ſedere: quo intelligit, quantumvis alte ſe efferat hominum violentia, & ſine modo prorumpat eorum furor, Deum tamen nunquam ex ſua ſede poſſe detrahi: nec fieri poſſe ut ſe judicis officio & poteſtate abdicet. quod ſecundo membro clarius exprimit: dicit enim non ideo tantum regnare, ut ſublimis emineat ejus majeſtas & gloria, ſed ut mundum juſte gubernet.

9. *Et ipſe judicabit.*] Sicuti nuper teſtatus eſt David, Deum non otioſa potentia eſſe præditum, ut deliciis indulgeat, ſed ut in recta juſtaque mundi gubernatione exerceat ſuum imperium: ſic nunc hujus doctrinæ uſum addit, quod ſcilicet cælo incluſa non ſit Dei virtus, ſed ſe ad homines juvandos patefaciat. Atque hæc vera theologia eſt, Deum non imaginari cum Epicuro, vacantem otio vel deliciis, & qui ſe uno contentus, humanum genus negligat: ſed in ſolio potentiæ & æquitatis locare, ut certo perſuaſi ſimus, etiamſi non ſtatim ſuccurrat injuſte oppreſſis, nunquam tamen eorum curam abjicere. Et certe ita ſtatuendum eſt, quum diſſimulat, non deſerere ſuas partes, ſed exercere ſuorum patientiam: ideoque pacatis animis expectandum eſſe exitum. Pronomen demonſtrativum apud me pondus habet: acſi diceret, non poſſe hoc Deo eripi quin ipſe mundum judicet, ſuaque judicia ad omnes populos extendat. Unde ſequitur, multo magis ſuorum fore judicem. Et judicia hæc recta eſſe pronunciat David, ut injuſte & crudeliter vexati, auxilium ab ipſo certa ſpe petamus: quia quum populos in rectitudine judicet, nec injuſtas violentias ſemper impune graſſari ſinet, nec innocentiam ope ſua fraudabit.

10. Et erit Jehova munimentum pauperi, protectio *opportunis* temporibus in tribulatione.

10 ויהי יהוה משגב לדך משגב לעתות בצרה׃

11. Et ſperabunt in te qui cognoſcunt nomen tuum: quia non derelinquis quærentes te Jehova.

11 ויבטחו בך יודעי שמך כי לא עזבת דרשיך יהוה׃

12. Pſallite Jehovæ habitatori Sion, annunciate inter populos geſta ejus.

12 זמרו ליהוה ישב ציון הגידו בעמים עלילותיו׃

13. Quia requirens ſanguinem, ejus recordatus eſt: non eſt oblitus clamoris pauperum.

13 כי דרש דמים אותם זכר לא שכח צעקת עניים׃

10. *Et erit Jehova.*] Occurrit tentationi quæ duriter infirmos percellit, dum ſe ac ſui ſimiles impiorum libidini vident expoſitos, ſilente Deo. Nam admonet, ideo ſuam opem differre, & in ſpeciem relinquere ſuos fideles, ut laborantibus & afflictis magis opportune tandem ſuccurrat. unde ſequitur, ipſum minime ceſſare in ſuo officio, ſiquando bonos & innoxios ad inopiam redigi patitur, ſi in lachrymis & querimoniis eos exercet: quia hoc modo lucernam accendit, ut melius appareant ſua judicia. ideo etiam exprimit, præſidium ſuum tempeſtive in ipſa afflictione proferre: quo docemur, ejus providentiæ dandum eſſe ſpatium, ut tandem ſe in neceſſitate proferat. Quare ſi nihil nobis melius eſt quam Dei manu protegi, paternumque ejus favorem ſentire, ne adeo moleſtum ſit cenſeri coram mundo pauperes & miſeros: ſed dolorem noſtrum leniat hæc conſolatio, non procul abeſſe Deum, quem ad nos juvandos ærumnæ noſtræ accerſunt. Quibuſdam בצרה videtur eſſe ſimplex dictio, quæ Hebræis prohibitionem ſignificat: hic autem metaphorice pro anguſtia accipiunt, dum quis in arctum coactus, nullum exitum invenit. Magis tamen probabilis eſt eorum ſententia, qui ב ſervilem literam eſſe docent. dicitur itaque præſto eſſe Deus ad opportunitates, nempe dum pios urget afflictio. Verſu undecimo fructum hunc conſequi docet, quoties juſtos liberat Dominus, ut ipſi & reliqui omnes in fiducia gratiæ ejus magis ac magis proficiant. niſi enim perſuaſum nobis ſit, Deo curæ eſſe res huma-

humanas, continua inquietudine nos vexari neceſſe erit. ſed quia plurimi ad Dei judicia cæcutiunt, profectum hunc David ad ſolos fideles reſtringit. & certe ubi nulla eſt pietas, nullus eſt operum Dei ſenſus. Notandum etiam quod fidelibus tribuit notitiam Dei, quia hinc naſcitur religio, quæ ignorantia & ſtupore hominum extinguitur. Porro quamvis Dei nomen multi ſimpliciter pro Deo accipiunt, ego tamen (ut jam alibi dixi) amplius aliquid exprimi arbitror: nam quia occulta & incomprehenſibilis eſt ejus eſſentia, quatenus ſe nobis patefacit, majeſtas ejus in nomine ſtatuitur. Sperandi cauſam deinde exponit, quia Deus non deſerit qui ipſum quærunt. Fit autem hoc duobus modis, vel invocatione & precibus, vel ſtudio ſancte recteque vivendi. Et hoc quidem ſemper cum illo conjunctum eſt: ſed quia hic de præſidio Dei agitur, in quo ſita eſt piorum ſalus; Quærere Deum, interpretor, ad ejus fidem confugere.

12. *Pſallite Jehovæ.*] David non contentus privata gratiarum actione, fideles ad conſenſum laudandi Dei hortatur: non modo quia ad hoc pietatis officium alii alios incitare debent: ſed quia liberationes, de quibus agitur, publico ſolennique præconio dignæ erant. quod etiam ſecundo membro clarius exprimitur, ubi eas annunciari jubet inter populos. Senſus enim eſt, non ſatis pro ſua dignitate celebrari, niſi ſua fama totum orbem impleant. Quamvis autem hoc eſſet quaſi ſurdis canere: hac tamen loquendi forma teſtari voluit David, magis anguſtos eſſe Judææ fines quam ut immenſam illam laudum Dei amplitudinem poſſent capere. Deum *habitatorem Sionis* vocat, ut eum à fictitiis omnibus Gentium idolis diſcernat. Eſt enim tacita comparatio inter Deum illum qui fœdus ſuum cum Abraham & Iſraële pepigerat, & deos omnes qui paſſim in mundo temere colebantur. Neque enim ſatis eſt, confuſum Dei numen in pretio & honore eſſe, niſi vero & unico Deo diſtincte tribuitur ſuus cultus. Porro quia Deus locum illum delegerat ubi nomen ſuum invocaretur, merito David hoc illi quaſi proprium domicilium aſſignat: non quod ipſum fas ſit loco includere, quem cæli cælorum non capiunt: ſed quia promiſerat illam fore ſuam requiem in ſeculum ſeculi, ut alibi videbimus. Neque enim David ſuo arbitrio ſedem illic Deo aſſignaverat, ſed oraculo edoctus erat, Deo ipſi placere, ſicut à Moſe ſæpius prædictum erat. Quo etiam confirmatur quod prius dixi, Pſalmum hunc non fuiſſe compoſitum de cæde Goliath: quia non niſi ſub finem regni Davidis, ex Dei mandato, Arca fœderis Sionem translata fuit. Durum enim & coactum eſt quod nonnulli conjiciunt, de re futura ſpiritu Prophetico Davidem loquutum eſſe. Cæterum videmus, ſanctos Patres, dum Sionem concurrerent ad offerenda Deo ſacrificia, nihil aggreſſos eſſe proprio motu: ſed in fide verbi fundatos, ſuam obedientiam Deo probaſſe. Unde ſequitur, perperam obtendi eorum exemplum ad excuſandos cultus quos ſibi ſuperſtitioſi homines ſponte fabricant. Adde quod tunc non ſatis fuit à verbo Dei pendere fideles, niſi externis ſymbolis adjuti, ſurſum mentes attollerent, ipſumque ſpiritualiter colerent. Vera quidem præſentiæ ſuæ ſigna exhibuit Deus in illo viſibili Sanctuario, ſed non ut populi ſenſus terrenis elementis alligaret: quin potius externa illa ſymbola, ſcalarum loco eſſe voluit, quibus in cælum uſque aſſurgerent fideles. Nam ab initio Deus & Sacramenta & externa omnia pietatis exercitia ad hunc finem retulit, ut populi ſui ruditati conſuleret. Itaque hic legitimus hodie eſt illorum uſus, ſi nos ad Deum ſpiritualiter in cæleſti ſua gloria quærendum adjuvant: non autem occupant in mundo, vel retinent in carnis figmentis. qua de re poſthac opportunior erit tractandi locus. Sicuti autem olim Dominus, quum ſe incolam Sionis vocaret, ſolidam fiduciæ, quietis, & gaudii materiam populo ſuo dare voluit: nunc poſtquam egreſſa eſt Lex è Sion, & ex illo fonte ad nos fœdus gratiæ manavit: ſciamus eum ubique præſidere in medio fidelium, qui eum pure & rite ex præſcripto verbi ejus adorant.

13. *Quia requirens.*] Nomen Sanguinum plurali numero hic poſitum eſt: ideo relativum quod ſubjicitur, commode eodem referemus. quia tamen Hebræis ſatis tritum eſt, ordinem antecedentis & relativi invertere, quidam de pauperibus exponunt hoc modo, Requirens ſanguinem, recordatus eſt ipſorum: nempe pauperum de quibus paulo poſt loquitur. Quanquam autem ad ſummam rei parum intereſt utrovis modo vertas: prior tamen ſenſus melius fluit. Eſt autem repetitio ejus quod nuper dixerat, Dei virtutem in miſericordia cum ſervis ſuis injuſte afflictis præcipue conſiderandam eſſe. Unam enim operum Dei ſpeciem ex multis tanquam apprime memorabilem commendat, quod ſcilicet pauperes à morte liberet: & ſiquando ipſos affligi ſinit, deinde tamen illatas injurias ulciſcatur. Quanquam autem verba quibus utitur, continuum actum deſignent: mihi tamen dubium non eſt quin Deum requirere innoxium ſanguinem, & clamoris ſuorum memorem eſſe, ex illis, quæ retulit, exemplis agnoſci velit. Atque iterum inculcat quod prius attigi, Deum non ſemper mature, ut vellemus, occurrere injuriis, neque inter ipſa initia frangere impiorum conatus: ſed potius auxilium ſuum ſuſpendere, ut irritus videri poſſit clamor noſter: quod tenere operæpretium eſt. nam ſi Dei auxilium metimur ſenſu noſtro, ſubinde nobis labaſcent animi, nec tandem guttam bonæ ſpei retinebimus. Vellemus (ut dixi) ipſum procul extenta manu antevertere quas nobis parari videt moleſtias: ipſe autem diſſimulat, nec prohibet quo minus ſanguis innoxius fundatur. ſed hæc conſolatio nos ſuſtineat, quod tandem re ipſa oſtendet, pretioſum ſibi fuiſſe ſanguinem noſtrum. Siquis objiciat, ſerum eſſe Dei auxilium poſtquam malis omnibus defuncti ſimus: reſpondeo, ipſum non ultra quieſcere quam nobis utile eſt ſub cruce humiliari. nec ideo vindictam auxilio præferre, quaſi non ſemper ad nos juvandos voluntarius ſit ac paratus: ſed quia manifeſtandæ gratiæ non ſemper idoneum eſſe tempus agnoſcit. Interim hoc ſingulare eſt non modo paterni ejus erga nos amoris, ſed & beatæ immortalitatis teſtimonium, quod mortuos etiam curat. Nam ſi gratia ſua nos ſemper præveniret, quis non affixus eſſet præſenti vitæ? Sed dum mortem noſtram ulciſcitur, hinc apparet, coram ipſo nos manere ſuperſtites. neque enim hominum more colit eorum memoriam quos ſervare vivos non potuit: ſed re ipſa probat foveri in ſuo ſinu & cuſtodia qui videntur ſecundum carnem extincti. Hæc ratio eſt cur dicat David, ipſum recordari ſanguinis, dum eum requirit: quia licet ſuos in ipſo articulo ex impiorum gladiis non liberet, cædes tamen inultas non patitur. Eodem & poſterius membrum ſpectat, *non obliviſci clamoris:* quia licet ad ſuorum querimonias non ſtatim ſe attendere, effectu probet: tandem à ſe obſervatas fuiſſe demonſtrat. Clamoris vero diſerte fit mentio, ut vota ſua, gemitus, & preces ad Deum dirigant quicunque eum cupiunt ſentire liberatorem aut vindicem.

14. Miſerere mei Jehova, vide afflictionem meam ab iis qui me perſequuntur, tu qui me exaltas è portis mortis:	14 חננני יהוה ראה עניי משנאי מרוממי משערי מות :

13. Ut recitem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion, exultem in ſalute tua.

13 למען אספרה כל תהלתך
בשערי בת ציון אגילה בישועתך :

14. *Miſerere mei.*] Hanc exiſtimo ſecundam eſſe partem Pſalmi. Aliis ſecus videtur, quod ſcilicet David ut plerumque ſolet, inter agendas gratias ſimul etiam narret quid inter ipſas neceſſitatis anguſtias precatus ſit: & fateor ejuſmodi exempla paſſim occurrere. Sed dum omnes circumſtantias propius expendo, in diverſam partem inclinare cogor: principio ſcilicet collatas ſibi gratias celebraſſe, ut viam ſibi ad orandum ſterneret. nam Pſalmus demum precatione claudetur. Non ergo hic obiter inſerit quæ prius inter media pericula & curas vota conceperat: ſed ex profeſſo Dei opem implorat, petitque ut idem ille, quem ſæpe liberatorem erat expertus, gratiæ ſuæ curſum continuet. Ac fieri poteſt ut hoſtes jam aliquoties victi, collectis novis viribus & animis, extrema tentaverint: ut ſæpe videmus deſperatos tumultuoſius & majore impetu furere. Certum quidem eſt, quum precatus eſt David, oblatum fuiſſe illi maximum terrorem. neque enim abs re Deum ſuæ afflictionis teſtem advocat. Notandum autem eſt, dum ad Dei miſericordiam ſuppliciter confugit, æquo & modeſto animo crucem ſibi impoſitam ferre. Sed in primis notandum eſt epithetum quo Deum ornat, ſuum exaltatorem à portis mortis vocans. neq; enim melius nomen occurrit pro Hebraico מרומם. Nam primo fidem ſuam ab experientia confirmat, quia ſæpe ereptus fuerat è ſummis periculis: deinde ſalutem ſibi promittit in ipſis mortis faucibus, quia conſueverit Deus non tantum uſitatis modis ſervos ſuos juvare, eorumque malis mederi, ſed ipſos è ſepulchro educere, poſtquam ſpes vitæ præciſa eſt. portas enim mortis metaphorice appellat ultima diſcrimina quæ interitum minantur, imo jam apertum ſepulchrum oſtentant. Ergo ne vel malorum præſentium gravitas, vel impendentium metus fidem noſtram abſorbeat, vel preces noſtras abrumpat: revocemus in memoriam, non fruſtra hoc Deo munus adſcribi, quod ſuos extollat à portis mortis.

15. *Ut recitem.*] Quanquam ſimpliciter intelligit David, per omnes cœtus, & ubicunque erit maxima populi frequentia, ſe Dei laudes celebraturum (quia tunc in portis ſolebant agere conventus) videtur tamen alluſio eſſe ad portas mortis. acſi dixiſſet, poſtquam ereptus eſt à ſepulchro, ſe daturum operam ut Dei gratiam in maxima luce teſtetur. Sed quia non ſufficit, Dei laudes in linguis noſtris ſonare, niſi ex animo proficiſcantur, additur interior lætitia. acſi dixiſſet, non alium in finem ſibi in animo eſſe, præſenti vita frui, quam ut gaudeat ſe à Deo ſervatum eſſe. Sub Filiæ nomine, populum vel civitatem intelligi notum eſt, ſed urbem ipſam à præcipua parte denominat.

16. Demerſæ ſunt gentes in foveam quam fecerunt: in rete quod abſconderunt, captus eſt pes eorum.

16 טבעו גוים בשחת עשו ברשת
זו טמנו נלכדה רגלם :

17. Notus eſt Jehova judicium faciendo: in opere manuum ſuarum illaqueatus eſt impius. Higgajon Selah.

17 נודע יהוה משפט עשה בפעל
כפיו נוקש רשע הגיון סלה :

16. *Demerſæ ſunt.*] Jam David fiducia erectus, hoſtibus ſuis inſultat. Ac primum quidem metaphorice dicit, propria eos aſtutia & inſidiis fuiſſe irretitos. Deinde hoc idem ſine figura exprimit, quod in ſuo ſcelere illaqueati fuerint. Hoc vero non fortuito cecidiſſe, ſed opus Dei & illuſtre judicii ejus ſpecimen eſſe affirmat. Porro non temere venatoribus vel aucupibus comparat hoſtes ſuos. quamvis enim violentia & impetu ſæpe graſſentur impii, ſemper tamen fraudibus & obliquis artificiis patrem ſuum Satanam imitantur, qui mendacii pater eſt: itaque quicquid habent ingenii, ad malitiam & noxia conſilia deflectunt. Quoties ergo doloſe perniciem nobis machinantur impij, veniat nobis in mentem, minime novum eſſe ſi Dei filiis retia & laquei tendantur. Simul autem conſolatio hæc ſuccurrat, quicquid tentent, eventum non eſſe in eorum manu, ſed Deum illis adverſum fore: non modo ut eos fruſtretur, ſed etiam ut deprehendat in pravis conſiliis quæ ſibi fabricant; omneſque eorum copias convertat in ipſorum capita.

17. *Notus eſt Jehova judicium faciendo.*] Sic ad verbum legitur, Cognitus Jehova judicium fecit: ſed abrupta eſt oratio, quam obſcuram reddit brevitas: ideoque duobus modis exponitur. Quidam enim exponunt, tunc demum cognoſci Deum, ubi pœnas de improbis exigit. Sed alter ſenſus melius quadrat, palam eſſe & omnibus manifeſtum, quoties impios illaqueat ſua malitia, Deum judicis partes implere. In ſumma, quoties contra illos retorquet Deus quaſcunque excogitant nocendi artes, judicium ejus magis illuſtre eſſe prædicat, quam ut vel naturæ vel fortunæ adſcribi queat. Nos vero, ſiquando Deus manus ſuæ virtutem clare exerat, diſcamus aperire oculos ut fidem noſtram confirment judicia quæ contra Eccleſiæ hoſtes exercet. Cur interpoſita ſit vox הגיון, quæ proprie meditationem ſignificat, non alia magis probabilis ratio mihi occurrit, quam quod pias mentes retinere voluit David in meditandis Dei judiciis. Eodem ſpectat vox סלה, quam alibi diximus ſic cantum temperaſſe, ut ipſa modulatio rei & argumento congrueret.

18. Convertentur impii in infernum: omnes gentes oblitæ Deum.

18 ישובו רשעים לשאולה כל
גוים שכחי אלהים :

19. Quia non in æternum oblivioni erit pauper: ſpes humilium non uſque peribit.

19 כי לא לנצח ישכח אביון תקות
ענים תאבד לעד :

18. *Convertentur.*] Multi in optativo transferunt Convertantur, acſi eſſet imprecatio: ſed potius (meo judicio) ſe & alios omnes pios David in poſterum confirmat, quicquid conentur ſcelerati, ipſis infeliciter ceſſurum pronuncians. Convertendi verbo, alium quam putent exitum eos manere ſignificat. ſubeſt enim tacita antitheſis inter altitudinem audaciæ & ruinam. Quia enim nullo Dei metu tenentur, ſeſe efferunt ſupra nubes. Deinde quaſi illis fœdus eſſet cum morte, (quemadmodum dicit Jeſaias) multo ſuperbius inſoleſcunt. dum ipſos tam ſecure furere videremus, admonet Propheta præcipites amentia ferri, ut tandem in ſepulchrum decidant, à quo putabant ſe longiſſime diſtare. Hic ergo ſubita & inopinata mutatio nobis deſcribitur; qua Deus, ubi viſum eſt, res turbatas in ordinem reſtituit. Quoties ergo extra omne diſcrimen alte volitant impii, fidei oculis contemplemur quod illis paratum eſt ſepulchrum: certoque perſuaſi ſimus, Dei manum, licet occulta ſit, prope inſtare, quæ eorum

Jeſa. 28. verſ. 15.

eorum curſum, quo cœlum petebant, ad inferos momento retorqueat. Nomen Hebraicum שאולה quod dubium erat, per Infernum reddere non dubitavi. Tametſi enim non diſplicet quod alii vertunt Sepulchrum: certum tamen eſt, notari aliquid à Propheta ultra communem mortem. alioqui nihil de ſceleratis diceret, quod non etiam promiſcue caderet in omnes fideles. Sicuti ergo non ſimpliciter de æterno interitu loquitur, ita etiam ſub metaphora ſepulchri, impios omnes perituros ſignificat & exitialem illis fore ſuam confidentiam, qua per omne nefas ad calcandam juſtitiam & innoxios opprimendos conſcendunt. Deſcendunt quidem & fideles in ſepulchrum, ſed non illo violento impulſu, qui eos ſine ſpe exitus demergat: quin potius in ſepulchro reconditi, ſpe tamen in cælo habitant.

19. *Quia non in finem.*] Confirmatio eſt prioris ſententiæ, quod Deus non deſeret in perpetuum inopes & afflictos. Quibus verbis ſignificat, videri quidem poſſe ad tempus derelinqui. Quare ſciamus nobis hac lege Dei auxilium promitti, ut tamen non præveniat noſtras afflictiones: ſed ubi nos diu cruce domuerit, tandem ſuccurrat. Et de ſpe vel expectatione nominatim loquitur David, ut nos ad preces hortetur. Ideo enim ad noſtras ærumnas connivet Deus, quia vult precibus noſtris expergefieri. nam ubi vota noſtra exaudit, quaſi memor noſtri eſſe incipiat, manum ſuam potentia inſtructam ad nos juvandos porrigit. Sed iterum repetit David, non ſtatim id fieri, ne deſinamus bene ſperare, quamvis non ſtatim arrideat proſper eventus.

20. Surge Jehova, ne roboretur homo: judicentur Gentes in conſpectu tuo.

21. Impone Jehova terrorem ipſis, ut cognoſcant Gentes quod homo ſint. Selah.

20 קוּמָה יְהוָה אַל־יָעֹז אֱנוֹשׁ
יִשָּׁפְטוּ גוֹיִם עַל־פָּנֶיךָ׃
21 שִׁיתָה יְהוָה מוֹרָה לָהֶם יֵדְעוּ
גוֹיִם אֱנוֹשׁ הֵמָּה סֶּלָה׃

20. *Surge Jehova.*] Surgendi verbum non ad Deum, ſed ad externam rei ſpeciem & ſenſus noſtros refertur. Quia non ſentitur Deus ſuorum liberator, niſi quum oculis noſtris, velut pro tribunali ſedens apparet. Ratio additur, quæ Deum ad vindicandas ſuorum injurias inducat, *ne* ſcilicet *roboretur homo*: quia ipſo ſurgente, omnem impiorum ferociam protinus concidere neceſſe eſt. Unde enim fit ut improbi vel tam audacter inſoleſcant, vel tantum valeant ad nocendum, niſi quia Deus quieſcit, frenumque laxat? Simul vero ac ſignum judicii ſui oſtenderit, ſolo nutu compeſcet ſuperbos eorum tumultus, vireſque franget. Docemur autem hac precandi forma, quantumvis impotenter ſuperbiant hoſtes noſtri, tamen in manu Dei eſſe, nec plus poſſe, quam illis permittit: nec dubium eſſe quin Deus, quoties volet, redditurus ſit omnes eorum conatus vanos & irritos. Ideoque nomen Hominis ponit quod ab ærumnis deductum eſt, acſi quis Latine diceret mortalem hominem, vel caducum. Porro Deus Gentes coram facie ſua judicare dicitur, quum eas quodammodo ad tribunal ſuum ſtare cogit. Scimus enim incredulos, donec violenter trahantur in conſpectum Dei, tergum illi obvertere, ut judicem ſuum non cogitent.

21. *Impone Jehova.*] מורה Græcus interpres legiſlatorem vertit: à ירה deducens, quod docere interdum ſignificat. Sed circumſtantia loci poſtulat ut pro metu vel terrore ſumamus. idque inter omnes ſani judicii doctores convenit. Porro videndum eſt de qua timoris ſpecie loquatur. nam Deus communiter electos etiam ſuos timore ſubigit ad obſequium. Sed quia ſuum erga eos rigorem temperat, & ſimul emollit lapidea ipſorum corda, ut ſponte & placide ſe ſubmittant, proprie non dicitur eos metu cogere. Erga reprobos diverſum agendi modum tenet. quia enim inflexibilis eſt eorum duritics, ut facilius ſit eos frangi quam corrigi, violenter indomitam ipſorum contumaciam ſubigit: non quod reſipiſcant, ſed quia, velint nolint, illis exprimitur ſuæ infirmitatis confeſſio. Quantumvis enim fremant, atque ebulliat ipſorum rabies, imo truculentia ſuperent feras belluas: objecto Dei terrore, cum ſuo impetu ſternuntur, atque etiam mole ruunt ſua. Quod quidam exponunt de Davide, ut ſub ejus jugum Deus Gentes mittat, ejuſque imperio reddat tributarias, frigidum eſt ac coactum. Terror enim generaliter quævis Dei flagella comprehendit, quibus retunditur eorum contumacia, qui Deo nunquam parerent niſi inviti. Sequitur deinde quorſum Gentes adigi oporteat, nempe ut ſe mortales homines cognoſcant. Quod etſi prima ſpecie videtur levis eſſe momenti, non vulgarem tamen doctrinam continet. Quid enim eſt homo, ut digitum à ſeipſo movere audeat? Atqui perinde exultat impiorum omnium licentia, acſi omnibus impedimentis ſoluti eſſent. Sibi quidem falſa imaginatione arrogant quicquid Dei proprium eſt: denique nunquam eo intemperantiæ ruerent, niſi illis ignota eſſet ſua conditio. Non intelligit quidem David eo uſque profecturos eſſe impios ſub Dei ferulis, ut vere ſe & ex animo humilient: ſed cognitio de qua loquitur, tantum eſt experimentalis: acſi dixiſſet, Fac Domine, quando eos ignoratio ſui in furorem præcipitat, ut reipſa ſentiant vires ſuas ſtultæ confidentiæ eſſe impares, ac ubi eos fruſtratæ erunt vanæ ſpes, pudefacti jaceant. Hoc vero ſæpe accidere poteſt, ut tamen non reſipiſcant, quibus oſtenſa eſt ſua infirmitas: ſed ſatis eſt cum ludibrio ſacrilegam eorum audaciam traduci, ut re ipſa appareat ridiculam fuiſſe quam de ſua virtute fiduciam præſumpſerant. Quantum ad electos Dei ſpectat, aliter eos proficere convenit, ut infirmitatis ſuæ ſenſu dejecti, ſponte ſe omni fiducia exinaniant. hoc vero fiet ſi homines ſe meminerint. Scite enim & prudenter ab Auguſtino dictum eſt, totam hominis humilitatem in ſui notitia poſitam eſſe. Porro quoniam omnibus ingenita eſt ſuperbia, neceſſe eſt promiſcue omnibus à Deo terrorem incuti, ut fideles modeſtiam diſcant: reprobi vero, licet conſcendere non deſinant ſupra humanam ſortem, cum dedecore retrocedant.

ARGU-

ARGUMENTUM PSALMI X.

Suo & piorum omnium nomine conqueritur David, fraudes, rapinas, crudelem violentiam, omneque injuſtitiæ genus paſſim graſſari in mundo: cauſamque aſſignat, quod impii & ſcelerati homines læto & proſpero rerum ſuarum ſucceſſu ebrii, excuſſo Dei metu, ſibi quidvis impune licere confidant. Itaque opem Dei implorat, ut remedium afferat extremis malis. Tandem ſpe liberationis ſe & alios fideles conſolatur. Porro hæc deſcriptio vivam publici ſtatus corrupti & perverſi imaginem quaſi in ſpeculo repræſentat. Quare ubi iniquitas inſtar diluvii exundat, ne fidem percellat tentationis novitas, ut animum deſpondeant filii Dei, oculos ad hoc ſpeculum referre diſcant. Nam ad levandum dolorem, plurimum valet hæc comparatio, nihil nobis hodie accidere quod non olim experta ſit Eccleſia Dei: imo in eadem arena nos exerceri cum Davide ſanctiſque aliis Patribus. Deinde monentur fideles, in rebus ita confuſis quærendum eſſe Deum: quia niſi ſuccurrendi partes tribuant Deo, nihil cæco fremitu & jactis in aërem querimoniis proficient.

PSALM. X.

1 UTquid Jehova ſtas procul? connives ad opportuna *tempora* in anguſtia?

2. In ſuperbia impius * perſequitur pauperem: comprehendantur in aſtutiis quas cogitant.

* vel *perſequutionem patitur*, vel *ardet pauper*.

1 למה יהוה תעמד ברחוק תעלים לעתות בצרה׃

2 בגאות רשע ידלק עני יתפשו במזמות זו חשבו׃

UTquid Jehova ſtas.*] Videmus ut Propheta deſperatis malis remedium quærens, ſtatim ab initio Deum recta compellet. Atque hæc nobis tenenda eſt ratio, ut turbati & anxii ſolatium petamus ex Dei providentia: quia inter curarum noſtrarum agitationes & æſtus fixa manere debet hæc perſuaſio, proprium ejus eſſe munus, miſeros & afflictos auxilio juvare. Improprie tamen & per anthropopathiam, Deum in loco remoto ſtare dicit, cujus oculos nihil fugit. Sed quia Dominus ſecum humano more agere nobis permittit, nihil abſurdum continent iſtæ loquutiones, modo ſciamus figurate ad Deum transferri quod ex præſenti rerum intuitu ſenſus noſter concipit. nam fieri quidem poteſt ut homo quiſpiam juſtus injuriam ante oculos ſuos pauperi factam non compeſcat, quia deeſt facultas: id autem in Deum non competit, qui ſemper armatus eſt invicta potentia: quare ſi diſſimulat, perinde eſt acſi procul ſe ſubduceret. Verbum תעלים quod abſcondere ſignificat, duobus modis exponitur. nam ſecundum quoſdam, expoſtulat David cum Deo, quod ſe occultet, quaſi res humanas cura ſua non dignetur. Alii accipiunt pro Claudere oculos: quod ſimplicius videtur. Porro notandum eſt, quamvis hic queratur David Deum longe abeſſe, de ejus tamen præſentia certo fuiſſe perſuaſum. alioqui fruſtra eum advocaſſet. Interrogatio autem qua utitur, huc tendit, Quid hoc ſibi vult Domine, quum tuum ſit mundum gubernare, & quem virtute tua ſuſtines, juſtitia quoque moderari, ut non citius contra tantam impiorum audaciam te vindicem oſtendas? Quanquam David non tam expoſtulandi cauſa ſic loquitur, quam ut ſeipſum ad impetrandi fiduciam animet. Pro infirmitate quidem ſenſus ſui minime conſentaneum eſſe dicit ut Deus ab officio ſuo tamdiu ceſſet: non deſinit tamen interea ſuum illi honorem deferre, & tantum moleſtiæ onus, quo gravatur, precibus in ejus ſinum deponit. Eodem pertinet quod ſequitur, *Ad opportunitates.* Nam ut Deus ſingulis momentis manum ſuam non proferat: ubi tamen ſimplices & innoxios opprimi conſpicit, non eſt amplius ceſſandi tempus. Agendi enim opportunitas breviter definitur, quum verſantur fideles in anguſtia. De qua loquendi forma diximus proximo Pſalmo, verſu 10. Quod nomen בצרה volunt quidam accipi pro coarctatione vel prohibitione, ac deducunt à בצר, acſi ב eſſet radicalis litera, & nomen hoc eſſet genitivi caſus, non tam apte quadrat.

2. *In ſuperbia.*] Priuſquam imprecationem concipiat contra impios, crimen eorum breviter exponit, quod ſcilicet miſeros non alia de cauſa crudeliter vexent, niſi quia ſuperbe eos deſpiciunt. Sævitiam vero non parum amplificat hæc circumſtantia, quod humanitatis obliti, pauperibus & afflictis contumelioſe inſultent. Superba quidem ſemper eſt crudelitas, imo ſuperbia omnium injuriarum mater eſt: quia niſi quis faſtu ſe efferret ſupra proximos, & plus æquo ſibi arrogans, illos deſpiceret, nobis communis humanitas modeſtiæ & æquitatis legem præſcribit. ſed hic exprimere voluit David, impiis, quos accuſat, non niſi altos & feroces ſpiritus in cauſa eſſe cur, non laceſſiti, ſæviant contra miſeros & inopes. Quiſquis ergo juſte & ſine noxa verſari cum fratribus cupit, ne ſibi placeat cum aliorum contumelia, ſed animum ſuum ſuperbiæ morbo in primis purgare ſtudeat. דלק Hebræis tam pati quam inferre perſequutionem ſignificat: ideo quibuſdam magis placet in neutro genere accipere. Non male etiam verti poſſet, pauperem ardere in ſuperbia impii: quia hæc frequentior eſt verbi ſignificatio. nam faſtus impiorum miſeros homines inſtar ignis devorat.

3. Quia *ſe* laudat impius ſuper deſiderio animæ ſuæ, & violentus *ſibi* benedicit: ſpernit Jehovam.

4. Impius in altitudine naris ſuæ non exquirit, omnes ejus verſutiæ, non Deus.

3 כי הלל רשע על תאות נפשו ובצע ברך נאץ יהוה׃

4 רשע כגבה אפו בל ידרש אין אלהים כל מזמותיו׃

3. *Quia ſe laudat.*] Varie exponitur hic verſus. Quidam in accuſativo caſu vertunt impium & violentum: quia durum eſſe putant, verba tranſitiva abſolute poſita eſſe. ſed quum ſatis conſtet, frequenter apud Hebræos caſum ſubaudiri, ubi eadem patientis & agentis eſt perſona, commodior (meo judicio) & aptior erit illa interpretatio quam ſequutus ſum: nempe quod ſe impius laudet, vel glorietur ſuper deſiderio animæ ſuæ, ſibique benedicat. Nunc quæritur quale ſit iſtud animæ deſiderium. Sic quidem fere accipi ſolet, impios ſibi blandiri & applaudere, dum fortuna reſpondet eorum votis, & quicquid illis in mentem venit optare, conſequuntur: ſicuti paulo poſt ſubjiciet, proſpero ſuo ſtatu ad quidvis audendum abuti. Sed *deſiderium animæ* hic mihi libidinem & intemperantiam magis notat: ut ſenſus ſit, ſuaviter eos ſibi indulgere in pravis ſuis cupiditatibus, & contempto Dei judicio, ſecure à reatu ſe abſolvere. Pro quo Moſes Deuteronomii 29. v. 19. dicit Benedicere animæ ſuæ ſuper inventionibus vel figmentis cordis. Dicet quidem paulo poſt David, impios ſua proſperitate abuti,

abuti, ut ſibi delicias faciant: ſed nunc gravius aliquid (meo judicio) exprimit: quod ſcilicet laudem acquirant ex audacia, & in ſceleribus ſuis glorientur: quæ ſecuritas effrenis proterviæ cauſa eſt. Itaque Laudandi & Benedicendi verba eodem ſenſu poſita interpretor: ſicuti Impius & Violentus ſynonyma ſunt, quod ad præſentem locum attinet: licet inter ſe differant tanquam genus & ſpecies. His convenit quod proxime additur in fine verſus, impios illos Deum ſpernere. Nam quod aliqui Blaſphemare vertunt, alii, Ad iram provocare, à contextu remotius eſt. quin potius David ſupinæ illius indulgentiæ cauſam eſſe docet craſſum Dei contemptum. Nam qui Deum fore judicem reputat, ei terror objicitur ne animæ ſuæ benedicere audeat, dum ſibi male conſcius eſt.

4. *Impius in altitudine.*] Vertunt alii, præ violentia iræ ſuæ, vel in ſuperbia quam præ ſe fert, Deum non requirit impius. Sed partim ſenſum depravant: partim extenuant quod exprimere voluit David. Primo verbum Exquirendi abſolute poſitum, perperam reſtringitur, quum ſimpliciter intelligat David, impios ſine examine ſibi quidvis permittere, vel non diſcernere inter fas & nefas: quia illis ſua cupiditas pro lege eſt. imo tanquam legibus ſoluti, licitum ſibi eſſe fingunt quicquid libuit. Principium recte agendi in tota vita, inquiſitio eſt: dum ſcilicet neque temere pro noſtro ingenio, neque perverſæ carnis noſtræ impetu rapimur. Studium vero inquirendi ex modeſtia naſcitur, dum nobis Deum arbitrum & moderatorem præficimus, ut æquum eſt. Recte ergo Propheta impios dicit, omni delectu poſthabito, quicquid concupiſcunt, ſecure aggredi: quia elati ſuperbia, nullam Deo judicii poteſtatem relinquunt. אף non dubito hoc loco acceptum eſſe in proprio & nativo ſenſu, non autem metaphorice pro ira: quia faſtuoſi homines vultu quoque impudentiam ſuam produnt. In ſecundo membro durius eos vel ſaltem apertius accuſat Propheta, quod omnes eorum pravæ cogitationes oſtendant nullum illis eſſe Deum. Quibus verbis intelligo, ſacrilega audacia fas omne & jus pervertere, acſi nullus ſederet in cælo Deus. Nam ſiquem eſſe Deum perſuaſi forent, comprimeret eos futuri judicii metus. Non quod diſtincte negent eſſe Deum, ſed quia ſua illum virtute ſpoliant. idoli autem inſtar erit Deus, ſi otioſa eſſentia contentus, judicis officio ſe abdicet. Deum itaque, quantum in ſe eſt, abolent quicunque mundum non ſubjiciunt ejus providentiæ, vel ad eum regendum non ſentiunt manum ejus eſſe extentam. Neque vero ſufficit frigidam de judicio Dei notitiam concipere: quia is demum verus eſt providentiæ ejus ſenſus, qui nos in ejus reverentia continet. Major pars interpretum generaliter hoc ſumit, omnes impii hominis cogitationes tendere ad Deum negandum. Ego מזמות (ut ſæpe alias) in malam partem accipi arbitror, pro aſtutis & iniquis cogitationibus: ut ille ſit ſenſus quem notavi, quum impii nihil non machinari audeant, ſatis inde liquere, omnem Dei metum ex eorum cordibus eſſe deletum.

5. Proſperantur viæ ejus omni tempore: altitudo judicia tua coram ipſo. in omnes inimicos ſuos ſufflat.	5 יחילו דרכיו בכל עת מרום משפטך מנגדו כל צורריו יפיח בהם׃
6. Dicit in corde ſuo, Non nutabo in generationem & generationem, quia non in malo.	6 אמר בלבו בל אמוט לדור ודור אשר לא ברע׃

In principio verſus non parum variant interpretes. Græcus, quia putabat à radice חלל deduci futurum יחילו, vertit, Inquinatæ ſunt viæ ejus. Atqui inter Hebræos ſatis convenit eſſe à radice חיל. Sed multi active ſumunt pro Terrorem incutere, vel moleſtiam afferre: acſi dictum eſſet, Viæ impii formidabiles ſunt bonis, eoſque excruciant. Quidam etiam ad Deum referunt, quod viæ ejus veniant, hoc eſt, ſuccedant, omni tempore: nimis tamen coacte, meo judicio. Sed quum in aliis Scripturæ locis idem valeat quod proſperari, miror de loco præſenti inter doctos eſſe controverſiam, quum ſecundo membro mox clare oſtendat Propheta ſe de felici impiorum ſtatu loqui, & continuo lætitiæ tenore qui eos inebriat. Porro non tantum de iſta felicitate conqueritur Propheta, ſed eorum crimen inde exaggerat, quod Dei benignitate ſe ad malitiam obdurent. Ideoque ſic reſolvo, Quoniam illis continua proſperitas fluit, Deum ſibi obſtrictum eſſe ſomniant. ita fit ut procul à ſe repellant ejus judicia. Quod ſiquis adverſetur, ſtatim ſe flatu poſſe diſcutere confidunt. Tenemus nunc ſimplicem Prophetæ ſenſum, quod ſcilicet Deo illudant impii, tolerantiæ ejus prætextu: ſicuti nequam ille Dionyſius in ſecunda navigatione jactabat, deos ſacrilegis favere. Hinc fit ut Dei judicia longiſſime repellant. Nam quod alta illis eſſe Dei judicia, nonnulli tantundem valere putant, acſi diceret Propheta, nimis clementer ipſis ignoſci: quemadmodum alibi conqueritur eximi à communibus miſeriis: verbis non tam apte convenit, imo durum ac contortum eſſe apparet. Dicuntur ergo judicia Dei, altitudo eſſe impiis, quia freti longa diſtantia, non modo ſibi inducias in totam vitam, ſed æternum cum morte fœdus promittunt. Videmus enim ut tempus ſibi prorogando, veternum ſibi obducant: imo Deum cælo incluſum fingentes, quaſi nihil ſibi eſſet cum eo negotii, ſeſe ad ſpem impunitatis confirment. Sicuti apud Jeſaiam, Prophetarum minas ſuis ſannis excipiunt, Edamus & bibamus, cras moriemur. *Jeſa. 22. verſ. 13.* Nam quum ſevera denunciatione vindictæ Dei, populum terrerent Prophetæ, iſti fabulas eſſe clamitabant. Ideoque acriter in eos invehitur Deus, quod ſe ad luctum, cinerem, & ſaccum vocante, ipſi ad citharam & epulas populum invitaverint. Tandemque jusjurandum ſubjicit, Vivo ego, ſi unquam delebitur iniquitas hæc. Attollunt quidem fideles in ſublime oculos, ut Dei judicia ſuſpiciant: ſed non ſecus metuunt acſi jam capitibus ſuis inſtarent. Impii vero contra, quamvis ea deſpiciant, ne tamen eorum metu vel cura turbentur, in cælum ablegant: ſicut Epicurei Deum palam negare non audentes, fingunt in otio deliciari. Ex illo ſtupore manat confidentia de qua loquitur David, quod ſolo flatu ſe perdituros non dubitant quicquid hoſtium extiterit. Nam verbum פוח quod illaqueare interdum ſignificat, hic pro ſufflare aptius ſumitur. Eandem ſententiam proximo verſu confirmat, quod ſtatuant in cordibus ſuis ſe extra omne mutationis diſcrimen verſari. Quamvis autem ſuperbas ejuſmodi voces ſæpe evomant, ſolum tamen pravæ arrogantiæ occultum ulcus, quod intus fovent, perſtringit David: ideoque non recitat quid ore loquantur, ſed quid ſibi in corde perſuadeant. Quæritur tamen cur in aliis accuſet David quod de ſeipſo toties profitetur. nam Dei præſidio fretus, periculis omnibus animoſe inſultat. Et certe filios Dei ſalutem ſuam in tuto locare convenit, ut mundo centies ruente, ſtabiles ſe manſuros cogitent. At ſolutio facilis eſt, fideles ſibi ſtabilitatem non alibi quam in Deo promittere, & quidem talem ut ſe tamen omnibus procellis expoſitos eſſe noverint, & patienter ſub-

ſubjiciant. Longe vero duo hæc inter ſe differunt, Dei contemptorem, qui proſpera fortuna hodie fruitur, humanæ conditionis obliviſci, ut ſibi quietum nidum falſa imaginatione ſupra nubes figat: rurſus pium hominem, dum vitam ſuam de filo pendere, milleque mortibus obſeſſam eſſe reputat, ſeque ad ferendas quaslibet ærumnas offert, nec ſecus in mundo agit acſi in mari procelloſo naviget, ſolius tamen gratiæ Dei fiducia moleſtias & anxietates ſuas lenire ac ſolari. Dicit impius, Non movebor, vel Non nutabo in perpetuum. quia ſcilicet roboris ſui duritiem ad omnes impetus ſuſtinendos ſatis validam eſſe putat. Dicit fidelis, Ut nutare mihi contingat, imo etiam cadere, ſubindeque in profundum demergi, non erit tamen exitialis ruina: quoniam ſupponet Deus manum ſuam. Hinc & altera quæſtio ſolvitur. nam fideles in ſeipſis trepidi, ad gratiæ Dei aſylum propere confugiunt: impii vero quamvis expaveſcant ad ſtrepitum folii cadentis, & in continua inquietudine verſentur, callum tamen ſtuporis ſibi obducunt, vel accerſunt ſibi inſanam vertiginem, ut extra ſe poſiti mala ſua non ſentiant. Cauſæ redditio, quæ ſequitur, *quia non in malo*, duos ſenſus recipit, vel quod ex priori immunitate ſpem quieti & læti ſtatus concipiant impii, vel quod ſe à communi hominum ordine, fallaci imagina-
tione, ſeparent: Sicuti apud Jeſaiam dicunt, Quum *Jeſa. 28.*
tranſibit tempeſtas, nos tamen minime attinget. *verſ. 15.*

7. Execratione os ejus plenum eſt, & fraudibus, & malitia: ſub lingua ejus, afflictio & iniquitas.

7 אלה פיהו מלא ומרמות ותך תחת לשונו עמל ואון:

8. Sedebit in inſidiis pagorum, in latebris occidet innocentem: oculi ejus ad pauperem collimabunt.

8 ישב במארב חצרים במסתרים יהרג נקי עיניו לחלכה יצפנו:

9. Inſidiabitur in abſcondito, quaſi leo in cubili ſuo: inſidiabitur ad rapiendum pauperem: rapiet pauperem attrahendo eum in rete ſuum.

9 יארב במסתר כאריה בסכה יארב לחטוף עני יחטף עני במשכו ברשתו:

10. Atteret ſe, dejiciet: tum cadet, in fortitudinibus ejus cœtus afflictorum.

10 ודכה ישח ונפל בעצומיו חלכאים:

7. *Execratione os, &c.*] Huc tendunt quatuor iſti verſus, ſi Deus ſervis ſuis ſuccurrere velit, nunc opportunum adeſſe tempus: quia ad extremum uſque licentiæ proruperit impiorum licentia. Primo conqueritur, eorum linguas perjuriis & fraudibus refertas eſſe, geſtare, vel occultare, moleſtiam & injurias: quia nihil cum ipſis negotii tractari queat niſi cum damno. אלה, quod maledictionem vertunt, non eſt verborum execratio quam in alios torqueant, ſed potius devotio proprii capitis: quia non dubitant ſibi quidvis imprecari, quo melius fallant. Ideoque non male à quibuſdam vertitur Perjurium, debet enim hoc nomen aliis duobus conjungi. Maledicunt ergo, quatenus ad fraudandum & nocendum expedit: hinc moleſtia & iniquitas, quia laqueos ex dolis, perjuriis, & malitia contextos, ſine ſuo incommodo ſimplices effugere nequeunt.

8. *Sedebit in inſidiis.*] Verba futuri temporis, quia continuum actum deſignant, conſulto in aliud tempus mutare nolui: quia hic Hebraiſmus in alias quoque linguas manavit. Deſcribit ergo David quid facere ſoleant impii. Ac primo quidem latronibus eos comparat, qui viarum anguſtias obſident, & latebras ſibi deligunt, ex quibus incautos viatores deprehendant. Dicit etiam oculos eorum intentos eſſe, ſimilitudine à jaculatoribus ſumpta, qui collimant ſemiclauſis oculis, ut rectius feriant. Neque vero hic de vulgo latronum ſermo eſt: ſed in magnos prædones ſtylum dirigit, qui ſub honorificis titulis, pompaque & ſplendore flagitia ſua occultant. Ideo חצרים nonnulli vertunt palatia: quaſi David eos ex magnificis atriis ſpoliaria feciſſe dicat, in quibus miſeros homines jugulent. Ego vero ut alluſionem eſſe concedam, continuum tamen ſimilitudinis filum retineo: atque ita interpretor, non ſecus ac latrones villarum exitus obſident, ita iſtos, ubicunque ſint, ſuas inſidias tendere. Proximo verſu alia comparatione, eorum ſæviciam gravius exaggerat, dicens eos ad prædam inhiare non ſecus ac leones in ſuis luſtris. æquare vero truculentas beſtias, major eſt immanitas, quam latronum more graſſari. Notandum autem quod fraudes & inſidias ſemper violentiæ conjungit, ut clarius exprimat, modis omnibus miſeros fore Dei filios, niſi cæleſti auxilio juventur. Additur etiam altera ſimilitudo quæ doloſas captiones ſævitia mixtas clarius exprimat. Dicit enim eos rapere, ſed in rete ſuum trahendo. quibus verbis intelligit, non modo aperta vi & impetu ipſos ruere, ſed ſimul tendere quoque retia quibus decipiant. Hoc totum decimo verſu rurſus inculcat, geſtum ipſum quaſi per hypotypoſin oculis ſubjiciens. Atterunt ſe, inquit, & demittunt, ne ſcilicet truculentia ſua procul terreant: quia potius illecebris ſuis captare volunt quos non poſſunt niſi propiore acceſſu lædere. Videmus ut duo ſimul conjungat, aucupia vel decipulas: deinde ſubitam violentiam, quoties in illorum manus incidit præda. Nam ſecunda parte intelligit, ſævo impetu præter ſpem irruere, dum ſimplices vident ſuæ libidini eſſe obnoxios, acſi leo ex ſua cubatione furioſe conſurgeret ad prædam lacerandam. Senſus apertus eſt, undique metuendos eſſe impios, quia ſuam crudelitatem diſſimulant, donec plagis ſuis irretitos teneant quos vorare cupiunt. In verbis aliqua eſt obſcuritas. Nam ubi vertimus Exercitum afflictorum, vox Hebraica חלכאים quibuſdam videtur eſſe quatuor literarum: rectius tamen ſentiunt qui docent eſſe compoſitam, & duas valere. Quamvis ergo verbum ſit ſingularis numeri, collective tamen per חלכאים magnam turbam deſignat Propheta, quæ affligitur ab unoquoque iſtorum leonum. עצמים ſubſtantive reddidi Fortitudines: quia non dubium eſt, quin Propheta hoc nomine ungues & dentes leonis denotet, in quibus præcipuum eſt belluæ illius robur. Quia tamen proprie eſt nomen Toar, non male conveniet per ſimilitudinem ungues ipſos & dentes vocari robuſtos milites. Eodem vero ſenſus redit: licet fraudulenta demiſſione vires ſuas tegant, fore tamen illis in promptu quaſi armatam ſatellitum turmam, vel ungues & dentes, ſimulac oblata fuerit nocendi occaſio.

11. Dixit in corde ſuo, Oblitus eſt Deus: abſcondit faciem ſuam ne videat in perpetuum.

11 אמר בלבו שכח אל הסתיר פניו בל ראה לנצח:

12. Surge Jehova Deus, attolle manum tuam, ne obliviſcaris pauperum.

12 קומה יהוה אל נשא ידך אל תשכח עניים:

13. Ut-

13. Utquid ſpernit impius Deum? dicit in corde ſuo, Non requires.

13 עַל־מֶה נִאֵץ רָשָׁע אֱלֹהִים אָמַר בְּלִבּוֹ לֹא תִדְרֹשׁ׃

11. *Dixit in corde.*] Iterum fontem audaciæ notat: quod ſcilicet impii ex Dei connivenția impunitatem ſibi promittant. Quia vero non palam ore proferunt ſacrilegam iſtam blaſphemiam, Deum eſſe oblitum, & clauſiſſe oculos ne unquam videat, ſed profundas ſibi cogitationes abſcondunt, ut Jeſaias loquitur: Propheta eandem loquendi formam (quam prius) uſurpat, & mox tertio repetet, impios ſibi intus in cordibus dicere, res humanas à Deo minime curari. Notandum autem quod impii ex præſenti intuitu ſic æſtimant ſuam fortunam, ut Deum quodammodo ſibi obſtrictum imaginentur. Unde fit ut in perpetuum ſecuri ſint, quia non reputant, poſt longam Dei tolerantiam gravius inſtare judicium.

Jeſa. 29. verſ. 15.

12. *Surge Jehova.*] Quanquam hoc morbo communiter laborant cuncti mortales, ut Deum pro carnis ſuæ ſenſu, otiari vel jacere fingant, dum ſua judicia non exequitur: longum tamen diſcrimen eſt inter fideles & reprobos: quia hi errorem ex carnis infirmitate objectum fovent, ſibique blanditias ex ſtupore cupide accerſunt, donec tandem impia pertinacia ad craſſum Dei contemptum ſe obdurent. Illi autem priores ſtatim è ſuis mentibus falſam imaginationem excutiunt: ſeque caſtigant & ultro revocant ad ſanam mentem. cujus rei illuſtre ſpeculum nobis in hoc loco proponitur. Humanis enim loquendi formis Propheta eundem ſibi errorem obrepſiſſe declarat, quem nuper in Dei contemptoribus damnavit. Sed mature ad eum corrigendum occurrit, & injecta manu ſecum luctatur: vel mentem ſuam cohibet, ne quid concipiat Dei juſtitia & gloria alienum. Commune ergo tentationis ſemen omnibus eſt inſitum, ut Deo manum ſuam & judicium occultante, de ejus providentia dubitare incipiant. ſed longe differunt pii à reprobis: quia alii carnis ſenſum fide ſtatim corrigunt: alii vero in perverſa imaginatione ſibi indulgent. Sic David Surgendi verbo non tam Deum excitat, quam evigilat ipſe, vel ſe expergefacere conatur, ut aliud ſperet de auxilio Dei, quam conſpicit. Continet itaque hic verſus utilem doctrinam: quo magis ſupinæ ignorantiæ callum ſibi impii obducunt, ut Deum res humanas non curare ſibi perſuadeant, nec ſcelerum fore vindicem: ut nos eo magis in contrariam partem nitamur. Imo nobis incitamento eſſe debet illorum impietas, ut acriter dubitationes repellamus, quas illi non modo admittunt, ſed ſibi data opera fabricant.

13. *Utquid ſpernit.*] Quanquam rationes Deo proferre ſupervacuum eſt, quibus eum perſuadeamus: nobis tamen in precibus ſecum familiariter (non ſecus ac filius terrenum patrem alloquitur) agere permittit. Nam uſus precandi ſemper notandus eſt: ut ſcilicet Deus omnium noſtrorum affectuum teſtis ſit: non quod alioqui ipſum lateant, ſed quia, dum coram ipſo effundimus corda noſtra, tantundem levantur curæ noſtræ, & augeſcit impetrandi fiducia. Sic David in præſentia ſibi proponens quam abſurdum & intolerabile eſſet, Deum impune ſperni ab impiis, inde ſpem remedii concepit. Idem verbum nunc repetitur, quo prius uſus fuerat: quod alii vertunt Provocare, alii Blaſphemare. Sed illa, quam prætuli, ſignificatio haud dubie aptior eſt contextui: quia ubi Deo eripitur poteſtas & munus judicandi, contumelioſe ex ſuo ſolio detractus, quaſi in ordinem cogitur. Porro quum nuper conqueſtus eſſet, impios negare Deum, vel fingere, neglecta hominum cura, perpetuo dormientem, nunc eodem ſenſu dicit non requirere.

14. Vidiſti, quoniam tu moleſtiam & vexationem conſideras, ut ponas in manum tuam: ſuper te relinquet pauper, orphano tu eris adjutor.

15. Contere brachium ſcelerati & improbi: quæres impietatem ejus, non invenies.

14 רָאִתָה כִּי אַתָּה עָמָל וָכַעַס תַּבִּיט לָתֵת בְּיָדֶךָ עָלֶיךָ יַעֲזֹב חֵלְכָה יָתוֹם אַתָּה הָיִיתָ עוֹזֵר׃

15 שְׁבֹר זְרוֹעַ רָשָׁע וָרָע תִּדְרוֹשׁ רִשְׁעוֹ בַל תִּמְצָא׃

14. *Vidiſti, quoniam, &c.*] Hic repente David ſancto zelo accenſus, in arenam prodit: fideque inſtructus, ſacrilegas illas opiniones acriter repellit. cæterum quia nihil apud homines proficere poterat, ſe ad Deum convertit. Nam ſicut impii protervam ſcelerum licentiam ſibi facere volentes, procul ſe à Deo ſubducunt, & perverſo mentis errore ſibi fingunt longam diſtantiam: ita ex oppoſito fideles à vagis & erraticis opinionibus ſe colligere operæpretium eſt, & ſurſum erectis mentibus, Deum quaſi præſentem alloqui. Merito itaque David, ne hominum blaſphemiis ſuccumbat, mentis ſuæ intuitum ab hominibus avertit. Additur ratio ad confirmationem hujus ſententiæ, quia Deus moleſtiam & vexationem conſideret. Nam quia omnium injuriarum cognitio Dei propria eſt, David fieri non poſſe colligit ut impiis per fas & nefas graſſantibus, cœcutiat. Porro à genere ad ſpeciem vel hypotheſim deſcendit: quod diligenter notandum eſt. Nihil enim facilius quam generaliter fateri, mundum & res humanas Deo eſſe curæ: ſed hanc doctrinam aptare ad quotidianos uſus, difficillimum. Et tamen friget, quicquid de potentia & juſtitia Dei Scriptura prædicat, niſi quiſque ſibi, prout neceſſitas tulerit, hoc ipſum accommodet. Diſcamus itaque exemplo Davidis ratiocinari, quum Dei ſit notare quicquid noxæ infertur bonis & ſimplicibus, ab eo conſiderari moleſtias noſtras & dolores, etiam dum ad tempus connivet. Addit etiam, Deum non otioſa ſpeculatione è cælo deſpicere quæ hic fiunt, ſed ſuſcipere judicium. Nam ponere in manum nihil aliud eſt quam ſerio & cum effectu cognoſcere. Sed noſtrum eſt patienter quieſcere, quamdiu in manu Dei repoſita erit vindicta, donec brachium ſuum ad opem ferendum extendat. Ideo mox ſequitur, *Super te relinquet pauper.* Quibus verbis ſignificat David, dandum eſſe tempus Dei providentiæ, ut pii homines, dum miſere premuntur, ſuas curas in Dei ſinum rejiciant: & poſtquam ſuam ei ſalutem commendaverint, non feſtinent in ſuis votis: ſed exonerati reſpirent, donec oſtendat ſe ipſa Deus opportunum eſſe agendi tempus. Deo igitur relinquit quiſquis in ejus fidem ſe ita confert, ut fidelem depoſitarium eſſe perſuaſus, maturum redemptionis tempus placide expectet. Quidam paſſive legunt Relinquetur. Sed prior ſenſus rectior eſt, & cum ratione Grammaticæ convenit, niſi quod defectiva eſt loquutio: quia non exprimitur quid relinquat. Sed hic defectus Hebræis tritus eſt, & in re ipſa nulla eſt obſcuritas: non fore ſcilicet irritas preces omnium piorum, ubi ſe totos ſuaque negotia Deo commiſerint. Nam duo hæc membra cohærent, Super te relinquet pauper, orphano tu eris adjutor. Et pupillum metaphorice nominat quem prius dixerat pauperem. Verbum autem præteriti temporis continuum actum deſignat.

15. *Contere brachium.*] Idem valet hæc loquendi forma, ac frangere potentiam. Non eſt autem ſimplex precatio: ſed quia impotens hoſtium furor ut plurimum animos noſtros percellit, acſi nullo obſtaculo inhiberi poſſet, hanc fidei ſuæ fulturam ſupponit David, ne terroribus ſuccumbat, quod ſimulac Deo placuerit impios frangere, eos & quicquid machinantur, in nihilum rediget. Quare ut ſenſus clarior ſit, in hunc modum reſolvenda eſt oratio, Domine, ſimulac tibi viſum fuerit frangere brachium impii, momento efficies ut diſpereant, & evaneſcant robuſti impetus, quibus ad nocendum effertur. Precatur quidem David ut Deus auxilium ſuum & vindictam acceleret: ſed interim hac ſe conſolatione ſuſtentat, quod impii non laſciviant niſi Dei permiſſu: quia in ejus arbitrio eſt, ubi tribunal conſcenderit, ſolo conſpectu eos delere. Et certe non ſecus ac ſol exoriens nebulas & vapores ſuo calore diſcutit, aëremque obſcurum ſerenat: ſic Deus, ubi manum ſuam exerit ad exequendas judicis partes, quicquid in mundo turbulentum fuit ac confuſum, reſtituit. *Sceleratum & improbum* augendi cauſa (meo judicio) poſuit: acſi dixiſſet, quantumvis in ſua malitia & impietate inſaniant improbi, Deo tamen promptum in manu eſſe remedium.

16. Jehova Rex ſeculi & ſemper: perierunt gentes è terra ejus.	16 יהוה מלך עולם ועד אבדו גוים מארצו׃
17. Deſiderium inopum exaudiſti Jehova: * diriges cor eorum: audiet auris tua.	17 תאות ענוים שמעת יהוה תכין לבם תקשיב אזנך׃
18. Ut judices pupillum & pauperem, ne pergat amplius terrere homo è terra.	18 לשפט יתום ודך בל־יוסיף עוד לערץ אנוש מן־הארץ׃

* vel, ſtabilies.

16. *Jehova Rex ſeculi & ſemper.*] Nunc David, quaſi votis ſuis potitus, in ſanctam gratulationem inſurgit. Nam quod Deum appellat æternum Regem, fiduciæ & lætitiæ teſtimonium eſt. Regis nomine, mundi gubernandi partes ei aſſerit: æternitas vero regni huc ſpectat, temporum anguſtiis perperam ipſum includi. Nam quia brevis eſt humanæ vitæ tranſitus, etiam qui maximis imperiis pollent mortales, ſervos ſuos ut plurimum fruſtrantur: ſicuti Pſalmus admonet, non eſſe fidendum in Principibus, vel filiis hominum, in quibus non eſt ſalus: quia exibit ſpiritus eorum, & revertetur in terram ſuam: quia peribunt omnes eorum cogitationes. Sæpe enim vires eos deficiunt, & dum tardius ſe ad juvandum accingunt, occaſio illis effluit. Atqui de cæleſti Rege magis honorifice ſentiendum, quia ſi non ſtatim exequitur ſua judicia, ſemper eadem penes ipſum & integra facultas manet: denique non ſibi privatim, ſed nobis in æternum & uſque regnat: ne quid illum impediat longior mora, quo minus opportune ad opem mortuis vel deſperatis ferendam manum extendat. *Perierunt gentes.* Senſus eſt, terram ſanctam inquinamentis & ſordibus, quibus polluta fuerat, purgatam demum eſſe. Indigna enim erat illa profanatio, quum terra in hæreditatem data populo Dei, ſanctiſque ejus cultoribus dicata, impios & ſceleſtos incolas aleret. Neque enim per Gentes, exteros nominat, ſed hypocritas qui Dei nomine injuſte gloriabantur: ſicuti hodie plerique titulo tenus Chriſtiani locum in Eccleſiæ gremio occupant. Nec vero novum eſt Prophetis apoſtatas, qui à ſanctis Patrum moribus deſciverant, probroſe vocare Gentes: nec tantum incircumciſis conferri, ſed etiam Chananæis qui maxime erant deteſtabiles. Pater tuus Chanaam, mater tua Chittæa. Alii ſimiles loci ſæpe occurrunt. Falſos ergo & adulterinos Abrahæ filios Gentium nomine infamans, gratias Deo agit quod tales corruptelas expulerit è ſua Eccleſia. Cæterum hoc exemplo docemur, non eſſe novum ſi hodie quoque profani homines Eccleſiam Dei contaminant. Rogandus tamen eſt Deus ut domum ſuam cito repurget, nec ſacrum ſuum templum porcis & canibus inſtar ſterquilinii exponat.

Pſal. 146. verſ. 3.

Eze. 16. verſ. 3.

17. *Deſiderium inopum.*] Confirmat his verbis Propheta quod nuper dixi: nempe dum hypocritæ in Eccleſia regnant, vel ſua multitudine fideles obruunt aſſidue, rogandum eſſe Deum ut eos exterminet. nam veros Dei cultores merito angere & urere debet tam fœda confuſio. Et Spiritus ſanctus hoc oraculo confirmat, quod olim Deus Patrum precibus conceſſit, nos hodie impetraturos, ſi modo erimus (ut decet) de Eccleſiæ liberationė ſolliciti. Quod ſequitur, *diriges cor eorum*, varie exponunt interpretes. Tantundem quibuſdam valet, ac dare votis ſucceſſum. Aliis eſt cor formare, ne quid petant fideles, niſi quod rectum ac juſtum eſt: ſicuti Paulus docet Spiritum intus dictare gemitus inenarrabiles, Romanorum 8. verſ. 26. Utraque forte expoſitio nimis eſt reſtricta. Primo enim Dei gratiam in eo commendat David, quia ſuos cultores in rebus turbatis ſuſtinet, ne animos deſpondeant: fortitudine & patientia inſtruit, erigit in bonam ſpem, incitat etiam ad preces. Nam verbum כון non modo dirigere, ſed ſtabilire ſignificat. Eſt autem ſingulare Dei beneficium, dum in tentatione ſenſus noſtros retinet, nec patitur alio reflecti. Mox ſequitur alterum membrum, non fruſtra dirigi piorum affectus, ut cum ſpe & patientia ad obſequium compoſiti, ad Deum reſpiciant, ipſumque invocent: quia Dei aures ad exaudiendos gemitus nequaquam ſurdæ erunt. Ita mutuus duplicis gratiæ conſenſus hic laudatur, quod Deus cultores ſuos deficere, vel à fide excidere, vel precibus renunciare non ſinat, ſed ad ſe revocet, donec re ipſa appareat ſpem eorum non vanam nec irritam fuiſſe. Poſſet non male ita reſolvi oratio, Stabilies cor ipſorum, donec audiat auris tua.

18. *Ut judices.*] Proximam ſententiam in hunc ſpecialem uſum accommodat, ne dubitent fideles, ubi injuſte oppreſſi fuerint, Deum tandem fore vindicem qui ipſos liberet. Quibus verbis admonet, fortiter durandum eſſe ſub cruce & ærumnis: quia ſæpe Dominus non ante ſervis ſuis vult opitulari, quam ad extrema redacti fuerint. Id quidem factu difficile eſt, quia cuperet quiſque noſtrum prorſus immunis eſſe à moleſtia: ideoque niſi Deus cito præveniat, lentus & ſegnis videtur. Verùm ſi locum dare cupimus ejus auxilio, domandus eſt fervor noſter, ſedanda impatientia, mitigandi dolores, uſquedum miſeriæ noſtræ Dei gratiam provocent. *Ne pergat amplius.* Iterum Dei potentiam ad frangendos impios commendat, ut inter tumultuoſos eorum impetus firmum nobis maneat iſtud principium, ſimulac Domino viſum fuerit, evanidum fore quicquid moliuntur. Verbum ארץ quidam in neutro genere accipiunt, ut ſit ſenſus, ne amplius mortalis homo timeat. Sed ratio poſtulat tranſitive exponi: nec abſurdum eſt, impios, licet capita ſupra nubes extollant, vocari mortales, vel homines multis ærumnis obnoxios: quia oblique hoc modo perſtringitur veſana eorum audacia, dum ſuæ ſortis obliti, atroces minas ſpirant, efflant horrendos terrores, perinde acſi eorum libidini reprimendæ ne

Deus

Deus quidem ſufficeret. Particula etiam *è terra*, tacitam continet antitheſin inter humile terræ domicilium, & cælorum altitudinem. Unde enim ad oppugnandos Dei filios prodeunt? è terra ſcilicet, perinde acſi vermiculi è terræ fiſſuris emergerent. Atqui hoc modo Deum ipſum impetunt, qui è cælo auxilium ſervis ſuis promittit.

Argumentum Psalmi XI.

Duæ ſunt hujus Pſalmi partes: in priore refert David quam duros exceperit tentationum inſultus, & quanta anxietate conſtrictus fuerit quo tempore eum perſequebatur Saul. Deinde ſibi de ſalute divinitus oblata gratulatur, Deique juſtitiam in mundo regendo prædicat.

Psalm. XI.

1 PRæfecto, Pſalmus Davidis. In Jehova confido: quomodo dicitis animæ meæ, Migrate in montem veſtrum, ſicut avis?

1 למנצח לדוד ביהוה חסיתי איך תאמרו לנפשי נודי הרכם צפור׃

2. Certe ecce impii tendent arcum, aptarunt ſagittas ſuper nervum, ut jaculentur in occulto contra rectos corde.

2 כי הנה הרשעים ידרכון קשת כוננו חצם על יתר לירות במו אפל לישרי לב׃

3. Certe fundamenta deſtructa ſunt: juſtus quid fecit?

3 כי השתות יהרסון צדיק מה פעל׃

IN *Jehova*, &c.] Omnes fere interpretes querimoniam eſſe putant, in qua David populares ſuos accuſet, quod latebras ubique quæritans, nihil uſquam humanitatis inveniat. Et verum quidem eſt, quum huc & illuc erraret Saulis ſævitiam fugiens, nuſquam tutum illi fuiſſe perfugium, ſaltem ubi diu quietus ſtaret. Quare merito cum ſua gente expoſtulare potuit, quod nullus hoſpitio profugum excipere dignatus eſſet. Sed ego altius eum reſpicere exiſtimo. nam quum certatim omnes ad deſperationem eum impellerent, neceſſe fuit pro carnis infirmitate non leviter eum percelli. ſed fide munitus, intrepide & conſtanter in Dei promiſſiones recubuit, ut tentationibus minime cederet. Has ſpirituales luctas nunc commemorat, quibus inter ultima diſcrimina eum exercuit Deus. Itaque Pſalmum (ut nuper admonui) in duo membra diſtinguere convenit. Antequam enim Dei juſtitiam in tuenda piorum ſalute celebret David, ſe cum ipſa morte conflixiſſe exponit: & tamen fide rectaque conſcientia adeptum eſſe victoriam. Initio quoniam ſuadebant omnes ut relicta patria, in aliquod exilium ſe abderet, ut nulla ſpes vitæ reſidua ei fieret, niſi ſe abdicaret à promiſſo Regno, huic perverſo conſilio ſuæ in Deo fiduciæ clypeum opponit. Sed antequam de re plura dicam, operæpretium eſt verba interpretari. Verbum נוד quod vertimus migrare, ſcribitur in numero plurali: in ſingulari tamen legitur: quod corrupte fieri arbitror. Nam quia hoc ſibi uni dictum refert David, doctores Hebræi numerum pluralem non congruere putantes, auſi ſunt aliter legere quam ſcriptum erat. Quod inde clarius colligitur, quia nonnulli eorum, ſenſum literalem retinere volentes, anxie ſe torquent cur Migrate potius dictum ſit, quam Migra: & tandem ad frigidam argutiam confugiunt, quaſi fugæ auctores compellent tam corpus quam animam. Atqui in re non difficili tantopere laborare ſupervacuum fuit: quia certum eſt non dictum eſſe Davidi ut ſolus fugeret, ſed una cum ſuis comitibus, quos omnes idem periculum manebat. Quamvis ergo unum Davidem præ aliis aggreſſi ſint, ſocios tamen complexi ſunt, quorum & communis erat cauſa, & ſimile periculum. In eo etiam quod ſequitur, variant interpretes. multi vertunt, De monte veſtro, acſi eſſet מהרכם, & ſecundum eos eſt mutatio perſonæ: quia dicendum erat, Transmigra è monte noſtro. Sed hoc per ſe durum ac coactum eſt. Nihilo etiam melius convenit quod ipſi volunt, Judæam vocari montem. Alii legendum putant הר כמו צפור, hoc eſt, in montem ſicut avis, abſque pronomine. Verum ſi ſequimur quod dixi, optime fluet contextus, *Migrate in montem veſtrum*, quia habitandi locus in patria non datur. Neque tamen exiſtimo quempiam certum montem notari, ſed ablegatum fuiſſe Davidem in rupes deſertas, quo illum ſors duceret. Hujus conſilii auctores damnans, teſtatur ſe Dei promiſſione fretum, ad tale exilium minime animum adjicere. Hæc igitur fuit Davidis conditio, ut in extrema neceſſitate eum omnes procul in loca deſerta extruderent. Cæterum quia innuere videtur diffidentiæ hoc fore ſignum, ſi in fuga ſalutem ſtatuat, quæritur annon licuerit ei fugere. Imo ſcimus variis exiliis ſubinde fuiſſe circumactum: in ſpeluncis quoque interdum latitaſſe. Reſpondeo, quamvis inſtar trepidæ aviculæ fuerit inſtabilis, & per diverſos errores deflexerit ab hoſtium aucupiis: tamen ſic firmum in fide ſtetiſſe, ut ſe à populo Dei nunquam alienaret. Quamvis enim aliis eſſet deſperatus, quaſi putridum membrum, ſe tamen ab Eccleſiæ corpore nunquam disjunxit. Et certe vox illa Fugite, ad meram deſperationem tendebat. Huic vero trepidationi cedere non debuit, ut de eventu incertus aufugeret. Et ideo expreſſit, animæ ſuæ hoc fuiſſe dictum, ſignificans pectus ſuum penitus fuiſſe confixum probroſa illa rejectione: ſicuti non alio (ut dixi) dirigi videbat, quam ad labefactandam fidem ſuam. Summa eſt, quum ſemper vixiſſet innoxius, ut decebat purum Dei cultorem, fuiſſe tamen æterno exilio addictum. Docet autem hic verſus, quamlibet nos mundus exagitet, ſemper tamen in ſtatione noſtra manendum eſſe, ne à Dei promiſſionibus excidamus, vel ne ipſæ nobis excidant: atque, ut ſurſum & deorſum feramur, in fide noſtræ vocationis pedem eſſe figendum.

2. *Certe ecce impii.*] Quidam hoc excuſationis loco additum putant in eorum perſona qui jubebant Davidem fuga ſibi conſulere. Secundum alios expoſtulat David cum ſuis popularibus, qui mortem illi undique intentatam videntes, hoſpitium tamen negabant. ſed potius (meo judicio) narrationem ſuam proſequitur. Conſilium enim ejus eſt, non modo pericula quibus obſeſſus fuit, ſed mortem ipſam ante oculos ponere. Ideo dicit, quocunque ſe abdiderit, non poſſe tamen ex hoſtium manibus elabi. Porro, tam miſeri ſtatus deſcriptio oblatam à Deo poſtea ſalutem magis illuſtrat. Quantum ad verba ſpectat, quod dicit intentos eſſe impios ad jaculandum in occulto, quidam metaphorice accipiunt, quia aſtute & per inſidias eum circumvenire tentabant. Mihi tamen ſimplicior ſenſus magis arridet, nihil eſſe tam abſconditum, quo non penetrent hoſtium jacula: ideoque mortem in omnes cavernas ſibi fore individuam comitem.

3. *Certe*

Google

3. *Certe fundamenta.*] השתות quidam vertunt Retia: quo ſenſu alibi ſæpe nomen hoc Scriptura uſurpat: & exponunt, diſſipatas fuiſſe impias fraudes quibus Davidem adorti fuerant impii. Quod ſi recipimus, ubi continuo poſt addit, Juſtus quid operatus eſt? ſenſus erit, minime ſua opera vel induſtria factum eſſe ut ſalvus evaderet: quin potius quietum & quaſi dormientêm, divinitus ex retibus vel plagis hoſtium fuiſſe ereptum. Sed nomen Fundamenti contextui melius quadrat: quia referre pergit quibus anguſtiis fuerit conſtrictus, ut jam nihil ſalvum eſſet. Nondum tamen inter interpretes de ſenſu convenit. Quidam exponunt, nuſquam eſſe locum figendi pedis. alii, fœdera in quibus debebat eſſe ſtabilitas, ſubinde à Saule rupta eſſe. Sunt etiam qui allegorice intelligant, juſtos Dei ſacerdotes, qui erant terræ fultura, è medio ſublatos. Sed ego metaphoram ab ædificiis ſumptam eſſe non dubito, quæ dirutis fundamentis, tota concidere & peſſum ire neceſſe eſt: ut queratur David ſe coram mundo funditus everſum, ut nihil in ſuis fortunis ſalvum maneat. Poſtea iterum repetit ſe immerito tam crudeliter plecti: idque facit partim ut bonæ conſcientiæ teſtimonio ſe in malis ſoletur: partim ut ſibi ad ſpem liberationis tranſitum faciat. Nam inde ad fiduciam animatus fuit, quod ex cauſæ bonitate conciperet Deum à parte ſua ſtare, ſibique fore propitium.

4. Jehova in palatio ſanctitatis ſuæ, Jehova in cælis ſolium ejus: oculi ejus videbunt, palpebræ ejus conſiderabunt filios hominum.	4 יהוה בהיכל קדשו יהוה בשמים כסאו עיניו יחזו עפעפיו יבחנו בני אדם׃
5. Jehova juſtum probabit, impium vero & qui diligit iniquitatem, odit anima ejus.	5 יהוה צדיק יבחן ורשע ואהב חמס שנאה נפשו׃

4. *Jehova in palatio.*] Nunc ſequitur illa quam dixi gloriatio. nam humanis auxiliis excluſus David, ad Dei providentiam ſe confert. Inſignis vero (ut alibi dixi) hæc fidei probatio eſt, quum tenebris undique in mundo circumdamur, lucem è cælo petere, quæ nos in ſpem ſalutis dirigat. Nam etſi fatentur omnes Divinitus mundum regi: ubi tamen triſtis rerum confuſio caliginem obducit, pauci ſunt quorum animis hæc perſuaſio firma penitus inſideat. Atqui Davidis exemplo ſic nobis reputanda eſt Dei providentia, ut rebus perditis remedium ex ejus judicio ſperemus. Subeſt enim inter cælum & terram antitheſis: quia ſi in terreno & viſibili rerum ſtatu fixus ſteriſſet Davidis ſenſus, nullum exitum reperiſſet. Nunc vero quamvis in mundo proſtrata jaceat omnis æquitas, perierit fides: Deum tamen integrum in cælo ſedere cogitat, à quo ſperanda ſit collapſi ordinis reſtitutio. Neque enim ſimpliciter dicit Deum habitare in cælo, ſed regnare tanquam in palatio regio, & ſolium judicii illic tenere. Et certe non aliter juſtus bonor ei defertur, niſi quum hoc nobis certo perſuaſum eſt, miſeris omnibus & injuſte oppreſſis ſacrum eſſe aſylum, ejus tribunal. Quare dum in terra graſſantur fraudes, doli, perfidia, crudelitas, violentiæ, & rapinæ, denique omnia injuſtitiæ & ſcelerum tenebris permiſta ſunt, præluceat tamen nobis fides ad conſpiciendum cæleſte Dei ſolium: atque hic intuitus nobis ad tolerantiam ſufficiat. Templum ſanctitatis, vel ſanctum (quod ſæpius pro Sione capitur) hic haud dubie cælum ſignificat: quod etiam repetitio oſtendit. Certum enim eſt idem bis dicere. *Oculi ejus videbunt.* Ex proxima ſententia colligit, nihil Deum latere: ideoque facta hominum in rationem tandem cum ipſo ventura. Nam ſi Deus in cælo regnat, & illic locatum eſt ejus ſolium: ſequitur, fieri non poſſe quin rebus humanis intentus ſit, ut tandem judicium ſuum exerceat. Nam Epicurus & ſimiles, qui otioſum fingunt, potius ſternunt illi cubile, quam tribunal erigant. Hæc autem fidei gloria eſt, Deum mundi opificem minime negligere ordinem à ſe conditum. Quanquam autem ad tempus judicia ſuſpendat, in ſolo tamen ejus intuitu acquieſcere nos decet: ſicuti nunc Davidem videmus unico hoc ſolatio contentum eſſe, quod Deus præſideat humano generi, & quæcunque in mundo geruntur, obſervet: quamvis non protinus appareat ejus cognitio. Clarior etiam expoſitio mox additur, Deum inter juſtos & injuſtos diſcernere: & quidem ut minime ſit ignavus ſpectator. Probare enim juſtum dicitur, & odio proſequi impios. Verbum בחן, quod Probare vertimus, examen ſæpe notat: ſed hoc loco ſimplicius interpretor, Deum ſic inquirere de uniuſcujuſque cauſa, ut juſtos ab impiis diſtinguat. Exoſos autem ei eſſe dicit qui injuriis & noxis ſtudent: quia ſicuti mutuam inter homines conſuetudinem inſtituit, eam vult à nobis illæſam coli. Ergo ut ſanctum ſuum ordinem tueatur, improbis, qui aliis moleſti ſunt, hoſtem eſſe oportet. Juſto etiam Dei odio amor injuſtitiæ opponitur, ut ſoiamus eos qui ſibi in maleficiis placent, talibus blanditiis nihil proficere.

6. Pluet ſuper impios, laqueos, ignem, & ſulphur, & ventum turbinum: pars calicis eorum.	6 ימטר על רשעים פחים אש וגפרית ורוח זלעפות מנת כוסם׃
7. Quia juſtus Jehova juſtitias diligit, rectum probat facies ejus.	7 כי צדיק יהוה צדקות אהב ישר יחזו פנימו׃

6. *Pluet ſuper*, &c.] Jam poſtremo conſtituit David, licet pauliſper ceſſet Deus ac differat, venturum tamen ultionis tempus. Ita videmus gradatim eum ad ſpem felicis exitus conſcendere, ne rerum omnium diſſipatio fidem ejus labefactet: quia Deo ſtabile manet in cælo tribunal, ejus intuitu ſe ſuſtinet. Deinde expendit quid requirat judicis officium. unde colligit facta hominum Dei oculos non effugere: & quamvis non ſtatim pœnam exigat de maleficiis, odio tamen proſequi omnes improbos. Tandem ſubjicit, quum armatus ſit Deus potentia, irritum vel inane non fore illud odium. Ita quantiſper à pœnis quieſcit Deus, agnitio juſtitiæ ejus, ſpem noſtram probe fovebit, donec effectu probet ſe nunquam à ſua ſpecula diſceſſiſſe. Scite autem quas Deus infligit pœnas, pluviæ comparat. ſicuti enim non ſunt continuæ pluviæ, ſed eas Dominus, quoties viſum eſt, emittit: imo ubi maxima eſt ſerenitas, repente grandinem aut violentum imbrem excitat: ita repentinam vindictam ſignificat impiis inſtare, ut hilares & deliciis ſuis ebrii, momento pereant. Interea tamen verum eſt Davidem ad Sodomæ & Gomorræ excidium alludere. Sicuti enim Prophetæ, quum Dei gratiam electis promittere volunt, redemptionem ſemel factam commemorant: ita dum reprobos terrere volunt, minantur Sodomæ & Gomorræ exitium. nec abs re, quum in eo perpetuum iræ Dei documentum extare admoneat Judas in ſua Epiſtola. Prudenter etiam & concinne, antequam ad ignem & ſulphur veniat, laqueos ponit. Scimus

enim impios, quamdiu illis parcit Deus, nihil metuere, ſed proterve exultare quaſi in libero campo: deinde ſiquid adverſi impendet, effugia ſibi comminiſci: denique ſemper illudere Deo, quaſi deprehendi nequeant, donec laqueis ſuis conſtringat. Deus ergo vindictæ ſuæ exordium à laqueis facit, omnia impiis ſubterfugia præcludens: ubi autem irretitos & vinctos tenet, diris & horrendis modis in eos fulminat: ſicuti igne cæleſti Sodomam & vicinas urbes conſumpſit. Nomen זלעפות alii vertunt Incenſiones vel ardores: alii Commotiones vel terrores: ſed contextus, quam adduxi interpretationem, poſtulat: quia ventis procelloſis movetur tempeſtas, quam ſequitur fulminatio. *Pars calicis eorum.* Hoc verbo teſtatur certa fore & rata Dei judicia, utcunque fallaci adulatione impii ſe deludant. Frequenter occurrit in Scripturis hæc metaphora. Quia enim nihil difficilius ſibi perſuadet caro, quam clades & miſerias, quæ fortuitæ videntur, divinitus juſto temperamento accidere, Deus perſonam patrisfamilias ſibi induit, qui ſingulis diſtribuat ſuam menſuram vel demenſum. Hoc itaque loco ſignificat David, repoſitam certo mercedem impiis, fruſtraque repugnaturos quum Dominus iræ ſuæ calicem bibendum porrexerit: nec vero paratum eſſe calicem quem guttatim delibent: ſed quem ſorbere
Eze. 23. totum cogantur, ſicut illis denunciat Propheta,
verſ. 34. Uſque ad fæcem hauries.

7. *Quia juſtus Jehova.*] Nuper ab officio Dei ratiocinatus eſt, vindictam ſumpturum de reprobis: nunc ab ejus natura, bonis & rectis auxiliatorem fore colligit. Nam quia juſtus eſt, conſequens eſſe oſtendit ut juſtitiam diligat. alioqui enim ſeipſum abnegaret. Frigida etiam ſpeculatio eſſet, juſtitiam in Deo incluſam concipere, niſi in mentem nobis veniret, Deum agnoſcere quicquid ſuum eſt, atque hujus rei ſpecimen in mundi gubernatione edere. Quidam rem ipſam pro perſonis accipiunt, acſi dixiſſet Homines juſtitiarum: ſed melius convenit literalis ſenſus, Deo gratam eſſe rectitudinem, ideoque favere bonis cauſis. unde concludit rectos homines ab eo aſpici. Paulo ante dixerat alio ſenſu, Deum intueri filios hominum, nempe quia judicaturus eſt de cujuſque vita: hic vero rectos & ſimplices peculiari cura dignari ſignificat, ut fide ſua tueatur. Atque hæc clauſula ſatis declarat quid toto Pſalmo voluerit: nempe Dei præſidio ſalvos fore omnes qui ejus gratiæ innixi, juſtitiam ſincere colunt: ex quorum numero ipſe unus, adeoque præcipuus erat. Quanquam autem varie exponitur hoc poſtremum membrum, *Rectum probat facies ejus:* geminum tamen ſenſum eſſe non dubito, quod Deus rectorum perpetuam rationem habeat, nec unquam ab illis avertat oculos. Illud enim coactum eſt, Rectos viſuros faciem Dei. Sed ego in refutandis aliis opinionibus non inſiſto.

Argumentum Pſalmi XII.

David perditum ſtatum populi deplorans & extremam recti ordinis diſſipationem, precatur ut Deus ſuis mature ſuccurrat. Deinde ut ſe & omnes pios ſoletur, poſtquam Dei promiſſionem retulit de ferendo ſuis auxilio, fidem ejus & conſtantiam in ſervandis promiſſis commendat. Unde concludit, tandem etiam in maximis corruptelis, piorum liberatorem fore.

Pſalm. XII.

1 PRæfecto ſuper octavam Canticum Davidis.

2. Serva Jehova, quia defecit miſericors, quia conſumpti ſunt veraces ex filiis hominum.

3. Fallaciam loquitur quiſque cum ſocio ſuo, labiis blanditiarum in corde & corde loquuntur.

1 לַמְנַצֵּחַ עַל־הַשְּׁמִינִית מִזְמוֹר לְדָוִד׃

2 הוֹשִׁיעָה יְהוָה כִּי־גָמַר חָסִיד כִּי־פַסּוּ אֱמוּנִים מִבְּנֵי אָדָם׃

3 שָׁוְא יְדַבְּרוּ אִישׁ אֶת־רֵעֵהוּ שְׂפַת חֲלָקוֹת בְּלֵב וָלֵב יְדַבֵּרוּ׃

PRæfecto ſuper octavam.] De Octava duæ ſunt interpretum ſententiæ. quibuſdam muſicum eſt inſtrumentum: alii tonum eſſe malunt. Quia autem parum intereſt utramvis eligas, in hac re non adeo laboro. Quod initium carminis nonnulli fuiſſe divinant, non adeo mihi probabile videtur. hoc quidem convenit ad modulationem referri. Initio conqueritur David, terram ſceleratis hominibus, & ad omne ſcelerum genus projectis ita fuiſſe coopertam, ut nullum recti & æqui ſtudium vigeret, nemo bonorum eſſet defenſor: nulla denique humanitas vel fides amplius reſtaret. Credibile autem eſt tempus notari quo eum perſequebatur Saul: quia tunc ſummi & infimi quique ad inſontem & miſerum hominem perdendum conſpiraverant. Horrendum tamen dictu eſt, ſic in populo electo everſam fuiſſe juſtitiam, ut omnes uno conſenſu bonæ cauſæ infenſi, ad ſævitiam & crudelitatem ferrentur. Neque enim hic alienigenas accuſat, ſed hoc iniquitatis diluvium graſſari in Eccleſia teſtatur. Quare ne hodie in triſti corruptiſſimi & prorſus confuſi ſtatus aſpectu animos deſpondeant fideles, ferendum patienter cogitent, ſi eadem ſit ſua conditio, quæ olim fuit Davidis. Notandum vero quod Deum hac de cauſa inclamat David ad opem ferendam, quia nulla ſupereſt inter homines rectitudo: ut ejus exemplo in ſumma deſperatione ad Deum confugere diſcamus. Nam & hoc ſtatuendum eſt, quo res magis in mundo confuſæ ſunt, Deo maxime opportunum eſſe ſervandi tempus.

2. *Defecit miſericors.*] Querimoniam nonnulli eſſe putant de indigna cæde juſtorum: acſi dixiſſet, quicunque æquitatem fidemque colebant, crudeliter à Saule fuiſſe occiſos. Ego vero ſimplicius accipio, nihil amplius beneficentiæ aut veritatis eſſe reſiduum inter homines. Duabus autem vocibus expreſſit unde conſtet vera juſtitia. Quemadmodum enim duæ ſunt injuſtitiæ ſpecies, violentia & fraus: ita juſte vivitur, quum bona fide verſantur inter ſe homines abſque injuria, & mutuam inter ſe ſocietatem rite fovent, quum neque leones ſunt, neque vulpes. Quod ſi tamen quæ hic deſcribitur confuſio nos premat, cavendum eſt ne ululemus cum lupis, vel communis ſcelerum licentia nos abripiat: ſed potius ad exemplum Davidis nos referamus.

3. *Fallaciam loquitur.*] Partem illam injuſtitiæ hoc verſu notat quæ veritati contraria eſt. Dicit in eorum ſermone nihil eſſe ſincerum vel ſimplex, quia ad fallendum intenti ſint. Modum poſtea definit, quia ſcilicet blanditiis quiſque ſocium illaqueet. Fontem quoque & primam cauſam deſignat, quia corde duplici loquantur. Hæc vero cordis (ut ita loquar) duplicitas bilingues & flexiloquos homines reddit. Unde & blanditias Hebræi חלקות à diviſione nominant. Nam ut integrum cor ingenue expandunt quibus propoſitum eſt veraciter agere cum proximis: ita perfidi & fallaces partem affectus ſui reconditam tenent, & ſimulationis fuco tegunt, ut nihil certi queat ex eorum ſermone colligi. Sit ergo ſimplex ſermo noſter, ut character ſit recti animi.

4. Exci-

4. Excidat Jehova omnia labia blanditiarum, linguam magnificentias loquentem.

5. Qui dixerunt, Linguis noſtris roborabimur, labia noſtra penes nos ſunt: quis noſter Dominus eſt?

4 יכרת יהוה כל שפתי חלקות לשון מדברת גדלות׃

5 אשר אמרו ללשננו נגביר שפתינו אתנו מי אדון לנו׃

Querelæ imprecationem annectit, ut Deus abſcindat perfidas linguas. Quanquam vero dubium eſt optetne deſtrui perfidos homines, an privari tantum nocendi facultate: contextus tamen ad priorem ſenſum magis nos deducit, ut Deus quoquo modo aboleat peſtem illam. Quod autem præterita malitia tam ardenter in linguas virulentas invehitur, hinc colligimus quanto ex his plus noxæ ſenſerit: & certe gladiis ac telis omnibus magis exitiales ſunt fraudes & calumniæ. Cæterum ex ſecundo membro clarius patet quales illæ fuerint adulationes quarum proximo verſu facta fuit mentio. Quidam enim ſerviliter & putide adulantur, ut parati ſint quidvis facere & pati: ſed hic diverſum genus David notat, nempe qui blandiendo ſe tamen magnifice jactant, & captionibus audaciam permiſcent. Non ergo de ſordido & plebeio adulatorum grege loquitur, ſed aulicos calumniatores perſtringit, qui non modo ſuaviter ſe inſinuant, ſed grandiloqua mentiendi libidine obruunt miſeros homines. Quod & ſequenti verſu melius confirmat. nam ſumma auctoritate præditos eſſe oportet, qui in mendaciis ſibi ſatis eſſe præſidii ſtatuunt. Atque hic eſt ſummus impietatis cumulus, cum tali fiducia inſurgere, ut improba verborum jactantia jus & fas omne pervertere nihil pudeat. perinde enim faciunt acſi aperte Deo ipſi prælium indicerent. Quod quidam legunt, Linguas noſtras roborabimus: etſi tolerabile eſt, minus tamen cum ratione grammatica convenit propter additam literam ל. Deinde aptior eſt hic ſenſus, linguis ſuis inſtructos quovis prorumpere: quemadmodum genus hoc hominum ſuis calumniis omnia deformans, ſolem tenebris tantum non obducit.

6. Propter vaſtationem inopum, propter gemitum pauperum nunc exurgam, dicet Jehova: ponam in ſalute quem illaqueat.

7. Eloquia Jehovæ eloquia pura: argentum fuſum in eximio catino terræ, purgatum ſepties.

6 משד עניים מאנקת אביונים עתה אקום יאמר יהוה אשית בישע יפיח לו׃

7 אמרות יהוה אמרות טהרות כסף צרוף בעליל לארץ מזקק שבעתים׃

6. *Propter vaſtationem.*] Jam ſibi materiam conſolationis proponit David, quod non paſſurus ſit Deus impios ſine fine & modo ita graſſari. Verum ut ſe & alios in hac doctrina efficacius confirmet, Deum ipſum inducit loquentem. Eſt enim hoc magis emphaticum, ubi in medium prodit Deus, & ore ſuo liberatorem ſe miſeris adeſſe pronunciat. Subeſt etiam magna emphaſis in adverbio *nunc*, quo ſignificat Deus ſalutem apud ſe nobis ita eſſe repoſitam, ut non ſtatim eam proferat. ſe enim hactenus jacuiſſe dicit, donec ſuorum miſeriis & clamoribus expergefactus fuerit. Ergo quoties injuriæ hoſtium, rapinæ, & vaſtationes nihil nobis præter lachrymas & gemitus reliquum facient, meminerimus jam adeſſe tempus quo Deus ad judicium ſurgere velit. Hæc eadem doctrina animos noſtros ad tolerantiam formare debet, ne moleſtum nobis ſit inter miſeros & inopes cenſeri, quorum Deus ſe vindicem fore promittit. In ſecundo membro verſus variant interpretes. *Ponere in ſalute* nonnullis tantundem valet ac ſalutem dare vel afferre, acſi ב ſupervacuum eſſet. ſed potius injuſte oppreſſis reſtitutio in integrum promittitur. Sed quod ſequitur, plus difficultatis in ſe continet. Verbum פוח nunc ſufflare, nunc illaqueare, interdum etiam loqui ſignificat. Qui pro Loqui hoc loco poſitum putant, ipſi quoque inter ſe diſſentiunt. Quidam vertunt, loquetur ſibi Deus, hoc eſt, apud ſe decernet: quæ ſupervacua foret ac frigida repetitio, quia jam retulerat Dei decretum. Magis etiam coactum eſt, quod alii ad quemlibet piorum referunt: quaſi David viciſſim ipſos de fide & conſtantia Dei loquentes inducat. Nam huic verbo contexunt proximam ſententiam, *Eloquia Domini*, &c. Magis probabilis aliorum opinio, qui decreto Dei, ſermonem ſubjici volunt qui ad pios dirigitur. Neque enim ſatis foret, Deum apud ſe ſtatuere quid facturus ſit in ſalutem noſtram, niſi recta nos & nominatim compellet. nam inde nobis ſpes ſalutis affulget, quum Deus voce ſua oſtendit ſe nobis fore propitium. Alloquitur quidem ipſos quoque incredulos, ſed ſine fructu, quia ſurdi ſunt: ſicuti etiam ſine fructu liberaliter ipſos tractat, quia ſtupidi ſunt, ac ſine ſenſu, ejus beneficia devorant. Ego autem quia ſub verbo יאמר promiſſiones commode & apte comprehendi poſſe video, ne idem bis dicatur, libenter illum quem poſui ſenſum amplector, Deum ſe reſurrecturum dicere, ut in ſalutem reſtituat qui undique hoſtium laqueis impliciti & capti videntur: acſi dictum eſſet, Quamvis inopes & miſeros impii irretitos teneant quaſi partam prædam, ego tamen eos locabo in tuto. Nec vero novum eſt, demonſtrativum pronomen loco relativi ſumi. Siquis Sufflandi verbum malit, non valde repugno: nam hoc modo ſcite impiorum ſuperbiam perſtringeret David, qui ſolo flatu quidvis ſe poſſe confidunt, ut viſum eſt Pſalmo 9.

7. *Eloquia Jehovæ.*] Nunc Deum in ſuis promiſſis certum, fidum, ac conſtantem eſſe prædicat. Hoc autem verbi Dei encomium fruſtra interponeret, niſi prius ſe & alios vocaſſet ad meditandas Dei promiſſiones in rebus adverſis. Itaque hæc ſeries tenenda eſt, poſtquam retulit, Deum ſervis ſuis ſpem propinquæ liberationis facere in ultimis anguſtiis, jam ad fidei & ſpei fulturam ſubjicere, nihil futiliter vel fruſtrandi cauſa à Deo promitti. Quanquam autem leve hoc in ſpeciem videtur, ſiquis tamen propius & attentius expendat quam propenſa ſint ad diffidentiam & impias dubitationes, hominum ingenia, facile agnoſcet quam utile ſit fidem noſtram hoc teſtimonio fulciri, quod Deus fallax non ſit, nec inanibus verbis nos lactet, nec immodice vel potentiam vel bonitatem ſuam jactet: ſed verbo offerat quod re ipſa præſtare vult. Nemo quidem eſt qui non ex animo ſe idem ſentire profiteatur quod tradit David, Eloquia Domini pura eſſe: ſed qui in umbra & otio, verbi Dei fidem ſuis præconiis liberaliter extollunt, ubi ad ſerium conflictum ventum eſt, etiamſi palam blaſphemias in Deum evomere non audent: ſæpe tamen malæ fidei eum inſimulant. Simul enim ac opem ſuam differt, fidem ejus requirimus: ac perinde obſtrepimus, acſi nos fraudaſſet. Quanquam ergo nihil generali omnium conſenſu magis receptum eſt, quam Deum eſſe veracem:

racem: pauci tamen ſolide in rebus adverſis in hanc ejus laudem ſubſcribunt: ideoque magnopere expedit, anſam diffidentiæ noſtræ præcidere: & quoties de fide promiſſionum Dei obrepit aliqua dubitatio, ſtatim hunc clypeum opponere convenit, ſermones Dei eſſe puros. Similitudo argenti quam ſubjicit, tantæ quidem rei dignitate & præſtantia longe inferior eſt: ſed optime ſenſus noſtri modulo reſpondet. Nam argentum ſi probe excoctum eſt, in legitimo pretio apud nos habetur. At Dei verbum cujus inæſtimabile pretium eſt, non pari honore dignamur: ac vilior nobis eſt ejus puritas, quam corruptibilis metalli. Quin etiam bona pars ſcorias in ſuo cerebro fabricat, quibus nitorem qui in Dei verbo relucet, deformet vel obſcuret. Multi vocem בעליל, quaſi ſimplex eſſet, Dominum interpretantur. ſecundum eos hic eſſet ſenſus, Verbum Dei inſtar eſſe argenti puriſſimi, quod exacte ſummaque arte & cura omni fæce purgatum eſt, non in uſum vulgarem, ſed principis terræ. Ego tamen aliis magis aſſentior, qui ב ſervilem literam eſſe dicunt, & עליל nitidum vel bene politum vas, vel catinum eſſe docent.

8. Tu Jehova cuſtodies eos, ſervabis eum à generatione hac in æternum.	8 אתה יהוה תשמרם תצרנו מן הדור זו לעולם׃
9. Circumcirca impii ambulant, dum exaltantur opprobrium filiis hominum.	9 סביב רשעים יתהלכון כרם זלות לבני אדם׃

8. *Tu Jehova cuſtodies.*] Quibuſdam repeti videtur precatio, ideoque verba in optativo modo vertunt. Ego autem magis probo, Davidem fiducia animatum, gloriari de certa piorum ſalute, cujus ſe fore cuſtodem aſſerit Deus, qui nec fallere nec mentiri poteſt. Neque tamen eos penitus improbo, qui rurſus precari ſentiunt. ad ſermones vero Dei improprie hoc torquetur. Mihi certe dubium non eſt, Davidem ad pauperes illos de quibus loquutus erat, redire. Quod vero numerum mutat, Hebræis ſatis tritum eſt: nec ideo ambiguus ſenſus redditur. Idem ergo ſignificant hæc duo, *Cuſtodies eos, & ſervabis eum*: niſi forte ſecundo loco ſub unius hominis perſona dicamus exprimi bonorum paucitatem: quod à ratione non diſcrepat: acſi dixiſſet, etiamſi unus tantum bonus in mundo ſuperſtes maneret, Dei tamen gratia & præſidio ſalvum fore. Sed quia Hebræi dum indefinite loquuntur, ſubinde numerum mutant, liberum relinquo judicium lectoribus. Hoc quidem extra controverſiam eſt, per nomen Generationis, ingentem turbam impiorum & totum fere populi corpus notari. Nam quum דור Hebræis tam homines qui eodem ſeculo vivunt, quam ſpatium temporis ſignificet: hoc loco haud dubie David intelligit, non aliter ſalvos fore Dei ſervos, quam ſi Deus eos tueatur contra totius populi malitiam, & ab improbis perverſiſque ætatis ſuæ hominibus eos eripiat. Unde colligimus adeo corruptum fuiſſe ſeculum, ut probroſe David quaſi in unum faſciculum omnes ad unum conjiciat. Porro iterum memoria repetere convenit quod prius dixi, hic verba non fieri de exteris Gentibus, ſed de Iſraëlitis & electo populo. quod notatu dignum eſt, ne immenſa impiorum multitudo nos exanimet, ſiquando magna paleæ congeries appareat in area Domini: ſubtus vero pauca tantum grana lateant. Deinde quantumvis exiguus ſit bonorum numerus, fixa hæc hæreat in animis noſtris perſuaſio, Deum fore eorum cuſtodem, & quidem perpetuum. Nam ideo additur עולם, ut fiduciam noſtram procul extendere diſcamus: quia non ſemel, neque ad unum modo diem Deus opem à ſe ſperare jubet, ſed quamdiu graſſabitur hoſtium improbitas. Quo tamen ſimul monemur, non ad breve tempus duntaxat paratum nobis eſſe bellum, ſed quotidie in acie ſtandum eſſe. Quod ſi occulta erit Dei cuſtodia, patienter expectent fideles donec exurgat Deus: & quo majus diluvium exundat, ſeſe in metu & ſollicitudine contineant.

9. *Circumcirca.*] סביב Hebræis circuitum ſignificat: ideo quidam allegorice exponunt, impios occupare omnes exitus, ut bonos undique obſideant. alii etiam ſubtilius, ambagibus & flexuoſis artibus inſidias oblique tendere. Ego ſimplicem ſenſum eſſe arbitror, ſic occupare totam terram, ut per omnes ejus plagas vagentu: acſi diceret, quocunque vertantur oculi, ipſorum turmas hinc inde occurrere. Proximo membro conqueritur ipſorum tyrannide contumelioſe opprimi humanum genus: ſi tamen placet disjunctio. nam hic diſſentiunt interpretes: videtur tamen propius hoc accedere ad Prophetæ mentem. Quidam ita vertunt uno contextu, impii paſſim volitant per circuitum, dum probra inter filios hominum, hoc eſt, nihili homines, vel quiſquiliæ exaltantur: quæ expoſitio non male convenit. Contingit enim ut plurimum, ſicuti morbi à capite in membra defluunt, ita à principibus ad totum populum manare corruptelas. Quia tamen magis recepta eſt prior expoſitio, & doctiſſimi Grammatici זלות nomen ſingulare eſſe docent, ego illam ſequutus ſum: non quod poſterior diſpliceat, ſed quia alterutram eligere oportuit.

ARGUMENTUM PSALMI XIII.

Ejuſdem fere argumenti eſt hic Pſalmus cum proximo. David enim non ſolum extremis anguſtiis conſtrictus, ſed oppreſſus longa ac multiplici malorum congerie, quod unum remedium ei ſupererat, Dei fidem implorat & auxilium. tandemque collecto animo, inter mortis terrores certam vitæ fiduciam ex Dei promiſſione concipit.

PSALM. XIII.

PRæfecto Canticum Davidis.	1 למנצח מזמור לדוד׃
2. Uſquequo Jehova obliviſceris mei in æternum? uſquequo abſcondes faciem tuam à me?	2 עד אנה יהוה תשכחני נצח עד אנה תסתיר את פניך ממני׃
3. Uſquequo ponam conſilia in anima mea? anxietatem in corde meo quotidie? uſquequo exaltabitur inimicus meus ſuper me?	3 עד אנה אשית עצות בנפשי יגון בלבבי יומם עד אנה ירום איבי עלי׃

USquequo Jehova.] Verum quidem eſt, tanto paſſim odio ob falſas calumnias gravatum fuiſſe Davidem, ut omnes fere putarent Deum non minus ei eſſe infenſum, quam Saulem & reliquos hoſtes. Sed hic non tam ex aliorum opinione, quam ex proprio ſenſu à Deo ſe negligi conqueritur: non quod in ejus animo extincta eſſet promiſſionum Dei fides, vel in ejus gratiam non recumberet: ſed quia fieri aliter non poteſt, ubi diu malis urgemur, nec apparet ullum opis divinæ ſignum,

quia

quin ſe ingerat hæc cogitatio, Deum noſtri oblitum eſſe. Neque enim humano modo vel naturæ ſenſu in noſtris miſeriis agnoſcimus, Deo noſtri eſſe curam: ſed fide inviſibilem ejus providentiam apprehendimus. Sic David, quantum ex re ipſa æſtimari poterat, ſibi viſus eſt à Deo deſeri. Simul tamen, præeunte fidei luce, uſque ad Dei gratiam (quamvis eſſet abſcondita) mentis oculis penetravit. Itaque nihil uſquam bonæ ſpei cernens, quam longe ſe humani ingenii captus extendere poterat, dolore coactus, exclamat ſe non reſpici à Deo: hac tamen eadem querimonia teſtatur, fide ſe altius attolli, ut præter carnis judicium, ſalutem ſuam in Dei manu eſſe ſtatuat. alioqui quomodo gemitus ſuos ad ipſum votaque dirigeret? Sic nobis cum tentationibus luctandum eſt, ut in ipſo conflictu fides nobis dictet ſuperanda eſſe mala quæ nos ad deſperationem ſollicitant: quemadmodum Davidem non prohibuit à quærendo Deo carnis infirmitas, ſed affectus in ſpeciem contrarios optime conjunxit. Porro impropria loquutio eſt, *Quouſque in æternum:* ſed cui multo plus ſubeſt efficaciæ, quam ſi uſitato loquendi more rogaſſet Cur tamdiu? Significat enim ut ſpem ſuam foveret, ſeque animaret ad patientiam, procul reſpexiſſe: ideoque non conqueri de malo paucorum dierum, quemadmodum ſolent teneri & puſillanimes, qui tantum cernunt ante pedes, & ad primum inſultum ſtatim ſuccumbunt. Quare ſuo exemplo nos docet quam longiſſime extendere mentes noſtras ne præſens dolor ſpem nobis præſcindat.

3. *Uſquequo ponam.*] Scimus in rebus adverſis homines æſtuare, ac circumſpicere huc & illuc ad quærenda remedia: præſertim ubi ſe deſtitui vident, anxie torquentur ac diſtrahuntur in varias partes: atque in magnis periculis ſollicitudo & metus ſubinde conſilia mutare cogunt, ubi nulla certa occurrit ratio. Conqueritur ergo David, dum hinc inde accerſit conſilia, tali congerie fruſtra ſe fatigari: dolorem quotidianum conjungens, fontem hujus inquietudinis deſignat. Nam ſicuti in morbis acutis cuperent ægroti ad ſingula momenta locum mutare: & quo acrius dolores urgent, magis ſubiti ſunt & fervidi ad novos motus aut mutationes: ſic ubi animos occupat dolor, raptantur miſeri homines, ac illis ſevius eſt ſine profectu ſe cruciare, quam ſedatis & quietis animis mala ſua perpeti. Quanquam autem Dominus ſpiritum conſilii fidelibus ſe daturum promittit, non tamen ſemper ipſum in primo articulo ſuppeditat, ſed quaſi per flexuoſas ambages ad tempus diſcurrere patitur, vel perplexos inter ſpinas hærere. יומם nonnulli pro toto die accipiunt: ſed mihi potius notari videtur alia aſſiduitas, nempe quod ſingulis diebus recurrat dolor. In fine verſus aliud malum deplorat, quod adverſarii audacius inſultent, dum ipſum vident diuturno languore prorſus confici. Plurimum autem in precibus valet hæc ratio, quia Deo nihil minus eſt tolerabile iſta crudeli inſolentia, dum hoſtes non ſolum miſeriis noſtris paſcuntur, ſed quo nos magis deprimi vident, eo altius inſurgunt. *Jeſa. 19.*

4. Reſpice, reſponde mihi Jehova Deus meus: illumina oculos meos, nequando dormiam in morte.	4 הביטה ענני יהוה אלהי האירה עיני פן אישן המות׃
5. Nequando dicat inimicus meus, Prævalui contra eum: qui me affligunt, exultent ſi lapſus fuero.	5 פן יאמר איבי יכלתיו צרי יגילו כי אמוט׃

4. *Reſpice, reſponde.*] Quoniam ideo videtur Deus non protinus auxilium ſuis ferre, quia eorum neceſſitates non reſpicit, priore loco petit David ut reſpiciat Deus: ſecundo, ut ſuccurrat. Neutrum quidem in Deo prius aut poſterius eſt: ſed jam prius dictum fuit, ſæpiuſque erit poſthac iterandum, Spiritum ſanctum precandi formas ad ſenſum noſtrum data opera accommodare. Niſi perſuaſus fuiſſet David ſe eſſe ſub Dei oculis, nihil profuiſſet ad Deum clamare: ſed hæc erat fidei cognitio. Interim donec re ipſa Deus ad opitulandum manum exerat, clauſos eſſe ejus oculos dictat carnis ratio. Cæterum tantundem valet loquutio: acſi Dei miſericordiam priore loco ſtatueret: deinde adjungeret ejus auxilium. quia tunc demum nos exaudit Deus, dum noſtri miſertus, ad nos juvandos flectitur. Illuminare oculos, Hebræis tantundem valet ac dare ſpiritum vitalem. vitæ enim præcipuus vigor in oculis apparet. Hoc ſenſu dicit Solomon, tam miſeri hominis, quam rapacis oculos à Domino illuminari. Et quum Jonatas præ inedia deficeret, dicit Sacra hiſtoria caliginem fuiſſe offuſam ejus oculis: rurſus poſtquam favum mellis guſtavit, lucem ejus oculis fuiſſe redditam. Similis fere metaphora eſt in verbo Dormiendi, quum ad mortem trahitur. Cæterum in ſumma fatetur David, niſi à Deo affulgeat lux vitæ, ſe mortis tenebris ſtatim iri obrutum: ac ſe jam eſſe quaſi exanimem, niſi Dominus vigorem inſpiret. Hinc vero nobis vitæ fiducia, quod licet mille mortes nobis intentet mundus, tamen eſt in manu Dei vitæ noſtræ inſtauratio.

Prov. 29. verſ. 13.

1 Sam. 14. verſ. 27.

5. *Nequando dicat inimicus.*] Iterum repetit quod de hoſtium ſuperbia nuper dixerat: indignum ſcilicet eſſe, ut Deus ſervum ſuum impiis ridendum propinet. Erant autem quaſi in excubiis Davidis hoſtes, ut ludibriis inſectarentur ejus ruinam. Atqui quum proprium Dei ſit munus, compeſcere improbrorum protervìam, quoties in ſuis ſceleribus gloriantur; merito à tali jactantia arceri poſtulat David. Sed notandum eſt, ſuæ integritatis probe fuiſſe conſcium, ac fretum etiam cauſæ æquitate: ut indignum eſſet atque abſurdum deſeri in periculo, & ab hoſtibus opprimi. Quare tunc demum cum eo nobis communis erit hæc precatio, ſi ſub Dei imperio & auſpiciis militamus, ut nos vincere hoſtes nequeant; quin de ipſo Deo impios agant triumphos.

6. Ego autem in bonitate tua confido: exultabit cor meum in ſalute tua, cantabo Domino, quia mihi benefecit.	6 ואני בחסדך בטחתי יגל לבי בישועתך אשירה ליהוה כי גמל עלי

Tametſi nondum ſentit Propheta quantum profecerit orando, ſpe tamen liberationis ex verbo Dei concepta fretus, ſpei clypeum tentationibus opponit, quarum terrore percelli poterat. Quamvis ergo duriter angatur, ac multæ curæ ipſum ad deſperationem ſollicitent, ſe tamen in fiducia gratiæ Dei & ſalutis ſtaturum pronunciat. Hac vero eadem fiducia præditos ſuffultoſque eſſe convenit pios omnes, ut in precibus rite perſeverent. unde etiam colligimus quod prius admonui, fide apprehendi Dei gratiam quæ carnis judicio abſcondita eſt. Quanquam autem ex diverſis verborum temporibus elicere diverſos ſenſus liceat: ego tamen non dubito quin teſtetur David, ſe firmum ſteriſſe in ſpe promiſſæ ſalutis; & ſtaturum uſque in finem, quamlibet grave tentationum onus incumbat. Itaque in verbo Exultandi futurum tempus continuum actum deſignat: quod ſcilicet fidei gaudium nullus unquam mœror ei excutiet;

tiet. Notandum vero quod Dei bonitatem ordine priorem ſtatuit, tanquam ſalutis cauſam. *Cantabo Domino.* Hoc poſtremum refero ad futurum tempus. Quamvis enim nondum votis ſuis potitus ſit, Deum tamen jam adeſſe liberatorem non dubitans, ad gratias agendas ſe obligat. Et ſane ita nos ad precandum accingi decet, ut ſimul ad canendas Dei laudes parati ſimus: quod fieri non poteſt, niſi certo perſuaſi ſimus, vota noſtra non fore irrita. Quamvis enim non ſimus à dolore immunes, neceſſe tamen eſt ut emergat hæc fidei alacritas, quæ futuræ lætitiæ canticum nobis dictet: ſicuti David ad celebrandam Dei gratiam prius ſe comparat, quam appareat malorum exitus. Verbum גמל quod alii Retribuere vertunt, non aliud hic ſignificat, quam merum beneficium conferre, ſicuti & pluribus aliis locis. Qualis enim eſſet iſta gratiarum actio, Deum mercedem ſervo ſuo debitam rependiſſe? quo inepta eorum & frivola argutia refellitur, qui ad probanda operum merita locum hunc detorquent. Denique ad canenda Dei beneficia, antequam ea perceperit, feſtinans, ſalutem quæ tunc procul remota erat, ſibi ante oculos ſtatuit.

ARGUMENTUM PSALMI XIV.

Principis impiorum Dei contemptum deſcribit, ad quem ſe totus fere populus projecerat: & quo plus gravitatis habeat querimonia, ſub Dei perſona eum indicat. Deinde ſpe remedii quod divinitus inſtare perſuaſus eſt, quamvis anxie interim ſuſpiret, ſe & alios conſolatur.

PSALM. XIV.

PRæfecto Davidis. Dixit ſtultus in corde ſuo, Non eſt Deus. corruperunt, abominabile fecerunt opus: non eſt qui faciat bonum.	1 לַמְנַצֵּחַ לְדָוִד אָמַר נָבָל בְּלִבּוֹ אֵין אֱלֹהִים הִשְׁחִיתוּ הִתְעִיבוּ עֲלִילָה אֵין עֹשֵׂה טוֹב׃

PLerique ex Judæis vaticinium in hoc Pſalmo editum eſſe volunt de futura gentis ſuæ oppreſſione: acſi David in Spiritu Eccleſiam Dei ſub Gentium tyrannide afflictam defleret. Itaque quod hic dicitur, ad præſentem ſuam diſſipationem referunt, acſi eſſent pretioſa illa Dei hæreditas quam devorant feræ beſtiæ. Sed facile apparet, dum gentis ſuæ dedecus tegere volunt, ad Gentes ſine ratione torquere quod de perverſis Abrahæ filiis dictum eſt. Certe nullus Paulo Apoſtolo magis idoneus erit interpres, qui ad populum Legalem diſerte accommodat. (*Rom. 3. verſ. 19.*) Deinde ut nobis deſit illud teſtimonium, contextus clare demonſtrat domeſticos potius fidelium tyrannos & hoſtes, quam exteros à Davide notari. quod tenere noſtra magnopere refert. Scimus enim quam duriter nos cruciet hæc tentatio, quum in media Eccleſia graſſari ſcelerum colluviem, bonos & ſimplices injuſte affligi, improbos crudeliter pro ſua libidine dominari cernimus. Triſte enim hoc ſpectaculum nos fere exanimat: quare exemplo, quod nobis David proponit, nos muniri non parum utile eſt, ut in deploratis Eccleſiæ ruinis fiducia liberationis nos ſuſtentet. Ego quidem non dubito, confuſum & perditum Judææ ſtatum hic deſcribi, quem invexit Saul quum palam furere cœpiſſet. tunc enim perinde ac extincta Dei memoria, pietas omnis diffluxerat, nec major vigebat inter homines integritas. *Dixit ſtultus.* Quum נבל Hebræis non ſtultum modo, ſed perverſum quoque & nequam hominem ſignificet, non incommode poſſet ita exponi in hoc loco: ego tamen quod magis receptum eſt, libenter ſequor, ut veſaniæ damnentur omnes profani homines, qui abjecto Dei metu, ſe ad injuſtitiam projiciunt. Neque enim vulgaris ſtultitiæ hoſtes ſuos inſimulat David, ſed potius in eorum vecordiam, inſanamque duritiem invehitur, quos mundus valde ſapere judicat. Nam qui maxime prudentes & conſulti tam ſibi quam aliis videntur, eos ut plurimum videmus fodere aſtutiæ latebras, ut Deum ſpernendo ac ridendo, ingenii ſui acumen exerceant. Primo itaque ſciendum eſt, quantumvis mundus verſutis & naſutis hominibus applaudat, qui ſibi quidvis licentiæ indulgent, inſaniæ tamen ipſos à Spiritu ſancto damnari: quia nullus eſt magis brutus ſtupor, quam Dei oblivio. Simul tamen notandum eſt unde colligat eos exuiſſe omnem pietatis ſenſum: nempe quia ordinem omnem perverterint, ut nullum maneat juſti ac injuſti diſcrimen, nulla honeſti cura, nullum humanitatis ſtudium. Non igitur de abſcondito cordis affectu pronunciat David, niſi quatenus impii ſuo indicio ſe produnt: acſi diceret, Qui fit ut homines iſti adeo importune laſciviant, nulla ſit recti vel æqui apud eos ratio, denique ut immaniter ruant in omne ſcelerum genus, niſi quia excuſſo pietatis ſenſu, omnem Dei memoriam, quantum in ſe eſt, ex animis ſuis delerunt? Nam quorum animis inſidet aliqua religio, eos ſemper neceſſe eſt aliquo modeſtiæ freno retineri, ne quidvis audeant. unde ſequitur, ubi ſuæ libidini abſque pudore impii tam præfracte & audacter indulgent, exuiſſe Dei notitiam. Dicit autem eos in corde ſuo loqui: quia licet execrabilem hanc blaſphemiam ore non evomant, effrenis tamen vitæ licentia clamat, corda ipſorum omni pietate vacua, hanc ſibi cantilenam ſuaviter canere. Non quod ſubducta ratione, vel formatis (ut aiunt) ſyllogiſmis nullum eſſe Deum ſtatuant (Deus enim ſceleratiſſimos etiam quoſque, ut magis ſint inexcuſabiles, arcanis conſcientiæ punctionibus ſubinde exercet, ut ſuum numen & imperium agnoſcere cogantur) ſed ipſi quicquid rectæ notitiæ Deus inſtillat, partim ſuffocant ſua malitia, partim adulterant, donec emortua jaceat religio. Quamvis enim non plane Deum eſſe negent, cælo tamen includunt juſtitia & virtute ſua ſpoliatum: quod eſt idolum loco Dei fingere. Nam perinde acſi nihil unquam ſibi futurum eſſet cum eo negotii, à ſingulis vitæ actionibus procul eum repellunt. Ubi autem detrahitur è ſolio ſuo Deus, ut judex eſſe deſinat, ad ſummum cumulum pervenit impietas: ut veriſſime dictum ſit à Davide, qui ſecure omnium ſcelerum impunitatem ſibi promittunt, in corde ſuo Deum negare. Cæterum quia Pſalmus 53. paucis mutatis verbis, nihil aliud quam hujus repetitionem continet, quid inter ſe differant, ſuis locis monebo. Ubi hic conqueritur David, eos abominabile feciſſe opus: illic, pro opere ponitur iniquitas. Obſervent autem lectores, non de uno vel altero opere Davidem loqui, ſed quemadmodum dixerat eos perverti ſſe, vel corrupiſſe omnem legitimum ordinem, ita nunc addit, totam vitam ſuam fœdaſſe, ut ſit abominabilis: cujus rei probationem adducit, quia nullam inter ſe juſtitiam colant, ſed omnis beneficentiæ ſint obliti.

ed by Google

2. Jehova è cælis proſpexit ſuper filios hominum, ut videret an ſit qui intelligat, qui requirat Deum.

2 יהוה משמים השקיף על בני
אדם לראות היש משכיל דרש את
אלהים׃

3. Quiſque receſſit, ſimul putridi facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, ne unus quidem.

3 הכל סר יחדו נאלחו אין עשה
טוב אין גם אחד׃

2. *Jehova è cælis.*] Hoc magis emphaticum eſt, Deum loquentem induci, quam ſi ſententiam tuliſſet David in ſua perſona. Nam quum Deus in ſolio ſuo cognitor locatur, prodigioſum in modum ſtupidi ſumus, niſi terrorem incutiat ejus majeſtas. Facit enim peccandi conſuetudo, ut obdureſcant homines in ſuis peccatis, ac tanquam in denſa caligine nihil diſcernant. David ergo ut talibus blanditiis nihil eos proficere doceat, dum impune regnant ſcelera in mundo, Deum è cælo teſtatur ſpeculari & inquirere, ut ipſum non lateat quid inter homines agatur. Etſi autem nulla inquiſitione opus eſt Deo, non tamen fruſtra terreni judicis formam ſuſcipit, ut pro modulo noſtro paulatim arcanam ejus providentiam apprehendamus, quæ ſtatim ſenſu noſtro concipi non poteſt. Atque utinam huc uſque nos deducat hæc loquendi ratio, ut diſcamus nos citare ad Dei tribunal: ac nobis torporem excutiat hæc ſententia, dum ſibi delicias mundus facit, ac reprobi ſua vel ſocordia, vel hypocriſi, vel impudentia peccata ſua ſepeliunt, & cæcutiunt in temulenta ſua pervicacia, Deum tamen è cælo proſpicere. *An ſit qui intelligat.* Quia hinc pendet bene & juſte vivendi ratio, ut luce intelligentiæ regamur, merito David initio Pſalmi, ſtultitiam docuit eſſe omnium ſcelerum radicem. & hoc loco integritatis & rectæ vitæ exordium à ſana mente facit. Sed quia perperam major pars ingenium ſuum ad vafritiem applicat, continuo poſt David veram intelligentiam definit uno verbo, nempe ſi quæritur Deus: quo ſignificat non aliter probe vitam inſtitui poſſe, niſi homines ſe totos Deo addicant. Quidam nimis reſtricte accipiunt nomen משכיל, quum in genere pronunciet David omni ratione & judicio reprobos prorſus deſtitui. *Quiſque receſſit.* Verbum סר quidam Fœtere vertunt, ut proximo verbo reſpondeat, quod Hebræis eſt Putridum fieri. Sed nulla neceſſitas cogit duo verba eodem modo exponere, acſi idem bis dicatur. Imo melius conveniet, damnari homines impiæ defectionis, quia alienati ſint, vel procul receſſerint à Deo: poſtea notari fœtidam corruptelam in tota eorum vita: ſicuti apoſtatæ nihil niſi putridum ſpirant. Et verbum Hebraicum ubique fere in hoc ſenſu capitur. Deinde Pſalmo 53. ponitur verbum סג quod idem valet. In ſumma, pronunciat David ſic omnes vagis cupiditatibus fuiſſe abreptos, ut nihil in eorum vita ſincerum vel integrum maneat. Hæc eſt univerſalis defectio, quæ omnem pietatem extinguit. Porro non partem aliquam duntaxat perſtringit, ſed omnes pariter in eundem conjicit reatum. Hoc vero deteſtabile portentum fuit, omnes Abrahæ filios, qui in ſacrum Dei peculium electi erant, à primo ad ultimum ſic eſſe corruptos. Sed quæritur quomodo exceptionem tollat David, ut ne unus quidem integer ſuperſit: quum tamen paulo poſt miſeros & afflictos commemoret in Deum ſperare. Deinde, ſi omnes impii erant, quiſnam fuit ille Iſraël, cujus futuram redemptionem prædicat in fine Pſalmi? Imo quum ipſe unus eſſet è corpore populi, cur ſaltem à reliquis ſe non excipit? Reſpondeo, Quia invehitur in carnales Abrahæ filios, in eorum ordine exiguum ſemen, quod ſibi Deus ſegregaverat, non cenſeri. Atque hæc ratio eſt cur Paulus ad Rom. 3. verſ. 10. ad totum humanum genus extendat hanc ſententiam. Quanquam enim David confuſam vaſtitatem, quæ ſub Saule fuit, deplorat: minime tamen dubium eſt ab eo tacite conferri cum Dei filiis quicunque non ſunt Spiritu regeniti, ſed feruntur carnis ſuæ ingenio. Quidam ita ſolvunt, non urgeri à Paulo teſtimonium Davidis, quaſi dixiſſet naturaliter vitioſos eſſe homines, ſed proponi hanc ſimilitudinem, quod proceres electi populi ſcelerati fuerint: ne mirum ſit injuſtitiam paſſim regnare in mundo. Verum nimis frigida ſolutio eſt: quia illic minime diſputat Paulus qualis ſit major pars hominum, ſed quicunque ſuapte natura feruntur & aguntur. Notandum igitur eſt, quum ſe & exiguas piorum reliquias toti populo David opponit, manifeſtum ſtatui diſcrimen inter Dei filios, qui Spiritu ejus reformati ſunt, & omnes poſteros Adæ, in quibus dominatur corruptio & pravitas. Unde ſequitur, nos omnes quum naſcimur, amentiam hanc quæ deſcribitur à Davide, & totius vitæ fœtorem afferre ex utero, taleſque manere donec arcana ſua gratia nos Deus in novas creaturas refingat.

4. An non cognoſcunt omnes operarii iniquitatis? comedentes populum meum, comedunt panem: Dominum non invocant.

4 הלא ידעו כל פעלי און אכלי
עמי אכלו לחם יהוה לא קראו׃

Interrogatio hæc addita eſt, quæ ſuperiorem doctrinam amplificet. Nam quum dixiſſet Propheta, Deum è cælo facta hominum notare, ac deprehendiſſe omnes eſſe perverſos: nunc inducit cum admiratione clamantem, Quænam eſt iſta dementia, quod ferarum more abſque ullo humanitatis ſenſu, in populum meum graſſantur qui eum fovere & omnibus officiis proſequi debebant? Porro hanc Deo tribuit perſonam, non quod ei novum quicquam ſit vel inopinatum, ſed quo ejus indignationem magis exprimat. Sic & Propheta Jeſaias, cap. 59. verſ. 16. idem fere argumentum tractans, dicit etiam ipſe, Deum vidiſſe & miratum eſſe quod nemo intercederet. Tales quidem affectus in ſe Deus non ſuſcipit, ſed eorum induit formam ac ſimilitudinem, quo majori horrore nos percellat, dum ſcelerum noſtrorum portentis ſe quodammodo turbari dicit. Nos vero, niſi pluſquam ſaxei ſumus, totos expaveſcere convenit, quum Deus tale deteſtationis ſignum nobis proponit. Jam vero confirmat hic verſus quod initio dixi, non de externis tyrannis, vel profeſſis Eccleſiæ hoſtibus haberi ſermonem, ſed de proceribus ipſius populi, qui potentia & honore pollebant. Neque enim hoc apte in homines à Dei cultu prorſus alienos competeret: quia nihil mirum eſſet, eos qui vivendi regulam non tenent, violenter prædari. Sed hac circumſtantia non parum augetur indignitas, quod ipſi paſtores gregem crudeliter devorant: ac ne Dei quidem populo & hæreditati parcant. Similis etiam querimonia legitur Micheæ 3. verſ. 1. Audite principes domus Iſraël, an non veſtrum eſt ſcire judicium? Rapitis vero pellem à populo meo, & carnem ab oſſibus ejus, &c. Si in Babylonios vel Ægyptios ita ſævirent qui Deum ſe colere profitentur, minime tamen excuſabilis eſſet eorum injuſtitia: ſed dum ſanguine & carne fidelium paſcuntur non ſecus ac pane, hoc vero monſtrum eſt quod merito tam Angelos, quam homi-

hominès reddat attonitos. nam ſi gutta illis maneret ſanæ mentis, retraheret eos à tanto furore. Neceſſe igitur eſt à diabolo eſſe excæcatos, ut nihil penitus ſentiant, dum ſcientes & volentes tam atrociter excoriant ac deglutiunt populum Dei. Docet autem hic locus quantopere diſpliceat Deo & abominabilis ſit crudelitas, quam adverſus pios exercent larvati paſtores. In fine verſus, ubi ipſos dicit Deum non invocare, iterum fontem & cauſam deſignat tam effrenis injuſtitiæ, quod ſcilicet nulla tangantur Dei reverentia. Nam religio mutuæ inter nos æquitatis optima eſt magiſtra. ubi vero extinctum eſt ejus ſtudium, concidit etiam omnis juſtitiæ reſpectus. Cæterum Dei invocatio, quia præcipuum eſt pietatis exercitium, non hic ſolum, ſed pluribus Scripturæ locis totum Dei cultum per ſynecdochen complectitur.

5. Illic trepidarunt trepidatione, quia Deus in generatione juſta.

6. Conſilium inopis probro afficitis, quod Jehova ſit ſpes ejus.

5 שָׁם פָּחֲדוּ פָחַד כִּי אֱלֹהִים בְּדוֹר צַדִּיק׃
6 עֲצַת עָנִי תָבִישׁוּ כִּי יְהוָה מַחְסֵהוּ׃

5. *Illic trepidarunt.*] Nunc Propheta ſe & reliquos fideles optima conſolatione animat, quod Deus non deſeret ſuos ad extremum uſque, quin tandem appareat eorum vindex. Adverbium loci quidam ita exponunt quaſi Deus in ſanctorum conſpectu pœnas ſumpturus ſit de reprobis: quia in illos exercuerunt ſuam tyrannidem. ſed potius exprimitur pœnæ, quam daturi ſunt, certitudo, acſi eam digito monſtraret. Quanquam ex Pſalmo 53. colligere licet ſubitum quoque & inopinatum Dei judicium notari: illic enim additur, Non eſt, vel, non fuit timor. Scio quidem membrum illud ab interpretibus varie accipi. Quidam enim ſubaudiunt, nullum parem eſſe timorem: alii referunt ad cæcas perturbationes, quibus vexantur mentes impiæ. Nam & hoc Legis ſuæ transgreſſoribus tormentum
Levit. 26. vers. 17. Deus minatur, ut fugiant nemine perſequente, & paveſcant à ſtrepitu folii cadentis: ſicuti videmus ipſos eſſe ſuos carnifices, ac intus ſecum tumultuari ſine externo metu. Sed ego aliam eſſe Prophetæ mentem judico: quod ſcilicet rebus tranquillis & proſperis, repente in ipſos Deus fulminet. Nam
1 Theſſ. 5. vers. 3. ubi dixerint Pax & ſecuritas, eorum capitibus ſubitum & incredibile exitium impendet. Ergo hac ſpe fideles erigit ac ſuſtinet Propheta, quod impii, dum ſe immunes putabunt ab omni periculo, imo ſecure triumphos ſuos agent, ſubita ruina perdentur. Additur ratio, quia Deus juſtos ſuo patrocinio tueri velit. Porro ut ſalutem eorum afferat, neceſſe eſt ipſum contra injuſtos & violentos eorum hoſtes è cælo fulminare. Eſt tamen in voce דור aliqua ambiguitas. nam quia Hebræis nomen hoc, ſeculum, vel curſum humanæ vitæ interdum ſignificat, poſſet hic elici ſenſus, Quamvis Deus ad tempus diſſimulet injurias: ipſum tamen ſemper adeſſe ſuis ſervis, ſuaque gratia eos per totam ætatem proſequi. Simplicius tamen videtur, Deum à parte juſtorum ſtare: ut דור idem hoc loco valeat quod interdum Latinis Natio. Pſalm. 53. addit, Quoniam diſſipavit Deus oſſa obſidentis te, pudore afficies: quoniam Dominus rejecit eos. Quibus verbis clarius explicat Propheta quomodo juſtis præſideat Deus: nempe dum eos eripit è mortis faucibus, acſi quis obſidione liberet qui in anguſtum redacti erant. Unde ſequitur, patienter nobis ferendam eſſe oppreſſionem, ſi cupimus Dei manu opportune ſervari. Oſſa autem metaphorice robur vel potentiam ſignificant: quia non aliter ſatis pateret, Dei manu conteri impios, niſi opibus & copiis eſſent formidabiles. Hortatur deinde fideles ad ſanctam gloriationem, ne dubitent reprobis inſtare probroſum interitum: quia ſcilicet Dominus ipſos rejecit, quo adverſo omnia infeliciter cedere neceſſe eſt. Quia מאס ſpernere interdum ſignificat, quidam ita vertunt, Quia Deus ſprevit eos: ſed improprie, meo judicio. Magis quadraret, Contemptibiles eos reddidit, vel, probro & ignominiæ ſubjecit. Unde ſequitur nihil ſibi quam dedecus acceſſere, dum in ſublime quaſi Deo invito contendunt.

6. *Conſilium inopis.*] Invehitur in iſtos Gigantes quibus ludibrio eſt fidelium ſimplicitas, dum in ſuis miſeriis Deum liberatorem, quieti expectant. Et certe nihil carni videtur magis abſurdum, quam ad Deum confugere, dum malis noſtris non ſuccurrit: quia ſcilicet Deum ex præſenti gratiæ ejus intuitu æſtimat. Ideo increduli quoties malis obrui vident Dei filios, inanem (ut ipſis quidem videtur) confidentiam illis exprobrant, ſanniſque ſuis exagitant hanc ſecuritatem, quod in Deum, à quo nihil ſentiunt auxilii, recumbant. Itaque huic ſuperbiæ inſultans David, hanc quoque exitii cauſam illis fore denunciat, quod ſtultitiæ damnent pauperes & miſeros, quia freti Dei præſidio, malis non ſuccumbant. ac ſimul admonet nihil magis eſſe conſultum, quam à Domino pendere: atque hanc eſſe optimam prudentiam, quamvis ſimus afflicti, quieſcere in ſalute ab eo promiſſa.

7. Quis dabit ex Sion ſalutem Iſraël? ubi converterit Jehova captivitatem populi ſui, lætabitur Jacob, exultabit Iſraël.

7 מִי יִתֵּן מִצִּיּוֹן יְשׁוּעַת יִשְׂרָאֵל בְּשׁוּב יְהוָה שְׁבוּת עַמּוֹ יָגֵל יַעֲקֹב יִשְׂמַח יִשְׂרָאֵל׃

7. *Quis dabit.*] David propoſita conſolationis doctrina, iterum ad vota & gemitus redit. Quo docet, etiamſi diu languere nos Deus ſinat, non debere tamen nos tædio frangi, quin ſemper in ipſo gloriemur: deinde hoc in diuturnis moleſtiis optimum eſſe ſolatium, vota ſubinde repetere. Porro non reſpicit ad dextram vel ſiniſtram, ut ab uno Deo oculos deflectens, alium liberatorem quærat: ſed ſciſcitando quis dabit ſalutem, tantùm fervorem deſiderii exprimit: acſi dixiſſet, Quando tandem Deus ſalutem ſuam proferet? nam addito Sionis nomine, ſpem ſuam in Deo fixam eſſe teſtatur. nam ille erat ſacer locus unde promiſerat Deus ſe exauditurum ſervorum ſuorum preces: illud erat domicilium Arcæ fœderis, quæ arrha & ſymbolum erat præſentiæ Dei. Non ergo dubitat quiſnam futurus ſit ſalutis auctor: ſed anxie rogat quando tandem prodibit ſalus illa, non aliunde ſperanda quam ab uno Deo. Quæritur tamen, ſi hæc precatio pertinet ad tempus Saulis, qui conveniat Sionem nominari tanquam Dei ſanctuarium. Sicui placeat, Spiritu Prophetico fuiſſe prædictum à Davide quod nondum palam factum erat, non repugno. mihi tamen probabile videtur, poſtquam Arca fœderis in monte Sion locata erat, compoſitum fuiſſe hunc Pſalmum. Scimus enim, Davidem, ut poſteris conſuleret, per otium æternæ memoriæ mandaſſe quæ longo ante tempore acciderant. Cæterum quod Iſraëlem liberari cupit, hinc cognoſcimus non tam privatim de ſe cogitaſſe, quam de communi Eccleſiæ ſalute fuiſſe

fuiſſe ſollicitum. Quod eo diligentius notandum eſt, quia dum proprius dolor unumquemque occupat, fere negligitur publica fratrum ſalus. Atqui ſingulos ſuis malis Deus admonet, ut curas ſuas ad totum Eccleſiæ corpus convertant, quemadmodum David ſecum Iſraëlem complectitur. *Ubi converterit.* Statuit his verbis David, Deum minime paſſurum ut ſub perpetuo mœrore tabeſcant fideles, ſicut alibi
Pſal. 126. verſ. 5. dicitur, Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent. Neque enim dubium eſt quin ſe & pios omnes rurſus confirmet, atque hortetur ad ſpem liberationis promiſſæ. Primo itaque dicit, Deum, licet moram trahat, vel ſaltem non feſtinet pro noſtro deſiderio, vindicem tamen fore qui ſuos à captivitate redimat. Deinde à lætiore exitu mitigat corum dolorem, quia in gaudium tandem vertetur. Captivitas porro cujus meminit, non eſt Babylonica, vel diſperſio inter profanas Gentes, ſed domeſtica potius oppreſſio quam tyrannice in Eccleſia dominantur improbi. Quare docemur his verbis, dum tales beſtiæ Dei gregem vaſtant ac diſperdunt, vel ſuperbe conculcant, ad Deum confugere, cujus proprium munus eſt, ex diſſipatione colligere ſuum Iſraëlem. Ipſum vero *Captivitatis* nomen docet, ubi impii pro ſua libidine rectum ordinem pervertunt, in medio Eccleſiæ ſinu Babylonem eſſe vel Ægyptum. Quamvis autem ſancti populi lætitiam David in tempus liberationis differat, conſolatio tamen hæc non modo ad temperandum dolorem noſtrum valere debet, ſed etiam lætitia condiendum.

ARGUMENTUM PSALMI XV.

Docet hic Pſalmus qua lege Deus ſibi Judæos in populum delegerit, ſuumque ſanctuarium locaverit in medio ipſorum: nempe ut juſte recteque vivendo, ſe peculiarem & ſacrum ejus populum eſſe teſtentur.

PSALM. XV.

CAnticum Davidis. Jehova quis habitabit in tabernaculo tuo? quis requieſcet in monte ſanctitatis tuæ?

2. Qui ambulat integer & facit juſtitiam, & qui loquitur veritatem in corde ſuo.

1 מִזְמוֹר לְדָוִד יְהוָה מִי־יָגוּר בְּאָהֳלֶךָ מִי־יִשְׁכֹּן בְּהַר קָדְשֶׁךָ׃
2 הוֹלֵךְ תָּמִים וּפֹעֵל צֶדֶק וְדֹבֵר אֱמֶת בִּלְבָבוֹ׃

DOmine quis habitabit, &c.] Quia nihil magis tritum eſt in mundo, quam falſo obtendere Dei nomen, idque ſibi magna pars hominum ſecure indulget: conſulto David hominibus relictis, Deum ipſum compellat, ſignificans, cunctos mortales, ſi fallaci titulo abutantur, ſuis blanditiis nihil proficere, quia Deus ſemper manet ſui ſimilis: & quemadmodum fidelis eſt, ita mutuo fidem vult ſibi præſtari. Quamvis enim gratis adoptaverit Abraham, ſtipulatus tamen eſt ut viveret integer: atque hæc eſt generalis regula fœderis quod ab initio cum tota Eccleſia pepigit. Summa eſt, fruſtra ab hypocritis, qui locum in templo Dei occupant, prætexi Dei nomen: quia neminem inter ſuos agnoſcit, niſi qui juſtitiam & rectitudinem colit tota vita. Videbat David templum ingenti hominum multitudine refertum, quæ eundem cultum profitebatur, ſeque externo ritu in Dei conſpectum ſiſtebat: ideo admirantis perſonam ſuſcipit, & ſermonem convertit ad Deum, qui in confuſa hominum miſtura ſuos ab alienis diſcernit. Triplex autem eſt hujus doctrinæ uſus. Primo enim, ſi vere cenſeri cupimus inter Dei filios, admonet Spiritus ſanctus vitæ integritate hoc eſſe probandum: quia non ſufficiat ceremoniis Deum colere, niſi recte & innoxie vivamus. Secundo, quia ſæpe contingit Eccleſiam Dei multis inquinamentis deformem cernere, nequis ad hoc ſcandalum impingat, diſcrimen ponitur inter perpetuos Eccleſiæ cives, & inquilinos, qui ad tempus ſunt illis permiſti. Valde neceſſaria admonitio, ne, ſi Dei templum multis ſordibus infectum ſit, faſtidium & moroſitas nos ad defectionem impellant. Sordes intelligo, vitæ impuræ & corruptæ vitia. Nam modo pura religio quo ad doctrinam & ritus vigeat, hominum delictis non ita nos offendi convenit, ut propterea ſcindamus unitatem. Atqui omnium temporum experientia docet quam gravis ſit iſta tentatio, Eccleſiam Dei, quæ abſterſis omnibus maculis pura nitere debebat, multos impios hypocritas vel ſceleratos homines in ſinu ſuo fovere. Hæc olim Catharis, Novatianis, & Donatiſtis fuit occaſio ut à ſocietate piorum deſciſcerent. Et eadem hodie diſſidia renovant Anabaptiſtæ: quia non putant veram eſſe Eccleſiam, quæ vitia tolerat. Verum
Mat. 25. verſ. 32. non fruſtra Chriſtus ſibi munus vendicat ſegregandi agnos ab hœdis: quin potius admonet ferenda eſſe mala quæ corrigere non licet, donec maturum adveniat purgationis tempus. Simul tamen jubentur fideles, pro ſe quiſque dare operam, ut à corruptelis purgetur Dei Eccleſia. Atque hic tertius eſt, quem notavi, doctrinæ uſus. Quanquam enim non ante ultimum diem perfecte mundabitur ſacra Dei area, dum Chriſtus ſuo adventu foras paleam ejiciet: hoc tamen facere nunc incipit Euangelii ſui doctrina, quam ideo ventilabrum nominat. Quare minime torpendum eſt in hac parte: ſed acriter potius eniti convenit ut ſe in caſta puraque diſciplina contineant quicunque nomen Chriſto dederunt. Sed illud præcipue memoria tenendum eſt, arceri injuſtos omnes à ſanctuarii ingreſſu, & ſacrilegam eorum audaciam damnari, dum ſine ulla reverentia prorumpunt in cœtum piorum. Tabernaculi meminit, quia nondum extructum erat Templum. Summa tamen eſt, non patere ad Deum acceſſum niſi puris ejus cultoribus.

2. *Qui ambulat integer.*] Notanda eſt tacita antitheſis inter inanem tituli jactantiam, vel nudam profeſſionem quæ ceremoniis conſtat: & hoc ſolidum pietatis teſtimonium, quod commendat David. Quæri tamen poſſet, quum Dei cultus charitatis officia ordine præcedat, cur hic nulla fidei ac precationum fiat mentio. nam certe iſtis notis decebat legitimos Dei filios ab hypocritis diſtingui. In promptu ſolutio eſt, fidem, Dei invocationem, ſpiritualia ſacrificia minime à Davide excludi: ſed quia multis ceremoniis hypocritæ ſe ut plurimum venditant (quorum tamen impietatem coarguit vita exterior, dum pleni ſunt faſtu, crudelitate, violentia, fraudibus & rapinis dediti) ut in lucem trahantur quicunque tales ſunt, veræ & ſinceræ fidei probationem peti ex ſecunda Legis tabula. Nam ut quiſque juſtitiam & æquitatem cum proximis ſuis colit, re ipſa demonſtrat ſe Deum timere. Non ergo politica juſtitia contentus eſt David, quaſi ſatis ſit hominibus reddere quod ſuum eſt, Deum vero fraudare jure ſuo liceat: ſed probos Dei cultores deſignat à juſtitiæ fructibus. Ac primo quidem loco ſinceritatem requirit, ut ſimpliciter & ſine malo aſtu in negotiis verſentur: deinde juſtitiam, ut ſtudeant proximis benefacere, neminem lædant, & abſtineant ab omni noxa. Tertio, fidem in ſuis ſermonibus, nequid fallaciter vel captioſe loquantur. *Loqui in corde,* dura qui-

quidem & impropria eſt loquutio, ſed quæ melius exprimit ſenſum Davidis, quam ſi dixiſſet, ex corde. Talem enim cordis & linguæ conſenſum & ſymphoniam notat, ut ſermo ſit viva latentis affectus effigies.

3. Qui non detrahit lingua ſua, non infert ſocio ſuo malum, & opprobrium non tollit contra proximum ſuum.

3 לא רגל על לשנו לא עשה לרעהו רעה וחרפה לא נשא על קרבו׃

Poſtquam breviter complexus eſt David, quibus dotibus præditos eſſe oporteat quicunque locum in Eccleſia tenere cupiunt, vitia quædam enumerat, à quibus puros eſſe convenit. Ac primo quidem denunciat, ne ſint obtrectatores: deinde ut ab omni maleficio & injuria ſibi temperent: tertio, ne calumnias & falſa probra ſuo patrocinio adjuvent. Reliqua deinde videbimus. Maledicentiam ergo David, tanquam primum injuſtitiæ caput quo læduntur proximi, ſtatuit. Nam ſi nomen bonum multis divitiis præcellit, nulla gravior noxa inferri poteſt hominibus, quam dum violatur eorum fama. Porro non quodlibet convitium hic damnatur, ſed obtrectandi morbus ac libido, quæ ad ſpargendas calumnias malignos homines incitat. Quanquam non dubium eſt quin Spiritus ſancti conſilium ſit, falſas omnes vel improbas criminationes damnare. Quod proxime ſequitur, debere à filiis Dei procul abeſſe omnem injuſtitiam, latius patet: nequid ſcilicet damni fratribus ſuis inferant. Socios autem & proximos intelligit, non eos tantum quibuſcum familiaris uſus vel neceſſitudo intercedit, ſed omnes etiam qui communi humanitatis vinculo devincti ſunt ac conjuncti: idque facit augendæ invidiæ cauſa, quo magis abhorreant fideles ab omni maleficio: quandoquidem jus humanæ ſocietatis violat quiſquis alteri nocet. In tertio membro non conſentiunt interpretes. Nam Levare probrum quidam pro Comminiſci, accipiunt: quia improbi calumnias de nihilo ſuſcitant. Ita eſſet repetitio ejuſdem ſententiæ, ne ſibi fideles lingua detrahere permittant. Sed ego aliud vitium reprehendi puto, nempe credulitatem nimiam, qua ſiniſtros de proximis ſermones vel avide haurimus, vel temere admittimus: quibus ſupprimendis danda potius erat opera. Nam qui ficta mendacia repudiant, quaſi patiuntur in terram excidere: qui vero ſpargunt, & de manu in manum tradunt, non inepte, tollere dicuntur.

Prov. 22. verſ. 1.

4. Contemptus in oculis ejus rejectus: qui vero timentes Dominum honorat, quum juraverit ad damnum inferendum, non mutat.

4 נבזה בעיניו נמאס ואת יראי יהוה יכבד נשבע להרע ולא ימר׃

Prima pars hujus verſus varie exponitur. Quidam ſenſum hunc eliciunt, quod Dei cultores apud ſe contemptibiles ſint nulloque in pretio. quem ſi recipimus, ſubaudienda erit copula, quam David non exprimit. Ego præterquam quod aſyntheton video durum eſſe, alia ratione adducor ut Davidem aliud voluiſſe credam. Nam res duas inter ſe oppoſitas comparat, perverſos & nihili homines deſpicere, juſtos autem & pietatis ſtudioſos honore proſequi. Hæc duo membra ut inter ſe reſpondeant, non aliter poſſum quod de contemptu dicitur accipere, quam impios à filiis Dei contemni, & referre quam merentur ignominiæ mercedem. Verum quidem eſt, fideles, quamvis magna cum laude vivant, non tamen efferri confidentia: quin potius ſibi diſplicere, quia ſentiunt quantum adhuc ad perfectionem ſibi deſit. Sed dum expendo quid poſtulet circumſtantia loci: non tam humilitatem vel modeſtiam laudari puto, quam ingenuum & ſincerum judicium, ubi neque improbis parcitur, & virtuti debitus habetur honor. Nam adulatio quæ vitia tegendo alit, non minus peſtiferum eſt quam vulgare malum. Fateor quidem, ſi dominentur improbi, non ita ſpernendos eſſe quin illis pareamus quantum feret officii noſtri ratio: cavendum tamen eſt ne ſervilis aſſentatio eodem nos cum ipſis reatu implicet. Nam qui eorum ſcelera non modo diſſimulat, ſed etiam honore dignatur, ſibi probari quantum in ſe eſt, oſtendit. Ideo docet Paulus ſpeciem impiæ communicationis eſſe, ubi ſcelera non arguimus. Et certe hoc nimis perverſum eſt, in hominum favorem oblique Deo illudere: quod faciunt quicunque improbis gratificari ſtudent. Quanquam non tam perſonas reſpicit David, quam delicta ipſa. Nam qui honorifice coli impios videt, ac mundi applauſu obſtinatiores reddi in malitia, ſi conſenſum ſponte adjungat, quid aliud quam regnum vitiis attribuit? Væ autem qui dicunt malum eſſe bonum, & tenebras lucem, inquit Jeſaias. Cæterum quod rejectos poſuit David pro turpibus & flagitioſis, etiamſi in alto honoris gradu locati ſint, non debet aſperum videri, vel coactum. Nam ſi aruſpicibus & aliis profanis vatibus repulſos vocare licuit homines nequam & perditos, licet & dignitate & opibus pollerent (quemadmodum auctor eſt Cicero De aruſpicum reſponſis) cur cæleſtis interpres non probroſis annumeret quicunque reprobantur à Deo? Summa igitur eſt, filios Dei libere judicare de cujuſque factis, neque gratia ad pravam aſſentationem inflecti, ut improbos in ſua malitia foveant. Non vulgaris etiam virtus eſt, quæ proxime ſequitur, honore proſequi pios homines & juſtos. Nam quia ſæpe ſunt quaſi mundi catharmata, ſæpe fit ut qui ſunt illis amici, paſſim mundi odia in ſe excitent. Ergo major pars bonorum amicitiam rejicit, & contemptos jacere patitur: quod fieri non poteſt ſine gravi & atroci Dei injuria. Diſcamus ergo non à cenſu, vel pecunia, vel fluxis honoribus æſtimare, ſed pietatem habere in pretio. Et certe nemo ad pietatis ſtudium unquam animum adjiciet, niſi qui Dei ſervos reverebitur: ſicuti viciſſim eorum obſervantia ad imitationem quoque incitat. *Quum juraverit ad damnum.* Optime quadraret Græca verſio, niſi puncta obſtarent: quibus tametſi nunquam caruerunt Hebræi, credibile tamen eſt non ſemper ſcribendo ab illis fuiſſe expreſſa. Ego tamen receptam lectionem ſequor. Senſus autem eſt, fideles potius jacturam facturos, quam ut à fide diſcedat. Nulla enim fidei approbatio eſt, ubi quiſque ſtat ſuis promiſſis, quatenus ſibi commodum eſſe videt. atqui nihil magis tritum eſt, quam ex levi aliquo damno prætextum captare ad pacta reſcindenda, ſimulac quidpiam alii aliis polliciti ſunt. Seorſum expendunt ſinguli quid ſibi utile ſit: &, ſi gravantur promiſſis ſtare, ingenioſe excogitant longe plus damni, quam timendum ſit. Honeſta quidem excuſatio videtur, ubi quis conqueritur jacturam ſe facturum niſi à pacto reſiliat. Hinc tanta perfidiæ licentia inter homines, quod ſe, fide data non ultra obſtringi putant, quam ferat cujuſque utilitas. David ergo iſta levitate damnata, aliam in promiſſis conſtantiam à filiis Dei requirit. Hic jam oriuntur quæſtiones, Si latroni promiſeris redemptionis pretium, atque ita dimiſſus fueris, an præſtanda ſit fides. Deinde, ſiquis indigne fraudatus fuerit,

Epheſ. 5. verſ. 11.

Jeſa. 5. verſ. 20.

fuerit, an jusjurandum reſcindere liceat. Quod ad latronem ſpectat, qui pecuniam illi afferet, in aliud incurret vitium: quia communem humani generis hoſtem non ſine publica pernicie ſumptibus ſuis alet. Nec vero hanc neceſſitatem fidelibus imponit David, ſed tantum privatis commodis ſua promiſſa, maxime ſi juramento ſancita ſint, præferri jubet. Ubi quis dolo malo circumventus juravit, tanti debet eſſe nominis Dei ſanctitas, ut damnum potius patienter ſuſtineat, quam violet jusjurandum: modo tamen privatæ utilitatis reſpectu non ducatur, fraudem ſibi factam detegere licebit. nulla etiam ratio impediet quo minus cum parte adverſa placide tranſigat. Perperam multi Hebræi interpretes locum hunc ad vota reſtringunt: quaſi hortetur David fideles ad implenda vota, ubi promiſerint ſe jejunio affligere. Nihil enim magis remotum ab illius mente: quia non niſi de ſecunda Legis tabula & mutua inter homines rectitudine diſſerit.

5. Pecuniam ſuam non ponit in fœnore, & munus ſuper innocentem non accipit. qui facit hæc, non movebitur in ſeculum.

ה כַּסְפּוֹ לֹא נָתַן בְּנֶשֶׁךְ וְשֹׁחַד עַל נָקִי לֹא לָקָח עֹשֵׂה אֵלֶּה לֹא יִמּוֹט לְעוֹלָם׃

Hoc verſu fidelibus David præcipit ne vel fœnore gravent proximos ſuos, vel muneribus corrupti, injuſtis cauſis faveant. Quod ad prius membrum ſpectat, quia videtur David in genere & ſine exceptione damnare uſuras omnes, nomen ipſum paſſim deteſtabile fuit. Sed quum aſtuti homines ſibi fabricaſſent ſpecioſos titulos, hoc artificio elapſos ſe putantes, majore licentia prædati ſunt, quam ſi palam & aperte fœnerati eſſent. Atqui Deus ſophiſticè & fucoſis coloribus minime vult ſecum agi: ſed rem ipſam ſimpliciter reſpicit. quare nulla deterior eſt fœnoris ſpecies, quam injuſta contrahendi ratio, ubi mutua æquitas non colitur. Sciamus ergo, contractus omnes quibus alter ex alterius damno lucrum inique captat, quocunque tandem nomine veſtiantur, damnari. Quæritur tamen an hoc loco habendæ ſint omnes uſuræ. Si præciſe damnentur, periculum eſt ne multi in eas anguſtias putantes ſe redactos, ut quocunque ſe vertant, undique immineat peccatum, ipſa deſperatione audaciores facti, abſque delectu ſe præcipitent. ſimul vero ac quidpiam conceſſum fuerit, multi ſibi habenas laxabunt, fœnerandi licentiam ſine modo putantes ſibi factam eſſe. Primo itaque loco admonitos eſſe lectores velim, ne ingenioſi ſint ad captandos fraudandi colores: nec ſibi fingant quicquam eſſe licitum, quod aliis grave & damnoſum ſit. Jam quod ad fœnus ſpectat, vix fieri poteſt ut inveniatur in mundo fœnerator, qui non idem ſit rapax & iniquo turpique quæſtui deditus. Itaque non immerito olim Cato in eodem fere gradu poſuit fœnerari & hominem occidere: quia huic hominum generi propoſitum eſt, alienum ſanguinem exugere. Eſt etiam valde indignum, dum ſinguli laborioſe victum ſibi acquirunt, dum ſe agricolæ quotidianis operis fatigant, opifices multum ſudando aliis ſerviunt, mercatores non modo ſe exercent laboribus, ſed multa quoque incommoda & pericula ſubeunt, ſolos trapezitas ſedendo vectigal ex omnium labore colligere. Ad hæc ſcimus, ut plurimum non eos qui divites ſunt, fœnore exhauriri: ſed tenues homines, qui potius levandi erant. Quare non abs re Deus fœnerari vetuit, rationem hanc addens, Si attenuatus fuerit populus meus, non gravabis eum uſura. *Levit. 25. verſ. 25.* Videmus finem legis, ne crudeliter opprimantur pauperes, qui potius miſericordia digni erant. Quanquam autem politica fuit lex quam Deus peculiariter Judæis tulit: communis tamen gentium & ætatum omnium eſt iſta æquitas, ne miſeros homines & attritos devoremus. Unde ſequitur, ſub illicito fœnore non comprehendi lucrum, quod ſine cujuſpiam injuria facit qui mutuo dat pecuniam. Nomen etiam נשך quo utitur David, à mordendo deductum, ſatis oſtendit, uſuras, quatenus furandi & prædandi licentiam ſecum trahunt, damnari. Ezechiel quidem quodvis augmentum videtur damnare: *Eze. 28. verſ. 4.* ſed non dubium eſt quin ad injuſtas & captioſas lucrandi artes reſpiciat, quibus divites egenam plebem rodebant. Summa hæc ſit, modo cordibus noſtris inſculpta ſit, quam Chriſtus præſcribit, æquitatis regula, *Matth. 7. verſ. 12.* Quod quiſque ſibi fieri vult, ut proximis faciat, longa diſputatione de uſuris minime opus fore. Quod poſtea ſequitur in contextu, proprie quidem ad judices ſpectat, qui mercede conducti, jus & fas omne pervertunt: longius tamen extendi poteſt. quia ſæpe contingit privatos quoque homines lucro corrumpi, ut ſuum patrocinium malis cauſis accommodent. Tales igitur corruptelas, quibus à vero & recto abducimur, in genere complectitur David. Quidam judicum rapacitatem notari putant, dum redemptionis pretium extorquent ab innoxiis, quos gratis juvare debuerant: ſed diverſum eſſe ſenſum ex ſimili Ezechielis loco patet. *Qui facit hæc.* Hac clauſula rurſus admonet, non omnes qui ſe ingerunt in ſanctuarium, perpetuos eſſe cives cæleſtis Hieroſolymæ, ſed cum Iſmaële (cui ſimiles ſunt) ejectum iri hypocritas, & quicunque ſanctorum titulo mendaciter ſe venditant. Quod autem Pſalmus 46. toti Eccleſiæ tribuit, ad unumquemque fidelium hic David accommodat. Ratio illic exprimitur, quia Deus in medio Hieroſolymæ habitat. ſcimus autem à perfidis & improbis, qui ore tantum & labiis ficte ad eum accedunt, longe remotum eſſe.

ARGUMENTUM PSALMI XVI.

Initio David ſe Dei tutelæ commendat: deinde ex meditatione beneficiorum ejus ad gratias agendas ſe accendit. Et quanquam ſuo cultu nihil Deo commodet, ſe tamen ei uni addicit, & à ſuperſtitionibus alienum fore teſtatur. Cauſam quoque adducit, quia plena & ſolida ſit felicitas, in uno Deo acquieſcere, qui nihil ſuis deeſſe patitur.

PSALM. XVI.

Michtham Davidis. Cuſtodi me Deus, in te confido.

א מִכְתָּם לְדָוִד שָׁמְרֵנִי אֵל כִּי חָסִיתִי בָךְ׃

De voce מכתם non convenit etiam inter Hebræos interpretes. Quidam à כתם deducunt, acſi eſſet aureum inſigne. Alii putant initium eſſe carminis tunc celebris & noti. Aliis potius videtur eſſe modulationis ſpecies: quibus ego aſſentior. Sequitur mox precatio, qua ſe David in Dei fidem committit. Nec vero (ut alibi ſæpe) Dei auxilium in aliquo certo periculo implorat, ſed in totam vitam petit ſibi eſſe cuſtodem: ſicuti non aliter quam ſub ejus præſidio tuti ſumus tum in vita tum in morte. Quod de fiducia ſequitur, tantundem valet acſi nobis ore Davidis promitteret Spiritus ſanctus, Deum ad opem nobis omnibus ferendam paratum eſſe, modo certa fide & ſtabili in eum recumbamus.

non

non alios vero in tutelam ab eo ſuſcipi, niſi qui ſe ei ex animo commendant. Simul tamen monendi ſumus, Davidem, quibuſcunque malorum procellis agitatus fuerit, ſtetiſſe hac fide ſubnixum.

2. Dices Jehovæ, Dominus meus es, beneficentia mea non ad te.

3. Sanctis qui in terra ſunt & præclaris, omnis voluntas mea in ipſis.

2 אמרת ליהוה אדני אתה טובתי
בל עליך׃

3 לקדושים אשר בארץ המה
ואדירי כל חפצי בם׃

2. *Dices Jehovæ.*] Præfatur David ſe nihil poſſe Deo conferre, non modo quia nulla re indigeat, ſed quia ad eum ſuis obſequiis promerendum nulla ſuppetat facultas homini mortali. interea tamen animum colligit: & quia gratam habet Deus noſtram pietatem, ſe unum ex cultoribus ejus fore profitetur. Porro ut ſe ad hoc officium efficacius hortetur, animam ſuam compellat. Eſt enim verbum fœminini generis quod non niſi in animam competit. Sicui magis placeat in tempore præterito legere, Dixiſti, non reclamo: quia de continuo animi ſui ſenſu diſſerit, acſi dixiſſet, Mihi quidem penitus infixum eſt ac perſuaſum, nihil utilitatis vel fructus ad Deum ex me redire: ſanctis tamen me adjungam ſocium, ut cum laudum ſacrificiis ſimul colamus. Duo autem hic diſtincte ponuntur, Deum jure ſuo poſſe omnia à nobis exigere, quos ſibi tenet in ſolidum obſtrictos. nam herile imperium ei tribuens David, ſe & ſua omnia ejus eſſe prædicat. Poſtea inopiam ſuam fatetur. Quanquam hoc poſterius membrum duobus modis exponunt interpretes. Namquia עליך verti poteſt, ſuper te, quidam ſenſum hunc eliciunt, Deum nullis noſtris beneficiis onerari, ut quicquam nobis debeat: ac beneficentiæ nomen paſſive accipiunt, acſi David aſſereret, quicquid ſibi divinitus collatum eſt, non provenire ex obligatione aliqua vel merito. Sententia tamen (meo judicio) latius patet, quod homines quantumvis ſedulo ſe impendere Deo conentur, nihil tamen præſtare queant: quia ſcilicet ad eum uſque non pertingat quicquid in manu noſtra eſt: non modo quia ipſe nullius rei indiget, ſe uno contentus, ſed quia nos bonorum omnium vacui & egeni ſumus: nec quicquam nobis ſuppetit, quo ſimus erga eum liberales. Ex hac tamen doctrina ſequetur illud quod prius attigi, Deum nullis meritis obſtringi poſſe, ut ſit hominibus debitor. Summa eſt, quum ad Deum accedimus, exuendam eſſe omnem confidentiam. Nam ſiquid penes nos eſſe fingimus, quia præcipuam honoris ſui partem ei detrahimus, non mirum eſt ſi nos repudiet. Si vero noſtra obſequia agnoſcimus per ſe nihili eſſe, nulloque pretio digna, hæc humilitas quaſi ſuffitus eſt boni odoris, qui illis gratiam conciliet.

3. *Sanctis qui in terra ſunt.*] Uno fere conſenſu omnes accipiunt hunc locum, acſi ſubjiceret David, unum hunc Dei rite colendi modum eſſe, ſi de ſanctis ejus ſervis bene mereri ſtudemus. & certe quia nulla noſtra beneficia ad Deum perveniunt, fideles ſubrogat in ſuum locum, erga quos ſe exerceat noſtra charitas. Hic ergo legitimus eſt Dei cultus, quum homines inter ſe mutuo ſunt benefici. Etſi autem ad indignos quoque extendere ſe charitas noſtra debet (ſicuti Pater cæleſtis ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos) merito tamen David ſanctos aliis præfert, ac in gradu altiore locat. Ego vero licet hanc doctrinam ſub verbis Davidis comprehendi non negem, longius tamen eum progredi arbitror: nempe quod ſe applicabit ad pios Dei cultores, & illis ſocius erit, vel comes: ſicuti omnes Dei filios fraternæ conjunctionis nexu inter ſe devinctos eſſe oportet, ut eodem affectu & ſtudio Patrem ſuum colant. Nunc videmus, Davidem, poſtquam confeſſus eſt nihil ſe reperire quod Deo afferat, cui ſe totum debet, ideo ad ſanctos animum adjicere, quia Deus à cœtu fidelium in mundo celebrari velit, & in hunc finem eos adoptaverit, ut ſub auſpiciis ſuis & Spiritus ſancti ductu unanimes agant. Docet itaque hic locus, nullum gratius Deo ſacrificium eſſe, quam ubi ſerio animum adjicimus ad ſocietatem fidelium: ut ſancto pietatis vinculo conjuncti, fraternam benevolentiam colamus. Hæc eſt ſanctorum communicatio, quæ ipſos à profanis mundi pollutionibus ſeparat, ut ſacrum ſint Dei peculium. Sanctos autem qui in terra ſunt, diſerte exprimit, quia Deus etiam in hoc mundo illuſtres gloriæ ſuæ notas extare vult, quibus nos ad ſe deducat. Ac ideo fideles imaginem ejus geſtant, ut nos ſuo exemplo incitent ad cæleſtis vitæ meditationem. Eadem cauſa Præclaros vocat, vel magnificos, quia juſtitia & ſanctitate, in quibus relucet Spiritus ejus claritas, nihil pretioſius eſſe nobis debet: ſicuti proximus Pſalmus præcepit in pretio habendos eſſe qui Deum timent. Quare ſumma attentione obſervandi ſunt nobis ſinceri Dei cultores, ut nihil pluris nobis ſit quam in eorum cœtum nos aggregare. quod ita demum fiet, ſi prudenter reputemus quænam vera ſit præſtantia & dignitas, nec vanus mundi ſplendor & fallaces pompæ oculos nobis perſtringant.

Matth. 5. verſ. 45.

4. Multiplicabuntur eorum dolores qui offerunt alieno: non libabo libamina eorum de ſanguine, nec tollam nomina eorum labiis meis.

4 ירבו עצבותם אחר מהרו בל
אסיך נסכיהם מדם ובל אשא את
שמותם על שפתי׃

Jam rationem definit colendi cum ſanctis fraterni conſenſus, pronuncians cum incredulis & ſuperſtitioſis nihil ſibi fore commune. Neque enim aliter in unum Eccleſiæ corpus coaleſcimus ſub Deo, quam dum abrumpimus omnes impios nexus, disjungimus nos ab idololatris, & ab omnibus inquinamentis, quæ purum Dei cultum corrumpunt ac vitiant, integri ſumus ac immunes. Huc quidem certum eſt tendere Davidis conſilium, ſed in verbis variant interpretes. Nam עצבות quidam vertunt idola, ut ſenſus ſit, poſtquam ſemel falſos deos ſibi comminiſci ſtulti homines cœperunt, nullum eſſe inſaniæ modum, donec immenſam deorum turbam accumulent. Sed quia nomen hoc in genere fœminino poſitum legitur, potius retineo Dolores vel moleſtias. quanquam multiplex adhuc poteſt eſſe ſenſus. Nonnullis videtur eſſe imprecatio, acſi David ſancto zelo accenſus, juſtæ Dei vindictæ ſuperſtitioſos addiceret. Alii (quibus libentius ſubſcribo) non mutant futurum verbi tempus: ſed mihi non videntur ſatis diſtincte exprimere quales moleſtias deſignet David. Dicunt quidem miſeros homines nova aſſidue figmenta ſibi accerſere in quibus ſe anxie torqueant: verum ego finem ſimul notari puto, quod ſcilicet non modo ſine profectu ſe macerent, ſed etiam miſere & infeliciter ſatagant in ſuam perniciem. Nam quo ſe longius abducat ab eorum conſortio, hoc axioma ſumit, adeo nihil ipſos proficere vanis ſuis ſuperſtitionibus, ut ſtrenue laborando, gravioribus ſubinde malis ſe involvant. Quis

enim

enim eventus manet miſeros homines, qui ſponte ſe diabolo mancipant, niſi ut eos ſpes ſua fruſtretur? quemadmodum Deus conqueritur apud Jeremiam, Dereliquerunt me fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas aridas, quæ rimis undique perfluunt. In proximo etiam membro aliqua eſt ambiguitas. Verbum מהר Hebræis in conjugatione Cal, ſignificat dotare vel dare. ſed quia in conjugatione Hiphil, ſæpius accipitur pro currere, vel feſtinare, multis placuit hæc poſterior interpretatio, quod ſuperſtitioſi homines cupide feſtinent poſt alienos deos. Et certe videmus illos tanquam furore percitos, præcipites ruere: atque hunc importunum ardorem Prophetæ illis ſæpe exprobrant. Itaque mihi placeret hic ſenſus ſi eum communis linguæ uſus admitteret. cæterum quia notant Grammatici alium ſimilem locum non occurrere, alteram ſententiam in verſione ſequutus ſum. Hæc vero ſumma erit, dum ſubſtantiam ſuam profundunt ac dilapidant increduli, non modo perdere quæcunque idolis ſuis offerunt dona, ſed iram Dei in ſe provocando, novis ſubinde moleſtiis ſe obruere. Forte etiam ad communem Scripturæ doctrinam alluſit Propheta, quod idololatræ ſpiritualis cum vero Deo conjugii fidem violando, cum idolis paciſcantur. Nam Ezechiel non abs re Judæis exprobrat, quum amator ſcortum donis alliciat, ipſos mercedem obtuliſſe idolis quibus ſe proſtituerent. Optime tamen conſtat ſimplex ſenſus, dum falſos deos muneribus ornant increduli, non modo ſumptum perdere, ſed cumulare ſibi alios atque alios dolores, quia infelix tandem erit exitus. *Non libabo libamina.* Nonnulli ſacrificia ex ſanguine intelligunt vel cruenta vel ex rapinis parta. Sed quoniam Propheta hic non invehitur in homines crudeles & ſanguinarios, ſed in genere fictitios ac vitioſos cultus damnat: deinde non ſimpliciter ſacrificia nominat, ſed deſignat libandi ritum: minime dubito quin tacite Legali ceremoniæ opponat ſanguinis libamen. Scimus enim guſtum ſanguinis tam in victu communi quam in ſacrificiis, veteri populo fuiſſe vetitum, quo magis à cædibus & omni ſævitia abhorreret. Rurſus teſtantur hiſtoriæ Gentes in ſuis ſacrificiis ſanguinem libare ſolitas. Pronunciat ergo David ſe non modo alienum fore à pravis erroribus, qui idololatras ſeducunt, ſed in externa quoque profeſſione ſibi curæ fore ne ullum det ſignum conſenſus. Eodem ſpectat quod continuo poſt ſequitur, *Non ſumam eorum nomina in labiis meis.* Tanto enim odio & deteſtationi ſibi fore idola dicit, ut ab eorum nominibus, tanquam à nefando ſacrilegio, ſibi caveat: non quod fas non ſit eorum nomina proferre, quæ ſubinde in Prophetis occurrunt, ſed quia non aliter exprimere potuit David ſummam deteſtationem, qua falſos deos perſequi debent fideles. Quod etiam apparet in loquendi forma qua utitur. relativa enim tantum ponens, idola ipſa ſubticet. Quare ſuo exemplo præcipit fidelibus non modo ut errores caveant ac impias opiniones, ſed etiam ut ab omni conſenſus ſimulatione abſtineant. Palam enim eſt de externo cultu eum loqui, qui vel puræ vel perverſæ religionis teſtimonium eſt. Quod ſi fidelibus fas non eſt ullo ſymbolo oſtendere ſibi cum ſuperſtitioſis eſſe conſenſum, non eſt quod ſibi indulgeant larvati Nicodemitæ frivolo iſto prætextu, occultam ſe fidem intus fovere, dum ſe Papiſtarum ſacrilegiis adjungunt. Sunt qui *alienos*, & *eorum nomina* de cultoribus falſorum deorum exponant: ſed David potius ipſos deos (meo judicio) intelligit. Nam hic ſcopus eſt, quamvis ſuperſtitionum colluvie referta ſit terra, & increduli in ornandis ſuis idolis ſine modo prodigi ſint: piis tamen & ſanctis abominabile ſemper fore quicquid illi confingunt.

Jerem. 2. verſ. 13.

Eze. 16. verſ. 33.

5. Jehova pars portionis meæ & calicis mei, tu ſuſtentas ſortem meam.	5 יְהוָה מְנָת חֶלְקִי וְכוֹסִי אַתָּה תּוֹמִיךְ גּוֹרָלִי׃
6. Funes ceciderunt mihi in amœnis: utique hæreditas pulchra eſt mihi.	6 חֲבָלִים נָפְלוּ לִי בַּנְּעִמִים אַף נַחֲלָת שָׁפְרָה עָלָי׃

5. *Jehova pars*, &c.] Clarius nunc ſententiam ſuam explicat. cauſam enim oſtendit cur ſe ab idololatris disjungens, in Eccleſia Dei manere velit: & ſocietatem errorum cum deteſtatione fugiens, ad purum Dei cultum aſpiret: nempe quia in uno vero Deo acquieſcat. Nam inde miſera illa inquietudo, ut phrenetico impetu huc illuc diſcurrant ac vagentur cæci homines, quia vera Dei notitia privati ſunt. Nec certe fieri aliter poteſt quin ſæpe vacillent quicunque non ſunt in Deo fundati: & qui rectam fidem non tenent, intra cujus metas ſe contineant, quin eos abripiat errorum impetus. Cæterum docet hic locus, eos demum rite in vera pietate edoctos eſſe, quibus unus Deus ſufficit. Nam David partem ſortis ſuæ & hæreditatem vocando, & calicem, ſe eo uno ita contentum affirmat, ut nihil appetat extra ipſum, nec pravis deſideriis titilletur. Diſcamus ergo, ubi ſe Deus nobis offert, ita eum amplecti, ut omnes ſalutis noſtræ partes ac numeros in eo quæramus. nam ex hoc fonte omnes quæ unquam in mundo graſſatæ ſunt ſuperſtitiones, manaſſe certum eſt, quia ſuperſtitioſis hominibus unus Deus non ſatisfecit. Atqui non aliter à nobis poſſidetur, quam ſi portio ſit ſortis noſtræ, hoc eſt, ſi nos ſibi in totum addictos teneat, ne ulla amplius infidelitatis cura nos ſollicitet. Ideo Judæos apoſtatas accuſans, quod poſt idola diſcurrerent, Ipſi, ipſi, inquit, ſint portio tua. Quibus verbis oſtendit ſe idolis locum cedere, niſi in ſolidum nobis ſufficiat. Ac tres quidem ſimilitudines ponit David. nam primum hæreditati Deum comparat: deinde calici: tertio vindicem poſſeſſionis facit. Alludit autem ad hæreditates, quas ſcimus inter Judæos divinitus fuiſſe ita diſtributas, ut ſua quemque ſorte contentum eſſe Lex juberet. Jam ſub voce Calicis, vel hæreditarii fundi proventus notatur, vel (per ſynecdochen) ordinarius victus: acſi dixiſſet, Deum & proprietate & fructu ſuum eſſe. Nec ſupervacua eſt tertia comparatio: quia plerumque contingit à ſua poſſeſſione depelli juſtos dominos, quia nullus eos tuetur. Deus vero ita ſe nobis in hæreditatem dedit, ut ejuſdem virtute ſalva nobis maneat fruitio. Parum enim juvaret nos ſemel ipſo potitos eſſe, niſi contra quotidianos diaboli impetus poſſeſſionem aſſereret. Quod exponunt quidam, Tu fundus es in quo ſita eſt mea portio, mihi frigidum videtur.

6. *Funes ceciderunt mihi.*] Melius confirmat quod jam dixit proximo verſu, nempe ſedato ac tranquillo animo ſe in uno Deo acquieſcere: imo ita gloriari, ut magnifice deſpiciat quicquid extrà ipſum optabile ſibi mundus fingit. Nam honorifico elogio Deum extollens, ſe quicquam amplius expetere negat. Cæterum multiplex hujus doctrinæ uſus eſt: quia non tantum ab omnibus ſuperſtitionum figmentis retrahere nos debet, ſed etiam ab omnibus carnis & mundi illecebris. Quoties ergo nobis obrepunt quæ nos ab uno Deo abducant, ex oppoſito hæc ſententia occurrat, præclare nobiſcum actum eſſe, quod ſe nobis fruendum dederit ille qui perfectam in ſe continet bonorum omnium ſummam. Sic fiet ut nobis ſemper jucunda ſit ac ſuavis noſtra conditio: quia nulla beatæ vitæ parte deſtituitur qui Deum poſſidet.

7. Prædicabo Jehovam qui mihi dat conſilium: etiam noctibus erudiunt me renes mei.

7 אברך את יהוה אשר יעצני אף לילות יסרוני כליותי׃

Poſtremo fatetur David hoc quoque mera Dei gratia ſibi fuiſſe datum, ut in tanti boni poſſeſſionem fide veniret. Nihil enim prodeſſet, Deum ſe nobis liberaliter offerre, niſi fide eum reciperemus: quando reprobos & electos communiter ad ſe invitat, ſed priores ſua ingratitudine tanto bono ſe fraudant. Sciamus ergo utrumque provenire ex gratuito Dei dono, quod ipſe noſtra eſt hæreditas, & eum fide poſſidemus. Hoc *conſilium* eſt cujus David meminit: interior ſcilicet Spiritus illuminatio, ne pro carnis noſtræ cæcitate, ſalutem ad quam nos vocat, reſpuamus. Unde colligimus, non minus inſcite quam impie gratiam Dei lacerari, ubi ejus optio vel rejectio in libero hominis arbitrio ſtatuitur. De externa vero doctrina hic non agi, ex verbis clare patet: quia dicit ſe nocte erudiri, dum remotus eſt à conſpectu hominum. Deinde quum hoc dicit fieri in renibus ſuis, non dubium eſt quin arcanas inſpirationes deſignet. Jam ubi dicit hoc fieri noctibus, obſerva numerum pluralem. David enim non fidei modo initium aſcribit Deo, ſed aſſidue ſe in ejus ſchola proficere agnoſcit, quemadmodum neceſſe eſt mentis noſtræ vanitatem tota vita corrigi, accendi clarius fidei lumen, & modis omnibus nos ad ſpiritualem prudentiam altius provehi.

8. Poſui Jehovam coram me jugiter: quoniam à dextris meis eſt, non movebor.

9. Propterea gaudet cor meum, & lætatur lingua mea: etiam caro mea habitat confidenter.

8 שויתי יהוה לנגדי תמיד כי מימיני בל אמוט׃

9 לכן שמח לבי ויגל כבודי אף בשרי ישכן לבטח׃

8. *Poſui Jehovam.*] Iterum fidem ſuam prædicat. nam Deum in conſpectu ſtatuere, nihil aliud eſt quam tenere ſuos omnes ſenſus ligatos, ne alio diffluant. Neceſſe quidem eſt aliis quam carnis oculis ipſum conſpicere: quia raro apparet, niſi ſupra mundum conſcendimus. ſed fides tamen nos coërcet, ne tergum ei obvertamus. Senſus ergo eſt, Davidem ſic intentum fuiſſe & affixum Dei providentiæ, ut certo perſuaſus eſſet, quoties inſtaret aliqua neceſſitas, illum ſibi præſto fore ad opem ferendam. Addit etiam *jugiter*, ut ſciamus conſtanter innixum fuiſſe Dei auxilio, ut variis certaminibus agitatum nullus metus alio reflectere oculos cogeret. Atque ita nos à Deo pendere convenit, ut certo ſtatuamus, etiam quum longiſſime abeſſe videtur, eum nobis propinquum eſſe. hic conſpectus efficiet ne inanibus hujus mundi ſpectris ludamur. *Quoniam à dextris meis eſt.* Hoc ſecundum membrum disjunctim lego. nam quod alii contexunt, Poſui Dominum in conſpectu meo quia à dextris mihi eſt, frigidum videtur, & doctrinam multum extenuat: acſi diceret David ſe experientia metiri Dei præſentiam: quod minime decet. Meo itaque judicio, plena fuit hæc ſententia, quod ſibi Deum præ oculis ſtatuerit, ut ſe in omnibus periculis ad eum reciperet. Nunc ut alacrior ſit ad bene ſperandum, quid valeat Dei auxilium & paterna cura, ſibi proponit: nempe ut ſuos quibus adeſt, in firmo ſtatu contineat. Securus ergo eſt ab omni diſcrimine, & ſibi certam ſalutem promittit: quia Deum fidei oculis quaſi præſentem intuetur. Porro hoc loco evertitur Sorbonicum illud commentum, fideles de perſeverantia finali dubios eſſe: quia David gratiæ Dei fiduciam in futurum tempus clare extendit. Et certe miſera eſſet conditio, in ſingula momenta trepidare, acſi de continuo gratiæ progreſſu nihil nobis extaret.

9. *Propterea gaudet cor meum.*] Commendat hoc verſu incomparabilem fidei fructum, cujus paſſim meminit Scriptura: nempe quod non modo tranquilli, ſed læti etiam & hilares ſub Dei præſidio degimus. Scimus præcipuum beatæ vitæ caput eſſe εὐθυμίαν, ſicuti nihil infelicius eſt quam inter varias curas & pavores æſtuare. Atqui impii quantumvis ſpiritu vecordiæ aut ſtuporis ſe inebrient, nunquam tamen vera lætitia fruuntur, nec ſerena mentis quiete: quin potius turbidos motus intus ſentiunt, qui ſubinde illos perturbant, ac excutiunt torporem. Denique nemini placide gaudere contingit, niſi qui recumbere didicit in unum Deum, ſuamque ſalutem in ejus manu reponere. Quum ergo nos innumeræ perturbationes undique obſideant, ſciamus hoc unicum eſſe remedium, oculos noſtros ad Deum dirigere: nec modo animos noſtros placabit fides, ſed pleno etiam gaudio perfundet. quanquam David non tantum ſe intus gaudere affirmat, ſed linguam quoque ſuam, imo carnem hujus gaudii participem facit. Et merito, quia fideles non modo in arcano cordis affectu ſpirituale gaudium fovent, ſed lingua etiam proferunt quatenus Deum ſalutis ſuæ cuſtodem eſſe gloriantur. Nomen כבוד quod proprie gloriam ſignificat, non dubito hic pro lingua ſumi, ſicuti Geneſis 49. verſ. 6. nam alioqui trimembris partitio non quadraret. Quamvis autem corpus ab incommodis & moleſtiis immune non ſit: quia tamen non ſolum animas noſtras, ſed etiam corpora Deus tuetur, non temere David carni ſuæ commune facit hoc beneficium, ut ſecure habitet.

10. Quia non deſeres animam meam in ſepulchro: nec pones ſanctum tuum ut videat foveam.

10 כי לא תעזב נפשי לשאול לא תתן חסידך לראות שחת׃

Pergit in explicatione ſuperioris doctrinæ: ideo ſcilicet nihil ſibi ad plenum lætitiæ cumulum deeſſe, quia ab interitu ſibi non metuat. Unde ſequitur, neminem vere Deo fidere, niſi qui ſalutem ſibi à Deo promiſſam ita apprehendit, ut mortem deſpiciat. Porro notandum eſt, Davidem non de certa aliqua ſpecie liberationis reſtricte loqui (quemadmodum Pſalmo 49. verſ. 16. Redemit Deus animam meam è manu ſepulchri, & aliis ſimilibus) ſed æternæ ſalutis fiduciam certo concipere, quæ anxietate & metu eum liberet: acſi dixiſſet paratum ſibi ſemper fore exitum è ſepulchro, ne in corruptione maneret. Nam Deus ſuos ab aliquo diſcrimine liberans, non niſi ad breve tempus vitam illis prorogat. Quantula vero & quam jejuna conſolatio hæc eſſet, pauliſper reſpirare, donec mors tandem ſine ſpe ſalutis nos abſorbeat? Hinc ſequitur, Davidem fuiſſe ita loquutum, eo quod ſe attolleret ſupra communem generis humani ſortem. Nam quando in omnes Adæ filios lata eſt ſententia, quia pulvis ſunt, rediturosin pulverem, eadem ſine exceptione omnes manet conditio. *Geneſ. 3. verſ. 19.* Quare niſi in medium prodeat Chriſtus, qui eſt primitiæ reſurgentium, ſub putredine ſemper jacebunt. Unde merito colligit Petrus, non potuiſſe Davidem ita gloriari, niſi Spiritu Prophetico, & in auctorem vitæ ſibi promiſſum reſpexiſſet, *Actor. 2. verſ. 30.* qui ſolus hoc privilegio ornandus erat. Hoc tamen non obſtat quin David jure ſibi

ſibi immunitatem à morte promiſerit: quia Chriſtus non ſibi privatim reſurgendo immortalitatem peperit, ſed nobis omnibus. Quod autem Petrus Actorum 2. verſ. 30. & Paulus 13. verſ. 33. in ſola ejus perſona impletum fuiſſe hoc vaticinium contendunt, ſic accipe, ipſum à ſepulchri corruptione fuiſſe prorſus & ſolide exemptum, ut membra ſua gradatim, & pro cujuſque menſura in ſocietatem ſuam vocet. Nam quum Davidis cadaver in pulverem redactum ſit, apte colligunt Apoſtoli ipſum à corruptione non fuiſſe immunem. Eadem ratio ad fideles omnes pertinet, quorum nemo à putredine intactus, vitæ incorruptibilis ſit particeps. Unde ſequitur, vitæ plenitudinem, quæ in capite ſolo reſidet, guttatim ſolum vel per partes ad membra defluere. Poſſet tamen de Chriſto eadem fere quæſtio objici (qui & ipſe in ſepulchrum deſcendit) ſed quæ ad ſolvendum facilis eſt. Notanda eſt enim utriuſque vocis etymologia. Sepulchrum enim שאול vocatur, tanquam inexplebilis gurges qui omnia conſumit: שחת vero à corruptione. quare non tam locus hic notatur quam qualitas: acſi dictum eſſet, vitam Chriſti à ſepulchri jure fore immunem, quia ne mortuum quidem ejus corpus corruptioni erit obnoxium. Porro ſepulchrum Chriſti vivifico Spiritus ejus odore ſcimus perfuſum fuiſſe, ut ei janua foret ad immortalem gloriam. Fateor veteres tam Græcos quam Latinos interpretes hæc verba in diverſum ſenſum traxiſſe, quod anima Chriſti ex inferis reducta fuerit: ſed præſtat in genuina illa ſimplicitate manere, ne ridiculi ſimus Judæis. deinde ne una argutia plures alias gignens, nos in labyrinthum conjiciat. Certe in ſecundo membro minime dubium eſt fieri corporis mentionem: atqui ſcimus Davidi nihil magis eſſe tritum quam idem bis repetere. נפש autem licet Latine Anima vertamus, Hebræis tamen nihil aliud eſt quam vitalis ſpiritus, vel ipſa vita.

11. Notam mihi facies viam vitæ: ſatietas lætitiarum in facie tua, jucunditates in dextera tua ſemper.

11 תודיעני ארח חיים שבע
שמחות את פניך נעמות בימינך נצח

Confirmat ſententiam proximi verſus: modumque explicat quo Deus à mortis ſervitute eum eximet, nempe quia ejus ductu, certo ad vitam perveniet. Unde iterum colligimus quod prius dixi, hic fideles ab extraneis & reprobis diſcerni quo ad perpetuum ſtatum. nam ſiquis oſtenſam viam vitæ Davidi fuiſſe dicat, quia vivendi tempus prorogatum ei fuerit, merum erit cavillum. Nimis enim extenuatur Dei gratia, ſi dicamus eum ſuis ad pauculos tantum annos, vitæ eſſe ducem: quia hoc modo nihil à reprobis differrent, quibus commune eſt Solis lumen. Quod ſi hic peculiarem Dei gratiam, qua non niſi filios ſuos dignatur, commendat David: hæc vitæ oſtenſio haud dubie ad beatam immortalitatem extenditur: imo ille demum vitæ tenet viam, qui ſic Deo conjunctus eſt, ut in ipſo, non extra ipſum vivat. Poſtea ſubjicit, Deo propitio nihil ad plenum felicitatis cumulum deeſſe. Quanquam autem Dei facies, pro aſpectu tam paſſivo quam activo poteſt accipi, ego tamen utrumque ſimul complector: quia ad lætitiæ cauſam ordine præcedit paternus ejus favor, dum nos ſereno vultu aſpicit: neque tamen ante nos exhilarat, quam viciſſim amabilem ejus vultum conſpicimus. Quin etiam hoc membro diſerte exprimere voluit David ad quos pertineant deliciæ, quarum plena in manu Dei repoſita eſt copia. Qui fit enim, quum penes Deum ſint amœnitates quibus totum mundum repleat, ut triſtis & mortifera caligo majorem humani generis partem occupet, niſi quia non omnes peræque Deus ſerenis & paternis oculis aſpicit, neque etiam omnibus aperit oculos, ut non alibi quam in ipſo gaudii materiam quærant? Porro ſatietas fluxis mundi illecebris opponitur, quæ poſtquam aliquandiu luſerunt miſeros homines, jejunos tandem & famelicos relinquunt. Quantumvis enim ſe in voluptates ingurgitent, faſtidio tamen potius languent quam ſatiantur: deinde temporales deliciæ non ſecus ac ſomnia evaneſcunt. Teſtatur ergo David, nuſquam inveniri ſolidum gaudium in quo acquieſcant hominum mentes, niſi in ſolo Deo: ideoque ſolos fideles qui unica ejus gratia contenti ſunt, numeris omnibus beatos eſſe.

ARGUMENTUM PSALMI XVII.

Pſalmus hic continet triſtem querimoniam de crudeli hoſtium ſuperbia. Deinde teſtatur David, præter meritum ita ſe inhumaniter vexari, quia nullam illis ſæviendi cauſam dederit. Simul Deum vindicem implorat, ut ejus manu liberetur. Etſi autem inſcriptio nullum tempus deſignat, probabile tamen eſt Davidem hic de Saule & ejus aſſeclis conqueri.

PSALM. XVII.

PRecatio Davidis. Audi Jehova juſtitiam, attende ad clamorem meum: auſculta precationem meam, quæ non eſt in labiis fraudulentis.

1 תפלה לדוד שמעה יהוה צדק
הקשיבה רנתי האזינה תפלתי בלא
שפתי מרמה:

2. A præſentia vultus tui judicium meum prodeat: oculi tui aſpiciant rectitudines.

2 מלפניך משפטי יצא עיניך
תחזינה מישרים:

INitio, cauſæ ſuæ bonitatem in medium adducit, quia promiſit Deus ſe minime paſſurum ut innoxii opprimantur, quin tandem illis ſuccurrat. Nam quod Juſtitiæ nomen quidam exponunt Precationem juſtam, mihi frigidum videtur. Potius David ex ſua integritate fiduciam concipiens, inter ſe & hoſtes Deum ſtatuit quaſi arbitrum, ut de cauſa cognoſcat. Alibi enim vidimus, ubi cum perverſis hominibus nobis negotium eſt, licere coram Deo innocentiam noſtram teſtari. Sed quia non ſufficeret fidelibus, ſibi eſſe recte conſcios, precationem ſecundo loco adjungit. Sæpe enim continget, profanos quoque homines jure gloriari de bona cauſa: quia tamen non agnoſcunt divinitus mundum gubernari, ſubſidunt in conſcientiæ ſuæ theatro, (ut loquuntur) ac frenum rodentes, contumaciter magis quam conſtanter ferunt injurias, quia ex fide & invocatione Dei nullum petunt ſolatium. At fideles non tantum nituntur cauſæ ſuæ bonitate, ſed eam Deo tuendam commendant: & quoties aliquid contingit adverſi, confugiunt ad ejus auxilium. Hæc igitur ratio eſt contextus, ut Deus, ſi Davidem cognoſcat juſte & ſine noxa officio fuiſſe perfunctum, ideoque inique vexari ab hoſtibus, eum reſpiciat: præſertim quia fretus ejus auxilio bene ſperat, & interea ſincere ipſum precatur. Per *clamorem* & *precationem* idem ſignificat: ſed vox Clamoris & ejuſdem ſententiæ repetitio ad vehementiam notandam valent. Porro quia hypocritæ ſe magnifice jactant, & in fiduciæ ſignum vocem tumultuoſe efferunt:

rint: negat David ſe doloſe loqui, hoc eſt, fumos oſtendere tegendis ſuis delictis, ſed ingenue prodire in conſpectum Dei. Ergo hac precandi forma Spiritus ſanctus nos ad ſtudium recte vivendi inſtituit, ut ſiqui nobis infenſi ſint, gloriari liceat nos extra culpam eſſe. Deinde quoties improbi nos oppugnant, idem Spiritus ad precandum nos invitat: quia ſiquis bonæ conſcientiæ teſtimonio fretus, preces negligat, Deum fraudat legitimo ſuo honore, judicandi munus ei non deferens. Diſcamus præterea, ubi ad Deum accedimus, fucoſe agendum non eſſe: quia tota rhetoricæ noſtræ gratia coram Deo mera eſt ſimplicitas.

2. *A præſentia vultus tui.*] Ad verbum eſt, Ab ante faciem tuam, vel Coram facie tua: quibus verbis intelligit David, niſi Deus exurgat vindex, jus ſuum calumniis obrutum latere, ſeque pro damnato haberi. Tacite enim mendaciorum tenebris opponitur Dei cognitio: acſi dixiſſet ſe non alium expetere judicem quam Deum, nec fugere ejus tribunal, quia & cor purum & bonam cauſam afferat. Eodem ſpectat quod mox ſubjicit de aſpectu. Neque enim Deum cæcitatis inſimulat: ſed tantum precatur ut re ipſa oſtendat, minime ſe connivere ad hominum ſcelera, vel ſuſque deque habere miſeros homines qui præter meritum male tractantur. Judicii nomen quidam nimis reſtricte pro jure regni promiſſi accipiunt, acſi peteret ſe Dei manu in ſolio locari, quia & ab ipſo Rex electus erat, & ejus auſpiciis ac nomine per manum Samuelis unctus. Sed non dubito quin multis ac variis injuriis oppreſſus, in fidem ac patrocinium Dei ſe conferat.

3. Probaſti cor meum, viſitaſti nocte: examinaſti, non invenies: cogitatio mea non tranſibit os meum.

4. Ad facta hominum, in verbo labiorum tuorum ego cuſtodivi vias diſſipatoris.

3 בחנת לבי פקדת לילה צרפתני בל תמצא זמתי בל יעבר פי׃

4 לפעלות אדם בדבר שפתיך אני שמרתי ארחות פריץ׃

3. *Probaſti cor.*] Quidam præteritum tempus in primis tribus verbis loco futuri poſitum exiſtimant; rectius ac magis perſpicue ita reſolvunt alii, Si cor meum probes, ac viſites nocte, & penitus examines, non reperietur ulla fallacia. Cæterum ut nihil mutetur, non male ſenſus quadrabit hoc modo, Tu Domine qui arcanos omnes cordis mei ſenſus tenes, ſicuti tuum eſt probare homines, optime noſti me non eſſe duplicem, nec quicquam fraudis intus alere. Certe conſilium Davidis ambiguum non eſt. quia enim perperam falſa invidia gravatus, nullam apud homines æquitatem impetrare poterat, provocat ad Deum judicem; ſed ne temere id faciat, ſerium examen ſibi indicit, quia externa ſpecie non fallatur Deus, cujus proprium eſt occultos cordis receſſus excutere. Tempus noctis in Dei viſitatione exprimit, quia ubi quis ſubductus eſt ab hominum oculis, clarius videt quæ alioqui laterent vitia: ſicuti rurſum hominum conſpectus pudore vitia noſtra obducit: acſi dixiſſet, Domine, quum noctis tenebræ conſcientiam ſublatis integumentis magis aperiant, & tunc ſine teſtibus & arbitris liberius ſe proferant affectus, ſi eo articulo me examines, nihil in corde meo reperietur perfidiæ. Hinc colligimus quanta fuerit Davidis ſinceritas, qui ſeipſum intus colligens, tam intrepide ſe Dei judicio explorandum permittit. Nec vero ſe ab externis tantum criminibus purgat, ſed etiam ab omni clandeſtina malitia: quod ſcilicet ingenue præ ſe tulerit quæ agitabat in animo. Nam *cogitare noſtrum* dicitur *os transgredi*, quum fallendi cauſa aliud verſat animus, quam lingua affirmet. quanquam זמה poteſt in malam partem accipi pro captioſis & fallacibus conſiliis.

4. *Ad facta hominum.*] Varie hunc verſum exponunt interpretes. Quidam enim ב pro Contra ſumi putantes, vertunt, Ad facta hominum, quæ contra verbum tuum perpetrant. ſed ego aliis potius aſſentior, qui hic rectum judicium laudari dicunt, quod ad præſcriptum verbi Dei exigitur. Sunt enim qui ſolertia præditi, ſedulo quidem obſervant facta hominum, ſed non ſecundum verbum Domini. Nondum tamen plenum hujus loci ſenſum tenemus. adhuc enim videndum eſt quaſnam *vias* dicat *diſſipatoris*. Videtur quibuſdam ſuos ſodales notare, qui ſtatim ad rapinas, prædonum more volaſſent, niſi eos compeſcuiſſet: utpote qui ad ultima redacti, deſperatione erant audaces. Scimus enim quam acris ſit ſtimulus neceſſitas. Verum illa etiam expoſitio videtur mihi coacta: potius itaque ad hoſtes refero. Jam & in verbo Obſervandi, variant interpretes. Quidam enim ita accipiunt, quaſi David ſe protervis hominibus & per ſcelera graſſantibus, ſtrenue oppoſuerit. Alii, quod intentus fuerit ad diſcrimen recti & iniqui, ut ſibi caveret à malis exemplis: quæ autem videret verbo Dei congruere, illa imitaretur. Atqui non dubito aliam fuiſſe Davidis mentem, nempe quod teſtari voluit, quantumvis eum improbi homines ad malum impellerent, ſe tamen retentum fuiſſe Dei verbo, ne vi & injuriis certaret, vel malum pro malo rependeret. Dicit igitur, qualiacunque fuerint opera hominum, ſe ita ſemper addictum fuiſſe verbo Dei, & quaſi ab ore ejus pependiſſe, ut ſibi licitum minime putaret, quamvis eſſet provocatus injuriis, parem mercedem hoſtibus referre. Scimus quam dura ſit hæc tentatio, & ad vincendum difficilis, non reſpicere qualiter ſe nobiſcum gerant homines, ſed quid Deus vetet aut jubeat. Nam qui ad æquitatem propenſi ſunt, ut prodeſſe omnibus ſtudeant, neminem vero lædere velint: ubi ſunt laceſſiti, prorumpunt cæco impetu ad vindictam: præſertim ubi videmus jus & fas omne perverti, talis confuſio nos excæcat, ut non dubitemus ululare cum lupis. Ergo exemplo Davidis, hæc nobis optima erit moderationis ratio, ubi nos ſuis maleficiis hoſtes ad nocendum ſtimulant, oculos in verbum Dei conjicere. Ita enim fiet ut nunquam caecutiant mentes noſtræ, quin ſibi caveant à viis perverſis: quia Deus non tantum præceptis ſuis affectus noſtros frenabit, ſed promiſſionibus quoque ad patientiam erudiet. Neque enim tantum nos vetando prohibet à maleficiis, ſed vindicem noſtrum ſe fore pronuncians, ſimul admonet ut demus locum iræ.

5. Suſtenta greſſus meos in ſemitis tuis, ne labantur plantæ meæ.

6. Ego invocavi te, certe exaudies me Deus: inclina aurem tuam mihi, audi ſermonem meum.

5 תמך אשרי במעגלותיך בל נמוטו פעמי׃

6 אני קראתיך כי תענני אל הט אזנך לי שמע אמרתי׃

5. *Suſtenta greſſus.*] Si Dei ſemitas accipimus pro Legis præceptis, ſenſus clarus erit, nempe quod David licet vere gloriatus ſit ſe inter graviſſimas tentationes conſtanter juſtitiam coluiſſe puro animo, propriæ tamen infirmitatis ſibi conſcius Deo ſe regendum tradat, ſibique dari petat perſe-

verandi

verandi gratiam: acſi dixiſſet, Sicut hactenus te duce in recto curſu perrexi, ita in futurum tempus retine greſſus meos, ne labantur. Et certe ut quiſque maxime excellit, ſibi à præcipitio metuere debet. Hæc enim Satanæ aſtutia eſt, ex virtute fabricare carnis confidentiam quæ torporem inducat. Quanquam autem hunc ſenſum non prorſus repudio: probabilius tamen mihi eſt, Davidem hic felicem à Domino ſucceſſum precari: acſi dixiſſet, Domine quando vides me integritati fuiſſe deditum, ita me guberna ut omnibus appareat te meum eſſe cuſtodem, nec me ſinas hoſtium libidine dejici. Ita per vias Domini intelliget non doctrinam qua vita noſtra regitur, ſed virtutem qua nos fulcit, ac præſidium quo nos conſervat: nec tantum ideo ſic vocat, quod omnes eventus in ejus ſint manu, ſed quia ubi curam noſtri habet, fluunt omnia nobis commode. Quum addit, *ne labantur plantæ meæ*, ſignificat ſingulis momentis multos caſus adverſos inſtare, & periculum eſſe ne pereamus niſi nos Dei manus ſuſtineat.

6. *Ego invocavi.*] Verbum hoc præteriti temporis continuum actum deſignat, ideoque præſens tempus complectitur. Si particula כי hoc loco eſt cauſalis, ſenſus erit, Davidem inde ſumpſiſſe precandi fiduciam, quia fretus Dei promiſſione, vota ſua non fore irrita ſperabat. Niſi forte magis placeat mutare tempus verbi (ſicuti quidam faciunt) hoc ſenſu, Orabo, quia expertus ſum hactenus preces meas abs te fuiſſe exauditas. Ego tamen quod mihi viſum eſt ſimplicius, elegi: David enim (meo judicio) hic ſe bona ſpe ad Deum invocandum hortatur & animat: acſi dixiſſet, Quum ego te invocem, certe ô Deus, vota mea non ſpernes. Mox tamen poſtulat ſibi concedi quod dixerat ſe ſperare.

7. Mirifica miſericordias tuas ſervator ſperantium, ab his qui ſe efferunt contra dexteram tuam.	7 הפלה חסדיך מושיע חוסים ממתקוממים בימינך׃
8. Cuſtodi me ut pupillam filiam oculi, in umbra alarum tuarum abſconde me.	8 שמרני כאישון בת עין בצל כנפיך תסתירני׃
9. A facie impiorum qui me perdere conantur, inimicorum meorum qui in anima obſident me.	9 מפני רשעים זו שדוני איבי בנפש יקיפו עלי׃

7. *Mirifica miſericordias.*] Quoniam verbum הפלה nunc admirabilem vel eximium reddere, nunc ſegregare ſignificat, uterque ſenſus præſenti loco non male conveniet. Nam (ut alibi dicitur) bonitas Dei recondita eſt ejus cultoribus inſtar peculiaris theſauri, ut eam opportune depromat etiam in ultimo deſperationis articulo. Ergo ſi vertere placeat, Segrega: ſenſus erit, ut Deus illam gratiæ ſpeciem, qua ſolos electos dignatur, erga ſervum ſuum Davidem proferat. Nam quum promiſcue in diſcrimen conjiciat bonos & malos, diverſo exitu tandem probat ſe non confuſe miſcere paleam tritico, quia ſuos ſeparatim colligit. David tamen (meo judicio) quia videbat non niſi raro & inſolito modo ſe poſſe liberari, ad mirificam Dei virtutem confugit. Nam qui putant eum optare ut Deus perſequutoribus gratiam ſuam arceat, nimis violenter contextum torquent. Porro hac circumſtantia, periculi magnitudo exprimitur: quia alioqui ſatis fuiſſet uſitato & vulgari modo Davidem juvari, ſicuti ſuos quotidie Deus favore ſuo proſequi, & auxilio ſuo tueri ſolet. Coëgit ergo eum graviſſima anxietas miraculum in ſua ſalute expetere. Elogium quo hic ornatur Deus, ad ſpem impetrandi facit. nam quum ſibi Deus ſervandi partes aſſerat quotquot in ipſo confidunt, merito David qui unus erat ex illorum numero, ſalutem promittere ſibi potuit. Ergo quoties ad Deum accedimus, primum nobis in mentem veniat, quia non fruſtra vocatur Deus ſperantium ſervator, modo in ejus gratiam recumbat fides noſtra, minime timendum eſſe quin paratus ſit ad opem nobis ferendam. Quod ſi clauſæ ſint omnes viæ, ſimul etiam in mentem veniat, penes ipſum eſſe incredibiles auxiliandi modos qui ejus potentiam melius illuſtrent. Cæterum quia participium Sperantes, ſine adjectione ponitur, quidam interpretes cum fine verſus conjungunt, acſi inverſus eſſet verborum ordo. Sic ergo reſolvunt, Servator ſperantium in dextera tua ab iis qui inſurgunt. Sed quia hoc durum eſt, expoſitio vero quam attuli, melius fluit, & magis eſt recepta, eam ſequamur. Uno itaque complexu Deo tribuit ſuos tuendi & ſervandi munus contra omnes impios qui ad oppugnandam eorum ſalutem inſurgunt. Dicuntur autem ſe efferre contra Dei manum, quia moleſtiam piis quos Deus ſervandos ſuſcepit, inferendo, aperte bellum ei intentant. Atque hæc ſententia doctrinam continet apprime utilem, violari Deum in noſtra perſona, quia ſe noſtræ ſalutis cuſtodem ſemel profeſſus, quoties injuſte oppetimur, manum ſuam pro clypeo opponit. Atque huc ſpectant duæ ſimilitudines quas David ſubjunxit de pupilla oculi & avium pullis. Nam quum Deus exprimere volens quantam curam ſuorum habeat, ſe gallinæ & aliis avibus ſimilem faciat, quæ fovendis & tegendis ſuis pullis alas extendunt: ac pronunciet ſibi non minus charos eſſe quam eſt hominibus oculi pupilla, pars tenerrima corporis: ſequitur, bellum contra ipſum moveri quoties ad lædendos fideles conſurgitur. Nam quum hæc precandi forma à Spiritu ſancto dictata ſit, promiſſionem in ſe continet. Incredibilis vero Dei bonitas, quod ſe euſque demittit, & quodammodo transformat, ut fidem noſtram ſupra omnes carnis ſenſus extollat.

Pſal. 31. verſ. 20.

9. *A facie impiorum.*] Iterum hoſtes ſuos accuſans, gratiam Dei ab innocentiæ ſuæ commendatione ſibi conciliat: ſimul tamen conqueritur de ipſorum ſævitia, quo Deus ad auxiliandum propenſior ſit. Dicit enim primo, vaſtandi & perdendi libidine ipſos ardere. Deinde addit ſe obſideri in anima: quo ſignificat, non alio pretio quam morte ſua contentos fore. Itaque quo plus terroris nobis incutit hoſtium crudelitas, eo etiam magis precandi ſtudium acuere debet. Quanquam autem monitore opus non habet Deus, hic tamen eſt precationis uſus & finis, ut fideles dum ſua mala & ſollicitudines exonerant in Dei ſinum, certo ſtatuant ſuas neceſſitates ab ipſo reſpici.

10. Adipe ſuo ſe clauſerunt, ore ſuo loquuti ſunt cum ſuperbia.	10 חלבמו סגרו פימו דברו בגאות
11. In veſtigiis noſtris nunc circumdederunt me: oculos ſuos poſuerunt ad deprimendum in terram.	11 אשרנו עתה סבבוני עיניהם ישיתו לנטות בארץ׃

12. Simi-

11. Similitudo ejus ut leonis, expetit ad rapiendum, atque ut catuli leonis habitantis in occultis.

12 דמינו כאריה יכסוף לטרוף
וככפיר ישב במסתרים׃

10. *Adipe ſuo.*] Siquis vertere malit ut faciunt alii, Adipem ſuum clauſerunt, eodem redibit ſenſus. Nam quod Hebræi quidam exponunt, Adipe refertos, quia impeditum erat eorum guttur, caruiſſe libera voce, nimis dilutum eſt. Ego vero per vocem Adipis, faſtum, quo non ſecus ac pinguedine turgebant, notari exiſtimo. Eſt autem concinna metaphora, pectus eorum ferocia non ſecus ac pinguedine fuiſſe obturatum. Neque tamen nego, conqueri Davidem, opulentia & deliciis fuiſſe inflatos: ſicuti impios videmus, quo pinguius ſaginantur, magis contumelioſe ſuperbire: ſed interius vitium hic puto deſcribi, quod ſcilicet confidentia undique ſtipati, ſe & ab omni humanitate ſubducunt. ejus deinde ſignum in lingua extare dicit. Summa igitur eſt, intus ſuperbia tumere: neque vero eam diſſimulare, dum verborum ampullas projiciunt. Nam in Oris nomine hic non eſt pleonaſmos, ut ſæpe alibi: quia intelligit David, palam & plenis buccis efflare contumelias, quæ teſtes ſunt eorum ſuperbiæ.

11. *In veſtigiis noſtris.*] Confirmat quod prius dixit de furioſa nocendi libidine, qua flagrabant hoſtes. dicit enim tam crudeliter fuiſſe intentos ad machinandum exitium, ut quocunque deflecteret, non deſinerent à tergo inſtare. Quum dicit Greſſus noſtros, haud dubie ſuos comites complectitur, quanquam ſtatim ad ſe unum redit: niſi quis forte alteram lectionem magis probet, quia nonnulli codices habent סבבונו plurali numero. Sed in eo parum eſt momenti: ſimpliciter enim conqueritur David, niſi Deus è cælo manum porrigat, jam ſibi nullum effugium reſtare, quia ſimulac pedem movit, inſectantur hoſtes, greſſuſque omnes obſervant. Per adverbium temporis Nunc, ſignificat non ſolum in præſenti periculo ſe verſari, ſed ſingulis momentis, quamcunque in partem ſe vertat, greſſus ſuos ab hoſtibus inſiſti & urgeri. Poſterius membrum ita exponunt quidam, acſi venatoribus hoſtes conferret David, qui oculis in terram dejectis, taciti prædæ inhiant. Geſtum ergo notari putant in oculis deorſum fixis. Et certe fraudulenti homines ſæpe ita compoſito ſunt vultu: rectius tamen intelligunt alii, hac figura notari continuum & infatigabilem ardorem quo feruntur impii ad evertenda omnia. Ponere itaque oculos, nihil aliud erit quam applicare totum ſuum acumen, & conatus intendere. Quod autem ſequitur, Ad dejiciendum in terram, tantundem valebit atque ad proſternendum. Nam impii, quaſi ſtante mundo ſibi concidere neceſſe eſſet, totum humanum genus everſum cuperent: ideoque ad omnes proſternendos ſtrenue ſe comparant. Id ſimilitudine amplificat proximus verſus, ubi dicuntur ſimiles eſſe leonibus & catulis leonum. Tenenda autem illa ratio eſt, quo inſolentius contra nos ſæviunt impii, propiorem nobis eſſe Dei manum, ut eorum truculentiæ ſe opponat: cujus hæc propria laus eſt, feras & ſanguinarias belluas compeſcere. Luſtra, vel occultas latebras ideo nominat, quia hoſtes ejus variis lædendi artibus pollebant: & facultas etiam ad manum erat, ut difficile eſſet reſiſtere.

13. Surge Jehova, præveni faciem ejus, proſterne eum: eripe animam meam ab impio, gladio tuo.

14. A viris manu tua Jehova, à viris qui ſunt à ſeculo: quorum portio eſt in vita, quorum ventrem imples bonis tuis reconditis: ſaturantur filii, & reſiduum ſuum dimittunt parvulis ſuis.

13 קומה יהוה קדמה פניו
הכריעהו פלטה נפשי מרשע חרבך׃
14 ממתים ידך יהוה ממתים מחלד
חלקם בחיים וצפונך תמלא בטנם
ישבעו בנים והניחו יתרם לעולליהם

Quo violentius premebatur David, ſubitum quoque Dei auxilium implorat: *faciem* enim pro rapido impetu accipit, ad quem arcendum ſumma feſtinatione opus erat. Quibus verbis docet Spiritus, ubi jam mors ſe prope oſtentat, Deum præſentibus remediis eſſe inſtructum, quæ momento interponere poterit. Nec tantum liberandi partes tribuit Deo, ſed ad impios conterendos ſimul armat potentia. Quanquam eorum dejectionem non optat, niſi quatenus humiliari neceſſe fuit, ut à maleficiis ceſſarent: quemadmodum ex ſequenti membro colligimus, ubi iterum poſtulat animam ſuam eripi. facile enim paſſus eſſet integros ſtare, niſi viribus ſuis injuſte & crudeliter abuſi eſſent. Sciamus ergo Deum ſuis conſulere, dum impios evertit, frangitque ipſorum robur: ut ſcilicet ab exitio liberet innoxias animas. Cæterum quod interpretes appoſitive legunt Ab impio, qui gladius tuus eſt: Item, A viris qui ſunt manus tua, mihi non probatur. Fateor quidem, undecunque proveniant mala, nos Dei manu caſtigari, impioſque eſſe ejus flagella, atque hoc aptiſſimum eſſe patientiæ argumentum: ſed quia modus loquendi hoc loco eſſet aſperior, deinde precationi non admodum quadraret, alium expoſitionem libentius amplector: nempe ut Deus gladio ſuo ipſum eripiat, viros quorum nimis diuturna fuit potentia & felicitas, manu ſua percutiat. Gladium enim Dei humanis ſubſidiis opponit: acſi diceret, niſi Deus prodeat ipſe vindex, gladiumque ſuum exerat, nullam ſpem liberationis reliquam eſſe. Quod proximo verſu ſequitur, A viris manu tua Domine, à viris qui ſunt à ſeculo: ita contexo, Domine vindica me tua manu, vel ope cæleſti, à viris, à viris inquam, quorum tyrannis nimis diu viguit, & quos nimis diu in proſperitatis ſuæ fæcibus reſidere paſſus es. Hæc autem repetitio emphatica eſt: quia David indignitate retentus, primo ſuſpendit ſententiam: deinde collecto ſpiritu, qua de re angatur, exponit. Cæterum quia numero ſingulari nuper uſus fuerat, jam declarat complures ſibi eſſe infeſtos, & quidem validos ac potentes: ut nulla niſi à Dei ope ſpes ſuperſit. Particula A ſeculo, varie exponitur. Quidam vertunt, Temporales, acſi negaret David eorum ſtatum fore durabilem: quod minime conſentaneum videtur. Alii ſic vocari putant qui penitus mundo ſunt dediti, ac nihil niſi terrenum ſapiunt. Itaque ſecundum eos, David brutis animalibus hoſtes ſuos comparat: atque huc quoque referunt quod proxime ſequitur, Partem eorum eſſe in vita: quia ſcilicet ſpiritu vacui, boniſque caducis affixi, ſupra mundum non conſcendunt. Portio enim cujuſque dicitur, in quo ſuam quiſque felicitatem locat. Sed quum חלד Hebræis ſeculum, vel humanæ vitæ curſum ſignificet, non dubito quin David queratur hoſtes ſuos viguiſſe ultra juſtum tempus. Nam ut tolerabilis ſit ad exiguum tempus impiorum protervia, eos tamen, dum contra Deum laſciviunt, ſtabiles manere abſurdum eſt. Atque hunc ſenſum confirmat præpoſitio מן, qua exprimit David, non à triduo duntaxat, vel nuper emerſiſſe, ſed jam à ſeculo duraſſe eorum felicitatem, quam momento evaneſcere oportuit. Niſi forte à ſeculo eos denominet, quia rerum potiuntur inter homines, honoribus & copiis exultant: acſi in eorum tantum gratiam con-

conditus eſſet mundus. Quod vero dicit, portionem eorum eſſe in vita, ſic interpretor, ab omnibus incommodis eſſe immunes, ac deliciis affluere, adeoque à communi ſorte eſſe exemptos: ſicut viciſſim miſeri hominis portio in morte eſſe dicitur. Hoc ergo minime conſentaneum eſſe dicit, impios volitare lætos & alacres extra mortis metum, ſibique quaſi jure hæreditario vendicare quietam ac beatam vitam. Eodem ſpectat quod mox adjungit David, Deum bonis ſuis abditis farcire eorum ventres: ut certe videmus eos non tantum communi luce, & ſpiritu, alimentis, & reliquis commoditatibus promiſcue frui, ſed lautius ſæpe ac ſplendidius tractari à Domino, acſi præ aliis delicatos filios in gremio foveret. Itaque abſcondita Dei bona vocantur raræ & magis exquiſitæ lautitiæ. Dura hæc tentatio eſt, ſiquis Dei favorem à terrena felicitate æſtimet. itaque non mirum eſt hac circumſtantia vehementer fuiſſe turbatum. Sed meminerimus ex pia querimonia levationem eum petere, non autem obſtrepere Deo, ut nos quoque ejus exemplo gemitus noſtros diſcamus in cælum dirigere. Quidam ſubtilius exponunt, vocari abdita Dei bona, quæ impii ipſi cum ſtupore vorant, vel quia non apparet ratio cur tam liberaliter ſua bona Deus in ipſos profundat. Sed illa quam attuli expoſitio, ut ſimplex ac genuina eſt, alias per ſe ſatis refellit. Ultimus gradus eſt, quod continua ſucceſſione divitias ſuas ad filios & nepotes uſque tranſmittunt. Nam quum ex filiis Dei non ſint, quibus promiſſa eſt hæc benedictio, ſequitur in diem mactationis eos ſaginari. Ideoque finis querimoniæ eſt, ut mature vindictam ſuam exerat Deus, quando tamdiu abuſi ſunt ejus indulgentia.

15. Ego in juſtitia videbo faciem tuam: ſatiabor quum evigilavero, effigie tua.

15 אני בצדק אחזה פניך אשבעה
בהקיץ תמונתך׃

Poſtquam anxie moleſtias quæ ipſum urebant & torquebant, coram Deo expoſuit, ne tentationum mole obruatur, alis fiduciæ ſe attollit in ſerenam tranquillitatem, in qua res legitimo ſuo ordine compoſitas videat. Nam hic primum tacita comparatio eſt inter ſtatum bene ordinatum, ubi Deus ſuo judicio reſtituet quæ nunc confuſa ſunt, & turbulentam caliginem quæ tacente Deo faciemque ſuam occultante, mundum occupat. Nam David inter illas quas retulit, afflictiones, videri poterat in æternas tenebras demerſus: impii enim proſpera fortuna, honoribus & divitiis florentes, videntur Deo propinqui. Atqui David ſuperbæ ipſorum jactantiæ inſultat: & quamvis in ſpeciem procul à Deo ſit rejectus, ſibi tamen familiarem ejus conſpectum promittit. Pronomen *Ego* emphaticum eſt: acſi dixiſſet ſuas ærumnas & probra non fore obſtaculo quominus ex paterno Dei amore plenam lætitiam rurſum percipiat. Nam & hoc notandum eſt, hoc uno contentum eſſe ad ſummam beatitudinis, ſi Deum ſibi propitium ſentiat, quo adverſo impii fruſtra ſe felices imaginantur. Dei enim conſpectus nihil aliud eſt, quam paterni favoris ſenſus, quo nos non modo exhilarat, abſterſis noſtris doloribus, ſed in cælum uſque rapit. Juſtitiæ nomine ſignificat ſe bonæ conſcientiæ mercede nequaquam fruſtratum iri. Quamdiu enim cruce & miſeriis ſuos humiliat Deus, mundus eorum ſimplicitati petulanter illudit, acſi temere & ſtulte puritati ſtuderent. Cum hoc ludibrii genere David nunc luctatur, ſibique repoſitum pietatis fructum eſſe aſſerit, modo ab obedientia
Jeſa. 3. verſ. 10. juſtitiæ Dei non diſcedat: quemadmodum Jeſaias fideles hortatur ut ſe hac perſuaſione ſuſtineant, Juſto bene erit. Neque tamen ideo ſalutis ſuæ cauſam aſcribit operibus, quia non diſputat quibus meritis recipiendus ſit in Dei gratiam: ſed tantum hoc ſtatuit, operam non perdere quicunque Deum colunt: quia utcunque ad tempus faciem ab illis ſuam ſubducat, opportune lucidum ejus conſpectum tandem reſtituit. *Satiabor.* Argute quidam interpretes magis quam proprie ad ultimam reſurrectionem hoc reſtringunt, acſi David ſpem beatæ lætitiæ differret, ac deſiderium ſuſpenderet uſque in futuram vitam. Et ſatietas quidem hæc de qua loquitur, non ante ultimum Chriſti adventum ſuis omnibus numeris conſtabit, fateor: ſed quia ſancti, ubi Deus amoris ſui notitia eos irradiat, in hac luce acquieſcunt, merito hanc pacem David, vel gaudium Spiritus, ſatietatem vocat. Nam etſi impii ſua abundantia crepent: quia tamen inexplebilis eſt eorum cupiditas, vel quia vento paſcuntur, vel quia attoniti, bona ſua non ſentiunt, vel quia diris conſcientiæ tormentis laborant, nunquam animis ſunt ſedatis & tranquillis, ſed inter cæcas agitationes æſtuant. Una eſt igitur Dei gratia quæ nobis ſufficit, ne intempeſtivis deſideriis huc illuc raptemur. Itaque non dubito quin David ad inanes mundi lætitias alludat, quæ nihil quam appetitus irritant: ut non alios ſolido gaudio frui oſtendat, niſi quibus unus Deus ſatisfacit. Quia autem ad verbum Hebraice dicit, Satiabor in evigilando faciem tuam, vel facie tua: nonnulli priorem ſenſum magis probantes, evigilare faciem Dei vel expergiſci intelligunt, quum lumen gratiæ ejus quod prius nebulis obductum erat, emergit. Verum mihi aptius videtur, referre verbum Evigilandi ad Davidem, ut tantundem valeat ac reſpirare à triſtitia. Etſi enim ſtupore nunquam fuerat oppreſſus, fieri tamen non potuit quin poſt longam fatigationem quaſi ſopitus jaceret. Neque enim omnes conflictus tam animoſe ſuſtinent ac repellunt ſancti, quin pro carnis infirmitate langueſcant ad tempus, vel tanquam offuſis tenebris expaveſcant. hanc igitur perturbationem David ſopori comparat. Ubi autem iterum affulſerit Dei favor, ſe recepto vigore tranquillum fore
dicit. Vere quidem dicit Paulus, quamdiu in mundo *2 Cor. 5. verſ. 7.*
peregrinamur, per fidem incedere, non per aſpectum: ſed quia nihilominus effigiem Dei non tantum in Euangelii ſpeculo, ſed in tot documentis gratiæ ejus quotidie cernimus, ſe quiſque à torpore excitet, ut nos ſatiet ſpiritualis felicitas, donec facie ad faciem ſe nobis fruendum exhibeat Deus.

by Google

ARGUMENTUM PSALMI XVIII.

Scimus per quas difficultates, & quam ardua obſtacula David ad regnum pervenerit. nam uſque ad mortem Saulis exul & profugus, trepide vitam inter multas mortes protraxit. Deinde quum Deus jam eum ſua manu in ſolio locaſſet, exceptus fuit inteſtinis diſcordiis: & quum potentior eſſet adverſa factio, parum ſæpe abfuit ab interitu. Hoſtes vero externi eum ad ſenium uſque duriter exercuerunt. His malis, niſi Dei virtute adjutus, nunquam ſuperior fuiſſet. Multas ergo & inſignes victorias adeptus, non ſibi (ut ſolent profani homines) triumphum canit: ſed Deum illarum auctorem juſtis encomiis celebrat. Pſalmus ergo hic initium eſt, quo magnifice David tam in regno ſuo auſpicando, quam in tuendo ejus ſtatu admirabilem Dei gratiam extollit. Deinde oſtendit in regno ſuo adumbratam fuiſſe regni Chriſti imaginem, ut ſtatuant fideles, quamvis invito & reluctante toto mundo, Chriſtum incredibili Patris potentia ſemper fore victorem.

PSALM. XVIII.

PRæfecto, ſervi Jehovæ Davidis, qui recitavit Jehovæ verba Cantici hujus, die quo eum Jehova eripuit è manu omnium hoſtium ejus, & è manu Saulis.

1 למנצח לעבד יהוה לדוד אשר
דבר ליהוה את דברי השירה
הזאת ביום הציל יהוה אותו מכף
כל איביו ומיד שאול׃

NOn parum ad rem facit temporis notatio, ut ſciamus Davidem rebus pacatis non luxuriaſſe in ebria lætitia: ſicuti profani homines, ubi data eſt illis à malis relaxatio, excuſſa beneficiorum Dei memoria, vel ſe immergunt in craſſas voluptates, vel criſtas erigunt, vel jactantiæ ſuæ fumis Dei gloriam obſcurant. Refert enim Sacra hiſtoria, quum jam ætate fere confectus eſſet, defunctuſque omnibus moleſtiis quietus ſederet, ceciniſſe hoc canticum Domino, 2 Samuelis 22. capite. Convenit etiam inſcriptio hæc, quam non temere fuiſſe appoſitam, ex iſtis rationibus colligimus. Tempus vero deſignat, poſtquam eum Deus eripuerat ab omnibus inimicis, ut ſciamus tunc prorſus tranquillam fuiſſe regni poſſeſſionem, & non ſemel, neque in uno tantum hoſtium genere Deum illi opem tuliſſe, quum ſubinde renovarentur certamina, finis unius belli, initium eſſet alterius: imo ſæpe multiplices copiæ adverſus eum ſurgerent. Vix enim quiſquam alius reperietur à mundo creato, quem tam varie exercuerit Deus. Sed quia eum crudelius quam reliqui omnes, majoreque furore & pertinacia Saul perſequutus fuerat: ideo diſerte exprimitur ejus nomen, quum prius generalis facta eſſet omnium hoſtium mentio. Neque enim poſtremo loco ponitur quaſi eſſet recentior, qui jam ante annos circiter triginta mortuus erat, à cujus morte complures exteros hoſtes debellaverat ipſe David, & conjurationem filii Abſalom extinxerat. Quia ergo apprime hanc eſſe memorabilem Dei gratiam noverat, quod per tot annos ab innumeris mortibus elapſus eſſet: imo quot fere dies ſub regno Saulis tranſegerat, totidem ſe miraculis fuiſſe divinitus redemptum, non ſine cauſa præcipue hujus liberationis hiſtoriam celebrat. *Servum Dei* ſe nominans, de ſua vocatione haud dubie teſtari voluit: acſi negaret ſe temere involaſſe in regnum, ſed tantum Dei oraculo paruiſſe. Hæc autem in tot procellis maxime neceſſaria fultura: imo in naufragiis hic unicus portus fuit, ſibi de cæleſti mandato probe eſſe conſcium. Nihil enim in rebus adverſis homine miſerius, ſi ingenii ſui motu diſcrimen ſubiit. Optimo itaque conſilio David teſtatum eſſe voluit, ſe neque ambitione fuiſſe impulſum ad hæc certamina, quibus graviter perculſus fuit, neque malis artibus præter fas quicquam tentaſſe: ſed præluxiſſe Dei mandatum. Quod nobis cognitu non parum utile eſt, ne immunitatem ſperemus ab omni moleſtia, ubi ſequimur vocantem Deum: ſed nos potius ad duram militiam paremus. Ergo Servi nomen ad publicum munus hoc loco (ut ſæpe alibi) refertur: ſicuti quum Prophetæ & Apoſtoli ſe Dei ſervos vocant. acſi diceret ſe non eſſe Regem à ſeipſo creatum, ſed divinitus electum. Interim digna obſervatu eſt ejus modeſtia, quod tot victoriis nobilis, tot gentium domitor, tanta dignitate & opulentia præditus, non alio quam ſervi Dei elogio ſe inſignit: acſi hoc omni mundi præſtantia magis honorificum cenſeret, fideliter munus à Deo injunctum obiiſſe.

2. Et dixit, Diligam te Jehova fortitudo mea.
3. Jehova petra mea, munitio mea, & liberator meus: Deus meus, rupes mea, ſperabo in eo: clypeus meus, & cornu ſalutis meæ, refugium meum.

2 ויאמר ארחמך יהוה חזקי׃
3 יהוה סלעי ומצודתי ומפלטי אלי
צורי אחסה בו מגני וקרן ישעי
משגבי׃

2. *Et dixit.*] Ego hic vel ſyllabas, vel paucas voces curioſius non perſequar, in quibus ab hoc Pſalmo differt Canticum illud quod 2 Samuelis refertur. Tantum ſi quod majoris momenti occurret diſcrimen, ſuo loco perſtringam: ſicuti notabilis eſt hujus ſententiæ omiſſio, Diligam te Domine fortitudo mea. Porro quia verbum רחם non niſi in conjugatione Pihel Scriptura uſurpat pro Diligere: hic autem poſitum eſt in conjugatione Cal, Hebræi quidam interpretantur Miſericordiam quærere, acſi dixiſſet David, Domine quando te miſericordem ſum toties expertus, perpetuo in tuas miſericordias recumbam. atque hæc quidem expoſitio non male quadraret: nolui tamen ab altera magis recepta diſcedere. Notandum vero eſt, amorem Dei tanquam præcipuum pietatis caput hic poni: quia nulla re melius colitur Deus. Fateor quidem Reverentiæ nomine magis exprimi quem illi debemus cultum, ut in ſuo gradu emineat ejus majeſtas; ſed quia nihil magis requirit quam ut omnes cordis noſtri affectus poſſideat, nullum ei præſtantius ſacrificium eſt, quam ubi liberalis & ſpontanei amoris vinculo nos ſibi devinctos tenet: ſicuti viciſſim nuſquam melius, quam in gratuita bonitate, ejus gloria refulget. Ideo Moſes ſummam Legis colligere volens, Nunc, inquit, Iſraël quid à te petit Dominus Deus, niſi ut ipſum diligas? *Deut. 10. verſ. 12.* Quanquam ſimul oſtendit David, ſe non ita affixum eſſe Dei beneficiis, ut in auctorem ſit ingratus. quod vitium omnibus ſeculis fuit nimium vulgare. Et hodie videmus ut major pars mundi, neglecto, vel poſthabito Deo, ſuaviter in ejus donis ſe oblectet. David autem ne in hanc ingratitudinem incidat, his verbis quaſi nuncupat ſolenne votum, Domine, quia tu fortitudo mea es, ſincero amore tibi addictus ero.

3. *Dominus petra mea.*] Quod multa elogia congerit quibus Deum ornet, non eſt ſupervacuum. Scimus enim quam difficile ſit mentes & corda ho-

animum tenere Deo addicta. Nam vel Deum ſibi non ſufficere imaginantur, ut ſemper alibi ſubſidia requirant: vel primo quoque tentationis impulſu ab ejus fiducia excidunt. David ergo varios ſervandi modos Deo tribuens, modo eum habeat ſalutis ſuæ præſidem, ſatis ſuperque ſe munitum eſſe teſtatur: acſi diceret, non modo contra unum diſcriminis genus tutos eſſe quos Deus auxilio ſuo vult tueri, ſed omni ex parte ita ſeptos eſſe valido præſidio, ut nullæ mortes metuendæ ſint. Videmus ergo non modo gratitudinis cauſa hic celebrari Dei laudes, ſed inſtrui firma & conſtanti fide animos, ut ſubinde ad Deum recurrant, quicquid acciderit: & certo perſuaſi ſint multiplicem eſſe ejus virtutem, prout varias nocendi ſpecies excogitant impii. Nec vero abs re (ut nuper admonui) in hac parte tam copioſus eſt David. nam ſi nos uno modo adjuverit Deus, ſimulac exorta eſt nova tempeſtas, non ſecus expaveſcimus acſi nunquam ejus auxilium eſſemus experti. Et qui in una moleſtia defenſionem ab eo expectant, poſtea maligne reſtringunt ejus potentiam: perinde faciunt acſi quis in conflictum deſcendens, de pectore ſecurus ſit, quia thorace & clypeo munitus eſt: capiti vero metuat, quia caret galea. Ideo David panoplian hic ſuppeditat fidelibus, ut ſentiant ſe ad nullos ictus eſſe expoſitos, modo armati ſint Dei virtute. Atque hunc conſilii ſui finem declarat quum dicit, *Sperabo in eo.* Quare diſcamus ejus exemplo, quæcunque nos anxietates impetant, objicere hos Dei titulos: imo noſtræ memoriæ inſideant, ut quicquid timoris ingerat Satan, procul ab ingreſſu arceatur. Neque enim tantum in malis præſentibus vacillamus, ſed fingimus etiam nobis varia pericula in futurum tempus, quæ fruſtra nos conturbent. 2 Samuelis 22. verſ. 3. pro *Deus meus rupes mea*, habetur Deus rupis meæ. Et poſt nomen *refugii*, habetur Arx mea, ſervator meus, à violentia ſervabis me: quæ pleniorem efficiunt ſententiam, ſed eodem ſpectant.

4. Laudatum invocabo Jehovam, & ab inimicis meis ſervabor.

5. Circumdederant me * funes mortis, torrentes impietatis terruerant me.

6. Funes † ſepulchri circumdederant me, prævenerant me laquei mortis.

7. In anguſtia mea invocavi Jehovam; & ad Deum meum clamavi: & audivit de templo ſuo vocem meam, & clamor meus coram eo pervenit ad aures ejus.

* vel, contritiones.
† vel, corruptionis.

4 מְהֻלָּל אֶקְרָא יְהוָה וּמִן אֹיְבַי אִוָּשֵׁעַ׃

5 אֲפָפוּנִי חֶבְלֵי מָוֶת וְנַחֲלֵי בְלִיַּעַל יְבַעֲתוּנִי׃

6 חֶבְלֵי שְׁאוֹל סְבָבוּנִי קִדְּמוּנִי מוֹקְשֵׁי מָוֶת׃

7 בַּצַּר לִי אֶקְרָא יְהוָה וְאֶל אֱלֹהַי אֲשַׁוֵּעַ יִשְׁמַע מֵהֵיכָלוֹ קוֹלִי וְשַׁוְעָתִי לְפָנָיו תָּבוֹא בְאָזְנָיו׃

4. *Laudatum invocabo,*] Quanquam invocatio Dei (ut alibi dictum eſt) totum ſæpe cultum comprehendit, quia tamen hic ſequitur precationis effectus, non dubito quin hic ſignificet Conferre ſe in fidem Dei, & ſalutem ab eo petere. Atque hoc ſpei ſuæ teſtimonium David ſubjecit, quia Dei opem implorat in neceſſitate quiſquis in eo ſperat. pronunciat igitur ſe ſalvum fore, & omnium hoſtium victorem, quia ad Deum confugiet. Vocat autem Deum laudatum, non modo quia dignus ſit laude, ut omnes fere exponunt: ſed ut ſignificet preces ſuas laudibus miſtas fore. Sic enim videtur exigere loci circumſtantia, quod de ſuperioribus beneficiis gratias agens, ejus opem novis votis expetet. Et certe niſi qui gratiæ Dei memoria ſe eriget, nunquam libere precabitur. Ideo Paulus hortatur fideles, ut in omni precatione cum gratiarum actione curas ſuas & petitiones deponant in ſinum Dei. Adde quod obſtrepunt Deo, & cum eo expoſtulant quicunque laudem ejus ſuis votis non conjungunt.

Philip 4. verſ. 6.

5. *Circumdederant me.*] Jam narrare incipit David quam certis & illuſtribus documentis expertus ſit, manum Dei ſatis eſſe ad repellendum quodvis malorum genus validam & robuſtam. Nec mirum eſt poëtice & ſplendido verborum ornatu amplificari quæ ſimplicius & æquabili ſtylo deſcribi poterant: nam Spiritus ſanctus cum malignis & pravis hominum ingeniis certare volens, Davidem hic quaſi hyperbolica facundia inſtruxit, quæ ad conſideranda Dei beneficia mundum expergefaceret. Vix ullum eſt tam palpabile Dei auxilium, quod non obſcuret noſtra malignitas. Ergo David, ut efficacius ſenſus noſtros penetret, ſalutem ſibi divinitus allatam, in toto mundi opificio conſpicuam fuiſſe dicit. Hoc ejus conſilium tenendum eſt, ne putemus in ſtylo altiore modum excedere. Porro ſumma eſt, quum jam redactus eſſet in ultimas anguſtias, confugiſſe ad opem Dei, & mirabiliter fuiſſe ſervatum. Quod ad verba attinet, חבלים vocant Hebræi vel funes, vel dolores, vel etiam quodvis exitiale malum: quia hominem corrumpit, ac tendit in ejus interitum. Ut Pſalmus reſpondeat Cantico, mihi non diſplicet pro contritione accipi, quia illic habetur משברי מות, quod nomen à conterendo deductum eſt. Sed quia verbo Circumdandi aptior erat metaphora ſumpta à funibus vel laqueis, acſi dixiſſet ſe mortis periculis fuiſſe undique implicitum: hanc interpretationem libenter ſum amplexus. Quod ſequitur de torrentibus, tantundem valet acſi dixiſſet, violento impetu non ſecus ac naufragio ſe fuiſſe obrutum. Cæterum torrentes Belial vocat, quia in eum conſpiraverant improbi homines ac perverſi. Nam apud Hebræos nomen illud late patet: de etymologia non conſentiunt interpretes. Cur Hieronymus verterit, abſque jugo, neſcio. Magis recepta opinio eſt, compoſitum eſſe ex בלי, & יעל, quia non aſcendunt impii, vel non proficiunt. Certe quodvis ſcelus deteſtabile hac voce deſignant Hebræi: unde probabile eſt, Davidem ad ſuos hoſtes reſpexiſſe, qui impie & ſceleſte exitium ei machinabantur. Quanquam ſiquis Mortiferos torrentes exponere malit, non repugno. Proximo verſu iterum repetit ſe corruptionibus vel funibus ſepulchri fuiſſe obſeſſum. Quum idem ſit Hebraicum nomen, placuit etiam hoc loco Funes vertere, non tantum quia Obſidendi verbo utitur, vel Cingendi, ſed quia mox eodem ſenſu (ut ego quidem arbitror) adjungit laqueos mortis. Hæc eſt periculi deſcriptio, quæ liberationis gloriam illuſtrat: quia quum in tantam deſperationem conjectus eſſet David, humanitus eripi non potuit.

7. *In anguſtia mea.*] Quod David jam in gurgitem mortis fere demerſus, cor ſuum precibus in cælum extulit, præclarum ratæ fidei teſtimonium fuit. Sciamus ergo tale ſpeculum nobis ſtatui ante oculos, nequa malorum atrocitas nos à precando deterreat. Quod autem fructum hunc attulit precatio, hinc melius innotuit divinitus eſſe liberatum. Clamandi verbo ardorem (ut alibi diximus) vehementemque ſtudium denotat. Deinde appellans Deum ſuum, ſe à craſſis Dei contemptoribus vel hypocritis

critis diſcernis, qui neceſſitate quidem coacti, cæleſte numen confuſe invocant: ſed nec familiariter nec puro corde ad Deum accedunt, de cujus paterna gratia nihil tenent. Ubi ergo prælucet fides, ut perſuaſi ſimus Deum nobis eſſe Patrem, tunc demum mutuæ communicationi aperta eſt janua. Adde quod David Deum à parte ſua ſtatuens, hoſtibus ſuis adverſum facit: quod ad commendationem pietatis ejus pertinet. Per nomen Templi hoc loco non ſanctuarium (ut alibi ſæpe) ſed cælum intelligitur. Nam figura quam ſtatim ſubjiciet, non poſſet ſanctuario aptari. Senſus ergo eſt, quum in mundo deſertus eſſet, ac ſurdæ eſſent omnium hominum aures, Deum è cælo manum porrexiſſe.

8. Tunc movit ſe, & contremuit terra, & fundamenta montium tumultuata ſunt, & moverunt ſe, quia iratus erat.

8 ויתגעש ותרעש הארץ ומוסדי הרים ירגזו ויתגעשו כי חרה לו׃

9. Aſcendit fumus in nares ejus, & ignis ex ore ejus conſumpſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.

9 עלה עשן באפו ואש מפיו תאכל גחלים בערו ממנו׃

10. Et inclinavit cælos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus ejus.

10 ויט שמים וירד וערפל תחת רגליו׃

11. Et equitavit ſuper Cherub, & volavit: & delatus eſt ſuper pennas venti.

11 וירכב על כרוב ויעף וידא על כנפי רוח׃

12. Poſuit tenebras latibulum ſuum, per circuitus ejus, tabernaculum ejus tenebroſitas aquarum, nubes cælorum.

12 ישת חשך סתרו סביבותיו סכתו חשכת מים עבי שחקים׃

8. *Tunc movit ſe.*] Quia non poterat David pro dignitate ſatis attollere quod expertus erat Dei auxilium, imaginem ejus in cælo & terra depingit: acſi diceret tam fuiſſe viſibile, quam manifeſtæ ſunt mutationes quæ cælo & terræ diverſam faciem induunt. Nam ſi æquabilis & idem ſemper fluoret rerum tenor, non ita ſenſibilis eſſet Dei potentia. Ubi autem vel ſubito imbre, vel tonitru, vel procellis cælum transformat, neceſſe eſt qui prius torpebant, expergefieri: quia tam inopinatæ vices Dei præſentiam melius oſtendunt. Sereno quidem & tranquillo cælo plane conſpicua eſt Dei majeſtas: ſed quia ſenſus ſuos ad eam reputandam non erigunt homines donec propius deſcendat: David ut nos efficacius tangat, repentinas quibus percelli ſolemus, mutationes enumerat, Deumque inducit nunc veſtitum obſcura nube, nunc procellis turbantem, nunc præcipiti ventorum impetu ſecantem medium aëra, nunc fulgurantem, nunc jaculantem grandines & fulmina. Summa huc redit, Deum illum qui omnes mundi partes ſua virtute, quoties ita viſum eſt, concutit, ubi Davidi liberator adeſſe voluit, non minus aperte certiſque indiciis apparuiſſe, quam ſi virtutem ſuam ſurſum & deorſum in omnibus creaturis exeruiſſet. Primo dicit concuſſam fuiſſe terram, quia nihil eſt magis formidabile terræ motu. Pro Fundamentis montium, in Cantico habetur, Cælorum fundamenta, eodem tamen ſenſu, nihil ſcilicet tam ſtabile vel firmum fuiſſe in mundo quod non trepidaverit, ac loco motum fuerit. Neque tamen (ut jam præfatus ſum) hoc hiſtorice refert David, ſed iſtas ſimilitudines adhibet dubitationis tollendæ cauſa, propter hominum ſocordiam, qui Deum non apprehendunt niſi in externis ſignis. Quod enim hæc palam edita fuiſſe miracula quidam ſentiunt, vix credibile eſt, quum in narranda ejus vita Spiritus ſanctus de his prorſus taceat. Nec vero hyperbolicus iſte loquendi modus calumniis obnoxius eſſe poteſt, ſi nobis in mentem veniat noſtra ſocordia: deinde etiam pravitas, ſicuti nuper admonui. David enim qui longe oculatior & magis perſpicax fuit vulgo hominum, quia apud tardos & hebetes ſimplici loquendi modo ſatis proficere non poterat, quam ipſe fide & Spiritu ſenſerat Dei potentiam, ſub externis figuris deſcribit. Certe minime dubium eſt, præſentiſſimum Dei numen certius apprehenſum fuiſſe à Davide, quam ſtupidum hominum vulgus in terræ motibus, procellis, fulminibus, triſti cælorum obductione, rapidis ventis Dei manum ſentiat. Simul expendere convenit, quantumvis mirabiliter teſtatam feciſſet Deus gratiam ſuam in Davide ſervando, multos tamen putaſſe vel ſua induſtria, vel fortuito, vel aliis naturalibus modis proſpere illi omnia ceſſiſſe. nam talis ſtupor vel malitia eum coëgit ut creaturas omnes teſtes advocaret. Prudenter etiam & recte quidam obſervant, eum in hac tota deſcriptione ad communem Eccleſiæ redemptionem alludere. Nam quum tunc perpetuum documentum ſtatuerit Deus, unde colligerent fideles ſalutis ſuæ eſſe vindicem, quæcunque poſtea vel publice, vel privatim beneficia in populum ſuum contulit, primæ illius redemptionis quædam fuerunt velut appendices. Ideo aliis quoque locis ut auxilia populo divinitus præſtita commendet, illud tam memorabile ſpecimen quaſi archetypum gratiæ Dei proponit. Et certe quum eum extorrem à patria multi ludibrio haberent, quaſi abdicatum à Dei familia, multi fremerent regnum violenter fuiſſe ab eo raptum, optima fuit ratio cur ſuæ ſalutis præſidium ſub communi populi liberatione includeret: acſi diceret ſe immerito repudiari tanquam alienum quem Deus re ipſa probaſſet coram ſe nobile & eximium Eccleſiæ membrum cenſeri. Videmus enim ut Prophetæ, quoties ſpem ſalutis facere volunt populo, eam ad primum fœdus revocent, quod miraculis illis in Ægypto, in tranſitu maris Rubri, & in monte Sinai editis ſancitum fuerat. Terram irato Deo tremuiſſe dicit impiorum reſpectu. Sic enim ſæpe loquitur Deus, ſe indignatione & zelo accenſum pro aſſerenda fidelium ſalute arma induere.

9. *Aſcendit fumus.*] אף Hebræis vel naſum vel nares proprie ſignificat: ſed quia metaphorice interdum pro iracundia capitur, quidam ita vertunt, Aſcendit fumus in furore ejus: meo judicio, parum appoſite. Nebulas enim & vapores, quibus cælum obtenebreſcit, David craſſiori fumo comparat, quem exhalant nares irati hominis. Atque hinc melius cognoſcitur quam formidabilis ſit ira Dei, dum flatu ſuo cælum obnubilat: Soliſque & ſtellarum omnium fulgorem nobis auferens, tenebris nos opprimit. Nec vero aliter quadraret quod proxime ſequitur, ignem ex ore ejus profectum conſumere. ſignificat enim Deum abſque majore conatu, ſimulac flatum emiſerit è naribus, & os aperuerit, ignem excitaturum, qui fumo ſuo totum mundum obſcuret: deinde ardore devoret. Nam quod addit, carbones eſſe ſuccenſos, ad diſtinctionem evanidæ flammæ valet. Inclinatio cælorum, tempus obnubilum deſignat. Nam ubi denſi vapores medium aërem occupant, videntur nubes capitibus noſtris incumbere: neque id ſolum, ſed Dei majeſtas propiore

acceſſu nobis horrorem incutit, & anxietate conſtringit, qui ſereno cælo late effuſi eramus in lætitiam. Cæterum meminerimus ſub cæli caligine iram Dei nobis depingi: quia ſicuti pura luce jucunda Dei facies nos exhilarat: ita cælo turbido, quaſi minacibus ſuperciliis in nos rueret, frontem contrahere præ triſtitia cogimur. Interea monemur nullam in cælo vel terra mutationem fieri, quæ Dei præſentiæ non ſit teſtis.

11. *Et equitavit ſuper Cherub.*] Quemadmodum in nubibus & aëris contractione ſignum iræ Dei nobis depinxit, acſi fumum è naribus efflaret, ac minitabundus deſcenderet ad homines terribili virtutis ſuæ mole urgendos: item in fulguribus & fulgetris ignem flammantem ab ore ejus exire dixit: ita nunc ſuper ventos & turbines equitantem inducit, ut celeri curſu, vel pernici volatu potius totum orbem perluſtret. Similis etiam deſcriptio Pſalmo 104. v. 3. habetur, ubi dicitur Deus vehi ſuper alas ventorum, & illos quaquaverſum ut celeres nuncios emittere. Cæterum non ſimpliciter Deum facit ventorum moderatorem, & qui ſua virtute eos impellat, ſed ſimul dicit equitare ſuper Cherub: ut ſciamus ipſos ventorum impetus ejus mandato per Angelos gubernari. Scimus enim ſub figura Cherubim repræſentatos fuiſſe Angelos. Itaque non dubito quin Davidis conſilium fuerit ad Arcam fœderis alludere. Sic enim Dei potentiam in naturæ miraculis hic ſpectandam proponit, ut tamen à templo non recedat, ubi ſciebat peculiari modo Deum ſe filiis Abrahæ patefeciſſe. Non igitur Deum mundi opificem ſolummodo celebrat, ſed qui cum Iſraële fœdus pepigit, ſibique in medio ejus elegit ſacrum domicilium. Poterat enim ſuo nomine vocare Angelos: ſed conſulto viſibile Arcæ ſymbolum poſuit, ut fideles ad templi cultum animos referrent. Quod ſequitur de obſcuro Dei tentorio, repetitio eſt ſuperioris ſententiæ ſub aliis verbis: quod ſcilicet Deus tenebris aërem obducens, homines quodammodo prohibeat à ſui conſpectu: perinde acſi Rex quiſpiam populo infenſus, in receſſum & latebras ſeſe abdat. Falluntur enim qui generaliter hunc verſum trahunt ad probandam arcanam Dei gloriam, acſi David humanæ curioſitatis audaciam cohibere volens, Deum latere in tenebris diceret. Habitat quidem Deus lucem inacceſſam, fateor: ſed non dubito quin hæc loquutio ad loci præſentis circumſtantiam reſtringi debeat, eo quem attuli ſenſu.

13. Præ fulgore in conſpectu ejus nubes ejus tranſierunt, grando & carbones ignis.	13 מנגה נגדו עביו עברו ברד וגחלי אש׃
14. Et intonuit in cælis Jehova, excelſus edidit vocem ſuam, grando & carbones ignis.	14 וירעם בשמים יהוה ועליון יתן קלו ברד וגחלי אש׃
15. Et miſit ſagittas ſuas, & diſſipavit eos: & fulgura multiplicavit, & conturbavit eos.	15 וישלח חציו ויפיצם וברקים רב ויהמם׃
16. Et apparuerunt gurgites aquarum, & retecta ſunt fundamenta orbis ab increpatione tua Jehova, à flatu ſpiritus * naris tuæ.	16 ויראו אפיקי מים ויגלו מוסדות תבל מגערתך יהוה מנשמת רוח אפך׃
17. Miſit è ſublimi, aſſumpſit me: eduxit me ex aquis magnis.	17 ישלח ממרום יקחני ימשני ממים רבים׃
18. Eripuit me ab hoſte meo robuſto, & ab adverſario meo: quoniam præ me roborati erant.	18 יצילני מאיבי עז ומשנאי כי אמצו ממני׃
19. Prævenerant me in die confractionis meæ: & fuit Jehova in firmamentum mihi.	19 יקדמוני ביום אידי ויהי יהוה למשען לי׃
20. Et eduxit me in latitudinem: eripuit me, quia mihi bene volebat.	20 ויוציאני למרחב יחלצני כי חפץ בי׃

* vel, ira ſua.

13. *Præ fulgore*, &c.] Iterum redit ad fulgetra, quæ diſcuſſis nubibus cælum aperiunt. ideoque dicit nubes Dei (hoc eſt, quas ſibi oppoſuerat in ſignum iræ, ut luce vultus ſui privaret homines) tranſiſſe præ fulgore ejus, vel à fulgore. nam ſubitæ iſtæ mutationes vehementiore potentiæ Dei ſenſu nos afficiunt. Addit, grandinem ſubſequutam eſſe cum carbonibus ignis. nam quum ſcinduntur nubes tonitru, vel erumpunt fulmina, vel nubes ſe in grandinem reſolvunt.

14. *Et intonuit.*] Idem aliis verbis inculcat, Deum è cælo tonuiſſe: ipſum vero tonitru appellat vocem Dei, ne putemus vel fortuito, vel naturalibus cauſis gigni abſque cæleſti imperio. Vident quidem philoſophi medias vel inferiores cauſas, nempe ubi frigidi & humidi vapores ſiccis & calidis exhalationibus in ſublime tendentibus viam claudunt, ex conflictu atque etiam nubium fragore ſonitum excitari: ſed David ſupra meteora ſpiritu conſcendens, Deum præſidem ſtatuit, qui ſuo juſſu penetret in abditas terræ venas, ac inde educat exhalationes: deinde in ſpecies diſtribuens, per aërem ſpargat, conglomeret inde vapores, eoſque cum raris & ſiccis caloribus in pugnam committat, quaſi vocem ipſe emitteret ex ore ſuo. Hanc repetitionem Canticum proſequitur: ſenſus tamen per omnia convenit. Tenendum vero eſt quod prius dixi, Davidem ſub his figuris terribilem Dei potentiam nobis deſcribere, quo gratiam ejus in ſua liberatione melius illuſtret. Et ipſe mox conſilium ſuum exponit, quum hoſtes ſuos ſcribit *fuiſſe diſſipatos ſagittis* Dei: acſi diceret, non manibus hominum vel gladiis fuiſſe proſtratos, ſed Deum in ipſos palam fulminaſſe: non quod rem ita fuiſſe geſtam hiſtorice aſſerat, ſed quia rudes & maligni aliter adduci non poterant ut Deum ſentirent eſſe ejus liberatorem: acſi diceret, Deum è cælo tonare negent, ac in toto naturæ ordine, præſertim vero in mirandis vicibus potentiam ejus aboleant quicunque non agnoſcunt ejus manu me fuiſſe ſervatum. Quia autem fulgura Deus tanquam ſagittas jaculatur, metaphoram priore loco poſuit: deinde rem expreſſit ſuo nomine.

16. *Et apparuerunt.*] Hoc verſu haud dubie ad miraculum in tranſitu maris Rubri editum alludit, quo conſilio id fiat, prius admonui. Nam quia ſpecialibus beneficiis, quæcunque olim Deus in ſingulos Abrahæ filios contulit, fœdus ſuum ſemel cum toto populo ſancitum ſubinde revocavit in memoriam, ut de continua ejus gratia certo perſuaſi eſſent,

eſſent, atque una liberatio ſpecimen illis vel pignus eſſet perpetuæ ſalutis: David opportune auxilium ſibi privatim è cælis oblatum cum illa antiqua Eccleſiæ redemptione conjungit. Quia enim gratia illa quam ſibi exhibitam fuiſſe prædicat, à prima redemptione non erat ſeparanda, quum pars ejus & appendix eſſet: quaſi uno momento & miraculum ſiccati maris Rubri, & auxilium ſibi præſtitum intuetur. Summa eſt, Deum qui ſemel viam per Mare ſuis patefecit, & hac lege ſe vindicem eorum oſtendit, ut confiderent ſub ejus cuſtodia perpetuo ſe fore incolumes, jam rurſus in uno homine ſervando admirabilem ſuam virtutem exeruiſſe, ut antiquæ illius hiſtoriæ memoriam renovaret. Unde melius liquet, Davidem in his hyperbolis non poëtice fabulari, ſed methodum fidelibus à Deo præſcriptam tenere. Simul etiam notanda eſt illa ratio quæ ad amplificandam Dei gratiam eum coëgit, quod major pars populi eam clauſis oculis prætcriret ſive malitia, ſive ſtupore. Nomen Hebraicum אפיקים quod ego verti *gurgites*, proprie alveos ſignificat: ſed minime ambiguum eſt quin hoc loco ſignificet David, ipſas aquarum ſcaturigines fuiſſe conſpicuas, atque ita potuiſſe diſcerni unde fluminibus ad continuum curſum inexhauſta vis & copia aquarum ſuppetat.

17. *Miſit è ſublimi.*] Hic breviter tam ſplendidæ narrationis finis oſtenditur: nempe ut ſciamus Davidem ex profundis abyſſis non propria induſtria, neque etiam hominum opibus emerſiſſe, ſed Dei manu fuiſſe extractum. Dicitur enim Deus è ſublimi auxilium mittere, ubi mirabiliter & modis inſolitis nos ſervat: atque ita hæc miſſio terrenis ſubſidiis opponitur, quibus perperam ſolemus mentes noſtras affigere. Non improbo eorum ſententiam qui de Angelis exponunt, latius tamen extendo: quia quibuſcunque ſervemur modis, Deus creaturas ſuas, quæ præſto ſunt ad ejus nutum, nobis deſtinat, eaſque ad opem nobis ferendam accingit. Cæterum licet è cælo proficiſcatur quodvis auxilii genus, non immerito David manum ſibi ab excelſo fuiſſe porrectam affirmat, ut beneficium hoc incredibile aliis magis communibus κατ' ἐξοχὴν præferat. eſt enim tacita comparatio inter hanc virtutem inſolitam & alios vulgares ac quotidianos juvandi modos. Quod ſe dicit ex aquis magnis fuiſſe divinitus eductum, metaphorica loquutio eſt. hoſtium enim ſævitiam rapidis torrentibus ſimilem faciens, quibus centies abſorberi poterat, periculi magnitudinem clarius exprimit: acſi diceret ſe ex alto naufragio præter ſpem fuiſſe ereptum. Proximo verſu rem ipſam abſque figura ſimpliciter narrat, quod ſcilicet liberatus fuerit ab hoſte robuſto, qui eum capitaliter oderat, ac perſequebatur. Nam inde commendat Dei potentiam, quod nullæ hominum vires obſtiterint quo minus ſalutem in ultima deſperatione afferret. In fine verſus quia habetur particula כי apud Hebræos ut plurimum cauſalis, in hanc fere ſententiam conveniunt interpretes, Mihi Deus ex alto ſuccurrit, quia magis invaluerant hoſtes, quam ut ſperandum quicquam eſſet ab hominibus. Unde etiam colligitur utilis doctrina, tunc maxime opportunum eſſe Deo tempus ad ſuos juvandos, quum ſuſtinendis hoſtibus ſunt impares: imo fracti & afflicti, eorum violentiæ ſuccumbunt, non ſecus acſi naufragus, ſpe enatandi amiſſa, in profundum raperetur. Poſſet tamen etiam adverſative exponi, quamvis ſuperior eſſet hoſtis, Davidem fuiſſe nihilominus ſervatum.

19. *Prævenerant me.*] Aliis verbis confirmat proximam ſententiam, quia ſuffultus fuerit Dei auxilio, ubi jam nulla evaſio erat. Undique enim ſe fuiſſe circumventum refert: neque id vulgari obſidione, ſed ut hoſtes miſerum urgendo affligerent. Ex qua circumſtantia melius apparet, non niſi Dei manu eductum fuiſſe in latitudinem. Unde enim tam ſubita à morte in vitam reſtitutio, niſi quia Deus teſtari voluit penes ſe eſſe mortis exitus? Cauſam demum adſcribit non aliam fuiſſe quam merum Dei beneplacitum, ut tota & ſolida laus penes ipſum reſideat. Beneplaciti vero meminit, ad vocationem ſuam reſpiciens. In hoc enim præcipue incubuit, certamina quibus agitatus fuerat, non aliunde fuiſſe excitata, niſi quod paruerat Deo vocanti, ejuſque oraculum obedienter amplexus fuerat. Ambitioſi enim & turbulenti homines, qui ſua cupiditate præcipites ad quidvis audendum feruntur, ſibique temere pericula accerſunt, quamvis ſtrenue & animoſe luctando ſæpe votis potiantur, infeliciter tamen ad extremum concidunt, quia indigni ſunt quos fulciat Deus, quum ipſi inſanas moles ſine vocationis fundamento in cælum efferant. In ſumma, teſtatur David ſibi paratam ſemper fuiſſe opem Dei, quia non ſponte ſe ingeſſerat: ſed quum tenui fortuna contentus foret, libenterque in caulis ovium vel patris tugurio lateret, unctus fuerat manu Samuelis: quod gratuitæ electionis Dei ſymbolum erat.

21. Retribuit mihi Jehova ſecundum juſtitiam meam: ſecundum puritatem manuum mearum rependit mihi:	יִגְמְלֵנִי יְהוָה כְּצִדְקִי כְּבֹר יָדַי יָשִׁיב לִי׃ 21
22. Quia cuſtodivi vias Jehovæ, & non impie defeci à Deo meo:	כִּי שָׁמַרְתִּי דַּרְכֵי יְהוָה וְלֹא רָשַׁעְתִּי מֵאֱלֹהָי׃ 22
23. Quia omnia judicia ejus coram me, & edicta ejus à me non rejeci:	כִּי כָל מִשְׁפָּטָיו לְנֶגְדִּי וְחֻקֹּתָיו לֹא אָסִיר מֶנִּי׃ 23
24. Et fui integer cum eo, & cuſtodivi me ab iniquitate mea.	וָאֱהִי תָמִים עִמּוֹ וָאֶשְׁתַּמֵּר מֵעֲוֹנִי׃ 24
25. Et rependit Jehova mihi ſecundum juſtitiam meam, ſecundum puritatem manuum mearum coram oculis ejus.	וַיָּשֶׁב יְהוָה לִי כְצִדְקִי כְּבֹר יָדַי לְנֶגֶד עֵינָיו׃ 25

21. *Retribuit mihi.*] Videri poſſet David primo intuitu ſecum pugnare: nam qui nuper Dei beneplacito omnia accepta retulit, nunc ſibi juſtam mercedem repenſam fuiſſe jactat. verum ſi tenemus in quem finem hæc ſuæ integritatis elogia ſubjungat Dei beneplacito, facilis erit utriuſque ſententiæ conſenſus. Prius teſtatus eſt ſe non niſi Deo duce veniſſe in ſpem regni, neque hominum ſuffragiis fuiſſe evectum, vel proprio motu prorupiſſe: ſed quoniam ita Deo placuerat, nunc ſecundo loco addit, ſe fidele obſequium præbuiſſe Deo, ut nunquam ab ejus nutu deflexerit. Utrumque enim fuit neceſſarium, ut gratis Davidem ſuo favore præveniret Deus, ipſumque Regem eligeret: David autem viciſſim obedienter & pura conſcientia regnum ſibi divinitus oblatum ſuſciperet: deinde quicquid tentarent impii ad labefactandam ejus fidem, conſtanter teneret rectum vocationis ſuæ curſum. Nunc videmus adeo nihil eſſe diſſidii inter duas iſtas ſententias, ut aptiſſime inter ſe reſpondeant. David hic

Deum

Deum velut agonothetam ſtatuit, cujus auſpiciis & ductu productus fuerit ad obeunda certamina. hoc vero ab electione pendet, quia favore ſuo eum complexus, Regem creaverat. Poſtea addit, ſe injunctas ſibi partes quo debuit obſequio ad finem uſque obiiſſe. Non mirum ergo ſi Deus athletam ſuum quem ipſe ultro aſciverat, & quem videbat bona fide officio defunctum, præſidio ſuo tutatus ſit, atque etiam apertis miraculis teſtatus ſit ejus ſe eſſe vindicem. Nec vero hic captandæ laudis cauſa inanem jactantiam effutivit, ſed per os ejus utilem nobis doctrinam dictare voluit Spiritus, nunquam defore nobis auxilium Dei, modo nobis conſtet vocationis noſtræ ratio, nec quicquam injuſſu ejus tentemus. Interim quoque illud fixum maneat, initium recti curſus eſſe, beneplacitum quo nos Deus adoptat, & vocationem qua nos ultro prævenit. Adhuc tamen reſtat una quæſtio. Nam ſi Deus mercedem juſtitiæ rependit, videtur ut quiſque promeritus eſt, ita in quemque eſſe liberalis. Reſpondeo, mercedis nomine non oſtendi quid Deus nobis debeat, ideoque perperam & falſo meritum vel operum dignitatem ex eo colligi. ſic enim Deus juſtus judex, cuique retribuit ſecundum ſua opera, ut tamen omnes ſibi teneat obnoxios, nemini vero ſit ipſe adſtrictus. Ratio eſt non ea ſolum quam Auguſtinus reddit, nullam eum juſtitiam in nobis invenire cui præmium reddat, niſi quam gratis donavit: ſed etiam quia operum noſtrorum maculis ignoſcens, injuſtitiam imputat quod jure reſpuere poſſet. Quod ſi nihil operum noſtrorum abſque venia Deo placet, ſequitur non meriti, ſed indulgentiæ eſſe mercedem. Cæterum hic ſpecialis notanda eſt ratio. neque enim hic David quaſi legitima juſtitia fretus, coram Deo ſe ingerit: ſed ſtudium ſuum, quod Deo probari ſciebat, contra impias hoſtium calumnias aſſerere volens, arbitrium defert ipſi Deo. Scimus enim quam indigne falſa invidia gravatus fuerit: neque vero tam ejus fama prob[illegible] iſtis impetebatur, quam communis totius Eccleſiæ ſalus. Quamvis enim Saulem privatus dolor in rabiem ageret, aliique omnes ut Regi navarent operam, acriter & violento impetu contra Davidem ruerent: minime tamen dubium eſt, Satanæ impulſu regnum illud tantopere fuiſſe oppugnatum: quia in unius hominis perſona Deus ſpem publicæ ſalutis poſuerat. Hæc ratio eſt cur tam ſollicite & vehementer contendat David in aſſerenda cauſæ ſuæ juſtitia. Porro ubi ad tribunal Dei cum hoſtibus ſuis litigat, non agitur de tota vita, ſed de certa cauſa. Tenendus ergo eſt diſceptationis ſtatus, quod Davidem ſcilicet multis criminibus onerabant. primum defectionis & perfidiæ, quia à Rege & ſocero ſuo deſciverat: deinde latrocinii, acſi inſtar prædonis, regnum occupaſſet: ſeditionis etiam, quaſi tranquillum regni ſtatum turbaſſet: poſtremo crudelitatis & multorum ſcelerum, quaſi cauſam dediſſet cædibus, & multis illicitis artibus conſpirationem ſuam proſequutus eſſet. Ipſe autem coram Deo ſuam innocentiam tueri volens, affirmat ſe integre & ſincere in hac cauſa fuiſſe verſatum: quia neque aggreſſus ſit quicquam præter Dei mandatum, & quicquid moliti ſint hoſtes, ſe tamen intra ſuas metas continuerit. Hinc ſtulte infertur, Deum hominibus propitium eſſe prout dignos favore ſuo judicat: quia tantum hic aſſeritur cauſæ bonitas contra improbos calumniatores: non autem in examen vocatur tota hominis vita, ut gratiam quis obtineat, juſtuſque cenſeatur. In ſumma, David ab effectu colligit, ſuam cauſam placuiſſe Deo, non quod una victoria perpetuum ſit bonæ cauſæ ſignum: ſed quia manifeſtis ſignis auxilii ſui oſtenderit Deus ſe ſtare à parte Davidis.

22. *Quia cuſtodivi.*] De puritate manuum ſuarum loquutus erat: quia tamen videbat perverſa de ſe judicia fieri, vias Domini ſe ſervaſſe affirmans, provocat quodammodo ad ejus tribunal. Solent idem confidenter jactare hypocritæ, imo nihil illis promptius eſt, quam per luſum obtendere ſacrum Dei nomen: ſed David nihil in medium profert, quod non re ipſa compertum eſſet hominibus, ſi qua viguiſſet inter ipſos æquitas. Quare ejus exemplo danda inprimis opera eſt ut nobis bene conſcii ſimus. Accedat deinde hæc magnanimitas, ut ſpretis hominum falſis judiciis, vindicem noſtrum in cælo quæramus. Addit, ſe non impie defeciſſe à Deo: quia ſemper ad metam vocationis ſuæ recta tendebat, quamvis multa impii ad evertendam ejus fidem machinarentur. Verbum enim quo utitur, non lapſum unum denotat, ſed defectionem, quæ hominem à Deo prorſus alienat. Quamvis autem David pro carnis infirmitate interdum deliquerit: nunquam tamen receſſit à ſtudio pietatis, vel mandatam ſibi militiam deſeruit.

23. *Quoniam omnia judicia.*] Jam oſtendit unde illa recte agendi inflexibilis conſtantia inter tot graviſſimas tentationes: quia ſcilicet mentem ſuam retulerit ad Dei Legem. Sicuti enim novos aſſidue inſultus nobis movet Satan, ita etiam ad arma confugere neceſſe eſt. arma autem nobis ſuppeditat divinæ Legis meditatio. Diſcant igitur quibus cordi eſt integritas, ſe in verbi Dei ſtudio quotidie exercere. ſimul enim ac negligitur doctrina, facile ſocordia obrepit & evaneſcit omnis Dei timor. Inter judicia & edicta ſubtilius hic non diſtinguo: ſicui tamen libeat ponere diſcrimen, Judicia ad ſecundam Legis tabulam referre conveniet: Statuta autem, quæ Hebræis חוקות vocantur, de cultu pietatis accipere. *Fui integer cum eo.* Verba hæc apud Davidem omnia ſunt futuri temporis: quia non de evanido aliquo actu gloriatur, ſed de firma perſeverantia. Quod autem prius admonui, quia injuſte ſe David damnari ab hominibus videbat, Deum ſibi ferre judicem, hinc clarius patet, quum dicit ſe fuiſſe integrum cum eo. Sic quidem de ſanctis aliquando Scriptura loquitur, ut eos ab hypocritis diſcernat, quibus ſatis eſt externam ceremoniæ larvam præferre: ſed hoc loco David ad refutandos ſiniſtros rumores ſecure Deum appellat. Quod etiam confirmat repetitio quæ paulo poſt ſequitur, *Secundum munditiem manuum mearum coram oculis ejus:* in quibus verbis non obſcura antitheſis apparet inter Dei oculos & confuſum vel malignum mundi intuitum: acſi diceret ſe iniquas calumnias nihil morari, modo coram Deo ſit integer, cujus judicium nulli maligni & præpoſteri affectus pervertunt. Porro integritas quam ſibi aſſerit, non perfectio eſt, ſed ſinceritas quæ ſimulationi opponitur. quod etiam ex proximo membro licet colligere, ubi dicit, *Cuſtodivi me ab iniquitate mea.* Tacite enim fatetur ſe non ita à vitioſis affectibus purum fuiſſe & immunem, quin ſæpe hoſtium improbitas eum pungeret. Inteſtinum igitur ei bellum fuit cum multis tentationibus: quia (ut homo erat) fieri non potuit quin multas carnis punctiones ſentiret. Sed hæc fuit virtutis ejus probatio, manum ſibi injicere, & quicquid ſciebat verbo Dei adverſum, cohibere. neque enim quiſquam in pietatis ſtudio perget, niſi qui ſedulo ſe cuſtodiet ab iniquitate ſua.

26. Cum manſueto manſuete ages, cum viro integro integrum te præſtabis.	26 עִם חָסִיד תִּתְחַסָּד עִם גְּבַר תָּמִים תִּתַּמָּם׃
27. Cum puro purus eris, & cum perverſo perverſe ages.	27 עִם נָבָר תִּתְבָּרָר וְעִם עִקֵּשׁ תִּתְפַּתָּל׃

28. Quia tu populum afflictum ſervabis, & oculos ſuperbos dejicies. | 28 כִּי־אַתָּה עַם־עָנִי תוֹשִׁיעַ וְעֵינַיִם רָמוֹת תַּשְׁפִּיל׃

26. *Cum manſueto*, &c.] Eandem ſententiam proſequitur. Dei enim gratiam, qua liberatus fuerat, ſuæ integritatis teſtem adducens, de cæcis & indignis hoſtium calumniis triumphum agit. Fateor quidem hoc hypocritis quoque ſolenne eſſe, proſperi enim ſucceſſus eos ita efferunt ut non modo contra homines, ſed contra Deum ferociter exultent. Sed quum illi Deo palam illudant, ubi eos ſua tolerantia ad pœnitentiam invitat, improbæ eorum confidentiæ nihil affine habet hæc Davidis gloriatio. Neque enim ex Dei indulgentia fucum induxit ſuis ſceleribus, ſed tot auxilia, quibus certo expertus erat ſibi propitium eſſe Deum, pro illuſtribus favoris ejus documentis jure ſumpſit. Atque hoc diſcrimen tenendum eſt, quod impii rebus proſperis ebrii, impudenter jactant ſe Deo placere: quum tamen Deo poſthabito, fortunæ potius ſacrificent. fideles autem ex interiore conſcientiæ ſenſu, Dei gratiam prædicant in rebus proſperis. Ita hoc loco David propter cauſæ ſuæ æquitatem ſe divinitus fuiſſe adjutum gloriatur. Primo enim ad contextum accommodanda eſt hæc ſententia, quod Deus hominem innoxium toties à præſenti morte eripiens, benignum ſe erga benignos, & purum erga puros re ipſa probaverit. Deinde communem doctrinam elicere convenit, Deum nunquam fruſtrari ſervos ſuos, quin benigne eos tractet, ſi modo ejus auxilium cum manſuetudine & patientia expectent. Sic
Gen. 30. verſ. 33. dicebat Jacob, Reverti faciet ad me Deus juſtitiam meam. Finis eſt, ut bona ſpe fideles ſe ad colendam integritatem animent, quia ad unumquemque redibit juſtitiæ ſuæ fructus. Poſterius membrum, ubi dicitur perverſe agere Deus cum perverſis, licet aſperius ſit, nihil tamen abſurdi continet: imò non ſine optima ratione hunc loquendi modum Spiritus uſurpat, ut hypocritas & craſſos Dei contemptores à ſua ſomnolentia expergefaciat. Videmus enim, ubi de ſeveris & tremendis Dei judiciis concionatur Scriptura, ubi Deus ipſe horribilem vindictam denunciat, quam ſecure hæc omnia tranſiliant. Hic ergo brutus & quaſi prodigioſus ſtupor Deum cogit excudere novas loquendi formas, & quaſi alienam perſonam induere. Sic etiam Levitici 26. verſ. 21. Si mecum ambulabitis perverſe, vel temere, ego viciſſim contra vos perverſe vel fortuito ambulabo. Acſi diceret, pervicaciam eorum in cauſa fore ut ſolitæ moderationis oblitus, quaquaverſum in eos irruat. Hoc enim proficiunt tandem ſua duritie præfracti homines, ut Deus ad eos conterendos ſeſe magis obduret, ac contra ferreos ferreus reddatur. Adde quod Spiritus ſermonem ad impios dirigens, ex eorum ſenſu ut plurimum loquitur. Atqui ubi ſerio Deus in ipſos fulminat, cæcis ſuis terroribus eum transfigurant, quia nihil in ipſo concipiunt niſi ſævum, atrox, & immane. Jam videmus cur David non ſimpliciter Deo tribuat judicis nomen & officium, ſed violento impetu armet: ſicuti proverbio dicitur, malo nodo quærendum eſſe malum cuneum.

28. *Quia tu populum afflictum.*] Hic verſus continet ſpeciem correctionis. quia enim experientia demonſtrat ſæpe duriter affligi manſuetos, & ſinceros involvi triſtiſſimis moleſtiis, nequis falſo dici putet Deum clementer agere cum manſuetis, admonet David finem eſſe expectandum: quia etſi non protinus accurrat Deus ad opem bonis ferendam, ubi tamen eorum patientiam aliquandiu exercuit, proſtratos erigit, & deſperatis ſalutem affert: unde ſequitur non niſi ab exitu æſtimandum eſſe quomodo placide & humaniter agat Deus cum manſuetis, & purum ſe gerat cum puris. Niſi enim ſuſpenſos expectatione teneret fideles, proprium ejus non eſſet afflictos ſervare. Atque hoc non vulgare in rebus adverſis ſolatium eſt, conſulto differri quod alioqui paratum eſt Dei auxilium, ut afflicti ſervemur. Nec vero nimis acerbæ nobis eſſe debent quas perferimus injurias, quæ ſalutiferum Dei favorem nobis conciliant. In ſecundo membro diverſa eſt lectio Cantici: ubi habetur, Oculi tui contra ſuperbos ad dejiciendum. Sed hæc varietas in ſenſu nihil mutat: niſi quod illic ſuperbis Spiritus ſanctus magis aperte denunciat, quum ad ipſos evertendos advigilet Deus, non poſſe ruinam effugere. Utriuſque vero loci hæc ſumma eſt, quo magis ſecure impii ſibi indulgent, magiſque proterve miſeros ſub pedibus ſuis deſpiciunt, eo propiores eſſe exitio. Quoties ergo nobis crudeliter inſultant, ſciamus hoc tantum obſtare, quo minus præfractam eorum contumaciam retundat Deus, quia nondum ad cumulum uſque pervenit eorum ſuperbia.

29. Quia tu illuminabis lucernam meam Jehova: Deus meus illuminabit tenebras meas. | 29 כִּי־אַתָּה תָּאִיר נֵרִי יְהוָה אֱלֹהַי יַגִּיהַּ חָשְׁכִּי׃

30. Quia in te perrumpam cuneum turmæ, & in Deo meo tranſiliam murum. | 30 כִּי־בְךָ אָרֻץ גְּדוּד וּבֵאלֹהַי אֲדַלֶּג־שׁוּר׃

31. Dei integra via eſt: ſermo Jehovæ excoctus, clypeus eſt omnibus confidentibus in ipſo. | 31 הָאֵל תָּמִים דַּרְכּוֹ אִמְרַת־יְהוָה צְרוּפָה מָגֵן הוּא לְכֹל הַחֹסִים בּוֹ׃

32. Quoniam quis Deus præter Jehovam? & quis fortis præter Deum noſtrum? | 32 כִּי מִי אֱלוֹהַּ מִבַּלְעֲדֵי יְהוָה וּמִי צוּר זוּלָתִי אֱלֹהֵינוּ׃

33. Deus qui præcinxit me virtute, & poſuit integram viam meam. | 33 הָאֵל הַמְאַזְּרֵנִי חָיִל וַיִּתֵּן תָּמִים דַּרְכִּי׃

29. *Quia tu illuminabis.*] Paulo expreſſior eſt loquendi forma in Cantico, ubi Deus non lucernam dicitur accendere, ſed ipſe vocatur lucerna. ſenſus tamen eodem redit, nempe factum eſſe Dei gratia ut David tenebris immerſus, in lucem rediret. Neque enim ſimpliciter gratiæ ei aguntur quod Davidi præluxerit, ſed quod illuſtraverit ejus tenebras. Itaque fatetur David in eas anguſtias ſe redactum, ut ſimilis eſſet perdito ac deſperato: res enim confuſas, tenebris comparat. Poteſt quidem hoc per anagogen ad ſpiritualem mentis illuminationem transferri: ſed interim ſpectandum quid agat David, ne à genuino ejus ſenſu recedamus. Quemadmodum autem agnoſcit ſe Dei favore, non ſecus ac luce vivifica, fuiſſe recreatum, nos quoque ejus exemplo ſtatuamus nullum rebus noſtris adverſis exitum fore, niſi Deus caligine diſcuſſa, lucem lætitiæ nobis reſtituat. Interim ne moleſtum ſit per tenebras iter facere, modo lucernæ vices nobis præſtet Deus. Proximo verſu ſuas victorias Deo adſcribit, quod ipſo duce perfregerit cuneos hoſtium vel phalanges, & urbes munitas expugnaverit. ita videmus, quantumvis ſtrenuus eſſet bellator, cum tamen nihil ſibi arrogare. In temporibus verborum hoc

ſemel

ſemel teneant lectores, præteritum & futurum ſubinde in hoc Pſalmo promiſcuè uſurpari: non tantum quia diverſas hiſtorias complectitur David, ſed quia ſe ſtatuit velut in re præſenti, & continuum tenorem gratiæ Dei ſimul contexit.

31. *Dei integra via eſt.*] Via Dei hic non pro doctrina, ſed ratione agendi quam tenet erga ſuos, capitur. Senſus ergo eſt, Deum nunquam fruſtrari ſervos ſuos, neque in ipſo articulo deſerere, ſicuti homines clientibus ſuis opem non ferunt niſi quatenus expedit: ſed bona fide tueri quos ſuſcepit in ſuam fidem. Cæterum quia nobis cum Deo nihil eſſet negotii, niſi cum verbo ſuo nobis occurreret; ideo David poſtquam aſſeruit, Deum non fallaciter juvare ſuos, ſimul addit, ſermonem ejus eſſe purgatum. Sciamus, minime eſſe dubitandum quin ſe Deus integrum effectu ipſo erga nos præſtet, quia pollicitus eſt fore ſalutis noſtræ cuſtodem: ejus autem promiſſio certa eſt veritas. Porro hic per Sermonem, non præcepta, ſed promiſſiones intelligi, ex proximo membro colligitur, ubi dicit *clypeum eſſe confidentibus*. Videtur quidem vulgare hoc elogium, Sermonem Dei purum eſſe omni fraude & fallacia, inſtar argenti à ſcoria ſua purgati: ſed noſtra infidelitas facit ut Deus ſub hac ſimilitudine fidem ſuam magnifice commendet: quia nihil magis proclive eſt quoties ſpei noſtræ eventus non reſpondet, quam ut impiæ de verbo Dei dubitationes ſtatim nobis obrepant. Reliqua petant lectores ex Pſalmo 12.

32. *Quoniam quis Deus.*] Hic David omnis hominum figmentis inſultans, qui temere ſibi fabricant tutelares deos, confirmat quod prius dixi, ſe nihil unquam niſi Dei auſpiciis & mandato fuiſſe aggreſſum, nam ſi progreſſus eſſet ultra vocationis metas, non licuiſſet tanta fiducia Deum in partes ſuas trahere. Quoquam autem uni vero Deo fictitios omnes opponit: ſimul tamen proſternit omnes vanas ſpes quibus mundus circumagitur, ne in Deo acquieſcat. Neque enim hic de nudo Dei titulo agitur: ſed pronunciat David, nihil aliunde auxilii quærendum eſſe, quia ſolus ipſe potentia ſit præditus. Conſilium tamen ejus quod notavi, tenendum eſt: quod ſcilicet omnibus ſuis hoſtibus Deum tanquam ducem, ſub quo militavit, intrepide opponens, ſe nihil libidinoſe vel mala conſcientia tentaſſe affirmat.

33. *Deus, qui præcinxit.*] Metaphora eſt vel à balteo ſumpta, vel ab ipſis renibus, in quibus Scriptura interdum vigorem aut robur locat. Perinde eſt igitur acſi diceret ſe virtute Dei fuiſſe fortem, qui alioqui futurus erat mollis & enervis. Poſtea de ſucceſſu ipſo loquitur: quia non ſufficeret animis promptos eſſe & alacres, viribus etiam pollere, niſi accederet felix eventus, quem profani homines vel à ſua prudentia, vel à fortuna provenire imaginantur: David autem uni Deo adſcribit. Nam *via* pro curſu actionum ponitur: acſi diceret, quicquid aggreſſus eſt, Deum proſpere ſua benedictione direxiſſe.

34. Ponens pedes meos ſicut cervarum, & ſuper excelſa mea ſtatuit me.

34 משוה רגלי כאילות ועל במתי יעמידני׃

35. Inſtituens manus meas ad prælium: & contereturarcus chalybeus brachiis meis.

35 מלמד ידי למלחמה ונחתה קשת נחושה זרועתי׃

36. Et dediſti mihi ſcutum ſalutis tuæ, & dextra tua fulcivit me, & clementia tua auxit me.

36 ותתן לי מגן ישעך וימינך תסעדני וענותך תרבני׃

37. Dilataſti greſſus meos ſub me, & non nutarunt tali mei.

37 תרחיב צעדי תחתי ולא מעדו קרסלי׃

Quia multas arces occupaverat David, quæ ob arduum & difficilem acceſſum inexpugnabiles creditæ fuerant, Dei gratiam hac in parte extollit. Nam *pedes ſicut cervarum* ſibi datos fuiſſe dicens, celeritatem inſolitam notat, & quæ in homines naturaliter non competit. Senſus ergo eſt, extraordinariò modo fuiſſe divinitus adjutum, ut inſtar capreæ pernici curſu rupes inacceſſas tranſcenderet. Vocat autem *excelſa ſua* arces quibus victor jure belli potitus eſt: quia merito gloriari potuit ſe nihil alienum occupare, quum ſe divinitus illuc vocatum ſciret. Quum dicit *manus ſuas edoctas*, & formatas fuiſſe *ad prælium*, fatetur pugnandi dexteritatem ſibi propria induſtria non fuiſſe partam, vel exercitatione & uſu: ſed obtigiſſe ſingulari Dei dono. Etſi autem generaliter hoc verum eſt, vim & peritiam bellandi non niſi ab arcano Dei inſtinctu eſſe: continuo tamen poſt oſtendit David ſe præter communem & uſitatum hominum morem fuiſſe ad obeunda certamina fortitudine inſtructum: quia brachia ejus ad frangendos arcus æneos ſatis valida fuerint. Nam ut fuerit homo nervoſus, humilis tamen deſcribitur ejus ſtatura: & ipſa ſimilitudo aliquid humana virtute altius deſignat. Proximo verſu ſe una Dei gratia tutum & ſalvum fuiſſe prædicat. Nam ſub *clypeo divinæ ſalutis* ſignificat, niſi à Deo mirabiliter ſervatus eſſet, ad multos lethales ictus ſe fuiſſe expoſitum: atque ita clypeus ſalutis, Dei tegumentis omnibus & armis quibus munitus erat, tacite opponitur. Ejus rei cauſam iterum refert ad gratuitam Dei bonitatem, qua dicit ſe auctum fuiſſe, vel magis ac magis provectum. Augendi enim verbo continuos favoris Dei progreſſus notat. Per dilatationem ingreſſus, intelligit viam ſibi æquabilem per invia fuiſſe patefactam. Subeſt enim antitheſis inter latum ſpatium & anguſtias, ex quibus pedem movere non licet. Senſus eſt, quum in extremam deſperationem conjectus eſſet, divinitus fuiſſe expeditum. Atque hæc ad corrigendam noſtram diffidentiam apprime utilis eſt admonitio. niſi enim nobis amœna ſit ante oculos planities in qua libere exultet caro, trepidamus acſi nos terra deficeret. Teneamus ergo, non fruſtra munus hoc Deo adſcribi, ut vias noſtras dilatet ac complanet. Hujus gratiæ effectum ſubjicit, quod pedes ſui non nutarint, hoc eſt, nullo adverſo caſu dejectus fuerit.

38. Perſequar inimicos meos, & comprehendam eos: nec revertar donec conſumpſerim eos.

38 ארדוף אויבי ואשיגם ולא אשוב עד כלותם׃

39. Afflixi eos, nec potuerunt ſurgere, ceciderunt ſub pedibus meis.

39 אמחצם ולא יכלו קום יפלו תחת רגלי׃

40. Et accinxiſti me fortitudine ad prælium: incurvaſti inimicos meos ſubtus me.

40 ותאזרני חיל למלחמה תכריע קמי תחתי׃

41. Et inimicorum meorum dediſti mihi cervicem, & oſores meos perdidiſti ipſos.

41 ואיבי נתתה לי ערף ומשנאי אצמיתם׃

In hoc totus eſt David ut ab effectu demonſtret, Deo ſe propitio in omnibus victoriis uſum eſſe: unde ſequitur, rectam & juſtam fuiſſe ejus cauſam. Nam etſi impiis quoque & ſceleratis proſperos ſucceſſus interdum Deus concedit, exitu tamen oſtendit, ſe illis adverſum fuiſſe & infenſum. Signa autem favoris qualia patefecit erga Davidem, ſoli ejus ſervi ſentiunt: ut hoc modo teſtetur, eos ſibi probari & gratos eſſe. Quanquam autem nimium militariter videtur loqui, dum pronunciat ſe finem cædibus non facturum, niſi omnibus hoſtibus conſumptis: imo videtur manſuetudinem illam oblivisci, quæ lucere debet in cunctis fidelibus, ut Patrem cæleſtem referant: quia tamen nihil tentabat præter Dei mandatum, & Spiritus ejus freno affectus ſuos regebat, ſciamus has non eſſe hominis ſanguinarii vel truculenti voces, ſed qui judicium ſibi à Deo injunctum fideliter exequitur. Et certe ſcimus tanta ingenii manſuetudine fuiſſe præditum, ut vel à gutta ſanguinis fundenda abhorruerit, niſi quatenus ferebat officii ratio & neceſſitas. Ergo tenenda eſt Davidis vocatio: deinde purus zelus, & ab omni carnis perturbatione vacuus. Notandum præterea eſt, hic vocari hoſtes quorum indomabilis pertinacia talem Dei vindictam provocavit. Nam quatenus ſuſtinuit Chriſti perſonam, non niſi de obſtinatis ultimam pœnam ſumpſit, qui humano imperio in ordinem cogi non poterant. res enim ipſa demonſtrat, nihil ei magis cordi fuiſſe, quam ut reſipiſcentibus parceret. Sicuti Chriſtus ad pœnitentiam comiter omnes invitans, ferreo ſceptro conterit qui pervicaciter ad extremum reſiſtunt. Summa eſt, Davidem, quum militaret ſub Dei auſpiciis, Rex ab ipſo electus, & nihil niſi ex juſſu ejus agendum ſuſcipiens, fuiſſe quoque divinitus adjutum ut invictus ſtaret contra omnium hoſtium inſultus, imo ingentes & validiſſimas copias profligaret. Porro ſub hoc typo ſciamus invictum regni Chriſti ſtatum fuiſſe adumbratum, ut Dei virtute fretus, proſtratis ſuis hoſtibus emergat ſemper ſuperior, Rexque maneat invito mundo. Quum vero nobis communes ſint ejus victoriæ, ſequitur, inexpugnabile nobis præſidium contra omnes diaboli conatus, omnes peccati machinas & carnis tentationes promitti. Quamvis itaque tranquillum regnum Chriſtus non niſi bellando obtineat, nobis ſatis ſit ad ejus conſervationem, ſemper paratam fore Dei manum. Profugus quidem ad tempus fuit David, ut vitam ſuam ferarum cavernis vix tegeret, ſed Deus tandem terga hoſtium vertit, nec modo conjecit in fugam, ſed etiam profligandos tradidit. ita quamvis ad tempus immineant cervicibus noſtris hoſtes, faciet tandem Deus ut non ſolum terga nobis vertant, ſed ante oculos noſtros pereant ut digni ſunt. Memores interim ſimus ad quam militiam nos Deus vocet, cum quo hominum genere confligere nos velit, & quibus armis inſtruat: ut nobis ſufficiat, ſpirituali ejus virtute diabolum, carnem, & peccatum ſub pedibus noſtris proſterni. Quibus autem gladium dedit, ſi modo ſub Chriſto capite regnent, eos etiam tuebitur, nec injuſte opprimi ſinet. Quod attinet ad verba, interpretes fere uno conſenſu vertunt, Dare hoſtes dorſum, pro In fugam conjicere: ſed quia ערף proprie cervicem Hebræis ſignificat, non incommodus erit ſenſus, datam fuiſſe hoſtium cervicem, quia Deus mactandos tradiderit.

42. Vociferabuntur, & nullus ſervator: ad Jehovam, nec reſpondebit illis.

42 ישועו ואין מושיע על יהוה ולא ענם׃

43. Et comminuam eos tanquam pulverem à facie venti: velut lutum platearum calcabo eos.

43 ואשחקם כעפר על פני רוח כטיט חוצות אריקם׃

44. Eripies me è contentionibus populi: conſtitues me caput Gentium: populus quem non cognovi, ſervient mihi.

44 תפלטני מריבי עם תשימני לראש גוים עם לא ידעתי יעבדוני׃

45. Ad auditum auris obedient mihi: filii alienorum mentientur mihi.

45 לשמע אזן ישמעו לי בני נכר יכחשו לי׃

46. Filii alienorum deficient, trepidabunt ex penetralibus ſuis.

46 בני נכר יבלו ויחרגו ממסגרותיהם׃

42. *Vociferabuntur.*] Mutatio temporis in verbo, contextum narrationis non abrumpit. ſic itaque reſolvi debet, Quamvis ad Deum clamarent, rejectas fuiſſe eorum preces. Proſequitur vero quod prius dixerat, tandem exitu patefactum eſſe quam falſo jactarent hoſtes Dei nomen, qui ſe ab illis averſum oſtendit. Verum quidem eſt, ſic eos interdum proſpere agendo fuiſſe elatos, ut vulgo creditum fuerit Deum illis favere, quum interea David nocte & die clamando nihil proficeret: ſed ubi ſervi ſui patientiam ſatis exercuit Deus, illos ſpe vana dejecit ac fruſtratus eſt: imo nec preces eorum dignatus eſt audire. Tenemus nunc conſilium Davidis: quia enim diu perperam Dei nomine abuſi fuerant impii, fallacem eorum jactantiam deridet. Porro notandum eſt, de hypocritis qui nunquam ſincero affectu Deum invocant, haberi ſermonem.
Pſal.145. verſ.18. nunquam enim fallet promiſſio, Deum prope eſſe omnibus qui eum in veritate quærunt. Non ergo repudiatos fuiſſe hoſtes ſuos dicit David, quum ſerio cordis affectu ad Deum confugerent, ſed quum ſolita impudentia putarent eum ſibi obſtrictum ad ſceleratos ſuos conatus juvandos. Nam dum vota in ultima neceſſitate concipiunt impii, etſi pavore dejecti, metuque trementes, humilitatem præ ſe ferunt: non tamen mutant propoſitum ut reſipiſcant. Adde quod illis audacia & durities pro fide eſt, vel dubitando querimonias ſuas profundunt, magis ut Deo obſtrepant, quam ut ſuam fiduciam in ejus ſinu deponant. Cæterum hinc colligenda eſt utilis admonitio, quicunque miſeris crudeliter inſultaverint, ac ſuperbe rejecerint ſupplices, Deum etiam ad ſua vota ſurdum ſenſuros. Proximo etiam verſu docemur, poſtquam impios Deus abjecit, projicere ad omnem contumeliam, & inſtar luti calcandos tradere. Neque enim tantum denunciat, ſuperbis & crudelibus clauſas fore ſuas aures, ſed minatur etiam ſe facturum ut mercedem eadem menſura recipiant.

44. *Eripies me è contentionibus.*] Summatim colligit David ſe Dei auxilium modis omnibus expertum eſſe: nam & magnum ei diſcrimen ex domeſticis turbis inſtabat, niſi mirabiliter ſedatæ eſſent, ferocia populi in ordinem coacta. Hoc etiam ſecundum

cundum præter communem opinionem accidit, ut longe lateque victor, gentes vicinas proſterneret, quæ nuper totum fere Iſraëlem fregerant. Fuit enim illa incredibilis renovatio: quod non modo populum clade affectum ſubito reſtituit, ſed tributarios ſibi reddidit, à quibus pax impetrari non poterat. Fuiſſet jam hoc præclarum, ſi populus, accepta gravi clade, incolumis ſtetiſſet, ac viribus iterum collectis recuperaſſet priorem ſtatum: ſed hoc longe præſtantius beneficium ex inſperato Deus contulit, ut ſubigeret ſuos victores. Utrumque David commemorat, quum tumultuaretur in eum populus, illos inteſtinos motus non niſi divinitus fuiſſe compoſitos: deinde ejuſdem Dei auſpiciis & virtute, validis gentibus ſub jugum redactis, propagatum fuiſſe imperium, quod debile & ſemifractum fuerat ſub Saule. hinc patet, non minus intus & domi, quam contra exteros hoſtes fuiſſe adjutum. Porro quum nobis in hoc typo Spiritus ſanctus regnum Chriſti depingat: ſciamus hunc tam erigendi quam conſervandi ejus eſſe modum, ut Deus non ſolum exerto brachio pugnet contra profeſſos hoſtes qui aliunde inſurgunt, ſed etiam domeſticos tumultus & rixas compeſcat. Quod etiam in Chriſti perſona palam oſtenſum fuit ab initio, quia primum ei obſtaculum fuit ab inſana gentis ſuæ contumacia: jam temporum omnium experientia oſtendit, diſſidia & contentiones, quibus Eccleſiam ſcindunt & lacerant hypocritæ, non minus noxia eſſe ad labefactandum Chriſti regnum, quam violentos hoſtium conatus, niſi Deus manum ſuam opponeret. Ergo ut regnum Filii ſui promoveat ac tueatur, non modo externos hoſtes coram ipſo proſternit, ſed eum liberat à domeſticis contentionibus. In Cantico aliud verbum habetur pro In caput Gentium ponere, nempe תשמרני quod cuſtodire ſignificat, ideoque ad ſtabilem & diuturnam regni poſſeſſionem refertur. Scimus enim quam difficile ſit in officio retinere qui jugo nondum aſſuefacti ſunt. Ideoque nihil frequentius quam imperia nuper parta novis motibus concuti. David autem in Cantico Deum pronunciat dignitatis, quam ipſo auſpice adeptus erat ut Gentibus dominaretur, fuiſſe cuſtodem.

Populus quem non cognovi.] Totus hic contextus optime confirmat quod nunc attigi, non reſtringi narrationem hanc ad Davidis perſonam, ſed vaticinium eſſe de futuro Chriſti regno. Potuit quidem gloriari David, populos quorum mores & ingenia non penitus noverat, ſibi fuiſſe ſubjectos: ſed quoſcunque devicit, non fuiſſe vel prorſus incognitos, vel tam procul diſſitos, certum eſt. Quare tunc Deus non niſi ſub obſcura umbra delineavit immenſum Filii ſui regnum, cujus amplitudo ab Ortu Solis uſque ad Occaſum patet, totumque mundum occupat. Eodem etiam facit quod proxime ſequitur, *Ad ſolam famam obedient mihi.* nam etſi nomen adeo celebre ſibi conciliaverat David ex victoriis, ut multi armis depoſitis ultro ad deditionem deſcenderent: quia tamen armorum potentia illi quoque fracti fuerunt, quam ſub oculis ipſorum infeliciter experti erant vicini, proprie non dicentur obſequium præſtitiſſe ad ſolam famam. Verius hoc in Chriſtum competit, qui verbo ſubigit ſibi mundum, & ad ſolum auditum morigeros ſibi reddit qui prius rebelles fuerant. Ergo quatenus Chriſti perſonam ſuſtinuit David, Deus gentes remotas, & quæ prius Iſraëli, quo ad conſuetudinem, fuerant incognitæ, ejus imperio ſubjecit. Sed fuit illud præludium promiſſæ Chriſto dominationis, cujus fines ad ultimas uſque mundi plagas oportuit extendi. Armis etiam & bellica virtute tantum nomen ſibi David peperit, ut multi ex hoſtibus metu fracti deditionem facerent. Sed ita ſub typo oſtenſa fuit Gentium ſubjectio, quæ ſolo Euangelii præconio in ordinem coactæ ſunt. Nam fidei obedientia, in qua fundatum eſt Chriſti imperium, ex auditu eſt. *Rom. 10. verſ. 17.*

45. *Filii alienorum.*] Hoc loco deſcribitur quod in novis dominationibus ut plurimum accidere ſolet, ut ſcilicet victorem ſuppliciter adorent qui redacti ſunt in poteſtatem: ſed ficta & coacta humilitate, quia ſerviliter non ſponte parent. Nam quod Mentiendi verbum quidam interpretes alio transferunt, quaſi diceret vel inani ſpe deluſos fuiſſe hoſtes, vel ut pœnam effugerent, mendaciter negaſſe quicquam hoſtile ſe machinatos, non ſatis exprimere videtur Davidis mentem. Quare generaliter, ut alibi (meo judicio) pro ſerviliter humiliari capitur. Nam verbum כחש quod Hebræis eſt mentiri, metaphorice interdum tantundem valet atque humiliari, vel ſubjectionis jugum ſuſcipere, ficto tamen & illiberali modo. Filios autem alieni vocat, vel alienorum, qui prius ſui juris prorſus ab Iſraële diviſi fuerant. Hoc vero videmus etiam in Chriſto impleri, ad quem multi ſupplices accedunt duplici & perfido animo: quos ideo apte Spiritus alienigenas vocat: quia etſi electo populo permixti ſunt, ſincera tamen fide non coaleſcunt in idem corpus, ut Eccleſiæ filii cenſeri debeant. Verum quidem eſt, cunctos Gentiles initio ex alienis fuiſſe aſcitos: ſed ubi induunt novum affectum, qui prius erant hoſpites & advenæ, ſunt cives ſanctorum, & domeſtici Dei. Quod additur continuo poſt, *Filii alieni defluent, trepidabunt ex ſuis penetralibus*, terrificum illud nomen de quo diximus, amplificat. Eſt enim hoc reverentiæ non vulgare ſignum, qui latebris teguntur, altiſque munitionibus ſunt incluſi, metu perculſos in lucem prodire. Porro ſicuti hoſtes Davidis ex ſuis penetralibus extraxit timor, ut ſupplices occurrerent: ita incredulos Euangelium timore perculſos ad præſtandum Chriſto obſequium cogit. Hæc enim (teſte Paulo) vis eſt prophetiæ, ut conſcientias arguens, & manifeſtans occulta cordium, qui rebelles ante fuerant, metu proſternat, ad dandam Deo gloriam. *1 Cor. 14. verſ. 24.*

47. * Vivat Jehova, & benedictus fortis meus, & exaltetur Deus ſalutis meæ.

** vel, Vivit.*

48. Deus qui dat vindictas mihi, & ſubigit populos ſub me.

49. Liberator meus ab inimicis meis: etjam ab his qui contra me inſurrexerant extuliſti me, à viro violento eruiſti me.

50. Propterea celebrabo te in Gentibus Jehova, & nomini tuo canam.

51. Magnificans ſalutes Regis ſui, & præſtans miſericordiam chriſto ſuo Davidi, & ſemini ejus in perpetuum.

47 חי יהוה וברוך צורי וירום אלהי ישעי׃

48 האל הנתן נקמות לי וידבר עמים תחתי׃

49 מפלטי מאיבי אף מן קמי תרוממני מאיש חמס תצילני׃

50 על כן אודך בגוים יהוה ולשמך אזמרה׃

51 מגדל ישועות מלכו ועשה חסד למשיחו לדוד ולזרעו עד עולם׃

47. *Vivat Jehova.*] Si placet in optandi modo legere, Vivat Deus: aſpera erit loquutio, quam tamen ſumpta ab hominibus tranſlatio excuſat, quibus moris eſt in hunc modum non tantum bene precari, ſed etiam honorifica acclamatione ſuos duces in ſublime extollere. ita eſſet quaſi triumphale elogium. Non male tamen quadrat ſimplex affirmatio qua David pronunciet Deum vivere, hoc eſt, ſumma virtute eſſe præditum. Cæterum vita hæc ad Dei eſſentiam non reſtringitur, ſed potius ex operibus æſtimanda eſt quæ vitam ejus nobis manifeſtant. Simul enim ac virtutem ſuam ab oculis noſtris ſubduxit, evaneſcit etiam ex animis ſenſus ac notitia vitæ ejus. Itaque vivere dicitur, quatenus claris potentiæ ſuæ documentis mundum ſua manu contineri demonſtrat. Hanc Dei vitam quia experimento ſenſerat David, laudibus & gratiarum actione proſequitur. Nam ſi in præſenti modo legamus, Vivit Dominus, copula quæ ſequitur, illationem valet: ideoque ſic reſolvenda eſt, Ergo benedictus ſit fortis meus. Jam epitheto *fortis*, deinde Servatoris, confirmat quod prius dixi, Deum non clam vivere in ſeipſo duntaxat, ſed vigorem ſuum proferre in gubernatione totius mundi. אזר enim tranſitive hic ponitur pro eo qui robur confert.

48. *Deus qui dat vindictas.*] Rurſus acceptas Deo refert quas adeptus eſt victorias. ſicut enim nunquam eas ſperaſſet niſi fretus Dei auxilio: ita nunc eundem agnoſcit unicum auctorem: ac ne defunctorie laudis partem aſpergere videatur, diſerte repetit, nihil ſe habere niſi quod datum eſt. Ac primo quidem fatetur ſe virtute cæleſti fuiſſe inſtructum, ut de hoſtibus quas meriti erant pœnas exigeret. Quia autem primo intuitu abſurdum videri poſſet, à Deo armari fideles ad vindictam, tenenda eſt (ut prius admonui) Davidis vocatio. Neque enim privatus homo erat, ſed pro regia poteſtate, judicium quod exequutus eſt, divinitus ei injunctum erat. Quiſquis læſus eſt, ſi ad ſe ulciſcendum proſilit, Dei partes occupat: itaque non ſine ſacrilega temeritate illatas ſibi injurias retaliant privati homines: ſed Deus qui ſe vindicem eſſe pronunciat, Reges & Magiſtratus gladio armans, ultionum ſuarum miniſtros conſtituit. Itaque Vindictas poſuit David pro juſtis pœnis quas Dei mandato repoſcere licuit: modo tamen rite compoſito Spiritus zelo ageretur, non carnis impetu. Niſi enim ad vocationem talis moderatio accedat, fruſtra jactabunt Reges ſibi ultionem à Deo mandatam: quia non minus præpoſterum eſt, permiſſo gladio ad carnis libidinem abuti, quam eum Dei injuſſu arripere. Eccleſiæ ſub Chriſti auſpiciis militanti non alia quam adverſus obſtinatos vindicta permittitur. Jubemur beneficiis certare cum hoſtibus, pro eorum ſalute precari: ergo ſimul optanda illis eſt reſipiſcentia, & ſanitas mentis, donec certo conſtet perditæ eſſe ac deſperatæ malitiæ. interim reſignanda eſt arbitrio Dei vindicta, ne ante tempus præcipites feramur. Deinde ex periculis & difficultatibus colligit ſe aliter non potuiſſe ſalvum evadere, niſi Dei manu ſervatus eſſet. Huc enim pertinet elevatio de qua loquitur, mirabiliter fuiſſe ſublatum, ne victrici hoſtium violentiæ ſuccumberet.

50. *Propterea celebrabo te.*] Hoc verſu docet beneficia Dei quæ retulit, novo & inſolito præconio digna eſſe, ut eorum fama ad Gentes uſque penetret. Subeſt enim tacita comparatio inter ordinarium Dei cultum quo tunc ſolebant fideles in templo defungi, & hanc gratiarum actionem quæ tam anguſtis finibus capi non poterat. Senſus eſt igitur, Domine non tantum ex præſcripto Legis ritu gratias tibi agam in cœtu fidelium: ſed longius manabunt laudes tuæ, ſicuti per totum orbem memorabilis eſt tua in me gratia. Cæterum hinc vaticinium de futuro Chriſti regno elicitur: quia niſi in ſocietatem electi populi allectæ fuiſſent Gentes, fruſtra inter ſurdos & abſurde cantatæ fuiſſent laudes Dei. Quare ſcite
Paulus & appoſite hoc teſtimonio probat non eſſe Rom. 15.
fortuitam Gentium vocationem. Pluribus enim locis verſ. 9.
poſtea videbimus Dei laudibus ſacrum domicilium aſſignari in Eccleſia. Quare alibi quam in Judæa non potuit rite & cum fructu celebrari Dei nomen, donec perforatæ eſſent aures Gentibus: quod factum eſt ubi eas Deus per Euangelium adſcivit.

51. *Magnificans ſalutes.*] Verſus hic à fine demonſtrat cur tam liberaliter Deus egerit cum Davide: quia ſcilicet eum unxerat in Regem. Nam ſe Regem Dei vocando, ſe nec temere irrupiſſe, nec pravis factionibus obtruſum fuiſſe teſtatur, ſed jure legitimo regnaſſe, quia ſic Deo placuit. Id unctionis ſymbolo probat, quia Deus, Samuelis manu eum ungendo, non ſecus jus regnandi aſſeruit, quam ſi manu ſua palam è cælo exerta in regio ſolio locaſſet. Hanc electionem continua ſalutum ſerie magnifice fuiſſe ſancitam dicit: unde ſequitur, ex profeſſo cum Deo bellare omnes quibus rata non eſt ejus vocatio. Cauſam ſimul adſcribit Dei clementiæ: ut ſciamus in mero Dei beneplacito fundatum fuiſſe illud regnum. Jam ex clauſula apertius conſtat quod prius dixi, Davidem non tam hiſtorice narrare mirificas & varias gratiæ Dei ſpecies quas in ſe expertus erat, quam de perpetuo regni ſtatu vaticinari. Ac notandum eſt, Seminis nomine non quoslibet poſteros intelligi,
ſed peculiariter notari ſucceſſorem illum cui ſe fore 2 Sam. 7.
in patrem Deus pollicitus fuerat. Nam quum præ- verſ. 12.
dicta eſſet regni ſtabilitas, quamdiu ſol & luna in cælo fulgerent, neceſſe fuit ad eum deſcendere, qui Rex æternus non temporalis futurus erat. Itaque ſemen ſuum nobis commendat David eximia illa promiſſione ornatum, quæ nec in Solomonem, nec in alium quempiam ex ſucceſſoribus perfecte compe-
tit, ſed in Filium Dei unigenitum: ſicuti Apoſtolus Hebr. 1.
hac dignitate ipſum Angelis antecellere docet. Ita verſ. 4.
recte proficiemus in hoc Pſalmo, ſi umbra nos ad corpus deducat.

ARGUMENTUM PSALMI XIX.

David fideles ad conſiderandam Dei gloriam hortari volens, primo ejus ſpeculum in cælorum machina & exquiſiti ordinis artificio proponit: deinde ad Legem nos revocat, in qua magis familiariter ſe Deus patefecit electo populo. Itaque hanc peculiarem gratiam pluribus verbis proſequitur, Legis uſum commendans. Tandem Pſalmum precatione claudit.

PSALM. XIX.

PRæfecto Canticum Davidis.	1 לַמְנַצֵּחַ מִזְמוֹר לְדָוִד׃
2. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat expanſio.	2 הַשָּׁמַיִם מְסַפְּרִים כְּבוֹד אֵל וּמַעֲשֵׂה יָדָיו מַגִּיד הָרָקִיעַ׃
3. Dies ad diem eructat ſermonem, & nox ad noctem annunciat ſcientiam.	3 יוֹם לְיוֹם יַבִּיעַ אֹמֶר וְלַיְלָה לְּלַיְלָה יְחַוֶּה דָּעַת׃
4. Non ſermo & non verba, ubi non audiatur vox eorum.	4 אֵין אֹמֶר וְאֵין דְּבָרִים בְּלִי נִשְׁמָע קוֹלָם׃

5. In omnem terram exivit ſcriptura ipſorum, & ad extremitatem orbis, ſermones ipſorum: Soli poſuit tabernaculum in ipſis.

5 בכל־הארץ יצא קום ובקצה תבל מליהם לשמש שם־אהל בהם׃

6. Et ipſe tanquam ſponſus egreditur è thalamo ſuo: exultat tanquam vir robuſtus ad currendum ſpatium.

6 והוא כחתן יצא מחפתו ישיש כגבור לרוץ ארח׃

7. Ab extremitate cælorum egreſſus ejus, & circuitus ejus ſuper extrema eorum: nulluſque abſconditur à calore ejus.

7 מקצה השמים מוצאו ותקופתו על־קצותם ואין נסתר מחמתו׃

C*ÆLi enarrant.*] Dixi jam hujus Pſalmi duas eſſe partes, quarum in priore Dei gloriam celebrat David ab operibus: in altera autem notitiam plenius in verbo relucentem prædicat. Quanquam autem non niſi cælorum meminit, non tamen dubium eſt quin ſub nobiliſſima parte, & cujus excellentia magis conſpicua eſt, totum mundi opificium per ſynecdochen deſignet. Nihil certe tam eſt obſcurum vel contemptibile in minimis terræ angulis, in quo non aliqua virtutis & ſapientiæ Dei nota cernatur: ſed quia cælis inſculpta eſt expreſſior imago, hos præcipue David elegit, quorum ſplendor nos ad totum mundum luſtrandum dirigeret. Nam ubi quis ex cæli intuitu Deum agnoverit, non modo in terræ ſuperficie, ſed in minimis quibuſque plantulis ejus ſapientiam & virtutem reputare & mirari diſcet. Primo verſu rem unam ſuo more bis repetit. Cælos enim inducit tanquam teſtes ac præcones gloriæ Dei, perſonam mutæ creaturæ alienam attribuens, quæ magis ingratitudinem exprobret hominibus, ſi tam clarum teſtimonium ſurdis auribus prætereunt. Efficacius enim movet ac afficit hæc loquutio, quam ſi dixiſſet cælos monſtrare. Eſt quidem hoc magnum, in cælorum ſplendore oculis noſtris offerri vivam Dei imaginem: ſed quia ſenſus melius excitat ſonoræ vocis prædicatio, vel certius ſaltem ac majore cum profectu docet, quam ſimplex conſpectus cui nulla conjuncta eſt admonitio: notanda eſt hujus figuræ emphaſis, quod cælos ſuo præconio Dei gloriam enarrare dicit. Repetitio quæ ſecundo membro additur, exegetica eſt. Exponit enim David quomodo gloriam Dei cæli nobis prædicent: quia ſcilicet aperte teſtentur non ſe fortuito conflatos eſſe, ſed ab opifice præſtantiſſimo mirabiliter conditos. Fieri enim non poteſt quin ad ipſum uſque auctorem nos attollat cælorum intuitus, ac mirabilis quæ illic apparet diſtinctio, ornatus, & ſplendor luculentum ejus providentiæ teſtimonium reddant. Creationis quidem tempus & modum Scriptura explicat: ſed etiam Deo tacente, cæli ipſi ejus manibus ſe compoſitos fuiſſe clamitant: quod ipſum ad teſtandam ejus gloriam abunde ſufficit. Simul enim ac Deum agnoſcimus mundi opificem, mentes noſtras in admirationem immenſæ ejus bonitatis, ſapientiæ, & potentiæ rapi neceſſe eſt.

3. *Dies ad diem.*] Quanquam ſubtilius intelligunt Philoſophi quam pulchre diſtincti ſint ſtellarum ordines, ut in tanta multitudine nihil ſit confuſum, hujus tamen providentiæ Dei rudibus & illiteratis certius documentum eſt continua dierum ſucceſſio. David ergo hic à cælis non deſcendit ad alias mundi partes, ſed ab effectu magis ſenſibili & propinquo confirmat quod nuper dixit, in cælis non ſolum ſplendere, imo etiam reſonare Dei gloriam. Etſi autem varie exponi poſſunt verba, ſenſus tamen fere idem manet. Nonnulli ſic reſolvunt, nullum diem præterfluere, quo non inſigne aliquod documentum ſuæ virtutis Deus edat. Alii vero notari volunt doctrinæ incrementa, ut ſemper dies poſterior novi aliquid afferat. Durius eſt quod intelligunt quidam, dies & noctes inter ſe colloqui, & de Conditoris ſui gloria diſſerere. Neque vero dubito quin David ex ordinatis dierum & noctium vicibus, ſolis & lunæ ſtellarumque curſum & revolutionem mirabili Dei conſilio temperari doceat. Sive autem Diem de die vertamus, ſive Diem ad diem, parum intereſt: quia tantum notatur concinna temporum ſeries quam dierum & noctium ſucceſſio efficit. Dies quidem unus, ſi ſatis attenti eſſemus ut decebat, nobis idoneus eſſet gloriæ Dei teſtis: nox etiam una idem officium præſtaret. Sed quum videmus ſolem & lunam quotidie ſuo ambitu mundum complecti, interdiu ſolem ſuper capita noſtra extare, lunam ſuccedere vicibus, gradatim ſolem aſcendere, & ſimul propius ad nos accedere, poſtea iter ſuum reflectere, ut à nobis paulatim recedat, hinc dierum vel noctium longitudinem confici, & hanc varietatem æquabili lege ita eſſe diſpoſitam ut quotannis recurrat, hæc longe clarior teſtificatio eſt. Quare non immerito David, quamvis Deus nullum verbum faciat, dierum tamen & noctium tam bene aptatam ſeriem de gloria Dei magnifice concionari dicit: nec jam ignorantiæ prætextum reliquum eſſe hominibus, quia quum doctorum officio tam probe fungantur dies & noctes, ſatis ſcientiæ ex eorum magiſterio conſequi poſſint.

4. *Non ſermo.*] Duas fere contrarias interpretationes recipit hic verſus, quarum tamen utraque eſt probabilis: quia ad verbum ſic legitur, Non eloquium & non ſermones, non auditur vox eorum. Quidam ſimul contexunt duos verſus, acſi ſuſpenſa eſſet ſententia uſque ad poſterius membrum, *In omnem terram*, &c. Itaque ſecundum eos ſenſus eſt, quamvis muti ſint cæli, nec loquendi facultate præditi, ſatis tamen alta & canora voce prædicare Dei gloriam. Sed ſi hoc voluit David, quorſum attinebat ter repetere, non eſſe illis articulatum ſermonem? frigida ſane eſſet rei notæ inculcatio. Altera igitur expoſitio, ut magis recepta eſt, ita melius congruere videtur. Nam in lingua Hebraica, quæ conciſa eſt, ſæpe aliquid ſubauditur: præſertim Hebræis tritum eſt relativa omittere. Adde quod tertia negatio בלי exceptionem magis denotat à membris prioribus: acſi dictum eſſet, non obſtare linguarum diſcrepantiam quin ubique exaudiatur cælorum præconium. Facit enim linguarum diſſonantia ut ceſſet mutua inter varias gentes communicatio: & qui facundiſſimus eſt in ſua gente, inter exteros obmuteſcat, vel barbarus ſit ſi loqui tentet. Imo ſiquis linguarum omnium notitia ſit inſtructus, non poterit tamen Græcum ſimul & Latinum compellare: imo ſimulac ſermonem ad hos vel illos converterit, ab aliis intelligi deſinet. David ergo tacita comparatione amplificat hujus teſtimonii efficaciam quod cæli Creatori ſuo reddunt: acſi diceret, quamvis inter ſe populi linguis differant, tamen ad omnes pariter docendos communem cælis ſermonem eſſe: nec quicquam præter ſocordiam obſtare quo minus alieniſſimi quique quaſi ex ore unius doctoris proficiant.

5. *In omnem terram exivit.*] Hic declarat quomodo cæli apud omnes populos ſine diſcrimine promiſcue concionentur: nempe quia ubique terrarum intelligant homines cælos ad celebrandam Dei gloriam propoſitos eſſe teſtes. Cæterum quia nomen קו nunc lineam, nunc ſtructuram Hebræis ſignificat, quidam hunc ſenſum eliciunt, quod cælorum architectura quaſi lineatim ad regulam compoſita, longe lateque Dei gloriam prædicet. Sed quum metaphorice cæleſtis machinæ ſplendorem David hic

inſtar

inſtar doctoris de gloria Dei concionantem inducat, frigida eſſet iſta loquutio, lineam cælorum exire in ultimos uſque terræ fines. Adde quod ſtatim proximo membro verba ubique exaudiri ſubjicit. quid autem verbis affine cum ſpecie ædificii? Quod ſi vertamus Scripturam, hæc duo optime convenient, in cælis, tanquam in volumine omnibus conſpicuo, deſcriptam eſſe Dei gloriam, & ſimul inditam illis eſſe ſonoram vocem quæ ad omnium aures perveniat. Atque ita monemur, viſualem (ut ita loquar) eſſe ſermonem illum, cujus facta prius fuit mentio. Oculis enim, non auribus loquuntur cæli: ut merito eorum ſpeciem tam diſtincte ordinatam ſcripturæ comparet David. Porro quod nomen קו verſum in ſcriptione ſignificet, ſatis patet ex Jeſa. 28. v. 10. ubi Deus Judæos pueris nondum ſatis per ætatem docilibus comparans, ſic loquitur, Erit illis præceptum ad præceptum, præceptum ad præceptum, verſus ad verſum, verſus ad verſum, paulisper ibi, paulisper ibi. Itaque (meo judicio) ſenſus eſt, gloriam Dei non obſcuris literulis notatam, ſed ſplendido charactere expreſſam eſſe, cujus lectio omnibus expoſita ſit ac facilis. Hactenus genuinum Prophetæ ſenſum expoſui. Nam quod pars iſta Pſalmi ad allegorias detorta fuit, nulla ratione factum eſſe lectores facile agnoſcent. Initio monui, quod etiam ex contextu patet, antequam David ad Legem veniat, Dei gloriam in mundi opificio ſpectandam proponere. Nunc ſi ex cælis Apoſtolos, & ex ſole Chriſtum facimus, locum amplius non habebit illa partitio. adde quod præpoſtera fuiſſet ratio, Legem in contextu Euangelio poſtponere. Sed quia nihil magis clarum eſt quam Dei notitiam hic tractari, quæ in mundi ſpeculo naturaliter omnibus offertur, à longiori diſputatione ſuperſedeo. Tantum, quia ex Pauli verbis occaſionem ſumpſerunt allegorici iſti interpretes, nodus hic ſolvendus erit. Paulus de Gentium vocatione diſſerens, principium illud ſumit, Salvum fore quiſquis invocaverit nomen Domini: deinde addit non poſſe invocari, donec ex Euangelii doctrina cognitus fuerit. Cæterum quia Judæi ſpecie ſacrilegii non carere ducebant quod Paulus ſalutis promiſſionem Gentibus vulgaret, quærit an non ipſi quoque audierint. Ac reſpondet, ex hoc loco apertam illis fuiſſe ſcholam in qua pietatem & Dei cultum diſcerent, quia In omnem terram exivit, &c. Verum intempeſtive tunc Paulus dixiſſet Euangelii vocem ex ore Apoſtolorum fuiſſe in toto mundo auditam, quæ vixdum ad paucos pervenerat. Certe illorum prædicatio nondum exierat in regiones longinquas, ſed Judææ finibus adhuc manebat incluſa. Porro ejus conſilium minime ambiguum eſt: dicere enim voluit, jam anteactis ſeculis Deum pateſeciſſe Gentibus ſuam gloriam, atque hoc amplioris doctrinæ fuiſſe præludium. Nam etſi ad tempus ſeparata fuit electi populi conditio à Gentibus, mirum tamen videri non debuit quod utriſque tandem Deus promiſcue ſe pateſecit, quos pridem communiter ad ſe invitaverat: ſicuti alibi dicit, quo tempore paſſus eſt Deus Gentes errare per vias ſuas, *Act. 14. verſ. 16.*
non tamen ſe reliquiſſe ἀμάρτυρον. Unde colligimus, nimis craſſe deceptos fuiſſe qui Paulum à literali ſenſu diſceſſiſſe finxerunt. Quod lectores facilius etiamnum ex noſtris in locum illum Commentariis intelligent. *Soli poſuit tabernaculum.* Sicuti ex tota mundi machina cælos præcipue elegit David in quibus imaginem Dei ſpectandam proponeret, quia illic tanquam in ſublimi theatro melius conſpicitur: ita nunc ſolem in altiſſimo gradu poſitum demonſtrat, quia in ejus fulgore luculentius ſe profert Dei majeſtas. Nam etſi aliis planetis ſunt etiam ſui curſus & quaſi ſtadia, & firmamentum ſtellas omnes fixas in ſuam revolutionem trahit: rudibus tamen & indoctis aſtrologiæ arcana David fruſtra conatus eſſet tradere. Itaque ſatis habuit craſſo ſtylo ingratitudinis arguere totum mundum, niſi ex Solis conſpectu in pietate proficiat. Hæc ratio eſt cur dicat tentorium ei paratum eſſe: deinde egredi ipſum ab una cæli extremitate, & tranſire celeriter in partem oppoſitam. Neque enim argute inter Philoſophos de integro Solis circuitu diſputat, ſed rudiſſimis quibuſque ſe accommodans, intra ocularem experientiam ſe continet. Ideoque dimidiam curſus partem quæ ſub hemiſphærio noſtro non cernitur, ſubticet. Tria vero in ſole conſideranda proponit, formæ ſplendorem ac præſtantiam, deinde curſus celeritatem: tertio incredibilem vim caloris. Dignitatem & ornatum ſimilitudine ſponſi commendat: addit deinde ſimilitudinem curſoris. Mira enim fuit olim eorum pernicitas qui vel quadrigis vel pedibus in ſtadio certabant: quæ etſi longiſſime abfuit à celeritate Solis, nihil tamen in communi hominum uſu invenire potuit David quod propius accederet. Quod vegetativum calorem in tertio membro notari quidam putant, mihi non probatur. Eſt quidem mirabile hoc Dei opus, & inſigne bonitatis ſpecimen, quod vis Solis in terram uſque penetrans, ſua inſpiratione eam fœcundat: ſed quia dicit, neminem vel nihil abſcondi ab ejus calore, de violento æſtu, quo tam homines quam reliqua animantia, plantæ etiam & arbores torrentur, potius intelligo: quia vivificum calorem, quo nos vegetari ſentimus, effugere nullus cupit.

8. Lex Domini perfecta, inſtaurans animam: teſtimonium Jehovæ fidele, erudiens in ſapientia parvulum.	8 תורת יהוה תמימה משיבת נפש עדות יהוה נאמנה מחכימת פתי׃
9. Statuta Jehovæ recta, exhilarantia cor: præceptum Domini purum, illuminans oculos.	9 פקודי יהוה ישרים משמחי לב מצות יהוה ברה מאירת עינים׃
10. Timor Jehovæ ſincerus, permanens in ſeculum: judicia Jehovæ veritas, juſtificata ſimul.	10 יראת יהוה טהורה עומדת לעד משפטי יהוה אמת צדקו יחדו׃

8. *Lex Domini,* &c.] Sequitur nunc pars ſecunda Pſalmi. Poſtquam enim totum humanum genus oſtendit ſatis à mutis magiſtris doceri de unico Deo, Judæos nunc aggreditur, quibus magis Deus innotuerat per verbum ſuum. Nam quod de ipſo teſtantur cæli, non eo uſque deducit homines, ut veram pietatem perdiſcant: ſed tantum huc valet, ut reddantur inexcuſabiles. Verum quidem eſt, niſi eſſemus nimis hebetes, eſſe in mundi theatro ſatis multa documenta quæ nos ad pietatem invitent: ſed quia in luce clara cæcutimus, ſine verbi ſubſidio nihil nobis prodeſſet ſplendida iſta gloriæ Dei repræſentatio, licet ſonoræ concionis loco eſſe debeat. Itaque Deus quos ad ſalutem vocare ſtatuit, peculiari gratia dignatur: ſicuti olim, quamvis omnibus ſine exceptione teſtatus ſit ſe eſſe Deum: tamen Abrahæ filiis ſeorſum Legem dedit, quæ certiore & magis propinqua notitia eos imbueret. unde ſequitur, Judæos duplici vinculo ad Deum colendum obſtrictos eſſe. Nam quum Gentes, quibus tantum per mutas creaturas loquutus eſt Deus, nulla ignorantia excuſet, quanto minus tolerabilis eſt eorum ſtupor, qui vocem ex ſacro ejus ore profectam audire negligunt? Hic ergo finis eſt ut ſe alacrius addicant Judæi

in

in Dei obſequium, quos ſanctiore vinculo ſibi devinxit. Porro ſub Legis nomine non tantum intelligit regulam juſte vivendi vel decem præcepta: ſed comprehendit totum fœdus quo Deus populum illum à reliquo mundo diſtinxerat: ac totum Moſis doctrinam, cujus partes deinde enumerat ſub vocibus Teſtimonii, Statutorum, & aliis. Neque enim elogia hæc, quibus Legem commendat, ſolis decem præceptis quadrarent, niſi accederet adoptio gratuita, & quæ ex ea dependent promiſſiones: denique totum illud doctrinæ corpus ex quo conſtat vera religio & pietas. Quantum ad voces Hebraicas, ideo curioſe in cujuſque ſignificatione tradenda non laboro, quia ex aliis locis colligere promptum eſt interdum confundi. עדות quidem generaliter pro conventione accipitur, qua Deus, ubi ſe in Deum fore pollicitus eſt Abrahæ filiis, viciſſim ab ipſis fidem & obedientiam ſtipulatur. Eſt igitur mutua inter Deum & populum pactio. פקודים quæ ego alios ſequutus, Statuta verti, quidam ad ceremonias reſtringunt, non recte (meo judicio) quia pro edictis in genere paſſim video accipi. Itaque מצוה quod proxime ſequitur, fere ſynonymum eſt. De aliis videbimus ſuo loco. Prima Legis commendatio eſt, quod ſit integra vel perfecta: quo verbo ſignificat David, ſiquis in Lege Dei rite ſit edoctus, ei ad perfectam ſapientiam nihil defore. Quamvis enim profanis ſcriptis aſperſæ ſint veræ & utiles ſententiæ, & Deus aliquam juſtitiæ notitiam indiderit hominum animis: facit tamen naturæ corruptela nequa inter homines reperiatur pura lux doctrinæ, ſed mutila quædam principia, & quidem implicita ignorantiæ tenebris. Unde merito David laudem hanc vendicat Legi, quod in ſe perfectam & abſolutam ſapientiam contineat. Quia animæ converſio quam paulo poſt ſubjicit, proculdubio pro inſtauratione ponitur, non dubitavi ita vertere. Sunt enim qui nimis argute hic philoſophantur de pœnitentia & reformatione hominis. Fateor quidem non recreari animam Dei Lege, quin renovetur in juſtitiam: ſed tenendus interea ſimplex eſt Davidis ſenſus, quod ſicut anima vegetat corpus, ſic etiam Lex vita ſit animæ. Dicit autem animam reſtitui, ad miſerum ſtatum alludens in quo omnes naſcimur. Etſi enim quædam primæ originis reliquiæ adhuc ſuperſunt, quia tamen nulla pars ab inquinamento & labe pura manet, ſic vitiata animæ conditio parum à morte differt, prorſuſque ad mortem tendit. Itaque neceſſe eſt ut Deus adhibito Legis ſuæ remedio ſuccurrat: non quod per ſe id præſtet Legis litera, ut poſtea fuſius dicetur: ſed quia Deus ad reſtituendas animas, verbi ſui organo utitur. Dum vocat *teſtimonium Jehovæ fidele*, repetitio eſt proximæ ſententiæ, ut Legis integritas & fides, aut veritas teſtimonii idem valeant: nempe ubi nos Dei verbo regendos tradimus, non eſſe errandi periculum, quia certo hac via Dominus ſuos in ſalutem dirigit. Eruditio in ſapientia videtur adjecta eſſe tanquam inſtaurationis animæ principium. Nam quum præſtantiſſima animæ facultas ſit intelligentia, eam David ex Lege petendam docet, quia naturaliter ea deſtituimur. Neque enim Parvulorum nomine unam tantum hominum ſpeciem deſignat, acſi alii per ſe ſatis ſaperent: ſed primo admonet, nullos recta intelligentia præditos eſſe, donec in Lege Dei profecerint. Simul etiam oſtendit quales Deus diſcipulos poſtulet: nempe qui ſtulteſcant apud ſe, & in puerorum ordinem deſcendant, ne impediat proprii ſenſus altitudo quo minus Dei verbo ſe penitus dociles afferant.

9. *Statuta Jehovæ.*] Quanquam nihil niſi vulgare dicere videtur, quum ſtatuta Domini recta vocat: ſiquis tamen antitheſim conſideret inter rectitudinem Legis & flexuoſas vias quibus ſe involvunt homines dum ſenſum proprium ſequuntur, hoc elogium non parvi eſſe momenti intelliget. Scimus quantopere ſibi quiſque addictus ſit, & quam difficile ſit falſæ prudentiæ confidentiam ex animis noſtris revellere. Emphatica igitur doctrina eſt, rite aliter non poſſe inſtitui vitam hominis, quam ſi formetur ad Dei Legem, extra quam ſemper in tortuoſis ambagibus erratur. Addit ſecundo, *ſtatuta Dei exhilarare cor*, quia nulla alia eſt niſi bonæ conſcientiæ ſolida lætitia: qua tunc demum fruimur, ubi certo ſumus perſuaſi vitam noſtram Deo placere. Vere quidem pacis origo eſt ex fide quæ nos gratis Deo reconciliat: ſed hinc etiam piis Dei cultoribus ineſtimabile gaudium oritur, quod ſciunt non temere nec fruſtra ſe fatigari, quum Deum vitæ ſuæ arbitrum & approbatorem habent. In ſumma, hæc hilaritas pravis omnibus illecebris & voluptatibus opponitur, quæ exitialiter miſeras animas ineſcant. acſi diceret David, quicunque peccando ſe oblectant, multiplicem dolorum materiam ſibi accerſere, ſincerum vero gaudium Legis Dei ſtudio acquiri. In fine verſus, regulam divinæ Legis puram eſſe, & oculos illuminare tradens, ſubindicat perperam aliunde peti boni & mali diſcrimen, quia vitæ puritatem inquinet ſuis fæcibus quicquid ex ſe comminiſcuntur homines. Deinde cum toto ſuo acumine cæcos eſſe, & ſemper in tenebris errare, donec ad cæleſtis doctrinæ lucem convertant oculos. Unde ſequitur non alios recte ſapere niſi qui Deum ſequuntur ducem & magiſtrum, & ad pacem quam verbo ſuo præ ſe fert, attenti ſunt. Verum hinc emergit non parva quæſtio, quia hæc Legis encomia quæ referuntur à Davide, Paulus funditus evertit. Quomodo enim hæc inter ſe convenient, quod Lex recreet animas, ſit tamen mortua & exitialis litera: quod corda exhilaret, ſpiritum tamen ſervitutis afferens, incutiat terrorem: quod illuminet oculos, velo tamen oppoſito lucem intus ſupprimat? Sed primo memoria tenendum eſt quod primo admonui, Davidem non de nudis præceptis diſſerere, ſed complecti totum fœdus quo ſibi Deus Abrahæ filios in populum adoptaverat: itaque regulæ bene vivendi gratuitas ſalutis promiſſiones adjungit, imo Chriſtum ipſum, in quo fundata erat adoptio. Paulus vero cui negotium erat cum perverſis Legis interpretibus, qui eam à gratia & Spiritu Chriſti ſeparabant, nudum Moſis miniſterium attingit. Porro certum eſt, ubi Legem non vivificat Spiritus Chriſti, non inutilem modo, ſed mortiferam quoque eſſe ſuis diſcipulis. Nam extra Chriſtum, non niſi inexorabilis rigor in Lege viget, qui totum humanum genus iræ Dei & maledictioni ſubjicit. Deinde manet in nobis carnis rebellio, quæ Dei & Legis odium in nobis accendit: unde manat triſtis illa ſervitus & horror. Hæc diverſa Legis acceptio facile ſpeciem diſſidii in Davidis & Pauli verbis conciliat: quia Pauli conſilium eſt oſtendere quid Lex ſeorſum (quatenus ſine promiſſione gratiæ ſevere, quod debemus Deo, exigit) præſtare nobis queat: David totam Legis doctrinam commendat, cui Euangelium reſpondet: ideoque Chriſtum ſub ea includit.

10. *Timor Jehovæ ſincerus.*] Hic per timorem intelligitur ratio colendi Dei: itaque active ſumitur hoc nomen, pro doctrina quæ nobis præſcribit quomodo Deum timere oporteat. ſic enim ut plurimum metuunt homines Deum, ut falſos & vitioſos cultus excogitando, iram ejus magis in ſe provocent. Merito igitur David præpoſtera hominum ſtudia oblique damnans, obſervantiam Legis puram ab omni ſorde eſſe affirmat. Addit *perpetuo ſtare*, acſi vocaret æternæ felicitatis theſaurum. Videmus enim ut cæco impetu mundus ad res evanidas feratur: quo fit ut inanem beatæ vitæ umbram captando, veram beatitudinem amittat. In ſecundo membro, Dei præcepta veritatis elogio inſigniens, quicquid poſthabita

habita Lege ex arbitrio ſuo ſuſcipiunt homines, vanitatis inſimulat. Nec certe melius nos ad ſtudium amoremque Legis incitare poterat quam iſta admonitione, eos omnes qui ſibi extra Legem Dei capiunt vivendi conſilium, ſeipſos fallere, meraſque impoſturas ſectari. Falluntur autem (meo judicio) qui judicia tantum de ſecundæ tabulæ præceptis exponunt, quum Davidi propoſitum ſit fructum quem ex Dei Lege percipiunt fideles, variis loquendi modis celebrare. Quod dicit *juſtificata ſimul*, tantundem valet atque omnia ſine exceptione ad unum recta eſſe. Hoc elogio Legem Dei ab omnibus profanis doctrinis diſcernit, quia nihil maculæ aut vitii in ea deprehendatur, ſed abſoluta ſit omnibus numeris.

11. Deſiderabilia præ auro & obrizo multo, & dulcia præ melle & ſucco favorum.

11 הנחמדים מזהב ומפז רב ומתוקים מדבש ונפת צופים׃

12. Etiam ſervus tuus in illis circumſpectus redditur, & in eorum obſervatione retributio multa.

12 גם עבדך נזהר בהם בשמרם עקב רב׃

Legem Dei jam commendat tam à pretio, quam à dulcedine. Pendet autem hoc elogium ex ſuperioribus: quia tot ac tantæ utilitates, quas nuper recenſuit, merito efficiunt ut auro & argento poſthabitis, ſummi & unici theſauri loco nobis ſit cæleſtis doctrina. Pro *auro obrizo* quidam Gemmam vertunt: ſed hæc magis recepta interpretatio eſt de auro puro & probe recocto, quam & multi Scripturæ loci confirmant. Eſt autem nomen deductum à פזז quod roborare ſignificat: unde conjicere licet non certæ regionis aurum ſic vocari, ut Ophir, ſed artificio purgatum. Quin potius apparet ex Jeremiæ cap. 10. verſ. 9. terram Uphaz inde nomen ſumpſiſſe, quia auri nitidiſſimi fodinas haberet. Etymologia auri obrizi incerta eſt, niſi quod Hieronymus divinat quaſi ophrizon ita dici, hoc eſt, allatum ex terra Ophir. Summa eſt, non æſtimari pro merito Legem, niſi eam omnibus mundi divitiis præferimus. Hæc autem æſtimatio ſi apud nos obtineat, facile nimia auri & argenti cupiditate animos noſtros purgabit. Porro ad hanc reverentiam accedat etiam amor & delectatio neceſſe eſt, ut Lex non modo ad obſequium nos cogat, ſed ſuaviter etiam alliciat; quod fieri non poteſt quin ſimul corrigantur carnis deliciæ, quibus nos inefcari mirum non eſt, quamdiu inſipido guſtu juſtitiam Dei reſpuimus. Cæterum hinc iterum colligere licet, non de nudis præceptis & mortua litera haberi ſermonem: ſed promiſſiones quibus offertur gratia, ſimul comprehendi: nam ſi Lex tantum jubendo terreret, quomodo eſſet amabilis? Certe ſi à ſpe veniæ & Chriſti Spiritu ſeparetur, tam procul abeſt à mellis dulcedine, ut ſua potius amaritudine miſeras animas interficiat.

12. *Etiam ſervus tuus.*] Quanquam hoc generaliter ad quoſlibet pios extendi poteſt, recte tamen de ipſo Davide accipitur, ut teſtetur ſe proprio experimento probe tenere quicquid hactenus docuit. Et certe nemo de cæleſti doctrina vere & ſerio diſſeret, niſi qui eam penitus animo infixam alit. Fatetur ergo David ſe quicquid habet prudentiæ ad regendam & formandam vitam, ex Dei Lege adeptum eſſe. Quamvis tamen de ſe proprie loquatur, generalem in ſuo exemplo regulam proponit, ſi ratio vitæ bene inſtituendæ quæritur, unam Dei Legem ſatis ſuperque ſufficere: ſimulatque ab ea diſceditur, multis erroribus obnoxium eſſe curſum. Ac notandum eſt quod David ex abrupto ſermonem ad Deum convertens, eum ſui dicti teſtem citat, quo certius perſuadeat ſincere ſe & ex intimo affectu loqui. Quia verbum זהר tam docere quam cavere ſignificat, quidam hoc loco vertunt, Docetur, vel admonetur ſervus tuus per Legis mandata. Sed quia plenior ſententia eſt, circumſpectum reddi vel cautum qui ſe Deo regendum tradit, mihi hæc verſio magis placuit. Secundo membro declarat, quicunque ſe Deo addicunt ad ſervandam quam præſcribit juſtitiam, minime operam ludere, quia ampla illis merces apud eum repoſita eſt. Porro hæc quoque non vulgaris eſt commendatio Legis, quod in ea Dominus nobiſcum paciſcitur, ſeque ad remuneranda noſtra obſequia quodammodo obligat. Etſi enim jure ſuo à nobis exigit quicquid Lex continet: liberaliter tamen quam non debet mercedem, ſervis ſuis promittit. Verum quidem eſt, irritas eſſe Legales promiſſiones, noſtro vitio, quia longe à plena juſtitia vel perfectiſſimus quiſque abeſt: nulla autem hominibus ſperanda eſt operum merces, donec Legi in ſolidum ſatisfecerint. Ita hæc duo bene inter ſe conveniunt, vitam æternam operum mercedem fore, ſiquis Legem omni ex parte impleat: & tamen in Lege denunciare maledictionem cunctis hominibus, quia totus mundus operum juſtitia deſtituitur. Quod etiam mox ex proximo verſu patebit. Poſtquam enim hoc Legis beneficium celebravit David, quod Dei cultoribus amplam mercedem offert, ſtatim alio ſermonem transferens, exclamat, Delicta quis intelligit? ubi reos æternæ mortis pronuncians cunctos homines, quicquid ex operum meritis concipi poteſt fiduciæ, in nihilum redigit. Siquis objiciat, fruſtra Legem iſto encomio ornari quod effectu caret, prompta reſponſio eſt, quia in fœdere adoptionis incluſa eſt gratuita peccatorum venia, ex qua dependet juſtitiæ imputatio, fidelium operibus mercedem quamvis indebitam rependi. Nam quod in Lege Deus perfectis juſtitiæ obſervatoribus promittit, fideles paterna ejus indulgentia obtinent, dum illorum conatum & pium obſequendi ſtudium pro juſtitiæ perfectione gratum habet.

13. Errores quis intelliget? ab occultis meis munda me.

13 שגיאות מי יבין מנסתרות נקני׃

14. Etiam à ſuperbiis contine ſervum tuum, ne dominentur mihi: tunc integer ero, & mundabor à ſcelere multo.

14 גם מזדים חשך עבדך אל ימשלו בי אז איתם ונקיתי מפשע רב׃

15. Sint ad beneplacitum eloquia oris mei, & meditatio cordis mei coram te Jehova, fortitudo mea & redemptor meus.

15 יהיו לרצון אמרי פי והגיון לבי לפניך יהוה צורי וגאלי׃

Hæc exclamatio oſtendit quomodo Legis promiſſiones, quibus addita eſt conditio, accipere conveniat: nempe ſimulac in medium prodeunt, ut quiſque vitam ſuam examinet, nec facta modo ſua, ſed cogitationes etiam exigat ad perfectam illam juſtitiæ normam quæ in Lege traditur. Sic fiet ut ad unum omnes, ſpe mercedis abſciſſa, ad Dei miſericordiam confugere neceſſe habeant. Neque enim

repu-

reputare ſatis eſt quid Legis doctrina contineat, niſi etiam veniamus ad noſtras perſonas in quibus reperietur defectus. *Levit. 18. verſ. 5.* Papiſtæ ſimulac audiunt, Qui fecerit hæc, vivet in ipſis, ſecure operum ſuorum meritis æternam vitam alligant, acſi in eorum arbitrio eſſet Legem præſtare, cujus omnes ſumus transgreſſores non tantum in uno apice, ſed in ſingulis partibus. Ideoque David quaſi labyrintho obſeſſus, delictorum multitudine ſe obrui cum admiratione fatetur. Hoc igitur primo tenendum, quia Legis juſtitia deſtituimur in noſtris perſonis: ideo etiam à ſpe mercedis quæ illic promittitur, excludi: deinde non uno aut altero delicto, ſed innumeris nos coram Deo reos conſtringi: ut cum acerbiſſimo dolore deflenda ſit noſtra pravitas, quæ non tantum Dei benedictione nos privat, ſed vitam convertit in mortem: ſicuti non dubium eſt quin David, poſtquam Deum liberaliter præmium offerre dixerat omnibus qui Legem obſervant, horrore perculſus eruperit in hanc vocem. Per שגיאות vel errores, quidam minora delicta notari putant: verum David (meo judicio) ſimpliciter dicere voluit, pluribus Satanæ fallaciis nos implicari, quam ut quiſque centeſimam malorum ſuorum partem ſentiat. Errore quidem & incogitantiâ ſæpe delinquunt ſancti: ſed contingit etiam Satanæ laqueis irretitos non perſpicere craſſa peccata. Unde merito errores in genere vocantur, quibus ſibi præ ſtupore homines & carnis illecebris decepti indulgent. Se enim & alios ad Dei tribunal citans, quamvis ſibi conſcii non ſint, non tamen ideo abſolvi admonet, quia Deus longe acutius cernit quam hominum conſcientiæ, ut attentiſſimos quoſque major pars ſui reatus fugiat. Confeſſioni ſubjicitur veniæ precatio. Mundandi enim verbum non ad regenerationis donum, ſed ad gratuitam condonationem refertur. Nam Hebræis נקה innocentem eſſe ſignificat. Jam de erroribus quoque mentem ſuam clarius explicat, occulta peccata vocans, in quibus ſcilicet homines ſeipſos decipiunt, nec ſponte modo & accerſitis blanditiis, ſed quia ad Dei judicium non penetrant. Porro ad nos juſtificandos inanis eſt ignorantiæ prætextus, nec cæcutire quicquam prodeſt, quia in propria cauſa nemo idoneus eſt judex. Itaque à Dei abſolutione petenda mundities. Jam ſi in judicium Dei venire neceſſe eſt quæ nos fugiunt errata, niſi venia deleantur, quomodo impune evadet qui arguente ipſum conſcientia, ſuus judex eſſe cogitur? Jam memoria tenendum, non uno tantum reatu nos teneri, ſed obrui innumera colluvie. Nam quo diligentius in ſe quiſque inquiret, fatebitur cum Davide, nullum fore modum vel finem, ſi Dominus occulta mala noſtra detegat: quia nemo comprehendit quot modis ſit obnoxius. Unde etiam apparet quam ſupina hypocriſis dementaverit Papiſtas, quibus facile & expeditum negotium eſt, ſemel quotannis omnia peccata in faſciculum colligere Jubet decretum Lateranenſis concilii confiteri ſemel in anno omnia peccata: nulla ſpes veniæ niſi ſub conditione hac relinquitur. quiſque in aurem ſacerdotis demurmurans, pulchre ſe defungi exiſtimat, quaſi digitis ſupputare poſſet quæcunque toto anno peccata admiſit: quum ſevero examine vix ad partem centeſimam ſancti perveniant, ideoque conſentiant in hanc vocem Davidis, Errata quis intelliget? Nec valet exceptio, ſatis eſſe ſi faciant ſinguli quod in ſe eſt. Nam quum impoſſibile ſit præſtare quod Lex jubet, neceſſe eſt, quiſquis ſerio timoris Dei ſenſu præditus eſt, deſperatione obrui, quamdiu hac neceſſitate obſtringi ſe putat: qui autem hoc modo exonerant peccata, prorſus eſſe ſtupidos. Scio alios ſecus exponere, ut directione Spiritus ſui Dominus ab erroribus eum revocet. Verum ad veniam amplius refertur hæc precatio: ſicuti quæ mox ſequitur proximo verſu, opem ad ſuperandas tentationes auxiliumque Spiritus ſancti implorat. *A ſuperbiis*, inquit David, *prohibe ſervum tuum*: per ſuperbias intelligens apertas transgreſſiones, quibus adjuncta eſt contumacia. Prohibendi verbo ſignificans, quæ carnis eſt ad peccandum proclivitas, ſanctos etiam ſtatim diffluere, vel præcipites ferri, niſi ſua cuſtodia Deus eos arceat. Notandum enim quod ſervum Dei ſe nominans, fatetur tamen ſe opus habere freno, ne contumaciter ad transgrediendam Dei Legem erumpat. nam etſi Dei Spiritu regenitus gemebat ſub vitiorum ſuorum onere, ſciebat tamen quanta ſit carnis pervicacia, & quam facile obrepat Dei oblivio: unde naſcitur contemptus & impietas. Quod ſi à transgreſſionum periculo tutus non fuit David, qui in Dei timore uſque adeo profecerat, quomodo ſibi per liberum arbitrium moderabitur homo carnalis, in quo dominantur innumeræ libidines? Diſcamus igitur, quamvis jam abnegatione noſtri domita ſit carnis laſcivia, nobis tamen metuere; quia niſi nos contineat Deus, furioſe ebulliet ſuperbia contra Deum. Atque hanc ſententiam confirmat mox addita ratio, *ne dominentur mihi*. clare enim hoc verbo affirmat, ſe non modo imparem fore ad reſiſtendum, niſi ſuccurrat Deus, ſed ſcelerum imperio ſe prorſus fore addictum. Docet ergo hic locus, non modo totum humanum genus naturaliter peccato mancipatum eſſe, ſed ipſos quoque fideles, niſi ad eos regendos aſſidue invigilet Deus, & in perſeverantia confirmet, fore peccati mancipia. Altera etiam utilis admonitio hic traditur, Nunquam pro impetranda venia orandum eſſe, quin ſimul petamus Dei virtute in poſterum nos armari, ne prævaleant tentationes. Quanquam autem ſtimulis concupiſcentiæ punguntur, non tamen deſpondere animos convenit, ſed rogandus eſt Deus ut nos cohibeat. Optaſſet quidem David nullum in ſe vitioſum motum ſentire: ſed quia agnoſcit, donec experit corruptam naturam, ſe nunquam à peccati reliquiis fore immunem, ſe ad pugnandum Spiritus gratia inſtrui poſtulat, ne iniquitas victrix dominetur. In fine verſus duo notanda ſunt: nam quum affirmat David ſe tunc integrum fore & purum à multo ſcelere, primo hunc honorem ſpirituali Dei præſidio tribuit, ut eo fretus, certam ſibi victoriam contra omnes Satanæ exercitus promittat. Deinde fatetur, niſi divinitus adjutus fuerit, ſe immenſa malorum turba & congerie oppreſſum iri. Neque enim ab uno tantum vel altero ſcelere mundum ſe fore dicit, ſed à multis. Unde ſequitur, ſimulac nos deſtituit gratia Dei, nullum fore peccati genus quo nos Satan non illaqueet. Hæc igitur Davidis confeſſio, precandi ſollicitudinem in nobis acuat, quia inter tot ac tam multiplices inſidias minime torpendum eſt. Rurſum pia illa gloriatio in cordibus noſtris palmam obtineat, quamlibet multis & validis copiis nos oppugnet Satan, modo auxilietur nobis Deus, invictos tamen fore, atque ita ſtaturos ut nobis maneat incolumis integritas.

15. *Sint ad beneplacitum.*] Expreſſius Dei gratia ad recte ſancteque vivendum muniri ſe poſtulat. Summa enim eſt, Ut non modo à transgreſſionibus eum Deus prohibeat, ne in externum actum erumpant, ſed ut linguam quoque & animum formet in obſequium Legis ſuæ. Scimus quam difficile ſit etiam perfectiſſimis, verba & cogitationes ita frenare ut nihil Dei voluntati adverſum, vel animo vel ore concipiant: & tamen hæc interior puritas præcipue à nobis in Lege exigitur. Quo autem rarior eſt virtus, exacta hæc cordis & linguæ continentia, eo magis diſcamus quam neceſſaria ſit nobis Spiritus gubernatio ad vitam recte probeque inſtituendam. Per nomen beneplaciti, oſtendit non aliam eſſe bene vivendi regulam, quam ſi Deo placere ac ſe probare homines ſtudeant. Quod in clauſula vocatur Deus fortitudo & redemptor, ad impetrandi fiduciam valet.

ARGUMENTUM PSALMI XX.

Communis Eccleſiæ precatio pro Rege Iſraëlis, ut ei Deus auxilium in diſcrimine ferat: & pro ſtatu regni, cum tutatur incolumem, quia publicam ſalutem in ſe continet. Cui adjungitur promiſſio, Deum regni iſtius, cujus auctor eſt, fore præſidem, ut perpetuæ ejus conſervationi invigilet.

PSALM. XX.

PRæfecto Canticum Davidis.

2. Exaudiat te Jehova, in die tribulationis protegat te nomen Dei Jacob.

3. Mittat auxilium tibi è Sanctuario, & è Sion ſuſtineat te.

1 למנצח מזמור לדוד:
2 יענך יהוה ביום צרה ישגבך שם אלהי יעקב:
3 ישלח עזרך מקדש ומציון יסעדך:

QUanquam inſcriptio oſtendit Pſalmum à Davide fuiſſe compoſitum, nihil tamen abſurdi eſt quod de ſe in aliorum perſona loquitur. Nam quum injunctum ei eſſet Prophetæ munus, merito fidelibus dictavit precandi formam, non tam imperio vel regio edicto ſeipſum commendans, quam ex doctoris officio oſtendens, ad totius Eccleſiæ ſtudium & curam ſpectare, ut regnum quod erexit Deus, ſalvum maneat. Quod vero multi interpretes ad certum tempus precem hanc reſtringunt, mihi non probatur. Fieri poteſt ut prima occaſio ſumpta ex uno bello fuerit, ſive contra Ammonitas, ſive contra alios hoſtes. Conſilium tamen Spiritus ſancti (meo judicio) fuit, ordinariam precandi formam Eccleſiæ tradere, cujus uſum ex verbis fuiſſe colligimus quoties diſcrimen aliquod inſtabat. Cæterum quanquam filiis ſuis in genere præcipit Deus pro Regibus orare, peculiaris tamen fuit hujus regni & ab aliis omnibus diſtincta ratio: quia Deus populum ſuum non niſi per manum Davidis & ſeminis ejus gubernare & tueri ſtatuerat. Præcipue vero notandum eſt ſub typo regni temporalis deſcriptum fuiſſe longe melius regimen, unde pendebat plena Eccleſiæ lætitia & felicitas. Itaque huc conſulto reſpexit David ut omnes Dei filios hortetur ad piam ſollicitudinem pro regno Chriſti gerendam, quæ nos ad continuas preces exſtimulet.

2. *Exaudiat te Jehova.*] Spiritus ſanctus populum orantem inducens, ut Deus Regis votis reſpondeat, ſimul admonet Reges ipſos officii, ut in ſuis negotiis fidem Dei implorent. Diem tribulationis nominans, à moleſtiis non fore immunes oſtendit, ne animos deſpondeant ſiquando eos periclitari contingat. Summa eſt, quod fideles, ne à capite corpus ſeparetur, communibus ſuffragiis preces Regis adjuvant. Quod nomen Dei pro Deo ipſo ponitur, ratione non caret: nam quia nobis incomprehenſibilis eſt Dei eſſentia, quatenus nobis patefacta eſt ejus gratia & virtus, in eum ſperare convenit. Itaque ex nomine, invocandi fiducia naſcitur. Cupiunt ergo fideles Regem protegi Dei auxilio, cujus nomen invocatur inter filios Jacob. Neque enim eorum opinioni aſſentior, qui putant mentionem Patriarchæ fieri, quem Deus non abſimili modo ac ſervum ſuum Davidem exercuit. Potius exiſtimo, uſitato Scripturæ more, populum electum hac voce intelligi: quia hæc quoque adoptionis pars erat, ſub tutela Regis divinitus præfecti degere. Hinc tenenda eſt anagoge quam attigi. Quando enim Chriſtus Rex noſter pro æterni Sacerdotii ratione apud Deum intercedere non deſinit, totum Eccleſiæ corpus ejus precibus ſuccinere convenit: ſicuti etiam nulla ſpes eſt nos exauditum iri, niſi ipſo præeunte. Hæc vero non exigua leniendis noſtris doloribus conſolatio eſt, quod noſtras anguſtias, quoties affligimur, ſuas eſſe ducit: modo ſimul in mentem veniat, animos in tribulatione colligere, quia hic Spiritus oraculo prædictum eſt, regnum Chriſti periculis & incommodis obnoxium fore.

3. *Mittat auxilium è Sanctuario.*] Hoc eſt, auxilietur tibi è monte Sion, ubi Arcam fœderis locari jubens, domicilium ſibi illic delegit. Nam quia non patitur carnis infirmitas ut in cælum uſque homines evolent, obviam ipſe prodit, & per externa fidei exercitia oſtendit ſe illis propinquum. Sic Arca fœderis, præſentiæ ejus pignus fuit populo veteri: & Sanctuarium, cæli imago. Sed quia Deus montem Sion deſignans, ubi perpetuo ipſum colerent fideles, regnum ſacerdotio conjunxerat, hoc ſacrum vinculum David haud dubie ſpectavit. Atque hinc conjicio Pſalmum hunc à Davide jam ſene ſub extremum vitæ tempus fuiſſe compoſitum. Nam quod prophetice quidam de Sione loquutum putant, priuſquam in eo delecta eſſet Arcæ ſtatio, coactum videtur, parumque probabile.

4. Recordetur omnis oblationis tuæ, & holocauſtum tuum pingue reddat. Selah.

5. Det tibi ſecundum cor tuum, & omne conſilium tuum impleat:

6. Ut exultemus in ſalute tua, & in nomine Dei noſtri trophæum erigamus, ubi implebit Jehova omnes petitiones tuas.

4 יזכר כל מנחתך ועולתך ידשנה סלה:
5 יתן לך כלבבך וכל עצתך ימלא:
6 נרננה בישועתך ובשם אלהינו נדגל ימלא יהוה כל משאלותיך:

4. *Recordetur*, &c.] Verbum hoc pro attendere accipio, ſicuti aliis pluribus locis: ita Oblivíſci ſæpe tantundem valet ac negligere, vel non dignari ſua cura & intuitu. Summa eſt ut Deus re ipſa demonſtret ſibi accepta fuiſſe Regis ſacrificia. Duæ quidem ſpecies ponuntur, מנחה quæ ornandis omnibus victimis legitima erat acceſſio, & per ſe etiam offerebatur: deinde holocauſtum: ſed per ſynecdochen omnia ſacrificia notare voluit David: ſicuti etiam ſub ſacrificiis vota & preces complexus eſt. Scimus enim, quoties orabant Patres ſub Lege, ſpem impetrandi fundatam in ſacrificiis fuiſſe: ſicuti etiam hodie non aliter gratæ ſunt noſtræ orationes Deo, niſi quatenus eas ſui ſacrificii odore Chriſtus perfundit & ſanctificat. Ergo ſolennes Regis preces, quæ victimis & oblationibus annexæ erant, cupiunt fideles valere ad proſperum ſucceſſum. Quod etiam clarius ex proximo verſu colligitur, ubi affectus & conſilia Regis Deo commendant. Porro quia abſurdum eſſet à Deo petere ut morem gerat ſtultis praviſque deſideriis, tenendum principium eſt, Regem hic deſcribi non ambitioni ſuæ deditum, non flagrantem avaritia, non pro ſua libidine quidvis appetentem, ſed intentum muneri ſibi injuncto, publicæque ſaluti

ſaluti addictum, ut nihil niſi Spiritus inſtinctu & præſcripto oris Dei poſtulet.

6. *Ut exultemus.*] Poſſet etiam duobus aliis modis hic verſus exponi, ſicuti quidam precationem contexunt, acſi dictum eſſet, Fac Domine ut exultemus. Alii vero putant fideles officio precandi defunctos in bonam ſpem ſe erigere, imo certa ſpe erectos, quodammodo jam triumphum agere: ſicuti David ejuſmodi gratulationes precibus ſubinde permiſcet, quibus ad continuandum creſcat alacritas. Sed ego omnibus propius expenſis, finem divinæ gratiæ vel fructum notari exiſtimo, ideoque ſubaudiendam duxi particulam Ut. Nam fideles quo facilius Regi ſuo impetrent Dei favorem, communem lætitiam, & gratiarum actionem in medium proponunt: acſi dicerent, non pro capite unius hominis ſe eſſe ſollicitos, ſed de totius Eccleſiæ utilitate. Cæterum quod dicitur, *in ſalute tua*, etſi tam ad Deum quam ad Regem poteſt referri, quia ſæpe Dei ſalus vocatur quam ipſe confert: contextus tamen poſtulat de Rege magis intelligi. nam quia populus in Regis umbra vivebat (ſicuti dicit Jeremias Thren. 4. v. 20.) ideo nunc teſtantur fideles, eo ſalvo & florente ſe omnes hilares fore ac beatos. Interea ut ſuum gaudium à profanis tripudiis diſtinguant, profitentur ſe vexillum erecturos in nomine Dei. Hebraicum verbum tantundem valet ac vexillare, ſi apud Latinos receptum foret. Senſus autem eſt, agnituros Dei gratiam fideles, ut ejus triumphum celebrent.

7. Nunc cognovi quod ſervaverit Jehova unctum ſuum, exaudiet illum è cælis Sanctuarii ſui * in fortitudinibus ſalutis dexteræ ſuæ.	7 עַתָּה יָדַעְתִּי כִּי הוֹשִׁיעַ יְהוָה מְשִׁיחוֹ יַעֲנֵהוּ מִשְּׁמֵי קָדְשׁוֹ בִּגְבֻרוֹת יֵשַׁע יְמִינוֹ׃
8. Hi in curru, & hi in equis: nos autem nominis Jehovæ Dei noſtri recordabimur.	8 אֵלֶּה בָרֶכֶב וְאֵלֶּה בַסּוּסִים וַאֲנַחְנוּ בְּשֵׁם יְהוָה אֱלֹהֵינוּ נַזְכִּיר׃
9. Hi incurvati ſunt & ceciderunt: nos vero ſurreximus & erecti ſumus.	9 הֵמָּה כָּרְעוּ וְנָפָלוּ וַאֲנַחְנוּ קַּמְנוּ וַנִּתְעוֹדָד׃
10. Jehova ſerva: Rex exaudiat nos die quo invocabimus.	10 יְהוָה הוֹשִׁיעָה הַמֶּלֶךְ יַעֲנֵנוּ בְיוֹם קָרְאֵנוּ׃

* vel, in fortitudinibus ſalus dexteræ ejus.

7. *Nunc cognovi.*] Nunc ſequitur gratulatio, in qua recitant fideles ſe expertos eſſe Dei bonitatem in tuenda Regis ſalute. Simul tamen annexa eſt fidei doctrina, quod Deus re ipſa oſtenderit, ſua virtute ſtare regnum Davidis, quia in ſua vocatione fundatum ſit. Senſus ergo eſt, certa experientia liquere, Deum cuſtodem eſſe ejus regni quod ipſe inſtituit, & cujus eſt auctor. nam Meſſiæ epitheto in hunc finem ornatur David, ut ſtatuant fideles legitimum eſſe & ſacrum Regem, quem Deus à ſe electum externa unctione teſtatus fuerat. Quod ergo ex maximis periculis ereptus fuerat David, hoc Dei gratiæ adſcribunt fideles: ſimulque cauſam addunt, quia Deus ſuo præſidio regere ac tutari voluerit quem juſſerat ungi in Regem populi ſui. Spem vero futuri temporis clarius adhuc confirmant altero membro, quod Deus eum è cælo exaudiet. Retineo enim futurum verbi tempus: quia non dubito quin documentum quod jam exhibuerat Deus, extendant ad continuam regni confirmationem. Hic vero jam alterius Sanctuarii mentio fit, nempe cæleſtis. Sicut enim Deus per Arcam fœderis ad populum deſcendere tunc dignatus eſt, quo familiarius innoteſceret: ſic etiam rurſum mentes ſuorum ad ſe ſurſum trahere voluit, nequid de ipſo carnale vel terrenum conciperent: atque ut ſcirent toto mundo ſuperiorem eſſe. Ita ſub viſibili & manufacto Sanctuario commendatur paterna Dei indulgentia, & familiaris uſus quem cum populo ſuo habet: ſub Sanctuario autem cælorum, immenſa potentia, imperium, & majeſtas. *In fortitudinibus ſalutis* tantundem valet acſi dixiſſet potentes ſalutes, vel potentias ſalutares. Itaque in ipſa loquutione eſt hypallage. Senſus tamen huc redit, Et pro ſua admirabili virtute ſervet Deus Regem ſuo mandato unctum: quia Spiritus qui hanc precem dictavit, tot Satanæ furioſis conatibus videbat fore obnoxium, ut vulgari modo ſtare non poſſet. Non tamen diſplicet altera expoſitio quam in margine notavi: nempe quod fideles, ut ſe melius animent, ſibi proponant ſalutem dexteræ Dei eſſe in fortitudinibus, hoc eſt, ſatis validam ad ſuperanda quævis obſtacula.

8. *In curru.*] Hoc ad hoſtes Iſraëlis non reſtringo, ut alii interpretes: ſed potius fideles cum reliquo mundo conferri arbitror. Hoc enim cunctis fere mortalibus videmus eſſe ingenitum, ut quantis quiſque opibus, potentia, vel militaribus copiis præditus eſt, tantum concipiat animi & fiduciæ. Teſtatur ergo populus Dei ſe non vulgari hominum more ſpem locaſſe in armis vel bellico apparatu, ſed tantum in auxilio Dei. Quum autem hæc duo inter ſe opponit Spiritus, notandum eſt, ſimulac mentes noſtras occupat carnis fiducia, Dei oblivionem quodammodo obducere. Fieri enim non poteſt ut qui ſua virtute confiſus victoriam ſibi promittit, in Deum reſpiciat. Ideo Recordandi verbo utitur Propheta, ut oſtendat fideles non niſi vacuos omnibus impedimentis, ad Deum confugere. Porro hæc Dei recordatio primum fideles, quibuslibet copiis polleant, retrahit tamen à vana confidentia, nequid aliunde quam ex mera Dei gratia expectent. Deinde ſi omnibus ſubſidiis orbati ſint ac deſtituti, confirmat tamen ut intrepide & conſtanter Deum invocent. Sicuti rurſum profani homines, ubi viribus pollent, ſuperbia excæcati, non dubitant ſecure Deum contemnere: ad inopiam vero redacti, miſere expaveſcunt. Denique nobis hic Dei memoriam commendat Spiritus, quæ tam in nuditate quam in copiis vigorem ſuum retinens, vanas ſpes quibus inflari ſolet caro, ſubigat. Verbum נזכיר quia eſt in conjugatione Hiphil, tranſitive quidam exponunt, Recordari faciemus. Sed quia novum non eſt neutraliter etiam accipi verba apud Hebræos, quæ proprie tranſitiva ſunt, amplexus ſum quod præſenti loco melius quadrabat.

9. *Hi incurvati ſunt.*] Probabile eſt hic tanquam digito monſtrari Iſraëlis hoſtes, qui divinitus proſtrati fuerant, quum nihil minus futurum putarent. Subeſt autem tacita antitheſis inter ferociam qua ad tempus elati fuerant hoſtes, quum audacter irruerent ad omnia perdenda & populi Dei oppreſſionem. Sicuti enim Surgere non niſi eorum eſt qui prius jacebant, ita Incurvari & Cadere proprie dicuntur quos prius ſua ſecuritas in ſublime extulit. Ergo ab eventu docet Propheta, quanto ſatius ſit ſpes omnes noſtras ad Deum unum applicare, quam propriis viribus inniti.

10. *Jehovâ ſerva.*] Quidam uno contextu legunt, Jehova ſerva Regem: forte quia abſurdum illis videtur ad Regem terrenum, quod Dei proprium eſt, transferri, ut ſcilicet invocetur atque exaudiat. Verum ſi in Chriſtum, ut oportet, conjici-

ed by Google

mus oculos: non erit cur miremur Davidi & ejus ſucceſſoribus, quatenus perſonam ejus geſſerunt, per ſimilitudinem attribui quod in ipſum competit. Quia autem per ejus manum nos regit Deus ac ſervat, non aliunde ſperanda eſt ſalus. ſicut etiam fideles olim ad Regem ſuum, tanquam ſalvificæ Dei gratiæ miniſtrum, confugere ſolebant. Hinc illud
Thren. 4. verſ. 20. Jeremiæ quod prius citavi, Spiritus oris noſtri Chriſtus, de quo diximus, In umbra tua vivemus inter Gentes. Ideo etiam quoties reſtitutionem Eccleſiæ ſuæ promittit Deus, ſymbolum ſalutis proponit in regno. Nunc videmus non abſque optima ratione fideles induci auxilium à Rege petentes, cui in fidem & cuſtodiam dati ſunt, & qui Dei loco in capite
Mich. 2. verſ. 13. eorum præſidet. Sicuti Micheas dicit, Tranſibit Rex coram ipſis, & Jehova in capite eorum. Quibus verbis ſignificat, Regem fore inſtar ſpeculi, in quo affulgeat Dei imago. Redeo nunc ad præſentem locum. Ecliptica loquutio, quum dicitur, Serva Domine, majorem continet emphaſin, quam ſi adjectum fuiſſet nomen: quia hoc modo oſtendit David, communiter ad totum Eccleſiæ corpus ſpectare ſalutem iſtam. Et Pſalm. 118. verſ. 25. eadem verborum forma concipitur precatio, quam eandem eſſe certum eſt. Summa eſt, ut Deus Regem ſuum benedicendo, totius populi Servator appareat. Deinde exprimitur ſalutis modus, ut Rex Dei virtute inſtructus ſit ad liberandum populum, quoties ejus opem imploraverint: quia non aliter quam ejus manu & opera promiſerat Deus ſuos fore ſalvos. Hodie manifeſtato Chriſto diſcamus hunc honorem deferre, ne aliam ſalutem, niſi quam nobis à Patre afferet, ſperemus. Ejus vero tunc demum futuri ſumus participes, ſi omnes ſub communi noſtro capite in unum corpus collecti, mutuam alii pro aliis curam geramus, non autem ſeorſum quiſque ſibi conſulat.

ARGUMENTUM PSALMI XXI.

Pſalmus hic publicam gratiarum actionem pro felici Regis ſtatu continet. Ejus autem & ſuperioris ſimilis fere eſt ratio. nam ſicuti illic dictata fuit communis precandi forma, ut totus populus pro capitis ſui ſalute eſſet ſollicitus: ita nunc oſtenditur, incolumem Regis ſtatum ad publicam lætitiam ſpectare: quia hoc modo Deus totum corpus ſervare integrum volebat. Præcipue vero Spiritus ſanctus fidelium mentes in Chriſtum direxit, qui Regni hujus finis erat & perfectio: ut ſcirent, non aliter quam ſub capite divinitus ordinato, ſe fore ſalvos.

PSALM. XXI.

PRæfecto canticum Davidis.

2. Jehova in virtute tua lætabitur Rex, & in ſalute tua quam exultabit valde?

3. Deſiderium cordis ejus dediſti ei, & quod protulit labiis ſuis, non negaſti. Selah.

4. Quoniam prævenies eum benedictionibus boni: impones capiti ejus coronam auream.

1 למנצח מזמור לדוד:
2 יהוה בעזך ישמח מלך
ובישועתך מה יגיל מאד:
3 תאות לבו נתתה לו וארשת
שפתיו בל מנעת סלה:
4 כי תקדמנו ברכות טוב תשית
לראשו עטרת פז:

Jehova in virtute.] Poterat David privatim gratias Deo agere pro victoriis & aliis inſignibus donis quibus ornatus fuerat: ſed teſtari propoſitum habuit, non modo ſe, Deo auctore, regnare, ſed etiam quicquid in eum Deus contulerat, in publicam omnium utilitatem redire. Ac initio quidem ſtatuunt fideles ita Regem Dei auſpiciis creatum eſſe Davidem, ut ejus tuendi curam Deus ipſe ſuſceperit. Itaque apparet Pſalmum in hunc quoque finem compoſitum fuiſſe, ut ſibi promitterent ſtabilem ac diuturnam fore hanc Dei gratiam: ſicuti neceſſe erat, ut ſtarent in firma fiducia, de Rege bene ſperare, cujus conſpectus, Dei propitii & faventis ſpeculum erat. Senſus autem verborum eſt, Domine, virtute tua Regem ſuſtinens, efficies ut per te ſalvus maneat: atque ita ſalutem ſuam potentiæ tuæ adſcribens, non vulgari modo in te lætetur. Robur enim & ſalutem haud dubie pro valido & robuſto auxilio poſuit, ſignificans Dei potentiam in Rege tuendo fore talem, ut eum ab omni periculo liberum & ſalvum præſtaret. Secundo verſu notatur gaudii cauſa, quod Regis vota exaudierit Deus, ac liberaliter dederit quæcunque optabat. nam hoc teneri, & penitus animis infixum eſſe, operæpretium fuit, proſperos omnes Davidis ſucceſſus totidem eſſe Dei beneficia, atque etiam documenta legitimæ ejus vocationis. Ac David quidem his verbis ſignificat ſe carnis deſideriis vota non laxaſſe, ut profani homines libidinoſe huc & illuc animos ſine delectu applicant: ſed ita frenaſſe ſuos affectus, ut nihil niſi æquum & rectum expeteret. Etſi enim quibuſdam vitiis (ut fert hominum infirmitas) laboravit, bis etiam turpiter lapſus eſt: continua tamen regni adminiſtratio talis fuit, ut facile conſtaret Spiritum ſanctum primas illic tenere. Sed quia Spiritu prophetico in Chriſtum maxime reſpexit, qui non ſibi, ſed in bonum noſtrum regnat, & cujus unicum votum ad ſalutem noſtram tendit, hinc colligere licet utiliſſimam doctrinam, minime timendum eſſe quoties pro Eccleſia oramus, ne Deus preces noſtras repudiet, quas non niſi præeunte cæleſti noſtro Rege concipimus.

4. *Quoniam prævenies.*] Mutatio temporis in verbis, rei contextum non abrumpit: itaque hanc ſententiam libenter in tempus futurum transfero, ſicuti Hebræis ſcimus ſatis tritam eſſe hanc enallagen. Porro qui Pſalmum hunc reſtringunt ad ultimam victoriam quam de exteris Gentibus adeptus eſt David, & coronam, cujus hic fit mentio, Regis Ammon eſſe putant, quam celebrat Sacra hiſtoria: meo judicio nimis extenuant quod de perpetua regni felicitate dictavit Spiritus ſanctus. Nec vero mihi dubium eſt quin poſteros ſuos uſque ad Chriſtum complexus fuerit David: atque ita aſſiduos gratiæ Dei progreſſus in ſervando regno illo commendaverit. Neque enim de uno tantum homine dictum fuerat, Ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium: ſed oraculum illud à Solomone uſque ad *2 Sam. 7. verſ. 14.*
Chriſtum extendi debuit: ſicuti optimus teſtis eſt Jeſaias, completum fuiſſe docens, quum Filius da- *Jeſa. 9:6.*
tus eſt vel exhibitus. Porro quum dicit, Prævenies, ſignificat ultro Deum fore liberalem, & ad largiendum propenſum, ut non modo rogatus annuat, ſed etiam vota Regis antevertens, omni bonorum genere præter ſpem eum cumulet. Per *benedictiones* intellige affluentiam vel largitatem. Quod quidam Hebraicum טוב bonitatem vertunt, mihi non placet: potius enim pro beneficentia vel gratuitis Dei muneribus & donis accipitur: acſi dictum eſſet, nihil Regi defore ad beatæ vitæ ſummam, quia Deus ſponte eum multiplici bonorum copia ad locupletandum eum occurret. *Coronam* vero diſerte nominat,

Digitiz

me, quia regni erat inſigne: acſi dixiſſet, Deum ejus Regis, quem ipſe creaverat, fore cuſtodem. Jam vero quum Propheta cidarim, poſtquam ad longum tempus jacuiſſet, reponendam in Chriſti capite teſtetur, colligimus hoc cantico erectas fuiſſe pias mentes in ſpem æterni regni, cujus umbra tantum vel obſcura imago in filiis Davidis propoſita fuit. Quare hic regni Chriſti perpetuitas aſſeritur, quia non hominum favore vel ſuffragiis impoſitus fuerit ſolio, ſed Deus è cælo caput ejus corona ornaverit.

5. Vitam petiit abs te, dediſti ei protractionem dierum in ſeculum & ſemper.

5 חַיִּים שָׁאַל מִמְּךָ נָתַתָּה לּוֹ אֹרֶךְ יָמִים עוֹלָם וָעֶד׃

6. Magna gloria ejus in ſalute tua, ſplendorem & decorem poſuiſti ſuper eum.

6 גָּדוֹל כְּבוֹדוֹ בִּישׁוּעָתֶךָ הוֹד וְהָדָר תְּשַׁוֶּה עָלָיו׃

7. Quia poſuiſti eum benedictiones in ſeculum, exhilaraſti eum lætitia coram vultu tuo.

7 כִּי תְשִׁיתֵהוּ בְרָכוֹת לָעַד תְּחַדֵּהוּ בְשִׂמְחָה אֶת פָּנֶיךָ׃

5. *Vitam petiit.*] Confirmat hic verſus quod nuper attigi, Pſalmum hunc ad unius hominis perſonam minime reſtringi. Quamvis enim prorogata fuerit Davidis vita uſque dum ſenio confectus & ſatur dierum è terra migraret: brevius tamen fuit ejus curriculum, quam ut ad iſtam dierum longitudinem acceſſerit, quæ pluribus ſeculis conſtare dicitur. Imo ſi tempus à primordio regni Davidis ad exilium Babylonicum ſupputes, non reperietur hæc longitudo in Davidis ſucceſſoribus. Quare non dubium eſt quin Regem æternum hic comprehendat David. Subeſt autem hic comparatio inter obſcurum & contemptibile, imo graviſſimis periculis refertum, & deſperationi affine regni principium, deinde incredibilem illam gloriam quæ ſequuta eſt, quum Deus regnum illud à communi ordine eximens, fere ſupra cælos locavit. Neque enim vulgare eſt elogium, quamdiu ſol & luna in cælo fulgebunt, ſtabile fore regnum illud. Ergo David ſe vitam petiiſſe commemorans, tacite in quas ſæpe anguſtias redactus fuerit notat: ut ſit ſenſus, Domine, ex quo ſervum tuum ſacra unctione ad ſpem regni vocaſti, talis fuit ejus conditio ut pro ſingulari beneficio duceret elabi è faucibus mortis: jam vero non ſolum tua gratia ſalvus evaſit, ſed pollicitus etiam es continuam per multa ſecula in ejus poſteris ſucceſſionem. Atque hoc non parum amplificat Dei gratiam, quod miſerum hominem fereque exanimem, quum trepide mortem deprecaretur, inæſtimabili hoc honore dignatus ſit, ut regale ſceptrum ad poſteros in ſeculum uſque transmitteret. Quod quidam exponunt, Dediſti ei vitam quam petebat, & quidem ut dies ejus protraheres in ſeculum & perpetuo, frigidum eſt ac coactum. Tenenda eſt enim illa antitheſis inter principium regni infirmum & ignobile, & illud inopinatum decus quo Deus ſervum ſuum ornavit, teſtem advocans lunam, ſiquando ſemen ejus deficeret. Simile in Chriſto quoque ſpecimen editum fuit, quem Pater à contemptu, ignominia, morte, ſepulchro, deſperatione, in cæleſte imperium extulit, ut ſedeat perpetuo ad ejus dexteram, futurus tandem Judex mundi.

6. *Magna gloria ejus.*] Significat his verbis populus Regem ſuum, quia Dei manu protegitur & auxilio liberatur, magis illuſtrem fore quam ſi vel tranquille cum omnium plauſu regnaret, vel hominum opibus & præſidio defenſus eſſet, vel ſua denique virtute & induſtria ſtetiſſet invictus: quia inde clarius apparuit, non niſi Dei auſpiciis & mandato dignitatem regiam adeptum eſſe. Hoc ergo Regibus profanis relinquunt fideles, ut ſe rebus ſuis geſtis nobilitent, famamque ſibi comparent ex propria virtute, quia divinæ gratiæ approbationem pluris quam omnes mundi triumphos faciunt. Interim tale ſibi promittunt Dei auxilium quod Regi magnifice ornando ſufficiat.

7. *Poſuiſti eum benedictiones.*] Quidam ſimpliciter exponunt, Regem hunc à Deo electum eſſe in quem affatim gratias ſuas effundat. certum tamen eſt, plus aliquid hac loquendi forma exprimi: nempe tam uberem bonorum copiam affluere Regi, ut merito divinæ beneficentiæ exemplar eſſe poſſit: vel etiam ut inter precandum vulgo futurum ſit ejus nomen celebre ad exemplum. Dicunt enim Hebræi poni in maledictionem qui ſic redduntur deteſtabiles, & quibus tam horribilis infligitur Dei vindicta, ut imprecationibus & diris ſerviat eorum nomen: ita viciſſim dicitur in benedictionem poni, ſub cujus nomine vota concipimus: quemadmodum ſiquis dicat, Deus te eodem favore quo ſervum ſuum Davidem, proſequatur. Ego tametſi interpretationem hanc non rejicio, illa tamen ſum contentus, quod Rex omni genere bonorum abundans, præclarum ſit liberalitatis divinæ exemplar. Quod proxime ſequitur de lætitia, diligenter notandum eſt. non enim tantum intelligit populus Deum Regi benefacturum, quia benigne & paterno oculo eum reſpiciet: ſed hanc propriam deſignat gaudii cauſam, quod Rex ipſe Deum ſibi propitium agnoſcet. Neque enim ſufficeret, Deum curam noſtri gerere, nobiſque proſpicere, niſi viciſſim nobis ſereno ſuo vultu irradians, bonitatis ſuæ guſtum præberet: quemadmodum Pſalmo 3. vidimus, Multi dicunt, Quis oſtendet nobis bonum? Illuſtra Domine faciem tuam ſuper nos, & ſalvi erimus. Et ſane hæc ſolida eſt felicitas, Deum nobis propitium ſentire, ut quaſi ſub ejus oculis habitemus.

8. Quia Rex ſperat in Jehova, & in bonitate excelſi non nutabit.

8 כִּי הַמֶּלֶךְ בֹּטֵחַ בַּיהוָה וּבְחֶסֶד עֶלְיוֹן בַּל יִמּוֹט׃

9. Inveniet manus tua omnes inimicos tuos, dextera tua inveniet oſores tuos.

9 תִּמְצָא יָדְךָ לְכָל אֹיְבֶיךָ יְמִינְךָ תִּמְצָא שֹׂנְאֶיךָ׃

10. Pones eos tanquam in fornacem ignis in tempore iræ tuæ Jehova: in ira ſua opprimet eos & conſumet eos ignis.

10 תְּשִׁיתֵמוֹ כְּתַנּוּר אֵשׁ לְעֵת פָּנֶיךָ יְהוָה בְּאַפּוֹ יְבַלְּעֵם וְתֹאכְלֵם אֵשׁ׃

11. Fructum eorum è terra perdes, & ſemen eorum à filiis hominum.

11 פִּרְיָמוֹ מֵאֶרֶץ תְּאַבֵּד וְזַרְעָם מִבְּנֵי אָדָם׃

8. *Quia Rex ſperat.*] Hic rurſum gloriantur ſancti Regem ſuum fore ſtabilem, quia Deo innititur: & modum quoque exprimunt, nempe in ſpe, vel fiducia. Ego uno contextu totum verſum lego, ut tan-

tantum ſit unum principale verbum, Regem, quia ſpe fundatus erit in Deo ejuſque bonitate, ruinis quæ hujus mundi regna evertunt, non fore obnoxium. Porro quum ante dictum fuerit, quæcunque Regi ſuo tribuunt fideles, ſpectare ad totum Eccleſiæ corpus, communis hic offertur promiſſio, quæ nos inter varias mundi jactationes in tranquilla ſtatione contineat. Quamvis enim tanquam in rota volvatur mundus, unde fit ut repente decidant qui in ſummum culmen fuerant evecti; regnum tamen Juda, & ſub ejus typo regnum Chriſti excipitur. Sed meminerimus hac demum firmitate ſubniti qui certa fide in Dei gremium ſe conjiciunt, ejuſque miſericordia freti, ſalutem ei ſuam commendant. Nam & ſperandi materia ſimul exprimitur, quod Deus clementer ſuos foveat, quos gratuito amplexus eſt.

9. *Inveniet manus tua.*] Hactenus deſcripta fuit interior regni felicitas: nunc additur, ſicuti neceſſe erat, invictum contra hoſtes robur. perinde enim hoc valet acſi Rex hoſtium omnium victor prædicaretur. Dixi autem hoc membrum minime eſſe ſupervacuum, quia non ſatis eſſet intus florere regnum, & pace, opibus, omnique bonorum copia refertum eſſe, niſi ab externa quoque violentia probe munitum foret. Atque hoc præſertim regno Chriſti convenit, cui nunquam hoſtes deſunt in mundo. Etſi enim non ſemper oppugnatur aperto marte, ſed aliqua interdum relaxatio conceditur, malitiam tamen & nocendi libidinem nunquam exuunt Satanæ miniſtri: ideoque everſionem regni Chriſti moliri nunquam deſinunt. Bene autem habet quod Rex noſter, qui manum ſuam opponit ad nos protegendos, omnibus eſt ſuperior. Porro quia verbum מצא ſufficere interdum ſignificat, & hic in priore membro interjicitur ל, propter diverſam ſyntaxin verbum ipſum varie accipiunt quidam interpretes: acſi dictum eſſet, Manus tua omnibus inimicis ſufficiet, dextera tua inveniet qui te oderunt. Ita gradatim aſcenderet ſententia, Manus tua ad reſiſtendum par erit, dextera tua hoſtes apprehendet, ut cladem non effugiant. Additur etiam horribilis vindictæ ſpecies, ex qua colligimus non de quibuslibet hic fieri ſermonem, ſed de impiis & veſanis Dei contemptoribus, qui contra unigenitum ejus Filium, Gigantum more inſurgunt. ipſa enim pœnæ atrocitas ſceleris gravitatem oſtendit. Putant quidam Davidem alludere ad ſupplicii genus quod eum de Ammonitis ſumpſiſſe refert Sacra hiſtoria: ſed magis probabile eſt metaphorice exponi horrendum exitium quod omnes Chriſti adverſarios manet. Quamvis enim furore ardeant contra Eccleſiam, & ſua ſævitia mundum inflamment: ubi tamen ad cumulum pervenerit eorum impietas, hæc illis merces repoſita eſt apud Deum, ut in ſuam fornacem conjectos abſumat. Primo autem membro Rex ipſe ultor vocatur, deinde transfertur munus hoc ad Dei perſonam: tandem ultionis exequutio igni tribuitur. quæ tria optime inter ſe conveniunt. Scimus enim Chriſto mandatum fuiſſe judicium ut hoſtes ſuos in ignem æternum præcipitet: ſed operæpretium fuit diſerte exprimi, non hominis hoc, ſed Dei eſſe judicium. Non minus etiam utile fuit extremam & terrificam vindictæ ſpeciem exponi, quo expergefieret eorum torpor qui Dei minas alioqui ſecure contemnunt. Jam hoc idem ad piorum conſolationem non parum valet: ſcimus enim quam formidabilis ſit impiorum crudelitas, cui facile ſuccumberet fides noſtra, niſi ad Dei judicium aſſurgeret. Tempus iræ admonet patienter ferendam eſſe crucem, donec exercere nos & humiliare Domino placuerit. Diſcamus ergo, ſi non ſtatim potentiam ſuam exerit ad perdendos impios, ſpem noſtram ad tempus illud extendere, quod cæleſtis Pater judicio ſuo præfixit, & Rex noſter terrifica ſua virtute armatus, prodibit ad ſumendam ultionem. Nunc enim quamdiu diſſimulat, non oblitus eſt vel ſui, vel noſtri: ſed ridet eorum amentiam qui impune graſſando, plus audaciæ in dies colligunt. Etſi autem nobis parum ſuavis eſt iſte Dei riſus: militia tamen noſtra defungi nos oportet, donec adveniat ultionis dies, qui idem redemptionis annus erit, ſicuti Jeſaias loquitur. *Jeſa. 34. verſ. 8.* Cæterum non diſplicet, in poſtremo membro, Chriſti hoſtibus denunciari exitium quo Sodomam & Gomorrham olim Deus perdidit. Quia enim illud fuit præ aliis divini in omnes impios judicii memorabile documentum, imo illa fuit viſibilis imago æternæ gehennæ quæ reprobis parata eſt: frequenter in Scriptura occurrit hæc ſimilitudo.

11. *Fructum eorum è terra.*] Hac circumſtantia amplificat David iræ Dei magnitudinem, quia ad ipſos quoque filios pervagabitur. Eſt autem hoc ſatis tritum doctrinæ caput in Scriptura, Deum non modo de primis ſcelerum auctoribus pœnam exigere, ſed rejicere in ſinum filiorum. Neque tamen dum ita vindictam ſuam perſequitur in tertiam & quartam generationem, temere inſontes ſceleſtis involvit: ſed quum maledictum ſit impiorum ſemen quod gratia ſua privavit, & omnes ſint filii iræ ultimo exitio devoti: non minus in filios quam in patres juſta eſt ejus ſeveritas. Quis enim litem intentet, ſi gratiam qua ſuos complectitur, ab indignis ſubducit? Utroque enim modo quam ſibi charum ſit ac pretioſum Chriſti regnum, demonſtrat: quod ad fidelium poſteros miſericordiam producit uſque ad mille generationes, & in reprobis reſidet ira ejus uſque in tertiam & quartam generationem.

** vel, declinaverunt.* 12. Quia * expanderunt ſuper te malum, cogitaverunt ſuper te fraudem quam non poterunt perficere.	12 כִּי נָטוּ עָלֶיךָ רָעָה חָשְׁבוּ מְזִמָּה בַּל יוּכָלוּ׃
13. Quoniam pones eos tumulum, in funibus tuis præparabis contra facies eorum.	13 כִּי תְּשִׁיתֵמוֹ שֶׁכֶם בְּמֵיתָרֶיךָ תְּכוֹנֵן עַל פְּנֵיהֶם׃
14. Exaltare Jehova in virtute tua, cantabimus & pſallemus fortitudinem tuam.	14 רוּמָה יְהוָה בְעֻזֶּךָ נָשִׁירָה וּנְזַמְּרָה גְּבוּרָתֶךָ׃

12. *Quia expanderunt.*] Hoc verſu pronunciat David quale prædixit excidium impios eſſe promeritos: quia non homini ſolum terreno moleſti fuerint, ſed impetum ſuæ ſuperbiæ converterint in Deum ipſum. Quemadmodum enim Pſalmo 2. dictum fuit, regnum illud in Davidis perſona, Dei mandato conſecratum violare nemo potuit, quin Deo nefarium ac ſacrilegum bellum inferret: multo autem magis in oppugnatione regni Chriſti violatur Dei majeſtas, qui non niſi per ejus manum dominari vult in mundo. Porro quia verbum נטה Hebræis nunc expandere, nunc divertere ſignificat, utroque modo non incommode verti poteſt: quod ſcilicet impii quaſi expanſis retibus conati ſint Dei potentiam ſibi ſubjicere, vel ejus opprimendæ cauſa malitiam ſuam deflexerint: quemadmodum ſiquis torrentem, cavata foſſa, in locum aliquem derivet. Dicit poſtea cogitaſſe fraudem, vel conſilium quod effectu carebit. quibus verbis perſtringit cæcam eorum audaciam, qui adverſus Deum bellando, quidvis tentare non dubitant.

13. *Pones eos tumulum.*] Quia שכם Hebræis humerum proprie ſignificat, quidam ſenſum illum retinent, acſi diceret capita ipſorum dejectum iri, ut

ſin corporibus curvatis humeri emineant: ita ſecundum eos metaphorice notatur futura hoſtium ſubjectio. Magis tamen altera expoſitio inter Hebræos quoque recepta eſt, quod Deus in aliquem angulum retruſos à maleficiis arcebit. Nam שכם pro parte, vel regione, vel loco ſæpe accipitur: ſed quia paulo poſt Deum producit arcu inſtructum, ut ſagittas ſuas in eorum faciem dirigat, non dubito quin metaphoram continuans, eos tumulo comparet ubi figi ſolet ſcopus. ita pulchre ſenſus fluet, Tu Domine ſtatues eos inſtar tumuli in quem ſagittas tuas emittas. Semper autem in hoc eſt ut nos ad patientiam erudiat, donec ad ſuum finem Deus opportune adducat impios.

14. *Exaltare Jehova.*] Tandem Pſalmus precatione clauditur, quæ rurſus confirmat regnum, cujus fit mentio, cum Dei gloria ſic conjunctum eſſe, ut illic reluceat ejus potentia. Quanquam autem Deus in extollendo Davide virtutem ſuam olim extulit: quod tamen hic dicitur, non niſi in Chriſto ſolide impletum eſt: qui ita nobis præfectus eſt in Regem à Patre cæleſti, ut idem ſit Deus manifeſtatus in carne. Cæterum ut reprobis merito terrorem incutere debet divina ejus virtus, ita nobis ſuaviſſimæ conſolationis plena deſcribitur, quæ nos ad gaudium, cantica, & gratiarum actiones incitet.

ARGUMENTUM PSALMI XXII.

David hoc Pſalmo in eas anguſtias redactum ſe conqueritur, ut ſimilis ſit homini deſperato. Poſtquam tamen mala quæ ipſum miſere angebant recenſuit, ex tentationum abyſſo emergens, animum colligit ad bene ſperandum. Interim vero in ſua perſona typum Chriſti proponit, quem Prophetico Spiritu ſciebat dejici oportere miris & inſolitis modis, antequam eum Pater extolleret. Ita Pſalmus duobus membris illud Jeſaiæ vaticinium explicat, E carcere & judicio ſublatus eſt: generationem ejus quis enarrabit? *Jeſa. 53. verſ. 8.*

PSALM. XXII.

1 PRæfecto, ſuper cervam auroræ canticum Davidis.

1 למנצח על אילת השחר מזמור לדוד:

QUanquam hæc inſcriptio obſcura eſt, ut tamen in ea ſe plus æquo torquerent interpretes, inde factum eſt quod myſterium neſcio quod ſublime in re parva quærebant. אילת quidam pro ſtella matutina, alii pro fortitudine accipi volunt: rectius tamen pro cerva accipitur. Jam quia prophetiam eſſe de Chriſto, Apoſtoli luculenti ſunt teſtes: putarunt veteres non ſatis magnifice ornari Chriſti dignitatem, niſi Cervæ nomen allegorico ſenſu ad ſacrificium transferrent. Idem tentarunt quibus magis placebat nomen Auroræ. ſed quia in iſtis argutiis nihil ſolidi reperio, præſtabit quod ſimplicius ac magis genuinum eſt, eligere. Mihi certe credibile eſt initium fuiſſe cantilenæ vulgaris: nam quomodo alioqui inſcriptio Pſalmi argumento conveniat, non video. Ex contextu autem apparet, Davidem hic non unam modo perſequutionem, ſed quaſcunque ſub Saule paſſus eſt, complexum eſſe: an vero rebus ſuis jam proſperis Pſalmum hunc compoſuerit, incertum eſt: niſi quod ſtatuere licet quæ in mediis curis, anxietatibus, & mœroribus meditatus eſt, hic deſcribi.

2. Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me, remotus à ſalute mea, verbis rugitus mei?

3. Deus meus, clamo per diem, & non exaudis: & nocte, nec ſilentium eſt mihi.

2 אלי אלי למה עזבתני רחוק מישועתי דברי שאגתי:

3 אלהי אקרא יומם ולא תענה ולילה ולא דומיה לי:

2. *Deus meus*, &c.] Primus verſus duas notabiles ſententias continet: quæ etſi in ſpeciem videntur contrariæ, quotidie tamen piorum animis ſimul obrepunt. Quod ſe à Deo relictum & abjectum dicit, querimonia videtur eſſe hominis deſperati: quæ enim reſidua eſt fidei ſcintilla, ubi in Deo nihil auxilii ſentitur? Et tamen quod Deum ſuum bis appellat, ſuoſque gemitus in ejus ſinum deponit, non obſcura eſt fidei confeſſio. Atqui hoc inteſtino conflictu pios exerceri neceſſe eſt, quoties favoris ſui ſigna Deus ſubducit, ut quocunque vertant oculos, nihil præter noctis tenebras occurrat. Atque hoc fidelibus accidere dico, ut ſecum luctando tam carnis infirmitatem prodant, quam fidem teſtentur. Reprobos enim, quia diffidentiæ ſuæ indulgent, obruit ſua anxietas, ut ad Dei gratiam fide non aſpirent. Quod autem ſe David ſuſtinuerit, neque à tentatione fuerit abſorptus, ex verbis colligere promptum eſt: quia etſi eum graviter urgebat triſtitia, non tamen in hanc vocem erupit, niſi ſtrenue reſiſtendo, Deus meus, Deus meus. Idem quotidie quiſque fidelium in ſe experitur, ut pro carnis ſenſu, à Deo ſe rejectum & deſertum exiſtimet: fide tamen apprehendat abſconditam gratiam. ita fit ut in eorum precibus contrarii affectus ſimul permixti ſint ac impliciti. Fieri non poteſt quin Deum vel propitium vel adverſum carnis ſenſus ex præſenti rerum adſpectu concipiat: ergo ubi nos diu in mœrore jacere & quaſi tabeſcere ſinit, perinde nos affici neceſſe eſt ſecundum carnem, acſi eum cepiſſet noſtri oblivio. Ubi totam hominis mentem occupat talis anxietas, demergit in profunda incredulitate, ut ad remedium amplius non aſpiret. Si vero ex oppoſito ſuccurrat fides, idem ille qui ex re ipſa Deum ſibi infenſum vel alienum æſtimat, in promiſſionis ſpeculo latentem ac remotam ejus gratiam conſpicit. Inter hos duos affectus alternant hi, dum Satan objectis iræ Dei ſignis, eos ad deſperationem impellit, & præcipites agere molitur. Fides autem ad promiſſiones eos revocans, patienter quieſcere, & in Deum recumbere docet, quouſque paternam faciem rurſus proferat. Nunc tenemus ex quo fonte profecta ſit tam hæc exclamatio, Deus meus, Deus meus, quam querimonia quæ ſtatim additur, *Ut quid me dereliquiſti?* Nam quum doloris vehementia, & carnis infirmitas vocem hanc exprimeret, Ego à Deo relictus ſum: ne oppreſſus ſuccumberet, correctionem dictavit fides, ut Deum ſuum intrepide vocaret à quo ſe relictum putabat. Imo videmus priores deditſſe partes fidei, quia antequam ſibi permittat querimoniam proferre, occupandi cauſa præfatur ſe nihilominus ad Deum ſuum confugere. Et ſane quia carnis affectus ſimulac ebulliunt, non facile cohibentur, imo nos abripiunt ultra metas: mature inter ipſa principia frenandi ſunt. Itaque optimum ordinem tenuit David, fide præveniens dolorem ſuum, & pia invocatione temperans quod poſtea de malorum ſuorum magnitudine deplorat. Si enim præciſe dixiſſet, Cur Jehova me deſeris? viſus eſſet acerba expoſtulatione fremere adverſus Deum: imo periculum erat ne qua immodica doloris amaritudo ejus animum inficeret. nunc vero fidei repagulum ſibi oppo-

opponens, ſenſus omnes ſuos compeſcit, ne ultra juſtum modum proſiliant. Nec ſupervacua eſt repetitio, dum bis Deum ſuum nominat: atque etiam paulo poſt tertio inculcat idem elogium. Nam quia arduum eſt ac moleſtum cum hac tentationis ſpecie certamen, ubi Deus quaſi abjecta noſtri cura, ad noſtras miſerias & gemitus connivet, ideo in quærenda confirmatione enixius David inſiſtit. Neque enim primo ſtatim congreſſu palmam obtinet fides, ſed multis agitationibus exercita, victrix tandem emergit. Interea non dico Davidem tam animoſum & infractum fuiſſe athletam, ut non vacillaverit ejus fides. Quamlibet enim ſerio conentur fideles, ſubacto carnis ſuæ ſenſu, totos ſe Deo addicere, aliqua tamen infirmitate ſemper laborant. Hinc illa claudicatio ſancti Jacob, cujus mentio fit apud Moſen: quia licet ſuperior fuerit in lucta, vitioſi tamen defectus notam geſtavit. Talibus exemplis ſuos ad perſeverantiam animat Deus, ne infirmitatis ſibi conſcii, animos deſpondeant. Quare hæc nobis ratio tenenda eſt, quoties tumultuatur caro noſtra, & quaſi violentis procellis ad impatientiam nos rapit, ut contra nitamur ad cohibendos ejus impetus. Sic fiet ut duriter quidem jactemur, ex naufragio tamen ſemper emergat fides noſtra. Cæterum Davidem non fruſtra verba, quibus fulciret fidem ſuam, iteraſſe, ex ipſa querimoniæ forma elicimus. Neque enim ſimpliciter pronunciat ſe à Deo relictum, ſed addit *remotum eſſe à ſalute ſua:* quod ſcilicet periclitari eum videns, nullum bonæ ſpei ſignum daret. Nam quum penes Deum ſit juvandi facultas, ubi ſalutem noſtram hoſtium libidini expoſitam videns, quieſcit tamen perinde acſi non curaret, quis non dicat manum ſuam retrahere ne nos liberet? Jam per *verba rugitus* ſignificat non levibus tormentis ſe fuiſſe cruciatum. Certe non ea fuit animi ejus mollities, ut ob vulgare aliquod malum ſævos ululatus ederet: ingentem ergo mœſtitiam fuiſſe oportet, quæ homini manſueto & ad ſubeundas ærumnas infracto rugitum extorſit. Jam quum Chriſtus in cruce pendens, inter ultimos ſpiritus eandem vocem ediderit, videndum eſt qui conveniat unigenitum Dei Filium tanto doloris motu perculſum fuiſſe, ut ſe à Deo Patre relictum clamaret. Coëgit hæc abſurditas multos interpretes ad captandum effugium. Itaque dixerunt Chriſtum ex vulgi magis opinione

Gen. 32. verſ. 25.

Mat. 27. verſ. 46.

quam proprio ſenſu ita conqueſtum eſſe. Sed interea non viderunt ſe multum detrahere ex beneficio redemptionis, dum Chriſtum à terroribus, quos peccatoribus incutit Dei judicium, prorſus immunem fuiſſe fingunt. Inanis vero fuit hic metus, quod veriti ſunt Chriſtum tanto dolori ſubjicere, ne ejus gloriam minuerent. Nam quum clare teſtetur Petrus Actor. 2. verſ. 24. impoſſibile fuiſſe eum retineri à doloribus mortis, ſequitur non fuiſſe immunem ab illis, & penitus liberum. Et certe ſuſcepta noſtra perſona, noſtroque reatu, neceſſe habuit ad Dei tribunal ſe inſtar peccatoris ſiſtere. Hinc horror ille & pavor qui ad deprecandam mortem eum coëgit: non quia tam acerbum illi foret è vita migrare, ſed quia ante oculos erat Dei maledictio quæ peccatoribus incumbit. Quod ſi primo conflictu elicitæ fuerunt ſanguinis guttæ, ut opus fuerit conſolatore Angelo, non mirum eſt ſi in ultimo agone confeſſus eſt tantum dolorem. Interea notandum eſt, ſic humanos affectus paſſum eſſe Chriſtum, ut carnis infirmitate lapſus non ſit: quia naturæ integritas purum ab omni exceſſu eum præſtabat. Tentationes ergo, quibus eum aggreſſus eſt Satan, ſine ullo vulnere quod notam claudicationis relinqueret, vincere potuit. Minime vero dubium eſt quin illo clamore palam oſtenderit Chriſtus, quamvis hic ſuas miſerias deploret David, Pſalmum hunc tamen prophetico Spiritu de ſe fuiſſe compoſitum.

Luc. 22. verſ. 43.

3. *Deus meus, clamo.*] Hoc verſu longam mali durationem exprimit, quæ moleſtiam ac tædium augebat. Acceſſit etiam gravior tentatio, quod clamando viſus eſt operam ludere. Nam quum unicum malis noſtris remedium ſit, Deum invocare, ſi precibus nihil proficimus, quid amplius reſiduum eſt? Conqueritur ergo Deum ad ſua vota quodammodo ſurdum eſſe. Quum in ſecundo membro dicit non dari ſibi ſilentium, ſenſus eſt, nihil ſolatii eum ſentire, quod ejus animum tranquillet. Quamdiu enim eum urgebat afflictio, animi inquietudine impulſus fuit ad clamandum. Atque hic perſpicitur fidei conſtantia, quam non fregit malorum diuturnitas. Hæc enim rite precandi regula eſt, ut qui viſus eſt diu ſine profectu aërem verberaſſe, non propterea deſiſtat. Interim hoc fidelibus conceditur paterna Dei indulgentia, ut ſi voto ſuo fruſtrati ad tempus fuerint, ſuas anxietates in ejus ſinum exonerent.

4. Tu autem ſanctus, inhabitans laudes Iſraël.	4 ואתה קדוש יושב תהלות ישראל׃
5. In te ſperaverunt Patres noſtri, ſperaverunt & liberaſti eos.	5 בך בטחו אבותינו בטחו ותפלטמו׃
6. Ad te clamaverunt, & ſervati ſunt: in te ſperaverunt, & non ſunt pudefacti.	6 אליך זעקו ונמלטו בך בטחו ולא בושו׃
7. At ego vermis, & non vir: opprobrium hominum, & contemptus populi.	7 ואנכי תולעת ולא איש חרפת אדם ובזוי עם׃
8. Omnes videntes me, ſubſannant me: diducunt labium, movent caput.	8 כל ראי ילעגו לי יפטירו בשפה יניעו ראש׃
9. Devolvit ad Jehovam, eripiat eum, liberet eum: quia ei bene vult.	9 גל אל יהוה יפלטהו יצילהו כי חפץ בו׃

4. *Tu autem ſanctus.*] Copula quæ Hebraice legitur, in adverſativam particulam haud dubie reſolvi debet. Sunt qui putant æternum & immutabilem Dei ſtatum opponi miſeriis quas ſentiebat David. quibus non ſubſcribo: quia ſimplicior & magis genuinus occurrit ſenſus, nempe quod Deus ſe electo populo ſemper oſtenderit propitium. Neque enim hic agitur qualis ſit in cælo, ſed qualem ſe hominibus oſtenderit. Nunc quæritur, ſuamne querimoniam his verbis exaggeret David, quod ſolus ipſe nihil à Deo impetret: an vero tanquam clypei objectu tentationem repellat, dum ſibi Deum proponit perpetuum ſuorum liberatorem. Ego ut fatear hoc ad doloris auxeſin valere, non tamen dubito quin diffidentiæ remedium ſibi accerſat David. Quia enim periculoſa erat tentatio, videre ſe à Deo deſeri, ne eam aſſidua meditatione aleret, mentem ad continua documenta gratiæ Dei reflexit, ex quibus conciperet aliquod bonæ ſpei fomentum. Non ergo tantum quærere voluit qui fieret ut Deus, qui clementer ſemper egerat cum populo ſuo, nunc miſerum hominem, quaſi naturæ ſuæ oblitus, omni ſolatio

latio & ope deſtituat: ſed clypeum etiam arripere, quo ſe tegeret contra ignita Satanæ tela. Deum vocat *ſanctum*, quia ſemper maneat ſui ſimilis. Dicit *inhabitare laudes Iſraël*, quia beneficus erga electum populum, laudis materiam continuo gratiarum tenore ſuppeditet. niſi enim bonitatis ſuæ guſtum præbeat Deus, nos obmuteſcere neceſſe eſt. Jam quum David ſit unum ex membris, contra obſtacula nititur, ut ſperet ſe in ſocietatem corporis tandem receptum iri ad canendas Dei laudes.

5. *In te ſperaverunt.*] Redditio cauſæ eſt cur Deus inter laudes populi ſedeat: quia ſcilicet ad fideles ſervandos manum ſemper habuerit exertam. David enim (ut nuper dixi) ætatum omnium exempla colligit, quibus ſe erigat & confirmet, certoque ſibi perſuadeat, quando neminem unquam ex electo populo repudiaverit Deus, ſe quoque unum fore ex eorum numero quibus ſalus in Dei manu repoſita eſt. Ideo diſerte commemorat ſe ex eorum progenie ortum eſſe qui exauditi fuerant, ſignificans ſe ejuſdem quam experti erant gratiæ hæredem eſſe. Reſpicit enim ad fœdus quo Deus Abrahæ genus ſibi adoptaverat: quia parum eſſet tenere quæ Deus ſervis ſuis exhibuit miſericordiæ documenta, niſi ſe ad eorum ordinem quiſque noſtrum aggreget, ſicuti David in Dei Eccleſia ſe includit. Quod ter repetit, Patres ſperando ſalutem adeptos eſſe, non dubium eſt quin verecunde inſinuet communem ſibi cum illis ſpem eſſe: qua fit ut promiſſionum effectus ad nos perveniat. Nam ut in uſum ſuum quis accommodet quæ Deus olim ſervis ſuis præſtitit beneficia, in promiſſiones gratuitas & fidem illis ſubnixam oculos dirigere convenit. Porro ut fiduciam hanc non fuiſſe frigidam vel emortuam demonſtret, ſimul dicit eos *clamaſſe*. Se enim Deo fidere, impudenter mentitur quiſquis in malis ſuis torpens, ejus opem non implorat. Ergo ex precibus cognoſcitur fidei veritas, ſicuti bonitas arboris ex fructu. Interim notandum eſt, non alias cenſeri coram Deo legitimas preces, niſi quæ ex fiducia manant, & cum ea ſunt conjunctæ. Neque enim temere David inter verba Sperandi medium clamorem locat.

7. *At ego vermis.*] Non obmurmurat Deo, quaſi indigne ſecum agatur, ſed ſortem ſuam deplorans, quo magis Dei miſericordiam provocet, dicit ſe non haberi hominis loco. Videtur quidem primo intuitu, ad dejiciendum animum, imo ad fidem abolendam id ſpectare: ſed ex contextu certo patebit, ex oppoſito proferre, quam miſera ſit ſua conditio, ut inde ſpem levationis concipiat. Ergo ab impoſſibili arguit, fieri non poſſe quin tandem manum porrigat Deus afflictiſſimo & deſperato. Nam ſi omnium qui mediocriter fuerunt unquam afflicti, miſertus eſt, quomodo ſervum ſuum deſereret in profundiſſima omnium malorum abyſſo demerſum? Hoc modo quoties ingenti afflictionum mole obruimur, inde petendum eſt ſperandæ liberationis argumentum potius quam deſperationi nos dedamus. Quod ſi hunc præſtantiſſimum ſuum ſervum tam duriter exercuit Deus, & eo uſque dejecit ut locus ei non eſſet inter contemptiſſimos homines, ne moleſtum nobis ſit ejus exemplo humiliari. Quanquam in mentem nobis præcipue venire debet Filius Dei, in quo etiam hoc fuiſſe impletum ſcimus: ſicuti Jeſaiæ vaticinio teſtatum fuerat, Contemptus fuit, nec reputavimus eum: vir fuit dolorum, non forma ei, neque decor: ut quiſque abſconderet ab eo faciem ſuam. *Jeſa. 53. verſ. 3.* Quibus verbis ſatis refellitur frivola eorum argutia, qui in Vermis nomine philoſophati ſunt, acſi ſingulare aliquod myſterium in Chriſti generatione notaret David: ac non potius ſe infra homines dejectum fuiſſe, & quaſi ex animantium numero reſectum diceret. Quod autem huc ſe redigi paſſus eſt Dei Filius, imo ad inferos uſque deſcendit, adeo cæleſtem ejus gloriam non obſcurat, ut potius illuſt reſpeculum ſit incomparabilis erga nos ejus gratiæ.

8. *Omnes videntes me.*] Eſt exegeſis proximæ ſententiæ. dixerat ſe infimis quibuſque, & quaſi populi quiſquiliis eſſe probro: nunc quibus vulgo affectus fuiſſet probris recitat, nempe quod verborum probris non contenti, tum labia protrahendo, tum quatiendo capita, petulantiam in geſtu ipſo prodiderint. Nam quod Aperire in labio, pro Convitia proferre quidam exponunt, mihi congruere non videtur: ב enim ſupervacuum eſt, ut ſæpe apud Hebræos. Itaque vertere placuit, *diducunt labium*, quia hic geſtus eſt palam & contumelioſe illudentium. Sed quod ſequitur, longe atrocius fuit, quum objicerent, Deum quem ſibi Patrem profeſſus fuerat, ab eo eſſe averſum. Scimus enim Davidem, ubi ſe injuſte damnari in mundo videbat, huc confugere ſolitum, ut ſibi bene conſcius, Deum haberet in cælo vindicem. Nunc illi exprobrant omnes, inani jactantia temere gloriatum eſſe de auxilio Dei: Ubi eſt ille Deus, inquiunt, in quem recubuit? ubi ille amor quo confiſus eſt? Nullum eſt Satanæ magis lethale telum ad vulnerandas animas, quam dum promiſſiones Dei in ludibrium vertendo, ſpem nobis excutere tentat. Quanquam non ſimpliciter irritas fuiſſe Davidis preces, & fallacem quem jactabat Dei amorem dicunt: ſed eum oblique perſtringunt tanquam hypocritam, qui falſo Dei nomen, à quo alienus erat, obtenderet. Quam acerba fuerit tentatio, quiſque ex proprio ſenſu æſtimare poteſt: ſed remedio quo uſus eſt, ſincerum fiduciæ ſuæ affectum probavit: quia niſi Deum habuiſſet certum teſtem, nunquam auſus eſſet querimoniam hanc ad eum deferre. Quare danda opera eſt, quoties hypocriſin nobis objectant homines, ut interior cordis ſinceritas apud Deum pro nobis reſpondeat. Atque hæc nobis ſacra ſit anchora, quoties mordacibus ſannis fidem nobis excutere molitur Satan, Deum citare teſtem, ut ſuam in nobis tuendis juſtitiam aſſerat: quando nulla fœdior blaſphemia inuri poteſt ejus nomini, quam dicere, vana fiducia inflatos qui ſpem in eo reponunt, ſeque irrita opinione decipere qui ſe Deo charos eſſe perſuaſi ſunt. Jam quum eodem telo appetitus fuerit Filius Dei, nihilo magis fidelibus, qui ejus membra ſunt, parcet Satan. Quare hoc clypeo munitos eſſe convenit, quamvis deplorati ſint apud homines, ſi tamen curas ſuas in Deum conjiciant, non fore irritas eorum preces. Verbo גל optime exprimitur natura & vis fidei, quæ in Dei providentiam reclinans, curarum & moleſtiarum oneribus animos noſtros levat.

10. Certe tu eductor meus es ex utero, fiduciæ mihi auctor ſuper ubera matris meæ.	10 כי אתה גחי מבטן מבטיחי על שדי אמי:
11. Super te projectus ſum è vulva, de ventre matris meæ Deus meus es.	11 עליך השלכתי מרחם מבטן אמי אלי אתה:
12. Ne procul diſcedas à me, quia tribulatio propinqua eſt, quia nemo auxilium ferens.	12 אל תרחק ממני כי צרה קרובה כי אין עוזר:

10. *Certe tu eductor meus.*] Rurſum novam munitionem erigit David, qua Satanæ machinas ſuſtineat ac repellat. Colligit enim Dei beneficia, quibus pridem didicerat ipſum ſibi eſſe Patrem. Imo ante-

antequam naſceretur, tale paterni amoris ſpecimen ſibi fuiſſe à Deo exhibitum refert, ut merito mortis caligine oppreſſus, vitam ab ipſo ſperare audeat. Hanc enim prudentiam dictat Spiritus fidelibus, ut in rebus trepidis teſtimonia divinæ bonitatis colligant, quæ valeant ad fulciendam fidem. Sic enim ſtatuendum eſt, quum Dei nunquam fatigetur liberalitas, nec ejus divitias exhauriat largitio, ſicut à prima infantia Patrem eum experti ſumus, talem ad ultimum uſque ſenium nobis fore. Quod ſe fatetur manu Dei eductum *ex utero*, & *ſuper ubera matris* ſibi datam eſſe fiduciæ materiam, ſenſus eſt, ita naturaliter in lucem prodire infantes, & lacte materno paſci, ut illic reluceat admirabilis Dei providentia. Vileſcit quidem hoc miraculum aſſiduo uſu: verum niſi ingratitudo ſtupore oculos noſtros velaret, in ſui admirationem nos raperent quotquot eduntur in mundo partus. Quid enim obſtat quominus in ſuo fœtore centies putreſcat fœtus, antequam inſtet naſcendi maturitas, niſi quia Deus arcana & incomprehenſibili virtute in ſepulchro vivum cuſtodit? Jam in lucem editus, quum ſit obnoxius tot miſeriis, digitum autem ad ſe juvandum movere nequeat, quomodo ad diem unum viveret, niſi eum exciperet Deus paterno gremio fovendum? Merito itaque dicitur infans ſuper eum projici: quia niſi teneros fœtus paſcat, præſitque omnibus nutricis officiis, in ipſo naſcendi articulo jam eos exſpectant centum mortes, quibus ſtatim ſuffocarentur. Concludit tandem Deum ſuum fuiſſe. etſi enim ad bruta quoque animalia ſimilis ejus gratia in ſpeciem oſtenditur: Patrem tamen humano tantum generi peculiariter ſe oſtendit. Quamvis autem infantes non ſtatim imbuat Deus ſui notitia, dicitur tamen illis fiduciam dare: quia re ipſa oſtendens ſibi curæ eſſe eorum vitam, ad ſe quodammodo eos revocat, ſicuti alibi dicitur pullos corvorum qui eum invocant, alere. Quum autem Deus ratione carentes ita præveniat, quæſitus & rogatus ſpem ſuorum minime fruſtrabitur. quo etiam argumento luctatus eſt David ad tentationem domandam. *Pſal. 147. verſ. 9.*

12. *Ne procul diſcedas.*] Alia ratione provocat Dei miſericordiam, quod urgeatur ſummis anguſtiis. Nec vero mihi dubium eſt quin ſibi propoſuerit quod paſſim Deo officium tribuit Scriptura, ut miſeris ſuccurrat, & paratior ſit ad opem ferendam, quo res noſtræ magis anguſtæ ſunt. Ergo ipſa deſperatio inſtar ſcalæ fuit, quæ ejus mentem ad precandi affectum attolleret. Ita nos malorum ſenſus colligere debet ſub alas Dei, ut auxilii ſui præſentia ſollicitum ſe de ſalute noſtra eſſe demonſtret.

13. Circumdederunt me tauri validi, tauri Baſan obſederunt me.

14. Aperuerunt ſuper me os ſuum, *ut* leo rapiens & rugiens.

15. Sicut aqua diffluxi, & diſſoluta ſunt omnia oſſa mea: fuit cor meum inſtar ceræ, liquefactum eſt in medio viſcerum meorum.

16. Aruit tanquam teſta vigor meus, & lingua mea faucibus meis adhæret: & in pulverem mortis poſuiſti me.

17. Quia circumdederunt me canes, cœtus malignantium circumdederunt me: foderunt manus meas & pedes meos.

13 סְבָבוּנִי פָּרִים רַבִּים אַבִּירֵי בָשָׁן כִּתְּרוּנִי׃
14 פָּצוּ עָלַי פִּיהֶם אַרְיֵה טֹרֵף וְשֹׁאֵג׃
15 כַּמַּיִם נִשְׁפַּכְתִּי וְהִתְפָּרְדוּ כָּל עַצְמוֹתָי הָיָה לִבִּי כַּדּוֹנָג נָמֵס בְּתוֹךְ מֵעָי׃
16 יָבֵשׁ כַּחֶרֶשׂ כֹּחִי וּלְשׁוֹנִי מֻדְבָּק מַלְקוֹחָי וְלַעֲפַר מָוֶת תִּשְׁפְּתֵנִי׃
17 כִּי סְבָבוּנִי כְּלָבִים עֲדַת מְרֵעִים הִקִּיפוּנִי כָּאֲרִי יָדַי וְרַגְלָי׃

13. *Circumdederunt me*, &c.] Jam de hoſtium ſuorum ſævitia & truculento furore conqueritur: ac primo quidem tauris, deinde leonibus, tertio canibus eos comparat. Scimus, ubi accenſa eſt taurorum ira, quam terribili impetu ferantur: leo etiam infeſtum & humano generi formidabile animal: jam canibus quam acris & infeſta ſit ad nocendum audacia, ubi in hominem irati inſiliunt, notum eſt. Summa eſt, hoſtes Davidis adeo fuiſſe ſanguinarios & crudeles, ut feris belluis ſimiles magis eſſent quam hominibus. Non autem ſimpliciter vocat tauros, ſed robuſtos. Nam quod quidam רבים Multos transferunt, mihi non placet. Verum quidem eſt, ingentibus copiis Davidem fuiſſe oppugnatum: ſed ex ſecundo membro patet, de fortitudine, non de numero hic agi. *Tauros* enim *Baſan* vocat quaſi bene ſaginatos, ideoque proceros & fortes: quia montem illum ſcimus opimis & pinguibus paſcuis fuiſſe nobilem.

15. *Sicut aqua diffluxi.*] Hactenus dixit ſe à feris belluis obſeſſum, non procul à morte abfuiſſe, acſi ſingulis momentis vorandus eſſet: nunc interiorem quoque mœſtitiam deplorat: unde colligimus, ad pericula minime fuiſſe ſtupidum. non enim vulgarem metum fuiſſe oportet quo propemodum evanuit, quo diſſoluta ſunt ejus oſſa, & cor liquefactum. Videmus ergo, Davidem non inſtar immotæ rupis verberatum fuiſſe fluctibus, ſed intus duris agitationibus fuiſſe perculſum: quibus ſuſtinendis pro carnis infirmitate impar erat, niſi Spiritus virtute fuiſſet adjutus. Quomodo autem paſſiones iſtæ in Chriſtum competant, nuper admonui. Nam ut verus erat homo, infirmitatibus carnis noſtræ vere obnoxius fuit, citra corruptelam duntaxat. Integra enim naturæ puritas quæ in eo fuit, humanos affectus non abolet, ſed moderatur tantum ne exceſſu ſint vitioſi. Dolorum itaque magnitudo ſic eum debilitare potuit, ut compoſito tamen animo inter quævis tormenta ſe Deo ſubjiceret. Nobis etſi idem non datur, qui & affectus turbulentos patimur, & eos nunquam ita cohibemus quin ſua intemperie huc vel illuc nos impellant: exemplo tamen Davidis animos colligere oportet, & infirmitate fere exanimes ad Deum gemere, ut nos inſtauret.

16. *Aruit tanquam teſta*, &c.] *Vigorem* intelligit quem nobis ſuppeditat radicalis humor. Eodem pertinet quod adjungit, linguam faucibus affixam eſſe. ſcimus enim, immodico mœrore non modo abſumi vitales ſpiritus, ſed omnem fere ſuccum aduri. Poſtea dicit ſe addictum ſepulchro eſſe, ſignificans omnem ſibi ſpem vitæ ablatam. quo ſenſu etiam dicit Paulus ſe accepiſſe mortis judicium. Hyperbolice autem de ſe loquutus eſt David, ut nos longius deduceret: quia horribile Chriſti cum morte certamen, quo elicitus fuit ſanguis pro ſudore, deſcenſus ad inferos, quo iram Dei peccatoribus debitam guſtavit, exinanitio denique ipſa nullis vulgaribus loquendi formis ſatis exprimi potuit. Jam de morte loquitur David, ut ſolent perturbati homines, qui pavore attoniti, nihil præter pulverem & nihilum concipiunt. Quoties autem ſanctorum mentes occupat hæc caligo, permiſta ſemper eſt aliqua infidelitas quæ eos non ſtatim ad lucem novæ vitæ emergere patitur. In Chriſto autem mirabiliter *2 Cor. 1. verſ. 9.*

duo

duo hæc fuerunt conjuncta, terror ex Dei maledictione ſe ingerens, & patientia ex fide tranquillans omnes motus, ut ſub Dei imperio quieſcerent. Nos qui pari non ſumus virtute præditi, ſiquando nihil niſi interitum cernentes, attoniti ad tempus jacemus, paulatim tamen eniti oportet ad ſpem quæ mortuos vivificat.

17. *Foderunt manus meas.*] Ad verbum habetur, Sicut leo manus meas. Quum vero in hanc lectionem hodie conveniant omnes libri Hebraici: à tanto conſenſu recedere mihi religio eſſet, niſi ita cogeret ſententiæ ratio, & probabilis eſſet conjectura, locum à Judæis fraude eſſe corruptum. Certe non dubium eſt quin Græcus interpres literam ו legerit, ubi י nunc habetur. Quod enim garriunt Judæi, de induſtria inverſum fuiſſe literalem ſenſum, colore prorſus caret. Quid enim opus erat in re non neceſſaria tam audacter ludere? In eos vero cadit non levis falſitatis ſuſpicio, quibus unicum ſtudium eſt Jeſum crucifixum ſpoliare ſuis inſignibus, ne Chriſtus & redemptor appareat. Si recipimus quod volunt, perplexus & valde obſcurus erit ſenſus. Primum defectiva erit loquutio, ad quam ſupplendam repetendum eſſe dicunt Obſidendi verbum. Sed quid illud eſt, manus & pedes cingere? Nam ad has partes nihilo magis ſpectat obſidio, quam ad totum hominem. Deprehenſi, ad delicias fabulas ſuo more confugiunt, leonem, ubi quiſpiam occurrit, circulum facere cauda antequam ad prædam ruat: unde ſatis apparet, ratione eos deſtitui. Jam quum ſimilitudine leonis proximo verſu uſus fuerit, ſupervacua nunc eſſet iteratio. Omitto quod ex noſtris quidam obſervant, nomen cum nota ſimilitudinis conjunctum, fere aliter punctuari. Neque tamen de ſubigendis Judæis laboro, quorum indomita eſt ad rixandum pertinacia: tantum breviter oſtendere volui quam improbe ob diverſam hujus loci lectionem Chriſtianos exagitent. Nam quod objiciunt, ex Legis præſcripto neminem confixum fuiſſe clavis, in eo craſſam hiſtoriæ inſcitiam produnt: quia certum eſt Romanos multa ex patrio more in provincias tranſtuliſſe. Si Davidem objiciant nunquam fuiſſe cruci affixum, facilis ſolutio eſt, metaphorice conqueſtum eſſe, non ſecus ſe conſtringi ab hoſtibus, quam qui perfoſſis manibus & pedibus ad lignum affigitur: quales etiam metaphoræ paulo poſt occurrent.

18. Numerabo omnia oſſa mea: ipſi aſpiciunt & intuentur me.	18 אספר כל עצמותי המה יביטו יראו בי:
19. Dividunt ſibi indumenta mea, ſuper veſtem meam mittunt ſortem.	19 יחלקו בגדי להם ועל לבושי יפילו גורל:
20. Et tu Jehova, ne procul abſis: fortitudo mea, ad auxilium meum feſtina.	20 ואתה יהוה אל תרחק אילותי לעזרתי חושה:
21. Eripe à gladio animam meam, è manu canis unicam meam.	21 הצילה מחרב נפשי מיד כלב יחידתי:
22. Serva me ex ore leonis, & è cornibus unicornium exaudias me.	22 הושיעני מפי אריה ומקרני רמים עניתני:

18. *Numerabo, &c.*] עצמות dicuntur oſſa Hebræis à robore, ideo hoc nomen interdum vel ad amicos, quorum præſidio fortes ſumus: vel in defenſione, ad argumenta & rationes quæ cauſæ robora ſunt, transfertur. Ideo quidam ſic præſentem locum exprimunt, Rationes meas numerando nihil proficiam, quia ſemel decretum eſt hoſtibus meis, per fas aut nefas, nullo æquitatis reſpectu, me perdere. Alii vero, Si colligam quæcunque ad me juvandum facere videntur auxilia, nihil proderunt. Sed quia expoſitio quæ magis recepta eſt, ſimplicior & magis genuina videtur, eam libentius amplector: nempe ut queratur David, in corpore macie confecto oſſa apparere: mox enim adjungit, hoſtes voluptatem capere ex tali ſpectaculo. Concinne autem fluit contextus, tam inexplebilem eſſe hoſtium ſævitiam, ut miſerum hominem languore confectum, & quaſi tabidum cernentes, oculos tamen tam triſti ſpectaculo paſcant. Quod proximo verſu de veſtibus ſequitur, translatitium eſt. perinde enim eſt acſi dixiſſet fortunas omnes ſuas in prædam eſſe expoſitas, ut ſolent victores vel ſpolia diripere, vel inter ſe ſortiri quid cuique obtingat. Sua enim ornamenta, opes ſuas, & quæcunque poſſederat, veſtibus comparans, conqueritur, poſtquam illis ſpoliatus eſt, cum ludibrio inter hoſtes dividi tanquam præmium victoriæ. quo magis augetur indignitas, quia non ſecus ac de homine mortuo triumphum agebant. Quod autem literaliter (ut aiunt) & abſque figura locum hunc citant Euangeliſtæ, in eo nihil eſt abſurdi: nam quo certius ſciremus, in hoc Pſalmo Chriſtum nobis prophetico Spiritu deſcriptum eſſe, eorum quæ adumbrata ſunt in Davide viſibile complementum cæleſtis Pater in
Matth. 8. verſ. 17. perſona Filii ſui extare voluit. Matthæus paraliticos, cæcos, & claudos ſuis morbis ſanatos referens, hoc modo completum fuiſſe dicit Jeſaiæ vaticinium, quod Chriſtus ad tollendas noſtras infirmitates miſſus fuerit: quum tamen Propheta ſpiritualem illic medicum nobis Filium Dei proponat. Sed ut ad credendum tardi ſumus & difficiles, nihil mirum ſi pro noſtra craſſitie palpabilis demonſtratio nobis fuit exhibita, quæ ad expergefaciendum ſuporem noſtrum ſufficeret.

20. *Et tu Jehova.*] Tenendum memoria eſt quicquid hactenus de ſe expoſuit David. Nam quum nihil ad miſeriarum cumulum deeſſet, nec interim ſcintilla ulla micaret futuræ liberationis: quod non ſolum patienter duravit, ſed ex deſperationis abyſſo emerſit ad Dei invocationem, admirabile eſt fidei documentum. Notemus ergo, Davidem ſuas lamentationes non fudiſſe tanquam vanas & irritas, ut ſæpe anxii homines temere projiciunt ſuos gemitus: quia preces additæ ſatis demonſtrant ſperaſſe quem optabat exitum. Imo quum Deum nominat ſuam fortitudinem, in hoc epitheto clarius fiduciæ ſuæ teſtimonium reddit. Non enim dubitanter concipit ſua vota, ſed ſibi promittit quod nondum videt auxilium. Per *gladium*, per *manum canis*, per *os leonis*, & *cornua unicornium* intelligitur præſens mortis periculum, & quidem multiplex. Unde colligimus, quum in ſe prorſus deficeret, à morte obſeſſus, ſtetiſſe tamen fortem in Domino, & vitæ ſpiritum ſemper in ejus animo viguiſſe. Quod *animam unicam* pro chara & pretioſa quidam accipiunt, non convenit: quia potius ſignificat, inter tot mortes nihil ſibi opis in toto mundo offerri, ſicuti Pſalmo 35. verſ. 17. eodem ſenſu unica anima ponitur pro ſolitaria, & quæ ſubſidiis omnibus deſtituitur: quod etiam ex Pſalmo 25. verſ. 16. clarius patebit, ubi pauperem & unicum ſe vocans David, haud dubie amicis omnibus ſe orbatum, & à toto

à toto mundo deſertum conqueritur. In fine 22. verſus, ubi dicitur, Reſponde mihi, vel Exaudi me à cornibus: quanquam loquutio Hebraica Latinis auribus nonnihil obſcura eſt, ſenſus tamen non eſt ambiguus, quia tantum cauſa pro effectu ponitur. Inde enim liberatio, quia nos Deus exaudit. Si roget quiſpiam quomodo hoc Chriſto aptari poſſit, quem Pater non eripuit à morte: reſpondeo uno verbo, fuiſſe potentius ereptum, quam ſi periculo occurſum foret: quanto ſcilicet plus eſt reſurgere à morte, quam gravi morbo ſanari. Quare mors non obſtitit quo minus teſtata ſit demum reſurrectio, Chriſtum fuiſſe exauditum.

23. Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio cœtus laudabo te.

24. Timentes Jehovam laudate ipſum, omne ſemen Jacob glorificate ipſum: & metuite ab eo omne ſemen Iſraël.

25. Quia non ſprevit, neque averſatus eſt pauperem, neque abſcondit faciem ſuam ab eo: & quum clamaret ad eum, audivit.

23 אספרה שמך לאחי בתוך ק
קהל אהללך:
24 יראי יהוה הללוהו כל זרע י
יעקב כבדוהו וגורו ממנו כל זרע י
ישראל:
25 כי לא בזה ולא שקץ ענות עני
ולא הסתיר פניו ממנו ובשועו אליו
שמע:

23. *Narrabo nomen tuum*, &c.] David promittens, ubi liberatus fuerit, ſe non fore ingratum, confirmat quod prius dixi, ſe nunquam tentatione ſic fuiſſe dejectum, quin ſe ad reſiſtendum colligeret. Quomodo enim ſe ad ſacrificium gratiarum actionis pararet, niſi ex præſumpta ſalutis fiducia? Nam ut demus Pſalmum fuiſſe compoſitum poſtquam re ipſa obtinuit David quod volebat, non tamen dubium eſt quin meditationes illo tempore à ſe conceptas poſtea in carmen retulerit. Notandum vero quod non vulgare gratitudinis ſymbolum promittit, ſed quale pro raris beneficiis Deus exigebat, nempe ut fideles in Sanctuarium venirent, atque illic ſolenni ritu teſtatam facerent quam experti erant gratiam. Huc enim pertinet publica gratiarum actio, primum ut ſe modis omnibus exerceant fideles in Dei cultu, & alii alios mutuo invitent. Scimus autem incredibilem Dei potentiam, & quidem non uno genere miraculi, in ſervando Davide refulſiſſe. Quare mirum non eſt ſi ad profitendam ſuam pietatem ſolenni voto ſe obliget. Per *fratres* deſignat Iſraëlitas, non ſolum quia ex eodem genere orti erant, ſed magis quia communis religio eos tanquam ſacrum vinculum ſpirituali cognatione inter ſe devinctos tenebat. Hunc verſum Apoſtolus ad Hebræos 2. verſ. 12. ad Chriſtum accommodans, colligit ejuſdem nobiſcum naturæ fuiſſe participem, nobiſque vera carnis ſocietate fuiſſe conjunctum, quos pro fratribus agnoſcit, tamque honorifico nomine dignatur. Dixi jam aliquoties (quod idem ex fine Pſalmi evincere promptum erit) ſub Davidis typo Chriſtum hic nobis fuiſſe adumbratum: ſcite ergo Apoſtolus & prudenter obſervat, ſub hoc nomine ſancitum nobis fuiſſe cum Chriſto jus fraternæ conjunctionis. Etſi autem competit hoc aliquatenus in totum genus humanum, vera tamen fruitio penes fideles ſolos reſidet. Qua ratione etiam
Joan. 20. verſ. 17. Chriſtus ore ſuo titulum hunc reſtringit ad diſcipulos, Vade, nuncia fratribus meis & Petro, Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum. Illam enim carnis cognationem, qua nos ſibi ſociavit, impii diſſidio incredulitatis ſuæ abrumpunt, ut ſua culpa alieni prorſus reddantur. Quemadmodum enim David totum Abrahæ genus hac voce complexus, ſermonem continuo poſt ad veros Dei cultores ſpecialiter dirigit: ita Chriſtus qui diruta maceria cunctis Gentibus adoptionem publicaverat, ſeque hoc modo obtulerat in fratrem, non alios quam fideles in gradu fratrum retinet.

24. *Timentes Jehovam*, &c.] Hic rurſum certius exprimitur ille quem dixi publicæ gratiarum actionis fructus: nempe invitatio qua quiſque pro ſe Eccleſiam ad Deum laudandum ſuo exemplo ſtimulat. recitat enim ſe in hunc finem in cœtu celebraturum nomen Dei, ut fratres ſuos ad idem agendum hortetur. Sed quia ſe in Eccleſiam ut plurimum ingerunt hypocritæ, & in area Domini palea tritico permiſta eſt, nominatim pios & Deum timentes compellat. Et certe quamvis pleno gutture Dei laudes impuri homines detonent, nihil aliud quam profanant ſacrum ejus nomen. Eſſet quidem optandus omnium mundi ordinum concentus: ſed quia prima pars harmoniæ ex ſincero cordis affectu fluit, nemo legitimus erit gloriæ Dei præco, niſi qui eum reverenter colet. Poſtea quidem nominat ſemen Jacob & Iſraël, ad communem populi vocationem reſpiciens: & certe per eum non ſtetiſſet quominus omnes filii Abrahæ Deum uno ore laudarent: ſed quia multos videbat degeneres Iſraëlitas, ab illis veros & integros diſcernit: ſimulque oſtendit, non rite celebrari Dei nomen, niſi ubi viget interior pietas. Ideoque reverentiam iterum conjungit Dei laudibus in ſua exhortatione, Metuite, inquit, ab eo: quia luſorium eſt quicquid hac in parte oſtentant hypocritæ. Porro metum commendat, non qui abſterreat fideles à Dei acceſſu, ſed vere humiliatos in ejus Sanctuarium adducat, ſicuti dictum fuit Pſalmo 5. Siquis miretur Davidem hortari ad laudandum Deum, quibus nuper hanc laudem dederat: prompta eſt reſponſio, ſanctiſſimos etiam quoſque tam pleno Dei timore nunquam eſſe imbutos, quin opus habeant continuis ſtimulis. Quare minime ſupervacuum eſt quod timentes Deum jubet ab eo metuere, ut ſupplices coram eo ſe proſternant.

25. *Quia non ſprevit.*] Hæc mutua inter fideles communicatio vigere debet, ut alii aliis gratulantes, gratias pro cujuſque ſalute communiter agant: ſicut etiam docet Paulus 2 ad Corinth. cap. 1. verſ. 11. Ut ex multis perſonis, inquit, pro dono in nos collato per multos gratiæ agantur pro nobis. Cæterum hæc Davidis confeſſio in alterum quoque finem ſpectavit, ut eandem erga ſe Dei fore miſericordiam ſinguli ſperarent. Interea docemur his verbis, patienter ferendas eſſe afflictiones quamdiu viſum fuerit Domino ad inopiam redigere, ut tandem miſere oppreſſis ſuccurrat.

* vel, De te. 26. * A te laus mea in cœtu magno: vota mea reddam coram timentibus eum.

27. Comedent pauperes, & ſaturabuntur: laudabunt Jehovam qui quærunt eum, vivet cor veſtrum perpetuo.

26 מאתך תהלתי בקהל רב נדרי
אשלם נגד יראיו:
27 יאכלו ענוים וישבעו יהללו י
יהוה דרשיו יחי לבבכם לעד:

28. Recor-

28. Recordabuntur, & convertentur ad Jehovam cuncti fines terræ: & proſternent ſe coram facie ejus omnes tribus Gentium.

29. Quia Jehovæ eſt regnum, ut dominator ſit in Gentibus.

30. Comedent & adorabunt omnes pingues terræ: coram facie ejus ſe inclinabunt omnes qui deſcendunt in pulverem, & qui animam ſuam non vivificat.

28 יזכרו וישבו אל יהוה כל אפסי ארץ וישתחוו לפניך כל משפחות גוים:

29 כי ליהוה המלוכה ומשל בגוים:

30 אכלו וישתחוו כל דשני ארץ לפניו יכרעו כל יורדי עפר ונפשו לא חיה:

26. *A te laus mea.*] Etſi alteram verſionem non repudio, mihi tamen videtur Hebraica loquutio ſenſum hunc exigere, quod David canendi argumentum ex Deo petet. Itaque verbum ſubaudio, Proveniet, vel Profluet laus mea à te. Quod ideo dictum interpretor, ut ſalutem ſuam David teſtetur ſe Deo in ſolidum acceptam ferre. Scimus enim quam multi, laudandi Dei prætextu, ſuas & ſuorum laudes ebuccinent, & relicto Deo, hinc inde accerſant materiam ad canendos ſuos triumphos. Porro idem quod nuper attigerat repetit, ſe publice editurum gratitudinis ſuæ ſigna quibus alios ædificet, idque non abſque ſolenni pietatis exercitio, quod Lex mandabat. Nam in arduis negotiis, & ubi inſtabat aliquod diſcrimen, vovere ſolebant ſacrificium pacificum, quod voto ſuo potiti ſolvebant. Ergo quum unus eſſet ex ſanctorum numero David, ad communem Eccleſiæ normam, ut decebat, ſe compoſuit. Hæc vota ſunt quæ ſe nuncupaſſe inter extremas anguſtias ſignificat, & ad quorum ſolutionem magno & alacri, fiduciæque pleno animo ſe accingit. Quanquam autem promiſcue coram omnibus ceremonia hac ipſum defungi oportuit: ſe tamen iterum cupere fatetur ut quicunque aderunt teſtes, puri ſint cultores Dei. Ita quamvis in manu noſtra non ſit purgare Dei Eccleſiam, officii tamen noſtri eſt puritatem optare. Papiſtæ vero locum hunc ad fictitia ſua vota torquentes, magis inſulſi ſunt ac ridiculi, quam ut longa refutatione opus ſit. Quid enim ſimile puerilibus ineptiis, quibus pro ſua imaginatione Deum placare tentant, cum hoc ſancto gratitudinis teſtimonio, quod non modo Patribus dictavit pietatis ſenſus, ſed Deus ipſe præcepit Lege ſua, ratumque habuit? Imo qua fronte ſtultas & fœtidas ſuas ſuperſtitiones ſacrificio omnium præſtantiſſimo æquare audent, nempe gratiarum actionis? ſicuti Scriptura oſtendit præcipuam cultus Dei partem in eo ſitam eſſe, ut teſtentur fideles Deum ſe agnoſcere bonorum omnium auctorem.

27. *Comedent pauperes.*] Reſpicit ad morem tunc receptum: ſolebant enim epulari in ſacrificiis, ut ſatis notum eſt. Tale vero epulum promittit, quo exerceat ſuam charitatem ac probet. Ac ſane ea demum grata ſuaviſque Deo oblatio eſt, cui annexa eſt humanitas & miſericordia: alioqui ceremoniæ quibus Dei cultum profitentur homines, cum toto ſuo ſplendore & pompa in fumum evaneſcunt. Quanquam non ſimpliciter (fateor) erogaturum ſe promittit pauperibus & famelicis unde ipſos paſcat, ſed alia de cauſa dicit epuli fore participes: ut ſcilicet oblata conſolationis materia, revigeſcat in eorum animis hilaritas. Nam quaſi in ſpeculo intuebantur Dei bonitatem miſeris omnibus expoſitam, quæ incredibili ſolatio leniret malorum omnium dolorem. Ideo addit, *Laudabunt Jehovam qui quærunt eum.* Etſi enim ſaturitas ipſa ad gratias Deo agendas incitare debuit, non tamen dubium eſt finem ſacrificii notari: quod clarius etiamnum ex clauſula verſus liquet. Neque enim vivificandis in ſeculum cordibus prandium unum ſufficere poterat, ſed ſpes de parato apud Deum auxilio concepta: quia liberationem unius hominis cuncti fideles ad ſe merito trahebant. Unde ſequitur, ita celebratas fuiſſe Dei laudes in pacificis, ut ſpem quoque ſuam illic exercuerint. Cæterum quia hypocritis ſatis eſt mortua ceremonia defungi, hunc legitimum uſum ad veros & ſanctos Iſraëlitas reſtringit. Hæc enim certa eſt pietatis nota, Deum quærere. Quod ſi ſacris epulis in ſpiritualem vitam refecti fuerunt patres ſub Lege, multo uberius hodie hæc vis ſe proferet in ſacra Chriſti Cœna, modo vere & ex animo Dominum quærant quicunque ad ejus participationem accedunt.

28. *Recordabuntur*, &c.] Hic locus citra controverſiam oſtendit, Davidem in ſua perſona non ſubſiſtere, ſed promiſſum Chriſtum deſcribere ſub typo: quia tunc notum principium eſſe debebat, Divinitus creatum eſſe Regem ut ſub uno capite populus in beatam vitam coaleſceret: quod ſolide tandem in Chriſto completum fuit. Fateor quidem magnum & celebre fuiſſe inter vicinas gentes nomen Davidis: ſed quantula hæc fuit mundi portio? Adde quod exteros quibus imperii ſui jugum impoſuit, nunquam adduxit ad purum Dei cultum. Quare multum abfuit coacta illa ſervitus quæ terreno Regi profanas Gentes ſubjecit, à voluntario pietatis obſequio, quod ex diſſipatione ad Deum eas colligeret. Non vulgaris autem his verbis notatur mutatio,redituras eſſe ad Deum ubi probe ejus gratiam agnoverint. Quin etiam ad ſacri epuli ſocietatem eas invitans, in Eccleſiæ corpus manifeſte inſerit. Quod verbum *Recordandi* quidam ad renovatam in Gentibus fidei lucem trahunt, acſi tunc illis ſubiiſſet Dei memoria cujus oblitæ fuerant ad tempus: nimis argutum & remotum videtur. Converſio quidem vel reditus cujus fit mentio, ſignificat (fateor) impia defectione alienatas prius fuiſſe à Deo: ſed recordatio non alio ſpectat niſi quod inſignibus Dei miraculis expergefactæ Gentes, ad puram religionem, à qua dilapſæ erant, iterum ſe conferent. Notandum autem eſt, cultum Dei ex ejus notitia deduci: quia ſupplices ad eum adorandum venturos dicit qui in meditatione operum Dei hucuſque profecerint, ne amplius ſuperbo contemptu contra ipſum laſciviant. Quem ſenſum expreſſius confirmat quæ mox additur ratio, *Jehovæ eſſe regnum, ut Gentibus imperet.* Nam quod alii interpretantur, non mirum eſſe ſi Gentes ad tribuendum Deo honorem cogantur à quo creatæ ſunt, & cujus reguntur manu, licet cum ipſis vitæ fœdus non pepigerit: ego tanquam frigidum repudio. Nec enim dubium eſt quin conveniat hic locus cum aliis pluribus vaticiniis, quibus erigitur ſolium Dei in quo Chriſtus ad gubernandum orbem præſideat. Quanquam ergo promiſcue ad totum orbem patet Dei providentia, ſciamus tunc vere dominari, ubi diſcuſſis tenebris & effuſa verbi ſui luce conſpicuus eminet. Talis apud Jeſaiam eſt regni ejus *Jeſa. 2:4.*
deſcriptio, Judicabit populos & arguet Gentes. Porro quum orbem terrarum non ante ſibi Deus ſubegerit, quam dum Euangelii prædicatione ſponte ſe paſſi ſunt in ordinem cogi qui prius indomiti fuerant, converſionem hanc nonniſi Chriſti ductu & auſpiciis factam eſſe, colligere licet. Siquis objiciat, nunquam totum orbem fuiſſe converſum: facilis ſolutio eſt, tempus quo repente per Euangelium paſſim innotuit Deus, conferri cum veteri illo ſtatu,

dum ſui notitiam Judææ finibus incluſam tenuit. Scimus enim, fulgetri inſtar celeriter Chriſtum ab Ortu in Occaſum penetraſſe, ut undique Gentes in Eccleſiam accerſeret.

30. *Comedent & adorabunt.*] Nequis pro abſurdo ducat, nunc pingues terræ admitti convivas ad epulum quod nuper pauperibus tantum deſtinare viſus eſt: ſciamus pauperibus ideo datum eſſe priorem locum, quia illis maxime propoſita erat in exemplo Davidis conſolatio. Secundo tamen loco divites & beatos adjungi neceſſe fuit, ne putarent ab ejuſdem gratiæ participatione ſe excludi. Quamvis enim ad quærendum doloris ſolatium eos non urgeat præſentium malorum neceſſitas: remedio tamen opus habent, ne ſe inebrient deliciis, ſed potius gaudium ſuum in cælo reponant. Deinde quum ipſi quoque obnoxii ſint variis incommodis, maledicta erit eorum opulentia, ſi in terris mentes ipſorum detineat. Summa eſt, commune fore ſacrificium hoc tam vegetis & pinguibus, quam macilentis ac ſemimortuis: ut priores, depoſita ferocia, coram Deo ſe humilient: alteri vero quamvis dejecti, animos ſpirituali gaudio attollant ad Deum bonorum omnium

Jacob. 1. verſ. 10. auctorem: ſicuti utroſque Jacobus admonet, Glorietur frater magnus & dives in humilitate ſua: contemptus autem & ignobilis in ſua altitudine. Quod ſi Deus ſub Lege plenos famelicis, ſplendidos obſcuris, felices miſeris ita conjunxit, multo magis hodie ſub Euangelio valere debet iſta ratio. Quum ergo ſibi divites alibi victum offerri audiunt quam in terrena abundantia, diſcant ita ſobrie libare quæ ad temporalem uſum largitus eſt Deus, ne illis inſipidæ ſint ſpirituales epulæ, vel ad eas nauſeent præ faſtidio. Quamdiu enim reſidebunt in ſuis fæcibus, nunquam eas pio deſiderio appetent, vel oblectationem ullam capient ex guſtu. Sicuti autem macerari pingues convenit, ut Deo ſe paſcendos offerant: ita famelicos certa & intrepida fiducia animat David, ne ipſos impediat ſua inopia ab acceſſu: imo ipſos quoque mortuos ad epulandum invitat, ut qui ſunt deſpectiſſimi & fere coram mundo fœtidi, ſe tamen ad ſacram Dei menſam ingerere audeant. Mutatio numeri in fine verſus ſenſum nonnihil obſcurat: certum tamen eſt Prophetam hoc velle, ejuſdem gratiæ ſibi fore ſocios qui jam videntur in cinerem redacti, & in quibus nulla ſperatur à morte in vitam reſtitutio.

31. Semen ſerviet ei, cenſebitur Domino in generationem.	31 זֶרַע יַעַבְדֶנּוּ יְסֻפַּר לַאדֹנָי לַדּוֹר׃
32. Venient & narrabunt juſtitiam ejus populo qui naſcetur, quia fecit.	32 יָבֹאוּ וְיַגִּידוּ צִדְקָתוֹ לְעַם נוֹלָד כִּי עָשָׂה׃

Quo beneficii magnitudinem magis extollat, tale fore dicit, cujus nunquam ad poſteros delenda ſit memoria: modum tamen ejus perpetuandæ exprimit, quia orbis converſio de qua loquutus eſt, non momentanea tantum erit, ſed per continuas ætates propagabitur. Unde iterum colligimus, hic non celebrari Dei gloriam quæ ex caduco & evanido rumore nata, ad Gentes pervenerit, ſed quæ ſuis radiis mundum illuſtrabit uſque in finem. Quare hic inſigni elogio aſſeritur Eccleſiæ perpetuitas, non quod ſemper floreat, vel æquabili tenore fluat ejus ſucceſſio: ſed quia Deus nomen ſuum in mundo extingui nolens, ſemper aliquos ſuſcitabit à quibus pie colatur. Jam tenendum eſt, ſemen hoc in quo cuſtodiendus erat cultus Dei, fructum eſſe incorruptibilis ſeminis: quia non aliunde Eccleſiam ſuam gignit Deus & propagat, niſi ex verbo. *Cenſeri Domino in generationem*, duobus modis exponitur. Quidam nomen Hebraicum דור pro ætatum ſucceſſione accipiunt, alii pro generatione, quo ſenſu Latinis dicitur hominum natio. Quia uterque ſenſus non male quadrat, & in idem fere recidunt, per me libera ſit electio lectoribus: niſi quod mihi magis placere fateor, electum Dei populum & peculiarem gentem hac voce deſignari, quæ cenſeatur Dei hæreditas. Cæterum quia non legitur hic eſſentiale nomen Dei Jehova (ut paulo ante) ſed Adonai, non improbo eorum ſententiam quibus videtur diſerte Chriſtus Eccleſiæ præfici, ut in cenſum ſuum referat quotquot nomen Deo Patri dederint. Et vero quia cæleſtis Pater electos omnes Filio in fidem & cuſtodiam dedit, pro ſuis non agnoſcit niſi qui ex illius grege fuerint.

32. *Venient & narrabunt.*] Confirmat quod ante dixi, quia patres beneficii notitiam ad filios quaſi per manus tranſmittent, ſemper celebre fore ejus nomen. Unde & alterum illud colligitur, ſola gratiæ Dei prædicatione fieri ut nunquam intereat Eccleſia. Simul cura & ſtudium propagandæ veræ doctrinæ nobis injungitur, quo poſt mortem noſtram ſuperſtes maneat. Nam quum hoc piis omnibus commune tribuat officium Spiritus ſanctus, operam dare inſtituendis liberis ut nova ſoboles ad Deum colendum ſuccedat, ſummæ turpitudinis damnatur eorum ignavia quibus Dei memoriam æterno ſilentio obruere nulla religio eſt: ut per eos non ſtet quominus intercidat. *Juſtitiæ* nomen hoc loco refertur ad fidem quam in ſuis ſervandis præſtat, cujus memorabile documentum fuit Davidis liberatio: nam ſervum ſuum à vi & injuria improborum vindicans, juſtum ſe probavit. Atque hinc colligere licet quam chara ſit Deo noſtra ſalus, quod eam cum juſtitiæ ſuæ laude conjungit. Si ergo in eo relucet Dei juſtitia, quod ſpem noſtram non fruſtratur, non deſerit nos in periculis, ſed præſidio ſuo ſalvos & incolumes præſtat: non magis metuendum eſt ne deſit nobis, quum ita feret neceſſitas, quam ne obliviſcatur ſui. Cæterum meminerimus, non pro aliquo particulari auxilio, ſed pro humani generis redemptione, confeſſionem laudis à nobis exigi. In ſumma, Spiritus ſanctus per os Davidis præconium reſurrectionis Chriſti nobis commendat. In fine Pſalmi quidam interpretes particulam כי reſolvunt in pronomen אשר, acſi dictum eſſet, Juſtitiam quam fecit: plenior tamen loquutio eſt, Eo quod juſtitiæ ſuæ ſpecimen exhibuerit Deus, effectu vel re ipſa demonſtrans ſe fidum eſſe ſuorum cuſtodem.

ARGU-

Argumentum Psalmi XXIII.

Pſalmus hic neque preces habet admiſtas, neque mala deplorat petendæ levationis cauſa, ſed meram gratiarum actionem continet. unde apparet eo tempore fuiſſe compoſitum, quo David tranquillum regnum adeptus, proſpere & ex voto agebat. Ergo in rebus lætis & proſperis, ne ſimilis ſit profanis hominibus qui dum ſibi videntur fortunati, ſepulto Deo, ſuaviter in delicias ſe immergunt, in ipſo proſperi ſtatus auctore ſe oblectat: nec tantum agnoſcit ejus beneficio quietum nunc, ab omnibus incommodis moleſtiiſque immunem ſe agere, ſed ejuſdem providentia uſque in finem beatum fore confidit: & quidem in eum finem ut ſe in puro ejus cultu exerceat.

Psalm. XXIII.

Canticum Davidis. Jehova paſtor meus, non deſtituar.	1 מזמור לדוד יהוה רעי לא אחסר:
2. In paſcuis herboſis accubare me facit: ad aquas leniter fluentes deducit me.	2 בנאות דשא ירביצני על מי מנחות ינהלני:
3. Animam meam reſtituit: ducit me per vias juſtitiæ, propter nomen ſuum.	3 נפשי ישובב ינחני במעגלי צדק למען שמו:
4. Etiamſi ambulavero in valle umbræ mortis, non timebo malum, quia tu mecum es: virga tua & pedum tuum, ipſa me conſolantur.	4 גם כי אלך בגיא צלמות לא אירא רע כי אתה עמדי שבטך ומשענתך המה ינחמני:

Jehova paſtor meus, &c.] Quum ſuis beneficiis tanquam paternæ ſuæ dulcedinis guſtu Deus nos blande ad ſe invitet, nihil tamen magis proclive eſt quam ut in pace & lætitia nobis obrepat ejus oblivio: imo non tantum plurimos inebriat felicitas ut ſine modo exultent, ſed etiam ferociam parit, ut ſuperbe proterviant adverſus Deum. Itaque vix centeſima pars, dum ſuis commodis fruitur, ſe temperanter continet in timore Dei. Quo diligentius obſervandum nobis eſt hoc exemplum Davidis, qui in ſummo dignitatis gradu, in ſplendore opum & honorum, in maxima opulentia, inter regales delicias non modo teſtatur ſe Dei eſſe memorem, ſed ex ejus beneficiis ſcalas ſibi facit quibus ad eum propius conſcendat. Atque hoc modo non tantum frenat carnis laſciviam, ſed ſe acrius ſtimulat ad gratitudinem & pietatis exercitia: quemadmodum ex clauſula Pſalmi patet, ubi ſe dicit habitaturum in domo Domini in longitudinem dierum. Sic & Pſalmo 18. quo tempore plauſus ei ubique dabantur, ſervum Dei ſe vocando, quam compoſito eſſet ad modeſtiam affectu, oſtendit: ſimulque ſuam gratitudinem celebrandis ejus laudibus profeſſus eſt. Porro ſub paſtoris ſimilitudine, Dei erga ſe providentiam commendat: acſi dixiſſet, non ſecus habitam ſui curam à Deo ipſo, quam paſtor ſollicitus eſt de ovibus ſibi commiſſis. Quod autem frequenter in Scriptura, paſtoris nomen Deus uſurpat, perſonamque induit, non vulgare eſt teneri in nos amoris ſignum. Nam quum humilis & abjecta ſit loquendi forma, ſingulariter erga nos affectus ſit oportet, qui ſe noſtra cauſa ita demittere non gravatur. mirum itaque niſi tam blanda & familiaris invitatio ad eum nos alliciat, ut tuto & placide ſub ejus cuſtodia quieſcamus. Sed notandum eſt, non aliis paſtorem eſſe Deum, niſi qui & infirmitatis inopiæque ſuæ conſcii, ejus præſidio ſentiunt ſe egere: & ſponte in ejus ovili manentes, ei ſe regendos tradunt. David qui virtute & copiis præſtabat, libenter tamen ovem ſe confeſſus eſt, ut Deum haberet paſtorem: quis ergo noſtrum ſe ab hac neceſſitate eximet, quos omnes propria infirmitas convincit pluſquam eſſe miſeros, niſi ſub ejus paſtoris tutela degamus? Cæterum memoria tenere convenit, in eo felicitatis ſummam conſtitui, ſi ad nos gubernandos extenta ſit ejus manus, ſi degamus ſub ejus umbra, ejuſque providentia in ſalutem noſtram invigilet. Quare ut omnia nobis abunde ſuppetant, ſciamus non aliunde nos beatos eſſe, niſi quia Deus in ſuo grege cenſere nos dignatur. Adde quod tunc demum cum legitimo honore tribuitur officium paſtoris Deo, ubi perſuaſi ſumus unicam ejus providentiam nobis ſufficere. Nam ſicut in ſumma abundantia vacui ſunt & famelici quorum Deus non eſt paſtor: ita certum eſt nobis, quos in curam ſuam ſuſcepit, nihil ad plenam bonorum copiam defore. Ideo David ſe à nullo defectu metuere pronunciat, quia à Deo paſcitur.

2. *In paſcuis herboſis.*] Quantum ad verba ſpectat, paſcua vel campos herbæ, pro herboſis & pinguibus poſuit. Quanquam ſunt qui נאות vertunt Tuguria: quod ſi magis placeat, ſenſus erit, paratum eſſe ſtabulum in paſcuis opimis, ſub quo tegatur à ſolis æſtu. Nam ſi in frigidis regionibus moleſtus eſt ovium gregi immodicus ardor, multo minus tolerabilis foret æſtas in Judæa ſine ſtabulis; quo etiam videtur referri verbum רבץ. *Aquas quietum* dixit, pro leniter fluentibus: quia ad ovium potum incommodi ſunt rapidi torrentes, atque etiam ut plurimum noxii. Exponit autem David hoc verſu & ſequentibus, particulam illam *Non deſtituar*: refert enim quam liberaliter ſibi proſpectum ſit, à ſimilitudine qua uſus eſt non diſcedens. Summa tamen huc redit, nihil à cæleſti paſtore fuiſſe omiſſum quo minus feliciter degeret ſub ejus cura. Largam igitur abundantiam ad omnes vitæ uſus, pratis herbidis comparat, & aquis leniter fluentibus; vel etiam commoditatem tuguriis: quia non ſatis eſſet pabulo ſaturari, niſi aquarum potus & umbra ſtabuli in refrigerium accederet. Jam quia munus quoque boni paſtoris eſt fovere ſuas oves, vel etiam infirmas refocillare, hoc à Deo beneficium ſe recipere prædicat David. Nam *reſtitutio animæ* (ut vertimus) vel converſio (ut habetur ad verbum) tantundem valet ac reficere, vel reſtaurare, quemadmodum Pſalmo 19. dictum eſt. *vias* autem *juſtitiæ*, pro facilibus & planis poſuit: nam quum in ſua metaphora perſiſtat, abſurdum eſſet de Spiritus ſancti directione accipere. Quemadmodum ergo nuper dixit, quæcunque ad vitæ conſervationem ſpectant, benigne ſibi à Deo ſuppeditari: ita nunc addit, ſe protegi ab omni moleſtia. Summa eſt, Deum nulla in parte fidelibus ſuis deeſſe, quia & eos ſua virtute ſuſtinet, vegetat, vivificat, & noxas omnes avertit, ut per vias æquabiles commode incedant. Cæterum nequid ſuæ dignitati arroget, tantæ liberalitatis cauſam Dei bonitati adſcribit, hæc omnia præſtare dicens *propter nomen ſuum*. Et certe quod nos ſibi in oves eligit, & nobis impendit paſtoris officia, prorſus gratuitum beneficium eſt: ut Pſalmo 65. videbimus.

4. *Etiamſi ambulavero.*] Quia fideles, quamvis tuto ſub Dei manu habitent, non tamen procul abſunt

ſunt à multis periculis, imo quo melius ſentiant quam ſibi neceſſaria ſit Dei protectio, communibus miſeriis ſubjacent obnoxii: nominatim hic commemorat David, ſiquid adverſi contigerit, ſe recumbere in Dei providentiam. Ita non modo ſibi non promittit continuas delicias, ſed etiam ad varios eventus fortiter ſubeundos Dei auxilio ſe munit. Porro in metaphora perſiſtens, quam Deus in gubernandis fidelibus curam adhibet, paſtoris baculo & pedo comparat, eo ſe ad vitæ tutelam contentum eſſe dicens. Quemadmodum enim ſi per vallem obſcuram oberret ovis, ſola paſtoris præſentia ab incurſu ferarum aliiſque noxis tutam ipſam præſtat: ita nunc pronunciat David, quoties in aliquod diſcrimen inciderit, ſibi in paſtorali Dei cura ſatis fore præſidii. Jam videmus illum in proſpera lautaque fortuna nunquam oblitus fuerit ſe hominem eſſe, ſed tunc etiam quæ accidere poterant adverſa, mature fuiſſe meditatum. Et certe hinc tanta nobis trepidatio ubi nos Deus cruce exercet, quod quiſque ut placide dormiat, carnis ſecuritate ſe involvit. Atqui ab hoc torporis ſomno longe differt fidei quies: imo quum rebus adverſis fidem examinet Deus, ſequitur neminem vere fidere, niſi qui ad omnes vincendos metus invicta conſtantia armatus eſt. Neque tamen ſe omni metu vacuum eſſe jactavit David, ſed tantum fore ſuperiorem, ut intrepide, quocunque deductus fuerit à paſtore ſuo, pergat: quod ex contextu melius patet. Primo dicit, *Non timebo malum*: ſed cauſam mox reddens, aperte fatetur ſe in baculi paſtoralis reſpectu quærere timoris remedium. Quorſum enim *conſolatio* iſta, niſi quia metus eum ſollicitat? Tenendum igitur eſt, quum David animo apprehenderet quæ incidere poterant incommoda, non aliter fuiſſe tentationum victorem, niſi quia ſe in Dei curam rejecit: quod ipſum (licet obſcurius) hac etiam particula ante dixerat, Quia tu mecum es: neque enim Dei præſentiam requireret timoris vacuitas. Adde quod non vulgaribus tantum & quotidianis malis opponit Dei præſidium, ſed quæ mortis caligine mentes perturbant. Nam צלמות Grammaticis Hebræis videtur eſſe dictio compoſita, quaſi dicas lethalem umbram. Alludit autem David ad obſcuros receſſus aut ferarum cavernas: quo ſiquis acceſſerit, ſtatim primo ingreſſu occurret mortis terror. Nunc quando Deus in Filii unigeniti perſona ſe nobis luculentius quam olim Patribus ſub Lege paſtorem exhibuit, non ſatis honoris tribuimus ejus cuſtodiæ, niſi conjectis in eam oculis calcamus omnes formidines.

5. **Parabis in conſpectu meo menſam coram perſequutoribus meis, perunges oleo caput meum: calix meus exuberans.**

5 תַּעֲרֹךְ לְפָנַי שֻׁלְחָן נֶגֶד צֹרְרָי
דִּשַּׁנְתָּ בַשֶּׁמֶן רֹאשִׁי כּוֹסִי רְוָיָה׃

6. **Utique bonum & clementia perſequentur me cunctis diebus vitæ meæ, & habitabo in domo Jehovæ in longitudinem dierum.**

6 אַךְ טוֹב וָחֶסֶד יִרְדְּפוּנִי כָּל־יְמֵי
חַיָּי וְשַׁבְתִּי בְּבֵית־יְהוָה לְאֹרֶךְ יָמִים׃

5. *Parabis*.] Verba futuri temporis continuum actum hoc loco deſignant. David ergo jam ſine figura repetit quæ ſub paſtoris ſimilitudine hactenus narravit de Dei beneficentia. dicit enim ejus largitate ſibi ſuppetere quæcunque neceſſaria ſunt ad vitæ uſum. *Parare menſam* tantundem valet ac ſine moleſtia & difficultate victum largiri, perinde acſi pater filio cibum porrigeret. Atque beneficium hoc amplificat circumſtantia addita, quod licet ſibi invideant multi malevoli, perditumque cupiant, imo Dei benedictione fraudare conentur: Deus tamen ipſe liberalem ſe ac beneficum præſtare non deſinat. Quod de *oleo* ſubjicit, pertinet ad morem tunc uſitatum: ſcimus enim tunc lautioribus conviviis adhibita fuiſſe unguenta, ut nemo ſuos hoſpites vel convivas ſplendide excipere videretur niſi unguentis delibutos. Porro tam effuſa olei copia, quam plenitudo calicis, ad eam abundantiam referri debet quæ exuperat neceſſarios uſus. Eſt enim commendatio regalis illius opulentiæ, qua Sacra hiſtoria teſtatur eum fuiſſe non mediocriter ornatum. Quanquam autem non omnes peræque liberaliter tractantur, nemo tamen reperietur quem non Deus ſua beneficentia obſtringat: ut fateri neceſſe ſit beneficum ſuis omnibus eſſe patrem: interea ſe quiſque pro uberiore donorum copia ad gratitudinem incitet. Nam ſi malignus eſt qui in pane cibario paternam Dei providentiam non agnoſcit, quanto minus tolerabilis erit eorum ſocordia, qui ſine guſtu divinæ bonitatis plena copia ſe ingurgitant? David ergo ſuo exemplo divites officii admonet, ut eo majore animo prorumpant ad gratiarum actionem, quo indulgentius ipſos Deus paſcit. Cæterum meminerimus, etiam quibus affluit largior copia, moderationem nihilo minus tenendam eſſe, quam ſi ad mediocrem & temperatum modo uſum facultas ſuppeteret. Nam quum plus ſatis ad luxuriem proni ſimus natura, non ideo profuſus eſt Deus erga fideles, ut hunc in ipſis morbum irritet. Tenenda eſt
Philip. 4. verſ. 12.
enim omnibus illa Pauli regula, ut ſciant non minus abundare quam penuriam pati. Ne egeſtas nos dejiciat, tolerantia fulciri opus eſt: rurſus ne ultra modum efferat largitas, cohiberi opus eſt temperantiæ freno. Dominus etiam dum fideles locupletat, ſimul laſcivas carnis cupiditates reſtringit continentiæ ſpiritu, ut modum ſponte ſibi præſcribant ipſi: non quod nefas ſit divitibus frui liberalius præſenti copia, quam ſi reſtricte cum illis Deus ageret, ſed quia omnibus cavendum eſt (adeoque ipſis Regibus) ne deliciis & luxuria diffluant. Quamvis enim David ſibi plus jure permiſerit, quam ſi unus quivis fuiſſet è vulgo, aut ſi in tugurio paterno manſiſſet: ſibi tamen moderatus eſt inter lautitias, ut eum pinguedo minime ſaginaret: unde factum eſt ut paratam ſibi divinitus menſam ab hara diſcerneret. Hoc quoque notatu dignum eſt, quum ex prædiis, vectigalibus, alioque regni proventu viveret David, Deo tamen gratias egiſſe, acſi ex ejus manu quotidie cibum perciperet. Unde colligimus non fuiſſe opibus ſuis excæcatum, ſed Deum ſemper ſtatuiſſe patremfamilias, qui cibum & potum ex ſuo penu depromptum opportune diſtribueret.

6. *Utique bonum & clementia*.] Poſtquam gratias ſibi à Deo collatas recenſuit, nunc earum tenorem extendit uſque ad finem vitæ ſuæ. Unde autem fiducia hæc, ut Dei beneficentiam & clementiam æternas ſibi fore comites promittat, niſi ex promiſſione qua Deus ſua erga fideles beneficia condire ſolet, ne inſipido palato temere vorentur? Nam antea quum ſibi diceret in mortis tenebris intentos fore oculos ad contemplandam Dei providentiam, ſatis teſtatus eſt ſe non pendere à rebus externis, nec gratiam Dei carnis ſuæ ſenſu metiri: ſed etiam ubi omnia terrena adjumenta deficient, ſibi fidem manere in verbo Dei incluſam. Quamvis ergo eum experientia ad bene ſperandum alliceret, præcipue tamen promiſſionem amplexus eſt qua ſuos Deus in poſterum confirmat. Siquis objiciat, temere hominem in hac caduca vita ſibi æquabilem proſperæ fortunæ curſum promittere: reſpondeo, Davidem non ita loquutum eſſe ut legem Deo imponeret, ſed quantum fert mundi conditio, Dei erga ſe beneficentiam

centiam ſperaſſe qua contentus foret. Neque enim dicit calicem perpetuo fore plenum, vel caput delibutum unguentis: ſed in genere, quia infatigabilis eſt Dei bonitas, colligit ſibi in finem uſque fore beneficum. *Habitabo in domo Jehovæ.* Hac clauſula aperte demonſtrat, ſe in terrenis voluptatibus aut commodis minime ſubſiſtere, ſed ſcopum ſibi in cælo figere ad quem omnia referat. Perinde enim eſt acſi dixiſſet ſe non vivere tantum ut vivat; ſed potius ut ſe exerceat in Dei timore & cultu, & in tota pietate in dies proficiat. Manifeſtum enim diſcrimen inter ſe & profanos homines ſtatuit, quibus ſatis eſt ventrem ſuum laute farciri: neque id modo, ſed etiam tanti ſibi eſſe ſignificat Deo vivere, ut inde omnes carnis commoditates æſtimet. Palam affirmat, hunc ſe finem in omnibus quæ retulit Dei beneficiis ſpectaſſe, ut habitaret in domo Domini. Unde ſequitur, ſublata hujus boni fruitione cum pro nihilo duxiſſe reliqua omnia: acſi dixiſſet, non aliter ſe oblectari terrenis commodis, niſi ſimul ex Dei grege eſſet: ſicut etiam alibi ſcribit, Beatum dicent populum, cujus hæc ſunt, beatus populus cujus Jehova eſt Deus. Quorſum enim tantopere *Pſal. 144. verſ. 15.* appeteret in templo verſari, niſi ut ſacrificia ſimul cum aliis offerret, aliiſque fidei exercitiis proficeret ad meditationem cæleſtis vitæ? Certum igitur eſt, Davidem præſentium bonorum adminiculis ad ſpem æternæ hæreditatis fuiſſe evectum: unde colligimus, belluinos eſſe homines quibus propoſita eſt alia felicitas quam ad Deum tendere.

ARGUMENTUM PSALMI XXIV.

Quum Deus totum humanum genus condiderit, & imperio ſuo contineat; gratiam qua electum populum dignatus eſt, hac comparatione amplificat David: nempe quod Sanctuarium inſtar domicilii erexit, ut habitaret inter filios Abrahæ: ſimulque oſtendit, quamvis Judæis omnibus expoſitum eſſet Sanctuarium, non tamen quibuslibet Deum propinquum eſſe, ſed veris tantum pietatis cultoribus qui ſe à mundi ſordibus purgarunt, ut ſanctitati & juſtitiæ ſe addicerent. Porro quia extructo templo, luculentius apparuit Dei gratia, eam ſplendido elogio commendat, quo alacrius fideles in ejus colendi ſtudio proficiant.

PSALM. XXIV.

CAnticum Davidis. Jehovæ eſt terra & plenitudo ejus, orbis, & qui habitant in eo.	1 לדוד מזמור ליהוה הארץ ומלואה תבל וישבי בה׃
2. Quia ipſe ſuper maria fundavit eam, & ſuper flumina diſpoſuit eam.	2 כי הוא על ימים יסדה ועל נהרות יכוננה׃
3. Quis aſcendet in montem Jehovæ? quis ſtabit in loco ſanctitatis ejus?	3 מי יעלה בהר יהוה ומי יקום במקום קדשו׃
4. Mundus manibus, & purus corde, qui non extulit in vanum animam ſuam, & non juravit ad fraudem.	4 נקי כפים ובר לבב אשר לא נשא לשוא נפשי ולא נשבע למרמה׃

JEhovæ eſt terra.] Videbimus aliis compluribus locis conferri filios Abrahæ cum reliquo mundo: ut melius inde pateat gratuita Dei bonitas, quod eos ex omnibus populis ſuo favore amplexus eſt. Huc ergo tendit Pſalmi exordium, Judæos nihil habere à ſeipſis cur ad Deum propius quam Gentes, vel magis familiariter accedant. Nam quum Deus ſua providentia mundum in ſtatu conſervet, peræque ad omnes extenditur imperii ejus poteſtas, ut merito ubique colendus ſit, ſicuti omnibus ſine exceptione paternam erga eos curam oſtendit. Porro quum Judæos prætulerit aliis gentibus, ſacrum aliquod conjunctionis vinculum intercedere oportet quod eos à profanis hominibus diſcernat. Hoc argumento ad ſanctitatem eos invitat & hortatur David, quia æquum eſt quos ſibi in filios Deus adoptavit, proprias notas geſtare, ne prorſus exteris ſimiles ſint: non quod ad Deum præveniendum eos incitet, ut ſibi ejus gratiam concilient: ſed à fine electionis admonet, ratam demum & firmam honoris poſſeſſionem fore ſi ad pie recteque vivendum aſpirent. Fruſtra enim ſeorſum collecti eſſent in peculium Dei, niſi ſanctitati darent operam. In ſumma, Deum totius mundi Regem eſſe prædicat, ut ipſo naturæ jure cuncti mortales ad ejus cultum ſint obſtricti. deinde commemorans cum exigua hominum parte pepigiſſe ſalutis fœdus, & erecto tabernaculo dediſſe filiis Abrahæ præſentiæ ſuæ ſymbolum, ut certi eſſent ipſum in medio ſui reſidere: cordis & manuum puritati dandam eſſe operam docet, ſi in ſancta ejus familia cenſeri cupiant. *Plenitudinis* nomine quanquam omnes copias, quibus ornata eſt terra, comprehendi fateor, & id probat etiam Pauli auctoritas: non tamen dubito quin homines ipſos deſignet, qui maxime illuſtre ſunt terræ ornamentum & decus. Nam ſi deficerent, non minus deformis eſſet vaſtitas & ſolitudo terræ, quam ſi reliquis opibus eam Deus nudaret. Quorſum enim tam multiplices fructus, tanta abundantia & amœnitas, niſi ut uſus & commoditas perveniat ad homines? Itaque David proximo membro mentem ſuam explicat, quod de hominibus maxime loquatur. Nam quum idem ſoleat bis repetere, idem valent *terræ plenitudo & orbis habitatores.* Neque tamen nego, divitias quibus in uſum hominum affluit, ſimul comprehendi. Ideo ſcite Paulus, quum de *1 Cor. 10. verſ. 26.* cibis diſſerit, hoc teſtimonio confirmat, nullum alimenti genus immundum eſſe, quia Domini eſt terra & plenitudo ejus.

2. *Quia ipſe ſuper maria.*] Confirmat, jure ſub Dei manu eſſe homines, ut eum ubique orbis Regem agnoſcat, idque ab ipſo creationis ordine: quia palam in tota terræ ſuperficie admirabilis Dei providentia reluceat. Sumit autem quod maxime conſpicuum eſt ejus rei documentum. Qui fit enim ut terra ſuper aquas emineat, niſi quia Deus conſulto hoſpitium parare hominibus voluit? Nam & Philoſophi fatentur, quum aquæ elementum terra ſuperius ſit, fieri præter naturam ut ulla regio ſicca & habitabilis maneat. Itaque hoc inſigne miraculum magnifice extollitur Job cap. 28. verſ. 25. quod Deus violentos maris impetus compeſcat, ne ſtatim terra obruta, ſuccedat horribilis confuſio. Nec etiam tacetur à Moſe in hiſtoria creationis. poſtquam enim aquas narravit ita effuſas fuiſſe ut totam terram obtegerent: addit, ſpeciali Dei mandato ceſſiſſe, ut ſpatium vacuum relinquerent animalibus *Gen. 1: 9.* poſtea creandis. Hinc colligimus, antequam extarent homines, jam Deo curæ ipſos fuiſſe, quod hoſpitium aliaſque commoditates eis paraverit: nec prorſus reputaſſe alienos, quibus non minus benigne proſpexit, quam propriis liberis paterfamilias. Etſi autem non diſputat philoſophice David de terræ ſitu, ubi dicit ſuper maria fundatam, ſed populari-

ter loquens, ad rudium captum ſe accommodat: non tamen ratione caret loquendi forma quæ ſumpta eſt ab ipſo conſpectu. Terra quidem elementum quatenus in ordine ſphærico infimum locum occupat, infra aquas ſubſidit: ſed quum pars habitabilis aquis ſit ſuperior, unde fieri dicemus ut ſtabilis maneat hæc diſtinctio, niſi quod aquæ divinitus inſtar fundamenti ſubſtratæ ſunt? Jam ſi ab ipſa mundi origine paternam curam Deus ad totum humanum genus extendit, prærogativa honoris qua cæteris præſtant Judæi, ex gratuito delectu naſcitur.

3. *Quis aſcendet.*] Quod erecto Sanctuario domicilium ſibi inter Judæos elegit Deus, meræ eſſe gratiæ, quia per ſe notum erat, tacite hic ſolum notatur. Præcipue vero David in altero membro inſiſtit, ut veros Iſraëlitas à falſis diſcernat. nam inde argumentum ſumit, ut Judæos ad ſanctam & rectam vitam hortetur, quia ſegregati ſint à Deo in peculium. Quamvis enim reliqui homines quatenus ab ipſo creati ſunt, pertineant ad ejus imperium: qui tamen locum in Eccleſia obtinet, propius ad eum accedit. Ergo quoſcunque admittit Deus in gregem ſuum, ipſa adoptione ad ſanctitatem vocat. Porro his verbis oblique hypocritas perſtringit David, quibus nulla religio erat ſacrum Dei nomen falſo obtendere, ut ſcimus ipſos inanibus tantum titulis & externis inſignibus efferri: imo data opera celebrat hanc ſingularem Dei gratiam, ut pro ſe quiſque diſcat, niſi ſe ad purum Dei cultum ſanctificet, ab acceſſu Sanctuarii arceri. Verum quidem eſt, impios & ſceleratos frequentaſſe Tabernaculum, ideoque illis per Jeſaiam Deus exprobrat quod indigne terant pavimentum atrii ſui: ſed hic diſputat David quibus jure ingreſſus pateat. Nam quum ſacra ſit Dei domus, ſiqui perperam illuc & præter fas irrumpunt, eorum corruptela & abuſus nihil quam pollutio eſt. Quia ergo legitimus non eſt eorum aſcenſus, David eum pro nullo ducit: imo ſub his verbis incluſa eſt gravis objurgatio, quod impuri homines dum aſcendere audent in Sanctuarium, ſuis illud ſordibus inquinent. qua de re plura dixi Pſalmo 15. Cæterum in ſecunda parte verſus videtur perſeverantiam notare: acſi dixiſſet, Quis aſcendet in montem Sion, ut ſe in Dei conſpectum ſiſtat? קום Hebræis (fateor) ſurgere ſignificat, ſed pro Stare plerumque accipitur, ut viſum fuit Pſal. primo. Quanquam autem repetitio eſt ejuſdem rei, non tamen ſimplex eſt: ſed finem aſcenſus exprimens, auget, ut ſæpe alibi. Hæc ſumma eſt, utcunque tempore

Jeſa. 1. verſ. 12.

Davidis permiſti in Eccleſia eſſent boni mali: declarat tamen quam frivola ſit externa profeſſio, niſi accedat interior veritas. nam quod de tabernaculo fœderis dicit, ad perpetuum Eccleſiæ regimen accommodare oportet.

4. *Mundus manibus.*] Manuum & cordis puritate, & nominis Dei reverentia totam pietatem complectitur, & vitam recte compoſitam deſignat. Vera quidem puritas in corde ſedem habet: ſed fructus ſuos in operibus manuum profert. Ideoque ſcite puro cordi adjungitur totius vitæ mundities: quia ridicule quis jactabit ſibi integrum cor eſſe, niſi bonam radicem à fructibus demonſtret: neque rurſum ſufficiet manus, pedes, & oculos ad juſtam normam formare, niſi externam continentiam præcedat cordis puritas. Sicui abſurdum videtur, priorem locum manibus tribui: facilis reſponſio eſt, ſæpe effectus nominari ante ſuas cauſas: non quod præeant ordine, ſed quia interdum utile eſt incipere à rebus magis notis. Vult ergo David, Judæos in Dei conſpectum afferre puras manus, & quidem ex corde non ficto. *Extollere*, vel aſſumere *animam*, non dubito quin ſumatur pro Jurare. Itaque exigitur à Dei cultoribus religio in jurejurando: & per ſynecdochen ſub una ſpecie notatur fides in omni negotio ac integritas. Quod autem de juramentis ſermo ſit, ex particula exegetica quæ mox additur, colligere licet, ubi dicit, *neque juravit ad fraudem.* Quia tamen duplex lectio eſt in voce Animæ, hoc eſt, legi poteſt, Animam meam, vel animam ſuam, propter punctum Hirec: quidam Hebræi interpretes relativum primæ perſonæ de ipſo Deo accipiunt: quod ego tanquam durum & coactum repudio. Eſt autem emphatica loquutio, quæ ſignificat, animas ſuas quaſi vades offerre Deo quicunque jurant. Niſi forte magis placeat Tollere animam, poſitum eſſe pro Applicare ad mendacium: quod in medio relinquo, quia ad ſenſum parum intereſt. Naſcitur tamen hic quæſtio, cur fidem & Dei invocationem ne verbo quidem attingat David: ſed quæ facilis eſt ad ſolvendum. Quia enim raro contingit ut quis cum fratribus ſuis juſte & innoxie ſe gerat, niſi vero Dei timore præditus ut ſollicite ambulet in ejus conſpectu, non abs re pietatem ab his teſtimoniis æſtimat David. Qua ratione Chriſtus vocat præcipua Legis, miſericordiam, judicium, & fidem. Et charitas à Paulo dicitur nunc finis Legis, nunc perfectionis vinculum.

Mat. 23. verſ. 23.
1 Tim. 1. verſ. 5.
Coloſſ. 3. verſ. 14.

5. Accipiet benedictionem à Jehova, & juſtitiam à Deo ſalutis ſuæ.

6. Hæc generatio quærentium eum, inquirentium faciem tuam, Jacob. Selah.

5 ישא ברכה מאת יהוה וצדקה מאלהי ישעו׃

6 זה דור דרשו מבקשי פניך יעקב סלה׃

5. *Accipiet benedictionem.*] Quo efficacius permoveat animos, pronunciat, nihil eſſe optabilius, quam cenſeri in Dei grege & inter Eccleſiæ domeſticos. Tenenda vero eſt antitheſis inter veros Iſraëlitas ac degeneres: nam quo ſibi plus licentiæ indulgent improbi, eo confidentius nomen Dei obtendunt, acſi obſtrictum ſibi tenerent: quia iiſdem ornati ſunt ſymbolis quibus fideles. Itaque demonſtrativum pronomen *Hæc* in verſu ſequenti, pondere non caret: quia diſerte excludit totam illam adulterinam gentem quæ tantum ceremoniarum larva ſuperbiebat. Et nunc quum de benedictione loquitur, ſignificat, non omnes qui ſe titulo tenus pro Dei cultoribus venditant, promiſſæ benedictionis fore participes: ſed qui ſuæ vocationi ex animo reſpondent. Cæterum (ut jam diximus) hæc valde efficax eſt ad pietatem & probam vitam exhortatio, dum audiunt fideles ſe in juſtitia colenda operam non ludere, quia certa benedictio apud Deum repoſita ſit. *Juſtitiæ* nomen duobus modis poteſt exponi, vel pro omnibus Dei beneficiis quibus ſe juſtum eſſe probat ac bonæ fidei erga fideles: vel pro juſtitiæ fructu. Mens quidem Davidis minime dubia eſt, ſperandum non eſſe ut ad eos perveniat juſtitiæ merces qui injuſte ſacrum ejus cultum profanant: rurſus fieri non poſſe ut veros ſuos cultores fruſtretur Deus, quia proprium ejus eſt beneficiis juſtitiam ſuam teſtari.

6. *Hæc generatio.*] Jam nuper monui, hac demonſtratione deleri ex catalogo ſervorum Dei fictitios omnes Iſraëlitas, qui Circumciſione tantum & pecudum ſacrificiis freti, ſeipſos Deo offerre non curant: interim ſe temere ingerunt in Eccleſiam. Tales enim quamvis Dei ſtudio ſe teneri ſimulent, templi acceſſu nihil aliud habent propoſitum quam ſe longius ſubducere. Quia autem nihil magis tritum in ore omnium erat, quam omnes eſſe ſanctum ſemen, nomen Sanctæ generationis reſtrinxit ad puros

puros Legis obſervatores: acſi dixiſſet, non omnes qui ſecundum carnem progeniti ſunt ex Abraham, legitimos propterea filios eſſe. Vere quidem dicitur aliis pluribus locis, ut Pſalmo 27. videbimus, eos faciem Dei quærere qui teſtandæ pietatis cauſa coram arca fœderis ſe in ceremoniis exercent: nempe ſi ſincerus affectus illuc eos ducit. Sed quoniam hypocritis externa quædam Dei quærendi ſpecies communis eſt, quem tamen ſuis ambagibus fugitant: pronunciat hoc loco David, non vere quæri Deum, niſi præeunte ſanctitatis & juſtitiæ ſtudio. Et quo plus energiæ habeat ſententia, eam in ſecunda perſona repetens, ſermonem ad Deum convertit. Perinde enim eſt acſi hypocritas qui pro nihilo ducunt coram mundo abuti Dei nomine, ad ipſius Dei tribunal citaret: ſignificans, quicquid garriant apud homines, aliud fore Dei judicium. Nomen *Jacob* collective additum eſt ad ejuſdem doctrinæ confirmationem: acſi dixiſſet, licet totum carnale ſemen Jacob à Gentibus diſtinguat Circumciſio, non aliter cognoſci electum populum quam Dei reverentia & timore: ſicut Chriſtus dicebat, Hic eſt verus Iſraëlita, in quo dolus non eſt. *Joan. 1. verſ. 48.*

7. Attollite portæ capita veſtra, & elevamini portæ æternæ, & intrabit Rex gloriæ.	7 שאו שערים ראשכם והנשאו פתחי עולם ויבוא מלך הכבוד׃
8. Quis iſte Rex gloriæ? Jehova fortis & potens, Jehova fortis imperio.	8 מי זה מלך הכבוד יהוה עזוז וגבור יהוה גבור מלחמה׃
9. Attollite portæ capita veſtra, attollite inquam portæ æternæ, & intrabit Rex gloriæ.	9 שאו שערים ראשכם ושאו פתחי עולם ויבא מלך הכבוד׃
10. Quiſnam hic Rex gloriæ? Jehova exercituum, ipſe Rex gloriæ. Selah.	10 מי הוא זה מלך הכבוד יהוה צבאות הוא מלך הכבוד סלה׃

7. *Attollite portæ.*] Quia nondum extabat magnificus ille templi ſplendor, in quo plus fuit externæ dignitatis quam in tabernaculo, David hic de futura ejus ſtructura concionatur: atque hoc modo fideles animat ut libentius, majoreque fiducia ceremoniis Legalibus operam impendant. Fuit enim beneficium Dei non vulgare, quod Deus viſibili ſymbolo in medio ipſorum reſidebat, cæleſteque ſuum domicilium volebat in terra conſpici. Atque hujus doctrinæ uſus inter nos quoque hodie vigere debet: quia inæſtimabilis Dei gratia eſt, nos pro carnis noſtræ infirmitate pietatis exercitiis ſurſum ad Deum attolli. Quorſum enim verbi prædicatio, Sacramenta, ſacri ipſi conventus, totumque externum Eccleſiæ regimen, niſi ut nos Deo conjungant? Non abs re igitur David cultum Legalem tam celebri encomio commendat, quum ſe Deus in arca fœderis fidelibus offerret, certumque pignus daret præſentis ſui auxilii, quoties fuiſſet invocatus. Etſi autem non habitat Deus in templis manu factis, neque eum oblectant externæ pompæ: quia tamen utile fuit, & ita etiam placuit Deo, rudem & quaſi infantilem populum terrenis elementis ad Deum evehi, non dubitat hic David ſumptuoſum templi ædificium ad fidei confirmationem proponere, ut certo ſtatuant Judæi, non eſſe illud inane theatrum: ſed ubi Deum ex præſcripto verbi ejus rite colunt, ſtare ſe ante ejus oculos, ut effectu propinquum ſentiant. Summa igitur eſt, templum quod ſibi Deus in monte Sion extrui juſſerat, quo majori ſplendore vincebat tabernaculum, eo magis illuſtre fore ſpeculum gloriæ & potentiæ Dei inter Judæos habitantis. Interea ſicuti ipſe ingenti templi deſiderio flagrabat, ſic eundem ardorem in omnium piorum cordibus accendit, ut magis ac magis in Dei timore proficiant, Legalibus rudimentis adjuti. *Portas* vocat *æternas*, quarum diuturna ſtabilitas in verbo Dei fundata erat. Etſi enim materia & artificio excelluit templum illud, ſumma tamen præſtantia in eo ſita fuit, quod ejus ædificio inſculpta erat promiſſio
Pſal. 132 Dei, quam alibi videbimus, Hæc requies mea in
verſ. 14. ſeculum ſeculi. Cæterum non dubito quin ſubaudienda ſit tabernaculi antitheſis. Nam quum tabernaculo nunquam fixa fuiſſet ſedes, ſed variis hoſpitiis ſubinde exceptum, quodammodo peregrinaretur: ubi mons Sion electus eſt, firma cœpit eſſe Dei ſtatio. Jam quia Chriſti adventu viſibilis illa umbra evanuit, mirum non eſt, in monte Sion templum non conſpici, cujus amplitudo totum orbem occupat. Siquis objiciat, tempore Babylonici exilii dirutas fuiſſe quas Solomon ædificavit portas: reſpondeo, in illa temporali ruina ſtetiſſe decretum Dei, cujus virtute paulo poſt ſequuta eſt templi inſtauratio: quod perinde fuit acſi ſemper integrum duraſſet. Locum hunc inſcite corrupit Græcus interpres. Etſi enim ראשים Hebræi metaphorice interdum vocant Principes, relativum tamen annexum non alium ſenſum admittit, quam ut portæ capita ſua attollant: alioqui dicendum eſſet, Principes veſtri vel veſtros. Ideo quod quidam hoc loco Reges & Magiſtratus officii ſui moneri volunt, ut patefaciant Deo ingreſſum, quamvis plauſibile commentum eſt, à mente tamen & verbis Prophetæ remotum eſt. Quam vero ſtulte ac turpiter hoc loco abuſi ſint Papiſtæ ad craſſa ludibria quibus Chriſtum ad inferos penetrantem inducunt, ex genuino verborum ſenſu plus ſatis patet. Hinc vero diſcamus ſanctum Dei verbum ſobrie reverenterque tractare, ac Papiſtas deteſtari qui in eo pervertendo nefariis ſuis ſacrilegiis quaſi impune ludunt.

8. *Quis eſt iſte.*] Huc ſpectant elogia quibus extollitur Dei virtus, ut ſciant Judæi, non ſedere otioſum in templo, ſed ut præſto ſit ad opem ſuis ferendam. Porro magnam emphaſin continet tam interrogatio, quam geminatio ejuſdem ſententiæ. Perſonam enim admirantis ſuſcipit Propheta, quo efficacius doceat inexpugnabili virtute Deum venire inſtructum ad tuendam populi ſalutem, ut ſub ejus umbra ſalvi ſint fideles. Jam vero dictum fuit, non habitaſſe Deum in templo, acſi immenſa ejus eſſentia illic incluſa foret: ſed illam virtutis & gratiæ fuiſſe præſentiam, ut ferebat promiſſio per Moſem *Exod. 20.*
data, Ubi memoriam poſuero nomini meo, veniam *verſ. 24.*
ad te, & benedicam tibi. Id ſibi non fruſtra eſſe promiſſum, ſed Deum vere in medio ſui ſtare ſenſerunt fideles, qui non ſuperſtitioſe quaſi templo affixum quærebant, ſed externo templi cultu adjuti, tendebant in cælum. Summa eſt, quoties Deum populus in templo invocaverit, effectu ipſo palam fore quam non inane ſit vel luſorium præſentiæ Dei ſymbolum arca fœderis, quia Deus potentem manum ſuam protegendæ fidelium ſaluti ſemper exeret. Repetitio autem admonet, fideles in hac meditatione non poſſe nimis eſſe aſſiduos vel ſedulos. Jam quum Filius Dei carne indutus apparuit *Rex gloriæ*, & Jehova exercituum, non umbratili figura tantum, ſed vere templum ſuum ingreſſus eſt, ut in medio noſtri habitet. Quare nihil obſtat quo minus gloriemur nos ejus virtute fore invictos. Quanquam autem neque mons Sion hodie locus eſt

by Google

Sanctuario ilicatus, neque amplius arca fœderis imago Dei eſt habitantis inter Cherubim: quatenus tamen communis nobis ratio eſt cum Patribus, ut verbi prædicatio & Sacramenta Deum nobis conjungant, hæc adminicula reverenter amplecti convenit, quia fieri non poteſt, ſi impio faſtu ſpernuntur, quin Deus ſe tandem prorſus à nobis ſubducat.

ARGUMENTUM PSALMI XXV.

Pſalmus hic meditationes precibus miſtas continet. David enim hoſtium ſævitia duriter vexatus, ut opem à Deo impetret, primum agnoſcit peccata ſua hoc modo juſte à Deo ipſo caſtigari: ideoque eorum veniam petit, quo Deum habeat propitium ac liberatorem. Deinde gratiam Spiritus ſancti implorat, qua fretus, inter varias tentationes ſe contineat ſub Dei timore. Meditationes vero pluribus locis inſerit, quibus vel ſe ad bene ſperandum ſtimulet, vel à mundi illecebris ſenſus ſuos ad Deum colligat.

PSALM. XXV.

DAvidis. Ad te Jehova animam meam levavi.
2. Deus mi, in te ſperavi: ne pudefiam, ne lætentur inimici mei de me.
3. Etiam omnes qui te expectant, non pudefient: pudefiant qui perfide agunt ſine cauſa.

1 לְדָוִד אֵלֶיךָ יְהוָה נַפְשִׁי אֶשָּׂא׃
2 אֱלֹהַי בְּךָ בָטַחְתִּי אַל־אֵבוֹשָׁה אַל־יַעַלְצוּ אֹיְבַי לִי׃
3 גַּם כָּל־קֹוֶיךָ לֹא יֵבֹשׁוּ יֵבֹשׁוּ ה הַבּוֹגְדִים רֵיקָם׃

A*D te Jehova.*] Præfatur ſe non circumagi huc & illuc infidelium more, ſed ſpem ſuam & vota dirigere in unum Deum. Nihil enim veræ & ſinceræ Dei invocationi magis contrarium, quam vacillando circumſpicere (ſicuti profani homines ſolent) an aliqua mundi auxilia ſuccurrant. Interea vero Deum omittere, vel non recta ſe conferre in ejus fidem & tutelam. Nam qui putant Davidem teſtari ſe fuiſſe penitus Deo addictum, acſi in ſacrificium ſe obtuliſſet, non ſatis attendunt rationem contextus. Potius ad impetrandi fiduciam ſumit quod in precibus maximi eſt momenti, ſpem ſibi fuiſſe in Deo fixam, nec mundi illecebris fuiſſe impeditum vel retentum quominus liber & ſolutus ad Deum aſcenderet. Quare hæc ſit nobis rite orandi regula, non diſtrahi in ſpes varias & ancipites, nec in terrenis auxiliis ſubſiſtere: ſed Deo tribuere hunc honorem, ut ex intimo affectu vota noſtra ad Deum tollamus. Cæterum in mutando verbi tempore alios interpretes ſequutus ſum: quanquam per futurum tempus continuum actum deſignat.

2. *Deus mi, in te ſperavi.*] Ex hoc verſu colligimus, quod deinde clarius patebit, Davidi fuiſſe cum hominibus negotium: ſed quia perſuaſus erat, hoſtes ſuos eſſe quaſi Dei ferulas, merito ejus manu compeſci poſtulat, ne magis inſoleſcant. Sperandi verbo confirmat quod nuper dixit de animæ ad Deum elevatione. Nam vel ita modus exprimitur quo ſe fideles animæ ſurſum attollunt: vel fiducia & ſpes additur tanquam illius affectus cauſa. Et certe his alis è mundo ſublati, ſurſum erigimur. David ergo toto animi deſiderio ad Deum raptus fuit, quia promiſſionibus ejus fretus, ſalutem haud dubiam inde ſperabat. Deprecatio qua utitur, ex communi Scripturæ doctrina ſumpta eſt, pudefieri nunquam poſſe quicunque in Deo ſperant. Hæc etiam ratio ad provocandam Dei miſericordiam notanda eſt, ne obnoxius ſit hoſtium ludibriis, quorum improbitas non magis pios animos vulnerat, quam Deum ipſum laceſſit.

3. *Etiam omnes qui te expectant.*] Si verba in optandi modum reſolvas, hoc verſu precationem ſuam continuat David, & quod de ſe uno dixerat, communiter ad cunctos fideles extendit. Sed ego in diverſam potius ſententiam inclino, ut David fructum gratiæ Dei oſtendat, qui ex liberatione ſua proveniet. Pondus autem ſubeſt in particula Etiam. nam quia ſciebat multorum oculos in ſe eſſe conjectos, nec obſcura erat ejus in Deo fiducia, ſuum exemplum longe patere intelligit: quia ſcilicet omnes Dei filios eriget, ac proſternet improborum ferociam. Poſſet etiam alius eſſe ſenſus, acſi in fidei ſuæ confirmationem ſibi proponeret David quod paſſim Deus promittit. Sed illa quam attuli interpretatio, mihi videtur aptiſſima eſſe: nam per ſceleſtos qui perfide agunt ſine cauſa, non dubium eſt quin peculiariter hoſtes ſuos intelligat. Ergo ubi liberatus fuerit, docet non fore privatum beneficium, cujus ad omnes perveniet fructus: ſicuti fieri non poterat quin multorum labaſceret fides, ſi fuiſſet à Deo relictus. In membro oppoſito ratiocinatur, ſi confuſi jaceant improbi, ad Dei gloriam id ſpectare: quia eorum in rebus proſperis exultatio palam Deo illudit, dum contempto ejus judicio audacius ad licentiam peccandi ruunt. Quod addit, *ſine cauſa*, ad crimen amplificandum valet. Minus enim ferenda eſt ejus pravitas, qui nulla injuria laceſſitus, ultro ad lædendos homines innoxios fertur.

4. Vias tuas Jehova fac me intelligere, ſemitas tuas doce me.
5. Dirige me in veritate tua, & doce me: quia tu Deus ſalutis meæ, te expectavi toto die.
6. Recordare miſerationum tuarum Jehova, & bonitatum, quia fuerunt à ſeculo.
7. Transgreſſionum juventutis meæ, & iniquitatum mearum ne memineris: ſecundum clementiam tuam recorderis mei tu propter bonitatem tuam, Jehova.

4 דְּרָכֶיךָ יְהוָה הוֹדִיעֵנִי אֹרְחוֹתֶיךָ לַמְּדֵנִי׃
5 הַדְרִיכֵנִי בַאֲמִתֶּךָ וְלַמְּדֵנִי כִּי ו אַתָּה אֱלֹהֵי יִשְׁעִי אוֹתְךָ קִוִּיתִי כָּל־הַיּוֹם׃
6 זְכֹר־רַחֲמֶיךָ יְהוָה וַחֲסָדֶיךָ כִּי מֵעוֹלָם הֵמָּה׃
7 חַטֹּאות נְעוּרַי וּפְשָׁעַי אַל־תִּזְכֹּר כְּחַסְדְּךָ זְכָר־לִי־אַתָּה לְמַעַן טוּבְךָ יְהוָה׃

5. *Vias tuas.*] Per vias Domini interdum ſignificat David lætos & ſalutares exitus, ut alibi viſum fuit: ſæpius vero intelligit ſancte juſteque vivendi regulam. Hic, quia mox additur veritas, precationis ſumma eſt (meo judicio) ut Deus ſervum ſuum in fide promiſſionum ſuarum retineat, neque ſinat huc vel illuc dilabi. Ita enim compoſitis ad patientiam animis, nihil perperam tentamus, ſi toti pendemus à Dei

Dei providentia. Non ergo ſimpliciter hoc loco poſtulat David Spiritu Dei ſe regi, ne à recto curſu deflectat: ſed ſibi patefieri quam verax & fidelis ſit Deus in ſuis promiſſis, ut quietus ſub ejus oculis degat. Siquis generalem eſſe ſenſum malit, acſi David Deo ſe gubernandum traderet, non valde repugno: quia tamen mihi probabile eſt, ſub Veritatis nomine in proximo verſu exponi, quaſnam vias & ſemitas vocet, ad præſentem circumſtantiam votum hoc referre non dubito: quod ſcilicet David vel ab impatientia, vel à cupidine vindictæ, vel ab illicito quovis fervore metuens, promiſſiones Dei penitus cordi ſuo inſculpi poſtulet. Diximus enim, quamdiu viget in animis noſtris hæc cogitatio, Deo nos curæ eſſe, domandis tentationibus optimum eſſe frenum. Quod ſi tamen vias Dei & ſemitas pro doctrina accipere placeat, mihi ſemper illud fixum eſt, Davidem ad cæcos impulſus reſpicere, qui nos rebus adverſis jactatos præcipitant in longos errores, donec verbo Dei cohibiti fuerint vel ſedati. Ita ſenſus eſt, Quicquid acciderit, ne unquam permittas Domine, me excidere à viis tuis, vel contumacia, vel prava aliqua cupiditate abripi: ſed potius pacatum me ſub quieta obedientia contineat tua veritas. Quod autem inculcat ſibi patefieri vias, ſeque doceri in illis & dirigi, non ſupervacuum eſt. Nam quum ſenſus noſtros obtenebrent res adverſæ, quam difficile ſit in illa caligine diſcernere quid ſequi oporteat, unumquemque docet propria experientia. Quod ſi Davidi tam eximio Prophetæ, tantaque luce intelligentiæ prædito hæc demonſtratio neceſſaria fuit, quid nobis fiet, niſi Deus in afflictionibus nebulas diſcutiat, ne lucis ſuæ conſpectum impediant? Semper igitur petendum, quoties aliqua tentatio nos perturbat, ut nobis præluceat Dei veritas, ne perverſa conſilia captando, per flexuoſas ambages vagemur. Notanda eſt quæ additur cauſæ redditio. *Deum* enim *ſalutis* ſuæ vocando, quæ jam ab eo perceperat beneficia, ad ſpem futuri temporis applicat: deinde fiduciam ſuam iterum repetit. Ita prius argumentum ſumptum eſt ab ipſius Dei natura, & quaſi à proprio officio: quia ſcilicet hac lege tuendam ſuſcipit fidelium ſalutem, & eorum neceſſitatibus ſubvenit, ut eandem gratiam in finem uſque velit proſequi. Sed quia huic tantæ bonitati neceſſe eſt ut reſpondeat noſtra fiducia, hanc quoque profert David una cum perſeverantiæ teſtimonio. Nam per *totum diem*, vel per omnes dies, ſignificat ſe infatigabili conſtantia pependiſſe ab uno Deo. Atque hoc fidei proprium eſt, inter ſummas anxietates reſpicere in Deum, & quaſi tacita quiete in promiſſum ejus auxilium recumbere. Cæterum ut memoria beneficiorum Dei ſpem noſtram foveat ac ſuſtineat, reputare diſcamus qualem ſe jam nobis exhibuerit; ſicuti David hanc ſibi fulturam ſtatuit, quod Deum expertus ſit ſalutis auctorem.

6. *Recordare*, &c.] Primo hinc apparet, Davidem fuiſſe graviter afflictum, ut omni fere miſericordiæ Dei guſtu privatus foret. Perinde enim ad gratiæ ſuæ memoriam revocat Deum, acſi ejus eſſet oblitus: hæc igitur hominis non parum anxii & mœſti querimonia eſt. Cæterum hinc colligimus, etiamſi ad tempus ſubtrahat Deus omne bonitatis ſignum, & ad mala noſtra connivens, tanquam alienos deſerat, fortiter tamen luctandum eſſe, donec ex hac tentatione ad votum quod audimus, animus noſter perrumpat: nempe ut Deus quaſi ad priſtinam ſuam conſuetudinem reverſus, clementius nobiſcum denuo agere incipiat. Neque enim hæc precandi forma locum habeat, niſi ubi faciem ſuam à nobis abſcondit, ſeque ulla noſtri cura tangi diſſimulat. Porro David ad miſerationes & bonitates confugiens, nihil ſe de ſuis meritis ſpei præſumere teſtatur. Nam qui ex ſolo miſericordiæ Dei fonte haurit, nihil in ſe reperit quod Deum ad remunerationem obſtringat. Sed quia aditum claudebat interruptio, optimo remedio hoc obſtaculum ſuperat: quod ſcilicet Deus qui natura miſericors eſt, quamvis ad tempus ſuſpendat manum ſuam: non tamen vel ſeipſum abneget, vel ingenitum ſibi miſericordiæ affectum exuat, qui deficere nihilo magis poteſt, quam æterna ejus eſſentia. Hæc nobis doctrina tenenda eſt, Deum ab initio fuiſſe miſericordem: ut ſiquando rigidus erga nos & inexorabilis appareat, non tamen ſui diſſimilem putemus, vel propoſitum mutaſſe. Atque hinc colligimus in quem uſum paſſim Scriptura referat, eum omnibus ſeculis ſuos clementer reſpexiſſe. Fixum quippe hoc manere debet, quamvis Dei bonitas interdum lateat quaſi ſepulta, nunquam tamen extingui.

7. *Tranſgreſſionum juventutis.*] Quia peccata noſtra maceriam opponunt inter nos & Deum, ne exaudiat vota noſtra, vel manum ad nos juvandos extendat, hoc impedimentum nunc tollit David. Verum quidem eſt in genere, præpoſtere & fruſtra orare homines, niſi à peccatorum remiſſione exordium faciant. Nulla enim ſpes obtinendæ gratiæ, niſi Deo propitio: quomodo autem nos amabit, niſi prius gratis ſibi reconciliet? Hic ergo (ut dixi) legitimus eſt orandi ordo, primo acceſſu petere ut peccata nobis condonet. Sed diſerte hic confeſſus eſt David, ſe non aliter quam abolitis peccatis, gratiæ Dei fore participem. Ergo ut ſuæ bonitatis memor ſit Deus, eum peccata noſtra oblivisci neceſſe eſt, quorum conſpectus favorem ejus à nobis avertit. Jam vero apertius confirmat quod prius dixi, quamvis injuſte in eum ſævirent improbi, ſe tamen acceptum ferre peccatis ſuis quicquid patiebatur. Quorſum enim ad Dei miſericordiam confugiens, peccatis ſuis veniam dari poſceret, niſi quia meritas ſe pœnas dare agnoſcit? Prudenter ergo animum convertit ad primam mali cauſam, ut verum remedium inveniat: atque ita ſuo exemplo nos docet, quum urget nos externa aliqua afflictio, non modo rogandum eſſe Deum ut nos ab ea eripiat, ſed ut peccata noſtra deleat, quibus & iram ejus & flagella provocavimus. Alioqui imitabimur malos medicos, qui neglectis morborum cauſis, dolorem tantum leniunt, & adventitia tantum fomenta adhibent ad curationem. Nec vero ſolummodo fatetur David levia delicta, ut ſolent hypocritæ, qui defunctorie uno verbo reatum fatentes, vel effugia quærunt, vel extenuant culpæ gravitatem: ſed repetit ab ipſa pueritia quot modis iram Dei in ſe concitaverit. Non enim quæ adoleſcens peccata admiſit ideo commemorat, quaſi nullius recentis culpæ ſibi ſit conſcius, ſed quo majori ſe reatu obſtringat. Ac primum quidem ſe non cœpiſſe nuper reputans, ſed pridem peccata peccatis cumulaſſe, ſub ipſa congerie quodammodo ſe incurvat. Deinde ſi Deus ſummo jure agere velit, non heſterna modo, vel paucorum dierum delicta in judicium ventura ſignificat, ſed quicquid à puero deliquit, poſſe nunc merito imputari. Quoties ergo nos iræ ſuæ judiciis terrebit Deus, non ſolum in mentem nobis veniat poſtrema offenſa, ſed novum pudorem novoſque gemitus afferant omnes anteactæ vitæ tranſgreſſiones. Porro quo melius exprimat gratuitam ſe veniam petere, Deo nihil præter meram ejus bonitatem objicit. Dicit igitur, *Recorderis mei ſecundum clementiam tuam*: facit enim peccatorum oblivio ut nos Deus paternis oculis aſpiciat. Hujus autem aſpectus non aliam ſibi cauſam proponit, niſi quia Deus bonus eſt: unde ſequitur, ut nos in gratiam recipiat, non niſi bonitate ſua adduci. Quanquam ubi dicitur noſtri recordari Deus ſecundum clementiam ſuam, ſubaudienda eſt antitheſis inter duas recordationis ſpecies: nempe dum peccatores in ira ſua viſitat, vel quos contemnere aliquandiu viſus eſt, ſuo favore iterum dignatur.

8. Bonus & rectus Jehova: ideo docebit peccatores in via.

9. Diriget pauperes in judicio, & docebit pauperes viam ſuam.

10. Omnes viæ Jehovæ, clementia & veritas cuſtodientibus fœdus ejus, & teſtimonium ejus.

11. Propter nomen tuum Jehova propitius ſis iniquitati meæ, quia multa eſt.

ח 8 טוב וישר יהוה על כן יורה
חטאים בדרך :
ט 9 ידרך ענוים במשפט וילמד
ענוים דרכו :
10 כל ארחות יהוה חסד ואמת
לנצרי בריתו ועדתיו :
11 למען שמך יהוה וסלחת לעוני
כי רב הוא :

8. *Bonus & rectus.*] Quaſi à continuo precandi tenore pauliſper deſiſtens, Dei bonitatem ſecum meditatur: quo ſe rurſus magis accendat. Sentiunt enim fideles, niſi novis ſubinde aculeis inter orandum ſe excitent, animos ſuos ſtatim langueſcere: adeo rara & difficilis res eſt, conſtans & indefeſſa attentio. Atque omnino ut fovendo igni materiam ſæpius ingerere neceſſe eſt: ita ſtudium orandi, ne torpeſcat & tandem deficiat, talibus adminiculis opus habet. Quare David ſe ad perſeverantiam animare volens, ſeipſum alloquitur, Deumque bonum & rectum eſſe affirmat, ut hac meditatione refectus, alacrior iterum ſurgat ad precandum. Notanda autem hæc conſequentia eſt, Deum, quia bonus eſt & rectus, peccatoribus manum porrigere, ut eos in viam reducat. Nam Deo æquitatem tribuere qua tantum erga dignos & bene meritos utatur, frigida & jejuna eſt imaginatio: & tamen non aliter vulgo Deum mundus bonum cognoſcit. Unde enim fit ut Dei miſericordiam vix centeſimus quiſque ad ſe applicet, niſi quia eam ad dignos reſtringunt? Atqui hic dicitur rectitudinis ſuæ ſpecimen edere, dum transgreſſores in via docet, quod tantundem valet atque vocare ad pœnitentiam, & inſtituere ad recte vivendum. Et certe niſi ad inferos penetret Dei bonitas, neminem unquam attinget. Fictitias ſuas præparationes jactent Papiſtæ: nos vero teneamus, niſi antevertat Deus homines ſua gratia, actum eſſe de omnibus. Hanc prævenientem (ut loquuntur) gratiam nunc commendat David: ſive quum Deus ab initio nos vocans, regenerationis Spiritu corruptam naturam refingit: ſive quum peccatis alienatos, à defectione reducit. Nam quum peccatores dicantur quos Deus recipit in diſcipulos, ſequitur, ejus Spiritu renovari ut dociles & morigeri eſſe incipiant.

9. *Diriget pauperes.*] Hic de ſecunda gratia loquitur, quam Deus erga fideles ſuos exerit, poſtquam ſubacti ad jugum ferendum, obedienter ejus imperio ſe ſubmittunt. Hæc vero docilitas nuſquam reperietur, donec elatus ſuperbia animus domitus fuerit. Quia ענוים Hebræi pauperes vocant vel afflictos, & metaphorice nomen hoc transferunt ad manſuctos & humiles: mihi probabile eſt, Davidem tam afflictiones quibus retunditur carnis ferocia, quam ipſam modeſtiæ virtutem complexum eſſe: acſi dixiſſet, Poſtquam humiliavit Deus, manu benigne porrecta, toto vitæ curſu eos deducit. Cæterum quidam *Judicium* & *viam* Domini pro juſta & bene compoſita vivendi ratione accipiunt. Alii vero referunt ad Dei providentiam: quod rectius videtur, & ad contextum aptius, quia mox addit, *Omnes viæ Jehovæ, clementia & veritas.* Senſus ergo eſt, qui vere in ſeipſis dejecti, ſe in Dei fidem contulerint, ſenſuros quam bene filiis ſuis conſulat. Ergo judicium & via ejus nihil aliud eſt quam gubernatio qua declarat ſe, ut optimum patrem decet, curare ſuorum ſalutem, ut oppreſſos ſublevet, dejectos erigat, mœſtos exhilaret ac ſoletur, miſeris ſuccurrat. Nunc tenemus quales ſint gratiæ Dei erga nos progreſſus: nempe quod primum errantes & palatos, imo profugos in viam reducit, compeſcit noſtram contumaciam, & prius indomitos in obſequium juſtitiæ ſuæ flectit. deinde quod afflictos & laborantes non deſerit, ſed poſtquam eos cruce formavit ad humilitatem & modeſtiam, providum ſe in regenda eorum vita patrem declarat.

10. *Omnes viæ Jehovæ.*] Falluntur interpretes qui veram & ſuavem Legis doctrinam in hoc verſu dici putant, talemque re ipſa ſentiri ab ejus cultoribus: acſi congrueret hic locus cum illo Chriſti dicto, Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. *Mat. 11. verſ. 30.*
Neque enim ſolum coacta eſt ejuſmodi interpretatio, ſed facile refelli poteſt ex multis ſimilibus locis, ubi viæ Domini ſumuntur paſſivo ſenſu, pro paterna quam in ſuis tuendis & fovendis tenet, ratione: imo pro tota gubernatione qua res humanas temperat. Summa igitur eſt, ſic Dominum agere cum ſuis fidelibus, ut omni ex parte propitium & veracem eum ſentiant. Neque enim hic narrat David qualem promiſcue ſe Deus erga humanum genus præſtet, ſed qualem ipſum experiantur ejus filii. Vidimus enim Pſalmo 18. verſ. 26. præfractis durum eſſe & rigidum: atque ut clementer ignoſcat, videmus tamen nullo dulcedinis ejus ſenſu affici: tantum abeſt ut ejus promiſſionibus innixi, plenam ab eo felicitatem expectent. Imo ſimulatque aliquid adverſi contigit, fremunt & indignantur, Deum crudelitatis inſimulant, vel ſurdum eſſe ſuis precibus queruntur; in lætitia vero, ejus conſpectum fugitant. Quare non immerito Dei clementiam & fidem quaſi peculiarem theſaurum fidelibus deſignat: acſi diceret non eſſe timendum ne Deus nos fruſtretur, ſi manemus in ſuo fœdere. *Fœdus* & *teſtimonium* idem valet, niſi quod ſecundum exegetice additum eſt. Comprehendit autem totam Legis doctrinam, in qua cum electo populo paciſcitur.

11. *Propter nomen tuum Jehova propitius,* &c.] Quia copula interponitur, putant quidam hoc membrum ecliptice poſitum eſſe, ut verbum aliquod ſubaudiendum ſit. deinde ſententiam illam ſeorſum legunt, *Propitius ſis iniquitati meæ.* Itaque ſecundum eos ſenſus eſſet, Domine licet fœdus tuum non exacte cuſtodierim, ne tamen propterea deſinas beneficum te erga me oſtendere, ac ne tuam beneficentiam arceat mea iniquitas, eam mihi condona. Sed ego aliis potius aſſentior qui copulam (ſicut aliis pluribus locis) ſupervacuam eſſe putant, ut uno contextu cohæreat totus verſus. In verbi etiam tempore diſſentiunt interpretes. quidam enim præteritum retinent, acſi gratias Deo ageret David ob remiſſum ſibi peccatum. Sed verior eſt altera expoſitio, quæ etiam magis recepta eſt: Davidem ſcilicet iterum ad miſericordiæ Dei aſylum confugere ut veniam obtineat. Nam ו eſt temporis converſivum: futurum vero optativi loco ſumitur. Porro hunc verſum ita cum præcedentibus conjungo, Quum ſecum meditatus eſſet Propheta, Deum beneficum & fidelem eſſe ſuis cultoribus, jam in ſe deſcendens, agnoſcit non niſi intercedente venia, poſſe in hoc numero ſe cenſeri, ideoque ad deprecationem ſe confert: ſicuti Pſalmo 19. verſ. 13. ubi concionatus eſt de mercede quæ repoſita eſt fidelibus, ubi Legem ſervaverint: repente exclamat, Delicta quis intelliget? Quamvis ergo non ignoret David quam liberaliter promittat Deus cuſtodientibus

tibus pactum ſuum, quicquid ad beatam vitam pertinet: quia tamen ſimul videt quam procul adhuc à perfecta Legis juſtitia abſit, non ſubſiſtit in illa fiducia, ſed multis delictis, quorum ſibi conſcius eſt, remedium quærit. ita, ut Deus nos in ſervis ſuis reputet, ſemper rogandus eſt ut paterna indulgentia infirmitates noſtras toleret: quia ſine gratuita remiſſione peccatorum nulla operum retributio ſperanda eſt. Cæterum quo certius exprimat totum ſe à mera Dei gratia pendere, diſerte ponit, Propter nomen tuum, ſignificans Deum quoties ignoſcit ſuis, non aliunde cauſam ſumere quam à ſeipſo: ſicuti paulo ante dixit eodem ſenſu, Propter bonitatem tuam. Quanquam ipſa culpæ magnitudine coactus fuit ad implorandum Dei nomen: quia mox ſequitur confeſſio, quod magna ſit vel multa iniquitas (utroque enim modo verti poteſt nomen רב) acſi dixiſſet, Magno quidem onere me premunt peccata, ut ipſa magnitudo vel gravitas ſpem veniæ præcidere mihi queat: ſed pluris eſt immenſa tui nominis gloria, Domine, quam ut me repudies.

12. Quis eſt vir timens Jehovam? docebit eum in via quam eligat.

12 מִי זֶה הָאִישׁ יְרֵא יְהוָה יוֹרֶנּוּ בְּדֶרֶךְ יִבְחָר׃

13. Anima ejus in bono morabitur, & ſemen ejus hæreditate poſſidebit terram.

13 נַפְשׁוֹ בְּטוֹב תָּלִין וְזַרְעוֹ יִירַשׁ אָרֶץ׃

14. Conſilium Jehovæ timentibus eum, ut notum faciat illis fœdus ſuum.

14 סוֹד יְהוָה לִירֵאָיו וּבְרִיתוֹ לְהוֹדִיעָם׃

15. Oculi mei ſemper ad Jehovam, quia ipſe educet è reti pedes meos.

15 עֵינַי תָּמִיד אֶל יְהוָה כִּי הוּא יוֹצִיא מֵרֶשֶׁת רַגְלָי׃

12. *Quis eſt vir*, &c.] Iterum ſecum meditando qualem ſe Deus ſervis ſuis exhibeat, novum vigorem colligit. Diximus enim, nihil magis eſſe proclive quam ut flacceſcat precandi attentio, niſi promiſſionum Dei recordatio eam ſuſtentet. Interea dubium non eſt quin ſe partim accuſet David, partim vero meliore ſpe concepta, ad Dei timorem hortetur. Primum enim ſignificans, ideo recta intelligentia ſanoque judicio deſtitui homines, quia Deo ſe cum reverentia & timore regendos non offerunt: ſuæ ſocordiæ imputat, quod obtenebrata mente poſt ſuas cupiditates vagatus ſit. rurſum vero ſi Deo ſe addicat & docilem præbeat, Spiritum ſanctum ſibi viæ ducem promittit. Videtur autem interrogatio notare eorum paucitatem qui Deum timent. Nam etſi promiſcue omnes orant, & præ ſe ferunt aliquod pietatis ſtudium, quotuſquiſque ſe penitus excutit? imo ſuo torpori indulgent fere omnes. Itaque rariſſimus eſt Dei timor: quo fit ut Spiritu conſilii & prudentiæ mundus ut plurimum privetur. Quod quidam interpretes in verbo *Eligat* futurum tempus in præſens reſolvunt, acſi dictum eſſet, Deum monſtrare viam quam ipſe probat, & per quam vult homines incedere: mihi non placet. nam electio hæc (meo judicio) potius ad unumquemque refertur, acſi dictum eſſet, Modo nos ad Dei timorem ſimus compoſiti, ipſum non defore ſuo officio, quin Spiritu prudentiæ ad viam eligendam nos dirigat. Nam quum nobis inſtituenda eſt vitæ ratio, velut in bivio ſtamus, imo in ſingulis fere actionibus hæremus ſuſpenſi & perplexi, niſi Deus nobis ad viam monſtrandam occurrat. Dicit ergo David, Quamvis neſciant homines quid rectum ſit, & quid ipſos eligere oporteat: modo tamen pia docilitate ſe ad Deum ſequendum accingant, illum ſemper certum ac fidum ducem fore. Porro quia hic timor Dei non eſt nobis ingenitus, temere hinc quiſpiam ratiocinetur Deum ceſſare donec ſua præparatione ſe inſinuent homines in ejus gratiam, ut rectos eorum conatus adjuvet. Nam de prima hac gratia nuper concionatus eſt David, quod Deus transgreſſores doceat: nunc vero ſecundam addit, quod regendos ſuſcipiat qui jam domiti ſunt ac manſuefacti, ut præeunte Spiritus luce teneant quid facto opus ſit.

13. *Anima ejus.*] Si ſumma eſt hominis felicitas, nihil aggredi vel tentare niſi auctore Deo, ſummum quoque & incomparabile beneficium eſt, illum habere vitæ ducem ne unquam aberremus: ſed adjungitur acceſſionis vice terrena etiam benedictio, in qua prioris gratiæ fructus palam apparet: ſicuti etiam docet Paulus, Pietati non ſolum æternam ſa- *1 Tim. 4. verſ. 8.*
lutem, ſed quæ ad præſentem vitam ſpectant, etiam promitti. Summa eſt, veros Dei cultores non ſpiritualiter modo beatos eſſe, ſed ab eo quoque benedici quod ad præſentis vitæ ſtatum. Verum quidem eſt, non ſemper ex animi voto eos tractari, nec certo & æquabili modo fluere quas optarent commoditates: imo ſæpe quum impii deliciantur, moleſtiis & ærumnis vexari eos contingit. Sed ſciendum eſt, quoties ſuam benedictionem Deus ſubducit, eos expergefieri ut ſe procul adhuc à perfecto Dei timore diſtare ſentiant. Interea tamen quatenus expedit, ſic fruuntur Dei beneficiis, ut præ hominibus profanis & Dei contemptoribus vere ſint felices: quia in extrema inopia Deum tamen ſibi eſſe præſentem perſuaſi, in hoc tuto conſolationis portu quieſcunt. Hoc certe veriſſimum eſt, ex uno fonte oriri omnes noſtras miſerias, quia curſum benedictionis Dei noſtris peccatis abrumpimus, & tamen ejus gratiam in hac tam confuſa perturbatione lucere, ut ſanctorum conditio melior ſit: quia etiamſi bonis non ſaturantur, paternum Dei favorem aſſidue guſtant. atque huc libenter refero *Animæ* nomen: quod ſcilicet in percipiendis Dei donis non ſint inſipidi, ut ad eos placandos longe plus valeat mediocritas, quam impiis ſatisfaciat ſumma abundantia. Ergo ſua ut quiſque ſorte intus contentus eſt, & cum hilaritate patientiam & quietem colit, ejus anima dicitur habitare in bono. Quod quidam interpretes iſtud Habitare ad tempus mortis trahunt, argutum magis eſt quam firmum: potius enim (ut dictum eſt) de terrenæ vitæ ſtatu loquitur. Deinde amplificandi cauſa ſecundo loco addit, Poſteros fidelium, terræ fore hæredes: unde ſequitur, Deum ſuo favore eos proſequi. Unde rurſus colligimus mortem ſervis Dei non eſſe interitum, nec extingui dum migrant ex hoc mundo, ſed manere ſuperſtites. abſurdum enim eſſet, Deum vita privare in quorum gratiam aliis benefacit. Quatenus autem terræ hæreditas ad filios ſanctorum perveniat, ut alibi dictum fuit, tum fuſius videbimus Pſalmo 37.

14. *Conſilium Jehovæ.*] Confirmat aliis verbis quod nuper dixerat, Deum omnibus piis doctorem & magiſtrum fore: & ſuo more bis idem repetit in eodem verſu. Neque enim aliud eſt fœdus Dei quam ſecretum vel conſilium: ſed nomine Secreti, doctrinæ excellentiam commendat, quæ nobis propoſita eſt in Lege Dei. Utcunque enim alto faſtu profani homines Moyſen & Prophetas deſpiciant, agnoſcunt tamen fideles in eorum doctrina ſibi cæ-

lorum

lorum arcana patefieri, quæ humanæ ſapientiæ modum longe ſuperant. Itaque quiſquis in Lege rite proficere cupit, reverenter ſuſpiciat quam continet doctrinam. Jam vero hic locus nos ad modeſtiam & humilitatem invitat, ne freti proprio ingenio aut ſolertiæ noſtræ confiſi, perrumpere tentemus ad myſteria, quorum notitiam ſingulare eſſe Dei donum pronunciat David. Deinde quum timor Dei, *Pſal. 111. verſ. 10.* ingreſſus eſſe dicatur ad rectam intelligentiam, quantum quiſque in fide creſcere cupit, progreſſus etiam in Dei timore faciat. Cæterum ubi viget pietas, periculum non eſt ne in Deo quærendo operam ludamus. Arcanum quidem eſt Dei fœdus, humano captu altius: ſed quum Deus non fruſtra quæri velit, quicunque ad ejus cultum recto ſtudio aſpirant, Spiritus ductu pervenient ad cæleſtem ſapientiam, quæ in eorum ſalutem deſtinata eſt. Oblique autem literales diſcipulos Legis perſtringit David, qui falſo & inaniter fœderis Dei participes ſe jactabant. Etſi enim voce ſua promiſcue alloquitur Deus bonos & malos, niſi tamen adſit ſincerus affectus, ſurdis canit: *Jeſa. 29. verſ. 11.* quemadmodum dicit Jeſaias, Impiis Legem eſſe ſimilem clauſo & obſignato libro. Itaque mirum non eſt, puros Dei cultores quibus arcanum ſuum reſerat, à ſceleſtis vel hypocritis diſcerni. Hac vero ſpe ſibi propoſita David fidenter ad Dei ſcholam accedens, & alios ſecum adducens, non obſcure oſtendit deteſtabile eſſe eorum figmentum, qui à Scripturæ non ſecus ac labyrinthi acceſſu totam plebem arcent: quaſi vero non diſerte ex quolibet ordine vocentur ad fœderis Dei notitiam quicunque eum ex corde timent.

15. *Oculi mei ſemper.*] Hic fidem ſuam ejuſque perſeverantiam non jactantiæ cauſa celebrat David, ſed ut impetrandi fiducia alacrior reddatur ad precandum. Nam quia omnibus qui in Deum reſpiciunt, data eſt promiſſio, ſpem eorum non fore irritam, nec poſſe pudefieri: ſæpe ſe hoc clypeo ſancti muniunt. Interea ſuo exemplo legitimam precandi rationem aliis præſcribit, ut ſcilicet defixos contineant in Deo ſuos ſenſus. Nam Oculorum nomine, quorum ſenſus acerrimus eſt, & totum hominem ad ſe rapit, omnes affectus notari rarum non eſt. Ratio quæ additur, ſpem deſiderio eſſe conjunctam clarius oſtendit: acſi dixiſſet ſe non dubitanter ac trepide mentem ſuam conjicere in auxilium Dei, ſed quia perſuaſus eſt ſibi fore liberatorem: & pronomen *Ipſe* emphaticum eſt: docet enim ſe non circumſpectare huc & illuc, eorumque more qui alternando varias ſibi ſalutes confingunt, ſed Deo uno contentum eſſe.

16. Reſpice ad me, miſerere mei, quia unicus ſum & pauper.	16 פְּנֵה־אֵלַי וְחָנֵּנִי כִּי־יָחִיד וְעָנִי אָנִי׃
17. Afflictiones cordis mei ſe dilatarunt, de anguſtiis educas me.	17 צָרוֹת לְבָבִי הִרְחִיבוּ מִמְּצוּקוֹתַי הוֹצִיאֵנִי׃
18. Vide afflictionem meam & laborem meum, & tolle omnia peccata mea.	18 רְאֵה עָנְיִי וַעֲמָלִי וְשָׂא לְכָל־חַטֹּאותָי׃
19. Vide inimicos meos, quia multiplicati ſunt, & odio violento oderunt me.	19 רְאֵה־אוֹיְבַי כִּי־רָבּוּ וְשִׂנְאַת חָמָס שְׂנֵאוּנִי׃
20. Cuſtodi animam meam, & erue me ne pudefiam, quia ſperavi in te.	20 שָׁמְרָה נַפְשִׁי וְהַצִּילֵנִי אַל־אֵבוֹשׁ כִּי־חָסִיתִי בָךְ׃
21. Integritas & rectitudo cuſtodiant me, quia te exſpectavi.	21 תֹּם־וָיֹשֶׁר יִצְּרוּנִי כִּי קִוִּיתִיךָ׃
22. Redime Deus Iſraëlem ex omnibus tribulationibus ejus.	22 פְּדֵה אֱלֹהִים אֶת־יִשְׂרָאֵל מִכֹּל צָרוֹתָיו׃

16. *Reſpice ad me.*] Quia nobis hoc dictat carnis ſenſus, Deum, niſi ab eo juvemur, oblitum noſtri eſſe: ordinem ſequitur David, quo nos ducit natura, rationem ſui à Deo haberi petens, acſi ante neglectus foret. Sic autem reſolvo verba, Reſpice ad me ut miſerearis mei. Cauſam enim ſalutis ponit Dei intuitum, cui deinde effectus ſubjicitur: quia ſimulac nos dignatus fuerit Deus ſua cura, manus etiam ad auxilium ferendum parata erit. deinde ad flectendum Deum miſeriam ſuam proponit, vocans ſe *unicum*, hoc eſt, ſolitarium, deinde *pauperem*. Nec vero dubium eſt quin ad promiſſiones alludat, quibus pronunciat Deus ſe miſeris & deſperatis præſto fore ad opem ferendam.

17. *Afflictiones cordis mei.*] Fatetur hoc verſu non modo externum ſibi bellum eſſe cum hoſtibus & moleſtiis quas inferunt, ſed intus etiam mœrore & angoribus ſe torqueri. Et notanda eſt loquutio, qua ſignificat tantam eſſe curarum congeriem, ut omnes cordis ſui partes occupet: quemadmodum ſi violentæ aquæ longe lateque graſſando, regionem aliquam obruerent. Quando autem totum cor Davidis videmus anxietate fuiſſe poſſeſſum, non eſt quod miremur ſi nos interdum ſua mole tentationes dejiciant: ſed cum Davide petamus ut nobis Deus quaſi in deſperationis articulo ſuccurrat.

18. *Vide afflictionem meam.*] Querimonias iſtas toties inculcans, ſatis oſtendit non levibus ſe malis fuiſſe tentatum: quod ſedulo notandum eſt, ut nobis quum eodem exercebimur modo, ſuppetat ratio orandi. Tale enim ſpeculum nobis Spiritus ſanctus proponit, ne afflictionum multitudini vel oneri mentes noſtræ ſuccumbant. Sed ut malis ſuis levationem obtineat, rurſus petit remitti ſibi peccata, ſibi revocans in memoriam quod paulo ante attigerat, ſe non aliter ſperare Deum propitium, niſi gratuita venia reconciliatus eſſet. Et certe nimis ſtupidi ſunt qui externa liberatione contenti, mala inteſtina non excutiunt, ſed quantum in ſe eſt, cuperent oblivione ſepulta eſſe. Ergo David ut remedium inveniat ſuis moleſtiis, à peccatorum remiſſione incipit, quia Deo irato & infenſo, omnia infeliciter nobis cedere neceſſe eſt: peccatis autem noſtris merito ſemper iraſcitur. Atque hæc regula tenenda eſt, quamvis ob diverſos fines Dominus ſuos cruce erudiat, quoties tamen affligimur, ad conſcientiæ examen nos vocari, ut ſupplices reconciliationem cum Deo quæramus.

19. *Vide inimicos.*] Hoc verſu de hoſtium copia & crudelitate expoſtulat, quia eo propenſior eſt Deus ad ſuos juvandos, quo magis premuntur, & pro gravitate periculi potentius ſuccurrit. *Odium* חמס, hoc eſt, *violentiæ*, pro Crudeli & ſanguinario capitur. Quia vero tantus erat hoſtium furor, ut placari non poſſet niſi Davidis morte, cuſtodem vitæ ſuæ Deum advocat: unde colligitur extrema illa quam dixi neceſſitas. Quod proxime ſequitur, *ne pudefiam*, duplicem ſenſum admittit. quidam futurum

rum

y Google

rum tempus retinere, acſi ſtatueret David ſe jam exauditum eſſe, & in optato ſucceſſu, ſpei mercedem ſibi promitteret. Ego tamen in diverſam partem magis inclino, ut precationem ſuam continuet. Summa eſt, quando in Deum recumbit, ne eum ſpes de ſalute concepta fruſtretur: nullus enim ad ſerium precandi affectum efficacior ſtimulus quam ubi teſtari licet, in ipſo nos confidere. Quo magis rogandus eſt Deus ut ſpem nobis augeat, ſi exigua eſt, torpentem excitet, nutantem ſtabiliat, debilem confirmet, erigat etiam collapſam.

21. *Integritas & rectitudo.*] Quibuſdam videtur ſimplex eſſe precatio, acſi David ſe ab omni noxa immunem ſervari poſtulet, quemadmodum innoxie ſe geſſit, & abſtinuit tam ab omni fraude quam injuria. Alii votum duplicant, ut ſibi purum & integrum cordis affectum donari petat, ne ſcilicet ad vindictam, vel alia tuendæ vitæ ſuæ illicita media proſiliat: ita ſenſus eſſet, Domine, quanquam me caro ad quærenda quælibet ſubſidia ſollicitet, hoſtes etiam ſua importunitate huc me impellant, cohibe tamen pravos in me affectus, ut me in pura & integra æquitate contineam: atque æquitas & rectitudo tanquam duæ optimæ ſalutis cuſtodes mihi ſufficiant. priorem tamen ſenſum magis amplector, quia mox adjungit ſuæ integritatis teſtimonium. Quiſquis enim Deum expectat placido & manſueto ſpiritu, quidvis potius perferet, quam ut ſibi permittat, injuſtitia cum hoſtibus certare. Itaque (meo judicio) profitetur David ſe ita recte verſatum eſſe inter homines, ut ipſum hoſtes immerito laceſſant. & quia ſibi optime conſcius eſt, Deum implorat innocentiæ ſuæ vindicem. Sed quum jam tribus locis confeſſus ſit, jure ſe caſtigari, mirum videri poſſit quod nunc de ſua integritate glorietur. Alibi jam ſoluta fuit hæc quæſtio, ubi diximus ſanctos, quantum ad ſe attinet, in Dei conſpectum ſemper cum veniæ deprecatione ſupplices prodire: hoc tamen non obſtare quominus cauſæ ſuæ bonitatem coram Deo commemorent. Et tamen quod ſe in Deo ſperaſſe dicit, neceſſario addi oportuit: quia ut noſtri defenſionem ſuſcipiat Deus, non ſatis eſt jus & rectitudinem à parte noſtra ſtare, niſi Dei promiſſionibus innixi, ſub ejus patrocinio tutelaque quieſcimus. Ita ſæpe contingit ut ſtrenuis & cordatis viris, dum ingenio ſuo freti, vel à fortuna pendentes, bonas cauſas defendant, non tamen reſpondeat ſucceſſus. Ergo ut Deus noſtræ integritatis vindex ſit & protector, primum colenda eſt cum hoſtibus noſtris juſtitia & integritas, deinde committenda eſt Deo noſtra ſalus.

22. *Redime Deus Iſraëlem.*] Hac clauſula oſtendit David quale fuerit illud hoſtium genus de quibus conqueſtus eſt. Inteſtinos enim fuiſſe credibile eſt, qui Dei populo, quaſi malum viſceribus incluſum, moleſti erant. Nam & ex verbo Redimendi colligimus, dura ſervitute oppreſſam tunc fuiſſe Eccleſiam. Itaque non dubito, Saulem, & qui tyrannice cum eo dominabantur, in hoc Pſalmo perſtringi. Cæterum ſimul oſtendit ſe non privatim conſulere ſuæ ſaluti, ſed complecti communem totius populi ſtatum: quemadmodum mutua inter ſanctos ſocietas poſtulat ut ſinguli publicis miſeriis affecti, apud Deum uno conſenſu gemant. Hoc vero ad fidei confirmationem non parum valuit, quod David nihil ſe à toto fidelium corpore ſeparatum habere cogitans, quas patiebatur injurias, ſibi cum omnibus piis duxit eſſe communes. ſed illa etiam tenenda ratio, ut dum ſua quiſque mala deplorat, ſimul etiam curas ſuas & vota extendat ad totam Eccleſiam.

ARGUMENTUM PSALMI XXVI.

Pſalmus hic ſuperiori fere ſimilis eſt. Propheta enim multis injuriis oppreſſus, nec quicquam inveniens ſubſidii in mundo, implorat Dei fidem, ut cauſam hominis injuſte afflicti ſuſcipere & innocentiam aſſerere velit. Et quoniam certamen erat illi cum hypocritis, ad judicium Dei provocat, odioſe eos perſtringens, quod falſo Dei nomen obtenderent. Tandem quaſi voti compos, ſacrificium laudis pro liberatione promittit.

PSALM. XXVI.

DAvidis. Judica me Jehova, quia ego in integritate mea ambulavi, & in Jehova ſperavi, non nutabo.	1 לדוד שפטני יהוה כי אני בתמי הלכתי וביהוה בטחתי לא אמעד׃
2. Proba me Jehova, & tenta me, examina renes meos & cor meum.	2 בחנני יהוה ונסני צרופה כליותי ולבי׃
3. Quia bonitas tua coram oculis meis: ideo ambulavi in veritate tua.	3 כי חסדך לנגד עיני והתהלכתי באמתך׃
4. Non ſedi cum hominibus vanitatis, & cum verſutis non ingrediar.	4 לא ישבתי עם מתי שוא ועם נעלמים לא אבוא׃

JUdica me Jehova, &c.] Dixi jam Davidem ad Dei judicium confugere, quia nihil reperiebat æquitatis in hominibus. Judicare autem Hebræis dicitur qui cauſæ cognitionem ſuſcipit. perinde igitur eſt acſi David appellet Deum juris ſui vindicem. Nam quum ad tempus nos hoſtium injuriis & petulantiæ exponit, videtur cauſam noſtram negligere: ubi vero cohibet hoſtes noſtros ne pro libidine graſſentur ad nocendum, re ipſa demonſtrat ſibi curæ eſſe defenſionem juris noſtri. Itaque diſcamus exemplo Davidis, ubi deſtituimur hominum præſidio, conferre nos ad Dei tribunal, & in ejus protectione acquieſcere. Quæ ſequuntur, varie exponunt interpretes. Quidam uno contextu legunt, Judica me, quia ego in integritate mea ambulavi. Alii vero ad poſterius membrum referunt, Quia ambulavi in mea integritate, ideo non nutabo. Ego vero libenter extendo ad utrumque. Nam quia proprium Dei munus eſt bonas cauſas aſſerere ac tueri, eum ſibi patronum conſtituens, integritatis ſuæ & ſpei teſtem citat. unde & fiduciam opis impetrandæ concipit. Si tamen disjungere placet, magis probabile videtur, ſeorſum hanc ſententiam legere, Judica me Jehova: deinde ſequatur altera precatio, ne Deus nutare ipſum permittat, quia ſe innoxie & ſincere geſſit, &c. Cæterum in pronomine poſſeſſivo notanda eſt emphaſis, quam interpretes male prætereunt. Non enim ſimpliciter teſtatur ſe integrum fuiſſe, ſed conſtanter perrexiſſe in recto curſu, nec dejectum fuiſſe à propoſito, quamlibet violentis machinis impulſus fuerit. Scimus enim, ubi nos improbi invadunt, ſi vi aut malis artibus nos obruant, quam difficile ſit eundem retinere animum. In eo enim ponitur ſpes victoriæ, ſi fortiter & ſtrenue arma armis & fraudes fraudibus opponimus. Atque hæc tentatio probos & moderatos homines ut plurimum percellit: qui alioqui recte agendi ſtudio tenentur, ut hoſtium importunitate coacti, à via deflectant. Itaque diſcamus exemplo Davidis, etiam quum datur nocendi occaſio, & quum hoſtes variis modis

nos laceſſunt & ſollicitant, firmi in gradu noſtro manere, nec ab integritatis noſtræ tenore ſinamus nos ullo modo abduci.

2. *Proba me.*] Quo ſe magis indigne & præter meritum calumniis premi videbat David, accenſus fuit doloris vehementia, ut intrepide juſtitiam ſuam aſſereret: nec tantum ab externis ſceleribus ſe purgat, ſed etiam de cordis ſui rectitudine pariterque affectu gloriatur: ſimul cum hoſtibus ſuis tacite ſe comparat. Nam quia craſſi erant hypocritæ, ſuperbe jactantes Dei nomen, hanc eorum impudentiam ac duritiem traducit coram Deo. Declarat vero hæc conteſtatio quam bene ſibi conſcius fuerit, quum audet Dei judicio omnes animæ ſuæ receſſus examini ſubjicere. Notandum ſemper eſt, hoſtium improbitate fuiſſe coactum ut ſe tam magnifice efferret. Niſi enim injuſte damnatus fuiſſet ab hominibus, ſuppliciter deprecatus fuiſſet tale examen. ſciebat enim recte agendi ſtudium quo flagrabat, procul adhuc à ſumma perfectione abeſſe. Sed ubi ſe falſo gravari videt, hominum iniquitas eum animat ut ad Dei tribunal accedere non dubitet. Cæterum quia ſciebat externam innocentiæ ſpeciem illic non magni eſſe momenti, ſinceram cordis rectitudinem in medium profert. Nam quod ita nonnulli diſtinguunt, ut *cor* ſuperiores affectus ſignificet, *renes* vero ſenſuales (ut loquuntur) & magis craſſos, ſubtile eſt magis quam firmum. Scimus enim Hebræos Renum nomine, quod maxime in hominibus reconditum eſt, notare. David ergo bene ſibi conſcius totum ſe Deo examinandum offert: non ut ſecuri homines, vel potius ſtupidi, qui ſibi blandientes, ſuis deliciis fucum ſe Deo facturos putant. neque enim dubium eſt quin ſe probe & penitus excuſſerit antequam ita confidenter prodiret in conſpectum Dei. Atque hoc in primis videndum eſt, ſi cupimus nos Deo probare, ut non modo abſtinuerit ab injuria qui injuſte læſus eſt, ſed etiam perſtiterit in recto affectu.

3. *Quia bonitas tua.*] Poteſt uno contextu hic verſus legi, & dividi in duo membra: eodem tamen fere ſenſu. Si contexere uno tenore placeat, utrumque verbum principale erit, hoc modo, Quia mihi bonitas tua, Domine, verſata ſemper eſt ante oculos, & in fide tua quievi, pravas omnes cupiditates frenavi in animo meo, ne hoſtium malitia laceſſitus, ad retaliandum impellerer. ita in hoc verſu eſſet cauſæ redditio. Probabilis etiam eſt altera expoſitio, Quia bonitas tua mihi ante oculos fuit, ambulavi in veritate quam præcipis. Sed tunc ſupervacua eſſet copula: quod Hebræis ſatis uſitatum eſt. Etſi autem affinis eſt hæc ſententia priori, ſequi tamen malo quod à verbis minus remotum eſt. Quia enim rara & difficilis virtus eſt, non tantum ſe cohibere à maleficiis, ubi omnia huc provocant, ſed à cordis integritate non deflectere: declarat Propheta quomodo inter tam arduas tentationes proſequutus ſit rectum curſum: nempe quia Dei bonitatem qua ſollicite ſuos conſervat, ob oculos ſibi propoſuit, ne ad perverſas artes declinans, illius patrocinio ſe privaret: fidemque ejus ſequutus, animam ſuam in patientia poſſederit: quia certo perſuaſus erat fieri non poſſe ut Deus fideles ſuos deſerat, qui in eum recumbunt. Et certe niſi Dei bonitate fretus, inter tot ac tam duros inſultus pedem in colenda integritate non fixiſſet. Atque hoc inter Dei filios & profanos homines notabile diſcrimen eſt, quod illi meliorem exitum à Domino ſperantes, ab ejus verbo pendent, neque inquietudine ad noxias artes feruntur: hi vero poſteriores, quamvis bonas cauſas ſuſtineant, quia tamen ignota eſt illis Dei providentia, raptantur huc & illuc, illicita conſilia captant, confugiunt ad fraudes: denique nihil aliud habent propoſitum, quam malum malo vincere. Unde etiam miſeri & triſtes, interdum etiam tragici exitus: quia poſthabita Dei gratia, tantum ad verſutias & calliditates intenti ſunt. Summa eſt, Davidem in ſervanda juſtitia conſtantem fuiſſe, quia Deum ſibi ducem ſtatuerat. Priore autem loco, mentionem facit Bonitatis: deinde addit *Veritatem*, quia non niſi ex promiſſionibus cognoſcitur bonitas, quæ nos infracta animi magnitudine per omnes tentationes dirigat.

4. *Non ſedi.*] Iterum profitetur ſe longe fuiſſe diſſimilem hoſtibus ſuis. Nam ſemper antitheſis notanda eſt, quod pravi homines nocendo & lædendo, probitatis ſtudium ei nunquam excuſſerint. Poſſet etiam hic verſus cum ſuperiore conjungi tanquam ſententiæ complementum, quod David confiſus Dei gratia, ſe ab impoſtoribus ſubduxerit. *Sedendi* autem & *ingrediendi* verbis, conſilii participatio & operum ſocietas notatur: ſicuti Pſalmo primo dictum eſt. Negat enim David ſibi cum vanis & fraudulentis hominibus fuiſſe quicquam commune. Et certe hoc optimum remedium eſt quod nos à conſeſſu impiorum revocet atque arceat, ſi oculos in Dei bonitatem defigimus: ſicuti nunquam ad eorum vafritiem accedet qui in Dei fide ambulabit, ejus providentiæ omnes eventus committens. Quos priore membro dicit *homines vanitatis*, eoſdem נעלמים paulo poſt vocat: hoc eſt, tectos & fallaciis implicitos. Nam inde ſimulandi vanitas, quod homines verſuti aliud habent in animo reconditum, quam lingua oſtendant. Hoc vero nomen ab עלם deduci abſurdum eſt: nec ad rem pertinet eorum impoſturas puerorum ludo conferri. Fateor quidem, quicunque fraudibus dediti ſunt, ſubſannatores eſſe: ſed quorſum tam coacta expoſitio, quum palam ſit fontem monſtrari unde prodeunt mendacia & fraudes? Ita ſcite fides quæ in Dei promiſſiones intenta eſt, flexuoſis omnibus & pravis conſiliis opponitur, quibus nos involvit incredulitas quoties Dei præſidio ſuum honorem non tribuimus. Docet enim ſuo exemplo David, minime timendum eſſe, ne impiis in prædam nos exponat noſtra ſimplicitas, ubi promittit Deus nos ſub manu ſua tutos fore. Sua quidem etiam filiis Dei prudentia eſt, ſed quæ longe à carnis aſtutia differt. ſic enim duce & rectore Spiritu inſidias præcavent, ut tamen ſibi ad nullam vafritiem habenas laxent.

5. Odi cœtum transgreſſorum, & cum ſceleratis non ſedebo.	5 שנאתי קהל מרעים ועם רשעים לא אשב׃
6. Lavabo in puritate manus meas, & circumdabo altare tuum, Jehova.	6 ארחץ בנקיון כפי ואסבבה את מזבחך יהוה׃
7. Ut audire faciam vocem laudis, & enarrem omnia mirabilia tua.	7 לשמע בקול תודה ולספר כל נפלאותיך׃

5. *Odi cœtum.*] Conteſtationem illam iterum repetit, quantopere ſcilicet ab impiis abhorreat. Prius negavit conſuetudinem ſibi cum illis fuiſſe: nunc apertius declarat, cum deteſtatione ſe fugiſſe illorum conſortium: id enim exprimitur Odii nomine. Verum quidem eſt paſſim odio haberi improbos, ſed quotuſquiſque ſe ab illis ſubducit, ne illorum mores imitetur? David utrumque ponit, ſibi fuiſſe exoſos illorum cœtus, ſeque cum illis non communicaſſe. unde apparet, non tam cum perſonis quam cum vitiis

tiis ei fuiſſe bellum. Aliam quoque moderationem ponit, ſe ita fugere improbos, ut tamen eorum odio Eccleſiam Dei non deſerat, neque ſe à ſocietate divinitus mandata abdicet. In hac autem parte non leviter à multis peccatur, qui dum vident malos bonis permiſtos eſſe, pollui ſe contagione exiſtimant, niſi protinus diſceſſionem fecerint à toto grege. Jam olim Donatiſtas & antea etiam Catharos ac Novati diſcipulos ad noxia diſſidia impulit hæc moroſitas. & noſtro ſeculo Anabaptiſtæ eodem faſtu divortium à ſanctis Eccleſiis fecerunt, quia videbant non purgatas eſſe omni ſorde, ſicuti optandum fuerat. Imo quum Donatiſtæ pertinacius verbis inſiſterent, ridiculos ſe fecerunt in actione quadam. Indictus fuerat conventus ad ſedandas diſcordias. quum honoris cauſa ſedere juſſi eſſent à Tribuno, ſtare ſe dixerunt, quia nefas eſſet cum improbis ſedere. tunc lepide Auguſtinus excepit, Cur ergo ad nos intrare vobis religio non fuit? Utrumque enim ſimul ſcriptum eſt, Ad malignos non ingrediar, & cum ſceleratis non ſedebo. Prudenter itaque David zelum ſuum temperat, ut ſe ab impiis ſeparans, non tamen deſinat templum frequentare, quoad poſtulat Dei mandatum, & præſcripta in Lege ratio. Certe dum cœtum improborum nominat, colligere licet, non exiguum fuiſſe eorum numerum. tunc igitur volitaſſe credibile eſt, quaſi ſoli in populo Dei excellerent, atque etiam dominarentur. hoc tamen non obſtitit quominus David ad ſacrificia pro more accederet. Publice quidem curandum eſt ne tali flagitio inquinetur Eccleſia: privatim etiam pro ſe quiſque eniti debet ne remiſſio & indulgentia vitiorum morbos foveat. ſiquando tamen non viget ea ſeveritas, ſingulos fideles non impedit talis corruptio, quin pie & ſancte in Eccleſiæ ſocietate maneant. Interea notandum quid Davidem retinuerit, nempe ſacrorum participatio.

6. *Lavabo in puritate.*] Hic ſe in communi ſacrorum uſu à ſceleratis ſeparat, qui eundem profitebantur Dei cultum, ſeque magna pompa primos ingerebant, acſi penes eos eſſet templi dominium. Quum igitur hoc David cum hypocritis haberet commune, quod ſimul templum ingrediebantur, & altare circumdarent: ut ſe probet verum Dei cultorem, non externis tantum ceremoniis ſe defungi teſtatur, ſed ſincera pietate ad Deum colendum ſe venire. Neque enim dubium eſt quin ad ſolennem ablutionis ritum alludat, qui ſub Lege in uſu fuit. Sed quum hypocritæ vera puritate neglecta, tantum in aqua munditiem quærerent, hic craſſa eorum ſuperſtitio perſtringitur. volebat enim Deus ſymbolo illo homines ſuæ pollutionis admonitos ad pœnitentiam hortari. Adeo igitur externa lotio per ſe nihil profuit, ut hypocritas longius arceret à Dei acceſſu: ideo plus ſordium & fœditatis ab illis lavando contrahi arguit Propheta, ubi ſuam ablutionem in puritate fore pronunciat. נקיון enim munditiem cujuslibet rei ſignificat, indeque ad innocentiam transfertur: ita inane ſtudium quo ſe fatigant hypocritæ, videmus rideri, ubi eorum lotionibus detrahitur puritas. Nos vero exemplo Davidis, utcunque in Eccleſia emineant improbi, templaque occupent eorum turmæ, ſic colamus externam profeſſionem fidei, ne falſo obtendamus externa ſymbola, veræ pietatis loco: deinde ut ab omni ſcelerum macula puri & vacui ſimus. Quia populo altare attingere non licebat, *Circumdandi* verbo uſus eſt David.

7. *Ut audire faciam.*] His verbis oſtendit ſacrificia ſe in legitimum uſum ac finem referre, à quo hypocritæ procul abſunt. Quorſum enim pietatis exercitia inſtituerit Deus minime tenent, atque etiam parvi pendunt: quia ſatis eſt ſimulationis pompam vel ſpectrum Deo obtrudere. Ergo David ſpiritualem cultum à luſorio & ficto diſcernere volens, ſe ad celebrandum Dei nomen in templum venire affirmat. Eſt autem ſynecdoche in ejus verbis, quia unica tantum ſpecies attingitur. Sacrificiis enim non tantum mandata fuit gratiarum actio, ſed etiam meditatio pœnitentiæ ac fidei. Sed quia ultimus finis eſt, vel ſaltem præcipuus reſpectus, ut cognitis Dei beneficiis celebretur ejus bonitas, abſurdum non fuit ſub hac parte reliquas comprehendi. Sic etiam Pſalmo 50. verſ. 14. omnibus externis ceremoniis opponitur unicum laudis ſacrificium, acſi in eo poſita eſſet pietatis ſumma. Item Pſalmo 116. verſ. 12. Quid rependam Domino pro omnibus ejus muneribus? Calicem ſalutum accipiam, & nomen Jehovæ invocabo. Cæterum quo melius illuſtret David raram Dei potentiam, ejuſque beneficia ſplendidius extollat, utitur *Mirabilium* nomine: acſi diceret non vulgari modo ſe fuiſſe à Deo adjutum.

8. Jehova, dilexi habitaculum domus tuæ, & locum domicilii gloriæ tuæ.

9. Ne colligas cum impiis animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam.

10. Quia in manibus eorum malitia, & dextra eorum plena eſt muneribus.

11. Ego autem in integritate mea ambulabo: redime me, & miſerere mei.

8 יהוה אהבתי מעון ביתך ומקום משכן כבודך:

9 אל תאסף עם חטאים נפשי ועם אנשי דמים חיי:

10 אשר בידיהם זמה וימינם מלאה שחד:

11 ואני בתמי אלך פדני וחנני:

8. *Jehova dilexi.*] Confirmat hoc verſu ſe non defunctorie venire in templum, ſed ſerio affectu. Nam profani homines, quamvis etiam ipſi ventitent ad ſacros cœtus, latebras tamen hoc modo quærunt ad fugitandum Dei conſpectum: pii vero & integri homines non vanæ oſtentationis cauſa frequentant templum; ſed quia recta aſpirant ad quærendum Deum, libenter & cupide quæ illic offert Deus adjumenta, ad ſuum uſum accommodant. ac utilitas iſta deſiderium & amorem in eorum cordibus accendit. Oſtendit autem hæc conteſtatio, Davidem, quamlibet alios fide præcelleret, veritum tamen fuiſſe ne vulgaribus iſtis rudimentis, quæ Deus Eccleſiæ ſuæ tradiderat, eum privaret tyrannica hoſtium violentia. Nam ſe communi diſciplina & ordine opus habere videns, de retinenda templi poſſeſſione ſollicite contendit. Unde colligimus quam pravum ſit eorum faſtidium qui tanquam ſupervacua contemnunt pietatis exercitia, quibus ne ipſe quidem David carere potuit. Fuit quidem alia ejus temporis ratio, fateor, quum Lex adhuc inſtar pædagogi veterem populum ſerviliter præ nobis regeret: hoc tamen nobis commune eſt, quod adminiculis opus habet fidei noſtræ infirmitas. Quum vero in hunc uſum deſtinaverit nobis Deus tam Sacramenta, quam totum Eccleſiæ ordinem, væ eorum ſuperbiæ qui ſecure tranſvolant quæ videmus ſanctis Dei ſervis tanto in pretio fuiſſe. מעון quidam deducunt ab oculo: atque ita pulchritudinem vel aſpectum vertunt: quod ſequutus eſt Vetus interpres. Sed quia ubique fere pro domicilio capitur, quod ſimplicius erat, retinere malui. Jam quod Sanctuarium domus Dei vocatur, & locus domicilii gloriæ ejus, ſcimus quam frequenter in Scriptura occurrant hujus

ejus generis loquutiones, ad teſtandam Dei præſentiam: non quod Deus vel in tentorio habitaret, vel etiam animos ſuorum terrenis ſymbolis affixos tenere vellet: ſed quia neceſſe fuit fideles de præſenti Dei virtute commonefieri, ne ſe putarent fruſtra eum quærere, ſicuti jam alibi dictum fuit. Cæterum, ut inter nos habitet Dei gloria, vivam ejus imaginem in verbo & Sacramentis lucere oportet. Unde ſequitur, quæcunque cenſentur templa in Papatu, fœda potius eſſe Satanæ proſtibula.

9. *Ne colligas.*] Poſtquam de ſua innocentia teſtatus eſt, ad precationem redit, Deum vindicem implorans. Videri quidem primo intuitu poſſet abſurda precatio, ne Deus juſtum eodem exitio cum ſceleratis involvat: ſed Deus pro paterna indulgentia tam liberas expoſtulationes ſuis permittit, ut precando ſuas ipſi anxietates corrigant. David enim hoc votum concipiens, ſibi ante oculos poſuit juſtum Dei judicium, ut ſollicitudine ac metu ſe eximeret: quia à Deo nihil magis alienum ſit, quam promiſcue bonos reprobis miſcere. Nam quum אסף Hebræis nunc colligere, nunc perdere ſignificet, hoc loco poſitum eſſe interpretor pro Congerere in acervum, ſicuti in confuſa ſtrage fieri ſolet. Talis fuit Abrahæ objectio Gen. cap. 18. verſ. 25. Abſit à te, ut juſtum interficias cum impio, ſitque eadem conditio juſti & impii. Sciamus ergo dictari à Spiritu ſancto has precandi formas, ut certo perſuaſi ſint fideles Deum nunc de cujuſque cauſa cognoſcere, ut tandem æquum judicium proferat. Pro Sceleratis ponit Sanguinarios in ſecundo membro, amplificans quod dixerat. Etſi enim non ſtatim ad cædes uſque prorumpunt multi improbi, ſe tamen temporis ſucceſſu ad ſævitiam obdurant. nec vero Satan quieſcere eos ſinit, quouſque in cruenta facinora præcipitet.

10. *Quia in manibus eorum.*] זמה Hebræis proprie interior dolus eſt ac machinatio. Sed hic non inepte ad manus transfertur: quia exprimere voluit David, impios, de quibus loquitur, non modo ſecum tacite fraudes agitare, ſed etiam manibus ſtrenue exequi quicquid malitiæ in animis concipiunt. Jam quum *dextras eorum* dicit *plenas eſſe muneribus*, hinc colligere licet non quoslibet è medio vulgo homines, ſed proceres ipſos notari, in quos hoc genus corruptelæ competit. Nam etſi mercede conduci poſſunt gregarii & ſordidi homines, ſcimus tamen munera judicibus & aliis proceribus, penes quos eſt poteſtas, offerri. Scimus etiam tunc peſſimos homines rerum potitos eſſe: ideoque non eſſe mirum ſi queratur David jus fuiſſe expoſitum nundinationi. Monemur autem hoc verbo, fieri aliter non poſſe quin ſe ad iniquitatem proſtituant qui muneribus delectantur. Nec certe fruſtra pronunciat Deus excæcari donis oculos prudentum, & perverti juſtorum corda.

11. *Ego autem in integritate mea.*] In hac repetitione notanda eſt circumſtantia, quæ Davidis juſtitiam melius illuſtrat: quia ſcilicet inter tot tentationes conſtanter in via perrexit. Videbat plurimos muneribus repente diteſcere, ut hodie quicunque gubernacula tenent, brevi temporis ſpatio accumulant magnam vim opum, extruunt ſumptuoſa palatia, prædia longe lateque extendunt: quod nullis illecebris ad æmulationem flexus fuit, documentum exhibuit raræ & heroicæ virtutis. Merito igitur ſe affirmat, quamvis illos mundus beatos duceret, non fuiſſe à ſolita integritate abductum: ut inde pateat plus tribuiſſe providentiæ Dei quam malis artibus. ideo ſe redimi poſtulat, quia ſcilicet injuriis oppreſſus, variiſque modis tentatus, ab uno tamen Deo pependit, eum redemptorem ſperans. Unde etiam colligimus, duris anguſtiis tunc fuiſſe conſtrictum. Porro hanc redemptionem ex Dei gratia tanquam ex proprio fonte deducit. cauſam vero effectui ſuo ſubjici prius vidimus.

12. Pes meus ſtetit in rectitudine, in cœtibus benedicam te Jehova.

12 רגלי עמדה במישור במקהלים אברך יהוה׃

Duobus modis exponi poteſt hic verſus. Putant enim quidam Davidem his verbis aſſerere quam inter homines æquitatem coluerat: ſed mihi magis placet, celebrari Dei gratiam, ſimulque gratitudinem promitti. Metaphorice ergo dicit ſe fuiſſe ſervatum incolumem. Quia vero ſciebat ſe non niſi Dei manu ſuffultum ſtetiſſe, ideo ad laudem & gratiarum actionem ſe accingit. Nec vero tantum dicit ſe privatim fore beneficii memorem, ſed publicos etiam conventus teſtes fore, quia ad exemplum intereſt, quam quiſque expertus eſt Dei gratiam, palam celebrari.

ARGUMENTUM PSALMI XXVII.

Hoc Pſalmo vota & meditationes recitat David, quibus ſe inter magna diſcrimina exercuerat. Nam gratiarum actio quam admiſcet, compoſitum fuiſſe oſtendit poſtquam liberatus fuerat David. Et fieri poteſt ut quas diverſis meditationibus preces conceperat, ſimul commemoret. Videre autem hic licet quam invicta animi magnitudine ſanctus vir præditus fuerit, ad ſuperandos graviſſimos hoſtium inſultus. Mira etiam ejus pietas in hoc relucet, quod neque optavit in alium finem vivere, quam ut Deum coleret: neque ulla anxietate vel cura ab hoc propoſito deflecti potuit.

PSALM. XXVII.

DAvidis. Jehova lux mea & ſalus mea, à quo timebo? Jehova fortitudo vitæ meæ, à quo trepidabo?

1 לדוד יהוה אורי וישעי ממי אירא יהוה מעוז חיי ממי אפחד׃

2. Quum appropinquarent ad me maligni ad vorandam carnem meam, oppreſſores mei & hoſtes mei in me corruerunt, & ceciderunt.

2 בקרב עלי מרעים לאכל את בשרי צרי ואיבי לי המה כשלו ונפלו׃

3. Si conſiſtant adverſum me caſtra, non timebit cor meum: ſi conſurget in me prælium, in hoc ego confidam.

3 אם תחנה עלי מחנה לא יירא לבי אם תקום עלי מלחמה בזאת אני בוטח׃

JEhova lux mea.] Sic quidem accipi poteſt hoc initium, ut David jam Dei miſericordiam expertus, teſtimonium gratitudinis ſuæ edat. Sed ego in diverſam potius ſententiam inclino, quod propoſitum ſibi cum graviſſimis tentationibus certamen videns, ſe præmuniat ac fiduciæ materiam colligat: ſicuti neceſſe eſt ſanctos acriter ſecum luctari, ut dubitationibus ad quas nimis propenſa eſt caro, repulſis aut ſubactis, alacres & expediti ad orandum properent. David ergo variis agitatus pro-

procellis, tandem ſeipſum colligit, & victricem adverſus curas quibus æſtuaverat, vocem emittit, Deo propitio & favente nihil eſſe metuendum. Huc etiam ſpectat verborum congeries, quod Deum non modo lucem ſuam nominat, ſed ſalutem quoque & vitæ ſuæ rupem vel robur. Nam hunc quaſi triplicem clypeum variis terroribus opponere voluit, qui ad eos excipiendos ſufficeret. Lucis autem nomine jucunditatem & beatæ vitæ ſummam notari, ſatis tritum eſt. Expoſitionis cauſa adjungit ſalutem eſſe ac robur vitæ: quia ſcilicet Dei ope tutus ſit, & immunis ſervetur à mortis tenebris. inde certe metus omnes oriri deprehendemus, quod nimis chara ſit nobis vita: ejus vero non agnoſcimus Deum cuſtodem. Itaque nulla erit animis tranquillitas, donec perſuaſi erimus vitam noſtram probe munitam eſſe, quia eam Dominus manu virtuteque ſua tuetur. Interrogatio autem oſtendit quantum Dei præſidio tribuat David, quum ſecure cunctis hoſtibus & noxiis inſultat. Et certe non aliter Deo juſtus defertur honor, niſi dum ejus ope freti, de certa ſalute gloriari audemus. Itaque David quaſi in trutina appendens quicquid potentiæ eſt in mundo & inferis, totum hoc pluma levius eſſe ducit, quia unus Deus longe præponderet. Diſcamus ergo tanti facere Dei virtutem ad nos ſervandos, ut ad profligandos omnes metus prævaleat: non quod in hac carnis infirmitate à pavore ſemper intactæ ſint fidelium mentes, ſed quia ſtatim recepto vigore, ex alta fiduciæ arce pericula omnia deſpicimus. Ideo trepidant qui nunquam guſtarunt Dei gratiam, quia recumbere in ipſum nequeunt, quem ſibi ſæpe infenſum concipiunt, vel ſaltem à ſe procul remotum. Verum ubi nobis ante oculos verſantur Dei promiſſiones, ejuſque gratiam offerunt, atrocem ei injuriam facit noſtra incredulitas, niſi imperterrito animo cum omnibus noſtris hoſtibus audemus opponere. Quum ergo blande nos ad ſe Deus invitet, ac ſalutis noſtræ fore præſidem aſſerat, ubi ejus promiſſiones amplexi ſumus (quia perſuaſi ſumus eum eſſe veracem) ſimul ejus potentiam in ſublime extollere convenit, ut animos noſtros in ſui admirationem rapiat. Tenenda enim eſt iſta comparatio, Quid ad Deum omnes creaturæ? Porro hanc fiduciam longius extendere convenit, ut omnes conſcientiæ formidines diſcutiat: ſicuti Paulus de æterna ſalute diſſerens, libere exclamat, Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom. 8. verſ. 31.*

2. *Quum appropinquarent.*] Cur hæc ſententia reddatur in futuro tempore, ſicuti faciunt nonnulli interpretes, nulla eſt ratio. Cæterum, ut retineamus præteritum tempus quo uſus eſt Propheta, duplex tamen adhuc ſenſus eſſe poteſt: vel ut David celebret quam Dei beneficio adeptus erat victoriam: vel referat qualiter ſe ad bene ſperandum animaverit in ipſa tentatione, priora ſcilicet Dei beneficia ſecum reputando: quæ poſterior expoſitio magis arridet. Summa autem huc redit, non eſſe cur dubitet in poſterum David de auxilio Dei, quod ante expertus fuerat, quia ad fidei confirmationem nihil magis valet, quam earum rerum recordatio, in quibus Deus clarum tam gratiæ quam veritatis & potentiæ ſpecimen nobis edidit. Itaque hunc verſum & proxime ſequentem ſimul connecto. In hoc enim priore David in memoriam ſibi reducit quas ante ſub Dei auſpiciis victorias tulerat. Inde vero concludit, quibuſcunque obſeſſus fuerit copiis, & quicquid machinentur hoſtes, ſe intrepide ſtaturum. קרוב appropinquare ſignificat, ſed hic refertur ad irruptionem quam fecerunt hoſtes Davidis, quum eum urgerent. Quod alii Pugnare vertunt, frigidum eſt. vocat autem eos perverſos vel malignos, teſtandæ ſuæ innocentiæ cauſa. Immanem vero truculentiam exprimit, eos ad vorandam carnem ſuam inſtitiſſe referens.

3. *Si conſiſtant adverſum me.*] Infert (ſicut dixi) ex ſua experientia, quicquid acciderit adverſi, bene ſperandum eſſe, nec de potentia Dei jam uſu perſpecta dubitandum. Id quidem primo verſu teſtatus erat, ſed probatione interpoſita iterum repetit. *Caſtrorum & Exercitus* nomine complectitur Propheta quicquid formidabile eſt in mundo, acſi diceret, Quamvis conſpirent cuncti mortales in ſuam perniciem, ſe eorum vires parvipendere: quia ſuperior ſit Dei virtus, quam ipſe à ſua parte ſtare novit. Porro ſe pronuncians ſecurum fore, non prorſus à metu ſe eximit: (quod magis ſtupori tribuendum eſſet, quam virtuti) ſed opponit fidei clypeum, ne objectis terroribus cor ſuum ſuccumbat. Particulam, *In hoc*, quidam trahunt ad ſequentem verſum, quod ſe habitaturum in domo Dei confidat. ſed potius ex ſuperiori doctrina pendet. Tunc enim fructum ſuum opportuno tempore fides profert, quum in mediis periculis fortes & intrepidi ſtamus. Intelligit ergo David, quia Dei præſidio innititur, ubi ad rem ventum fuerit, ſpem ſuam invictam fore.

4. Unum petii à Jehova, hoc perſequar, ut inhabitem in domo Jehovæ cunctis diebus vitæ meæ, ad conſpiciendam pulchritudinem Jehovæ, & viſitandum templum ejus.	4 אחת שאלתי מאת יהוה אותה אבקש שבתי בבית יהוה כל ימי חיי לחזות בנעם יהוה ולבקר בהיכלו:
5. Quia abſcondet me in tugurio in die mali, occultabit me in ſecreto tentorii ſui, in rupe exaltabit me.	5 כי יצפנני בסכה ביום רעה יסתרני בסתר אהלו בצור ירוממני:
6. Et nunc exaltabit caput meum ſuper inimicos meos qui me obſident, & ſacrificabo in tentorio ejus ſacrificia jubili, cantabo & pſallam Jehovæ.	6 ועתה ירום ראשי על איבי סביבותי ואזבחה באהלו זבחי תרועה אשירה ואזמרה ליהוה:

4. *Unum petii.*] Quidam hoc ad vaticinium referunt de perpetuo regni ſtatu, in quo non privata modo Davidis ipſius, ſed totius populi felicitas ſita erat: acſi diceret, ſe tam ſingulari gratiæ teſtimonio contentum, nihil aliud dies & noctes cogitaſſe. Mihi tamen ſimplicior videtur eſſe ſenſus, Quum patria extorris, uxore ſpoliatus, cognatis orbatus, cunctis denique opibus privatus foret: ſe tamen horum deſiderio non ita fuiſſe anxium, præut ipſum urebat ac cruciabat hæc moleſtia, quod exularet à Sanctuario Dei, & ſacrorum uſu careret. Subeſt igitur in voce Unum, tacita antitheſis, quia commodis omnibus poſthabitis, intentus fuit David ad cultum Dei, ut minus acerbum eſſet, domus ſuæ acceſſu, quam Sanctuarii prohiberi. Uno igitur contextu hæc legenda ſunt, unice Davidem optaſſe ut habitaret in templo Domini. Neque enim probabile eſt, obſcurum aliquod votum notari quod ſupprimat, quum aperte clamet qua maxime cura angeretur. Conſtantiam deinde propoſiti adjungit, quod non deſinet has preces iterare: multos enim videmus magno impetu incitari, in quibus non modo ſucceſſu temporis langueſcit ardor, ſed momento fere extinguitur. Ergo in hoc voto ſe tota vita perſeveraturum affirmans, hac nota ab hypocritis ſe diſcernit. Videndum tamen eſt quænam

ratio tantopere Davidem ſtimulaverit: poterat certe extra templum Deum invocare: quocunque etiam profugus migraret, ſecum ferebat eximiam Dei promiſſionem, ut externi ædificii conſpectum morari non debuerit. videtur etiam neſcio quid craſſum imaginari de ipſo Deo, acſi eum ligno & lapidibus alliget. Verum ſi prudenter expendimus verba, colligere promptum erit, alio ipſum ſpectaſſe, quam ad præclaræ ſtructuræ & quamlibet pretioſi ornatus conſpectum. Loquitur quidem de templi pulchritudine, ſed eam non tam in oculari ſpecie locat, quam in typo cæleſti, qui Moyſi fuit propoſitus, ut habetur Exod. 25. v. 40. Vide ut omnia facias juxta exemplar quod tibi in monte oſtenſum fuit. Quia igitur non ad hominis arbitrium compoſita fuit templi forma, ſed rerum ſpiritualium imago fuit, ad hunc finem oculos ſuos omneſque ſenſus direxit Propheta. Quo magis deteſtabilis eſt eorum veſania qui locum hunc ad picturas & idola detorquent, quæ adeo inter templorum decora numerari non merentur, ut potius ſtercora ſint & ſpurcitiæ quæ totam ſacrorum puritatem inquinant. Videndum nunc an ſimiliter affecti eſſe debeant fideles ſub Chriſto. Etſi autem fateor longe nos à Patribus differre, quatenus tamen ſuos adhuc ſub externo aliquo ordine Deus continet, terreniſque rudimentis ad ſe deducit, manere adhuc templis ſuum decorem, qui affectus votaque fidelium merito ad ſe rapere debeat. Nam verbum, ſacramenta, preces publicæ, aliaque hujus generis adminicula rejici nequeunt abſque impio Dei contemptu, qui illic velut in ſpeculo vel imagine ſe nobis repræſentat.

5. *Quia abſcondet me.*] Hic ſibi promittit non fore irritam ſuam precationem. Quamvis enim ad tempus viſibili Sanctuario careat, non tamen dubitat, ubicunque ſit, Dei manu ſe protectum iri. Alludit autem ad templum quod fidelibus ſymbolum erat præſentiæ Dei: acſi diceret, In concipiendo voto quod retulit, ſe minime luſiſſe operam, quia quiſquis Deum vere & ſincero animo quæret, tutus latebit ſub umbra præſidii ejus. Ita non inanem templi figuram eſſe teſtatur: quia illic alas ſuas quodammodo expandit Deus, ut fideles ſub tutelam ſuam colligat. Unde concludit, quia nihil magis in votis habet, quam ſub iſtas alas confugere, temporibus adverſis paratum ſibi fore aſylum in protectione Dei, quod *Rupis* ſimilitudine inexpugnabile eſſe dicit. ſolebant enim arces olim munitionis cauſa in locis excelſis extrui. Quanquam autem nunc undique cingatur ab hoſtibus, ſe tamen ſuperiorem fore gloriatur. Loquutio quidem trita eſt in Scripturis, qui mœrore oppreſſi ſunt, curvos incedere ac demiſſo vultu: contra autem, reddita lætitia, caput attollere. Sic Pſalmo 3. verſ. 4. loquutus eſt David, Tu Domine exaltas caput meum. Sed quia hic obſidio ab altera parte ponitur, exprimere voluit ſe in illo Dei receptu ſublimem fore, ut ſecure tela hoſtium deſpiciat, quibus alioqui fuiſſet confoſſus. Quod vero in tales anguſtias redactus, quæ propinquam mortem minitabantur, ſe victorem fore confidit, inſigne fidei ſuæ ſpecimen præbet: quo docemur non metiri Dei auxilium externa ſpecie, vel externo modo: ſed media quoque in morte ſalutem ſperare ex victrici ejus manu.

6. *Et ſacrificabo in tentorio.*] Votum gratiarum actionis nuncupans, poſtquam ex diſcrimine ereptus fuerit, ſe iterum in ſpe liberationis confirmat. Scimus fideles ſolenni ritu, ubi aliquod memorabile Dei beneficium experti erant, vota ſolviſſe ſub Lege. Hic ergo David in ſuo exilio, ubi prohibebatur à templi acceſſu, ſe iterum ad altare venturum gloriatur, ut Deo laudem ſacrificet. Videtur tamen ſacram jubilationem & cantica quibus ſe Deo gratias acturum profitetur, tacite opponere profanis mundi triumphis.

7. **Audi Jehova vocem meam qua clamo, miſerere mei, & reſponde mihi.**	ז 7 שמע יהוה קולי אקרא וחנני וענני :
8. * **Tibi dixit cor meum, Quærite faciem meam, faciem tuam Jehova quæram.**	ח 8 לך אמר לבי בקשו פני את פניך יהוה אבקש :
9. **Ne abſcondas faciem tuam à me, ne abjicias in ira ſervum tuum: fortitudo mea fuiſti, ne deſeras me, & non derelinquas me Deus ſalutis meæ.**	ט 9 אל תסתר פניך ממני אל תט באף עבדך עזרתי היית אל תטשני ואל תעזבני אלהי ישעי :

* vel, De te.

7. *Audi Jehova.*] Iterum ad preces revertitur. Recitat autem quibus armis inſtructus fuerit ad eluctandas tentationes. *Clamandi* verbo vehementiam notat (ut alibi diximus) quo Deum ad opem ferendam citius flectat. Eodem etiam fine paulo poſt commemorat ſuam miſeriam: quia quo magis premuntur fideles, ipſa neceſſitas Dei gratiam conciliat.

8. *Tibi dixit cor.*] Fecit perſonæ mutatio in verbis, ut locum hunc varie exponerent interpretes. Verum quiſquis propius expendet mentem Davidis, videbit contextum optime fluere. Quia enim noſtrum non eſt temere irrumpere ad Deum, niſi prior ipſe nos invitet, initio refert David ſe fuiſſe meditatum quam comiter & blande ſuos Deus præveniat, dum ad faciem ſuam quærendam ultro hortatur. poſtea aſſerit, ſe alacritate concepta venturum quo Deus vocat. In dictione לך ambiguus poteſt eſſe ſenſus. tantundem Hebræis valet ac Latinis, Tibi. Sed quia litera ſervilis ל non raro pro De ſumitur, non male vertetur, De te dixit cor meum: in quam partem major pars interpretum inclinat. Mihi tamen (ut ingenue loquar) magis probatur, notari mutuum Prophetæ cum Deo colloquium. Dixi nuper fieri non poſſe ut quiſquam fide aſſurgat ad Deum quærendum, donec ejus invitatione patefactus fuerit aditus: quemadmodum etiam alibi oſtendi Prophetæ teſtimonio, Dicam illis, Vos populus meus: & illi viciſſim mihi, Tu Deus noſter. Zach. 13. verſ. 9.
Jam ergo David ſe hac clave januam ſibi ad Deum quærendum fuiſſe apertam dicit: quia veluti Deo ſuccinens, promiſſionem hanc in medium attulerit. & certe niſi hac præeunte ſymphonia, nemo invocationis chorum ducet. Simul ergo ac Deum ſe liberaliter nobis offerre audimus, prompto animo reſpondeamus, Amen: ejuſque promiſſiones non ſecus reputemus nobiſcum, acſi familiaris cum eo nobis ſermo eſſet. Ita nihil opus eſt anxium artificium & longas ambages quærere, quibus ſe fideles in Dei gratiam inſinuent: quando hæc præfatio facilem illis viam ſternit, Quantumvis indigni ſimus quos excipias Domine, mandatum tamen tuum quo accedere nos jubes, ſatis animi nobis facit. Vox ergo Dei in animis noſtris, non ſecus atque echo in concavis locis, reſonare debet, ut ex mutuo concentu emergat invocationis fiducia. *Faciem* pro auxilio vulgo exponunt: acſi dictum eſſet, Quærite me. Sed non dubito quin David hic quoque ad Sanctuarium alludens, manifeſtationis modum intelligat, quo ſe Deus aliquatenus viſibilem reddebat. Quanquam enim de eo nihil craſſum vel carnale imaginari fas eſt: quia tamen arcam fœderis præſentiæ

ſuæ teſſeram eſſe voluit, non abſurde paſſim vocatur ejus facies. Verum quidem eſt peregrinari nos à Deo quamdiu in mundo degimus, quia remota eſt fides ab aſpectu: ſed æque verum eſt, in ſpeculo & ænigmate Deum à nobis cerni, donec ultimo die palam ſe nobis exhibeat. Quare non dubito ſub hac voce notari adminicula quibus Deus nos ad ſe attollit, ex ſua immenſa gloria ad nos deſcendens, atque in terra nobis proponens imaginem cæleſtis ſuæ gloriæ. Cæterum quia in unius Dei arbitrio eſt, ſe nobis conſpiciendum præbere (quod facit in Verbo & Sacramentis) in hoc intuitu retineri oculos noſtros decet: ne idem nobis contingat quod Papiſtis, qui Deum erraticis ſuis figmentis impie transformant, dum ei pro libidine affingunt quaſcunque in ſuo cerebro pinxerunt imagines.

9. *Ne abſcondas faciem.*] Eleganter continuat eandem loquendi formam, licet diverſo ſenſu. Facies enim Dei ad ſenſibilem gratiæ ejus & favoris effectum hic transfertur: acſi dictum eſſet, Fac Domine ut re ipſa experiar te mihi fuiſſe propinquum, tuamque virtutem in ſalute mea palam contempler. Tenenda enim eſt anagoge à verbo Dei ad experimentalem (ut loquuntur) gratiæ notitiam: quia ut Deus ſe nobis actu (ut vulgo dicunt) præſentem exhibeat, ante in verbo quærendus eſt. Quod ſequitur, *Ne abjicias in ira ſervum tuum*, quidam Hebræi interpretes paulo coactius exponunt, ne ſervum tuum occupari ſinas in pravis mundi curis, quæ nihil ſunt quam ira & furor. Ego autem verbum נטה pro Averſari, vel removere, libenter accipio, ſicuti etiam multi vertunt. Probabilior eſt eorum ſententia qui dicunt, Ne declinare ad iram facias ſervum tuum: quia fieri non poteſt quin ubi à Deo ad extremum uſque quiſpiam deſeritur, tumultuoſe fremat, ſeque indignationis fervore præcipitet. Siquis Davidem huic tentationi putet nunc obviam ire, non repugno. merito enim ſibi ab impatientia timuit, quæ nos labefactat & dejicit è gradu. Ego tamen primam expoſitionem retineo, quam & duo verba quæ poſtea ſequuntur, confirmant, atque ita in *Iræ* nomine tacita erit peccati confeſſio: quia David licet agnoſcat jure ſe à Deo poſſe dejici, iram ejus deprecatur. Jam priora Dei beneficia in memoriam revocando, ſeſe ad ſpem impetrandi animat: & hoc argumento Deum ad opem ſuam continuandam inducit, ne mutilum opus ſuum deſerat.

10. Quando pater meus & mater mea deſeruerint me, Jehova colliget me.	10 כי אבי ואמי עזבוני ויהוה יאספני:
11. Doce me Jehova viam tuam, & deduc me per ſemitam rectitudinis, propter adverſarios meos.	11 הורני יהוה דרכך ונחני בארח מישור למען שררי:
12. Ne tradas me deſiderio oppreſſorum meorum, quia ſurrexerunt in me teſtes mendaces, & proferens violentiam.	12 אל תתנני בנפש צרי כי קמו בי עדי שקר ויפח חמס:

10. *Quando pater.*, &c.] Quia ex Sacra hiſtoria patet, Iſai, quatenus facultas tulit, filio ſuo Davidi quod debebat officium præſtitiſſe: allegorice quidam hic proceres & conſiliarios notari putant: quod nullo modo convenit. Et vero in hoc ſcrupulo fruſtra inſiſtunt: quia hic non conqueritur David ſe inhumaniter à patre vel matre fuiſſe proditum: ſed hac comparatione magis amplificat Dei gratiam, quod ſemper ſibi paratam ſentiet, quamvis omni hominum auxilio deſtitui contingat. Etſi enim particula כי apud Hebræos ut plurimum eſt cauſalis, ſæpe tamen pro adverbio temporis poni notum eſt. Voluit igitur exprimere David, quicquid benevolentiæ, amoris, ſtudii, curæ, officii inter homines inveniri poteſt, longe inferius eſſe paterna Dei miſericordia, qua ſuos complectitur. Summus certe hominum amor in parentibus reſidet, qui non minus tenero affectu liberos quam propria viſcera diligunt. Atqui Deus nos altius evehit, pronuncians per Jeſaiam, etiamſi mater obliviſcatur fœtus ſui, ſemper noſtri ſe fore memorem. In hoc gradu eum collocat David, ut ipſe qui fons eſt omnis bonitatis, longe ſupra cunctos mortales emineat, qui natura maligni ſunt ac reſtricti. Defectiva autem oratio eſt, qualis illa Jeſaiæ 63. verſ. 16. Abraham neſcivit nos, nec Iſraël nos agnovit, tu tamen pater noſter es. Summa huc tendit, Quamvis naturaliter propenſi ſint terreni parentes ad prolem ſuam juvandam, imo ardenter ejus fovendæ curam ſuſcipiant: tamen ubi extincta fuerit omnis in mundo pietas, Deum erga ſuos fideles patris ſimul & matris officio functurum. Unde ſequitur, perperam à nobis æſtimari Dei gratiam, niſi omnes carnis ſenſus fides noſtra ſuperet. centies enim continget everti naturæ ordinem potius quam ut Deus ſuis deſit.

Jeſa. 49. verſ. 15.

11. *Doce me viam tuam.*] Putant multi Davidem hic à Deo poſtulare ut ejus Spiritu regatur, ne cum hoſtibus improbe & ſcelerate agendo certet: quæ doctrina perutilis eſt, ſed præſenti loco quadrare non videtur. Simplicius eſt (meo judicio) Davidem cupere manum ſibi divinitus porrigi, tutoque deduci ad felicem exitum, quo hoſtium inſidias & vim evadat. Viæ enim rectitudinem difficultatibus, obſtaculis, ſalebris, & præcipitiis opponit: quibus ſuperandis impar erat, niſi ducis partes ad eum regendum Deus ſuſciperet. Cæterum quiſquis ita ſe Deo committere cupiet, primum ab aſtutia & malis artibus abſtineat neceſſe eſt. Neque enim ſperandum ut obliquis & pravis conſiliis Deus benedicat, qui non niſi ſimplicibus, & qui ſe in ejus fidem conferunt, optabilem eventum promittit.

12. *Ne tradas me deſiderio oppreſſorum.*] Nomen נפש id eſt animæ ſive deſiderii tantundem valet acſi dixiſſet, Ne me permittas arbitrio vel libidini hoſtium. atque ita ſignificat, cupide inhiare ad ſe perdendum. Duobus enim modis ſuos Deus eripit, vel impiorum ſævitiam placando, ut manſueſcant: vel ubi furore ardere finit, manus eorum & violentiam compeſcendo, ut fruſtra nocere cupiant ac conentur. Adjungit deinde, tam calumniis falſiſque delationibus, quam vi aperta ſe oppugnari. *Proferre* enim *violentiam* eos dicit qui præter arma & cædes nihil jactant. Ita videmus ſanctum virum undique fuiſſe miſere oppreſſum. Neque enim ejus integritas, quam ſcimus fuiſſe ſingularem, eum à virulentis calumniis eximere potuit. interim ab altera parte viribus & potentia obruebatur. Quare ſiquando impii in nos non tantum minaciter & crudeli impetu ſurgant, ſed etiam mendaciis infament, ut videantur jure nobis infeſti: veniat nobis in memoriam Davidis exemplum, qui utroque modo impetitus fuit. imo ſuccurrat, Chriſtum Dei Filium non minus injuriæ à linguis mendacibus, quam à gladiis paſſum eſſe. Cæterum in ſolatium nobis dictata fuit hæc precatio, ut Deus innocentiam noſtram aſſerat, & defenſionis clypeum opponat hoſtium truculentiæ.

13. Niſi crediſſem videre bonum Jehovæ in terra viventium.

14. Expecta Jehovam, roborare, & confortabit cor tuum, & expecta Jehovam.

13 לולא האמנתי לראות בטוב יהוה בארץ חיים:

14 קוה אל יהוה חזק ויאמץ לבך וקוה אל יהוה:

13. *Niſi crediſſem.*] Satis convenit inter interpretes orationem eſſe defectivam. Quidam tamen particulam לולא, affirmandi cauſa poſitam eſſe putant, acſi ſpecies eſſet jurisjurandi, ſicuti Hebræis tritum eſt ecliptice jurare. abrupto enim verborum contextu imprecationem ſubaudiunt, vel perjurii pœnam. Plures tamen in diverſam ſententiam deſcendunt, quod David ſola fide ſe fuiſſe ſuffultum dicat: quia alioqui centies periiſſet. Hunc igitur ſenſum eliciunt, Niſi Dei promiſſione ſubnixus, certo ſtatuiſſem me incolumem ſervatum iri, ſtetiſſemque in hac fide: extinctus eram, nec apparebat ullum remedium. Quod nonnulli terram vivorum ad cæleſtem hæreditatem referunt, coactum eſt, atque etiam ab uſu Scripturæ diſſidet. Nam quum Ezechias conque-
Jeſa. 38. ritur in ſuo Cantico, ſpem ſibi fuiſſe ablatam videndi
verſ. 11. Dei in terra vivorum, præſentem vitam haud dubie deſignat, quia mox ſequitur, Non aſpiciam hominem ultra cum habitatoribus orbis. & ſimilis loquendi forma alio loco nobis occurret. Credidit autem David ſe adhuc fruiturum bonitate Dei in hoc mundo, quia omni gratiæ ejus guſtu ad tempus privatus, nullam lucis ſcintillam aſpicere poterat. Ergo ex mortis caligine ſibi gratiæ Dei aſpectum promiſit, & hac fide ſuſtinuit ſuam vitam, quamvis ſecundum carnis ſenſum deplorata eſſet ac perdita. Notandum tamen eſt, Davidem non temere progreſſum eſſe ultra quam pollicitus eſſet Deus. Tametſi enim pietas promiſſiones habet non tantum futuræ vitæ, ſed etiam præſentis, David tamen nunquam hanc hypotheſin ſumere auſus eſſet, niſi ſpeciali aliquo oraculo inſtructus. & certe promiſſus erat ei ſucceſſor qui ſemper in ſolio ejus ſederet. Merito itaque ſe nunquam moriturum ſperavit, niſi hoc completo. Quare nequis præpoſtera exempli ejus imitatione, fidei metas tranſiliat, tenere convenit quid ipſe proprium & à nobis ſeparatum habuerit. In genere tamen nos omnes ſperare oportet, quamvis non aperte nos liberet Deus, & favorem ſuum viſibili modo declaret, propitium tamen in hac quoque vita ſemper nobis fore.

14. *Expecta Jehovam.*] Dubitari poteſt an à ſe ipſo David ſermonem ad alios convertat, ſuoque exemplo eos hortetur ad fortitudinem & patientiæ conſtantiam, ſicut in fine Pſalmi 31. verſ. 19 poſtquam de ſe privatim loquutus eſt, tranſitum facit ad omnes pios. Sed quia hic in ſingulari numero loquitur, nec ullam notam apponit unde colligere liceat ſermonem ad alios dirigere, mihi probabile eſt, eum ſibiipſi addere ſtimulos ad fiduciam, ne unquam animo labaſcat. Quia enim ſibi infirmitatis erat conſcius, ſalutem vero ſuam noverat ſub fidei cuſtodia ſervatam eſſe, opportune ſe in futurum tempus confirmat. Porro ſub verbo Expectandi ſe admonet de novis exercitiis, crucemque ſibi tolerandam proponit. Tunc enim Deum expectare dicimur, ubi ſubducta gratia ſua languere nos ſub ærumnis patitur. David ergo uno certamine defunctus, ad alia obeunda ſe deintegro comparat. Quia autem nihil magis difficile eſt quam tribuere Deo hunc honorem, ut ab eo pendeamus quum ſe procul occultat, vel auxilium ſuum differt: ideo ſe David ad robur colligendum incitat, acſi diceret, Si tibi obrepit trepidatio, ſi fidem tuam tentatio concutit, ſi carnis tuæ ſenſus fluctuat, ne ſuccumbas: ſed potius enitere infatigabili animi virtute. Cæterum hinc diſcimus non contumacia fortes eſſe Dei filios, ſed patientia, ubi Deo ſuas animas placide commendant: ſicuti
dicit Jeſaias, In ſpe & ſilentio erit fortitudo veſtra. *Jeſa. 30.*
Jam quia ad tam arduos conatus ſufficere non poterat *verſ. 15.*
David, robur ſibi à Deo precarium acceſſit. Si tantum dixiſſet, Viriliter age, viſus eſſet in medium proferre liberi arbitrii ſui motus. ſed quum mox vice correctionis ſubjicit, Deum præſto adfore, qui robur ſuppeditet: ſatis clare oſtendit, quum ſtrenue laborant ſancti, aliena virtute pugnare. Neque enim (ut fingunt Papiſtæ) in primam aciem conatum ſuum emittit David, poſtea Dei ſuppetias advocat: ſed ubi ſe ad officium hortatus eſt, quia viribus ſe deſtitui agnoſcit, defectus remedium quærit in Spiritus gratia. Jam quia tota vita ſciebat militandum eſſe, ac ſubinde emergere novos conflictus, & ſæpe in longum tempus extrahi ſanctorum moleſtias, iterum repetit quod dixerat de expectando Deo.

ARGUMENTUM PSALMI XXVIII.

David poſtquam ope Domini ex ingentibus periculis ereptus fuerat, ſuo more primum quæ inter anguſtias conceperat vota, deinde gratulationem & Dei laudes conſcripſit, ut alios ſuo exemplo ad idem agendum adduceret. Probabile autem eſt de Saulis perſequutionibus hic tractari.

PSALM. XXVIII.

DAvidis. Ad te Jehova clamabo, fortitudo mea, ne taceas à me: ſi forte ſileas à me, tunc aſſimilabor deſcendentibus in ſepulchrum.

2. Audi vocem precationum mearum dum clamo ad te, dum tollo manus meas ad Sacrarium ſanctitatis tuæ.

1 לדוד אליך יהוה אקרא צורי אל תחרש ממני פן תחשה ממני ונמשלתי עם יורדי בור:

2 שמע קול תחנוני בשועי אליך בנשאי ידי אל דביר קדשך:

AD *te Jehova,* &c.] Præfatur ſibi receptum eſſe ad unius Dei opem, quo tam de fide ſua quam de bona conſcientia teſtetur. Etſi enim multis paſſim miſeriis laborant homines, vix tamen centeſimus quiſque ad Deum confugit: ſed major pars vel frenum contumaciter arrodit, vel in aërem ſpargit inanes ululatus, vel deſperatione victa, malis ſuccumbit: quia & omnes fere ſibi male conſcii ſunt, neque unquam guſtarunt quid valeat Dei gratia, ut in eam reſpiciant. Deum robur ſuum vocando, melius confirmat, non modo in umbra & quiete ſe perſuaſum fuiſſe de auxilio Dei, ſed eandem fidem in ultimis tentationibus adhuc fovere. Poſtea adjungit quanta neceſſitas urgeat, mortuis ſe comparans: quanquam non modo exprimere voluit periculi magnitudinem, ſed etiam ſimul profeſſus eſt, quum ſalute indigeat, ſe non huc & illuc circumſpicere: ſed ita pendere ab uno Deo, ut extra ejus gratiam nullas ſpes ſibi reſiduas faciat. Perinde enim eſt acſi dixiſſet, Nullus ſum ſi à me diſceſſeris: niſi tu unus ſuccur-

ſuccurras, perii. Neque enim ſufficeret, eum qui miſere affligitur, ſuas miſerias ſentire, niſi inopiæ ſuæ convictus, ac diffiſus mundi præſidiis, ad Deum unum ſe colligeret. Sicut autem Scriptura Deum reſpondere dicit fidelibus, dum re ipſa oſtendit eorum vota ſibi curæ fuiſſe: ita ſenſibili ac præſenti ejus auxilio opponitur *Silendi* verbum, ubi ſe preces audire diſſimulat.

2. *Audi vocem precationum.*] Repetitio hæc, anxietatis ſignum eſt. Precandi etiam ardor & vehementia ex *Vocis* nomine & *Clamandi* verbo colligitur. Significat enim ſe cura & metu perculſum, non frigide precatum eſſe, ſed flagraſſe ingenti deſiderio: ut qui doloris impetu compulſi clamorem attollunt. Secundo membro per ſynecdochen ſigno res notatur. Trita omnibus ſeculis fuit ceremonia, ut homines precandi cauſa manus ſurſum levarent. Geſtum hunc profanis quoque & idololatris extorſit natura, ut viſibili ſigno ad Deum unum ſenſus ſuos dirigerent. Certum quidem eſt, majorem partem, ubi ceremonia hac defungitur, in figmentis ſuis evaneſcere: ſed tamen ipſa manuum levatio, ubi abeſt hypocriſis & fallacia, piæ & veræ precationis eſt appendix. Non tamen David hic ſe in cælum dicit manus tollere, ſed ad Sanctuarium, ut ſcilicet illo ſubſidio adjutus, in cælum uſque facilius conſcenderet. Neque enim tam craſſus fuit, vel ſuperſtitioſe affixus externo Sanctuario, quin ſciret Deum ſpiritualiter quærendum eſſe: ac tunc demum ad ipſum accedere homines, dum relicto mundo, fide in cæleſtem gloriam penetrant. Sed quia hominem ſe eſſe meminerat, noluit hoc infirmitatis ſuæ adminiculum negligere. Nam quia fœderis Dei teſſera erat Sanctuarium, promiſſæ gratiæ præſentiam David illic non ſecus ac in ſpeculo intuebatur. Sicuti nunc fideles ut Deum ſibi propinquum eſſe ſtatuant, ad Chriſtum recta intendere convenit, qui ſub humili carnis habitu ad nos deſcendit, ut ad Patrem evehat. Sciamus ergo Davidem non aliter in Sanctuario hæſiſſe, quam ut promiſſione Dei ſubnixus, mundi elementa tranſcenderet, in quibus tamen ſe ex Legis præſcripto exercuit. דביר interior locus eſt Tabernaculi, vel adytum, in quo locata erat Arca fœderis. Sic autem vocatur à reſponſis vel oraculis, quæ Deus inde ad teſtandam populo gratiæ ſuæ præſentiam edebat.

3. Ne trahas me cum impiis & cum operariis iniquitatis, qui pacem loquuntur cum proximis ſuis, quum in cordibus eorum ſit malitia.	3 אל תמשכני עם רשעים ועם פעלי און דברי שלום עם רעיהם ורעה בלבבם :
4. Da illis ſecundum opera ipſorum, & ſecundum malitiam facinorum ſuorum: ſecundum opus manuum ſuarum da illis, repende mercedem illis.	4 תן להם כפעלם וכרע מעלליהם כמעשה ידיהם תן להם השב גמולם להם :
5. Quia non animadvertunt ad opera Jehovæ, & ad opus manuum ejus, deſtruat eos, nec ædificet eos.	5 כי לא יבינו אל פעלות יהוה ואל מעשה ידיו יהרסם ולא יבנם :

3. *Ne trahas me.*] Summa eſt, Ne in cauſa diſſimili Deus juſtum cum ſceleratis promiſcue eodem exitio permiſceat. Porro non dubium eſt quin hoſtes ſuos deſignans, ſuam integritatem oblique aſſerat. Neque tamen in hunc modum precatus eſt, quaſi Deum putaret nullo delectu habito, temere in homines ſævire; ſed potius à natura Dei ratiocinatur ſibi eſſe bene ſperandum, quia proprium ejus ſit pios à reprobis diſcernere, ac ſingulis rependere juſtam mercedem. Per *operarios iniquitatis* intelligit homines in totum ſceleribus deditos. nam etſi interdum labantur filii Dei, vel aberrent, vel quovis modo delinquant: non tamen eos oblectant ſua vitia: quin potius ad reſipiſcentiam eos ſollicitat Dei timor. Poſtea eorum malitiam definit & amplificat, quod amicitiæ ſimulatione perfide bonos circumveniant, aliudque lingua proferant, aliud occultum gerant in corde. Eſt autem tolerabilior aperta pravitas, quam hæc vulpina aſtutia, quæ ſe ad nocendum blande inſinuat. Monemur autem hac ſententia, Deo maxime eſſe deteſtabiles quicunque blanditiis, tanquam veneno, adoriuntur ſimplices & incautos.

4. *Da illis.*] Poſtquam innocentiæ ſuæ rationem à Deo haberi petiit, contra hoſtes ſuos imprecatione fulminat. Congeries autem verborum oſtendit, diu multumque ſub onere gemuiſſe, antequam ad expetendam hanc vindictam prorumperet. Nam eos non ſemel, nec exiguo tempore, neque in uno genere peccaſſe ſignificat, ſed eo progreſſos eſſe continuis maleficiis, ut prorſus intolerabilis eſſet eorum audacia. Scimus autem quam moleſta & gravis tentatio ſit, cernere impios abſque modo & fine graſſantes: perinde acſi conniveat Deus ad eorum audaciam. David ergo quaſi diuturna tolerantia feſſus, & ſub mole fatiſcens, poſtulat ut tandem compeſcat Deus hoſtium laſciviam, qui pridem ſcelera ſceleribus addere non ceſſabant. Ita videmus in hoc verſu nihil eſſe ſupervacuum, ubi *operibus* adjungit *facinorum malitiam*, & *opera manuum*: & quod meriti ſunt, rependi tertio poſtulat. Adde quod eadem opera fiduciam ſuam teſtatur: quam jactantiam filiis Dei ſæpe exprimunt hypocritæ, dum ſuis cavillis mundi judicia eludunt. Videmus enim ut improbiſſimus quiſque ſua impunitate non contentus, ultro in crimen vocet innoxios: & lupus (ut eſt in proverbio) agnos de aqua turbata accuſet. Davidem igitur hæc neceſſitas ad implorandam Dei fidem compulit. Hic rurſum de cupiditate vindictæ, perplexa oritur quæſtio: quam tamen paucis expediam, quia alibi tractata fuit. Ac primo certum eſt, ſi nos ad vindictam expetendam caro incitat, affectum hunc coram Deo perverſum eſſe. Præterquam enim quod Deus hoſtibus malum imprecari, privatæ injuriæ reſpectu, quemque noſtrum vetat: fieri non poteſt quin affectus omnes qui ex odio naſcuntur, ſint turbulenti. Non eſt igitur quod Davidis exemplum obtendant qui ſua intemperie feruntur ad expetendam vindictam. Neque enim ſanctus Propheta privato dolore hic excandeſcit, ut hoſtes exitio devoveat, ſed depoſito carnis affectu, de re ipſa judicat. Quare ut impiis male quis precetur, ante omnia perturbatio faceſſat neceſſe eſt. Deinde adhibenda eſt quoque prudentia, ne malorum quæ nos offendunt, indignitas ad inconſideratum zelum nos præcipitet: quod ipſis Chriſti diſcipulis accidit, dum igne cæleſti abſumi cupiunt qui Magiſtro hoſpitium negaverant. Atque hoc quidem ſe facere obtendunt Eliæ exemplo: Chriſtus tamen eos ſevere increpans, neſcire dicit quo ſpiritu agantur. In primis tenenda eſt communis regula, ut nobis totius generis humani ſalus cordi ſit ac curæ: ita fiet ut non modo locum demus miſericordiæ Dei, ſed etiam optemus reduci ad ſanam mentem qui devoto animo videntur in ſuam perniciem ruere. In ſumma, David liber & vacuus omni præpoſtero impetu, præditus etiam Spiritu diſcretionis & judicii, non tam ſuam quam Dei cauſam hic egit: & hac precatione ſe & alios fideles admonuit, impios, quamvis ad tempus impune proterviant, venturos tandem ad cæleſte tribunal.

Luca 9. verſ. 54.

5. *Quia non animadvertunt.*] Hoc verſu radicem

cem impietatis detegit, improbos dicens ita eſſe audaces ad nocendum: quia dum hominibus infeſti ſunt, nec ab ulla maleficii ſpecie abſtinent, non putant ſibi cum Deo eſſe negotium. Etſi enim eos pungit conſcientia, ſe tamen blanditiis demulcent, tandemque contumacia ad ſtuporem obdurant. Ac primo quidem rebus proſperis ebrii, Deum ſibi amicum eſſe fingunt: bonos vero qui multis ærumnis oppreſſi ſunt, ab eo non curari: denique fortuito rotari mundum. ita ſponte cæcutiunt in clara luce. Sic adverſarii Davidis quum volentes ignorarent eum divinitus creatum eſſe Regem, animos ad eum perſequendum ſumpſerunt. Quare de hac eorum craſſa ignorantia conqueritur: ſicuti eam generaliter omnibus impiis exprobrat Jeſaias 5. verſ. 20. Hæc porro doctrina duplicem uſum continet. Quia non mediocre filiis Dei ſolatium eſt, ita perſuaſos eſſe dum inique vexantur, Dei providentia utiliter exerceri ad patientiam: & rebus in mundo turbatis ac confuſis, Deum ſedere nihilominus in cælo moderatorem. Deinde ad ſubigendos carnis noſtræ impetus aptiſſimum eſt hoc frenum, ne tanquam Andabatæ in tenebris certemus, acſi Deus res humanas non reſpiceret. Quare ſedulo reputare diſcamus quæcunque Deus exercet judicia, quæ totidem ſunt juſtitiæ ejus in regendo humano genere documenta. Quod ſi etiam omnia confuſe miſceri contingat, fidei oculos ad conſideranda occulta Dei judicia in cælum attollere convenit. Sed quum Deus etiam in magna caligine nunquam deſinat proferre quædam ſuæ providentiæ ſigna, inexcuſabilis ſocordia eſt ad ea non attendere. quam pravitatem exaggerat Propheta, iterum repetens *Opus manuum Dei.* Innuit enim, reprobos ſecure pergendo, quicquid ad frenandum eorum furorem operum Dei occurrit, calcare. *Deſtruat eos, nec ædificet.* Quidam ſubſtantivi loco eſſe volunt quod in hoc verſu præceſſit: acſi dixiſſet, Belluinus hic furor eos deſtruet. ſed potius ſubaudiendum eſt nomen Dei: atque ita optime fluet contextus. Quia tamen verba ſunt futuri temporis, poteſt ita exponi ſententia: ut David jam ſibi promittat quem reprobis nuper optavit interitum: neque hunc ſenſum repudio: quanquam (meo judicio) vota ſua adhuc continuat. Sic autem peſſundari cupit impios, ut rurſus nunquam emergant, vel recuperent priorem ſtatum. Hoc enim ſibi vult trita Hebræis figura, Deſtruat, & non ædificet: ſicuti Malachias primo capite loquitur de Edom. Nos vero ne inſanabili plaga feriamur, diſcamus expergefacere ſenſus noſtros ad reputanda Dei opera, quæ nos ad timorem ejus erudiant, contineant in patientia, & in pietate confirment. *Mala. 1. verſ. 4.*

6. Benedictus Jehova, quia audivit vocem deprecationum mearum.
7. Jehova fortitudo mea, & clypeus meus: in ipſo ſperavit cor meum, & adjutus ſum: ideo exultabit cor meum, & cantico meo celebrabo eum.
8. Jehova fortitudo illis, & robur ſalutum Chriſti ſui ipſe.

6 בָּרוּךְ יְהוָה כִּי שָׁמַע קוֹל תַּחֲנוּנָי׃
7 יְהוָה עֻזִּי וּמָגִנִּי בּוֹ בָטַח לִבִּי ו
וְנֶעֱזָרְתִּי וַיַּעֲלֹז לִבִּי וּמִשִּׁירִי אֲהוֹדֶנּוּ׃
8 יְהוָה עֹז לָמוֹ וּמָעוֹז יְשׁוּעוֹת
מְשִׁיחוֹ הוּא׃

6. *Benedictus Jehova.*] Hæc eſt ſecunda pars Pſalmi, in qua Deo gratias agere incipit Propheta. hactenus enim vidimus quomodo ſe inter diſcrimina precando exercuerit: hac vero gratulatione docet non vanas fuiſſe preces: atque ita ſuo exemplo confirmat, Deum quoties vere & ex animo quæretur, præſto ad opem ſuis ferendam fore. Eandem ſententiam proximo verſu fuſius declarat, Deum appellans fortitudinem ſuam & clypeum. Nam hinc ſe exauditum fuiſſe perſuaſus erat, quod mirabiliter ſervatus eſſet. Addit ſe fiduciæ ſuæ vel ſpei reſpectu fuiſſe adjutum: quia ſæpe fit ut qui Deum invocant, ſua incredulitate reſpuant nihilominus ejus gratiam. Tertio dicit lætitiæ ſuæ conjunctum fore teſtimonium gratitudinis. nam etſi ad Deum confugiunt impii & hypocritæ dum anguſtiis urgentur, ſimul tamen ac elapſi ſunt, liberatoris ſui obliti, phrenetico tantum gaudio exultant. Summa igitur eſt, Davidem non fruſtra ſperaſſe, quia re ipſa expertus fuerit Deum præſenti virtute inſtructum eſſe ad ſuos ſervandos: atque hanc veri ſolidique gaudii fuiſſe materiam, quod Deum ſibi fuiſſe propitium ſentiret. Unde etiam ſe memorem & gratum fore promittit. & certe ideo Dominus hilaritate corda noſtra perfundit, ut ora nobis ad canendas ſuas laudes aperiat.

8. *Jehova fortitudo illis.*] Exegetice repetit quod dixerat, Deum ſibi fuiſſe robur: nempe quia ſuis copiis benedixerat. Uſus enim fuerat hominum manu & opera David: uni tamen Deo victoriam aſſcribit. Nam quum à Deo profectum ſciret quicquid humanitus auxilii obtigerat, proſperum etiam ſucceſſum à gratuito ejus favore manaſſe: in illis etiam mediis intuitus eſt ejus manum, acſi aperte ſe è cælo exereret. Et certe nimis indignum eſt ut media humana (quæ nihil aliud ſunt quam inſtrumenta potentiæ Dei) ejus gloriam obſcurent: quo tamen vitio nihil eſt magis commune. Emphaticum vero eſt, quod de militibus ſuis loquens, pronomine tantum utitur, acſi digito eos monſtraret. Poſterius membrum eſt cauſæ redditio. Se enim cum toto exercitu, victrici fortitudine divinitus armatum fuiſſe aſſerit, quia ſub Dei auſpiciis militabat. Hoc enim ſibi vult *Chriſti* nomen: quia niſi Deus ipſum creaſſet Regem, & gratuita adoptione amplexus foret, non fuiſſet in eum propenſior quam in Saulem. Atque hoc modo ſolam Dei virtutem qua in regnum evectus fuerat, extollens, ſuæ induſtriæ aut virtuti nihil reliquum facit. Interea diſcamus, ut quiſque legitimæ vocationis ſibi conſcius eſt, ita ad bene ſperandum hac doctrina animari. Quanquam præcipue tenendum eſt quod alibi attigimus, ex hoc fonte fluere quæcunque in nos Deus confert beneficia, quia gratis in Chriſto nos elegit. Et *Salutes* plurali numero ponit, quia non ſemel, nec uno modo ſervatus fuerat. Senſus eſt igitur, Ex quo Deus per manum Samuelis Davidem unxerat, nunquam ab eo juvando ceſſaſſe, ſed innumeris modis fuiſſe ejus liberatorem, donec opus gratiæ ſuæ in eo compleret.

9. Serva populum tuum, & benedic hæreditati tuæ: paſce eos, & extolle eos uſque in perpetuum.

9 הוֹשִׁיעָה אֶת עַמֶּךָ וּבָרֵךְ אֶת ג
נַחֲלָתֶךָ וּרְעֵם וְנַשְּׂאֵם עַד הָעוֹלָם׃

Hac clauſula non tam propriam, quam totius Eccleſiæ ſalutem ſibi fuiſſe curæ oſtendit. imo privatim ſibi nec vixiſſe nec regnaſſe, ſed in commune populi commodum. Probe enim tenebat, non alio fine ſe electum fuiſſe Regem. Atque in eo, Filii Dei perſonam ſe gerere oſtendit, quem dum Zacharias prædicit ſervandum fore, haud dubie nihil ſeorſum à membris ei promittit, ſed ut ſalutis effectus ad totum ejus corpus ſe diffundat. Interim legem terrenis Regibus ſuo exemplo præſcribit, ut publicæ utilitati addicti, *Zach. 9. verſ. 9.*

addicti, non niſi populi cauſa ſalvi eſſe cupiant. Sed quam procul abſint ab hoc affectu, dicere nihil attinet. Faſtu enim excæcati, perinde reliquum mundum deſpiciunt, acſi ex communi hominum ordine eos eximeret ſuus ſplendor ac dignitas. Neque tamen mirum eſt, tam ſuperbe & contumelioſe calcari humanum genus, quod magna ex parte à ferendo Chriſti jugo abhorret. Nos vero meminerimus Davidem inſtar ſpeculi eſſe, in quo continuum gratiarum ſuarum tenorem nobis Deus proponit. Tantum videndum eſt ut paterno ejus amori reſpondeat fidei noſtræ obedientia, ut nos populum ſuum & hæreditatem agnoſcat. Quanquam autem Paſtoris nomine Scriptura Davidem ſæpe inſignit: hoc tamen munus ipſe Deo aſſignans, minime idoneum ſe fatetur, niſi quatenus Dei miniſter eſt.

ARGUMENTUM PSALMI XXIX.

Ut coram Deo humiliet cunctos mortales à ſummis uſque ad infimos, celebrat formidabilem ejus potentiam à variis naturæ miraculis: quibus non ſecus ad dandam ipſi Deo gloriam expergefieri nos dicit, acſi ipſe ſua voce imperium ſibi aſſereret. Poſtquam vero ſuperbos, qui non libenter cedunt, metu perculſos non ſine objurgationis ſpecie hortatus eſt, fideles ſuaviter ad voluntarium Dei cultum invitat.

PSALM. XXIX.

CAnticum Davidis. Afferte Jehovæ, filii fortium, afferte Jehovæ, gloriam & robur.	1 מזמור לדוד הבו ליהוה בני א אלים הבו ליהוה כבוד ועז :
2. Afferte Jehovæ, gloriam nominis ejus: adorate coram Jehova in ſplendore Sanctuarii ejus.	2 הבו ליהוה כבוד שמו השתחוו ליהוה בהדרת קדש :
3. Vox Jehovæ ſuper aquas, Deus gloriæ tonat, Jehova ſuper aquas magnas.	3 קול יהוה על המים אל הכבוד הרעים יהוה על מים רבים :
4. Vox Jehovæ in virtute, vox Jehovæ in decore.	4 קול יהוה בכח קול יהוה בהדר :

A*Fferte Jehovæ.*] Tametſi conſilium Davidis fuit, ad Dei cultum & timorem adducere cunctos mortales: quia tamen proceres qui dignitate excellunt, difficilius eſt in ordinem cogere, eos diſerte compellat. Græcum interpretem vocis affinitate deceptum fuiſſe, certum eſt, ut Filios arietum verteret. Ac de vocis quidem ſignificatione inter ſe conveniunt omnes Hebræi: ſed ubi ad rem ventum eſt, frigidis commentis pervertunt vel obſcurant genuinum ſenſum. Quidam enim de Angelis, alii de ſtellis exponunt: alii vero proceres iſtos, quorum fit mentio, ſanctos Patres eſſe volunt. atqui faſtum potius corrigere voluit David, quo ebrii Principes mundi hujus, cornua adverſus Deum erigunt. Atque hæc ratio eſt cur Deum terrifica voce per tonitrua, grandines, procellas, & fulmina, duros iſtos & præfractos Gigantes cogentem inducat, qui niſi metu perculſi nullum cæleſte numen revereri ſuſtinent. Videmus ergo cur ad filios potentum, aliis omiſſis, peculiariter ſermonem convertat: quia ſcilicet nihil eis magis tritum eſt, quam altitudine ſua ad ſacrilegium abuti, dum ſibi furioſe arrogant quicquid Dei proprium eſt: ſaltem ut modeſte ſe Deo ſubjiciant, & ſuæ fragilitatis memores, recumbant in ejus gratiam, quaſi vi compelli neceſſe eſt. Ideo jubet afferre Deo robur, quia falſa imaginatione deluſi, virtutem qua præditi ſunt, ſibi aliunde quam è cælo ſuppetere reputant. Summa eſt, ut faſtu depoſito, falſaque propriæ virtutis opinione, Deum glorificent, ſicuti meretur. *Gloriam* enim *nominis ejus*, vocat ejus majeſtate dignam, qua eum proceres mundi fraudare ſolent. Repetitio quoque oſtendit, vehementius urgendos eſſe, ut illis juſta confeſſio extorqueatur. Per *ſplendorem Sanctuarii* non cælum, (ut quidam volunt) ſed Tabernaculum fœderis intelligit, ſymbolis gloriæ Dei ornatum. ſic enim liquebit ex contextu. Et conſulto ejus loci meminit Propheta, in quo ſe verus Deus patefecerat, ut ad purum ejus cultum, ſuperſtitionibus valere juſſis, ſe conferant cuncti mortales. Neque enim ſufficeret, confuſe numen aliquod cæleſte coli, niſi unus & idem Deus colatur. quod fieri non poteſt, donec revocatus fuerit mundus ab omnibus figmentis.

3. *Vox Jehovæ ſuper aquas.*] Nunc ea quæ nuper attigi, naturæ miracula commemorat: ac Dei quidem non minus potentiam quam bonitatem poterat in operibus ejus celebrare: deinde quum nihil ſit in ordinario naturæ curſu, in tota cæli & terræ machina, quod nos ad Dei notitiam non invitet, poterat (ſicut alibi) ſolem & ſtellas, totumque cælorum exercitum, terramque cum ſua opulentia in medium proferre. *Pſal. 19. verſ. 1.* ſed ea tantum Dei opera eligit, quæ non ſolum teſtantur orbem ab eo ſemel fuiſſe conditum, ejuſque imperio gubernari: ſed torpentes quoque expergefaciunt, & quaſi invitos trahunt ad eum ſuppliciter adorandum. quod etiam fateri coactus eſt Horatius, non profanus modo Poëta, ſed Epicureus, & impurus Dei contemptor:

Parcus deorum cultor & infrequens,
Inſanientis dum ſapientiæ
Conſultus erro, nunc retrorſum
Vela dare, atque iterare curſus
Cogor relictos. namque Dieſpiter
Igni coruſco nubila dividens,
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum:
Quo bruta tellus, & quæ ſequuntur.

Et experientia ipſa loquitur, qui audaciſſime Deum contemnunt, ad tonitrua, procellas, & ſimiles impetus maxime expaveſcere. Non abs re igitur Propheta nos ad ſpecies iſtas revocat quæ barbaris & ſtupidis incutiunt aliquem Divinitatis ſenſum, & quantumviſignavos ac ſocordes excitant. Non dicit ſolem quotidie oriri, ſpargi ejus radiis vivificam lucem, non dicit pluviam leniter ſtillare, quæ ſuo ſucco terram fœcundet: ſed tonitrua, violentos imbres, & quæ terrifico motu mentes hominum percellunt, in teſtimonium adducit. Loquitur certe Deus in omnibus ſuis creaturis: ſed eas voces nunc commemorat Propheta, quæ dura increpatione ſomnolentiam noſtram vel potius veternum corrigant. Diximus enim, præcipue ad eos ſpectare hunc ſermonem, qui præfracta duritie omnem Dei notitiam, quantum in ſe eſt, repellunt. Et ipſæ loquendi figuræ ſatis exprimunt, Davidi fuiſſe propoſitum, terrore ſubigere contumaciam, quæ alioqui non libenter cedit. Ter enim inculcat, vocem Dei in magnis & impetuoſis imbribus audiri: & proximo verſu addit, plenam virtutis & magnifici ſplendoris eſſe.

5. Vox

5. Vox Jehovæ, confringens cedros, confringit inquam Jehova cedros Libani.

6. Et exilire facit Libanum quaſi vitulum, & Sirion quaſi filium unicornium.

7. Vox Jehovæ, excidens flammas ignis.

8. Vox Jehovæ contremiſcere facit deſertum, contremiſcere facit Jehova deſertum Cades.

5 קוֹל יְהוָה שֹׁבֵר אֲרָזִים וַיְשַׁבֵּר יְהוָה אֶת אַרְזֵי הַלְּבָנוֹן׃

6 וַיַּרְקִידֵם כְּמוֹ עֵגֶל לְבָנוֹן וְשִׂרְיוֹן כְּמוֹ בֶן רְאֵמִים׃

7 קוֹל יְהוָה חֹצֵב לַהֲבוֹת אֵשׁ׃

8 קוֹל יְהוָה יָחִיל מִדְבָּר יָחִיל יְהוָה מִדְבַּר קָדֵשׁ׃

5. *Vox Jehovæ, confringens.*] Videmus ut Propheta ad frangendam hominum duritiem, ſingulis verbis Deum formidabilem inducat. Ac videtur quidem oblique ſuperbis & vana confidentia turgidis amentiam exprobrare, quod vocem Dei tonantem non audiant, quæ ſcindit aërem fulminibus, concutit excelſos montes, proceriſſimas quaſque arbores proſternit ac dejicit. Quale enim portentum eſt, ubi omnes brutæ mundi partes coram Deo tremunt, ſolos homines ſenſu & ratione præditos non moveri? Adde quod, ſi ingenio & doctrina valent, ſibi obſtruendis auribus incantationes accerſunt, ne ad eorum ſenſum vox Domini, quantumvis ſonora, penetret. Neque enim de cauſis inferioribus ſatis argute ſibi videntur diſſerere Philoſophi, niſi longa diſtantia Deum à ſuis operibus ſeparent. Diabolica autem hæc ſcientia eſt, quæ in naturæ contemplatione nos retinens, à Deo avertit. Siquis hominem cognoſcere appetens, præterita tota facie, intuitum in extremos tantum ungues defigat, merito ridebitur ejus ſtultitia. atqui majore amentia laborant Philoſophi, qui ex mediis & propinquis cauſis vela ſibi contexunt, ne manum Dei palam operantem agnoſcere cogantur. *Cedros Libani* præcipue commemorat, quia illic admodum proceræ & formoſæ erant. Libani & montis Hermon, item *deſerti Cades* meminit, quia hæc loca Judæis notiora erant. Metaphora vero plane poëtica, & cui conjuncta eſt hyperbole, utitur, dicens *Libanum ſaltare ad vocem Dei quaſi vitulum, Sirion* vero (qui idem eſt mons Hermon) *inſtar unicornis*, quod ſcimus perniciſſimum eſſe animal. Alludit autem ad terrificum tonitruum fragorem, qui montes videtur à ſuis radicibus fere convellere. Similis eſt figura, ubi dicit, *Jehovam excidere flammas ignis*, dum ſcilicet exhalationes quaſi ejus malleo percuſſæ, in fulgetra & fulmina erumpunt. De his rebus acutiſſime Ariſtoteles in Meteoris diſputat, quantum ad propinquas cauſas, niſi quod præcipuum caput omittit. Eſſet quidem utilis & jucunda earum rerum inveſtigatio, ſi nos ut decebat, manu duceret ad ipſum naturæ auctorem: ſed ubi totidem obſtaculis nos moratur ac retardat, quot occurrunt mediæ cauſæ, nihil eſt magis præpoſterum. perinde enim eſt acſi quis in primis rudimentis tota vita ſubſiſtat. Denique hoc eſt ita diſcere, ut nihil unquam ſcias. Unum igitur laude dignum acumen eſt, vehiculis iſtis attolli in cælum uſque, ut non tantum confuſus ſonitus aures noſtras feriat, ſed vox Domini ad pietatem erudiat. Quidam verbum יָחִיל, aliter exponunt, quod *Deus parturire faciat deſertum Cades*, quia in populi tranſitu multa in eo miracula edita fuerunt: quem ſenſum tanquam longe petitum & nimis coactum repudio. Videtur enim potius alludere David ad communem hominum ſenſum. nam quum per ſe horridæ ſint ſolitudines, plus illic terroris incutiunt tonitrua, grandines & procellæ: non diſplicet tamen, pro feris ipſis deſertum accipi per ſynecdochen: atque ita proximus verſus, ubi cervarum fit mentio, exegetice additus erit.

9. Vox Jehovæ parturire facit cervas, & retegit ſylvas, & in templo ejus omnes dicunt laudem.

10. Jehova diluvio præſidet, præſidet inquam Jehova Rex in perpetuum.

11. Jehova robur populo ſuo dabit, Jehova benedicet populo ſuo in pace.

9 קוֹל יְהוָה יְחוֹלֵל אַיָּלוֹת וַיֶּחֱשֹׂף יְעָרוֹת וּבְהֵיכָלוֹ כֻּלּוֹ אֹמֵר כָּבוֹד׃

10 יְהוָה לַמַּבּוּל יָשָׁב וַיֵּשֶׁב יְהוָה מֶלֶךְ לְעוֹלָם׃

11 יְהוָה עֹז לְעַמּוֹ יִתֵּן יְהוָה יְבָרֵךְ אֶת עַמּוֹ בַשָּׁלוֹם׃

9. *Vox Jehovæ parturire facit.*] Subeſt (ut diximus) tacita comparatio. Eſt enim pluſquam abſurdum & monſtro ſimile, homines Dei voce non affici, cujus vis tam efficaciter ſe exerit erga feras beſtias. Jam quidem fœda ingratitudo eſt, in toto naturæ ordine, non ſentire ejus providentiam & imperium: ſed deteſtabilis eſt iſta ſocordia, raris ſaltem & inſolitis ejus operibus, quæ feras beſtias ad obſequium cogunt, ipſos non doceri. Quod *cervas* potiſſimum nominari quidam interpretes exiſtimant ob difficilem partum, non diſplicet. Dicitur autem *vox Domini ſylvas detegere*, vel quia nullis integumentis arcetur quominus in abditiſſimos quoſque receſſus & cavernas penetret: vel quia fulmina, imbres, & procelloſi venti foliis decuſſis arbores denudant. Uterque enim ſenſus non male convenit. *In templo ejus.* Quum vox Dei totum mundum impleat, ſeque diffundat in ultimas uſque plagas: ejus tamen gloriam in ſola Eccleſia celebrari dicit Propheta: quia ſcilicet Deus illic non modo articulate loquitur, ſed blande etiam fideles ad ſe invitat. Terrifica enim ejus vox, quæ variis modis in aëre tonat, ſic verberat hominum aures, & corda pulſat, ut tamen recedere quam appropinquare malint. Omitto quod bona pars ſurdis auribus ſonitum vocis divinæ in procellis, imbribus, tonitru, & fulminibus præterit. Quia ergo non eo uſque proficiunt homines in illa univerſali ſchola, ut ſe Deo ſubjiciant: ſcite David ſpecialiter fideles dicit, laudes Dei in templo ejus canere: utpote qui familiariter edocti paterna ejus voce, totos ſe addicunt in ejus cultum & conſecrant. Nemo enim rite gloriam Dei prædicat, niſi qui voluntarius eſt ejus cultor. Ac poſſet hoc in modum querimoniæ accipi, ut David accuſet totius mundi ſilentium: quia quum ubique vox ejus perſonet, nuſquam prædicentur ejus laudes niſi in unico templo. Videtur tamen piorum exemplo totum humanum genus hortari ad celebrandum Dei nomen, & conſulto templum ſtatuere quaſi auditorium gloriæ Dei: ut ſciremus, ad Deum vere cognoſcendum & laudandum, alia voce opus eſſe, quam per tonitrua, imbres & procellas in aëre, montibus, & ſylvis auditur. niſi enim articulate nos doceat, & quidem paterni amoris guſtum præbens, ad ſe blande alliciat: muti ſemper jacebimus. Sola eſt igitur ſalutis doctrina quæ ejus gratiam, totamque voluntatem nobis clare patefaciens, corda noſtra exhilarat, oraque noſtra aperit ad canendas ejus laudes. Itaque hinc ejus laudandi ratio diſcenda eſt: & certe videmus, nullum tunc in toto orbe, excepta

Judæa, fuiſſe pietatis lumen: imo Philoſophi qui viſi ſunt ad Dei notitiam propius accedere, nihil prorſus afferunt quod eum vere glorificet. Quicquid enim de religione diſſerunt, non modo frigidum eſt, ſed fere inſipidum. Ergo in ſolo ejus verbo lucet veritas, quæ nos ad pietatem adducat.

10. *Jehova diluvio præſidet.*] Quidam Davidem ad illam memorabilem Dei vindictam alludere putant, quum ſemel orbem terrarum ſubmerſit: quia tunc teſtatum fecit omnibus ſeculis ſe hominum eſſe judicem. Quibus etſi ex parte aſſentior, ſententiam tamen longius extendo. Idem enim, meo judicio, argumentum proſequitur David, admonens, ipſas quoque inundationes, quæ terræ interitum minantur, ſic temperari Dei providentia, ut ipſum gubernacula ſemper tenere appareat. Ergo inter alia potentiæ Dei documenta hoc commemorat David, etiam quum maxima aëris intemperie videntur elementa ſimul inter ſe miſceri & confundi, Deum tamen è ſolio ſuo cæleſti regere ac moderari iſtas perturbationes. Ideo exegetice addit, Deum perpetuo ſedere Regem.

11. *Jehova robur populo ſuo dabit.*] Redit ad ſuperiorem ſententiam, Deum ſcilicet, quamvis promiſcue virtutem ſuam viſibilem exhibeat toti mundo, peculiari tamen modo erga electum populum exerere: imo longe aliter quam ſupra, nunc eum deſcribit, qui ſcilicet non metu & formidine proſternat quos alloquitur, ſed potius ſuſtentet, foveat ac confirmet. Roboris nomen totum ſtatum continet. itaque quicquid ad tuendam vitam fidelium pertinet, à ſola Dei gratia pendere ſignificat. Id amplificat Benedicendi verbo. Dicitur enim benedicere Deus in pace quos tam liberaliter ac benigne tractat, ut nihil ad proſperum vitæ curſum, plenamque felicitatem deſit. Hinc ergo diſcamus ſic revereri Dei imperium, ut tamen ab eo proſpera omnia ſperemus: & quantum ipſe valet immenſa potentia, certo perſuaſi ſimus, invicto præſidio nos munitos eſſe.

ARGUMENTUM PSALMI XXX.

David ex magno aliquo diſcrimine liberatus, non ſolum ipſe privatim Deo gratias agit, ſed ſanctos omnes ad hoc officium invitat ſimul & hortatur. Deinde fatetur, quia ſibi in rebus proſperis nimis ſecure blanditus fuerat, confidentiam ſuam merito correctam fuiſſe. Tertio, poſtquam breviter mærorem ſuum expoſuit, ad gratiarum actionem iterum revertitur.

PSALM. XXX.

Pſalmus cantici dedicationis domus David.	1 מזמור שיר חנכת הבית לדוד :
2. Exaltabo te Jehova, quia extuliſti me, neque exhilaraſti inimicos meos de me.	2 ארוממך יהוה כי דליתני ולא שמחת איבי לי :
3. Jehova Deus mi, clamavi ad te, & ſanaſti me.	3 יהוה אלהי שועתי אליך ותרפאני :
4. Jehova, aſcendere feciſti è ſepulchro animam meam, vivificaſti me à deſcendentibus in foveam.	4 יהוה העלית מן שאול נפשי חיתני מירדי בור :

DUbitant interpretes à Davidene compoſitus fuerit hic Pſalmus, an auctor ejus fuerit quiſpiam ex Prophetis, poſtquam ab exilio Babylonico reverſi ſunt Judæi. Domus enim templum illis ſignificat. Sed quum inſcriptio diſerte nomen Davidis exprimat, magis videtur probabile, de privatis ædibus haberi ſermonem. Porro quod divinant quidam, Davidem, quum palatium dedicare vellet, gravi morbo fuiſſe correptum, ſolida ratione non nititur: quin potius conjicere ex Sacra hiſtoria licet, ſimulac palatium ſuum ædificavit, tranquille & commode illic habitaſſe. Dicebat enim Prophetæ Nathan, pudendum ſibi eſſe quod quieſceret ipſe in domo cedrina, Arca vero fœderis ſub pellibus jaceret. (*2 Sam. 7. verſ. 2.*) Deinde ad morbum reſtringere quod hic de periculo refertur, nulla ratio cogit. magis credibile eſt, quum extincto Abſalom, deletaque ejus factione, & compoſito exitiali illo motu, quaſi poſtliminio in priſtinum regni ſtatum reverſus eſſet, hanc Dei gratiam celebraſſe. Commemorat enim ſe ideo fuiſſe Dei manu caſtigatum, quia lætiore fortuna nimis exultans & fere ebrius, falſo & ſtulte æternam à rebus adverſis immunitatem ſibi promiſerat. Porro magnificam & regiam illam domum, cujus paulo ante memini, jam incolere cœperat, regno vixdum bene pacato. tunc igitur nondum humanæ fragilitatis oblivio obrepere potuit, quæ iram Dei provocaret, periculumque accerſeret: quod ab ultimo interitu parum abfuit. Quare abſurdum non eſt, ob recuperatum priorem ſtatum, hoc Pſalmo celebrari Dei gratiam. Domum enim quæ inceſtis ſtupris Abſalom, aliiſque flagitiis polluta fuerat, iterum dedicare neceſſe fuit. & ſub hoc nomine videtur notari reſtitutio tam in vitam quam in regnum: acſi diceret, hunc ſe hymnum cecinisse Deo, poſtquam rebus publice compoſitis, domum quoque ſuam ſolenni more dedicavit, ut in ſua familia degeret. Cæterum de hac Legali ceremonia breviter hoc notandum eſt, quia ad reputanda Dei beneficia ſegnes admodum & frigidi ſumus: hoc genus exercitii veteri populo fuiſſe mandatum, ut agnoſceret nullius rei uſum ſine gratiarum actione purum & legitimum eſſe. Ergo ſicut in primitiis proventum totius anni Deo ferebant acceptum, ſic etiam domos conſecrando, Dei ſe inquilinos eſſe fatebantur, quia eos hoſpitio exciperet. Ideo ſi delectus ad bellum fiebat, hæc juſta vacationis cauſa fuit. Adde quod hoc ritu ſimul admonebantur, tunc rite & ordine unumquemque domo ſua frui, ſi quoddam eſſet Dei Sacrarium, ubi vigeret pietas & ſincerus ejus cultus. Nunc quamvis ceſſaverint Legis figuræ, tenenda eſt tamen Pauli doctrina, Quæcunque Deus in uſum noſtrum deſtinat, fide & precibus demum ſanctificari.

2. *Exaltabo te Jehova.*] Quia tanquam è ſepulchro in auram vitalem ſublatus fuerat, nomen Dei ſe exaltaturum promittit. Sicut enim Deus nos in profundo demerſos, manu ſua in altum erigit, ſic viciſſim noſtrum eſt laudes ejus ore & lingua efferre. Hoſtes quibus lætitiæ materiam non fuiſſe præbitam dicit, tam domeſticos quam exteros intelligere licet. Quamvis enim improbi & malevoli ſervili adulatione eum coluerint, occultum tamen odium fovebant, ut parati eſſent ad inſultandum, ſi oblata fuiſſet occaſio. Secundo verſu ratiocinatur ſe Dei gratia ſalvum eſſe, quia in ipſo mortis articulo vota ſua ad Deum unum direxerit, ac repente ſenſerit non fruſtra ſe id feciſſe. Nam hinc certius colligimus, Deum nobis ſalutis eſſe auctorem, ubi preces noſtras exaudivit. Cæterum quia verbum רפא Hebræis ſignificat *ſanare*, hac ratione inducti ſunt interpretes ut ad morbum reſtringerent. Sed quia certum eſt,

eſt, interdum ſumi pro reſtituere, imo ad altare vel domum transferri, ubi inſtaurationis fit mentio: apte hic de qualibet liberatione exponere licebit. Neque enim tantum in morbis periclitatur hominis vita, ſed etiam aliis pluribus modis. & ſcimus hanc loquendi formam paſſim in Pſalmis occurrere, quod Davidi reddita fuerit vita, quoties eum Dominus è gravi ſummoque aliquo diſcrimine eripuit. Itaque amplificandi cauſa mox ſubjicitur, *Aſcendere feciſti à ſepulchro animam meam.* neque enim gratiæ magnitudinem ſe verbis aſſequi putavit, niſi ſepulchro & foveæ conferret illius temporis caliginem, quo ſe in fugam trepide conjicere coactus eſt, ut latebris vitam ſuam protegeret, donec ſedata eſſet tumultus flamma. ergo tanquam redivivus, ſe mirabiliter à præſenti morte extractum fuiſſe prædicat. Et certe quanta rerum omnium deſperatio miſere eum urgeret, ex Sacra hiſtoria patet.

5. Canite Jehovæ manſueti ejus, & * confitemini memoriæ ſanctitatis ejus.	5 זמרו ליהוה חסידיו והודו לזכר קדשו:
6. Quia momentum in ira ejus, vita in beneplacito ejus: veſpere morabitur fletus, & mane veniet exultatio.	6 כי רגע באפו חיים ברצונו בערב ילין בכי ולבקר רנה:

* vel, pſallite ad memoriam.

5. *Canite Jehovæ manſueti ejus.*] Quo ſuam gratitudinem melius teſtetur, ſanctos omnes ad canendas Dei laudes ſibi ſocios advocat, & ab una ſpecie tranſit ad totum genus. Quia enim præter ſpem ſervatus, hoc exemplo de perpetua & immenſa erga cunctos fideles Dei bonitate edoctus fuerat, in hanc exhortationem erumpit, quæ communem totius Eccleſiæ ſalutem cum ſua complectitur. Neque enim recitat tantum qualem ipſe Deum expertus fuerit, ſed quam liberaliter propenſoque favore ſuos omnes juvare ſoleat. Denique uno documento admonitus ad generalem doctrinam ſenſus ſuos refert. Quid valeat epithetum חסידים quo ſæpe fideles inſignit David, dictum eſt Pſalmo 16. Cæleſtis enim adoptio eos ad beneficentiæ ſtudium accendere debet, quo Patris ingenium referant, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos. Nihil autem eſt quo propius ad Deum accedant homines, quam beneficentia. *Memoria ſanctitatis* in ſecundo membro verſus, ad Tabernaculum referri poteſt: acſi juberet David, omnes Dei filios prodire coram Arca fœderis, quæ memoriale erat præſentiæ Dei. Litera enim ל locum ſæpe denotat. Libenter tamen eorum ſententiæ ſubſcribo, quibus Memoria tantundem valet ac Nomen. & certe ſuis operibus memorabilem ſe Deus reddit, ubi relucet gloriæ ejus imago, cujus intuitu nos ad eum laudandum expergeſieri convenit.

Matth. 5. verſ. 45.

6. *Quia momentum in ira.*] Vitam momento opponi, extra controverſiam eſt, ideoque pro longa duratione, vel continuo diuturni temporis progreſſu accipi. Fatetur autem David, ſiquando ſuos caſtigat Deus, non tantum mitigare pœnarum rigorem, ſed ſtatim placari, & iræ ſuæ modum imponere: indulgentiam vero & favorem prorogare in longum tempus. Ac generalem ſententiam (ut dixi) proferre maluit, quam ſpeciatim de ſe loqui, ut intelligant pii omnes continuum hunc gratiæ tenorem ad ſe pertinere. hinc tamen colligimus quanta ſpiritus manſuetudine, & quam prompto obſequio, Dei ferulis tergum ſubjecerit. Scimus, à primo ætatis flore, toto fere vitæ tractu, multiplici afflictionum congerie ita fuiſſe exercitum, ut miſer & ærumnoſus præ omnibus aliis cenſeri potuerit: Dei tamen bonitatem prædicans, ſe leviter exiguo tempore, & quaſi in tranſcurſu rebus adverſis jactatum fuiſſe agnoſcit. Porro hinc tanta moderatio & æquitas, quod pluris æſtimavit Dei beneficia, & in cruce toleranda magis ſe placidum præbuit quam vulgo mundus ſoleat. Si proſpere nobis eſt, ſine ſenſu voramus Dei beneficia, certe nobis per ſocordiam effluunt. ſimul vero ac triſte aliquid & adverſum accidit, perinde conquerimur de ejus rigore acſi nunquam benigne & clementer nobiſcum egiſſet. Denique moroſitas noſtra & tædium in dolore ſeculum ex momento facit: malignitas vero & ingratitudo gratiam Dei, quantumvis in nos prorogetur, momentaneam eſſe fingit. Sola igitur noſtra pravitas impedit quominus re ipſa ſentiamus omnes iram Dei brevem eſſe, gratiam vero toto vitæ curſu in nos propagari. Neque enim fruſtra toties pronunciat ſe miſericordem & propitium eſſe in mille generationes, longæ patientiæ, tardum ad iram, ad dandam veniam propenſum & facilem. & quod dicit per Jeſaiam, quia ad regnum Chriſti ſpectat, quotidie impleri neceſſe eſt, Ad momentum in ira mea afflixi te, ſed miſericordiis ſempiternis te colligam. Conditio noſtra, fateor, tot miſeriis in hoc mundo implicita eſt, tantaque varietate agitatur ut nullus fere dies ſine moleſtia & dolore prætereat. deinde inter tot dubios eventus fieri non poteſt quin aſſidue anxii ſimus ac trepidi. Quocunque igitur ſe vertant homines, labyrinthus malorum eos circumdat: ſed quamlibet multis iræ ſuæ ſignis terreat Deus atque humiliet fideles ſuos, dulcedinem tamen gratiæ ſuæ ſemper aſpergit, quæ mœrorem temperet ac leniat. Ergo ſi juſta trutina examinent iram & *beneplacitum*, ſemper verum erit, illam eſſe momentaneam, hoc autem extendi uſque ad vitæ finem. quanquam ultra progredi convenit. perperam enim includitur Dei gratia intra hujus caducæ vitæ fines. Ac omnino ſic habendum, nullos, niſi qui cæleſtis vitæ guſtu ſupra mundum feruntur, ſerio hunc indefeſſum & perpetuum gratiæ Dei curſum ſentire, ut alacriter ejus caſtigationes perferant. Itaque eo nos revocat Paulus, ut invicta tolerantia confirmet. Momentanea levitas afflictionis noſtræ, mire ſupra modum æternum pondus gloriæ parit, nobis non ſpectantibus quæ videntur, ſed quæ ſunt abſcondita. Interea tenendum eſt, Deum ſuis nunquam tam graves vel diuturnas pœnas infligere, quin manum ſubinde retrahat, & aliquo ſolatio condiat doloris acerbitatem. Ita quiſquis ad vitæ cæleſtis meditationem erectus erit, nunquam afflictionibus, licet continuis, ſuccumbet: & illis ingentes ac multiplices Dei gratias conferens, tantum his deferet honoris, ut bonitas centuplo iram præponderet. Secundo membro figurate eandem ſententiam repetit. non intelligit ſimpliciter unius noctis fore afflictionem: verum ſiqua tanquam veſpere aut in Solis occaſu caligo incubuerit, lucem paulo poſt exorituram, quæ triſtes animos recreet. Huc tendit Davidis conſilium, niſi eſſemus nimium præcipites, Dominum, etiam ubi ad breve tempus nos malorum caligine obruere viſus eſt, ſemper opportune ſuggerere lætitiæ materiam, acſi poſt noctem ſurgeret aurora.

Jeſa. 54. verſ. 7.

2 Cor. 4. verſ. 17.

7. Ego autem dixeram in quiete mea, Non movebor perpetuo.	7 ואני אמרתי בשלוי בל אמוט לעולם:
8. Jehova, in beneplacito tuo ſtabilieras monti meo robur, abſcondiſti faciem tuam, fui perculſus.	8 יהוה ברצונך העמדתה להררי עז הסתרת פניך הייתי נבהל:

9. Jehova,

9. Jehova, ad te clamavi, & ad Dominum meum deprecatus ſum.

9 אליך יהוה אקרא ואל יהוה אתחנן׃

10. Quæ utilitas in ſanguine meo ubi deſcendero in foveam? an celebrabit te pulvis? an prædicabit veritatem tuam?

10 מה בצע בדמי ברדתי אל שחת היודך עפר היגיד אמתך׃

11. Exaudi Jehova, & miſerere mei, Jehova ſis mihi adjutor.

11 שמע יהוה וחנני היה עזר לי׃

7. *Ego autem dixeram.*] Hæc eſt confeſſio cujus antea memini, in qua ſe agnoſcit juſte & merito dediſſe ſtultæ ſecuritatis pœnam, quia ſcilicet conditionis ſuæ oblitus, nimium rebus proſperis ſe addixerat. *Quietis* enim nomine tranquillum & felicem Regni ſtatum intelligit. Alii שלוה vertunt abundantiam: quo ſenſu alibi ſæpe accipitur: ſed contextui melius quadrat nomen Quietis, acſi diceret, Ubi undique arriſit fortuna, nec quicquam apparuit periculi unde metuendum eſſet, mentem ſuam quaſi ſopore fuiſſe perfuſam, ut ſibi continuum felicitatis curſum promitteret. Hæc enim fiducia carnis, etiam ſanctis, dum in ſuis deliciis, tanquam in fæcibus, reſident, ſubinde obrepit:
[Jere. 31. verſ. 18.] ideo Jeremias ſe indomito vitulo comparat antequam ſubigeretur à Domino, & aſſuefieret ad jugum. Etſi autem prima ſpecie leve eſſe videtur hoc vitium, colligere tamen ex pœnis licet quantopere Deo diſpliceat: quod nobis mirum non erit, ſi reputemus ex qua radice naſcatur, & quos rurſum fructus ex ſe pariat. Quum enim innumeræ aſſidue mortes nobis verſentur ante oculos, & tot mutationum exempla nos ad timorem curamque ſollicitent, diabolica ſuperbia faſcinatos eſſe oportet qui ſibi perſuadent vitam ſuam à communi totius mundi ſorte immunem fore. vident confuſa varietate miſceri totam terram, & ſingulas ejus partes quodammodo huc illuc verſari: perinde acſi non eſſent ex hominum numero, imaginantur ſe fore ſemper ſtabiles, nec ullis mutationibus obnoxios. hinc carnis laſcivia, ut ſuis cupiditatibus licenter indulgeant: hinc faſtus & crudelitas, hinc etiam precandi negligentia. Quomodo enim ad Deum confugerent, quos nullus ſtimulat vel movet ſuæ neceſſitatis ſenſus? Eſt etiam Dei filiis ſua pia ſecuritas, quæ turbulentis mundi procellis, tranquillos eorum animos tenet: ſicuti David etiamſi totum mundum quatefieri vidiſſet, Dei promiſſioni innixus, de regni ſui perpetuitate bene ſperare debuit. Sed fideles quamvis fidei ſuæ alis in ſublime elati, res adverſas deſpiciant: quia tamen reputant communibus moleſtiis ſe eſſe obnoxios, comparant ſe ad tolerantiam, ſingulis horis intenti ſunt ad excipiendos ictus: in ea militia ad quam ſe norunt deſtinatos, excuſſo torpore ſe exercent, trepide ſe conferunt in fidem Dei, nec ſe alibi tutos fore confidunt, quam ſub ejus manu. Aliter David, qui proſperi ſtatus illecebris captus, æternam ſibi quietem ex proprio ſenſu magis quam ex Dei verbo pollicitus eſt. Idem
[2 Par. 32. verſ. 24.] accidit & ſancto Regi Ezechiæ, qui nuper afflictus gravi morbo, ſimulac bene & ex voto ſucceſſit, carnis vanitate ad ſuperbiam & oſtentationem rapitur. quo magis cavere nos decet, nê inter lætos ſucceſſus blanditiis ſuis nos faſcinet Satan. Quo igitur quiſque benignius tractatur à Deo, à talibus inſidiis diligentius ſibi caveat. Neque tamen credibile eſt, ſic obtorpuiſſe Davidem, ut Deo contempto, malis omnibus inſultaret: ſicuti multos Cyclopes videmus, dum ſuaviter in ſua crapula demerſi ſunt, proterve ridere omnia Dei judicia. ſed mollis quædam inertia mentem ejus occupaverat, ut frigidior eſſet ad precandum, non penderet à Dei favore, denique fluxæ & caducæ felicitati nimium confideret.

8. *Jehova in beneplacito tuo.*] Hoc verſu notatur diſcrimen inter fiduciam quæ in verbo Dei fundata eſt, & carnis ſecuritatem quæ ex arrogantia emergit. Neque enim fideles, dum in Deum recumbunt, ſegnes interea ſunt ad precandum: quin potius ſedulo reputantes quanta diſcriminum congerie cingantur, & quotquot humanæ fragilitatis exempla cernunt, his admoniti, ad Deum ſuſpirant. Hac igitur in parte deliquit Propheta, quod anchoram ſuam figens in præſenti opulentia & pace, aut vela expandens ad ſecundos ventos, à gratuito Dei favore non pependit, ut ſingulis momentis paratus eſſet, quicquid contulerat, in ejus manum reſignare. Notanda eſt enim antitheſis inter ſtabilitatem, cujus fiducia ex pace concipitur, & quæ locatur in gratuito Dei favore. Quod *ſtabilitum monti ſuo robur* fuiſſe dicit, quidam interpretes de monte Sion exponunt. Alii accipiunt pro arce munita, quia olim ſolebant in montibus & locis editis propugnacula extrui. Ego ſicuti metaphorice pro ſolida fultura nomen hoc accipio, ita libenter aſſentior, Prophetam ad montem Sion alludere. Stultitiam ergo ſuam accuſat David, quod non reputaverit ut decebat, nihil in nido quem ſibi fingebat, eſſe firmitatis, ſed in ſolo Dei beneplacito. *Abſcondiſti faciem tuam.* Nunc fatetur, poſtquam privatus eſt Dei donis, hoc quaſi elleboro mentem ſuam à pravæ confidentiæ veterno fuiſſe purgatam. Mira certe & incredibilis ratio, quod Deus abſcondita facie ſua, tanquam obductis tenebris, ſervi ſui oculos illuminavit, qui in clara luce nihil videbant. Sed ita neceſſe eſt nos violenter concuti ad abigendas blanditias, quæ & fidem ſuffocant, & invocationem Dei morantur, & dulci amentia nos prorſus obſtupefaciunt. quod ſi tali remedio opus habuit David, non ea præditi ſumus ſanitate quin utile nobis ſit, pinguedinem ſecuritatis, inopia abſtergi. Itaque non eſt quod miremur Deum ſubinde abſcondere faciem ſuam, ad cujus intuitum, dum ſerena affulget, perperam cæcutimus.

9. *Jehova, ad te.*] Jam ſequitur caſtigationis fructus, quod David in utramque prius aurem dormiens, ſuamque pigritiam oblivione fovens, repente expavefactus clamare ad Deum incipit. Nam ſicut ferrum, ubi diuturna quiete rubiginem contraxit, accommodari ad ullos uſus non poteſt, donec igne recoctum & malleo contuſum fuerit: ſic poſtquam ſemel prævaluit carnis ſecuritas, nemo ſe ad precandum alacriter accinget, niſi cruce maceratus, & probe ſubactus. Atque hæc præcipua eſt afflictionum utilitas, dum miſeriæ noſtræ conſcios ad expetendam Dei gratiam revocant.

10. *Quæ utilitas.*] Nonnulli ita exponunt, Quid profuerit me vixiſſe, niſi eouſque vitam meam proroges, donec curſum vocationis meæ abſolvero? Verum nimis reſtricta videtur eſſe ſententia hæc. nec certe *ſanguis* hic pro vita, ſed pro morte ponitur: acſi diceret, Quem ex morte mea fructum elicies? Quod ex altero membro certius colligere licet, ubi cadaver ſuum ad annunciandas Dei laudes inutile fore conqueritur. Diſerte tamen videtur facta eſſe *veritatis* mentio: quia conſentaneum non erat, Davidem immatura morte è medio abripi, antequam præſtaret Deus quod de futuro hærede promiſerat. Nam quum mutua ſit relatio inter Dei promiſſiones & fidem noſtram, veritas quaſi media eſt, qua Deus palam oſtendit ſe non ideo liberaliter verbis nobiſcum agere, ut nos inani ſpe lactet ac demum fruſtretur.

tur. Porro ut longiorem vitam obtineat, argumentum ducit à Dei laudibus, ad quas celebrandas nati ſumus & conditi: acſi diceret, Quorſum me creaſti ô Deus, niſi ut toto vitæ meæ curriculo teſtis ac præco ſim tuæ gratiæ ad illuſtrandum nomen tuum? atqui hoc ſtudium mors mea abrumpet, quia extinctus ad æternum ſilentium redigar. Exoritur tamen quæſtio, annon mors etiam fidelium, perinde ac vita, Deum glorificet. Sed David non ſimpliciter loquutus eſt de morte, quia circumſtantiam addidit quam tractavi Pſalmo 6. Nam quia ſucceſſorem illi Deus promiſerat, hac ſpe præciſa non immerito terruit eum fruſtratio, ut coactus exclamaret, Quæ utilitas in ſanguine meo? Gloriæ enim Dei intererat, ſuperſtitem eum manere, donec voti ſui compos, fidei præſtitæ ac completæ teſtimonium Deo redderet. In fine verſus quærens an pulvis confitebitur Deo, non prorſus eripit mortuis ejus laudandi facultatem, ut Pſalmo 6. expoſui. Nam ſi fideles carnis onere gravati, in hoc tamen pietatis officio ſe exercent, quomodo exuti & ſoluti corporis vinculis reſides ceſſarent? Tenendum igitur eſt, Davidem non tractare ex profeſſo quid agant, vel in quo ſe exerceant mortui, ſed tantum reſpicere in quem finem vivamus in hoc mundo, nempe ut alii aliis viciſſim gloriæ Dei ſimus præcones. hac meditatione defuncti uſque ad ultimam vitæ metam, in morte obmuteſcimus.

11. *Exaudi Jehova.*] Hac clauſula priorem querimoniam temperat & corrigit. abſurdum enim fuiſſet, quaſi deſperata ſalute, expoſtulare cum Deo, & in hoc fremitu deſinere. Poſtquam ergo flebiliter rogavit quid morte ſua Deus proficeret, ſe ad liberiorem precandi formam animat, & nova ſpe concepta implorat Dei miſericordiam & auxilium. priori autem loco gratiam Dei ſtatuit, unde opem quam flagitat, ſperare debuit.

12. Convertiſti luctum meum in tripudium mihi, ſolviſti ſaccum meum, & cinxiſti me lætitia,

12 הפכת מספדי למחול לי פ
פתחת שקי ותאזרני שמחה׃

13. Ut pſallat tibi gloria, & non ſileat: Jehova Deus mi, perpetuo celebrabo te.

13 למען יזמרך כבוד ולא ידם
יהוה אלהי לעולם אודך׃

12. *Convertiſti.*] Gratiarum actione à qua exorſus fuerat, Pſalmum claudit. Nam quod incolumis evaſit, Dei opus & beneficium eſſe confirmat. deinde cauſam finalem adjungit, ut quod reliquum eſt vitæ, ad canendas Dei laudes impendat. Porro ſicuti fatetur David ſe in malis non fuiſſe ſtupidum vel ferreum quin triſtis & mœſtus lugeret, ita oſtendit, luctu ipſo ad deprecandam iram Dei ſe fuiſſe deductum. Utrumque maxime dignum eſt obſervatu, ne Stoicam duritiem fingamus in ſanctis, quæ omnem doloris ſenſum eis ademerit. deinde, ut ſciamus, lugendo pœnitentiam meditatos eſſe. hoc poſterius *Sacci* nomine deſignat. Solenne enim fuit veteri populo, ſaccum in luctu induere, & quidem non alia de cauſa, niſi ut reorum more, ſuppliciter in ſordido habitu ad veniam impetrandam coram cæleſti Judice prodiret. atque etiam ſcimus Orientales populos præ aliis ad ceremonias fuiſſe proclives. Jam tenemus, Davidem, quamvis patienter ſe Deo ſubjiceret, non fuiſſe dolore vacuum. Sed videmus ſimul, triſtitiam ejus fuiſſe ſecundum Deum, ſicuti [2 Cor. 7. verſ. 10.] Paulus loquitur: quia teſtandæ pœnitentiæ cauſa ad ſaccum ſe contulit. *Tripudii* voce non intelligitur laſciva quævis vel profana ſaltatio, ſed gravis & ſancta profeſſio lætitiæ, qualem recitat Sacra hiſto- [2 Sam. 6. verſ. 16.] ria, quum David Arcam fœderis in locum ſuum deferret. Cæterum ſi dandus eſt conjecturis locus, hinc etiam colligere licet, magnum hoc diſcrimen, de quo loquutus eſt David, ad morbum aliquem perperam reſtringi. neque enim veriſimile eſt, ſaccum induiſſe, quum lecto affixus jaceret. Non eſſet quidem per ſe hæc ſatis firma ratio, ſed tamen in re dubia pondere non caret. Significat igitur David, ſe depoſita lugubri veſte, à ſqualore & ſordibus ad lætitiam fuiſſe reverſum: idque unius Dei gratiæ adſcribens, liberatorem ſuum fuiſſe teſtatur.

13. *Ut pſallat tibi gloria.*] Clarius exprimit hoc verſu ſe agnoſcere in quem finem divinitus à morte ereptus fuerit, ſibique curæ futurum ut juſtum gratitudinis officium Deo rependat. Gloriæ nomen alii ad corpus, alii ad animam aut ſuperiores animæ ſenſus referunt. Quia autem non additur pronomen, alii vertere malunt in accuſativo caſu, & ſubaudiunt particulam Quiſque, acſi diceret Propheta, beneficium hoc eſſe dignum quod publicis omnium præconiis celebretur. Sed quia coactæ ſunt ejuſmodi interpretationes, maneo in ſententia quam poſui. Nomen כבוד pro lingua interdum metaphorice ſumi certum eſt, & viſum fuit Pſalmo 16. verſ. 9. Porro quum David mox adjiciat, *perpetuo celebrabo te*, contextus exigit ut peculiariter officium ſuum hic commemoret. Senſus ergo eſt, Domine, quia me ideo ſervatum agnoſco ut laudes tuæ in lingua mea reſonent, hanc tibi operam fideliter præſtabo, & partibus meis ad mortem uſque defungar. *Pſallere & non ſilere* apud Hebræos amplificat, acſi dictum eſſet, Ne lingua mea muta ſit, vel debita laude fraudet Deum, ſed potius ſe in ejus gloriam conſecret.

ARGUMENTUM PSALMI XXXI.

David ex ſummo aliquo diſcrimine, vel etiam pluribus liberatus, primum quas preces conceperit, objectis ſibi mortis terroribus, recitat. Deinde adjungit gratiarum actionem, eamque non vulgarem: quia in celebranda liberatione multis verbis inſiſtit, pioſque omnes ad bene ſperandum hortatur, quia tam præclarum in ſe & memorabile bonitatis Dei exemplum videant.

PSALM. XXXI.

PRæfecto canticum Davidis.

1 למנצח מזמור לדוד׃

2. In te Jehova ſperavi, ne pudeſiam in æternum, in juſtitia tua libera me.

2 בך יהוה חסיתי אל אבושה
לעולם בצדקתך פלטני׃

3. Inclina ad me aurem tuam, celeriter eripe me, ſis mihi in rupem fortitudinis, in domum munitionum ad ſervandum me.

3 הטה אלי אזנך מהרה הצילני
היה לי לצור מעוז לבית מצודות
להושיעני׃

[* vel, diriges me, & deduces me.] 4. Quia arx mea, & propugnaculum meum tu, & propter nomen tuum * diriges me, & deduces me.

4 כי סלעי ומצודתי אתה ולמען
שמך תנחני ותנהלני׃

5. Erue

5. Erue me è reti quod abſconderunt mihi, quia tu fortitudo mea.

5 תוציאני מרשת זו טמנו לי כי
אתה מעוזי :

IN te Domine.] Quod putant quidam compoſitum fuiſſe Pſalmum poſtquam David ex deſerto Maon præter ſpem incolumis evaſerat, mihi non diſplicet: quamvis dubia tantum ſit conjectura. certe vel maximum aliquod è ſuis periculis, vel plura etiam commemorat. Initio autem qua precationis forma in ſuo cruciatu & anxietate uſus ſit, refert. in quibus verbis mire ardentes affectus ſpirat. Fiduciæ argumentum ſumit, quia ſperavit in Domino, vel etiam confidat. verbum enim præteriti temporis videtur continuum actum notare. Tenebat enim principium illud, fieri non poſſe ut ſpes quæ in Deum recumbit, nos fruſtretur. Interea nihil affert præter unicam fidem, ſalutem ſibi ideo tantum promittens, quia Dei ope & gratia ſalvum ſe fore credat. quia jam alibi expoſita fuit hæc ſententia, & ſæpius recurret, ſatis eſt eam uno verbo attigiſſe. Utinam ſic in ea omnes ſe exerceant, ut cum Davide, quoties ad Deum accedimus, præfari liceat, ex hoc fonte manare preces noſtras, quia ſalutem noſtram in Dei manu repoſitam eſſe perſuaſi ſumus. Particula *In æternum*, duobus modis exponi poteſt. quia enim gratiam ſuam interdum ſubducit Deus, non male conveniet ſenſus, Quamvis nunc ope tua deſtituar, ne tamen ad finem uſque, vel perpetuo me abjicias. ita David contra tentationes ſe patientia armare volens, temporalibus anguſtiis fruſtrationem opponeret. Siquis ita accipere malit, quicquid acciderit malorum, ut ſemper ad opem ferendam præſto ſit Deus, ſubindeque, prout res poſtulabit, manum porrigat: hunc quoque ſenſum non repudio. Petit autem *liberari in juſtitia Dei*, eo quod Deus fidem ſervis ſuis datam præſtando, juſtum ſe probet. Nimis argute philoſophantur qui Davidem ad juſtitiam quam Deus gratuito ſuis largitur, confugere dicunt, quia propria operum juſtitia vacuus ſit. Stulte vero alii, qui Deum pro juſtitia ſua ſervare ſanctos putant: quia ſic meriti ſunt, ut æquum ſit mercedem illis rependi. Nam ex frequenti Pſalmorum uſu colligere promptum eſt, juſtitiam Dei pro fide accipi, qua ſuos omnes tuetur, qui ſe ejus præſidio tutelæque committunt. Ergo à natura Dei ſpem ſuam confirmat David, quia ſeipſum abnegare nequeat.

3. *Inclina ad me aurem tuam.*] Exprimunt hæc verba quanto ardore accenſus fuerit animus Davidis ad precandum. neque enim rhetorum more orationis ſplendorem vel ornatum affectat: ſed tantum affectus ſui vehementiam aptis verborum figuris deſcribit. In feſtinatione etiam oſtenditur periculi magnitudo. acſi diceret, mox de vita ſua actum fore, niſi Deus auxilium ſuum acceleret. *Arcis, propugnaculi*, & *rupis* nominibus ſignificat ſe hoſtibus ſuis imparem eſſe ad reſiſtendum: ideoque unicam ſpem reſtare in Dei præſidio.

4. *Quia arx mea.*] Poteſt uno contextu legi hic verſus, Quia tu mihi es inſtar arcis munitæ, propter nomen tuum dirigas me ac deducas toto vitæ curſu: atque ita copula (ut ſæpe alias) ſupervacua eſſet. Ego tamen in diverſum ſenſum inclino, quod David hac meditatione interpoſita, non modo ad ſtudium precandi, ſed impetrandi quoque fiduciam animet. Scimus enim hoc illi eſſe familiare, precibus miſcere quæ ad tollendam dubitationem, & certitudinem confirmandam valeant. Poſtquam ergo ſuam neceſſitatem expoſuit, jam ut animum colligat & erigat, ſtatuit certum fore voti ſui ſucceſſum. Prius dixerat, Sis mihi in rupem & propugnaculum: nunc addit, Certe tu es arx mea *& propugnaculum*: ſignificans ſe non temere jactaſſe has voces: ut multa optare ſolent à Deo increduli, quos dubii eventus timor ſuſpenſos tenet. Hinc etiam alterum deducit, quod perpetuo vitæ curſu Deum habiturus ſit ducem ac gubernatorem. Ac duobus quidem verbis rem unam deſignat, propter varios caſus, (ut ego quidem interpretor) & inæquales vices quibus circumagitur hominum vita: acſi dixiſſet, Sive per montes arduos reptandum, ſive per ſalebras enitendum, ſive inter ſpinas ambulandum ſit, te mihi perpetuum ducem fore confido. Porro quia ſemper vacillandi materiam in ſe reperient homines, diſerte petit David ut Deus nomen ſuum vel gloriam reſpiciat: ſicuti non aliunde ad nos juvandos proprie inducitur: atque ita tenendum eſt, Dei nomen quatenus meritis omnibus opponitur, unicam ſalutis noſtræ cauſam cenſeri. Proximo verſu inſidias & fraudes, quibus circumventus fuerat ab hoſtibus, ſub *retis* ſimilitudine videtur notare. Scimus enim de ejus morte inita ſæpe fuiſſe conſilia, quæ nullum effugium relinquerent: & quum magna aſtutia pollerent hoſtes, propter incredibile odium, acrius ad eum perdendum fuiſſe intentos, quam ut ſibi humanitus cavere poterit. Hac de cauſa Deum appellat ſuam fortitudinem: acſi diceret, ſufficere ad ſcindendos omnes laqueos quibus irretitos videt miſeros homines.

6. In manu tua commendabo ſpiritum meum, redemiſti me Jehova Deus veritatis.

7. Odio habui omnes obſervantes vanitates fallaces: ego autem in Jehova ſperavi.

8. Exultabo & lætabor in bonitate tua: quia reſpexiſti afflictionem meam, cognoviſti in anguſtiis animam meam:

9. Et non concluſiſti me in manu inimici: ſtatuiſti in latitudine pedes meos.

6 בידך אפקיד רוחי פדיתה אותי
יהוה אל אמת :

7 שנאתי השמרים הבלי שוא
ואני אל יהוה בטחתי :

8 אגילה ואשמחה בחסדך אשר
ראית את עניי ידעת בצרות נפשי :

9 ולא הסגרתני ביד אויב העמדת
במרחב רגלי :

6. *In manu tua.*] Iterum fidem ſuam Deo proponit David, ac teſtatur ſe tantum honoris tribuere Dei providentiæ, ut ſuas omnes curas in eam exoneret. Quiſquis enim ſe committit in Dei manum & cuſtodiam, non modo eum ſibi fert arbitrum vitæ & mortis, ſed placide inter omnia pericula in ejus præſidium recumbit. Verbo futuri temporis continuum actum haud dubie deſignat. itaque in præſenti apte vertitur. Notandum vero eſt, fieri non poſſe ut quis vitam ſuam Deo vere commendet, niſi qui mille mortibus ſe expoſitum reputans, illam vel de filo pendere ſentit, vel ab evanido flatu nihil fere differre. Sic David in ſumma deſperatione unum hoc ſibi reliquum facit, ut Deo vitæ cuſtode ac præſide fretus, in curſu ſuo pergat. Mirum eſt autem, quum nos omnes tam multa ſollicitent, vix centeſimum quemque hucuſque ſapere, ut vitam ſuam in Dei manu deponat. Læti & ſecuri in diem multi vivunt, acſi eorum conditio nidus eſſet tranquillus, & ab omni incommodo reconditus. ſimul vero ac metus aliquis objectus eſt, prorſus eos exanimat anxietas. Ita fit ut nunquam ſe ad Deum referant:

 quia

quia vel ſe decipiunt vanis illecebris, vel trepidatione perculſi, pavoreque attoniti, nullum paternæ ejus ſollicitudinis guſtum capiunt. Porro quum nos varii curarum æſtus exagitent, ac interdum etiam præcipites dejiciant, vel abripiant à recto officii curſu, vel ſaltem de gradu moveant: omnibus ſedandis unicum hoc remedium eſt, Deum, qui nobis auctor eſt vitæ, eundem quoque eſſe conſervatorem: unum hoc omnium onerum levamen, ne mœrore oppreſſos deſperatio abſorbeat. Quando itaque Deus vitæ noſtræ curam ſuſcipere & gerere dignatur, quamvis ſubinde variæ mortes impendeant, diſcamus ſemper ad hoc aſylum confugere: imo quo pluribus quiſque periculis obnoxius eſt, in hac meditatione attentius ſe exerceat. hic denique nobis contra omnes inſultus diſcriminum clypeus ſit, contra omnes jactationes & procellas ſit ſtatio. Quamvis de ſalute noſtra actum ſit, Deum tamen fidum eſſe ejus cuſtodem: hinc deinde emergat precatio, ut eam Deus tuendam & aſſerendam ſuſcipiat. Efficiet etiam hæc fiducia ut quiſque ſe ad obeundum vocationis ſuæ munus prompto obſequio accingat, & conſtanter intrepideque contendat ſemper ad metam. Unde enim fit ut tam multi ſegnes ſint ac reſides, alii perſide officium deſerant, niſi quia nimium providi terrentur periculis & incommodis: nullum interea Dei providentiæ locum relinquunt? Denique quiſquis in Dei præſidio non acquieſcit, ut ejus fidei & tutelæ vitam ſuam commendet, nondum quid ſit vivere, bene didicit. Contra vero quiſquis Deum ſtatuet vitæ cuſtodem, eam vel in media morte ſalvam fore non dubitabit. Neque enim vitam noſtram ideo tantum deponere oportet in manu Dei, ut illam in mundo ſuperſtitem conſervet: ſed etiam ut ab interitu vindicet in ipſa morte, ſicuti Chriſtus exemplo ſuo docuit. Quemadmodum enim David vitam ſibi inter mortis diſcrimina prorogari optavit: ſic Chriſtus caducæ hujus vitæ metam egreſſus eſt, ut in morte, ſpiritus ſalvus foret. Generalis ergo eſt iſta precatio qua vitam ſuam Deo commendant fideles: primum ut eam manu ſua protegat, quamdiu periculis mundi hujus obnoxia eſt: in morte vero, in qua nihil præter interitum cernitur, arcana ſua cuſtodia ſervet incolumem. Sic porro ſtatuendum eſt, nec in vita nec in morte à Deo nos unquam deſeri: quia quos præſidio ſuo ſalvos ad finem uſque deducit, tandem ad ſe recipit morientes. Hic unus eſt ex præcipuis Scripturæ locis ad corrigendam diffidentiam maxime idoneus: primum ne ſe perverſis curis & moleſtiis ultra modum torqueant fideles: deinde, ne metu fracti, ab officio diſcedant, ne ad captandas vanas ſpes & fallacia ſubſidia diffluant vel labantur, ne terroribus ſuccumbant, ne denique mortem exhorreant: quæ licet carnis ſit interitus, animas tamen non extinguit. Præcipue vero ad ſuperandas omnes tentationes valere hoc debet, quod Chriſtus animam ſuam moriens Patri commendans, omnes ſuorum animas cuſtodiendas ſuſcepit.
Actor. 7. verſ. 59. ideo & Stephanus cum cuſtodem invocat. Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum, inquit. Cæterum, quia anima ſedes eſt vitæ, ideo pro vita accipi ſatis notum eſt. *Redemiſti me.* Quod præteritum tempus quidam in futurum convertunt, mihi non videtur ratione fieri. nec enim dubito quin ſe ad fidendum animet David, quæ jam expertus erat gratiæ Dei documenta in memoriam revocans. Hoc enim non leviter nos in poſterum confirmat, ut certo perſuaſi ſimus, Deo vitam noſtram fore curæ, ſi jam prius liberator noſter fuerit. Atque huc pertinet epithetum, quo Deum inſignit. Deum enim veracem vel fidelem nominat, quia eundem perpetuo futurum credat, qualis antea fuit. ita hoc vinculo, precandi fiduciam & ſpem futuri auxilii cum ſuperioribus beneficiis connectit, acſi diceret, Domine, tu qui ſimilis tui ſemper manes, neque hominum more animum mutas, jam reipſa teſtatus es te ſalutis meæ eſſe vindicem. nunc igitur in manu tua animam, cujus fuiſti ſervator, depono. Quod David hic de terrena vita pronunciat, Paulus ad æternam ſalutem transfert, Novi, inquit, cui crediderim, & quod potens ſit ad ſervandum depoſitum. 2 Tim. 1. verſ. 12. Et ſane quum ex liberatione temporali David tantum conceperit fiduciæ, pluſquam maligni & ingrati ſumus, niſi contra omnes Satanæ machinas invicta fortitudine inſtruit redemptio Chriſti ſanguine parta.

7. *Odio habui*] Quo melius exprimat, fidem ſuam in Deo penitus defixam eſſe, vitioſis affectibus, qui mentes noſtras avertere à Deo ſolent, & quibus ut plurimum laborant increduli, purum ſe fuiſſe affirmat. Nam contrariorum antitheſis (ut ſcimus) rem melius illuſtrat. Cæterum nomen הבל ad magicas artes reſtringi (ut faciunt quidam interpretes) abſurdum eſt. Fateor quidem talibus impoſturis valde addictos fuiſſe Orientales, ut vulgare inter eos fuerit malum: ſed quum innumeris fraudibus, hominum mentes illaqueet Satan, & totidem illecebris à Deo avertat, ſpeciem unam duntaxat notari à Propheta, nequaquam probabile eſt. Quaſcunque ergo vanas ſpes nobis fingimus, quæ nos à Dei fiducia retrahant, *vanitates* generaliter appellat David, & quidem falſitatis vel mendacii: quia etſi ad tempus magnifica oſtentatione nos paſcunt, tandem deludunt ac fruſtrantur. Itaque teſtatur ſe abjectis vanitatibus, quas ad ſpes ſibi fabricandas imaginari homines ſolent, in ſolum Deum recumbere. Quia vero non modo ſe quiſque inebriat fallacibus mundi illecebris, ſed alii alios decipiunt: diſerte aſſerit Propheta ſibi odio fuiſſe omnes qui ſe talibus mendaciis implicant. ut certe ſummopere nobis fugiendi ſunt, niſi ultro velimus noxiis eorum captionibus irretiri. Secundum vero membrum conjunctim legendum eſt, *in Jehova ſperavi*, quia & cauſam odii aſſignat, & ſimul teſtatur, non aliter ſpem ſuam homines Deo addicere, niſi ab omnibus avocamentis abhorreant.

8. *Exultabo.*] Hic inſeritur gratiarum actio: quanquam multi ſuſpenſam orationem eſſe malunt, ac Davidem votum concipere, ſi fuerit è præſenti diſcrimine liberatus. Sed quia nulla conditio apponitur, magis in illam ſententiam inclino, eum abrupto precandi contextu ſibi exitum promittere, de quo gratias merito agat. nec vero mirum eſt, diverſos affectus in Pſalmis miſceri, in quibus tam ſuas tentationes quam fidei luctas expoſuit David: deinde quum jam ſalutem adeptus cecinerit Dei laudes, interdum diverſa tempora complectitur: ſicuti hic dicit *reſpectam fuiſſe afflictionem ſuam* à Deo, per reſpectum allatæ ſibi opis, effectum intelligens. & quo hoc melius confirmet, addit ſe non fuiſſe traditum in manus inimici: in quibus verbis tacita antitheſis ſubeſt: quum eſſet undique concluſus duris anguſtiis, mirabiliter à Deo fuiſſe ereptum. Eodem etiam pertinet quod additur, pedes ejus in latitudine fuiſſe poſitos: quia notatur ſubita & inopinata mutatio.

10. Miſerere mei Jehova, quia tribulatio mihi: computruit præ ira oculus meus, anima mea, & venter meus.

11. Quia defecit præ dolore vita mea, & anni mei præ gemitu, concidit in ærumna mea virtus mea, & oſſa mea computruerunt.

10 חנני יהוה כי צר לי עששה
בכעס עיני נפשי ובטני :
11 כי כלו ביגון חיי ושנותי ב
באנחה כשל בעוני כוחי ועצמי ד
עששו :

12. Propter omnes hoſtes meos fui opprobrium, etiam vicinis meis valde, & terror notis meis: & videntes me foris, receſſerunt à me.

12 מכל צררי הייתי חרפה ולשכני מאד ופחד למידעי ראי בחוץ נדדו ממני:

13. Oblivioni traditus ſum ſicut mortuus à corde, ſimilis factus ſum vaſi confracto:

13 נשכחתי כמת מלב הייתי ככלי אבד:

* vel, magnorum.

14. Quia audivi convitium * multorum: pavor circumquaque, dum conſultant ſimul contra me, & de capienda anima mea cogitant.

14 כי שמעתי דבת רבים מגור מסביב בהוסדם יחד עלי לקחת נפשי זממו:

10. *Miſerere mei Jehova.*] Multis querimoniis amplificat miſeriæ ſuæ, & doloris gravitatem, ut Deum ad ſuccurrendum flectat: non quod rationibus ad eum perſuadendum opus ſit, ſed quia fideles ut curas ſuas exonerent, familiariter ſecum agere patitur. Nam quo pluribus urgentur malis, dum ea coram Deo deplorant, tantundem ſe erigunt ad ſpem auxilii impetrandi. Etſi autem hyperbolicæ videri poſſent loquutiones, Davidi tamen propoſitum fuiſſe non dubito, ſenſus ſuos in medium proferre. Primo dicit, oculos ſuos, animam, & ventrem contabuiſſe mœrore. unde apparet, nec leviter, nec ad breve tempus his malorum tormentis fuiſſe vexatum. Ea certe manſuetudine præditus erat, ut non excandeſceret exiguo impulſu, neque triſtitiæ intemperantia ſe conficeret. Deinde ad mala tolerand pridem erat aſſuefactus. Ergo non niſi duriſſime, imo incredibili modo afflictus, eouſque indignationis prorupit. Jam per vocem iræ, oſtendit non ita ſe in conſtantia ferreum, vel paſſionum expertem fuiſſe, quin prorumperet ejus dolor ad nimiam vehementiam & ardorem. Unde colligimus, ſanctis durum ſæpe, & arduum fuiſſe cum ſuis paſſionibus certamen: nec eorum patientiam fuiſſe immunitatem à triſtitia, ſed anxie luctando, hoc tandem eſſe adeptos, ne eos malorum congeries obrueret. Per *vitam* intelligunt quidam ſenſus vitales: quod etſi non prorſus rejicio, ſimpliciter tamen exponere placet, quod mœrore conſumptus, vitam ſuam & annos effluere & deficere ſenſerit. Atque his verbis iterum non tam mollitiem ſuam, quam malorum atrocitatem deplorat. etſi Davidem minime puduit infirmitatem ſuam, cui remedium quærebat, libere fateri. Quod dicit, *Robur ſuum concidiſſe ſub ærumna*, quidam interpretes malunt Sub iniquitate, & עון, fateor, utrumque Hebræis ſignificat, imo ſæpius delictum & culpam: ſed quum pro pœna interdum ſumatur, quod melius contextui congruere viſum eſt, elegi. Quanquam autem verum eſt, quicquid unquam malorum perpeſſus eſt David, culpæ ſuæ adſcribere ſolitum: quia tamen tantum hic recitans ſuas miſerias, cauſam ſubticet, probabile eſt, rem unam pluribus modis ſuo more exprimere.

12. *Propter omnes hoſtes meos.*] Alii vertunt, præ hoſtibus, & quia litera מ ſæpe apud Hebræos comparative accipitur, ſenſum hunc eliciunt, quod amici & familiares Davidis eum ſupra omnes ejus hoſtes probroſum duxerunt. Sed aliud, meo judicio, voluit: quum paſſim eſſet exoſus, totumque fere populum in ſuam factionem traxiſſent hoſtes, infamia ſe apud amicos & propinquos flagraſſe, ſicuti commune judicium quaſi violenta tempeſtas, abripere animos noſtros ſolet. ideo copulam ו amplificandi cauſa poſitam fuiſſe arbitror, quod deteſtabilis fuerit David, non alienis modo, quibus ante fuerat ignotus, ſed præcipuis amicis. Addit etiam, quum procul aſpicerent, fugiſſe. Nam adverbio *Foris*, ſignificat non fuiſſe dignatos miſerum hominem propiore acceſſu: imo nequa mali contagio ad ipſos pertingeret, omnem quamvis remotum conſpectum fugiſſe: quod ſibi fraudi & dedecori fore ducerent, ullum oſtendere amicitiæ ſignum.

13. *Oblivioni traditus ſum.*] Proſequitur eandem ſententiam, ſeque non ſecus ex omnium memoria deletum fuiſſe conqueritur, acſi mortuus fuiſſet. Etſi enim quorundam poſt mortem viget memoria apud ſuperſtites, ſæpius tamen contingit evaneſcere: quia nec quicquam eſt commercii, nec vivi mortuos aliquo officii genere proſequi aut juvare poſſunt. Idem confirmat ſimilitudine vaſis corrupti, qua extremus contemptus & dejectio notatur: acſi dixiſſet, nullo jam loco vel numero ſe dignum cenſeri. Addit poſtremo, ſe exagitatum vulgo fuiſſe multis probris, & perculſum fuiſſe terroribus. Quanquam mihi magis placeret רבים Magnos vertere, quam Multos. Inde enim augetur indignitas, ſi primores, qui non minus judicio quam auctoritate pollent, nos traducunt & infamant, quaſi ſceleratos: quia apud plebeios inſtar eſt præjudicii, quicquid ab illis profectum eſt. Optime ergo congruet ſenſus, à toto procerum ordine contumelioſe damnatum fuiſſe Davidem, ut eorum ſplendore oppreſſa fuerit afflicti hominis innocentia. quam ſententiam confirmat quod continuo poſt adjungit, *Pavor circumquaque, dum conſultant ſimul.* Nam quum de iiſdem loquatur, aptius in primores hoc competere certum eſt, quam in obſcurum vulgus. Porro videmus, impios ſic fraudulentis conſiliis inter ſe conſpiraſſe ad perdendum Davidem, ut prius invidiam ei conflaverint tanquam homini ſceleſto & reprobo. Sic etiam convitiis eum laceraſſe, ut proterviam fuco gravitatis tegerent, de ejus pernicie inter ſe conſultando, acſi jam minime ferendus eſſet. itaque non mirum eſt, tot ac tam acerbis tentationibus (ſicut nuper viſum fuit) vulneretum fuiſſe ejus animum.

15. Ego tamen in te ſperavi, Jehova, dixi, Deus meus es.

15 ואני עליך בטחתי יהוה אמרתי אלהי אתה:

16. In manu tua ſunt tempora mea, erue me è manu hoſtium meorum, & à perſequentibus me.

16 בידך עתתי הצילני מיד אויבי ומרדפי:

17. Lucere fac ſuper ſervum tuum faciem tuam, ſerva me in bonitate tua.

17 האירה פניך על עבדך הושיעני בחסדך:

18. Jehova, ne pudefiam, quia invocavi te: pudefiant impii, ſileant in ſepulchro.

18 יהוה אל אבושה כי קראתיך יבשו רשעים ידמו לשאול:

19. Obmuteſcant labia mendacia, quæ loquuntur adverſus juſtum dure in ſuperbia & contumelia.

19 תאלמנה שפתי שקר הדוברות על צדיק עתק בגאוה ובוז:

Digitized by Google

15. *Ego tamen in te ſperavi*, &c.] Hic ponitur copula ו, ſed adverſativæ particulæ loco. Nam fidei ſuæ conſtantiam omnibus quas retulit, tentationum machinis opponens David, negat ſe fuiſſe labefactatum, ſed potius firmum ſteriſſe in ſalute à Deo ſperanda: neque tamen ita ſe fuiſſe magnanimum prædicat quin pro carnis infirmitate fere oppreſſus jacuerit. Hæc enim quamvis in ſpeciem contraria, ſimul conjungi debent, eum dolore contabuiſſe, vigoreque omni fuiſſe privatum: & tamen bona ſpe ſuffultum, ut à Dei invocatione non deſiſteret. Sic ergo in triſtitiæ dirorumque cruciatuum tenebris fuit demerſus, ut occulta lux fidei intus fulgeret in ejus corde: ſic gemuit ſub ingenti tentationum mole, ut animum tamen ad Deum invocandum colligeret. Ergo per multa obſtacula enixus eſt ut ad hanc confeſſionem emergeret. Modum poſtea ſpei ſuæ definit, quod ſcilicet ſecum ita reputaverit, Deum ſibi nunquam defore. ſed loquutio notanda eſt, *Dixi, Deus meus es tu*: quo verbo ſignificat ita ſtatuiſſe penitus in animo ſuo, ut nullam contra dubitationem admitteret. Donec enim prævaluerit iſta perſuaſio, ut ſenſus noſtros occupet, ſemper incerti vacillabimus. Notandum tamen eſt, iſtud Dicere, non modo interius eſſe & arcanum, ut in corde potius quam in lingua reſonet: ſed ad Deum ipſum quaſi unicum teſtem dirigi. Nihil enim difficilius eſt, ubi fidem noſtram deludi videmus à toto mundo, quam ſermonem ad Deum unum dirigere, & acquieſcere in hoc conſcientiæ noſtræ teſtimonio, quod ſit Deus noſter. Atque hæc vera demum fidei probatio eſt, quamlibet violenti fluctus inſurgant, quamlibet etiam duri impetus nos concutiant, ſtabile hoc principium retinere, nos ſub Dei eſſe tutela, & libere cum ipſo in hunc modum loqui, Tu Deus noſter es.

16. *In manu tua.*] Quo alacrius ſalutem ſuam Deo commendet, præfatur ſe eo cuſtode fretum non imaginari fortuitos & cæcos eventus, quos vulgo metuunt homines. Perinde enim eſt acſi dixiſſet, Domine, penes te mortis ac vitæ meæ arbitrium eſt & poteſtas. quanquam non temere plurali numero uſum eſſe arbitror, ſed ut caſuum varietatem notaret, qua agitatur vita hominum. frigide enim exponi videtur hoc nomen de vitæ termino: quia vel tempus ſuum vel dies ſuos David in manu Dei eſſe ſimpliciter dixiſſet. Ego itaque non dubito quin varias revolutiones cogitans, totque diſcrimina quæ aſſidue impendent, tot inopinatos eventus qui ſubinde accidunt, ſecure nihilominus recumbat in Dei providentiam: quia ſtatuit eam moderatricem eſſe utriuſque fortunæ, ut loquuntur. Videmus primo, ut non in genere tantum vocet Deum mundi gubernatorem, ſed vitam ſuam affirmet eſſe in ejus manu: neque id ſimpliciter, ſed quibuſcunque verſari modis contingat, inter omnes viciſſitudines poſitam ſemper eſſe ſub Dei manu: hinc precationem deducit, ut ſervetur è manu hoſtium.

17. *Lucere fac ſuper ſervum tuum faciem tuam.*] Diximus alibi, & poſtea videbimus pluribus locis, hanc loquendi formam ductam eſſe à communi hominum ſenſu, qui ſe à Deo non reſpici exiſtimant, niſi re ipſa & effectu oſtendat ſe gerere eorum curam. Non enim ſecus faciem ejus obſcurant afflictiones, ac nebulæ Solis ſplendorem. Petit igitur David, præſenti Dei auxilio ſibi palam fieri, ipſum ſibi propitium eſſe ac faventem: quod in afflictionum caligine cernere, non ita facile erat. Quanquam duobus modis faciem ſuam ſuper nos illuſtrare dicitur: vel quum oculos aperit ad res noſtras curandas, vel quum favorem ſuum nobis oſtendit. Sunt quidem hæc duo ſimul conjuncta, imo alterum ex altero pendet: ſed in priore loquutione, pro ſenſu carnis noſtræ tribuitur Deo mutatio, quæ proprie in Deum non competit. Secunda autem loquutio exprimit, nobis potius quam Deo clauſos eſſe vel hebetes oculos, quamdiu videtur miſerias noſtras non curare. *Servandi* verbo quid prius voluerit, explicat. quia autem nulla tunc extabat ſalutis ratio, ad eam ſperandam propoſita bonitate ſe animat.

18. *Jehova, ne pudefiam.*] Proſequitur ſuam precationem, & quo plus ſpei concipiat, ſe hoſtibus ſuis opponit. quia bis abſurdum fuiſſet, illos impune elabi, quorum impietas iram Dei aperte provocabat: innoxium vero hominem qui in Deum recubuerat, cum fruſtratione ludibrio exponi. Tenemus nunc quid valeat comparatio. Porro ſpei vel fiduciæ loco nunc invocatio ponitur, & merito: quia neceſſe eſt ut ad Deum confugiat, & vota ſua clamoreſque dirigat quiſquis in ejus providentia recumbit. *Silere in ſepulchro*, tantundem valet, atque impios morte compeſci ne amplius noceant. Silentium vero tam doloſis & perfidis machinationibus quam tumultuoſo faſtui opponitur. Ideo mox proximo verſu addit, *Obmuteſcant labia mendacii.* qua voce eum complecti interpretor tam vafritiem, fictos ad perſuadendum colores & calumnias, quam ventoſam jactantiam. Dicit enim durum vel præfractum loqui contra juſtos, idque in ſuperbia & contemptu: quia tam audaces ad mentiendum reddebat hoſtes Davidis perverſa elatio, quæ ſemper fere contumeliam ex ſe parit: quia fieri vix poteſt quin alios contemptim deſpiciat quiſquis arrogat ſibi plus juſto.

20. Quam multa bonitas tua quam abſcondiſti timentibus te, exercuiſti confidentibus in te, coram filiis hominum.	20 מה רב טובך אשר צפנת ל יראך פעלת לחוסים בך נגד בני אדם:
21. Abſcondes eos in abſcondito vultus tui, à ſuperbiis viri occultabis eos in tugurio, à rixa linguarum.	21 תסתירם בסתר פניך מרכסי איש תצפנם בסכה מריב לשנות:
22. Benedictus Jehova, quia mirabilem reddidit bonitatem ſuam erga me in civitate munita.	22 ברוך יהוה כי הפליא חסדו לי בעיר מצור:

20. *Quam multa bonitas.*] Hoc verſu exclamat benignum erga ſuos cultores & beneficum eſſe Deum, ſupra quam ſenſus noſter capiat. Bonitas enim hic pro effectu ſuo capitur. Interrogatio autem vehementia non caret: quia non ſimpliciter prædicat David benignum eſſe Deum, ſed in admirationem bonitatis quam expertus erat, rapitur. Neque enim dubium eſt quin pro ſua experientia erumpat in hanc vocem, quia mirifice & inopinato modo ex ſuis malis liberatus fuerat. Itaque fideles ſuo exemplo jubet ſupra mentis ſuæ captum aſſurgere, ut longe plus ſibi promittant & expectent à gratia Dei, quam concipiat humana ratio. Bonitatem Dei cultoribus abſconditam eſſe dicit, quia peculiaris eſt eorum theſaurus. Etſi enim ſeſe variis modis extendit ad profanos & indignos, ipſiſque promiſcue eſt expoſita: longe tamen uberius & luculentius ſe profert erga fideles: quia etiam ſoli omnibus Dei beneficiis fruuntur in ſalutem. Adde quod Deus, licet ſolem ſuum oriri faciat ſuper bonos & malos, imo ſe brutis quoque animalibus liberalem exhibeat: ſe tamen vere & in ſolidum Patrem non declarat niſi ſervis ſuis. Quare non abs re abſcondita dicitur fidelibus Dei bonitas, quos propius & magis fami- Matth 5. verſ. 45.

familiariter favore ſuo proſequi dignatur. Quidam ſubtilius bonitatem Dei abſconditam intelligunt, quia Deus ſæpe filios ſuos cruce & miſeriis exercens, ſuam erga eos gratiam occultat, neque tamen eorum obliviſcitur. Probabilius tamen eſt, pro repoſito theſauro ſumi: niſi forte ad piorum ſenſum id referre placeat: quia ſoli (ut dictum eſt) divinæ beneficentiæ fructum animis percipiunt: quum impios impediat brutus ſtupor, ne Deum agnoſcant beneficum Patrem, dum ſe ingurgitant ejus opibus. ita fit ut Dei bonitas omnes mundi partes impleat ac occupet, vulgo tamen ignota ſit. Sed Prophetæ mentem certius aperiet antitheſis inter fideles & extraneos. Sicut enim homo providus, ita erit in omnes liberalis, ut filios tamen vel domeſticos non defraudet, nec prodige largiendo exhauriat domum ſuam: ita Deus exteris benefaciens, filiis tamen ſervare novit quod in ipſos competit quaſi hæreditario jure. Auguſtinus parum appoſite his verbis probat, eos qui ſine fide horrent judicium Dei, non guſtare ejus bonitatem: & ejus error clarius proximo membro refellitur, ubi David pronunciat, ipſum Deum coram mundo hoc teſtatum facere, nempe inæſtimabili bonitate ſe erga cultores ſuos eſſe præditum, ut eorum ſaluti proſpiciat. Unde colligimus, non de æterna beatitudine, quæ pios in cælis manet, hic tractari, ſed de auxiliis ac beneficiis quæ ad præſentis vitæ conſervationem pertinent: quæ adeo manifeſta eſſe docet, ut profani quoque homines, oculati eorum teſtes eſſe cogantur. etſi enim omnia Dei opera clauſis oculis præterit mundus, ac maxime paternam ejus erga ſanctos curam ignorat: certum tamen eſt, quotidie ſic fulgere ejus documenta, ut ne reprobos quidem lateat, niſi quatenus oblatam ſibi lucem ſuffocant. Itaque vere pronunciat David, Deum coram filiis hominum exerere bonitatis ſuæ teſtimonia erga fideles, ut certo conſtet, non temere nec fruſtra eum coli.

21. *Abſcondes eos in abſcondito.*] Gratiam Dei hac in parte ſpecialiter commendat, quod fideles ab omnibus noxis defendit ac tuetur. Nam quum aſſidue & innumeris modis eorum ſalutem oppugnet Satan, eiſque major pars mundi infenſa ſit, multis diſcriminibus obnoxios eſſe neceſſe eſt. Itaque niſi eos ſua manu Deus protegeret, ac ſubinde ad opem ferendam occurreret, miſerrima eſſet eorum conditio. Alludit autem ad illam abſconſionem cujus nuper meminit. quanquam primo intuitu durior eſſe videtur metaphora: aptiſſime tamen exprimit, hoc uno tutos & ſalvos eſſe fideles, ſi Dominus eos reſpicit. Itaque magnifice hoc elogio extollitur providentiæ Dei virtus, quod ſola ad omne malorum genus repellendum ſufficiat, ac radiis ſuis perſtringat improborum omnium oculos, manuſque enervet. Quibuſdam alludere videtur Propheta ad Sanctuarium: quod etſi non rejicio, non ſatis tamen ſolidum arbitror. Dicit autem abſcondi fideles à ſuperbiis viri & rixis linguarum. quia niſi compeſcat Deus reprobos, ſcimus quam furioſo impetu contra bonos & ſimplices efferre ſe audeant: ſed quamlibet effrenis ſit eorum libido & inſolentia, nequid tamen bonis noceat, mirabiliter Deus ex fulgore aſpectus ſui umbram opponit. Alii רוכסים vertunt conſpirationes, alii pravitates: ſed nulla ratione. nec vero reſpondet etymologia: quia nomen ab elevando deductum eſt. Superbiæ additur contentio linguarum: quia etſi Dei filiis metuenda ſit hoſtium crudelitas, ſuperat tamen virulenta eorum maledicentia: quod plus ſatis expertus eſt David. Quum autem nobis merito charior debeat eſſe integritas quam vita noſtra, diſcamus ſic juſtitiam colere, ut freti Dei patrocinio, falſas omnes calumnias ſpernamus: ſemperque nobis in mentem veniat, hoc proprium eſſe Dei munus, ſuos ab injuſtis probris aſſerere.

22. *Benedictus Jehova.*] Generales quas poſuit ſententias, privatim ad ſe accommodat, ac prædicat, in liberatione vitæ ſuæ mirificam fuiſſe Dei bonitatem. Quia vero de auxilio loquitur quod in rebus confuſis & perditis repente & præter ſpem allatum erat, recte ſentiunt interpretes qui ſubaudiunt ſimilitudinis notam, *quaſi* in urbe munita. nam quum ad omnes ictus pateret David, injuriiſque omnibus expoſitus foret, ſibi in hac nuditate & inopia pluris fuiſſe Dei auxilium jactat, quam urbem bene munitam, vel inexpugnabile propugnaculum.

* vel, festinatione. 23. **Ego autem dixeram in * trepidatione mea, Projectus ſum à conſpectu oculorum tuorum. utique tamen exaudiſti vocem deprecationum mearum, dum clamavi ad te.**

24. **Diligite Jehovam, omnes manſueti ejus: fideles** † vel, per excellentiam. **cuſtodit Jehova, & rependit † abunde ſuperbe ſe gerenti.**

25. **Fortiter vos gerite, & roborabit cor veſtrum, omnes qui ſperatis in Jehova.**

23 וַאֲנִי אָמַרְתִּי בְחָפְזִי נִגְרַזְתִּי
מִנֶּגֶד עֵינֶיךָ אָכֵן שָׁמַעְתָּ קוֹל תַּחֲנוּנַי
בְּשַׁוְּעִי אֵלֶיךָ׃

24 אֶהֱבוּ אֶת יְהוָה כָּל חֲסִידָיו
אֱמוּנִים נֹצֵר יְהוָה וּמְשַׁלֵּם עַל יֶתֶר
עֹשֵׂה גַאֲוָה׃

25 חִזְקוּ וְיַאֲמֵץ לְבַבְכֶם כָּל ה
הַמְיַחֲלִים לַיהוָה׃

23. *Et ego dixi.*] Fatetur hoc verſu David ſe diffidentia ſua promeritum fuiſſe ut deſertus & abjectus à Deo periret. probroſum hoc quidem erat coram hominibus: ſed quo melius illuſtret Dei gratiam, non dubitat vitii ſui dedecus palam facere. Eandem fere confeſſionem repetet Pſalmo 116. Ego dixi in præcipitatione mea, Omnis homo mendax. Scio חפז à quibuſdam exponi pro fuga, quaſi David mortem fugitans, propterea quod impar eſſet ad reſiſtendum, hoc pavore fuerit percullus. Sed ego ad animi perturbationem magis refero. Itaque ſive feſtinationem vertas, ſive alio modo, intelligit, ſe quaſi præcipitem fuiſſe abreptum, ut ſe putaret à Deo negligi. Opponitur autem hæc feſtinatio rationi ſedatæ & compoſitæ: quia etſi metu perculſus fuit David, non tamen ſuccubuit, acſi fixa in ejus mente ſtetiſſet hæc perſuaſio. Scimus enim, ſæpe terroribus inquietari fideles, & fervore impatientiæ, vel nimium celeribus votis quaſi præcipites impelli: ſed poſtea redire ad ſeipſos. Quod autem hac tentatione nunquam excuſſa fuerit Davidi fides, ex contextu patet: quia mox addit exauditas fuiſſe ſuas preces. atqui extincta fide ſerium precandi affectum concipere non potuit. quare hic feſtinationis tantum lapſus fuit. Quod ſi ſanctum Dei Prophetam, tantaque præſtantia ornatum in deſperationem rapere potuit præpoſtera cogitationis feſtinatio: quantopere nobis timendum eſt ne exitiali ruina animi nobis concidant? etſi autem ad amplificandam Dei gratiam pertinet hæc confeſſio, ut diximus: ſecundo tamen membro ſatis demonſtrat David, fidem ſuam, quamvis concuſſa fuerit, non fuiſſe tamen radicitus evulſam: quia precari interea non deſtitit. Ac ſæpe hoc modo luctantur ſancti cum propria diffidentia, ut partim labaſcant, partim animos ſuos colligant & efferant ad precandum. Nec obſtat car-

nis infirmitas quominus etiam fere dejecti, indeſeſſos Deo athletas ſe præbeant. Quanquam autem tentationi David ſtrenue repugnaverat, ſe tamen indignum fuiſſe agnoſcit Dei gratia, quam ſua dubitatione quodammodo arcebat. Nam particula אָכֵן, hoc loco adverſative capitur: quod ſcilicet præter meritum ſalvatus fuerit David, quia cum ejus infidelitate certavit immenſa Dei bonitas. Quia tamen nota eſt affirmationis apud Hebræos, placuit reddere, utique tamen. Nec vero dubito quin variis eam tentationibus opponat, quibus animum ejus huc illuc impulſum fuiſſe credibile eſt.

24. *Diligite Jehovam.*] Non hortatur hic, meo judicio, pios ad Dei timorem & reverentiam, ſicut multi volunt: ſed tantum eos ad fiduciam animat, acſi juberet prorſus addictos eſſe Deo, ſpes omnes ſuas in eum conjicere, & in eo penitus acquieſcere, ne alio ferantur. unde enim fit ut nos oblectent noſtra figmenta, niſi quia non ſapit nobis Deus ut par erat: nec ei ſenſus omnes noſtri adhærent? quare dilectio hæc, votorum omnium ſummam in ſe continet. Naturaliter bene & beate ſibi eſſe cupiunt omnes: ſed dum major pars illecebris mundi capta, mendacia & impoſturas diligit, vix centeſimus quiſque mentem ad Deum applicat. Senſum hunc confirmat quæ ſtatim additur ratio. Manſuetos enim ad Deum amandum hortatur Propheta, quia veraces cuſtodiat. perinde ergo eſt acſi contentos eſſe juberet ejus præſidio. Interim admonet, rectæ conſcientiæ ſtudendum eſſe, & integritatem colendam, quia Deus rectorum ac veracium ſe fore cuſtodem promittit. Ex oppoſito pronunciat, Superbis abunde rependere mercedem, ne, ubi videmus illis proſpere ad tempus ſuccedere, prava æmulatio nos ſollicitet, vel certe nos frangat & exanimet eorum ferocitas, dum quidvis ſibi licere putant. Summa igitur eſt, Quamvis ſibi plaudant impii, dum impune in ſceleribus ſuis graſſantur, fideles autem in multis timoribus & periculis verſentur: vos tamen Deo addicite, & recumbite in ejus gratiam: quia veraces ſemper defendet, ſuperbis vero quam meriti ſunt mercedem rependet. In particula עַל־יֶתֶר non conſentiunt interpretes. Superbiam quidam vertunt, hoc ſenſu, Deus pro ſuperbia retribuet ſuperbe agentibus. Alii exponunt, ad cumulum, vel, ultra menſuram, quia יֶתֶר Hebræis reſiduum ſignificat, pro quo poſuimus *abunde*. Nonnulli intelligunt, uſque ad filios & nepotes, qui reſidui manebunt ex illorum ſemine. Cæterum quia eadem vox pro Excellentia ſæpius accipitur, non dubito quin Propheta facete ſuperbos perſtringat, qui ſuam præſtantiam ſibi non modo clypei, ſed invictæ munitionis loco contra Deum eſſe fingunt. Quia ergo eos excæcat vel faſcinat ſua poteſtas, ut intemperanter ac ſine modo abjectis & debilibus inſultent: eleganter Propheta dicit, pro excellentia qua turgent, repoſitam illis eſſe mercedem.

25. *Fortiter vos gerite.*] Eodem pertinet hæc exhortatio. hæc enim conſtantia de qua præcipit, in illo Dei amore fundata eſt: ubi toto corde quam promittit ſalutem, omnibus illecebris valere juſſis, amplectimur. Neque tamen ſupervacua eſt fortitudinis & conſtantiæ mentio, quia ubi quis in Deum recubuerit, ad multos Satanæ impetus ſuſtinendos ſe comparet atque armet neceſſe eſt. Primum ergo eſt, ut nos placide in Dei fidem & tutelam tradamus, ac bonitatis ejus guſtus ſenſus omnes noſtros retineat. Deinde ut firma conſtantia & infatigabili virtute inſtructi, ſubinde ad nova prælia ſtemus accincti. Quia tamen nemo ſponte ſua ad pugnandum ſufficeret, David Spiritum fortitudinis ſperare à Deo & petere nos jubet. quod notatu apprime dignum eſt. Nam hinc colligimus, ubi nos officii admonet Spiritus Dei, non expendere qualis ſit cujuſque facultas, nec officium ipſum propria hominum virtute metiri: ſed potius ad preces nos accendere, ut defectum noſtrum ſolus, qui poteſt, Deus corrigat.

ARGUMENTUM PSALMI XXXII.

David probe & ſerio expertus quam miſerum ſit Dei manum ſentire ob peccata infeſtam, exclamat, hoc ſummum & unicum eſſe beatæ vitæ caput, ſi Deus hominem abolito reatu, ſibi gratuito reconciliet. Poſtquam vero de impetrata venia gratias egit, alios ſecum in hujus felicitatis ſocietatem invitat, ejus obtinendæ modum ſuo exemplo præſcribens.

PSALM. XXXII.

ERudiens Davidis. Beati quibus remiſſa eſt iniquitas, quorum tecta eſt transgreſſio.	1 לְדָוִד מַשְׂכִּיל אַשְׁרֵי נְשׂוּי פֶּשַׁע כְּסוּי חֲטָאָה׃
2. Beatus homo cui non imputat Jehova iniquitatem, & in cujus ſpiritu non eſt dolus.	2 אַשְׁרֵי אָדָם לֹא יַחְשֹׁב יְהוָה לוֹ עָוֹן וְאֵין בְּרוּחוֹ רְמִיָּה׃

INſcriptio guſtum aliquem argumenti præbet. Quidam putant nomen מַשְׂכִּיל, ex verſu 7. deſumptum eſſe: ſed rectius eſt, ex toto contextu fuiſſe Pſalmo impoſitum. David enim poſt longos & horribiles cruciatus, quum Deus propoſitis iræ ſuæ ſignis, eum ſevere torqueret: tandem gratiam adeptus, documentum hoc ad ſuum & totius Eccleſiæ uſum accommodat, ut ſe alioſque erudiat in præcipuo ſalutis capite. Quia enim fieri non poteſt quin miſere trepident cuncti mortales, donec certo perſuaſi ſint, Deum ſibi eſſe propitium, vel, quod deterius eſt, ſeipſos & Deum obliti, in mortifero ſtupore jaceant: non alibi quam in gratuita peccatorum venia, ſitam eſſe felicitatem docet: quia nec quicquam miſerius ſit quam Deum habere adverſum, nec aliter nobis propitius ſit, quam ubi paterna indulgentia peccatis noſtris ignoſcit.

1. *Beati quibus.*] Tam ex ardenti cordis affectu quam ex ſeria meditatione erumpit in hanc exclamationem. Nam quum totus fere mundus à Dei judicio ſenſus ſuos avertens, mortiferam ſibi oblivionem inducat, falſiſque deliciis ſe inebriet: David ſicuti iræ Dei metu fuerat perculſus, ut ad quærendam miſericordiam ſe conferret, alios etiam clara & ſonora voce expergefacit: pronuncians, eos demum beatos eſſe, quibus placatus eſt Deus, ut pro filiis agnoſcat, quibus merito inimicus eſſet. Tametſi autem alios hypocriſis & ſuperbia excæcat, alios craſſus Dei contemptus, ut de quærenda venia minime ſolliciti ſint: fatentur tamen omnes venia ſibi opus eſſe: nec ſane quiſquam eſt quem non ad Dei tribunal accuſet propria conſcientia, multiſque ſtimulis pungat. Hanc igitur confeſſionem profanis quoque hominibus extorquet ipſa natura, quia nemo perfectus eſt, neceſſariam omnibus eſſe veniam: ac tum demum præclare nobiſcum agi, quum peccata Deus remittit. Sed interea multis caliginem obducit hypocriſis, multos demulcet perverſa carnis ſecuritas, ut nullo aut frigido iræ Dei ſenſu tangantur. Et accedit duplex error, quod peccata ſua omnes extenuant, nec centeſima ex parte reputant quam ſint Deo obnoxii. Deinde frivolas ſibi expiationes fingunt,

gunt, quibus ſe à noxa liberent, Deique gratiam redimant. Ita omnibus ſeculis paſſim invaluit hæc opinio, Quamvis ſinguli vitiis laborent, ſimul tamen ornatos eſſe meritis, quæ illis gratiam concilient coram Deo: deinde quamvis iram Dei provocent ſuis delictis, in promptu eſſe piacula, & ſatisfactiones quibus ſe abſolvant. Atque hæc Satanæ impoſtura communiter in Papiſtis, Turcis, & Judæis, aliiſque gentibus regnat. Itaque quiſquis non furioſa amentia abreptus fuerit in Papatu, ſententiam hanc admittet, Miſeros eſſe homines, niſi cum illis clementer agat Deus, peccata non imputando. Sed longius progreſſus eſt David, totam hominum vitam iræ & maledictioni Dei ſubjiciens, niſi quatenus mera gratia Deus ad ſe recipere dignatur: cujus rei Spiritus qui per Davidem loquutus eſt, per os Pauli certus nobis eſt interpres ac teſtis. Niſi uſus fuiſſet hoc teſtimonio Paulus, nunquam ad genuinam Prophetæ mentem penetraſſent lectores: ſicuti Papiſtæ licet cantillent in templis ſuis, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, tamen quaſi vulgare aliquod leviſque momenti dictum prætereunt. Atqui Paulo hæc plena eſt juſtitiæ fidei definitio, acſi dixiſſet Propheta, tunc demum beatos eſſe homines, quum Deo gratis reconciliati, pro juſtis cenſentur. Hæc igitur beatitudo quam celebrat David, omnibus hominum meritis in nihilum redactis, operum juſtitiam evertit. Nam commentum partialis juſtitiæ, quo ſe Papiſtæ & alii deludunt, futile eſt. quia ne inter eos quidem qui cæleſtis doctrinæ luce carent, quiſquam reperietur tam veſanus, qui ſibi perfectam juſtitiam arroget: quod etiam teſtantur expiationes, lavacra, & alia placandi Dei remedia, quæ ſemper in uſu fuerunt cunctis gentibus. Sed interea ſuas virtutes perinde obtrudere Deo non dubitant, acſi magnam beatitudinis partem ſibi ipſi acquirerent. David autem longe alium ordinem præſcribit, ut in quærenda felicitate omnes ab hoc principio incipiant, non aliter ſibi propitium fore Deum, quam ſi gratis ignoſcat: & favore ſuo dignetur qui æterno interitu digni eſſent. ac merito pronunciat David, ſublata miſericordia, miſeros in ſolidum & maledictos eſſe cunctos mortales: quia quum naturaliter tantum ad malum ferantur omnes, donec regeniti fuerint, totam eorum vitam Deo exoſam & abominabilem eſſe, certum eſt. Deinde etiam poſt regenerationem quum nullum hominis opus ſine venia placere Deo queat, à ſpe ſalutis excludi neceſſe eſt. Certe nihil præter anxiam trepidationem illis reſtabit. Durum hoc Papiſtis videtur, ſanctorum opera, quia maculis aſperſa ſunt, mercede indigna eſſe. ſed in eo craſſam inſcitiam produnt, quod Dei judicium cui obſcurus eſt ſtellarum ſplendor, ex ſuo ſenſu æſtimant. Fixa igitur maneat doctrina hæc, quia non aliter juſti coram Deo reputamur, niſi gratuita peccatorum remiſſione, hanc æternæ ſalutis eſſe januam: ideoque ſolos eſſe beatos qui in Dei miſericordiam recumbunt. Tenenda enim eſt illa quam notavi, antitheſis inter fideles, qui remiſſionem peccatorum amplexi, acquieſcunt in mera Dei gratia, & reliquos omnes, qui ad gratiæ aſylum confugere negligunt. Porro quod ter idem inculcat David, non eſt ſupervacua repetitio. Per ſe quidem hoc ſatis clarum erat, beatum eſſe hominem cui remiſſa eſt iniquitas: ſed quam ſit perſuaſu difficile, ut cordibus penitus infixum maneat, experientia oſtendit. Major pars (ut admonui) ſuis illecebris capta, quantum in ſe eſt, conſcientiæ terrores, omnemque iræ Dei metum procul à ſe depellit. Quanquam autem Deum ſibi propitium appetunt, fugitant tamen magis ejus conſpectum, quam ad ejus gratiam ex animo ſincereque aſpirent. Quos vero Deus vere expergefecit, ut tangantur vivo miſeriæ ſuæ ſenſu, aſſidua inquietudo exagitat, ut difficile ſit eorum animos pacare. Guſtant quidem Dei miſericordiam, & eam apprehendere conantur: ſed ſubinde ad multos inſultus vel expaveſcunt, vel nutant. His duabus de cauſis, pluribus verbis in teſtanda peccatorum remiſſione inſiſtit, nempe ut ſopitos excitet, ſecuris ſollicitudinem injiciat, torpenteſque impellat: deinde ut trepidas & anxias mentes certa conſtantique fiducia tranquillet. Apud priores talis eſt hujus doctrinæ uſus, Quid facitis miſeri? ſi vos una & altera punctio non ſollicitat, ſi ad incutiendum terrorem non ſufficit qualiſcunque peccatorum agnitio: quam perverſum tamen eſt, immenſa congerie obrutos, ſecure adhuc dormire? Apud debiles autem & trepidos non parum ſolatii & confirmationis continet hæc repetitio. nam quum ſubinde recurrant dubitationes, non ſatis eſſet una in lucta ſuperiores ſtare. Ergo ne inter varios motus quibus turbantur, deſperatio eos abſorbeat, Spiritus ſanctus remiſſionem peccatorum pluribus verbis confirmat & ſancit. Jam expendere convenit quid valeant loquendi formæ. Certe remiſſio de qua hic agitur, cum ſatisfactionibus non convenit. Deus enim levando aut tollendo, deinde tegendo & non imputando peccata, gratis ignoſcit. Quare Papiſtæ ſatisfactiones ſuas, & ſupererogationis (ut vocant) opera ingerendo, beatitudine iſta ſe privant. Adde quod David verba hæc ad plenam veniam extendit. Itaque intempeſtiva hic eſt pœnæ & culpæ diſtinctio, qua Papiſtæ dimidiam tantum veniam faciunt. Nunc tandem videndum eſt ad quos pertineat hæc felicitas: quod ex circumſtantia temporis colligere promptum eſt. Nam quum dicit David, ſe unica Dei miſericordia beatum eſſe, non erat ab Eccleſia alienus: imo præ aliis multis profecerat in timore cultuque Dei, & vitæ ſanctitate, ſeque exercuerat in omnibus pietatis officiis. Poſt iſtos progreſſus ita eum exercuit Deus, ut proram & puppim ſalutis ſuæ in gratuita cum Deo reconciliatione locaret. Nec vero fruſtra Zacharias in ſuo Cantico hanc ſalutis ſcientiam vocat, tenere remiſſionem peccatorum. Ergo ut quiſque ſanctitate maxime excellit, ſe à juſtitiæ perfectione adhuc longe abeſſe ſentiat, ne alibi confidat quam in mera Dei miſericordia. Unde apparet nimis craſſe hallucinari qui in peccatorum remiſſione non niſi initium juſtitiæ eſſe putant. Nam quum ſe quotidie multis delictis obſtringant fideles, nihil proderit viam ſemel adeptos eſſe, niſi eadem eos gratia uſque ad ultimam vitæ metam proſequatur. Siquis objiciat, beatos alibi vocari qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus, qui integri ſunt corde, &c. facilis reſponſio eſt, quia nullibi reperietur perfectus Dei timor, Legis obſervatio, & cordis integritas, quicquid ubique Scriptura de beatitudine prædicat, in gratuito Dei favore quo nos ſibi reconciliat, eſſe fundatum.

Rom. 4. verſ. 6.

Luca 1. verſ. 77.

2. *In cujus ſpiritu non eſt dolus.*] Hac particula fideles diſcernit tam ab hypocritis quam à ſtupidis contemptoribus, quorum utriſque nec curæ eſt iſta felicitas, nec ejus potiundæ ratio conſtare poteſt. Male ſibi conſcii ſunt ſcelerati, ſibi tamen in ſuo fœtore placent: obſtinant ſe ad impudentiam, minas ludibrio habent, vel ſaltem fallacibus blanditiis ſe involvunt, ne cogantur in Dei conſpectum prodire. ergo quamvis urantur miſeriæ ſuæ ſenſu, vel cæcis tormentis vexentur, perverſa tamen oblivione metum omnem Dei ſuffocant. Hypocritæ, ſiquando eos mordet conſcientia, inanibus pharmacis leniunt dolorem: ſi eos Deus ad tribunal ſuum citat, larvas neſcio quas pro defenſione opponunt: nec unquam integumentis carent, quibus lucem è cordibus ſuis arceant. Hos omnes impedit interior dolus, ne felicitatem quærant in paterno Dei amore. Quin etiam multi eorum vel proterviunt coram Deo, vel ſuperba confidentia turgent, ut ſe beatos ſomnient quamvis adverſo Deo. Significat ergo David, neminem ante guſtare quid valeat

valeat peccatorum remiſſio, quam ex ejus corde abſterſus fuerit dolus. Porro quid intelligat per hoc nomen, ex his quæ dixi colligere licet. Quiſquis ergo ſe non examinat coram Deo, quin potius Dei judicium fugitans, vel ſe abdit in tenebras, vel foliis obtegit: ſecum doloſe agit, & cum ipſo Deo. Ita non mirum eſt, ſi malum non ſentiens, medicinam reſpuit. Hujus doli notandæ ſunt duæ illæ quas attigi ſpecies. Quanquam autem non ita obduruerunt multi, quin tangantur aliquo timore & gratiæ deſiderio: ſibi tamen interea indulgent, vel frigide moventur ad veniam quærendam. Hinc fit ut nondum capiant quam inæſtimabilis ſit felicitas, Deum habere propitium. Talis fuit ad tempus David, cui obrepſit doloſa ſecuritas ad obtenebrandam ejus mentem, ne ad hujus felicitatis ſtudium emergeret. Hoc eodem morbo laborant ſæpe ſancti. Quare ſi hac felicitate quam nobis proponit David, frui cupimus, ſedulo curandum eſt ne Satan fallaciis corda noſtra occupans, miſeriæ noſtræ ſenſum nobis adimat: in qua tabeſcere neceſſe eſt quicunque ſubterfugia quæritant.

3. Quando tacui, contabuerunt oſſa mea, & quum ejularem tota die.

4. Quia interdiu & noctu ingraveſcebat ſuper me manus tua, verſus eſt in ſiccitates æſtatis viror meus. Selah.

3 כי החרשתי בלו עצמי בשאגתי
כל היום׃

4 כי יומם ולילה תכבד עלי ידך
נהפך לשדי בחרבוני קיץ סלה׃

3. *Quando tacui.*] Sententiam quam poſuit, propria experientia confirmat, quod ſcilicet humiliatus Dei manu, ſenſerit nihil eſſe miſerius quam ab ejus gratia alienari: quibus verbis ſignificat non poſſe doctrinam hanc rite percipi, donec iræ ſuæ ſenſu nos Deus exercuerit. Nec vero de mediocri tantum examine loquitur, ſed extremo rigore ſe penitus ſubactum fuiſſe refert. Et certe mira eſt in hac parte carnis noſtræ non modo pigritia, ſed etiam durities. Itaque niſi violentis modis tracti, nunquam ad reconciliationem cum Deo quærendam juſto fervore properabimus. In ſumma, ſuo exemplo Propheta docet, tunc demum nos capere quanta ſit felicitas, Deum habere propitium, ubi gravibus tentationum luctis intus exercitati, probe ſenſimus quam formidabilis ſit ira Dei. Dicit autem, ſive taceret, ſive clamore ac rugitu exonerare tentaret ſuum dolorem, ſemper oſſa ſua ſenuiſſe: acſi diceret totum robur ſuum fuiſſe emarcidum. Unde ſequitur, quocunque ſe vertat peccator, & quoſcunque induat affectus, non tamen levare ſuum malum, nec quicquam proficere, donec cum Deo redierit in gratiam. Sæpe enim contingit, graviſſima triſtitia conſtringi qui frenum arrodunt, intuſque devorant ac comprimunt ſuum dolorem: poſtea quaſi ſubito furore abripi, & vim doloris eo majore impetu erumpere, quo ſe diutius cohibuerunt. Silentii nomine non indolentiam vel ſtuporem deſignat, ſed affectum qui medius eſt inter tolerantiam & contumaciam, vitio & virtuti affinis. Neque enim oſſa ejus quaſi ſenio conſumpta eſſent, niſi inter diros animi cruciatus: & tamen ſpei vel obedientiæ non fuit ſilentium, quod miſero nihil ſolatii attulit.

4. *Quia interdiu.*] Hoc verſu clarius explicat unde tantus mœror, quia ſcilicet Dei manum ſenſit infeſtam ſibi eſſe. Hic enim malorum omnium cumulus eſt, urgeri Dei manu, ut ſentiat peccator ſibi cum eo judice negotium eſſe, cujus ira & ſeveritas præter æternam mortem innumeras mortes in ſe continet. Hinc conqueritur David ſuccum ſuum exaruiſſe, non modo quod ſimpliciter reputaret ſua mala, ſed cauſam & fontem agnoſceret. Tunc enim concidit totus hominum vigor, ubi Deus judex apparet, ac propoſitis iræ ſuæ ſignis eos humiliat ac proſternit. Tunc impletur illud Jeſaiæ, Exaruit herba & emarcuit flos, quia ſpiritus Domini ſufflavit in eo. *Jeſa. 40. verſ. 7.* Dicit autem non vulgare fuiſſe caſtigationis genus, quo didicit vere iram Dei metuere, quia manus Domini noctes & dies ingraveſcere non ceſſavit. Certe jam à puero ad Dei timorem tam arcano Spiritus inſtinctu, quam doctrina formatus erat ad pietatem. Et tamen ad hanc ſapientiam diſcendam adeo non ſatis fuerunt rudimenta quibus fuerat imbutus, ut tanquam novitium in medio curſu erudiri neceſſe fuerit. Imo quum jam longo uſu aſſueviſſet ad gemenda ſua peccata, deintegro ad diuturna exercitia retractus eſt. unde colligere licet quam ſero reſipiſcant homines, ubi ſemel lapſi ſunt: atque etiam quam ſint ad parendum tardi, donec ſubinde plagas ſuas ingeminet Deus, & continuando augeat. Siquis roget de Davide, an callum obduxerat ad plagas, quas ſciebat divinitus ſibi infligi: reſponſio ex contextu petenda eſt, detentum fuiſſe & conſtrictum in perplexis doloribus, & lentis tormentis fuiſſe diſtractum, donec bene domitus manſueſceret: quod principium eſt quærendi remedii. Unde iterum colligimus, non fruſtra iterari caſtigationes quibus in nos videtur Deus ſævire, nec fruſtra manum ejus aggravari, donec ferocia noſtra ſuccumbat, quam ſcimus eſſe indomitam, niſi duriſſimis plagis cogatur.

5. Peccatum meum tibi notum feci, & iniquitatem meam non abſcondi: dixi, Confitebor ſuper me ſcelus meum Jehovæ: & tu remiſiſti * noxam peccati mei. Selah.

* vel, *pœnam.*

6. Propterea orabit ad te omnis manſuetus tempore inveniendi: utique in diluvio aquarum multarum ad eum non appropinquabunt.

7. Tu latibulum mihi, à tribulatione cuſtodies me, canticis liberationis circumdabis me. Selah.

5 חטאתי אודיעך ועוני לא כסיתי
אמרתי אודה עלי פשעי ליהוה
ואתה נשאת עון חטאתי סלה׃

6 על זאת יתפלל כל חסיד אליך
לעת מצא רק לשטף מים רבים אליו
לא יגיעו׃

7 אתה סתר לי מצר תצרני רני
פלט תסובבני סלה׃

5. *Peccatum meum notum feci.*] Jam exitum ſuæ miſeriæ deſcribit Propheta, ut ejus felicitatis, de qua meminit, potiendæ omnibus in promptu expoſita ſit ratio. Quum ergo infeliciter eum angeret ac torqueret iræ Dei ſenſus, hæc unica levatio fuit, ingenue ſe damnare coram Deo, & ad veniæ deprecationem ſuppliciter confugere. Non dicit autem ſimpliciter ſibi in mentem veniſſe peccata, nam & Cain & Judæ idem contigit, ſed nullo profectu: quia dum ſibi male conſcii ſunt reprobi, non deſinunt ſeipſos exedere, & fremere adverſus Deum: imo quamvis invitos ad judicium ſuum cogat, cuperent tamen ſe abſcondere. Sed hic longe diverſa peccati agnitio deſcribitur, dum ſcilicet peccator ſponte ad Deum ſe confert: quia ſpem ſalutis non in pervicacia vel hypocriſi, ſed in veniæ deprecatione ſtatuit.

Hæc

Hæc enim voluntaria confeſſio cum fide ſemper conjunƈta eſt : quia alioqui latebras ſemper captabit peccator , quibus effugiat conſpeƈtum Dei. ac verba Davidis aperte oſtendunt , ſincere & ex animo prodiiſſe ante Dei oculos , nequid celaret. Nam quum dicit ſe notum feciſſe peccatum , nec abſcondiſſe : poſterius membrum more Hebraico ad amplificandum additur. Quare dubium non eſt quin David coram Deo ſe ſiſtens , ſenſus omnes ſuos effuderit. Scimus ut ſua mala extenuent hypocritæ , vel fucos inducant , vel tergiverſando obſcurent : denique nunquam ingenue & pleno ore reƈtam confeſſionem affectant. Hac pravitate ſe fuiſſe implicitum negat David , quia ſine ulla ſimulatione patefecerit Deo quicquid eum premebat. quod etiam confirmat *Dicendi* verbo. Nam quum reprobi trahantur , perinde acſi judex ſceleratos in quæſtionem ageret , conſulto & propenſo animi motu ſe veniſſe teſtatur. Nam iſtud Dicere , nihil aliud eſt quam ſecum deliberare : unde ſequitur , veniam ſibi fuiſſe pollicitum à Dei miſericordia , ne liberæ confeſſioni viam præcluderet terror. Particula *Super me* , vel contra me , ſignificat omiſſos fuiſſe à Davide omnes prætextus quibus bona pars hominum ſe exonerat , culpam alio transferens , vel derivans. Statuit ergo David ſeſe Dei judicio penitus ſubjicere , proferreque ſuum reatum , ut apud ſe damnatus veniam impetraret. *Et tu remiſiſti.* Membrum hoc moleſtis & diris agitationibus opponitur , quibus ſe vexatum fuiſſe dixit antequam fide gratiam Dei apprehenderet. Cæterum his verbis docet , quoties ſe peccator cum ingenua confeſſione offeret , reconciliationem cum Deo paratam fore : quia non ſibi uni placabilem fuiſſe Deum recitat , ſed communem in ſuo exemplo doƈtrinam tradit , ne dubitent qui laborant , ſub onere ſibi fore propitium , ſimulac reƈta & voluntario affeƈtu ad eum ſe contulerint. Siquis hinc colligat , pœnitentiam igitur & confeſſionem cauſam eſſe obtinendæ gratiæ : ſolutio non difficilis eſt , Davidem hic non diſſerere de cauſa , ſed modum oſtendere quo ſe Deo reconciliat peccator. Quamvis enim interveniat confeſſio , altius tamen penetrandum eſt , nempe quod fides corda noſtra aperiens & linguas , eadem quoque veniam impetret. Neque enim ſemper quicquid neceſſario requiritur , inter cauſas numerare convenit. Siquis rudius malit , veniam confeſſione ſua adeptus eſt David , non quod eam aƈtu ipſo loquendi promeritus fuerit , ſed quia fide direƈtrice judicem ſuum ſuppliciter deprecatus eſt. Porro quum eadem inter nos hodie vigere debeat confitendi ratio quæ olim Patribus ſub Lege fuit , ſatis hoc loco refellitur tyrannicum Papæ ediƈtum quo nos à Deo ad ſuos ſacrificos ablegat.

6. *Propterea orabit.*] Diſerte exprimit , quicquid haƈtenus propoſuit in ſua perſona , communiter ſpeƈtare ad omnes Dei filios : quod ſedulo notandum eſt , quia ob diffidentiam nobis ingenitam major pars ægre & maligne Dei gratiam ad ſe admittit. Hinc etiam colligimus confeſſionis aƈtu , ut loquuntur , veniam non fuiſſe promeritum , ſed fide magis & precibus : quia hunc potiundæ ejuſdem modum fidelibus præſcribit , ut ad orationem confugiant , quæ verum eſt fidei ſacrificium. Cæterum diſcamus , in Davide editum fuiſſe à Deo clementiæ ſpecimen , quod non tantum ad nos omnes pertineat , ſed etiam oſtendat quomodo reconciliatio quærenda ſit. Quanquam autem univerſalis nota ad confirmationem cujuſque piorum valet : ſimul tamen oſtendit , nemini ſpem ſalutis aliter fieri , quam ſi coram Deo ſupplices ſe proſternant , quia ejus miſericordia omnes ad unum indigent. *Tempus inveniendi* quod mox ſubjicitur , quidam ad ſolennes & ſtatas precandi horas referunt. ſed reƈtius alii , meo judicio , locum hunc comparant cum illo Jeſaiæ , Quærite *Ieſa. 55.*
Jehovam dum inveniri poteſt : invocate eum dum *verſ. 6.*
prope eſt. Semper quidem tempeſtive quæritur Deus , quia ſingulis momentis egemus ejus gratia , & ipſe etiam ultro nobis occurrit : ſed quia nos ſegnities , vel etiam ſocordia impedit ab eo quærendo , hic David articulos proprie deſignat quibus fideles ſua neceſſitas ſollicitat. Quod hoc loco abuſi ſunt Papiſtæ , ut ſibi accerſerent è cælo patronos , indigna quidem refutatione eſt inſulſitas : hinc tamen perſpicere licet vel quam ſcelerate corruperint totam Scripturam , vel quam craſſa inſcitia in rebus apertis hallucinati fuerint. *In diluvio aquarum multarum.*
Congruit hoc diƈtum cum illo Joëlis vaticinio , *Joël. 2.*
Quiſquis invocaverit nomen Domini , ſalvus erit. *verſ. 32.*
Senſus eſt , etiamſi nos undique circumdent profundi mortis gurgites , metuendum non eſſe ne nos abſorbeant : ſed tutos & incolumes fore , modo nobis fide receptus ſit ad Dei miſericordiam. Emphatica igitur circumſtantia eſt , in ipſa morte ſalutem certam fore fidelibus , modo ſe in aſylum gratiæ Dei conferant. Nam ſub Diluvii voce notantur quævis diſcrimina , quibus vitandis nulla ratio apparet. Tandem ad gratias agendas ſe convertit. Quanquam autem paucis verbis celebrat Dei gratiam : ſubeſt tamen in hac brevitate multa energia. Nam primo alium ſalutis portum eſſe negat , quam Deum ipſum : deinde fidem ſibi in poſterum fore cuſtodem promittit. libenter enim retineo futurum verbi tempus quod alii nulla ratione in præteritum vertunt. Neque tamen ſe immunem à tribulationibus fore putat , ſed illis Dei præſidium opponit. Poſtremo quicquid acciderit malorum , ſibi Deum liberatorem fore confirmat. Nam verbo *Circumdandi* multiplices ac varias ſalutis ſpecies deſignat : acſi diceret , innumeris modis ſe Deo fore obſtriƈtum , ut uberrima hinc inde materia ejus laudandi ſuppetat. Videmus interea ut ſuo more gratitudinis officium Deo offerat , pro auxilio *cantica ereptionis* ponens.

8. Erudiam te , & docebo te in qua via ambules : conſulam ſuper te oculo meo.	8 אשכילך ואורך בדרך זו תלך איעצה עליך עיני׃
9. Ne ſitis ſicut equus , ſicut mulus , quibus non eſt intelligentia : capiſtro & freno maxillam ejus conſtringes , ne calcitrent contra te.	9 אל תהיו כסוס כפרד אין הבין במתג ורסן עדיו לבלום בל קרוב אליך׃
10. Multi dolores impio : at ſperantem in Jehova bonitas circumdabit.	10 רבים מכאבים לרשע והבוטח ביהוה חסד יסובבנו׃
11. Lætamini in Jehova , & exultate juſti , cantate omnes reƈti corde.	11 שמחו ביהוה וגילו צדיקים והרנינו כל ישרי לב׃

8. *Erudiam te.*] Quo plus energiæ habeat exhortatio , ſermonem ad ſingulos dirigit. Nam facilius in animos penetrat quod dicitur , ubi quiſque peculiariter doƈtrinam ipſam ad ſe applicat. Porro quum omnibus Dei filiis ſalutis via hic monſtretur , ſummopere cavendum eſt ne ab ea vel minimum quis defleƈtat. Diſcamus autem ex hoc loco , hac lege nos Deo reconciliari , ut quiſque fratres ſuos ejuſdem beneficii participes facere ſtudeat. ac ſollicitudinem ſuam per oculi intuitum melius declarat. In-

terea

terea tenendum eſt, quicunque de ſalute noſtra ſolliciti ſunt, eos nobis à Domino conſtitui viæ duces. Unde apparet quam paterne nobis proſpiciat.

9. *Ne ſitis ſicut equus.*] Breviter nunc ſui conſilii quod ſe daturum præfatus eſt, ſummam exponit. omnes enim ad placidam docilitatem hortatur: atque ut depoſita contumacia, manſuetudinis ſpiritum induant. Prudenter autem de corrigenda duritie pios admonet: quia ſi attenti eſſemus ad Dei ferulas ut decebat, certatim quiſque ad quærendam Dei gratiam properaret. nunc unde tanta in omnibus tarditas, niſi quia vel ſtupidi ſumus, vel etiam refractarii? Brutis autem animalibus præfractos omnes comparans David, pudorem illis incutit, & ſimul denunciat, contra ſtimulos calcitrando, nihil proficere. Homines (inquit) equorum ferociam ſubigere norunt frenis, & lupatis: quid igitur Deum putant facturum, ubi eos intractabiles expertus fuerit?

10. *Multi dolores impio.*] Sine figura pronunciat qualis rebelles & obſtinatos maneat conditio. Prius dixerat Deum non carere frenis vel lupatis, quibus eorum proterviam compeſcat: nunc addit nullum illorum miſeriis finem vel modum fore, donec prorſus conſumpti fuerint. Quamvis ergo ad tempus nobis parcat Deus, terreat nos hæc denunciatio, ne temporalis impunitas nos obduret: neque ſic nos decipiat proſperitas cui Deus maledicit, quin reconditi iſti dolores quos Deus reprobis omnibus minatur, nobis in mentem veniant. Sicut autem innumeris vindictis armatum eſſe Deum contra reprobos dixit, rurſum addit, Immenſa bonitate inſtructum eſſe qua ſuos omnes ſublevet. Summa eſt, non aliud eſſe malis noſtris remedium, niſi ut humiliati ſub Dei manu, ſalutem noſtram in ſola ejus miſericordia fundemus: eos vero qui in Deum recubuerint, omnibus numeris beatos fore: quia undecunque eos oppugnet Satan, Dominus cum ſuo præſidio occurret.

11. *Lætamini in Jehova.*] Poſtquam David veram felicitatem piis omnibus promptam & expoſitam eſſe docuit, non immerito eos ad lætitiam hortatur. Jubet autem in Jehova lætari, acſi diceret, nihil obſtare quominus Deum ſibi propitium eſſe ſtatuant qui tam benigne & comiter ad reconciliationem ſe offert. Interea notemus hunc incomparabilem eſſe fidei fructum, quem etiam commendat Paulus, dum ſcilicet piorum conſcientiæ tranquillæ & hilares pace & gaudio ſpirituali fruuntur. Nam ubicunque vigebit fides, eam ſequetur hæc ſancta gloriatio. Sed quia mundo ſua impietas obſtaculum eſt ne ad hujus gaudii participationem accedat: ideo ſolos juſtos compellat David, quos eoſdem *rectos corde* nominat, ut ſciamus externæ juſtitiæ ſpeciem quæ hominibus arridet, nihil eſſe coram Deo. Sed quomodo juſtos vocat, quorum tota felicitas in gratuita Dei clementia poſita eſt, dum illis peccata non imputat? Reſpondeo, non alios recipi in gratiam, niſi qui ſibi in vitiis diſplicent, & ex animo reſipiſcunt: non quod pœnitentia ſibi veniam acquirant, ſed quia à Spiritu regenerationis divelli nunquam poteſt fides. Jam vero ubi ſe Deo addicere cœperunt, rectitudinem cordis illorum perinde acceptam habet acſi integra eſſet ac perfecta. neque enim ſolum hominem Deo reconciliat fides, ſed quicquid in eo adhuc eſt imperfectum ſanctificat, ut gratuita Dei indulgentia juſtus ſit, qui nullo merito tantum bonum acquirere ſibi poſſet.

ARGUMENTUM PSALMI XXXIII.

David, aut quiſquis hujus Pſalmi fuit auctor, ut fideles ad laudandum Deum incitet, argumentum proponit in generali ejus providentia, qua ſuſtinet, tuetur, ac gubernat totum mundum. Deinde paternam erga electum populum ejus curam celebrat: ſimul oſtendens quam neceſſe ſit peculiari ejus tutela pios foveri.

PSALM. XXXIII.

EXultate juſti in Jehova, rectis * decora eſt laus.	1 רננו צדיקים ביהוה לישרים נאוה תהלה׃
2. Celebrate Jehovam in cithara, in nablo & decachordo pſallite illi:	2 הודו ליהוה בכנור בנבל עשור זמרו לו׃
3. Cantate ei canticum novum, ſtrenue canite cum jubilatione:	3 שירו לו שיר חדש היטיבו נגן בתרועה׃
4. Quia rectum verbum Jehovæ, & omnia opera ejus in fide.	4 כי ישר דבר יהוה וכל מעשהו באמונה׃

* vel, amabilis.

EXultate juſti in Jehova.] Nominatim fideles vel juſtos compellat, quia ſoli idonei ſunt gloriæ Dei præcones. Neque enim increduli qui Dei bonitatem nunquam guſtarunt, eum poſſunt ex animo laudare: & Deus nomen ſuum impuris eorum linguis attingi non vult. Sed ex contextu melius patebit cur hæc exhortatio ſolis fidelibus proprie conveniat. atque ita poſterius membrum exponunt multi, rectis laudem congruere: quia ſi ad idem tentandum ſe accingunt impii, vel hypocritæ, id in Dei probrum & dedecus magis vergit quam in laudem: imo nihil quam ſacrum ejus nomen profanant. ac vere quidem hoc dicitur, quemadmodum jam admonui, Deum ſibi conſulto in hunc finem gratuita adoptione creare Eccleſiam in mundo, ut nomen ſuum rite à legitimis teſtibus laudetur. Genuinus tamen ſenſus eſt, laudem rectis decoram eſſe, quia nihil ſit potius in quo ſe exerceant. Et certe quum aſſiduis beneficiis Deus celebrandæ ſuæ gloriæ materiam ipſis præbeat, ac immenſa (ut alibi vidimus) ejus bonitas in proprium theſaurum ipſis ſit repoſita, eos de laudibus Dei ſilere turpe & abſurdum foret. Huc autem ſumma redit, hoc præcipuum eſſe ſtudium in quo juſtos occupari deceat, ut juſtitiam, bonitatem, & virtutem Dei, quarum notitiam animis infixam gerunt, prædicent apud homines. Ubi ego alios interpretes ſequutus, *decoram laudem* tranſtuli, apte etiam legi poſſet Deſiderabilem, ab אוה quod optare vel expetere ſignificat. Et certe quum fideles tam ſuaviter alliciat Deus, totis animi votis ad laudes ejus canendas eos ferri convenit. Notandum quod ubi juſtos poſuit Propheta, nomine Rectitudinis, ſub quo comprehenditur interior animi ſinceritas, ſtatim quæ vera ſit juſtitia, definit.

2. *Celebrate Jehovam.*] Non dubium eſt quin vehementiam & ardorem affectus in Deo laudando hoc verſu exprimat, ubi in hunc uſum inſtrumenta muſica applicari jubet. nihil enim vult à fidelibus omitti quod mentes ſenſuſque hominum ad canendas Dei laudes accendat. Etſi enim non niſi articulata voce proprie celebratur Dei nomen, hæc tamen admi-

adminicula quibus ſe magis incitare fideles ſolent, non fruſtra addidit, præſertim qûum ad veterem populum verba faceret. Diſcrimen namque tenendum eſt, ne quicquid Judæis olim præceptum fuit, promiſcue ad nos trahamus: nec vero mihi dubium eſt quin cymbala pulſare, canere ad citharam & nablum, totumque illud muſicæ genus, cujus mentio frequenter in Pſalmis recurret, pars fuerit Legalis pædagogiæ: loquor de ſolenni templi cultu. Nam & hodie ſi muſicis inſtrumentis ſe exhilarent fideles, fateor hoc illis debere eſſe propoſitum, ne à Dei laudibus ſuam lætitiam ſeparent: ſed dum ſacros ſuos conventus peragunt, nihilo magis ad canendas Dei laudes congruere arbitror muſica inſtrumenta, quam ſiquis ſuffitus, lucernas, & ſimiles Legis umbras in uſum revocet. Stulte itaque hoc, ut alia multa, à Judæis mutuati ſunt Papiſtæ. Homines externis pompis deditos oblectat ille ſtrepitus: ſed Deo magis placet quam nobis per Apoſtolum ſuum commendat ſimplicitas. Nam Paulus
1 Cor. 14. verſ. 16. Deum in publico fidelium cœtu benedicere non niſi lingua cognita permittit. Certe vox hominis, quamvis non vulgo intelligatur, mortuis omnibus organis præſtat. Quid ergo de cantillatione dicendum, quæ tantum inani ſonitu aures verberat? Siquis objiciat, muſicam ad excitandos hominum animos plurimum valere: fateor id quidem, ſed timendum ſemper eſt nequa corruptela obrepat, quæ & purum vitiet Dei cultum, & homines ſuperſtitione illiget. Porro quum de periculo nos diſerte Spiritus ſanctus admoneat per os Pauli, ultra quam illic docemur progredi, non modo inconſideratum zelum, ſed impiam pervicaciam eſſe dico.

3. *Cantate ei canticum novum.*] Quum de magnificis Dei operibus, ac de Eccleſiæ præſertim conſervatione poſtea diſſerat, non mirum eſt de novo cantico, hoc eſt raro & exquiſito, eum præcipere. Nam quo propius & diligentius expendunt fideles Dei opera, altius etiam in ejus laudes efferri æquum eſt. Jubet ergo meditari non vulgare canticum, quod tam ſplendidæ materiæ reſpondeat. Eodem pertinet ſecundum membrum, ut ſtrenue pſallendo incumbant. Sic enim verbum היטיב interpretor, quod tamen alii ad modos concinne aptandos referre malunt.

4. *Quia rectum verbum Jehovæ.*] Generalem (ut nuper dixi) Dei providentiam qua regitur totus mundus, initio proponit; ac dicit, in toto operum ſuorum curſu Deum ſic imperium ſuum exercere, ut refulgeat ubique ſumma æquitas & fides. Verbum & opus quidam volunt eſſe ſynonyma: ſed ego ita diſtinguo, ut verbum tantundem valeat ac conſilium Dei, vel mandatum: opus vero ſit ejus effectus & exequutio. Fateor geminari eandem ſententiam diverſis verbis, ut alibi paſſim: ſed rara non eſt in repetitionibus modica deflexio, ut idem varie & pluribus modis dicatur. Summa eſt, quicquid ſtatuit Deus ac mandat, rectum eſt: quicquid opere ipſo perficit, fidele & verax. interea notandum eſt, verbum non accipi pro doctrina, ſed pro mundi gubernandi ratione.

5. Diligit juſtitiam & judicium, bonitate Jehovæ plena eſt terra.	5 אֹהֵב צְדָקָה וּמִשְׁפָּט חֶסֶד יְהוָה מָלְאָה הָאָרֶץ׃
6. Verbo Jehovæ cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis exercitus eorum.	6 בִּדְבַר יְהוָה שָׁמַיִם נַעֲשׂוּ וּבְרוּחַ פִּיו כָּל צְבָאָם׃
7. Congregavit ſicut cumulum aquas maris, poſuit in theſauris abyſſos.	7 כֹּנֵס כַּנֵּד מֵי הַיָּם נֹתֵן בְּאֹצָרוֹת תְּהוֹמוֹת׃
8. Timeat à Jehova omnis terra, ab ipſo paveant omnes incolæ orbis.	8 יִירְאוּ מֵיְהוָה כָּל הָאָרֶץ מִמֶּנּוּ יָגוּרוּ כָּל יֹשְׁבֵי תֵבֵל׃
9. Quia ipſe dixit, & fuit: ipſe mandavit, & ſtetit.	9 כִּי הוּא אָמַר וַיֶּהִי הוּא צִוָּה וַיַּעֲמֹד׃

5. *Diligit juſtitiam & judicium.*] Confirmatio eſt proximæ ſententiæ, quia Deus ſcilicet natura juſtitiam & æquitatem amet. Unde ſequitur, fieri non poſſe ut eum præpoſteri affectus, more hominum, ad prava conſilia rapiant. Videtur quidem primo intuitu hoc vulgare & frivolum eſſe Dei elogium, quia fatentur omnes Deum in ſuis operibus optimam æquitatis regulam tenere. Quorſum ergo (dicet quiſpiam) novi cantici, quaſi in re inuſitata, nuper facta eſt mentio? Sed primo plus ſatis conſtat quam turpiter cæcútiat bona pars mundi ad Dei juſtitiam, dum vel neglectim præterit innumera providentiæ ejus documenta, vel etiam fortuito accidere imaginatur. Accedit autem deterius vitium, quod niſi Deus votis noſtris obſequitur, ſtatim obſtrepimus ejus juſtitiæ: ita poſtquam hoc principium in ore omnium pro confeſſo volitavit, Deum juſte omnia agere, vix centeſimus quiſque fixum in animo ſuo retinet. alioqui ſimulac prodit hæc doctrina in medium, Deo ita placere, quiſque ſe ejus arbitrio obedienter ſubjiceret. Nunc ubi in rebus adverſis ægerrime coguntur homines in ordinem, ut Deum agnoſcant ac profiteantur juſtum eſſe, in proſperis vero diſſluunt & evaneſcunt: non mirum eſt ſi affirmet Propheta, Deo juſtitiam eſſe cordi, ut rectum moderatorem eſſe perſuadeat. Itaque quiſquis hanc doctrinam penitus imbiberit, ſciat ſe multum profeciſſe. Alii exponunt, Deum amare in hominibus rectitudinem: quod verum quidem eſt, ſed à contextu remotum: quia hic Spiritus ſancti conſilium eſt, contra impietatis venenum, quod in multorum cordibus reſidet, Dei gloriam aſſerere. In ſecunda parte verſus alteram virtutis ſpeciem in Deo commendat Propheta, quod *plena ſit terra ejus bonitate.* Etſi autem Dei juſtitia ad celebrandum ejus nomen merito ſtimulare nos debet, acrior tamen ſtimulus eſt ejus bonitas: quia ut quiſque beneficum & miſericordem ipſum ſentit, magis ad eum colendum afficitur. Porro adhuc de omnibus Dei beneficiis ſermo habetur, quæ ſpargit in totum humanum genus: ea dicit Propheta, quocunque vertamus oculos, paſſim occurrere.

6. *Verbo Jehovæ cæli firmati ſunt.*] Quo nos ad reputanda Dei opera melius expergefaciat, ipſam mundi creationem nobis proponit. Donec enim agnitus fuerit Deus mundi creator & opifex, quis credat ab eo eo curari res humanas, mundique ſtatum ejus conſilio & manu gubernari? Mundi autem creatio ad Dei providentiam continua ſerie nos deducit: non quod tam dextre ratiocinentur omnes, vel tam recto judicio præditi ſint, ut mundum ſtatuant eadem Dei virtute, quæ ſe in illo creando ſemel exeruit, hodie ſuſtineri: quin potius major pars eum è cælo otioſum ſpectare fingit quicquid in terris agitur. Sed aliter rite nemo tenet mundum à Deo conditum, niſi perſuaſus quoque ſit, ab eodem foveri, & conſervari in ſuo ſtatu. Scite igitur & apte Propheta, ut nobis certitudinem infigat providen-

videntiæ Dei in continuo naturæ ordine; nos ad ipſam mundi originem revocat. Porro nomen Cælorum ſynecdochice pro univerſa mundi machina poſuit: quia (ut alibi dictum eſt) eorum maxime conſpectu in admirationem rapimur. Ideo mox addit eorum exercitum: qua voce ſydera & ſtellas intelligit, uſitato Scripturæ more. nam ſi hoc ornatu carerent cæli, quodammodo vacui eſſent. Cælos autem dicens verbo Dei conditos, potentiam ejus magis amplificat, quod ſolo nutu contentus, neque accerſiverit aliunde ſubſidia, neque etiam multum operæ vel laboris impenderit ad tam ſplendidum & nobile opificium. Quanquam autem verbum Dei & ſpiritum oris tam externis omnibus mediis, quam laboris difficultati quæ in Deo fingi poſſet, oppoſuit Propheta: vere tamen & certo hinc colligitur, mundum per æternum Dei ſermonem, qui Filius eſt unigenitus, fabricatum eſſe. Subtilius veteres hoc elogio uſi ſunt contra Sabellianos, ut æternam Spiritus Deitatem aſſererent. Atqui ex aliis locis patet, ac præſertim ex Jeſaiæ cap. 11. verſ. 4. ſpiritu oris notari ſermonem. illic enim de Chriſto dicitur, Percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum interficiet impium. Sicut autem poteſtate & efficacia plenus ſermo allegorice vocatur oris ſceptrum: ita alio fine poſtea dicitur halitus, ad diſcrimen notandum ſermonis Dei & inanis reſonantiæ, quæ ex ore hominum prodit. Ergo in probanda Deitate Spiritus, hoc teſtimonio Sabellium urgere non auderem. Quare nobis ſufficiat, Deum verbo ſuo ita cælos formaſſe, ut hinc probetur æterna Chriſti Divinitas. Siquis objiciat non fore diſtinctas Perſonas, ſi voces Verbi & Spiritus ſint ſynonymæ: reſpondeo non ſimpliciter Spiritum hic poni ut aliis locis, in quibus aperte à Verbo diſtinguitur, ſed figurate ſpiritum oris pro ipſa pronunciatione ſumi, acſi dictum eſſet, Simulac halitum vocis ſuæ emiſit Deus, vel protulit verbo quid fieri vellet, cælos repente extitiſſe, & quidem incredibili ſtellarum copia & varietate inſtructos. Verum quidem eſt, ſimilitudinem hanc ab hominibus ſumptam eſſe: ſed alibi ſæpe docet Scriptura, æterno illo Sermone, qui unigenitus Dei filius in carne apparuit, mundum fuiſſe creatum.

7. *Congregavit ſicut cumulum aquas maris.*] Non omnia quæ de ſingulis mundi partibus dici poterant, proſequitur, ſed breviter ſub una parte alias omnes deſignat. Commendat autem inſigne in mundi ſuperficie, & dignum notatu miraculum, quod Deus elementum aquæ fluidum & inſtabile, inſtar ſolidi acervi collectum ſuo arbitrio teneat. Fatentur enim Phyſici, & experientia palam clamat, aquas terra ſuperiores eſſe. quum liquidæ ſint & diffluant, qui fit ut ſe non effundant ad terram obruendam, & hæc quæ loco inferior eſt, ſit ea eminens? Hic certe perſpicimus, Deum ut generis humani ſaluti conſuleret, arcanis aggeribus aquas cohibuiſſe, & hodie tenere clauſas: & eleganter Propheta juſſu Dei conſiſtere pronunciat acſi firmæ & ſolidæ materiæ acervus foret. nec abs re hoc divinæ virtutis ſpecimen alibi commendat Spiritus, ſicuti Jeremiæ 5. verſ. 22. & Job 38. verſ. 8. Secunda parte verſus videtur hoc ipſum repetere, ſed cum amplificatione: quia Deus non tantum immenſam aquarum molem in mari compeſcat, ſed in ipſis quoque terræ viſceribus mira & incomprehenſibili virtute recondat. Nam quiſquis elementa inter ſe conferet, præter naturam fieri dicet, ut abyſſi vel immenſi gurgites aquarum ſubtus terram lateant, qui potius debuerant eam ſubmergere. atque hic altera quoque Dei virtus refulget, quod terram tot cavi meatus & voragines non ſingulis momentis abſorbeant. Nam etſi chaſmate interdum pereunt urbes & agri, corpus tamen ipſum in ſuo gradu manet.

8. *Timeat à Jehova omnis terra.*] Concludit juſtam eſſe cauſam cur reverenter ſubjiciat ſe totus orbis imperio Dei, à quo ſuam habet originem, & à quo ſervatur. Nam Timere & metuere à Jehova nihil aliud eſt quam formidabilem ejus poteſtatem ſuſpicere. Eſt autem hoc nimis craſſi ſtuporis, non intendere ad Dei præſentiam, à quo eſt noſtrum eſſe, & in quo ſtatus noſter conſiſtit. utrumque enim attingit Propheta, orbem fuiſſe ſimulac Deus loquutus eſt, & ejuſdem mandato aliquem habuiſſe ſtatum: quia non ſatis fuiſſet momento eſſe conditum, niſi ſuffultus Dei virtute ſtaret. Deus ergo non magno apparatu ad mundi creationem uſus eſt: ſed ut probaret immenſam Verbi ſui potentiam, juſſit ut imperium protinus eſſet opus. Cæterum verbum Mandandi confirmat quod paulo ante diximus, ſermonem nihil aliud eſſe quam nutum, & loqui nihil aliud quam jubere: quod tamen ſic accipere convenit, ut in hoc nutu vel mandato ſe proferat æterna Dei ſapientia.

10. Jehova diſſipat conſilium Gentium, tollit cogitationes populorum.	10 יְהוָה הֵפִיר עֲצַת גּוֹיִם הֵנִיא מַחְשְׁבוֹת עַמִּים׃
11. Conſilium Jehovæ in æternum ſtabit, cogitationes cordis ejus in ſeculum & ſeculum.	11 עֲצַת יְהוָה לְעוֹלָם תַּעֲמֹד מ מַחְשְׁבוֹת לִבּוֹ לְדֹר וָדֹר׃
12. Beata gens cui Jehova Deus eſt, populus quem elegit in hæreditatem ſibi.	12 אַשְׁרֵי הַגּוֹי אֲשֶׁר יְהוָה אֱלֹהָיו הָעָם בָּחַר לְנַחֲלָה לוֹ׃

10. *Jehova diſſipat conſilium Gentium.*] Poſtquam breviter attigit mundi creationem, ad inſtitutum ſermonem redit, quotidianos ſcilicet eventus certos eſſe providentiæ Dei teſtes. Porro ne quis miretur, Deum hic induci à Propheta quaſi hominibus adverſum, qui diſſipet eorum conſilia potius quam ſtabiliat, & ad proſperum ſucceſſum adducat, exemplum elegit quod ad piorum conſolationem maxime valebat. Scimus enim quam multa aſſidue audeant homines, & præter jus & fas machinentur, ut ſuis artibus totum mundum pervertere conentur, ut ſe tyrannice efferant ad calcandos bonos & ſimplices. quid ergo nobis miſerius, ſi in tanta libidine permiſſa illis eſſet exequendi libertas? At ubi ex alto pronunciat Deus, ſuarum eſſe partium diſcutere quicquid decernunt, & in nihilum redigere quicquid deliberant: nihil obſtat quominus ipſis fervide tumultuantibus, quietem colamus. Quare dicitur evertere Deus conſilia hominum, non quod eorum fruſtratione ex profeſſo ſe oblectet, ſed ut compeſcat eorum temeritatem: quia omnia protinus miſcerent, ſi ſuccederet ex voto: imo quia bellum cum Deo ſuſcipere, contra æquitatem ruere, probos & innoxios vexare non deſinunt, neceſſe eſt eorum furori opponi Dei præſidium. Imo quia major hominum pars contempta modeſtia, in confuſam licentiam fertur, non de ſingulis tantum hominibus, ſed de totis populis loquitur Propheta. acſi diceret, Quamvis inter ſe conſpirent homines, magniſque copiis hoc vel illud aggredi deliberent, conſilia tamen eorum fore irrita: quia Deo non erit plus negotii in diſſipanda ingenti multitudine, quam in paucis cohibendis. Quanquam autem Deo propoſitum fuit, nos bona ſpe contra improborum audaciam munire, ſimul tamen cavendum eſſe admonet, nequid niſi ſuo juſſu & auſpiciis tentemus.

11. *Con-*

11. *Conſilium Jehovæ.*] Immenſam Dei potentiam ſic extollit Propheta, ut in ejus altitudine fidem noſtram ædificet. neque enim conſilium laudat quod nos in cælo abſconditum procul ſuſpicere & revereri velit. ſed quia paſſim teſtatur, ſibi cordi eſſe juſtitiam & rectitudinem, ſibi curæ eſſe juſtos & probos, ſibi in animo eſſe opitulari ſuis cultoribus, dum injuſte premuntur: intelligit Propheta hoc ſtabile & ratum fore. ita declarat in quem finem Deus conſilia Gentium diſſipet, quia ſcilicet ad violandum omnem ordinem nullo delectu feruntur. Primum ergo diſcamus, Dei conſilium inſpicere in verbi ſpeculo: ubi vero ſtatuerimus, nihil eum promittere niſi quod præſtare apud ſe decrevit, ſtatim nobis occurrat hæc firmitas de qua diſſerit Propheta. Sed quia ejus curſum innumeris obſtaculis abrumpere multi contendunt, imo toti interdum populi: veniat quoque in mentem prior ſententia, Ubi multa agitaverint homines, in Dei manu & arbitrio eſſe diſſipationem. In hac practica notitia fidem noſtram haud dubie exerceri voluit Spiritus: quia frigidum alioqui & fructu vacuum elogium hoc eſſet. Atqui ubi nobis propoſitum fuerit, Deum ſuos tueri velle, & eripere ex omnibus periculis quicunque ejus nomen invocant, quicquid moliantur in perniciem noſtram impii, nos minime terrebunt eorum ſtudia & conatus: quia ſimulac Deus ſe oppoſuerit, nulla erit aſtutia quæ ejus conſilium eludat.

12. *Beata gens cui Jehova*, &c.] Apte cohæret hic verſus cum proximo: quia parum prodeſſet quod de perpetuitate conſilii Dei dictum fuit, tenere, niſi ad nos pertineat. Ergo beatos eſſe exclamans Propheta quos Deus in tutelam ſuſcepit, conſilium cujus nuper meminit, non eſſe reconditum admonet, ſed vigere & ſpectari in Eccleſiæ ſalute. Atque ita videmus, non eos qui frigide ſpeculantur Dei potentiam, ſed qui in ſuum præſentem uſum aptant, rite demum agnoſcere mundi gubernatorem. Porro quum beatitudinem noſtram in eo locat, Si Jehova ſit Deus noſter, fontem divini erga nos amoris deſignans, uno verbo complectitur quæcunque ad vitam feliciter degendam expeti ſolent. Nam quod ſalutis noſtræ curam ſuſcipere, fovere nos ſub alis ſuis, neceſſitatibus proſpicere, opem auxiliumque in periculis ferre dignatur, hoc totum ex ejus adoptione pendet. Cæterum nequis putaret, tantum bonum conſequi homines proprio marte vel induſtria, nominatim ex fonte gratuitæ electionis fluere docet quod cenſemur in Dei populo. Verum quidem eſt, hac lege creatos initio fuiſſe homines in Adæ perſona, ut omnes filii Dei eſſent: ſed alienatio quæ ex peccato ſequuta eſt, tanto bono nos privavit. Ergo donec gratuito nos adoptet Deus, miſerį ſumus naturaliter omnes, nec alia eſt felicitatis janua, quam ut mero beneplacito indignos eligat. Unde apparet quam inſulſe corrumpant hunc locum qui ad homines transferunt quod Deo aſſignat Propheta, acſi eum ſibi in hæreditatem eligerent. Fateor quidem, verum Deum ab idolis fide diſcerni: ſed tenendum eſt principium iſtud, Nihil cum eo nobis eſſe commune, niſi ſua gratia nos præveniat.

13. E cælis reſpexit Jehova, vidit omnes filios Adam:
13 מִשָּׁמַיִם הִבִּיט יְהוָה רָאָה אֶת
כָּל בְּנֵי הָאָדָם׃

14. Ex habitaculo ſolii ſui proſpexit ad omnes incolas terræ.
14 מִמְּכוֹן שִׁבְתּוֹ הִשְׁגִּיחַ אֶל כָּל
יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ׃

15. Qui finxit ſimul corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum.
15 הַיֹּצֵר יַחַד לִבָּם הַמֵּבִין אֶל כָּל
מַעֲשֵׂיהֶם׃

16. Non ſervatur Rex in multitudine exercitus, nec Gigas eripietur in multitudine roboris.
16 אֵין הַמֶּלֶךְ נוֹשָׁע בְּרָב חָיִל גִּבּוֹר
לֹא יִנָּצֵל בְּרָב כֹּחַ׃

17. Fallax equus ad ſalutem, & in multitudine virtutis ſuæ non liberabit.
17 שֶׁקֶר הַסּוּס לִתְשׁוּעָה וּבְרֹב
חֵילוֹ לֹא יְמַלֵּט׃

13. *E cælis*, &c.] Proſequitur eandem doctrinam, non verſari ſcilicet fortuito res humanas, ſed Deum occulte dirigere quicquid agitur. Porro Dei intuitum ideo commendat, ut nos viciſſim fidei oculis inviſibilem ejus providentiam aſpicere diſcamus. Etſi enim ob oculos nobis aſſidue verſantur clara ejus documenta, major tamen pars hominum cæcutit, & pro ſua cæcitate fortunam cæcam fabricat. imo quo uberius & pleniore copia ſuam bonitatem in nos effundit, minus ad eum attollimus ſenſus noſtros, ſed præpoſtere in externa quæ circumſtant media, fixi ſubſidunt. Hanc indignitatem caſtigat Propheta, quia nulla gravior Deo fieri poteſt injuria, quam ubi cælo otioſus includitur: quia perinde eſt acſi in ſepulchro jaceret ſepultus. qualis enim Dei vita, ſi nihil cernat, vel curet? Porro ſub voce *Solii* à conſequentibus oſtendit quam abſurdus ſit ſtupor, Deum ſenſu & intelligentia nudare. Significat enim, cælum non ad delicias, ut ſomniant Epicurei, otioſum eſſe palatium, ſed Regiam è qua imperium ſuum per omnes mundi partes exerceat. Quod ſi in cælorum ſacrario ſedem ad orbem regendum ſibi locavit, ſequitur, minime negligere res terrenas, ſed ſumma ratione & ſapientia eas moderari.

15. *Qui finxit ſimul corda.*] Videtur hoc data opera fuiſſe additum, quo ſibi certo perſuadeant fideles, utcunque ſe aſtutiis, fraudibus, & clandeſtinis artibus ſubducere à Dei conſpectu conentur impii, & ſibi cavernas effodere: Dei tamen oculos penetrare in iſtas tenebras. Ab ipſa autem creatione ratiocinatur, fieri non poſſe quin Deus ad rationem & judicium conſilia hominum factaque vocet. quia etſi flexuoſos quiſque receſſus in animo ſuo occultat, ut mire alii ab aliis differant, ac in tanta varietate confuſa ſit caligo: Dei tamen oculos non perſtringi neque offuſcari, quin idoneus ſit operis ſui cognitor. Ergo per adverbium Simul, non intelligit, uno temporis momento formata fuiſſe hominum corda, ſed omnia ad unum & ſine exceptione formata eſſe, ut fruſtra notitiam fictoris ſui latere vel ſubterfugere conentur. Huc etiam ſpectare poteſt ſententia, homines erraticis cogitationum ſuarum figmentis non minuere Dei imperium quominus arcana ſua providentia temperet quæ putant fortuito accidere. Videmus enim ut vanas ſpes ſibi fabricando, Dei virtutem huc & illuc transferant, nec ejus ope ſe putent egere, quamdiu ad ſe tuendos mediis & adminiculis ſunt inſtructi: ideoque ſequitur, *Non ſervatur Rex*, ut oſtendat, vitam hominum non propria virtute, ſed unius Dei gratia ſtare incolumem. *Reges & Gigantes* potiſſimum nominat, qui ſorte communi exempti, ſibi videntur extra telorum jactum eſſe. quod ſiquid adverſi acciderit, facilem ſibi exitum promittunt. Denique virtutis ſuæ confidentia ebrii, vix ſe reputant mortales eſſe. hanc quoque

ſuperbiam magis obdurat ſtulta vulgi admiratio, dum ad eorum potentiam obſtupeſcit. Quod ſi neque Rex ſuis copiis, nec Gigas ſuo robore, ſimulac ventum eſt ad aliquod diſcrimen, ſalvus evadit: fruſtra totum humanum genus relicta Dei providentia, ad terrenas opes circumſpicit. Unde ſequitur, nihil eſſe miſerius tam fortibus quam infirmis, donec in Dei præſidium recumbant. Proximo verſu ſub voce *Equi* quodvis auxilii genus per ſynecdochen deſignat: ſiquidem in genere ſentit, qui terrenis mediis vitam ſuam probe munitam exiſtimant, ut plurimum in ipſo articulo deſtitui, & miſere deluſos perire, ut hoc modo eorum ſtultitiam Deus coarguat. Verum quidem eſt, nec fruſtra Reges armari gladio, nec ſupervacuum eſſe equorum uſum, nec quas Deus opes & copias ad tuendam hominum vitam ſuppeditat, eſſe inutiles: ſi quidem rectum quiſque modum in uſu ipſo teneret. ſed quia major pars quo pluribus cincta eſt munimentis, eo longius à Deo recedit, falſaque imaginatione portum ab omni moleſtia immunem ſibi fingit: jure Deus hanc veſaniam fruſtratur. Hinc fit ut ſæpe ſine effectu effluant Dei dona: quoniam ea mundus ab auctore ſeparans, ejus quoque benedictione privatur.

18. Ecce oculus Jehovæ ſuper timentes eum, qui ſperant in miſericordia ejus.

19 Ut eripiat à morte animas eorum, & vivificet eos in fame.

18 הנה עין יהוה אל יראיו ל
למיחלים לחסדו :
19 להציל ממות נפשם ולחיותם
ברעב :

18. *Ecce oculus.*] Poſtquam docuit, nihil ſæpe prodeſſe quæcunque putantur ad tuendos homines optima eſſe præſidia, imo nihili eſſe, ubi in illis locatur ſalus: jam ex oppoſito demonſtrat, fideles, quamvis neque magna potentia ſint præditi, neque opibus abundent, unica tamen Dei gratia ſatis eſſe tutos, & perpetuo ſalvos fore. Non parum illuſtrat Prophetæ mentem hæc comparatio, quod Reges & Gigantes nihil juvet inexpugnabile ſuum robur: ſanctos vero in fame & penuria Deus vivificet, acſi reſtituat vitam mortuis. Nunc melius tenemus quorſum Propheta totum mundi robur dejecerit, non ut proſtrati jaceant homines ſcilicet, vel deſperatione fracti marceſcant, ſed ut depoſita omni ſuperbia contrahant omnes ſuos ſenſus ad unum Deum, & ab ejus tutela vitam ſuam pendere ſtatuant. Porro oculum Dei ad ſervandos ſuos cultores intentum eſſe dicens, plus exprimit, quam ſi dixiſſet, ad eos ſuſtinendos manum ejus & virtutem ſufficere: quia obrepere infirmis poterat dubitatio an ad ſingulos eam extendere Deus vellet: nunc vero dum ipſum quaſi in excubiis ſedentem inducit, ut fidelibus proſpiciat, non eſt cur quiſque amplius trepidet, ac ſecum diſceptet, de præſenti Dei auxilio certus, modo ſub ejus providentia quietus maneat. Hinc clarius elucet quam vere prius dixerit beatum eſſe populum, cujus Jehova eſt Deus, quia extra ipſum quicquid virtutis & opum ſuppetat, inane, fallax, & evanidum tandem erit. ipſe autem ſolo intuitu fideles ſuos protegat, ſuccurrat eorum inopiæ, famelicos paſcat, mortique deſtinatos vivificet. Etſi autem Dei providentia fovetur totum humanum genus, ſcimus tamen eum paterna cura non niſi ſuos filios peculiariter dignari, ut vere ab eo ſuas neceſſitates reſpici ſentiant. Porro quum ſibi Deus in fame & morte prompta remedia ad ſervandam piorum vitam eſſe aſſerat, monemur tunc ejus providentiæ deferri juſtum honorem, dum in extrema penuria animos non deſpondent fideles: quin potius è ſepulchro ſpem ſurſum attollunt. quia Deus in hunc finem eſurire ſuos ad tempus patitur, ut poſtea ſatiet: mortiſque tenebras offundit, ut vitæ lucem reddat. imo tunc demum fiduciam noſtram ſolide in eo locare incipimus, ubi mors ante oculos nobis verſari cœpit, quia mundi ſubſidia, donec ſuæ vanitatis experimentum dederint, ſenſus noſtros tenent implicitos, ſibique addictos. Fideles duobus inſignit titulis, quibus tota vitæ noſtræ perfectio continetur. primum enim eſt, ut Deum reverenter colamus, deinde ut intenti ſimus in ejus gratiam. Et certe hypocritæ quamvis fidem plenis buccis jactent, nunquam tamen Dei bonitatem vel ſummis labris guſtarunt, ut ab eo expectent quod ſibi neceſſe eſt. Quod autem in Dei cultum & reverentiam ſe totos fideles dedunt, hic affectus ex fide naſcitur: imo præcipua hæc pars cenſetur legitimi cultus, quod ab ejus miſericordia pendent.

20. Anima noſtra expectat Jehovam: auxilium noſtrum, & ſcutum noſtrum ipſe eſt.

21. Certe in ipſo lætabitur cor noſtrum, * quia in nomine ſancto ejus ſperabimus.

* vel, *certe.*

22. Sit miſericordia tua ſuper nos, Jehova, quemadmodum ſperavimus in te.

20 נפשנו חכתה ליהוה עזרנו
ומגננו הוא :
21 כי בו ישמח לבנו כי בשם ק
קדשו בטחנו :
22 יהי חסדך יהוה עלינו כאשר
יחלנו לך :

20. *Anima noſtra.*] Quicquid hactenus de providentia Dei, ac præſertim fideli, qua ſuos tuetur, cuſtodia, diſſeruit, non tam à ſeipſo protulit, quam ex ore Spiritus ſancti. Nunc vero in perſona totius Eccleſiæ ſuccinit, nihil eſſe melius quam ſalutem noſtram Deo committere. Ita videmus fructum ſuperioris doctrinæ cunctis fidelibus proponi, ut ſecure excelſoque animo in paternam Dei curam ſe rejicere non dubitent. Nam hac de cauſa nihil privatim de ſe Propheta teſtatur, ſed ſibi pios omnes adjungit in ejuſdem fidei conſenſum. ac ſubeſt emphaſis in voce *Animæ*: quia etſi Hebræis trita eſt loquutio, ſerium tamen affectum exprimit: acſi dicerent fideles, ſe integro ac ſincero corde reſpicere in Deum, quia *ſcuti & auxilii* loco ſibi eſſe ducant.

21. *Certe in ipſo lætabitur.*] Quia particula כי quæ hic bis repetitur, varie ſumitur apud Hebræos, duplex poteſt eſſe ſenſus. Nam ſi utroque membro affirmative exponimus, tam de ſua lætitia, quam de ſpe gloriabuntur fideles. nec mihi diſplicet, uno contextu, diſtincte tamen hæc duo referri, Certe Deus ſemper noſtra lætitia erit, certe ſacrum ejus nomen inſtar arcis invictæ nobis erit ad refugium. Unde enim fit ut in Dei invocatione conſtanter perſiſtant fideles, niſi quia ejus gratia contenti, in triſtitia & mœrore retinent ſolatium iſtud quod eorum alacritatem ſuſtineat? Probe igitur affirmant priore loco fideles cor ſuum lætari in Domino, quia non vagantur poſt mundi illecebras, ut pro varia fortunæ inclinatione nutent ac vacillent, ſed in gratuito & paterno Dei favore totam beatæ vitæ ſummam includunt. Deinde ſecundo addunt, *ſe ſperare in nomine ſancto ejus.* Si tamen particulam כי cauſaliter accipere libeat, non minus apte & concinne ſenſus fluet, Quia ſpes noſtra in Deo defixa fuit, non deerit ipſe ſuis partibus, quin perennem gaudii materiam ſuppeditet. Et

certe experientia convincit, mœrore obrui homines, & in curis, doloribus, & anxietate tabeſcere, ut mercedem ſuæ vanitatis reportent: quia nihil difficilius eſt quam ſpes eorum uni Deo adſtringi, ne exultent in fallacibus ſuis blanditiis.

22. *Sit miſericordia tua.*] Clauditur tandem Pſalmus precatione, quam Propheta piorum omnium nomine concipit, ut re ipſa ſentiant, non fruſtra ſe Dei bonitate fuiſſe ſubnixos. Interea Spiritus hanc orandi regulam per os Prophetæ dictando, januam Dei gratiæ aperiri docuit, ubi non aliunde ſalus vel expetitur vel ſperatur. Suaviſſima interim conſolatio hinc elicitur, modo ne ſpes noſtra in medio curſu fatiſcat, minime timendum eſſe quin Deus ſuam erga nos miſericordiam continuo tenore proſequatur uſque in finem.

ARGUMENTUM PSALMI XXXIV.

DAvidis, dum ipſe mutavit vultum ſuum coram Abimelech, qui expulit eum, & abiit.

1 לדוד בשנותו את טעמו לפני אבימלך ויגרשהו וילך:

DAvid ob inſignem liberationem gratias Deo agit: & hac occaſione perpetuam Dei gratiam erga pios omnes celebrat, eoſque tum ad fidem, tum ad pietatis ſtudium hortatur, hanc unam rationem vitæ feliciter atque ex voto tranſigendæ eſſe affirmans, pure & innoxie ſub Dei cultu & timore verſari in mundo. Porro ex titulo patet quodnam hic prædicet Dei beneficium. Nam quum ad Regem Achis tractus eſſet, quem infeſtiſſimum omnium hoſtem, excepto Saule, habebat, credibile non erat, impune dimiſſum iri. Ergo unicus vitæ redimendæ modus fuit, ſalivæ ſpumis, torvo aſpectu, & vultus deformitate inſaniam fingere. Nec mirum: quia Achis certa ſpe victoriæ depulſus, quum jacturam ſuam & dedecus uni Davidi adſcriberet, fervebat implacabili in eum odio. Quod ergo præter ſuam & omnium ſpem emiſſus fuit, memorabile gratiæ Dei ſpecimen in eo editum fuiſſe agnoſcit, quod ad commune totius Eccleſiæ exemplum pertineat. Quod loco Achis ponitur *Abimelech*, probabile eſt, nomen hoc poſterius fuiſſe in vulgari uſu apud Philiſtinos, ſicuti Reges ſuos Ægyptii vocarunt Pharaones: & Romani Imperatores nomen Cæſarum mutuati ſunt à Julio qui primus tyrannidem occupaverat. Et ſcimus, multis ante natum Davidem ſeculis Reges qui ætate Abrahæ dominati ſunt in Gerar, ſic fuiſſe vocatos. Quare mirum non eſt, de manu in manum tranſiſſe ad poſteros hoc nomen, ut omnibus Regibus Palæſtinæ commune foret. Vox Hebraica טעם, pro qua *vultum* reddidi, quia guſtum & intelligentiam quoque ſignificat: poſſet hoc modo apte exponi, quod inſipidus apparuerit. Verbum à quo deducitur, quum proprie guſtare ſignificet, transfertur ad rationem, intelligentiam & omnes ſenſus. Bene ergo conveniet Intelligentiæ nomen, quia David ſe mente alienatum finxit. ſed quia ex ſermone & vultu compoſito maxime homo cognoſcitur, ut de ipſo judicium fiat, recte verterunt alii, Davidem mutaſſe vultum, quia hoc modo guſtum & notitiam ſui abſtulit. Quanquam autem hoc artificio elapſus eſt David, divinitus tamen ſe fuiſſe ereptum non dubitat: nec inſaniæ ſimulationi tribuit ſalutis laudem, ſed potius agnoſcit, arcano Dei inſtinctu mitigatam fuiſſe hoſtis ſævitiam, ut qui rabie prius ardebat, ludibrio contentus fuerit. Et certe minime ſperandum fuit ut Achis tam ſtrenuum hominem, quem toti regno ſuo exitialem expertus erat, & à quo fuerat gravibus damnis affectus, contemptim expelleret. Naſcitur etiam hic quæſtio an Spiritus ſancti ductu veſaniam finxerit David. Hæc enim duo ſimul conjungere videtur, ſtultitiæ fictionem, & optabilem ſucceſſum. Unde conjicere licet, eundem Spiritum, à quo dictatus fuit Pſalmus Davidi, ad fallendum Regem Achis auctorem ac ducem fuiſſe. Reſpondeo, ſi Dominus ita ſuos interdum liberet ut aberrent ipſi in eligendis mediis, vel labantur, in eo nihil eſſe abſurdi. Ergo liberatio, Dei opus fuit: vitium intermedium, quod culpa non vacavit, Davidi adſcribi debet. Sic Jacob benedictionem adeptus eſt Dei favore & beneplacito, ſimul tamen admiſta fuit matris aſtutia, quam fuiſſe vitioſam conſtat. Continget ergo, aliquam actionem regi à Dei Spiritu, & tamen ſanctos qui ejus organa ſunt, à recta linea deflectere: ideoque in excuſando Davide laborare ſupervacuum eſt: qui potius culpandus videtur, quod vitam ſuam Deo ſimpliciter non committens, ſe, & gratiam Spiritus quo regebatur, ludibrio expoſuerit apud impios. Etſi enim aſſerere nihil audeo, aliquod tamen infirmitatis ſignum in hoc mendacio apparet. Siquis excipiat, Davidem celebrare Dei gratiam, quod vultu & ſermone mutato mortem effugerit, reſpondeo iterum, diſerte circumſtantiam exprimi à Davide, quæ Dei gratiam magis illuſtret, quia non imputatus fuerit lapſus.

1 Sam. 27. verſ. 2.

2. Benedicam Jehovam omni tempore, ſemper laus ejus in ore meo.

2 אברכה את יהוה בכל עת תמיד תהלתו בפי:

3. In Jehova gloriabitur anima mea, audient humiles, & gaudebunt.

3 ביהוה תתהלל נפשי ישמעו ענוים וישמחו:

4. Magnificate Jehovam mecum, & exaltemus nomen ejus ſimul.

4 גדלו ליהוה אתי ונרוממה שמו יחדו:

5. Quæſivi Jehovam, & reſpondit mihi, & ex omni pavore meo eripuit me.

5 דרשתי את יהוה וענני ומכל מגורותי הצילני:

6. Aſpicient ad eum, & confluent, & facies eorum non pudeſient.

6 הביטו אליו ונהרו ופניהם אל יחפרו:

7. Iſte pauper clamavit, & Jehova audivit, & ex omnibus anguſtiis ſervavit eum.

7 זה עני קרא ויהוה שמע ומכל צרותיו הושיעו:

2. *Benedicam Jehovam.*] Beneficii memorem ſe tota vita fore promittens, ejus magnitudinem extollit. Etſi enim quotidie ſuos Deus juvat, ut ſe in ejus laudibus aſſidue exerceant: certum tamen eſt, beneficium quod æterna memoria dignum vocatur, ab aliis vulgaribus diſtingui. Itaque ſanctis quidem hæc tenenda eſt regula, ut quicquid in ipſos bonorum Deus contulit, ſubinde in mentem revocent: ſiquando

ſiquando tamen in illis ſervandis ſplendidius exerat ſuam virtutem, eo majore ſtudio ad teſtandam ſuam gratitudinem eniti decet. Quod ſi unico beneficio nos ſibi Deus uſque ad vitæ finem obſtringit, ut nunquam fas ſit à canendis ejus laudibus ceſſare: quid ubi nos innumeris cumulat? Initio ſecundi verſus, laudem, quam prius in ore ſuo fore perennem dixerat, ex corde profecturam addit: ut ab inani linguæ ſonitu, quo ſe venditant multi hypocritæ, illam diſcernat. Sic enim perſonare Dei laudes in ore noſtro debent, ut præeat ſemper interior animi affectus. Itaque hoc loco anima non ſpiritum vitalem, ſed affectuum ſedem ſignificat. acſi diceret, ſincero animo gloriandi materiam ſibi in uno Deo fore, ut tantam ſalutem nulla unquam oblivio obſcuret. Altero membro fructum gratiarum actionis notat, quia ſcilicet inde bonam ſpem concipient afflicti & miſeri homines. Nam עֲנָוִים Hebræi vocant non quoslibet miſeros, ſed qui malis ſubacti & humiliati, nihil ferociæ ſpirant, ſed demiſſi ſunt ac ſupplices. Hos participes gaudii fore dicit non ſimpliciter pro charitatis affectu (ut quidam nimis frigide exponunt) ſed quia in exemplo Davidis commune gratiæ documentum à Deo propoſitum eſſe perſuaſi, animos à mœrore ſurſum erigent. Gaudium ergo ex ſpe oriturum eſſe pronunciat: quia velut accepto ſalutis pignore alacriter ſe ad Deum conferent.

4. *Magnificate Jehovam.*] Alterum fructum commemorat gratiarum actionis, quia alios ſcilicet exemplo ſuo ad idem pietatis officium impellet: imo pios omnes in ſocietatem acceſſit, & invitat, hortaturque ut Deum uno conſenſu magnifice extollant. Itaque docemur, quoties unicuique ſuorum opem Deus tulerit, nos incitari ad bene ſperandum: & dum quiſque accepta privatim beneficia commemorat, publice omnes ſimul ad Deum laudandum ſtimulari. Nam & in hunc finem palam apud homines gratias Deo agimus, non tantum ut gratitudinis noſtræ ſint teſtes, ſed ut ipſi quoque ſequantur noſtrum exemplum.

5. *Quæſivi Jehovam.*] Apertius jam & fuſius explicat quod nuper attigerat de gaudio: ac primo ſuas preces auditas fuiſſe refert. Hoc ad pios omnes accommodat, ut tam præclaro pignore confirmati, ſe ad precandum animent. Quid ſit Deum quærere, ex proximo membro patet: nam alibi diverſo ſenſu capitur: tantundem enim valet atque animum adjicere, & ſtudia ſua applicare ad Deum colendum, & intentos habere ad eum omnes ſenſus. hic vero nihil aliud eſt quam confugere ad ejus opem, quia mox ſequitur, Deum reſpondiſſe: proprie autem votis & precibus reſpondet. *Pavores* ſuos pro ipſis periculis quæ animum ejus metu perculerant, accipit, effectum ſcilicet pro cauſa. quanquam minime dubium eſt quin ſe territum fuiſſe, & timoribus agitatum fateatur. Neque enim ſedato animo ſua diſcrimina quaſi procul è ſublimi deſpexit, ſed diris curarum tormentis vexatus, merito potuit ſuos metus ac pavores narrare. imo plurali numero oſtendit, ſe non uno tantum modo fuiſſe expavefactum, ſed huc illuc inter varias perturbationes ſe diſtractum fuiſſe. Et certe ab una parte ſe ad carnificinam adductum videbat. ſubire etiam poterat diverſus timor, ne eum Achis ad Saulem gratificandi cauſa mitteret, ut ſolent impii ultro citroque luſus ſibi facere ex Dei filiis. Jam quia ſemel proditus fuerat ac detectus, vix fieri potuit quin undique, ſi forte elapſus foret, inſidias tenderent Saulis latrones. Sed odium Achis quod ex morte Goliath & exercitus ſui clade conceperat, multas formidines gignere potuit: quum & in promptu eſſet ultio, nec levi ſupplicio placabilis videri poterat crudelitas. Hoc diligenter notandum eſt, ne ſiquando terremur noſtris periculis, nos à Dei invocatione impediat noſtra mollities: quia ne David quidem, quem heroica virtute inter alios excelluiſſe ſcimus, ferreo animo metus & trepidationes repulit, ſed ipſe quoque pavoribus vehementer concuſſus fuit.

6. *Aſpicient ad eum.*] Jam admonui verſum hunc & ſequentem, cum proximo debere contexi. Suam enim experientiam retulit David, quæ aliis exemplo futura erat, ut ad Deum rogandum intrepide accederent. Nunc ergo venturos dicit, & quidem felici ſucceſſu. Cæterum quanquam in duobus primis verbis præteritum tempus Hebraice ponitur: non tamen dubito quin ſic reſolvi ſententia debeat, Ubi ad eum aſpexerint, & confluxerint, non pudefient eorum facies. Itaque per futurum tempus reddidi: quia non narrat David quid geſtum fuerit, ſed gratiæ ſibi exhibitæ fructum commendat. Scio particulam Ad eum, à quibuſdam referri ad Davidem, quia & continuo poſt de ſe in tertia perſona loquitur. rectius tamen de ipſo Deo alii interpretes exponunt. Non conſentiunt etiam omnes in verbo נָהָרוּ, quod nonnulli deduci putantes à radice אור, vertunt Illuminari. Sed mihi genuina verbi ſignificatio huic loco congruere viſa eſt, acſi dixiſſet, Nunc ſpeculum extabit, in quo liceat ſerenam & propitiam Dei faciem conſpicere. Audebunt igitur poſthac miſeri homines ſurſum attollere oculos, & ad Deum quaſi expediti accurrere, quia nulla amplius dubitatio eos tardabit, vel ſegnes reddet. Quod ſi tamen magis arrideat Illuminandi verbum, ſenſus erit, Qui in tenebris ante torpebant, quaſi exorta luce oculos ad Deum erigent: & qui pudore oppreſſi jacebant, novam vultus alacritatem induent. Quia eodem recidit ſumma, minus contendo utra interpretatio aptior ſit.

7. *Iſte pauper clamavit.*] Pios omnes David de ſe loquentes inducit, quo magis emphatice exprimat quantum momenti ad eos animandos habeat ſuum exemplum: Pauper iſte, inquiunt, clamavit: ergo pauperes omnes Deus ad clamandum invitat. Nam in Davide expendunt, quæ ad communem piorum uſum pertinent: quia non magis eum exaudivit Deus, quam hodie exaudire vult & paratus eſt omnes miſeros qui eadem fide gemitus ſuos, vota, & clamores ad ipſum dirigunt.

8. Caſtrametatur Angelus Jehovæ in circuitu timentium eum, & eripiet eos.	8 חֹנֶה מַלְאַךְ יְהוָה סָבִיב לִירֵאָיו וַיְחַלְּצֵם׃
9. Guſtate & videte ut bonus ſit Jehova: beatus vir qui ſperat in eo.	9 טַעֲמוּ וּרְאוּ כִּי טוֹב יְהוָה אַשְׁרֵי הַגֶּבֶר יֶחֱסֶה בּוֹ׃
10. Timete Jehovam ſancti ejus, quia nihil deeſt timentibus eum.	10 יְראוּ אֶת יְהוָה קְדֹשָׁיו כִּי אֵין מַחְסוֹר לִירֵאָיו׃
11. Catuli leonum deſtituti ſunt & eſurierunt: timentes autem Jehovam non indigebunt ullo bono.	11 כְּפִירִים רָשׁוּ וְרָעֵבוּ וְדֹרְשֵׁי יְהוָה לֹא יַחְסְרוּ כָל טוֹב׃

8. *Caſtrametatur* &c.] Nunc in genere David concionatur de paterno Dei erga pios omnes favore: ſimulque docet, in ipſo ſatis ad ſervandum eſſe virtutis, quia ad innumeros telorum jactus expoſita eſt hominum vita: præſertim vero fideles, qui velut oves ſunt in medio luporum, quaſi multis mortibus obſeſſos, in ſingula momenta novum aliquod diſcrimen ſollicitat. Ideo aſſerit David, Angelorum

gelorum præſidio Dei cultores protegi ac defendi. Huc quidem tendit, ut certo perſuaſi ſint fideles, quamvis multis noxis objecti ſint, Deum tamen fidum eſſe vitæ ſuæ cuſtodem. Sed quo magis eos in hac ſpe confirmet, non fruſtra ſimul addit, manu & opera Angelorum tueri quoſcunque vult eſſe ſalvos. Sufficeret quidem Deo ad hoc præſtandum ſua unius virtus: ſed ut noſtræ infirmitati indulgeat, Angelos adhibere miniſtros dignatur. neque enim parum hoc valet ad fidei confirmationem, præſto ſemper eſſe ad Dei obſequium ingentes copias, quoties vult opem nobis ferre: imo Angelos, qui vocantur cæleſtes principatus & virtutes, ad vitæ noſtræ cuſtodiam ſemper eſſe intentos, quia hoc ſibi munus injunctum eſſe noverunt. Merito quidem vocatur Deus Eccleſiæ ſuæ murus & quodvis genus propugnaculi: ſed auxilii ſui præſentiam pro modulo ruditatis noſtræ in Angelis ſuis explicat. Cæterum quod de uno Angelo pronunciat numero ſingulari, ad omnes extendere convenit: quia vocantur ſimul omnes Spiritus miniſtratorii ad ſalutem noſtram curandam. & alibi Scriptura docet, plures ſingulis deſtinari Angelos, prout ſcilicet Domino viſum eſt, nobiſque utile eſſe novit. Summa hæc ſit, quamlibet multi hoſtes nos oppugnent, multaque diſcrimina nos obſideant, Angelos tamen invicta Dei potentia armatos excubare, & ab omni parte opponere ſuum auxilium, ut nos eripiant à malis omnibus.

Hebr. 1. verſ. 14. 2 Reg. 6. verſ. 15. Pſal. 91. verſ. 11. Luc. 16. verſ. 22.

9. *Guſtate & videte.*] Oblique homines inſimulat ſocordiæ, quia Dei bonitatem, quæ notiſſima illis eſſe debuerat, non teneant. Verbo enim Guſtandi inſipidos eſſe arguit: & ſimul cauſam aſſignat, quod ſine guſtu deglutiant Dei beneficia, vel maligno faſtidio ſupprimant. Tantum ergo expergefieri eorum ſenſus jubet, vel palatum afferri aliquo guſtu præditum, ut Dei bonitas innoteſcat, imo perſpicua ſit. Ad verbum eſt, Guſtate & videte, quia bonus: ſed particula כי exegetice capitur. Summa eſt, per Deum minime ſtare quominus certis experimentis compertam habeant ejus bonitatem fideles, quos hic peculiariter David compellat. unde colligimus, ipſos quoque communi ſtuporis vitio laborare. Hanc doctrinam confirmat promiſſio mox addita. Ideo enim *beatus* eſt *qui in eo ſperat*, quia neminem gratiæ ſuæ cupidum fruſtratur. Sed nobis ſola incredulitas obſtat quominus large & munifice omni bonorum affluentia ſatiet.

10. *Timete Jehovam.*] Hic fideles, ut januam aperiant Dei beneficiis, ad ſanctitatem & juſtitiam colendam hortatur. Scimus quomodo ſibi vulgo proſpicere ſoleant homines, ut quiſque vel ad fraudes, vel ad rapinas, vel ad injuſtam violentiam declinet. fieri vero non poteſt quin fideles titillet æmulandi cupiditas, ut ſibi permittant ululare inter lupos: atque ut libenter abſtineant ab omni injuria, publica tamen vivendi ratio quaſi tempeſtas eos abripit, ſeque interea neceſſitate excuſari putant. His tentationibus frenum injicit David: ac omnia optime ceſſura promittit, modo ſe in Dei timore contineant, quem omnibus iniquis artibus & conſiliis opponit: quia major pars ſtultitiæ damnat quicunque ſimplicitati ſtudent, quod ita ſibi ac ſuis commodis male conſulant. Quamvis ergo ſibi metuant profani homines ab inopia, unde eos carnis ſenſus ad quidvis tentandum ſollicitat: David hic teſtatur Deo curæ eſſe fideles, ne unquam ipſos egere ſinat. Nullus, inquit, metus vel diffidentia vos abducat à recti ſtudio: quia bonos & probos Deus nunquam deſtituit. Itaque hunc Deo honorem deferre jubet, ut plus ab eo uno expectent, quam impii ab illicitis ſuis artibus. Cæterum quia effreni quodam fervore paſſim ebullit in mundo iniquitas, ſanctos diſerte alloquitur, ut ſibi caveant: quia apud promiſcuam multitudinem nihil proficeret. Eſt enim hoc paradoxon, quum malorum libidini expoſita ſit bonorum & ſimplicium integritas, in hac tamen plus eſſe præſidii, quam in omnibus perverſis remediis. Nec vero abſurdum eſt, ſanctis qui jam ſponte innocentiam colunt, præceptum hoc dari, ne recedant à Dei timore: quia ſcimus quam proclive ſit, dum nulla ſpes proſpere & beate vivendi, niſi in mundi illecebris apparet, lucem pietatis obrui & extingui. Et aptiſſima comparatione doctrinam hanc illuſtrat, quod Deus ſuis ſuppeditet quantum ſatis eſt, ac eorum egeſtati ſuccurrat, quum leones, qui truculentia ſuperant omnes mundi prædones, tamen oberrent famelici. Cæterum quod metaphorice ſub leonum nomine quidam violentos & rapaces notari putant, meo judicio nimis eſt argutum. Simpliciter enim aſſerit David, qui ſibi ab omni injuſtitia temperent, plus hoc modo profecturos, quam rapiendo & prædando: quia ipſi quoque leones feræque beſtiæ ad prædam natæ, ſæpe eſuriant quum Dominus ſuos paſcit. Potius ergo leones inedia & fame dicit perituros, quam ut neceſſario victu fraudet Deus rectos & ſimplices, qui ſola ejus benedictione contenti, non aliunde quam ex ejus manu alimenta quærunt. Quiſquis vero ita in Deum rejiciet ſuas curas, ſibique nutritium ac patrem fore ſtatuet, quietus & placidus inter homines abſque ulla noxa verſabitur. Siquis objiciat, bonos & probos ſæpe à penuria non eſſe immunes: reſpondeo, tempeſtive ad opem ferendam, ubi in ultimas anguſtias redacti ſunt, manum Dei extentam eſſe, ut ſemper ultimus eventus demonſtret, non fruſtra quicquid opus eſt ad tolerandam vitam, ab ipſo peti.

12. Venite filii, audite me, timorem Jehovæ docebo vos.	12 לְכוּ בָנִים שִׁמְעוּ לִי יִרְאַת יְהוָה אֲלַמֶּדְכֶם׃
13. Quiſnam eſt vir cupiens vitam, amans dies quibus videat bonum?	13 מִי הָאִישׁ הֶחָפֵץ חַיִּים אֹהֵב יָמִים לִרְאוֹת טוֹב׃
14. Cuſtodi linguam tuam à malo, & labium tuum ne loquatur doloſe.	14 נְצֹר לְשׁוֹנְךָ מֵרָע וּשְׂפָתֶיךָ מ מִדַּבֵּר מִרְמָה׃
15. Declina à malitia, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere illam.	15 סוּר מֵרָע וַעֲשֵׂה טוֹב בַּקֵּשׁ ב שָׁלוֹם וְרָדְפֵהוּ׃

12. *Venite filii, &c.*] Vehementius inſiſtit ad cohortandos fideles, ne quicquam ſibi utilius eſſe putent, quam juſte & innoxie cum omnibus verſari. Nam quia major pars optimum proſpere & commode agendi compendium eſſe imaginatur, ſi quiſque vi, fraudibus, injuriis, & aliis nocendi modis ſuperior eſſe contendat, neceſſaria eſt hujus doctrinæ repetitio. Cæterum quia ſubactis animis opus eſt, filios appellans, blando hoc & amabili nomine pravos omnes affectus mitigat. Neque enim quiſquam inter tot inſultus quietus ſtabit, niſi qui manſuetudinis Spiritu formatus fuerit ad ſummam modeſtiam. Præfatur itaque Propheta, quam tradit vivendi legem, ſervari & coli non poſſe, niſi à manſuetis & morigeris. Eodem etiam ſpectat quod dicit, Venite: & attentos eſſe jubet, nempe ut depoſita omni contumacia, ſedatoque impetu & fervore, dociles ſe ac tractabiles præbeant. *Timorem Jehovæ*, pro ipſa

ipſa pie vivendi regula poſuit: acſi dixiſſet, quum virtus & juſtitia in omnium ore volitent: paucos tamen eſſe qui vitam probe & rite inſtituant: quia ignorant quid ſit Deum colere.

13. *Quiſnam eſt vir.*] Non interrogat Propheta an quiſquam ita ſit affectus acſi ſponte omnes miſeriam ſibi accerſerent: ſcimus enim bene & feliciter agendi commune omnibus eſſe votum: ſed in præpoſteris ſtudiis cæcitatem & amentiam perſtringit, Quod quum ſtrenue omnes ad captandum quod ſibi utile ſit, curſitent, vix centeſimus quiſque in animum inducat pacem, tranquillumque & optabilem vitæ ſtatum juſtitia & æquitate redimere. Suos ergo diſcipulos admonet Propheta totum fere mundum injuſtitia labi & errare, dum aliunde ſibi beatam vitam promittit, quam ex Dei benedictione, qua ſolos ſimplices & integros dignatur. Sed plus vehementiæ in ſe continet hæc exclamatio, ut melius expergeſiant torpentes & ſopiti animi: acſi dixiſſet, Quum omnes felicitatem appetant, qui fit ut ad eam obtinendam nemo fere adjiciat animum? ac ſibi potius quiſque ſua culpa varias moleſtias accerſat?

14. *Cuſtodi linguam tuam.*] De rara virtute hic præcipit, ut ſimus in ſermonibus veraces & minime aſtuti. Quanquam alii latius extendunt, putantes maledicentiam hoc priore membro damnari. Simplicius tamen ac rectius eſt intelligere quod ſecundo membro repetit, *ne doloſe* cum proximis *loquamur*, ut verba noſtra laquei ſint ad circumveniendum. Quia autem nihil difficilius eſt quam ita moderari ſermones noſtros, ut lingua purus ſit mentis character: ideo ſedulam cuſtodiam exigit David, ne ad fallendum eam diffluere ſinamus.

15. *Declina à malitia.*] Jubet ut filii Dei ab omni injuria abſtineant, ſeque exerceant ad beneficentiam. Vulgo citari ſolet hic verſus acſi de duabus pœnitentiæ partibus concionatus eſſet David. Nam hic primus eſt reſipiſcentiæ gradus, ut peccator vitia quibus addictus eſt, abjiciat, priorique vitæ renunciet: deinde mores ſuos formet ad juſtitiam. Sed hic proprie quomodo verſari cum proximis oporteat, docemur. Quia autem ſæpe contingit ut qui in aliquam hominum partem liberalis eſt, vel etiam prodigus, ſaltem ſuis officiis multos juvat, fraudando & nocendo lædat alios: ab hac parte merito incipit David, ut ſibi à malo temperent qui Deo vitam ſuam probare cupiunt. Rurſum quia plerique, ſi fraudem, aut vim, aut damnum nemini attulerint, probe ſe defunctos exiſtimant, merito adjunxit alterum præceptum de beneficentia. neque enim ſuos Deus otioſos eſſe patitur, ſed in commune ſuas operas conferre, ut alii aliorum commodis mutuo conſulant ac ſtudeant. Pacis fovendæ curam deinde commendat. Scimus autem humanitate & tolerantia foveri. ſed quia ſæpe negotium eſt cum moroſis hominibus, vel præfractis, vel ingratis, vel quos minima quæque occaſio ad pugnas inflammat: quia multi improbi nos ſubinde laceſſunt, alii ſua pravitate quantum in ſe eſt, bonorum animos à ſe alienant, alii videntur offenſiones de induſtria captare: non ſimpliciter quærendam eſſe pacem docet, verum ſiquando fugitare nos videbitur, ad eam perſequendam conſtanter eniti jubet. Eſt quidem hic aliquis modus: quia ubi omnia tentaverint probi & modeſti homines ad pacem redimendam, adeo non emollient, vel ad æquitatem flectent improborum animos, ut potius eorum acuant malitiam. Deinde eorum impietas nos ſæpe cogit ad diſſidia: imo dum ipſi Deum provocant quaſi bello aperte indicto, perfidia eſſet non repugnare. Sed hic tantum David in privatis negotiis vult nos manſuetos eſſe & faciles, & ſedulo operam dare ne pax effluat, utcunque eam retinere moleſtum ſit ac incommodum.

16. Oculi Jehovæ ſuper juſtos, & aures ejus ad clamorem eorum.	16 עֵינֵי יְהוָה אֶל צַדִּיקִים וְאָזְנָיו אֶל שַׁוְעָתָם׃
17. Vultus Jehovæ ſuper facientes malum, ut deleat è terra memoriam eorum.	17 פְּנֵי יְהוָה בְּעֹשֵׂי רָע לְהַכְרִית מֵאֶרֶץ זִכְרָם׃
18. Clamaverunt, & Jehova audivit, & ex omnibus anguſtiis eorum liberavit eos.	18 צָעֲקוּ וַיהוָה שָׁמֵעַ וּמִכָּל צָרוֹתָם הִצִּילָם׃

16. *Oculi Jehovæ.*] Hæc optima patientiæ fultura, dum perſuaſi ſumus, nos à Deo reſpici: atque ut quiſque ſe in recti & æquitatis ſtudio continet, illius præſidio tutum & incolumem fore. Ergo ne fideles mundi libidini ſe expoſitos eſſe putent, dum innocentiæ dant operam, atque hic metus à via eos abducat: hortatur David ut mentes referant ad Dei providentiam: nec dubitent ejus alis ſe protegi. Dicit autem oculos Dei intentos ad cuſtodiam juſtorum, quo alacrius in ſua integritate pergant boni & ſimplices. Interim ad vota & preces eos ſtimulat ſiquando injuſte laceſſat eos mundus. Nam aures Dei ad clamorem apertas eſſe dicens, admonet hoc opportunum eſſe remedium in omnibus ærumnis, ut Deum ultorem imploret qui præter jus & meritum affligitur. Pronunciat etiam ex adverſo, quamvis interdum ad hominum ſcelera Deus in ſpeciem conniveat: quia non ſtatim pœnas exequitur: nihil tamen fugere ejus conſpectum. Dum ſceleratis, inquit, peccandi audaciam addit impunitas, vigilat Deus ut in nihilum redigat eorum memoriam. & tale pœnæ genus conſulto exprimit: quia impii non modo ad finem uſque vitæ beatos ſe fore confidunt, ſed immortalitatem quoque ſibi fingunt in mundo.
1 Petr. 3. verſ. 10. Teſtimonium hoc ſcite accommodat Petrus ad mitigandos noſtros dolores, & ſedandam impatientiam quoties malorum protervia tranſverſum nos impellit: quia ad moderationem ſervandam nihil utilius eſt quam pendere ab auxilio Dei, & bona conſcientia fretos ei deferre judicium. Siquis objiciat, longe aliud experiri bonos, qui diu multumque vexati, nihil tandem auxilii ſentiunt: reſpondeo, Deum neque palam, neque ſemper eodem modo bonis ſuccurrere, ſed tamen ita temperare eorum miſerias ut eos non deſerat. Adde quod etiam optimi Dei præſidio ſe defraudant, quia vix centeſimus quiſque innocentiam adeo pure colit, quin ſua culpa aliquid mali ſibi accerſat. Deus autem ſimulac lapſi ſunt, ne peccata in ipſis radices agant, ſtatim eos caſtigat, & quidem durius quam reprobos, quibus indulget in exitium. Et tamen utcunque res in mundo permiſtæ ſint ac confuſæ, ſentient probi homines non fruſtra opem Dei contra vim & injurias ſibi eſſe promiſſam.

18. *Clamaverunt.*] Significat quoties clamant, audiri. Eſt enim continua doctrina, quia non refert quid ſemel aut iterum factum ſit à Deo, ſed quid perpetuo facere ſoleat. Eſt autem proximæ ſententiæ confirmatio, ubi dixerat aures Dei patere ad clamorem juſtorum: ac nunc effectu ipſo demonſtrat Deum ſurdum non eſſe, ubi noſtras querimonias & gemitus ad eum deferimus. Cæterum Clamandi verbo admonet, quamvis Deus juſtos tueatur, non tamen eſſe à rebus adverſis immunes. mirifice enim temperat ſuum in illis ſervandis præſidium, ut multis certaminibus eos exerceat. Hic etiam non levis ad

ad precandum ſtimulus nobis eſſe debet, quod liberatio non promittitur niſi Deum invocantibus. neque enim providentiam ſuam ita vult à piis reputari, ut otioſi torpeant: ſed potius ut ſalutis ſuæ cuſtodem eſſe perſuaſi, ad eum vota ſua dirigant.

19. Prope eſt Jehova confractis corde, contritos ſpiritu ſervabit.	19 קרוב יהוה לנשברי לב ואת דכאי רוח יושיע׃
20. Multa mala juſti, & ex omnibus illis liberabit eum Jehova.	20 רבות רעות צדיק ומכלם יצילנו יהוה׃
21. Cuſtodit omnia oſſa ejus, unum ex his non eſt fractum.	21 שמר כל עצמותיו אחת מהנה לא נשברה׃
22. Occidet impium malitia, & odio habentes juſtum perdentur.	22 תמותת רשע רעה ושנאי צדיק יאשמו׃
23. Redimit Jehova animam ſervorum ſuorum, & non peribunt quicunque confidunt in eo.	23 פודה יהוה נפש עבדיו ולא יאשמו כל החסים בו׃

19. *Prope eſt.*] Amplificat & longius extendit ſuperiorem doctrinam, Deum liberatorem ſuorum eſſe, quamvis ad ultima redacti, ægre jam ſpiritum trahant. Nam hæc dura eſt probatio, gratiam Dei uſque eo differri, & ſubduci à ſenſu noſtro dum ſpiritus nos deficiat: imo hoc incredibile eſt paradoxon, ubi cordis languore confecti fideles fere tabeſcunt, Deum illis eſſe propinquum. Sed ita clarius refulget ejus virtus, dum è ſepulchro nos attollit. Adde quod fideles prorſus dejici & atteri convenit, ut non niſi in Deo reſpirent. Unde etiam colligimus, veræ tolerantiæ nihil eſſe magis adverſum, quam altitudinem illam de qua garriunt Stoici: quia non prius vere humiliati cenſemur, quam dum cordis afflictio coram Deo nos proſternit, ut jacentes erigat. Plena ſuaviſſimæ conſolationis doctrina, Deum ne tunc quidem à nobis diſcedere, quum malorum congeries nos quaſi exanimatos obruit.

20. *Multa mala juſti.*] Prævenit cogitationes quæ ut plurimum mentibus noſtris obrepunt, qui fieri poſſit ut juſti curæ ſint Deo, qui aſſidue tot adverſis fluctibus jactantur. Quorſum enim Dei protectio, niſi ut placido otio fruantur qui vitam quietam agunt? & quid magis abſurdum quam tumultuoſe vexari qui nemini faceſſunt negotium? Ergo ne fidem providentiæ Dei nobis excutiant tentationes, quibus aſſidue impetimur: tenenda eſt hæc admonitio, quamvis juſtos Deus gubernet, illiſque proſpiciat, ſubjectos tamen & obnoxios eſſe multis miſeriis: ut probati talibus experimentis ſpecimen edant invictæ ſuæ conſtantiæ, Deumque liberatorem melius ſentiant. Nam ſi liberi eſſent ac vacui omni moleſtia, torperet fides, ceſſaret Dei invocatio, incognita & ſepulta lateret eorum pietas. Ergo variis documentis eos exerceri utile eſt, ac præcipue in hunc finem, ut agnoſcant inter mortes innumeras ſe mirabiliter à Domino ſervari. Fortuitum enim videri poſſet quod raro contingeret: ubi autem nullo fine & modo alia atque alia mala recurrunt, ſi Dominus ſemper manum porrigat, non jam obſcura eſt ejus gratia. David ergo quicquid malorum impendeat, fideles animis paratos eſſe jubet, quia nunquam eos Deus fruſtrabitur, cui non magis arduum eſt millies quam ſemel à morte eripere. Quod addit de *oſſibus*, non parum ad amplificationem valet: ut ſciamus, omni ex parte illæſos fore quos Deus tuendos ſuſcepit. Deum ergo facturum pronunciat ne unum ex oſſibus noſtris frangatur. quo ſenſu dicit Chriſtus, capillos capitis noſtri numeratos eſſe. Luc. 12. verſ. 7.

22. *Occidet impium malitia.*] Alii רעה pro miſeria accipere malunt, ut ſit ſenſus, impios miſere perituros, quia tandem malis ſuccumbent. Sed altera interpretatio plenior, quod eorum improbitas qua ſe munitos putant, in eorum capita recidet. Sicut ergo prius docuit, nuſquam melius eſſe præſidium quam in recta & innoxia vita: ita nunc denunciat quicquid perverſe aggreſſi fuerint impii, ipſis exitiale fore, quamvis aliunde nemo quicquam moveat. Secundo membro hoc fieri in gratiam juſtorum dicit, quod impii ſibi ſunt propriæ mortis artifices. *Perdentur*, inquit, *quicunque juſtos odio habent.* Sit igitur hic nobis murus aheneus & inexpugnabilis, quamvis ingentes hoſtium copiæ nos circumdent, non eſſe metuendas, quia jam exitio ſunt devotæ. Hoc idem iterum confirmat David ultimo verſu, quod Deus redemptor ſit ſervorum ſuorum. Nam quomodo inter tot diſcrimina vel momento uno ſalvi eſſent, niſi Deus manum ſuam opponeret? Sed verbo *Redimendi* exprimitur ſervandi modus, à quo valde caro abhorret. Prius enim morti addictos eſſe oportet, quam Deus redemptor appareat. Unde ſequitur, eos gratiæ Dei januam precludere qui nimis præcipites feruntur: ac niſi eorum feſtinationi reſpondeat, virtutem ejus non apprehendunt. Cæterum nequis ſervos Dei à morali (ut loquuntur) vel philoſophica virtute tantum æſtimet: hac præcipua nota inſignit David, quod in Deo ipſo confidunt, unde etiam ſalus pendet.

ARGUMENTUM PSALMI XXXV.

Quamdiu infeſtus Davidi fuit Saul, ut ſemper in aulis Regum graſſatur adulatio, proceres & quicunque tunc aliqua auctoritate pollebant, certatim conſpiraverant in perniciem hominis innoxii: deinde in odii ſui & crudelitatis ſocietatem promiſcuum fere vulgus traxerant. ita factum eſt ut ſummi quique & infimi implacabili in eum furore arderent. Sed quia maximam partem noverat errore & ſtultitia inconſiderate impelli, eos tantum ſibi hoſtes proponit qui ſcelerate & deſtinata malitia obſequium ſuum Sauli venditabant. Contra hos Deum vindicem implorat. Ac primum quidem, quia nullius mali ſibi conſcius erat, ſuam innocentiam coram Deo in medium profert: deinde quum præter meritum vexetur, Deum liberatorem implorat. Ubi de impia illorum ſævitia conqueſtus eſt, pœnam qua digni erant imprecatur. Quia autem oraculo & ſacra unctione fretus, meliorem exitum ſperabat, gratitudinis ſuæ teſtimonia paſſim admiſcet: atque hæc tandem eſt Pſalmi clauſula, poſtquam ſervatus fuerit, tota vita Dei laudes celebraturum.

PSALM. XXXV.

DAvidis. Litiga Jehova cum litigantibus mecum, præliare cum præliantibus mecum.	1 לדוד ריבה יהוה את יריבי לחם את לחמי׃

2. Appre-

Digitized by Google

2. **Apprehende clypeum, & ſcutum, & ſurge in auxilium meum.**

3. **Exere lanceam, & obſiſte ad occurſum perſequutoribus meis: dic animæ meæ, Salus tua ego ſum.**

2 החזק מגן וצנה וקומה בעזרתי׃

3 והרק חנית וסגר לקראת ר
רדפי אמר לנפשי ישעתך אני׃

LItiga Jehova.] Quia non modo vitam Davidis aperto marte impetebant hoſtes, ſed calumniis & falſis delationibus moleſti erant, utriuſque mali remedium poſtulat. Priori enim loco Deum advocans cauſæ ſuæ patronum, ſignificat, cum improbis & maledicis negotium ſibi eſſe: deinde ad arma ſuſcipienda eum incitans, ſe violenter opprimi oſtendit. Etſi autem valde indignum eſt, ſanctum virum qui de omnibus optime ſemper meritus fuerat, neminem læſerat, tam publice quam privatim dignus propter ſuam humanitatem & modeſtiam erat omnium favore, non tamen hoc fuiſſe adeptum ut virulentas linguas effugeret: nobis tamen utile eſt cognitu, & apprime ad exemplum prodeſt. Neque enim mirum aut novum videri debet, ſi nos carpant ac mordeant homines maligni, qui ne Davidi quidem pepercerunt. Sed ut nobis gravis acerbaque ſit eorum injuria, incomparabile ſolatium hinc offertur, quod ſuum patrocinium Deus ipſe falſis accuſationibus opponit. Surgant ergo calumniatores, fictiſque criminibus nos proſcindant, modo contra Deus partes defenſoris agere ne gravetur. Secundo membro non dubium eſt, Davidem precari ut Deus armatæ hoſtium violentiæ reſiſtat. Summa eſt, quod mendaciis obrutus, & crudelitate oppreſſus, nec quicquam reperiens auxilii in mundo, tam vitam ſuam quam famam Deo tuendam commendat.

2. *Apprehende clypeum.*] Improprie hoc ad Deum transferri certum eſt, qui nec lancea, nec clypeo indiget, ſolo flatu vel nutu contentus ad hoſtes ſuos profligandos. Hujuſmodi tamen figuras quæ primo intuitu aſperæ videri poſſent, non abs re Spiritus ſanctus uſurpat, quo certius pro ſenſus noſtri ruditate præſentiam auxilii Domini infigat cordibus noſtris. Nam quum ſe oculis noſtris ingerant noxæ & pericula, undique occurrant manifeſti terrores, mors denique ipſa palam appareat: difficile eſt abſconditam & inviſibilem Dei virtutem concipere, quæ nos omni cura metuque liberet. Deorſum enim ſenſus noſtri, ut craſſi ſunt & terreſtres, feruntur. Ergo ut gradatim fides noſtra ad cæleſtem Dei potentiam conſcendat, inducitur hominum more gladio & clypeo inſtructus: ſicuti & alibi quum dicitur vir bellicoſus, certum eſt noſtræ infirmitati hoc concedi; quia non aliter pro ſuo modulo caperent mentes noſtræ immenſam illam virtutem, quæ omnes auxiliandi formas in ſe continet, nec aliunde ſubſidia accerſit. Senſus autem eſt, ut Deus arcana ſua & intrinſeca virtute armatus ſe unum ſufficere demonſtret, contra omnes impiorum apparatus & copias. Nomen צנה quidam jaculum, aut aliud teli genus eſſe volunt: ſed quia ſcutum proprie ſignificat, ut vidimus Pſalm. 5., non video cur in alienum ſenſum torqueri hoc loco debeat. Nec vero abſurdum eſt clypeo (ut alibi ſæpe) ſcutum adjungi: & magis conſentaneum erat, quodvis telum poni cum lancea, cujus proximo verſu fit mentio. Incipit ergo David ab armis defenſoris, ut Deus hoſtium impetus ſuſtineat ac repellat. Verbum ריק quod eſt evaginare vel nudare, ſimpliciter pro depromere, vel exerere accipio. Verbum סגר quod tranſtuli *obſiſte*, tantundem valet ac Claudere apud Hebræos: ſed quum velit David quaſi interpoſito muro vel aggere, Dei objectu prohiberi hoſtes ab acceſſu, ſenſum fideliter reddere mihi viſus ſum: niſi quis malit, Intercludere occurſum, vel obſtaculo morari: quæ omnia eodem redeunt. Nam eorum opinio qui nomen eſſe contendunt, nullo modo probabilis eſt.

3. *Dic animæ meæ.*] Quidam exponunt, Arcana inſpiratione mihi declara: alii autem, Fac ut re ipſa ſentiam ſalutem meam in manu tua eſſe. Equidem non dubito Davidem optare penitus animo ſuo infixum eſſe ac perſuaſum quod ex præſenti rerum intuitu ſtatui non poterat, ſalutis ſuæ auctorem eſſe Deum. Nam quæ noſtra ſocordia eſt ac ſtupiditas, Deus ſæpe dormientes ac nihil tale ſentientes nos liberat. Quare emphatica loquutio eſt, qua ſibi vivum gratiæ Dei ſenſum dari precatur, ut hoc clypeo armatus, quoslibet inſultus ſuſtineat, & per omnia obſtacula & anguſtias perrumpat. acſi diceret, Domine, quicquid ſe ad labefactandum cor meum ingerat, firmum in hac fiducia me retine, ſalutem mihi apud te certo eſſe repoſitam, atque ut me huc vel illuc impellant tentationes, ſenſus meos ad te revoca, ut ſalus tua omnibus periculis ſuperior emineat: imo perinde acſi vocem ore emitteres, intrepide ſtatuam, te propitio, me ſalvum fore.

4. **Erubeſcant & pudefiant qui quærunt animam meam, vertantur retrorſum, & pudore afficiantur cogitantes malum meum.**

5. **Sint quaſi palea coram vento, & Angelus Jehovæ impellat eos.**

6. **Sit via eorum caligo & lubricitates, & Angelus Jehovæ perſequatur eos.**

7. **Quia ſine cauſa abſconderunt mihi foveam retis ſui, ſine cauſa foderunt foveam animæ meæ.**

4 יבשו ויכלמו מבקשי נפשי יסגו
אחור ויחפרו חשבי רעתי׃

5 יהיו כמץ לפני רוח ומלאך
יהוה דוחה׃

6 יהי דרכם חשך וחלקלקות
ומלאך יהוה רדפם׃

7 כי חנם טמנו לי שחת רשתם
חנם חפרו לנפשי׃

4. *Erubeſcant & pudefiant.*] Jam Deum contra hoſtes ſuos ultorem implorat: nec tantum rogat ut fruſtretur ac irritos reddat eorum conatus, ſed etiam ut mercedem quam meriti ſunt, rependat. Primum optat eos pudefieri, dum ſcilicet ſpe ſua votoque dejecti fuerint. longius deinde progreditur, ut ſimiles ſint paleæ vel quiſquiliis qui ſibi videntur altis radicibus bene firmati. Sicut autem vento agitantur quiſquiliæ, ita inquietudinem illis optat ab arcano Angeli impulſu. Gravior eſt quæ ſequitur imprecatio, ut quocunque pedem moveant, illis occurrant tenebræ & loca lubrica: ancipites autem & dubios Angelus Domini perſequatur. In ſumma, quicquid tentent, & quocunque ſe vertant, cupit illis omnia conſilia & conatus infeliciter cedere. Porro quum eos ab Angelo impelli optat, colligimus ideo turbari impios, nemine perſequente, quia ſpiritu vertiginis eos Deus percellit, & inquietudine diſtrahit, ut ſecum ipſi tumultuentur. Idem clarius exprimit proximo verſu, ut per caliginem & loca lubrica Angelus inſtabiles rapiat, ut neque conſilium ſuppetat neque ratio, ac ne reſpirandi quidem detur tempus. Has partes Angelis mandari mirum non eſt, per quorum manum judicia ſua Deus exequitur: etſi non

minus

minus de diabolis quam de Angelis cæleſtibus ad Dei obſequium promptis locus exponi poteſt. Scimus enim diabolo permitti quam in reprobos exerceat
1 Sam. 18. verſ. 10. tyrannidem. unde ſæpe dicitur malus Dei ſpiritus Saulem invaſiſſe. ſed quia diaboli non niſi invíti trahuntur ad exequenda Dei mandata, étiam ubi eorum opera Deus utitur, Scriptura electos & ſanctos Angelos quaſi in ſuperiore gradu miniſtros ſtatuit. Exercet ergo Deus ſua judicia per angelos reprobos, ſic tamen ut electos Angelos ipſis præficiat. Qua ratione etiam ſoli vocantur legitimi principatus, Epheſ. 3. verſ. 10. Coloſſ. 1. verſ. 16. & aliis ſimilibus locis. Siquis objiciat, non eſſe conſentaneum ut Angeli qui miniſtri ſunt gratiæ & ſalutis, datique fidelibus cuſtodes, contra reprobos ſæviant: ſolutio eſt in promptu, non poſſe excubare ad piorum tutelam, quin ſimul ad bellandum inſtructi ſint, nec poſſe ſuo auxilio eos protegere quin eorum hoſtibus infeſtos ſe opponant. Quantum ad imprecationes ſpectat, tenendum memoria eſt quod alibi dixi, Davidem neque privatam cauſam agere, nec temere effutire quicquid dictavit bilis, nec zelo inconſiderato ad perniciem hoſtibus ſuis optandam ferri: ſed duce Spiritu moderata vota in reprobos concipere, à quibus procul abſunt quicunque vindictæ cupiditate, vel odio, vel incompoſito alio carnis motu aguntur.

7. *Quia ſine cauſa.*] Teſtatur ſe non fruſtra abuti Dei nomine, nec perperam ſibi accerſere patronum. profert enim ſuam innocentiam in medium, & ſe nulla ſua culpa tam duriter affligi conqueritur. quod diligenter notandum eſt, nequis in Dei conſpectum temere proſiliat, vel eum advocet vindicem niſi bona conſcientia fretus. Quum autem ſe inſidiis & malis fraudibus impetitum fuiſſe dicit, in eo ſubeſt tacita integritatis ſuæ commendatio.

8. Veniat ei tumultus quem ignorat, & rete ejus quod abſcondit apprehendat eum, cum tumultu cadat in illud.

9. Et anima mea exultabit in Jehova, lætabitur in ſalute ejus.

10. Omnia oſſa mea dicent, Jehova, quis ſimilis tibi, eripiens pauperem ab eo qui robuſtus eſt præ ipſo, pauperem & miſerum à direptore ejus?

8 תְּבוֹאֵהוּ שׁוֹאָה לֹא יֵדָע וְרִשְׁתּוֹ
אֲשֶׁר טָמַן תִּלְכְּדוֹ בְּשׁוֹאָה יִפָּל בָּהּ
9 וְנַפְשִׁי תָּגִיל בַּיהוָה תָּשִׂישׂ ב
בִּישׁוּעָתוֹ׃
10 כָּל עַצְמוֹתַי תֹּאמַרְנָה יְהוָה מִי
כָמוֹךָ מַצִּיל עָנִי מֵחָזָק מִמֶּנּוּ וְעָנִי ו
וְאֶבְיוֹן מִגֹּזְלוֹ׃

8. *Veniat ei tumultus.*] Iterum precatur ut Deus in hoſtium capita retorqueat quam homini juſto & innoxio machinati erant perniciem. Mutatio numeri quam trita ſit Hebræis, ſatis notum eſt. Itaque quod hic tanquam de uno homine dicitur, ad omnes in genere pertinet: niſi forte magis placeat, Saulem vel alium quempiam ex proceribus notari. Sed quia hoc votum à capite ad totum corpus extendi certum eſt, in ea re parum eſt momenti. Nomen שׁוֹאָה nunc tumultum, nunc cladem ſignificat: ideo multi vertunt, Veniat illi perditio, aut vaſtitas, aut ruina. Sed alter ſenſus melius videtur congruere, quia paulo poſt ſubjicit, *capiat eum rete ſuum: cadat in illud cum tumultu.* Certe quod alii reddunt, In cladem ipſam cadat, aſperum & coactum eſt. Optime autem fluit ſententia, quoniam ſecure in ſuis fæcibus quieſcunt, & quaſi procul eſſent ab omni telorum jactu, nihil metuunt: ut malum inopinatum eos repente, quaſi tempeſtas, obruat. Nihil enim minus illis credibile eſt, quam ſuas artes, & aſtutias, pravaque ſtudia, & quaſcunque bonis & ſimplicibus captiones intentant, ipſis auctoribus exitio fore. Aptiſſime itaque David optat eos cadere in retia quæ tetenderunt, cum tumultu: hoc eſt, ut ad malum ſubitum expaveſcant: quia quo majore licentia exultant homines propter ſpem impunitatis falſo conceptam, eo magis attonitos reddit improviſus terror. Interea mihi dubium non eſt quin David cladem aliquam novam & inuſitatam denotet. Veniat ergo tumultus quem ignorat: hoc eſt, ubi pacem fallacibus illecebris ſibi promiſerit, percellat eum horror inſolitus, & cum tumultuoſo pavore ſentiat ſe laqueis ſuis deprehenſum.

9. *Et anima mea.*] Alii in optativo legunt, *exultet* ac *Lætetur*. Sed David (meo judicio) non tam vota continuat, quam ſe Deo gratum fore promittit. quod melius ex proximo verſu patet, ubi magnifice beneficium hoc extollens, ejus memoriam omnibus corporis ſui partibus celebraturum ſe dicit. Ergo quum alii fortunæ tribuant quod ſervati ſunt, alii ſuæ induſtriæ, pauci admodum integram Deo laudem reddant: David hic ſe acceptæ gratiæ memorem fore aſſerit: Anima mea, inquit, non in liberatione ſibi ignota, ſed in Dei ſalute lætabitur. Sed amplificandi cauſa præconium gloriæ Dei ad oſſa ſua transfert, acſi linguæ officio non contentus, omnia corporis ſui membra applicaret ad canendam Dei laudem. Etſi autem hyperbolice loquitur, tamen ſine fictione demonſtrat eo ſtudii fervore ſe eſſe præditum, ut nervos & oſſa impendere cupiat ad teſtandam pietatem.

10. *Jehova, quis ſimilis tibi.*] Clarius definit ſuum illud in ſalute Dei gaudium, nempe quod uni Deo in ſolidum adſcribet quam adeptus eſt ſalutem. Sic enim vulgo laudatur Deus inter homines, ut vix decimam juris ſui partem obtineat. David autem ab aliis omnibus eum ſeparans, diſtincte pronunciat totam liberationis gloriam in eum ſolum competere. Et certe ita Deo quod ſuum eſt aſſeritur, quum ornatus ſua virtute ſpes omnes noſtras ſibi addictas tenet. Quid enim attinet nomen Dei ſonare in ore noſtro, ſi ejus potentiam & bonitatem pro arbitrio noſtro partimur? Pie ergo David magnitudinem Dei hoc elogio commendat, quod vindex ſit pauperum, quod inopes & afflictos eripiat à violentis prædonibus. acſi diceret, proprium ejus officium eſſe opem ferre miſeris: quibus verbis docemur bonam ſpem in afflictionibus retinendam eſſe: quia non eſt cur animos noſtros debilitent hoſtium vires & copiæ, quantumvis prævaleant, dum è cælo pronunciat Deus, in hunc finem ſe regnare ut validis & fortibus reſiſtat. Quod ſi gutta ſanæ mentis eſſet in filiis hujus ſeculi qui potentiam ſuam ad nocendum, & debiles opprimendos effundunt, ſubſiſteret profecto eorum audacia, neque ad iram Dei provocandam ultra tenderent.

11. Surgunt teſtes violenti, quæ non novi quærunt ex me.

12. Rependunt mihi malum pro beneficentia in orbitatem animæ meæ.

11 יְקוּמוּן עֵדֵי חָמָס אֲשֶׁר לֹא ׳
יָדַעְתִּי יִשְׁאָלוּנִי׃
12 יְשַׁלְּמוּנִי רָעָה תַּחַת טוֹבָה
שְׁכוֹל לְנַפְשִׁי׃

13. Mihi

13. Mihi autem in ægrotatione eorum, indumentum meum ſaccus: afflixi in jejunio animam meam, & precatio mea ſuper ſinum meum verſa eſt.

14. Quaſi ſocius, quaſi frater mihi eſſet, ambulavi, ſicut lugens matrem pullatus humiliavi me.

15. Ipſi autem in claudicatione mea lætati ſunt, congregati ſunt, congregati ſunt inquam adverſum me abjecti quos non noveram: ſciderunt labia, & non tacuerunt.

13 וַאֲנִי בַּחֲלוֹתָם לְבוּשִׁי שָׂק ע
עִנֵּיתִי בַצּוֹם נַפְשִׁי וּתְפִלָּתִי עַל חֵיקִי
תָשׁוּב׃
14 כְּרֵעַ כְּאָח לִי הִתְהַלָּכְתִּי כַּאֲבֶל
אֵם קֹדֵר שַׁחוֹתִי׃
15 וּבְצַלְעִי שָׂמְחוּ וְנֶאֱסָפוּ נֶאֶסְפוּ
עָלַי נֵכִים וְלֹא יָדַעְתִּי קָרְעוּ וְלֹא דָמּוּ׃

11. *Surgunt teſtes.*] Futuro tempore deſignat quid diu paſſus ſit. Deplorat autem ſe calumniis ita fuiſſe oppreſſum, ut defenſioni locus non fuerit: quo nihil gravius & acerbius accidere poteſt ingenuis hominibus, ſibique bene conſciis. Nec vero tantum falſis criminibus ſe gravatum fuiſſe dicit, ſed audaciam ac proterviam in teſtibus accuſat, quod violenter ſurrexerint. Huc pertinet quod addit, *ſibi quæ neſciebat, objecta fuiſſe.* Non ergo fortunis tantum ſpoliatus fuit David, & in exilium indigne ejectus, ſed etiam juris prætextu oneratus infamia & probris. In has anguſtias conjectus, recta ſe ad Deum contulit, innocentiæ ſuæ vindicem ſperans. Ita filiis Dei ambulandum eſt per infamiam & bonam famam, & patienter ferendæ calumniæ, donec eorum innocentiam Deus è cælo aſſerat. Nam quod olim proverbio inter homines profanos jactatum fuit, Nullum pulchrius theatrum eſſe bona conſcientia: magnifice quidem in eo loquuti ſunt, ſed fieri non poteſt ut quempiam ſuſtineat conſcientiæ puritas niſi ad Deum confugiat.

12. *Rependunt mihi.*] Rurſus hoſtium malitiam exaggerat, quod non modo inſontem, & nihil tale meritum improbe vexabant, ſed quod multis magniſque beneficiis affecti, iniquiſſimam mercedem rependebant. Etſi autem hæc indignitas quo ad ſenſum carnis maxime vulnerat probos homines, videturque minime tolerabilis: dici tamen non poteſt quantum hoc afferat ſolatii, ubi teſtari coram Deo licet, nos officiis omnibus perfunctos eſſe, quæ ad humanitatem flectere deberent hoſtium animos, ſed eos implacabili ſævitia ad nocendum rapi. Deus enim barbaram hanc & feram ingratitudinem non ſinit inultam. Altera etiam circumſtantia melius exprimitur eorum crudelitas, quod manſueti & placidi hominis animam orbare conati ſint, hoc eſt, ita nudare & deſtituere, ut deſperatione obrutum perderent. Poſtea quædam ſua officia enumerat, quæ ſanctiora quædam mutui amoris vincula eſſe debebant, ſi quis apud eos vigeret æquitatis ſenſus. Non dicit autem ſe pecunia, vel opibus eos juviſſe, vel fuiſſe aliis modis liberalem: quia fieri poteſt ut manu exporrecta reſtrictus interdum ſit animus: ſed veri & ſerii amoris certiores notas profert, quod non ſecus indoluerit coram Deo, & anxius fuerit eorum malis, quam ſi lugeret matris mortem: denique non aliter erga eos atque germanos fratres affectus fuerit. Quum jure ita ſibi devinctos teneret, quid hac ingratitudine fœdius, quod rebus ejus adverſis odii ſui venenum in eum evomuerint? Quod ad verba ſpectat, *ægrotationem* metaphorice accipio pro quovis incommodo vel triſtitia. Significat enim David quoties illis male eſſet, ſocium ſe doloris fuiſſe. Hujus rei teſtis fuit precatio, quam ſe in ſinum fudiſſe narrat. Nam hic genuinus eſt ſenſus, quod non ambitioſe vota ſua coram hominibus jactaverit, ut multi longe plus oſtentant quam in animo lateat: ſed tacite ſecum & remotis arbitris precando teſtatus ſit quam ſincere & ex animo doleret. Sicut enim eos dicimus gaudere in ſinu qui arcano & interiore ſenſu contenti ſunt: ita etiam in ſinu flere & precari apte dicetur qui ſuas lachrymas & vota in aërem non ſpargit ad captandam hominum gratiam, ſed contentus uno Deo teſte, affectus ſuos apud ſe continet. Quanquam non nego hac loquendi forma notari precantis geſtum: acſi diceret, capite demiſſo, & complicatis brachiis ut mœſti ſolent, corpus ſe curvaſſe ad orandum. ſed tenendum præcipue ejus conſilium eſt, quod in votis nihil fictum fuerit. Quod aliis videtur eſſe obteſtatio, & hunc ſenſum eliciunt, Domine, niſi illis proſpera omnia optaverim, quicquid mali eſt, in meipſum vertatur: coactum eſt. Nihilo etiam plus coloris habet altera expoſitio, Quia pro ipſis orando, nihil profeci, fructus orationis ad me reverſus eſt. Propius ad mentem Prophetæ & verba hoc accederet, Non ſecus pro ipſis ac pro me oravi. Sed quod ſupra attuli de arcano affectu, ſanis lectoribus (ut ſpero) ſatisfaciet. *Saccum & jejunium* tanquam precationis adminicula poſuit. Etſi enim pranſi quoque orant fideles, nec quotidie jejunium ſibi indicunt orandi cauſa, nec ſaccum induere neceſſe habent quoties prodeunt in Dei conſpectum: ſcimus tamen ubi major aliqua urgebat neceſſitas, adhibita fuiſſe hæc exercitia: in clade publica vel periculo ſaccum omnes induebant, & jejunium omnibus commune erat, ut ſimpliciter reatum ſuum confeſſi, iram Dei placarent. Siquis privatim affligebatur, iiſdem luctus inſignibus ſe ad precandi ardorem ſtimulabat. Tantundem ergo valuit ſaccus in Davide, acſi reum ſe ſubſtitueret hoſtium loco, qui infeſti ruebant in ejus perniciem. Porro ut ſaccum & cinerem numeremus inter ritus Legales, hodie idem manet apud nos jejunii uſus. Quare ſi nos Deus oſtenſis iræ ſuæ ſignis ad pœnitentiam invitat, meminerimus non modo preces ſolito more fundendas eſſe, ſed addendos etiam ſtimulos qui ad humilitatem nos ſollicitent. Dicit tandem non ſecus erga eos ſe fuiſſe verſatum, acſi quiſque eorum ſibi fuiſſet frater.

15. *Ipſi autem in claudicatione.*] Cur in voce Claudicationis laborent interpretes non video. Divinant quidam crus Davidi fuiſſe luxatum: alii ex morbo claudicaſſe ſomniant. Sed ſiquis totum contextum expendat, nihil clarius eſt quam notari caſus adverſos. acſi dixiſſet, Simulac labaſcere me viderunt, & ruinæ propinquum, quaſi facto concurſu, ſimul conati ſunt me prorſus evertere. Ergo hic eadem fere metaphora eſt, quæ nuper in voce Morbi. Fuit autem hoc nimis truculenti furoris, quum ſæpe hoſtium ſuorum infortunio manſueſcant homines, ut miſeros odiſſe vel perſequi deſinant, veteres Davidis amicos ejus dejectione ad inſultandi proterviam accendi. Quanquam autem paucos initio deſignat, mox tamen promiſcuum & ignobile vulgus adjungit augendæ indignitatis cauſa, non quod peræque accuſet omnes, ſed ut melius pateat quam hoſtiliter fuerit oppugnatus. Credibile enim eſt, qui tunc rerum potiebantur, faces ad excitandum commune incendium fuiſſe, ut certatim populus ad Davidem perdendum manus tolleret. Bis autem repetit fuiſſe congregatos, ad notandam pertinaciam. niſi forte ita reſolvere libeat, Congregati ſunt non modo quibus aliquis prætextus erat, ſed uſque ad contemptiſſimos. נכים proprie dicuntur flagellati vel percuſſi: ſed recte accipitur hoc nomen pro hominibus probroſis, vel contemptis. Quanquam nonnulli interpretes à כאה deducunt, quod eſt dolore afficere, & active exponunt, dolorem inferentes: ſed prior ille

Digitized b

ille ſenſus melius congruit, Davidem à ſordida plebis fæce contumelioſe fuiſſe tractatum. Particula *Non novi*, tam ad cauſam quam ad perſonas referri poteſt. Ego tamen de perſonis interpretor, hoc ſenſu, Tantum abeſt ut queri poſſint aliqua injuria ſe fuiſſe à me laceſſitos, ut mihi prorſus ſint ignoti. Simul autem incluſa erit querimonia, quod populus nulla ratione inſaniat, quando nullius ſceleris ſibi ſit conſcius David, nec ſuſpicari poſſit unde tantum odium. In poſtrema quoque parte verſus quanquam diſſentiunt interpretes, mihi verum & germanum ſenſum attuliſſe ſufficiet. Ad verbum eſt, *Sciderunt, & non tacuerunt.* ſed Scindendi verbo non dubium eſt metaphorice notari oris apertionem. acſi diceret, labiis diſtentis petulanter ſua convitia jactaſſe. Et quod addit, non tacuiſſe, repetitio eſt Hebræis trita ad vehementiam exprimendam vel exceſſum: acſi diceret, maledictis nullum fuiſſe modum vel finem, dum pleno gutture improbi homines quicquid in buccam venit profundunt.

16. Inter perfidos ſubſannatores ſubcineritii panis, frendent ſuper me dentibus ſuis.

17. Domine quouſque videbis? eripe animam meam à tumultibus eorum, à leonibus unicam meam.

18. Celebrabo te in cœtu magno, in populo multo laudabo te.

16 בחנפי לעגי מעוג חרק עלי שנימו :

17 אדני כמה תראה השיבה נפשי משאיהם מכפירים יחידתי :

18 אודך בקהל רב בעם עצום אהללך :

16. *Inter perfidos.*] Vertunt alii Cum hypocritis: ſed ſimpliciter, meo judicio, narratur à Davide conſpiratio hoſtium. Et ſumma eſt, inter homines doloſos & ad fallendum natos, deinde projecti pudoris, unum hoc aſſidue agitari, quomodo miſerum hominem perdant. Atque nunc redit ad duces & capita, ex quibus malum oriebatur: quia hoc elogium in magnam plebis partem quæ agebatur inconſiderato motu, non congrueret. Diſerte igitur aulicos proceres, alioſque non abſimiles accuſat ſævitiæ, quod velut rabidæ feræ dentibus contra ſe frendant. Primo autem vocat perfidos vel ſceleratos, quo facilius opem & auxilium à Deo impetret, ut in ultima neceſſitate vocans: deinde *ſubſannatores* ſignificat perfricta fronte, & omni verecundia excuſſa projectos eſſe ad quidvis audendum. De voce מעוג quæ proxime ſequitur, non ſatis convenit. proprie ſignificat panem in foco ſub cineribus coctum. Quidam tamen quia ſenſum appoſitum elicere non poterant, ſumi putarunt pro garrula dicacitate vel ſermone otioſo. Alii longius recedere auſi ſunt, quod dicatur illis ſubſannatio eſſe loco panis, quia ſcilicet paſcant ſe & oblectent ſannis & ludibriis. Mihi propria nominis ſignificatio videtur retinenda. Quanquam poteſt adhuc duplex eſſe ſenſus. quidam enim מעוג ſumentes pro placenta, putant hic perſtringi liguritores, qui lautas & opiparas menſas aucupabantur: quales ſemper multi in aulis Principum circumvolitant. Aliis vero magis placet, ſerviles & ſordidos homines perſtringi, qui minimo linguas ſuas ad maledicendum addicerent: ſicuti omnibus ſeculis reperti ſunt qui fruſto panis (ut loquuntur) linguas venales proſtituerent. Ego quum alios locos expendo, ubi David ingenia moreſque hoſtium ſuorum deſcribit, in hanc conjecturam inclino, menſarios ſcurras notari, qui inter pocula de ejus cæde diſputabant. Conqueritur ergo inter delicias cœnarum agitatos de ſua nece ſermones fuiſſe ab impiis, qui pudorem omnem abjecerant.

17. *Domine quouſque videbis?*] Particula quam vertimus Quouſque, apud Hebræos ambigua eſt, Latine ſignificat, Quouſque videbis, ut tacitus ceſſes? Sed æque quadrabit altera verſio, Quando tandem poſt longam diſſimulationem videre incipies? Cæterum eodem redit ſumma. Conqueritur enim David de longa tolerantia Dei, quod nimis diu conniveat laſcivientibus impiis, vindictamque ſuſpendat. Etſi autem Deus fideles jubet quietos expectare, dum ipſe maturum ferendi auxilii tempus eſſe judicet: permittit tamen ut moræ tædium quo uruntur, in precibus deplorent. Simul oſtendit, ſe non importune præcipitem ferri tali deſiderio, ſed quia ultimis anguſtiis cogitur. Nam & tumultuoſe ipſos vitam ſuam impetere dicit, & *leonibus* comparat; & *animam ſuam* vocat ſolitariam. Nam qui *unicam* accipiunt pro chara & pretioſa, non ſatis attente reputant mentem Davidis. Pſal. 22. verſ. 21. dictum fuit.

18. *Celebrabo te.*] Rurſus gratitudinem hoc verſu promittit, quia nihil eſt quod rependant Deo fideles præter ſacrificium laudis, ut Pſal. 116. v. 17. videbimus. Hoc etiam modo ad impetrandi fiduciam ſe animat, dum in mediis curarum & diſcriminum fluctibus, quaſi jam voti compos, in gratiarum actionem erumpit. In quo illuſtre perſpicitur invictæ fortitudinis teſtimonium, quod profugus & extorris, nudatus omni auxilio, denique in ſumma deſperatione: tamen adhuc de laudanda Dei gratia cogitet, votaque nuncupet ſolennis ſacrificii, acſi in mortis tenebris fulgeret liberatio. nec tantum de privata gratiarum actione loquitur, ſed quam erepti ex maximis periculis, ex præſcripto Legis edere ſolebant in cœtu publico. Quod populum fortem aut robuſtum alii vertunt, mihi non probatur. argute excogitant, magna virtute præditam eſſe Eccleſiam: ideoque vocari populum fortem. Sed quum ſimpliciter David frequentiam & multitudinem populi deſignet, quæ ad ſacros conventus agendos in Sanctuarium aſcendere ſolebat: non dubito quin ſuo more bis idem repetens, poſt *magnam Eccleſiam*, ſubjiciat *populum multum*. Nam Hebraicum nomen utrumque ſignificat.

19. Ne lætentur de me qui immerito inimici mei ſunt, neque oculis nictent qui ſine cauſa oſores mei ſunt.

20. Quia non loquuntur pacem, & ſuper ſciſſuras terræ verba fraudulenta concinnant.

21. Diduxerunt contra me os ſuum, dixerunt, Ha, ha, vidit oculus noſter.

22. Vidiſti Jehova, ne taceas, Domine ne procul abſis à me.

19 אל ישמחו לי איבי שקר שנאי חנם יקרצו עין :

20 כי לא שלום ידברו ועל רגעי ארץ דברי מרמות יחשבון :

21 וירחיבו עלי פיהם אמרו האח האח ראתה עינינו :

22 ראיתה יהוה אל תחרש אדני אל תרחק ממני :

23. Expergiſcere & evigila ad judicium meum, Deus mi, & Domine mi ad cauſam meam.

23 העירה והקיצה למשפטי אלהי
ואדני לריבי :

19. *Ne lætentur.*] Quia ex ruina & interitu Davidis tripudium captabant hoſtes, precatur ne tam improbo voto Deus indulgeat. Porro ut Deum cauſæ ſuæ propitium habeat, iterum teſtatur, nulla ſua culpa ſe illis exoſum eſſe, ſed mera pravitate impelli ad tam crudelem affectum. Magni enim intereſt, bonæ conſcientiæ teſtimonium afferre coram Deo, ut ſit ad nos juvandos propenſior. Nam quod שקר quidam accipiunt pro fallaciter, acſi inſidioſos hoſtes hac voce notaret David, nimis argute philoſophantur: ac repetitio quæ mox ſequitur, oſtendit Davidem conqueri de voluntario ipſorum odio, quod homini amico & benemerito, nulla offenſa provocati ſponte infeſti eſſent. קרץ hic accipitur pro nictare limis oculis per ludibrium: ſicuti Pſal. 22. verſ. 8. caput movere, & diducere labia. Proximo verſu rurſus declarat ſibi negotium eſſe cum implacabili hoſtium genere, & ad ſævitiam prorſus obſtinato, quo plus fiduciæ de propinquo Dei auxilio concipiat. Sic enim ſtatuere convenit, quo durius urgemur, eo certius ſperandam eſſe liberationem. Dicit igitur nihil ſonare præter tumultus & cædes. Poſterius membrum nonnihil obſcurum eſt propter dubiam ſignificationem nominis רגע nam quum ejus radix, nunc Scindere, nunc Quieſcere ſignificet, quidam vertunt, Manſuetos terræ. Alii autem, Cum quietis terræ: ac intelligunt pingues & ſaturos qui placido otio fruuntur. Utrique mihi videntur coactos ſenſus accerſere. Nihilo etiam alii rectius exponunt, In cavernis vel locis abditis: ne ſcilicet prava & verſuta eorum conſilia pateant. Atqui aptiſſima metaphora, per *ſciſſuras terræ*, intelligere licebit homines calamitoſos, qui velut fracti ſunt ac mutili. Dicit igitur David, hoſtes ſuos ſimulac rupturam aliquam patere vident, toto conatu incumbere ad everſionem. Nam qui contra Davidem integra & florente ejus fortuna, ne mutire quidem unquam auſi eſſent, labenti exitium machinari cœperunt: ut ſciamus impios homines, ſervili ingenio, & timidos utplurimum eſſe, neque efferri ad ferociam niſi quum ex bonorum & ſimplicium ærumnis oblata eſt occaſio. Eodem pertinet quod continuo poſt diſtento ore clamantes inducit, Euge, Euge: & ſibi cum plauſu gratulantes, quod Davidem viderint proſtratum jacere, atque ita læto ſpectaculo potiti ſint.

22. *Vidiſti Jehova.*] Subeſt antitheſis inter hunc Dei aſpectum, & illum priorem de quo ſibi plaudebant improbi: acſi diceret, Vos cupide oculis hauritis meas miſerias: atqui Deus quoque oculatus eſt ad notandam ſceleratam eorum malitiam, qui tam crudeliter paſcuntur alienis incommodis. Quanquam David cum illis non diſceptat: quin potius recta ſe ad Deum confert, & machinis illis quæ duriter ejus animum quatefacere poterant, Dei providentiam inſtar valli opponit. Et certe hæc demum ſolida munitio eſt contra hoſtium ludibria, ubi illis omiſſis mentes noſtras ad Deum colligimus, & paterna erga nos cura ejus freti, petimus ut re ipſa declaret ſibi non incognitas eſſe moleſtias noſtras: imo quo ferventius inhiare videt improbos ad noſtram perniciem, celerius ad opitulandum accurrat. quod pluribus loquendi formis exprimit David, Ne taceas, ne recedas à me, excitare, evigila. Has voces rite emittere potuit David, qui jam perſuaſus erat, pauperes & afflictos à Deo reſpici, & obſervari omnes injurias. Ergo ut rite compoſita ſint vota noſtra, fulgeat in cordibus noſtris primum neceſſe eſt fides providentiæ Dei: nec tantum ordine præcedat omnes affectus, ſed etiam temperet ac dirigat.

24. Judica me ſecundum juſtitiam tuam Jehova Deus mi, & ne lætentur de me.

24 שפטני כצדקך יהוה אלהי ואל
ישמחו לי :

25. Ne dicant in corde ſuo, Euge anima noſtra: ne dicant, Perdidimus eum.

25 אל יאמרו בלבם האח נפשנו
אל יאמרו בלענוהו :

26. Pudefiant & erubeſcant pariter qui lætantur malo meo, induantur pudore & ignominia qui ſe magnificant ſuper me.

26 יבשו ויחפרו יחדו שמחי רעתי
ילבשו בשת וכלמה המגדילים עלי :

27. Jubilent & lætentur, quibus placet juſtitia mea: & dicant ſemper, Magnificetur Jehova qui diligit pacem ſervi ſui.

27 ירנו וישמחו חפצי צדקי ו
ויאמרו תמיד יגדל יהוה החפץ ש
שלום עבדו :

28. Et lingua mea loquetur juſtitiam tuam, quotidie laudem tuam.

28 ולשוני תהגה צדקך כל היום
תהלתך :

24. *Judica me.*] Confirmat proximam ſententiam, ut Deus juris ſui patronus ſit atque aſſertor. Nam quia ad tempus quaſi neglectus jacuerat, juſtitiam Dei ſibi proponit, quæ non patitur ut rectos & juſtos ad extremum deſerat. Quædam igitur obteſtatio eſt, ut Deus, quia juſtus eſt, ſervum ſuum in bona cauſa defendens, documentum edat ſuæ juſtitiæ. Et certe ubi omni auxilio privati excluſique videmur, nullum eſt vincendæ tentationi efficacius remedium quam Dei juſtitiam non poſſe excidere, ex qua pendet noſtra liberatio. Sic Paulus, ut fideles ad patientiam hortetur, Juſtum, inquit, eſt apud Deum rependere iis qui vos affligunt, afflictionem. *2 Theſſ. 1. verſ. 6.* Ac rurſus Dei juſtitiam appellat hac in parte, ut compeſcat hoſtium inſolentiam. Nam quo ſuperbius inſultant, eo Deus paratior eſt ad ſuccurrendum. Graphice autem depingit eorum ferociam, loquentes iterum inducens, ut oſtendat, ſi pro libidine eorum ſuccedat, nullum proterviæ modum facturos. Quia autem tanto magis in ſe provocant Dei vindictam quanto ſe magis efferunt, non immerito David hoc argumento ſpem ſuam erigit, preceſque ſuas ſancit & obſignat.

26. *Pudefiant & erubeſcant.*] Hæc imprecatio alibi expoſita jam fuit: niſi quod notandum eſt, emphaſim ſubeſſe in voce *Pariter* vel Simul. Nam & ſibi bellum à magna turba motum fuiſſe oſtendit, neque tamen ſe exanimari terrore quin ſtatuat, ſimulac Deus manum ſuſtulerit, omnes ad unum poſſe uno ictu facile proſterni. Quum dicuntur malum Davidis appetere, in eo crudele odium apparet. Quod autem ſe extollunt vel magnificant, ſignum eſt ſuperbiæ. ergo ut Deo exoſos reddat David, contumelia & faſtu plenos eſſe dicit. Jam quum à Spiritu ſancto dictata fuerit hæc precandi forma, ſuperbos omnes haud dubie manet exitus qualis hic

prædicitur, ut cum pudore & ignominia retrorſum abeant.

27. *Jubilent & lætentur.*] Commode etiam hæc duo verba in futuro tempore vertere liceret, non minus quam in optandi modo: ſed quia in eo parum eſt momenti, in medio relinquo. David enim à fructu commendat quam ſibi optat liberationem à Deo: quia ſcilicet communis erit piis omnibus gaudii & bonæ ſpei materia, ſimulque ad canendas Dei laudes ipſos excitabit. Fidelibus autem hunc affectum tribuit, quod jus hominis innoxii ſalvum manere cupiant. Etſi enim vulgo magna invidia flagrabat David, quod rudes & imperiti falſis rumoribus imbuti fuerant: certum tamen eſt aliquos fuiſſe in populo æquos & moderatos judices, quibus dolebat ſanctum & notæ probitatis hominem indigne & præter meritum obrui. Et certe hoc humanitas poſtulat, ut quoſcunque injuſte cernimus affligi, ſi juvandi ratio non ſuppetit, ſaltem favore proſequamur. Magnificentiam Dei videtur tacite opponere impiorum faſtui cujus nuper meminit. Quia enim omnia audendo, gloriam Dei quantum in ſe eſt, obſcurant: optima ratione votum hoc ex oppoſito concipiunt fideles, ut reluceat Dei majeſtas, dum re ipſa demonſtrat ſervorum ſuorum cura ſe tangi, ſibique cordi eſſe eorum pacem. Tandem in Pſalmi clauſula repetit, quibus par eſt laudibus ſe Dei juſtitiam celebraturum qua ſervatus fuerit.

ARGUMENTUM PSALMI XXXVI.

Putant fere omnes Davidem hoc Pſalmo in genere mirari Dei bonitatem, quod favore & clementia ſua reprobos toleret, à quibus tamen impie contemnitur. Ego vero paulo aliter ſentio, ſanctum Prophetam graviter ab improbis & ſceleratis vexatum de eorum pravitate conqueri: tum deinde confugere ad immenſam Dei bonitatem, qua non ſolum promiſcue cunctos mortales, ſed peculiariter filios ſuos proſequitur, ut in hac fide reſpiret, quod Deo propitio tandem liberabitur. quod patet ex clauſula, ubi ſe Dei præſidio ſalvum fore reputans, contra omnes impiorum inſultus ſeſe armat ac munit.

PSALM. XXXVI.

PRæfecto, ſervi Jehovæ Davidis.	1 לַמְנַצֵּחַ לְעֶבֶד יְהוָה לְדָוִד׃
2. Dicit impietas ſcelerato in medio cordis mei, nullus timor Dei coram oculis ejus.	2 נְאֻם פֶּשַׁע לָרָשָׁע בְּקֶרֶב לִבִּי אֵין פַּחַד אֱלֹהִים לְנֶגֶד עֵינָיו׃
3. Quia blanditur ſibi in oculis ſuis, donec iniquitas ejus inveniatur ad odium.	3 כִּי הֶחֱלִיק אֵלָיו בְּעֵינָיו לִמְצֹא עֲוֺנוֹ לִשְׂנֹא׃
4. Verba oris ejus iniquitas & fraus, ceſſat intelligere ut benefaciat.	4 דִּבְרֵי פִיו אָוֶן וּמִרְמָה חָדַל ל לְהַשְׂכִּיל לְהֵיטִיב׃
5. Iniquitatem cogitat ſuper cubili ſuo, inſiſtit in via non bona, malum non abominatur.	5 אָוֶן יַחְשֹׁב עַל מִשְׁכָּבוֹ יִתְיַצֵּב עַל דֶּרֶךְ לֹא טוֹב רָע לֹא יִמְאָס׃

DIcit impietas.] Cur hic tantum & Pſalmo 18. ornetur David titulo Servi Dei potius quam alibi, incertum eſt, niſi quod in lucta maxime omnium difficili ſuperior, invictum ſe Dei athletam probavit. Scimus enim quam rara ſit virtus, ubi impune graſſatur impietas, & caliginem nobis offundit, ſuſpicere fidei oculis Dei providentiam, quæ animis noſtris ad patientiam compoſitis, conſtanter nos in pietate retineat. Porro verſum primum varie exponunt interpretes. Ad verbum eſt, Dictum transgreſſionis: vel dicit transgreſſio impio. Quia tamen ל interdum pro מן ſumitur, vertunt quidam, Impietas de ſcelerato loquitur in corde meo. acſi diceret Propheta ſe penitus ſentire ex ſceleribus quæ perpetrant impii, nullo ipſos tangi Dei timore. Sed quia à verborum proprietate diſcedere opus non eſt, ego aliis potius aſſentior, quod ſcilicet Propheta dicat malitiam impii hominis quæ videtur latere incognita, clare in corde ſuo loqui, ſeque certum eſſe teſtem quid ipſa ſuggerat. Ac primo quidem notandum eſt, non de externis ſceleribus loqui Prophetam, ſed penetrare ad fontem ipſum: acſi diceret, Quamvis aſtuta ſimulatione tegant impii ſuam malitiam, mihi tamen ſatis comperta eſt, ut mihi videar eam loquentem audire. Verum quidem eſt, quia ruunt impii & profani homines in omne ſcelerum genus acſi nulla unquam reddenda eſſet ratio, tale ex eorum vita judicium poſſe ferri: ſed hoc expreſſius eſt, quod interior ipſorum perverſitas ſervis Dei aperte ſe prodat. Loquitur autem David non de quibuslibet, ſed de perditis Dei contemptoribus. multi enim laſciviunt in ſuis vitiis, quos tamen non occupat hic veſanus furor. Sed ubi obduruit quiſpiam ad peccandum, tandem impietas hanc ei ſocordiam dictat, ut contempto Dei judicio ſine metu perrumpat quocunque libido impulerit. Itaque peccandi ſecuritas præſertim ubi accedit contemptus & ludibrium, quaſi Satanæ faſcinum eſt quod hominem deſperatum prodit. Etſi autem vera religio pias mentes continet in Dei timore, & impias cogitationes procul arcet: hoc tamen non obſtat quominus in corde ſuo perſpiciant horribili furore agitari impios, dum nec Deum curant, nec judicio ejus tanguntur. *Nullus timor Dei.* Malarum ſuggeſtionum finem breviter demonſtrat, nempe ut ſenſu boni & mali extincto vel ſuffocato, quidvis audeant, acſi non ſederet Deus in cælo judex. Senſus ergo eſt, Sceleratum hominem alloquitur impietas in corde meo, eum ad extremam veſaniam ſollicitans, ut abjecto Dei metu, ſe ad peccandum projiciat. hoc eſt, Non ſecus mihi notum eſt quicquid volutant impii in corde ſuo, acſi Deus me teſtem & arbitrum locaſſet ad retegendam hypocriſim, qua deteſtabilem ſuam malitiam profunde ſepultam eſſe putant. Quod ergo nulla Dei reverentia impios cohibet à peccando, ex occulto iſto alloquio oritur, quo eos dementat ſua pravitas, ut brutorum animalium inſtar ſibi indulgeant. Quia oculi ſunt quaſi vitæ duces, & alios ſenſus motu ſuo huc vel illuc trahunt: ideo dicitur timor Dei eſſe ante oculos, quum vitam hominum regit, ac quocunque ſe vertunt, occurrens, objectu ſuo libidines refrenat. Ergo contraria loquendi forma ſignificat David, ſine Dei reſpectu licentioſe vagari impios, quia eos excæcavit ſua pravitas.

3. *Quia blanditur ſibi.*] A fructibus vel ſignis oſtendit nullum vigere Dei timorem apud impios, quia in ſceleribus ita ſe oblectant: ut aliis omnibus execrabiles, foveant tamen ſuam pertinaciam, ſeque ultro ad pergendum obdurent. Primo dicit eos blanditiis alere ſua vitia, ne ſibi peccando diſpliceant. Sed quum addit, *donec inveniatur iniquitas ad odium*, his verbis notatur extrema obſtinatio. ſenſus enim eſt, Dum ſibi falſo adulantur, hucuſque

 pro-

progredi, ut eorum iniquitas ſit omnibus execrabilis. Vertunt quidam, Ut ipſe ſuam iniquitatem ad odium inveniat: ac intelligunt, intemperanter eos ruere, donec ex ſatietate obrepat faſtidium. Nemo enim adeo nequam eſt quin ſibi interdum diſpliceat. Sed prior ille ſenſus genuinus eſt, Impios, quamvis omnibus ſint exoſi, quia eorum iniquitas patefacta & deprehenſa, bilem omnibus movet: nulla diſplicentia tangi, quin potius ſibi plaudere dum eos populus exſibilat, & ſceleſtam eorum vitam exhorret. Hanc igitur amentiam in illis damnat Propheta, quod eos non moveat ſcelerum ſuorum fœditas quæ omnes offendit: quia omne boni & mali diſcrimen quantum in ſe eſt, abolent, ac conſcientiæ ſtuporem inducunt, ne illos ad reſipiſcentiam ſtimulet. Attente certe conſiderandus eſt hic ſtupor, quod homines in ſenſum reprobum conjecti, dum in ſe provocant omnium mortalium odia, malorum tamen ſuorum ſenſu privati ſunt.

4. *Verba oris ejus.*] Utrumque membrum hujus verſus eodem referri poteſt, quod ſcilicet mendaciis ludentes nullam intelligentiæ lucem admittant. Et certe hanc eſſe Davidis mentem exiſtimo, quia hic non ſimpliciter impios accuſat quod dolis & captionibus alios circumveniant, ſed potius quod nihil in ipſis rectum ſit, vel ſincerum. Diximus jam antè eum non agere de vitioſis hominibus in quibus manet aliquod Dei ſemen, ſed de profanis contemptoribus qui ſuis peccatis ſunt prorſus addicti. Dicit ergo, illis ſemper fallaces eſſe in ore prætextus, quibus ſanam omnem doctrinam illudant. Poſtea addit, ultro ſupprimere omnem delectum boni & mali, quia meliores eſſe nolint. Scimus rationem ad bene agendum hominibus ducem eſſe. Eam ergo dicit reprobos fugitare, ne vitam ſuam in melius corrigere cogantur. Docemur autem his verbis, ſiquando à via deflexímus, hoc unicum eſſe remedium, aperire mentis oculos, ut boni & mali diſcrimen ab errore nos revocet: contra, ubi quis intelligentiam reſpuit, hoc deſperationis ſignum eſſe. Proximo verſu notatur interior malitia & profunda obſtinatio. multos enim continget, licet alias non peſſime affecti ſint, labi & delinquere, quia repente ſe offert occaſio. David autem reprobos, ubi ſubducti ſunt ab hominum conſpectu, conſilia male agendi intus coquere dicit: atque ita quamvis nulla ſe illecebra objiciat, nullum eos incitet malum exemplum, ſibiipſis eſſe ſcelerum auctores ac magiſtros abſque alieno impulſu. Porro quum hac nota reprobos inſigniat, quod meditentur ſcelera ſuper cubile ſuum: docentur fideles longe alio ſua ſtudia conferre ubi ſoli ſunt, nempe ut vitam ſuam examinando, malas cogitationes ſtrenue à ſe repellant. Additur deinde pertinacia, quod in via obliqua & perverſa inſiſtant, hoc eſt, ſcientes & volentes ſe ad peccandum obdurent. Tandem ratio additur, quia illis malum non diſpliceat. Voluntaria enim cæcitas eos præcipitat, ut ſceleribus ultro ſe mancipent. Jam nobis occurrat antitheſis inter reprobos & fideles. illi ſeipſos falſis adulationibus decipiunt: hi vero ſeveri in ſe ſunt cenſores. illi laxis habenis in vitia rapiuntur: hi cohibentur freno timoris Dei. illi cavillis obtegunt vel fucant ſua delicta, & lucem in tenebras convertunt: hi vero libenter agnoſcunt ſe peccaſſe, & ingenua confeſſione ad pœnitentiam ſe hortantur. illi repudiant ſanum omne judicium: hi ad vitæ lucem emergere ſemper cupiunt. illi ſuper cubile excogitant varios peccandi modos: hi ſedulo intenti ſunt ne ſibi peccandi cupiditatem accerſant. illi alte ſe demergunt in Dei contemptu: hi vero in malorum ſuorum diſplicentia libenter ſeſe exercent.

6. Jehova, ad cælos miſericordia tua, veritas tua uſque ad nubes.

6 יהוה בהשמים חסדך אמונתך עד שחקים:

7. Juſtitia tua ſicut montes Dei, judicia tua abyſſus magna, hominem & jumentum ſervas Jehova.

7 צדקתך כהררי אל משפטך תהום רבה אדם ובהמה תושיע יהוה:

8. Quam pretioſa bonitas tua Deus! itaque filii hominum in umbra alarum tuarum confident.

8 מה יקר חסדך אלהים ובני אדם בצל כנפיך יחסיון:

9. Saturabuntur pinguedine domus tuæ, & fluvio deliciarum tuarum potabis eos:

9 ירוין מדשן ביתך ונחל עדניך תשקם:

10. Quia apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbitur lumen.

10 כי עמך מקור חיים באורך נראה אור:

6. *Jehova, ad cælos,* &c.] Putant interpretes poſtquam expoſuit David quanta paſſim graſſetur in mundo corruptio & perverſitas, occaſione hinc ſumpta prorumpere in admirationem incredibilis patientiæ Dei, quod humanum genus tanta ſcelerum colluvie refertum favore & benevolentia proſequi non deſinat. Ego vero nuper dixi me paulo aliter ſentire. Propheta enim ubi de ſumma hominum pravitate diſſeruit, ne ipſe quoque tanquam diluvii impetu abreptus deficiat, ſeipſum colligit. Sic enim fere damnamus impios, ut ſe in animos noſtros inſinuet contagio: ac vix centeſimus quiſque purum ſe & illibatum in vera pietate conſervat, poſtquam de aliorum malitia conqueſtus eſt. Senſus ergo eſt, Quamvis triſtis & horrenda confuſio appareat, quæ inſtar vaſti gurgitis abſorbere poſſet pias mentes, Davidem nihilominus ſtatuere mundum plenum eſſe Dei bonitate ac juſtitia, & optima æquitate cælum & terram ab ipſo regi. Et certe quoties animos noſtros concutit ac percellit mundi corruptio, cavendum eſt ne ſenſus noſter ſubſiſtat in hominum malitia qui miſcent omnia ac perturbant. Sed in hac turbulenta caligine occultam Dei providentiam ſuſpicere convenit. Cæterum David hic quatuor præcipuas Dei virtutes per ſynecdochen enumerat, ſignificans in ſumma, inæſtimabilem Dei virtutem ac potentiam cum pari juſtitia reputandam nobis eſſe, licet mundum temere verſari dictet carnis ſenſus. Bonitatem Dei uſque ad cælos eſſe dicens, altitudine cælos ipſos æquare intelligit. Eadem ratione adjungit veritatem ejus pertingere uſque ad nubes. Porro veritas hoc loco vel pro fide accipitur quam Deus in ſuis promiſſis præſtat, vel pro juſto temperamento in quo liquida & minime fallax rectitudo ejus perſpicitur. Sed complures alii loci ad promiſſiones referre cogunt, in quibus ſervandis fideliter ſibi conſtat Deus. Et ſequitur etiam continuo poſt juſtitiæ elogium, quam excelſis montibus comparat (ſcimus enim Hebræis Divinum vocari quicquid excellit) quia illic clarius refulget ejus gloria. Poſtremo dicit, judicia Dei magnis & profundis abyſſis ſimilia eſſe: quibus verbis admonet, quocunque vertamus oculos, ſurſum & deorſum juſto Dei judicio omnia diſponi. Solet in diver-

ſum

ſum ſenſum citari hic locus, quod ſcilicet judicia Dei captum noſtrum longe ſuperent, ſintque magis abſcondita quam ut eorum ratio apprehendatur. nec inepte huc aptatur ſimilitudo abyſſi. Latius tamen patere Davidis verba colligitur ex contextu, nempe quantumvis magna ſcelerum abyſſus inter homines exundet, terramque obruat, majorem tamen eſſe providentiæ Dei abyſſum, ut juſte omnia diſpenſet ac temperet. Quoties ergo in cæca & obſcura jactatione vacillat fides noſtra, veniat nobis in mentem, in tota mundi gubernatione judicia Dei merito conferri abyſſo quæ cælum & terram implet atque occupat, ut immenſa ſua amplitudine curas omnes noſtras & moleſtias deglutiat. Quod addit in fine verſus, tam jumenta quam homines à Deo ſervari: huc ſpectat, quum Deus ad bruta uſque animalia curam ſuam dignetur extendere, multo magis eum proſpicere rebus humanis. Et ſane quoties de providentia Dei obrepit dubitatio, clypeum hunc opponere convenit, fieri non poſſe ut Deus qui pecoribus alimenta ſuppeditat, tueturque in ſuo ſtatu, negligat humanum genus. Nam quod jumenta quidam de belluinis hominibus allegorice exponunt, tanquam nimis coactum repudio.

8. *Quam pretioſa eſt bonitas tua.*] Quod exponunt quidam pretioſam eſſe clementiam Dei, & pretioſos qui in ea confidunt hominum filios, à verbis remotum eſt. Nimis etiam argute quidam, diis, hoc eſt, Angelis & filiis hominum eximiam eſſe Dei clementiam. Et miror Rabbinos ita perperam ſudare in fabricandis commentis, quum per ſe dilucidus ſit Prophetæ ſenſus, nempe quia excellit & ſe magnifice profert Dei miſericordia, ideo in umbra ejus confidere filios hominum. Nam quum eatenus Dei bonitatem laudaverit David, quæ ſe in omnes creaturas diffundit, recte (meo judicio) ſentiunt alii, hic agi de peculiari favore quo filios ſuos complectitur. Etſi enim communiter de filiis hominum videtur haberi ſermo: quæ tamen mox ſequuntur, proprie in ſolos fideles competunt. Atque ita conſulto nominat illuſtrandæ gratiæ Dei cauſa, quod mortales ex Adam progenitos ſub alas ſuas colligere non gravetur: ſicuti Pſal. 8. v. 5. dictum eſt, Quid eſt homo quod memor es ejus: vel filius hominis quod viſitas eum? Nunc ſummam hujus loci tenemus, Quamvis perdite luxurient in ſceleribus impii, non tamen obſtare hanc tentationem quominus fideles Dei bonitate freti, in paternam ejus curam ſe conjiciant: cujus bonitatis guſtum impiorum mentes, ut ſunt inſipidæ, nunquam percipiunt, ut inde ad fidem deducti, ſub umbra alarum Dei quieſcant. *Alarum* ſimilitudo ſatis in Scripturis trita eſt, qua Deus exprimit non aliter ſua tutela nos foveri, quam pullos ſub matribus: atque ita familiariter & blande ad ſe nos invitat.

9. *Saturabuntur pinguedine.*] Non dubito quin pinguedinem domus Dei appellet bonorum affluentiam quæ non omnibus promiſcue eſt propoſita, ſed repoſita filiis qui totos ſe ejus fidei committunt. Quidam reſtringunt ad ſpirituales gratias: ſed mihi videtur magis probabile, comprehendi omnia Dei beneficia, quæ tam ad præſentis vitæ uſum, quam ad æternam & cæleſtem beatitudinem pertinent. niſi quod notandum eſt, ita conjungi cum puro fidei ſenſu: quo fit ut rite & legitime illis in ſalutem noſtram fruamur. Nam quum ſe ingurgitent impii bonorum Dei copia, ſaginatur quidem eorum caro perinde ac porcorum, ſed anima eorum ſemper eſt famelica. Solos (ut dixi) fideles ſatiat Dei liberalitas, quia illis pignus eſt paterni erga eos amoris. *Cibo & potu*, plena & perfecta notatur ſatietas: *fluvii* vero nomine, copioſa ubertas.

10. *Quia apud te fons eſt vitæ.*] Confirmat proximam doctrinam, cujus tam utilis eſt cognitio, ut nullis verbis exprimi queat. Nam quum impio abuſu optima quæque Dei dona profanent increduli, niſi diſcrimen illud quod poſui tenemus, præſtaret nos centies inedia perire, quam largiter Dei beneficentia paſci. Ergo quum minime agnoſcant increduli ſe in Deo moveri, vivere, & eſſe, quin potius propria virtute ſtare imaginentur: hic ex ſenſu piorum & quaſi in eorum perſona affirmat David, fontem vitæ eſſe in Deo: quo ſignificat nullam vitæ guttam extra ipſum poſſe inveniri, & quæ non fluat ex ejus gratia. In metaphora *Luminis*, emphaſis eſt expreſſior, luce carere homines, niſi quatenus eos Dominus irradiat. Quod ſi hoc de luce vitali vere prædicatur, quomodo ad vitæ cæleſtis intuitum erimus oculati, niſi Dei Spiritus nos illuminet? Nam tenendum eſt, ſic naturaliter præditos eſſe homines intelligentia, ut lux in tenebris luceat, quam tenebræ non comprehendunt: quod autem illuminantur, ſupernaturale eſſe donum. Interea ſoli fideles ſentiunt, lumen ſe à Deo mutuari, ne in tenebris ſepulti jaceant.

11. Extende miſericordiam tuam ad eos qui te cognoſcunt, & juſtitiam tuam ad rectos corde.	11 משך חסדך ליודעיך וצדקתך לישרי לב׃
12. Ne veniat in me pes ſuperbiæ, & manus impiorum ne commoveat me.	12 אל תבואני רגל גאוה ויד רשעים אל תנדני׃
13. Illic ceciderunt qui faciunt iniquitatem: impulſi ſunt, nec poterunt ſtare.	13 שם נפלו פועלי און דחו ולא יכלו קום׃

11. *Extende*, &c.] Nunc ſe David ad precandum convertit. Primum quidem in genere poſtulat ut Deus erga pios omnes miſericordiam ſuam continuet: deinde privatam cauſam ſuam agit, auxilium Dei contra hoſtes ſuos implorans. Porro nimis pueriliter errant qui Deum protendere dicunt ſuam miſericordiam, eo quod ſupra cælos emineat. Nam ubi nuper ita loquutus eſt David, non voluit (ut dictum eſt) illam cælo includere: ſed ſimpliciter teſtatus eſt, ubique eſſe expanſam. Hic autem nihil aliud optat, niſi ut Deus ſuam miſericordiam erga pios ad finem uſque proſequatur. Huic juſtitiam annectit tanquam effectum ſuæ cauſæ. Diximus autem alibi, in eo lucere Dei juſtitiam, quod ſuorum patrocinium ſuſcipit, eorum innocentiam tuetur, injurias ulciſcitur ac reprimit, & in aſſerenda eorum ſalute fidelem ſe probat. Hoc vero totum quum gratuito illis præſtet, merito à bonitate incipit David, eamque ordine priorem locat, ut ex mera ejus gratia pendere diſcamus. Jam notanda ſunt epitheta quibus deſcribit fideles, nempe quod Deum cognoſcant: deinde recti ſint corde. Nam hinc colligimus, à Dei notitia oriri veram pietatem: & rurſum fieri non poſſe quin lux fidei corda noſtra ad rectitudinem formet. Interea tenendum eſt, tunc rite à nobis Deum cognoſci, dum ei ſuum honorem tribuimus; nempe ut in eum recumbat noſtra fiducia.

12. *Ne veniat.*] Precationem quam concepit (ut paulo ante admonui) ad ſuam perſonam accommodat. ſed communiter pro omnibus Dei filiis votum concipiens, teſtari voluit ſe nihil ſibi privatim petere, ſed tantum optare Deum propitium, quia unus ſit ex piorum & rectorum numero qui ad Deum reſpi-

reſpiciunt. Pedem ſuperbum & manum ſceleratorum eodem ſenſu poſuit. Nam quum impii in bonorum perniciem audacter ruant, pedes attollant ad eos calcandos, manus etiam ad quodvis facinus habeant paratas, rogat David ut compeſcat tam ipſorum pedes quam manus: atque ita fatetur ſe illorum inſolentiæ & contumeliis ac violentiæ fore obnoxium, niſi mature Deus ſuccurrat.

13. *Illic ceciderunt.*] Fiduciam ex voto ſuo colligit, non dubitans quod petiit ſe jam impetraſſe. Atque ita videmus ut fidei certitudo ſanctos ad precandum dirigat. Cæterum quo certius ad bene ſperandum ſe animet, impiorum ruinam, licet adhuc ſit abſcondita, quaſi digito oſtendit. Neque enim ſupervacuum eſt adverbium *Illic*: quia dum ſecunda fortuna ſuperbiunt impii, illis mundus plaudit: David quaſi è ſublimi fidei ſpecula procul aſpicit eorum interitum, nec minus ſecure de eo pronunciat quam ſi prope inſtaret. Cæterum ut nobis conſtet eadem fiducia, meminerimus, perperam eos facere qui temporis articulos ex votorum ſuorum fervore definiunt: ſed dandum eſſe locum providentiæ Dei, ut ſurgat in judicium quando ejus arbitrio opportunum fuerit tempus. Quum dicit eſſe *impulſos*, in lubrico eos agitari intelligit, ut minime ſtabilis ſit eorum felicitas. Tandem addit exitialem fore eorum caſum, ut nunquam ſperanda ſit reſtitutio.

ARGUMENTUM PSALMI XXXVII.

Pſalmus hic quem inſcriptio, Davidis eſſe oſtendit, doctrinam continet apprime utilem. Nam quum fideles quamdiu peregrinantur in mundo, res videant mire confuſas, niſi ſpe melioris exitus triſtitiam ſuam ſolentur, ſubinde animos deſpondebunt. Quo quiſque audacius Deum contemnit, ſeque proſtituit ad omne ſcelus, eo videtur felicius agere. Nunc dum proſperitas divini erga impios favoris videtur ſignum eſſe, quid inde colligere licebit niſi vel fortuito regi mundum, fortunamque dominari, vel nullum Deo eſſe bonorum & malorum diſcrimen? Contra hos tentationum inſultus nos Dei Spiritus munit & confirmat in hoc Pſalmo. Nam utcunque proſpere habeant ad tempus impii, caducam & evanidam eorum felicitatem eſſe pronunciat: ideoque miſeros eſſe, & maledictam qua exultant lætitiam: pios autem & ſanctos Dei cultores etiam in ſummis ærumnis beatos eſſe, quia Deo curæ ſunt qui tempeſtive demum illis ſuccurrit. Hoc quidem paradoxon eſt, à quo abhorret carnis ſenſus. Nam quia boni prolixe eſuriunt, diu ſub multis incommodis languent, probris & injuriis ſaturantur, dum ſuos triumphos agunt ſcelerati & improbi, ſuiſque deliciis ſe oblectant: cui non obrepat opinio, Deum res humanas non curare? Quo utilior (ut nuper ſum præfatus) eſt hujus Pſalmi doctrina, quæ ſenſus noſtros à præſenti intuitu avertens, jubet in Dei providentia tantiſper quieſcere, dum ſervis ſuis manum porrigat, & rationem ſevere ab impiis repoſcat, tanquam furibus & ſacrilegis qui paterna ſua beneficentia fœde abuſi ſunt.

PSALM. XXXVII.

DAvidis. Ne ſuccenſeas ob malos, neque æmulatione tangaris ob facientes iniquitatem.

2. Quia ſicut fœnum velociter ſuccidentur, & tanquam herba virens marceſcent.

3. Spera in Jehova, & benefac: inhabita terram, & paſcere fideliter.

4. Et oblectare ſuper Jehova, & dabit tibi petitiones cordis tui.

5. Devolve ſuper Jehovam vias tuas, & confide in eo, & ipſe efficiet.

6. Et educet quaſi lucem juſtitiam tuam, & judicia tua quaſi meridiem.

1 לדוד אל תתחר במרעים אל־
תקנא בעשי עולה:
2 כי כחציר מהרה ימלו וכירק
דשא יבולון:
3 בטח ביהוה ועשה טוב שכן
ארץ ורעה אמונה:
4 והתענג על יהוה ויתן לך
משאלות לבך:
5 גול על יהוה דרכך ובטח עליו
והוא יעשה:
6 והוציא כאור צדקך ומשפטך
כצהרים:

NE *ſuccenſeas.*] Hoc generale principium ſumit David, non eſſe cur filios Dei torqueat, vel anxios habeat impiorum læta conditio, in qua ſuaviter ſibi placent, quia brevi evaneſcet. Contra quamvis ad tempus laborent fideles, talem eſſe eorum exitum ut merito ſua ſorte contenti eſſe debeant. Pendet autem hoc totum à Dei providentia: quia niſi perſuaſi ſimus, juſto ejus imperio mundum gubernari, ſtatim vacillabunt, & tandem concident mentes noſtræ. Porro duos vitioſos affectus cohibet David, qui tamen inter ſe plurimum ſunt affines, & quorum alter alterum gignit, Ne ſuccenſeant in reprobis fideles. deinde ne prava æmulatio eos ſollicitet. Primum enim dum vident impiis bene eſſe, quia colligere promptum eſſet, Deo non eſſe curæ res humanas, periculum eſt ne abjiciant Dei timorem, & alienentur à fide. Altera tentatio ſequitur, quia eos titillat exemplum, ut ſcelerum ſocietate ſe involvant. Hæc germana eſt ſententia. Nam quod alii אל תתחר interpretantur, Ne te miſceas, coactum eſt, ac refelli poterit ex contextu. nam certe verſu octavo, ubi diſerte furoris & iracundiæ fit mentio, abſurdum eſſet, verbum hoc quod ſubjicitur eodem ſenſu & in eundem finem, alio trahere. Deinde optimum ordinem tenet David: quia ubi indignationem nobis movit impiorum proſperitas, mox lapſus ad æmulationem nimium proclivis eſt. Prius ergo cavendum admonet, ne mentes noſtras irritet caduca vel potius imaginaria felicitas: deinde invidia nos ad peccandum concitet. Additur ſecundo verſu ratio, quia ſi hodie florent inſtar herbæ viridis, cras ſuccisi exareſcent. Non mirum eſt ſi hæc ſimilitudo frequenter occurrat in Scripturis, quia valde appoſita eſt. Videmus enim quam emarcidus ſit herbarum vigor, qui vel unico venti flatu dejectus, vel Solis æſtu exuſtus, ſponte concidit ſine manu hominis. Atqui Dei judicium inſtar falcis fore pronunciat David ad eos excidendos, ut momento exareant.

3. *Spera in Jehova.*] Jam ad ſecundum membrum deſcendit, fidelibus, quia ſub Dei tutela ſunt, bene & feliciter ceſſura eſſe omnia. Cæterum quia nihil melius vel optabilius eſt quam foveri Dei præſidio, ad locandam in eo fiduciam, & ſimul colendam probitatem hortatur. Nec vero temere à fidei doctrina incipit: quia nihil difficilius quam homines, dum circumaguntur in mundo, manere ſedatis & compoſitis animis, nec ulla perturbatione quatefieri. Jam quia vident improbos diteſcere malis artibus, creſcere, & potentiam acquirere peccandi licen-

licentia: non minus difficile eſt in ſtudio probitatis conſtanter ſtare. Adde quod non ſatis eſt negligere quæ nimio ardore vulgo ſolent expeti. Nam ea præditi fuerunt animi altitudine quidam ex Philoſophis, ut opes contemnerent injuſte partas, à fraudibus & rapinis abſtinerent: quin etiam ſevere exagitarent vanum impiorum ſplendorem quem ſtulte vulgus miratur. ſed fide vacui Deum fraudarunt ſuo honore: unde factum eſt ut eos lateret vera felicitas. Sicut autem à fide facit exordium, ut Deum oſtendat bonorum omnium eſſe auctorem, nec ſperandos eſſe proſperos ſucceſſus niſi ab unica ejus benedictione: ita notanda eſt probitatis ejus conjunctio, quia recte & innoxie vivet, ac beneficentiæ ſtudebit quiſquis Dei fidei ſe committet. *Inhabita terram.* Significantius loquitur quam ſi promitteret juſtos tuto habitaturos in terra. nam perinde eſt acſi eos in rem præſentem adducens, in poſſeſſione locaret. Cæterum his verbis diuturnum fore illorum ſtatum pronunciat: quia etſi hoſpites & inquilini ſunt in mundo, Dominus tamen ſua manu eos protegit, ut ſecure quieſcant. quod rurſus confirmat proxima particula, *Paſcere fideliter.* Nam Dei cuſtodia fretus, ſine cura & anxietate quieſcere ipſos jubet. Mirum eſt quod tam variis expoſitionibus hunc locum torqueant interpretes ac lacerent. Quidam Paſcendi verbum active accipiunt: & aliis quidem Fidem paſcere tantundem valet, atque Alere in cordibus Dei promiſſiones. Aliis videtur David præcipere ut fide paſcamus fratres noſtros, purum Dei verbum quo ſpiritualiter aluntur animæ, illis miniſtrantes. Alii fidem accipiunt pro ſinceritate, ut fidem paſcere ſit veraciter ſe gerere inter homines. Sed prorſus exigit loci circumſtantia, quod etiam patitur Hebraicæ linguæ proprietas, ut רעה paſſive ſumatur. Huc etiam inclinat major pars interpretum, qui tamen poſtea inter ſe diſſident. Quibuſdam enim placet nos paſci fide, quum nobis Dei promiſſiones ſufficiunt, & quaſi illis ſatiamur. Alii exponunt, Paſce te fructu fidei: quia Deus re ipſa oſtendet, non fruſtra verbo ſuo habitam fuiſſe fidem. Alii reſolvunt, Cibus tuus ſit veritas, nec quicquam te magis oblectet quam ſimpliciter & ingenue cum proximis verſari. Affinis eſt alia expoſitio, quanquam nonnihil differt, Ne vivas ex rapto, ſed legitimo victu contentus ſis. Certe in re perſpicua ſic hallucinatos eſſe doctos homines turpe ac pudendum eſt. Niſi enim data opera quemque ad quærendum novum commentum impelleret ſua ambitio, ſtatim occurreret germanus Prophetæ ſenſus, Inhabita terram, ut ea fruaris ſtabili quiete. אמונה enim non ſolum Hebræis eſt veritas aut fides, ſed etiam firma diuturnitas. Quis autem non videt, poſtquam juſtis data erat terræ poſſeſſio, hoc poſterius exegetice fuiſſe additum?

4. *Et oblectare ſuper Jehova.*] Hæc oblectatio vanis & fallacibus mundi illecebris opponitur, quæ profanos homines ſic inebriant, ut ſpreta Dei benedictione non aliam ſomnient beatitudinem, quam quæ ad momentum ſe ingerit eorum oculis. Atque hæc antitheſis inter erratica & veſana gaudia quibus ſe mundus decipit, & veram quietem, in qua ſe continent fideles, diligenter notanda eſt: quia ſive nobis arrideant omnia, ſive nos Dominus infortuniis exerceat, ſemper retinendum eſt illud principium, Quia Deus portio noſtra eſt, funiculum præclare nobis cecidiſſe, ſicuti Pſalmo 16. verſ. 5. vidimus. Quare huc ſedulo revocandi ſunt aſſidue animi, non aliter nobis bene eſſe niſi quatenus propitius eſt Deus, ut lætitia quam de paterno ejus favore concipimus, omnes mundi voluptates ſuperet. Præcepto additur promiſſio, ſi uno Deo ita contenti erimus, ipſum quicquid optaverimus, liberaliter daturum. non quod ſtatim obtineant fideles quicquid inconſiderate illis in mentem venerit: ſicut neque utile eſſet, Deum pravis cupiditatibus morem gerere: ſed tantum hoc voluit David, ſi aliis poſt ſua figmenta vagantibus, ſiſtimus in ſolo Deo ſenſus noſtros, alia ſuo ordine acceſſura.

5. *Devolve ſuper Jehovam.*] Clarius exprimit & confirmat proximam ſententiam. Ut enim Deus votorum nos compotes faciat, curas noſtras ſpe & patientia in eum conjicere oportet. Itaque hinc diſcimus quomodo inter moleſtias, diſcrimina & perturbationum fluctus tranquillis animis ſimus futuri. Vias pro negotiis omnibus accipi non dubium eſt. Itaque vias ſuas in Deum devolvit qui actionum ſuarum eventum ejus arbitrio reſignans, & patienter expectans utramque fortunam, curas quibus angitur, & quicquid oneris eum premit, in ejus ſinum exonerat: quod Gallice dicimus, *luy remettre ſes affaires.* Ideo rurſus in eum ſperare jubet, ſignificans, ſola ſpe juſtum tribui Deo honorem, ut vitam noſtram moderetur: atque ita communi morbo quo fere omnes laborant, medetur. Unde enim fit ut reprobis invideant filii Dei, ſæpe æſtuent aut vacillent, dolori intemperanter indulgeant, interdum etiam fremant ac tumultuentur, niſi quod ſe immodice curis implicant, & ſibi nimis cupide abſque Deo proſpicere volentes, quaſi in abyſſum ſe demergunt? ſaltem coacervant ſibi curarum molem, cui tandem ſuccumbere coguntur. Huic vitio occurrens David, nos admonet, ſi volumus ſuſcipere vitæ noſtræ regimen, conſulere rebus noſtris, acſi eſſemus tanto oneri ferendo, longe falli: ideoque unum eſſe remedium, ut conjectis in Dei providentiam oculis, inde anxietatum omnium ſolatium petamus. Quiſquis huic conſilio parebit, ex horribili quo ſe fruſtra omnes fatigant, labyrintho emerget: quia ubi negotia noſtra Deus regenda ſuſceperit, nunquam deerit felix ſucceſſus. Unde enim fit ut nos deſerat ac fruſtretur, niſi quia ei viam præcludimus, nimium ſapere nobis volentes? Quare ſi eum agere permittimus, fungetur ipſe ſuo officio, neque ſpem noſtram eludet, ſicuti juſte incredulitatem noſtram punit.

6. *Educet quaſi lumen.*] Occupatio eſt, qua dubitationes prævenit quæ nos ut plurimum angunt, dum nobis videmur Deum pure colendo, & cum proximis juſte agendo, operam ludere: imo dum noſtra integritas vel improborum calumniis eſt expoſita, vel nobis damnoſa eſt apud homines, ideoque contemni à Deo creditur. David ergo Deum paſſurum negat ut ſemper in tenebris lateat noſtra juſtitia, ſed vindicem ejus fore, ut conſpicua fulgeat, dum ſcilicet mercedem rependet qualem optamus. Porro ad noctem alludit, cujus tenebras aurora repente exoriens diſcutit: acſi diceret, Quoties indigne gravamur, & Deus ſibi innocentiam noſtram probari diſſimulat, non eſſe cur nos magis conturbet iſta viciſſitudo, quam dum noctis tenebræ operiunt terram, quia diurnæ lucis expectatio ſpem noſtram ſuſtinet.

7. Sile Jehovæ, & expecta eum, ne ſuccenſeas in eo qui proſpere dirigit viam ſuam, in viro * perpetrante ſcelera.	ז דום ליהוה והתחולל לו אל־תתחר במצליח דרכו באיש עשה מזמות׃
8. Deſine ab ira, relinque furorem, ne ſuccenſeas utique ad peccandum.	8 הרף מאף ועזב חמה אל תתחר אך להרע׃

* alias, peragente conſilia.

 9. Quo-

9. Quoniam improbi excidentur, expectantes autem Jehovam hæreditate poſſidebunt terram.

9 כי מרעים יכרתון וקוי יהוה המה יירשו ארץ׃

10. Adhuc paululum, & non erit impius: & attendes ad locum ejus, nec invenies.

10 ועוד מעט ואין רשע והתבוננת על מקומו ואיננו׃

11. Manſueti vero hæreditate poſſidebunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis.

11 וענוים יירשו ארץ והתענגו על רב שלום׃

7. *Sile Jehovæ, & expecta eum.*] Proſequitur eandem doctrinam, nempe ut patienter & moderate feramus quicquid inquietare animos noſtros ſolet. Nam inter tot certaminum agitationes patientia non vulgari opus eſt. Silentii vero metaphora (quæ frequenter in Scripturis occurrit) aptiſſime declarat fidei naturam. nam ut affectus noſtri Deo obſtrepunt, ita fides in placidum obſequium nos componens, tumultus omnes in cordibus noſtris compeſcit. Hoc itaque verbo David nos tumultuari vetat, ſicuti faciunt increduli, vel cum fremitu nos opponere ejus imperio, ſed quietis animis cedere ut opus ſuum in ſilentio peragat. Porro quia חול Hebræis nunc dolere, nunc expectare ſignificat, quidam verbum התחולל accipiunt hoc loco pro temperate dolere, vel ferre patienter dolorem. Simplicius etiam poſſet exponi pro dolere coram Deo, ut teſtis ſit omnium noſtrarum moleſtiarum: quia dum hærent increduli, magis obmurmurant contra ipſum, quam ſuas querimonias coram eo proponant. quia tamen diverſus ſenſus magis receptus eſt, ego eum libenter amplector, quod ſcilicet David ad ſpem &
Jeſa. 30. verſ. 15.
tolerantiam nos hortetur. Nam Jeſaias quoque ſpem ſilentio conjungit eodem ſenſu. Poſtea repetit quod dixerat primo verſu, Ne ſuccenſeas in homine cui proſpere ſuccedit, vel qui vias ſuas perducit ad optabilem ſucceſſum, & in viro ſcelerate ſe gerente, vel exequente conſilia: quod ſecundum melius quadrat contextui. Fateor quidem nomen מזמות ſæpius accipi in malam partem pro fraudibus & captionibus noxiis: ſed quum זמם interdum generaliter cogitare ſignificet, ſenſum hunc admittit linguæ Hebraicæ proprietas, ut Facere conſilia tantundem valeat atque perficere quod quis ſtatuit. Gallice dicimus, *venir à bout de ſes entrepriſes.* Videmus autem hæc duo connecti, vias ſuas ex animi voto diſponere, vel ſecundare, & facere conſilia. Durum enim hinc ſcandalum nobis objicitur, ubi impiis arridet fortuna, acſi Deus impiorum ſceleribus faveret: imo in nobis tunc accenditur indignatio. Itaque David brevi admonitione non contentus, prolixius in hac re inſiſtit. Non enim ſuperflua eſt verborum congeries quæ proximo verſu ſequitur, ubi iracundiæ frenum injicit, furorem ſedat, & indignationem mitigat: ſed plura remedia, ut neceſſe eſt, ad morbum difficilem curatu adhibet. Atque hoc modo quam irritabiles ſimus & propenſi ad concipiendas offenſas, admonet, niſi ſtrenue luctando, turbulentos noſtros affectus in obſequium cogamus. Quamvis autem non ſine moleſtia & ſudore carnis impetus ſubigant fideles, ubi eos ad impatientiam ſtimulat impiorum proſperitas, hæc tamen repetitio in lucta perſeverandum eſſe docet: quia ſi conſtanter perſtemus, non irriti tandem erunt noſtri conatus. Ultimam particulam ſecus interpretor quam reliqui: vertunt enim, *ſaltem ad peccandum*, acſi juberet David iram mitigare, ne ad nocendum proſiliat. Sed quum אך ſæpe affirmet apud Hebræos, non dubito quin David potius doceat fieri aliter non poſſe, niſi ſtatim ac celeriter offenſioni noſtræ occurrimus, quin ad peccandum nos impellat: ſicuti in
Pſal. 125. verſ. 3.
alio Pſalmo dicitur, Abrumpet Deus funes impiorum, ne juſti manus ſuas ad iniquitatem extendant.

9. *Quoniam improbi excidentur.*] Non abs re idem ſæpius inculcat, lætam & ſecundam fortunam qua potiuntur impii, nihil eſſe aliud quam larvam aut ſpectrum: quia primus intuitus ſenſus noſtros occupat ne ad exitum attendant, unde judicium fieri decet. Notanda autem eſt antitheſis inter duo membra. Prius impios exciſum iri pronuncians, ſignificat virere & florere donec maturum adveniat excidii tempus. Deinde fidelibus terram hæreditario jure aſſignans, intelligit ſic victuros, ut Dei benedictio eos ad mortem uſque proſequatur. Porro à fine (ut paulo ante docui) æſtimanda eſt hominum conditio. Ex epitheto etiam quod filiis Dei adſcribit, colligimus dura militia eos exerceri, ut probetur eorum fides. Non enim pios vel juſtos nominat, ſed expectantes Jehovam. Quorſum autem iſta expectatio, niſi ſub crucis onere gemerent? Cæterum terræ poſſeſſio quam filiis Dei promittit, non ſemper eſt oculis expoſita, quia & peregrinos in ea vagari oportet, nec patitur Dominus ſedem uſquam figere: quin potius circumagit, ut alacrius ad cæleſtem quietem aſpirent. Caro enim ſemper hic nidulari cupit. atqui niſi inſtabiles huc & illuc feramur, obrepit cæli ac æternæ hæreditatis oblivio. In hac tamen inquietudine non eripitur iſta terræ poſſeſſio cujus meminit David: quia & certo ſciunt ſe legitimos eſſe mundi hæredes: unde fit ut tranquilla conſcientia pane ſuo veſcantur: & quamvis inopia laborent, Deus tamen ipſorum neceſſitatibus in tempore ſuccurrit. Poſtremo quamvis è mundo eos exterminare conentur impii, & indignos reputent qui hauriant communem aërem, Deus tamen extenta manu eos protegit. Denique ſic eos virtute ſua ſuſtinet, ut ſecurius in exilio vivant, quam impii in ſuo nido cui affixi ſunt. Ita hoc bonum quod celebrat David, interius eſt ac occultum ex parte, quia non capit carnis noſtræ ſtupor quid ſit poſſidere terram. Et tamen vere ac luculento effectu ſentiunt fideles, non fruſtra ſibi illud promiſſum eſſe: quoniam jacta in Deum anchora vitam de die in diem placide tranſigunt. Et Deus reipſa declarat umbram manus ſuæ ad eos tuendos ſufficere.

10. *Et adhuc paululum.*] Confirmatio proximæ ſententiæ. objicere enim promptum eſſet, longe alium mundi ſtatum à nobis conſpici, quam prædicet David, quia impii in ſuis deliciis exultant, fideles vero aſſiduo languore miſere tabeſcunt. Itaque à præcipiti judicio nos revocans, ad exiguum tempus quieſcere nos jubet, dum radicitus illos Dominus evellat: gratiæ vero ſuæ efficaciam erga eos declaret. Hanc ergo prudentiam à fidelibus requirit, ut judicium ſuum pauliſper ſuſpendant, donec è cælo oſtendat Deus adeſſe tempus plenitudinis: atque ita non ſubſiſtant in ſingulis momentis, ſed mentem extendant ad Dei providentiam. Quod nunc pro expectantibus Jehovam, *Manſuetos* ponit, optima ratione nititur. Niſi enim quis ſtatuat Deum mirabiliter ſuos tueri non ſecus atque oves inter lupos, vim vi repellere ſemper tentabit. Sola igitur ſpes manſuetudinem ex ſe parit, quia frenando carnis impetus, fervoremque placando, ad æquitatem & tolerantiam erudit qui ſe Deo ſubjiciunt. Atque hinc videtur ſumpſiſſe Chriſtus quod habetur Matthæi cap. 5. verſ. 5. Etſi autem *Pacis* nomen generaliter apud Hebræos ſumitur pro omni proſpero rerum ſucceſſu, melius tamen huic loco conveniet alter ſenſus, quod dum impii turbas ſibi movebunt, & Deus undique ipſos terroribus implicabit, fideles ſe multa pace oblectabunt: non quod expertes ſint

omnis moleſtiæ, ſed quia interior animi tranquillitas illos fulciet, ut momentaneum eſſe reputantes quicquid perturbationum ſuſtinent; ſpe ſerenitatis promiſſæ interea lætentur.

12. Cogitat impius contra juſtum, & fremit contra eum dentibus ſuis.	12 זמם רשע לצדיק וחרק עליו שניו :
13. Dominus irridebit eum, quia videt quod veniat dies ejus.	13 אדני ישחק לו כי ראה כי יבא יומו :
14. Gladium educunt impii, & arcum ſuum tendunt, ut proſternant pauperem & egenum, ut mactent rectos via.	14 חרב פתחו רשעים ודרכו קשתם להפיל עני ואביון לטבוח ישרי דרך :
15. Gladius eorum intrabit in cor ipſorum, & arcus ipſorum frangetur.	15 חרבם תבוא בלבם וקשתותם תשברנה :

12. *Cogitat impius contra juſtum.*] Prævenit quod objici poterat contra proximam ſententiam. Ubi enim ſerena quies & lætitia, quum improbi inſaniant, & nihil non moliantur contra Dei filios? deinde quomodo in poſterum bonam ſpem fovebunt qui vident multis ſe mortibus circumdatos? Reſpondet igitur David, quamvis eorum vita petatur variis periculis, quicquid tamen machinentur impii, tutos eſſe Dei ope, & præſidio, ac in perpetuum fore ſalvos. Ita conſilium Davidis eſt, timori noſtro occurrere, ne impiorum malitia nos ultra modum terreat, acſi eſſemus eorum libidini expoſiti: fatetur autem eos tam fraudibus inſtructos eſſe ad nocendum, quam virulentia & rabie ardere, quum dicit eos conſilia inſidioſe excudere & frendere dentibus. Sed hoc conceſſo, mox addit, irritos fore eorum conatus: quanquam frigide videtur noſtris doloribus mederi. Tantum enim Deum ridentem inducit. quod ſi curæ habet ſalutem noſtram, cur non mature ad reſiſtendum feſtinat, ſeque acriter opponit hoſtium noſtrorum furori? Sed hæc juſta patientiæ noſtræ probatio eſt, ut dictum fuit Pſal. 2. v. 4., quod Deus non ſtatim armatus prodit ad impios profligandos, ſed connivet ad tempus, manumque ſuſpendit. Quia autem ſenſus carnis tunc nimis lentum eſſe putat, & ex ceſſatione colligit, otio ſuo contentum negligere res humanas: non parum efficax iſta conſolatio eſt, eum ridentem fide intueri: quia inde ſtatuimus non ſtare in cælo ignavum, vel clauſis oculis mundi gubernationem fortunæ permittere, ſed conſulto ceſſare, quia inanem eorum ſtultitiam deſpicit. ac ne rurſus obmurmuret caro, cur ridere malit Deus quam ulciſci, ratio additur, quia videt propinquum eſſe diem interitus. Unde enim fit ut rerum indignitas nos conturbet, niſi quia ubi ſubitum remedium non apparet, de meliore ſtatu deſperamus? Qui autem videt carnificem exerto gladio ſtare à tergo ſcelerati hominis, jam vindictam non expetit, ſed læto potius ſpectaculo fruitur. Ideo admonet David, minime conſentaneum eſſe ut Deus noſtro more ſuccenſeat, qui impios videt exitio propinquos eſſe. Tacite enim hic Deus ab hominibus diſcernitur, qui inter res turbulentas cæcutiunt, neque præ anxietate & metu poſſunt ridere: quin potius moræ tædio fremunt & indignantur. Atqui non ſatis eſt tenere aliam eſſe Dei rationem, niſi diſcamus patienter flere in Dei riſu, ut lachrymæ noſtræ ſint obedientiæ ſacrificium. Interim rogandus eſt ut nos ſuo lumine illuſtret: quia ſic fiet ut fidei noſtræ aſpectus ejuſdem riſus nos faciat participes in media triſtitia. Quidam alio referunt duos iſtos verſus, acſi diceret David, Pios adeo feliciter agere, ut ipſis invideant mali. Sed facile jam agnoſcent lectores id minime accedere ad Prophetæ mentem.

14. *Gladium educunt impii.*] Nunc longius progreditur David, quod ſcilicet impii gladio & arcu armati, mortem filiis Dei minitentur: idque facit ut tentationes præveniat, quibus alioqui nos dejici neceſſe foret. Neque enim Dei promiſſiones in umbra & quiete locum habent, ſed in graviſſimis pugnis. Ergo nunc docet, pace illa de qua paulo ante diſſeruit, minime privari juſtos, quamvis præſentem illis mortem impii intentent. ac ſic reſolvi debet oratio, Quamvis gladium exerant peccatores, & arcum tendant in perniciem juſtorum, quicquid tamen conantur, exitiale ipſis fore. Notandæ autem ſunt loquutiones quibus exprimitur miſera juſtorum conditio, donec ipſis tandem ſuccurrat Deus. Vocantur enim egeni & pauperes: deinde comparantur victimis, quia nulla ad vim hoſtium repellendam ſuppetit facultas, ſed potius ſub eorum pedibus oppreſſi jacent. Unde ſequitur, minime felicitatem eis in hoc Pſalmo promitti cujus æquabilis tenor ſemper appareat, ſed in miſeriis & afflictionibus ſpem illis læti exitus proponi quo ſe ſuſtineant. Cæterum quia malos quoque ſæpe contingit ſua culpa exoſos eſſe, & duriter vexari, addit, *rectos via*, præter meritum affligi ſignificans. Prius dixerat rectos corde: quo verbo laudata fuit interior cordis integritas: nunc vero probitatem in externis vitæ officiis commendat: atque ita oſtendit non modo injuſte affligi quia nullis maleficiis hoſtes ſuos provocaverint: ſed dum laceſſuntur injuriis, non deflectere tamen à rectitudine. Porro non jam de riſu Dei loquitur David, ſed vindictam impiis denunciat, ſicuti & Pſalmo 2. v. 4. vidimus, poſtquam diſſimulando aliquandiu paſſus eſt Deus impios proteryire, deinde in ira ſua loqui ad eos proſternendos. Summa autem eſt, adeo nihil profecturos, ut gladius quem ſtrinxerant, rediturus ſit in eorum viſcera, & arcus conterendus.

16. Melius pauxillum juſto quam opulentia impiorum magnorum:	16 טוב מעט לצדיק מהמון רשעים רבים :
17. Quia brachia impiorum frangentur, ſuſtentat autem juſtos Jehova.	17 כי זרועות רשעים תשברנה וסומך צדיקים יהוה :
18. Novit Jehova dies integrorum, & hæreditas eorum perpetua erit.	18 יודע יהוה ימי תמימים ונחלתם לעולם תהיה :
19. Non pudefient tempore adverſo, & in diebus famis ſaturabuntur.	19 לא יבשו בעת רעה ובימי רעבון ישבעו :

16. *Melius*

16. *Melius pauxillum juſto.*] Verſus hic ſine ulla probabili cauſa varie exponitur. המון quidem Hebræis nunc magnam hominum turbam, nunc rerum abundantiam ſignificat: interdum etiam epitheton numeri pluralis cum ſubſtantivo ſingularis numeri jungitur. Sed qui in hunc ſenſum trahunt verba Davidis, paucos juſtos impiorum multitudini præſtare, aperte ea depravant, ac totam ſententiam corrumpunt. Non recipio etiam quod docent alii, exiguum quod poſſidet juſtus, melius eſſe magna impiorum affluentia. nulla enim neceſſitas cogit contra grammaticæ rationem nomen רבים, quod multos vel magnos ſignificat, torquere ad nomen המון. Itaque non dubito quin David tenuem unius juſti hominis fortunam cum opibus & copiis multorum impiorum comparet. Quanquam epitheton רבים non inepte ſumetur pro magnatibus, qui auctoritate & potentia valent. Davidis certe conſilium minime obſcurum eſt: quamvis impii excellant in mundo, referti ſint magna abundantia, & ſuis opibus confidant: pauxillum tamen quod poſſidet juſtus pluris eſſe quam omnes illorum acervos. Atque hinc colligimus, Davidem non tam de externo ſtatu diſſerere, quam de arcana benedictione Dei quæ vere juſtos locupletat: quia etſi in diem victitent, è cælo tamen non ſecus ac manna paſcuntur: quum impii ſemper eſuriant, vel in ſua abundantia ſepulti putreſcant. Quo etiam ſpectat quæ proximo verſu additur ratio, quod ſcilicet nulla ſit in mundo ſtabilitas niſi ſuffulta Dei manu. atqui pronunciat ſolos juſtos à Deo fulciri, impiorum vero robur frangendum eſſe. Atque hic iterum videmus ut rite & prudenter æſtimetur vera felicitas, oculos in futurum tempus tollendos eſſe, imo dirigendos ad occultam Dei gratiam, & abſcondita judicia: quia niſi fide perſuaſi ſimus Deum nos in ſinu paterno fovere, ſemper nobis moleſta erit noſtra tenuitas: rurſus niſi occurrat nobis iſta brachiorum fractio, impiorum fortuna nobis in pretio erit. Quod ſi penitus infixa erit cordibus hæc doctrina, ubi didicerint fideles in fulturam benedictionis Dei recumbere, non minus ſuaviter & jucunde pauxillo ſe oblectabunt, quam fortiter altos opum cumulos, quibus gloriantur impii, quaſi ex alto deſpicient. Interea monemur, quamdiu propriis viribus nituntur, & ſuo robore inſolenter ſe jactant impii, expectandum eſſe dum conterat Deus ipſorum brachia. Noſtræ autem infirmitatis hoc optimum eſſe ſolatium, quod nos Deus ipſe ſuſtinet.

18. *Novit Jehova dies integrorum.*] Non abs re toties inculcat David, ideo beatos eſſe juſtos quia eorum neceſſitatibus Deus proſpicit. Videmus quam propenſa ſint ad dubitationem hominum ingenia, & quam eos torqueant ſuperfluæ curæ, quibus finem & modum ponere nequeunt. Interea obrepit alterum vitium, dum volunt ultra quam liceat eſſe providi: & tamen ut acumine & induſtria polleant, ſubinde in capiendis conſiliis labuntur. deinde ſucceſſus eos non raro deſtituit. Quare nihil utilius eſt quam aſſidue nobis proponi Dei providentiam, quæ ſola optime nobis conſulere poteſt. Hac ratione nunc dicit David dies juſtorum Deo eſſe cognitos, hoc eſt eum minime latere quibus ſubjaceant periculis, & quibus ſubſidiis opus habeant. Hujus autem doctrinæ uſus ad ſingulas mutationes aptandus eſt quæ nobis ruinam minantur. utcunque enim verſemur ac jactemur, atque ipſa varietas ſingulis momentis præſentem mortem oſtentet, ſufficere nobis debet hæc conſolatio, non ſolum dies noſtros à Deo numeratos eſſe, ſed varios etiam caſus qui nobis ſubeundi ſunt, ei eſſe cognitos. Quum ſic invigilet Deus ad tuendam noſtram ſalutem, in hac peregrinatione non ſecus animis quieſcere nos convenit, quam in fundo hæreditario. Quoniam enim à Deo reſpicimur, inde colligit David hæreditatem noſtram eſſe perpetuam. Quum autem integros ſic dicit protegi à Domino, nos ad ſincerum probitatis ſtudium hortatur: ac ſi cupimus ſub Dei præſidio tuti latere, manſuetudinem colamus, faceſſatque à nobis diabolicum illud proverbium, Inter lupos ululandum eſſe.

19. *Non pudefient tempore adverſo.*] Docet etiam hic verſus non promitti immunitatem fidelibus qualem experteret caro, ab omnibus incommodis, ſed liberationem: quæ etſi re ipſa percipitur, non tamen guſtatur niſi fide. Nam duo hæc conjungere oportet, ſicuti malis in hoc mundo permiſti ſunt fideles, ita famem & res adverſas utriſque eſſe communes: unum eſſe diſcrimen, quod Deus ſuis in neceſſitate manum porrigens, impios deſerit. Siquis objiciat, malos ſæpe tempore famis laute epulari, & largiter ſaginari, quum boni inedia laborent: reſpondeo, ſaturitatem cujus hic fit mentio, præcipue in eo ſitam eſſe, quod quum tenuiter victitent fideles, imo jejuni & ſteriles ad parcum victum ſuſpirent, Deus tamen ipſos alit non ſecus acſi ſuppeteret longe uberior copia, quam incredulis qui totum mundum ſine ſatietate ingurgitant. Adde etiam, temporales iſtas benedictiones (ut alibi diximus) non ſemper eſſe conſpicuas, ut æquali modo fluant. Nam quamvis aperta ſit Dei manus, ipſi ſumus reſtricti, & noſtra infidelitas non leve obſtaculum eſt ejus beneficentiæ. Jam quia ſtatim difflueret caro noſtra, reſtrictius nobiſcum agit Deus: & ne ſua indulgentia nos corrumpat, parce erogando quod alioqui plena copia largiri paratus eſſet, ad frugalitatem nos erudit. Certe quiſquis expendet quam ſimus omnes ad laſciviam & delicias propenſi, eſuriem qua Deus exercet ſuos fideles, non mirabitur. Cæterum quamvis non ſuppeditet Deus quantum ſatis eſſet ad nos ſaturandos, niſi tamen nobis obſtet noſtra ingratitudo, in fame etiam & egeſtate ſentiemus benigne & liberaliter ab ipſo nos ali.

20. Quia impii peribunt, & inimici Jehovæ quaſi pretioſum agnorum conſumentur, in fumo conſumentur.

21. Mutuatur impius, & non ſolvit: juſtus autem miſeretur & donat.

22. Quia benedicti ejus hæreditate poſſidebunt terram, & maledicti ejus excidentur.

20 כִּי רְשָׁעִים יֹאבֵדוּ וְאֹיְבֵי יְהוָה
כִּיקַר כָּרִים כָּלוּ בֶעָשָׁן כָּלוּ׃
21 לֹוֶה רָשָׁע וְלֹא יְשַׁלֵּם וְצַדִּיק
חוֹנֵן וְנוֹתֵן׃
22 כִּי מְבֹרָכָיו יִירְשׁוּ אָרֶץ
וּמְקֻלָּלָיו יִכָּרֵתוּ׃

20. *Quia impii peribunt.*] Particulam cauſalem כי adverſative poſitam interpretor: niſi forte altius ſententiam repetere placeat. Sed aptius cohærent iſta antitheta, quod juſti ſatientur in fame, impii autem etiam in media abundantia pereant: quia ſcilicet ubi ſua copia confidunt, Deus occultis modis eos in nihilum redigit. Dei autem inimicos vocans, admonet ejus vindicta juſte opprimi, quam ſuis ſceleribus ſibi accerſunt. Quod dicit *conſumi tanquam pretioſum agnorum*, quidam de adipe accipiunt. Sed quum יקר præſtantiam (ut alibi diximus) Hebræis ſignificet, non dubito agnos ſelectiores, & eximiæ pinguedinis notari: quod optime ad antitheſin quadrat. Hinc enim diſcimus (quod etiam docet alter Propheta) ſaginari impios in diem mactationis, ut eorum interitus maturior ſit, quo lautius fuerint tractati. *Conſumi in fumo* tantundem valet ac brevi evaneſcere, acſi dictum eſſet, nihil

ſubeſſe

ſubeſſe in illis firmi vel ſolidi. Qui per nomen Pretii adipem intelligunt, ad fumum conſumi interpretantur ſicuti pinguedo liqueſit, vel areſcit. Sed vident lectores priorem ſenſum melius congruere.

21. *Mutuatur impius.*] Falluntur qui putant hic malæ fidei damnari impios, quod fraudando alienum rapiant: rurſus laudari in filiis Dei humanitatem, quod parati ſint ad levandam fratrum inopiam. Potius enim Dei benedictionem erga pios commendat Propheta, & ex oppoſito teſtatur, impiis nunquam ſatis eſſe. Summa igitur eſt, Deum abunde largiri ſuis unde ſint erga alios benefici: impios autem ſemper eſſe famelicos, ut eos ad fraudes & rapinas cogat inopia. Et certe niſi oculis noſtris objectum eſſet ſtuporis & ſocordiæ velum, quotidie apparent hujus rei documenta. Nam quantumvis abundent impii, facit tamen inexplebilis eorum cupiditas ut hinc inde quaſi prædones rapiant, neque unquam ſint ſolvendo. interea ſuppeditat Deus filiis ſuis quod non modo ſufficiat in mediocres uſus, ſed unde etiam alios juvent. Equidem non nego reprehendi impios quod intemperanter omnia vorando, ſuos creditores fraudent: laudari etiam juſtos, quod in rectum finem utantur Dei beneficentia: ſed conſilium Prophetæ eſt docere quid valeat Dei benedictio. Atque hanc ſententiam melius confirmat proximus verſus, ubi diſcrimen ſtatuitur in Dei benedictione vel maledictione. Ergo ſi quæritur unde filiis Dei ad inopes juvandos, & exercendam beneficentiam facultas: cur impii æs alienum aſſidue contrahant, cujus ſolutio extorqueri nunquam poteſt: reſpondet David illos eſſe benedictos à Domino, hos autem ejus maledictione peſſundari. Quod active quidam מבורכיו exponunt benedicentes juſto, coactum & abſurdum eſt. Summa enim eſt, neque à cælo neque à terra nobis provenire quicquid ad tuendam vitam, & colenda humanitatis officia neceſſarium eſt, ſed profluere à ſolo Dei favore: ſi autem gratiam ſuam ſubducat, totius mundi affluentiam non poſſe nobis ſufficere.

23. A Jehova greſſus viri diriguntur, & viam ejus diliget.	23 מֵיְהוָה מִצְעֲדֵי גֶבֶר כּוֹנָנוּ וְדַרְכּוֹ יֶחְפָּץ׃
24. Quum ceciderit, non collidetur: quia Jehova ſupponit manum ſuam.	24 כִּי יִפֹּל לֹא יוּטָל כִּי יְהוָה סוֹמֵךְ יָדוֹ׃
25. Puer fui, etiam ſenui, nec vidi juſtum derelictum, ac ſemen ejus quærens panem.	25 נַעַר הָיִיתִי גַּם זָקַנְתִּי וְלֹא רָאִיתִי צַדִּיק נֶעֱזָב וְזַרְעוֹ מְבַקֶּשׁ לָחֶם׃
26. Quotidie miſeretur, & dat mutuo, & ſemen ejus ad benedictionem.	26 כָּל הַיּוֹם חוֹנֵן וּמַלְוֶה וְזַרְעוֹ לִבְרָכָה׃

23. *A Jehova greſſus.*] Quidam ſimul hæc duo connectunt, Dei gratia præparari greſſus piorum, quod ſcilicet non propria virtute ſequantur homines quod juſtum eſt ac rectum, ſed quatenus Spiritus Domini eos gubernat: unde ſecundum colligunt, Deum favore proſequi & probare quod ſuum eſt. Sed David ſimpliciter divinæ erga pios benedictionis elogia continuat, in quibus hoc merito celebrandum eſt, quicquid inſtituunt, in felicem & optabilem ſucceſſum dirigi. Sed notanda ſimul ratio eſt cur Deus ſecundet ac bene fortunet omnes eventus in curſu vitæ noſtræ: nempe quia nihil tentamus quod non ei placeat. Nam copulam, particulæ cauſalis loco in ſecundo membro poſitam eſſe interpretor, atque ita ſententiam reſolvo, Quoniam Deo grata eſt piorum via, greſſus ipſorum ad lætum finem adducit: ut ſenſus ſit, Quia videt Deus fideles recta conſcientia agere, neque deflectere à via quam præſcripſit, ideo benedicit ipſorum ſtudia. Et certe quum generaliter loquatur Propheta, certum tamen ſit de ſolis fidelibus haberi ſermonem: poſterius membrum expoſitive accipere neceſſe eſt: ita *via* pro inſtituto & ratione vivendi ponitur: acſi diceret, nihil aliud eſſe propoſitum piis, niſi ut ad Dei vocationem vitam ſuam forment, ac ſequantur quod ille mandat. Greſſus autem ad externos eventus refero.

24. *Quum ceciderit.*] Vulgo hic verſus obtinuit locum proverbii, ſiquando juſtus delinquat, lapſus ejus non eſſe mortiferos. ſed nihil hoc ad Davidis mentem, qui de piorum felicitate concionatur. Simplex ergo doctrina eſt, ubi Deus ſervos ſuos calamitatibus affligit, eas ſimul mitigare, ut non prorſus ſuccumbant, ſicut Paulus dicit, dejici quidem ipſos, ſed non perire: laborare, ſed non deſtitui. *2 Cor. 4. verſ. 9.* Quidam non collidi juſtos dicunt, quia non deſpondent animum, ſed potius invicta fortitudine ſuſtinent quicquid oneris incumbit. Et certe fateor hanc eſſe cauſam cur non obruantur, quia propter mollitiem non ſuccumbant oneribus. Latius tamen extendo verba, ſic paterna Dei clementia temperari piorum ærumnas, ut ſub mole non fatiſcant, vel cadendo non ruant præcipites. Ex quibus verbis diſcimus, fideles quamvis Deum pure colant, & innocentiæ ſtudeant, non tamen ſtabiles ſemper manere in eodem gradu, ſed multis incommodis quatefieri & dejici: tantum hoc inter eos & incredulos eſſe diſcrimen, quod ruinæ lethales non ſunt. Scimus enim, etiamſi leviter percutiat Deus reprobos, cedere illis in cauſam ultimi exitii. Ulterius progreditur Solomo dicens, Juſtum ſepties uno die cadere, *Prov. 24.* & toties ſurgere. quibus verbis admonet, non raro *verſ. 16.* affligi pios in vita, ſed quotidianis exercitiis probari, neque tamen unquam deſeri à Domino. Breviter etiam notandum eſt, leviſſimum quemque caſum ad nos conterendos ſatis fore, niſi Dominus manum ſupponeret.

25. *Puer fui, etiam ſenui.*] Senſus verborum minime ambiguus eſt, Davidem quum ad ſenium uſque progreſſus eſſet, non vidiſſe quenquam ex juſtis vel ex eorum poſteris mendicare panem. ſed ex re ipſa difficilis & perplexa quæſtio naſcitur: quia certum eſt multos juſtos ad mendicitatem redactos eſſe. Quod autem de ſua experientia prædicat David, ad omnes ætates pertinet. Adde quod ex Moſe ſententiam hanc hauſit. nam mendicitas Deuter. 15. verſ. 4. inter Dei maledictiones cenſetur: & ab ea Dei cultores Lex illic diſerte eximit. Quomodo igitur conveniet, neminem ex juſtis mendicum fuiſſe, quum Lazarum inter abjectiſſimos mendicos ſtatuat Chriſtus? Reſpondeo, memoria *Luc. 16.* tenendum eſſe quod prius attigi, in temporalibus *verſ. 20.* Dei beneficiis non poſſe præfigi certum & æquabilem modum. Sunt enim multiplices cauſæ cur non peræque ſuum erga omnes pios favorem declaret Deus in mundo, quia alios caſtigat dum aliis parcit: quorundam occultos curat morbos, ab aliis abſtinet, quia opus non habent ſimili remedio: quorundam patientiam examinat prout Spiritu fortitudinis inſtruxit: quoſdam denique proponit in exemplum. Promiſcue autem omnes iræ ſuæ ſignis humiliat, ut talibus ſtimulis excitentur ad pœnitentiam. Denique variis afflictionibus ad cæleſtis vitæ meditationem eos invitat: neque tamen irritum eſt vel inane quod

quod Lex pronunciat, terrenis benedictionibus Deum ſervos ſuos dignari, ut documenta ſint ſui erga eos favoris. Fateor inquam non fruſtra neque de nihilo promitti fidelibus copiam quæ ad victum ſufficiat: modo addatur exceptio, quatenus ſcilicet expedire Deus noverit. ſic enim fiet ut refulgeat in communi hominum vita, Dei benedictio: & tamen inopia quidam fideles laborent, quia ipſis utile eſt. Quod ſi ad mendicitatem redigi contingat quempiam ex fidelibus, ſurſum tollendæ ſunt mentes ad beatam illam hæreditatem, ubi large rependet Deus quicquid fluxis ſuis benedictionibus nunc deeſt. Tenendum etiam alterum illud, ſi fideles communiter iiſdem pœnis involvat, quibus impios ulciſcitur, quum iiſdem videat morbis implicitos, in eo nihil eſſe abſurdi. Nam etſi uſque ad Dei contemptum non proſiliunt, neque addicti ſunt ſceleribus, neque etiam ſibi placent, vel defixi ſunt in ſuis vitiis: non tamen ſoluti ſunt omni reatu. Quare non mirum eſt ſi temporalibus pœnis interdum ſubjaceant. Hoc interea verum eſt, Deum ſuis proſpicere, ut ſorte ſua contenti, nulla re egeant, quia parce victitando, liberaliter interim vivunt: ſicuti dicit Paulus, Didici abundare, didici & penuriam pati. *Philip. 4. verſ. 12.*

26. *Quotidie miſeretur.*] Repetit quod jam ſemel dixerat, Dei gratiam inexhauſtum eſſe bonorum omnium fontem, ideoque dum ſe exerit erga fideles, non modo ipſis ſuppetere quod ſatis ſit in privatum uſum, ſed unde aliis largiantur. Quod addit de eorum *ſemine*, varie exponitur. quin de piorum filiis loquatur minime dubium eſt, idque colligitur ex verſu proximo: ſed quod illos *ad benedictionem* fore dicit, quidam ſic accipiunt, acſi dixiſſet, fore beneficentiæ Dei miniſtros: ita ſecundum eos ſenſus eſſet, patrum imitatores fore in juvandis pauperibus, & liberalitate erga omnes exercenda. ſed vereor ne hoc nimis ſit argutum. Non recipio etiam quod docent alii, tam inſignem fore erga filios piorum Dei gratiam, ut in formulam bonæ & fauſtæ precationis trahantur. Fateor hanc loquendi formam pluribus locis ita accipi: ſed hic (meo judicio) nihil aliud voluit David quam celebrare continuam favoris Dei à patribus in filios ſeriem: acſi diceret, non extingui Dei benedictionem ubi juſtus quiſpiam moritur, ſed pervenire uſque ad ejus filios. Et certe nulla eſt certior hæreditas in quam nobis ſuccedant filii, quam ubi illos nobiſcum Deus paterno ſuo favore complexus, benedictionis ſuæ conſortes facit.

27. Recede à malo, & fac bonum: & inhabita in ſeculum.	27 סור מרע ועשה טוב ושכן ל לעולם:
28. Quia Jehova amat judicium, & non derelinquit manſuetos ſuos, in ſeculum cuſtodientur: & ſemen impiorum excidetur.	28 כי יהוה אהב משפט ולא יעזב את חסידיו לעולם נשמרו וזרע ר רשעים נכרת:
29. Juſti hæreditate poſſidebunt terram, & habitabunt in ſeculum ſuper eam.	29 צדיקים יירשו ארץ וישכנו לעד עליה:

27. *Recede à malo.*] Concludit hoc verſu David, ut fruamur hac felicitate cujus meminit, abſtinendum eſſe ab omni injuria, colenda eſſe officia humanitatis, & beneficentiæ dandam operam. Quanquam autem ſententia hæc minime congruit cum ſenſu carnis, certum tamen eſt, totum genus humanum non aliam ob cauſam tot incommodis ac moleſtiis involvi, niſi quia pro ſe quiſque injuriis, fraudibus, rapinis & maleficiis deditus, Dei benedictionem reſpuit. Se ergo ipſos homines impediunt, quo minus agant feliciter in mundo, & quiſque lætus ac tranquillus quod ſuum eſt, poſſideat. Non temere igitur David à ſuperiore doctrina ad hanc exhortationem delabitur: quia ſi manſueti terram poſſident, ut quiſque ſibi bene eſſe optat, ſic etiam debet ad probitatem & beneficentiam eniti. Notandum etiam eſt, hæc duo non ſine ratione ab eo conjungi, ut beneficentiæ ſtudeant fideles, & ab omni maleficio ſibi temperent. Nam ut Pſalmo 34. viſum fuit, continget ſæpe aliquem non modo humaniter ſe gerere erga certos homines, ſed plena etiam manu de ſuo largiri, ſed interim aliunde rapere ac prædari unde ſuam liberalitatem oſtentet. Ergo quiſquis officia ſua cupit Deo probari, ſic bene mereri ſtudeat de fratribus qui ope ejus egebunt, ne uni ſuccurrat cum alterius jactura, vel hunc illius mœſtitia exhilaret. Atque his duobus verbis breviter ſecundam Legis tabulam complexus eſt David: primum ut manus ſuas ab omni noxa puras contineant fideles, ac nemini præbeant querimoniæ materiam: deinde ne ſibi vivant, ac privatis commodis ſint addicti, ſed quoad ſuppetet facultas, in commune prodeſſe cupiant. Diximus autem antehac hanc Dei benedictionem quæ *juſtis* promittitur, non ſemper æquali modo perſpici, ut *terram inhabitent*: ac cauſam attulimus, quia vix ullum tantæ integritatis exemplum reperiat Deus inter homines, quin ſua culpa miſerias ſibi procreent qui ſunt inter alios perfectiſſimi: ideo nihil mirum ſi Dominus ſuam benedictionem ſubducat, ſaltem aliqua ex parte: deinde ſcimus ut luxurient affectus carnis, niſi Dominus frenum injiciat. Adde quod ad meditationem cæleſtis vitæ nemo ſatis alacriter properat, niſi variis ſtimulis urgeatur. Hinc fit ut poſſeſſio terræ, quam David aſſignat filiis Dei, non ſemper ſit pedum poſitio, quia multæ inquietudines eos perturbant. Neque tamen fictitium eſt quod promittit: quamvis enim experientia communis nondum liquido demonſtret filios Dei hæredes eſſe terræ, ſentimus tamen pro menſura noſtræ fidei quid valeat Dei benedictio, quæ aſſidue inſtar fontis inexhauſti ſcaturit. Certe pluſquam cæci ſunt qui non vident præmium hoc jam rependi juſtis hominibus, quod Deus eos ſuo præſidio tuetur ac ſuſtinet.

28. *Quia Jehova amat.*] Notanda eſt hæc confirmatio proximæ ſententiæ, quia ſumitur ex altiore principio, nempe, Deo placere juſtitiam & rectitudinem. Quod videtur quidem eſſe mutilum, ſed quia pro confeſſo ſumit David, quod piorum omnium cordibus infixum eſſe debet, mundum regi Dei providentia, optime ratiocinatur. Primo itaque tenendum eſt, Deo curæ eſſe ſtatum generis humani, nec agitari fortuito, ſed conſilio ejus dirigi, ut rerum omnium eventus ſuo arbitrio moderetur, manuque gubernet. Addendum ſecundo quod hic commemorat David, placere Deo juſtitiam. Inde ſequitur, quiſquis juſte & innoxie verſatus fuerit inter homines, beatum fore, quia Deo propitio, tandem illis bene ſuccedere neceſſe eſt. Sed meminerimus, promiſſionem de qua agitur, inde pendere, quod Deus piorum cuſtodiam ſuſcepit, non ut eos ſemper foveat in umbra & otio, ſed ubi cruce exercuerit tandem illis ſuccurrat. Magnum enim his verbis pondus ſubeſt, quod *non relinquet Deus manſuetos ſuos.* Perperam ergo interpretantur hunc Pſalmum, qui Dei gratiam, qua ſuos fideles in hac vita proſequitur, à ſpe & patientia avellunt. imo ne judicium repente quis præcipitet, pias mentes ſuſpendit Propheta,

pheta, donec judicium ſuum poſt mortem impiorum erga eorum poſteros demonſtret. Perinde enim hoc valet acſi iterum aſſereret, quamvis non ſtatim appareat Dei judicium, impios & ſceleratos nihilo meliore eſſe loco, quia juſta eos pœna in filiis ſuis manet. Quod ſi erga illos Dei maledictio non ſtatim vim ſuam exerit, mirum non eſt ſi favorem ſuum erga fideles occultum contineat.

29. *Juſti hæreditate poſſidebunt.*] Non eſt ſupervacua hujus doctrinæ repetitio, quam animis noſtris inſculpere admodum difficile eſt. Nam quum omnes felicitatem expetant, vix tamen centeſimus quiſque eam à Deo expectat: quin potius ut bene ſibi conſulant, quaſi data opera certatim provocant Dei vindictam, dum alii fraudibus & perjuriis ſe contaminant, alii feruntur ad rapinas, alii genus omne ſævitiæ exercent, alii cædibus quoque & veneficiis graſſantur. Quomodo autem perpetua habitatio intelligi debeat, nuper & jam ante aliquoties admonui, nempe quia inter motus turbulentos Deus tamen eos ſuis alis protegit: & quum nihil ſit ſub luna ſtabile, quaſi in tuto portu ſalvos præſtat. Huc deinde accedit interior tranquillitas, quæ centum vitis præcellit: atque ita merito pro incomparabili privilegio cenſetur.

30. Os juſti loquetur ſapientiam, & lingua ejus proferet judicium.	30 פִּי צַדִּיק יֶהְגֶּה חָכְמָה וּלְשׁוֹנוֹ תְּדַבֵּר מִשְׁפָּט׃
31. Lex Dei ſui in corde ejus: non nutabunt greſſus ejus.	31 תּוֹרַת אֱלֹהָיו בְּלִבּוֹ לֹא תִמְעַד אֲשֻׁרָיו׃
32. Obſervat impius juſtum, & quærit interficere ipſum.	32 צוֹפֶה רָשָׁע לַצַּדִּיק וּמְבַקֵּשׁ לַהֲמִיתוֹ׃
33. Jehova non relinquet ipſum in manu illius, nec damnabit eum quum judicabitur.	33 יְהוָה לֹא יַעַזְבֶנּוּ בְיָדוֹ וְלֹא יַרְשִׁיעֶנּוּ בְּהִשָּׁפְטוֹ׃

30. *Os juſti loquetur ſapientiam.*] Quia hypocritis ſolenne eſt, quicquid de juſtis & rectis prædicat Spiritus Dei, ſecure ad ſuum commodum obtendere, definit David quam à filiis ſuis Deus exigit juſtitiam, ac eam in tria capita diſtinguit, quod ſermo eorum ſincerus ſit, quod *Lex Dei* in eorum animis dominetur, quod vitam recte inſtituant. Primum membrum quidam aliter exponunt, quod ſcilicet juſti aliis ad bene vivendum duces ſint ac magiſtri: itaque diſſerere de ſapientia, & de judicio loqui, tantundem illis valet ac pia doctrina formare alios & inſtituere in timore Dei. Quod tametſi non improbo, vereor tamen ne ſit nimis reſtrictum. Sapientia enim & rectitudo tam profanis ſermonibus & impuris, quibus Dei nomen impii delere conantur, quam verſutiis & fraudibus, omneque genus inſidiis, ſimulque minis ac terroribus opponitur. Senſus ergo eſt, juſtos honorifice & reverenter Dei juſtitiam extollere, ut ſe & alios in tota pietate erudiant: deinde tam in ſuis quam in aliorum negotiis, quod rectum eſt, ſine fuco probare, nec ſophiſtice colorem inducere malis cauſis: denique nunquam à vero deflectere. Additur *cordis* integritas: quæ etſi ordine præcedit, non tamen abſurdum eſt ſecundo loco eam poni: quia Scriptura in virtutibus aut vitiis recitandis non tam curioſe ordinem obſervat. Hinc porro iſta cordis integritas, ſi Lex Dei cordi inſideat, quæ ſola & optimam vitæ regulam præſcribit, & frenat pravos omnes affectus & libidines, & animos ad juſtitiæ ſtudium format. Neque enim fieri poteſt ut quis conſtanter ſe addicat rectitudini, poſthabito ſui reſpectu, fratribus ſe impendat, renunciet avaritiæ, ſuperbiam domet, & cum proprio ingenio bellum gerat, niſi timore Dei ſit præditus. Sequitur tertium membrum, quod ad externa officia refertur. Putant alii promiſſionem eſſe. Sed non dubito quin David juſtitiæ definitionem hucuſque continuet. Senſus igitur eſt, quamvis multæ peccandi occaſiones filios Dei ſollicitent, ac magna etiam hominum pars quantum in ſe eſt, pravitate ſua eos à Dei timore abducat: quia tamen Lex Dei occupat & regit eorum corda, non vacillare, ſed fixo gradu ſtare in propoſito, vel certe rectum curſum tenere.

32. *Obſervat impius.*] Clarius modum exprimit poſſidendæ terræ, quod ſcilicet Deus fideles ſuos undique hoſtibus obſeſſos tueatur. Unde iterum colligimus, antehac non fuiſſe illis promiſſum quietum ſtatum, & ab omni moleſtia immunem: neque enim congruerent hæc inter ſe, fideles in pacata hæreditate vacare otio ac deliciis, & tamen quaſi oves è faucibus luporum quotidie eripi. Interea continent hi duo verſus raram conſolationem, quod inter varias noxas, ſalvi tamen Dei auxilio evadent. Præmonet ergo David fideles, ubi hoſtes ſuos in excubiis ſedere viderint, & captare omnes nocendi rationes, ſpeculandam ex oppoſito eſſe quam pro ſuorum ſalute curam Deus gerit, & quas agit excubias, ut eos ſervet incolumes. Fatetur quidem David formidoloſas per ſe eſſe inſidias quibus impii non modo fortunas bonorum appetunt, ſed vitam, quia crudeliter in eorum exitium conſpirant: jubet tamen nos infractis animis ſtare: quia Deus ſe vindicem fore promiſit. Et notanda eſt circumſtantia liberationis, quod eam ſcilicet euſque differat dum jam mors imminet. Proximo membro monemur etiam, quamvis ſedulo boni ſibi ab omni invidia caveant, conentur de omnibus bene mereri, fugiant omnes offenſas & jurgia, fore tamen falſis accuſationibus expoſitos. Neque enim pronunciat David, plaudente toto mundo, eorum virtutes celebratum iri juſtis laudibus: ſed ubi in judicium tracti fuerint, & calumniis fere oppreſſi, ut damnatis ſint ſimiles, contentos eſſe jubet Dei præſidio, qui tandem ab iniquis hominum judiciis aſſeret eorum innocentiam. Siquis objiciat multos ex filiis Dei poſtquam damnati fuerant, ſæva & acerba morte fuiſſe multatos: reſpondeo, eorum tamen vindicem in cælis ſedere. Nam quamvis ad crudeliſſimam mortem cum ſumma ignominia raptus fuerit Chriſtus, ab illa tamen damnationis anguſtia ſublatus eſt (ut dicit Jeſaias) & ſic Deus agit quotidie cum ejus *Jeſa. 53.*
membris. Siquis rurſum excipiat, Davidem hic *verſ. 8.*
non de futura vita, ſed de præſenti piorum ſtatu concionari, repetenda eſt quam prius attuli, ſolutio, terrenas ſcilicet Dei benedictiones reſtringi ad ejus conſilium: atque ita quatenus expedire novit, nunc ſupprimi vel in totum, vel ex parte; nunc conſpicuas extare, non autem fluere æquabili modo. Continget ergo ſanctos martyres ubi damnati fuerint, morti etiam addici quaſi à Deo relictos: quia ne ipſis quidem quicquam melius vel magis optabile eſt, quam ut Dei gloriam morte ſua illuſtrent. Neque tamen ipſe idem qui impiis ad exercendam ſævitiam frenum laxat, aſſertor eſſe deſinit juſtitiæ ſuorum, quia coram Angelis & tota Eccleſia ſibi probari

bari

bari demonſtrat, & ſe cognitorem fore oſtendit: imo è tenebris in quibus demerſi ſunt, eos attollens, facit ut eorum cineres ſuaviſſimum odorem ſpirent. Denique ubi paſſus fuerit Dominus indignis probris ipſos obrui, feret ipſe ſententiam, qua juſtam eorum cauſam ab injuſtis calumniis aſſerat.

* vel, ad Jehovam.

34. Expecta * Jehovam, & cuſtodi viam ejus: & exaltabit te, ut hæreditate poſſideas terram: dum excidentur impii, videbis.

† vel, terrificum.

35. Vidi impium † robuſtum, & ſe extendentem inſtar lauri viridis:

36. Et tranſivit, & ecce non erat: & quæſivi locum ejus, neque inventus eſt.

ו 34 קוה אל יהוה ושמור דרכו
ר וירוממך לרשת ארץ בהכרת
רשעים תראה:
כ 35 ראיתי רשע עריץ ומתערה
כאזרח רענן:
36 ויעבר והנה איננו ואבקשהו
ולא נמצא:

34. *Expecta Jehovam.*] Iterum ad exhortationem redit David, ut fideles freti Dei promiſſionibus ac ſuffulti, nullis tentationibus ſe huc illuc per vias obliquas & perverſas trahendos permittant, ſed maneant conſtantes in obſequio Dei. Primum itaque ad ſpem & patientiam eos hortatur, acſi juberet in rebus confuſis intentos eſſe ad Deum, & quieſcere donec faciem ſuam quam abſcondit, denuo oſtendat. Hinc naſcitur illud alterum, ne deflectant à via Domini: ubicunque enim vigebunt ſpes & patientia, facile mentes frenabunt ne ad quicquam illicitum proſiliant. Et certe quod quiſque malis artibus ſua commoda procurat, hanc reperiemus eſſe cauſam, quia nemo in Deum recumbit: vel ubi mox fortuna non arridet, fruſtra integritatem coli putat. Porrò diſcamus ex hoc loco, ſi multi etiam ex probis & ſimplicibus vitam miſere in continuis laboribus trahunt, pœnam hanc merito luere, quod vix centeſimus quiſque Deum patienter expectat, rectumque curſum proſequitur: tantum abeſt ut certo ſtatuant proprium illius eſſe munus, non modo ex ſtercore ſuos erigere, ſed eruere etiam ex ſepulchris. Nec verò David *Exaltandi* verbo abs re uſus eſt, ut ſciamus tunc demum fidelibus ſæpe à Deo manum porrigi, ubi calamitatum mole obrui videntur. Subjicit poſtea David perituros *impios* coram oculis piorum: quia niſi diverſus eſſet exitus, optimos quoſque facile ad peccandum alliceret conditio in qua ad tempus reprobi lætantur. Et ſane ejuſmodi ſpectaculis nos quotidie Deus oblectaret ſi ad cernenda ejus judicia oculati eſſemus. Et tamen quamvis totus mundus cæcutiat, non deſinit Deus ſceleribus hominum juſtam mercedem rependere, niſi quod occultioribus modis illa puniens, fructum hunc quo nos privat ſtupor noſter, à nobis ſubducit.

35. *Vidi impium.*] Propria experientia confirmat quod nuper dixi, quamvis impios inebriet ſua felicitas, & admirationi ſit apud omnes, caducam tamen eſſe & evanidam, ideoque nihil aliud quam merum figmentum. Ac priore quidem verſu hoc non eſſe novum vel inſolens dicit, ſi impius proſpera fortuna clarus, ſe longe lateque extendat, & terrorem etiam incutiat ſimplicibus. Poſtea addit, momento evaneſcere illam magnitudinem quæ non ſine admiratione ſpectata fuit. Quod ad verba pertinet, עריץ tam fortis vel robuſtus, quam formidabilis exponi poteſt, quia verbum à quo deducitur, nunc terrere, nunc roborare ſignificat. Participium מתערה quidam accipiunt pro viridi: ſed potius tantundem valet ac ſe diſcooperiens vel extendens, ſicut arbores proceræ & patulæ ramos diffundunt. Nec vero dubito quin ferociam eorum perſtringat David, qui ſe intemperanter efferunt. *Tranſire* ſecundo verſu poſitum eſt pro evaneſcere. atque ita admonet, paulisper ſedendum eſſe, dum ex tranſitu appareat, nebulam duntaxat fuiſſe quicquid mundus in fortuna impiorum miratur.

37. Obſerva integrum *hominem*, & conſidera rectum: quia finis hujus hominis, pax.

38. Tranſgreſſores autem delebuntur ſimul, finis impiorum excidetur.

39. Salus vero juſtorum à Jehova, fortitudo eorum in tempore afflictionis.

40. Et auxiliabitur illis Jehova, & eruet eos, eruet eos ab impiis: ſervabit eos, quia ſperant in eo.

37 שמר תם וראה ישר כי אחרית
לאיש שלום:
38 ופשעים נשמדו יחדו אחרית
רשעים נכרתה:
39 ותשועת צדיקים מיהוה מעוזם
בעת צרה:
40 ויעזרם יהוה ויפלטם יפלטם
מרשעים ויושיעם כי חסו בו:

37. *Obſerva integrum.*] Hortatur David fideles, ut attentius quæcunque occurrunt tam gratiæ Dei quam judicii exempla conſiderent. ſed ſimul docet, perperam fieri judicium ex proximo intuitu: quia niſi ſedatis mentibus expectetur opportunitas quæ in Dei arbitrio poſita eſt, ſæpe extincta fide, ſimul affectus promiſſionum Dei peribit. Hæc ratio eſt cur requirat cuſtodiam, & aſpicere jubeat, quia dum ſenſus noſtros occupat quæ ſemel oblata eſt oculis tentatio, nobis feſtinatio, hallucinandi cauſa eſt. Quod ſi quis velut è ſpecula oculos ſuos procul extendat, vere, hoc dictum fuiſſe agnoſcet, ſine tandem diſcerni reprobos à juſtis. Atque hæc ſententia correctionis loco addita videtur, ut diſcamus judicium ſuſpendere, ſi non ſtatim exequitur Deus quod hactenus docuit: & ſi vota noſtra nimis ebulliunt, ſtatim occurrat hæc moderatio, nondum veniſſe finem, dandumque Deo eſſe tempus quo res confuſas in ordinem reſtituat. Quidam nomen אחרית de poſteris accipiunt: ſed male, quia tantum in exitu diſcrimen ponit David: quia Deus poſtquam ſervos ſuos duriter exercuit, rebus eorum adverſis benedicens, impiorum lætitiam in luctum convertit.

39. *Salus juſtorum à Jehova.*] Summa eſt, quicquid accidat, juſtos tamen ſalvos fore, quia in manu Dei ſunt, & nunquam poteſt eorum obliviſci. quod diligenter notandum eſt, ut afflictiſſimos hæc fiducia ſuſtentet, quam à Deo ſperant ſalutem, certam eſſe: quia æternus eſt Deus, ſuoque imperio mundum gubernat: ſicut dicebat Chriſtus, Pater qui vos dedit mihi, major omnibus eſt. Retinet autem David principium illud, Quia Deo probatur juſtitia, fieri non poſſe ut ſinceros ejus cultores deſerat fraudetque ſuo auxilio. Itaque fideles in ipſum recumbere jubet, non ſolum dum ex voto res procedunt, ſed ubi premunt afflictiones. Quibus verbis docet, ſufficere ſi modo virtutem ſuppeditat ſervis ſuis Deus, ne anguſtiis conſtricti deficiant, vel ſub

Joan. 10. verſ. 29.

gra-

graviбus miſeriis gementes, oneri ſuccumbant. Huc pertinet etiam quod bis *Eruendi* verbum inculcat David, ut ſe ad tentationes ferendas aſſuefaciant filii Dei: & ſi longius eos Deus extrahat, ſubinde in memoriam revocent, ubi ſatis expertus fuerit eorum patientiam, demum liberatorem fore.

ARGUMENTUM PSALMI XXXVIII.

David morbo aliquo (ut conjicere licet) gravi & acerbo laborans, quia ſe à Domino caſtigari agnoſcit, ejus iram deprecatur. Quo autem Deum ad miſericordiam melius flectat, multis circumſtantiis, mali ſui atrocitatem deplorat, quas ſatius erit ſuo loco & ordine ſingulas notare.

PSALM. XXXVIII.

CAnticum Davidis ad reminiſcendum.

2. Jehova, ne in furore tuo arguas me, & in ira tua corripias me.

3. Quia ſagittæ tuæ deſcenderunt in me, deſcendit ſuper me manus tua.

4. Non eſt integritas in carne mea à facie iræ tuæ, neque pax oſſibus meis à facie peccati mei.

5. Quia iniquitates meæ tranſcenderunt caput meum, ſicut onus grave aggravatæ ſunt præ me.

6. Putruerunt, contabuerunt livores mei à facie ſtultitiæ meæ.

1 מזמור לדוד להזכיר׃
2 יהוה אל בקצפך תוכיחני
ובחמתך תיסרני׃
3 כי חציך נחתו בי ותנחת עלי
ידך׃
4 אין מתום בבשרי מפני זעמך
אין שלום בעצמי מפני חטאתי׃
5 כי עונתי עברו ראשי כמשא
כבד יכבדו ממני׃
6 הבאישו נמקו חבורתי מפני
אולתי׃

INſcriptio ad argumentum refertur. Nam quod initium vulgaris cantici quidam fuiſſe putant, ſicuti in aliis Pſalmis adſcribi ſolet cantilenæ exordium unde petenda erat modulatio: frigidum eſt. Potius ergo David ne ſtatim efflueret caſtigatio qua defunctus erat, memoriale hoc tam ſibi quam aliis compoſuit. ſciebat enim quam facile & cito nobis evaneſcant pœnæ divinitus inflictæ, quibus in totam vitam nos erudiri decebat: deinde memor erat ſuæ vocationis. Nam quum toti Eccleſiæ præfectus eſſet magiſter & doctor, quicquid in ſchola Dei privatim didicerat, in communem uſum aptare debuit, ut omnibus prodeſſet. Atque ita monemur, utile eſſe exercitii genus, memoria ſæpe repetere quas ob peccata noſtra Deus pœnas exegit.

2. *Jehova, ne in furore.*] Quia ſextus quoque Pſalmus ab hoc verſu incipit, ubi eum expoſui: ne fruſtra lectores onerem, nunc ero brevior. Non ſimpliciter pœnam ſibi remitti poſtulat David, ſed tantum ut Deus rigorem iræ ſuæ moderetur. unde colligimus Davidem carnis ſuæ votis frena non laxaſſe, ſed precatum eſſe ex affectu pietatis recte compoſito. Naturaliter enim optarent omnes ſibi dari impune peccandi licentiam. Atqui David ſeipſum cohibet, nec Dei indulgentiam ſine modo extendit, ſed contentus eſt pœnæ mitigatione. acſi diceret, Ego me tibi permitto caſtigandum: ſed vide interea ne me durius tractes quam ſim ferendo, ac judicium tuum ad infirmitatis meæ modum attemperes, ne mali gravitas me prorſus obruat. Hæc (ut dixi) precatio ad pietatis normam compoſita fuit, quia nihil aliud continet quam quod Deus omnibus ſuis filiis promittit. Jam vero notandum eſt, Davidem non intus ſecum fremere, ſed querimoniam ſuam proferre coram Deo: neque obſtrependi cauſa, ſed ſuppliciter cum ingenua confeſſione, deinde cum veniæ fiducia. *Iram & furorem* pro ſummo rigore poſuit David, & paternæ caſtigationi oppoſuit.

3. *Quia ſagittæ tuæ.*] Oſtendit ſumma neceſſitate ſe cogi ad petendam malis ſuis levationem, nempe quod oneris magnitudini ſuccumbat. Hæc ſemper in precibus tenenda eſt regula, ut Dei promiſſiones nobis verſentur ante oculos. Promiſit autem Deus ſe pœnas de ſuis, non quas meriti ſunt, ſed quas ferre poſſunt, ſumpturum, Hæc ratio eſt cur toties ſancti ſuam infirmitatem commemorent, dum nimis graviter premuntur. Prudenter autem David ſagittas Dei, & *manum* vel plagam nominat quem patitur morbum: quia niſi perſuaſus eſſet, divinitus ſe affligi, ad petendum inde vulneris remedium, nunquam animum induxiſſet. Videmus ut cæcutiant fere omnes in Dei judiciis, ac fortuitos eſſe caſus ſomnient: vix autem centeſimus quiſque manum Dei reſpiciat. Atqui David in morbo, ſicut in aliis rebus adverſis, manum Dei ſuis oculis proponit ad punienda peccata armatam. Et ſane quiſquis in mali ſui ſenſu ſubſiſtit, nihil à pecudibus differt. Sed quum nos de judicio admoneant omnia ejus flagella, hæc vera fidelium prudentia eſt, manum percutientis reſpicere, ut Propheta loquitur. *Jeſa. 9. verſ. 13.*
Itaque pronomen emphaticum eſt, acſi dixiſſet non eſſe ſibi cum homine mortali negotium, cujus manus ſagittas pro virtutis ſuæ modo vibraret, ſed Deum longe alio impetu jaculari ſua tela.

4. *Non eſt integritas.*] Quod alii formam vertunt, non videtur tam aptum eſſe. Jam vero ſequitur alterum membrum in quo juſtitiæ laudem Deo tribuit David, ſine quo prior notitia nihil aut minimum prodeſſet: imo interdum animos hominum exaſperat, ut iram Dei magis provocent, dum eum inſimulant crudelitatis, & execrandas blaſphemias in eum evomunt. Quare nihil magis præpoſterum quam imaginari nudam & abſolutam (ut loquuntur) Dei potentiam, quæ eum juſtitia ſua ſpoliet. Ideo David ſimulac Deum ſibi infenſum concepit, convertitur ad ſua peccata, quia jam ante ſtatuit non eſſe tyrannum qui injuſte ſæviat, ſed æquum judicem qui nunquam iraſcitur niſi offenſus. Ergo ſi velimus juſtam Deo laudem tribuere, diſcamus exemplo Davidis, iræ ejus conjungere noſtra peccata. Proximo verſu conqueritur, ſub ingenti mole ita ſe eſſe demerſum, ut prorſus deficiat. iterum tamen confirmat ſuperiorem doctrinam, quod Deum merito ita ſeverum & formidabilem ſentiat. Etſi enim nomen עון pro pœna ſæpe ſumitur, ſcimus tamen id eſſe translatitium. Neque etiam nego quin David ad effectum transferat quod cauſæ proprium eſt, dum *iniquitates* vocat quas ſua culpa pœnas contraxit: diſerte tamen ſimul fateri vult imputandum eſſe ſuis peccatis quicquid malorum ſuſtinet. Neque enim exemplo Cain cum Deo expoſtulat de immodica pœnæ atrocitate: dicebat ille, Major eſt pœna *Geneſ. 4.*
mea quam ut ſim ferendo: & quidem eadem voce *verſ. 13.*
עון illic utitur Moſes, ut in verbis Davidis & Cain

ſit aliquid ſimile. Sed Davidis conſilium longe diverſum fuit. nam quum obreperent ejus animo tentationes iſtæ, Quam duriter te Deus tractat? certe quum nullam habeat tui levandi rationem, vult te perditum & extinctum: non modo ſpernit tuos gemitus, ſed quo magis dejectum videt, violentius perſequitur: ut impiis iſtis figmentis aditum præcluderet, clypeum hunc oppoſuit, juſto Dei judicio ſe affligi. Nam & nuper adſcripſit peccatis ſuis totam iræ Dei gravitatem: & paulo poſt repetet, quicquid patitur, ſua amentia fuiſſe conflatum. Quamvis ergo ſua mala deplorans, videri poſſit in ſpeciem cum Deo litigare, hanc tamen modeſtiam retinet (quia Deus puniendo, modum non excedit) nihil præter deprecationem ſibi reſtare: quum impii quantumvis male ſibi conſcii ſint, Deo tamen obmurmurent, non ſecus ac feræ indomitæ catenas quibus conſtringuntur, dentibus mordent.

6. *Putruerunt.*] Mali diuturnitatem hoc verſu commemorat, quod levationi impetrandæ valere
Jeſa. 40. verſ. 2. debuit. Nam quum Dominus apud Jeſaiam pronunciat, impletam fuiſſe Eccleſiæ militiam, & ſe pro peccatis duplicia ei rependiſſe: ſignificat, ubi ſatis exegit pœnarum, ſe mature placari: imo ſi longius proſequutus fuerit ſuam vindictam, pro ſua clementia quaſi tædio affici, ut liberationem acceleret,
Jeſa. 48. verſ. 10. ſicut alibi dicit, Examinavi te, ſed non inſtar argenti ne te conſumerem. Huc ergo ſpectat quod de mali duratione conqueritur David, ut juſtis pœnis perfunctus, tandem levationem obtineat. Fuit autem hæc non levis tentatio ſervo Dei, continuo languore confectum, quaſi in malis ſuis putreſcere & in ſaniem liquefieri. In quo magis miranda eſt ejus conſtantia, quæ non magis fracta fuit moræ longitudine, quam immenſo malorum oneri ſuccubuit. Quod porro *ſtultitiam* noſtram loco peccati ponit, ad extenuandam culpam minime pertinet: ſicut hypocritæ dum effugere reatum nequeunt, ut tamen excuſent dimidia ex parte, fucum ignorantiæ obtendunt, vel errore & incogitantia ſe lapſos eſſe tergiverſantur: ſed ſecundum Hebraicæ linguæ phraſin per Stultitiæ nomen ſe deſipuiſſe fatetur, quod carnis libidini obſequutus fuerit adverſus Deum. Et certe paſſim quantumvis atrocia ſcelera Spiritus deſignans, non ſublevat reatum hominum, acſi levibus tantum delictis obſtricti eſſent: quin potius veſani eos furoris accuſat, quod pravis deſideriis excæcati, contra opificem ſuum ruant. Itaque ſemper cum ſtultitia vel amentia conjunctum eſt peccatum. Et hoc ſenſu David de ſtultitia ſua loquitur: acſi diceret ſe fuiſſe mente alienatum, & inſtar pecudis abreptum, & circumactum bruto impetu, dum neglecto Deo, ſuas cupiditates ſequutus eſt.

7. Incurvatus ſum, humiliatus ſum valde, quotidie niger incedo:	7 נעויתי שחותי עד מאד כל היום קדר הלכתי :
8. Quoniam renes mei impleti ſunt combuſtione, nec eſt integritas in carne mea.	8 כי כסלי מלאו נקלה ואין מתום בבשרי :
9. Colliſus ſum & contritus valde, rugivi à rugitu cordis mei.	9 נפוגותי ונדכיתי עד מאד שאגתי מנהמת לבי :
10. Domine, coram te omne deſiderium meum, & gemitus meus abs te non eſt abſconditus.	10 אדני נגדך כל תאותי ואנחתי ממך לא נסתרה :
11. Cor meum circuivit, deſeruit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, ipſum quoque non eſt mecum.	11 לבי סחרחר עזבני כחי ואור עיני גם הם אין אתי :

7. *Incurvatus ſum.*] Deſcriptio hæc ſatis oſtendit extremis doloribus oppreſſum fuiſſe ſanctum virum, ut mirum ſit, ſub tanta malorum congerie viguiſſe fidem quæ animum ejus ſurſum attolleret. Porro quum ſe curvatum fuiſſe dicit, videtur tacite ſuam dejectionem opponere multorum pervicaciæ, qui nullis Dei flagellis humiliantur, quin potius duritie ſua cum ipſo luctantur. etſi enim malis ſuis cruciari neceſſe eſt, ſe tamen quodammodo obſtupefaciunt. Hac ergo circumſtantia David cæleſtem ſuum judicem ad miſericordiam flectit, quod non fuerit unus ex præfractis qui rigida cervice ſtant erecti contra Dei manum, ſed dejectus jacuerit: ſicuti
1 Petr. 5. verſ. 6. etiam pios omnes Apoſtolus hortatur ut ſe humilient ſub robuſta Dei manu. Quare diſcamus non aliud levandis malis noſtris eſſe remedium, niſi ut depoſita omni pervicacia, curvemur ſub Dei ferulis. Nomen קודר pro quo *nigrum* reddidi, alii pullatum vertunt, ac interpretantur de externo veſtitu, cujus niger color ſemper inſigne luctus fuit. Sed verior eorum ſententia qui nigredinem cutis intelligunt. ſcimus enim ut macie & ſqualore homines deformet mœſtitia. Ergo à ſigno, doloris magnitudinem oſtendit David, quod nativus color perierit in ſua facie, & ſimilis ſit cadaveri jam areſacto. In proximo verſu כסלים quidam vertunt Ilia. Magis tamen recepta opinio eſt, locum notari ſub renibus qui vergit ad coxendices, vel medium inter femora & ilia, ubi creditur fuiſſe ulcus. In voce quoque נקלה variant interpretes. Ego in verſione eos ſum ſequutus qui primam verbi originem retinent. קלה enim Hebræis comburere ſignificat. Neque tamen male alii pro fœditate accipiunt: quanquam ad ulcus reſtringere non placet, quia ſimplex, meo judicio, ſenſus eſt, renes ardore corruptos eſſe, vel ilia, vel femora: aut certe fœtore ſcatere. Nam & uſtionibus pars illa maxime obnoxia eſt, & illuc quoque ut plurimum defluunt putridi humores. Quod allegorice exponunt quidam, Davidem ſibi viſum fuiſſe fœtidum dum ſuam ignominiam expenderet, nimis coactum eſt. Quum addit ſe *debilitatum & contritum*, confirmatio eſt ſuperioris ſententiæ. Exprimere enim variis loquendi formis voluit quam intolerabilis eſſet doloris vehementia. Nam quum parum virile exiſtimetur erumpere in clamorem vel rugitum, Davidem vero ſciamus ad mala ferenda mollem non fuiſſe: ſæviſſimis tormentis cruciatum fuiſſe colligimus, quia lachrymis non contentus, vociferari etiam coactus fuerit. Etſi autem nomen נהמה, quod rugitum vertimus, ab alio verbo deductum eſt quam quo hic uſus eſt David: ſenſus tamen clarus eſt, ſe tumultuoſo cordis impetu compulſum fuiſſe ad clamorem.

10. *Domine, coram te.*] Hoc addit, non tam Dei reſpectu quam ut ſe inſtrueret impetrandi fiducia, atque ita ad precandum animaret. Quanquam autem duplex poteſt eſſe ſenſus, vel quod David ſtatuat vota ſua & gemitus exaudiri à Domino, vel quod teſtetur ſe curas ſuas & moleſtias depoſuiſſe in ſinum Dei: uterque tamen ſenſus in eundem finem redit. Quamdiu enim dubitant homines an gemitus ſui ad Deum perveniant, miſera conſternatio huc & illuc eos exagitat, menteſque eorum devinctas tenet ac captivas, ne ad Deum aſſurgant. Hinc autem precandi alacritas naſcitur, ubi perſuaſi ſumus gemitus noſtros non evaneſcere in medio aëre, ſed familiariter

d by Google

riter à Deo exaudiri. hoc igitur non mediocre ſolatium Davidi eſſe potuit, non accedere dubio & trepido animo ad Deum, ſed præſumpta hac quam diximus fiducia, ſicut alibi loquitur, lachrymas ſuas *Pſal. 56. verſ. 9.* repoſitas eſſe in utre Dei. Nam ut nobis ad Deum pateat aditus, credendum eſt ipſum eſſe remuneratorem, ut dicit Apoſtolus ad Hebræos cap. 11. verſ. 6. Sed alterum ſenſum potius amplector, quod David referat ſe exoneraſſe mœrores ſuos in gremium Dei. Nam ideo nihil proficit major pars hominum gemendo in ſuis doloribus, quia vota & ſuſpiria ad Deum non dirigit. Ergo David ut intrepide ſibi promittat Deum fore liberatorem, ſuarum anxietatum teſtem ſemper & conſcium fuiſſe dicit: quia neque frenum intus momorderit, neque querelas & ululatus in aërem profuderit (ut ſolent increduli) ſed coram Deo ipſo expoſuerit ſuos omnes affectus.

11. *Cor meum circuivit.*] Verbum quo utitur David, Peregrinari, aut Vagari ſignificat. hic vero pro agitatione capitur, quam generat anxietas ubi deſtituimur conſilio. prout enim vexantur inquietudine homines, ita ſe in omnes partes verſant: atque ita circumagitur cor ipſorum, vel diſcurrit. Sed quum fides, ubi nos addicit Deo in obſequium, ſenſus noſtros ejus verbo affixos teneat, objici poteſt quæſtio, quomodo cor Davidis perculerit hic vagus error. Reſpondeo, quamvis ſuffultus Dei promiſſionibus in ſuo gradu conſiſteret, non fuiſſe tamen humanæ infirmitatis expertem. Nec certe fieri aliter poteſt quin ſimulatque incidimus in aliquod diſcrimen, caro noſtra varios circuitus nobis ingerat, & ad captanda conſilia diſtrahat in multos errores: hic firmiſſimus quiſque labaſceret, niſi ſibi frenum injiceret, quo retentus ac cohibitus fuit David, nempe ſenſus omnes ſuos verbi Dei cancellis incluſos tenens. Imo in precibus quietis plus ſatis experimur quam erraticæ ſint mentes noſtræ, quas difficile eſt eodem tenore intentas ad finem uſque dirigere. Si hoc extra ſerium examen contingit, quid fiet in gravibus tempeſtatum procellis, quæ mille mortes oſtentant, nullum exitum? Quare mirum non eſt ſi cor Davidis abripuerint, ut inter æſtus turbulentos variis agitationibus obnoxium fuerit. Addit ſe virtute fuiſſe privatum, proinde acſi homini mortuo ſe conferret. Quod addit de *lumine oculorum*, quidam ita accipiunt, nihil fuiſſe reſiduum conſilii vel providentiæ, adeo undique urgebat deſperatio. Simplicior tamen ſenſus erit, ablatum ei fuiſſe vitale lumen, quia illic præcipuus ſe exerit animæ vigor.

12. Amici mei & ſocii mei è regione plagæ meæ ſteterunt, & propinqui mei è longinquo ſteterunt.	12. אהבי ורעי מנגד נגעי יעמדו וקרובי מרחק עמדו׃
13. Et laqueos tetenderunt qui quærebant animam meam: & qui captabant malum meum, loquuti ſunt pravitates, & dolos quotidie meditantur.	13 וינקשו מבקשי נפשי ודרשי רעתי דברו הוות ומרמות כל היום יהגו׃
14. Ego autem tanquam ſurdus non audio, & quaſi mutus non aperiens os ſuum.	14 ואני כחרש לא אשמע וכאלם לא יפתח פיו׃
15. Et fui tanquam vir non audiens, & in cujus ore non ſunt redargutiones.	15 ואהי כאיש אשר לא שמע ואין בפיו תוכחות׃

12. *Amici mei & ſocii.*] Alias circumſtantias ad augendam mali gravitatem addit, quibus Deum ad miſericordiam provocet. Una eſt, quod apud homines nihil opis vel ſolatii reperiat. Nam *amicos è regione ſtare* dicens, intelligit ceſſare ab omni humanitatis officio, Id autem accidere potuit vel ſuperbia, vel timore. Si contemptu ſe ab homine miſero ſubduxerunt, crudeles erant ac ſuperbi: ſi invidiæ metu operam negarunt, timiditas fuit minime excuſabilis. Sed interim Davidis calamitatem non parum exaggerat quod ne amici quidem & propinqui ſignum aliquod miſerationis oſtendere auſi ſunt. Eſt autem iſta acerbiſſima tentatio, ubi quis magna amicorum copia floruit, deinde ab omnibus deſeritur. Sequitur altera circumſtantia, quod hoſtes tendiculas poſuerint, loquuti ſint in ejus perniciem, & dolos inter ſe machinati ſint. Summa eſt, Quum amici ignavi ſedeant, hoſtes ſtrenue ſatagere, & acriter incumbere ad ipſum perdendum. *Quærere animam ſuam* dicit, quia ut capitales erant hoſtes ac ſanguinarii, mediocri damno non contenti, ejus interitum fervide expetebant. interim tamen non tam queritur vi & armis fuiſſe graſſatos, quàm doloſas eorum conſpirationes accuſat, quas metaphorice primo deſignat per *laqueos*: deinde ſine figura addit, eos in perniciem ſuam loqui, & quaſi occultis ſuſurris inter ſe conſulere quomodo noceant. Jam quia certum eſt Davidem non petere fucatam rhetoricam ex foro qua Deum ſibi conciliet, ſed potius argumenta ex Dei verbo ſumere: in uſum noſtrum aptandæ ſunt quas hic ad fidei ſuæ confirmationem ſententias colligit. Si nos deficiunt omnia mundi præſidia, alii nos fraudant juſtis officiis, alii nihil quam cædem noſtram ſpirant; veniat nobis in mentem, non fruſtra hæc inter precandum Deo proponi, cujus proprium eſt ſuccurrere miſeris, perfide deſertos ac proditos in ſuam tutelam ſuſcipere, compeſcere improbos, nec modo reſiſtere eorum violentiæ, ſed aſtutis etiam conſiliis ire obviam, fraudeſque eludere.

14. *Ego autem tanquam.*] Duas ob cauſas muto & ſurdo ſe comparat. Nam primo ſignificat falſis & perverſis judiciis ita ſe obrutum, ut ne verbum quidem juſtæ defenſionis cauſa facere liceat. Deinde patientiam ſuam in medium profert coram Deo, quo magis eum ad miſericordiam inclinet. Talis enim manſuetudo non tantum calamitoſis & innoxiis hominibus favorem merito conciliat, ſed veræ quoque pietatis ſignum eſt. Nam qui pendent è mundo, & tantum hominum reſpectu aguntur, ſi injurias ſuas ulciſci non poterunt, vociferando, quanta intemperie ferveat ipſorum animus, oſtendent. Ergo ut quis placide & ſine tumultu petulantiam hoſtium, injuſtos impetus, calumnias & fraudes perferat, eum neceſſe eſt in Deum recumbere. Cæterum quiſquis ita ſtatuet, Deum eſſe ſuum vindicem, ſpem ſuam in ſilentio fovebit, ejuſque opem implorans, compeſcet ſuos affectus. Ideo Paulus concinne dicit tunc dari locum iræ, ubi coram mundo oppreſſi, *Rom. 12. verſ. 19.* acquieſcimus tamen in Deo. ſicuti rurſum quiſquis frenum laxat ſuis paſſionibus, præripit quoad poteſt Deo vindictam, nec ejus auxilio aditum concedit. Certum quidem eſt, Davidem, ſi data eſſet audientia, paratum ad ſuam innocentiam tuendam fuiſſe: ſed quum nihil proficeret, imo quum videret excludi ſe ac prohiberi omni patrocinio, ſe in tolerantia continuit, cæleſtem judicem expectans. Ergo ſe perinde tacuiſſe dicit acſi jam convictus obmuteſceret. Eſt autem perquam difficile, ubi recte nobis ſumus conſcii, patienter & clauſo ore ferre injuſtam damnationem, acſi nos deficerent omnes rationes, & nulla reſidua eſſet excuſatio.

16. Quia ad te Jehova expecto, tu reſpondebis Domine Deus mi:	16 כִּי לְךָ יְהוָה הוֹחָלְתִּי אַתָּה תַעֲנֶה אֲדֹנָי אֱלֹהָי׃
17. Quia dixi, Ne forte lætentur de me, in lapſu pedis mei adverſum me ſe extulerunt.	17 כִּי אָמַרְתִּי פֶּן יִשְׂמְחוּ לִי בְּמוֹט רַגְלִי עָלַי הִגְדִּילוּ׃
18. Certe ego ad claudicationem paratus ſum, & dolor meus coram me eſt ſemper.	18 כִּי אֲנִי לְצֶלַע נָכוֹן וּמַכְאוֹבִי נֶגְדִּי תָמִיד׃
19. Certe iniquitatem meam annuncio, expaveſco à peccato meo.	19 כִּי עֲוֺנִי אַגִּיד אֶדְאַג מֵחַטָּאתִי׃
20. Inimici autem mei roborantur, & magnificantur qui mihi adverſarii ſunt injuſte.	20 וְאֹיְבַי חַיִּים עָצֵמוּ וְרַבּוּ שֹׂנְאַי שָׁקֶר׃
21. Et qui rependunt malum pro beneficentia, adverſantur mihi, eo quod ſequutus ſim bonum.	21 וּמְשַׁלְּמֵי רָעָה תַּחַת טוֹבָה יִשְׂטְנוּנִי תַּחַת רָדְפִי טוֹב׃

16. *Quia ad te Jehova.*] Hic fontem patientiæ demonſtrat David, quod ſcilicet Dei gratia confiſus, omnes mundi tentationes ſuperavit. Et certe nunquam ad lenitatem compoſitus erit hominis animus, neque etiam motus ſuos frenabit, donec in ſpei ſtatione reſidere didicerit. Simul etiam addit ſe aſſidua meditatione ſpem ſuam aluiſſe ne deficeret. Atque hæc unica eſt perſeverandi ratio, quum Dei promiſſionibus inſtructi, eum interpellamus. Imo fidem ejus, & in ſervandis promiſſis conſtantiam, ante oculos ponendo, nobis ſumus ipſi pro eo ſponſores. Itaque Paulus non abs re patientiam ſpei conjungit & conſolationi. Repetitio autem verborum oſtendit, ſanctum virum in ardua & difficili fuiſſe lucta: *Tu*, inquit, *Domine mi, Deus mi exaudies.* nempe quia Deo moram trahente, periculum erat ne vel tædio langueſceret, vel in deſperationem caderet, niſi hac duplici munitione oppoſita, conſtanter & intrepide pugnaſſet.

Rom. 5:4.

17. *Quia dixi, Ne forte.*] Hac quoque circumſtantia fidem ſuam & precandi ſtudium confirmat, Quod ſi contigerit eum deſeri, triumphum acturi ſint hoſtes. Hæc autem indignitas non parvi eſt apud Deum momenti, ut nobis opem ferat: quia improbi proterve inſultando, non modo bellum cum carne noſtra gerunt, ſed recta oppugnant fidem noſtram, & labefactare conantur quicquid eſt in nobis pietatis. Quorſum enim tendunt eorum ludibria, niſi ut irritum & inane eſſe perſuadeant quicquid pollicitus eſt Deus? Porro mox addit, non fruſtra ſe percelli hoc metu, quia jam expertus ſit ſuperbas eorum jactantias. Docemur autem hoc loco, eo plus ſpei concipere de propinquo Dei auxilio, quo crudelius inſoleſcunt hoſtes noſtri, vel jam rebus adverſis gravatos magnifico ſuo faſtu calcarunt.

18. *Certe ego ad claudicationem.*] Fecit hic verſus ut putarent interpretes Davidem laboraſſe aliquo ulcere, ex quo timenda eſſet perpetua claudicatio. Sed quam infirma ſit hæc divinatio, ſupra Pſalmo 35. verſ. 15. oſtendi. Certe nulla major ratio eſt cur Davidem fingamus fuiſſe claudum, quam Jeremiam, ubi dicit hoſtes ſuæ claudicationi inhiare, vel eſſe intentos. Potius itaque metaphorica loquutio eſt, qua ſignificat David, niſi Deus celeriter ſuccurrat, ſpem nullam ſibi eſſe recuperandi priſtini ſtatus; ſed ita eſſe afflictum, ut tota vita mutilus vel debilis incedat. Et expoſitionis loco ſequitur, *dolorem ſemper cum eo verſari.* ſenſus enim eſt, uſque adeo urgeri, ut ne ad momentum quidem aliquid relaxationis concedat oblivio. Utroque membro fatetur David malum ſuum eſſe incurabile, niſi remedium à Deo impetret: nec ſe ferendo eſſe parem, niſi ipſius Dei manu erectus & ſuffultus fuerit. Hinc fit ut ſenſus omnes ſuos, & vota ad unum Deum colligat: quia ſimulatque ab eo deflexerit, præſentem ruinam cernat.

Jer. 20. verſ. 10.

19. *Certe iniquitatem meam.*] Comparatione amplificat quod nuper dixit de hoſtium faſtu & probris. dicit enim, quum ipſe in ſordibus & ſqualore jaceat inſtar ſcelerati hominis, ipſos alacres & lætos volitare: imo criſtas attollere, quia potentia & viribus polleant. Sed prius notare operæpretium eſt quo ſenſu dicat ſe peccatum annunciare. Falluntur enim meo judicio qui ſimpliciter hunc locum accipiunt acſi petendæ veniæ cauſa reum ſe coram Deo profiteretur. Volunt illi nunc fere idem repeti quod Pſalmo 32. verſ. 5. vidimus, Peccatum meum tibi notum feci, iniquitatem meam non operui, &c. Atqui hoc loco non tam de ſua pœnitentia loquitur, quam triſtem & calamitoſum ſuum ſtatum deplorat: ideoque peccatum & iniquitas pro afflictionibus ſumuntur vel pœnis, quæ ſigna erant iræ Dei: acſi diceret, manum Dei ſibi adverſam eſſe & infeſtam, ut ex miſeriæ intuitu vulgo judicet mundus hominem eſſe damnatum & reprobum. Quo clarior ſit ſenſus, conjunctim duo iſti verſus legendi ſunt: Ego iniquitatem meam annuncio, inimici autem mei vivunt: Paveo à peccato meo, illi autem roborantur. Neque tamen interea nego quin reputet quæ ſuſtinet mala ſibi à peccatis provenire. In hoc enim differunt pii homines à profanis, quod rebus adverſis admoniti de ſuo reatu, ſuppliciter ſe ſiſtunt ad Dei tribunal. Ergo à ſignis vel effectis cauſam æſtimans, duo ſimul complectitur: quod proſtratus ſub ingenti malorum congerie jaceat: deinde quod hæc omnia mala juſtæ ſint caſtigationes. *Vivere* iſtud quod hoſtibus tribuit, tantundem valet ac florere rebus proſperis. Itaque addit *roborari, & augeri potentia.* Sic enim verbum רבב hoc loco interpretor, quia Multiplicari improprie diceret. Neque enim conqueritur eorum numerum creſcere, ſed potius eos attolli, ut cum opibus ſimul majorem audaciam colligant ad bonos & ſimplices opprimendos. Addit nullo ſuo merito ab illis ſe oppugnari, quo Deum magis propitium inveniat. Et certe ut nos ſuo favore protegat Deus, ſemper danda opera eſt ne quem lædamus, & ne cujuſquam in nos provocemus odium: cujus ſententiæ continuo poſt ſequitur plenior confirmatio, quod injurias pro beneficiis rependerent. Quanquam his verbis ultra progreditur David, quod ſcilicet non tantum ab omni maleficio abſtinuerit, ſed etiam de illis ſit benemeritus. quo minus excuſabilis eſt eorum rabies, quæ non modo ſine cauſa eos ad nocendum impellit, ſed neque illis officiis mitigari poteſt. Magnopere quidem ingenuas mentes excruciat hæc indignitas, dum tam iniquam mercedem rependunt mali & perverſi homines: ſed ubi ſuccurrit hæc conſolatio, hac ingratitudine non minus Deum offendi, quam eos qui injuriam ſuſtinent: non eſt quod ultra modum turbentur. Ergo ad leniendum dolorem ſemper valeat hæc doctrina, Quoties injuriis nos afficiunt improbi quibus ſtuduimus benefacere, Deum fore certum judicem. Summus gradus deſperatæ malitiæ adjungitur, quod exoſum habuerint integritatis ſtudium

in

in Davide. Nimis enim præpoſteros eſſe oportet, pravoque & contorto ingenio quibus ita rectitudo diſplicet, ut data opera cum ejus cultoribus bellum ſuſcipiant. Eſt quidem iſta gravis tentatio, quo ſincerius ad Deum colendum pii incumbunt, eo ſibi plures moleſtias accerſere: ſed abunde illis ſufficere debet hæc conſolatio, quod non modo eos ſublevat bona conſcientia, ſed Dei miſericordiam erga ſe hac maxime de cauſa propenſam eſſe norunt: qua fiducia freti, in Dei conſpectum prodire audent: & quia communis eſt ei cauſa, ut ejus patrocinium ſuſcipiat familiariter rogare. Certe David regulam ſuo exemplo cunctis fidelibus præſcripſit, ut omnia mundi odia potius provocent, quam ut minimum declinent ab officio: neque hoſtes habere refugiant quos vident bono & omni juſtitiæ adverſari.

22. Ne derelinquas me Jehova Deus mi, nec procul abſis à me.

23. Feſtina ad auxilium meum Domine, * ſalus mea.

* vel, ſalutis mea.

22 אל־תעזבני יהוה אלהי אל
תרחק ממני׃
23 חושה לעזרתי אדני תשועתי׃

In hac clauſula votorum ſuorum caput, & totius precationis ſummam breviter perſtringit, ut ſcilicet ipſum ab hominibus deſertum, & miſere omnibus modis afflictum Deus excipiat & erigat. Tribus autem loquendi formis utitur: ne ipſum deſerat, vel ejus curam abjiciat Deus: ne remotus ſit: ſed opem ſuam acceleret. Perſuaſus quidem erat David, Deum ſemper propinquum eſſe ſervis ſuis, nec momento uno longius tardare quam oportet: ſed quemadmodum alibi vidimus, nihil mirum ſi ſancti dum curas ſuas & mœrores exonerant in gremium Dei, vota concipiant ex carnis ſuæ ſenſu. Neque enim vel infirmitatem ſuam fateri pudet: vel quæ obrepunt dubitationes tegere expedit. Interea quamvis mora Davidi ſecundum carnem moleſta eſſet, uno tamen verbo clare demonſtrat ſe non dubitanter precari quum Deum appellat ſalutem ſuam, vel ſalutis præſidem. Nam quod alii, ad ſalutem vertunt, coactum eſt: potius enim David machinis omnibus quibus impetitam fuiſſe ejus fidem vidimus, murum hunc opponit, indubiam ſibi nihilominus in Deo ſalutem eſſe.

ARGUMENTUM PSALMI XXXIX.

Refert initio David quanta doloris amarulentia ad querelas nimia intemperie ferventes impulſus fuerit. Fatetur enim quum ad tolerantiam & ſilentium ſe paraſſet, mœroris tamen vehementia prorupiſſe quo minime volebat. Deinde expoſtulationes precibus miſtas recitat, quæ ſummam animi perturbationem oſtendunt: ut ſatis appareat, non vulgari conatu cum deſperatione luctatum eſſe.

PSALM. XXXIX.

PRæfecto Jeduthun Canticum Davidis.

2. Dixi, Cuſtodiam vias meas: ne peccem in lingua mea, cuſtodiam ad os meum capiſtrum dum ſtat impius coram me.

3. Obmutui ſilentio, tacui à bono, & dolor meus turbatus eſt.

4. Incaluit cor meum intra me, in meditatione mea exarſit ignis, loquutus ſum lingua.

1 למנצח לידותון מזמור לדוד׃
2 אמרתי אשמרה דרכי מחטוא
בלשוני אשמרה לפי מחסום בעד
רשע לנגדי׃
3 נאלמתי דומיה החשיתי מטוב
וכאבי נעכר׃
4 חם לבי בקרבי בהגיגי תבער
אש דברתי בלשוני׃

SAtis notum eſt Jeduthun unum fuiſſe ex cantoribus quos Sacra hiſtoria celebrat. Ideo mihi probabile eſt Pſalmum hunc datum præfecto cantorum qui erat ex ejus familia. Nam quod ad modulationem quidam referunt, & initium fuiſſe putant alterius cantici, coactum eſt. Nihilo magis recipio quod alii Davidem hic de morbo aliquo conqueri divinant: quia niſi urgeat ratio, generales ſententias ad unam ſpeciem reſtringere abſurdum eſt. imo ex tam diro cruciatu quem deſcribit, conjicere licet, vel multas afflictiones comprehendi, vel certe unam ex omnibus graviſſimam, & quæ in longum tempus protracta fuerit. Tenendum vero eſt, Davidem hoc Pſalmo non prædicare virtutem ſuam, quod vota ad pietatis regulam compoſita coram Deo conceperit: ſed potius infirmitatis ſuæ vitium fateri, quod efferbuerit immodico dolore, & impetu raptus fuerit ad expoſtulandum.

2. *Dixi, Cuſtodiam.*] Hac circumſtantia amplificat David doloris atrocitatem, quod præter animi ſui propoſitum in acerbiſſimas querelas proruperit. Summa enim eſt, Quum animo ad patientiam compoſito ſilentium ſibi imperaſſet, vi tamen doloris hoc conſilium excuſſum fuiſſe, & voces extortas, ex quibus pateret, nimis intemperanter eum dolere. Dicendi verbo, notum eſt, ſæpe non externum ſermonem, ſed quid animo quiſque conceperit notari: ideoque interdum additur In corde. Intelligit ergo David ſe non oſtentaſſe fortitudinem in hominum oculis, ſed coram Deo fuiſſe longa meditatione probe munitum ad mala perferenda. Atque hæc ſedulitas notanda eſt. Neque enim ad cavendum fruſtra tantopere intentus fuit: ſed quia ſuæ fragilitatis conſcius erat, deinde ſciebat quam multiplices inſidias ſtruere ſoleat Satan: circumſpexit huc & illuc, & cuſtodiam in omnes partes appoſuit, ne à dextra vel ſiniſtra furtim obrepens tentatio, in animum penetraret. Ergo clauſi undique erant aditus, niſi ingenti doloris acerbitate violenter perrupta & averſa fuiſſet ejus conſtantia. Jam quod ſe *capiſtro os clauſiſſe* dicit *ne loquendo peccaret*, non ita intelligere convenit quaſi ſatis habuerit intus premere & vorare quicquid eum angebat: (nihil enim quam fucum faciunt qui vultu & ſermone ſpeciem manſuetudinis præbent, quum intus contumacia turgeant) ſed quia lingua nihil eſt magis lubricum, teſtatur David ſe tanto ſtudio incubuiſſe ad frenandos affectus, ut ne verbum quidem ex ore efflueret quo proderet aliquam impatientiam. Et certe rara fortitudine præditum eſſe oportet quiſquis vere & ſincera deliberatione linguam ſuam continet, cujus tam proclivis eſt lapſus. Particulam quæ ſequitur, *dum ſtat impius coram me*, ſic fere omnes accipiunt acſi mœrorem ſuum texiſſet David, ne blaſphemandi occaſionem daret improbis, qui ſimulac filios Dei vident malis ſuccumbere, petulanter inſultant non ſine ipſius Dei ludibrio. Sed plus quiddam exprimere videtur *Standi* verbo: nempe quod impios rerum potiri videris, hanc indignitatem (quæ alioqui non parum bonos urit & cruciat) tacitus perferre

decreverit. Non ſimpliciter ergo dicit ſe improborum conſpectu fuiſſe retentum, ne illis ridendum ſe propinaret: ſed quum florerent peſſimi homines, & ſuperiores gradu alios deſpicerent, ſibi fixum fuiſſe in animo placide quieſcere. Certe clare oſtendit ſe fuiſſe obſeſſum ſceleratis hominibus, ut liberum gemitum edere non poſſet quin cederet in riſum & fabulam. Jam quum Davidi tam difficile fuerit linguam ſuam compeſcere, ne obmurmurando peccaret, diſcamus ejus exemplo, quoties nos angunt moleſtiæ, ad moderandos noſtros affectus acriter eniti, nequa impia adverſus Deum obtrectatio nobis excidat.

3. *Obmutui ſilentio.*] Jam oſtendit non evanidum fuiſſe illud conſilium cujus meminit, ſed re ipſa teſtatum feciſſe quam penitus cordi infixum eſſet. Dicit ergo ſe inſtar muti ad tempus tacuiſſe: quod inſigne patientiæ documentum fuit. Itaque non ut ſolent leves homines, tacere propoſuit, ut effectu careret voluntas, ſed diu & conſtanter ſe ad patientiam exercuit: neque id ſilendo tantum, ſed prorſus obmuteſcendo acſi elinguis foret. Particulam *à bono*, ſic exponunt quidam, quod non modo nullam protulerit impiam vel temerariam vocem, ſed in totum à loquendo abſtinuerit. Alii putant ſiluiſſe à bono, quia miſeriis obrutus, nihil uſquam ſolatii invenerit, vel eum dolor probibuerit à canendis Dei laudibus. Sed genuinus, meo judicio, ſenſus eſt, Quamvis ſuppeteret juſta defenſio, vel non deeſſent honeſti expoſtulandi prætextus, ultro tamen ceſſiſſe. Quamvis ergo adverſus improbos opponere liceret juſtum innocentiæ ſuæ patrocinium, cauſam tamen ſuam deſerere maluit, quam ſibi ad aliquam doloris intemperiem frenum laxare. Poſtea ſubjicit, ubi ſe aliquandiu ita conſtrinxit, tandem violentia doloris perrupta fuiſſe clauſtra quæ linguæ ſuæ oppoſuerat. Quod ſi David tam ſtrenuus athleta in medio curſu certaminis defecit, quanto magis ſimilem lapſum metuere nobis neceſſe eſt? *Turbatum* vero *dolorem ſuum fuiſſe* dicit: quia magis accenſus fuerit ejus ardor ad tumultuandum, ut ſtatim videbimus. Quidam Corruptum vertunt, acſi factus eſſet deterior, ſicuti vulnus putredine vel tabe ingraveſcit. ſed hoc coactum eſt.

4. *Incaluit cor meum.*] Nunc ſimilitudine amplificat doloris magnitudinem, quod dolor occulte ſuppreſſus, plus caloris conceperit, donec ardor ingens magis ac magis invaleſceret. Atque hinc utilem admonitionem colligere licet, nempe quo ſe quiſque magis ad Dei obſequium comparat, totoque ſtudio enititur ad patientiam, eo acrius pungi, quia totas ſuas vires ad eum oppugnandum Satan exerit, qui ſtupidis non adeo moleſtus eſt. Itaque ſiquando in nobis ferveant magnæ uſtiones, memoria revocandum erit certamen hoc Davidis, ne animos deſpondeamus, vel ſaltem ne ad deſperationem infirmitas noſtra nos præcipitet. Siccæ & calidæ exhalationes quas ſol æſtate excitat, ſi nihil in medio aëre obſtaret, ſurſum abſque tumultu aſcenderent: nubes autem oppoſitæ dum liberum curſum impediunt, ipſo conflictu tonitrua generant. Idem & piis contingit, quibus ſurſum aſcendere in animo eſt. nam ſi ad vagas cogitationes transferrent animum, quaſi liberi eſſent diſcurſus: nunc dum ſe Deo addicere conantur ex carnis impedimentis exoritur repugnantia. Ideo quoties impetus ſuos emittet caro, & ignem in cordibus noſtris accendet: ſciamus nos eodem tentationis genere exerceri quod plurimum moleſtiæ Davidi exhibuit. In fine verſus fatetur ſe mali gravitate victum, ſtultas & temerarias voces profudiſſe. Nam in ſua perſona, humanæ infirmitatis ſpeculum nobis ante oculos ponit, ut periculo admoniti, ſollicite ſub umbram alarum Dei confugere diſcamus. Et quum dicit *lingua ſe loquutum eſſe*, non eſt pleonaſmus, ſed plenior delicti confeſſio, quod ſcilicet in apertos clamores eruperit.

5. Notum fac mihi Jehova finem meum, & numerum dierum meorum, ut ſciam cujus ego ſim ævi.

6. Ecce, inſtar palmorum poſuiſti dies meos, & ævum meum acſi nihil eſſet coram te: certe tota vanitas, omnis homo dum conſiſtit. Selah.

7. Certe in umbra obambulat vir, certe in vanum tumultuatur: coacervant, & neſciunt quiſnam colliget.

5 הודיעני יהוה קצי ומדת ימי מה
היא אדעה מה חדל אני׃

6 הנה טפחות נתתה ימי וחלדי
כאין נגדך אך כל הבל כל אדם נצב
סלה׃

7 אך בצלם יתהלך איש אך הבל
יהמיון יצבור ולא ידע מי אספם׃

5. *Notum fac.*] Hinc apparet, perperam & vitioſo exceſſu fuiſſe abreptum, quia cum Deo expoſtulat, ſicuti ex contextu clarius patebit. Miſcebit quidem paulo poſt ſanctas & rite compoſitas preces: ſed hic indigne fert, quum fluidus ſit & caducus homo, ſe non mitius tractari: cujuſmodi querelis ſermones Job fere referti ſunt. Non ergo ſine ſtomacho & indignatione dicit, Quando tu Deus mecum tam ſevere agis, fac ſaltem ut ſciam quantum mihi temporis præſcripſeris ad vivendum. atqui momentum eſt vita mea. Quid ergo ſibi vult tantus rigor? & cur immenſam malorum congeriem in caput meum accumulas, acſi multis ſeculis adhuc victurus eſſem? quid juvat me natum eſſe, ut per continuam malorum ſeriem breviſſimum vitæ tempus miſere traducam? Ideo conjunctim legi debet proximus verſus, *Ecce poſuiſti dies meos inſtar palmorum.* Eſt autem quatuor digitorum menſura, quæ hic pro exigua menſura ſumitur. acſi diceret, vitam hominis ſubito transvolare, & finem ejus initio fere eſſe contiguum. Unde concludit cunctos mortales coram Deo meram eſſe vanitatem. Quantum ad verba ſpectat, non poſtulat David ſibi oſtendi vitæ brevitatem quaſi eſſet incognita: ſed ironiæ ſpecies eſt, acſi dixiſſet, Supputemus annorum numerum qui mihi adhuc reſidui ſunt, an ad malorum quæ perfero, compenſationem ſufficient. חדל, quidam mundanum vertunt, alii temporalem. Poſterior interpretatio quadrare non poteſt, quia nondum palam exprimit vitæ ſuæ brevitatem, ſed ambigue adhuc loquitur. Si nomen Mundani placeat, ſenſus erit, Oſtende an mihi vitam uſque ad mundi finem prorogare velis. Sed rectius meo judicio eſt quod ſequutus ſum: & in voce poteſt eſſe metatheſis ד & ל. Quanquam poteſt etiam proprie pro ætate, aut vitæ ſpatio accipi, ubi *ævum ſuum quaſi nihilum coram* Deo eſſe dicit: quo magis ad miſericordiam eum permoveat, ſuæ fragilitatis teſtem ipſum citat, ſignificans eum minime latere quam evanida ſit hominis vita. *Tota vanitas* vel *omnis*, tantundem valet acſi dixiſſet, in toto humano genere nihil eſſe præter meram vanitatem: hoc autem prædicat de hominibus ubi conſiſtunt, hoc eſt dum in præcipuo ſuo vigore volunt aliquid cenſeri. Etſi autem has querimonias Davidi expreſſit mœror, notandum tamen eſt, tunc demum ſentire homines quam nihil ſint, dum premuntur rebus adverſis. Res enim ſecundæ eos inebriant, ut ſuæ ſortis obliti & torpore ſtupidi, ſomnient immortalem ſtatum in terra. Quanquam autem apprime utilis eſt fragilitatis noſtræ notitia,

titia, cavendum tamen eſt ne pravo tædio nos ad indignationem ſtimulet. Vere David & ſapienter pronunciat, etiam dum maxime excellere homo videtur, totum nihil aliud eſſe quam bullam ex vanitate conflatam. in eo ſolum peccat, quod anſam expoſtulandi cum Deo inde arripit. Sic ergo nobis miſera noſtra conditio diſpliceat, ut proſtrati & ſupplices ad Dei miſericordiam tollamus oculos: quod etiam mox facit David, ſeipſum corrigens. Neque enim ſubſiſtit in illa confuſa lamentatione, ſed fidei ſenſu tranſcendit ad cæleſte ſolatium.

7. *Certe in umbra.*] Proſequitur eandem ſententiam. Umbræ enim nomine ſignificat nihil eſſe in homine ſolidum, ſed inanem (ut loquuntur) apparentiam. Tenebras quidam vertunt, ut ſenſus ſit, vitam hominis evaneſcere antequam poſſit cognoſci: ſed ſimpliciter prædicat David de ſingulis hominibus quod Paulus ad totum mundum extendit, nempe tranſire ejus figuram. Atque ita negat firmum in illis eſſe ſtatum, quia ſpecies virtutis quæ ad breve tempus apparet, mox effugiat. Quod addit, fruſtra eos tumultuari, cumulus eſt vanitatis: acſi dixiſſet, videri in hoc natos homines, ut bis ridiculi ſint, quia parum à ſpectris differant: & tamen ſtultis, imo inſanis curis fruſtra ſe fatigent. Clarius autem exprimit eos deſipere, quod dum ſe anxie occupant in coacervandis opibus, illis in mentem non venit ſubita migratio. Quorſum enim ſe adeo macerarent, niſi quia imaginantur nihil ſibi ſufficere? Perinde enim ſua inexplebili cupiditate omnes mundi copias ingurgitant, acſi centum ſeculis eſſent victuri. Porro non eodem omnino ſenſu David hominum avaritiam deridet, quo Solomo: quia non tantum de hæredibus loquitur, ſed generaliter dicit eos ſatagere, quum tamen neſciant ad quem perventurus ſit fructus. vellent quidem ſibi conſulere: ſed quæ dementia eſt infeliciter ſe torquere inanibus curis quæ nullum finem nec modum habeant? Fervidas enim & præcipites curas damnat, quibus abrepti profani homines, cælum terræ miſcent, dum ſe mortales eſſe non reputant: tantum abeſt ut agnoſcant vitam ſuam ad quatuor digitos reſtringi. Quanquam autem David ex incompoſito & turbato animi affectu hoc protulit, per ſe tamen utilem doctrinam continet, nullum ad temperandas ſupervacuas curas melius remedium eſſe, quam ut in mentem nobis veniat, vitæ noſtræ curriculum quaſi palmare eſſe.

(Margin: 1 Cor. 7. verſ. 31. — Eccleſ. 5. verſ. 9.)

8. Et nunc quid expecto Domine? ſpes mea ad te eſt.	8 ועתה מה קויתי אדני תוחלתי לך היא:
9. Ex omnibus peccatis meis eripe me, opprobrium * ſtulti ne ſtatuas me.	9 מכל פשעי הצילני חרפת נבל אל תשימני:
10. Obmutui, non aperiam os meum, quia tu feciſti.	10. נאלמתי לא אפתח פי כי אתה עשית:

* vel, nequam: vel, reprobi.

8. *Et nunc quid expecto.*] Poſtquam confeſſus eſt David ſe animi fervore fuiſſe nimis turbatum, jam ad ſanam & quietam mentem ſe recipit: unde melius appatet quod prius admonui, Pſalmum ex precibus recte ordinatis & ex inconſideratis querelis eſſe compoſitum. Dixi autem Davidem hic facere initium rite precandi. Idem interdum ſentiunt profani homines quod ipſe confeſſus eſt: ſed non eouſque eos adducit propriæ vanitatis notitia, ut ſolidam fulturam in Deo quærant: imo ſeipſos ſponte ſtupefaciunt, ut ſuaviter dormiant in ſua vanitate. Cæterum diſcamus ex hoc loco, neminem ſerio ad Deum reſpicere, ut ab ipſo pendeat vel ſpem in eo defigat, donec ſuæ fragilitatis convictus fuerit, adeoque in nihilum redactus. Pondus enim ſubeſt in adverbio *nunc.* acſi dixiſſet, ex blanditiis quibus ſopitæ hominum mentes tenentur, ſe jam expergefactum. Sed ultra hoc rudimentum progredi neceſſe eſt: quia non ſatis eſt trepide quærere quid nobis agendum ſit, niſi occurrat nobis Deus in quem recumbat noſtra expectatio. Quia ergo profanis hominibus nihil prodeſt de ſuo nihilo ita convinci, ut tamen in eo ſubſiſtant: diſcamus ad ulteriorem progreſſum eniti, ut Deus nos exanimes vivificet, ſicuti proprium munus ejus eſt, ex nihilo omnia creare: quia tunc homo vanitas eſſe deſinit, & vere incipit aliquid eſſe, ubi Dei manu exceptus ſurſum aſpirat.

9. *Ex omnibus peccatis.*] Pergit in contextu piæ ſanctæque precationis. Neque enim jam rapitur doloris impetu, ut cum Deo expoſtulet, ſed reum ſe coram Deo ſuppliciter ſtatuens, ad miſericordiam ejus confugit: quia dum ſe à ſceleribus eripi poſtulat, Deo juſtitiæ laudem adſcribens, miſeriæ quam ſuſtinet, culpam in ſe ſuſcipit: neque unius tantum peccati ſe accuſat, ſed fatetur multiplici reatu ſe eſſe obſtrictum. Atque hæc regula nobis tenenda eſt ſi levationem in malis noſtris quærimus: quia donec fons ipſe exhauſtus fuerit, nunquam mala ex malis fluere deſinent. Certe mitigationem ſuorum malorum petebat David: ſed quia ſperabat, ſimulac reconciliatus eſſet Deo, futurum quoque ut ſcelerum pœnæ finem acciperent: tantum petit ſibi remitti peccata. Monemur autem exemplo Davidis, non tantum ab ærumnis quæ nobis moleſtæ ſunt, levationem petere, ſed incipere ab ipſa cauſa, ut Deus peccata nobis non imputet, ſed aboleat noſtrum reatum. Quod ſequitur de *opprobrio ſtulti*, tam active quam paſſive exponi poteſt, hoc eſt ne Deus ipſum proſtituat impiorum ludibriis, vel ne eodem probro, cui addicti ſunt impii, ipſum involvat. Quia uterque ſenſus non male conveniet, libera ſit lectoribus optio. adde quod נבל non modo ſtultum, ſed etiam contemptibilem ac nihili vel nequam ſignificat. Certum quidem eſt, reprobos omnes intelligi quos Scriptura ſtultitiæ damnat: quia recta intelligentia privati, furioſe in Dei contemptum feruntur.

10. *Obmutui, non aperiam os meum.*] Hic jam ſe objurgat David, quod non tenuerit ſilentium illud, quod ante vidimus doloris vehementia fuiſſe abruptum. Ergo quod ſe obmutuiſſe dicit, non æquabilis & perpetuæ moderationis elogium eſt, ſed vitii correctio, acſi impatientiam ſuam caſtigans, ita ſecum loquutus foret, Quid facis? nam ſilentium tibi injunxeras: nunc autem obmurmuras & obſtrepis Deo. quid autem hac tua audacia proficies? Continet autem hic locus valde utilem doctrinam: quia nihil ad compeſcendos doloris impetus aptius eſt quam ubi nobis in mentem venit, non cum homine mortali, ſed cum Deo eſſe negotium, qui ſemper juſtitiam ſuam contra omnes obſtreperos hominum ſuſurros, imo contra inſanos clamores aſſeret. Unde enim fit ut in tantam impatientiam ruat major pars hominum, niſi quia non reputat ſe cum Deo rixari? Ergo dum alii in fortunam rejiciunt, alii in homines, quicquid mali acciderit, alii varias cauſas ſibi fingunt, vix autem centeſimus quiſque agnoſcit Dei manum: libere ſibi in querimoniis indulgent. Contra David, ut pravos omnes & vitioſos exceſſus cohibeat, ſe ad Deum convertit: & quia ab eo profectum ſit quod patitur, ſibi obmuteſcendum eſſe ſtatuit. Jam quum David extremis malis afflictus, quia Deum agnoſcit eorum aucto-

auctorem, legem tacendi ſibi imponat: hoc ſciamus unum eſſe ex præcipuis exercitiis fidei noſtræ, humiliari ſub forti Dei manu, & cum ſilentio acquieſcere ejus judiciis. Cæterum notandum eſt, tunc demum placide & ſedatis animis homines ſe Deo ſubjicere, ubi perſuaſi ſunt, non ſolum abſoluta potentia facere quicquid libuerit, ſed juſtum eſſe judicem. nam etſi impii ſe ejus manu percuti ſentiunt, quia tamen eum inſimulant ſævitiæ & tyrannidis, non deſinunt horrendas in ipſum blaſphemias evomere. Interea ſic David occulta Dei judicia reverenter ſuſpicit & adorat, ut ſola ejus voluntate contentus, nefas eſſe ducat verbum contra facere.

11. Aufer à me plagam tuam: à * vulnere manus tuæ ego defeci.

* vel, *contentione.*

12. In correptionibus propter iniquitatem caſtigas virum, & tabeſcere facis quaſi tinea præſtantiam ejus: certe vanitas, omnis homo. Selah.

11 הסר מעלי נגעך מתגרת ידך אני כליתי׃

12 בתוכחות על עון יסרת איש ותמס כעש חמודו אך הבל כל אדם סלה׃

11. *Aufer à me plagam.*] Confirmat ſuam precationem David, ut veniam adeptus, clementer tractetur. Neque tamen hæc oratio ſilentium illud, cujus nuper meminit, perturbat. quia vota noſtra ſi ad Dei præſcriptum formentur, minime turbulenta ſunt, ut iram Dei provocent, ſed ex fidei & patientiæ ſilentio manant. Verum quidem eſt, ubi quis ardenter Deum compellat, fieri non poſſe quin permiſceat ſuos affectus, querimonias profundat, & egerat immodicum ardorem. Sed videmus, Davidem, qui tumultuoſe nuper mala ſua deflebat, nunc pacato animo expendere quid meritus ſit, & veniam precari. Summa autem eſt, ut Deus pœnam quam inflixit, relaxet. Ratio additur, quia *deficiat à contentione manus ejus.* Nihil excuſationis affert ad levandam culpam, ſed infirmitati ſuæ parci cupit. Sicut autem privatim ſe conſumptum eſſe dicit, quia Dei manum ſentiat ſibi adverſam: mox quoque generalem ſententiam addit, Si Deus ſummo jure nobiſcum agere aggreſſus fuerit, nihil fore reliquum, niſi ut omnes eo irato deficiant. ac diſerte oſtendit ſe non de quolibet homine, vel de gregariis tantum loqui: quia ſi viros caſtiget Deus, quicquid in ipſis pretioſum eſt, liquefaciet. Summa eſt, neminem mortalium tanta virtute aut gloria excellere, quem ira Dei, ſi vehementius in eum exarſerit, non ſit protinus in nihilum redactura: ſed verba propius excutere convenit. Neque enim David ſimpliciter commemorat quam formidabilis ſit ira Dei: ſed in omnibus pœnis exigendis juſtitiam ejus prædicat. Profanis etiam hominibus judicia Dei interdum terrorem incutiunt, ſed in furorem eos impellit ſua cæcitas, ut nihilominus cum ipſo litigent. Per *correptiones* intelligit ſeveras pœnas, quæ meri rigoris teſtes ſunt ac iræ ſigna. Scimus enim Deum ſæpe ferulis ſuis percutere fideles, ut puniendo, clementiæ & amoris guſtum ſimul præbeat: nec ſolum temperet ipſas pœnas, ſed ſolatii condimento ſuaves reddat. hic ergo non de paterna caſtigatione concionatur David, ſed quam reprobis infligit, dum judicium quale meriti ſunt, in eos tanquam inexorabilis judex exercet: hoc rigore dicit cunctos mortales ſtatim liquefieri, vel *tabeſcere.* Sed primo intuitu abſurda videri poſſet comparatio Dei cum *tinea.* Quid enim affine habet vermiculo immenſa Dei majeſtas? Reſpondeo, aptiſſime Davidem hac ſimilitudine fuiſſe uſum, ut ſciamus, quamvis non palam fulminet è cælo Deus, non aliter tamen occulta ejus maledictione conſumi reprobos, ac tinea cæco morſu pannum vel lignum abſumit: & ſimul reſpicit ad excellentiam, quam dicit quaſi putredine corrumpi, ubi Deus infeſtus eſt, ſicuti pretioſiſſimas quaſque veſtes ſua tabe conficit tinea. Hoc modo Scriptura varias ſimilitudines ex optimis cauſis ſumptas ad diverſos reſpectus aptare ſolet. Ezechias, quum Deum ſimilem facit leoni, refert hoc ad animi ſui ſenſum, quia pavore exanimatus conciderat. Hic vero admonet David, quamvis non perſpiciat mundus horribilem Dei vindictam, reprobos tamen arcano ejus morſu conſumi. Opportune vero iterum nunc repetitur ſententia illa, quod *omnis homo ſit vanitas,* quia nunquam, niſi manu Dei proſtrati, in nos deſcendimus, ut vanitatis noſtræ cognitio omni fiducia nos exinaniat. Unde enim fit ut ſibi tam ſtulte placeant omnes, atque etiam applaudant, niſi quia ſponte ad ſuas infirmitates cæcutiunt, quamdiu illis parcit Deus? Unum igitur remedium eſt purgandæ ſuperbiæ, ubi territi iræ Dei ſenſu, non modo ſibi diſplicere, ſed prorſus ſe dejicere incipiunt.

Jeſa. 38. verſ. 13.

13. Audi precationem meam Jehova, & clamorem meum auſculta, ad lachrymas meas ne ſileas, quia peregrinus ego coram te, inquilinus ſicut omnes Patres mei.

14. Deſine à me, ut roborer antequam abeam, & non ſim.

13 שמעה תפלתי יהוה ושועתי האזינה אל דמעתי אל תחרש כי גר אנכי עמך תושב ככל אבותי׃

14 השע ממני ואבליגה בטרם אלך ואינני׃

13. *Audi precationem meam.*] Gradatim amplificat precandi vehementiam. Secundo enim loco *clamorem* ponit, tertio *lachrymas.* Neque tamen hæc gradatio eſt rhetorica, quæ ad ornatum & ſplendorem verborum tantum valeat: ſed quemadmodum David ex ſerio & intimo cordis affectu flevit, nobis omnibus præſcribit orandi legem. Quod ſe *peregrinum & inquilinum* vocat, his vocibus iterum oſtendit quam miſerabilis ſit ſua conditio: & diſerte addit, *coram Deo:* non tantum quod à Deo peregrinantur homines quamdiu in mundo habitant, ſed eodem quo prius ſenſu dixit, Dies mei tanquam nihilum apud te: quia ſcilicet Deus abſque monitore ſatis noverit homines breve itineris ſpatium in terra conficere, vel exiguo tempore in ea manere tanquam inquilinos. Summa eſt, Deum è cælo videre quam miſera ſit noſtra conditio, niſi nos ſua miſericordia excipiat.

14. *Deſine à me.*] Ad verbum eſt, Claude à me: ideo quidam exponunt, fac ut maceria ſit inter nos interpoſita, ne manus tua ad me perveniat. Alii ſubaudiunt Oculos: ſed quod ad rem ipſam, parum intereſt: quia poſtulat David ſibi dari pauxillum relaxationis, dum vires recuperet, vel ſaltem reſpiret ante mortem. Cæterum hæc clauſula perturbationem carnis reſpicit: quia videtur expoſtulando, liberum moriendi tempus ſibi petere, ut ſolent homines mœroris ſui tædio confecti. Vere quidem agnoſcit, nullam ſpem eſſe recuperandæ ſalutis, donec ab ira ſuperſedeat Deus: ſed perperam inducias ſibi tantum ad moriendum dari poſtulat. Poſſet quidem excuſari hoc votum: acſi dixiſſet, Domine

mine quia ſi ita in me ſævire pergis, mihi neceſſe erit miſere perire: da ſaltem aliquod temporis momentum quo tranquillus animam meam in manus tuas deponam. Sed ex verbis facile colligimus, doloris amaritudine infectum fuiſſe ejus animum, ut puram & fidei dulcedine conditam precationem concipere non poſſet. Dicit enim, *antequam abeam, & non ſim.* Quæ loquendi forma prope ad deſperationem accedit: non quod mortem David putaret eſſe interitum, vel abjecta ſpe ſalutis, exitio ſe addiceret: ſed quia dolore occupatus, animum ſuum non ita alacriter ut decebat, ſurſum attollit. Atque hæc ſententia in querimoniis Job non ſemel legitur. Sciendum igitur eſt, quamvis ſedulo compeſceret David carnis ſuæ affectus, hic tamen adhuc aliquid turbationis fuiſſe paſſum, ut modum excederet in dolore.

ARGUMENTUM PSALMI XL.

David ex ingenti aliquo periculo liberatus, & forte non uno, ſed multis, gratiam Dei magnifice celebrat: & hac occaſione in admirationem providentiæ Dei evehitur, quæ ſe extendit ad totum humanum genus. Deinde totum ſe Deo fore addictum profitetur, ac breviter definit quomodo rite colendus ſit. Mox iterum ad gratiarum actionem redit, multiſque elogiis proſequitur ejus laudes. Tandem ubi conqueſtus eſt de ſuis hoſtibus, Pſalmum nova precatione claudit.

PSALM. XL.

PRæfecto Davidis Canticum.

2. Expectando expectavi Jehovam, & inclinavit ad me, & audivit clamorem meum:

3. Et extraxit me è puteo reſonante, è luto cœnoſo, & ſtatuit ſuper rupem pedes meos, firmavit greſſus meos.

4. Et poſuit in os meum canticum novum, laudem Deo noſtro: videbunt multi, & timebunt, & ſperabunt in Jehova.

1 למנצח לדוד מזמור׃

2 קוה קויתי יהוה ויט אלי וישמע שועתי׃

3 ויעלני מבור שאון מטיט היון ויקם על סלע רגלי כונן אשרי׃

4 ויתן בפי שיר חדש תהלה לאלהינו יראו רבים וייראו ויבטחו ביהוה׃

EXpectando expectavi.] Exordium Pſalmi eſt gratiarum actio, qua David non modo è periculo, ſed ex præſenti morte ſe ereptum fuiſſe commemorat. Cur divinent quidam de morbo, nulla ratio eſt: imo conjicere potius licet, multa pericula quibus defunctus erat, hic complecti. Et certe non ſemel ad extremum uſque de vita periclitatus eſt: ut merito dicat exitiali ſe gurgite fuiſſe abſorptum, & demerſum in *luto cœnoſo*. Fidei tamen ſuæ conſtantiam oſtendit, quod non deſierit ſperare in Deo, quamvis mali diuturnitas patientiam excutere poſſet. Neque enim ſimpliciter ſe expectaſſe dicit, ſed repetitione ſignificat diu ſe fuiſſe anxium. Ergo quo longius extracta fuit tentatio, eo clarius enituit fidei documentum, ubi moram æquo & quieto animo pertulit. Summa igitur eſt, quum opem ſuam ſuſpenderet Deus, non tamen Davidis animum tædio elanguiſſe: poſtquam vero juſtum patientiæ ſuæ ſpecimen edidit, tandem fuiſſe exauditum. Porro nobis in ejus exemplo utilis doctrina proponitur, Quamvis non ſtatim appareat Dei auxilium, quia potius data opera nos ſuſpenſos & anxios teneat, non tamen cedendum eſſe: quia fides nonniſi longa tolerantia ſolide probatur. Animum etiam addere debet exitus quem prædicat: quia licet pro deſiderii noſtri fervore tardius ſuccurrat Deus, multum à fruſtratione diſtat ejus quies vel diſſimulatio. Nam ſi invictum fidei robur nos ſuſtineat, tandem aderit opportunum liberationis tempus.

3. *Et extraxit me.*] Lacum deſolationis quidam vertunt, quia verbum שאה unde nomen שאון deſcendit, tam perdere aut vaſtare, quam reſonare ſignificat. Sed aptior eſt alluſio ad profundos gurgites ubi tumultuoſo impetu aqua fertur. Nam metaphorice oſtendit, non longius ſe abfuiſſe à mortis periculo, quam ſi in altum puteum, & violento aquarum fervore perſtrepentem projectus foret. Eodem ſpectat ſimilitudo luti cœnoſi, qua ſignificat, tenaciter ſe fuiſſe defixum in ſuis malis, ex quibus non facile eſſet eum avelli. Subjicitur deinde ſubita & incredibilis mutatio, quæ magnitudinem gratiæ optime illuſtrat, dum *pedes ſuos in rupe locatos fuiſſe* dicit, quum totus ante aquis obrutus eſſet: gradus ſuos vel ſtabilitos, vel directos, qui prius non tantum in lubrico vacillabant, ſed erant in cœno defixi. Concludit, datum ſibi à Deo fuiſſe *in ore canticum novum:* quo genere loquendi finem liberationis notat. Nam quocunque modo opituletur nobis Deus, nihil viciſſim compenſationis exigit, niſi ut grati ſimus ac memores. Itaque quotquot beneficiis nos proſequitur, toties os nobis aperit ad celebrandum ſuum nomen. Quum ergo Deus liberaliter nobiſcum agendo, ad canendas laudes ſuas invitet, merito reputat David, quandoquidem tam mirabiliter fuit ereptus, ſuggeſtam ſibi novi cantici materiam: & *novum* ponit pro ſingulari & exquiſito: ſicuti genus liberationis non vulgare erat, ſed æterna memoria dignum. Etſi enim nullum eſt tam leve Dei beneficium quod non magnifice prædicare deceat, quo tamen potentius manum ſuam exerit ad nos juvandos, vehementius ad hoc pietatis exercitium nos accendi æquum eſt, ut cantica noſtra, gratiæ magnitudini reſpondeant.

4. *Videbunt multi, & timebunt.*] Auxilii quod expertus eſt fructum latius extendit, quia ſcilicet multis commune erit documentum. Et certe quæ in unumquemque fidelium beneficia confert Deus, teſtimonia eſſe vult ſuæ perpetuæ erga omnes bonitatis, ut alii aliorum exemplo edocti, eandem gratiam ſibi expoſitam fore non dubitent. Quanquam autem primo intuitu minime inter ſe congruere videntur *timere & ſperare*, non tamen ſine ratione ea ſimul conjunxit David. Neque enim ſpem quiſquam de gratia Dei concipiet, niſi qui prius imbutus fuerit ejus reverentia. Nam generaliter timorem accipio pro ſenſu pietatis, quem in nobis generat potentiæ, æquitatis, & clementiæ ejus agnitio. Valuit quidem judicium Dei quod exercuit contra hoſtes Davidis ad omnes terrendos: ſed potius intelligit David (meo judicio) ſalute quam adeptus erat, multos expergefactum iri ut ſe Deo addicant, & reverenter ſe contineant ſub ejus imperio, quia agnoſcunt juſtum mundi judicem. Jam vero quiſquis ex animo ſe Dei imperio ſubjecit, ſpem cum reverentia neceſſario conjunget: præſertim ubi ante oculos verſabitur gratiæ teſtimonium, quo Deus ipſe communiter omnes ad ſe invitat. Diximus enim Deum miſericordem & beneficum erga alios ideo nobis proponi, ut ſtatuamus eundem erga nos fore. Jam iſtud *videre* cujus meminit David, non ad oculos

los tantum, ſed præcipue ad mentis ſenſum refertur: quia etſi promiſcue viderunt omnes quod acciderat, multis tamen non venit in mentem agnoſcere liberationem Davidis opus eſſe Dei. Quia ergo in conſiderandis Dei operibus tam multi cæcutiunt: ſciamus eos modo cenſeri oculatos, quibus datus eſt intelligentiæ Spiritus, ut non occupentur in eventis, ſed occultam Dei manum fide perſpiciant.

5. Beatus vir qui poſuit Jehovam ſpem ſuam, & non reſpexit ad ſuperbos & qui divertunt ad mendacium.

5 אשרי הגבר אשר שם יהוה מבטחו ולא פנה אל רהבים ושטי כזב׃

* Magna. 6. * Multa feciſti tu Jehova Deus meus mirabilia tua: & cogitationes tuas ſuper nos non licet ordinare ad te: narrabo & loquar, prævalent ſupra narrationem.

6 רבות עשית אתה יהוה אלהי נפלאותיך ומחשבותיך אלינו אין ערך אליך אגידה ואדברה עצמו מספר׃

5. *Beatus vir qui.*] Recitat qualem bene ſperandi materiam ſua liberatio piis omnibus datura ſit: nempe ut contemptis omnibus mundi illecebris, ſe totos in ejus fidem ſecure committant: nec modo perſuaſi ſint beatos eſſe qui in uno Deo ſperant, ſed omnes ſpes contrarias, fallaces & maledictas fore. Nam iſta perſuaſio non naſcitur nobiſcum: ſed partim ex verbo Dei, partim ex operibus concipitur. quanquam ſolus operum Dei conſpectus, ut nuper dixi, hanc lucem minime in nobis accenderet, niſi Deus verbo ſuo prælucens, benevolentiam nobis ſuam oſtenderet. Ubi autem ſe nobis propitium fore pollicitus eſt, certis etiam documentis bonitatem ſuam teſtatam faciens, quod ore protulit, manu obſignat. Itaque David non abs re commemorat, quia ex profunda morte extractus eſt in vitam, fideles hoc experimento eſſe edoctos, quod naturaliter homines ſibi non facile perſuadent, beatum eſſe quiſquis uno Deo contentus eſt. Porro quia nos ingenii noſtri vanitas fere deorſum retrahit: & quum ultro ad fallacias ſimus omnes propenſi, multis pravis exemplis tentamur: continuo poſt ſubjicit David, beatum eſſe *qui non reſpicit ad ſuperbos.* רהבים quidam vertunt Divites, vel Magnates hujus ſeculi: ſed perperam (meo judicio) quia conjunctim hæc duo ponuntur, ſuperbia & abſtractio ad mendacium. Reſpicere ergo ad magnates, non ſignificat quod illi imaginantur, ad eorum potentiam & opes ſe applicare, quaſi inde penderet ſalus: ſed tantundem valet atque eorum exemplo ad imitationem rapi. nam quum paſſim volitent ſuperbi homines, qui Deo contempto, felicitatis ſummam in ſua ambitione, in fraudibus, in rapinis, in aſtutia locant: ſtatim obrepit perverſa æmulatio, præſertim ubi illis pro voto ſuccedit, vana ſpes ad idem tentandum nos ſollicitat. Quare prudenter & non ſine magna neceſſitate David, ut in pura unius Dei fiducia ſenſus noſtros contineat, à malis exemplis cavere præcipit, quæ nos ad defectionem undique ſollicitant. Cæterum quod dicit ſuperbos *ad mendacium divertere*, hoc modo ſtultam carnis confidentiam breviter definit. quid enim aliud eſt eorum ſuperbia, qui figmenta ſua in Dei locum ſubrogant, quam fallax illuſio? Certe quiſquis vel minimum ſibi arrogat, vento ſtultæ opinionis inflatus, ſibi in perniciem ſuam blanditur. In ſumma, piæ quæ in unum Deum recumbit, fiduciæ opponitur ſuperbia & vanitas: quia nec quicquam carni difficilius eſt quam acquieſcere in uno Deo: & mundus ſemper faſtuoſis hominibus refertus eſt, qui ſibi in vanis illecebris placentes, piorum animos ſtatim labefactarent, niſi injectum eſſet frenum hoc ad cohibendas omnes erroneas & vagas opiniones.

6. *Multa feciſti.*] Quanquam in verbis nonnihil diſſentiunt interpretes, ſatis tamen convenit, Davidem hic cum admiratione expendere Dei providentiam qua gubernat humanum genus. Ac primo quidem exclamat, *magna* vel *multa eſſe operum Dei miracula:* ſignificans, Deum inæſtimabili ſapientia ſic moderari res humanas, ut ejus opera quæ aſſiduo uſu viléſcunt, longe humanum captum ſuperent. Ita videmus ab una ſpecie ad totum genus conſcendere: acſi diceret, non hoc tantum uno facto Deum probaſſe quam de humano genere paternam curam gerit, ſed generaliter in ſingulis mundi partibus fulgere admirabilem ejus providentiam. Deinde adjungit, *conſilia Dei* in nobis curandis altiora eſſe ac magis recondita quam ut diſtincte *ordinari poſſint.* Quidam exponunt particulam אלינו ſuper nos, comparative: acſi dictum eſſet, Dei conſilia ſenſu noſtro altiora eſſe. Sed David potius, quam Deus ſuſcipere de nobis curam dignatur, commendat. Quia autem hoc modo abrumpitur contextus, coguntur verbum ערוך ſecus accipere quam tranſtuli, nempe quod nullus æquari vel conferri Deo poſſit. Verum ut à longa refutatione abſtineam, hunc genuinum eſſe ſenſum prudens lector mihi concedet, Deum incomprehenſibili ſapientia ita regere humanum genus, ut ejus opera in ſuum & legitimum ordinem digerere noſtrum non ſit: quia ſenſus noſtri priuſquam in tantam altitudinem perveniant, ſua tarditate deficiunt. Additur ad Deum, quia etſi ex parte reputamus quam mirifice nobis Deus proſpiciat, reſtringitur tamen hæc cognitio ad modulum noſtrum: ideoque infra immenſam Dei gloriam longe ſubſiſtit. Nam qui exponunt, Dei conſilia ad Deum non referri, quia major pars caſum & fortunam dominari imaginatur: quaſi David hominum ingratitudinem perſtringeret qui Deum laude ſua fraudant: haud dubie falluntur. Nam mox ſubjiciens, utcunque opera Dei referre conetur, ſe in media narratione deficere: ſatis oſtendit, piam & ſanctam meditationem in qua ſe exercent filii Dei, non ultra tenuem guſtum conſcendere. Tenemus nunc mentem Davidis: nam de ſalute ſibi divinitus allata præfatus, occaſione inde ſumpta, Dei providentiam in fovendis & tuendis hominibus generaliter prædicat. Eſt autem propoſitum fideles hortari ad conſiderandam Dei providentiam, ne in eam ſuas omnes curas rejicere dubitent. Quod enim alii vel inquietudine æſtuant, vel ad minimos quoſque flatus trepidant, alii terrenis præſidiis ſe munire ſatagunt, ex doctrinæ hujus inſcitia oritur, quod Deus res hominum ſuo arbitrio gubernet. Jam quia major pars Dei providentiam ſuo ſenſu æſtimans, eam maligne obſcurat vel extenuat: prudenter David eam in ſuo gradu locans, obſtaculum hoc tollit. Quare huc ſpectat ſententia, ut reverenter ſuſpiciant homines in operibus Dei quod ſenſu non comprehendunt, & quoties eos caro ad obſtrependum ſollicitat, ſeſe ſupra mundum evehant. Dormire videtur Deus ſi ceſſat, nempe quia externis mediis ejus manum alligantes, occultis modis agere non reputamus. Quare diſcamus ex hoc loco, quamvis nos fugiat operum ejus ratio, ſemper in conſiliis ſuis admirabilem eſſe. Cohæret autem hic verſus cum proximo: quia nemo rite Deum ſibi in ſolidam fiduciam proponit, niſi qui clauſis oculis permittit ſe regendum ejus arbitrio. Nec temere, quum hactenus in tertia perſona loquutus eſſet, ſermonem ad

Deum nunc repente convertit, quo nos efficacius in hac ſobrietate & modeſtia erudiat. Cæterum quum negat diſtincte opera Dei poſſe cognoſci: non ideo nos vel notitia, vel inquiſitione abſterret: ſed temeritatem noſtram compeſcit, quæ in hac parte nimis alioqui exultat. Atque in hunc finem diſerte exprimitur particula *ad te*, qua monemur, etiamſi quis ſedulo ad meditanda Dei opera ſit intentus, tantum fines vel circuitus attingere. Quamvis ergo procul à nobis diſtet tanta altitudo, danda eſt tamen opera quoad in nobis erit, ut per continuos profectus magis ac magis ad eam accedamus, ſicuti etiam videmus manum à Deo nobis porrigi, ut hæc mirabilia, quorum minime ſumus capaces, quatenus expedit, nobis patefaciat. Nihil enim magis præpoſterum, quam appetere craſſam inſcitiam providentiæ Dei, quia nondum perfecte à nobis comprehenditur, ſed tantum ex parte guſtatur: ſicuti hodie videmus quoſdam totis nervis ad eam obruendam non alio prætextu eniti, niſi quia intelligentiam noſtram ſuperat. quaſi vero æquum ſit non plus Deo permittere, quam nobis ſenſus carnis conſentaneum eſſe dictet. Longe aliter David, qui aciem ſuam immenſo fulgore oppreſſam ſentiens, fatetur mirabilia eſſe, quorum rationem non capit: neque interim abſtinet ab omni eorum mentione, ſed pro ſua menſura ad piam meditationem incumbit. Unde colligimus, quam ſtulta ſit & futilis iſta cautio, quia ardua ſunt conſilia Dei, prorſus de illis tacendum eſſe. Atqui David oneri ſuccumbens, conſcendere tamen non deſtitit, nec propterea obmutuit, quia ad narrandum impar eſſet: ſed ſatis habuit fidem ſuam & ſermonem admiratione claudere.

* Heb 10. verſ. 5.

7 * Sacrificium & oblationem non amaſti: aures aptaſti mihi. holocauſtum & piaculum non poſtulaſti.

8. Tunc dixi, Ecce venio: in volumine libri ſcriptum eſt de me,

9. Ut faciam beneplacitum tuum Deus meus: volui, & Lex tua in medio viſcerum meorum.

7 זבח ומנחה לא חפצת אזנים כרית לי עלה וחטאה לא שאלת׃

8 אז אמרתי הנה באתי במגלת ספר כתוב עלי׃

9 לעשות רצונך אלהי חפצתי ותורתך בתוך מעי׃

7. *Sacrificium & oblationem*, &c.] Hic David non modo ſacrificium laudis, aut vitulos labiorum, ſicut loquitur Oſeas Propheta, ſed teſtandæ gratitudinis ſuæ cauſa Deo ſe totum offert ac conſecrat: acſi dixiſſet, ſe jam penitus addictum eſſe Deo, quia liberatus incredibili ejus virtute, vitam ei bis debeat. Interea tamen de vero ejus cultu diſſerens: oſtendit non eſſe poſitum in externis ceremoniis, ſed ſpiritualem potius eſſe. Itaque ſenſus eſt, non accedere ipſum cum externa tantum pompa & Legalibus figuris in conſpectum Dei, ſed integram cordis pietatem afferre. Scimus autem, quum omnium animos occupet religio, ut nemo ſe palam & in totum ab ejus obſequio ſubducere audeat: magnam tamen partem flexuoſis ambagibus divertere. Quo fit ut perfunctorie Deum colendo, fere ludant. Hac occaſione David, quiſnam rationalis ſit Dei cultus, memorat, ut ſe diſcernat ab hypocritis, qui ore ſolum ad Deum appropinquant, vel certe frigidis ceremoniis eum placare volunt. Venio nunc ad verba. Non dubium eſt quin David per quatuor ſpecies quas recenſet, omnia Legis ſacrificia deſignet. Quare ſumma eſt, Deum à ſuis cultoribus non exigere ceremonias, ſed ſincero cordis affectu, fide & vitæ ſanctimonia contentum eſſe: neque oblectari viſibili Sanctuario, altari, ſuffitu, victimis, luminaribus, veſtitus ſplendore, externis ablutionibus. Unde colligit, aliam ſibi Dei colendi legem ac regulam tenendam eſſe: nempe ut ei ſe totum tradat. *Aures perforaſti.* Quidam ad præceptum Legis quod Exod. 21. verſ. 6. legitur, Davidem putant alludere. Siquis enim ſervus, quum tempus manumiſſionis advenerat, libertatem negligeret, in publicum productus hoc coram populo dicebat: tum ſubula aurem perforabat herus, ut ſtigma eſſet perpetuæ ſervitutis. Sed mihi videtur coacta argutia. Simplicius alii tantundem valere docent, atque Aptare in obſequium. neque enim unam duntaxat aurem, ſed utramque nominat. Jam ſcimus natura ſurdos eſſe homines, quia hebetudine aures illis obſtructæ ſunt, donec eas perforet Deus. Ergo hac voce notatur docilitas, ad quam formamur Spiritus ſancti gratia. Ego tamen hoc loquendi genus ad circumſtantiam hujus loci propius accommodo, Davidem non fuiſſe gravi & tardo auditu, ſicuti vulgus hominum, ut in ſacrificiis nihil niſi terrenum intelligeret: ſed purgatas fuiſſe ejus aures, ut melior eſſet Legis interpres, externoſque omnes ritus ad ſpiritualem Dei cultum referret. Nam aurium perforationem quaſi parentheſi includit, de ſacrificiis ex profeſſo tractans: ut apte reſolvi poſſit oratio in hunc modum, Domine tu mihi aures aperuiſti, ut dextre agnoſcam quorſum ſpectet quicquid mandaſti de ſacrificiis, nempe ea per ſe nihil afferre oblectationis: quia tu, qui Spiritus es, non moraris terrena hæc elementa, nec carne vel ſanguine indiges: ideoque aliquid altius & præſtantius requiri. Jam ſiquis objiciat, ſacrificia tamen ex Dei præcepto fuiſſe oblata: nuper dixi, Davidem hic ſpiritualem Dei cultum ab umbratili diſtinguere. In hac vero comparatione, nihil mirum ſi ſacrificia nullius momenti eſſe dicat, quia tantum adminicula erant pietatis, tendebantque in alium finem. Quum ergo talibus rudimentis ad fidem & pœnitentiam populum ſuum exercuerit Deus: colligimus, ſacrificiis coli nolle. Semper enim illud tenendum eſt, quicquid per ſe Deo non placet, ſed propter aliud duntaxat, ſi pro vero ejus cultu cenſetur, repudiari.

8. *Tunc dixi, Ecce venio.*] Adverbio *tunc*, ſignificat non prius ſe idoneum fuiſſe diſcipulum, quam Deus aures aperuiſſet: cæterum ubi arcano Spiritus inſtinctu edoctus fuit, dicit ſe prompto & alacri fuiſſe animo ad parendum. Atque hic optime à ſervili coactoque obſequio vera obedientia diſcernitur. Sciamus ergo, quicquid offerant homines Deo, frivolum & putidum eſſe, niſi ſeipſos offerant: deinde hanc quoque oblationem nullius eſſe pretii, niſi voluntaria ſit. Notanda enim ſunt hæc verba, *Ecce venio*, Item, *Volui facere beneplacitum tuum*. Siquidem Hebraicum verbum חפצתי, tantundem valet ac Complacuit mihi, vel Libenter acquievi. Notatur itaque tam promptitudo ad parendum, quam liberalis affectus & pergendi conſtantia. acſi dixiſſet, libere ſe prætuliſſe colendi Dei ſtudium aliis omnibus curis & votis: nec ſponte duntaxat ſe fuiſſe morigerum, ſed firmo animi propoſito ſe regulam pie vivendi amplexum eſſe. Quod iterum tertio membro melius confirmat, *Legem Dei viſceribus ſuis* infixam eſſe aſſerens. Nam hinc ſequitur, quantumvis reſplendeant hominum opera, niſi tamen ex viva cordis radice naſcantur, meras eſſe larvas: deinde fruſtra in obſervationem Legis componi pedes & manus, & oculos, niſi à corde incipiat obſequium. Cæterum ex aliis Scripturæ locis notum eſt, proprium eſſe munus Spiritus ſancti, Legem Dei cordibus noſtris inſculpere. Non agit qui-

dem in nobis Deus tanquam in lapidibus, ut ſine cordis noſtri ſenſu vel intrinſeco motu nos rapiat: ſed quum naturaliter ingenita ſit nobis voluntas, naturæ autem corruptione vitiata ſit, ut ſemper ad peccandum inclinet: corrigit eam in melius, ut libere appetamus juſtitiam, à qua toto affectu prius eramus averſi: atque hinc vera libertas, ubi corda noſtra, quæ prius mancipata erant peccato, Deus in obſequium ſuum format. *In volumine libri.* Quia Græcus interpres nomen Capitis poſuerat, dum volunt quidam argute philoſophari, cum ſuis ineptis commentis ridiculi fuerunt. Atqui nominis Hebraici בְּמְגִלַּת eadem eſt etymologia, quæ Voluminis apud Latinos. barbari rotulum dicerent. Sed videndum eſt quo ſenſu peculiariter ſibi vendicet David quod omnibus commune eſt ac promiſcuum. Nam quum Lex cunctis hominibus præſcribat ſancte vivendi rationem: non videtur in unum hominem vel paucos competere quod hic dicitur. Reſpondeo, quamvis communiter ad omnes pertineat literalis doctrina Legis, quia tamen per ſe mortua eſt, & nihil aliud quam aërem verberat: Deum alio modo ſuos docere, & quatenus interior & efficax iſta Spiritus doctrina, proprius eſt eorum theſaurus: in arcano Dei libro non niſi de ipſis ſcriptum eſt, ut Dei voluntatem compleant. Perſonat quidem vox Dei per totum orbem, ut inexcuſabiles reddantur quicunque non obtemperant: ſed tantum in corda piorum penetrat, quibus in ſalutem deſtinata eſt. Sicuti ergo Imperator militum ſuorum nomina recipit, ut certus ſit eorum numerus: ſicuti magiſter ſuos diſcipulos in catalogum refert: ita Deus filios ſuos in libro vitæ deſcriptos habet, ut ſub jugo ſuæ diſciplinæ eos contineat. Reſtat ſcrupulus unus: quia videtur Apoſtolus in Epiſtola ad Hebræos violenter locum hunc torquere, dum ad Chriſtum ſolum reſtringit quod prædicatur de omnibus electis, & præciſe contendit abrogata eſſe Legis ſacrificia, quæ tantum per comparationem negat David Deo grata eſſe: & Græci interpretis potius quam Prophetæ verba recitans, plus colligit quam Davidi propoſitum fuerit docere. De Chriſti perſona ſolutio facilis eſt: quia David non ſuo tantum privato nomine loquutus eſt, ſed in genere quid conveniat omnibus Dei filiis, oſtendit. Ubi autem in medium prodit Eccleſiæ communitas, ad caput ipſum aſcendere neceſſe eſt. Nec obſtat quod paulo poſt, quæ ſuſtinet mala, culpæ ſuæ imputat: quia minime novum eſt ad Chriſtum improprie vitia noſtra transferri. De abrogatione Legalis cultus ita reſpondeo, non inepte ex Prophetæ verbis elici: neque enim hic locus aliis compluribus ſimilis eſt, ubi ſacrificia reſpuit Deus ac damnat, quæ ab hypocritis oblata, merito ob eorum immunditiem ſordebant: quia illic propter abuſum & corruptelam damnat Deus externam ſpeciem, quæ nihil aliud erat quam inane figmentum: hic vero quum de ſe Propheta diſſerat, qui ſincerus erat Dei cultor, & Deum ſacrificiis oblectari neget: inde colligere promptum eſt, ſpectaſſe in alium finem, & puerilia fuiſſe rudimenta quæ veteri populo Deus ad tempus mandaverat. quod ſi eorum veritas & ſubſtantia in Chriſto continetur, certum eſt ejus adventu fuiſſe abolita. Davidis quidem ſeculo adhuc vigebat eorum uſus, ſed tamen admonet, perfectum Dei cultum abſque ſacrificiis, conſtare ſuis omnibus numeris: & ceremonias quiddam eſſe adventitium vel accidentale, ut loquuntur. idque obſervatu dignum eſt: ut ſciamus, Deum, ubi figuras ſuſtulit quas ad tempus præceperat, non tamen eſſe ſui diſſimilem, quia tantum in his exercitiis hominum habuit rationem. Quod autem Apoſtolus Græcum interpretem ſequutus, vocem Corporis quæ apud Davidem non habetur, ad ſuum propoſitum deflexit: in hac alluſione nihil eſt abſurdi. neque enim ex profeſſo mentem Davidis ſumit explicandam: ſed quia prius dixerat, unico Chriſti ſacrificio alia omnia fuiſſe abolita: ſimul addit, corpus aptatum fuiſſe Chriſto, cujus oblatione voluntatem Dei perficeret.

10. Annunciavi juſtitiam in cœtu magno: ecce labia mea non prohibebo, Jehova tu noſti.

11. Juſtitiam tuam non abſcondi in medio cordis mei: veritatem tuam & ſalutem tuam prædicavi, non celavi bonitatem tuam & veritatem tuam in cœtu magno.

12. Tu Jehova ne prohibeas miſerationes tuas à me: bonitas tua & veritas tua ſemper cuſtodiant me.

10 בִּשַּׂרְתִּי צֶדֶק בְּקָהָל רָב הִנֵּה שְׂפָתַי לֹא אֶכְלָא יְהוָה אַתָּה יָדָעְתָּ׃

11 צִדְקָתְךָ לֹא כִסִּיתִי בְּתוֹךְ לִבִּי אֱמוּנָתְךָ וּתְשׁוּעָתְךָ אָמָרְתִּי לֹא כִחַדְתִּי חַסְדְּךָ וַאֲמִתְּךָ לְקָהָל רָב׃

12 אַתָּה יְהוָה לֹא תִכְלָא רַחֲמֶךָ וַאֲמִתְּךָ תָּמִיד יִצְּרוּנִי׃

10. *Annunciavi*, &c.] Hic rurſus David gratitudinem ſuam in medium profert, non alio conſilio niſi ut Deum provocet ad continuum beneficentiæ curſum. Nam quum Deus, quoties ſe oſtendit erga nos liberalem, ad gratias agendas nos invitet: hæc quoque una ratio eſt cur ſui ſimilis eſſe pergat, dum nos videt gratos eſſe ac memores. Etſi autem priore loco, *juſtitiæ* nomen ſimpliciter ponit: ſubaudienda tamen eſt juſtitia Dei quæ paulo poſt exprimitur. Nec vero arcano tantum affectu vel privatim Deo ſe laudem dediſſe affirmat, ſed publicum ejus ſe fuiſſe præconem in ſolenni conventu: ſicut tunc fideles hoſtiis pacificis ſolebant teſtari ſuam pietatem, ſiqua inſignis liberatio ipſis contigerat. Nam *cœtus magnus* de quo loquitur, non ad forenſem vel profanum concurſum refertur, ſed legitimam Eccleſiam quam tunc ſcimus ſolitam congregari ad Sanctuarium. Ideo etiam dicit, ſe non occultaſſe in corde juſtitiam Dei, quam celebrare palam convenit in mutuam ædificationem. Et certe quiſquis eam intus ſupprimit, ipſum Dei nomen, quantum in ſe eſt, ſepultum vellet. Atque hujus rei teſtem appellat Deum, non tantum ut ſe diſcernat ab hypocritis, qui plenis ſæpe buccis reſonant Dei laudes abſque ullo affectu: ſed quo certius teſtatum faciat ſedulo & ingenue ſe operam dediſſe narrandis Dei laudibus, ſibique curæ fuiſſe ne qua parte eum fraudaret. hæc autem aſſeveratio non levis momenti rem tractari admonet. Etſi enim præconiis noſtris non indiget Deus, multis tamen de cauſis vult hanc inter nos mutuam exercitationem vigere.

11. *Juſtitiam tuam non abſcondi.*] Notanda eſt nominum congeries, quæ ad idem notandum pertinet. Juſtitiæ enim Dei conjungitur veritas, ſalus & miſericordia. Quorſum, niſi ut pluribus elogiis Dei beneficium illuſtret? Notandum tamen eſt quomodo inter ſe differant: quia inde colligere licebit quam recte & apte competant in liberationem de qua nunc tractatur. Si hæc quatuor in ſuum ordinem digerere placeat, *miſericordia* tenebit primum gradum, qua ſola adducitur Deus ut nos reſpicere dignetur. *Juſtitia* eſt continua ejus protectio, qua ſuos tuetur, & benignitas, qua ipſos fovet: ſicuti jam alibi dictum eſt. Porro ne quis dubitet, perpetuo tenore æquabilem fluere, additur *veritas*: quo nomine docemur, Deum ſui manere ſimilem, nec juvando fatigari, nec unquam manum ſuam retrahere. Quanquam ſimul tacita ſubeſt promiſſionum indicatio:

tio: quia nemo rite juſtitiam Dei apprehendet, niſi qui in verbo, ubi offertur, eam amplexus fuerit. *Salus* juſtitiæ effectus eſt, quia Deus gratuitum ſuum favorem erga ſuos proſequitur, aſſidue opem ferendo, donec ſalvos in ſolidum præſtiterit.

12. *Tu Jehova ne prohibeas.*] Clarius videmus quod nuper attigi, Davidem loqui de ſua gratitudine, ut Deum retineat propitium: & os aperuiſſe ad canendas Dei laudes, ut novas ſubinde gratias eliceret: quibus ſilentii noſtri malignitas ut plurimum januam claudit. Quare diligenter notanda eſt relatio, ubi David ſe labia non clauſiſſe dicit, ut viciſſim Deus ſuas miſericordias non obſeret vel cohibeat. qua docemur, Dei bonitatem ſemper fore nobis promptam: imo inſtar fontis inexhauſti erga nos diffluere, niſi ejus curſum abrumperet noſtra ingratitudo. *Miſerationes* vel רחמיך de quibus loquitur, parum à bonitate differunt: neque tamen de nihilo placuit Davidi hæc varietas: ſed quia aliter ſibi ſatisfacere non poterat in gratia Dei extollenda: deinde quia fontem clementiæ vel bonitatis oſtendi operæpretium fuit: nempe dum miſeriis noſtris movetur ad opem nobis ferendam. Poſtea ſalutis ſuæ cuſtodiam in Dei bonitate & fide locat, quia initium (ut paulo ante dixi) à gratuito Dei favore facere neceſſe eſt, ut ad nos uſque perveniat ejus liberalitas. Sed quia Deum non ante nobis propitium concipimus quam nobis amoris ſui fidem faciat, merito conſtantia ejus, & in ſervandis promiſſis veritas annectitur.

13. Quia circumdederunt me mala uſque in immenſum, comprehenderunt me iniquitates meæ ut videre non potuerim: multiplicata ſunt ſupra capillos capitis mei, cor meum deſeruit me.

13 כי אפפו עלי רעות עד אין ס
מספר השיגוני עונתי ולא יכלתי
לראות עצמו משערות ראשי ולבי
עזבני׃

14. Placeat tibi Jehova liberare me: Jehova ad auxilium meum feſtina.

14 רצה יהוה להצילני יהוה ל
לעזרתי חושה׃

15. Pudefiant & erubeſcant ſimul qui quærunt animam meam ad perdendum eam: avertantur retrorſum & pudefiant qui quærunt malum meum:

15 יבשו ויחפרו יחד מבקשי נפשי
לספותה יסגו אחור ויכלמו חפצי
רעתי׃

16. Diſperdantur pro mercede pudoris ſui, qui dixerunt * mihi, Euge, euge.

16 ישמו על עקב בשתם האמרים
לי האח האח׃

* vel, *de me.*

13. *Quia circumdederunt.*] Phraſis Hebraica plus exprimit quam Latine redditur. Dicit enim עלי, ſuper me: ſignificans, non modo undique ſe ad omne latus eſſe obſeſſum, ſed capiti etiam ſuo malorum congeriem incumbere. Interea non conqueritur, vel immerito, vel ſupra culpæ ſuæ modum ſe affligi: quin potius ingenue fatetur rependi peccatis ſuis mercedem. Nam etſi עון (ut alibi ſæpius vidimus) pœnam quoque ſignificat, etymologia tamen ſpectanda eſt. Ergo quum David, quas ſuſtinet pœnas, fructus vel effectus iniquitatis vocet, ſubeſt modeſta confeſſio: unde colligimus quanta manſuetudine & reverentia, Dei judiciis ſe ſubmiſerit, qui ingenti malorum congerie oppreſſus, ſuas iniquitates ex oppoſito longe lateque extendit, ne Deum nimii rigoris inſimulet. Jam dum videmus tam ſevere tractatum fuiſſe Davidem, diſcamus etiam ſub extremis malis gementes, judicem noſtrum ſuppliciter deprecari. Adde quod ſe non fuiſſe ſtupidum vel lapideum oſtendit, quum relictus vel deſertus fuerit à corde ſuo. Perinde enim eſt acſi non modo fractum, ſed exanimatum ſe jacuiſſe dicat. *Cordis* tamen defectum vel deliquium intellige de carnis ſenſu: quia precandi conſtantia certo documento eſt, fidem nunquam penitus in eo fuiſſe extinctam: ſed quum inops conſilii & virtute exinanitus ſecundum hominem eſſet, non abs re cor ſuum evanuiſſe dicit.

14. *Placeat tibi Jehova.*] Verbum quo utitur David, ex mero beneplacito velle ſignificat. Ergo liberari cupit gratuita Dei miſericordia. De feſtinatione alibi dictum eſt. Nam etſi tardante Deo, contra tædium nobis luctandum eſt: pro ſua tamen indulgentia hanc precandi formam concedit, ut pro voto noſtro acceleret. Poſtea ſuo more inimicos ad Dei tribunal citans, ex eorum crudelitate & injuſtis ſceleratiſque odiis fiduciam exorandi petit. Nam ita ſtatuendum eſt, quo iniquius nobis moleſti ſunt hoſtes, ac infeſtius in nos ſæviunt: Deum ad nos juvandos magis propenſum fore. Atque hæc non vulgaris conſolatio eſt, cum eorum improbitate certare Dei miſericordiam, ut paratior ſit ad ferendum auxilium, quo ardentius illi ad nocendum feruntur. Cæterum quo affectu iſtas imprecationes conceperit David, jam aliquoties dictum eſt: atque hic memoria repetere convenit, ne quis iracundiæ ſuæ frena laxans, ejus exemplum prætexat. Semper enim damnabitur eorum ἀμετρία, qui carnis impetum pro Spiritus zelo ducem ſequuntur. Quum ipſos *ſuper mercede opprobrii ſui perire* optat: ſenſus eſt, Sicuti hoc unum ſpectarunt ut me ignominia opprimerent, & confuſo ac perdito petulanter inſultarent: ita ſimilis confuſio in eorum capita recidat. Nam ſecundo membro genus illud confuſionis deſignat, falſos pæanas referens, quibus miſerum & calamitoſum hominem traduxerant. Porro ut hinc docemur, ubi nos atrociter inſectati fuerint hoſtes, paratam illis mercedem eſſe, ut in eorum capita quicquid machinati ſunt, Deus retorqueat aut revolvat: ſic eadem doctrina moderationis frenum eſſe debet, ut nos humaniter cum proximis geramus.

17. Exultent & lætentur in te omnes inquirentes te: & dicant, Semper magnificetur Jehova, qui diligunt ſalutem tuam.

17 ישישו וישמחו בך כל מבקשיך
יאמרו תמיד יגדל יהוה אהבי ת
תשועתך׃

18. Ego autem pauper & inops. Jehova proſpexit mihi: auxilium meum & liberator meus, tu Deus mi ne tardes.

18 ואני עני ואביון אדני יחשב לי
עזרתי ומפלטי אתה אלהי אל ת
תאחר׃

17. *Exultent & lætentur.*] Alio argumento, quod etiam alibi ſæpe uſurpat, utitur ad impetrandam liberationem. non quod ad Deum perſuadendum rationes proferre opus ſit, ſed quia fidem noſtram his fulturis confirmare utile eſt. Quia ergo Deus communiter ab omnibus, non tantum ab uno vel altero, vult agnoſci

agnoſci miſericors: quoties unum ex ſuis aliquem liberat, commune beneficium præſtat, quod ſimul fideles in ſe transferre debent, dum in unius hominis perſona ſpectant qualis erga omnes futurus ſit Deus, qui ſibi non eſt diſſimilis. Ergo ſe nihil privatim ſibi petere oſtendit, quod non ad totam Eccleſiam pertineat. Precatur ut Deus ſanctos omnes exhilaret, vel communem ipſis præbeat gratulandi materiam, ut de ejus auxilio certi alacriter ad ipſum ſe conferant. Unde ſtatuimus, Deum in ſingulis hominibus ſuæ erga nos bonitatis ſpecimen edere. Quod etiam dicit amare Dei *ſalutem*, notatu dignum eſt: quia hinc colligimus, vere demum fidem noſtram probari, ſi non aliunde quam ab uno Deo ſervari ſperamus aut cupimus. Nam qui ſibi varias imaginantur ſalutes in hoc mundo, ſalutem quam à ſe peti Deus jubet, negligunt vel reſpuunt. Idem valet quod prius dixerat, Deum quærere: quia ut quis à Deo totus pendeat, & cupiat ejus gratia ſalvus eſſe, neceſſe abjecta omni vana ſpe ad amplexandam ejus virtutem adjicere omnes ſenſus. Hic rurſus notanda ſunt duo antitheta. Dixerat nuper, improbos quærere vitam ſuam: nunc fidelibus diverſum affectum tribuit, quod Deum quærant. Illorum ſubſannationem retulerat, Euge, euge: hos aliter loquentes inducit, ut *ſemper magnificetur* Deus.

18. *Ego autem pauper.*] In hac clauſula gratiarum actioni precationem miſcet. quanquam fieri poteſt, ut votum inter anguſtias conceptum referat. Porro initium verſus ita reſolvi poteſt, Quamvis miſer eſſem & inops, Deus cogitavit de me. Quia enim ut quiſque miſer eſt, à mundo contemnitur, ita fingimus Deo non eſſe curæ: ſtatuendum eſt, miſerias noſtras non parere Deo faſtidium, ut nobis conſulere gravetur. Sic tamen potius legamus, Quum ego miſer ac egenus eſſem, Dominus meam neceſſitatem reſpexit: ut hac circumſtantia, Dei gratiam amplificet. Nam ſi mature nos Deus ſua bonitate præveniens, non expectat dum nos res adverſæ urgeant, non tam clare apparet ejus erga nos favor. Hæc igitur comparatio non parum illuſtrat Dei gloriam in liberatione Davidis, quod homini deſpecto & ab omnibus rejecto, ſpeque & ope deſtituto manum porrigere dignatus ſit. Jam ſi Davidem huc inopiæ redigi oportuit, non mirum ſi gregarii homines eodem ſæpe modo humilientur, quo ſentiant & ſerio agnoſcant Dei manu ſe ex deſperatione fuiſſe ereptos. Precationis ſimplex ac genuinus hic ſenſus eſt, Domine auxilium meum es & liberator meus: ergo ne moreris. Quia enim dubio & vacillanti animo ad Deum accedere abſurdum eſt, fiduciam ab experientia colligit ſuo more, ſibique perſuadet ſibi minime defore auxilium quo hactenus ſervatus eſt.

ARGUMENTUM PSALMI XLI.

Quum David manu Dei graviter afflictus, iniquis ſe multorum judiciis premi videret, acſi jam æterno exitio devotus eſſet atque addictus: contra hanc tentationem ſpei conſolatione ſe munit. Conqueritur interea partim de crudelitate, partim de perfidia hoſtium ſuorum. Et quanquam agnoſcit de ſuis peccatis juſtam ſumi pœnam, eorum tamen malitiam accuſat, quod hominem bene meritum improbe vexarint. Poſtremo gratulationem attexit, quod ſervatus fuerit Dei gratia.

PSALM. XLI.

PRæfecto Canticum Davidis.

2. Beatus qui prudenter judicat ſuper egenum: in die mala liberabit eum Jehova.

3. Jehova cuſtodiet eum, & vivificabit eum: beatus erit in terra, & non trades eum deſiderio hoſtium ejus.

4. Jehova fulciet eum ſuper lectum doloris: omne ſtratum ejus vertiſti in infirmitate ejus.

1 למנצח מזמור לדוד׃

2 אשרי משכיל אל דל ביום רעה ימלטהו יהוה׃

3 יהוה ישמרהו ויחיהו אשר כ בארץ ואל תתנהו בנפש איביו׃

4 יהוה יסעדנו על ערש דוי כל משכבו הפכת בחליו׃

BEatus qui prudenter, &c.] Vulgo multi interpretes laudari putant humanitatis officia, dum curæ ſunt miſeri homines & juvantur. Sed rectius alii expendunt Davidis conſilium, quod ſcilicet eorum æquitatem laudet, qui prudenter & moderate judicant de hominibus afflictis. Nec vero aliter accipi poteſt participium משכיל. Sed tenendum ſimul eſt cur David beatos eſſe pronunciet qui prudenter ſanaque intelligentia æſtimant Dei ferulas, dum ſervos ſuos caſtigat. Diximus, certamen illi fuiſſe cum præpoſteris judiciis: quia quum duriter eum urgeret afflictio, putarunt multi perditum eſſe ac deſperatum. Neque enim dubium eſt idem ei contigiſſe quod ſancto Job, quem amici ſeverius à Deo tractari videntes, omnium ſceleratiſſimum judicant. Et ſane hoc nimis commune vitium eſt, ut major pars hominum miſeros exitio adjudicet. Nam ſicuti divitibus & aliis quibus proſpera fortuna arridet, vulgus quoque hominum applaudit, Dei favorem ex caduca felicitate æſtimans: ſic & miſeris contumelioſe inſultat, & temere Deo exoſos eſſe imaginatur, quia illis non tam clementer parcit ut reprobis. Hæc male & ſiniſtre judicandi pravitas ſeculis omnibus regnavit. Clamitat paſſim Deus ſe pluribus de cauſis probare fideles rebus adverſis, nunc ut eos ad patientiam exerceat, nunc ut ſubigat vitioſos carnis affectus, nunc ut ſuperfluas carnis cupiditates excoquat & purget, nunc ut eos humiliet, nunc ut aliis ſtatuat in exemplum, nunc ut ad vitæ cæleſtis meditationem excitet. Sed nos ut plurimum abſque diſcrimine præcipites ferimur, & quicunque ſub cruce laborant, eos demergimus infra omnes abyſſos (ut ita loquar.) hujus temeritatis frenandæ cauſa, dicit David beatos eſſe qui non ita crudeliter ſæviunt perverſis judiciis, ſed prudenter diſcernunt inter plagam & plagam, adeoque malignum illum rigorem carni ingenitum, Spiritus prudentia temperant. Exemplum nuper in perſona Job propoſui, quem dum amici extrema calamitate confectum aſpiciunt, reprobum & deploratum eſſe non dubitant. Si in tale ſpectaculum incideret æquus & humanus arbiter, prudentiam adhiberet quam nunc laudat David. Nos vero hoc Spiritus teſtimonio admoniti, cohibere diſcamus nimiam noſtram feſtinationem. Prudenter autem judicandum eſt de afflictis fratribus, ut de eorum ſalute bene ſperemus: ne ſi inclementer ante tempus à nobis damnati fuerint, hic injuſtus rigor in capita noſtra recidat. Præcipue tamen notandum eſt quod ſupra attigi, Davidem malignis ſæviſque judiciis fere obrutum, hac conſolatione ſe armaſſe, ne tentationi ſuccumberet. Diſcamus ergo & nos, ſiquando ſuperbis hominum judiciis fidem noſtram labefactare molitur Satan, ſenſus noſtros ad hanc prudentiam referre, ne deſperatio nobis obrepat. Hic genuinus eſt præſentis doctrinæ uſus. *In die mala liberabit.* Quidam ſuperiori mem-

membro conjungunt : & tolerabilis eſſet lectio, niſi hæc diſtinctio aptior foret, quam & accentus adjuvat. Certe hinc plenior elicitur doctrina, Dominum liberatorem fore pauperis in die adverſo. Putant nonnulli Davidem benepreeari dextris & moderatis hominibus. acſi diceret, Dominus, ſiquando illos contingat miſere affligi, viciſſim rependat clementiæ mercedem. Alii ſentiunt referri illorum verba, ex quibus eorum prudentia & rectitudo perſpici queat. Falluntur tamen utrique (meo judicio) dum ſententiam hanc optative legunt. Sive autem in ſua, ſive in illorum perſona loquatur David, breviter æquitatem commendat, quæ nobis ſervanda eſt erga miſeros : nempe quamvis ad tempus ſe Deus illis infenſum oſtendat, propitium tamen fore, ut lætior demum exitus appareat, quam judicium ferri queat ex præſenti intuitu. Videmus nunc quanto hoc uberius ſit & magis emphaticum, ſperari à Domino ſalutem, etiam in die malo. nam alioqui nullus ex dolore emergeret. Neque enim ſolum hortatur fideles Spiritus ſanctus, ut propenſi ſint ad manſuetudinem, quoties vident fratres ſuos affligi, ſed remedium quoque oſtendit leniendi doloris, quoties rebus adverſis concutitur fides noſtra.

3. *Jehova cuſtodiet.*] Proſequitur eandem ſententiam, quod Dominus miſerum hominem cuſtodiet quem crudeles & iniqui perditum eſſe jactant. Semper autem repetenda eſt antitheſis inter diem malum & liberationis gratiam. Eodem ſenſu additur reſtitutio in vitam, & felicitas in terra. Significat enim David, quamvis ſimilis fuerit mortuo, ſibi & piis omnibus ſpem vitæ non fuiſſe extinctam. Poſſet quidem videri abſurdum, quod ſibi beatam vitam in mundo promittit : quia male nobiſcum ageretur, niſi alibi melior nos conditio maneret. Sed quia de ipſo multi deſperaverant, diſerte exprimit, ſe adhuc tamen fore ſuperſtitem, & quidem non ſine manifeſtis gratiæ Dei ſignis. Quibus verbis ſpem melioris vitæ minime excludit. Quod ſequitur de *lecto dolorum*, quoſdam induxit ad divinationem (meo judicio) parum firmam. Quod enim indefinite de afflictione narratur, ad morbum reſtringunt. Atqui minime novum eſt, qui mœſto ſunt animo, conjicere ſe in lectulum, & decumbere, quia homines magis interdum triſtitia exanimat quam morbus. Certe probabile eſt graviorem aliquam cladem tunc fuiſſe Davidi inflictam, quæ ſignum eſſet non vulgaris iræ Dei. In ſecundo membro verſus ſubeſt aliqua obſcuritas. Quidam enim *ſtratum vertere* ita accipiunt, quaſi Deus, ut refocillationem daret ſervo ſuo, culcitram ejus compoſuerit, ut ægrotis fieri ſolet quo mollius recumbant. Alii rectius (meo judicio) verſum dicunt eſſe lectum, qui morbo deſtinatus erat, ubi reddita fuit Davidi ſanitas : hoc ſenſu, quamvis nunc mœſtus jaceat quem Dominus ſub cruce erudit, brevi tamen ab ejuſdem Dei manu continget levatio, qua vires recuperet.

5. Ego dixi, Jehova miſerere mei, ſana animam meam : quia peccavi tibi.

5 אני אמרתי יהוה חנני רפאה
נפשי כי חטאתי לך:

6. Inimici mei dixerunt malum de me, Quando morietur, & peribit nomen ejus?

6 אויבי יאמרו רע לי מתי ימות
ואבד שמו:

7. Quod ſi venit ad viſendum, mendaciter loquitur, cor ejus accumulat iniquitatem ſibi : ubi egreſſus erit foras, loquetur.

7 ואם בא לראות שוא ידבר לבו
יקבץ און לו יצא לחוץ ידבר:

5. *Ego dixi.*] Oſtendit hoc verſu in ſuis malis ſe minime captaſſe blanditias, ſicuti major pars ſibi adulatur, & ſuos dolores vanis ſolatiis mulceri cupit. Et certe quiſquis Spiritu Dei regitur, pœnis admonitus ſponte ſua peccata agnoſcet, ac placide fratrum ſuorum correctiones ſuſcipiet : imo eas præveniet voluntaria confeſſione. Porro hac nota diſcernit ſe David à reprobis & deſperatis, quod ſuppliciter culpam deprecatus ſit, ſeque contulerit ad Dei miſericordiam. Petit quidem pœnam ſibi laxari : ſed altius orditur, nempe ut veniam adeptus reconcilietur Deo. Pervertunt enim ordinem, ut alibi diximus, qui externis malis remedium optantes, cauſam ipſam negligunt : perinde acſi quis febrim alendo, tantum ſitim reſtingui vellet. Ergo antequam de animæ ſanitate verbum faciat, dicit, *Miſerere mei* : cui debet conjungi quod paulo poſt ſequitur, *quia peccavi tibi.* Deum enim merito ſibi offenſum fatetur, nec aliter propitium fore quam abolitis peccatis. Particulam כי in propr io & nativo ſenſu accipio, non adverſative, ut quidam volunt. Ergo ſibi ignoſci petit, quia peccavit. Hinc ſanitas, quæ interponitur quaſi miſericordiæ effectus, quia confidit David, impetrata venia ſe à calamitate levatum iri.

6. *Inimici mei dixerunt.*] *Dicere* pro imprecari hic ponitur. Hac vero indignitate ad miſericordiam, ut alibi dictum fuit, Deum provocat, qui ad opem miſeris ferendam eo benignius inclinat, dum inclementer eos tractari videt. Atque ita ſuo exemplo nos ad fiduciam excitat & erigit, quia hoſtium noſtrorum ſævitia quo iniquior eſt, plus nobis favoris apud Deum conciliat. Forma etiam imprecationis quam crudele fuerit odium, teſtatur : quod non niſi interitu, & quidem probroſo, placari poteſt. Cuperent enim una cum ipſo memoriam ejus deleri. Quod proximo verſu ſequitur, ad perfidos amicos ſpectat. Nam qui ex profeſſo hoſtes erant, palam eum inſectabantur, idque proxime oſtendit. Nunc contexit alteram querimoniam, multos ficto animo, acſi amici eſſent, accedere, qui tamen poſtea virus ſuum evomerent. Eſt autem hoc hoſtium genus magis timendum qui malitiam ſuam tegunt & fovent, ſeque inſinuant ad nocendum. Poſtquam ergo de hoſtibus manifeſtis conqueſtus eſt, ad ſimulatos amicos deſcendit, quos dicit non alio fine venire, niſi ut *mendaciter loquantur* : interim fraudes in cordibus verſare, adeoque clam *ſibi concervare iniquitatem* : perfidiam vero ſuam prodere, *ubi foras egreſſi ſunt.*

8. Simul adverſum me ſuſurrant omnes oſores mei, ſuper me cogitant malum mihi,

8 יחד עלי יתלחשו כל שנאי עלי
יחשבו רעה לי:

9. Facinus Belijal adhæret ei, & qui jacet, non addet ut reſurgat.

9 דבר בליעל יצוק בו ואשר שכב
לא יוסיף לקום:

10. Etiam homo pacis meæ in quo ſperavi, comedens panem meum, contra me extulit calcaneum.

10 גם איש שלומי אשר בטחתי
בו אוכל לחמי הגדיל עלי עקב:

8. Simul

8. *Simul adverſum me*, &c.] Generaliter nunc videtur utroſque complecti, tam qui palam & hoſtiliter tentabant eum opprimere, quam qui ſub amicitiæ prætextu doloſe & per inſidias idem machinabantur. Dicit ergo de ſuo exitio ſermones ab omnibus conferri, ſicuti multis ſuſurris improbi homines ultro citroque ſuas proditiones agitant. Ideo addit *cogitandi* verbum, quo perverſas & ſceleſtas eorum conſultationes notat. Cæterum ex proximo verſu patet, ideo ſic conſpiraſſe in ejus perniciem, quod reprobum hominem ducerent dignumque mille mortibus. Atque hæc ſuperba inſultatio ex maligno illo judicio oriebatur, cujus in principio Pſalmi meminit. Dicunt ergo *facinus Belial* tenere eum concluſum & velut coarctare. Hoc enim proprie ſignificat verbum יצוק Hebræis. Quanquam in verſione ſequutus ſum quod magis receptum erat.

9. *Adhæret ei.*] Quod alii reddunt, fundet in eum, nimis coactum videtur. De voce Belijal diximus Pſalmo 18. Quia autem Grammatici compoſitam eſſe volunt ex בלי & יעל, quod eſt non aſcendere, verbum *Belijal* hoc loco interpretor ſcelus inexpiabile, vel à quo non ſit regreſſus: niſi forte quis ad cladem ipſam referre malit, acſi dicerent hoſtes, malo inſanabili conſtringi. Quicquid ſit, ſtatuunt Deum prorſus infeſtum eſſe Davidi, & fore implacabilem, quia tam atrociter eum puniat. Nam ſpem melioris fortunæ mox præcidunt hoc verbo, *non adjiciet ut reſurgat*. Fuit autem hæc non levis tentatio, quum ſibi recte conſcius eſſet, ſic præcipitari hominum damnatione uſque ad ultionis inferos. ſed ita placuit Deo ſervum ſuum probare, ut contentus bona conſcientia nullis hominum probris cederet. Ac ejus quoque exemplo nos docere voluit alibi quam in terra quærendam eſſe juſtitiæ mercedem, quia videmus quam iniqua trutina ſæpe mundus virtutes & vitia ponderet.

10. *Etiam homo pacis meæ.*] Hanc quaſi malorum clauſulam ponit David, quod in præcipuo amico, vel etiam pluribus eandem expertus ſit perfidiam. Numeri enim mutatio ſatis uſitata eſt Hebræis, ut de pluribus loquantur quaſi de uno. Ita ſenſus eſſet, non modo vulgus hominum, vel alieni quibuſcum mihi propior neceſſitudo non erat, ſed præcipuus quiſque ex amicis, imo ipſi familiares ac domeſtici, quos ad menſam & convictum meum admiſi, contumelioſe mihi inſultant. Viros pacis Hebræi nominant propinquos & affines. ſed hoc ſanctioris amicitiæ ſymbolum, *panem* Davidis *comedere*: quia perinde valet, acſi diceret, contubernalem. Quod ſi quis de certo aliquo proditore accipere malit, non repugno. *Efferre calcem* metaphorice accipitur (meo judicio) pro contumelioſe inſurgere in hominem dejectum. Alii interpretantur, inſidias moliri: ſed alter ille ſenſus aptior: quum viderent improbi homines Davidem nutare, vel jam eſſe proſtratum, hac occaſione fuiſſe abuſos, ut eum oblique & tamen ſimul proterve impeterent. quod ſolenne eſt pravis & ſervilibus naturis. Chriſtus locum hunc citans Joan. 13. verſ. 18. ad perſonam Judæ accommodat. Et certe ſciendum eſt, quamvis de ſe loquatur in hoc Pſalmo David, non tamen quaſi privatum hominem loqui, ſed qui ſuſtineat Chriſti perſonam: quia commune eſt totius Eccleſiæ exemplar: idque notatu dignum eſt, ut quiſque noſtrum ad eandem ſortem obeundam ſe comparet. Nam ſicut ſolide in Chriſto impleri oportuit quod inchoatum erat in Davide: ita quotidie in ſingulis ejus membris uſu venire neceſſe eſt, ut non tantum violenter & aperto Marte vexentur, ſed etiam domeſticos habeant proditores: ſicuti Paulus non tantum pugnas foris, ſed intus quoque timores Eccleſiæ inſtare dicit.

11. Et tu Jehova miſerere mei: erige me, & rependam illis.	ו 11 ואתה יהוה חנני והקימני ואשלמה להם:
12. In hoc cognovi quod placuerim tibi, quia non jubilabit inimicus meus ſuper me.	12 בזאת ידעתי כי חפצת בי כי לא יריע איבי עלי:
13. Et ego, in integritate mea ſuſtentabis me, & ſtabilies me coram facie tua in perpetuum.	13 ואני בתמי תמכת בי ותציבני לפניך לעולם:
14. Benedictus Jehova Deus Iſraël, à ſeculo & uſque in ſeculum. Amen, & amen.	ם 14 ברוך יהוה אלהי ישראל מהעולם ועד העולם אמן ואמן:

11. *Et tu Jehova.*] Iterum ex hoſtium ſuorum injuſta crudelitate colligit precandi fiduciam. Subeſt autem antitheſis inter Deum & homines: acſi diceret, quando nihil in mundo ſubſidii vel opis reſtat, imo ubique fera immanitas graſſatur, vel interior malitia, tu ſaltem Domine, miſericordia tua ſubleves. atque hæc ratio miſeris omnibus tenenda eſt, quos injuſte mundus perſequitur, ne ſe tantum in deflendis injuriis occupent, ſed Deo commendent ſuam cauſam: & quo magis eorum mentes percellere conatur Satan, hucque & illuc diſtrahere, eo attentius in unum Deum eas colligant. Iterum vero ſuæ reſtitutionis cauſam ponit miſericordiam Dei. Sed durum eſt quod ſequitur de vindicta. Nam ſi nuper vere & ex animo confeſſus eſt, merito ſe affligi, cur non aliis dat veniam, ſicut ſibi dari poſtulat? Hoc certe perperam eſſet abuti Dei gratia, ubi nos reſtituit, non imitari ejus clementiam. Adde quod non fuiſſet humilitatis vel modeſtiæ, adhuc in media morte ſpirare vindictam. Sed hic duo tenenda ſunt, Davidem non fuiſſe quemlibet è vulgo, ſed Regem divinitus poteſtate inſtructum: deinde non carnis impulſu, ſed pro ratione officii pœnam hoſtibus denunciare quam meriti ſunt. Ergo ſi quiſque promiſcue, dum ſe de hoſtibus ulciſcitur, Davidis exemplum obtendat, primo notandum eſt perſonæ diſcrimen, deinde videndum ut idem in nobis regnet zelus, imo ut eodem regamur Spiritu. David quum Rex eſſet, Dei vindictam jure ſuo exequi potuit: nobis manus ſunt ligatæ. ſecundo ut Chriſti perſonam geſſit, ita induit puros & ſinceros affectus, ut non iracundiæ ſuæ morem gereret, ſed Deo impenderet fidelem operam. Denique eodem modo exercuit juſtum Dei judicium, quo nobis precari licet ut Dominus ipſe pœnas ſumat de impiis. Nam quia non ſumus armati gladio, noſtrum eſt ad cæleſtem judicem confugere: ſed compoſito animo rogandus eſt ut ſe vindicem noſtrum oſtendat: & cavendum, ne excuſſo Spiritus freno, vota noſtra intemperanter exultent. Quod ad Davidem ſpectat, ſic tulit ejus vocatio, ut cogeret in obſequium rebelles, ac in puniendis omnibus ſceleratis legitimus eſſet Dei miniſter.

12. *In hoc cognovi.*] Jam ad gratiarum actionem deſcendit; niſi forte mutato verbi tempore ita contexere placeat cum proximo verſu, In hoc cognoſcam te mihi propitium eſſe, ſi non fueris paſſus hoſtes meos triumphum agere. ſed gratulatio melius convenit. Poſtquam enim retulit ſuas preces, jam Deo liberationem ſuam adſcribit, & prædicat hoc clarum & inſigne eſſe ejus beneficium. Quæri tamen poteſt, an hæc ſatis firma ſit notitia divini in nos amoris,

amoris, dum hoſtibus noſtris triumphare non permittit. Continget enim ſæpe aliquem eripi ex periculo, qui tamen propterea Deo gratus non erit. Adhæc beneplacitum Dei non ex nuda experientia, ſed præcipue ex verbo ejus cognoſcitur. Reſponſio facilis eſt, Davidem non fidei fuiſſe expertem, ſed in ejus confirmationem amplexum eſſe quæ Deus adminicula verbo ſuo poſtea addidit. Adde quod non communem tantum favorem quo proſequitur Deus omnes fideles, ſed ſpecialem gratiam qua electus fuerat in Regem, videtur notare: acſi dixiſſet, Jam Domine, magis ac magis confirmor in fide adoptionis qua me dignatus es, ut primogenitus eſſem inter Reges terræ. Hoc modo auxilium Dei quo levatus fuerat ab una clade, ad totum regni ſtatum extendit.

13. *Et ego in integritate mea.*] Quidam ita exponunt, quia David integritatem coluerit, porrectam illi fuiſſe manum à Deo. Sed hoc ſuperiori ſententiæ non admodum quadraret, ubi confeſſus eſt, merito ſe plecti: & quanquam ejus calamitas hoſtium inſultationi erat obnoxia, non tamen veriſimile eſt eos fuiſſe auctores: ideo tempeſtiva non eſſet integritatis mentio in hunc finem: quia tunc Dominus reſpicere integritatem noſtram dicitur, ubi ab hominum injuriis nos vindicat. Quærendus itaque alius ſenſus. Et quidem integritas tam ad corpus quam ad animam referri poteſt. Ego incolumis ſtabo, quia tu me ſuſtentabis ac reſtitues. Videtur tamen longius extendere Dei gratiam, acſi non ſemel tantum ejus manu ſe adjutum diceret, ſed quamdiu proſpere vixit, ſalutem ſuam fuiſſe ejus virtute ſuffultam. Si de pietate vel ſincero affectu intelligere quis malit, quod optime conveniet, non gloriatur David de vita anteacta: ſed in ipſo examine, quamvis Satan & improbi ejus fidem labefactare conati ſint, non tamen ſe fuiſſe alienatum à timore Dei narrat. Ergo patientiam ſuam hoc modo in medium proferret, quod graviter agitatus & concuſſus, non tamen à rectitudine deſciverit. Verum ſi hæc ſententia placeat, notandum eſt, continuo poſt adſcribi Deo beneficium hoc, quod ſteterit David invictus, & illos tentationum impulſus fortiter ſuſtinuerit: & in futurum tempus non de alia quam manus Dei fultura eum ſperare. Si de externo ſtatu loquatur, contextus etiam bene fluet, Deum non ante finem gratiæ ſuæ facturum, quam ſervos ſuos in finem uſque ſalvos præſtet. Dicitur autem *ſtabilire coram facie ſua*, quos ita tuetur ut claris ſignis paternam erga eos curam demonſtret: ſicuti dicitur faciem abſcondere, dum videtur ſuorum obliviſci. Confirmat & repetit ultimo verſu gratiarum actionem quam nuper attigerat, & nominatim *Deum Iſraël* exprimens, fœdus cum Patribus percuſſum ſibi in animo penitus hærere teſtatur, quia ex hoc fonte manaverat liberatio. Duplex *Amen* ad vehementiam poſitum eſt, quo melius incitarentur omnes pii ad laudandum Deum.

ARGUMENTUM PSALMI XLII.

Primo oſtendit David, quum profugus erraret ob Saulis ſævitiam, nihil ſibi fuiſſe acerbius quam probiberi à Sanctuarii acceſſu, quod Dei cultum terrenis omnibus commodis præferret. Deinde quam difficilis cum deſperatione ſibi fuerit lucta, commemorat. Precem etiam & gratiæ Dei meditationem admiſcet confirmandæ ſpei ſuæ cauſa. Poſtremo iterius illud cum mœrore ſuo certamen repetit.

PSALM. XLII.

PRæfecto erudiens filiis Coræ.

2. Sicut cervus clamat ad fontes aquarum, ita anima mea clamat ad te Deus.

3. Sitivit anima mea ad Deum, ad Deum vivum: quando ingrediar ut appareat coram facie Dei?

4. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panis die & nocte, quum dicitur mihi quotidie, Ubi eſt Deus tuus?

1 למנצח משכיל לבני קרח:
2 כאיל תערג על אפיקי מים כן
נפשי תערג אליך אלהים:
3 צמאה נפשי לאלהים לאל חי
מתי אבוא ואראה פני אלהים:
4 היתה לי דמעתי לחם יומם
ולילה באמר אלי כל היום איה
אלהיך:

FIliis Coræ.] Quia non adſcribitur nomen Davidis, conjiciunt multi filios Coræ Pſalmi eſſe auctores: quod mihi nullo modo probatur. Nam quum in Davidis perſona ſit compoſitus, quem ſcimus Spiritu Prophetico excelluiſſe inter omnes alios, quis credet ei fuiſſe aliunde dictatum? Communis erat totius Eccleſiæ doctor, & inſigne Spiritus organon: Levitis, quorum pars erant filii Coræ, Pſalmos alios canendos tradiderat. quid igitur opus fuiſſet eum precario ab illis mutuari hanc operam, cui præſtandæ longe ſuperior erat? Mihi itaque probabile eſt ideo nominari filios Coræ, quia fuit apud eos depoſitus theſauri loco, ut ſcimus ex cantoribus alios atque alios Pſalmorum delectos fuiſſe cuſtodes. Quod ſupprimitur Davidis mentio, nihil eſt in eo incommodi, quia idem videmus factum in aliis Pſalmis, quorum tamen ipſum eſſe auctorem certis conjecturis licet colligere. De voce משכיל aliquid attigimus Pſalmo 32. Fateor quidem non ſemper adſcribi, quoties refert David ſe Dei ferulis fuiſſe caſtigatum: hoc tamen notandum eſt, proprie in caſtigationes competere, quarum finis eſt filios Dei erudire, ubi non ſatis ex doctrina proficiunt. De tempore etiam non prorſus convenit. Volunt enim quidam Davidem hic de clade ſua conqueri, quum à filio Abſalom eſſet expulſus. Ego vero bonis rationibus (niſi fallor) adductus, in contrariam ſententiam magis inclino. Nam conjuratio Abſalom ſtatim ſedata fuit, ut diu à Sanctuarii acceſſu Davidem non impedierit. Atqui diſerte diuturnum exilium hic deplorat, ſub quo fere contabuerit. Neque enim paucorum dierum mœrorem tertio verſu deſcribit. imo totus contextus palam oſtendet diu ipſum jacuiſſe in miſero iſto ſtatu de quo loquitur. Quod obtendunt: Arcam fœderis ſub regno Saulis fuiſſe neglectam, ut non ſit veriſimile Davidem tunc ſolennes choros duxiſſe, non adeo firmum eſt. quanquam enim non niſi defunctorie Deum colebat Saul, noluit tamen profanus videri. Et David ipſe alibi oſtendit ſedulo, feſtis præſertim diebus, ſacros conventus frequentaſſe. Certe quod videbimus Pſalmo 55. In domum Dei profecti ſumus pariter, vel unanimes: ad tempus Saulis pertinet.

2. *Sicut cervus clamat.*] Hi duo verſus nihil aliud continent quam Davidem omnibus commodis, opibus, deliciis, honoribus denique prætuliſſe liberum Sanctuarii acceſſum, ut mandatis in Lege exercitiis fidem pietatemque ſuam aleret ac confirmaret. Nam quod ſe *ad Deum vivum clamare* dicit, non ſimpliciter

citer accipitur, pro flagrare Dei amore & deſiderio: ſed in mentem venire debet quomodo nos ad ſe invitet Deus, & quibus adminiculis ſurſum attollat mentes noſtras. Neque enim jubet recta nos in cælum conſcendere, ſed imbecillitati noſtræ conſulens, propius ad nos deſcendit. Clamavit igitur David ad Deum, ſibi viam clauſam eſſe reputans, quia ab externo cultu erat excluſus: quod vinculum eſt ſacræ cum Deo conjunctionis: non quod per ſe Deo nos ceremoniæ concilient, ſed quia pietatis ſunt exercitia, quibus carere non ſuſtinet noſtra infirmitas. Itaque à Sanctuario exulans David, non aliter anxius eſt, quam ſi à Deo ipſo eſſet alienatus. Non deſtitit quidem interea preces ſuas in cælum dirigere, imo ad ipſum quoque Sanctuarium, ſed infirmitatis ſuæ conſcius, viam qua ad Deum perveniunt fideles, ſibi clauſam eſſe dolenter ferebat. Quo exemplo refellitur eorum arrogantia, qui media hæc ſecure prætereunt, imo ſuperbe contemnunt, acſi in eorum arbitrio eſſet in cælum momentaneo volatu penetrare. quaſi vero Davidem zelo & alacritate animi ſuperent. Neque tamen ſubſtitit in terrenis elementis Propheta: ſed quia ſciebat alas ſibi deeſſe quibus volaret, ſcalis uſus eſt, per quas ad Deum contenderet. Similitudo cervi, ſummum deſiderii ardorem exprimit. Quod exponunt quidam fluvios expeti à cervis, ut ſe ex laſſitudine reficiant, nimis forte reſtrictum eſt. Fateor quidem, ſi venator cervum urgeat & canes inſtent, occurſu fluminis novas vires colligere: ſed ſcimus etiam certis anni temporibus cervos incredibili ardore pluſquam ſitienter aquas expetere: quam ſitim à Propheta notari arbitror: etſi ea de re non contendo. Poſterior autem verſus clarius demonſtrat quod dixi, Davidem non loqui ſimpliciter de præſentia Dei, ſed cum circumſtantia, quoniam ſibi Tabernaculum, Altare, ſacrificia ritusque alios proponit, quibus teſtatus fuerat Deus ſe propinquum fore populo ſuo. atque ita fideles initium inde facere oportuit quum accedere ad Deum cuperent, non ut illic manerent affixi, ſed ut gloriam Dei, quæ per ſe abſcondita eſt, ſignis adjuti quærerent. Ergo ubi notas præſentiæ Dei in verbo vel ſignis habemus inſculptas, dicere licet cum Davide, illic extare Dei faciem, modo puros animos afferamus ad eum ſpiritualiter quærendum. Ubi autem Deum præſentem aliter imaginamur quam ſe verbo & ſacris ſignis patefecit, vel craſſum aliquid terrenumque concipimus de cæleſti ejus majeſtate, fingimus meras larvas, quæ Dei gloriam deformant, ejuſque veritatem convertunt in mendacium.

4. *Fuerunt mihi lachrymæ.*] Alium doloris aculeum refert, quo ejus animum pungebant reprobi & malevoli. Nec dubium eſt quin talibus flabellis uſus fuerit Satan, quo eum gravius ureret, Quid tibi vis? nonne te à Deo rejectum eſſe vides? Nam certe in Tabernaculo vult adorari, à cujus acceſſu arceris & exulas. Erant violenti impetus ad concutiendam ſancti viri fidem niſi, rara Spiritus virtute ſuffultus acriter repugnaſſet. Apparet autem quam ſerio affectu tactus fuerit. Contingit enim nos ſæpe moveri, ut tamen non abſtrahamur à cibo & potu: ſed ubi quis cibum ſponte abjicit, lachrymis ita indulget ut ſe fraudet quotidiano victu, aſſiduus eſt in mœrore: non leviter torqueri apparet. Dicit autem David, non alibi ſe plus reperiſſe ſolatii quam in lachrymis: itaque ſe illis fuiſſe deditum, non ſecus ac homines cibo oblectantur, ſeque reficiunt: idque quotidie, non ſolum ad breve tempus. Tenendum igitur eſt, quoties nobis inſultant impii, & odioſe exprobrant Deum nobis eſſe adverſum, à Satana impelli, ut fidem noſtram dejiciat: ideoque non eſſe locum deliciis ubi tam periculoſum bellum nobis movetur. Accedit etiam altera ratio, quod impiis ludibrio eſt nomen Dei, quia non ſine ejus probro ſubſannant fidem noſtram. Niſi ergo ferrei ſimus, graviſſimo dolore nos vulnerari par eſt.

5. Hæc dum recordor, effundo ſuper me animam meam, quia tranſibam in numero deducens eos uſque ad domum Dei, in voce exultationis & laudis, multitudinem tripudiantem.	5 אלה אזכרה ואשפכה עלי נפשי כי אעבור בסך אדדם עד בית אלהים בקול רנה ותודה המון חוגג׃
6. Cur dejiceris anima mea & tumultuaris in me? exſpecta Deum, quia adhuc confitebor ei ſalutes vultus ejus.	6 מה תשתוחחי נפשי ותהמי עלי הוחילי לאלהים כי עוד אודנו ישועות פניו׃
7. Deus mi, anima mea ſuper me dejecta eſt dum recordor tui è terra Jordanis, & Hermonim à monte Mizar.	7 אלהי עלי נפשי תשתוחח על כן אזכרך מארץ ירדן וחרמונים מהר מצער׃

5. *Hæc dum recordor.*] Hic verſus propter temporum varietatem nonnihil obſcurus eſt. Non tamen dubito quin genuinus ſit ſenſus, Davidem, quum memoria repeteret priorem ſtatum, plus triſtitiæ ex comparatione ſenſiſſe: recordatio, inquam, præteriti temporis ad mala ejus augenda non parum momenti attulit, quod nunc templo careat qui dux & anteſignanus reliquis fuerat ad obeundos ſacros cœtus. Scimus, qui à prima pueritia malis ſunt aſſueti, callum contrahere, & ipſa malorum aſſiduitas generat in nobis quandam duritiem: quare nihil mirum ſi David, qui non unus è vulgo fuerat, ſed nuper ordinem primum duxerat inter fideles, durius crucietur, ſe prorſus rejectum videns, ac ne infimum quidem ſibi locum patere. Ita pronomen demonſtrativum *Hæc* cum proxima narratione contexo, nempe quod recordatus fuerit David ſe tranſire ſolitum in numero piorum, & eos deducere ad domum Dei. *Effundere animam* metaphorice quidam exponunt pro mœrorem ſuum evomere: aliis tantundem valet ac lætitia diffundi. Sed mihi potius videtur dicere, affectus ſuos fuiſſe liquefactos ſive gaudio ſive mœrore. Nam anima hominis quæ eum ſuſtinet, quamdiu collectum tenet ſuum vigorem, diſſolvitur immodico affectu, & quaſi evaneſcit. Dicitur ergo animam effundere qui ſui compos non eſt, quin ſenſus ſui diſſipati effluant: acſi diceret David, animum ſuum præ triſtitia liqueſcere ac deficere, dum reputat unde ceciderit. Si de gaudio exponere libeat, talis erit comparatio, Mihi olim tam jucundum fuit ducere populi ordines ad Sanctuarium, ut gaudio animus meus liqueſceret, neque apud me eſſem: & ſi hoc idem bonum mihi redditum fuerit, eadem lætitia ſenſus meos rapiet. Ego tamen, quid mihi magis placeret, ſupra expoſui. Cæterum non eſt quod putemus Davidem humano more fuiſſe obrutum triſtitia, ſed quia ex præſenti miſeria judicium fecit de ira Dei, pie ſeipſum cruciavit, quod ſua culpa Deum in ſe provocaſſet. Atque ut hoc omittam, videmus unde conceptus fuerit dolor. Tot enim privatis incommodis gravatus, ob unum Sanctuarium angitur, ut oſtendat ſibi mitius eſſe carere vita, quam à Dei conſpectu exulare. atque ita affectus noſtros temperari convenit, nempe ut gaudium

noſtrum

noſtrum ad paternum Dei favorem reſpiciat: doloris noſtri cauſa ſit, eum habere infeſtum. Nam hæc eſt ſecundum Deum triſtitia, cujus meminit Paulus. Per *numerum*, qui סך Hebraice dicitur, non dubito quin choros intellexerit David: quia non confuſe vel turmatim, ſed per certos ordines gradiebantur, quum feſtis diebus ad Tabernaculum venirent.

2 Cor. 7. verſ. 10.

6. *Cur dejiceris anima mea.*] Hinc apparet Davidem fortiter luctatum eſſe cum dolore, ne tentationi ſuccumberet. ſed notemus, arduum & durum ei fuiſſe certamen antequam victor emergeret: imo non uno tantum inſultu vel prælio fuiſſe defunctum, ſed ſæpius retractum fuiſſe ad novas pugnas. Nec mirum eſt tam graviter fuiſſe perculſum, quum nullum favoris Dei ſignum occurreret. Porro ſe nobis ſtatuit David quaſi in duas partes diviſum. Quatenus enim fide in Dei promiſſiones recumbit, invictæ fortitudinis Spiritu inſtructus contra affectus carnis ſuæ ſurgit, ut eos compeſcat: & ſimul caſtigat ſuam mollitiem. Quanquam autem bellum cum Satana & mundo gerit, non tamen recta vel aperte cum illis confligit, ſed ſeipſum potius deligit antagoniſtam. Et certe hæc optima eſt vincendi Satanæ ratio, non egredi extra nos, ſed cum propriis affectibus ſuſcipere intrinſecum certamen. Ac notandum eſt quod fatetur David, animam ſuam fuiſſe dejectam. Nam dum noſtræ infirmitates quaſi fluctus inſurgunt, quia jam putamus actum de fide noſtra, ſolo terrore victi, non audemus manus conſerere. Quoties igitur obrepet hæc ignavia, veniat nobis in mentem, hanc ordinariam eſſe piorum luctam, proprios affectus in ordinem cogere, ac præſertim bellum gerere cum diffidentia. Porro duo vitia hic ponuntur, in ſpeciem diverſa, quæ tamen animos noſtros ſimul occupant, dejectio & tumultus. Nam dum jacemus proſtrati, ſimul tamen inquietudo ad fremitum nos impellit. Utriuſque vero remedium additur, nempe ſpes in Deum, quæ ſola facit primum ut conſiſtant animi noſtri inter maximas tempeſtates, deinde ut patienter quieſcant. Poſtea vim & naturam ſpei optime exprimit David his verbis, *adhuc confitebor:* nempe ut mentes noſtras ad gratiæ abſconditæ intuitum procul evehat. Hac enim voce *Adhuc*, fatetur os ſibi in præſentia eſſe obſtructum ad canendas Dei laudes, quia undique prematur anguſtiis: ſpem ſuam nihilominus in longum tempus extendit. Atque ut emergat ex præſenti mœrore, ſibi promittit quod non apparet: neque tamen quicquam temere imaginatur ex proprio ſenſu, ſed fretus Dei promiſſionibus, non modo ad bene ſperandum ſe animat, ſed ſibi ſponſor eſt certæ ſalutis. Neque enim aliter gratiæ Dei apud fratres noſtros idonei erimus teſtes, quam ſi eam primum cordibus noſtris teſtati erimus. Particula quæ ſequitur, varie poteſt exponi. Major pars interpretum ſubaudit Propter, ut materiam vel cauſam gratiarum actionis deſignet. Quod ego libenter recipio. Quanquam non male conveniet ſenſus, ſi ſeorſum legamus, *ſalutes* eſſe *vultus* Dei: quia ſimulac reſpicere ſuos dignatur, ſalvos præſtat. Vultus enim Dei pro favoris declaratione capitur, quia tunc ſerena ejus facies refulget: ſicuti eam obnubilant vel obſcurant res adverſæ.

7. *Deus mi.*] Si nihil ſubaudire placeat, conſtabit verſus duabus diſtinctis ſententiis. Sic enim eſt ad verbum, Deus mi, anima mea ſuper me dejecta eſt, ideo memor ero tui, &c. Sed major pars interpretum על־כן exponit propterea quod, ut ſit cauſæ redditio. Et certe optime hoc quadrabit, quoties David è terra Jordanis, in qua exul latebat, animum ad Sanctuarii recordationem applicuit, magis auctum fuiſſe ejus mœrorem. Quod ſi tamen placeat verſum diſtinguere: tenendum erit, Davidem non ut dolorem ſuum alat, Dei recordari in exilio, ſed ejus leniendi cauſa. Neque enim eos imitatus eſt qui nullum niſi in Dei oblivione ſolatium inveniunt: ſed ejus manu vulneratus, medicum tamen agnovit. Ita tantundem valebit oratio acſi dixiſſet, Quanquam nunc exulo à Templo, & alienus à familia Dei videor, id tamen non obſtabit quominus ad eum reſpiciam. utcunque enim ſacrificiis deſtituar quæ mihi utilia eſſent, verbo tamen ſuo me non privavit. Sed quia prior ſenſus magis receptus eſt, deinde expoſitionis vice additus videtur, præſtabit ab eo non diſcedere. Animam ergo ſuam David mœrore oppreſſam eſſe conqueritur, quia ſe ab Eccleſia Dei ejectum eſſe videat. Subeſt autem tacita antitheſis: acſi diceret, neque uxoris, neque domus, neque ullorum bonorum deſiderio æque ſe torqueri, atque hac una cura, quod à Dei cultu prohiberi ſe videat. Hinc vero diſcendum eſt, quamvis nos deficiant adminicula quæ Deus ad fidei noſtræ & pietatis ædificationem inſtituit, ſedulo tamen acuendas eſſe mentes noſtras, ne unquam obrepat Dei oblivio. Sed hoc præcipue notandum eſt: ſicuti proximo verſu vidimus, Davidem inſtar fortis athletæ cum propriis affectibus certaſſe, ita nunc oſtendi qua ratione conſtanter perſtiterit: nempe quia ad Dei opem confugerit tanquam ad ſacrum aſylum. Et certe niſi nos ad precandum ſollicitet promiſſionum Dei meditatio, ad nos ſuſtinendos impar erit. Quomodo enim fieri poteſt, niſi virtutem Deus ſuppeditet, ut tot pravis cogitationibus ſimus ſuperiores, quæ ſingulis momentis ſe ingerunt? Eſt enim hominis anima quaſi officina Satanæ ad fabricandos mille deſperationis modos. Quare merito David ubi ſecum luctatus eſt, mox ſe ad preces recipit, Deumque ſui doloris teſtem advocat. Per *terram Jordanis* intelligitur regio quæ Judææ reſpectu transfluvialis erat: quod melius probatur ex nomine *Hermonim.* Sic enim plurali numero vocatur continuus tractus montis Hermon propter diverſa cacumina. & forte numerum pluralem conſulto poſuit, quia eum huc illuc diſcurrere & vagari cogeret timor. *Mizar* exiguum multi interpretantur, & volunt oblique conferri cum monte Sion, quaſi David collem alioqui parvum monti altiſſimo præferret. quod mihi videtur coactum.

8. **Abyſſus ad abyſſum clamat ad vocem canalium tuorum: omnes fluctus tui & omnes illuviones tuæ ſuper me tranſierunt.**	8 תהום אל תהום קורא לקול צנוריך כל משבריך וגליך עלי עברו:
9. **Die mandabit Jehova bonitatem ſuam, & nocte canticum ejus mecum, oratio ad Deum vitæ meæ.**	9 יומם יצוה יהוה חסדו ובלילה שירה עמי תפלה לאל חיי:

8. *Abyſſus ad abyſſum.*] His verbis tam malorum gravitas, quam congeries & diuturnitas exprimitur: acſi dixiſſet, non uno tantum genere malorum ſe premi, ſed varia ſubinde recurrere, ut nullus ſit finis nec modus. Primo *abyſſi* nomine oſtendit, tentationes quibus impetebatur, merito poſſe gurgitibus conferri: poſtea de longa continuatione queritur, & quidem aptiſſima figura, quod tentationes ſe procul inclament, & aliæ alias accerſant. In ſecunda parte verſus metaphoram proſequitur, quod *omnes fluctus & inundationes Dei ſuper* caput ſuum *tranſierunt.* Quibus verbis ſignificat afflictionum mole ſe fuiſſe obrutum & quaſi abſorptum. Sed notandum eſt quod ſævitiam Saulis & hoſtium ſuorum, *Dei inundationes* appellat, ut meminerimus ſemper in rebus adverſis nos humiliare ſub

forti

forti Dei manu quæ nos affligit. Ultra deinde progredi operæpretium eſt: ſi in nos violenter pluere velit Deus, ſimulac ſuas cataractas aperuerit vel canales, nullum finem malis noſtris fore, donec placatus fuerit. Habet enim miras & incognitas rationes, quibus nos perſequatur. Ita ubi in nos ira ejus efferbuerit, non una modo erit abyſſus ad nos deglutiendos, ſed abyſſus ad abyſſum clamabit. Quoniam ea eſt hominum ſocordia, ut non ſatis metuant Dei minas: quoties agitur de ejus vindicta, veniat nobis hic verſus in mentem.

9. *Die mandabit.*] Quanquam verbum eſt futuri temporis, non nego poſſe in præteritum reſolvi, ut quidam faciunt, qui Davidem putant ſuperiora Dei beneficia colligere, ut de triſti & miſero ſtatu in quo angitur, vehementius expoſtulet: acſi dixiſſet, Qui fit ut Deus qui ſe mihi tam clementem ante exhibuit, nunc quaſi mutato animo ſummum rigorem exerat? Sed quia nulla ratio cogit tempus verbi mutare, adeoque altera expoſitio contextui videtur aptior, eam ſequamur. Equidem non repugno quin David Dei beneficia quæ jam expertus fuerat, in fidei ſuæ ſubſidium adducat: exiſtimo tamen eum ſibi promittere in futurum tempus liberationem adhuc occultam: ideo de præterito vel futuro tempore nolim rixari, modo hoc fixum maneat, Davidem ita ratiocinari, Cur non ſperarem Deum mihi fore propitium, ut interdiu mihi occurrat ejus bonitas, & nocte canticum lætitiæ mecum cubet? Certe hanc conſolationem mœrori opponit, quem ex horrendis quæ proximo verſu retulit, iræ Dei ſignis, concipere poterat. *Oratio* cujus in fine meminit, non eſt hominis afflicti vel anxii, ſed gratulationem complectitur, ubi Deus favore ſuo nos exhilarans, liberum ad ſe acceſſum reſerat. Et ideo appellat *Deum vitæ ſuæ*, quia ex hac notitia emergit alacritas cordis.

10. Dicam Deo rupi meæ, Quare oblitus es mei? quare pullatus incedo in oppreſſione hoſtis?

11. Occiſio in oſſibus meis, dum me probro afficiunt inimici mei, dicentes mihi quotidie, Ubi eſt Deus tuus?

12. Quare dejecta es anima mea? & quare tumultuaris in me? ſpera in Deum, quia adhuc confitebor ei ſalutes vultus mei, & Deus meus.

10 אמרה לאל סלעי למה שכחתני למה קדר אלך בלחץ איב:

11 ברצח בעצמותי חרפוני צוררי באמרם אלי כל היום איה אלהיך:

12 מה תשתוחחי נפשי ומה תהמי עלי הוחילי לאלהים כי עוד אודנו ישועות פני ואלהי:

10. *Dicam Deo rupi meæ.*] Si proximum verſum legamus in tempore præterito, ſenſus erit, Quum ſe mihi Deus antea oſtenderit tam beneficum, eo majore fiducia precabor. nam audacem experientia me reddet. Si placeat futurum tempus, conjunget David precationem meditationi quam ex fide conceperat. Et certe quiſquis ſibi de paterno Dei favore perſuadet quod nuper dixit, etiam ejus exemplo animoſius precabitur. Nunc ergo talis erit ſenſus, Quia mihi polliceor Deum propitium, ut interdiu ſuam miſericordiam mihi emittat, eamque continuet, ut nocte quoque ſuppetat canendi materia, liberius apud eum mala mea deflebo, Domine *rupes mea, quare oblitus es mei?* Cæterum hac querela non intelligunt fideles, ſe prorſus à Deo rejectos: quia niſi crederent ſub ejus cura & tutela ſe eſſe, fruſtra eum invocarent: ſed ex carnis ſuæ ſenſu ita loquuntur. Quare hæc oblivio refertur tam ad externam ſpeciem quam ad inquietudinem qua turbantur fideles ſecundum carnem, licet interea fide ſtatuant ſe à Deo reſpici, nec ſurdas ſibi fore ejus aures.

11. *Occiſio in oſſibus.*] Quanquam oratio verbis eſt perplexa, in ſumma tamen rei nulla eſt obſcuritas. Aſſerit enim David ſe non minori cum dolore fuiſſe vulneratum hoſtium probris, quam ſi oſſa perforaſſent. quia רצח occidere ſignificat, ſenſum hunc in verſione retinui. Neque tamen eorum improbo ſententiam, qui vertunt, gladium occiſorium. Diverſa autem lectio eſt, quia quidam loco ב ponunt כ notam ſimilitudinis. Ego in re dubia malui literam prorſus omittere quæ ſæpius ſupervacua eſt. Sed de re ipſa (ut dixi) plane liquet, niſi quod interpretes non ſatis expendunt ſub voce *oſſium* notari acerbitatem doloris, quæ major ſentitur ex oſſium percuſſione, quam ſi gladius per viſcera vel flexibiles alias partes corpus transfodiat. Nec vero filiis Dei hæc ſimilitudo hyperbolica videri debet: ac ſiquis Davidem miratur tam moleſte tuliſſe hoſtium ſubſannationem, ipſe ſuum ſtuporem prodit. Nam atrocius nihil accidere poteſt inter ſæviſſima quæque mala, quam dum, ubi laceratur Dei majeſtas, fideſque noſtra lethaliter impetitur. Nota eſt Pauli doctrina de perſequutione Iſmaël. etſi enim *Galat. 4.*
puerilis riſus pro nihilo à multis ducitur, quia ta- *verſ. 29.*
men eo tendebat ut luſorium eſſet fœdus Dei, ſæviſſima perſequutio ſecundum judicium Spiritus ſancti cenſeri debet. Ideo non immerito David probra hoſtium ſuorum, quibus verbum Dei cum ſua fide calcari videbat, gladio occiſorio confert, qui per oſſa & medullas penetrat. Atque utinam diſcerent quicunque ſe jactant pro filiis Dei, privatas ſuas injurias æquius perferre: ubi autem fides eorum cum Dei contumelia oppugnatur, & verbum etiam quod eos vivificat, in idem trahitur ludibrium, hunc Davidis zelum induere.

12. *Quare dejecta eſt anima mea?*] Repetitio hæc admonet, non ita uno congreſſu Davidem viciſſe ſuas tentationes, quin ad idem certamen deſcendere coactus fuerit. Quo exemplo monemur, quamvis eandem nobis moleſtiam faceſſat Satan, non tamen debere nos tædio frangi. Poſterior pars verſus vocem unam diverſam habet à verſu ſexto, quum tamen reliqua omnia conveniant. Hic enim ponitur relativum primæ perſonæ, *Salutes vultus mei.* Neſcitur autem an deſit in hoc loco litera ו quæ tertiam perſonam conſtituit: quia tamen in hac quam retuli lectione, conveniunt omnes codices, non abſurde David vocare Deum potuit, ſalutes vultus ſui, quod ſperaret claram & certam liberationem: acſi Deus viſibili modo, ſalutis vindicem ſe offerret. Certum quidem eſt hoc loco appoſitive Deum vocari *ſalutem*, quia continuo poſt ſequitur, *& Deus meus.*

ARGUMENTUM PSALMI XLIII.

Pſalmus hic proximo affinis eſt. Nam David, quem probabile eſt ejus auctorem eſſe, injuſte hoſtium violentia & tyrannide fugatus & expulſus à patria, Deum vindicem implorat, ſeque ad ſpem reſtitutionis hortatur.

PSALM. XLIII.

JUdica me Deus, & diſcepta litem meam: à gente non manſueta, à viro doloſo & improbo eripe me.

2. Quia tu Deus fortitudinis meæ: quare alienatus es à me? quare triſtis incedo in oppreſſione hoſtis?

3. Mitte lucem tuam & veritatem tuam: ipſæ dirigant me, deducant me ad montem ſanctitatis tuæ, & ad tabernacula tua.

4. Et ingrediar ad altare Dei, ad Deum lætitiæ exultationis meæ: & celebrabo te in cithara, Deus Deus meus.

5. Cur te dejicis anima mea, & quare tumultuaris in me? Spera in Deo, quia adhuc celebrabo eum ſalutem vultus mei, & Deum meum.

1 שָׁפְטֵנִי אֱלֹהִים וְרִיבָה רִיבִי מִגּוֹי
לֹא חָסִיד מֵאִישׁ מִרְמָה וְעַוְלָה
תְפַלְּטֵנִי׃
2 כִּי אַתָּה אֱלֹהֵי מָעוּזִּי לָמָה
זְנַחְתָּנִי לָמָּה קֹדֵר אֶתְהַלֵּךְ בְּלַחַץ
אוֹיֵב׃
3 שְׁלַח אוֹרְךָ וַאֲמִתְּךָ הֵמָּה יַנְחוּנִי
יְבִיאוּנִי אֶל הַר קָדְשְׁךָ וְאֶל מִשְׁכְּנוֹתֶיךָ׃
4 וְאָבוֹאָה אֶל מִזְבַּח אֱלֹהִים אֶל
אֵל שִׂמְחַת גִּילִי וְאוֹדְךָ בְכִנּוֹר אֱלֹהִים
אֱלֹהָי׃
5 מַה תִּשְׁתּוֹחֲחִי נַפְשִׁי וּמַה תֶּהֱמִי
עָלָי הוֹחִילִי לֵאלֹהִים כִּי עוֹד אוֹדֶנּוּ
יְשׁוּעֹת פָּנַי וֵאלֹהָי׃

JUdica me Deus.] Primo expoſtulat David de hoſtium ſuorum ſævitia: paulo poſt tamen oſtendet, nihil ſibi triſtius fuiſſe quam privari Sanctuarii acceſſu. Eſt autem hoc bonæ conſcientiæ ſignum, quod Deo cauſæ ſuæ patrocinium commendat. Nam *judicare* iſtud quod primo loco ponit, nihil aliud eſt quam cauſam tuendam ſuſcipere: & clarius deinde ſenſum ſuum exprimit per *diſceptationem litis*. Hæc quidem ſumma voti fuit, eripi ab improbis & ſceleſtis, à quibus indigne affligebatur. Sed quia miſeris & innoxiis, qui præter meritum vexantur, auxilium ſuum promittit: David primo loco ſe examinandum offert, ut cognita cauſæ bonitate & perſpecta, tandem ſuppetias ferat. Sicuti autem ſuaviſſima hinc conſolatio ad nos redit, quod Deus cauſæ noſtræ cognitor eſſe non gravetur: ita fruſtra ſperabimus eum fore injuriarum noſtrarum ultorem, niſi in medium prodeat noſtra integritas, quæ favorem nobis contra adverſarios conciliet. Per *gentem non manſuetam* intelligitur tota hoſtium factio, quæ immitis erat ac humanitatis expers. Quod ſequitur de *viro* doli & iniquitatis, ad Saulem quidem referri poteſt, ſed videtur potius enallage eſſe numeri.

2. *Quia tu Deus fortitudinis.*] Parum differt hic verſus à decimo Pſalmi ſuperioris: idque magis in verbis quam in re. Tentationi enim hunc clypeum opponens, quod Dei virtutem ſibi adeſſe expertus fuerit, queritur ſe mœſtum incedere, quia hoſtium libidini ſit quaſi expoſitus. Nam quia hoc pro certo & confeſſo ſumebat, non plus hoſtibus eſſe poteſtatis ad inferendas ſibi moleſtias, quam Dominus permitteret: ideo tanquam de re abſurda, quærit, qui fiat ut prævaleant hoſtes quum ipſe ſub Dei fide ſit ac tutela. Hinc vero animum colligit ad precandum, ut Deus gratiam ſuam iterum exerat, quam ad tempus viſus eſt abſcondere. Per *lucem* intelligitur favor: quia ſicuti res adverſæ non modo obſcurant Dei faciem, ſed cælum quoque nobis obnubilant: ita in Dei benedictione refulget læta ſerenitas: imo lux vitæ caliginem ſub qua mœſti obruebamur, diſcutit. Atque hoc verbo ſignificat, non aliunde contingere omnes miſerias, niſi quia Deus paterni amoris ſigna ſubducit: ſimul vero ac lætam ſerenamque faciem oſtendere dignatur, liberationem & ſalutem emergere. *Veritatem* adjungit, quia lucem non niſi ex Dei promiſſionibus ſperabat. Nam increduli, quamvis Deum ſibi propitium eſſe cupiant, non tamen ad ejus lucem attollunt oculos: quia ſemper in terram proclive eſt hominis ingenium, niſi Dei verbo ſurſum erigatur. Hinc ergo David fiduciam gratiæ Dei concipit, quia Deus, qui verax eſt ac fallere non poteſt, ſervis ſuis ſe adfuturum ſit pollicitus. Itaque ſic reſolvenda eſt oratio, Emitte lucem tuam, quæ fidei tuæ mihi ſpecimen ſit ac documentum, vel quæ reipſa & effectu probet te fidam eſſe in promiſſis ac minime fallacem. Etſi enim cognitio gratiæ Dei ex verbo petenda eſt, nec fides aliter ſtabilis erit niſi verbo nitatur: non vulgaris tamen verbi & fidei confirmatio eſt ipſa experientia, dum ad nos juvandos manum extendit Deus. Jam quid maxime expetat, & quem ſibi proponat reſtitutionis ſcopum, exponit, *Dirigant me* (inquit) & *adducant ad montem ſanctum tuum*. Sicut enim præcipua mœroris cauſa erat, exulare à cœtu piorum: ſic etiam caput omnium bonorum fore ducit, ſi frui liceat pietatis exercitiis, Deumque in Sanctuario colere. Tacite quidem David votum gratiarum actionis nuncupat, ſed minime dubium eſt, his verbis notari quem ſpectabat liberationis finem, ut ſcilicet liber pateret reditus in Sanctuarium, unde hoſtium tyrannide expulſus & profligatus erat. idque notatu digniſſimum eſt, quum uxore, fortunis, domo aliiſque commoditatibus ſpoliatus eſſet, templi ſemper deſiderio ſic æſtuaſſe, ut alia omnia fere negligeret. Sed hoc breviter nunc attingere mihi ſufficit, quia de tam pio affectu fuſius proximo Pſalmo diſſerui. Quæritur tamen quomodo montis Sion fiat mentio, qui non niſi poſt mortem Saulis deſignatus fuit ad Dei cultum. Cujus nodi non alia occurrit ſolutio, niſi quod David longo poſt tempore Pſalmum componens, quod alias in genere de Tabernaculo dicturus erat, ſimul ad revelationem ſibi poſtea datam deflexerit. in quo nihil eſt abſurdi.

4. *Et ingrediar ad altare.*] Solenne Deo ſacrificium promittit in memoriam liberationis. Neque enim de quotidiano tantum vel ordinario cultu loquitur, ſed *Altaris* nomine, ubi offerri ſolebant pacifica, illud quod dixi gratitudinis ſignum, exprimit: ideoque vocat *Deum lætitiæ* ſuæ, quia ex mœrore ad hilaritatem traductus hoc beneficium profiteri in animo habeat. Et *lætitiam* vocat *exultationis*, ut liberationis gratiam ſplendidius commendet. Nam poſterior genitivus epitheton valet: quo ſignificat non vulgari ſe gaudio fuiſſe perfuſum, ubi Deus eum præter ſpem reſtituit. De quinto verſu, quia proximo Pſalmo quantum res poſtulabat, diſſerui; nunc dicere ſuperſedeo.

ARGU-

Google

ARGUMENTUM PSALMI XLIV.

Conſtat Pſalmus hic tribus præcipuis membris. Initio enim commemorant fideles immenſam Dei miſericordiam erga populum ſuum, & tot documenta quibus paternum amorem teſtatus fuerat. Deinde queruntur Deum ſe propitium non jam ſentire, ut olim Patribus fuerat. Tertio in medium proferunt fœdus cum Abraham percuſſum, quod ſe optima fide coluiſſe aſſerunt, quamvis duriter afflicti eſſent: & ſimul objiciunt, non alia de cauſa crudeliter ſe vexari, niſi quod in ſincero Dei cultu conſtanter permaneant. Subjicitur tandem precatio, ne Deus indignam ſuorum oppreſſionem negligat, præſertim quæ redundat in pietatis contumeliam.

PSALM. XLIV.

1 PRæfecto filiorum Coræ, erudiens. | 1 למנצח לבני קורח משכיל:

QUis fuerit Pſalmi auctor, incertum eſt, niſi quod liquido conſtat, à quovis potius quam à Davide fuiſſe compoſitum. Querimoniæ autem quas continet, proprie conveniunt in miſerum illud & calamitoſum tempus, quo graſſata eſt ſæviſſima tyrannis Antiochi. niſi forte latius extendere libeat: quia poſt reditum ab exilio, nullum fere tempus à duris moleſtiis vacuum fuit. Certe ætati Davidis, ſub cujus regno floruit Eccleſia, non quadraret tale argumentum. Fieri etiam poteſt ut in ipſo exilio unus quiſpiam ex Prophetis querimoniam hanc populo dictaverit. Quanquam ſimul notandum eſt, imaginem Eccleſiæ, qualis poſt Chri-
Rom. 8. ſtum manifeſtatum futura erat, hic depingi. Paulus
verſ. 36. enim (ut ſuo loco iterum videbitur) non ita accipit, quaſi illa fuerit unius ſeculi conditio: ſed admonet, iiſdem ærumnis Chriſtianos eſſe devotos, nec aliud ſperandum illis eſſe uſque ad finem mundi, quam quod in Judæis ab exilio reverſis quaſi præludium oſtendit Deus. Apparuit quidem poſtea Chriſtus Eccleſiæ Redemptor, ſed non in eum finem, ut luxurietur caro in terra, ſed potius ut ſub cruce militemus uſque dum cæleſtis regni quies nos excipiat. Quid ſibi velit nomen משכיל, alibi dictum eſt. Nam etſi interdum lætis argumentis inſcribitur, ejus tamen uſus frequentior eſt, ubi agitur de rebus adverſis: quia hæc optima eruditionis ſpecies eſt, ubi Dominus ferociam noſtram domando, ſub jugum nos cogit.

2. Deus auribus noſtris audivimus, Patres noſtri narrarunt nobis opus quod feciſti in diebus ipſorum, diebus priſcis. | 2 אלהים באזנינו שמענו אבותינו ספרו לנו פעל פעלת בימיהם בימי קדם:

3. Tu manu tua Gentes expuliſti, & plantaſti eos, contriviſti populos, & propagaſti eos. | 3 אתה ידך גוים הורשת ותטעם תרע לאמים ותשלחם:

4. Quia non in gladio ſuo adepti ſunt terram, & brachium ſuum non ſervavit eos, ſed dextera tua, & brachium tuum, & lumen vultus tui: quia benevolus fuiſti erga eos. | 4 כי לא בחרבם ירשו ארץ וזרועם לא הושיעה למו כי ימינך וזרועך ואור פניך כי רציתם:

2. *Deus auribus noſtris.*] Recenſent Dei bonitatem, qua erga Patres olim uſus fuerat Deus, ut ipſa diſſimilitudine ad clades ſuas levandas eum provocent. Præfantur autem, ſe nequaquam de rebus obſcuris vel dubiis loqui, ſed referre hiſtorias ab idoneis auctoribus probe teſtatas. Nam quod ſe *auribus* ſuis dicunt *audiſſe*, non eſt pleonaſmos, ſed emphatice exprimunt, tam celebrem fuiſſe gratiæ Dei famam, ut ſublata ſit omnis dubitatio. Addunt, notitiam hanc ab oculatis teſtibus per manus fuiſſe traditam: non quod Patres qui ex Ægypto redempti fuerant, poſt annos mille & quingentos expoſuerint poſteris Dei beneficia, ſed quia continua ſerie non tantum prima liberatio, ſed varia auxilia, quæ ſubinde attulerat Deus populo ſuo, de manu (quod aiunt) in manum uſque ad ultimam ætatem pervenerint. Quia ergo ex ore primæ generationis loquuti ſunt qui poſt multa ſecula teſtes fuerunt ac præcones gratiæ Dei, merito dicunt fideles, quod ſibi narratum fuit à Patribus, compertum ipſis fuiſſe: quia cognitio vetuſtate non interciderat, ſed vigebat propter continuam memoriam. Summa eſt, Deum non decem aut viginti annis beneficum fuiſſe erga Abrahæ filios, ſed ex quo eos complexus fuerat, non ceſſaſſe à continuis gratiæ ſuæ documentis.

3. *Tu manu tua.*] Expoſitio eſt proximi verſus. Nondum enim diſerte notaverat opus illud Dei, Patrum ſermone celebratum. Nunc ergo addit, Deum *expuliſſe manu* ſua *Gentes*, ut in earum locum filios Abrahæ plantaret: male illas multaſſe, ut propagaret eoſdem Abrahæ filios. Veteres incolas terræ Chanaan comparat arboribus, quia longa poſſeſſione illic radices egerant. Subita igitur quæ contigit mutatio, perinde fuit acſi quis revulſis arboribus, in earum locum alias ſubſtituat. Sed quia non ſatis fuiſſet populum uno die plantari: additur ſecunda metaphora, qua fideles factum Dei benedictione fuiſſe docent, ut electus populus augeſceret: ſicuti arbor temporis ſucceſſu tam radicem quam ramos longius emittens, magis confirmatur in loco quem occupat. Quorſum autem hanc Dei gratiam nunc prædicent fideles, notare operæpretium eſt. nam inde ſæpe nobis oboritur deſperationis materia, dum colligimus, nos à Deo eſſe repudiatos, quia non eadem, quibus patres noſtros dignatus eſt, beneficia erga nos proſequitur. Eſſet autem abſurdum, fideles qui ſe ad precandum comparant, tali obſtaculo fiduciam ſuam impedire. Ego certe verum eſſe fateor, quo magis in mentem nobis veniunt quæ Deus in alios contulit beneficia, eo majore triſtitia nos pungi, ubi rebus noſtris adverſis non ſuccurrit. Sed fides in alium finem nos dirigit, ut ſtatuamus nos quoque tandem aliquid ſenſuros levationis, quia Deus ſui ſimilis manet. Nec dubium eſt quin hoc conſilio fideles nunc revocent in memoriam quæ Deus in Eccleſiæ ſuæ ſalutem olim egerat, ut ſe in meliorem ſpem erigant, ſicuti viſum fuit initio Pſalmi 22. Neque enim ſubſiſtunt in nuda comparatione, quæ divortium faceret inter eos qui divinitus fuerunt ſervati, & qui nunc ſub afflictionibus laborant & gemunt: quin potius vinculum ſanctæ conjunctionis ſibi proponunt in Dei fœdere, ut inde colligant, ad ſe pertinere quicquid unquam in Deo bonitatis experta eſt Eccleſia. Expoſtulant quidem primis verbis, quærentes quid ſibi velit paterni favoris interruptio: ſed mox ſeipſos colligunt, quia ſuccedit nova cogitatio de fide & conſtantia Dei, qui eos non minus quam Patres adoptavit. Quanquam mirum non eſt, in animis piorum diverſos inter ſe affectus etiam precando confligere. Sed Spiri-

Spiritus ſanctus immodicum dolorem ſedando, querimonias omnes tum patientia & obediendi ſtudio conciliat. Cæterum quod dicunt, redemptionem ſibi narratam fuiſſe à Patribus, præcepto Legis reſpondet, quo jubentur patres docere filios ſuos. Atque hodie idem onus ſibi à Deo eſſe injunctum meminerint fideles: quia doctrinam ſalutis deponit apud eos hac lege, ut ad poſteros transmittant: & quantum in ſe eſt, ſtudeant ejus imperium prorogare, quo per continuas ætates vigeat ejus cultus.

4. *Quoniam non in gladio.*] Confirmat à contrariis quod nuper docuit. nam ſi proprio Marte & induſtria, terræ hæreditatem adepti non ſunt, ſequitur, aliena manu fuiſſe plantatos. Quanquam enim egreſſa eſt ex Ægypto magna multitudo hominum: tamen quum imbelles eſſent, & ſervilibus tantum operibus aſſueti, ſtatim conſumpti fuiſſent ab hoſtibus, qui & copiis & virtute longe præſtabant. Denique claris ſignis tam ſua infirmitas populo, quam Dei virtus teſtata fuit: ut merito fateri debuerint, terram non ſuo gladio partam fuiſſe, & ſalutem Dei manu ſibi fuiſſe allatam. *Dextræ* autem conjungitur *brachium*, amplificandi cauſa: ut ſciamus non vulgari modo fuiſſe ſervatos. *Lumen vultus* hoc loco (ut alibi) pro favoris declaratione capitur: quia ſicuti Deus faciem ſuam oppoſitis miſeriis quodammodo obnubilat & contrahit: ſic rurſum Iſraëlitæ, quum ejus virtute freti, hoſtes ſine magna difficultate longe lateque proſternerent, ſerenam & lucidam ejus faciem intuiti ſunt, acſi palam ſe illis propinquum oſtenderet. Notanda autem ratiocinatio eſt qua utitur Propheta, populum gratuito Dei dono, terræ eſſe hæredem, quia virtute ſua eam minime acquiſierit. Tunc enim demum tribuere Deo incipimus quod ſuum eſt, ubi expendimus quam nihili ſint vires noſtræ. Et certe quod maligne ſepeliunt ut plurimum Dei beneficia homines, non aliunde fit niſi quod falſa imaginatione aliquid ſibi proprium arrogant. Quare hæc optima gratitudinis ratio, ubi ſtulta propriæ virtutis opinio evanuerit. Sequitur deinde illuſtrius gratiæ Dei elogium: ubi tota cauſa in Dei beneplacitum confertur. Neque enim aliquam in Abrahæ perſona dignitatem Propheta fingit, vel in ejus poſteris aliqua merita fabricat, cur tam liberaliter cum ipſis egerit Deus: ſed totum aſcribit Dei beneplacito, quod ſumptum videtur ex Moſis conteſtatione, Non quia plures eſſetis aliis gentibus vel præſtantiores, elegit vos Deus, ſed quia dilexit Patres veſtros. *Deut. 4. verſ. 37.* Etſi autem ſpecialis hic fit mentio terræ Chanaan, generale tamen ſumpſit principium Propheta, cur populum illum Deus in grege ſuo cenſere dignatus ſit. Et certe hic fons & origo eſt Eccleſiæ, nempe gratuitus Dei amor: & quibuſcunque beneficiis proſequitur Deus ſuam Eccleſiam, ex eodem fonte manat. Ideo quod collecti ſumus in Eccleſiam, quod fovemur ac protegimur Dei manu: cauſa non alibi quam in Deo quærenda eſt. Nec vero hic de communi Dei benevolentia agitur, quæ ſe extendit ad totum humanum genus, ſed diſtinguitur electus populus à reliquo mundo, & diſcriminis cauſa ad merum Dei beneplacitum refertur.

5. **Tu ipſe Rex meus, Deus manda ſalutes Jacob.**	5 אתה הוא מלכי אלהים צוה ישועות יעקב׃
6. **In te adverſarios noſtros cornu petivimus: in nomine tuo calcavimus inſurgentes contra nos.**	6 בך צרינו ננגח בשמך נבוס קמינו׃
7. **Quia non in arcu meo ſperabo, & gladius meus non ſervabit me:**	7 כי לא בקשתי אבטח וחרבי לא תושיעני׃
8. **Certe ſervaſti nos ab hoſtibus noſtris, & oſores noſtros pudefeciſti.**	8 כי הושעתנו מצרינו ומשנאינו הבישות׃
9. **In Deo laudabimus toto die, & nomini tuo in ſeculum confitebimur. Selah.**	9 באלהים הללנו כל היום ושמך לעולם נודה סלה׃

5. *Tu ipſe Rex.*] Hoc verſu clarius exprimunt quod paulo ante attigi, nempe Dei bonitatem non ſolum in liberando populo fuiſſe conſpicuam, ſed per continuas ætates fluxiſſe: ideo dicit, *Tu ipſe Rex meus.* Hoc enim valet (meo judicio) demonſtrativum הוא: acſi Propheta longam beneficiorum Dei ſeriem in prima redemptione contexeret: ut appareat, Deum qui ſemel redemptor fuerat populi ſui, non diſſimilem fuiſſe erga poſteros. Niſi forte emphatice poſitum ſit aſſerendi cauſa, ut omnibus aliis excluſis & valere juſſis, Deum unum ſalutis ſuæ præſidem celebrent. Hinc precationem quoque deducunt, ut Deus novas ſalutes ordinet ac emittat populo ſuo. Nam quia innumeros ſervandi modos in manu habet. *ſalutes* dicitur, quaſi nuncios, quocunque viſum fuerit, deſtinare.

6. *In te adverſarios.*] Exponit Propheta quomodo ſe Deus Regem populi oſtenderit: tantum enim virtutis ſuppeditaſſe, ut cunctis hoſtibus eſſent formidabiles. Nam huc pertinet ſimilitudo à tauris ſumpta, plus quam humano robore fuiſſe inſtructos, ut quicquid obvium eſſet, cornibus disjectum ac proſtratum calcarent. *In Deo, & in nomine Dei*, idem valent, niſi quod poſterior loquutio ſignificat, victorem ideo fuiſſe populum, quia ſub Dei auſpiciis militabat. Cæterum quod de Patribus nuper dixerant, nunc applicant ad ſe ipſos: quia idem erat Eccleſiæ corpus. & conſulto id faciunt ad colligendam fiduciam: quia ſi à Patribus ſe disjungerent, diverſa ratio curſum gratiæ Dei quodammodo interrumperet. Nunc ubi datum ſibi eſſe fatentur quicquid in Patres Deus contulerat: ſecure petere licet ut continuet opus ſuum. Porro tenendum eſt quod ſupra admonui, hac ratione Deo in ſolidum aſcribere ſuas victorias, quia nihil tale gladio vel arcu ſuo conſequi poterant. Antitheſis enim iſta melius illuſtrat Dei gratiam, ubi reputamus quanta ſit noſtra inopia, & quam nihil ſimus extra Deum. Iterum ergo repetunt, ſe Divinitus fuiſſe ſervatos, ab eodem Deo expulſos fuiſſe hoſtes & pudefactos.

9. *In Deo laudabimus.*] Concluſio eſt primæ partis. Nam in ſumma agnoſcunt tantam ſeculis omnibus fuiſſe Dei bonitatem erga filios Abrahæ, ut continua gratiarum actionis materia ſuppeteret. Perinde enim acſi adbuc in præſenti forent, aſſiduam ſe Deo laudem debere agnoſcunt: quia non uno ſeculo vel exiguo tempore, ſed continuis ætatibus floruerint. nam quicquid feliciter contigerat, acceptum referunt ejus gratiæ. Et certe tunc demum ex rebus proſperis ſancta & rite compoſita lætitia concipitur, dum erumpit in laudes Dei. Ergo verſum hunc meminerimus ad lætum illud tempus referri quo Deus populum ſuum favore proſequebatur: deinde hic fideles teſtari ſuam gratitudinem, dum omni falſa jactantia depoſita, fatentur ab uno Deo profectas eſſe omnes victorias, quibus in ſublime elati fuerant, & unica ejus virtute ſe hactenus

ſtetiſſe incolumes. Tertio non ſemel vel iterum duntaxat ſibi datam canendi fuiſſe cauſam, ſed longo temporis ſucceſſu varia paterni favoris documenta ſibi exhibita fuiſſe, ut merito longa poſſeſſio ſpem eorum ſtabilire debuerit.

* vel, oblitus es.

10. Veruntamen * abominatus es & pudefeciſti nos, & non egrederis cum exercitibus noſtris.	10 אף זנחת ותכלימנו ולא תצא בצבאותינו׃
11. Convertiſti nos retrorſum ab affligente, & oſores noſtri conculcaverunt ſibi.	11 תשיבנו אחור מני צר ומשנאינו שסו למו׃
12. Dediſti nos quaſi oves in cibum: & inter Gentes diſperſiſti nos.	12 תתננו כצאן מאכל ובגוים זריתנו׃
13. Vendidiſti populum tuum, nec inde divitiæ, & non auxiſti pretia ipſorum.	13 תמכור עמך בלוא הון ולא רבית במחיריהם׃
14. Poſuiſti nos opprobrium vicinis noſtris, ludibrium & ſubſannationem his qui circum nos ſunt.	14 תשימנו חרפה לשכנינו וקלס לסביבותינו׃
15. Poſuiſti nos proverbium in Gentibus, agitationem capitis in populis.	15 תשימנו משל בגוים מנוד ראש בלאמים׃

10. *Veruntamen abominatus.*] Nunc ſequitur expoſtulatio qua præſentes ærumnas, & extremam calamitatem deplorant. Deſcribitur autem mutatio, quæ non modo teſtetur Deum à ſolita benevolentia deſtitiſſe, ſed palam eſſe adverſum populo ſuo & infeſtum. Primo queruntur, ſe per odium fuiſſe rejectos. Id enim proprie ſignificat verbum זנחת, quod abominari, cum aliis, vertimus. Quanquam ſiquis malit, oblivisci, vel longe abeſſe, non reclamo. Addunt poſtea, ſe probro fuiſſe expoſitos: quia ſcilicet nudatis Dei præſidio infeliciter omnia ſuccedere neceſſe fuit. Quod etiam mox declarant, ubi dicunt, Deum jam *non egredi* quaſi ducem vel anteſignanum, ubi ad bellandum prodeunt. Poſtea longius extendunt ſuas querimonias, quod Deus ipſos in fugam conjecerit, quod in prædam & cibum expoſuerit. Nam quia ſanctis hoc perſuaſum eſt, fortes & animoſos eſſe homines quatenus eos Deus ſuſtinet arcana ſua virtute: ſtatuunt, in fuga & trepidatione divinitus metum incuti, ut ratio & cor deſerant miſeros homines. Atque hæc ſententia ſumpta eſt ex Lege, ubi dicit Moſes, Quomodo (Deut. 32. verſ. 30.) coram uno fugerent mille, vel duo fugarent decem millia, niſi quia Dominus tradidit nos, & concluſit in manum hoſtium? Quum ergo hoc fidelibus teſtatum foret: non imputant fortunæ quod expaveſcunt ad hoſtium conſpectum, in quos prius intrepide fortes impetus facere ſoliti erant: ſed cæleſti decreto fieri ſentiunt ut agantur retrorſum. Et ſicuti antea confeſſi ſunt, fortitudinem ſuam priorem fuiſſe donum Dei, ſic viciſſim timiditatem à Deo ſibi inflictam eſſe agnoſcunt. Ubi autem ita Deus animos fregit, dicunt ſe patere hoſtium libidini. Sic enim interpretor particulam למו, quod hoſtes pro arbitrio & ſine ulla repugnantia quaſi ſuam prædam diripuerint. Eodem pertinet altera comparatio, ubi dicunt ſe datos fuiſſe *in cibum*. quo ſignificat Propheta, jam ante prælium devictos, ad ſatiandam hoſtium ingluviem, ultro, ante pedes jacuiſſe. Notandum vero eſt, Deum fieri harum calamitatum auctorem, non obſtrependi cauſa, ſed ut confidentius ab eadem manu quæ percuſſit & vulneravit, remedium petant fideles. Et certe fieri non poteſt ut qui fortunæ imputant ſua mala, ſerio ad Deum confugiant, vel ab eo auxilium expectent & ſalutem. Quare ut medeatur Deus noſtris miſeriis, ſtatuere convenit, non eas temere vel caſu accidiſſe, ſed ejus manu eſſe inflictas. Ubi autem ſe projectos hoſtibus fuiſſe dixerunt, ſimul addunt ſe diſperſos fuiſſe inter Gentes. quæ diſſipatio, centum mortibus erat acerbior. Nam quum tota illius populi gloria & felicitas in eo poſita eſſet, ut ſub Deo uno & Rege uno collecti, unum eſſent corpus, miſceri Gentibus quaſi lacera membra, ſignum fuit extremæ maledictionis.

13. *Vendidiſti populum.*] Venditos ſe abſque lucro fuiſſe dicentes, intelligunt ſe proſtitutos quaſi vilia & nihili mancipia. Secundo etiam membro videntur ad morem licitandi alludere. Scimus enim venales ſervos non ante fuiſſe addictos emptoribus quam licitatio pretium auxiſſet. Intelligunt ergo, quia pro nihilo habiti fuerint, ſe fuiſſe projectos, ut deterior eſſet ſua conditio quam omnium ſervorum. Quod autem ſe potius ad Deum convertunt quam ad hoſtes, de quorum ſuperbia & crudelitate conqueri jure poterant, hinc diſcamus nihil melius nobis eſſe vel utilius, quam in rebus adverſis reputare Dei providentiam & judicium. Etſi enim ubi nobis moleſti ſunt homines, cum diabolo qui eos inſtigat, nobis negotium eſt, ad Deum tamen ipſum conſcendere neceſſe eſt, ut ſciamus ab eo nos probari & examinari, ſive ut nos caſtiget, ſive ut patientiam noſtram exerceat, ſive ut vitioſos ſubigat carnis noſtræ affectus, ſive ut nos humiliet erudiatque ad noſtri abnegationem. Jam quum audimus tam probroſe habitos fuiſſe qui ſub Lege vixerunt patres, non eſt cur nos ullæ contumeliæ dejiciant ſiquando huc nos Deus pertrahat. Neque enim Deus hic ſimpliciter quemlibet populum, ſed ſuum vendidiſſe dicitur, acſi jam contemptibilis eſſet ei ſua hæreditas. Ac idem hodie etiam licebit in precibus noſtris conqueri, modo fidem noſtram fulciat hoc exemplum, ne animos quantumvis afflicti deſpondeamus. Alio ſenſu dicit apud Jeſaiam Deus populum à ſe venditum ſine pretio, ut doceat nihil ſibi (Ieſa. 52. verſ. 3.) in illis redimendis fore negotii, quia fidem emptoribus non habeat obſtrictam.

14. *Poſuiſti nos.*] De vicinis loquitur quibus omnibus vel ſimultas, vel apertum odium erat cum populo Dei: ac ſæpe quidem accidit, ut vicinitas quæ ad conciliandum mutuum amorem valere debebat, invidiam, diſcordias & contentiones generet. Sed peculiaris fuit ratio in Judæis qui omnibus invitis terram occupaverant, & quorum religio apud alios quaſi belli claſſicum erat. Erat etiam in multis perverſa æmulatio, ut Idumæis quibus Circumciſio inflabat animos, acſi Deum Abrahæ ipſi quoque colerent. Hæc vero major fuit indignitas, ſubjici eorum ludibriis quibus propter verum Dei cultum exoſi erant. Mali atrocitatem alia circumſtantia amplificant fideles, quodundique hæc probra ingerantur: quia toto circuitu obſeſſi erant ab hoſtibus, ut ne momentum quidem illis quietum foret à moleſtia, niſi mirabiliter fuiſſent à Deo protecti. Procedunt deinde longius, ſe etiam inter Gentes procul diſſitas communem fuiſſe fabulam. Quanquam nomen משל quod

quod *proverbium* vertunt, poſſet tam pro gravi imprecatione, quam pro dicterio ſumi: ſenſus tamen eodem redit, nullum fuiſſe ſub cælo magis deteſtabilem populum: quia vulgo ejus nomen contumeliæ cauſa inter proverbiales figuras volitaret. Huc quoque ſpectat *concuſſio* vel *agitatio capitis*, de qua dictum fuit Pſalmo 22. verſ. 8. Nec dubium eſt quin Dei vindictam, cujus mentio in Lege fiebat, fideles in ſe compleri animadverterint. Nam quo melius ſe expergefacerent ad conſideranda Dei judicia, quicquid pœnarum de ipſis Deus exegit, cum ejus minis conferre, curæ illis fuit. Lex autem, iſta Gentium ludibria quæ commemorant, ad verbum denunciaverat. Et ubi dicit *in Gentibus & populis* emphatica eſt repetitio, quia minime conſentaneum erat ut profanæ gentes populum à Deo electum ſuis blaſphemiis proſcinderent. Porro non abs re conqueſtos eſſe, vel unus Ciceronis locus pro Flacco luculente teſtatur, ubi profanus ille rhetor pro ſua ſuperbia, non minus Deo, quam Judæis inſultat, ſatis conſtare gentem eſſe diis inviſam, quæ tot cladibus ſubinde attrita, ad extremum miſerrima ſervitute oppreſſa erat.

* vel, toto die.

16. * Quotidie opprobrium meum coram me, & ignominia vultus mei obtexit me.

16 כָּל־הַיּוֹם כְּלִמָּתִי נֶגְדִּי וּבֹשֶׁת פָּנַי כִּסָּתְנִי׃

17. A voce exprobrantis & convitiantis, à facie adverſarii & ultoris.

17 מִקּוֹל מְחָרֵף וּמְגַדֵּף מִפְּנֵי אֹיֵב וּמִתְנַקֵּם׃

18. Totum hoc venit nobis, & non obliti ſumus tui, nec perfide egimus in fœdere tuo:

18 כָּל־זֹאת בָּאַתְנוּ וְלֹא שְׁכַחֲנוּךָ וְלֹא שִׁקַּרְנוּ בִּבְרִיתֶךָ׃

19. Non deflexit retro cor noſtrum, nec declinavit greſſus noſter à ſemita tua.

19 לֹא נָסוֹג אָחוֹר לִבֵּנוּ וַתֵּט אֲשֻׁרֵינוּ מִנִּי אָרְחֶךָ׃

20. Licet contriveris nos in loco draconum, & operueris nos umbra mortis.

20 כִּי דִכִּיתָנוּ בִּמְקוֹם תַּנִּים וַתְּכַס עָלֵינוּ בְצַלְמָוֶת׃

21. Si obliti ſumus nomen Dei noſtri, & expandimus manus noſtras ad Deum alienum:

21 אִם־שָׁכַחְנוּ שֵׁם אֱלֹהֵינוּ וַנִּפְרֹשׂ כַּפֵּינוּ לְאֵל זָר׃

22. An non Deus requiret hoc? quia ipſe novit abſcondita cordis.

22 הֲלֹא אֱלֹהִים יַחֲקָר־זֹאת כִּי־הוּא יֹדֵעַ תַּעֲלֻמוֹת לֵב׃

16. *Quotidie.*] כל היום longam durationem ſignificat, ſed poteſt accipi pro toto vel integro die à mane uſque ad veſperam, vel pro dierum recurſu. Utramvis expoſitionem eligas, ſumma eſt, nullum eſſe malorum finem. Quod iterum mutatur numerus nihil abſurdi eſt, concipi totius Eccleſiæ ſermonem quaſi in perſona unius hominis. Sequitur poſtea cur pudore obruti vultum & oculos attollere non audeant: quia nulla datur à petulantia & hoſtium convitiis reſpiratio. Nam ſi permiſſum fuiſſet in latebras ſe abdere, devoraſſent utcunque in ſilentio ſuas miſerias: ſed vulnus duplicatum eſt, quum proterve illuderent hoſtes. Hunc ergo malorum cumulum ſibi impoſitum eſſe deplorant: quod aſſidue cogantur probra & blaſphemias audire, & hoſtes ſuos vocant ultores. quo nomine apud Hebræos truculentia & crudelitas notatur cum faſtu conjuncta, ſicuti diximus Pſalmo 19.

18. *Totum hoc venit.*] Quum prius Deo aſcripſerint quicquid patiebantur malorum, ſi nunc ſe immerito affligi dicant, Deum inſimulant injuſtitiæ: ita jam non ſancta eſſet precatio, imo ſacrilega blaſphemia. Sed notandum eſt, fideles, etiamſi in ſuis rebus adverſis apertas cauſas non perſpiciant, manere tamen in hoc principio defixos, conſtare Deo rationem cur eos tam ſevere & duriter tractet. Simul tamen notare operæpretium eſt, hic non de tempore præterito verba fieri, ſed potius in medium proferri tolerantiam, quæ non vulgare pietatis ſignum erat, quum obedienter jugo Dei collum ſubjicerent. Videmus enim ut major pars, non ſecus atque equi feroces calcitrant, adverſus Deum fremat, & pervicaciter inſaniat. Quare non parum in vero Dei timore profecit qui ſe in afflictionibus continet ſub pia cuſtodia, ne qua impatientia transverſum feratur. Nam & hypocritis facile eſt in rebus proſperis Deo benedicere: qui ſimul ac rigidus apparet, in furorem erumpunt. Commemorant ergo fideles, quamvis tot malis à recto curſu abripi potuerint, ſe tamen non oblitos fuiſſe Dei, quia ſemper eum colerent, licet minus propitium ac clementem. Non ergo prædicant ſuperiorum temporum virtutes, ſed tantum objiciunt ſe inter medias afflictiones conſtanter retinuiſſe Dei *fœdus*. Et certe ſatis conſtat, longe antequam ſæviret Antiochus, populum multis corruptelis fuiſſe refertum, quæ Dei vindictam provocarunt, ut jactari ab ipſis non debuerit quæ hic laudatur integritas. Verum quidem eſt, ut paulo poſt videbimus, Deum illis peperciſſe, ut ob ejus nomen magis quam propria delicta afflicti fuerint: ſed hæc Dei indulgentia efficere non debuit ut ſe eximerent reatu. Tenendum igitur eſt, nihil aliud nunc, quam ſuam patientiam in medium proferre, quia à Dei cultu inter graves & duras tentationes non defecerant. Primo autem negant ſe fuiſſe oblitos Dei, quia res adverſæ cælum quodammodo obnubilant, ut Dei memoria facile nobis intercidat, acſi longe eſſemus ab eo diviſi. Addunt ſe non fuiſſe fallaces vel *perfidos in ejus fœdere:* quia tunc maxime, ut dixi, retegitur hominum impietas, ubi præter animi ſententiam urgentur. Tertio *cor* ſuum negant *retro* fuiſſe verſum. Poſtremo *greſſus ſuos non declinaſſe à Dei ſemitis.* Nam ſicuti quotidie nos Deus invitat, ſic corda noſtra ſemper ad ejus vocationem intenta eſſe decet. Hinc ſequitur viarum directio: quia externis operibus & tota vita teſtamur, *cor noſtrum* Deo ſincere addictum eſſe. Ubi poſui *non declinavit greſſus*, altera etiam à quibuſdam affertur probabilis lectio, declinare feciſti greſſum noſtrum. Nam & verbum נטה tranſitive poteſt accipi, & nulla negatio ponitur. quanquam de ſenſu ab illis diſſentio, quia locum hunc comparant cum illo Jeſaiæ, Quare nos errare feciſti ut non ambulemus in viis tuis? Potius enim huc tendit querimonia, quoniam Deus manum ſuam ab illis ſubduxerit, miſere per devia erraſſe. nam ſemitæ Dei non ſemper feruntur ad doctrinam, ſed ad ſecundos & optabiles eventus. *Jeſa. 63. verſ. 17.*

20. *Licet contriveris nos.*] Particula cauſalis כי vel in adverſativam reſolvi debet, vel in adverbium temporis. Cohærent enim hi tres verſus, & pendet ſententia uſque ad illam clauſulam, quia ipſe novit abſcondita cordis. Pluribus autem verbis recitant quod nuper vidimus, etiamſi in profundum malorum

rum fuerint demerſi, ſtetiſſe tamen rectos in ſuo gradu. Porro ſi expendimus in quas redacti fuerint anguſtias, non videbitur nobis hyperbolicum, quod ſe dicunt uſque in abyſſum fuiſſe contritos. Nam per *locum draconum* non intelligo deſerta & ſolitudines, ſed profundiſſimos gurgites maris, ideoque תנים potius de balænis interpretor, ſicuti & pluribus aliis locis. atque hanc ſententiam confirmat poſterius membrum, ubi queruntur ſe fuiſſe opertos *umbra mortis*: quod tantundem valet ac fuiſſe abſorptos à morte ipſa. Sciamus autem in his verbis dictari nobis à Spiritu ſancto precandi formam: ideoque invictam fortitudinem nobis præcipi, quæ nos ſub malorum omnium congerie ſuſtentet, ut vere teſtari liceat, etiam in ſumma deſperatione, nos ſperaſſe in Deo, nullis tentationibus excuſſum nobis fuiſſe ejus timorem, nulla denique mole afflictionum fuiſſe fractos, quin ſemper in eum reſpexerimus. Sed loquutiones quibus utuntur propius notare operæpretium eſt. Nam ut oſtendant ſe purum retinuiſſe Dei cultum, animis & manibus non niſi ad unum Deum Iſraël ſe intentos fuiſſe aſſerunt. Neque enim ſatis fuiſſet confuſam aliquam opinionem deitatis apud ſe fovere, niſi vera religio apud eos viguiſſet. Nam & qui Deo obmurmurant, quamvis cogantur numen aliquod agnoſcere, fabricant tamen ſibi Deum pro arbitrio. Atque hoc diaboli artificium eſt, quia non ſtatim poteſt è cordibus evellere omnem religionis ſenſum, mentes noſtras concutere his machinis, quærendum eſſe alium Deum, vel, quem hactenus coluimus, alio modo placandum eſſe, vel aliunde quam ex Lege & Euangelio petendam eſſe gratiæ ejus certitudinem. Quum ergo inter malorum agitationes & fluctus, pluſquam difficile ſit recte compoſitos in pura fide manere, ſedulo tenenda eſt iſta obteſtatio, quod ſancti Patres miſeriis omne genus confecti, non deſtiterint tamen recumbere in verum Deum. quod etiam clarius deinde in contextu exprimunt, *non expandimus manus noſtras*, &c. Quibus verbis ſignificant ſe uno Deo contentos, non habuiſſe ſpes huc & illuc diviſas, neque circumſpexiſſe ut alia ſubſidia quærerent. Unde colligimus, quicunque animos ſuos diſtrahunt in ſpes varias, obliviſci veri Dei: cui non tribuimus ſuum honorem, niſi in eo ſolo acquieſcimus. Et certe in legitimo ejus cultu primum gradum obtinet fides, & quæ inde naſcitur invocatio: quia præcipua gloriæ ſuæ pars ei eripitur, dum extra eum quærimus vel minimam ſalutis noſtræ partem. Meminerimus ergo, hoc verum eſſe pietatis examen, ubi in abyſſos dejecti, oculos, ſpes, & vota dirigimus in ſolum Deum. Quo convincitur impietas Papatus, ubi poſtquam verbo tenus confeſſi ſunt ſe credere unum Deum, proſtituunt ejus gloriam ad creaturas. Etſi enim excuſent, ſe ad Chriſtophorum & quos finxerunt Sanctos confugere, ut illis patronis gratiam coram Deo inveniant, conſtat tamen in forma invocandi nullum eſſe diſcrimen. Deinde etiamſi recipimus quod dicunt, frivola tamen excuſatio eſt, patronos ſibi quærere: quia non ſufficiat Chriſtus, imo ſepultum ſit apud eos ejus officium. Diligenter autem notanda eſt circumſtantia hujus loci. nam fideles ſe negant manus expandiſſe ad alios deos: quia vitium eſt nimis vulgare, ſi continua mala urgeant, Deo poſthabito, quærere alia remedia. quamdiu nos blande & ſuaviter fovet Deus, ad eum nos conferimus: ſed ubi quid adverſi contigit, mox incipimus ambigere. Si vero ulterius premimur, imo ſi nullus eſt malorum finis, ipſa aſſiduitas ſollicitat nos ad deſperationem, deſperatio generat perverſas fiducias. hinc novorum deorum fabrica. De elevatione manuum alibi dictum eſt.

22. *An non Deus requiret.*] Gravis eſt & ſeria obteſtatio, dum audent Deum ſuæ integritatis arbitrum ſtatuere: unde conſtat eos non egiſſe cauſam ſuam coram mundo, ſed ſecum loquutos quaſi ad Dei tribunal. confidentius etiam addunt nihil Deo eſſe abſconditum. Unde enim fit ut ſæpe Deum teſtem citent hypocritæ, niſi quia dum fuco obtegunt ſuam pravitatem, ſe ex Dei judicio elapſos eſſe putant: atque ita transfigurant Deum, quaſi ſuis fallaciis oculos ejus perſtringerent. Quoties ergo prodimus in conſpectum Dei, veniat ſimul in mentem ejus memoria, quoniam eſt cordium cognitor, vanis coloribus nihil apud eum profici.

23. Certe propter te occidimur quotidie, æſtimati ſumus tanquam oves mactationis.

24. Exurge, quare obdormis Domine? evigila, ne obliviſcaris in finem.

25. Quare faciem tuam abſcondis? obliviſceris miſeriæ noſtræ & afflictionis noſtræ?

26. Quoniam afflicta eſt ad pulverem anima noſtra, adhæſit terræ venter noſter.

27. Exurge in auxilium nobis, & redime nos propter bonitatem tuam.

23 כי עליך הרגנו כל היום נ
נחשבנו כצאן טבחה :
24 עורה למה תישן אדני הקיצה
אל תזנח לנצח :
25 למה פניך תסתיר תשכח
ענינו ולחצנו :
26 כי שחה לעפר נפשנו דבקה
לארץ בטננו :
27 קומה עזרתה לנו ופדנו למען
חסדך :

23. *Certe propter te.*] Alia ratione, Dei miſericordiam ſibi conciliant fideles, quia non ob ſua maleficia plectantur, ſed tantum propter Dei nomen infeſtos ſibi habeant incredulos. Videtur quidem primo intuitu ſtulta eſſe querimonia: nam ſpecioſior fuit illa reſponſio Socratis in objurganda uxore, quum diceret, Satius eſſe inſontem perire, quam ſua culpa. Imo conſolatio quam proponit Chriſtus, videtur longe ab his verbis differre, Beati qui perſequutionem patiuntur propter juſtitiam. Item Petrus, Si quis propter nomen Chriſti patitur, hæc potius materia eſt lætitiæ & gratulationis. Reſpondeo, Quamvis optimum ſit doloris ſolatium, cauſam nobis eſſe conjunctam cum Chriſto: non tamen fruſtra nec perperam fideles Deo objicere, indigne in ejus cauſa affligi: quo ſe acrius vindicem opponat. quia æquum eſt, rationem ab ipſo haberi ſuæ gloriæ, cui tunc inſultant impii, dum proterve ſæviunt contra ejus cultores. Hinc vero clarius patet, quo tempore in exilio languebat populus, vel Antiochus vaſtabat Eccleſiam, compoſitum fuiſſe hunc Pſalmum. quia tunc religio, afflictionum cauſa fuit. Nam Babylonios ad rabiem adigebat populi conſtantia: quum viderent à victis & profligatis ſuas ſuperſtitiones adhuc damnari: & tota Antiochi rabies ad extinguendum Dei nomen ferebatur. Augetur etiam indignitas, quod impiorum libidinem adeo non compeſcit Deus, ut laxatis habenis aſſidue in ſua truculentia pergant. dicunt ergo ſe *quotidie occidi*, deinde non alio eſſe in pretio *quam oves mactationi* deſtinatas. Cæterum memoria repetere convenit quod ſupra attigi, non ita fuiſſe puros ab omni noxa,

Matth. 5. verſ. 10.

1 Petr. 4. verſ. 14.

noxa, quin Deus juſtas de eorum peccatis pœnas exigeret. ſed pro ſua incomparabili indulgentia ſepultis peccatis, injuſtis perſecutionibus nos exponit: ut alacrius gloriemur nos crucem ferre cum Chriſto: ut beatæ Reſurrectionis ſocii ſimus & conſortes. diximus autem non alia de cauſa furorem hoſtium tantopere accenſum fuiſſe, niſi quia populus à Lege deſciſcere, & verum Dei cultum abjicere nollet. Jam aptanda eſt in uſum noſtrum doctrina: ac primo tenendum eſt illud, exemplo Patrum placide ferendas eſſe afflictiones, quibus ſancienda eſt fidei noſtræ confeſſio. deinde in profundiſſimis mortis tenebris conſtanter invocandum eſſe Dei nomen, & in ejus timore perſtandum. Paulus tamen ultra progreditur ad Rom. 8 verſ. 23. non tantum exempli loco hoc recitans, ſed depingi aſſerens perpetuam Eccleſiæ ſortem. Sic ergo ſtatuere convenit, cæleſti decreto injunctam nobis eſſe perpetuam crucis ferendæ militiam. verum quidem eſt, interdum inducias vel relaxationem dari, quia infirmitati noſtræ Deus parcit: ſed quamvis non ſemper exerti ſint contra nos gladii, quia tamen ſumus Chriſti membra, ad ſocietatem crucis paratos eſſe nos oportet. Ergo ne crucis acerbitas nos terreat: ſemper hæc Eccleſiæ conditio nobis verſetur ante oculos, quatenus adoptati ſumus in Chriſto, addictos eſſe mactationi. alioqui idem nobis continget quod videmus multis apoſtatis: nam quia vivendo aſſidue mori, exponi ludibriis, momentum à metu vacuum non habere, nimis durum eſt ac miſerum, eorum judicio: ut ſe hac neceſſitate eximant, turpiter deſerunt & abnegant Chriſtum. Ergo ne tædium vel horror crucis à pietate nos avellat, ſit hæc continua noſtra meditatio, bibendum eſſe calicem quem omnibus porrigit Deus, nec poſſe Chriſtianum eſſe, niſi qui ſe in ſacrificium Deo offert.

24. *Exurge, quare obdormis?*] Jam poſtulant Sancti, ut Deus tandem ipſorum miſertus, opem & remedium afferat. Quanquam autem hanc balbutiem Deus in ſanctorum precibus tolerat, dum exurgere vel expergefieri optant: certo tamen perſuaſos eſſe convenit, cum pro ſalute ſua agere excubias. Neque enim Deum Epicuri fingere licet, qui ſe otio & deliciis oblectet. ſed quia pro ſenſus noſtri tarditate, non ſtatim apprehendimus quam de nobis gerit curam, petunt fideles ut re ipſa demonſtret, neque ſe obliviosum neque ſegnem eſſe. Statuendum quidem eſt, à Deo nos reſpici, etiamſi diſſimulet: quia tamen hæc perſuaſio fidei eſt, non carnis, contrarium illum ſenſum quem ex præſenti rei aſpectu concipiunt, familiariter exonerant in ſinum Dei: atque hoc modo purulentos affectus animis ſuis ejiciunt, quo deinde pura & liquida fides emergat. Siquis excipiat, orationem, qua nihil magis ſacrum eſt, hoc modo pollui, dum perverſa carnis imaginatio cum ea miſcetur: fateor id quidem: ſed dum hac licentia utimur quam Dominus permittit, ſciamus ejus indulgentia abſtergi vitium hoc, ne preces noſtras contaminet.

26. *Quoniam afflicta eſt.*] Iterum deplorant malorum ſuorum gravitatem, & ſe inuſitato modo affligi, referunt: quo Deus ad auxilium ferendum ſit propenſior. nam hac metaphora non tantum ſe dejectos eſſe ſignificant, ſed terræ alliſos & affixos, ut ſurgendi nulla ſit facultas. *Animam* pro corpore quidam accipiunt, ut ſit ejuſdem ſententiæ iteratio: ſed malo pro parte vitali accipere, acſi dixiſſent, ſe in terram projectos eſſe, & pronos jacere abſque ulla ſpe ſurgendi: hic querimoniæ precem ſubjiciunt, ut Deus *ſurgat in auxilium.* Interea *redimendi* verbo ſignificant non vulgare ſe genus auxilii petere, quia aliter quam redemptione ſervari nequeant. Neque tamen dubium eſt quin mentes eorum in præcipuam redemptionem intentæ fuerint, quæ rivos ſuos emittit, dum nos quotidie variis modis redimit Deus ac liberat. Etſi autem nuper pie gloriati ſunt de fidei ſuæ conſtantia, ut tamen appareat merita non jactaſſe, hic non repoſcunt quicquam mutuum, ſed contenti ſunt gratuita Dei bonitate, ad ſalutis ſuæ cauſam.

ARGUMENTUM PSALMI XLV.

Deſcribitur & ſplendidis elogiis laudatur Salomonis gratia & decor, virtutes in regni adminiſtratione: potentia, divitiæ. Præſertim vero quia uxorem alienigenam ex Ægypto duxerat, huic conjugio promittitur Dei benedictio, ſi modo nova ſponſa, amore gentis ſuæ valere juſſo, totam ſe marito dedat. Interea non dubium eſt quin ſub hac effigie majeſtas, opulentia & propagatio Regni Chriſti, ſuis titulis ornetur: ut ſciant fideles nihil ſibi eſſe beatius vel magis optabile quam ſubeſſe Regis hujus præſtantiſſimi imperio.

PSALM. XLV.

1 **PRæfecto ſuper lilia, filiorum Chore, erudiens carmen amorum.**	לַמְנַצֵּחַ עַל שֹׁשַׁנִּים לִבְנֵי קֹרַח מַשְׂכִּיל שִׁיר יְדִידֹת׃ 1

SIcuti Pſalmum hunc de Solomone eſſe compoſitum certo conſtat, ita incertus eſt ejus auctor. Mihi probabile eſt, ſive poſt ejus mortem, ſive eo adhuc ſuperſtite, unum quempiam ex Prophetis vel piis doctoribus hoc argumentum ſumpſiſſe ſibi tractandum, ut doceret, quicquid in Solomone ſpectatum fuerat, altius tendere. Porro vocatur *carmen amorum*, non quia paternum Dei amorem in beneficiis quibus ornatus fuit Solomo, celebret, ſicuti quidam volunt: ſed quia gratulationem de læto & felici conjugio continet. ita genitivus epithetum valebit, ut ſit carmen amatorium. Vocatus quidem fuit Solomo ידידיה quaſi Deo dilectus. [2 Sam. 12. verſ. 25.] ſed contextus, meo judicio, poſtulat ידידות referri ad mutuum amorem quo ſe complecti debent conjuges. Sed quia amores interdum in ſiniſtram partem inclinant, imo conjugalis dilectio nunquam ita rite compoſita eſt, quin admixta ſit aliqua intemperies carnis, ideo carmen ſimul vocatur משכיל ut ſciamus non agi de obſcœnis vel minus pudicis amoribus, ſed ſub Solomonis figura ſanctam & divinam Chriſti cum Eccleſia conjunctionem nobis proponi. Reliquam partem inſcriptionis varie torquent interpretes שושן proprie ſignificat lilium: & Pſal. 60. ſingulari numero ita inſcribitur: hic autem, & Pſalmo 80. pluralis numerus ponitur: quare veriſimile eſt vel principium fuiſſe vulgaris cantici, vel organon muſicum. ego, ut de re non magni momenti, ſuſpendo ſententiam, quia ſine jactura hoc vel illud ſequi liberum erit.

2. Ebullit cor meum verbum bonum. dicam ego opera mea de Rege. lingua mea, calamus ſcribæ velocis.	רָחַשׁ לִבִּי דָּבָר טוֹב אֹמֵר אָנִי מַעֲשַׂי לְמֶלֶךְ לְשׁוֹנִי עֵט סוֹפֵר מָהִיר׃ 2
3. Pulcher es præ filiis hominum, diffuſa eſt gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum.	יָפְיָפִיתָ מִבְּנֵי אָדָם הוּצַק חֵן בְּשְׂפְתוֹתֶיךָ עַל כֵּן בֵּרַכְךָ אֱלֹהִים לְעוֹלָם׃ 3

4. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum ô fortis, decore & gloria.

5. Et decore tuo proſperare: equitare ſuper verbum æquitatis, & manſuetudinis, & juſtitiæ: & docebit te terribilia dextera tua.

6. Sagittæ tuæ acutæ (ut populi ſub te cadant) in corda inimicorum Regis.

4 חגור חרבך על ירך גבור הודך והדרך:

5 והדרך צלח רכב על דבר אמת וענוה צדק ותורך נוראות ימינך:

6 חציך שנונים עמים תחתיך יפלו בלב אויבי המלך:

2. *Ebullit cor meum.*] Præfatio ſatis oſtendit non eſſe vulgare hujus cantici argumentum: quia promittit, quiſque fuerit auctor, verba ſe facturum de rebus magnis & præclaris. Quum autem non ſoleat Spiritus buccas inflare ad ſpargendum inanem ſonitum, colligere licet, hic non diſſeri de caduco tantum Regno, ſed aliquid excellentius tractari. quorſum enim tam magnifica oratio pertinet, *cor* Prophetæ *ebullire*, ut laborem ſuum & operam narrandis Regis laudibus impendat? Quanquam autem aliis magis placet verbum emittere, altera tamen verbi ſignificatio melius congruere viſa eſt, quam probat nomen ex hoc verbo deductum מרחשת hoc eſt, ſartago ubi friguntur placentæ: quod ſemel & iterum occurrit apud Moſen. acſi dixiſſet cor ſuum aliquid præclarum & memorabile ſpirare. Conſenſum deinde cordis & linguæ prædicat, ubi *linguam calamo ſcribæ celeris* & prompti comparat. Orditur autem ab encomio pulchritudinis: deinde addit eloquentiæ laudem. Porro formæ elegantia in Rege laudatur, non quod per ſe decor oris, magni æſtimari debeat, qui inter virtutes locum nullum obtinet: ſed quia in ipſo vultu ſæpe reluceat generoſa indoles: ſicuti ſolo aſpectu oſtendere potuit Solomo ſe eximiis dotibus eſſe præditum. Non immerito autem laudatur in Rege facundia: cujus partes ſunt non modo conſilio & auctoritate populum regere, ſed etiam rationibus & ſermonis gratia allicere in obſequium: ſicut veteres in ore Herculis aureas catenas finxerunt, quæ vulgus hominum auribus traherent. Atque hinc hodie convincitur Regum ignavia, qui ſuæ dignitati minime conſentaneum eſſe putant verba facere quibus flectantur ſubditi: imo barbaram tyrannidem eo produnt, quod illis propoſitum eſt cogere magis quam perſuadere, & mancipiis potius abuti, quam æquitate & legibus gubernare docilem & morigerum populum. Cæterum ut hæc dexteritas in Solomone ſpectata fuit, ſic longe plenius deinde refulſit in Chriſto, cui doctrina pro ſceptro eſt: ſicuti paulo poſt fuſe dicendum erit. Particula על כן non ponitur illative hoc loco, acſi Solomo propter formæ & eloquentiæ gratiam benedictus eſſet, quum utrumque horum, Dei ſit benedictio: ſed potius cauſæ redditio eſt, cur Solomo his donis excelluerit: quia ſcilicet Deus eum benedixerat. Nam quod alii exponunt, Deus tibi ob præſtantiam tuam benedicet, frigidum eſt ac coactum.

4. *Accingere gladio.*] Hic tam à bellica fortitudine, quæ terrorem hoſtibus incutit, quam à virtutibus, quæ reverentiam apud ſubditos conciliant, laudatur Solomo. nam & ſuos tueri ac defendere Rex non poterit, niſi formidabilis ſit hoſtibus: & parum erit, audacter bellare contra exteros, niſi interior regni ſtatus ad æquitatem & juſtitiam compoſitus ſit. Primo ergo dicit, gladium quo accinctus erit, inſigne fore bellici roboris ad profligandos hoſtes: deinde etiam potentiæ, ne ſit inter ſuos contemptibilis. ſimul adjungit, gloriam qua florebit, non evanidam fore, ſicuti vana Regum oſtentatio ſtatim concidit: ſed proſperos & diuturnos habituram ſucceſſus. Secundo deſcendit ad virtutes, quæ in pace & tranquillo ſtatu melius nitent: quas eleganti metaphora docet veras eſſe regni fulturas. Videtur quidem primo intuitu aſpera locutio, *equitare ſuper veritatem, manſuetudinem, & juſtitiam:* ſed quemadmodum dixi, aptiſſime has virtutes vehiculis comparat, quæ Regem in ſublime attollant: & eas opponit non modo inanibus pompis, quibus ſe jactant terreni Reges, ſed vitiis & corruptelis, quibus ut plurimum conantur auctoritatem ſibi acquirere. Dicit Solomo ipſe in Proverbiis, Juſtitia & clementia ſtabiliri Regis thronum. Atqui dum volunt profani Reges potentiam ſuam efferre & munire, equi eorum & quadrigæ ſunt ambitio, faſtus, ferocia, crudelitas, exactiones, rapinæ, violentia: itaque non mirum ſi Deus ſæpe ex ventoſis vel putridis ſoliis eos deturbet. Quare hæc vera eſt ac ſolida Regnorum ſtabilitas, fidem & juſtitiam colere, & clementia moderari ſuum imperium. Poſterius membrum admonet, feliciter ceſſurum quicquid Solomo tentabit, ſi temperamentum juſtitiæ & manſuetudinis, bellicæ fortitudini adjungat. nam qui cæco & turbulento impetu feruntur Reges, etiamſi ad momentum metu & pavore omnia repleant, mole ſtatim ſua concidunt. facit igitur juſta & æquabilis moderatio ut manus fortium tremendæ ſint. Proximo verſu redit ad bellicam potentiam, quum dicit *ſagittas Regis acutas* fore, ut penetrent *in corda hoſtium:* quibus verbis ſignificat tela in manu eſſe, quibus procul feriat hoſtes quicunque ejus imperio repugnaverint. quo etiam ſenſu *populos* ſub eo *ſternendos* fore dicit: acſi diceret, Quicunque auſi fuerint ad labefactandi Regni ejus ſtatum inſurgere, miſere perituros: quia ad frangendam omnium contumaciam ſatis erit præſidii in Regis manu.

Prov. 20. verſ. 28.

7. Solium tuum Deus in ſeculum & uſque: ſceptrum rectitudinis, ſceptrum regni tui.

8. Diligis juſtitiam, & odio habes impietatem: propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.

7 כסאך אלהים עולם ועד שבט מישר שבט מלכותך:

8 אהבת צדק ותשנא רשע על כן משחך אלהים אלהיך שמן ששון מחבריך:

6. *Solium tuum.*] Alias regias virtutes in Solomone commendat, quod ſolium ejus æternum ſit: deinde quod juſta rectaque gubernandi ratio. Nam quod Judæi locum hunc depravant, quaſi ad Deum fieret ſermo, nimis putidum eſt. Quod etiam alii אלהים in genitivo caſu legunt, ratione caret, ac prodit eorum impudentiam, dum Scripturam turpiter lacerare non dubitant, ne Meſſiæ Divinitatem cogantur fateri. Simplex autem & genuinus ſenſus eſt, Solomonem non tyrannice dominari, ut pleroſque Reges, ſed rectis & æquis legibus, ideoque ſolium ejus omnibus ſeculis fore ſtabile. Quanquam autem *Deus* vocatur, quia Regibus aliquam gloriæ ſuæ notam Deus inſculpſit, non potuit tamen elogium hoc in homine mortali ſubſiſtere: quia nuſquam legimus vel hominem vel Angelum hoc titulo ornatum

tum eſſe abſque ulla adjectione. Sic quidem plurali numero vocantur tam Angeli quam Judices, ſed nemo unus vocatur אלהים quin addatur aliqua re- *Exod. 7. verſ. 1.* ſtrictio: ſicuti dum Moſes conſtituitur in Deum Pharaonis: unde colligere licet, canticum hoc altius quam ad umbratile regnum ſpectare, ut mox videbimus. Proximo verſu ponitur clarior definitio rectitudinis, quod ſcilicet non minus ſeverus ſit iniquitatis vindex quam aſſertor juſtitiæ. Scimus enim quantas diſſipationes gignat impunitas & licentia, ubi Reges in puniendis ſceleribus molles ſunt & remiſſi: unde illud vetus dicterium, Deterius eſſe vivere ſub Principe ſub quo licent omnia, *Prov. 17. verſ. 15.* quam ſub quo nihil licet. Nota eſt etiam Solomonis ſententia, Qui juſtificat impium & condemnat juſtum, uterque abominatio eſt Deo. Recta igitur moderatio his duobus membris conſtat, ut qui præſunt, ſevere coërceant maleficia, & juſtitiam ſtrenue aſſerant: ſicuti à Platone ſcite & prudenter dictum eſt, politicum ordinem duabus partibus conſtare, præmiis, & pœnis. Quod addit *unctum fuiſſe præ ſociis*, non ponitur tanquam effectus juſtitiæ, ſed potius cauſa eſt: quia inde recti & æqui ſtudium Solomoni quod populo in Regem Divinitus præfectus eſſet. Nam Deus ad honorem & imperium deſtinans, ſimul neceſſariis dotibus eum inſtruxit: itaque particula על כן rurſus hoc loco valet quia: acſi diceret, non mirum eſſe quod Solomo tam præclarus ſit juſtitiæ cultor, quandoquidem electus eſt ex fratrum numero, qui Sacra unctione Rex adoptaretur. Nam cæleſti oraculo, antequam naſceretur, nuncupatus eſt regni ſucceſſor: & poſtquam impoſitus eſt ſolio regiis quoque virtutibus ornatus eſt. unde ſequitur, unctionem ordine priorem fuiſſe juſtitia, atque ita non poſſe ejus cauſam cenſeri. *Oleum lætitiæ* vocatur ab effectu, quia Eccleſiæ felicitas & ſalus ex regno illo pendebat.

Huc uſque literalem ſenſum expoſui: nunc Solomonis cum Chriſto comparatio, quam obiter attigi, paulo uberius nobis tractanda eſt. quanquam piis & modeſtis hominibus ſufficiet, quod frequenti Scripturæ uſu notum eſt, Veteri populo in poſteris Davidis propoſitam fuiſſe Chriſti imaginem, quia tamen Judæi & alii profani homines non facile veritati cedunt, ex contextu ipſo breviter colligere operæpretium eſt, non ſolide nec perfecte in Solomonem competere partem eorum quæ hic dicuntur. Ac tale ſane, ut initio admonui, Prophetæ conſilium fuit, à trepidatione revocare pias mentes, quam incutere potuit triſtis mutatio, quæ paulo poſt accidit. Promiſſa fuerat regni æternitas, quod uno homine mortuo collapſum eſt. Excipit igitur Propheta, Quamvis abſciſſa magna parte populi, in fines anguſtos redactus fuerit Rehabeam, qui primus fuit tam ſplendidi & opulenti regni ſucceſſor, non eſſe tamen cur labaſcat Eccleſiæ fides: quia illic exhibita fuerit figura æterni regni quod adhuc ſperandum erat. Ac primum quidem *Regis* nomen per excellentiam Solomoni tribuitur, ut ſciamus non de Rege quolibet haberi ſermonem, ſed memorabili illo Rege, cujus ſolium Deus ſtaturum promiſit, donec *Pſal 72. verſ. 5.* fulgeant in cælo Sol & Luna. David certe Rex fuerat, & qui deinde ſequuti ſunt. Notatio igitur eſt in hac voce, acſi hunc unum ex aliorum ordine delectum Spiritus ſanctus in ſummo gradu locaret. Jam bellicam fortitudinem in Solomone tantopere celebrari qui conveniet, qui & manſueto fuit ingenio, & tranquillum ſtatum adeptus, pacis artes tantum coluit, nullum unquam in bello edidit ſui ſpecimen? Sed nihil hoc teſtimonio clarius afferri poteſt, ubi aſſeritur Regni perpetuitas. Neque enim dubium eſt quin notetur oraculum cujus nuper memini, *Pſal. 72. verſ. 5.* Donec Sol & Luna in cælo manebunt, ſtabit quoque ſolium Davidis. Atqui hoc Judæi etiam ipſi coguntur ad Meſſiam referre. Ergo Propheta quamvis de filio Davidis ſermonem inchoaverit, ſpiritu tamen altius aſcendens, Regnum veri & perpetui Meſſiæ complexus eſt. Huc accedit nomen אלהים, quod etſi communiter ad Angelos & homines transfertur, ſimpliciter tamen in unum hominem non quadrat, itaque non dubium eſt quin Divina Chriſti majeſtas diſerte hic notetur. Nunc deſcendo ad ſingulas partes, quas tamen obiter tantum percurram. Diximus carmen ita vocari *amatorium* vel *nuptiale*, ut ſancta eruditio primum locum obtineat, ne quos fingamus laſcivos amores vel terrenos. Eodem ſenſu ſciamus Chriſtum vocari *ſpecioſum forma*, non quod oris pulchritudine ſpectabilis fuerit, ſicuti craſſi homines ſomniant: ſed quia eximiis dotibus ornatus fuerit, quibus alios omnes ſupereminet. Neque enim novum eſt, quod in Chriſto ſpirituale eſt, ſub terrenis figuris deſcribi. Regnum Chriſti opulentum fore dicitur: additur magnificus ſplendor, qualis in felici abundantia & magna potentia conſpicitur: adduntur etiam deliciæ, atqui nihil horum convenit Chriſti regno, quod alienum eſt à mundi pompis. ſed Prophetæ, quum ſuam doctrinam accommodare vellent ad captum populi, non de illo ſecus ac de cultu Dei loquuti ſunt, quem adumbrant ſub Legalibus cæremoniis. Hanc analogiam ſi tenemus, nulla reſtabit hujus loci obſcuritas. Jam quod Rex Divinus, poſtquam laudatus eſt à facundia, armatur etiam gladio, notatu dignum eſt. nam & oris facundia voluntarios ac dociles gubernat: & quia multi omnibus ſeculis rebelles fuerunt & immorigeri, ac futuri ſunt, neceſſe eſt omnes incredulos exitio ſuo ſentire, Chriſtum non veniſſe inermem. Ergo dum nos ſuaviter ad ſe invitat, ſubeamus prompto obſequio ejus jugum, ne gladio & mortiferis ſagittis accinctus in nos ruat. Merito quidem dicitur, in labiis ejus diffuſam eſſe gratiam, quia Euangelium, vitæ odorem natura ſua ſpirat: verum ſi præfracti ſimus, hæc gratia in terrorem vertetur: & Chriſtus ex ſalutis doctrina, gladium ſibi & ſagittas conflabit. Hinc etiam nobis ſuggeritur non parva conſolatio, ne multitudo & ſuperbia hoſtium Chriſti nos exanimet. Videmus quam ſuperbe Papiſtæ Chriſtum repudient, quem ſibi jactant eſſe Regem: quam prophano etiam contemptu major pars mundi illudat: quam petulanter Turcæ & Judæi maledicant. Ergo in rebus tam confuſis occurrat nobis vaticinium hoc, Chriſto gladium & ſagittas ſternendis & perdendis hoſtibus ſuppetere. Iterum breviter hoc repetam quod ante attigi: utcunque verſum hunc ſuis cavillis eludere Judæi conentur, Solium tuum Deus in ſeculum ſeculi, ſatis tamen valere ad æternam Chriſti divinitatem probandam: quia dum nomen אלהים vel Angelis vel hominibus aſcribitur, ſimul addi ſolet nota aliqua quæ diſcernat eos à vero & unico Deo: hic autem ſimpliciter confertur in Chriſtum & abſque ulla exceptione. Jam vero notare operæpretium eſt, ſermonem hic de Chriſto haberi, quatenus Deus eſt manifeſtatus in carne. Etſi enim Deus vocatur, quia Sermo eſt à Patre genitus ante ſecula, hic tamen ſtatuitur in perſona Mediatoris: unde & paulo poſt, Deo ſubjicitur. Et certe ſi ad Divinam ejus naturam reſtringas quod dicitur de æterno ejus regno, peribit nobis inæſtimabilis fructus, quem ex hac doctrina percipimus: dum intelligimus, quatenus caput eſt Eccleſiæ, & ſalutis noſtræ cuſtos ac preſes, non regnare ad tempus, ſed æterno imperio potiri, quia hinc nobis ſolida tam in vita quam in morte ſecuritas. Clare etiam ex proximo contextu patet, Chriſtum nobis mediatorem proponi, quia unctus à Deo ſuo dicitur, & quidem præ ſociis. Id autem in æternum Dei Sermonem non competit, ſed in Chriſtum carne indutum, in qua & ſervus Dei eſt, & frater noſter.

9. Myrrha & aloë, & caſia omnibus veſtimentis tuis, ex palatiis eburneis unde lætificaverunt te.

10. Filiæ Regum inter honorabiles tuas: aſtitit conjunx ad dextram tuam in auro Ophir.

11. Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliviſcere populum tuum & domum patris tui.

12. Et amabit Rex decorem tuum: quia ipſe dominus tuus, & adorabis eum.

13. Et filia Tyri cum munere: vultum tuum deprecabuntur divites populi.

9 מֹר וַאֲהָלוֹת קְצִיעוֹת כָּל ב
בִּגְדֹתֶיךָ מִן הֵיכְלֵי שֵׁן מִנִּי שִׂמְּחוּךָ׃

10 בְּנוֹת מְלָכִים בְּיִקְּרוֹתֶיךָ נִצְּבָה
שֵׁגַל לִימִינְךָ בְּכֶתֶם אוֹפִיר׃

11 שִׁמְעִי בַת וּרְאִי וְהַטִּי אָזְנֵךְ ו
וְשִׁכְחִי עַמֵּךְ וּבֵית אָבִיךְ׃

12 וְיִתְאָו הַמֶּלֶךְ יָפְיֵךְ כִּי הוּא א
אֲדֹנַיִךְ וְהִשְׁתַּחֲוִי לוֹ׃

13 וּבַת צֹר בְּמִנְחָה פָּנַיִךְ יְחַלּוּ
עֲשִׁירֵי עָם׃

9. *Myrrha & aloë.*] Ego de vocibus anxie non diſputo, quia ne inter Hebræos quidem ſatis convenit quid ſignificet tertium nomen, niſi quod ex ſimilitudine conjicere licet eſſe caſiam. Satis eſt quod Propheta dicit veſtes Regis, aromaticis & pretioſis odoribus eſſe perfuſas. Solomonem vero deſcribit prodeuntem ex eburneo palatio, unde omnes ei gratulantur & applaudunt. Particulam enim מני non interpretor, ex me, quia nullum tolerabilem ſenſum inde elicere liceret, ſed refero ad palatia. Quanquam autem non in plebe modo, ſed in Regibus quoque vitio non carent luxuria & ſuperfluæ deliciæ: ab altera tamen parte cavenda eſt nimia auſteritas, ne moderatum ſplendorem, qui eorum dignitati reſpondeat, prorſus damnemus, ſicuti paulo poſt inducitur Regina ſumptuoſe & magnifice ornata. Interea tamen ſciendum eſt, non probatum fuiſſe Deo quicquid hic laudatur in Solomone. Atque ut de aliis taceam, Deo certe ſtatim ab initio diſplicuit polygamia. Atqui inter benedictiones Dei ponuntur concubinæ. neque enim dubium eſt quin per *honorabiles* Propheta ſignificet uxores quarum alibi fit mentio. Quamvis enim ſummum gradum teneret uxor Ægyptia, alias tamen quas Sacra hiſtoria in medio ordine ponit, liberaliter & honorifice tractatas fuiſſe apparet: quas ideo filias Regum vocat Propheta, quod ex illis nonnullæ regio genere ortæ eſſent. Quomodo igitur polygamiam quam Deus in privatis omnibus nominatim vero in Regibus improbat, in Solomonis laudibus recenſet Propheta? Certe colligere promptum eſt, dum vulgari more celebrantur Regis opulentia & gloria, non probari abuſum: quia Prophetæ conſilium non fuit, exemplum hominis in certamen cum Dei regula committere: fuit quidem potentia, dignitas & ſplendor Solomonis, non vulgaris Dei benedictio: ſed quam ipſe (ut fieri ſolet) multis corruptelis vitiavit, dum ſibi non ſatis temperat, ſed largiore copia ad carnis ſuæ licentiam abutitur. In ſumma, quam liberaliter Deus rerum omnium abundantiam in Solomonem effuderit, hic narratur. Quod autem ſibi coacervavit multas uxores, nec frugalem modum in ſplendore adhibuit, hoc eſt quaſi accidentale.

11. *Audi filia.*] De uxore Ægyptiaca, quam nuper dixit ſtare ad dextrum latus Regis, ſermonem haberi non dubito. Etſi autem Solomoni alienigenam ducere uxorem fas non fuit, merito tamen hoc quoque numeratur inter Dei dona, quod à Rege potentiſſimo quæſita fuerit illius affinitas. Jam vero quia ex Legis præſcripto Judæos oportuit dare operam, ut uxores ante congreſſum aſſuefacerent ad purum cultum Dei, & ſuperſtitionibus exuerent, puellam ex profana gente natam, quæ per novum conjugium inſita erat in Eccleſiæ corpus, Propheta à prava educatione revocans, jubet depoſita memoria patriæ & paternæ domus, induere aliud ingenium & alios mores. Alioqui enim periculum erat non modo ne privatim foveret vitioſos cultus, quibus aſſueverat, ſed etiam ne publice ſuo exemplo multos in ſocietatem criminis traheret: quod poſtea contigit. hæc fuit exhortationis ratio, in qua ut authoritatem ſibi conciliet, *filiæ* nomine utitur, quod in perſona cujuslibet privati hominis fuiſſet ineptum. Jam quo melius pateat quanti interſit novam nuptam prorſus renovari, attentionem pluribus verbis exigit, *Audi, conſidera, & inclina aurem tuam.* Nam certe hic vehementia & acribus ſtimulis opus eſt, ubi de abnegatione eorum omnium agitur, quæ natura vel conſuetudine nobis placent. Admonet autem non eſſe cur filia Pharaonis ægre patrem, cognatos, totamque Ægyptum deſerat: quia ad ſedandam abſentiæ triſtitiam præclara compenſatio occurrat. Contentam enim tali marito eſſe jubet, ut patria libenter careat. Redeamus nunc ad Chriſtum. ac primo meminerimus, quod ſpirituale eſt in ejus regno, figurate nobis deſcribi: ſicuti propter hominum craſſitiem coacti ſunt Prophetæ ſimilitudines mutuari à rebus terrenis. Si tenemus hanc loquendi rationem quæ paſſim trita eſt in Scripturis, non mirabimur quod Propheta de palatiis eburneis, auro, gemmis & aromatibus prædicat. ſignificat enim felici bonorum omnium affluentia refertum fore. Quanquam autem donorum ſpiritualium, quibus Eccleſiam ſuam Deus locupletat, ſplendor & dignitas à mundo contemnitur, coram Deo tamen præſtat omnibus mundi divitiis: etſi neceſſe non eſt ſingula membra curioſe ad Chriſtum aptari. quale eſt quod de multis uxoribus dicitur. Nam ſi plures fingantur Eccleſiæ, lacerabitur corporis Chriſti unitas. Verum quidem eſt, ſicut quiſque fidelium vocatur templum Dei, ita quodammodo vocari Chriſti ſponſam: ſed proprie loquendo unica eſt ſponſa, quæ ex univerſo piorum cœtu colligitur. Dicitur autem ſedere ad latus Regis, non quod peculiare aliquod imperium exerceat, ſed quoniam in ea dominatur Chriſtus. quo ſenſu vocatur noſtra omnium mater. Continet autem hic locus inſigne vaticinium de futura Gentium vocatione: qua factum eſt ut filius Dei affinitatem cum alienis & hoſtibus ſuis contraxerit. Erat enim inter Deum & omnes incircumciſos populos hoſtile diſſidium: & maceria interpoſita, quæ illos ab electo Abrahæ genere diſcerneret: quia fœdus quod cum Abraham pepigerat Deus, Gentes à regno cælorum uſque ad Chriſti exhibitionem arcebat. Sacro itaque conjugio mundum dignatus eſt, non ſecus ac ſi olim Judæus uxorem è Gente extera & profana ſumpſiſſet. Porro ut caſtam & integram ſponſam Propheta Chriſto ſiſtat, hortatur Eccleſiam ex Gentibus aſcitam, ut prioris vitæ oblita, penitus ſe marito devoveat. Et quia mutatio hæc qua transfigurantur in novos homines, qui ex filiis Adæ filii Dei eſſe incipiunt, difficilis eſt, eam vehementius urget Propheta. Nam hac verborum congerie, Audi, vide, inclina aurem, ſignificat fideles non ſine arduo & laborioſo conatu ſe ipſos cum priſtina educatione exuere: quia apud propenſos & voluntarios ſupervacua eſſet talis exhortatio. Et certe experientia oſtendit quam ſegnes ac tardi ſimus ad ſequendum Deum. Verbo autem

1 Cor. 3. verſ. 17. Galat. 4. verſ. 26.

videndi

videndi merito perſtringitur noſtra ſocordia, quia inde tam cæcus noſtri amor, falſa opinio prudentiæ & virtutis, mundi illecebræ, arrogantia denique & faſtus, quod non reputamus quam pretioſum theſaurum Deus in Filio ſuo unigenito nobis offerat. niſi obſtaret hæc ingratitudo, moleſtum non eſſet, Pauli exemplo, quicquid miramur, pro ſtercore vel nihilo ducere, ut ſuis nos opibus Chriſtus ditaret. Sicut autem *Filiæ* nomine novam Eccleſiam blande & ſuaviter demulcet, ita & premio allicit, ut libenter in Chriſti gratiam, quicquid hactenus charum habuit ſpernat ac relinquat. Neque enim vulgare ſolatium eſt nos filio Dei in ſummis deliciis fore, ubi terrenum ingenium exuerimus. Interea diſcamus, noſtri abnegationem ſacræ cum Chriſto conjunctionis principium eſſe. Nam per *domum patris & populum*, haud dubie corruptelas omnes intelligit Propheta, quas ex utero afferimus, vel quas imbibimus mala conſuetudine. imo ſub hac loquutione complectitur quicquid ex ſe ipſis habent homines: quia nulla naturæ pars integra eſt, vel à corruptione immunis. Notanda etiam eſt quæ additur ratio, juſtam & legitimam ſubjectionem excutere Eccleſiam, niſi Chriſto ſe addicat. Nam *adorandi* verbo non externa modo ceremonia, ſed pius reverentiæ & præſtandi obſequii affectus per ſynecdochen notatur. Atque utinam probe, ut par erat, expenſa fuiſſet hæc admonitio: quia & Chriſti imperio melius paruiſſet Eccleſia, & hodie de ejus auctoritate non eſſet nobis tantum cum Papiſtis certamen, qui Eccleſiam non ſatis honorifice haberi putant, niſi effræni licentia contra maritum exultet. Nam etſi ſummum imperium verbo tenus Chriſto concedunt, ut coram eo flectatur omne genu, quum tamen immenſam in ferendis legibus poteſtatem Eccleſiæ arrogant, quid hoc aliud eſt quam fræno ſolvere, ut ſine modo laſciviat? Omitto quod ſcelerate titulum Eccleſiæ ad ſe rapiunt. ſed hoc non ferendum ſacrilegium eſt, Chriſti ſpoliis ipſam ornare. Eſt quidem hæc non parva dignitas, ſedere ad dexteram Regis, ſicuti non vulgaris honor eſt, piorum omnium cenſeri matrem, quæ ſub diſciplina ſua eos contineat. ſed ex innumeris Scripturæ teſtimoniis colligere promptum eſt, Chriſtum Eccleſiam ſuam minime extollere, ut de ſuo jure quicquam minuat vel abroget.

Philip. 3. verſ. 8.

13. *Et filia Tyri.*] Hæc pars eſt compenſationis, qua Propheta mitigat vel potius abolet deſiderium prioris fortunæ, quod venient Tyrii ſupplices cum muneribus. Scimus autem quam celebris fuerit fama Tyri olim: ideo ſummi honoris loco ponit, ex tam nobili & opulenta urbe venturos ad ſummiſſionem præſtandam. Etſi autem minutias omnes ſectari utile non eſt, ut in Eccleſia reperiamus quæcunque de uxore Solomonis hic dicuntur, hodie tamen fructum aliquem guſtamus hujus vaticinii, quum facit Deus ut nonnulli ex mundi proceribus, licet Chriſti jugum non ſuſcipiant, Eccleſiam tamen ſua humanitate foveant ac tueantur.

14. Tota glorioſa filia Regis intrinſecus, ex veſtibus auro intextis indumentum ejus.

14 כל־כבודה בת־מלך פנימה ממשבצות זהב לבושה׃

15. In veſtibus acu pictis adducetur Regi: puellæ poſt eam, proximæ ejus adducentur tibi.

15 לרקמות תובל למלך בתולות אחריה רעותיה מובאות לך׃

16. Adducentur in lætitiis & exultatione, ingredientur palatium Regis.

16 תובלנה בשמחת וגיל תבאינה בהיכל מלך׃

17. Pro patribus tuis erunt filii tui, conſtitues eos principes in tota terra.

17 תחת אבתיך יהיו בניך תשיתמו לשרים בכל־הארץ׃

18. Memorabile reddam nomen tuum in omni generatione & generatione: propterea celebrabunt te populi in ſeculum & uſque.

18 אזכירה שמך בכל־דר ודר על־כן עמים יהודך לעלם ועד׃

14. *Tota glorioſa.*] Duplex poteſt eſſe ſenſus, Reginam non modo quum in populi conſpectum prodit, ſed etiam ubi cubiculo ſedet, ſemper magnifice veſtitam eſſe: vel ſplendorem ornatus non eſſe fucatum, ad fallendos ſimplicium oculos, ſed ex ſolida opulentia conſtare. Felicem itaque Reginæ ſtatum hac circumſtantia amplificat Propheta, quod non tantum raræ oſtentationis cauſa ſumptuoſas veſtes habeat, ſed ad quotidianum ornatum. Alii exponunt, totam gloriam ejus in hoc ſitam eſſe, quod eam Rex ad ſe familiariter invitet. quia mox tranſitus in cubiculum deſcribitur cum magno & ſplendido comitatu. Etſi autem pompa hæc modum excedit, docet tamen interim Propheta, non ita pretioſe veſtiri Eccleſiam, ut in ſe convertat vulgi oculos, ſed tantum in gratiam Regis. Jam quod hodie Eccleſia ſpirituali decore conſpicua non eſt, in quo refulgeant Chriſti divitiæ, ingratitudini hominum imputandum eſt: qui vel ſua ſegnitie liberalitatem Dei reſpuunt: vel poſtquam ditati erant, ad inopiam rediguntur.

17. *Pro patribus tuis erunt filii.*] Hoc quoque ad regni præſtantiam facit, quod poſteritas dignitate Patribus non cedet, atque ita non minuetur poſt mortem Solomonis nobilitas generis: quia filii qui ex eo naſcentur, proavos omni virtutum excellentia æquabunt. Poſtea addit *Principes* fore *in tota terra*, tam late propagato imperio, ut commode in plurima regna diſtribui queat. Porro vaticinium de Chriſto hoc eſſe facile colligitur: quia tantum abeſt ut filii Solomonis propter regni amplitudinem provincias inter ſe partiti ſint, ut primus ejus hæres exiguam tantum partem retinuerit. Ita nemo ex legitimis ſucceſſoribus ad ejus potentiam acceſſit, ſed omnes unius tantum tribus & dimidiæ domini, quaſi in anguſtias concluſi fuerunt. Ubi autem ad Chriſtum venitur, qui medius fuit inter veterem & novam Eccleſiam, vere filios genuit, numero & præſtantia patribus non cedentes, quos orbi univerſo præfecit. Etſi enim coram mundo crucis deformitas Eccleſiæ gloriam obſcurat, ſi tamen reputamus quam mirabiliter aucta, & quibus ſpiritualium virtutum dotibus ornata fuerit, fatebimur, non immerito celebrari ejus gloriam. Notandum tamen eſt principatum hunc, cujus mentio fit, non conſiſtere in perſonis hominum, ſed referri ad caput: nam paſſim dominatio & poteſtas quæ proprie eſt capitis, & peculiariter ſoli Chriſto convenit, transfertur ad membra. ſcimus enim, qui in Eccleſia maxime eminent, & eam gubernant, Chriſti nomine non dominari, ſed potius eſſe ſervos: ſed quia Euangelium ſuum apud eos depoſuit Chriſtus, quod regni ejus ſceptrum eſt, ejus poteſtatem quodammodo exercent. Certe Chriſtus per ſuos miniſtros ſibi orbem ſubegit, ac totidem ſibi erexit principatus, quot fuerunt in diverſis regionibus collectæ Eccleſiæ.

18. *Memorabile reddam.*] Nihilo hoc magis Solomoni congruit, qui turpi & nefanda defectione memo-

memoriam nominis ſui fœdavit: nam quùm ſuperſtitionum ſordibus terram Deo ſacram polluit, nonne ſe conſperſit æterno dedecore & probro? Certe dignus fuit cujus nomen perpetua oblivio ſepultum tegeret. Nihilo plus gloriæ promeritus eſt Rehabeam, qui ſtolida ſua ſuperbia bonam regni partem amiſit. Ergo ut nobis conſtet elogii veritas, ad Chriſtum tranſire neceſſe eſt, cujus memoria ſemper viget ac floret. nam etſi contemnitur à mundo, imo ſuperbi homines ſacrum ejus nomen vel lacerant, vel contumelioſe dejiciunt, manet tamen ei ſalva majeſtas. Quanquam undique emergunt hoſtes innumeri ad opprimendum ejus regnum, coram eo tamen flecti incipit omne genu, donec proteſtates omnes ſibi contrarias ſternat ſub pedes ſuos. Nam furioſi Satanæ & totius mundi conatus extinguere non potuerunt Chriſti nomen, quin tranſmiſſum ad poſteros, per ſingulas ætates gloriam ſuam obtineat: ſicuti hodie adhuc videmus linguis omnibus celebrari. Quanquam autem major pars mundi ſacrilegis blaſphemiis illud proſcindit, ſatis tamen eſt quod Deus ubique præcones excitat qui Chriſti laudes ſyncere perſonent. Interea noſtrum eſt, ſedulo dare operam ne unquam intercidat memoria hæc, quæ ſeculis omnibus ſuperſtes vigere debet in æternam hominum ſalutem.

ARGUMENTUM PSALMI XLVI.

Videtur gratiarum eſſe actio, potius pro certa liberatione, quam pro continuo Dei auxilio quo ſemper ſtatum Eccleſiæ tutatus eſt. Colligere enim licet, quum ingenti metu percuſſa eſſet Jeroſolyma, & laboraret in ſummo diſcrimine, fuiſſe præter ſpem ſubita & mirabili Dei virtute ſervatam. Ideo Propheta, quiſquis fuerit Pſalmi auctor, tam inſigne Dei beneficium commendans, hortatur fideles ut ſe intrepide in ejus tutelam committant, nec dubitent, eo cuſtode & ſalutis ſuæ vindice freti, contra omnes hoſtiles inſultus, perpetuo ſe fore ſalvos: quia proprium ejus munus ſit omnes motus ſedare.

PSALM. XLVI.

PRæfecto filiorum Kore, ſuper Alamoth canticum.

2. Deus nobis protectio & robur, auxilium in tribulationibus * invenitur valde.

* vel, *inventus eſt.*

3. Propterea non timebimus dum movebitur terra, & concident montes in cor maris.

1 למנצח לבני קרח על עלמות שיר:

2 אלהים לנו מחסה ועז עזרה בצרות נמצא מאד:

3 על כן לא נירא בהמיר ארץ ובמוט הרים בלב ימים:

SUper Alamoth.] In voce עלמות non conſentiunt interpretes: omiſſis tamen pluribus ſententiis, duas tantum referam: vel fuiſſe muſicum inſtrumentum, vel initium celebris & noti carminis: atque hæc poſterior conjectura magis mihi probatur. Porro quo tempore compoſitus fuerit Pſalmus incertum eſt, niſi forte quando repente ſoluta fuit urbs obſidio graviſſima clade in exercitum Sennacherib. Divinitus inflicta. quod ego libenter recipio, quia cum toto contextu optime convenit. Certe memorabilem aliquam gratiam Dei celebrari patet, qualis illa fuit.

2 *Reg.* 19. *verſ.* 15.

2. *Deus nobis protectio.*] A generali ſententia incipit, antequam ad ſpeciem liberationis deſcendat. Præfatur enim, ſatis eſſe in Deo præſidii ad ſuos ſervandos, illiſque dare idoneam ſperandi materiam. id enim proprie ſignificat nomen מחסה. In ſecunda parte verſus, verbum נמצא præteriti eſt temporis: ſed poſſet non incommode reſtringi ad ſalutem ſemel allatam, ſicut etiam alii vertunt, Inventus eſt auxilium. ſed quia *Tribulationes*, in numero plurali adjungit Propheta, de continuo actu exponere placuit, quod Deus ſe tempeſtive offerat quoties urgent aliquæ afflictiones. Quanquam ſi de experimentis gratiæ Dei loquatur Propheta, præteritum tempus melius quadrabit. Prophetæ quidem conſilium eſt, extollere Dei potentiam & bonitatem erga ſuos: promptum etiam auxilium laudare, ne in rebus adverſis alio circumſpiciant, ſed una ejus protectione contenti ſint. ideo diſerte exprimit, talem eſſe Deum erga ſuos, ut ſciat Eccleſia peculiariter ſe ab eo defendi. Nec vero dubium eſt quin hac voce electum populum ab alienis & profanis gentibus ſeparet: atque ita commendet adoptionis privilegium, quo Deus filios Abrahæ dignatus erat. Proinde quum dixi generalem eſſe ſententiam, nolui promiſcue extendere ad quaslibet perſonas, ſed ad omnia tempora: quia docet qualiter ſe Deus erga ſuos omnes gerere ſoleat. Sequitur deinde illatio, nullam eſſe fidelibus trepidandi cauſam, quum Deus ſemper ad eos liberandos paratus ſit, & quidem invicta potentia inſtructus. Oſtendit autem Propheta quænam vera ſit & legitima ſpei probatio, ubi ſcilicet rebus ita confuſis, ut propemodum videatur cælum ruere, terra loco moveri, & montes à radicibus dehiſcere, ſtamus tamen tranquillis & ſecuris animis. Facile enim eſt, magnam fiduciam præ ſe ferre quamdiu periculum nullum impendet: verum ſi totius mundi concuſſio animos noſtros labefactet, neque eorum quietem perturbet, hinc facile apparet, Dei potentiæ juſtum honorem deferri. Porro quum dicit, *Non timebimus*, pias mentes ab omni ſolicitudine vel metu non penitus eximit, acſi ſenſu carerent (ſtupor enim à fidei conſtantia longiſſime abeſt) ſed tantum docet, quicquid acciderit, nunquam eos terrore obrui, ſed potius vires colligere quæ ad placandum terrorem ſufficiant. *Terram mutari, & montes cadere in cor maris*, loquutiones ſunt hyperbolicæ, ſed quæ ſignificant totius orbis converſionem. Nam quod nonnulli *cor maris* de terra exponunt, mihi non probatur. Sed ut conſtet nobis plena doctrina, ad reliqua pergamus.

4. Sonabunt & † tumultuabuntur aquæ ejus, concutientur montes in elevatione ejus. Selah.

† vel, *intumeſcent.*

5. Fluminis rivuli ejus lætificabunt civitatem Dei, Sanctuarium tabernaculum Excelſi.

6. Deus in medio ejus: non movebitur, adjuvabit eam Deus ad conſpectum auroræ.

4 יהמו יחמרו מימיו ירעשו הרים בגאותו סלה:

5 נהר פלגיו ישמחו עיר אלהים קדוש משכני עליון:

6 אלהים בקרבה בל תמוט יעזרה אלהים לפנות בוקר:

4. Sona-

4. *Sonabunt.*] Cum hoc verſu conjungi debet etiam poſterior, quia implet ſententiam, acſi dixiſſet, Quamvis tumultuentur & intumeſcant aquæ maris, ac violento ſuo impetu montes ipſos concutiant, inter horribiles turbas hilariter & placide quieſcet Dei civitas, exiguis rivis contenta. Nam pronomen relativum ſupervacuum eſt ex communi uſu linguæ Hebraicæ. Simpliciter enim dicere voluit Propheta, tenues rivos fluminis ſanctæ urbi plenam lætitiæ materiam daturos, ſi forte contingat totum mundum labaſcere. Jam nuper attigi quam utilem doctrinam contineat hic locus, nempe tunc demum rite probari fidem noſtram, ubi ad graviſſimos conflictus ventum eſt, adeoque inferi ipſi videntur aperti ut nos abſorbeant. Ita nobis depingitur fidei victoria, contra totum mundum, ubi è ſcilicet rebus confuſis ſic emergit, ut creaturis omnibus exitium minitantibus, omnes tamen metus ſuperet. Non quod rideant in periculis filii Dei, aut jocoſe de morte garriant: ſed quia promiſſum ſibi à Deo auxilium pluris æſtimant, quam mala omnia quæ terrorem incutiunt. Præclara videtur Horatii ſententia de viro juſto & ſibi optime conſcio, Si fractus illabatur orbis, Impavidum ferient ruinæ: Sed quia nunquam repertus eſt ille quem fingit, nihil aliud quam nugatur. Hæc igitur animi magnitudo in ſolo Dei præſidio fundata eſt, ut vere jactare queant qui recumbunt in Deum, non modo ſe impavidos, ſed etiam tutos & ſalvos fore quum ruinæ totum mundum obruent. Nominatim vero Propheta *Civitatem Dei lætam* fore dicit, quamvis non mare aliquod tumultuoſum habeat quod opponat fluctibus illis quos retulit, ſed tenuem duntaxat fluvium. alludit autem ad rivum fluentem ex Siloah qui præterfluebat Jeroſolymam. Porro non dubito quin oblique perſtringat Propheta fallaces eorum confidentias, qui terrenis opibus muniti, extra jactum telorum ſe eſſe ſomniant. Nam qui ſibi hinc inde anxie accerſunt invicta mundi præſidia videntur quidem hoſtes poſſe longe ab acceſſu arcere, non ſecus acſi undique mari cincti eſſent, ſed ſæpe à ſuis munitionibus peſſundari contingit: quemadmodum ſi tempeſtas inſulam diluvio vaſtet ac evertat. Qui vero Dei tutelæ ſe committunt, quamvis ſecundum mundum, expoſiti ſint omnibus injuriis, nec ſatis muniti ſint ad prohibendos inſultus, quieſcunt tamen ſecuri. Hac de cauſa Judæos reprehendit Jeſaias, quod ſpernentes aquas Siloah leniter fluentes, profundos & rapidos fluvios appetant. Eſt autem illic concinna antitheſis inter rivulum Siloah ab una parte, & Nilum ac Euphratem ab altera: quaſi diceret, Deum ab ipſis fraudari ſuo honore, quaſi non providerit quum elegit urbem Jeroſolymam, quibus præſidiis ad eam tutandam opus foret. Ac probabile eſt, ſi Pſalmus hic, poſt exercitum Sennacherib cæſum & profligatum, fuerit compoſitus, auctorem ejus conſulto eandem uſurpaſſe metaphoram: ut fideles in poſterum, ſine mundi opibus unicam Dei gratiam ſibi ſufficere diſcerent. Eadem quoque opera nos hodie ad hanc conſtantiam hortatur & animat Spiritus, ut contemptis eorum copiis qui magnifice contra nos ſuperbiunt, inter omnes motus & turbas tranquilli ſtemus: nec pigeat nos vel pudeat noſtræ nuditatis, modo ad nos ſervandos extenta ſit Dei manus. Ergo quamvis Dei auxilium tenuiter in ſpeciem quaſi per rivulos diſtillet, plus tranquillitatis nobis afferat, quam ſi tota mundi potentia ad nos juvandos ſimul coacervata eſſet. Quum Jeroſolymam vocat *Sanctuarium tabernaculorum Excelſi*, concinna alluſio eſt ad ſtatum illius temporis. quamvis enim per ſingulas tribus imperium ſuum Deus haberet, hanc tamen regiam ſedem elegerat unde totum populum regeret. Itaque quum per totam Judæam diviſa eſſent tabernacula Excelſi, ſub unum tamen Sanctuarium colligi oportuit, ut Deo ſubeſſent.

Jeſa. 8: 6.

2 Reg. 19. verſ. 35.

6. *Deus in medio ejus.*] Nunc oſtendit unde tanta Eccleſiæ ſecuritas, quia ſcilicet Deus in medio ejus reſidet. nam verbum, *movebitur*, fœminini generis eſt, nec poteſt ad Deum referri, quaſi futurus ſit immobilis: ſed ita reſolvi debet oratio, Non movebitur è ſtatu ſuo ſancta civitas: quia Deus illic reſidet, atque ad opem ferendam ſemper eſt paratus: *conſpectus* enim *auroræ* tantundem valet acſi dixiſſet, quotidie ſimulac ſol terris exoritur. Summa eſt, ſi cupimus Dei manu protegi, dandam in primis eſſe operam, ut inter nos habitet: quia ex ſola ejus præſentia pendet ſpes ſalutis. Ipſe autem non aliam ob cauſam inter nos habitat, niſi ut nos præſtet incolumes. Cæterum quamvis non ſemper ad nos juvandos feſtinet Deus pro votorum noſtrorum fervore, ſatis tamen opportune nobis aderit, ut facile appareat verum eſſe quod alibi dicitur, nunquam dormire, ac ne dormitare quidem Eccleſiæ cuſtodem.

Pſal. 121. verſ. 4.

7. Tumultuati ſunt populi, mota ſunt regna: dedit vocem ſuam, liquefacta eſt terra.	7 המו גוים מטו ממלכות נתן בקולו תמוג ארץ׃
8. Jehova exercituum nobiſcum: arx nobis Deus Jacob. Selah.	8 יהוה צבאות עמנו משגב לנו אלהי יעקב סלה׃
9. Venite, conſiderate opera Jehovæ: quas poſuerit ſolitudines in terra.	9 לכו חזו מפעלות יהוה אשר שם שמות בארץ׃
10. Ceſſare facit prælia uſque ad extremum terræ: confringit arcum, diſſipat arma, currus exurit igni.	10 משבית מלחמות עד קצה הארץ קשת ישבר וקצץ חנית עגלות ישרף באש׃
11. Quieſcite & cognoſcite quod ego ſim Deus: exaltabor in gentibus, exaltabor in terra.	11 הרפו ודעו כי אנכי אלהים ארום בגוים ארום בארץ׃
12. Jehova exercituum nobiſcum: arx nobis Deus Jacob. Selah.	12 יהוה צבאות עמנו משגב לנו אלהי יעקב סלה׃

7. *Tumultuati ſunt.*] Quoniam Eccleſia Dei nunquam caret hoſtibus, & quidem nimium validis, deinde qui eam crudeliter & effræni intemperie oppugnant, Propheta nunc doctrinam quam poſuit de inexpugnabili Dei tutela, ab experientia confirmat. deinde generalem conſolationem elicit: quod perpetuum ſit Dei munus, compeſcere tumultus omnes ac ſedare, & quod ſatis robuſta ſit ejus manus ad frangendos omnes hoſtium conatus. Poſſet, fateor, locus hic indefinite accipi: quod obnoxia quidem ſit Dei civitas multis tempeſtatibus, ſed tamen Dei beneficio incolumis ſemper maneat: verum magis probabile eſt, ut initio diximus, ſermonem haberi de inſigni aliqua liberatione, in qua Deus æternæ

ſuæ

ſuæ in ſervanda Eccleſia, virtutis & gratiæ ſpecimen præbuerat. Refert igitur Propheta quid contigerit, nempe horribili apparatu hoſtes Eccleſiæ veniſſe ad eam perdendam, ſed mox Dei voce fuiſſe quaſi liquefactos. Atque hinc ad nos redit inæſtimabilis conſolatio, ubi audimus, quamvis totus mundus contra nos ſurgat, & veſano fervore omnia perturbet, poſſe momento redigi in nihilum, ſimulac Deus ſe nobis favere oſtenderit. Quamvis autem *Vox* Dei, imperium vel nutum ſignificet, videtur tamen ad Dei promiſſiones alludere Propheta, quibus teſtatus eſt ſe fore Eccleſiæ cuſtodem. Interim notanda eſt antitheſis inter vocem Dei, & turbulentos regnorum motus.

8. *Jehova exercituum.*] Hoc verſu docemur qualiter in uſum noſtrum accommodare liceat quæ paſſim de immenſa Dei virtute prædicat Scriptura, nempe, ſi perſuaſi ſimus ex eorum nos eſſe numero, quos Deus paterno amore amplexus fovere velit. nam iterum adoptionem commendat, qua ſegregatus erat Iſraël à communi Gentium omnium ſorte: alioqui non niſi formidinem incuteret potentiæ Dei commemoratio. Hinc igitur gloriandi fiducia, quod nos ſibi in peculiarem populum delegit, ut virtutem ſuam ad nos ſervandos exerat. Qua ratione Propheta poſtquam *Deum exercituum* vocans, ejus potentiam celebravit, ſtatim adjungit alterum epithetum, quo fœdus cum Abraham olim percuſſum confirmat. ut non dubitent ejus poſteri, ad quos promiſſæ gratiæ hæreditas pertinet, Deum ſibi quoque fore propitium. Nam ut ſolide quieſcat fides noſtra, in Deo ſimul hæc duo conſideranda ſunt: nempe immenſa virtus, qua ad totum mundum ſubigendum inſtructus eſt: deinde paternus amor, quem verbo ſuo patefecit. Ubi autem hæc duo conjuncta ſunt, nihil obſtare poteſt quominus cunctis hoſtibus inſultet fides noſtra. neque enim dubium eſt, velitne opitulari nobis Deus, qui ſe hoc facturum promiſit jam virtus ad id implendum ſuppetit, quia Deus eſt exercituum. Hinc colligimus miſere eos vagari in Scriptura, qui in aëre ſuſpenſum relinquunt quicquid de potentia Dei prædicatur, neç ſtatuunt ſibi fore in patrem, eo quod ſint ex grege ejus, & adoptionis participes.

9. *Venite, conſiderate.*] Videtur perſequi hiſtoriam liberationis, qua teſtatus fuerat Deus, ſe optimum & fideliſſimum eſſe protectorem Eccleſiæ ſuæ: ut inde petant fideles arma & vires ſuperandis tentationibus quæcunque in poſterum emergent. Debent enim ante oculos nobis verſari documenta gratiæ Dei, quæ re ipſa exhibuit in nobis ſervandis, ut promiſſionum fidem in animis noſtris ſanciant. Cæterum hac exhortatione tacite objurgat eorum ſocordiam, qui Dei potentiam non æſtimant quanti par erat: imo totum mundum ingratitudinis arguit. quia vix centeſimus quiſque ſatis ſibi in Deo præſidii eſſe agnoſcit: ita cæcutiunt omnes ad opera Dei; imo ſponte claudunt oculos: quod ad ædificandam eorum fidem maxime valeret. Videmus ut multi fortunæ aſcribant quod Dei providentiæ decebat ferre acceptum: alii imaginentur ſe propria induſtria adeptos eſſe quicquid Deus contulit: vel quicquid ab eo ſolo profectum eſt, transferant ad medias cauſas, alii prorſus ſtupeant. Quare non fruſtra omnes accerſit, & ad reputanda Dei opera hortatur: aeſi diceret homines ideo non reponere in Deo ſpem ſalutis, quia vel ignavi ſunt vel maligni in conſiderandis ejus operibus. Quum vero ſermonem dirigat promiſcue ad omnes colligimus pios quoque torpere & frigere donec expergefiant. Porro magnifice Dei virtutem in ſervando electo populo extollit: quæ contemni ſolet, vel non expenditur pro merito, ubi vulgari more operatur. Vaſtitates ergo & alia miracula in medium proponit, quæ ſenſus hominum efficacius moveant. Quod proxime ſequitur, *Ceſſare facit prælia*, ſi de ſpeciali Dei auxilio accipere libeat, referri tamen ad hunc finem debet, ut idem in futurum tempus expectent fideles, quod jam experimento perſpectum habent. Et ſane videtur Propheta ex uno actu indefinite oſtendere quam potenter Deus Eccleſiam ſuam defendere ſoleat, quanquam non ſemel accidit, ut fractis animis, & arcu contrito, plauſtriſque exuſtis, motus omnes per Judæam Deus ſedaret, bellaque procul abigeret. ac conſentaneum eſt, Prophetam, occaſione ſumpta, Judæis revocaſſe in memoriam quam ſæpe Deus maximos hoſtium conatus fregiſſet. Certum quidem eſt, his epithetis Deum ornari, ut toto mundo tumultuante, pacem ab eo ſperemus.

11. *Quieſcite & cognoſcite.*] Videtur jam ſermonem peculiariter convertere ad hoſtes populi Dei, qui nocendi libidini audacius indulgent. quia dum exhibent ſanctis moleſtias, bellum ſe Deo inferre non cogitant. quia ergo negotium ſibi tantum cum hominibus eſſe putantes, inſolenter ſine metu & pudore ruunt, eorum intemperiem hic refrænat Propheta: & quo plus vehementiæ habeat ſermo, Deum ipſum loquentem inducit. Jubet autem primo quieſcere, ut ſe Deum eſſe cognoſcant. videmus enim, dum inconſiderate feruntur homines, nullum moderationi locum eſſe: ideo non abs re Propheta quietem ab hoſtibus Eccleſiæ exigit, ut fervore placato ſentire incipiant cum Deo ſe confligere. Similem fere ſententiam habuimus Pſalmo 4. verſ. 5. Contremiſcite, & ne peccetis: cogitate in cubilibus veſtris, & ſilete. Summa eſt, ut mundus ſubactis domitiſque turbulentis affectibus, Deo Iſraël, quam meretur gloriam tribuat. quod ſi furere pergant, denunciat virtutem ſuam non eſſe incluſam Judææ finibus, ſibique non fore difficile brachium ſuum procul extendere ad Gentes, quo ſe ubique glorificet. Poſtea repetitur quod prius dictum fuerat, Deum ad ſervandam Eccleſiam quam adoptavit, ſatis ſuperque armis & viribus pollere.

ARGUMENTUM PSALMI XLVII.

Putant nonnulli, Pſalmum hunc fuiſſe compoſitum quando dedicatum fuit templum, & arca fœderis in Sanctuario locata. ſed quia parum firma eſt divinatio, præſtabit, niſi fallor, omiſſa illa circumſtantia, expendere quid contineat, & in quem præcipue uſum aptandus ſit. Dubium quidem non eſt ad ſolennes conventus fuiſſe deſtinatum: quod ex toto contextu colligere promptum eſt. imo fieri poteſt ut ante templum extructum quum adhuc in tabernaculo quieſceret arca, Levitis fuerit dictatus à Davide. Quiſquis autem fuerit auctor, hortatur non Iſraëlitas modo, ſed omnes populos ad purum unius veri Dei cultum. Quamquam præcipue gratiam, qua Deus genus Abrahæ pro illo tempore dignatus erat, extollit: ſicuti etiam ex fonte ſalus toti mundo oritura erat. Vaticinium tamen de futuro Chriſti regno continet, quia gloriam quæ tunc in umbratili Sanctuario fulgebat, longe lateque conſpicuam fore docet: quando Deus ipſe gratiæ ſuæ radios procul emittet, ut in ſocietatem coaleſcant Reges & populi cum Abrahæ filiis.

PSALM. XLVII.

PRæfecto filiorum Koræ Canticum.

2. Omnes populi plaudite manu, jubilate Deo in voce exultationis:

לַמְנַצֵּחַ לִבְנֵי קֹרַח מִזְמוֹר׃ 1

כָּל הָעַמִּים תִּקְעוּ כָף הָרִיעוּ 2
לֵאלֹהִים בְּקוֹל רִנָּה׃

3. Quia

3. Quia Jehova excelſus, terribilis, Rex magnus ſuper univerſam terram.

3 כי יהוה עליון נורא מלך גדול על כל הארץ׃

4. Ordinavit populos ſub nobis, & Gentes ſub pedibus noſtris.

4 ידבר עמים תחתינו ולאמים תחת רגלינו׃

5. Selegit nobis hæreditatem noſtram, gloriam Jacob quem dilexit. Selah.

5 יבחר לנו את נחלתנו את גאון יעקב אשר אהב סלה׃

O*Mnes populi plaudite.*] Quod populos jubet in ſignum lætitiæ & gratulationis plauſum dare Deo, imo ad inſolitum gaudium hortatur, cujus vehementia in externam exulationem erumpat, de eorum ſalute verba fieri certum eſt. Nam ſi Deus regnum inter Gentes formidabile erigeret, potius dejiceret omnium animos & deſperatione obrueret, quam daret tripudiandi materiam. Adde quod non vulgari Dei gratia concionatur, ſed quæ totum orbem incredibili lætitia perfundens, omnium animos ad celebrandas Dei laudes extimulet. Ergo quod paulo poſt addit, redactos fuiſſe cunctos populos ſub Iſraëlis obſequium, neceſſe eſt non de ſervili ſubjectione intelligere, ſed quæ regnis omnibus potior eſſet magiſque optabilis. Neque enim conſentaneum foret, eos qui vi & metu coacti ſervirent, præ gaudio exultare. Tributarii quidem Davidi ejuſque filio Solomoni fuerunt populi complures: ſic tamen ut fremerent, atque iniquis animis ferrent impoſitum ſibi jugum: tantum abeſt ut læti & hilares gratias agerent Deo. Ergo quum nulla felix ſit & expetenda ſervitus, niſi qua Deus, Chriſti filii ſui auſpiciis domat & ſubigit qui prius rebelles erant, ſequitur, elogium hoc non competere niſi in Chriſti regnum: qui Rex excelſus ac terribilis non ideo vocatur, quod tyrannica violentia expaveſaciat miſeros homines quibus imperat: ſed quia ejus majeſtas quæ prius habita fuerat contemptui, ad frangendam totius mundi contumaciam ſufficiet. Notandum enim eſt Spiritus ſancti conſilium, quum diu contumelioſe tractati & oppreſſi fuiſſent Judæi, ac variis ſubinde calamitatibus afflicti: tanto nunc illuſtriorem eſſe Dei beneficentiam erga eos, quia domitis undecunque gentibus vicinis, florentiſſimum erat Davidis regnum: interea verum eſſe, quod monui, nempe in regnum Chriſti hoc competere, ex contextu verborum colligere promptum eſt, ubi *Deus Rex & terribilis & magnus vocatur ſuper omnem terram.* Ergo non dubium eſt quin his elogiis celebrata fuerit Dei gratia ad confirmandos piorum animos intermedio tempore: quo non tantum collapſa erat populi Iſraëlitici dignitas, ſed extremis contumeliis oppreſſus, nullo Dei gratiæ guſtu recreari poterat, niſi in ſolas promiſſiones recumberet. Scimus quam longa fuerit hujus magnificæ potentiæ interruptio, à morte Solomonis uſque ad Chriſti adventum. Erat hoc veluti chaſma, quod abſorbere poſſet pias mentes, niſi Dei verbo ſuffultæ eſſent. Ergo quum ſpecimen hujus regni, quod nunc prædicatur, à Deo fuiſſet editum ſub Davide, quanquam paulo poſt ſequuta eſt triſtis & fere pudenda imminutio, deinde graviſſimæ clades, & tandem exilium, & miſerrima diſperſio, quæ ab interitu parum diſtabat: Spiritus ſanctus fideles ad continuandum plauſum hortatus eſt, donec veniret promiſſus redemptor.

4. *Ordinavit.*] Quod alii vertunt ſubjicere, cum hac mea interpretatione convenit. paulo remotius eſt quod alii ducere exponunt. alienum vero prorſus à mente Prophetæ, quod verbum ידבר alii accipiunt pro perdere. Neque enim dubium eſt quin ſubjectio utilis, læta, & optabilis notetur. ſi quis futurum verbi tempus retinere malit, mihi non diſplicet: quia tamen certum eſt ſub typo celebrari futuram Dei gratiam, libenter amplexus ſum quod magis probarunt alii interpretes. Porro quamvis hoc verſu peculiariter gentiles ſuos hortetur Propheta ad gratitudinem, quod per Dei gratiam cunctis populis dominarentur: certum tamen eſt, eos qui ſub jugum redacti erant, in ſocietatem gaudii conjungi ipſis Judæis. Ergo quantum ab umbra differt corpus, tantum diſcrimen fuit inter fictitium plauſum, quem olim dederunt profanæ gentes Davidi, & eum quo fideles Chriſtum excipiunt: quia ex voluntario cordis obſequio manat. Et certe ſi poſt arcam in templum adductam nulla apparuiſſet ſublimior veritas, quaſi puerile erat ludicrum, in anguſto illo domicilio Deum locari: ſed ubi Dei majeſtas quæ in tabernaculo habitaverat, toti mundo patefacta fuit, & cunctæ gentes ſub ejus imperium fuerunt redactæ, tunc enituit prærogativa iſta generis Abrahæ. Itaque his verbis regnum illud cujus meminerat Propheta, definit: ſubjectionem gentium commemorans, ut electo populo parere non recuſent. Neque enim de arcana providentia hic agitur, qua Deus totum mundum gubernat, ſed de ſpeciali poteſtate quam per verbum ſuum exercet. itaque ut proprie Rex vocetur, neceſſe eſt talem à ſuis agnoſci. Quæritur tamen, dum ſuis auſpiciis & cæleſti potentia reſtituit Chriſtus Eccleſiam, quo ſenſu dicantur populi ſubjecti eſſe Judæis: quia ſcimus non aliter rite compoſitum eſſe Eccleſiæ ordinem, niſi emineat unicum caput, & fideles omnes à ſummo uſque ad infimum inter membra ſe contineant: imo quum imperium ſuum erexit Chriſtus in toto orbe, communis eſſe cœpit cunctis gentibus adoptio, quæ propria unius populi antea fuerat. Hoc autem modo libertas omnibus ſimul data eſt, ut fraterno jure inter ſe conjuncti, ad cæleſtem hæreditatem aſpirent. Sed facilis eſt ſolutio: quando Gentibus impoſitum fuit Legis jugum, dominium adeptos eſſe Judæos: quemadmodum Paſtores juriſdictionem Spiritus verbo exercent. Sic Eccleſia vocatur Regina & piorum omnium mater: quia apud eam depoſita fuit cæleſtis doctrina, quæ inſtar ſceptri eſt ad omnes ſubigendos. Quamvis ergo Judæi, quo tempore in lucem emerſit Chriſti regnum, miſere & probroſe profanis gentibus ſervierint, fuerintque veluti illarum mancipia, vere tamen & merito imperium illis tribuitur, quia Deus virgam virtutis ſuæ emiſit è Sion. quum ipſi Legis eſſent cuſtodes, munus eorum fuit ejus auctoritate gentes frænare: quia non aliter ſub Dei obſequium collectus fuit reliquus orbis, niſi dum homines Spiritu Dei renovati, ultro ſe præbuerunt Judæis dociles ac morigeros, ſeque paſſi ſunt eorum magiſterio regi: quemadmodum alibi dicitur, In illa die apprehendent ſeptem viri fimbriam unius Judæi, ac dicent, Ambulabimus poſt Deum veſtrum, &c.

Galat. 4. verſ. 26.

Zach. 8. verſ. 23.

5. *Selegit nobis hæreditat.*] Clarius celebrat Propheta peculiarem illam gratiam, qua dignatus fuerat Deus electum & ſanctum genus Abrahæ. Sicuti enim, poſthabito toto mundo, paucos homines & & ignobiles ſibi adoptaverat: ita illud tam inſigne paterni amoris pignus ſegregari oportuit à communi beneficentia qua totum humanum genus proſequitur. Itaque emphaticum eſt Seligendi verbum acſi diceret Deum non egiſſe cum Abrahæ filiis, ut promiſcue ſolet cum aliis gentibus, ſed quaſi hæreditario jure dignitatem contuliſſe qua reliquos omnes præcellant. quod idem continuo poſt exprimit ſub nomine *Gloriæ*. Ergo gratias Deo agere jubet Propheta

pheta, quod in perſona Jacob populum electum extulerit in ſummum honoris gradum; ut gloriari poſſet ſortem ſuam ab aliis omnibus diſtinctam eſſe. Simul etiam docet factum id eſſe gratuito favore Dei. nam relativum pronomen, cauſalis particulæ vice ponitur, acſi cauſam dignitatis & præſtantiæ in Deo ipſo ſtatueret Propheta. Atque hæc regula tenenda eſt, quoties laudatur Dei gratia ergo Judæos, quia Patres eorum dilexerit, merita omnia in nihilum redigi: jam quum tota ſancti Patriarchæ dignitas ex mero Dei beneplacito pendeat, quis ſibi proprium quicquam arrogare audeat? diſcamus ergo, quicquid nobis peculiariter confert Deus ſupra alios, paterno ejus amori aſcribere: quia nos ſibi in gregem eligit. Colligimus etiam ex hoc loco, gratiam quam Deus erga electos ſuos exerit, non communiter ad omnes patere, ſed privilegium eſſe quo paucos à majori numero diſcernit.

6. Aſcendit Deus in jubilo, Jehova in voce tubæ.	6 עלה אלהים בתרועה יהוה בקול שופר:
7. Pſallite Deo, pſallite, pſallite Regi noſtro, pſallite.	7 זמרו אלהים זמרו זמרו למלכנו זמרו:
8. Quia Rex univerſæ terræ Deus, pſallite intelligens.	8 כי מלך כל הארץ אלהים זמרו משכיל:
9. Regnum obtinuit ſuper gentes, Deus ſedet ſuper ſolium ſanctitatis ſuæ.	9 מלך אלהים על גוים אלהים ישב על כסא קדשו:
10. Principes populorum congregati ſunt ad populum Dei Abrahæ: quia Deo clypei terræ, valde exaltatus eſt.	10 נדיבי עמים נאספו עם אלהי אברהם כי לאלהים מגני ארץ מאד נעלה:

6. *Aſcendit Deus.*] Alluſio eſt ad veterem Legis ritum. nam quia ad celebrandos ſacros conventus adhiberi ſolebat tubarum clangor, dicit Propheta Deum aſcendere, quum buccinæ ad extollendam ejus potentiam hortantur populum & animant. Id enim tantundem valebat olim, acſi rex magnifico ſplendore ad ſuos ingrediens, venerationem ſibi conciliet. Interea non dubium eſt quin ſub illa umbratili ceremonia alium aſcenſum Propheta commendaverit: nempe dum Chriſtus ſupra omnes cælos evectus mundi totius imperium adeptus eſt, cæleſti virtute inſtructus ſuperbiam omnem & altitudinem ſubjugavit. Porro memoria repetendum eſt quod prius admonui, ad arcam transſcibi *Jehovæ* nomen: quia tametſi illic non incluſa erat Dei eſſentia vel majeſtas, nec virtus etiam alligata, non tamen inane erat præſentiæ Dei ſymbolum. Nam ſicuti promiſerat Deus ſe habitaturum in medio populi, quamdiu eum ex Legis præſcripto Judæi colerent: ita re ipſa monſtrabat vere ſe illis adeſſe, nec fruſtra invocari inter ipſos. verius tamen hoc in gloriæ manifeſtationem competit, quæ tandem refulſit in Chriſti perſona. Summa eſt, quum canerent apud Judæos buccinæ ex Legis præſcripto, non evanuiſſe in aëre ſonitum illum, quia Deus qui in arca fœderis, præſentiæ ſuæ pignus ac teſſeram dederat, vere præſideret in cœtu illo. Hinc exhortationis argumentum duxit Propheta, ut Deo pſallant fideles: quia non ſint id facturi fortuito. ſicut ſuperſtitioſi quum nihil habeant certitudinis, fruſtra ejulant coram ſuis idolis. Cauſam ergo fidelibus ſuppetere docet Propheta, cur alacriter laudes Dei perſonent: quia certo ſciunt præſentem ſibi adeſſe, acſi inter eos regale ſolium locaſſet. Cæterum poſtquam vocavit Regem electi populi, continuo poſt dicit Regem eſſe totius terræ. atque hoc modo jus & honorem primogenituræ aſſerens Judæis, Gentes deinde ſocias adjungit. His autem verbis ſignificat Propheta longe nobilius fore Dei regnum adventu Meſſiæ, quam ſub Legis figuris, quia propagandum ſit in ultimos terræ fines: ideo majoris vehementiæ cauſa, quinquies repetit verbum *Pſallite*. In voce משכיל mutatio eſt numeri: nam omnes canendi peritos ad hoc exercitium invitat, ſed quamvis loquatur de ſcientia artis muſicæ, requirit tamen in canendis Dei laudibus veram intelligentiam, ne linguæ tantum reboent, ut ſcimus fieri in Papatu. Requiritur ergo ad legitimum pſallendi ritum ſcientia, ne vano clamore nomen Dei profanetur.

9. *Regnum obtinuit ſuper gentes.*] Quia verbum מלך, ſub tempore præterito continuum actum deſignat, ideo vertimus regnum obtinuit. Porro quum toties repetat Propheta, Deum ſuper gentes regnare, colligere promptum eſt de novo & prius inaudito regnandi modo haberi ſermonem: Subaudienda enim eſt antitheſis inter Legis tempus, quo Deus imperium ſuum continuerat intra Judææ limites, & Chriſti adventum quo illud ampliavit quam longe lateque patet totus orbis. Quanquam autem Dei majeſtas ſcintillis quibuſdam enituit inter gentes, quum eas ſibi tributarias fecit David: non tamen proprie dixiſſet Propheta Deum inter illas regnaſſe, quia & ejus cultum aſpernabantur, & optaſſent extinctam prorſus eſſe Eccleſiam. quare ut conſtet vaticinii hujus complementum, ad Chriſtum venire neceſſe eſt. Quod additur ſecundo membro, *Deum ſedere ſuper ſolium ſanctitatis ſuæ*, duplicem ſenſum recipit. Sæpe enim hac loquutione tabernaculum vel templum intelliguntur: interdum vero cælum ſignificat. Si de templo exponere libeat, ſenſus erit, Deum ſic præeſſe toti mundo, ac populos omnes ſub imperio ſuo complecti, ut primaria tamen ejus ſedes Jeroſolymæ maneat: ſicuti etiam inde fluxit Euangelii doctrina, qua ſibi Deus cunctos mortales ſubegit. De cælo tamen commode accipere licebit, quod Deus manum ſuam exerens ad homines ſub obſequium ſuum cogendos, palam oſtendat, ſed ex ſolio cæleſti, dominari ſuper homines. quia niſi propinquis & claris ſignis virtutem ſuam demonſtret, mundi gubernator non agnoſcitur.

10. *Principes populorum.*] Exornat & amplificat pluribus verbis proximam ſententiam. rurſus enim definit qualiter ſibi Deus regnum acquiſierit ſuper Gentes, dum ſcilicet qui prius alieni erant in eundem fidei conſenſum coaluerunt cum Judæis. Atque ita ex miſera diſſipatione in unum corpus variæ gentes collectæ ſunt. nam quum illuxit Euangelii doctrina, non abduxit Judæos à fœdere quod pridem Deus cum illis pepigerat, ſed potius nos illis adjunxit. Quum ergo vocatio Gentium nihil aliud fuerit quam inſitio in familiam Abrahæ, merito dicit Propheta, undique fuiſſe congregatos extraneos ad illam gentem electam: ut talis acceſſio regnum Dei per omnes terræ plagas diffunderet. Qua ratione dicit Paulus, ut hæreditatis æternæ participes eſſent Gentiles, factos fuiſſe Judæis concorporeos. Quanquam autem abolitis ceremoniis, ſublatus eſt intermedius paries, *Epheſ. 3. verſ. 6.* qui alios ab aliis ſeparabat: verum tamen eſt, non aliter nos cenſeri inter Dei filios, niſi quia inſiti ſumus

mus in genus Abrahæ. Nec de vulgo tantum loquitur Propheta, ſed ipſis quoque principibus nihil ad ſummam felicitatem potius fore dicit, quam ut ſe ag-
Pſal. 87. verſ. 5. gregent ad Judæos, ſicuti alibi videbimus, De Sion dicetur, Hic & ille in ea natus eſt. Porro collectio futura dicitur ad populum Dei Abrahæ, ut ſciamus nullam carnis dignitatem tribui Judæis, quæ in ipſorum perſonis reſideat, ſed totam eorum præſtantiam inde pendere, quia purus Dei cultus inter ipſos floreat, & emineat cæleſtis doctrina. Quare nihil hoc ad rejectitios Judæos pertinet, quos ſua incredulitas ab Eccleſia abdicavit. Sed quia radicis ſanctæ, ut
Rom. 11. verſ. 16. Paulus docet, rami naturaliter ſancti ſunt, non obſtitit majoris partis defectio, quin reliquiis maneret hic honor. Itaque conſumptio illa quæ ſecundum
Jeſa. 10. verſ. 23. Jeſaiæ vaticinium exundavit in totam terram, vocatur populus Dei Abrahæ. Continet autem hic locus utilem doctrinam, & eam duplicem. Primo enim hinc diſcimus, quicunque inter Dei filios numerari volunt, debere locum in Eccleſia quærere, ut fraternam unitatem cum piis omnibus colant: deinde unitatem Eccleſiæ non aliunde eſſe æſtimandam, quam ex ſincero ad obſequium verbo Dei præſtandum conſenſu, ut ſit unius ovilis unus paſtor. Monentur etiam, qui honore & opibus excellunt in mundo, depoſita omni ſuperbia libenter & modeſte communc jugum ſubire, ut ſe obſequentes Eccleſiæ filios probent. Quod proxime ſequitur, *Dei eſſe clypeos terræ*, multi de principibus intelligunt. Et fateor quidem metaphoram hanc frequenter in Scriptura occurrere: deinde videtur hoc non male quadrare ad contextum: acſi dixiſſet Propheta, in arbitrio Dei eſſe proceres mundi in Eccleſiam ſuam inſerere, quia illis quoque dominetur. Senſus tamen ſimplicior eſt, quia mundus protegitur, ſervaturque ab uno Deo, jure tantam celſitudinem cum admiratione ſuſpici, quæ ad tam arduam cuſtodiam ſufficit. Nam ideo clypeos plurali numero ponit, quia in variis & prope innumeris periculis, quæ aſſidue ſingulis mundi partibus impendent, multiplicem Dei providentiam, tanquam multos clypeos, intervenire neceſſe eſt.

ARGUMENTUM PSALMI XLVIII.

Hoc Pſalmo celebratur memorabilis quædam Jeroſolymæ liberatio, quum in ejus excidium conſpiraſſent multi Reges. Ubi autem Propheta (quiſquis fuerit auctor) Deo gratias egit, occaſione inde ſumpta magnificis elogiis felicem ejus urbis ſtatum extollit, quod Deum habeat perpetuum ſalutis ſuæ cuſtodem. Neque enim ſatis fuiſſet, pios ſentire & agnoſcere ſemel Dei manu ſe fuiſſe ſervatos, niſi in poſterum confiderent ſe Dei ejuſdem præſidio ſalvos fore, quia in populum peculiarem adoptati eſſent. Ideo Propheta in eo præcipue inſiſtit, non fruſtra in monte Sion erectum eſſe ſanctuarium Dei, ſed illic invocari ejus nomen, ut in populi ſui ſalutem virtus ejus conſpicua appareat. Porro ex argumento colligere licet, Pſalmum poſt mortem Davidis fuiſſe compoſitum. Fateor quidem Davidi infeſtos fuiſſe quoſdam exteros Reges, nec per eos ſtetiſſe quominus Jeroſolymam funditus delerent: huc uſque tamen progreſſos fuiſſe non legimus, ut eam obſidione premerent, ut oportuerit admirabili Dei virtute reprimi illorum conatus. Potius credibile eſt notari tempus Regis Achaz, quo ſoluta repente fuit obſidio in ſumma deſperatione. vel etiam tempus Joſaphat, & Aſaph: quia tunc ſcimus non niſi cæleſti auxilio Jeroſolymam ab extrema clade mirabiliter ſervatam fuiſſe. Hoc quidem pro certo tenendum eſt, ſpecimen unum Dei gratiæ proponi fidelibus, in quo agnoſcant bene & feliciter ſecum agi, quod domicilium ſibi elegerit Deus in monte Sion, unde ipſis in ſalutem præſideat.

PSALM. XLVIII.

CAnticum Pſalmi filiorum Koræ.	1 שיר מזמור לבני קרח׃
2. Magnus Jehova & laudabilis valde, in civitate Dei noſtri, in monte ſanctitatis ejus.	2 גדול יהוה ומהלל מאד בעיר אלהינו הר קדשו׃
3. Pulcher ſitu, gaudium totius terræ, mons Sion *ad* latera Aquilonis, civitas Regis magni.	3 יפה נוף משוש כל הארץ הר ציון ירכתי צפון קרית מלך רב׃
4. Deus in palatiis ejus, notus eſt in præſidium.	4 אלהים בארמנותיה נודע למשגב׃

M*Agnus Jehova.*] Antequam ſpeciale illud quod attigi, gratiæ Dei exemplum commemoret Propheta, docet in genere beatam eſſe Jeroſolymam, quod ejus tuendæ curam Deus ſuſcipere dignatus fuerit. Atque hoc modo Dei Eccleſiam à toto mundo ſeparat: ſicuti hoc inæſtimabile beneficium eſt, quod Deus ex toto genere humano exiguum numerum complectitur paterno favore. Quamvis ergo in univerſa mundi gubernatione ſapientia ejus, bonitas & juſtitia ſic refulgeant, ut nulla pars vacua ſit ab ejus laude, ſed ubique ejus laudandi materia occurrat: in Eccleſiæ tamen protectione Dei gloriam nunc Propheta celebrat. *Magnum & laudabilem* eſſe dicit in urbe ſancta, an non etiam in toto mundo? Certe, ut dixi, nullus eſt angulus tam reconditus, quo non penetrent ejus ſapientia, juſtitia, bonitas & reliquæ virtutes: ſed quia præcipue vult eas in Eccleſia ſua conſpici, non temere hoc ſpeculum nobis ante oculos ponit, in quo Deus magis ad vivum faciem ſuam exprimit ac repræſentat. Cæterum *Montem ſanctum* nominans, breviter admonet quo jure Jeroſolyma ſit Dei civitas, nempe quia ejus mandato arca fœderis illic erat locata: acſi diceret, Jeroſolymam non proprio ſuo merito ſublime eſſe theatrum, in quo Deus magnitudinem ſuam ſpectari velit: ſed quia arca fœderis, cæleſti mandato illic in ſymbolum ſingularis gratiæ depoſita fuerit.

3. *Pulcher ſitu.*] In confirmationem proximæ ſententiæ, prædicat dotes quibus tunc excelluit mons Sion, quia in illis ſpectabilis fuit Dei gloria cujus nuper meminit. Etſi autem naturalis hæc fuit ſitus gratia quam Propheta primo loco recenſet; ſignificat tamen in ipſa urbis ſpecie inſculptas ab initio fuiſſe notas divini favoris, ut intuitus ipſe oſtenderet ſpecialiter locum illum fuiſſe divinitus ornatum ut aliquando in talem uſum conſecraretur. Quanquam formoſum & delectabilem locum non ſimpliciter vocari arbitror, quia parem in Judæa non habuerit, quum ſatis conſtet alias urbes tam fœcunditate quam amœno proſpectu, & aliis commoditatibus Jeroſolymæ non ceſſiſſe: ſed conjunctim meo judicio, una cum urbis ſitu adventitiam dignitatem complectitur, quæ ex templo originem ducebat. Ergo quum laudari audimus urbis pulchritudinem, veniat nobis in mentem ſpiritualis ille decor, qui poſt vaticinium de perpetua arcæ ſtatione ad loci naturam acceſſit. De voce נוף non conſentiunt interpretes. Quidam pro elevatione accipiunt, acſi dictum eſſet, in excelſo & edito loco

Jeroſolymam ſitam eſſe. Alii clima vertunt, quia metaphorice Hebræi climata vocant ramos, quod in longum extendantur. Ego in re non magni momenti nolui tantopere eſſe curioſus. Tantum elegi quod magis erat probabile, Regionem illam aſpectu præ aliis jucundam & amœnam eſſe. Dubium autem eſt ponatne in laudibus montis Sion, quod verſus Aquilonem expoſitus fuerit, an ita reſolvi debeat oratio, Quamvis ad Septentrionem ſpectet mons Sion, hoc tamen de ejus pulchritudine nihil diminuit. Quanquam prior ſenſus magis genuinus videtur. Atque hoc quoque elogio montem ipſum inſignit Jeſaias præſtantiam ejus notare volens. Sic enim capite 14. verſ. 14. in perſona Sennacherib loquitur, Aſcendam ſuper excelſa nubium, & ſedebo ſuper montem teſtimonii in lateribus Aquilonis. Vocat deinde *Gaudium totius terræ*, non tantum quod ſalubris eſſet regio illa propter aëris temperiem, ut inſulſe nugantur Judæi, vel quod proferret ſuaves & eximios fructus, qui exteris gentibus poſſent afferre lætitiam, quod etiam frigidum eſt commentum: ſed quia inde exoritura erat ſalus toti mundo, ſicuti inde vitæ lucem & cæleſtis gratiæ teſtimonium mutuatæ ſunt omnes gentes. Nam ſi extra Deum lætantur homines, exitialis tandem eſt exitus, riſuſque convertitur in ſtridorem dentium. Chriſtus autem è Sion cum Euangelio ſuo apparuit, ut ſolido gaudio æternaque felicitate mundum perfunderet. Quanquam autem Prophetæ ætate nondum ad exteros manaverat Euangelii cognitio, merito tamen hac loquutione uſus eſt, ut ſcirent Judæi non aliunde petendam eſſe beatitudinem, quam ex gratuito Dei fœdere quod in illo ſacrario depoſitum erat. Interea etiam prædixit quod noviſſimo demum tempore impletum fuit Chriſti adventu. Hinc autem diſcamus ad exhilarandas pias mentes, plane ſufficere unicum Dei favorem: ſicuti eo ſublato, neceſſe eſt cunctos mortales miſera inquietudine & triſtitia torqueri. Quod continuo poſt additur de *civitate Regis magni*, in hunc finem tendit, montem Sion non modo ſanctum eſſe, ſed donatum tanto privilegio, ut urbem totam ſanctificet, quia ſedem ſibi Deus illic delegerat, ut cuncto populo dominaretur. Tertio verſu ubi dicit *Deum eſſe notum in palatiis Jeroſolymæ*, rurſus dignitatem ejus commendat à Dei præſidio, ſicuti Pſalmo 46. verſ. 6. vidimus, Deus in medio ejus, non movebitur. Palatia vero diſerte expreſſit ad antitheſin, ut ſcirent Judæi, quamvis civitas ſancta validis turribus munita foret, ædeſque haberet ſplendidas & ſimiles propugnaculis, ſolo tamen Dei auxilio tutam eſſe. Proinde his verbis monentur fideles, quamvis in arcibus vel palatiis habitent, ſedulo cavendum eſſe ne ſplendor ille vel altitudo potentiam Dei obruat. ſicuti profani homines terrenis opibus contenti, pro nihilo ducunt Deum habere cuſtodem. Porro quia hæc nobis ingenita eſt pravitas, ut terrena opulentia oculos nobis perſtringens, Dei oblivionem inducat, ſumma attentione meditanda nobis eſt hæc doctrina, ne virtutis & gratiæ Dei notitiam obſcuret quicquid videtur in nobis eſſe pretio dignum: ſed in cunctis dotibus quibus ornati erimus, ſemper clare fulgeat Dei gloria, ut ſtatuamus non alibi quam in ipſo, nos beatos eſſe.

5. Quia ecce Reges congregati ſunt, tranſierunt ſimul:	ה כי הנה המלכים נועדו עברו יחדו׃
6. Ipſi viderunt, ſic admirati ſunt, trepidaverunt, præcipites acti ſunt.	ו המה ראו כן תמהו נבהלו נחפזו׃ ג
7. Tremor apprehendit eos, illic dolor quaſi parturientis.	ז רעדה אחזתם שם חיל כיולדה׃
8. Per ventum Orientalem confringes naves Tharſis.	ח ברוח קדים תשבר אניות תרשיש׃ ח

5. *Quia ecce Reges.*] Hic ſpecialis illa quam dixi, liberatio attingitur. Refert enim Propheta, quum Reges ſimul congregati eſſent ad perdendam Jeroſolymam, impetus tamen eorum irritos tranſiſſe, non ſecus ac nebulæ evaneſcunt: imo dicit, ſolo aſpectu fuiſſe perditos, neque id vulgariter, ſed quemadmodum mulier parturiens, ſubito dolore opprimitur. Etſi autem certo non liquet quam hiſtoriam commemoret Propheta, aptiſſime tamen quæ hic dicuntur, tam in tempus Achaz, quam Ezechiæ vel Aſa conveniunt. fuit enim mirabile illud Dei opus, quum duo potentiſſimi Reges Syriæ & Iſraël, ingenti exercitu inſtructi, tanto metu perculiſſent urbem, ut Rex cum populo fere exanimis jaceret, repente frangi, & fruſtrari certa ſpe potiundæ urbis. unde & Jeſaias per ludibrium titiones fumantes vocat: quum duæ quaſi faces accenſæ eſſent ad conſumendam incendio Judæam. Nec minus ſtupendum fuit miraculum, innumeras copias Sennacherib nocte una ſine hominum manu ab Angelo deleri. Jam quum Rex Æthiopum collecta myriade ad oppugnandam Jeroſolymam veniſſet, memorabile fuit potentiæ Dei ſpecimen, tantum apparatum disjicere. Quicquid ſit, Judæos claro documento expertos eſſe dicit, Deum fuiſſe ſanctæ urbis cuſtodem, dum invicto hoſtium robori ſe oppoſuit. Ideo dicit fuiſſe *congregatos Reges*: quo verbo ſignificat initum fuiſſe fœdus in Eccleſiæ perniciem. Verbum *Tranſeundi* bifariam exponi poteſt: vel quod copiæ ab illis collectæ, in nihilum redactæ fuerint: vel quod ſimul & uno conſenſu, quaſi inſtructa acie expeditionem ſuſceperint. Et hoc ſecundum videtur contextui eſſe aptius: quia poſtea ſequitur ad conſpectum urbis ſtetiſſe attonitos. Quanquam licebit non incommode hunc verſum accipere, quaſi amplificandi cauſa additum. Sed quia ad rei ſummam hoc non adeo facit, eligant lectores utrum magis placuerit. Cæterum ubi dicit, *Miratos fuiſſe urbe viſa, trepidaſſe, actos fuiſſe præcipites, correptos dolore tanquam ſubiti partus*, exornat quibuſcunque poteſt elogiis miraculum quod exhibuit Deus in profligando tanto apparatu. Sic autem reſolvi debet oratio, ſimulac viderunt, miratos eſſe. Notum eſt illud Cæſaris dicterium, Veni, vidi, vici, quo Ægyptiacæ victoriæ facilitatem notavit: Propheta hic contra, impios dicit obſtupuiſſe ſolo conſpectu urbis, acſi Deus ſplendore gloriæ ſuæ eorum oculos hebetaſſet. Et particula כן translative poſita eſt, quaſi ad rem digito monſtrandam, ſicuti paulo poſt ſequitur eodem ſenſu adverbium loci שם. Similitudo parturientis ad exprimendam ſubitam mutationem pertinet. nam hac circumſtantia luculentius enituit gratia Dei, quod inopinato metu perculſi, ſubito animis conciderint, & ex ſecuro faſtu acti fuerint præcipites. Monemur autem hoc loco, nihil novi hodie accidere ſi validis copiis oppugnetur Eccleſia, ac formidoloſos impetus ſuſtineat: quia ſic Deus ab initio ſuos humiliare conſuevit, quo admirabilem ſuam potentiam magis conſpicuam reddat. Interea nobis occurrat, ſolum Dei nutum ſufficere ad nos liberandos: atque, ut nobis obruendis undique immineant hoſtes, in ejus arbitrio eſſe, quoties placuerit,

Jeſa. 7. verſ. 4.

2 Reg 19. verſ. 35.

cuerit, ſtupore percutere eorum animos, ut inter medios conatus momento deficiant. Atque hæc cogitatio mentes noſtras, quaſi injecto freno, compeſcat, ne huc & illuc circumſpiciant ad humana media.

8. *Per ventum Orientalem.*] Etſi hunc locum varie exponunt interpretes, contenti ſimus genuino ſenſu, non ſecus afflictos & exitio demerſos fuiſſe Eccleſiæ hoſtes, ac Deus ſubitis procellis naves Ciliciæ in mare profundum dejicit. Commemorat autem Dei potentiam quam exercere ſolet in magnis & violentis tempeſtatibus, acſi diceret, non eſſe mirum ſi Deus, qui confringit ventorum impetu robuſtas naves, hoſtes quoque ſuos virium ſuarum confidentia inflatos proſtraverit. Per *Mare Tharſis*, apud Hebræos Mediterraneum intelligitur, propter Ciliciam, quæ ſic olim vocata fuit, etiam Joſepho teſte: licet tandem nomen hoc ad urbem unam reſtrictum fuerit. Quia autem præcipua navigatio Judæis erat in Ciliciam, per ſynecdochen huic regioni tribuunt quod aliis remotioribus & minus notis commune erat.

9. Sicut audivimus, ſic vidimus in urbe Jehovæ exercituum, in urbe Dei noſtri: Deus ſtabiliet eam uſque in perpetuum. Selah.

9 כַּאֲשֶׁר שָׁמַעְנוּ כֵּן רָאִינוּ בְּעִיר יְהוָה צְבָאוֹת בְּעִיר אֱלֹהֵינוּ אֱלֹהִים יְכוֹנְנֶהָ עַד עוֹלָם סֶלָה׃

10. Expectavimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.

10 בְּקֶרֶב אֱלֹהִים חַסְדֶּךָ בְּקֶרֶב הֵיכָלֶךָ׃

11. Sicuti nomen tuum Deus, ſic laus tua ſuper extrema terræ, juſtitia plena eſt dextera tua.

11 כְּשִׁמְךָ אֱלֹהִים כֵּן תְּהִלָּתְךָ עַל קַצְוֵי אֶרֶץ צֶדֶק מָלְאָה יְמִינֶךָ׃

9. *Sicut audivimus.*] Duplex ſenſus poteſt huic loco congruere: prior erit, ſi in perſona fidelium dicat Propheta, qualem Deus olim potentiam exeruerat in liberandis Patribus, proſequutum nunc fuiſſe erga nepotes & poſteros. Audierant enim ex ore Patrum, & ex Sacris hiſtoriis didicerant, quam clementer & paterne Deus Eccleſiam ſuam juviſſet: nunc ſe oculatos eſſe teſtes prædicant, quia re ipſa eandem erga ſe miſericordiam ſint experti. Summa igitur eſſet, fideles non modo in hiſtoriis habere bonitatis & potentiæ Dei teſtimonium, ſed uſu & experientia ſentire, adeoque perſpicere oculis quod prius cognoverant ex auditione & relatu Patrum. Itaque Deum ſemper manere ſui ſimilem, qui vetuſta gratiæ ſuæ exempla ſubinde aſſiduis documentis confirmet. Alter ſenſus paulo argutior eſt, optime tamen quadrat, Deum ſcilicet re ipſa præſtitiſſe quod pollicitus fuerat populo ſuo. acſi dicerent fideles, ſibi ante oculos fuiſſe exhibitum quod prius tantum auribus perceperant: quia ubi nudæ tantum promiſſiones apparent, Dei gratia & ſalus in ſpe adhuc abſcondita eſt, effectu autem conſpicua redditur. Si hæc interpretatio placeat, continet uberem doctrinam, nempe quod Deus ſpem verbo ſuo datam minime fruſtretur: nec magis liberaliter promittere ſoleat, quam implere quod promiſit. Ubi dicitur, *In urbe*, ב accipitur loco מ vel ל, hoc eſt, de urbe, vel quo ad urbem. Neque enim dicere voluit Propheta, Jeroſolymæ narratum fuiſſe fidelibus, Deum ſervis ſuis opem eſſe laturum: ſed Deum ab initio fidum urbis ſuæ fuiſſe cuſtodem, & ſemper talem fore. Et nominatim urbis Dei fit mentio, quia non eandem promiſcue omnibus ſalutem promittit, ſed populo electo & peculiari. Nomen *Jehovæ*, ad exprimendam Dei virtutem poſitum eſt: ſed mox addunt fideles *ſuum eſſe Deum*, notandæ adoptionis cauſa, ut in eum ſperare, & familiariter ad eum confugere audeant. Quod vero in Concilio Niceno ſecundo, hunc locum torſerunt boni patres, ut probarent non ſufficere doctrinam in templis, niſi ad confirmationem accederent picturæ & imagines: nimis pudenda fuit inſulſitas & relatu indigna, niſi quod utile nobis eſt intelligere horrendum in modum percuſſos fuiſſe ſpiritu vertiginis & ſtuporis, quibus propoſitum erat Eccleſiam Dei corruptela illa inficere. Clauſula verſus, Jeroſolymam à cunctis mundi urbibus diſcernit, quæ ſuas habent viciſſitudines, ut non niſi ad tempus floreant. Quia autem ſtatus Jeroſolymæ à Deo fundatus eſt, inter varias mundi converſiones firmus permanet. Non mirum igitur ſi per continuam ætatum ſeriem, Deus urbem à ſe electam tueatur, in qua nominis ſui invocationem ſemper vult reſidere. Quod autem abducto in exilium populo urbs ſemel exciſa fuit, cum hac ſententia non pugnat. quia jam ante vaticinio Jeremiæ *Jer. 27. verſ. 22.*
oſtenſa fuerat reſtitutio, ideoque tunc maxime quam ſtabile eſſet opus ſuum, probavit Deus. Nunc, poſtquam adventu ſuo ſeculum renovavit Chriſtus, quicquid olim de urbe illa dictum fuit, ad ſpiritualem Jeroſolymam pertinet, quæ per omnes mundi plagas diſperſa eſt. Atque hæc doctrina, quoties animis fluctuamur, ſuccurrere nobis debet, quicquid diſcriminum immineat, ſalutem Eccleſiæ quam Deus ſtabilivit, poſſe quidem graviter concuti, ſed non ita labefactari ut cadat. Cæterum verbum futuri temporis, in præteritum reſolvi poteſt, ſed eodem ſenſu.

10. *Expectavimus.*] Docet hic verſus fideles fuiſſe divinitus ſervatos, quia in ſumma rerum omnium perturbatione patienter quieverint, donec tandem miſertus ipſorum Deus opem afferret. Verbum enim Hebraicum דמם, quod eſt proprie ſilere, animi tranquillitatem notat. unde colligimus fuiſſe periculis agitatos fideles, ut pro carnis ſenſu conſternari poſſent vel expaveſcere, quemadmodum ſcimus homines in continuo tumultu verſari, & quaſi contrariis fluctibus huc & illuc impelli, donec eorum mentes fides tranquillet, & ad ſilentium componat. Summa igitur eſt, fideles, quum miſere affligerentur, non fuiſſe tamen è gradu dejectos, quin recumberent in Dei auxilium: quin potius ejus gratiæ patientia & ſpe januam pateſeciſſe. Porro hoc ad illuſtrandam Dei gratiam valuit, quod quum ab ejus expectatione penderent, non fuerint fruſtrati. Unde etiam colligi poteſt utilis admonitio, prohiberi à nobis Dei auxilium, quia diffidimus ejus promiſſionibus, nec præ tumultu patimur ad nos uſque fluere gratiam, quæ ſilentibus eſt repoſita. Sed quid ſibi vult, *In medio templi*? an quod illic tantum ſpem ſuam aluerint fideles? quum autem quiſque domum ſuam eſſet reverſus, ſperare deſierint? Imo certum eſt ſpem in templo conceptam domum retuliſſe, ut in ea conſtanter ſtarent. Verum, quia promiſerat Deus, locum illum ubi invocaretur, ſedem & domicilium virtutis & gratiæ ſuæ fore, nunc dicunt fideles ſe oraculo illo fretos, non dubitaſſe quin ſe Deus miſericordem & propitium oſtenderet, quia certum haberent præſentiæ ejus inſigne. Neque enim noſtrum eſt ex proprio ſenſu imaginari, Deum fore nobis liberatorem, ſed quatenus ultro ſe nobis offert. Jam ſi umbratile illud præſentiæ Dei ſymbolum ſub Lege, valere eo uſque debuit, ut vitam ſperarent fideles in media morte: quum ad nos deſcenderit Chriſtus, ut multo plenius nos Patri ſuo conjungeret, quamvis ſurſum ac deorſum miſceatur mundus, juſta nobis quieſcendi cauſa eſt. Tantum

tum danda eſt opera ut purus & integer apud nos vigeat Dei cultus, quo templum ejus in medio noſtri refulgeat.

11. *Sicuti nomen tuum.*] Quidam hunc verſum cum proxima ſententia contexunt: acſi dictum eſſet, Domine, tu non fruſtra nomen tuum vis celebrari: quia ſimul ſuppeditas materiam laudis. Ita ſenſus erit, nomen Dei prædicari cum effectu: vel ejus potentiam ſimul cum promiſſionibus extare. Alii paulo argutius exponunt, opera Dei congruere cum nomine ejus, quia vocetur אל à potentia, dum re ipſa demonſtrat non temere hoc nomen ſibi fuiſſe impoſitum, ſed veram ac debitam laudem tribui. Prior expoſitio, ſicuti minus coacta eſt, ita propius accedit ad verba & mentem Prophetæ, Deum ſcilicet operibus teſtari, ſe non fruſtra coli apud Judæos pro vero & unico Deo. Sed dum particulam expendo quæ ſequitur, *Super extrema terræ*, Prophetam aliud velle exiſtimo, nempe, quocunque pervenerit nominis Dei fama, cognituros homines ipſum eſſe ſumma laude dignum. ſubeſt enim his verbis tacita antitheſis. Scimus tunc paſſim volitaſſe idolorum nomina per totum orbem: ſed quantumvis celebres eſſent fictitii dii, juſta laude caruiſſe, quod nullum illic extaret ſignum divinitatis. Propheta autem hic contra: Domine, ubicunque auditum fuerit nomen tuum, cum ſolida laude conjunctum erit, vel ſecum proferet laudis materiam, quia intelliget totus mundus qualem te præſtiteris electo populo. Eodem pertinet quod mox additur, *Dexteram Dei plenam eſſe juſtitia*, nempe quod auxilium ſuis ferendo, quaſi porrecta manu, juſtitiam ſuam palam demonſtret: nec unum modo vel alterum ſpecimen edat ſuæ juſtitiæ, ſed omnes numeros impleat. Porro tenendum eſt quod alibi diximus, Juſtitiam Dei accipi pro fide quam in ſuis tuendis ſervat. unde inæſtimabilis ad nos redit conſolatio, quod in ſalute noſtra curanda velit juſtus agnoſci. Jam tenemus Prophetæ mentem, nempe falſorum deorum nomen per ora hominum volitare, ſine re & vera laude: aliam eſſe rationem in Deo Iſraël, quia quocunque perlata fuerit ejus fama, intelligent omnes liberatorem eſſe populi ſui, qui ſpem & vota ſuorum non fruſtratur, nec eos in diſcrimine deſerit.

12. Lætabitur mons Sion, exultabunt filiæ Juda, propter judicia tua.

13. Circumdate Sion, & circuite eam, numerate turres ejus.

14 Adjicite cor veſtrum ad murum ejus, exaltate turres ejus, ut narretis generationi poſteræ.

15. Quia hic Deus, Deus noſter in ſeculum & uſque: ipſe deducet nos uſque * ad mortem.

* vel, à pueritia.

12 ישמח הר ציון תגלנה בנות
יהודה למען משפטיך:
13 סובו ציון והקיפוה ספרו ס
מגדליה:
14 שיתו לבכם לחילה פסגו א
ארמנותיה למען תספרו לדור א
אחרון:
15 כי זה אלהים אלהינו עולם
ועד הוא ינהגנו על מות:

12. *Lætabitur.*] Nunc gratulationem ſuam abſolvit, quod Jeruſalem & aliæ Judææ urbes, juſtitiæ materiam habebunt, quia Deum vere ſenſerunt vindicem ſuæ ſalutis. Nam *Judicii* nomen ideo poſitum eſt, quod Deus Eccleſiæ ſuæ cauſam ſuſcipiens, ejus oppreſſoribus ſe hoſtem profeſſus ſit, ut eorum ferociam compeſceret. Deinde rurſus Propheta ſitum & pulchritudinem Jeroſolymæ commendat, acſi diceret urbem eſſe optime munitam & inexpugnabilem: quia aliqua ex parte in his externis notis fulgebat Dei benedictio. Quanquam memoria tenendum eſt quod prius dixit, Deum in ejus palatiis conſpici in arcem. Neque enim *turres* vel *murum* nunc commemorans, vult piorum mentes in illis ſubſiſtere, ſed potius ſpeculum proponit quod Dei faciem repræſentet. *Circumdate* ergo *Sion*, inquit, hoc eſt, attente circumſpicite: *numerate turres, & ſtudium veſtrum applicate ad conſiderandum ejus murum:* æſtimate pro dignitate palatia ejus. Ita facile conſtabit urbem eſſe divinitus electam: quia longe ſupra alias omnes emineat. Nam in hoc totus eſt ut appareat qualitas illa & perſona qua Dominus Jeroſolymam induerat: eam ſibi in ſacrarium & in domicilium populo ſuo erigens. Cæterum Propheta finem notando, ut narretur poſteris forma & ſplendor urbis ſanctæ, tacite innuere videtur venturum aliquando tempus quo non amplius poterit conſpici. Quorſum enim narratio in re manifeſta & ante oculos poſita? quanquam ergo paulo ante dixit, urbem illam perpetuo ſtabilitam eſſe, nunc per modum correctionis admonet qualis futura ſit perpetuitas, nempe quæ ad renovationem duntaxat Eccleſiæ duret. Nos enim ſumus illa poſteritas ad quam pertinet ac dirigitur narratio. quia quæcunque veteri populo Deus beneficia contulit, nobis communia ſunt: non quod ſplendor ille externus, quo admirabilis fuit Jeroſolyma, hodie inter nos emineat, ſed quia ſpiritualibus donis non minus ſplendide ornata fuit Eccleſia poſt exhibitum Chriſtum, quam olim muris & turribus inſtructa Jeruſalem ſub Legis umbris. Verbum פסג, verti Exaltate, ad æſtimationem præſtantiæ referens. Nam quod alii exponunt Roborate, minus videtur eſſe conſentaneum. ſicui magis probetur aliorum interpretatio, Aſpicite, non repugno.

15. *Quia hic Deus.*] Hinc melius liquet non loquutum fuiſſe Prophetam de palatiis Jeruſalem ut illic defixi hærerent piorum oculi: ſed ut ſe ad intuitum gloriæ Dei attollerent. Nam quocunque ſe verterent, voluit Deus inſculptas gratiæ ſuæ notas cerni, imo ſe agnoſci quaſi præſentem. Unde colligimus, quicquid dignitatis vel præſtantiæ in Eccleſia refulgeat, non aliter eſſe conſiderandum, quam ut nobis Deus occurrat, atque in ſuis donis celebretur. Porro demonſtrativum pronomen זה minime ſupervacuum eſt, ſed unicum Deum ab omnibus fictitiis adhibita certitudine diſcernit. Quantumvis enim audacter Dei nomen uſurpent increduli, ac de religione garriant, ſiquis tamen propius inquirat, reperiet nihil ſubeſſe certi vel firmi: imo quicunque in vera fide fundati non ſunt, neceſſe eſt in ſuis figmentis evaneſcere. Hoc itaque fidei proprium eſt, diſtinctam nobis Dei notitiam proponere, in qua non vacillemus: ſicuti ſuperſtitio imaginarios & multiplices deos ſemper ingerit. Quo magis notanda eſt emphatica iſta demonſtratio, cui ſimilis fere eſt iſta Jeſa. 25. verſ. 9. Ecce Deus noſter hic, expectavimus eum, & ſalvabit nos: hic Jehovah, expectavimus eum. Acſi profiteantur fideles non eſſe ſibi incertum Deum, vel quem confuſa opinione apprehendant, ſed cujus firma ipſis conſtet veritas. Prædicant autem fideles Deum perpetuo conſtantem fore in ſervanda Eccleſia, ut ſe hortentur ac confirment ad pergendum in continuo fidei tenore. Quod proxime ſequitur membrum, videtur exegeticum eſſe, *Deducet nos ad mortem*. Deum enim ſibi hoc verbo æternum ducem ac cuſtodem fore promittunt fideles. Quanquam non intelligunt ſe Dei gubernatione tantum in hac vita fore tutos, ut in media morte deſerantur: ſed craſſe deſignant quod dixi,

Digitized by Google

dixi, uſque ad finem Deo curæ eſſe quicunque in ipſum recumbunt. Si עלמות conjunctim legere, ut ſit ſimplex nomen, & pro ſeculo accipere libeat, idem erit ſenſus. Alii pueritiam interpretantur, hoc ſenſu, Sicuti ab exordio Eccleſiam ſuam fovere cœpit Deus, quemadmodum pater filios à pueritia educat, ita perget in eodem curſu. Sed prior ſententia, meo judicio, aptius fluit. Æque remotum eſt quod alii interpretantur, In abſcondito. Niſi forte ex profeſſo gubernationem Dei abſconditam dixerit Propheta, ut eam non ſenſu carnis, ſed fide æſtimemus.

ARGUMENTUM PSALMI XLIX.

Quia ut plurimum contingit impios homines, vel terrenis deliciis addictos, proſpere & feliciter agere, veros autem Dei cultores, vel rebus adverſis premi, vel ſub miſeriis ſuis languere: ne priores nimis in ſua fortuna ſuperbiant, alii vero deſpondeant animos, docet Propheta, quamvis bonis omnibus pro voto affluant profani homines, quamdiu à Deo alieni ſunt, umbratilem felicitatem in qua ſibi placent, quæ inſtar ſomni evaneſcit, minime expetendam eſſe., bonos autem, quamvis contumelioſe tractentur, vel affligantur multis malis, reſpici tamen à Deo, ut tandem ipſos liberet.

PSALM. XLIX.

PRæfecto filiorum Koræ Canticum.	1 לַמְנַצֵּחַ לִבְנֵי קֹרַח מִזְמוֹר׃
2. Audite hoc omnes populi, auſcultate omnes incolæ orbis,	2 שִׁמְעוּ זֹאת כָּל הָעַמִּים הַאֲזִינוּ כָּל יֹשְׁבֵי חָלֶד׃
3. Tam filii mortalium, quam filii viri, ſimul dives & pauper.	3 גַּם בְּנֵי אָדָם גַּם בְּנֵי אִישׁ יַחַד עָשִׁיר וְאֶבְיוֹן׃
4. Os meum loquetur ſapientias: & meditatio cordis mei, intelligentiæ.	4 פִּי יְדַבֵּר חָכְמוֹת וְהָגוּת לִבִּי תְבוּנוֹת׃
5. Inclinabo ad parabolam aurem meam, aperiam cum cithara ænigma meum.	5 אַטֶּה לְמָשָׁל אָזְנִי אֶפְתַּח בְּכִנּוֹר חִידָתִי׃

A*Udite hoc.*] Quoniam Pſalmus hic à quocunque fuerit compoſitus, unum ex præcipuis cæleſtis philoſophiæ capitibus continet, non abs re tam ſplendidis verbis auctor præfatur, de rebus magnis & reconditis ſibi fore ſermonem, quo ſibi attentionem conciliet. Putaret forte quiſquiam prima ſpecie, nonniſi vulgare argumentum tractari, quia de brevitate hujus vitæ diſſeritur, & de vana fiducia qua ſeipſos plurimi inebriant, quorum utrumque videtur ſatis eſſe notum. Finis autem eſt, ut probi & pietatis ſtudioſi homines, quibus res ſunt minus proſperæ in mundo, hac conſolatione dolorem ſuum mitigent ac tædium levent, ſibi tandem melius fore, ubi Deus res confuſas in ordinem reſtituet. Sed altius conſcendit Propheta, utcunque non ſtatim Deus palam oſtendat mundum ſua providentia regi, patienter tamen expectandum eſſe exitum, qui carnis ſenſu non percipitur. Hoc quidem Philoſophi quoque ipſi præcipiunt, quamvis miſere vexemur in mundo, nullis tamen afflictionibus cedendum eſſe. Deinde ſtulte ſibi placere qui beati cenſentur, quia divitiis, honoribus, & deliciis nihil ſit magis evanidum: ſed ad fontem ipſum non perveniunt: quia ubi optime diſputant de beata vita, contenti ſola virtute, non conſtituunt Deum in medio, qui res humanas gubernet, ut in eum recumbere diſcant, quibus alioqui nihil præter deſperationem apparet. Friget igitur philoſophica de his rebus præceptio. Itaque Spiritus ſanctus licet in medium proponat quæ experimento nota ſunt, mox tamen altius conſcendit, mundum ſcilicet divinitus regi, & dum improbi intemperanter exultant, boni autem contumelioſe calcantur, Deum ſemper in cælo judicem ſedere, ut opportune reprobis delicias excutiat quibus ſe oblectant: ſuos autem cultores è profundis tenebris erutos, vero gaudio perfundat. Hinc vero petenda eſt ſolida conſolatio in omnibus miſeriis, quæ formidabili conſpectu nos obruunt, niſi illuceat Dei facies. quia niſi perſuaſi ſimus ipſum habere ſalutis noſtræ curam, nullum cernimus remedium nec finem. Hæc, ut dixi, ratio eſt cur Propheta nos attentius jubeat mentes & ſtudia erigere ad ſuam doctrinam: quia de rebus præclaris & ſublimibus verba facturus ſit. duo tamen notantur in hoc verſu: quod ſcilicet doctrinæ quam proponit utilitas, omnibus ſit communis: deinde quod omnes ſeria admonitione opus habeant: quia nemo animum ad rectam conſiderationem, niſi expergefactus, erigat. Pro eo quod vertimus *Incolas orbis*, quidam vertunt Habitatores temporis: quod tametſi præſenti argumento non male convenit, aſperius tamen eſt. nobis ſufficiat cunctos mortales promiſcue vocari à Propheta, quia æque ad omnes pertineat quod dicturus eſt. Per *filios Adam*, plebeios & ignobiles intelligit: per *filios viri*, proceres ac nobiles, vel qui dignitate aliqua excellunt. Præfatur ergo, ſummos quoſque & infimos, ſine exceptione, ſibi docendos eſſe: quia nemo eorum ſponte ſapiat, quum tamen doctrinam proferre inſtituat quæ pereque attingit totum humanum genus.

4. *Os meum loquetur.*] Merito his elogiis doctrinam ſuam Propheta commendat. Quamvis enim poſtea ab experientia coarguat hominum ſtultitiam, principium tamen docendi quod ſumet, non cadit ſub communem ſenſum. quanquam hoc procemio utitur non ſolum ut doctrinam ſuam vendicet à contemptu, ſed etiam ut mentes ſopitas excitet: & quo id faciat efficacius, non alios modo hortatur ad ſtudium diſcendi, ſed profitetur ſe ſimul fore attentum. hoc autem modo conſtituit ſe unum ex diſcipulis, qui doctoris partes exequendo, proficere ipſe quoque cupiat. Et certe ita omnes Dei Prophetas affectos eſſe convenit, ut Deum libenter habeant communem magiſtrum cum reliquo populo, & vocem ejus, quam ore ſuo perferunt ad alios, primi omnium excipiant. Cæterum Prophetæ conſilium fuit, auctoritatem & reverentiam ſuæ doctrinæ aſſerere, quia non futiliter garriat de ſuis commentis, ſed tantum proferat quod didicit in ſchola Dei. hæc autem unica eſt probe docendi ratio in Eccleſia Dei, ut qui aliis præfectus eſt magiſter, aurem ad diſcendum inclinet priuſquam os aperiat ad loquendum: atque ita fideliter de manu in manum tradat quod à Domino accepit. Et certe ſapientia non naſcitur ſub hominis ingenio, ſed è cælo petenda eſt: ideoque nemo prudenter & ſcite in ædificationem Eccleſiæ unquam loquetur, niſi qui Deo ſe prius docilem præbuerit. Quantum ad verba ſpectat, in tertio verſu quidam vertunt intelligentias: ſed quia impropria & dura eſſet loquutio, ſi dicatur cordis meditatio

ditatio loqui, ſequutus ſum quod ſimplicius erit. In quinto verſu nomen משל quod *Parabolam* verti, proprie ſimilitudinem ſignificat: ſed ſæpe ad graves ſententias transfertur, quia figuris & translationibus ut plurimum ornantur. Eodem fere ſenſu capitur nomen חידה, quod ænigma vertunt: itaque Ezechielis 17. verſ. 2. duo verba & nomina ſimul junguntur, חוד חידה ומשול משל, hoc eſt, Ænigmatiza ænigmate, & paraboliza parabola. Fateor quidem illic notari allegoricum ſermonem: ſed jam dixi cur Hebræi ænigmata & ſimilitudines vocent inſignes & notatu dignas ſententias. Nam *Aperiendi* vel retegendi verbo teſtatur Propheta ſibi minime eſſe propoſitum res de quibus acturus eſt, perplexis & obſcuris ambagibus involvere. Et certe quamvis longe à ſenſu noſtro remota ſit cæleſtis doctrina propter ſuam ſublimitatem, Spiritus ſanctus ad captum noſtrum ſic temperavit ſua oracula, ut tota Scriptura utilis ſit nobis ad ædificationem. unde fruſtra ignorantiæ prætextus à multis captatur: quia nihil tam arduum eſt vel difficile, quod non rudibus & idiotis ſit patefactum. Quod mentionem *Citharæ* factam eſſe putant multi interpretes, ut cantus ſuavitas & illecebra mitigaret ſi quid eſſet aſperum, neſcio an ſatis firmum ſit. Mihi ſatis eſt, pro recepto more loquutum fuiſſe Prophetam, quia tunc ſolenne erat Pſalmos ad citharam canere.

6. Cur timebo in diebus mali? iniquitas calcanei mei circumdabit me.	6 למה אירא בימי רע עון עקבי יסבני׃
7. Confidunt ſuper opulentia ſua, & in multitudine divitiarum gloriantur.	7 הבטחים על חילם וברב עשרם יתהללו׃
8. Frater non redimet redimendo: nullus dabit Deo pretium redemptionis ejus.	8 אח לא פדה יפדה איש לא יתן לאלהים כפרו׃
9. Et pretioſa erit redemptio animæ eorum, & duratio in ſeculum,	9 ויקר פדיון נפשם וחדל לעולם׃
10. Ut vivat amplius in perpetuum, nec videat ſepulchrum.	10 ויחי עוד לנצח לא יראה השחת׃

6. *Cur timebo.*] Jam in ipſam doctrinæ tractationem ingreditur Propheta, non debere filios Dei ultra modum turbari rebus adverſis, etiamſi proterve eos urgeant impii, & jam pro libidine undique concluſos teneant: quia ſcilicet Dominus, quamvis diſſimulet ac quieſcat, non tamen dormit in cælo, ſed judicia ſua in tempus opportunum differt ac ſuſpendit. Porro interrogatio magis emphatica eſt, quam ſi ſimpliciter aſſereret ſe in rebus adverſis æquo & tranquillo animo fore. Secundo membro verſus ſpecialiter deſignat afflictiones quæ plus acerbitatis in ſe continent, & gravius vulnerant animos, dum ſcilicet improbi dominantur, & violentiam ſuam impune exercent. ideo ſubaudiendum eſt adverbium temporis, dum *iniquitas*, &c. Sunt quidam interpretes qui alium ſenſum eliciunt, Si timeam in diebus malis, & mihi nimis anxie proſpiciam, ſicut ſolent increduli: ubi tandem ad mortem ventum fuerit, iniquitates meæ tenebunt me obſeſſum. Ita *Calcaneum* pro vitæ exitu accipiunt. ſed hoc totum tanquam longe petitum repudio. Neque etiam video qua ratione alii ad cogitationes referant: nullum enim exemplum hujus metaphoræ alibi reperiri poſſe exiſtimo. Plus coloris habet quod alii vertunt inſidiatores, quia verbum עקב ſignificat decipere: acſi dixiſſet Propheta, Quamvis mihi tendant inſidias perfidi & aſtuti homines, non eſt tamen cur timeam. Sed ego abſque figura accipere malo, Quando me obſidebit hoſtium iniquitas, qui urgendo quaſi me ſupplantant. Sicuti etiam Gallice dicimus, *Pourſuivre juſques aux talons.* Fateor eum de hoſtibus loqui, ſed iniquas eorum perſequutiones calcaneo ſuo hærere dicit, quia potentia prævaleant, & quaſi talos pede prementes, immineant ad ipſum obruendum.

7. *Confidunt ſuper opulentia.*] Sequitur ratio cur non debeant filii Dei trepidare in rebus adverſis, ac multo minus ſuccumbere: etiam dum videntur conſtringi ſub hoſtium manu ut eorum violentiam vel fraudes effugere nequeant: nempe quia umbratili potentia fruſtra turgent, quæ ſtatim evaneſcit. Ratiocinatur ergo Propheta, dum homines metuimus, vano & fallaci metu nos turbari: quia non reputamus qualis ſit eorum conditio: perinde acſi ab umbra vel ſpectro quiſpiam ſibi metuat. *Gloriantur,* inquit, *in multitudine divitiarum:* & nos ſtulte in eundem errorem abripimur, quia non reputamus quam caduca ſit & momentanea terrenæ hujus vitæ conditio. Altius tamen reſpicit Propheta. neque enim tantum ex re ipſa oſtendit, falſo putari beatos qui deliciis, vel opibus, vel honore excellunt in mundo, ſed ex eorum ſenſu, vel potius ſtupore miſeros eſſe coarguit. Nam quum felicitas in ejus ſenſu qui fruitur, ſit poſita, ſtultos & ſocordes, nemo felices eſſe dicet, quia intelligentia carent. Propheta autem profanos homines veſanos eſſe oſtendit: quia confidere in ſua opulentia, & in divitiis gloriari, certum amentiæ ſignum ſit, ubi ſtulti homines non vident quod eorum oculis eſt expoſitum. Quotidie enim experiuntur, nullo pretio cujuſque vitam ab aliis poſſe redimi. unde ſequitur, non minus intelligentia privatos eſſe quam phreneticos. Si magis placeat vertere, Fratrem vir redimendo non redimet: idem manebit ſenſus, & phraſis Hebraica hoc patitur. Sunt qui אח pro uno accipiant. quod tametſi non rejicio, videtur tamen non tam apte congruere. Quod poſtea dicitur, *Nemini eſſe pretium* quod Deo ſolvat pro alterius redemptione: huc pertinet, omnium vitam in unius Dei manu & arbitrio eſſe: nec poſſe ulla pactione tranſigi, ut tempus prorogetur quoties Deo viſum fuerit hunc vel illum evocare. Eandem ſententiam confirmat ſequenti verſu, Quod pretioſa ſit eorum redemptio. Significat enim non modo raram eſſe, ſed nuſquam poſſe inveniri. ſicut primo Samuelis 3. verſ. 1. dicitur, ſub ſacerdotio Heli rara fuiſſe oracula, quia tunc deſierant viſiones. Summa ergo eſt, non poſſe inter homines inveniri pretium quo ſibi, vel aliis æternitatem in mundo redimant. Ubi nos vertimus, *Et duratio eorum in ſeculum*, alii חדל verbum eſſe putant, quod ceſſare interpretantur: acſi diceret Propheta, Nullum pretium tanti erit, ut locum habeat. Ceſſabit igitur perpetuo, quia nunquam ad ſuum effectum perveniet. ſed quia nomen חדל, ut Pſalmo 39. verſ. 5. vidimus, præfixum vitæ tempus ſignificat, viſa eſt illa magis genuina interpretatio. Quum dicitur verſu decimo, *Ut adhuc vivat*, clarius exprimit Propheta, non ſolum poſtquam mortui fuerint homines, non poſſe redimi, ſed dum ſuperſtites adhuc agunt in mundo, non poſſe lon-

longius illis prorogari vitam. Docet enim, præfixum cuique eſſe vivendi finem, quem tranſilire nequeat: itaque dum in ſua perverſa fiducia deſipiunt profani homines, propinquos eſſe ſepulchro, à quo fruſtra ſe eximere tentabunt. Etſi autem non videtur ænigmatice loqui Propheta, dum ſubmiſſo & humili ſtylo populariter diſſerit, quia tamen quaſi è ſublimi Dei ſolio ſtuporem hominum hìc damnat, qui ſuperbia excæcati obliviſcuntur ſe eſſe homines: quiſquis rem ipſam expendet, fatebitur ænigmata hìc propoſi. Interea in verbis perſpicitur illa apertio cujus meminit, quia Deus articulatam doctrinam tradere vult, quæ ne rudiſſimos quidem idiotas lateat.

11. Quia videbit ut ſapientes moriuntur, ſimul ſtultus & inſipiens peribunt, & relinquent alienis opulentiam ſuam.	11 כי יראה חכמים ימותו יחד כסיל ובער יאבדו ועזבו לאחרים חילם :
12. Intimum eorum domus eorum in ſeculum, habitationes eorum in generationem & generationem, vocaverunt nomina ſua ſuper terras.	12 קרבם בתימו לעולם משכנותם לדור ודור קראו בשמותם עלי אדמות :
13. Et homo in excellentia non manebit, ſimilis factus eſt jumentis: intereunt.	13 ואדם ביקר בל ילין נמשל כבהמות נדמו:

11. *Quia videbit.*] Ego verſum nonum cum decimo conjunctim lego, quia Prophetæ conſilium eſt, oſtendere quanta ſit eorum vecordia qui ſibi imaginantur æternam in mundo vitam, ſtudiaque ſua applicant ad fabricandam ſibi in terra perpetuam ſedem, quum tamen aſſidue videant diffluere cunctos mortales. Vulgari proverbio dicitur, experientiam eſſe magiſtram ſtultorum: ergo pluſquam ſtulti ſunt, qui tot & tam claris exemplis convicti, non reſipiſcunt, ut ſe mortales eſſe natos cogitent. Sic ergo cohærent verba Prophetæ, Quum videant cæci iſti Dei contemptores, mortem omnibus eſſe communem, & ſapientes promiſcue cum ſtultis mori: non deſinunt tamen æternum ſibi in terra domicilium fingere. perinde enim vitam inſtituunt, acſi nunquam hinc migrandum foret. Videt igitur quiſque eorum quid aliis contingat, hoc eſt, ſine diſcrimine in eundem interitum involvi omnes, quorum diverſa fuit conditio in terris: imo vident multorum opulentiam transferri ad alienos. Nam אחרים (quamvis ad quoslibet ſucceſſores extendi poſſit hoc nomen, quod ſimpliciter tam alios quam alienos ſignificat) legitimis vel ſuis hæredibus opponi arbitror: quia ſi hæredem quis relinquat ex ſuo ſemine, videtur in illius perſona quodammodo ſuperſtes. Ubi vero ad mortem accedit orbitas, nomen hominis penitus extinguitur. quo minus ſolatii eſt profanis hominibus, in quorum locum non ſuccedunt filii, qui perſonam eorum ſuſtineant. Sed adeo nihil proficiunt his documentis, ut nihil aliud in corde verſent, quam æternam vitam in terra. Nam Hebraicum nomen קרב quum medium cujuſque rei ſignificet, metaphorice pro corde hominis vel inteſtinis capitur. Senſus itaque clarus eſt, quod fictitia terrenæ vitæ perpetuitas intimos eorum ſenſus occupet. Argutior interpretatio ab aliis affertur. nam quia קרב interdum ſumitur pro ſepulchro, rideri putant eorum ſtultitiam qui magnifica palatia ingenti ſumptu extruunt, in quibus habitet eorum memoria poſt mortem. ſed hoc commentum nimis frigidum eſt. Et quod continuo poſt ſequitur, priorem ſententiam melius confirmat, nempe iſtos homines mundo deditos *vocare nomina ſua ſuper terras*, hoc eſt, magno conatu incumbere ut famam obtineant inter mortales. huc deberent tendere eorum vota, ut nomen ipſorum ſcriptum eſſet in libro vitæ, ac benedictum coram Deo & Angelis: nunc perperam rapiuntur in contrarium effectum, ut famoſi ſint ſuper terram, & alte reſonent nomina ſua. Nam vocandi verbo, inanem ſonitum oblique deſignat Propheta, quo celebrantur profani homines. Quibuſdam magis placet diverſus ſenſus, Indiderunt nomina ſua regionibus, ut gloriæ monumentum poſteris relinquerent. Sed non dubito hanc eſſe Prophetæ mentem, laborioſe ipſos eniti ut ſibi celebrem famam in terra compararent.

13. *Et homo in excellentia.*] Poſtquam inſanas cogitationes deriſit, quibus ſe ſponte decipiunt increduli, nunc addit, quamvis ita ſibi placeant, inſtare tamen illis communem cum brutis pecudibus exitum. Etſi enim quo ad animas inter homines & bruta animalia magnum eſt diſcrimen, merito tamen Propheta de præſentis vitæ ſtatu loquens, incredulos jumentis ſimiles in morte fore dicit. Neque enim opus erat diſputare de futura vita, quia negotium erat cum filiis hujus ſeculi qui ad illius ſpem non penetrant, nec animis aliam felicitatem concipiunt, quam qua nunc fruuntur. Ergo eorum vecordiæ inſultans, Vos quidem, inquit, quaſi exempti communi hominum ſorte, cornua effertis ſupra nubes: ſed mors vobis imminet quæ abolebit veſtram iſtam ſuperbiam, ut nihil inter vos & aſinos vel canes interſit, Nam quod ſubtilius ludunt nonnulli interpretes, mihi non probatur, fieri homines jumentis ſimiles quia non intelligunt ad quam præſtantiam ſint conditi, nempe dum animam illis Deus indidit quæ nunquam dormiet vel morietur. Nam mens Prophetæ ſatis perſpicua eſt, fruſtra ſibi blanditi profanos homines propter caducam vitam, quia mox ſuperveniet interitus, qui eos brutis pecudibus aggreget. Ac ultimo verbo ſeipſum declarat Propheta, cur comparet terrenos homines jumentis: quia ſcilicet exciduntur, vel pereunt. Quod alii ſubaudiunt relativum אשר, in eo parum eſt momenti.

	14. Hæc via eorum ſtultitia ipſis, & poſteri eorum ori ipſorum acquieſcent. Selah.	14 זה דרכם כסל למו ואחריהם בפיהם ירצו סלה :
* vel, *forma.*	15. Tanquam oves in ſepulchro ponuntur, mors paſcet eos, & dominabuntur eis recti mane, & * robur eorum ut veteraſcat: ſepulchrum à domicilio ejus.	15 כצאן לשאול שתו מות ירעם וירדו בם ישרים לבקר וצורם לבלות שאול מזבל לו :
	16. Atqui Deus redimet animam meam è manu ſepulchri, quia ſuſcepit me. Selah.	16 אך אלהים יפדה נפשי מיד שאול יקחני סלה :

14. *Hæc via.*] Quia varie exponitur hic verſus, antequam verum ſenſum profero, aliorum ſententias breviter perſtringam. quia nomen כסל ilia interdum ſignificat Hebræis, quidam argute hoc loco pro adipe accipiunt: acſi dictum eſſet, Hæc cogitatio illis eſt inſtar adipis, qua ſenſus ſuos tegunt ac ſuffocant. Sed hoc aſperius eſt quam ut longa refutatione indigeat. Quidam ſic diſtinguunt, Hæc via eorum quaſi ſtultitia eſt: quaſi diceret Propheta eos perverſe vitam inſtituere, quia ſanæ mentis non ſunt compotes. nec enim fieri poſſe ut adeo turpiter delirent homines, niſi carerent omni judicio. Nam ſiqua intelligentiæ gutta eſſent præditi, an non reputarent quorſum creati ſunt, menteſque in cælum arrigerent? ſic illi. Ego autem Prophetam exiſtimo ſimpliciter hoc velle, eventum tandem coarguere, mente fuiſſe privatos qui ſic felicitatem ſuam in mundo locant: acſi diceret, detegi tandem cum magno dedecore eorum veſaniam qui in mundo ſubſidunt: & quamvis ſe rara prudentia pollere exiſtiment, ſibique plaudant in ſuo acumine, patefieri tamen cum juſto ludibrio, quam fuerint inſipidi. Hoc autem conſulto dicit Propheta, ut filiorum amentiam magis amplificet, qui Patrum exemplis edocti non reſipiſcunt. Quia autem hoc quoque poſterius membrum varie torquetur ab interpretibus, primo referam quid alii ſentiant. Verbum רצה accipiunt pro ambulare, & nomen פי pro menſura: acſi dictum eſſet, filios ſecundum Patrum rationem incedere vel progredi. atque ita literam ב in כ reſolvunt notam ſimilitudinis, quod Hebræis ſatis tritum eſt. Atque hic ſenſus, fateor, non adeo longe diſtat à verbis & ſententia Prophetæ. Quod alii ad jumenta referunt, nimis eſt contortum. Sed rectius meo judicio ſentiunt alii, nomen *oris* pro inſtitutis vel præceptis ſumentes. deinde melius convenit verbum רצה ſecundum communem & magis receptum ſenſum accipere, ut conſenſum vel beneplacitum notet. ideo verti acquieſcere. Hoc autem vult Propheta, quum profanis hominibus vana ſua confidentia cedat in ſtultitiam, ut merito apud omnes ſint ridiculi, prodigioſum eſſe in poſteris furorem, qui ne tali quidem experimento admoniti, ſapere incipiunt, ſed ſe oblectant iiſdem deliriis, idem ſentiunt ac loquuntur quod Patres. Porro quum velit Deus expendi ſua judicia in mundo, eos attentius decebat reputare quid actum ſit cum Patribus: nunc dum præteritis ac neglectis tam inſignibus exemplis præcipites in eandem vanitatem ruunt, eo magis convincitur bruta eorum amentia.

15. *Tanquam oves.*] Similitudo valde appoſita, deſcendere iſtos homines in ſepulchrum, ſicuti oves ſub manu paſtoris in ſuum ovile aggregantur. Nam vix ſuperbo homini ſufficit totus mundus: adeo vanis ſuis figmentis turgent ſinguli, ut fere proprium ſibi ſolem, aërem, terram ſeorſum appetant. Ab illo immenſo faſtu quo ſe longe lateque extendunt, Propheta eos quaſi oves coacervat in ſepulchrum, & morti paſcendos tradit. Senſus ergo eſt, quum ſibi primatum uſurpent inter homines, venturos tandem ſub jugum mortis, ut ſero diſcant de nihilo ſe fuiſſe gloriatos. Nam proſtratos jacere ſub tyrannide mortis, miſerior eſt ſervitus ac fœdior, quam ſubeſſe quibuslibet hominum imperiis. Secundo membro ab hac triſti & infauſta ſorte ſeparat Propheta Dei filios: atque ita anticipat quod alioqui promptum fuiſſet objicere: Tu quidem vere prædicas morituros eſſe qui in hoc mundo confidunt: ſed quid novi affers? vel cur hominibus exprobras naturæ legem, quum omnibus impoſita ſit iſta neceſſitas? deinde quid mortalibus inſultas? quaſi non ſis unus ex numero. Huic objectioni ſcite occurrit Propheta, quaſi diceret, Si mors eſſet totius hominis interitus, nihil dicerem novi: ſed quia increduli meliore vita, ad quam conditi ſumus omnes, indigne ſe privant, merito & recte eorum vecordiam inſector. Nimis enim perverſum eſt, ut beati ſint ad momentum, & quaſi ſomnio, abjicere ſpem & meditationem futuræ vitæ, ſeque abdicare cæleſti gloria. Jam videmus quod initio dixi, longe differre hujus Pſalmi doctrinam à præceptis philoſophicis. nam eleganter & facunde ridetur à Philoſophis mundi ambitio, refelluntur ſtultæ hominum cupiditates, coarguitur etiam caduca hominum fragilitas: ſed quod præcipuum eſt, ab illis omittitur, nos, quia regimur Dei providentia, beatos eſſe: deinde felicem omnibus noſtris malis fore exitum, quia nos manet æterna in cælo hæreditas. Nunc ſi quæratur quale futurum ſit rectorum dominium, expedita eſt reſponſio: quia reprobos omnes proſterni ſub Chriſto capite noſtro oportet, ut ſint ſcabellum pedum ejus, hoc quoque ad omnia ejus membra pertinere. Nam quod dicitur traditurus regnum Deo & Patri, hoc certe non faciet ut aboleat ſuam Eccleſiam, ſed ut ſit Deus omnia in omnibus. Ac in adverbio temporis *mane*, apprime concinna eſt tranſlatio. Nam quia nunc in tenebris verſamur, vita hominis ſuper terram tacite comparatur nocti vel ſomno, idque præſertim reſpectu infidelium, qui in terra quaſi ſopiti deſident: imo tam confuſa eſt rerum omnium caligo, ut piæ quoque mentes torpore obruantur, niſi quatenus per verbum ſuum Deus affulget. Certe non niſi per ſpeculum & in ænigmate cernimus, ideoque adventus Domini inſtar auroræ erit, qua tam electi quam reprobi ſuo modo evigilent: priores ſcilicet, quia excuſſa tarditate & pigritia, diſcuſſis etiam nebulis, claro intuitu facie ad faciem Chriſtum ſolem juſtitiæ, & in eo plenum vitæ fulgorem cernent: hi vero qui nunc prorſus cæcutiunt, à ſua ſocordia excitati, cognoſcere incipient novam vitam cujus nullum guſtum nunc percipiunt. Atque hæc admonitio non ideo tantum neceſſaria eſt quia caro noſtra ſemper nos deorſum trahit, & magna ex parte fidei lucem ſuffocat vel obſcurat: ſed quia profani homines ex continuo mundi circuitu colligunt nullam fore aliam vitam, quemadmodum etiam Petrus admonet ridere eos ſpem Reſurrectionis, quoniam ab initio continuus naturæ ordo fluxerit per tot ſecula. Quare ne eorum petulantia nos conturbet, ſuccurrat nobis hoc Prophetæ dictum, quamvis nunc demerſus ſit in tenebris mundus, exoriturum ſubito novum mane, quod faciem veræ & æternæ vitæ nobis reſtituet. Sequitur poſtea, *robur eorum*, vel figura ad vetuſtatem, vel *ut veteraſcat*. Nam utroque modo exponitur nomen צורם. Si legamus robur, optime quadrabit ſenſus: valere iſtos opibus & potentia, ſed ad breve tempus, quia ſtatim marceſcunt & concidunt, imo potius liqueſiunt. Sed quia majori conſenſu recepta eſt diverſa ſententia, libenter ſubſcribo, figuram eorum ad defectionem tendere. Sicut enim Paulus dicit, Præterire figuram hujus mundi, ſignificans terreni ſtatus evanidam duntaxat eſſe ſpeciem: ſic Propheta eleganter figuræ comparat gloriam inanem, & cui nulla ſubeſt ſoliditas. Quod ſequitur, nonnihil obſcurum eſt: quidam vertunt, ſepulchrum eſt domicilium illis: & tum מ faciunt literam formativam nominis. Sed verbis & menti Prophetæ melius congruit diverſa interpretatio, ſepulchrum illos à domicilio ſuo manere. Nam mutatio numeri Hebræis familiaris eſt. intelligit autem Propheta, quamvis nunc in ſplendidis ædibus habitent, ubi videntur fixum ſibi habere nidum, brevi tamen fore ut egredi cogantur, ac ſepulchrum eos excipiat. Forte etiam tacite alludit ad ambitioſos eorum tranſitus, quia nunquam in publicum prodeunt ſine magna pompa. negat igitur Propheta hoc illis fore perpetuum, quia tandem in ſepulchrum deſcendent.

2 Pet. 3. verſ. 4.

1 Cor. 7. verſ. 31.

16. *Atqui*

16. *Atqui Deus.*] Poteſt etiam particula אַךְ transferri Certe. Nam quod in genere dixit Propheta, juſtos mane dominaturos, nunc in peculiarem uſum ſuum applicat, quo fidem ſuam certius ædificet. Eſt igitur quaſi appendix ſuperioris ſententiæ: dum ad ſuam perſonam accommodat Propheta quod nuper de juſtis omnibus dixerat. *Manum* pro imperio & poteſtate accipi, ſatis notum eſt. nam quod alii pro plaga accipi volunt, nimis eſt coactum. His autem verbis fatetur Propheta ſe quidem naturaliter morti eſſe obnoxium, ſed Deum fore vindicem ſuum & redemptorem. Porro hic præclarum habemus teſtimonium fidei, in qua vixerunt & mortui ſunt ſancti Patres ſub Lege. Videmus enim non ſubſtitiſſe eos in præſenti vita, ſed mentibus in cælum ſublatis, cucurriſſe per hunc mundum, donec ſtadium ſuum peragerent. Nam ſi ſperaret Propheta ab uno vel altero periculo ſe eſſe redimendum: hoc etiam filiis hujus ſeculi commune eſſet, quos ſæpe Deus ex magnis diſcriminibus eruit. Speravit igitur vitam in morte, quia ſuperatis mundi tenebris, oculos ad illud mane dirigebat quod ſecum afferret æternum diem. Unde etiam colligimus ſpirituales fuiſſe promiſſiones Legis, quibus freti ſancti Patres, ſponte & libenter peregrinati ſunt in mundo, ut in cæleſti hæreditate tandem quieſcerent. quo magis mirum eſt Sadducæos qui in Lege educati erant, eo ſtuporis delabi potuiſſe, ut animam hominis putarent nihil aliud eſſe quam halitum. Pluſquam enim cæcus erit qui hunc locum tranſiliet acſi nulla in eo fieret cæleſtis vitæ mentio. Quomodo enim torquebitur quod proximo verſu de novo & inſolito mane dixit? Certe quotidie exoritur Lucifer terris: ſed diem certum illic deſignat, quo Deus ipſe Solis partes implebit, ut nos illuſtret gloriæ ſuæ conſpectu. Jam vero quum ſubjicit, certe *Deus animam meam redimet ab imperio ſepulchri*, nonne ſibi peculiare aliquid promittit, quod non competit in reliquos homines? Quod ſi redimi à morte privilegium eſt ſolis Dei filiis datum, certo colligimus meliorem vitam ſperandam eſſe. Notare etiam operæpretium eſt quod prius attigi, rite nos demum proficere in Dei promiſſionibus, dum ſibi quiſque accommodat quod generaliter omnibus Deus offert. hanc rationem nunc tenet Propheta. Unde enim de animæ ſuæ redemptione certus eſt, niſi quia futura eſt olim alia conditio piorum, quam nunc in mundo appareat? ipſe autem ad Dei filios ſe aggregans, hujus gratiæ ſe quoque participem eſſe ſtatuit. Quod poſtea ſubjicit, Hebraice ad verbum ſic legitur, *quia ſuſcipiet me*. Sed quidam cauſalem particulam כִּי in adverbium temporis reſolvunt: & verbum לקח accipiunt pro tollere è medio: ut ſit ſenſus, quando me Dominus ex hac vita ad ſe colliget, animam meam eruet ex poteſtate ſepulchri. Sed vereor ne hoc ſit nimis contortum. Rectius ſentiunt alii, futurum tempus loco præteriti poſitum eſſe, & propriam ſignificationem cauſalis particulæ retinent. Neque enim Prophetæ in ſeipſo quærenda fuit ſpes ſuæ reſurrectionis, ſed in gratuita Dei adoptione: quia eum amplexus ſuo favore Deus fuerat, eumque aſſumpſerat in ordinem ſuorum. Quanquam tempus verbi mutare neceſſe non eſt, ſicui hæc ſententia arrideat, Deus animæ meæ cuſtodiam ſuſcipiet in morte, ideo eam aſſeret ab interitu. Unde enim fit ut de ſe vulgo actum eſſe putent homines ubi in ſepulchrum deſcenderint, niſi quia animas ſuas Dei tutelæ & fidei non commendant? quia non reputant eas, inſtar pretioſi depoſiti, ſalvas manere ſub ejus cuſtodia? Ergo utcunque in ſpeciem evaneſcat hominis anima dum migrat à corpore, ſtatuendum tamen eſt, colligi tanquam in Dei ſinum, ut illic fideliter ſervetur uſque ad diem reſurrectionis.

17. Ne timeas quum ditabitur vir, quum multiplicabitur gloria domus ejus:	17 אַל־תִּירָא כִּי־יַעֲשִׁר אִישׁ כִּי־יִרְבֶּה כְּבוֹד בֵּיתוֹ׃
18. Quia non auferet omnia in morte, non deſcendet poſt eum gloria ejus:	18 כִּי לֹא בְמוֹתוֹ יִקַּח הַכֹּל לֹא־יֵרֵד אַחֲרָיו כְּבוֹדוֹ׃
19. Quia animæ ſuæ in vita ſua benedicet, & confitebuntur tibi quum benefeceris tibi.	19 כִּי־נַפְשׁוֹ בְּחַיָּיו יְבָרֵךְ וְיוֹדֻךָ כִּי־תֵיטִיב לָךְ׃
20. Veniet ad ætatem patrum ſuorum, uſque in perpetuum non videbit lucem.	20 תָּבוֹא עַד־דּוֹר אֲבוֹתָיו עַד־נֵצַח לֹא יִרְאוּ־אוֹר׃
21. Homo in excellentia, & non intelliget: ſimilis factus eſt jumentis: interibunt.	21 אָדָם בִּיקָר וְלֹא יָבִין נִמְשַׁל כַּבְּהֵמוֹת נִדְמוּ׃

17. *Ne timeas.*] Eandem quam prius habuimus, ſententiam repetit ſub forma exhortationis, fruſtra ſcilicet terreri Dei filios hoſtium ſuorum divitiis & potentia, nec eſſe cur illis invideant, quia inſtar umbræ cito præterit caduca hæc felicitas: ac ne in terra ſubſidant animi noſtri, finem vitæ vult ſemper nobis verſari ante oculos. Sic enim fiet ut nos minime obruat tædium miſeriarum, quibus nos in hoc brevi curriculo exerceri oportet: deinde ut alto animo ſpernamus fallaces pompas, in quibus ſibi tantopere plaudunt profani homines. Ne ergo ejuſmodi ſpectaculis turbemur, prudenter nos Propheta ad mortis conſiderationem revocat, quæ momento ſuperveniens, fucato iſto ſplendore exutos in ſepulchrum dejiciet. Hoc enim ſignificat his verbis, *non auferet omnia in morte.* ut præclare agatur cum mortalibus, non poſſe tamen ultra vitæ finem, in eadem manere gloria. & hanc nuditatem proximo membro confirmat, quum dicit, *non deſcendet poſt eum gloria ejus.* Quantumvis enim luctentur miſeri homines, & quaſi invita natura aliquid poſt mortem gloriæ ſibi aſſerere conentur, putredinem tamen & nuditatis probrum non effugiunt, quemadmodum ſcite à poëta dictum eſt, — mors ſola fatetur Quantula ſint hominum corpuſcula.

19. *Quia animæ ſuæ.*] Verſus hic variis modis torquetur. Quidam ita reſolvunt verba, Animæ ſuæ debuerat benedicere in vita. Alii prius membrum ad incredulos referunt, ſecundum vero ad fideles qui Deum celebrant in omnibus ſuis beneficiis. Quidam etiam totum contextum de fidelibus accipiunt, ſed perperam. Ego vero eos recte ſentire non dubito qui hic quoque notari docent homines carnis deliciis addictos. Ac priore quidem membro dicit eos *animæ ſuæ benedicere*, quamdiu in mundo agunt: quod ſuaviter ſe oblectent ac ingurgitent terrenis voluptatibus, ſecure denique ſibi in belluina intemperantia indulgeant. ſicuti à Chriſto deſcribitur apud Lucam dives ille, Epulare anima mea ad ſatietatem, &c. vel certe quod non alibi quam in mundo felicitatem expetant: quia, nullo cæleſtis vitæ ſtudio tangantur. Quod alii benefacere vertunt, mihi non placet. videtur enim mihi locus hic congruere cum illo Moſis, Deuteronomii 29, *Luc. 12. verſ. 19.*

nomii 29. verſ. 19. Ne forte errore quis ſeductus, animæ ſuæ benedicat. hoc eſt, ne ſibi blandiatur quaſi Deum impune contemneret. Ridetur enim hic eorum ſocordia qui ſe beatos ſomniantes, delicias ſibi faciunt. In altero autem membro, perſonæ mutatio eſt, atque apoſtrophe ad voluptuarios iſtos homines qui ſe in mundo beatos eſſe ſomniant. Intelligit enim Propheta eos non proprio tantum errore inflari dum ſemideos ſe eſſe putant, ſed dementari fallaci mundi plauſu: dum paſſim laudantur habenturque in pretio, & vulgi opinione felices cenſentur: dum libidines ſuas explent poſthabita cæleſtis vitæ cura.

20. *Veniet ad ætatem.*] Jam admonet quam fallaces ſint illæ blanditiæ quibus ſe decipiunt increduli, & ab aliis etiam falluntur. Poſtquam, inquit, inebriati fuerint tam proprio errore quam vulgi plauſu, non tamen pervenient ultra patrum ætatem. Atque ut maxime ſint longævi, non tamen fruentur perpetua luce. Alii paulo ſecus interpretantur Venire ad patrum ætatem pro eo quod eſt in ſepulchrum una cum patribus colligi, ſicuti mors vulgo dicitur, via univerſæ carnis. Et paulo ante dixit Propheta turmatim aggregari in ſepulchrum, quaſi in ovile. Ita hunc volunt eſſe ſenſum, Quia in cælum non aſpirant, ſed jacent in mundo defixi & terræ putredine, venturos ad finem patrum. Ita ſecundum eos lumen perpetuo non videre, tantundem valet ac demergi in æternas tenebras, vel prorſus extingui. quia à Deo alienari longe deterius eſt omni interitu. Ego autem malo conjunctim legere, Quamvis ſe inanibus blanditiis deludant, non tranſibunt tamen metam cunctis mortalibus præfixam. Cæterum quia ad ſummam rei parum intereſt, libera ſit electio. Tantum notandum eſt, ſi hæc poſterior interpretatio magis probetur, quod ſequitur de *luce* ſic debere intelligi, luce vitali non potiri incredulos niſi ad breve tempus: quia ſimulac è mundo migraverint, non alia vita illis ſupereſt. Monemur autem ſedulo cavendum eſſe ne in hac vita nobis benedicamus, ſed potius dandam operam, ut extra mundum egreſſi, ad cæleſtem benedictionem toti feramur: nec minus etiam cavendum eſſe, ne vani hominum plauſus nos abripiant. Hoc idem dixerunt profani homines, —— non ſiquid turbida Roma Elevet, accedas, examenve improbum in illa Caſtiges trutina: nec te quæſiveris extra. Sed quia nobis fere ingenitus eſt hic error, vanis adulationibus nimium credere, audienda eſt hæc Prophetæ admonitio.

21. *Homo in excellentia.*] Quoniam prius videri poterat nimis contemptim loquutus eſſe de præſenti vita, quæ ſi per ſe æſtimetur, ſingulare eſt Dei beneficium, ſpeciem correctionis adhibet, vel ſententiam prius à ſe dictam, uno verbo interpoſito mitigat, quod ſcilicet homines in jumenta degenerent, quia inſipide vorant quicquid bonorum illis largitur Deus, atque ita excellentiam qua Deus ipſos dignatus fuerat, quaſi in nihilum redigunt. Invehitur ergo Propheta in perverſum abuſum, ubi ſine ullo pietatis guſtu abſorbent profani homines quicquid bonorum in eos Deus confert: præſertim vero ubi obſtupeſcunt in caduca dignitate, quæ potius adminiculum eſſe debebat mentibus eorum ſurſum erigendis. Hanc ingratitudinem damnat Propheta, quod indigne præſtantiam ſuam corrumpant profani homines, & à recto uſu deſciſcendo, lucem convertant in tenebras. unde etiam colligimus nonniſi noſtra culpa nos in mundo eſſe miſeros: quia ſi bona noſtra agnoſceremus, quibus nos proſequitur Deus, illiſque rite uteremur, jam hic emicarent quædam futuræ beatitudinis ſcintillæ. Sed honor hic corruptela noſtra perit. Quanquam autem increduli quoque ipſi, quantiſper in mundo vivunt, præcellunt brutis pecudibus, quia ratione & intelligentia prædici, notas adhuc aliquas imaginis Dei retinent: vere tamen à fine ipſo pronunciat Propheta *jumentis* fore *ſimiles*, quia inani ſua gloria ſpoliati, in eundem cum pecudibus interitum cadent. Nam quod ſuperſtites à morte erunt eorum animæ, id minime obſtabit quominus in æternum dedecus mors ipſos demergat.

ARGUMENTUM PSALMI L.

Quia ſemper hypocritis referta fuit Eccleſia, qui defunctorie externis tantum ceremoniis Deum ſibi colendum fingerent: præſertim quia apud Judæos multi Legales figuras, poſthabita veritate, perperam ſectati ſunt, acſi tantum ſacrificia & alios ritus Deus exigeret: craſſum hunc errorem caſtigat Propheta: ſevereque denunciat, impie profanari Dei nomen, dum in ceremoniis locatur pietas: & ſpiritualem eſſe Dei cultum oſtendit, cujus præcipuæ partes ſint invocatio & gratiarum actio.

PSALM. L.

Canticum Aſaph. Deus deorum Jehova loquutus eſt, & vocavit terram ab ortu ſolis uſque ad occaſum.	1 מִזְמוֹר לְאָסָף אֵל אֱלֹהִים יְהוָה דִּבֶּר וַיִּקְרָא אָרֶץ מִמִּזְרַח שֶׁמֶשׁ עַד מְבֹאוֹ׃
2. E Sion perfectione pulchritudinis Deus reſplenduit.	2 מִצִּיּוֹן מִכְלַל יֹפִי אֱלֹהִים הוֹפִיעַ׃
3. Veniet Deus noſter, & non ſilebit, ignis in conſpectu ejus vorabit, & in circuitu ejus turbo agitabitur valde.	3 יָבֹא אֱלֹהֵינוּ וְאַל יֶחֱרַשׁ אֵשׁ לְפָנָיו תֹּאכֵל וּסְבִיבָיו נִשְׂעֲרָה מְאֹד׃
4. Vocabit cælos ſuperne, & terram ad judicandum populum ſuum.	4 יִקְרָא אֶל הַשָּׁמַיִם מֵעָל וְאֶל הָאָרֶץ לָדִין עַמּוֹ׃
5. Congregate mihi manſuetos meos, qui percutiunt fœdus meum ſuper ſacrificiis.	5 אִסְפוּ לִי חֲסִידָי כֹּרְתֵי בְרִיתִי עֲלֵי זָבַח׃

Deus deorum.] Quanquam Pſalmus inſcribitur Aſaph, neſcitur tamen fueritne ejus auctor: an vero, quum unus eſſet ex præcipuis cantoribus, eum ex manu Davidis ſuſceperit. Sed quoniam in ea re parum eſt momenti, potius videamus quod ad rem magis pertinet. Multi putant hic deſcribi renovationem Eccleſiæ: & hæc opinio paſſim obtinuit, huc ſpectaſſe Prophetæ conſilium, ut Judæos moneret, umbratilem Legis cultum nonniſi temporalem eſſe, qui paulo poſt abrogandus eſſet. Hoc quidem veriſſimum eſt, Deum olim talibus rudimentis Judæos quaſi pueros, exercuiſſe, uſque dum adoleſceret Eccleſia, & veniret tempus plenitudinis, ut Paulus vocat: ſed nunc aliud quæritur, dirigatne Propheta ſermonem ad ſeculi ſui homines, & Legalis cultus abuſum & corruptelam Galat. 4. verſ. 4.
ſimpli-

ſimpliciter damnet, an vaticinium edat de futuro Chriſti regno. Ex contextu vero facile patebit, Prophetam apud ſuos æquales fuiſſe Legis interpretem, ut doceret, ceremonias, quo tempore vigebant, nullius per ſe eſſe momenti, ſed referri potius in alium finem. Et quod obtenditur, Deum nunquam totum orbem vocaſſe, niſi quum Euangelium promulgatum fuit, quia Legis doctrina certum & peculiarem populum ſibi collegit: nullo negotio refelli poteſt. Neque enim intelligit Propheta totum orbem advocandum, ut communem doctrinam pariter audiant omnes Gentes, ſed ut coram toto genere humano Deus cauſam ſuam cum Judæis diſceptet. Convenit enim hæc conteſtatio cum illa Moſis, Audite cæli quæ loquar, audiat terra verba oris mei. Item, Conteſtor hodie cælum & terram quod tibi propoſuerim viam vitæ & mortis. Cum illa etiam Jeſaiæ, Audite cæli, & auſcultet terra: quia Dominus loquutus eſt. Et hæc vehementia apud hypocritas neceſſaria fuit, ut excuſſis blanditiis ſerio ad Dei judicium attenderent. Præſertim vero in hac cauſa neceſſe fuit gravius expergefieri Judæos. Nam quum propenſi ſint homines ad externas larvas, Deum ex ſuo quoque ingenio metiuntur, atque ita optime ſe erga eum defunctos putant, ubi ceremoniis operam dederint. Ita Judæis proclive fuit Legis figuras temere arripere, acſi earum obſervatione Deum rite placarent. & ſcimus de hac ſuperſtitione acerrimum ſemper fuiſſe certamen Prophetis, quia peſſimi quique & impuriſſimi homines ſe pro veris Dei cultoribus audacter venditabant, ſi modo ſuam impuritatem tegere poſſent fallaci aliqua pietatis ſpecie. Quare non ſatis habuit Propheta ſimpliciter docere corrumpi & violari Dei cultum, ubi neglecta fide & puritate cordis, tantum ad externos ritus intenti ſunt homines: ſed ut torporem excuteret ac fallacem fiduciam corrigeret, neceſſario ſeveram hanc denunciationem adhibuit. Quod ergo Deum hic Gentes omnes ad ſuum tribunal citantem inducit, non ita interpretor, quaſi promiſcue toti mundo veræ & ſinceræ pietatis regulam tradat, & undique Eccleſiam colligat in ſuum obſequium, ſed ut hypocritæ ſuo more ſibi adulari deſinant. Nam ad eos pungendos hic non levis fuit ſtimulus, teſtes improbæ ſuæ diſſimulationis habere cunctos mortales, & ſpoliari larva illa pietatis qua ſe venditabant. Huc etiam pertinet, quod Jehova Deum deorum nominat, quia niſi injecto ſerio terrore, nunquam Deo illudere deſinunt. Quod etiam ex reliquo contextu melius patebit, ubi Dei majeſtas formidabilis deſcribitur: ut ſentiant hypocritæ nihil ſe proficere puerilibus nugis, quia negotium ſit cum tam ſevero judice. Sed nequis objiciat diverſum quicquam à Lege hic tradi, & convelli cultum à Moſe præſcriptum, nominatim exprimit Propheta, conſentaneum cum Lege fore judicium hoc, cujus eſt præco. Deum enim verba facere è *Sion*, tantundem valet ac Legis ſuæ auctoritatem ſancire. ideoque Prophetæ, quoties hac loquendi forma utuntur, ſe Legis interpretes eſſe aſſerunt. Nam quia mons ille non hominum temeritate fuerat delectus, relationem habet ad Legem. Itaque nunc Propheta anſam diſputandi præcidit Judæis, quia Deus ipſe non aliquo novo jure reos faciat qui cordis impuritatem fucata ſpecie tegunt, ſed ex Lege ſua per Moſen lata cum ipſis diſceptet. *Sion* autem vocat *perfectionem decoris* honorifico nomine: quia Deus Sacrarium illud elegerat, ubi nomen ſuum invocaretur, & illic ejus imago in Legis doctrina fulgebat.

Deut. 32. verſ. 1.
Deut. 30. verſ. 19.
Jeſa. 1. verſ. 2.

3. *Veniet Deus noſter.*] Quod repetit venturum, ad confirmationem doctrinæ valet, ut vehementius concutiat torpentes animos: Veniet, inquit, nec ſilebit uſque in finem: ne ejus patientia abuti pergatis. *Deus noſter*. Duobus modis hoc poteſt exponi, vel quod Propheta ſe veris Dei cultoribus, qui pauciſſimi erant numero, aggregans, ſe ex adverſo ſtatuat, ut demonſtret hypocritas falſo & inaniter jactare, Deum ſibi eſſe communem cum ſanctis Patribus. Verum alter ſenſus mihi magis arridet, quod Propheta, quaſi unus è populo, pronunciet Deum illum cujus nomen obtendebant omnes filii Abrahæ, violati ſui cultus fore vindicem. Veniet ergo Deus noſter, quo nos gloriamur, Deus ille qui fœdus pepigit cum Abraham, idem ille qui per manum Moſis Legem nobis dedit. Quod de *igne* & *turbine* ſequitur, tametſi ad expergefaciendos Judæos poſitum eſt, ut tandem expaveſcere diſcant ad Dei judicium, quod hactenus nimis ſecure ſpreverunt: alluſionem tamen continet ad horribile illud ſpectaculum quod Deus in monte Sinai exhibuit. Scimus enim tonitrua in toto aëre ſonuiſſe una cum tubis, cælum refertum fuiſſe fulguribus, flammam undique ex monte micuiſſe; ut Deus populi animos ad reverentiam Legis ſuæ ſubigeret. Itaque ſenſus eſt, Quemadmodum olim tremefecit Deus populum in Lege ſua promulganda: ita nunc terrifica potentia armatum fore, ut craſſum doctrinæ ſuæ abuſum ulciſcatur. Exod. 19. verſ. 16.

4. *Vocabit cælos.*] Ex his verbis colligere promptum eſt quorſum prius dixerit vocandam eſſe terram. nunc enim idem repetens, Deo nonniſi cum Judæis litem & judicium fore affirmat, ſed præſente toto mundo. quia ſcilicet ſolenne hoc & inſolitum judicium, longe ab ordinariis differet, quæ Deus quotidie exercet per ſuos Prophetas. Ergo ne ſemper in ſuis latebris deſideant hypocritæ, cauſam illis Propheta agendam eſſe denunciat coram Angelis & cunctis mortalibus, nec poſſe effugere quin trahantur ad tam celebrem conventum. Quæri tamen poteſt cur reos citet Propheta pios Dei cultores, quum expoſtulatio, quam mox ſubjiciet, nonniſi in fucatos & perfidos Judæos competat. Reſpondeo hic Deum de tota ſua Eccleſia loqui: & quanquam magna pars generis Abrahæ à pietate deſciverat, reſpicere tamen ordinem à ſe inſtitutum. *Manſuetos* ergo vocat, non ut omnibus promiſcue reddat veræ pietatis teſtimonium, ſed ut melius ad finem vocationis ſuæ attendant. ideoque ſpecies ironiæ ſubeſt quoad degeneres & ſimulatos Judæos: quia oblique mordentur, quod profeſſioni ſuæ minime reſpondeant. Siquis ſubtilius exponere malit, Segregate mihi pauculos qui ſincere & ex animo me colunt, ab iſta promiſcua multitudine quæ nomen meum ſcelerate polluit: ne poſthac fallaci externi cultus integumento ſe involvant: non repugno quin hoc Prophetæ conſilio & cauſæ quam agit, bene conveniat. Nihil tamen abſurdi erit, ſi dicamus, in Eccleſia corrupta, piis & integris, quamvis pauci reſidui eſſent, deferri tantum honoris, ut eorum reſpectu mixta ex bonis & malis turba ſanctus Dei populus vocetur. Quod poſtea ſequitur, in varios ſenſus trahunt interpretes. Quidam enim *ſuper ſacrificia* putant dici loco Præter: quaſi Deus in veris cultoribus hoc laudet, quod altius aliquid in ſuo fœdere requiri agnoſcant quam externas ceremonias, ideoque non ſubſiſtant in terrenis umbris. Putant alii directe opponi ſacrificiis ſpiritualem Dei cultum: acſi dictum eſſet, Pro ſacrificiis, vel illorum loco *fœdus meum* legitimo ritu ſanciant: quia ſincerum cordis obſequium mihi conſecrant. Atqui Propheta, meo judicio, potius verum & genuinum uſum Legalis cultus hic commendat. Magni enim intereſt, probe cognoſci quem in finem exigeret Deus ſacrificia in Lege. Propheta autem clare hic denunciat nihil eſſe momenti in ſacrificiis, niſi ut ſint quaſi ſigilla, vel ſyngraphæ, vel alia adminicula ad ſanciendum Dei fœdus. Imo alludit ad morem paſſim receptum. nam ut major eſſet fœderibus religio & fides, ſcimus interpoſitis ſacrificiis fuiſſe confirmata. Itaque Deus quo ſanctius populum ſibi obſtringeret, atque ut

ut firmum ratumque eſſet ſuum fœdus, ſacrificia inſtituit. Locus notatu dignus: ex quo apparet quinam apud Deum pro veris Eccleſiæ membris cenſeantur: nempe qui ſpiritu manſuetudinis præditi, æquitatem colunt cum fratribus, & oblatum ab ipſo fœdus adoptionis ſincero fidei obſequio confirmant. Quicunque ergo alium prætexunt Dei cultum, & à pura cæleſtis doctrinæ ſanctione deflectunt, ut millies plenis buccis ſe Dei eſſe Eccleſiam jactent, eos Spiritus ſanctus ab Eccleſia Dei exterminat: quia non alio ſpectent ſacrificia & omnes ceremoniæ, quam ut in nobis obſignetur pura Dei veritas. Unde ſequitur ritus omnes qui non pendent ex Dei verbo, adulterinos eſſe, & cultum omnem qui illuc non refertur, nihil aliud eſſe quam pietatis corruptelam.

6. Et annunciabunt cæli juſtitiam ejus, quia Deus judex ipſe. Selah.	6 ויגידו שמים צדקו כי אלהים שופט הוא סלה:
7. Audi popule mi, & loquar tecum: tu Iſraël, & annunciabo tibi, Deus Deus tuus ſum ego.	7 שמעה עמי ואדברה ישראל ואעידה בך אלהים אלהיך אנכי:
8. Non ſuper ſacrificiis tuis arguam te, & holocauſta tua coram me ſemper.	8 לא על זבחיך אוכיחך ועולותיך לנגדי תמיד:
9. Non ſumam è domo tua vitulum, è caulis tuis hircos:	מ 9 לא אקח מביתך פר ממכלאותיך עתודים:
10. Quia meæ ſunt omnes beſtiæ ſylvæ, animalia in montibus mille.	ב 10 כי לי כל חיתו יער בהמות בהררי אלף:
11. Novi omnem volucrem montium: & beſtia agri penes me eſt.	11 ידעתי כל עוף הרים וזיז שדי עמדי:
12. Si eſuriam, non dicam tibi: quoniam meus eſt orbis & plenitudo ejus.	12 אם ארעב לא אומר לך כי לי תבל ומלואה:
13. An comedam carnem taurorum, & ſanguinem hircorum bibam?	ע 13 האוכל בשר אבירים ודם עתודים אשתה:

6. *Annunciabunt cæli.*] Quia tantum erat ſtuporis in Judæis, ut ludendo & ineptiendo ſe fingerent implere omnes juſtitiæ numeros, minatur Propheta, quamvis nunc conniveat Deus, patefacturum juſtitiam ſuam è cælo, quæ refellat & exinaniat omnia eorum commenta. Putatiſne, inquit, veſtris fallaciis placari Deum, quibus habetur ludibrio? utcunque nunc ſpargatis fumos iſtos, Deus tandem è cælo patefaciet ſuam juſtitiam, & aſſeret à pravis veſtris figmentis: teſtes erunt cæli ipſi veſtræ perfidiæ, quod contempta vera ſanctitate corruperitis ſincerum Dei cultum: quia non amplius patietur Deus ſe veſtro arbitrio transformari, acſi in rationem coram eo non veniret interior veſtra malitia, quam frivolo prætextu nunc fucatis. Videmus jam appoſite loquutum fuiſſe Prophetam pro cauſæ quam agit ratione. Nam ut fateantur homines Deum eſſe judicem, quia tamen luſus deinde ſibi fabricant, quibus tranſigant cum eo, oblique judicandi munus & poteſtatem ei abrogantes, à vanis eorum cavillis neceſſe eſt quam laturus eſt ſententiam aſſeri.

7. *Audi popule mi, & loquar.*] Poſtquam officio præconis functus eſt Propheta, & addidit etiam quæ merito percellerent hominum mentes, Deum continuo tenore loquentem inducit: atque ut iterum oſtendat cauſam maximi ponderis tractari, attentionem excitat pluribus verbis. Nam Deus populum ſuum appellans, auctoritatem verbo ſuo vendicat: deinde admonet non vulgarem ſibi ſermonem fore, ſed expoſtulandi ſibi eſſe materiam, quod à legibus pacti ſui deſciverint. Vertunt quidam, conteſtabor contra te. Sed ex communi Scripturæ uſu colligimus notari potius conteſtationem de mutuo jure, acſi Deus fœderis ſui memoriam renovaret: ac ſolenni ritu, quod ſibi ex pacto debetur, exigeret ab electo populo. Eadem ratione præfatur ſe Deum eſſe Iſraëlis, ut Judæos ad ſuum unius arbitrium ac nutum revocet. atque emphatica eſt nominis Dei repetitio: acſi diceret, Dum me alligatis veſtris figmentis, quantum diſtat hæc audacia & temeritas ab ea quæ mihi debetur reverentia? Nam quum Deus ſim, compeſcere omnem protervíam debebat majeſtas mea, ut ad vocem meam ſileret omnis caro. Inter vos autem quibus me patefeci in Deum, eo plus obſequii merebar.

8. *Non ſuper ſacrificiis.*] Hic eſt cauſæ ſtatus, Deum ſacrificia nihil morari, neque dignari ullo pretio ſi per ſe æſtimentur. non quod fruſtra ſacrificaverint Judæi, & abſque ullo fructu: quia nimis abſurdum foret, quicquam inutile fuiſſe à Deo præceptum. Sed quum Deus officia quædam ſimpliciter probet, pietatis vero exercitia, quatenus referuntur in legitimum finem: ubi ſignis nulla veritas conjuncta eſt, ea merito repudiat Deus. Atque hæc loquendi forma Prophetis trita eſt, ut diximus aliquoties, ac præſertim Pſalmo 41. Quoniam ergo ceremoniæ ſi per ſe reputentur, nullius ſunt momenti: negat Deus eas ſe flagitare acſi in illis occupari vellet ſervos ſuos, quum tantum ſint ſpiritualis cultus adjumenta. Sic Jeremiæ 7. verſ. 22. negat ſe quicquam mandaſſe de ſacrificiis. Sic Propheta Micheas dicit, Numquid abs te poſtulat Deus tuus ut *Mich. 6.*
immoles greges arietum? aut in millibus arietum *verſ. 7.*
beneplacitum ejus? quin potius ut facias judicium, diligas æquitatem, &c. Sic Oſeas, Miſericordiam *Oſea 6.*
volo, & non ſacrificium. *verſ. 6.* Denique referti ſunt Prophetæ hac doctrina: maxime apud Jeſaiam inſignes ſunt loci cap. 1. verſ. 12. & 58. verſ. 1. & 66. verſ. 3. Quanquam ſæpe Deus ubi ſacrificia ab impiis vitiata eſſe conqueritur, non modo fructu vacua eſſe pronunciat, & reſpuit, ſed addit etiam, talibus corruptelis iram ſuam provocari. Hæc autem diſtinctio tenenda eſt, ubi viget inter homines Dei inſtitutio, & ſe in ceremoniis ad fidem ſuam alendam & confirmandam exercent, in parte veræ pietatis locari, cujus ſunt adminicula. ubi autem non modo ſine fide eas hypocritæ obtrudunt, ſed neglecta cordis munditie, ad propitiandum Deum fingunt eſſe piacula: non tantum pro nihilo duci quaſi frivolas nugas, ſed graviter damnari tanquam inquinamenta quæ Dei cultum profanant. Tenemus quid ſibi Deus velit his verbis, Non arguam te ob ſacrificia: quod ſcilicet altius reſpiciat. Poſterius membrum commode ita poteſt accipi, quod holocauſta ante Dei oculos ad ſatietatem, imo faſtidium uſque verſentur, quemadmodum Jeſaiæ 1. verſ. 13. dicit nau-

ſam

ſeam ſibi provocari. Alii negationem ſubaudiunt, & contexunt cum priore membro, quod Deus rationem exigere nolit de omiſſis ſacrificiis, ſi Judæi in illis non tam ut decebat, ſeduli fuerint. Probabilis tamen eſt eorum ſententia, qui relativo interpoſito legunt, de ſacrificiis quæ coram me jugiter. acſi dictum eſſet, quamvis ex Legis præcepto aſſidue holocauſta mihi offerri conveniat, ego tamen de hoc neglectu litem vobis non movebo.

9. *Non ſumam è domo tua.*] Duas adducit rationes cur ſacrificia non curet, neque illis oblectetur. prior eſt, quod etiamſi veſcatur ſacrificiis, non tamen indigeat hominum opera, quoniam tota mundi plenitudo ſit ſub ejus manu. altera eſt, quod cibo & potu nihil opus habeat, quæ ſubſidia ſunt humanæ infirmitatis. Priore igitur loco ſuam opulentiam profert Deus in medium, ut minime opus ſit quicquam ab hominibus mutuari: atque hanc doctrinæ partem proſequitur quatuor verſibus. Deinde ſe disjungit ab hominibus, qui caducam vitam cibo & potu tolerant: quum propria vita, quæ totum mundum vivificat, abunde contentus ſit. Etſi autem nihil dicere videtur Propheta quod non palam omnibus notum ſit ac teſtatum, quia tamen ad carnalem Dei cultum natura tam ſumus proclives ut Deum æſtimemus ex noſtro ingenio: hæc admonitio valde utilis eſt, arcanamque ſapientiam continet, ubi omnia conati fuerint homines, nihil tamen poſſe Deo commodare, ſicuti Pſalmo 16. verſ. 2. vidimus, Beneficentia mea non ad te. Secundo, Deum nihil in uſum ſuum poſcere, ſed quum ſua perfectione contentus ſit, hominum utilitatem quærere in omnibus præceptis. Eodem fere tendit illud Jeſaiæ, Cælum ſedes mea, terra ſcabellum pedum *Jeſa. 66. verſ. 1.*
meorum. Quam igitur domum extruetis mihi, &c. Item, Nonne manus mea hæc omnia fecit? Quibus verbis ſe ab omni neceſſitate eximit, quia ipſe ſit æternus: mundus autem initium habuerit. Unde ſequitur, penes ipſum plenam eſſe αὐτάρκειαν, quia ut non ſuppetat aliarum rerum copia, ſibi ipſe ſufficit.

14. Sacrifica Deo laudem, & redde Excelſo vota tua. | 14 זְבַח לֵאלֹהִים תּוֹדָה וְשַׁלֵּם לְעֶלְיוֹן נְדָרֶיךָ׃

15. Invoca me in die afflictionis, eruam te & glorificabis me. | 15 וּקְרָאֵנִי בְּיוֹם צָרָה אֲחַלֶּצְךָ וּתְכַבְּדֵנִי׃

14. *Sacrifica Deo laudem.*] Hæc ſecunda pars non parum lucis addit ſuperiori doctrinæ. Nam ſi tantum ſacrificiis nihil pretii eſſe dixiſſet, dubitari poterat cur ſibi Deus offerri juſſiſſet: nunc comparatio veri cultus illam obſcuritatem tollit, quia inde colligitur non contemni à Deo ſacrificia, ſi modo legitimus uſus accedat. Principium illud naturaliter omnium cordibus infixum eſt, nec poteſt excuti, Deum eſſe colendum. Quia vero omnium ingenio nihil magis repugnat, quam pure & ſpiritualiter Deum colere, figmenta imaginari neceſſe eſt quibus umbram aliquam obtendant. Quod ſi intelligant ſe nihil proficere, manent tamen impliciti ſuis illis fallaciis: quia verentur, imo exhorrent; omnem Dei cultum abjicere. Ita donec regula probe & rite colendi Dei innotuerit, regnum ſemper obtinent ceremoniæ. Porro in vocibus *laudis* & *precationis* eſt ſynecdoche, quia partem unam duntaxat veri cultus attingit Propheta, quum jubet Deum agnoſcere auctorem bonorum omnium, & quam meretur laudem, ei tribuere, ne jure ſuo fraudetur: deinde ad ejus fidem confugere, in ejus ſinum deponere omnes curas: nec alium expetere liberatorem in precibus, ut tandem pro accepta ſalute, ei gratiæ agantur. Fides enim & abnegatio noſtri, & vitæ novitas, & tolerantia crucis, vera ſunt ſacrificia quæ ſibi placere Deus pronunciat. Sed quia ex fide naſcitur Dei invocatio, & cum patientia ſemper conjuncta eſt, & carnis mortificationem ſecum trahit, neque etiam poteſt conſtare vera gratitudo ſine integro & ſincero cordis affectu: non mirum eſt ſi ſub hac ſpecie totum genus complexus fuerit Propheta. Porro ut doceat ſpiritualem eſſe Dei cultum, laudem Dei & invocationem ceremoniis quibuslibet ac externæ pietatis profeſſioni opponit. Nec vero ordinem invertit à Dei laude incipiens. Videri quidem poſſet hæc ratio eſſe præpoſtera, quum invocatio gratiarum actionem præcedat: ſed quia hinc orandi principium ducitur, quum adſcribitur Deo juſtus ac debitus honor, atque hæc etiam fidei rudimenta ſunt, Deum quærere, tanquam unicum bonorum omnium fontem, non temere Propheta laudem in primo gradu locavit. Adde, quum ſuis beneficiis nos etiam nondum natos præveniat, antequam ad opem ejus implorandam nos urgeat ulla neceſſitas, jam ei deberi gratitudinis teſtimonium. Denique ſi ſecum ex utero afferrent homines rationem & judicium, à ſacrificio laudis eos incipere deceret. Quanquam hac in re non adeo anxie ſudandum eſt: quum ſatis Prophetæ fuerit pro vulgi captu craſſe deſcribere ſpiritualem Dei cultum ſub laude, precibus, & gratiarum actione. Quod de *votis reddendis* additur, alluſio eſt ad veterem Legis ritum, ſicuti & Pſalmo 116. verſ. 13. Quid rependam Domino ſuper omnibus quæ contulit mihi? Calicem ſalutis accipiam, & nomen Jehovæ invocabo. Poſtulat in ſumma gratitudinem à filiis Dei: quam olim ſolebant teſtari ſolennibus ſacrificiis. Sed quia locus apprime obſervatu dignus eſt, fuſius tractandum eſt hoc doctrinæ caput. Ac primo notandum eſt quod hic traditur, Deum ſpiritualiter colendum eſſe, Judæis nobiſcum fuiſſe commune ab initio. Nam dum Chriſtus probare vult non alium cultum Deo gratum *Joan. 4.*
eſſe, hac ratione nititur, Deum eſſe Spiritum. At- *verſ. 24.*
qui non cœpit demum eſſe Spiritus quum abrogavit ceremonias Legales. Sequitur itaque, eodem quo nunc modo voluiſſe coli à Patribus. Quod autem eos ceremoniis oneravit, hoc fecit pro temporis ratione, ſicuti in abrogatione nobis conſuluit. Cæterum idem cultus quoad ſubſtantiam, externa tantum ſpecie diverſus eſt, quod Deus olim ad rudis & infirmi populi captum ſe attemperans, per ceremonias & ejuſmodi rudimenta manum porrexit: nobiſcum vero qui poſt Chriſti adventum adolevimus, ſimplicius agit: in ipſo interim nulla mutatio. Nam quod blaterabant Manichæi mutatum fuiſſe Deum propter varium Eccleſiæ regimen, non minus putidum fuit cavillum, quam ſiquis mutabilem eſſe Deum garriat, quia non æquabilis eſt anni tenor, ſed ver hyemi, & rurſum veri æſtas, ſicuti æſtati autumnus per vices ſuccedit. Jam quum per ſe frigeant ac jejuni ſint omnes externi ritus, & tantum ad ædificandam fidem ſint utiles, ut pure invocetur Deus: vere denunciat Propheta fruſtra hypocritas ſatagere, qui inanes tantum pompas oſtentant. Siquis objiciat, ſacrificia perperam omitti, quorum uſus non fuit ſupervacuus ſub Lege: ſolutio in promptu eſt, quum Propheta Judæos ad metam vocat, vel ſcopum illis proponit, non tollere adjumenta, ſed vitium duntaxat corrigere, quod illis Judæi tanquam obſtaculis, à recta via abducerentur. Notandum autem quod verſu 15. primum invocatio præcipitur: deinde inſeritur promiſſio non fore irritas eorum preces qui ad Deum confugerint: tertium locum gratiarum actio occupat. Quum autem dicitur *in die afflictionis*, non ita reſtringitur hac temporis circumſtantia officium orandi,

orandi, quin quotidie & ſingulis momentis illud perſequi debeant fideles. Ergo quamvis quieti ſimus, & immunes ab omni moleſtia, proſpere fluant nobis omnia, nec ullo incommodo premamur: minime tamen à precibus ceſſandum: quia de nobis actum fore ſcimus, ſi vel momento ſubmoveat Deus ſuam gratiam. Sed quia rebus adverſis magis ſerium fidei noſtræ examen agitur, non abs re tempus anguſtiæ exprimitur: acſi diceret Propheta, Deum in omni neceſſitate quærendum eſſe, quia unicus ſit ſalutis portus. Jam quia ad Dei conſpectum fere trepidant homines, vel quod immenſa ejus gloria terrentur, vel quod propriæ indignitatis ſenſus eos dejicit, mox additur promiſſio quæ nos ad orandi fiduciam animet, atque etiam ſtimulet. Ubi autem pollicitus eſt Deus ſe votis noſtris fore propitium, viciſſim à nobis gratitudinem poſtulat. Porro ubi audimus invocationem quaſi primas tenere in Dei cultu, ſi cupimus noſtram pietatem vero experimento teſtari, hunc Deo honorem ſummo ſtudio integrum & illibatum deferre convenit. Quo fœdior ac magis deteſtabilis fuit corruptela quæ adhuc hodie graſſatur in Papatu, Angelos & homines mortuos temere Deo miſcere. Excuſant ſe quærere patronos, quorum precibus apud Deum juventur. Sed primo ſatis conſtat, quia non agnoſcitur Chriſtus mediator, in ejus locum ſubrogari qui patroni vocantur. Deinde formæ precandi palam convincunt nullum Dei & cujuslibet Sanctuli haberi diſcrimen, quoniam nullo adhibito delectu tantundem à Claudio, quantum à Deo poſtulant: & dominicam orationem ad ſtatuam Catharinæ perinde effutiunt acſi Deo ſupplicarent. Nec vero Papiſtæ ſuo judicio, mortuos invocando quicquam Dei honori derogant, quia nullum ſtatuunt ejus cultum in precibus. Sic enim balbutiunt de adoratione latriæ, ut nihil invocationi faciant reſiduum. Atqui ſi probe expendimus Prophetæ verba, colligere promptum erit collapſam eſſe totam pietatem, niſi invocetur ſolus Deus. Siquis Papiſtas roget, An licuerit ſacrificare hominibus mortuis: fortiter negabunt, & vere: atque hodie nefas eſſe concedunt, ſacrificium offerre Petro vel Paulo, quia à tam craſſo ſacrilegio abhorret communis ſenſus. Atqui Deus invocationem ſui nominis præferens omnibus ſacrificiis, annon palam demonſtrat non poſſe abſque ſummo piaculo invocari mortuos homines? Unde ſequitur, Papiſtas quamvis millies genua flectant coram Deo, præcipuum tamen gloriæ ſuæ caput ei eripere, dum vota ſua ad Sanctos convertunt. Quod autem expreſſa fit mentio afflictionis, non parum ſolatii affert infirmis ac trepidis mentibus. Nam ſimulac ſignum gratiæ ſuæ Deus ſubducit, obrepit dubitatio an curam ſuſcipere velit ſalutis noſtræ, imo diffidentia nos ſollicitat. Contra vero, Deus rebus adverſis quaſi ſtimulis nos pungit ad ſe quærendum & invocandum. Hoc quoque diligenter notandum eſt, tunc preces noſtras ad regulam probe orandi formari, ubi nos præcepto ſuo invitat Deus, & addita promiſſione ad fiduciam impetrandi animat. Quod locum hunc de votis reddendis, Papiſtæ ad quælibet vota trahunt, quibus temere & ſine delectu permittunt ſibi cum Deo ludere, nimis pueriliter ineptiunt. Certum eſt, ut nuper diximus, de ſolenni gratiarum actione agi: ipſi autem votis ſuis cum Deo paciſcuntur ad ſe redimendos. Deinde in votis nuncupandis adeo non curant quid Deo probetur, ut vovere non dubitent quæ palam repugnent ejus verbo.

16. Impio autem dixit Deus, Quid tibi ad enarrandum ſtatuta mea, ut ſumas fœdus meum ſuper labiis tuis?

17. Et tu odiſti correctionem, & projeciſti verba mea poſt te.

18. Si videas furem, curres cum eo, & cum adulteris portio tua.

19. Os tuum emittis ad malum, & lingua tua nectit dolum.

20. Sedebis contra fratrem tuum, loqueris contra filios matris tuæ, ſtatues probrum.

16 ולרשע אמר אלהים מה לך לספר חקי ותשא בריתי עלי פיך׃

17 ואתה שנאת מוסר ותשלך דברי אחריך׃

18 אם ראית גנב ותרץ עמו ועם מנאפים חלקך׃

19 פיך שלחת ברעה ולשונך תצמיד מרמה׃

20 תשב באחיך תדבר בבן אמך תתן דפי׃

16. *Impio autem.*] Nunc apertius invehitur in fucatos Dei cultores, quorum tota religio erat ceremonias objicere Deo, acſi fumum oculis ejus aſpergerent: ut ſcimus mundum libenter ſub falſis umbris deliteſcere. Hic ergo pronunciat Deus, nihil apud ſe proficere qui impuro cordi & ſceleratæ vitæ ceremonias obtendunt. Hæc ſententia, quæ recipi debuerat communi omnium conſenſu, ægerrime & valde iniquis auribus apud Judæos accepta fuit. Uno quidem verbo fatentur omnes, pollui Dei cultum niſi ſincere & ex animo colatur: profanis etiam poëtis extorta fuit hæc confeſſio: & ſcimus ſceleſtos à ſacrificiis & templorum ingreſſu fuiſſe prohibitos. Interim quod omnium cordibus inſculptum erat, ſuffocat hypocriſis, adeoque penitus obliterat, ut audeant impuriſſimi quique ſe ingerere in conſpectum Dei, quaſi frivolis nugis eum ſibi devinctum tenerent. Itaque non ſine ſumma neceſſitate toties doctrinam hanc inculcant Prophetæ: quo magis laborant impii in ſimulanda pietate, eo gravius ſibi accerſere judicium talibus fallaciis. Imo utcunque clamet Spiritus Dei, ſacrilegum eſſe nominis Dei abuſum, ſine vera fide & pœnitentia, externam pietatis f[illegible]ciem oſtendere: Papiſtis diabolicus hic error excuſ[illegible] non poteſt, ſufficere finalem intentionem (ut loquuntur) ut evanidæ nugæ Deo placeant. Fatentur quidem non mereri de condigno niſi qui ſunt in ſtatu gratiæ: ſed hæc perſuaſio apud eos obtinet, valere ad præparationem nuda pietatis exercitia, quamvis abſit cordis integritas. Ita ſi monachus ab impuro lecto ſurgens, os ſuum pollutum & fœtidum obtrudat Deo, & Pſalmos ſine ullo cordis affectu cantillet: ſiquis vel ſcortator, vel perjurus, vel rapinis deditus, Miſſis, votivis peregrinationibus, & ſimilibus nugis ſcelera ſua redimat: nolunt irritum eſſe laborem. Ex adverſo autem reclamat Deus, non modo operam perdere qui externa pietatis ſigna à fide & ſincero cordis affectu disjungunt, ſed ſacrilegii reos eſſe, quia nomine ſuo perperam abutuntur. Atque hoc loco tritam objectionem diluit Propheta & refutat, Quid? an non aliquo ſaltem loco admittet Deus quæ in ejus honorem fiunt ſacrificia? Oſtendit enim merito hoc illis in crimen imputari: quia Deo mentiuntur, quantum in ſe eſt, ſacrumque ejus nomen indigne profanant. Improbam enim eorum audaciam coarguit his verbis, *Quid tibi ut ſtatuta mea enarres?* hoc eſt, ſimules te unum eſſe ex ſancto populo, quaſi ad te pertineat fœdus meum? Cæterum, quum totam pietatis profeſſionem hic repudiet Deus, quæ non prodit ex puro corde, quid

de

de ceremoniis fiet, quæ infra verbi Dei prædicationem ſubſidunt?

17. *Et tu odiſti correctionem.*] Convincit hypocritas ſuæ perfidiæ, quod pietatem quam ore jactant, vita & operibus abnegent. Contemptum vero Dei hinc probat, quod nullam ejus verbo reverentiam deferant: hæc enim vera eſt timoris probatio, ubi nos verbo Dei ſubjicimus, & libenter amplectimur quicquid illic præcipit ac docet. Atqui huc ſemper tendit hominum hypocriſis ut longis & tortuoſis ambagibus hanc obedientiam effugiant. Ideo fontem impietatis Propheta deſignat, ubi verbum Dei poſt tergum projici conqueritur, & principium veri cultus ſtatuit in fidei obedientia. Simul etiam hujus pervicaciæ cauſam notat: quod ſcilicet impuri homines non ſuſtineant ferre Dei jugum. Libenter enim hanc gloriam concederent, quicquid ex ore ejus prodit, verum eſſe & rectum. ſed quia Deus loquendo in ordinem nos cogit, frenumque injicit ad cohibendos omnes carnis noſtræ affectus, moleſtus eſt ac odioſus nobis ejus ſermo. Itaque ferocia noſtra nos exaſperat contra Dei verbum, quia correctionem non libenter ſuſcipimus. nec fieri poteſt ut quis manſueto & docili animo Deum loquentem audiat, ejuſque verbo obtemperet, donec ſe regendum & corrigendum ei tradat. Poſtea fructus impietatis recenſet Propheta, quod hypocritæ furtis & adulteriis addicti, ſacrum Dei nomen talibus flagitiis involvunt ac permiſcent. Porro ſpecies tantum quaſdam attingens, ſignificat, præfractos omnes & immorigeros qui correctionem reſpuunt, quocunque tulerit libido, vel provocaverint mala exempla, cupide & effreni licentia ruere. Ponit furta, deinde adulteria, tertio calumnias & falſa probra. Verbum רוץ major pars interpretum pro currere accipit. quanquam alii deducunt à רצה ut ſit conſentire. Quantum ad Prophetæ mentem, quia parum intereſt utrumvis legamus, & utrumque eſt probabile, judicium lectoribus in medio relinquo. Quum dicit hypocritas *os ſuum mittere ad malum*, forte non modo obtrectandi morbum perſtringit, ſed alios omnes noxios ſermones: quia ſtatim ſequitur, *lingua tua concinnat dolos*. Scimus autem quam variis nocendi lædendique artibus inſtructæ ſint mendaces & doloſæ linguæ. *Sedendi* verbo alludere videtur ad judicia. ac ſi diceret, ſub legitimæ cenſuræ prætextu fratres injuſte proſcindere. quanquam poteſt de vulgari petulantia exponi, quia garruli homines ſedendo ſuum otium in maledicentia conſumunt. Sed mihi magis probatur atrocius illud crimen damnari, ubi ſcilicet in foro ipſo, bonos & ſimplices calumniantur improbi, & falſa invidia gravant. *Fratres & filios matrum* nominans, magis emphatice exprimit quam crudelis ſit eorum maledicentia: quia communis naturæ obliti, ne uterinis quidem fratribus parcunt.

21. Hæc feciſti & tacui: exiſtimaſti quod eſſem futurus tui ſimilis: coarguam te, & ordinabo coram oculis tuis.	21 אלה עשית והחרשתי דמית היות אהיה כמוך אוכיחך ואערכה לעיניך׃
22. Hoc nunc intelligite qui obliviſcimini Deum: ne rapiam, & non ſit qui eripiat.	22 בינו נא זאת שכחי אלוה פן אטרף ואין מציל׃
23. Sacrificans laudem glorificabit me: & qui viam diſponit, ei oſtendam ſalutem Dei.	23 זבח תודה יכבדנני ושם דרך אראנו בישע אלהים׃

21. *Hæc feciſti.*] Quia hypocritæ, donec infeſtam ſentiant Dei manum, in ſocordia ſe obdurant, nec ullis quamlibet ſeveris reprehenſionibus facile moventur: ideo vehementius inſiſtit Propheta, & denunciat, quamvis ad tempus conniveat Deus, eos male & in ſuum exitium vanis adulationibus ſe mulcere: imo hoc ludibrium Dei graviſſime exagitat, quod eum ſceleribus favere exiſtiment. Neque enim atrociore contumelia poteſt affici, quam dum juſtitia ſua ſpoliatur. Non quod palam ſic loquantur hypocritæ, ſed quia prava imaginatione Deum transformant, ut ſibi delicias faciant ex ejus tolerantia. nam ſi ſerio perſuaſi eſſent, Deum abominari ſcelera, neceſſe eſſet continua inquietudine ipſos torqueri. Ergo tam ſupina indulgentia oſtendit ipſos Deo imponere falſas perſonas, nec modo detrahere judicis munus, ſed etiam fingere ſcelerum patronum & approbatorem. Simul etiam hypocritas objurgat, quod Dei lenitate & patientia tam perperam abutantur, ut ſpem impunitatis inde ſibi faciant. Itaque denunciat brevi in apertam lucem trahendos eſſe, ut cernere oculis ſuis cogantur quæ à Dei oculis abſcondere conati ſunt flagitia. Sic enim interpretor verbum *ordinare*, quod Deus diſtincto ordine catalogum omnium ſcelerum proponet, quem (velint nolint) legere & agnoſcere cogantur.

22. *Hoc nunc intelligite.*] Hæc objurgatio rurſus demonſtrat, ubi cum ſecuris hypocritis negotium eſt, niſi acerrimis aculeis pungantur, doctrinam omnem contemptim eludere. ſic tamen minatur Propheta & terret ut ſpem veniæ reſiduam faciat, modo feſtinent. Sed ne tarditati indulgeant, tam ſeveritatem judicii Dei, quam celeritatem proponit: ac ſimul probroſe ingratitudinem objicit, quod Deum obliti ſint. Hoc porro in primis notabile eſt gratiæ Dei ſpecimen, quod ſceleratis pietatis corruptoribus manum porrigit, quamvis ejus cultum improbe violaſſent, quamvis ſacrilega audacia riſiſſent ejus patientiam, & in craſſa flagitia projecti forent: etſi, modo ad ſanam mentem redeant, oſtendit ſe illis fore propitium. Neque enim ad pœnitentiam homines invitat, niſi ſpe reconciliationis propoſita, ut alacriter ante ejus conſpectum prodire audeant. Hæc certe inæſtimabilis eſt clementia: perfidos apoſtatas & fœdifragos qui deſciverant à doctrina pietatis in qua fuerant educati, rurſus ad ſe invitat, ut locum obtineant in Eccleſia. Et certe nihil hic dicitur quod nos magna ex parte non ſimus experti, quos Deus incredibili miſericordia rurſus in ovile ſuum collegit, quum perfida defectio nos ab eo alienaſſet. Notandum ſimul, quod admonet Propheta, niſi maturent ad Deum redire, qui ab eo deſciverunt, non ſemper apertam fore januam. Et ſane cavendum ſemper eſt ne per ignaviam nobis effluat tempus beneplaciti, ut fruſtra deinde, exemplo Eſau, ululemus. Huc enim pertinet comminatio, ubi rapuerit Deus, nullum fore liberatorem. *Gen. 27. verſ. 34.*

23. *Sacrificans laudem.*] Jam tertio inculcat Propheta, Deo nihil eſſe acceptius ſacrificio laudis, quo noſtram erga eum gratitudinem teſtamur. Nec ſupervacua eſt repetitio, ob duas cauſas. nam & beneficiorum Dei facile nobis obrepit oblivio, imo etiam ex mille vix unum leviter & defunctorie guſtamus. Deinde laudem Dei minime quo decebat pretio æſtimamus. Nam quum præcipuum ſit pietatis officium, in quo nos tota vita exerceri vult Deus, quaſi vulgare aliquid ac frivolum negligitur. Itaque pronunciat, legitimum Dei cultum, laudis ſacrificio contineri. *Glorificandi* enim verbo ſignificat Deus, rite demum ac vere hoc ſe modo coli, & tribui

bui quam poſtulat gloriam, ubi ſua beneficia ſincero gratoque animo celebrantur inter homines: alia vero ſacrificia, quibus ſedulo incumbunt hypocritæ, nihil ſe morari, nec in cultu reputare. Interea tenendum quoque eſt quod ſupra attigi, ſub Laude comprehendi tam fidem quam invocationem: ſola enim experientia nobis os aperit ad Deum laudandum. Atqui Dei bonitatem non ſentimus niſi fide. Unde ſequitur, à poſteriori, vel ab effectu, totum ſpiritualem cultum hic notari: ideo paulo poſt generaliter requirit Propheta ut viam recte inſtituant qui cupiunt ſua obſequia probare Deo. Nam quod *viam ponere*, quidam nihil aliud eſſe putant quam peccata confiteri alii autem interpretantur, tollere offendicula è medio, & viam ſternere quam omnes ſequantur, utrumque videtur eſſe coactum. Ego autem non dubito quin rectam viam Propheta flexuoſis eorum erroribus opponat, qui Deum ſe quærere ſimulant: atque ita ſignificet, non niſi ſincero corde & ſimplici rectitudine ad Deum accedi. *Salutem Dei* non accipio pro inſigni & memorabili: (ut nonnulli volunt) ſed Deum in tertia perſona de ſe loquutum arbitror, ut clarius exprimeret, ſe patefacturum veris ſuis cultoribus, quam non fruſtra cenſeri velit eorum ſervator.

ARGUMENTUM PSALMI LI.

Inſcriptio quam mox videbimus, oſtendit qua de cauſa compoſitus fuerit hic Pſalmus. nam quum poſt admiſſum graviſſimum ſcelus, diu in letbifero torpore jacuiſſet David, poſtquam eum ſua objurgatione expergefecit Nathan, non modo ſibi ſerio diſplicuit, & humiliatus eſt coram Deo, ſed palam apud omnes teſtari voluit ſuam pœnitentiam, ejuſque monumentum ad poſteros relinquere. Ac initio quidem, ſceleris ſui atrocitatem ſibi proponens, ut ſe ad ſpem veniæ erigat, immenſam Dei miſericordiam variis elogiis magnifice extollit: & ſuppliciter fatetur non uno modo ſe reum eſſe, ſed dignum multis mortibus: quo melius Dei miſericordiam provocet. Deinde quia æternam abdicationem meritus erat, ut merito ſpoliandus eſſet omnibus Spiritus ſancti donis, ſollicite precatur in integrum reſtitui. Tandem ſi veniam impetraverit, ſe gratum & memorem fore affirmat. Ad hæc oſtendit totius Eccleſiæ referre ut à Deo exaudiatur. Et certe quia Deus apud ipſum gratiæ ſuæ fœdus depoſuerat, videri potuit in unius hominis perſona, collapſa eſſe omnium ſalus.

PSALM. LI.

PRæfecto canticum Davidis,
2. Quum venit ad eum Nathan Propheta poſtquam ingreſſus fuerat ad Bathſeba.

1 למנצח מזמור לדוד:
2 בבוא אליו נתן הנביא כאשר בא אל בת שבע:

QUum venit ad eum Nathan.*] Conſulto hic memoratur Prophetæ adventus, ad ſtuporem Davidis coarguendum: fuit enim hoc prodigio ſimile, quod potuit tantus vir, tantaque Spiritus excellentia præditus, ultra annum torpere in ſuo vitio, acſi mente alienatus eſſet. Quis enim non diceret fuiſſe à Satana faſcinatum, quod ſopita conſcientia, Dei judicium contempſerit, vel ſaltem neglexerit? hæc ergo vecordiæ nota crimen amplificat, quod nulla punctione ſponte tactus eſt, donec ad eum miſſus eſſet Propheta. Sed eadem ratio ad illuſtrandam Dei gratiam non parum valet, quod vagum & errantem, per manum ſui Prophetæ ad ſe reducere conatur: quo pertinet repetitio ejuſdem verbi Venire, in quo ſubeſt antitheſis. Poſtquam veniſſet David ad Bathſeba, dicitur ad eum veniſſe Propheta Nathan. Atqui impuro illo acceſſu, longe à Deo receſſerat: clarius ergo in eo enituit Dei bonitas, dum ad fugitivum retrahendum, manum ſuam procul extendit. Neque tamen putandum eſt, ſic caruiſſe omni ſenſu, quin Deum in genere agnoſceret mundi judicem: quotidie precaretur: nec modo ſe exerceret in ejus cultu, ſed vitam quoque & officia ſua ad Legis normam exigere ſtuderet. Sciamus ergo, non omni Dei timore fuiſſe penitus vacuum, ſed excæcatum in una ſpecie, ut ſenſum iræ Dei perverſis blanditiis ſopiret. Ita pietas ejus quæ alioqui multas ſcintillas emittebat, hac in parte ſuffocata fuit. Porro quum ſancto Prophetæ & præſtantiſſimo Regi obrepſerit tam bruta ſocordia, nemo eſt qui non ad ejus exemplum expaveſcere debeat. Quod autem ad Prophetæ vocem ſtatim perculſus eſt, ac depoſita omni contumacia docilem ſe ac morigerum præbuit, hinc colligimus non fuiſſe extinctum in ejus animo pietatis ſenſum: quia non tam facile nec ſubito erumperet in illam vocem Peccavi Domino, quid faciam? niſi *2 Sam. 12. verſ. 13.* retinuiſſet aliquod pietatis ſemen, licet abſconditum. Docemur autem hoc exemplo, non eſſe expectandum, ubi peccavimus, dum è cælo tonet Deus, ſed placide & libenter obtemperandum eſſe ejus Prophetis, quorum ore ad pœnitentiam nos invitat.

3. Miſerere mei Deus ſecundum clementiam tuam: ſecundum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitates meas.
4. Multiplica ad me lavandum à peccato meo, & à ſcelere meo munda me.

3 חנני אלהים כחסדך כרוב רחמיך מחה פשעי:
4 הרבה כבסני מעוני ומחטאתי טהרני:

3. *Miſerere mei.*] Jam præfatus ſum Davidem à precatione veniæ incipere: deinde non ſimpliciter & uno verbo petere ut Deus ignoſcat, ſed pro atrocitate criminis anxie ſupplicare ut ſe Deus exorabilem præſtet. Itaque poſtquam clementiæ meminit, addit *multitudinem miſerationum*: eo quod non vulgari miſericordia indigeat, tanto reatu implicitus. Si tantum optaſſet Deum ſibi eſſe propitium, ſecundum clementiam vel bonitatem ſuam, hoc modo fuiſſet confeſſus ſe hominem eſſe perditum: ſed dum ſcelera in medium proponens, diſerte exprimit non poſſe aliter deleri quam ſi Deus cum immenſa miſerationum copia ſuccurrat, non parum exaggerat culpæ ſuæ gravitatem. Subeſt enim tacita antitheſis multitudinis ſcelerum. Sed magis emphaticum eſt quod continuo poſt ſequitur, ut Deus *multiplicet lavare*: nam quod הרבה quidam nomen eſſe putant, ab uſu loquendi paulo remotius eſt: quanquam eodem etiam rediret ſenſus, ut Deus abunde & cum multiplicatione lavet. Phraſin tamen illam quæ proprietati linguæ melius convenit libentius amplector. Interea minime ambiguum eſt quin clare aſſerat non leves eſſe ſuas ſordes, ut modica lotione elui queant, ſed tenaciter hærere, imo eſſe profundas, ut iteratis lotionibus ad eas purgandas opus ſit: non quod Deus ipſe aliqua difficultate laboret in hominum purgatione, ſed quia peccator, quo ſe magis inquinatum ſentit, magis ſeipſum incitare debet ad anxios & con-

Digitized by Google

continuos gemitus, quo tandem è terroribus conſcientiæ emergat. Quod ad metaphoram pertinet, ſcimus frequenter in Scripturis occurrere. Quia enim peccata, quaſi ſordes & immunditiæ, nos in Dei conſpectu fœdant ac polluunt fœtidoſque reddunt, eorum remiſſio apte ablutio vocatur. Atque hæc doctrina tam ad commendationem gratiæ Dei, quam ad peccati odium & deteſtationem valere debet. Nimis enim ſtupidi ſunt quos horrore non percellit hæc loquutio.

5. Quia peccata mea ego cognoſco, & ſcelus meum coram me eſt ſemper.

5 כִּי פְשָׁעַי אֲנִי אֵדָע וְחַטָּאתִי נֶגְדִּי תָמִיד׃

6. Tibi, tibi ſoli peccavi, & malum coram oculis tuis patravi, ut juſtificeris in ſermonibus tuis, mundus ſis judicando.

6 לְךָ לְבַדְּךָ חָטָאתִי וְהָרַע בְּעֵינֶיךָ עָשִׂיתִי לְמַעַן תִּצְדַּק בְּדָבְרֶךָ תִּזְכֶּה בְשָׁפְטֶךָ׃

7. Ecce in iniquitate genitus ſum, & in peccato concepit me mater mea.

7 הֵן בְּעָווֹן חוֹלָלְתִּי וּבְחֵטְא יֶחֱמַתְנִי אִמִּי׃

8. Ecce veritatem dilexiſti in intimis, & in occulto ſapientiam mihi patefeciſti.

8 הֵן אֱמֶת חָפַצְתָּ בַטֻּחוֹת וּבְסָתֻם חָכְמָה תוֹדִיעֵנִי׃

5. *Quia peccata.*] Oſtendit cur tam anxie & ardenter in flagitanda venia inſiſtat: quia ſcilicet non poſſit quietus manere donec reconciliatus ſit Deo. Atque hoc modo teſtatur ſe nihil afferre ſimulationis: qualiter interdum magno verborum ſplendore, gratiam Dei in remittendis peccatis ornant, qui tamen eam frigide curant, quia non admodum ejus judicio tanguntur. David ergo ut veniam impetret, non abs re dicit continuis ſe tormentis vexari, & inquietudine quam patitur, cogi ad hanc precandi vehementiam. Unde colligimus, non alium reconciliationis modum eſſe, niſi dum nos propria conſcientia vulnerat & affligit, & aſſidua inquietudine ſollicitat, donec propitiatus ſit Deus, ut nos miſericordia ſua tranquillet. Tunc ergo ſerio à Deo petimus ut nobis ignoſcat, dum ſcelerum atrocitas oculis noſtris ſe ingerens, horrorem ſimul incutit. Unde ſequitur, quamdiu ſibi indulgent homines, magis in ſe accendere Dei vindictam, ut ſeverius ipſos puniat. Ideo diſcamus, non modo ore nos damnare, ſed rigidum & formidabile examen habere de peccatis noſtris, ſi cupimus à Deo abſolvi. Neque enim David ſe apud homines fateri peccata dicit, ſed intus ſentire, & quidem non ſine diro cruciatu: quum hypocritæ à tergo ſecure projiciant, vel prava oblivione ſepeliant quicquid vitiorum eos pungit. Ac iterum notandus eſt in Peccatis pluralis numerus. Quanquam enim ex uno fonte omnia manabant, multiplex tamen ejus culpa erat, quod adulterio adjunxerat perfidiam & crudelitatem: nec unum hominem modo prodiderat vel paucos, ſed totum exercitum, pro ſalute Eccleſiæ Dei pugnantem. Itaque non abs re in uno ſcelere multas ſpecies agnoſcit.

6. *Tibi, tibi ſoli.*] Sic quidam exponunt hæc verba, quod David, tametſi in homines deliquerat, non niſi Deum habuerit ſceleris ſui teſtem. Duplex enim injuria quam Uriæ intulerat, hominibus erat incognita: quod exercitum ſibi militantem ad cædem & carnificinam non minus perfide quam crudeliter objecerat, id quoque erat occultum. Scelera ergo in ſolum Deum admiſſa intelligunt, quorum nullus mortalium erat conſcius. Alii ſecus interpretantur, quamvis offenderit David homines, hoc tamen uno maxime cruciari, quod violaverit Dei Legem. Sed ego tantundem valere arbitror hæc verba, acſi dixiſſet, Domine etiamſi me totus mundus abſolvat, mihi tamen pluſquam ſatis eſt, quod te ſentio judicem meum, quod me conſcientia ad tribunal tuum citat & trahit: ut nihil proficiant hominum levationes, ſi vel mihi parcant, vel adulandi cauſa extenuent ſcelus meum, vel blanditiis dolorem meum leniant. Significat ergo ſe oculos & ſenſus omnes habere defixos in Deum, ideoque non reſpicere quid ſentiant vel loquantur homines. Quiſquis autem ſic premitur judicii Dei gravitate, vel etiam obruitur, non opus habet alio accuſatore, quia Deus unus pro mille ſufficit. Nec dubito quin David, ut aulicas omnes delicias excluderet, ne ſe illis mulcendum præberet, totum ſe ad Dei judicium revocaverit: ac ſtatuerit, quamvis nullus mortalium eſſet moleſtus, ſibi plus ſatis fore cum Deo negotii. Atque hæc regula nobis tenenda eſt, ſi cupimus vero pœnitentiæ affectu imbui. Et ſane quid nobis prodeſt hominum ſuffragiis abſolvi, vel conniventia effugere reatum, ſi conſcientia nos coram Deo accuſat? vel ſaltem Deus ipſe nobis infeſtus eſt? Hæc autem una eſt ratio, ne vanis imaginationibus ludamur, atque aptiſſimum remedium, ingredi in noſipſos, & ſenſus omnes ad Deum colligere, ut coram ipſo expaveſcamus, ac metus iræ ejus, delicias omnes nobis excutiat. Secundam partem verſus, *ut juſtificeris in ſermonibus tuis*, quidam interpretes violenter torquent, dum contexunt cum primo verſu, acſi ad proximam ſententiam referri non debeat. Atqui præterquam quod abrumpunt verborum tenorem, non video quem tandem ſenſum poſſint elicere ex hac precandi forma, Miſerere mei, ut purus ſis in tuo judicio. Paulus vero ad Romanos cap. 3. verſ. 3. dubitationem omnem tollit, hominum iniquitatem, Dei judicio opponens. Quid ergo, inquit: an ſi quidam ex Judæis fuerunt increduli, injuſtus erit Deus? abſit: imo ſit Deus verax, omnis autem homo mendax, ſicut ſcriptum eſt, Ut juſtificeris in ſermonibus tuis, &c. Videmus enim huc aptari teſtimonium, quod in hominum ſceleribus ſemper reluceat Dei juſtitia, & in mendaciis veritas. Porro, ut ſciamus quid ſibi velit David, & quorſum tendat, operæpretium eſt in memoriam revocare fœdus quod pepigerat Deus cum ipſo. Nam quum apud eum depoſita eſſet ſalus mundi, promptum impiis erat calumniam hanc evomere, Si hic fuit Eccleſiæ columna, quid nunc miſeris hominibus fiet, qui ejus ſanctitati innixi ſunt? ſi hic erat inſtar Solis vel Luciferi, quomodo ſe ad inferos projecit? poſt tam turpem ejus lapſum, quomodo ab ejus ſemine petenda eſſet ſpes ſalutis? Ergo quum videret pravis hominum judiciis materiam captari oppugnandæ Dei juſtitiæ, mature occurrit, ac pronunciat indigne transſcribi ullam culpæ partem in Deum: ſe enim ita obnoxium teneri, ut Deus maneat integer, ſtet illæſa ejus juſtitia & veritas. Quanquam per ſermones non intelligo promiſſiones, ſicuti quibuſdam placet, ſed potius judicium quod de ipſo Davide laturus erat Deus: niſi gratuita remiſſione deletus fuiſſet ejus reatus cum culpa. Neque enim dubito quin ſuo more, idem bis repetat. Itaque Deum *juſtificari in ſuis ſermonibus*, & *judicando purum eſſe*, unum & idem ſignificant. Sed quia videtur Paulus tam vocem Rom. 3:4.
hanc, quam ſententiam totius verſus alio inflectere, breviter oſtendam quomodo proprie ejus inſtituto conveniat quod dicit David. Hæc quidem verba citat, ut probet quamvis fœdifragi ſint Judæi, & à gratia ſibi promiſſa exciderint, Deum tamen non eſſe men-

mendacem: quod primo intuitu non videtur hinc poſſe colligi. Verum ſi illa cujus memini, circumſtantia nobis in mentem veniat, facile videbimus apposite adduci teſtimonium. Nam quum Rex & Propheta eſſet in Eccleſia conſpicuus, adeoque ut præcipua columna, non dubium eſt quin multorum animos concuſſerit ejus ruina, imo fidem promiſſionum Dei labefactarit. Certe putaſſent multi, quia Deus hominem illum ſibi tanta neceſſitudine conjunxerat, partem aliquam culpæ ſuſtinere. Huic calumniæ occurrit dicens, Domine quamvis me è cœlo detractum ad inferos præcipites, jacebo & ſuccumbam: tu interea tribunal tuum tenebis ut dignus es, nec ſi tibi obtrectent homines, quicquam decedet tuæ juſtitiæ. In hac tantum parte à Prophetæ verbis diſcedit Paulus, quod Græcum interpretem ſequutus, Judicandi verbum paſſive accipit: & pro Mundum eſſe, ponit vincere. Cæterum non adeo in recitandis verbis curioſos fuiſſe Apoſtolos quoties ex Lege & Prophetis teſtimonia adducunt, ſatis notum eſt. Ideo ſufficere nobis debet, quod recte hunc locum Paulus propoſito ſuo accommodet. Atque hinc colligenda eſt generalis doctrina, Quicquid reperietur culpæ in hominibus, reſidere in ipſis, ut Dei juſtitia ſemper integram laudem retineat. Videmus enim quam ſacrilega ſit mundi audacia ad obſtrependum Deo, quoties pro carnis ſenſu & arbitrio non judicat. Ergo utcunque interdum, ubi de nihilo extollit Deus contemptiſſimos quoſque: vel quos in ſublime extulerat, ſinit ruere: in his judiciis ſpecies aliqua repugnantiæ vel abſurditatis nos conturbet: tamen hæc admonitio in ſobria modeſtaque reverentiá nos contineat, quicquid ſtatuat juſtum eſſe. Ideoque tam in operibus quam in dictis ejus ſemper fulgere ſummam rectitudinem. Porro adverbium *ut*, vel Hebraicum למען, non tam eſt cauſale hoc loco quam conſequentiam notat. neque enim proprie Davidis lapſu factum eſt ut Dei gloria in judiciis emineret: ſed quum peccando Dei juſtitiam obſcurent homines, dicit tandem ipſam ſua virtute emergere, ut appareat illuſtrior: quia proprium Dei munus eſt, lucem educere ex tenebris.

7. *Ecce in iniquitate.*] Jam non modo peccati unius vel plurium etiam, ſicut hactenus, ſe reum fatetur, ſed altius conſcendit, ſe ab utero matris nihil aliud attuliſſe quam peccatum, & naturaliter ſe totum corruptum eſſe, & quaſi vitiis delibutum. Ita ſceleris unius atrocitatem reputans, in hanc uſque cogitationem tractus eſt, quod natus peccato, nihil in ſe haberet ſincerum vel integrum. Et certe non aliter peccata noſtra in ſolidum agnoſcimus, niſi totum ingenium noſtrum damnemus corruptionis. Imo unumquodque particulare delictum ad hanc generalem notitiam adducere nos debet, Meram pravitatem in omnibus animæ noſtræ partibus regnare. Priuſquam tamen ultra progrediar, de verbo יחמתני aliquid dicam. Hebræis ad verbum eſt, calefecit ſe de me, à verbo יחם, vel חמם, quod ſignificat calefacere. quia tamen loquutio illa durior eſt, ſcite mitigant interpretes metaphoram quum reddunt Concepit me. Mihi videtur Propheta ſignificare velle, foveri nos & calefieri in peccato quamdiu in viſceribus matrum latemus. Redeo nunc ad rem ipſam, Davidem unius peccati agnitio ad longum totius vitæ examen trahit, donec in ſe nihil reperiat præter peccatum. neque tamen de naturæ ſuæ corruptione loquitur, ſicut hypocritæ hoc velum obtendere ſolent ad tegendam ſuam culpam, Peccavi fateor, ſed quid facerem? caro ſum, nos ad vitia naturaliter propenſi ſumus. imo pravæ cupiditates nos ſibi devinctos & addictos tenent, ut prorſus humanum ſit peccare. tales latebras minime captavit David, quibus ſe à Dei judicio ſubduceret: quin potius ad amplificandam malorum ſuorum gravitatem, à peccato originali ducit exordium, acſi diceret non ſe hoc vel illo genere criminis nuper reatum contraxiſſe, ſed iniquitate fuiſſe refertum ab ipſo utero. Cæterum hoc eſt illuſtre teſtimonium de peccato originali, quo Adam totum humanum genus implicuit. Et hinc etiam colligi poteſt recta ejus definitio. Olim Pelagiani, quia abſurdum ducebant nos omnes unius hominis culpa eſſe perditos, nugati ſunt peccatum ſola imitatione ex Adam profectum eſſe. Atqui Scriptura tam hoc loco quam pluribus aliis, palam aſſerit ingenitum nobis eſſe peccatum, ut intus reſideat & infixa ſit corruptela. neque enim parentes ſuos accuſat David, vel crimen in eos derivat, ſed ſe ad tribunal Dei ſiſtens, vitioſum figmentum eſſe aſſerit, ut jam prius eſſet peccator quam emergeret in lucem. Itaque nimis improbe Pelagius peccatum negavit, contagione manare in poſteros, ut ſit hæreditarium. Hodie Papiſtæ, tametſi non negant vitiatam eſſe hominum naturam, ſic tamen extenuant ut peccatum originale nihil fere aliud ſit, quam prava ad peccandum inclinatio. Reſtringunt deinde ad inferiorem animæ partem & craſſos appetitus. & quamvis experientia clare oſtendat corruptelam hanc in hominibus uſque ad vitæ finem graſſari, negant tamen ex quo baptizati ſumus peccatum eſſe. Atqui niſi conſtet peccato occupari omnes animæ partes, vim ejus minime tenemus. Proinde quiſquis non fatetur mentem hominis penitus eſſe corruptam, & cor perverſum: non niſi particulam originalis peccati agnoſcit. Et certe longe aliud ſonant verba Davidis, quam balbutiant Papiſtæ, *fictum* ſcilicet *fuiſſe in peccato, & calefactum in malitia.* Neque enim de craſſis libidinibus agitur, ſed nullam ſui partem eximens, peccatum naturaliter in ſe hærere dicit. Hic jam movetur quæſtio, quomodo à parentibus peccatum transferatur in filios: quæ deinde aliam parit de traduce animæ, quia multi labem parentis ad filium pervenire negant, niſi anima gignatur ex ſubſtantia animæ. Sed ne iſtos labyrinthos ingredi neceſſe ſit, ſufficiat tenere, Adam poſt ſuam defectionem ſpoliatum fuiſſe donis omnibus, quibus ornatus fuerat: ita quum extincta eſſet quæ prius in eo fulgebat ratio: & voluntas quæ prius in Dei obſequium formata erat, contumax facta eſſet: tam mente quam corde fuiſſe corruptum, & deinde genuiſſe filios ſui ſimiles. Siquis excipiat, corpora tantum ex corporibus creari, ideoque nihil animæ commune eſſe cum anima: ſolutio eſt, Quia Deus Adam non ornaverat Spiritus ſui donis tanquam privatum quemlibet hominem, ſed in ejus perſonam contulerat quod volebat commune eſſe toti humano generi, nos omnes in ipſo à prima integritate excidiſſe.

8. *Ecce veritatem.*] Confirmat hic verſus quod nuper dixi, non captandi prætextus cauſa Davidem ad tempus uſque conceptionis reatum ſuum traxiſſe, ſed potius ut teſtatum faceret, jam ab infantia ſe fuiſſe æternæ morti obnoxium. Unde ſequitur, totam ejus vitam fuiſſe damnabilem. Adeo enim culpam in Deum non transſcribit (ſicut impuri quidam canes cum eo expoſtulant, quod non aliam indiderit naturam hominibus) ut potius ejus judicium, corruptelæ noſtræ opponat: acſi diceret, Quoties prodimus in conſpectum Dei, certam nobis damnationem inſtare: quia quum ad peccatum nati ſimus, Deo ipſi placeat rectitudo & ſinceritas, unde neceſſe eſt nos ei eſſe exoſos. Quanquam magis emphatice loquitur, dum aſſerit non modo Deum requirere ut vita noſtra compoſita ſit ad aliquam juſtitiæ formam, ſed ut cor purum ſit & bene purgatum omni fallacia. hac ratione dicit Deum ſinceritatem velle in penetralibus: vel quod idem valet, non modo infenſum eſſe externis peccatis, ſed exigere ſinceram cordis munditiem, ut occultas ſordes abominetur. Proximo membro crimen adhuc exaggerat, quod prætextum excuſationis obtendere non liceat ab ignorantia:

quandoquidem fuerat de officio ſuo divinitus, quantum ſatis erat, edoctus. Dictio בסתום à multis ita accipitur acſi diceret, arcana myſteria ſibi patefacta eſſe. Ita ſecundum eos, *occultum* ponitur pro rebus ab humano ſenſu abſconditis. Meo autem judicio, obſcuritas vel abſconſio de qua loquitur David, non tam ad res ipſas, quam ad mentem ejus refertur. Hoc enim membrum proximo reſpondet. ideoque fatetur ſe non leviter tantum guſtaſſe cæleſtem doctrinam, vel ſpecie tenus ſe illa fuiſſe aſperſum, ſed infixam penitus fuiſſe cordi ſuo: quia Deus familiariter eum edocuerat, ut nihil prorſus utile cognitu celaret. Itaque minus excuſabilis erat David, quia vera intelligentia tam præclare inſtructus, tamen inſtar brutæ pecudis ſe projeciſſet ad fœdam libidinem; deinde varie peccando, tandem fere obſtupuerat. Videmus quorſum ſpectet David: poſtquam enim confeſſus eſt ſceleris ſui atrocitatem, ſe totum quaſi ex peccato conflatum agnovit: & damnata ſua natura, quo ſibi plus horroris incuteret, propoſuit ſibi judicium Dei, dixitque illic non magni momenti eſſe externam ſpeciem, ſed exactam ſinceritatem requiri. jam addit ſe non eſſe quemlibet è vulgo, ut in turbam ſe conjiciens, communi pœna defungi queat: ſed quia decoratus eſſet eximiis Spiritus donis, ſe majore culpa conſtringi. Nunc ad ſe quiſque transferre diſcat hanc doctrinam, & ſibi conſcius unius peccati, alia quoque revocet in memoriam, ut ſe totum coram Deo proſternat. Deinde expendat quam formidabile ſit ejus judicium, & cum illius rectitudine ſuam vanitatem comparans, ſe prorſus obrui ſentiat. Tandem addat hunc cumulum, ſi edoctus fuerit à Deo quaſi unus ex domeſticis, eo ſe majori damnationi eſſe obnoxium, quia ſuffocavit lucem Spiritus ſancti, perverſus fuerit diſcipulus, & tot pretioſa dona quibus ornatus fuerat, pedibus calcaverit.

9. **Expiabis me hyſſopo & mundabor: lavabis me, & præ nive albeſcam.**	ח 9 תחטאני באזוב ואטהר תכבסני ומשלג אלבין :
10. **Audire me fac lætitiam & gaudium: exultabunt oſſa quæ contriviſti.**	ח 10 תשמיעני ששון ושמחה תגלנה עצמות דכית :
11. **Abſconde faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.**	11 הסתר פניך מחטאי וכל עונתי מחה :

9. *Expiabis me*, &c.] Proſequitur eandem precationem. atque iſta congeries ſermonis, oſtendit quam ſollicitus fuerit de impetranda venia. *Hyſſopi* vero nunc meminit, alludens ad Legales ceremonias: non quod fiduciam ſuam locaret in externo expiationis ſymbolo: ſed quia ſciebat nihil in Lege fruſtra eſſe mandatum. Nam quum ſacrificia tunc ſigilla eſſent gratiæ Dei, merito illic teſtimonium reconciliationis ſuæ quæſivit: ſicut his adminiculis fidem noſtram fulcire decet quoties mentes noſtræ vacillant. Hoc ergo ſimpliciter voluit David, efficax & ratum in ſe fore quod Deus populo ſuo teſtatus fuerat. Atque eadem nobis tenenda eſt hodie regula. Quamvis enim non alibi quam in Chriſti ſanguine quærenda ſit expiatio, quia tamen nec oculis perſpicitur, nec manibus palpatur ſpiritualis gratia, non poſſumus niſi externis ſignis adjuti, tranquillis animis ſtatuere, Deum nobis eſſe propitium. Idem quod de hyſſopo diximus, in lotione quoque valeat. nam umbratiles aſperſiones quibus ſub Lege uſi ſunt Judæi, teſtatæ ſunt purgari nos ab omni immunditie, ut Deus placatos nos in gratiam recipiat. Porro Spiritus ſancti officium eſſe ſcimus, intus abluere conſcientias noſtras ſanguine Chriſti, ne ab acceſſu Dei nos prohibeant ſordes noſtræ. Conjuncti etiam ſunt duo verſus, quorum finis eſt ut ſe Deus placatum eſſe oſtendat. Quod exiſtimant quidam optari à Davide nuncium lætitiæ, ut mittatur Propheta quiſpiam reconciliationis præco & teſtis, videtur nimis reſtrictum eſſe. potius nuncium lætitiæ indefinite accipitur pro gratiæ teſtimonio. nam per *oſſa contrita* intelligit ſe extremo mœrore fuiſſe afflictum, ut vigore exhauſto & conſumpto, prope deficeret. Itaque ſibi merito *gaudium* reſtitui poſtulat, quo animetur in novam vitam. Hoc autem gaudium dicit auditu percipi, quia donec verbo Dei exhilaretur peccator ut animum colligat, fruſtra alia ſolatia ſibi accerſet. Hæc igitur vera eſt pacis & ſolidæ lætitiæ ratio, acquieſcere in Dei promiſſionibus. Nam utcunque ſe ad tempus demulceant qui neglectis promiſſionibus, conſcientiæ terrores pacare vel effugere conantur, certum eſt cæcis tormentis intus ſemper uri. Verum utcunque illi obtorpeant, quiſquis ſerio Dei timore tangitur, non aliud inquietudinis ſuæ remedium optabit quam auditionem iſtam lætitiæ, dum ſcilicet promittit Deus, abolito noſtro reatu, ſe nobis eſſe propitium. Quamvis autem continuis miſeriis laborent fideles quamdiu in mundo peregrinantur, & inter varios metus, diſcrimina, moleſtias ſuſpirent, ſolus tamen auditus lætitiæ ad mitigandos eorum dolores ſufficit. ſicuti gaudium ſpiritus à fide eſt inſeparabile. Notanda eſt etiam hæc loquutio, ubi Deus *abſcondere* dicitur *faciem ſuam à peccatis*, dum ea remittit: nam exegetice mox additur, *iniquitates meas dele.* Hinc autem intelligimus juſtificari nos coram Deo, ubi voluntaria oblivione peccata noſtra delet: atque hanc eſſe noſtram puritatem, dum gratuita venia nos dignatur. Cæterum hic repetendum quod prius dixi, Davidem quum unum à Deo poſtulat, nempe recipi in gratiam, non fruſtra congerere tot verba, ſed exprimere quam anxie expetat quod ſibi fecerat difficile impetratu. Et certe ubi quis defunctorie tantum pro remiſſione peccatorum vota concipit, nondum didicit quam horribilis ſit Dei offenſio: ideo beatos eſſe pronunciat Solomo, qui *Prov. 28. verſ. 14.* ſeipſos terrent: quia ſcilicet triſtitia quæ eos excruciat, januam ad verum gaudium aperit. Sed hic quæritur, Quum jam ex ore Nathan Prophetæ audiſſet *2 Sam. 12. verſ. 13.* David, ablatum eſſe ſuum peccatum: cur non abſolutionem hanc fuerit amplexus, ut placide vero gaudio frueretur. nam fidem abrogare Prophetæ non potuit, quin Deo faceret injuriam. Sicuti hodie non Angelos è cælo mittit Deus, ſed hominum voce ad nos recreandos contentus eſt: ſicuti dicit Chriſtus, *Joan. 20. verſ. 23.* quicquid remiſerint in terra diſcipuli, remiſſum fore in cælo. Et Paulus Euangelii miniſtros docet lega- *2 Cor. 5. verſ. 20.* tione fungi ad reconciliandos homines Deo. Videtur ergo ſignum infidelitatis fuiſſe in Davide, quod audita voce Nathan, perplexus & dubius novam certitudinem adhuc quærit. Duplex hujus quæſtionis afferri poteſt ſolutio. nam fieri poteſt ut non ſtatim promiſerit Nathan, placatum eſſe Deum. Neque enim novum eſt contexi in Scriptura quæ ſimul tempore non cohærent. Nec vero abſurdum eſt, poſtquam ſervum ſuum perculit Deus in illa anxietate, aliquandiu voluiſſe eum torquere, quo melius humiliaret. hoc modo referret David quantopere territus fuerit, & quam diros cruciatus pertulerit, ubi in peccati ſui notitiam adductus fuit, antequam veniæ nuncium acciperet. Quanquam fidei naturæ minime repugnat, qui jam de gratia Dei facti ſunt certiores, ardenter tamen & ſollicite in petenda venia inſiſtere.

Quare

Quare utcunque David jam levatus eſſet parte aliqua mœroris, non deſiſtit tamen novas ſubinde punctiones ſentire, quæ ad Dei miſericordiam ſuppliciter & timide refugere ipſum cogerent. Etſi enim Deus veniam nobis promittens, liberaliter nos ad pacem invitat, noſtrum tamen eſt reputare quam graviter fuerit offenſus, ut cordibus noſtris inſideat profundus dolor. Adde quod exiguo noſtræ fidei modulo, non ſtatim recipimus illam quæ offertur gratiæ plenitudinem. Quare nihil mirum ſi David anguſtiis conſtrictus, tertio & quarto in petenda venia perſtiterit, & ſæpius in Dei conſpectum ſe obtulerit, quo ſe plenius confirmaret. Imo ſic habendum eſt, non poſſe nos ſerio precari, ut Deus peccanti ignoſcat, niſi jam fide conceperimus, ipſum fore placabilem. Quis enim aperire os auderet, niſi de paterno ejus favore perſuaſus? Atqui ſemper initium precandi à petenda venia facere convenit: unde apparet non pugnare hæc duo inter ſe, ubi fide amplexi ſumus Dei gratiam, precari tamen ut peccata noſtra aboleat. Atque huc ſpectat precandi formula, quæ no-
Matth. 6. verſ. 9. bis à cœleſti magiſtro tradita eſt, ubi ab exordio Deum vocantes Patrem, poſtea tamen addimus ut peccata remittat. Quamvis enim Deus in ſolidum ignoſcat, non admittit tamen fidei noſtræ anguſtia tam effuſam ejus bonitatem: ſed neceſſe eſt ut paulatim diſtillet. Ideoque hoc ad fidei noſtræ captum refertur, quod ſæpius iteramus eundem precationem. quia licet non paulatim mitigetur Deus, more hominum, lenti tamen ſunt fidei noſtræ progreſſus, qui ad plenam certitudinem nos deducunt. Jam vero admonet nomen *expiationis hyſſopi & aſperſionis*, quoties pro remiſſione peccatorum vota facimus, mentes noſtras ad ſacrificium erigendas eſſe quo Patrem Chriſtus placavit. Neque enim ſine ſanguine, ut do-
cet Apoſtolus, remittuntur peccata: & quod Deus *Hebr. 9. verſ. 22.*
ſub figuris Legis teſtatus eſt veteri populo, plenius Chriſti adventu manifeſtavit. Ergo ut gratiam impetret peccator, primo ad Chriſti ſacrificium mentem ſuam convertat, quo expiata ſunt mundi peccata. deinde ſacram Cœnam & Baptiſmum in fidei ſuæ confirmationem advocet. quia minime ſperandum eſt ut Deus (qui judex eſt mundi) redeat nobiſcum in gratiam, niſi intercedente placationis pretio.

12. Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis.

13. Ne projicias me à facie tua, & Spiritum ſanctitatis tuæ ne auferas à me.

14. Reſtitue mihi gaudium ſalutis tuæ, & Spiritu liberali ſuſtentes me.

12 לֵב טָהוֹר בְּרָא לִי אֱלֹהִים וְרוּחַ נָכוֹן חַדֵּשׁ בְּקִרְבִּי׃

13 אַל־תַּשְׁלִיכֵנִי מִלְּפָנֶיךָ וְרוּחַ קָדְשְׁךָ אַל־תִּקַּח מִמֶּנִּי׃

14 הָשִׁיבָה לִּי שְׂשׂוֹן יִשְׁעֶךָ וְרוּחַ נְדִיבָה תִסְמְכֵנִי׃

12. *Cor mundum.*] Hactenus precatus eſt David pro obtinenda peccatorum venia: nunc ſe gratia Spiritus, qua privatus erat, vel ſaltem dignus erat privari, iterum donari poſtulat. Magni autem intereſt, duas iſtas precationes, quas perperam docti quidam viri confundunt, diſtinguere. Ergo hactenus de gratuita peccatorum remiſſione egit, nunc tranſit ad vitæ novitatem. Nam quia ſe dignum agnoſcit qui ſpolietur omnibus Spiritus donis, imo ſentit magna ex parte illis ſe eſſe exutum, merito ad inſtaurationem aſpirat: ac verbo *Creandi* ſignificat, donec mirabiliter renovatus fuerit Dei virtute, ſe fore quaſi inutilem truncum. quo elogio, pœnitentiæ donum, ut par eſt, commendat. Sophiſtæ, quamvis non negent opus nobis eſſe auxilio Spiritus, & fateri cogantur tam præeunte quam ſubſequente gratia nos juvari, Dei tamen gloriam extenuant vel obſcurant, dum in medio gradu conſtituunt rationem hominis quæ eligat, & voluntatem in præbendo aſſenſu. Atqui David Creandi verbo magnificum & ſingulare Dei opus extollit in renovatione hominum, acſi de integro novas creaturas fingeret. Porro quia jam præditus fuerat Spiritu illo, petit in ſe renovari. Creandi tamen verbo prius confeſſus eſt, ſive ab initio nos regeneret Deus, ſive lapſos in gradum reſtituat, quicquid eſt in nobis rectitudinis, gratuitum eſſe ejus donum. Neque enim petit cor ſuum infirmum adjuvari, & ſpiritum debilem fulciri aliquo ſubſidio: ſed fatetur nihil eſſe in corde ſuo rectum vel purum, donec aliunde proveniat. Unde ſequitur totum cor hominis, ubi in ſua natura conſideratur, contortum eſſe & perverſum: quia ſi ulla eſſet à natura rectitudo vel mundities, non hanc vocaret David Spiritus donum, illam vero Dei creationem. Proximo verſu idem votum proſequitur, & remiſſionem peccatorum cum Spiritus gubernatione connectit: ſicuti hoc à gratuita reconciliatione pendet, Spiritu adoptionis nos regi: acſi Deus tanquam filios in ſinu ſuo nos foveret. Quia ergo Spiritus ſui participatione non dignatur niſi quos diligit, & in ſuis reputat: ideo David, ut maneat in poſſeſſione Spiritus, ſibi adoptionis gratiam manere ſalvam cupit. quia niſi locum obtineat inter Dei filios, nihil ſibi amplius reſiduum fore videt. Porro colligere ex his verbis licet, quamvis ſuffocata eſſent in eo Spiritus dona, non tamen fuiſſe in totum ablata. Et certe res ipſa oſtendit non fuiſſe exinanitas dotes quibus ante pollebat. neque enim interea deſtitit præclare Regis officio fungi, precibus & aliis pietatis exercitiis incumbere, vitamque ſuam formare ad Dei cultum. Quamvis ergo in una parte ſtupefactus eſſet, non erat tamen conjectus in reprobum ſenſum. Et ſane non tam facile & ſubito expergefactus eſſet ad objurgationem Prophetæ Nathan, niſi occultum timoris Dei ſemen latuiſſet in ejus animo. Nam quod nuper *Spiritum innovari*, precatus eſt, reſtringi debet ad partem. Quæ doctrina utilis eſt cognitu: quia docti quidam homines inconſiderate putant, ſi in peccatum mortale labantur electi, extingui in illis Dei Spiritum, & alienari à Deo: quum
Petrus clare affirmet, verbum quo regeniti ſumus, *1 Petr. 1.*
eſſe ſemen incorruptibile: & Joannes etiam doceat *verſ. 23.*
retineri electos ne prorſus excidant. Ergo quamvis *1 Joan 3.*
interdum Deus eos abjiciat in ſpeciem, non tamen *verſ. 9.*
ita exuit donis omnibus, quin tandem appareat non fuiſſe penitus abdicatos, etiam quo tempore in illis gratiæ ſigna non fulgebant. Siquis objiciat, dubitanter loqui Davidem, acſi privari metueret Dei Spiritu: reſpondeo, Fideles quum peccarunt, merito eſſe anxios, quia repudiarunt quantum in ſe eſt Dei gratiam: debere tamen in hoc articulo conſiſtere, quia ſemen Dei incorruptibile eſt, gratiam qua præditi ſemel fuerunt, nunquam poſſe evaneſcere. Sic David peccatum ſuum reputans, timore perculſus fuit: ex oppoſito tamen ſtatuit, quia unus erat ex Dei filiis, quod ſua culpa perdiderat, ſibi adhuc manere.

14. *Reſtitue mihi.*] Iterum repetit mœrori ſe fore addictum, donec pacem cum Deo fuerit adeptus. & certe nimis ſtupidi ſunt qui Deo infenſo quietem ſibi indulgent. Docet ergo David ſibi nullam fore quietem donec affulgeat paternus Dei favor. Secundum membrum eodem pertinet quo ſuperiores duo verſus, ne ſcilicet exuatur Spiritus ſancti donis, ſed maneat in illis integer. In verbis aliqua eſt ambigui-

biguitas: nam verbum תסמכני quidam interpretes volunt eſſe tertiæ perſonæ, quia nomen רוח fœmininum eſt: itaque vertunt, Spiritus me ſtabiliat. Sed hæc diverſitas quoad ſenſum non magni eſt momenti. Plus eſt difficultatis in epitheto נדיבה: nam quum verbum נדב ſignificet liberaliter agere, Hebræi κατ' ἐξοχὴν principes appellant נדיבים. Ideo docti homines exiſtimant Davidem hic loqui de *Spiritu principali* vel regio, ſicut etiam Græci ἡγεμονικῷ verterunt. competeret autem hæc precatio in perſonam Davidis, cui neceſſe fuit, quum Rex creatus eſſet, heroica virtute excellere ad exequendum ſuum munus. Etſi autem hic ſenſus mihi non diſplicet, nec male quadrat, longius tamen hanc ſententiam extendo, quod David ſe peccati mancipium agnoſcens, & reatu ſuo conſtrictus, ad liberum illum & ultroneum Spiritum aſpiret, à quo fere exciderat. Quia enim ſe peccato mancipaverat, illud inæſtimabile libertatis donum non niſi ſingulari Dei gratia recuperare potuit.

15. Docebo ſceleratos vias tuas, & impii ad te convertentur.	15 אלמדה פשעים דרכיך וחטאים אליך ישובו׃
16. Libera me à ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ, & cantabit cum jubilo lingua mea juſtitiam tuam.	16 הצילני מדמים אלהים אלהי תשועתי תרנן לשוני צדקתך׃
17. Domine labia mea aperias, & os meum annunciabit laudem tuam.	17 אדני שפתי תפתח ופי יגיד תהלתך׃

15. *Docebo ſceleratos.*] Hic ſe Deo gratum fore promittit, ſi fuerit exauditus: & fructum ſuæ gratitudinis commemorat, nempe ſe daturum operam ut ſuo exemplo alii reſipiſcant. Et certe non modo hoc præſcribit charitatis regula, ut manum aliis porrigant qui erecti ſunt à Domino: ſed huc etiam impellere eos debet pietatis ſtudium & zelus gloriæ Dei, ut omnes, quantum in ſe eſt, ejuſdem gratiæ participes faciant. Jam ſuæ doctrinæ converſionis effectum adjungens, laboris ſui profectum ſe ſperare oſtendit. Etſi enim ſurdis ſæpe fabula canitur, dum ſtudemus in viam revocare errantes: non tamen ſemper ludimus operam, quia Dominus verbo ſuo benedicit.

16. *Libera me.*] Hinc apparet quam non ſibi blanditus ſit David, & quam arduum ſuſtinuerit certamen cum terroribus mortis, quod toties ad petendam veniam recurrit. Quod *ſanguines* quidam pro injuſta cæde Uriæ accipiunt & clade exercitus, cujus ſibi conſcius erat David, mihi non probatur. Nam quia per ſanguines Hebræi quodvis ſcelus capitale ſignificant, potius videtur, ſe mortis ſupplicio obnoxium facere, ut oſtendat unicam ſibi ſpem reſtare in Dei miſericordia. *Juſtitia* autem Dei, quam ſe cum jubilo celebraturum dicit, pro bonitate accipitur. Neque enim juſtitiæ elogium, ut vulgo putant, tribuitur Deo quod rigidus ſit ad exequendam vindictam, ſed potius quod in ſervandis promiſſis & tuenda ſuorum ſalute fidelis ſit, neque unquam miſeros homines fruſtretur quicunque ejus opem implorant. Cæterum ubi dicit, *Deus Deus ſalutis meæ*, ſubeſt in hac repetitione emphaſis aut vehementia: unde etiam colligimus, trepide ſemper & cum anxio gemitu reputaſſe quid eſſet promeritus. Interim ita ſe inquietudine torqueri & deſiderio flagrare demonſtrat, ut tamen armis fidei ſit inſtructus: quia ſalutem ſibi in Deo repoſitam eſſe ſtatuit. Eodem ſpectat proximus verſus, ubi precatur labia ſibi aperiri: quod tantundem valet ac præberi laudis materiam. Scio locum hunc ita ſolere exponi, quaſi David linguam ſuam dirigi optaret à Spiritu Dei, ut idoneus ſit ad canendas ejus laudes. & certe niſi Deus verba nobis ſuppeditet, prorſus muti erimus. Sed aliud voluit David, ſe nunc quodammodo obmuteſcere, donec veniam adeptus, ad gratiarum actionem vocetur. Eodem mihi videtur ſenſu nunc ſibi labia aperiri poſtulare, quo alibi prædicat datum ſibi in ore fuiſſe canticum novum. *Pſal. 40, verſ. 4.* Atque ita rurſus gratum Deo ſe fore teſtatur, & beneficii memorem: quia non alio fine in gratiam ſe recipi poſtulat, niſi ut apud omnes gratiæ Dei clamoſus ſit præco. Eſt enim loquutio emphatica *Os meum annunciabit laudem tuam*: acſi promitteret, clara & ſonora voce palam ſe Deo gratias acturum.

18. Quia non acceptum habebis ſacrificium: etiamſi dem holocauſtum, non placebit.	18 כי לא תחפץ זבח ואתנה עולה לא תרצה׃
19. Sacrificia Dei ſpiritus afflictus, cor afflictum & contritum Deus non deſpicies.	19 זבחי אלהים רוח נשברה לב נשבר ונדכה אלהים לא תבזה׃
20. Benefac in beneplacito tuo Sion, ædifica muros Jeruſalem.	20 היטיבה ברצונך את ציון תבנה חומות ירושלם׃
21. Tunc accepta habebis ſacrificia juſtitiæ, holocauſtum & oblationem: tunc aſcendent ſuper altare tuum vituli.	21 אז תחפץ זבחי צדק עולה וכליל אז יעלו על מזבחך פרים׃

18. *Quia non.*] Hoc loco docet, quamvis nihil compenſationis ad Deum afferat, ſe gratuita ejus miſericordia fretum, certo ſperare illum ſibi fore exorabilem. Ac primo quidem ſe inopem & vacuum accedere fatetur: ſed hoc obſtaculum non fore quo minus impetret quod cupit, quia non moratur Deus ſacrificia. Nec vero dubium eſt quin tacita comparatione craſſum vulgi errorem perſtringat, quem ſcimus fere omnibus ſeculis regnaſſe apud Judæos. Nam quum ſacrificiis expiari peccata Lex doceret, ut operibus ſuis diffiſi, ſatisfactionem ab uno Chriſto peterent: illi audacter, acſi dato pretio redimerent ſe à judicio Dei, cum ſacrificiis prodibant. Præpoſterum hunc faſtum à Davide rideri certum eſt, quum ſibi quicquam ſuppetere negat, quo Deum reconciliet, qui ſacrificiis non oblectatur. Jubebat quidem Deus ſibi offerri ſacrificia, & David cultum hunc minime neglexit: non ergo ſimpliciter loquitur, acſi reſpueret Deus quæ ex ejus mandato offerebantur ſacrificia, vel quiſpiam ea poſſet quaſi ſupervacua omittere. imo nuper vidimus Davidem cum toto piorum cœtu, Legis ceremoniis fuiſſe adjutum: ſed finem tantum ſpectavit, quia hypocritæ prava fiducia excæcati, Deum ſe promereri fingebant. Tametſi ergo ſe in ſacrificiis ſedulo exercuit: ſicuti Deum ſibi placabilem fore nemo confidet, niſi qui in medio ſiſtet unicum Chriſti ſacrificium, quo expiata ſunt mundi peccata: vere tamen & merito nihil ſe compenſationis afferre teſtatus eſt: quia gratuitam reconciliationem pete-

petebat. Neque enim, proprie loquendo, ex ſeipſis quicquam afferebant Judæi, ſacrificia mactando, ſed potius à Chriſto mutuabantur quod cunctis mortalibus deeſt, redemptionis pretium: adeoque ſacrificia Legis, hominum reſpectu, mere paſſiva erant.

19. *Sacrificia Dei.*] Poſtquam ſacrificiis detraxit propitiandi Dei virtutem, quam falſo affinxerant Judæi, nunc dicit, Etiamſi nihil præter cor contritum & humiliatum afferat, hoc Deo abunde ſufficere: quia unum hoc exigat à peccatoribus ut dejecti & proſtrati, miſericordiam implorent. Neque fruſtra plurali numero uſus eſt, quo melius exprimeret pœnitentiæ ſacrificium, pro omnibus unum ſufficere. Si dixiſſet boni odoris eſſe hoc ſacrificii genus, promptum fuiſſet Judæis cavillari, alias tamen eſſe ſpecies quæ non minus Deo placerent. Sicuti videmus hodie Papiſtas, ſua opera Dei gratiæ miſcere, ne gratuita ſit peccatorum remiſſio. Conſulto itaque David, ut omnia ſatisfactionum commenta excluderet, unicam ſpiritus dejectionem, quæcunque Deus probat ſacrificia, in ſe complecti aſſeruit. Et quum ſacrificia Dei nominat, videtur oblique mordere hypocritas, qui ſuo tantum arbitrio ſacrificia æſtimant, dum ad propitiandum Deum valere imaginantur. Hic tamen exoritur difficilis quæſtio: quia ſi afflictus ſpiritus pro omnibus ſacrificiis cenſetur coram Deo, ſequetur, pœnitentia nos veniam conſequi. quod ſi verum eſt, jam deſinet eſſe gratuita. Reſpondeo Davidem hic non diſſerere quid pretii Deo perſolvant homines, vel quo merito remiſſionem peccatorum obtineant. imo data opera ſpiritum afflictum, fictitiis compenſationibus opponens, nuditatem hominum detegere voluit: ſicuti etiam non alio tendit ſpiritus dejectio, quam ut hominem exinaniat, vel in nihilum redigat. Neque enim fieri poteſt, ubi quid reliquum nobis facimus, quin ſe animus noſter in aliquam fiduciam tollat. Unde ſequitur, corde contrito jacere omnia merita, ut nihil mutuum afferant homines. Siquis excipiat, fidem præſtantius eſſe ſacrificium, & ad placandum Deum majoris efficaciæ: quia Chriſtum cum vera & ſolida placatione in medium producit. Primo tenendum eſt, non poſſe fidem ab hac humilitate de qua loquitur David, ſeparari. Etſi enim expaveſcant coram Deo impii, fovent tamen intus perverſam contumaciam, nec fremere vel obſtrepere deſinunt: & quamvis ſuam ferociam non palam deſpument, cor tamen ſemper inflatum manet. Quum ergo ſpiritus afflictionis & cor contritum, hominem iræ Dei ſenſu vulneratum, vero timore & diſplicentia non modo ſubigant, ſed vere mortificent, ut nullus ſit apud ſe, ſed totam ſuam ſalutem ex Dei miſericordia petat: non mirum eſt ſi Deum hoc uno ſacrificio contentum eſſe, David pronunciet: quia nec fidem disjungit, nec ſubtiliter numerat ſingulas pœnitentiæ partes, ſed tantum docet non aliter gratiam nos conſequi apud Deum, quam dum in nobis dejecti & confuſi, in ſolam ejus miſericordiam recumbimus, dum ſupplices prodimus cum ingenua nuditatis noſtræ confeſſione: denique curvi & fracti jacemus ut nos erigat.

20. *Benefac*, &c.] Jam non pro ſe uno privatim orat, ſed totam Eccleſiam adjungit, neque immerito: quia per eum non ſteterat quominus concideret totum Chriſti regnum. Nam Rex in hunc finem unctus ut Eccleſiam Dei colligeret, turpi defectione illam diſſipaverat, ut timenda eſſet exitialis ruina. Quamvis ergo ſua culpa everterit Dei Eccleſiam quantum in ſe erat: petit tamen eam gratuita Dei miſericordia reſtitui. Neque vero aliorum innocentiam allegat, ſed tantum innititur Dei beneplacito, acſi diceret, Eccleſiæ reſtaurationem ubi collapſa eſt, non aliunde quam ex mera Dei gratia ſperandam. Quanquam autem jam extructa erat Hieroſolyma, pro ejus tamen ædificatione adhuc precatur, quia nondum ſcilicet in ſuam perfectionem venerat, quum deeſſet præcipua pars. reſpexit enim David ad oraculum in quo pollicitus erat Deus fixam illic Arcæ fœderis ſtationem fore: deinde regiam ſedem Ideoque templum nondum conditum quaſi tugurium erat. Cæterum docet hic locus proprium eſſe Dei opus, Eccleſiam ædificare, ſicut alibi dicitur, Fundamenta ejus in montibus ſanctis. neque *Pſal. 87. verſ. 1.* enim David externam duntaxat ſtructuram reſpexit, ſed animum præcipue applicuit in ſpirituale Dei ſacrarium, quod hominum manu & induſtria erigi non poteſt. Verum quidem eſt, quantumvis lapidum & cæmenti congerant homines, nihil tamen ſuo labore profecturos in extruendis terrenis muris: ſed peculiaris eſt Eccleſiæ erectio, quæ admirabili Dei virtute, in terris fundata ſupra cælos attollitur. Adde quod non tantum de unius menſis vel anni ædificio hic agitur, ſed ut Deus ſtatum Eccleſiæ ſuæ incolumem uſque ad Chriſti adventum tueatur. Verum quum David initio Pſalmi & toto contextu profeſſus ſit ſe eſſe perditum & deſperatum, unde nunc repente tanta audacia, ut totam Eccleſiam Deo commendare non dubitet? Quomodo enim alios omnes in cælum evehet, qui vix ex inferis emerſit? Hic certe videmus, ſimulac reconciliati ſumus Deo, non tantum liberam cuique pro ſalute ſua precandi fiduciam permitti, ſed nos etiam pro aliis admitti ſuffragatores: imo quod magis honorificum eſt, regni Chriſti gloriam, quæ magis pretioſa eſt quam totius mundi ſalus, commendare licet.

21. *Tunc accepta habebis.*] Hic primo intuitu ſpecies aliqua repugnantiæ occurrit, ſed quæ nullo negotio diſcutitur. Dixerat, nullius per ſe momenti eſſe ſacrificia: nunc quatenus exercitia ſunt fidei, & pœnitentiæ, & gratiarum actionis ſymbola, Deo grata fore dicit. *Sacrificia* autem *juſtitiæ* diſerte vocat, hoc eſt recta vel legitima, quæ rite ex Dei præſcripto offeruntur. Qua etiam loquutione Pſalmo 4. verſ. 6. uſus eſt, vanas eorum pompas deridens qui tantum fallaci titulo ſuperbiebant. Rurſus vero ſe ad gratitudinem hortatur: & ſuo etiam exemplo pios omnes: ut voti compotes, non modo tacite ſecum reputent Dei gratiam, ſed in celebri etiam conventu prædicent. Ad nomen generale ſacrificii duas ſpecies adjungit. Quanquam nonnulli כליל & עולה volunt ſynonyma eſſe: mihi tamen magis arridet eorum ſententia qui prius nomen diſtincte poſitum eſſe intelligunt pro ſacerdotum ſacrificio, quia libatio illic comburebatur. Cæterum hac varietate ſignificat David non aliter placere Deo Legales omnes ritus, quam dum referuntur ad juſtum finem. Quod totum hunc verſum metaphorice quidam accipiunt, trahentes ad Chriſti regnum, nimis argutum eſt & coactum. Fateor *vitulos labiorum* vocari ab Hoſea, laudes quibus gratiæ aguntur Deo: *Hoſea 14. verſ. 3.* ſed minime obſcurum eſt, cum puro affectu cordis hic conjungi ſolennes ceremonias, quibus ſuam pietatem profitebantur ſub Lege cultores Dei.

ARGU-

Digitized by Google

ARGUMENTUM PSALMI LII.

1 Sam. 21. *Quum occiſo Achimelech, & reliquis Sacerdotibus paſſim terror injectus eſſet toti populo, ne quis Davidem juvare auderet, ac Doëg ob proſperum impiæ delationis ſucceſſum, triumphos ſuos ageret, ſanctus vir nihilominus animum fide erigens, Pſalmum hunc compoſuit: ubi improbi delatoris crudeli perfidiæ inſultat, ſeque ad bene ſperandum hortatur, quia Deus in cælo juſtus judex ſedeat, tum ad opem ſervis ſuis ferendam qui ſpes ſuas omnes in eum conjiciunt, tum ad ulciſcendam eorum ſuperbiam, qui eo contempto, quidvis ſibi pro libidine indulgent.*

PSALM. LII.

PRæfecto, erudiens Davidis,

2. Quum veniſſet Doëg Idumæus, & nunciaſſet Sauli, ac ei dixiſſet Davidem veniſſe in domum Achimelech.

1 לַמְנַצֵּחַ מַשְׂכִּיל לְדָוִד׃

2 בְּבוֹא דּוֹאֵג הָאֲדֹמִי וַיַּגֵּד לְשָׁאוּל וַיֹּאמֶר לוֹ בָּא דָוִד אֶל בֵּית אֲחִימֶלֶךְ׃

QUantum attinet ad nomen משכיל, jam ante diximus proprie ſolere Pſalmis inſcribi, ubi David ſe Dei manu caſtigatum fuiſſe commemorat, vel ſaltem aliquo afflictionis genere admonitum, ut proficeret tanquam ſub magiſtri ferula. cujus rei exempla habuimus Pſalmo 32. & 42. Diverſa Pſalmi 45. ratio fuit, nempe ut ſcirent lectores, in illo amatorio carmine nihil eſſe laſcivum, ſed ſacrum & ſpirituale Chriſti cum Eccleſia conjugium illic deſcribi. Huic autem Pſalmo & ſequentibus convenit eruditio ex correctione profecta. nec enim dubito quin ſignificet David, ſe non vulgari modo fuiſſe tunc probatum & examinatum, ut totum ſe Deo reſignare diſceret. Nota vero eſt hiſtoria, quum profugus erraret David, veniſſe in Nob ad Achimelech Sacerdotem, & quum diſcrimen ſuum detegere non auderet, ſimulaſſe cum arcanis mandatis ad gravia quædam negotia ſe fuiſſe à Rege miſſum. ita & viaticum obtinuit, & gladium quo occiderat Goliath. Quum vero Doëg, qui Regiis paſtoribus præfectus erat, impia delatione favorem Saulis venatus eſſet, tyranni rabiem non modo in unum hominem innoxium, ſed in omnes Sacerdotes accendit. Ita factum eſt ut omnes aditus præcluſi eſſent miſero exuli: quia tam formidabili ſævitiæ exemplo territi erant omnes, ne ullum humanitatis officium præſtarent. Jam quia Doëg hoc ſcelere inflatus, ferocius ſe gerebat: & perfidiæ merces quam adeptus erat, inſtar ſtimuli poterat eſſe ad alios inſtigandos, quo certatim ruerent in Davidis perniciem: ſanctus vir pia conſolatione ſe in ſublime erigens, ſceleratam illius audaciam refutat.

3. Quid gloriaris in malitia potens? bonitas Dei quotidie.

3 מַה תִּתְהַלֵּל בְּרָעָה הַגִּבּוֹר חֶסֶד אֵל כָּל הַיּוֹם׃

4. Pravitates computat lingua tua, quaſi novacula acuta fraudulenter agens.

4 הַוּוֹת תַּחְשֹׁב לְשׁוֹנֶךָ כְּתַעַר מְלֻטָּשׁ עֹשֵׂה רְמִיָּה׃

5. Diligis malitiam præ bonitate, fallaciam potius loqui quam juſtitiam. Selah.

5 אָהַבְתָּ רָּע מִטּוֹב שֶׁקֶר מִדַּבֵּר צֶדֶק סֶלָה׃

6. Diligis omnia verba abſconſionis lingua doloſa.

6 אָהַבְתָּ כָל דִּבְרֵי בָלַע לְשׁוֹן מִרְמָה׃

3. *Quid gloriaris.*] Quum proditio ex voto ceſſiſſet ſcelerato homini Doëg, gravis (ut dixi) & dura illa fuit tentatio ad percellendum Davidis animum. Itaque non dubito quin ſe ad luctam ſancta hac gloriatione armaverit. ac primo quidem exaggerat crimen Doëg, quod in potentia nefario ſcelere parta, exultet. Nec vero mirum eſt præfectum paſtorum tam ſplendido titulo ornari, quia non fuit homo pecuarius, qui cuſtodiendis gregibus operam locaret, ſed cum auctoritate ordinatus paſtorum magiſter: quales forte hodie ſunt in aulis Regum, ſummi equiſonum præfecti. Dicit igitur non eſſe cur ſibi in ſua magnitudine applaudat Doëg, quamdiu ad crudelitatem & ſcelus ea perperam abutitur: imo cur ſuperbiat de novo favore Regis, quem ſibi acquiſivit impia calumnia: quia ſola integritas, fidelis eſt potentiæ & dignitatis cuſtos. Nulla autem vis tyrannica, nulla perfidia vel iniquitas diuturna. Secundo autem membro clarius exprimit unde tanta impiis vecordia & cæcitas, ut excuſſo Dei metu, & extincto pudore, in malitia ſibi placere audeant: nempe quia contemptos & humiles ſpernendo, quidvis in eos ſibi licere fingunt: nam indignos eſſe putant quorum Deus ſuſcipiat curam. Imo Dei providentiam qua ſuos tuetur, pro nihilo ducentes, æternam ſibi peccandi licentiam promittunt. Ex oppoſito, David ſancta confidentia inſurgit, ſuperbis iſtis gigantibus exprobrans, quod Dei bonitati nihil honoris deferant. Cæterum quia non ſemper æquali curſu fluit gratia Dei, quin potius videtur magnis obſtaculis procul eſſe à nobis remota: contra hanc tentationem David ſe munit, dicens eam ſingulis diebus vigere. Neque enim dubito quin ſignificet, non obſtare multas interruptiones quin Deus ſubinde bonitatis ſuæ documenta renovet. Hac quidem voce, quod ante expertus erat, ſe in poſterum ſperare oſtendit: quia Deus ſuos juvando, & eorum miſerias levando non fatigetur: ſed ut centies rebus adverſis affligi permittat, ſemper ad opem ferendam paratum fore.

4. *Pravitates meditatur.*] Non facit David quod vulgo ſolent qui injuſte læſi ſunt: neque enim convitia evomit, ut ſe ulciſcatur, ſed hoſtem ſuum coram Deo accuſans, ſpei materiam inde colligit. Nam quo inſolentius proterviunt mali, eo magis iram Dei ipſos accendere certum eſt. unde optima conſolatio ad nos redit, maturum inſtare liberationis tempus, dum ſe ad extrema quæque ſcelera projiciunt qui ſalutem noſtram injuſte oppugnant. Non recenſet igitur David hoc loco adverſarii probra, quibus eum infamet apud homines, ſed Dei judicium ſibi ante oculos ponens, contra tam atroces quas paſſus erat injurias, ſe ad bonam ſpem animat. Porro etſi crudelis & ſanguinarius erat Doëg, hic arguitur præcipue interior ejus pravitas, quod occulta delatione, per inſidias & fraudem prodiderit innoxios Sacerdotes. & ideo comparat ejus linguam novaculæ acutæ, ſicuti Pſalmo 120. verſ. 2. virulentæ omnes linguæ dicuntur ſimiles eſſe ſagittis acutis. Particulam *Faciens dolum*, multi ad novaculam referunt, quia doloſe ſcindat, non autem aperto ictu ut gladius: atque hæc quidem eſt comparationis ratio. ſed mihi ſyntaxis videtur fore aptior, ſi hoc epithetum jungatur linguæ. Nomen בלע quod perditionem ver-

tunt, quum ſit etiam Hebræis abſconſio, mihi ſenſus hic poſterior magis placuit. Videtur enim alludere David ad linguæ abſtractionem, quæ eſt degluttiendi principium. Et concinna eſt metaphora, linguam Doëg appetere fraudulenta verba, quæ ſimplices & innoxios abſorbeant. Porro his verſibus nihil aliud vult David, quam ab extrema & deplorata hoſtis ſui injuſtitia, ſpei confirmationem petere, quo certius liberationem à Deo expectet.

7. Etiam Deus perdet te in æternum, rapiet te, & evellet à tabernaculo, & eradicabit te è terra viventium. Selah.

8. Et videbunt juſti, & timebunt, & ſuper eum ridebunt,

9. Ecce vir qui non poſuit Deum fortitudinem ſuam: & confiſus eſt in multitudine divitiarum ſuarum, & roboratus eſt in pravitate ſua.

7 גם אל יתצך לנצח יחתך ויסחך מאהל ושרשך מארץ חיים סלה׃

8 ויראו צדיקים וייראו ועליו ישחקו׃

9 הנה הגבר לא ישים אלהים מעוזו ויבטח ברב עשרו יעז בהותו׃

7. *Etiam Deus perdet te.*] Clarius oſtendit quod nuper attigi, ſe in hunc finem exagitare crimen Doëg, quo majore fiducia propinquum ei judicium denunciet: neque id tam illius terrendi cauſa, quam ad ſpem ſuam erigendam. Colligit ergo, Quamvis ad tempus ceſſet Deus, non paſſurum ſemper ut tam ſcelerata proditio inulta maneat. Quia autem nihil magis præfractum eſt impiis, quamdiu proſpere habent: & quia ſe extra telorum jactum imaginantur, deſpiciunt ac ſubſannant omnia Dei judicia: pios etiam terret illorum potentia, & dum firmis opibus munitos vident, fere exanimantur. Pluribus verbis eandem ſententiam confirmat Propheta, ut quod difficile eſt creditu, melius ſibi perſuadeat. Hac ergo verborum congerie, Perdet te Deus, deſtruet, evellet, eradicabit, tollet è medio, ſuperbi hominis ſecuritati inſultans David, animum ſuum ad bene ſperandum attollit, & timiditatem caſtigat: quaſi diceret, Quamlibet profundas radices egerit Doëg, ac validum ſit ejus robur, Deum ad ejus evulſionem ſatis ſuperque potentem fore. Eodem pertinet quod dicit *à tabernaculo*, & *terra viventium*, quamvis tuto nidulentur impii, & in ſuo tabernaculo ſuaviter lateant, quia nihil adverſi putent poſſe illuc penetrare, & de perpetua vitæ poſſeſſione glorientur, ſubito, ubi maturum venerit iræ Dei tempus, dejectum iri. Quanquam fieri poteſt, ut in voce Tabernaculi, alluſerit ad perſonam Doëg: quia ſolebant in tabernaculis habitare paſtores.

8. *Et videbunt juſti, & timebunt.*] A fine etiam argumentatur, fieri non poſſe ut quam meritus eſt pœnam effugiat Doëg: quia ſcilicet ideo ſua judicia exercet Deus, ut majorem ſibi reverentiam apud fideles conciliet, atque eos exhilaret juſtitiæ ſuæ documentis. Etſi enim reprobis quoque & Dei contemptoribus ſpectabile futurum erat exitium Doëg, duas tamen ob cauſas peculiariter ejus intuitum ad ſolos juſtos reſtringit. Nam in manifeſtis quoque Dei operibus cæcutiunt reprobi, ut mirum non ſit in ejus judiciis nihil proficere: ideoque merito juſtos viſuros dicit David, quia oculati ſunt. Accedit altera ratio, quod Deus in ſuorum gratiam, ut quam pro tuenda eorum ſalute ſollicitudinem gerit, illis teſtetur, retundit impiorum ferociam, atque ita eorum dolores in gaudium convertit. Itaque non mirum eſt ſi eos David compellet teſtes, quibus tale ſpectaculum proprie exhibet Deus. Porro Timor hoc loco non formidinem ſignificat, quo ſæpe homines conſternant & expaveſaciunt Dei vindictæ: ſed pro læta & alacri reverentia accipitur, dum agnoſcunt fideles tanti ſe fieri coram Deo, ut cauſas eorum ſuſcipiens, eorum hoſtibus ſe opponat. Quamdiu enim expoſiti injuriis non ſentiunt Deum vindicem, multis dubitationibus æſtuant, acſi eum non attingeret cura regendi mundi. Experimenta autem juſtitiæ ejus, ad ſerium pietatis ſtudium ſopitas mentes excitant: atque hic timor, riſum quem mox ſubjicit David, minime impedit: quia duo hæc optime inter ſe conveniunt: ut ſe reverenter Deo ſubjiciant fideles, quem injuſtæ crudelitatis ultorem agnoſcunt: & eum videntes à parte ſua ſtare, inæſtimabile gaudium concipiant. quia dum ſe nobis conjungere dignatur in commune bellum, hæc ſocietas potior eſt triumphis omnibus. Elegans paronomaſia quæ eſt in verbis Hebraicis inter Videre & Timere, Latine reddi non poteſt: qua notare voluit Propheta, intuitum de quo loquitur, non otioſum ſed efficacem fore.

9. *Ecce vir.*] Putant quidam hoc proverbii loco in vulgus fuiſſe jactatum de ſuperbia Doëg. Sed hoc videtur nimis reſtrictum: potius exiſtimo exegeſin eſſe timoris & riſus, quia voluit exprimere David quomodo proficiant in Dei judiciis fideles. Nam impiorum fruſtratio eos admonet patienter ferendam eſſe ſuperbiam, quæ ſuo impetu ruit: deinde eos quoque erudit ad modeſtiam, ne ſimili vanitate inflati, contra Deum & homines inſoleſcant. Riſuros ergo fideles de reproborum interitu aſſerit David, non tantum ut ipſis inſultent, ſed ut ſe quietos contineant ſub Dei auxilio, & valedicentes mundi illecebris, ei ſe libenter ſubjiciant. Quoties ergo nobis occurrunt ejuſmodi exempla, Deus ſenſus noſtros, qui ad vagandum nimis alioqui propenſi ſunt, ad ſe retrahit, ut eos ſolus poſſideat. Porro adverbium, Ecce, δεικτικῶς hic ſumitur, acſi in theatrum produceret David infelicem exitum, qui ſuperbos Dei contemptores manet: ſicuti hæc non vulgaris prudentia eſt, ex uno documento colligere miſeros eſſe omnes, ac peſſimo exitio deſtinatos, qui alibi quam in Deo ſpem ſuam conſtituunt. Cæterum conjunctim legenda ſunt hæc duo membra, *Non poſuit Deum robur ſuum, & ſperavit in multis divitiis:* quia ſignificat David nunquam ſincere homines in Deum recumbere, donec propriæ inopiæ conſcii, ſeipſos prorſus exinaniant. Quantiſper enim imaginantur in ſe aliquid reſidere, fieri non poteſt ut ad Deum conſcendant: ita hoc perpetuum eſt, quantum ſibi arrogant homines, tantundem Deo detrahere: & qui ſuis divitiis confidunt, non ponere Deum robur ſuum. Et quod de una ſpecie hic pronunciat David, ad omnes extenditur: quoties in mundo & terrenis opibus ſubſidunt hominum mentes, totidem obſtaculis prohiberi à quærendo Deo. Nomen הוה (quod malitiam vertit bona pars interpretum, quidam etiam pro pernicie active accipiunt) videtur hoc loco potius notare ſubſtantiam. Scimus enim Davidi nihil eſſe magis familiare, quam rem unam repetere diverſis verbis. Ergo optime fluit hic contextus, hominem qui divitiis ſuis confidit, & roboratur in ſua ſubſtantia, vel in ſuo eſſe (ut loquuntur) Deum fraudare juſto honore.

10. Ego autem ſicut oliva frondoſa in domo Dei: ſperavi in bonitate Dei in ſeculum & uſque.

11. Celebrabo te in ſeculum, quia feciſti: expectabo nomen tuum, quia bonum eſt coram manſuetis tuis.

10 ואני כזית רענן בבית אלהים
בטחתי בחסד אלהים עולם ועד:
11 אודך לעולם כי עשית ואקוה
שמך כי טוב נגד חסידיך:

10. *Ego autem.*] Poſtquam David fidei & ſpei alis in ſublime evectus, ſplendorem opulentiæ Doëg, quo ſecundum carnis ſenſum fuiſſet obrutus, animoſe deſpexit: exurgit etiam ipſe ex ſuis miſeriis. Et quanquam inſtar inutilis ac putridi trunci projectus jacet, propter ſpem futuræ inſtaurationis, olivæ ſe comparat. Et certe nulla ex interitu Doëg conſolatio redire poterat ad Davidem, niſi perſuaſus fuiſſet, ſumptam fuiſſe divinitus vindictam de hominis crudelitate quam adverſus innoxios exercuerat. Ergo Deum, malorum quæ indigne perpeſſus fuerat, ultorem eſſe reputans David, quod reliquum eſt ſibi promittit, ut collecto novo vigore iterum floreat: ſimul tamen oſtendit hoc proſperi ſtatus ſummum ſibi fore caput, inter Dei cultores cenſeri & locum tenere, ut ſe in profeſſione pietatis exerceat: ſicut alibi vidimus acerbius ei fuiſſe exulare à Dei Sanctuario, quam uxore, & bonis omnibus privatum errare per ferarum ſpeluncas. Quod tacitam perſonæ Doëg antitheſin quidam ſubeſſe volunt, quia fallaci prætextu, tanquam ſedulus Dei cultor, ſpeculandi cauſa ad Tabernaculum acceſſerit, ex remota conjectura petitum eſt. Potius tam ipſi Doëg quam aliis ſuis hoſtibus ſe opponit David, quod licet nunc profugus à Terra ſancta, Tabernaculi conſpectu careat: ſe tamen reſtitutionem ſperare, ubi evulſi fuerint hypocritæ, qui non modo locum illic occupant, ſed Templo ſoli potiuntur, quod tamen inquinant & polluunt ſuis ſordibus. Hic ergo memoria repetamus quod alibi dictum fuit, hunc vivendi finem ſemper nobis eſſe ſpectandum, ut reputemur in grege Dei: & quia infirmitas noſtra externis adminiculis indiget, ſingularis beneficii loco ducendum eſſe, dum ſacros conventus, ubi fideles alii alios ad Deum colendum & invocandum incitant, frequentare licet. Adde quod Deus, ſicuti unus eſt, ita ut unum in ſe ſimus, communibus Sacramentis in ſpem beatæ æternitatis nos colligit, unoque omnium ore nomen ſuum vult celebrari. Ergo Davidis exemplo, fallaciis omnibus præferre diſcamus locum in Dei Eccleſia. Additur ratio cur futurus ſit ſimilis oleæ frondoſæ, quia ſcilicet *ſperavit in bonitate Dei.* cauſalem enim particulam ſubaudio: atque hoc modo antitheſin quam nuper attigi proſequitur, quamvis hoſtes ejus vireant, longeque extenderent ſuos ramos, procera etiam altitudine ſuperbirent, radicem tamen eorum brevi emarcidam fore, quia in Dei bonitate fixa non erat: itaque dum illi areſcent, ſuccum & vigorem ſibi nunquam defore, quia ſpem ſuam in Deo repoſuit. Porro quia longo malorum tractu confici potuit, niſi fiduciæ ſuæ conſtantiam in longum tempus produceret, diſerte exprimit ſe non præſcripſiſſe Deo certum aliquod tempus, ſed æternitatem ſpe ſua fuiſſe complexum. Neque enim ſperare *in ſeculum* potuit quin Deo permitteret liberam mortis & vitæ ſuæ poteſtatem. Ubi perſpicimus quid legitimos Dei filios diſcernat ab hypocritis. nam quum utrique in Eccleſia ſimul permixti ſint, ſicuti in area triticum paleæ mixtum eſt: alios tamen ſpes ſua in perpetua ſtatione confirmat, alios ſua vanitas inſtar paleæ diſcutit.

11. *Celebrabo te.*] Pſalmum concludit hac gratiarum actione, qua ſe ex animo & ſincere defungi dicit, quia agnoſcat hoc eſſe Dei opus. quod obſervatu dignum eſt: quia, ut maligni ſunt homines, quamvis ore gratitudinem aliquam teſtentur, vix tamen centeſimus quiſque ſerio Dei beneficia reputat & expendit, ut ſentiat ipſum eſſe auctorem. Statuit ergo David, quod elapſus fuerit è manu Doëg, quod etiam non centies deinde perierit, id fieri non potuiſſe, niſi protectus eſſet Dei auxilio: nec ſe uno tantum die gratum fore promittit, ſed perpetuo vel tota vita. Et certe quum in aliis omnibus pietatis officiis Dei filios ad perſeverantiam eniti conveniat, hac in parte maxime eos ſibi inſtare neceſſe eſt: quia & facile obrepit oblivio, & major pars etiam dum ſe defunctam putat tridui laudibus, ſtatim ſepelit quod æterna memoria colendum erat. Poſtremo ſpem ſuam cum gratitudine conjunctam fore dicit. nam *expectare nomen* Dei, nihil aliud eſt, quam patienter attendere ad ejus gratiam quamvis ſit abſcondita, & ab ejus verbo pendere, quamvis effectus in longum tempus extrahatur. Et quo meliore animo id faciat, ſpem ſuam negat fore irritam, *quia bonum* ſit Dei nomen coram fidelibus. Quidam neutraliter accipiunt, quod bonum ſit ſperare, ſicuti Pſalmo 118. verſ. 8. ſed alter ſenſus meo judicio, ſimplicior eſt, quod Deus fideles ſuos nunquam fruſtretur, quin ſuam bonitatem illis conſpicuam exhibeat. Quamvis ergo incredulis odioſum ſit Dei nomen, adeoque terrorem incutiat quoties inſonat eorum auribus, quia expertes ſunt ejus bonitatis, dicit David fideles ſemper continuis experimentis ſenſiſſe quam ſuave & jucundum ſit Dei nomen. *Manſuetos* autem vocari Dei filios, quia humanitate & beneficentia cæleſtem Patrem referre debeant, diximus Pſalmo 16. verſ. 3.

PSALM. LIII.

Quia Pſalmus iſte idem fere eſt cum XIV., *illinc hujus interpretatio petatur.*

PRæfecto ſuper Mahalath, erudiens Davidis.

2. Dixit ſtultus in corde ſuo, Non eſt Deus: corruperunt, abominabile fecerunt opus: non eſt qui faciat bonum.

3. Deus è cælis proſpexit ſuper filios hominum, ut videret an ſit qui intelligat, qui requirat Deum.

4. Quiſque receſſit, ſimul putridi facti ſunt: non eſt qui faciat bonum, ne unus quidem.

1 למנצח על מחלת משכיל
לדוד:
2 אמר נבל בלבו אין אלהים
השחיתו והתעיבו עול אין עשה טוב
3 אלהים משמים השקיף על בני
אדם לראות היש משכיל דרש את
אלהים:
4 כלו סג יחדו נאלחו אין עשה
טוב אין גם אחד:

5. An non

5. An non cognoſcunt omnes operarii iniquitatis? comedentes populum meum, comedunt panem, Jehovam non invocant.

5 הֲלֹא יָדְעוּ פֹּעֲלֵי אָוֶן אֹכְלֵי עַמִּי
אָכְלוּ לֶחֶם אֱלֹהִים לֹא קָרָאוּ׃

6. Illic trepidarunt trepidatione ubi non eſt trepidatio: quoniam diſperſit Deus oſſa caſtrametantis contra te. pudore affeciſti, quoniam Deus ſprevit eos.

6 שָׁם פָּחֲדוּ פַחַד לֹא הָיָה פָחַד כִּי
אֱלֹהִים פִּזַּר עַצְמוֹת חֹנָךְ הֱבִשֹׁתָה
כִּי אֱלֹהִים מְאָסָם׃

7. Quis dabit ex Sion ſalutem Iſraël? ubi converterit Deus captivitatem populi ſui, lætabitur Jaacob, exultabit Iſraël.

7 מִי יִתֵּן מִצִּיּוֹן יְשֻׁעוֹת יִשְׂרָאֵל
בְּשׁוּב אֱלֹהִים שְׁבוּת עַמּוֹ יָגֵל יַעֲקֹב
יִשְׂמַח יִשְׂרָאֵל׃

ARGUMENTUM PSALMI LIV.

Hoc Pſalmo recitat David quas apud Deum preces conceperit, dum ſe à Zyphæis proditum intelligens, in præſentiſſimum vitæ diſcrimen veniſſet: atque hoc modo invictum fidei ſuæ robur oſtendit, quod morte ante oculos poſita, Deum tamen invocare non deſtiterit.

PSALM. LIV.

1 PRæfecto in Neginoth, erudiens Davidis:

2. Dum venerunt Zyphæi, & dixerunt Sauli, Annon David latet apud nos?

1 לַמְנַצֵּחַ בִּנְגִינֹת מַשְׂכִּיל לְדָוִד׃
2 בְּבֹא הַזִּיפִים וַיֹּאמְרוּ לְשָׁאוּל
הֲלֹא דָוִד מִסְתַּתֵּר עִמָּנוּ׃

DAvidem ſæpius quæſiſſe latebras in illa deſerti parte quæ vicina erat Zyphæis, notum eſt ex Sacra hiſtoria. Bis vero ab accolis fuiſſe proditum apparet ex primi libri Samuelis cap. 23. v. 19. & 26. v. 1. Hanc temporis circumſtantiam non abs re deſignat, ut ſciamus nullis malis unquam fuiſſe ita fractum, quin ſpe ad Deum aſſurgeret. Certe raræ & heroicæ fortitudinis ſpecimen fuit, quum hoſtilibus copiis undique occluſus, quocunque pedem moveret, ſibi videret occurrere exitium, non tamen deſperatione obrui, ſed ex profundis illis tenebris ad implorandam Dei opem emergere. Neque enim precari ſic potuit, niſi perſuaſus foret, tam facile eſſe Deo, mortuum è ſepulchro educere, quam vivum & incolumem in ſtatu ſuo tueri: quando nihil jam reſtabat, niſi ut animam in ſpeluncæ latebris deponeret.

3. Deus in nomine tuo ſerva me, & in virtute tua judica me.

3 אֱלֹהִים בְּשִׁמְךָ הוֹשִׁיעֵנִי וּבִגְבוּרָתְךָ
תְדִינֵנִי׃

4. Deus audi precationem meam, auſculta ad ſermones oris mei:

4 אֱלֹהִים שְׁמַע תְּפִלָּתִי הַאֲזִינָה
לְאִמְרֵי פִי׃

5. Quia alieni ſurrexerunt in me, & formidabiles quæſierunt animam meam: non poſuerunt Deum in conſpectu ſuo. Selah.

5 כִּי זָרִים קָמוּ עָלַי וְעָרִיצִים בִּקְשׁוּ
נַפְשִׁי לֹא שָׂמוּ אֱלֹהִים לְנֶגְדָּם סֶלָה׃

3. *Deus in nomine tuo.*] Quia ſcimus Davidem tunc omnibus humanis opibus & ſubſidiis fuiſſe exutum, ſubaudienda eſt antitheſis inter Nomen ac virtutem Dei, & inter media omnia (ut loquuntur) quibus juvari ſolent homines. Etſi enim nihil eſt auxilii extra Deum, ordinarios tamen modos habet quibus exerat erga nos gratiam ſuam & virtutem. Ubi autem ita nos deſtituit, ut nihil auxilii ſub cælo appareat, tunc per ſeipſum agit. Ergo David, quum in creaturis nihil ſpei eſſet reſiduum, merito ad ſacrum hoc aſylum confugit, ut ſola Dei virtute contentus, miraculo ſe fore ſalvum confideret. Cæterum in ſecundo membro Deum vindicem advocans, qui cauſam ſuam diſceptet, hoc modo ſuam innocentiam aſſerit. Et ſane ut nos Deus tuendos ſuſcipiat, danda in primis opera eſt ut probe & recte nobis ſimus conſcii: quia nihil magis perverſum eſt, quam temere ad eum invocandum proſilire, acſi malarum cauſarum eſſet patronus. David igitur, cauſæ ſuæ bonitate, & probitatis conſcientia ad petendam ſalutem animatur. Neque enim dubitat, dum ſuam integritatem Dei judicio examinandam proponit, eum ſibi fore propitium, ſimulque in ulciſcenda hoſtium perfidia & crudelitate, ſeverum fore judicem.

4. *Deus audi.*] His verbis affectus ſui vehementiam exprimit. Nec vero dubium eſt, quum tanta urgeret neceſſitas, anxie & ſummo ardore precatum eſſe: quia fieri non poteſt quin ex animo æſtuante verba prorumpant: idque etiam proximo verſu declarat, ubi conqueritur ſibi cum barbaris feriſque hominibus eſſe negotium, quos nulla religio à ſcelerum audacia cohibet. neque id facit quod monitore opus habeat Deus: ſed metus & inquietudinis ſuæ cauſam referens, in illius ſinum curas ſuas exonerat. Porro ſive ſolos Zyphæos, nomine *alienorum* intelligat, ſive illis conjungat totum Saulis exercitum, mihi videtur immanem eorum barbariem ita perſtringere. Multi putant vocari alienos, qui degeneres erant filii Abrahæ, & abjecto pietatis ſtudio deſciverant in profanas Gentium corruptelas. Et fateor Judæos ſæpe extraneos vocari à Prophetis, quia impie & ſcelerate vivendo, ab Eccleſia Dei ſe abdicaverint. Sed hujus loci mihi videtur diverſa eſſe ratio. nam quum vicinitas, hoſtes quoque ipſos ad aliquam humanitatem flectere ſoleat, David ut eorum truculentiam amplificet, à quibus non minus violenter impetebatur, quam quiſpiam ignotus, & fere natus in alio orbe, dicit Ab alienis in ſe impetum fieri: ſignificans bellnino furore ruere. Quo etiam pertinet ſecundum epitheton, *formidabiles.* Nam qui robuſtos vertunt, nimis extenuant atrocitatem rei. Senſus eſt igitur, hoſtes Davidis abjecto omni humanitatis ſenſu, non ſecus ac rabioſas feras in ejus perniciem ferri. Unde mirum non eſt eum expaveſcere, ut trepide ſub Dei tutelam confugiat. *Quærere* vero *animam* dicuntur, quorum crudelitas nulla mediocri læſione contenta, ſatiari non poteſt niſi morte. Jam quo melius effrenem rabiem exprimat, nullum illis eſſe Dei reſpectum dicit: quia hoc ſolum erat frenum quo poterant cohiberi, ſi veniſſet illis in mentem, ſedere mundi judicem in cælo, ad cujus tribunal ſemel omnibus reddenda eſt vitæ ratio: excuſſa vero Dei memoria nullus erat moderationi locus.

6. Ecce

Digitized by Google

6. Ecce Deus mihi auxiliator, Dominus inter fulcientes animam meam.	6 הנה אלהים עזר לי אדני בסמכי נפשי :
7. Rependet malum adverſariis meis, in veritate tua ſuccide illos.	7 ישב הרע לשררי באמתך הצמיתם :
8. Voluntarie ſacrificabo tibi, celebrabo nomen tuum Jehova, quia bonum.	8 בנדבה אזבחה לך אודה שמך יהוה כי טוב :
9. Quia ex omni anguſtia eruit me, & in adverſariis meis vidit oculus meus.	9 כי מכל צרה הצילני ובאיבי ראתה עיני :

6. *Ecce Deus mihi adjutor.*] Docet hic verſus Davidem non fortuito vota in aërem jeciſſe, ſed precatum eſſe ex vivo fidei ſenſu. Et demonſtrativum adverbium magnam emphaſin continet. Quum jam ne inter feras quidem tuto lateret, ubi iſta Dei propinquitas? quum fere in ſepulchro demerſum obrueret mortis caligo, quomodo Deum præſentem aſpicere potuit, & quaſi digito monſtrare? quum trepidus in ſingula momenta interitum expectaret, quomodo de præſenti certoque Dei auxilio gloriari potuit? Ergo neceſſe fuit mira fidei virtute excellere, qua tot obſtacula tranſcendens, ab ipſis inferis uſque ad Deum celeriter penetraret. Cæterum, ubi Deum inter defenſores animæ ſuæ numerat, non ſimpliciter intelligit unum eſſe ex illis: quia parum tribueret honoris, eum locando in hominum gradu: ac præſtaret nullam ejus fieri mentionem, quam ita in ordinem cogere. ſed potius ſignificat Deum ſtare ab eorum parte quibus curæ erat ipſius ſalus, qualis erat Jonathan, & ſimiles. Quum vero illi & numero pauci eſſent, & debiles, & timidi, hac tamen fiducia ſe ſuſtentat, quod Deo præſide, & directore futuri ſint omnibus impiis fortiores. Forte etiam alludit ad ſuam nuditatem. Nam (quia omnium mortalium ope deſtituebatur) poteſt ita reſolvi loquutio hæc, acſi dixiſſet, unius Dei fulturam ſibi pro innumeris ſufficere.

7. *Rependet malum.*] Quia verbum ישב tantundem valet ac, redire faciet, non modo videtur pœnam minari, ſed ſpeciem pœnæ ſimul notare: quod Deus prava eorum conſilia, malignas artes, & improbos conatus in eorum capita retorquebit. Etſi autem non improbo eorum ſententiam qui optative accipiunt verbum futuri temporis, magis tamen placet proprium ſenſum retinere, ut David, quaſi voti compos, ſecure quod precatus eſt expectet. Et ſæpe videmus (quo acrius ſe ſtimulet ac perſeverandi ſtudium erigat) eum talibus ſententiis interpoſitis precandi contextum abrumpere. quare nihil abſurdi ſi votis ſuis ſententiam hanc permiſceat, Deum fore juſtum ultorem, qui mercedem rependat impiis & ſceleratis. Jam ad ſpei confirmationem hoc non parum valet, Deo *ſuam veritatem* produci in medium: quia niſi in tentationum procellis fixa maneret perſuaſio, Deum, qui ſalutis noſtræ curam ſibi vendicat, eſſe veracem, neque inanibus verbis ſuos lactare, quoties auxilium ſuum differt ac ſuſpendit, labaſcerent mentes noſtræ. Non temere igitur David ſpem impetrandi in eo locat, quod Deus non magis fidem ſuam abnegare poteſt, quam ſeipſum.

8. *Voluntarie ſacrificabo.*] Suo more promittit ſe, ubi fuerit liberatus, gratiæ Dei memorem fore. Nec dubium eſt quin promittat, ſimulac data fuerit facultas, ſolennes ſe Deo gratias acturum. Etſi enim interiore affectu contentus eſt Deus, non debuit tamen David ritus in Lege præſcriptos negligere. Ergo ſacrificiis accepti beneficii memoriam teſtatus eſt, ut ferebat commune piorum officium, ut ſuo quoque exemplo alios excitaret. Se vero hoc liberaliter facturum dicit, non modo quia pro ſuo arbitrio cuique liberum erat ſacrificia gratiarum actionis offerre, ſed quod libenter & alacri animo, periculo jam defunctus votum ſuum ſolvet. Scimus enim majorem mundi partem, ubi aliqua neceſſitate conſtringitur, ſatis large polliceri ſe fore in Dei obſequio: mox vero ubi quiſque elapſus eſt, revolvi ad ſuum ingenium, Deique gratiam obliviſci. David ergo ſpontanea ſacrificia vovet, ut ſe ab hypocritis diſcernat, qui nonniſi ſerviliter & metu coacti, Deo ſe ſubjiciunt. Diſcamus itaque ex hoc loco, quoties prodimus in Dei conſpectum, liberales afferre animos, ſi cultum noſtrum cupimus ei probare. Poſterius membrum cum ultimo verſu ad tempus lætum & tranquillum referri debet. Quamvis enim totum Pſalmum poſt liberationem compoſuerit, hactenus tamen recenſuit qua precandi forma uſus eſſet adhuc in ipſo diſcrimine laborans: nunc omni anxietate ſolutus ac liber, novam gratiarum actionem ſubjungit. ac fieri poteſt ut uno exemplo admonitus, plura Dei beneficia quæ diverſis temporibus erat expertus, quaſi in faſciculum collegerit: ideoque generaliter pronunciat *nomen Dei eſſe bonum, & ſe ereptum ab omni anguſtia.* Quid ſibi velit iſtud Videre, alibi diximus Pſalmo 35. Notat enim hæc loquutio ſuavem & jucundum aſpectum. Siquis autem roget an filiis Dei liceat, quum Deus ſcelera ulciſcitur, tale ſpectaculum cupide expetere, reſponſio facilis eſt, modo puri ſint oculi, pie & ſancte oblectari juſtitiæ Dei teſtimoniis: ſed ubi prava aliqua libidine tanquam macula infecti ſunt, in vitioſum & perverſum finem omnia trahere.

ARGUMENTUM PSALMI LV.

Etſi multi interpretes Pſalmum hunc ad conſpirationem Abſalom referunt, qua David è regno pulſus trepide in deſertum profugit: magis tamen probabile eſt, quum à Saule redactus eſſet in extremas anguſtias, de injuſta ejus ſævitia conqueſtum coram Deo fuiſſe. Eſt enim lamentabilis precatio, magnoque affectuum fervore plena, in qua circumſtantias omnes colligit, quæ Deum ad miſericordiam moveant. Votis tamen conceptis, & expoſito ſuo dolore animum ad ſpem liberationis erigit: & quaſi jam adeptus quod optavit, gratiam Dei prædicat.

PSALM. LV.

PRæfecto in Neginoth, erudiens Davidis.	1 למנצח בנגינות משכיל לדוד :
2. Auſculta Deus precationem meam, & ne te abſcondas ab oratione mea.	2 האזינה אלהים תפלתי ואל תתעלם מתחנתי :

3. Attende ad me, & reſponde mihi: plangam in ſermone meo, & tumultuabor

3 הַקְשִׁיבָה לִּי וַעֲנֵנִי אָרִיד בְּשִׂיחִי וְאָהִימָה׃

4. A voce inimici coram afflictione impii: quia devolvunt ſuper me iniquitatem, in ira adverſantur mihi.

4 מִקּוֹל אוֹיֵב מִפְּנֵי עָקַת רָשָׁע כִּי יָמִיטוּ עָלַי אָוֶן וּבְאַף יִשְׂטְמוּנִי׃

A*Uſculta Deus.*] Ex his verbis liquet, Davidem, quum preces has concepit, conſtrictum fuiſſe ſummo dolore. Neque enim mediocre aliquod incommodum, aut vulgaris moleſtia animum ſancti viri heroica virtute præditum tantopere perculiſſent. Gravis ergo neceſſitas planctum & tumultum ei extorſit. Nam quod verbum אריד quidam vertunt, dominabor, contextui prorſus repugnat. neque enim jactat David fortitudinem, qua ſermoni ſuo imperet: ſed calamitatem ſuam deplorans, ut ſe miſerabilem faciat, dicit ſe compelli ad tumultuoſos clamores. Quod deinde ſequitur, *à voce inimici*, tametſi bene cohæret cum proximo verſu, poteſt tamen cum verbis illis contexi, Auſculta & ne te abſcondas. niſi forte malis extendere ad totum contextum. Per *vocem* putant notari ſtrepitum qualis ſolet eſſe in hominum turba: acſi dixiſſet hoſtem ſuum magnis copiis inſtructum venire. Sed ego minas potius intelligo: quia non dubium eſt quin Saul, ut cædem innoxii Prophetæ animo ſpirabat, ſic etiam ore ſubinde creparet. Quod etiam *devolvere iniquitatem* accipiunt pro onerare vel gravare falſis criminibus hominem inſontem & nihil tale meritum, videtur nimis argutum eſſe, & à contextu diſſentaneum. Cohæret cum hac loquutione poſterius membrum, *in ira adverſantur mihi.* Ergo devolvere iniquitatem, meo judicio, nihil aliud eſt quam injuſte irruere in perniciem miſeri hominis, & quidvis machinari ad eum opprimendum. Niſi forte diſtinguere ſic placeat inter hæc duo membra, ut *in furore adverſari*, ſit palam & violenter graſſari ad hominem perdendum: *devolvere iniquitatem* ſit fraudibus & inſidiis pugnare. Ita און occulta malitia erit. *Afflictio impii* active ſumitur pro injuſta oppreſſione quam infert. Atque impii nomine infamat hoſtem ſuum non tam ejus accuſandi cauſa, quam integritatis ſuæ teſtandæ. Nam hoc in perſequutionibus, magnum ſolatium eſt, ſibi bene eſſe conſcium, neque ſua culpa, ſed gratis provocari: quia tunc quoque ſperandum eſt levamen à Domino, qui ſe miſeris omnibus patronum & defenſorem fore pollicitus eſt.

5. Cor meum contremiſcit intra me, & terrores mortis ceciderunt ſuper me.

5 לִבִּי יָחִיל בְּקִרְבִּי וְאֵימוֹת מָוֶת נָפְלוּ עָלָי׃

6. Timor & tremor venerunt in me, & operuit me horror.

6 יִרְאָה וָרַעַד יָבֹא בִי וַתְּכַסֵּנִי פַּלָּצוּת׃

7. Et dixi, Quis dabit mihi alas ſicuti columbæ? volabo & requieſcam.

7 וָאֹמַר מִי יִתֶּן לִּי אֵבֶר כַּיּוֹנָה אָעוּפָה וְאֶשְׁכֹּנָה׃

8. Ecce elongabo transmigrationem, quieſcam in deſerto. Selah.

8 הִנֵּה אַרְחִיק נְדֹד אָלִין בַּמִּדְבָּר סֶלָה׃

9. Accelerabo liberationem mihi, à vento excitato à turbine.

9 אָחִישָׁה מִפְלָט לִי מֵרוּחַ סֹעָה כְּסָעַר׃

5. *Cor meum.*] Hinc jam clarius liquet quam diros cruciatus pertulerit David. Certe non effœminatus quiſpiam vel mollis loquitur: ſed qui jam multa conſtantiæ documenta præbuerat. Nec tamen hic tantum de atrocibus hoſtium injuriis conqueritur, ſed ſe opertum terroribus & obrutum dicens, cor ſibi non eſſe ſaxeum fatetur. Hinc quidem colligitur certaminum magnitudo. Diſcendum tamen ſimul eſt, ubi durius ſervos ſuos exercet Deus, nullam eſſe tantam fortitudinem quæ non labaſcat. quum nobis bene eſt, quiſque ſibi videtur invictus miles: ſed ubi ſerio & conſertis manibus pugnandum eſt, palam ſe prodit noſtra infirmitas. Hac vero occaſione Satan aſtute nos ad deſperationem ſollicitat & impellit: acſi Deus, ſubducto Spiritus ſui auxilio, ſe curam ſalutis noſtræ abjicere oſtenderet. Hoc igitur exemplum obſervatu dignum eſt, quod David circumdatus ingenti malorum congerie, ſimul etiam inteſtinum cum timoribus ſuis certamen habuerit, nec ſine lucta & violento conatu emerſerit ad invocandum Dei nomen. Et *terrores* vocans *mortiferos*, oſtendit, niſi ſuffultus eſſet virtute Dei, ſibi protinus fuiſſe ſuccumbendum.

7. *Quis dabit mihi.*] His verbis non modo ſignificat nullum ſibi effugium patere, ſed miſerum ſtatum ſuum deplorat, quod nihil exilio melius appetere jam queat: non quale hominibus conceditur, ſed perinde acſi columba procul in deſertum aliquem angulum evolet. denique intelligit ſe nonniſi miraculo elabi poſſe. Deinde non fore locum exilii inter homines, ſed eo ſe redactum, ut deterior ſit ſua conditio quam aviculæ cujuslibet. Quod *columbam* nominari quidam putant potius quam alias aves, quia pernici volatu excellit: neſcio an ſatis firmum ſit. Longe ineptius eſt quod garriunt Judæi, alam poni in ſingulari numero, quoniam una tantum ala volitent columbæ: quum numeri mutatio paſſim trita ſit in Scripturis. Hæc potius ſimilitudinis ratio eſt, quod David effugere cupiat hoſtium ſuorum ſævitiam, non ſecus ac columba, quæ meticuloſa eſt & imbellis, accipitrem fugit. Unde colligimus in quas anguſtias conjectus eſſet qui regni promiſſi oblitus, trepide tantum de ignominioſa fuga cogitet, ac relicta patria, extra hominum conſuetudinem alicubi in deſerto latere paratus ſit. Atque huc pertinet quod addit, ut furori hoſtium cedat, ſe migrationem longinquam non recuſare: nec ſe inducias quærere, vel tempus trahere, quemadmodum ſolent quibus aliquid ſpei vel ſoltaii adhuc reſiduum eſt. Voces autem ſunt hominis deſperati ſecundum carnis ſenſum. Unde colligimus quam diros cruciatus ſenſerit quum paratus omnibus renunciare, ne hoc quidem modo vitam redimeret. Itaque non mirum eſt in iſtis anxietatum tormentis cor ejus lethali mœrore penitus fuiſſe vulneratum. סעה quidam tempeſtuoſum vertunt. & certe procelloſus ventus hic notatur quem excitat turbo. Sed quum dicitur motus à turbine, paraphraſis eſt impetuoſi venti ac turbulenti qui ad celerem fugam compellit viatores, donec tectum vel latebras reperiant.

10. Perde

Digitized by Google

10. Perde Domine, divide linguam ipſorum: quia vidi vexationem & rixam in urbe.

10 בלע אדני פלג לשונם כי ראיתי חמס וריב בעיר:

11. Die & nocte circumdant eam ſuper muros ejus, & labor & moleſtia in medio ejus.

11 יומם ולילה יסובבה על חומתיה ואון ועמל בקרבה:

12. Pravitates in medio ejus, & non diſcedit à plateis ejus fraus & dolus.

12 הוות בקרבה ולא ימיש מרחבה תך ומרמה:

10. *Perde Domine.*] Hic collecto animo rurſus ſe ad Deum invocandum convertit: alioqui ſtultum fuiſſet, ſine profectu querimonias in aërem ſpargere: ſicuti profani homines hoc inani ſolatii genere non tam ſe exonerant quam fatigant. Miſcent quidem precibus ſuis ſancti confuſos vel inordinatos gemitus, ſed tandem ad orandi fiduciam ſe revocant. Quod autem *linguam eorum ſcindi* vel dividi optat, in eo videtur alludere ad pœnam Babyloniis inflictam. Summa eſt, ut Deus ſubitis diſſidiis abrumpat impia conſilia, & nefarias conſpirationes diſſipet. Sed memorabile illud ſpecimen oblique commemorat, quo ſemel teſtatus eſt Deus in ſuo arbitrio eſſe, mutuam inter ſceleratos & improbos communicationem tollendo, frangere eorum vires ac conatus. Sic quotidie perverſas factiones diſcindit, dum inter ſe committit Eccleſiæ hoſtes, ut alii aliis invideant, laborent diffidentia, ferantur in contrarios affectus: & dum quiſque dominari cupit, nec ſuſtinet aliis cedere, ſeipſos ultro enervent. Porro ad exorandi fiduciam, quanta ſit hoſtium improbitas & malitia recenſet. quia ſemper tenendum eſt principium illud, quo inſolentius ruunt homines ad peccandum, propius inſtare Dei vindictam quæ eorum furori occurrat. Ergo ex effreni hominum licentia propinquum ſibi fore Dei auxilium colligit David: quia Dei proprium eſt ſuperbis reſiſtere, humilibus autem dare gratiam. Primo affirmat ſe non temere imprecari hoſtibus: quia expertus ſit eſſe injuriis, vexationibus & moleſtiis deditos. De urbe fruſtra, meo judicio, laborant interpretes, fueritne Jeroſolyma an Ceila: quia videtur alio ſenſu nomen urbis poſuiſſe David, quod ſcilicet paſſim & in publico regnaret nocendi lædendique audacia. Subeſt enim tacita inter urbem & occultos receſſus antitheſis: acſi dixiſſet, ſine pudore invaluiſſe rixandi morem, & quotidiano uſu non ſecus eſſe receptum, ac communes urbis leges. Etſi vero metropolim regni notari probabile eſt, vel ſaltem in qua habitabat Saul: nihil tamen impedit quominus ad totum populi ſtatum communiter hoc extendere liceat. Teneo tamen quod jam dixi, nomen *urbis* indefinite eſſe poſitum, quo oſtenderet David non ſecus in publico graſſari licentiam peccandi, quam latrones in ſylvarum latebris homines ſpoliant. Eodem pertinet quod ſequitur, in muris excubare hæc vitia. Nam quum muris cingantur urbes, ut à rapinis & violentis incurſibus tutæ ſint, inverſum naturæ ordinem deplorat David, quod loco munitionum, rixæ & oppreſſiones urbem circumdant, vel per circuitum occupant muros. De vocibus און & עמל, alibi dictum fuit. Fontem quoque deſignat, *pravitates in medio ejus* habitare dicens, *dolum & fraudem in plateis regnare.* Fieri enim non poteſt, ubi fraudandi cupiditas, & improbæ perverſæque artes locum obtinent, quin ad prædandum & rapiendum, ad vexandos ſimplices & quietos proſiliant qui ſe impune id facturos vident. Breviter, politiæ bene compoſitæ, fœdam & deteſtabilem quæ ſub Saule paſſim erat, ἀταξίαν opponit, acſi diceret, omnem illius juſtitiam, omnem ordinem, omne recti honeſtique ſtudium exulare. Quod ſive de una tantum urbe, ſive de pluribus dictum ſit, portenti certe loco habendum eſt, in tam craſſas corruptelas fuiſſe progreſſos, qui ſe jactabant ſacrum Dei populum, ut eorum urbes eſſent quaſi latronum ſpoliaria. Interea tenendum eſt, urbes ita vitiatas, & pravis moribus imbutas, non ſolum imprecatione Davidis, ſed Spiritus ſancti judicio in æternum exitium devoveri.

Jacob. 4. verſ. 6.

13. Certe non inimicus opprobrio me affecit, nam ſuſtinuiſſem: non adverſarius magnificatus eſt ſuper me, nam me abſcondiſſem ab eo.

13 כי לא אויב יחרפני ואשא לא משנאי עלי הגדיל ואסתר ממנו:

14. Tu vero homo ſecundum ordinem meum, dux meus & familiaris meus,

14 ואתה אנוש כערכי אלופי ומידעי:

15. Qui ſimul ſuaviter fruebamur ſecreto, in domum Dei ibamus in ſocietate.

15 אשר יחדו נמתיק סוד בבית אלהים נהלך ברגש:

16. * Sit mors exactrix ſuper eos, deſcendant in ſepulchrum vivi: quia malitiæ in habitaculo eorum, in medio eorum.

* vel, *irruat.*

16 ישי מות עלימו ירדו שאול חיים כי רעות במגורם בקרבם:

13. *Certe non inimicus.*] Exaggerat injuriæ atrocitatem, eo quod non ſolum profeſſi hoſtes moleſti eſſent, ſed etiam fucati & perfidi amici. creſcit enim indignitas, ubi perniciem nobis moliuntur qui juvare debuerant. Sed quia male exponitur verbum נשא, acſi diceret David ſe patienter laturum fuiſſe ſi probrum intuliſſet apertus hoſtis: monendi ſunt lectores, potius eum conqueri quod ſibi ab occultis inſidiis cavere non potuerit. Ego enim repetitionem expendo, *tuliſſem, & abſcondiſſem me*, vel delituiſſem. Ferre igitur hoc loco, non tolerare ſignificat, ſed potius ictum elevando repellere: quod Gallice dicimus, *J'euſſe receu le coup.* Nam quum ad cavendos hoſtes intenti ſimus, perfidi homines ad lædendum facilius penetrant, ſimulatæ amicitiæ prætextu. Dicit igitur non fuiſſe hoſtem, cujus ictum excipere poterat vel ſuſtinere: non fuiſſe adverſarium, à cujus noxa deflectere poterat. Quod *magnificandi* verbum quidam accipiunt pro, verbis inſultare: meo judicio nimis reſtrictum eſt. tantundem enim valet ac violenter ſe efferre, vel exurgere contra aliquem nocendi cauſa. Conqueritur in ſumma David, ſe clandeſtinis artibus fuiſſe oppreſſum, quibus nullam defenſionem opponere potuit. Quem vero hic perſtringat incertum eſt. Ut eorum ſententiæ ſubſcribam qui volunt eſſe Achitophel, adduci nequeo: quia totus contextus in perſequutionem Abſalom non competit. Quod alii putant proditorem aliquem notari ex urbe Ceila, in medio relinquo. Quanquam non minus probabile eſt, unum ex aulicis proceribus accuſari, cujus ſancta cum Davide conjunctio & familiaritas vulgo nota eſſet. Niſi forte quis ad plures extendere hoc malit: ſicuti facile conjicere licet non unum duntaxat fuiſſe fœdi-

fra-

fragum, ſed ut quiſque honore pollebat, ne Regis gratiam amitteret, ſancto Prophetæ fuiſſe infeſtum. Nihil ergo impedit quo minus primarios ex regia cohorte una cum capite ſuo hic compellet. Ubi autem videmus Davidem non modo fuiſſe vi aperta oppugnatum, ſed etiam malitioſe proditum ab amicis, in ejus perſona nobis depingitur piorum omnium conditio, ut quiſque noſtrum ad ſubeundum hoc duplex certamen paratus ſit. Non enim gladiis tantum & cædibus Eccleſiam Dei Satan infeſtat, ſed ſubornat etiam hoſtes domeſticos qui eam per inſidias & fraudes adoriantur. Quod genus hoſtium (ut dicit Bernardus) neque fugere neque fugare datur. Quiſquis autem hic fuerit, primo David eum vocat *hominem ſui ordinis.* ſic enim ערך interpretor, quia nomen æſtimationis non convenit: ſive paſſive ſumatur pro æqualitate, ſive active pro ipſius Davidis judicio, ſicuti quidam vertunt, Tu eras æqualis meus: alii autem, Perinde fuiſti à me reputatus atque alter ego. Hoc autem optime quadrat quod David queratur, mutuæ ſocietatis vinculum, quo Deus homines inter ſe copulat, fuiſſe abruptum. Sicuti enim eadem ſtatio milites in caſtris conſociat, ita in omnibus vitæ partibus æquum eſt ut neceſſitudo & communis uſus, commune etiam officium, amicitiam inter homines conciliet. Ergo quum ad munus aliquod duo ſimul vocantur, Deus eos quaſi ſuis auſpiciis conjungit, ut fraterne mutuo ſe juvent. Crimen ergo proditoris hac circumſtantia auget David: ſicuti etiam quum *ducem* ſuum vel præfectum nominat. Tertio quum exprobrat quod ſecretum communicaverint cum ſumma dulcedine. Poſtremo quod ſimul celebraverint ſacros conventus. Nam רגש *rágheſ* ſocietatem hoc loco potius ſignificat (acſi diceret, ſe huic perfido amico fuiſſe proximum comitem) quam ad turbæ ſtrepitum referri debeat. Cæterum hoc ultimo membro conqueritur proditum ſe fuiſſe ab eo homine, quo non ſolum in terrenis negotiis, ſed etiam in Dei cultu, ſocio atque etiam magiſtro uſus fuerat: quum tamen religio ſacratiſſimum ſit humanæ conjunctionis vinculum. Interea ſciamus damnari à Spiritu ſancto eos omnes qui ſacra naturæ fœdera violant quibus erant inter ſe devincti. Quædam eſt totius humani generis ſocietas: ſed quo quiſque propius ad nos accedit, eo ſanctiore vinculo nobis eſt conjunctus. Nam principium quod profanis hominibus incognitum fuit, nobis tenendum eſt, non fortuito, ſed Dei providentia fieri, ut vicinitas, cognatio, vocatio communis, homines ipſos inter ſe conſociet. Sacratiſſimum autem eſt pietatis fœdus.

16. *Irruat mors.*] Jam contra totam factionem invehitur: neque tamen promiſcue ſub hac imprecatione totum populum involvit, ſed duces vel anteſignanos, qui nulla de cauſa ſceleſte eum perſequebantur. Diximus autem alibi Davidem non ita fuiſſe hoſtibus ſuis imprecatum cæco vel pravo affectu: quia non privatam, ſed Dei cauſam agebat, & moderatorem habebat illius Spiritum. Non fuit igitur votum hoc vel turbidi & inconſiderati zeli, vel iracundiæ, nequis ſibi exemplo Davidis licere putet, ſimulac læſus fuerit, diras & maledictiones evomere: quia ſi nos agat vindictæ cupiditas, perperam ſanctum Prophetam æmulabimur, qui ſincero & compoſito zelo hic Deum vindicem implorat contra reprobos qui jam æterno exitio devoti erant. Quod verbum ישי quidam vertunt condemnet, coactum eſt: ſicut etiam quod aliis placet, mortem exactricem conſtituat. ego quod ſimplicius erat elegi. Libenter autem recipio quod annotant quidam, ubi optat vivos in ſepulchrum deſcendere ſuos hoſtes, alludere ad pœnam Choræ, Dathan, & Abiron, eorumque factioni inflictam. etſi mihi videtur ideo ſubitum & inopinatum mortis genus ponere, quia ſua opulentia tutos ſe à morte fore putabant: acſi diceret David, Domine, quoniam ſua potentia excæcati, non amplius reputant ſe eſſe ex ordine mortalium, fac ut terra vivos deglutiat: hoc eſt, nequid impediat quominus ad pœnam qua digni ſunt, cum ſuo faſtu trahantur. Cauſæ redditio iterum oſtendit Davidem non tam in perſonas hoſtium ſuorum ferri, quam pœnam denunciare improbis omnibus qui Dei Eccleſiam injuſtis moleſtiis affligunt. *Malitiæ*, inquit, *in tabernaculis ipſorum.* acſi diceret, Ubicunque domicilium ſibi eligant, illic habitare multas pravitates. Quod poſtea melius exprimit, dicens reſidere *in medio eorum*, quod tantundem valet atque intus ab ipſis foveri, ideoque individuas eſſe comites, vel in eodem contubernio manere.

Num. 16. verſ. 31.

17. Ego ad Deum clamabo, & Jehova ſervabit me.	17 אני אל אלהים אקרא ויהוה יושיעני:
18. Veſpere, & mane, & meridie orabo & ſtrepitum edam: & audiet vocem meam.	18 ערב ובקר וצהרים אשיחה ואהמה וישמע קולי:
19. Redemit in pacem animam meam à prælio quod mihi erat: quoniam in multis fuerunt mecum.	19 פדה בשלום נפשי מקרב לי כי ברבים היו עמדי:
20. Audiet Deus, & * affliget eos, & qui ſedet ab initio. Selah. quia non ſunt mutationes ipſis: & non timent Deum.	20 ישמע אל ויענם וישב קדם סלה אשר אין חליפות למו ולא יראו אלהים:

* *vel, reſpondebit eis.*

17. *Ego ad Deum clamabo.*] Retineo futurum tempus in verbis, quia non tam refert quid egerit, quam ſeipſum animat & hortatur tam ad precandi ſtudium, quam ad ſpem & fiduciam. Quamvis ergo nullum effugium pateat, ut nihil propemodum à mortuo differret: profitetur tamen ſe finem precandi non facturum, & ſibi ſucceſſum promittit. Proximo verſu perſeverantiam ſibi expreſſius injungit. neque enim ſatis erat uno verbo dixiſſe, orabo: quia idem perfunctorie faciunt multi qui mox fatiſcunt. Primo autem notatur aſſiduitas, deinde vehementia. Et quod *mane, veſperum,* & *meridiem* nominat, colligere licet ſtatas fuiſſe piis horas ad precandum iſtis temporibus. Nam quum mane & veſperi quotidie ſacrificia offerebantur in templo, quiſque admonebatur privatim quoque domi ſuæ eſſe orandum. Medium tempus aliis ſacrificiis deſtinatum erat. Jam quia ſumus æquo tardiores ad orandum, niſi quiſque ſeipſum ſollicitet ac urgeat, præcipuum hoc pietatis officium apud nos frigebit, adeoque obrepet precandi oblivio, niſi nos freno aliquo retineamus. Deus ergo certas horas præfigens, infirmitati noſtræ mederi voluit: quæ eadem ratio transferri debet ad privatas preces, ſicuti patet ex hoc loco: cui etiam reſpondet Danielis exemplum. Quanquam autem hodie abolita ſunt ſacrificia, quia tamen ab ea pigritia quam talibus adminiculis expergefieri olim neceſſe fuit, non ſumus immunes, communis nobis cum Patribus eſt ratio, ut ſinguli noſtrum certas ſibi horas præſcribant, quas non patiantur ſibi elabi abſque precibus. In verbo *tumultuandi*, ut diximus, notatur fervor: quod tanquam ſummæ ægritudinis & valde

Dan. 6. verſ. 11.

valde anxii metus ſignum poſuit David. Neque enim ſonitum vel clamorem edidit niſi quem anxietas animi vel mœſtitia extorquebat. Teſtatur igitur nullos cruciatus vel dolores ſibi fore obſtaculo quominus ſuas querimonias ad Deum dirigat, & ſpem ſalutis fixam ac firmam foveat in corde ſuo: quia certo perſuaſus ſit, vota ſua à Deo exauditum iri.

19. *Redemit in pacem.*] Qui duos ſuperiores verſus in tempore præterito legunt, videntur aliqua ratione niti, acſi David hic probaret ſe fuiſſe exauditum, quia redemptus fuerit. ſed hoc facile diluitur, vel quod de ſalute ſua perſuaſus, glorietur ſe ſalvum eſſe: vel quod diverſas meditationes permiſceat: ſicuti ſcimus votis interdum adjungi narrationem eventus qui ſequutus eſt. Poſtquam ergo narravit ſuas preces, profectum quoque addit, ut pro liberatione gratias agat. Dicit autem ſe redemptum fuiſſe in pacem, vel ad pacem: quia ultimo diſcrimine oppreſſus, eam non niſi ſingulari miraculo adeptus ſit. Quod poſtea ſequitur, *in multis fuerunt mecum*: duplicem ſenſum admittit. Quidam de hoſtibus exponunt: ac ſecundum eos, *mecum* tantundem valet ac contra me. Ita confirmatio eſſet redemptionis de qua nuper loquutus eſt: quod ingenti hoſtium turba obſeſſus, nonniſi admirabili Dei gratia ſalvus evaſerit. Alii de Angelis intelligere malunt, quos ſcimus turmatim pro nobis pugnare, ut caſtra
Pſal 34. vers. 8. locant in circuitu timentium Deum. Literam vero ב, ut ſæpe alias, ſupervacuam eſſe putant, acſi dixiſſet ſimpliciter, multi fuerunt mecum. Atque hic poſterior ſenſus doctrinam continet plenam conſolationis, quod Deus, licet alienis ſubſidiis non indigeat, infirmitatis tamen noſtræ cauſa multis adjutoribus ad ſalutem noſtram utatur. Sed forte aptius erit ad hoſtes referre, ut David eorum multitudinem commemorans, liberatricem potentiam magis inde extollat.

20. *Audiet Deus.*] Quia verbum ענה teſtificari interdum ſignificat, ſic quidam accipiunt, Deus ex adverſo teſtis contra eos exurget. Sed neſcio an ſyntaxis patiatur: quia ubi de conteſtatione agitur, Hebræi addunt literam ב. Ego vero non dubito quin David verbum hoc poſuerit pro affligere, in ambiguitate tamen quaſi ironice ludens. nam ut plurimum ענה Hebræis ſignificat reſpondere. Dixerat autem, *Audiet Deus*: quod ad ſuam perſonam haud dubie refert. Nunc ergo addit ſe fuiſſe exauditum, ut Deus vindex exurgeret in hoſtibus ejus affligendis. Simul Deum epitheto ornat, ex quo non parum ſolatii piæ mentes ſentiunt in rebus turbulentis ac confuſis. Unde enim tantus impatientiæ fervor qui nos præcipitat, niſi quia ad Dei æternitatem mentes non attollimus? Atqui nihil magis perverſum, quam mortales homines, qui ſingulis momentis inſtar umbræ diffluunt, Deum ſenſu ſuo metiri: quia hoc modo eum ab æterno ſolio detractum, variis mundi inclinationibus ſubjiciunt. *Quia non mutationes.* Quia חלף tam excindere quam mutare ſignificat, quidam putant Davidem conqueri quod Deus nimis diu eorum interitum differat, qui ſubita pœna digni erant. Sed quomodo hoc conveniat non video. melius ergo alii *mutationes* vertunt. Quanquam hic quoque variant interpretes. Quidam enim ita intelligunt, quod nulla converſio in melius ſperanda ſit, quia perdita ſit eorum obſtinatio, adeoque ſint addicti ſuæ malitiæ, ut ad pœnitentiam ſint inflexibiles, ac nativa quædam crudelitas eorum animos occupet, ne ad miſericordiam vel humanitatem unquam inclinent. Rectius alii exponunt ſub querimoniæ ſpecie hoc dici, quod continuo tenore fluat eorum proſperitas, acſi non eſſent communibus incommodis ſubjecti. Tanta vero Dei indulgentia eos corrumpi dicit, ut omnem metum exuant, acſi immunes forent ab omnium hominum ſorte. Hoc modo copula Hebraica illationem valebit, Non ſunt mutationes, ideoque non timent Deum. Et certe quo diutius torpent in ſuis deliciis, in malitia quoque magis obdureſcunt: & ubi dominatur ſuperbia, quamdiu Dominus nobis parcit, non revocamus in memoriam nos eſſe homines. Oblique vero perſtringit eorum amentiam qui ſe imaginantur quaſi ſemideos, quia rebus adverſis non ſubjaceant ut reliqui. quantulum enim humanæ vitæ curriculum eſt, ſi ad æternam Dei ſeſſionem conferatur? Sedulo igitur cavendum ne rebus proſperis obrepat nobis ſecuritas, quæ etiam contra Deum exultet.

21. Miſit manus ſuas in paces ſuas, violavit fœdus ſuum.	21 שלח ידיו בשלומיו חלל בריתו׃
22. Lenia præ butyro verba oris ejus, & cor ejus prælium: dulces ſunt ſermones ejus præ oleo, & ipſi jacula.	22 חלוק מחמאות פיו וקרב לבו רכו דבריו משמן והמה פתחות׃
23. Projice ſuper Jehovam tuum * dare, & ipſe te paſcet: non permittet in æternum † nutationem juſto.	23 השלך על יהוה יהבך והוא יכלכלך לא יתן לעלם מוט לצדיק׃
24. Tu Deus projicies eos in puteum corruptionis: homines ſanguinarii & doloſi non dimidiabunt dies ſuos: ego autem ſperabo in te.	24 ואתה אלהים תורדם לבאר שחת אנשי דמים ומרמה לא יחצו ימיהם ואני אבטח בך׃

* vel, onus.
† vel, lapſum.

21. *Miſit manus.*] Quoniam paulo poſt in plurali numero loquetur, probabile eſt, antequam ad turbam deſcendat, perſtringere auctorem & caput impiæ conſpirationis. Objicit autem quod bellum intulerit in media pace, atque hoc modo fidem violaverit. Quibus verbis eum perfidiæ accuſat, quod neque laceſſitus injuria, neque bello legitime indicto, vim & arma ex inopinato intentaverit. Longe enim ſceleratior eſt qui fœderatos ſuos ſine cauſa adoritur, quam qui ſuas injurias aperte & ingenue vindicat. Quod fuſius deinde proſequitur, dicens butyrum & oleum eſſe in labris ejus, quum tamen prælium ſit in corde, & ipſi quoque ſermones ſint jacula. Tametſi enim nihil præter dulcedinem primo guſtu ſaperent, occulta tamen virulentia non ſecus ac gladio vel ſpiculis vulnerabant: velut proverbio dicitur, fallaces homines venenum melle illitum ore gerere. ac crudelitas ex corde manans illic quoque ſe exerebat. Porro ſcimus Saulem ſæpe blandis verbis omnia fuiſſe pollicitum: imo adulatum eſſe Davidi, ut eum in ſuas naſſas alliceret. nec dubium quin eandem vafritiem ſequuti ſint aulici. Et certe hoc peculiare eſt certamen filiis Dei, ut illecebris deceptos aſtuti homines conentur in perniciem illaqueare. Sed interea Spiritus ſanctus omnes obliquos aſtus damnans, præſertim fallaces blanditias, eos ad ſimplicitatem colendam hortatur.

23. *Projice ſuper Jehovam.*] Quia verbum יהב Hebræis dare ſignificat, ratio Grammaticæ poſtulat ut יהבך hoc loco vertatur *tuum dare* vel *donum*. Etſi autem major pars interpretum diverſum ſenſum probat, nullam tamen rationem affert cur verti debeat, onus tuum. Nuſquam enim verbum יהב pro onerare ſumitur: & quod nomen inde deductum onus ſignificet, nullo exemplo conſtat. Unde apparet, quia illis dura & abſurda erat loquutio, *projice donum*

donum tuum ſuper Jehovam, neceſſitate compulſos ſenſum illum excogitaſſe. Pia quidem ſententia eſt, curas omnes & moleſtias quibus gravamur, in Dei ſinum exonerandas eſſe: quia nullum ægris animis levandis aliud remedium eſt quam ſi in Dei providentiam recumbant. Quia tamen nullum occurrit ſimile exemplum in Scripturis, libenter alteram ſententiam amplector, quæ utilem & valde uberem in ſe doctrinam continet: ſiquidem dare noſtrum accipimus paſſive pro beneficiis omnibus quæ nobis à Deo conferri expetimus. Huc itaque tendet exhortatio, ut curam eorum omnium quæ nobis uſui ſunt, Deo reſignemus. Neque enim ſatis eſt à Deo petere ut neceſſitatibus noſtris ſuccurrat, niſi etiam petitiones noſtræ & vota in ejus providentiam recumbant. quia pleroſque videmus tumultuoſe precari: & dum ſine modo laborant vel ſolliciti ſunt, Deum ad ſuas leges velle adigere. Quare non fruſtra David modeſtiam hanc in precibus commendat, ut fideles eorum quæ poſtulant curam remittant Deo. nec enim aliter corrigi poteſt nimiæ feſtinationis vitium, quam ſi Dei arbitrio ſubjicimus quid nobis concedi oporteat. Qui vero exponunt, Agnoſce Deum tibi hactenus tot bonorum fuiſſe auctorem, ut de ejus liberalitate adhuc ſperare debeas: nimis longe recedunt à genuino ſenſu. Sive autem David alios hortetur, ſive ſeipſum compellet, parum intereſt. quanquam mihi probatur, ſuo exemplo communem piis omnibus doctrinam ipſum præſcribere. Quod proxime ſubjicit, *ipſe te paſcet*, optime doctrinam illam confirmat quam expoſui. Nam quia multis ſubſidiis indiget vita noſtra, ſemper fere ſumus inquieti & fluctuamus. David autem promittit Deum fore paſtoris loco, qui neceſſitates noſtras curæ habeat, nobiſque ſuppeditet quæcunque uſus noſter flagitabit. Addit poſtea non paſſurum ut juſti unquam labantur: vel perpetuo nutent. Nam ſi מוט pro lapſu accipias, ſenſus erit, Stabiliet Deus ſemper juſtum, ne in æternum labatur. quem ſenſum tametſi non improbo, magis tamen inclino in alterum. Videmus enim ad tempus nutare juſtos: & dum agitantur huc & illuc quaſi variis procellis, prope labaſcere. Quia autem nihil miſerius eſt quam ita inter continuos æſtus verſari, finem tandem fore promittit David, quia Deus paſſurus non ſit ut ſemper anxietatibus obnoxii ſint, vel periculis & curis concutiantur, ſed daturus ſit tranquillum ſtatum.

24. *Et tu Deus.*] Iterum ad hoſtes ſuos redit, ut diſcrimen oſtendat inter ſuum & illorum exitum. Nam quum ad tempus quaſi victores exultent, pii autem jaceant projecti ſub eorum pedibus, unum hoc ſolatium reſtat, ut quietem ſibi paratam eſſe confidant, qui trepidantes inter multa diſcrimina vix ſe ſuſtinent: fide etiam ſpeculentur quod hoſtibus ſuis impendet judicium. Quod ad verba ſpectat, quia ponitur nomen *putei*, & additur שחת quod ſepulchrum ſignificat: improprie autem dictum eſſet, trahendos eſſe in puteum ſepulchri: ideo multi interpretes etymologiam vocis Hebraicæ (deducitur enim à שחת, quod eſt corrumpere, vel perdere) potius ſequuntur, ac vertunt, foveam corruptionis. Quia ad ſummam rei parum intereſt utrumvis eligas, in medio relinquo. ſignificat enim David, non temporalem modo cladem inſtare ſuis hoſtibus, ſed æternum interitum. Atque ita eos à fidelibus diſcernit, qui & ipſi merguntur ſæpe in profundas malorum foveas, ex quibus poſtea reſurgunt: ſed lethalem hoſtium ſuorum ruinam David fore pronunciat: quia Deus in ſepulchrum eos dejiciet, ubi putreſcent. *Viri ſanguinarii.* Generali ratione confirmat quod dixit. Nam quum certa Dei ultio crudeles & doloſos omnes maneat, hoſtes ſuos (quorum ſævitiam & dolos erat expertus) illam effugere non poſſe colligit. Atqui reclamat experientia. Tyrannis enim nihil eſt magis ſanguinarium, qui totum genus humanum pro ſua libidine cædibus addicunt. Vivet autem tyrannus ad ſenectutem uſque qui trecenta hominum millia occiderit. & tales diſerte notat David, non autem vulgares ſicarios. Reſpondeo, quamvis non ita ſubito pœnas Deus ſemper exigat, multis tamen documentis planum fieri quod hic dicitur. Satis autem eſt temporales pœnas ut plurimum conſpici: nec præciſe exigendus eſt in illis æqualis modus, ſicuti Pſalmo 37. fuſius diſſerui. Deinde utcunque ſcelerati homines vitam longius producant, agere tamen trepidam & inquietam vitam, ut verſentur in umbra mortis, & proprie loquendo, vitam minime vivere. Quum vero omni morte deterior ſit vita quæ ſic maledicta eſt à Domino, in rationem venire non meretur: præſertim ubi mala conſcientia ſuis tormentis, tanquam ſæviſſimus carnifex, eos excruciat. Et certe ſi probe reputamus quid ſit juſtum vitæ curſum peragere, non alii ad metam perveniunt, quam qui Deo vivunt & moriuntur: quia illis ſolis tam mors quam vita lucrum eſt. Atque hæc valde tempeſtiva eſt conſolatio, quoties improbi vel gladio vel fraudibus nos oppugnant, non diu victuros: quia quaſi repentino turbine Deus ipſos abripiet: ac diſcutiet, tanquam nebulas, eorum conatus, quibus videntur totum mundum perdituri. Clauſula quoque Pſalmi admonet judicium hoc nonniſi fide & patientia cerni: quia David ſalutis ſuæ cuſtodiam in ſpe reponit. Unde colligimus, non ita mature è medio tolli impios, quin diuturnis injuriis ad tædium uſque nos exerceant.

ARGUMENTUM PSALMI LVI.

Pſalmus hic partim querimonias precibus miſcet, partim dolorem mitigat, gratiæ Dei meditatione. Nam auxilium Dei contra ſævitiam Saulis & hoſtium ſuorum implorans David, de ſucceſſu gloriatur: fieri tamen poteſt ut jam defunctus periculo iſtam gratiarum actionem addiderit.

PSALM. LVI.

PRæfecto ſuper columba muta in remotis, Davidis Michtam, quum apprehendiſſent eum Philiſtini in Gath.	1 למנצח על יונת אלם רחקים לדוד מכתם באחז אתו פלשתים בגת:

HIſtoria cujus meminit inſcriptio, habetur priore libro Samuelis, capite viceſimo primo. Nam quum nulla jam in latebris omnibus quies eſſet, coactus eſt tandem fugere ad regem Achis. Quanquam hic ſe dicit fuiſſe comprehenſum in itinere: & ex Sacra hiſtoria idem colligere licet, ubi dicit Achis, Ecce vidiſtis hominem inſanum, ut quid introduxiſtis eum ad me? Et probabile eſt, fuiſſe ſuſpectum acſi eſſet proditor, vel aliquid machinaretur. Etſi autem mortis diſcrimen ſtultitiæ diſſimulatione effugit, hic tamen ſatis declarat, ſe compoſita mente conſtanter invocaſſe Deum, ut fides ſub illa infirmitate occulta, virtutem ſuam coram Deo exereret. Non fuit igitur talis animi perturbatio quæ eum ad illicita media præcipitem ageret: ſed in re deſperata aſtutum conſilium excogitare coëgit eum metus, ut vitæ ſuæ potius quam dignitati conſuleret. Quo autem minus enituit ejus

magna-

magnanimitas apud homines, eo magis ſtrenue cum cæcis timoribus intus luctata eſt ejus fides, ſicuti ex Pſalmo apparet. Quod autem dicit, *ſuper columba muta*, quidam initium triſtæ cantilenæ fuiſſe putant. Aliis placet, Davidem metaphorice vocari columbam. & certe argumento optime convenit hoc epitheton. Eodem etiam pertinet, *in remotis*: quia hoſtium furore pulſus in hoſtilem terram, merito conqueſtus eſt, ſe procul velut in deſerta loca ejectum eſſe. Nam quod alii *palatium* vertunt, coactum eſt. De voce Michtam alibi dictum fuit. Quanquam autem nihil aſſero, ubi Hebræi quoque interpretes inter ſe diſſentiunt: probabile tamen videtur, ut tunc dixi, ſpeciem fuiſſe melodiæ, vel muſicum inſtrumentum.

2. Miſerere mei Deus, quia devorat me homo, quotidie * oppugnans coarctat me.

3. Devorant inimici quotidie, certe † multi ad coarctandum me excelſe.

4. Quo die timui, ego in te ſperavi.

5. In Deo laudabo verbum ejus: in Deo ſperavi, non timebo quid faciat caro mihi.

* vel, *emolens.*
† aut, *validi.*

2 חנני אלהים כי שאפני אנוש כל היום לחם ילחצני׃
3 שאפו שוררי כל היום כי רבים לחמים לי מרום׃
4 יום אירא אני אליך אבטח׃
5 באלהים אהלל דברו באלהים בטחתי לא אירא מה יעשה בשר לי׃

2. *Miſerere mei.*] Incertum eſt de externiſne hoſtibus, an domeſticis loquatur. Certe quum ad regem Achis deductus eſſet, quaſi unica erat ovis inter duas luporum turmas: quum eſſet Philiſtinis capitaliter exoſus, nec minus atrociter in eum ſævirent Gentiles. Porro *hominem* ſingulari numero dicens, indefinite conqueritur ſe nihil inter homines humanitatis reperire: acſi diceret, Domine jam ultima neceſſitas fidem auxiliumque tuum flagitat: quia ad me vorandum totus mundus inhiat. nam ſtatim plurali numero eandem ſententiam repetit. Particula *quotidie* Sauli ejuſque factioni magis convenit. Cæterum miſeriam ſuam deplorat David, quia magna & potenti hoſtium multitudine prematur, & oppugnetur ſumma crudelitate. Quod ad verba ſpectat, quidam שאף exponunt reſpicere: ſed non dubito eleganti metaphora exprimi inexplebilem illam rabiem qua ad eum deglutiendum ardebant hoſtes. Verbum etiam לחם quod poſt alios reddidi per verbum oppugnare, etiam Hebræis comedere ſignificat. ita eſſet continuatio metaphoræ. Sed quia pluribus locis priore ſenſu capitur, nolui mutare quod magis receptum erat. Hoc tantum breviter attingam, male ſenſum corrumpere qui ſecundo loco vertunt, Multi pugnantes mecum: acſi diceret, Angelos ſibi eſſe ſubſidio. abrumpunt enim querimoniam, quæ continua eſt toto verſu.

4. *Quo die timui.*] Verba ſunt futuri temporis, ſed quæ in præteritum reſolvi debent. Confeſſio autem infirmitatis eſt in timore: ſed cum exceptione, quod tamen non ſuccubuerit timori. Quantumvis enim angerent eum pericula, negat tamen ſpem ſibi fuiſſe excuſſam. Non jactat ergo heroicam animi altitudinem, qua ſecure contempſerit omnes caſus, ſed confeſſus de ſuo metu, ſe tamen ſemper in ſpe gratiæ Dei perſeveraſſe dicit. Et certe hoc verum eſt fidei noſtræ examen, ubi nos pro ſenſu carnis, timores ſollicitant, non tamen exturbant animos noſtros è gradu. Videntur quidem timor & ſpes magis eſſe contrarii affectus, quam ut in eodem corde habitent: ſed experientia oſtendit vere demum illic ſpem regnare ubi partem cordis occupat timor. Neque enim tranquillo animi ſtatu ſpes exercetur, imo quaſi ſopita eſt: ſed vim ſuam tunc demum exerit ubi animum curis dejectum erigit, ægritudine turbatum ſedat, formidine percuſſum ſuſtinet ac fulcit. Ac proinde hæc ſeria fuit probatio fidei in Davide, quod metuens non deſtitit ſperare in Domino: ac periculi magnitudine anxius, animum tamen collegit, quod Deum liberatorem fore confideret.

5. *In Deo laudabo.*] Hoc verſu animum ſperando ſibi creviſſe docet: quod ſolet omnibus Dei ſervis accidere. Nam etſi ægre in ſpe initio conſiſtunt, imo non ſine arduo certamine timoribus oppreſſi in ſpem aſſurgunt: nitendo tamen vires colligunt ad emergendum, donec majore fiducia, tanquam ſtrenui athletæ, ad inſultus repellendos progreſſum faciant. Porro *laudare* tantundem hic valet ac gloriari: acſi diceret, ſe victrice fiducia inſtructum, jam certa ſpe exultare. Hujus vero lætitiæ materiam ſtatuit in Dei verbo, ſubindicans, utcunque videri poſſit ab eo deſertus, & quaſi proditus, ſibi tamen fidem datam ſufficere, quia certo perſuaſus ſit, eſſe veracem in ſuis promiſſis. Non deſinam (inquit) gloriari in Deo: quia acquieſcam in verbo ejus. atque ut palam non juvet, imo ſubtrahat manum ſuam ab ope ferenda, contentus tamen ero unico ejus verbo. Hæc ſententia memorabilis eſt. Videmus quales ſint noſtræ deliciæ & moroſitas, ubi Deus mox votis noſtris non reſpondet. Nam etſi obſtrepere non audemus, fremit tamen intus caro, quia præter nudas promiſſiones nihil appareat. Multum ergo profecit qui inter tentationes unico Dei verbo fretus, viriliter pergit in ejus laude. Quod poſtea ſequitur, primo intuitu videtur non magni eſſe momenti. Quis enim tam amens, ut hominum vires pluris ad nocendum æſtimet, quam immenſam Dei potentiam ad juvandum? Sed pravæ hujus & malignæ diffidentiæ, qua Dei potentiam ſub creaturis dejicimus, quiſque noſtrum ſibi nimis idoneus eſt teſtis. Itaque non vulgarem fidei profectum hic expreſſit David, ſe ad ſpernendas hoſtium minas fortitudine inſtructum dicens. Atque hoc certaminis genere præcipue ſe exercere debent pii omnes, ut Dei auxilium noxis omnibus præferendo, quicquid terroris eſt deſpiciant. Simulatque in nos inſiliunt hoſtes, veniat nobis in mentem, eorum impetus contra Deum ipſum irruere, acſi eo ſuperiores eſſe contenderent. Jam quid magis indignum, quam in æquilibrio, ut loquuntur, furioſos iſtos conatus cum invicta Dei virtute relinquere? Sicut enim fidem noſtram labefactando, verbum Dei & auxilium quod promiſit, evertere tentant: ita niſi ſtatuimus Deum à parte noſtra ſtantem, minimo digito vel ſolo flatu ſatis valere ad frangendos eorum conatus, & copias diſſipandas, oblique ejus potentiam extenuamus: imo nihilo plus ei deferimus, quam homini mortali, qui tantum uni par, à duobus vincitur. Sed quæritur quomodo omnem infirmitatem ſic repente exuerit David, ut qui nuper mortem horrebat, nunc intrepide hoſtibus ſuis inſultet. Reſpondeo, hac fiducia non notari vacuitatem timoris, acſi extra telorum jactum poſitus, ſuaviter rideret omnia diſcrimina: ſed quia adeo timori non cedebat, ut victor emergeret, ac oppoſito ſpei clypeo metus omnes repellens, munitus eſſet certa ſalute, merito ſancta jactantia efferri, *in Deo ſperans non timebo.* Contemptim vero homines Carnem appellat, ut ſe de ſtulta eorum audacia commonefaciat, dum ſui obliti tam multa moliri non dubitant.

6. Quotidie

6. Quotidie verba mea conturbant me: ſupra me omnes cogitationes eorum ad malum.

6 כָּל הַיּוֹם דְּבָרַי יְעַצֵּבוּ עָלַי כָּל מַחְשְׁבוֹתָם לָרָע׃

7. Congregantur, occultant ſe, calcanea mea obſervant, quia expetunt animam meam.

7 יָגוּרוּ יִצְפִּינוּ הֵמָּה עֲקֵבַי יִשְׁמֹרוּ כַּאֲשֶׁר קִוּוּ נַפְשִׁי׃

8. Super iniquitate evaſio ipſis, in ira populos dejicies Deus.

8 עַל אָוֶן פַּלֶּט לָמוֹ בְּאַף עַמִּים הוֹרֵד אֱלֹהִים׃

9. Fugam meam tu in numerato habes: pone lachrymas meas in utre tuo: annon in commentario tuo?

9 נֹדִי סָפַרְתָּה אָתָּה שִׂימָה דִמְעָתִי בְנֹאדֶךָ הֲלֹא בְּסִפְרָתֶךָ׃

6. *Quotidie.*] Priorem partem verſus varie diſtrahunt interpretes. Quidam *Verba mea* in caſu nominandi legunt, & recte meo judicio. Alii referunt hoc ad hoſtes Davidis, ac ita vertunt, Calumniantur ſermones meos: vel, triſtitia me afficiunt propter ſermones meos. Sunt qui verbum יעצבו neutraliter accipiant, ac vertant, Moleſta ſunt verba mea. Sed quum עצב ut plurimum Hebræis ſignificet triſtitia afficere, ac ſemper in Piël tranſitive ſumatur: nihil opus eſt à linguæ proprietate deflectere. Melius etiam fluit loquutio illa, Verba mea me afficiunt mœrore: quam ſi ad hoſtes trahatur. Duplex igitur querimonia eſt, quod David ab una parte nihil reperiat ſolatii, infeliciter etiam omnia ſibi cadere videat, triſtique exitu everti ſua conſilia: ex oppoſito autem conſpirent hoſtes ad eum perdendum, variaſque inſidias machinentur. Videtur quidem hoc, primo intuitu, minime conſentaneum, quod nuper ſe à metu liberum & ſolutum fore profeſſus, nunc ſeipſum triſtitiæ ſibi auctorem eſſe dicat. ſed jam admonui, quamvis hoſtes ſuos deſpiceret ex fidei ſpecula, non tamen extra anxietatem fuiſſe & metum. Hic autem de tentationibus ſuis loquitur quas fidei conſtantia vincebat, non tollebat. Dicit ergo ſe ratione & conſilio deſtitui, quia incommode cedit quicquid concipit vel deliberat. Mali hujus gravitatem auget, quod hoſtes non ceſſant capita inter ſe conferre, & excudere varias artes in ejus perniciem. Hoc idem proſequitur quum dicit *congregari.* nam cum uno aut altero habere negotium, tolerabile utcunque eſſet: oppugnari vero unum hominem à turba & exercitu, nimis durum. *Occultandi* verbo perſtringit aſtutias, vel clancularias artes quibus ſtudebant ex inopinato incautum opprimere. nam verbum יצפינו ſecundum rationem grammatice debebat in medio habere ו literam: ergo י putant eſſe quaſi notam Hiphil, ut exprimat, latebras in ſuis fallaciis captare hoſtes Davidis, ut eum occulte circumveniant. Addit, quocunque ſe vertat, illos acriter inſtare, & quodammodo talos premere, ut nulla ſit relaxatio. Cauſam eſſe dicit, implacabile odium: quia ſatiari aliter quam ejus morte nequeant.

8. *Super iniquitate.*] Quidam initium verſus interrogative legunt, An erit illis evaſio in pravitate? Sed quia nulla neceſſitas cogit ſenſum illum remotum accerſere, præſtat ſumere verba ut ſonant, Quamvis illis evaſio ſit in pravitate, tu populos tamen dejicies, ô Deus. Hoc autem ideo dicit, quia ubi impotenter & ſine obſtaculo graſſati ſunt in ſuis maleficiis impii, quaſi licentiam nacti, laſciviunt: ſicuti videmus hodie Cyclopica audacia profanos homines inflari, quia ſibi videntur eſſe extra Dei manum. Nec vero impunitatem ſibi tantum promittunt, ſed ſpes & opes ſuas locant in maleficiis: & quo audacius & furioſius ruere pergent, putant omnibus incommodis ſibi paratum eſſe remedium. Poſtquam hoc ex eorum ſenſu protulit David, ſtatim retundit perverſam hanc confidentiam, provocans ad Dei judicium. Quamvis ita ſuperbiant, inquit, ubi maturum advenerit vindictæ tempus, tu Deus populos proſternes. Plurali autem numero utitur, confirmandi animi ſui cauſa, quia difficile erat, non expaveſcere ad tantam hoſtium turbam. Quoties ergo nos obruent hoſtium copiæ, veniat nobis in mentem, proprium eſſe Dei munus, non unum hominem duntaxat vel paucos, non populum modo unum, ſed totum mundum dejicere.

9. *Fugam meam.*] Abrupta eſt precatio. nam petere exorſus ut Deus lachrymas ſuas reſpiciat, ſtatim, quaſi voti compos, pronunciat, in libro Dei ſcriptas eſſe. Niſi forte hanc quoque interrogationem precative accipere quiſpiam malit. videtur tamen ſenſus hic eſſe ſimplicior, Domine nihil opus eſt ut te pluribus verbis compellem: quia te ſponte antevertiſſe agnoſco, ut præſtares quod petendum erat. Sed præſtat ſingula verba expendere. Fugam ſuam dicit numeratam eſſe Deo, quo ſe miſerabilem faciat: quia longo jam tempore vagus & profugus errare non deſtiterat. Nec de una tantum fuga loquitur, ſed mutatio eſt numeri. Quanquam videtur magis emphatice numero ſingulari totam vitam ſuam erraticam notare, acſi vocaret continuam peregrinationem. Debebat igitur continua illa erratio favorem ex miſericordia conciliare Davidi, quod anxie & ægre per longos & perplexos circuitus vitam traxiſſet. Itaque lachrymas ſuas in utre Dei recondi poſtulat. Solebant in utribus ſervare vinum & oleum. Itaque ſenſus eſt, Ne patiatur Deus lachrymas Davidis in terram excidere, ſed fideli cuſtodia tanquam pretioſas conſervet. Porro videmus Davidem hic preces ſuas fundare in Dei providentia: quia greſſus ſuorum proſequatur oculis ſuis. quemadmodum etiam Chriſtus docet capillos capitis noſtri numeratos eſſe coram Deo. *Mat. 10. verſ. 30.* Niſi enim perſuaſi ſimus, quicquid patimur moleſtiarum, venire in rationem coram Deo, nunquam in hanc precandi fiduciam animi noſtri emergent, ut Deus in lagena recondat lachrymas noſtras, ut earum conſpectu ad opem nobis ferendam tandem flectatur. Mox vero ſe adeptum eſſe pronunciat quod optavit. Malo enim (ut jam dixi) affirmative hanc partem legere, ut ſe ad ſperandam ſalutem hac conſolatione muniat David, quod omnes ſuæ lachrymæ in Dei commentario deſcriptæ ſint: quia ſcilicet earum memoria coram eo non deletur. Quod ſi piorum lachrymis Deus tantum honoris defert, certe multo minus ſinet effluere ſanguinem, quin ſingulas ejus guttas numeret. Oſſa ipſa & carnem exurant tyranni, ſanguis tamen ſemper manebit ſuperſtes ad clamandam vindictam: quia nulla ætas delebit quod Deus in ſua memoria deſcriptum habet.

10. Tunc vertentur inimici mei retrorſum quo die clamavero: hoc novi quod Deus mecum.

10 אָז יָשׁוּבוּ אוֹיְבַי אָחוֹר בְּיוֹם אֶקְרָא זֶה יָדַעְתִּי כִּי אֱלֹהִים לִי׃

11. In Deo laudabo verbum, in Jehova laudabo verbum.

11 בֵּאלֹהִים אֲהַלֵּל דָּבָר בַּיְיָ אֲהַלֵּל דָּבָר׃

12. In Deo ſperavi : non timebo quid faciat mihi homo.

12 בֵּאלֹהִים בָּטַחְתִּי לֹא אִירָא מַה־יַּעֲשֶׂה אָדָם לִי׃

10. *Tunc vertentur.*] Alacrius victoriam ſuam jactat. nam quaſi in re præſenti articulum temporis deſignat, quo vertendi ſint inimici ſui retrorſum. Quanquam autem nondum tam propinquam eorum ruinam cernebat, Dei tamen promiſſione fretus, ita notare potuit maturum tempus, quod adhuc patienter expectandum erat. In ſumma, quamvis non tantopere feſtinet Deus, nec eodem quo David precatus eſt momento, hoſtes ejus diſſipet, ſtatuit tamen ſanctus vir preces ſuas non fore irritas: ac optime declarat quomodo vel unde certus ſit de hoſtibus ſuis profligandis: nempe quia Deus nunquam fruſtratur ſuorum vota & preces. quia hoc penitus animo infixum habet, patienter ſuſpendit animi ſui deſiderium, ut effectum placide expectet. Continet autem hic locus utilem doctrinam: quia David ut impetret quod poſtulat, non fortuito vel dubitanter ſe orare dicit, ſed afferre certam perſuaſionem, quod Deus vota ſua propitius exaudiet. Porro, hac fide concepta, ſpernere non dubitat quicquid Satan cum omnibus impiis tentabit.

11. *In Deo laudabo.*] Hic non exprimitur relativum, ut paulo ante: ſed tamen eſſe ſubaudiendum, ex illo priore loco colligitur. Repetitio vero non parum habet vehementiæ: acſi dictum eſſet, Quamvis Deus gratiæ ſuæ manifeſtationem differat, ut videri poſſit nihil præſtans, inanibus verbis Davidem lactare: non tamen dejectum iri ſancti viri animum, quin ſemper glorietur in Dei verbo. Et certe hoc eſt ſubſcribere quod Deus ſit verax, ubi ablato bonitatis & potentiæ ejus ſenſu, verbo ſolidam gloriam tribuere non deſinimus. Repetitio, ut dixi, tendit in hunc finem, Quamvis hodie viſus à me fuerit Deus recedere, quia opem ſuam ſubduxit, in ejus tamen verbo quieſcam. Idem ſi cras contingat, & perendie, in eadem laude perſiſtam. Ad hanc meditationem ſe aſſuefaciant fideles, ut inter tentationes firmam gloriam retineant, nudo verbo contenti. nam etſi Deus illis multiplicem gloriandi materiam ſubinde in ſuis beneficiis ſuppeditat: vix tamen unquam tres paſſus conficere licebit, niſi in ſolum verbum recumbere didicerint. Eodem pertinet alterius ſententiæ repetitio, *In Deo ſperavi*, &c. Etſi enim fatentur omnes unius Dei præſidio ſe fore ſatis tutos, experientia tamen oſtendit, minimis quibuſque agitationibus, ab eo nos abſtrahi. Ergo cum Davide aſſidue meditemur hanc doctrinam: quicquid intentent homines, quibuſcunque polleant conſiliis, aut viribus, quocunque apparatu ſint instructi, ſi eos conferimus cum Deo, non eſſe cur terreamur; quia evaneſcet quicquid alioqui in illis terribile eſt.

Joan. 3. verſ. 33.

13. Super me Deus vota tua, ſolvam laudes tibi:

13 עָלַי אֱלֹהִים נְדָרֶיךָ אֲשַׁלֵּם תּוֹדֹת לָךְ׃

14. Quia liberaſti animam meam à morte: an non pedes meos à præcipitio? ut ambulem coram Deo in luce vivorum.

14 כִּי הִצַּלְתָּ נַפְשִׁי מִמָּוֶת הֲלֹא רַגְלַי מִדֶּחִי לְהִתְהַלֵּךְ לִפְנֵי אֱלֹהִים בְּאוֹר הַחַיִּים׃

13. *Super me.*] Diximus initio, quia jam diſcrimen evaſerat David dum Pſalmum hunc compoſuit, probabile eſſe, ſucceſſu edoctum, attexuiſſe hanc gratiarum actionem. Interea tenendum eſt, in mediis afflictionibus ea ſemper fiducia animatum fuiſſe, ut paratus & accinctus eſſet ad gratias agendas. Dicit autem *vota Dei eſſe ſuper ſe*, quia ad ea reddenda obſtrictus ſit: ſicuti Latini dicunt voti ſe damnatos, dum adepti ſunt quod ſub voti nuncupatione petierant. Contrahitur enim obligatio, ubi polliciti ſumus nos gratos fore, Deus autem precibus noſtris annuit. Vota autem Dei intellige, acſi dicam pecuniam quæ in manu mea eſt, eſſe creditoris, quia ipſe quoque ſum in ejus ære. David ergo liberatus, ſalutem hanc à Deo profectam fatetur: ideoque votis quæ conceperat ſe oneratum dicit: quia conditio jam impleta erat. De quibus autem votis loquatur, patet ex ſecunda parte verſus. Quod ideo notandum eſt, ne quis inconſiderate cum Papiſtis, vota quælibet probari imaginetur. Dicit enim ſe redditurum laudes, vel laudum ſacrificia. Nam hoc nomen quamvis laudes ſignificet, ad ſacrificia tamen, quatenus earum ſymbola erant, transfertur. Sciebat quidem David, Deum ſacrificia neque præciſe & per ſe exigere, neque morari: ſed quia Legi ſubjectus negligere ſacras ceremonias non debuit, quæ toti populo mandatæ erant, veriſimile eſt de ſolenni teſtimonio loqui, quale ſolebant reddere fideles quum inſigni aliquo Dei beneficio affecti eſſent.

14. *Quia liberaſti.*] Confirmat quod nuper dixi, ſe vitam ſuam Deo acceptam ferre, quia perierat, niſi mirabiliter ſervatus foret. Nam quo dubitationem eximat; dicit non modo ſe à fraude, malitia, impetu & gladiis hoſtium fuiſſe ſervatum, ſed ab ipſa morte. Idem alia loquendi forma exprimit, Quum præceps rueret, ſe retentum eſſe Dei manu. מדחי enim quidam male vertunt, à lapſu: quum potius violentum impulſum ſignificet David. In ſumma, colligit ex magnitudine periculi, ſe divinitus fuiſſe ſervatum. Atque id nobis agendum eſt, ubi nos eripuit Deus ex aliquo diſcrimine, ut meminerimus quantum & quam formidabile fuerit. Sumus enim in ipſis malis plus ſatis meticuloſi: ſed poſtea ſimul cum metu evaneſcit gratiæ Dei memoria. *Ambulare in luce viventium*, nihil aliud eſt quam vitali Solis luce frui. Sed particula interpoſita, *coram Deo*, diſcrimen notat inter fideles, quibus propoſitum eſt vitam ſuam referre ad Deum: & profanos homines, qui velut fugitivi, licentioſe oberrant: non quod fugiant Dei oculos, ſed quia tergum ei obvertunt.

ARGUMENTUM PSALMI LVII.

Duæ ſunt hujus Pſalmi partes: Priore enim ſuas anxietates exponit David: atque ut neceſſitas ferebat, opem Dei implorat contra Saulem & reliquos hoſtes ſuos. Deinde liberationis ſpe concepta, ad ſolvendum Deo ſacrificium ſe accingit.

PSALM. LVII.

PRæfecto Ne perdas, Davidis Michtham, quum fugeret à facie Saul, in ſpelunca.

1 לַמְנַצֵּחַ אַל־תַּשְׁחֵת לְדָוִד מִכְתָּם בְּבָרְחוֹ מִפְּנֵי־שָׁאוּל בַּמְּעָרָה׃

2. Miſerere mei Deus, miſerere mei: quoniam in te confidit anima mea, & in umbra alarum tuarum * ſperabo, donec tranſeat iniquitas:

* vel, hoſpitabor.

2 חנני אלהים חנני כי בך חסיה נפשי ובצל כנפיך אחסה עד יעבר הוות:

3. Clamabo ad Deum excelſum, ad Deum qui perficit erga me.

3 אקרא לאלהים עליון לאל גמר עלי:

4. Mittet è cælo, & ſervabit me † ab opprobrio abſorbentis me: mittet Deus clementiam ſuam & veritatem ſuam.

† vel, in opprobrium exſpectantis me.

4 ישלח משמים ויושיעני חרף שאפי סלה ישלח אלהים חסדו ואמתו:

DAvidis Michtham.] Quia de voce Michtham nihil præter conjecturam afferri poteſt, poſthac nihil attingam. Nihilo etiam certior ratio afferri poteſt cur Pſalmus inſcriptus ſit *Ne perdas.* ideoque, ut in re obſcura & dubia, variant interpretes. Quidam initium fuiſſe putant veteris cantilenæ. Alii vocem hanc Davidi expreſſam fuiſſe putant, quum nullum pateret effugium, O Deus ne perdas. Alii hac voce laudari putant Davidis probitatem, qui Abiſai in cædem Saulis ruentem, ab impetu revocavit: quia etiam in Sacra hiſtoria hæc objurgatio ponitur, *Ne perdas.* Sed quia ante precatus fuerat David, quadrare non poteſt illa opinio. Ergo alterutrum ex illis duobus eligere convenit: vel quod ad numeros tritæ cantilenæ compoſitus fuerit Pſalmus: vel quod David precationem ſubito metu ſibi extortam, ut in re memorabili, breviter hic notare voluerit.

2. *Miſerere mei.*] Precatio duplicata oſtendit Davidem non levi mœrore, cura & metu fuiſſe conſtrictum. Sed ratio petendæ miſericordiæ notanda eſt, quod in Deo ſperaverit. Quanquam emphaſis etiam ſubeſt in nomine Animæ, acſi ex intimo cordis affectu ſe ſperaſſe diceret: vel ſpem ſuam non eſſe volaticam, ut loquuntur, ſed penitus altas radices egiſſe. Idem metaphorice mox repetit, umbram alarum Dei ſibi integumento fore dicens. Quanquam enim verbum חסה interdum ſperare ſignificat, ut ego etiam verti: quia tamen etiam idem valet ac hoſpitari vel protegere, non diſplicet ita accipi hoc loco ubi mentio fit umbræ alarum. Summa huc tendit, quando ſe totum commiſit David Dei tutelæ, ut nunc ſentiat quod Pſalmo 91. verſ. 1. videbimus, Qui in protectione Dei habitant, tuto & excelſo loco quieſcere. Cæterum Dei cuſtodiam umbræ alarum conferri, alibi diximus, quia Deus ut nos familiarius ad ſe invitet, dicit ſe inſtar gallinæ vel avis, alas expandere ad nos fovendos. quo minus excuſabilis eſt noſtra ingratitudo & pravitas, niſi ad tam blandam invocationem celeriter accurrimus. Adde quod ſpem ſuam non ſine circumſtantia fixam in Deo fore dixit, & ſub umbra alarum ejus quieturam, ſed quo tempore inſtar procellæ vel turbinis tranſibit iniquitas. Niſi quis forte nomen הוות malit potentiam vertere. Quicquid ſit, affirmat David ſibi fore in Deo refugium, & alas ejus ſibi fore loco integumenti quouſque tranſierint omnes afflictionum procellæ. Et certe quamvis interdum nobis ſereno & tranquillo cælo apricari liceat: quia tamen ſubitis procellis quotidie obnoxia eſt hæc vita, ſpes noſtras in Deum contrahere convenit, ut nos operiant alæ ejus. Spei invocationem ſubjicit: quia fieri non poteſt ut non preces ſuas ad Deum dirigant qui in eum confidunt. ideoque ſpem ſuam ab effectu probat David, quia ad Deum in neceſſitate confugiet. Deum autem ornat inſigni epitheto, nempe quod erga ſe compleat quæcunque eſt pollicitus: vel quod ad finem uſque perducere velit quod incepit opus. Eodem enim ſenſu hic poſitum eſſe interpretor verbum גמר quo legitur Pſalmo 138. verſ. 8. quia eadem utrobique ratio eſt. Atque hoc nobis occurrere debet ad fulciendam ſpei noſtræ perſeverantiam, Deum, quia opus manuum ſuarum non deſerit, ſalutem fidelium numeris omnibus complere, & illis ſemper fore ducem, donec eos ad metam uſque perduxerit. Quod alii vertunt, *ad Deum qui rependit mihi*, frigidum eſt. Melius quadraret, meo judicio, *Ad Deum qui deficit erga me.* Adverſative autem hoc modo reſolvenda eſſet ſententia, Licet nunc Deus me deſtituat, neque me exerta manu juvet, clamabo nihilominus ad eum. Coactior ſenſus eſt, Clamabo ad Deum qui perficit, vel perfecte exequitur rigorem ſuum erga me. & contextus poſtulat potius ad Dei beneficia referri, ut ſemper nobis occurrat Dei conſtantia in proſequenda ſua bonitate, quia opus manuum ſuarum inchoatum non deſerit.

4. *Mittet è cælo.*] Dixi jam ſæpius, Davidem pias meditationes inſerere ſuis precibus ut ægrum animum ſoletur, quaſi ſibi repræſentans ſpei ſuæ fructum. Ita nunc non ſecus acſi manum Dei præſentem cerneret, de ejus auxilio gloriatur. Quum dicit *Mittet è cælo*, quidam ſubaudiunt Angelos. mihi indefinita loquutio melius videtur congruere: quod ſcilicet non obſcure, nec vulgari modo, ſed potenter & evidenti miraculo proferet Deus quam facturus eſt ſalutem. Ergo hac voce magnificum & ſingulare liberationis genus David ſe ſperare intelligit. Atque ita cælum opponit terrenis mediis vel naturalibus. Quod ſequitur, poteſt duobus modis exponi. Qui vertunt *ab opprobrio*, ſubaudiunt literam מ. Sed forte non minus commodum eſſet appoſitive accipere, *Servabit me in opprobrium devorantis me.* Quanquam participium שואף pro expectante ſumi poſſet: acſi dixiſſet David, Hoſtes quidem mei cupide inhiant meo exitio, & ex inſidiis occaſionem me perdendi captant: ſed Deus cum ipſorum dedecore me eripiet. Pudorem enim & probrum incutere Deus impiis dicitur, dum ſpes eorum fruſtratur. Sicuti autem prius mirificam & plane cæleſtem ſibi liberationem promiſit David, ita nunc ſe eam ſperare dicit à Dei clementia & fide: eaſque ſtatuit tanquam auxiliares ejus manus.

5. Anima mea in medio leonum, jaceo inter ardentes, inter filios hominum: quibus dentes lancea ſunt ac ſagittæ, & lingua eorum gladius acutus.

5 נפשי בתוך לבאים אשכבה להטים בני אדם שניהם חנית וחצים ולשונם חרב חדה:

6. Exaltare ſuper cælos Deus: ſuper omnem terram gloria tua.

6 רומה על השמים אלהים על כל הארץ כבודך:

7. Rete paraverunt greſſibus meis: incurvata eſt anima mea: foderunt coram me foveam, ceciderunt in eam. Selah.

7 רשת הכינו לפעמי כפף נפשי כרו לפני שיחה נפלו בתוכה סלה:

5. *Anima mea.*] Deſcribit rurſus hoſtium ſuorum ſævitiam: quo Deum citius ad opem ferendam incliner. Primum comparat leonibus: deinde furore ardere dicit vel implacabili odio, & dentes eorum ſimiles eſſe lanceæ & ſagittis. Quod de lingua ſubjicit, apte intelligi poteſt de virulentis calumniis, quæ altius penetrant ad vulnerandos innoxios quam ulli gladii. Et ſcimus Davidi præcipuum fuiſſe certamen cum falſis criminibus quibus eum improbi gravabant. Quando autem ſanctum virum ita crudeliter & variis modis oppugnatum fuiſſe audimus, ne moleſtum nobis ſit in eandem arenam trahi: ſed querimonias noſtras coram Deo deferre ſufficiat, cujus eſt fallaces linguas & ſceleratas manus à noxa compeſcere. Ideo mox eum David vindicem implorat. Etſi enim extra rem videtur eſſe hæc precatio, *Exaltare ſuper cælos Deus, ſuper terram gloria tua*, ſi tamen reputamus quanta ſit impiorum protervia, & quam ſupinus faſtus ubi Deus ad injurias connivet, facile judicabimus non abs re hoc eſſe dictum: præſertim quia Saul & totus populus ſimul conſpiraverant, Deum præclaro modo exurgere oportuit ad ſternendam illam altitudinem. Atque hinc ſumma ad nos conſolatio redit, dum ſe oſtendit Deus nobis ſuccurrere ut gloriæ ſuæ conſulat. nam ei non minus quam nobis inſultant impii: ipſe autem gloriæ ſuæ jacturam facere non vult, nec ſacrum ſuum nomen eorum ludibriis proſtituere. Poſtea iterum redit ad querimonias: & quum antehac crudeliter ſe vexari dixerit, nunc ſibi inſidias & fraudes intendi deplorat. Incurvatam animam dicit, quemadmodum trepidi homines ſolent ſe contrahere: adeoque aves ipſæ dum ſibi metuunt ab aucupio, non audent pennas movere, ſed humi proſtratæ jacent. Alii vertunt, *incurvavit animam meam.* Sed alter ſenſus ſimplicior eſt, & verbum כפף neutraliter ſæpe accipitur. Quanquam autem נפש Hebræis eſt fœmininum, alibi tamen quoque maſculinis verbis jungitur.

8. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & pſallam.	8 נכון לבי אלהים נכון לבי אשירה ואזמרה׃
9. Exurge lingua mea, exurge nablum & cithara, excitabor diluculo.	9 עורה כבודי עורה הנבל וכנור אעירה שחר׃
10. Celebrabo te in populis Domine, pſallam tibi in nationibus:	10 אודך בעמים אדני אזמרך בלאמים׃
11. Quia magna ad cælos bonitas tua, & ad nubes veritas tua.	11 כי גדל עד שמים חסדך ועד שחקים אמתך׃
12. Exaltare ſuper cælos Deus, ſuper omnem terram gloria tua.	12 רומה על שמים אלהים על כל הארץ כבודך׃

8. *Paratum.*] Quidam iſtud נכון exponunt confirmatum eſt: & verbum hoc Hebræis tam ſtabilire quam parare ſignificat. Si placeat illa verſio, ſenſus erit, Davidem probe & diu meditatum eſſe quas nunc Deo ſolvit laudes. acſi diceret, Non repente, quorundam more, ebullio in gratiarum actionem, ſed firmo & conſtanti animi propoſito canendis Dei laudibus me addixi. Cæterum mihi altera expoſitio magis arridet, quod ſe alacriter accedere dicat David ad laudandum Deum. ſicuti Gallice dicimus, *Je ſuis diſpos, ou deliberé*. Quanquam autem prompta hæc voluntas ubi naſcitur ex ſerio affectu, conſtantiam fere comitem trahit, operæpretium tamen fuit monere lectores quid verbum Hebraicum valeat. Cor ergo paratum David tam hypocritarum labris, quam aliorum torpori opponit: acſi diceret, ſe ſincero zelo accenſum eſſe, ſegnitie diſcuſſa, & omnibus impedimentis valere juſſis, ſe attentum eſſe ad voluntarium hoc ſacrificium.

9. *Excitare lingua mea.*] Poëtice exprimit David vehementiam illam & ardorem cordis ſui. Linguam enim ſuam, citharam & nablum advocat ut ſibi præſto ſint ad celebrandum Dei nomen. כבוד non ſine cauſa linguam reddidi. Etſi enim ſæpius pro gloria ſumitur, ex multis tamen locis patet ad linguam quoque transferri, ut diximus Pſalmo 16. Hanc vero ſignificationem exigit contextus, ubi mox fit mentio nabli & citharæ: acſi diceret David, ſe tam aſſa voce quam muſicis inſtrumentis nomen Dei celebraturum. Primas quidem partes cordi dedit: ſed adjungit oris confeſſionem: tertio, adminicula adhibet, quæ ſtudium magis accendant. Si verbum העיר tranſitive accipere libeat, perinde erit. Nam qui ſerio expergefactus eſt ad laudandum Deum, nulla in parte ceſſat.

10. *Celebrabo te in populis.*] Quia gentes & populos gratitudinis ſuæ fore teſtes promittit David, colligimus, in his afflictionibus geſtaſſe Chriſti perſonam: idque ſcire magnopere noſtra refert, ut nobis conditio noſtra ante oculos quaſi in ſpeculo verſetur. Quod autem his verbis reſpexerit in Chriſti *Rom. 15.*
regnum, Pauli auctoritate primum, deinde etiam *verſ. 9.*
clara ratione conſtat. Etſi enim cani poſſunt Dei laudes inter rupes & ſaxa, abſurdum tamen eſſet dicere, narrabo ſurdis nomen Dei. unde ſequitur Gentes ad Dei notitiam fuiſſe vocandas, ut præconium hoc ad eas perveniret. Summatim deinde attingit quam ſibi ſumpturus ſit canendi materiam, nempe quod bonitas Dei & veritas totum mundum impleant. Diximus autem alibi, non abs re initium fieri à Dei bonitate, & deinde fidem ejus conjungi: quia ut propenſus ſit Deus & liberalis ad promittendum, non aliunde quam gratuita ſua bonitate adducitur. Sed ne facilitas hæc putetur conſtantia carere, fidei & veritatis elogio ſanciuntur omnes promiſſiones. In fine Pſalmi ad preces iterum convertitur, ne Deus ſua tolerantia impiis augeat protervium, hocque modo ſuam gloriam obſcuret. Niſi forte hic, poſtquam vaticinium edidit de Gentium vocatione, votum etiam de ea acceleranda concipiat: acſi diceret, Domine non modo in Judæa potentiam tuam illuſtres innoxiis juvandis, ſed per totum mundum judicia exerceas quibus imperium tibi aſſeras apud omnes populos.

ARGUMENTUM PSALMI LVIII.

Duæ ſunt hujus Pſalmi partes: primo enim ſuam probitatem aſſerit David contra hoſtium calumnias. Ubi vero conqueſtus eſt, indigne ſe perpeti graves injurias ab hoſtibus, nec minus fraudibus & inſidiis quam crudelitate eorum ſe oppugnari: provocat tandem ad Dei judicium, illiſque exitium precatur quale meriti ſunt.

PSALM. LVIII.

PRæfecto, Ne perdas, Davidis Michtham.	1 למנצח אל תשחת לדוד מכתם
2. An vere congregatio juſtitiam loquimini? recta judicatis filii hominum?	2 האמנם אלם צדק תדברון מישרים תשפטו בני אדם:
3. Quin potius in corde malitias agitatis, in terra violentiam manus veſtræ appendunt.	3 אף בלב עולת תפעלון בארץ חמס ידיכם תפלסון:
4. Alienati ſunt impii à vulva, erraverunt ab utero loquentes mendacium.	4 זרו רשעים מרחם תעו מבטן דברי כזב:
5. Venenum illis ſecundum ſimilitudinem veneni ſerpentis, ſicut aſpidis ſurdæ quæ obturat aurem ſuam,	5 חמת למו כדמות חמת נחש כמו פתן חרש יאטם אזנו:
6. Quæ non audit ad vocem incantantis magi, magicam exercentis ſcienter.	6 אשר לא ישמע לקול מלחשים חובר חברים מחכם:

AN *vere congregatio.*] David hoſtes ſuos interrogatione ultro laceſſens, oſtendit quantum habeat fiduciæ in bona cauſa. Nam ubi audemus teſtimonium petere à parte adverſa, oſtendimus nihil eſſe in re ipſa dubitationis: quia ſi cauſa obſcura eſſet, ſtultæ confidentiæ eſſet adverſarium citare teſtem. David ergo bona conſcientia fretus, libere prodit in medium, & futiles calumnias quibus eum gravabant apud ſimplices, refutat, idque proprio eorum judicio. acſi diceret, Ego vos teſtes habeo meæ innocentiæ, vos tamen fictis criminibus improbe me vexatis: quomodo vos non pudet innoxium ita gratis opprimere? Tenendum vero eſt quoſnam David accuſet. Vocat eos congregationem, deinde *filios hominum*. Nam qui אלם putant epitheton eſſe juſtitiæ, & vertunt mutam, aberrant meo judicio, à mente Davidis. Cæterum de voce Congregationis non conſentiunt interpretes. Quidam odioſe perſtringi exiſtimant hoſtes Davidis, quod ſuos haberent conventus ineundis perverſis conſiliis: ſicut improbi ſæpe ad noxas excogitandas capita inter ſe conferunt. Ego tamen aliis potius ſubſcribo, qui honorifice, ſed per conceſſionem, Saulis conſiliarios notari putant, qui in ejus perniciem coibant quaſi acturi de bono publico. Alii qui literam ב conjungunt cum voce אלם, ad eundem ſenſum accedunt. Sed quia commentum illud à verbis remotum eſt, præſtat genuinam illam verſionem retinere. Coetum ergo illum compellat David, quem ſub ſpecie legitimi conſilii vocabat Saul ad in ſontem opprimendum. Forte vero contemptim vocat filios hominum, detrahens quod titulo tenus conceſſerat: quia potius latronum turba erant quam judicum conventus. Niſi magis placeat, quum prævalida manu ſe oppugnari videret David, & omnes fere vulgi animos in illam ſceleſtam factionem propenſos eſſe, tamen excelſo animo deſpicere illam multitudinem. Docemur autem hoc loco, quamvis à toto mundo impetantur ſervi Dei, nullum terrorem illis obſtare, modo ſibi recte conſcii ſint, quominus tam Regibus ipſis & eorum conſiliariis, quam populi quiſquiliis inſultent. Nos vero diſcamus, Davidis exemplo, quamvis totus mundus ſurdus ſit, in bonam conſcientiam recumbere, atque ita provocare ad Dei tribunal. Auguſtinus qui Græcam tantum verſionem tenebat, argute hic diſputat, hominibus rectum eſſe judicium in generalibus principiis: ſed ubi ad hypotheſin ventum eſt, hallucinari: quia vitioſi affectus rectas notitias obſcurant vel depravant. Hoc quidem dictu plauſibile eſt atque etiam utile, ſed nihil ad Davidis mentem.

3. *Quin potius.*] Poſtquam de craſſa eorum impudentia conqueſtus eſt, jam eos aggreditur, quod corde machinentur injuſtitiam, & manibus exequantur. Itaque particulam אף verto Quin potius. quia non dubito, ubi falſas calumnias à ſe depulit David, ulterius nunc progredi, & eorum crimina proferre in medium. Secundum membrum duobus modis verti poteſt: *Violentiam appenditis manibus veſtris.* vel, Manus veſtræ violentiam appendunt. Quia tamen non mutatur ſenſus, ſequantur lectores utrum volent. Quod autem appendere dicit pro exercere, putant quidam hanc eſſe metaphoræ rationem, quod iſti Davidem opprimerent ſub æquitatis prætextu, acſi perfidus & contumax fuiſſet adverſus Regem, & publicæ quietis turbator. Nec dubium eſt quin ſuam tyrannidem fucaverint honeſtis titulis: ut hypocritæ, etiamſi nihil habeant coloris, obtendunt tamen ſemper aliquid. Sed quia verbum Hebraicum פלס latius patet, ſumiturque pro dirigere vel aptare, ſimplicior forte ſenſus erit, eos ordinare vel diſponere quas corde iniquitates conceperant. Particulam *in terra* tantundem valere puto, ac palam: ut hic de effreni eorum licentia expoſtulet: quia non clanculum vel in obſcuro angulo violentiam ſuam exercebant.

4. *Alienati ſunt.*] Eorum malitiam exaggerat, quod non cœperint nuper ad peccandum ſe projicere, ſed nati ſint ad pravitatem. Scimus enim pleroſque non malo alioqui ingenio præditos, vel levitate & libidinis impetu abripi, vel corrumpi malis exemplis, vel aliqua occaſione ſe proſtituere ad malum. contra autem pronunciat David, hoſtes ſuos malitia imbutos eſſe ab utero: acſi diceret, perfidiam & crudelitatem cum ipſis natas eſſe. Etſi enim vitioſi omnes naſcimur, & omnibus Adæ poſteris ingenita eſt pravitas, ut nihil recti tentare poſſint quantiſper ſuo ingenio feruntur: ſcimus tamen arcano Dei freno retineri majorem partem, ne ſe ad quodvis flagitium projiciat. Ergo quamvis corruptio originalis peccati in toto humano genere graſſetur, experientia tamen oſtendit, quoſdam eſſe verecundos & honeſtis moribus: alios mediocri tantum corruptela imbutos: alios vero naturæ adeo perverſæ, ut ſint prorſus intolerabiles. Hanc igitur effrenem malitiam quæ in communi hominum pravitate deteſtabilis eſt, David in hoſtibus ſuis regnare affirmat: quaſi diceret, ſibi cum ſcelerum portentis eſſe negotium.

5. *Venenum illis.*] Pergit in ſua amplificatione: & quanquam ſævitia ardebant ejus hoſtes, virulentiam tamen magis illis exprobrat, ſicuti aliis locis vidimus. Nam quod alii furorem vertunt, aſpidum ſimilitudini non videtur congruere. Neque repugnat etymologia, quia nomen à calore deductum eſt. Scimus enim veneni genus eſſe quod frigore ſuo necat; alterum vero quod uredine & æſtu conſumit

partes

partes vitales. Senſus ergo eſt, hoſtes Davidis venenata malitia ad nocendum æque refertos eſſe ac ſerpentes. Veteratoriam deinde aſtutiam expreſſius deſignat, ſimiles eſſe dicens ſurdis aſpidibus, quæ aures ſuas ad vocem incantantium claudunt: acſi diceret, non eſſe ex vulgo ſerpentum, ſed vafritie ſuperare callidiſſimas quaſque aſpides, quæ ſibi à magorum inſidiis cavent. Siquis quærat, an igitur ſit ars aliqua incantandi: Reſpondeo, ſi nullæ eſſent incantationes, puerile & abſurdum fore quod hic dicitur. ſumeret enim ex nihilo ſimilitudinem: niſi forte magis placeat ex communi vulgi errore loquutum eſſe Davidem. Videtur tamen innuere faſcinis incantari ſerpentes: idque ſine periculo fateri licet. Atque olim Marſi hac ſcientia pollere in Italia crediti ſunt. Certe ſi nullæ eſſent incantationes, fruſtra Lege Dei prohibitæ ac damnatæ eſſent. Neque tamen rationem vel artem eſſe concedo in faſcinationibus, ſed meris diaboli præſtigiis hoc fieri, cujus impoſturis Deus inter cæcos, hoc eſt incredulos, frenum laxat. ſuis autem, quibus per Verbum & Spiritum ſuum affulget, non ita illudere permittit. Si tamen anſam curioſis quæſtionibus præcidere libeat, ſequamur quod nuper attigi, Davidem ex communi errore ſimilitudinem hanc eſſe mutuatum: acſi dixiſſet, nullam poſſe in ſerpentibus verſutiam inveniri quæ non in hominibus iſtis regnet: etiamſi quæ aſpides adverſus incantationes aſtu ſuo munitæ ſint, non magis tamen eſſe callidas.

Deut. 18. verſ. 11.

7. Deus contunde dentes ipſorum in ore eorum: maxillas leonum contunde Jehova.
אלהים הרס שנימו בפימו 7
מלתעות כפירים נתץ יהוה:

8. Diffluant ſicut aquæ, abeant ſibi: extendant arcum ſuum acſi ſe confringerent.
ימאסו כמו מים יתהלכו למו 8
ידרך חציו כמו יתמללו:

9. Quemadmodum limax liquefactionis evaneſcat, abortivum mulieris quod non videt ſolem.
כמו שבלול תמס יהלך נפל 9
אשת בל חזו שמש:

10. Antequam ſentiant * ollæ veſtræ rhamnum, ſicut crudum quaſi turbo diſperdat eum.
בטרם יבינו סירתיכם אטד 10
כמו חי כמו חרון ישערנו:

** vel, ſpina veſtra.*

7. *Deus contunde*] Jam deſcendit ad imprecationem, Deumque vindicem appellat, ſicut propriæ ſunt ejus partes impiorum violentiæ reſiſtere, dum innoxiis moleſtiam faceſſunt. Sed hic ordo notandus eſt, quod prius de hoſtium ſuorum malitia conqueſtus eſt David, & bonam conſcientiam in medium produxit, quam Deum advocet cauſæ ſuæ patronum aut judicem: quia minime ſperandum eſt ut malas cauſas tuendas ſuſcipiat. Petit autem hoc verſu, ut Deus virtute ſua frangat improbos, ac compeſcat nocendi rabiem qua flagrant. Nam per *dentes* ſignificat non ſecus laniandi ac diſcerpendi eſſe cupidos ac feras beſtias: quod ſecunda parte clarius exprimit, eos leonibus comparans. Unde apparet quam furioſe in ejus perniciem ruerent. Proximo verſu & aliis ſequentibus eandem ſententiam proſequitur, & aptiſſimis ſimilitudinibus exornat. Primum rogat ut eos diffluere faciat Deus aquarum inſtar, hoc eſt quam citiſſime. Quo verbo non vulgarem fidem teſtatus eſt. Videbat hoſtes ſuos magnis copiis & opibus inſtructos: videbat altis radicibus initi, & optime fundatum eſſe eorum robur: denique videbat ſaxeis montibus eſſe ſimiles: imo quum totus populus eſſet infenſus, multas rupes ſibi videbat oppoſitas, quarum conſpectus ingenti terrore dejicere poterat ejus animum. Ergo Deum precari ut tantam duritiem liquefaciat, & diffluere faciat tam arduas moles, raræ ſpei & conſtantiæ fuit. res enim erat incredibilis, niſi Dei potentiam extuliſſet ſupra omnia mundi obſtacula. Sequitur altera ſimilitudo, ut irriti eorum conatus abeant. ſenſus enim verborum eſt, Quum arcum ſuum intenderint, ut ſagittæ fruſtra concidant tanquam confractæ. Quia ergo implacabilis erat eorum crudelitas, poſtulat David ut fruſtretur Deus ipſorum conatus. Porro hoc votum concipere non potuit, niſi invicta fortitudine inſtructus, ut formidabiles hoſtium apparatus, Dei arbitrio ſubjiceret: imo ita precando, totam eorum potentiam ſub Dei pedibus proſternit. Ergo hæc circumſtantia notanda eſt, ne langueſcant preces noſtræ, quamvis aptatæ jam ſagittæ mortiferos ictus minentur.

9. *Quemadmodum limax.*] Duæ iſtæ comparationes in eundem tendunt ſcopum quo prima, nempe ut celeriter tanquam res fluidæ aboleantur. Poſſet hoc videri ridiculum, robuſtiſſimos Gigantes cochleis vel limacibus conferri, niſi hunc honorem Deo tribueret David, poſſe momento & abſque negotio diſcutere ac redigere in nihilum quicquid in mundo inſuperabile ducitur. Sed fidei oculis, Dei judicia conſiderans, ſperat, vires illas, quarum fiducia ſuas deliberationes in decem ſecula extendunt, ſtatim poſſe diſſolvi. Videtur autem alludere ad ſubitos exortus impiorum, acſi diceret, repentinum interitum ſimilem fore origini: ne facilibus incrementis fruſtra ſuperbiant. Eadem eſt abortivi ratio: quia ſi reputamus quantum temporis inani fiducia devorent, facile ſtatuemus, antequam vivere incipiant, quaſi ab ipſis carceribus retrorſum trahi.

10. *Antequam ſentiant.*] In hoc verſu partim ob voces ambiguas, partim ob perplexum contextum ſubeſt nonnulla obſcuritas. quia סירות ollam & ſpinam ſignificat, duplex ſenſus poteſt elici, Antequam adoleſcant ſpinæ veſtræ in rhamnum, hoc eſt, creſcant in majorem altitudinem, & denſiores fiant. Vel, antequam ollæ veſtræ ſentiant ignem ex ſpinis accenſum. Si de ollis exponimus, *vivum* ſumetur pro carne cruda, ſicuti etiam nos vertimus. Iratum pro ſpinis, ſumetur pro immaturo vel tenero. Prophetæ tamen conſilium minime ambiguum eſt: nam feſtinationem vindictæ Dei his verbis denotat, ideoque precatur quaſi turbine eos abripi: vel, antequam adoleſcant in juſtum robur, ſicut ſpinæ in rhamnum dureſcunt: vel, antequam matureſcant, ſicuti caro quæ in olla vel lebete coquitur. Hic tamen poſterior ſenſus videtur melius fluere, ut ira Dei turbulento impetu abripiat impios quaſi carnem incoctam, & quæ primum calorem nondum ſenſit.

11. Lætabitur juſtus * quum viderit vindictam: manus ſuas lavabit in ſanguine impii.
ישמח צדיק כי חזה נקם פעמיו 11
ירחץ בדם הרשע:

** vel, quia viderit.*

12. Et dicet homo, Atqui fructus eſt juſto, atqui eſt Deus judicans in terra.
ויאמר אדם אך פרי לצדיק 12
יש אלהים שפטים בארץ:

11. *Lætabitur juſtus.*] Quanquam videtur affe-ctum à pia manſuetudine longe remotum juſtis tribuere: ſi tamen memoria tenemus quod alibi ſæpius dixi, laudari à Davide puros & bene compoſitos affectus, in eo nihil eſt abſurdi, fideles duce & moderatore Spiritu ſancto gaudium ex Dei judiciis percipere. Unde enim fit ut crudeliter vulgo gaudeant homines inimicis ſuis pereuntibus, niſi quia turbidis paſſionibus odii, iracundiæ, & impatientiæ feruntur, ut vindictam intemperanter expetant? Ergo ubi dominatur caro, nihil rectum eſt vel ſincerum. Qui vero Spiritus zelo juſtæ Dei vindictæ animum ſuum conformat, non minus recte gaudebit quoties pœnas divinitus impiis cernet infligi, quam humaniter eorum converſionem optabit ut ſalvi fiant. Sicuti enim Deum ſua miſericordia non impedit quominus tempeſtive ſeverus ſit judex ubi nullus eſt reſipiſcentiæ locus: nec rurſus ſeveritas ejus clementiæ repugnat: ſic etiam juſti injurias placide tolerando, hoſtes ſuos libenter in viam ſalutis revocarent, & reſipiſcere mallent quam perire. ubi tamen ad maturum vindictæ tempus eos adduxit ſua obſtinatio, juſtam habent gaudendi materiam: quia hoc modo vitam ſuam Deo pretioſam eſſe agnoſcunt. Sicuti ergo gemunt ac torquentur quamdiu ad eorum afflictiones Deus connivet: ita fieri non poteſt quin illis jucundum ſit juſtam ſceleribus mercedem rependi.

12. *Et dicet homo.*] Ex cauſa & fine gaudii, qualis hic deſcribitur, clarius apparet affectum hunc in ſanctis purum eſſe omni vitio. Quanquam videtur paſſim ad quoſvis extendere quod prius tantum de juſtis dixerat. Sed quia confeſſio hæc non poteſt niſi fidelibus quadrare, qui vere oculati ſunt, eos ſolos ſub nomine hominis notari arbitror: cum hac tamen ratione, ut ſignificet David multos qui perculſi fuerant ac turbati, redituros ad tranquillam mentem. Quamvis ergo nonniſi filios Dei intelligat, merito indefinite loquitur quaſi de multitudine: quia ſcimus quam multos res in mundo confuſæ & inordinatæ concutiant: qui rurſus patefacta Dei juſtitia, animos colligunt, ut paſſim mutentur judicia ubi Deus manum ſuam è cælo exerit. Longe ergo lateque patebit hæc confeſſio, ſicut etiam dicit Jeſaias, *Jeſa. 26. verſ. 9.*
Ubi apparuerint judicia tua ô Deus, juſtitiam diſcent habitatores terræ. Quamvis autem particula אך interdum ſimpliciter affirmet apud Hebræos: quia tamen ſæpius amplificat, non dubito quin hic ſubaudienda ſit antitheſis inter tentationem, qua premuntur infirmæ mentes quantiſper Deus vindictam ſuam ſuſpendit, & fiduciam quam ex ejus judiciis concipiunt. Adverſativa igitur particula dubitationem illam repellunt, quæ ex diſſimulatione & tolerantia Dei obrepere ſolet, acſi expergefacti ſoporem ſuum corrigerent. Eſt autem hic non exiguus profectus ad pietatem, bene & penitus nobis eſſe perſuaſum, juſtos ſollicite in Dei timore ambulando, non ludere operam. Ideoque Jeſaias ad hanc ſapientiam filios *Jeſa. 3. verſ. 10.*
Dei eniti jubet, Dicite, Juſto bene erit, laborem manuum ſuarum comedet: quia niſi mox juſtorum probitati reſpondeat fructus, ad diffidentiam lubrici ac proni ſunt omnium animi, acſi Deus abjecta mundi cura otium in cælo coleret. Qua de re fuſius tractabimus Pſalmo 73. Rationem cur fructu ſuæ pietatis non careant filii Dei, adjungit, quia ſcilicet *Deus eſt judex mundi.* fieri enim non poteſt, ſi Dei providentia regitur mundus, quin tandem diſcrimen apud ſe eſſe oſtendat inter bonos & malos. Nomen *terræ* diſerte exprimitur: quia profani homines fortunam putantes dominari in mundo, imperium Dei cælo includunt.

ARGUMENTUM PSALMI LIX.

Inſcriptio quæ mox ſequetur, declarat qua occaſione ſcriptus fuerit Pſalmus, qui fere proximo ſimilis eſt. Priore enim loco, quo gravius injuſtam hoſtium ſævitiam accuſet, nullo ſuo merito ſibi tam infeſtos eſſe affirmat. Conqueſtus autem de illorum iniquitate, implorat opem Dei: & poſtquam ſanctis meditationibus ad bonam ſpem ſe animavit, de infauſto illorum exitu vaticinatur. In fine promittit ſe liberationis fore memorem, ut Dei gratiam celebret.

PSALM. LIX.

PRæfecto, Ne perdas, Davidis Michtham, quum miſit Saul, & cuſtodierunt domum, ad eum interficiendum.

2. Libera me ab inimicis meis Deus mi, ab inſurgentibus in me attolle me:

3. Libera me ab operariis iniquitatis, & à viris ſanguinum ſerva me:

4. Quia ecce inſidiati ſunt animæ meæ, congregati ſunt adverſum me robuſti: non peccatum meum, & non ſcelus meum Jehova.

5. Sine iniquitate cucurrerunt, & ſe inſtruxerunt. excitare in occurſum meum, & vide.

6. Et tu Jehova Deus exercituum, Deus Iſraël expergiſcere ad viſitandas omnes gentes: ne miſerearis omnium inique tranſgredientium. Selah.

1 למנצח אל תשחת לדוד מכתם
בשלח שאול וישמרו את הבית
להמיתו׃
2 הצילני מאיבי אלהי ממתקוממי
תשגבני׃
3 הצילני מפעלי און ומאנשי
דמים הושיעני׃
4 כי הנה ארבו לנפשי יגורו עלי
עזים לא פשעי ולא חטאתי יהוה׃
5 בלי עון ירוצון ויכוננו עורה
לקראתי וראה׃
6 ואתה יהוה אלהים צבאות אלהי
ישראל הקיצה לפקד כל הגוים אל
תחן כל בגדי און סלה׃

1 Sam. 19. verſ. 11. NOta eſt hiſtoria cujus hic fit mentio. Certe quum militum turma obſeſſus domi ſuæ eſſet David, & omnes urbis exitus tenerent miſſi à Saule cuſtodes, nulla ſpes effugii aut vitæ reſidua erat. Tametſi autem uxoris aſtu elapſus eſt, non tamen ſibi quaſi in Dei miſericordia ſalutem quæſivit. Et certe quamvis fallendis patris militibus figmentum illud excogitaverit Michol, certum tamen eſt, pium virum nonniſi mirabili Dei præſidio ereptum fuiſſe. Ergo *cuſtodia domus* hic ponitur acſi dictum eſſet, concluſum tunc fuiſſe in mortis anguſtiis. Miſſi enim fuerant à Saule, non qui vivum caperent, ſed qui interficerent.

2. *Libera me.*] Quo ſe magis ad Deum invocandum hortetur, violentam hoſtium potentiam deſcribit. *Surgendi* enim verbo non modo audaciam notat, vel ſtrenuos ac fervidos impetus, ſed vires quibus prævalebant: & tamen in altum attolli rogat, ut

ut ſuperior ſit iſta quaſi exundatione. Atque hæc loquutio notanda eſt, ne dubitemus ſervandi modum in Dei manu eſſe, quantumvis ſupra capita noſtra hoſtes emineant. Sequenti verſu non modo ſe obrutum eſſe dicit, ſed etiam expoſtulat de injuſta & ſceleſta hoſtium ſuorum crudelitate. Poſtea utrumque complectitur, nempe ſe viribus deſtitui ad reſiſtendum, & tamen nulla ſua culpa tam graves & duros inſultus perpeti. Diximus autem alibi, imo ſæpius repetivimus, quo ſibi melius conſcii ſunt fideles, eo plus ad quærendum Deum fiduciæ illis ſuppetere: quia liberior patet aditus, eo quod communem ſuſtineant cum Deo ipſo cauſam. Nam quia Deus juſtitiæ aſſertor eſt, ac bonarum cauſarum patronus, bellum cum eo ſuſcipit quiſquis innoxios aggreditur. Primo ergo queritur valida conſpiratione ſe opprimi, & inſidiis eſſe circumventum. unde ſequitur nihil reliquum eſſe ſubſidii in mundo. Poſtea ad innocentiæ ſuæ teſtimonium deſcendit. Quamvis enim Deus, ſuos affligendo, eorum peccata caſtiget, merito tamen David, Saulis reſpectu, ab omni culpa ſe eximit, atque hoc modo integritatis ſuæ Deo judicium defert, quæ perverſis calumniis apud homines ſuccubuerat. Quicquid jactent, inquit, non reperietur in me ſcelus nec peccatum. Quamvis tamen bellandi ratione careant, dicit eos *currere* vel ſatagere. quibus verbis intelligit nihil eos omittere ad extremam diligentiam: adeo ſcilicet in perniciem miſeri hominis cupide intentos eſſe.

5. *Excitare in occurſum.*] Alludit ad hoſtium feſtinationem, de qua loquutus eſt, ne minus ſedulo Deus auxiliari maturet quam illi ad perniciem incumbunt. Rurſus tamen ut ſibi favorem conciliet coram Deo, teſtem ac judicem cauſæ ſuæ ipſum appellat. Porro quum dicit *vide*, ſenſum carnis permiſcet doctrinæ fidei. perinde enim acſi præteriiſſet Deus clauſis oculis omnes injurias uſque ad illum diem, rogat ut nunc incipiat videre: hoc pro ruditate humanæ mentis. Interea tamen videndi partes Deo tribuens, fide agnoſcit nihil ejus providentiæ eſſe abſconditum. Quanquam notandum eſt, Davidem humanitus ita balbutire, ut jam perſuaſus ſit ſuas afflictiones ſimul cum integritate & hoſtium injuriis Deo eſſe cognitas. Sed hac voce totam rem Dei judicio examinandam proponit. Proximo verſu eandem precationem vehementius proſequitur: ac primo Deum ornat novis epithetis, vocans *Deum exercituum & Deum Iſraël*: quorum priore immenſam ejus potentiam commendat, altero peculiarem quam de filiis ſuis, & tota Eccleſia gerit curam. Emphaticum etiam eſt pronomen אתה, quaſi diceret non poſſe magis fieri ut Deus abjiciat judicandi munus quam ut ſeipſum abneget, vel exuat ſuam eſſentiam. Hortatur autem ad viſitandas omnes gentes, non quod tam late pateret cauſæ quam agit cognitio, ſed ratiocinatur à majori ad minus: quum ne profani quidem & extranei manum & vindictam Dei effugiant, certius & magis horribile judicium inſtare hoſtibus inteſtinis, qui ſub fraterno titulo piis moleſti ſunt, & ordinem divinitus in Eccleſia ſancitum conturbant. Quanquam ergo Davidi bellum non erat cum omnibus populis, Deum ad omnes viſitandos excitans, abſurdum fore oſtendit ſi domeſticos Eccleſiæ hoſtes impune graſſari ſinat. Simul etiam contra tentationem luctatur, qua probabile eſt duriter fuiſſe agitatum. premebatur enim non à quatuor vel quinque improbis, ſed ab ingenti turba: contra tamen ſe attollit, proprium Dei munus eſſe reputans non modo paucos in ordinem cogere, ſed pœnas exigere de ſceleribus totius mundi. Nam Dei judicium ad ultimos uſque terræ fines extendens, ea multitudine terreri non debuit quæ exigua erat generis humani portio. Quanquam ut paulo poſt iterum videbimus, non incommode poteſt hoc de Iſraëlitis intelligi, qui in ſuas tribus, quaſi in populos, diviſi erant. Dei vero miſericordiam ab iniquis transgreſſoribus prohibens, non dubium eſt quin reprobos tantum notet, quorum deplorata erat iniquitas. Quanquam ſimul tenendum eſt quod antea attigimus, tam privato affectu fuiſſe exutum, quam purgatum omni turbida intemperie. Præterquam ergo quod exitio jam addictos eſſe novit, de quibus tam ſevere loquitur, puro & compoſito Spiritus zelo, communem potius Eccleſiæ cauſam, quam ſuam agit. Ideo non eſt cur ejus exemplum obtendant quos ad crepanda anathemata impellit privatus dolor.

7. Revertentur ad veſperum, ſtrepitum edent ut canis, & circuibunt urbem.

7 ישׁבו לערב יהמו ככלב ויסובבו עיר:

8. Ecce garrient ore ſuo, gladii in labiis ipſorum, quia Quis audiet?

8 הנה יביעון בפיהם חרבות בשפתותיהם כי מי שמע:

9. Tu autem Jehova ridebis eos, ſubſannabis omnes Gentes.

9 ואתה יהוה תשחק למו תלעג לכל גוים:

10. * Fortitudinem ejus ad te cuſtodiam, quia Deus arx mea eſt.

10 עזו אליך אשמרה כי אלהים משגבי:

* vel, *Fortitudo ejus ad te.*

7. *Revertentur ad.*] Comparat hoſtes ſuos famelicis & rabioſis canibus, quos fames ad varios circuitus ſine fine inſtigat: atque hoc modo accuſat inexplebilem eorum ſævitiam, quod nocendi libidine ardentes, nullum ſatagendi faciant modum. Dicit enim ad veſperum reverti, non quod reliquo tempore quieſcerent, ſed quia infatigabili ſtudio pergerent in ſua malitia: Si nihil toto die profecerint, inquit, veſper tamen adhuc curſitantes deprehendet. Apte autem latratus ſimilitudo convenit ad formidabiles eorum inſultus exprimendos. Sequenti verſu eorum ferociam deſcribit. *Garrire* enim, vel ebullire ore ſuo dicens, intelligit palam & abſque diſſimulatione nefanda ſua conſilia proferre. Nam etſi verbum נבע metaphorice Hebræis loqui ſignificat, quia tamen proprie tantundem valet ac ſcaturire, plus videtur notare quam ſimpliciter loqui. Senſus quidem eſt, non modo clanculum agitare ſecreta conſilia in perniciem hominis inſontis, ſed publice & cum jactantia effutire quid animis conceperint. Ideo quod ſequitur, *gladios eſſe in labiis eorum*, tantundem valet ac ſpirare meras cædes, vel totidem ad jugulandum miſerum hominem evomere gladios, quot voces proferunt. Tandem ſubjicit eo licentiæ ipſos ruere, quia nullum dedecus inde metuant. Quamvis autem probabile ſit, Davidem hic ſuo more perſtringere veſanam impiorum ſocordiam, qui metus excutiendi cauſa, Deum in cælo dormire fingunt: meo tamen judicio conqueritur, eo ſecurius agitare prava conſilia, & quaſi medio foro publicare, quia in poſſeſſionem nocendi pridem venerint. Sic enim faſcinaverant totum vulgus, & Davidem ſuis calumniis deformaverant, ut nemo pro excuſatione miſeri hominis mutire auderet. Imo quo quiſque atrocius in Regis gratiam perſequebatur miſerum hominem, eo majore erat in pretio, quaſi boni publici cordatus defenſor.

9. *Tu autem Jehova.*] Contra hæc obſtacula David ſe nihilominus erigit ad meliorem fiduciam. Appoſite autem *ridendi* ſimilitudine utitur, quo Dei potentiam altius extollat: quaſi diceret, Ubi omnia machinati ſunt impii, Deum nullo negotio & quaſi per jocum diſſipare omnes eorum conatus. Quantiſper enim connivet Deus, gliſcit eorum protervia, & inſolentius erumpit: quia non intelligunt, Deum, ubi otiari videtur, ſolo nutu judicia ſua exequi. Contemptim ergo dicit non opus eſſe magno apparatu: quia ſimulac volet Deus pœnas ſumere, ludendo eos in nihilum rediget. Graviter autem hoc modo invehitur in cæcum eorum furorem, quia vires ſuas intemperanter efferendo, Deum ſopitum jacere fingant. Quod additur ſecundo membro de cunctis Gentibus, huc ſpectat, etiamſi numero æquarent totum mundum, ludibrio tamen fore cum ſuis opibus & copiis. Quanquam poteſt ita reſolvi, Sicuti tu ſubſannas omnes Gentes. Certum quidem eſt Davidem eludere ſtultam hoſtium ſuorum jactantiam, qui multitudine ſua freti, nihil non audebant.

10. *Fortitudinem ejus.*] Fecit hujus loci obſcuritas, ut eum ſuis commentis varie flexerint interpretes. Nulli tamen magis violenter torquent, quam qui fingunt in relativo *ejus*, eſſe perſonæ mutationem, acſi David loquens de ſeipſo, tertiam perſonam primæ loco poneret. Movit forte tam eos quam Græcum interpretem ratio parum firma, quia poſtremo verſu legitur, Fortitudinem meam tibi canam, vel Fortitudo mea tibi. Atqui ubi ventum illuc fuerit, ſatis liquebit quam apte ad ſe transferat David quod prius de Saule dixerat. Dubium igitur non eſt quin relativum de Saule debeat intelligi. Quidam etiam ſeorſum particulam hanc exponunt, Saulis eſſe fortitudinem: quia longe ſuperior ſit viribus, ut jam penes eum ſit victoria. Alii ſic conjungunt, Quamvis hodie ſis illius fortitudo, ô Deus, quia eum ſuſtines in regno ac tueris: ego tamen non deſinam ſperare dum me quoque in regium ſolium extollas, ſicuti pollicitus es. Propius ad Prophetæ mentem accedunt qui uno contextu legentes Fortitudinem ejus ad te cuſtodiam, hunc eliciunt ſenſum, Quamvis hoſtis meus roboris ſui fiducia intemperanter ſe jactet, ego tamen quietus manebo: quia ſcio, quicquid conetur, occulta tua providentia frenari. Et certe ſic cogendi ſunt in ordinem cuncti mortales, ut conatus eorum & vires ſubjiciamus Dei arbitrio. Mihi tamen melius videtur congruere alia verſio, Fortitudo mea ad te: cuſtodiam. Sicuti etiam in fine Pſalmi, non dubito quin nominandi caſu vertendum ſit, *Fortitudo mea ad te: canam.* Quod ad ſummam rei, non admodum intereſt: quia David in ſpeculam fidei conſcendit, unde intrepide violentos hoſtis ſui impetus deſpiciat, ſtatuens nihil poſſe niſi Dei permiſſu. Verum ſi duo hæc ſeparatim accipias, Fortitudo ejus ad te, cuſtodiam: ſententia erit dilucidior. Priore enim loco David, potentiam Deo vendicans qua gubernet totum mundum, hoſtem ſuum arcano freno conſtringi, totumque ejus robur aliunde pendere colligit, ut ne digitum quidem movere queat niſi annuente Deo. Poſtea ſubjicit, ſe pacato & tranquillo animo fore, ut patienter quemlibet eventum expectet. Verbum enim *cuſtodiam* hic tantundem valet, ac me continebo: vel, tacitus attendam quidnam Deo placeat. Atque in conjugatione Niphal hoc ſenſu capitur Jeſaiæ 7. verſ. 4. Hic quidem ponitur in conjugatione Kal, ſed nihil impedit quominus vertamus, Tacite obſervabo quemcunque Deus eventum dare volet. Interea non diſplicet quod quidam annotant, Davidem alludere ad cuſtodes obſidendæ domus ſuæ cauſa miſſos: acſi diceret, ex oppoſito ſibi aliam eſſe cuſtodiam, dum quieta mente & compoſita, quid facturus ſit Deus ſpeculatur.

11. Deus clementiæ meæ præveniet me: Deus videre me faciet in adverſariis meis.	11 אלהי חסדי יקדמני אלהים יראני בשררי׃
12. Ne interimas eos, ne forte obliviſcatur populus meus: vagari fac eos in virtute tua, & disjice eos clypeus noſter Domine.	12 אל תהרגם פן ישכחו עמי הניעמו בחילך והורידמו מגננו אדני׃
13. Peccatum oris eorum, ſermo labiorum ipſorum: deprehendantur in ſuperbia ſua, & de execratione & mendacio verba faciant.	13 חטאת פימו דבר שפתימו וילכדו בגאונם ומאלה ומכחש יספרו׃

11. *Deus clementiæ meæ.*] Scribitur quidem hic affixum tertiæ perſonæ, ſed punctus apponitur qui primam perſonam notat. Græcus quidem interpres tranſtulit in tertia perſona: & hoc teſtimonio ſæpe Auguſtinus utitur contra Pelagianos, ut probet Dei gratiam antevertere omnia hominum merita: pie quidem, ſed nimis argute. ſicuti etiam proximum verſum ſæpe adducit, ut retundat quicquid liberi arbitrii viribus arrogant homines. Cuſtodiam, inquit, ad te fortitudinem meam. hoc eſt, modeſte & humiliter ſubjicere ſe Deo debent homines, quia nulla fortitudine præditi ſunt niſi quam ſuppeditat. Dictu quidem plauſibile eſt, fortitudinem ſuam ad Deum cuſtodire, qui ſibi extra ipſum nihil virium tribuendo, ab una ejus virtute pendent. Sancta etiam & utilis eſt doctrina: ſed nobis ſedulo cavendum eſt ne Scripturam torqueamus. Certe verbum קדם nihil aliud hic ſignificat quam mature occurrere. Nec aliud intelligit David quam promptum ſibi fore auxilium Dei quo opportune ſervetur. Summa igitur eſt, Utcunque ceſſet Deus, vel opem ſuam differat, in ipſo tamen articulo aderit. Et certe niſi immodicus votorum noſtrorum fervor præcipites nos ageret, ſatis perſpecta nobis foret Dei ſedulitas & feſtinatio ad nos juvandos: ſed dum nimis properamus, videtur nobis tardare. Jam confirmandæ fidei ſuæ cauſa, Deum appellat clementiæ ſuæ, quem ſæpe miſericordem expertus erat: ſuperioris enim temporis documenta certam ſpem dabant ſimilis in poſterum gratiæ. Nam quod active quidam accipiunt, acſi laudem clementiæ ſibi tribueret David, frigidum & coactum eſt. trita eſt autem paſſiva loquutio.

12. *Ne interimas eos.*] Prudenter hoc ſibi David ad patientiæ materiam ſuggerit. Niſi extemplo Deus ad nihilum redigat hoſtes noſtros, fingimus elapſos eſſe ex Dei manu: & quamvis eos lenta & diuturna tabe paulatim conficiat, non reputamus pœnam de illis ſumi. Quia igitur præpoſtere inhiant fere omnes ad ſubitam hoſtium ſuorum perniciem, David ſeipſum cohibens, Dei judicium in levioribus etiam malis ſub quibus languent reprobi, expendit. Certum quidem eſt, niſi oculos nobis obſtrueret ſocordia, in ſubita impiorum clade magis conſpicuam eſſe Dei vindictam: ſed quia ſtatim memoria nobis effluit, non fruſtra optat David quotidie renovari idem ſpectaculum, ut judicii Dei cognitio penitus cordibus infixa maneat. Quanquam, ut dixi, contra longioris moræ tædium hac doctrina ſe armat & munit, Deum conſulto ultimam

ultio-

ultionem differre: ne ſi impios uno momento deleat, ſtatim memoria extinguatur. Atque ita populi Iſraëlitici ingratitudinem oblique perſtringit, quod tam male in illuſtribus Dei judiciis proficeret. Hic vero morbus hodie quoque nimis regnat in mundo, ut Dei judicia quæ notiora ſunt quam ut clauſis oculis præteriri queant, impia oblivione in tenebras mergantur: ut neceſſe ſit quotidie in theatrum nos deduci, ubi Dei manum aſpicere cogamur. Atque hoc nobis in mentem veniat ubi Deus non ſtatim contra impios fulminat, nec tollit eos de medio, ſed ſenſim atterendo conſumit. Rogat autem ut Deus eos faciat vagari: nempe ut homines malis & egeſtate afflicti, huc illuc oberrent, dum nuſquam inveniunt dolori ſuo ſolatium. Quod melius exprimitur altero verbo, *fac deſcendere*, vel disjice. Cupit enim ex honorifico gradu detractos, quaſi ad pedes projici, ut in ſua miſeria & probris continuum iræ Dei ſpectaculum exhibeant. Quod ergo nonnulli nomen חיל vertunt exercitum, & accipiunt pro Dei populo: coactum eſt. Potius Dei virtutem appellat David ad perdendos impios, quia terrenis opibus freti, putabant ſe eſſe inexpugnabiles. Porro quo facilius impetret quod poſtulat, in fine verſus oſtendit ſe cauſam totius Eccleſiæ agere. Huc enim ſpectat pluralis numerus, *clypeus noſter Domine.* Et certe quia divinitus electus erat in Regem, in ejus perſona continebatur ſalus Eccleſiæ. Ideoque non privatim ipſe impetebatur, ſed totus populus, cujus ſaluti hoc modo conſulere Deus volebat. Eadem etiam fuit ratio cur patienter tulerit Deum moderari ſua judicia, ut in aſſidua eorum meditatione populum retineret.

13. *Peccatum oris.*] Subaudiunt quidam interpretes particulam cauſalem *propter*, ut cohæreat hæc ſententia cum ſuperiore verſu. Et certe non dubium eſt quin hic ſit cauſæ redditio, cur æquum ſit eos jactari, ut inſtabiles & inquieti ſemper vagentur. Optime tamen conveniet abrupta & defectiva loquutio: acſi diceret David non opus eſſe longo examine, quia palam ſe prodat eorum iniquitas in linguæ protervia. Peccatum, inquit, eminet in eorum ore: quia plenis buccis ſuperbiam & crudelitatem ſuam evomunt. Atque hunc ſenſum confirmat quod continuo poſt ſequitur, *deprehendantur in ſuperbia ſua.* Nam fontem inſolentiæ deſignat, quod tam petulanter & ſine pudore ſua magniloquentia opprimerent innoxium. Specialiter deinde explicat quomodo ſcelera ſua ore proferrent, eos dicens *verba facere de execratione & mendacio.* Quo verbo ſignificat, nihil præter diras maledictiones crepare, totoſque eſſe addictos fraudibus & calumniis. Qui paſſive accipiunt verbum ספר, ac interpretantur, in exemplum fore vindictæ Dei impios quibus certas & memorabiles ejus notas inſculpſit: longius videntur recedere à mente Davidis.

14. Conſume, in furore conſume, ut non ſint: & cognoſcant quod Deus dominator ſit in Jacob, uſque ad fines terræ. Selah.	14 כלה בחמה כלה ואינמו וידעו כי אלהים משל ביעקב לאפסי הארץ סלה:
15. Et revertentur ad veſperum: latrabunt ut canis, & circuibunt urbem.	15 וישבו לערב יהמו ככלב ויסובבו עיר:
16. Ipſi vagabuntur ad comedendum: ſi non fuerint ſaturati, etiam pernoctabunt.	16 המה יניעון לאכול אם לא ישבעו וילינו:
17. Ego vero cantabo fortitudinem tuam, laudabo mane clementiam tuam: quia fuiſti arx mihi, & refugium in die tribulationis meæ.	17 ואני אשיר עזך וארנן לבקר חסדך כי היית משגב לי ומנוס ביום צר לי:
18. Fortitudo mea ad te, pſallam: quia Deus arx mea, Deus clementiæ meæ.	18 עזי אליך אזמרה כי אלהים משגבי אלהי חסדי:

14. *Conſume.*] Videtur ſibi contrarius eſſe David, dum nunc ultimum interitum imprecatur hoſtibus, quos prius nolebat tam cito interfici. Quorſum enim conſumptio in furore, niſi ut repente tollat è medio Deus qui perdendi ſunt, non autem mediocres vel tardas de illis pœnas ſumat? Sed non dubium eſt quin diverſum tempus notet. atque ita facile tollitur diſſidium, quod in exemplum diu propoſitos, tandem ultimo exitio devovet, ubi ſcilicet maturum advenerit tempus. Scimus imperatoribus Romanis ſolenne fuiſſe, poſtquam captivos ad diem triumphi ſervatos per urbem circumduxerant, ubi in Capitolium ventum erat, illos tradere in manus lictorum, ut ſtatim jugularentur. Sic nunc precatur David, ubi Deus impios ad tempus ſuperſtites reliquerit, donec celebrem de ipſis triumphum ageret, tandem in exitium tradi. Jam hæc duo inter ſe optime conveniunt, judicia Dei nobis ſtatui ante oculos longo temporis ſucceſſu, ne excidat eorum recordatio: & tamen ubi ſatis edoctus fuerit mundus, infenſo & adverſo Deo nihil reprobis ſupereſſe præter lentam tabem, mature tunc ad ſuum exitium deduci, quo melius expergefaciat tale ſpectaculum pigras mentes vel levioribus pœnis minus attentas. Ideo ſubjicit, *ut cognoſcant uſque ad ultimos fines terræ Deum in Jacob dominari.* Nam quod alii copulæ interpoſita exponunt, Ut cognoſcant Deum in Jacob & reliquis mundi plagis dominari; mihi non placet, ac ſenſum pervertit. Potius enim exquiſitum ſupplicii genus notat David, cujus fama ad remotiſſimas quoque Gentes perveniat, & cæcis ipſis ac profanis hominibus incutiat Dei metum. Nominatim vero imperium Dei agnoſci vult in Eccleſiæ gubernatione: quia valde abſurdum videri poterat, res illic tam confuſas eſſe ubi ſibi Deus erexerat regium ſolium, ut ſacrarium ejus nihil à caverna latronum differret.

15. *Et revertantur.*] Non ita multum refert ſive in futuro tempore legamus hæc verba, ſive reſolvamus in tempus optativum, ut precationem ſuam continuet David. Quanquam libenter in eam ſententiam inclino, poſtquam David votis ſuis finem impoſuit, nunc ſpem concipere felicis ſucceſſus quem optaverat. Eſt autem concinna alluſio ad id quod prius dixerat de rabioſa eorum fame. Neque enim nunc eodem ſenſu verba quibus ante uſus fuerat repetit, ſed ironice dicit alio modo fore famelicos, & aliter quam ſperaſſent ipſis ceſſurum. Prius conqueſtus, eſt inſtar canum latrare, nempe quia eos agebat inexplebilis nocendi cupiditas & furor: nunc vero improbos eorum conatus ſubſannans, dicit, ubi ſatagendo ſe toto die fatigaverint, fruſtratum iri ſuis votis. Itaque ſuperiori querimoniæ opponitur hæc gratulatio de irrita & inani eorum diligentia. In fine verſ. 16. quidam particulam אם לא hoc eſt ſi non, volunt jurisjurandi eſſe formulam. Sed quia nimis

ſubtiliter deflectunt Prophetæ verba, eorum commento non aſſentior. Alii volunt bis repeti negationem, Si non fuerint ſaturati, neque pernoctabunt. Sed hoc quoque videtur remotum eſſe. Simplex vero & genuinus ſenſus ſponte occurrit, Quamvis non fuerint ſaturati, cogentur tamen ire cubitum. atque hac circumſtantia magis augetur inediæ & famis incommoditas, quod ubi ſine profectu totum diem mendicando conſumpſerint, feſſi tamen jejunum & vacuum ventrem in lectum afferant.

17. *Ego vero cantabo.*] Non modo intelligit his verbis ſibi fore canendi materiam, ſed jam ſe ad gratiarum actionem accingit. Ac primo liberationem ſuam fatetur magnificum fore virtutis Dei opus, deinde gratuitum beneficium. Verum quidem eſt, Davidem ſine ſtrepitu furtim uxoris ſolertia tunc elapſum eſſe ex hoſtium manibus: ſed quia hoc ſtratagemate eluſit Deus apparatum & copias Saulis, merito dicitur excuſſiſſe robur ſuum. Quanquam David exemplo uno admonitus, videtur longius reſpexiſſe, atque ita complexus eſſe varia auxilia quæ ſubinde expertus eſt.

18. *Fortitudo mea ad te.*] Clarius exprimit ſe acceptum Deo ferre quod ſalvus eſt. Nam virtutis ſuæ laudem Deo reſignans, nihil ſibi facit reliquum. Prius dixerat fortitudinem hoſtis ſui eſſe ad Deum: idem nunc de ſua prædicat. Sed eleganter ambiguam loquutionem diverſo ſenſu ponit. Nam Deus fortitudinem impiorum continet, ut cohibeat ac frenet, imo oſtendat fallaces & nullas eſſe quas illi vires ſibi arrogant. Interea ſuos fulciens, robur illis ſuppeditat, ne unquam deficiant. Antehac ergo gloriatus eſt ſe fore ſecurum, quod Saul arcana Dei providentia conſtrictus, ne ad levandum quidem digitum idoneus foret. Nunc quantumvis ipſe debilis ſit, prædicat ſatis ſibi virtutis eſſe in Deo: ideoque ſubjungit ſibi juſtam eſſe pſallendi cauſam: ſicuti Spiritus per os Jacobi lætos & hilares ad pſallendum invitat. *Jacob. 5.*
Quod alii legunt, fortitudinem meam ad te canam: *verſ. 13.*
duriuſculum eſſe lectores vident. Itaque non dubito diſtincta eſſe hæc duo membra, ſicuti ante attigi.

ARGUMENTUM PSALMI LX.

David jam locatus in ſolio, & inſignibus aliquot victoriis potitus, quæ ad ſtabiliendum regnum ejus valere poterant, Dei gratiam prædicat & extollit: neque id teſtandæ modo gratitudinis cauſa, ſed ut reſiduum populum, qui jugum ſubire adhuc recuſabat, ſibi conciliet, atque ita colligat lacerum populi corpus. Poſtquam autem dixit fulgere aperta benedictionis Dei ſigna, quæ teſtentur ipſum divinitus electum eſſe Regem, præcipue ad oraculum revocat fideles, ut intelligant ſe coaleſcere Dei auſpiciis, ſi unctionem à Samuele factam conſenſu ſuo approbent. Simul etiam preces admiſcet, ut perficiat Deus quod cœpit.

PSALM. LX.

PRæfecto, ſuper Suſan eduth, Davidis Michtham ad docendum,	1 למנצח על שושן עדות מכתם לדוד ללמד׃
2. Quum præliaretur contra Syrios Meſopotamiæ, & contra Syrios Soba, reverſuſque Joab cecidiſſet Idumeos in valle Salis ad duodecim millia.	2 בהצותו את ארם נהרים ואת ארם צובה וישב יואב ויך את אדום בגיא מלח שנים עשר אלף׃

PRæfecto, &c.] De priore inſcriptionis parte quia alibi dictum eſt, minus nunc laboro: niſi quod iterum repeto *Suſan eduth*, quod lilium teſtimonii vel pulchritudinis vertunt, mihi videri initium veteris cantilenæ. Quod poſtea additur, *ad docendum*, vulgò huc referunt, quod datus fuerit Pſalmus Levitis quem ediſcerent. Sed alii hoc commentum merito repudiant: quia peculiaris nota non quadraret in re Pſalmis omnibus communi. Magis ergo probabile eſt notari doctrinæ genus, quod huic Pſalmo conveniat. Conjicere autem licet, quum David tot præclaris victoriis ornatus, nondum tamen pacato regno frueretur, hac voce notaſſe finem ſibi propoſitum, ut factionibus abolitis, qui ante rebelles fuerant, tot documentis victi, tunc ſaltem agnoſcerent regem divinitus creatum: acſi diceret, Saltem experientia doceat regnum meum Deo placere, quod multis benedictionibus nobilitat in oculis hominum. Venio nunc ad circumſtantiam hiſtoriæ & temporis. Hoc canticum dicitur eſſe quaſi epinicion victoriæ quam adeptus eſt de Syriis, & aliis fœderatis gentibus. Hebræi, quia Meſopotamiam aliaſque regiones cenſent in Syria, quam ipſi Aram nominant, poſtea in ſpecies diſtinguere coguntur: ſicuti hoc loco ponitur Syria נהרים pro Meſopotamia, quam ex Latinis quidam Græcos æmulati, Interamnem vocaverunt. Deinde ponitur Syria צובה, quam non abſque ratione quidam Sophenem eſſe conjiciunt, quia ad ripam Euphratis adjacet. Dicitur autem 2 Samuelis 8. verſ. 3. Rohob rex Soba percuſſus à Davide, quum profectus eſſet ad occupandum imperium Fluminis. Tertia etiam Syria Damaſci illic ponitur, quæ Judææ propior eſt, adeoque contigua. Aliis etiam Scripturæ locis Syria latius extenditur, & pro locorum diverſitate adduntur alia epitheta. Quum autem tunc Davidi bellum à vicina quoque Syria illatum fuerit, & exercitum qui illinc ad juvandos Ammonitas venerat, communiter profligaverit, exoritur hic quæſtio, cur tantum incolas Meſopotamiæ & regionis Soba nominet. Mihi veriſimile eſt, de longinquis gentibus, quia plus formidinis incuſſerant, habitum fuiſſe ſermonem: quia illuſtrius hoc fuit ſpecimen gratiæ Dei, tam longe propagari Davidis imperium. Ergo vicinis gentibus præteritis, longinquos & ſola fama terribiles populos David commemorat, quorum ſtrages propter novitatem fere incredibilis erat. Quod autem in Sacra hiſtoria viginti duo millia numerantur, quum inſcriptio hæc nonniſi duodecim millia contineat: ſolutio facilis eſt. Illic enim dicitur Abiſai profligaſſe copias, quarum ſtrages hic ad fratrem ejus Joab refertur. Verum ſimul notandum eſt, inter ſe partitos fuiſſe exercitum. Quum autem Abiſai gradu honoris & auctoritate inferior eſſet, mirum non eſt, quamvis communiter ambo hoſtes percuſſerint, laudem totius victoriæ ſummo duci tribui: ſicuti etiam primo Samuelis, Davidi, cujus *1 Sam. 18.*
auſpiciis res geſta eſt, totum hoc tribuitur. Interea *verſ. 7.*
probabile quoque eſt, in ipſo prælii congreſſu occiſum fuiſſe circiter dimidium numerum: alios autem diſperſos, in fuga cæſos fuiſſe à Joab.

3. Deus * repuliſti nos, diſſipaſti nos: iratus es, revertere ad nos.	3 אלהים זנחתנו פרצתנו אנפת תשובב לנו׃

** vel, abominatus es.*

4. Tre-

4. Tremere feciſti terram, feciſti dehiſcere: ſana contritiones ejus, quia concuſſa eſt. | 4 הרעשתה ארץ פצמתה רפה שבריה כי מטה:

5. Oſtendiſti populo tuo durum, potaſti nos vino ſtuporis. | 5 הראית עמך קשה השקיתנו יין תרעלה:

3. *Deus repuliſti nos.*] Incipit à precatione, quo ſe & alios melius excitet ad reputandam Dei gratiam. Interponitur enim comparatio, ex qua melius pateat regnum Saulis à Deo fuiſſe reprobatum. Ergo de miſera triſtique diſſipatione conqueſtus, precatur ut rebus in melius mutatis, propitium ſe Deus exhibeat populo ſuo. Nam quod putant quidam Davidem loqui de ſuis afflictionibus, non adeo quadrat. Fateor quidem, antequam regno ſit potitus, duriter fuiſſe probatum: ſed quum ſe toti populo adjungat, ac deploret communes omnium miſerias, mihi non dubium eſt quin per comparationem illuſtret gratiam Dei, quæ ſtatim ab exordio regni ejus novo modo illuxerat. Hac igitur ratione deplorat graves & longas calamitates, quibus prope afflicta fuerat Eccleſia ſub Saule. Atque hoc notatu dignum eſt, quum gentiles ſuos acerrimos & ſæviſſimos ſenſiſſet hoſtes, ubi nunc ſolio potitus eſt, obliviſci omnes illorum injurias, quia ſuæ vocationis memor eſt: ideoque prodire in conſpectum Dei quaſi unum ex populo. *Diſſipationem* vero ponit quaſi præcipuum malum: quia fractis vel attritis Saulis opibus, ſic expoſita hoſtibus terra erat in prædam, ut nemo domi ſuæ tutus lateret, ſed omnes ad fugam & exilium eſſent parati. Poſtea hanc vaſtitatem iterum metaphorice deſcribit, dicens non minori deformitate affectam eſſe terram, quam ſi *hiatu abrupta fuiſſet.* Neque enim terram chaſmate divulſam fuiſſe intelligit: ſed ita collapſum fuiſſe vel dejectum populi ſtatum, ut calamitas ubique conſpiceretur qualis terræ motum & hiatum ſequi ſolet. Ex quo enim à Deo Saul defecit, cœperunt res ejus peſſum ire, donec in totum ipſe periit, & populum reliquit fere perditum ac deploratum. Certe omnes tunc erant in ſummo metu ac trepidatione: hoſtibus autem ludibrio erat Abrahæ ſemen: nec jugum refugiſſet, ſi modo tolerabilis oblata eſſet ſervitutis conditio. His ſignis oſtendit David alienatum fuiſſe Deum à Saule, ideoque fontem omnium malorum detegit, Deum iratum fuiſſe dicens. Cæterum eundem qui percuſſit medicum nunc implorat, rogans ut ſanet fracturas.

5. *Oſtendiſti.*] Primo dicit populum aſpere tractatum fuiſſe: & ſtatim malorum acerbitatem ſimilitudine exaggerat, quod inebriati fuerint vino ſoporis aut vertiginis. De nomine תרעלה ne Hebræi quidem interpretes inter ſe conveniunt, quia multi transferunt venenum. Sed facile eſt colligere Prophetam de venefica potione ſpecialiter loqui, quæ mentes ſenſu & intelligentia privat: acſi dixiſſet Judæos malis fuiſſe obſtupefactos. Voluit enim Dei maledictionem, quæ ſub Saule graſſata fuerat, illis ante oculos ponere: ut depoſita pervicacia, ſolium à Deo reprobatum ſuis auxiliis fulcire deſinerent.

6. Dediſti timentibus te vexillum, ad vexillandum coram veritate. Selah. | 6 נתתה ליראיך נס להתנוסס מפני קשט סלה:

7. Ut liberentur dilecti tui ſerva dextera tua, & exaudi me. | 7 למען יחלצון ידידיך הושיעה ימינך ועני:

8. Deus loquutus eſt in ſanctitate ſua, lætabor: dividam Sichem, & vallem Suchoth dimetiar. | 8 אלהים דבר בקדשו אעלזה אחלקה שכם ועמק סכות אמדד:

9. Meus Galaad, & meus Menaſſe, & Ephraim robur capitis mei: Jehuda * legiſlator meus. | 9 לי גלעד ולי מנשה ואפרים מעוז ראשי יהודה מחוקקי:

* vel, dux.

10. Moab olla lotionis meæ, ſuper Edom projiciam calceum meum: Palæſtina jubila ſuper me. | 10 מואב סיר רחצי על אדום אשליך נעלי עלי פלשת התרועעי:

6. *Dediſti.*] Quidam præteritum verbi tempus transferunt in optativum modum, ut continua ſit precatio. Atqui David potius gratulationem votis permiſcens, admonet, in mutatione quæ contigerat, apparuiſſe clarum ſignum favoris Dei. Agit ergo Deo gratias totius populi nomine, quia vexillum erexerit ad recreandos animos, & colligendam diſperſionem. Particulam quæ ſequitur, *coram veritate*, frigide, meo judicio, & jejune accipiunt qui putant Deum Judæis ideo propitium fuiſſe, quia veraces & integri deprehenſi erant. Scimus enim proceres fuiſſe bis & ter perfidos, totum etiam vulgus cum ſuo capite fuiſſe fœdifragum: quia à primo ad ultimum omnes ad extinguendam Dei gratiam conſpiraverant. Itaque non dubito quin ſignificet David exortam è tenebris fuiſſe Dei veritatem, ubi præter ſpem reſtitui ſubito cœpit Eccleſia. quis enim non putaſſet irritas eſſe promiſſiones Dei in tanta deſperatione? Davide igitur in ſolium evecto, ſimul emerſit Dei veritas quæ ſuffocata diu fuerat. Quanquam autem toti populo beneficium hoc præſtitum fuit, David tamen admonet Deum reſpexiſſe ſuos cultores, quantumvis paucos numero, ut eorum ſaluti conſuleret. Poſtea ad precationem iterum redit. Niſi forte initium verſus, *ut evadant dilecti tui*, cum ſuperiore ſententia contexere magis placeat: in quam partem ego libenter inclino. nam in ipſa varietate David magnitudinem gratiæ commendat, quod Deus ſuos animaverit ad tollendum vexillum, qui prius ſine ſpe effugii in extremas anguſtias redacti erant, ut certa inſtaret perditio, niſi mirabiliter erepti eſſent. Quos autem prius dixit timentes Dei, eoſdem nunc vocat dilectos: qua voce ſubindicat non ita rependere Deum ſuis cultoribus mercedem, quin ſimul gratuitæ dilectionis reſpectum habeat. Quod preces adjungit, eo monemur, quamvis in ſublime Deus nos extulerit ſuis beneficiis, modeſte tamen & humiliter ſemper rogandum eſſe ut opus ſuum proſequatur.

8. *Deus loquutus eſt.*] Hactenus experimenta attigit, ex quibus perſpici poterat novus & jam aliquot annis inſolitus Dei favor: quia ſcilicet populum ex afflicto florentem reddiderat, & ita converterat fortunam, ut ſecunda victoria primam exciperet, ſecundam tertia. Nunc quod præcipuum erat, populi mentes revocans ad promiſſionem, dicit Deum ore ſuo teſtatum eſſe quod effectu poſtea ſancivit. Nam utcunque Deus innumeris gratiæ ſuæ exemplis nos obruat, nulla tamen vigebit eorum notitia, niſi præfulgente verbo. Poſſet autem hoc tam in totius populi quam in Davidis perſona legi. & certe David, etiamſi ſeorſum loquatur, minime tamen ſe ab univerſo corpore ſeparat, cui præfectus fuerat in caput. Jubet ergo populum, ſi non ſufficiant documenta

gratiæ

gratiæ Dei, animos ad hoc oraculum erigere, quo Rex fuerat deſtinatus cum præclaris elogiis. Ac Deum quidem loquutum eſſe dicit *in ſanctitate ſua*: quod ſicuti de Spiritu ſancto accipi non placet, quia nimis argutum videtur commentum: ita neſcio an de Sanctuario intelligere conveniat. neque enim legimus reſponſum illic datum fuiſſe Samueli. Rectius ergo erit retinere nomen ſanctitatis: quia ut rata eſſet oraculo fides, conſtantiam ſuam atque adeo efficaciam promiſſionis multis ſignis declaraverat. Quia ergo nullus erat dubitationi locus, epitheto inſignit quod per os Samuelis pronunciatum fuerat. Subjicit continuo poſt, ſe in hoc Dei verbo præcipue acquieſcere. Tametſi enim multas victorias adeptus erat, quæ proculdubio animum addiderant, ſe tamen plus lætitiæ cepiſſe ſignificat ex vocali teſtimonio, quam ex aliis omnibus ſignis. Et certe quamvis ad nos exhilarandos plurimum valere debeant omnia Dei beneficia, merito tamen ſummum gradum obtinet fides, quæ & lethales omnes triſtitias aboleat, & ſpirituali gaudio mortuos vivificet. Porro non ſolum privatim ſe lætatum eſſe dicit, ſed pios omnes accerſit in ſocietatem gaudii. Refert deinde oraculi ſummam, ſed ita ut in ipſa narratione, fidei ſuæ certitudinem declaret. loquitur enim quaſi de re ſibi probe comperta & indubia: ſeque facturum gloriatur quod Deus promiſerat. *Dividam*, inquit, *Sichem, & vallem Suchoth dimetiar.* Partes autem nominat quæ ſero in ejus poteſtatem venerunt: ac eo tempore Pſalmus videtur eſſe compoſitus quo adhuc manebat earum poſſeſſio penes filium Saulis. Quia ergo magnum de his regionibus certamen fuit Davidi, quamvis ſero, jugum tamen ſubituras eſſe dicit, quia Deus fidem ſuam interponere dignatus ſit. Eadem etiam ratio eſt *Galaad*, & *Menaſſe*. Quantum ad Ephraim ſpectat, quoniam tribus illa maxime populoſa fuit, merito vocat robur capitis ſui, hoc eſt principatus. Jam quo plus fidei oraculo conciliet vetuſtas, tandem addit *Jehudah fore ſibi ducem*: acſi diceret, non aliter rite poſſe coaleſcere Abrahæ poſteros, niſi colligantur ſub tribum Jehudah, vel ducem qui inde progenitus fuerit: quia ſic olim prædictum fuit à Patriarcha Jacob. Nam ad vaticinium illud alludit quod refertur à Moſe Geneſ. 49. v. 10. Non exibit ſceptrum de Juda, &c. Et illic etiam ponitur nomen מחוקק quod legiſlatorem vertunt. Hinc ergo conſtat nullam fore ſtabilitatem imperii, niſi reſideat in tribu Jehuda, quia Deus ab initio non modo ſic decrevit, ſed pronunciavit ſibi placere. Porro aptius hoc ad totum populum refertur quam ad Davidem, ſicuti nuper admonui non tam privato nomine loqui, quam ſuſcipere totius Eccleſiæ perſonam.

10. *Moab olla.*] Tranſit jam ad alienigenas, quos longe diſcernit à ſuis popularibus. dominari enim eum oportuit filiis Abrahæ tanquam fratribus, non autem mancipiis: in profanos vero & incircumciſos permiſſum erat durius imperium, quo eos violenter ſubigeret. Neque tamen victoribus licebit tyrannidis prætextum hinc petere, ut gentes bello devictas pro libidine opprimant: quia ſpectandum eſt Dei mandatum, in quo longe differunt à Davide: qui non tantum regia poteſtate ornatus fuit, ſed creatus à Deo ultor Eccleſiæ, præſertim adverſus implacabiles illos adverſarios, qui humanitatis obliti, cognatis ſuis moleſti eſſe non deſtiterant. Contemptim Moabitas ſibi pelvim fore dicit ad pedes lavandos: quia ſcimus pedum lotionem fuiſſe in uſu communi Orientalibus. Eadem eſt ratio in projectione calcei ſuper Edom. Eſt enim hoc ſignum contumeliæ: quia ſicuti ſacro & electo populo ſuperbe inſultaverant, ita ſerviliter erant tractandi. Quod ſequitur de Palæſtina, ambiguum eſt. Quibuſdam videtur eſſe ironica loquutio, quaſi exprobret David inanes jactantias Philiſtinis: quia integris adhuc viribus petulanter eum inceſſere ſolebant. Et רוע non modo clamare jubilando ſignificat, ſed etiam tumultuari, ubi ſe ad prælium concitant milites. Alii ſimpliciter exponunt de ſervili applauſu: quia utcunque præfractis animis jugum odiſſent, coacti tamen ſunt victori ſuo adulari, ſicuti Pſalmo 18. verſ. 45. vidimus, Filii alienorum mentientur mihi.

11. Quis deducet me in urbem munitam? quis deducet me uſque ad Edom?

12. Annon tu Deus qui repuleras nos, & non egrediebaris Deus inter exercitus noſtros?

13. Affer nobis auxilium à tribulatione, quia vana ſalus hominis.

14. In Deo faciemus virtutem, & ipſe conculcabit adverſarios noſtros.

11 מִי יֹבִלֵנִי עִיר מָצוֹר מִי נָחַנִי עַד אֱדוֹם׃

12 הֲלֹא אַתָּה אֱלֹהִים זְנַחְתָּנוּ וְלֹא תֵצֵא אֱלֹהִים בְּצִבְאוֹתֵינוּ׃

13 הָבָה לָּנוּ עֶזְרָת מִצָּר וְשָׁוְא תְּשׁוּעַת אָדָם׃

14 בֵּאלֹהִים נַעֲשֶׂה חָיִל וְהוּא יָבוּס צָרֵינוּ׃

11. *Quis deducet me.*] Jam per modum occupationis ultra progreditur, ſeque reliqua à Deo ſperare dicit, donec captis hoſtium munitionibus, ſolidam victoriam adeptus ſit. Nam quum adhuc multi acriter reſiſterent, videri potuit ante tempus gloriari. Sed quia pollicitus eſt Deus æmulos omnes populos ſub ejus poteſtatem venturos & manum, quaſcunque adhuc difficultates vel diſcrimina reſtare cernat, Deo præeunte ſecure pergit tanquam ad ſucceſſus indubios. Urbem munitam quidam interpretantur Rabath, quæ metropolis erat Moabitarum. Sed rectius alii heteroſin numeri eſſe docent, ac Davidem indefinite loqui de hoſtium urbibus, quarum receptaculo confiſi, ſtatuerant minime cedere. Ipſe autem Deum ſibi ad illas expugnandas ducem fore prædicat, ſicuti in acie victoriam contulit. Iterum vero comparatione gratiam amplificat, quæ affulſerat ſub ejus regno, ut inde legitimam ac ſanctam eſſe ſuam vocationem probet. Deus (inquit) qui nos antehac deſeruerat, & paſſus fuerat infeliciter bellare, nunc patefaciet mihi urbium portas, ut per cunctas hoſtium munitiones perrumpam.

13. *Affer nobis.*] Iterum ad precationem redit: imo ab illa quam vidimus ſpei certitudine deducitur ad precandi ſtudium. dicit autem, modo auxilietur Deus, ut non aliunde quicquam ſubſidii accedat, in ſola ejus manu plenam eſſe ſalutem. Sic enim ad verbum legitur, *& vana ſalus hominis.* acſi diceret, Domine ſicuti nullo adjutore indiges quum virtutem tuam exerere places: ita ſimulac teſtatus fueris te nobis favere, non erit cur humanam opem amplius expetamus: quia potentiæ tuæ fulgore omnes terrenæ opes evaneſcunt. Quia tamen omnium fere conſenſu copula hic in cauſalem particulam reſolvitur, ego quoque hanc interpretationem libenter admitto. Atque utinam probe cordibus noſtris inſideret hæc ſententia. Unde enim fit ut totus fere mundus ſemper vacillet, vel ſpes vanas concipiat ad ſe inflandum, neglecto Deo, niſi quod nemo guſtat ſalutem Dei, quæ una ſufficere debebat, quum extra eam quæcunque ſe ab hominibus offerunt auxilia, fallaces ſint præſtigiæ? Nam quod ſalutem hominum, quæ nulla eſt, opponit Dei ſaluti, impropria eſt loquutio. nempe quia ſtulte varias ſalutes nobis

in mundo imaginamur, per conceſſionem figmentis noſtris tribuit rei nomen. Neque enim ſi quando utitur Deus opera hominum in nobis ſervandis, vel munus illis ſuum reſignat, vel eos ornat ſuis ſpoliis. Vere igitur ea quoque ſalus, Dei cenſetur, quam per homines adminiſtrat. Sed nihil aliud voluit David, quam fictitium eſſe quicquid aliunde quam à ſolo Deo auxilii ſperatur. Hanc ſententiam ultimo verſu confirmat, quia nec quicquam poſſumus niſi ejus virtute, & ipſo juvante invicta fortitudine ſumus inſtructi. Duobus enim membris conſtat quod dicit *In Deo faciemus virtutem*, nempe ſimulac gratiam ſuam ſubduxerit Deus, concidere, & effluere quicquid in hominibus creditur eſſe virtutis. rurſum qui in ſolo Deo fortes ſunt, perfecta virtute eſſe præditos, ut ſuperandis cunctis difficultatibus pares ſint ac idonei. Ac ne putetur dimidiam ſolum fortiter agendi laudem Deo aſpergere, totum opus in ſolidum ei poſtea vendicat, quum addit *conculcaturum hoſtes*. Quod ſi contra homines pugnando, laudem agendi inter nos & Deum partiri fas non eſt: quanto minus tolerabile eſt ſacrilegium, in ſalute promerenda vires liberi arbitrii, Spiritus ſancti gratiæ opponere, acſi æqualis eſſet concurſus? Sua itaque ſuperbia ſe præcipitant quicunque ſeorſum à Deo ſibi arrogant vel minimam guttam virtutis.

ARGUMENTUM PSALMI LXI.

Quanquam Pſalmus hic à precatione incipit, vel ſaltem breviter refert orationem à Davide conceptam quum eum premeret gravis anxietas: major tamen pars in Dei laudibus & gratiarum actione conſumitur: quia prædicat ſe divinitus ab ingenti periculo, qualecunque illud fuerit, liberatum fuiſſe, & in ſolio regio ſtabilitum.

PSALM. LXI.

PRæfecto ſuper Neginoth, Davidis.

2. Audi Deus clamorem meum, attende precationi meæ.

3. Ab extremo terræ ad te clamabo dum angitur cor meum, in arcem quæ exaltatur ſupra me deduces me:

4. Quia fuiſti ſpes mihi, turris fortitudinis à facie inimici.

5. Habitabo in tabernaculo tuo in ſecula, tutus ero in abſcondito alarum tuarum. Selah.

1 לַמְנַצֵּחַ עַל נְגִינַת לְדָוִד׃

2 שִׁמְעָה אֱלֹהִים רִנָּתִי הַקְשִׁיבָה תְּפִלָּתִי׃

3 מִקְצֵה הָאָרֶץ אֵלֶיךָ אֶקְרָא בַּעֲטֹף לִבִּי בְּצוּר יָרוּם מִמֶּנִּי תַנְחֵנִי׃

4 כִּי הָיִיתָ מַחְסֶה לִי מִגְדַּל עֹז מִפְּנֵי אוֹיֵב׃

5 אָגוּרָה בְאָהָלְךָ עוֹלָמִים אֶחֱסֶה בְסֵתֶר כְּנָפֶיךָ סֶּלָה׃

A*Udi Deus.*] Tametſi non prorſus certum eſt quo tempore compoſitus fuerit hic Pſalmus, conjectura tamen magis probabilis eſt, Davidem aliquandiu potitum fuiſſe regno, dum in has de quibus loquitur, inſidias incidit. Et ego libenter eorum ſubſcribo ſententiæ qui ad tempus conſpirationis Abſalom referunt: quia non potuit niſi profugus, ab extremis terræ finibus clamare, quod ſecundo verſu dicit ſe facturum. Jam in ipſa prece vehementem affectum *clamoris* nomine deſignat: quia ſive ſubmiſſe conqueſtus ſit apud Deum, ſive altius vocem extulerit, interior tamen animi impetus & zeli ardor clamori merito confertur. Repetitio quoque oſtendit conſtanter perſeveraſſe in precibus. Atque hæc aſſiduitas exemplo nobis eſſe debet, ne fatigemur orando, quamvis non ſtatim palam faciat Deus ſe votis noſtris fuiſſe propitium. Per *extremum terræ* non dubito quin locum exilii denotet, ut prohiberetur ab acceſſu Sanctuarii & urbis regiæ. Nam quod nonnulli allegorice accipiunt, acſi diceret ex profunda abyſſo ſe orare: parum ſolidum mihi videtur. Jam quia poſtea ſe Regem nominat, quod nuſquam dixiſſe legitur ante Saulis mortem, colligere promptum eſt notari tempus illud quo trepide fugiens furorem filii Abſalom, in deſertum Mahum & alios receſſus ſe abdidit. Nam quia Deus montem Sion elegerat tam domicilio Arcæ fœderis, quam Regis ſolio, dicit David ſe ejectum eſſe in extremos terræ angulos, quia à præcipua & maxime optabili parte ejectus erat. Jam ſi David ſub umbratili Legis cultu, quamvis à Sanctuario longe profugus eſſet, orare tamen non deſtitit, nulla erit hodie torporis noſtri excuſatio, niſi fide in cælum conſcendimus, quæcunque obſtacula nobis objiciat Satan, quando nos ad ſe tam benigne Deus invitat, & via patefacta eſt per Chriſti ſanguinem. Ergo quibus ablata eſt Verbi prædicatio, & qui Sacramentis privati, ab Eccleſia Dei exulant, Davidis tamen exemplo diſcant, ab ipſo deſerto & longa diſtantia ad Deum clamare. Triſtitiæ & mœroris poſtea meminit. Deinde adjungit, ſe ab omnibus refugiis fuiſſe excluſum, quo clarius in ipſo exitu refulgeat Dei gratia. Quia verbum עטף Hebræis tegere interdum vel involvere ſignificat, vertunt quidam hoc loco, *Dum volvitur cor meum*: acſi diceret jactari ſurſum & deorſum, vel æſtuare. Verum hæc expoſitio durior eſt. Rectius alii, Dum curis & moleſtiis involvitur vel obruitur cor meum. Ego quod ſimplicius erat ſequi malui: quanquam metaphoram illam non repudio. Cæterum hac particula teſtatur ſibi triſtitiam non obſtare quominus ad Deum confugiat. De externa tentatione nuper diximus, quum à Sanctuario procul remotus eſſet, diſtantiam, quæ interpoſita erat, ſuperaſſe, ut clamorem ſuum ad Deum dirigeret: nunc fatetur non fuiſſe ſibi cor ferreum, vel Stoica duritie obſtupefactum contra dolores & moleſtias, ſed intus quoque difficilem ſibi fuiſſe luctam cum mœſtitia & anxietate cordis. Ergo quo magis ſe conſtringi ægritudine vel cura ſentiunt fideles, eo fortius eniti convenit, ut hæc impedimenta perrumpant. Hæc vero ſumma eſt, ut Deus in tutum aſylum, à quo videtur excludi, eum recipiat. Rupis enim vel *arcis* nomine ſecuram protectionem intelligit: ab ea ſe dicit arceri, quia, niſi Dei manu erectus, gradum promovere nequeat. Nam quum undique circumſpiceret, tuta omnia & tranquilla loca quodammodo in ſublime attolli putabat, & acceſſum negare. Conqueritur ergo omnia auxilia ſibi abripi, & à ſe procul alienari: ſed interim quamvis nulla appareat liberationis ratio, ſe tamen non dubitat fore ſalvum, ſi modo Deus porrigere manum velit. Simplex itaque abſque figura ſenſus eſt, Quamvis mihi ſubtrahantur omnia auxilia, & totus mundus effugia omnia præcludat, tu Deus præter ſpem me eripies. Quæ doctrina apprime notatu digna eſt, ut diſcamus ſalutem, quæ à Deo ſperanda eſt, proprio carnis ſenſu non metiri, nec ſubſiſtere in mediis quæ occurrunt, ſed Dei arbitrio permittere arcanos ſervandi modos. Nam quiſquis formam præſcribere tentat, videtur data opera immenſam Dei potentiam in arctum cogere.

4. *Quia fuiſti ſpes mihi.*] Vel ſuperiora Dei beneficia confirmandæ fidei ſuæ cauſa in memoriam revocat: vel ſibi jam de præſenti liberatione gratulatur. Utrumque enim probabile eſt. nam quum nihil nos ad bene ſperandum melius animet, quam recordatio cognitæ & perſpectæ Dei gratiæ, in hac meditatione David ſæpe inter precandum ſe exercet. Quia tamen reliquum Pſalmum in gratiarum actione conſumit, abſurdum non erit hinc exordium facere. Quanquam ſi placeat hic ſenſus, particula כי affirmativa potius erit quam cauſalis. Verſu quidem proxime ſequenti ſecure gloriatur ſibi poſthac locum ſemper fore in Sanctuario Dei. Nam quod putant quidam adhuc eum profugum, & à patria extorrem, reditum ſibi promittere, neſcio an conveniat. magis enim videtur de reſtitutione lætari, quam longinquam conſolationem doloris ſedandi cauſa accerſere: quod ex ſequenti contextu melius patebit. Quanquam autem poſtliminio in ſuum palatium reverſus erat, Regiæ tamen dignitati, opibus, ſplendori, & deliciis cultum Dei præfert. Sicuti enim alibi oſtendit, inter ſæviſſimas calamitates nullo dolore æque ſe cruciari, quam quod pietatis exercitiis carebat: ſic nunc ad felicitatem pluris æſtimat, ſuppliciter coram altari jacere, quam ſedere in Regis ſolio. Cæterum continuo poſt declarat ſe ſub externis illis figuris non ſuperſtitioſe coluiſſe Deum, ut ſolebant craſſi homines. ſibi enim quietem eligit *ſub umbra alarum* Dei. Nam quum viſibili Tabernaculo rude vulgus Deum affigeret, David hoc ſymbolo admonitus, ſpiritualem fidei intuitum ſurſum extulit. Neque tamen inficior quin ubi de umbra alarum loquitur, ad Cherubim alludat. Tantum hoc nobis fixum maneat, Davidem non fuiſſe retentum in mundi elementis, ſed ſurſum fuiſſe evectum, ut ſpiritualiter Deum quæreret ac coleret.

6. Quia tu Deus audiviſti vota mea, dediſti hæreditatem * timentibus nomen tuum.	6 כי אתה אלהים שמעת לנדרי נתת ירשת יראי שמך:
7. Dies ſuper dies Regis adjicies, anni ejus ſicut generatio & generatio.	7 ימים על ימי מלך תוסיף שנותיו כמו דור ודור:
8. Habitabit in ſeculum coram facie Dei: clementiam & veritatem para, cuſtodient eum.	8 ישב עולם לפני אלהים חסד ואמת מן ינצרהו:
9. Sic canam nomini tuo in ſeculum, ut reddam vota mea quotidie.	9 כן אזמרה שמך לעד לשלמי נדרי יום יום:

* vel, *timentium.*

6. *Quia tu Deus audiviſti.*] Confirmat quod nuper dixit de quieta ſtatione ſub alis Dei. Inde enim ſubita lætitia, quod Deus exauditis ejus precibus, tenebras in lucem verterat. In nomine *votorum* eſt ſynecdoche. nam quia precando vota nuncupaverat, ſub una parte totum intelligit. Summa eſt, quamvis prudenter colligendis viribus tempus ſumpſiſſet, Sacerdotum etiam favore, & ſtrenua militum opera eſſet adjutus, ſtatum tamen ſuum nonniſi certa & manifeſta Dei virtute recuperaſſe. Si in nomine ירא eſſet litera ל, nulla eſſet ambiguitas quin generaliter diceret, Deum hæreditatem dediſſe ſuis cultoribus. Nunc poteſt alter ſenſus non male quadrare, datam fuiſſe Davidi hæreditatem quæ manet omnes Dei cultores. Ego tamen generalem ſententiam libentius amplector, Deum nunquam fruſtrari ſervos ſuos, quin perfunctos certaminibus & moleſtiis, quibus exercet ac probat eorum fidem, æterna tandem felicitate donet. Oblique enim ſtultam confidentiam ridet David, qua exultant impii in rebus proſperis, quantiſper illis indulget Deus, vel parcit. Illa enim felicitas, in qua ſibi placent, nonniſi imaginaria eſt, ſtatimque evaneſcit. David autem nomine *hæreditatis* ſervos Dei non evanida proſperitate, ſed ſolido firmoque gaudio frui docet: quia temporales vel momentaneæ afflictiones, quibus probantur, adjumenta ſunt æternæ ſalutis. Gratias itaque agit Deo, quia non ad triduum duntaxat exhilaret ſuos cultores, ſed in certa & ſtabili vita eos confirmans, quaſi hæreditarium illis fundum aſſignet. Et certe quum fide non poſſideant impii Dei beneficia, quaſi ex rapto in diem vivunt. Vera autem & legitima bonorum fruitio penes ſolos Dei cultores reſidet.

7. *Dies ſuper dies.*] Non poteſt ad Davidis perſonam reſtringi hæc gratulatio. Etſi enim prorogata fuit ejus vita uſque ad ultimum ſenium, & pacato Regni ſtatu, tradita etiam filio ſucceſſione, ſatur dierum mortuus eſt: non tamen exceſſit unius hominis ætatem: & major etiam vitæ pars multis ærumnis, curis & doloribus miſere confecta fuit. Quare non dubium eſt quin iſtam annorum ſeriem atque etiam ætatum ad Chriſtum uſque continuet. diximus enim jam ſæpius qualis fuerit illius Regni conditio: nempe ut Deus populum unum ſub uno capite collectum tueretur: ac rurſus ex diſſipatione colligeret. Jam vero ad nos quoque pertinet iſta ſucceſſio, quia Chriſtum non in ſe modo, ſed in ſuis membris uſque ad finem mundi vivere oportet, ſicut dicitur Jeſaiæ 53. verſ. 8. Generationem ejus (vel ætatem) quis enarrabit? Quamvis enim variæ tempeſtates & procellæ, variique hoſtium inſultus quotidie multas ruinas Eccleſiæ minentur, denunciat tamen Propheta ſeculis omnibus fore ſuperſtitem: David vero uſque ad Chriſti ipſius adventum continuam Regni propagationem prædicit.

8. *Habitabit in ſeculum.*] Simplicior loquutio eſt, quam quum nuper dicebat, Habitabo in Tabernaculo. Se enim Dei protectione ſecurum & tranquillum fore dicit, quia eum habebit vitæ ſuæ cuſtodem. Neque enim dubium eſt quin per *Dei faciem* notetur providentia & paterna cura quam de ſuis ſuſcipit. Et certe inter tot pericula quibus undique obſidemur, ne ad momentum quidem ſtaremus, niſi nos Dei oculus ſalvos præſtaret. Hæc autem vera eſt beatæ vitæ ſtabilitas, ubi perſuaſi ſumus divinitus eam gubernari. Sequitur altera poſtulatio, ut Deus *clementiam & fidem decernat*, cuſtodiendo & tuendo Regem: cujus poteſt duplex eſſe ſenſus. Quia enim humanitas & fides veræ ſunt regnorum fulturæ, non abſurdum eſſet, Davidem ſibi petere manſuetudinis vel clementiæ & integritatis ſpiritum, ut hoc modo in Regno ſtabiliatur. Meo tamen judicio probe conveniet alter ſenſus, ut Deus ad cuſtodiendum Regem clementia & veritate ſua ſe accingat. Nam מנה non tantum parare, ſed etiam præcipere vel decernere ſignificat: acſi dixiſſet Regni ſui fidelem cuſtodiam in ſola Dei miſericordia & fide includi. Interea verbo *parandi*, vel præcipiendi oſtendit Deo eſſe in promptu media quibus ſuos conſervet. Tandem concludit ſe conſtanter & aſſidue operam daturum canendis Dei laudibus ad vota ſua ſolvenda. ubi iterum notanda eſt harmonia inter duas invocationis Dei partes: quia David non minus in mediis periculis ad Dei opem confugit, quam gratum ſe oſtendit poſtquam liberatus fuerat.

ARGUMENTUM PSALMI LXII.

Pſalmus hic magna ex parte meditationes continet, quibus David ſe & alios ad ſpem in Deo locandam animat, & contra tentationum certamina armat & inſtruit. Quia vero nihil proclivius eſt quam ſenſus noſtros fallacibus mundi illecebris à Deo abſtrahi, ut effluant & evaneſcant, acriter in hanc vanitatem invehitur, ut ſe & alios in ſolo Deo contineat.

PSALM. LXII.

PRæfecto ſuper Jeduthun Pſalmus Davidis.	1 למנצח על ידותון מזמור לדוד׃
2. Veruntamen ad Deum ſilet anima mea, ab ipſo ſalus mea.	2 אך אל אלהים דומיה נפש ממנו ישועתי׃
3. Veruntamen ipſe eſt rupes mea & ſalus mea, arx mea: non movebor graviter.	3 אך הוא צורי וישועתי משגבי לא אמוט רבה׃

QUia ſcitur Jeduthun unum fuiſſe ex præcipuis cantoribus, putant quidam mandatas ei fuiſſe partes canendi hujus Pſalmi. Et certe Pſal. 39. probabile eſt notari cantorem ex illa familia. Sed hic diverſa videtur ratio, quia non dicitur Pſalmus ipſi Jeduthun fuiſſe datus, ſed ſuper Jeduthun. Unde nonnulli conjiciunt celebris cantilenæ fuiſſe initium. Cæterum quia particula על tantundem ſæpe valet atque Latinum ad, vel propter, vel coram, vel apud: non male quadrabit, Pſalmum hunc fuiſſe depoſitum apud poſteros Jeduthun. Hoc de inſcriptione breviter dictum ſit. Si placeat verſio quam poſui, Pſalmus ex abrupto incipiet, ſicuti patheticæ ſententiæ ut plurimum defectivæ ſunt: ac omnino tale initium eſt Pſalmi 73. Nam, ut illic clarius videbitur, Propheta ex diſceptationibus inter quas æſtuaverat, mentem ſuam colligens, acſi anſam contrariis rationibus præcideret, adverſative pronunciat, Deus tamen Iſraëli ſuo bonus eſt. Idem & de præſenti loco ſentio. Scimus non ita compoſitas eſſe piorum mentes, quin ſæpe alternis fluctuationibus jactari contingat. Dei quidem verbum placido ſilentio excipere cupiunt: &, ſi eos caſtigat, obmuteſcere: ſed interim multi incompoſiti affectus tumultuando, fidei & patientiæ ſilentium perturbant: unde fit ut ebulliant homines: nec minus ſua impatientia moleſtiam & inquietudinem ſibi acerſant, quam Deo ſint obſtreperi. Particulam אך quia ſæpe excluſiva eſt apud Hebræos, quidam vertunt Tantummodo: quia vero aliquando affirmat, alii reddunt per utique vel certe. Sed plenior ſenſus conſtat repugnantiam illam ſubaudiendo, à qua ſe violenter expedit David, acſi captivos tenens ſuos ſenſus, in obſequium cogeret. Quia igitur turbulentos in eo affectus excitaverat Satan, eumque impulerat ſuis machinis ad aliquam intemperiem: nunc ſeipſum refrenans, ſtatuit ſibi *tacendum eſſe*: quo verbo intelligit patienter & ſedato animo ferendam eſſe crucem. opponitur enim inquietudini, qua contra Deum inſurgimus. denique ſilentium hoc nihil aliud eſt quam compoſita ſubjectio, dum acquieſcunt fideles in Dei promiſſionibus, locum dant ejus verbo, imperio obtemperant, omnemque affectuum ſtrepitum in cordibus ſuis cohibent. דומיה quidam nomen formale eſſe putant. ſed quia ad ſummam rei parum refert, non adeo laboro. Tertio verſu iterum אך adverſative ſumi ſentio. Neque enim ſufficit uno prælio vel congreſſu victores eſſe fideles in tentationibus: quia mox de integro novas illis pugnas movet Satan. Ergo David, quamvis jam emerſerit ex ipſo gurgite, quia tamen non omnes difficultates evaſit, ſecundo luctatur. Quin etiam hæc particula ſexies in hoc Pſalmo nobis occurret. Atque hæc ratio eſt cur Deum multis epithetis inſigniat, ut totidem ſcilicet clypeis excipiat ac repellat Satanæ inſultus. In fine verſus, ubi dicit, *non labar*, vel non movebor *graviter*, ſubindicat fieri quidem poſſe ut prematur rebus adverſis, quia ſciebat communibus incommodis ſe eſſe obnoxium: ſed ſibi perſuadet caſus non fore mortiferos, quia Deus ſupponet manum ſuam. Poſtea ſimpliciter dicet abſque adjectione *Non nutabo*, vel, non labar: forte quia orando profecerat, ut confidentius afflictiones deſpiceret. Quanquam potius videtur idem velle utroque loco. Et certe quamvis ad tempus afflicti jaceant fideles, quia tamen non ſuccumbunt quin ſaltem Deus eos attollat, hoc non eſt proprie cadere: imo quum Deus Spiritu ſuo eos ſuſtentet, non eſt percelli nec labi.

4. Quouſque * protrahetis inſidias viro? occidemini vos omnes, quaſi paries inclinatus, & maceria impulſa.	4 עד אנה תהותתו על איש תרצחו כלכם כקיר נטוי גדר הדחויה׃
5. Tamen de elevatione ejus conſultant ad impellendum: diligunt mendacium, ore ſuo benedicunt, & in cordibus ſuis maledicunt. Selah.	5 אך משאתו יעצו להדיח ירצו כזב בפיו יברכו ובקרבם יקללו סלה׃
6. Veruntamen ad Deum ſile anima mea, quia ab ipſo expectatio mea.	6 אך לאלהים דומי נפשי כי ממנו תקותי׃
7. Veruntamen ipſe rupes mea, & ſalus mea, arx mea, non labar.	7 אך הוא צורי וישועתי משגבי לא אמוט׃

* vel, *irruetis ſuper virum.*

4. *Quouſque.*] Verbum תהותתו putant quidam ſumi pro cogitare vel machinari inſidias. Alii interpretantur linguam protrahere in ſignum ludibrii. Alii vertunt, irruere. Mihi videtur optime quadrare, Quouſque cogitabitis ſuper virum? vel perverſis cogitationibus non deſinetis exitium viro machinari? Hoſtes enim ſuos inſimulat obſtinatæ malitiæ, quod nullum non moveant lapidem ad nocendum, novaque ſubinde exitia moliantur. Quo exemplo docemur, patienter ferendum eſſe quoties hoſtes noſtri infatigabili ſævitia pergunt nefaria in perniciem noſtram conſilia inire: & Satan etiam nova ſubinde artificia illis ſuppeditat. Sed videndum quorſum ſpectet ſimilitudo quæ mox additur. Quidam putant impios conferri *parieti inclinato*, quia aſſidue minatur ruinam, ſicuti illi in ſuis ſceleribus ad ſingula momenta labaſcunt, donec ruant præcipites. Mihi potius alio ſpectaſſe videtur David.

Digitized by Google

vid. nam ſicut paries male coagmentatus ventrem projicit & fere ſuam latitudinem externa ſpecie duplicat, quum interior vacuitas in ruinam tendat: ſic impii faſtus ſui vento turgentes, ſuarum conſultationum terrorem dilatant. Sed quemadmodum paries vitioſus, intuſque corruptus, ſubito impetu cadens, non modo ſeipſum frangit propria mole, ſed conterit in minutas partes, ita hoſtibus ſuis David inexpectatam ruinam denunciat, & qua prorſus conterantur. Nam quum גדר *gader* proprie quamlibet clauſuram ſignificet ex levi infirmaque materia compoſitam, additur tamen epitheton, impetuoſi & violenti caſus exprimendi cauſa. Significat ergo David, quamvis in ſublime erecti ſint hoſtes ſui, & ex largo faſtuoſoque pulmone atroces minas crepent, ruituros tamen ſubito & quidem præcipiti caſu, inſtar parietis impulſi.

5. *Tamen de elevatione ejus.*] Semper adverſative interpretor particulam אך: quia ſicut David ab una parte ædificat fidem ſuam, ut firma recumbat in gratiam Dei: ita ſibi ex adverſa parte proponit hoſtium machinationes, ſuperbiæ, crudelitatis, fraudum, & audaciæ plenas: acſi diceret, Quamvis omnia conando, nihil aliud proficiant niſi quod ſe impellunt præcipites, furore tamen correpti non deſinunt ſemper novi aliquid intendere ad me dejiciendum. Oblique vero ſubindicat, non tam ſibi quam Deo bellum inferri: ſicut apud Poëtas pingitur impietas ſub Gigantum perſona. Neque enim ſatis animoſi Dei hoſtes ſibi videntur, niſi caput efferant ſupra nubes. Primum David in tertia perſona ſic de ſe loquitur, ut tamen divinitus ſe exaltatum fuiſſe intelligat. Quanquam poteſt etiam commode intelligi Dei ipſius elevatio: ſumma tamen huc redit, impios toto conatu incumbere ad eum opprimendum quem Deus extulit, & in ſua altitudine vult tueri. Sequitur autem, bellum eos ſuſcipere cum Deo, qui opus ejus evertere conantur. Huc pertinet ſecundum membrum, *diligere fallacias:* quia ſcilicet legitimam ejus vocationem non ferentes, perverſa conſilia quotidie excudere non ceſſabant, quæ in ipſorum capita reciderent. ſicut etiam Pſalmo 4. verſ. 3. dixit, Filii viri uſquequo gloria mea opprobrio? diligitis vanitatem, quæritis mendacium? Selah. Quanquam poteſt etiam mendacii nomen referri ad occultas fraudes, quibus inſidioſe adoriebantur ſanctum virum: quia mox ſequitur, *ore ſuo benedixiſſe, quum tamen in corde maledicerent.* Utcunque ſit, contra omnem perfidiam, omnes fraudes & noxas hoc uno ſe munit David, quod in Dei fulturam recumbens, fruſtra omnibus adverſis machinis impetitur.

6. *Veruntamen ad Deum.*] Videtur quædam eſſe repugnantiæ ſpecies. Nam quod ante animam ſuam feciſſe jactavit, nunc hortatur ut faciat. Si jam Deo ſilebat ejus anima, quorſum opus fuit novum ſilentium indici, quaſi tumultuaretur? Sed notandum eſt, nunquam ita bene pacatas eſſe mentes noſtras quin ſentiant cæcos motus: quemadmodum ſi mare commoveat levis aura, non ut magno fervore ſurgant fluctus, ſit tamen aliqua fluctuatio. Quum ergo non ſine aliqua jactatione ſe contineant piorum mentes, non abs re David animam ſuam, quæ jam quieta erat, conticeſcere jubet. acſi diceret, ſibi magis ac magis proficiendum eſſe in hoc ſilentio, donec carne in totum ſubacta, compoſitus ſit ad Dei obſequium. Deinde videmus ut ſæpius ad novam inquietudinem titillet Satan qui videntur optime ſedati. Ut autem ſumus inſtabiles, & ad varios motus plus ſatis proni, opus eſt nova confirmatione. Quare ne miremur ſi David animam ſuam quæ jam ſilentio aſſueta erat, rurſus tacitam eſſe jubet: quia inter carnis impulſus nunquam perfecte quieſcimus ut decebat. Et periculum eſt ne exorientibus ſubinde novis ventis, turbetur interior noſtra tranquillitas: ideoque exemplo Davidis, ad pergendum nos hortemur. Silentii ſui cauſam ponit, quia etſi non ſtatim reſpondeat Deus, in eo tamen tuto ſperet. Nam *expectationem ſuam à Deo* eſſe dicit, quia ſuorum patientiam nunquam fruſtratur: Repoſita (inquit) certa eſt merces ſilentio meo, ideoque me cohibebo, ne feſtinatio mea ſalutis meæ curſum perturbet.

8. Ad Deum ſalus mea, & gloria mea, rupes fortitudinis meæ, ſpes mea in Deo.

8 עַל אֱלֹהִים יִשְׁעִי וּכְבוֹדִי צוּר עֻזִּי מַחְסִי בֵּאלֹהִים׃

9. Sperate in eo omni tempore popule, effundite coram facie ejus corda veſtra: Deus ſpes nobis. Selah.

9 בִּטְחוּ בוֹ בְכָל עֵת עָם שִׁפְכוּ לְפָנָיו לְבַבְכֶם אֱלֹהִים מַחֲסֶה לָּנוּ סֶלָה׃

10. Veruntamen vanitas filii Adam, mendacium filii viri, in ſtatera ut aſcendant ipſi præ vanitate ſimul.

10 אַךְ הֶבֶל בְּנֵי אָדָם כָּזָב בְּנֵי אִישׁ בְּמֹאזְנַיִם לַעֲלוֹת הֵמָּה מֵהֶבֶל יָחַד׃

11. Ne confidatis in * oppreſſione & præda, ne evaneſcatis: divitiæ ſi affluant, cor ne apponite.

* vel, rapina.

11 אַל תִּבְטְחוּ בְעֹשֶׁק וּבְגָזֵל אַל תֶּהְבָּלוּ חַיִל כִּי יָנוּב אַל תָּשִׁיתוּ לֵב׃

8. *Ad Deum ſalus mea.*] Accumulat quicquid poteſt ad ſe retinendum: quia nihil infirmitati carnis noſtræ proclivius eſt, quam dilabi ad vagos errores. Fatebimur uno verbo, non aliunde quam ab ipſo petendam ſalutem eſſe: ſed ejus virtute diffiſi, hinc inde cupiemus accerſere ſubſidia quæ defectum ſuppleant. Quotquot ergo elogiis celebrat David potentiam Dei ad ſervandum, totidem fulturis ad conſtantiam ſe confirmat: totidem etiam frenis compeſcit carnis ſuæ levitatem, ne quam ſalutis ſuæ partem alibi quam in Deo quærat. Poſtquam vero probe ſe animavit, ſermonem convertit ad alios, & ad certaminum ſocietatem invitat, quo victoriæ & triumphi pariter ſint conſortes. *Populum* appellans, mihi dubium non eſt quin Judæos deſignet: quia antequam Gentibus illuxiſſet religio, & Dei notitia, non alibi quam in Judæa vigere poterat ſpes, ac Dei invocatio: & clare electum populum à profanis Gentibus diſcernit: acſi diceret, indignum eſſe niſi ſe totos Deo addicant Abrahæ filii, quibus patefacta eſt ejus gratia, & quos in ſuum patrocinium recepit. *Tempus* autem omne intelligit ſive proſperum, ſive adverſum: ſignificans perperam eos facere qui ad minimam quamque inclinationem cedunt, ac declinant. Quamvis itaque afflictionibus ſuos probet Deus, fortiter in ſpe & tolerantia ſtandum eſſe admonet David. Nam hypocritæ, qui in rebus lætis Deo plaudentes, ſimulac contigit aliquid adverſi, animis deficiunt, non ſine gravi ejus injuria januam præcludunt ejus potentiæ. Dandus itaque honor eſt Deo, ne in graviſſimis quibuſque malis ſolari nos deſinat hæc cogitatio, penes ipſum eſſe exitus mortis. Jam quia in anguſtias contrahuntur corda hominum rebus adverſis, & hoc vitio nihil aliud quam ſeipſos exaſperant contra Deum, mœroremque ſuum augent, optimum remedium adhibet David, ut fideles curas ſuas in Deum exonerando, quodammodo *ante ejus oculos corda ſua effundant.* Quantiſper enim obſeratum eſt cor dolore, nunquam exeunt liberæ preces. Ergo ne obruant nos tentationum onera, hinc nobis

bis levatio petenda eſt, quod ægritudini noſtræ ſuccurret Deus, modo ne in illius ſinum eam rejicere negligamus. Porro quum maligna quædam reſtrictio omnium fere animos occupans, tandem in deſperationem conjiciat, eo nobis utilior eſt Davidis admonitio. Nam quamvis omnes ad quærendos malis ſuis exitus non minus ſolertes ſint quam ſeduli, quia tamen data opera ſubterfugiunt Dei conſpectum, meros ſibi labyrinthos fabricant. In ſumma, David morbum naturæ noſtræ ingenitum corrigit, quia dolorem noſtrum occultando, frenum intus rodere malumus quam pias querimonias & preces apud Deum fundendo, nos levare. Unde fit ut magis ac magis impliciti doloribus, mergamur in deſperationem. Jam quod de ſe uno prædicaverat, extendit ad totum populum, ſalvum fore pronuncians ſub Dei cuſtodia.

10. *Verumtamen vanitas.*] Si אך affirmative accipere libeat pro certe, vel utique, erit ſuperioris ſententiæ confirmatio: & à repugnantibus oſtendet David, quum homines ipſa vanitate ſint vaniores, nihil aliud reſtare, quam ut ſpes omnes ſuas ad unum Deum referant. Apte tamen contextus fluet ſi dicamus, quia videbat David ſine profectu ſurdis ſe canere hanc doctrinam, quod populus pro ſuo ingenio difflueret in ſpes fallaces, nunc præ indignatione exclamare, Atqui mera vanitas regnat in filiis hominum. Hoc modo damnaret cæcam hominum incredulitatem, quibus ſatius eſt vanis illecebris ſe decipere, quam initi Dei promiſſionibus, quæ fallere nequeant. Porro quia tantam vanitatem deprehendebat David in electis Abrahæ filiis, pronunciat in genere totum humanum genus mendaciis eſſe deditum. Nam per adverbium יחד ſignificat cunctos ſine exceptione appetere errandi cauſam. Jam vero ubi audimus non in paucis hominibus damnari hanc pravitatem, ut vanitate vaniores ſint, ſed in ipſa natura: quid reſiduum fieri dicemus rationi, & prudentiæ, ac libero arbitrio? Nec obſtat quod fideles hoc morbo purgat Deus: quia ſi regeneratione Spiritus in illis corrigitur mendacium & vanitas, ſequitur natura fuiſſe mendaces. Etſi autem primus homo integer à Deo creatus eſt, ſuo tamen lapſu in hanc corruptionem nos traxit, ut prorſus obtenebratum ſit quicquid lucis divinitus nobis datum erat. Siquis objiciat, reſidere tamen in hominibus non ſpernenda Dei dona, quibus inter omnes alias creaturas excellunt: ſolutio facilis eſt, Quamvis præclaris dotibus ornati ſint homines, corrumpi tamen peccati labe, & evaneſcere in nihilum. Sola enim Dei cognitio facit ut ſuam præſtantiam retineat quicquid donorum in nos contulit Deus: alioqui vitiantur peccati contagione, quæ nullam integritatis guttam in hominibus reliquit. unde merito exclamat David cunctos mortales vanitatem eſſe ac nihilum.

11. *Ne confidatis.*] Hic admonet David, non ante ſolide confidere homines Deo, quam exuerint fallaces omnes fiducias, quæ totidem ſunt avocamenta. Itaque omnia impedimenta tolli jubet, & vitiis quæ Dei locum occupant, animos purgari. Quanquam autem ſpecies tantum quaſdam attingit, per ſynecdochen ſignificat nunquam ſincere & abſque fuco cor hominis Deo eſſe addictum, donec ſe contrariis omnibus fiduciis explicuerit. Per rapinas & prædam intelligere poſſumus tam ipſum rapiendi actum, quam res male & injuſte partas. Certum quidem eſt hac exhortatione reprimi libidinum audaciam, quæ mentes excæcat, ut licere putent quicquid impune conceditur. In contextu etiam variant interpretes. Quidam enim ſingulis nominibus ſua verba attribuunt, hoc modo, Ne confidatis in rapinis, ne evaneſcatis in præda: &, ſi divitiæ affluant, nolite cor adjicere. Alii cum uno verbo contexunt rapinas & prædam. Verbum autem evaneſcendi ſeorſum indefinite legunt. Utramvis ſyntaxin eligas, non multum ad ſummam rei intereſt: quia ubi veſanam audaciam, qua inflati ſunt prædones, damnavit Propheta, proprio eam nomine deſignat; quod ſcilicet mera ſit illuſio, in qua evaneſcunt homines. Imo Propheta uno verbo pronunciat, ſpes omnes quæ à Deo ad creaturas nos abſtrahunt, luſorias eſſe ac mendaces, præſertim ubi malis & perverſis artibus diteſcere appetimus. Poſtquam autem pravas cupiditates damnavit, in quibus palam apparet ſcelus, ſubjicit continuo poſt, cavendum etiam eſſe ne opes quamvis juſtis modis partæ, nos teneant ſibi affixos. Porro *Cor adjicere ad divitias*, non tantum ſignificat nimis cupide ad eas inhiare, ſed earum fiducia perperam efferri, & altum ſapere, ut dicit Paulus. Rom. 11. verſ. 20. Jam vero quam non ſupervacua ſit hæc admonitio, quotidiano uſu docemur. Nihil enim magis commune, quam ferociam gigni ex abundantia: mentes vero faſtu excæcatas non minus in Deum protervire, quam inſoleſcere effreni nocendi licentia. præſertim metuenda eſt furioſa illa cæcitas, ne cum Dei contumelia ſupercilium nimis alte tollat qui potentiæ ſuæ fiducia ebrius, ſuæ fragilitatis obliviſcitur.

12. Semel loquutus eſt Deus, bis hoc audivi, quod poteſtas ſit Deo,	12 אחת דבר אלהים שתים זו שמעתי כי עז לאלהים׃
13. Et tibi Domine clementia. certe tu rependes cuique ſecundum opus ſuum.	13 ולך אדני חסד כי אתה תשלם לאיש כמעשהו׃

12. *Semel loquutus.*] Concludit non aliter poſſe abſtrahi animos à vanitate, quam ſi penitus & conſtanter in Dei judicium intenti ſint. Quum igitur huc & illuc ideo raptentur hominum mentes, aut ſaltem vacillent, quia ad varias mundi inclinationes alternant, tranquilla ſtatio oſtenditur à Davide, ubi ſcilicet patienter acquieſcimus in verbo Dei. Cæterum quia ad Deum qui lucem habitat inacceſſam, 1 Tim. 6. verſ. 16. nemo perveniet niſi fide directrice, Propheta verbum nobis proponit, quo teſtatur Deus mundum ſe regere juſto imperio. Et quia magnopere intereſt nos in Verbi fide ſtabiliri, ejus certitudinem commendat. Quanquam autem duobus modis contexi poſſunt verba, finis tamen eſt, Deum ſibi probe conſtare, ut minime timenda ſit mutatio quum ſermonem protulit. Multi ita legunt, Semel ac bis, vel altera vice loquutum eſſe Deum: ut repetitus ſermo ad confirmationem valeat: aeſi dixiſſet, Deum clare ſuam potentiam & bonitatem ſemel atque iterum aſſeruiſſe, ut jam ambigere fas non ſit. Et locus Job 33. verſ. 14. non multum videtur abſimilis, quod Deus ſemel & altera vice loquatur. eadem enim ſunt verba, niſi quod copula interponitur. Sicui magis adlubeſcat altera diſtinctio, Semel loquutus eſt Deus, hoc bis audivi: fruatur ſuo ſenſu. Nam & circumſtantiæ loci bene convenit, & inde elicitur utilis doctrina: Quia Deus ubi ſemel loquutus eſt ſermonem, non retractat; noſtrum eſſe, diu & prolixe meditari quicquid ex ſacro ejus ore profectum eſt. quaſi dixiſſet David, Deus verbo ſuo nos docet: quod inſtar perpetui & immutabilis decreti habendum eſt: ego vero in verbo ejus me ſæpius exercui, ne temporis ſucceſſu obreperet hujus doctrinæ oblivio. Sed quia ſimplicior eſſe videtur altera loquutio, Semel & bis loquutum eſſe Deum; in illam facile inclino. Interea tamen repudianda eſt eorum

eorum argutia, qui dicunt Semel loquutum eſſe in Lege, iterum deinde in Prophetis: quia nihil aliud voluit David quam hujus doctrinæ auctoritatem probe ſancitam eſſe: ſicuti firmius ac magis ratum nobis eſſe ſolet quod ſæpius promulgatur. Interea meminerimus, ſimulac verbum protulit Deus, mox abſque controverſia acquieſcendum eſſe: ſicuti impuri quidam canes doctrinam amplecti recuſant quæ non ſit probata tribus vel quatuor Scripturæ teſtimoniis. Nam & ita apud nos blaterare auſus eſt nebulo ille, qui gratuitam Dei electionem & arcanam providentiam evertere tentabat. Neque enim Davidi propoſitum fuit Deo legem imponere ſæpius loquendi, ſed dubitationem eximere ejus doctrinæ, quæ diſertis verbis, non ambiguis teſtata eſt. David poſtea exemplo ſuo docet, pia attentione reverenter excipiendum eſſe Dei ſermonem, neque reſpuendum quo major pars ſolet faſtidio. Quia vero non promiſcue qualibet doctrinæ capita hic notat, contexere operæpretium eſt quod continuo poſt addit, Si cupimus firmis animis excipere tentationum fluctus, tribuendum eſſe Dei potentiæ & clementiæ ſuum honorem. quia nunquam à recta linea deflectet quiſquis ſerio perſuaſus erit, nihil contingere niſi Dei arbitrio, eumque non minus clementia, quam imperio pollere. Poſtquam ergo honorifice David de verbi Dei fide præfatus eſt, nunc dicit ſe edoctum eſſe de ejus omnipotentia & bonitate. Quidam interpretantur inſtructum eſſe Deum potentia ad juvandos fideles: ſimulque ſua clementia adduci ut velit. Rectius tamen, meo judicio, alii diſtinguunt, robur eſſe Deo ad coërcendos impios, quantumvis ſuperbe exultent, imo ſatis robuſtum eſſe ad frangendam eorum duritiem: ſuos autem fovere & tueri, quia nunquam clementiæ ſuæ & bonitatis obliviſcitur. Quiſquis autem ad hanc Dei potentiam & bonitatem, quas à Deo ſeparare fas non eſt, ſenſus ſuos referet, inter ſæviſſimas quaſque jactationes rectus & quietus ſtabit. ubi autem Deum eximimus ſua virtute, ut vulgo fieri ſolet, æquum eſt nos viciſſim præſidio iſto nudari quod ad repellendas omnes tentationes ſufficeret. Quia mundus otioſum Deum imaginatur, quomodo non ad minimos quoſque motus trepidaret, qui ad cæcos fortunæ impetus ſe expoſitum eſſe putat? Hinc ergo tranquilla ſecuritas, ſi mundum ſubjicientes Dei imperio, nos illi ac vitam noſtram permittimus. A potentia autem incipere convenit, ne dubitemus tuto munimento protegi quicunque ſub ejus manu degunt: ſed ſtatim clementiam adjungi convenit, nequa nos anxietas torqueat. Alioqui in animum ſubibit hæc diſceptatio, Quid nobis prodeſt Dei imperio ſubeſſe mundum? an propterea nobis auxiliabitur qui indigni ſumus ejus cura? Non temere igitur David robur & clementiam ſimul copulat: quia duabus iſtis alis ad Deum evehimur, & iſtis duabus fulturis ſolide innitimur, ne ulla tentationum naufragia nos demergant. Hæc ſumma eſt, quoties terror aliquis objicitur, veniat nobis in mentem Dei potentia, cui facile ac promptum eſt diſcutere omnes noxas quantumvis ſint formidabiles. ubi ita in animis noſtris prævalebit, facile quicquid eſt ſaluti noſtræ contrarium proſternet. Quid enim timendum, ubi idem Deus, qui nos ſub umbram alarum ſuarum colligit, ſolo nutu gubernat totum mundum? Satanam & omnes impios devinctos tenet arcanis catenis? omnia denique omnium conſilia, ſtudia, & conatus moderatur? modo ſimul hoc fixum maneat, bonitatem ejus piis omnibus, qui ab ipſa pendent, eſſe expoſitam. *Tu rependes.* Propius ad ſuum inſtitutum accommodat quod dixit: nam Dei providentiæ ita mundum ſubeſſe pronunciat, ut futurus ſit juſtus judex. Hæc autem expectatio ſi in animis noſtris vigeat, eos à fluctuatione colliget, ſedabit omnem impatientiam, frenabit etiam omnem intemperiem, ne ad retaliandas injurias proſiliant. Nam hoc fine ad Dei tribunal ſe & alios omnes citat ac ſiſtit David, ut in ſpe futuræ liberationis ſe confirmet, fortique animo deſpiciat temulentam eorum audaciam: quia fieri non poteſt quin veniant in rationem omnium opera coram Deo: qui non magis ceſſabit ab officio judicis, quam abnegabit ſeipſum. Unde ſequitur, quamlibet multis injuriis ſimus obnoxii, imo nos profani homines pro rejectamentis habeant, reſpici tamen noſtras ærumnas à Deo, ut tempeſtive ſuccurrat: quia ſuorum tolerantiam non fruſtrabitur. Quod autem his ſententiis probare contendunt Papiſtæ, nos operum meritis juſtitiam & ſalutem conſequi: quam frivolum ſit, alibi docuimus. Simulatque facta eſt operum mentio, hoc arripiunt, acſi Deus tantum cujuſque merita æſtimans, debitam mercedem rependeret. Atqui longe alio conſilio Spiritus mercedem operibus promittit, nempe ut innocentiæ ſtudeant, non autem ſuperbiant ſacrilega fiducia, quæ totam ſalutem à radice evertit. Sic ergo judicat Deus de operibus fidelium, ut eorum pretium & æſtimatio primum à gratuita peccatorum remiſſione pendeat, qua ſibi reconciliat indignos: deinde à mera indulgentia, quæ inutilis ipſis & ſordidis favorem conciliat. Scimus enim nullum opus coram Deo prodire vel perfectum, vel purum, nullaque labe infectum. Unde ſequitur, meræ eſſe liberalitatis, quod mercedem inveniunt. Quum ergo Scriptura mercedem filiis Dei promittens, tantum eos ad ſtudium pietatis & juſtitiæ incitet, quo alacrius Deo militent, nihil autem Dei ipſius miſericordiæ deroget: nimis inſulſe inferunt Papiſtæ mereri fideles quod illis rependitur. Quantum ad pœnas, nulla eſt dubitatio quin eas merito Legis ſuæ contemptoribus infligat Deus.

ARGUMENTUM PSALMI LXIII.

Pſalmus hic non tam preces continet, quam pias meditationes, quas ſibi inter extremas moleſtias, anxietates, ac diſcrimina in ſolatium propoſuit. Vota etiam admiſcet, quæ objectis terroribus anxius Deo nuncupaverat.

PSALM. LXIII.

CAnticum Davidis, quum ipſe eſſet in deſerto Jehuda.	1 מִזְמוֹר לְדָוִד בִּהְיוֹתוֹ בְּמִדְבַּר יְהוּדָה׃
2. Deus tu, Deus meus es, mane quæram te: ſitivit ad te anima mea, concupivit te caro mea in terra ſqualida, & ſiticuloſa ſine aquis.	2 אֱלֹהִים אֵלִי אַתָּה אֲשַׁחֲרֶךָּ צָמְאָה לְךָ נַפְשִׁי כָּמַהּ לְךָ בְשָׂרִי בְּאֶרֶץ צִיָּה וְעָיֵף בְּלִי מָיִם׃
3. Sic in Sanctuario conſpexi te ad videndum robur tuum & gloriam tuam.	3 כֵּן בַּקֹּדֶשׁ חֲזִיתִךָ לִרְאוֹת עֻזְּךָ וּכְבוֹדֶךָ׃
4. Quia melior clementia tua quam vita, labia mea laudabunt te.	4 כִּי טוֹב חַסְדְּךָ מֵחַיִּים שְׂפָתַי יְשַׁבְּחוּנְךָ׃

5. Sic

5. Sic benedicam tibi in vita mea, in nomine tuo levabo manus meas. | 5 כֵּן אֲבָרֶכְךָ בְחַיָּי בְּשִׁמְךָ אֶשָּׂא כַפָּי׃

IN *deſerto.*] Per deſertum Jehuda intelligi deſertum Ziph, ubi David diu oberrans latuit, minime dubium eſt. Porro quia fideliter recitat quomodo inter ipſa pericula fuerit affectus, colligimus nullis unquam miſeriis ſic fuiſſe proſtratum, quin ſua vota in cælum attolleret: imo certa & conſtanti fide recumberet in Dei promiſſiones. Quod eo magis notandum eſt, ut in ſummis etiam doloribus ad Deum enitamur, quibus minimæ quæque tentationes omnem fere ejus notitiam excutiunt. Atqui David non modo eum implorat, ſed Deum ſuum eſſe ſtatuit, ne dubitet ſuas curas in ejus ſinum conjicere, quum tamen deſertus omni auxilio, in vaſta & arida ſolitudine quodammodo tabeſceret. Fides hæc qua perſuaſus erat Deum ſibi propitium eſſe, & ſalutis ſuæ cuſtodem, deſiderium in ejus corde accendit, ut aſſiduis votis & ardentibus expeteret quam ſperabat gratiam. Quum dicit *animam ſuam ſitire & carnem concupiſcere*, ad egeſtatem & penuriam alludit qua premebatur in deſerto: quaſi diceret, quamvis jejunus & famelicus omnibus vitæ ſubſidiis indigeat, Deum tamen ſibi eſſe inſtar cibi & potus, ut illuc feratur ſua eſuries. Quod animæ ſitim, carni famem tribuit, non debet ſcrupuloſe accipi iſta partitio: quia ſimpliciter intelligit ſe anima & carne Deum appetere. Quamvis enim nullo appetitu per ſe movetur corpus, tamen ſatis conſtat animæ affectus illuc uſque penetrare & diffundi.

3. *Sic in Sanctuario.*] Confirmat quod nuper attigi, ſe, quum in deſerto rerum omnium inops ageret, nunquam tamen Dei fuiſſe oblitum. Nam particulæ Sic non leve pondus ineſt: acſi diceret, Quamvis in hac ſolitudine nihil niſi triſte & horridum appareat, ut ipſa loci aſperitas poſſit obtenebrare oculos: ego tamen in gloriæ & virtutis tuæ intuitu me exerceo, perinde acſi in Sanctuario eſſem. Quamdiu liberum fuerat Davidi Sanctuarium adire, cultum illum Legalem minime neglexerat: quia ſciebat talibus adjumentis ſibi eſſe opus. Nunc ubi prohibetur ab acceſſu, mentem ſuam oſtendit non eſſe externis ſymbolis affixam: quia in ſpirituali Dei aſpectu nihilominus ſe oblectat. Et ſimul etiam re ipſa demonſtrat quam bene profecerit in illis pietatis exercitiis quæ Dominus in Lege mandaverat. Craſſi & ſuperſtitioſi homines, quantiſper ante oculos verſantur ceremoniæ, videntur zeli ardore in cælum ferri: ſed una cum ſpectaculi figura ſtatim religio illis evaneſcit. David autem, quamvis nunc privatus ſit ceremoniis, earum tamen memoriam retinet, ut ad Deum aſpiret ac nitatur. Quare diſcamus, ejus exemplo, etiamſi nos externis omnibus gratiæ Dei ſymbolis ſpoliari contingat, inter medias quoque abyſſos Deum fidei oculis aſpiciendum nobis eſſe, ne tergum ei obvertamus ſimulac viſibiles figuræ nobis
Ephes. 5. vers. 26. ablatæ erunt. Sic tota vita ſpirituale lavacrum quod ſemel Chriſtus nobis in Baptiſmo repræſentavit,
Tit. 3: 5. fixum in ſenſu noſtro manere debet. Sic arcana Chriſti cum membris ſuis ſocietas non modo in Cœnæ actione, ſed ſemper occurrere nobis debet. Imo ſiqua vis tyrannica ſacram Cœnam & alia pietatis ſubſidia nobis forte eripiat, cavendum tamen eſt ne ſe unquam mentis noſtræ oculi à Deo avertant. Quum dicit ſe *conſpicere ipſum ad videndum*, ſedulam attentionem notat: acſi diceret, Studia mea ad hanc meditationem diligenter applico, ut mihi occurrat Dei gloria & virtus, quarum imago in Sanctuario refulget.

4. *Quia melior clementia.*] Quanquam eorum ſententiam non repudio qui uno contextu legunt hunc verſum, prius tamen membrum, meo judicio, cum ſuperiore verſu aptius cohæret. Mihi enim cauſam reddere videtur David cur tantopere Deo fuerit addictus. Ac primo quidem notandum eſt, ſub *vitæ* nomine comprehendi media omnia quibus ſtatum ſuum tuentur homines. Quamdiu enim videmur nobis probe muniti, in mentem non venit ad Dei miſericordiam confugere. Denique noſtrum eſſe, ut ita loquar, perſtringit nobis oculos, ne cernamus ſola Dei gratia nos ſubſiſtere. Quia ergo terrenis ſubſidiis ſuffulti, Deum fere obliviſcimur, hic aſſerit David, melius nobis eſſe in ipſa morte ſubniti Dei miſericordia, quam in vitæ apparentia confidere. Frigidius ac dilutius alii exponunt, vitam noſtram, quamvis pretioſa ſit, poſtponi Dei miſericordiæ: acſi diceret, omnibus bonis hoc unum merito præferri, quum Deus nobis eſt propitius. Atqui tenenda eſt antitheſis inter incolumem ſtatum, in quem recumbunt homines: & Dei miſericordiam, quæ labentibus & mox perituris ſubvenit, & quæ ad ſupplendos (ut ita loquar) omnes defectus unicum remedium eſt. Quod Auguſtinus in numero plurali argute philoſophatur, non ſatis firmum eſt. חיים Hebræi vitam nominant. Quia vitas legebat Auguſtinus, putavit, prout quiſque vel divitiis inhiat, vel deditus eſt voluptatibus, vel delicias ſectatur, vel honores appetit, vel ad ingluviem ſuam projectus eſt, ita ſingulis tribui propriam vitam. His autem omnibus vitis vitam æternam opponit, quæ ſecundum ipſum metonymice vocatur Dei miſericordia: quia mera gratia nobis donatur, non acquiritur operum meritis. Atqui ſimplicior eſt, ut dixi, Prophetæ ſenſus, nihil eſſe ſi affluant homines omnibus bonis, ſi opibus floreant, omnibus denique modis ad vitæ ſecuritatem muniti ſint: quia præſtat à ſola Dei miſericordia pendere, quam in eſſentia noſtra, omnibuſque ejus fulturis fundari. Unde ſequitur, quamvis laborent inopia fideles, premantur injuriis, ſub morbis langueant, eſuriant ac ſitiant, multis curis & doloribus angantur, nihil tamen obſtare eorum felicitati, quia Deo propitio in ſolidum illis bene eſt. Rurſum incredulos, quamvis totus illis mundus arrideat, miſeros tamen eſſe, quia Deo adverſo, ipſorum conditio maledicta eſt. Hinc colligit David laudandum ſibi eſſe Deum, ſicuti bonitatis ejus cognitio os nobis aperit. Atque idem clarius proximo verſu declarat, quum dicit *benedicturum in vita.* Quanquam aliqua eſt in verbis ambiguitas. Nam particula ſic, liberationem notare poteſt: acſi diceret, juſtam ſibi Dei benedicendi cauſam eſſe, quia re ipſa expertus ſit longe melius eſſe nobis vivificari ab ipſo quam apud nos vivere. Poteſt etiam de calamitoſo & afflicto Davidis ſtatu accipi: quia nuper dixit ſolitudinem deſerti ſibi non obſtare quin ad Deum reſpiciat. Vita etiam poteſt accipi tam de ipſa ſalute divinitus oblata, quam de toto vitæ curſu. Ac videtur prior ſenſus, ſicut uberiorem doctrinam continet, ita melius congruere, hoc modo, Quia tuo beneficio ſalvus & incolumis
ſuperſum, alacrius tibi benedicam. Sic etiam alibi, *Pſal. 118.*
Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini. *verſ. 17.*
Item, Non mortui laudabunt te Domine, neque *Pſal. 115.*
omnes qui deſcendunt in ſepulchrum: ſed nos qui *verſ. 17.*
vivimus, benedicemus Domino, &c. Secunda parte verſus per *elevationem manuum* vota & preces intelligit: acſi diceret ſe non modo gratias acturum, ſed ſumpturum quoque fiduciam precandi, & ita in Dei invocatione aſſiduum fore. Et ſane Deus ipſe liberaliter nobiſcum agendo, non modo ad gratitudinem nos incitat, ſed ſpem noſtram confirmat in futurum tempus, ne de ſolido complemento gratiæ dubitemus, cujus initia ſumus experti. Quidam Levare manus in nomine Dei, referunt ad plauſum. Alii tantundem valere putant acſi diceret David, ſe fretum Dei auxilio, intrepide congreſſurum cum hoſtibus. Sed jam expoſui quid mihi magis placeat.

6. Sicut adipe & pinguedine ſatiabitur anima mea, & labiis jubilationis laudabit os meum.

6 כמו חלב ודשן תשבע נפשי ושפתי רננות יהלל פי׃

7. * Certe memor ero tui ſuper lectum meum: in vigiliis meditabor de te:

* vel, *Quando.*

7 אם זכרתיך על יצועי באשמרות אהגה בך׃

8. Quia fuiſti auxilium mihi, & in umbra alarum tuarum jubilabo.

8 כי היית עזרתה לי ובצל כנפיך ארנן׃

9. Adhæſit anima mea poſt te, me ſuſtinebit dextera tua.

9 דבקה נפשי אחריך בי תמכה ימינך׃

6. *Tanquam adipe.*] Eſt proximæ ſententiæ confirmatio: quia David metaphorice ſibi à Deo promittit uberrimam bonorum omnium copiam, quæ lætitiæ & jubilationis materiam præbeat. Etſi autem in otio & abundantia Pſalmum hunc compoſuit, probabile tamen eſt, quum adhuc inops & famelicus erraret in deſerto, ſatietatem hanc à qua procul aberat, ſperaſſe. Atque hæc inſignis eſt fidei probatio, quum Dei gratia, licet abſcondita, eminus perſpicitur. Et hoc exemplum diligenter notandum eſt, ne animos deſpondeamus quoties laute ſaturantur impii, imo ſe ingurgitant, & ſine modo luxuriantur in ſua copia: nos vero aridi & inopes eſurimus. Nam Davidem quoque potuit ſua egeſtas ad deſperationem impellere: ſed quia ſciebat proprium eſſe Dei munus, ſatiare animam famelicam, ſperavit, eo propitio nihil ſibi defore. Jam quia multis neceſſitatibus patientiam noſtram Deus probare vult in hac vita, diſcamus, uſquedum adveniat tempus plenæ ſatietatis, patienter ferre noſtras injurias. Porro notandum eſt, ſub metaphora *adipis & pinguedinis* non intelligi ſaginam qualis cernitur in profanis hominibus, qui intemperanter luxuriando, ingluviem ſuam replent: atque ita obruti, quaſi mente alienantur. modum enim ſatietatis ſtatuit David, ut tanto alacrius ſe accingat ad canendas Dei laudes.

7. *Certe memor ero.*] Poſſet etiam legi, Quando, vel Quoties memor ero tui, in vigiliis precabor. Sed quia conditionalis particula אם non ſolum pro adverbio temporis ſumitur, ſed quandoque etiam affirmat: nolui ſine cauſa à recepto ſenſu recedere. Si affirmative legas, idem valebunt Memorem eſſe, & Meditari: eritque ejuſdem ſententiæ repetitio. Sin magis placeat conditionalis particula, ſenſus erit, Quoties in mentem venerit Dei nomen, Davidem libenter cogitaturum, & verba etiam facturum de ejus beneficiis. Ponit autem noctis vigilias, quia ubi ſubducti ſumus ab hominum conſpectu, non modo recurrunt curæ, ſed animus liberius ſe applicat ad has vel illas cogitationes. Sequitur cauſæ redditio, quia Dei auxilio ſervatus fuerat. Talis autem experientia (ut ſæpius jam dixi) non modo ſtimulare nos debet ad laudes Dei canendas, ſed etiam ad invocandum ejus nomen, ſicut dicitur Pſalmo 5. verſ. 8. In multitudine bonitatis tuæ ingrediar templum tuum. Secunda pars verſus ad ſpem refertur, quod ſcilicet exultabit David, vel jubilando, triumphos ſuos aget ſub umbra alarum Dei: quia non minus ſecure læto & hilari animo quieſcet ſub præſidio Dei, quam ſi eſſet extra omnem aleam.

9. *Adhæſit anima.*] Quia verbum דבקה ſæpe apprehendere vel perſequi ſignificat, præſertim ubi cum præpoſitione אחר conſtruitur, non minus quadrabit hæc verſio. Anima mea poſt te perget vel contendet. Quod ſi adhærendi verbum magis placeat, utroque tamen modo ſignificat David cor ſuum firma perſeverantia ſemper affixum fore Deo. Hoc enim valet dictio אחריך, Quamvis longum ac difficile iter facere oporteat, multæque remoræ impediant, imo quamvis Deus ipſe procul diſcedat, Davidem minime defatigatum iri quin conſtanter pergat. Poſterius membrum ſimpliciter poſſet accipi de illa, cujus prius meminit, liberatione: acſi diceret optimam ſibi fulturam eſſe, ne deficiat Deum quærendo & ſequendo, quia ejus manu hactenus rectus & integer ſtetit. Ego tamen longius extendo, quod ſibi donum conſtantiæ à Spiritu Dei promittat David. Nimis enim magnifice jactaſſet, ſibi ad extremum uſque in Deo perſequendo vel amplexando conſtantem fore animi affectum, niſi mox addita fuiſſet hæc correctio, cor ejus ita firmum fore quatenus Dei manu ſuſtinebitur.

10. Et ipſi dum quærunt ad perdendum animam meam, ibunt in infimas partes terræ.

10 והמה לשואה יבקשו נפשי יבאו בתחתיות הארץ׃

11. Dejicient eum in aciem gladii, pars vulpium erunt.

11 יגירהו על ידי חרב מנת שעלים יהיו׃

12. Rex autem lætabitur in Deo, & gloriabitur quiſquis jurat per eum: quia obſtruetur os loquentium mendacium.

12 והמלך ישמח באלהים יתהלל כל הנשבע בו כי יסכר פי דוברי שקר׃

10. *Et ipſi dum quærunt.*] Hic jam ſecurius David, quaſi potitus victoria, exultat. Quanquam autem Pſalmum compoſuit rebus ſuis pacatis, non dubium tamen eſt, quum adhuc è filo penderet ejus vita, hæc eadem ſperaſſe quæ poſtea cecinit. Summa eſt, Hoſtes, quamvis immineant ejus capiti, brevi tamen perituros: quia Deus præcipites dejiciet: neque modo tradet in exitium, ſed efficiet ut inſepulta jaceant eorum cadavera. Nam *partem vulpium eſſe*, tantundem valet atque à feris vorari & laniari. Sæpe autem pœnam hanc minatur Deus reprobis, ubi hoſtili gladio perierint, prædam fore lupis & canibus, quia ſepulchri honore ipſos privabit. Contingit quidem interdum idem optimis quibuſque, ſicuti temporales pœnas bonis & malis communes eſſe ſcimus: ſed hoc eſt diſcrimen, quod Deus ſervorum ſuorum oſſa, etiam dum huc & illuc diſſipata ſunt, colligit, & reponit ſub fideli cuſtodia, ne quod ex illis pereat: in reprobis autem oſſium diſperſio, æterni interitus præludium eſt.

12. *Rex autem lætabitur in Deo.*] Quia Deus non modo privatim auxiliatus eſt Davidi, ſed in ejus perſona, totius Eccleſiæ ſaluti conſuluit, merito publicam lætitiam cum ſua hic conjungit: ſicuti etiam à capite pendebat totius corporis incolumitas. Ac pia magnanimitas notanda eſt, quod multis mortibus obſeſſus, Regem tamen ſe vocare non dubitat: quia licet regno promiſſo non fruatur, ejus tamen poſſeſſionem fide retinet. Lætitiam vero ſe in Deo capturum dicens, gratum ſe fore prædicat: ſed

ſed extollit Dei gratiam, quia ad piorum omnium conſervationem pertineat. Diximus enim ſtatum electi populi tunc non aliter potuiſſe eſſe ſalvum quam vigente & florente Davidis regno. quia ſub figura illa docere nos voluit Deus, totam noſtram felicitatem & gloriam in Chriſto fundatam eſſe. Per eos *qui jurant in Dei nomine*, pios omnes ejus cultores ſynecdochice deſignat. Quia enim ſpecies eſt divini cultus, ſtatuere eum teſtem ac judicem, pietatis profeſſio ſæpe per jusjurandum intelligitur. non quod Deus inter ſervos ſuos cenſeat quicunque in ore habent ſacrum ejus nomen, quando & multi ſcelerate pejerando, atroci eum contumelia afficiunt: alii etiam levibus & frivolis juramentis violant vel imminuunt ejus majeſtatem: hypocritæ vero perperam ejus nomine abutuntur: ſed David non alios hic deſignat niſi qui ſobrie & reverenter per Dei nomen jurant, & quorum linguis reſpondent corda. quod etiam ex antitheto melius liquet. Jurantibus enim per nomen Dei opponit *loquentes mendacia:* qua voce non tantum perfidos & doloſos homines perſtringit, ſed etiam qui ſacrilegis fallaciis Dei nomen profanant.

ARGUMENTUM PSALMI LXIV.

Continet hic Pſalmus querimoniam precibus miſtam. Nam quo magis Deum ad miſericordiam inclinet David, tam de injuſta hoſtium ſuorum ſævitia, quam de inſidiis perverſiſque machinationibus conqueritur. Tandem oculos ad Deum convertens, ſibi de meliore exitu gratulatur.

PSALM. LXIV.

PRæfecto Pſalmus Davidis.	1 לַמְנַצֵּחַ מִזְמוֹר לְדָוִד׃
2. Audi Deus vocem meam in precatione mea: à terrore inimici cuſtodi vitam meam.	2 שְׁמַע אֱלֹהִים קוֹלִי בְשִׂיחִי מִפַּחַד אוֹיֵב תִּצֹּר חַיָּי׃
3. Abſconde me à conſilio malignorum, à cœtu operantium iniquitatem.	3 תַּסְתִּירֵנִי מִסּוֹד מְרֵעִים מֵרִגְשַׁת פֹּעֲלֵי אָוֶן׃
4. Quoniam acuerunt quaſi gladium linguam ſuam, direxerunt ſagittam ſuam ſermonem amarum.	4 אֲשֶׁר שָׁנְנוּ כַחֶרֶב לְשׁוֹנָם דָּרְכוּ חִצָּם דָּבָר מָר׃
5. Ad jaculandum in occultis contra integrum: repente jaculabuntur, nec timebunt.	5 לִירוֹת בַּמִּסְתָּרִים תָּם פִּתְאֹם יֹרֻהוּ וְלֹא יִירָאוּ׃
6. Obfirmant ſibi facinus impium, ſermonem conferunt de abſcondendis laqueis: dicunt, Quis videbit eos?	6 יְחַזְּקוּ לָמוֹ דָּבָר רָע יְסַפְּרוּ לִטְמוֹן מוֹקְשִׁים אָמְרוּ מִי יִרְאֶה לָּמוֹ׃
7. Scrutati ſunt iniquitates, impleverunt ſcrutinium ſcrutatum, & intimum cujuſque, & cor profundum.	7 יַחְפְּשׂוּ עוֹלֹת תַּמְנוּ חֵפֶשׂ מְחֻפָּשׂ וְקֶרֶב אִישׁ וְלֵב עָמֹק׃

AUdi Deus vocem meam in precatione mea.*] Præfatur ſe orare ſerio & ardenti affectu, & ſimul neceſſitatem oſtendit. Ardoris & vehementiæ ſignum eſt vocalis precatio. Mox ad anguſtias quibus urgetur deſcendit, commemorans mortis terrores qui ingerebantur ab hoſtibus: deinde alias circumſtantias, quibus gratiam ſibi conciliet. Deum enim vitæ ſuæ cuſtodem implorans, de ea ſe periclitari ſignificat. Secundo verſu dicit ſibi eſſe cum multis certamen, ideoque imparem eſſe ad ſuſtinendos eorum inſultus, niſi Deus ſuccurrat. Quanquam verborum ambiguitas ſenſum duplicem nobis parit. סוד enim quod arcanum ſignificat, quidam hic accipiunt pro occultis machinationibus: alii vero pro cœtu conſultantium. Ego *conſilii* nomen, quod Latinis quoque dubium eſt, poſui. Secundo loco additur nomen רגשה quod aliquando ſtrepitum vel clamorem, aliquando conventum hominum ſignificat. Deducitur autem à radice רגש quod eſt tumultuari. Si סוד pro clandeſtinis inſidiis accipere libeat, רגשה violentus erit impetus. Hoc modo David protegi cuperet tam à fraudulenta malitia hoſtium, quam à vi & armis, ubi meditati quomodo noceant, ad conſilia ſua exequenda proſiliunt. Simplicior tamen magiſque genuina eſt prior ſententia, Davidem quo magis in ſe provocet Dei miſericordiam, de multitudine hoſtium ſuorum conqueri. Interea teſtatur David, quantumvis magna turba obruatur, ſibi ſufficere protectionem quam è cælo expetit. Cauſam quoque ſuam ab hoſtium malitia & improbitate commendat. nam quo vel iniquius, vel crudelius nobiſcum agunt, eo certius ſtatuere licet propitium nobis Deum fore.

4. *Quoniam acuerunt quaſi gladium linguam ſuam.*] Quamvis in eum capitaliter ſævirent hoſtes, eorum tamen virulentiam præcipue accuſat. Probabile autem eſt, de falſis delationibus & calumniis eum loqui, quibus ſciebat ſe immerito gravari, totique populo reddi inviſum. Comparat ergo linguas eorum gladiis: amarum & virulentum ſermonem, ſagittis. Ex oppoſito ſuam probitatem aſſerit, eos jaculari dicens contra hominem rectum & innoxium. Hac igitur impetrandi fiducia ſe animavit, quod ſibi nullius culpæ conſcius, indigne & perfidioſe à pravis & ſceleſtis hominibus impetebatur. Jam eos clam & in occulto jaculari, telaque repente vibrare dicens, ſignificat eos multiplici aſtutia pollere: nec modo acriter intentos eſſe ad nocendum, ſeduloque vigilare, ſed etiam ingenioſos eſſe ac ſolertes, ut citius transfodiant pectus incauti hominis, quam ſuſpicari queat ſibi quicquam mali inſtare. Porro quum audimus Davidem, qui tam ſancte ac pure juſtitiam coluerat, fuiſſe tamen ſiniſtris criminationibus obnoxium: ne miremur ſiquando Deus nos qui longe à Davidis integritate abſumus, ſimili tentationis genere exerceat. Hoc vero unicum erit ſolatium, ad Deum confugere, ut bonæ cauſæ patrocinium ſuſcipiat. Adjungit aliam circumſtantiam, quod ſine pudore & metu *ſagittas veneno illitas ex ore ſuo vibrent.* Talis autem ſecuritas, perditæ audaciæ ſignum eſt, ubi improbi centies deprehenſi, obſtinate tamen pergunt: quia nec ullus Dei metus, nec hominum verecundia eos retinet quin ſe gladiatorio & deſperato impetu projiciant.

6. *Obfirmant ſibi facinus impium: ſermonem,* &c.] Nunc de pertinacia & ſceleratis conſpirationibus hoſtium ſuorum conqueritur. Poſtremo addit confidentiam, qua ſe ad quidvis audendum incitant. Porro non dubium eſt quin plus illis addiderit animi infirmitas Davidis, ut petulantius vexarent miſerum & profugum hominem, quem videbant omni auxilio deſtitui. Poſtquam dixit eſſe inſanabiles, & quos ad humanitatem flecti poſſe nulla ſpes ſit: addit

dit ultro citroque inter ſe colloqui quomodo per inſidias illum perdant. Sequitur tandem ferocia, quoniam aſtus ſuos inviſibiles eſſe putent. Scimus enim quam ſecure improbi ſua vafritie confiſi, ſimplicibus inſultent: quia putant centum rationes ſibi ſemper in promptu fore tegendis ſcelerum ſuorum flagitiis. Particulam לָמוֹ tam ad ipſos fraudum architectos, quam ad laqueos & inſidias commode referre licet. Malo tamen de ipſis intelligere, quia ſuperbia excæcati, audacter & licentioſe ruunt quocunque impellit libido: quia nulla eos Dei reverentia, nullus hominum pudor cohibet. Proximo verſu gravius exagitat eorum fraudes. Dicit igitur omnes nocendi artes fuiſſe percontatos, ut nihil ad exactum ſcrutinium omiſerint. *Scrutinii* vero nomine intelligit occultas nocendi artes. Et addit altos eſſe receſſus malitiæ ipſorum. Nam per *cor profundum & penetralia* vel intimas partes, latebras intelligit, quibus improbi ſe involvunt. Quidam nomen איש indefinite accipiunt hoc modo, Quicquid conſilii & aſtutiæ invenitur in mortalibus, hoſtes mei ad ſe colligunt. Sed quoad ſummam rei parum intereſt: quia tenere ſufficit, non tantum aperto marte, ſed recondita etiam malitia hoſtes Davidi machinatos fuiſſe perniciem: atque ad hoc inſtructos fuiſſe ſumma perſpicacia, ut inopinatos nocendi modos quaſi ex profundis tenebris eruerent.

8. Et jaculabitur *in* eos Deus ſagittam, repente erunt plagæ ipſorum.	8 וַיֹּרֵם אֱלֹהִים חֵץ פִּתְאוֹם הָיוּ מַכּוֹתָם׃
9. Et impingere facient ſuper ſeipſos linguam ſuam, & * fugient quicunque viderint eos.	9 וַיַּכְשִׁילֻהוּ עָלֵימוֹ לְשׁוֹנָם יִתְנֹדְדוּ כָּל רֹאֵה בָם׃
10. Et videbunt omnes homines, & narrabunt opus Dei, & rem ejus geſtam † intelligent.	10 וַיִּירְאוּ כָּל אָדָם וַיַּגִּידוּ פֹּעַל אֱלֹהִים וּמַעֲשֵׂהוּ הִשְׂכִּילוּ׃
11. Lætabitur juſtus in Jehova, & ſperabit in eo, & gloriabuntur omnes recti corde.	11 יִשְׂמַח צַדִּיק בַּיהוָה וְחָסָה בוֹ וְיִתְהַלְלוּ כָּל יִשְׁרֵי לֵב׃

* vel, trepidabunt.

† vel, intelligere facient.

8. *Et jaculabitur in eos Deus.*] Jam ad gratulationem exurgit David, perſuaſus non irrita fore ſua vota, imo jam exaudita eſſe à Deo. Etſi autem nondum oculis conſpicua erat Dei vindicta, David tamen repentinam fore pronunciat: in quo non vulgare profert fidei ſuæ documentum, quod dum impios rebus proſpere fluentibus obdurari videt, atque ex conniventia & ſilentio Dei impunitatem ſibi promittere, non ſuccumbit tamen tædio, ſed animum ſuum ſuſpendit, donec poſt longam tolerantiam ſubito Deus appareat judex: ſicuti emergere præter ſpem ſolet ac deprehendere impios, dum ſe elapſos putantes, ſine modo proterviunt. Itaque ſemper in diuturnis malis hoc nobis ſolatium occurrat, Deum pœnas quas de impiis ſumpturus eſt, conſulto differre, quo violentius in eos fulminet: quumque dixerint, Pax & ſecuritas, eos obruat repentino interitu.

Jerem. 8. verſ. 11.

9. *Et impingere facient ſuper ſeipſos linguam ſuam.*] Proſequitur eandem ſententiam: quicquid veneni coquunt in ſuis conſiliis, & lingua ſua egerunt, fore tandem illis mortiferum. Idem alibi diverſa loquendi figura exprimit, Irretientur ſuis laqueis, & cadent in foveam quam fecerunt. Hæc enim juſta eſt merces, ut in eorum capita retorqueat Deus quicquid noxarum bonis & ſimplicibus intentant. Etſi autem hujus judicii permulta quotidie exempla Deus coram oculis noſtris profert, nobis tamen res eſt difficilis creditu. Quo magis ad hanc meditationem incumbere nos decet, Deum excubare pro nobis, ut quicquid fraudum in nos excudunt improbi, convertat in eorum perniciem, acſi data opera præmium tale captaſſent. In fine verſus admonet notabile fore vindictæ genus, quia *fugient* vel trepidabunt *quicunque fuerint ejus ſpectatores.* Nam quum cæcutientes hominum oculos præterfluant Dei judicia, inſignes notas extare neceſſe eſt ut ad m[illegible] & conſternationem cogatur mundus.

Pſal. 57. verſ. 7.

10. *Et videbunt omnes homines.*] Fructum qui ex Dei judicio proveniet, plenius explicat, nempe quod novo & inſolito ſpectaculo expergefacti qui prius Dei providentiam pro nihilo ducebant, melius conſiderare incipient quod prius illis erat incognitum, ut etiam alii aliis narrent. Neque enim hujus tam memorabilis gratiæ notitiam ad paucos reſtringit David, ſed dicit paſſim fore celebrem. Ideo ponit cunctos homines. Porro quum verbum שכל in conjugatione Hiphil tam neutraliter quam active ſumatur: qui verbum neutrum eſſe volunt, hunc eliciunt ſenſum, Cogentur vulgo agnoſcere homines divinum hoc eſſe opus: atque ubi intellexerint, ejus etiam erunt præcones. Sed quia ut plurimum ſolet David rem unam bis repetere, non male conveniet tranſitiva ſignificatio. Ultimo verſu deſcribitur uberior fructus, nempe liberationem hanc, lætitiæ, ſpei & ſanctæ gloriationis materiam fore piis omnibus: quia ſcilicet eundem erga ſe Deum fore colligent qualis apparuit erga ſervum ſuum Davidem. Notandum eſt vocari *rectos corde* quos paulo ante *juſtos* dixerat: ut ſciamus nullam Deo juſtitiam probari, niſi quam ex ſe profert interior cordis ſinceritas. Qua de re alibi fuſius diſſerui.

ARGUMENTUM PSALMI LXV.

Pſalmus hic miſtus eſt ex precibus & gratiarum actione. Etſi autem inſeritur vaticinium de communi Gentium fide: ſpecialibus tamen elogiis deſcribitur paternus Dei erga Eccleſiam favor, & quæ inde fluunt benedictiones. Et ſpecialiter oratur Deus ut tandem quam experti fuerant Judæi, liberalitatem continuet. Duplex autem memoratur Dei gratia: quod terram ſuam potenter defenderit, & bonorum omnium opulentia ditaverit.

PSALM. LXV.

PRæfecto Davidis Pſalmus canticum.	1 לַמְנַצֵּחַ מִזְמוֹר לְדָוִד שִׁיר׃
2. Te expectat laus Deus in Sion, & tibi reddetur votum.	2 לְךָ דֻמִיָּה תְהִלָּה אֱלֹהִים בְּצִיּוֹן וּלְךָ יְשֻׁלַּם נֶדֶר׃
3. Exaudiens orationem, ad te omnis caro veniet.	3 שֹׁמֵעַ תְּפִלָּה עָדֶיךָ כָּל בָּשָׂר יָבֹאוּ׃
4. Verba iniquitatum prævaluerunt ſuper me: ſcelera noſtra tu expiabis.	4 דִּבְרֵי עֲוֹנֹת גָּבְרוּ מֶנִּי פְּשָׁעֵינוּ אַתָּה תְכַפְּרֵם׃

Te

TE *expectat.*] Ad verbum eſt, Tibi ſilet laus. ſed verbum דומיה metaphorice pro quieſcere accipitur, ac deinde pro expectare. Senſus autem huc redit, Deum eſſe ita beneficum erga ſuos, ut quotidie illis ſuppeditet novam materiam laudis. Etſi enim ſe in totum mundum diffundit ejus liberalitas, peculiari tamen favore Eccleſiam ſuam dignatur. Huc etiam accedit, quod alii, utcunque ſaturentur ejus beneficiis, non tamen ſentiunt unde proveniant. ita in ſilentio abſorbent ac conſumunt quicquid bonorum largitur illis Deus. Nominatim tamen exprimere voluit Propheta, Dei bonitatem ſic in Eccleſia fulgere, ut merito illic prædicetur. Eodem pertinet alterum membrum, ubi de voti redditione agitur. ſic enim gratitudinem promittit in populi nomine, ut tamen à poſteriori ſignificet ſemper novum fore argumentum teſtandæ celebrandæque Dei bonitatis: quia non deſinit ſuam Eccleſiam aſſiduo favore proſequi. Cohæret etiam proximus verſus, ubi Deus audire dicitur ſuorum preces. Cauſam ergo reddendi voti aſſignat, quia nunquam fruſtretur Deus ſervos ſuos, dum ab illis invocatur, ſed propitius annuat eorum votis. atque ita quod ſecundo loco poſitum eſt, ordine tamen prius eſt. Cæterum hoc epitheton quo Deum inſignit David, doctrinam continet apprime utilem, nunquam irritas fore noſtras preces: quia eas repudiando Deus quodammodo naturam ſuam exueret. Neque enim recitat David quid ſemel factum ſit, ſed perpetuo ornatu Deum veſtit: acſi diceret, non magis fieri poſſe ut Deus ſurdus ſit ad ſuorum vota, quam ut ſeipſum abneget. Hoc ſi penitus inſculptum erit cordibus noſtris, proprium eſſe Deo & inſeparabile exaudire preces, nunquam excutietur nobis orandi fiducia. Jam quum nunquam deſtituatur facultate juvandi, lætum & proſperum ſucceſſum indubie ſperabimus. Nec minus notatu dignum eſt quod ſequitur, ideo *carnem omnem ad Deum venturam*, quia ſicuti nemo coram Deo ſiſtere ſe auderet, niſi perſuaſus eſſet eum ſibi fore exorabilem: ita ubi ſponte occurrit ac pronunciat non fruſtra ſe invocari, aperta eſt janua, ut certatim omnes ad eum confluant. Etſi enim hypocritæ & profani homines, dum neceſſitate urgentur, vota in aërem fundunt: hoc tamen non eſt ad Deum vere accedere, ubi fidei certitudinem non afferunt ex Dei verbo conceptam, ſed pendent ab expectatione fortuiti eventus. Præluceant ergo Dei promiſſiones neceſſe eſt, ut via rite orandi pateat, quia illis ſublatis, prohibemur à Dei acceſſu, ſicuti hunc ordinem ſtatuit Paulus ad Epheſios capite tertio, verſ. 12., ut quiſquis accedere ad Deum cupit, præditus ſit fide per Chriſtum, quæ eum ad fiduciam animet. Hinc colligimus, regulam precandi nullam eſſe in Papatu, ubi ſuſpenſis & dubiis animis ſemper Deum orant. Inæſtimabile autem ſemper eſt privilegium hoc quod per Euangelium conſequimur, ut liber nobis ad Deum ingreſſus pateat. Omnem vero carnem generaliter nominans Propheta, breviter indicat, quod tunc ſingulare erat Judæis, fore aliquando cunctis Gentibus commune. Atque ita vaticinium eſt de futuro Chriſti regno.

4. *Verba iniquitatum.*] Non conqueritur populum falſis calumniis gravari, ſed ſimpliciter fatetur iniquitates eſſe obſtaculo quominus Deus pro more facilem ſe & humanum Judæis exhibeat. Convenit autem hic locus cum illo Jeſaiæ 59. verſ. 1. Non eſt aggravata auris Domini quominus audiat: ſed iniquitates noſtræ diſtantiam ponunt inter nos & ipſum. In ſumma, quod Deus qui ſuos liberaliter juvare ſolet, imo comiter & blande ad ſe invitat, manum ſuam ad tempus retrahit, hujus mali culpam ſuis & populi peccatis imputat David. Nam priore loco reatum ſuum agnoſcit, quemadmodum Da- *Dan. 9. verſ. 5.*
niel: ſed mox totum populum ſibi ſocium adjungit. Hanc vero ſententiam inſeruit Propheta, non ut ſe & alios prohiberet ab orandi fiducia, ſed potius ut ſupra obſtaculum emergeret, quod arceret cunctos mortales à Dei acceſſu: niſi ſtatuerent indignos quoque exaudiri. Probabile vero eſt præſenti aliquo iræ Dei ſigno perculſos fuiſſe tunc fideles, quia contra hanc tentationem luctatur David. Porro videmus in promptu ei fuiſſe remedium, quia ex oppoſito reputat proprium eſſe Dei munus dare veniam peccatis, eaque expiare. Ita hic quoque verſus cum ſuperiori contexi debet, atque adverſative reſolvi, hoc modo, Quamvis iniquitates noſtræ ut repulſam mereantur, procul nos à conſpectu tuo ejiciant: quia tamen te ad reconciliationem paratum oſtendis, curſum precibus noſtris non abrumpent. Docemur autem hoc loco, non aliter exorari Deum à nobis poſſe, niſi dum ſuppliciter veniam deprecamur noſtris peccatis. Interea dubitandum non eſt quin gratuita peccatorum remiſſio Deum nobis conciliet. Quod ſi paulisper gratiam ſuam ſubmoveat, adeoque tergum nobis obvertat, Davidis tamen exemplo ad ſpem expiationis erumpere convenit. Quod ſingulari numero fatetur ſe peccatis obrutum, ratio afferri poteſt, quod Rex quum eſſet, totum populum repræſentabat: vel quod hac docendi forma, ſicuti Daniel, ſingulos hortetur ad ſe privatim examinandos, ut quiſque propriam reatus confeſſionem afferat. Scimus enim hypocritas defunctorie ſe involvere in communi catalogo, ut peccata ſua occultent. Atqui David non tantum fictæ modeſtiæ cauſa, ſed ſerio affectu à ſeipſo exorſus, coram Deo reos omnes peragit.

5. Beatus *quem* elegeris, & propinquum feceris *tibi*: habitabit in atriis tuis: ſatiabimur bono domus tuæ Sanctuarii palatii tui.	5 אַשְׁרֵי תִּבְחַר וּתְקָרֵב יִשְׁכֹּן חֲצֵרֶיךָ נִשְׂבְּעָה בְּטוּב בֵּיתֶךָ קְדֹשׁ הֵיכָלֶךָ׃
6. Terribilia in juſtitia reſpondebis nobis Deus ſalutis noſtræ, ſpes omnium finium terræ, & maris longinquitatum.	6 נוראות בְּצֶדֶק תַּעֲנֵנוּ אֱלֹהֵי יִשְׁעֵנוּ מִבְטָח כָּל קַצְוֵי אֶרֶץ וְיָם רְחוֹקִים׃
7. Stabiliens montes virtute ſua, accinctus fortitudine.	7 מֵכִין הָרִים בְּכוֹחוֹ נֶאְזָר בִּגְבוּרָה׃
8. Compeſcens ſonitum marium, & ſonitum fluctuum eorum, & fremitum Gentium.	8 מַשְׁבִּיחַ שְׁאוֹן יַמִּים שְׁאוֹן גַּלֵּיהֶם וַהֲמוֹן לְאוּמִּים׃
9. Et timebunt habitatores finium à ſignis tuis: exitus matutinos & veſpertinos ovare facies.	9 וַיִּירְאוּ יֹשְׁבֵי קְצָוֹת מֵאוֹתֹתֶיךָ מוֹצָאֵי בֹקֶר וָעֶרֶב תַּרְנִין׃

5. *Beatus quem.*] Quia nuper confeſſus fuerat populum ſuis peccatis diſſidium à Deo feciſſe, ideoque eſſe indignum qui exaudiatur: nunc in aſylum confugit gratuiti Dei favoris, ſub quo incluſa eſt peccatorum remiſſio. Atque ita confirmat quod de expiatione dixit, oſtendens quæ cauſa Deum miſeris peccatoribus propitiet: quia ſcilicet gratis paterno favore immeritos complexus eſt. Nam venia qua

nos

nos quotidie proſequitur, ex adoptione pendet: ſicuti etiam in ea fundatæ ſunt preces noſtræ. Quo enim jure in Dei conſpectum prodire auderet peccator ad reconciliationem quærendam, niſi perſuaſus eſſet hunc ſibi eſſe patrem? Cæterum hic non extendit gratiam Dei ad Gentes, ſicuti paulo ante: ſed pro ætatis ſuæ ratione loquitur. Solos enim Judæos tunc in grege ſuo cenſebat Deus, ſoloſque in Sanctuarium admittebat: nunc quia ſublato diſcrimine Gentes cum illis promiſcue vocavit, omnibus
Epheſ. 2. vers. 14. ad eum familiariter accedere licet. Chriſtus enim eſt pax noſtra, qui propinquos & remotos conjunxit. Tenemus nunc quorſum tendat conſilium Davidis. Nam quia Eccleſiæ & electo populo promiſſa eſt remiſſio peccatorum, exclamat beatos eſſe quos Deus in gregem ſuum recepit, ut hoc incomparabili privilegio fruantur. Porro electionem non omnibus tunc communem fuiſſe docet: Judæos hac prærogativa extollens, quia eos Deus prætulerit reliquis gentibus. Nam ſi antevertterent homines Dei gratiam, non reſideret penes ipſum electio, cujus poteſtas & jus ei tribuitur. Atqui non alio nomine præſtabant Judæi, niſi quia eos peculiari gratia Deus
Epheſ. 2. vers. 14. fuerat dignatus. Nunc etſi rupta eſt maceria, ut Deus Gentes quoque ſimul vocet, conſtat tamen non omnes peræque vocari: & experientia, eorum inſcitiam coarguit, qui communem omnibus ſine delectu Dei gratiam eſſe garriunt. Quam enim cauſam imaginari licet cur Deus non omnes pariter ad ſe invitet, niſi quia gratuita ejus electio alios ab aliis diſcernit? Fides quidem & invocatio media ſunt, quæ nobis concilient Dei gratiam, ſed fons extra nos quærendus eſt. Beati quidem ſumus in Deum ſperando, amplexando ejus promiſſiones: beati inquam ſumus ubi Chriſto mediatore freti, ſtatuimus illum nobis eſſe Patrem, votaque noſtra ad eum dirigimus: ſed unde fides & invocatio, niſi quia natura alienos gratia conjunxit? Quod ergo nobis manum ad inferos uſque porrigere dignatus eſt, hinc propinquitas, non autem quod ſponte prævenerimus. Imo, proprie loquendo, poſtquam nos elegit, ſuum erga nos amorem vocatione teſtatur. Etſi autem Deus ſemen Abrahæ ſibi in peculium ſegregaverat, ut Circumciſio locum illis in templo daret: dubium tamen non eſt quin diſcrimen aliquod inter Judæos ipſos ſtatuat David: quia neque omnes efficaciter ad ſe vocaverat Deus, neque jure omnes locum in templo occupabant. Alludit quidem Propheta ad externum Sanctuarium, Judæos dicens electos eſſe, ut appropinquent Deo: ſed memoria tenendum eſt quod Pſalmo 15. & 24. verſ. 3. vidimus, non omnes legitimos fuiſſe Eccleſiæ cives qui templi pavimentum terebant: quia præcipue requiritur integritas cordis, & puritas manuum. Quare propinquos Deo fieri intellige, non qui externa tantum ſpecie locum obtinent in templo, ſed qui ſincera fide ſe offerunt in conſpectum Dei. Jam hic vocatio adjungitur electioni: ne quis ſomniet oves perpetuo vagari, neque unquam colligi in ovile. Nam hoc effectu ſe oſtendit gratuita Dei adoptio, dum Spiritu ejus duce, ad ejus Sanctuarium accedimus. Fructum beatitudinis commendat Propheta, ſatiari dicens templi opulentia fideles. Nam quamvis accedant illuc quoque hypocritæ, vacui tamen & jejuni domum redeunt, quantum attinet ad fruitionem ſpiritualium bonorum. Ac notanda eſt perſonæ mutatio, ubi David ad fidelium numerum ſe aggregat: quia in ſeipſo experimentum proponit ſatietatis, de qua loquitur. Cæterum intellige ſatiari fideles non uno momento, ſed gradatim: quia etſi inſtillet Deus Spiritus ſui dona, ſuos tamen quatenus utile eſt locupletat, donec adducat ad ſolidam perfectionem. Verum certe eſt illud
Pſal. 81. vers. 11. Pſalmi 103. verſ. 5. Satiari Dei beneficentia os noſtrum: ſed etiam notandum quod alibi dicitur, Aperi os tuum, & implebo illud. Impediunt autem noſtræ anguſtiæ, ne tantam nobis copiam bonorum ingerat Deus: ſed prout reſtrictos videt, ita liberalitatem ſuam ad modulum noſtrum attemperat. Bona Sanctuarii vocando, externa adminicula commendat, quæ nos ad bonorum cæleſtium fruitionem deducunt. Etſi enim poterat olim Deus manum è cælo porrigere ſervis ſuis, voluit tamen per Legis doctrinam, per ſacrificia & alios ritus, externaque pietatis ſubſidia, ſatiare fideles animas: ſicuti hodie quoque erga nos ſimilibus mediis utitur. Et quanquam in illis ſubſiſtere non convenit, negligere tamen fas non eſt.

6. *Terribilia in juſtitia reſpondebis.*] Confirmat alio genere dicendi, non fruſtra ſe beatos vocaſſe, quibus Deus templum ſuum aperuit, ut domi ejus paſcantur. Dicit autem reſponſurum populo ſuo Deum in miraculis, vel ſignis terrificis: acſi diceret, Domine tu nos ſemper exaudies, ut mirificis liberationibus perinde virtus tua patefiat, atque olim dum egreſſi ſunt patres noſtri ex Ægypto. Eccleſiam enim ſemper Deus non vulgari vel ordinario modo, ſed terribili potentia ſervavit. Atque hoc cognitu fuit utile, ut in rebus perditis non tamen bene ſperare deſinerent filii Dei. Porro ubi Dei ſalutem Judæis deſtinavit, ſimul addit eſſe ſpem extremitatum terræ uſque ad ultimos mundi receſſus. Unde ſequitur gratiam Dei ad Gentes quoque extendi.

7. *Stabiliens montes.*] Per occaſionem attingit virtutem Dei, quæ in univerſa mundi fabrica conſpicitur. Nam illa ætate novum erat Gentes ejuſdem cum Judæis ſpei ſocias facere. Ideoque ut tollatur abſurditas, tempeſtive admonet David fortitudinem Dei extare in cunctis mundi partibus. Montes autem potius quam planas regiones nominat, quia in illa immenſa terræ congerie altiſque rupibus rarior apparet Dei potentia. In proximo verſu non conſentiunt interpretes. nam in prima voce quidam ſubaudiunt notam ſimilitudinis, hoc ſenſu, Deum compeſcere ſtrepitus hominum audacia excitatos, ſicuti compeſcit omnes maris ſtrepitus. Alii metaphoricam loquutionem eſſe volunt, quam deinde ſine figura exprimat David. Ego autem ſimplicius Davidem loquutum eſſe judico: ac priore quidem membro documentum potentiæ Dei in mari proferre, altero autem in hominibus: acſi diceret, Deus ſedando fluctus ac tempeſtates maris, quanta ſit præditus fortitudine demonſtrat. Idem in hominibus ſpecimen exhibet, tumultus compeſcens ab illis excitatos.

9. *Et timebunt habitatores.*] Non dubito quin ſigna Dei appellet opera ejus inſignia & memoratu digna, quibus notas gloriæ ſuæ inſculpſit. Nihil eſt quidem tam minutum vel contemptibile in cælo vel terra, quod non repræſentet nobis Dei gloriam: ſed miraculis κατ' ἐξοχὴν tribuitur hoc nomen, quia illic clarius refulget Dei majeſtas. Summa eſt, tam illuſtres fore Dei gratias erga Eccleſiam, ut ad reverentiam & admirationem barbaras etiam gentes & longiſſime remotas cogant. Poſterius membrum ita à quibuſdam accipitur, quum ſol mane exoritur, recreari ejus luce homines: quum etiam viciſſim nocte fulgent luna & ſtellæ, levari quam alioqui triſtitiam ex tenebris conciperent. Hoc modo ſubaudienda eſſet dictio propter: acſi dixiſſet Propheta, Domine tam mane quam veſperi exortu ſolis, lunæ & ſtellarum, homines exhilaras. Sed quia verba, ut ſonant, continent aptum & utilem ſenſum, mihi non placet aliunde accerſere quod ſententiam impleat. Dixerat David ad extremos uſque terræ angulos venturum timorem eſſe ex Dei miraculis. nunc idem de lætitia prædicat: acſi diceret, ab ortu uſque ad occaſum ſolis non formidabilem modo fore Deum, ſed gaudii quoque auctorem.

10. Viſi-

10. Viſitaſti terram, & irrigaſti eam, copioſe ditaſti eam: rivus Dei plenus aquis: parabis frumentum eorum, quia ſic illam præparas.

11. Sulcos ejus inebrias, deſcendere facis pluviam in ſulcos ejus, imbribus madefacis eam, germini ejus benedicis.

12. Coronas annum beneficentia tua, & ſemitæ tuæ ſtillabunt pinguedinem.

13. Stillant ſuper * habitacula deſerti, & exultatione colles accingentur.

* vel, paſcua.

14. Operiuntur paſcua pecudibus, & valles operiuntur frumento, clamant, etiam canunt.

10 פקדת הארץ ותשקקה רבת
תעשרנה פלג אלהים מלא מים
תכין דגנם כי כן תכינה:
11 תלמיה רוה נחת גדודיה
ברביבים תמוגגנה צמחה תברך:
12 עטרת שנת טובתך ומעגליך
ירעפון דשן:
13 ירעפו נאות מדבר וגיל גבעות
תחגרנה:
14 לבשו כרים הצאן ועמקים
יעטפו בר יתרועעו אף ישירו:

10. *Viſitaſti terram, & irrigaſti eam.*] Verbum hoc & quæ ſequuntur alia, deſignant continuum actum: ideoque commode in præſenti tempore vertentur. In ſecundo verbo interpretes variant: quia nonnulli à שוק deducunt, quod deſiderare ſignificat: alii à שקה quod eſt potum dare. Priores ita reſolvunt, Domine poſtquam longo æſtu & ſiccitate feciſti ſitire terram, demum eam viſitas. Melius tamen fluit altera interpretatio, Deus tu irrigatione terram viſitas. Et contextus hoc modo melius cohæret: quia proxime ſequitur, *tu ditas eam copioſe*: quod amplificandi cauſa additum eſſe patet. Dubitari tamen poteſt ſolamne Judæam intelligat, an totum orbem. Ego quamvis fatear hæc omnia vere de toto orbe prædicari, exiſtimo tamen Davidem proprie loqui de Judæa, ſicuti hactenus celebravit peculiares Dei gratias erga Eccleſiam. Atque huic ſententiæ aſtipulatur quod ſtatim adjungit, *fluvium Dei*, vel rivum *plenum eſſe aquis*. Nam quod fluvium Dei pro magno vel amplo quidam accipiunt, durum eſt ac coactum: & potius dixiſſet fluvios plurali numero. Opponit autem, meo judicio, fluviis naturalibus qui regiones ſuas fœcundant, tenuem & exiguum rivum Siloah: alludens ad locum illum Moſis, Terra quam Deus tuus dabit tibi, non erit ſimilis Ægypto, quam fœcundat Nili exundatio: ſed terra hæc expectat pluviam è cælo. Vel forte metaphorice appellat pluviam ipſam, Dei fluvium. Certe hoc ad Judæam reſtringi debet, ſicuti etiam per paſcua vel habitacula deſerti, intelligitur ſicca & aſperior regio, quam Scriptura vocat montanam. Cæterum quamvis hic celebretur Dei liberalitas familiarius nota electo populo: noſtrum tamen eſt, ubicunque habitemus, divitias bonitatis Dei in terræ proventu & fertilitate agnoſcere. Neque enim ſua virtute multiplicem bonorum affluentiam generat, niſi quatenus eam Deus paſcendis hominibus aptavit. Ideo ſcite & concinne David parari dicit hominibus frumentum, quia ſic parata eſt terra à Domino. Senſus autem eſt, opulentiam hanc provenire ex terra, quia Deus inſtar optimi patrisfamilias hominibus proſpicere volens, eam formavit ut alimenta ſuppeditet.

Deut. 11. verſ. 10.

11. *Sulcos ejus.*] Quidam verba hæc reſolvunt in modum optativum, ut ſit precatio. Atqui non dubito quin gratiarum actionem contineat David, eo quod terram pluviis madefaciens ac ſaturans, fructificandi vim ſuggerat. Quibus verbis ſignificat totum naturæ ordinem teſtimonium eſſe paterni erga nos Dei amoris, quod quotidiani victus noſtri curam ſuſcipere dignetur. Pluribus autem verbis inculcat hanc Dei gratiam, quam major pars mundi impie ſcelerateque obſcurat. Nam ut quiſque perſpicacior eſt in obſervandis naturalibus mediis, ita illis affixus manet, ut ad Deum minime conſcendat. Debebat quidem philoſophia, quo penitius excutit arcana Dei, propius nos ad ipſum adducere, niſi obſtarent pravitas noſtra & ingratitudo. Sed quia acutiſſimi quique pluviæ originem in aëre & elementis quærentes, oculos & ſenſus à Deo avertunt, magis nos expergefieri neceſſe fuit.

12. *Coronas annum*, &c.] Vertunt alii, Coronas annum beneficentiæ tuæ: quaſi diceret David, annos fertiles excellere ſingulari decore, acſi eos corona ornaret Deus: quemadmodum ſi abundantior ſolito ſit meſſis, & copioſæ vindemiæ, hæc erit anni corona. Et certe fateor non æqualem Dei benedictionem in ſingulis annis fulgere: ſed ut alii alios præcellant, nullus tamen ornatu ſuo prorſus caret. Ita ſimplex mihi videtur ſenſus, Dei beneficentiam per ſingulos annorum circuitus conſpicuam eſſe. Poſtea ſenſum ſuum explicat, ubi dicit *ſemitas Dei ſtillare pinguedinem*, nubes ita metaphorice appellans, in quibus inequitat Deus, quemadmodum dicitur Pſal. 104. v. 3. Quoniam igitur ubertas terræ ex ſucco & humore, humor ex pluvia, pluvia ex nubibus provenit, eleganter nubes dicit pinguedinem ſtillare, & quod ſint Dei ſemitæ, aut vehicula: acſi diceret, quocunque iter facit Deus, fluere ad ejus pedes frugum copiam & ubertatem. Proximo verſu hanc gratiam amplificat, quod pinguedo illa ſe ad incultas uſque regiones diffundat. *Deſerta* quidem vocat non aridas ſolitudines, in quibus nihil naſcatur, ſed loca minus culta, & in quibus non tanta hominum frequentia habitat: ſed tamen hinc melius refulget Dei benedictio, dum ſuper montium cacumina pinguedinem ſtillat. Poſtea ad valles & planas regiones deſcendit, ut oſtendat nullam eſſe terræ partem Dei opibus vacuam, quia ejus liberalitas ad locupletandum totum orbem ſufficit. Additur etiam commendatio ab ipſa varietate, quod *valles* & loca demiſſa *tam ovibus, quam frumento veſtiantur*. Gaudium rebus inanimatis improprie tribuit: ſicuti etiam ridere dicuntur agri, quum ſua pulchritudine exhilarant hominum oculos. Mirum tamen eſt quod jubilationi cantum adjungat, interpoſita etiam particula אף quam ſcimus eſſe emphaticam: quum tamen minus ſit canere, quam jubilare. Sed ego ad continuationem gaudii refero quod dicit, *etiam canent*, ut ſciamus non unius tantum anni fore gaudium, ſed aſſiduos recurſus. Deinde ſcimus quam trita ſit Hebræis ordinis inverſio.

ARGUMENTUM PSALMI LXVI.

Quanquam fieri poteſt ut Propheta unam præcipue liberationem ſub perſona Eccleſiæ celebret, multiplices tamen gratias complectitur, quibus Deus electum populum perſequi non deſtitit. Sicuti autem miſeris & afflictis prædicat divinitus allatam fuiſſe ſalutem: ita conſolationis & patientiæ materiam ſuggerit, examinatos fuiſſe dicens inſtar argenti, quum tyrannidi hoſtium ſubjecti fuerunt. In fine videtur privatim de ſe loqui, integritatis ſuæ documentum proferens, quod fuerit à Deo exauditus, qui impios & ſceleratos repudiat.

PSALM. LXVI.

PRæfecto Canticum Pſalmi. Jubilate Deo omnis terra,

1 לַמְנַצֵּחַ שִׁיר מִזְמוֹר הָרִיעוּ לֵאלֹהִים כָּל הָאָרֶץ:

2. Canite gloriam nominis ejus, ponite gloriam * laudem ejus.

* vel, laudi.

2 זַמְּרוּ כְבוֹד שְׁמוֹ שִׂימוּ כָבוֹד תְּהִלָּתוֹ:

3. Dicite Deo, Quam terribilis es in operibus tuis! in multitudine roboris tui mentientur tibi inimici tui.

3 אִמְרוּ לֵאלֹהִים מַה נּוֹרָא מַעֲשֶׂיךָ בְּרֹב עֻזְּךָ יְכַחֲשׁוּ לְךָ אֹיְבֶיךָ:

4. Omnis terra adorabit te, & canent tibi, canent nomen tuum. Selah.

4 כָּל הָאָרֶץ יִשְׁתַּחֲווּ לְךָ וִיזַמְּרוּ לָךְ יְזַמְּרוּ שִׁמְךָ סֶלָה:

JUbilate.] Generalis eſt præfatio, quam mox ſequentur hypotheſes. Quia vero ſermonem ad totum orbem dirigit, non dubito quin vaticinium ſit de futura regni Dei amplitudine, quæ Chriſti demum adventu ſpectata fuit: Secundo verſu idem cum majore vehementia confirmat, quo melius pigros alioqui & tardos exſtimulet ad Deum laudandum. Quid ſit *Canere gloriam nominis Dei*, obſcurum non eſt, nempe pro merito ac dignitate extollere ſacrum ejus nomen, ut juſtam & ſolidam gloriam obtineat. In ſecundo membro ſubeſt aliqua ambiguitas. Quidam enim ſub aliis verbis idem repeti putantes, vertunt, *Ponite gloriam laudis ejus*. Ego autem aliis potius ſubſcribo, qui laudem vertunt in accuſativo caſu. Interea non placet quod exponunt, non alibi eſſe gloriandum, quam in Dei laudibus. Rectius & ſimplicius eſt, magnifice extollere Dei laudem, ut glorioſa ſit. Neque enim mediocri præconio contentus eſt Propheta, ſed vult Dei beneficia pro ſua amplitudine ſplendide prædicari.

3. *Dicite Deo.*] Jam materiam ſuggerit cur velit Deum laudari. Quia autem ſolent plurimi frigide apud alios de laudibus Dei diſſerere, ut efficacius ſenſus fidelium tangat Propheta, & expergefaciat, ſermonem ad Deum jubet dirigi: quia ubi quis eum ſine teſtibus & arbitris compellat, fictioni non eſſe locum videns, ſerio quod in corde habet probe meditatum, in medium profert. Nihil enim melius ad Dei reverentiam nos cogit, quam ubi nos ſiſtimus coram ejus facie. Atque ut hunc affectum magis accendat, hoſtes dicit *mentiri Deo ob multitudinem virtutis ejus*. Nam ſi duri & præfracti, qui ſe libenter ejus imperio ſubducerent, velint nolint coguntur ſe coram eo humiliare: quid fidelibus agendum eſt, quos non terroribus ſibi ſubjicit, ſed blande ad ſe invitat? Subeſt enim hæc tacita comparatio inter voluntarium cultum, quem præſtant fideles, dulcedine gratiæ illecti: & ſervilem coactamque ſubjectionem, ad quam increduli vi trahuntur. Hoc enim ſignificat *mentiri*, fieri ſupplicem non alacri obſequio, neque libere, ſed quia neceſſitas extorquet: ſicuti Pſalmo 18. v. 45. diximus. Nam quod alii exponunt, Agnoſcent tandem hoſtes ſpe fallaci deceptos ſe fuiſſe: alii vero, Negabunt ſe quicquam hoſtile fuiſſe in te molitos: nimis remotum eſt à verbis ac mente Prophetæ. Quanquam autem multis modis Deo mentiuntur hypocritæ, nihil tamen hoc loco aliud voluit Propheta, quam Dei robur hoſtibus quoque eſſe formidabile, ut invitos ſubigat.

4. *Omnis terra adorabit te.*] Quod tam multus eſt Propheta in hoc capite tractando, non eſt præter rationem. nam quum huic argumento impares ſint omnes linguæ, videmus quam parci & maligni ſint homines, ut vix tenui & jejuna laude aſpergant Deum, ad quem celebrandum debuerant nervos omnes ac conatus intendere. Rurſus autem vaticinatur Propheta, quamvis tunc ſoli Judæi in ſuo angulo Deum colerent, omnes tamen Gentes ſub ejus imperium venturas. Neque vero nunc, ſicuti nuper, jugum ſubituros dicit, qui cuperent, ſi liberum eſſet, reſiſtere: ſed verum ac ſincerum cultum exprimit: Pſallent tibi, pſallent nomini tuo. Eſt enim hoc præcipuum laudis ſacrificium, ut habetur Pſal. 50. v. 14. & 23. ac verum etiam teſtimonium pietatis.

5. Venite & videte opera Dei: terribilis opere ſuper filios hominum.

5 לְכוּ וּרְאוּ מִפְעֲלוֹת אֱלֹהִים נוֹרָא עֲלִילָה עַל בְּנֵי אָדָם:

6. Convertit mare in aridam: per fluvium tranſierunt pede: ibi lætati ſumus in eo.

6 הָפַךְ יָם לְיַבָּשָׁה בַּנָּהָר יַעַבְרוּ בְרָגֶל שָׁם נִשְׂמְחָה בּוֹ:

7. Dominatur in fortitudine ſua ſeculo, oculi ejus ſuper Gentes ſpeculantur: defectores non exurgent ſibi. Selah.

7 מֹשֵׁל בִּגְבוּרָתוֹ עוֹלָם עֵינָיו בַּגּוֹיִם תִּצְפֶּינָה הַסּוֹרְרִים אַל יָרִימוּ לָמוֹ סֶלָה:

8. Benedicite populi Deum noſtrum, & reſonate vocem laudis ejus:

8 בָּרְכוּ עַמִּים אֱלֹהֵינוּ וְהַשְׁמִיעוּ קוֹל תְּהִלָּתוֹ:

9. Qui poſuit animas noſtras in vitam, & non dedit ad lapſum pedes noſtros.

9 הַשָּׂם נַפְשֵׁנוּ בַּחַיִּים וְלֹא נָתַן לַמּוֹט רַגְלֵנוּ:

5. *Venite.*] Hic oblique perſtringit omnium fere ignaviam, cujus culpa fraudatur Deus meritis laudibus. Unde enim fit ut clauſis oculis prætereat major mundi pars Dei opera, niſi quia vix centeſimus quiſque ad eorum conſiderationem ſtudium ſuum applicat? Stimulis ergo opus eſt, qui torpentes inſtigent. Similem fere locum habuimus Pſalmo 46. verſ. 9. unde hujus loci explicationem petere licebit. Summa huc redit, quia homines videt Propheta vel occupari vanis negotiis, vel in perverſis & erraticis ſtudiis

diis vagari, hortatur ut ſe accingant ad videnda Dei opera: & hortando ſimul objurgat tardos ac reſides. Dicendo etiam, *videte*, perperam cæcutire admonet in re manifeſta: quia niſi in propatulo eſſent opera Dei, fruſtra conſpici juberet. Speciem quoque operum Dei ponit, ad quorum intuitum vult omnes eſſe attentos, nempe rationem quam tenet in gubernando humano genere. Hæc enim experimentalis (ut ita loquar) notitia magis afficit. Ideo Paulus Actorum cap. 17. verſ. 27. poſtquam diſſeruit in genere de potentia Dei, ſermonem huc reſtringit, jubetque unumquemque in ſe deſcendere, quia illic Deum præſentem ſentiet. Sic interpretor particulam iſtam *Deum eſſe admirabilem opere ſuper filios hominum*: non quod emineat ejus majeſtas ſupra homines, ſed quod in tuendo ac conſervando eorum ſtatu maxime admirabilis ſit ejus providentia, ſicuti etiam Pſalmo 40. verſ. 6. diximus. Ergo quamvis non longius circumſpiciant homines, in ſeipſis ſatis reperient cauſæ cur Deum revereantur ac timeant. Tandem à conſervatione generis humani ad ſpecialem Eccleſiæ curam tranſitum facit Propheta, commemorans electi populi redemptionem. In quo membro eſt ſynecdoche: quia minime dubium eſt quin breviter commonefaciat fideles de innumeris Dei beneficiis, quibus poſtea ſancivit hanc liberationis gratiam. Quod etiam breviter ſignificat, mox adjungens, *ibi lætati ſumus in eo.* Neque enim ad eum & alios poſteros ſpectaret redemptionis lætitia, niſi quatenus continui amoris pignus ac documentum à Deo editum foret erga totum Eccleſiæ corpus. Sed quia tunc ſuorum æternus apparuit ſervator, ex hoc etiam fonte commune ad omnes pios gaudium profluxit.

7. *Dominatur.*] עולם Hebræis nunc ſeculum eſt vel temporis perpetuitas, nunc ipſa mundi fabrica. atque hic poſterior ſenſus contextui videtur melius quadrare, & receptior eſt, Deum fortitudine præditum eſſe qua ſub imperio ſuo contineat totum orbem. Quo etiam refertur proximum membrum, *oculos ejus ſpeculari ſuper Gentes.* Quamvis enim ſub Lege propriam imperii ſedem erexerat in Judæa; ſemper tamen providentia ſua totum orbem complexus eſt: nec obſtitit ſingulare illud privilegium quo dignatus eſt filios Abrahæ fœderis reſpectu, quin ad reliquas etiam Gentes fovendas & alendas aſpectum ſuum extenderit. Confirmat Deo curæ eſſe Gentes, quia illic etiam pœnas exigat de ſceleratis ac reprobis. Ita nullam generis humani partem à Deo negligi probat ab effectu Propheta, quod impios præcipites dejiciat. Etſi enim multa confuſe in mundo miſcentur, nunquam tamen ſic in abdito latere patitur ſua judicia, quin ſigna quædam eorum, & quidem ſatis illuſtria, oculatis & attentis ſpectatoribus proponat.

8. *Benedicite populi.*] Quanquam populos omnes communiter hortatur ad laudandum Deum: ſpeciale tamen aliquod Dei auxilium commemorat quo reſtituta fuit ſalus Eccleſiæ. Ita innuere videtur, Gentes aliquando ejus gratiæ fore participes, cujus tunc guſtum electo populo Deus præbebat. Interea admonet inſignem & memoratu dignam eſſe liberationem, cujus famam ubique vult reſonare. Quanquam autem redditam Judæis fuiſſe vitam prædicat (quo genere loquendi, non vulgariter adjutos fuiſſe docet) mox tamen oſtendit, potius ſervatos fuiſſe à periculo, quam poſtliminio reſtitutos ab aliqua clade. Nam quum *à lapſu* dicat *ſervatos fuiſſe pedes*, ſequitur non cecidiſſe, ſed mature fuiſſe occurſum ut firmi ſtarent. Neque tamen ideo gratiam Dei extenuat Propheta quod malum anteverterit: ſed fatetur fuiſſe vivificatos qui Dei beneficio ſervati erant incolumes.

10. Quia probaſti nos Deus, examinaſti nos ſicut examinatur argentum:

11. Deduxiſti nos in laqueum, poſuiſti coarctationem in lumbis noſtris.

12. Equitare feciſti hominem ſuper capita noſtra: venimus in ignem & aquam, & eduxiſti nos in planitiem.

10 כי בחנתנו אלהים צרפתנו כצרף כסף:

11 הבאתנו במצודה שמת מועקה במתנינו:

12 הרכבת אנוש לראשנו באנו באש ובמים ותוציאנו לרויה:

10. *Quia probaſti nos.*] Poſſet hoc per conceſſionem legi, interpoſita particula quamvis: ita amplificaret Propheta Dei gratiam, quia populum liberaverit ex graviſſimis malis. Quod tametſi libenter recipio, Prophetam tamen ſimul alterum quoque finem ſpectaſſe arbitror, nempe ut optimo ſolatio, quod ex ejus verbis colligitur, piorum triſtitiam levaret. Nihil enim utilius eſt quam reputare nos affligi Dei manu quoties nos res adverſæ premunt: & quidem non alio conſilio, niſi ut ſaluti noſtræ conſulat. Huc ſpectat probatio & examen de quibus loquitur Propheta. Etſi autem ſuos inſtar argenti examinet Deus, ut purget eorum vitia, acſi igne excoqueret ſcorias: ſimul tamen intelligit documentum fuiſſe captum eorum patientiæ. Et *argenti* ſimilitudine, exprimere videtur fuiſſe ad vivum probatos, ſicuti argentum non ſemel in ignem conjicitur. Etſi enim gratias Deo agunt fideles, quod tantum probati fuerint afflictionibus, non prorſus conſumpti: malorum tamen varietas & gravitas clare exprimitur non tantum hoc verbo, ſed toto contextu, ubi dicunt ſe in laqueum fuiſſe conjectos, redactos in ultimas anguſtias, hominem fuiſſe impoſitum capitibus ſuis: denique per naufragium & incendium tranſiiſſe. Et quum *lumbis ſuis coarctationem* vel catenam poſitam fuiſſe dicunt, aggravant quod prius dixerant de laqueo. Senſus enim eſt, non modo filis ſe fuiſſe irretitos, ſed coarctatos duro & inſolubili vinculo. *Equitandi* etiam verbo intelligunt tyrannos contumelioſe & petulanter fuiſſe dominatos, & quaſi jumentis fuiſſe abuſos. Per *ignem & aquam* minime dubium eſt intelligi multiplices ærumnas: ac ſenſus eſt, nullum fuiſſe afflictionis genus quo non exercuerit Deus ſuam Eccleſiam. Sicut autem duo hæc elementa ad fovendam hominis vitam plurimum valent, ita rurſus ad extinguendam. Notandum autem primo eſt, quod Propheta, quaſcunque injurias perpeſſus erat populus hoſtium ſævitia, pro pœnis divinitus inflictis recenſet: ne exiſtiment fideles eo ſopito, vel aliud agente, tam duriter ſe fuiſſe vexatos. Eccleſiæ autem conditio veluti in ſpeculo ſtatuitur hic nobis ante oculos: ne ubi contigerit ab igne in aquam nos raptari, & jactari huc & illuc, ipſa novitas nos exanimet vel terreat. רויה proprie terram irriguam ſignificat. Sed metaphorice hic pro læto & jucundo ſtatu capitur, acſi in campis amœnis & fertilibus ſuaviter & liberaliter paſcerentur fideles. Summa eſt, quamvis temporalibus pœnis duriter caſtiget ſuos Deus, ſemper tamen dare proſperum & lætabilem exitum. Falluntur enim meo judicio qui ad poſſeſſionem terræ Chanaan reſtringunt: quia hic non fit tantum mentio deſerti, ſed omnium temporum ærumnas quibus humiliatus fuerat populus, comprehendit Propheta.

13. Veniam in domum tuam cum holocauſtis, ſolvam tibi vota mea,	13 אָבוֹא בֵיתְךָ בְעוֹלוֹת אֲשַׁלֵּם לְךָ נְדָרָי׃
14. Quæ protulerunt labia mea, & os meum loquutum eſt in afflictione mea.	14 אֲשֶׁר פָּצוּ שְׂפָתָי וְדִבֶּר פִּי בַּצַּר לִי׃
15. Holocauſta pinguium offeram tibi cum ſuffitu arietum, faciam boves cum hircis. Selah.	15 עֹלוֹת מֵחִים אַעֲלֶה לָּךְ עִם קְטֹרֶת אֵילִים אֶעֱשֶׂה בָקָר עִם עַתּוּדִים סֶלָה׃
16. Venite, audite, & narrabo omnibus timentibus Deum quæ fecerit animæ meæ.	16 לְכוּ שִׁמְעוּ וַאֲסַפְּרָה כָּל יִרְאֵי אֱלֹהִים אֲשֶׁר עָשָׂה לְנַפְשִׁי׃

13. *Veniam in domum.*] Quanquam hactenus totius Eccleſiæ perſonam ſuſtinuit Propheta, magis tamen emphatice nunc ex privato animi ſui ſenſu loquitur: & vehementius ſingulos ad pietatis officium incitat: quia ubi quiſque ſeorſum ad gratias agendas probe animatus erit, ſymphoniam laudum in commune alacrius conferent. Summa eſt, indigne ſupprimi Dei gloriam quoties in rebus adverſis nobis ſuccurrit, niſi liberationem ſequatur ſolennis gratiarum actio. Nec ſimpliciter gratitudinem promittit. Vota ſe in media afflictione nuncupaſſe dicens, fidei ſuæ conſtantiam oſtendit. Nota
Jacob. 5. verſ. 13. eſt Jacobi exhortatio, Oret qui angitur ac triſtis eſt: qui lætus eſt, canat. Pleroſque enim videmus, licet in proſpera fortuna blande fictis laudibus Deum mulceant, ſimulac paulo durius urgentur, vel tumultuoſe contra eum fremere, vel fractos torpere. Atqui hæc vera eſt pietatis probatio, ſiquis inter ſummos dolores ad Deum ſuſpiret, fideique & tolerantiæ ſuæ perſeverantiam orando probet: deinde gratitudinem teſtetur. Nec abs re dicit ſe *labiis protuliſſe vota*, ſignificans nunquam ſe ita mœrore fuiſſe conſtrictum, quin diſerte preces concipiens, profiteretur ſe in manu Dei ſalutem ſuam deponere. De votis quod alibi fuſius tractatum fuit, breviter repetendum eſt. Primo, nihil unquam ſanctos Patres voviſſe Deo, niſi quod ei probari ſcirent. Deinde non voviſſe in alium finem, niſi ut gratitudinis ſuæ teſtimonium redderent. Quare nimis inſulſe illorum exemplum obtendunt Papiſtæ non modo temerariis, ſed etiam ſacrilegis votis, dum primo futiliter obtrudunt Deo quicquid in buccam venit: deinde nihil ſibi minus proponunt quam rectum finem, & diabolica ſuperbia de rebus ſibi non conceſſis paciſcuntur.

15. *Holocauſta pinguium.*] Vel Davidem, vel aliquem ex ſummis proceribus hic loqui oportet: quia ut tenuis fortunæ homines tam opima & ſplendida ſacrificia offerrent facultas non ſinebat. Probabile igitur eſt Davidem Pſalmi eſſe auctorem, qui ſumptum regalem facturum ſe denunciat in ſacrificiis. Scimus autem cur ſibi tunc Deus victimas offerri juſſerit pro gratiarum actione, nempe ut ſciret populus ſua immunditie pollui & vitiari Dei laudes, niſi aliunde ſanctificentur. Nam utcunque nobis ſit propoſitum laudare Dei nomen, impuris tamen labiis ipſum profanamus, niſi quatenus ſe Chriſtus ſemel hoſtiam obtulit ut nos & noſtra omnia ſanctificet. Ideoque docet Apoſtolus per ipſum placere laudes quas Deo referimus. Suffitum ſui holo- *Hebr. 10. verſ. 7.*
cauſti hic commendat Propheta, quum inde nonniſi gravis ac putidus odor in cælum aſcenderit: ſed quatenus figuræ erant Chriſti, arietes aliæque victimæ, ſuaviter coram Deo redolebant. Nunc abolitis Legalibus figuris, manet nobis ſpiritualis veritas, quæ proximo verſu melius exprimitur, ubi Propheta beneficiorum Dei præconem ſe fore denunciat. Nam & ſub Lege huc referri oportuit externas ceremonias: quia alioqui inutilis fuiſſet earum pompa. Præconium ergo gratiæ Dei, verum condimentum fuit ne inſipida eſſent ſacrificia. Quod autem advocat pios omnes, ſuo exemplo docet non ſatis gratos eſſe Deo niſi qui deſiderio flagrant publicandæ quam experti ſunt gratiæ, non modo ut incitentur omnes ad eum uno conſenſu laudandum, ſed ut documentis gratiæ ejus animentur ad fidem & ſpem. Quod autem narrationem ſuam deſtinat ſolis Dei cultoribus, ratio eſt, quia ſoli idonei ſunt auditores: profanis autem & hypocritis tanquam ſurdis canitur.

17. Ad ipſum ore meo clamavi, & exaltavi eum ſub lingua mea.	17 אֵלָיו פִּי קָרָאתִי וְרוֹמַם תַּחַת לְשׁוֹנִי׃
18. Iniquitatem ſi reſpexi in corde meo, non audiet Dominus.	18 אָוֶן אִם רָאִיתִי בְלִבִּי לֹא יִשְׁמַע אֲדֹנָי׃
19. Utique audivit Deus, attendit ad vocem precationis meæ.	19 אָכֵן שָׁמַע אֱלֹהִים הִקְשִׁיב בְּקוֹל תְּפִלָּתִי׃
20. Benedictus Deus qui non amovit precationem meam, & miſericordiam ſuam à me.	20 בָּרוּךְ אֱלֹהִים אֲשֶׁר לֹא הֵסִיר תְּפִלָּתִי וְחַסְדּוֹ מֵאִתִּי׃

17. *Ad ipſum.*] Confirmat, ſe Dei auxilio ſalvum eſſe, quia eum precatus, ipſo effectu ſenſerit fuiſſe ſibi propitium. Votorum enim fructus, gratiam Dei non parum illuſtrat, ut nobis ſit certior. Iterum per *os & linguam*, ſicuti paulo ante, precandi vehementiam & ardorem exprimit. Niſi oraſſet ex intimo cordis affectu, repudiatus quidem eſſet: ſed linguam facit cordis comitem, ut ſciamus non frigide eum oraſſe. Quod nonnulli *ſub lingua*, tantundem valere putant atque *in corde*, abſurdum eſt. Sermo enim qui ex linguæ reflexu procedit, ſub lin-
Pſal. 140. verſ. 4. gua naſci dicitur: ſicut alibi, Venenum aſpidum ſub labiis eorum. *Exaltandi* verbo ſignificat non alia honoris ſpecie melius coli Deum, quam ubi ab ipſo expetitur ſalus. Unde apparet in Papatu ſpoliari ipſum præcipua gloriæ ſuæ parte, ubi vel ad mortuos, vel ad ſtatuas diſtrahuntur hominum vota: & invocatio Dei fere pro nihilo ducitur. Sed interim legem pure & recte orandi ſubjicit Propheta, ne præterita fide & pœnitentia, temere ſe quiſque ad Deum invocandum ingerat. Scimus, quoties in genere pronunciat Scriptura, invocandum eſſe Deum, quam audacter irrumpant hypocritæ & profani homines, ſeque permiſceant fidelibus. Ergo Propheta ut talibus ludibriis januam præcludat, cordis integritatem requirit. Fateor quidem Prophetam his verbis ſuam innocentiam aſſerere, quemadmodum ſæpe David probitatem

ſuam reali, ut ita dicam, gratiæ Dei teſtimonio à calumniis aſſerit: ſed conſilium maxime fuit tradere ſuo exemplo communem regulam, ut diſcamus ad Deum puro corde accedere. Similis eſt locus ille Joannis 9. verſ. 31. Deus impios non exaudit. Verum quidem eſt non alios quam peccatores audiri, quia omnibus ad unum præſcripta eſt forma ut peccata ſibi remitti petant. Sed quamvis ingenuam reatus ſui confeſſionem coram Deo afferant fideles, hoc tamen ipſo jam peccatores eſſe deſinunt, quia Deus ſupplices abſolvit. Tenenda enim eſt Pauli admonitio, Ut ab iniquitate diſcedat quiſquis invocat nomen Domini. *2 Tim. 2. verſ. 19.* Porro *iniquitatem aſpicere in corde*, non eſt eſſe ſibi male conſcium (quia videre ſua vitia coguntur filii Dei, ut ſibi in illis diſpliceant: atque hæc cognitio pro ſumma virtute cenſeri meretur) ſed intentum eſſe & addictum iniquitati. Quanquam ideo diſerte cordis meminit Propheta, ut oſtenderet non modo puras ſibi eſſe manus, vel ſe coram hominibus eſſe innoxium, ſed ut coram Deo ſibi aſſereret veræ integritatis laudem. Niſi enim externæ vitæ reſpondeat interior cordis veritas, ſed recondita malitia lateat: quod ſplendebit coram hominibus, abominatio erit coram Deo. Subjicit autem cum affirmatione, exauditas fuiſſe preces: unde colligitur, nunquam fore ſpem noſtram irritam, modo ex animo Deum quæramus.

20. *Benedictus.*] Pſalmum gratiarum actione claudit, unde exorſus fuerat: & cauſam addit quod repulſam non fuerit paſſus: figurate enim dicitur Deus *orationem à ſe depellere*, ſiquem auxilio non dignetur, acſi tergum obverteret. Fontem vero deſignat, quia non ſubduxerit Deus ſuam miſericordiam. Neque enim aliud quam gratuitus ejus favor vel nobis eum reddit placabilem, vel pretium ac impetrandi gratiam conciliat precibus noſtris, ne ſint infructuoſæ.

ARGUMENTUM PSALMI LXVII.

Precatio eſt pro felici Eccleſiæ ſtatu, non ſolum ut Deus in Judæa eam tueatur incolumem, ſed etiam ut nova & inſolita propagatione augeat. Ubi etiam breviter diſſerit de regno Dei, quod Chriſti adventu in toto orbe erigendum erat.

PSALM. LXVII.

PRæfecto in Neginoth, Pſalmus canticum.	1 למנצח בנגינת מזמור שיר:
2. Deus miſereatur noſtri, & benedicat nobis: lucere faciat vultum ſuum in nobis. Selah.	2 אלהים יחננו ויברכנו יאר פניו אתנו סלה:
3. Ut cognoſcant in terra viam tuam, in omnibus gentibus ſalutem tuam.	3 לדעת בארץ דרכך בכל גוים ישועתך:
4. Celebrent te populi Deus, celebrent te populi omnes.	4 יודוך עמים אלהים יודוך עמים כלם:
5. Lætentur & exultent populi, quoniam judicabis populos in æquitate, & populos in terra diriges. Selah.	5 ישמחו וירננו לאמים כי תשפט עמים מישר ולאמים בארץ תנחם סלה:
6. Celebrent te populi Deus, celebrent te populi omnes.	6 יודוך עמים אלהים יודוך עמים כלם:
7. Terra dedit proventum: benedicet nos Deus Deus noſter.	7 ארץ נתנה יבולה יברכנו אלהים אלהינו:
8. Benedicet nos Deus, & timebunt eum omnes fines terræ.	8 יברכנו אלהים וייראו אותו כל אפסי ארץ:

DEus miſereatur.] Quanquam vaticinatur in hoc Pſalmo Propheta de regno Chriſti, ſub quo Dei adoptio communis toti mundo futura erat: Judæis tamen peculiariter gratiam Dei precatur: ſicuti primogenitos fuiſſe ſcimus, *Exod. 4. verſ. 22.* ut merito ab ipſis incipere debuerit quæ per cunctas gentes ſpargenda erat Dei benedictio. Quanquam autem in optativo modo reddidi totum hunc Pſalmum, quia in hunc fere ſenſum conveniunt omnes interpretes: non minus tamen commode in tempore futuro verba omnia vertere liceret, ſicuti Hebraice leguntur: ita eſſet ſancta gratulatio ad fulciendas pias mentes, ne ambigerent de continuo favoris Dei ſucceſſu, quin potius incrementa ejus ſperarent. Quia tamen communi fere conſenſu receptum eſt, Prophetam hic precari, mihi ſatis eſt lectores monuiſſe. Porro quum ſermonem habeat non de extraneis, ſed de Eccleſia ipſa, & tamen quicquid bonorum in eam conferri optat, derivet ex fonte gratiæ Dei: ſequitur, quamdiu vivimus, non aliunde nos eſſe felices, affluere bonorum copia, denique proſpere agere, niſi quia gratuito nos amore proſequitur. Quod ſi verum eſt, quis eum præveniet ſuis meritis? Sub *vultus illuminatione* utrumque videtur complecti: quia ubi & amoris ſui ſenſum cordibus noſtris inſpirat Deus, & re ipſa declarat ſe propitium eſſe, dicitur ſuper nos lucere ſerena ejus facies: ſicuti obnubilari dicitur, dum peccatis noſtris offenſus, conſcientias noſtras terret, ſignaque aufert ſui favoris.

3. *Ut cognoſcant.*] Hic clarum eſt vaticinium de propagatione gratiæ Dei, qua factum eſt ut Gentes in unum corpus cum ſemine Abrahæ coaleſcerent. Optat igitur Propheta conſpicuum eſſe Dei favorem in electo populo, ut Gentes ſuo fulgore in ejuſdem ſpei ſocietatem adducat. Per *viam Dei* intelligitur fœdus quo ſe patefecit veteri populo in Patrem, clarius deinde per Euangelium, quo datus eſt uberior adoptionis Spiritus, unde manat ſalus: ſicut etiam Chriſtus docet hanc eſſe vitam æternam, cognoſcere verum Deum, &c. Joan. 17. verſ. 3.

4. *Celebrent te.*] Quia ſalvificæ Dei notitiæ cunctos populos dixit fore participes, nunc tantæ gratiæ præcones fore dicit, ſimulque ad gratitudinem hortatur. Et repetitio clarius exprimit ſermonem fieri de re nova & inſolita. Neque enim ſi conſueto more & ordine uſitato ſuam erga filios Abrahæ gratiam proſequutus eſſet Deus, tanta vehementia opus erat. Nam primo dicit, Celebrent te populi, celebrent te populi omnes. Deinde hanc exclamationem paulo poſt iterat. Sed opportune gaudium cum ſua cauſa medium inſerit: quia vere & ſerio laudari non

Digitized by Google

non poteſt Deus, niſi tranquillis & hilaribus animis, ubi Deo reconciliari gloriamur in certa ſpe ſa-
Philip. 4. verſ. 7. lutis, & pax Dei exuperans omnem ſenſum, palmam obtinet in cordibus noſtris. Ipſa vero cauſæ redditio plane demonſtrat Gentium vocationem: quia Dei gubernatio cujus hic mentio fit, non de generali imperio accipitur, ſed de ſpirituali juriſdictione quam in Eccleſia ſua exercet. Neque enim, proprie loquendo, alios Deus regendos ſuſcipit, niſi quos Legis ſuæ doctrina colligit in ſuum obſequium. Et nomen *æquitatis* diſerte exprimitur ad commendationem hujus regiminis. Deinde eadem
Jeſa. 11. verſ. 4. Mich. 4. verſ. 3. fere verba leguntur apud Jeſaiam & Michæam, ubi de ſpargenda per totum orbem ſalutis doctrina concionantur.

7. *Terra dedit fructum.*] Poſtquam de præcipua Dei gratia loquutus eſt, addit Deum terrenis quoque benedictionibus proſequi quos amore ſuo dignatur, ut nihil prorſus, eo propitio, ad beatam & felicem vitam deſit. Tenendum vero memoria eſt quod ante diximus, quoties illum veterem populum ſuis beneficiis Deus ornavit, quaſi accenſa lampade præluxiſſe toti mundo, ut ad ſe quærendum Gentes alliceret. Ideo ſi liberaliter ſuppeditet Deus populo ſuo quicquid opus eſt, ex hac beneficentia, quaſi ex fonte, oriturum prædicat timorem Dei: quia ſcilicet omnes mundi fines eo libentius ſe ejus imperio addicent, ubi experientia edocti fuerint tam benignum eſſe erga ſuos Patrem.

ARGUMENTUM PSALMI LXVIII.

Quamvis Davidi propoſitum ſit in hoc Pſalmo, quas Dei gratia adeptus erat de hoſtibus victorias celebrare, initio tamen potentiam & bonitatem Dei in genere commendans, materiam ejus laudandi proponit in totius mundi gubernatione. Poſtea ad redemptionem electi populi deſcendit: cui etiam adjungit curſum paternæ Dei beneficentiæ, quam ſemper erga genus Abrahæ exerere dignatus eſt. Tandem argumentum quod ex profeſſo ſuſcepit, copioſe proſequitur, & ſplendidis elogiis memorabilem illam Dei virtutem prædicat, quam ipſe privatim fuerat expertus, & quæ ſimul toti populo fuerat conſpicua. Unde colligit, ſe Rege creato ſtatum Eccleſiæ fuiſſe rite compoſitum: ut Deus quaſi erecto ſolio, tunc denuo regnare inciperet, qui ante viſus fuerat procul receſſiſſe. Nec vero dubium eſt quin magnificam Dei gloriam quæ in Chriſto demum apparuit, ſub hoc typo delineet.

PSALM. LXVIII.

PRæfecto, Davidis Pſalmus canticum.

2. Exurget Deus, diſpergentur inimici ejus, & fugient qui oderunt eum à facie ejus.

3. Sicut propellitur fumus, propelles: ſicut liqueſcit cera à facie ignis, peribunt impii à facie Dei.

4. Juſti autem lætabuntur, exultabunt à facie Dei, & geſtient præ lætitia.

5. Canite Deo, pſallite nomini ejus, exaltate equitantem in nubibus in Jah nomine ejus, & exultate coram facie ejus.

6. Pater pupillorum, & cognitor viduarum, Deus in habitaculo ſanctitatis ſuæ.

7. Deus habitare faciens ſolitarios in familia, educens vinctos compedibus: at rebelles habitabunt in terra arida.

1 למנצח לדוד מזמור שיר׃
2 יקום אלהים יפוצו אויביו וינוסו משנאיו מפניו׃
3 כהנדף עשן תנדף כהמס דונג מפני אש יאבדו רשעים מפני אלהים׃
4 וצדיקים ישמחו יעלצו לפני אלהים וישישו בשמחה׃
5 שירו לאלהים זמרו שמו סלו לרכב בערבות ביה שמו ועלזו לפניו׃
6 אבי יתומים ודין אלמנות אלהים במעון קדשו׃
7 אלהים מושיב יחידים ביתה מוציא אסירים בכושרות אך סוררים שכנו צחיחה׃

EXurget Deus.] Hoc primo verſu quaſi præfatur David de quibus rebus diſſerere velit in hoc Pſalmo. Hæc ſumma eſt, Quamvis Deus ad tempus quieſcat, impiis proterve & crudeliter Eccleſiam affligentibus, tandem ſurgere vindicem: & ſatis eſſe præſidii fidelibus in ejus auxilio ſimulac manum ſuam contra impios exerit. Quod ſenten-
Num. 10. verſ. 35. tiam hanc ex Moſe ſumptam fuiſſe putant interpretes, libenter ſubſcribo. Nec enim mihi dubium eſt quin Moſes ſeculis omnibus dictaverit precandi formam: ut freti arca fœderis fideles, tanquam viſibili præſentiæ Dei ſymbolo, ſe fore ſalvos confiderent. Hoc tantùm diſcrimen notandum eſt, quod Moſes Deum ipſum compellans precatur: David autem reipſa hoc quotidie impleri gloriatur & canit. Nam qui vertunt in modo hortandi, Exurgat Deus: non ſatis mihi videntur ad ejus conſilium attendere. Hæc enim ſumma eſt, Experientia verum cognoſci quod ſemel docuit Moſes: nempe Deum, ſimulac ſurrexerit, præditum eſſe ſatis valida potentia ad ſternendos omnes hoſtes, ac profligandos. Quanquam hortandi modus mihi non adeo diſplicet, modo reſolvas ut dixi, acſi dixiſſet, Non opus eſſe magno apparatu ut Deus hoſtes ſuos perdat: quia in ejus arbitrio eſt, ſimulac digitum ſuſtulerit, omnes diſſipare. Interea tacite ſubindicat, fieri Dei tolerantia, ut interdum prævaleant hoſtes: & quantumvis inſoleſcant, nihil poſſe niſi ejus permiſſu: quia nondum eſt tempus ſurgendi. Hoc quoque ſuaviſſimæ conſolationis plenum eſt, vocari *Dei hoſtes* quicunque ejus Eccleſiam infeſtant: quia quum nos ſuſceperit tuendos, non ſecus afficitur noſtris injuriis acſi violaretur ſua ipſius majeſtas. Pulchra etiam ſimilitudine melius exprimit quam facile Deo ac promptum ſit omnes hoſtium noſtrorum conatus diſcutere: nempe *ſicut fumus vento diſcuſſus evaneſcit*, vel *cera liqueſcit coram igne.* Eſt autem hoc fere incredibile, tam firmi roboris diſſipationem fore momentaneam: ſed Spiritus hoc modo nimiam carnis noſtræ timiditatem corrigere voluit: acſi diceret, non ſubeſſe hoſtibus noſtris quam putamus firmitudinem, ſed quaſi fumo hebetari noſtros oculos: falli etiam nos in ipſa duritie, quia non reputamus ſolo Dei conſpectu liquefieri montes ipſos.

4. *Juſti autem lætabuntur.*] Hic explicat David, præcipue in ſalutem Eccleſiæ ſuæ, Deum formidabilem eſſe impiis. Et videtur lætitiam hanc oblique opponere mœrori, quo diu ſub Saule occupati fuerant animi piorum: acſi dixiſſet, Poſtquam humiliavit ſuos ad tempus Deus, afferre novam gaudii lucem, ne ſemper ſub triſtitia demerſi jaceant. Interea docet, tunc vere demum exhilarari pios, dum

ſibi propitium eſſe Deum cernunt, ſuamque ei ſalutem charam eſſe. Quanquam autem מפני & לפני Hebræis idem ſæpe valeat: hic tamen conſulto diſtingui à Propheta exiſtimo: quia fugiunt impii à facie Dei, quam exhorrent: juſti vero ad eandem faciem exultant, quia nihil illis optabilius quam ſentire propinquum ſibi eſſe Deum. Vidimus autem Pſalmo 18. verſ. 26. ut Dei conſpectus alios expavefaciat, alios vero ſuaviter exhilaret: quia ſicuti manſuetus eſt erga manſuetos, ita cum præfractis præfracte agit. Plurium verborum congerie exprimit Propheta non mediocrem fore piorum lætitiam, ſed quæ omnes eorum affectus in ſe rapiat & occupet.

5. *Canite Deo.*] Jam hortari incipit fideles ad laudandum Deum: materiam tamen initio in genere proponit, ſicuti nuper attigi, quod ſuo imperio & virtute contineat totum orbem: deinde quod miſerrimos quoſque & contemptibiles fovere ſua cura & patrocinio tueri dignetur. Hoc ergo elogium eſt immenſæ Dei potentiæ, quod equitet ſuper nubes, vel cælos, quia ſequitur toto mundo ſuperiorem eſſe. Nam etſi hac loquendi forma admonet Spiritus ſanctus nihil craſſum vel terreſtre concipiendum eſſe de ipſo, præcipue tamen commendat ſummum imperium, ut nos ad reverentiam adducat: acſi diceret, ita ſupereminere, ut laudes omnes infra ipſum ſubſidant. Nam ubi nervos omnes intenderimus, non comprehendemus certe cælum & terram, quæ tamen amplitudinem gloriæ Dei æquare nequeunt. Quod additur continuo poſt de *Ja nomine ejus*, varie poteſt accipi. Scimus literam ב *beth* ſæpe apud Hebræos ſupervacuam eſſe, ideo poſſet transferri, Ja eſt nomen ejus. Vertunt alii, In Ja eſt nomen ejus: ad verbum. quod mihi non diſplicet, tametſi *nomen* quoque in ablativo caſu ponere malui. ſed de verbis minus laborandum eſt, quia non eſt obſcurum Davidis conſilium. Nam quia tunc vanis deorum figmentis ſuperſtitio repleverat totum orbem, voluit uni Deo ſuum gradum aſſerere, acſi omnia idola faceſſere juberet ubi in medium prodit Deus Iſraël. Sed quia non ſatis eſſet, ſuppliciter coli Deum à fidelibus, quem impii quoque dum expaveſcunt & tremunt, revereri coguntur, *lætos* & alacres accedere ad ipſum jubet: ideoque de mira ejus bonitate paulo poſt concionatur, quod ad *pupillos* uſque & *viduas* ſe demittere non gravetur: acſi diceret, Incomprehenſibilem Dei gloriam non eſſe cauſam diſtantiæ, ut nos, quamlibet miſeri ſimus, ac in ſordibus demerſi, deſpiciat. Nam viduas & pupillos nominans, haud dubie per ſynecdochen complectitur quos mundus, quaſi auxilio indignos, præterire ſolet. Nam ut plurimum noſtra officia ibi locamus unde ſpes aliqua compenſationis apparet. Deinde primum fere locum occupat dignitas & ſplendor: unde fit ut contempti jaceant pauperes. Quod ſequitur, *Deum eſſe in habitaculo ſanctitatis ſuæ*, ſive ad cælum referas, ſive ad templum, optime præſenti argumento conveniet. Neque enim cælo incluſus eſt Deus ut otium colat, ſed potius ſolii inſtar eſt ei cælum unde orbem judicet. Jam quia domicilium ſibi delegit inter homines, unde familiariter eos ad ſe invitat: nihil aptius erigere pauperum fiduciam poteſt, quam ubi audiunt non procul quærendum eſſe. Proximo verſu alias quoque ſpecies adjungit, quod orbis & *ſolitariis* det copioſam ſobolem, & *vinctos* ſolvat è compedibus. Poſtremo autem membro Dei judicium impiis & profanis ejus contemptoribus denunciat, non modo ad incutiendum illis metum, ſed ne eorum ſorti invideant fideles. Summa eſt, quocunque afflictionis genere premamur, in Dei manu eſſe ſolatium, quo dolores noſtros leniat, & curas exoneret. Quamvis autem impii ad tempus ſibi placeant, quicquid tamen nunc videtur illis maxime proſperum, tandem infeliciter illis ceſſurum eſſe. Nam *habitare in arido* ſignificat quaſi in deſertum relegari, ne amplius paterna Dei benevolentia, qua improbe abuſi ſunt, fruantur.

8. Deus quum egrediebaris coram populo tuo, quum iter faciebas in deſerto: Selah.

9. Terra mota eſt, etiam cæli ſtillarunt coram facie Dei hujus: Sinai à facie Dei Dei Iſraël.

10. Pluviam liberalem fluere facies Deus ſuper hæreditatem tuam, & laſſam tu inſtauras.

11. Congregatio tua habitabit in ea: parabis in bonitate tua pauperi Deus.

ב 8 אלהים בצאתך לפני עמך
בצעדך בישימון סלה׃
9 ארץ רעשה אף שמים נטפו
מפני אלהים זה סיני מפני אלהים
אלהי ישראל׃
ג 10 גשם נדבות תניף אלהים
נחלתך ונלאה אתה כוננתה׃
11 חיתך ישבו בה תכין בטובתך
לעני אלהים׃

8. *Deus quum egrediebaris.*] Nunc Dei bonitatem proprie in Eccleſia reſidere prædicat, quam peculiariter in eum finem delegit ut theatrum eſſet paternæ ſuæ ſollicitudinis. Hoc autem diſerte additur à Propheta, ut quod antea dictum eſt, filii Abrahæ propius ad ſe accommodent: quia ſunt ex electo populo. Porro quia redemptio ex Ægypto præcipuum & æternum erat amoris pignus, quo etiam ſancita fuerat adoptio pridem in manu Abrahæ facta, ejus hiſtoriam breviter attingit. Summa huc tendit, Deum in illo memorabili exitu teſtatum eſſe omnibus ſeculis quantopere Eccleſiam ſuam diligeret. Quorſum enim tot miracula, terræ cælique concuſſio, & montium tremor, niſi ut palam fieret Dei virtutem cum ſalute populi conjunctam eſſe? Ideo partes ducis tribuit Deo, qui ſuis auſpiciis populum deduxerit. Neque id ſolum in trajectu maris Rubri, ſed etiam quamdiu in deſerto vagati ſunt Iſraëlitæ. Porro *terræ motum* intelligo non ſolum in Legis promulgatione: ſed quia in continuo itineris progreſſu ſæpius mutatus eſt ordo naturæ, acſi elementa omnia trepidarent ad Dei conſpectum. Quia tamen præcipue in monte Sinai terribilem ſuam potentiam oſtendit Deus, quia & tonitrua audiebantur in cælo, & totus aër fulgetris plenus erat: diſerte montem illum nominat Propheta, in quo ſpectabilis fuit ſplendidius quam alibi uſquam Dei majeſtas. Pronomen demonſtrativum זה frigide ad Sinai quidam referunt: quum potius David gloriam Dei Iſraëlis illuſtret. Nam ſimili figura Prophetæ non ſemel declarant, Deum qui colitur inter Abrahæ filios, non eſſe imaginarium: nec religionem quæ ejus Lege tradita fuit, ambiguam eſſe. Sic Jeſaias 25. verſ. 9. Hic hic Deus noſter, ſervabit nos. Ergo David, quaſi in præſentem Dei conſpectum ſuos adduceret, fidei certitudinem confirmat, diſtinguitque à dubiis Gentium erroribus: & ſimul oblique perſtringit mundi amentiam, qui Deum ſibi in lignis & lapidibus, auro & argento figurans, adeo non proficit in Dei notitia, ut in ſuis fallaciis longius evaneſcat.

10. *Pluviam voluntatum.*] Hic David perpetuum gratiæ Dei curſum prædicat, ex quo terram ſibi

ſibi promiſſam ingreſſus eſt populus. Ipſa enim vocatur Dei hæreditas, quam aſſignaverat filiis ſuis. Alii Eccleſiam intelligunt, ſed improprie: quia paulo poſt ſubjiciet in ea habitare cœtum Dei. Merito autem terra Chanaan nomen hoc obtinet, quæ hæreditario jure à Patre cæleſti tradita fuerat. Porro ex quo in ea locati ſunt filii Abrahæ, David commemorat nunquam Deum ceſſaſſe ab optimi & indulgentiſſimi patrisfamilias officio: quia victus parandi cauſa, pluviam ſemper excitaverit. Porro quum נדבות (quod nomen hic in genitivo plurali vice epitheti ponitur) Hebræis ſpontanea ſit voluntas, vel mera liberalitas, libenter interpretibus aſſentior qui ad gratuitum Dei beneplacitum referunt: acſi dixiſſet David, Deum ſemper alendi populi ſui ſponte curam habuiſſe. Nam quod alii pluviam voluntatum, optabilem vertunt, quam Gallice dicimus *A plaiſir*: alii mitem, ultroque fluentem ſine impetu, quam Gallice vocamus *pluye mouillante*: neſcio an conveniat. Sunt etiam qui largam & uberem pluviam interpretantur. Sed jam quid mihi magis placeret, oſtendi. Liberalitatis ergo ſuæ ſignum exhibuit Deus, terram opportuna pluvia irrigans. Nec dubito quin ad Judææ ſitum reſpexerit, cujus fœcunditas erat à rore vel pluvia cæleſti. Eadem ratione dicit *laſſitudine effœtam reficì*. Additur ratio, quia illam Deus electo populo habitandam dederit: acſi diceret, Non alio reſpectu ſic benedici, niſi quia ſacrum eſt Eccleſiæ domicilium. Ac quo melius hanc beneficentiam agnoſcant Judæi, comparat eos *famelicis* qui in diem aluntur. Etſi enim laute ad ſatietatem uſque adipe frumenti, vini copia, melle & oleo paſcebat eos Deus, ſic tamen gratiam ſuam temperavit, ut à ſe uno penderet eorum expectatio. Quod alii טובה pro copioſo victu accipiunt, etſi non refello, potius tamen inclino in diverſum ſenſum, Deum non alio quam beneficentiæ ſuæ reſpectu induci, ut ſuis tam provide conſulat.

12. Dominus dabit ſermonem annunciatricibus exercitus magni.

12 אדני יתן אמר המבשרות צבא רב׃

13. Reges exercituum fugient, fugient: & habitatrix domus dividet ſpolia.

13 מלכי צבאות ידדון ידדון ונות בית תחלק שלל׃

14. Si jaceatis inter ollas, pennæ columbæ opertæ argento, & poſteriora ejus in pallore auri.

14 אם תשכבון בין שפתים כנפי יונה נחפה בכסף ואברותיה בירקרק חרוץ׃

* vel, alba fuit. 15. Quum diſſiparet Omnipotens Reges in ea, * dealbabis in Salmon.

15 בפרש שדי מלכים בה תשלג בצלמון׃

12. *Dominus dabit.*] Hic jam victorias commendat David, quibus Deus virtutem ſuam in tuenda populi ſalute præclare extulerat. Quum vero ipſe profligatis hoſtibus terram pacaſſet, ac ampliaſſet regni terminos, omnium ſtratagematum laudem in Deum transſcribit. Nam partes Dei eſſe aſſerens, carmen vel præconium triumphale dare, proſperos belli eventus in ejus manu eſſe hac figura docet. Porro *annunciatrices exercitus* dicit, quia receptum erat vetuſto more, epinicia cani à mulieribus: ſicuti Miriam ſoror Moſis cum mulierum choro Dei laudes ad tympanum celebravit: & mulieres etiam citharistriæ Davidis triumphum cecinerunt occiſo Goliath, ſtratiſque Philiſtinis. Cantici tamen nomine, ut nuper dixi, ſignificat David nonniſi ab uno Deo proficiſci victorias. Quanquam ſimul officii admonet fideles ut Dei beneficia qua decet gratitudine prædicent. Proximo verſu docet, quamlibet magnis & validis copiis inſtructi proſiliant hoſtes ad perdendam Eccleſiam, diſſipatum tamen iri. Ac videtur muliebre canticum referre: quamvis in ejus perſona non minus recte accipere liceat. Hæc vero circumſtantia non parum illuſtrat Dei gratiam, quod fugati ſint potentiſſimi Reges, quorum viribus longe impares fuiſſent Judæi. Unde enim factum eſt ut non modo irriti diſceſſerint, ſed etiam in longinquam fugam diſpulſi, quibus facile erat terram obruere ſuis viribus, niſi quia defenſorem ſe populi ſui Deus mirabiliter oppoſuit? Et *fugiendi* verbum bis repetere videtur, quia ſæpius hoſtium impetus cæleſti auxilio fuerant repulſi. *Prædæ* vero magnitudinem hac circumſtantia notat, quod pars ad mulieres domi quietas perveniet: acſi diceret, Non ſolum milites ſpoliis bene ornatos è prælio reverſos eſſe, ſed præ ingenti opulentia imbelles quoque mulieres fuiſſe prædæ ſocias.

Exod. 15. verſ. 20.
1 Sam. 18. verſ. 6.

14. *Si jaceatis.*] Quia Deum pro ſuo populo præliari ſolitum eſſe dixerat, nunc per modum correctionis addit, etiamſi fideles interdum contingat jacere in tenebris, Deum nihilominus in tempore prodire liberatorem. Nec dubium eſt quin oblique miſerum illud & calamitoſum tempus perſtringat quo populus Dei ſub Saule duriter fuerat afflictus: quia illuſtrior & magis notabilis fuit reſtitutio, quum repente populus è tenebris in lucem emerſit. Quanquam longius patet doctrina: quia generaliter admonet, inter medias afflictiones arcana & mirifica Dei virtute fideles quaſi integros ſervari, vel ſubito reſtitui, ut nulla malorum ſigna appareant. Utrumque enim ſenſum verba admittunt, quod *jacentes in fuligine* & tenebris, nitêre tamen non deſinant: vel quod liberatio contractam ex malis nigredinem diſcutiat. Utrumvis eligas, ſumma huc redit, nunquam afflictionibus vel conſumi vel obrui fideles quin ſua illis maneat incolumitas. Id autem concinna figura docet perinde eſſe acſi *columbæ* inter ollas vel lebetes nullam in alis nigredinem contraherent, ſed retinerent nativam pulchritudinem coloris. Unde ſequitur non ſemper jucunda ſerenitate frui Eccleſiam, ſed ex tenebris erutam ſplendorem recuperare, acſi ab omni malo intacta foret.

15. *Quum diſſiparet.*] Quia verbum פרש extendere vel dividere ſignificat, poſſet etiam verti hic locus, Quum in triumpho traduceret. Melius tamen convenit diſperſio: & fugæ cujus paulo ante meminit, reſpondet. Plus eſt obſcuritatis in ſecundo membro, quia verbum תשלג, quidam ad Dei congregationem referunt: quaſi diceret David, albedine fuiſſe ſpecioſam. Secundæ tamen perſonæ etiam eſſe poteſt, hoc ſenſu, Deus tu eam dealbas non ſecus ac montem Salmon nivibus. Quia tamen ad rei ſummam nihil fere intereſt, ſequantur lectores utrum malint. Hoc quidem mihi dubium non eſt, Davidem proſequi quod nuper dixerat de candore argenti. Quamvis ergo in turbulento hoſtium inſultu, caligine obtecta eſſet terra, dicit David recuperaſſe ſuam albedinem, ut eſſet quaſi nivei coloris ſicut mons Salmon, quem fuiſſe nivoſum ſatis conſtat. Alii putant eſſe nomen appellativum, & exponunt, umbra obſcura. Sed præſtat à recepta lectione non diſcedere. Interea mihi probabilis eſt alluſio ad etymologiam nominis. nam quia צלם umbram ſignificat,

ficat, mons Salmon dictus fuit quaſi obſcurus. Et aptiſſima erit ſimilitudo, ſicuti montem obſcurum dealbant nives, ita obſcuritate abſterſa reſplenduiſſe candidam faciem terræ.

16. Mons Dei, mons Baſan, mons celſitatum, mons Baſan.

16 הר אלהים הר בשן הר גבננים
הר בשן׃

17. Utquid exilitis montes celſitatum? mons in quo placuit Deo habitare: utique habitabit Jehovah in perpetuum.

17 למה תרצדון הרים גבננים
ההר חמד אלהים לשבתו אף יהוה
ישכן לנצח׃

18. Currus Dei viginti millia millium Angelorum. Dominus in illis, Sinai in Sanctuario.

18 רכב אלהים רבתים אלפי שנאן
אדני בם סיני בקדש׃

16. *Mons Dei.*] Hic cauſam & principium tantæ Dei beneficentiæ notat, quod montem Sion ſibi in regiam & templum elegerit, unde ejus gratia in totum populum flueret. Quia vero Davidi hæc promiſſio data fuerat, merito inde ſe probat Regem legitimum & divinitus ordinatum: quia hac dignitate & præſtantia mons Sion erat ornatus. Fuerunt enim res conjunctæ, Davidem in regio ſolio ad gubernandum populum ſedere: & Deo ſacrum eſſe domicilium in monte illo. Duplex tamen poteſt eſſe verborum ſenſus: vel quod montem Dei, monti Baſan comparet tanquam ſimilem: vel quod opponat. Prior receptus eſt omnium fere interpretum conſenſu. quamlibet pinguis ſit fertilitas montis Baſan, Sionem tamen præcellere. Etſi autem ad ſummam rei parum refert, non minus tamen apta erit diſtinctio, ſi ſeorſum legamus, *Mons Dei:* deinde ex oppoſito, *mons Baſan* cum ſua celſitate jubeatur cedere ſacro monti: acſi dixiſſet David, Unus eſt mons Dei, nempe quem ſibi oraculo conſecravit. Quamvis autem mons Baſan excelſus ſit & nobilis ſua pinguedine, veniat tamen cum reliquis montibus, non erit cur ſuperbiant vel inſultent: quia æquare non poterunt Sionem, quem Dominus ſuo beneplacito aliis omnibus prætulit. Si tamen uno contextu totum verſum referas ad montem Sion, vocabitur mons excelſus & opimus: quia Dei benedictio qua Judæi excellebant præ cunctis mortalibus, illinc manabat.

17. *Quare ſaltatis.*] In hoc verſu nihil eſt obſcurum vel ambiguum. Poſtquam enim retulit David montem unicum Deo placuiſſe in toto orbe, cogit in ordinem altiſſimos quoſque montes. Cæterum quia in plurali numero nunc repetit quod nuper dixerat de monte Baſan: hac ratione adducor ut primo montem Baſan, deinde quicquid eſt altitudinis in mundo, Sioni exiſtimem opponi. Porro quum metaphorice de montibus loquatur David, ſimplex ſenſus ex hac figura debet elici, Regnum Chriſti, quod Deus in perſona ipſius Davidis auſpicatus erat, longe excellere ſupra omnes mundi glorias. Interea non abs re ad retundendam mundi confidentiam inſurgit David: quia ſcimus ut contemptibile ſit Chriſti regnum terrenis & profanis hominibus, qui deliciis ſuis vel opibus addicti, ad ſpirituales Dei gratias cæcutiunt. Atque eo latius patet ejus doctrinæ utilitas, quo magis exultat caro inani ſuperbia, ſimulac temeris occaſio data eſt. Nam ſi à ſuperbia temperare ſibi nequeunt quibus nulla eſt ratio, quomodo potentes & opulenti non ſibi arrogabunt aliquid eminentiæ? Cæterum quantumvis ſibi applaudant, fideles tamen hac una prærogativa contentos eſſe decet, quod Deo placuit habitare in medio ipſorum. Quamdiu enim conjuncti ſunt Deo, in quo ſolo reſidet plena eorum felicitas, non eſt cur eos ſuæ conditionis pœniteat.

18. *Currus Dei.*] Quia maligne ut plurimum, nec juſto pretio æſtimatur Dei præſentia, eam magnifico elogio commendat hic David. Nam, ut proclive nobis ad dubitationem ingenium eſt, quicquid occurrit diſcriminum in mundo, in trutina ſenſus noſtri virtutem Dei præponderat. Hinc trepidatio in minimis quibuſque tentationibus: quia Deum exuimus immenſa ſua potentia, vel ſaltem eam nimis extenuamus. Ergo hunc morbum ſanare volens David, proponit in medium innumeras Angelorum copias quæ facile diſcutiant omnia mundi impedimenta. Quanquam autem duas tantum myriades nominat, tantundem valet loquutio acſi diceret, præſto eſſe in obſequium Dei ingentes exercitus ad ſalutem noſtram tuendam. quod abunde ad erigendos animos ſufficere debet, quamvis centum mortes nobis minentur. Quod adjungit *Deum eſſe in illis*, etiam ad commendationem præſentiæ Dei pertinet, acſi dixiſſet, non magis exui poſſe Deum ſua virtute quin ſub ſe quaſi incluſos teneat omnes Angelos, quam ſeparari à ſua eſſentia. Quanquam interim ſimul admonet pluris eſſe unum Deum quam decem Angelorum mundos, ut ita loquar. Jam ne longa diſtantia, quam imaginari ſolemus inter nos & Deum, curſum fidei noſtræ abrumpat, proponit nobis Sinai ubi palam apparuit ejus majeſtas. unde ſequitur quieſcere adhuc in ſuo Sanctuario. Quorſum enim ſe illic Deus mirabiliter patefecit, niſi ut oſtenderet fœdus ſuum vinculum eſſe ſacræ unionis inter ſe & filios Abrahæ? ſicuti etiam dicebat Moſes, Ne dixeris in corde tuo, Quis aſcendet in cælum? quis deſcendet in abyſſos? quis trajiciet mare? Prope eſt enim verbum in ore tuo, &c. Ergo ſub nomine *Sinai*, ſignificat David, ut invicto præſidio tuti ſimus, non aliunde quærendam eſſe certitudinem præſentiæ Dei, quam ex Lege & Prophetis. *Deut. 30. verſ. 12.*

19. Aſcendiſti in altum, captivam duxiſti captivitatem, accepiſti dona in hominibus: atque etiam rebelles, ut inhabitet Jah Deus.

19 עלית למרום שבית שבי לקחת
מתנות באדם ואף סוררים לשכן יה
אלהים׃

20. Benedictus Deus per ſingulos dies, onerabit nos Deus ſalute noſtra. Selah.

20 ברוך אדני יום יום יעמס לנו
האל ישועתנו סלה׃

21. Deus nobis, Deus in ſalutem, & Jehovæ Domino exitus mortis.

21 האל לנו אל למושעות וליהוה
אדני למות תוצאות׃

22. Certe Deus vulnerabit caput inimicorum ſuorum, verticem capilli ejus qui ambulat in ſceleribus ſuis.

22 אך אלהים ימחץ ראש איביו
קדקד שער מתהלך באשמיו׃

23. Dixit Dominus, Ex Baſan convertam, convertam è profundis maris.

23 אמר אדני מבשן אשיב אשיב
ממצלות ים׃

24. Intin-

24. Intingatur pes tuus in ſanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo.	24 למען תמחץ רגלך בדם לשון כלביך מאויבים מנהו׃
25. Viderunt ingreſſus tuos Deus, ingreſſus Dei mei Regis mei in Sanctuario.	25 ראו הליכותיך אלהים הליכות אלי מלכי בקדש׃

19. *Aſcendiſti in altum.*] Minime dubium eſt, comparatione diverſi temporis illuſtrari novam gratiam, quæ ſub Saule ſepulta, Davide Regnum adepto, iterum illuxerat. Subeſt enim tacita antitheſis inter jacere, & in ſublime attolli: acſi dixiſſet, in triſti populi diſſipatione non apparuiſſe Dei gloriam, qualis olim conſpicua fuerat. Regnum enim Saulis, ſicuti à pravis & illicitis exordiis cœperat, maledici oportuit, donec ſub Davide gratiæ ſuæ lucem Deus reſtitueret: quo felici ſucceſſu palam factum eſt, Davidem legitimis auſpiciis regnare, quia divinitus electus erat. Etſi autem fortiter prœliatus erat David, victoriæ tamen laudem à ſe removens, uni Deo vendicat. Nam hoſtes dicit ab eo fuiſſe captos, & tributum pendere coactos: rebelles etiam fracta ferocia tractos in ſubjectionem. Porro quos hic סוררים vocat, hoc eſt rebelles, vel præfractos, vel defectores, certum eſt ab aliis hoſtibus diſtingui, quos paulo ante dixerat captos fuiſſe. Quaſi diceret, non modo ſub jugum fuiſſe compulſos, qui viribus ſuis diffiſi ceſſerunt, ſeque dedere maluerunt quam pertinaciter reſiſtere, ſed etiam ſuperbiſſimos quoſque fuiſſe domitos. Finem deinde notat, *ut Deus inhabitet* in medio populi ſui, ſuaque protectione beatos eſſe demonſtret quicunque ſub ejus protectione deliteſcunt. Cæterum, quia locum hunc Paulus ſubtilius ad Chriſtum deflectit ad Epheſios capite 4. verſ. 8., videndum eſt quam bene hoc cum mente Davidis conveniat. Certe principium illud everti nullo modo poteſt, Davidem ea lege præfuiſſe veteri populo, ut ſub figura illa Chriſtus Rex æternus ſuum imperium inchoaret. Semper enim tenenda eſt promiſſio æternæ ſucceſſionis, quæ in Chriſti demum perſona ſancita fuit. Sicuti ergo per manum Davidis virtutem ſuam aſſeruit Deus, ut in altum evectus, populum ſuum erigeret: ita in Filio ſuo unigenito ſummam ſuam altitudinem monſtravit. Jam, ut inter ſe conveniant ſingula membra, Chriſtus, antequam extolleretur ſeipſum exinanivit, non modo accepta ſervi forma, ſed etiam humiliatus uſque ad mortem crucis. Ergo ut umbra veritati reſpondeat, vere in Chriſti perſona impletum eſſe dicit Paulus quod David prædixerat, quia, antequam aſcenderet, dejectus fuerat uſque ad infimas partes terræ, dum factus eſt opprobrium hominum, & contemptus plebis. *Pſal. 22. verſ. 7.* Porro ne aſcenſio ita reſtringatur ad corpus Chriſti, vis ejus & fructus deſcribitur, nempe quod imperio ſuo cælum & terram ſubjecit. Nam qui prius indomiti erant hoſtes, eos coëgit ad obſequium, ſibique fecit tributarios: ſicuti huc tendit Euangelii doctrina, ut increduli, depoſito carnis faſtu & contumacia, ſe ſuaque omnia Chriſto dedant, & omnis altitudo in ordinem cogatur, captivi fiant ſenſus hominum & affectus. Quantum vero ad diabolos & omnes reprobos ſpectat, quos obſtinata malitia ſemper ad defectionem inſtigat, eos arcana ſua potentia conſtrictos tenet, ne pro ſua rabie miſceant & perdant omnia. Huc uſque optime cohæret ſimilitudo. Quod autem Paulus dicit Chriſtum dona dediſſe hominibus, diſcedit quidem à verbis Davidis, quia (ut ſe rudibus accommodet) Græcam verſionem ſequitur; ſed in re ipſa nihil eſt repugnantiæ. Nam ut Deus hoſtium ſpoliis non ſe, ſed populum ſuum ditavit: ſic Chriſtus locupletari non quæſivit, quum nulla re indigeat, ſed ornandæ Eccleſiæ ſuæ cauſa hoſtes ſibi reddidit tributarios. Ergo reſpectu arcanæ inter caput & corpus ſocietatis, utrumque vere & proprie dicitur, Deum in carne manifeſtatum diſtribuiſſe ſuis quæ à captivis accepit dona. Nec minus in Chriſtum competit quod dicitur in fine verſus, victorem fuiſſe Deum, ut inter nos habitet: quia non migravit à nobis Chriſtus ut procul quærendus ſit, ſed ut omnia impleat, quemadmodum etiam Paulus dicit. *Epheſ. 4. verſ. 10.* Nam & Deitatis ſuæ virtutem multo plenius in cælum aſcendens exeruit: & quamvis ſecundum carnem in terra non verſetur, carne tamen ſua & ſanguine animas noſtras ſpiritualiter paſcit: quia non obſtat locorum diſtantia quominus caro ejus vere ſit nobis cibus, & ſanguis ejus vere ſit potus.

20. *Benedictus Deus.*] Sic temperat David quæ de ſingularibus Dei auxiliis recenſet elogia, ut nunquam tamen ab hoc ſcopo deflectat, Eccleſiam perpetua Dei cuſtodia & defenſione ſtare incolumem. Ideo nunc dicit, Benedictus ſit Dominus quotidie. Et addit ſalutem ab eo ſperandam cum omni bonorum copia. Verbum יעמוס alii vertunt onerabit, alii portabit. ſed in re nihil eſt diſcriminis. Itaque tenere ſufficiat, continuum liberalitatis tenorem fidelibus promitti: acſi diceret David nunquam in curſu beneficentiæ ſuæ fatigari quin novis ſubinde bonis populum ſuum cumulet. Forte etiam emphatice poſita eſt litera ה, quæ ſæpe demonſtrativum pronomen valet apud Hebræos: acſi digito oſtenderet Deum, cui pios omnes inniti decet: ſicuti etiam proximo verſu, quum dicit, האל *nobis eſt* אל, non videtur ſupervacua eſſe demonſtratio. Cohærent autem iſtæ ſententiæ: quia ſumma huc tendit, Deum Eccleſiæ ſuæ perpetuum eſſe liberatorem. Et quia nimium erraticæ ſunt hominum mentes, frenum injicitur quod ſub unico & certo Deo illas contineat. Quanquam autem omnibus expoſita eſt ſalus Dei, merito tamen ad electos reſtringitur privilegium hoc, ut ſentiant modis omnibus ſe à Deo ſervari: quia reprobi ſua ingratitudine vitam in mortem convertunt. Nec abs re *ſalutes* poſuit numero plurali, ut ſciamus, quamvis nos obſideant innumeræ mortes, innumeros quoque ſervandi modos Deo eſſe in promptu, ut hodie erepti, in craſtinum bene ſperemus. Eodem refero poſterius membrum, ubi in arbitrio ejus eſſe docet *exitus mortis*. Nam quod alii vertunt exitus ad mortem, quaſi intelligat David promptum & facile eſſe Deo ulciſci & perdere ſuos hoſtes: mihi coactum videtur. Alter vero ſenſus optime fluit, miras eſſe & varias & abſconditas rationes Deo, quibus ſuos à morte in vitam excitet. Definit enim quomodo ſuorum ſit Deus ſervator: non quod præveniat ſemper mortem ipſam, ſed quia ubi paſſus eſt quodammodo abſorberi, repente dat mirabiles exitus. Idque eo magis notandum eſt, ut diſcamus, ejus auxilium non metiri ſenſu proprio, ſed in abyſſos demerſi, ad Dei manum ſpes noſtras referamus, cujus proprium eſt viam per invia patefacere.

22. *Certe Deus.*] Quia ut Eccleſia hinc inde à validis & ſævis hoſtibus impetitur, aſſiduoſque inſultus ſuſtinet, non aliter ſervari poteſt quam forti & violenta defenſione, Deum ad ſternendos omnes impios terribili potentia armatum inducit David. Quia vero eandem continuat doctrinam, poteſt particula אך illative accipi: ſimplex tamen affirmatio ſufficere viſa eſt. Primo autem notandum eſt, vocari Dei hoſtes quicunque piis injuſte moleſti ſunt: ne dubitemus ipſum ſemper fore intermedium ad nos tuendos. Quam vero ſollicitus ſit de ſalute noſtra, his loquendi formis optime exprimitur, *Transfiget Deus caput inimicorum, & verticem capilli*. acſi diceret lethaliter vulnerandos eſſe, vel plaga inſanabili

bili quicunque Eccleſiam Dei infeſtant: præſertim vero ubi paulo poſt, Deum per multas ſtrages ruentem deſcribit.

23. *Dixit Dominus.*] Ne victoriis ſuis profanum in morem lætentur Iſraëlitæ, ſed Deum agnoſcant earum auctorem, eos ad principia revocat David. atque etiam ut confidant ſe ejus gratia perpetuo fore ſalvos, revocat in memoriam quomodo ſtatim jam à prima origine quaſi ex inferis emerſerint eorum patres Dei manu victrice. Tantundem enim valet hæc ſententia acſi dixiſſet, Non ideo eripuit ſemel Deus populum ſuum è gigantum manibus, & gurgitibus maris Rubri, ut eum nunc in ſimilibus periculis deſerat: ſed quoties ita tulerit neceſſitas, præſto aderit liberator. Scimus enim tritum hunc Prophetis eſſe morem, quoties magnifice extollere volunt Dei gratiam, redemptionis hiſtoriam in medium proferre: ut ex ipſa ſalutis origine colligant fideles, eoſdem fore in poſterum progreſſus. Ac quo plus energiæ habeat oratio, Deum inducit loquentem. Aſſerit autem his verbis virtutem & munus excitandi à morte in vitam: quia populi egreſſus ex mari Rubro, & victoria contra bellicoſos gigantes, quædam reſurrectio fuit. Quod alii exponunt, Fugabo ex Baſan hoſtes: ſtare non poteſt, & contextui repugnat: quia ſequitur continuo poſt, Reducam ex profundis maris. Quod vero Deum *ſanguine madidum* vel rubicundum inducit David, accipi non debet quaſi ſignum ſævitiæ, ſed quo melius ſentiant fideles quam ſint ei chari & pretioſi, dum tantopere pro eorum ſalute excandeſcit. Nam & Davidem ipſum ſcimus minime truculento ingenio fuiſſe: ſed quum puro & integro animo expenderet Dei judicia, potuit ſancto zelo in pernicie reproborum lætari. Atque etiam notandum eſt, aſcribi Deo quod eſt totius Eccleſiæ commune: ſicuti per manus ſuorum exequitur juſtas contra reprobos vindictas. Quod in fine verſus particulam *ab ipſo*, quidam trahunt ad Regem hoſtium, alienum eſt à ſenſu Davidis. Senſus ergo eſt, linguas canum ſanguinem lambendo rubicundas fore: tantus erit paſſim cadaverum numerus.

25. *Viderunt.*] Poteſt hic verſus tam de præliis vel ductu bellorum, quam de gratiarum actione intelligi. Scimus enim, quum aliqua nobilis victoria contigerat, fideles ordine ſolitos fuiſſe progredi, ut in templo pacificas victimas offerrent. Sunt igitur qui *Dei ingreſſus* ad catervas populi referant in Sanctuarium confluentes. Mihi tamen non diſplicet Deo tribui ſummi ducis partes ad ordinandos & regendos exercitus. Nam quod paulo poſt ſequitur *in Sanctuario*, concinna alluſio eſt ad viſibile præſentiæ Dei ſymbolum. Unde enim factum eſt ut regendi populi curam ſuſciperet Deus, & ad repellendos hoſtium impetus præiret, niſi quia pollicitus fuerat ſe ex Sanctuario auditurum ſuorum preces? Ergo perinde acſi ex illa ſacra ſede prodiret, dicitur fuiſſe conſpectus, ad populum felicibus auſpiciis ducendum. Ideoque David, appellans eum *Regem ſuum*, populi oculos à ſe avertit, ne regium nomen precario apud hominem mortalem depoſitum, cæleſtem eminentiam ſummi capitis obſcuret. Quanquam enim loquitur in perſona totius populi, ſe tamen è numero minime eximit.

26. Præceſſerunt cantores, ſequuti ſunt pſallentes, in medio puellæ tympaniſtriæ.

27. In congregationibus benedicite Deum, Dominum è fonte Iſraël.

28. Illic Benjamin parvulus dominator eorum, principes Jehuda in congregatione ipſorum, principes Zebulon, principes Nephthali.

26 קדמו שרים אחר נגנים בתוך
עלמות תופפות׃
27 במקהלות ברכו אלהים אדני
ממקור ישראל׃
28 שם בנימן צעיר רדם שרי
יהודה רגמתם שרי זבלון שרי
נפתלי׃

26. *Præceſſerunt cantores.*] Jam haud dubie non de exercitu ad bellum inſtructo, ſed de ſolenni populi conventu loquitur, ubi in victoriæ gratulatione canendæ ſunt Dei laudes. Quia autem palam oſtenderat Deus ſe fuiſſe bellorum ducem, merito triumphus ei defertur. Diſtinctos igitur choros canendis Dei laudibus hic inducit, & nominatim ponit tympaniſtrias: quia tympana pulſare tunc moris fuit mulieribus, quod hodie abſurdum apud nos foret. Quod poſtea ſequitur, *ex fonte benedicite Deo*, quidam de corde accipiunt: quia ſcimus fictas laudes, quæ tantum in labiis perſonant, coram Deo maledictas eſſe. Genuinus tamen hoc loco ſenſus vocis eſt, ut ad Deum laudandum conveniant quicunque originem ducunt à ſancto Patriarcha Jacob. Etſi enim non omnes vocationi ſuæ reſpondebant, merito tamen totum genus, quod erat divinitus electum, ad hoc pietatis officium invitat. Siquis tamen malit Fontis vel Originis nomine hypocritas, qui ſe falſo gloriabantur eſſe Abrahæ filios, quum eſſent degeneres, à probis & ſanctis diſcerni, non repugno. Soli enim fidei imitatores inter legitimos filios cenſentur. Sed quum generaliter de ſanctis populi conventibus loquatur, mirum eſt primo loco ſtatui tribum Benjamin Divinant quidam interpretes, quia propter viciniam, Davidi præſto erant Benjamitæ: duæ etiam tribus, Zebulon & Nephthali, quamvis locorum ſitu longe diſtarent, magis conjunctæ & amicæ erant: habitum illis fuiſſe hunc honorem. Alii per ſynecdochen per remotos & propinquos totum populum notari volunt. Sed quia potuit alia eſſe ratio quæ nobis eſt incognita, ſatius eſt in medio relinquere: etſi probabiles conjecturas non repudio. Quod Benjamin multi *parvulum* vocari putant propter hominum paucitatem, quia tribus illa propter ſcelus Gibeonitarum fere extincta fuerat: non videtur quadrare: quia David præcipuos laudum Dei præcones accerſens, probrum illud non memoraſſet. Cæterum quum Prophetæ de familiis loquentes ſæpe ad Patriarchas alludant, non mirum eſt, poſteros Benjamin, patris ſui reſpectu, qui minimus erat inter filios Jacob, vocari gentem parvulam: quamvis ante acceptam cladem non adeo populoſa fuerit. Vix etiam recipio quod magno conſenſu tradunt interpretes, *dominatorem* vocari Benjamin, quia primus Rex Saul ex tribu illa oriundus erat, cujus memoriam importune renovaſſet David: quum ἀταξία illius temporis ubique in Scriptura damnari ſciamus: & dominatio Saulis, Davidis electione (quæ hic maxime celebratur) ſepulta fuerit. Sed potius mihi veriſimile eſt, reſpectu paucitatis, ornari tribum illam dominationis elogio: acſi diceret Benjamitas, quamvis neque magno numero, neque potentia excellerent, caput tamen unum efficere. & hoc videtur apte quadrare: niſi cui forte magis placeat primarium aliquem ducem ex tribu illa fuiſſe, ut in duabus reliquis quas memorat: vel forte totum populum, inſignem in aliquo prælio navaſſe operam. Quamvis autem honorifico elogio iſtas tribus ornet, revocat tamen paulo poſt ad ſummum caput, proceres Jehudah colligendis omnibus copiis præficiens. Subaudiunt aliqui copulam, Principes Jehudah, & congregatio ipſorum. Alii vertunt, lapidationem. Sed illud primum, judicio meo, rectius eſt,

eſt, congregationem referri ad eam tribum ſub cujus auſpiciis militabat. Itaque primatus & imperii dignitas aſſeritur tribui Jehudah, penes quam jus cogendi populi fuit.

29. Mandavit Deus tuus robur tuum: robora Deus quod operatus es in nobis.

30. E templo tuo ſuper Jeruſalem tibi offerent Reges munus.

31. Perde cœtum arundinis, congregationem taurorum cum vitulis populorum, calcantem in fruſtis argenti: diſſipa populos qui bella volunt.

29 צוה אלהיך עזך עוזה אלהים
זו פעלת לנו :
30 מהיכלך על ירושלם לך יובילו
מלכים שי :
31 גער חית קנה עדת אבירים
בעגלי עמים מתרפס ברצי כסף בזר
עמים קרבות יחפצו :

29. *Mandavit Deus tuus.*] Quia nihil proclivius eſt, quam ut ſibi arrogent homines quod Deo acceptum ferre decebat: iterum inculcat David, populum ſuum non fuiſſe proprio marte ſuperiorem hoſtibus, ſed virtutem è cælo fuiſſe ſubminiſtratam. Deum enim auctorem virtutis fuiſſe prædicat, quum ſtrenue præliati ſunt Iſraëlitæ: & hoc modo ad gratitudinem eos hortatur: & arrogantiam corrigit, qua mundus ut plurimum Dei gratiam obſcurat ac ſuffocat. Jam vero ut melius ad modeſtiam eos flectat, ſimul admonet ejuſdem gratiæ continuatione in poſterum quoque opus eſſe. Unde enim carnis ſuperbia, niſi quod inopiæ noſtræ obliti, non confugimus ſupplices ad Deum, ut defectus noſtros ipſe ſuppleat? Interim docemur hoc loco, non ſatis eſſe ſi nos gratia ſua præveniat Deus, niſi ſuo quoque auxilio in totam vitam nos ſuſtineat. Nam ſi hoc vere de externa bellandi virtute dictum eſt, ubi cum carne & ſanguine eſt negotium: longe verius in animas noſtras competit. Ergo ubi cum Satana, peccato & mundo pugnandum eſt, ſingulis momentis concidere & deficere neceſſe erit, niſi nos Deus ad perſeverantiam confirmet. Tenendum igitur eſt, quicquid habemus virtutis, à ſolo Deo fluere, ejuſque mandato inſtillari: nec modo initium ab ipſo eſſe, ſed ipſam quoque perſeverantiam. Quod proximo verſu ſequitur, *E templo tuo*, cum eadem ſententia cohæret. Ratio enim redditur cur ſua virtute populum illum magis quam alios inſtruere dignatus ſit: quia ſcilicet virtutem ſuam volebat exerere è Sanctuario & Arca fœderis. Qua ratione etiam nuper expreſſit David Deum eſſe populi Iſraëlitici. Quia ergo non fruſtra juſſerat Deus ſe in Sanctuario coli, unde etiam pollicitus fuerat ſe propinquum fore populo: ideo nunc dicitur è templo mandaſſe ſuam virtutem, quia ex fœdere & promiſſionibus petenda erat gratiæ certitudo. Quod alii vertunt, in Jeruſalem: frigidum eſt, ac Prophetæ ſenſum pervertit. Precatur enim virtutem è Sanctuario effundi ſuper electum populum, qui ſub nomine Regiæ urbis per ſynecdochen comprehenditur. Quæritur tamen cur templi meminerit quod nondum extructum erat. Magis probabile eſt, templum vel palatium ſumi pro tabernaculo, quam fingere prolepſin, ſicuti multis placet. Arcam vero fœderis jam tunc in Sione fuiſſe locatam certum eſt. Sicuti autem prius, quas adeptus erat victorias Deo adſcripſit, ita nunc earum fructum vendicat. Dicit enim, Reges qui in ordinem coacti fuerint, non ſibi modo & ſucceſſoribus fore tributarios, ſed agnituros Deum victorem. quo magis decuit fideles ipſos laudis ſacrificia ſponte offerre Deo.

31. *Perde cœtum.*] Vertunt quidam, Increpa. Mihi tamen placet diſtinctio quam linguæ Hebraicæ peritiſſimi obſervant, Verbum hoc גער, ubi interponitur ב *beth*, ſumi pro increpare: ſed dum ſimpliciter conſtruitur, pro perdere accipi. Nomen vero חית pro beſtia hic accipi nullo modo convenit. Certa quidem eſt Davidis precatio, ut Deus populum ſuum peculiarem, perditis ſanguinariis hoſtibus, tueatur. Quod vocat cœtum cannæ vel arundinis, non notatur hoc epitheto debilitas, ſed genus armaturæ, acſi diceret lancearios. Nam quum in regionibus quibuſdam arboreſcant calami, vel ſaltem ligneam firmitudinem contrahant, ſolebant inde confici jacula. Scimus autem Orientales populos fuiſſe ut plurimum jaculatores in præliis. Vocat deinde *turbam* vel multitudinem *taurorum*, truculentiæ cauſa. Quanquam enim אבירים dicuntur Hebræis robuſti: quia tamen ad tauros transfertur hoc nomen, ut alibi vidimus, & continuo poſt ſubjicit David *vitulos populorum*, non dubito quin metaphorice perſtringat hoſtium feritatem ac ſævitiam: vel ſaltem eorum vires extollens, fateatur Iſraëlitas impares ad reſiſtendum fore, niſi divinitus adjutos. Proximum membrum ambiguitate non caret, *calcantem in fruſtis argenti.* רפס Hebræis calcare ſignificat: ſed quia in conjugatione Hithpaël hic poſitum eſt, reſolvi debet ad verbum, qui ſe calcare facit: quod de gloriatione vel jactantia quidam accipiunt. Alii eliciunt ſenſum prorſus contrarium, nempe quod ſe humilient hoſtes, atque in ſignum ſubjectionis afferant fruſta argenti. Sed quorſum peteret David perdi & excidi hoſtes devictos, qui fractis animis ſupplices tributum jam pendebant? Reſpondent illi, Quamvis non palam ferociant qui armis exuti ſunt, non tamen ferociam deponere quin ſemper ad rebellandum parati ſint, præſertim vero Eccleſiæ hoſtes: quia ſemper virulenta odia fovent: quamvis ad tempus ſe contineant, ſimulac data eſt occaſio, ebulliunt in novum furorem. Sed quia nihil opus eſt ſic torquere verba Davidis: malui ſimpliciter accipere, quod exultent calcando fruſta argenti. Et fieri poteſt ut fibulas argenti in calceis geſtaverint, ut ſcimus in populis Orientalibus ſemper viguiſſe immodicum luxum. Certe quod proxime ſequitur, illam de abjectione interpretationem non admittit, *diſſipa populos qui delectantur præliis*: ubi oſtendit ſine cauſa expetere bella & tumultus: & quamvis nemo eos laceſſat, ultro tamen & cupide quietos impetere. Cæterum quum David toties victor, Deo, ſalutis ſuæ & totius populi defenſionem commendet: hinc diſcamus minime ſperandum eſſe in hoc mundo tranquillum Eccleſiæ ſtatum: quia ſubinde alios atque alios hoſtes ſuſcitat Satan: & Deus etiam hoc modo patientiam noſtram exercet ac probat. Quod autem comparat tauris & vitulis, dicitque *bellis oblectari*, his verbis ad manſuetudinem hortatur fideles, ut paratum inveniant auxilium in Deo. Nam quo petulantius ruunt hoſtes noſtri, ſuæque libidini furioſius indulgent, eo propenſior erit Deus ad opem ferendam: quando proprium munus ejus eſt, tauros & bellicoſos gigantes compeſcere. Quum igitur precatio hæc ſimul doceat Deum omnibus violentis, qui improba cupiditate ad nocendum feruntur, fore adverſum: quoties injuſte impetimur, ſi quietis animis confugimus ad opem Dei, ſperanda haud dubie nobis eſt hoſtium noſtrorum diſſipatio.

32. Venient

32. Venient primates ex Ægypto, Æthiopia celeriter protendet manus ſuas ad Deum.	32 יאתיו חשמנים מני מצרים כוש תריץ ידיו לאלהים׃
33. Regna terræ cantate Deo, pſallite Domino, Selah.	33 ממלכות הארץ שירו לאלהים זמרו אדוני סלה׃
34. Equitanti in cælis cælorum antiquitatis: ecce emittet in voce ſua vocem virtutis.	34 לרוכב בשמי שמי קדם הן יתן בקולו קול עז׃
35. Date robur Deo ſuper Iſraël: magnificentia ejus & robur in nubibus.	35 תנו עז לאלהים על ישראל גאותו ועזו בשחקים׃
36. Terribilis es Deus à Sanctuariis tuis: Deus Iſraël ipſe dabit robur & fortitudines populo: benedictus Deus.	36 נורא אלהים ממקדשיך אל ישראל הוא נתן עז ותעצמות לעם ברוך אלהים׃

32. *Venient primates.*] Iterum ad gratulationem revertitur, & confirmat quod paulo ante dixit, Reges ad ſolvendum Deo tributum venturos. Quod nominatim de Ægyptiis & Æthiopibus teſtatur. Unde colligimus vaticinium hoc ad Chriſti perſonam extendi, cujus tandem ductu jugum Dei ſubierunt Ægyptii & Æthiopes. Verbum תריץ, quod nos vertimus celeriter protendet, tantundem valet ac currere faciet. Sed metaphoræ aſperitas mitiganda fuit. Cæterum dubium eſt an promptitudinem obſequii notet, an vero intelligat ſuppliciter protenſis ad Deum manibus veniam petituros: quia hic eſt precantium geſtus. Sed quia utroque modo exprimitur ſubjectio, ſatis eſt tenere conſilium Davidis, Æthiopiam & Ægyptum ſub Dei poteſtatem venturas: neque eas modo, ſed longe diſſitas mundi plagas. Ac jam longius progreditur quam antea, dum *regna mundi cantare Deo* jubet. qua loquendi forma voluntarios Dei cultores fore pronunciat qui prius eum contempſerant. Sola enim Dei cognitio, ut alibi dictum eſt, linguas reſerat ac ſolvit ad prædicandum Dei nomen. Ideoque hinc probatur Gentium vocatio, quod Moſes & Prophetæ eas ad offerendum laudis ſacrificium accerſant. Porro ne quis abſurdum ducat, totum orbem colligi in cultum Dei, qui hactenus contentus fuerat populo uno, ſubjicit David legitimum tamen ei eſſe imperium in omnes terræ partes, quia *equitat ſuper omnes cælos*: qua voce intelligit, quemadmodum initio hujus Pſalmi diximus, præeſſe cum ſummo imperio omnibus creaturis, totumque orbem ſuo arbitrio moderari. Etſi autem hoc generaliter dictum, reverentiam Dei majeſtati conciliat, circumſtantia tamen loci negligi non debet: quia Gentium mentionem faciens, quæ tunc extraneæ erant ab Eccleſia, Dei potentiam creationis jure ad eas extendit: acſi diceret, nihil eſſe mirum ſi Deus cælis inſidens, cunctos terræ incolas complectitur. Ideo *cælos antiquitatis* vocat, ut ſciamus ſtatim à principio ſub ejus manu fuiſſe totum humanum genus. Hic vero clarius refulget Dei gloria, quod quum immenſa ſit cælorum machina, tam rapidus motus, ac tam diverſæ revolutiones inter ſe confligant, conſtet tamen optima ſymmetria & temperamentum, & hic tam concinnus & pulcher ordo tot ſeculis æquabili tenore continuatus fuerit. Videmus ergo ut cælorum antiquitas melius commendet mirabile Dei opificium. Poſtquam vero creationis meminit; ſtatim deſcendit ad tonitrua, quæ per *robuſtam vocem* deſignat, ſicut Pſal. 29. verſ. 4. vidimus. Quanquam loquutio bifariam reſolvi poteſt: vel quod mandato ſuo tonitrua excitet, quæ violento ſonitu cælum & terram concutiunt: vel quod vocem ſuam in tonitru robuſtam edat. Fuſius autem in eo, quem nuper citavi, loco, diſſerui, non abs re proponi nobis tonantem Deum, quia nihil ad incutiendum terrorem efficacius penetrat hominum mentes. Atque ut noſtram incogitantiam expergefaciat, vel potius ſocordiam corrigat, quaſi in re præſenti nos ſiſtens, utitur demonſtrativa particula *Ecce*.

35. *Date robur.*] Alludit ad proximam ſententiam, ubi dixerat Deum robuſtam vocem edere. neque enim, proprie loquendo, quicquam ei dare noſtrum eſt. Sed quia juſto eum honore fraudamus, poſtquam eum horribili fragore tonantem induxit David, jubet nos viciſſim reſonare ejus laudes. Cæterum ne evaneſcant Gentes ſolito more in ſuis commentis, revocat eas ad Legis doctrinam qua ſe Deus patefecit: quaſi diceret, à creatione mundi & gubernatione neceſſarios eſſe progreſſus ad eam doctrinam qua Deus familiariter ad homines acceſſit, ne perperam vagentur. Huc pertinet epitheton *Dei Iſraël.* Cæterum non tantum linguis vult prædicari Dei virtutem, ſed ad fidem ſimul hortatur: quia tunc proprie tribuimus Deo robur ſuum, dum acquieſcimus in ſolo ejus præſidio. Ideo, poſtquam dixit, *virtutem ejus eſſe in nubibus*, ſtatim addit, *tremendum eſſe à ſuis Sanctuariis*, hoc eſt virtutem è templo ſuo exerere, quæ ſatis ad conſternandos hoſtes valeat. Nam quod quidam de cælo & terra exponunt, non reſpondet contextui: quia mox ſequitur, *Deum Iſraël daturum fortitudines populo.* Unde colligimus, de protectione Eccleſiæ Dei haberi ſermonem. Sanctuaria autem dicit plurali numero, ut alibi vidimus: quia Tabernaculum in tres partes diſtinctum erat. In ſumma, Arcam fœderis quaſi fiduciæ ſignum proponit fidelibus, ut promiſſione illa freti, Ego in medio veſtri habito: tranquilli ſub Dei alis quieſcant, & intrepide eum invocent. Neque enim alio jure excelluit populus Iſraël, ut ſub Dei cuſtodia tuto deliteſceret, niſi quia gratuito Dei fœdere electus erat in Dei peculium. Notandum vero quod tremendas illas fortitudines quarum paulo ante meminit, applicat nunc in Eccleſiæ ſalutem. *Exod. 25. verſ. 8. & 29. verſ. 45.*

Digitized by Google

ARGUMENTUM PSALMI LXIX.

Pſalmus hic viceſimo ſecundo affinis eſt. Nam initio conqueritur David de atrocibus hoſtium ſuorum injuriis & immani violentia: tamen ſe non ita turbari affirmat quin ſe patienter ſub Dei præſidio continens, integritatem colere pergat. Imo pietatis cauſa, & quod in aſſerenda Dei gloria ſtrenuus fuerit, omnes ſibi infenſos eſſe teſtatur. Poſtquam vero iterum conqueſtus eſt, ſe non minus contumelioſe quam crudeliter ab hoſtibus opprimi, quam meriti ſunt pœnam, illis imprecatur. In fine, quaſi victor, exultans, ſolenne laudis ſacrificium Deo promittit.

PSALM. LXIX.

PRæfecto ſuper Soſannim Davidis.	1 למנצח על ששנים לדוד ׃
2. Serva me Deus, quia intrarunt aquæ uſque ad animam.	2 הושיעני אלהים כי באו מים עד נפש ׃
3. Demerſus ſum in lutum profunditatis, ubi non ſtatio: veni in profunditates aquarum, & fluctus aquæ inundavit me.	3 טבעתי ביון מצול־ה ואין מעמד באתי במעמקי מים ושבולת ש שטפתני ׃
4. Defeſſus ſum clamando, raucum factum eſt guttur meum, defecerunt oculi mei expectando ad Deum meum.	4 יגעתי בקראי נחר גרוני כלו עיני מיחל לאלהי ׃
5. Multiplicati ſunt ſupra pilos capitis mei qui oderunt me gratis: * aucti ſunt qui me perdere cupiunt, adverſarii mendaces: quæ non rapui, tunc exolvi. (* vel, roborati.)	5 רבו משערות ראשי שנאי חנם עצמו מצמיתי איבי שקר אשר לא גזלתי אז אשיב ׃
6. Deus tu noſti inſipientiam meam, & delicta mea non ſunt à te abſcondita.	6 אלהים אתה ידעת לאולתי ו ואשמותי ממך לא נכחדו ׃

SUper Soſannim.] De voce Soſannim alibi dictum eſt. Ut in re incerta & obſcura libenter ſubſcribo eorum conjecturæ qui initium cantilenæ fuiſſe exiſtimant. Quanquam ſiquis malit pro inſtrumento muſico accipere, non contendo. Frivola autem eorum divinatio eſt qui Pſalmum putant compoſitum fuiſſe verno tempore, dum florere incipiunt lilia. Porro antequam ultra progredimur, notandum eſt, Davidem non tam privato nomine ſcripſiſſe hunc Pſalmum, quam in totius Eccleſiæ perſona, quum geſtaret capitis imaginem, ſicuti ex contextu melius patebit. Et hoc notatu apprime dignum eſt, quo magis attenti ſimus ad hoc ſpeculum, in quo nobis proponitur communis piorum omnium conditio. Cæterum mihi probabile eſt, Davidem non unum modo perſequutionis genus fuiſſe complexum, ſed quicquid malorum multis annis perpeſſus fuerat.

2. *Serva me Deus, quia intraverunt aquæ.*] Sub aquarum figura deſcribit extremis ſe malis ad deſperationem uſque fuiſſe obrutum: & tamen ſcimus non mollem, nec fœmineo animo fuiſſe, quum incredibili virtute ſuperaverit horrendas tentationes. unde colligimus quibus tunc anguſtiis oppreſſus fuerit. *Animam* frigide meo judicio pro vita accipiunt quidam: cor potius notari exiſtimo. Quamvis enim quis in altum gurgitem deciderit, poterit tamen aliquantiſper ore & naribus occluſis, aquas prohibere: ſed tandem, quia ſine ſpiratione non vivimus, coget ſuffocatio dare aquis ingreſſum, ut ad cor uſque penetrent. Hoc ſibi vult iſta metaphora David, non modo ſe aquis fuiſſe obrutum, ſed eas quoque ingurgitaſſe. Deinde ſuas afflictiones comparat profundo luto, ubi plus eſt periculi: quia ſiquis in fundo ſolido pedem figat, poterit ſe attollere, ut videmus multos ex aquis emergere cum impetu: qui autem luto adhæret, periit. Jam alias quoque addit circumſtantias, *fluxu aquarum ſe fuiſſe inundatum.* quibus verbis tumultuoſas fuiſſe ſuas jactationes ſignificat.

4. *Defeſſus ſum clamando.*] Raræ & mirabilis patientiæ exemplum fuit, in tam deplorato ſtatu Deum quærere. Conqueritur autem David, uſque ad raucedinem clamando abſque profectu ſe fuiſſe defeſſum. Quo verbo non ceſſationem intelligit, quaſi abjecerit ſtudium precandi, poſtquam ſe nihil proficere videbat; ſed potius infatigabilem perſeverantiam deſcribit, ſicuti per *exaſperatum guttur & deficientes oculos.* Certe neque ambitioſe clamorem ſuum extulit coram hominibus, neque raucedo hæc uno die contracta fuit. Videmus ergo, utcunque deficerent corporales ſenſus, vigorem tamen fidei minime fuiſſe extinctum. Jam quum loquutus fuerit David quaſi ex ore Chriſti, & ex ore piorum omnium, quatenus ſunt Chriſti membra, videri nobis abſurdum non debet ſiquando morte obrutis nulla apparet vitæ ſcintilla: imo dum nobis parcit Deus, mature ad hanc meditationem accingere nos diſcamus, ut in profundiſſimis quibuſque malorum gurgitibus fides nos ſuſtentet, imo ad Deum erigat: ſicuti, teſte Paulo, nulla eſt vel altitudo, vel profunditas, quæ nos ſeparare debeat ab immenſo ejus amore, qui abyſſos omnes & inferos quoque abſorbet. *Rom. 8. verſ. 39.*

5. *Multiplicati ſunt ſupra pilos capitis mei.*] Jam ſine figura exprimit quod metaphorice dixerat tam de luto quam de violento aquarum fluxu. Nam quum inſtaret tanta hoſtium multitudo, jure ſibi metuebat ab innumeris mortibus. Nec vero hyperbolice dicit *plures fuiſſe pilis capitis ſui*, quum toti populo exoſus ac deteſtabilis foret: quia omnibus perſuaſum erat, impium eſſe ac ſceleratum patriæ proditorem. Deinde ſcimus ex Sacra hiſtoria, quam multis & validis copiis eum perſequutus fuerit Saul. Capitale odium exprimit, dicens incumbere in ſuam perniciem, quia ſuccisum cupiunt: & tamen aſſerit præter meritum ſe tam duriter affligi. quia חנם quod vertunt gratis, tantundem valet ac nulla injuria læſos, vel maleficio provocatos, cupide ferri ad nocendum. Ideoque vocat hoſtes שקר, hoc eſt mendaces: quibus ſcilicet nulla eſt bellandi ratio. Ergo ejus exemplo danda nobis opera eſt, ſiquando affligimur, ut nos ſuſtineat teſtimonium bonæ conſcientiæ, ac libere coram Deo profiteri liceat hoſtes noſtros eſſe gratuitos. & quo magis difficile eſt ad hanc moderationem aſſueſcere, eo magis eniti convenit. Inepta autem eorum mollities, quibus intolerabile videtur, inique affligi, ſcite refellitur nobili illo Socratis reſponſo. Nam quum uxor in carcere lamentaretur, eum inique damnatum eſſe. Quid ergo, inquit, an nocentem perire malles? Subjicit etiam David, ſe non modo injuriis fuiſſe afflictum, ſed probra etiam & contumelias pertuliſſe, acſi multorum ſcelerum convictus foret. quod homini inge-

ingenuo acerbius eſt, quam centum ſubire mortes. Multi enim ad mortem parati reperientur, qui ad ferendam infamiam pares non erunt. Dicit autem David non modo ſuas fortunas fuiſſe à prædonibus raptas, ſed ſe inſtar furis vel raptoris mutilatum eſſe. Et certe quum ipſum ſpoliarent hoſtes, judices ſe hominis ſcelerati eſſe jactabant: & ſcimus honorifice pro judicibus fuiſſe habitos. Quare diſcamus hoc exemplo, non modo ad incommoda, moleſtias, mortem denique placide ferendam nos parare, ſed etiam ad ignominias & probra, ſiquando falſis calumniis gravari nos contingat. Imo quum ne Chriſtus ipſe quidem, fons omnis juſtitiæ & ſanctitatis, à falſis calumniis immunis fuerit, cur nos exanimaret ſimilis conditio, quando hoc verum probitatis eſt examen, conſtanter manere in juſtitiæ colendæ ſtudio? quamvis tam iniquum præmium à mundo reportemus.

6. *Deus tu noſti inſipientiam meam.*] Fruſtra laborat Auguſtinus quomodo in Chriſtum hoc competere potuerit: & tandem in membra transfert quod de capite non fuiſſet proprie dictum. Ironica enim loquutio eſt, qua David, iniquis hominum judiciis oppreſſus, ſe ad Deum confert, eumque implorat vindicem. Hoc vero magis emphaticum eſt, quam ſi palam & ſine figura dixiſſet, notam eſſe ſuam integritatem Deo: quia hoc modo hoſtes ſuos mordaciter perſtringit, & quaſi ex alto deſpicit eorum maledicta: quemadmodum & Jeremias loquitur, Decepiſti me Domine, & deceptus ſum. *Jer. 20. verſ. 7.* Qui etiam locus violenter à quibuſdam indoctis exponitur, quaſi ſe deceptum fuiſſe affereret: quum potius odioſe ſuos calumniatores exagitet: quia dum ipſum improbant, contumelioſi ſint ac blaſphemi in Deum ipſum. Sic etiam hoc loco David, ne perverſis hominum judiciis ſuccumbat, Deum ſtatuit cauſæ ſuæ judicem: & quia ſibi bene conſcius eſt, pro nihilo ducit iniquas hominum ſententias. Eſſet quidem optandum, ut hominibus quoque probata eſſet noſtra integritas: neque id tam noſtra cauſa, quam in fratrum ædificationem: ſed ubi nos ſtuduimus hominibus probare, ſi trahant in ſiniſtram partem ac depravent quicquid à nobis recte fit ac dicitur, tenenda nobis eſt hæc magnanimitas, ut Dei unius judicio contenti, mundum & diabolos omnes ſpernamus. Neque enim fieri poterit quin ſubinde deficiant qui nimis bonæ famæ addicti erunt. Parati quidem ſemper ſimus ad ſatisfactionem: ſed ſi negetur audientia, per infamiam non ſecus ac per bonam famam pergamus, ſicuti Paulus ad Dei judicium *1 Cor. 4.* intrepide provocat, qui revelabit abſcondita tenebrarum. *verſ. 5.*

7. Ne erubeſcant in me qui te expectant Domine, Jehova exercituum: ne pudefiant in me qui quærunt te, Deus Iſraël.	7 אל יבושו בי קויך אדני יהוה צבאות אל יכלמו בי מבקשיך אלהי ישראל :
8. Quia propter te ſuſtinui opprobrium, operuit ignominia faciem meam.	8 כי עליך נשאתי חרפה כסתה כלמה פני :
9. Extraneus fui fratribus meis, & alienus factus ſum filiis matris meæ.	9 מוזר הייתי לאחי ונכרי לבני אמי :
10. Quia zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me.	10 כי קנאת ביתך אכלתני וחרפות חורפיך נפלו עלי :

7. *Ne erubeſcant in me qui te expectant Domine.*] Commemorat David ſe propoſitum eſſe in exemplar, unde ſpei vel deſperationis materiam pii omnes concipiant. Quamvis enim deteſtabilis eſſet toti populo, pauculi tamen reſtabant æqui & candidi teſtes innocentiæ ejus: quum ſcirent illi injuſte eum gravari, & ſemper inniti Dei gratiæ, nec ullis frangi tentationibus quin firmus in pietatis cultu ſtaret, ex triſti & infauſto eventu nihil aliud colligere poterant, quam operam luſiſſe, pie Deum colendo. Sicuti enim, quoties auxiliatur ſervis ſuis Deus, totidem ſigillis ſuam erga nos gratiam confirmat: ita fieri aliter non potuit quin conciderent animis fideles, ſi David fuiſſet in extrema neceſſitate deſertus. Hoc periculum nunc Deo objicit, non quod ulla admonitione indigeat, ſed quia familiariter ſecum agere nobis permittit. *Expectandi* verbum proprie ad ſpem refertur, ſicuti *Deum quærere*, ad preces. Atque hæc copula utiliter docet fidem non eſſe ignavam, quia nos ad quærendum Deum ſollicitat.

8. *Quia propter te ſuſtinui opprobrium.*] Jam clarius exprimit quod ironice dixerat, delicta ſua non eſſe Deo abſcondita. Imo longius progreditur, non modo præter jus & fas ſe affligari, ſed communem ſibi eſſe cum Deo ipſo cauſam: quia nihil niſi ex ejus mandato aggreſſus ſit. Etſi enim alias cauſas habebat Saul, vel ſaltem alios prætextus: quia tamen hoc veriſſimum erat, creatam fuiſſe Davidi invidiam ex Dei vocatione, quia eum in Regem unxerat: merito teſtatur non proprio ullo ſcelere, ſed quia Deo obſequutus ſit, ſe omnium ſententiis perperam damnari. Hinc vero non parum ſolatii capiunt fideles, ubi teſtari licet, nihil ſe præter legitimam Dei vocationem tentaſſe. Quod ſi ob fidei confeſſionem nobis infeſtus ſit mundus (ſicuti videmus nunquam acrius furere impios, quam ubi Dei verbum & pietatem oppugnant) duplicatur nobis fiducia. Interea etiam admonet hic locus quam prodigioſa ſit hominum malitia, qui ſtudium gloriæ ejus in dedecus convertunt. Bene autem nobiſcum agitur, quod probra quibus nos onerant impii, non modo abſtergit, ſed etiam illuſtrat, ut ſuperent omnes mundi triumphos. Hac etiam circumſtantia amplificat ſuam querimoniam, quod à ſuis conſanguineis & propinquis fuerit inhumaniter rejectus. Unde etiam docemur, poſthabito carnis & ſanguinis reſpectu, ſequendum eſſe Deum, ſi pietatis cauſa, fratrum noſtrorum offenſas effugere non liceat.

10. *Quia zelus.*] Quamvis profiterentur Davidis hoſtes ſibi nihil minus eſſe in animo, quam attingere ſacrum Dei nomen, falſos tamen eorum prætextus refutans, confirmat ſe pro Deo certare: modumque oſtendit, quia zelo Eccleſiæ Dei ardeat. Quanquam non tantum tractat de cauſa, ſed dicit, quantumvis indigne tractetur, ſe tamen quaſi oblitum ſui induere ſanctum affectum tuendæ Eccleſiæ, & ſimul gloriæ Dei. Hoc ut melius liqueat, notandum eſt, quamvis ore jactent omnes ſe Deo relinquere ſuam gloriam, ubi tamen ad Legem, ad regulam pie vivendi ventum eſt, Deo illudere: neque id modo, ſed furioſe quoque impetere ipſum in ſuo verbo. Quaſi vero in aëre tantum coli velit, ac non potius erexerit ſibi ſolium inter homines, ex quo eos gubernet. Ideo David Eccleſiam hic ſubſtituit in Dei locum, non ut ad eam transferat quod illius proprium eſt, ſed ut oſtendat fabricari inane Dei nomen, ubi repudiatur vera pietatis regula, cujus Eccleſia fidelis eſt cuſtos. Adde quod Davidi certamen erat cum larvato & adulterino Dei populo. Tota enim ſecta Saulis venditabat ſe titulo Eccleſiæ:

 Davi-

Davidem vero apoſtatam, vel putridum membrum eſſe jactabat. Hac indignitate David adeo non frangitur, ut libenter ſuſtineat inſultus omnes pro veræ Eccleſiæ defenſione. Interim negat ſe privatis convitiis moveri: quia depoſita ſui cura tantum ob Eccleſiæ oppreſſionem anxius ac mœſtus ſit, imo dolore ardeat, & doloris ardore conſumatur. Eodem pertinet ſecundum membrum: quia ſe nihil à Deo ſeparatum habere ſignificat. Aliter quidem accipiunt nonnulli, Impios, quum irruere vellent in Davidem, ſuos impetus vertiſſe in Deum, & ita ſuis blaſphemiis ſanctum virum oblique pupugiſſe: quia ſciebant nihil ei fore moleſtius ad ferendum. Sed hæc interpretatio nimis coacta eſt, ſicut & altera, Davidem non ſecus fuiſſe ſupplicem quoties videbat Dei nomen probroſe lacerari, quam ſi reus fuiſſet læſæ majeſtatis. Retineo igitur quod jam dixi, Davidem, ſui oblitum, quicquid ſenſit doloris, hauſiſſe ex ſancto zelo, quo flagrabat quum videret ſacrum Dei nomen indignis contumeliis affici. Quo exemplo docemur, quum natura nimis teneri ſimus & delicati ad ferendam ignominiam, mutandum eſſe præpoſterum hunc affectum, ut magis excrucient probra quæ in Deum redundant. hic enim & excandeſcere & fulminare oportet: privata autem maledicta placide vorare. Quoad enim didicerimus negligere propriam famam, nunquam in nobis accendetur verus zeli fervor, ut pro aſſerenda Dei gloria certemus. Porro quum David totius Eccleſiæ perſonam ſuſtinuerit, quicquid de ſe prædicat, impleri neceſſe fuit in ſummo capite. Ideoque non mirum eſt, locum hunc ab Euangeliſtis Chriſto aptari. *Joan. 2. verſ. 17.* Eadem quoque ratione Paulus, ubi ad Chriſti imitationem hortatur fideles, ſecundum membrum ad eos omnes extendit: *Rom. 15. v. 3,5,6.* ubi etiam admonet quam late pateat hæc doctrina, nempe ut Dei gloriæ prorſus addicti, in omnibus ſuis dictis & factis eam ſtudeant ſervare incolumem, & attente caveant ne ſua culpa obſcuretur. Jam vero quum Chriſtus, in quo refulget ſolida Dei majeſtas, non gravatus ſit ſe probris omnibus objicere ad tuendum Patris nomen, quam turpe nobis ac pudendum erit, eandem ſortem recuſare?

11. Et flevi, in jejunio anima mea, idque fuit in opprobrium mihi.

12. Et poſui veſtimentum meum ſaccum, & fui illis in dicterium.

13. Fabulantur in me ſedentes in porta, & *ſum* cantilenæ bibentibus ſiceram.

14. Ego autem precatio mea ad te Jehova, tempus beneplaciti Deus: in multitudine clementiæ tuæ reſponde mihi in veritate ſalutis tuæ.

11 וָאֶבְכֶּה בַצּוֹם נַפְשִׁי וַתְּהִי לַחֲרָפוֹת לִי׃

12 וָאֶתְּנָה לְבוּשִׁי שָׂק וָאֱהִי לָהֶם לְמָשָׁל׃

13 יָשִׂיחוּ בִי יֹשְׁבֵי שָׁעַר וּנְגִינוֹת שׁוֹתֵי שֵׁכָר׃

14 וַאֲנִי תְפִלָּתִי לְךָ יְהוָה עֵת רָצוֹן אֱלֹהִים בְּרָב חַסְדֶּךָ עֲנֵנִי בֶּאֱמֶת יִשְׁעֶךָ׃

11. *Et flevi.*] Hic à ſignis vel effectis probat ſe puro & rite compoſito zelo ſtuduiſſe gloriæ Dei, quod ſcilicet non efferbuerit carnis intemperie: ſed potius ſuppliciter ſe demittendo, Deum elegerit mœroris ſui teſtem. quo magis convincitur inflexibilis hoſtium ejus contumacia. Sæpe contingit, ut qui ſe animoſe opponunt pro gloria Dei, impios magis provocent & exaſperent, quia contentioſe & ſine modeſtia dimicant: David autem hic teſtatur ſic temperatum fuiſſe ſuum zelum, ut mollire debuerit vel ferream duritiem. Quanquam hac circumſtantia oſtendit quantopere fuerit oppreſſus hoſtium ſuorum petulantia, ut ne mutire quidem liberum eſſet, nec aliud reſtaret, quam lachrymis & mœrore Dei cauſam defendere. Sublata enim, ut ſcimus, loquendi erat libertas: imo atrocibus convitiis repulſus fuiſſet damnati hominis ſermo. quo majoris conſtantiæ fuit, non deſiſtere à ſuo zelo, nec abjicere voluntarium illum luctum, quem pietatis cauſa ſuſceperat. Dicit ergo *ſe fleviſſe, animam ſuam fuiſſe in jejunio, ſeque ſacco veſtitum*, quæ luctus erant inſignia Judæis. Quum hoc totum in ludibria & dicteria ab illis converſum fuerit, ſequitur diabolico furore fuiſſe correptos. Et hoc exemplo muniri nos convenit, ne ſimilis hodie contumacia, qua hoſtes Euangelii diabolos ſe magis quam homines produnt, nos exanimet. Danda interim opera eſt ne oleum addamus camino, ſed imitemur Davidem & Lot, quibus etſi impios reprehendere non licebat, animos tamen ſuos excruciarunt. imo etiam ubi nos audire cogentur impii, optimum tamen ſancti zeli condimentum erit modeſtia & humilitas. Qui Davidem volunt reatum ſubiiſſe pro ſuis hoſtibus, hoc confirmant, quia ſaccum induerit. Sed ſimplicius accipio, quum videret res adeo confuſas, ſubiiſſe voluntarium mœrorem, quo teſtatum faceret nihil ſibi eſſe acerbius, quam videre ſacrum Dei nomen contumeliis expoſitum.

13. *Fabulantur in me ſedentes in porta.*] Si à vulgaribus tantum ſcurris & quiſquiliis hominum vexatus fuiſſet, hoc magis erat tolerabile (neque enim mirum eſt, ſordidos homines, quibus nulla eſt honeſti cura, ſe abſque verecundia proſtituere) ſed quum Judices ipſi in eandem ſe petulantiam, gravitatis obliti, projiciunt, multum creſcit indignitas. Ideo diſerte conqueritur David, ſe ipſis proceribus fuiſſe in proverbium. Nam quod *ſedentes in porta* quidam de toto populo exponunt: primo frigidum eſt, deinde remotum à verbis Davidis. etſi enim omnium ordinum erat conventus in porta, ſoli tamen Judices ſedebant. Atque id confirmat ſecunda parte verſus: quia per *bibentes ſiceram*, haud dubie primores, qui opibus & dignitate pollebant, deſignat. Hæc vero ſumma fuit atrocitas, non modo gregarios homines exagitaſſe ſanctum virum, ſed ipſos juſtitiæ præſides & Eccleſiæ antiſtites aliis fuiſſe antelignanos. Et quum idem hodie uſu veniat, non abs re hoc exemplar nobis ante oculos ſtatuit Spiritus. In Papatu ut quiſque honore excellit, quo ſtrenuum ſe probet fidei catholicæ patronum, eo petulantius bacchatur contra Euangelium ejuſque miniſtros. Imo hic morbus in cunctis fere Principibus graſſatur: quia ſuam præſtantiam non in virtute, ſed effreni licentia conſtituunt. Probi autem Chriſti ſervi quo ſunt apud eos loco? Certe hæc una eſt neque poſtrema ex eorum curis, jocoſe non modo in menſa, ſed in ſuis ſoliis eos dicteriis proſcindere, ut fidem abrogent. Generaliter etiam piis omnibus illudunt, & ſuaviter cantillant de eorum ſimplicitate, quaſi pietatis cauſa temere ſe fatigent ac macerent.

14. *Ego autem.*] Raræ fuit virtutis, ne illa quidem duritie percelli, ut deſponderet animum David. Docet autem ſimul quo remedio ſe munierit contra grave ſcandalum. Nam quum ſuas facetias impii quaſi machinas ingererent ad labefactandam ejus fidem, dicit ſe precationem fudiſſe, qua inſultus omnes repelleret: non dubium eſt quin apud homines obmuteſcere coactus fuerit. excluſus igitur à mundo, ad Deum ſe convertit. Nunc quoque eo-

dem

dem modo, quamvis apud impios nihil proficiant fideles, victores tamen ſtabunt, ſi ſeipſos contrahant ac colligant ad Deum orandum. Summa eſt, quum omnia expertus David, laborem ſuum irritum videret, relictis hominibus, egiſſe cum ſolo Deo. Quod ſequitur, *tempus beneplaciti Deus*, ſecus exponunt multi interpretes, uno ſcilicet contextu legentes, *Ego Deum precatus ſum tempore beneplaciti*, juxta illud Jeſaiæ, Invocate ipſum dum prope eſt. Alii ſic reſolvunt, Precatus ſum ut veniret tempus beneplaciti, atque ut Deus mihi propitius eſſe inciperet. Ego autem potius exiſtimo Davidem referre quid tunc ſolatii conceperit, quia hoc ſecum meditatus eſt, Quamvis nunc tempus ſit turbulentum, ubi nihil videor orando proficere, erunt tamen Dei beneplacito ſuæ vices. Sic & Habacuc ſtaturum ſe dicit ſuper ſpeculam. Eodem modo Jeſaias & Jeremias, Expectabo Dominum, qui abſcondit faciem ſuam à Jacob. Hæc enim eſt unica nobis vincendi ratio, dum ſpes nobis in tenebris illucet, ac beneplaciti expectatio nos ſuſtinet. Poſtquam ita ſuam perſeverantiam David fulcivit, ſtatim adjungit, *Reſponde mihi in multitudine bonitatis tuæ*, fiduciam iterum colligens ex Dei natura. Et bonitati adjungit *ſalutis veritatem*: acſi diceret, certo effectu probari ſemper Dei clementiam, dum ſuis in deſperatione ſuccurrit. Hinc autem fluxit precatio, quod ſenſus ſuos ad Deum retrahens, ne ab impiis jactatus evaneſceret, perſuaſus fuerit, diſcuſſis tenebris, fore aliquando ſerenum tempus beneplaciti.

Jeſa. 55. verſ. 6. — *Hab. 2:1.* — *Jeſa. 8. verſ. 17.* — *Jer. 14. verſ. 22.*

15. Erue me de luto ut non immergar, liberer ab adverſariis meis & à profundis aquarum.

16. Ne inundet me fluctus aquarum, & ne deglutiat me profundum, & ne claudat ſuper me puteus os ſuum.

17. Reſponde mihi Jehova, quia bona clementia tua: in multitudine miſerationum tuarum reſpice ad me.

18. Et ne abſcondas faciem tuam à ſervo tuo, quia afflictio mihi, feſtina, reſponde mihi.

19. Accede ad animam meam, redime eam, propter adverſarios meos libera me.

15 הצילני מטיט ואל אטבעה
אנצלה משנאי וממעמקי מים׃
16 אל תשטפני שבלת מים ואל
תבלעני מצולה ואל תאטר עלי באר
פיה׃
17 ענני יהוה כי טוב חסדך כרב
רחמיך פנה אלי׃
18 ואל תסתר פניך מעבדך כי צר
לי מהר ענני׃
19 קרבה אל נפשי גאלה למען
איבי פדני׃

15. *Erue me ex luto.*] Eandem qua ante uſus eſt, ſimilitudinem repetit, diverſo tamen modo. Prius dixerat ſe demerſum, nunc rogat ne mergatur. Denique quæ ſibi accidiſſe conqueſtus eſt, nunc deprecatur ne accidant. Sed hæc varietas facile diluitur, quia initio ex ſuo ſenſu & experientia loquutus eſt: nunc autem ad exitum reſpiciens, ſpe liberationis in media morte vivit. Atque id clarius exprimit ultima particula, *ne claudat puteus os ſuum*: quod tantundem valet acſi dixiſſet, Ne me obruat afflictionum moles, atque abſorbeat à dolore. Obteſtatio vero per Dei clementiam & miſerationes, demonſtrat quibus anguſtiis conſtrictus fuerit ſanctus Propheta. Neque enim dubium eſt quin difficilem luctam ſuſtinuerit dum arripuit hæc arma. Et certe ardui negotii res eſt, ſtatuere Deum nobis propitium dum iraſcitur, & propinquum eſſe dum remotus eſt. Ideo colligit David quod huic diffidentiæ opponat: & Dei clementiam ac magnas miſerationes implorans, ſe ideo tantum bene ſperare oſtendit, quia Deus ſit miſericors. Quod dicit, *Reſpice ad me*, tantundem valet acſi dixiſſet, fac ut reipſa appareat me fuiſſe exauditum, dum ſcilicet mihi ſuccurres. Proximo etiam verſu idem agit. Subinde autem eadem iterando, tam acerbitatem doloris, quam ſtudii ardorem declarat. Petit ne faciem ſuam abſcondat Deus, non quia ſibi timeat à repulſa, ſed quia fieri non poteſt quin anxietas huc & illuc miſeros homines agitet. Quia autem peculiariter ſervos ſuos ad ſe invitat Deus, unum ſe eſſe prædicat ex illorum numero. Neque enim (ut alibi admonui, & fuſius poſtea dicendum erit) obſequia jactat quibus quicquam promeritus fuerit, ſed potius gratuitæ Dei electioni innititur: niſi quod ſimul pietatis ſuæ teſtimonium reddit, quia fideliter Deum coluerit à quo fuerat vocatus. De feſtinatione etiam alibi ſatis diſſerui.

19. *Accede ad animam meam.*] Quamvis fide perſuaſus eſſet, Deum ſibi eſſe propinquum, ut tamen ab effectis metiri ſolemus Dei præſentiam vel abſentiam, David hic ex carnis ſenſu tacite conqueritur procul à ſe abeſſe. Nam *appropinquandi* verbo intelligit nullam ſalutis ſuæ curam fuiſſe Deo: nempe quantum ex re ipſa colligi poterat. Porro Deum implorans ut appropinquet ad vitam ſuam, quam viſus fuerat deſerere, præclarum exhibet fidei ſuæ documentum: imo quo crudelius urgetur, eo magis confidit Deum ſibi fore redemptorem: ſicuti alibi dictum fuit, principium hoc ſemper tenendum eſſe, Quia Deus ſuperbis reſiſtit, quamvis ad tempus diſſimulet: fieri tamen non poſſe quin tandem compeſcat eorum inſolentiam qui ſine modo reſiſtunt.

Jacob. 4. verſ. 6.

20. Tu noſti opprobrium meum & confuſionem meam, & ignominiam meam: coram te omnes adverſarii mei.

21. Opprobrium fregit cor meum, & afflictus ſum: & expectavi qui commiſeraretur, & non erat: conſolatores, & non inveni.

22. Et poſuerunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaverunt me aceto.

20 אתה ידעת חרפתי ובשתי
וכלמתי נגדך כל צוררי׃
21 חרפה שברה לבי ואנושה
ואקוה לנוד ואין ולמנחמים ולא
מצאתי׃
22 ויתנו בברותי ראש ולצמאי
ישקוני חמץ׃

20. *Tu noſti opprobrium meum.*] Confirmatio proximæ ſententiæ. Unde enim fit ut major pars, ubi impotenter ruere videt impios, ac inſtar diluvii graſſari, animos deſpondeat, niſi quia putant obnubilatum eſſe cælum, ut Deus nihil in terris videat? Ergo Dei providentiam hic nobis ſuccurrere oportet, ne dubitemus auxilio nobis mature venturum: quia neque oculos claudere poteſt ad noſtras miſerias, nec pati impunitam malorum licentiam, niſi ſeipſum abneget. In hoc ergo ſolatium recumbit David, quod

neat hæc maledictio, non eſt quod nos terreat impiorum vel malitia, vel rabies: quia in manu Dei eſt ſubito eos percutere cæcitate, ut nihil videant, & lumbos confringere, ut jaceant confuſi.

25. *Effunde ſuper eos iram tuam.*] Non mirum eſt, Davidem longius inſiſtere in iſtas imprecationes: quia furioſos Eccleſiæ hoſtes, quibus metum injicere voluit, ſcimus non facile moveri. Ergo ut deſiſtant à ſua petulantia, vehementius contra eos inſurgit. Cæterum fideles præcipue reſpexit David, qui malis oppreſſi, non alia fultura nituntur, niſi dum audiunt ex ore Dei, quam horribilis maneat ultio ipſorum hoſtes, ſi quidem reprobi ſunt. Nam ſanabiles optaſſet David pœnis corrigi, ſed deſperatos exitio ſuo devovet: ne pœnam quæ illis decreta eſt, & quam merentur, effugiant. Proximo verſu ultra progreditur, nempe ut Deus ad poſteros uſque iram ſuam effundat: ſicuti non novum eſt patrum ſcelera rejici in ſinum filiorum. Nam ſicuti Spiritus inſtinctu diras
Exod. 20. verſ. 5. iſtas concepit David, ita etiam ſumpſit ex ipſa Lege, ubi pronunciat Deus ſe pœnas de impiis contemptoribus ſumpturum uſque ad tertiam & quartam generationem. Hoc modo maledici cupit eorum memoriam, ut ne mortuis quidem parcat Deus.

27. *Quia quem tu percuſſiſti.*] Crimen eorum profert, ut appareat digniſſimos eſſe tam atrocibus pœnis. Quidam autem hunc verſum ita exponunt, Domine, plagis tuis non contenti, ſævierunt in hominem miſerum, qui jam manu tua vulneratus erat. Et certe quum humanitas opem afflictis afferre præcipiat, belluinam ſævitiam prodit quiſquis inſultat oppreſſis. Hanc ſententiam alii refellunt, neſcio an ſatis firmo argumento, quod non proprie percuſſus fuerit David manu Dei, quia toto Pſalmo de violenta hoſtium libidine conqueſtus eſt. Argutum igitur ſenſum excogitant: acſi diceret, Hoſtes ſuos improbe finxiſſe ſibi eſſe juſtam cauſam, quia gloriabantur ſe Dei miniſtros ad pœnam de ſcelerato homine ſumendam: ſicuti ut plurimum impii, hujus coloris obtentu, ſibi quidvis impune contra miſeros
Pſal. 71. verſ. 11. licere putant: ſicut etiam alibi dicitur, Venite affligamus eum: Deus enim deſeruit ipſum, &c. Ego autem potius vocari percuſſum exiſtimo, quem Deus humiliare voluerit tanquam unum ex filiis ſuis, ut in ipſa caſtigatione nota aliqua paterni amoris inſculpta eſſet. *Vulneratos* autem *Dei* nominat eodem
Jeſa. 26. verſ. 19. fere ſenſu quo Jeſaias mortuos Dei, nempe qui in ipſa morte ſub Dei cuſtodia manebant. Neque enim promiſcue ad omnes hoc extendi poteſt, ſed ad fideles ſolos pertinet, quorum obedientiam Deus cruce examinat. Inde ſi arripiant impii occaſionem majoris licentiæ, non mirum eſt ipſos gravius damnari. Propoſitis enim talibus exemplis, eos ita ſecum
Luc. 23. verſ. 31. ratiocinari decebat, Si in viridi hoc fit, quid igitur in arido? Nunc quum magis obdureſcant, apparet contemptu & odio pietatis contra filios Dei ſic inſoleſcere. Verbum יספרו, quod verti ſolet narrabunt, ſecus interpretor. ſignificat enim proprie numerare: ideoque appoſite transfertur ad augmentum, quod ſcilicet mala malis addendo, ad ſummum uſque cumulum dolorem perduxerint.

28. *Adde iniquitatem.*] Quia און Hebræis tam culpa interdum eſt, quam iniquitas, ſic à quibuſdam vertitur hoc loco, ut Deus pœnas pœnis accumulet. Alii etiam longius trahunt, ut ſcelerati homines de horum ſceleribus pœnas exigant. Atqui ex ſecundo membro ſatis liquet, id potius Davidem precari, quod etiam communi fere conſenſu receptum eſt, ut Deus impios Spiritu ſuo deſtituens, conjiciat in ſenſum reprobum, ne unquam ad reſipiſcendum aſpirent. Nam quod interpretantur quidam *venire in juſtitiam*, pro abſolvi, videtur paulo dilutius quam exprimat loqutio. Ideo ſic reſolvi debent verba, Creſcat magis ac magis eorum iniquitas, & à correctione abhorreant, ut conſtet prorſus alienatos eſſe à Deo. Hæc autem loquendi forma, quum Scripturæ ſit familiaris, & ſubinde occurrat, non debet videri nobis aſpera: & eam vitandæ abſurditatis cauſa inflectere, ut quidam faciunt, frivolum eſt. Exponunt Deum addere peccata peccatis, permittendo: & obtendunt hanc eſſe phraſin linguæ Hebraicæ: quod nemo Hebræus fatebitur. Nec vero cavillis iſtis opus eſt ad Deum excuſandum: quia ſufficit, dum reprobos excæcat, juſtas ei cauſas eſſe: ut fruſtra obmurmurent homines vel litigent, quaſi non peccarent niſi illius impulſu. Etſi enim excæcationis cauſæ interdum latent in arcano Dei conſilio, ſua tamen quemque conſcientia redarguit: & noſtrum eſt reverenter adorare & mirari quæ ſenſum noſtrum ſuperant Dei myſteria. Neque enim abs re dictum eſt, judicia ejus profundam eſſe abyſſum. Certe quod Pſal. 36. verſ. 7. ad præſentem locum ſpectat, ubi judicia ſua exequitur Deus, nimis præpoſterum eſſet eum involvere in partem culpæ. Summa eſt, juſta Dei vindicta impios demergi in profundum iniquitatis gurgitem, ut nunquam ad ſanam mentem redeant: ut qui ſordet, ſordeſcat adhuc. Apoc. 22. verſ. 11. Cæterum *juſtitiam Dei* non interpretor active, qua donat ſuos electos, Spiritu ſuo eos regenerans: ſed vitæ ſanctitatem quæ ei probatur.

29. *Deleantur de libro viventium.*] Hæc ultima eſt imprecatio, & omnium maxime formidabilis, quæ tamen ſemper impœnitentiam & obſtinatam duritiem, de qua nuper loquutus eſt, ſequitur. Poſtquam ergo ſpem reſipiſcentiæ illis abſtulit, æternum quoque interitum denunciat: quia perire neceſſe eſt quicunque in libro vitæ ſcripti non reperientur. Eſt quidem impropria loquutio, ſed quæ ad noſtrum modulum non male accommodatur: quum liber vitæ nihil aliud ſit, quam æternum Dei conſilium quo ſuos prædeſtinavit in ſalutem. Certum eſt nihil poſſe in eo mutari. Deinde ſcimus, qui adoptati ſunt in ſpem ſalutis, eos ante conditum mundum fuiſſe ſcriptos. Epheſ. 1. verſ. 4. Sed quia incomprehenſibilis eſt æterna Dei electio, reſpectu humani ſenſus ſcribi dicuntur quos Deus palam & apertis ſignis populo ſuo accenſet. Sic rurſus eadem ratione delentur quos Deus palam abdicat & exterminat è ſua Eccleſia. Quia ergo David manifeſtari cupit Dei vindictam, merito hoſtium ſuorum reprobationem ad ſenſum noſtrum accommodat: acſi diceret, Ne recenſeas eos Deus in tuorum numero, vel ordine, nec colligantur cum tua Eccleſia, ſed potius, eos perdendo, declares abs te rejectos: & quamvis locum ad tempus occupent inter fideles, tandem eos reſeca, ut appareat extraneos fuiſſe, quum domeſticis permiſti forent. Sicuti etiam dicit Ezechiel, Non inveniantur in arcano catalogo populi mei. Ezec. 13. verſ. 9. Interea verum manet illud Joannis, neminem qui vere fuit ex filiis Dei, unquam deficere. 1 Joan. 2. verſ. 19. Sed quia faſtuoſe jactant hypocritæ ſe in Eccleſia eſſe primos, eorum abdicatio hac ſimilitudine apte exprimitur, quum Spiritus pronunciat eos deleri è libro vitæ. Porro notandum eſt, *juſtos* vocari ſecundo membro, omnes Dei electos: quia non ad immunditiem, ut Paulus dicit, ſed ad ſanctimoniam vocati ſumus, ut poſſideat quiſque vas ſuum in honore, 1 Theſſal. 4. verſ. 4. Et nota eſt illa Pauli 1 Theſ. 4. verſ. 7. gradatio, ad Romanos cap. 8. verſ. 30. Quos elegit, eos vocat: quos vocavit, juſtificat, &c.

30. *Ego autem pauper.*] Ex hoc verſu melius liquet quam procul abfuerit à turgido & feroci affectu, ſicuti qui ſuas vindictas impotenter deſpumant. Neque enim dubium eſt quin ſe cum ſacrificio contriti & humiliati ſpiritus Deo hic offerat, ut hac manſuetudine gratiam ſibi conciliet. Ideo addit continuo poſt, *Salus tua exaltabit me.* Certe qui ſua intemperie feruntur ad vindictam, adeo non ſunt dejecti, ut ſe nimium extollant. Hic autem mutua ponitur relatio inter dolorem quo jacebat oppreſſus, & Dei auxilium quo ſe erectum iri ſperat. Interea quod alii ad deſperationem trahebant, cauſam ſalutis

tis ſibi fore promittit. Poſſet etiam adverſative reſolvi ſententia, Quamvis nunc afflictus mœream, ſalus tamen tua me exaltabit. Mihi tamen certum eſt, Davidem impetrandæ miſericordiæ cauſa ſuam afflictionem in medium proferre. Nec tantum ſe erectum iri dicit, ſed diſerte ponit exaltationem, alludens ad arces in locis excelſis poſitas. Hoc enim proprie ſignificat verbum שגב.

31. Laudabo nomen Dei in cantico, & magnificabo eum in laude:

31 אהללה שם אלהים בשיר ואגדלנו בתודה׃

32. Et placebit hoc Jehovæ præ bove juvenco, qui profert cornua & ungulas.

32 ותיטב ליי משור פר מקרן מפריס׃

33. Viderunt afflicti, & lætabuntur quærentes Deum: & vivet cor veſtrum.

33 ראו ענוים ישמחו דרשי אלהים ויחי לבבכם׃

34. Quia audivit ad afflictos Jehova, & vinctos ſuos non deſpexit.

34 כי שמע אל אביונים יי ואת אסיריו לא בזה׃

31. *Laudabo nomen Dei.*] Hic jam alacriter exurgit, & certa ſpe liberationis fretus, triumphum canit victoriæ. Quanquam enim Pſalmum hunc diſcriminum metu perfunctus, compoſuit, certum tamen eſt, quum anxie trepidaret, hæc eadem fuiſſe meditatum: quia gratiam, licet adhuc ſpe abſconditam, certa fide apprehendebat. *Magnificari* autem dicitur Deus *laudibus noſtris*, non quod immenſæ ejus gloriæ quicquam accedat, ſed quia inter homines extollitur ejus nomen. Jam quo ſe melius confirmet David, gratiarum actionem, quam reddere Deo parat, boni ſuaviſque odoris ſacrificium fore docet. Nullus enim ad gratitudinem acrior adhiberi poteſt ſtimulus, quam ubi conſtat tantopere Deo placere hoc pietatis officium: ſicuti non aliam bonorum omnium quæ nobis largitur, compenſationem exigit, quam ut celebretur per nos nomen ſuum. Quo minus excuſabilis eſt eorum ignavia qui laudes ejus ſilentio vel oblivione ſupprimunt. Quamvis autem non omiſerit David neque neglexerit externa ſacrificia quæ Lex mandabat, merito tamen ſpiritualem cultum prætulit, qui omnium ceremoniarum finis erat. Qua de re plenius diſſeruimus Pſalmo 50. v. 8. & 14. Interim notanda eſt Davidis modeſtia, quod licet ad cæleſte exemplar conſcenderet, non tamen gravatus eſt ſe demittere ad communem uſum Eccleſiæ, quaſi unus eſſet ex vulgo: ut ex figuris Legalibus diſceret quod poſtea Euangelio clarius patefactum eſt, laudes Dei, quatenus ex ore noſtro manant, impuras eſſe donec per Chriſtum ſanctificentur. Nunc vero pluſquam ſtupida eſt eorum ſuperſtitio, qui externas rituum pompas, quæ ſacrificio mortis Chriſti ſunt abolitæ, in uſum adhuc revocant: & ubi ſe fatigarunt nihil agendo, Deum putant rite placatum eſſe: quod nihil aliud eſt quam craſſis velis obtegere legitimum hunc cultum, quem ceremoniis divinitus mandatis David longe præferre non dubitat. Per *bovem juvencum* intelligitur ſelectiſſimus: acſi diceret, nullum eſſe tam opimum vel pretioſum ſacrificium quod æque placeat Deo atque gratiarum actio.

33. *Viderunt afflicti.*] Fructum ſuæ liberationis aliis etiam communem fore docet, ſicuti Pſal. 22. verſ. 23, 26. & pluribus aliis locis jam vidimus: idque facit partim ut gratiam Dei apud fideles commendet, partim ut Deus ipſe ad eum juvandum ſit propenſior. Porro non intelligit fideles tantum amicitiæ fraternæ cauſa hoc ſpectaculo lætos fore, ſed quia in unius hominis perſona commune dabitur ſalutis pignus. qua etiam ratione afflictos vocat. Quicunque, inquit, Deum quærunt, quamvis malis ſint afflicti, animos recipient meo exemplo. Hæc enim duo conjunctim ſunt legenda: quoniam non cohæreret ſenſus niſi hoc modo, exemplum Davidis cauſam fore lætitiæ piis Dei cultoribus, dum ſuis afflictionibus remedium quærent. Et merito ſtudium quærendi Dei conjungit cum afflictione: quia ſub Dei ferulis non omnes ita proficiunt ut ſincero fidei affectu ab eo ſalutem petant. In ultima parte verſus mutatio eſt perſonæ, quæ tamen ſenſum minime obſcurat: imo hæc apoſtrophe quaſi in re præſenti efficacius exprimit quod volebat David. Nam eos compellans qui malis oppreſſi jacebant quaſi exanimes, quandam effigiem reſurrectionis ante oculos ſtatuit: acſi diceret, Vobis, ô mortui, reſtituetur novus vigor. non quod intereat fides in Dei filiis donec extinctam alienæ liberationis exemplum vivificet, ſed quia ſuffocatum lumen denuo accenditur, ut quodammodo reviviſcat. Modum continuo poſt definit, quod ſcilicet commune ſibi documentum gratiæ Dei in Davide exhibitum perſuaſi, ſecure colligent reſpici inopes, & vinctos non deſpici. Videmus enim perinde accipere quod uni præſtitum fuit acſi Deus re ipſa monſtraſſet ſe miſeris omnibus ad opitulandum præſto fore.

35. Laudent eum cæli & terra, maria, & quicquid reptat in eis.

35 יהללוהו שמים וארץ ימים וכל רמש בם׃

36. Quia Deus ſervabit Sion, & ædificabit urbes Juda, & habitabunt illic, & hæreditate obtinebunt eam:

36 כי אלהים יושיע ציון ויבנה ערי יהודה וישבו שם וירשוה׃

37. Et ſemen ſervorum ejus hæreditario poſſidebunt eam: & qui diligunt nomen ejus, manebunt in ea.

37 וזרע עבדיו ינחלוה ואהבי שמו ישכנו בה׃

35. *Laudent eum cæli.*] Hinc certius colligere promptum eſt quod ante attigi, Davidem in hoc Pſalmo, totius Eccleſiæ fuiſſe interpretem, quia nunc in eam transfert quod de ſe peculiariter dixerat. Quod autem elementa ſenſu carentia hortatur ad laudandum Deum, hac hyperbolica loquendi forma oſtendit non ſatis ſerio nos eſſe animatos ad canendas Dei laudes, quarum immenſitas totum mundum ſuperat, niſi aſcendimus ſupra ſenſus noſtros: præſertim vero hunc ardorem accendit in corde Davidis, Eccleſiæ conſervatio. Nec vero dubium eſt quin Spiritu Prophetico complexus ſit totum illud tempus quo Deus regnum & ſacerdotium in veteri populo ſtare voluit. Orditur tamen ab ea inſtauratione quæ ejus opera & manu repente poſt mortem Saulis illuxit, quum triſtis diſſipatio tam divini cultus interitum, quam terræ vaſtitatem minitaretur. Primo autem Sionem dicit ſalvam fore, quia Deus locum in quo volebat invocari, tuebitur, nec cultum à ſe præſcriptum aboleri ſinet. Poſtea ab Arca fœderis & Sanctuario, benedictionem Dei ad totam terram extendit: quia in religione fundata erat populi felicitas. Cæterum intelligit mutationem in melius non fore momentaneam, ſed fixo & ſtabili

Dei præſidio ſemper incolumem fore populum. Ideo regni ſui auſpiciis vere ſancitum eſſe docet quod toties Deus in Lege promiſerat, perpetuo ſcilicet fore terræ illius hæredes. Quieta enim ſtatio temporali hoſpitio opponitur: acſi diceret, jam erecto ſacro ſolio veniſſe tempus quo filii Abrahæ abſque migrationis timore fruantur quiete ſibi promiſſa. Ultimo verſu ad continuam ætatum ſeriem id extendit ut patres filiis, filii nepotibus acceptam poſſeſſionem de manu in manum tradant. Nam ſolida bonorum omnium perpetuitas Chriſto innititur, cujus figura erat David. Interea tamen breviter admonet, terræ demum hæredes fore qui legitimi erunt Abrahæ filii. Blanditias enim excuti oportuit hypocritis, qui freti ſola generis origine, quum à fide Patrum deſciviſſent, terram hæreditario jure ſuam eſſe perperam jactabant. Quamvis autem terra illa uſque ad Chriſti adventum electo populo data fuerit, meminerimus cæleſtis patriæ fuiſſe ſymbolum, ideoque verius hodie ac ſolidius impleri quod hic ſcribitur de Eccleſiæ protectione: quia timendum non eſt ne excidat ſpiritualis templi ædificatio, in qua cæleſtis Dei virtus apparuit.

ARGUMENTUM PSALMI LXX.

Quia Pſalmus hic pars eſt duntaxat quadrageſimi, hoc forte ſibi vult inſcriptio Ad reminiſcendum, quia David quinque iſtos verſus aliunde ſumptos in ſpecialem aliquem uſum accommodaverit. Verba tantum hic referam: interpretatio ex ſuo loco petatur.

PSALM. LXX.

PRæfecto Davidis, ad reminiſcendum.	1 למנצח לדוד להזכיר:
2. Deus ad liberandum me, Jehova ad auxilium meum feſtina.	2 אלהים להצילני יי לעזרתי חושה:
3. Erubeſcant & pudefiant qui quærunt animam meam: convertantur retrorſum & pudefiant qui optant malum meum.	3 יבשו ויחפרו מבקשי נפשי יסגו אחור ויכלמו חפצי רעתי:
4. Perdantur ſuper mercede pudoris ſui qui dicunt mihi, Euge, euge.	4 ישובו על עקב בשתם האמרים האח האח:
5. Exultent & lætentur in te omnes qui te quærunt: & dicant, Semper magnificetur Deus, qui diligunt ſalutem tuam.	5 ישישו וישמחו בך כל מבקשיך ויאמרו תמיד יגדל אלהים אהבי ישועתך:
6. Ego autem pauper & inops, Deus feſtina ad me: auxilium meum & liberator meus es tu: Jehova ne moreris.	6 ואני עני ואביון אלהים חושה לי עזרי ומפלטי אתה יי אל תאחר:

ARGUMENTUM PSALMI LXXI.

David de ſua in Deum fiducia præfatus, partim eum liberatorem implorat: partim conqueritur de ſuperbia hoſtium ſuorum: partim fidei ſuæ confirmandæ cauſa, ſe ad teſtandam gratitudinem comparat & accingit.

PSALM. LXXI.

IN te Jehova confido, ne pudefiam in æternum.	1 בך יי חסיתי אל אבושה לעולם:
2. In juſtitia tua eripe me, & libera me, inclina ad me aurem tuam, & ſerva me.	2 בצדקתך תצילני ותפלטני הטה אלי אזנך והושיעני:
3. Sis mihi in rupem fortitudinis, in quam ingrediar ſemper: mandaſti ad ſervandum me, quia arx mea & propugnaculum meum tu es.	3 היה לי לצור מעון לבוא תמיד צוית להושיעני כי סלעי ומצודתי אתה:
4. Deus mi libera me à manu impii, à manu improbi & violenti.	4 אלהי פלטני מיד רשע מכף מעול וחומץ:

IN *te Jehova.*] Pſalmum hunc ſcriptum fuiſſe putant de conſpiratione Abſalom: & quia ſenectutis ſuæ meminit David, probabilis eſt conjectura. Jam quia nobis ad Deum accedentibus ſola fides januam aperit, ut impetret David quod poſtulat, teſtatur ſuo more, ſe non concipere fictas preces, ſed ſerio ad Deum confugere: quia certo perſuaſus ſit in ejus manu repoſitam eſſe ſuam ſalutem. Nam qui circumagitur huc & illuc, & ſpes ſuas varie partitur, vel trepide ſecum diſputat, vel contumaciter reſpuit Dei auxilium, vel impatienter fremit ac tumultuatur: indignus eſt cui opituletur Deus. Particula autem לעולם in fine primi verſus, duplicem ſenſum recipit, ſicuti docui Pſal. 31. verſ. 2. Nam vel tacita eſt antitheſis inter præſentes ærumnas, & lætiorem exitum quem ſperabat David: acſi dixiſſet, Domine nunc quidem jaceo velut confuſus, ſed efficies ut aliquando liberer. Vel *non pudefieri in ſeculum*, tantundem valet ac nunquam pudefieri. Quia vero reliqua fere conveniunt cum principio Pſalmi 31. quicquid hic ſciens prætereo, inde petant lectores, quos cupio tædio ſublevare. In hac particula, *ad quem veniam ſemper*, quæ illic non ponitur, breviter petit David, ita expoſitam ſibi eſſe opem Dei, ut tutum receptum inveniat quoties periculi aliquid inſtabit. hoc eſt, Domine ſemper mihi apud te parata ſit defenſio: & quoties ad te confugiam, propitius occurras. Quod ſequitur, *mandaſti ad ſervandum me*, quidam interpretes reſolvunt in tempus optativum: acſi David peteret ſe committi Angelorum cuſtodiæ. Sed melius eſt retinere præteritum verbi tempus, ut ſe prioribus experimentis ad bene ſperandum animet. Ad Angelos etiam reſtringere neceſſe non eſt verbum Mandandi: quia etſi illorum opera utitur Deus ad ſuos tuendos, quia tamen innumera media ſervandi penes eum ſunt, indefinite accipio, Deum mandare de ſuorum ſalute quod decrevit, quoties favorem ſuum palam exerit aliquo ſigno, & nunc ſolo nutu, nunc per homines vel alias creaturas exe-

quitur

quitur quod apud ſe ſtatuit. Interea non dubito quin ſignificet David Deo ſufficere ſuum imperium, quamvis aliunde ſubſidia non accerſat: acſi diceret, ſatis ad nos ſervandos auctoritatis eſſe in ſolo Dei præcepto.

4. *Deus mi.*] Quanquam ſingularis numerus ponitur, non tamen unum modo hominem deſignat: quia credibile eſt totas hoſtium copias, à quibus oppugnabatur, complecti. Diximus autem alibi quantum hoc ad impetrandi fiduciam valeat, ubi nobis conſcii ſumus propriæ integritatis, ut libere coram Deo conqueri liceat, injuſte nos & ſcelerate ab hoſtibus oppugnari. quia minime dubitandum eſt quin cauſam noſtram Deus ſuſcipiat, qui patronum ſe fore promiſit injuſte oppreſſis.

5. Quia tu expectatio mea, Domine Jehova, fiducia mea à pueritia mea.

6. Super te ſuſtentatus ſum ab utero, à viſceribus matris meæ tu extractor meus, in te laus mea ſemper.

7. Quaſi prodigium fui * magnis, & tu fiducia mea robuſta.

* vel, multis.

8. Replebitur os meum laude tua, quotidie gloria tua.

5 כי אתה תקותי אדני יהוה
מבטחי מנעורי:
6 עליך נסמכתי מבטן ממעי אמי
אתה גוזי בך תהלתי תמיד:
7 כמופת הייתי לרבים ואתה
מחסי עז:
8 ימלא פי תהלתך כל־היום
תפארתך:

5. *Quia tu.*] Repetit quod paulo ante dixerat de fiducia: niſi forte hanc ſententiam ad rem magis quam ad cordis affectum referre placeat, quaſi diceret, ex beneficiis Dei, ſibi materiam bene ſperandi datam eſſe. Et certe non ſimpliciter hic refert, ſe in Deum ſperaſſe, ſed experientiam quoque ſimul conjungit: fateturque ſibi jam puero exhibita fuiſſe gratiæ documenta, ex quibus diſcere potuerit, nonniſi in ſolo Deo recumbendum eſſe. Etſi autem ab effectu ipſo realem, ut ita loquar, fidei cauſam deſignat, colligere tamen inde licet quam efficax ad fovendam ſpem ejus fuerit beneficiorum Dei recordatio. Cum hoc verſu proximus etiam cohæret: niſi quod longius progreditur David. Celebrat enim non modo quæ à puero expertus fuerat beneficia, ſed quibus, antequam in lucem ederetur, jam affectus fuerat. Ac ſimilis fere confeſſio habetur Pſalmo 22. verſ. 10. qua merito prædicatur admirabilis Dei virtus, & inæſtimabilis bonitas in hominum generatione: cujus ratio, niſi ad eam eſſemus aſſueti, prorſus incredibilis foret. Nam ſi ad hiſtoriam diluvii obſtupeſcimus, dum refert Moſes in fœtida ſtercorum congerie Noë vixiſſe cum familia decem menſes, quum vitalem ſpiritum trahere non liceret: cur non æque mirabimur fœtum matris utero incluſum vitam in ſordibus degere, quæ ſemihoræ ſpatio robuſtiſſimos quoſque ſuffocarent? Sed ita ſcilicet nobis uſu vileſcunt Dei miracula. Spiritus autem non abs re ingratitudinem hanc caſtigat, tam memorabilem Dei gratiam in ortu noſtro commendans. Jam quum edimur in lucem, quamvis mater officium ſuum præſtet, adſit obſtetrix, multique alii opitulentur, niſi tamen Deus manum ſuam quodammodo ſupponens, ſuſciperet nos in ſuum gremium, quid nobis fieret? & quæ ſpes eſſet prorogandæ vitæ? imo exitus ab utero, ingreſſus eſſet in mille mortes. Quare non abs re vocatur Deus *extractor ab utero.* Cui etiam reſpondet clauſula verſus, *in te laus mea ſemper.* Significat enim materiam laudandi Dei ſibi continua ſerie fuiſſe ſuggeſtam.

Geneſ. 8. verſ. 13.

7. *Quaſi prodigium.*] Tranſit nunc ad querimoniam, quod propter ingentes miſerias quibus opprimebatur, paſſim fuerit deteſtabilis. Etſi autem aliqua in ſpeciem repugnantia eſt in his verbis, Dei beneficiis ſemper fuiſſe ornatum, & prodigii loco habitum, quia miſere afflictus eſſet, utiliſſimam tamen doctrinam elicimus, nulla calamitatum mole obrutum fuiſſe quem de bonitate Dei guſtum conceperat. Quamvis ergo ſe abominationi eſſe videret, non potuit tamen ullis tenebris extingui memoria bonorum, quæ ad fidem dirigendam, inſtar lampadis, erat in ejus corde. *Portenti* vero nomine non vulgaris calamitas exprimitur: quia niſi inſolito modo oppreſſus fuiſſet, non exhorruiſſent ad tantam deformitatem quibus non ignota erat miſera hominum conditio. Quo magis laudabile ſpecimen conſtantiæ fuit, non frangi nec debilitari pudore: ſed, quo magis rejiciebatur à mundo, magis in Deum recumbere. Adverſative enim reſolvi debet ſententia, Quamvis inſtar prodigii execrati ſint eum homines, Deo tamen ſubnixum fortiter ſtetiſſe. Si רבים vertere libeat multos, ſenſus erit, vulgo notas & celebres fuiſſe miſerias Davidis: acſi in theatrum productus, populi oculos in ſe converteret. Melius tamen conveniet, meo judicio, de magnis vel proceribus intelligere. Hæc vero indignitas quamlibet fortes animos non leviter percellit, ſi miſerum hominem horrori habent qui videntur prudentia & judicio excellere, & qui auctoritate præditi ſunt. Mox quaſi potitus voto ſuo, futuræ gratitudinis teſtimonium addit. Et quo alacrius in bonam ſpem aſſurgat, plenis buccis ſe Dei laudes cantaturum promittit: neque id ſemel, ſed infatigabili perſeverantia.

9. Ne projicias me tempore ſenectutis, ſecundum defectionem virtutis meæ ne deſeras me.

10. Quia dixerunt inimici mei de me: & qui obſervant animam meam, conſultaverunt ſimul,

11. Dicendo, Deus dereliquit eum: perſequimini, & comprehendetis eum: quia non eripiens.

12. Deus ne procul abſis à me, Deus mi ad auxilium meum feſtina.

13. Pudefiant, deficiant adverſarii animæ meæ, operiantur probro & pudore quærentes malum meum.

9 אל תשליכני לעת זקנה ככלות
כחי אל תעזבני:
10 כי אמרו אויבי לי ושמרי נפשי
נועצו יחדו:
11 לאמר אלהים עזבו רדפו
ותפשוהו כי אין מציל:
12 אלהים אל תרחק ממני אלהי
לעזרתי חושה:
13 יבשו יכלו שטני נפשי יעטו
חרפה וכלמה מבקשי רעתי:

9. *Ne projicias.*] Quia nuper retulit, Deum ſuſceptorem fuiſſe animæ ſuæ ab infantia, deinde etiam in pueritia nutritum, totoque vitæ curriculo fuiſſe ſalutis cuſtodem: nunc ſenio confectus, in paternum ejus gremium ſe rejicit. Nam quo nos magis deficiunt vires, ſicut ipſa neceſſitas ad Deum quærendum nos ſollicitat, ſic etiam ſperanda eſt ejus ad nos juvandos propenſio. Summa eſt, Domine, qui me vegetum in flore ætatis ſuſtinuiſti, ne jam caducum & fere emarcidum deſtituas: ſed quo magis tua ope indigeo, te ad miſericordiam flectat meus defectus. Ex hoc verſu non temere conjiciunt interpretes ſermonem haberi in hoc Pſalmo de conjuratione Abſalom. Et certe horribile illud & tragicum ſpectaculum facere potuit ut non modo promiſcuum vulgus, ſed qui pollebant gravitate, quaſi à monſtro deteſtabili averterent oculos, quum filius patrem regno expulſum per ipſa quoque deſerta ad necem quæreret.

10. *Quia dixerunt inimici.*] Alia etiam circumſtantia Dei miſericordiam ſibi conciliat, quod majore licentia in ipſum ſæviant improbi, dum exiſtimant à Deo ipſo rejectum ac proditum. Scimus enim peſſimis etiam quibuſque creſcere animos & audaciam, ubi innoxios vexando, fingunt ſibi nihil cum Deo eſſe negotii: quia non modo ſpes impunitatis eos confirmat, ſed etiam de ſucceſſu gloriantur, ubi nihil ad cohibendam eorum libidinem obſtaculi apparet. Porro quod tunc Davidi accidit, filiis Dei prope ordinarium eſt, ut nihil non audeant contra ipſos improbi, dum ſibi divinitus in prædam expoſitos eſſe fingunt. Quia enim Dei gratiam præſenti tantum fortuna metiuntur, quoſcunque affligi patitur, contemni, relinqui, & projici ab eo putant. Hinc ſe ad quidvis tentandum mutuo hortantur & acuunt, quia miſeris nullus ſit futurus vindex. Atqui proterva hæc eorum inſultatio viciſſim animos noſtros debet erigere: quia Dei gloriæ intereſt reipſa comprobari quod toties promittit, pauperibus & afflictis ſe opem laturum. Nec vero quod ſibi veniam à Deo promittunt impii, hæc ſtulta eorum imaginatio culpam extenuat: quin potius bis in Deum ſunt contumelioſi, eripiendo quod ei maxime proprium eſt.

12. *Deus ne procul.*] Quam difficilis & aſpera fuerit illa tentatio, quum Davidem ſtatuerent impii à Deo rejectum eſſe, vix ſatis poteſt exprimi. Neque enim vocem hanc inconſiderate ſpargebant: ſed quum viſi eſſent omnia prudenter expendere, quaſi de re comperta ferebant ſententiam. Ideoque heroicæ fortitudinis fuit ſuperare perverſa eorum judicia, ut Deum nihilominus ſibi propitium eſſe conſideret David, & familiariter ad eum confugeret. Nec dubium eſt quin *Deum ſuum* appellans, gravem illum durumque inſultum hoc clypeo repellat. Auxilium vero Dei implorans, ſimul precatur ut pudefiant adverſarii, donec conſumpti fuerint. Quanquam hæc verba in futuro tempore legere non erit abſurdum, quia David precatione ſua defunctus, ſæpe inſurgere ſolet contra hoſtes, & quaſi triumphum de ipſis agere. Sequutus tamen ſum quod contextui melius quadrabat. Quia autem jam alibi expoſui quomodo intelligi debeat hæc imprecatio, nunc repetere nihil opus eſt.

14. Et ego ſemper ſperabo, & adjiciam ſuper omnem laudem tuam.	14 ואני תמיד איחל והוספתי על כל תהלתך׃
15. Os meum narrabit juſtitiam tuam, quotidie ſalutem tuam, quia non cognovi numeros.	15 פי יספר צדקתך כל היום תשועתך כי לא ידעתי ספרות׃
16. Incedam in fortitudinibus Domini Jehovæ: memorabor juſtitiæ tuæ ſolius.	16 אבוא בגברות אדני יהוה אזכיר צדקתך לבדך׃

14. *Et ego ſemper.*] Iterum quaſi victor emergens, gratiarum actionem meditatur. Quanquam non dubium eſt, quo tempore ejus ſimplicitatem ludibrio habebant impii, inter illas anguſtias ſic fuiſſe luctatum: quod colligimus ex verbo *ſperandi*. Quamvis ergo neque malorum ullus ſe oſtenderet exitus, & impii non deſinerent ſuperbe ridere ejus fiduciam: ſibi tamen in ſpe eſſe perſeverandum ſtatuit: ſicuti hæc vera eſt fidei probatio, attendere ad ſolam Dei promiſſionem, ut ſola ejus luce per denſiſſimas afflictionum tenebras regatur. Hoc igitur Sperare, cujus meminit David, ex certaminibus quæ tunc ſuſtinuit æſtimandum eſt. Et ſe *additurum* pronuncians *ſuper reliquas Dei laudes*, quam ſecurus ſit de optabili exitu demonſtrat. perinde enim eſt acſi diceret, Domine quia pridem ad tua beneficia aſſuefactus ſum, non dubito quin nova acceſſio novam quoque materiam mihi datura ſit celebrandæ tuæ gratiæ. Clarius deinde exprimit quale laudis ſacrificium Deo offerre inſtituat, aſſiduum juſtitiæ & ſalutis ejus præconem ſe fore affirmans. Sæpius vero antehac docui, non vocari Dei juſtitiam qua cuique rependit quod ſuum eſt, ſed fidem quam ſuis præſtat in ipſis fovendis, tuendis, ac liberandis. Atque hinc naſcitur inæſtimabilis conſolatio, dum ſalutem noſtram audimus ita inniti Dei juſtitiæ, ut eandem cum hac firmitudinem habeat. *Salutem Dei* active ſumi hoc loco ſatis notum eſt. eam juſtitiæ adjungit tanquam cauſæ effectum: quia non aliunde perſuaſus erat ſe fore ſalvum, niſi quia juſtus erat Deus, nec ſeipſum abnegare poterat. Jam quia toties, ac tam variis modis, tamque mirabiliter ſervatus fuerat, ideo continuum ſibi ſtudium fore dicit celebrandæ gratiæ Dei. Particulam כי adverſative quidam reſolvunt, Quamvis incomprehenſibilis mihi ſit Dei ſalus, vel captum meum excedat, ego tamen eam narrabo. Sed propria ſignificatio aptius convenit: quia nihil eſt quod magis accendere animos noſtros debeat ad canendas Dei laudes, quam ubi nos innumeris beneficiis proſequutus eſt. Nam ut ad ſpecimen unum vel alterum torpeant, ut frigeant in exiguo numero: ipſa tamen immenſa multitudo torporem & frigus niſi corrigat, minime excuſabilis eſt noſtra ingratitudo. Diſcamus ergo, non leviter & quaſi cum faſtidio guſtare Dei bonitatem, ſed ſenſus omnes noſtros extendere ad ejus amplitudinem, ut nos in admirationem rapiat. Porro mirum eſt quomodo in mentem venerit Græco interpreti vertere, non novi literaturam. Indignus error eſt notatu, niſi quod olim fanatici homines, ut ſibi applauderent in ſua inſcitia, jactabant Davidis exemplo ſpernendas eſſe omnes literas, & ſcientias liberales: ſicut hodie Anabaptiſtæ non alio prætextu ſe pro ſpiritualibus venditant, niſi quod omnis ſcientiæ ſunt expertes.

16. *Incedam in fortitudinibus.*] Commode etiam vertere licet, ingrediar in fortitudines. atque hæc interpretatio non minus eſt probabilis. Sicuti enim in periculis animos noſtros occupat trepidatio & anxietas, quia ad reputandam Dei virtutem non ſatis ſumus attenti: ita unicum levandæ in malis anxietati remedium eſt, penetrare in Dei fortitudines, ut nos undique muniant. Sed quia optime convenit altera lectio quæ magis recepta eſt, diſcedere ab ea nolui. quanquam in ſenſu variant interpretes. Quidam exponunt, prodibo ad bellum, fretus Dei virtute:

tute: quod meo judicio, nimis reſtrictum eſt. Incedere enim tantundem valet ac manere in firmo ac perpetuo ſtatu. Etſi enim non ſine moleſtia nituntur fideles, neque alacriter volitant, quin potius præ laſſitudine gemunt: quia tamen obſtacula & difficultates invicta animi magnitudine ſuperant, neque retrocedunt, neque declinant à recta via, ſaltem deſperatione non concidunt, ideo dicuntur pergere, donec curſum abſolverint. In ſumma, gloriatur David ſe nunquam fruſtratum iri Dei auxilio, donec ad metam pertigerit. Quia autem nihil in hac tanta infirmitate difficilius vel rarius eſt, quam perſeverare, ſenſus omnes ſuos colligit ad unam Dei juſtitiam. Quod enim ſe tantum illius memorem fore dicit, huc ſpectat, ſe relictis omnibus pravis fiduciis, quibus totus fere mundus circumagitur, in Dei protectione fore prorſus defixum, ne vagetur poſt ſuas imaginationes, vel huc & illuc abſtrahatur. Auguſtinus plus centies ad evertenda operum merita hoc teſtimonio utitur, & plauſibiliter juſtitiam quæ gratis à Deo donatur, meritoriæ hominum juſtitiæ opponit. fatendum tamen eſt, in alienum ſenſum torqueri verba Davidis, qui ſimpliciter intelligit neque conſilio proprio, neque induſtriæ, neque virtuti inniti, neque ullis opibus, ut ſecure ſibi ſalutem promittat: ſed hoc unum ſibi eſſe propoſitum, quia juſtus eſt Deus, fieri non poſſe ut ab eo deſeratur. Juſtitia enim Dei, ut nuper attigimus, non gratuitum illud donum quo ſibi reconciliat homines, vel regenerat in vitæ novitatem, ſed fidem in ſervandis promiſſis ſignificat; qua ſe æquum, & rectum, & veracem probare vult erga ſuos cultores. Solam vero Dei juſtitiam ſibi in oculis & memoria fore dicit: quia niſi attente ad eam reſtringimus ſenſus omnes noſtros, miras habet illecebras Satan quibus nos in vanitatem abducat. Simul enim ac variæ ſpes obrepſerint, nihil proclivius eſt quam diffluere: & quiſquis Dei gratia non contentus, vel tantillum ſubſidii aliunde acceſſet, documentum ſuo lapſu aliis præbebit quam evanidæ ſint omnes mundi fulturæ quæ Dei auxilio miſcentur. Quod ſi in externo vitæ ſtatu gradum aliter tenere non potuit David, quam ſe, abdicatis omnibus aliis fiduciis, rejiciendo in Dei juſtitiam: ubi de ſpirituali æternaque vita agitur, ſi vel minimum delapſi fuerimus à gratia Dei, qualis futura eſt noſtra firmitas? Negari igitur non poteſt, quin partitio quam inter liberum arbitrium & Dei gratiam comminiſcuntur Papiſtæ, miſeras animas in ruinam præcipites agat.

17. Deus docuiſti me à pueritia mea, & hucuſque annunciabo mirabilia tua.	17 אלהים למדתני מנעורי ועד הנה אגיד נפלאותיך:
18. Et etiam uſque ad ſenectutem & canitiem, Deus, ne deſeras me, donec annunciem robur tuum generationi, cunctis venientibus fortitudinem tuam.	18 וגם עד זקנה ושיבה אלהים אל תעזבני עד אגיד זרועך לדור לכל יבוא גבורתך:
19. Et juſtitia tua, Deus, uſque in excelſum: quia feciſti magnifica: Deus quis ſimilis tibi?	19 וצדקתך אלהים עד מרום אשר עשית גדולות אלהים מי כמוך:

17. *Deus docuiſti me.*] Iterum recitat quantopere obſtrictus ſit Dei beneficiis, non modo ut ſe ad gratitudinem hortetur, ſed ut ſpem ſuam continuet in futurum tempus, ſicuti patebit ex proximo verſu. Jam quum Deus tam verbo quam factis nos doceat, ſecundam ſpeciem hic notari certum eſt, quod ſcilicet à pueritia uſque continuis experimentis didicerit David, nihil melius eſſe quam recumbere in unum Deum. Porro ne unquam privetur hac reali doctrina, teſtatur ſe in ea rite profeciſſe. Nam in hunc finem mirabilium Dei ſe præconem fore dicit, ne ſua ingratitudine, beneficentiæ Dei curſum abrumpat. Hinc vero dependet iſta precatio, ne in ſua ſenectute excidat. Sic enim ratiocinatur, Quum te ab initio ſemper tam liberalem oſtenderis, ô Deus, nunc quum me deficere vides, num manum porriges ad opitulandum? Atque omnino ſic ſtatuendum eſt, poſtquam nos adhuc infantes dignatus eſt amore ſuo Deus, pueros complexus eſt eodem favore, totoque vitæ curriculo benefacere non deſiit, fieri non poſſe quin ſibi ad extremum conſtet. Ideo particula [illegible] illative accipitur: acſi colligeret, Deum, cujus nunquam exhauritur bonitas, & qui mutabilis non eſt inſtar hominum, eundem erga ſenes fore qui fuit erga pueros. Alio deinde argumento precationem ſuam confirmat, quia ſi fatiſcat in ſenio, ſimul etiam evaneſcet gratia Dei, qua hactenus fuit ſuſtentatus. Nam ſi gratiam ſuam Deus tenui guſtu libatam mox ſubducat, nonniſi ad momentum vigebit ejus memoria. Si vero pluribus ſuis beneficiis ornatos in extremo vitæ actu deſerat, hoc etiam modo gratiam perdet ejus liberalitas. Se ergo ad finem uſque juvari David poſtulat, ut poſteris commendet æquabilem gratiæ Dei curſum, ac in morte ipſa teſtetur, Deum fideles qui ad eum confugiunt, nunquam fruſtrari. Nam per *generationem & eos qui venturi ſunt*, filios & nepotes intelligit, ad quos non aliter poteſt gratiæ Dei memoria propagari, donec numeris omnibus abſoluta, curſum ſuum compleverit. *Robur & fortitudinem* tanquam effectus juſtitiæ Dei recenſet. Interim tamen his elogiis ornat liberationis modum, de qua ſibi gratulatur. acſi diceret, exhibitum in eo fuiſſe raræ virtutis & potentiæ documentum.

19. *Et juſtitia tua.*] Alii hunc verſum contexunt cum proximo, & verbum narrabo [illegible] repetentes, juſtitiæ nomen vertunt in accuſativo caſu. Sed quia in eo parum eſt momenti, non inſiſto. Pluribus quidem verbis idem quod prius dixerat, proſequitur David. ac primo juſtitiam Dei in ſublime dicit eſſe evectam: deinde magnifice operatum eſſe: tandemque præ admiratione exclamat, Quis ſimilis tibi? Eſt autem hoc notatu dignum, juſtitiam Dei, cujus propinqui nobis & conſpicui ſunt effectus, locari tamen in excelſo, quia ſenſu noſtro non comprehenditur. Nam dum eam noſtro modulo metimur, minima quæque tentatio nos abſorbet. Ergo, ut ei aditus ad nos ſervandos pateat, ad concipiendam ejus amplitudinem, ſurſum ac deorſum, longe & late mentes noſtras diffundi oportet. Eodem refertur ſecundum membrum de magnificis Dei operibus: quia ſi cognitæ ejus virtuti tribuimus juſtam ac debitam laudem, nunquam nos deficiet bene ſperandi argumentum. Tandem eo uſque progredi oportet bonitatis Dei ſenſum, ut nos in admirationem rapiat. Sic enim fiet ut in Deo ſolo acquieſcant mentes noſtræ, quæ huc & illuc ſubinde prava inquietudine feruntur. Nam ſiqua nobis ingeritur tentatio, protinus ex muſca facimus elephantem: imo fabricamus altiſſimos montes, qui Dei manum à nobis arceant. Interim Dei potentiam maligne reſtringimus. Huc ergo tendit exclamatio Davidis, ut diſcamus fide perrumpere, & omnibus impedimentis præferre Dei potentiam, ſicuti meretur. Nam etſi fatentur omnes verbo, nullum eſſe Deo ſimilem, vix tamen centeſimus quiſque penitus ac ſerio perſuaſus eſt, eum unum ad ſervandum ſufficere.

20. Quia videre me feciſti tribulationes magnas & malas, converſus vivificabis me, & ex abyſſis terræ converſus extolles me.	20 אשר הראיתני צרות רבות ורעות תשוב תחייני ומתהומות הארץ תשוב תעלני׃
21. Multiplicabis magnitudinem meam, & converſus conſolaberis me.	21 תרב גדלתי ותסב תנחמני׃
22. Etiam ego canam tibi in organo muſico veritatem tuam Deus meus, pſallam tibi in cithara ſancte Iſraël.	22 גם אני אודך בכלי נבל אמתך אלהי אזמרה לך בכנור קדוש ישראל׃
23. Exultabunt labia mea dum pſallam tibi, & anima mea quam redemiſti.	23 תרננה שפתי כי אזמרה לך ונפשי אשר פדית׃
24. Etiam lingua mea quotidie annunciabit juſtitiam tuam: quia pudefacti ſunt, quia ignominia affecti ſunt quærentes malum meum.	24 גם לשוני כל היום תהגה צדקתך כי בשו כי חפרו מבקשי רעתי׃

20. *Quia videre me.*] Scitur verbum Videndi apud Hebræos transferri ad alios ſenſus: itaque mala ſibi oſtenſa fuiſſe queritur David, quæ perpeſſus fuerat. Sicuti autem Deo fert acceptas ſuas liberationes: ita rurſum nonniſi ejus conſilio & voluntate ſibi quicquid pertulerat malorum fuiſſe inflictum agnoſcit. Sed primo tenendum eſt ejus conſilium. nam ut comparatione illuſtret Dei gratiam, recenſet quam duriter afflictus fuerit. Si proſpera fortuna ſemper æquabiliter uſus eſſet, erat cur ſibi gratularetur: ſed non ſenſiſſet quid ſit incredibili Dei virtute eripi ab interitu. Nam ad mortem uſque deſcendere neceſſe eſt ut Deus appareat redemptor. Quia enim naſcimur ſine ſenſu & intelligentia, prima vitæ noſtræ origo non ſatis clare auctorem ipſum nobis demonſtrat: ſed ubi in deſperatione ſuccurrit Deus, reſurrectio ipſa nobis illuſtre eſt gratiæ ejus ſpeculum. Hoc modo Dei beneficium amplificat David quod demerſus in profundam abyſſum, ejus tamen manu eductus in lucem emerſerit. Neque ſolum Dei beneficio ſe incolumem eſſe prædicat, ſed dignitate fuiſſe auctum: quæ mutatio velut reſtitutionis cumulus fuit, perinde acſi ex inferis in cælum uſque evectus foret. Quod tertio repetit, Deum fuiſſe converſum, ad providentiæ ejus commendationem ſpectat: acſi diceret, nihil ſibi fortuito accidiſſe adverſi: quia ſimulac illuxit Dei favor, mutatæ fuerint vices.

22. *Etiam ego.*] Prorumpit adhuc in gratiarum actionem: quia intelligit in hunc finem tam liberaliter Deum ſuis opem ferre, ut celebretur ejus bonitas. In nominibus *Nebel* & *Citharæ* alludit ad morem tunc receptum. nec enim dubium eſt quin pars illa fuerit Legalis pædagogiæ, & umbratilis cultus, ad citharam & nablum canere Dei laudes. De publicis gratiarum actionibus loquor: quia etſi privatim non vetamur interponere muſica inſtrumenta, à templis tamen manifeſto Spiritus ſancti edicto arcentur, dum Paulus nonniſi cognita lingua benedicere vel orare permittit. *Veritatis* nomine intelligit, quum divinitus ſervatus eſt, mercedem ſpei ſuæ fuiſſe redditam. Sunt enim res conjunctæ inſeparabili nexu, promiſſiones Dei, & veritas in ipſis præſtandis. Niſi autem pendeamus ex Dei verbo, inſipida nobis erunt quæcunque beneficia conferet. Nunquam etiam vel ad preces, vel ad gratiarum actiones incitabimur, niſi eodem verbo prælucente. Quo magis deteſtabilis eſt diabolici hominis Serveti furor, qui precandi regulam perverti docet ſi fides promiſſionibus alligatur. quaſi vero nobis ad Deum acceſſus pateat, donec ſua voce nos invitet. Proximo verſu melius exprimit ſe non ſimulate, nec defunctorie gratias acturum Deo: quia ſerio fervore ad hoc pietatis officium proſiliet. Figuris enim quibus utitur, breviter intelligit nullum ſibi majus oblectamentum fore, quam in Deo laudando: atque ita oblique profanam eorum lætitiam perſtringit, qui poſthabito Deo, ſibi in rebus proſperis gratulantur. Eodem ultimus quoque verſus tendit, nullum ſcilicet ſuave & optabile ſibi fore gaudium, niſi conjunctum cum Dei laudibus, & hunc ſibi jucundiſſimum fore fructum, celebrare laudibus ſuum redemptorem.

1 Cor. 14. verſ. 13.

ARGUMENTUM PSALMI LXXII.

David totius Eccleſiæ nomine, vota pro continuo Regni ſibi promiſſi ſucceſſu concipiens, ſimul docet veram piorum felicitatem in eo eſſe poſitam, dum ſub manu Regis divinitus electi reguntur.

PSALM. LXXII.

* vel, Pro Solomone. * SOlomonis. Deus judicia tua Regi da, & juſtitiam tuam filio Regis.	1 לשלמה אלהים משפטיך למלך תן וצדקתך לבן מלך׃
2. Judicabit populum tuum in juſtitia, & pauperes tuos in judicio.	2 ידין עמך בצדק ועניך במשפט׃
3. Proferent montes pacem populo, & colles in juſtitia.	3 ישאו הרים שלום לעם וגבעות בצדקה׃
4. Judicabit pauperes populi, ſervabit filios afflicti, & confringet calumniatorem.	4 ישפוט עניי עם יושיע לבני אביון וידכא עושק׃
5. Timebunt te cum ſole, & coram luna generatio generationum.	5 ייראוך עם שמש ולפני ירח דור דורים׃
† vel, ſuper pratum demenſum. 6. Deſcendet ſicut pluvia † in herbam ſectam, ſicut imbres irrigantes terram.	6 ירד כמטר על גז כרביבים זרזיף ארץ׃

S*Olomonis.*] Inſcriptio Pſalmi auctorem non deſignat. nam quum diſerte in fine dicatur hanc fuiſſe ultimam orationem Davidis, magis probabile eſt Pſalmum ab eo fuiſſe ſcriptum. Niſi forte votum patris ſui Solomo ſucceſſor, quo notius eſſet ac magis in populo celebre, in numeros digeſſit. quod à veriſimilitudine non abhorret. Sed quia ל Hebræis plura ſignificat, reſolvere licebit, carmen hoc fuiſſe in gratiam Solomonis compoſitum. Quod ſi recipimus, notandum tamen erit, ſub unius hominis perſona comprehendi perpetuum regni ſtatum. Cæterum omnibus probe expenſis, in hanc conjecturam libenter inclino, quod David inter ultimos ſpiritus precatus fuerat, redactum fuiſſe in formam Pſalmi à filio, ut æternæ memoriæ conſecraretur. Nam hoc videtur ut de re maxime ſeria, conſulto fuiſſe additum, ultimam eſſe Davidis precationem: quo attentius fideles & majori ardore cum memorabili ſancti Regis voto ſua ipſi quoque conjungerent. Cæterum quia Solomo argumentum à patre ſumptum poëtico tantum nitore ornavit, ſit nobis David præcipuus auctor. Qui ſimpliciter vaticinium eſſe volunt de regno Chriſti, videntur nimis violenter torquere verba. Deinde ſemper cavendum eſt ne Judæis obſtrependi detur occaſio, acſi nobis propoſitum eſſet ſophiſtice ad Chriſtum trahere quæ directe in eum non competunt. Sed quum David Dei mandato unctus in Regem, ſciret hac lege ſe & poſteros ſuos ſolium tenere, ut tandem poteſtas & imperium ad Chriſtum perveniret: deinde in hoc regno ita contineri ad tempus terrenam populi ſalutem, ut ex umbra illa præſtantius tandem aliquid emergeret, nempe ſpiritualis & æterna felicitas: merito de hujus regni perpetuitate ita fuit ſollicitus, tamque ardenter pro ea precatus eſt, ut inter extremos ſpiritus votum ſuum repetens, teſtatum eſſe voluerit, hanc ex omnibus ſuis curis ſummam eſſe. Nam quod de æterna dominatione hic habetur, non ad unum hominem, vel paucos, imo ne ad viginti quidem ſecula reſtringi poteſt: ſed notatur ſucceſſio, quæ in Chriſto finem & ſolidum complementum habuit.

Deus judicia.] Quanquam David, apud quem depoſita fuerat promiſſio, anxie ſub mortem, filium qui regni ſucceſſor futurus erat, Deo commendavit: non dubium tamen eſt quin dictaverit toti Eccleſiæ communem orandi formam, tum ut ſinguli fideles non aliter ſibi bene & feliciter fore perſuaſi, quam ſub uno capite, legitimum hunc ordinem colerent: tum ut ab illo umbratili regno ad Chriſtum uſque deducerentur. Summa autem eſt, ut Deus Regem à ſe electum Spiritu rectitudinis & prudentiæ inſtruat. Nam *juſtitiæ* & *judicii* nominibus formam gubernandi rite compoſitam intelligit: eam tyrannicæ & effreni profanorum Regum licentiæ opponens, qui poſthabito Deo, pro arbitrio ſuo dominantur. atque ita à terrenis aliis Regibus ſacrum Iſraëlis Regem cæleſti unctione præditum diſtinguit. Quanquam interea colligimus ex ejus verbis, nullum regimen poſſe in mundo rite conſtitui, niſi Dei auſpiciis, & præeunte ejus Spiritu. Nam ſi propria virtute ſatis inſtructi eſſent Reges, fruſtra aliunde precario rogaret David quod ipſis domi ſuppeteret. Nunc vero Dei juſtitiam & ejuſdem judicium Regibus dari poſtulans, nullos ad obeundum munus idoneos eſſe admonet, niſi quatenus Dei manu
Prov. 8. formantur. Ideo apud Solomonem clamat ejus ſa-
verſ. 15. pientia Reges per ſe regnare. Nec vero mirum eſt, quum res ſit præſtantiſſima ordo politicus, Deum velle agnoſci ejus auctorem, ſibique omnem ejus laudem vindicare. A genere tamen ad ſpeciem deſcendere convenit: quia quum ſingulare Dei opus ſit rectum in mundo principatum erigere ac tueri: multo magis neceſſe fuit, in ſacro illo regno, quod præ aliis elegerat, fovendo & conſervando peculiarem Spiritus ſui gratiam proferte. Per *filium Regis* non dubium quin ſucceſſores intelligat. Quanquam ſimul ad oraculum reſpicit, De fructu ventris Pſal. 132.
tui ponam ſuper ſedem tuam. Atqui nulla in poſte- verſ. 11.
ris Davidis reperietur talis ſoliditas, donec ad Chriſtum ventum fuerit. nam ſcimus, mortuo Solomone, collapſam fuiſſe regni dignitatem, ab eo tempore imminutas & acciſas fuiſſe opes: donec populo in exilium traducto, & Rege probroſe occiſo, funeſta regni clades accidit. Nec vero poſt reditum talis fuit reſtitutio, quæ magnam ſpem faceret, donec tandem ex arido trunco Iſai prodiit Chriſtus. Ideoque inter Davidis filios primum gradum tenet.

2. *Judicabit populum tuum.*] Quidam optative legunt. Alii retinent futurum tempus, ut ſit prophetia. ſed rectius eſt aliquid medium ſubaudire. Quæcunque enim poſtea dicentur, manant ex illa Dei benedictione, ſi Rex ornatus fuerit juſtitia & judicio. Ita igitur reſolvi oratio debet, Guberna Deus Regem noſtrum ut judicet. vel hoc modo, Ubi donatus fuerit tua juſtitia, tunc vere judicabit. Eſt enim donum longe præſtantius, bene regere populum, quam ut è terra proveniat. Spirituale vero Chriſti regimen, quo omnia inſtaurantur in perfectum ordinem, multo magis cæleſte eſt donum. Quanquam autem in genere de toto populo, priore membro loquitur, nominatim adjungit *pauperes*, qui propter inopiam ſuam & infirmitatem alieno ſubſidio indigent, & quorum gratia Reges armati ſunt gladio, ut injuſtis eorum oppreſſionibus ſuccurrant. Hinc etiam naſcitur pax, cujus fit mentio verſu 3. Nam quum hoc nomen Hebræis non quietem modo, ſed proſperos omnes ſucceſſus denotet, David populum tunc feliciter habiturum docet, ſi formatus fuerit publicus ſtatus ad juſtitiæ normam. In *proventu* vero *pacis*, metaphora eſt à terræ fœcunditate ſumpta, acſi dixiſſet nullum fore angulum felicitate vacuum. Nam *montes* ut plurimum laborant ſterilitate, vel ſaltem non abundant tanta frugum copia ut valles. Cæterum tam *pacis* quam *juſtitiæ* nomen cohæret utrique membro, & bis repeti debet, acſi dixiſſet, In juſtitia pacem diffuſum iri per omnes terræ partes. Alii ſimpliciter legunt juſtitiam: ſed ב non videtur eſſe ſupervacuum.

4. *Judicabit pauperes.*] Finem & fructum juſtæ gubernationis proſequitur, & quod breviter attigerat de afflictis populi, fuſius explicat. Tenendum eſt vero illud principium, non aliter fieri ut ſe contineant Reges in juſtitia & æquitate, niſi per Dei gratiam: quia ubi non præeſt è cælo Spiritus rectitudinis, omne imperium in tyrannidem & latrocinium vertitur. Quia autem pollicitus fuerat Deus ſibi curæ fore pauperes & afflictos populi ſui, ut obtineat David quod pro Rege concipit votum, id in pauperum ſolatium tendere oſtendit. Nulla quidem eſt apud Deum perſonarum acceptio: ſed non abs re Deus tenues, qui injuriis & violentiæ magis ſunt obnoxii, præ aliis commendat. Tollantur enim leges & judicia, quo quiſque erit potentior, ad fratres ſuos quoque opprimendos prævalebit. Qui ergo nonniſi publica defenſione tuti ſunt, his Regem fore præſidio David ſpecialiter commemorat, vindicemque fore teſtatur ubi indigne violati fuerint. Porro trita eſt loquendi forma Hebræis, filios afflicti pro afflictis dicere: ſicuti Græci interdum loquuntur, ut quum υἱὲς ἰατρῶν dicunt pro medicis. Quia vero in ſublevandis & tuendis pauperibus partes obire Rex non poteſt quas ei aſſignat David, quin auctoritate & manu compeſcat improbos, non temere additur in fine verſus, *violentos* vel prædones, ubi vigebit juſtitia, *confractum iri.* Neque enim expectandum eſt dum ultro cedant, ſed gladio reprimendi ſunt, ne laſciviat eorum improbitas & audacia. Cordatum igitur principem eſſe oportet,

atque

atque animoſe paratum ad cohibendos improbos, ut manſueti & modeſti jus ſuum obtineant. Atque ita nemo ad regendum populum erit idoneus niſi qui didicerit ſeverus eſſe ubi res ita poſtulat: quia fieri non poteſt quin ſub molli & ignavo principe, vel etiam nimis facili & remiſſo, graſſetur licentia. Ac vere olim dictum fuit, deterius eſſe ſub principe vivere cujus indulgentia omnia licent, quam ſub tyranno ubi nulla eſt libertas.

5. *Timebunt te.*] Si per apoſtrophen legas, poterit hoc ad Regem non incommode referri, hæc ſcilicet præcipua fore dignitatis inſignia quæ reverentiam ei apud ſubditos concilient, ſi jus cuique ſuum æquabiliter reddat: humanus ſit ad juvandos miſeros, & ad domandam malorum audaciam ſeverus. Sed melius conveniet ſine mutatione perſonæ interpretari de ipſo Deo. Quanquam enim inæſtimabile bonum eſt, æquitatem mutuo coli inter homines, majori tamen in pretio meretur eſſe Dei cultus. Ideoque piæ ſanctæque gubernationis fructum non abs re David commendat, quod pietatem & timorem Dei ſecum afferet. Ideoque Paulus jubens orare pro Regibus, finem hunc diſerte exprimit, ut tranquillam ſub ipſis vitam degamus cum omni honeſtate & pietate. Quia ergo periculum eſt ne collapſo ordine politico, diſſipetur religio ac peſſum eat Dei cultus, poſtulat David ut Deus nominis ſui ac gloriæ reſpectum habeat in Rege conſervando. Hoc eodem argumento & Reges admonet ſui officii, & populum ad precandum ſtimulat: quia nihil præſtantius eſt quam ad procurandum Dei cultum votis omnibus eniti. Jam ubi ad Chriſtum venitur, hoc longe verius in eum competit: quia non alibi quam in ejus regno fundata eſt vera pietas. Et certe Dei cultum uſque ad finem mundi protendens David, obiter ſignificat, ſe animo conſcendere ad æternum illud regnum quod pollicitus fuerat Deus.

1 Tim. 2. verſ. 2.

6. *Deſcendet.*] Quanquam videtur aſperior eſſe ſimilitudo, concinne tamen & ſcite exprimit quantum utilitatis in commune proveniat ex probo & legitimo regni ſtatu. Scimus enim tonderi prata initio æſtatis, ubi jam dominatur calor: ita niſi humorem novum ſugeret terra, ipſæ quoque radices propter terræ nuditatem areſcerent. Docet ergo David, non aliter Deum conſulere Eccleſiæ ſuæ ſaluti, ſub Regis manu eam protegendo, quam irrigatione terram ab æſtu defendit. Hoc vero præcipue in Chriſto videmus impleri, qui arcanam gratiam ſtillando, facit Eccleſiam ſuam pullulare.

7. Florebit in diebus ejus juſtus: & multitudo pacis, donec non ſit luna.	7 יפרח בימיו צדיק ורב שלום עד בלי ירח:
8. Et dominabitur à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad terminos terræ.	8 וירד מים עד ים ומנהר עד אפסי ארץ:
9. Coram ipſo procident incolæ deſerti, & inimici ejus pulverem lingent.	9 לפניו יכרעו ציים ואיביו עפר ילחכו:
10. Reges Tharſis & inſularum munus afferent: Reges Scheba & Seba donum adducent.	10 מלכי תרשיש ואיים מנחה ישיבו מלכי שבא וסבא אשכר יקריבו:
11. Et proſternent ſe coram eo omnes Reges, omnes gentes ſervient ei.	11 וישתחוו לו כל מלכים כל גוים יעבדוהו:

7. *Florebit.*] Neceſſe non eſt ſæpius repetere quod ſemel dixi, pendere has omnes ſententias ex primo verſu. Ergo ut floreat juſtus, & proſpere habeat populus, precatus eſt David, Regem ornari juſtitia & judicio. Solomonis quidem officium fuit juſtos tueri: ſed proprium Chriſti eſt juſtos facere: quia non tantum jus ſuum cuique reddit, ſed Spiritu ſuo animos reformat. Et hoc modo juſtitiam poſtliminio reducit, quæ alioqui exularet à mundo. Hanc ſequitur Dei benedictio, qua ſuos omnes exhilarat, dum ſub Rege Chriſto nihil ſibi ad ſolidam felicitatem deeſſe vident. Si nomen *pacis* in proprio ſenſu & magis reſtricto accipere libeat, non repugno. Et certe ad ſummam beatæ vitæ nihil pace optabilius: quando inter bellicos tumultus nihil fere juvat rerum omnium abundantia, ſed corrumpitur & perit. Quod autem dies Regis prorogat uſque ad finem mundi, hinc melius liquet, Davidem non modo comprehendere poſteros ſuos qui terrenum ſolium occuparunt, ſed conſcendere ad Chriſtum, qui à morte reſurgens, cæleſtem ſibi vitam ac gloriam acquiſivit, ut Eccleſiam ſuam ſine fine moderetur.

Gen. 15. verſ. 18.

8. *Et dominabitur.*] Quia Dominus terram populo ſuo in hæreditatem promittens, hos quatuor limites aſſignaverat, ſignificat David, ſalvo & incolumi regno integram fore promiſſæ terræ poſſeſſionem: ut intelligant fideles nonniſi florente regno, Dei benedictionem conſtare ſuis omnibus numeris. Dominaturum ergo pronunciat à mari Rubro, vel ſinu illo maris Ægyptiaci uſque ad mare Syriacum quod Palæſtinæ vocant: deinde ab Euphrate uſque ad deſertum magnum. Jam ſiquis excipiat, Non congruere tam anguſtos fines Chriſti imperio, quod propagari debuit ab ortu Solis uſque ad occaſum: ſolutio facilis eſt, Davidem accommodare ſuo tempori: quia nondum amplitudo illa clare patefacta erat. Exorſus eſt igitur ab ea deſcriptione quæ ſub Lege & Prophetis nota & celebris erat: imo & Chriſtus ipſe regnum ſuum inde auſpicatus eſt antequam penetraret in ultimas terræ plagas: ſicuti Pſalmo 110. verſ. 2. dicitur, Sceptrum virtutis tuæ emittet Dominus è Sion. Sed paulo poſt ampliare fines incipit, transmarinos Reges fore etiam tributarios docens, ſicuti incolas deſerti, jugum ſubituros. Quantum ad ציים non dubito quin hoc nomine deſignet qui verſus Meridiem longius aberant à terra Chanaan. Et in genere ſtatim addit Propheta, *hoſtes Regis terram oſculaturos* in ſignum reverentiæ. Scimus enim Orientales hac ceremonia fuiſſe uſos, ad quam Alexander quoque Macedo poſt domitum Orientem ſuos cogere voluit, unde ortæ ſunt magnæ lites, quod Macedones contumaciter reſpuerent tam ſervile & ſordidum obſequium. Senſus ergo eſt, Regem divinitus electum in Jehudah longe lateque hoſtium fore victorem, ut ſuppliciter eum venerentur.

10. *Reges Tharſis.*] Proſequitur quod cœpit dicere de propagatione regni. Tharſis vocant Hebræi totam plagam quæ ad Ciliciam vergit. Ergo per *inſulas* totum maris Mediterranei tractum ſignificat à Cilicia in Græciam uſque. Quia enim Judæi contenti patriæ ſuæ commodis, non procul navigabant ut aliæ gentes: imo Deus eos data opera incluſerat, ne ſe corrumperent externis moribus: hinc factum eſt ut regiones, quibus oppoſitum erat mare, vocarent inſulas. Fateor quidem Cyprum & Cretam, aliaſque inſulas comprehendi: ſed hoc nomen patere dico ad omnes terras quæ ultra mare Mediterraneum

raneum ſitæ erant. Per מנחה & אשכר quodvis tributum aut vectigal intellige, non autem voluntarias oblationes: quia loquitur de hoſtibus devictis, & de ſubjectionis teſtimonio. Quanquam videtur Scriptura, ut rem odioſam mitiget, conſulto uti illis vocibus, acſi oblique ſubditos argueret, ſi vectigalibus fraudarent ſuos Reges. Per שבא quidam volunt notari Arabiam, per סבא vero Æthiopiam. Quanquam probabilis eſt eorum conjectura qui priore voce intelligunt totam partem ſinus Arabici quæ ad Africam inclinat: ſecunda vero quæ per ש ſcribitur, Sabæam, quæ fertilior erat magiſque amœna regio. Quam inſulſe detortus fuerit hic locus ſub Papatu, dicere nihil attinet. Cantillant enim verſum hunc de Philoſophis vel Magis qui ad Chriſtum adorandum venerunt. Quaſi vero ex Philoſophis Reges ſubito creare in eorum arbitrio fuerit. Deinde etiam mutare plagas mundi, ut ex Oriente Meridiem vel Occaſum facerent. Proximo verſu clarius exprimit totum orbem Chriſti imperio ſubjectum fore. Nam certe regnum Jehudah nunquam magis quam ſub Solomone floruit. atqui tunc nonniſi pauci Reges tributum pendebant, & quidem moderatum: deinde hac lege, ut liberi ſuis legibus viverent. David ergo à filio ſuo & nepotibus exorſus, Prophetico ſpiritu ad ſpirituale Chriſti regnum conſcendit. quod apprime notatu dignum eſt, ut ſciamus non temere nos in ſpem æternæ ſalutis fuiſſe aſcitos: ſed quia jam cæleſtis Pater nos Filio ſuo deſtinaverat, hinc etiam colligimus, in Eccleſia & grege Chriſti eſſe Regibus locum: quos hic David non exarmat gladio, nec diademate ſpoliat, ut admittat in Eccleſiam, ſed cum ſua dignitate venturos eſſe dicit ut ſe coram Chriſto proſternant.

12. Quia eripiet pauperem clamantem, & inopem cui non eſt adjutor.	12 כי יציל אביון משוע ועני ואין עזר לו:
13. Miſerebitur ſuper egenum & pauperem, & animas pauperum ſervabit.	13 יחס על דל ואביון ונפשות אביונים יושיע:
14. A fraude & violentia redimet animas eorum, & pretioſus erit ſanguis eorum in oculis ejus.	14 מתוך ומחמס יגאל נפשם ויקר דמם בעיניו:
15. Et vivet, & dabit ei de auro Seba: & orabit pro eo ſemper, quotidie benedicet eum.	15 ויחי ויתן לו מזהב שבא ויתפלל בעדו תמיד כל היום יברכנהו:

12. *Quia eripiet.*] Rurſus teſtatur, regnum quod celebrat, minime tyrannicum vel crudele fore: ſicuti major pars Regum neglecta communi ſalute, propriis commodis addicta eſt: unde fit ut miſeros populos inhumaniter premant. imo quo quiſque magis eſt formidabilis, omniaque ingurgitat, eo præſtantior habetur. Atqui ſi de toto genere humano proverbii vice celebrata fuit ſententia, nulla re magis ad Deum accedere mortales, quam beneficentia: virtutem hanc in Regibus non fulgere, nimis abſurdum eſt, quos ſibi Deus propius conjunxit. Quare non abs re David, ut Regem divinitus electum amabilem reddat, non modo juſtitiæ & æquitatis cuſtodem fore dicit, ſed adeo humanum & miſericordem, ut contemptiſſimis quibuſque paratum ſit in eo præſidium. quod in Regibus nimis rarum eſt, qui ſplendore ſuo excæcati, longe ſe à miſeris ſui ducunt: acſi cura hæc, ſua dignitate eſſet inferior & indigna. Atqui ſanguinem plebeium, qui vilis eſſe ſolet, ac pro nihilo fere duci, apud hunc divinum Regem ſummo in pretio fore David prædicat. Conſtantia etiam & magnanimitas notatur in verbo *redimendi:* quia non ſatis eſſet, Regi non placere fraudes & rapinas, niſi ſe vindicem fortiter opponeret. Sub *fraude* vero & *violentia* omne maleficii genus complectitur: quia homo nocendo aut leo eſt, aut vulpes. Alii enim aperta vi graſſantur: alii autem inſidioſe & occultis artibus ad iniquitatem obrepunt. Porro ſcimus datum eſſe Chriſto

Mat. 28. verſ. 18. ſummum imperium in cælo & in terra, ut ſuos non modo protegat à temporalibus noxis, ſed præcipue ab omni Satanæ injuria, donec omni moleſtia exemptos in æternam quietem colligat.

15. *Et vivet.*] Quod nonnulli verbum hoc ad pauperes referunt, videtur coactum. Longa igitur vita, quæ non ultima eſt inter terrenas Dei benedictiones, Regem hunc donandum eſſe affirmat David. Quæ poſtea ſequuntur, indefinite legenda ſunt: acſi dixiſſet, Dabitur ei aurum Arabicum, paſſimque concipientur vota pro ſalute ejus. Iterum repetit quod de potentia dixerat: quia ſi Arabia pendat tributum, quanta opum congeries ex tot regionibus magis vicinis contrahetur? Etſi autem non regnat Chriſtus ad aurum coacervandum, figurate tamen docere voluit David, remotiſſimos quoſque populos fore in officio, ut ſe ei totos ſuaque omnia addicant. Neque enim novum eſt, ſpiritualis regni gloriam ſub externo ſplendore delineari. Opulentiſſimum ergo fore Chriſti regnum prædixit David, ſed pro ſpirituali ejus natura. Unde apparet quam ſcelerate & nequiter hoc loco abuſi ſint Papiſtæ, ut ad ſe corraderent caducas mundi opes. Jam ſub communibus populi votis quibus commendabitur ſalus Regis Deo, ſignificat ſubditos fore voluntarios, ut nihil ſibi optabilius eſſe ducant, quam ejus imperio parere. Etſi autem jugum detrectant multi, hypocritæ etiam tacite apud ſe fremunt, &, ſi daretur optio, libenter abolerent Chriſti memoriam: vere tamen in omnes pios competit hic affectus, non modo quia terrenis quibuſque Regibus officium hoc præſtari jubet Scriptura, ſed quia peculiari ſtudio & cura tangi debent propagandi hujus regni, in quo & relucet Dei majeſtas, & eorum ſalus ac felicitas incluſa eſt: ideoque videbimus Pſal. 118. precandi formam toti Eccleſiæ dictari, ut Deus Regem hunc benedicat: non quod indigeat ſuffragiis noſtris Chriſtus: ſed hoc pietatis teſtimonium merito exigit à ſuis cultoribus, quo etiam ſe exerceant ad poſtulandum regni Dei adventum.

16. Erit palma tritici in terra in capite montium, concutietur ſicut Libani fructus ejus, & egredientur ex urbe quaſi planta terræ.	16 יהי פסת בר בארץ בראש הרים ירעש כלבנון פריו ויציצו מעיר כעשב הארץ:
17. Erit nomen ejus in ſeculum, coram ſole propagabitur nomen ejus, & benedicent ſe in eo omnes Gentes, & beatum prædicabunt illum.	17 יהי שמו לעולם לפני שמש ינון שמו ויתברכו בו כל גוים יאשרוהו:

18. Bene-

18. Benedictus Jehova Deus Deus Iſraël, faciens mirabilia ſolus:

19. Et benedictum nomen gloriæ ejus in ſeculum, & repleatur gloria ejus omnis terra: Amen & amen.

20. Finiunt orationes Davidis filii Iſai.

18 בָּרוּךְ יְיָ אֱלֹהִים אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל עֹשֵׂה נִפְלָאוֹת לְבַדּוֹ׃

19 וּבָרוּךְ שֵׁם כְּבוֹדוֹ לְעוֹלָם וְיִמָּלֵא כְבוֹדוֹ אֶת כֹּל הָאָרֶץ אָמֵן וְאָמֵן׃

20 כָּלּוּ תְפִלּוֹת דָּוִד בֶּן יִשָׁי׃

16. *Eris palma.*] Probabilis eſt eorum opinio quibus palma tantundem valet ac exigua portio. His autem duabus circumſtantiis raram & inſolitam fœcunditatem notari putant, quod ubi pauxillum tritici, quantum ſcilicet palma capere poteſt, ſeminatum fuerit, & quidem in montium verticibus, qui ut plurimum non adeo ſunt feraces: uberrimum tamen proventum fore, ut ariſtæ non aliter reſonent quam arbores in Libano. Neſcio tamen an adeo ſubtilis comparatio inter ſationem & meſſem, Davidis verbis reſpondeat. Simplicius ergo accipere licebit, tantam fore copiam tritici in verticibus montium, ut metatur plena manu. Sub hac autem ſpecie depingitur Dei benedictio: acſi dixiſſet David, plenam fore bonorum abundantiam ſub Rege Chriſto. Additur & propagatio ſobolis: acſi diceret, non modo omni genere fructuum fertilem terram fore, ſed urbes quoque fore generandis hominibus fœcundas. Nomen *Libani* malui reddere in caſu genitivo. quia durior eſt metonymia, quam alii relinquunt, nomen *montis* pro arboribus ponentes.

17. *Erit nomen ejus.*] Rurſus iterat quod de hujus regni perpetuitate prius aſſeruit. Nec dubium eſt quin ſedulo illud diſcernere voluerit à terrenis monarchiis, quæ vel ſtatim evaneſcunt, vel ruunt tandem ſua mole: certe ſuo interitu oſtendunt, nihil eſſe in mundo diuturnum & ſtabile. Quod *nomen ejus perpetuum* fore dicit, non ita debet accipi quaſi ſuperſtes futura ſit mortui fama: ut profanos quoque homines ſollicitat hæc ambitio, ne ſuum nomen una ſepeliatur cum corpore: ſed de regno loquens Propheta, nomen ejus ſemper glorioſum & celebre fore dicit. Quod quidam exponunt לִפְנֵי שֶׁמֶשׁ acſi decus quod daturus erat Deus Regibus Jehuda, præferret Solis ſplendori, contextui repugnat. Eodem enim ſenſu prius dixit, Cum ſole, & coram luna. Nunc ergo poſtquam meminit ſeculi, exegetice addit, *propagatum iri nomen coram ſole.* Ad verbum eſt, filiabitur: quia ſicuti ſol quotidie oritur mundo, renovabitur hujus Regis vigor, ut perpetua ſit ſucceſſio. Sic alibi videbimus ſolem & lunam
Pſal. 89. verſ. 38. ejuſdem æternitatis vocari teſtes. Unde ſequitur, non poſſe hoc intelligi de terreno imperio, quod in familia Davidis non niſi ad breve tempus floruit: nec modo in tertio ſucceſſore fuit emarcidum, ſed tandem ignominioſe etiam extinctum. Chriſti vero regnum etſi in terra ſæpe labaſcit, ut totius mundi furioſis odiis impetitur, & concutitur graviſſimis Satanæ machinis, mirabiliter tamen à Deo fulcitur, ne concidat. Quod ſequitur, *In eo ſe benedicent Gentes*, duplicem ſenſum admittit. Sæpe enim ita loquuntur Hebræi, dum quiſpiam in exemplar benedictionis ſumitur. ſicuti in Davide ſibi benedicit, qui Deum ſibi precatur non minus eſſe beneficum & liberalem, quam Davidi fuit: ſicuti etiam rurſum dicitur in Sodoma & Gomorrha maledicere, qui urbium illarum nomina ad execrationem arripit. Si ergo in eundem ſenſum hæc duo verba poſita ſunt, benedicent ſe in illo, &, beatum dicent: benedicere ſibi in Rege, tantundem valebit ac ſibi eandem precari fortunam: quia omnibus admirationi erit ejus felicitas. Si vero diſtinguere inter hæc duo verba placeat (quod non minus probabile eſt) benedicere in Rege, idem erit ac petere ab eo felicitatis ſuæ cauſam: quia nihil optabilius ſibi eſſe videbunt Gentes, quam leges ab eo ſuſcipere.

18. *Benedictus.*] Poſtquam ſuis ſucceſſoribus bene precatus eſt David, quia oraculo certior factus erat vota ſua non fore irrita, effertur in Dei laudes. Niſi enim fidei oculis ſpeculatus eſſet quæ hactenus vidimus, non tam libera & alacris fuiſſet ejus exultatio. Quod dicit, *mirabilia facere Deum ſolum*, ad præſentem cauſam referri minime dubium eſt: non modo ut regni excellentiam commendet, ſed etiam ſeipſum & alios admoneat, opus fore ad ejus conſervationem mirifica & incredibili Dei virtute. Et certe per omnes fere ejus poſteros non ſtetit quominus ſolium illud centies caderet, atque etiam abſorberetur. Ne longius progrediar, nonne turpiſſima Solomonis defectio digna fuit exitiali ruina? Reliqui vero ſucceſſores, exceptis Joſia, Ezechia, & Joſaphat, paucíſque aliis, nonne certatim prolapſi ſunt in deterius, & Dei maledictionem ſic provocarunt quaſi data opera, ut mirum ſit non ſtatim fulminaſſe ad perdendam totam ſobolem? Jam, ut ſpiritu Prophetico donatus erat David, quia eum non latebat, Satanam Eccleſiæ ſaluti ſemper fore infeſtum, colligere potuit non ſine magnis & arduis difficultatibus Dei gratiam, de qua nunc diſſerit, in ſua gente fore æternam. Et certe eventus poſtea docuit quot miraculis ſua promiſſa Deus impleverit, ſive reditum à Babylonico exilio ſpectemus, ſive incredibiles, quæ ſequutæ ſunt, liberationes, donec Chriſtus quaſi ſurculus ab emortua ſtirpe prodiit. Hinc merito precatur ut gloria nominis ejus repleat totam terram, quando ad ultimos uſque mundi fines ampliandum erat regnum illud. Atque ut ſerio affectu, imo ardore, his votis ſe pii omnes ſocios adjungant, additur confirmatio *Amen & amen.*

20. *Finiunt orationes.*] Diximus hoc non fruſtra expreſſum fuiſſe à Solomone. ſiquidem ipſe poëticis numeris argumentum hoc ornavit, non modo ne patrem ſuum fraudaret debita laude, ſed ut acrius ſtimularet Eccleſiam ad eaſdem fundendas preces, quas David uſque ad ultimum ſpiritum continuaverat. Meminerimus ergo, tam ſerio affectu, quam indefeſſa aſſiduitate orandum eſſe Deum, ut ſub manu Filii ſui Eccleſiam tueatur. Et videtur nomen patris Iſai revocare memoriam originis, ut inde magis illuſtretur Dei gratia, quod hominem ignobilem ex pecudum ſtabulo, qui etiam minimus & contemptiſſimus erat inter fratres, in tam excelſum honoris gradum extulerit ut Regem præficeret electo populo.

Digitized by Google

ARGUMENTUM PSALMI LXXIII.

Initio David, vel quiſquis ſit auctor, quaſi repugnante carnis ſuæ ſenſu, Dei juſtitiam & bonitatem prædicat. Deinde fatetur, quum impios videret opibus florere, & ſuaviter deliciari, contumelioſe etiam Deo illudere, & inhumaniter vexare bonos & ſimplices: quo autem quiſque integritatem majore ſtudio coleret, eo pluribus incommodis gravari: imo omnes Dei filios ſub curis & doloribus quaſi macie tabeſcere: Deum vero, quaſi in cælis otioſus deſideat, rebus tam confuſis non mederi: ſe graviter fuiſſe perculſum, ut prope curam religionis & Dei timorem abjiceret. Tertio ſtultitiam ſuam coarguit, quod ex præſenti rerum ſtatu perperam feſtinaverit judicium ferre: & tolerantia opus eſſe docet, ne fides in perturbationibus labaſcat. Tandem concludit, ſiquis arcanæ Dei providentiæ ſuos progreſſus concedat, in ipſo fine clarum fore diſcrimen unde appareat neque juſtos ſuo præmio fraudari, neque impios effugere judicis manum.

PSALM. LXXIII.

PSalmus Aſaph. Atqui bonus Iſraëli Deus rectis corde.

2. Quantum ad me, propemodum fluxerunt pedes mei, quaſi effuſi ſunt greſſus mei:

3. Quia æmulatus ſum in ſtultis, pacem impiorum videns.

1 מִזְמוֹר לְאָסָף אַךְ טוֹב לְיִשְׂרָ׳
אֱלֹהִים לְבָרֵי לֵבָב׃

2 וַאֲנִי כִּמְעַט נָטוּי רַגְלָי כְּאַיִן
שֻׁפְּכָה אֲשֻׁרָי׃

3 כִּי קִנֵּאתִי בַּהוֹלְלִים שְׁלוֹם רְשָׁעִים
אֶרְאֶה׃

DE Pſalmi auctore non anxie diſputo. quanquam mihi veriſimile eſt, quia ejus canendi provincia mandata fuerit ipſi Aſaph, nomen ejus poni, præterito Davidis nomine, ſicuti res per ſe notæ ſæpe taceri ſolent. Porro quam utilis ſit nobis hujus doctrinæ meditatio, ex Prophetæ exemplo colligere promptum eſt, qui tametſi non vulgari modo exercitatus erat in vera pietate, vix tamen ſe retinuit in hac tam lubrica vacillatione: imo antequam ad ſanam mentem rediret, ad brutum fere ſtuporem, collapſum ſe fuiſſe fatetur. Nos vero quam tenuiter guſtaverimus Dei providentiam, experientia demonſtrat. Fatemur omnes mundum divinitus regi: ſed ſi cordibus noſtris id vere eſſet infixum, longe alia eſſet fidei noſtræ conſtantia ad ſuperandas res adverſas. Nunc quum minima quæque occaſio excutiat nobis hanc notitiam, apparet nondum ſerio & vere nos fuiſſe perſuaſos. Adhæc innumeris artificiis tenebras nobis obducit Satan: & in confuſis mundi rebus tantum eſt caliginis, ut difficile ſit ſtatuere, Deo curæ eſſe terram. Triumphos ſuos ut plurimum agunt impii: & quum data opera Dei ultionem provocent; impune videntur illudere dum illis parcit. Boni & ſimplices inopia confecti, multis incommodis oppreſſi, vexati multis injuriis, operti ignominia & probro, gemunt & ſuſpirant; quo magis ſtudent prodeſſe omnibus, eo majore licentia eorum tolerantia abuti improbi audent. Quem non ſollicitet impia cogitatio, mundum fortuito volvi? Certe mentes infidelium penitus occupat, quas Deus non illuſtrat ſuo Spiritu, ut ad æternam vitam ſe attollant: ideo dicit Solomo repleri corda hominum impietate, & Dei contemptu, quia promiſcue omnia eveniunt bonis & malis: quia ſcilicet res inordinatas non eſſe ſub Dei manu exiſtimant. Scimus quoſdam fuiſſe ex philoſophis qui Dei providentiam aſſererent: ſed uſus docuit adhuc non fuiſſe ſerio perſuaſos, ut rebus præter animi ſententiam cadentibus, quod profeſſi erant, aperte ſint deteſtati. Cujus rei memorabile habemus in Bruto exemplum: nihil poteſt fingi animoſius illo homine, & omnes ejus æquales confeſſi ſunt cordatiſſimum eſſe hominem: atque, ut homo Stoicus, virtutem & providentiam Dei magnifice prædicabat: victus tamen ab Antonio, exclamat, quicquid de virtute credidit, eſſe meras nugas: & ſtudium recte vivendi luſorium eſſe, quia fortuna dominetur in rebus humanis. Ita vir ille heroici pectoris, & qui ſpeculum erat miræ conſtantiæ, virtuti renuncians, & ſub ejus nomine Deo maledicens, turpiter evanuit. Ita omnium impiorum judicia huc & illuc convertunt varii eventus. Et quomodo tam validis & violentis machinis reſiſterent profani homines, qui Dei Spiritu non ſunt regeniti: quum ſingulari cæleſtis gratiæ ſubſidio opus ſit, ne prævaleat eadem tentatio in cordibus piorum, & contingat etiam ipſos interdum concuſſos labaſcere: ſicuti David nunc fatetur ſe parum abfuiſſe à lapſu? Sed nunc ad verba deſcendo.

1. *Atqui bonus.*] Adverbium אַךְ quo utitur, non affirmat ſimpliciter hoc loco, ſed adverſative capitur pro veruntamen. Quod autem abruptum facit exordium, notare operæpretium eſt: antequam in hanc vocem erumperet David, inter dubias & pugnantes ſententias æſtuaſſe. Nam ut ſtrenuus athleta, ſeipſum exercuerat in pugnis difficillimis: poſtquam vero diu multumque ſudavit, diſcuſſis impiis imaginationibus, conſtituit Deum tamen ſervis ſuis eſſe propitium, & ſalutis eorum fidum eſſe cuſtodem. Ita ſubeſt antitheſis inter pravas imaginationes quas ſuggeſſerat Satan, & hoc veræ pietatis teſtimonium quo nunc ſe confirmat: acſi malediceret carnis ſuæ ſenſui qui dubitationem admiſerat de providentia Dei. Nunc tenemus quam emphatica ſit exclamatio: quia non aſcendit David ſuggeſtum, ut diſputet philoſophico more, & concinno artificio ſermonem contexat: ſed quaſi ex inferis emergeret, pleno ſpiritu jactare quam adeptus erat victoriam. Nam ut ſuo exemplo doceat quam arduum ſit certamen, viſcera ſua quodammodo profert in medium, & plus aliquid vult intelligi quam verbis exprimat. Summa eſt, quamvis in ſpeciem negligat Deus ſuos cultores, favore tamen ſuo eos ſemper complecti. nam ſpecialiter Dei providentiam celebrat in regendis fidelibus: ut ſciant non modo cum aliis creaturis divinitus ſe gubernari, ſed Deum in eorum ſalutem peculiari cura attendere, non ſecus ac paterfamilias ſollicite curat ſuos domeſticos. Tametſi ergo totum orbem moderetur, Eccleſiam tamen ſuam, quam tuendam ſuſcepit, propiore intuitu dignatur. Hæc ratio eſt cur Propheta *Iſraëlem* nominet: atque etiam protinus hoc nomen reſtringat ad *rectos corde:* in quo eſt correctionis ſpecies. Multi enim qui ſuperbe obtendunt Iſraëlis nomen, acſi præcipua eſſent Eccleſiæ membra, Iſmaëlitæ ſunt ac Edomitæ. David ergo expungere volens à catalogo piorum degeneres Abrahæ filios, neminem agnoſcit in Iſraële niſi purum & integrum Dei cultorem. acſi diceret, Quum Deum prædico Iſraëli ſuo bonum eſſe, non de omnibus intelligo, qui externa tantum profeſſione contenti, fallacem titulum præ ſe ferunt: ſed de ſpiritualibus Abrahæ filiis, qui ſe puro cordis affectu Deo conſecrant. Quod exponunt quidam, *Deum Iſraëli*, hoc

hoc eſt electo populo, *bonum eſſe*: deinde etiam alienigenis, qui modo veram rectitudinem colunt: frigidum eſt ac coactum. Teneamus ergo quod dixi. nam David bonitatem Dei erga electum populum & Eccleſiam commendans, reſcindere multos hypocritas coactus fuit qui deſciverant à Dei cultu: ideoque paterno Dei favore erant indigni. Cæterum his Prophetæ verbis reſpondet Chriſti dictum,
Joan. 1. Hic eſt verus Iſraëlita in quo dolus non eſt. Nam
verſ. 48. quia apud Judæos, extincto Dei timore, ſola fere manualis reſtabat circumciſio, Chriſtus legitimos Abrahæ filios à fucatis hac nota diſcernit, quod dolo puri ſint ac vacui. Et certe in Dei cultu primas partes obtinet interior cordis ſinceritas.

2. *Quantum ad me.*] Ad verbum eſt, Et ego: quod emphatice legi debet: quia intelligit David, tentationes iſtas quæ in Deum ſunt contumelioſæ, fidemque obruunt, non accidere tantum plebeiis hominibus, vel qui leviter tantum aliquo pietatis guſtu præditi ſunt: ſed ſibi quoque fuiſſe communes, qui præ aliis in Dei ſchola proficere debuerat. Se igitur in exemplum proponens, eo magis excitare nos voluit & ſtimulare ad ſollicitum cavendi ſtudium. Etſi autem non ſuccubuit, ſe tamen parum à lapſu abſuiſſe dicens, admonet, omnibus inſtare cadendi periculum, niſi eos forti manu Deus retineat. Poſtea explicat ipſam tentationis ſpeciem, quod ſcilicet impios ex præſenti fortuna felices æſtimans, invidia tactus fuerit. Gravis & noxia tentatio, ubi non modo tacite cum Deo litigamus, quod res in ordinem non componat, ſed etiam habenas nobis laxamus ad peccandi audaciam, dum nobis videmur id impune facturi. Celebre eſt illud Dionyſii minoris dicterium, quum ſpoliato templo proſperam navigationem haberet, Videtiſne deos, inquit, favere ſacrilegis? Ita eorum proſperitas peccandi eſt illecebra: quia fingimus Deo placere quibus tam ſuaviter indulget. Sic Davidem pupugit proſpera illorum conditio, acſi nihil melius foret quam ſe adjungere ſocium. Impios vero, *ſtultos* vocans, vel inſanos, non intelligit inſcitia vel errore peccare, ſed eorum veſaniam timori Dei opponit, qui eſt caput ſapientiæ. Quamlibet enim aſtuti ſint impii, quia tamen principium recti judicii non tenent, ad Dei arbitrium formandam eſſe vitam noſtram, in ſua cæcitate inſaniunt.

4. Quia non ſunt ligamina ad mortem ipſorum, & pingue robur eorum:	4 כִּי אֵין חַרְצֻבּוֹת לְמוֹתָם וּבָרִיא אוּלָם׃
5. In labore hominis non ſunt, & cum homine non flagellantur.	5 בַּעֲמַל אֱנוֹשׁ אֵינֵמוֹ וְעִם אָדָם לֹא יְנֻגָּעוּ׃
6. Propterea circumdat inſtar torquis eos ſuperbia, operuit eos amictus violentiæ.	6 לָכֵן עֲנָקַתְמוֹ גַאֲוָה יַעֲטָף שִׁית חָמָס לָמוֹ׃
7. Egreſſus eſt præ pinguedine oculus eorum, tranſierunt cogitationes cordis.	7 יָצָא מֵחֵלֶב עֵינֵמוֹ עָבְרוּ מַשְׂכִּיּוֹת לֵבָב׃
8. Diffluunt, & loquuntur in malitia rapinam, è ſublimi loquuntur.	8 יָמִיקוּ וִידַבְּרוּ בְרָע עֹשֶׁק מִמָּרוֹם יְדַבֵּרוּ׃
9. Poſuerunt in cælum os ſuum, & lingua eorum perambulat in terra.	9 שַׁתּוּ בַשָּׁמַיִם פִּיהֶם וּלְשׁוֹנָם תִּהֲלַךְ בָּאָרֶץ׃

4. *Quia non ſunt ligamina.*] Deſcribit impiorum commoditates, quæ totidem ſunt ad labefactandam piorum fidem machinæ. Et à proſpera quidem valetudine incipit, quod vegeti ſint ac robuſti, nec ægre per continuos languores ſpiritum trahant. Quidam ligamina ad *mortem* accipiunt pro remoris. acſi dixiſſet eos repente mori in temporis articulo: neque luctari cum doloribus. ſicut etiam in libro Job 21. verſ. 13. terrena cenſetur felicitas, ubi ſe oblectaverunt profani in ſuis lautitiis, in puncto ad ſepulchrum deſcendere. Et Julius Cæſar, pridie quam occideretur, ſibi εὐθανασίαν videri dixit, ſubito & ex inopinato mori. Ergo ſecundum illos interpretes conqueritur David ſine moleſtiis & ægritudine impios facili & æquabili curſu tranſire ad mortem. Sed eorum ſententiæ potius ſubſcribo, qui conjunctim legunt hæc duo membra, pingue eſſe robur eorum, & non eſſe ligamina ad mortem, eo quod non trahantur ad mortem quaſi captivi. Nam quia morbi vires noſtras proſternunt, totidem ſunt mortis nuncii, qui nos fragilitatis noſtræ admonent. Ideo non fruſtra comparantur vinculis, quibus nos Deus ad jugum ſuum aſtringit, ne vigor & robur ad petulantiam nos incitent. Secundo loco dicit impios læta quiete frui, & quaſi privilegio quodam immunes eſſe à miſeriis, quibus obnoxium eſt totum genus humanum. Quanquam enim ipſos quoque involvunt communiter cum bonis afflictiones, & ſua in eos judicia ſæpe Deus exercet: Deus tamen conſulto nonnullos ſemper in theatro locat, examinandæ fidei noſtræ cauſa, in quibus appareat exemptio à miſeriis qualis hic deſcribitur.
Geneſ. 3. Hæc autem gravis tentatio eſt, quum laborioſa ſit &
verſ. 19. miſeriis referta hominum vita, atque omnibus præſcripta ſit hæc lex ac ratio vivendi, cernere Dei contemptores in ſuis deliciis quieſcere, acſi è mundo in cæleſtem aliquem nidum ſublati forent.

6. *Propterea circumdat.*] Longius progreditur hæc querimonia, quod Deus, quum ipſos videat ſua humanitate indigne & ſcelerate abuti, eorum tamen ingratitudinem & contumaciam toleret. Utitur autem ſimilitudine veſtitus, ut eos oſtendat in maleficiis gloriari. Verbum ענק à torque deducitur. Itaque impios dicit ſua audacia & furore non ſecus gloriari acſi ſplendide aureo torque ornati forent: violentiam illis eſſe pro amictu, quoniam in ea pulcherrimum decus eſſe exiſtimant. Nam quod שית nonnulli vertunt nates, à contextu nimis eſt remotum. Ego itaque non dubito quin David, poſtquam à capite vel collo incepit (nam verbum ענק etiam coronare ſignificat) nunc uno verbo complecti voluerit totum veſtitum. Summa autem eſt, excæcari impios ſua felicitate, ut magis ac magis inſoleſcant. Et apte ſuperbiam priore loco ſtatuit, deinde violentiam addit comitem. Unde enim fit ut rapiant ac prædentur undecunque impii, tantumque ſævitiæ exerceant, niſi quia pro nihilo ducunt omnes alios? quin potius ſibi natum eſſe fingunt humanum genus. Ergo ſuperbia omnis violentiæ mater.

7. *Egreſſus eſt præ pinguedine.*] Subjicit non eſſe mirum ſi ita petulanter ferociunt impii, quum ipſa pinguedo & ſagina fere ejiciat eorum oculos. Verbum Egredi, quidam ita accipiunt, acſi oculi ſuffocati evaneſcerent è ſuo loco. Sed quia pinguedo facit ut promineant oculi, proprium ſenſum retinere malo. Quanquam ſciendum eſt non de forma corporis loqui Davidem, ſed metaphorice exprimere faſtum quo inflantur impii ob nimiam ſaturitatem. Nam

Nam ita ſe ingurgitant in ſuam abundantiam, ut arrogantia deinde crepent. Biſariam etiam exponitur poſterius membrum. Quidam per verbum עבר effrenem audaciam notari putant, quia ſe non continent impii intra communem modum, ſed erraticis ſuis conſultationibus nubes tranſcendunt: ſicuti ſæpe agitant quomodo occupare poſſint totum mundum: imo vellent ſibi creari alios mundos: denique, ut ſunt inſatiabiles, vaga & effreni cupiditate transvolant cælum & terram. Atque hic ſenſus non male quadraret, ſtultas eorum cogitationes nullo modo temperari, nulliſque finibus cohiberi. Sed altera quoque interpretatio optime quadrat, proſperos eorum ſucceſſus ſuperare quicquid animo concipiunt. Et certe videmus quoſdam plus adipiſci quam optarint, acſi ipſis dormientibus fortuna in eorum gratiam retia tenderet: ſicuti lepide hac formà pinxerunt Demetrium regem, qui tot urbibus potitus erat, homo alioqui neque induſtrius, neque vigilans, neque magni conſilii. Si ita accipere libeat, exegetice additum erit hoc membrum ad pinguedinem (cujus ante meminit) definiendam, quod ſcilicet Deus ſupra vota & cogitationes, bonorum omnium copiam illis ingerat.

8. *Diffluunt.*] Quidam verbum ימיקו tranſitive accipiunt: ſed quia grammatica ratio neutralem quoque ſenſum admittit, elegi quod contextui erat aptius: quod ſcilicet homines ſe eſſe obliti, & diſſoluta audacia pudorem omnem calcantes, ſuam improbitatem non diſſimulent: imo palam glorientur de ſuis rapinis. Et certe videmus, impios, ubi aliquamdiu votorum ſuorum fuerunt compotes, exuere omnem verecundiam, nec captare latebras ad peccandum, ſed pleno ore ſuam turpitudinem efflare: Quid? an non poſſum te ſpoliare omnibus fortunis, atque etiam jugulare? Poſſunt quidem hoc latrones: ſed metu ſe occultant. Gigantes autem iſti, vel Cyclopes, de quibus loquitur David, non modo ſe exleges eſſe fingunt: ſed immemores ſuæ infirmitatis intemperanter deſpumant acſi nullum eſſet recti & iniqui diſcrimen. Quod ſi tamen magis arrideat diverſa interpretatio, mihi etiam non diſplicet, impios ſcilicet oppreſſiones ſuas jactando, formidinem incutere ſimplicibus & quietis. Nam quum ſe videant expoſitos eorum libidini, fieri non poteſt quin tremant, & quaſi liqueſiant, ubi vident tantum ipſis licere. Quod dicit *loqui è ſublimi*, tantundem valet ac ſuas contumelias evomere in omnium capita. Sicut enim deſpicere apud Latinos & *καταβλέπειν* apud Græcos dicuntur ſuperbi homines, qui neminem recto aſpectu dignantur: ſic David ipſos è ſublimi loquentes inducit: quia nullam ſibi cum hominibus ſocietatem eſſe putant. Proximo verſu dicit tam in Deum quam in homines eſſe contumelioſos: quia nihil illis eſt arduum, ſed ſuo arbitrio ſubjiciunt cælum & terram. Siquis ergo illis Dei potentiam objiciat, audacter perrumpunt: ab hominibus nihil ſibi difficultatis fore putant: ita nullis obſtaculis cedit magniloqua eorum lingua, quin totam terram perambulet. Quanquam autem videtur hyperbolica loquutio, ſi tamen expendimus quam effrenis ſit eorum protervia, fatebimur Prophetam non aliud docere quam experientia demonſtrat.

10. Propterea revertetur populus ejus huc, & aquæ pleni calicis exprimentur illis.	10 לכן ישוב עמו הלום ומי מלא ימצו למו׃
11. Et dicunt, Quomodo intelligit Deus? & an eſt ſcientia in Excelſo?	11 ואמרו איכה ידע אל ויש דעה בעליון׃
12. Ecce iſti impii, & tranquilli in ſeculo, coacervant divitias.	12 הנה אלה רשעים ושלוי עולם השגו חיל׃
13. Certe fruſtra mundavi cor meum, & lavi quotidie manus meas:	13 אך ריק זכיתי לבבי וארחץ בנקיון כפי׃
14. Et fui flagellatus quotidie, & increpatio mea ſingulis matutinis.	14 ואהי נגוע כל היום ותוכחתי לבקרים׃

10. *Propterea revertetur.*] Varie hanc ſententiam torquent interpretes: primo quia relativum ſine antecedente ponitur, quidam indefinite accipiunt de impiis, acſi dictum eſſet, Impios ſemper revolvi ad iſtam cogitationem: & *populum* accipiunt de magna caterva, quia nemo impius ſignum tollit quin ſecum trahat multos comites. Putant ergo illi Prophetam dicere, turmatim multos confluere ad unumquemque impium. Deinde in ipſorum aulis contentos eſſe aquæ potu: adeo illos faſcinat perverſa imaginatio. Atqui multo rectior eſt ſenſus, qui etiam majori conſenſu receptus eſt, populum Dei reverti illuc. Nam quod הלום quidam accipiunt pro afflicto, coactum eſt. Nondum tamen ſatis conſtat quid Propheta velit. Quidam conjunctim legunt, Populum Dei huc reverti, ut plenos calices hauriat aquæ mœroris. Ego vero verſum hunc pendere arbitror ex ſuperiori ſermone, ut ſenſus ſit, multos qui habiti fuerant in Dei populo, abripi hac tentatione, ac naufragio etiam abſorberi. Neque enim videtur de electis loqui, ſed tantum notare larvatos Iſraëlitas, qui locum in Eccleſia occupant. Hos ergo dicit in exitium demergi, quia ſtulta æmulatione decepti, Deo & pietati valedicunt. Quanquam poterit etiam commode hoc referri ad electos, quorum permultos adeo impetuoſe exagitat iſta tentatio ut ſe convertant ad obliquos errores: non quod ſceleribus ſe addicant, ſed quia non perſiſtunt in firmo gradu. Senſus ergo erit, non modo profanum vulgus, ſed fideles ipſos, quibus propoſitum eſt Deum colere, impelli ad illicitam æmulationem. Quod poſtea ſequitur, *aquas pleno calice illis exprimi*, videtur eſſe cauſæ redditio: quia eos torquet mœſtitia dum nullus apparet pietatis fructus. Nam aquis ſaturari, translatitie poſitum eſt pro haurire immodicos dolores.

11. *Et dicunt.*] Quod tradunt quidam interpretes Prophetam redire ad impios, & referre eorum ludibria & blaſphemias, quibus ſe ad peccandum inſtigant, mihi non probatur. Potius enim explicat David quod proximo verſu dixerat, fideles ad impia commenta delabi, ubi caduca impiorum felicitas oculos ipſis perſtringit: nempe quia diſputant ſitne in Deo ſcientia. Quantum ad profanos homines ſpectat, nimis inter eos vulgaris eſt hæc inſania. Eſt quidem hoc carmen Ovidii, Sollicitor nullos eſſe putare deos: ſed quia ſcimus à Poëtis exprimi communes hominum ſenſus, profeſſus eſt quaſi in populi perſona, ſimulatque aliquid adverſi contigit, effluere omnem Dei notitiam. Neque tantum ambigunt ſitne Deus, ſed cum eo diſceptant ac jurgantur. Quid enim ſibi vult illa vox, Nec Saturnius hæc oculis pater aſpicit æquis, niſi quod Jovi ſuo injuſtitiam exprobrat mulier quæ ex animi ſententia non tractatur? Ergo hoc inter incredulos nimis vulgare ac tritum, negare mundum curæ eſſe Deo. Sed hic refert David, ipſos quoque fideles vacillare,

non

non quod prorumpant in iſtam blaſphemiam, ſed quia non poſſunt ſtatim ſe cohibere ubi ceſſare videtur Deus in ſuo officio. Nota eſt illa expoſtulatio Jeremiæ, Juſtus es Domine, & recta judicia tua: interim venit in mentem litigare tecum, quod via impiorum proſperetur. Hinc apparet quomodo pias quoque mentes pungat dubitatio de providentia Dei: ſed tamen non penitus vulneret: quia præfatur Jeremias, frenum hoc modo ſibi injiciens. Neque tamen ſemper ita mature præoccupant Satanæ inſidias, quin dubitando inquirant quomodo fieri poſſit ut Deus, ſi mundum reſpicit, rebus tam inordinatis non ſuccurrat. Eorum qui impie contra Deum blaterant, ejus providentiam negando, ſunt duo genera. Quidam enim palam evomunt ſuas blaſphemias, quod Deus otio ſuo & deliciis contentus, fortunæ omne imperium permittat. Alii, quamvis taciti intus ſorbeant ſuas cogitationes, fremunt tamen nihilominus, & Deum injuſtitiæ vel torporis accuſant, quod conniveat ad ſcelera, pios negligat, ſinatque omnia diſſipari ac peſſum ire. pii autem, antequam pravæ iſtæ & nefandæ cogitationes penetrent in eorum animos, ſeſe exonerant in Dei ſinum: neque aliud petunt quam acquieſcere in arcanis ejus judiciis, quorum ratio ipſos fugit. Senſus ergo hujus loci eſt, non modo impios, quum vident res in mundo turbulentas, fortunæ dare cæcum imperium: ſed ipſos quoque fideles concuti, ut ambigant de providentia Dei: & mirabiliter retineri Dei manu, ne in hac abyſſo prorſus mergantur.

Jer. 12. verſ. 1.

12. *Ecce iſti.*] Quaſi per hypotypoſin demonſtrat qualis fuerit iſta æmulatio quæ ejus animum prope labefactavit, Ecce quum iſti ſcelerati ſint homines, quieſcunt tamen beati in ſuis deliciis, & potentia eminent, neque id ad paucos dies, ſed diuturno & quaſi perpetuo curſu. Quid autem minus conſentaneum, quam liberaliter à Deo tractari quorum apud homines infamis eſt ac deteſtabilis improbitas? עולם perperam hic pro mundo multi accipiunt: quia potius conqueritur David de ſtabili & diuturna felicitate impiorum, quæ tædio moræ bonos conficit. Quum ergo ſceleratos videat David tam ſuaviter à Deo foveri, ad ſeipſum deſcendit: & quia ſibi veræ probitatis conſcius eſt, ſecum diſceptat quid profuerit juſtitiam colere, eo quod miſere affligetur. Dicit enim ſe *quotidie flagellari*, & quoties ſol exoritur, aliquid incommodi ſibi paratum eſſe, ut nullus ſit miſeriarum finis. Summa eſt, Certe fruſtra ſtudui mundum habere cor & puras manus, quum me aſſiduæ afflictiones maneant, & quaſi excubias agant ad me excipiendum prima aurora. Hæc enim conditio oſtendit nullam eſſe coram Deo innocentiæ mercedem: quia ſuos cultores paulo humanius tractaret. Porro quia duabus partibus conſtat vera integritas piorum, nempe puritate cordis, & externa operum juſtitia, utramque partem David ſibi vendicat. Nos quoque, ejus exemplo, diſcamus eas conjungere, ac incipere quidem à munditie cordis, deinde vero eam teſtari rectitudine & juſtitia apud homines.

15. Si dixero, Narrabo ſic, Ecce * generatio filiorum tuorum: tranſgreſſus ſum.	15 אם אמרתי אספרה כמו הנה דור בניך בגדתי׃
16. Et ſi applicui animum ad hoc ſciendum, moleſtia id fuit in oculis meis.	16 ואחשבה לדעת זאת עמל היא בעיני׃
17. Donec ingrediar in Sanctuaria Dei, intelligam noviſſimum eorum.	17 עד אבוא אל מקדשי אל אבינה לאחריתם׃

** vel, in generatione filiorum tuorum tranſgreſſus ſum, vel fefelli.*

15. *Si dixero.*] Quia David cogitationes, quibus tentatus fuerat, perverſas eſſe videt, frenum ſibi injicit, ſuamque levitatem coarguit quod ſibi ambigere permiſerit. Etſi autem conſilium Davidis minime obſcurum eſt, in verbis ſubeſt aliquid perplexum. בגד ſignificat tranſgredi, atque etiam fallere. Ideo vertunt quidam, fefelli generationem: acſi dixiſſet, Fraudarem hoc modo ſpe ſua filios tuos. Vertunt alii, tranſgreſſus ſum in generationem. hoc eſt, facerem injuriam fidelibus. Sed quoniam verba Prophetæ ſic habent, *Ecce generatio filiorum tuorum, tranſgreſſus ſum:* ex quibus optimus ſenſus elicitur: ſimpliciter ita interpretor, Si impiæ dubitationi aſſentiar, tranſgredior, quia ecce perdurant fideles in mundo, & ſemper populum aliquem tibi conſervas. Ita nihil ſubaudiendum erit, & verbum בגדתי ſeorſum abſque conſtructione legetur. Diximus autem alibi nomen דור proprie ad tempus referri. Nunc clare tenemus quid velit David, quum ſibi indulgeant profani homines in ſuis ſpeculationibus, donec ſeipſos tandem obdurent, & excuſſo Dei metu, ſimul abjiciant ſpem ſalutis: ſanctus vir, ne in tale præcipitium ruat, ſeipſum compeſcit. *Narrare* hic tantundem valet ac pronunciare quod meditatus ſis. itaque ſenſus eſt, Si judicium quaſi de re certa proferam, ſcelerata erit tranſgreſſio. Quum ergo ante ſuſpenſus hæreret, nunc ſe graviter peccaſſe agnoſcit. Ratio interponitur, quia Deus populum aliquem in mundo ſuperſtitem tueatur. Et videtur demonſtrativam particulam *ecce* repetere ex oppoſito: quia paulo ante dixerat, Ecce iſti ſcelerati. Eccleſiam vero, quæ tam furioſe à Satana & innumeris hoſtium copiis impetitur, ſalvam manere, vere divinum miraculum eſt.

16. *Et applicui animum.*] Verbum חשב quo utitur, proprie ſupputare ſignificat, interdum vero conſiderare vel expendere. ſed adjectio ſenſum quem poſui flagitat, quod animum ſuum ad hoc ſciendum applicuerit. Cæterum quamvis tranſgreſſionis ſe damnaverit, nunc tamen fatetur ſe non fuiſſe explicitum ab ambagibus quæ ejus animum diſtrahebant, donec ingreſſus eſt Sanctuaria Dei. Summa enim verborum huc tendit, quamvis huc & illuc mentem ſuam verteret, ratiocinando tamen non potuiſſe aſſequi quomodo inter tantas perturbationes Deus mundum gubernet. Porro de ſeipſo loquens, admonet quouſque perveniant homines ubi proprio ſenſu duce aguntur: nempe deficere ſub moleſtia, quia nihil certum vel ſtabile reperiant. Nec enim dubium quin Sanctuaria opponat carnis rationi. Unde ſequitur, quicquid ex ſe homines ſapiunt, frivolum eſſe & evanidum: quia ſola docilitas illis prudentiæ loco eſt, dum à verbo Dei pendent. Neque vero de incredulis loquitur, qui ſponte cæcutiunt, ſeipſos involvunt erroribus, ſcandala etiam cupide arripiunt, quæ procul à Deo ipſos alienent. Sed quum modeſte non minus quam ſedulo incumberet ad piam inquiſitionem, reverenter etiam non minus quam attente ſuſpiceret Dei judicia, fatetur tamen ſe evanuiſſe. *moleſtia* enim tantundem valet ac inutilis labor vel irritus. Quiſquis ergo naturaliter ratiocinando, de judiciis Dei certior fieri volet, abſque profectu ſe fatigabit: ideoque in ſuperiorem gradum tranſire neceſſe eſt. Per *Dei Sanctuaria* quidam etiam ex Hebræis cæleſte domicilium intelligunt, in quo habitant piæ animæ & Angeli: acſi dixiſſet, donec agnoſcam non eſſe creatos homines hac lege, ut pauliſper floreant ac delicientur in mundo, ſed ut peregrinando aſpirent in cælum. Et ſane de providentia Dei neminem fateor recte judicare,

dicare, niſi qui ſupra terram conſcendit: ſimplicius tamen ac magis genuinum erit Sanctuarii nomine intelligere cæleſtem doctrinam. Quia enim Lex repoſita erat in Sanctuario, inde petenda erant oracula, & hæc vera erat diſcendi ratio, ſcite David *ingredi Sanctuaria* poſuit pro accedere ad Dei ſcholam. acſi diceret, Donec ſit Deus mihi magiſter, & ex ejus verbo diſcam quod alioqui mens mea non capit, in reputanda mundi gubernatione deficio. Quum ergo audimus, homines, niſi aliunde ſapiant quam ex ſeipſis, non eſſe idoneos ad conſiderandum providentiæ Dei ordinem, quod jam erit noſtrum ſapere, niſi obedienter amplecti quod Deus tam verbo ſuo quam Spiritu docet? Etſi enim David Sanctuarii voce ad externam illam docendi rationem alludit quam inſtituerat Deus in populo ſuo, arcanam tamen Spiritus illuminationem ſimul cum verbo complectitur. Per *finem illorum* vel noviſſima, non intelligit vitæ exitum qui perſpicitur ab omnibus: (quid enim opus fuiſſet in Sanctuaria Dei ingredi?) ſed extenditur hic finis ad Dei judicia, quibus palam facit, quum dormire vulgo creditur, ſe in opportunum tempus pœnas differre quas promeriti ſunt improbi. Hoc paulo fuſius explicandum eſt. Si ex Deo qualis ſit impiorum conditio diſcere cupimus: reſpondet, ubi pauliſper floruerint, ſubito marceſcere. Quod ſi continuo curſu fluat illis felicitas uſque ad mortem, hoc tamen nihil eſt, quum eorum vita nihil ſit. Quum ergo Deus impios omnes male perituros pronunciet, ſi apertam in hac vita vindictam de illis ſumit, occurrat nobis Dei judicium. Si autem nulla ultio in terra appareat, mentes noſtras ſuſpendere convenit: quia nondum advenit finis vel noviſſimus dies. Denique ſi in conſiderandis Dei operibus rite proficere cupimus, primum rogandus eſt ut nobis aperiat oculos: (quia nihil aliud quam deſipiunt qui à ſeipſis volunt eſſe oculati & perſpicaces:) deinde auctoritas verbo ejus danda eſt.

18. Certe in lubricis poſuiſti eos, dejicies eos in deſolationes.	18 אַךְ בַּחֲלָקוֹת תָּשִׁית לָמוֹ הִפַּלְתָּם לְמַשּׁוּאוֹת׃
19. Quomodo fuerunt in vaſtitatem quaſi momento? perierunt, conſumpti ſunt ab horroribus.	19 אֵיךְ הָיוּ לְשַׁמָּה כְרָגַע סָפוּ תַמּוּ מִן בַּלָּהוֹת׃
20. Quaſi ſomnium poſt expergefactum *hominem*: Domine in ſuſcitando imaginem eorum contemptibilem reddes.	20 כַּחֲלוֹם מֵהָקִיץ אֲדֹנָי בָּעִיר צַלְמָם תִּבְזֶה׃

18. *Certe in lubricis.*] Jam David luctis perfunctus, quaſi novus homo eſſe incipit: & compoſite loquitur quaſi ex alta ſpecula. ſicuti hoc remedium
Habac. 2. verſ. 1. in rebus turbatis Propheta Habacuc ſuo exemplo nobis præſcribit, Aſcendam, inquit, ſuper ſpeculam meam. Oſtendit ergo David quantum proſit Deo appropinquare. Video, inquit, Domine, quid agas. quamvis enim pauliſper ſubſiſtant impii, in lubrico tamen agitantur, ut brevi concidant. Utrumque verbum præteriti temporis eſt: ſed ponere in lubrico, de præſenti tempore capitur, acſi diceret ideo raptari in ſublime ut caſu graviore ruant. Hoc quidem videtur etiam bonis commune eſſe, quia totus mundus lubricus eſt: ſed quia è cælo pendent fideles, imo fundati ſunt in Dei virtute, quamlibet ſint fragiles, & incerta eorum conditio, non dicuntur in lubrico ſtare. Quod ſi nutent, vel etiam labantur, Dominus ſuppoſita manu nutantes confirmat, & lapſos erigit. Inde autem lubricitas impiorum, quod in ſua potentia quaſi in glacie pedem figunt, ſeque veſana elatione ad præcipitium comparant. Neque enim imaginanda eſt nobis fortunæ rota, quæ temere omnia volvendo miſceat: ſed tenendum Dei conſilium quod attingit Propheta, & quod piis omnibus dicit in Sanctuario patefieri, nempe occulta Dei providentia impelli. Qua de re lectores, ſi volent, videant pulchrum Claudiani carmen libro primo contra Rufinum.

19. *Quomodo fuerunt.*] Hæc admiratio non parum ad confirmationem proximæ ſententiæ valet. nam ſicuti torporem nobis adeoque ſtuporem inducit proſperitas impiorum, ita inopinata pernicies melius nos expergefacit, ut inquirere quiſque cogatur quomodo factum ſit quod omnes putabant fieri non poſſe. Ergo quaſi de re incredibili interrogat Propheta. Simul tamen admonet Deum ſic quotidie operari, ut nobis juſta ſit mirandi occaſio, niſi oculi deeſſent. Imo ſi fide eminus proſpiceremus judicia Dei, nihil novum vel difficile creditu contingeret: quia admiratio ex ſocordia naſcitur. Quod dicit impios *conſumi à terroribus*, duplicem ſenſum admittit: vel quod fulminet Deus contra eos inſolitis modis, qui propter novitatem, formidinem incutiunt: vel quod Deus, licet manum non admoveat, ſolo flatus ſui horrore exanimet hoſtes ſuos, & in nihilum redigat: quum tamen ſecure deſpiciant omnia pericula, acſi eſſent extra telorum jactum, & fœdus haberent cum morte. ſicuti prius
vidimus cum hac jactantia protervientes induci, *Pſal. 12.*
Quis noſter dominus eſt? Ego ut priorem ſenſum *verſ. 5.*
magis amplectar, hac ratione inducor, quod Deus, ubi nos adeo tardos ad conſideranda judicia ſua videt, ut torporem noſtrum corrigat, violenta judicia exercet, ac inuſitatis modis perſequitur impios, acſi terram concuteret.

20. *Quaſi ſomnium.*] Hæc ſimilitudo frequenter
in Scriptura occurrit, ſicuti Jeſaias hoſtes Eccleſiæ *Jeſa. 29.*
ſimiles fore dicit nocturnæ viſioni. Sed alios locos *verſ. 7.*
adducere longum eſſet atque ſupervacuum. Aptiſſime autem convenit ad locum præſentem. Unde enim tanta fortunæ impiorum admiratio, niſi quia ſopor mentes noſtras occupat? denique non ſecus fingimus beatos eſſe ac felices, quam ſomniando fabricamus regna quæ nunquam fuerunt. Nam qui verbo Dei illuminati vigilant, quamvis ante eorum oculos ſplendeant impii: contrario ſplendore qui longe ſuperat, retinentur. Nos ergo expergefieri Propheta jubet, ut appareat meram vanitatem eſſe quicquid ſuſpicimus in mundo: ſicuti ipſe nunc rediens ad ſanam mentem, ſe prius ſomniaſſe ac deliraſſe agnoſcit. Cauſa additur, quia Deus *imaginem eorum contemptibilem* & probroſam *reddet*. Hac autem voce perperam, meo judicio, quidam intelligunt animam hominis, quia formata ſit ad Dei imaginem: quum ſimpliciter externam pompam derideat Propheta, quæ oculos perſtringens, ſimul effugit: quemadmodum & Pſalmo 39. verſ. 7. habuimus, Certe in imagine tranſit homo. quod tantundem valet ac fluere inſtar aquæ, cui nulla ineſt ſoliditas: vel potius inſtar figuræ, quæ in ſpeculo refulgens, ſubſtantia tamen caret. Imago igitur hic ſignificat quod vulgo dicimus apparentiam. Atque ita oblique errorem noſtrum coarguit Propheta, quia de nihilo nobis phantaſmata concipimus. Particula בָּעִיר proprie ſignificat in urbe: ſed quia frigide hoc dictum eſſet, multi prudenter tantundem valere judicant atque בְּהָעִיר. quod etiam ex puncto camés colligitur. Ita vertendum eſt *in ſuſcitando*, hoc eſt, ubi tranſierint ſomnia iſta quæ nos deludunt. Id autem fit non modo quum Deus res turbatas in

tolerabilem ordinem reſtituit, ſed quum tenebris diſcuſſis, mentes quoque noſtras ſerenat. Etſi autem nunquam res in mundo compoſitæ cernuntur ut optandum foret: quia Deus ſpei noſtræ fovendæ cauſa perfectum ſtatum differt uſque ad diem ultimum judicii: quoties tamen manum ſuam exerit contra impios, illucet quædam aurora, ne denſior caligo nos ſopore occupet. Trahunt hoc quidam ad ultimum judicium: acſi dixiſſet David pollere opibus & potentia impios in mundo, & confuſam hanc noctem durare uſquedum ſuſcitabit Deus mortuos. Etſi autem utilis eſt doctrina, hic locum non habet: quia à contextu prorſus aliena eſt. Sicui magis placeat legere In urbe, ſenſus erit, non obſcuram fore Dei vindictam, quum fluxum impiorum decus ſubjiciet opprobrio: ſed hoc palam fore & conſpicuum, quaſi in frequenti urbis foro. Sed melius cohæret Suſcitandi verbum, quod ſomniis opponitur.

21. Quia excanduit cor meum, & renibus meis compunctus ſum.	21 כִּי יִתְחַמֵּץ לְבָבִי וְכִלְיוֹתַי אֶשְׁתּוֹנָן׃
22. Et ego ſtultus, nec cognovi: quaſi jumenta fui apud te.	22 וַאֲנִי בַעַר וְלֹא אֵדָע בְּהֵמוֹת הָיִיתִי עִמָּךְ׃
23. Ego vero ſemper tecum, tenuiſti manum dexteram meam.	23 וַאֲנִי תָמִיד עִמָּךְ אָחַזְתָּ בְּיַד יְמִינִי׃
24. Conſilio tuo diriges me: & tandem in gloriam ſuſcipies me.	24 בַּעֲצָתְךָ תַנְחֵנִי וְאַחַר כָּבוֹד תִּקָּחֵנִי׃

21. *Quia excanduit.*] Iterum confeſſionem repetit quam prius ediderat, quod ſcilicet pravæ æmulationis punctiones in animo ſentiens, ſtomachoſe litigaverit cum Deo. Bilem fermento comparat. Alii vertunt, aceto cor fuiſſe perfuſum. Sed melius convenit cor fuiſſe acidum, vel turgidum inſtar fermenti: ſicut etiam apud Plautum mulier iracundia fervens, dicitur tota eſſe in fermento. Alii legunt, compuncti ſunt renes mei: & א in principio dictionis poſitum eſſe volunt loco ה, quod ad ſenſum parum intereſt. Scimus autem כליות (quo nomine Hebræi renes intelligunt) deduci à כלה quod eſt appetere, quia ſedem cupiditatum ponunt in renibus. Perplexis itaque cogitationibus quaſi ſpinis ſe fuiſſe confixum dicit. Unde autem hæc tam acris indignatio Davidi, ante diximus. Multi enim profani homines, quamvis cæleſti providentia mundum regi negent, non tamen ſe magnopere diſcruciant, ſed rident Fortunæ luſus. Quo autem magis perſuaſum eſt fidelibus, Deum eſſe mundi judicem, eo magis excandeſcunt ubi non reſpondet eorum votis. Mox vero ſevere ſe, ut par erat, caſtigans, ſtultum primo vocat: deinde accuſat ſuam ignorantiam: tertio dicit ſebeſtiis fuiſſe ſimilem. Si tantum de ſua inſcitia confeſſus eſſet, quæri poterat unde vitium vel defectus. Hoc igitur ſtultitiæ ſuæ adſcribit, quam magis amplificat, comparans ſe brutis animalibus. Summa eſt, pravam illam æmulationem, cujus meminit, ex inſcitia & errore natam eſſe: erroris vero culpam in ipſo reſidere, quia mente alienatus deſipuerit: neque id vulgari modo, ſed ad brutum ſtuporem uſque. Etſi enim verum eſt quod ante diximus, homines de operibus Dei nunquam rectum judicium facere, quia in illis conſiderandis deficiunt omnes eorum ſenſus: merito tamen David culpam ſibi imputat, quod ab humano judicio ad brutas pecudes deſciverit. Cæterum quoties non placebit nobis conſilii Dei ratio in mundi gubernatione, meminerimus id ſenſus noſtri pravitate fieri. Particula עמך comparative hic accipitur pro coram te. acſi dixiſſet, Domine, quamvis aliqua ratione excellere viſus ſim in mundo, cæleſtis tamen ſapientiæ tuæ reſpectu fui quaſi jumentum. Nec abs re hanc particulam interpoſuit. unde enim fit ut homines ſua vanitas ſic demulceat, niſi quia dum alius alium reſpicit, omnes ſibi blandiuntur? Luſcus enim ſibi videtur quiſque inter cæcos: ſaltem hoc uno contentus eſt, quod alii nihilo magis ſapiunt. Ubi autem ad Deum venitur, jacet ille, cui indormiebant, communis error.

23. *Ego vero ſemper tecum.*] Hic alio ſenſu dicit ſe fuiſſe cum Deo. gratias enim agit, quod in illa ruinæ proclivitate retentus ab eo fuerit ne prorſus excideret. Hujus vero gratiæ magnitudinem illuſtrat confeſſio illa, quod veſanus fuerit, & brutum animal. Bis enim ac ter dignus erat qui abjiceretur ubi fremere audebat contra Deum. Cæterum duobus modis apud Deum eſſe homines dicuntur, nempe vel ſenſu & cogitatione, dum perſuaſi ſunt ſe agere ſub illius oculis, ejuſque manu regi & virtute ſuſtineri: vel dum illos palantes ac vagos Deus arcano freno continet, nec in totum alienari patitur. Qui ergo ſe à Deo negligi fingit, non eſt apud Deum, proprio ſenſu: ſed occulta ejus gratia apud eum manet, quia non deſeritur. Denique propinquus eſt ſemper Deus electis ſuis: quia licet tergum obvertant, eos tamen paterno ſemper intuitu proſequitur. Per apprehenſionem dexteræ ſignificat mirabili Dei virtute ſe fuiſſe retractum à profunda illa abyſſo in quam ſe projiciunt reprobi. Quod ergo ſe cohibuit David ne prorumperet ad manifeſtas uſque blaſphemias, ne obdureſceret in errore, quod etiam ſeipſum ſtultitiæ damnavit, hoc Dei gratiæ fert acceptum, quod porrecta dextra ipſum à præcipitio erexerit. Hinc vero perſpicimus quam pretioſa Deo ſit ſalus noſtra, quod, dum procul ab ipſo vagamur, ſollicite tamen nos reſpicit, manumque extendit ad nos colligendos. Non debet quidem hoc obtendi in prætextum ignaviæ, ſed tamen experientia docet, quum ſtupidi torpemus, nos Deo curæ eſſe, adeoque fugitivis & erronibus propinquum eſſe. Et notanda eſt vis metaphoræ, quum *dextram apprehendere* dicitur. nulla enim tam levis eſt tentatio quæ non facile nos dejiciat, niſi divinitus fulciamur. Quod ergo non ſuccumbimus etiam in graviſſimis pugnis, non aliunde eſt quam ex Spiritus ſancti auxilio: non quod ſplendide ſemper in nobis exerat ſuam virtutem, quia ſæpe eam perficit in noſtra infirmitate: ſed ſatis eſt quod cæcis & neſcientibus ſuccurrit, labantes ſuſtentat, imo etiam lapſos erigit.

24. *Conſilio tuo.*] Quoniam verba ſunt futuri temporis, hunc genuinum eſſe ſenſum exiſtimo, Domine poſtquam nunc tuo ductu in viam ſemel reductus ſum, poſthac etiam regere me perges, donec tandem in gloriam tuam ſuſcipiar. Scimus enim, Davidi ſolenne eſſe, ubi gratias agit, concipere fiduciam in futurum tempus. Poſtquam ergo confeſſus eſt infirmitates ſuas, celebravit quam expertus erat adjutricem Dei gratiam: nunc de ejuſdem perſeverantia ſpem ſibi facit. Directio conſilii priore loco ponitur: quia etſi ſtultis & inconſideratis res interdum bene ſuccedunt (quia noſtris erroribus medetur Deus, & quæ male tentata fuerant, in lætiorem exitum vertit) ordinaria tamen & plenior ejus benedictio eſt dare ſuis prudentiam: & hoc in primis

peten-

petendum, ut Spiritu conſilii & judicii nos gubernet. Quiſquis enim ſua prudentia fretus, quicquam aggredi audebit, quia ſibi arrogat quod Dei proprium eſt, cum hac ſua temeritate pudefiet. Si enim Davidi neceſſe fuit præeuntem habere Deum, quanto magis eodem duce nobis opus eſt? Conſilio deinde adjungitur *gloria*, quæ, meo judicio, ad æternam vitam reſtringi non debet, ſicuti faciunt quidam: ſed totum felicitatis noſtræ curſum complectitur, à principio quod nunc cernitur in terra: uſque ad finem, quem ſperamus in cælo. Sibi ergo æternam gloriam à gratuito Dei favore promittit David, non tamen excludit benedictiones quibus in terra ſuos proſequitur, ut aliquam felicitatis partem jam delibent.

25. Quis mihi in cælo? & tecum non optavi in terra.	25 מִי לִי בַשָּׁמָיִם וְעִמְּךָ לֹא חָפַצְתִּי בָאָרֶץ:
26. Defecit caro mea & cor meum: robur cordis mei, & portio mea Deus in ſeculum.	26 כָּלָה שְׁאֵרִי וּלְבָבִי צוּר לְבָבִי וְחֶלְקִי אֱלֹהִים לְעוֹלָם:
27. Quia ecce, qui diſcedunt abs te, peribunt: perdidiſti omnem fornicantem abs te.	27 כִּי הִנֵּה רְחֵקֶיךָ יֹאבֵדוּ הִצְמַתָּה כָּל זוֹנֶה מִמֶּךָּ:
28. Quantum ad me, appropinquare Deo, mihi bonum eſt: poſui in Domino Jehova ſpem meam, ut enarrem omnia opera tua.	28 וַאֲנִי קִרֲבַת אֱלֹהִים לִי טוֹב שַׁתִּי בַּאדֹנָי יְהוִה מַחְסִי לְסַפֵּר כָּל מַלְאֲכוֹתֶיךָ:

25. *Quis mihi in cælo?*] Clarius demonſtrat quantum profecerit in Sanctuario Dei: quia ipſo uno contentus, quæcunque ſe præter ipſum offerunt, rejiciat. Eſt quidem aliis linguis aſpera loquendi forma qua utitur, ſed Hebræis trita, dum interrogatio & affirmatio ſimul junguntur. In ſenſu quidem nulla eſt ambiguitas, Davidem præter Deum nihil in cælo vel in terra appetere, & illo excepto fœtere quæcunque homines ad ſe alliciunt. Et certe tunc demum ſuam apud nos gloriam obtinet Deus, ſi huc & illuc non circumferimur, ſed unus ipſe nobis ſufficit. Quod ſi vel minimam partem affectus noſtri addicimus creaturis, eatenus Deum fraudamus debito honore. Et tamen hoc ſacrilegio nihil magis vulgare fuit omnibus ſeculis, nec hodie eſt. Quotus enim quiſque ſenſus ſuos in ſolo Deo incluſos tenet? Videmus quam multos ei comites adjungat ſuperſtitio. quamvis enim fateantur Papiſtæ à Deo pendere omnia, innumera tamen ſibi hinc inde ſubſidia accerſunt. Alii ſuperbia inflati, vel ſe vel alios homines ſocios Deo obtrudunt. quo diligentius notanda eſt hæc doctrina, nobis fas non eſſe quenquam appetere præter Deum. Quanquam autem *cæli & terræ* nominibus deſignat quicquid imaginari poſſunt homines, videtur tamen duas ſpecies diſtincte notare. neminem ergo ſe præter Deum in cælo quærere dicens, repudiat omnes fictitios deos quibus cælum replet communis mundi error ac ſtultitia. Quod negat ſe quenquam optare in terra: refero ad fallacias, quibus totus fere mundus ſe inebriat. Nam qui priore illo Satanæ artificio non falluntur, ut ſibi falſos deos fabricent: vel arrogantia ſe decipiunt, dum ſua induſtria, aut virtute, aut prudentia confiſi, uſurpant quod Dei proprium eſt: vel ſe ineſcant fallacibus illecebris, dum recumbunt in hominum favorem, vel ſuis opibus aliiſque ſubſidiis nituntur. Hæc igitur una eſt quærendi Dei ratio, ubi non abſtrahimur per varios circuitus, & exuti omni ſuperſtitione & ſuperbia, ad Deum unum nos recta conferimus. Nam particula hæc, *tecum neminem volui*, tantundem valet acſi dixiſſet, Quia te cognovi unum mihi ſatis ſuperque eſſe, non raptor poſt varios appetitus, ſed in te acquieſco. Porro ut Deo uno ſatiemur, operæpretium eſt cognoſcere quam bonorum plenitudinem nobis offerat.

26. *Defecit caro mea.*] Priorem partem verſus ita quidam accipiunt, quod præ deſiderii ardore defecerit cor & caro Davidis: atque ita teſtari putant quam ſerio ad Deum ſenſus ſuos applicuerit. Quanquam autem ſimilis alibi loquutio occurret, videtur tamen alium ſenſum exigere quod continuo poſt additur, *Fortitudo cordis mei Dominus.* Potius antitheſin eſſe arbitror inter defectum quem in ſe David ſentiebat, & robur divinitus ei ſuggeſtum: acſi diceret, Quamvis à Deo ſeparatus nihil ſim, omniaque mea in nihilum recidant, veniens tamen ad eum, reperio illic plenam fortitudinem. Atque hoc apprime neceſſarium eſt, reputare quid ſimus ſine Deo: quia nemo ſe prorſus in Deum conjiciet, niſi qui ſe deficere ſentiens, de ſuis facultatibus deſperat. Neque enim à Deo petimus niſi quod nobis intus deeſt. Atque hoc quidem fatentur omnes, & major pars ſufficere putat, ſi infirmitatem ſublevet Deus, vel inopiæ ſuppetias ferat. Longe plenior eſt Davidis confeſſio, dum ſuam (ut ita loquar) nullitatem coram Deo proponit. itaque merito addit *Deum eſſe portionem ſuam*: qua ſimilitudine ſignificat Scriptura ſortem qua quiſque contentus eſt. Quum ergo transfertur hoc ad Deum, ſciamus hanc eſſe rationem, quia unus ipſe nobis abunde ſufficiat, & in eo conſiſtet perfecta felicitas. Unde ſequitur, nos ingratos eſſe ſi alio reflectimus animum, ſicuti dictum eſt Pſalmo 16. verſ. 5. ubi rationem metaphoræ clarius David explicat. Quod nugantur quidam vocari Deum portionem noſtram quia anima ex eo ſumpta ſit: neſcio unde tam futilis argutia illis venerit in mentem, quæ non minus remota eſt à ſententia Davidis, quam cælum à terra: & ſecum trahit Manichæorum delirium, quo faſcinatus fuit Servetus. Sed hoc ut plurimum contingit, homines in Scripturis non exercitatos, & non imbutos vera theologia, licet periti ſint linguæ Hebraicæ, hallucinari tamen in primis rudimentis. Porro licet cordis nomine totam animam comprehendat, non tamen eſſentiam deficere intelligit, ſed vires omnes concidere, quas nonniſi ex Dei liberalitate precario obtinet.

27. *Quia ecce, qui.*] A repugnantibus probat nihil eſſe melius, quam ſimpliciter acquieſcere in uno Deo: quia ſimulac ab eo quiſpiam diſceſſerit, horribilis ipſum interitus manet. Diſcedere autem ſciamus omnes qui ſpes ſuas varie partiuntur ac diſſipant. Eodem pertinet *fornicandi* verbum: quia peſſimum adulterii genus eſt, cor noſtrum dividere, ne in ſolo Deo fixum maneat: quod facilius erit cognitu ſi definiatur ſpiritualis mentis noſtræ caſtitas, quæ in fide, invocatione Dei, cordis integritate, & verbi obedientia ſita eſt. Quiſquis ergo ſe verbo Dei non ſubjicit, ut bonorum omnium auctorem unicum ſentiens, ab eo pendeat, ſe tradat ei regendum, ad eum ſemper confugiat, omneſque affectus ei addicat, ſimilis eſt mulieri adulteræ, quæ relicto marito, alienis ſe proſtituit. Perinde igitur eſt acſi David omnes apoſtatas pronunciet eſſe adulteros.

28. *Quantum ad me.*] Ad verbum, *Et ego.* Sed David ſeorſum de ſe loquens, affirmat, quamvis totum mundum videat vagis erroribus à Deo alienari, ſe tamen ſub Dei manu ſemper fore: Pereant, inquit,

quit, alii, ſi reſtringi non poteſt eorum libido quin ferantur poſt mundi fallacias: in hoc tamen propoſito firmus manebo, ut ſacram cum Deo conjunctionem colam. Appropinquandi modum continuo poſt ſubjicit, dum in eo fiducia noſtra reſidet. Neque enim aliter nos Deus retinebit, niſi perſuaſi ſimus non aliter quam ejus gratia nos ſalvos ſtare. Notandus eſt autem hic locus, ne toto mundo ad incredulitatem labente, mala exempla nos abripiant ad communem licentiam: ſed nos ad unum Deum reſtringere diſcamus. In fine ſignificat, poſtquam uni Deo ſe conſecraverit, nunquam ſibi defore ejus laudandi materiam: quia ſcilicet ſpem ſuorum nunquam fruſtratur. Unde ſequitur, non alios Deo maledicere, vel obſtrepere, niſi qui ſponte nebulas ſibi obducunt, ne perſpecta ejus providentia, ejus fidei tutelæque ſe permittant.

ARGUMENTUM PSALMI LXXIV.

Queruntur ſancti de Eccleſiæ vaſtatione, quæ nomen Iſraëlis prope ad interitum adduxerat. Etſi autem ex ſupplicibus votis apparet eos aſcribere peccatis ſuis quicquid ſuſtinent malorum, Deo tamen objiciunt fœdus ſuum, quo genus Abrahæ ſibi adoptavit. Deinde in memoriam revocant quam potenter & magnifice virtutem ſuam exeruerit in liberanda Eccleſia: & ſpe inde concepta, precantur ut Deus opem & remedium tandem afferat rebus perditis & deploratis.

PSALM. LXXIV.

ERudiens Aſaph. Utquid Deus repuliſti in perpetuum, fumabit ira tua in gregem paſcuorum tuorum?	1 משכיל לאסף למה אלהים זנחת לנצח יעשן אפך בצאן מרעיתך:
2. Recordare congregationis tuæ, *quam* pridem poſſediſti, *quam* redemiſti, virgæ hæreditatis tuæ, montis Sion hujus in quo habitaſti.	2 זכר עדתך קנית קדם גאלת שבט נחלתך הר ציון זה שכנת בו:
3. Eleva percuſſiones tuas ad deſolationes perpetuas contra omnem maleficum hoſtem Sanctuario.	3 הרימה פעמיך למשאות נצח כל הרע אויב בקדש:
4. Rugierunt adverſarii tui in medio Sanctuariorum tuorum, poſuerunt ſigna ſua ſigna.	4 שאגו צורריך בקרב מועדך שמו אותתם אתות:
5. Cognitus eſt quaſi elatus in ſublime, in perplexitate ligni ſecures.	5 יודע כמביא למעלה בסבך עץ קרדמות:
6. Et nunc ſculpturas ejus ſimul in bipenni & malleis confringunt.	6 ועת פתוחיה יחד בכשיל וכלפות יהלמון:
7. Miſerunt in igne Sanctuaria tua ad terram, polluerunt domicilium nominis tui.	7 שלחו באש מקדשך לארץ חללו משכן שמך:
8. Dixerunt in corde ſuo, Populemur eos pariter. incenderunt omnia Tabernacula Dei in terra.	8 אמרו בלבם נינם יחד שרפו כל מועדי אל בארץ:

E*Rudiens Aſaph.*] Inſcriptio משכיל optime argumento convenit. nam etſi rebus lætis interdum aptatur, ſicuti viſum eſt Pſal. 45.: ut plurimum tamen admonet ſermonem haberi de judiciis Dei quibus coguntur in ſeipſos deſcendere homines, ſuaque peccata examinare ut ſe coram Deo humilient. Pſalmum vero à Davide non fuiſſe compoſitum, ex argumento colligere promptum eſt, quia non potuit ſua ætate talem Eccleſiæ diſſipationem & cladem deflere. Qui aliter ſentiunt, Spiritu Prophetico à Davide fuiſſe prædictum excuſant quod nondum evenerat. Sed quum Pſalmos complures probabile ſit poſt mortem Davidis fuiſſe compoſitos à diverſis auctoribus: hunc unum eſſe ex numero non dubito. De qua tamen calamitate hic tractetur, non adeo certum eſt. Duæ ſunt ſententiæ. quidam enim ad urbis & templi excidium referunt, quum populus traductus fuit Babylonem ſub Nabuchadneſer. Alii ad templi profanationem quæ ſub Antiocho contigit. Utraque aliquid coloris habet: prior ſcilicet, quod hic deplorant fideles ſe jam deſtitui ſignis ac Prophetis: quum ſatis conſtet floruiſſe multos Prophetas quum abductus in exilium fuit populus. Rurſum quia paulo ante dicitur, exuſta fuiſſe Sanctuaria, deletas ſculpturas, & nihil integri reliquum fuiſſe: non competit in Antiochi ſævitiam ac tyrannidem. Tametſi enim templum fœde polluit Gentium ſuperſtitionibus, manſit tamen ſalvum ædificium, nec igni tunc flagrarunt ligna & lapides. Obtendunt quidam, per Sanctuaria intelligi Synagogas, ubi non Jeroſolymæ modo, ſed in reliquis Judææ urbibus ſolebant haberi ſacri conventus. Fieri etiam poteſt ut fideles, templi horrendam vaſtationem cernentes, tam lugubri ſpectaculo admoniti, mentes etiam retulerint ad incendium illud quo abſumptum fuerat à Chaldæis, atque duas clades ſimul complexi ſint. Ita conjectura erit magis probabilis, ad tempus Antiochi ſpectare has querimonias, quia tunc Prophetis caruit Dei Eccleſia. Quanquam ſi magis ad exilium Babylonicum referre placeat, hujus nodi facilis erit ſolutio: quia licet tunc viverent Jeremias, Ezechiel & Daniel, ſcimus tamen quaſi vocationis ſuæ curſu perfunctos tacuiſſe ad tempus: donec ſub diem liberationis rurſus in lucem prodiit Daniel, qui exules ad reditum animaret. Quo reſpicere videtur Jeſaias capite 40. verſ. 1. in his verbis, Conſolamini, conſolamini populum meum, dicet Deus veſter. Verbum enim futuri temporis, indictum fuiſſe Prophetis temporale ſilentium denotat.

Utquid Deus.] Si hæc querimonia ſcripta fuit in exilio Babylonico, quamvis annus ſeptuageſimus redemptionis præſcriptus fuiſſet à Jeremia, mirum tamen non eſt tam longæ moræ tædium pluſquam acerbum fuiſſe, ut quotidie ingemiſcerent, ac tam longum ſpatium inſtar perpetui ſeculi fuiſſe. Qui vero Antiochi crudelitatem perpeſſi ſunt, quia nullum illis erat definitum tempus, merito de perpetua Dei iracundia conqueri poterant: præſertim quum viderent ſine ſpe ſolatii in dies augeri hoſtium truculentiam, & res ſuas in deterius collabi. Multis enim adverſis bellis prius attriti, quæ ſubinde à vicinis orie-

oriebantur, ad ultimam fere conſumptionem tunc venerunt. Notandum autem eſt quod fideles à profanis gentibus vexati, oculos tamen ad Deum attollunt, acſi plagas omnes ſola ejus manus infligeret. Sciebant enim nonniſi infenſo Deo, tantum licentiæ contra ſe permitti profanis gentibus. Ergo perſuaſi non eſſe ſibi bellum cum carne & ſanguine, ſed juſto Dei judicio ſe affligi, cauſam ipſam & fontem omnium malorum conſiderant, quod Deus, quo propitio ante feliciter vixerant, nunc eos abjecerit, neque cenſere amplius in grege ſuo dignetur. Nam verbum זנח rejicere ac deteſtari, interdum etiam ſe procul ſubducere ſignificat: nec multum intereſt quocunque modo hic accipias. Summam hanc tenere ſufficiat, quoties premimur rebus adverſis, non temere in nos jactari fortunæ tela, ſed arcano Dei impulſu flagella hæc aut ferulas excitari, quibus peccata noſtra caſtiget. Cæterum *rejectio* & *ira* referri debent ad ſenſum carnis. Etſi enim, proprie loquendo, non iraſcitur Deus electis ſuis, quorum morbos afflictionibus quaſi medicinis ſanat: quia tamen ſenſus ipſe pœnarum iram ejus nos apprehendere cogit, per nomen iræ, Spiritus de ſuo reatu admonet fideles. Ubi ergo Deus vindictam in nos ſuam exequitur, noſtrum eſt reputare quid ſimus meriti. Et quanquam nullum iracundiæ motum patitur Deus, per nos tamen non ſteriſſe quominus peccatis noſtris graviter offenſus in nos excandeſceret. Jam vero ut ſibi miſericordiam concilient, confugiunt ad fœderis memoriam, quo fuerant in filios adoptati. *Gregem* enim *paſcuorum Dei* ſe vocando, gratuitam electionem commendant, qua ſegregati fuerant à Gentibus. Quod etiam clarius exprimunt proximo verſu.

2. *Recordare congregationis.*] Peculium Dei ſe fuiſſe jactant, non ſuo merito, ſed adoptionis gratia. Eodem pertinet antiquitas, quod non venerint à paucis menſibus ſub Dei imperium, ſed hæreditaria fuerit ſucceſſio. Nam quo pluribus ſeculis amorem ſuum proſequutus fuerat erga ſemen Abrahæ, eo melius ſtabilita fuit eorum fides. Recitant ergo, ſe ab initio fuiſſe Dei populum, nempe ex quo Deus inviolabile fœdus cum Abraham pepigerat. Additur etiam redemptio qua ſancita adoptio fuerat. neque enim verbo ſolum, ſed re ipſa tunc imperium aſſeruit Deus. Hæc Dei beneficia ad fiduciæ materiam ſibi proponunt, & ipſi Deo auctori commemorant, ne opus ſuum deſerat. His etiam freti continuo ſe vocant *virgam hæreditatis*, hoc eſt, hæreditatem quam ſibi ipſe dimenſus eſt. Nam quia perticis ſicut funiculis ſolebant agros terminare, alludit ad morem illum. Quanquam alii שבט tribum malunt vertere. magis tamen placet illa metaphora: quod Deus arcana deſignatione ſui beneplaciti, quaſi decempeda, Iſraëlem ſibi in proprium fundum diſtinxit à reliquis gentibus. Poſtremo loco ponitur Templum in quo Deus ſe habitaturum promiſerat: non quod incluſa illic eſſet ejus eſſentia, ut jam ſæpius dictum eſt: ſed quia fideles virtute & gratia illic propinquum & præſentem ſibi eſſe ſentiebant. Nunc tenemus unde precandi fiduciam populus ſumpſerit, nempe ex gratuita Dei electione, promiſſionibus, & cultu ſibi tradito.

3. *Eleva percuſſiones.*] Viciſſim hoſtibus imprecantur lethalem plagam, prout crudeliter ſævierunt in Sanctuarium Dei: acſi dicerent non ſufficere mediocrem pœnam tam impio & ſacrilego furori: perdendos ergo eſſe abſque ulla ſpe ſanationis qui tam hoſtiliter contra Dei templum & populum egerunt: quia deſperata ſit eorum impietas. Porro quum hanc orandi formam dictaverit Spiritus, immenſum erga nos Dei amorem inde colligimus, quod injurias nobis illatas tam ſevere velit ulciſci. Deinde quo in pretio habeat numinis ſui cultum, cujus violationem ita perſequitur. Quantum ad verba ſpectat, quidam פעמים transferunt pedes, aut greſſus, atque hunc eliciunt ſenſum, Domine levato gradu celeriter advola ad percutiendos hoſtes. Alii vertunt malleos, quod apte convenit. Mihi tamen religio non fuit ſequi eorum ſententiam qui ad percutiendi actum & ictus ipſos referunt. Poſterius membrum à quibuſdam aliter exponitur, quod inimicus omnia corruperit in Sanctuario. Sed quia nuſquam alibi occurrit hæc ſyntaxis, nolui à lectione probata & recepta diſcedere.

4. *Rugierunt.*] Leonibus comparant hoſtes, truculentiæ notandæ cauſa quam in ipſis Dei Sanctuariis exercuiſſe conqueruntur. Templum autem hoc loco malo intelligere, quam Synagogas. nec enim abſurdum eſt plurali numero vocari *Sanctuaria*, ut alibi ſæpe, quia in tres partes diviſum erat. Quanquam ſiquis de Synagogis intelligere malit, non contendo. Imo nulla ratio prohibet ad totam terram extendere quam ſibi Deus conſecraverat. Sed illud magis emphaticum, hoſtium rabiem ita paſſim graſſatam eſſe, ut ne templo quidem Dei pepercerint. Quod dicit *poſuiſſe ſigna ſua*, ad notandam contumeliam pertinet, quod ſcilicet erectis trophæis ſuperbe triumphaverint de ipſo Deo. Nam quod ad magicas divinationes quidam trahunt (ſicuti Nabuchadneſer, Ezechiele teſte, auguria ſua captavit) *Eze. 21. verſ. 21.* nimis eſt reſtrictum. Prior autem ille ſenſus optime quadrat. Nam quiſquis terram Sanctam ingrediebatur, illic ſciebat vigere peculiarem Dei cultum: & templum erat quaſi inſigne præſentiæ Dei, acſi extentis vexillis populum illum ſub imperio ſuo teneret. His ſymbolis, quæ populum Dei ſeparabant à profanis Gentibus, ſacrilega ſigna ab hoſtibus in templum illata nunc Propheta opponit: ideoque nomen duplicans, auget indignitatem, quod everſis pietatis inſignibus, hoſtes alienas notas ſubſtituerint.

5. *Cognitus eſt.*] Hac circumſtantia iterum magis aggravat Propheta barbaram & feram hoſtium crudelitatem, quod ædificium tanto ſumptu extructum, tanta elegantia ſplendoreque ornatum, tanta induſtria & arte expolitum immaniter diſſipaverint. In verbis ſubeſt aliqua obſcuritas: ſenſus tamen hic fere obtinuit, Quum extruendum eſſet Templum, cæſores arborum fuiſſe celebres ac famoſos. מביא quidam active accipiunt, & exponunt, quaſi offerrent Deo ſacrificia, fuiſſe illuſtres & cognitos. Et *perplexitas arborum* politis trabibus opponitur, ut melius pateat quam exquiſito artificio rudes arbores & aſperas in tantam elegantiam formaverint. Vel, quod magis placet, ſignificat Propheta in ſylvis denſis ac perplexis delectum ſedulo habitum fuiſſe, nequa arbor niſi eximia cæderetur. Quid ſi ita accipias? in illa denſitate cognitas & probe notatas fuiſſe arbores quibus admovenda erat ſecuris, quaſi jam in ſublimi locatæ eſſent, & expoſitæ ſpectantium oculis. Certe dubium non eſt quin hoc verſu commendet materiæ præſtantiam, quia ſic delecta erat ut poſſet omnium oculos in ſe convertere, ſicut initio proximi verſus formam ipſam, quæ ſingulari artificio expolita erat, per ſculpturas vel cælaturas intelligit. Nunc vero dicit Chaldæos nullo reſpectu in tam præclarum ædificium ſecures & malleos immittere, acſi in delenda tam magnifica ſtructura, Dei gloriam pedibus calcare propoſitum fuiſſet. Poſtea de incendio templi conqueritur, quo prorſus deletum fuit, quum machinis nonniſi ſemirutum eſſet. Multi, quia videbant commodum ſenſum ex verbis non poſſe elici, putarunt inverſum eſſe ordinem, ideo ſic reſolvunt, Miſerunt ignem in Sanctuaria tua. Ego vero, quamvis repugnet accentus, non dubito genuinum eſſe ſenſum quem poſui, quod incendio ignis templum in terram projectum fuerit. Atque hic verſus melius confirmat, templum ob tres partes, Adytum ſcilicet interius,

Sanctuarium quod medium erat, & Atrium, plurali numero vocari: quia mox ſequitur, *domicilium nominis tui.* Ponitur autem *Dei* nomen, ut ſciamus non fuiſſe illic comprehenſam ejus eſſentiam, ſed virtute ſua in templo habitaſſe. quo majore fiducia illic à populo invocaretur. Atque ut melius ſævitiæ atrocitatem exprimat Propheta, inducit eos ultro citroque ſe exhortantes, ne quis fieret vaſtationi modus. Quaſi parum animati, inquit, eſſent ad nocendum, unuſquiſque ſocio ſuo ſtimulos addit, ut ſine exceptione vaſtent ac perdant totum Dei populum. Tandem dicit incenſas fuiſſe omnes Synagogas. Sic enim nomen מועדים libenter interpretor, quia generalis nota additur: & diſerte exprimit Propheta Sanctuaria totius terræ. Frigide enim exponunt quidam, quia cæleſti Dei Sacrario nocere non poterant, aut vim afferre, in templum terrenum vel Synagogas vertiſſe ſuam rabiem. Simpliciter enim conqueritur Propheta, hoſtes ita fuiſſe intentos ad nomen Dei abolendum ut nullus angulus ab illis relictus fuerit integer. Nomen vero מועדים, quod de Sanctuario ut plurimum accipitur, non male ſecundum etymologiam transfert ad ea loca ubi ſolebant agi ſacri conventus, non modo ad legendos & enarrandos Prophetas, ſed etiam ad invocandum Dei nomen: quaſi diceret, nihil omiſſum fuiſſe ab impiis quo extinguerent Dei cultum in Judæa.

9. Signa noſtra non videmus, non eſt amplius Propheta, & non eſt nobiſcum qui cognoſcat uſquequo.

10. Uſquequo Deus exprobrabit adverſarius? contumelia afficiet hoſtis nomen tuum perpetuo?

11. Quouſque convertes manum tuam, & dexteram tuam? in medio ſinus tui conſume.

12. Deus autem Rex meus ab initio operans ſalutes in medio terræ.

9 אותותינו לא ראינו אין עוד נביא ולא אתנו ידע עד מה:

10 עד מתי אלהים יחרף צר ינאץ אויב שמך לנצח:

11 למה תשיב ידך וימינך מקרב חיקך כלה:

12 ואלהים מלכי מקדם פעל ישועות בקרב הארץ:

9. *Signa noſtra.*] Gravitatem malorum exaggerant fideles, quia nihil ad eam levandam ſuppetat ſolatii. Nam hoc unum præcipue ad erigendos piorum animos valet, ubi Deus ſpem reconciliationis affert, ſe in media ira miſericordiæ memorem fore promittens. Signa quidam ad miracula reſtringunt, quibus olim teſtatus fuerat Deus populo quem affligebat, ſe adhuc fore propitium. Atqui potius queruntur fideles ablata ſibi eſſe ſigna gratiæ, quod Deus faciem ſuam quodammodo abſconderit: acſi dicerent ſe tenebris eſſe obrutos, quia Deus pro more non affulgeat. quemadmodum vulgo dicimus ſigna dari vel amoris vel odii. In ſumma queruntur non modo nubiloſum eſſe tempus & obſcurum, ſed ſe jacere in denſis tenebris, ut ne ſcintilla quidem lucis appareat. Quia autem præcipuum ex ſignis erat, à Prophetis futuram liberationem promitti, ideo deplorat non eſſe amplius Prophetam qui finem aliquem malis prævideat. Unde colligimus injunctum fuiſſe conſolationis munus Prophetis, ut ſpe miſericordiæ, animos mœrore collapſos erigerent. Scimus quidem præcones fuiſſe ac teſtes iræ Dei, ut præfractos ac rebelles minis & terroribus ad pœnitentiam cogerent: verum ſi præciſe denunciaſſent vindictam Dei, nonniſi in exitium ceſſiſſet eorum doctrina, quæ tamen in populi ſalutem deſtinata erat. Ideo illis tribuitur prædictio exitus futuri: quia ſub pœnis temporalibus proponitur paterna Dei caſtigatio, quæ triſtitiam mitigat, quum perpetua ira miſeros peccatores prorſus exanimet. Proinde nos quoque ſi materiam patientiæ & conſolationis quærimus, ubi nos Deus caſtigat, diſcamus ad iſtam moderationem, qua nos Deus ad ſpem invitat, oculos intendere: atque inde ſtatuamus, Deum ita iraſci ut non deſinat tamen eſſe pater. Correctio vero quæ ſalutem affert, lætitiam continet dolori admiſtam. Ad hunc ſcopum doctrinam ſuam dirigere, Prophetis omnibus curæ fuit. Etſi enim ſevere ac duriter ſæpe agunt, ut populi contumaciam metu ſubigant: ubi tamen proſtratos homines vident, mox ſubjiciunt conſolationem, quæ nulla eſſet ſine ſpe futuræ liberationis. Objicitur tamen quæſtio, An Deus mitigare triſtitiam volens in ſuis flagellis, annos & dies ſemper numeraverit. Reſpondeo, quanquam non ſemper tempora certo definierint Prophetæ, ſæpius tamen propinquam ſalutem fuiſſe pollicitos: omnes vero loquutos fuiſſe de futura Eccleſiæ reſtitutione. Siquis rurſum excipiat, perperam feciſſe populum afflictum, quod generales promiſſiones ad ſe non traheret, quas certum eſt communes fuiſſe omnibus ſeculis: reſpondeo, Quum Deus ad ſingulas afflictiones adjungere ſoleret redemptionis nuncium, ubi nunc nullus Propheta data opera miſſus apparet, non abs re populum conqueri, ſigna gratiæ quibus aſſuetus erat, deficere. Fuit enim uſque ad Chriſti adventum apprime neceſſarium, ſingulis ætatibus renovari promiſſæ liberationis memoriam, ut in unaquaque afflictione ſcirent fideles adhuc ſe à Deo reſpici.

10. *Quouſque Deus.*] Significant nullo ſe dolore magis cruciari, quam dum vident nomen Dei expoſitum eſſe impiorum probris. Atque hac precandi forma zelum aſſerendæ Dei gloriæ in cordibus noſtris accendere voluit. Et certe quum naturaliter ad mala ferenda nimis delicati ſimus ac molles, hoc verum eſt pietatis experimentum, ſi nos magis urit ac torquet Dei contumelia, quam quicquid nos patimur. Non dubium eſt, ſub ſæviſſimo tyranno & barbara gente multis modis deriſos fuiſſe miſeros Judæos, nec uno ludibrii genere traductos. Atqui Propheta in perſona totius Eccleſiæ loquens, probra illa, quæ in capita populi ingerebantur, nihili fere ducit præ ſacrilegis in Deum blaſphemiis, juxta illud, Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. *Pſal 69. verſ. 10.* Dictio *perpetuo*, iterum additur, quia diuturna impunitas ad audaciam obdurat impios, præſertim ubi Deo maledicunt, ipſe autem diſſimulat. Ideo continuo poſt ſubjicit, *Quouſque Deus manum tuam convertes?* Quanquam autem obſcurum non eſt quo tendat Propheta, in verbis tamen variant interpretes. Quod quidam ſub manus nomine in priore membro, ſiniſtram intelligunt, frivolum eſt: quia potius per nomen dextræ idem duplicat ſuo more. Quidam in fine verſus verbum כלה vertunt prohibe, acſi diceret Propheta, Exere tandem manum tuam, quæ ſe nimis diu in ſinu continuit. Sed illi ſine colore ad coactum ſenſum confugiunt. Qui vertunt, conſume, *medium ſinus Dei* allegorice accipiunt pro templo ipſo: quod mihi non probatur. Multo rectius continuabitur interrogatio uſque ad ultimum verbum hoc modo, Quouſque convertes manum tuam? nempe è medio ſinus tui convertes? Conſume igitur impios iſtos, qui tam ſuperbe te contemnunt. Licebit etiam hoc modo non incommode accipere, Tametſi hoſtes, quia non tumultuaris, neque palam attollis manum tuam, te reſidem & otio-

otioſum eſſe fingunt: fac ut reipſa ſentiant tibi in ſolo nutu ſatis eſſe potentiæ ad eos perdendos, utcunque digitum non moveas.

12. *Deus autem.*] Miſcent (ut alibi ſæpe fieri vidimus) precibus ſuis meditationem: qua novum fidei vigorem colligant, ſeque excitent ad precandi ſtudium. Scimus enim quam difficile ſit ſupra omnes dubitationes aſſurgere, ut ſoluto & libero curſu intrepide orando pergamus. Hic ergo ſibi in memoriam revocant fideles documenta miſericordiæ & virtutis Dei, quibus per continuas ætatum ſeries teſtatus eſt ſe Regem eſſe electi populi. Docemur autem hoc exemplo, quia non ſufficit vota labiis concipere, niſi ex fide oremus: animos ſemper revocandos eſſe ad beneficia, quibus paternum ſuum amorem Deus erga nos ſancivit, & quæ electionis ejus teſtimonia eſſe debent. Nam *Regis* nomen quod Deo tribuit Propheta, non ad ſolum imperium reſtringi patet: ſed quia populum illum regendum ſuſceperat ut ſalvum & incolumem præſtaret. Quid valeat particula *ab initio*, jam diximus. Per *medium terræ* quidam Judæam ideo notari putant, quod ſita eſſet in umbilico mundi habitabilis. Atqui ſatis conſtat pro loco conſpicuo ſumi: ſicuti quum Pharaoni dictum eſt, Exod. 8. verſ. 22.
Cognoſcat Deus in medio terræ. Simplex itaque ſenſus eſt, multas ſalutes manifeſtas, fuiſſe exhibitas electo populo quaſi in illuſtri theatro.

13. Tu fregiſti in virtute tua Mare: contriviſti capita draconum ſuper aquas.

13 אתה פוררת בעזך ים שברת
ראשי תנינים על המים:

14. Tu confregiſti caput Leviathan, poſuiſti eum eſcam populo tuo in deſerto.

14 אתה רצצת ראשי לויתן
תתננו מאכל לעם לציים:

15. Tu ſcidiſti fontem & torrentem: tu ſiccaſti fluvios validos.

15 אתה בקעת מעין ונחל אתה
הובשת נהרות איתן:

* vel, ſtabiliſti. 16. Tuus eſt dies, etiam tua eſt nox: tu * ordinaſti lucem & Solem.

16 לך יום אף לך לילה אתה
הכינות מאור ושמש:

17. Tu fixiſti omnes terminos terræ, æſtatem & hyemem tu formaſti.

17 אתה הצבת כל גבולות ארץ
קיץ וחרף אתה יצרתם:

13. *Tu fregiſti.*] Species quaſdam ſalutum maxime memorabiles colligit Propheta. Quanquam omnes ad primam redemptionem pertinent, qua Deus populum ſuum ab Ægyptiaca tyrannide aſſeruit. Poſtea deſcendet ad generale elogium gratiæ Dei, quæ in totum orbem diffunditur. Ita à ſpeciali gratia, qua Deus Eccleſiam ſuam dignatus eſt, tranſitum ſibi facit ad benevolentiam qua proſequitur totum humanum genus. Dicit primo Mare fregiſſe vel ſecuiſſe. Proximum membrum quidam annexum eſſe putant, quod cetos & alios maximos piſces ſiccato mari Deus interfecerit. Ego tamen Pharaonem & ejus exercitum metaphorice notari arbitror: quia hæc ratio loquendi Prophetis valde trita eſt, præſertim ubi fit mentio de Ægyptiis, quorum terram alluit piſcoſum mare, Nilus vero præterfluit. *Leviathan* ergo non abs re Pharao vocatur propter commoditates maris, quia illic regnum ſuum quaſi balæna exerceat. Porro quia hoc fine Deus potentiam ſuam in liberando populo tunc exeruit, ut ſperaret Eccleſia perpetuum ſalutis ſuæ fore cuſtodem, non debuit hoc documentum ad ætatem unam reſtringi. Ideoque merito ad poſteros aptatur, ut inde fidem ſuam confirment. Cæterum quamvis non omnia miracula recenſeat quæ Deus in exitu populi edidit: per ſynecdochen tamen complectitur quicquid fuſius narratur apud Moſen. Quod dicit Leviathan ceſſiſſe in cibum Iſraëlitis, & quidem in deſerto, concinna alluſio eſt ad Pharaonis interitum: acſi diceret, annonam fuiſſe tunc repoſitam, qua veſceretur populus, quia extinctis hoſtibus ſecuritas non aliter ac cibus vitam protraxit. ac per deſertum intelligit non regiones maritimas, quamvis ſteriles ſint & aridæ, ſed ſolitudines procul à mari remotas. Sequenti verſu proſequitur idem argumentum, ubi dicit *fontem ſciſſum fuiſſe*, quum ſcilicet aqua è rupe elicita fuit. Tandem addit, *ſiccatos fuiſſe fluvios validos*, quum ſcilicet reflexo curſu Jordanis, Deus tranſitum populo ſuo præbuit. Nam ratione caret quod nonnulli איתן proprium nomen eſſe volunt.

16. *Tuus eſt dies.*] Deſcendit ad Dei beneficia, quæ communiter ad humanum genus patent. Poſtquam enim exordium fecit à ſpecialibus gratiis, quibus ſe Deus patrem electo populo oſtendit, nunc opportune commemorat cunctis mortalibus ipſum eſſe beneficum. His autem verbis ſignificat non fortuito inter ſe ſuccedere noctes & dies certis vicibus, ſed Dei arbitrio præfixum fuiſſe hunc ordinem. & ratio additur, quia Deus Soli indiderit vim & munus illuminandæ terræ. Ubi enim lumen poſuit, Solem adjungit quaſi præcipuum, ejus vehiculum. In hoc ordine quum aperte refulgeat incomparabilis Dei bonitas erga mortales, non abs re Propheta fiduciæ materiam inde petit. Eodem ſpectat quod proxime ſequitur de finibus terræ diſtinctis, de mutuo hyemis & æſtatis recurſu. Dubium tamen eſt extremasne orbis plagas intelligat, an vero ſpeciales terminos, quibus ſingulæ regiones diviſæ ſunt. Etſi enim turbantur violentia hominum, dum inſatiabilis cupiditas & ambitio quicquid diſtinctionis in mundo eſt perrumpit, renitet tamen Dei ſingulare beneficium, quod ſingulis Gentibus ſuam habitationem attribuit. Ego tamen fines potius intelligo, qui hominum libidine miſceri nequeunt, quod ſcilicet Deus terræ ſpatium hominibus deſtinaverit quantum ad hoſpitium ſufficeret. Jam hyemis & æſtatis vices clare teſtantur quam benigne Deus hominum neceſſitatibus proſpexerit. Unde prudenter colligit Propheta, nihil minus eſſe conſentaneum, quam ut erga gregem ſuum, & domeſticos, patris officium facere negligat.

18. Recordare hujus, adverſarius exprobravit Jehovæ: & populus nihili contumelia affecit nomen tuum.

18 זכר זאת אויב חרף יהוה ועם
נבל נאצו שמך:

19. Ne des beſtiæ animam turturis tuæ, congregationis pauperum tuorum ne oblivifcaris in finem.

19 אל תתן לחית נפש תורך חית
עניך אל תשכח לנצח:

20. Reſpice ad fœdus: quia impletæ ſunt obſcuritates terræ habitaculis violentiæ.

20 הבט לברית כי מלאו מחשכי
ארץ נאות חמס:

21. Ne

21. Ne revertatur miſer pudefactus : pauper & inops laudent nomen tuum.

21 אל ישב דך נכלם עני ואביון יהללו שמך:

22. Surge Deus, diſcepta diſceptationem tuam : recordare opprobrii tui quod à ſtulto infertur quotidie.

22 קומה אלהים ריבה ריבך זכר חרפתך מני נבל כל היום:

23. Ne obliviſcaris vocis adverſariorum tuorum, tumultus inſurgentium contra te aſcendit ſemper.

23 אל תשכח קול צרריך שאון קמיך עלה תמיד:

18. *Recordare ejus.*] Poſtquam una cum Dei potentia & virtute animos piorum extulit Propheta, nunc ad precationis ſuæ contextum revertitur. ac primum expoſtulat quod hoſtes impune Deo maledicant. Loquutio autem emphatica eſt, quum dicit, Recordare hujus : ſicuti etiam non leve crimen eſt, ſacrum Dei nomen ludibrio habere. Ex oppoſito dicit homines nihili aut veſanos ita petulanter probra ſua contra Deum jactare. נבל enim non modo ſtultum ſignificat, ſed etiam flagitioſum ac turpem. Quare merito Propheta, Dei contemptores populum nequam vel nihili appellat.

19. *Ne des beſtiæ.*] חית interdum animam Hebræis ſignificat, & quidam ita interpretantur paulo poſt hoc eodem verſu. Hic certum eſt pro fera beſtia, vel pro multitudine accipi. Utrovis modo ſumere placeat, aptiſſima erit comparatio inter animam imbellis timidæque aviculæ, & robuſtum exercitum, vel crudelem feram. Comparat enim Eccleſiam turturi : quia etſi in aliquo numero erant fideles, longe tamen impares erant ſuis hoſtibus : imo in prædam erant expoſiti. Poſtea addit, *ne obliviſcaris animæ*, vel congregationis pauperum tuorum. Repetitur enim nomen חית, ac gratia non caret quod propter ambiguitatem diverſo ſenſu poſitum eſt. Congregationem tamen vertere malui quam animam : quia videtur orare Propheta ut contra ingentes hoſtium copias Deus puſillum ſuum gregem cuſtodiat & tueatur. Quo autem magis ad miſericordiam flectatur, ad fœderis memoriam eum revocat Propheta : ſicuti hoc perpetuum ſanctis aſylum fuit in ſummis periculis, ſalutem ſperare, quia pepigerat Deus ſe fore illis in patrem. unde etiam colligimus non alia fultura ſolide niti preces noſtras, niſi quia Deus gratuita electione nos ſibi in populum adoptavit. Unde etiam apparet quam diabolicus fuerit furor impuri canis Serveti, qui non dubitat ineptum & ſtultum luſum vocare, quod ſuas Deo promiſſiones inter precandum objicimus. Ac iterum admonent fideles quam dura ipſos neceſſitas urgeat, quia ſcilicet ubique graſſetur violentia & oppreſſio, acſi loca omnia eſſent ſpoliaria & cavernæ latronum. *Obſcuritates* autem *terræ* intelligit, quia ubi Deus faciem ſuam abſcondere videtur, improbi ſibi latebras ad quodvis ſcelus ubique eſſe putant.

21. *Ne revertatur.*] Iſtud reverti, quia relationem habet ad Deum, tantundem valet ac vacuum diſcedere. Petunt igitur fideles ne repulſam paſſi pudefiant. Vocant autem ſe afflictos, pauperes, & inopes, quo ſibi miſericordiam concilient. Notandum tamen eſt, neque ficte ipſos loqui, neque hyperbolice aggravare ſuas miſerias : ſed tot cladibus fuiſſe dejectos, ut nihil opis in mundo reſiduum eſſet. Quo exemplo monemur, ubi maxime dejecti ſumus, egeſtati noſtræ paratum eſſe remedium in Dei invocatione.

22. *Surge Deus.*] Iterum rogant fideles ut tribunal conſcendat Deus. Surgere enim dicitur ubi poſt longam tolerantiam re ipſa oſtendit ſe officii ſui minime oblitum. Porro ut animoſius cauſam hanc ſuſcipiat, cum implorant juris ſui vindicem : acſi dicerent, Domine quia hic res tua & negotium agitur, non eſt ceſſandi locus. Quomodo autem cauſa hæc ſit Dei propria, ſimul declarant, quia ſtultorum opprobriis quotidie ſubjaceant. Quanquam נבל hic iterum *homines nihili* vertere licebit. Mali atrocitatem amplificat circumſtantia, quod ludibrio uno non contenti, ſuas ſubſannationes aſſidue continuant. Ideo concludunt, ne hujus protervia obliviſcatur Deus : quia non modo obloqui audent ejus majeſtati, ſed ferociter & tumultuoſe blaſphemias ſuas evomunt. Etſi autem oblique id facere videntur, quia tamen Deum vilipendunt, ideo inſtar Gigantum cæco faſtu contra Deum inſurgere, & eorum altitudinem ſine modo efferri dicit.

ARGUMENTUM PSALMI LXXV.

Communis eſt Eccleſiæ gratulatio, dum reputat ſolo Dei arbitrio gubernari mundum : ſe vero ejus gratia & virtute ſuſtineri. Qua fiducia ſuperbis Dei contemptoribus inſultat, quos veſana ſua temeritas ad effrenem licentiam præcipites agit.

PSALM. LXXV.

PRæfecto, Ne perdas, Pſalmus Aſaph, Canticum.

1 למנצח אל תשחת מזמור לאסף שיר:

2. Celebrabimus te Deus, celebrabimus, & propinquum nomen tuum : narrabunt mirabilia tua.

2 הודינו לך אלהים הודינו וקרוב שמך ספרו נפלאותיך:

3. Quum aſſumpſero * cœtum, ego recta judicabo.

* vel, tempus ſtatutum.

3 כי אקח מועד אני מישרים אשפט:

4. Diſſoluta eſt terra & omnes incolæ ejus, ego ſtabiliam columnas ejus. Selah.

4 נמגים ארץ וכל ישביה אנכי תכנתי עמודיה סלה:

5. Dixi inſanis, Ne inſaniatis : & impiis, Ne attollatis cornu.

5 אמרתי להוללים אל תהלו ולרשעים אל תרימו קרן:

6. Ne attollatis in altum cornu veſtrum, ne loquamini collo duro.

6 אל תרימו למרום קרנכם תדברו בצואר עתק:

7. Quia neque ab Oriente, neque ab Occaſu, neque à Deſerto ſunt exaltationes.

7 כי לא ממוצא וממערב ולא ממדבר הרים:

8. Quia Deus judex eſt : hic humiliat, & hic elevat.

8 כי אלהים שפט זה ישפיל וזה ירים:

NE *perdas.*] De hac inſcriptione dixi quantum ſatis erat Pſal. 57. verſ. 1. De auctore non admodum laboro. Sive fuerit David, ſive alius quiſpiam, ſtatim ab initio Propheta ſe in gaudium & gratulationem effundit. Et repetitio emphatica eſt ad exprimendum ſtudii ardorem in canendis Dei laudibus. Etſi autem verba ſunt præteriti temporis, ratio tamen poſtulat in futurum tempus reſolvi: quod apud Hebræos ſatis tritum eſt. Niſi forte commemoret Propheta, Deum olim ob beneficia quæ præſtitit, laudatum fuiſſe in populo ſuo: ut hoc modo eum ad perſeverantiam inducat, ut ſui ſimilis eſſe pergens, ſubinde nova laudum argumenta ſuppeditet. Mutatio perſonæ in ſecundo membro quoſdam interpretes impulit ad ſubaudiendum pronomen relativum אשר. acſi dictum eſſet, Domine celebrabimus te, & nomen tuum prope eſt iis qui narrant mirabilia tua. Ego autem non dubito quin Propheta indefinite poſuerit verbum *narrabunt*, & copulam uſurpaverit vice cauſalis copulæ, ut ſæpe fieri ſolet. Senſus igitur hoc modo optime fluet, Confitebimur tibi Deus, quia propinquum eſt nomen tuum: ideoque referentur mirabilia tua. Eoſdem enim haud dubie præcones fore dicit mirabilium Dei, quos dixerat celebraturos ejus laudem. Et certe Deus, virtutem ſuam exerendo, ſervis ſuis os aperit ad enarranda ſua opera. In ſumma, intelligit juſtam laudandi Dei materiam ſuppetere: quia ſe oſtendit præſto fore ad opem ſuis ferendam. *Nomen* Dei pro potentia ſumi ſatis notum eſt: *præſentia* vero ejus vel propinquitas cenſetur ab auxilio quod in neceſſitate offert ſervis ſuis.

3. *Quum aſſumpſero.*] יעד Hebræis locum vel diem condicere ſignificat: nomen vero מועד ex eo deductum, quo hic utitur Propheta, tam ſacros conventus quam dies feſtos, cœtum etiam in Dei nomine collectum ſignificat. Porro quum certum ſit, Deum hic loquentem induci, uterque ſenſus non male quadrat: quod Deus aſſumpto populo ſuo res diſſipatas revocaturus ſit in legitimum ordinem: vel quod opportunum judicandi tempus ſibi ſumpturus ſit. Nam populum ſuum ad tempus exponens hoſtium libidini, videtur eum negligere: quemadmodum ſi grex abſque paſtore diſperſus vagetur. Remedium ergo promittere volens rebus confuſis, merito ab Eccleſiæ collectione incipit. Si tamen magis placeat de tempore intelligere, hac voce admonet Deus patienter ferendum eſſe, dum re ipſa declaret veniſſe maturum tempus corrigendis vitiis: quia ſolus ipſe annos & dies in poteſtate habeat, & optime teneat articulos & momenta. Et certe huc magis inclino, Deum arbitrio ſuo ſubjicere quod libenter ad ſe homines raperent, nempe finem & modum malis præfigere, & tempeſtive, quum viſum fuerit, ſurgere ad ſuos liberandos. Quanquam prior etiam interpretatio de colligenda Eccleſia mihi ſatis arridet. Abſurdum vero videri non debet neque aſperum, hic induci Dei perſonam, ut viciſſim fidelium votis reſpondeat. Hæc enim hypotypoſis multo efficacior eſt quam ſi ſimpliciter dixiſſet Propheta Deum tandem fore tempore ſuo Eccleſiæ vindicem, ut diſperſam & laceram colligat. Huc tendit verborum ſumma, Quamvis non ſtatim opituletur ſuis Deus, nunquam tamen eorum oblivisci, ſed remedium quod in promptu eſt, differre in tempus idoneum. *Recta judicare* tantundem valet atque res turbatas & incompoſitas adducere in meliorem ſtatum: ſicut dicit Paulus con-
2 Theſ. 1. verſ. 6. ſentaneum eſſe juſtitiæ Dei, relaxationem dare afflictis: & qui innoxios affligunt, viciſſim affligere. Deus ergo ſui officii eſſe pronunciat moderari res turbatas, & ad æquitatem componere, ut nos hæc expectatio in omnibus miſeriis ſuſtineat ac ſoletur.

4. *Diſſoluta eſt terra.*] Hoc multi interpretes proprie exiſtimant competere in Chriſti perſonam, cujus adventu concuti oportuit terram cum ſuis incolis: quia ſcimus in hoc regnare ut veterem hominem aboleat, & ſpirituale ejus regnum incipere à carnis interitu: ſic tamen ut deinde ſequatur novi hominis inſtauratio. Quo etiam referunt ſecundam partem verſus *ſtabiliam columnas ejus*: acſi Chriſtus diceret, Simulatque in medium prodiero, terra cum ſuis incolis liqueſcet ac ſolvetur: ſed mox eam firmis ac ſolidis fulturis ſtabiliam. quia electi Spiritu meo renovati, non amplius herbis vel emarcidis floribus erunt ſimiles, ſed præditi nova & inſolita firmitudine. Atqui non puto hanc argutiam veniſſe Prophetæ in mentem: ideoque ſimpliciter interpretor, quamvis diſſoluta ſit terra, in Dei tamen manu eſſe ejus fulturas. Cohæret enim hic verſus cum ſuperiore. Confirmat enim Deum opportuno tempore æquum & rectum fore judicem: quia facile ei ſit, etiamſi tota mundi machina conciderit, reparare omnes ejus ruinas. Interea non dubito quin reſpexerit Propheta ad ipſam rerum naturam. Quamvis enim locum infimum cæleſtis circumferentiæ occupet terra, quibus tamen fundamentis nititur, niſi quod ſuſpenſa eſt in medio aëre? Deinde quum tot aquæ penetrent per medias ejus venas, annon ipſa quoque diffluerет, niſi arcana Dei virtute ſtabiliretur? Cæterum Propheta ad naturam alludens, altius tamen conſcendit: quamvis collapſus ſit orbis, penes Deum eſſe dare novam firmitatem.

5. *Dixi inſanis.*] Poſtquam ſibi & aliis fidelibus Dei officium ante oculos ſtatuit, nunc de impiis omnibus triumphat, quorum inſaniam & cæcum furorem accuſat: quia contempto Deo ſeſe intemperanter efferant. Pendet autem ſancta hæc jactantia, ex judicio quod inſtare denunciavit in perſona Dei: quia dum fideles Deum expectant judicem, brevique affore perſuaſi ſunt, inter medias oppreſſiones non deſinunt gloriari. Etſi enim furor ex impiorum inſania ebulliens, fluctus ad eos mergendos projicit, ſufficit tamen Dei manu ſalutem ſuam protegi, cui facile eſt ſubigere omnem faſtum, & compeſcere temerarios conatus. Nam contemptim derident fideles quicquid moliuntur impii atque agitant, deſiſtere jubent ab inſania, quia hoc modo ſignificant fruſtra eos tumultuari, ut furioſos homines ſua amentia huc & illuc impellit. Notandum vero quod ſuperbiam facit audaciæ cauſam vel matrem, ſicuti omnino verum eſt, non ita præcipitanter ruere homines, niſi quatenus excæcati ſuperbia, ſibi nimium arrogant. Quia vero morbus hic non facile evellitur ex cordibus hominum, ſecundo repetit, *ne attollant cornu ſuum in ſublime.* Deinde ne præfracte loquantur. hoc enim per *collum pingue* vel durum intelligit: quia faſtuoſi homines rigida cervice minas ſuas efflare ſolent. Alii vertunt, ne loquamini duriter collo. Sed altera interpretatio verior.

7. *Quia neque ab Oriente.*] Optimum corrigendæ ſuperbiæ remedium, dum admonet Propheta, altitudinem non à terra eſſe, ſed à ſolo Deo. hoc enim ut plurimum perſtringit hominum oculos, ubi dextram & ſiniſtram partem circumſpiciunt, & undique contrahunt opes & ſubſidia, quibus freti libidinem ſuam expleant. Quia ergo extra mundum non egrediuntur, Propheta longe eos errare affirmat: quia altitudo & dejectio in ſola Dei manu poſitæ ſint. Videtur quidem cum experientia communi hoc pugnare, quod major pars mundi vel aſtutia ſua, vel gratia & favore populi, vel aliis terrenis mediis ad ſummos honorum gradus perveniat. Videtur etiam frigida eſſe cauſæ redditio, quod Deus ſit judex. Reſpondeo, quamvis multi vel malis artibus, vel mundi adjumentis in altitudinem conſcendant, hoc tamen non accidere fortuito: ſed arcano Dei conſilio ſic attolli, ut mox quaſi quiſquilias vel paleam disjiciat. Jam non ſimpliciter judicium Deo tribuit

Pro-

Propheta, ſed quale illud ſit definit: nempe ut hunc dejiciens, & illum exaltans, res humanas prout viſum eſt ordinet. Dixi autem, hac ratione optime humiliari ſublimes animos, quia hinc profanis hominibus audendi licentia, quod Deum cælo includunt, nec ſe arcana ejus providentia frenari reputant. Denique abrogant Deo imperium, ut libidini ſuæ vacuum & liberum curſum reperiant. Ergo ut ſobrie & modeſte in gradu noſtro quieſcere diſcamus, judicium Dei vel gubernandi mundi ordinem clare definit, quod penes eum ſit ex hominibus attollere quos viſum eſt, vel dejicere. Unde ſequitur, eos omnes qui expanſis vanitatis ſuæ alis ad aliquam altitudinem temere aſpirant, quantum in ſe eſt, Deo jus ſuum & poteſtatem eripere: idque facile apparet non modo ex temulentis conſiliis, ſed etiam ſacrilega jactantia, Quis me impediet? quid mihi obſtabit? Quaſi vero Deo promptum non ſit, ſolo nutu mille obſtacula repente objicere ad frangendos eorum impetus. Sicuti autem profani homines ſua temeritate & perverſis conſiliis Deum ſpoliare Regis honore conantur: ita quoties nimium ad illorum minas trepidamus, infidelitas noſtra Dei imperium maligne reſtringit. ſimulac increpuit aliquis motus, non aliter expaveſcimus, quam cæleſti fulmine percuſſi. tanta conſternatio ſatis declarat nondum nos probe tenere quid ſit mundum à Deo gubernari. Puderet quidem nos eum ſpoliare titulo Judicis: imo omnium fere animi horrerent ad hanc blaſphemiam: ſed ubi naturæ ſenſus hanc confeſſionem nobis extorſit, Deum eſſe mundi Judicem, ac Regem, otioſum neſcio quod imperium imaginamur, acſi humanum genus manu & conſilio ſuo non regeret. Cæterum qui principium hoc tenuerit, Deum ſtatuere de cunctis mortalibus quod viſum eſt, ut ſingulis fortunam ipſe fingat, non ſubſiſtet in terrenis mediis. Uſus autem hujus doctrinæ eſt, ut ſe fideles Deo totos ſubjiciant, nec fallaci confidentiæ vento ſe efferant. Ubi autem viderint impios protervire, contemnere non dubitent ſtultam & veſanam eorum confidentiam. Quanquam autem ſumma eſt imperii poteſtas penes Deum, vocatur tamen Judex, ut ſciamus optima æquitate res humanas ipſum moderari. Hinc fiet ut quiſque ab omni injuria & maleficio abſtinens, injuſte læſus, ad Dei tribunal confugiat.

9. Quia calix in manu Jehovæ, & vinum rubicundum: impletus eſt miſtione, & effundet ex eo: utique fæces ejus expriment, bibent omnes ſcelerati terræ.

9 כי כוס ביד יהוה ויין חמר מלא
מסך ויגר מזה אך שמריה ימצו ישתו
כל רשעי ארץ׃

10. Ego vero annunciabo in perpetuum, pſallam Deo Jacob.

10 ואני אגיד לעולם אזמרה
לאלהי יעקב׃

11. Et omnia cornua impiorum confringam, exaltabuntur cornua juſti.

11 וכל קרני רשעים אגדע
תרוממנה קרנות צדיק׃

9. *Quia calix.*] Judicium illud cujus nuper meminit, propius accommodat in uſum piorum. Deum enim regnare affirmat, nequa iniquitas maneat inulta: ſed ubi laſcivierint ſcelerati homines, eos ad poenas quas meriti ſunt, trahat. Unde iterum colligimus qualiter reputanda ſit nobis Dei providentia, nempe quæ ſingulas vitæ noſtræ partes præſenti virtute moderetur. Dicit igitur calicem eſſe in Dei manu, quo ſceleratos inebriet. חמר tam fæculentum quam rubrum ſignificat. ſed quia vinum rubrum apud Hebræos fortiſſimum & acutiſſimum erat, apte convenit hæc ſimilitudo, vinum fumoſi ſaporis eſſe in Dei manu, quo impios exitialiter inebriet. acſi diceret incredibilem vindictæ Dei celeritatem eſſe: ſicut forte vinum cito & valide in cerebrum penetrans, vel furorem generat, vel febrim accendit. Dicit ergo vinum in calice Dei rubeſcere, ſicut in
Prov. 23. verſ. 31. Proverbiis dicitur, Ne reſpicias vinum quum rubeſcit in vitro. Nec obſtat quod paulo poſt adjungit *miſtionem*: quia non male inter ſe conveniunt hæc duo, vindicta Dei cito inebriari impios, & eam ebibere uſque ad fæcem donec intereant. Nam qui nomen Miſtionis alio trahunt, quod in calidis regionibus ſoleant vinum diluere, nimis dilute loquuntur ipſi. Potius augendi cauſa hoc eſſet additum, ut vino aromatico conferat Propheta vehementiam iræ Dei ac fervorem. Significat autem his figuris Propheta, non poſſe impios effugere quin ſugendo ad ultimam uſque guttam, calicem ebibant à Deo propinatum.

10. *Ego vero annunciabo.*] Hæc Pſalmi clauſula oſtendit fideles ſibi gratulari quod Deum in rebus ſuis adverſis liberatorem experti ſint. Videntur enim propriam experientiam notare in narratione & cantico. Hinc etiam colligunt ſe Dei auxilio fracturos quicquid erit potentiæ in reprobis: ſe vero juſtitia & æquitate ſatis ad tuendam ſuam ſalutem fore inſtructos. Nam *exaltari cornua juſti* tantundem valet acſi dixiſſent, filios Dei probe & innoxie vivendo, plus ſibi præſidii acquirere, quam ſi per omne ſcelus emergere ſtuderent.

ARGUMENTUM PSALMI LXXVI.

Hic celebratur Dei gratia & veritas, quod ſe urbis Hieroſolymæ cuſtodem fore pollicitus, incredibili potentia eam adverſus bellicoſos & valide inſtructos hoſtes defenderit.

PSALM. LXXVI.

PRæfecto in Neginoth, Pſalmus Aſaph canticum.

1 למנצח בנגינות מזמור לאסף
שיר׃

2. Notus in Judæa Deus, in Iſraël magnum nomen ejus.

2 נודע ביהודה אלהים בישראל
גדול שמו׃

3. Et fuit in Salem tabernaculum ejus, & habitatio ejus in Sion.

3 ויהי בשלם סכו ומעונתו בציון׃

4. Illic fregit ſagittas arcus, clypeum, & gladium, & bellum. Selah.

4 שמה שבר רשפי קשת מגן
וחרב ומלחמה סלה׃

5. Illuſtris, tu terribilis præ montibus prædæ.

5 נאור אתה אדיר מהררי טרף׃

6. Spo-

6. Spoliati ſunt robuſti corde, dormierunt ſomnum ſuum: & non invenerunt cuncti homines fortitudinis manus ſuas.

6 אֶשְׁתּוֹלְלוּ אַבִּירֵי לֵב נָמוּ שְׁנָתָם וְלֹא מָצְאוּ כָל אַנְשֵׁי חַיִל יְדֵיהֶם׃

7. Ab increpatione tua Deus Jacob, ſopiti ſunt currus & equus.

7 מִגַּעֲרָתְךָ אֱלֹהֵי יַעֲקֹב נִרְדָּם וְרֶכֶב וָסוּס׃

PRæfecto in Neginoth.] Probabile eſt Pſalmum hunc longe poſt mortem Davidis fuiſſe compoſitum: ideoque putant nonnulli hiſtoriam liberationis deſcribi quæ contigit ſub rege Joſaphat contra Ammonitas. Ego autem in diverſam partem magis inclino. nam Aſſyrii duce Sennacherib, non modo Judæam ingreſſi ſunt, ſed urbem ipſam, regni caput, violenter aggreſſi. Et ſcimus quam mira-
2 Reg. 19. vers. 35. biliter ſoluta fuerit obſidio: quum horribili clade per manum Angeli, Deus exercitum illum nocte una delevit. Unde non abs re dicit Propheta Deum illic fregiſſe ſagittas, gladios & clypeos. Hoc tamen præcipue cognitu neceſſarium eſt, perpetuam Dei curam in tuenda quam elegit Eccleſia hic laudari, ut de ejus protectione fideles gloriari non dubitent.

2. *Notus in Judæa Deus.*] Initio Pſalmi admonet Propheta non humanitus eſſe factum ut hoſtes diſceſſerint irriti, ſed memorabili Dei auxilio. Unde enim notitia Dei, & magnitudo nominis, de quibus loquitur, niſi quia Deus manum ſuam inuſitato modo exeruit, ut palam conſtaret ſub ejus patrocinio & tutela eſſe urbem & populum? Dicit igitur Propheta palam apparuiſſe Dei gloriam, hoſtibus tali miraculo proſtratis. Sequenti verſu rationem aſſignat cur Aſſyriis profligatis, urbem illam Deus aſſerere ac tueri dignatus ſit: quia ſcilicet domicilium illic ſibi delegerat in quo nomen ſuum invocaretur. Summa eſt, non eſſe quod ſibi homines in hac urbis liberatione quam deſcribit, quicquam arrogent, quia magnifice innotuit Deus: & manum ſuam è cælo conſpicuam protulit. Deinde nonniſi gratuitæ electionis ſuæ reſpectu adductum fuiſſe Deum ut ſe hoſtibus ejus oppoſuerit. Jam quia illo documento teſtatus eſt quam invictum ſit ſuum robur in ſervanda Eccleſia, fideles hic hortatur Propheta, ut ſub umbra ejus ſecure quieſcant. Nam ſi Deo pretioſum eſt nomen ſuum, non vulgare eſt fidei pignus, dum audimus ipſum virtutis ſuæ magnitudinem in Eccleſiæ ſuæ ſalute velle cognoſci. Porro quum Eccleſia inſigne ſit gloriæ Dei theatrum, ſedulo ſemper cavendum eſt ne beneficia in eam collata, præcipue quorum memoria vigere debet omnibus ſeculis, ingratitudo noſtra obruat. Cæterum quamvis nunc in tabernaculo viſibili non colatur Deus, quia tamen per Chriſtum in medio noſtri & in nobis ipſis habitat, experiemur haud dubie quoties opus fuerit, nos ſub ejus protectione ſalvos ac tutos eſſe. Nam ſi terrenum Sacrarium Hieroſolymæ ſalutem attulit, non minorem hodie curam noſtri geret quos in templa ſibi eligere dignatus eſt in quibus per Spiritum ſuum habitet. Simplex urbis nomen hic ponitur, quod antiquum fuiſſe apparet ex capite Geneſis 14. v. 18. Quidam ſucceſſu temporis compoſitum fuiſſe nomen exiſtimant, quaſi Jebuſalem: quia nomen hoc poſtea medio tempore obtinuit, ſicut patet ex Judicum capite 19. v. 10. quod eam incolerent ac tenerent Jebuſæi. Rectior tamen eſt etymologia à verbo ירא quod eſt videbit: quia dixerat Abraham, Deus ſibi Gen. 22. vers. 8.
ſacrificium videbit.

4. *Illic confregit.*] Definit qualis fuerit illa Dei notitia, nempe quum admirabile virtutis ſuæ ſpecimen in urbe ſervanda edidit. Porro ſub figuris deſcribitur hoſtium profligatio, quia dejici aliter non poterant niſi armis ſpoliarentur. Dicit igitur *fractas fuiſſe ſagittas, gladios & clypeos*, omneſque machinas bellicas: quia impiis erepta fuit vis nocendi. Quanquam autem telis integris cæſi & extincti fuerunt, non tamen male convenit hæc metonymia. רשפים quidam vertunt cuſpides. Proprie vertendum eſſet, ignes: ſed rectius eſt pro ſagittis accipi. Nam & aves metaphorice interdum ſic vocantur propter celeritatem. Sagittis autem tribuitur volatus Pſalmo 91. verſ. 5. Jam addit Deum & *illuſtrem eſſe & terribilem præ montibus prædæ*, quo nomine violenta & prædatoria regna deſignat, ſicut ab initio ſcimus, quo quiſque plus valebat latrocinando, fines ſuos magis ampliaſſe. Magnos ergo illos Reges, qui ſibi ampla dominia per vim & injuſtas cædes acquiſierant, comparat feris beſtiis quæ vivunt ex rapto, & eorum regna ſylvoſis montibus, quos beſtiæ ad prædas aſſuetæ occupant. Quamvis ergo hoſtes Hieroſolymæ violenter graſſari ſoliti eſſent, Deum tamen ſupra omnes longe excellere Propheta affirmat, ne terroribus ſuccumbant fideles.

6. *Spoliati ſunt.*] Alia loquendi forma extollitur Dei virtus in hoſtibus perdendis. Verbum quo utitur, deductum eſt à שלל, & א ponitur loco ה. Nam quod alii infatuatos vertunt, coactum eſt. Quanquam fateor tantundem valere acſi dixiſſet conſilio & fortitudine fuiſſe privatos. Sed tenenda eſt verbi proprietas. Eodem ſpectat quod additur ſecundo membro, viros *robuſtos non inveniſſe manus ſuas*, hoc eſt, nihilo magis ad pugnandum fuiſſe idoneos, quam ſi mutilæ & truncatæ fuiſſent eorum manus. Summa eſt, vires quibus gloriabantur fuiſſe proſtratas. Eodem pertinet quod dicit *dormiſſe ſomnum ſuum*, hoc eſt, quum prius eſſent alacres & ſtrenui, ignavia & torpore fuiſſe quaſi ſopitos. Spoliatos ergo dicit fuiſſe hoſtes heroica illa virtute quam jactabant, & quæ tantum dabat audaciæ, ut neque mens, neque cor, neque manus, neque reliquæ partes officium ſuum fecerint. Quibus verbis admonet in manu Dei eſſe quicquid facultatis ſuppetere videtur hominibus, ut ſingulis momentis quam dedit prudentiam eripere queat, corda effœminare, manus reddere imbelles, totumque robur conterere. Ac conſulto extollitur tam animoſitas quam potentia hoſtium, ut diſcant fideles ex oppoſito attollere Dei virtutem. Eandem ſententiam rurſus confirmat, dicens, *ſopitos fuiſſe currum & equum ab increpatione Dei*: acſi diceret, quicquid agilitatis erat in hoſtibus, ſolo Dei nutu fuiſſe dejectum. Ergo ut nos omnia ſubſidia deſtituant, ſufficiat nobis unicus Dei favor, quando non opus habet magnis copiis ad repellendos totius mundi impetus, ſed ſolo flatu diſcutere eos poteſt.

8. Tu terribilis, tu, & quis conſiſtet coram facie tua, ex quo ira tua?

8 אַתָּה נוֹרָא אַתָּה וּמִי יַעֲמֹד לְפָנֶיךָ מֵאָז אַפֶּךָ׃

9. E cælis audire feciſti judicium: terra timuit, & quievit.

9 מִשָּׁמַיִם הִשְׁמַעְתָּ דִּין אֶרֶץ יָרְאָה וְשָׁקָטָה׃

10. Quum exurgeret ad judicium Deus, ad ſervandum omnes manſuetos terræ. Selah.

10 בְּקוּם לַמִּשְׁפָּט אֱלֹהִים לְהוֹשִׁיעַ כָּל עַנְוֵי אֶרֶץ סֶלָה׃

Digitized by Google

11. Certe indignatio hominum confitebitur tibi, reſiduum indignationum ligabis.

12. Vovete & reddite Jehovæ Deo veſtro: quicunque in circuitu ejus ſunt afferant munus * terribili.

* vel, ob terrorem.

13. Vindemiabit ſpiritum Principum, terribilis Regibus terræ.

11 כי חמת אדם תודך שארית חמת תחגר׃

12 נדרו ושלמו ליהוה אלהיכם כל סביביו יובילו שי למורא׃

13 יבצר רוח נגידים נורא למלכי ארץ׃

8. *Tu terribilis, tu.*] Repetitio pronominis excluſivam particulam in ſe continet: acſi dixiſſet, quicquid eſt in mundo potentiæ, facile efflari & concidere in nihilum ubi Deus in medium prodit: itaque merito ipſum ſolum eſſe formidabilem. quod etiam confirmat comparatio mox addita. Significat enim, quamvis ſuperbia crepent impii, Dei tamen conſpectum minime eis fore tolerabilem. Sed quia interdum diſſimulat, videturque otioſus ſpectator, diſerte exprimit Propheta, ſimulac iraſci cœperit, omnibus impiis ruinam inſtare. Quamvis ergo ad tempus non modo conſiſtant, ſed etiam furore ſuo tranſcendant nubes, expectandum eſſe admonet Propheta iræ tempus. Notemus etiam, terrorem hunc ita denunciari impiis, ut ſuaviter ad Deum alliciat fideles.

9. *E cælis.*] Cælorum nomine emphatice exprimit illuſtrius fuiſſe Dei judicium, quam ut potuerit vel fortunæ vel hominum induſtriæ adſcribi. Aliquando enim judicia ſua obſcure exequitur, acſi è terra emergerent. quemadmodum ſi pium & cordatum ſuſcitet Principem, ſancta & legitima quæ vigebit gubernatio, judicium Dei erit: ſed non videbitur pleno fulgore è cælis oriri. quia ergo inſolitum fuit hoc genus auxilii, peculiari elogio inſignitur. Huc etiam pertinet *auditus:* quia plus eſt clare reſonare tanquam aliquod tonitru Dei judicia, & ſuo fragore omnium aures percellere, quam ſi oculis cernerentur. Nec vero dubito quin ad concuſſionem illam alluſerit Propheta, quæ homines metu attonitos reddit. Nam quod terram quieviſſe dicit, ad impios proprie refertur, qui expavefacti palmam Deo concedunt, neque audent amplius ſuo more tumultuari. Quia ergo ſolo metu coguntur in ordinem, merito ſilentii cauſam, timorem ponit: non quia ſponte ſe contineant, ſed quia Deus invitos conſtringit. Summa eſt, ubi detonat è cælo Deus, ceſſare tumultus quos rebus confuſis excitat impiorum protervia. Simul tamen admonet quid proficiant ſua pervicacia homines: quia fulminibus conteri neceſſe erit quicunque paternam Dei vocem cum ſtrepitu contempſerint.

10. *Quum exurgeret.*] Nunc declarat quorſum judicium illud: nempe ut ſpecimen ederet Deus paterni erga pios omnes amoris. Deum ergo non ore, ſed manu loquentem inducit, ut palam oſtendat quam illi chara ſit piorum ſalus. Surgendi verbo ad ceſſationem reſpicit, unde tantum ſibi licentiæ ſumpſerant improbi. dicitur enim tribunal conſcendere, ubi claro effectu oſtendit ſibi curæ eſſe Eccleſiam. Huc enim tendit Prophetæ conſilium, non magis fieri poſſe ut Deus miſeros & innoxios deſerat, quam ut ſeipſum abneget. Notandum enim eſt, Deum vocari judicem, ut pauperibus injuſte oppreſſis ſuccurrat. Nam *manſuetos terræ* vocat fideles, qui afflictionibus domiti, nihil altum ſpirant, ſed ſuppliciter gemendo, crucis onus placide tolerant. Hic enim optimus eſt afflictionum fructus, animos noſtros ferocia purgatos, ad manſuetudinem ac modeſtiam flectere: quia inde certo colligimus, nos Dei clientes eſſe quibus opitulari velit.

11. *Certe indignatio.*] Quidam intelligunt, hoſtes, ubi Deo ſuccubuerint, victoriæ laudem ei daturos: quia fateri cogentur ſe fractos fuiſſe potenti ejus manu. Alii ſubtiliorem ſenſum eliciunt, Dum impios ſuſcitat Deus, & rabiem ipſorum impellit, magis hoc modo illuſtrare ſuam gloriam. ſicuti Pharao in hoc fuiſſe excitatus dicitur. Etſi autem hic ſenſus continet utilem doctrinam, quia tamen vereor ne ſit nimis argutus, ſimpliciter accipio, Quamvis initio hoſtium furor omnia perturbans, quaſi tenebras obducat, tandem ceſſurum in laudem Dei: quia eventu palam fiet, quicquid moliantur, nihil tamen poſſe contra Deum. Poſterior etiam pars verſus bifariam poteſt accipi. quia enim verbum חגר cingere ſignificat, quidam ſubaudiunt pronomen te, hoc ſenſu, Quamvis nondum profligati ſint omnes Eccleſiæ hoſtes, tu tamen Deus ad perdendos quicunque reſidui ſunt, te accinges. Verum ſimplicior eſt altera interpretatio, Quamvis non deſinant hoſtes truculentiam ſpirare, tu tamen impedies ac conſtringes, ne exequantur ſuos conatus. Non male etiam forte quadraret, Tu colliges in faſciculum. ſicuti Gallice dicimus *trouſſer*. Diſcamus ergo, dum obnubilant impii imperium Dei, patienter exſpectare, dum lætiore ſucceſſu ſeipſum glorificet Deus, & cum ludibrio veſanam eorum audaciam conterat. Quod ſi ſubinde emergant novi motus, veniat nobis in mentem, proprium eſſe Dei munus reliquias indignationum conſtringere, ne ſe longius diffundant. Interea ne miremur ſubinde pullulare novos furores, quia uſque ad finem mundi ſemper habebit Satan quos ad vexandos Dei filios inſtiget.

Rom. 9. verſ. 17.

12. *Vovete.*] Jam ad gratitudinem fideles hortatur. Quia autem ſub Lege pro ſingularibus Dei beneficiis vovebant ſacrificia, quibus confitebantur ſalutem ſuam Deo ſe acceptam ferre, ad hunc pietatis cultum eos revocat Propheta. ac *reddendi* verbo conſtantiam deſignat, ne ſcilicet in ſubitam confeſſionem erumpant ſolum, ſed continuo temporis ſucceſſu teſtentur penitus infixam eſſe cordibus ſuis liberationis memoriam. Præcipuum quidem eſt ut apud ſe reputent Deum eſſe ſalutis auctorem: ſed non ſupervacua eſt ſolennis pietatis profeſſio, qua non modo ſe quiſque ad officium ſtimulat, ſed alii alios. Secundo membro videtur vicinas etiam Gentes alloqui: acſi diceret, ſpeciem hanc gratiæ dignam eſſe quæ ab exteris & incircumciſis Gentibus celebretur. Mihi tamen aptius eſſe ad Prophetæ mentem videtur, compellari vel Levitas, vel omnes Abrahæ poſteros: quorum utrique non abs re dicuntur *eſſe in Dei circuitu:* quia & tabernaculum in medio caſtrorum locatum erat quamdiu in deſerto peregrinati ſunt Iſraëlitæ, & ſtatio arcæ delecta fuit in monte Sion, ut undique illuc confluerent. Levitis autem ſervandi templi partes mandatæ erant, ut in circuitu agerent excubias. Particulam למורא major pars interpretum ad Deum refert: ita eſſet nomen toar. Quanquam *timoris* nomen paſſive pro Deo ipſo interdum ſumitur. Si ad Gentiles & profanos homines referas, ſenſus erit, tributarios fore Deo: quia metu perterriti non audebunt amplius reſiſtere. Sed magis probabile eſt, nomen hoc ad Deum transferri, quem Propheta jure metuendum eſſe dicit poſt illud tam nobile virtutis ſpecimen editum.

13. *Vindemiabit.*] Quia verbum בצר Hebræis nonnunquam roborare ſignificat, quidam ita vertendum putant hoc loco. Sed quum duplicatio ſit ejuſdem ſententiæ, non dubito priore membro Prophetam intelligere principibus auferri mentem & prudentiam: deinde in genere exprimi Deum illis

eſſe

eſſe terribilem, quia ex ſua altitudine nos dejiciat præcipites. Quoniam autem principium rei bene gerendæ, ſanum eſt conſilium, quo ſæpe indigent fideles, quia inter ſuas anguſtias perplexi hærent, dum impii in ſuis aſtutiis nimis ſunt perſpicaces: hic Propheta in manu Dei eſſe pronunciat ſpiritu privare & excæcare qui videntur præ aliis acuti. Et quia major fere principum numerus Eccleſiæ Dei infenſus eſt, diſerte exprimit Propheta ſatis eſſe in Deo terroris ad ſubigendos totius orbis Reges. Quod tamen illis eripi ac vindemiari ſpiritum dicit, reſtringi debet ad tyrannos & prædones quos infatuat Deus: quia videt ingenium & conſilia omnia ad nocendum applicare.

ARGUMENTUM PSALMI LXXVII.

Quiſquis fuerit auctor Pſalmi, videtur Spiritus per os ejus communem precandi formam pro afflicta Eccleſia dictaſſe, ut in ſæviſſimis quibuſque perſequutionibus vota ſua nihilominus in cœlum dirigerent. Neque enim privatus unius perſonæ dolor, ſed electi populi gemitus & lamentatio hic exprimitur. Redemptionem vero ſemel factam prædicant fideles, quæ monimentum erat perpetuæ Dei gratiæ: ut hoc modo ſe animent, & melius confirment in ſtudio precandi.

PSALM. LXXVII.

PRæfecto ſuper Jeduthun Pſalmus Aſaph.	1 למנצח על ידותון לאסף מזמור׃
2. Vox mea ad Deum, & clamavi: vox mea ad Deum, & exaudivit me.	2 קולי אל אלהים ואצעקה קולי אל אלהים והאזין אלי׃
3. In die afflictionis meæ Dominum quæſivi: manus mea nocte effuſa eſt, & non ceſſavit: renuit conſolationem anima mea.	3 ביום צרתי אדני דרשתי ידי לילה נגרה ולא תפוג מאנה הנחם נפשי׃
4. Recordabor Dei, & inquietus ero: meditabor & mœrore opprimetur ſpiritus meus. Selah.	4 אזכרה אלהים ואהמיה אשיחה ותתעטף רוחי סלה׃
5. Tenuiſti vigilias oculorum meorum: contritus ſum, & non loquar.	5 אחזת שמרות עיני נפעמתי ולא אדבר׃
6. Recenſui dies antiquos, annos ſeculorum.	6 חשבתי ימים מקדם שנות עולמים׃
7. Recordabor carminis mei nocte: cum corde meo meditabor, & inveſtigabit ſpiritus meus.	7 אזכרה נגינתי בלילה עם לבבי אשיחה ויחפש רוחי׃

VOx mea ad Deum.] Non puto nudam eſſe querimoniam, ſicuti ſentiunt quidam interpretes: quaſi mirentur fideles, Deum, qui prius annuere ſolitus fuerat eorum votis, nunc ſurdum eſſe, & ſine profectu invocari. Mihi magis probabile eſt, vel de præſenti ſuo affectu Prophetam loqui: vel repetere memoria quam propenſum & facilem ad preces ſuas exaudiendas Deum expertus eſſet. Ego autem libenter huc inclino, Prophetam referre quanto mœrore torqueatur: ac meo judicio, tam præterito quam futuro verborum tempore continuum actum deſignat. Primo autem narrat non ſe temere ejulaſſe in aërem, ut multi ſine ratione intemperiem doloris effundunt: ſed recta ſe ad Deum ſermonem vertiſſe quum neceſſitas clamorem exprimeret. Nam copula quæ adjungitur verbo Clamandi, in adverbium temporis reſolvi debet, Dum clamavi, vox mea ad Deum profecta eſt. Simul etiam oſtendit non fuiſſe ſibi excuſſam perſeverantiam, quamvis ſæpius iterandi eſſent clamores. Quod continuo poſt additur, fidei confirmatio eſt. Copula enim, ut ſæpe alias, vice adverbii cauſalis ponitur. quaſi diceret, Ego ad Deum clamo: quia mihi propitius & exorabilis eſſe ſolet. Proximo verſu clarius exprimit quam gravis & dura tunc fuerit Eccleſiæ oppreſſio. Quanquam in verbis nonnulla eſt ambiguitas. יד metaphorice interdum ſignificat vulnus: ideo hunc ſenſum eliciunt multi interpretes, Vulnus meum diffluxit nocte, & non ceſſavit. hoc eſt, ſanies non fuit exinanita ut ſiſtatur fluxio. Atqui potius in genuino ſenſu *manum* accipio, quia verbum נגרה quo utitur, non modo diffluere, ſed etiam diffundi vel extendi ſignificat. Jam quum ſe in die afflictionis Deum quæſiſſe, & manus ſuas ad eum extentas nocte fuiſſe dicit, hæc diſtributio denotat continuum tempus: acſi diceret, infatigabili ſtudio ſe ad preces fuiſſe intentum. Clauſula verſus adverſative legi debet, Quamvis anima Prophetæ nullum ſolatium ad leniendos cruciatus inveniat, ipſum tamen manus ad Deum tendere. Atque ita cum deſperatione luctari nos decet, ut dolor, licet inſanabilis, januam tamen votis noſtris minime præcludat.

4. *Recordabor.*] Pluribus verbis doloris ſui vehementiam, & ſimul mali gravitatem exprimit. Nam quod unicum erat remedium ſedandæ mœſtitiæ, ſibi inquietudinis fuiſſe cauſam deplorat. Abſurdum quidem videri poſſet, turbari Dei recordatione pias mentes: ſed ſimpliciter intelligit Propheta, quamvis Dei recordatus ſit, non tamen ſanatam fuiſſe ſuam anxietatem. Fit quidem ſæpe ut tormentum piis augeat Dei recordatio in rebus adverſis, ubi ſcilicet iratum ſibi & infenſum concipiunt. Sed non intelligit Propheta cor ſuum novis agitationibus perculſum fuiſſe quoties memor erat Dei: tantum conqueritur nulla Dei conſolatione ſe fuiſſe pacatum. quæ graviſſima eſt tentationis ſpecies. Incredulos diris tormentis cruciari mirum non eſt: quia quum à Deo recedere ſtudeant, juſtas defectionis ſuæ pœnas luunt. Sed ubi Dei recordatio, unde malis noſtris lenimen quærimus, animos noſtros non tranquillat, videtur nobiſcum ludere. Atqui docet hic locus, utcunque fremitu, mœrore, tumultu pleni ſimus, inter hæc tamen obſtacula pergendum eſſe in Dei invocatione. Eodem pertinet proximus verſus, ubi dicit totas noctes ſe pervigiles duxiſſe, quod Deus nihil relaxationis daret. Quia enim nox in plures vigilias ſolebat diſtribui, metaphorice cuſtodias vocat aſſiduam ægritudinem, quæ ſomno locum non dabat. Sed quum paulo ante dixerit ſe clamoſa voce Deum precari, nunc taciturum ſe dicat, videtur ſpecies aliqua eſſe repugnantiæ. Hæc quæſtio jam Pſalmo 32. v. 3. ſoluta fuit: ubi docuimus fideles mœrore oppreſſos non ſervare æquabilem ſtatum, ſed nunc erumpere in gemitus & querimonias, nunc, quaſi præcluſæ eſſent fauces, obmuteſcere.

teſcere. Quare non mirum eſt ſi Propheta ſe malis fatetur ita fuiſſe oppreſſum & quaſi ſuffocatum ut vocem non emitteret.

6. *Recenſui dies.*] Non dubium eſt quin priſtinæ lætitiæ memoria dolorem ſuum mitigare conatus ſit, ſed profectum tam ſubito ſenſiſſe negat. Quanquam per *dies initii* & *annos ſeculorum* non modo breve vitæ ſuæ curriculum videtur notare, ſed plures ætates complecti. Et certe fideles, non modo quæ experti ſunt Dei beneficia, ſed quæcunque omnibus ſeculis in Eccleſiam ſuam contulit, ſibi in afflictionibus proponere & in animum revocare debent. Quanquam ex contextu colligere promptum eſt, quum ſuperiores Dei gratias in animum colligeret Propheta, à proprio experimento cœpiſſe. Neque enim dubito quin per *carmen ſuum* deſignet gratiarum actiones quibus ſe in rebus lætis & proſperis exercuerat. Etſi autem nullum eſt ſanandis malis noſtris aptius remedium, ſicuti nuper dixi, Satan tamen aſtute nobis ſæpe Dei beneficia ſuggerit, ut ſenſus ipſe privationis acrius animos noſtros vulneret. Ideo veriſimile eſt acerbis punctionibus lancinatum fuiſſe Prophetam, dum anteacti temporis lætitiam conferebat malis præſentibus. *Noctis* autem diſerte meminit, quæ plures curas & cogitationes generat, dum ſolitarii ſumus, ſubductique ab hominum conſpectu. Idem valet quod mox additur *meditari cum corde:* hoc enim affert ſolitudo, ut ſe colligant homines, penitus ſeipſos excutiant, ac ſerio remotis arbitris ſecum loquantur. Poſterius membrum verſus ſeptimi duplicem ſenſum admittit. Quia verbum חפש maſculinum eſt apud Hebræos, nomen vero רוח fœmininum aliquando, quidam ſubaudiunt Dei nomen, acſi diceret, Domine nihil eſt tam abſconditum in corde meo, quo non penetraveris. Et ſane proprie dicitur Deus ſcrutari hominis ſpiritum, quem expergefacit à torpore, viviſque tormentis examinat: quia tunc excutiuntur latebræ omnes, & obſcuri receſſus, & in lucem protrahuntur affectus prius incogniti. Cæterum quia ratio Grammaticæ patitur ambiguum eſſe genus nominis, liberius alii vertunt, inveſtigavit ſpiritus meus. Quam ſententiam, ut magis recepta eſt & longe melius fluit, libenter amplector. In illa igitur diſceptatione cujus meminit, ſcrutatus eſt quaſnam ob cauſas tantopere affligeretur: deinde quis tandem foret exitus malorum. Et certe utilis eſt hæc meditatio, ad quam nos etiam Deus rebus adverſis ſollicitat: quia eorum ſocordia qui ſub Dei flagellis obdureſcunt, nihil magis perverſum eſt. Solum tenendus eſt modus, ne dolor nos abſorbeat: deinde ſi omnia Dei judicia perveſtigare tentemus, abyſſus nos obruat. Significat autem Propheta, quum hinc inde omnia colligeret, nihil ſolatii apparuiſſe ad placandum dolorem.

8. An in ſecula [a] repellet Dominus? nec adjiciet ultra ut ſit benevolus?	8 הלעולמים יזנח אדני ולא יסיף לרצות עוד:
9. An deſiit in æternum clementia ejus? conſumptum eſt oraculum in generationem & generationem?	9 האפס לנצח חסדו גמר אמר לדר ודר:
10. An oblitus eſt miſereri Deus? an clauſit in ira miſericordias ſuas? Selah.	10 השכח חנות אל אם קפץ באף רחמיו סלה:
11. Et dixi, [b] Occidere meum, [c] anni dexteræ Excelſi.	11 ואמר חלותי היא שנות ימין עליון:

[a] vel, *elongabitur.*
[b] vel, *Ægritudo mea.*
[c] vel, *mutationes.*

8. *An in ſecula.*] Hæc fuit haud dubie pars inquiſitionum quas revolvit in ſuo ſpiritu. Interea ſignificat diuturno malorum tractu ſe prope fuiſſe confectum. Neque enim in hanc vocem prorupit niſi poſt longam tolerantiam, ut vix ſperare auderet Deum aliquando fore propitium. Merito autem ſecum Propheta diſputavit annon benevolus eſſe pergeret Deus: quia hac lege nos ſua benevolentia complectitur Deus, ut eam uſque in finem continuet. Porro non præciſe expoſtulat, ſed potius ſecum diſceptans, ratiocinatur à natura Dei, fieri non poſſe quin proſequatur gratuitum ſuum favorem erga pios, quibus ſemel patrem ſe exhibuit. Jam ſicuti ex gratuito Dei beneplacito deduxit quaſi ex fonte quæcunque ex ejus manu beneficia percipiunt fideles, ita paulo poſt adjungit bonitatem. acſi diceret, Quomodo curſum abrumperet Deus paterni favoris, qui naturam exuere non poteſt? Videmus ergo ut bonitatis Dei objectu, tentationum inſultus repellat. Dum quærit *an conſumptum ſit eloquium*, vel oraculum, ſignificat omni ſe conſolatione deſtitui, quia ad fidem fulciendam nulla occurrat promiſſio. Hæc autem eſt abyſſus deſperationis, ubi Deus promiſſiones ſuas, quibus incluſa eſt ſalus noſtra, è medio tollit. Si quis objiciat, non potuiſſe Dei eloquio deſtitui, cui Lex erat præ manibus: reſpondeo, pro temporis infirmitate ſpeciales promiſſiones tunc fuiſſe neceſſarias. Ideo Pſal. 74. v. 9. conqueſti ſunt fideles, ſe uſitata ſigna amplius non videre, neque eſſe amplius Prophetam qui inter eos cognoſcat. Si David auctor fuerit hujus Pſalmi, ſcimus ſolitum fuiſſe in rebus dubiis & perplexis Deum conſulere, dataque ei fuiſſe reſponſa. Si hæc in malis ablata illi fuit levatio, jure deplorat ſibi non occurrere ſermonem quo fidem ſuam ſuſtineat. Sin vero alius fuit auctor, congruit hæc querimonia medio tempori inter reditum ab exilio & Chriſti adventum: quia tunc abruptus quodammodo Prophetiæ curſus fuit: & nullus fuit peculiari Spiritus dono inſtructus, qui collapſos animos erigeret, vel fulciret. Adde quod interdum, quamvis offeratur nobis Dei ſermo, non tamen ad nos uſque pervenit: quia anguſtiis conſtricti, nullam conſolationis guttam admittimus. Sed ego priorem ſenſum amplector, quod ſcilicet ſpecialibus Prophetiis caruerit Eccleſia, quæ adhuc ſuſpenſa à ſolo umbrarum intuitu, opus habebat quotidianis fulturis. Quanquam hinc utilis admonitio colligitur, non debere nos ultra modum turbari, ſiquando verbum ſuum Deus nobis ſubducat, ſicuti exercet ſuos miris modis, ut imaginentur alio converti totam Scripturam: & quamvis Deum audire loquentem cupiant, adduci tamen nequeunt ut in uſum ſuum applicent ejus verba. Eſt quidem, ut dixi, hoc in primis triſte & acerbum, non tamen debet precibus noſtris aditum obſtruere.

10. *An oblitus eſt.*] Pergit adhuc in illa diſceptatione Propheta, cujus tamen finis eſt non ſpem labefactare, ſed potius erigere. Neque enim interrogat de re dubia: ſed perinde eſt acſi diceret, An oblitus eſt Deus ſeipſum? vel mutavit naturam? quia Deus eſſe non poteſt quin ſit miſericors. Fateor quidem non ſtetiſſe inconcuſſum, quaſi ferreo eſſet pectore: ſed quo durius impetebatur, eo magis in hanc doctrinam recubuit, ſic conjunctam eſſe bonitatem cum Dei eſſentia, ut impoſſibile ſit eum non eſſe miſericordem. Ideo quoties in curis & doloribus dubitationes nobis obrepunt, diſcamus ſemper ad hunc ſcopum tendere, An Deus naturam ſuam exue-

exueret, ut non ſit miſericors? Eodem ſpectat poſterius membrum, *an clauſit* vel prohibuit *miſerationes ſuas in ira?* Celebre enim ſanctis Patribus erat elogium illud, Deum longæ eſſe tolerantiæ, tardum ad iram, ad veniam propenſum & exorabilem. Unde etiam dictum illud ſumpſit Habacuc in ſuo cantico, In ira, miſericordiæ memor erit. Propheta igitur hic colligit, caſtigationem quam ſentit, non obſtare quominus ſe Deus iterum placatus ad ſolitum benefaciendi morem convertat: quia nonniſi ad momentum ſuis iraſcitur. Imo ſigna iræ ſuæ oſtendens, tenerrime diligit quos caſtigat. Manet quidem ira ejus perpetuo ſuper reprobos: ſed Propheta unum ſe inter ejus filios numerans, & verba faciens de reliquis fidelibus, ab impoſſibili, merito arguit temporalem iram Dei curſum miſericordiæ non abſcindere.

Habac. 3. verſ. 2.

11. *Et dixi.*] Varie exponitur hic locus. Quidam verbum חלותי deducunt ab חלה quod eſt occidere, & hunc eliciunt ſenſum, Prophetam malorum congerie obrutum, non poſſe aliud ſentire, quam ſe divinitus addictum eſſe ultimo exitio: acſi confeſſio eſſet deſperationis. Alii ægrotare vel infirmari vertunt, quod ipſum non male contextui quadrat. Nondum tamen de ſenſu convenit: quia ſecundum quoſdam interpretes, ſe hic accuſat & coarguit Propheta, quod tam debili ac molli fuerit animo, nec ſe virilius oppoſuerit ad reſiſtendum. Et tolerabilis eſſet hæc ſententia: quia ſancti poſt ſuas vacillationes animum ſolent colligere. Ego tamen diverſum ſenſum potius amplector, ut dicat Propheta hunc morbum eſſe temporalem: atque ita morti oblique comparet: ſicuti Pſal. 118. verſ. 18. dicitur, Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Item, Non moriar, ſed vivam. Probabile hoc, ut ſe exoneret Propheta, ſtatuens ad tempus duntaxat ſe dejici: ideoque patienter ferendam eſſe ægritudinem, quia lethalis non eſt. In ſecundo etiam membro diſſentiunt interpretes. Nam qui verſum hunc contexunt cum ſuperioribus, putant Prophetam ita initio fuiſſe fractum ut de ſalute ſua actum eſſe crederet: deinde per vices caput extuliſſe, ſicuti naufragi ex aquis ſubinde emergunt. Porro vocem hanc hortantis eſſe volunt, ut ſibi in memoriam revocet Propheta annos quibus propitium Deum expertus erat. Recipi quidem hoc poteſt ſicuti alterum, Non eſt quod teipſum ultro morti deſpondeas, quia tantum laboras ſanabili morbo. ſic enim reſtituere ſolet Dei manus quos percuſſit. Neque enim repudio eorum ſententiam qui שנות vertunt mutationes. nam quum שנה mutare vel iterare ſignificet, שנות Hebræi vocant annos, à revolutione, quia vertuntur in ſuos circulos. Utrovis tamen modo accipere libeat, ſtabit illa quam dixi conſolatio, quod ſcilicet Propheta aliam viciſſitudinem ſibi promittens, morti ſe minime devoveat. Paulo aliter interpretantur qui alioqui accedunt: acſi diceret Propheta, Cur nunc ſeveritatem Dei non toleres, cujus beneficentia ſuaviter antehac te fovit? ſicuti Job dicebat, Si bona recepimus è manu Dei, mala etiam cur non feremus? Quanquam magis probabile eſt Prophetam reſpicere in futurum tempus: acſi diceret expectandos eſſe annos vel revolutiones dextræ Excelſi, donec propitius affulgeat. Sed dum omnia diligentius expendo, continuat ſuam querimoniam: & inſtar hominis deſperati, actum eſſe pronunciat de ſua ſalute, quod Dei manum quæ ante auxiliaris fuerat, nunc ſentiat in ſuam perniciem eſſe armatam. Continuo enim poſt ſolatium ſubjicit quo levatus eſt ex tanto mœrore.

Job. 2. verſ. 10.

12. Recordabor operum Dei, certe recordabor ab initio mirabilium tuorum:	12 אזכור מעללי יה כי אזכרה מקדם פלאך:
13. Et meditabor in cunctis operibus tuis, & in factis tuis commentabor.	13 והגיתי בכל פעלך ובעלילותיך אשיחה:
14. Deus in Sanctuario viæ tuæ: quis Deus magnus ſicut Deus?	14 אלהים בקדש דרכך מי אל גדול כאלהים:
15. Tu Deus faciens mirabilia, ſcire feciſti in populis robur tuum.	15 אתה האל עשה פלא הודעת בעמים עזך:

12. *Recordabor.*] Jam animoſius contra tentationes exurgit Propheta, quæ fere ad opprimendam ejus fidem prævaluerant. Nam recordatio hæc operum Dei, ab ea cujus ante meminit differt: quia tunc eminus intuebatur Dei beneficia, quæ lenire vel minuere dolorem nondum poterant. Hic vero arripit quaſi certa teſtimonia perpetuæ gratiæ: & ideo vehementiæ cauſa ſententiam repetit, interpoſita etiam aſſeveratione. Nam particula כי hoc loco tantum confirmat, vel amplificat. Ergo quaſi victor exultat in memoria operum Dei: quia certo perſuaſus eſt non alium fore quam ſe ab initio oſtendit. Secundo autem membro magnifice extollit quam in ſuis ſervandis potentiam exeruit Deus. Ponit quidem *arcanum* vel mirabile: ſed mutato numero obſcuritatem corrigere non dubitavi: ſicuti etiam paulo poſt eodem numero ſingulari plura miracula notabit. Summa eſt, mirificam Dei virtutem qua ſemper uſus eſt in tuenda ſuorum ſalute, ſi modo probe à nobis expenditur, ſufficere ad ſuperandos omnes dolores. Hinc vero diſcamus, licet interdum operum Dei recordatio non ſatis afferat nobis ſolatii, luctandum tamen eſſe, ne tædio frangamur. quod diligenter notandum eſt. Optamus ſemper in dolore reperire quod acerbitatem mitiget: hæc autem eſt unica ratio, curas noſtras rejicere in Deum. Atqui ſæpe continget, Deum, quo propius accedit, in ſpeciem augere noſtra tormenta. Multi igitur, quando hac via nihil proficiunt, nihil ſibi putant eſſe melius quam Deum oblivisci. Ita verbum ejus faſtidiunt, cujus auditu magis exacerbatur eorum triſtitia quam dulceſcat: imo cupiunt Deum procul faceſſere qui ita exulcerat & inflammat ipſorum dolores. Alii ut ſepeliant ejus memoriam, totos ſe profanis occupationibus addicunt. Longe aliter Propheta: qui etſi non ſtatim profectum qualem optabat expertus eſt, non tamen Deum ſibi ante oculos ſtatuere deſtitit: prudenter hac cogitatione fidem ſuam ſuſtinens, Quia Deus animum & ingenium non mutat, fieri non poſſe quin ſuis tandem appareat propitius. Diſcamus etiam ad intuitum operum Dei aperire oculos, quorum præſtantia propter hebetudinem nobis vileſcit, quæ attentos in ſui admirationem rapiet. Idem repetit verſu duodecimo, ſe in hac meditatione fore aſſiduum, donec legitimo tempore maturum ejus fructum percipiat. Nam quod nihil nobis proſunt tot gratiæ Dei exempla, nec fidem noſtram ædificant, inde fit, quia ſimulac ea guſtare cœpimus, alio nos abſtrahit noſtra levitas, & in ipſis principiis evaneſcimus.

14. *Deus in Sanctuario.*] Qui בקדש vertunt, in ſanctitate, id faciunt coacti: quia videtur frigida eſſe & jejuna loquutio, Dei vias in Sanctuario eſſe. Sed quia hoc ratio Grammaticæ vix patitur, videndum

dum eſt annon ex genuina nominis ſignificatione utilis elici queat doctrina. Quod quidam abruptam exclamationem eſſe volunt, Deus qui es in Sanctuario, ô viæ tuæ! mihi non probatur: quia illi quoque violenter torquent Prophetæ verba. Uno igitur contextu legendum eſt hoc membrum, & nomen Sanctuarii vel pro cælo, vel pro templo capitur. Ego autem ad cælum referre malo, ut ſenſus ſit, vias Dei alte ſupra mundum excellere, ut neceſſe ſit conſcendere ſupra omnes cælos, ſi cupimus eas vere cognoſcere. Etſi enim aliqua ex parte nobis manifeſta ſunt Dei opera, notitia tamen hæc infra immenſam eorum altitudinem longe ſubſidit. Adde quod ne minimo quidem guſtu fruuntur niſi qui fide in cælum aſſurgunt. & tamen hoc ſemper extremum eſt, reverenter ſuſpicere abſconditam Dei ſapientiam & virtutem, quæ in operibus ejus refulgens, captum tamen mentis noſtræ longe excedit. Siquis excipiat, vias Dei, quæ diffuſæ ſunt per totum mundum, perperam cælo includi: facilis ſolutio eſt. Quamvis enim nullus ſit terræ angulus ubi non ſpecimen aliquod Deus exhibeat ſuæ virtutis, fugit tamen hominum oculos admirabilis operum ejus ratio. Siquis de templo intelligere malit, ſimilem fere habuimus ſententiam Pſal. 73. verſ. 16. Hæc ſtultitia & fatigatio ſpiritus, donec ingrediar Sanctuarium Dei. Et certe templum in quo ſe patefecit Deus, fuit quaſi cælum terreſtre. Tenemus quidem Prophetæ mentem: quia principio turbulentas querimonias effuderat, nunc pacato animo miratur & adorat ſublimes vias Dei, ſuæque imbecillitatis conſcius, ſe intra menſuram ſuam placide & ſobrie continet: nec ſibi de arcanis Dei judiciis judicium facere permittit ex carnis ſenſu. Ideo mox exclamat, *Quis Deus magnus ſicut Deus?* Qua comparatione non innuit plures eſſe deos, ſed oblique perſtringit mundi dementiam, quod uno Deo non contentus, cujus gloria ſic conſpicua eſt, plures ſibi fabricet. Nam ſi puris oculis conſpicerent homines Dei opera, in eo ſolo facile acquieſcerent.

15. *Tu Deus.*] Confirmat eandem ſententiam, magnitudinem Dei probans ab operum miraculis. acſi diceret ſe non loqui de abſcondita Dei eſſentia, quæ cælum & terram implet, ſed de virtutis, ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ documentis, quæ palam apparent, licet modum intelligentiæ noſtræ excedant. Ad verbum eſt, faciens miraculum: ſed numeri mutatio eſt, ut nuper dixi. Hinc vero colligimus, magis propinquam nobis eſſe Dei gloriam, & clarius perſpici, quam ut juſta ſit ignorantiæ excuſatio. Mirabiliter enim operatur Deus, ut ne profanas quidem Gentes ſua cæcitas excuſet. Ideoque additur, *feciſti ſcire in populis robur tuum.* Quod tametſi ad Eccleſiæ liberationem pertinet, oſtendit tamen non poſſe contemni Dei gloriam ſine ſacrilegio, quam ipſe clare & potenter inter Gentes aſſeruit.

16. Redemiſti in brachio populum tuum, filios Jacob & Joſeph. Selah.

17. Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ: timuerunt, etiam contremuerunt abyſſi.

18. Exundare aquas fecerunt nubes, vocem dederunt cæli: quin etiam ſagittæ tuæ diſcurrunt.

19. Vox tonitrui tui in ſphæra: illuxerunt fulgura orbi: tremuit, & concuſſa eſt terra.

20. In mari viæ tuæ, & ſemitæ tuæ in aquis magnis: & veſtigia tua non ſunt cognita.

21. Duxiſti quaſi oves populum tuum in manu Moſis & Aaron.

16 גָּאַלְתָּ בִּזְרוֹעַ עַמֶּךָ בְּנֵי־יַעֲקֹב וְיוֹסֵף
סֶלָה׃
17 רָאוּךָ מַּיִם אֱלֹהִים רָאוּךָ מַּיִם
יָחִילוּ אַף יִרְגְּזוּ תְהֹמוֹת׃
18 זֹרְמוּ מַיִם עָבוֹת קוֹל נָתְנוּ
שְׁחָקִים אַף חֲצָצֶיךָ יִתְהַלָּכוּ׃
19 קוֹל רַעַמְךָ בַּגַּלְגַּל הֵאִירוּ בְרָקִים
תֵּבֵל רָגְזָה וַתִּרְעַשׁ הָאָרֶץ׃
20 בַּיָּם דַּרְכֶּךָ וּשְׁבִילְךָ בְּמַיִם
רַבִּים וְעִקְּבוֹתֶיךָ לֹא נֹדָעוּ׃
21 נָחִיתָ כַצֹּאן עַמֶּךָ בְּיַד־מֹשֶׁה
וְאַהֲרֹן׃

16. *Redemiſti.*] Præ aliis omnibus Dei miraculis celebrat populi redemptionem, ad quam ubique Spiritus ſanctus pios revocat, ut ſpem ſalutis ſuæ foveant. Tunc vero robur Dei Gentibus fuiſſe patefactum, ſatis conſtat: quia etſi factum eſt Satanæ artificio ut multis fabulis corrupta fuerit hiſtoriæ veritas, hoc tamen imputandum eſt eorum malitiæ, qui, oculati teſtes quum eſſent, ſponte tenebras ſibi obducere maluerunt. Qui enim factum eſt ut Moſen fingerent fuiſſe neſcio quem magum, totque portenta comminiſcerentur quæ collegit Joſephus contra Appionem: niſi quod data opera volebant obruere Dei potentiam? Prophetæ tamen hoc loco non tam propoſitum eſt Gentes ingratitudinis reas facere, quam ſibi & aliis Dei filiis ſuggerere bonæ ſpei materiam: quia tunc documentum in omnia ſecula edidit Deus ſui erga electos amoris. *Brachium* metaphorice hic accipitur pro inſigni & memorabili virtute: quia Deus non occulte & vulgari modo populum ſuum liberavit, ſed quaſi brachio extento. Filios Jacob & Joſeph nominans, cauſam aſſignat cur illos Deus in populo ſuo cenſuerit, nempe reſpectu fœderis quod cum ſanctis eorum patribus pepigerat. Etſi autem duæ tribus quæ progenitæ fuerunt à duobus filiis Joſeph, communem originem trahebant à Jacob, honoris tamen cauſa nomen Joſeph exprimitur, cujus opera & beneficio incolume ſervatum fuit totum ſemen Abrahæ.

17. *Viderunt te aquæ.*] Miracula quædam breviter attingit, in quibus brachium ſuum Deus oſtenderat. Figurate autem dicit viſum fuiſſe Deum ab aquis, quod ſcilicet velut arcano inſtinctu motæ ejus imperio paruerint ad dandum electo populo tranſitum. Neque enim vel Mare vel Jordanis ſponte cedendo, naturam ſuam mutaſſent, niſi utrumque tetigiſſet potentiæ Dei ſenſus: non quod judicio vel intelligentia curſum reflexerint: ſed quia in illo receſſu oſtendit Deus mortua quoque elementa ſibi ad reddendum obſequium præſto eſſe. Subeſt autem obliqua antitheſis ad pungendum hominum ſtuporem, niſi Dei præſentiam, quæ aquis viſibilis fuit, in liberatione populi agnoſcant. Quod additur de *abyſſis*, tantundem valet acſi dictum eſſet, non modo ſuperficiem aquarum Dei conſpectu fuiſſe perculſam, ſed vim ejus ad profundiſſimos etiam gurgites penetraſſe.

18. *Exundare fecerunt.*] Quia nomen מים non poteſt in conſtructione accipi, verbum tranſitive poſitum eſſe non dubito: etſi ad ſummam rei parum intereſt. neque enim obſcurus eſt Prophetæ ſenſus, Non mare ipſum modo & fluvium Jordanem Deo tribuiſſe meritum honorem, ſed aquas etiam in nubibus pendentes: quia cælum tonitru concuſſum, largas pluvias effudit. Docere autem vult, quocunque homines vertant oculos, ubique ſurſum ac deorſum à cælis uſque ad abyſſos in populi redemptione illu-

illuſtrem patere Dei gloriam. Porro quam hiſtoriam deſignet, non ſatis certum eſt: niſi forte quæ refertur Exodi cap. 9. verſ. 23. grandinem ſcilicet, tonitru & fulgetris miſtum, horrendam cladem Ægyptiis intuliſſe. Nam & per *ſagittas ambulantes* non dubium eſt quin metaphorice fulmina ſignificet. Cohæret verſus proximus, ubi dicit *vocem tonitru* auditam fuiſſe in ſphæra, illuxiſſe fulgura orbi uſque ad terræ concuſſionem. Summa huc tendit, ſatis ſuperque in exitu populi teſtatam fuiſſe Dei potentiam oculis & auribus, quum & cælum pertonuerit, & totus aër coruſcaverit fulgore, & terra fuerit tremefacta.

20. *In mari via.*] Aliis verbis iterum deſcribit miraculum in mari ſiccato. Nam quod in Iſraëlitas proprie competit, ad Deum transfert, cujus auſpiciis & ductu per aridum maris Rubri ſinum tranſierunt illi. Prædicat autem, iter inſolito modo fuiſſe patefactum, quia nec hominum induſtria exhauſtum fuit mare, vel flumen alio derivatum: ſed per medias aquas ambulavit populus, in quibus mox demerſus fuit cum ſuo exercitu Pharao. qua ratione dicit *veſtigia Dei non fuiſſe cognita*, quia trajecto populo uſitatum aquis curſum reſtituit. Finis additur, Eccleſiæ liberatio, quæ ad ſperandam ſalutem optimi pignoris loco debuit eſſe piis omnibus. Populum ovibus comparans, ſubindicat, nihil conſilii, nihil virtutis in illo fuiſſe, niſi quod Deus paſtoris officio fungi dignatus eſt, ut per mare & deſertum, aliaque obſtacula gregem rerum omnium inopem & egenum abduceret in hæreditatem promiſſam. Id confirmat ex perſona Moſis & Aaron. Etſi enim nobile & memoratu dignum fuit eorum miniſterium: hac tamen circumſtantia non parum illuſtravit Deus ſuam potentiam, quod duos homines obſcuros & contemptos, ſuperbiſſimi Regis furori & ingentibus copiis oppoſuit. Quid enim contra formidabilem tyrannum & gentem bellicoſam potuit virga exulis & profugi, & vox miſeri mancipii? Eo igitur magis enituit Dei virtus, dum in vaſis illis teſtaceis ac fictilibus operata eſt. Quanquam non repugno quin miniſtros ſimul commendet, quibus tam honorificum munus Deus injunxit.

Argumentum Pſalmi LXXVIII.

Ut brevi compendio multas res complectamur, notandum eſt duo præcipua eſſe Pſalmi hujus capita. Nam ab una parte narrat Propheta quomodo ſibi Eccleſiam Deus adoptaverit ex ſemine Abrahæ, quam ſuaviter ac benigne eam foverit, quam mirifice ex Ægypto collegerit, quam variis beneficiis eam fuerit proſequutus: ab altera parte exprobrat quam perverſe ſubinde & ſcelerate à Patre tam liberali deſciverint Judæi, quos ſibi tantopere obſtrinxerat: ut appareat inæſtimabilis Dei bonitas, non ſolum in fonte ipſo gratuitæ adoptionis, ſed quia continuo tenore certare non deſtitit cum tam perfidæ & indomitæ gentis contumacia. Cæterum gratiæ renovationem, & quaſi electionem ſecundariam commemorat, ubi Deus ex tribu Juda Davidem elegit qui regno præeſſet.

Pſalm. LXXVIII.

ERudiens Aſaph. Auſculta popule mi * Legem meam: inclinate aures veſtras ad verba oris mei.	1 משכיל לאסף האזינה עמי תורתי הטו אזנכם לאמרי פי׃
2. Aperiam in parabolam os meum: eloquar ænigmata à *tempore* antiquo.	2 אפתחה במשל פי אביעה חידות מני קדם׃
3. Quæ audivimus & cognovimus, & patres noſtri narrarunt nobis,	3 אשר שמענו ונדעם ואבותינו ספרו לנו׃
4. Non occultabimus à filiis eorum in generationem poſteram, narrantes laudes Jehovæ & fortitudinem ejus, & mirabilia ejus quæ fecit.	4 לא נכחד מבניהם לדור אחרון מספרים תהלות יהוה ועזוזו ונפלאותיו אשר עשה׃
5. Et ſtatuit teſtimonium in Jacob, & Legem poſuit in Iſraël: quia mandavit Patribus noſtris ut nota facerent ea filiis ſuis:	5 ויקם עדות ביעקב ותורה שם בישראל אשר צוה את אבותינו להודיעם לבניהם׃
6. Ut cognoſcat generatio poſtera, filii qui naſcentur ſurgant, & narrent filiis ſuis.	6 למען ידעו דור אחרון בנים יולדו יקמו ויספרו לבניהם׃

* alias, doctrinam.

AUſculta.] Ex fine Pſalmi conjectura, meo judicio, probabilis ſumi poteſt, fuiſſe ſcriptum longe poſt Davidis mortem: quia illic celebratur regnum divinitus erectum in familia Davidis. Deinde per contentionem opponitur tribus Ephraim, quæ dicitur fuiſſe repulſa. unde apparet, decem tribus tunc fuiſſe alienatas à corpore reliquo. neque enim fruſtra regnum Ephraim quaſi adulterinum, dedecore notatur. Cæterum quiſquis fuerit auctor, non inducit loquentem Deum, ut quidam putant, ſed in doctoris perſona Judæos compellat. Nec obſtat quod ſuum nominat populum, ſicut & Legem ſuam: quia novum non eſt Prophetis, nomen ejus à quo miſſi ſunt, mutuari, quo major conſtet doctrinæ auctoritas. Quæ vero apud ipſos depoſita eſt veritas, ipſis non abs re tribuitur. ſic Paulus gloriatur de ſuo Euangelio, non quod ipſe fabricaverat, ſed cujus præco erat ac teſtis. Neſcio tamen an nomen תורה apte interpretes verterint Legem: quia videtur generalius eſſe, ſicuti in altero membro patet, ubi *verba oris* eodem ſenſu ponit. Porro ſi reputamus quam ſegniter Deum audiant qui etiam maxime profitentur ſe ejus eſſe diſcipulos, fatebimur non fruſtra hoc procemio uſum fuiſſe Prophetam. Non alloquitur quidem indociles ac præfractos, qui Dei verbo ſe ſubjicere proterve recuſant: ſed quia in ipſis quoque fidelibus ut plurimum nimia eſt tarditas, non ſupervacua apud pigros fuit hæc exhortatio. Jam quo ſibi plus attentionis conciliet, aſſerit magnis & arduis de rebus verba ſe facturum. Nomen enim משל graves & inſignes ſententias Hebræis ſignificat, quales ſunt parœmiæ, vel proverbia, & apophthegmata. Quia igitur materia ipſa, ſi gravis & ponderoſa eſt, expergefacit hominum ſenſus, mera apopthegmata proferre ſibi in animo eſſe teſtatur auctor Pſalmi. חידות quæ alios ſequuti, ænigmata vertimus, non tam pro obſcuris ſententiis, quam argutis vel notatu dignis poſitum eſt. Neque enim ambagibus involvet ſuum canticum Propheta, ſed dilucide & explicate diſſeret tam de beneficiis Dei, quam de populi ingratitudine. Tantum, ut dixi, conſilium ejus eſt lectores acuere, ut

Rom. 2. verſ. 16.

attentius concionem hanc expendant. Citatur hic locus à Matthæo, & accommodatur ad Chriſti perſonam, ubi obſcuris parabolis mentes populi tenet ſuſpenſas. Voluit enim hoc modo probare ſe eximium Dei Prophetam, quo majore reverentia exciperetur. In hac igitur parte quum ſimilis Prophetæ fuerit, quia de ſublimibus myſteriis concionatus eſt altiore dicendi forma, apposite transfertur ad ejus perſonam quod Propheta de ſe affirmat. Cæterum ſi in Pſalmo hoc relucet majeſtas, quæ jure ſuo ad diſcendi ſtudium excitet lectores & accendat, hinc colligimus quam ſeria attentione Euangelium excipere nos conveniat, ubi cæleſtis ſapientiæ theſauros nobis aperit Chriſtus. *Mat. 13. verſ. 33.*

3. *Quæ audivimus.*] Quod præfatus de rebus magnis & abſconditis ſe verba facturum, nunc ſubjicit, communem eſſe doctrinam, & per manus traditam: videtur nonnihil eſſe repugnantiæ. Nam ſi patres filiis narrare oportuit quæ hic dicuntur, debuit familiariter nota eſſe doctrina toti populo, ac rudiſſimis quibuſque idiotis. Ubi igitur ænigmata quorum nuper meminit? Reſpondeo, facile hæc conciliari: quia tametſi Pſalmus res vulgo notas contineat, ſplendido tamen ornatu eas illuſtrat, quo magis afficiat corda hominum, ſibique plus auctoritatis acquirat. Interim notandum eſt, quantumvis excelſa ſit verbi Dei majeſtas, non tamen obſtare quin perveniat ejus utilitas ad rudes quoque & parvulos: ſicuti eos non fruſtra Spiritus ſanctus ad diſcendum invitat. Quod diligenter notandum eſt. Nam ſi Deus, ad captum hominum ſe accommodans, ſubmiſſius loquitur, contemptui eſt humilis docendi ratio. Sin vero altius aſſurgens, reverentiam Verbo ſuo comparat, obſcuritas ad ignaviæ excuſationem obtenditur. Quum his duobus vitiis mundus laboret, Spiritus ſanctus ſtylum ita temperat, ne ſublimitas doctrinæ etiam minimis ſit recondita, ſi modo placidam docilitatem & ſerium proficiendi ſtudium afferant. Prophetæ autem conſilium eſt, omnem dictis ſuis dubitationem eximere: quia nihil novum proferre inſtituat: ſed res pridem optime compertas, & ſine controverſia receptas in Eccleſia. Ideo non modo *auditus* meminit, ſed adjungit quoque *ſcientiam:* quia multa temere ſparguntur quibus tamen non conſtat ſolida fides. imo nihil magis commune, quam fabulis repleri hominum aures. Non abs re igitur Propheta quæ audita eſſe dixerat, ſimul obſignat certo teſtimonio. Addit, Judæos ita fuiſſe à Patribus edoctos: non quod ſemper omni vitio careat quod eſt domeſticum, ſed quia major eſt figmentis locus, ſi quid affertur ex regione longinqua. Præcipue tamen notandum eſt, non quoslibet hic notari patres, ſed qui electi erant in peculiarem Dei populum, & apud quos depoſita erat cæleſtis doctrina.

4. *Non occultabimus.*] Verbum נכחד quidam accipiunt in niphal, ac vertunt non eſſe celata. ſed quia ratio Grammaticæ poſtulat aliter legi, ſic reſolve, Ut non celemus poſteros noſtros, ſed quod traditum fuit nobis à majoribus, ſtudeamus transmittere ad eorum nepotes. atque hoc modo tollitur omnis ignorantiæ prætextus, quia voluit hæc Deus per continuas ætatum ſeries promulgari, ut per ſingulas familias de manu in manum transmiſſa, ad ultimos uſque pervenirent. Finis etiam oſtenditur, ut *celebrarent laudes Dei, & fortitudinem in miraculis editis.* Cæterum quia conſenſus hominum ad plenam doctrinæ fidem non ſufficeret, Propheta ultra progreditur, Deum auctorem faciens. Refert igitur, patres non ſuo arbitrio, ſed Dei mandato imbuiſſe filios hac doctrina. Quod *ſtatutum* & *Legem* quidam ad præſentem narrationem referunt, quod Deus poſuerit decretum in Jacob inſtar regulæ inviolabilis, ut ſemper in ore omnium ſonaret liberatio populi: nimis videtur reſtrictum. Itaque ad Legem ſcriptam extendo, quæ tamen ex parte in hoc data fuit, ut redemptionis memoria populum qui ſemel collectus fuerat, retineret ſub Dei obſequio. Intelligit ergo Propheta Deum non modo potenti manu Judæos ſibi acquiſiſſe, ſed obſignaſſe ſuam gratiam, ne unquam aboleretur ejus notitia. Et certe quaſi publicis tabulis conſignata fuit, ubi per Legem ſcriptam ſancitum fuit fœdus, ut ſcirent poſteri Abrahæ ſe ab aliis gentibus fuiſſe ſegregatos. Nam tenere duntaxat nudam hiſtoriam rerum geſtarum, res fuiſſet levis momenti, niſi ad gratuitam adoptionem ejuſque fructum ſpectaſſent. Hoc igitur eſt decretum, ut patres Legis doctrina imbuti, quaſi ex ore Dei, filiis commemorent, ſe non modo ſemel fuiſſe redemptos, ſed collectos in unum Eccleſiæ corpus, ut Deum liberatorem ſancte pureque omnibus ſeculis colerent. Particulam אשר exegetice hoc loco poſitam eſſe non dubito, pro, nempe. Ego reddidi per quia, quod idem valet. Proximo verſu confirmat quod dixit de perpetua doctrinæ ſucceſſione. Nam hoc ſcire noſtra magnopere intereſt, non uni tantum ſeculo datam fuiſſe Legem, ſed *quam patres ad filios transmitterent* quaſi hæreditario jure, ne unquam intercideret, ſed ſuperſtes maneret uſque ad finem mundi. Hæc ratio eſt cur dicat Paulus, *1 Tim. 3.*
Eccleſiam eſſe columnam & firmamentum veritatis: *verſ. 15.*
non quod per ſe infirma ſit, vel indigeat alienis ſubſidiis, ſed quia per miniſtros eam Deus propagat, qui dum fideliter incumbunt in munus docendi, quodammodo ſuis humeris ſuſtinent veritatem. Admonet autem Propheta, dandam eſſe operam, ut in obeundis docendi partibus alii aliis ſuccederent. Quemadmodum igitur Lege nondum ſcripta, de
Abraham dicitur, Inſtituet filios ſuos in viis, & man- *Geneſ. 18.*
datis & præceptis Domini: ita poſt ejus mortem in- *verſ. 19.*
juncta Patriarchis fuit eadem neceſſitas. Lege lata Sacerdotes præfecit Deus Eccleſiæ ſuæ, qui publici eſſent magiſtri & doctores. Hoc idem ſub regno
Chriſti eſſe obſervandum teſtatus eſt per Jeſaiam, *Jeſa. 59.*
dicens, Ponam verbum meum in ore ſeminis tui, *verſ. 21.*
& ſeminis quod inde naſcetur in perpetuum uſque. Peculiare tamen interea mandatum datur patribus, ut ſinguli ſuas familias ſedulo erudiant: & promiſcue monentur omnes, operam hanc gratiſſimam eſſe Deo, ſi nomen ejus transmittere ſtudeant ad ætates futuras. Neque enim paucos tantum deſignat his verbis Propheta, filii qui naſcentur ſurgant: ſed quotquot naſcuntur, totidem vult præcones ſuccreſcere, quorum opera ſemper floreat ac vigeat pura religio.

7. Ut ponant in Deo ſpem ſuam, neque obliviſcantur operum Dei, & ut mandata ejus obſervent.

7 וישימו באלהים כסלם ולא ישכחו מעללי אל ומצותיו ינצרו׃

8. Et non ſint ſicut patres ſui, generatio defectrix & exaſperans, generatio quæ non direxit cor ſuum, & cujus ſpiritus fidelis non fuit erga Deum.

8 ולא יהיו כאבותם דור סורר ומרה דור לא הכין לבו ולא נאמנה את אל רוחו׃

9. Filii Ephraim armati jaculantes arcu verſi ſunt in die prælii.

9 בני אפרים נושקי רומי קשת הפכו ביום קרב׃

10. Non cuſtodierunt fœdus Dei, & in Lege ejus recuſarunt ambulare.

10 לא שמרו ברית אלהים ובתורתו מאנו ללכת׃

11. Et obliti ſunt operum ejus, & mirabilium quæ oſtendit illis.

11 וישכחו עלילותיו ונפלאותיו אשר הראם׃

7. *Ut ponant.*] Uſum doctrinæ notat: primum ut tam pretioſo laboris ſui fructu alacrius ſtimulentur patres ad filios docendos, ubi ſe & purum Dei cultum aſſerere, & filiorum ſaluti conſulere vident: Deinde ut filii viciſſim majore deſiderio accenſi, feſtinent ad diſcendum, neque vagentur in frivolis ſpeculationibus, ſed ad rectum ſcopum collimeant. Eſt enim illa infelix & miſera fatigatio, ſemper diſcere, ut nunquam ad ſcientiam veritatis pervenias. (2 Tim. 3. verſ. 7.) Ergo quum audimus quorſum Lex tradita ſit, hinc colligere promptum eſt quænam vera ſit atque utilis rite proficiendi ratio. Spem vero locat in ſummo gradu: deinde obſervationem mandatorum exigit: medio autem loco ſtatuit memoriam operum Dei, quæ ad fidei confirmationem valet. quaſi diceret, hanc cæleſtis ſapientiæ eſſe ſummam, ut populus Deo affixus ſincera fide eum invocet, atque, alendæ fiduciæ ſuæ cauſa, meditandis ejus beneficiis ſe exerceat: deinde ut ſe pure addicat in ejus obſequium. Cæterum hinc diſcamus legitimum Dei cultum à fide incipere: quia præcipua honoris ſui parte fraudatur, ſi alio transferimus ſpes noſtras.

8. *Et non ſint ſicut.*] Hac circumſtantia melius admonet quam neceſſaria ſit hæc concio, quod ſcilicet proclives ſint Judæi ad defectionem, niſi firmis vinculis retineantur. Nam pro confeſſo ſumit nihilo meliore præditos eſſe ingenio quam patres, quos dicit perfidos, rebelles, tortuoſos, & immorigeros fuiſſe. Statim igitur diffluerent, niſi aſſiduis fulturis confirmarentur eorum corda. Imo quod Horatius de gente ſua ſcribit, experientia demonſtrat ubique verum eſſe, Ætas parentum pejor avis, tulit Nos nequiores, mox daturos Progeniem vitioſiorem. Quid ergo fieret niſi ſuccurreret Deus mundo ita in deterius labenti? Jam quum ex patrum malitia & pravitate doceat Propheta ſeveram diſciplinam Judæis neceſſariam eſſe, quæ à malis exemplis eos revocet, hinc colligimus quam ſtulte ſibi mundus perſuadeat patrum imitationem inſtar eſſe Legis. Nec vero de quibuslibet populis hic agit Propheta, ſed de ſancto & electo genere Abrahæ: nec paucos tantum perſtringit, ſed totam fere gentem, in qua paſſim tam pervicacia, quam oblivio gratiæ Dei & perfida ſimulatio graſſata fuit. Nec unius tantum ætatis patres commemorat, ſed longam antiquitatem complectitur, ne ex peccandi vetuſtate captetur defenſio. Quare delectus prudenter habendus eſt inter patres, quoſnam imitari expediat. Et quia difficile revellitur præpoſtera illa patrum æmulatio, quorum reverentia naturaliter ingenita eſt, pluribus verbis eorum ſcelera Propheta exaggerat, apoſtaſiam, irritationem, perfidiam, & hypocriſin exprobrans: quæ etſi graviſſima ſint probra, modum tamen non excedere, ex contextu mox patebit. Verbum הכין, vertunt alii ſtabilire: ſed meo judicio potius intelligit Propheta per obliquos receſſus ſemper à Deo deflexiſſe. Verbum etiam נאמנה quidam accipiunt pro innitä: ſed rectior eſt altera interpretatio, non fuiſſe conſtanter & bona fide addictos Deo, qui tamen juraverant in ejus nomen. Porro quod ex hoc loco colligunt Papiſtæ, eſſe in hominis arbitrio flectere cor, ac dirigere in utramque partem, frivola eſt conſequentia. Quamvis enim jure Propheta eos accuſet qui cor ſuum non direxerunt: non tamen ex profeſſo diſſerit quid à ſeipſis valeant. Etſi enim proprium Dei opus ſit, intrinſeco Spiritus motu convertere ad ſe hominum corda, non tamen à culpa eximentur, vel pœnam effugient, quos ſua libido & pravitas alio trahit. Cæterum ex vitiis quæ hic notantur, diſcendum eſt qualiter à nobis coli Deus velit. Primo enim depoſita pervicacia, jugum ejus ſubeundum eſt: deinde induendus manſuetudinis ſpiritus, cordis affectus in Dei obſequium ordinandi, & ſectanda rectitudo: & quidem non evanido fervore, ſed ſincera conſtantia.

9. *Filii Ephraim.*] Exemplum illius infidelitatis proponit in filiis Ephraim. Et quia non facile ſimplici doctrina reſipiſcunt qui pertinaciter addicti ſunt malo, ex pœnis à Deo inflictis probat filios Ephraim reprobos fuiſſe. Nam quum bellicoſi eſſent, ſignum iræ Dei fuit, terga vertere in prælio. ac diſerte exprimit *ſagittandi* fuiſſe *peritos*: quia abſurdius eſt metu fugari qui ad hoſtes eminus feriendos telis inſtructi ſunt. unde etiam apertius conſtat, Deum illis fuiſſe offenſum, qui eos non modo deſtituerit auxilio ſuo, ſed emollierit ipſorum corda. Quæritur cur filios Ephraim ſolos jam accuſet, quum in genere nuper tribus omnes comprehenderit. Quidam interpretes ad cladem referunt quæ à Githæis (1 Par. 7. verſ. 20.) illata fuit quum ad recuperanda ſpolia obviam filiis Ephraim progreſſi ſunt. Quod nimis reſtrictum eſt. nam fieri poteſt ut regnum Iſraël, quo tempore compoſitus fuit Pſalmus, collapſum & magna ex parte dirutum fuerit. Non male igitur alii ſynecdochen eſſe ſentiunt, & filios Ephraim accipiunt pro toto populo: niſi quod inconſiderate prætereunt fuiſſe data opera nominatos, quia aliis fuerant defectionis auctores, quum Jarobeam vitulos erexit. Memoria enim tenere convenit quod diximus, circa finem non fruſtra conferri repulſam tribum Ephraim cum electione tribus Jehudah. Ideoque nunc quoque de filiis Ephraim comparative ſermo habetur, ut veros Abrahæ filios admoneat eorum exemplo qui ſe ab Eccleſia abdicaverant, & ſe tamen jactabant inani Eccleſiæ titulo. Nam quum multitudine & opibus præſtarent, ad fallendos ſimplices nimium valebat eorum auctoritas: qua nunc ſpoliat eos Propheta, Dei auxilio nudatos fuiſſe docens. Nam huc ſpectat cauſæ redditio, quod *non cuſtodierint fœdus Domini.* Fuit quidem aliis etiam crimen hoc commune, ſed conſulto vindictæ Dei exemplum protulit in tribu illa, quæ ſua auctoritate totum fere populum corruperat. Quia ergo ſplendor ac dignitas Ephraim turpis apoſtaſiæ vexillum fuerat, cavere voluit Propheta ne fallendis ſimplicibus larva illa adhuc maneret. Porro non leviter eos accuſat, ſed exprobrat perfidiam in totius Legis contemptu, & fœderis violatione. tametſi enim utrumque nomen eodem ſenſu accipiat, *fœdus* tamen priore loco ponens, ſatis oſtendit ſe non ſolum de regula bene vivendi agere, ſed de toto cultu Dei, de fide promiſſionum, & invocatione, & pietatis doctrina, cujus fundamentum erat adoptio. Fœdifragos itaque nominat: quia promiſſionum fide exciderant, quibus Deus pepigerat ſe illis fore in patrem. Appoſite tamen *Legem* poſtea adjungit, in qua velut in publicis tabulis conſignatum fuerat fœdus. Auget criminis atrocitatem *renuendi* verbum, quo ſignificat non fuiſſe ſolum impetu quodam temere abreptos, ut levitate, imperitia, vel errore peccarent, ſed ex profeſſo & deliberata pervicacia violaſſe ſacrum Dei pactum. Fontem quoque tam fœdæ impietatis deſignat ingratitudinem, quod redemptionem æterna memoria dignam maligne ſepelierint, ac pro nihilo duxerint. Fuit certe ſimilis portento hæc ſocordia, diſcedere à Deo Iſraëlitas, cui tot modis devincti erant. nec fieri ullo modo poterat ut ſic à Satana faſcinarentur, niſi tot miraculorum obliti eſſent, quæ totidem erant ad eos ſub metu Dei & obſequio retinendos vincula. Ac ne qua excuſatio ſuperſit ad levandam culpam, ſplendidiore

didiore elogio inſignit opera illa: quaſi diceret non fuiſſe vulgarem agendi modum, ut obrepere potuerit oblivio: ſed Iſraëlitas perverſe & nequiter clauſiſſe oculos, ne gloriæ Dei intuitu retinerentur.

12. Coram Patribus eorum egit mirabiliter in terra Ægypti in campo Soan.	12 נגד אבותם עשה פלא בארץ מצרים שדה צען:
13. Scidit mare & traduxit eos, & ſtatuit aquas velut cumulum.	13 בקע ים ויעבירם ויצב מים כמו נד:
14. Et deduxit eos in nube interdiu, & omni nocte in ſplendore ignis.	14 וינחם בענן יומם וכל הלילה באור אש:
15. Scidit rupes in deſerto, & eos potare fecit in abyſſis magnis:	15 יבקע צרים במדבר וישק כתהמות רבה:
16. Et eduxit fluenta è rupe, & deſcendere fecit aquas velut fluvios.	16 ויוצא נוזלים מסלע ויורד כנהרות מים:

12. *Coram Patribus eorum.*] Tametſi poſteros adhuc in reatum trahit, commode tamen ſimul incipit de primis gentis auctoribus concionari: acſi diceret, jam à prima origine fuiſſe omnes pravo ingenio & rebelli. Quia tamen filios Ephraim dixerat prolapſos in apoſtaſiam fuiſſe, quia mirabilium Dei obliti eſſent, ſententiam hanc adhuc perſequitur. interea, ut dixi, opportune tranſitum ſibi facit ad Patres in eundem reatum trahendos. Primo loco miracula attingit in medio Ægypti ſinu ante populi egreſſum edita. Locum vero celeberrimum nominat illuſtrioris notitiæ cauſa. Poſtea ad Maris tranſitum deſcendit, ubi repetit quod alibi vidimus, mutatum eſſe naturæ ordinem, ut aquæ curſum ſuum ſiſterent, adeoque in firmos cumulos velut montes elevarentur. Tertio loco narrat trajecto mari Rubro, Deum itineris fuiſſe ducem populo: & ne momentanea tantum eſſet redemptio, porrecta manu continuaſſe ſuam gratiam. Nam quum difficile ac moleſtum eſſet per arida & ſabuloſa loca pergere, non vulgare beneficium fuit, oppoſita nube protegi ab æſtu ſolis. Quanquam fuit illud excellentioris gratiæ pignus, quod ſcilicet Deus populum hunc ſub protectione ſua eſſe teſtatus eſt, donec in cæleſtem hæreditatem perveniret. Unde etiam Paulus in nube illa, Baptiſmi ſpeciem fuiſſe docet, ſicuti in Maris tranſitu, cujus fructus non in hac caduca vita incluſus eſt, ſed ad ſalutem uſque æternam pertinet. 1 Cor. 10. verſ. 2.

15. *Scidit rupes.*] Aliud paterni amoris ſymbolum producit, quo Deus oſtendit quantæ ſibi curæ eſſet illius ſalus. Porro non dicitur ſimpliciter Deus potum ſuppeditaſſe, ſed id feciſſe præter naturam. Oriuntur quidem interdum ex rupibus flumina, ſed rupes quam percuſſit Moſes, arida prorſus erat. unde conſtat aquam illam non fuiſſe elicitam ex ſcaturigine aliqua, ſed erutam ex profundiſſimis abyſſis: quaſi diceret ex ipſo terræ centro. Itaque ſenſum Prophetæ aſſequuti non ſunt qui interpretantur, in profundis abyſſis potaſſe Iſraëlitas, quoniam aquæ larga abundantia fluerent. Potius miraculum amplificat Moſes, quod ex remotiſſimis venis aquas illas Deus fluere juſſerit. Idem confirmat proximo verſu, fuiſſe amplum & magnum flumen ubi nulla prius fuerat aquæ gutta. Nam ſi tenuis ſolum rivulus manaſſet, poterat à profanis hominibus obſcurari Dei gratia: ſed ubi tanta copia aquarum repente erumpit, quis non mutatum potius videt naturæ curſum, quam occultam ſub terris venam apertam fuiſſe?

17. Et adjecerunt adhuc ad peccandum contra eum, ad exaſperandum Excelſum in deſerto.	17 ויוסיפו עוד לחטא לו למרות עליון בציה:
18. Et tentaverunt Deum in corde ſuo ad petendum cibum *animæ ſuæ. (* vel, cupiditati.)	18 וינסו אל בלבבם לשאל אכל לנפשם:
19. Et loquuti ſunt contra Deum, dixerunt, An poterit Deus parare menſam in deſerto?	19 וידברו באלהים אמרו היוכל אל לערך שלחן במדבר:
20. En percuſſit rupem, & fluxerunt aquæ, & flumina inundarunt. an etiam poterit panem dare? an parabit carnem populo ſuo?	20 הן הכה צור ויזובו מים ונחלים ישטפו הגם לחם יוכל תת אם יכין שאר לעמו:
21. Propterea audivit Jehova & indignatus eſt, & ignis accenſus eſt in Jacob, atque etiam ira aſcendit in Iſraëlem:	21 לכן שמע יהוה ויתעבר ואש נשקה ביעקב וגם אף עלה בישראל:
22. Quia non crediderunt in Deo, & non ſperaverunt in ſalute ejus.	22 כי לא האמינו באלהים ולא בטחו בישועתו:

17. *Et adjecerunt.*] Poſtquam breviter expoſuit Propheta continua beneficiorum ſerie Deum palam feciſſe quantopere amaret Abrahæ filios, nunc addit, poſtquam eos ſibi tam ſancte obligaverat, pro ſuo more & ingenio ſcelerate in eum inſurrexiſſe. Ac primo quidem eos accuſat, quod mala malis pertinaciter addendo, eum exaſperaverint: deinde ſpeciem irritationis deſignat. *Exaſperandi* autem verbo ſignificat non leve fuiſſe delictum, ſed malitiam intolerabilem. Jam loci quoque circumſtantia exaggerat criminis magnitudinem, quod in ipſo deſerto, recenti adhuc liberationis memoria, ubi quotidie oculis ingerebantur ſigna præſentiæ Dei, ubi neceſſitas ipſa ad obſequium eos cogere debebat, ſuam intemperiem non cohibuerint. Quod ergo coram ipſo Deo, qui præſenti gloriæ ſuæ intuitu eos terrebat, qui tam benigne & ſuaviter eos ad ſe alliciebat: quum rerum omnium inopia ad eos cohibendos optimum remedium eſſet, petulanter tamen ſe geſſerint: prodigioſus certe fuit furor.

18. *Et tentaverunt.*] Hæc fuit irritatio cujus meminit: non quod cibum petere, ſi cogeret inedia, per ſe eſſet illicitum. quis enim vitio vertat ſi fame,

by Google

famelici Deum nutritium implorent? Sed in eo peccarunt, quod cibo divinitus ſibi deſtinato non contenti, laxarunt ſuæ libidini habenas. Deus enim jam eos Manna paſcere cœperat, ut mox iterum videbimus. Ejus autem alimenti faſtidio impulſi, novos cibos appetunt, acſi reſpuerent Patris ſui demenſum. Hoc ſignificat Propheta nomine *animæ*, *petiiſſe cibum*, non quod eſuries cogeret, ſed quia eorum concupiſcentiæ non ſufficeret, cibo divinitus ordinato veſci. Hac ratione dicit eos tentaſſe Deum: quia ultra fines ſibi à Deo præſcriptos tranſilierint. Quiſquis enim poſthabito & neglecto Dei permiſſu, ſuæ intemperantiæ indulgens, pluſquam fas eſt appetit, dicitur Deum tentare: acſi eum vellet ſubjicere ſuo arbitrio, vel inquireret an plus poſſit quam velit. Et certe quiſquis Dei potentiam à voluntate ſeparat, Deum ipſum, quantum in ſe eſt, diſcerpit. id autem faciunt qui experiri cupiunt an plus daturus ſit, quam petere concedat. Ideoque ne carnis libido ad Deum tentandum nos ſollicitet, diſcamus frenare noſtra deſideria, & modeſte quieſcere intra fines nobis præſcriptos. Nam ſi libere exultet caro, pane quotidiano non contenti, ſubinde variis modis contra Deum tumultuabimur. Quia autem dixerat ipſos tentaſſe Deum in corde, addit non eſſe veritos palam impuro & blaſphemo ore proferre quam intus conceperant impietatem. unde melius apparuit cor eorum malitia & pravitate penitus fuiſſe occupatum. Sic enim concupiſcentia peccatum concipit dum admittitur pravo conſenſu. Deinde peccatum ipſum longius prorumpit, ſicuti videmus Iſraëlitas ad ſacrilegam laſciviam progreſſos eſſe, dum interrogant de potentia Dei, acſi eam pro nihilo ducerent, niſi quatenus ſuæ libidini morem gereret. Per *menſam paratam* lautitias intelligit, quibus ante aſſueverant in Ægypto. Neque enim eorum animos placabat unus & ſimplex cibus, niſi multiplici copia & varietate ſe oblectarent. Quum dicit, *En Deus aquas profluere juſſit*, & cætera: non dubito quin amarulenta ironia mordeat ipſorum petulantiam. Neque enim veriſimile eſt ſic loquutos eſſe, ſed quaſi ex eorum perſona refert Propheta quæ ſub eorum erant oculis.

21. *Audivit Jehova.*] Iſtud audire Dei, tantundem valet ac legitima cognitio, ſimilitudine à terrenis judicibus ſumpta, qui niſi cauſa probe cognita punire ſontes nequeunt. Sicuti ergo ſuos audire dicitur quorum votis propitius ſuccurrit: ſic rurſus audire dicitur blaſphemias quæ judicium ejus non effugiunt. Cæterum ne putetur iræ Dei atrocitas modum excedere, gravitatem ſceleris iterum deſcribit Propheta, quod Deo non crediderint, nec ſperaverint in ſalute ejus. Sumit autem pro confeſſo, promiſſiones illis fuiſſe datas, quibus acquieſcere ipſos decebat, niſi eos transverſos egiſſet importuna veſania. *Sperare in ſalute Dei* tantundem valet ac recumbere in paternam ejus providentiam, ut ſufficientia noſtra penes eum tota reſideat. Atque hinc colligimus non modo quam abominabilis Deo ſit incredulitas, ſed quænam vera ſit fidei natura, & quos ex ſe fructus pariat. Unde enim fit ut placide ſe Deo ſubjiciant homines, niſi quia perſuaſi ſalutem ſuam unice ei charam eſſe, daturum quoque ſtatuunt quicquid expedierit, atque ita ſe permittunt ejus arbitrio regendos? Fides ergo, veræ pietatis radix eſt, quæ bona omnia ab uno Deo ſperare & expetere docet, ac nos in ejus obſequium format: ſicuti ſemper Deo obſtrepere & rebelles eſſe neceſſe eſt quicunque diffidunt. Huc ſpectat Prophetæ contextus, fidem falſo obtendere qui ſalutem ab eo non expectant: quia ubi Deo creditur, ſtatim exoritur ſalutis fiducia, quæ bonorum omnium ei laudem tribuit.

23. Mandaverat autem nubibus deſuper & januas cæli aperuerat.	23 וַיְצַו שְׁחָקִים מִמָּעַל וְדַלְתֵי שָׁמַיִם פָּתָח׃
24. Et pluerat ſuper eos Man in cibum, & frumentum cælorum dederat illis.	24 וַיַּמְטֵר עֲלֵיהֶם מָן לֶאֱכֹל וּדְגַן שָׁמַיִם נָתַן לָמוֹ׃
25. Panem fortium comederat homo, cibum miſerat ipſis ad ſaturitatem.	25 לֶחֶם אַבִּירִים אָכַל אִישׁ צֵידָה שָׁלַח לָהֶם לָשֹׂבַע׃

23. *Mandaverat.*] Qui putant miraculum hoc referri hiſtorico ordine, longe falluntur: quia potius hac comparatione aſperius Iſraëlitas urget Propheta, quod manna ſaturi non deſtiterint concupiſcere quas ſibi à Deo negari lautitias ſciebant. Nam ter & quater fœda ingratitudo fuit, reſpuere cæleſtem cibum, qui eos Angelis quodammodo ſociabat. Siquis in Gallia vel in Italia degens, ægre ferat ſe non veſci Ægyptiaco pane, & vino Aſiatico privari, nonne Gigantum more cum Deo & natura bellum geret? In Iſraëlitis minus excuſabilis fuit intemperies, quibus non modo terrenos cibos ad ſatietatem ſuggerebat Deus, ſed panem cæleſtem in alimentum dabat. Si paſſi fuiſſent longam inediam, decebat tamen modeſtius cibum à Deo petere: ſi furfure tantum & quiſquiliis victitaſſent, decebat eos agnoſcere in deſerto non vulgarem Dei gratiam: ſi vero tantum datus fuiſſet cibarius panis, erat cur ingentes gratias agerent. Quid nunc, ubi Deus novum alimenti genus creavit, quod è cælo quaſi porrecta manu ubertim & copioſe ſuppeditat? Hæc ratio eſt cur *Man* vocetur *triticum cæleſte*, & *panis fortium*. Quod autem אבירים quidam pro cælis accipiunt, quanquam non repudio, minus tamen placet quam de Angelis accipere, ſicuti Chaldæus interpres & poſt eum alii ſumpſerunt. Certum quidem eſt, magnifice ideo celebrari miraculum, quo magis deteſtabilis reddatur populi impietas: quia longe præſtantius fuit Man è cælo pluere, quam ſi ſatiati fuiſſent vel herbis vel fructibus, vel alio terræ proventu. Alio ſenſu Paulus prioris ad Corinth. cap. 10. verſ. 3. Man appellat ſpiritualem cibum, quia figura & ſymbolum erat Chriſti. Sed hic Prophetæ conſilium eſt, coarguere duplicem populi ingratitudinem, quod non modo vulgares cibos, qui ex terra proveniunt, ſed Angelicum panem contempſerit. Tollendæ ambiguitatis cauſa tempus pluſquam perfectum in verbis reddere malui: quo melius intelligerent lectores in memoriam reduci quod ante geſtum fuerat.

26. Pergere fecit ventum Orientalem in cælis, & excitavit in virtute ſua Auſtrum.	26 יַסַּע קָדִים בַּשָּׁמָיִם וַיְנַהֵג בְּעֻזּוֹ תֵימָן׃
27. Et pluit ſuper eos quaſi pulverem carnem, & quaſi arenam marium volucrem pennatam.	27 וַיַּמְטֵר עֲלֵיהֶם כֶּעָפָר שְׁאֵר וּכְחוֹל יַמִּים עוֹף כָּנָף׃
28. Et cadere fecit in medium caſtrorum ejus per circuitum ad tabernacula ejus.	28 וַיַּפֵּל בְּקֶרֶב מַחֲנֵהוּ סָבִיב לְמִשְׁכְּנֹתָיו׃

29. Et

29. Et comederunt, & ſaturati ſunt valde, & deſiderium eorum attulit ipſis.

29 ויאכלו וישבעו מאד ותאותם יבא להם׃

30. Non alienati ſunt à deſiderio ſuo: adhuc cibus erat in ore ipſorum,

30 לא זרו מתאותם עוד אכלם בפיהם׃

31. Quum ira Dei aſcendit in eos, & occidit pingues eorum, & electos Iſraël proſtravit.

31 ואף אלהים עלה בהם ויהרג במשמניהם ובחורי ישראל הכריע׃

26. *Pergere fecit.*] Narrat Propheta Deum morem geſſiſſe populo ſuo, non quod obſtreperum illud votum propitius exaudierit, ſed ut effectu ipſo probaret ſibi in manu eſſe quod illi non crediderant. Unde etiam patet quam perperam carnem cum manna conjungant quidam interpretes, quorum prorſus diverſa eſt ratio: quia in manna patris officium præſtabat Deus: carnibus replevit ingluviem eorum, ut ipſa ingurgitatio eos ſuffocaret. Etſi autem Deo non fuiſſet difficile coturnices creare in medio deſerto, ventorum tamen impetu illuc advehi voluit, ut diſcerent Iſraëlitæ elementa omnia parere ejus imperio, nec obſtaculo eſſe locorum diſtantiam quominus ejus virtus ſtatim ab Oriente in Occaſum penetret. Clarum ergo virtutis, cui maligne detraxerant, experimentum habent increduli, ubi elementa omnia præſto ſunt ad obſequium, & quicquid mandavit celeriter exequuntur. Porro non dubium eſt quin ventos pro ſitu caſtrorum excitaverit: quamvis promptum eſſet nullis mediis carnes in medium afferre. Dicit autem comediſſe & fuiſſe ſaturatos, non tantum ut ſciamus copiam avium illis fuiſſe oblatam, qua largiter farcirent ventres ſuos: ſed mera intemperantia fuiſſe impulſos ad petendas carnes, non autem ſollicitos fuiſſe de victu. Dixerat quidem prius Man illis datum fuiſſe ad ſatietatem, ſed hic luxuriam & voracitatem diſerte perſtringere voluit, in qua ſe prodidit effrenis eorum cupiditas. Quanquam autem alibi ſingularis privilegii loco promittit Deus fidelibus ſe facturum quod optaverint: alio tamen modo hic obſequutus dicitur perverſis impii populi votis: quia quod propitius negaſſet, iratus conceſſit. Quod exemplum notatu dignum eſt, ne queramur vota noſtra arcano Dei conſilio corrigi, dum intemperantius effluunt. Tunc enim vere exaudit, ubi non indulget ſtultis cupiditatibus, ſed beneficentiam ſuam ſalutis noſtræ modo attemperat. ſicuti plus impiis largiendo, quam ipſis utile ſit, non eos proprie exaudit, ſed exitiali mole onerat, quæ ipſos in exitium præcipites agat. Id clarius exprimit continuo poſt ſubjiciens lethalem illis fuiſſe ſaginam illam, quaſi una cum cibo flammam iræ Dei voraſſent. *Non alienatos fuiſſe à deſiderio ſuo*, tantundem valet, ac ſua cupidine adhuc flagraſſe. Siquis excipiat, hoc non congruere cum proxima ſententia, ubi dictum fuerat comediſſe ad ſatietatem, facilis eſt ſolutio. Scimus enim, niſi intra fines rationis & temperantiæ ſe contineant hominum animi, eſſe inexplebiles, ideoque ſaturitate non reſtingui pravi appetitus ardorem. Quidam vertunt, non fuiſſe fruſtratos: alii, nondum habuiſſe cibum faſtidio: quod poſterius mentem Prophetæ non male exprimit: ſed à verbo זור remotum eſt. Duobus ergo verbis exprimere voluit Propheta præſentem oblectationem: quia ubi vindictam de illis ſumpſit Deus, adhuc laſciviebant in ſua crapula. Cæterum *ira Dei* metaphorice *aſcendere* dicitur, dum repente in judicium conſurgit: quia diſſimulans ad peccata, videtur quodammodo ſopitus eſſe. Quanquam autem per ſingulos ordines graſſata fuit pœna, *pingues* tamen & *electos* conſulto Propheta nominat, ut clarius refulgeat Dei judicium. Neque enim temere accidit, ut robuſtiſſimos quoſque & eximio vigore præditos tabes conficeret. Deinde quia ut plurimum homines fallit ſua virtus, ut audacius proterviant contra Deum, quia infirmitatis ſuæ immemores, quidvis ſibi licere putant: ideo mirum non eſt durius in eos ſæviſſe iram Dei.

32. In omnibus his peccaverunt adhuc, & non crediderunt mirabilibus ejus:

32 בכל זאת חטאו עוד ולא האמינו בנפלאותיו׃

33. Et conſumpſit in vanitate dies eorum, & annos eorum in feſtinatione.

33 ויכל בהבל ימיהם ושנותם בבהלה׃

34. Quum occideret eos, quærebant eum: reverſi ſunt, & mane properabant ad Deum.

34 אם הרגם ודרשוהו ושבו ושחרו אל׃

35. Et recordati ſunt quod Deus rupes eorum, & Deus excelſus redemptor eorum.

35 ויזכרו כי אלהים צורם ואל עליון גאלם׃

36. Et blanditi ſunt ore ſuo, & lingua ſua mentiti ſunt ei:

36 ויפתוהו בפיהם ובלשונם יכזבו לו׃

37. Cor autem eorum non fuit rectum coram eo, & non fuerunt veraces in fœdere ejus.

37 ולבם לא נכון עמו ולא נאמנו בבריתו׃

32. *In omnibus.*] Vulgare proverbium eſt, ſtultos plagis ſapere. Unde ſequitur prorſus eſſe deſperatos qui ſæpius à Deo caſtigati non reſipiſcunt. Talem contumaciam deſcribit Propheta in Iſraëlitis, quæ nullis flagellis corrigi potuerit. Hæc formidabilis erat Dei vindicta, tantam fortium virorum ſtragem ſternere. Quod ergo tali portento commoti non ſunt, eo convincitur portentoſa eorum durities. Quanquam per *mirabilia* non ſolum pœnam de qua nuper loquutus eſt intelligit, ſed alia etiam ſigna comprehendit quorum ante facta fuit mentio. Duplicis ergo malitiæ eos inſimulat, quod non modo fidem abrogaverint verbo Dei, ſed etiam ejus miracula contempſerint. Ideo ſubjicit auctas fuiſſe pœnas, ſicuti per Moſen denunciat ac minatur Deus ſeptuplo durius ſe acturum cum præfractis qui in ſceleribus ſuis pergent. Cæterum quia de toto populo hic loquitur, quaſi diceret, ſine exceptione omnes à minimo uſque ad maximum celeriter fuiſſe conſumptos, probabili ratione referri hoc poſſet ad graviſſimam illam pœnam quæ jurejurando ſancita fuit, perituros omnes in deſerto, duobus tantum exceptis, Joſue & Caleb: quia jam propinqui terræ Chanaan curſum retro flexerant. Quum ergo ſibi clauſiſſent ingreſſum, cecidit in deſerto quadraginta annis immenſa multitudo. *dies* priore loco

ponit,

ponit, deinde *annos*: acſi diceret Dei maledictione præciſum illis fuiſſe vitæ tempus, ut facile conſtaret in medio curſu ipſos deficere. Conſumpti ergo fuerunt *dies in vanitate*, quia evanuerunt inſtar fumi: *anni in feſtinatione*, quia celeri tranſitu fluxerunt. בהלה quidam vertunt terrorem, ego mallem tumultum: quia haud dubie ſignificat Propheta tumultuarie abruptam illis fuiſſe vitam. Sed feſtinationis nomen quod clarius erat, mutare nolui. Hæc autem juſta pertinaciæ fuit merces, vires quibus ſuperbiebant, emarcidas reddere, ut celeriter inſtar umbræ diffluerent.

34. *Quum occideret eos.*] Hac circumſtantia crimen auget: quia ubi ſcelerum convicti, ſe juſtas fatentur pœnas dare, non ſincero autem animo ſupplices fiunt, imo prava ſimulatione Deum eludunt: minus excuſabilis eſt eorum impietas. Siquis mente captus mala ſua non ſentiat, ignoſcitur ſtupori: qui vero reatum agnoſcere cogitur, ſui tamen ſimilis manet, vel fucata deprecatione functus, ſtatim ad ingenium redit: hac perfidia ſe inſanabilem eſſe demonſtrat. Subindicat autem Propheta non vulgares vel obſcuras fuiſſe pœnas, quibus gens illa tam obſtinata ad quærendum Deum compulſa fuit: neque ſolum refert ſcelerum fuiſſe convictos, ſed etiam redemptionis à qua exciderant, ſenſu & memoria fuiſſe tactos. Hoc modo melius tollitur ignorantiæ prætextus: acſi diceret non fuiſſe inconſiderate abreptos, vel deceptos errore, ſed quaſi data opera perfide agendo, in ſe provocaſſe iram Dei: ſicuti in hunc finem aperuit illis Deus oculos, ut perditam eorum malitiam apertius detegeret, acſi hypocriſin & blanditias eorum diſcutiens, è ſuis latebris eos traheret in lucem. Perfidiam vero accuſans Propheta, quia neque recto corde confeſſi fuerint culpam, neque vere gloriam redemptionis Deo tribuerint, dicit eos *ore blanditos & lingua mentitos fuiſſe*, non quod nulla eſſet agnitio, ſed quia oris confeſſio affectu carens, voluntaria non erat. quod notatu dignum eſt: quia hinc colligimus non modo craſſam hypocriſin cavendam eſſe, ubi aliud apud homines profitetur lingua, quam animus ſentiat: ſed ſimulationem quoque magis occultam, ubi metu coactus ſerviliter blanditur Deo peccator, qui tamen libenter judicium ejus effugeret. Atqui major pars hoc morbo exitialiter laborat: quia licet Dei majeſtas aliquam illis reverentiam extorqueat, cuperent tamen extinctam eſſe omnem lucem doctrinæ. Quare non ſatis eſt annuere verbo Dei, niſi accedat ſerius affectus, nec cor noſtrum duplex ſit vel diviſum. Ideo ſimulationis cauſam & fontem Propheta notat, quod non fuerint *ſtabiles ac veraces*: acſi diceret, mendacium & fallaciam coram Deo reputari, niſi quod ex pura cordis ſinceritate profectum fuerit. Quia vero talis integritas paſſim requiritur in Lege, tanquam fœdifragos accuſat qui fœdus Dei non coluerint qua decebat fide. Mutua enim (ut alibi dictum fuit) relatio inter fidem noſtram & Dei fœdus tenenda eſt, ut hujus veritati viciſſim non fallax illius conſenſus reſpondeat.

38. Et ipſe miſericors expiavit iniquitatem, & non perdidit: & multiplicavit ad avertendam iram ſuam, & non excitavit omnem indignationem ſuam.

38 והוא רחום יכפר עון ולא ישחית והרבה להשיב אפו ולא יעיר כל חמתו׃

39. Et recordatus eſt quia caro ſunt: ſpiritus tranſiens & non revertens.

39 ויזכר כי בשר המה רוח הולך ולא ישוב׃

40. Quoties exacerbaverunt eum in deſerto, mœrore affecerunt in ſolitudine?

40 כמה ימרוהו במדבר יעציבוהו בישמון׃

41. Et reverſi ſunt & tentaverunt Deum, & ſanctum Iſraëlis circumſcripſerunt.

41 וישובו וינסו אל וקדוש ישראל התוו׃

38. *Et ipſe miſericors.*] Quo melius pateat nulla ratione fuiſſe flexibiles ut redirent ad ſanam mentem, nunc dicit multa eorum peccata Deum toleraſſe: ſed quoties veniam dedit, non minus impie ejus indulgentia fuiſſe abuſos, quam præfracti fuerant adverſus rigorem. Interea cauſam aſſignat cur non in totum perierint. Etſi enim digni erant interitu, Deum tamen iram ſuam temperaſſe refert, ut maneret aliquod reſiduum ſemen. Nequis ergo ex illis vindictæ exemplis colligeret, Deum ſummo jure egiſſe, Propheta hic admonet, mediocres, imo mites fuiſſe pœnas præ atrocitate criminum: quia Deus manum ſuam ſuſtinuerit, non tam quid meriti eſſent reſpiciens, quam locum dare volens ſuæ miſericordiæ. Non eſt autem cur propterea imaginemur mutabilem eſſe Deum, dum nunc aſperius nos caſtigat, nunc comiter ad ſe allicit: quia pro incomparabili ſua ſapientia diverſis modis experitur num quæ ſit ſpes ſanandi. Sed hinc creſcit reatus, ſi neque ſeveritas ejus nos corrigit, neque emollit clementia. Notandum autem eſt, quod Deus pepercerit populo, cauſam adſcribi ejus miſericordiæ, quæ naturaliter in ipſo reſidet: ut ſciamus non aliunde fuiſſe adductum ut tam propenſus eſſet ac facilis ad dandam veniam. Porro quia non ſemel neque uno modo ignovit Deus, dicit Propheta *expiaſſe iniquitatem, ut non perderet*: deinde quum ſæpius eſſet provocatus, avertendæ iræ ſuæ non feciſſe finem: poſtremo mitigaſſe pœnas, ne ipſa gravitate populum obruerent.

39. *Et recordatus eſt.*] Nunc alteram cauſam adducit, quod ſcilicet experiri noluerit Deus robur ſuum contra homines natura fluxos & evanidos. Loquutiones enim quas uſurpat, fragilitatem notant, qua miſerabilis eſt hominum conditio. Carnem cum ſpiritu frequentius Scriptura committit per antitheſin, non modo ubi per carnem intelligitur corrupta & vitioſa natura, per ſpiritum integritas, ad quam renaſcuntur filii Dei: ſed etiam ubi homines caro vocantur, quia nihil in ipſis firmum ſit vel ſolidum. ſicuti apud Jeſaiam, Ægyptus caro eſt, *Jeſa. 31.*
& non ſpiritus. Verum hoc loco Propheta eodem *verſ. 3.*
ſenſu *carnem & ſpiritum* poſuit: priori voce corruptioni & putredini obnoxios eſſe homines ſignificans, altera vero flatum, vel neſcio quid umbratile. Quia enim continua defluxio homines ad interitum compellit, comparat eos vento ambulanti, & qui proprio motu concidit ſine reditu. Peracto enim ſtadio non ordimur novam vitam in terra, ſicuti & Job cap. 14. v. 7. dicitur, Arbores quotannis renaſci: & herbas ubi hyeme fuerint emortuæ, iterum vireſcere: hominem vero, poſtquam interierit, non recuperare vires. Nunc tenemus Prophetæ ſenſum; Deum pro ſua miſericordia toleraſſe Judæos, non quod digni eſſent, ſed quia caduca & fluxa eorum conditio veniam illis impetraverit. Similem fere ſententiam habebimus Pſalmo 103. verſ. 14. ubi dicet Propheta, Deum nobis eſſe propitium, quia videt herbæ ſimiles, ſtatimque inſtar fœni areſcere. Quod ſi in nobis nihil præter miſeriam reperit Deus, quo flectatur ad miſericordiam, ſequitur nonniſi mera & gratuita bonitate induci ut nos ſuſtineat.

neat. Cæterum ubi negat Propheta, *reverti* homines peracto curſu, minime excludit ſpem futuræ reſurrectionis. tantum enim in ſeipſis conſiderat homines, ac de terreno eorum ſtatu loquitur. Renovatio autem in cæleſtem vitam miraculum eſt longe altius natura. Eodem ſenſu alibi dicitur, Exit ſpiritus ejus, & non revertitur: quia ſcilicet ſpem futuræ inſtaurationis ex utero minime afferunt homines, ſed ex regenerationis gratia eis petenda eſt. Sap. 16. verſ. 14.

40. *Quoties exacerbaverunt.*] Confirmat proximam ſententiam: quia ſcilicet immenſa ſcelerum congerie toties Deum provocaverint in deſerto, ut millies perire neceſſe fuerit, niſi millies propitius illis fuiſſet Deus. Interrogatio autem magis emphatice exprimit, nullum feciſſe peccandi modum. *Deſerti* nomen, tam loci quam temporis circumſtantiam in ſe continet: acſi ingratitudinem argueret Propheta, quod tam recentibus Dei beneficiis, imo quotidiano eorum aſpectu non ſaltem retenti fuerint: deinde violentam intemperiem damnaret, quod intra breve tempus tot peccata cumulaverint. Eodem ſenſu continuo poſt addit, iterato curſu tentaſſe Deum. Neque enim verbum *reverti*, mutationem hic ſignificat, ſed continuam peccandi ſeriem. Pulchra autem metaphora exprimit quam atroci contumelia Deum afficiant homines ipſum tentando. Verbum enim תוה quo utitur, proprie ſignare vel deſcribere ſignificat. Sed docet, ubi pro ſua libidine media Deo præſcribere auſus eſt populus, fuiſſe quaſi cancellis circumdatum, & immenſam ejus potentiam infidelitatis anguſtiis fuiſſe concluſam. Et certe quoties in ſuo ſenſu homines ſubſiſtunt, perinde eſt acſi Deum metiri vellent ſuo modulo: quod nihil aliud eſt quam eum ex ſolio ſuo detrahere. Nobis enim ſubjicietur ejus majeſtas, ſi ita noſtro arbitrio in ordinem cogatur.

42. Non recordati ſunt manus ejus die quo redemit eos ab affligente,	42 לא זכרו את ידו יום אשר פדם מני צר:
43. Quando poſuit in Ægypto ſigna ſua, & prodigia ſua in campo Soan:	43 אשר שם במצרים אותותיו ומופתיו בשדה צען:
44. Dum convertit in ſanguinem fluvios eorum, & fluenta eorum, ne biberent.	44 ויהפך לדם יאריהם ונזליהם בל ישתיון:
45 Miſit in eos miſtionem quæ voravit eos, & ranam quæ perdidit eos.	45 ישלח בהם ערב ויאכלם וצפרדע ותשחיתם:
46. Et dedit brucho fructum eorum, & laborem eorum locuſtis.	46 ויתן לחסיל יבולם ויגיעם לארבה:
47. Et occidit grandine vitem ipſorum, & ſycomoros ipſorum lapide grandinis.	47 יהרג בברד גפנם ושקמותם בחנמל:
48. Et tradidit grandini jumenta ipſorum, & pecora ipſorum lapidibus ignitis.	48 ויסגר לברד בעירם ומקניהם לרשפים:
49 Miſit in eos indignationem iræ ſuæ, furorem, iracundiam & afflictionem, immiſſionem angelorum malorum.	49 ישלח בם חרון אפו עברה וזעם וצרה משלחת מלאכי רעים:
50. Direxit ſemitam iræ ſuæ: non prohibuit à morte animam ipſorum, & jumentum ipſorum in peſtem concluſit.	50 יפלס נתיב לאפו לא חשך ממות נפשם וחיתם לדבר הסגיר:
51. Et percuſſit omne primogenitum in Ægypto, principium virtutum in tabernaculis Cham.	51 ויך כל בכור במצרים ראשית אונים באהלי חם:

42. *Non recordati ſunt.*] Pergit in exprobratione, quia ſola beneficiorum Dei memoria eos frenare poterat, niſi quæcunque experti fuerant, ſponte & maligne eſſent obliti. Ex hac impia oblivione naſcitur protervia & omnis rebellio. *Manum* Dei pro virtute per metonymiam accipi ſatis notum eſt. Fuit autem in prima illa liberatione populi, novo & inſolito modo extenta Dei manus. quo magis deteſtabilis fuit populi impietas, in quam nunc invehitur Propheta, pro nihilo ducere, vel ſtatim ſepelire quod nulla vetuſtate obſoleſcere debuerat. Jam aliquot commemorat potentiæ Dei exempla, quæ primo *ſigna* vocat, deinde *prodigia*: quo rurſum perſtringat fœdum populi ſtuporem. Quanquam autem rem unam bis exprimit, in ſecundo tamen membro augmentum eſt: acſi diceret, inauditis modis incuſſum tunc fuiſſe terrorem, qui non debuit tam cito ex populi animis evaneſcere.

44. *Convertit in ſanguinem.*] Non enumerat ordine miracula, quibus ſuam potentiam teſtatus eſt Deus in redimendo populo: quia ſatis habuit notas hiſtorias in memoriam revocare quæ ſufficerent ad detegendam populi malitiam & ingratitudinem. Neque etiam hic longius inſiſtere opus eſt, quum Moſis hiſtoria clarius doceat quæ hic breviter recitantur. Hoc ſolum teneant lectores, quamvis alias ſæpius grandine aliiſque corruptelis ultus fuerit Deus Gentium peccata, quicquid tunc accidit in Ægypto, fuiſſe extraordinarium, & nunquam ante auditum. ideo pluribus verbis tam memorabiles Dei vindictas exaggerat Propheta, quod *miſerit indignationem iræ ſuæ, iracundiam, furorem & anguſtiam.* Huc enim ſpectat verborum congeries, ut ſopitæ mentes expergefiant ad tam denſa miracula, quorum & numerus & præſtantia cæcis ipſis eſt palpabilis. Tandem addit, Deum *judicia hæc exercuiſſe per Angelos.* Etſi enim cælo & terræ certas impoſuit leges ſuo arbitrio, & totum ordinem naturæ ſic gubernat, ut ſingulis creaturis proprium ſit munus ſuum, Angelos tamen, quoties viſum eſt, miniſtros adhibet ad exequenda ſua imperia, non conſuetis vel naturalibus mediis, ſed arcana & nobis incomprehenſibili virtute. Quod diabolos quidam hic notari putant, quia dicuntur angeli noxii, non refello: niſi quod ratio qua nituntur, parum firma eſt. Dicunt enim, Sicuti per electos Angelos ſua beneficia nobis Deus diſpenſat: ita etiam per reprobos iram ſuam exequi, acſi eſſent ejus carnifices. Quod etſi ex parte verum eſſe fateor, perpetuum tamen eſſe nego: quia in in contrariam partem occurrunt plurima Scripturæ teſtimonia. Quis enim Aſſyrium edita ingenti ſtrage in ejus exercitu, ab Urbis ſanctæ obſi- 2 Reg. 19. verſ. 35.

dione

dione repulit, niſi Angelus, tunc datus Eccleſiæ
Exod. 11. verſ. 5. præſes? Sic & Angelus qui primogenita occidit, non tantum iræ Dei fuit miniſter & exequutor contra Ægyptios, ſed etiam populi ſaluti conſuluit. Rurſum quum avari & ſanguinarii Reges, vel potius
Dan. 10. verſ. 13. latrones, cæſum terræ miſcerent, Daniel tamen pronunciat, præfecto ſillis fuiſſe ſanctos Angelos. Etſi autem probabile eſt reprobis angelis addictos fuiſſe ac mancipatos Ægyptios, prout digni erant, noxios tamen ſimpliciter hic accipere licebit ab effectu, quod adverſis cladibus hoſtes populi Dei multaverint, ut eorum tyrannidem & ſævitiam reprimerent. Hoc enim modo tam cæleſtes electique Angeli, quam cacodæmones, miniſtri noxarum vere cenſentur: ſed diverſis modis. quia priores voluntarium Deo obſequium præſtant: alii vero quum ſemper inhient ad nocendum, & totum orbem everſum cupiant, idonea ſunt organa malis infligendis.

50. *Direxit ſemitam.*] Secundo repetit, iram Dei inſtar violenti torrentis inundaſſe totam Ægyptum, ne quam excuſationem ingrato populo relinquat, quod tam præclaris gratiæ ſibi præſtitæ documentis non fuerit retentus ſub Dei obſequio. Tandem attingit Propheta miraculum ultimo loco editum, quod ſcilicet omnia Ægypti primogenita una nocte per manum Angeli Deus interfecerit. Vocat autem ſecundum communem & receptum linguæ Hebraicæ uſum *primitias virtutis*. Nam quum ætatis decurſu ad interitum declinent ſenes: quia tamen renovantur quodammodo in ſobole, & vigorem in ſe collapſum recuperant, transfertur Virtutis nomen ad liberos. Ejus autem principium dicuntur primogeniti, ſicuti plenius expoſui Geneſis 49. v. 3. *Tabernacula Cham* vocat domos Ægypti, quia Miſraim, qui nomen regioni impoſuit, fuit filius Gen. 10. verſ. 6.
Cham. Porro gratuitum Dei amorem erga poſteros Sem, Propheta hic commendat, quod eos prætulerit omnibus filiis Cham, quum tamen nulla propria dignitate excellerent.

52. Et tranſire fecit quaſi oves populum ſuum, & deduxit quaſi gregem in deſerto.	52 ויסע כצאן עמו וינהגם כעדר במדבר:
53. Et deduxit in tuto, & non timuerunt: & adverſarios eorum operuit mare.	53 וינחם לבטח ולא פחדו ואת אויביהם כסה הים:
54. Et adduxit eos ad terminum ſanctitatis ſuæ montem hunc, *quem* * acquiſivit dextra ejus. (* vel, *poſſedit.*)	54 ויביאם אל גבול קדשו הר זה קנתה ימינו:
55. Et expulit à facie eorum Gentes, & projecit eas in ſortem hæreditatis: & habitare fecit in tabernaculis ipſorum filios Iſraël.	55 ויגרש מפניהם גוים ויפילם בחבל נחלה וישכן באהליהם שבטי ישראל:
56. Et tentaverunt, & exacerbaverunt Deum excelſum, & teſtimonia ejus non cuſtodierunt.	56 וינסו וימרו את אלהים עליון ועדותיו לא שמרו:
57. Et averſi ſunt & perfide egerunt, ſicut patres ſui: reflexi ſunt quaſi arcus doloſus.	57 ויסגו ויבגדו כאבותם נהפכו כקשת רמיה:
58. Et ad iracundiam provocaverunt eum in excelſis ſuis: & in ſculptilibus ſuis ad iram eum concitaverunt.	58 ויכעיסוהו בבמותם ובפסיליהם יקניאוהו:

52. *Et tranſire fecit.*] Iterum paternum Dei favorem celebrat erga electum populum, quem (ut alibi diximus) gregi ovium comparat, eo quod nihil vel conſilii vel opis ad ſe tutandum habuerit, niſi Deus paſtoris munus ac partes ſuſcipere dignatus foret. Hoc autem non vulgare eſt amoris ſpecimen, quod Deus euſque deſcendere gravatus non eſt ut oves ſuas paſceret. Nec vero imbellis multitudo quicquam adverſus hoſtes robuſtos ac bellicoſos poterat. Scimus enim ad tempus ſordidis opificiis addictum fuiſſe populum illum, quaſi damnatus eſſet ad metalla vel lapicidinas. Dicit autem fuiſſe deductos ſine metu: non quod ſecure ipſi tranquilliſque animis in Deum recubuerint, ſed quia duce & cuſtode ſalutis ſuæ Deo, non habuerint juſtam timendi cauſam, niſi eos ſua infidelitas ad trepidandum compuliſſet. Unde obſtreperæ illæ voces,
Exod. 14. verſ. 11. Cur nos conjecit Deus in has anguſtias? annon erant ſepulchra in Ægypto? Non ergo ad ſenſum populi refertur ſecuritas, ſed ad Dei præſidium, quo factum eſt, ut hoſtibus demerſis, pacati in deſerto quieſcerent. Alia quoque Dei beneficia & ſimul alias tranſgreſſiones recitat, quæ magis produnt ingratitudinem populi: nempe quod hæreditatem ſibi promiſſam adepti, quaſi Deo nihil deberent, pervicaci ſemper ac intractabili fuerint ingenio. Clauſula hæc fuit liberationis, locare eos in poſſeſſione terræ Chanaan, cujus ſe ingreſſu prohibuerant: niſi Deo fuiſſet decretum, ſuperata eorum pravitate, numeris omnibus abſolvere quod cœperat. Porro terram ipſam nominat *Fines ſanctuarii Dei*: quod eam populo ſuo Deus aſſignans, ſibi etiam conſecraverat. Unde turpius apparet flagitium populi, qui eadem inquinamenta illuc intulit, quibus olim polluta fuerat. Cujus enim fuit dementiæ; quum ſciret populus Iſraël expulſos fuiſſe ob ſua ſcelera veteres incolas, cum ipſis omni ſcelerum genere certare? acſi de induſtria propoſitum eſſet in ſe accerſere quam in aliis perſpexerat Dei vindictam. Quod poſtea addit *montem hunc*, non recte, meo judicio, quidam ad totam terram extendunt, quæ etſi montuoſa erat, habuit tamen regiones planas & æquabiles, ſatis amplas & longas. Quare non dubito quin amplificandi cauſa montem Sion, ubi domicilium ſibi & primam ſedem elegerat Deus, honorifice addiderit. Fateor quidem ſynecdochen eſſe: modo teneant lectores locum diſerte exprimi, ex quo velut ex fonte manabat totius terræ ſanctitas. *Montem hunc dextra Dei vel poſſeſſum fuiſſe vel acquiſitum* dicit: (nam verbum קנה utrumque ſignificat) ne ſe efferant Iſraëlitæ, quaſi proprio marte terram acquiſierint, vel ejus poſſeſſione fruantur: ſicuti Pſalmo 44. verſ. 4. dictum fuit: Quia non in gladio ſuo facti ſunt hæredes terræ, nec brachium eorum ſervavit eos: ſed dextra tua, & brachium tuum, & lumen vultus tui, quia dilexiſti nos. Et mox ſequitur explicatio, *expulſas fuiſſe Gentes ac projectas in ſortem*: quibus verbis modum acquirendi definit Propheta: acſi diceret, Neque populum Iſraël adeo fuiſſe bellacem, neque gentes illas tam fuiſſe timidas, niſi parta fuiſſet victoria Dei auſpicio ac virtute. Adde quod legitima non fuiſſet poſſeſſio, niſi Deus ſpoliatis prioribus incolis, in jus & locum eorum ſuccedere alienos voluiſſet.

56. *Et tentaverunt.*] Hic jam exprobrat quod tot beneficiis ornati non deſierint perfide ſe gerere: imo quum novis ſubinde gratiis revocarentur ad obſequium, ſua contumacia jugum excuſſerint. Quid valeat *tentandi* verbum, prius diximus. Sed addit Propheta generaliter *eos exacerbaſſe: quia fœdus ejus non cuſtodierint.* Hac autem poſtrema particula melius convincitur aperta & craſſa rebellio, quod familiariter de officio ſuo edocti, recuſaverint tamen Deo ſubeſſe. Nam & Legem vocat *teſtimonia*, quod hac paciſcendi formula Deus populum illum ſibi devinxerat, ſicuti certis legibus inter ſe conveniunt homines. Quanquam autem his verbis non leviter eos perſtrinxit, apoſtaſiam tamen & perfidiam illis poſtea objiciens, cumulum reatus adjungit. Adoptaverat eos Deus ſibi in populum: contempto ejus favore, ultro ſe abdicant. Collegerat eos ſub alas ſuas: petulanter ad diſſipationem ruunt. Pollicitus fuerat ſe illis fore patrem: recuſant filii eſſe. Viam illis ſalutis monſtraverat: ſponte ſe in exitium errando projiciunt. Concludit ergo Propheta, populum hunc omnibus ſeculis impium fuiſſe & ſceleratum. Atque iterum notandum eſt, nullum damnari atrocius crimen in poſteris, niſi quod patribus ſimilium fuerint ſimiles: ne quem decipiat perverſa imitatio, acſi juſtæ excuſationis eſſet clypeus. Aptiſſima deinde ſimilitudine (qua etiam Oſeas cap. 7. verſ. 16. utitur) eorum levitatem exprimit. Nam ſicuti falluntur jaculatores qui arcum male firmum vel male intenſum habent, vel obliquum & flexibilem: ita dicit *reflexum fuiſſe hunc populum*, & lubrica flexuoſaque verſutia elapſum, ne manu Dei regeretur.

58. *Provocaverunt in excelſis.*] Speciem defectionis profert qua palam teſtati ſunt Iſraëlitæ ſe fidem & obſequium negare Deo. Satis enim & ſuper admoniti fuerant, perverti & contaminari Dei cultum, niſi ab ejus Verbo penderent: nunc tota Lege poſthabita, ad ſua figmenta perrumpunt. Atque hos fructus ſemper producit Legis contemptus, ut craſſis ſuperſtitionibus ſe addicant qui ſequi proprium ſenſum, quam Deo ſe ſubjicere malunt. Duobus autem modis vitiatum fuiſſe Dei cultum conqueritur. primo, quod Dei gloriam deformaverint, idola & ſculptilia ſibi fingendo: deinde, quod ad Deum placandum extraneos & vetitos ritus excogitaverint.

59. Audivit Deus & iratus eſt, & execratus eſt valde Iſraëlem.	59 שמע אלהים ויתעבר וימאס מאד בישראל׃
60. Et deſeruit habitationem Siloh, tabernaculum ubi habitavit inter homines.	60 ויטש משכן שלו אהל שכן באדם׃
61. Et dedit in captivitatem robur ſuum, & pulchritudinem ſuam in manum affligentis.	61 ויתן לשבי עזו ותפארתו ביד צר׃
62. Et incluſit in gladium populum ſuum, & hæreditati ſuæ iratus eſt.	62 ויסגר לחרב עמו ובנחלתו התעבר׃
63. Electos ejus voravit ignis, & virgines ejus non ſunt laudatæ.	63 בחוריו אכלה אש ובתולתיו לא הוללו׃
64. Sacerdotes ejus in gladio ceciderunt, & viduæ ejus non luxerunt.	64 כהניו בחרב נפלו ואלמנתיו לא תבכינה׃
65. Et expergefactus eſt tanquam dormiens Dominus, tanquam fortis clamans præ vino.	65 ויקץ כישן אדני כגבור מתרונן מיין׃
66 Et percuſſit adverſarios ſuos retro, opprobrium æternum poſuit in ipſis.	66 ויך צריו אחור חרפת עולם נתן למו׃

59. *Audivit Deus.*] Rurſus oſtendit Propheta, quum videret Deus ſe nihil tolerantia proficere, qua non ſine ludibrio abutebatur populus ad peccandi licentiam, ſeveras de eo pœnas ſumpſiſſe. Cæterum ſimilitudo quam ſumit à judicibus terrenis, frequenter occurrit in Scriptura. Audire enim dicitur Deus, non quod inquiſitione opus ſit, ſed quia non temere ad ſua judicia proſilit, nequis putet eſſe præcipitem. Summa eſt, populum ſua ſcelera ſic continuaſſe, ut tandem clamor in cælum aſcenderit: & ipſa pœnæ gravitas culpæ atrocitatem arguit. Poſtquam enim dixit Iſraëlem, quem Deus tantopere dilexerat, fuiſſe abominationi, ſubjicit fuiſſe etiam orbatum & ſpoliatum præſentia Dei, quæ unica erat ejus felicitas, atque etiam in malis ſolatium. Fuit igitur hæc Iſraëlis deteſtatio, quum Deus Arcam fœderis alio abripi paſſus eſt, acſi ipſe migrans à Judæa, populo valediceret. Certum quidem eſt non fuiſſe Deum viſibili ſymbolo affixum: ſed quia hanc ſuæ cum populo conjunctionis teſſeram dederat, illa ablata, ſe quoque diſcedere teſtatus eſt. Quia autem in Siloh diuturna fuit ſtatio Arcæ, illicque
1 Sam. 4. verſ. 11. capta fuit à Philiſtinis, vocatur habitatio ipſius Dei. Sed modus habitandi paulo poſt eleganter exprimitur: nempe quia domicilium fuerit inter homines. Quamvis enim impleat Deus cælum & terram, quia tamen ad immenſam ejus altitudinem non pertingimus, ſua virtute & gratia ad nos deſcendens, quoad expedit & modulus noſter ferre poteſt, propinquum ſe nobis facit. Eſt autem valde emphatica loquutio, Deum continuis populi ſceleribus ita fuiſſe offenſum, ut locum quem unum in terris delegerat, coactus ſit deſerere. Proximo verſu idem proſequitur: *robur Dei* quo protecti ac defenſi fuerant Iſraëlitæ, *tunc fuiſſe captivum*: non quod alligata virtus ejus fuerit ſigno externo, ſed quatenus antea ſe hoſtibus oppoſuerat, gratiam qua tutatus erat populum, quodammodo captivam eſſe voluit. Neque tamen hoc refertur ad Philiſtinos, quaſi Deo potiti fuerint: ſed intelligit ſimpliciter Propheta ſpoliatos & nudatos fuiſſe Iſraëlitas Dei præſidio, atque ita veniſſe in hoſtium poteſtatem: non ſecus ac duce capto, profligatur exercitus. Vocatur etiam Arca *pulchritudo Dei*: quia quum per ſe eſſet inviſibilis, formam illam induerat, vel ſpeculum illud ſtatuerat in quo poſſet conſpici. Quanquam autem dura eſt ac in ſpeciem abſurda hyperbole, robur Dei fuiſſe captum à Philiſtinis, conſulto tamen poſita eſt ad ſcelus populi aggravandum. Nam quum brachii ſui potentiam ad populum juvandum magnifice proferre ſolitus eſſet, graviſſimis ſceleribus offenſum eſſe oportuit, quum paſſus eſt ſymbolum illud virtutis ſuæ violenter à profanis gentibus abripi. Quod
autem de Siloh hic refertur, Jeremias ad omnes Jerem. 7. verſ. 12.
ſpectare docet qui vano præſentiæ Dei obtentu fallaciter ſuperbiunt: Ite in Silo, inquit, & videte

quantas

quantæ ignominiæ damnaverit Deus locum illum, ubi olim reſplenduit ejus majeſtas. Ideoque niſi ſincere, quâ decet reverentia Deum excipimus, dum familiariter ad nos accedit, timendum eſt ne idem nobis quod Siloitis contingat. Quo putidior eſt Papæ & ſuorum jactantia, qui Romanam ſedem hoc ſolo titulo extollunt quia Romæ olim floruerit Eccleſia. Quaſi vero Chriſtus, qui verum eſt Deitatis templum, non fuerit natus in Bethlehem, educatus in Nazareth; quaſi in Capernaum & Jeruſalem non habitaverit, & concionatus ſit: quarum urbium vaſtitas horribile eſt iræ Dei theatrum.

62. *Incluſit in gladium.*] Alias cladis partes quæ accepta fuit ſub ſacerdote Heli, commemorat. Arcæ diſceſſu oſtendit Deus ſubductam eſſe ſuam gratiam à populo. Id etiam effectu comprobatum eſt, quia quicquid floris fuit, abſumpſit ira Dei, quam ſub *ignis* nomine Propheta metaphorice de-

1 Sam. 4. vers. 10. ſignat. Hoſtili enim gladio perierunt electi Iſraël uſque ad triginta millia, non autem incendio. Sed hoc modo vis repentina ad terrorem exprimitur: acſi diceret, cito fuiſſe voratos, ut flamma ſolent quiſquiliæ. Stragem hanc alia figura confirmat, quod virorum penuria virgines innuptæ manſerint. Dicit enim *non fuiſſe laudatas*, quod in nuptiis epithalamia canere ſolerent. Indignitatem auget, quod *Sacerdotes ipſi*, quos Deus peculiariter in ſuum patrocinium receperat, promiſcue cum aliis perierint. Quod *viduas luxiſſe negat*, ita accipio, vel ante tempus mœrore fuiſſe extinctas: vel quum abductæ eſſent ab hoſtibus, prohibitas fuiſſe à luctu. His autem verbis in ſumma docere voluit, nihil reſiduum fuiſſe ad extremam malorum congeriem.

65. *Et expergefactus eſt.*] Quidam hoc de Iſraëlitis dictum eſſe volunt: alii de eorum hoſtibus. Si arrideat prior ſenſus, non mirum erit Iſraëlitas vocari

Jeſa. 1. vers. 24. *Dei adverſarios*, ſicuti apud Jeſaiam, Heus, egome de hoſtibus meis ulciſcar. Senſus autem erit, magno conſtitiſſe Iſraëlitis, quod ex Dei patientia plus licentiæ ſumpſerant: quia repente expergefactus, majore impetu in eos irruit. Sed quia Prophetas videmus ex Moſe haurire ſuam doctrinam, verba etiam formare ad illud exemplar, non minus probabilis eſt eorum opinio qui de Philiſtinis accipiunt: quia videtur hunc ordinem ex Moſis Cantico mutuatus Propheta noſter, ubi Deus non ita ſe pœnas exigere de populo ſuo pronunciat, quin rurſus compeſcat hoſtes ſuos. Deut. 32. vers. 27. Nam quia vulgari proverbio fertur, incertos eſſe bellorum exitus: ſi nulla ſequuta fuiſſet mutatio, poterat hæc pœna eſſe obſcurior. Ubi autem afflictis Iſraëlitis victores Deus ſine hominum manu, præter ſpem mundi, & conſuetum uſum aggreditur, hinc melius apparet, nonniſi divinitus proſtratos fuiſſe Iſraëlitas. Interea admonet ſimul Propheta neceſſitate compulſum fuiſſe Deum ad ſumendam duriorem pœnam: quia Philiſtinos deinde caſtigans, fœdus ſuum, cujus videri oblitus poterat, præclare aſſeruit. Quanquam enim quodammodo ſe Philiſtinis ad tempus adjunxerat, noluit tamen prorſus amorem abjicere erga Abrahæ filios, ne irrita eſſet ejus fides. Similitudo ebrii hominis, quamvis aſperior, non abs re tamen poſita eſt, quia accommodatur ad populi ſtuporem. nam ſi pura fuiſſet ac defæcata mente, non ita ſe transformaſſet Deus, neque ſumpſiſſet alienam perſonam. Eum ergo coëgit populi ebrietas, hoc eſt ſocordia, ut ſe homini ebrio conferret: quod ipſis valde pudendum fuit. Quod ad Deum ſpectat, nihil ejus gloriæ derogat ſimilitudo. Videtur ſopitus eſſe, niſi mature remedium adhibeat malis noſtris. Unde autem ſopor, quum fortitudine Gigantes omnes ſuperet? quibus facile eſt perferre longas vigilias, & qui modico ſomno contenti ſunt. Ceſſatio ejus perinde accipitur à ſtupidis acſi attonitus eſſet ipſe. Dicit autem ſubitam excitationem Dei magis turbulentam fore, quam ſi primo momento manum ſuam extuliſſet: quemadmodum ſi Gigas temulentus, necdum exhalata crapula, repente à ſomno ſurgat. Quod dicit *retro percuſſos fuiſſe hoſtes*, multi ad plagam Philiſtinis inflictam 1 Sam. 5. reſtringunt. Et convenit nomen *æternæ ignominiæ*, vers. 12. quia dolor ille in anis ulceroſis probroſus fuit. Sed quum ſenſum ſimpliciorem admittant verba, fuiſſe à tergo percuſſos, hoc ego in medio relinquo.

67. Et reprobavit tabernaculum Joſeph, & tribum Ephraim non elegit,	67 וימאס באוהל יוסף ובשבט אפרים לא בחר :
68. Sed elegit tribum Jehuda, montem Sion quem dilexit:	68 ויבחר את שבט יהודה את הר ציון אשר אהב :
69. Et extruxit quaſi excelſa Sanctuarium ejus, quaſi terram quam fundavit in ſeculum.	69 ויבן כמו רמים מקדשו כארץ יסדה לעולם :
70. Et elegit David ſervum ſuum, & aſſumpſit eum è caulis ovium:	70 ויבחר בדוד עבדו ויקחהו ממכלאות צאן :
71. A tergo lactantium aſſumpſit eum, ut paſceret in Jacob populo ſuo, & in Iſraële hæreditate ſua:	71 מאחר עלות הביאו לרעות ביעקב עמו ובישראל נחלתו :
72. Et pavit eos in integritate cordis ſui, & in prudentia manuum ſuarum deduxit eos.	72 וירעם כתום לבבו ובתבונות כפיו ינחם :

67. *Et reprobavit.*] Qui putant Iſraëlitas nuper vocatos fuiſſe hoſtes Dei, contexunt hos verſus acſi diceret Propheta incurabile fuiſſe quod illis vulnus Deus inflixit. Ego vero, qui in diverſam ſententiam magis inclino, nempe ubi Deus duriter mulctavit Philiſtinos, palam feciſſe non eſſe irritum fœdus ſuum cum populo, cujus tam ſeverus erat vindex: potius interpretor correctionis vice hoc fuiſſe additum, acſi dixiſſet Propheta, non fuiſſe placatum impiis defectoribus quin pœnarum reliquiæ extarent. Hæc igitur meo judicio contextus ratio eſt, Quum à Philiſtinis capta fuit Arca, Deum quodammodo fuiſſe ſopitum, quia populi peccatis inebriatus fuerat, ne ad illum tuendum ſuo more excubias ageret: neque tamen diu obtorpuiſſe in ſomno, ſed quum gens profana ejus gloriæ inſultaret, tam atroci injuria fuiſſe commotum, perinde acſi Gigas in media crapula expergefieret: neque tamen ſic fuiſſe commotum in gentem profanam & incircumciſam, quin ſigna aliqua caſtigationis in ſceleſto & ingrato populo Iſraël uſque in finem extarent. Huc tendit reprobatio de qua nunc loquitur, privatos fuiſſe Iſraëlitas honoris privilegio quo ante Deus ipſos ornaverat, dum Arcam ſuam alio transferri voluit. Duo igitur capita hic notanda ſunt, quum turpi ulcere percuſſi ſunt Philiſtini, claro documento apparuiſſe, nonniſi Deo volente, Iſraëlitas fuiſſe ab illis devictos. Neque enim novas vires recuperavit Deus, vel exercitum novum collegit, ut paulo poſt invaderet victores, neque ad eam rem adjutus fuit alienis

alienis opibus. Alterum caput eſt, quamvis Deus manum exeruerit contra Philiſtinos, ut ſe aliqua fœderis ſui memoria & electi populi cura adhuc tangi probaret, non tamen ſic reſtituiſſe populum Iſraël, quin deſertio Silo perpetuum iræ ſuæ monimentum foret. Reprobavit igitur tribum Ephraim, non quod eos abdicaverit in totum, vel abſciderit à reliquo Eccleſiæ corpore, ſed quia amplius noluit reſidere illic Arcam ſuam. Nam tribui Ephraim opponitur tribus Jehuda, ubi ſibi domicilium poſtea elegit Deus. Hoc modo incipit oſtendere Propheta, quum ſtatio data fuit Arcæ fœderis in monte Sion, quodammodo renovatum fuiſſe populum: & dato reconciliationis ſymbolo, in gratiam unde exciderat, poſtliminio rediiſſe. Iſraëlitas enim, quum Deus eorum culpa quodammodo exulaſſet, ac captivum fuiſſet ejus robur, hoc memoriali doceri utile fuit, ſic diſplicuiſſe eorum ſcelera, ut præ faſtidio, prioris domicilii aſpectum non ferret. Etſi autem poſt divortium illud (quo magis ſollicite ſibi in poſterum caveret populus) non fuit integra ſolidaque inſtauratio: non vulgaris tamen clementiæ fuit, Deum fixam Arcæ ſuæ ſedem rurſus deligere. Quod autem in Gath, & Accaron, aliiſque locis peregrinata eſt Arca poſt reditum, uſque dum miraculo mons Sion oſtenſus fuit, medii illius temporis non habetur ratio: quia Prophetæ conſilium fuit tam pœnæ exemplum, quam inſperatam Dei gratiam memoriæ mandare. Tenendum etiam eſt quod ſæpius repetitur apud Moſen, Ubi locum elegerit Deus tuus in quo invoces ejus nomen. Quia autem propter diuturnum hoſpitium Silo famam illam vulgo obtinuerat, ubi ad hoſtes traducta fuit Arca, in aliam ſpem erectæ fuerunt hominum mentes, donec cognita eſſet lòci electio. Quanquam autem non rejectæ tunc fuerunt decem tribus, quibus & regnum & ſacerdotium commune erat cum tribu Jehuda, poſtea tamen ſucceſſu temporis eos abſcidit ſua defectio. Atque hæc ratio eſt cur odioſe dicat Propheta reprobatam fuiſſe tribum Ephraim, nec electam fuiſſe tribum Joſeph unde illa trahebat originem.

68. *Sed elegit tribum.*] Nempe quia prætulit reliquo populo, Regem ſibi ex ea deligens, quem Iſraëlitis omnibus non minus quam Judæis præficeret. *Montem* vero *Sion* elegit, ſedem in ea aſſignans ſuo Sanctuario. Porro ne cauſa extra Deum quæratur, gratuita ejus dilectione factum eſſe Propheta docet, ut mons Sion, poſthabitis omnibus locis, tanta præſtantia ornatus fuerit. Relativum enim, cauſalis adverbii loco hic ponitur: acſi dixiſſet, non in loci dignitate, ſed in mero Dei beneplacito fundatum illic fuiſſe Dei Sanctuarium. Neque enim minus gratuita eſſe debuit poſterior hæc reſtitutio, quam prima adoptio populi, ubi Deus cum Abraham fœdus ſuum pepigit, vel populum redemit ex Ægypto. *Dilectio* autem loci reſpectum habuit [illegible] homines. unde ſequitur, mera Dei gratia & liberalitate ſemper ab initio collectam fuiſſe Eccleſiam: quia neque in hominibus reperiri unquam potuit intrinſeca dignitas, & res eſt pretioſior quam ut pendeat à virtute hominum. Proximo verſu nihil aliud intelligit Propheta quam montem Sion donatum fuiſſe inſigni pulchritudine, quæ tamen ad cæleſte exemplar referri debet. Neque enim vel in ſplendore ædificii, vel in ceremoniarum pompa occupari voluit Deus ſuorum mentes, ſed attollere ad Chriſtum, in quo exhibita fuit umbrarum veritas. Ideo dicit *extructum fuiſſe Sanctuarium quaſi excelſa*, hoc eſt conſpicuum fuiſſe inter ſublimes omnes
montes, ſicuti Jeſaias & Michæas, ubi vaticinantur [*Jeſa. 2.*
de novi & ſpiritualis Templi inſtauratione, dicunt *verſ. 2.*
locandum eſſe in vertice montium, ut emineat ſupra *Mich. 4.*
omnes colles. Et ſcimus arces tunc fuiſſe in locis *verſ. 1.*]
editis. Poſtea orbi univerſo comparat montem Sion. Etſi enim ſingulas regiones vel concuti, vel chaſmate perire, vel motu aliquo violento turbari, vel aliquam mutationem ſubire contingit, corpus tamen ipſum terræ ſtabile firmumque manet: quia altis radicibus nititur. Significat igitur Propheta non eſſe temporale ædificium de quo loquitur (qualiter ſumptuoſa Regum palatia aut vetuſtate concidunt, aut obnoxia ſunt variis excidiis) ſed fundatum eſſe ut ſtet integrum uſque ad mundi finem. Siquis excipiat, Templum illud à Chaldæis & Aſſyriis dirutum fuiſſe: facilis ſolutio eſt, nonniſi in Chriſto conſtare hanc ſoliditatem quam celebrat Propheta: quia ſi per ſe æſtimetur vetus & umbratile Sanctuarium, inane ſpectrum erit: ſed quia Deus pignus eſſe voluit Chriſti venturi, merito ei tribuitur perpetuitas:
ſicuti alibi dicitur fundamenta jeciſſe Deus in mon- [*Pſal. 87.*
tibus ſanctis. Item, Manu ſua fundaſſe Sion. Item, *verſ. 1.*
Reſidere in eo, ut nunquam labaſcat. *Jeſa. 14.*

70. *Et elegit.*] Facta mentione templi, ad re- *verſ. 32.*
gnum quoque tranſit: quia hæc duo præcipua erant *Pſal. 74.*
electionis & gratiæ Dei ſigna, ſicuti etiam Chriſtus *verſ. 2.*]
ut plenam ſalutem afferret, Rex & Sacerdos nobis apparuit. Davidem vero Regem divinitus creatum fuiſſe probat, quod ab ovium caulis, & pecudum cuſtodia in ſolium evectus fuerit. Nam Dei gratiam non parum illuſtrat hæc mutatio, quod homo ruſticus ex ignobili tugurio in Regem aſſumptus eſt. Hanc vero gratiam non reſtringit Propheta ad perſonam Davidis: ſed admonet, quicquid eſt dignitatis in filiis Abrahæ, fluere ex fonte illo miſericordiæ Dei. Tota enim populi gloria & felicitas continebatur in regno & ſacerdotio: quorum utrumque mero Dei beneplacito adſcribit. Atque ideo exordium regni Chriſti humile & contemptibile eſſe oportuit, ut figuræ ſuæ conforme eſſet, ac palam faceret Deus nullis externis adminiculis ſe uſum fuiſſe ad peragendam ſalutem noſtram. Alia circumſtantia Dei gratiam commendat, quod David ex paſtore ovium factus eſt electi populi & hæreditatis Dei paſtor. Etſi autem alluſio eſt ad priorem Davidis ſtatum, docet tamen Spiritus ſanctus quantum à tyrannis, prædonibus, & avaris exactoribus differant legitimi Reges, quos paſtores eſſe convenit. Poſtea addit, fideliter exequutum eſſe partes ſibi injunctas. quo etiam oblique perſtringitur ingratitudo ac pravitas populi, qui non modo ſanctum & inviolabilem Dei ordinem labefactavit, ſed excuſſo ſalutari jugo, ſe in miſeram diſſipationem projecit. Quod ſequitur de *prudentia manuum*, impropriе dictum videtur: ſignificanter tamen exprimere voluit Propheta, Davidem non modo felicem in ſuis actionibus fuiſſe, ſed gubernatum Dei Spiritu, ut manus ad nullum opus temere projiceret, ſed dextre ſcienterque dirigeret quo vocabat fides & officium: atque ita in ſucceſſu operum ejus major prudentiæ laus, quam proſperitatis fulgeret.

ARGUMENTUM PSALMI LXXIX.

Querimonia eſt ac lamentatio Eccleſiæ graviter afflictæ, in qua tametſi deplorant fideles miſeras & indignas ſuas clades, & hoſtium accuſant ſævitiam, ſe tamen merito fatentur caſtigari, & ſupplices ad Dei miſericordiam confugiunt, hac ſpe maxime freti, quod ſuas calamitates vident cum Dei probro conjunctas eſſe, dum impii ſacrum ejus nomen oppreſſa Eccleſia blaſphemant.

PSALM. LXXIX.

PSalmus Aſaph. Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt Templum ſanctitatis tuæ, poſuerunt Jeruſalem in acervos.

1 מִזְמוֹר לְאָסָף אֱלֹהִים בָּאוּ גוֹיִם בְּנַחֲלָתֶךָ טִמְּאוּ אֶת הֵיכַל קָדְשֶׁךָ שָׂמוּ אֶת יְרוּשָׁלִַם לְעִיִּים׃

2. Dederunt cadavera ſervorum tuorum eſcam volatilibus cælorum, carnem manſuetorum tuorum beſtiis terræ.

2 נָתְנוּ אֶת נִבְלַת עֲבָדֶיךָ מַאֲכָל לְעוֹף הַשָּׁמָיִם בְּשַׂר חֲסִידֶיךָ לְחַיְתוֹ אָרֶץ׃

3. Fuderunt ſanguinem eorum velut aquam in circuitu Jeruſalem: & non fuit ſepeliens.

3 שָׁפְכוּ דָמָם כַּמַּיִם סְבִיבוֹת יְרוּשָׁלִָם וְאֵין קוֹבֵר׃

4. Fuimus opprobrium vicinis noſtris, ſubſannatio & deriſio iis qui in circuitu noſtro ſunt.

4 הָיִינוּ חֶרְפָּה לִשְׁכֵנֵינוּ לַעַג וָקֶלֶס לִסְבִיבוֹתֵינוּ׃

D*Eus, venerunt.*] Pſalmus hic inter alios clare oſtendit ſe longe poſt mortem Davidis fuiſſe compoſitum. Quod enim excuſant quidam, Spiritu Prophetico prædictas fuiſſe Eccleſiæ clades, ut animarentur poſteri ad crucem tolerandam, ratione caret. Neque enim ita in ſuis vaticiniis hiſtorice loqui Prophetæ ſolent. Et quiſquis integro judicio contextum expendet, per ſe facile videbit tunc fuiſſe compoſitum quando vel exuſto templo, & urbe everſa ab Aſſyriis, tractus fuit in exilium populus: vel quum ab Antiocho templum fuit pollutum multis ſtragibus editis. Nam ad utrumque tempus argumentum optime quadrat. Sumamus igitur pro confeſſo dictatam fuiſſe piis hanc querimoniam, quum oppreſſa Eccleſia, res ad ultimam deſperationem eſſent adductæ. Scimus enim quam crudeliter ſævierint Aſſyrii. Et ſiquis pro aſſerendo Dei cultu ſub tyrannide Antiochi mutire auſus fuiſſet, jugulum mactationi ſtatim præbere neceſſe erat. Primo autem in perſona fidelium conqueritur Propheta de templo polluto, & deſtructa urbe: deinde ſecundo verſu & tertio, ſanctos promiſcue fuiſſe cæſos, & ſine honore ſepulchri projecta eorum cadavera. Singula autem fere verba indignitatem exprimunt. Nam quum terram illam ſegregaſſet Deus populo ſuo, profanis gentibus, ut eam contumelioſe calcarent, ac pro ſua libidine totam disjicerent, proſtitui minime æquum fuit. Ergo quaſi de perverſo naturæ ordine expoſtulat Propheta, gentes veniſſe dicens in hæreditatem Dei. Templi autem everſio, de qua ſecundo loco agit, minus fuit tolerabilis, quia hoc modo extinguebatur Dei cultus in terra, & religio peribat. Addit *Jeroſolymam*, quæ regia erat Dei ſedes, *in acervos* fuiſſe *redactam*. qua voce notatur deformis ruina. Profanatio autem templi & ſanctæ urbis everſio ſicuti impio ſacrilegio non carebant, ita merito debebant contra hoſtes Dei vindictam provocare: ideoque ab illis orditur Propheta. deinde ſecundo loco ad cædes piorum tranſit. Hac autem circumſtantia major notatur crudelitas, quod non tantum occiderint ſervos Dei, ſed inſepulta eorum cadavera projecerint beſtiis & avibus in prædam. Religio autem quædam ſemper tenuit hominum animos, ut ne hoſtes quidem fraudarent ſepulchri honore. unde ſequitur immanibus belluis eſſe ſimiles quos delectat iſta barbaries, videre mortuos lacerari. Oſtendit etiam non fuiſſe graſſatos vulgari hoſtium more, quod humano ſanguini nihilo magis pepercerint quam aquæ: unde colligitur cædendi aviditas. Quum autem addit *non fuiſſe qui ſepeliret*, ad fratres & cognatos extenditur: acſi diceret tantum fuiſſe incuſſum horrorem, deinde obvios quoſque paſſim ita fuiſſe trucidatos, ut nemo progredi auderet, Porro quum in hominum ſepultura Deus aliquod teſtimonium extare voluerit ultimæ reſurrectionis, ſanctos hoc jure poſt mortem ſpoliari, bis indignum fuit. Quæritur tamen, quum reprobis Deus hanc pœnam ſæpe denunciet, cur fideles ſuos paſſus ſit vorari à beſtiis. Tenendum eſt quod alibi diximus, temporales pœnas, quæ ad ſolam carnem pertinent, tam electis quam reprobis eſſe communes. tantum in exitu eſt diſcrimen, quia Deus in ſalutem fidelibus convertit quod naturaliter ſignum iræ erat. Ac omnino de ſepulchro quod de morte dicendum eſt. continget optimos quoſque Dei ſervos violenter occidi: quam pœnam ſanguinariis & aliis Dei contemptoribus ſcimus ſæpe infligi. Neque tamen ideo mors ſanctorum, pretioſa in conſpectu Dei eſſe deſinit: ſed ubi injuſte in carne opprimi paſſus eſt, vindicta oſtendit quam ſibi chari fuerint. Sic ut iræ ſuæ notas etiam poſt mortem inſculpat reprobis, privat eos ſepulchro: & ideo impio Regi minatur aſini ſepulturam. *Jere. 22. verſ. 19.* Sed quum ſuos exponit ſimili probro, licet ad tempus credatur eos deſerere, illis poſtea in adjumentum ſalutis convertit: quia fides eorum hac tentatione probata novam palmam ſibi acquirit. Nam quod olim mortuos ungebant, nonniſi ad vivos & ſuperſtites ſpectabat hæc ceremonia, ut cernentes corpus in cuſtodia reponi, ſpem vitæ melioris in cordibus ſuis foverent. Quare ſine jactura ſepulchro privantur fideles, dum fide hæc media adminicula tranſcendunt, ut ad beatam immortalitatem properent.

4. *Fuimus opprobrium.*] Alia expoſtulatio ad provocandam Dei miſericordiam. Nam quo ſuperbius inſultant nobis impii, eo propior redemptionis ſpes affulget: quia minime Deo tolerabilis eſt eorum petulantia, dum tam licentioſe effertur, præcipue quum in ſacrum Dei nomen redundet contumelia: ſicuti apud Jeſaiam dicit capite 37. v. 22. Quem ſubſannant? & ſuper quem concutiunt caput, virgo filia Sion? Et certe vicini qui partim apoſtatæ erant, vel degeneres Abrahæ filii, partim vero profeſſi religionis hoſtes, miſerum populum vexando, non abſtinebant à blaſphemiis. Quare ſciamus non de privatis ludibriis hic conqueri fideles, ſed quæ videbant oblique in Deum & Legem ejus congeri, ſicuti rurſus in fine Pſalmi videbimus.

5. Quouſque Jehova iraſceris in perpetuum? ardebit velut ignis zelus tuus?

5 עד מה יהוה תאנף לנצח תבער כמו אש קנאתך׃

6. Effunde iram tuam ſuper gentes quæ te non noverunt, & ſuper regna quæ nomen tuum non invocant:

6 שפך חמתך אל הגוים אשר לא ידעוך ועל ממלכות אשר בשמך לא קראו׃

7. Quia vorarunt Jacob, & habitationem ejus vaſtarunt.

7 כי אכל את יעקב ואת נוהו השמו׃

8. Ne recorderis erga nos iniquitatum priorum: feſtina, præveniant nos miſericordiæ tuæ, quia afflicti ſumus valde.

8 אל תזכר לנו עונת ראשנים מהר יקדמונו רחמיך כי דלונו מאד׃

9. Succurre nobis Deus ſalutis noſtræ propter gloriam nominis tui, & libera nos, & propitius eſto peccatis noſtris propter nomen tuum.

9 עזרנו אלהי ישענו על דבר כבוד שמך והצילנו וכפר על חטאתינו למען שמך׃

5. *Quouſque Jehova.*] Jam alibi admonui, duas iſtas voces Quouſque & Perpetuo, dum ſimul junguntur, diuturnam & longam malorum continuationem notare, cujus etiam nullus apparet finis in poſterum: ſicuti Latine dicimus, Quouſque tandem? Colligimus ergo, non primo vel ſecundo menſe ex quo affligi cœpit Eccleſia, dictatam fuiſſe hanc querimoniam, ſed quum tædio ſemifracti eſſent animi. Cæterum fatentur hic fideles, nonniſi irato Deo, tanta malorum congerie ſe obrui. nam quum perſuaſi ſint nihil poſſe impios, quicquid machinentur, niſi quantum Deus permiſerit: ex hoc principio facile ratiocinantur, ubi tantum licentiæ concedit profanis hoſtibus, iratum eſſe & infenſum. Nec vero aliter ſe Dei auxilio ſalvos ſperarent fore: quia ejuſdem eſt compeſcere qui frenum laxat. præſertim vero ubi nos coarguit propria conſcientia, quoties nos flagellis ſuis ferit Deus, ad manum ejus attendere convenit. Nec vero Deum injuſtæ iræ inſimulant, ſed merito ſe plecti agnoſcunt. Etſi autem ſemper juſtas in ſervis ſuis cauſas reperiet Deus cur eos caſtiget, ſæpe tamen pro ſua indulgentia, eorum delictis parcens, alium in finem cruce eos exercet. ſicuti probare voluit patientiam Job, Martyres vero honorifica militia dignatus eſt. Sed populus hic ſponte ad Dei tribunal ſe citans, quas ſuſtinet calamitates peccatis ſuis imputat. unde probabilis conjectura ſumi poteſt, tempore exilii Babylonici compoſitum fuiſſe Pſalmum: quia ſub Antiochi tyrannide diverſam fuiſſe precandi formam alibi vidimus, Non receſſimus à mandatis tuis, non deſcivimus à fœdere tuo, non deflexìmus à te, nec defecimus à Lege tua: & tamen hæc omnia eveniunt nobis. non quod obſtreperent Deo fideles, ſed quia ſciebant alium Deo finem eſſe propoſitum, quam peccata punire. Duris enim illis certaminibus ad palmam ſupernæ vocationis eos parabat. *Pſal. 44. verſ. 18.*

6. *Effunde.*] Videtur à regula charitatis alienum eſſe hoc votum: quia ſic propriis malis ſingulos eſſe anxios convenit, ut alios quoque ſecum levari cupiant. Quare videntur perperam fideles incredulis optare exitium, pro quorum ſalute debebant potius eſſe ſolliciti. Sed tenendum eſt quod alibi diximus, ut rite quis hæc vota concipiat, induendum eſſe publicum affectum, ne eum privatæ injuriæ titillent, ne carnis impetu feratur contra hoſtes: ſed ſui oblitus, communem modo ſalutem Eccleſiæ reſpiciat ac curet. Deinde invocandum eſſe prudentiæ & judicii Spiritum, ne inconſideratus zelus precantem impellat. qua de re alibi fuſius diſſeruimus. Adde quod fideles non modo poſthabita ſui cura toti Eccleſiæ hic conſulunt: ſed præcipue oculos intendunt ad Chriſtum, ut deſperatos ejus hoſtes exitio devoveant. Non ergo temere prorumpunt in hanc vocem, ut hos vel illos perdat Deus: nec Dei judicium anticipant, ſed reprobis quale merentur judicium optantes, patienter expectant dum reprobos ab electis diſcernat cæleſtis Judex. Hoc modo non abjiciunt affectum charitatis: quia etſi cuperent omnes eſſe ſalvos, ſciunt tamen quoſdam inſanabiles eſſe Chriſti hoſtes, quos manet certus interitus. Quanquam nondum prorſus ſoluta eſt quæſtio: quia dum proximo verſu hoſtium crudelitatem accuſant, videntur appetere vindictam. Sed tenendum eſt quod nuper dixi, non poſſe in hunc modum precari niſi qui publicam perſonam induerint, & omiſſo ſui reſpectu, curam ſuſceperint totius Eccleſiæ: imo Chriſtum Eccleſiæ caput ſtatuerint ſibi ante oculos: poſtremo niſi qui præeunte Spiritu animos ſuos extulerint ad Dei judicium, ut parati ad ignoſcendum, non hoſtes quoslibet, à quibus offenſi ſunt, ſed ſolos reprobos morti addicant. Nam qui, antequam ſpes reſipiſcentiæ ſit ablata, ad pœnam feſtinant, eos præpoſteri zeli damnavit Chriſtus hac voce, *Luc. 9. verſ. 55.* Neſcitis cujus ſpiritus ſitis. Adde quod non ſimpliciter impiis Eccleſiæ perſequutoribus fideles perniciem hic optant: ſed prout illis familiariter cum Deo agere conceditur, in hunc modum ratiocinantur ab abſurdo, Qui fit Domine, ut tam duriter nos affligas, ſuper quos invocatur nomen tuum: Gentibus autem profanis quæ te ſpernunt, indulgeas? Denique ſignificant alibi ſatis amplam eſſe Deo materiam exercendæ iræ, quia non ſoli peccaverint in mundo. Etſi autem noſtrum non eſt præſcribere Deo legem, imo lex illa nobis patienter ferenda eſt, ut caſtigationes incipiant à domo ejus, hæc tamen libertas ignoſcitur fidelibus, ut poſtulent non deteriore ſaltem loco eſſe, quam increduli & Dei contemptores. Notandum autem, pro eodem ſumi, *non agnoſcere Deum, & nomen ejus non invocare.* Diverſis enim loquendi formis ſignificat Propheta, niſi præcedat Dei cognitio, non poſſe ipſum invocari: ſicuti etiam *Rom. 10. verſ. 14.* Paulus docet. Neque enim reſpondere noſtrum eſt, Tu Deus noſter: donec anteverterit dicendo, Vos *Oſea 2. verſ. 23.* eſtis populus meus: ſed os nobis aperit dum ad ſe invitat. Etſi autem invocatio nominis Dei non reſtringitur ad ſolas preces (quia ſæpe tantundem valet ac Gallis verbum *Reclamer*) ſumma tamen huc redit, niſi Dei notitia nos dirigat, non poſſe nos ſincere profiteri veram pietatem. Tunc paſſim gloriabantur Gentes ſe Deum colere: ſed quia verbo deſtituebantur, ac ſua illis figmenta & falſæ imaginationes Dei loco erant, abominabile fuit quicquid tentarunt: ſicut hodie in Papatu, quia non ſtatuunt cæci cultores quid ſit Deus, neque ex ore ejus ſciſcitantur quid probet, ſed imaginarios ſequuntur cultus, certum eſt repudiari ipſos à Deo: quia idola in ejus locum ſubrogant.

8. *Ne recorderis.*] Confirmant fideles quod brevius & obſcurius attigerant, juſtas de ſuis peccatis pœnas exigi: quia ex reconciliatione petendum erat malorum levamen. Hoc enim primum malis omnibus remedium eſt, ut nos Deus recipiat in gratiam: quia ipſo irato proſperitas ipſa male & infeliciter

liciter nobis cedit. *Peccata antiqua* intelligunt quidam quæ admiſſa ſunt à patribus. Alii autem, eorum qui precantur antiqua peccata vocari putant quæ pueri vel adoleſcentes admiſerint. Ego vero latius patere arbitror: acſi non modo reatum unius & alterius culpæ & ejus recentis agnoſcerent, ſed ſe pridem multiplici reatu, eoque vetuſto, cum patribus fuiſſe implicitos. Ita longam pertinaciam fatentur in qua obduruerant contra Deum. Et Propheticis objurgationibus reſpondet confeſſio hæc. teſtatur enim Sacra hiſtoria ſuſpenſam fuiſſe exilii pœnam, donec expertus fuiſſet Deus incurabilem eſſe malitiam. Nec mirum eſt patrum culpam filios deprecari, quum Lex pronunciet, Deum rejicere patrum delicta in ſinum filiorum & ulciſci peccata in tertiam & quartam generationem. Notanda autem eſt antitheſis inter verbum *feſtinandi* & *vetuſta peccata*: quia ſi ad calculum vocaſſet Deus quicquid tribus vel quatuor ſeculis peccaverant Iſraelitæ, in longum tempus ſuſpenſa fuiſſet liberatio. Rogant igitur fideles ut abolitis prioribus offenſis, ad opem ferendam feſtinet. Jam quia in ipſis peccatis erat remora & obſtaculum, non fruſtra addunt, ut *Dei miſericordiæ celeriter accurrant*.

9. *Succurre nobis.*] Iterum repetunt hoc verſu fideles quicquid afflictionum ſuſtinent, provenire ex ira Dei, nec aliud eſſe malis ſolatium, niſi ut Deum ſibi propitient. Jam quia ſibi multorum ſcelerum conſcii erant, ſpem veniæ impetrandæ confirmant variis loquendi modis. Primo favorem ſibi conciliant hoc epitheto, dum vocant *Deum ſalutis ſuæ*: deinde & nihil à ſeipſis afferre teſtantur quod Dei miſericordiam provocet: ideoque ſuam ei gloriam duntaxat objiciunt. Unde colligimus non ſatisfactionibus vel ullis operum meritis, ſed gratuita venia, Deo reconciliari quicunque peccarunt. Tenendum eſt etiam quod paulo ante attigi, & fuſius explicui Pſal. 6.: ubi nos Deus caſtigat: non modo ab externis pœnis levamen eſſe optandum, ſed in primis de placando Deo cogitandum eſſe: nec imitandos eſſe ſtultos ægrotos qui ſymptomata tantum auferri ſibi cupiunt, pro nihilo ducunt fontem & cauſam morbi. De verbo כפר quod reddunt interpretes, Propitius eſto, alibi dictum fuit. Proprie ſignificat expiare, & ſacrificiis aptatur: ideoque quoties Deum nobis reconciliare cupimus, in mentem veniat nobis Chriſti: quia non fit remiſſio abſ- Hebr. 9. vers. 22.
que ſanguine.

10. Quare dicerent Gentes, Ubi eſt Deus eorum? nota fiat in Gentibus coram oculis noſtris vindicta ſanguinis ſervorum tuorum qui effuſus eſt.

11. Veniat coram facie tua gemitus vincti: ſecundum magnitudinem brachii tui reſiduos fac filios mortis:

12. Et repende vicinis noſtris ſeptuplum in ſinum eorum, opprobrium eorum quod exprobraverunt tibi Jehovah.

13. Et nos populus tuus, & oves paſcuorum tuorum confitebimur tibi in ſeculum, in generationem & generationem narrantes laudem tuam.

10 לָמָּה יֹאמְרוּ הַגּוֹיִם אַיֵּה אֱלֹהֵיהֶם יִוָּדַע בַּגּוֹיִם לְעֵינֵינוּ נִקְמַת דַּם עֲבָדֶיךָ הַשָּׁפוּךְ׃

11 תָּבוֹא לְפָנֶיךָ אֶנְקַת אָסִיר כְּגֹדֶל זְרוֹעֲךָ הוֹתֵר בְּנֵי תְמוּתָה׃

12 וְהָשֵׁב לִשְׁכֵנֵינוּ שִׁבְעָתַיִם אֶל חֵיקָם חֶרְפָּתָם אֲשֶׁר חֵרְפוּךָ אֲדֹנָי׃

13 וַאֲנַחְנוּ עַמְּךָ וְצֹאן מַרְעִיתֶךָ נוֹדֶה לְּךָ לְעוֹלָם לְדֹר וָדֹר נְסַפֵּר תְּהִלָּתֶךָ׃

10. *Quare dicerent.*] Alio ſenſu nunc objiciunt Deo fideles nomen ſuum. Nobis enim propter nomen ſuum ignoſcit: quia quum ſit miſericors, & velit os nobis obſtruere, ut ſolus juſtus cenſeatur, gratis peccata nobis ignoſcit. Nunc autem deprecantur fideles, ne Deus ſacrum ſuum nomen blaſphemiis ac maledictis impiorum ſubjiciat. Unde etiam monemur, perperam nos precari, niſi ſalutis noſtræ curam cum zelo gloriæ Dei individuo nexu jungamus. Ex ſecundo membro eadem quæ nuper ſoluta eſt, quæſtio exoritur. Etſi enim Deus vindicem noſtrum ſe fore pronunciet, non ideo tamen licet, quum læſi ſumus, ultionem appetere. Sed meminerimus, non quibuslibet dictatam eſſe hanc precandi formam, ut privatis ſuis paſſionibus indulgeant: ſed ut duce & magiſtro Spiritu adverſus reprobos communem agant cauſam Eccleſiæ. Ergo ut rite precemur in hunc modum, primum in nobis refulgeat Spiritus prudentia. Deinde compoſitus ſit ac purus zelus, quem lutulenti carnis affectus perturbant. Tunc liquido zelo & ſedato petere licebit ut Deus claris exemplis oſtendat ante oculos noſtros ſibi pretioſam eſſe ſervorum ſuorum vitam, quorum ſanguinem ulciſcitur. Neque enim hic volunt fideles expleri ſanguine, acſi eum cupide appeterent, ſed tantum expetunt fidei ſuæ confirmationem ex paterno Dei amore, qui in ulciſcendis injuriis apparet. Notandum præterea eſt vocari *ſervos Dei*, qui tamen ob ſua peccata juſte puniebantur: quia utcunque nos caſtiget Deus, non ideo protinus abjicit, quin potius de ſalute noſtra teſtatur ſe eſſe ſollicitum. Deinde ſcimus, ubi graſſatur ira Dei in totum Eccleſiæ corpus, quia boni malis permiſti ſunt, communiter etiam affligi: ſicuti Ezechiel, Jeremias, Daniel, & reliqui in exilium tracti ſunt. Etſi enim non prorſus erant innoxii, certum tamen eſt non fuiſſe tantam cladem illatam populo eorum cauſa: ſed potius in eorum perſona ſpectaculum exhibitum fuiſſe impiis, quo magis tangerentur.

11. *Veniat coram.*] Quia non dubito quin tunc exulaverit populus Dei, quum Spiritus hanc precationem dictavit, vinctos generaliter nominat Propheta qui finibus Aſſyriæ & Chaldææ incluſi erant, ut capitale eſſet illinc movere pedem. *Filios* autem *mortis* nominat, quaſi addictos vel deſtinatos morti, captivitatis reſpectu. Quanquam abſurdum non erit reſtringere ad paucos ſententiam hanc, qui in arctiorem cuſtodiam traditi erant. Hac autem voce ſignificat Propheta fractos eſſe & vere humiliatos feroces illos ſpiritus qui prius contra Deum exultaverant. Et *magnitudinem brachii* Dei implorat, quia ſine inſigni miraculo ſperari non poterat reſtitutio Eccleſiæ.

12. *Et rependc.*] Satis jam de vindicta dictum eſt: & hic clarius demonſtrant fideles, non tam ſe moveri privatis injuriis, quam pio zelo excandeſcere ubi proſcindi vident ſacrum Dei nomen. qui affectus ſi vigebit in animis noſtris, facile moderabitur carnis intemperiem: ſi autem accedat Spiritus prudentia, juſto Dei judicio vota noſtra recte ſubſcribent. Ultimo verſu fructum ſuæ liberationis hunc fore prædicant, *ut Dei nomen celebretur*: ſicuti minime in alium finem nobis optanda eſt ſalus. Et ipſe etiam gratis omnia nobis largitur, tantum ut ſuam bonitatem illuſtret. Promittunt autem non exigui temporis gratitudinem, ſed cujus memoria tradatur poſteris, & per continuas ætates tranſeat de manu in manum. Notanda etiam circumſtantia eſt, quod dicit, *Nos populus tuus & oves paſcuorum tuorum.* Quia enim electa erat poſteritas Abrahæ

quæ

quæ nomen Dei celebraret, & laudes ejus in Sion reſonabant: extincto illo populo, quid futurum erat niſi ut intercideret nomen ipſum Dei? Nec dubium eſt quin reſpondeat hic locus vaticinio Jeſaiæ, Populum hunc mihi creavi, laudem meam narrabit. *Jeſa. 43. verſ. 21.*

ARGUMENTUM PSALMI LXXX.

Precatio eſt lamentabilis, ut Deus afflictæ ſuæ Eccleſiæ ſubveniat. Sed quo facilius opem rebus ſuis miſeris impetrent fideles, eas comparant cum ſuis exordiis, in quibus refulſit ſingularis Dei gratia.

PSALM. LXXX.

PRæfecto ſuper Soſannim Eduth, Pſalmus Aſaph.	1 למנצח אל ששנים עדות לאסף מזמור:
2. Qui paſcis Iſraël auſculta, qui ducis tanquam oves Joſeph, ſedens inter Cherubim appare:	2 רעה ישראל האזינה נהג כצאן יוסף ישב הכרבים הופיעה:
3. Coram Ephraim & Benjamin & Menaſſe excita virtutem tuam, & veni in ſalutem nobis.	3 לפני אפרים ובנימן ומנשה עוררה את גבורתך ולכה לישעתה לנו:
4. Deus converte nos, & lucere fac faciem tuam, & ſalvi erimus.	4 אלהים השיבנו והאר פניך ונושעה:

QUanquam Pſalmus hic proximo affinis eſt, mihi tamen videtur compoſitus eſſe in gratiam decem tribuum, poſtquam variis cladibus regnum illud atteri cœpit. Neque enim abs re fit expreſſa mentio Joſeph, Ephraim, & Menaſſe. Excipiunt quidam interpretes, Prophetam ad ſitum & ordinem caſtrorum alludere, qualis à Moſe deſcribitur, quia ab una parte progrediebantur Ephraim & Menaſſe. *Num. 2. verſ. 18.* Sed frigidum eſſet, prætcrita tribu Jehuda, & urbe quoque ſancta, in medium proferri Joſeph, Menaſſe, Ephraim & Benjamin: niſi de regno Iſraël ſpecialis fieret ſermo. Siquis objiciat, ex quo alienatæ ſunt decem tribus à domo Davidis, fuiſſe degeneres, & illic corruptum fuiſſe Dei cultum: reſpondeo, multos illic pios Dei cultores habitaſſe, qui non flexerant genu coram Baal, nec ſe ad communes ſuperſtitiones projecerant. Ideoque in tribu Jehuda duritiem accuſat Amos cap. 6. verſ. 6., quod illic nemo ingemiſcebat ſuper plaga Joſeph. Scimus etiam, in illa defectione miſſos fuiſſe Prophetas qui ſpem redemptionis facerent. Quamvis ergo omnes fere eſſent apoſtatæ, reſiduum ſemen non neglexit Deus. Et quemadmodum prius futuris malis ſolatium in vaticiniis gratiæ ſuæ dederat, ſic nunc preces dictando, confirmat fovetque in eadem ſpe, donec re ipſa experiantur ſe non fuiſſe vanis promiſſionibus lactatos. Hinc tenemus quid duo iſti Pſalmi proximi inter ſe differant. Sicui non ſatisfaciat quod dico, electio maneat libera. quiſquis tamen circumſtantias omnes expendet, libenter (ut ſpero) mihi aſſentietur. In vocibus Soſannim & Eduth non inſiſtam, quia alibi retuli quid ſentiant interpretes: nec res tanti momenti eſt ut magnopere laborandum ſit: deinde qui peritiſſimi ſunt vetuſtatis, nihil afferunt præter conjecturas probabiles. *Pſal. 45.*

2. *Qui paſcis Iſraël.*] Antequam Ephraim & Menaſſe nominet Propheta, ponit nomen Joſeph: cur potius quam Jehuda, niſi quia ſeorſum de regno Iſraël, cujus poteſtas erat penes familiam & poſteros Joſeph, verba erat facturus? Neque abſurdum eſt, ut dixi, quum peculiares illis dati fuerint Prophetæ, poſtquam Dei flagellis percuſſi ſunt, additam fuiſſe precationem qua Deus reliquias ſibi colligeret. Cæterum ne ſibi blandiantur in cultu adulterino, vocando Deum *ſeſſorem Cherubim*, Propheta eos ad puram Legis doctrinam revocat. Propitiatorium enim pignus erat præſentiæ Dei, ubi Deus ſe propinquum fore ſuis promiſerat, ut eorum vota exaudiret. Formam hanc divinitus præſcriptam, hominum arbitrio mutari fas non fuit. Monentur ergo Iſraëlitæ ac jubentur redire ad primam originem, ut Deum propitium inveniant. Cæterum hoc epitheto mirus erga homines Dei amor exprimitur, quod ſe quodammodo extenuat ut ad eos deſcendat, ſedemque & domicilium ſibi deligat in terra, ut habitet in medio ipſorum. Neque enim ſedet ipſe, ſicuti loco non includitur quem cæli cælorum non capiunt: ſed reſpectu hominum locatur inter duos Cherubim, ne fideles remotum à ſe fingendo, perplexi hæreant in acceſſu. Interea tenendum quod attigi, legitimam orandi regulam proponi Iſraëlitis, ne in Dan & Bethel Deum à ſe fabricatum invocent, ſed ſuperſtitionibus valere juſſis, vera fidei luce regantur, verbum Dei ſequendo.

4. *Deus converte nos.*] Hoc eſt, reſtitue. Petierant verſu proximo ut virtutem ſuam erigeret Deus coram Ephraim & Menaſſe: nunc queruntur ſe projectos, donec ſuccurrat Deus, & miſeræ diſſipationi remedium afferat. Quidam verbum *convertere*, aliter accipiunt, acſi peterent à Deo fideles Spiritum regenerationis. Sed quia id nimis argutum eſt, contenti ſimus priore illo ſenſu, fideles malis afflictos ad Deum confugere, cujus proprium eſt vitam reddere mortuis. Jam ſicuti fatentur malorum omnium hanc eſſe cauſam quod Deus offenſus faciem abſconderit: ita rurſum plenam ſalutem ab unico Dei favore expectant. Hæc (inquiunt) vera erit nobis reſurrectio, ſi modo facies tua nobis illuceat. acſi dicerent, ſe propitio & favente Deo beatos fore, ſibique omnia feliciter ceſſura.

5. Jehova Deus exercituum quouſque fumabis in oratione populi tui.	5 יהוה אלהים צבאות עד מתי עשנת בתפלת עמך:
6. Cibaſti nos pane lachrymarum, & propinaſti in lachrymis copiam.	6 האכלתם לחם דמעה ותשקמו בדמעות שליש:
7. Poſuiſti nos rixam vicinis noſtris, & inimici noſtri ſubſannant apud ſe.	7 תשימנו מדון לשכנינו ואיבינו ילעגו למו:
8. Deus exercituum converte nos, & fac lucere faciem tuam, & ſalvi erimus.	8 אלהים צבאות השיבנו והאר פניך ונושעה:

5. *Jehova Deus.*] Quum ultro promittat Deus & toties affirmet non irrita fore ſuorum vota, mirum eſt cur nunc objiciant ſancti ſibi eſſe implacabilem, utcunque ad eum confugiant. Neque enim tantum queruntur ſe non exaudiri, ſed Deum fumare ubi invocatur: acſi data opera hoc pietatis
Jeſa. 65. verſ. 24. officium reſpueret. Ubi igitur illa promiſſio, Antequam clamaverint, ego exaudiam? Sed quia Deus auxilium ſuum differens, ſuorum patientiam exercet, ex ſenſu carnis dicit Propheta eum eſſe ſurdum ad preces: non quod in hac opinione precantes ſubſiſtere conveniat: (viam enim ſibi præcluderent:) ſed quamvis eos contrario fidei ſenſu eniti & penetrare in cælum oporteat, ubi occultam ſalutem cernant: Deus tamen permittit, quo exonerent animos ſuos, curas, ſollicitudinem, dolores & metus quibus anguntur, in medium proferre. Videtur autem tacita eſſe alluſio inter fumum iræ Dei, & ſuffitum qui ſacrificiis adhibebatur ſub Lege. Quum enim hic ad purgandum cælum valeret, queruntur diverſo fumo tenebras offundi, ne ad Deum perveniant ſui gemitus.

6. *Cibaſti nos*] Magnitudinem doloris, & longum etiam malorum tractum his loquendi modis exprimunt: acſi dicerent ſe confectos fuiſſe triſtitia uſque ad ſummam ſatietatem. Poſtea addunt, ſe *in contentionem vicinis fuiſſe datos*, quod bifariam poteſt intelligi, vel quod rixati cum ipſis vicini fuerint: vel quod victoriam adepti, contenderent de præda, ut fieri ſolet dum quiſque ſpolia ad ſe rapere appetit. Prior tamen ſenſus videtur melius quadrare, ut querantur totidem ſibi hoſtes fuiſſe, quot vicinos, quum tamen mutuæ benevolentiæ vinculum debeat eſſe ipſa vicinitas. Eodem pertinet ſecundum membrum, *ridere apud ſe*, hoc eſt, de rebus adverſis ultro & citro per jocum & ludibrium inter ſe fabulari. Cæterum hoc Dei judicio aſcribunt, in cujus manu eſt flectere hominum animos, ut hoc modo ſe ad pœnitentiam hortentur. Quum vero ejuſdem hodie reatus ſimus nobis conſcii, non mirum eſt ſi nihilo etiam melior eſt noſtra conditio. Sed quum formam hanc precandi fere deſperatis Spiritus ſanctus dictaverit, ſpes nobis & libertas ſuggeritur ne ab invocatione peccata noſtra nos prohibeant. Nec dubium eſt quin ad ſuperandum obſtaculum iterum repetatur quod prius dictum erat. neque enim inanem battologiam dictare ſuis voluit Deus: ſed ut malis gravati, audacter nihilominus aſſurgerent, hæc fultura ſæpius illis oblata fuit, ſicuti tertio repetitur in Pſalmi clauſula.

9. Vitem ex Ægypto tranſtuliſti, expuliſti Gentes, & plantaſti eam:	9 גֶּפֶן מִמִּצְרַיִם תַּסִּיעַ תְּגָרֵשׁ גּוֹיִם וַתִּטָּעֶהָ׃
10. Expurgaſti coram ea, radicaſti radices ejus, & implevit terram.	10 פִּנִּיתָ לְפָנֶיהָ וַתַּשְׁרֵשׁ שָׁרָשֶׁיהָ וַתְּמַלֵּא אָרֶץ׃
11. Operti ſunt montes umbra ejus, & palmites ejus cedri Dei.	11 כָּסּוּ הָרִים צִלָּהּ וַעֲנָפֶיהָ אַרְזֵי אֵל׃
12. Emiſit malleolos ſuos uſque ad Mare, & uſque ad Fluvium propagines ſuas.	12 תְּשַׁלַּח קְצִירֶהָ עַד יָם וְאֶל נָהָר יוֹנְקוֹתֶיהָ׃
13. Cur diruiſti ſepem ejus, & diſcerpſerunt eam omnes tranſeuntes per viam?	13 לָמָּה פָּרַצְתָּ גְדֵרֶיהָ וְאָרוּהָ כָּל עֹבְרֵי דָרֶךְ׃
14. Vaſtavit eam aper è ſylva, & fera agri depaſta eſt eam.	14 יְכַרְסְמֶנָּה חֲזִיר מִיָּעַר וְזִיז שָׂדַי יִרְעֶנָּה׃

9. *Vitem ex Ægypto.*] Vitis ſimilitudine Propheta commendat ſingularem Dei gratiam qua redemptum populum dignatus eſt: quod ad ſpem impetrandi non parum habuit efficaciæ. Quis enim noſtrum in Dei conſpectum proſilire audeat, donec præveniat nos ipſe? Invitat autem nos tam beneficiis, quam verbo: atque hoc conſilio nunc ei objicitur ſua liberalitas, ne inchoatum deſerat opus manuum ſuarum. Quanquam autem ſine verbo frigerent apud nos Dei beneficia, ubi tamen ad verbi teſtimonium accedit experientia, non vulgariter nos animat. Et redemptio cujus nunc meminit Propheta, fœdere Dei veſtita fuit: quia annis ante quadringentis Abrahæ eam Deus pepigerat. Summa huc redit, indignum eſſe ut Deus vitem manu ſua plantatam, & exquiſite cultam, à feris beſtiis nunc lacerari ſinat. Neque enim tridui vel exigui temporis erat Dei fœdus, ſed filios Abrahæ ſibi adoptaverat quos perpetuo tueretur. Vitis autem nomine ſignificat Propheta quanto in pretio populus hic coram Deo fuerit, quem non modo inſtar hæreditarii fundi ſibi eſſe voluit, ſed, ſicuti vitis ſupra reliquas poſſeſſiones excellit, peculiari honore dignatus eſt. Quod dicit *terram fuiſſe purgatam*, metaphorice repetit quod prius ſine figura dixerat, Gentes fuiſſe expulſas, ut vacuus eſſet locus electo populo. Niſi forte ad continuas foſſiones alludat, quibus vites, ne degenerent, purgandæ ſunt: ut ſignificet Deum functum eſſe agricolæ partibus erga ſuum populum, quia non deſtiterit poſt plantationem in eo fovendo & conſervando operam impendere. Nam quod continuo poſt addit *radicatas fuiſſe radices*, de prima ſatione non debet intelligi, ſed de propagatione, quæ una eſt culturæ ſpecies. Unde ſequitur opertos fuiſſe montes umbra ejus: quia tota regio, licet montuoſa eſſet, incolis referta fuit: in tantam multitudinem crevit populus ille. Ideoque palmites comparat *cedris Dei*, hoc eſt pulcherrimis, vel eximiis quibuſque: quo illuſtrior reddatur Dei benedictio. Mare & Euphratem ſcimus terminos promiſſæ hæreditatis fuiſſe divinitus præfixos.

13. *Cur diruiſti.*] Applicatio eſt ſimilitudinis: quia nihil minus conſentaneum eſt, quam Deum vitem à ſe plantatam, feris beſtiis evellendam tradere. Id quidem ſe facturum ſæpius minatur ac denunciat per Prophetas: ſed in eum finem, ut populi ingratitudo magis reddatur deteſtabilis, quæ prodigioſum illud pœnæ genus extorſit. Interea non abs re ex tam præclara Dei beneficentia fiduciam concipere juſſi ſunt fideles: ſaltem ut in ipſa evulſione ſperarent curæ ſe futuros Deo, qui opus manuum ſuarum nunquam deſerit. Etſi enim ad vaſtitatem redactus fuit populus, inſanabilis ſuæ pervicaciæ culpa, paucis tamen palmitibus ſervatis, vitem ſuam deinde reſtituit Deus. Hæc quidem deprecatio toti populo fuit propoſita, qua horrendæ diſſipationi occurreret. Cæterum quia pauciſſimi Deo vere ſupplices facti ſunt, ut iram ejus reſtinguerent, ſatis fuit illos ab interitu eripi, ut nova deinde vitis exſurgeret. Porro antitheſis iſtis augetur indignitas, dum ab una parte Deus vinitor ſtatuitur: ab altera autem non modo quicunque tranſeunt, ſed apri quoque

que ſylveſtres, aliæque feræ beſtiæ. Verbum כרסם quidam accipiunt pro ventrem farcire: quæ ſignificatio niſi paulo eſſet ab uſu remotior, præſenti loco apte quadraret.

15. Deus exercituum revertere obſecro, inſpice è cælis, & vide, & viſita vitem hanc,	15 אלהים צבאות שוב נא הבט משמים וראה ופקד גפן זאת׃
16. Et * hortum quem plantavit dextera tua, & ſuper filium *quem* confirmaſti tibi:	16 וכנה אשר נטעה ימינך ועל בן אמצתה לך׃
17. Combuſta eſt igne, exciſa eſt: ab increpatione vultus tui pereunt.	17 שרפה באש כסוחה מגערת פניך יאבדו׃
18. Sit manus tua ſuper virum dexteræ tuæ, ſuper filium hominis *quem* confirmaſti tibi.	18 תהי ידך על איש ימינך על בן אדם אמצת לך׃
19. Et non recedemus abs te: vivificabis nos, & nomen tuum invocabimus.	19 ולא נסוג ממך תחינו ובשמך נקרא׃
20. Jehova Deus exercituum converte nos: fac lucere faciem tuam, & ſalvi erimus.	20 יהוה אלהים צבאות השיבנו האר פניך ונושעה׃

* vel, ſedem.

15. *Deus exercituum.*] His verbis docere voluit Propheta, quamvis ad tempus faciem ſuam occultet Deus, imo ſpeciem alienationis præbeat, tentationi minime cedendum eſſe: quia, modo cum certa ſpe veniæ quæratur, quos abjicere viſus eſt, placatus in gratiam recipiet. Etſi autem hæc ſumma fuit populi dignitas, cenſeri Dei vineam: dum tamen hoc reſpectu Deum ſibi conciliant fideles, nihil afferunt proprium, ſed tantum poſtulant ne deficiat in medio liberalitatis curſu. Particulam *è cælis*, non dubito fuiſſe interpoſitam, ne fidem ſuam procul extendere fideles dubitarent, quamvis ab ipſis longe diſtaret Deus à quo receſſerant: deinde ſi nullus liberationis modus apparebat in terra ut in cælum ſuſpicerent. Quantum attinet ad vocem כנה, libenter recipio quod nonnulli vertunt, locum paratum. Quia tamen aliis videtur permutatio literæ ג in כ, ut hortum ſignificet, libera maneat electio. Certum quidem eſt, metaphoram eſſe priori affinem, qua notatur ſingularis Dei in ornando populo liberalitas. *Virum* quoque *dextræ* appellat palmitem manu Dei conſitum.

17. *Combuſta eſt igne.*] Clades populi jam clarius exprimit. Dixerat vitem Dei beſtiis fuiſſe expoſitam ad direptionem. Longe autem durius eſt, incendio conſumi, eradicari, & perire. Etſi autem perfide deſciverant à pietate Iſraëlitæ, erant tamen adhuc Eccleſiæ portio, ut dictum fuit. Quare hoc triſti eorum exemplo monemur quam ſeveris pœnis digna ſit noſtra ingratitudo, præſertim ubi accedit contumacia, ut minis & objurgationibus nihil Deus apud nos proficiat. Simul autem diſcamus, ubi paſſim ardet ira Dei, inter medias tamen incendii flammas, dolores noſtros in Dei ſinum rejicere, qui mirabiliter Eccleſiam ſuam ab interitu ſuſcitat. Paratus quidem eſſet non modo continuo tenore proſequi ſuum erga nos favorem, ſed magis ac magis nos locupletare, niſi obſtaret noſtra pravitas: ſed quia fieri non poteſt quin tot ſceleribus ſuccenſeat, hoc inæſtimabilis clementiæ eſt, ubi ignis à nobis accenſus longe lateque graſſatus eſt, eo reſtincto aliquam Eccleſiæ partem reſiduam ſervare, vel ut magis proprie loquar, excitare ab ipſis cineribus populum qui nomen ſuum invocet. Iterum repetit Propheta non vi & armis hoſtium, ſed increpatione vultus Dei Eccleſiam periiſſe: quia nunquam ſperanda eſt pœnarum mitigatio, niſi vere perſuaſi ſimus manu Dei juſte nobis infligi. Et hoc reſipiſcentiæ ſignum fuit, ad manum percutientis reſpicere, ſicuti alibi dicitur.

Jeſa. 9. verſ. 13.

18. *Sit manus tua ſuper virum.*] Precationem qua uſus fuerat ſub figura vineæ, ſimplicibus verbis repetit, ut manu ſua Deus protegat *virum dexteræ ſuæ & hominem quem ſibi roboravit.* Incertum eſt autem, de ſolo Rege, an de populo ipſo loquatur. Nam etſi Jarobeam unctus fuit in Regem, non tamen legitimo jure honorem illum adeptus eſt: nec quenquam ex ſucceſſoribus ita Deus probavit, quin ſemper & jus & poteſtas regni maneret penes poſteros Davidis. Neque enim, ut Pſal. 78. verſ. 67. vidimus, elegit Deus tribum Ephraim; imo inviolabili ejus decreto ſceptrum datum fuerat familiæ Juda, ſicuti continet vaticinium Jacob. Ergo impia ruptura fuit, quum major pars populi deſcivit ad Jarobeam. Solvi tamen poteſt hic nodus, quia etſi perverſum fuit regni principium, ſicut dicitur apud Hoſeam, Dedi vobis Regem in furore meo: tolerantia deinde probatum fuit: & unctio teſtata eſt ratum Deo fuiſſe quod perperam tumultu populi geſtum fuerat. Potuit igitur populus Iſraël Regem ſuum dicere à Deo creatum & ſtabilitum, qui in remedium diſſipationis additus fuerat filiis Davidis. Etſi enim diſſidio illo collapſus eſt ſtatus populi, fultura tamen illa, arcano Dei conſilio ſuppoſita fuit ne concideret. Sed ego libenter totum Eccleſiæ corpus complector. Nec temere ſingulari numero uſus eſt Propheta, quum vellet Deus populum illum inſtar eſſe unius hominis. qua etiam ratione Paulus in uno ſemine inſiſtit. Diffluxerant enim Iſmaël, Eſau & alii, quum Deus redemit ac collegit ſemen Abrahæ. Ita *Filius hominis* vocabitur populus quem ſibi adoptaverat Deus, ut eſſet quaſi unus homo: quia tamen unitas hæc pendebat à capite, non diſplicet Regem diſerte notari quatenus retinebat majorem populi partem, ne exitiali ruina periret. Cæterum hic rurſum Propheta nonniſi prioribus Dei beneficiis innititur ad conciliandum ejus favorem: acſi diceret, Domine, quia tuum eſt perficere quod cœpiſti, Regem abs te nobis datum cuſtodias. Tandem promittunt fideles ſe Deo gratos fore, ſi exauditi fuerint: neque id tantum ſacrificio laudis, ſed tota vita. Nam *invocatio nominis Dei* pro vitulis labiorum accipitur. Sed totius vitæ conſenſum declarat ubi dicit, *non recedemus à te:* Quanquam ſic contexi poteſt hic verſus, Domine etiam in rebus noſtris deploratis manebimus ſub tuo obſequio, neque malorum acerbitas ad defectionem nos impellet. Tua autem gratia & virtute reſtituti, celebrabimus nomen tuum. De ultimo verſu quem tertio inculcat Propheta, ſupervacuum eſſet plura dicere.

Gen. 49. verſ. 10.
Hoſ. 13. verſ. 11.
Galat. 3. verſ. 16.

ARGUMENTUM PSALMI LXXXI.

Duæ ſunt hujus Pſalmi partes. nam quiſquis fuerit auctor, populum hortatur ut redemptus Dei manu, & in regnum ſacerdotale ac peculiarem Eccleſiam electus, inæſtimabilis hujus gratiæ memor, redemptorem ſuum tam laudibus quam ſancta vita pie colat. Deinde ſequitur exprobratio ingratitudinis in Dei perſona, quod ſcilicet blande & comiter populum hunc ad ſe invitans, nihil profecerit quin jugum Legis pervicaciter reſpueret.

PSALM. LXXXI.

PRæfecto ſuper Githith Aſaph.	1 למנצח על הגתית לאסף:
2. Exultate Deo fortitudini noſtræ, jubilate Deo Jacob:	2 הרנינו לאלהים עוזנו הריעו לאלהי יעקב:
3. Sumite canticum & proferte tympanum, citharam jucunditatum cum nablo:	3 שאו זמרה ותנו תף כנור נעים עם נבל:
4. Clangite cithara in novilunio, tempore ſtatuto ad diem ſacrificii noſtri:	4 תקעו בחדש שופר בכסה ליום חגנו:
5. Quia ſtatutum Iſraëli hoc, judicium Deo Jacob.	5 כי חק לישראל הוא משפט לאלהי יעקב:
6. Teſtimonium in Joſeph poſuit hoc, quum egreſſus eſt ſuper terram Ægypti: labium quod neſciebam audivi.	6 עדות ביהוסף שמו בצאתו על ארץ מצרים שפת לא ידעתי אשמע:
7. Amovi ab onere humerum ejus: manus ejus ab ollis receſſerunt.	7 הסירותי מסבל שכמו כפיו מדוד תעבורנה:
8. In tribulatione clamaſti, & eripui te, reſpondi tibi in occulto tonitrui: probavi te ſuper aquas Meriba. Selah.	8 בצרה קראת ואחלצך אענך בסתר רעם אבחנך על מי מריבה סלה:

EXultate Deo.] Hunc Pſalmum probabile eſt feſtis diebus, quibus ſolennes ſuos conventus agebant Judæi, fuiſſe deſtinatum. Nam à principio oſtendit non fuiſſe ordinem illum divinitus mandatum, ut ſurdi & muti ad tabernaculum ſtarent (quia Deus neque otio, neque frigidis ac inanibus ceremoniis colitur) ſed ut talibus exercitiis fidei unitatem inter ſe foverent, profiterentur ſuam pietatem, & ſe animarent ad continuos ejus progreſſus, ſuaque ſtudia conjungerent ad laudandum Deum: denique ut in ſacro fœdere retinerentur, quo ſibi Deus eos adoptaverat. Quum vero hic fuerit dierum feſtorum uſus ſub Lege, colligere etiam licet, quoties hodie conveniunt fideles, debere finem hunc eſſe propoſitum, ut ſe exerceant in vera pietate, Dei beneficia in memoriam revocent, proficiant in ejus verbo, fideique ſuæ conſenſum teſtentur. Frivolis enim ac inutilibus ceremoniis ludunt homines cum Deo, niſi in primis vigeat doctrina fidei, quæ ad invocationem eos incitet: niſi etiam beneficiorum recordatio ſuggerat laudum materiam: imo mera eſt profanatio nominis Dei, dum extincta doctrinæ luce, externo tantum cultu defungitur populus. Ideo Propheta non ſolum fideles jubet ad tabernaculum concurrere, ſed de fine quoque admonet, ut illic renovetur memoria gratuiti fœderis, unde augeſcat fides eorum & pietas, ut celebrentur Dei beneficia, quæ animos ad gratiarum actionem ſtimulent. Quantum ad tympanum, citharam, & nablum attinet, diximus alibi, & poſtea dicendum erit, Levitas non abs re muſicis inſtrumentis uſos fuiſſe ſub Lege: quia tenerum adhuc & pueris ſimilem populum Deus talibus rudimentis docere voluit uſque ad Chriſti adventum. Nunc ubi Euangelii claritas, diſcuſſis umbris Legalibus, cultum Dei magis ſimplicem nobis commendat, ſtulte ac perperam imitaremur quod Propheta nonniſi ætati ſuæ præcepit. Unde apparet Papiſtas hoc ad ſe transferendo, ſimias fuiſſe. Sub *novilunio* per ſynecdochen alias quoque ferias deſignat. Quanquam autem quotidie offerebantur ſacrificia, *dies* tamen *ſacrificii* per excellentiam nominat, quibus ſe ex Legis præſcripto ſiſtebant fideles ad tabernaculum.

5. *Quia ſtatutum.*] Quo efficacior ſit exhortatio, legem hanc impoſitam eſſe docet populo Dei, qua ſanciatur æternum fœdus. Quia autem in fœderibus mutua eſt conventio, dicit hoc ſtatutum datum fuiſſe Iſraëli, & Deum ſibi hoc jus pepigiſſe. עדות quidam derivant à verbo עדה quod ſignificat ornare: & vertunt Decus, vel ornamentum Joſeph. ſed deſcendit potius à עוד & contextus flagitat pro teſtimonio vel pactione accipi. Cæterum in nomine *Joſeph* reſpexit Propheta ad primam originem, quum poſt mortem Jacob diſtinctæ fuerunt familiæ. Nam quia nondum ad Jehudam pervenerat tunc primatus, Ruben vero gradu primogeniti exciderat, merito excelluit poſteritas Joſeph ob memoriam beneficii: quia fratrum ſuorum totiuſque gentis pater & nutritius fuerat. Cæterum fœderis ſanctitatem ſpeciali nota commendat Propheta, quia Deus populum ſibi acquiſierat, dum hunc honorem ſibi deferri ſtipulatus eſt: acſi diceret, redemptum fuiſſe hac lege populum, ut ſtatis diebus ad renovandam gratiæ memoriam conflueret. Verbum *quum egreſſus eſt*, tam Deo quam populo convenit. Trita enim eſt loquutio, Deum coram populo ſuo egredi, ſicut paſtor gregem, vel dux exercitum præcedit. Præpoſitio *Super*, quibuſdam videtur notare altiorem Judææ ſitum: quia aſcendunt qui illuc veniunt ex Ægypto. Ego autem ſimpliciter interpretor, populum, præeunte Deo, libere pervagatum fuiſſe per terram Ægypti, quia fractis ac pavefactis incolis datus eſt tranſitus. Gratiam liberationis amplificat, dicens in perſona totius populi, ſe fuiſſe ex profunda barbarie ereptum. nihil enim moleſtius eſt, quam *peregrinari* apud gentem cum qua nulla ſit linguæ communicatio, quæ præcipuum eſt ſocietatis vinculum. Quia enim lingua eſt velut character mentis ac ſpeculum, non ſecus ac ſylveſtres feræ, invicem alieni ſunt qui carent linguæ uſu. Et Jeſaias, quum vult duriſſimum ſupplicium minari, pronunciat venturos hoſtes profundis labiis, & confuſo gutture. *Jeſa. 33. verſ. 19.* Itaque eo præſtantius Dei beneficium populus agnoſcit, quod ab Ægyptiis ereptus fuerit, quorum linguam non intelligebat.

7. *Amovi ab onere.*] Hic jam Deus quibus & quantis beneficiis ſibi devinxerit populum Iſraël com-

commemorat. Nam quo aſperior fuerat ſervitus unde erepti fuerant, eo optabilior & magis pretioſa fuit libertas. Quum ergo Propheta refert curvatos fuiſſe ſub onere, & figulinæ addictos, aliiſque ſervilibus & duris operis, contrarios ſtatus inter ſe comparans, magis illuſtrat redemptionis gratiam. Nunc ab illis ad nos anagoge tenenda eſt: quia ubi non tantum ab onere lateritio ſubduxit Deus humeros noſtros, nec tantum manus noſtras à fornacibus removit, ſed ex miſerrima Satanæ tyrannide redemptos, ab inferis eduxit: multo ſanctior eſt noſtra obligatio quam veteris populi. Eandem ſententiam proſequitur ſequenti verſu. Dicit Deus ſe tuliſſe ſuppetias quum *in anguſtiis clamarent.* Quod ego libenter de precibus intelligo. Nam etſi interdum contingit, eos qui ad ultimam neceſſitatem redacti ſunt, confuſo clamore deflere ſuas miſerias: quia tamen in afflicto populo aliquæ manebant pietatis ſcintillæ, neque effluxerat ex cordibus promiſſio Patribus data, non dubito eorum preces ad Deum fuiſſe converſas. Nam & qui nihil tale meditatum habent, ſi tamen urgeat major aliqua neceſſitas, arcano naturæ inſtinctu ad Deum feruntur. Quo magis credibile eſt, promiſſionem illis fuiſſe magiſtram, ut ad Deum reſpicerent. Quia vero nemo Deum vere implorat niſi auxilium ab eo ſperans, melius convincere debuit Iſraëlitas clamor ille, ut redemptionem oblatam, ſoli Deo aſcriberent. *Arcanum tonitrui* quidam exponunt nimis argute, meo judicio, tonitru quod occultaverit gemitus populi, ne Ægyptios magis exacerbarent. Simpliciter intelligo, arcano & admirabili modo exauditum fuiſſe populum, & tamen edita palam fuiſſe ſigna, ex quibus colligerent Iſraëlitæ, divinitus ſe juvari. Quamvis ergo non apparuerit Dei facies, tonitru tamen notabile fuit latentis ejus præſentiæ indicium. Jam quo pluris gratiam hanc æſtiment Iſraëlitæ, oblique illis Deus exprobrat indignis fuiſſe præſtitam: quia maligni ac perverſi ingenii experimentum dederint apud aquas Meriba. Acſi diceret, quum palam tunc innotuerit veſtra impietas, certe nulla à me habita fuit dignitatis veſtræ ratio. Non minus autem in nos competit hæc objurgatio quam in Iſraëlitas: quia non ſolum quum afflicti eſſemus ſub Satanæ tyrannide, Deus noſtros gemitus audivit, ſed antequam nati eſſemus, redemptionis pretium nobis ſtatuit in Filio unigenito. Deinde quum inimici eſſemus, per Euangelium nobis & Spiritum illucens, ad gratiæ ſuæ participationem nos vocavit: & tamen non deſinimus ei ſubinde obſtrepere, imo ferociter contra eum tumultuari. *Num. 14. verſ. 34.*

9. Audi popule mi, & conteſtabor te: Iſraël ſi audieris me,	9 שמע עמי ואעידה בך ישראל אם תשמע לי:
10. Ne ſit in te deus extraneus, & ne adores deum alienum.	10 לא יהיה בך אל זר ולא תשתחוה לאל נכר:
11. Ego Jehova Deus tuus, qui te eduxi è terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.	11 אנוכי יהוה אלהיך המעלך מארץ מצרים הרחב פיך ואמלאהו:
12. Et non audivit populus meus vocem meam, & Iſraël renuit me.	12 ולא שמע עמי לקולי וישראל לא אבה לי:
13. Et dimiſi eos in * cogitatione cordis eorum, ambulabunt in conſiliis ſuis.	13 ואשלחהו בשרירות לבם ילכו במועצותיהם:

* vel, pravitate: vel, duritia.

9. *Audi popule mi.*] Quo melius animos permoveat Propheta, Deum induit perſona doctoris, eumque familiariter in medio cœtu loquentem inducit: ut intelligat populus inutiles ac luſorios eſſe conventus omnes, ubi vox Dei ad fidem & pietatem incitans non reſonat. Sed præſtat verba expendere. Præfatio hæc breviter docet, non rite nec pure coli feſtos dies, niſi attenti ſint fideles ad Dei vocem: quia ut manus, pedes, oculos, ſeque totos illi conſecrent in obſequium, neceſſe eſt ab auribus incipere. atque ita oſtendit nullos ſe agnoſcere cultores, niſi qui diſcipuli ſint. *Conteſtandi* verbo ſignificat ſe paciſci ſolenni more, quo major conſtet verbis auctoritas. Quod poſtea ſequitur, *Iſraël ſi audieris me*, puto abrupte eſſe poſitum, ut in orationibus patheticis, defectus majorem vehementiam exprimit. Alii contexunt cum verſu ſequenti, Iſraël ſi me audieris, non erit in te Deus extraneus. Sed ego vocem deſiderantis eſſe arbitror. Quanquam oblique ſignificat Deus præfracto populo ſe diffidere, & vix ſperare morigerum fore, vel docilem. Præcipuum deinde fœderis caput, & fere ſummam totam proponit, ut ſolus ipſe emineat. Sicui tamen magis ita reſolvere placeat, Iſraël quum me audieris, nihil eſt quod æque abs te poſtulem, vel exigam, niſi ut me uno contentus, alienos deos tibi non acceſſas: hanc ſententiam non improbo. Certe hac voce confirmat Deus quod toties alibi inculcat in Lege & Prophetis, ſe zelotypum eſſe, ut ſocium honoris non admittat. Sed interea ſimul admonet, principium veri cultus incipere ab obedientia. Diverſa eſt apud Moſen ſeries, Exod. 20. verſ. 2, 4. & Deut. 5. verſ. 6, 8. nam ubi præfatus eſt Deus ſe eſſe Deum Iſraëlis, prohibet ne ſibi fabricent novos deos. Hic autem prohibitio priorem locum obtinet: deinde additur cauſæ redditio, quod abunde ſufficere debeat Deus ille qui ſibi populum acquiſivit. Forte etiam præparationis vice initio hoc poſuit, ut populum à ſuperſtitionibus abduceret, quas prius evelli ac purgari neceſſe eſt, quam radices in nobis agat vera pietas.

11. *Dilata os tuum.*] Sicuti prius redemptionem populi commemorans, frenum injecit Deus quo ſuos clientes obſequio adſtrictos teneret: ſibi in futurum tempus bonorum omnium copiam ſuppetere denunciat unde expleat populi eſuriem. Notandæ vero ſunt tres iſtæ rationes, quibus in ſe uno Deus continet Iſraëlitas, ac perperam impieque facere oſtendit ſi ad deos extraneos declinent. Nam voce *Jehovæ*, ſe Deum natura eſſe aſſerens, negat in arbitrio hominum eſſe fingere novos deos. ac emphaticum eſt pronomen *Ego.* Quamvis enim prætexerent Ægyptii, ſe Deum colere cæli & terræ opificem, mendacii eos palam coarguebat contemptus Dei Iſraël: à quo ſimulac diſcedunt homines, ejus ſpoliis ornant ſua figmenta, quoſcunque obtendant colores. Ubi ſe Jehovam aſſeruit, Deitatem ſuam effectu & experimento probat: quia ejus clarum ſpecimen exhibuerit in redimendo populo: præſertim quia tunc fidem Patribus datam præſtitit. Virtus enim quæ tunc ſpectata fuit, non ſeorſum debuit æſtimari: quia pendebat à fœdere quod olim cum Abraham pepigerat idem ille Deus, qui probata ſua veritate non minus quam potentia, debitam ſibi laudem aſſeruit. Tertio jam ſe in poſterum offert, hoc ſenſu, modo pergat Iſraël in fide, ſe eundem fore erga filios qualem experti ſunt patres, quia exhauſta non ſit ſua liberalitas. Nam

verbo

verbo *dilatandi*, oblique perſtringit anguſtias quæ beneficentiæ ejus viam obſtruunt: acſi diceret, culpam penuriæ reſidere in populo, quia bonorum quibus indiget, capax non ſit: imo incredulitatis ſuæ obſtaculo arceat ac repellat quæ ultro fluerent beneficia. Nec ſolum jubet os aperire, ſed gratiæ ſuæ abundantiam ſplendidius commendat: ſignificans, quantumvis ſe longe ac late extendant noſtra deſideria, nihil defore ad plenam ſatietatem. Unde ſequitur, parce & tenuiter ſtillare in nos cæleſtes gratias, quia os nimis anguſtum eſt. alios vero jejunos eſſe & inanes, quia os prorſus claudunt. nam major pars vel faſtidio, vel ſuperbia, vel furore reſpuit quicquid è cælo bonorum offertur. alii, quamvis non in totum rejiciant, vix tamen exiguas guttas admittunt: quia ſic reſtricta eſt eorum fides ut effuſam copiam impediat. Hinc vero nimis clare detegitur mundi pravitas, quod neque Deum cognitum amplecti, neque in eo acquieſcere ſuſtinet. etſi enim externo adorationis ſigno coli ſe Deus hic poſtulat, non tamen moratur nudum nomen, quia ejus majeſtas in duabus vel tribus ſyllabis ſita non eſt: ſed rem potius ſpectat, ne alio diffluant ſpes noſtræ: vel laus juſtitiæ, ſalutis & bonorum omnium transferatur. Hoc enim nomine Deitatem ſibi vendicat, quod ſibi plena bonorum ſuppetat ubertas ad nos ſatiandos & explendos.

12. *Et non audivit.*] Nunc queritur Deus, quum Iſraëlitas comiter ad ſe alliciat, blandam tamen hanc invitationem ſperni: imo quum pridem cœperit eos hortari, ſemper aures fuiſſe clauſas Verbo ſuo. Neque enim de unius tantum diei contumacia expoſtulat, ſed populum ſtatim ab initio ſtupidum ac præfractum fuiſſe intelligit, & in eadem obſtinatione pergere. Hæc vero prodigioſa malitia eſt, Deo, ubi paratus eſt nobiſcum fere æquabili lege paciſci, claudere acceſſum, & audientiam negare. Ac ne culpam, ignorantiæ obtentu extenuent, addit ſe ex profeſſo & deliberato contemptu fuiſſe rejectum. Unde apparet faſcinatas à diabolo fuiſſe eorum mentes. Hinc pronunciat factum eſſe ut eos dimiſerit in duritia cordis eorum: vel, ut alii vertunt, in cogitatione. שרר enim unde hoc nomen deductum eſt, umbilicum proprie ſignificat. Unde apta eſt translatio ad cogitationes cordibus implicitas: vel etiam ad duritiem quæ medium cor occupat. Quia tamen ſcimus in Pſalmis rem unam bis ſolere repeti, prætuli nomen cogitationis, quia mox ſequitur, Ambulabunt poſt ſua conſilia. Cæterum his verbis juſtam ſe pœnam ſumpſiſſe teſtatur de populo, dum ſana eum doctrina ſpolians, in reprobum ſenſum projecit. Sicuti enim Verbo ſuo nos regens, quaſi freno cohibet, ne poſt errores vagemur: ita Prophetas ſuos auferens Judæis, perverſis eorum conſiliis habenas laxavit, ut ſibi errandi eſſent duces. Atque hoc graviſſimum eſt vindictæ genus, & ſignum horrendæ deſperationis, quum ad noſtram proterviam diſſimulans ac ſilens, correctionis medicinam non adhibet. Quamdiu enim nos objurgat, & ad tribunal ſuum citando, metu judicii nos terret, ſimul invitat quoque ad pœnitentiam: ubi autem operam ſe rixando videt ludere, nec quicquam proficere ſuas admonitiones, tacendo declarat ſe curam abjicere ſalutis noſtræ. Nihil ergo magis timendum, quam ita emancipari homines à Deo, ut laſcivientes in ſuis conſiliis, à Satana trahantur. Quanquam poteſt hoc latius exponi, Deum tædio fatigatum non curaſſe de retinendo populo, qui perdita ſua malitia ſpem omnem profectus abſciderat. Stulte vero inferunt ex hoc loco quidam, æqualiter diſtribui omnibus Dei gratiam, donec repudiata fuerit. Nam & tunc ſingulari privilegio Deus ſolos Abrahæ filios, poſthabito toto orbe, ad ſe vocare dignatus eſt. Hodie fateor ſublatum eſſe diſcrimen, ut legatio Euangelii, qua ſe Deus mundo reconciliat, communis ſit omnibus: videmus tamen ut certis in locis excitet Deus pios doctores. Quanquam non ſola vox externa ſufficeret, niſi efficaciter ad ſe traheret quos vocavit. Cæterum quia docet hic locus nullam eſſe magis exitialem peſtem, quam propriis conſiliis regi, nihil aliud ſupereſt niſi ut prudentia carnis valere juſſa, Spiritum ſequamur ducem.

* vel, *Utinam.*

14. * O ſi populus meus audiſſet me, Iſraël in viis meis ambulaſſet!

15. Brevi inimicos eorum humiliaſſem, & ſuper adverſarios eorum vertiſſem manum meam:

16. Oſores Jehovæ mentiti fuiſſent illi, & fuiſſet tempus ipſorum in ſeculum:

17. Et paviſſem illos adipe frumenti, & melle ſatiaſſem te è petra.

14 לו עמי שמע לי ישראל בדרכי יהלכו׃

15 כמעט אויביהם אכניע ועל צריהם אשיב ידי׃

16 משנאי יהוה יכחשו לו ויהי עתם לעולם׃

17 ויאכילהו מחלב חטה ומצור דבש אשביעך׃

14. *O ſi populus meus.*] Iterum honorifico elogio probrum & dedecus populi melius detegit: quia duplex fuit flagitium, quum vocatione eſſent populus Dei, nihil ab alieniſſimis differre: ſicuti apud Jeſaiam conqueritur, Bos cognovit poſſeſſorem ſuum, aſinus præſepe domini ſui: populus autem meus non intelligit. (*Jeſa. 1. verſ. 3.*) Quia dictio לו apud Hebræos non eſt conditionalis, ſed optativa, non dubito quin Deus inſtar gementis exclamet miſerum eſſe hunc populum, qui ſaluti ſuæ optime conſuli ſponte recuſaverit. Patris enim ſuſcipiens perſonam, ubi remediis omnibus tentatis, filios deploratos eſſe videt, voces emittit dolentis, veluti cum ſuſpirio & gemitu. non quod obnoxius ſit humanis paſſionibus, ſed quia aliter ſuum erga nos amorem exprimere non poteſt. Ac videtur Propheta locum hunc mutuatus ex Cantico Moſis, ubi iiſdem fere verbis deplorat populi pervicaciam. (*Deut. 32. verſ. 29.*) Eſt autem hic tacita exprobratio, ut ſciant Judæi nonniſi per ſuam malitiam ſtetiſſe quominus optime haberent. Siquis objiciat, fruſtra & ſine ratione Deum conqueri, quando in ejus arbitrio fuit flectere duras populi cervices: nunc quando facere non libuit, non eſſe cur ſe homini dolenti compareret: Reſpondeo, juſte id fieri noſtra cauſa, ne infelicitatis noſtræ culpam alibi quam in nobis quæramus. Sed hic cavendum ne res diverſas miſceamus, & quæ non minus inter ſe diſtant, quam cælum à terra. Deus enim ad nos deſcendens per verbum ſuum, & ſine exceptione invitans omnes, neminem fruſtratur. Quicunque enim veniunt, admiſſi, ſentiunt non abs re ſe fuiſſe vocatos. Interim ex fonte arcanæ electionis manat hoc diſcrimen, ut in paucorum corda verbum penetret, aliorum aures verberet duntaxat. Neque tamen abſurdum eſt eum flebiliter conqueri de noſtra amentia ubi non paremus. Sicuti enim verbo externo nos invitans, patrem exhibet: cur non etiam patris imaginem referret in hac forma querimoniæ? Vere enim apud Ezechielem pronunciat ſe nolle mortem peccatoris, (*Eze. 18. verſ. 32.*) modo ex toto contextu candide & non contentioſe petatur ejus dicti interpretatio. Non vult mortem; quomodo? nempe quia vult omnes ad ſe

con-

converti. Satis vero conſtat non eſſe hanc converſionem in libero hominum arbitrio, donec ex cordibus lapideis Deus carnea reddiderit: imo renovatio hæc (ut ſcite Auguſtinus docet) ipſa creatione præſtantior eſt. Quid autem obſtat quominus pariter omnium corda flectat Deus ac formet in obſequium? Hic ergo tenenda eſt modeſtia ac ſobrietas, ne in arcanum ejus judicium perrumpere tentemus: ſed nobis ſufficiat voluntas in verbo patefacta. Eorum enim ſalutem velle merito cenſetur ad quos dirigitur vox iſta, Venite ad me, & convertimini. Secundo membro definit Propheta quid ſit Deum audire. Neque enim ſatis eſſet annuere loquenti Deo: quia facile concedunt hypocritæ, verum eſſe quod ex ore Dei proficiſcitur, perinde acſi aures flecteret aſinus. Propheta autem non aliter Deum audiri ſignificat, niſi nos ejus imperio ſubjicimus.

Jeſa. 21. verſ. 12.

15. *Brevi inimicos.*] Hic admonet, quaſcunque perpeſſi fuerant clades Iſraëlitæ, imputandas eſſe eorum peccatis: quia non aliis viribus pugnarunt hoſtes, quam quibus è cælo inſtructi erant. Promiſerat Deus ſuis auſpiciis electum populum fore omnium hoſtium victorem: nequis eum malæ fidei inſimulet, affirmat ſe id facturum fuiſſe niſi prohibitus eſſet populi peccatis. Nec dubium eſt quin tacite admoneat eos de prioribus victoriis, quas non proprio marte, ſed ejus ductu adepti fuerant. Nunc ſe non modo cohiberi dicit eorum culpa, ut à defenſione ipſorum abſtineat, ſed etiam improbitate cogi, ut hoſtibus omiſſis, in ipſos irruat armata manu. Eandem ſententiam proſequitur quum dicit hoſtes ſuppliciter jugum fuiſſe ſubituros, niſi illos ad licentiam armaſſet Iſraëlitarum impietas, dum excuſſo jugo contra Deum laſciviunt. *Hoſtes Jehovæ* nominans, perſtringit Iſraëlitas, quod abrupto fœderis vinculo, ſe à Deo disjunxerint, ne bellum ſtatim pro ipſis contra hoſtes communes ſuſciperet. Quemadmodum enim terreni Principes ſi à ſociis fraudentur, deſcendunt ad inducias cum reliquis hoſtibus: & hoc pacto ſe ulciſcuntur de perjuris & fœdifragis: ita ſignificat Deus, ſe hoſtibus ſuis pepercisse: quia perfide & ſcelerate à populo Iſraël deceptus erat. Cur enim manifeſtos hoſtes ſinit inultos eſſe, & in aſſerenda ſua gloria ad tempus ceſſat, niſi quod rebelli & immorigero populo illos opponit, à quibus ſubigatur? Quid ſibi velit verbum כחש, alibi diximus. Subindicat autem Propheta, non aliam cum reprobis ſperandam eſſe pacem, niſi quatenus eorum rabiem conſtringit Deus occultis catenis, ſicuti leo ferrea cavea incluſus, manet ſemper leo, ſed cohibetur ne laniet ac diſcerpat qui quinque tantum vel ſex pedibus ab eo diſtant: ſic impii, licet in noſtram perniciem inhient, exequi tamen quod cuperent nequeunt: imo eorum ferociam humiliat Deus, ut manſuetudinem ſimulent. Summa eſt, culpa Iſraëlitarum fieri ut prævaleant contra eos hoſtes, & petulanter inſultent, qui filiis Dei morigeris & obſequentibus ſupplices erant futuri. *Tempus* quoque *perpetuum* ad promiſſiones referri debet, ſicuti copia tritici & mellis ad ſatietatem uſque: teſtatus enim fuerat Deus ſe fore illis protectorem & cuſtodem ad finem uſque. Mutatio igitur tam ſubita quæ contigerat, odioſe illis objicitur, quod data opera ſuam felicitatem protinus abjecerint. Idem & de terræ fertilitate dicendum. Qui fit enim ut eſuriant in ea terra ubi Deus tritici & mellis abundantiam illis pollicitus fuerat, niſi quia Dei benedictio eorum culpa exaruit? *Adipem frumenti* metaphorice vocat ſimilaginem, niſi quis pro optimo tritico accipere malit. *Mel ex petra* quidam hyperbolice accipiunt: acſi dictum foret, potius mel fluxiſſet ex ipſis rupibus, quam non ſaturaſſet Deus hunc populum. Sed quum appareat ex Sacra hiſtoria, mel in cavis rupibus paſſim fuiſſe repertum quamdiu florebat Dei benedictio, ſimplex ſenſus eſt, tenorem gratiæ Dei continuum & æquabilem futurum fuiſſe, niſi malitia & ſceleribus populi abruptus eſſet.

ARGUMENTUM PSALMI LXXXII.

Quia Reges & quicunque poteſtate præditi ſunt, immenſam ſibi licentiam, faſtu excæcati, ut plurimum indulgent: denunciat reddendam eſſe rationem ſummo Judici qui omnem mundi celſitudinem ſupereminet. Poſtquam autem officii & conditionis ſuæ eos admonuit, ſurdis ſe videns canere, Deum vindicem implorat.

PSALM. LXXXII.

PSalmus Aſaph. Deus ſedet in cœtu Dei, in medio * deorum judicabit.	1 מזמור לאסף אלהים נצב בעדת אל בקרב אלהים ישפט׃
2. Uſquequo judicabitis iniquitatem, & facies impiorum ſumetis? Selah.	2 עד מתי תשפטו עול ופני רשעים תשאו סלה׃
3. Judicate pauperem & pupillum, inopem & egenum juſtificate.	3 שפטו דל ויתום עני ורש הצדיקו׃
4. Eripite pauperem & afflictum, è manu impiorum liberate.	4 פלטו דל ואביון מיד רשעים הצילו׃

* vel, deos.

DEus ſedet in cœtu Dei.] Hoc valde indignum eſt, quum certos homines velit Deus humano generi præeſſe in commune bonum, eos non agnoſcere in quem finem excellant, neque etiam cujus beneficio locati ſint in tam excelſo gradu, ſed contempta omni æquitate, libidinoſe dominari. Suo enim ſplendore hebetantur ut totum orbem ſibi natum eſſe putent. Adde quod ſuæ altitudini minime conſentaneum eſſe ducunt, regi moderatis conſiliis: & quum jam ſua dementi plus æquo inſaniant, quærunt tamen adulatores qui blandiantur & applaudant eorum vitiis. Hanc ſuperbiam ut corrigat Propheta, principio negat ſic occupari ſolia & tribunalia ab hominibus quin Deus retineat ſummum gradum: ſicut etiam voluit Deus profani & impuri Poëtæ ore hoc eſſe teſtatum, Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipſos imperium eſt Jovis, Clari Giganteo triumpho, Cuncta ſupercilio moventis. Ergo ne plus æquo ſibi arrogent mundi proceres, Propheta hic Deo ſolium erigit unde omnes judicet, ac cogat in ordinem. quod valde neceſſarium eſt. Etſi enim regnare ſe fateantur per Dei gratiam, & ceremoniis Deum colunt: infatuat tamen eos ſua magnitudo, ut falſa imaginatione Deum à cœtu ſuo procul expellant. neque enim rationi & legibus ſubeſſe ſuſtinent. Hanc veſaniam, qua faſcinati ſunt mundi Principes, ridere, conſilium Prophetæ fuit: quod Deo locum in cœtu ſuo non relinquunt. Et quo melius refellat ebriam confidentiam qua inebriati ſunt mundi Principes, ordinem politicum appellat *cœtum Dei*: quia utcunque refulgeat ejus gloria in ſingulis mundi partibus, præcipuum tamen lumen hac in parte emittit, dum legitima gubernatio inter mor-

mortales viget. Tritum quidem Hebræis eſſe fateor, quicquid eximium eſt ornare Dei epitheto: ſed videtur hic pro circumſtantia loci, Principum ordinem Divinum vocare Propheta, in quo reſplendet peculiaris Dei majeſtas: ſicuti conjugium
Prov. 2. appellat Solomo pactum Dei, quod polleat ſingu-
verſ. 17. lari quadam ſanctitate. In ſecundo membro parum intereſt quo ad ſummam rei, legamuſne in medio deorum: an, judicat deos in medio: niſi quod melius fluit contextus prior, Quantumvis ſe extollant mundi proceres, non tamen imminuere jus Dei quominus primatum inter ipſos teneat, ſibique gubernationem aſſerat. Cæterum hic nomen *Deorum*, ſicuti paulo poſt, & aliis locis, pro Judicibus ſumitur, quibus ſpecialem gloriæ notam inſculpſit Deus. Nam ad Angelos trahere, frigidum eſt commentum.

2. *Uſquequo judicabitis.*] Multi exiſtimant deſcribi judicii modum: ſed mihi potius videtur Propheta, ut objurgationi viam pararet, ita præfatus eſſe, Quamvis capita Reges attollant ſupra nubes, vivere tamen ipſos quoque hac lege, ut regantur ſub Dei manu: ideoque ſua ferocia temere luctari, ne rationi cedant. Etſi enim deterrimi ſunt tyranni, ſceleſtoque ſacrilegio occupant locum illum, ſiquis tamen Dei ſervus contra ipſos hiſcere audeat, quaſi fieret ipſis magna injuria, obtendunt ſacrum Dei nomen. Ita dum ſe fingunt communi lege exemptos, ac ſolutos, doctrinam ejuſque miniſtros ablegant ad plebem. Denique nullum eſſe imperium putant niſi ubi exultat effrenis libido. Atqui principio hoc poſito, Deum inter ipſos gubernare, jam patefactus eſt aliquis doctrinæ aditus. Ergo Propheta ubi ſibi auctoritatem peperit, libere invehitur in Principes, & craſſiſſimum vitium caſtigat, dum ſe venales injuſtis pauperum vexatoribus proſtituunt, & mercede redempti pervertunt omnem æquitatem. *Impios* autem diſerte exprimit, quia probi homines nunquam ſtudebunt corrumpere judicia. Adhæc furor quidam diabolicus proceres mundi dementat, ut plus improbis ultro deferant, quam innoxiis & ſimplicibus. Fingamus impios ceſſare, neque adulatione, neque fraudibus, neque pecunia, neque alio artificio ſibi acquirere favorem, qui tamen dominantur, ut plurimum in malam partem magis propenſi erunt. Hæc ratio eſt cur exprobret Propheta impios plus reperire favoris, quam bonos & integros.

3. *Judicate.*] Breviter admonet Propheta quibus documentis probare conveniat juſtum & moderatum imperium: nempe ſi jus ſuum miſeris & afflictis tribuant. Eſt quidem in verbis ſynecdoche, quia certum eſt obſtrictam eſſe omnibus eorum fidem: ſed non abs re dicit Propheta miſeris hominibus & oppreſſis datos eſſe patronos, quia & alieno auxilio indigent, nec alibi reperient quam ubi avaritia, ambitio, aliæque corruptelæ ceſſant. Ideo autem gladium geſtant Judices ad improbos cohibendos, ne in furioſa hominum intemperie vis prævaleat: & quo quiſque potentior eſt, eo audacior ſit ad premendos infirmos. Itaque raro confugiunt divites ad opem Magiſtratuum, niſi forte dum inter ſe litigant. Nunc tenemus cur pauperes & egenos præcipue commendet Propheta: quia non ſecus ac medicis ægroti, Magiſtratuum præſidio indigent qui divitum ſævitiæ & injuriis ſunt obnoxii. Hoc ſi Regibus & aliis Judicibus ſolide perſuaſum eſſet, ſe tutores pauperibus eſſe datos, ut ſe injuriis opponant, compeſcantque omnem injuſtam violentiam, vigeret ubique ſumma rectitudo. Nam quiſquis pauperes tueri dignabitur, non flectetur huc illuc gratia, ſed quod juſtum eſt, tantum reſpiciet. Hoc etiam colligimus ex Prophetæ verbis, Quamvis nemo flagitet opem Principum, ignaviæ tamen coram Deo damnari, niſi ſponte ſuccurrant. Falſo enim colorem prætendunt, ubi manifeſte graſſatur iniquitas, gemitus & querimoniæ paſſim reſonant, ſe mederi non poſſe malis donec rogati fuerint. Quia igitur per ſe ſatis clamat oppreſſio, ſi Judex in alta ſpecula ſedens connivet, diſſimulationem hanc impune non ceſſuram Propheta denunciat.

5. **Non cognoſcunt, neque intelligunt, in tenebris ambulant, *quamvis* moveantur omnia fundamenta terræ.**

6. **Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi vos omnes.**

7. **Certe ſicut homo, moriemini: & ſicut quilibet, Principes cadetis.**

8. **Surge Deus judica terram, quia tu hæreditabis in cunctis Gentibus.**

5 לא ידעו ולא יבינו בחשכה
יתהלכו ימוטו כל מוסדי ארץ:
6 אני אמרתי אלהים אתם ובני
עליון כלכם:
7 אכן כאדם תמותון וכאחד
השרים תפלו:
8 קומה אלהים שפטה הארץ כי
אתה תנחל בכל הגוים:

5. *Non cognoſcunt.*] Poſtquam officii admonuit Principes, conqueritur ſe nihil proficere, quia ſtupidi ſunt, nec admittunt ſanam doctrinam: imo, ut concutiatur totus orbis, ſecuri manent in ſua ſocordia. Nam hinc maxime coarguit & urget eorum dementiam, quod, ſi videant cælum terræ miſceri, non tamen moveantur, acſi nulla eos tangeret cura generis humani, cujus tamen ſpecialiter delecti ſunt cuſtodes. Dixi autem paulo ante, quid maxime eos privet intelligentia, quia ſcilicet cæcutiunt in ſuo fulgore: & quum ferociter excutiant omne jugum, nulla religio ad modeſtiam eos flectit. Nam hoc ſanæ mentis & prudentiæ initium eſt, tribuere Deo ſuum honorem, ut nos Verbi ſui freno contineat. Poſtremum hoc membrum, *moveantur fundamenta terræ*, plerique fere omnes alio torquent, acſi inter mundi calamitates hanc eſſe maximam diceret Propheta, ubi Principes officio non funguntur: quia ſtatus terræ, hoc eſt hominum conditio, huic fundamento innititur, ſi juſtitia vigeat. Senſus ergo eſt ſecundum eos, labefactari orbem injuſta Principum tyrannide. Ego, quanquam ſenſum hunc non refello, potius tamen arbitror, ut jam attigi, damnari prodigioſum ſtuporem in Judicibus, qui rebus horrendum in modum confuſis & ipſa terræ concuſſione non moventur.

6. *Ego dixi.*] Conceſſio eſt, qua tamen oſtendit Propheta, nihil perverſis Judicibus præſidii fore in ſacra perſona quam illis Deus impoſuit. Quanquam autem non inducit eos loquentes, tantundem valet hæc exceptio acſi dixiſſet, Si clypei loco objicitis veſtram dignitatem, nihil vobis proderit hæc gloriatio: imo vos deluditis ſtulta confidentia, quia Deus vos ſibi vicarios conſtituens, ſe proprio imperio non ſpoliavit. Deinde voluit fragilitatis veſtræ eſſe memores, ut ſollicite & cum timore munus vobis injunctum exequamini. Poteſt hoc etiam accipi in Dei perſona, quod una cum principatu nomen illis ſuum detulerit. Ac videtur hoc congruere cum Chriſti dicto: vocari Deos ad quos Dei ſermo Joan. 10.
factus eſt. Commode tamen etiam verti poteſt, verſ. 34.
Fateor vos eſſe Deos, & filios Excelſi. In re ipſa

parum

parum eſt diſcriminis, quia hoc tantum vult Propheta, non excuſari honoris prætextu Judices, ut ſcelerum pœnam effugiant: quia hac lege præfecti ſunt mundo ut olim ipſi quoque rationis reddendæ cauſa ad tribunal cæleſte compareant: ideoque nonniſi temporali dignitate eſſe prædítos, quæ una cum mundi figura effluet. Quo ſenſu continuo poſt addit, *Atqui ſicut homines moriemini.* Acſi diceret, quum inſtructi ſint poteſtate ad regendum mundum, non exuiſſe tamen naturam ut mortales eſſe deſinerent. Poſterior pars verſus male ab aliis vertitur, meo judicio, Quaſi unus Principum cadetis. Putant autem illis denunciari violentam mortem: ſicut ille dicit, Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci Deſcendunt Reges, & ſicca morte tyranni. Sed quia illud coactum eſt ac remotum, non dubito Principes obſcuris & gregariis hominibus conferri. Unus enim, quemlibet è vulgo ſignificat. Itaque licet homines ſe eſſe obliti, fallaci perpetuitatis confidentia ſe inebrient, ad promiſcuam mortem trahendos eſſe dicit. Chriſtus calumniam refutare volens qua eum gravabant Phariſæi, teſti-
Joan. 10. verſ. 35. monio hoc uſus eſt, Si vocat (inquit) Scriptura Deos ad quos Dei mandatum pervenit, annon longe dignior eſt hoc titulo quem Pater ſignavit Deus? Cæterum his verbis non ſe conſtituit in ordine Judicum, ſed ratiocinatur à minori ad majus: Si transfertur Dei nomen ad ejus officiarios, (ut vocant,) longe magis competere in Filium unigenitum, qui Patris perſonam ſuſtinet, in quo relucet ejus majeſtas, totaque Deitatis plenitudo habitat.

8. *Surge Deus.*] Cur Pſalmus hic precatione claudatur, initio dixi. Propheta enim ſe nihil proficere videns monendo, & objurgando, quia Principes ſuperbia inflati omnem æquitatis doctrinam reſpuunt: ſe ad Deum convertit, & compeſcendæ eorum inſolentiæ vindicem implorat. Hoc autem modo Spiritus ſanctus ſolatium nobis præſcribit, quoties libidinoſe nos vexant tyranni. Etſi enim nullum in terris frenum cohibendæ eorum licentiæ occurrit, ſuſpicere tamen in cælum convenit, atque inde remedium petere: quia non fruſtra Deus partes judicandi orbis ſibi vendicat. Ideoque rogandus eſt ut res confuſas ad rationem legitimam componat. Quæ mox ſequitur ratio, quibuſdam videtur eſſe vaticinium de regno Chriſti, quo Deus cunctas gentes ſub poteſtatem ſuam redegit. Ego autem latius extendo: Deo in cunctis gentibus obedientiam jure deberi, juſque dominandi perperam & injuſte ei eripi à tyrannis, dum poſthabito ejus mandato, fas & nefas permiſcent. Itaque rogandus eſt ut mundum rite ordinando, imperium ſuum recuperet.

ARGUMENTUM PSALMI LXXXIII.

Implorat Dei opem Propheta contra Eccleſiæ hoſtes: atque ut facilius impetret, commemorat quam multæ gentes ſimul conſpiraverint, & quidem eo conſilio, ut deleto populo Iſraël, Eccleſiæ Dei nomen extinguant. Interim, ut ſe & alios majore fiducia ad ſtudium precandi ſtimulet: propoſitis in medium pluribus exemplis, quam potenter ſolitus ſit Deus ſervis ſuis opitulari oſtendit.

PSALM. LXXXIII.

CAnticum Pſalmus Aſaph.	1 שיר מזמור לאסף:
2. Deus ne taceas apud te, ne ſileas & ne quieſcas Deus:	2 אלהים אל דמי לך אל תחרש ואל תשקוט אל:
3. Quia ecce inimici tui tumultuantur, & qui te oderunt extulerunt caput.	3 כי הנה אויביך יהמיון ומשנאיך נשאו ראש:
4. Super populum tuum callide excogitarunt conſilium, & conſultaverunt adverſus abſconditos tuos.	4 על עמך יערימו סוד ויתיעצו על צפוניך:
5. Dixerunt, Venite & excidamus eos à gente, & ne ſit in memoria nomen Iſraël amplius.	5 אמרו לכו ונכחידם מגוי ולא יזכר שם ישראל עוד:

DEus ne taceas.] Quod multorum conſenſu receptum eſt, Pſalmum hunc compoſitum fuiſſe tempore Regis Joſaphat, mihi etiam probatur: quia ſcimus quantam pius ille Rex belli molem ſuſtinuerit contra multiplices hoſtium copias. Quanquam enim præcipui belli auctores erant Ammonitæ & Moabitæ, ſubſidia tamen contraxerant non modo ex Syria, ſed etiam ex longinquis regionibus, quæ multitudine fere obruerant totam Judæam. Quoniam ergo hic refertur longus hoſtium catalogus, qui inter ſe conſpiraverant ad perdendum Dei populum, probabilis eſt conjectura, Pſalmum tunc fuiſſe dictatum. nam & Sacra hiſtoria refert unam ex Levitis pollicitum fuiſſe Regi victoriam ſpiritu Prophetico, & Levitas cecíniſſe coram Domino. Quia autem fieri non potuit quin totus populus cum ſancto Rege in tantis periculis magnopere eſſet anxius, plena vehementiæ & ſollicitudinis hic continetur precatio. Atque huc ſpectat repetitio quæ occurrit ſtatim in primo verſu, *ne taceas apud te, ne ſileas, ne quieſcas.* acſi dicerent fideles, ſi auxiliari ſibi velit Deus, nunquam id tempeſtive facturum niſi celeriter feſtinet. Quanquam autem noſtrum eſt patienter quieſcere, ſiquando Deus auxilium ſuum differat, infirmitati tamen noſtræ concedit feſtinationem hanc optare. Ubi verti, ne ſileas apud te, ad verbum eſt, ne ſileas tibi, quod periphraſtice reſolvunt quidam, ne taceas in propria cauſa: quod tanquam nimis argutum omiſi. Tantundem vero loquutio hæc valet acſi dictum eſſet, ne te intus contineas. Poteſt autem eſſe ſupervacua particula, ſicut aliis pluribus locis.

3. *Quia ecce inimici.*] Hic neceſſitas exprimitur, quod tam vi & impetu hoſtium, quam aſtutis conſiliis premantur fideles, ut nullum mortis effugium pateat. *Tumultuari & efferre caput* dicens, intelligit fretos ſua potentia inſolenter ſe gerere. Sicuti autem talis ferocia pios animos valde labefactat, ita unica levatio eſt, de ipſa apud Deum conqueri, cujus perpetuum munus eſt ſuperbos compeſcere. Ideoque ſancti, ut plurimum, ubi Dei ſuppetias implorant, objicere ſolent hoſtium ſuorum protervíam. Ac notandum eſt, vocari Dei hoſtes quicunque Eccleſiam infeſtant: quia hæc non vulgaris fiduciæ materia eſt, communes nobiſcum Deo hoſtes eſſe. Hoc autem ex gratuito ejus pacto manat, quo pollicitus eſt ſe fore adverſarium omnibus hoſtibus noſtris: & merito, quia ex quo nos amplexus eſt in ſuam tutelam, oppugnari non poteſt ſalus noſtra, quin ſimul violetur ejus majeſtas. Interea pax nobis cum omnibus colenda eſt quoad licebit: ſtudendumque probitati, ut ſecure coram Deo gloriari liceat injuriam nobis fieri quum præter meritum laceſſimur. Jam utcunque ad ſuperbiam & violentos impetus

petus hoſtium accedat etiam hoſtium calliditas, danda eſt tamen ſua Deo gloria: ut ejus ſubſidio contriti ſimus. Sicuti enim frangere ſolet ſuperbos qui rabiem ſuam deſpumant, ita etiam aſtutos deprehendere in ſua aſtutia. Porro ne hoſtium inſidiis & captionibus putemus nos eſſe expoſitos, opportune ſuggerit nobis Propheta plenum conſolationis & ſpei epitheton, vocans nos Dei *abſconditos*. Nam quod quidam in contrariam partem trahunt, quia non appareat Dei auxilium quo protegimur, ſicuti alibi vita fidelium vocatur abſcondita: nimis coactum eſt, & prorſus remotum tam à mente quam à verbis Prophetæ. Simpliciter enim docet latere nos ſub umbra alarum Dei. quia etſi videmur patere & obnoxii eſſe impiorum libidini, occulta Dei virtute ſervamur. Ideoque alibi dicitur, Abſcondes me in abdito tabernaculi tui. Simul tamen notandum eſt, non alios occultari ſub Dei cuſtodia, niſi qui ſuis viribus diffiſi, trepidi ad Deum confugiunt. nam qui perſuaſi ſe ad reſiſtendum pares fore, audacter concurrunt, & quaſi metu ſoluti laſciviunt, tandem dabunt nuditatis ſuæ pœnas. Ideoque nihil tutius eſt quam ſub Dei umbra deliteſcere, dum propriæ imbecillitatis conſcii, ſalutem noſtram in ejus ſinum conjicimus.

Coloſſ. 3. verſ. 3.

Pſal. 27. verſ. 5.

5. *Dixerunt, Venite & excidamus eos à gente.*] Augetur hac circumſtantia indignitas, quod in animo habuerint impii Eccleſiam radicitus excidere. Poteſt quidem hoc reſtringi ad Ammonitas & Moabitas, qui flabella fuerunt aliis excitandis. Sed quia eorum impulſu Agareni, Syrii, & reliqui non diſſimili odio & furore perciti ad perdendum Dei populum arma ſumpſerunt, commode hanc vocem omnibus tribuemus, quia ſcilicet inita pactione certatim irruerint, aliique alios hortati ſint ad delendum regnum Juda. Cauſa autem tam crudelis odii præcipua fuit, quod Satan Dei Eccleſiam extinguere ſemper conatus eſt: ideoque ſuos omnes ad furorem impellere non deſtitit. *Excidere à gente* ſignificat funditus eradicare, ne ſit amplius gens aut populus. quod clarius patet ex ſecundo membro, *ne memoretur poſthac nomen Iſraël.* Atque hac circumſtantia valuit ad provocandam Dei miſericordiam, quod bellum hoc non ſit ſuſceptum communi more, ut victi & ſubacti venirent in hoſtium poteſtatem, ſed ad ultimum uſque exitium progreſſa ſit ſævitia. perinde autem fuit acſi conati eſſent evertere Dei conſilium in quo fundata eſt Eccleſiæ perpetuitas.

6. Quia conſultaverunt corde ſimul, adverſus te fœdus pepigerunt	6 כִּי נוֹעֲצוּ לֵב יַחְדָּו עָלֶיךָ בְּרִית יִכְרֹתוּ׃
7. Tabernacula Edom, & Iſmaëlitæ, Moab & Hagareni,	7 אָהֳלֵי אֱדוֹם וְיִשְׁמְעֵאלִים מוֹאָב וְהַגְרִים׃
8. Gebal, & Ammon, & Amalec, Philiſthiim cum habitatoribus Tyri.	8 גְּבָל וְעַמּוֹן וַעֲמָלֵק פְּלֶשֶׁת עִם יֹשְׁבֵי צוֹר׃
9. Etiam Aſſur ſociatus eſt illis: fuerunt brachium filiis Loth. Selah.	9 גַּם אַשּׁוּר נִלְוָה עִמָּם הָיוּ זְרוֹעַ לִבְנֵי לוֹט סֶלָה׃

6. *Quia conſultaverunt.*] Hic multiplices copias recenſet, quæ junctis viribus machinabantur Eccleſiæ Dei ruinam. Quum ergo tam valida factione incumberent multæ gentes in perniciem infirmi regni, neceſſe fuit mature ſublevari admirabili Dei auxilio, quibus nulla ad ſe tuendos facultas erat. Et tamen in ſimili deſperatione erupit ſancto Regi Aſa vox illa vere heroica, Non eſt difficile Deo ſuccurrere ſive adverſus magnum, ſive exiguum exercitum: nec impediet noſtra paucitas, quominus ab ingenti multitudine nos eripiat. Idem ſcilicet Spiritus qui invicta illa fortitudine inſtruxit pium Regem, Pſalmum hunc toti Eccleſiæ dictavit, ut ſe intrepide ad opem Dei conferret: Ac hodie quoque nobis verba præit ne Dei invocationi januam præcludat ullum diſcrimen. Nam ut in nos conſpiret totus mundus, murus hic aheneus oppoſitus eſt ad defenſionem regni Chriſti, Utquid tumultuantur Gentes, &c. Nec vero mediocriter nobis prodeſt, in hoc exemplo quaſi in ſpeculo, cernere quid ab initio Eccleſiæ Dei contigerit, ne hodie nos eadem vel ſimilis conditio nimium percellat, dum totus mundus nobis eſt infeſtus. Videmus enim ut diabolico furore totum orbem in nos inflammet Papa. Itaque quocunque vertamus oculos, totidem infeſti ad nos delendos exercitus occurrent. ſed ubi ſtatuerimus, nihil nobis accidere novi, veteri Eccleſiæ fato confirmabimur ad tolerantiam, donec virtutem ſuam repente Deus exerat, quæ ſola ad diſſipandos omnes mundi conatus ſufficiet. Porro ne ambigerent fideles an ſibi paratum eſſet è cælo auxilium, clare affirmat Propheta, bellum cum Deo ſuſcipere quicunque Eccleſiam infeſtant, quæ ſuſtinetur ejus patrocinio. Scimus enim qua lege pronunciet ſe nobis fore auxiliatorem, Qui tangit vos, (inquit) tangit pupillam oculi mei. Et quod dictum fuit alio Pſalmo de Patriarchis, ad omnes fideles extenditur, Ne tangatis chriſtos meos: & ne ſitis moleſti Prophetis meis. Nam unctionem qua nos ſignavit, vult eſſe clypei loco, qui nos ſalvos & incolumes præſtet. Quanquam igitur non intulerant ex profeſſo bellum Deo qui hic numerantur populi: quia tamen ubi Deus injuſte ſuos impeti videt, medium ſe conſtituit ad ſuſtinendos inſultus: merito dicit Propheta, omnes illos fœdus pepigiſſe contra Deum. Sicuti hodie Papiſtæ quum de nobis perdendis conſilia agitant, ſi quis roget an fortiores Deo ſint futuri, protinus excipient, ſibi non eſſe in animo Gigantum more cælum invadere. ſed quia pronunciat Deus, quoties injuſte lædimur, ſe quoque violari: ex fidei ſpecula longe nos proſpicere convenit quod ipſi tandem effectu ipſo ſentient. *Conſultare corde*, quidam exponunt, ſtrenue & magno ſtudio deliberare. ſicuti Fieri ex animo dicimus quod fit ſerio ardentique affectu. Sed potius hac voce reconditos aſtus notare voluit Propheta de quibus paulo ante conqueſtus eſt. *Tentoria Edom* quidam interpretes ad bellicum apparatum referunt, acſi diceret Propheta, veniſſe bene inſtructos cum tentoriis ad protrahendum bellum: ſed videtur potius alludere ad gentium illarum morem, quia ſub tabernaculis degebant. Quanquam hyperbolica eſt loquutio: acſi diceret, tuguria illorum ſuis locis fuiſſe evulſa, tanta erat bellandi cupiditas. De ſingulis autem gentibus curioſe non diſſero, quia major pars frequenti Scripturæ uſu ſatis nota eſt. Quod autem dicit *Aſſur* cum aliis *fuiſſe brachium filiis Loth*, hinc certe non parum augetur indignitas. Nefariæ crudelitatis fuiſſet, cæteris Gentibus ſuppetias ferre contra ſuos cognatos: nunc quum claſſicum primi canunt, & ultro acceſſunt Aſſyrios & reliquos, perdendis ſuis fratribus, nonne merito deteſtabilis eſt tam barbara feritas? Nam ut Joſephus ipſe commemorat, ſine noxa & maleficio per eorum fines tranſierant Iſraëlitæ: quia Dei mandato ſanguini ſuo pepercerant. Quum ergo viderent Mo-

2 Par. 14. verſ. 11.

Pſal. 2. verſ. 1.

Zach. 2. verſ. 8.

Pſal. 105. verſ. 15.

Moabitæ & Ammonitæ vigere apud fratres ſuos ſanguinis memoriam, nonne mutuo etiam colenda ipſis erat humanitas, ne quid hoſtile tentarent? ſed hoc quoque Eccleſiæ quaſi fatale eſt, non modo ab externis hoſtibus impeti, ſed plus moleſtiarum ab adulterinis fratribus ſufferre. Sicuti hodie nulli importunius in nos inſaniunt quam degeneres Chriſtiani.

10. Fac illis ſicut Madianitis, ſicut Siſaræ, ſicut Jabin, in torrente Ciſon:

10 עשה להם כמדין כסיסרא כיבין בנחל קשון:

11. Perierunt in Endor: fuerunt ſtercus terræ.

11 נשמדו בעין דאר היו דמן לארמה:

12. Pone eos, Principes eorum ſicut Oreb, & ſicuti Zeb, & ſicuti Zeba, & ſicuti Salmuna, omnes Principes eorum:

12 שיתמו נדיבמו כערב וכזאב וכזבח וכצלמנע כל נסיכמו:

13. Qui dixerunt, Hæreditate poſſideamus nobis habitacula Dei.

13 אשר אמרו נירשה לנו את נאות אלהים:

10. *Fac illis.*] Poſtquam de graviſſimis ſuis oppreſſionibus conqueſti ſunt fideles, quo propenſior eſſet Deus ad opem ferendam, nunc in memoriam revocant quam ſæpe deſperatis populi ſui rebus remedium attulerit. Unde colligere promptum fuit, Deum conſulto auxilium ſuum differre, dum premuntur ejus ſervi, ut mirabiliter in ultima neceſſitate perditis ſuccurrat. Duas autem hiſtorias miſcet Propheta, quia debuit uno contextu proſequi, *Fac illis ſicut Madianitis in torrente Ciſon.* Inſerit autem cladem Jabin & Siſaræ: ſed in diſtinctione non multum fuit momenti; quia ſatis habebat ſibi & reliquis fidelibus ſuggerere quæ Deus olim in liberando populo ſæpius ediderat miracula. Summa enim huc tendit, Deum, qui toties profligatis hoſtibus, pavidas oves ſuas è faucibus luporum eripuit, non deſtitui nunc eadem virtute. Scimus quam mirifice
Judic. 6. populo per manum Gedeonis opitulatus ſit. Videri enim potuit merum ludibrium, quod cum validiſſimo exercitu congredi auſus fuerit Gedeon, non niſi trecentos milites ſecum ducens, præſertim qui ſervitio aſſueti, ſolo dominatorum aſpectu terreri poterant. Atqui factum eſt ut Madianitæ mutuis vulneribus conciderent. Eadem Dei gratia in cæde
Judic. 4. Siſaræ & Regis Jabin refulſit. nam auſpiciis mulieris ambo ſunt profligati à Barach, qui ingentibus eorum copiis exiguam manum opponere auſus eſt. Dux etiam ipſe Siſara non fortiter in prælio occubuit, ſed quum in latebras fugiſſet, muliebri manu percuſſus eſt. Ergo ne fideles terrore occupati deſperent, tempeſtive ſibi objiciunt hæc liberationis exempla, quibus teſtatus fuerat Deus ſatis in ſe uno reſidere potentiæ ad ſuos tuendos, quoties humanis opibus deſtituti, ad eum confugerent. Porro ex illo incredibili & inſolito modo liberationum, colligebant Deum mirificum eſſe artificem in Eccleſia ſua ſervanda, ut in ſolo ejus flatu, confiderent ſibi eſſe ſatis præſidii ad hoſtes ſternendos. Neque hoc tantum loco refertur in hunc finem Madianitarum ſtra-
ges, ſed Jeſaias etiam eadem ratione futuram Ec- Jeſa. 9.
cleſiæ reſtitutionem confirmat. Quod dicit *fuiſſe* verſ. 4.
ſtercus terræ, bifariam exponitur, vel quod in terra putrefacti ſint, vel calcati ſint inſtar ſterquilinii. atque hic poſterior ſenſus melius quadrat, licet priorem non repudiem. Cur dicat *periiſſe in Endor*, non ſatis liquet. Legitur hoc nomen Joſuæ cap. 17. verſ. 11. Et probabile eſt illic deletum fuiſſe exercitum Regis Jabin. Quod enim appellative quidam accipiunt Endor, quaſi dictum eſſet palam & oculari ſtrage, mihi non placet.

13. *Qui dixerunt.*] Iterum accuſat profanos homines ſacrilegii, quod prædatoria licentia involent in ipſam Dei hæreditatem. Certum quidem eſt, non hoc verbis præ ſe tuliſſe, ſed quum Deum ſpernerent, quem ſciebant coli in populo Iſraël, merito hoc crimine eos onerat, quod Deum hæreditate ſua ſpoliare conati ſint. Nec vero dubium eſt quin conviciis exagitaverint verum Deum, ut ſuis figmentis inebriati, ſacrum ejus nomen pro nihilo ducebant. Atque ut abſtinuerint à craſſis blaſphemiis, quicquid tamen moleſtiæ infertur piis, redundat in Dei contumeliam, qui in ſuam clientelam eos recepit. Subeſt etiam huic loquendi formæ non parva conſolatio, dum Judæam Propheta nuncupat *habitacula Dei*: quia hac lege ſe nobis conjunxit ut perpetuam quietem & domicilium inter nos habeat: imo non ſecus charam & pretioſam habeat Eccleſiam, quam paterfamilias optimas poſſeſſiones.

14. Deus mi pone eos tanquam globum, tanquam ſtipulam coram vento.

14 אלהי שיתמו כגלגל כקש לפני רוח:

15. Sicut ignis inflammat ſylvam, & ſicut flamma accendit montes,

15 כאש תבער יער וכלהבה תלהט הרים:

16. Sic perſequaris eos in tempeſtate tua, & turbine tuo terreas eos.

16 כן תרדפם בסערך ובסופתך תבהלם:

17. Imple facies eorum ignominia, ut quærant nomen tuum Jehova.

17 מלא פניהם קלון ויבקשו שמך יהוה:

18. Pudefiant & terreantur uſque & uſque, & confundantur & pereant:

18 יבשו ויבהלו עדי עד ויחפרו ויאבדו:

19. Et ſciant quod tu ſis nomen tuum Jehovah, ſolus tu excelſus ſuper omnem terram.

19 וידעו כי אתה שמך יהוה לבדך עליון על כל הארץ:

14. *Deus mi.*] Quia intolerabilis eſt impiorum ſuperbia dum ad perdendam Eccleſiam ſe accingunt, rogat Deum Propheta ut eos pudefaciat, quando aliter corrigi eorum inſolentia nequit, donec confuſi & turpiter fruſtrati jaceant. Quod hoc modo futurum Propheta dicit *ut quærant nomen Dei*, de vera converſione, meo judicio, intelligi non debet. Primus quidem, fateor, hic gradus eſt ad reſipiſcendum, ubi homines flagellis humiliati, ultro ſe demittunt: ſed Propheta ſimpliciter coactam & ſervilem ſubjectionem

nem notat, qualis fuit Pharaonis. ſæpe enim contingit, impios malis ſubactos dare gloriam Deo ad momentum. Sed quia paulo poſt phrenetica rurſus amentia feruntur, hinc ſatis detegitur hypocriſis, ſeque prodit quæ in eorum cordibus latebat ferocia. Vult ergo plagis impios cogi ut inviti Deum agnoſcant: ut ſaltem eorum furor qui ex impunitate prorumpit, conſtrictus ac incluſus teneatur. Idque melius apparet ex proximo verſu, ubi palam æternum illis interitum precatur. quod minime quadraret ſi daretur pœnitentiæ locus. Nec abs re tot voces accumulat Propheta, partim quia, ut ſunt indomabiles reprobi, quamvis ſæpius caſtigati ſint, colligunt tamen ſubinde novas vires, & novos ſpiritus: partim quia nihil apud nos perſuaſu magis eſt difficile, quam brevi perituros qui læti in ſumma proſperitate exultant. Id autem fit quia non ſatis apprehendimus quam formidabilis maneat Dei vindicta Eccleſiæ oppreſſores.

19. *Et ſciant quod tu.*] Nunc quoque de ſalvifica Dei notitia non agit, ſed quam reprobis extorquet violenta Dei manus. Quanquam non ſimpliciter dicit cognituros aliquem eſſe Deum, ſed ſpeciale ponit notitiæ genus, quod profani homines, quibus antea contemptui fuit vera religio, tandem ſenſuri ſint unicum eſſe Deum illum qui ſe in Lege patefecit & in Judæa colitur. Interim tamen notitiam duntaxat evanidam, radiceque & vivo ſenſu carentem deſignat: quia nec ſerio, nec libenter ſe Deo ſubjiciunt reprobi, qui vel ad fictum obſequium inviti trahuntur: vel, quatenus eos compeſcit, non audent in apertum furorem erumpere. Hæc igitur eſt experimentalis notitia, quæ ad cor uſque non penetrat, ſed vi & neceſſitate exprimitur. Eſt autem emphaticum pronomen אתה, quia ſubeſt comparatio inter Deum Iſraëlis & alios omnes fictitios: acſi dixiſſet Propheta, Domine fac ut ſentiant, quæ ſibi fabricati ſunt idola, nihil eſſe. Et certe quantumvis refugiant lucem Dei contemptores, & nunc ſibi obducant nebulas, nunc ſe immergant profundis tenebris, Deus tamen eos perſequitur, & trahit ad ſui notitiam, quam cuperent ignorantia ſepelire. Quia autem promiſcue & indigne transfert mundus ad ſua figmenta ſacrum Dei nomen, hanc profanationem ſimul corrigit Propheta quum addit, *Nomen tuum Jehovah*: acſi diceret, vere in eum ſolum competere eſſentiam, aut vere eſſe quod dicitur: quia utcunque ejus gloriam dilacerent increduli, ipſe tamen integer manet. Semper tenenda eſt illa quam dixi antitheſis. Nulla enim fuit tam barbara natio quæ non coleret deitatem aliquam: ſed unaquæque regio proprios fingebat ſibi deos. Et quamvis Moabitæ, Idumæi, & reliqui concederent aliquid poteſtatis Deo Iſraël, eam tamen putabant Judææ finibus eſſe incluſam: ſicuti Rex Syriæ vocabat *1 Reg. 20. verſ. 23.*
Deum montium. Præpoſtera hæc gloriæ Dei partitio uno verbo refellitur, ac evertitur quicquid tunc in mundo ſuperſtitionum fuit, quum uni Deo Iſraël tam eſſentia, quam nomen ſuum aſſeritur: quia niſi aboleantur omnia Gentium idola, non obtinebit ſolus Jehovæ nomen: ideoque additur, *Tu ſolus excelſus ſuper terram.* quod diligenter notandum eſt: ſuperſtitioſis enim ut plurimum ſatis eſt, relinquere Deo ſuum nomen, hoc eſt duas vel tres ſyllabas, quum interea virtutem ejus diſcerpant. quaſi vero inani titulo contineatur ejus majeſtas. Sciamus ergo non aliter Deum excellere inter homines, niſi dum imperio ſuo potitur, nec quicquam opponitur ad obſcurandam ejus gloriam.

ARGUMENTUM PSALMI LXXXIV.

Conqueritur ſibi nihil eſſe moleſtius quam arceri à Tabernaculi acceſſu, & à cœtu piorum exulare, in quo Deus invocabatur: & nihil piorum deſiderio obſtare poſſe quominus ad Deum quærendum conſtanter perrumpant. Tandem reſtitui poſtulans, iterum teſtatur pluris ſibi eſſe diem unum agere in Tabernaculo Dei, quam diu vitam prorogare inter incredulos.

PSALM. LXXXIV.

PRæfecto ſuper Githith, filiorum Coræ Pſalmus.	1 למנצח על הגתית לבני קרח מזמור׃
2. Quam dilecta tabernacula tua Jehovah exercituum!	2 מה ידידות משכנותיך יהוה צבאות׃
3. Concupiſcit atque etiam deficit anima mea poſt atria Jehovæ: cor meum & caro mea exultant ad Deum vivum.	3 נכספה וגם כלתה נפשי לחצרות יהוה לבי ובשרי ירננו אל אל חי׃
4. Etiam paſſer invenit ſibi domum, & hirundo nidum ſibi, ubi reponat pullos ſuos, ô altaria tua Jehovah exercituum Rex meus & Deus meus.	4 גם צפור מצאה בית ודרור קן לה אשר שתה אפרחיה את מזבחותיך יהוה צבאות מלכי ואלהי׃
5. Beati qui habitant in domo tua, ſemper laudabunt te. Selah.	5 אשרי יושבי ביתך עוד יהללוך סלה׃

PRæfecto.] Etſi non inſcribitur nomen Davidis, quia tamen argumentum convenit ejus perſonæ, probabile eſt eum fuiſſe auctorem. Nam quod putant quidam à filiis Coræ ejus nomine fuiſſe compoſitum, hac ratione ſatis (ut arbitror) refellitur, quod ætate ſua David Prophetiæ dono magis excelluerit quam ut mandaret partes iſtas Levitis. Una tantum obſtat difficultas, quod meminit montis Sion, ad quem non ante advecta fuit Arca fœderis quam ipſe potitus eſt tranquillo regno. Atqui ab eo tempore ſemel tantum ad breve tempus privatus fuit Arcæ conſpectu, quum filium ſuum fugeret. Verba autem ſonant tunc jactatum fuiſſe per varia & longa exilia. Verum ſi reputamus Davidem longo poſt tempore Pſalmis complexum eſſe quæ ſub Saule perpeſſus fuerat, non mirabimur montem Sion ab eo ſimul nominari. De voce Githith alibi dictum eſt. *Pſal. 8.*

2. *Quam dilecta.*] Conqueritur David ſibi negari in Eccleſia Dei locum ut fidem ſuam profiteatur, proficiat in pietate, ſeque exerceat in Dei cultu. Nam qui Tabernacula Dei regnum cæleſte eſſe volunt, quaſi ingemiſcat ſe hoſpitem eſſe in mundo: non ſatis attendunt ad præſentem ejus neceſſitatem. Sciebat non fruſtra ſacros conventus divinitus fuiſſe præſcriptos, quia talibus adjumentis opus habent fideles quamdiu peregrinantur in mundo. Erat etiam ſibi propriæ infirmitatis conſcius, non ignorans quantum ab Angelica perfectione diſtaret. Quare

non

non immerito deplorat ſe deſtitui mediis illis quorum uſus ſatis notus eſt piis. Nam haud dubie rectum externi ordinis finem ſpectavit: quia ſimilis non erat hypocritis, qui dum ſolennes conventus magna pompa frequentant, licet videantur toti fervere, mera tamen oſtentatione defungi volunt erga Deum. In hoc certe craſſo figmento minime occupatus fuit David, ſed liberum Sanctuarii ingreſſum tantopere optavit, ut ſincere & ſpirituali modo Deum illic coleret. Exclamatio, ardentis affectus ſignum eſt, quem plenius ſecundo verſu explicat. Unde colligimus, nimium eſſe ſtupidos qui ordinem à Deo mandatum, quaſi poſſent proprio marte in cælum conſcendere, ſecure negligunt. Dixi in ſecundo verſu non vulgarem deſiderii ardorem exprimi, quia quum כסף ſignificet vehementer expetere, non contentus hoc verbo, adjungit *animam ſuam deficere poſt atria Dei*: quod tantundem valet atque evaneſcere, quum immodico affectu extra nos rapimur. Atria autem poſuit: quia quum Sacerdos non eſſet, non ultra progredi licuit. Scimus enim Sanctuarium interius ſolis Sacerdotibus fuiſſe apertum. Tandem exprimit deſiderium hoc diffundi uſque ad corpus, quod ſcilicet externo geſtu ſe in ore, oculis & manibus proferret. Dicit autem *ad Deum vivum*, non quod anguſto tentorio incluſus eſſet Deus: ſed quia ſcalis ſibi ſciebat eſſe opus per quas in cælum conſcenderet. viſibile vero Sanctuarium vice ſcalarum eſſe: quia ad cæleſte exemplar pias mentes dirigebat. Et certe quando ad Dei altitudinem nos carnis tarditas aſſurgere non patitur, fruſtra nos ad ſe vocaret, niſi etiam deſcenderet ad nos viciſſim: vel ſaltem interpoſitis mediis, manus quodammodo ad nos ſurſum tollendos extenderet.

4. *Etiam paſſer.*] Verſum hunc quidam uno contextu legunt: acſi diceret Propheta, aves prope altaria nidulari. unde melius apparet quam iniqua ſit ejus conditio qui procul inde prohibetur. Et huic ſententiæ videtur ſuffragari particula את, quæ accuſativo caſui utplurimum jungitur. Sed quia interdum etiam ſervit exclamationibus, non dubito quin Propheta medium orationis curſum abrumpens, exclamet, ſibi conſpectu altaris nihil fore gratius. Primum ergo David paſſeribus ſe & hirundinibus comparans, miſeriam ſuam amplificat: quia indignum eſt ab hæreditate ſibi promiſſa expelli Abrahæ filios, quum aviculæ nidos alicubi reperiant. Quamvis autem nactus quandoque eſſet commodum hoſpitium, imo liceret apud incredulos cum aliqua dignitate manere, viſus tamen eſt ſibi quodammodo exul à toto orbe quamiſper ad Sanctuarium non patebat acceſſus. Nam certe hic nobis eſt vivendi finis ut in Dei cultu exerceamur. Porro quamvis non rite colatur niſi ſpirituali modo, ſubſidiis tamen uti opus eſt quæ non abs re nobis deſtinavit. Hæc ratio eſt cur in hanc vocem erumpat David, *ô altaria tua Domine.* Nam quia objicere promptum erat, multos eſſe angulos in mundo ubi tuto quieſceret, imo multos eſſe hoſpites qui libenter eum exciperent, atque ita ſine cauſa tumultuari: reſpondet, ſe malle toti mundo renunciare, quam privari ſacro Tabernaculo: nullum locum ſibi jucundum eſſe procul à Dei altaribus, imo nullum uſquam domicilium extra terram Sanctam ſibi placere. Atque huc pertinent epitheta quæ Deo tribuit, Rex meus & Deus meus. ſignificat enim moleſtam & acerbam eſſe vitam, quia exulet à regno Dei: acſi diceret, etiamſi me certatim omnes invitent quamdiu à finibus tuis excludor, quum Rex meus ſis, quid me juvaret in mundo agere? jam quum Deus meus ſis, quorſum vivo, niſi ut ad te aſpirem? Ubi autem me rejicis, cur non omnia hoſpitia aſperner quamlibet ſuaviter carni meæ arrideant?

5. *Beati qui habitant.*] Hic clarius definit rectum & legitimum Sanctuarii uſum: atque ita ſe diſcernit ab hypocritis, qui & ipſi ad ceremonias externas ſedulo accurrunt, ſed pietate vacui. Veros autem Dei cultores teſtatur David afferre laudis ſacrificium, quod à fide ſeparari non poteſt. Neque enim ex animo Deum laudabit niſi qui acquieſcens in ejus gratia, ſpirituali pace & gaudio fruitur.

6. Beatus homo cui robur in te, ſemitæ in corde eorum.	6 אשרי אדם עוז לו בך מסלות בלבבם׃
* vel, *mori.* **7. Tranſeuntes in valle * fletus, fontem ponent, etiam ciſternas operiet pluvia.**	7 עברי בעמק הבכא מעין ישיתוהו גם ברכות יעטה מורה׃
† vel, à *turma in turmam.* **8. Venient † è virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion.**	8 ילכו מחיל אל חיל יראה אל אלהים בציון׃

6. *Beatus.*] Iterum docet, Sanctuarium ſe non expetere tantum ut paſcat oculos, ſed ut in fide proficiat. Eſt enim hic non vulgaris profectus, recumbere toto animo in Deum. quod fieri non poteſt niſi dejecto omni faſtu, & animis vere humiliatis. Atqui hanc ſibi quærendi Dei rationem ſtatuit, ut precario mutuetur ab eo virtutem qua ſe deſtitui ſentit. Quod mox ſequitur *ſemitas eſſe in corde ipſorum*, quidam uno contextu ita exponunt, felices eſſe qui viam ſequuntur à Deo præſcriptam: quia nihil magis perniciosum eſt, quam ſapere ex proprio ſenſu. Nec vero fruſtra de Lege pronunciatum eſt, Hæc eſt via, ambulate in ea. (*Jeſa. 30. verſ. 21.*) Verum igitur eſt, perverſis erroribus circumagi homines ubi vel tantillum à verbo Dei deflexerunt. Sed melius hoc reſtringitur ad præſentem circumſtantiam, felices eſſe qui Deum ſibi cupiunt eſſe vitæ moderatorem, ideoque ad eum accedere cupiunt. Neque enim (ut dictum eſt) moratur Deus externas ceremonias, ſed regere vult ac ſibi ſubjicere quos ad Tabernaculum ſuum invitat. Quiſquis ergo didicit quanta ſit felicitas, Deo inniti, ſtudia huc ſua & omnes ſenſus applicabit, ut ad Deum celeriter properet.

7. *Tranſeuntes in valle.*] Intelligit nihil poſſe cordatis ſtrenuiſque Dei cultoribus obſtare quin ad Sanctuarium feſtinent. Atque hac loquendi forma confirmat quod prius dixit, nihil magis eſſe optabile quam exerceri quotidie in Dei cultu: quando nullæ difficultates, nulla obſtacula, piorum deſideria morari poterunt quin alacriter per arida deſerta concurrant ad celebrandos ſacros conventus. Quoniam בכא ſignificat flere, ה vero & א literæ ſunt affines, quarum mutua eſt tranſmutatio, vertunt multi, vallem fletus. Probabilis eſt tamen eorum opinio qui morum vertunt. Quanquam dubium non eſt notari ſteriles & jejunas ſolitudines, per quas moleſtum eſt iter facere: quia ad viaticum nihil eſt magis neceſſarium potu. Piorum ergo conſtantiam probare voluit David, quia aquæ penuria, ob quam deficiunt viatores, non impediet quominus per valles arenoſas ad Deum quærendum properent. Quibus verbis coarguitur eorum ignavia quibus grave eſt quicquam ſubire incommodi dum proficiendum eſt in Dei cultu. Suum otium & deliciæ eos oblectant, itaque modo pedem movere neceſſe non ſit, libenter ſe profitebuntur Dei cultores: ſed liberum doctrinæ & Sacramentorum uſum ne pilo quidem rediment. Videmus quam multos nidis ſuis affixos teneat hæc ſocordia,

cordis, ut nullæ commoditatis fraudari ſe ſuſtineant; etiam ubi ad preces publicas, ad audiendam ſalutis doctrinam, ad ſacra myſteria participanda vocantur: videmus alios dormire, alios operam dare lucro, alios implicitos eſſe profanis negotiis, alios etiam ludere. Unde mirum non eſt, qui procul abſunt, & qui ſine facultatum diſpendio frui nequeunt iſtis ſalutis adminiculis, domi reſides manere. Atqui ne in ſuis lautitiis ſibi placeant, pronunciat David, quibus cordi eſt pietas, & qui ſerio Deum colunt, eos pergere non modo per mollem & lætam viam, ſub umbra, & per delectabiles vias, ſed etiam per aſpera deſerta: & potius ſibi facturos ciſternas maximo labore, quam regionis ſiccitas eorum iter impediat. Idem & proximo verſu reperit: quia enim ex Legis præſcripto, poſtquam Arca fœderis in montem Sion tranſlata fuerat, illic erant ſacri conventus: dicit fideles certatim illuc venturos. Nomen חיל raro ſignificat turmam, ſæpius autem potentiam vel robur. Ideo ad communem linguæ uſum aptius erit vertere, *Venient è virtute in virtutem*: acſi diceret, fideles collectis ſubinde viribus aſcendere ad montem Sion, nec laſſitudine ulla tardari, donec conſpiciant Dei faciem. Sicui tamen magis placeat turma, ſenſus erit, non paucos modo venturos, ſed permultas catervas. Porro quomodo apparuerit olim Deus in templo ſervis ſuis, alibi dictum eſt, ac præſertim Pſalmo 27. verſ. 4, 5. Etſi enim nulla illic viſibilis erat Dei imago, quia tamen Arca fœderis ſymbolum erat ejus præſentiæ, experti ſunt fideles hoc ſe adminiculo utiliter juvari ut ad Deum accederent.

9. Jehova Deus exercituum audi precationem meam, auſculta Deus Jacob. Selah.	9 יהוה אלהים צבאות שמעה תפלתי האזינה אלהי יעקב סלה:
10. Clypeus noſter aſpice Deus, & intuere faciem Chriſti tui:	10 מגננו ראה אלהים והבט פני משיחך:
11. Quia melior eſt dies *unus* in atriis tuis, quam mille: elegi limen tenere in domo Dei mei, potius quam habitare in tabernaculis impietatis.	11 כי טוב יום בחצריך מאלף בחרתי הסתופף בבית אלהי מדור באהלי רשע:
12. Quia ſol & clypeus Jehova Deus, gratiam & gloriam dabit Jehova, non claudet bonum ambulantibus in rectitudine.	12 כי שמש ומגן יהוה אלהים חן וכבוד יתן יהוה לא ימנע טוב להלכים בתמים:
13. Jehova exercituum, beatus homo qui confidit in te.	13 יהוה צבאות אשרי אדם בטח בך:

9. *Jehova Deus.*] Quia ſtulte & ſine profectu profani homines ſe macerant & torquent in ſuis deſideriis, prudenter David ſua vota ad Deum convertit. Atque hinc etiam apparet non fuiſſe ambitioſis jactantiis deditum: ſicuti mirum ardorem præ ſe ferunt multi hypocritæ, quos intus frigere teſtis eſt Deus. Primo autem generaliter audiri poſtulat: deinde quia videri poterat ab Eccleſia reſectus, huic tentationi occurrit, ſe aggregans & colligens cum omnibus piis ſub Dei præſidium. Niſi enim Eccleſiæ fuiſſet membrum, non poterat communiter quaſi in omnium perſona dicere, *Clypeus noſter*. Mox etiam altius conſcendit, regiam unctionem, qua Deus per manum Samuelis eum dignatus fuerat, in medium proferens. Emphatica enim eſt loquutio, quam multi interpretes nimis frigide tranſmittunt, *Aſpice in faciem Chriſti tui*. Nam Dei favorem hinc ſibi promittit, quia ejus mandato unctus fuerat in Regem. Quia vero ſciebat regnum ſuum non niſi eſſe umbratile, non dubium eſt quin ſibi gratiam conciliare ſtuduerit objecto Mediatore, cujus perſonam gerebat: acſi dixiſſet, Quamvis indignus ſim quem tu reſtituas, hoc tamen meretur unctio qua me typum feciſti unici Redemptoris. Quibus verbis docemur, non aliter nobis propitiari Deum, quam ubi Chriſtus in medium prodit, cujus aſpectu diſcutiuntur omnes vitiorum noſtrorum nebulæ.

1Sam. 16. verſ. 12.

11. *Quia melior eſt dies.*] Quum major pars mundi ſine ratione vivere appetat, nec aliud habeat in votis quam ſibi vitam prorogari: teſtatur hic David non modo propoſitum ſibi eſſe vivendi finem ut Deum colat, ſed ſibi pluris eſſe diem unum, quem impendere licebit in cultum Dei, quam longum tempus tranſigere inter homines profanos à quibus exulat religio. Quia vero ſolis Sacerdotibus fas erat Templum ingredi, diſerte exprimit David, modo ſubſidere in atrio liceat, hac ſorte contentum ſe fore. Nam סף poſtem vel limen domus ſignificat. Porro comparatio iſta multum amplificat, quum ſe *malle* dicit *in ipſis Templi foribus ſubſiſtere, quam occupare tabernacula impietatis*: quaſi diceret, ſe in vulgarem & ignobilem locum malle rejici, modo cenſeatur in Dei populo, quam primarium gradum tenere inter impios. Rarum certe pietatis exemplum. Quamvis enim multi locum ſibi in Eccleſia eſſe cupiant, ſic tamen prævalet ambitio, ut pauciſſimis ſufficiat in communi numero manere. Omnes enim fere abripit veſana altius conſcendendi cupiditas, ut quieta illis non ſit ſtatio niſi emineant.

12. *Quia ſol & clypeus.*] Solis comparatio huc tendit, quemadmodum ſol luce ſua mundum vivificat, fovet, atque exhilarat; ita ſereno Dei aſpectu recreari fideles: imo non aliter vivere & ſpirare, niſi quatenus illis Deus affulget. Clypei nomine intelligit Propheta, ſalutem noſtram, quæ alioqui innumeris periculis expoſita eſſet, ejus defenſione protegi: quia non ſatis eſſet, vivificum nobis eſſe Dei favorem, niſi inter tot diſcrimina virtutem quoque ſuam ad nos tuendos opponeret. Quod poſtea ſequitur, *gratiam & gloriam dabit*, ita poſſet accipi, quos Deus in hoc mundo ſua gratia ornavit, tandem in regno ſuo, cæleſti gloria coronare. Sed quia vereor ne arguta ſit illa diſtinctio, præſtabit, meo judicio, ita reſolvere ſententiam, Poſtquam favore ſuo complexus fuerit Deus fideles, extollet eos in ſummam dignitatem, nec deſinet eos ſuis donis locupletare. Quod etiam confirmat proximo membro, *non prohibebit bonum ambulantibus in rectitudine*: acſi diceret, nunquam exhauriri Dei beneficentiam quin aſſidue fluat. Interea colligimus ex iis verbis, quicquid eſt in nobis præſtantiæ, manare ex mera Dei gratia. Simul Dei cultoribus propriam notam aſcribit, quod eorum vita ad integritatem ſit compoſita. Quod exclamat in fine Pſalmi *beatos eſſe qui in Deo confidunt*, videtur referri ad exilii tempus. Prius dixerat beatos eſſe qui habitant in atriis Dei: nunc quamvis hoc bono ad tempus caruerit, ſe tamen negat prorſus fuiſſe miſerum: quia optimo ſolatio fretus, Dei gratiam procul intuitus ſit. Atque hoc exemplum notatu dignum eſt. quamdiu enim privamur Dei beneficiis, angi quidem triſtitia & gemere neceſſe eſt: ſed ne doloris ſenſus nos abſorbeat, ſtatuere convenit, inter ipſas miſerias nos fide & patientia beatos eſſe.

ARGUMENTUM PSALMI LXXXV.

Quia fideles ab exilio Babylonico reverſos novis incommodis atque etiam cladibus Deus affixerat, primo liberationem commemorant, ne opus gratiæ ſuæ deſerat imperfectum. Deinde queruntur de longo malorum ſuorum tractu. Tertio, ſpe & fiducia erecti, de promiſſa ſibi felicitate gloriantur: quia reſtitutio in patriam, cum regno Chriſti annexa erat, unde ſperabant omnem bonorum affluentiam.

PSALM. LXXXV.

PRæfecto filiorum Coræ Pſalmus.	1 למנצח לבני קרח מזמור :
2. Benevolus fuiſti Jehova terræ tuæ, reduxiſti captivitatem Jacob:	2 רצית יהוה ארצך שבת שבות יעקב :
3. Abſtuliſti iniquitatem populi tui, operuiſti omnia peccata eorum. Selah.	3 נשאת עון עמך כסית כל חטאתם סלה :
4. Avertiſti omnem iram tuam, revocaſti ab excandeſcentia furorem tuum.	4 אספת כל עברתך השיבות מחרון אפך :
5. Converte nos Deus ſalutis noſtræ, & remitte iram tuam erga nos.	5 שובנו אלהי ישענו והפר כעסך עמנו :

B*Enevolus fuiſti.*] Qui verba hæc in futurum tempus convertunt, videntur mihi Prophetæ ſenſum corrumpere. Probabile eſt, populo dira Antiochi tyrannide afflicto Pſalmum fuiſſe dictatum: ideoque ex redemptione ſpes novæ & continuæ gratiæ in poſterum ſuggeritur: quia hoc modo teſtatus fuerat Deus nullis peccatis extingui poſſe fœderis ſui memoriam, quin exorabilis eſſet erga filios Abrahæ. Niſi enim tantam Dei bonitatem prius eſſent experti, mole afflictionum, præſertim tam diuturna, obrui neceſſe fuit. Porro quod redempti fuerint, cauſam ſtatuunt in gratuito Dei amore, quo terram ſuam proſequutus eſt, quia ipſam elegerat. Unde ſequitur continuum fuiſſe hujus beneplaciti curſum: unde etiam precandi fiduciam ſibi comparant fideles, quia Deus, electionis ſuæ memor, terræ ſuæ propitius fuerit. Diximus autem alibi, nulla re nos melius animari ad precandum, quam ubi recordamur ſuperiores Dei gratias: quia rebus adverſis ſtatim ſuccumberet fides noſtra, & corda noſtra ſuffocaret anxietas, niſi prioris temporis experientia Deum ſervis ſuis exorabilem eſſe, & ſemper ubi poſtulat neceſſitas, opitulari doceret: præſertim ubi eadem manet continuandæ gratiæ ratio. Ita prudenter ad fideles ſui temporis accommodat Propheta quæ olim Deus beneficia ipſorum Patribus contulerat: quia utrique in ſpem ejuſdem hæreditatis vocati erant.

3. *Abſtuliſti iniquitatem populi tui.*] Quia metum & anxietatem poterant afferre fidelibus ſua peccata, hanc quoque dubitationem tollit Propheta, quoniam Dominus populum ſuum redimendo, inſigne gratuitæ veniæ ſpecimen ediderit. Fontem prius oſtenderat gratuitum Dei beneplacitum: ſed poſtquam intervenerant offenſæ, quibus alienaverat ſe populus à Deo, remedium hoc ſuccurrere oportuit. Nam ablatam fuiſſe iniquitatem dicens, non intelligit correctos fuiſſe, & à ſuis peccatis purgatos fideles, ſicuti Deus Spiritu regenerationis eos ſanctificans, peccata vere tollit: ſed ſtatim explicat quid voluerit. Summa eſt, Deum Judæis fuiſſe reconciliatum, peccata non imputando. *Tegere* enim *peccata* dicitur Deus quæ ſepelit, ne in judicium veniant: ſicuti plenius dictum eſt Pſalmo 32. verſ. 1. Ergo quum populi ſui ſcelera exilio caſtigaſſet, reſtituere eos in patriam volens, abolito reatu obſtaculum ſuſtulit. Nam ex culpæ remiſſione pendet etiam pœnarum relaxatio. Quo refellitur Sophiſtarum commentum, quod magni myſterii loco jactitant, retineri à Deo pœnam, licet culpam ignoſcat: quum ubique prædicet, in hunc finem ſe ignoſcere, ut placatus pœnas ſimul mitiget: idque rurſum confirmat Propheta proximo verſu, ubi dicit exorabilem fuiſſe Deum populo ſuo, ut manum ſuam ab eo caſtigando retraheret. Quid hic obgannient Sophiſtæ, qui Deum fore juſtum negant, niſi remiſſa culpa, pro ſua ſeveritate pœnas exigat? Nam culpæ veniam conſequitur hic effectus, ut ſua benedictione teſtetur Deus ſe jam non eſſe offenſum.

5. *Converte nos Deus ſalutis noſtræ.*] Jam ad præſentem uſum accommodant fideles quod antea retulerant de paterna ejus indulgentia erga populum redemptum. *Deum* autem *ſalutis* vocant, à quo petunt reſtitui, ut in rebus deploratis ac perditis, ſpem tamen hanc foveant, ſe Dei virtute ſalvos fore. Nam etſi viſibilem bene ſperandi materiam oculis noſtris non offerat, ſtatuere tamen convenit, ſalutem in manu ejus eſſe abſconditam, & ejus manifeſtandæ, quoties placuerit, promptum & expeditum eſſe modum. Quia vero calamitatum omnium cauſa & origo eſt ira Dei, eam nunc quoque deprecantur fideles. Atqui hic ordo ſedulo notandus eſt, quia, ut teneri ſumus ac molles ad ferenda mala, ſimulac minimo digito ferire nos cœperit Deus, flebiliter quidem petimus ut nobis parcat: ſed quod præcipuum eſt omittimus, ut nos à reatu abſolvat; quia non libenter ad nos examinandos deſcendimus.

6. An perpetuo iraſceris erga nos? protrahes iram tuam in ſeculum & ſeculum?	6 הלעולם תאנף בנו תמשך אפך לדר ודר :
7. Annon tu converſus vivificabis nos, & populus tuus lætabitur in te?	7 הלא אתה תשוב תחיינו ועמך ישמחו בך :
8. Oſtende nobis Jehova miſericordiam tuam, & ſalutem tuam da nobis.	8 הראנו יהוה חסדך וישעך תתן לנו :
9. Audiam quid loquatur Deus Jehova: certe loquetur pacem ad populum ſuum, & ad manſuetos ſuos, & non redibunt ad ſtultitiam.	9 אשמעה מה ידבר האל יהוה כי ידבר שלום אל עמו ואל חסידיו ואל ישובו לכסלה :

Digitized by Google

6. *An perpetuo.*] Deplorant hoc loco malorum diuturnitatem, & ratiocinantur à natura Dei, qualis in Lege deſcribitur, nempe quod tardus ſit ad iram, longæque patientiæ, ad veniam propenſus & facilis: ſicuti etiam alibi vidimus, iram ejus momento evaneſcere, miſericordiam durare perpetuo. *Pſal. 30. verſ. 6.* Sic enim inter precandum, promiſſiones Dei meditari convenit, quæ nobis verba ſuppeditent. Etſi autem videntur quodammodo expoſtulare acſi alium ſe Deus oſtenderet: dubium tamen non eſt, cum tentatione fortiter luctando, ſpem levationis quæſiiſſe ex Dei natura: acſi principium hoc ſumerent, fieri non poſſe ut Deus perpetuo iraſceretur. Interea colligimus, uſque ad tædium malis fuiſſe gravatos, dum ita orarunt, ut ferendo jam propemodum eſſent defeſſi. Quare diſcamus, utcunque non ſtatim palam nobiſcum Deus in gratiam redeat, non eſſe tamen ceſſandum à continuo precandi ſtudio. Siquis objiciat, vanum igitur eſſe quod Deus iram ſuam brevem fore promiſit. Certe ſi peccata noſtra expendimus, brevis ſemper eſt: quod ſi nobis occurrat æternus miſericordiæ ejus tenor, momentaneam eſſe fatebimur. Nam quia ſubinde relabitur caro noſtra ad laſciviam, variis correctionibus penitus ſubigi neceſſe eſt. Eodem ſenſu quærunt *annon ſe Deus convertet ad eos vivificandos.* Quia enim vigebat in eorum cordibus principium hoc, pœnas quibus filios ſuos caſtigat Deus, eſſe temporales, hinc fiduciam colligunt, Deum, quamvis nunc merito ſit infenſus & averſus, fore ſibi exorabilem, ut mortuos in vitam ſuſcitet, luctumque convertat in lætitiam. *Vivificandi* enim verbo ſe mortuis prope ſimiles queruntur, vel malis exanimes. Dum vero lætandi materiam ſibi promittunt, nunc ſe intelligunt mœrore prope eſſe confectos.

8. *Oſtende nobis.*] Eadem in his verbis ſubeſt antitheſis: quia miſericordiam ſibi petentes oſtendi, & ſalutem dari, fatentur omni utriuſque guſtu ſe eſſe privatos. Quum autem talis fuerit olim ſanctorum conditio, diſcamus, etiam extremis malis afflicti & perditi, ad Deum tamen confugere. Scite vero miſericordia priore in gradu locatur: deinde ſubjicitur ſalus quam illa ex ſe generat & profert: quia non aliunde inducitur Deus ut ſit ſervator, niſi quia miſericors eſt. Unde ſequitur, quicunque ſua merita objiciunt Deo ad impetrandum ejus favorem, ſaluti viam claudere.

9. *Audiam.*] Hic ſuo exemplo totum Eccleſiæ corpus ad quietam & placidam tolerantiam hortatur. Nam quia efferbuerat quadam vehementia, quaſi freno ſe cohibet, ſicuti ſemper in votis noſtris quamlibet piis & ſanctis, cavendum eſt ne liberius exultent. Nam ubi quis ſuæ infirmitati indulget, facile abripitur immodico fervore ultra metas. Hac ratione ſilentium nunc ſibi & aliis indicit Propheta, ut Deum patienter expectent. His autem verbis oſtendit ſe compoſito animo & quaſi tacitum manere, quia perſuaſus ſit Eccleſiam curæ eſſe Deo: quia ſi dominari putaſſet fortunam in mundo, & cæco impetu rotari humanum genus, non aſcriberet Deo jubendi partes. *Loqui* enim hoc loco tantundem valet ac præcipere, vel mandare: acſi diceret, quia confidit, in manu Dei eſſe remedium præſentibus malis, tranquillum ſe fore, donec opportunum liberandæ Eccleſiæ tempus advenerit. Sicut ergo contra Deum tumultuatur paſſionum noſtrarum intemperies; ita patientiæ ſpecies eſt ſilentii, quo ſe ſub ejus imperio continent piæ mentes. Secundo membro colligit lætiorem fore Eccleſiæ ſtatum: quia quum Dei ſit præcipere in rebus humanis, fieri non poteſt quin Eccleſiæ quam diligit, bene conſulat. *Pacis* nomine alibi diximus Hebræis felicem rerum ſucceſſum notari. Ideo ſumma eſt, Eccleſiam Dei beneficio proſpere habituram. Cæterum *loquendi* verbo ſubindicat ſe attentum fore ad promiſſiones. Simplicius enim loqui de providentia Dei poterat, Spectabo quid facturus ſit Deus. ſed quoniam beneficia quibus Eccleſiam proſequitur, ex promiſſionibus fluunt, os potius quam manum poſuit: & ſimul oſtendit patientiam ex tranquillo fidei auditu pendere. Quod ad populum Dei addit *manſuetos ejus*, hac nota diſcernit inter verum & titularem (ut ita loquar) Dei populum: quia quum hypocritæ omnia Eccleſiæ privilegia ſuperbe ſibi arrogent, eorum jactantiam refutari operæpretium eſt, ut agnoſcant jure ſe excludi à Dei promiſſionibus. *Et non redibunt.* Ita reſolvi ſolet hæc particula, Ne redeant ad ſtultitiam: acſi fructum beneficentiæ Dei adjungeret. Nam quia fideles ſuos Deus benigne tractando allicit, ut ſub ejus obſequio ſe contineant, Propheta (ut ipſi quidem ſentiunt) ad ſtultitiam redituros negat: quia inſtar freni erit Dei bonitas ad ipſos retinendos. Quanquam autem tolerabilis eſt illa interpretatio, aptius tamen, meo judicio, referetur ad totum complexum: ut ſit ſumma, Poſtquam ſatis correxerit Deus Eccleſiam ſuam, propitium tandem fore: ut ſancti pœnis eruditi, melius ſibi in poſterum caveant. Cauſam enim oſtendit cur gratiam ſuam Deus ſuſpendat ac differat. Sicuti enim medicus ægrotum, quamvis jam levatus ſit aliqua ex parte, retinet ſub ſua diſciplina donec plane convaluerit, & ſublata morbi materia collegerit firmas vires, quia liberum victum ſtatim permittere noxium eſſet: ſic Deus, quia videt non uno die nos bene & penitus curari à vitiis, ſuas caſtigationes extrahit: quia alioqui proclivis eſſet relapſus. Ergo Propheta dolorem, quo fideles opprimeret malorum diuturnitas, hoc ſolatio mitigat, conſulto Deum plus pœnarum quam vellent, ab ipſis exigere, ut ſerior eſipiſcant, ac cautiores in futurum reddantur.

10. * Certe propinqua eſt timentibus eum ſalus ipſius, ut inhabitet gloria in terra noſtra.	10 אַךְ קָרוֹב לִירֵאָיו יִשְׁעוֹ לִשְׁכֹּן כָּבוֹד בְּאַרְצֵנוּ׃
11. Miſericordia & veritas occurrent inter ſe, juſtitia & pax oſculabuntur:	11 חֶסֶד וֶאֱמֶת נִפְגָּשׁוּ צֶדֶק וְשָׁלוֹם נָשָׁקוּ׃
12. Veritas è terra germinabit, & juſtitia è cælo proſpiciet.	12 אֱמֶת מֵאֶרֶץ תִּצְמָח וְצֶדֶק מִשָּׁמַיִם נִשְׁקָף׃
13. Etiam Jehova dabit bonum, & terra noſtra dabit proventum ſuum.	13 גַּם יְהוָה יִתֵּן הַטּוֹב וְאַרְצֵנוּ תִּתֵּן יְבוּלָהּ׃
14. Juſtitia coram eo ambulabit, & ponet in via greſſus ſuos.	14 צֶדֶק לְפָנָיו יְהַלֵּךְ וְיָשֵׂם לְדֶרֶךְ פְּעָמָיו׃

* vel, *Atqui.*

10. *Certe propinqua eſt.*] Confirmat proximam ſententiam: & quamvis in ſpeciem longe à populo ſuo remotus eſſet Deus, ſibi tamen & aliis Dei cultoribus ſpem propinquæ liberationis facit, quia occulte reſpiciat Deus quos palam negligere videtur. Quod ſi particulam אך, adverſative accipere libeat, ut ſæpius ſumitur apud Hebræos, plenior erit ſententia. Quia enim nuper dixerat Deum longius

gius in ſuis caſtigandis pergere, dum ad novum lapſum nimis propenſos videt: ne moleſta eſſet ipſa tarditas, correctionem hanc adhibuit, etiam dum tardius apparet ſalus ejus, propinquam tamen eſſe. *Gloriam*, cujus meminit in ſecunda parte verſus, vaſtitati opponi certum eſt, quæ quum ſignum eſſet horribilis iræ Dei, terram ignominiæ & probri damnabat. His ergo verbis ſe & alios fideles hortatur Propheta ad pœnitentiam, tam graviter hoſtium tyrannide non ſine contumelia oppreſſos fuiſſe admonens: quia ſuis peccatis Dei ſalutem longe repulerint.

11. *Miſericordia & veritas.*] Verba quidem ſunt præteriti temporis, ſed quæ in futurum reſolvi contextus poſtulat. Libenter autem amplector quod multorum conſenſu receptum eſt, vaticinium hoc ad Chriſti uſque regnum extendi. Nec vero dubium eſt quin fideles, ubi ſperanda erat Eccleſiæ reſtitutio, præſertim ex quo reverſi erant Babylone, oculos ſuſtulerint ad Chriſtum. Interim conſilium Prophetæ eſt, oſtendere quam liberaliter agat Deus cum ſua Eccleſia ubi reconciliatus eſt. Dicit enim hos fructus emergere, ut miſericordia & veritas *mutuo ſibi occurrant, juſtitia & pax ſeſe amplexentur.* Ex his verbis elicit Auguſtinus pulcherrimam ſententiam plenamque ſuaviſſimæ conſolationis, nempe miſericordiam Dei, principium eſſe & fontem omnium promiſſionum: hinc prodire juſtitiam, quæ per Euangelium nobis offertur: ex eadem naſci pacem, quam fide conſequimur, ubi Deus nos gratis juſtificat. *Juſtitiam* porro intelligit *è cælo proſpicere*, quia gratuitum eſt Dei donum, non autem acquiritur operum meritis. Venire igitur è cælo, quia inter homines non reperietur, qui ejus ſunt inopes & vacui. Interea *veritatem è terra germinare* exponit, quia effectu ipſo fidelem ſe Deus comprobat, implendo quod promiſit. Sed quia nobis potius quærenda eſt ſoliditas quam argutiæ, contenti ſimus genuino Prophetæ ſenſu, Regnum Chriſti nobile fore miſericordia, veritate, pace & juſtitia. Quia vero non hominum laudes prædicat, ſed commendat quam prius à ſolo Deo ſperavit & precatus eſt gratiam, ſtatuendum eſt omnia hæc bona à Deo fluere. Et per ſynecdochen his quatuor vocibus notatur vera felicitas. nam ubi impune graſſatur crudelitas, extincta eſt fides, oppreſſa ſub pedibus jacet juſtitia, confuſo tumultu omnia miſcentur: nonne præſtaret mundum eſſe prorſus abolitum? Unde ſequitur, nihil eſſe magis ad beatam vitam optabile, quam ut vigeant & principatum teneant quatuor iſtæ virtutes: ſicuti ſimilibus fere elogiis alibi ornatum fuit Chriſti regnum. Siquis tamen miſericordiam & fidem Dei intelligere malit, non repugno. Certe *è terra germinare fidem, & juſtitiam è cælo proſpicere*, tantundem valet acſi dixiſſet utramque fore ſurſum & deorſum ubique diffuſam, ut cælum & terram impleant. Neque enim ſeorſum illis aliquid diverſum tribuere voluit, ſed communiter de illis aſſerere, nullum fore terræ angulum ubi non floreant.

13. *Etiam Jehova.*] Quod hunc verſum allegorice quidam accipiunt de proventu ſpiritualium bonorum, non convenit cum particula גם, qua mihi notare videtur Propheta plenum ejus felicitatis cumulum de qua loquutus fuerat. Ponitur ergo hic *terræ fructus* quaſi præſtantioris beneficentiæ acceſſio. Quanquam enim præcipua Eccleſiæ felicitas quatuor illis quæ retulit donis continetur, non tamen negligenda eſt externi victus commoditas, modo in ſuo gradu ſubſidat. Siquis objiciat, perperam cum ſpirituali Chriſti regno miſceri uberem terræ proventum, facilis reſponſio eſt, nihil eſſe abſurdi, ſi Deus ſpiritualiter fideles benedicens, paterni quoque amoris guſtum aliquem in externis beneficiis præbeat: quando (teſte etiam Paulo) pietas non futuræ modo vitæ, ſed etiam præſen- *1 Tim. 4. verſ. 8.*
tis promiſſiones habet. Sed notandum eſt, ſic reſtringi caducæ hujus vitæ commoda, ne terrenis blanditiis indormiant fideles. Ideoque in terra guſtare eos dixi duntaxat paternum Dei amorem, non autem opulentia ſatiari. Porro hic verſus docet non modo ſemel vim & gratiam fœcunditatis eſſe terræ inditam, ut alimenta nobis ſuggerat (ſicuti fingunt profani homines Deum in prima creatione ſingulis elementis mandaſſe ſuas partes: nunc vero otioſum ſedere) ſed quotannis arcana Dei virtute fœcundari, prout ſuam bonitatem vult nobis teſtatam eſſe.

14. *Juſtitia coram eo.*] Quod juſtitiam quidam pro juſto homine accipiunt, aſperum eſt. Continet quidem hic ſenſus utilem doctrinam, Juſtus coram Deo ambulabit, & actiones ſuas componet ad rectitudinem. ſed quia nulla neceſſitas cogit juſtitiæ vocem tam violenter torquere, ſumamus quod rectius ac ſimplicius eſt, ordinem ſub Chriſti regno tam bene fore compoſitum, ut juſtitia coram Deo ambulet ac occupet omnes vias. hoc modo videtur iterum revocare fideles ad præcipuam felicitatem: quia utcunque ſuppeditet ſervis ſuis Deus liberalem victum, non decet tamen illic eſſe affixos. Et certe in hoc differimus à brutis pecudibus, quod non ſaginat nos Deus, nec ventres noſtros refercit ut mundo fruamur, ſed altius nos deducit. Quod dicit *ambulaturam* coram Deo, ſignificat Dei ordinatione fieri ut juſtitia curſum ſuum habeat: quod eſt *ponere greſſus in via*: ſicut ex oppoſito conqueritur Je- *Jeſa. 59.*
ſaias, æquitatem non poſſe ingredi, quoniam ar- *verſ. 14.*
cetur publico.

ARGUMENTUM PSALMI LXXXVI.

Pſalmus hic preces ſanctis ad fidem alendam & confirmandam meditationibus, deinde etiam laudibus & gratiarum actioni miſtas continet. Nam quia pro carnis ſenſu difficilis erat exitus ab anguſtiis quibus David premebatur, immenſam Dei bonitatem & potentiam opponit. Nec vero tantum poſtulat ſe ab hoſtibus liberari, ſed cor ſuum formari ad Dei timorem, & in eo conſtanter ſtabiliri.

PSALM. LXXXVI.

PRecatio Davidis. Inclina Jehova aurem tuam, reſponde mihi: quia pauper & inops ego.	1 תְּפִלָּה לְדָוִד הַטֵּה יְהוָה אָזְנְךָ עֲנֵנִי כִּי עָנִי וְאֶבְיוֹן אָנִי׃
2. Cuſtodi animam meam, quia ego manſuetus ſum: ſerva tu Deus mi ſervum tuum ſperantem in te.	2 שָׁמְרָה נַפְשִׁי כִּי חָסִיד אָנִי הוֹשַׁע עַבְדְּךָ אַתָּה אֱלֹהַי הַבּוֹטֵחַ אֵלֶיךָ׃
3. Miſerere mei Jehova, quia ad te clamo * quotidie:	3 חָנֵּנִי יְהוָה כִּי אֵלֶיךָ אֶקְרָא כָּל הַיּוֹם׃
4. Lætifica animam ſervi tui, quia ad te Domine animam meam levo:	4 שַׂמֵּחַ נֶפֶשׁ עַבְדֶּךָ כִּי אֵלֶיךָ אֲדֹנָי נַפְשִׁי אֶשָּׂא׃

* vel, *tota die.*

5. Quo-

5. Quoniam tu Domine bonus & propitius, multus clementia erga omnes qui te invocant.

5 כִּי אַתָּה יְהוָה טוֹב וְסַלָּח וְרַב
חֶסֶד לְכָל קֹרְאֶיךָ׃

6. Auſculta Jehova precationem meam, attende ad vocem deprecationum mearum.

6 הַאֲזִינָה יְהוָה תְּפִלָּתִי וְהַקְשִׁיבָה
בְּקוֹל תַּחֲנוּנוֹתָי׃

7. In die tribulationis meæ clamabo ad te, quia reſpondebis mihi.

7 בְּיוֹם צָרָתִי אֶקְרָאֶךָּ כִּי תַעֲנֵנִי׃

INclina] Quanquam nec inſcriptio docet, nec ex contextu certo licet colligere de quibus periculis hic queratur David, credibile tamen eſt, quando eum perſequebatur Saul, meditatum fuiſſe quæ poſtea hic deſcripſit quum in pace data eſſet melior opportunitas. Porro non abs re miſerias ſuas Deo allegat quæ favorem impetrent: quando naturæ ejus nihil magis proprium eſt quam ſuccurrere miſeris: & quo quiſque durius premitur, & deſtituitur humanis auxiliis, benignius eum juvare. Quare, ne in ſummis afflictionibus animos noſtros obruat deſperatio, ſuccurrat hæc fultura, pauperibus & miſeris dictatam eſſe hanc precationem à Spiritu ſancto.

2. *Cuſtodi animam meam.*] Duas alias cauſas recenſet, quibus ſibi conciliet Dei auxilium: ſuam erga proximos humanitatem: deinde ſpem quam in Deo repoſuit. Quanquam autem priore membro dignitatem aliquam videtur obtendere, nihil tamen minus arguit propoſitum, quam Deum obſtringere ullis meritis: ſed huc tendit *clementiæ* mentio, ut majore odio gravet hoſtes ſuos, qui innoxium hominem, adeoque benemeritum, non minus indigne quam inhumaniter vexabant. Quum ergo pronunciet Deus, ſe tam bonis cauſis, quam probis juſtitiæ cultoribus fore patronum, David non abs re beneficentiam ſe coluiſſe teſtatur: unde appareat iniquam referre ab hoſtibus mercedem qui gratis erga miſericordem ſunt crudeles. Sed quia non ſufficeret juſte & humaniter in mundo verſari, adjungitur etiam *fiducia in Deum recumbens*, quæ mater eſt pietatis. Scimus quoſdam ea fuiſſe integritate præditos, ut laudem ſummæ æquitatis obtinuerint apud homines: ſicuti gloriabatur Ariſtides, ſe nulli dediſſe cauſam luctus. Sed quia illi cum ſuarum virtutum præſtantia, vel ambitione referti erant, vel ſuperbia inflati, ut ſibi magis quam Deo confiderent, non mirum eſt vanitatis ſuæ pœnam dediſſe: ſicuti profanas hiſtorias legendo, ſtulte miramur qui factum ſit ut improborum multitudini expoſuerit Deus honeſtos, graves & temperantes viros: quum propria virtute freti, Dei gratiam ſacrilego faſtu contempſerint. Nam quum idoli loco illis eſſet ſua virtus, ad Deum oculos attollere dignati non ſunt. Itaque quamvis nobis ſimus bene conſcii, & Deus noſtræ innocentiæ optimus ſit teſtis, ſi tamen cupimus eum nobis adeſſe, ſpes noſtras & curas in eum rejicere neceſſe eſt. Siquis objiciat, hoc modo januam claudi peccatoribus: reſpondeo, Quum ad ſe innoxios Deus invitat, non protinus omnes arcere qui ob ſua delicta plectuntur: quia illis ad manum eſt deprecatio. Cæterum ſi nos injuſte laceſſunt quos nunquam læſimus, duplicatur fiducia.

3. *Miſerere mei.*] Iterum ad Dei miſericordiam confugit. Nam verbum חנן Hebræis tantundem valet ac gratificari. perinde acſi diceret, ſe nihil afferre proprii meriti, ſed ſuppliciter à mera Dei gratia petere liberationem. Jam quod ſe *quotidie clamare* dicit, teſtimonium eſt ſpei ac fiduciæ, de qua paulo ante dictum eſt. Clamandi verbo, vehementiam notari, ſæpius jam monuimus. Quanquam enim non ſemper ſonora voce preces concipiunt ſancti, occulti tamen eorum gemitus alte reſonant, & ex eorum cordibus penetrant uſque ad cælum. Perſeverantiam quoque ſimul adjungit, ut ſciamus non fuiſſe fractum primo vel ſecundo inſultu, ſed infatigabili ſtudio continuaſſe preces. Proximo verſu magis ſpecialiter exprimit quem in finem optaverit Deum ſibi eſſe miſericordem: nempe ut mœrore ſuo eximatur. Secundo autem membro declarat nihil fictionis in ſuo clamore eſſe, quia animam ſuam ad Deum attollat, quæ præcipua eſt rite orandi ratio.

5. *Quoniam tu Jehova.*] A natura Dei confirmat totam ſuperiorem doctrinam, quia fruſtra ad Deum confugerent miſeri, & votis in cælum aſſurgerent, niſi perſuaſi eſſent fidum eſſe remuneratorem omnibus qui eum invocant. Huc nunc incumbit David, Deum beneficum eſſe & exorabilem, ut pro magnitudine ſuæ clementiæ repudiare nequeat quicunque ejus opem implorant. Quod Deum vocat *placabilem*, ſpecies eſt bonitatis. Neque enim ſufficeret in genere eſſe bonum, niſi etiam peccatoribus ignoſceret, quod intelligitur per vocem סלח. Quanquam autem multitudinem clementiæ Dei commendat, mox tamen elogium illud reſtringit ad fideles qui ipſum invocant: ut ſciamus merito in ſuis malis perire, qui neglecto Deo, frenum contumaciter arrodunt. Simul tamen dicit *omnes*, ut ſine exceptione à minimo uſque ad maximum quilibet audeat ſe ad Dei miſericordiam conferre.

6. *Auſculta Jehova.*] Hoc verſu & proximo quum ardenter vota iteret, oſtendit non levi dolore ſe fuiſſe conſtrictum, nec mediocri etiam cura æſtuaſſe. Atque hoc exemplo docemur nimis frigidos eſſe vel evanidos, qui prece una defuncti, niſi mox annuat Deus, fatiſcunt. Nec vero inanis eſt repetitio qua paulatim fideles exonerant in Deum ſuas curas: eſtque boni odoris ſacrificium coram Deo hæc importunitas. Quum dicit, *Exaudiet me Deus quum clamavero in die tribulationis*, in ſuum peculiarem uſum applicat quod nuper dixit, Deum omnibus ipſum invocantibus eſſe propitium & facilem.

8. Non eſt ſicut tu inter deos Domine, & nullus ſecundum opera tua.

8 אֵין כָּמוֹךָ בָאֱלֹהִים אֲדֹנָי וְאֵין
כְּמַעֲשֶׂיךָ׃

9. Omnes gentes quas feciſti, venient, & adorabunt nomini tuo.

9 כָּל גּוֹיִם אֲשֶׁר עָשִׂיתָ יָבוֹאוּ
וְיִשְׁתַּחֲווּ לְפָנֶיךָ אֲדֹנָי וִיכַבְּדוּ לִשְׁמֶךָ׃

10. Quia magnus tu, & faciens mirabilia tu Deus ſolus.

10 כִּי גָדוֹל אַתָּה וְעֹשֵׂה נִפְלָאוֹת
אַתָּה אֱלֹהִים לְבַדֶּךָ׃

11. Oſtende mihi Jehova vias tuas, ambulabo in veritate tua, unias cor meum ad timendum nomen tuum.

11 הוֹרֵנִי יְהוָה דַּרְכֶּךָ אֲהַלֵּךְ
בַּאֲמִתֶּךָ יַחֵד לְבָבִי לְיִרְאָה שְׁמֶךָ׃

8. *Non eſt ſicut tu.*] Vel jam voti compos erumpit in gratiarum actionem, vel animum & novas vires ad precandum colligit: quod poſterius magis arridet, niſi forte utrumque complecti libeat. Quod nomen אלהים quidam de Angelis accipiunt, acſi eos conferret David cum ſummo Deo: non videtur huic loco ſatis quadrare. Neque enim Angelos, quaſi minores deos, cogit in ordinem, ut cedant Dei virtuti: ſed omnes fictitios deos, in quibus increduli ſubeſſe aliquid auxilii putabant, contemptim deridet, quia operibus minime probent ſe deos eſſe. Nam ſi virtutem operandi ſecundum plus & minus diſtribueret, non aſſereret Deo in ſolidum quod ſuum eſt. Negat igitur re ipſa & effectu quicquam divinum in ipſis deprehendi. Jam ad opera nos revocans, ſatis oſtendit frivolis tantum nugis ludere qui ſubtiliter philoſophantur de arcana Dei eſſentia: manifeſtas vero notas prætereunt, in quibus refulget ejus majeſtas. Ergo quum ad Dei altitudinem non perveniant ſenſus noſtri, prudenter David operum teſtimonio contentus, commentitios eſſe omnes deos pronunciat qui virtutem nullam exerunt. Siquis objiciat, Deum abſurde conferri cum inanibus figmentis: facilis ſolutio eſt, accommodari ſermonem ad vulgi inſcitiam: quia ſcimus quam audacter ſupra cælos attollant ſuperſtitioſi falſa cerebri ſui commenta. Ac optime David inſultat eorum amentiæ, quod ſibi deos fabricent abſque ullo teſtimonio.

9. *Omnes gentes.*] Sicui hoc placeat reſtringere ad præſentem cauſam, per me ſit liberum. Et certe quam ipſe David gratiam expertus erat, ſæpe amplificat talibus encomiis. Commode tamen extendere licebit ad generalem Dei potentiam. Sive autem de gratia privatim ſibi collata, ſive de operibus Dei in genere diſſerat, tenendum eſt quod alibi diximus, quoties pietatis conſenſum in Gentibus prædicat, reſpicere ad regnum Chriſti: ante cujus adventum primordia tantum quædam libavit manifeſtationis ſuæ gloriæ, quæ tandem Euangelii voce ſparſa fuit per totum orbem. Nec vero Davidem latebat futura Gentium vocatio: ſed quia propter novitatem hoc dictu aſperum erat inter Judæos, venturas Gentes ut promiſcue Deum colerent cum filiis Abrahæ, ac ſublato diſcrimine futuras cæleſtis doctrinæ participes: mitigandi cauſa dicit, Gentes quoque eſſe *à Deo creatas*: ut minime abſurdum videri debeat, ſi ipſæ quoque illuminatæ fictorem & opificem ſuum demum agnoſcant. Ac iterum proximo verſu cauſam illam repetit: nempe Dei gloriam *ex magnitudine operum* cognoſci: quæ vera eſt diſcendæ pietatis ratio. Quamvis enim ſemper carnis ſuperbia in cælum transvolare cupiat: quia tamen in tam longa inveſtigatione deficiunt ſenſus noſtri, nihil utilius nobis eſt quam pro infirmitatis noſtræ modulo, in operum ſuorum teſtimoniis Deum quærere. Quare diſcamus ſenſus noſtros expergefacere ad reputanda Dei opera: ſuperbos autem ſinamus in ſuis ambagibus vagari, quarum finis ſemper erit inextricabilis abyſſus. Cæterum ne hujus modeſtiæ nos pigeat, magnifice prædicat David Dei opera *mirabilium* nomine, quamvis cæcis & inſipidis hominibus ſordeſcant. Hoc interim principium diligenter notandum eſt, nonniſi in unum Deum competere Deitatis gloriam: quia non alibi reperietur vel ſapientia, vel potentia, vel juſtitia, & quicquid divinum in admirandis ejus operibus refulget. Unde ſequitur, Papiſtas veram Deitatem quantum in ſe eſt abnegare, quum Deum fraudantes ſuis virtutibus, nudum fere nomen ei relinquunt.

11. *Oſtende mihi.*] Altius nunc conſcendit David, ut ſpiritu ſanæ intelligentiæ regatur ad ſancte vivendum, & ſpiritu fortitudinis in hoc ſtudio confirmetur. *Vias* autem Dei tacite opponit conſiliis omnibus quæ ex carnis ſenſu capere poterat: quia Deo ſe ſubjiciens, eumque implorans ducem, fatetur non alium eſſe recte vivendi modum, quam ubi præit, nos vero ſequimur: atque ita in errorem abduci quicunque vel minimum deflectunt à Lege, ut ſapiant ex proprio cerebro. Idque melius confirmat, continuo poſt addens, *Ambulabo in veritate tua.* Damnat enim vanitatis & mendacii quicunque hanc veritatis regulam non tenent. Jam non optat doceri in viis Dei, quaſi prius expers fuiſſet omnis doctrinæ: ſed quod ſciret ſe adhuc implicitum eſſe multis ignorantiæ nebulis, ad profectum majorem aſpirat. Notandum quoque eſt, eum non de externa tantum docendi ratione loqui, ſed quum Legem haberet præ manibus, internus Spiritus ſancti lumen petere, ne inutiliter in diſcenda litera laboret: ſicut alibi dicit, Aperi oculos meos, & conſiderabo mirabilia in Lege tua. Quod ſi tantus Propheta, & tanta Spiritus amplitudine donatus, ſuam tamen ignorantiam ex animo fatetur, quantæ amentiæ erit non ſentire quid nobis deſit, ut tenuitatis noſtræ cognitio ad ulteriorem progreſſum nos ſtimulet? Et certe quo quiſque magis profecit in doctrina pietatis, eo melius ſentit procul ſe à ſcopo diſtare. Secundo addendum eſt non ſufficere lectionem vel auditum, niſi intus nos Deus Spiritu ſuo illuminet. Ad hæc, cor ſuum formari in Dei obſequium, & in eo conſtanter ſtabiliri poſtulat: quia ſicuti mens noſtra luce indiget, ſic voluntas rectitudine. Alii vertunt. Lætifica cor meum: acſi verbum eſſet à radice חדה. Sed potius eſt à יחד quod unire ſignificat: qui ſenſus optime convenit præſenti loco. Subeſt enim antitheſis, quæ non ſatis fuit, ut par erat, obſervata, inter firmum propoſitum, quo adhæret cor hominis Deo ubi à Spiritu regitur: & inquietudinem qua æſtuat, hucque & illuc rapitur, quamdiu fluctuat inter ſuos affectus. Poſtquam ergo quid rectum ſit didicerint fideles, accedat firmus conſenſus neceſſe eſt, ne in pravas cupiditates cor ebulliat. Ideoque aptiſſima eſt in verbo *uniendi* metaphora, ex qua colligimus turbulentum eſſe cor hominis, diſtrahi, & quaſi diſſipari in varias partes, donec Deus ad ſe collectum in firmo & æquabili obedientiæ tenore retineat. Hinc etiam patet quid per ſe liberum arbitrium valeat. Nam quum ſint duæ ejus facultates, utraque ſe deſtitui fatetur David, lumen Spiritus ſancti cæcitati mentis ſuæ opponens: & cordis rectitudinem affirmans merum eſſe Dei donum.

Pſal. 119. verſ. 18.

12. Celebrabo te Domine Deus mi in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum perpetuo:

12 אודך אדני אלהי בכל לבבי ואכבדה שמך לעולם׃

13. Quia clementia tua magna fuit ſuper me, & liberaſti animam meam è ſepulchro inferiori.

13 כי חסדך גדול עלי והצלת נפשי משאול תחתיה׃

14. Deus, ſuperbi ſurrexerunt contra me, & cœtus robuſtorum quæſierunt animam meam: & non ſtatuerunt te in conſpectu ſuo.

14 אלהים זדים קמו עלי ועדת עריצים בקשו נפשי ולא שמוך לנגדם׃

15. Et tu Domine Deus miſericors & propenſus ad gratiam: procul ab ira, & multus clementia & veritate:

15 ואתה אדני אל רחום וחנון ארך אפים ורב חסד ואמת׃

16. Reſpice

16. Reſpice ad me, & miſerere mei: da robur tuum ſervo tuo, & ſerva filium ancillæ tuæ.

17. Fac mecum ſignum ad beneficentiam: & videbunt adverſarii mei, & pudefient, quia tu Jehova auxiliatus es mihi, * & conſolatus es me.

16 פנה אלי וחנני תנה עזך לעבדך והושיעה לבן אמתך׃

17 עשה עמי אות לטובה ויראו שנאי ויבשו כי אתה יהוה עזרתני ונחמתני׃

* vel, *adjuviſti.*

12. *Celebrabo te.*] Promittit Deo gratitudinem poſtquam beneficum Patrem modis omnibus expertus fuerit. Sicuti autem cor ſuum uniri Deo petiit ad eum timendum, ita non tantum ore vel lingua ſe laudum ejus fore præconem dicit, ſed ex ſerio cordis affectu, idque conſtanter. Cauſam deinde ſubjicit, quia Deus in ipſo liberando rarum & memorabile miſericordiæ ſuæ ſpecimen ediderat. Hanc vèro gratiæ magnitudinem quo melius illuſtret, *ſepulchrum inferius* nominat diſcrimen illud unde ereptus fuerat: acſi diceret, non una vel ſimplici morte ſi fuiſſe detentum, ſed demerſum in profundiſſimo ſepulchro, ut manum à Deo mirabiliter porrigi oportuerit. Nunc quum Chriſti gratia erepti ſimus ex altiore mortis abyſſo, minime excuſabilis noſtra ingratitudo erit, niſi ſe quiſque pro virili in hac liberatione prædicanda exerceat. Nam ſi Dei *nomen* tantopere extulit David propter vitam ad breve tempus prorogatam, quas laudes meretur incomparabilis iſta redemptio, qua traducti ſumus ab inferis ad cælum? Quod Papiſtæ hinc Purgatorium ſuum elicere contendunt, acſi eſſet infernus ſuperior: nimis putidum eſt, nec refutatione indiget.

14. *Deus, ſuperbi.*] Legunt alii זרים, quod alienos ſignificat. Et certe hac voce Scriptura immanem ſæpe barbariem notat, acſi diceret crudeles. Ego tamen quod receptius erat ſequi malui. Nam quum זדים Hebræi ſuperbos vocent, credibile eſt, propter ſimilitudinem, ד mutatum fuiſſe in ר: & melius hoc modo fluet contextus, quia eodem ſenſu continuo poſt appellat *robuſtos*, qui violento impetu & ferocia ruebant ad perdendum: ſicuti ſcimus, ubi regnat ſuperbia, nihil eſſe moderationis. Exprimit autem abſque figura quod nuper dixit de ſepulchro: quia quum agnus eſſet in medio luporum, mox abſorptus fuiſſet, niſi miraculo eum Deus eripuiſſet quaſi ex media morte. Extremam ſævitiæ intemperiem deſignat quum dicit nullum habuiſſe Dei reſpectum: quia niſi nos refrenet Dei timor, & judicii ejus ſenſus, prodigioſus eſt libidinis noſtræ furor ad quidvis audendum. Porro in Dei miſericordia his malis remedium quærit. Nam quum ſtatim delabitur ad hæc elogia, *Tu Domine Deus mi, miſericors*, &c. perinde eſt acſi diceret, contra audaciam & rabiem impiorum ſatis eſſe nobis præſidii in Dei bonitate, clementia, & fide. Fieri etiam poteſt, quum ſentiret impios eſſe Dei flagella, ut ad ſedandum immodicum terrorem, Dei miſericordiam ſibi propoſuerit. Hoc enim verum eſt atque unicum ſolatium, quamvis nos Deus caſtiget, non tamen miſericordiæ ſuæ oblivisci. Porro ſatis notum eſt, deſumptam eſſe ſententiam hanc ex Exodi cap. 34. verſ. 6. ubi maxime inſignis eſt naturæ Dei deſcriptio. Primo vocatur miſericors: inde ſequitur *propenſio ad gratiam*, dum ſcilicet malis noſtris compatitur. Additur tertio *ejus tolerantia*, quia non excandeſcit ſimulac læſus eſt, ſed pro ſua indulgentia ignoſcit. Tandem dicitur *multus clementia & veritate:* quibus verbis intelligo aſſidue beneficum eſſe & veracem. Quamvis autem non minus laudabilis ſit ejus ſeveritas, quam clementia: quia tamen non niſi pervicacia noſtra ſeverus eſt, quaſi ad exigendas pœnas cogatur, Scriptura naturaliter clementem & propitium prædicans, quaſi accidentale eſſe ſignificat ſiquando ſeverus ac rigidus eſt. Improprie quidem & craſſe loquor, ſed tamen huc tendit elogium, quo deſcribitur natura Dei, Deum ſic natura propitium eſſe & facilem ad dandam veniam, ut diſſimulet, pœnaſque differat, nec unquam niſi malitia noſtra coactus, ad vindictam ſe accingat. Diximus autem alibi cur Dei clementiæ jungatur veritas. Nam quia etiam qui maxime ſunt benigni, cuperent interdum retractare ſiquid polliciti ſunt, quia ſuæ facilitatis eos pœnitet: nos qui perperam metiri Deum ſolemus noſtra ulna, diffidimus de ejus promiſſionibus. Ergo Deus ſe diſſimilem hominibus eſſe pronunciat, quia non minus ſibi conſtat large præſtando quicquid pollicitus eſt, quam liberaliter promittit.

16. *Reſpice ad me.*] Clarius ad præſentem uſum accommodat quod dixit de clementia & bonitate Dei. Nam quia miſericors eſt Deus, ei ſalutem ſuam curæ fore confidit. Poſtea ſequitur verbum חנן, quod gratificari ſignificat, referturque ad gratuitum auxilium. Tandem concludit ſe nonniſi precaria Dei virtute fore ſalvum: quo fatetur ſe intus deficere. *Servum & filium ancillæ* ſe vocando, non ſua obſequia jactat, ſed ex longa origine, & diuturno curſu gratiæ Dei plus ſibi conciliat favoris: acſi diceret, ſe ab utero matris domeſticum eſſe Dei ſervum, ac vernam, qua de re jam alibi diximus. Ultimo autem verſu iterum confirmat ſe fuiſſe à Deo quaſi derelictum. Neque enim ſibi ſignum aliquod gratiæ dari optaret, niſi undique ad deſperationem fuiſſet impulſus, & ad probandam ejus patientiam abſconditus fuiſſet Dei favor. Hoc autem non vulgaris conſtantiæ experimentum fuit, cum hac tentatione luctari, ut lucem in tenebris cernere non deſineret. *Hoſtes* autem ideo *pudefieri* cupit, quod ſimplicitatem ejus ludibriis ſuis ac ſannis vexabant, quaſi ſtulte in Deum ſperaſſet.

ARGUMENTUM PSALMI LXXXVII.

Quum piorum animos debilitare poſſet miſera triſtiſque Eccleſiæ conditio qualis ab exilio Babylonico fuit, hic miram & incredibilem ejus inſtaurationem promittit Spiritus ſanctus, ut nihil ſit magis optabile quam cenſeri in ejus membris.

PSALM. LXXXVII.

FIliorum Koræ Pſalmus Canticum. Fundamenta ejus in montibus ſanctis.

2. Diligit Jehova portas Sion præ omnibus tabernaculis Jacob.

3. Glorioſa dicta ſunt de te civitas Dei. Selah.

1 לבני קרח מזמור שיר יסודתו בהררי קדש׃

2 אהב יהוה שערי ציון מכל משכנות יעקב׃

3 נכבדות מדבר בך עיר האלהים סלה׃

QUum bene eſt filiis hujus ſeculi, videmus quantopere ſua illis placeat conditio, & quam magnifice cum ſuperbo Eccleſiæ contemptu eam extollant: ac ne malis quidem domiti, hujus ſuæ ebriæ confidentiæ obliviſcuntur. Interea ſecure ab illis deſpicitur religio & Dei cultus: quia deliciis, opibus, & honoris ſplendore contenti, ſibi videntur abſque Deo eſſe felices. Jam vero ſæpe fit ut eos Dominus omni bonorum genere ſaginet, juſtas tandem & maturas de ipſorum ingratitudine pœnas ſumpturus. Eccleſiam vero ſuam variis & gravibus ærumnis premat, vel ſaltem contineat in obſcuro & humili ſtatu, ut ſibi miſera poſſit videri, certe deſpectui ſit obnoxia. Ergo ne fideles decipiat evanida iſta ſpecies, alio revocari operæpretium eſt, ut ſtatuant verum eſſe quod docet Pſalmus 33. verſ. 12. Beatum eſſe populum cui Dominus eſt Deus. Sit igitur Pſalmi hujus ſumma, Unam Dei Eccleſiam ſupra omnia mundi regna & politias excellere, quia Deum habet ſalutis ſuæ præſidem, ejuſque imperio gubernatur. Primum ut inter violentos motus & horribiles procellas, quibus ſubinde concutitur orbis terrarum, ſalva maneat. Secundo, idque præcipue, ut ejuſdem Dei præſidio mirabiliter ſervata, tandem ad palmam ſupernæ vocationis poſt longam militiam perveniat. hoc ſingulare Dei beneficium eſt, ac ſimul inſigne miraculum, quod inter tam varias regnorum terræ converſiones, Eccleſiam ſuam per continuos ætatum ſucceſſus propagans, ab interitu vindicat, ut ſola in mundo perpetua ſit. Verum quia ſæpe dum affluunt increduli divitiis, florent opibus & potentia, miſeram Eccleſiam inter plurima diſcrimina jactari, imo innumeris naufragiis propemodum obrui conſtat: in eo præſertim ſtatuenda eſt ejus felicitas, quod æternum ſtatum in cælo repoſitum habeat. Jam ad Pſalmum intelligendum non parum facit temporis, quo compoſitus fuit, circumſtantia. nam etſi ab exilio Babylonico reverſus erat populus, collecta Dei Eccleſia rurſus in unum corpus ex longa diſſipatione coaluerat, ſtabat templum & altare, reſtitutus erat Dei cultus: quia tamen ex ingenti multitudine exigua tantum portio hominum reſtabat, Eccleſiæ conditio obſcura erat & ignobilis: atque id quod erat reſiduum, ab hoſtibus quotidie atterebatur: templum antiquo ſuo ſplendore longe inferius erat: fidelibus vix ulla ſuppetebat in poſterum bene ſperandi materia. Certe ut in priſtinum ſtatum, unde exciderant, ſe unquam attollerent, fieri non poſſe videbatur. Quare periculum erat ne & acceptæ cladis memoria, & præſentium calamitatum mole oppreſſi labaſcerent, ac tandem deſperatione conciderent piorum animi. Tam gravibus ærumnis ne ſuccumbant, Dominus in hoc Pſalmo non tantum recuperaturos promittit quod amiſerant: ſed in ſpem incomparabilis gloriæ eos erigit, ſecundum illud Aggæi vaticinium, Major erit ſecundi templi quam prioris gloria. Nunc poſtremo reſtat, ut in uſum quoque noſtrum aptare Pſalmum hunc diſcamus. Tantum apud pios ejus ſeculi homines valere debuit hæc conſolatio, ut rebus ſuis afflictis non modo erecti ſtarent, ſed è ſepulchro pertingerent ad cælum. Hodie, quum ſciamus, quicquid prædixerat Spiritus, completum fuiſſe, pluſquam ingrati ſumus, niſi Patrum experimentum verbis accedens, fidem noſtram magis confirmet. Neque enim ſatis pro dignitate exprimi poteſt quam ſplendide Chriſtus adventu ſuo Eccleſiam ornaverit. Tunc enim vera religio quæ in anguſtiis Judææ prius clauſa fuerat, per totum orbem diffuſa fuit. Tunc Deus qui ab una familia cognitus fuerat, diverſis omnium gentium linguis cœpit invocari. Tunc mundus qui innumeris ſuperſtitionum errorumque ſectis miſere laceratus fuerat, in ſanctam fidei unitatem coaluit. Tunc certatim omnes Judæis ſe aggregarunt, à quibus abhorruerant. Reges terræ & populi in Chriſti obſequium ſponte ſe dediderunt: lupi & leones in agnos converſi ſunt: dona Spiritus in fideles effuſa, quæ omnem mundi gloriam, quævis decora, divitias omnes longe præcellerent. ipſum Eccleſiæ corpus ex regionibus procul inter ſe remotis mirabiliter collectum & auctum & conſervatum fuit: Euangelii propagatio brevi tempore incredibilis cum profectu peræque inſigni conjuncta. Ergo ſi Eccleſiæ nobilitas nunquam fuiſſet hoc vaticinio celebrata, ipſam tamen vere cæleſte eſſe Dei regnum, præclara & incomparabilis aurei illius ſeculi conditio palam demonſtrat. Cæterum fideles tunc quoque oportuit in æſtimanda Eccleſiæ præſtantia, altius ſapere carnis ſenſu. Nam quo tempore maxime floruit, non purpura, auro & gemmis, ſed Martyrum ſanguine fulgebat. Spiritu dives, egena nihilominus inopſque terreſtrium bonorum erat: ſanctitate coram Deo & Angelis nobilis & conſpicua, mundo tamen deſpicabilis erat. Multi externi & profeſſi hoſtes aut crudeliter ſæviebant, aut obliquis artibus peſſima quæque in eam moliebantur: intus vero timores & inſidiæ. Denique ſub Chriſti cruce adhuc latebat veneranda quidem ſed ſpiritualis ejus dignitas. Quare tunc quoque tempeſtiva fuit quæ hoc Pſalmo habetur conſolatio, ut fideles ad perfectiorem Eccleſiæ ſtatum animis aſſurgerent: noſtra autem ratio diverſa eſt. Factum eſt proinde patrum noſtrorum culpa, ut præclara illa Eccleſiæ ſpecies ſub impiorum pedibus ſqualida & deformis jacuerit. Et hodie peccatis noſtris oppreſſa ſub miſera vaſtatione, ſub diaboli mundique ludibriis, ſub tyrannorum ſævitia, ſub indignis hoſtium calumniis gemit: ut filiis ſeculi, qui ſibi bene eſſe cupiunt, nihil minus ſit optabile, quam cenſeri in Dei populo. Quo melius perſpicitur hujus Pſalmi utilitas, & ſimul quam neceſſaria ſit aſſidua ejus meditatio. Inſcriptio non tam auctores deſignat, quam præfectos muſicæ ad canendum Pſalmum. Quanquam fieri poteſt ut quiſpiam ex illa progenie Levita eum compoſuerit.

Agg. 2. verſ. 10.

1. *Fundamenta ejus in montibus.*] Quum relativum ſit maſculinum, falluntur, meo judicio, qui de Jeroſolyma accipiunt, quaſi fundata eſſe dicatur *in montibus ſanctis.* Nec me latet quomodo hoc excuſent nonnulli docti homines, nomen ſcilicet populi ſubaudiendum eſſe, tametſi de urbe primaria habetur ſermo. Sed quam coacta ſit expoſitio, me tacente omnes vident. Hebræis quibuſdam nihil magis probabile viſum eſt quam ad Pſalmum referre. atque ita metaphorice fundamenta de themate exponunt: quia diſſerat de urbe ſancta Jeruſalem quæ in montibus ſita erat. Ac demiror in re tam facili & expoſita fuiſſe deceptos. nam quum Hebræis tritum ſit, relativum ſine antecedente ponere, loquutio illis dura videri non debuit. Paulo poſt autem ſequitur nomen Dei. Scimus autem paſſim dici fundatam eſſe ab ipſo Hieroſolymam. Quod montes quidam intelligunt Moria & Sion (quæ duo erant cacumina montis bicipitis) nimis coactum eſt. Potius quum montuoſa eſſet regio, plures vicinos montes & contiguos qui Hieroſolymam cingebant, notavit Propheta: ſicuti alibi videbimus, Jeruſalem montes in circuitu ejus. Ergo ſimplex & genuinus eſt ſenſus, quod Deus elegerit ſanctos montes, in quibus urbem ſuam fundaret. nam paulo poſt in contextu ſequitur, Excelſus ipſe ſtabiliet eam. Eſt quidem & aliarum urbium conditor: ſed de nulla alia urbe dictum legitur, Hæc requies mea in ſeculum, hic habitabo, quia elegi eam. Pſal. 132. verſ. 14. Tenendum eſt ſemper diſcrimen, quod quum aliæ urbes externæ modo politiæ cauſa, auſpiciis Dei & virtute conditæ forent, Hieroſolyma peculiare erat ejus ſacrarium, ſedeſque regia. Eodem modo etiam Jeſaias loquitur, cap. 14. verſ. 32. Quin etiam quum tota Ju-

Pſal. 125. verſ. 2.

dæa Deo ſacra eſſet, dicitur tamen urbem hanc ſibi, aliis rejectis, ſumpſiſſe in qua regnaret. Neque enim de terrena politia hic agitur, ſed de regimine ſpirituali, quia nuſquam tunc alibi pura religio, & legitimus Dei cultus, & pietatis doctrina, quam Hieroſolymæ vigebant. Quod exprimitur ſecundo verſu, *Diligit Dominus portas Sion præ omnibus habitaculis Jacob*: hinc docemur totam ſanctæ urbis præſtantiam à gratuita Dei electione pendere. cui reſpondet quod Pſal. 78. verſ. 60. habetur, Deum repudiaſſe Silo, tribum Ephraim, tabernaculum Joſeph, ut in Sione habitaret, quam dilexit. Ergo cauſam notat Propheta cur locum unum aliis prætulerit Deus: & cauſam ſtatuit non in loci dignitate, ſed gratuito Dei amore. Quare ſi quæritur unde aut cur excellat Hieroſolyma, ſufficiat brevis reſponſio, quia ſic Deo placuit. Atque hoc quidem divini amoris fuit principium: finis autem, ut certus eſſet aliquis locus, in quo ad fovendam fidei unitatem conſiſteret vera religio uſque ad Chriſti adventum, & unde poſtea in omnes mundi plagas manaret. Proinde hoc elogio Propheta Hieroſolymam commendat quod Deum habeat architectum & præſidem. Deinde quicquid præ aliis locis excellentiæ habet, Dei gratiæ & adoptioni adſcribit. Quod *Sionem* pro Hieroſolyma, & *portas* pro toto urbis complexu poſuit, duplex eſt ſynecdoche.

3. *Glorioſa dicuntur.*] Ad verbum eſt, Quod in te dicitur, ſunt res glorioſæ. Spectandum eſt Prophetæ conſilium, vel potius quo ſpectet Dei Spiritus per os Prophetæ ipſius loquens. Quum humilis ac deſpecta eſſet totius populi conditio, multi & graves undique adverſarii inſtarent, paucis animus ſuppeteret ad vincenda obſtacula, quotidie nova aliqua mutatio præter ſpem exoriretur, & periculum eſſet ne res in deterius paulatim collapſæ, tandem peſſum irent: vix ulla ſanctæ urbis inſtauratio ſperari poterat. Ne deſperatione victa ſuccumbant corda fidelium, idonea fultura ſupponitur, quod aliter de futuro ejus ſtatu loquutus ſit Dominus. neque enim dubium eſt quin à præſenti rerum aſpectu revocentur ad promiſſiones, quæ ſpem dabant incredibilis gloriæ. Ergo quamvis nihil magnopere lætum appareat, filios tamen Dei jubet Propheta Verbo erectos, quaſi in ſpecula ſtare, ut patienter expectent quæ promiſſa ſunt. Hoc modo admonebantur fideles: primum ut ad vetera oracula attenderent, eaque memoria repeterent, præſertim quæ apud Jeſaiam leguntur à capite 40. uſque ad finem libri: deinde ut aures præberent Dei ſervis, qui tunc de regno Chriſti concionabantur. unde ſequitur, rectum de Eccleſiæ felicitate judicium non poſſe fieri, niſi dum eam ex Dei verbo æſtimamus.

4. Memorabo Rahab & Babel inter cognitores meos: ecce Philiſtini & Tyrus cum Æthiopia, hic natus eſt ibi.	4 אזכיר רהב ובבל לידעי הנה פלשת וצור עם כוש זה ילד שם:
5. Et de Sion dicetur, Vir & vir natus eſt in ea, & Excelſus ipſe ſtabiliet eam.	5 ולציון יאמר איש ואיש ילד בה והוא יכוננה עליון:
6. Dominus recenſebit ſcribendo populos, Hic natus eſt ibi. Selah.	6 יהוה יספור בכתוב עמים זה ילד שם סלה:

4. *Memorabo.*] Nomen *Rahab* pro Ægypto in compluribus aliis Scripturæ locis ſumitur: & huic optime quadrat ea ſignificatio. conſilium enim Prophetæ eſt ſcribere magnificam illam Eccleſiæ amplitudinem, quæ adhuc in ſpe abſcondita erat. Dicit igitur, eos qui prius infeſti hoſtes fuerant, vel prorſus alieni, non tantum familiares amicos fore, ſed inſerendos in unum corpus, ut cenſeantur Hieroſolymæ cives. Priore membro dicit, Memorabo Ægyptum & Babylonem inter meos domeſticos. Secundo addit, Philiſtini, Tyrii & Æthiopes, quibus hactenus tantum fuit diſſidium cum populo Dei, nunc perinde conſentient acſi eſſent indigenæ. Præclara Eccleſiæ dignitas, quod undique ad eam aggregabuntur qui eam ſpernebant: & qui eam cupiebant exciſam ac perditam, ſummi honoris loco ducent, cives ejus eſſe & haberi. Sponte omnes patriæ ſuæ renunciabunt in qua prius ſuperbiebant. undecunque ergo nati ſint, ſive ex Palæſtina, ſive ex Æthiopia, ſive Tyro, profitebuntur ſe Urbis ſanctæ eſſe cives. Hebræi hunc locum ita exponunt, pauciſſimos ex aliis gentibus prodituros, qui ingenio aut virtute præſtent: ſed in Iſraële magnum fore proventum. Vix, inquiunt, ſinguli apud Tyrios, Ægyptios, Æthiopes, & quoſvis alios, extabunt laude digni homines: ut ſiquis talis ſit, digito monſtrari queat ob raritatem: ſed in Sion *vir & vir naſcetur*, hoc eſt, magna erit talium copia. Chriſtiani fere uno conſenſu ad Chriſtum referunt, ac exiſtimant reddi cauſam cur inter Hieroſolymæ cives numerandi ſint qui hactenus extranei fuerant, adeoque infenſi hoſtes: quia ſcilicet illic naſcetur Chriſtus, cujus officium eſt homines diſſipatos, quaſi lacera membra, in fidei unitatem & ſpem vitæ æternæ colligere. Prior interpretatio quum ſit prorſus coacta, refutatione non indiget. Deinde ſatis liquet, Judæos ſtolida ambitione inductos, quaſi data opera torquere hunc locum. Quod afferunt Chriſtiani, quanquam propter argutiam primo intuitu plauſibile eſt, nihil tamen habet ſolidi: & clara ſunt Prophetæ verba, cujuſcunque gentis ſint homines, libenter patriæ ſuæ renunciaturos, ut in catalogo populi electi ſcribantur. *Natos* enim non ponit pro indigenis, ſed pro civibus. Quod poſtea ſubjicitur, *Excelſus ſtabiliet eam*, non minus proprie vertetur, ordinabit: quia ſcilicet verbo ſuo Deus Eccleſiam ſpecialiter gubernat.

5. *Et de Sion dicetur.*] Continuat eandem ſententiam, quod ex diverſis mundi partibus colligentur novi cives in Eccleſiam Dei. Quanquam alia figura utitur, quod alienigenæ re[...]abuntur in ſacro populo, perinde acſi originem à Patre Abraham ducerent. Dixerat proximo verſu, Chaldæi & Ægyptii ad Eccleſiæ domeſticos accedent: Æthiopes, Palæſtini & Tyrii, nomina dabunt inter ejus filios. nunc confirmationis vice addit, ingentem novæ ſobolis turbam fore, ut numeroſo populo referta ſit civitas, quæ ad tempus deſerta, poſtea etiam exiguo hominum numero ſemiplena fuerat. Idem quod breviter promittitur, pluribus verbis deſcribit Jeſaias, Landa ſterilis, quæ non pariebas: quia plures filii erunt deſertæ, quam quæ marito conjuncta eſt. dilata locum tentorii tui, extende funiculos, & clavos conſolida, &c. Item, Filii tui è longinquo venient, leva per circuitum oculos tuos, omnes iſti congregabuntur tibi. Capite autem 44. verſ. 5. eadem fere loquutio extat, vel ſaltem quæ proxime ad iſtam accedit quæ hic habetur, Iſte dicet, Domini ſum: ille vocabit in nomine Iſraël. ſcribet hic ſua manu, Ego Domini: ille ex nomine Iſraël ſe cognominabit. Neque abs re *naſcendi* verbo ſignificat Propheta ex grege populi Dei fore Ægyptios, Chaldæos, & ſimiles. nam etſi natura geniti non erant ex Sione, ſed adoptione inſerendi in ſancti populi corpus: quia tamen ipſe in Eccleſiam tranſitus ſecunda eſt nativitas, optime convenit iſta loquutio.

Jeſa. 54. verſ. 1.

quutio. nam & ea lege Chriſtus ſibi fideles deſpondet, ut populum ſuum obliviſcantur, & domum patris ſui, Pſalmo 45. verſ. 11. & formati ac regeniti ſemine incorruptibili in novas creaturas, tam Dei, quam Eccleſiæ filii eſſe incipiant, Gal. 4. verſ. 19. Et certe non aliter renaſcimur in cœleſtem vitam, quam per Eccleſiæ miniſterium. Interea tenendum eſt diſcrimen quod ponit Apoſtolus inter terrenam Jeruſalem, quæ ut ſerva eſt, in ſubjectionem generat: & ſupernam, quæ ingenuos filios per Euangelium parit. Secunda parte verſus exprimitur longa diuturnitas. ſæpe enim contingit ut quo citius in eximiam altitudinem emergunt urbes, brevior ſit proſperi ſtatus duratio. ne putetur in eum modum caduca Eccleſiæ felicitas, Propheta ejus firmitudinem à Domino fore pronunciat: acſi diceret, Non mirum eſt ſi nutent aliæ urbes, variiſque inclinationibus ſubinde ſint obnoxiæ: quia una cum mundo volvuntur, neque æternos habent cuſtodes. At novæ Jeruſalem diverſa erit ratio, cujus perpetuitas in Dei virtute fundata, etiam cælo & terra ruentibus, conſiſtet.

6. *Dominus recenſebit.*] Intelligit Propheta tam celebre fore Sionis nomen, ut in civium ejus numerum ac ordinem referri omnes cupidiſſime ambiant. Loquitur enim de ſorte maxime honorifica: acſi diceret, Quum Deus cenſum aget populorum quos præcipuo honore dignabitur, Sioni potius quam Babyloni, aut aliis quibuſvis urbibus, adſcribet. pluris enim erit iſta nobilitas, inter cives Sionis plebeium locum tenere, quam alibi uſquam primatum. Simul tamen admonet unde alienis hominibus repente tantus honor: nempe ex Dei beneficio. Et certe qui Satanæ & peccati mancipia ſunt, nunquam ſibi propria induſtria jus ſupernæ civitatis acquirent: ſolus eſt Dominus qui populos ut viſum eſt, in ſuas claſſes diſtribuens, quum par ſit hominum conditio, alios ab aliis diſcernit. Deſcriptio cujus hic fit mentio, ad vocationem pertinet. nam etſi filios ſuos ante conditum mundum ſcripſit in libro vitæ, in ſuorum tamen catalogo tunc eos demum recenſet quum regenitos adoptionis Spiritu, nota ſua inſignit.

7. Et cantores ſicut tibicines, omnes fontes mei in te. | וְשָׁרִים כְּחֹלְלִים כָּל מַעְיָנַי בָּךְ׃ 7

7. *Et cantores.*] Partim conciſa brevitas, partim ambiguitas vocis unius orationem reddit obſcuram. *Fontes* metaphorice hic ſumi, extra controverſiam eſt: ſed in explicanda metaphora variant interpretes. Quidam ſpes interpretantur, quidam affectus, alii cogitationes. Libenter eorum ſententiæ ſubſcriberem qui modulationes vertunt, ſi pateretur hoc linguæ proprietas. quia autem id nimis remotum videri poſſet, quod rationi maxime conſentaneum eſt amplector, aſpectus notari: acſi dictum eſſet, Ego in te quaſi defixis oculis ſemper intentus ero. nam & radix nominis oculum ſignificat. Nunc videndum eſt quid ſib velit alterum illud membrum, Cantores ut tibicines. abrupta quidem eſt loquutio, ſed de cujus ſenſu inter omnes ſatis convenit: tantam lætitiæ materiam fore, ut tam aſſa voce, quam muſicis inſtrumentis continue reſonent illic Dei laudes. Confirmat ergo quod prius dixit de magnifica Sionis inſtauratione: quia ex gaudii magnitudine, & multiplici laudum concentu, quanta ejus futura ſit felicitas demonſtrat. Verùm interea finem deſcribit donorum omnium, quibus tam liberaliter Eccleſiam ſuam proſequitur Deus: ut ſcilicet hymnis & canticis ſuam erga eum gratitudinem teſtentur fideles. alii חֹלְלִים vertunt, qui ſaltant ad modulos vel tripudiant. Sed in eo parum eſt momenti: quum hoc ſummatim tenere ſufficiat, perpetuam ſcilicet ſymphoniam laudum Dei in Eccleſia fore, ubi gratiæ ſuæ theſauros explicuerit, mutuaſque fore canendi vices. Adde quod Dei Eccleſiam ſingulari amore, cura, ſtudio amplecti ſe demonſtrat Propheta, ut ſuo exemplo ad eundem pios omnes affectum hortetur & accendat, juxta illud, Oblivioni detur dextera mea, ſi non memor fuero tui Jeruſalem in principio lætitiæ meæ. Tunc enim demum in Eccleſia ſubſiſtunt omnes noſtri affectus, dum à vagis vaniſque diſtractionibus collecti, poſthabitis mundi honoribus, deliciis, opibus, pompis, una ſpirituali regni Chriſti gloria contenti ſunt. *Pſal. 137. verſ. 5.*

ARGUMENTUM PSALMI LXXXVIII.

Quanquam Pſalmus hic graviſſimas lamentationes hominis miſerrime afflicti & fere deſperati continet: ſimul tamen invictam fidei ſuæ conſtantiam, contra mœrorem luctando, declarat Propheta, quod ex profundis mortis tenebris Deum nihilominus redemptorem implorat.

PSALM. LXXXVIII.

CAnticum Pſalmi filiorum Koræ, præfecto ſuper Mahalath ad humiliandum, eruditivum Heman Ezraitæ. | שִׁיר מִזְמוֹר לִבְנֵי קֹרַח לַמְנַצֵּחַ עַל מָחֲלַת לְעַנּוֹת מַשְׂכִּיל לְהֵימָן הָאֶזְרָחִי׃ 1

2. Jehova Deus ſalutis meæ, die clamo, nocte coram te. | יְהוָה אֱלֹהֵי יְשׁוּעָתִי יוֹם צָעַקְתִּי בַלַּיְלָה נֶגְדֶּךָ׃ 2

3. Veniat in conſpectum tuum precatio mea, inclina aurem tuam ad clamorem meum: | תָּבוֹא לְפָנֶיךָ תְּפִלָּתִי הַטֵּה אָזְנְךָ לְרִנָּתִי׃ 3

4. Quoniam ſaturata eſt malis anima mea, & vita mea inferno appropinquavit. | כִּי שָׂבְעָה בְרָעוֹת נַפְשִׁי וְחַיַּי לִשְׁאוֹל הִגִּיעוּ׃ 4

5. Reputatus ſum cum deſcendentibus in ſepulchrum: fui tanquam vir cui nulla virtus, | נֶחְשַׁבְתִּי עִם יוֹרְדֵי בוֹר הָיִיתִי כְּגֶבֶר אֵין אֱיָל׃ 5

6. Inter mortuos liber, tanquam occiſi jacentes in ſepulchro, quorum non es memor amplius, & qui e manu tua abſciſſi ſunt. | בַּמֵּתִים חָפְשִׁי כְּמוֹ חֲלָלִים שֹׁכְבֵי קֶבֶר אֲשֶׁר לֹא זְכַרְתָּם עוֹד וְהֵמָּה מִיָּדְךָ נִגְזָרוּ׃ 6

CAnticum Pſalmi.] Heman cujus nomen hic inſcribitur, eum eſſe probabile eſt cujus mentio fit in Sacra hiſtoria, ubi dum laudatur prudentia Solomonis, confertur cum Etan, Heman, Chalcol, & Darda. Ideoque mirum non eſt, hominem ſapientia Spiritu præſtantem Pſalmi hujus auctorem fuiſſe. Particulam עַל מָחֲלַת quidam appellative vertunt, ſuper infirmitate. Sed ex communi *1 Reg. 4. verſ. 31.*

muni uſu probabile eſt vel muſicam inſtrumentum notari, vel initium cantilenæ. De aliis vocibus jam alibi ſatis dictum eſt. Porro tenere operæpretium eſt, in unius hominis perſona ſtatui nobis ante oculos raræ afflictionis & ſimul patientiæ ſpeculum. neque enim Deus ſervum ſuum, quem tam præclaris dotibus ornaverat ut aliis eſſet exemplo, privatim exercuit, ſed communem eruditionis materiam dare voluit omnibus ſuis. Quo etiam conſilio Heman velut theatrum conſcendens, tam ſuarum infirmitatum, quam ſuæ fidei & conſtantiæ teſtem facit Eccleſiam. Noſtra enim plurimum intereſt, nobilem Dei ſervum, & eximiis Spiritus dotibus excellentem ſpectare tanta afflictionum mole obrutum, ut flebiliter deploret ſe nihil à mortuo diſtare: ne vel ærumnæ noſtræ, quantumvis graves, deſperatione nos opprimant: vel ſi quando nos ægritudo, cura, dolor, anxietas, & metus debilitat, ideo tamen deſpondeamus animos, præſertim ubi videmus ſanctum Prophetam non ſine violento conatu ex profunda obſcuritate in lucem bonæ ſpei emergere. Quin potius ſtatuendum eſt, per os Heman à Spiritu Dei precandi formulam dictari, qua deſperatos omnes invitet.

2. *Jehova Deus.*] Notandum eſt quod nuper attigi, quamvis ſimpliciter & citra hyperbolen recitet Propheta quos paſſus eſt anxietatum & dolorum cruciatus, dictaſſe tamen afflictis precandi formam, ne ſub ullis malorum tormentis deficerent. Etſi autem pro malorum atrocitate ſtatim ebulliet in vehementes querimonias, brevi tamen præfatione tempeſtive ſe munit: ne affectus ſui fervore abreptus, obſtrepat potius Deo, & expoſtulet, quam ſuppliciter veniam deprecetur. Deum enim *ſalutis ſuæ* vocans, quaſi injecto freno, cohibet doloris intemperantiam, deſperationi januam claudit, ſeque ad crucis tolerantiam munit & comparat. Clamore & aſſiduitate oſtendit quam ſerio intentus fuerit ad orandum. Fieri quidem poteſt ut vocem non extulerit pleno gutture: ſed *clamandi* verbo ad contentionem notandam non fruſtra uſus eſt. Eodem ſpectat perſeverantia, dum ſe *dies & noctes* continuaſſe dicit. Nec ſupervacua etiam eſt particula *coram te*, quia etſi communiter omnes querulantur in dolore, multum tamen abeſt quin effundant coram Deo ſuos gemitus. imo major pars latebras quæritat, in quibus obmurmuret Deo, ejuſque ſeveritatem accuſet: alii clamores ſuos temere projiciunt in aërem. Unde colligimus, raræ virtutis eſſe, Deum nobis ſtatuere ante oculos, ad quem vota noſtra dirigamus.

4. *Quoniam ſaturata eſt malis anima mea.*] His verbis Propheta magnitudinem ſui doloris excuſat: acſi diceret, ſe non mollitie vel deliciis adeo eſſe clamoſum: ſed ſi reputetur ſua conditio, immenſa malorum congerie ad lamentationem juſte impelli. Nec unam tantum mali ſpeciem profert: ſed alia aliis fuiſſe aggeſta, ut ad tædium uſque cor ejus mœroribus refertum fuerit. Deinde in ſpecie exprimit vitam ſuam non procul abfuiſſe à ſepulchro. Sed hoc quoque proximo verſu magis exaggerat, ubi ſe quaſi exanimem fuiſſe conqueritur. Etſi enim ſpirabat inter vivos, multæ tamen mortes quæ undique impendebant, totidem erant ſepulchra, quibus ſe mox degluttiendum putabat. Et nomen גבר quod à fortitudine dicitur, potius quam hominis videtur poſuiſſe, quo melius teſtatum faceret tantam fuiſſe atrocitatem malorum quæ vel robuſtiſſimum quemque frangeret.

6. *Inter mortuos liber.*] Plus quiddam & gravius vulgari morte exprimere voluit Propheta. Primo ſe liberum eſſe dicit inter mortuos, quod inutilis eſſet ad omnia vitæ munera, & quaſi à mundo alienatus. Illa enim Auguſtini argutia nihil ad Prophetæ mentem, Chriſtum vocari liberum inter mortuos, quia ſingulari privilegio victoriam adeptus eſt, ne mors in eum dominaretur. Potius enim dicit Propheta ſe præſentis vitæ militia perfunctum, nullam animo curam amplius ſuſcipere, quia ſenſum omnem mala abſtulerint. Deinde *vulneratis* ſe comparans, pejus ſecum agi deplorat, quam ſi malis debilitatus, paulatim ad mortem deſcenderet: quia violentam mortem naturaliter magis horremus. Durius in ſpeciem eſt quod addit, ſe *oblivioni traditum eſſe à Deo, & abſciſſum ab ejus manu*, vel cuſtodia: quum certum ſit, mortuos non minus quam vivos ſub tutela Dei eſſe. Imo nebulo ille Balaam, cui propoſitum erat lucem convertere in tenebras, coactus tamen fuit exclamare, Moriatur anima *Num. 23. verſ. 10.* mea morte juſtorum. Itaque poſſet videri ſententia hæc profani hominis, Deum non eſſe amplius memorem hominis mortui. Reſponſio dari poteſt, Prophetam ex vulgi ſenſu loqui, ſicuti etiam Scriptura, quum de providentia Dei agitur, ſtylum accommodat ad viſibilem mundi ſtatum, quia ad futuram vitam, quæ abſcondita eſt, nonniſi gradatim conſcendimus. Exiſtimo tamen Prophetam magis ex turbulento afflicti hominis ſenſu loquutum eſſe, quam reſpexiſſe quid rudes & imperiti ſentiant. Nec mirum eſt, hominem Spiritu Dei præditum, ubi prævaluit mœror, quaſi attonitum fuiſſe, ut vocem parum conſideratam emitteret. Quamvis enim ſervis Dei in ſummis perturbationibus fides hæc infixa maneat, Deo curæ eſſe tam vivos quam mortuos: ſæpe tamen eorum mentes obnubilat dolor, ut non occurrat in re præſenti Dei providentia. Hoc inter querimonias Job ſæpius animadvertere licet, dum præoccupati ſunt piorum animi triſtitia, non ſtatim penetrare ad arcanam Dei providentiam, quam tamen probe meditati ſunt, & inſculptam in cordibus ſuis geſtant. Ergo Propheta, quamvis perſuaſus eſſet mortuos quoque eſſe ſub tutela Dei, in primo tamen triſtitiæ impetu non tam compoſite loquutus eſt ut decebat: quia ſuffocatum erat lumen fidei, quod ſtatim emicuit, ut videbimus. Et hoc notatu in primis utile eſt, ne ſi tentationes nos debilitent, animos tamen deſpondeamus.

7. Poſuiſti me in fovea infima, in tenebroſis, in profunditatibus:	7 שתני בבור תחתיות במחשכים במצלות׃
8 Super me incubuit indignatio tua, & omnibus fluctibus tuis afflixiſti me. Selah.	8 עלי סמכה חמתך וכל משבריך עניתה סלה׃
9. Removiſti notos meos à me, poſuiſti me abominationes illis: concluſus ſum ut non egrediar.	9 הרחקת מידעי ממני שתני תועבות למו כלא ולא אצא׃
10. Oculus meus dolet præ afflictione mea, invoco te Jehova quotidie, expando ad te manus meas.	10 עיני דאבה מני עני קראתיך יי בכל יום שטחתי אליך כפי׃

7. *Poſuiſti me.*] Jam diſtinctius agnoſcit, quicquid patitur malorum, ex Dei manu profectum eſſe. Nec vero quiſquam ſerio petendi remedii cauſa ad Deum confugiet, niſi qui jam perſuaſus erit, ejus manu ſe percuti, nihil autem fortuito contingere. Jam quo propius ad Deum accedit, notandum eſt, magis

magis exacerbari dolorem: quia ſanctis nihil magis horribile eſt Dei judicio. Alii vertunt, *appropinquavit ſuper me indignatio tua*, & ſic interdum accipitur verbum סמך. Sed circumſtantia loci accipere cogit, ut pluribus aliis locis, pro circumdare vel incumbere: quia ubi de homine in triplex ſepulchrum demerſo ſermo habetur, illud appropinquare nimis eſſet frigidum. Contextui autem optime reſpondet verſio quam ſequutus ſum, ut dicat Propheta ſe ſuſtinere totam molem iræ Dei, quia ejus fluctibus affligitur. Jam quum tam horribile diluvium Prophetam non impedierit quominus cor ſuum & vota ad Deum extolleret: diſcamus, ejus exemplo, in omnibus naufragiis noſtris anchoram fidei & precum in cælos jacere.

9. *Removiſti.*] Quum humanis omnibus auxiliis orbatus eſſet Propheta, hoc quoque iræ Dei aſcribit, in cujus arbitrio eſt flectere corda hominum ad humanitatem, vel eadem efferare. Quod notatu dignum eſt: quia niſi in memoriam ſuccurrat, ideo nos deſtitui humanis mediis, quia Deus manum ſuam ſubducit, tumultuamur ſine fine & modo: & jure quidem conqueri licebit de hominum ingratitudine, vel ſævitia, quoties juſtis officiis nos fraudabunt: ſed hoc profectu carebit, niſi accedat hæc cognitio, quia Deus nobis offenſus eſt, tollere quæ nobis deſtinaverat ſubſidia: ſicuti promptum ei eſt, quoties viſum fuerit, conciliare nobis omnium animos ut manum porrigant. Addit etiam aliquid gravius, ſe fuiſſe deteſtabilem omnibus amicis: ac tandem concludit nullum ſuis malis patere exitum.

10. *Oculus meus.*] Ne Prophetam imaginemur fuiſſe ferreum, rurſus inculcat ſibi tam duras fuiſſe & moleſtas afflictiones, ut in vultu & oculis extarent mœſtitiæ ſigna. unde colligimus quantopere dejectus fuerit. Sed interea teſtatur ſe minime fuiſſe à Deo abſtractum, ut multi ſecum tacite frementes, frenumque rodentes, ut eſt in proverbio, nihil minus ſibi proponant quam ſuas curas in Deum exonerare, ut ſolatium ab eo petant. Quod de *manuum extenſione* dicit, ſignum ponit pro re ipſa. Alibi autem diximus quorſum ſpectaverit hæc ceremonia, quæ ſeculis omnibus fuit in communi uſu. Pſal. 28. verſ. 2.

11. An mortuis facies miraculum? an mortui ſurgentes confitebuntur tibi? Selah. | 11 הלמתים תעשה פלא אם רפאים יקומו יודוך סלה׃

12. An narrabitur in ſepulchro clementia tua, veritas tua in interitu? | 12 היספר בקבר חסדך אמונתך באבדון׃

13. An cognoſcetur in tenebris mirabile tuum: & juſtitia tua, in terra oblivionis? | 13 היודע בחשך פלאך וצדקתך בארץ נשיה׃

14. Ego autem ad te Jehova clamavi, & mane oratio mea præveniet te. | 14 ואני אליך יהוה שועתי ובבקר תפלתי תקדמך׃

11. *An mortuis.*] Significat his verbis, niſi celeriter feſtinet Deus ad opem ferendam, non venturum in tempore: quia vix tantillum à morte diſtet. ergo hunc eſſe extremum articulum, ſi Deus eum juvare velit, quia poſthac ceſſabit occaſio. Quærit ergo quouſque differre velit Deus, an ut mortuos miraculo excitet. Quanquam autem Propheta de ultima reſurrectione non loquitur, quæ ſuperior erit reliquis omnibus miraculis, excuſari tamen non poteſt exceſſus, quia Deo tempus præſcribere noſtrum non eſt ferendi auxilii: quia injuriam facimus ejus potentiæ, niſi ſtatuimus tam facile ei eſſe, reddere vitam mortuis, quam mature occurrere, & antevertere ultimum diſcrimen. Et certe talis ſemper fuit ſanctorum conſtantia, quæ carnis infirmitatem aliqua in parte reſiperet, ut etiam in ipſis virtutibus quod vitii admiſtum erat, neceſſe fuerit paterna Dei indulgentia tolerari. Dum quærit *an in ſepulchro narrabitur Dei bonitas*, non intelligit mortuos carere ſenſu, ſed proſequitur quod jam ante dixerat, magis opportunum eſſe auxiliandi tempus dum homines in periculis adhuc clamitant, quam ſi mortuos è ſepulchris excitet. Ratiocinatur autem ex communi more, quia Deus ſolitus non eſſet mortuos è ſepulchris teſtes ac præcones ſuæ bonitatis producere. Fidem Dei annectit clementiæ: quia quoties ſuorum liberator eſt Deus, ſe in promiſſionibus veracem fuiſſe confirmat. Porro ad promittendum non aliunde, quam mera ſua bonitate inducitur. Quod vero tam fidem quam bonitatem, virtutem & juſtitiam in terra oblivionis cognoſci negat, perperam trahunt homines fanatici ad craſſum errorem, quaſi morte abolerentur homines: quia tantum differit de modo juvandi ordinario: quia Deus mundum hunc inſtar theatri eſſe voluit, ad gratiam, qua proſequitur humanum genus, demonſtrandam.

14. *Ego autem ad te.*] Quamvis aliqua perturbatio fuerit in Prophetæ verbis, quam confeſſus ſum vitioſam fuiſſe: hoc tamen raræ fidei & pietatis ſignum fuit, nunquam deſiſtere à ſtudio precandi. Nam hoc ſenſu dicit ſe *mane feſtinaſſe*: ne putemus lente & frigide fuiſſe cunctatum, donec cogeret ultima neceſſitas. Modeſte autem his verbis admonet, non factum eſſe ſua pigritia ut in diuturnis malis contabuerit, acſi Deum non quæſiiſſet. Atque exemplum hoc in primis eſt notabile, ne deſpondeamus animos, ſiquando preces noſtras, licet voluntarias & aſſiduas, contingat tamen profectu carere.

15. Utquid Jehova repudiabis animam meam, abſcondes faciem tuam à me? | 15 למה יהוה תזנח נפשי תסתיר פניך ממני׃

16. Ego miſer & moribundus à pueritia, tuli terrores tuos dubitando: | 16 עני אני וגוע מנער נשאתי אמיך אפונה׃

17. Super me tranſierunt furores tui, formidines tuæ exciderunt me: | 17 עלי עברו חרוניך בעותיך צמתותני׃

18. Circumdederunt me ſicut aquæ quotidie, cinxerunt me ſimul. | 18 סבוני כמים כל היום הקיפו עלי יחד׃

19. Removiſti à me amicum & ſocium, familiares mei tenebræ. | 19 הרחקת ממני אהב ורע מידעי מחשך׃

15. *Utquid Jehova.*] Quamvis lamentationes iſtæ primo intuitu mœrorem abſque ullo ſolatio præ ſe ferant, continent tamen in ſe tacitas preces. Neque enim ſuperbe cum Deo litigat, ſed flebiliter malis ſuis

ſuis exoptat remedium. atque hoc genus querimoniæ merito inter gemitus inenarrabiles cenſeri debet, quorum meminit Paulus ad Romanos capite 8. verſ. 26. Nec vero ſi putaſſet Propheta ſe reſpui & abominationi eſſe, orando perſeveraſſet. verum carnis ſenſum, cui fortiter reluctabatur, hic in medium proponit, ut re ipſa tandem, & manifeſto effectu appareat, non fruſtra eum oraſſe. Ergo quamvis hic Pſalmus non claudatur gratiarum actione, ſed in lamentabilem querimoniam deſinat, acſi nullus reſtaret gratiæ locus, eo utilior eſt ad nos in precandi officio retinendos: quia certe non deſtitit Propheta, gemitus hos in Dei ſinum deponens, ſperare quam non videbat ſalutem: quia non vocavit initio Deum ſalutis ſuæ, ut ſibi poſtea nihil de eo promitteret. Cur vero ſe *moribundum à puero* fuiſſe dicat incertum eſt, niſi quod probabiliter conjicere licet fuiſſe multis modis duriter examinatum, acſi ejus vita inter varias trepidationes ac metus è filo penderet. Unde etiam colligimus, furores Dei & formidines, de quibus continuo poſt loquitur, non exigui tantum fuiſſe temporis: idque exprimit per vocem *quotidie*. Jam quum nihil magis horribile ſit, quam Deum nobis infenſum concipere, non abs re *diluvio* anxietatem ſuam comparat. hinc etiam *dubitatio*: quia fieri non potuit quin ejus animum dira inquietudine jactaret iræ Dei ſenſus. Quæritur tamen quomodo fidei conſentiat vacillatio. & certe ubi quis perplexus hæret ac dubius, imo huc & illuc agitatur, videtur abſorpta eſſe fides. Sed experientia nos docet, fidem, dum fluctuatur in his agitationibus, ſubinde tamen reſurgere ne mergatur. quod ſi quando ſuffocatur, foveri tamen abſconditam. quia quantumvis inſurgant procellæ, clypeum tamen illum opponit, Deum manere fidelem, ut ſuos nunquam fruſtretur, vel deſerat.

ARGUMENTUM PSALMI LXXXIX.

Propheta quiſquis fuerit Pſalmi auctor, Deo ſupplicaturus pro afflicta Eccleſia, fœdus Dei quod cum Davide pepigerat, ſibi & reliquis ad bene ſperandi materiam proponit. Commemorat deinde in genere, Dei potentiam, quæ perſpicitur in tota mundi gubernatione: adhæc ad redemptionis memoriam deſcendit, in qua Deus paterni ſui erga electum populum amoris æternum ſpecimen exhibuerat. Inde iterum ad fœdus cum Davide percuſſum revertitur, in quo pollicitus fuerat Deus ſe in Regis favorem populo ſemper fore propitium. Tandem ſubjicit querimoniam, quod Deus quaſi pacti ſui oblitus, Eccleſiam exponat impiorum libidini, nec in triſti vaſtitate quicquam opis vel ſolatii oſtendat.

PSALM. LXXXIX.

ERuditivum Ethan Ezraitæ.

2. Clementias Jehovæ in æternum cantabo, in ætatem & ætatem celebrabo veritatem tuam ore meo.

3. Quia dixi, Perpetuo clementia ædificabitur: cælos ſtabilies, veritas tua in illis.

4. Pepigi fœdus cum electo meo, juravi Davidi ſervo meo,

5. Uſque in æternum ſtabiliam ſemen tuum, & ædificabo in ætatem & ætatem ſolium tuum. Selah.

1 משכיל לאיתן האזרחי׃

2 חסדי יהוה עלם אשירה לדור ודור אודיע אמונתך בפי׃

3 כי אמרתי עלם חסד יבנה שמים תכן אמונתך בהם׃

4 כרתי ברית לבחירי נשבעתי לדוד עבדי׃

5 עד עלם אכין זרעך ובניתי לדור ודור כסאך סלה׃

ERuditivum Ethan.] Quiſnam fuerit hic Ethan, cui aſcribitur Pſalmus, mihi non ſatis liquet. nam ſi unum eſſe dicamus ex iis quatuor quibus
1 Reg. 4. ob ſapientiæ præſtantiam confertur Solomo, non
verſ. 31. quadrabit in ejus ætatem argumentum. Niſi forte Solomoni ſuperſtes, triſtem & funeſtam, quæ tunc accidit, diſſipationem, quæ præludium erat ruinæ, defleat. Etſi enim populus in duas partes diviſus, ſtetit adhuc incolumis, quum tamen diſſidium illud ſancitam à Deo unitatem abrumperet, quid potuit ſpei eſſe reſiduum? Adde quod ab uno capite, à quo decem tribus impie defecerant, pendebat ſalus totius corporis. Quam horribile vero portentum fuit, ſtatim poſt unius hominis ætatem cernere regnum illud, quod uſque ad finem mundi integrum florere debebat, miſera laceratione deforme? Quis non putaſſet luſorium & inane fuiſſe oraculum illud, cujus fides tam brevi temporis ſpatio peſſundata erat? Ergo ſi placet Ethan illum Pſalmi fuiſſe auctorem, licebit ejus querimonias in tempus illud conferre, quo non modo labefactatum fuit Davidis ſolium, ſed major pars populi ſe à Deo alienavit, fratreſque mutuis & inteſtinis diſcordiis ſe conficere cœperunt. Ego certe in re dubia nihil video probabilius. Nam qui volunt Spiritu Prophetico præmonitum fuiſſe populum de futuris cladibus, facile refelluntur ab ipſo contextu, ubi diſerte ſcriptor, quiſquis fuerit, mutationem deplorat quæ prima contigit ex factione Jarobeam.

2. *Clementias Jehovæ.*] Tenendum eſt quod nuper attigi, exordium fieri à Dei laudibus & fœderis memoria, ut fideles contra graves tentationum machinas fidem ſuam ſtabiliant. Nam ubi nos ad precandum accingimus, ſi in ipſo veſtibulo occurrat deſperatio, vi & impetu perrumpere neceſſe eſt, ne flaceſcant animi, prorſuſque deficiant. Conſilium ergo Prophetæ fuit, inter ipſa principia firmis & ſolidis fulturis munire piorum animos, ut Dei promiſſione freti, quæ fere in ſpeciem conciderat, repulſis omnibus tentationum machinis, quibus graviter concutiebatur eorum fides, non dubitarent de regni inſtauratione bene ſperare, & pro ea conſtanter precari. Etſi igitur ex triſti ruinæ ſpectaculo pro ſenſu carnis conjicere poterat Ethan ſe & reliquos fideles fuiſſe deluſos, ſe tamen Dei miſericordias quæ tunc erant abſconditæ, celebraturum dicit. Quia vero non facile erat, Deum, quem ſeverum & rigidum experiebatur, clementem agnoſcere: ut hanc tentationem copia & varietas gratiæ Dei ſuperet, ſibi in plurali numero proponit bonitates.

3. *Quia dixi.*] Rationem aſſignat cur Dei laudes continuet inter res adverſas, quia ne ſic quidem deſperet Deum ſuis propitium fore, quamvis aſperius eos caſtiget. Neque enim os quiſquam libere aperiet ad laudandum Deum, niſi qui certo perſuaſus erit, etiam dum ſuis iraſcitur, nunquam paternum affectum exuere. Iſtud enim *dicere*, cujus meminit, tantundem valet atque infixum habere in animo: acſi diceret, quicquid hactenus acciderit, ſibi tamen non fuiſſe excuſſam gratiæ Dei fiduciam in futurum tempus, ſeque in hoc propoſito ſtaturum. Notandum vero eſt, non ſine difficili certamine Prophetam

tam fide amplexum eſſe Dei bonitatem, quæ tunc prorſus evanuerat: ut diſcamus, ſiquando auferat nobis Deus omnia amoris ſigna, ſtatuere tamen in cordibus noſtris *æternum miſericordiæ ædificium* de quo hic agitur. qua metaphora ſignificat Propheta, Dei miſericordiam propagatum iri, vel continuam fore, donec ad finem ſuum vel complementum perveniat. In ſecundo membro aliquid ſubaudiendum eſt: quia huc ſumma redit, non minus fore ſtabilitatis in Dei fide, quam in ipſa cælorum conſiſtentia, quæ æterna eſt, & ab omni mutatione immunis. Porro cælos intelligo non modo viſibiles, ſed qui totam mundi architecturam ſuperant: quia hic Dei veritas ſupra mundi elementa in cæleſti regni Dei gloria locatur.

4. *Pepigi fœdus.*] Quo ſe & omnes pios melius confirmet in fide oraculi, auctoritatem accerſit ex Dei perſona, quem hic loquentem inducit. Nam quia ex ore Dei pendere debet fides, plus ponderis & energiæ huic loquendi formæ ſubeſt, dum in medium prodit ipſe Deus, noſque propria voce invitat. Ubi autem hoc modo nos prævenit, nullus jam eſt temeritati locus ſi familiariter ad eum accedimus: ſicuti rurſus nihil nobis ſine verbo Dei imaginari fas eſt de ejus gratia, vel noſtro arbitrio ſperare quod non eſt pollicitus. Jam promiſſio hac loquutione magis redditur authentica, ubi refert Deus jurejurando interpoſito, fœdus ſe cum Davide ſervo ſuo pepigiſſe. Nam quia ſolebant olim fœdera incidi in tabulas æneas, metaphoram ſumptam ex more illo uſurpat. Duobus vero epithetis ornat ipſum Davidem, vocans electum ſuum, & ſervum. Nam qui priorem titulum ad Abrahamum trahunt, non ſatis attendunt ad communem loquendi formam, qua bis idem repetitur. Jam electus Dei vocatur, quem Deus mero beneplacito, non modo poſteris Saulis & tot viris inſignibus, ſed etiam fratribus ſuis prætulit. Ergo ſi quæritur fœderis cauſa vel origo, venire ad Dei electionem neceſſe eſt. *Servi* nomine, quod continuo poſt ſequitur, ne intelligas Davidem quicquam ſuis obſequiis fuiſſe promeritum: ſed regiæ dignitatis intuitu, vocatur Dei miniſter: quia non ſe temere ingeſſit, ſed vocatione legitima fretus, imperium ſibi divinitus oblatum recepit. Jam ex ipſa fœderis ſumma colligimus, Prophetam non fruſtra in uſum ſuum & totius populi illud accommodaſſe: quia non pepigit Deus privatim cum Davide, ſed totum Eccleſiæ corpus in futuras ætates reſpexit. Etſi enim de Solomone & reliquis ſucceſſoribus aliqua ex parte intelligi hoc debet, Stabiliam ſolium tuum in æternum: ſciebat tamen Propheta, ſolidam perpetuitatem non poſſe niſi in Chriſto reperiri. Et certe Regem unum creando, non unius tantum familiæ Deus reſpectum habuerat, poſthabito & neglecto populo cum quo fœdus ante pepigerat in manu Abrahæ, ſed detulit imperium Davidi ejuſque filiis, ut præeſſent in communem omnium ſalutem, donec Chriſti adventu ſolium vere ſtabiliretur.

6. Et celebrabunt cæli miraculum tuum Jehovah, etiam veritatem tuam in cœtu Sanctorum.

6 ויודו שמים פלאך יהוה אף אמונתך בקהל קדשים:

7. Quia quis in nubibus æquabitur Jehovæ, ſimilis erit Jehovæ in filiis deorum?

7 כי מי בשחק יערך ליהוה ידמה ליהוה בבני אלים:

8. Deus terribilis in cœtu Sanctorum valde, & metuendus ſuper omnes qui in circuitu ejus ſunt.

8 אל נערץ בסוד קדשים רבה ונורא על כל סביביו:

9. Jehova Deus exercituum quis ſicut tu fortis Deus? & veritas tua per circuitus tuos.

9 יהוה אלהי צבאות מי כמוך חסין יה ואמונתך סביבותיך:

6. *Et celebrabunt cæli.*] Propheta loquutus de fœdere Dei, ſicuti fides exordium debet facere à verbo, nunc ad generale operum ejus encomium deſcendit. Quanquam notandum eſt, non alio fine differere Prophetam de admirabili Dei potentia, niſi quo melius illuſtretur ſanctitas fœderis. exclamat enim hunc eſſe Deum qui jure colendus ſit ac metuendus, cui ſit habenda fides: cujus virtuti ſecure inniti liceat. Itaque *miraculum* quod primo loco ponit, libenter ad potentiam reſtringo quam exerit in conſervatione ſuæ Eccleſiæ. Verum quidem eſt cælos admirabilis Dei potentiæ optimos eſſe teſtes ac præcones: ſed ex contextu melius patebit ad eum quem dixi ſcopum elogia omnia referri. Nam recte, meo judicio, per cælos quidam interpretes Angelos intelligunt, quibus in ſalute Eccleſiæ communis eſt lætitia & gratulatio: idque confirmat poſterius membrum, ubi dicit *veritatem Dei in cœtu Sanctorum eſſe prædicandam.* Neque enim dubium eſt quin eandem ſententiam hic continuet: & Veritatis nomine, inſigniat præclaras liberationes quibus Deus fidem ſervis ſuis datam præſtiterat.

7. *Quia quis in nubibus.*] Nunc magis illuſtrat Propheta quod dixit de mirabilibus Dei: ac emphatice exclamat, Quis poterit Deo in nubibus conferri? Nubes autem vel cælum exprimit: quia mirum non eſt, in terra nihil inveniri quod ad Dei gloriam accedat. Nam etſi excellit homo præ aliis animantibus, videmus tamen quam miſera ſit abjectaque ejus conditio, imo quam plena ignominiæ & probri. Unde ſequitur, ſub cælo nullam excellentiam Deo æmulam eſſe: ſed dum in cælos conſcendimus, admiratione rapti, fingimus deorum turbam quæ veram Deitatem abolet. Ac poſterius membrum exegeticum eſt, ubi negat Propheta inter filios deorum quenquam eſſe vero & unico Deo ſimilem. Nam quod per nubes vel cælos quidam intelligunt Solem, Lunam, & ſtellas, ipſo contextu refellitur. Summa ergo eſt, etiam in cælis ipſis unicum Deum eminere abſque ſocio. Et Angelos quidem vocat filios deorum: quia nec originem ex terra traxerunt, neque corruptibili corpore ſunt veſtiti: ſed cæleſtes ſunt ſpiritus divina præditi gloria. Non quod pars ſint eſſentiæ Dei, ſicuti ſomniant fanatici homines: ſed quia in ipſis potentiam ſuam Deus exerit, hoc elogio eorum natura à noſtra diſtinguitur. Summa eſt igitur, Quamvis in Angelis refulgeat major dignitas quam in aliis creaturis; quæ etiam in ſui admirationem nos rapit: non tamen appropinquare Deo, ut ſua eminentia eum obſcurent, vel imperium obtineant cum eo commune. Quod diligenter notandum eſt: quia utcunque Deus paſſim Angelos pronunciet ſibi eſſe miniſtros & paratos ad obſequium: mundus tamen unico Deo non contentus, multas ſibi Deitates fabricat. Eodem pertinet proximus verſus, ubi dicit Propheta *Deum eſſe formidabilem in cœtu Sanctorum.* Diabolicam enim illam ſuperſtitionem corrigit ad quam propenſi ſunt fere omnes, quum Angelos ſine modo & ratione extollunt. Atqui ſi ipſi quoque Angeli trepidant & expaveſcunt coram Dei majeſtate, quomodo non coguntur in ordinem, ut ſolus Deus in ſolidum regnet? Porro eos *in circuitu Dei* locans; intelligit inſtar ſatellitum circumdare ſolium ejus, præſtoque ſemper

per adeſſe ad ſubeunda juſſa. Poſtea denuo idem repetit, *Quis ſicut tu fortis?* ut metu ſaltem territi, diſcamus non ſpoliare eum debito honore. Cæterum ne nimis nos abſterreat, aliquid dulcedinis admiſcet, *veritatem ejus per omnes circuitus ſpectari* prædicans: acſi diceret, Deum ſemper conſtare ſuis promiſſis: & quicquid mutationum accidat, manere tamen à tergo & fronte, à dextra & ſiniſtra veracem.

10. Tu dominaris ſuperbiæ maris: dum attolluntur fluctus ejus, compeſcis eos.	10 אתה מושל בגאות הים בשוא גליו אתה תשבחם:
11. Tu afflixiſti ſicut vulneratum Ægyptum, in brachio fortitudinis tuæ diſperſiſti inimicos tuos.	11 אתה דכאת כחלל רהב בזרוע עזך פזרת אויביך:
12. Tui ſunt cæli, etiam tua eſt terra, orbem & plenitudinem ejus tu formaſti.	12 לך שמים אף לך ארץ תבל ומלאה אתה יסדתם:
13. Aquilonem & Meridiem tu creaſti: Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt.	13 צפון וימין אתה בראתם תבור וחרמון בשמך ירננו:
14. Tibi brachium cum potentia: roborabis manum tuam, attolles dexteram tuam.	14 לך זרוע עם גבורה תעז ידך תרום ימינך:
15. Juſtitia & judicium locus ſolii tui, clementia & veritas præcedent faciem tuam.	15 צדק ומשפט מכון כסאך חסד ואמת יקדמו פניך:

10. *Tu dominaris.*] Jam admonui, quæ hactenus generaliter Propheta diſſeruit de virtute Dei, referenda eſſe ad redemptionis miraculum, quod jam diſerte celebrat. Quanquam enim quidam fluctus maris componi interpretantur, quia Deus non patitur ſubmergi diluvio totum orbem: ego tamen conjunctim duos iſtos verſus legens, Prophetam exiſtimo de Rubro mari loqui, quod Deus compeſcuit ut tranſitum daret populo ſuo. Subjicit enim continuo poſt, totam *terram Ægypti inſtar hominis occiſi fuiſſe proſtratam.* Quibus verbis Dei gratiam in liberanda Eccleſia commendat. Neque enim dubium eſt quin ſibi & aliis propoſuerit paternum Dei amorem, quo liberius ad eum confugeret. ſicuti Deum prædicans *brachio ſuo forti contriviſſe hoſtes*, ab experimentali notitia colligit, quoties viſum fuerit, idem ſemper facturum.

12. *Tui ſunt cæli.*] Tertio repetit, Deum, qui electi populi fuit liberator, imperio ſuo regere totum orbem. Nam ex creatione colligit Deum actualiter moderari quicquid in cælo & terra agitur: quia abſurdum eſſet, cælos à Deo creatos, fortuito nunc volvi, & res vel hominum arbitrio, vel temere & caſu miſceri in terra: quia proprium Dei eſt tueri & gubernare quicquid condidit: ne cum profanis hominibus imaginemur pulcherrimi hujus theatri conſpectu otioſum frui. De *Meridie & Septentrione* loquens, item de montibus *Hermon & Thabor*, accommodat ſermonem ad ſenſum rudis vulgi: quaſi diceret, nullam eſſe mundi partem quæ non revereatur opificem ſuum, atque obſervet. Proximum quoque verſum ſimul contexo, quod *brachium Dei inſtructum ſit potentia, manus ejus robore, & dextra ejus ſummam celſitudinem obtineat.* Nam quod reſolvunt quidam in optativum, Robores manum tuam, & dextram attollas: remotius videtur à Prophetæ mente, qui ſimpliciter, ad pios omnes animandos, ineſtimabilem Dei fortitudinem celebrat.

15. *Juſtitia.*] Plus etiam valent hæc elogia ad ſpei confirmationem, quam ſi in medium propoſita eſſet ſola Dei fortitudo. Et quoties fit Dei mentio, ad has præcipue virtutes quæ fidem ædificant, mentes intendere convenit: ne fruſtra evaneſcamus in argutis ſpeculationibus: quibus dum ſe oblectant ſtulti homines, non tenent quid ſit Deus. Propheta igitur ad Regum inſignia vel pompas alludens, dicit judicium & juſtitiam eſſe fulturam ſolii ejus, ut conſpicuus emineat: *clementiam* vero & *veritatem* eſſe quaſi apparitores. acſi diceret, loco purpuræ, vel diadematis, vel ſceptri, his inſignibus ornari Deum, quod juſtus ſit, & æquus mundi judex, miſericors pater, & fidelis ſuorum protector. Nam quia terrenis Regibus non ſuppetit intrinſeca dignitas, aliunde eam mutuantur. Deus autem qui ſe uno contentus, nullis adminiculis indiget, ſplendorem imaginis ſuæ in juſtitia, bonitate, & veritate ſua nobis proponit.

16. Beatus populus qui novit jubilationem, Jehova in ſplendore vultus tui ambulabunt.	16 אשרי העם יודעי תרועה יהוה באור פניך יהלכון:
17. In nomine tuo exultabunt quotidie, & in juſtitia tua efferentur:	17 בשמך יגילון כל היום ובצדקתך ירומו:
18. Quia gloria roboris eorum tu es, & in beneplacito tuo efferetur cornu noſtrum.	18 כי תפארת עזמו אתה וברצונך תרים קרננו:
19. Quia Jehovæ clypeus noſter, & ſancto Iſraëlis Rex noſter.	19 כי ליהוה מגננו ולקדוש ישראל מלכנו:

16. *Beatus populus qui novit*, &c.] Proſequitur quod de Eccleſia attigerat, non modo quia ad intuitum operum Dei cæcutiunt increduli, ſed quia Prophetæ non aliud quam piis bonam ſpem dare propoſitum eſt, ut ſecure in Deum recumbant, nulliſque malis frangantur, quin eum intrepide invocent. Beatos autem eſſe dicit quibus datum eſt in Deo lætari: quia etſi Dei liberalitate communiter paſcantur cuncti mortales, non tamen ſenſus paternæ ejus bonitatis ad omnes pervenit, ut ſibi propitium eſſe perſuaſi, de ſalute ſibi gratulentur. Singulari itaque privilegio dignatur ſuos electos, guſtandam illis bonitatem ſuam præbens, ut ad gaudium & jubilationem colligant animos. Et certe nihil miſerius, quam incredulos bruto ſtupore calcare Dei beneficia, quibus ſe ingurgitant: quia eo fœdior eſt eorum ingratitudo, quo largius eos Deus ſaginat. Hæc igitur vera felicitas, Dei bonitatem concipere, quæ animos noſtros gaudio occupans, ad laudes & gratiarum actionem incitet. Effectu deinde probat

beatos

beatos eſſe qui læti & hilares Deum agnoſcunt patrem: quia non modo fruantur ejus beneficiis, ſed favore ejus freti, totum vitæ curſum tranquillis animis peragant. Hoc enim valet *ambulare in lumine vultus ejus*, dum perſuaſi ſumus peculiariter ab eo ſalutem noſtram curari, eumque excubias agere pro ſalute noſtra, acquieſcere in providentia ejus. Eodem pertinet *lætitia in nomine*, & *gloriatio in juſtitia*. Summa enim eſt, ſatis & ſuper in Deo reperire fideles quo exultent & glorientur. Per vocem *quotidie* notare videtur firmam & ſolidam continuationem: atque ita oblique perſtringere ſtultam eorum arrogantiam qui vento tantum inflati, ſuperbiendo in ſuis viribus, cornua in ſublime tollunt. Nam, ut male ſunt fundati, tandem concidere neceſſe eſt. Unde ſequitur, nullam eſſe veram magnanimitatem, nec ullam virtutem ſtare, niſi quæ unius Dei gratiæ innititur: ſicuti etiam magnifice Paulus ſe
Rom. 8. verſ. 31. jactat, Si Deus pro nobis, quis prævalebit contra nos? Et malis omnibus, tam præſentibus quam futuris inſultat.

18. *Quia gloria.*] Confirmat eandem ſententiam, quod ſcilicet nunquam Deus fideles ſuos virtute deſtituat. *Gloriam* enim *virtutis eorum* vocans, ſignificat eos ita ſemper fulciri præſenti Dei auxilio, ut merito in ipſo glorientur: vel, quod idem valet, virtutem Dei in illis juvandis ac ſuſtinendis ſemper extare glorioſam. Quanquam interea monentur ſui officii, ut quod ſtant ſalvi & integri, laudem Deo referant. Quod ſi vere de præſenti vita dictum eſt, longe magis in ſpiritualem animæ vitam competit. Jam quo melius commendet hanc Dei beneficentiam, ſimul docet à mero ejus beneplacito pendere. Unde ſequitur, in ſolidum devinctos & aſtrictos eſſe Deo, qui ſola liberalitate & gratuita ad proſequendum ſuum auxilium inducitur.

19. *Quia Jehovæ.*] Quia in Rege ſummum erat populi præſidium, ſpecialiter admonet Propheta, hoc quoque Dei donum eſſe, quod à Rege ipſo protegitur ſalus fidelium. Quanquam notandum eſt, Prophetam non ita fuiſſe defixum in temporali & caduco regno, quin finem ſimul expenderet, ſicuti mox videbimus. Sciebat enim nonniſi Chriſti reſpectu favorem Dei à capite in totum Eccleſiæ corpus defluere. Ac primo quidem metaphorice Regem vocans *clypeum*, ſicuti hanc figuram Scriptura ſæpe uſurpat, ejus tamen manu & opera nonniſi divinitus fatetur populum defendi. Ac idem ſecundo membro repetit, pronuncians Regem à Deo eſſe datum qui populum gubernet: ideoque defenſionem quæ à Rege provenit, Dei beneficium eſſe. Jam meminerimus, quod de umbratili regno dicitur, proprie quadrare in Chriſti perſonam, qui nobis datus eſt à Patre ſalutis cuſtos, ut ejus manu protegamur.

20. Tunc loquutus es in viſione manſuetis tuis, & dixiſti, Poſui adjutorium ſuper fortem, exaltavi electum è populo:	20 אז דברת בחזון לחסידיך ותאמר שויתי עזר על גבור הרימותי בחור מעם:
21. Inveni David ſervum meum, oleo ſanctitatis meæ unxi eum:	21 מצאתי דוד עבדי בשמן קדשי משחתיו:
22. Ideo manus mea ſtabilietur cum eo, utique brachium meum roborabit eum.	22 אשר ידי תכון עמו אף זרועי תאמצנו:
23. Non erit exactor inimicus in eum, nec filius iniquitatis affliget eum.	23 לא ישא אויב בו ובן עולה לא יעננו:
24. Et conteram à facie ejus oppreſſores ejus, & qui oderunt eum percutiam.	24 וכתותי מפניו צריו ומשנאיו אגוף:

20. *Tunc loquutus es.*] Fuſius jam explicat cur dixerit Regem electi populi è cælo datum eſſe ad publicæ ſalutis conſervationem: quia ſcilicet neque ſuffragiis hominum fuit electus, neque ſumpſit ipſe ſibi tyrannidem, vel malis artibus obrepſit: ſed quia divinitus electus erat publicæ ſalutis miniſter, ſub ejuſdem Dei auſpiciis & ductu officio ſuo perfungi. Conſilium enim Prophetæ eſt, ut paulo poſt clarius videbimus, divinum hunc Regem à reliquis
Rom. 13. verſ. 1. omnibus diſcernere. Nam etſi vere docet Paulus non eſſe poteſtatem niſi à Deo, longum tamen diſcrimen fuit inter Davidem, & terrenos omnes Reges qui humanis mediis imperium adepti ſunt. Deus enim ſervo ſuo Davidi ſceptrum de manu (quod aiunt) in manum tradiderat, eumque ſua auctoritate locaverat in ſolio. Particula אז, quæ proprie ſignificat tunc, accipitur etiam pro olim. Senſus ergo eſt, quum alii naſcantur Reges, qui hæreditario jure ſuccedunt parentibus, alii creentur, alii vi & manu potentiam ſibi acquirant: Deum hujus regni eſſe auctorem, quia voce ſua Davidem elegit. Etſi autem conſilium ſuum patefecit Samueli: quia tamen plurali numero dicit Propheta, pluribus idem oraculum fuiſſe traditum, certo colligere licet plures fuiſſe teſtes adhibitos, qui uno conſenſu aſſererent Davidem fuiſſe divinitus creatum Regem. Et certe quum tunc alii Prophetæ floruerint, probabile non eſſet de re tanta fuiſſe celatos. Solus tamen nominatur Samuel, quia & præco fuit vaticinii, & miniſter unctionis. Porro quum vel per ſomnium, vel per viſiones Prophetis tunc loquutus ſit Deus, hic ponitur altera ſpecies. Sequitur deinde ſumma oraculi, quod Deus auxilio *fortem* vel robuſtum inſtruxerit quem elegerat, ut regno præficeret. Fortis vocatur, non quod propria fortitudine excelleret: (quando & exiguæ ſtaturæ fuit, & inter fratres contemptibilis, ut cum Samuel quoque neglectim præteriret:) ſed quia poſt electionem ornatus fuit nova virtute, & regiis aliis dotibus: ſicuti quum Apoſtolos elegit Chriſtus, non titulo duntaxat eos ornavit, ſed ſimul contulit quæ ad munus exequendum erant neceſſaria. Et eandem hodie Spiritus gratiam in ſuis Miniſtris exerit. Robur ergo Davidis, cujus hic fit mentio, electionis effectus fuit: quia Deus Regem creando, virtute ſimul inſtruxit quæ ad populi conſervationem ſufficeret. Quod etiam clarius apparet ex ſecundo membro, ubi origo notatur invictæ hujus fortitudinis, quia ſcilicet *electum* Deus è plebe *extulerat*. Sunt enim voces omnes emphaticæ: quia quum pronunciat Deus ſe exaltaſſe, intelligitur humilis & abjecta conditio, in qua obſcurus latebat David antequam manum Deus porrigeret. Eodem ſpectat quod addit, *è populo*. ſenſus enim eſt, Ignobilem tunc & ex infima plebe fuiſſe, & qui nihil eximium præ ſe ferret, quum ultimus eſſet in ruſtico tugurio, & inter pecuarios. In voce *electi* nos ad ſuum arbitrium revocat Deus: acſi vetaret aliam cauſam inveſtigare, quam quod ita placuit.

21. *Inveni David.*] Confirmat eandem ſententiam Propheta, nihil fuiſſe regium in Davide, niſi quatenus antevertit eum Deus ſua gratia. Hoc enim exprimitur inveniendi verbo: acſi diceret Deus, gratis à ſe aſſumptum fuiſſe: ideoque *ſervi* nomen non meritum aliquod notat, ſed ad vocationem refertur, acſi ſanciret Deus ſua auctoritate ejus imperium. quia ſi Deo probatur, legitimum eſſe, dubium non eſt. Gratuita etiam electio ſecundo membro iterum confirmatur: quia unctio quam David ipſe non quæſivit propria induſtria, ſed præter ſpem adeptus eſt, honoris cauſa fuit. Quia ergo ſponte & mero ſuo beneplacito Davidi occurrit Deus, ut eum manu Samuelis in Regem ungeret, merito pronunciat ſe illum inveniſſe. Poſtea adjungit ſe cuſtodem fore hujus regni, cujus auctor eſt: ſicuti non ſolet inchoata ſua opera deſerere, ſed continuo progreſſu perducere ad ſuum finem.

23. *Non erit exactor.*] Nominatim exprimit, quamvis hoſtibus non careat David, præſto fore Dei virtutem ad eum tuendum, ne injuſta violentia prematur. Negat igitur Davidem fore hoſtibus tributarium: ſicuti qui bello devictus eſt, cogitur ſubire iniquas victoris leges. Interim quod hoſtes ejus vocat *filios iniquitatis*, tacite oſtendit innoxium fore dominationis genus, quod nemo abſque injuria & ſcelere evertere tentabit. Summa eſt, Davidem ejuſque poſteros Dei præſidio tutos fore, & probe munitos, ne hoſtium libidini ſint expoſiti. Jam quod peſſundari regnum paſſus eſt Deus, ut Davidis ſucceſſores exteris & profanis Regibus grave tributum pendere coacti ſint, cum hac promiſſione non pugnat: quia ſatis fuit, acciſis regni opibus, manere tamen radicem, uſquedum prodiret Chriſtus, in cujus demum manu ſtabile fuit regnum. Nam quum tantam Dei benedictionem tam Rex quam populus impie abjicerent, eorum culpa ſæpe concuſſum regnum fuit: deinde imminutum, & tandem collapſum. neque tamen deſtitit interea Deus, ut oraculum ſanciret de regni perpetuitate, cum illorum ingratitudine certando, ſpem aliquam fovere & tueri. Adde quod, oſores & oppreſſores Davidis nominando, admonet, hoc ſolium non fore immune ab incommodis & moleſtiis: quia ſemper aliqui infeſti erunt, niſi ſe Deus opponat.

25. Et veritas mea & clementia mea cum eo: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.	25 ואמונתי וחסדי עמו ובשמי תרום קרנו:
26. Et ſtatuam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus.	26 ושמתי בים ידו ובנהרות ימינו:
27. Ipſe clamabit ad me, Pater meus es, Deus meus, rupes ſalutis meæ.	27 הוא יקראני אבי אתה אלי וצור ישועתי:
28. Etiam ego primogenitum ponam eum, excelſum præ Regibus terræ.	28 אף אני בכור אתנהו עליון למלכי ארץ:
29. Et in ſeculum ſervabo illi miſericordiam meam, & fœdus meum firmum erit ei.	29 לעולם אשמור לו חסדי ובריתי נאמנת לו:
30. Et ſtatuam in perpetuum ſemen ejus, & ſolium ejus quaſi dies cælorum.	30 ושמתי לעד זרעו וכסאו כימי שמים:

25. *Et veritas mea.*] Docet, continuum ejus gratiæ quam initio Davidi oſtendit, tenorem fore. tantundem enim valent hæc verba acſi dixiſſet, ut ſe veracem præſtet, fore ſemper beneficum. Ita videmus, non modo à principio Deum exhibuiſſe bonitatis ſuæ ſpecimen in Davide, ſed eandem clementiam fuiſſe proſequutum: quod ad totam Chriſti Eccleſiam ſpectat, ut in toto ſalutis noſtræ curſu appareat Dei bonitas, non tantum in veſtibulo, ſicuti nugantur Sophiſtæ. *Cornu Davidis* hic, ut ſæpe alias, pro gloria, dignitate & potentia ſumitur. Ideoque ſenſus eſt, Dei beneficio proſperum ſemper & florentem fore regni ſtatum. Additur mox amplitudo. Nam quia populus ſuis ſceleribus viam præcluſerat Dei benedictioni, reſtrictior fuerat ejus hæreditas quam ferebat promiſſio. Nunc pronunciat Deus, ſub Davide rurſus propagatum iri, ut totam regionem à Mari uſque ad Euphratem populus occupet. Unde colligimus, nonniſi in Davidis perſona fuiſſe completum quod per Moſen Deus fuerat pollicitus. Per *fluvios* tam ſolum Euphratem intelligere licet, qui in multos alveos ſcinditur, quam vicina etiam flumina à parte Syriæ.

27. *Ipſe clamabit ad me.*] Præcipuam Regis hujus præſtantiam in eo fore memorat, quod filius Dei cenſebitur. Etſi autem quoſcunque Deus conſtituit Reges, eodem honore dignatur: (ſicut alibi vidimus, Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi omnes) hic tamen ſingulare aliquid de ſacro & à ſe electo Rege pronunciat, & alio modo ſibi in filium fore intelligit. Et paulo poſt videbimus altiore in gradu locari quam terrenos Reges, quamvis latſus dominentur. Hæc igitur unius tantum Regis in mundo prærogativa fuit, filium Dei vocari. Alioqui non frigide modo ſed abſurde ratiocinatus eſſet Apoſtolus, Chriſtum contendens ſuperiorem eſſe Angelis, quia dictum eſt, Ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium. Ergo quamvis tam Angeli, quam Reges quicunque regeniti ſunt adoptionis Spiritu, filii vocentur, eximitur tamen David inſigni prærogativa à communi omnium ordine, quam Deus promittit ſibi fore filium. Quod ex proximo verſu clarius liquet, ubi *primogenitum* quoque appellat: quia emineat ſuper omnes terræ Reges: qui honor tam omni humana dignitate, quam Angelica excellentior eſt. Siquis objiciat, Davidem, unum ex grege mortalium, non fuiſſe æqualem Angelis: ſolutio facilis eſt, Si in ſe reputetur, non poſſe in tam ſublimem gradum jure efferri: ſed quatenus Chriſti perſonam ad tempus ſuſtinuit.

Pſal. 82. verſ. 6.

Hebr. 1. verſ. 4.

29. *In ſeculum.*] Sæpius inculcat Deus, hac lege erectum à ſe fuiſſe regnum Davidis, ut in finem uſque ſtabiliatur. Porro *clementiam* priore loco ponens, deinde addens *fœdus*, cauſam fœderis deſignat: acſi uno verbo diceret eſſe gratuitum, nec modo fundatum eſſe in gratia, ſed in eadem quoque perſtare: quia huc redit ſumma verborum, Deum miſericordem ſemper fore erga Davidem, ne unquam fœdus intereat. unde ſequitur, ejus firmitatem in mero Dei beneplacito conſiſtere. Proximo verſu effectum ſuæ veritatis exprimit, quia ſemper manebit Davidis poſteritas in regio ſolio. Nam quia ſub cælo nihil eſt diuturnum, ideo Propheta per *dies cælorum* æternam durationem intelligit. Unde ſequitur, non poſſe conſtare hujus vaticinii effectum, donec ad Chriſtum ventum fuerit, in quo ſolo demum reperietur iſta æternitas.

31. Si deſeruerint filii ejus Legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint:	31 אם יעזבו בניו תורתי ובמשפטי לא ילכון׃
32. Si edicta mea profanaverint, & ſtatuta mea non cuſtodierint:	32 אם חקתי יחללו ומצותי לא ישמרו׃
33. Tunc viſitabo in virga transgreſſionem eorum, & in plagis iniquitatem eorum.	33 ופקדתי בשבט פשעם ובנגעים עונם׃
34. Sed clementiam meam non auferam ab eo, & non mentiar in veritate mea.	34 וחסדי לא אפיר מעמו ולא אשקר באמונתי׃
35. Non profanabo fœdus meum, & quod egreſſum eſt è labiis meis non mutabo.	35 לא אחלל בריתי ומוצא שפתי לא אשנה׃
36. Semel juravi in ſanctitate mea, Si Davidi mentiar.	36 אחת נשבעתי בקדשי אם לדוד אכזב׃
37. Semen ejus in æternum ſtabit, & ſolium ejus quaſi Sol coram me.	37 זרעו לעולם יהיה וכסאו כשמש נגדי׃
38. Sicut Luna ſtabilietur in ſeculum, & teſtis in cælo fidelis. Selah.	38 כירח יכון עולם ועד בשחק נאמן סלה׃

31. *Si deſeruerint.*] Propheta ultra progreditur, quamvis peccarent Davidis poſteri, Deum tamen pollicitum fuiſſe ſe illis fore placabilem, ne ſummo jure exigeret vindictam de eorum transgreſſionibus. Cæterum quo efficacior ſit promiſſio, Deum ſemper loquentem inducit, acſi ex conceptis pacti verbis cum eo ageret. Fuit autem valde neceſſaria additio: quia niſi pro immenſa ſua indulgentia nobis Deus ignoſcat, ut lubrici ſumus, atque ad continuos lapſus proclives, nullum ejus nobiſcum fœdus ratum vel firmum erit. Quia ergo videbat Deus fieri aliter non poſſe quin poſteri Davidis, quantum in ipſis erat, ſua culpa ſubinde exciderent à fœdere, exceptionem hanc remedii loco addidit. Cæterum quia utile eſt hominibus, caſtigari Dei ferulis, non promittit Deus impunitatem qua alantur peccata, ſed paternam moderationem in pœnis, ut vindictam ſummo jure non exigat. neque tamen levibus ſolum delictis promittit veniam, ſed peccatis quoque atrocibus. Neque enim temere has loquendi formas uſurpat, *Legem relinquere, Profanare ſtatuta, Non ambulare in judiciis, Præcepta non ſervare.* neque temere *transgreſſionem* vel perfidiam & *iniquitatem* ponit. Ergo tolerantia Dei & lenitas, qua ſibi reconciliat poſteros Davidis, uſque ad graviſſima ſcelera extenditur. Oſtendit porro hic locus, dum cooptantur homines à Deo, non protinus exuere carnem ſuam cum vitiis: ſicuti ſomniant fanatici homines, ſimulac inſerimur in corpus Chriſti debere aboleri quicquid eſt in nobis corruptelæ. Utinam quidem poſſemus repente mutare ingenium, ut vigeret in nobis iſta, quam requirunt, Angelica perfectio! Sed quoniam procul ab ea nos diſtare palam eſt, quamdiu circumferimus hanc carnem, diabolico illo figmento valere juſſo, confugiamus omnes ad commune veniæ aſylum. Nam certe de Eccleſiæ ſuæ domeſticis Deus loquitur, ubi veniam eorum ſceleribus promittens, reos fore defectionis pronunciat. Jam quod hic dicitur, ad veterem populum reſtringere non modo inſulſum eſt, ſed prorſus impium. Primum, illud quod jam ſæpius viſum eſt, pro confeſſo ſumo, erectum fuiſſe umbratile illud regnum, in quo Mediatorem Deus Eccleſiæ ſuæ proponeret. idque non modo probatur Chriſti & Apoſtolorum teſtimoniis, ſed ex re ipſa certo aperteque colligitur. Nam Chriſto remoto, ubi illa ſolii æternitas cujus fit mentio? Secundus enim Davidis ſucceſſor maxima imperii parte ſpoliatus, vix tribum unam & dimidiam ex duodecim retinuit. Jam quot poſtea cladibus deforme fuit exiguum illud regnum, donec tandem Rex totuſque populus cum ſummo dedecore & contumelia in exilium tracti ſunt? Qualis vero ſolii dignitas fuit, quum Rex jugulatis in conſpectu filiis, capitale ſubiit ju- 2 Reg. 25.
dicium? Quod deinde precario Judæis habitare in verſ. 7.
patria licuit, hoc fuit ſine regni honore & titulo. Itaque Ezechiel ter pronunciat perverſum fore dia- Eze. 21.
dema, donec veniat cujus erit. Sequitur ergo, in verſ. 27.
ſola Chriſti perſona reſidere perpetuum regni ſtatum. Et certe quid vel olim Judæis commune fuiſſet cum Deo, vel hodie quoque nobis eſſet, niſi ad gratiam conciliandam intercederet Mediator? Jam ergo qualitates regni de quibus diximus, ad nos aptandæ ſunt. Sicuti enim æternitas ad ſpem beatæ immortalitatis nos deducit, invictum autem robur animos noſtros tranquillat, & quicquid machinetur Satan, & quamlibet variæ mortes nos circumdent, fidem noſtram collabi non patitur: ita venia quæ promittitur, ad ſpirituale Chriſti regnum pertinet. ſicuti etiam ex hoc loco æque colligitur, ſalutem Eccleſiæ nonniſi in Dei gratia & veritate conſiſtere. Siquis objiciat, nunquam deficere in totum qui regeniti ſunt Dei Spiritu, quia ſemen incorruptibile in ipſis manet: id veriſſimum eſſe fateor. Nec vero univerſalis defectio hic notatur, ut nihil pietatis maneat reſiduum: ſed quia interdum contingit fideles ita jugum excutere, ut videri poſſit ſuffocatus in illis Dei timor: ideo neceſſe fuit atrocibus quoque peccatis veniam promitti, ne eos deſperatione obrueret talis quilibet lapſus. Sic David ad tempus viſus eſt in ſpeciem orbatus Spiritu, quem ſibi reſtitui poſtulat. Hæc cauſa eſt cur fœdis etiam & mortiferis transgreſſionibus ſpem veniæ Deus relinquat, nequa nos ſcelerum gravitas arceat vel impediat à reconciliatione quærenda. Unde etiam coerguitur nimia veterum ſeveritas, quibus iterum vel tertio lapſos ad pœnitentiam admittere religio fuit. Etſi enim cavendum eſt ne vitiis habenas laxet facilitas, non minus tamen eſt periculi in rigore immodico. Interea notandum eſt, ubi Deus ſe transgreſſoribus fore propitium denunciat, qui Legem ſuam violaverint, & mandata profanaverint, conſulto odioſas iſtas voces proferre, ut nos in vitiorum odium & deteſtationem adducat, non autem alliciat ad peccandum. Summa quidem hæc tenenda eſt, Quamvis non omni ex parte gratiæ Dei reſpondeant fideles, ideoque abdicatione digni ſint, Deum tamen illis fore placabilem: quia conjuncta eſt cum fœdere, peccatorum remiſſio. Et certe quum in Lege Deus plus exigat quam præſtando ſimus, quicquid illic promittit, inefficax eſt atque
irritum: unde illud Pauli, Si ex Lege hæreditas, Rom. 4.
exinanita eſt fides, abolita promiſſio. Quo etiam verſ. 14.
reſpicit illud Jeremiæ, Feriam vobiſcum fœdus, Jere. 31.
non verſ. 32.

non quale pepigi cum patribus veſtris, quod ſtatim violarunt: ſed hoc erit fœdus quod vobiſcum paciſcar, Leges meas inſcribam cordibus eorum, & iniquitatibus eorum propitius ero. Cæterum quia non adoptat nos Deus ut impune peccemus, interponitur hic caſtigatio, qua oſtendit Deus ſibi odio eſſe peccata: & filios ſuos quid promeriti ſint admonens, ad reſipiſcentiam invitat & hortatur. Ergo inter indulgentiam, quæ peccandi eſt illecebra: & extremum rigorem, qui in exitium præcipitat, media eſt paterna caſtigatio, quæ vim obtinet medicinæ. Propheta vero hic vaticinium illud attingit quod refertur 2 Samuelis capite 7. verſ. 14. ubi Deus ſe more humano pœnas de fidelibus ſumpturum dicit, vel quia ex amore naſcitur patris iracundia in puniendis filiis, quia aliter male conſuleret eorum ſaluti: vel antitheſis eſt inter ipſum & homines: acſi diceret, ſe remiſſum fore & lenem: quia ſi virtutem ſuam exerere velit, protinus vel ſolo digiti motu in nihilum nos rediget. Ad hunc quidem ſcopum tendit uterque locus, quoties fidelium peccata Deus puniet, ſalubre fore temperamentum: ideoque ad hunc uſum referre convenit quicquid nobis infligit pœnarum, ut totidem ſint medicinæ. Atque in hoc nimis turpiter hallucinati ſunt Papiſtæ. nam quia illis incognitus erat verus caſtigationum finis ac fructus, Deum imaginati ſunt de peccatoribus ſe ulciſci. unde natæ ſunt ſatisfactiones, & ex illis rurſum indulgentiæ quibus ſe redimere tentarunt. Atqui Deo nihil aliud eſt propoſitum, quam vitia ſuorum corrigere, ut bene purgatos ſibi reconciliet: ſicut docet Paulus fideles corripi, ne cum hoc mundo damnentur. Ideoque manum ſuam ſuſpendit, ne pœnarum onere ipſos opprimat, ac infirmitati eorum parcit. Ita impletur hæc promiſſio, *Miſericordiam ejus* à fidelibus *non auferri*, dum iraſcitur: quia non deſinit amare quos vult eſſe correctos in ſalutem. Quanquam notanda eſt in verbis, perſonæ mutatio. poſtquam enim dixit, Si filii ejus reliquerint Legem meam, & quæ ſequuntur: tandem ſubjicit, Non auferam miſericordiam meam ab eo. Certe plurali numero debuerat eos nominare de quibus habitus fuit ſermo: ſed conſulto videtur docuiſſe Propheta, nonniſi Chriſti reſpectu nos reconciliari Deo, & ex eo fonte petendam eſſe ſpem miſericordiæ. Quod tandem ſequitur, *non mentiar in veritate mea*, plus aliquid exprimit, quam ſi dixiſſet Deum in ſuis dictis fore veracem. Nam fieri poterit ut effectu careant promiſſiones, Deus tamen fidelis maneat. Lex vera eſt ac ſancta: quid tamen juvat, ſalutem in ea nobis promitti, quam inde nemo conſequitur? Ergo longius hoc loco Deus nos ducit, fœdus ſuum efficax ratumque fore promittens, non modo quia ipſe verax erit, ſed quia retinebit ſuos fideles ne vanitate ſua diffluant.

1 Cor. 11. verſ. 32.

35. *Non profanabo.*] Quia non aliunde quam ex verbo, vera miſericordiæ Dei notitia poteſt concipi, jubet nos in fœdere ſuo penitus defixos eſſe. Nam quo præſtantius ac magis inæſtimabile beneficium, poſtquam ſemel adoptati ſumus, nunquam abjici, eo magis difficile eſt creditu. Et ſcimus quam variæ ſubinde obrepere dubitationes ſoleant. Ne ergo anxie & abſque modo ſecum diſceptent fideles an Deum habeant ſibi propitium, jubentur ad fœdus reſpicere, ac ſalutem illic ſibi oblatam amplecti. Fidem ergo ſuam commendat Deus, ut nobis ſufficiat ſola promiſſio, neque alibi quæramus certitudinem ſalutis. Quia autem prius dixerat, Si filii Davidis ſtatuta mea profanaverint: ad profanationem illam nunc alludens, negat ſe eundem mutuo fore erga illos: acſi diceret, Quamvis non in totum reſpondeant vocationi ſuæ fideles, ut par erat, ſe tamen non paſſurum ut fœdus eorum culpa diſſipetur: quia in promptu occurret remedium gratuitæ veniæ. Priorem enim ſententiam proſequitur, Non mentiar in veritate mea: non modo ſe veracem ex parte ſua (ut loquuntur) fore promittens, ſed qualecunque obſtaculum ingerant homines, ratum fore quod promiſit: quia certabit cum eorum vitiis, ut bonitatis ſuæ effectus ad ipſos perveniat. Et certe quum Judæi ſua ingratitudine ac perfidia ſeſe alienaverint à Deo, non tamen fuit abolitum fœdus quod innixum erat immobili ejus conſtantiæ. Sic hodie quum peccata noſtra uſque in cælos aſcendant, Dei bonitas cælos tranſcendens, illis ſuperior eſt.

36. *Semel juravi.*] Jurejurando nunc ſancit Deus quod prius ſe retulit pollicitum fuiſſe Davidi. unde apparet, rem non levis momenti fuiſſe: quia Deus non fruſtra ſacrum ſuum nomen interponeret. Interea raræ indulgentiæ ſignum eſt, quod dum nos ad diffidentiam propenſos videt, tam humaniter occurrit. Quo minus excuſationis nobis reſtat, niſi promiſſionem tam probe ſancitam indubia fide amplectimur, quum Deus, ſalutis noſtræ ſtudio, dum vult nos verbo ſuo addictos eſſe, nomini ſuo non parcat. Niſi enim ſufficiat nobis ſimplex promiſſio, illud quaſi pignoris vice ſubſtituit. Adverbium *Semel*, ſignificat jusjurandum eſſe irrevocabile, nec ullum eſſe inconſtantiæ periculum. Dicit autem ſe juraſſe per ſanctitatem ſuam: quia nuſquam invenietur major per quem juret. Nam dum nos per ipſum juramus, eum conſtituimus judicem, nobiſque præficimus, ſicuti natura præeſt. Sed loquutio magis eſt emphatica, *per Sanctitatem*, quam ſi diceret, per ſeipſum, non modo quia gloriam ejus commendat, ſed quia ad confirmationem fidei longe eſt aptior, dum fideles revocat ad terrenum domicilium Dei quod ſibi elegerat, ne procul quærendus eſſet. Neque enim dubito quin Sanctuarium deſignet hoc nomine: neque tamen aliter quam per ſeipſum jurat, quia templum in quo reſidet nominans, extra ſeipſum non egreditur, ſed tantum ruditati noſtræ ſe accommodans, per ſanctitatem ſuam jurat quæ in terra viſibilis reſidet. Quod ad formam jurandi eclipticam attinet, alibi vidimus tritam fuiſſe Hebræis. Sic autem admonebantur, ſobrie ſumendum eſſe Dei nomen, ne temere & audacter judicium ſibi accerſerent: quia abruptus ſermo & ſuſpenſus, inſtar freni erat ad ipſos cohibendos. Novum autem non eſt, Deum aliquid mutuari à communi hominum more.

37. *Semen ejus.*] Sequitur nunc promiſſio, jus regni ſemper manſurum penes poſteros Davidis. Duo enim ſimul conjungit, progeniem & ſolium. quibus verbis promittitur regni æternitas hac lege ne ad alienos unquam tranſeat. Citantur Sol & Luna teſtes: quia etſi ſubjaceant corruptioni, plus in ſe habent firmitatis quam terra, vel aër: quando elementa videmus continuis mutationibus eſſe obnoxia. Quia ergo totum mundum ſua agitatio aſſidue permutat, conditio ſtabilior proponitur in Sole & Luna: ne regnum Davidis æſtimetur à communi naturæ ordine. Jam quum ſedes regia concuſſa fuerit ſub Rehabeam, ut paulo ante diximus, poſtea vero diruta & everſa: ſequitur non poſſe oraculum hoc reſtringi ad Davidem. Neque enim Sol interdiu lucere, & Luna noctu deſtitit, quamvis extincta eſſet ſine ſpe reſtitutionis externa regni dignitas. Ideo donec ad Chriſtum ventum fuerit, videri fallax in ſuis promiſſis Deus poſſet. Verum hic ſurculus, qui emerſit ex trunco Iſai, re ipſa oſtendit fidem optimam his verbis conſtitiſſe.

39. Tu autem abominatus es & repuliſti, iratus es Meſſiæ tuo:	39 ואתה זנחת ותמאס התעברת עם משיחך:
40. * Ceſſare feciſti fœdus ſervi tui, profanaſti ad terram diadema ejus.	40 נארתה ברית עבדך חללת לארץ נזרו:
41. Dirupiſti omnes muros ejus, poſuiſti munitiones ejus fracturam.	41 פרצת כל גדרותיו שמת מבצריו מחתה:
42. Prædati ſunt eum omnes tranſeuntes viam: fuit opprobrium vicinis ſuis.	42 שסהו כל עברי דרך היה חרפה לשכניו:
43. Extuliſti dextram oppreſſorum ejus, exhilaraſti omnes adverſarios ejus.	43 הרימות ימין צריו השמחת כל איביו:
44. Etiam retudiſti robur gladii ejus, & non feciſti eum ſtare in prælio.	44 אף תשיב צור חרבו ולא הקמתו במלחמה:
45. Deleviſti ſplendorem ejus, & ſolium ejus in terram detraxiſti.	45 השבת מטהרו וכסאו לארץ מגרתה:
46. Minuiſti dies juventutis ejus, operuiſti eum ignominia. Selah.	46 הקצרת ימי עלומיו העטית עליו בושה סלה:

** vel, Abjeciſti.*

39. *Tu autem.*] Hic conqueritur Propheta, collapſo regni ſtatu, non extare fidem oraculi. non quod Deum mendacii inſimulet, verum ut curas ſuas & dolores familiariter rejiciat in ejus ſinum, ut nobis permittit ſecum familiariter agere. Nam etſi vota noſtra ad ejus arbitrium formare convenit, non tamen fines transgreditur qui ſuppliciter deplorat ablata ſibi eſſe gratiæ & favoris ſigna: modo ne ſpem abjiciat, vel contumaciter obmurmuret, ſicuti poſtea videbimus. Subjicit teſtimonium placidæ obedientiæ, quo ſuas querimonias Propheta corrigit vel temperat quum in fine Pſalmi Deum benedicit. Itaque quiſquis fuerit ille Rabbinus, qui fas negabat hunc Pſalmum recitari, ſtulta & impia moroſitate damnavit quod Deus in filiis ſuis tolerat. Neque enim hæc expoſtulandi libertas qua utitur Propheta, alio tendit quam ut ſe coram Deo exonerans, dubitationi & impatientiæ reſiſtat. Quum autem dicit *abominatus es & repuliſti*, ſiquis hoc exigere velit ad normam Græcæ vel Latinæ linguæ, erit ineptum: quia præcedit quod longe atrocius eſt, ſecundo loco additur quod eſt levius. Sed quia Hebræi gradus noſtros non ſervant, nihil eſt in hoc ordine abſurdi. In tertio verbo, cauſæ redditio eſt: quia Regem abjectum eſſe ſignificat Propheta, eo quod iratus ſit Deus. Quidam hoſtium ludibria hic recitari putant, nempe ut effugiant offendiculum, quod Rabbinus ille ferre non potuit in hoc aſpero loquendi genere. Sed notandum eſt, Prophetam ex communi ſenſu loqui, quamvis certo apud ſe ſtatueret non poſſe rejici qui ſemel electus fuerat. Eodem pertinet quod ſequitur de abolito fœdere. Neque enim levitatis aut inconſtantiæ Deum arguit, ſed tantum queritur, præclara illa quæ vidimus promiſſa, in ſpeciem concidiſſe. Nam certe quoties interrogant fideles, Quouſque tandem dormies? Item, Quouſque obliviſceris noſtri? Deo ſomnum, vel oblivionem non tribuunt: ſed proferunt in medium quas ſanguis & caro ſuggerunt tentationes, ut infirmitatem qua premuntur, mature Deus ſublevet. Itaque mirum non eſt in horribili diſſipatione Prophetam aliquid humanitus fuiſſe paſſum, ut diceret minime conſpici quod Deus promiſerat. Neque enim erat ferreæ mentis, ut omnia videns contraria verbo Dei, triſti illo confuſoque ſpectaculo non tangeretur: ſed libere in Dei conſpectum prodiens, remedium quærit, ne abſorbeatur mœrore. quod factum eſſet, ſi intus frenum rodendo, neglexiſſet hoc levamen. Quod mox addit, de *projecto in terram diademate*, non videtur competere in tempus Rehabeam: niſi forte laceratio regni, vocetur diadematis projectio.

1 Sam. 28. verſ. 17.

Sed quæ poſtea adduntur, niſi hyperbolice accipias, neceſſario referri debent ad majorem cladem. Hoc ſi placeat, non erit auctor Pſalmi Ethan, ille unus ex quatuor ſapientibus quorum fit mentio in Sacra hiſtoria. Quare in re dubia, libera ſit cuique probabilis conjecturæ electio.

1 Reg. 4. verſ. 31.

41. *Dirupiſti.*] Quanquam alio cauſam transcribere promptum eſſet cur dirutæ eſſent, fractæque munitiones, pie tamen ſancteque Propheta Deum agnoſcit auctorem: quia principium illud retinet, non potuiſſe niſi eo irato, quod ipſe erexerat regnum, libidine hominum diſſipari. Poſtea metaphorice deplorat expoſitum in prædam fuiſſe viatoribus, quemadmodum ſi ager vel hortus, dirutis maceriis, ad ſpoliationem pateat. Auget alia indignitate quod per ſe plus ſatis grave erat, dicens *probro haberi paſſim à vicinis.* Neque enim dubium eſt quin profani homines in occaſione tam plauſibili proterve inſultaverint. Hiccine divinus eſt ille Rex Angelis excellentior, cujus ſolium cum ſole & luna ſtaturum erat? Porro quum in Deum reciderent hæc maledicta, merito Propheta deplorat contumelioſe rideri Meſſiam, cujus dignitas cæleſti unctione ſancita fuerat. Addit poſtea, Deum ab hoſtium parte ſtetiſſe: quia ſatis intelligit non niſi volente Deo, prævaluiſſe hoſtes, dum alios *virtute inſtruit*, alios *effœminat.* Denique quotquot acciderant clades, totidem colligit ſigna eſſe alienationis Dei: quo propitio, totus mundus quicquid machinatus eſſet, ſacri illius regni ſtabilitatem convellere non poterat. Nam ſi dixiſſet hoſtes victoria eſſe potitos, verum id quidem erat, ſed ad extollendam Dei potentiam obſcurius: acſi homines Deo oppoſiti, propriis viribus violaſſent illius præſidium. Nunc vero ſecum expendit, nonniſi irato Deo, tam miſere afflictum eſſe regnum quod erexerat Deus.

46. *Minuiſti dies.*] Quidam ita reſolvunt, Domine debilitaſti Regem noſtrum, ut emarcuerit in primo ætatis flore, & antequam adoleviſſet in virum, ſenio confectus fuerit. Quæ interpretatio etſi probabilis eſt, ut tamen clarius nobis pateat mens Prophetæ, notandum eſt non de uno homine eum loqui, ſed ſtatum regni conferre vitæ humanæ. Huc ergo tendit querimonia, Deum feciſſe ut regnum ſeneſceret, ac tandem deficeret antequam veniret ad juſtam maturitatem: perinde acſi juvenem, dum vigorem adhuc colligit, mors violenta ante tempus abripiat. Et concinna eſt iſta ſimilitudo: quia ſi reſpicitur promiſſio, vix dum plane effloruerat regnum, quum inter primos ſuos progreſſus, repente gravi ruina deformatum eſt, tandemque evanuit. Porro memoria tenendum eſt quod diximus,

dum expoſtulat Propheta eventum non reſpondere Dei promiſſionibus, non tamen arguere Deum mendacii, ſed alio fine & conſilio proferre hanc repugnantiam, ut fiduciam orandi ex Dei promiſſionibus colligat: quas quum objiceret Deo, perſuaſus erat fieri aliter non poſſe quin ſe veracem oſtenderet. Nam ſicuti plerique, quia de profectu deſperant, intus ſorbent ſuum dolorem: ita fideles quo liberius Deum appellant de ſuis promiſſis, eo fortius luctantur cum diffidentia, & ſe ad bene ſperandum animant.

47. Uſquequo Jehovah abſconditus eris perpetuo, ardebit tanquam ignis indignatio tua?

47 עד מה יהוה תסתר לנצח תבער כמו אש חמתך׃

48. Recordare cujus ævi ego ſim: cur fruſtra creaſſes omnes filios hominum?

48 זכר אני מה חלד על מה שוא בראת כל בני אדם׃

49. Quis vir vivet, & non videbit mortem, redimet animam ſuam è manu ſepulchri? Selah.

49 כי גבר יחיה ולא יראה מות ימלט נפשו מיד שאול סלה׃

47. *Uſquequo.*] Ubi conqueſtus eſt de indignis Eccleſiæ cladibus, jam ſe convertit ad preces. Unde ſequitur, quas hactenus profudit voces doloris, quanquam manabant ex carnis ſenſu, fuiſſe tamen cum fide conjunctas. Nam increduli tumultuando quamvis ad orandum proſiliant, nihil tamen petunt niſi ſimulate. Propheta vero preces annectens ſuis querelis, teſtatur nunquam ſibi excuſſam fuiſſe promiſſionum Dei fidem. De hoc loquendi genere, Uſquequo ſemper, alibi dictum fuit, notare ſcilicet nimis diuturnos malorum ſucceſſus. Porro, *quouſque abſconditus erit Deus*, interrogans, ſubindicat omnia fore ſalva, ſimulac ſerena ejus facies apparuerit. Secundo autem membro iterum commemorat cur Deus paterno aſpectu electum populum non dignetur: quia ſcilicet offenſus eſt. Unde ſequitur, mala omnia ex peccatis proficiſci, quum ſint irati Dei flagella. Cæterum ubi confeſſus eſt Eccleſiam ſua culpa tam duriter & miſere affligi: ut Deum ad miſericordiam flectat: proponit in medium vitæ humanæ brevitatem, in qua ſi nullum divinæ bonitatis guſtum percipimus, videbimur fruſtra creati. Ergo ut ſummam teneamus, ſatius erit ab hoc membro incipere, Cur fruſtra creaſſes omnes filios hominum? Nam ex vero fonte ſententiam hanc petunt fideles, quod Deus homines ideo condiderit, & locaverit in mundo, ut ſe illis exhibeat patrem. Nam quum ad jumenta & brutas pecudes ſe diffundat ejus liberalitas, nos hujus eſſe expertes, nimis abſurdum eſſet, qui inter animantia excellimus. Si hic finis eſt creationis noſtræ, præſtaret nunquam naſci, quam ſub continuis doloribus tabeſcere. Huc accedit breve vitæ curriculum: quia niſi mature acceleret Deus guſtanda nobis præbere ſua beneficia, in iſto evanido tranſitu non erit opportunum tempus. Nunc tenemus quid velit Propheta in hoc verſu. Primo expendit, in hunc finem conditos eſſe mortales ut fruantur Dei beneficentia in mundo. Unde colligit, fruſtra naſci niſi ſe illis Deus patrem demonſtret. Jam quia brevis eſt vitæ curſus, niſi benefacere feſtinet Deus, colligit non fore amplius locum ubi vita effluxerit. Sed primo videntur Sancti nimis licentioſe præſcribere tempus Deo. Deinde quamvis nos aſſiduis tormentis Deus excruciet dum in mundo peregrinamur, præpoſtere tamen inde infertur fruſtra nos eſſe conditos, quia melior in cælo vita nos manet, in cujus ſpem dum adoptamur, non mirum eſt ſi nunc abſcondita ſit in terris vita noſtra. Reſpondeo, Dei conceſſione Sanctos hanc ſibi licentiam ſumere, ut Deum ſuis precibus ad feſtinationem incitent: modo ſimul injiciant ſibi modeſtiæ frenum, & cohibito fervore totos ſe ejus arbitrio permittant. De ſecundo ſic habendum eſt, ſi per continuos cruciatus vita hæc nobis ægre trahenda foret, verum quidem eſt, ſatis eſſe ſolatii ad ferendas miſerias, ſi mentes in cælum tollimus: ſed neque in tanta infirmitate id quiſquam faciet, niſi in hac vita prægustaverit Dei bonitatem. Deinde notandum eſt, fidelium gemitus non debere ad perfectam regulam exigi, quia non oriuntur ex compoſito & tranquillo ſenſu, ſed ex paſſionum vehementia turbulentum aliquid trahunt. Fateor quidem, ſi quis metiatur Dei amorem ex præſenti ſtatu, perperam eum facere: quia Deus quos diligit caſtigat. ſed quia nunquam tam auſterus eſt erga ſuos, quin gratiam ſuam re & experientia ipſis oſtendat, ſemper hoc verum manet, vitam hominum inutilem eſſe, niſi in ea ſentiant Deum ſibi eſſe patrem. Quod vero ad ſecundum membrum ſpectat, dictum alibi fuit, non fluere æquabili tenore preces noſtras, ſed interdum doloris intemperiem prodere. Ideoque mirum non eſt dum piorum ſenſus occupat & conſtrictos tenet immodicus dolor vel metus, ſi obrepit talis incogitantia, ut futuram vitam præ oculis non ſemper habeant. Putant multi hoc eſſe valde abſurdum, ſi filii Dei prima quaque cogitatione non ſtatim in cælum penetrent. Quaſi vero non ſæpe contingat intercedere craſſas nebulas quæ aſpectum noſtrum impediant vel morentur. Aliud enim eſt, fidem hebetari, aliud prorſus extingui. Et ſane quiſquis exercitatus eſt in Dei judiciis & tentationum militia, fatebitur non tam memorem eſſe ſpiritualis vitæ quam decebat. Ergo quamvis hæc ſententia deducta ſit ex vero principio, vitioſum tamen exceſſum reſipit. Unde apparet, in precibus optime compoſitis ſemper nobis opus eſſe venia: quia niſi infirmitati noſtræ Deus ignoſcat, ſemper aliquid nimium elabitur. Proximo verſu confirmat quod de brevitate humanæ vitæ dixit. Summa eſt, clauſam fore januam Dei gratiæ, niſi mature occupet patrem ſe oſtendere hominibus. Et ponit nomen גבר quod deductum eſt à fortitudine, quo melius exprimat, neminem à mortis imperio immunem eſſe.

Pſal. 79. verſ. 5.

Hebr. 12. verſ. 6.

50. Ubi miſericordiæ tuæ priores Domine? juraſti Davidi in veritate tua.

50 איה חסדיך הראשנים אדני נשבעת לדוד באמונתך׃

51. Recordare Domine opprobrii ſervorum tuorum: ſuſtinui in ſinu meo omnia fortium populorum,

51 זכר אדני חרפת עבדיך שאתי בחיקי כל רבים עמים׃

52. Quæ exprobrarunt inimici tui Jehova, quæ exprobrarunt plantis Meſſiæ tui.

52 אשר חרפו אויביך יהוה אשר חרפו עקבות משיחך׃

53. Benedictus Jehova in æternum. Amen, & amen.

53 ברוך יי לעולם אמן ואמן׃

50. Ubi

50. *Ubi miſericordiæ.*] Colligit animos Propheta ex recordatione beneficiorum Dei: acſi ratiocinetur, Deum non poſſe ſui eſſe diſſimilem: ideoque non poſſe aboleri beneficentiam quam olim Patribus exhibuit. Poſſet hæc quidem comparatio debilitare animos piorum, dum ſe minus clementer à Deo tractari vident: niſi alterum ſimul occurreret, Deum neque mutari unquam, neque in ſuæ liberalitatis curſu fatigari. Secundum membrum quidam interpretes contexunt interpoſito relativo, Ubi miſericordiæ quas juraſti? Quod libenter recipio: quia omiſſo relativo idem fere manet ſenſus. Nam fidem oraculi Deus claris experimentis comprobaverat, ideoque tam promiſſionem quam multiplices ejus effectus objiciunt fideles Deo. Dicunt autem *in veritate*, quo ad ſe confidentius trahant quicquid olim Deus præſtiterat: quia communis eſt ratio, quum Deus qui ſemper ſibi conſtat, juraverit in omnes ætates ſe miſericordem fore poſteris Davidis.

51. *Recordare Domine.*] Rurſus adducunt quod ad provocandam Dei miſericordiam non parum valebat, ludibrio ſe haberi ab impiis. Nam quo gravior eſt iſta tentatio & moleſtior, rideri patientiam noſtram ab impiis, ut damnata Dei fide, nos in deſperationem præcipitent, eo paratior eſt Deus ad opem ferendam, ne tentationi ſuccumbant debiles animi. Neque enim ſimpliciter intelligit Propheta, contumelias hoſtium ſibi eſſe intolerabiles: ſed petulantiam hanc, qua fidei & patientiæ piorum inſultant, reprimendam eſſe à Deo, ne pudefiant in ipſo ſperantes. Hoc idem magis exaggerat ſecundo membro, quum dicit omne probrorum genus ſe ſuſtinuiſſe à multis populis, vel magnis. nam רבים utroque modo poteſt accipi. Porro quum de ſervis Dei communiter loquutus eſſet, non fruſtra numerum mutat, ut quiſque fidelium magis ſerio tangatur ad orandum. Particula etiam *in ſinu* emphatica eſt, quaſi diceret, impios non tantum eminus jactare ſua convitia, ſed vomere contra filios Dei, quæ ipſi patienter ſuo ſinu excipere cogantur. Facit autem ſeculi noſtri perverſitas, ut nobis neceſſarius ſit hujus doctrinæ uſus: quia profanis & ſuperbis Dei contemptoribus referta eſt terra, qui nobis inſultare non deſinunt: & quum Satan facundus ſit talis rhetoricæ magiſter, materiam illis ſuggerunt Eccleſiæ calamitates. Quod *ſinum* accipiunt quidam pro arcano cordis affectu, nimis argutum videtur.

52. *Quæ exprobrarunt inimici.*] Jam non dicit impios ſuis probris vexare filios Dei, ſed Deum ipſum proſcindere: quia hoc ad conciliandum favorem longe efficacius eſt, Deum rogare & hortari ut ſuam cauſam ſuſcipiat, non modo quia vulneratur in Eccleſiæ ſuæ perſona, ſed quia contumeliæ omnes, quibus exagitatur fidei ſimplicitas,
in eum redundant: ſicut apud Jeſaiam dicit, Super *Jeſa. 37.*
quem caput concuſſit hoſtis tuus? & cui convitia- *verſ. 23.*
tus eſt, virgo filia Sion? Putabat quidem ſceleratus ille latro Rapſaces, miſeris Judæis ſe illudere, quos tenebat obſeſſos, & quos perſuaſus erat mox deditionem facturos: Deus tamen perinde accepit acſi ejus blaſphemiis recta impetitus foret. Hac ratione etiam vocat hoſtes Dei, quia Eccleſiam hoſtiliter perſequendo, Deum, in cujus protectione eſt, violant. Quod ad ſecundum membrum pertinet, *plantas Chriſti* poſuit pro adventu, ſicuti
apud Jeſaiam, Quam pulchri ſunt pedes annuncian- *Jeſa. 52.*
tium pacem! Nam etſi עקב interdum calcem ſigni- *verſ. 7.*
ficat, hoc tamen loco, ſicuti alibi ſæpe, proprie eſt planta, vel inferior pars pedis. Alii transferunt veſtigium, eodem ſenſu. Certe dubium non eſt quin per ſynecdochen pedes deſignet Propheta, & rurſus metonymice adventum Meſſiæ intelligat. Quia enim videbant impii ſpe redemptionis Judæos ſuſpenſos eſſe: & quia promiſſus erat liberator, patienter quaslibet ærumnas ferre: probroſe ridebant eorum patientiam, acſi fabuloſum eſſet quicquid de Chriſti adventu teſtati fuerant Prophetæ. Nunc etſi exhibitus ſemel fuit mundo, quia tamen receptus in cæleſtem gloriam, videtur procul diſtare à nobis, & Eccleſiam ſuam deſeruiſſe: ſubſannant ſpem noſtram impuri canes, acſi mera eſſet fruſtratio.

53. *Benedictus Jehova in æternum.*] Miror cur nonnulli interpretes verſum hunc à librario fingant additum fuiſſe, quia contextui non reſpondet. Quaſi vero non æque in clauſula conveniat benedictio Dei, atque in exordio. Ergo mihi dubium non eſt, poſtquam libere calamitates Eccleſiæ deflevit Propheta, ut doloris acerbitatem leniat, conſulto erumpere in Dei laudem. De particula *Amen & amen*, facile aſſentior, diſtinguendi libri cauſa,
hic, ut alibi, eſſe poſitam. Sed quiſquis Pſalmum *Pſal. 41.*
compoſuit, hac gratulatione haud dubie in rebus *verſ. 14.*
triſtiſſimis levare ſtatuit doloris magnitudinem, ut *& 72.*
alacrius ſalutem ſperaret. *verſ. 19.*

Argumentum Pſalmi XC.

Quia Moſes tam de brevitate & miſeriis humanæ vitæ, quam de pœnis Iſraëlitico populo inflictis verba facturus erat, ut conſolatione aliqua temperet quem ex communi naturæ lege, maxime vero ex propriis afflictionibus dolorem & metum concipere poſſent fideles, de peculiari gratia præfatur, qua Deus electum populum dignatus eſt. Recitat deinde paucis quam miſera ſit hominum conditio ſi in mundo ſubſidant, præſertim ubi Deus ad tribunal ſuum reos citat. Poſtquam vero conqueſtus eſt filios quoque Abrahæ hanc ſeveritatem ad tempus eſſe expertos, ut mœrore prope conſumpti fuerint, gratuito favore Dei fretus quo illos ſibi adoptaverat, precatur ut ſe rurſus clementem, ſicut olim, ac beneficum exhibeat, ut in finem uſque proſequatur totum gratiæ ſuæ curſum.

Pſalm. XC.

Precatio Moſis viri Dei. Domine habitaculum tu fuiſti nobis in generatione & generatione.	1 תפלה למשה איש האלהים אדני מעון אתה היית לנו בדור ודור:
2. Antequam montes naſcerentur, & formares terram & orbem, & à ſeculo uſque in ſeculum tu es Deus.	2 בטרם הרים ילדו ותחולל ארץ ותבל ומעולם עד עולם אתה אל:

Dubium eſt compoſitusne fuerit Pſalmus hic à Moſe, an vero ex precandi forma per manus ab eo tradita quiſpiam Prophetarum canticum aptaverit in uſum populi. Certe non abs re Moſi inſcriptum eſſe probabile eſt: imo, quum jam ejus ætate vigeret Pſalmorum uſus, eum eſſe auctorem non dubito. Qui vero inſcriptionis rationem hanc eſſe volunt, quod ab ejus poſteris cantatus fuerit, cur ad tam frigidum commentum confugiant non video: imo aperte eos refellit quod mox additur epitheton. Neque enim abs re Moſes hic diſerte nominatur *vir Dei*, ſed honorifico titulo ornatur, qui auctoritatem doctrinæ conciliet. Quod ſi permittitur locus conjecturis, credibile eſt, quum jam inſtaret mortis tempus, ut diuturnum mœrorem ſub quo fere contabuerat populus, leniret,

atque animos malorum congerie oppreſſos recrearet, precationem hanc dictaſſe. Etſi enim mirabilis in redemptione affulſerat Dei bonitas, quæ ſepultis prioribus ærumnis, lætitia eos repleret, ſcimus tamen eam paulo poſt illorum ingratitudine fuiſſe extinctam: ita per totos quadraginta annos continuos languor in deſerto eos attrivit. Opportune igitur tunc rogare Deum potuit Moſes, ut ſecundum annos quibus populum ſuum afflixerat, clementer & benigne cum ipſo ageret.

1. *Domine habitaculum tu fuiſti nobis.*] Filios Abrahæ ſingulari privilegio ſeparans à reliquo humano genere, gratiam adoptionis qua complexus fuerat illos Deus, commendat. Ac finis hujus exordii eſt, ut Deus quam olim erga ſanctos Patriarchas exeruit gratiam, nunc iterum renovet ac continuet erga eorum progeniem. Quod putant quidam interpretes Moſen ad tabernaculum alludere, quod illic non ſecus conſpicua eſſet Dei majeſtas, acſi reſideret in medio populi: mihi prorſus intempeſtivum videtur. potius enim totum illud tempus complectitur quo peregrinati ſunt Patres in terra Chanaan. Deinde quia nondum per annos quadraginta ſteterat tabernaculum, minime quadraret tam longa duratio quæ hic ponitur. Non ergo narrat qualem ſe Deus Iſraëlitis præbuerit ex quo eos redemit, ſed qualem ſeculis omnibus experti fuerint eorum Patres ab initio uſque. Apte autem, quum vagi & erratici ſemper fuerint, Deum habitationis loco illis fuiſſe docet. Quamvis enim inſtabilis ſit omnium conditio in terra, ſcimus tamen Abraham ejuſque poſteros præ aliis fuiſſe inquilinos & fere exules. Quum ergo vagati ſint in terra Chanaan uſque dum traducti ſunt in Ægyptum, ubi etiam precario in diem vivebant, neceſſe fuit ſtationem eos quærere ſub umbra Dei, ſine qua vix cenſeri poterant mundi incolæ, quum ubique ſemper fuerint exteri: deinde circumducti per varios circuitus. Quod vero per omnes peregrinationes eos Dominus ſuſtinuerit, ac protexerit etiam ſua manu, quum inter feros & crudeles populos habitarent, & expoſiti eſſent eorum injuriis, hanc gratiam inſigni elogio extollit Moſes, Deum profugis & per nova ſubinde hoſpitia vagantibus pro habitatione vel domicilio aſſignans, ac eam temporis longitudine amplificat, quia ultra quatuor ſecula non deſtiterit illos tueri ſuo præſidio, ut ſub alis ejus manerent.

2. *Antequam montes.*] Quum velit Moſes ſublime aliquod & reconditum myſterium proferre, videtur tamen jejune & fere pueriliter loqui. Quis enim neſcit Deum eſſe mundo priorem? Verum quidem eſt hoc omnes fateri, ſed interea vix centeſimus quiſque ſolide perſuaſus eſt ſemper manere ſui ſimilem. Atqui confertur hic Deus creaturis, quas ſcimus continuis inclinationibus eſſe obnoxias, ut nihil ſit ſub cælo firmum. præſertim quum humana vita nihil magis æſtuoſum ſit, ne homines à ſuis jactationibus Deum æſtiment, locatur hic in tranquillo ſtatu. ita æternitas hæc de qua loquitur Moſes, non ad eſſentiam modo refertur, ſed ad providentiam qua mundum gubernat. Quamvis enim mundum ſubjiciat variis inclinationibus, ipſe quietus manet: nec tantum apud ſe, ſed quia eum fideles experiuntur minime verſatilem, ſed conſtantem in ſua potentia, veritate, juſtitia, bonitate, qualis ab initio fuit. Non poterat quidem ante conditum mundum perſpici æterna hæc ac immutabilis Dei conſtantia, quum nulli adhuc eſſent oculi teſtes: ſed à poſteriori colligitur: quia quum volvantur omnia variis agitationibus, retinet ipſe ſuam naturam. Poſſet etiam hic eſſe antitheſis inter ipſum & omnes fictitios Gentium deos, quorum turba errore & ſtultitia hominum paulatim obrepſit. Sed jam expoſui quorſum tendat Moſis conſilium, perperam ſcilicet nos facere ſi Deum metimur noſtro captu: ſed ſuperandam eſſe terram & cælum ipſum, quoties de ipſo cogitamus.

3. Convertes hominem ad contritionem, & dices, Revertimini filii Adam.	3 תשב אנוש עד דכא ותאמר שובו בני אדם:
4. Quia mille anni in oculis tuis tanquam dies heſternus quando præteriit, & vigilia in nocte.	4 כי אלף שנים בעיניך כיום אתמול כי יעבור ואשמורה בלילה:
5. Inundaſti eos, ſomnus erunt, mane quaſi herba creſcet:	5 זרמתם שנה יהיו בבוקר כחציר יחלף:
6. Mane florebit, & creſcet: ad veſperum excidetur & areſcet.	6 בבוקר יציץ וחלף לערב ימולל ויבש:
7. Quoniam deficimus in ira tua, & in furore tuo conſternati ſumus.	7 כי כלינו באפך ובחמתך נבהלנו:
8. Poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo, occulta peccata noſtra ad lumen vultus tui.	8 שת עונותינו לנגדך עלמנו למאור פניך:

3. *Convertes hominem.*] Primum commemorat quam fragilis & caduca ſit hominum vita, ejuſque ærumnas deplorat: non ut cum Deo expoſtulet, ſed
Pſal 103. verſ. 14. quo propenſior ſit ad miſericordiam: ſicuti alibi dicitur parcere mortalibus dum reputat eorum figmentum, recordatur pulverem & fœnum eſſe. Comparat autem curſum vitæ noſtræ gyro: quia Deus in terra nos locans, per brevem circuitum verſat: ubi autem ad ultimum punctum venimus, ad ſe momento retrahit. Alii ſecus interpretantur, quod Deus deducat homines uſque ad interitum, deinde in reſurrectione inſtauret. Sed argutia hæc procul quæſita eſt, nec quadrat contextui. Ponitur ergo ſimplex definitio vitæ noſtræ, quod brevis quædam verſatio ſit in qua celeriter gyrum implemus, cujus ultimus punctus meta eſt curſus noſtri. Hæc autem cognitio melius oſtendit quam præclare agat Deus cum ſervis ſuis, quum eos adoptat in peculium, ut eos tandem in æternam hæreditatem colligat. nec fruſtra ex oppoſito addit *mille annos coram Deo eſſe quaſi diem heſternum.* Etſi enim experientia verum eſſe convincit, homines peracto gyro, ſtatim è mundo abripi, non tamen animis noſtris inſidet fragilitatis hujus notitia, quia ſupra mundum non reſpicimus. Unde enim tantus ſtupor, ut homines præſenti vitæ addicti, rationes ſuas ita componant acſi victuri eſſent ad duo annorum millia: niſi quia nihil altius concipiunt mente, quam quod oculis ſe offert? Quiſque ſe cum aliis comparando, longam ſibi vitam fingit. Denique in hac hebetudine triginta annos vel etiam pauciores ſibi pro æternitate ſtatuunt: nec agnoſcunt vitæ ſuæ brevitatem quamdiu ſenſus eorum occupat mundus. Hæc ratio eſt cur nos expergefaciat Moſes, ad cæleſtem Dei æternitatem mentes noſtras attollens, ſine qua non ſentimus quam evanida ſit vita noſtra. Nam imaginatio longi

longi temporis, ſopori ſimilis eſt, in quo torpemus omnes, donec cæleſtis vitæ meditatio inane hoc terreni ſtatus figmentum abſorbeat. Porro quia tantopere cæcutiunt homines, Deum illis judicem ſtatuit: acſi diceret, Domine ſi illam æternitatem ex qua ſpecularis leves iſtos mundi circuitus, mente conciperent homines, pro nihilo ducerent præſentem vitam: ſed quia non expendunt quæ ſit vera diuturnitas, imo ſponte oculos ſuos avertunt à cælo, ideo obſtupeſcunt, & diem unum reputant quaſi centum annos. Hæc autem apoſtrophe valde emphatica eſt, quod Moſes ſocordiæ noſtræ pertæſus, Deum compellat: acſi diceret, frustra ſe apud ſurdos verba facere, qui ne continuo quidem uſu & experimento
2 Petr. 3. verſ. 8. ſe caducos eſſe diſcunt. Citatur à Petro hæc ſententia paulo in diverſum ſenſum: neque tamen abuſive, quoniam apte & ſcite ex Moſis teſtimonio deducit Petrus quod illic tractat. Vult Moſes homines à craſſis ſuis imaginationibus abſtractos in cælum attollere. Petrus autem quid? Quia plerique, dum pro eorum voto non feſtinat Chriſtus, moræ tædio ſpem reſurrectionis abjiciunt, præpoſterum hunc fervorem optimo remedio corrigit. Videt homines diffluere & excidere à promiſſionibus Dei: quia videtur Chriſtus nimium tardare. Unde hoc, niſi quia in terra ſubſiſtunt? Proprie igitur ad hoc vitium ſanandum accommodat Moſis ſententiam. Sicut enim delicias ſibi faciunt increduli eo quod mundo nimis affixi, cæleſtem æternitatem non guſtant, ita ex eodem fonte oritur impatientia. Atque hinc colligimus verum hujus doctrinæ uſum. Unde enim tantopere ſumus anxii de vita noſtra, ut nihil nobis ſufficiat, & nobis ipſi moleſti ſumus, niſi quia perpetuum nidum ſtulte nobis fingimus in mundo? Unde etiam tanta moroſitas, ut flaccеſcant animi noſtri in adventus Chriſti expectatione, niſi quia in terra deſident? Diſcamus ergo non judicare ex carnis ſenſu, ſed pendere à Dei judicio: ideoque fide ſurſum feramur uſque ad cæleſte ejus ſolium, ex quo pronunciat terrenam vitam nihil eſſe. Nec vero mille annos duntaxat ad diem unum Moſes reſtringit, ſed ponit diem heſternum qui jam præteriit. Quicquid enim adhuc verſatur ante oculos, mentes noſtras retinet. Quod autem præteriit, minus afficit ſui recordatione. Quantum ad nomen *vigiliæ* ſpectat, ſcimus veteres noctem in quatuor vigilias diſtribuere ſolitos, quarum ſingulæ ternis horis conſtabant. Extenuandi vero cauſa hæc ſimilitudo addita eſt, mille annos coram Deo nihil differre à tribus horis nocturnis, in quibus vix ſciunt homines vigilentne an dormiant.

5. *Inundaſti eos.*] Confirmat quod prius dixit, homines, dum in mundo peregrinantur, peragere momentaneum quendam circuitum. Nam inundandi verbum non reſtringo ad graviores pœnas, ſed mortem ſimpliciter in genere diluvio conferri arbitror. ſiquidem ubi pauxillum ſtetimus in mundo, mox cadimus in ſepulchrum, & terra obruimur. Ita communis interitus proprie inundatio vocatur. Neque enim ſecus in ipſo vitali flatu nos Dominus inundat, quam qui pereunt naufragio abſorpti: ut mors apte dici queat inviſibile diluvium. Tunc vero palam fieri dicit Moſes ſomnum eſſe homines qui in ſuo curriculo mirum ſibi vigorem arrogant. Comparatio *herbæ* quæ additur, huc ſpectat, prodire mane homines, ſicuti herba germinat, virere vel tranſire ad tempus exiguum, donec ſucciſi areſcant. Quia verba ſunt ſingularis numeri, videntur melius contexi cum herbæ nomine. ſed commode etiam referri poſſunt ad unumquemque hominem. Quia tamen ad rei ſummam parum intereſt, minus laboro. Aſſiduam porro meditationem requirit hæc doctrina, quia etſi fatemur omnes, vita noſtra nihil eſſe magis caducum, mox tamen quaſi furioſo impetu ſinguli ad fingendam terrenam immortalitatem rapimur. Nam quiſquis ſe mortalem eſſe meminit, ſibi moderatur, ne ultra modum ſatagat, ſed properet ad metam. Quando autem nullum finem curis noſtris ponimus, aſſiduis ſtimulis pungi nos oportet, ne pro tenui vitæ umbra mille vitas nobis ſomniemus.

7. *Quia defecimus in ira tua.*] Conſulto meminit iræ Dei Moſes, cujus ſenſu niſi tangantur homines, nunquam probe expendunt quod experientia fateri ipſos cogit, quam cito peracta revolutione diffluant. Quanquam Moſes alia etiam ratione hæc duo ſimul conjunxit: quum homines natura adeo caduci ſint & fere umbratiles, populum Iſraëliticum adverſa Dei manu fuiſſe afflictum, quia evanidæ noſtræ fragilitati minus tolerabilis eſt ira Dei, quam ſi mediocris aliqua virtus ſuppeteret. Cæterum ut demonſtret, ſibi minime eſſe in animo hac querimonia Deo obſtrepere, iram Dei, quantumvis fuiſſet terribilis, juſtam tamen eſſe dicit, quia eam populus ſua culpa provocaverat. nam qui Dei manu percuſſi non humiliantur, magis ſe obdurant. Ideo hæc vera proficiendi ratio atque etiam ſuperbiæ domandæ, Deum ſentire juſtum judicem. Ergo Moſes ubi breviter docuit, homines inſtar fumi natura evaneſcere, inde colligit non eſſe mirum ſi Deus exanimet ac conſumat quos in ira ſua perſequitur. Notanda autem loquutio eſt, Deum, ubi iræ ſuæ ſigna profert, ponere ante oculos hominum peccata: quia inde ſequitur, quicquid relaxationis nobis datur, Dei indulgentiæ merito debere adſcribi, qui peccata ſepelit ut nobis parcat. עלומים quidam in ſecundo membro adoleſcentias vertunt: acſi dixiſſet Moſes revocari in memoriam adoleſcentiæ delicta: quod nimis coactum eſt ac detortum. ſic enim periret antitheſis inter abſcondita peccata & lumen vultus Dei, qua ſignificat Moſes, quamdiu non affulget cum luce judicii ſui Deus, homines ſe in tenebras abdere, ſeque involvere multis fallaciis. Ubi autem Deus à ſubterfugiis eos retrahens, quibus conantur elabi, quæ per hypocriſin occultant peccata, oculis ſuis admovet, tunc metu & terrore ſubactos vere humiliari.

9. Quia omnes dies noſtri tranſierunt in indignatione tua: conſumpſimus annos noſtros velut * cogitationem.	9 כי כל ימינו פנו בעברתך כלינו שנינו כמו הגה׃
10. In diebus annorum noſtrorum ſeptuaginta anni: & ſi in fortitudinibus, octoginta anni: & ſuperbia eorum, moleſtia & labor: quia præterit cito, & nos avolamus.	10 ימי שנותינו בהם שבעים שנה ואם בגבורות שמונים שנה ורהבם עמל ואון כי גז חיש ונעפה׃

* vel, ſermonem.

9. *Quia omnes dies noſtri.*] Quanquam poſſet generalis confirmatio eſſe proximæ ſententiæ, totum vitæ humanæ curriculum cito conſumi ſimulac Deus iratus apparet: meo tamen judicio, potius amplificat Moſes quod prius dixit de rigore iræ Dei, & ſevero examine in caſtigandis peccatis. Dicit enim non exigui modo temporis fuiſſe hunc terrorem, quem inflixit Deus populo ſuo, ſed protractum eſſe uno tenore uſque ad mortem. Conqueritur ergo, Judæos in continuis malis fere contabuiſſe, quia iram ſuam Deus non remiſerit nec mitigaverit. Ideoque non mirum eſt ſi annos fluxiſſe dicat inſtar *ſermonis*, ubi ita perſeveranter ira Dei incubuit.

10. *In diebus annorum.*] Iterum ad generalem doctrinam redit, quam fluxa ſit hominum conditio, etiamſi Deus ad eos terrendos iram ſuam aperte

non exerat. Quæ eſt, inquit, vitæ duratio? nempe, ſi numeremus omnes annos, perveniemus tandem in ſeptuageſimum: vel ſiqui erunt magis vegeti ac vivaces, ad octogeſimum uſque nos deducent. Dies autem annorum emphatice poſuit, quia dum in minutas partes diſtribuitur tempus, numerus ipſe nos decipit, ut vivendi fiduciam nobis prorogemus. Has inanes blanditias refellere volens, permittit hominibus colligere in paucis annis multa annorum millia. Simul tamen dicit, hunc magnum acervum ſtatim in nihilum redigi. Amplificent ergo, ut libuerit, homines vitæ ſuæ ſpatium, hoc prætextu quod ſinguli anni trecentos ſexaginta quinque dies in ſe contineant: certe terminus ſeptuaginta annorum brevis reperietur. Atqui ex longa dierum ſupputatione hæc tandem conficitur ſumma. Qui autem octogenarius eſt, ad ſepulchrum feſtinat. Vixit Moſes ipſe longius, & alii forſan ejus ætate: ſed de communi ratione loquitur. tunc autem habiti ſunt ſenes & fere decrepiti qui ad annos octoginta pervenerant: ut non fruſtra dicat ſolis robuſtis id contingere. *Superbiam* accipit pro virtute vel præſtantia, qua ſe magnifice jactant homines. Senſus autem eſt, antequam declinent homines ad ſenium, in medio tamen ætatis flore jam implicari multis moleſtiis, nec poſſe curas, tædia, dolores, metus, ægritudines, incommoda, & anxietates effugere, quibus obnoxia eſt vita mortalis. Cæterum hoc ad totum vitæ curriculum refertur. Et certe ſiquis reputet qualis ſit vitæ noſtræ conditio ab infantia uſque ad ſepulchrum, reperiet in ſingulis partibus moleſtias & labores. Nam עמל & און dum ſimul junguntur, paſſive ſumuntur pro incommodis & afflictionibus: acſi dixiſſet Moſes, laborioſam eſſe hominis vitam, multiſque tormentis refertam, idque dum maxime ſuperbiunt. Ratio quam ſubjicit videtur non ſatis quadrare, *cito præterit, & nos avolamus.* fieri enim poteſt ut felicitas, quæ brevis eſt, non tamen ideo nulla ſit. Sed intelligit Moſes ſtulte gloriari homines in ſua excellentia: quia velint nolint coguntur in futurum tempus reſpicere. Atqui ſimulac oculos aperiunt, præcipiti volatu ſe ad mortem ferri & rapi vident: ſuam vero præſtantiam ſingulis momentis evaneſcere.

11. Quis cognoſcit vim iræ tuæ? & ſecundum timorem tuum ira tua.	11 מִי יוֹדֵעַ עֹז אַפֶּךָ וּכְיִרְאָתְךָ עֶבְרָתֶךָ׃
12. Ut numeremus dies noſtros ſic ſcire fac, & adducemus cor ad ſapientiam.	12 לִמְנוֹת יָמֵינוּ כֵּן הוֹדַע וְנָבִא לְבַב חָכְמָה׃
13. Revertere Jehova, quouſque? placare ſuper ſervos tuos.	13 שׁוּבָה יְהוָה עַד מָתָי וְהִנָּחֵם עַל עֲבָדֶיךָ׃

11. *Quis cognoſcit.*] Iterum ad privatas afflictiones populi, ſermonem refert. Nam hac etiam occaſione prius de communi generis humani fragilitate & ærumnis conqueſtus eſt. Merito autem exclamat inæſtimabile eſſe iræ Dei robur: quia quantiſper ipſe manum ſuam ſubducit, homines non ſecus ac ſervi fugitivi, quos Domini conſpectus amplius non terret, petulanter exultant: nec aliter ſub obſequium cogitur præfracta eorum natura, quam ubi judicii ſui terrore eos Deus percellit. Senſus ergo eſt, quamdiu ſe occultat Deus, iramque ſuam diſſimulat, contumacia turgere homines, & violento impetu ruere: ſed ubi ſentire coguntur quam ſit ira ejus formidabilis, ferociæ ſuæ oblitos recidere in nihilum. Quod proxime ſequitur, *ſecundum timorem tuum ira tua*, ſolet ita exponi, Quo quiſque magis Deum reveretur, eo ſolere durius tractari, & ſeverius. Judicium enim à domo Dei incipit: & quum reprobos in ſua pinguedine foveat, electos ſuos macerat continuis tribulationibus. denique caſtigat quos diligit. Vera igitur & utilis doctrina eſt, Deum ſuos cultores aſperius tractare, quam reprobos: ſed Moſen aliud hoc loco velle arbitror, nempe ſola Dei reverentia fieri ut vere & ſerio ſentiamus ejus iram. Videmus enim reprobos, etiamſi duriter caſtigentur, vel frenum arrodere, vel calcitrare adverſus Deum, planeque furere, vel ſtare attonitos, quaſi occalluerint ad mala omnia: tantum abeſt ut ſubigantur. Quamvis etiam tumultuentur ac clamitent, non penetrat tamen ira Dei in eorum animos ut miteſcat eorum ferocia. Piæ tantum mentes ira Dei vulnerantur, nec fulmina expectant quibus reprobi opponunt duram & ferream cervicem: ſed Deo vel minimum digitum movente, ſtatim contremiſcunt. Hanc exiſtimo genuinam eſſe Prophetæ mentem. dixerat non poſſe ſatis comprehendi humano ingenio quam horribilis ſit ira Dei. Videmus autem quamvis cælum & terram concutiat Deus, multos tamen Cyclopes ridere, & tam bruta eſſe ferocia, ut Deum fulminantem contemnant. Sed quia doctrinam tractat peculiarem filiis Dei, dicit in illis tenerrimum eſſe iræ Dei ſenſum, ut ſcilicet ejus imperio ſe placide ſubmittant. Quamvis enim impiis carnifex ſit propria conſcientia, quæ eos quieſcere non ſinit, ex cæco illo metu adeo non diſcunt manſuetudinem, ut contumacius obſtrepant. Denique ſolis fidelibus ſenſibilis eſt ira Dei, qui domiti, ſe nihil eſſe agnoſcunt, & cum vera humilitate totos ſe addicunt Deo. Hæc ſapientia in reprobos homines non cadit, qui faſtum quo inflati ſunt, nequeunt deponere: quia ſenſu iræ ejus non tanguntur, eo quod neque ipſum timeant.

1 Petr. 4. verſ. 17. Hebr. 12. verſ. 6.

12. *Ut numeremus dies noſtros.*] Alii vertunt, Ad numerum dierum: ſed eodem ſenſu. Nam quia videbat Moſes, quod hactenus docuit, hominum ingenio non comprehendi, donec affulgeat Deus Spiritu ſuo: jam ad precationem ſe convertit. Videtur quidem primo intuitu ridicula eſſe precatio, Ut teneamus numerum annorum noſtrorum. Quid enim? quum vix annum octogeſimum attingant robuſti, an difficile eſt ſupputare tam paucos annos? diſcunt numeros pueri ſimulac balbutire incipiunt. nec vero arithmeticam à magiſtro diſcere opus eſt, ut numerum centenarium digitis ſupputemus. Atqui eo fœdior & magis pudenda noſtra ſocordia, quod tam breve vitæ noſtræ ſpatium nunquam comprehendimus. Nam qui optimus erit arithmeticus, & myriades myriadum diſtincte ac ſubtiliter tenebit ac excutiet, non tamen poterit octoginta annos ſupputare in propria vita. Hoc certe prodigio ſimile eſt, homines extra ſe ipſos metiri omnia intervalla, cognoſcere quot pedibus diſtet luna à centro terræ, quam longis inter ſe ſpatiis planetæ dividantur, denique omnes cæli & terræ dimenſiones tenere, quum in ſeipſis ſeptuaginta annos non numerent. Videmus ergo quod rariſſimæ prudentiæ eſt non fruſtra Moſen à Deo petere. Poſterius quoque membrum apprime notatu dignum eſt, quo docet, nos tunc demum cor adjicere ad ſapientiam, dum capimus vitæ humanæ brevitatem. Quæ enim major amentia eſt quam nulla propoſita meta vagari? Soli autem fideles, quibus nota eſt inter hanc caducam vitam & beatam æternitatem, ad quam creati ſunt, diſtinctio, ſciunt quo vitam dirigere oporteat. Ergo nemo compoſita mente vitam inſtituet, niſi qui cognito vitæ fine, hoc eſt morte ipſa, ad conſiderandum vi-

vendi

vendiſcopum deductus fuerit, ut ad palmam ſupernæ vocationis pergat.

13. *Revertere Jehova.*] Querimoniæ precationem ſubnectit, ut Deus, qui pridem graves à populo ſuo pœnas exigere non deſierat, tandem ad lenitatem flectatur. Etſi enim quotidie multis modis guſtum aliquem dabat amoris ſui, exilium tamen à terra promiſſa, duriſſima erat afflictio, quo admonebantur, ſe beata illa hæreditate, quam Deus filiis ſuis deſtinaverat, eſſe indignos. Nam & horribile illud jusjurandum quo fulminaverat contra eos Deus, ne-
Num. 14. v. 23.32. ceſſe fuit ſubinde illis venire in mentem, Non introibunt in requiem meam, ſed putreſcent eorum cadavera in deſerto. Nec dubito quin aſperam illam ſervitutem, quam perpeſſi erant in Ægypto, conjungat cum erroribus deſerti: ideoque non immerito diuturnum languorem deplorat in particula *Quouſque*. Sicuti tergum Deus obvertere, vel procul à nobis recedere dicitur, dum favoris ſui ſigna ſubmovet: ita per reditum intelligitur gratiæ demonſtratio. Quantum attinet ad verbum נחם, quia pœnitere ſignificat, non male quadrat hic ſenſus, Pœniteat te ſuper ſervos tuos: quia ex communi Scripturæ uſu conſtat pœnitentiam Dei vocari, ubi diſcuſſa triſtitia, gaudii materiam reſtituens, quaſi mutatus apparet. Propius tamen videntur ad mentem Moſis accedere qui vertunt, Conſolare te ſuper ſervos tuos. quia Deus ſuaviter nos fovendo, non ſecus ac pater in filiis ſuis ſe oblectat. Id vero nihil aliud eſt quam placari, vel propitium eſſe, ſicuti vertimus quo planior eſſet ſententia.

14. Satia nos mane bonitate tua, & exultabimus, & lætabimur cunctis diebus noſtris.	14 שבענו בבקר חסדך ונרננה ונשמחה בכל ימינו׃
15. Exhilara nos ſecundum dies afflictionis noſtræ, annos quibus vidimus malum.	15 שמחנו כימות עניתנו שנות ראינו רעה׃
16. Appareat erga ſervos tuos opus tuum, & decor tuus ſuper filios eorum:	16 יראה אל עבדיך פעלך והדרך על בניהם׃
17. Et ſit pulchritudo Domini Dei noſtri ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige ſuper nos, & opus manuum noſtrarum dirige.	17 ויהי נעם יהוה אלהינו עלינו ומעשה ידינו כוננה עלינו ומעשה ידינו כוננהו׃

16. *Appareat erga ſervos tuos.*] Quia Deus, Eccleſiam ſuam deſerens, quodammodo alienam perſonam induit, ſcite Moſes *proprium ejus opus* nominat protectionis gratiam quam pollicitus fuerat filiis Abrahæ. Ergo quamvis in omnibus pœnarum exemplis, quibus perfidiam, ingratitudinem, contumaciam, libidines, pravaſque cupiditates populi ultus eſt, conſpicuum fuerit ejus opus, κατ' ἐξοχὴν aliis omnibus potentiæ ejus documentis illam tuendæ populi ſalutis curam præfert Moſes qua maxime vo-
Rom. 9. verſ. 23. lebat innoteſcere. Hac ratione Paulus Dei bonitatem, gloriæ titulo ſpecialiter inſignit. Quamvis enim gloriam ſuam aſſerat, mundum judicando, quia tamen nihil ei magis naturale eſt quam beneficum ſe monſtrare, ideo gloria ejus in beneficiis excellere dicitur. Quod ad præſentem locum ſpectat, tantum cœperat Deus populum ſuum liberare: reſtabat enim ut fruerentur terra Chanaan. Itaque niſi ultra deſertum progreſſi eſſent, obſcurata fuiſſet redemptio. Adde quod ex promiſſione opus Dei æſtimat Moſes, ideoque plenum & ſuis numeris abſolutum fore negat, niſi ſuam gratiam uſque in finem continuet. Quod etiam clarius exprimitur ſecundo membro, ubi non modo ætati ſuæ bene precatur, ſed *generationi* quæ nondum nata erat: quia talis
Gen. 17. verſ. 7. etiam erat forma fœderis, Ero Deus tuus & ſeminis tui. Cæterum hoc exemplo monemur, in precibus noſtris habendam eſſe poſteritatis curam: præſertim quia nobis promiſſa eſt Eccleſiæ perpetuitas uſque ad finem mundi, ſicuti proximo Pſalmo vidimus, in omnibus votis quibus commendamus ejus ſalutem, complecti poſteros noſtros etiam qui nondum nati ſunt, convenit. Notandum præterea eſt *decoris* & *pulchritudinis* nomen. unde colligimus quam incomparabilis ſit erga nos Dei amor. Quamvis enim ſuis donis nos ornans, nihil ſibi acquirat: liberaliter tamen nobiſcum agendo ſplendere vult, & decorem ſuum palam facere: acſi forma ejus obſcura eſſet ubi nos ſua beneficentia proſequi ceſſat. Sequitur deinde, *opus manuum noſtrarum dirige ſuper nos:* quo ſignificat Moſes, nihil poſſe nos feliciter aggredi vel tentare, niſi dum ſe ducem & auctorem præbet Deus, & auſpiciis ſuis nos regit. Unde ſequitur, ſuos profanis hominibus conatus & ſtudia retrorſum cadere, quia Deum non ſequendo, confuſe & inordinate omnia pervertunt. Nec ſupervacua eſt particula עלינו. nam etſi in optimum finem dirigit Deus quicquid Satan & omnes reprobi moliuntur, ſpecialis tamen eſt Eccleſiæ ratio, in qua pacatum imperium Deus exercet. Nam arcana ſua providentia opus ſuum extra dirigit Deus erga reprobos, ſed intus fideles ſuo Spiritu gubernat, ideoque proprie opus manuum ipſorum ordinat. Et repetitio docet continuum perſeverantiæ tenorem requiri in Dei gratia: quia non ſufficeret ad dimidium uſque iter nos eſſe perductos, niſi totum curſum compleat. Alii vertunt, confirma: qui ſenſus tolerabilis eſt. Sequutus tamen ſum quod ad contextum aptius erat, nempe ut omnes piorum actiones Deus ordinet in finem proſperum.

ARGUMENTUM PSALMI XCI.

Docet piorum ſalutem curæ eſſe Deo, ut nunquam eos in periculis deſtituat. Itaque hortatur fideles, ut ejus præſidio confiſi, ſecure per omnia diſcrimina ambulent. Utiliſſima doctrina: quia etſi de providentia Dei loquuntur omnes, fatenturque fidelium eſſe cuſtodem, vix tamen centeſimus quiſque ſalutem ſuam ejus fidei commendat.

PSALM. XCI.

HAbitans in abdito Excelſi, in umbra Omnipotentis morabitur.	1 ישב בסתר עליון בצל שדי יתלונן׃
2. Dicam Jehovæ, Spes mea & arx mea: Deus meus, ſperabo in ipſo.	2 אמר ליהוה מחסי ומצודתי אלהי אבטח בו׃

3. Certe ipſe liberabit te à laqueo aucupis, à peſte noxia:	3 כִּי הוּא יַצִּילְךָ מִפַּח יָקוּשׁ מִדֶּבֶר הַוּוֹת׃
4. Alis ſuis proteget te, & ſub pennis ejus tutus eris, ſcutum & clypeus veritas ejus.	4 בְּאֶבְרָתוֹ יָסֶךְ לָךְ וְתַחַת כְּנָפָיו תֶּחְסֶה צִנָּה וְסֹחֵרָה אֲמִתּוֹ׃

H*Abitans in abdito.*] Hebræi quidam interpretes uno contextu legunt tres primos verſus, ut pendeat ſententia uſque ad membrum illud, Certe eruet te è laqueo aucupis: atque ita exponunt, Qui habitat in refugio Excelſi, & in umbra Dei commoratur, Illi dicam de Jehova, quod ſit ſpes ejus & propugnaculum, & Deus in quo acquieſcere tuto liceat: Quoniam liberabit eum à laqueo, &c. Sed quam coactus ſit ſenſus ille, palam eſt. Deinde qui ita ſentiunt, frivola ratione moventur: quia in primo verſu idem bis repeti exiſtimant, ideoque nullum ſenſum poſſunt elicere. in quo longe falluntur: res enim diverſas notat Propheta, quiſquis ſit Pſalmi auctor, dicens eos qui abſconditi latent ſub Dei cuſtodia, non eſſe telorum ictibus expoſitos, ſed inhabitare tutum & quietum locum. Siquis ita loquatur, Qui Deum habet præſidem ſalutis ſuæ, ille quieſcet ſub umbra Dei: in ſecundo membro emphatica notatio erit, quia illic humanis auxiliis opponitur Dei potentia. Sic etiam Propheta hoc loco manſuros dicit ſub umbra Dei qui in abdito ejus habitant: quia ſentient tandem quid valeat ejus protectio. Quum ergo bona pars mundi quærat ſibi varias latebras, atque ut ſe quique obnoxios vident pluribus malis, circumſpiciant huc & illuc: docet, nuſquam alibi tutam & inexpugnabilem ſalutis arcem eſſe, quam in Dei præſidio. Itaque ſpes omnes quibus ut plurimum deludimur, opponit eorum ſecuritati qui in Deum recumbunt. Eandem doctrinam ſecundo verſu confirmat, ſimulque oſtendit ex proprio ſenſu & fidei experientia ſe loqui: quod valde neceſſarium eſt in doctore. Hæc enim vera demum eſt cognitio, quam per manus aliis tradere licet, dum proferimus non ex labiis tantum, ſed ex intimo corde quod nobis Deus patefecit. Ergo Propheta, ex intimo affectu quod nuper docuit profeſſum eſſe teſtatur. Quanquam autem litera ל ſæpe accipitur pro DE, & hoc loco à pleriſque ita vertitur: plus tamen efficaciæ habet quod reddidi. Neque enim ſimpliciter ſtatuunt fideles Deum ſibi fore loco arcis, ſed ejus promiſſionibus freti, familiariter eum compellant. Ita ex precandi fiducia confirmat quam tuta ſit ſub umbra Dei habitatio. Hæc enim ſancta gloriatio maximus eſt fidei triumphus, dum intrepide confugimus ad Deum, quicquid accidat: certoque perſuaſi ſumus non tantum vota noſtra ab eo exaudiri, ſed ſatis ſuperque auxilii nobis eſſe in ejus manu. Tertio autem verſu ſpem de qua loquutus erat, dicit non fallacem vel irritam fore, quia Deus ſuorum perpetuus ſit liberator. Neque enim dubito quin ſermonem ad ſeipſum convertat, ſeque hoc modo ad bene ſperandum animet. Quidam *laqueum* ab *excidio* vel peſte diſtinguunt, tanquam occultum malum à manifeſto: acſi dixiſſet Propheta, Sive clam occultis artibus inſidietur nobis Satan, ſive aperto Marte nos oppugnet, paratum fore Dei auxilium. quod mihi non diſplicet. Nam ut quiſpiam ſimplicius accipere verba malit, probabile tamen eſt notari quaslibet malorum ſpecies: ut ſciamus nulla in parte nos periclitari quin Deus ſuccurrat.

4. *Alis ſuis proteget te.*] Hæc ſimilitudo, quam etiam alibi uſurpat Scriptura, miram Dei in tuenda ſalute noſtra ſollicitudinem pulchre depingit. Si in ſe reputatur Dei majeſtas, certe nihil habebit affine vel gallinis vel aliis avibus, ut fovendis pullis alas extendat. Ipſe vero ut infirmitati noſtræ conſulat, à cæleſti ſua gloria quodammodo deſcendere non gravatur, ut ſub gallinæ imagine blandius nos invitet. Nihil ergo eſt quod nos impediat à familiari ejus acceſſu, quando ita comiter ſe demittit. Quanquam autem veritas Dei, quam *clypei & parmæ* loco fore dicit, pro fidelitate capitur, quia Deus nunquam ſuos in neceſſitate deſerit: dubium tamen non eſt quin ad Dei promiſſiones reſpiciat Propheta, ſine quibus nemo in Dei ſinum conjicere ſe auderet. Quia igitur ſublato verbo guſtare non poſſemus hanc Dei bonitatem de qua diſſerit Propheta, ipſum teſtem ejus producit. Sicuti autem nuper Deum arci comparans, tutos & ſalvos fore dixit qui in eo acquieſcunt: ita nunc ſub clypei ſimilitudine intermedium fore docet, ut nos ab omni inſultu defendat.

5. Non timebis à terrore noctis, à ſagitta quæ volabit per diem:	5 לֹא תִירָא מִפַּחַד לָיְלָה מֵחֵץ יָעוּף יוֹמָם׃
6. Ab exitio in tenebris graſſante, à peſte quæ in meridie vaſtat.	6 מִדֶּבֶר בָּאֹפֶל יַהֲלֹךְ מִקֶּטֶב יָשׁוּד צָהֳרָיִם׃
7. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te non appropinquabit.	7 יִפֹּל מִצִּדְּךָ אֶלֶף וּרְבָבָה מִימִינֶךָ אֵלֶיךָ לֹא יִגָּשׁ׃
8. Utique oculis tuis aſpicies, & retributionem impiorum videbis.	8 רַק בְּעֵינֶיךָ תַבִּיט וְשִׁלֻּמַת רְשָׁעִים תִּרְאֶה׃

5. *Non timebis à terrore noctis, à ſagitta*, &c.] Fuſius explicat Propheta quod paulo ante attigi, undecunque moleſtiam faceſſat nobis Satan, & quocunque telorum genere nos impetat, ſi unico Dei præſidio contenti erimus, nihil nociturum. Idque tenere operæpretium eſt, Quos Deus in tutelam ſuam ſuſcepit, probe undique eſſe munitos. Nam quum nihil difficilius ſit quam Deum amplecti liberatorem, quamvis eouſque quis profecerit: ubi tamen occurrunt tot mortes & noxæ quibus obſidetur vita noſtra, ſimul obrepit dubitatio quæ inquietudinem & trepidationem generat. Ideo non abs re enumerat Propheta diverſas malorum ſpecies, ne unam tantum ſalutem à Deo ſibi promittant fideles, ſed innumeris tentationibus fortiter reſiſtant. Nocturni pavoris ideo meminit, quia & tenebræ homines reddunt timidos, & nox pluribus incommodis obnoxia eſt: deinde ſiquid increpuit, fingimus nobis majores metus. Sagittam interdiu volantem potius elegit, meo judicio, quam aliud quodvis telum, quia & longius vibratur, & propter celeritatem non facile poteſt præcaveri. Secundo membro idem aliis verbis inculcat, nullum eſſe genus mali quod non repellat Deus auxilii ſui clypeo.

7. *Cadent à latere tuo mille*, &c.] Proſequitur eandem ſententiam, quamvis eadem ſit mortalium omnium conditio in ſpeciem, ſingulari tamen privilegio eximi fideles à propinquis malis, & quæ fere eorum capitibus imminent. alioqui enim protinus in mentem hoc veniret, Quid, nonne tu unus es ex

vulgo

vulgo hominum, quorum vita mille mortibus circumdatur? Hanc dubitationem ut corrigat Propheta, diſerte admonet, quamvis totus mundus ruinis miſceatur, Deum tamen peculiari cura ſervis ſuis conſulere, ne promiſcue in turba pereant. Valde neceſſaria admonitio, Quamvis naturaliter communibus incommodis ſubjecti ſimus, ſingulari tamen privilegio nos eximi, ut ſemper in periculis tuti ſimus. Proximo verſu non modo intelligit experientiam fore magiſtram, quia reipſa ſentient fideles, & quaſi oculis cernent ſalutem ſuam in Dei manu repoſitam eſſe: ſed alio argumento confirmat hanc doctrinam, quod ſcilicet Deus, qui juſtus eſt mundi judex, impios ac reprobos quo meriti ſunt exitio plectens, ſuos tueatur. Quamvis ergo res ſæpe in terra confuſæ ſint, in hac tamen obſcura caligine dicit Propheta fideles palam cognituros judicia Dei, unde colligant non fruſtra in eum ſperaſſe. Alloquitur autem oculatos & qui præditi ſunt vera fidei luce, qui ad conſideranda Dei judicia ſedulo excubant, qui etiam patienter & in ſilentio expectant tempus opportunum: quia major pars judicium præcipitans, ſua feſtinatione ſe conturbat. unde fit ut ſenſus carnis ad Dei providentiam cæcutiat. Adde quod ſufficere nobis debet, ſi judicia ſua Deus ex majori parte in diem plenæ revelationis differens, aliquem nunc guſtum præbeat.

9. Quia tu Jehova protectio mea, Excelſum poſuiſti refugium tuum.

10. Non occurret tibi malum, & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo:

11. Quia Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis.

12. Super manus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.

9 כִּי־אַתָּה יְהוָה מַחְסִי עֶלְיוֹן שַׂמְתָּ מְעוֹנֶךָ׃

10 לֹא־תְאֻנֶּה אֵלֶיךָ רָעָה וְנֶגַע לֹא־יִקְרַב בְּאָהֳלֶךָ׃

11 כִּי מַלְאָכָיו יְצַוֶּה־לָּךְ לִשְׁמָרְךָ בְּכָל־דְּרָכֶיךָ׃

12 עַל־כַּפַּיִם יִשָּׂאוּנְךָ פֶּן־תִּגֹּף בָּאֶבֶן רַגְלֶךָ׃

9. *Quia tu Jehova.*] Multus eſt in commendanda Dei providentia: quia non niſi lente & multis ſtimulis excitatur hominum ſegnities, ut relictis mundi fulturis quibus ſunt affixi, recta ſe in Deum conferant. Sicuti autem in hoc Pſalmo ſubinde variat perſonas: ita in hoc verſu primo Deum compellat: deinde iterum ſermonem ad ſeipſum convertit. Ac Deum quidem *protectionem* ſuam nominat, quo efficacius ſuo exemplo ad eum cogat reliquos fideles. Eadem ratione ſecum deinde loquitur, quo plus fidei faciat de interiore ſuo affectu. Nam hæc vera demum fidei probatio eſt, dum ſe quiſque colligens, abſque teſtibus animum ſuum examinat: quia ubi Deo unico non contenti, ad homines reflectimus oculos, vix fieri poteſt quin ſe ambitio in fidei locum inſinuet. Dicitur autem Deus cenſeri pro domicilio: quia ſurſum & deorſum nobis defenſor eſt ab omnibus noxis, ſicut & Pſalmo 90. verſ. 1. Poteſt autem conjunctim hic verſus legi cum proximo, ut cauſæ redditio ſit. ſequitur enim, *Non occurret tibi malum.* Unde autem arcentur malorum occurſus, niſi quia ſub Dei tutela quieti latemus? Verum quidem eſt, fidelibus quoque accidere multa incommoda: ſed intelligit Propheta Deum opponere manum ſuam contra violentos inſultus, ne prorſus obruantur fideles. Deinde hanc cuſtodiam ad totas piorum domos extendit: quia ſcimus Deum ipſum paterno favore quo dignatur ſervos ſuos, eorum etiam filios complecti. Niſi forte ſimplicius accipere libeat, qui Deum eligunt domicilii loco, in ſuis ædibus tuto habitaturos.

11. *Quia Angelis ſuis.*] Hoc etiam conſulto additum fuit à Propheta, ut obviam iret noſtræ infirmitati. unde perſpicimus quam benigne nobis indulgeat qui non tantum ignoſcit diffidentiæ noſtræ vitio, ſed remedium adhibet: dum ſe pronunciat fore loco arcis & clypei, umbram manus ſuæ offert, vocat ſe domicilium, alas denique ad nos fovendos extendit. niſi tot & tam luculentæ promiſſiones nobis ſufficiant, annon pluſquam ingrati ſumus? Si nos terret ejus majeſtas, gallinæ ſe comparat: ſi trepidamus ob hoſtium potentiam, vel nos exanimat diſcriminum multitudo, invictam ſuam virtutem proponit, quæ abſorbeat contrarias omnes potentias. Atqui ubi tot modis ad ſe nos allicere tentavit, quia videt tarde adhuc & cunctanter accedere, acſi non eſſemus uno eo contenti: adjungit etiam Angelos, & eos offert ſalutis cuſtodes. Hoc certe eſt inſigne indulgentiæ ejus teſtimonium, quod ſe validis copiis armatum eſſe pronuncians ad nos tuendos, diffidentiam noſtram ſublevat. nec modo ſingulis aſſignat unum Angelum, ſed cæleſtes ſuos exercitus de ſalute cujuſque fidelium jubet eſſe ſollicitos. Nam unumquemque fidelium alloquitur Propheta, ſicut etiam Pſalmo 34. verſ. 8. vidimus Angelos caſtrametari in circuitu timentium Deum. Unde apparet falſum illud eſſe commentum, ſuum cuique Angelum ſingularem eſſe. idque tenere maxime noſtra intereſt: ſicuti certamen nobis eſt cum multis hoſtibus, ita multis cuſtodibus nos eſſe inſtructos. ſi unum mihi Angelum præſidii caput daret Deus, eſſet hoc quidem aliquid: ſed dum audio ſalutis meæ curam multis mandari, plus momenti habet hæc promiſſio, ſicuti Eliſæus hac fiducia ingentes hoſtium copias *2 Reg. 6.*
ſpernebat. Nec repugnant Scripturæ loci, qui viden- *verſ. 16.*
tur officia inter Angelos diſtribuere, ut ſingulis hominibus præſint. Conſtat enim Deum varie per Angelos operari, ut unum pluribus populis præficiat, uni vero homini plures. Quomodo autem ad ſalutem noſtram curandam inter ſe conſpirent, noſtrum non eſt nimis anxie & ſcrupuloſe diſquirere: contenti ſimus hac Apoſtoli doctrina, quia nobis deſtinati ſunt
miniſtri, ſemper ad munus intentos eſſe. Nam quod *Pſal. 103.*
alibi præſto eſſe dicuntur ad Dei obſequium & exe- *verſ. 20.*
quenda juſſa, hoc quoque ad fidei noſtræ confirma- *& 21.*
tionem valet, quum ad nos tuendos eorum opera Deus utatur. Quanquam autem de ſingulis Eccleſiæ membris agit Propheta, non temere hoc diabolus aptavit ad perſonam Chriſti. Nam utcunque ſemper ei ſit propoſitum pervertere & corrumpere veritatem Dei, in generalibus tamen principiis ſpecioſum colorem adhibet, ſatiſque acutus eſt theologus. Et ſane quum totum Adæ genus exulet à regno Dei, nihil cum Angelis eſt nobis commune, & illi nobiſcum nihil habent negotii. Solus ergo Chriſtus eſt, qui ſublato diſſidio Angelos nobis conciliat, ſicuti proprium ejus eſt colligere quæ diſſipata erant in cælo & in terra, ut ait Paulus ad Epheſios cap. 1.
verſ. 10. Id ſancto Patriarchæ Jacob oſtenſum fuit *Geneſ. 28.*
ſub figura ſcalæ: & quia per Chriſtum coaleſcimus *verſ. 12.*
in unum corpus cum Angelis, dicebat ipſe, Poſthac *Joan. 1.*
videbitis cælos apertos, & Angeli aſcendent ac de- *verſ. 51.*
ſcendent. Videmus ergo proprie in caput congruere quod ejus beneficio ad omnia membra pertinet. Jam vero Propheta *vias omnes* plurali numero diſerte ponit, quo diſtinctius exprimat, quocunque pergendum

dum ſit, Angelos ſemper fore duces. Et certe videmus quam flexuoſus ac multiplex ſit curſus vitæ noſtræ, & quam multæ tempeſtates nos huc illuc ſubinde rapiant. Itaque oportuit ſingulis actionibus & conſiliis nominatim Angelos attribui duces, ut ſciamus nobis præire ſive ad dextram ſive ad ſiniſtram nos ferat neceſſitas. Interea probabile eſt, ſub viarum nomine commendari nobis modeſtiam, ne præcipiti jactu Deum tentemus, ſed nos contineamus intra vocationis noſtræ fines. Nam ſiquis ſe temere projiciat, & aggrediatur pluſquam permittit Deus, quaſi vellet repugnante Deo ſupra nubes conſcendere: non eſt quod ſibi Angelos promittat ſuæ temeritatis miniſtros vel adjutores. Ac videtur aſtute Satan particulam hanc obliteraſſe dum Chriſtum ad temerariam projectionem impellere tentabat.

12. *Super manus.*] Amplificat quod dixit de Angelorum cuſtodia, acſi diceret, non ſolum excubias agere nequid mali nobis accidat, & paratos eſſe ad opem ferendam, ſed etiam ſuis manibus fulcire gradus noſtros, ut ſine offenſa curſum noſtrum peragamus. Hoc quidem minime apparet, in ſublime attolli fideles, qui ſæpe anhelant vel laborant ambulando, ſæpe impingunt vel labuntur, vix etiam & ægre ſe trahunt: ſed quia in tanta debilitate non ſolum cadere ſingulis momentis contingeret, ſed etiam diffluere, niſi nos mirabiliter fulciret Deus: merito levamen quod præſtatur Angelorum opera, tam magnifice Propheta commendat. Adde quod ſuperandis tam arduis obſtaculis quæ nobis Satan opponit, minime pares eſſemus, niſi nos Deus attolleret. Quiſquis hæc duo inter ſe conferet, fluidam noſtram infirmitatem, deinde ſpinas, ſalebras, ſaltus, aſperitates viarum, anguſtias, præterea hebetudinem mentis noſtræ, & Satanæ vafritiem in ſtruendis inſidiis: reperiet non eſſe hyperbolicum hoc elogium, ſed fatebitur non poſſe nos tres paſſus progredi, niſi quodammodo præter naturam Angeli nos in aëre portent. Quod autem ſæpe impingimus, culpæ noſtræ imputandum eſt, quia nos à capite noſtro disjungimus. Quanquam autem propriæ infirmitatis convinci nos vult Deus dum impingimus vel cadimus, quia tamen collidi non permittit, perinde eſt acſi manum ſuam ſupponeret.

13. Super leonem & aſpidem ambulabis, conculcabis leunculum & draconem.

13 על שחל ופתן תדרך תרמס כפיר ותנין׃

14. Quia in me acquievit, liberabo eum: exaltabo eum, quia cognovit nomen meum.

14 כי בי חשק ואפלטהו אשגבהו כי ידע שמי׃

15. Invocabit me, & reſpondebo ei: cum ipſo ero in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum:

15 יקראני ואענהו עמו אנכי בצרה אחלצהו ואכבדהו׃

16. Longitudine dierum ſatiabo eum, & oſtendam ei ſalutem meam.

16 ארך ימים אשביעהו ואראהו בישועתי׃

13. *Super leonem & aſpidem*, &c.] Confirmat aliis verbis eandem ſententiam. Lapidum nomine prius notavit obſtacula omnia, quibus molitur Satan abrumpere ſalutis noſtræ curſum. Jam per *aſpidem, leonem, leunculum & draconem*, ſignificat mortiferos caſus quibus obnoxii ſumus in mundo. Certe quamdiu hic peregrinamur, ambulandum nobis eſt inter ſævas feras, aut virulenta animalia. Quid ergo nobis fieret, niſi victoriam nobis promitteret Deus contra tot noxas, quæ aſſidue nobis impendent? Quiſquis ergo ſuas tentationes expendet, non mirabitur hyperbolica loquendi forma uſum fuiſſe Prophetam, ut fideles eximeret à trepidatione & metu: imo non dicet eſſe hyperbolen, quia vere his verbis reſpondet effectus. Nos quidem procul à telorum jactu, videmur pluſquam bellicoſi, ſed in minimis quibuſque negotiis leones nobis & dracones fingimus, videmurque nobis ad plures lanienas expoſiti. ideo ſermonem ad ſenſum carnis noſtræ attemperavit Propheta. Ubi aſpidem Græci verterunt, Hebraicum nomen leonem ſignificat: & in ſecundo membro repetitio eſt Hebræis uſitata: ideoque ſubtilius inter quatuor ſpecies diſtinguere nihil attinet, niſi quod certum eſt per leones & leunculos deſignari aperta & violenta mala: per aſpides vero & dracones, occultas noxas, quibus inſidioſe & ex inopinato quaſi ex ſerpentum latebris impetimur.

14. *Quia in me acquievit.*] Ne faſtidioſi ſimus in tam prolixo ſermone, tenendum memoria eſt quod dixi, Prophetam infirmitati noſtræ hoc modo proſpicere, quia nunquam ſatis conſtanter Dei providentiæ innitimur, ubi apparet diſcrimen aliquod. Hoc conſilio nunc quoque Deum loquentem inducit Propheta, ut in ejus perſona confirmet quod prius docuit. Deus autem è cælo pronuncians, ſub alarum ſuarum protectione nos fore ſalvos, tantum ſpem à ſuis requirit. Nam verbum חשק (quod concupiſcere vel amare ſignificat, vel, ut vulgo loquuntur, beneplacitum ſuum capere) tantundem hic valet ac ſuaviter recumbere in Deum, ejuſque gratia oblectari. Promittit ergo ſe paratum fore ad ferendas nobis ſuppetias, ſi ex animo eum quæramus. Admonet interea, vitam noſtram ſemper in terra circumdari variis mortibus niſi ad nos ſervandos ipſe manum habeat intentam. Etſi autem ſæpe etiam incredulis opitulatur: ſolis tamen fidelibus ita manum porrigit, ut ſit in ſolidum & finem uſque eorum ſervator. Apte etiam ſpei & deſiderio adjungitur cognitio nominis Dei. nam quod huc & illuc circumſpiciunt homines, & eos ſua trepidatio diverſos trahit, inde fit quia illis incognita eſt Dei virtus: imo ne tenuiter quidem guſtant quid ſit Deus, quia ejus loco ſomniant mortuum neſcio quod idolum. Quum ergo vera nominis Dei cognitio fiduciam ex ſe & invocationem pariat, nec ab aliis ſincere quæratur, niſi qui ejus promiſſiones amplexi, juſtum ei honorem tribuunt, ſcite & proprie notitiam hanc Propheta quaſi ſpei fontem poſuit. Ac melius patebit hujus doctrinæ utilitas, ſi reputamus quam inſulſe de fide balbutiant Papiſtæ. Nam utcunque jubeant Deo penitus adhærere, verbum tamen ſepeliunt quo aditum patefieri oportet ad ipſum quærendum. Quanquam autem *exaltare* nihil aliud eſt quam tutum & incolumem præſtare: hæc tamen metaphoræ ratio eſt, quod Deus ſuos mirabiliter ſervat dum eos in ſublime propugnaculum attollit.

15. *Invocavit me.*] Expreſſius demonſtrat quid ſibi voluerit per illud acquieſcere in Deo, vel ei ſuum amorem & beneplacitum, ut loquuntur, addicere. Amor enim ille & deſiderium quæ ex fide naſcuntur, nos ad eum invocandum adducunt. Unde iterum patet quod nuper attigi, legitimam precandi rationem fundatam eſſe in Dei verbo: quia hic nihil proprio arbitrio audendum eſt, ſed quærendus eſt Deus quatenus nos invitat. Interea diſcamus ex hoc contextu, non otioſam eſſe fidem, ſed vere hoc examine probari, dum recta ad Deum confugiunt qui ſalutem ab eo expectant. Iterum vero docemur, fideles nunquam ab ærumnis & moleſtiis fore immunes: quia non mollem & delicatam vitam illis

Deus

Digitized by Google

Deus promittit, ſed eorum tribulationibus ſe opem laturum. *Glorificandi* verbo ſignificat non temporale fore Dei auxilium, cujus hactenus meminit, ſed uſquedum ad ſolidam felicitatem perveniant. Ornat quidem eos in mundo, & conſpicuam reddit ſuam gloriam: ſed nonniſi completo ſalutis eorum curſu, triumphandi materiam ſuppeditat. Quod autem de *longitudine dierum* ultimo verſu promittit, videtur abſurdum eſſe, quia ut plurimum contingit fideles celerius è mundo migrare. Sed hic repetere convenit quod alibi diximus, Dei benedictiones quæ ad hanc caducam vitam ſpectant, non eſſe perpetuas, neque æquali tenore fluere. Quamvis enim guſtum amoris ſui præbeat in opibus vel aliis commodis, non tamen ſequitur, odio illi eſſe pauperes: quamvis ſanitas corporis & firma valetudo, ejus beneficium ſit, non propterea cenſebimus ægrotos & debiles ei eſſe exoſos. In hoc genere eſt vitæ diuturnitas, qua ſatiaret Deus ſervos omnes ſuos, niſi utilius ipſis foret, mature è mundo migrare. Interea exiguo vitæ ſpatio melius ſatiantur, quam increduli decem ſeculis. Ita nemini unquam profano continget ſatiari longitudine dierum: quia etiamſi mille annos contineant, ſunt inexplebiles, vitam ipſam ingurgitant: nec Dei bonitate, quæ ſola animos tranquillat, vel ad momentum fruuntur. Unde non immerito Propheta ſingulari privilegio fideles dicit vita ſatiari, quibus ſatis ſuperque ſufficit maturum vocationis ſuæ curſum complere. Et ſane quum pluris longe ſit æternitas dierum quam diuturnitas: ſalus autem Dei, terrenæ vitæ anguſtiis minime incluſa ſit: ad hanc præcipue intentas eſſe decet pias mentes tam in morte quam in vita. Conſulto enim hanc quaſi extremam clauſulam omnibus Dei beneficiis adjecit Propheta, quod ſalutem ſuam oſtendat fidelibus poſtquam eos per totam vitam paterno favore proſequutus fuerit.

ARGUMENTUM PSALMI XCII.

Continet exhortationem ad laudandum Deum: materiam vero in operibus ejus proponit, in quibus præcipue juſtitiam ejus in tuendis fidelibus, & in reprobis perdendis judicium commendat. Qua doctrina omnes ad ſtudium colendæ probitatis animat: & ne in crucis tolerantia deficiant, felicem malis omnibus exitum illis promittit. Rurſum ut abſterreat à ſceleribus, denunciat, omnes impios, utcunque ad tempus floreant, brevi perituros.

PSALM. XCII.

PSalmus Cantici ad diem Sabbathi.	1 מִזְמוֹר שִׁיר לְיוֹם הַשַּׁבָּת׃
2. Bonum eſt confiteri Jehovæ, pſallere nomini tuo Excelſe,	2 טוֹב לְהֹדוֹת לַיהוָה וּלְזַמֵּר לְשִׁמְךָ עֶלְיוֹן׃
3. Annunciare mane bonitatem tuam, & veritatem tuam nocte,	3 לְהַגִּיד בַּבֹּקֶר חַסְדֶּךָ וֶאֱמוּנָתְךָ בַּלֵּילוֹת׃
4. Super pſalterio, & ſuper nablo, ſuper higgajon cum cithara.	4 עֲלֵי עָשׂוֹר וַעֲלֵי נָבֶל עֲלֵי הִגָּיוֹן בְּכִנּוֹר׃
5. Quia exhilaraſti me Jehova in operibus tuis: in factis manuum tuarum exultabo.	5 כִּי שִׂמַּחְתַּנִי יְהוָה בְּפָעֳלֶךָ בְּמַעֲשֵׂי יָדֶיךָ אֲרַנֵּן׃

BOnum eſt confiteri.] Non dubito quin Pſalmum hunc cantare ſoliti fuerint die Sabbathi, ſicuti fert inſcriptio: & ex aliis locis apparet quoſdam alios Pſalmos proprie ad hunc uſum fuiſſe deſtinatos. Porro quia ad verbum Hebraice legitur, Bonum eſt ad confitendum, inſiſtunt quidam interpretes in litera ל, ac ſubaudiunt bonum eſſe, canendis Dei laudibus præfixum eſſe certum diem: acſi diceret Propheta utilem eſſe hunc ordinem, quod delectus fuerit unus dies in quo ſe fideles celebrandis Dei operibus exerceant. Sed notum eſt literam ל nihil plurimum aliud valere quam ut ſit nota מקור, hoc eſt infinitivi modi: ideoque ſimplicior eſt ſenſus quem reddidi. Cur vero hanc doctrinam Sabbatho accommodet Propheta, ratio in promptu eſt, quia non fuit dies ille ſacer, quaſi Deus otio hominum colatur, ſed ut populus negotiis omnibus ſolutus, totum ſe conferret ad meditanda Dei opera. Nam, ut lubricæ ſunt mentes noſtræ, ſi diſtrahantur huc & illuc, facile alienantur à Deo. Itaque ut ſerio ad Dei laudes ſe applicent, neceſſe eſt ab aliis omnibus curis expediri. Admonet igitur Propheta, Sabbathum non recte coli feriando, quod nimis craſſum eſſet: ſed ordinatum eſſe ut celebretur Dei nomen. Hortatur autem à fructu: quia nihil nos acrius ad officium ſtimulat, quam ubi ſcimus nos operam non ludere, ſed probari Deo quod agimus. Proximo verſu materiam & argumentum ſuggerit laudandi Dei: acſi diceret, nolle Deum celebrari nomen ſuum à nobis de nihilo, vel ob ſolam magnitudinem & potentiam, ſed ob *bonitatem & fidem*, quarum ſenſus & experientia tale ſtudium ſponte accendere in cordibus noſtris debent. Quibus verbis docet non modo dignum eſſe qui laudetur, ſed nos malignos eſſe & ingratos ſi ceſſamus in hac parte. Nam quum Dei fides & bonitas ad nos proprie dirigantur, niſi animos noſtros alliciant & rapiant in ejus laudes, inexcuſabilis eſt noſtra ſegnities. Sed quod jubet *annunciari* bonitatem *mane*, & veritatem ejus *per noctes*, videtur abſurda eſſe diſtributio. nam ſi Deus perpetuo non per intervalla beneficus eſt, cur exigua diei portio ad canendam hanc virtutem deſtinabitur? Idem & de altera parte dici poteſt. neque enim ejus veritas tantum noctu apparet. Sed alio ſenſu loquitur Propheta, ſi à primo mane incipimus laudare Deum, continuandas eſſe ejus laudes ad ultimam noctis partem: quia hoc bonitas ipſius & fides merentur. Si vero initium fiat ab ejus bonitate, proxime ſuccedet veritas. Ita continuus erit utriuſque tenor, ſicuti mutua eſt conſenſio. Propheta ergo alteram ab altera disjungere noluit, quum ſemper inter ſe conjunctæ ſint: ſed tantum docere, niſi nos ſocordia noſtra impediat, nunquam deeſſe argumentum laudandi Dei: nec vere defungi officio gratitudinis, niſi in eo ſumus aſſidui, ſicuti ipſe bonitatem ſuam & fidem erga nos perpetuat. Quarto verſu Levitas, quibus injunctum erat canendi munus, proprie compellat, ut muſica etiam inſtrumenta adhibeant: non quia per ſe hoc neceſſarium foret, ſed quia utile erat rudimentum veteri populo. Neque enim citharam pulſari voluit Deus, acſi more hominum voluptatem caperet ex melodia: ſed quia nondum advenerat maturæ ætatis tempus, Judæos ſub illis puerilibus elementis continuit. Finis autem erat, ut excuſſo torpore, alacrius ſe accingerent ad Deum ex animo laudandum. Tenendum enim eſt, cultum Dei nunquam in illis rebus externis fuiſſe ſitum, ſed rudes & infirmos adminiculis iſtis ad eum ſpiritualiter

liter colendum opus habuiſſe. Simul vero tenendum eſt diſcrimen veteris & novi populi: quia quum exhibito Chriſto Eccleſia jam adoleverit, Euangelii lucem ſuffocant qui adhuc Eccleſiam involvunt veteribus umbris. Unde colligimus, Papiſtas in muſicis inſtrumentis non eſſe Patrum imitatores, ſed ſimias, qui umbratili Legis cultu, cui finem attulit Euangelium, ſtulte adhuc oblectantur. qua de re iterum aliis locis dicendum erit.

5. *Quia exhilaraſti me.*] Iterum admonet Propheta, diem Sabbathi non eſſe præſcriptum ut ignavi ſedeant homines, ſed ut colligant omnes ſuos ſenſus ad meditanda Dei opera. Simul autem oſtendit, eos demum legitimos & idoneos eſſe laudum Dei præcones, qui paternam erga ſe ejus beneficentiam reputant ac ſentiunt, ut liberaliter & lætis animis hoc pietatis officium ſuſcipiant. Sed admonet interim Propheta, ſi rite expendimus Dei opera, illic conſpicuam eſſe ejus bonitatem & fidem, de quibus loquutus eſt: quia hinc demum lætitia, dum ſe nobis Patrem exhibet Deus, ſibique charam & pretioſam eſſe teſtatur ſalutem noſtram: ſicuti hæc bruti torporis nobis cauſa eſt, quod ad guſtandum finem operum Dei inſipidi ſumus. Porro quum tota mundi machina ſurſum & deorſum clamitet beneficum & veracem eſſe Deum, prudenter ad hæc teſtimonia attendere diſcamus, ut nos ſancta lætitia ad ſacrum ejus nomen celebrandum incitet.

6. Quam magnificata ſunt opera tua Jehova! valde profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ.

7. Vir ſtultus non cognoſcet, neque inſipiens intelliget ea:

8. Dum florent impii quaſi herba, & germinant omnes operarii iniquitatis, ut pereant in perpetuum.

9. Et tu Excelſus in ſeculum Jehova.

6 מה גדלו מעשיך יהוה מאד
עמקו מחשבותיך׃
7 איש בער לו ידע וכסיל לא יבין
את זאת׃
8 בפרוח רשעים כמו עשב ויציצו
כל פועלי און להשמדם עדי עד׃
9 ואתה מרום לעולם יהוה׃

6. *Quam magnificata.*] Propheta de operibus Dei in genere loquutus, nunc ad ſpeciem unam deſcendit, nempe quod Deus mundum juſtitia ſua gubernans, quamvis ſcelerum pœnas ad tempus differat, tandem oſtendit ſe non cæcutire quantiſper diſſimulat: neque etiam, dum cruce ſervos ſuos exercet, eorum ſalutem negligere. Hanc vero partem, meo judicio, ſpecialiter attingit, quia deformis confuſio quæ in hominum vita graſſatur, ordinem providentiæ Dei maxime obſcurat. Videmus enim exultare impios acſi nullus eſſet in cælo judex, ſibi applaudere in ſua fortuna: & dum illis parcit, hoc prætextu in majorem licentiam ruere, acſi ex ejus manu elapſi eſſent. Ad hanc tentationem accedit noſtra ſocordia vel hebetudo, ut putemus Deum abjecta mundi cura otiari in cælo. Scimus rurſum quanta ſit in ferendis tribulationibus carnis noſtræ mollities. Conſulto igitur Propheta hanc partem delegit, in qua oſtenderet Deum excubare ad tutelam humani generis. Orditur autem ab exclamatione: quia nos præpoſtera intemperies conturbat, ut operum Dei ratio, quantumvis clare fulgeat, nobis ſit abſcondita. Hoc primo tenendum eſt, Prophetam hic non diſſerere de cæli & terræ opificio, nec de generali Dei providentia in mundi gubernatione: ſed reſtringere ſermonem ad judicia quæ inter homines exercet. Exclamat autem magnifica hic eſſe Dei opera & profundas cogitationes, quia ſcilicet longe aliter adminiſtret humanum genus quam ferat captus noſter. Nam certe ſi in arbitrio noſtro eſſet, libenter quiſque inverteret quem Deus tenet ordinem. Et quia id penes nos non eſt, oblique cum eo expoſtulamus quod non magis feſtinet tam ad liberandos fideles, quam ad reprobos ulciſcendos. Nihil enim minus videtur conſentaneum, quam ipſum quieſcere dum contra eum ferociunt, dum effreni audacia ad omne facinus graſſantur, pro ſua libidine vexant bonos & ſimplices: videtur hoc inquam non eſſe tolerabile, Deum exponere cultores ſuos injuriis & violentiæ malorum, deinde frenum laxare fraudibus, mendaciis, rapinis, cædibus & omne genus iniquitati. Quid quod veritatem ſuam latere in tenebris patitur, & ſacrum ſuum nomen probroſe calcari? Hæc eſt operum Dei magnificentia, hæc conſilii profunditas quam miratur Propheta. Verum quidem eſt, tantam eſſe in mundi fabrica potentiæ & ſapientiæ Dei altitudinem, ut ſenſus noſtros longe ſuperet: ſed nominatim Propheta cohibere nos voluit ne obſtrepamus Deo, dum aliter quam pro animi noſtri voto humanum genus moderatur. Quod igitur à ſenſu communi abhorret, reverenter ſuſpicere nos jubet: quia Deus ut obſequium noſtrum probet, arcana ſua judicia longe ſupra captum noſtrum attollit.

7. *Vir ſtultus.*] Diſerte hoc addidit, ut culpam ſciamus in nobis reſidere quod Dei judiciis laudem ſuam non tribuimus. Quamvis enim profunda myſteria eſſe dixerit, nunc pronunciat, ſtupori noſtro & ſocordiæ eſſe imputandum quod nobis non ſint conſpicua. Stultos autem vocat omnes incredulos, ac tacite eos fidelibus opponit, quibus Deus per Verbum ſuum & Spiritum illucet. Nam peræque omnium mentes occupat hæc inſcitia & cæcitas, donec cælesti gratia oculati reddamur. Ideoque rogandus eſt Deus ut oculos noſtros bene purget ad meditanda ſua opera. Interim à contemptu vindicat incomprehenſibilem Dei ſapientiam, ſtultitiæ & amentiæ damnans eos omnes qui faſtidioſe eam rejiciunt: & à vulgi torpore fideles revocat, ut attentius conſiderandis operum Dei myſteriis incumbant.

8. *Dum florent impii.*] Pulchra & concinna ſimilitudine refellit ac deridet ſtultitiam hanc, quod putamus impios, niſi ſtatim cogantur in ordinem, quaſi triumphum de ipſo Deo agere. Eſt autem in verbis conceſſio, quod fatetur germinare & florere: ſed notanda eſt quæ mox additur correctio, florere ad momentum inſtar herbæ, quia celeriter marceſcit eorum felicitas. atque ita ſcandalum ad quod totus fere mundus impingit, prudenter tollit & abolet: quiá nimis ſtulte putamus beatos eſſe quibus propinquus interitus impendet. florent quidem hodie, ſed cras excidentur ut areſcant. Alibi Pſal. 129. verſ. 6. videbimus, herbis conferri quæ naſcuntur in culminibus tectorum: quia dum illis deeſt ſoli pinguedo, ex qua ſuccum trahant, ſponte pereunt. Sed Propheta nunc ſimplici ſimilitudine contentus fuit, quod proſperitas impiorum maturius exitium ſibi accerſat, non ſecus ac falcem, herbarum maturitas. Ac antitheſis inter brevem durationem & æternum exitium notanda eſt: acſi diceret, non reſecari ut vere novo iterum pullulet eorum radix, ſicuti herbæ emortuæ vigorem colligunt, ſed ad æternum exitium damnari. Quod autem Deum ex oppoſito dicit *Excelſum in cælo* ſedere, quidam ita accipiunt acſi illi aſſereret potentiam ac munus regendi mundi: nequid putemus fortuito accidere, dum rebus humanis præſidet tam æquus judex ac moderator. Alii aliud afferunt. Sed mihi videtur Propheta ſtabilitatem ſolii Dei conferre cum verſatili mundi agitatione: acſi diceret non æſtimandum eſſe Deum ex

mundo,

mundo, in quo nihil fixum eſt vel ſtabile: quia longe diverſa ejus ratio ſit qui terrenas mutationes ex alto quietus deſpicit: neque id modo ut Deum à creaturis diſcernat, quo gradum ſui honoris obtineat illius majeſtas: ſed ut nos quoque diſcamus ſupra nos & ſupra totum mundum aſſurgere quoties de mirabili & arcana ejus providentia agitur. quia turbidus eſt eorum aſpectus qui in terra ſubſiſtum. Ergo ut nobis appareant quæ in mundo non cernuntur Dei judicia, Propheta ſub voce ſublimitatis admonet Deum non agere noſtro arbitrio, ſed prout fert ejus æternitas. nos, quia breve eſt vitæ noſtræ curriculum, quia ut plurimum non procedunt noſtri conatus, variis ſcilicet obſtaculis abrupti, quia non ſemper offertur occaſio, præcipitanter ferimur, & ſecundum aſſiduas mundi turbationes, fides etiam noſtra turbatur ac labaſcit: Propheta Deum ante oculos nobis ſtatuit in æterno & immutabili ſolio ſedentem, unde opportune judicia ſua differt. Hoc ergo elogium non tantum honoris cauſa ad Dei eſſentiam refertur, ſed ad fidei noſtræ fulturam: acſi dictum eſſet, quamvis in terra anxie gemant fideles ac trepident, Deum tamen; qui cuſtos eſt vitæ ipſorum, in ſublimi manere, & eos protegere virtute æterna.

10. Quia ecce inimici tui, Jehova, quia ecce inimici tui peribunt: diſſipabuntur omnes operarii iniquitatis.

10 כי הנה איבך יהוה כי הנה
איבך יאבדו יתפרדו כל פעלי און׃

11. Et attolles quaſi unicornis cornu meum: perfuſus ſum oleo viridi.

11 ותרם כראים קרני בלתי בשמן
רענן׃

12. Et videbit oculus meus in oppreſſoribus meis: in iis qui inſurgunt contra me, in iis qui me infeſtant, audient aures meæ.

12 ותבט עיני בשורי בקמים עלי
מרעים תשמענה אזני׃

10. *Quia ecce inimici.*] Infert ex proxima ſententia, fieri non poſſe quin Deus inimicos ſuos tandem proſternat. Unde clarius perſpicimus quod nuper docui, non alio ſpectare Prophetæ conſilium, quam ut fidem noſtram armet contra omnia certamina: præſertim ut ſcandalum illud avertat, quum multi à recta via exturbantur, dum impiorum proſperitas Dei judicium obnubilat. Sicut autem ardua & difficili lucta hic opus eſt, vehementer inſiſtit Propheta in doctrinæ ſuæ confirmationem. Emphatica enim eſt tam demonſtratio, quam repetitio. Primo non minus ſecure pronunciat perituros eſſe Dei hoſtes, acſi jam ante oculos eſſet eorum interitus, idque ſecundo confirmat. unde colligimus quid ei profuerit fidei ſuæ intuitu penetrare ultra mundum, ut oculos ad cæleſte Dei ſolium dirigeret. Itaque ejus exemplo diſcamus, quoties fidem noſtram concutit impiorum proſperitas, in cælum conſurgere: quia mox fluet hæc doctrina, fieri non poſſe ut diu in proſpero ſtatu maneant ejus hoſtes. Simul etiam definit Propheta quinam ſint hoſtes Dei. Neque enim quenquam gratis odit, imo quatenus ejus figmenta ſunt homines, paterno eos amore complectitur. Sed quum nihil ejus naturæ magis adverſum ſit quam injuſtitia, ſceleratis omnibus irreconciliabile bellum denunciat. Atque hinc non vulgare ſolatium percipiunt fideles, dum exitii reproborum hæc illis cauſa redditur, quod Deo exoſos eſſe neceſſe eſt qui non poteſt ſeipſum abnegare. Et Propheta etiam paulo poſt declarat hunc ſibi propoſitum fuiſſe finem, ut hac ſpe, mala omnia, dolores, curas, anxietates & moleſtias leniret. Porro ſub *olei* figura deſignat ſe fruiturum Dei benedictionibus. & *oleum viride* nominat recens, quod emarcidum non eſt, nec vetuſtate obſolevit. Notatu etiam dignum eſt, quod proprie gratiam Dei piis omnibus communem in ſuum uſum accommodat. Hoc autem modo ſignificat frigere generalem doctrinam, niſi unuſquiſque noſtrum ſe unum eſſe ex filiis Dei perſuaſus, ad eam participandam aſpiret. Tandem, utcunque moleſti ſint hoſtes, & nunc inſidiis, nunc vi & impetu eum infeſtent, Deum ſibi auxiliatorem promittit, ut in hac mundi militia, infatigabili ſtudio perſeveret. Unde etiam apparet quam inconſiderate quidam Rabbini Adam hujus Pſalmi auctorem eſſe fingant. Quaſi vero credibile ſit poſteros contra eum inſurrexiſſe.

13. Juſtus quaſi palma florebit, tanquam cedrus in Libano propagabitur.

13 צדיק כתמר יפרח כארז
בלבנון ישגה׃

14. Plantati in domo Jehovæ, in atriis Dei noſtri florebunt:

14 שתולים בבית יהוה בחצרות
אלהינו יפריחו׃

15. Adhuc germinabunt, in ſenectute pingues & virides erunt:

15 עוד ינובון בשיבה דשנים
ורעננים יהיו׃

16. Ut annuncient quod rectus ſit Jehova, rupes mea, & non ſit iniquitas in eo.

16 להגיד כי ישר יהוה צורי ולא
עולתה בו׃

13. *Juſtus quaſi palma.*] Tranſit rurſus ad communem doctrinam: quamvis ad tempus multis incommodis ſuos exerceat Deus, moleſtiis ſubjiciat, & ærumnis affligat, ultimo tandem exitu oſtendere ſe eorum non eſſe oblitum. Nec mirum eſt tam accurate in hoc capite doctrinæ inſiſtere Prophetam: quia nihil difficilius eſt quam Sanctos, dum ſimiles ſunt mortuis, & vita eorum abſcondita eſt, de inſtauratione bene ſperare. Quod in cedris fragrantiam boni odoris: in palmis, fructus dulcedinem notari quidam putant: nimis forte ſubtile eſt. Simplicius eſt, quamvis ad tempus vel exaruerint vel etiam ſucciſi fuerint, collecto novo vigore ex integro ſurrecturos: ut non minori præſtantia & dignitate in Eccleſia Dei floreant, quam pulcherrimæ arbores in monte Libano. Unde autem illis creſcendi vigor, ſimul exprimit, *plantatos eſſe* dicens *in templo Dei*, non modo quia locum illic occupent (quod hypocritis etiam commune eſt) ſed quia vivis radicibus actis, penitus illic ſint defixi, ut Deo adhæreant. Quum de atriis loquitur, alludit ad formam templi, quia ſolis Sacerdotibus licebat ingredi Sanctuarium, plebs autem ex atrio adorabat. Vero itaque & interiore cordis affectu conjunctos eſſe Deo intelligit qui in ejus domo plantati ſunt: ideoque fluxam eorum felicitatem fore negat, quia non dependet à mundo. Neque enim dubium eſt quin radice in atriis Dei locata, iſtud florere ad ſpiritualem & æternam vitam extendat. Quo ſenſu dicit *adbuc germinaturos*, & *in ſenectute*, quæ ſuccum & nativum humo-

humorem deſiccat, *pingues fore*. Perinde enim eſt acſi eos à communi aliorum ſorte eximeret, imo vitam eorum aſſereret à communi naturæ lege. Ita
Jeſa. 65. verſ. 20. Jeſaias de Eccleſiæ renovatione loquens, dicit in illo beato ſtatu ſenem centum annorum ſimilem fore puero: ſignificans quamvis naturaliter ad interitum inclinet ſenectus, ut ſit fere ſemimortuus qui centeſimum annum attigit, ſub regno Chriſti initium ſeculi fore pueritiam, & vivendi initium. Quod non aliter impletur, niſi quia poſt mortem ſumus in cælo ſuperſtites.

16. *Ut annuncient.*] Clauſula hæc apertiſſime confirmat, in hoc totum eſſe Prophetam, ut in rebus turbulentis compoſitum animi ſtatum retineant fideles: & quamvis ſe duriter & aſpere tractari videant, reprobos vero potiri opibus ac imperiis, vegetos eſſe, affluere deliciis & honoribus: patienter expectent, dum opportune diſcuſſis tenebris lucidum & diſtinctum ordinem Deus reſtituat. Nominatim dicit, ad annunciandum *quod rectus ſit*: quia niſi res mundi ad votum noſtrum attemperet, caro noſtra non ſolum imaginatur mundum ab eo negligi, ſed eum injuſtitiæ inſimulat, acſi deſereret ſuos cultores, ſcelerumque licentiam permitteret. Quod ſi juſtitiam ſuam illuſtrat Deus, reprobos ulciſcendo, certò ſtatuere licet, quicquid felicitatis obtinent, peſſimi exitii eſſe præludium. Et Propheta Deum appellans *rupem ſuam*, ſe rurſus includit in eorum numero quibus Deus juſtitiam ſuam in tuenda eorum ſalute manifeſtabit.

ARGUMENTUM PSALMI XCIII.

Initio celebrat immenſam Dei gloriam. deinde addit fidelem eſſe, ut ſuos nunquam fruſtretur, qui promiſſiones ejus amplexi, inter mundi procellas & jactationes, tranquillis animis ſalutem expectant.

PSALM. XCIII.

JEhova regnavit, decorem induit, induit Jehova fortitudinem, accinxit ſe: etiam firmavit orbem, non movebitur.	1 יהוה מלך גאות לבש לבש יהוה עז התאזר אף תכון תבל בל תמוט:
2. * Stabile ſolium tuum, ex tunc à ſeculo tu es.	2 נכון כסאך מאז מעולם אתה:

** vel. Paratum.*

JEhova regnavit.] Videmus quod nuper attigi, in Dei potentia nobis proponi fiduciæ materiam: quia hinc ut plurimum metus & trepidatio, dum ſua virtute ut par erat, non induimus Deum, maligneque eum ſuo imperio ſpoliamus. Non audemus quidem palam id facere, ſed ſi probe de ejus omnipotentia perſuaſi eſſemus, contra omnes tentationum inſultus invicta nobis fultura eſſet. Verbo fatentur omnes quod Propheta hic docet, Deum regnare: ſed quotuſquiſque hunc clypeum, ut decebat, contrariis mundi opibus opponit, ut nihil metuat quantumvis formidabile? Hæc igitur gloria Dei eſt, ſuo arbitrio moderari humanum genus. *decorem & robur induere* dicitur, non quod aliquid in eo adventitium imaginari oporteat, ſed ut re ipſa certiſque experimentis demonſtret, admirabili juſtitia & ſapientia ſe fovere humanum genus. Porro Deum mundi curam nunquam abjicere, ab ipſa creatione probat. Et certe ſolus mundi aſpectus abunde ad teſtandam Dei providentiam nobis ſufficere deberet. Cælum quotidie volvitur, & in mole tantæ magnitudinis nulla eſt concuſſio quæ æquabilem curſum in tanta celeritate perturbet. Sol quum in circuitu quotidiano ſemper diverſum iter teneat, quotannis in idem redit punctum. Planetæ in ſuis erroribus ſtationem tamen ſuam non deſerunt. Terra quomodo in aëre penderet, niſi Dei manu ſuffulta? Quomodo in tam præcipiti cælorum agitatione ſtaret immobilis, niſi firmitudinem hanc à ſuo opifice haberet? Eſt igitur emphatica particula אף, acſi Latine diceremus, & ſane.

2. *Stabile ſolium tuum.*] Quod alii paratum vertunt, contextui non male convenit, modo conjunctim legamus hæc duo membra, Domine quum tu ſis à ſeculo, ſolium quoque tibi ab eo tempore erectum eſt. Nam quod interpretes ſimpliciter de æternitate Dei hoc dictum eſſe volunt, frigidum eſt. docet enim his verbis Propheta, ſicuti æterna Dei eſſentia eſt, ita ſemper imperio & majeſtate fuiſſe præditum. Nam *ſolii* nomine per ſynecdochen, juſtitiam & gubernandi munus deſignat: ut ſimilitudines iſtæ ab hominibus ſumptæ, pro infirmitatis noſtræ captu improprie ſolent ad Deum transferri. Hoc autem elogio craſſa omnia commenta, quæ Dei potentiam vel abrogant vel extenuant, Propheta refellit: acſi diceret, non aliter fore Deum, niſi ſolio ſuo inſideat, hoc eſt, ſimul teneat mundi gubernacula.

3. Extulerunt flumina, Jehova, extulerunt flumina vocem ſuam, extollent flumina gurgites ſuos:	3 נשאו נהרות יהוה נשאו נהרות קולם ישאו נהרות דכים:
4. A vocibus aquarum magnarum terribiles fluctus maris, terribilis in excelſo Jehova.	4 מקולות מים רבים אדירים משברי ים אדיר במרום יהוה:
5. Teſtimonia tua verificata ſunt valde: domui tuæ decus, ſanctitas Jehova in longitudinem dierum.	5 עדותיך נאמנו מאד לביתך נאוה קדש יהוה לארך ימים:

3. *Extulerunt flumina.*] Varie interpretes hunc verſum exponunt. Aliqui metaphorice notari putant violentos hoſtium impetus qui ſurrexerant contra Eccleſiam, & Dei gratiam celebrari qui eos compeſcuerit. Alii ſimpliciter potius quam figurate accipere malunt, Quamvis terribiles ſint magnarum aquarum ſtrepitus, & eorum terrorem ſuperent fluctus maris, Deum tamen in ſupremo gradu eſſe terribilem. Ego ut in comparationis argutia non inſiſto, non dubito quin Propheta quaſi per hypotypoſim Dei potentiam hic nobis exprimat: quaſi diceret, quærendum non eſſe illuſtrius ſpecimen potentiæ Dei ut nobis formidabilis ſit ejus majeſtas, quam in rapido fluminum decurſu & maris tempeſtatibus. ſicuti Pſalmo 29. verſ. 3. dictum fuit in tonitru reſonare terrificam Dei vocem. Summa eſt, Deum in fluminum ſtrepitu & tempeſtuoſis maris fluctibus virtutem exerere qua nos ad ſui reverentiam commoveat. Nunc ſi placeat comparatio, addendum erit, hoc quoque nihil eſſe ubi ad ipſam Dei majeſtatem venitur, qualis eſt in cælo. Neque tamen repugno quin hic quoque ſenſus elici poſſit ex verbis, Quamvis mundus hic variis modis concutiatur in ſpeciem, non tamen minui Dei potentiam, quia terribili ſuo imperio perturbationes omnes facile compeſcit.

5. *Teſtimonia tua.*] Hactenus retulit Propheta quam admirabilis ſit Deus cùm in mundi creatione,

tione, tum etiam in gubernatione generis humani. Nunc peculiare beneficium commemorat quo populum electum dignatus eſt, pateſacta ſalutis doctrina. Ac primo quidem Legem Dei à certa fide & veritate commendat: ſed quia theſaurus hic cunctis populis promiſcue expoſitus non erat, continuo poſt adjungit domum Dei ornatam eſſe ſplendore in perpetuum. Quamvis ergo ſe Dei bonitas ad totum mundum extendat, hoc inæſtimabile Dei beneficium merito celebrat Propheta, quod fœdus æternæ vitæ in Eccleſia ſua depoſuerit, ut illic cæleſtis ſua gloria plenius fulgeret. Quidam נאוה pro deſiderabili accipiunt: acſi dixiſſet Propheta, Templi decus eſſe pretioſum. ſed ratio Grammaticæ aliud poſtulat. *Longitudine dierum* notatur perpetua ſucceſſio, de qua etiam præclare Jeſaias, Ecce poſui verbum Jeſa. 59.
meum in ore tuo, in ore ſeminis tui, & ſeminis verſ. 21.
quod deinde ſequetur: ut fideli cuſtodia per multas ætates cæleſtis doctrina vigeat.

ARGUMENTUM PSALMI XCIV.

Implorat auxilium Dei contra improbos & violentos qui tyrannice & crudeliter ſanctos opprimebant. Nec dubium quin de oppreſſoribus domeſticis loquatur: quorum iniqua dominatio non minus ſanctis moleſta & infeſta erat, quam omnes Gentium injuriæ.

PSALM. XCIV.

DEus ultionum Jehova, Deus ultionum affulge:	1 אל נקמות יהוה אל נקמות הופיע:
2. Eleva te Judex terræ, redde mercedem ſuperbis.	2 הנשא שפט הארץ השב גמול על גאים:
3. Uſquequo impii Jehova, uſquequo impii exultabunt?	3 עד מתי רשעים יהוה עד מתי רשעים יעלזו:
4. Effutiunt, loquuntur duriter, extollunt ſe omnes operarii iniquitatis:	4 יביעו ידברו עתק יתאמרו כל פעלי און:
5. Populum tuum Jehova conterunt, & hæreditatem tuam affligunt:	5 עמך יהוה ידכאו ונחלתך יענו:
6. Viduam & peregrinum interficiunt, & pupillos occidunt.	6 אלמנה וגר יהרגו ויתומים ירצחו:

D*Eus ultionum.*] Certum eſt Judæos malis vicinis cinctos fuiſſe, adeoque totidem fuiſſe acerrimos hoſtes qui eos vexare & fatigare non ceſſabant. Sed quum impiis pro libidine dominantibus, interior afflictio durius eos urgeret, merito Deum inclamat Propheta, ut tam exitiali malo remedium afferat. Loquutio ſatis trita eſt, *Deum apparere conſpicuum* & in ſublime efferri, dum manifeſto effectu ſe vindicem demonſtrat: quia tunc videtur tribunal conſcendere ut pœnas exigat de ſceleribus, & virtutem ſuam exerere mundo in ordinem cogendo. Atque id dicitur reſpectu noſtri: quia non ſentimus eum gerere curam noſtri, niſi quatenus manum ſuam aperte & quaſi viſibili modo profert ad nos juvandos. Quod bis dicitur, *Deus ultionum*, deinde *Judex terræ*, proprie ſpectant hæc epitheta ad præſentis cauſæ circumſtantiam: acſi ipſum officii ſui moneret Propheta his verbis, Domine tuum eſt vindictam ſumere de ſceleratis, & terram judicare. vides autem, dum impune graſſatur eorum iniquitas, ut eorum audacia proterve inſultet. Non quod ulla admonitione indigeat Deus qui nunquam torpet: quin potius dum lente cunctari videtur, pro opportunitate ſibi cognita, judicia ſua temperat: ſed ejus naturam hoc modo ſecum reputant fideles, quo ſe ad meliorem fiduciam animent & extimulent ad precandi vehementiam: quo etiam pertinet repetitio. Itaque quo petulantius laſcivient impii, ſemper occurrat nobis hæc doctrina, non poſſe tamen hoc auferri Deo quin mundi ſit judex ad exigendam de ſceleribus vindictam. Et quamvis pro carnis noſtræ ſenſu Deus tenebris incluſus lateat, hanc precandi formam quæ à Spiritu ſancto dictatur, non dubitemus arripere, ut ſcilicet tandem affulgeat.

3. *Uſquequo impii.*] Fervorem ſuum hoc verſu excuſat Propheta, quia tempeſtiva ſit feſtinatio, dum nullum ſuperbiendi modum faciunt improbi. Quia igitur neceſſitas addere nobis debet animum, ut ſciamus juſtas preces exauditum iri, teſtatur hic Propheta ſuam querimoniam non de nihilo vel levi de cauſa naſci, ſed extorqueri ſibi graviſſimis injuriis. Circumſtantia etiam temporis ad augendam indignitatem valet, quod longa Dei patientia obduruerant, atque ex duritie non pervicaciam contraxerant modo, ſed impudentiam quoque: acſi eorum improbitati Deus faveret. Nam in adverbio *uſquequo* bis repetito diuturna notatur impunitas: acſi dixiſſet, non incipere nunc demum impios: ſed quum nimis diu fuerint tolerati, nullum facere peccandi modum. Jam quum olim tantam in Eccleſia tyrannidem exercuerint reprobi, nec ſtatim adhibitum fuerit à Deo remedium: ne miremur ſi hodie quoque longis oppreſſionibus ſubjaceat Eccleſia: nec putemus prorſus à Deo deſertam, quamvis non protinus ſanandis malis manum admoveat. *Exultandi* verbo, lætitiam proterviæ & jactantiæ plenam deſignat, quum impii longa proſperitate ebrii, quidvis ſibi licere confidunt.

4. *Effutiunt.*] Clarius hoc idem exprimit, tanta ſcilicet ferocia turgere, ut gloriari in ſceleribus non dubitent. Verbum נבע, quod effutire vertimus, plus eſt quam loqui. Nam quum proprie ebullire ſignificet, metaphorice transfertur ad temerarios ſermones. Videmus autem quo ſua ambitio & ſuperbia impios homines præcipitet, ut etiam cum magno ſuo probro & dedecore potentiam ſuam futiliter efferant. minando enim, nihil quam cædes, violentiam, & barbaram atrocitatem crepant. Iſtæ ſunt ebullitiones de quibus loquitur Propheta, dum impii pudoris & modeſtiæ obliti, ſe quidvis pro libidine acturos jactare non dubitant. Atque hæc eſt *duritiei ſermonis*, quam neque ratio, neque timor, neque honeſti reſpectus cohibet quin perrumpat quocunque tulerit effrenis licentia. Jam ſicut hæc gravis tentatio fuit olim fidelibus, cernere in Eccleſia prorſus confuſam dominationem: ita hodie docemur, quoties præpoſtere regitur Eccleſia, vel potius opprimitur, nihil novi accedere: ſed invocandum eſſe Deum, qui poſt longam diſſimulationem, tandem ſervis ſuis opitulari ſolet.

5. *Populum tuum.*] Ubi de ebria & petulanti verborum jactantia loquutus eſt, facta quoque deſcribit,

ſcribit, quod immaniter Dei Eccleſiam affligant. Si indignum eſt à profanis Regibus ſubditos ſuos injuſte premi, certe electum Dei populum, qui peculiaris eſt ejus hæreditas, tyrannice conteri, multo minus eſt tolerabile. Jam meminerimus dictari hic nobis precandi formam, quoties ſcelerati homines, ac præſertim hoſtes domeſtici, nobis & reliquis fidelibus moleſti ſunt. Nam quia non tantum Deo curæ eſt noſtra ſalus, quia homines ſumus ab ipſo conditi: ſed etiam pretioſa, quia nos in peculio ſuo cenſet: ſiquid patimur injuriæ, familiarius ad eum confugere licet. Sequitur altera amplificatio, quod *ne viduis quidem parcant, pupillos interficiant ac peregrinos.* Atqui Deus poſtquam in genere præcepit ut juſtitiam & æquitatem mutuo colamus, præcipue tamen viduas & peregrinos & pupillos commendat: quia eo plus merentur humanitatis & miſericordiæ, quo magis obnoxii ſunt injuriis. Quo magis ſe prodit impietas & Dei contemptus, ubi promiſcue in eos ſæviendo, non modo violatur jus commune, ſed privilegium quod Deus ad tuendam eorum ſalutem ferre dignatus eſt. Itaque magis in ſe provocant iram Dei qui crudeliter in illos inſurgunt. Et certe pueris, quia ſe defendere nequeunt, ætas ipſa infirma præſidio eſt etiam adverſus canes & feras beſtias. Quam turpe eſt igitur & monſtruoſum hominibus, vires ſuas contra eos experiri? Porro quaſi in ſpeculo cernimus quam deformis tunc fuerit in Eccleſia vaſtitas. Erat Lex, erant judicia divinitus inſtituta: videmus tamen ut horribili modo exundaverit omne genus ſcelerum. Ergo ſollicite cavendum eſt nequid tale nobis uſuveniat: quod ſi tamen contingat peregrinos injuſte vexari, raptari viduas in prædam, ſpoliari pupillos: rogandus eſt Deus ut eorum patrocinium ſuſcipiat, ſicuti exemplo ſuo Propheta nos ad levandas eorum miſerias hortatur.

7. Et dixerunt, Non videbit Deus, non cognoſcet Deus Jacob.	7 ויאמרו לא יראה יה ולא יבין אלהי יעקב:
8. Intelligite inſipientes in populo: & ſtulti quando ſapietis?	8 בינו בערים בעם וכסילים מתי תשכילו:
9. Qui plantavit aurem, an non audiet? an qui finxit oculum, non aſpiciet?	9 הנטע אזן הלא ישמע אם יצר עין הלא יביט:
10. Qui arguit gentes, an non corripiet? qui docet homines ſcientiam?	10 היסר גוים הלא יוכיח המלמד אדם דעת:

7. *Et dixerunt.*] Quod dicit Propheta impios illudere Deo, acſi oculos ei oblinerent: non ita debet intelligi, quaſi diſtincte hoc concipiant in animis ſuis: ſed quia perinde contemnunt ejus judicium, acſi nulla eum tangeret cura humani generis. Nam ſi penitus inſculptum eſſet hominum cordibus, ſe Dei oculos non poſſe effugere, ſufficeret frenum hoc ad cohibendam eorum vitam. Quum ergo hucuſque proſiliant audaciæ ut hunc diripiant, illum ſpolient, alium devorent: certum eſt in ſua ſocordia eſſe demerſos, acſi abſconditi eſſent à Dei oculis. Certe tam ſupina ſecuritas oſtendit eos peccare acſi nunquam vocandi eſſent ad reddendam vitæ rationem. Quamvis ergo tam craſſas blaſphemias evomere non audeant, Deum eſſe rerum omnium ignarum, ac fere ſimilem trunco, jure tamen illis exprobrat Propheta quod mundum exiſtiment Dei providentia non regi, imo palam ei Judicis officium ac poteſtatem abrogent. quia ſi perſuaſi eſſent ut decet de ejus providentia, ſimul tribuerent honorem qui reverentiam ac metum incuteret. qua de re fuſius alibi diſſeruimus. Conſilium autem Prophetæ eſt, extremam & perditam nequitiam exprimere, dum ſcilicet abjecto Dei timore, quidvis ſibi indulget peccator. Siquis profanus homo, qui nihil unquam cæleſtis doctrinæ guſtaverit, ita inſultet, furor erit non ferendus: homines ergo qui à pueris educati fuerant in Legis doctrina, tam contemptim illudere vel fucum facere Deo, immane portentum fuit.

8. *Intelligite inſipientes.*] Quum execranda in Deum blaſphemia ſit, eum Judicis officio privare, vehementius in eorum ſocordiam invehitur Propheta, qui ſe illius judicium ſubterfugere, imo oculos fallere ſuis aſtutiis poſſe confidunt. Gravius eſt autem vocare *ſtultos in populo*, quam ſimpliciter ſtultos: eo quod minus excuſabilis ſit talis amentia in filiis Abrahæ, de quibus dictum fuerat à Moſe, Quis populus tam nobilis, qui deos ſibi appropinquantes habeat, ſicuti hodie Deus tuus ad te deſcendit? Hæc enim veſtra eſt intelligentia coram cunctis gentibus, & ſapientia, Deum habere Legiſlatorem. Niſi forte ignominioſos in populo vocat, qui tamen primores erant, ſummumque tenebant honoris gradum: acſi vocaret gregarios. Nam ſuperbos quos ſua dignitas excæcat, ita in ordinem cogi utile eſt, ut ſentiant non alio ſe loco cenſeri apud Deum, quam promiſcue quoslibet è vulgo. Et certe videtur eos ad plebem relegare, ut ſibi in ſua altitudine placere deſinant: niſi quod ironice eorum eminentiam perſtringit: acſi diceret, hac maxime nota eſſe conſpicuos, quod reliquos omnes ſtultitia ſuperent. quam alia etiam ratione exaggerat, quod in ea pertinaciter maneant. id enim valet interrogatio, *Quando tandem ſapietis?* Videtur quidem, dum interrogat, *An non audiret Deus qui aures formavit?* frigide aſſerere contra impios, Dei providentiam: quia nemo tam barbarus eſt qui Deo cognitionem plane detrahat: ſed, quemadmodum nuper dixi, tam craſſa audacia, in qua ſibi indulget major pars mundi, teſtis eſt, eos qui tam ſecure contra Deum irruunt, ejus loco imaginari mortuum idolum. quia ſi ſerio perſuaſi eſſent, ab eo ſua facta aſpici & notari, non minus ſaltem honoris ei deferrent quam mortalibus, quorum metu & reverentia à peccando prohibentur. Non abs re igitur Propheta ad excutiendum hunc torporem ratiocinatur à naturæ ordine, quum homines viſu & auditu prædìti ſint: quia hæc illis facultas à Deo opifice collata eſt, fieri non poſſe ut quicquam eum lateat qui tam aures quam oculos creavit.

Deut. 4. verſ. 7.

10. *Qui arguit gentes.*] Argumentum eſt à majori ad minus, fieri non poſſe ut Deus qui totis populis non parcit, ſed ulciſcitur eorum peccata, paucos homines impunitos prætereat. Quanquam poſſet etiam eſſe Gentium comparatio cum Judæis. Nam ſi Deus erga Gentes, Legis ſuæ ignaras, ſeveritatem exercet, digni ſunt gravioribus pœnis Judæi quos Deus in ſua ſchola familiariter edocuit. quia ſicuti electo populo præſidet, ita æquum eſt illic clarius fulgere ejus juſtitiam. Ego tamen priorem ſenſum libentius amplector, quod ſtulte impunitatem ſibi promittant pauci homines, qui Deum vident publicas de cunctis gentibus pœnas exigere. Reſtringunt hoc quidam ad inſignes & memorabiles vindictas quæ in Scriptura leguntur: quales fuerunt quum Deus Sodomam igne cæleſti, & totum humanum genus diluvio perdidit. Sed ſimplicius accipere malo, nimis perverſam eorum contumaciam, qui populis pereuntibus ſalvos ſe fore confidunt. Quod

Gen. 19. Gen. 7.

Quod poſtea addit *ipſum docere homines ſcientiam*, ad perſtringendam eorum confidentiam valet qui ex Dei contemptu laudem acuminis vel aſtutiæ captant: ſicuti Jeſaias vafros iſtos contemptores maledicit qui ſibi cuniculos fodiunt quibus ſe abſcondant à Dei oculis. Atque utinam hoc morbo nunc quoque mundus non ſcateret. Sed videmus quibus integumentis tam aulici homines, quam forenſes ſuas mentes obtenebrent, ut ſine ullo pudore ſubſannare Deum audeant. Vos ſcilicet, inquit, ingeniis veſtris confiſi, Deum eludere tentatis: quaſi veſtrum ſit eum privare ſcientia, qui ex ſua plenitudine exiguas tantum particulas in mundum diſtillat.

Jeſa. 29. verſ. 15.

11. Jehova novit cogitationes hominum quod vanæ ſint.

11 יהוה ידע מחשבות אדם כי המה הבל׃

12. Beatus vir quem erudieris Deus, & à Lege tua docueris:

12 אשרי הגבר אשר תיסרנו יה ומתורתך תלמדנו׃

13. Ad præſtandam ei quietem à diebus mali, dum fodiatur ſcelerato fovea.

13 להשקיט לו מימי רע עד יכרה לרשע שחת׃

11. *Jehova novit.*] Rurſus inſultat hominum fallaciis, qui dum ſibiipſis nebulas obducunt, ſperant ſe Dei oculos poſſe effugere. Ergo ut ſibi inani hoc prætextu blandiri deſinant, admonet, fumos iſtos momento diſcuſſum iri, ubi in Dei conſpectum ventum fuerit. Unde ſequitur, eos nihil proficere, dum è cælo Deus vanitatis condemnat quicquid aſtute comminiſcuntur. Nam eos ad tribunal Dei citando, retrahit ad propriæ conſcientiæ examen. Unde enim ſecuritas, niſi quod Deo tergum obvertunt: ſepeliunt omne boni & mali diſcrimen, & quantum in ſe eſt, exuunt omnem ſenſum? Dum ita ſe inaniter demulcent, denunciat Propheta rideri à Deo tam pueriles ineptias. Nota eſt & celebris ſententia: ſed attendere operæpretium eſt ad conſilium Prophetæ, quod multi neglectim prætereunt, nempe impios, dum ſibi latebras fabricant, ſeipſos decipere: quia Deum ſua vafritia fallere nequeunt. Quod vertunt quidam, *ipſi ſunt vanitas*, nimis coactum eſt. Loquutio enim eſt tam Hebraica, quam Græca, quæ ſic reſolvi debet, Deus novit hominum cogitationes eſſe vanas.

12. *Beatus vir.*] Nunc ab objurgatione Propheta ad conſolationem tam ſui quam piorum omnium tranſit, quod Deus ipſorum ſaluti conſulat, dum ad tempus affligi ſinit. Doctrina apprime utilis in toto vitæ curſu, qui in continua militia peragendus nobis eſt. Nam ut Deus infirmitati noſtræ parcens, aliquid relaxationis concedat, vult tamen ſemper multis injuriis eſſe expoſitos. Et videmus quanta ſit impiorum petulantia. itaque miſerrima eſſet ſine hoc ſolatio noſtra conditio, beatos eſſe quos Deus cruce exercet. ubi nos Deus ſibi in populum collegit, videtur ſegregaſſe à reliquo mundo, ut juſtitiam & æquitatem inter nos colendo, beata pace omnes fruamur. Atqui ſæpe continget ut prætextu honorificæ poteſtatis, tyranni ſcelerate opprimant Eccleſiam: ac talis fuit tentatio de qua hoc Pſalmo conqueſtus eſt Propheta: quia non alios quam domeſticos hoſtes accuſat, qui ſe populi judices profitebantur. Hic dictat carnis ſenſus, Si Deus nos reſpiceret, nunquam tantam licentiam daturum improbæ illorum libidini. Sed reclamat ex oppoſito Propheta, aliunde ſapiendum eſſe quam ex proprio cerebro, & opus eſſe cæleſti prudentia. Sic enim locum hunc interpretor, ut nos, dum urgent res adverſæ, tranquillis animis ſtemus, & patienter expectemus Dei auxilium, non aliter fieri quam ſi Dominus nos in ſchola ſua erudiat. Fatetur enim Propheta non ita naturaliter ſapere homines, ut per continuas afflictiones pacatis animis ad metam contendant, ſed hanc ſapientiam divinitus illis conferri. Ideo exclamat beatos eſſe quos Deus Legis ſuæ doctrina aſſueſecit ad crucis tolerantiam, & quos etiam arcana Spiritus ſui conſolatione fulcit, ne rebus adverſis ſuccumbant. Nam quod primo dicit, *Beatus quem tu erudieris*, tametſi de caſtigationibus & crucis exercitiis dici fateor: tamen ad interius illuminationis donum extendo: ſed mox addit Propheta ſapientiam hanc, quam Deus nobis intus inſpirat, ſimul in Lege proponi & patefieri. Quo elogio commendat externæ doctrinæ uſum: ſicuti etiam dicit Paulus, Omnia ſcripta eſſe ad noſtram doctrinam: ut per patientiam & conſolationem Scripturarum, ſpem habeamus. Jam videmus ex quo fonte haurienda ſit patientia, nempe ex Dei oraculis, quæ dolores noſtros mitigando, materiam fovendæ ſpei ſuppeditant. In ſumma, conſilium Prophetæ eſt, primum fideles hortari ad patientiam, ne ſub cruce animos deſpondeant, ſed in quiete & ſilentio Deum expectent liberatorem: deinde eos monere unde petenda ſit hæc prudentia. quia enim caro nos aſſidue ſollicitat ad deſperationem, centies evaneſceret ſpes noſtra, niſi divinitus edocti, mala omnia ſciremus nobis ceſſura in ſalutem. Interea teſtatur, veram conſolationis materiam nobis in Lege Dei ſuppetere, ut nunquam deſperet, vel frangatur, vel ſe miſerum eſſe ducat quiſquis rite in ea profecerit. Nam hac nota veros diſcipulos Deus à fictitiis diſcernit, ſi ad crucem ferendam parati ſint ac compoſiti, non obſtrepant nec tumultuentur, ſed liberationem quieti ſperent. Et ſane hæc vera eſt patientiæ ratio, non contumaciter reſiſtere rebus adverſis (ſicuti præfractam duritiem Stoici pro virtute laudarunt) ſed nos libenter ſubjicere Deo, quia in ejus gratiam recumbimus. Scite igitur Propheta ab hoc fundamento incipit: ut diſcant fideles ſe ideo affligi ad momentum, ut perfuncti ſua militia, beatam quietem obtineant. Dicere poterat beatos eſſe qui ex Lege Dei æquo animo crucem tolerare didicerint: ſed ſolatium poſuit quo mitigantur animi, ut ſe Dei arbitrio placide ſubmittant. Nam ut quis in rebus adverſis lachrymas contineat & gemitus, ſi abſque ulla ſpe frenum mordet, tantumque tenet illa principia, Nos eſſe mortales, neceſſitati fruſtra reſiſtere, vel contra fatum niti, Fortunam eſſe cæcam: hæc pervicacia eſt magis quam patientia: quia interim libenter adverſus Deum calcitraret qui fortitudinis prætextu mala ſua deſpicit. Ad manſuetudinem vero ſola hæc doctrina animos noſtros ſubiget, Deum, ubi ſuos vexationibus exponit, eorum quieti ſic conſulere. Ubi autem regnabit hæc perſuaſio, quietem parari fidelibus & refrigerium dum in æſtu miſeriarum verſantur, ne cum mundo pereant, ſatis ſuperque ad leniendam quamlibet doloris acerbitatem valebit. Hoc modo *dies malos* vel mali intelligeret Propheta æternum interitum, qui reprobos omnes manet ubi illis ad tempus Deus pepercerit. Poſſent etiam ſic exponi Prophetæ verba, Beatus qui inter afflictiones quietus & tranquillus eſſe didicerit. Ita notabitur interior tranquillitas, qua fruuntur fideles etiam inter medias procellas. atque hæc eſſet contextus ratio, Beatus eſt homo qui hucuſque profecerit in Dei Lege, ut ſedato animo & compoſito omnes malorum inſultus ſuſtineat. Sed quia mox ſequitur, *dum foditur impio ſepul-*

Rom. 15. verſ. 4.

pulchrum, ut oppoſita membra inter ſe reſpondeant, videtur eorum prudentiam laudare Propheta qui ſe in hunc finem à Deo affligi reputant ut ſalvi ſint ab interitu, & felici tandem exitu potiantur. Porro hæc altera pars conſolationis omnino addenda fuit: quia fieri non poteſt, ubi impii triumphant, nec eos Deus compeſcit, quin violentus doloris fervor in cordibus noſtris ebulliat. Tempeſtive igitur occurrit Propheta, admonens impios ſuper terram relinqui, ſicuti cadaver in cubiculo repoſitum manet, donec effoſſum ſit ſepulchrum. His autem verbis docet non poſſe aliter fideles conſtanter perſtare, niſi ſpeculam conſcendant, ſicuti loquitur Habacuc, unde *Habac. 2. verſ. 1.*
procul cernant Dei judicia. Videbunt impios terrenis deliciis potiri: niſi longius ſuam cogitationem extendant, præ indignatione deficient. Verum ſi in mentem veniat, domos quæ vivis deſtinatæ ſunt, ad exiguum tempus concedi mortuis, dum illis effoditur ſepulchrum, ita & ſuperſtites manere qui tamen exitio jam ſunt devoti: hæc conſolatio ad placandam triſtitiam ſufficiet.

14. Certe non abjiciet Jehova populum ſuum, & hæreditatem ſuam non derelinquet:

14 כִּי לֹא־יִטֹּשׁ יְהוָה עַמּוֹ וְנַחֲלָתוֹ לֹא יַעֲזֹב׃

15. Quia ad juſtitiam revertetur judicium, & poſt ipſum omnes recti corde.

15 כִּי־עַד־צֶדֶק יָשׁוּב מִשְׁפָּט וְאַחֲרָיו כָּל־יִשְׁרֵי־לֵב׃

14. *Certe non abjiciet.*] Clarius ſuperiorem ſententiam confirmat, fieri poſſe negans ut Deus populum abjiciat, quem velut ſibi hæreditarium elegit. Atque hoc nobis ſacrum aſylum eſſe debet, quoties malis tentamur, nos tamen eſſe Dei populum, quia nos ſibi gratis adoptavit: itaque charam ei eſſe & pretioſam ſalutem noſtram: quia non fruſtra pollicitus eſt ſe non ſecus Eccleſiæ ſuæ, ac propriæ hæreditatis, ſedulum fore cuſtodem. Unde rurſum colligimus, excidere & evaneſcere patientiam, niſi affulgeat gratiæ notitia ad pacandos omnes carnis tumultus.

15. *Quia ad juſtitiam.*] Quia in afflictionum tenebris non facile eſt cernere amorem illum quo Deus ſuos occulte proſequitur, alio argumento utitur Propheta, nempe quod poſt confuſam perturbationem Deus tandem res in legitimum ordinem componet. Quia phraſis Prophetæ nonnihil obſcura eſt: disjunctim quidam hæc duo legunt, Juſtitia ad finem revertetur: poſtea, *judicium revertetur*. Sed hoc modo perperam torquent ac dilacerant contextum. Ego itaque perinde accipere non dubito acſi dictum eſſet, judicium aptabitur vel conformabitur juſtitiæ. Judicium porro hic, ſicut multis aliis locis, pro gubernatione accipitur, vel publico ſtatu. Jam quia rebus in mundo turbatis videtur iniquum ac perverſum eſſe regimen, ideo promittit meliorem exitum. Nec tantum dicit redituros ad æquitatem homines qui prius inordinate dominati fuerint, ſed altius penetrat, Dominum tandem in reſtituenda Eccleſia juſtitiam quam occultaverit patefacturum: non quod ejus providentia unquam à recto ordine vel minimum deflectat, ſed quia hominum reſpectu, non ſemper apparet talis moderatio vel temperamentum ut conſpicua ſit illius juſtitia: quæ juſta gubernatio dicitur ubi correcta eſt inæqualitas. Nam ſicuti nocte vel tempore nubilo lumen Solis abſconditum eſt, ita dum impii homines tyrannice bonos vexant, & eorum libidini ac ſceleribus laxantur habenæ, inter nos & Dei providentiam interpoſitæ nebulæ lucem æquitatis obſcurant, & ita quodammodo judicium à juſtitia diſtrahitur. Rebus autem in verum ordinem reſtitutis, optimus imperii & juſtitiæ conſenſus in moderata æqualitate apparet. Fide quidem in rebus confuſis juſtitiam Dei, licet abſconditam, apprehendere nos decet: ſed hoc ad ſenſum & experientiam refertur, quod tanquam ſereno cælo fulgebit Dei juſtitia. *Poſt eum omnes recti corde.* Vertunt aliqui, poſt eam juſtitiam. ſed quia nomen hoc accipitur pro æquali & ordinato regimine, quum Deus vindictam ſumit de improbis & ſuos liberat: non videtur congruere illa expoſitio. malo igitur de ipſo Deo intelligere, atque ita erit relativum ſine antecedente. Neque enim Hebræis rarum eſt, ubi Dei fit mentio, nominis ejus loco ponere relativum. Senſus ergo eſt, juſtos omnes, ubi Deus ſtatum mundi compoſuerit, ſumpturos animum ut eum alacrius ſequantur. Etſi enim etiam crucem ferendo, per ærumnas & afflictiones ad eum aſpirant, ubi tamen ſentiunt liberatorem, & talem conſpiciunt ejus manum, plenius ei ſeſe addicunt.

16. Quis ſurget mihi cum adverſantibus? quis ſe ſtatuet mihi cum operariis iniquitatis?

16 מִי־יָקוּם לִי עִם־מְרֵעִים מִי־יִתְיַצֵּב לִי עִם־פֹּעֲלֵי אָוֶן׃

17. Niſi Jehova auxilio fuiſſet mihi, propemodum habitaſſet in ſilentio anima mea.

17 לוּלֵי יְהוָה עֶזְרָתָה לִּי כִּמְעַט שָׁכְנָה דוּמָה נַפְשִׁי׃

18. Si dixi, Lapſus eſt pes meus: bonitas tua Jehova ſuſtinuit me.

18 אִם־אָמַרְתִּי מָטָה רַגְלִי חַסְדְּךָ יְהוָה יִסְעָדֵנִי׃

19. In multitudine cogitationum mearum, in medio mei conſolationes tuæ exhilarant animam meam.

19 בְּרֹב שַׂרְעַפַּי בְּקִרְבִּי תַּנְחוּמֶיךָ יְשַׁעַשְׁעוּ נַפְשִׁי׃

16. *Quis ſurget.*] Hic Propheta quaſi per hypotypoſin demonſtrat quantopere fuerit deſtitutus hominum auxilio. Nam quaſi in re præſenti exclamat, *Quis ſtabit pro me?* vel, ſe opponet hoſtibus meis? ac ſibi continuo reſpondet, Niſi Deus tuliſſet opem, actum de ſua ſalute fuiſſe. Hoc vero ad amplificandam Dei gratiam valet, dum ſe prædicat miraculo ereptum fuiſſe ex morte: quia à toto mundo deſertus erat. Quamvis enim homines, dum nobis manum porrigunt, miniſtri ſint gratiæ Dei, ubi tamen oculis noſtris occurrit inferius aliquod ſubſidium, non facile agnoſcimus manum Dei. Porro *in ſilentio* dicitur *habitare vita*, dum mortui, ſenſu & vigore carentes, in ſepulchris jacent. Itaque fatetur Propheta nullum ſibi vitæ ſervandæ fuiſſe remedium, niſi recta manum ſuam Deus è cælo extendiſſet.

18. *Si dixi.*] Confirmatio eſt proximæ ſententiæ. nam quo Dei bonitatem & potentiam melius commendet, commemorat ſe non à mediocri aliquo periculo, ſed quaſi à morte præſenti fuiſſe ſervatum. Senſus autem verborum eſt, mortem ita verſatam fuiſſe ante ejus oculos ut proprio judicio eſſet deploratus, quemadmodum Paulus dicit ſe nuncium *2 Cor. 1.*
mortis in ſeipſo accepiſſe, quum omni ſpe abſciſſa, *verſ. 9.*
vitæ renunciavit. Quum autem Propheta, qui jam ſe morti addixerat, præter ſpem liberatus eſt, eo illu-

illuſtrius fuit Dei auxilium. Jam ſi *lapſum pedis* intelligimus de corporali tantum morte, in deſperatione Prophetæ nihil erit abſurdi: quia Deus ſæpe vitam in mundo ſuis prorogat, quamvis, omni ſpe vivendi ablata, ad migrandum parati ſint. Quanquam fieri poteſt ut Propheta hoc ſuum dicere ad carnis ſenſum reſtringat: quod mihi magis eſt probabile. quia prius vidimus nunquam eum ceſſaſſe ab invocatione Dei: unde ſequitur aliquid ſperaſſe: idque clarius ex proximo verſu colligitur, ubi refert ſuos dolores aliqua ſemper conſolatione fuiſſe mitigatos. *Cogitationes* enim vocat anxias & perplexas curas, quibus fuiſſet obrutus, niſi divinitus adhibita fuiſſet aliqua conſolatio. Docet igitur hic locus, Deum, pro magnitudine triſtitiæ & mœroris, ſervis ſuis in ipſo articulo ſuccurrere, ut dilatet eorum anguſtias, ſicut alibi dicitur. Itaque quo *Pſal. 4. verſ. 2. & 118. verſ. 5.* magis ingraveſcent mala noſtra, ſperemus leniendis doloribus potentiorem fore ejus gratiam. Quod ſi pro carnis infirmitate curæ & ægritudines nos urant & excrucient, ſufficiat nobis hoc remedium quod magnifice extollit Propheta. Nam fideles duplicem in animis ſuis affectum gerunt, quia ab una parte anguntur, diſtrahuntur etiam in varios metus & curas: ſed Deus arcanam illis lætitiam inſpirat, idque pro neceſſitatis modo, ne ullus malorum gurges quantumvis profundus ipſos abſorbeat.

20. An ſociabitur tibi ſolium iniquitatum, artifex moleſtiæ loco juris?	20 הַיְחָבְרְךָ כִּסֵּא הַוּוֹת יֹצֵר עָמָל עֲלֵי חוֹק׃
21. Coibunt ſuper animam juſti, & ſanguinem innocentis damnabunt.	21 יָגוֹדּוּ עַל־נֶפֶשׁ צַדִּיק וְדָם נָקִי יַרְשִׁיעוּ׃
22. Atqui fuit Jehova mihi in arcem, & Deus meus in rupem fiduciæ meæ:	22 וַיְהִי יְהוָה לִי לְמִשְׂגָּב וֵאלֹהַי לְצוּר מַחְסִי׃
23. Et rependet ſuper eos iniquitatem ipſorum, & in malitia eorum perdet eos, perdet eos Jehova Deus noſter.	23 וַיָּשֶׁב עֲלֵיהֶם אֶת אוֹנָם וּבְרָעָתָם יַצְמִיתֵם יְהוָה אֱלֹהֵינוּ׃

20. *An ſociabitur.*] Fiduciam rurſus colligit à Dei natura: quia fieri non poteſt ut vel improbis faveat, vel conſentiat impiis eorum machinationibus. Deo autem adverſo quomodo interitum effugerent? Plus autem vehementiæ habet interrogatio, qua docet omnem iniquitatem Dei naturæ eſſe contrariam. *Solii* autem conſulto meminit, quia non accuſat vulgares ſicarios, vel fures, quorum infamia paſſim nota ſit, ſed contra tyrannos invehitur qui fallaci juris prætextu opprimebant Eccleſiam. Dicit ergo, quamvis occupent ſolium quod Deo conſecratum eſt, nihil tamen cum ipſo commune habere, quatenus ſolium illud ſceleribus ſuis polluunt ac contaminant. Clarius ſe exponit altero membro, ubi prorſus à Deo alienos eſſe pronunciat qui moleſtiam fabricant loco juris. חוק ſignificat jus & decretum, vel ſtatutum ordinem. Perſtringit igitur Propheta improbos Judices, qui per omne oppreſſionum genus graſſando, ſimulabant tamen ſe tenere rectum officii curſum. Sic enim perfidi Judices ut poſſeſſionem honeſti & ſpecioſi tituli retineant, varios colores accerſunt ad tegenda ſuæ tyrannidis flagitia. Nunc tenemus quid Propheta velit, nempe, quamvis honorificum ſit ſolii nomen, ubi tamen corrumpitur hominum pravitate, ſuo pretio & honore excidere apud Deum, qui iniquitati ſuffragari non poteſt.

21. *Coibunt.*] Quia verbum גדד vel גוד copias vel manum colligere ſignificat, non dubium eſt quin ſignificet Propheta non ſibi fieri negotium à gregariis hominibus, ſed à ducibus populi qui rerum potiebantur. Exprimit etiam hoc verbo, ſe & reliquos fideles non ab uno vel altero privato homine fuiſſe injuſte tractatos, ſed à publico cœtu. Triſte quidem, ac etiam turpe exemplum fuit, in legitimo conventu ita regnare improbos, ut collegium Judicum nihil aliud eſſet quam latronum turba. Nam hoc bis indignum eſt, ubi oppreſſi fuerint innoxii homines, ſimul cum injuria probrum ſuſtinere. Deinde quid minus conſentaneum, quam ut tota forenſis ratio nihil aliud ſit quam ſceleſta conſpiratio ad inſontes damnandos? Sed hoc exemplo nos hodie armari convenit, ſi tantum licentiæ permittat Deus impiis, ut prætextu juris, in perniciem bonorum & ſimplicium, tribunal conſcendant. Quamvis ergo tolerabile non ſit primo intuitu, inſontes ab ipſis Judicibus crudeliter vexari, atque etiam gravari ignominia: quia tamen utraque tentatione ſervos ſuos olim exercuit Deus, diſcamus non ſolum injuſtam violentiam æquo animo ferre, ſed indignas etiam calumnias, quibus præter meritum gravamur.

22. *Atqui fuit.*] Concludit Propheta, quamvis in tantas anguſtias redactus eſſet, ſibi ſatis fuiſſe in Deo uno præſidii: quibus verbis iterum ejus virtutem illuſtrat, quia ſolus tam validos conatus, tantas copias, tantumque furorem ſubegerit. Non ſolum autem dicit Deum ſibi inſtar propugnaculi fuiſſe, ex quo deſpiceret omnes impetus, & ubi tuto deliteſceret: ſed ubi ſibi gratulatus eſt de protectione Dei, hoſtibus quoque exitium denunciat: quia proprium Dei munus eſt, quicquid moleſtiæ intentant bonis, retorquere in eorum capita. Si tantum irriti & fruſtranei eſſent eorum conatus, in eo jam guſtum aliquem juſtitiæ ſuæ Deus præberet: ſed dum cadunt ipſi in foveam quam parabant, & ubi inſidioſe captant omnes vias ad bonos perdendos, pereunt in ſua aſtutia: totumque robur ſuum experti, ſe propriis gladiis conficiunt: tunc mirabile Dei judicium melius apparet. Et quia id creditu difficile eſt, bis repetit, *perdet eos, perdet Deus noſter.* Ubi etiam notare operæpretium eſt, fidelibus dari ſperandi materiam, quum dicit Propheta, *Deus noſter:* reducit enim in memoriam quod prius dixit, Deum hæreditatem ſuam non negligere quam in fidem ſuam ſuſcepit.

Argumentum Psalmi XCV.

Propheta, quiſquis ſit auctor Pſalmi, Judæos in ſolenni cœtu hortari volens ad laudandum Deum, duplicem materiam proponit: nempe quia mundum quem creavit, ſua virtute ſuſtineat: deinde quod Eccleſiam ſibi gratis adoptaverit. Sed quia in multorum labris reſonabant fictæ laudes, ſimul etiam hortatur ut ſincere ac ſerio populus totum ſe Deo addicat, vitaque teſtetur non fruſtra ſe electum eſſe. Et quo omnem hypocriſin excutiat, Patres ab initio dicit ingratos Deo & immorigeros fuiſſe: & pœnam horribilem illis inflictam refert, quæ merito terrere poſteros debet, ne illorum pervicaciam ſequantur.

Psalm. XCV.

VEnite, exultemus Jehovæ, jubilemus rupi ſalutis noſtræ:	1 לכו נרננה ליהוה נריעה לצור ישענו:
2. Præveniamus faciem ejus cum laude, in canticis jubilemus ei:	2 נקדמה פניו בתודה בזמרות נריע לו:
3. Quia Deus magnus Jehova, & Rex magnus ſuper omnes deos:	3 כי אל גדול יהוה ומלך גדול על כל אלהים:
4. Quia in manu ejus profunditates terræ, & altitudines montium ipſius ſunt.	4 אשר בידו מחקרי ארץ ותועפות הרים לו:
5. Quia ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridam manus ejus formaverunt.	5 אשר לו הים והוא עשהו ויבשת ידיו יצרו:

VEnite.] Quadrat hic Pſalmus ad diem Sabbathi, quo ſcimus ſacros conventus peculiariter habitos ad celebrandum Dei nomen. Neque enim unumquemque piorum hortatur ad Deum privatim laudandum, ſed hoc fieri jubet in publico conventu. Atque ita oſtendit, non in mortuis ceremoniis ſitum eſſe externum Dei cultum, ſed præcipue in laudis ſacrificio. Feſtinationem etiam requirit, qua teſtentur fideles, officium hoc ſe alacriter obire. Nam verbum קדם quo utitur, properare vel maturare ſignificat. Præcipit ergo ut in Dei conſpectum venire accelerent: quod operæpretium fuit in tanta ſegnitie quæ nobis ingenita eſt, ubi Deus ad gratias ſibi agendas nos vocat. Sicut autem oblique Propheta veteris populi ignaviam in canendis Deo laudibus perſtrinxit: ita ſciamus hodie quoque eodem ſtimulo nobis opus eſſe, quia non minor eſt in nobis ingratitudo. Nec parum hoc valuit ad excitandum populi ſtudium, quum juberet *in Dei conſpectum prodire:* quia nihil magis optabile eſt quam præſenti Deo ſacrificium offerre quod ſibi acceptum eſſe declarat. Tantundem enim valet hæc loquutio acſi dixiſſet Deum coram adeſſe teſtem, ne ſe operam ludere putarent. Porro qualis fuerit Dei præſentia in Sanctuario, alibi dixi.

3. *Quia Deus magnus.*] His verbis admonet Propheta, ſuppetere uberem materiam laudandi Dei, ut mendacibus encomiis minime indigeat, ſicuti Regibus adulari ſolent rhetores. Primo Dei magnitudinem extollit, eum tacite omnibus diis fictitiis opponens, quos ſibi fabricaverant homines. Scimus ſemper in mundo magnam fuiſſe deorum turbam: unde illud Pauli, Multos in terra nominari deos. Notanda eſt igitur antitheſis inter Deum Iſraëlis, & alios omnes quos ſibi finxerat hominum libido. Siquis excipiat, idolum nihil eſſe: Reſpondeo, hac ſententia Prophetam refellere vanos hominum errores, qui Deitates ſuo arbitrio ſtulte imaginantur. Quanquam ego ſub hoc nomine Angelos libenter complector: acſi diceret, Deum ita excellere, ut longe emineat ſupra omnem cæleſtem gloriam & quicquid divinum eſt, non minus quam ſupra omne terrenum figmentum. Angeli quidem dii non ſunt: ſed quia propius ad Deum accedunt, improprie ad ipſos transfertur hoc nomen: maxime vero hominum reſpectu, qui immodica admiratione eos ſuperſtitioſe evehunt. Quod ſi Dei unius majeſtas in ordinem cogit cæleſtes Angelos, quam indignum eſt ejus gloriæ obſtare nihili figmenta? Hujus deinde magnitudinis ſpecimen in mundi opificio ſpectandum proponit, quod dicit *opus eſſe manuum Dei*, & ejus imperio ſubeſſe. Atque hæc laus eſt generalis, quod Deus conſpicuam ſuam gloriam in mundi creatione reddidit, & quotidie in ejus gubernatione vult agnoſci. Nam quum dicit *in manu ejus eſſe penetralia terræ*, intelligit ejus providentia regi, ac imperio ſubeſſe: alii fines vertunt, ſed potius abyſſos notat: quas opponit altitudini montium. Et vox Hebraica proprie ſcrutationem ſignificat.

1 Cor. 8. verſ. 5.

1 Cor. 8. verſ. 4.

6. Venite, adoremus, & procidamus, genu flectamus coram facie Jehovæ fictoris noſtri:	6 באו נשתחוה ונכרעה נברכה לפני יהוה עשנו:
7. Quia ipſe Deus noſter, & nos populus paſcuorum ejus, & grex manus ejus: hodie ſi vocem ejus audieritis.	7 כי הוא אלהינו ואנחנו עם מרעיתו וצאן ידו היום אם בקלו תשמעו:

6. *Venite, adoremus.*] Quia jam electum populum ad gratitudinem Propheta hortatur, quod gratuito Dei beneficio excellat ſupra omnes Gentes, vehementior eſt ſermo: ſicuti pleniorem laudis materiam nobis Deus ſuppeditat dum ſpirituali honore nos dignatur, & præter meritum anteponit cunctis mortalibus. Itaque tribus verbis rem unam deſignat, ut ſcilicet filii Abrahæ ſe totos illi addicant. Verum quidem eſt, tanti momenti eſſe Dei cultum, de quo concionatur Propheta, ut omnes noſtros conatus ſibi merito vendicet: ſed notanda eſt circumſtantia, quod ſcilicet paternum Dei favorem commendet, quo Deus ſolos Abrahæ filios complexus erat, ut in ſpem ſpiritualis & æternæ vitæ eos adoptaret. Hoc quoque notandum eſt, non tantum de cordis gratitudine hic agi, ſed ſimul requiri profeſſionem externam pietatis. Hoc enim tribus verbis exprimitur, officio ſuo non defungi fideles, niſi palam & genu flexione & aliis ſignis Deo ſe in ſacrificium offerant. *Faciem Dei* eo quo nuper dixi ſenſu accipio, ut ſcilicet ante Arcam fœderis populus ſe proſternat: quia ſermo de Legali cultu habetur. Semper tamen addenda eſt exceptio, ut ſublatis in cælum oculis, ſpiritualiter Deum colant fideles.

7. *Quia*

7. *Quia ipſe Deus noſter.*] Quamvis in hunc finem creatum ſit totum humanum genus, Eccleſia tamen non abs re vocatur Dei plantatio in ejus laudem. Itaque merito officium hoc ſpecialiter ab electo populo exigit Propheta. Hæc ratio eſt cur admoneat filios Abrahæ de inæſtimabili privilegio quo ipſos dignatus fuerat quum eos in ſuam curam ſuſciperet. Nam etſi quodammodo hoc ad totum humanum genus poſſet extendi, certum tamen eſt, Deum vocari Eccleſiæ ſuæ paſtorem, non qualiter reliquos mortales promiſcue alit, ſuſtinet ac gubernat: ſed quia eam à toto mundo diſtinxit, ut paterno ſinu foveat. Vocatur ergo *populus paſcuorum* quem Deus peculiari cura & tuetur, & proſequitur omni beneficiorum genere. Poterat quidem diſtinctius loqui, vocando *gregem paſcuorum*, & *populum manus*: vel, ſi tantum nomen Legis poſuiſſet, continua fluebat metaphora: ſed non adeo curavit ſermonis elegantiam, modo populum de inæſtimabili adoptionis gratia moneret, cujus finis erat ut ſub Dei fide ac tutela degeret, boniſque omnibus frueretur. *Grex manus* vocatur non tam quod à Deo formatus ſit, quam eo quod regitur ejus manu. Gallice dicimus *le troupeau de ſa conduite.* Quanquam autem antitheſis quam nonnulli obſervant, paulo forte argutior eſt quam ferat genuinus Prophetæ ſenſus, Deum ſcilicet paſcendo populo intentum eſſe, nec uti conductitiis paſtoribus: dubium tamen non eſt quin exprimere voluerit Propheta propinquum illum & familiarem gubernationis modum qui tunc in uno duntaxat populo refulſit. non quod hominum operas Deus abjiceret, qui Sacerdotibus, Prophetis, Judicibus, deinde etiam Regibus populi ſui regimen mandavit: ſed quia aliter in populo illo quam generali providentia in reliquo mundo, paſtoris officium obiret. *Hodie ſi vocem ejus.* Secundum Hebræos conditio hæc apponitur ad proximam ſententiam: acſi denunciaret Propheta non aliter manſurum eſſe populum in poſſeſſione ſuæ dignitatis ac privilegii, niſi in Dei obedientia perſtaret. Græcus interpres cum ſequenti verſu contexit, *Ne obduretis corda veſtra*: quæ ſententia optime cohæret. Si tamen placet diſtinctio quam ponunt Hebræi, voluit exprimere Propheta, filios Abrahæ ideo eſſe gregem manus Dei, quia Deus Legem ſuam, quaſi pedum, in medio ejus erexerat, quo ſe paſtorem oſtenderet. Ita particula אם non erit proprie conditionalis, ſed expoſitiva. Vel pro temporis adverbio ſumetur: acſi dictum eſſet, hanc eſſe diſcretionis notam inter Gentes & Judæos, quia Deus ad hos vocem ſuam direxerat: ſicut alibi dicitur, non ita feciſſe reliquis nationibus. Dixerat autem prius Moſes, Hæc eſt nobilitas veſtra coram populis. quæ enim eſt natio ſub cælo, quæ deos habeat ita appropinquantes ſibi? Solent autem multa Prophetæ à Moſe mutuari, ut ſatis notum eſt: ac emphatice demonſtrat Propheta in adverbio *hodie*, Judæos eſſe Dei populum, quum audiant ejus vocem: quia non procul quærendum ſit teſtimonium, ſed in re præſenti appareat, & ſub oculis verſetur. Jubet ergo in eo paſtorem agnoſcere, quod vocem ejus audiant, quia ſingulari gratia factum eſt ut eos familiariter alloqui dignatus ſit. Quod alii vertunt, Utinam, & volunt eſſe adverbium hortantis, vereor ne ſit coactum. Illud vero alterum concinne fluit, quando vox Dei aſſidue in auribus perſonat, nec ſemel tantum Patribus oſtendit paſtoralis curæ, vel quotannis memoriale aliquod duntaxat præbet, ſed continuat hoc munus, ſatis clare patefieri electos eſſe Judæos in gregem.

Pſal. 147. verſ. 20.
Deut. 4. verſ. 6, 7.

8. Ne obduretis cor veſtrum ſicut in Meriba, ſecundum diem Maſſa in deſerto,	8 אַל תַּקְשׁוּ לְבַבְכֶם כִּמְרִיבָה כְּיוֹם מַסָּה בַּמִּדְבָּר׃
9. Quando tentaverunt me Patres veſtri, probaverunt me, quum tamen vidiſſent opus meum.	9 אֲשֶׁר נִסּוּנִי אֲבוֹתֵיכֶם בְּחָנוּנִי גַּם רָאוּ פָעֳלִי׃
10. Quadraginta annos litigavi cum generatione hac, & dixi, Populus ſunt errans corde: & ipſi non cognoverunt vias meas.	10 אַרְבָּעִים שָׁנָה אָקוּט בְּדוֹר וָאֹמַר עַם תֹּעֵי לֵבָב הֵם וְהֵם לֹא יָדְעוּ דְרָכָי׃
11. Quare juravi in ira mea, Si introibunt in requiem meam.	11 אֲשֶׁר נִשְׁבַּעְתִּי בְאַפִּי אִם יְבֹאוּן אֶל מְנוּחָתִי׃

8. *Ne obduretis.*] Quia duræ cervicis erant, & difficiles ad obſequium, poſtquam Dei gratiam extulit ac celebravit in officio paſtoris: ita viciſſim admonet ut docilitate & placida manſuetudine ſe gregem ovium ejus eſſe probent. ac quo melius tangantur, Patrum contumaciam illis exprobrat. Quanquam autem nomen מריבה appellativum eſſe poteſt, ut ſit rixa vel contentio: quia tamen non dubium eſt quin ad hiſtoriam reſpiciat Propheta quæ narratur Exodi capite 17. verſ. 2. & 7., malui ad locum referre: quod idem etiam in nomen מסה competit. Quia tamen in ſecundo membro additur nomen *deſerti*, ad notandum tentationis locum: ſicui magis placeat verſio, *ſecundum diem tentationis*, nolim contendere. Nec ſane in re tantula opus eſt nos eſſe nimis curioſos. nam quod diverſa loca eſſe quidam volunt, non aſſentior. Pluribus deinde verbis duritiem populi explicat: & quo plus efficaciæ habeat ſermo, Deum loquentem inducit. Porro ſub obduratione cordis non dubium eſt quin Propheta quemlibet verbi Dei contemptum ſignificet, quamvis multæ ſint ac diverſæ ſpecies. Nam quum in medium proponitur, videmus ab aliis frigide audiri, & contemptim: ab aliis faſtidioſe reſpui, ab aliis ſuperbe rejici, ab aliis etiam furioſe non ſine probro & blaſphemia proſcindi. Quum ergo ex auditoribus alii ſint ignavi, alii faſtidioſi, alii deriſores, alii inſani & rabioſi: vitia hæc omnia uno verbo Propheta complectitur. Neque enim cor noſtrum molle & flexibile ad Deum audiendum cenſebitur, niſi reverenter promptoque ad obſequium affectu excipimus ejus doctrinam. Quod ſi nulla ejus eſt apud nos auctoritas, nihilo plus quam homini mortali tribuimus: in quo ſe prodit cordis durities, ſive tantum ex ſocordia, ſive ex faſtu, ſive ex rebellione procedat. Conſulto autem odioſa voce uſus eſt, quo magis execrabilem redderet verbi contemptum: ſicuti in Lege, ſub Adulterii nomine, quamvis ſcortationem & impuras libidines damnat: ſub nomine Homicidii, omne genus violentiæ & injuriæ, odia etiam & ſimultates. Ergo quiſquis neglectim præterit verbum Dei, neque attentus eſt ad parendum, quamvis non ſit aperte contumax, dicitur tamen eſſe corde lapideo. Ridiculi tamen ſunt Papiſtæ, dum ex hoc loco liberum arbitrium aſtruere conantur. Primo notandum eſt corda omnium mortalium naturaliter lapidea eſſe: quia Scriptura quum de corde lapideo loquitur, non reſtringit vitium ad paucos, ſed in genere pronunciat qualis ſit hominum natura. Cæterum quamvis ingenita ſit nobis talis pravitas, quia tamen voluntaria eſt, neque ſenſu caremus, ut lapides: quiſquis Dei verbo ſe

Eze. 36. verſ. 26.

regi

regi non patitur, cor ſuum jam ante lapideum obdurat, ac proprio ſenſu convincitur ſuæ contumaciæ. Neque tamen ſequitur, mollitiem & cor in utramque partem flexibile, eſſe in manu noſtra: quia facit naturæ corruptio ut tota hominis voluntas ad malum inclinet, atque etiam feratur. Seipſum tamen quiſque obdurat quoties Deo non obedit: quia malitiæ culpam non poteſt alio tranſcribere.

9. *Quando tentaverunt me Patres veſtri.*] Oblique ſignificat Propheta, ſicuti prius attigi, Judæos ab initio perverſi ingenii & prope indomiti fuiſſe. Utile tamen ob duas rationes fuit, crimen Patrum filiis revocari in memoriam. Scimus quam proclivis in eorum imitatione ſit lapſus. nam & licitum videtur quicquid invaluit, & vetuſtas ſemper aliquam reverentiam ſibi vendicat: & domeſtica exempla nos excæcant, ut ſine delectu, loco virtutis arripiant poſteri quicquid à majoribus profectum eſt. Itaque videmus quam audacter in Papatu, Patrum auctoritas verbo Dei opponi ſoleat. Adde quod Judæi, quibus mos erat gloriari in Patribus, facilius hac in parte decepti fuiſſent. Ideoque non abs re Propheta eos à Patribus ſuis abducit, quod deteſtabilis fuerit eorum ingratitudo. Altera eſt ratio quam prius attigi, ut ſcirent neceſſario ſe admoneri. Nam ſi nulla fuiſſet Patrum rebellio, excipere promptum erat, Quorſum præcipis ne obduremus corda, quando hactenus genus noſtrum docile ac morigerum fuit? Quum vero Patres eorum ab initio duri fuerint ac præfracti, Propheta non de nihilo ſe in hoc vitio corrigendo nunc inſiſtere docet. Quæ ſequuntur, poſſunt bifariam exponi. Nam quum tentare Deum, nihil aliud ſit quam pravo & illicito voto efferri ad quærendum virtutis ejus experimentum: uno contextu legi poſſet, Tentaverunt me & probaverunt, quamvis jam opus meum vidiſſent. Et certe juſta hæc Dei querimonia fuit, quum tot documentis teſtatam præclare feciſſet ſuam potentiam apud eos, quæſiſſe tamen novam probationem. Poteſt tamen *probandi* verbum aliter ſumi, hoc modo, Tentarunt me Patres veſtri, quum ad tot mea beneficia cæcutientes, quærerent ubinam eſſet Deus. Probarunt igitur, hoc eſt, re ipſa experti ſunt: quia non deſtiti apud eos præſentiæ meæ ſigna palam exerere, adeoque viderunt opus meum. Utrumvis ſenſum eligas, huc tendit conſilium Prophetæ, minus excuſabiles fuiſſe Judæos, quod Dei virtutem de qua tot experimentis edocti fuerant, quaſi incognitam patefieri ſibi cuperent. Quærendo cur illos Deus deſtitueret cibo & potu, etiamſi nullum ante ſignum datum eſſet, ſuam intemperiem prodebant. ſed quum Deus exerta manu traxiſſet eos ex Ægypto, totque luculentis teſtimoniis ſe illis propinquum eſſe monſtraſſet, ubi dubitant de ejus præſentia acſi ante fuiſſet abſconditus, perverſa oblivio crimen auget. Itaque omnibus expenſis, ſic reſolvere malo Prophetæ verba, Tentaverunt me Patres veſtri, quum tamen ſatis ſuperque probaſſent, hoc eſt ſenſiſſent veris & claris documentis me ſuum eſſe Deum, imo opera mea illis fuiſſent conſpicua. Atque hæc doctrina æque ad nos pertinet. nam quo melius teſtata nobis fuerit Dei gratia & virtus, ſi adhuc expetimus novas ejus probationes, eo deterior eſt noſtra impietas. ſicuti hodie videmus multos miracula flagitare, alios expoſtulare cum Deo, niſi eorum votis obtemperet. Quæritur tamen cur Propheta, tot hiſtoriis præteritis, mentionem tantum fecerit Meriba. Nam quum in ipſo Maris tranſitu jam cœperint contra Deum tumultuari, neque unquam ab eo die deſtiterint, crimen unum exprobrans, videtur ſuo ſilentio eos à reliquis abſolvere. Sed quum frequentes ſint in Scripturis ſynecdochæ, nihil abſurdi erit ſi dicamus ſub una ſpecie plures notari. videtur tamen alia fuiſſe ratio cur hoc exemplum Propheta maxime eligeret: quia ex Moſe promptum eſt colligere, hunc fuiſſe extremum ingratitudinis & contumaciæ cumulum, ubi populus propter aquam rixatus eſt. Scio interpretes aliter ſentire: ſic tamen res habet, tunc impleſſe omnes impietatis numeros, ut ſolus ille ſtrepitus, quaſi omnium actionum cataſtrophe, palam oſtenderit inſanabilem eſſe eorum pervicaciam.

10. *Quadraginta annos.*] Obſtinatæ malitiæ crimen exaggerat Propheta, quod Deus cum ea tamdiu ſit luctatus abſque profectu. accidere enim interdum ſolet ut ebulliat aliqua protervia, quæ momento poſtea conſidit. Deus autem totis quadraginta annis ſibi aſſidua fuiſſe cum populo jurgia conqueritur. unde indomabilis pravitas colligi poteſt. Et *generationis* nomine utitur in eundem ſenſum. Nam דור ſeculum vel ſpatium humanæ vitæ ſignificat. Ad unius autem ætatis homines transfert: acſi diceret Propheta, quamdiu vixerunt Iſraëlitæ quos Deus liberaverat, non potuiſſe in obſequium ſubigi. Quidam verbum אקוט vertunt, contemptui fui: Græcus interpres, προσώχθισα, infenſus fui, vel exacerbatus. ſed Hebræi genuinum ſenſum tenent, quod Deus litigando, continuum habuerit certamen. Quod notabile ſpecimen fuit perditæ eorum obſtinationis. Judicium deinde ſuum profert: acſi diceret, Poſtquam tot modis ſuam impietatem prodiderant, amentiam eorum plus ſatis fuiſſe cognitam. *Errorem* vero *cordis* non extenuandi cauſa ponit, ſed vecordes & inſanos eſſe pronunciat: acſi diceret, ſibi negotium non eſſe cum hominibus ſenſu vel intelligentia præditis, ſed potius cum beſtiis. Additur ratio, quia ad tot Dei opera attenti non fuerint, & præcipue ad doctrinam. Nam ſub voce דרך complectitur tam Legem & continuas admonitiones, quam miracula quibus eos Deus erudierat. Mira igitur amentia fuit, quum Dominus familiariter habitaſſet in medio ipſorum, ac tam verbo quam operibus illuſtris fuiſſet ejus gloria, clauſis oculis omnia præteriiſſe. Hæc ratio eſt cur eorum torporem amentiæ damnet Propheta: quia in tanta luce quaſi cæci erraverint.

11. *Quare juravi.*] Si relativum אשר in proprio ſenſu accipere libeat, non repugno: ſicuti etiam multi verterunt. Græcus interpres ſimilitudinis notam eſſe putans, reddidit ὡς. illatio tamen viſa eſt non male quadrare. non quod tunc demum privati fuerint promiſſa hæreditate quum Deum tentaſſent: ſed poſtquam de eorum obſtinatione loquutus eſt Propheta in perſona Dei, colligit, non fruſtra interpoſito jurejurando prohibitos fuiſſe à terræ ingreſſu. Aſſiduo enim ſcelerum progreſſu ſatis ſuperque innotuit, quia corrigi nullo modo poterant, non temere fuiſſe abdicatos à requie Dei. Clarior enim erit ſenſus, ſi legas in tempore plus quam perfecto, juraveram. quia ante jurgium illud Deus jam illorum malitiam prævidens, eos ab hæreditate promiſſa excluſerat. Quid autem valeat ecliptica hæc jurandi forma, alibi diximus. Cur etiam terra Chanaan vocetur ejus requies, ex promiſſione petenda eſt ratio. Abraham enim & ejus poſteri in ea peregrinati fuerant, donec maturum poſſeſſionis tempus veniret. Ægyptus temporale hoſpitium & quaſi exilium fuerat. Quum ergo Deus jam ex pacto, Judæos in terra Chanaan quaſi in juſto patrimonio locare paratus eſſet, merito vocat requiem ſuam. Quod tamen active intelligitur: quia ſcilicet ſingulare ejus beneficium erat, Judæos illic tanquam in ſolo natali & quieto domicilio habitare. Hunc locum Apoſtoli in tertio & quarto capite ad Hebræos, cum Prophetæ verbis breviter conferre operæpretium eſt. Quod Græcam verſionem ſequitur Apoſtolus, non debet videri abſurdum. neque enim ex profeſſo tractandum locum ſuſcipit, ſed tantum inſiſtit in adverbio Hodie, & in nomine Quietis. Primo igitur docet non reſtringi illud Hodie ad Legis tempus, ſed proprie aptari Evangelio, in quo

plenius

plenius loqui Deus cœpit. Doctrinæ autem perfectio plus attentionis jure poſtulat. Certe quum Deus loqui non ceſſaverit, ſed Chriſto patefacto quotidie nos ad ſe invitet, utendum eſt occaſione ut ejus voci obtemperemus. Secundo loco de requie ſubtilius diſputat quam ferant Prophetæ verba. Sumit enim hoc principium, Quum ſub pœnæ denunciatione incluſa ſit tacita promiſſio, meliorem requiem populo Dei promitti, quam in terra Chanaan. Poſtquam enim illuc ingreſſi fuerant Judæi, Deus ſpem novæ quietis Eccleſiæ ſuæ facit. Definit Apoſtolus noſtri abnegationem eſſe qua fit ut Deo in nobis operante feriemur ab operibus noſtris. Atque hac occaſione vetus & Legale Sabbathum quod umbratile tantum erat, cum ſpirituali vitæ novitate confert. Quum ſe *in ira juraſſe* dicit, docet ſe prope ad hanc pœnam infligendam fuiſſe coactum: acſi diceret, Non fuit hæc levis vel modica irritatio, ſed deteſtabilis eorum perverſitas iram mihi accendit quæ ſimul extorſit jusjurandum.

ARGUMENTUM PSALMI XCVI.

Exhortatio eſt ad laudandum Deum, quæ non ſolum ad Judæos dirigitur, ſed ad omnes Gentes. Unde colligimus, Pſalmum hunc ad regnum Chriſti referri: quia donec patefactus fuit mundo, non alibi quam in Judæa invocari potuit ejus nomen: & tunc quoad hoc pietatis officium, Gentes mutæ erant ac ſurdæ. Interim non dubium eſt quin ſub Lege fideles incitaverit Spiritus ſanctus ad canendas Dei laudes, donec Chriſtus omnes mundi angulos gloria ſua illuſtrans, illuc uſque extenderet veræ doctrinæ lucem.

PSALM. XCVI.

CAntate Jehovæ canticum novum, cantate Jehovæ omnis terra.	1 שירו ליהוה שיר חדש שירו ליהוה כל הארץ׃
2. Cantate Jehovæ, benedicite nomini ejus: prædicate de die in diem ſalutem ejus.	2 שירו ליהוה ברכו שמו בשרו מיום ליום ישועתו׃
3. Narrate in Gentibus gloriam ejus, in omnibus populis mirabilia ejus.	3 ספרו בגוים את כבודו בכל העמים נפלאותיו׃

C*Antate Jehovæ canticum novum.*] Docet exordium quod dixi, Prophetam non ſolos Iſraëlitas, ſed promiſcue totum orbem hortari ad teſtandam pietatem. Quod fieri non potuit donec per Euangelium Deus paſſim innotuit. Tenendum enim ſemper eſt illud Pauli, Quomodo invocabunt eum in quem non crediderunt? Et quum idem alibi Gentium vocationem probet hoc teſtimonio, Laudate Gentes cum populo ejus: ſequitur in laudum concentu eſſe fidei ſocietatem. Adde quod non vulgare vel uſitatum canticum, ſed novum requirit Propheta. Unde colligimus, ſermonem haberi de inſolita & extraordinaria Dei gratia. Quemadmodum Jeſaias, ubi de inſtauratione Eccleſiæ loquitur, quia incredibile erat miraculum, dicit, Cantate Domino canticum novum. Admonet igitur Propheta venturum eſſe tempus quo Deus inopinato more regnum ſuum eriget. Clarius iterum exprimit participes fore omnes populos gratiæ Dei, jubens ubique prædicari ejus ſalutem: & ſalutem hanc non eſſe caducam vel evanidam, ſed perpetuo vigere confirmat: quia vult de die in diem celebrari.

Rom. 10. verſ. 14.
Rom. 15. verſ. 10.
Jeſa. 42. verſ. 10.

3. *Narrate in Gentibus gloriam ejus.*] Aliis nominibus inſignit ſalutem illam, nempe gloriæ & mirabilium: acſi diceret, glorioſam fore & admirabilem. quibus epithetis eam diſcernit ab antiquis liberationibus: ut certe nobilius tunc & præſtantius quam antehac immenſæ tum bonitatis tum potentiæ ſuæ ſpecimen Deus edidit, quum apparuit toti mundo redemptor. Hæc vero ſalus, ut nuper attigi, Gentibus prædicari non potuit, ſi ejus fuiſſent expertes. Monemur autem his verbis, non aliter nos pro merito redemptionem à Chriſto partam ſatis agnoſcere, niſi ad incomparabile miraculum, quod in ea reſplendet, ſenſus noſtros attollimus.

4. Quia magnus Jehovàh & laudabilis valde, terribilis ipſe ſuper omnes deos.	4 כי גדול יהוה ומהלל מאד נורא הוא על כל אלהים׃
5. Quia omnes dii Gentium * vanitates: Jehovah autem cælos fecit.	5 כי כל אלהי העמים אלילים ויהוה שמים עשה׃
6. Fortitudo & decor coram eo, robur & decus in Sanctuario ejus.	6 הוד והדר לפניו עז ותפארת במקדשו׃

* vel, idola.

4. *Quia magnus Jehovah.*] Deſignat Deum illum, quem vult laudari, ne Gentes pro more in ſuis erroribus vagentur. Ergo ut totus mundus ſuperſtitiones abjiciat, ſeque conferat ad veram religionem, oſtendit unicum Deum omni laude dignum eſſe. Atque hoc magni intereſt: quia niſi hoc freno ſe cohibeant homines, quo plus operæ impendent ad laudandum Deum, eo magis eum ſpoliabunt ſua gloria. Itaque hic ordo tenendus eſt, ne temere Dei nomen profanemus: ſicuti faciunt increduli, falſos deos ornando quos ipſi fabricarunt. Nomen אלהים, tam de Angelis quam de idolis poteſt accipi, ut Pſalmo 95. verſ. 3. diximus. Sed ego in ſententia quam illic dixi, maneo, comprehendi ſcilicet omne numen quod eſt vel cenſetur: quia Deus per Angelos irradiat totum mundum, in illis refulgent Deitatis ſcintillæ. Jam homines dum idola fingunt, de nihilo ſibi deos comminiſcuntur. Docet igitur Propheta perperam falli qui vel Angelis affingunt immodicam gloriam, vel ſuis idolis, quæ eos abducat à vero & unico Deo. Diſerte poſtea Gentium dementiam refutat, quia vanitas ſit ac nihilum quicquid Deum appellant. Nam id Hebræis valet nomen אלילים quod contemptim ad idola transfertur. Summa eſt, quia non niſi in uno mundi opifice vera eſt ac ſolida Deitas, frivolas eſſe & ſtultas religiones quæ purum ejus cultum corrumpunt. Quæritur tamen an cenſeri nihilum aut vanitas debeant Angeli: quia multi in eis decepti ſunt, putantes deos eſſe. Reſpondeo, Angelis fieri injuriam dum in eos transfertur Dei majeſtas: neque tamen ideo redigi in nihilum eorum naturam, ſed quicquid imaginarium illis affingitur, nihilum eſſe. Quanquam de craſſis Gentium erroribus hic tantum agitur quæ ſibi deos audacter imaginatæ ſunt. Antequam vero earum commenta Propheta refelleret, prudenter dixit Deum eſſe magnum & laudabilem: hoc eſt, ſic excellere ut facile infinitas gloriæ ejus, quicquid de

de ſuis idolis ſomnient homines, abſorbeat. Notanda eſt etiam Prophetæ fiducia, ubi neglecto mortalium omnium conſenſu, veri Dei gloriam ſtrenue aſſerit. Magnum tunc & arduum certamen erat veris Dei cultoribus contra tantam turbam & congeriem ſuperſtitionum qua refertus erat totus mundus. Verus enim Deus in Judæa, quaſi in obſcuro receſſu, latebat. Jupiter ubique erat celeberrimus, tota Aſia, Europa, & Africa perſonabat ejus nomen. Quum unaquæque regio peculiares haberet deos, alibi tamen quoque famam obtinebant: ſolus verus Deus honore ſuo carebat. Tametſi ergo conſpiraverat totus mundus in mendacia, Propheta hic ex alto deſpicit quid ſentiant vel ſuis ſuffragiis probent cuncti mortales: quia eorum vanitas nihil derogat unius Dei gloriæ. Unde ſequitur, perverſe ex multitudinis conſenſu fieri de religione judicium: quia ſi vel hominum calculis ſtatueretur religio, vel penderet Dei cultus ex nutu hominum, concideret hæc Prophetæ ſententia. Ergo utcunque innumeri homines in errorem conſentiant, libere clamemus poſt Spiritum ſanctum, non poſſe eos minuere Dei gloriam: quia ut ipſi ſunt vanitas, ita vanum eſt ac fallax quicquid ab ipſis prodit. Jam ubi magnitudinem Dei aſſeruit, eam ſimul confirmat: quoniam in mundi fabrica relucet ejus imago. Nam quum proprium Dei ſit, à ſeipſo eſſe & ſua virtute ſtare: ſequitur commentitios eſſe omnes deos qui non ſunt mundi opifices. Cælos autem per ſynecdochen poſuit, quia illic magis conſpicua eſt Dei potentia pro modo ornatus & pulchritudinis.

6. *Fortitudo & decor.*] Quum הוד fortitudinem ſignificet, non videntur mihi interpretes probe conſideraſſe rationem contextus dum gloriam vertunt: nam certe in ſecundo membro, ejuſdem ſententiæ repetitio eſt: illic autem dicitur, *fortitudo & gloria in ejus Sanctuario.* His autem verbis ſignificat non poſſe Deum rite cognoſci quin reſplendeat in ipſo incomparabilis virtus & majeſtas. Potentiam vero & robur priore loco nominat quaſi materiam gloriæ. Et quia Deus per ſe inviſibilis eſt, fideles revocat Propheta ad Sanctuarium, quod ſymbolum fuiſſe præſentiæ ejus, alibi vidimus. Quia enim mentis noſtræ imbecillitas ad cæli altitudinem non conſcendit, Propheta admonet non eſſe nobis obſcuram ejus gloriam, quia præſentiæ ſuæ inſignia extare voluit in Templo, in ſacrificiis, in Arca fœderis. Cæterum quoties fit Dei mentio, diſcamus, gloriam hanc quæ in facie ejus refulget, animis noſtris concipere: quia mortuam potius eſſentiam imaginantur, quam vivam Deitatem, qui ejus potentiam ab eo ſeparant.

7. **Afferte Jehovæ congregationes populorum, afferte Jehovæ decus & robur.**	7 הָבוּ לַיהוָה מִשְׁפְּחוֹת עַמִּים הָבוּ לַיהוָה כָּבוֹד וָעֹז׃
8. **Afferte Jehovæ decus nominis ejus: tollite oblationem, & intrate in atria ejus.**	8 הָבוּ לַיהוָה כְּבוֹד שְׁמוֹ שְׂאוּ מִנְחָה וּבֹאוּ לְחַצְרוֹתָיו׃
9. **Adorate coram Jehovah in decore Sanctuarii, tremiſcite à facie ejus tota terra.**	9 הִשְׁתַּחֲווּ לַיהוָה בְּהַדְרַת קֹדֶשׁ חִילוּ מִפָּנָיו כָּל הָאָרֶץ׃

7. *Afferte Jehovæ congregationes populorum.*] Quum tunc Deum maneret laus in Sion, & locus ille ſacer eſſet ad celebrandum Dei nomen, ſola etiam Abrahæ poſteritas ſacerdotio ornata foret: non dubium eſt quin hic Propheta Eccleſiæ renovationem deſignet, quæ tandem contigit Chriſti adventu. Eſt igitur antitheſis inter veterem populum & Gentium familias, quæ tandem futuræ erant ejuſdem adoptionis conſortes. Porro *afferre gloriam & fortitudinem*, tantundem valet ac gloriam fortitudinis tribuere. Atque ut oſtenderet nihil afferre homines de ſuo, ſed Deum juſta laude impie fraudare niſi eum celebrent, adjungit poſtea *gloriam nominis ejus*, quo verbo ſignificat non aliunde eum mutuari, ſed penes eum reſidere quicquid laudis ſibi tribui poſtulat. Gentes etiam diſerte ad eundem cultum cum Judæis Deo præſtandum invitat: non quod externo ritu qui olim præſcriptus in Lege fuit, nunc colendus ſit à nobis Deus, ſed unam ſignificat fore regulam vel formam pietatis in quam conſentiunt omnes
Epheſ. 2. populi. Atqui niſi diruta fuiſſet maceria, fas non
verſ. 14. erat Gentibus communiter cum filiis Dei ingredi Sanctuarii atria. Clarum etiam vaticinium eſt de futura Gentium vocatione, quæ aggregari in ſacrum cœtum non poterant, donec purgata eſſet earum immunditie. Erat quidem ſpecies una tantum ſacrificii Minhah: ſed Propheta ſub ea complectitur totum Dei cultum, quia hæc magis ordinaria erat pietatis profeſſio. Patet autem ex hoc loco, ſicut ex pluribus aliis, ubi de regno Chriſti agunt Prophetæ, ſub ætatis ſuæ ſymbolis notare internum Dei cultum. Neque enim placentas ſibi Deus offerri voluit poſt Chriſtum exhibitum: ſed perinde eſt acſi diceret Propheta, fores Templi quæ olim clauſæ fuerant, apertum iri Gentibus. Quibus autem ſacrificiis nunc coli Deus velit, Apoſtolus breviter docet in Epiſtola ad Hebræos. Quo minus ferendi ſunt Papiſtæ dum hæc teſtimonia ad ſuam Miſſam vel alias nugas detorquent. Apte interea colligere ex hoc loco licet, veros Dei cultores vacuos ad ejus conſpectum non accedere: ſicuti jubemur, nos & noſtra Rom. 12.
omnia offerendo in ſacrificium, rationalem ei cultum præſtare. verſ. 1.

9. *Adorate coram Jehovah.*] Proſequitur adhuc eandem ſententiam. nam quod olim Deus oblationes exegit à populo ſuo, non id fecit quod hominum officiis indigeat, ſed ut fidem ſuam profiterentur. Docet igitur Propheta quorſum pertineat oblatio cujus meminit, ut ſcilicet proſternant ſe coram Deo fideles, ſeque totos & quicquid habent, teſtentur ejus eſſe. Ac iterum de Templi pulchritudine meminit, oſtendere volens, Gentes cooptandas eſſe in novum honorem, ut corpus unum cum electo populo efficiant. Id vero quo tempore compoſitus fuit Pſalmus, vulgo minime credibile fuit, profanas Gentes promiſcue cum ſancto genere Abrahæ admiſſum in Templum iri. Sed eo nobis teſtatior merito eſſe debet noſtra vocatio, quæ tunc monſtri loco habita fuit: quia certo nobis conſtat nonniſi divinitus apertam nobis fuiſſe ſalutis januam. Pulchritudinis autem nomine Templo reverentiam conciliat Propheta, ne temere proſiliant homines in conſpectum Dei, ſed metum & humilitatem afferant. Eodem pertinet clauſula verſus, *Contremiſcite à facie ejus:* ut reputantes quanta ſit Dei majeſtas, ſuppliciter coram eo ſe incurvent. Neque tamen terrere voluit Dei cultores ut fugaret ab ejus acceſſu: (quibus nihil dulcius vel jucundius eſſe debet quam ipſum quærere) ſed quia nos humiliari neceſſe eſt, ut vere & ſerio Deum colamus. *Pulchritudo* autem vel decor *Sanctuarii* non in argento vel auro, non in pretioſa materia, vel quadratis lapidibus, vel reliquo ſplendore & opulentia ſitus erat, ſed in imagine cæleſtis prototypi qui Moſi oſten- Exod. 25.
ſus fuerat in monte. verſ. 9.

10. Dicite

10. Dicite in Gentibus, Jehovah regnat. utique ſtabilietur orbis, non commovebitur: judicabit populos in rectitudinibus.

10 אמרו בגוים יהוה מלך אף תכון תבל בל תמוט ידין עמים במישרים׃

11. Lætentur cæli, & exultet terra, tonet mare & plenitudo ejus.

11 ישמחו השמים ותגל הארץ ירעם הים ומלאו׃

12. Exultet ager, & quicquid in eo eſt, ſimul jubilent omnes arbores ſylvæ

12 יעלז שדי וכל אשר בו אז ירננו כל עצי יער׃

13. Coram Jehovah: quia venit, quia venit ad judicandam terram: judicabit orbem in juſtitia, & populos in veritate ſua.

13 לפני יהוה כי בא כי בא לשפט הארץ ישפט תבל בצדק ועמים באמונתו׃

10. *Dicite in Gentibus.*] Iterum inculcat, non vigere Dei cultum niſi ubi ad regendum præſidet. Quamdiu enim ſolium Dei fuit in angulo Judææ, cultum ejus vere profiteri non poterant Gentes, quum imperio non parerent. Ergo regnum ejus Propheta ad ultimas mundi plagas extendit, ut ſub ejus auſpiciis in unum coaleſcant qui prius fuerant diſperſi. Et per verbum *dicite* ſignificat Deum verbo ſuo & doctrina propagari velle regni ſui fines. Notatu vero dignum eſt quod ſubjicit de *ſtabilitate orbis*. etſi enim ſcimus naturæ ordinem ab initio divinitus fuiſſe poſitum, eundem ſemper ſolem, lunam & ſtellas reſplenduiſſe in cælo, iiſdem alimentis quibus fideles ſuſtentatos fuiſſe incredulos, & eundem traxiſſe ſpiritum vitalem: tenendum eſt omnia eſſe confuſa, & horribilem ἀταξίαν inſtar diluvii mundum in tenebris demerſum tenere quamdiu impietas hominum animos occupat: quia extra Deum quid ſtabile eſſe poteſt? Non immerito igitur docet hic locus ſtabiliri orbem, ut amplius non nutet, ubi rediguntur homines ſub manum Dei. Unde etiam diſcendum eſt, quamvis ſuum officium peragant ſingulæ creaturæ, nihil tamen eſſe in mundo ordinatum, donec regiam ſedem ſibi Deus figat regendis hominibus. Quæ enim vaſtitas magis deformis eſt, quam ubi creator ipſe non agnoſcitur? Jam utcunque ſibi placeant increduli, ſemper tamen fluctuari neceſſe eſt, & vitam eorum pendere de filo, quia in Deo fundatus non eſt eorum ſtatus. Atque hic memoria repetere convenit quod vidimus Pſalmo 46. verſ. 6., Deus in medio urbis ſanctæ, ideo non commovebitur. Neque etiam diſplicet, quum adhuc omnia in Lege ſuſpenſa eſſent, oblique conferri cum illis præludiis plenum felicitatis ſtatum qui ſub Chriſto futurus erat. Poſtea regnum hoc, æquitatis plenum fore prædicit, ſicuti Pſal. 45. verſ. 7. vidimus, Virga rectitudinis, virga regni tui. *Judicandi* verbo quodvis regimen notatur apud Hebræos. Quod ſi Deo hic regnandi modus eſt, ut vitam hominum ad æquitatem formet ac componat, primo colligere licet, utcunque ſibi placeant homines, omnia tamen eſſe tortuoſa, donec eos Chriſtus ſibi ſubjiciat. Hæc autem rectitudo, non ad externas modo vitæ actiones refertur, ſed eſt interior cordis novitas, quia pendet à Spiritus regeneratione qua refingimur ad imaginem Dei.

11. *Lætentur cæli.*] Quo melius amplificet magnitudinem gratiæ Dei, ubi cunctos homines dignatur ſub manum ſuam colligere, ipſas quoque brutas creaturas, ſicut arbores, terram, mare, & cælos ad ſocietatem lætitiæ invitat. Neque enim metonymice de Angelis vel hominibus loquitur, quia mutos quoque piſces reſonare præ gaudio jubet. Hyperbolica igitur eſt loquutio, qua exprimit, nihil eſſe magis optabile vel beatum, quam ſub Dei fide eſſe. Interea ſignificat, Deum minime regnare more tyrannico vel formidabili, ſed plenam ſuavitatis & lætitiæ eſſe ejus poteſtatem. Nam quod expaveſcunt impii ſimulac erigitur Dei ſolium, hoc illis accidentale eſt. Cæterum talis eſt hyperbole quæ tamen ratione non caret: quia ſicuti nunc omnia elementa parturiunt ac gemunt nobiſcum, teſte Paulo, quia propter nos obnoxia ſunt corruptioni: *Rom. 8. verſ. 22.* ita non mirum eſt ſi ea exhilaret mundi inſtauratio ad quam anxie aſpirant. Ex hoc etiam loco quam furioſa ſit hominum lætitia colligimus ubi ſine Deo laſciviunt. In ultima clauſula clarius docemur, quamdiu abſcondita eſt nobis Dei facies, nullam veri gaudii ſcintillam nobis micare. Exultant (inquit) à facie Dei, quia venit. Quod ſi mare & terram occupat mœſtitia donec appareat Dei adventus: quid nobis futurum eſt, quibus proprie incumbit horribilis maledictio? Et quia res erat creditu difficilis, bis repetit Propheta, ſimulque definit rectitudinem illam quam nuper attigerat, quod ſcilicet Deus *juſtitia ſua & fide mundum gubernabit*. Unde ſequitur, nonniſi luce juſtitiæ Dei & veritatis, pravitatem & hypocriſin, quæ hominibus ingenitæ ſunt, diſcuti ac purgari.

ARGUMENTUM PSALMI XCVII.

Hic quoque Pſalmus deſcribit regnum Dei quale ſub Lege non extabat. unde ſequitur vaticinium eſſe de Chriſti regno quod per Evangelium repente illuxit. Cæterum Propheta Deum amplitudine & gloria ornat, quæ merito ad humilitatem cogat cunctos mortales. Deinde ut amorem & gratiam conciliet Dei regno, admonet non alio ſpectare, quam in hominum ſalutem.

PSALM. XCVII.

1. JEhova regnat, exultet terra, lætentur inſulæ * magnæ.

* *vel, multa.*

1 יהוה מלך תגל הארץ ישמחו איים רבים׃

2. Nubes & caligo in circuitu ejus, juſtitia & judicium locus ſolii ejus.

2 ענן וערפל סביביו צדק ומשפט מכון כסאו׃

3. Ignis coram facie ejus ambulabit, & exuret in circuitu inimicos ſuos.

3 אש לפניו תלך ותלהט סביב צריו׃

4. Illuxerunt fulgura ejus orbi, videbit ac tremiſcet terra.

4 האירו ברקיו תבל ראתה ותחל הארץ׃

5. Montes tanquam cera fluxerunt à facie Jehovæ, à facie Domini totius terræ.

5 הרים כדונג נמסו מלפני יהוה מלפני אדון כל הארץ׃

Jehova regnat.] Homines ad lætitiam invitans, ſatis declarat nunquam Deum regnare quin ſimul affulgeat ſalus & plena felicitas. Gaudium vero commune toti mundo faciens, adeoque tranſmarinis regionibus, ſignificat, regnum Dei quod tunc anguſtis Judææ finibus erat incluſum, longe fore amplius, quia ad Gentes uſque propagabitur. Proximis quatuor verſibus cæleſtem Dei gloriam ſuis inſignibus exornans Propheta, ad ejus reverentiam ſubigere voluit cunctos mortales. Nam proponitur in hunc finem formidabilis ejus majeſtas, ut faſtum & pravam carnis confidentiam ſub ſe proſternat ac conterat. Scimus in conſpectu nubili cæli plus eſſe terroris quam ſerena luce: quia obſcuritas ſenſus noſtros contrahit. Itaque Prophetam non dubito incutere hoc ſymbolo terrorem, quo magis reverenter Deum mundus exciperet. Alii ſubtilius exponunt, nubem eſſe in circuitu Dei, quæ temeritatem & audaciam humani ingenii compeſcat, ne in excutiendis ejus myſteriis plus æquo ſibi permittant qui nimium curioſi ſunt. Etſi autem continet ſenſus ille utilem doctrinam, quia tamen argutiis non oblector, retineo illud conſilium Prophetæ, quod fuliginoſo Dei conſpectu percellere velit corda hominum, ut tremiſcant. Quod etiam confirmat reliquus contextus, ubi dicit *ignem coram eo ambulare* qui hoſtes exurat, fulgura ejus concutere terram, adeoque montes liqueſacere. Siquis excipiat, non convenire hanc formidinem cum gaudio cujus nuper meminit: Reſpondeo primum, quamvis Deus ſolium ſuum erigendo, quantum in ſe eſt, beare omnes paratus ſit, non omnes tamen hujus beneficii capaces eſſe. Deinde tenendum eſt quod prius attigi, utilem hanc admonitionem eſſe fidelibus, ut projecta carnis altitudine, Deum ſuppliciter adorent. Solium vero ejus in *juſtitia* & *judicio* locans, regnum Dei à fructu quem inde percipimus, commendat: quia quum nihil miſerius ſit, quam ſine juſtitia & judicio vivere, laudem hanc ſpecialiter Deo vendicat Propheta, quod regnando, æquitatem ſolus in mundo reſtituat: ut certe exulat à nobis omnibus, donec Spiritu manſuetudinis Deus ad ſubeundum verbi ſui jugum nos flectit ac domat. Sed quia magna pars hominum pervicaciter imperium Dei rejicit & excutit, cogitur Propheta pingere ſeveram Dei faciem: ut doceat non impune ceſſuram impiis præfractam ſuam malitiam. Quia autem, niſi Deum ſibi appropinquantem reverenter & placide excipiant homines, duplicatur eorum impietas: jure hæc vindictæ denunciatio aptatur ad regnum Chriſti. Qui vero Deum in Filii ſui unigeniti perſona contemnunt, dicit Propheta eos tandem velint nolint ſenſuros quam tremenda ſit ejus majeſtas. Hoc enim intelligit verbo *videndi:* quia dum vident impii fruſtra ſe conari, veſano impetu contra Deum quærere incipiunt ſubterfugia & latebras. Propheta autem hac hebetudine conſequi poſſe negat ut ſe à Dei facie abſcondant.

6. Annunciaverunt cæli juſtitiam ejus, & viderunt omnes populi gloriam ejus.	6 הגידו השמים צדקו וראו כל העמים כבודו׃
7. Pudefiant omnes ſervi ſculptilis, qui gloriantur in * figmentis: adorent coram eo omnes dii.	7 יבשו כל עבדי פסל המתהללים באלילים השתחוו לו כל אלהים׃
8. Audivit & læta eſt Sion, & exultaverunt filiæ Juda propter judicia tua Jehova.	8 שמעה ותשמח ציון ותגלנה בנות יהודה למען משפטיך יהוה׃

* vel, idolis.

6. *Annunciaverunt cæli.*] Tam illuſtrem fore Dei juſtitiam affirmat, ut cæli quoque futuri ſint ejus præcones. Differt autem quod hic dicitur, ab illa ſententia Pſalmi 19. verſ. 2., Cæli enarrant gloriam, &c. quia illic docet tantum David in cælorum fabrica lucere imaginem ſapientiæ & potentiæ Dei: acſi eas Deus vocali teſtimonio aſſereret: hic vero ſpiritualem juſtitiam quam Deus manifeſtabit ſub regno Chriſti, tantam fore dicit ut cælos & terram impleat. Ac multum vehementiæ habet iſta proſopopœia quum cælos de juſtitia Dei loquentes inducit, acſi ad eos quoque penetraſſet ejus ſenſus. quanquam non minus probabilis erit metonymia vel ſynecdoche: ut ſit continens pro contento: atque ita reſpondebit proximo membro, ubi non terram ſed populos cælo confert. Optime autem convenit Angelis attribui partes ebuccinandæ vel celebrandæ gloriæ Dei.

7. *Pudefiant omnes.*] Hic Propheta, ſicuti proximo Pſalmo, verum Deum ab omnibus hominum figmentis aperte diſcernit, ne elogia quæ protulit, quiſque ad commentitiam Deitatem rapiat. Facile admittimus Deum laudari: ſed, ut ad ſuperſtitionem ſumus proclives, vix centeſimus quiſque continet ſe in puro Dei cultu: ſed ſimulac fit Dei mentio, labimur ad noſtra deliria. Et quamvis quiſque ſibi fingat peculiarem deum, in tam confuſa varietate nobis placemus. Hæc ratio eſt cur tam ſollicite Prophetæ, dum homines hortantur ad Dei cultum, ne falſos deos adorent, ſimul deſignant quiſnam ſit verus Deus. Sed in ordine Prophetæ hoc quoque notatu dignum eſt, non aliter evaneſcere pravas ſuperſtitiones, niſi dum obtinet vera religio. Nam quia pro ſenſus ſui tarditate ad verum Deum non perveniunt, neceſſe eſt eos in ſuis mendaciis errare: quæ ſola Dei cognitio diſcutit ac purgat, non ſecus ac ſol fulgore ſuo tenebras diſpergit. Ingenita eſt hominibus religio aliqua: ſed quia talis eſt non ſolum imbecillitas mentis noſtræ, ſed etiam cæcitas ac ſtupor, ut conceptum Deitatis ſenſum ſtatim depravet: hinc fit ut religio initium ſit omnium ſuperſtitionum: non id quidem ſua natura, ſed quia obtenebratæ ſunt hominum mentes, ut verum Deum ab idolis non diſcernant. Simul autem ac innotuit Dei veritas, fugandis & procul abigendis ſuperſtitionibus ſatis eſt efficax. Nam ſi ſol (ut diximus) quæcunque aërem offuſcant impedimenta abſorbet, quid non efficiet ipſe Dei conſpectus? Non mirum igitur ſi Propheta de regno Dei præfatus, profanis Gentibus inſultat, quæ in fictilibus gloriantur: ſicuti Jeſaias, ubi de exortu lucis Euangelicæ loquitur, *Jeſa. 19. verſ. 1.* mox addit, Tunc cadent omnia ſculptilia Ægypti. Porro quum Dei cognitio homines latuerit, ne miremur ſi tam variæ ſuperſtitiones mundum ab initio occupaverint. Quæ eadem ratio nunc quoque valet. nam apud Turcas, Judæos, & Papiſtas ſcimus extinctam eſſe veræ doctrinæ lucem. quare aliter fieri non poteſt quam ut obſtupefacti jaceant in ſuis erroribus: quia impoſſibile eſt, niſi agnito vero Deo, redire ad ſanam mentem, ut eos errorum pœniteat. Nam Propheta in verbo *pudefiant*, ſignificat tempus eſſe ut qui dediti fuerant ſuperſtitionibus, reſipiſcant, & ſe conferant ad verum unius Dei cultum. Non quod tangantur promiſcue omnes vera pœnitentia: (videmus enim hodie multos Lucianicos homines, excuſſis ſuperſtitionibus, meretriciam impudentiam induere) ſed Dei cognitio fructum hunc ex ſe profert, ut homines damnatis erroribus, ad Deum ſe convertant. Qui vero pervicaciter reſiſtunt Deo (ſicut hodie videmus multos in Papatu manere obſtinatos) non tamen dubium eſt eos intus proſterni, ut cum ſua contuma-

tumacia confuſi jaceant. Quum poſtea dicit, *adorent coram eo omnes dii*, quanquam proprie in Angelos id competit, in quibus relucet aliqua Deitatis particula, poteſt tamen improprie ad deos fictitios extendi: acſi dixiſſet, Quicquid habetur pro Deo, cedat, & ſe ſubmittat, ut emineat Deus unus. Atque hinc colligi poteſt vera definitio pietatis, quum ſcilicet verus Deus in ſolidum colitur, & ita unus eminet, ut nulla creatura ejus numen obſcuret: ac niſi velimus inter nos peſſundari veram pietatem, tenendum eſt hoc principium, Nequa creatura à nobis ultra modum evehatur.

8. *Audivit & lætata eſt.*] Quanquam prius commune gaudium fecerat toti mundo, nunc peculiariter electum populum appellat: primum quia ei oblatæ ſunt gaudii primitiæ: deinde ut tollatur omnis æmulatio & invidia. Quamvis ergo dixerit Gentes æquandas eſſe filiis Abrahæ, nunc addit, hac ſocietate nihil decedere Judæis: quin potius juſtam eſſe lætitiæ cauſam, quod Deus ex eorum fonte totum mundum irriget. Cæterum Propheta de legitimis tantum Abrahæ filiis loquitur, qui dupliciter gaviſi ſunt ubi Deus imperium ſuum & gloriam ab ortu ſolis uſque ad occaſum extendit: primo quia tunc Deus promiſſam redemptionem in ſolidum exhibuit in Chriſto: deinde quod Dei gloriam, quæ latuerat in Judæa, viderunt ubique diffundi. Nec parva fuit fidei confirmatio quum Gentes ſecundum vaticinium ſe benedicerent in ſemine Abrahæ: & religio quæ exoſa vel contempta fuerat, paſſim reciperetur. Sed cur potius audiſſe dicit quam vidiſſe? Reſpondeo, hoc verbo uſum fuiſſe Prophetam ob duas cauſas, nempe ut fideles antequam id completum eſſet, gaudium tamen ex ſpe jam conciperent: deinde ſignificat longe lateque ſpargendam eſſe Euangelii gloriam, ut eam fama potius quam intuitu cognituri ſint Judæi.

9. Quia tu Jehova excelſus ſuper totam terram, valde exaltatus es ſupra omnes deos.	9 כי אתה יהוה עליון על כל הארץ מאד נעלית על כל אלהים׃
10. Qui diligitis Jehovam, odio habete malum: cuſtodit animas manſuetorum ſuorum, è manu impiorum eripiet eos.	10 אהבי יהוה שנאו רע שמר נפשות חסידיו מיד רשעים יצילם׃
11. Lux ſeminata eſt juſto, & rectis corde lætitia.	11 אור זרע לצדיק ולישרי לב שמחה׃
12. Gaudete juſti in Jehova, & celebrate memoriam ſanctitatis ejus.	12 שמחו צדיקים ביהוה והודו לזכר קדשו׃

9. *Quia tu Jehova.*] Quia jam alibi expoſui verba, pluribus non inſiſtam. Solum notanda eſt comparatio inter Deum & Angelos ac quicquid eminet. Nam omnem altitudinem Propheta in ordinem ita cogit, ut penes unum Deum reſideat omnis majeſtas. Id autem tunc plenius contigit, dum in Filio ſuo unigenito apparuit Deus, qui viva eſt ejus imago. Sicuti enim prius obſcurior erat ejus notitia, ſic minus conſpicua fuit exaltatio.

10. *Qui diligitis Jehovam.*] Hic Dei cultores ad colendam integritatem hortatur, ſicuti etiam Paulus dicit, Diſcedat ab iniquitate quiſquis invocat nomen Domini. (2 Tim. 2. verſ. 19.) Probat igitur à natura Dei, nullos ab eo agnoſci vel cenſeri in numero ſervorum ſuorum, niſi qui à malitia diſcedunt, ut ſe addicant rectitudini. quia ſcilicet quum ſit fons omnis juſtitiæ, omnem iniquitatem odio habeat neceſſe eſt: quando ſeipſum abnegare non poteſt. ideoque hac lege nos ſibi devinctos tenet, ut nobis diſſidium ſit cum omni injuſtitia. Quoniam tamen hoſtium pravitas ſæpe nos ad vindictam ſollicitat, nec videmur ſalvi poſſe evadere niſi malis artibus: ut his tentationibus occurrat Propheta, pronunciat, Deum eſſe ſuorum cuſtodem. Nam qui ſub Dei tutela ſe agere perſuaſi ſunt, non certant cum improbis, neque retaliant acceptas injurias, viciſſim nocendo ſi læſi ſunt, ſed ſuam ſalutem fido ejus protectori commendant. Ita frenum nobis injicitur ne moleſtum ſit vel grave abſtinere à malitia, & ſervare puras manus, quamvis nos improbi laceſſant, ubi Deus animas noſtras in cuſtodiam recipere dignatur.

11. *Lux ſeminata eſt juſto.*] Confirmat proximam ſententiam, ac ſimul objectionem anticipat quæ contra afferri poterat. Videmus enim ſæpe juſtos male & indigne tractari acſi hoſtium libidini expoſiti forent. Reſpondet igitur Propheta, quamvis non ſtatim ſuos liberet Deus, arcana tamen virtute tueri eorum ſalutem. Ac duplex eſt metaphora in priore membro verſus. Nomine enim lucis lætitiam deſignat vel proſperum ſucceſſum (quæ loquendi ratio paſſim occurrit in Scriptura) ſicuti res adverſæ conferuntur tenebris. Poſterior metaphora in voce ſationis videtur aliquanto durior. Quidam dicunt ſeminari lætitiam juſtis, quemadmodum ſemen, quum projicitur in terram, emoritur vel latet aliquandiu occultum antequam germinet. Quam ſententiam tametſi non improbo, neſcio tamen an hic ſenſus ſimplicior ſit, Quamvis juſti vix locum in mundo inveniant, ſaltem non audeant in publicum prodire, & quaſi demerſi lateant, Deus tamen eorum felicitatem inſtar ſeminis longe lateque diſperget: vel lucem gaudii, quæ conſtricta eſt, producet. Secundum membrum verſus, exegeſis eſt prioris: *Lætitiam* enim pro luce ponit, & *rectos corde* pro juſtis. Atque hæc definitio juſtitiæ notanda eſt, quod ſcilicet non ſit externa larva, ſed ſinceram cordis integritatem requirat, ut non ſufficiat linguas, manus & pedes à maleficio continere, ſi cupimus coram Deo juſti cenſeri. Tandem ultimo verſu pios hortatur ad gratitudinem, ut ſcilicet perſuaſi Deum eſſe ſuum liberatorem, ejus gratiæ acceptam vitam ſuam referant: &, quicquid acciderit, contenti ſint ejus præſidio.

zed by Google

ARGUMENTUM PSALMI XCVIII.

Affinis eſt hic Pſalmo nonageſimo ſexto, nec modo ſimile eſt argumentum, ſed in verbis etiam conveniunt. Summa eſt, ubi propagata fuerit Dei cognitio per totum orbem, magis quam antehac conſpicuam fore ejus gloriam: tum quia Redemptore exhibito, plenior promiſſionibus generi Abrahæ datis effectus conſtabit: tum quia ſalus repente exorietur toti mundo: qua ratione jubet magnifice nomen Dei celebrari.

PSALM. XCVIII.

Pſalmus. Cantate Jehovæ canticum novum, quia mirabilia fecit, ſalutem peperit ei dextera ſua & brachium ſanctitatis ejus.

1 מזמור שירו ליהוה שיר חדש כי נפלאות עשה הושיעה לו ימינו וזרוע קדשו׃

2. Notam fecit Jehova ſalutem ſuam, in oculis Gentium revelavit juſtitiam ſuam.

2 הודיע יהוה ישועתו לעיני הגוים גלה צדקתו׃

3. Recordatus eſt bonitatis ſuæ & veritatis erga domum Iſraël: viderunt omnes fines terræ ſalutem Dei noſtri.

3 זכר חסדו ואמונתו לבית ישראל ראו כל אפסי ארץ את ישועת אלהינו׃

Cantate Jehovæ canticum novum.] Diximus his verbis notari exquiſitam & non vulgarem gratiarum actionem. Quod etiam ex ratione mox addita patet, nempe quia Deus mirabiliter & incredibili modo ſalutem ſuam in medium protulerit. Nam de miraculis loquutus, ea ſpecialiter ad ſummam unam reſtringit, quod Deus *ſalutem ſibi acquiſierit propria virtute.* Quibus verbis ſignificat non humanis mediis, vel ordine conſueto, ſed inaudito hactenus modo ſervatam fuiſſe Eccleſiam. Miraculum hoc pluribus verbis extollit Jeſaias cap. 59. verſ. 16., Reſpexit Deus an eſſet auxiliator: miratus eſt neminem eſſe qui intercederet. Itaque ſalutem ſibi fecit brachio ſuo, & ſe juſtitia ſua firmavit. Utroque loco brachium Dei ordinariis mediis opponitur: quæ tametſi nihil derogant potentiæ Dei, ejus tamen aſpectum quaſi vela quædam obſcurant, perinde eſt acſi dixiſſet Propheta, Non utetur Deus uſitatis modis ad ſervandum mundum, ſed prodibit ipſe in medium, ut appareat ſalutem hanc mirificum eſſe ejus opus. Merito igitur concludit, hanc admirabilem Dei bonitatem, & quæ incomprehenſibilis eſt humanis ingeniis, ſummis laudibus prædicandam eſſe. Secundo verſu idem clarius exponit, patefactam eſſe dicens *ſalutem & juſtitiam ejus Gentibus.* Quid enim minus ſperari potuit, quam in denſis illis tenebris ignorantiæ & cæcitatis repente exorituram eſſe lucem? & in profunda iniquitatum abyſſo, juſtitiæ locum fore? Quod autem ſalus, quæ effectus eſt juſtitiæ, priore loco ponitur, tametſi inverſus eſt ordo, id tamen rarum non eſt: nec abſurdum videri debet, ubi de beneficiis Dei habitus eſt ſermo, modum qui ordine præcedit, explicationis cauſa adjungi. Porro juſtitia Dei ex qua manat ſalus hominum, non in eo ſita eſt quaſi illis rependat quod meriti ſunt: ſed ſpecimen eſt bonitatis ejus, gratiæ, & fidei, ut alibi dictum eſt.

3. *Recordatus eſt.*] Poſtquam de generali revelatione ſalutis loquutus eſt, peculiarem Dei gratiam erga electum populum proprio elogio commendat. Etſi enim Gentibus ac Judæis communiter ſe Deus in patrem obtulit, à Judæis tamen exorſus eſt, ut eſſent quaſi primogeniti. Hæc enim Gentium gloria eſt, quod cooptatæ ſint ac inſitæ in ſanctam Abrahæ domum: & ex promiſſione Abrahæ facta, fluxerit communis totius mundi redemptio: ſicuti etiam dicit Chriſtus, Salus ex Judæis eſt. Quare merito dicit Propheta, Deum in mundo redimendo, *fidei*, quam dederat populo Iſraël, *recordatum eſſe.* Quibus etiam verbis docet, non alia cauſa inductum fuiſſe, niſi ut fideliter præſtaret quod fuerat pollicitus. Ac quo melius exprimat promiſſionem non in meritis vel juſtitia hominum fundatam eſſe, *bonitatem* priore loco nominat, deinde *fidem* adjungit quæ ex ea pendet. Summa eſt, Deum non exiiſſe extra ſe, ut loquuntur, ſed cauſam reperiſſe in gratuita ſua bonitate, & mero beneplacito, quod pridem Abrahæ & ejus poſteris teſtatum fecerat. Recordandi autem verbum, ad ſenſum hominum refertur: quia diuturna ſuſpenſio, quædam oblivio videri poterat. Siquidem à die promiſſionis, ultra duo annorum millia præterierant antequam exhibitus fuerit Chriſtus: & interim tot malis & cladibus ſubinde afflicti ſunt fideles, ut mirum non ſit anxie gemuiſſe acſi à ſpe videndæ & fruendæ redemptionis dejecti forent. Quod continuo poſt additur, *fines omnes terræ vidiſſe ſalutem* Dei, non tantum ad commendationem ſpectat, acſi dixiſſet memorabile fore ſalutis genus, cujus fama ad ultimos uſque terræ fines perveniret: ſed etiam ſignificat, Gentes quæ prius ſuis deliriis faſcinatæ fuerant, fore ejus participes. Joan. 4. verſ. 22.

4. Exultate Jehovæ omnis terra, reſonate, & exultate, & plaudite.

4 הריעו ליהוה כל הארץ פצחו ורננו וזמרו׃

5. Pſallite Jehovæ in cithara, in cithara & voce cantici:

5 זמרו ליהוה בכנור בכנור וקול זמרה׃

6. In tubis & voce buccinæ pſallite coram Rege Jehova.

6 בחצצרות וקול שופר הריעו לפני המלך יהוה׃

7. Reſonet mare, & plenitudo ejus: orbis, & qui habitant in eo.

7 ירעם הים ומלאו תבל וישבי בה׃

8. Flumina plaudant manu, ſimul montes exultent:

8 נהרות ימחאו כף יחד הרים ירננו׃

9. Ad conſpectum Jehovæ, quia venit ad judicandam terram: judicabit orbem in juſtitia, & populos in rectitudinibus.

9 לפני יהוה כי בא לשפט הארץ ישפט תבל בצדק ועמים במישרים׃

4. *Exultate.*] Repetit exhortationem qua initio uſus fuerat. quam ad Gentes dirigens, ſatis oſtendit unam fore Eccleſiam in toto mundo, ubi Deus diruta maceria, in eundem fidei conſenſum omnes colli-

colliget. In muſicis inſtrumentis alludit haud dubie ad temporis ſui morem. Interea noluit Gentes ceremoniis Legalibus obſtringere. Cæterum in verborum repetitione vehementia eſt: acſi dixiſſet, quamlibet ardenter conentur homines celebrare mundi redemptionem, nullas tamen laudes gratiæ magnitudini pares fore. Quod etiam ex ſequentibus melius patet, ubi rebus inanimatis ſenſum tribuit. Sed quia totus hic contextus alibi expoſitus fuit, nunc pluribus dicendis ſuperſedeo.

ARGUMENTUM PSALMI XCIX.

Pſalmus hic à ſuperioribus in uno differt, quod regnum Dei & beatitudinem quæ inde conſequitur, ultra Judææ fines non extendit: ſed potius ob adoptionis privilegium, filios Abrahæ à reliquis Gentibus ſeparans, illos peculiariter ad Deum laudandum exſtimulat.

PSALM. XCIX.

JEhova regnat, contremiſcant populi: habitans *inter* Cherubim, moveatur terra.

2. Jehova in Sion magnus, & excelſus ipſe ſuper omnes Gentes.

3. Confitebuntur nomini tuo magno, & terribili, ſanctum eſt.

4. Et robur Regis judicium diligit: tu ſtatuiſti rectitudines, judicium & juſtitiam in Jacob tu feciſti.

1 יהוה מלך ירגזו עמים ישב כרובים תנוט הארץ׃

2 יהוה בציון גדול ורם הוא על כל העמים׃

3 יודו שמך גדול ונורא קדוש הוא׃

4 ועז מלך משפט אהב אתה כוננת מישרים משפט וצדקה ביעקב אתה עשית׃

J*Ehova regnat.*] Tantum populos jubet contremiſcere quos prius ad lætitiam vocabat. Nam quia undique obſeſſi hoſtibus erant Judæi, operæpretium fuit Dei potentiam apud ipſos extolli, ut ſcirent illius præſidio ſe contra omnium odia & furores ſemper tutos fore. Verbum רגז, ut alibi vidimus, nunc contremiſcere, nunc iraſci Hebræis ſignificat: denique refertur ad quemlibet motum, ſive ex iracundia naſcatur, ſive ex timore. Itaque nunc intelligit Propheta, Deum in liberatione electi populi virtutem patefacturum quæ conturbet omnes Gentes, eaſque tandem ſenſuras quantopere inſanierint in ſuam perniciem. Dicitur enim regnare Deus, hominum reſpectu, dum ſe magnificis potentiæ documentis in ſublime attollit: quia dum opem ſuam occultat, audacius proterviunt increduli, acſi nullus eſſet.

2. *Jehova in Sion.*] Tenenda eſt illa cujus memini, antitheſis, Deum eſſe magnum in Sion ad perdendos & in nihilum redigendos Eccleſiæ ſuæ hoſtes. Quod autem addit continuo poſt *excelſum eſſe ſuper omnes populos*, non ita debet accipi quaſi præſideat in eorum ſalutem, ſed ut diſſipet eorum conſilia, conatus diſturbet, totum robur evertat. Jam quod de *celebrando Dei nomine* ſequitur, non pertinet ad omnes gentes, ſed tantum, meo judicio, gratitudinem à fidelibus requirit Propheta. Etſi enim confeſſionem extorquet Deus ab hoſtibus devictis, quia tamen ejus gloriæ obſtrepere non deſinunt, atque etiam blaſphemias evomere, illis non congrueret quod dicit, Confitemini nomini Dei quia ſanctum eſt. Fideles ergo proprie compellat, quos ad Dei nomen ſponte celebrandum cognitio ſanctitatis ejus incitat.

4. *Et robur Regis.*] Poſſet eſſe comminatio ad hoſtes terrendos: acſi diceret Deum fortitudine armatum eſſe ad ulciſcendas injurias: quia juſtitiam & æquitatem diligit. Sed malo hoc ad Eccleſiam referre; quod ſcilicet ea lege ſubſit Dei imperio, ut juſtitiam & integritatem colat. Non male etiam quadraret alius ſenſus, nefas eſſe imaginari tyrannicum in Deo imperium: quia perpetuus conſenſus ſit inter potentiam ejus & rectitudinem. Sed dum expendo totum contextum, non dubito, ubi Deum in Regis ſolio locavit Propheta, quin de modo regnandi nunc diſſerat. Nam addit *ſtatuiſſe rectitudines & æquitatem.* Quod tamen bifariam poteſt accipi, vel quod Deus in Lege ſua perfectam æquitatem populo ſuo mandaverit: vel quod juſtitiam ſuam & æquitatem ſemper approbaverit in fovendo & tuendo populo. Etſi autem veriſſimum eſt, in Dei operibus & judiciis ſemper refulſiſſe ſummam juſtitiam, videtur tamen probabilius de doctrina hoc intelligi, quod Deus qui juſtitiam amat, imperii formam inſtituerit in populo Iſraël, quæ optima eſſet probe juſteque vivendi regula. Ita verbum *facere* improprie ſumetur pro mandare vel præcipere. Niſi forte hoc poſtremum de ipſa Dei gubernatione ſeorſum accipere placeat: quod mihi non diſplicet. Nihil enim ad præſtandum Deo obſequium magis animat fideles, vel in ſtudio ſervandæ Legis confirmat, quam dum re ipſa experiuntur Deo ſe eſſe curæ: & quam à ſuis juſtitiam ſermone requirit, factis mutuo præſtare.

5. Exaltate Jehovam Deum noſtrum, & adorate ad ſcabellum pedum ejus: * ſanctus eſt.

* vel, *ſanctum.*

6. Moſes & Aaron in Sacerdotibus ejus, & Samuel inter invocantes nomen ejus: clamarunt ad Jehovam, & ipſe reſpondebat eis.

7. In columna nubis loquutus eſt ad eos, cuſtodierunt teſtimonia ejus, & ſtatutum quod dedit illis.

8. Jehova Deus noſter, tu reſpondiſti illis, Deus propitius fuiſti illis, & ultor ſuper opera eorum.

9. Exaltate Jehovam Deum noſtrum: & adorate ad montem ſanctitatis ejus, quia ſanctus Jehova Deus noſter.

5 רוממו יהוה אלהינו והשתחוו להדם רגליו קדוש הוא׃

6 משה ואהרן בכהניו ושמואל בקראי שמו קראים אל יהוה והוא יענם׃

7 בעמוד ענן ידבר אליהם שמרו עדתיו וחק נתן למו׃

8 יהוה אלהינו אתה עניתם אל נשא היית להם ונקם על עלילותם׃

9 רוממו יהוה אלהינו והשתחוו להר קדשו כי קדוש יהוה אלהינו׃

5. Exal-

Digitized by Google

5. *Exaltate Jehovam Deum.*] Exhortatio hæc ad ſolam Eccleſiam proprie dirigitur, ut Dei gratiam experta, eo ſe alacrius ad cultum pietatis addicat. Judæos ergo ad Deum, qui tam præclare illis opitulatus eſt, extollendum incitat, & jubet cultum in Lege mandatum offerre. Vocatur quidem ſæpe alibi Templum, Dei ſedes vel domicilium, vel requies, aut domus habitationis. Quod autem hic vocatur ſcabellum pedum ejus, optima eſt hujus metaphoræ ratio. voluit enim Deus ita habitare in medio populi, ut non teneret defixas mentes in externo Templo, & Arca fœderis, ſed ſurſum potius attolleret. Ergo domus vel habitationis nomen ad fiduciam valuit, quo familiariter pii omnes accedere ad Deum auderent, quem videbant ultro ſibi occurrere. Sed quia proclives ſunt hominum animi ad ſuperſtitionem, vitium hoc corrigi oportuit, nequid de ipſo Deo carnale vel terrenum conciperent, neque ſubſiſterent in externis ſignis. Propheta ergo Templum vocans ſcabellum pedum Dei, pios altius conſurgere jubet: quia immenſa ſua gloria cælum & terram replet. Hoc tamen modo admonet, non alibi quam in monte Sion legitimum Deo cultum præſtari. Nam ſtylum ita temperat, ut pias mentes ſupra mundum attollens, nihil tamen deroget ſanctitati Templi, quatenus locum illum in terra unicum elegerat Deus ubi invocaretur. Hinc videmus quam fruſtra poſt Auguſtinum, multi ſe torqueant, quomodo jubeat Propheta adorari ſcabellum pedum Dei. Subtilis eſt Auguſtini reſponſio, Si ad Chriſtum hominem reſpicimus, inquit, inventa eſt ratio qua pie adoretur ſcabellum Dei. Corpus enim aſſumpſit ex terra, in quo vult adorari: neque tamen aliud quam Deus adoratur in terra hac: quia & terra, Deitatis eſt habitaculum, & Deus ipſe terra fieri dignatus eſt. Hoc totum dictu quidem plauſibile eſt, ſed nihil ad Prophetæ mentem, qui diſcrimen ponere volens inter Legalem cultum (quem ſolum Deus probabat) & Gentium ſuperſtitiones, filios Abrahæ ad Templum tanquam ad vexillum evocat: ubi tamen ſpirituali modo colere Deum jubet, quia cæleſtem gloriam inhabitat. Nunc umbris abolitis, fateor non aliter rite Deum coli, niſi ubi nos recta ad Chriſtum conferimus, in quo habitat plenitudo Deitatis. Sed improprie & abſurde ſcabellum quis vocaret: quia hac loquendi forma docere Propheta voluit, Deum viſibili Templo minime incluſum eſſe, ſed quærendum eſſe ſupra omnes cælos, ſicuti toto mundo ſuperior eſt. Nimis putide vero hoc loco abuſi ſunt phrenetici Græcorum Epiſcopi in ſecunda Synodo Nicena, ut probarent Deum in ſtatuis & picturis adorandum eſſe. Cauſæ redditio antitheſin continet. nam Propheta nomen unius Dei ſanctificans, profanat omnia Gentium idola: acſi diceret, Quamvis ſuis idolis imaginariam ſanctitatem arrogent Gentes, ſunt tamen mera vanitas, abominatio, & ſterquilinia fœtoris plena. Alii vertunt, quia ſanctum eſt. ſed patebit ex fine Pſalmi, Prophetæ fuiſſe conſilium, hoc epitheto Deum ab omnibus idolis diſcernere.

6. *Moſes & Aaron.*] Hac nota commendat peculiarem gratiam qua Deus ſemen Abrahæ dignatus eſt, quod inde ſibi delegit Prophetas & Sacerdotes qui ad ſanciendum ſalutis fœdus quaſi intermedii ſponſores forent. Ac tres quidem nominat, qui primis temporibus excelluerunt. Moſes enim ad populum Deo conciliandum fuit quaſi ſtipulator: Aaron eodem functus eſt officio: poſtea Samuel eandem ſuſtinuit perſonam. Neque tamen dubium eſt quin ſub his tribus perſonis complexus ſit totum populum cum quo Deus fœdus pepigerat. Sed nominatim hos recenſet qui hujus incomparabilis theſauri fuerant depoſitarii & cuſtodes. Quod Moſen dicit fuiſſe in Sacerdotibus, poſſet videri abſurdum, quum ejus filii tantum fuerint inter vulgares Levitas, nec ipſe poſt Legem latam, ſummi Sacerdotii honorem unquam uſurpaverit. Sed quia כוהנים Hebræi primarios homines vocant, quales ſunt filii Regum: nihil impedit quominus Moſen hoc nomine inſignierit Propheta, acſi dixiſſet unum ex ſacris Eccleſiæ proceribus. Deinde ſi ad primam originem reſpicimus, Moſes certe, antequam Lex lata eſſet, ſummo Sacerdotio fuit præditus. Tenendum autem Prophetæ conſilium eſt, quod Deus non modo adoptaverit genus Abrahæ: ſed, quo certior eſſet fides fœderis, quoſdam voluerit eſſe Mediatores, quibus invocandi ſui nominis partes injunxit. Nam *invocatio* cujus meminit, non quælibet intelligenda eſt, ſed Sacerdotalis: nempe quia internuncii erant divinitus electi, qui totius populi nomine in Dei conſpectum prodirent, ac pro omnibus verba facerent. *Clamarunt ad*, &c. Apertius explicat quod jam dixi, Deum ſingularibus beneficiis ab initio proſequutum fuiſſe Abrahæ filios, idque gratuiti tantum fœderis reſpectu. Nam quotquot unquam in Judæos contulit beneficia, ex fonte illo manabant. Ideoque quoties experti ſunt Deum propitium, primæ illius gratiæ memoriam renovare illos oportuit. Diſerte etiam viſibile *columnæ nubis* ſymbolum commemorat Propheta, quo Deus teſtatam in omnes ætates ſuam præſentiam voluit: ſicuti temporalibus ſignis uſus eſt Deus non modo in eorum gratiam quibus exhibita fuerunt, ſed qui deinde ſequuti ſunt. Quamvis ergo Deus non ſemper columnam nubis obtulerit oculis veteris populi, quia tamen ea eſt hominum tarditas ut Dei præſentiam non ſentiant niſi admoniti externis ſignis, Propheta merito revocat Judæos ad memorabile hoc pignus: quia Deus Patribus in deſerto palam apparuerat, ut certo perſuaſi eſſent poſteri, eum ſibi quoque propinquum ſemper fore. Conſulto autem addit illos ſervaſſe teſtimonia Dei, ut alias ætates ſub eodem obſequio contineat.

8. *Jehova Deus noſter.*] Admonet fuiſſe exauditos, quia mutuus erat inter Dei gratiam & eorum pietatem conſenſus. Ergo ſequitur, eorum exemplo poſteros ſic debere Deum invocare, ut non modo ejus nomen in ſupremis labris reſonent, ſed ſincero affectu cuſtodiant ejus fœdus. Interea admonet, quod Deus non tam benigne & largiter gloriam ſuam illuſtrat omnibus ſeculis, hominum culpa id accidere: quia poſteritas ut plurimum à fide patrum vel deſciſcit, vel certe declinat. Nihil enim mirum, ubi refrigeſcit pietas in mundo, Deum quoque manum ſuam ſubducere, vel ſaltem non exerere tam illuſtri modo. *Deus propitius tu fuiſti.* Quod antehac de Moſe, Aaron & Samuele dixit, ad totum populum ſpectaſſe, ex his verbis clarius apparet. Et certe non ſibi privatim Sacerdotes ibi erant, ſed in communem populi ſalutem. Quare Propheta non incommode à tribus illis tranſitum facit ad reliquum populi corpus. Nam relativa neque ad tres perſonas reſtringo, neque de iiſdem hominibus præciſe interpretor, ſed potius ſtatum Eccleſiæ notari exiſtimo, quod ſcilicet Deus ad Sacerdotum ſuorum preces Judæis fuerit propitius, & tamen ſevere animadverterit in eorum peccata. Ab una enim parte celebrat Dei gratiam, quum tam indulgenter populum illum foverit, ac tam clementer pepercerit ejus delictis. Ab altera autem parte commemorat tremenda exempla, quibus ultus eſt eorum ingratitudinem, ut poſteri ſe ei obedienter ſubjicere diſcant. Semper enim tenendum eſt, quo liberalius nobiſcum agit Deus, eo minus ferre ut ludibrio ſit ejus liberalitas. In clauſula Pſalmi ſententiam repetit quam habuimus verſu quinto: ac pro ſcabello pedum ponit *montem ſanctitatis*: & quod propter brevitatem obſcurius ante dixerat קדוש הוא, nunc plenius explicat, *Sanctus Jehova*

Deus

Deus noſter. Vult enim, Deum non fortuito coli ab Iſraëlitis (ſicuti Gentium religio à ſola opinione pendebat) ſed ejus cultum in fidei certitudine fundatum eſſe.

ARGUMENTUM PSALMI C.

Inſcriptio vice argumenti ſufficere nobis debet: deinde ipſa brevitas longiorem ſermonem non poſtulat. Fideles autem proprie ad Deum laudandum invitat, quod eos ſibi elegerit in populum, & in ſuam curam ſuſceperit.

PSALM. C.

PSalmus ad laudandum. Exultate Jehovæ omnis terra:	1 מזמור לתודה הריעו ליהוה כל הארץ:
2. Servite Jehovæ in lætitia: venite in conſpectum ejus in exultatione.	2 עבדו את יהוה בשמחה באו לפניו ברננה:
3. Cognoſcite quod Jehova ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos, & non ipſi nos: populus ejus, & grex paſcuorum ejus.	3 דעו כי יהוה הוא אלהים הוא עשנו ולא אנחנו עמו וצאן מרעיתו:

EXultate.] Partem duntaxat cultus Dei attingit, quæ in reputandis ejus beneficiis & gratiarum actione ſita eſt. Quia autem promiſcue compellat totam terram, videtur Spiritu Prophetico ad tempus reſpexiſſe quo ex variis Gentibus colligenda erat Eccleſia. Jubet igitur in lætitia Deum coli: ſignificans ita beneficum eſſe erga ſuos, ut largam gaudii materiam eis ſuppeditet. Quod melius tertio verſu exprimit, ubi primo hominum audaciam caſtigat qui ſibi & plures deos & multiplices eorum cultus fingendo, perperam à vero Deo deſciverant. Quoniam ergo deorum turba obruit ac ſepelit veram unius Dei notitiam, ejuſque gloriam lacerat: merito admonet Propheta cunctos mortales, ut ad ſanam mentem reverſi, Deum ſuo honore ſpoliare deſinant: & eorum amentiam coarguit, quod non contenti uno Deo, in ſuis cogitationibus evaneſcant. Nam utcunque verbo fateri cogantur omnes, eſſe aliquem Deum cæli & terræ opificem, mox tamen ejus gloriam huc & illuc diſtrahunt. Atque hoc modo ipſa Divinitas, quantum in ipſis eſt, redigitur in nihilum. Quum ergo res ardui negotii ſit, retinere homines in puro Dei cultu, non abs re à conſueta vanitate Propheta mundum revocans, cognoſcere jubet quod Deus ſit Deus. Tenenda enim eſt brevis ejus notitiæ definitio, dum ſcilicet ei integrum relinquitur jus ſuum, nec opponitur ulla Deitas quæ ejus nomen obſcuret. In Papatu quidem relinquitur ei ſuum nomen: quia tamen ejus gloria in duabus ſyllabis minime incluſa eſt, certum eſt pro Deo non agnoſci. Sciamus ergo non ſtare rectum Dei cultum, donec correcta fuerit impia gloriæ ejus profanatio quam ſuperſtitiones ſecum afferunt. Poſtea ſingulare ejus beneficium prædicat, in quo reputando fideles præcipue ſuam operam vult conſumere. Videtur quidem hoc eſſe nimis vulgare, quod *Deus nos fecerit*: ſed ut taceam de communi ingratitudine, quod vix centeſimus quiſque ſerio vitam ſuam Deo acceptam refert, quamvis dum urgentur, non negent ſe de nihilo creatos eſſe, quiſque tamen ſibi Deus eſt, & ſeipſum adorat, dum arrogant omnes ſuis viribus quod Deus ſuum eſſe pronunciat. Deinde tenendum eſt, Prophetam non de communi creatione hic agere, ut alibi diximus: ſed de ſpirituali regeneratione qua imaginem ſuam in electis refingit. Solos ergo fideles hic Propheta docet eſſe opus Dei, non quatenus in utero formati ſunt homines, ſed quo ſenſu Paulus ad Epheſ. 2. verſ. 10. vocat eos *ποίημα* Dei, quia conditi ſunt ad bona opera quæ præparavit ut in illis ambulent. idque ex contextu melius liquet. Nam ubi dicit nos eſſe populum ejus & gregem paſcuorum ejus, ſpecialem certe gratiam notat, qua ſibi Deus in peculium ſegregavit filios ſuos, ut eos tanquam ſub alis foveat. Quod multo præſtantius eſt quam homines naſci. Jam ſiquis glorietur, ſe factum eſſe hominem à ſeipſo: quis non deteſtetur tam putidum ſacrilegium? Nec vero tribuere terrenis patribus hoc licet, quod nos propria virtute genuerint: quid enim efficeret putridum ſemen? Atqui non dubitant major pars ſpiritualis vitæ laudem ad ſe trahere. Quorſum enim tendunt liberi arbitrii præcones, niſi ut perſuadeant propria induſtria nos conſequi ut filii Dei ex filiis Adæ ſiamus? Atqui Propheta *populum Dei* nos vocando, gratuita ejus bonitate nos ſpiritualiter regenitos eſſe docet. Per *gregem* vero *paſcuorum* ſignificat eadem gratia nobis ſalvum manere uſque ad finem quod ſemel datum eſt. Poſſet etiam ſecus legi, Fecit nos populum ſuum, &c. ſed quia non mutatur ſenſus, retinui quod magis receptum erat.

4. Ingredimini portas ejus cum laude, atria ejus cum exultatione: celebrate eum, benedicite nomini ejus.	4 באו שעריו בתודה חצרתיו בתהלה הודו לו ברכו שמו:
5. Quoniam bonus eſt Jehova, in ſeculum miſericordia ejus, & uſque in generationem & generationem veritas ejus.	5 כי טוב יהוה לעולם חסדו ועד דור ודר אמונתו:

4. *Ingredimini portas.*] Clauſula exordio fere ſimilis eſt, niſi quod mentionem admiſcet Legalis cultus: quo tamen ſimpliciter admonet, non aliter rite defungi fideles in gratiis Deo agendis, niſi etiam in ſolenni pietatis profeſſione ſe exerceant. Interea Templi nomine ſignificat Deum nolle niſi ex Legis ſuæ præſcripto coli. Porro ut ſciamus aſſiduam nobis præberi materiam laudandi Dei, dicit *miſericordiam ejus* manere *in ſecula*, *veritatem* quoque *ejus perpetuam*. Quum ergo nobiſcum ita agere non deſinat, pluſquam turpe nobis eſſet in ſolvendo laudis ſacrificio defatigari. Cur veritatem adjungat miſericordiæ, alibi diximus. Nam, ut ſumus inſipidi, miſericordiam Dei, dum ſe palam exhibet, ne palpando quidem ſentimus, donec ſacrum os ſuum ad teſtandum nobis paternum amorem aperiat.

Digitized by Google

Argumentum Pſalmi CI.

David, quanquam nondum potiebatur regno, quia tamen Rex jam divinitus creatus erat, ſe comparat & accingit ad optimum gubernandi modum: neque ſolum hac pia meditatione ſe ad præſtandum regium munus exſtimulat, ſed votum Deo nuncupans, fidelem ſe ejus miniſtrum fore promittit, ut maturam impetret poſſeſſionem.

Pſalm. CI.

DAvidis Pſalmus. Clementiam & judicium cantabo, tibi Jehova pſallam.

2. Prudenter agam in via perfecta, * donec venias ad me: ambulabo in integritate cordis mei in medio domus meæ.

* vel, *quando venies ad me?*

3. Non ſtatuam coram oculis meis rem perverſam: opus declinantium odio habeo, non adhærebit mihi:

4. Cor pravum recedet à me, malum non cognoſcam.

5. Detrahentem clam proximo ſuo, hunc diſperdam: elatum oculis & largum corde, hunc *ferre* non potero.

א 1 לדוד מזמור חסד ומשפט אשירה לך יהוה אזמרה:

2 אשכילה בדרך תמים מתי תבא אלי אתהלך בתם לבבי בקרב ביתי:

3 לא אשית לנגד עיני דבר בליעל עשה סטים שנאתי לא ידבק בי:

4 לבב עקש יסור ממני רע לא אדע:

5 מלשני בסתר רעהו אתו אצמית גבה עינים ורחב לבב אתו לא אוכל:

C*Lementiam.*] Quod de cantu meminit, ſic intelligant lectores, profiteri hoc Pſalmo quod apud ſe meditatus erat, qualis ſcilicet Rex futurus eſſet ſimulac promiſſum ſolium foret adeptus. Cantare ergo clementiam & judicium, tantundem valet ac teſtari ſolenni verborum nuncupatione, ſe fore juſtum & æquum Regem. Auguſtinus ſubtiliter accipit, quod laudandus ſit Deus ſive homines ſevere puniat, ſive miſericordem ſe illis præſtet. Sed David hic non de arcanis Dei judiciis, ſed de legitima regni adminiſtratione concionatur, ut tam verbis quam factis ſuæ vocationi reſpondeat. Quum dicit, *tibi Jehova pſallam*, Dei beneficio ſe agnoſcit ad tam præclarum & honorificum munus eſſe deſtinatum: quia ſuperbæ temeritatis fuiſſet ultro ſe ingerere. Non abs re autem regias virtutes duabus his partibus complectitur, clementia & judicio: quia ſicuti præcipuum Regis munus eſt, ſuum cuique jus reddere, ita ſollicitus erga ſuos amor & humanitas in eo requiritur. Nec abs re dicit Solomo, Clementia ſtabiliri ſolium.

Prov. 16. verſ. 12.

2. *Prudenter agam.*] Hic ſignificat David probe ſe expendere quam difficile ſibi onus ſit impoſitum ubi Rex creatus eſt. Scimus, & experientia docet, omnes fere Reges ſuo ſplendore eſſe ebrios: nec proverbium illud temere olim in uſu fuit, Aut Regem, aut fatuum oportuit naſci. Male quidem interpretabantur, quia ſcilicet ut plurimum contingit eos qui rerum potiuntur, ſtultos eſſe & fatuos. Et certe notabilis eſt Dei vindicta, quod beſtiæ, & indigni qui cenſeantur in hominum numero, ſumma imperia ut plurimum occupent: ſed quamvis Reges non naſcantur ſtulti, eos tamen excæcat ſua dignitas, nequid ſe debere cogitent ſuis ſubditis, ut ſe inſolenter efferant, ſecure ſe demergant in ſuas delicias, tandemque ſui obliviſcantur. Prudenter ergo ſe acturum, vel, quod idem valet, ſummopere attentum fore prædicat: quia rara virtus eſt, eum qui omnia poteſt, ita eſſe temperantem, ut nihil ſibi licentiæ permittat. Qui ergo ſummo imperio præditus, non tentat male agendo quid poſſit, ſed ſeipſum frenat ſua modeſtia, vera intelligentia præditus eſt. Denique teſtatur, ſe aliis Regibus non fore ſimilem quos infatuat ſua dignitas: ſed pro magnitudine oneris curam ſe adhibiturum ut intelligenter munus ſuum impleat. Et notandum eſt quod prudentiam in *via perfecta* ſive rectitudine ſtatuit. Unde colligimus, ſecundum Deum minime ſapere tyrannos qui ingenium ſuum ad pravas aſtutias conferunt, novas artes quotidie excudunt onerandis & gravandis ſubditis: denique nonniſi ad nocendum acuti ſunt. Ut talis vafrities multis diſpliceat, certe hæc Regum cenſetur optima prudentia, & ſummis laudibus extollitur, ſi ad propagandos ſuos fines ſint attenti, & exquiſitis etiam artificiis polleant. Atqui non aliam ſibi prudentiam appetit David quam quæ ſit integritatis magiſtra. *Donec venias.* Duplex eſt lectio: quidam interrogative vertunt, quando venies? acſi peteret David non ſe differri in longiorem moram. Et certe juſta ei gemendi & expoſtulandi fuit ratio, quum tamdiu ſe inopia premi & miſere per diverſa exilia jactari videret. Præſtabat enim, ut ante homo pecuarius fuerat, ignobilem degere in tugurio patris, quam in Regem ungi, ut à patria ejectus, in ſummo dedecore & odio ageret. Ego tamen ſine interrogatione legere malo, uſquedum, vel quando. quod tamen ipſum paulo aliter interpretor quam pleriqne: nempe quod David quamvis adhuc maneat privatus homo, necdum ſibi promiſſo jure regio fruatur, ſectari tamen interea integritatem non differet. Senſus ergo eſt, Domine, quamvis longius me ſuſpenſum teneas, ego nihilominus integritati ſtudebo. Ita *medium domus ſuæ* palatio & publicis ædibus opponit: acſi diceret, intra privatos parietes.

3. *Non ſtatuam coram oculis.*] Poſtquam profeſſus eſt ſe in privata vita probitatis & juſtitiæ cultorem fore, ſicuti etiam bonos Principes hinc auſpicari decet: nunc addit, ſe in gerendo Principis officio hoſtem fore injuſtitiæ & ſceleribus. *Rem enim perverſam coram oculis ponere* tantundem valet ac ſibi proponere aliquid impie agendum. Averſum igitur ab omni ſcelere ſe fore pronunciat: ut certe nemo juſtus & æquabilis erit injuſtitiæ ultor, niſi qui ab ea penitus ex animo abhorret. Unde ſequitur, non præſtare officium Reges, niſi puri ſint ab omni pravo conſenſu. Quidam עשות ſimul contexunt, ſubaudientes literam ל, acſi dixiſſet, Non proponam mihi quicquam impie agendum: vel, Nulla pravitas mihi adlubeſcet, ut eam exequar. Sed alter ſenſus probabilior eſt, quod ubi teſtatus eſt David ſe nihil iniquitatis coram oculis ſuis paſſurum, mox ad confirmationem addat, ſe inimicum fore omnibus maleficiis. In poſtremo membro mutatio numeri eſt, ſi ad perſonas declinantium referas. Poteſt tamen de opere ipſo commode exponi: acſi dixiſſet, nullis impiis defectionibus ſe fore affinem.

4. *Cor pravum.*] Quod pravum cor nonnulli de perfidis hominibus accipiunt, tanquam coactum repudio. Deinde contextus reclamat. nam quum expoſitive mox addiderit, *malum non cognoſcam*, priore

priore membro haud dubie ſe immunem fore à perfidia & pravitate affirmat. Ac ſumma eſt, Davidem operam daturum ut ſibi caveat ab omni maleficio: & quid ſit proximis injuriam facere, neſciat.

5. *Detrahentem.*] Hoc verſu clarius diſſerit de Regis officio, qui gladio armatus eſt ad coërcendos improbos. Nam etſi merito bonis omnibus diſplicent obtrectatio, ſuperbia, & alia vitia, non eſt tamen eorum cujuſque è medio tollere ſuperbos vel obtrectatores: quia non ſunt inſtructi publica poteſtate, ſed manus habent ligatas. Atque hæc diſtinctio tenenda eſt, ut in modeſtia ſe contineant filii Dei, nec quiſquam vocationis ſuæ fines tranſiliat. Nam certe quamdiu privatus vixit David, nunquam auſus fuiſſet hoc tentare: ſed ſolio impoſitus, gladium ſumpſit è manu Dei quem ad ulciſcenda maleficia exereret. Species autem quaſdam deſignat, ut per ſynecdochen ſignificet ſe omnium ſcelerum fore vindicem. Peſtis apprime noxia eſt clancularia & furtiva detractio. perinde enim eſt acſi quis hominem per inſidias occidat: imo calumniator, non ſecus ac veneficus, incautos opprimit. Atque hoc ſignum eſt perverſæ & proditoriæ naturæ, ita lædere alterius famam ut non ſit defenſioni locus. Malum ergo hoc quia nimis paſſim graſſatur, & tamen minime eſt tolerabile in hominum vita, David ulciſcendum ſuſcipit. Superbos deinde duabus loquendi formis notat. *Altos oculis* vocat, non quod ſupercilia attollat quiſquis ſuperbus eſt: ſed quia ut plurimum elato vultu produnt ſuperbi animi ſui altitudinem. Vocat *latos corde*, quia inflatos eſſe & turgidos neceſſe eſt qui ad res magnas aſpirant. Nihil enim illis ſatis eſt niſi deglutiant totum mundum. Atque hinc colligimus, non vigere rectum ordinem, niſi Principes reprimendæ ſuperbiæ ſedulo invigilent, quæ ſecum neceſſario & ferociam & crudelitatem trahit, parit contumelias, rapinas, & quodvis injuriæ genus. Ita fiet ut ſimplices & quieti homines, potentiorum libidini expoſiti ſint, niſi oppoſita Principum auctoritas, eorum audaciam arceat. Jam quum velit Deus piis Regibus deteſtabilem eſſe ſuperbiam, certum eſt ei perinde exoſam eſſe. ideoque à filiis ſuis placidam manſuetudinem requirit, quia profeſſus eſt eorum omnium hoſtis qui emergere altius conantur quam ferat ipſorum conditio.

6. Oculi mei ad veraces terræ, ut habitent mecum: ambulans in via integra, hic miniſtrabit mihi.	6 עֵינַי בְּנֶאֶמְנֵי אֶרֶץ לָשֶׁבֶת עִמָּדִי הֹלֵךְ בְּדֶרֶךְ תָּמִים הוּא יְשָׁרְתֵנִי׃
7. Non habitabit in medio domus meæ faciens fraudem: loquens fallacias non ſtatuetur coram oculis meis.	7 לֹא יֵשֵׁב בְּקֶרֶב בֵּיתִי עֹשֵׂה רְמִיָּה דֹּבֵר שְׁקָרִים לֹא יִכּוֹן לְנֶגֶד עֵינָי׃
8. In matutinis perdam omnes impios terræ, ad exterminandum ex urbe Jehovæ omnes operarios iniquitatis.	8 לַבְּקָרִים אַצְמִית כָּל רִשְׁעֵי אָרֶץ לְהַכְרִית מֵעִיר יְהוָה כָּל פֹּעֲלֵי אָוֶן׃

6. *Oculi mei.*] Ponit aliam virtutem cordati Principis, ſibi fore curæ dicens, ut familiares ſibi reddat veraces terræ, eorumque utatur opera, & ut integros habeat miniſtros. Quidam generaliter accipiunt hanc particulam *ut mecum habitent*, hoc ſenſu, Non negligam bonos & innoxios: neque patiar injuſte vexari, ſed faciam ut tranquillo ſtatu mecum fruantur. Sed potius ſignificat ſibi delectum fore, ne promiſcue aſſumat hos vel illos, ſed prudenter, qualis ſit quiſque, diſcernat, ut conjunctiſſimos ſibi habeat qui integre vivunt, eoſque publicis muneribus præficiat. Ac *veraces* primo loco ponit: quia etiamſi quis virtutibus excellat, niſi tamen fidei & integritati ſit deditus, nunquam recte in judiciis verſabitur. Hoc autem notatu dignum eſt, quia licet optimus ſit Princeps, niſi tamen reſpondeant miniſtri, ejus innocentia vix ad ſubditos perveniet. Nam quum miniſtri ſint Principum manus, quicquid ille ſtatuerit, ſcelerate pervertent ſi avari ſint, vel fraudulenti, vel rapaces. quod plus ſatis experientia notum eſt. Major quidem pars Regum, præteritis bonis & integris, imo procul valere juſſis, data opera miniſtros appetunt ſui ſimiles, & ad tyrannidem ſuam appoſitos: ſed in bonis & moderatis hæc quoque mollities apparet, ut peſſimis conſiliis regantur, & publica munera inconſiderate proſtituant.

7. *Non habitabit.*] Poteſt hic verſus tam de aulicis omnibus qui publica judicia exercent, exponi, quam de miniſtris domeſticis. Sed quum nuper in genere de omnibus officiariis loquutus ſit, videtur nunc ſermonem proprie habere de cohorte regia. Nam hinc omnes corruptelæ: ſi primarii Regum amici, & alii familiares qui eorum aures occupant, fallaces ſint ac doloſi, ſuo exemplo quaſi ſignum licentiæ attollent. Et fieri non poteſt ut qui domum ſuam temperanter non continet, tenendis populi gubernaculis ſufficiat. Vileſcit enim in publico auctoritas quæ ne domi quidem gradum ſuum tenere poteſt.

8. *In matutinis.*] Tandem concludit præcipuam curam ſe adhibiturum ut terram purget improbis & ſceleratis hominibus. Dicit autem mane, quia ſi reſides ſint ac lenti Principes, non ſatis tempeſtivé occurrent ſanandis malis. Principiis ergo obſtandum: modo ne iracundiæ indulgeat Judex, vel ſe inconſiderate præcipitet. Plurali etiam numero notatur continua ſtrenuitas: quia non ſatis eſſet Judicem ſemel atque iterum pœnas de improbis ſeveré & acriter exigere, niſi in hanc curam perſeveranter intentus eſſet. Damnatur autem hac voce in Principibus ſegnities, ubi improbos videntes audacter ad peccandum ruere, vel metu vel indulgentia diem de die trahunt. Meminerint ergo Reges & Magiſtratus ſe gladio armatos eſſe, ut Dei judicia ſtrenue & mature exequantur. Non potuit quidem David purgare omnibus inquinamentis terram, quantumvis animoſe in eam rem incumberet: ſed tantum promittit ſe abſque ullius perſonæ reſpectu ſeverum fore judicem ad tollendos omnes impios. Judicibus autem ſæpe obſtat timiditas, ne ſatis viriliter malos protervientes compeſcant. Quare neceſſe eſt eſſe præditos ſpiritu invictæ magnitudinis, ut freti Dei auxilio, munus ſibi injunctum peragant. Deinde ambitio & gratia flexibiles eos reddit, ne æquabili tenore ſcelera ubi oportet puniant. Hinc colligimus quantopere placeat Deo ſeveritas quæ modum non excedit: & quam rurſus non probetur crudelis humanitas, quæ improbis habenas laxat: ſicuti nulla eſt major peccandi illecebra quam impunitas. Ideo tenendum illud Solomonis, Qui juſtificat impium *Prov. 17.*
& condemnat innocentem, uterque abominatio eſt *verſ. 15.*
Deo. Emphaticum etiam eſt quod addit, *ut noxios exterminem è civitate Dei.* Nam ſi profanis etiam Regibus communiter mandata eſt ſcelerum vindicta, ſciebat David ſanctiori vinculo ſe aſtringi, quum Eccleſiæ Dei præeſſet. Et certe qui tam honorificum locum obtinent, niſi conatus omnes ſuos conferant ad purgandas ſordes, quantum in ſe eſt polluunt Dei Sacrarium: nec ſolum erga homines infideliter ſe gerunt, bonorum ſalutem prodendo, ſed etiam in Deum ipſum ſunt ſacrilegi. Jam quum regnum Da-

vidis

vidis obſcura tantum fuerit regni Chriſti imago, ſtatuendus nobis eſt in medio Chriſtus, qui etſi patitur multos hypocritas, quoniam tamen futurus eſt mundi judex, vocabit tandem omnes ad rationem, & ſegregabit agnos ab hœdis. Quod ſi videtur longiorem moram facere, cogitandum nobis eſt de aurora illa quæ repente exurget, ut ſordibus purgatis vera puritas refulgeat.

ARGUMENTUM PSALMI CII.

Videtur hæc precatio fuiſſe dictata fidelibus quum in exilio Babylonico languerent. Primum autem mæſti & ſupplices, de ſuis afflictionibus queruntur. Deinde Urbis ſanctæ & Templi reſtitutionem Deo commendant. Et quo majore fiducia concipiant ſuas preces, promiſſiones Dei commemorant de felici tam Regni quam Sacerdotii renovatione: nec tantum liberationem ſibi promittunt ab exilio, ſed etiam precantur ut Deus Reges & populos ſub obſequium ſuum cogat. Tandem interpoſita rurſus brevi querimonia de triſti & afflicto ſuo ſtatu, ſolatium petunt ex Dei æternitate: quia ſervos ſuos in ſpem meliorem adoptans, à communi hominum ſorte ſegregavit.

PSALM. CII.

PRecatio afflicto, quando conſtrictus erit, & coram Jehova effundet meditationem ſuam.	1 תפלה לעני כי יעטף ולפני יהוה ישפך שיחו:
2. Jehova audi precem meam, & clamor meus ad te veniat.	2 יהוה שמעה תפלתי ושועתי אליך תבוא:
3. Ne abſcondas faciem tuam à me in die afflictionis meæ: inclina ad me aurem tuam, in die quo clamo feſtina, reſponde mihi.	3 אל תסתר פניך ממני ביום צר לי הטה אלי אזנך ביום אקרא מהר ענני:

PRecatio.] Quiſquis ex Prophetis fuerit auctor Pſalmi, certum eſt, eum dictaſſe precandi formam pro Templi & Urbis reparatione. Quod reſtringunt quidam ad tempus quo impediebatur à vicinis gentibus Templi ædificatio, mihi non placet: potius exiſtimo ante reditum populi, quum jam inſtaret promiſſæ redemptionis tempus, compoſitum fuiſſe Pſalmum. Tunc enim cœperunt Prophetæ magis erigere piorum animos, juxta illud vaticinium Jeſaiæ, Conſolamini, conſolamini populum meum, dicet Deus veſter. Conſilium autem Prophetæ fuit non modo animare populum ad fiduciam, ſed curam & ſollicitudinem injicere pro Eccleſiæ ſalute. Inſcriptio oſtendit in quem uſum & finem deſtinatus fuerit Pſalmus. Nam qui in præterito tempore vertunt, Oratio afflicto dum fuit conſtrictus, & effudit ſuam meditationem: videntur male ſenſum reddere. Quin potius voluit eorum anxietati ſuccurrere quorum videbat collapſos animos: acſi diceret, Quamvis eos conſtringat mœror & deſperatio, eſſe tamen adhuc precandi locum. Quidam verbum עטף vertunt, dum ſe abſcondet: ac putant metaphorice exprimi geſtum precantis, dum præ mœrore faciem erigere non ſuſtinens, quaſi in ſinum ſe revolvit & implicat. Mihi autem videtur concinna eſſe alluſio, dum ab una parte, anguſtiæ animi & conſtrictio ponuntur: ab altera autem, precationum effuſio: ut ſciamus adeo non claudi januam precibus noſtris dum contracti dolore, lucem & conſpectum hominum fugimus, ut tunc vere opportunum ſit tempus orandi: quia hæc unica curis noſtris levatio eſt, dum libere corda noſtra effundere licet coram Deo. Verbum quidem שיח ſæpe capitur pro orare: ſed quia ſignificat meditari, nomen ex eo deductum hic proprie eſt meditatio. Notandum eſt præterea, his verbis admonitos fuiſſe Iſraëlitas quomodo animis compoſitos eſſe deceret dum conciperent hanc precandi formam: acſi diceret, non aliis ſe eam præſcribere niſi quos angebat Eccleſiæ clades.

Jeſ. 40. verſ. 1.

2. *Jehova audi.*] Hæc vehementia iterum oſtendit non dictata fuiſſe verba quæ ſecuri & hilares effunderent. quod factum non fuiſſet abſque craſſo Dei ludibrio. Teſtantur enim ſic loquendo, ſe diros cruciatus perferre, & ardere ingenti deſiderio obtinendæ levationis. Quare hæc verba ore nemo reſonare poterat, quin profanaret Dei nomen, niſi accederet ſerius animi affectus. Et circumſtantia quam dixi notanda eſt, nos à Spiritu ſancto ita expergefieri dum pro communi Eccleſiæ ſalute orandus eſt Deus. Nam quum privatim ſibi curam quiſque gerat, vix centeſimus quiſque Eccleſiæ malis, ut par eſt, afficitur: quo magis ſtimulis opus eſt, ſicuti Prophetam videmus multa verborum congerie frigus & tarditatem corrigere. Cordis (fateor) partes eſſent linguam movere, & dirigere ad precandum: ſed quia ſæpe flacceſcit, vel lente & pigre munus ſuum exequitur, linguæ adminiculo opus habet. Eſt hic igitur aliquid reciprocum: quia ſicuti cor præire verba debet ac formare, ſic & lingua ipſa cordis torpori opitulatur. Fieri quidem ſæpe poterit ut fideles orent non tantum ſerio, ſed etiam ardenter, nec tamen ulla vox ab ore exeat: non tamen dubium eſt quin per clamorem intelligat Propheta vehementiam, ad quam erumpere cogit dolor.

3. *Ne abſcondas.*] Quod rogant ne faciem ſuam abſcondat Deus, non eſt ſupervacuum. Nam quum jam per annos ſeptuaginta fere contabuiſſet in exilio populus, averſus poterat videri Dei favor. Sed in extrema afflictione jubentur tamen ad preces confugere tanquam ad unicum remedium. Dicunt enim ſe clamare *in die afflictionis*, non ut ſolent hypocritæ, qui fremendo tumultuantur: ſed quia ſe à Deo tunc vocari ſentiunt. *Feſtina, reſponde.* Quia de his loquutionibus alibi fuſius fuit dictum, nunc breviter tenere ſufficiat, Deum ubi permittit nobis infirmitates proprias ſine pudore coram ſe detegere, & ineptias noſtras ſuſtinet, pluſquam indulgenter nobiſcum agere. Certe coram eo querulari ut pueri ſolent, ejus majeſtate minime dignum eſſet, niſi hanc licentiam ultro concederet. Libenter utor hoc nomine, ut ſciant infirmi qui ad Deum accedere trepidant, tam comiter ſe invitari, nequid à familiari acceſſu eos retardet.

4. Quia conſumpti ſunt ut fumus dies mei, & oſſa mea quaſi focus exuſta ſunt.	כ 4 כי כלו בעשן ימי ועצמותי כמוקד נחרו:
5. Percuſſum eſt tanquam herba & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum.	ש 5 הוכה כעשב ויבש לבי כי שכחתי מאכול לחמי:

6. A voce

Digitized by Google

6. A voce gemitus mei adhæſerunt oſſa mea carni meæ.

6 מקול אנחתי דבקה עצמי לבשרי:

7. Similis factus ſum pelicano deſerti, fui quaſi bubo ſolitudinum.

7 דמיתי לקאת מדבר הייתי כבוס חרבות:

8. Vigilavi, & fui quaſi paſſer ſolitarius ſuper tectum.

8 שקדתי ואהיה כצפור בודד על גג:

4. *Quia conſumpti ſunt.*] Sunt quidem hyperbolicæ loquutiones, ſed quæ tamen vere exprimunt quam graviter pios animos ſauciare debeat Eccleſiæ deſolatio. Atque in hac parte ſeipſum quiſque diligenter examinet. Niſi enim Eccleſiam præferimus aliis omnibus curis, indigni ſumus qui cenſeamur inter ejus membra. Et quoties occurrunt iſtæ loquendi formæ, ſciamus nobis exprobrari noſtram ignaviam, quia Eccleſiæ incommodis minus afficimur quam decebat. Dies ſuos *fumo* comparat: oſſa autem, foci lapidibus, quos temporis ſucceſſu ignis tandem abſumit. Per *oſſa* vero intelligit quicquid eſt roboris in homine. Et certe niſi ſenſu carerent, fieri non potuit quin illud triſte ſpectaculum iræ Dei ſiccaret eorum oſſa, totumque vigorem abſumeret.

5. *Percuſſum eſt.*] Sequitur tertia ſimilitudo, ubi dicit cor ſuum inſtar herbæ percuſſæ eſſe emarcidum, ac prorſus aridum. Plus autem quiddam exprimere voluit Propheta, quam ſi dixiſſet cor ſuum eſſe areſactum, & oſſa ad ſiccitatem redacta: nempe ſicut herba quum ſecatur, non amplius poteſt terræ ſuccum haurire, nec rêtinere quem à radice vigorem trahebat, ſic intelligit cor ſuum quaſi evulſum vel reſectum, naturalibus fomentis deſtitui. *Oblitus ſum comedere.* Hoc eſt, tantus fuit mœror, ut neglexerim ordinarium cibum. Edebant quidem in exilio fideles: & hoc fuiſſet impiæ deſperationis ſignum, inedia ſe conficere: ſed intelligit ſe mœrore conſtrictum reſpuiſſe omnia oblectamenta, ut etiam cibo & potu ſe fraudaret. Quanquam autem ſolitum victum omittunt fideles, dum voluntario jejunio iram Dei ſuppliciter deprecantur: non tamen de hac inediæ ſpecie nunc loquitur Propheta, ſed quam affert major vis triſtitiæ una cum ciborum faſtidio & tædio rerum omnium. Tandem addit corpus fuiſſe quaſi tabidum, ut oſſa cuti adhæreſcerent.

7. *Similis factus ſum.*] Pro nomine *pelicani*, alii onocrotalon, alii cuculum ponunt. pro bubone Græcus interpres nycticoracem reddidit. Sed quia aves ſunt Judæis quoque incognitæ, ſimpliciter tenere ſufficiat, notari hoc verſu funeſtas aves, quæ in latebroſis montibus ac deſertis habitant, quarum adeo amœnus & ſuavis cantus non eſt, ut horrorem potius incutiat: acſi diceret, ſe ab hominum conſuetudine remotum ſimilem prope fuiſſe beſtiæ ſylveſtri. Et certe quamvis degerent fideles in regione culta & fertili, certum tamen eſt totam Chaldæam & Aſſyriam inſtar deſerti illis fuiſſe, quum Templum & patria unde ejecti erant, obſtrictas teneret eorum mentes. Tertia ſimilitudo à paſſere ſumpta, luctum inquietudinis plenum denotat. Etſi enim צפור quamlibet avem ſignificat, hic tamen non dubito pro paſſere accipi. Solitarium autem vocat, quia viduatus ſit compare. Scimus autem aviculas illas tam impatienter viduitatem ferre, ut fere luctum omnem ſuperent.

* vel, Toto die.

9. * Quotidie exprobrarunt mihi inimici mei: & inſanientes in me per me jurarunt.

9 כל היום חרפוני אויבי מהוללי בי נשבעו:

10. Quia pulverem tanquam panem comedi, & potum meum cum fletu miſcui

10 כי אפר כלחם אכלתי ושקוי בבכי מסכתי:

11. A facie indignationis tuæ & iræ tuæ: quia extuliſti me, & projeciſti me.

11 מפני זעמך וקצפך כי נשאתני ותשליכני:

12. Dies mei tanquam umbra inclinata, & ego tanquam herba arui.

12 ימי כצל נטוי ואני כעשב איבש:

9. *Quotidie.*] Hac circumſtantia ſibi miſericordiam conciliant fideles, quod hoſtibus ſuis non tantum ſint ludibrio, ſed etiam execrationi. De hac ergo indignitate conqueritur Propheta, quod electo Dei populo impii tam probroſe inſultent, ut etiam mutuentur ex ejus cladibus jurandi formulam. Hoc autem fuit Judæos ſumere quaſi inſigne maledictionis exemplar. Hodie vero quum peræque ſibi frena laxent impii ad petulantiam, diſcamus his armis nos munire, quæ hoc tentationis genus quamlibet aſperum ſuperent. Nam Spiritus ſanctus hanc precandi formam dictando, teſtari voluit, Deum talibus contumeliis moveri ut ſuis ſuccurrat, quemadmodum habetur apud Jeſaiam, Quem probris affeciſti? & cui convitiatus es? contra quem exaltaſti vocem? nempe contra ſanctum Iſraëlis. Dixerat autem proximo ante verſu, Deſpexit te filia Sion: ſuper te concuſſit caput, filia Jeruſalem. Hæc certe inæſtimabilis eſt conſolatio, protervia hoſtium noſtrorum magis accendi Deum, ut ſe ad opem nobis ferendam accingat. Secundo membro crudelitatem hoſtium magis exprimit, *furere* eos dicens. Quum autem verbum הלל ſignificet ut plurimum laudare, poſſet per antiphraſin ſumi, Qui me vituperant. Sed præſtat ſequi quod uſu magis receptum eſt.

Jeſa. 37. verſ. 23.

Quod autem exiſtimant quidam vocari inſanos, qui ſuam amentiam prodebant, ut conſtaret re ipſa nihili eſſe homines, imo quaſi fæcem & quiſquilias, videtur nimis detortum. Sufficiat igitur ſenſus ille, quod fideles ſævitiæ vel furioſi odii accuſent maledicos.

10. *Quia pulverem.*] Quidam inverſum eſſe ordinem putant, ac notam ſimilitudinis כ præpoſitam nomini לחם debere præfigi nomini אפר: acſi dictum eſſet, Ego in pane meo nihilo plus reperio ſaporis quam in pulvere. quia ſcilicet ciborum faſtidium generet cordis mœſtitia. Sed ſimplicius eſt, *pulverem comediſſe loco panis*, qui humi proſtrati jacerent; ut quaſi terram lingerent. Scimus enim ſolemne fuiſſe lugentibus, pronos in terra jacere. Quanquam aliud dicere voluit Propheta: nempe, quum cibum ſumeret, non fuiſſe menſam appoſitam, ſed panem ſordide fuiſſe in terra projectum. Ergo in perſona fidelium dicit, ſe ita fuiſſe terræ affixum, ut ne cibi quidem ſumendi gratia inde ſurrexerit. Quo etiam ſpectat poſterius membrum, *potum cum fletu miſcere.* Nam quum mœrorem cohibere pauliſper ſoleant qui lugent, dum ſe reficiunt cibo, dicit Propheta nihil ſibi fuiſſe intermiſſionis à luctu. Quidam in priore membro non

legunt,

legunt, ſicut panem: ſed, in pane: & quum magna ſit affinitas inter כ & ב, mihi magis probatur lectio illa, quia melius ſecundo membro reſpondet.

11. *A facie indignationis.*] Jam exprimit Propheta triſtitiæ magnitudinem non ſimpliciter ex incommodis vel ærumnis ortam fuiſſe, ſed ex pœnæ divinitus inflictæ ſenſu. Et certe nihil eſt quod tam graviter nos vulnerare debeat, quam ubi ſentimus Deum nobis infenſum. Huc ergo ſpectat Prophetæ ſermo, Domine non tantum quæ profanis hominibus venirent in mentem reputo, ſed ſenſum potius meum converto ad iram tuam: quia niſi nobis adverſus eſſes, potiremur hæreditate abs te data, unde nos merito furor tuus expulit. Eſt autem utilis admonitio, quum nos manu ſua Deus percutit, non tantum ad ictus ingemiſcere, ut ſolent ſtupidi homines: ſed præcipue cauſam expendere, ut ſerio humiliemur. Poſterius membrum duplicem ſenſum admittit. quia enim in ſublime attollimus quæ volumus durius ad terram allidere, poſſet violenta dejectio notari his verbis, Tu me alto & præcipiti jactu fortius contriviſti, quam ſi è gradu dejectus forem. Sed videtur eſſe alia doloris amplificatio. quia enim nihil acerbius eſt quam ex beato ſtatu detractos, in ultimas miſerias conjici, Propheta hic dolenter conqueritur privatum fuiſſe Dei populum præclaris beneficiis quibus olim ornatus fuerat, ut ipſa beneficiorum Dei memoria, quæ ad ſolatium valere debuerat, magis exaſperet dolorem. Nec vero hoc fuit ingratitudinis, trahere in materiam luctus præterita Dei beneficia, quum agnoſcerent ſua culpa ad miſeram & fœdam nuditatem redactos ſe fuiſſe. Neque enim Deum oblectat mutatio, ut poſt brevem ſuæ bonitatis guſtum nos ſtatim fruſtretur: ſed quemadmodum inexhauſta eſt ejus bonitas, ſic perpetua in nos flueret ejus benedictio, niſi ejus curſum abrumperent noſtra peccata. Quod ergo beneficiorum Dei recordatio dolores noſtros lenire debet, id non obſtat quominus magis nobis doleat ex alto cecidiſſe, dum apparet nos provocaſſe iram Dei, ut benignam & beneficam manum à nobis retraheret. Sic dum reputamus, imaginem Dei quæ in Adam conſpicua erat, fuiſſe fulgorem cæleſtis gloriæ: ex oppoſito autem nobis occurrit pudenda fœditas, quam nobis in ſignum iræ ſuæ Deus inuſſit: fieri certe nequit quin acerbius nos vulneret iſta comparatio. Ergo quoties Deus ornamentis quæ contulerat, nudatos quaſi proſtituit ad opprobrium, diſcamus ideo majorem nobis eſſe lugendi cauſam, quia lucem culpa noſtra convertimus in tenebras.

12. *Dies mei tanquam umbra.*] Scimus, dum ſol capitibus noſtris imminet, in ipſo ſcilicet meridie, non perſpici tam ſubitas mutationes umbrarum: ſed ubi vergere ad occaſum incipit, ſingulis fere momentis variant umbræ. Hæc ratio eſt cur diſerte *umbram inclinantem* nominet. Etſi autem videtur hoc commune eſſe cunctis mortalibus quod in perſonam afflictæ Eccleſiæ Propheta confert: ſpecialis tamen hæc ratio in calamitate exilii valuit. Verum quidem eſt, ſimulac vergimus ad ſenium, exiguo tempore nos collabi: ſed id Propheta etiam in medio ætatis flore populo Dei accidiſſe conqueritur. Dierum enim nomine totum vitæ curriculum deſignat: acſi diceret exilium piis fuiſſe quaſi Solis occaſum, eo quod celeriter conciderent. Tandem repetit ſimilitudinem *herbæ areſactæ*, qua nuper uſus fuerat, ſignificans vitam in exilio fuiſſe mœroribus implicitam, qui ipſum vitalem ſuccum exurerent. nec mirum, quum centum mortibus deterior eſſet illa vivendi conditio, niſi ſpe futuræ redemptionis ſuffulti fuiſſent. Etſi autem non fuerunt prorſus tentatione obruti: non tamen levem triſtitiam concipere oportuit quod à Deo eſſent abdicati.

13. Et tu Jehova in perpetuum habitabis: & memoria tui in generationem & generationem.	13 וְאַתָּה יְהוָה לְעֹלָם תֵּשֵׁב וְזִכְרְךָ לְדֹר וָדֹר׃
14. Tu exurges, miſereberis Sionis: quia tempus miſerandi ejus, quia venit ſtatutum tempus.	14 אַתָּה תָקוּם תְּרַחֵם צִיּוֹן כִּי עֵת לְחֶנְנָהּ כִּי בָא מוֹעֵד׃
15. Quia diligunt ſervi tui lapides ejus, & pulveris ejus miſerebuntur.	15 כִּי רָצוּ עֲבָדֶיךָ אֶת אֲבָנֶיהָ וְאֶת עֲפָרָהּ יְחֹנֵנוּ׃

13. *Et tu Jehova.*] Quod Propheta ſe ad bonam ſpem erigere volens, ſibi proponit æternum Dei ſtatum, videtur longe petita conſolatio. Quid enim hoc ad nos, ſi Deus immutabilis, & ſemper idem in ſolio cæleſti ſedet, quando interim fragilis & caduca conditio ne ad momentum quidem ſtare nos ſinit? Imo ex notitia beatæ quietis, qua Deus fruitur, melius apparet vitam noſtram merum eſſe ludibrium. Sed Propheta in memoriam revocans promiſſiones, quibus teſtatus fuerat Deus ſibi curæ fore Eccleſiam, ac præcipue illud inſigne fœderis caput,
Exod. 25. verſ. 8. Habitabo in medio veſtri: ſacro hoc & inſolubili vinculo fretus, non dubitat pios in ſqualore jacentes, ſocios & conſortes facere cæleſtis gloriæ quam Deus inhabitat. Atque huc quoque ſpectat nomen *memoriæ*. Quorſum enim nobis prodeſſet ſtare æternam Dei eſſentiam, niſi in cordibus noſtris vigeret ejus cognitio, quæ ex gratuito fœdere concepta, fiduciam mutuæ inter nos & ipſum conjunctionis generat? Sit igitur hæc ſumma, Tametſi fœno arido ſimus ſimiles, concidamus ſingulis momentis, parum diſtemus à morte, imo jam quaſi in ſepulchro habitemus: quia tamen fœdus nobiſcum pepigit Deus, quo ſe promiſit populi ſui fore cuſtodem, ſeque nobis conjunxit hac lege ut ſemper in medio noſtri habitet, bene eſſe ſperandum: & quanquam, ſi in nobis ſubſiſtimus, nihil reſtat præter meram deſperationem, erigendas eſſe mentes ad cæleſte ſolium, unde nobis Deus tandem manum porriget. Quiſquis mediocriter exercitatus eſt in Scripturis, agnoſcet hoc nobis eſſe agendum quoties multæ mortes nos obſident, nempe quum ſemper maneat Deus ſui ſimilis, ac ne ulla quidem obumbratio in eum cadat, nihil impedire quominus nos juvet: atque id facturum, quia verbum habemus quo ſe nobis devinxit, quia memoriam ſui apud nos depoſuit, quæ ſanctam & inſeparabilem ſocietatem continet.

14. *Tu exurges.*] Hæc illa eſt conſequentia cujus memini, Deus æternus eſt, ergo *miſerebitur Sionis*. Æternitas autem, in memoria aut verbo ſpectanda eſt, ubi ſe nobis obligans, ſalutis noſtræ cuſtodiam ſuſcipit. Porro quia non deeſt ei potentia, nec fieri poteſt ut ſeipſum abneget, timendum non eſt quin ſuo tempore impleat quod promiſit. Diximus alibi *ſurgendi* verbum ad ipſam experientiam referri quæ nobis apparet. Quamvis enim quieſcat immutabilis, potentiam tamen exerens, ſuam altitudinem externo actu (ut loquuntur) demonſtrat. Ac Propheta quidem ubi de inſtauratione Eccleſiæ agitur, ejus cauſam ſibi proponit Dei miſericordiam: ſed eam facit duplicem, ideoque diverſis verbis utitur. Quod ad priorem miſericordiæ ſpeciem attinet, hæc ejus ratio eſt, quia hic nihil loci habent merita, nec aliunde adduci poteſt Deus ut Eccleſiam ſuam ædificet, cauſam ſumit à gratuita ſua bonitate.

nitate. Deinde ſecundam miſericordiam adjungit, quæ promiſſionibus annexa erat, *Tu* ergo *miſereberis, quia tempus jam adeſt beneplacito tuo præfixum.* Interea conſilium Prophetæ fuit, evehere Dei miſericordiam, ut ſcirent fideles in ea ſola incluſam eſſe ſuam ſalutem. Sed jam videndum eſt quodnam tempus intelligat. מועד enim Hebræis dies omnes ſtatos vel condictos ſignificat. Ergo non dubium eſt quin reſpiciat ad vaticinium Jeremiæ quod legitur capite 29. verſ. 12. & repetitur ſecundi libri Chronicorum ultimo capite, verſ. 10. Fideles enim, ne in ipſa diuturnitate malorum deficerent, recumbere oportuit in ſpem illam, finem exilio fuiſſe divinitus impoſitum, ne duraret ultra ſeptua-
Daniel. 9. verſ. 2. ginta annos. Et videmus Danielem in hac cogitatione fuiſſe verſatum, quum precari pro Eccleſiæ reparatione vellet. Hoc quoque modo nunc Prophetæ conſilium fuit, quo ſe & alios animaret ad intrepide orandum, celebre illud vaticinium Deo proferre, ut triſte exilium finiret. Et ſane niſi in precibus ſemper nobis occurrant Dei promiſſiones, vota quaſi fumos in aërem jactamus. Simul notandum eſt, quamvis appropinquaret, vel jam impletum eſſet tempus redemptionis promiſſæ, Prophetam tamen non ceſſare à precibus, ad quas nos Deus verbo ſuo ſollicitat: quamvis etiam tempus eſſet condictum, ſic Deum appellat Propheta de ſuo pacto, ut confugere ad meram ejus bonitatem non deſinat: quia promiſſiones quibus fidem ſuam obſtringit, ejus gratiam minime obſcurant.

15. *Quia diligunt.*] Hoc ad Cyrum & Darium reſtringi prorſus ineptum eſt: ac miror quoſdam ex noſtris tam frigido commento ſubſcribere. Nam Rabbinos mirum non eſt ſtultas argutias nimis cupide venari. Scio alicubi impios vocari Dei ſervos, quia per eorum manum exſequitur ſua judicia: imo
Jer. 25. verſ. 9. Jeſa. 44. verſ. 28. fateor Cyrum nominatim dici electum Dei ſervum: ſed neque eum neque Darium Spiritus ſanctus tam honorifico titulo dignatus eſſet ſine circumſtantia. Deinde probabile eſt compoſitum fuiſſe Pſalmum, antequam edictum promulgaſſent de populi reditu. Ergo ſoli fideles in catalogo ſervorum Dei ſimpliciter cenſentur: quia illis propoſitum eſt tota vita, Dei vocationi obſequi. Ego certe non dubito quin communiter de tota Eccleſia loquatur: acſi diceret, non ab uno tantum homine concipi hoc votum, ſed totum Eccleſiæ corpus in eodem eſſe conſenſu. Nam quo Deum melius inclinet, pios omnes quotquot tunc erant in mundo, ſuffragatores ſibi advocat. Et certe ad fiduciam augendam hoc non parum valet, quaſi in una perſona preces ab omnibus ſimul concipi: ſicuti Paulus ſecundæ ad Cor. 1. verſ. 11. notat. Subeſt autem in verbis pondus, quia *lapides Sionis* vocat deformem materiam quæ ſupererat ex ruinis: ut ſignificet non tantum fuiſſe olim conſpicuo illo templi ſplendore captos fideles, quum poſſet non tantum allicere oculos hominum, ſed rapere in ſui admirationem omnes ſenſus: ſed quamvis ſubverſum ſit Templum, & deformis tantum vaſtitas illic appareat, fideles tamen in ejus amore manere defixos, in putridis lapidibus & corrupto cæmento agnoſcere Dei gloriam. Et certe quum Dei auſpiciis conditum fuiſſet Templum, & reparatio ejus ab eodem Deo promiſſa, non oportuit ab ejus ruinis avelli piorum affectus. Interea ne ipſos frangerent Gentium ludibria, in verbo Dei aliud ſpeculari neceſſe fuit, quam oculis cernerent. Nam quia locum ſciebant Deo ſacrum eſſe: & rurſus illic erigendum eſſe Templum, quamvis mutili & conciſi lapides jacerent ſine ordine, disjectaque eſſet inutilis materia: non abjiciunt fideles Templi reverentiam. Ergo quo triſtior eſt Eccleſiæ deſolatio, eo minus alienari nos oportet ab ejus amore. Quin potius hæc miſericordia, gemitus & ſuſpiria elicere nobis debet. quæ doctrina utinam noſtræ ætati non adeo conveniret. Nam etſi alicubi Deus habet ſua templa, ubi viget purior ejus cultus, ſi tamen oculos conjicimus in totum orbem, quia ubique calcatur verbum Dei, & innumeris profanationibus ejus cultus fœdatur: certe ſanctum ejus templum triſtibus ruinis ubique dilapſum eſt: imo Eccleſiolæ iſtæ in quibus Deus habitat, laceræ ſunt ac diſperſæ. Quid hæc tuguria ad ſplendidum illud ædificium quod apud Jeſaiam, Ezechielem & Zachariam deſcribitur? Sed nulla deſolatio obſtare debet, quominus amemus Eccleſiæ lapides & pulverem. Papiſtas ſinamus in ſuis altaribus, magnis ſtructuris, & aliis pompis ſuperbire: quia totus ille profanus ſplendor nihil aliud eſt quam abominatio coram Deo & Angelis. veri autem templi ſacræ ſunt ruinæ.

16. Et timebunt Gentes nomen Jehovæ, & omnes Reges terræ gloriam tuam.

16 וייראו גוים את שם יהוה וכל מלכי הארץ את כבודך :

17. Quia ædificavit Jehova Sion, viſus eſt in gloria ſua.

17 כי בנה יהוה ציון נראה ב בכבודו :

18. Reſpexit ad precem ſolitarii, & non contempſit precem eorum.

18 פנה אל תפלת הערער ולא בזה את תפלתם :

19. Scribetur hoc ad generationem poſteram, & populus creatus laudabit Deum.

19 תכתב זאת לדור אחרון ועם נברא יהלל יה :

16. *Et timebunt.*] Fructum liberationis deſcribit Propheta, quod inde illuſtris reddetur Dei gloria populis & ipſis Regibus. Quo tacite ſignificat, oppreſſa Eccleſia, ſimul Dei gloriam dejici: ſicuti haud dubie tunc deriſui fuit impiis Deus Iſraël, acſi facultas eum deficeret ad opem ſuis ferendam. Dicit ergo Propheta, ſi Deus populum ſuum redemerit, fore hoc notabile potentiæ ejus ſpecimen, quod Gentes cogat eum revereri quem ſubſannant. *Deum* enim *viſum eſſe in gloria ſua* dicit, ubi Eccleſiam ſuam eduxit è mortis tenebris: ſicuti de prima re-
Pſal. 114. verſ. 2. demptione alibi canitur, Factus eſt tunc Juda in ſanctitatem ejus, Iſraël fuit poteſtas ejus. Ita hoc loco Deus populum iterum ſibi colligens qui diſperſus fuerat, & quaſi à morte ſuſcitans Eccleſiam apparuit in ſua gloria. Atque hæc non vulgaris conſolatio eſt, tantum eſſe Dei erga nos amorem, ut decus ſuum in ſalute noſtra fulgere velit. Quamvis autem inter medias afflictiones fidelibus abſcondita fuerit virtus Dei, eam tamen ſemper fidei oculis & in ſpeculo promiſſionum intuiti ſunt.

18. *Reſpexit.*] Hoc notatu dignum eſt, precibus fidelium aſcribi piorum redemptionem. Quamvis enim nonniſi mera clementia fuerit adductus Deus ad liberandam Eccleſiam, ſicuti gratis pollicitus fuerat id ſe facturum: ut tamen ſtimulet fideles ad ſtudium precandi, hoc idem quod ſponte facturus eſt, eorum votis ſe daturum aſſerit. Neque hæc duo inter ſe pugnant, Deum gratuita miſericordia ſervare Eccleſiam, & in ea ſervanda propitium eſſe ſuorum votis: quia quum gratuitis promiſſionibus annexa ſint preces, harum effectus ex illis fluit. *Pre-*

 ces

ces autem *ſolitarii* exauditas fuiſſe dicens, non loquitur tantum de uno homine, quia mox plurali numero utetur ſed Judæos omnes quandiu electi à patria exularunt in alieno ſolo, vocat *ſolitarios*: quia utcunque Aſſyria & Chaldæa regiones eſſent apprime fertiles & amœnæ, non ſecus tamen illic vagati ſunt miſeri exules, quam in deſerto, ut alibi diximus. Cæterum ut tunc populus ſolitarius gemendo gratiam adeptus eſt, ita quamvis nunc diſperſi ſint fideles, nec legitimos habeant conventus, Dominus tamen in hac vaſta diſſipatione eorum gemitus exaudiet, modo ſyncero fidei conſenſu ſimul adſpirent ad reſtitutionem Eccleſiæ.

19. *Scribetur hoc.*] Magis extollit redemptionis fructum, quo ſe & alios omnes ad ſpem impetrandi animet. His autem verbis ſignificat memorabile fore hoc Dei opus, cujus laus propaganda ſit in multas ætates. Scimus enim multa eſſe laude digna, quorum tamen memoria evaneſcit: ſed Propheta ſalutem Eccleſiæ pro qua rogat, à vulgaribus beneficiis diſcernit. *Scribendi* verbo ſignificat hiſtoriam publico monumento dignam eſſe, ut transmittatur ejus memoria ad poſteros, & ſubeſt concinna antitheſis inter novam populi creationem & præſentem interitum, quam interpretes male prætereunt. Populo enim abdicato, extincta quodammodo erat Eccleſia. Certe mortuum videri poterat ejus nomen, quum Judæi profanis Gentibus permiſti, nullum corpus efficerent. Itaque reditus quaſi ſecunda fuit nativitas: ideoque non abs re Propheta novam creationem exſpectat: quia utcunque periſſet Eccleſia, perſuaſus erat Deum mirabili virtute facturum eſſe ut de integro rediviva ſurgeret. Atque hic locus inſignis eſt, non ſemper ita ſervari Eccleſiam ut ſuperſtes appareat, ſed ubi mortua videtur, repente novam creari, quoties ita Deo viſum eſt. Nulla igitur deſolatio hanc nobis ſpem adimat. ſicuti ſemel Deus ex nihilo mundum condidit, ita proprium eſſe ejus opus, Eccleſiam ex mortis tenebris eruere.

20. Quia proſpexit ex ſublimi *loco* ſanctitatis ſuæ, Jehova è cælis in terram reſpexit.	20 כי השקיף ממרום קדשו יהוה משמים אל ארץ הביט:
21. Ad audiendum gemitum vincti, ad ſolvendos filios mortis:	21 לשמע אנקת אסיר לפתח בני תמותה:
22. Ut narretur in Sion nomen Jehovæ, & laus ejus in Jeruſalem,	22 לספר בציון שם יהוה ותהלתו בירושלים:
23. Dum colligentur populi ſimul, & regna ut ſerviant Jehovæ.	23 בהקבץ עמים יחדו וממלכות לעבד את יהוה:

20. *Quia proſpexit.*] Nunc Propheta redemptionem, ad quam anxie ſuſpirat, perinde amplectitur acſi peracta eſſet. ac ne tantum Dei beneficium obſcuret hominum malignitas, aperte & diſertis verbis laudem ſuam Deo vendicat: ſicuti etiam multis modis coactus fuit populus agnoſcere Dei manum. Nam multo ante quam in exilium tractus foret, hæc clades fuerat prædicta, ut teſtatum eſſet Dei judicium. Simul promiſſa fuerat liberatio, & tempus notatum uſque ad L X X. annos. Non potuit igitur hominum ingratitudo excogitare vel comminiſci alias cauſa reditus, quam meram Dei bonitatem. Dicit ergo *Deum è cælo reſpexiſſe*, ne gratiæ & favori Cyri Judæi acceptam ferant ſalutem palam è cælis profectam. *Sublimis* locus *Sanctuarii* tantundem hic valet ac cælum. Nam ſicuti Templum alibi habitatio Dei vocatur, reſpectu hominum: ita ne quid terrenum de ipſo Deo imaginemur, domicilium ſibi in cælo aſſignat: non quod incluſus ſit cælo, ſed ut ſupra mundum à nobis quæratur. Poſtea iterum repetit quod de precibus attigerat, ut iterum excitet piorum corda ad orandum: deinde ubi liberati fuerint, ſentiant fidei ſuæ hoc conceſſum quod promiſſionibus freti, ſurſum direxerint ſuos gemitus. *Vinctos* autem dicit, quia etſi compedibus nexi non erant, captivitas tamen eorum inſtar duriſſimi carceris erat. Imo paulo poſt dicit *morti fuiſſe deſtinatos*, ut tandem ſentiant actum fuiſſe de ſua ſalute, niſi extraordinaria Dei virtute à morte erepti eſſent.

Pſal. 26. verſ. 8. & 76: 3.

22. *Ut narretur.*] Hic amplior & uberior quam antehac celebratur redemptionis fructus: quia non tantum ad gratias Deo agendas in unum coaleſcent Judæi, ſed in patriam reducti, ſecum etiam Reges & populos in fidei unitatem & eundem Dei cultum colligent. Hoc vero tunc prorſus incredibile fuit, non modo in Templo diruto & exciſo brevi reſonaturas Dei laudes ut olim, ſed venturos undique populos, & Judæis, qui tunc quaſi putridum erant cadaver, aggregandos ad Deum colendum. Ratione quidem hac utitur Propheta ad ſpem reditus dandam populo, quod impoſſibile ſit, locum illum quem Deus ſibi delegit, perpetuo deſeri: ſed novam materiam laudandi Dei fore denunciat, quia nomen Dei adorabitur ab omnibus populis. nec tantum ex gente una conſtabit Eccleſia, ſed ex toto orbe. Quod ſcimus Chriſti auſpiciis fuiſſe completum, ſicuti etiam teſtatum fuerat vaticinio ſancti Jacob, Ad ipſum erit collectio Gentium. Sed quia Prophetis ſolenne eſt continuare liberationem ab exilio Babylonico uſque ad Chriſti adventum, Propheta non partem unam duntaxat arripit, ſed perducit gratiam Dei uſque ad ſuum finem. Etſi autem neceſſe non fuit Jeroſolymam adſcendere quicunque ad Chriſtum converſi ſunt, more tamen uſitato legalem cultum poſuit tanquam ſymbolum veræ pietatis. Cæterum diſcamus ex hoc loco nunquam melius celebrari Dei nomen quam dum propagatur religio & creſcit Eccleſia, quæ ideo vocatur plantatio in laudem Dei.

Gen. 49. verſ. 10.

Jeſa. 61. verſ. 3.

24. Afflixit in via robur meum, coarctavit dies meos.	24 ענה בדרך כחי קצר ימי:
25. Dixi, Deus mi, ne tollas me in dimidio dierum meorum: in generationem anni tui.	25 אמר אלי אל תעלני בחצי ימי בדור דורים שנותיך:
26. Prius terram fundaſti, & opus manuum tuarum cæli.	26 לפנים הארץ יסדת ומעשה ידיך שמים:
27. Ipſi peribunt, & tu permanebis, & omnes quaſi veſtimentum veteraſcent: quaſi veſtem mutabis eos, & mutabuntur.	27 המה יאבדו ואתה תעמד וכלם כבגד יבלו כלבוש תחליפם ויחלפו:

28. Et

28. Et tu idem, & anni tui non deficient.
29. Filii ſervorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum coram te ſtabilietur.

28 וְאַתָּה־הוּא וּשְׁנוֹתֶיךָ לֹא יִתָּמּוּ׃
39 בְּנֵי־עֲבָדֶיךָ יִשְׁכּוֹנוּ וְזַרְעָם לְפָנֶיךָ יִכּוֹן׃

24. *Afflixit in via.*] Querimoniam hanc inſcite, meo judicio, quidam ad tempus illud reſtringunt quo exhibitæ fuerunt Judæis moleſtiæ, poſtquam data fuerat redeundi libertas. Potius in voce itineris aut viæ metaphora eſt. Nam quum meta veteris populi eſſet Chriſti exhibitio, jure afflictos ſe queruntur in medio ſtadii curſu. Atque ita Deo ſuam promiſſionem objiciunt, quod quum temere non cucurrerint, ſed ſequuti ſint ejus fidem, in medio itinere attriti fuerint ejus manu. Non expoſtulant quidem cum Deo, acſi ſpem eorum fruſtratus eſſet: ſed quia perſuaſi ſunt eum non agere fallaciter cum ſuis cultoribus, hac querimonia ſe ad bene ſperandum confirmant. Eodem ſenſu addunt *dies ſuos fuiſſe conciſos*, vel in anguſtum redactos, quia ad tempus plenitudinis reſpiciunt, quod, niſi Chriſto patefacto, ſuſpenſum ſemper fuit: ideo ſequitur, *Ne perimas me in dimidio dierum meorum.* Nam ſpatium intermedium uſquedum apparuiſſet Chriſtus, dimidiæ vitæ comparant: quia matura Eccleſiæ ætas, Chriſti demum adventu completa fuit, ut diximus. Etſi enim prædicta illa calamitas fuerat, ſic tamen ferebat natura fœderis, ut populum illum Deus ſub manu ſua protegeret ac tueretur: ideoque exilium violenta quædam ruptura fuit: quo majore fiducia rogarunt pii ne ante tempus in medio itinere raperentur. Neque enim hoc modo finxerunt ſibi certum vitæ ſpatium: ſed quia Deus gratis eos adoptans, hac lege dederat vitæ initium ut eos ad Chriſti uſque adventum foveret, jure licuit hanc promiſſionem in medium proferre: acſi dicerent, Domine tu vitam nobis pollicitus es non tridui, vel unius menſis, vel paucorum annorum, ſed donec renovares totum orbem, & colligeres omnes populos ſub manu Chriſti tui. Quid ergo ſibi vult interitus in medio curſu? Quæ ſequitur ratio, videtur nihil ad præſentem cauſam facere. Nam etſi æternus eſt Deus, an ideo æterni erunt homines? Sed Pſal. 90. verſ. 2. diximus, quomodo tempeſtive in medium vocetur Dei æternitas, ubi de ſalutis noſtræ fiducia agitur: quia Deus non modo in arcana ſua eſſentia vult æternus agnoſci, ſed etiam in verbo, ſicut eſt [Jeſa. 40. verſ. 6.] apud Jeſaiam, Omnis caro fœnum, & omnis gratia ejus quaſi flos herbæ. Verbum autem Domini in æternum manet. Jam quia nos ſibi per verbum conjungit, quantumvis diſtet fragilis noſtra conditio à cæleſti ejus gloria: fides tamen noſtra ad beatum illum ſtatum penetrare debet, ex quo Deus miſerias noſtras reſpicit. Quanquam alio quoque ſpectat comparatio inter æternam Dei vitam, & breve humanæ vitæ curriculum: hac etiam cauſa ad miſericordiam flectitur Deus, dum videt quaſi momento tranſire homines, & mox evaneſcere: ſicuti fuſius mox exponitur.

26. *Prius fundaſti terram.*] Amplificat quod dixit, nempe totum mundum, ſi conferatur cum Deo, evanidam eſſe figuram: paulo poſt tamen Eccleſiam eximit ab hac communi ſorte, quia in verbo Dei fundata eſt, & ejuſdem verbi cuſtodia protegitur. Duo igitur membra ſunt, Quum cæli ipſi nihil fere à fumo differant coram Deo, eam eſſe fragilitatem in humano genere quæ Dei miſericordiam provocare debeat: Deinde, utcunque nulla ſit cæli & terræ ſtabilitas, Eccleſiæ tamen ſalutem, quia ſuffulta eſt æterna Dei veritate, firmam perpetuo fore. Priore membro docentur fideles, dum prodeunt in conſpectum Dei, ſuppliciter reputare quam fluxa ſit & caduca ſua conditio, ne aliud quam ſuam inanitatem afferant. Primus enim ad conciliandam nobis gratiam gradus eſt hæc dejectio: ſicut etiam noſtris miſeriis ſe moveri affirmat Deus, ut nobis ſit propitius. Huc optime quadrat cælorum comparatio: quanta enim eſt eorum vetuſtas vitæ noſtræ reſpectu, quæ tam cito præterit, vel potius evolat, quot mortalium ætates fluxerunt, ex quo cæli continua agitatione naturam ſuam retinent? Deinde tam concinna & præclara fabrica ſe opus eſſe manuum Dei clamitat. Atqui neque antiquitas, neque tam pulcher ornatus cælos eximent ab interitu. Quid ergo nobis miſeris mortalibus fiet, qui vix dum nati morimur? quia nulla eſt vitæ noſtræ particula quæ non celeriter ad mortem inclinet. Quanquam non uno modo exponunt interpretes *cælos perire*. Quidam ſimpliciter de mutatione intelligunt, quæ ſpecies quædam erit interitus. Etſi enim non ſunt redigendi in nihilum, ipſa tamen naturæ alteratio (ut ita loquar) abſumet quod mortale eſt ac corruptibile: ut alii eſſe cæli incipiant ac novi. Secundum alios ſubaudienda eſt conditio, Si Deo ita placuerit: quia abſurdum eſſe exiſtimant, cælos corruptioni ſubjici. Sed primum nulla neceſſitas cogit aſciſcere particulam illam quæ magis impedit ſenſum quam expediat. Deinde falſo cælis tribuunt immortalem ſtatum, quos Paulus, non ſecus ac terram aliaſque [Rom. 8. verſ. 22.] creaturas, gemere & parturire dicit uſque ad diem redemptionis, eo quod ſubjectæ ſint corruptioni, non ſponte vel natura, ſed quia homo ſe præcipitans, totum mundum in ejuſdem ruinæ ſocietatem ſecum traxit. Duo igitur tenenda ſunt vere nunc obnoxios eſſe cælos corruptioni propter hominis lapſum: & ita renovatum iri, ut merito perituros dicat Propheta, quia non iidem erunt, ſed alii. Summa eſt, quocunque vertamus oculos, donec ad Deum ventum fuerit, ubique nobis deſperationem occurrere. Quid enim in nobis eſt niſi putredo? & quid ſumus ipſi niſi mortis ſpeculum? Jam quid aliud eſt totius mundi mutatio, niſi præſagium quoddam, imo præludium interitus? Si univerſa mundi fabrica ad finem ſuum fertur, quid de genere humano fiet? Si interituri ſunt omnes populi, quænam erit in ſingulis hominibus ſtabilitas? Ergo non alibi quam in Deo ſolo quærenda eſt ſtabilitas.

29. *Filii ſervorum.*] His verbis ſignificat Propheta, ſe non petere Eccleſiæ conſervationem quia ſit pars, generis humani, ſed quia Deus extra mundi revolutiones eam extulerit. Et certe hac lege nos ſibi adoptat, ut foveat in ſinu ſuo. Quare non eſt illatio longe petita, quod inter innumeras procellas, quarum ſingulæ abripere nos poſſint, firmam ſtationem Eccleſiæ ſperat Propheta. Nam etſi noſtra culpa alienati à Deo, ſimul quaſi abſciſſi à fonte vitæ ſumus: ubi tamen reconciliamur Deo, rurſum in nos defluere incipit. Unde ſequitur, fideles, quia regeniti ſunt ſemine incorruptibili, à morte fore ſuperſtites, quia Deus ſemper idem manet. Nam verbo *habitandi* firmam & æternam hæreditatem ſignificat, dicit autem *coram facie Dei*, quia non ſecundum mundi reſpectum, vel ſecundum communem rationem cæli & terræ firma eſt piorum ſalus, ſed pro ſancta conjunctione, quæ illis eſt cum Deo. *Semen* & *filios piorum* intelligit non quoslibet, quia multi ex carne geniti, ſunt degeneres: ſed qui à fide parentum non deſciſcunt. Diſerte autem notata eſt ſucceſſio, quia fœdus ad futuras ætates extenditur, ut iterum videbimus Pſalmo proximo. Quod ſi conſtanter ſervamus vitæ theſaurum apud nos depoſitum, ne dubitemus, etiamſi innumeræ mortes nos circumſtent, anchoram fidei noſtræ in cælo jacere: ut in Deo reſideat ſalutis noſtræ ſtabilitas.

ARGUMENTUM PSALMI CIII.

Hoc Pſalmo docetur quiſque piorum, pro ſe privatim gratias Deo agere: deinde pro communi gratia, qua ſuos electos dignatus eſt, fœdus ſalutis in Lege ſua paciſcendo, quo adoptionis ſuæ participes faceret. Præcipue vero miſericordiam commendat, qua Deus populum ſuum, licet gravibus pœnis dignum, ſuſtinet ac tolerat: neque id, meriti vel dignitatis reſpectu, ſed quia ejus fragilitati indulget. Tandem generali laudum elogio Pſalmus clauditur.

PSALM. CIII.

DAvidis. Benedic anima mea Jehovæ, & omnia interiora mea nomini ſancto ejus.	1 לדוד ברכי נפשי את יהוה וכל קרבי את שם קדשו:
2. Benedic anima mea Jehovæ, & ne obliviſcaris omnium munerum ejus.	2 ברכי נפשי את יהוה ואל תשכחי כל גמוליו:
3. Qui propitius eſt omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas:	3 הסלח לכל עונכי הרפא לכל תחלואיכי:
4. Qui redimit è ſepulchro vitam tuam, qui te coronat clementia & miſerationibus:	4 הגואל משחת חייכי המעטרכי חסד ורחמים:
5. Qui ſatiat bono maxillas tuas, renovabitur tanquam aquilæ juventa tua.	5 המשביע בטוב עדיך תתחדש כנשר נעוריכי:

B*Enedic anima.*] Propheta ſeipſum ad gratitudinem ſtimulans, ſuo exemplo docet quid ſingulis agendum ſit. Et certe ſegnities noſtra hac in parte continuis ſtimulis opus habet: imo ſi ne Propheta quidem ipſe, qui ſingulari ante alios zelo fervebat, immunis fuit ab hoc pigritiæ morbo, ſicuti fatetur ſeipſum ſolicitans: quanto nobis hæc medicina magis neceſſaria eſt, qui proprii corporis plus ſatis ſumus nobis conſcii? Ergo Spiritus per os Prophetæ oblique nobis exprobrat quod non magis ſeduli ſimus ad laudandum Deum: ſimulque remedium oſtendit, ut quiſque in ſeipſum deſcendens, tarditatem ſuam corrigat. Nam *animæ* nomine non contentus, quo haud dubie ſedem intelligentiæ & affectuum ſignificat, intimas etiam ejus partes diſerte adjungit, quaſi mentem & cor ſuum omneſque utriuſque facultates compellans. Qui vero ita ſeipſum alloquitur, quaſi remotis arbitris coram Deo ſecum agit. Et repetitio ad emphaſim valet: acſi tarditatem ſuam argueret.

2. *Ne obliviſcaris.*] Hac particula admonet, Deum ſuis partibus non deeſſe quin ſuppeditet largam ſui laudandi materiam, modo ne obſtaret nobis propria ingratitudo. Ac primo quidem docet ideo tam liberaliter nobiſcum agere, ut per nos celebretur nomen ſuum: ſed interim perſtringit noſtram vanitatem, quæ nos alio quovis potius rapit. Qui fit enim ut in hoc præcipuo exercitio pietatis adeo torpeamus, niſi quod immenſa Dei beneficia, quæ palam cælo & terræ apparent, fœda & impia oblivio in cordibus noſtris ſepelit? Nam ſi modo eorum vigeret memoria, ſatis nos ad officium propenſos fore docet Propheta, quum ſolum obliviſci vetat.

3. *Qui propitius.*] Nunc per ſpecies enumerat beneficia, in quibus reputandis nos nimis obliviosos & ſocordes eſſe docuit. Nec temere ab hoc capite orditur, quod Deus peccatis ignoſcat: quia gratuita reconciliatio fons eſt unde reliqua omnia ſcaturiunt. Etſi enim ad impios quoque ſe diffundit beneficentia Dei, adeo tamen ea non fruuntur, ut ut ne guſtum quidem capiant. Omnium ergo bonorum quorum vera & ſolida fruitio ad nos pervenit, hoc initium eſt, quod Deus peccata noſtra gratis condonans & abolens, in gratiam nos recipit. Imo peccatorum remiſſio dum nobis Deum propitiat, ſimul etiam ſanctificat quæcunque largitur nobis bona, ut in ſalutem cedant. Secundum membrum vel repetitio eſt ejuſdem ſententiæ, vel latius patet. Nam hi ſunt gratuitæ veniæ effectus, quod Deus nos Spiritu ſuo gubernans, concupiſcentias carnis mortificat, & nos purgat à vitiis, veramque piæ & rectæ vitæ ſanitatem reſtituit. Qui vero intelligunt *ſanari infirmitates* à Deo, quia ubi peccata remiſit, ſimul nos à corporalibus morbis liberat: videntur nimis jejune reſtringere Prophetæ ſenſum. Quare non dubito, medicinam de qua Propheta loquitur, ſpectare ad delendum reatum. deinde ad curanda vitia quæ nobis inhærent, quod fit Spiritu regenerationis. Siquis tertium addere velit quod Deus nobis placatus, etiam pœnas condonet, non repugno. Diſcamus interea ex hoc loco, donec cæleſtis medicus opem nobis ferat, nos non tantum intus fovere multos morbos, ſed etiam mortes.

4. *Qui redimit.*] Clarius exprimit qualis ſit noſtra conditio antequam malis noſtris Deus medeatur, nempe mortuos eſſe & ſepulcro devotos. Quo pluris æſtimare convenit Dei miſericordiam, quia liberatio eſt à morte & interitu. Nam ſi initium ſpiritualis vitæ, reſurrectio eſt à ſepulcro: quid jam reliquum erit hominibus in quo ſibi placeant? Poſtea docet Propheta, tam in ipſo principio ſalutis, quam in toto progeſſu fulgere incomparabilem Dei gratiam. cujus laudem ut magis amplificet, adjungit etiam plurali numero *miſerationes*. Dicit autem nos illis circundari: quaſi diceret, à fronte, à tergo, ab utroque latere, ſurſum & deorſum immenſam gratiæ Dei abundantiam nobis præſto eſſe, ut nullus locus ab ea ſit vacuus. Id poſtea amplificat, dicens *ſatiari maxillas*: qua metaphora ad epulandi licentiam alludit in largiore ciborum copia. Nam qui laborant victus penuria, vix audent tenuiter cibum guſtare. Non quod ingluviem probet in Dei beneficiis nimis cupide vorandis, ſicuti intemperanter ſibi homines indulgent quoties uberior ſuppetit copia: ſed loquutionem ſumpſit ex communi hominum more, qua doceret, quicquid bonorum optari poteſt, nobis Dei benignitate affluere uſque ad plenam ſatietatem. Qui עדי pro ornatu accipiunt, ſuo commento depravant hunc locum. & miror unde illis in mentem venerit tam abſurda imaginatio: niſi quod ſolet hoc accidere curioſis omnibus, dum acumen ſuum exercent, ut proferant meras ineptias. Poſtea addit ſtillari ſibi Divinitus novum vigorem ut ſemper maneat integer: quemadmodum Jeſaias de Eccleſiæ inſtauratione (*Jeſa. 65. verſ. 20.*) diſſerens, ſenem centenarium dicit fore ſimilem puero. Hac autem loquendi forma ſignificat Deum ſibi ſuggerere cum uberrima bonorum copia internum quoque vigorem, ut illis fruatur lætus, acſi vires aſſidue refloreſcerent. *Aquilæ* comparatio, fabulandi occaſio fuit Judæis. nam quum nullius prorſus ſcientiæ elementa teneant, tanta ſunt audacia prædici, ut quacunque de re agatur, nuſquam hæſitent: ſimul vero atque aliquid incognitum occurrit, nullum eſt tam putidum figmentum quod non oraculi

culi loco obtrudant. Ita hoc loco divinant aquilas ſingulis quibuſque decenniis conſcendere uſque ad ignem elementarem, & poſtea ſe projicere in mare, ſtatim ſuccreſcere novas pennas. Atqui ex aquilæ natura quam Philoſophi deſcribunt, uſu ſcilicet bene compertam, ſimplex elicitur Prophetæ ſenſus. avis enim illa ad ultimum uſque ſenium ſemper vegeta eſt, nec annis debilitatur, nec morbis obnoxia eſt, donec tandem fame intereat. Vivacem eſſe ſatis conſtat: ſed tandem ſuccreſcit roſtrum, ut cibum capere nequeat, ſed tantum ſanguinem ſugere cogatur, vel ſe potu reficere. Unde proverbium, *Aquilæ ſenectus*: quia bibaces facit neceſſitas. Quia vero ſolus potus ad tolerandam vitam non ſufficit, fame & inedia magis tabeſcunt, quam concidant defectu virium. Nunc tenemus abſque fabula genuinum Prophetæ ſenſum, Sicut aquilis ſemper durat ſuus vigor, ut in ſenectute ſint juvenes: ita ſuſtineri arcana Dei virtute pios, ut retineant vires integras. Etſi autem non ſemper vegeti ſunt in hac vita, imo ægre ſe trahunt in continuis languoribus, vere tamen in eos ſuo modo competit quod hic dicitur. Hoc quidem omnibus ſine controverſia commune eſt, quod educti è ſepulcro Deum infinitis modis beneficum ſentiunt. Quod ſi reputent ſinguli quantum illi debeant, merito dicent ſatiari os ſuum bonis, ſicuti prius confeſſus eſt David ſe numerando eſſe imparem, quia ſuperat arenas maris. Ac niſi malignitas noſtra ſenſus perſtringeret, in ipſa eſurie ſic famelici paſcimur, ut multiplices ſemper ſuæ bonitatis divitias Deus proferat. De vigore ſic habendum eſt, quia dum corrumpitur exterior homo noſter, renovamur in meliorem vitam, non eſſe cur moleſte feramus vires noſtras collabi: præſertim quum debiles ac languidos Spiritu ſuo ſuſtineat.

Pſal. 139. verſ. 18.

6. Faciens juſtitias Jehova, & judicia omnibus oppreſſis.	6 עשה צדקות יהוה ומשפטים לכל עשוקים:
7. Patefecit vias ſuas Moſi, filiis Iſraël facta ſua.	7 יודיע דרכיו למשה לבני ישראל עלילותיו:
8. Miſericors & clemens Jehova, longus ira, & multus bonitate.	8 רחום וחנון יהוה ארך אפים ורב חסד:

6. *Faciens juſtitias.*] Poſtquam in ſe ipſo Dei beneficia recenſuit David, ab hac privata conſideratione longius evehitur. Quanquam dubium non eſt, ubi Deum prædicat ſuccurrere oppreſſis, quin ſe unum ſtatuat in eorum numero, ſicuti ejus auxilium in multis perſequutionibus expertus erat: ſed ex ſua experientia deſcribit, qualem Deus ſe præſtare ſoleat omnibus injuſte afflictis. Cæterum quia fideles in hoc mundo ſemper inter lupos verſantur, plurali numero varias liberationes celebrat: ut ſciamus hoc eſſe ordinarium Dei munus, ſuccurrere ſervis ſuis quoties injuriam illis afferri videt. Nam hinc ad patientiam inſtruimur, dum noſtras injurias Deus vindicandas ſuſcipit: & quoties inique impetimur, juſtitiæ ſuæ clypeo nos tegit, vel judicii gladio defendit.

7. *Patefecit vias.*] Jam electi populi perſonam ſuſcipit David, & quidem opportune, nempe beneficiis ſibi collatis admonitus: quia perſuaſus erat, nonniſi quatenus erat Eccleſiæ membrum, tot bonis locupletatum fuiſſe, mentem ſuam ad commune fœdus mox retulit. Eandem (fateor) ſententiam continuat: quia *viæ iſtæ* quas Moſi oſtenſas dicit, nihil aliud fuerunt quam liberatio populi, donec terram promiſſam ingreſſus eſt. Atque hoc tanquam inſigne præ aliis juſtitiæ & judicii documentum elegit, quo probaret Deum oppreſſis juſtum auxiliatorem ſemper eſſe. Sed quia hoc ex promiſſione pendebat, non dubium eſt quin hanc præcipue reſpiciat acſi diceret, Dei juſtitiam in electo populo quem adoptaverat, & cum quo fœdus pepigerat, clare fuiſſe probatam & conſpectam. Dicitur autem Moſi primum, qui miniſter & internuntius erat, deinde toti populo vias ſuas manifeſtaſſe. Induitur enim Moſes ipſe perſona divinitus impoſita. quia voluit Deus per ejus manum & operam innoteſcere populo. *viæ* ergo & *facta* Dei ſunt, quod ſurrexit cum admirabili potentia ut populum redimeret, quod eum traduxit per Mare rubrum, quod multis ſignis & virtutibus teſtatus eſt præſentiam ſuam. Sed quia hoc totum manabat ex gratuito fœdere, ſe & alios ad gratias Deo agendas hortatur David, quod electi fuerint in peculiarem populum, & per Legis doctrinam illuxerit eorum mentibus: quia ſicuti nihil homine miſerius eſt abſque Dei notitia, ita hic incomparabilis plenæ felicitatis eſt theſaurus, quod Deus ad nos cum paterni amoris teſtimonio deſcendit.

8. *Miſericors & clemens.*] Videtur alludere David ad Moſis exclamationem, quæ legitur Exodi 34. verſ. 6. ubi pro inſigni revelationis modo clarius quam alibi deſcribitur Dei natura. Nam quum Moſi conceſſum foret propius cernere Dei gloriam, exhibito ejus conſpectu, erupit in hanc vocem, Deus miſericors, & clemens, propitius, lentus ad iram, multus bonitate. Quum ergo ſummatim illic complexus ſit quod de ipſo Deo nobis cognitu utile eſt, prudenter David ad præſentem uſum accommodat elogia illa. Nam ejus conſilium eſt meræ Dei bonitati tribuere, quod populus, qui ſuis vitiis à gratia adoptionis ſubinde excideret, gradum tamen ſuum retinet. Cæterum in genere ſic habendum eſt, veram Dei notitiam ſemper ad fidei ſenſum referri debere: quia non vult in occulta ſua eſſentia inveſtigari, ſed quatenus ſe nobis communicat, quod notatu dignum eſt. Videmus enim, quoties fit Dei mentio, perverſe rapi hominum ingenia ad frigidas ſpeculationes, & arripere quæ nihil proſunt: negligere interim quæ oculis noſtris occurrunt virtutes, in quibus relucet viva ejus imago. Atqui quocunque ſtudium ſuum applicent homines, nuſquam melius proficient quam in continua meditatione ſapientiæ, bonitatis, juſtitiæ, & miſericordiæ ejus: præſertim bonitatis ejus cognitio tam ad fidem ædificandam, quam ad laudes ejus illuſtrandas apta eſt. Ideoq; Paulus hanc noſtram altitudinem eſſe pronunciat, longitudinem, latitudinem & profundum, cognoſcere ineffabiles gratiæ divitias quæ nobis patefactæ ſunt in Chriſto. Hæc etiam ratio eſt, cur David poſt Moſen pluribus verbis Dei miſericordiam commendet. Nam primo nullum in nobis vitium deterius eſt diabolica arrogantia, quæ ſuam Deo laudem eripit: adeo autem penitus inhæret, ut non facile revelli queat. Exurgit ergo Deus, & quo exinaniat ſacrilegam carnis fiduciam, miſericordiam ſuam qua ſola ſtamus, magnifice aſſerit. Rurſum ubi acquieſcere decebat in Dei gratia, trepidant aut vacillant mentes noſtræ: nec quicquam nobis difficilius eſt quam agnoſcere Deum nobis propitium. Quare huic dubitationi David poſt Moſen ſynonyma hæc oppoſuit, Deum eſſe miſericordem: deinde gratificum, ut ita loquar: tertio, humaniter & cum manſuetudine tolerantem hominum peccata: poſtremo multæ clementiæ & bonitatis.

Epheſ. 3. verſ. 18.

9. Non

9. Non in perpetuum rixabitur, & non in ſecula cuſtodiet.

9 לא לנצח יריב ולא לעולם יטור׃

10. Non ſecundum peccata noſtra fecit nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras rependit ſuper nos:

10 לא כחטאינו עשה לנו ולא כעונתינו גמל עלינו׃

11. Quia ſecundum altitudinem cælorum ſuper terram *prævaluit bonitas ejus ſuper timentes eum.

11 כי כגבה שמים על הארץ גבר חסדו על יראיו׃

* vel, magnificavit bonitatem.

12. Sicuti procul diſtat Oriens ab Occidente, procul removit à nobis peccata noſtra.

12 כרחק מזרח ממערב הרחיק ממנו את פשעינו׃

9. *Non in perpetuum.*] Conſequentiam ex ſuperioribus Dei epithetis colligit David, Deum, ubi offenſus fuerit, fore tamen placabilem, quia natura ſemper ad ignoſcendum propenſus eſt. Hoc autem additu neceſſarium fuit, quia peccata noſtra januam clauderent ejus bonitati, niſi occurreret ejus placandi ratio. Subindicat autem David, Deum litem intendere peccatoribus, ut eos ſenſu reatus humiliet: mox tamen ſuperſedere, ubi ſubactos videt ac ſupplices. Aliter Geneſis 6. verſ. 3. dicit, Non litigabit Spiritus meus amplius cum homine: nempe quia convictis maleficiis, jam matura erat damnatio. Hic autem David perpetuo rixari negat: quia ut eſt exorabilis & facilis ad veniam, jus ſuum non proſequitur. Atque huc pertinet ſecundum verbum quod phraſi Gallicæ reſpondet, *Je luy garde, Il me l'a gardé*, ubi de occulta ultione agitur, quam ictus fovens qui injuriis ignoſcere non poteſt, nocendi occaſionem expectat. Negat autem David, Deum more hominum ſervare injurias, quia ultro ad reconciliationem deſcendit. Sciendum tamen eſt, promiſcue hoc non competere in totum humanum genus, ſed eſſe Eccleſiæ privilegium. Nam diſerte apud Moſen vocatur Deus formidabilis ultor, qui Patrum delicta rejicit in ſinum filiorum. Sed David omiſſis incredulis, quibus incumbit æterna & implacabilis ira Dei, docet, quam comiter indulgeat filiis ſuis: ſicut etiam loquitur Deus ipſe apud Jeſaiam, In momento caſtigavi te, miſerationibus autem æternis te proſequar. Experimento deinde vel effectu probat quod dixi, quia nonniſi mira Dei tolerantia ſalvi hactenus ſteterant Iſraëlitæ. perinde acſi diceret, Examinet quiſque noſtrûm vitam ſuam: quot modis provocavimus iram Dei? imo aſſidue provocamus: ipſe vero non modo ſibi à pœnis temperat, ſed benigne etiam alit quos merito perdere poterat.

Deut. 5. verſ. 9.

Jeſa. 54. verſ. 8.

11. *Quia ſecundum altitudinem.*] Similitudine confirmat, Deum fideles ſuos non ulciſci ut meriti ſunt, ſed clementia ſua cum eorum maleficiis certare. Porro tantundem valet loquutio acſi immenſam erga nos Dei miſericordiam eſſe diceret. Verbum גבר ſive neutraliter, ſive tranſitive accipias, parum intereſt: quia utroque modo immenſitas miſericordiæ mundi amplitudini confertur. Quia autem Dei miſericordiæ ad nos uſque non pateret acceſſus, niſi ſublato reatus obſtaculo, continuo poſt addit, Deum tam procul abigere à nobis peccata, quàm longe diſtat Oriens ab Occaſu. Summa eſt, longe lateque pro Orbis magnitudine effundi miſericordiam Dei ſuper fideles: ac, nequid impediat ejus curſum, aboleri penitus eorum peccata. Confirmat autem quod nuper dixi, non generaliter ſe tractare, qualis erga totum mundum ſit Deus, ſed qualem ſe fidelibus præſtet. Unde etiam apparet non hic agi de miſericordia qua nos initio ſibi reconciliat, ſed qua aſſidue proſequitur quos paterno amore complexus eſt. una enim ſpecies miſericordiæ eſt qua nos à morte reſtituit in vitam, dum adhuc ſumus ab eo alieni; altera, qua nos ſuſtinet. quia ſtatim evaneſceret gratia illa, niſi eam quotidiana venia ſanciret. Unde etiam colligimus quam craſſe ineptiant Papiſtæ, dum gratuitam peccatorum remiſſionem ſemel tantum dari fingunt: poſtea autem juſtitiam acquiri, vel retineri ejus poſſeſſionem operum meritis: quicquid culpæ contrahitur, ſatisfactionibus redimi. Videmus autem ut David Dei miſericordiam qua ſibi nos reconciliat, peccata non imputando, non includat puncto temporis, ſed extendat uſque ad vitæ finem. Non minus etiam valide refellit hic locus fanaticos, qui ſe & alios veſana perfectæ juſtitiæ opinione faſcinant, ut amplius non indigeant venia.

13. Sicut miſericors eſt pater erga filios, miſericors fuit Jehova erga timentes ſe.

13 כרחם אב על בנים רחם יהוה על יראיו׃

14. Quia ipſe cognoſcit figmentum noſtrum, recordatus eſt quod pulvis ſumus.

14 כי הוא ידע יצרנו זכור כי עפר אנחנו׃

15. Homo quaſi herbæ dies ejus, quaſi flos agri, ſic floret.

15 אנוש כחציר ימיו כציץ השדה כן יציץ׃

16. Ubi ventus tranſierit ſuper eum, tunc non erit, nec cognoſcet eum amplius locus ejus.

16 כי רוח עברה בו ואיננו ולא יכירנו עוד מקומו׃

13. *Sicut miſericors.*] Non tantum ſimilitudine explicat quod dixit, ſed ſimul notat cauſam cur tam benigne ignoſcat Deus, quia ſcilicet *pater eſt*. Gratuita igitur adoptio Deum peccatis noſtris aſſidue propitiat. Ideoque ex illo fonte ſpes veniæ petenda eſt. Jam quum nullus ſuo merito adoptatus fuerit, ſequitur gratis remitti peccata. Scimus autem Deum terrenis patribus conferri, non quia ſimilis ſit, ſed quia aliter incomparabilis erga nos ejus amor exprimi non poteſt. Jam ne ad peccandi licentiam trahatur paterna Dei indulgentia, iterum repetit David, nonniſi ſinceris ſuis cultoribus ita eſſe propitium. Eſt quidem hoc non vulgaris tolerantiæ, quod Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos: ſed hic agitur de gratuita imputatione juſtitiæ, qua cenſemur Dei filii. Ea autem non aliis offertur niſi qui tam benefico patri ſe addicunt, & reverenter ſubjiciunt ejus verbo. Sed quia qualecunque pietatis ſtudium longe à perfectione diſtat, unica ſalutis fultura relinquitur in Dei bonitate.

Matth. 5. verſ. 45.

14. *Quia ipſe cognoſcit.*] Hic David in nihilum redigens quicquid ſibi dignitatis arrogant homines, ſolum miſeriæ reſpectum eſſe aſſerit, qui Deum provocat ad nos humaniter tolerandos. Quod diligenter rurſus notandum eſt, non modo ad domandam carnis ſuperbiam; ſed ne fiduciam noſtram moretur vel impediat noſtra indignitas. Nam quo miſerior eſt ac magis deſpicabilis noſtra conditio, propenſior

pronior ad miſericordiam erit Deus. ſiquidem ut nobis bene faciat, luto noſtro & pulvere contentus eſt. Eodem pertinet ſimilitudo quæ mox ſequitur, totam hominis præſtantiam non ſecus ac floris caduci uno flatu marceſcere. Improprie quidem homo *florere* dicitur: ſed quia objici poſſet, eum tamen aliqua gratia pollere, David per conceſſionem florere dicit inſtar herbæ, potius quam fumum vel umbram, ac rem nihili eſſe pronunciat, ſicuti jure poterat. Etſi enim quandiu vivimus in mundo, naturalibus donis ſumus ornati, atque (ut reliqua taceam) in Deo ſumus & movemur: quia tamen nihil habemus niſi precarium, & quod in ſingulas horas auferri poteſt, pompa eſt vel figura quæ præterit. (Act. 17. verſ. 28.) Proprie autem de vitæ brevitate hic agitur, cujus Deus rationem habet, clementer nobis ignoſcendo: ſicut alibi dicitur, Recordatus eſt quia caro ſunt, ſpiritus tranſiens & non rediens. (Pſal. 78. verſ. 39.) Siquis roget, cur prætérita mentione animæ, quæ tamen potior eſt pars hominis, David nos pronunciet eſſe pulverem & lutum: Reſpondeo, hoc Deo ſufficere ad nos clementer ſuſtinendos, dum videt noſtra vita nihil eſſe fragilius. Etſi autem anima, poſtquam migravit ex ergaſtulo corporis, ſuperſtes manet: in ſe tamen nihil habet firmitudinis. Creata eſt ut corpus vivificet: ſed nulla vitæ gutta prædita eſt niſi quam Deus inſpirat. Quod ſi gratiam ſuam ſubducat Deus, anima non aliter flatus erit, quam corpus pulvis: certe in toto homine nonniſi mera vanitas reperietur.

17. At bonitas Jehovæ à ſeculo & uſque in ſeculum ſuper timentes eum, & juſtitia ejus ſuper filios filiorum.

17 וחסד יהוה מעולם ועד עולם על־יראיו וצדקתו לבני בנים׃

18. Iis qui cuſtodiunt fœdus ejus, & memores ſunt ſtatutorum ejus, ut faciant ea.

18 לשמרי בריתו ולזכרי פקדיו לעשותם׃

17. *At bonitas.*] Hoc tantum facit hominibus reſiduum, ut in Dei miſericordia ſubſiſtant: quia nimium deſiperent fulturam in ſe quærendo. Poſtquam autem exinanivit homines, opportunum ſolatium addit. Quamvis nulla ſit in ipſis virtus intrinſeca quæ non in fumum abeat, Deum tamen inexhauſtum eſſe vitæ fontem qui eorum ariditati ſuccurrat. Notanda eſt hæc antitheſis. quoſnam enim exuit omni virtute? nempe fideles qui regeniti ſunt Dei Spiritu, veraque pietate eum colunt: nihil tamen relinquit ubi ſpes eorum ſubſidat, præter meram Dei bonitatem. Cæterum quia æterna eſt Dei bonitas, non obſtat ſua fidelibus infirmitas quominus de æterna ſalute uſque ad finem & in morte ipſa glorientur. Neque enim eorum ſpem aliis temporum finibus includit David, quam Dei gratiam in qua fundata eſt. Bonitati ſubjicit *juſtitiam*. qua voce jam ſæpius diximus notari Dei præſidium quo ſuos tuetur ac conſervat. Deus ergo juſtus eſt: non quia quemcunque remunerat prout dignus fuerit, ſed quia fideliter cum ſuis agit, eos manu ſua protegendo. Hanc vero juſtitiam ſcite Propheta inferiore gradu ſtatuit tanquam effectum bonitatis. (Deut. 7. verſ. 9.) Eandem quoque ſuper filios & nepotes propagari dicit, ſecundum illud, Deus miſericors in mille generationes. Eſt autem hæc eximia amoris probatio, quod non tantum ſingulos in gratiam recipit, ſed quaſi hæreditario jure poſteros aſſociat, ut ejuſdem ſint adoptionis conſortes. Quomodo enim nos abjiceret qui filios noſtros & nepotes in tutelam ſuam recipiens, in eorum perſonis demonſtrat quam ſibi pretioſa ſit noſtra ſalus? Cæterum quia nihil magis proclive, quam ut falſo gratiæ Dei prætextu ſe deludant hypocritæ, vel filii degeneres perperam ad ſe rapiant quod patribus promiſſum eſt, iterum exceptio illa ponitur, Deum non aliis fore propitium niſi qui viciſſim cuſtodiunt ejus fœdus, quod ſua pravitate irritum reddunt increduli. Quod pro Dei timore, *cuſtodia* vel obſervatio *fœderis* ponitur, notatu dignum eſt: quia hoc modo ſignificat David, non alios eſſe veros Dei cultores niſi qui reverenter obediunt ejus verbo. Hinc longiſſime abſunt Papiſtæ, qui dum ſe putant æquare ſanctitate Angelos ipſos, excutiunt tamen Dei jugum, non ſecus ac rabioſæ belluæ, pedibus calcando ſacrum ejus verbum. Hinc ergo probe David æſtimat pietatem hominum, ſi Dei verbo ſe ſubjiciant, præſcriptamque ab eo regulam ſequantur. Quia autem initium ſumit fœdus à commendatione gratiæ, legitima ejus cuſtodia fidem inprimis & invocationem requirit. Nec ſupervacuum eſt quod addit, *Qui memores ſunt ſtatutorum ejus*, quamvis enim aſſidue Deus nos commonefaciat, ſtatim ad mundi curas delabimur, obſtrepunt multa avocamenta, multæ illecebræ ſoporem mentibus noſtris inducunt. Ita doctrinæ lucem ſuffocat oblivio, niſi ſe identidem excitent fideles. Vigere autem hanc memoriam dicit David, ſi in actione ſe exerceant homines: quia multis ad differendum ſatis prompta eſt lingua quibus nimis tardi ſunt pedes, & manus fere mortuæ.

19. Jehova in cælis ſtabilivit ſolium ſuum, & regnum ejus in omni dominatione.

19 יהוה בשמים הכין כסאו ומלכותו בכל משלה׃

20. Benedicite Jehovæ Angeli ejus potentes virtute, qui facitis verbum ejus, audiendo vocem verbi ejus.

20 ברכו יהוה מלאכיו גברי כח עשי דברו לשמע בקול דברו׃

21. Benedicite Jehovæ omnes exercitus ejus, miniſtri ejus, qui facitis beneplacitum ejus.

21 ברכו יהוה כל צבאיו משרתיו עשי רצונו׃

22. Benedicite Jehovæ omnia opera ejus in omnibus locis dominationis ejus: benedic anima mea Jehovæ.

22 ברכו יהוה כל מעשיו בכל מקמות ממשלתו ברכי נפשי את יהוה׃

19. *Jehova in cælis.*] Poſtquam retulit David Dei beneficia, quibus tam ſingulos noſtrum ſibi obſtringit, quam totam Eccleſiam proſequitur: nunc in genere extollit immenſam ejus gloriam. Summa autem eſt, quoties Dei fit mentio, ut diſcant homines tranſcendere totum mundum: quia ſuperat ejus majeſtas omnes cælos: deinde ut diſcant potentiam ejus non metiri humano modo, quia omnia imperia & dominationes ſub ſe continet. Ac nequis putaret terrenas ſolum creaturas cogi in ordinem, Angelos ipſos præcipue compellat. Porro eos in ſocietatem laudandi Dei accerſens, ſe & pios omnes admonet, nihil eſſe melius vel magis optabile quam laudare Deum: quando nulla Angelis præſtantior eſt exercitatio in qua ſe occupent. Certe Angeli magis voluntarii ſunt ad hoc officium & alacres, quam ut indigeant

digeant noſtris ſtimulis. nos vero qua fronte hortandi partes nobis ſumere audebimus, quorum tanta eſt ſegnities? Sed quamvis celeriter præcurrant Angeli, nos vix lente ſequamur: David tamen noſtra cauſa canendas Dei laudes illis commendat, ut eorum exemplo expergefaciat noſtrum torporem. Interea notandum eſt ejus conſilium quod attigi, ſermonem ſcilicet ad Angelos dirigere: ut ſciamus non alium illis eſſe propoſitum ſummum finem, quam extollendæ Dei gloriæ. Ideo ab una parte eos *virtute* ornat: ſed mox addit totos pendere à Dei nutu: *qui facitis* (inquit) *verbum ejus.* acſi diceret, quantalibet virtute ſint prædìti, nihil eſſe illis magis honorificum quam ut Deo pareant. nec tantum dicit Angelos exequi Dei mandata, ſed quo promptitudinem obſequii melius exprimat, dicit præſto ſemper eſſe ad capeſſenda ejus juſſa.

21. *Omnes exercitus ejus.*] Hac voce non ſtellas deſignat, ut quidam exponunt: ſed continuat eandem ſententiam. neque tamen ſupervacua eſt repetitio: quia per exercitus intelligit myriades myriadum, quæ aſtantes ad Dei tribunal, excipiunt omnes ejus nutus. Ac vocat iterum *miniſtros qui faciunt ejus beneplacitum*, ut ſciamus non eſſe defixos in otioſa gloriæ Dei ſpeculatione, ſed quum nobis dati ſint miniſtri & cuſtodes, ad opus eſſe paratos. Pro voce verbi, nunc ponit *beneplacitum.* ſcite utrumque, & optima ratione. nam ſol, & luna, & ſtellæ, quamvis obſervent leges à Deo præſcriptas, quia tamen intelligentia carent, proprie non dicuntur verbo & voci ejus parere. Transfertur quidem interdum ad mutas creaturas obediendi verbum: ſed metaphorice dicuntur *audire vocem Dei*, dum arcano naturæ inſtinctu obtemperant ejus decretis. Proprie vero in Angelos hoc competit, quibus propoſitum eſt Deo morem gerere, ſicuti quid fieri velit ex ſacro ejus ore intelligunt. Jam beneplaciti nomen clarius lætum & hilare obſequium exprimit: acſi dixiſſet, Angelos non ſolum Dei præceptis obſequentes eſſe, ſed libenter & cum ſumma oblectatione excipere ejus nutus, ut ejus beneplacitis obtemperent. hoc enim valet nomen Hebraicum, ut alibi diximus.

22. *Omnia opera ejus.*] Tandem ſe ad omnes creaturas convertit: quia licet voce & ſenſu careant, quodammodo tamen perſonare debent laudes Dei. idque facit noſtra cauſa, ut doceat, nullum cæli ac terræ angulum Dei laudibus vacuum eſſe. Minus enim excuſationis nobis reſtat, dum omnia Dei opera opificem ſuum laudando, ſocordiam nobis exprobrant, niſi ſaltem eorum exemplum imitamur. *Omnia autem loca dominationis* diſerte ponere videtur, quo ferventius operam ſuam huc impendant fideles. Nam ſi in celebrandis Dei laudibus ne regiones quidem, ubi nulla vox ejus auditur, mutæ eſſe debent, quomodo ſilere nobis fas erit, quibus os Deus aperit, ſacra ſua voce nos præveniens? Tandem oſtendit David in quem finem recenſuerit Dei beneficia, & imperium extulerit, nempe ut ſe magis ad eum laudandum animaret.

ARGUMENTUM PSALMI CIV.

Differt hic Pſalmus à proximo, quia neque de ſpecialibus Dei beneficiis differit quæ reſident in Eccleſia, neque ad ſpem cæleſtis vitæ nos attollit: ſed in mundi opificio & naturæ ordine vivam ſapientiæ, potentiæ, & bonitatis Dei imaginem nobis depingens, ad eum laudandum nos hortatur, quatenus in hac caduca vita ſe nobis patrem exhibet.

PSALM. CIV.

BEnedic anima mea Jehovæ: Jehova Deus mi, magnificatus es valde, laudem & decorem induiſti.	1 ברכי נפשי את יהוה יהוה אלהי גדלת מאד הוד והדר לבשת׃
2. Amictus luce ſicut veſtimento, extendens cælos quaſi velum:	2 עטה אור כשלמה נוטה שמים כיריעה׃
3. Contignans in aquis cœnacula ſua, ponens nubes vehiculum ſuum, ambulans ſuper alas venti:	3 המקרה במים עליותיו השם עבים רכובו המהלך על כנפי רוח׃
4. Faciens angelos ſuos ventos, miniſtros ſuos ignem flammeum.	4 עשה מלאכיו רוחות משרתיו אש להט׃

BEnedic anima mea.] Poſtquam ſe hortatus eſt ad Deum laudandum, ſubjicit, argumentum ſuppetere, oblique ſe & alios ingratitudinis damnans, ſi Dei laudes, quibus nihil debebat eſſe notius vel magis celebre, ſepeliantur ſilentio. *Lucem* vero qua Deum *ornatum* eſſe dicit comparans *veſtimento*, ſignificat, quamvis inviſibilis ſit Deus, conſpicuam tamen eſſe ejus gloriam. Si de eſſentia ejus agitur, habitat certe lucem inacceſſam: ſed dum irradiat totum mundum ſuo fulgore, hæc veſtis eſt in qua viſibilis quodammodo nobis apparet qui in ſeipſo erat abſconditus. Atque hæc doctrina cognitu apprime utilis eſt. nam ſi conentur homines aſcendere ad Dei altitudinem, quamvis nubes transvolent, deficere tamen in medio curſu neceſſe eſt. Et certe deſipiunt qui Deum quærunt in nuda ſua majeſtate. Quare ut conſpectu ejus fruamur, prodeat in medium cum ſuo ornatu, hoc eſt, vertamus oculos ad pulcherrimam hanc mundi fabricam, in qua vult à nobis conſpici, ne perperam in arcanæ eſſentiæ inveſtigatione ſimus curioſi. Jam quum Deus ſe luce veſtitum nobis offerat, non eſt cur ignaviæ ſuæ prætextum captent qui ejus notitiam ſubterfugiunt, acſi in profundis tenebris lateret. *Cælum* vero *velum* eſſe non intelligit quo ſe occultet Deus, ſed quo decoretur ejus majeſtas: acſi diceret regium eſſe tentorium.

3. *Contignans in aquis.*] Pluribus verbis explicat David quod breviter & figurate dixerat de veſtimento Dei. Huc tendit ſumma, non eſſe penetrandum ſuper cælos quærendi Dei cauſa, quia nobis occurrit in mundo, vivaſque picturas oculis noſtris paſſim ingerit. Porro ne imaginemur aliquid in eo adventitium, quaſi creato mundo auctus fuerit: tenendum eſt, eum noſtra cauſa veſtem induere. Paulò durior videtur eſſe metaphora, quod Deus cœnacula ſua in aquis contignet: ſed ex re incomprehenſibili plus admirationis movere voluit Propheta. Niſi enim trabes ſolidæ ſint ac robuſtæ, ne mediocris quidem ædificii moles illis incumbet. Quod ergo Deus aquas cæleſti ſuo palatio ſupponit, quis non ad miraculum tam incredibile obſtupeſcat? Stupori autem noſtro non ſupervacuæ ſunt tales hyperbolæ, quæ vix ad levem uſque notitiam nos expergefaciunt. Quid ſit *ambulare ſuper alas ventorum*, ex ſequenti verſu melius liquet, ubi dicit ventos eſſe nuncios Dei. En quomodo in nubibus equitet Deus, & ventorum alis vehatur: quia ſcilicet ventos & nubes circumagit ſuo arbitrio, & qua vult celeritate huc illuc tranſmittens, præſentiam ſuæ virtu-

virtutis demonſtrat. His autem verbis admonet, non temere ventos ſurgere, nec fortuito impetu oriri fulgura, ſed Deum ſuo imperio regere & moderari quicquid eſt perturbationum in aëre. Cujus doctrinæ duplex eſt fructus. nam ſi quando ſurgant noxii venti, Auſter aërem inficiat, ſegetes exurat Aquilo: non arbores tantum, ſed ædificia proſternat: alii venti fruges terræ corrumpant: trepidandum eſt ſub iſtis Dei flagellis. Rurſum ſi Deus ſuavi aliquo vento temperet nimium calorem, ſi Aquilone purget aërem fæculentum, ſi Auſtris aridam terram humectet: hic reputanda eſt ejus bonitas. Cæterum quia locum hunc Apoſtolus citat ad Hebræos cap. 1. verſ. 7. & transfert ad Angelos, communi fere conſenſu Græci & Latini interpretes putarunt allegorice Davidem loqui. Sic quia Paulus locum ex Pſalmo 19. verſ. 5. citans, uſus fuerat transferre ad Apoſtolos quod de cælis illic dicitur, totus Pſalmus ad allegoriam inſcite tractus eſt. Porro Apoſtoli conſilium non fuit ſimpliciter exponere, quid doceat hoc loco Propheta: ſed quia Deus quaſi in ſpeculo nobis viſibilis proponitur, merito analogiam poſuit Apoſtolus inter obſequium quod palam & ſenſibili modo venti Deo præſtant, & quod ipſe ab Angelis recipit. Summa eſt, ſicuti Deus ventis utitur tanquam nuntiis, huc illuc convertit, ſedat & excitat quoties viſum eſt, ut eorum miniſterio declaret ſuam potentiam: ſic Angelos eſſe creatos ut Dei juſſa exſequantur. Et certe male proficimus in ſpectaculo totius naturæ, niſi fidei oculis ſpeculamur ſpiritualem illam gloriam, cujus imago in mundo nobis apparet.

5. Fundavit terram ſuper baſes ſuas, non nutabit in ſeculum & uſque.

5 יסד ארץ על מכוניה בל תמוט עולם ועד:

6. Abyſſo quaſi veſte operuit eam, ſuper montes ſtabunt aquæ.

6 תהום כלבוש כסיתו על הרים יעמדו מים:

7. Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui celeriter tranſibunt.

7 מן גערתך ינוסון מן קול רעמך יחפזון:

8. Aſcendent montes, deſcendent valles ad locum quem fundaſti eis.

8 יעלו הרים ירדו בקעות אל מקום זה יסדת להם:

9. Terminum poſuiſti, non præteribunt, non revertentur ad operiendam terram.

9 גבול שמת בל יעבורון בל ישובון לכסות הארץ:

5. *Fundavit terram.*] Hic in terræ ſtabilitate prædicat Dei gloriam, quomodo enim locum ſuum tenet immobilis, quum in medio aëre pendeat, & ſolis aquis fulciatur? Non caret hoc ratione fateor, quia terra infimum locum occupans, ut eſt centrum mundi naturaliter illic ſubſidit, ſed in hoc quoque artificio relucet admirabilis Dei potentia. Deinde ſi aquæ ſupereminent, quia leviores ſunt, cur non ergo circulariter operiunt totam terram? Hic certe non habent Philoſophi quod reſpondeant, niſi Dei providentia correctum fuiſſe naturæ ordinem, ut hoſpitium pateret hominibus. Niſi enim certo Dei conſilio cohiberi aquas concedant, non modo malitiam ſuam produnt & ingratitudinem, ſed inſcitiam quoque, ſuntque prorſus barbari. Non abs re igitur inter Dei miracula Propheta commemorat quod incredibile nobis eſſet, niſi experientia convinceret verum eſſe. Ac nimium maligni ſumus, niſi hoc tam certo documento admoniti, diſcamus nihil in mundo eſſe firmum, niſi quatenus Dei manu fulcitur. Neque enim mundus habet à ſeipſo originem: itaque non aliunde pendet totus naturæ ordo, quam ex decreto Dei, quo indita eſt ſingulis elementis ſua proprietas. Nec tantum hortatur nos Propheta ad gratias Deo agendas, ſed in futurum tempus confirmat, ne trepide & anxie vivamus in mundo: ſicuti neceſſe eſſet niſi teſtatus eſſet Deus ſe hominibus ſtationem dediſſe in terra. Atque hoc ſingulare ejus beneficium eſt, quod vult tranquillis animis nos in terra habitare: quia æternis eam fulturis ſtabilivit. Etſi enim ſæpe contingit urbes chaſmate perire, corpus tamen ipſum terræ manet: imo quicquid motuum accidit melius confirmat, terram ſingulis momentis abſorberi poſſe niſi arcana Dei virtute ſtaret.

6. *Abyſſo tanquam veſte.*] Poteſt hoc duobus modis intelligi, vel quod nunc mare operiat terram quaſi veſtis: vel quod initio, antequam aquas voce ſua Deus in acervum colligeret, abyſſo tecta fuerit terra. Videtur tamen illud melius quadrare Prophetæ verbis, nunc mare eſſe terræ integumentum. Nam in prima creatione abyſſus non tam veſtis erat quam ſepulchrum: quia nihil ab ornatu magis alienum eſt, quam confuſa illa vaſtitas & informe chaos. Hic ergo, meo judicio, laudatur mirabilis iſta diſtinctio, quod quum abyſſus forma careat, ſit tamen ornatus terræ. Quia videtur alio ducere contextus, illuc magis inclinant interpretes, tectam fuiſſe terram abyſſo antequam ſegregarentur aquæ. Sed facile ſolvitur hic nodus, ſi futurum tempus ubi dicit Propheta, *Super montes ſtabunt aquæ*, in potentialem modum reſolvas, quod Hebræis ſatis tritum eſt. Et certe non dubito, ubi dixit Propheta veſtitam fuiſſe terram aquis, exegetice addere, Super montes ſtarent aquæ, niſi ab increpatione tua fugerent. Unde enim fit ut emineant montes, valles ſubſidant, niſi quod fixi ſunt aquis limites, ne reverti queant ad terram mergendam? Videmus nunc contextum optime fluere, quod mare, quum abyſſus ſit horrorem ſua vaſtitate incutiens, ſpecioſa tamen ſit terræ veſtis. Metaphoræ autem ratio eſt, quia exſtat aperta terræ ſuperficies. Confirmat autem Propheta hoc non eſſe fortuitum. niſi enim aquas cohibeat Dei providentia, annon protinus ſe projiciunt aquæ ad terram obruendam? Quænam reſtabit montium & vallium diſtinctio? Ergo Propheta non temere contendit claro miraculo, non autem naturaliter fieri ut appareat aliqua terræ facies. Nam ſi habenas mari Deus laxaret, repente ſtarent aquæ ſuper montes. Nunc quia fugiunt ab objurgatione Dei, feruntur in diverſam partem. *Objurgationem* vero Dei & *vocem tonitrui* vocat terrificum imperium quo Deus prohibet violentos maris impetus. Quanquam enim ſolo nutu hanc diſtinctionem poſuit, & hodie tuetur: ſi tamen reputamus quam tumultuoſe deſpumet maris fervor, non fruſtra dixit Propheta, violento Dei imperio compeſci: ſicuti & Jeremiæ 5. verſ. 22. & Job 28. verſ. 25. Deus hac in parte ſuam potentiam magnifice commendat. *Adſcenſus montium & vallium deſcenſus* poëticæ ſunt figuræ, niſi Deus abyſſum ſuis finibus includeret, nullum fore amplius diſcrimen inter montes & valles, quia totam terram ingurgitaret. Valet autem hæc diverſitas ad terræ pulchritudinem. Dicit vallibus fundatum eſſe locum: quia in radicibus montium nihil eſſet ſolidi, ſed illic dominaretur abyſ-

fus;

ſus, niſi Deus vacua illic ſpatia eſſe quaſi præter naturam juberet.

9. *Terminum poſuiſti.*] A perpetuo ordine melius amplificat quod poſuit miraculum. Phyſici hoc fateri coguntur, & unum eſt ex primis rudimentis, quum aqua circularis ſit, & medium locum inter terram & aërem occupet: fieri cæleſti providentia ut pars terræ ſicca ad hominum habitationem emineat. Hujus etiam rei clara eſt nautis demonſtratio: imo ſi rudiſſimi idiotæ tantum aperiant oculos, videbunt in mari excelſas aquarum moles longe ſupra terræ ſitum. Certe nulli aggeres, nulla etiam ferrea clauſtra facerent tam firmam conſiſtentiam qualis in aquis natura fluidis cernitur. Sicuti autem nuper dixi, terræ motus & hiatus qui cladem afferunt certis locis, non evertere terræ ſtatum: ita & de mari ſciendum eſt, quum alicubi fines ſuos tranſilit, fixam tamen manere legem, ut vacua maneat terræ incolis habitatio. Mare Balticum ætate noſtra longos agrorum tractus ſubmerſit, magnamque jacturam Flandris intulit, & aliis vicinis gentibus. ſed hoc ſpeciali diluvio admoniti ſumus quid fieret ſublato Dei obſtaculo. Qui enim factum eſt ut non ſimul abſorpti ſimus, niſi quia Deus ſævum illud elementum verbo ſuo continuit? Summa eſt, quamvis naturaliter poſſint aquæ terram tegere, hoc tamen non futurum: quia ſicuti æterna eſt veritas, ita ſtabilis manet hic ordo quem Deus verbo ſuo ſancivit.

10. Emittens fontes in convallibus *qui* inter montes ambulabunt.	10 המשלח מעינים בנחלים בין הרים יהלכון׃
11. Bibent omnes beſtiæ agri: frangent onagri ſitim ſuam.	11 ישקו כל חיתו שדי ישברו פראים צמאם׃
12. Juxta eos volucris cæli habitabit, è medio ramorum dabunt vocem.	12 עליהם עוף השמים ישכון מבין עפאים יתנו קול׃
13. Irrigans montes è cænaculis ſuis: è fructu operum tuorum ſatiabitur terra.	13 משקה הרים מעליותיו מפרי מעשיך תשבע הארץ׃
14. Germinare faciens herbam animali, & herbam in miniſterium hominis, ad educendum panem è terra.	14 מצמיח חציר לבהמה ועשב לעבדת האדם להוציא לחם מן הארץ׃
15. Et vinum exhilarat cor hominis, ad illuſtrandum faciem *ejus* oleo: & panis cor hominis ſuſtentat.	15 ויין ישמח לבב אנוש להצהיל פנים משמן ולחם לבב אנוש יסעד׃

10. *Emittens fontes.*] Aliud tam virtutis quam gratiæ Dei ſpecimen deſcribit, quod fontes ſcaturire facit in montibus, qui per medias valles decurrant. Quamvis enim terræ ſiccitas nobis ad hoſpitium neceſſaria ſit, niſi tamen ſuppeteret aqua ad potum, & terra aperiret ſuas venas, deficeret omne genus animalium. Hoc ergo temperamentum commendat Propheta, quod terra quamvis arida ſit, ſuo tamen liquore nos irrigat. נחלים alii vertunt torrentes aut flumina, ſed rectius eſt quod poſui. Quo etiam ſenſu continuo poſt additur, *inter montes fluere*, quum tamen vix credibile ſit ex rupibus & lapidoſis locis poſſe oriri fontes. Quæritur tamen cur *animalia agri* potius dicat Propheta *ſitim ſuam reſtinguere*, quam homines, quorum gratia conditus eſt mundus. Mihi non dubium eſt quin ad amplificandam Dei gratiam ita loquutus ſit Propheta, quod ſuam curam ad bruta pecora extendere dignatur, imo uſque ad *onagros*: ſub qua ſpecie ſylveſtres feras deſignat. Et Propheta conſulto deſerta loca commemorat, ut quiſque noſtrum deinde amœniores terræ partes & cultu aliquo nitidas cum illis comparet. Nam per vaſtas quoque ſolitudines decurrunt fluvii, illic feræ beſtiæ aliqua Dei benedictione fruuntur: nec ulla eſt tam ſterilis regio quæ non habeat ſparſas arbores, ubi reſonant avium cantus. Quum in locis illis ſqualidis appareant ſigna Divinæ bonitatis & potentiæ, quantum admirationis meretur uberrima tot bonorum copia quæ in regionibus cultis & amœnis conſpicitur? Certe ubi non modo flumen unum decurrit, creſcit herba paſcendis feris, ex paucis arboribus audiuntur avium voces, ſed multiplex bonorum copia, & varietas oculis noſtris ubique ſe ingerit, pluſquam brutus eſt ſtupor, niſi ad piam gloriæ Dei meditationem eo magis ſumus intenti. Eandem ſententiam proſequitur quum dicit Deum *irrigare montes è cænaculis ſuis*. Hoc enim miraculum eſt non vulgare, quod montes qui videntur perpetua ſiccitate damnati, & quodam modo in aëre pendent, abundant tamen paſcuis. Itaque merito concludit Propheta, non aliunde provenire hanc fœcunditatem, niſi quia Deus arcanus eſt agricola. Tribuit quidem improprie laborem Deo, ſed non ſine ratione: quia Deus terram ex ſua quiete benedicens, efficacius agit quam ſi cuncti mortales aſſiduo labore ſe conficerent.

14. *Germinare faciens.*] Jam ad homines deſcendit, quos Deus peculiari cura tanquam filios dignatur. Poſtquam ergo de brutis animalibus loquutus eſt, dicit ſegetem produci, & ex ea panem ad homines alendos. neque id modo, ſed oleum quoque & vinum accedere: quæ duæ non ſolum ad neceſſitatem, ſed ad lætitiam pertinent. Particulam לעבדת nonnulli de labore accipiunt quem agriculturæ impendunt homines. Nam quum ſponte & ſine humana induſtria herbæ in montibus naſcantur, ſegetes & herbas ſativas hominum operam requirere & ſudorem notum eſt. Ergo ſecundum eos ſenſus erit, Deum benedicere hominum obſequio quod præſtant in agrorum cultu. Sed quoniam argutia hæc coactior eſt, rectius ſumetur hoc nomen pro ſervitio, ut vulgo loquuntur. Nomen *panis* ſicui reſtricte accipere libeat non repugno. quanquam probabile eſt reliquos cibos etiam comprehendi: tantum mihi diſplicet eorum ſententia qui panem excludunt. Infirma autem eſt eorum ratio, quia paulo poſt ſubjicitur alius panis uſus, quod ſcilicet cor hominis confirmet: quia illic diverſo modo res eadem exprimitur. Intelligit autem Propheta Deum producere herbam hominibus qua alantur, non modo quia victum in tritico terra ſuppeditat, ſed etiam in herbis & aliis fructibus: quia non uno tantum genere alimenti paſcimur.

15. *Vinum Lætificat.*] His verbis admonet, Deum non modo proſpicere hominum neceſſitati, & largiri quantum ad ordinarios vitæ uſus ſufficiat: ſed pro ſua indulgentia liberalius eos tractare, dum corda exhilarat vino & oleo. Nam certe aquæ potu contenta eſſet natura. ergo ex Dei largitate eſt vini

vini acceſſio. Quod dicit *illuſtrari facies oleo*, varie exponitur. Nam quia triſtitia obnubilat faciem, quidam intelligunt nitere lætitia dum commoditate vini & olei fruuntur homines. Quidam argutius ad lucernas referunt: quod ratione caret. Alii literam ת comparative accipiunt: acſi dictum eſſet, nitere magis hominum facies vino quam ſi oleo perunctæ eſſent. Ego vero non dubito quin de unguentis loquatur Propheta. hoc enim vult, Deum non modo erogare hominibus quod ſatis ſit ad frugalem uſum, ſed ulterius progredi, dum eorum deliciis indulget. Ac poſtremum membrum ubi dicit *panem cor hominis fulcire*, ſic interpretor, ſufficeret quidem homini panis ad vitam tolerandam, ſed Deus vinum & oleum de ſuperabundanti, ut ajunt, largitur. Non eſt igitur ſupervacua repetitio de panis uſu, ſed ad commendationem gratiæ Dei poſita eſt, dum molliter & laute homines, tanquam pater indulgentiſſimus, filios educat. Ergo iterum dicit, quum Deus ſatis benignum ſe nutritium in pane præſtet, bis & ter in ipſis lautitiis eſſe liberalem. Cæterum quia nihil proclivius eſt quam Dei beneficentia ad luxum abuti, quo largior erga homines eſt Deus, eo magis cavendum eſt ne abundantiam quæ offertur, contaminent ſua intemperie. Ideo non abs re

Rom. 13. vers. 14. vetat Paulus curam carnis agere pro concupiſcentiis ejus. Nullus enim erit modus ſi carni demus quantum appetit. Et ſane ſicuti benigne nobis Deus indulget, ſic legem temperantiæ ſtatuit, ut quiſque in ſua abundantia ſponte ſe reſtringat. Emittit boves & aſinos ad paſcua, qui ſua ſatietate contenti ſunt: nobis pluſquam opus ſit ſuppeditans, præſcribit certam moderationem, ne ſua beneficia nimis cupide voremus, ac in largiore copia frugalitatem noſtram examinat. Hæc autem legitima utendi ratio, ut nos ſuſtentet victus, non opprimat. Mutua etiam communicatio quam Deus præcipit, optimum eſt intemperantiæ frænum. Hac enim lege abundant divites, ut fratrum ſuccurrant inopiæ. Certe quia Propheta ingluviem hominum hic cum Dei providentia non permiſcet, colligimus ex ejus verbis vino licere uti, non modo ad neceſſitatem, ſed ad lætitiam, ſed hæc lætitia ſobrie temperanda eſt: primum ne ſui obliviſcantur homines, ſenſus ſuos obruant, vires ſuffocent, ſed lætentur coram Deo ſuo, quemadmodum jubet Moſes: & cum gratitudine ſe ita exhilarent Levit. 23. vers. 40.
ut agiliores reddantur ad Dei obſequium. Qui hoc modo gaudebit, paratus quoque erit ad ferendam triſtitiam quoties ita viſum Deo fuerit. Tenenda enim eſt illa Pauli regula, Didici abundare, didici Philip. 4. vers. 12.
& penuriam pati. Nam ſi quod immineat iræ Dei ſignum, etiam qui circumfluet omni lautioris annonæ copia, reſtrictus erit in ſuo victu: quia ſe ad ſaccum & cinerem vocare intelliget. Multo itaque magis à deliciis prohibetur quem ipſa inopia cogit eſſe frugi ac ſobrium. Denique ſi alium cogat morbus à vino abſtinere, alius vappam tantum habeat, alius non niſi aquam, contentus ſit quiſque ſua ſorte, ac ſe lætitia quam Dominus non concedit, libenter & placide abdicet. Idem & de oleo dicendum. Videmus unguenta fuiſſe in uſu frequenti apud Judæos, ſicuti apud reliquos Orientales. Alia eſt hodie noſtra ratio, quia magis ad medicinam ſervantur unguenta quam ad delicias adhibeantur. Dicit tamen Propheta in hunc quoque uſum dari oleum ut ſe eo perfundant homines. Sed notandum eſt, quia plus ſatis ad voluptatem proclives ſunt homines, ne ad luxuriam trahatur libertas, temperantiæ legem non debere ſeparari à Dei beneficentia. Et ſemper addenda eſt hæc exceptio, nequis licentiam ex hac doctrina arripiat. Cæterum ubi ſedulo admoniti fuerint homines de cupiditate frænanda, utile eſt ipſis cognoſcere, Deum permittere moderatas delicias ubi facultas ſuppetit. alioqui ne pane quidem & vino tranquilla conſcientia unquam veſcentur: imo tandem de ſapore aquæ ſcrupulum ſibi injicient: certe ad menſam nunquam accedent niſi trepide. Interea major pars mundi ſine delectu in delicias ſe ingurgitabit: quia non expendet quid ſecundum Deum liceat: quia optima frugalitatis magiſtra nobis eſſe debet paterna Dei indulgentia.

16. Satiabuntur arbores Jehovæ, cedri Libani quas plantavit:
16 יִשְׂבְּעוּ עֲצֵי יְהוָה אַרְזֵי לְבָנוֹן אֲשֶׁר נָטָע׃

17. Quia illic aves nidificant, ciconia cujus abietes ſunt domus.
17 אֲשֶׁר שָׁם צִפֳּרִים יְקַנֵּנוּ חֲסִידָה בְּרוֹשִׁים בֵּיתָהּ׃

18. Montes excelſi * damis, rupes latibulum erinaceis.
18 הָרִים הַגְּבֹהִים לַיְּעֵלִים סְלָעִים מַחְסֶה לַשְׁפַנִּים׃

* vel, capreis.

16. *Satiabuntur.*] Rurſum concionatur de generali Dei providentia in fovendis omnibus mundi partibus. ac primum dicit, illa irrigatione de qua loquutus fuerat, ſaturari arbores, ut hoſpitium avibus præbeant. Poſtea dicit latebras etiam dari capreis ſylveſtribus & cuniculis: ut appareat nullam mundi partem ab optimo Patre negligi, & nullam creaturam curæ ejus eſſe expertem. Ab hominibus ergo ad arbores tranſit Propheta: acſi diceret, non eſſe mirum, ſi Deus homines ad imaginem ſuam creatos tam liberaliter nutriat, quum ne ad arbores quidem curam ſuam extendere gravetur. *Arbores Jehovæ* nominat proceras & quæ pulchritudine excellunt: quia in illis magis conſpicua eſt Dei benedictio, & vix ſuccus ullus terræ ſufficere poſſe videtur qui ad tantam altitudinem perveniat dum folia quotannis reſumunt.

19. Fecit lunam in ſtata tempora: ſol cognovit occaſum ſuum.
19 עָשָׂה יָרֵחַ לְמוֹעֲדִים שֶׁמֶשׁ יָדַע מְבוֹאוֹ׃

20. Ponis tenebras, & fit nox: in ea reptat omnis beſtia ſylvæ.
20 תָּשֶׁת חֹשֶׁךְ וִיהִי לָיְלָה בּוֹ תִרְמֹשׂ כָּל חַיְתוֹ יָעַר׃

21. Leones rugiunt ad prædam, & ad quærendum à Deo cibum ſuum.
21 הַכְּפִירִים שֹׁאֲגִים לַטָּרֶף וּלְבַקֵּשׁ מֵאֵל אָכְלָם׃

22. Orietur ſol, colligentur, & ad ſua domicilia accubabunt.
22 תִּזְרַח הַשֶּׁמֶשׁ יֵאָסֵפוּן וְאֶל מְעוֹנֹתָם יִרְבָּצוּן׃

23. Egredietur homo ad opus ſuum & ad laborem ſuum uſque ad veſperum.
23 יֵצֵא אָדָם לְפָעֳלוֹ וְלַעֲבֹדָתוֹ עֲדֵי עָרֶב׃

19. Facit

19. *Fecit lunam.*] Deſcendit jam ad aliud elogium Divinæ providentiæ, Deum ſcil. ita diſpoſuiſſe ſolis & lunæ curſum, ut aptiſſime cohæreat alterna ſeries. Adeo enim ordinem non perturbat varietas in mutuis vicibus, ut facile appareat non potuiſſe tempus melius diſtingui. Quum dicit lunam creatam eſſe in tempora ſtatuta, conſentiunt interpretes hoc debere intelligi de ſtatis & præfixis diebus. Nam quum ſoleant Hebræi ſupputare menſes ſuos à luna, eam habent directricem ad feſtos dies, & tam ad ſacros quam politicos conventus. Ego tamen ſynecdochen ſubeſſe non dubito: acſi dixiſſet Propheta, lunam non modo dies à noctibus diſtinguere, ſed etiam notare dies feſtos, deſcribere annos & menſes, denique accommodatam eſſe ad multiplices uſus: quia ex ejus curſu petitur temporum diſtinctio. Quum dicit *ſolem cognoſcere occaſum ſuum*, non tantum de quotidiano circuitu intelligo: ſed quia gradatim nunc accedens propius ad nos, nunc recedens, ſuas ſtationes metiri noverit, ex quibus æſtatem, hyemem, ver & autumnum conficiat. *Reptare noctu* dicit *beſtias ſylvæ*, quia timide egrediuntur ex ſuis latebris. Quidam verbum רמש pro ambulare accipiunt: ſed propria ſignificatio non male convenit, quia etſi inedia ſæpe feras adigit ad rabiem, captant tamen noctis tenebras: ideo propter hanc timiditatem dicuntur reptare.

21. *Leones rugiunt.*] Tametſi leones ſi fames eos cogat, etiam media luce prodeunt & rugitum edunt, deſcripſit tamen Propheta quid frequentius accidere ſoleat. dicit ergo leones interdiu progredi non audere, ſed tenebris noctis fretos proſilire ad prædam. Atque hic mirabilis Dei providentia apparet, quod tam formidoloſum animal in antro ſe continet, ut liberior ſit hominibus ambulatio. Quod autem majore interdum licentia vagantur leones, id defectioni Adæ imputandum eſt, quæ illi dominium in feras beſtias abſtulit. Manent interea reliquiæ quædam priſtinæ benedictionis Dei, quod diurna luce quaſi repagulis vel catenis Deus tot truculentas beſtias continet. *Cibum à Deo quærere* dicens, non intelligit ad Dei curam ſe conferre acſi eum nutritium agnoſcerent: ſed rem ipſam deſignat, quod ſcilicet mirabili ratione Deus beſtiis tam voracibus alimentum provideat.

22. *Oritur ſol.*] Proſequitur illam ſententiam, ſic diſtribui à Deo temporum vices, ut dies ſit proprius hominis. Niſi enim tot feras nobis infeſtas cohiberet Deus, mox actum foret de genere humano. Quum ergo jam poſt lapſum hominis videri poſſint beſtiæ in perniciem noſtram natæ, & obvios quoſque diſcerpant ac lanient: neceſſe eſt ſævitiam hanc Dei providentia clauſam teneri. Eas autem ut recludat in antra ſua tantum pro terrore lucem ſolis opponit. Gratiam hanc magis commendat Propheta à neceſſitate: quia nulla alioqui libertas eſſet hominibus verſandi in labore vel negotiis. Quod ergo luce protegitur homo contra vim & injurias belluarum, in eo perſpicitur incomparabilis Dei bonitas, qui humanis commodis tam paterne proſpexit.

24. Quam magnificata ſunt opera tua Jehova! omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra opibus tuis.	24 מה רבו מעשיך יהוה כלם בחכמה עשית מלאה הארץ קנינך:
25. Hoc mare magnum & ſpatioſum regionibus, illic reptile & non numerus, animalia puſilla cum magnis.	25 זה הים גדול ורחב ידים שם רמש ואין מספר חיות קטנות עם גדולות:
26. Illic naves ambulant, Leviathan quem formaſti ut ludat in eo.	26 שם אניות יהלכון לויתן זה יצרת לשחק בו:

24. *Quam magnificata.*] Non enumerat Propheta integram operum Dei deſcriptionem, quod immenſum foret: ſed tantum ſpecies quaſdam attingit, ut accuratius apud ſe quiſque reputet ac meditetur qua providentia Deus totum mundum & ſingulas ejus partes gubernet. Itaque ſermonem ſuum abrumpens, cum admiratione exclamat: *Quam magnificata ſunt opera tua:* ſicuti tunc demum juſtus honor tribuitur Deo, ubi ſtupore correpti fatemur linguas noſtras & ſenſus omnes deficere. Quod ſi exigua operum Dei portio nos obſtupeſcere cogit, quantulus erit ingenii noſtri modus ut ſolidam magnitudinem capiat? Primo autem dicit ſapienter Deum omnia feciſſe: deinde addit terram plenam ac refertam eſſe ejus copiis. Porro nomine *ſapientiæ* non excludit potentiam, ſed intelligit nihil in mundo eſſe confuſum: quin potius ſumma ratione ordinatam eſſe tot rerum miſturam, ut nihil vel addi, vel detrahi, vel corrigi queat. Hoc vero elogium pravis imaginationibus opponitur quæ nobis ſæpe obrepunt, ubi nos in Dei operibus fugit ejus conſilium. Quaſi vero ſtultitiæ noſtræ obnoxius ſit Deus, ut cogatur reprehenſores ferre, qui in reputandis ejus operibus cæcutiunt. Eodem quoque elogio veſaniam eorum coarguit Propheta, qui mundum fortuito conflatum eſſe ſomniant, ſicuti Epicurus ex atomis nugatus eſt compoſita fuiſſe elementa. Quum autem pluſquam brutum ſit commentum illud, tam concinnam fabricam & inæſtimabili ornatu diſtinctam, ex cæco atomorum concurſu concretam fuiſſe, Propheta hic nos Dei ſapientiam & incredibile artificium quod refulget in tota mundi gubernatione, diligentius attendere jubet. Sub *opibus* comprehenditur bonitas Dei, & beneficentia. Neque enim ſibi dives eſt, ſed in bonum noſtrum exuberat, nequid in uſus noſtros deſit. Terram vero non eſſe tam fœcundam à ſe ipſa vel locupletem, ſed liberalitatis Dei miniſtram nobis teſtatum eſſe debet.

25. *Hoc mare magnum.*] Poſtquam de terrenis gloriæ Dei teſtimoniis concionatus eſt, in mare quoque aſcendit, docens illud novum eſſe potentiæ Dei & ſapientiæ ſpeculum. Nam ſi mare piſcibus vacuum eſſet, ſolo tamen amplitudinis conſpectu jam eſſet admirabile, præſertim dum nunc ventis & tempeſtatibus intumeſcit, nunc ſedatum reſidet. Jam navigatio quamvis ab hominum induſtria profecta ſit, pendet tamen ex Dei providentia, qui tranſitum hominibus per aquas conceſſit. Sed piſcium abundantia & varietas gloriam Dei non parum amplificat in mari. *Balænam* tamen vel cetum præcipue celebrat: quia ſolum hoc animal ſatis ſuperque formidabilem Dei virtutem ante oculos exhibet. quare & de eo tam longus ſermo in libro Job texitur. Quia autem motus ejus ingenti concuſſione non minus corda hominum quam mare perturbat, Propheta hunc motum *luſus* nomine deſignat, reſpectu Dei: acſi diceret, balænis datum eſſe campum illum in quo ſe exerceant.

27. Omnia ad te reſpiciunt ut des eſcam eorum tempore ſuo.	27 כלם אליך ישברון לתת אכלם בעתו:

28. Dabis

28. Dabis illis, colligent: aperies manum tuam, ſatiabuntur bono.

28 תתן להם ילקטון תפתח ידך ישבעון טוב:

29. Abſcondes faciem tuam, terrebuntur: colliges ſpiritum eorum, deficient, & in pulverem ſuum revertentur.

29 תסתיר פניך יבהלון תסף רוחם יגועון ואל עפרם ישובון:

30. Emittes Spiritum tuum, creabuntur: & renovabis faciem terræ.

30 תשלח רוחך יבראון ותחדש פני אדמה:

27. *Omnia ad te.*] Hic rurſus Propheta Deum nobis providum erga omne animalium genus patremfamilias & nutritium deſcribit. Prius dixerat fœnum creari in montibus unde alantur jumenta: ſubminiſtrari leonibus ipſis victum ejuſdem Dei manu, quamvis ex rapto vivant: nunc addita circumſtantia miraculum illud Divinæ beneficentiæ exprimit. Nam quum infinitæ propemodum ſint animalium ſpecies, & in ſingulis tantus numerus, nullum tamen eſt quod non indigeat quotidiano victu. hoc intelligit dicens *omnia reſpicere in Deum:* acſi diceret, non poſſe vel triduum manere in ſtatu, niſi Deus quotidianæ eorum ut neceſſitati ſubveniens, ſingula reficeret. Huc pertinet tanta fructuum diverſitas: quia commodum & proprium quibuſque cibum Deus attribuit ac deſtinat. Etſi autem ratione & judicio non pollent bruta animalia, ut neceſſitati ſuæ remedium in Deo quærant, imo prona in terram ad pabulum ingurgitandum ferantur: proprie tamen loquutus eſt Propheta, reſpicere ad Deum dicens, quorum inediæ ejus liberalitatem ſuccurrere neceſſe eſt, ne mox deficiant. Nec ſupervacua eſt *temporis* notatio, quod annonam animalibus reponit Deus, ut per totum anni circuitum reperiant unde veſcantur. Nam quum terra hyeme viſcera ſua claudat, quid fieret niſi victum curaret in longum tempus? Creſcit ergo miraculum, quod Deus ſtatis temporibus terram fœcundam reddens, benedictionem ſuam in reliquum annum extendit: quamvis eſuriem & famem minetur. Quid enim nobis miſerius, dum ſuas opes hyeme contrahit terra, niſi animos noſtros foveret ſpes novi proventus? Quo ſenſu appoſite dicit Deum *manum ſuam aperire.* Nam ſi quotidie naſceretur triticum, obſcurior eſſet Dei providentia. ubi autem areſcit terra, perinde eſt acſi manum ſuam clauderet Deus. unde ſequitur, dum eam fœcundat, quaſi exſerta manu cibum è cælo nobis porrigere. Quod ſi feris & brutis animalibus victum opportune ſuppeditat, quo ad ſatietatem paſcantur, nobis ejus benedictio inexhauſtum erit copiæ cornu, modo ne eam prohibeamus infidelitatis noſtræ obſtaculo.

29. *Abſcondes faciem tuam, &c.*] His verbis docet nos ſtare & cadere pro Dei nutu. Stamus enim quatenus nos ſua virtute ſuſtinet: ſimul autem ac vivificum ſpiritum ſubducit, cadimus. Vidit hoc etiam Plato, qui ſæpius docet, proprie loquendo, unum Deum eſſe, omnia autem in eo ſubſiſtere duntaxat. Nec dubito quin per illum profanum ſcriptorem expergefacere voluerit Deus cunctos mortales, ut ſentirent aliunde ſe vitam mutuari. Ac primo terreri dicit, ſi Deus faciem ſuam abſcondat: ſi ſpiritum eorum auferat, mori, & in pulverem redire. quibus verbis ſignificat vivificos eſſe Dei oculos ubi nos reſpicere dignatur: & quandiu relucet ſerena ejus facies, vitam inſpirare omnibus creaturis. Bis ergo inexcuſabilis eſt noſtra cæcitas, niſi in illam bonitatem, quæ totum mundum vivificat, viciſſim conjicimus oculos. Gradatim vero deſcribit animalium interitum, ubi arcanum ſuum vigorem retrahit Deus, quo melius ex oppoſito continuam inſpirationem commendet, qua vegetantur. Quanquam autem ultra progredi poterat, omnia ſcilicet in nihilum reditura eſſe, contentus tamen fuit hoc craſſo & populari docendi modo, in putredinem concidere quicquid divinitus non fovetur. Dicit autem rurſum quotidie mundum *renovari*, quia *ſpiritum ſuum Deus emittit.* Et certe in nova animalium ſobole aſſidue cernimus novam mundi creationem. Quod vero ſpiritum, quem prius animalium eſſe dixit, nunc tribuit Deo, nihil in eo repugnantiæ eſt. Deus ſpiritum qui penes eum reſidet, emittit quò viſum eſt: ſimul ac emiſit, omnia creantur. hoc modo quod ſuum erat, noſtrum facit. Cæterum hoc veteri Manichæorum delirio nihil ſuffragatur, quod in deterius noſtra ætate auxit impurus ille canis Servetus. Dicebant Manichæi animam hominis particulam eſſe Divini ſpiritus, & ex ejus traduce naſci. hic nebulo dicere auſus eſt boves, aſinos, & canes eſſe partes Divinæ eſſentiæ. Manichæi ſaltem colorem hunc obtendebant, quod anima hominis formata eſſet ad Dei imaginem: ſed idem ad porcos ac pecudes transferre, bis deteſtabile portentum eſt. Prophetæ autem nihil minus propoſitum fuit, quam Dei ſpiritum partiri, ut eſſentialiter aliqua ejus portio in ſingulis animantibus habitet. ſed ſpiritum Dei vocavit, qui ab eo proficiſcitur. Interea noſtrum eſſe admonet, quia nobis in vitam datus eſt. Summa huc tendit, dum videmus quotidie mundum deficere & renaſci, in hoc ſpeculo lucere nobis vivificam Dei virtutem. Quotquot enim animalium interitus accidunt, totidem ſunt exempla noſtræ nullitatis, ut ita loquar: dum alia ſuboleſcunt, quædam mundi renovatio nobis oſtenditur. Quando itaque mundus quotidie interit & renaſcitur in ſuis partibus, hinc colligere promptum eſt, nonniſi arcana Dei virtute ſubſiſtere.

31. Sit gloria Jehovæ in ſeculum: lætetur Jehova in operibus ſuis.

31 יהי כבוד יהוה לעולם ישמח יהוה במעשיו:

32. Aſpiciens terram, & contremiſcet: ſi tetigerit montes, fumigabunt.

32 המביט לארץ ותרעד יגע ב בהרים ויעשנו:

33. Canam Jehovæ in vita mea: pſallam Deo meo quamdiu ſum.

33 אשירה ליהוה בחיי אזמרה לאלהי בעודי:

34. Gratus ſit ei * ſermo meus, ego lætabor in Jehova.

* vel, *meditatio mea.*

34 יערב עליו שיחי אנכי אשמח ביהוה:

35. Deficiant ſcelerati è terra, & impii uſquedum eſſe deſinant: benedic anima mea Jehovæ Halelu-Jah.

35 יתמו חטאים מן הארץ ורשעים עוד אינם ברכי נפשי את יהוה הללויה:

31. *Sit gloria Jehovæ*, &c. Oſtendit quorſum hactenus in Dei operibus celebraverit ejus potentiam, ſapientiam, & bonitatem, nempe ut ſenſus hominum erigeret ad ipſum laudandum. Neque enim hic vulgaris honor eſt, quod Deus mundum tam ſplendido ornatu in gratiam noſtram inſtruxit, ut non ſolum pulchri hujus theatri ſimus ſpectatores, ſed multiplici bonorum copia & varietate, quæ in eo nobis ſunt expoſita, fruamur. Hæc gratitudo unicæ compenſationis loco eſt apud Deum, ubi debita eum laude perſequimur. Quod addit, *Lætetur Jehova in operibus ſuis*, minime ſupervacuum eſt. Cupit enim ordinem, quem ab initio Deus inſtituit, fluere in legitimo donorum ejus uſu. Sicut enim eum pœnituit feciſſe hominem, ita dum ſuam benedictionem inquinari videt noſtris corruptelis, oblectationem ex ea capere deſinit. Et certe confuſæ perturbationes quæ accidunt ubi elementa in officio ſuo ceſſant, teſtantur diſplicentia & tædio Deum adduci ut æquabilem curſum ſuæ beneficentiæ abrumpat: non quod in eum cadant ejuſmodi paſſiones: ſed perſonam optimi patris induit, qui filiis blande fovendis & liberaliter alendis ſe oblectat. Proximo verſu oſtendit ſtatum mundi in illa Dei lætitia fundatum eſſe: quia niſi terram vegetet ſereno paternoque affectu, ſimulac eam ſevero oculo adſpexerit, tremefaciet, monteſque ipſos exuret.

Geneſ. 6. verſ. 6.

33. *Canam Jehovæ*, &c.] Præit aliis ſuo exemplo, & ſe toto vitæ curſu infatigabilem laudum Dei præconem fore denunciat. Metam vero laudandi Dei in morte locat, non quod ſancti, ubi in aliam vitam migrarunt, ſuperſedeant ab hoc pietatis officio: ſed quia in hunc finem ſumus conditi, ut Dei nomen per nos in terra celebretur. Cæterum quia indignum ſe agnoſcit qui tam pretioſum ſacrificium Deo offerat, ſuppliciter rogat *ut gratæ ſint quas Deo cantabit laudes*, licet ex pollutis labiis profectæ. Verum quidem eſt, nihil Deo magis placere vel probari, quam laudum ſuarum prædicationem, ſicuti nihil à nobis tantopere exigit. ſed quia pollutio noſtra contaminat quod erat natura ſua ſanctiſſimum, merito ad Dei indulgentiam confugit Propheta, ne ſuis canticis gravetur locum dare. ideo docet Apoſtolus placere Deo ſacrificia gratiarum actionis quatenus per Chriſtum offeruntur. Jam vero dum promiſcue fruuntur omnes Dei beneficiis, quia vix centeſimus quiſque reſpicit in ipſum auctorem, ſubjicit etiam Propheta, *lætabor in Domino*, raram virtutem ſignificans. quia nihil difficilius quam ex erraticis gaudiis, quæ per cælum & terram evaneſcunt, mentem colligere ut ſe in Deo contineat.

Hebr. 10. verſ. 8, 9.

35. *Deficiant ſcelerati è terra.*] Pendet hæc imprecatio ab illa ſententia, Lætetur Deus in operibus ſuis. Nam quia ſcelerati mundum ſuis ſordibus inficiunt, hinc fit ut Deo minus jucunda ſit ac fere diſpliceat ejus fabrica. Neque enim fieri poteſt quin eum offendat pollutio, quæ per omnes mundi partes diſperſa, depravat & corrumpit tam nobile ejus opus. Ergo quia impii perverſo donorum Dei abuſu faciunt ut quodammodo degeneret mundus, & deſciſcat à prima ſua origine, merito eos exterminari cupit Propheta uſquedum prorſus deficiant. Meminerimus ergo ſic expendere Dei providentiam ut in ejus obſequium addicti, beneficiis quæ in uſum noſtrum ſanctificat, rite & pure utamur. Deinde nobis doleat tam pretioſos theſauros impie diſſipari: ac nobis deteſtabile portentum ſit, mortales non tantum ſui opificis oblivisci, ſed quaſi data opera convertere in præpoſterum & indignum finem quicquid ipſis bonorum contulit.

ARGUMENTUM PSALMI CV.

Commendat ſingularem Dei gratiam, quod ſibi ex toto orbe gratis populum unum adoptavit. Atque ut oſtenderet ſe non titulo-tenus cum Abraham & ejus poſteris fœdus pepigiſſe, poſtquam eos redemit, non deſtitit etiam innumeris beneficiis proſequi, idque in eum finem, ut qui redempti fuerant, viciſſim ſancte obſervarent ejus fœdus, ſeque totos ad ſyncerum ejus cultum addicerent.

PSALM. CV.

CElebrate Jehovam, invocate nomen ejus, annunciate in populis opera ejus.	1 הודו ליהוה קראו בשמו הודיעו בעמים עלילותיו :
2. Canite ei, pſallite ei, loquimini de omnibus mirabilibus ejus.	2 שירו לו זמרו לו שיחו בכל נפלאותיו :
3. Laudate in nomine ſancto ejus, lætetur cor quærentium Jehovam.	3 התהללו בשם קדשו ישמח לב מבקשי יהוה :
4. Quærite Jehovam & fortitudinem ejus, inquirite faciem ejus jugiter.	4 דרשו יהוה ועזו בקשו פניו תמיד :
5. Mementote mirabilium ejus quæ fecit, prodigiorum ejus & judiciorum oris ejus.	5 זכרו נפלאותיו אשר עשה מפתיו ומשפטי פיו :

C*Elebrate Jehovam.*] Non alio ſpectat exordium hoc, niſi ut totam ſuam beatitudinem Abrahæ genus conſtituat in adoptione Dei gratuita. Etſi enim non ſpernendum bonum erat, creatos eſſe homines, paterna ejus cura foveri in mundo, & alimenta ex ejus manu percipere: longe tamen præſtantior fuit hæc dignatio, electos eſſe in peculiarem Dei populum. Nam quum in Adam maledicta ſit omnium mortalium origo, ſic diſtincta fuit conditio populi illius à reliquis Gentibus, ut gloriari poſſet ſe Deo ſacrum eſſe. Ideo Propheta ad hujus gratiæ commendationem tot verba congerit. Neque enim diſſerit de tota mundi gubernatione, ut Pſalmo proximo: ſed paternum favorem quo complexus eſt Deus Iſraëlitas, prædicat. Nominat quidem indefinite *opera ejus & mirabilia:* ſed utrumque ad ſpirituale fœdus reſtringit, quo Eccleſiam ſelegit, quæ in terra cæleſtem vitam meditaretur. Neque enim mirabilia nunc vocat, quod ſol, luna & ſtellæ quotidie oriuntur ut mundum illuſtrent, quod terra ſuis temporibus germinat, quod bonorum omnium copia in alimentum ſuggeritur animantibus, quod humano generi liberaliter ſuppetunt tot commoditates: ſed quod ex perdita Adæ progenie exiguam partem ſibi delegit cui ſe patrem familiariter præſtaret: ideoque jubet lætari in Dei nomine *& ipſum invocare:* quo privilegio ſola Eccleſia excellit. Unde ſequitur, non niſi ad fideles dirigi ſermonem, quos Deus in fidem & cuſtodiam ſuam ſuſcipiens, voluit ſuo nomine gloriari.

4. *Quærite Jehovam.*] Quanquam nuper hoc titulo inſignierat fideles, quod Deum quærant, eos tamen jam ad illius quærendi ſtudium hortatur: neque abs re. nam verum quidem eſt, hac proprie

nota

nota diſcerni fideles à profanis hominibus, ſed multum abeſt quin eum quo decebat fervore quærant: ideoque ſtimulis aſſidue opus eſt, quibus, licet ultro currentes, incitentur. Neque enim hic vel erraticos homines, vel prorſus ignavos & terrenis fæcibus affixos ad Deum quærendum ſollicitat Propheta, ſed qui prompto jam animo huc tendebant: quia ſcilicet multis impedimentis eos tardari videt, ne ſatis accelerent ſuum curſum. Quamlibet ergo voluntarii ſimus, neceſſaria eſt nobis hæc incitatio quæ pigritiam noſtram caſtiget. Quum dicit *robur ejus & faciem ejus*, non dubium eſt quin ſpeciem manifeſtationis deſignet, qua tunc pro temporis ruditate fideles Deus ad ſe traxit. Scimus autem pluribus aliis locis Arcam fœderis tam robur quam faciem Dei vocari ſolere: quia & his ſymbolis admonebatur populus, Deum ſibi propinquum eſſe, & re ipſa experiebatur ejus virtutem. Itaque quo ſe magis familiarem exhibet Deus, ad eum quærendum alacriores eſſe animos jubet: ut certe adminicula quibus infirmitatem noſtram Deus ſublevat, ſtudium noſtrum accendere magis debent. Modeſtia etiam nobis commendatur, ut in quærendo Deo tarditatis noſtræ memores, viam teneamus ab eo præſcriptam, nec rudimenta faſtidiamus, quibus nos ad ſe paulatim deducit. Additur etiam *jugiter*, nequis in hoc curſu defatigetur, vel ſtulta perfectionis opinione inflatus, externa pietatis ſubſidia negligat: quemadmodum multi, ubi quatuor vel quinque pedes progreſſi ſunt in Dei notitia, quaſi Angelis ſuperiores eſſent, à lege communi ſe eximunt. Iterum jubet *recordari mirabilium Dei*, quæ in populi ſui liberatione edidit: quia ſcimus illic virtutem ſuam novis & inuſitatis modis exſeruiſſe. Per *judicia oris* quidam Legem intelligunt. Sed quia hæc tria uno contextu lego, malo de ſignis exponere, quibus Pharaonis ſuperbiam fregit Deus. Adhuc tamen de ratione loquutionis ambigitur. Quidam ob Moſis prædictionem, judicia oris Dei vocari putant: quod probabile eſt. quanquam ſimplicius poſſet accipi, in ſignis apparuiſſe incredibilem Dei potentiam: unde colligere promptum eſſet ab eo eſſe profecta. Equidem Moſis miniſterium non excludo, quem Prophetam Deus excitaverat Ægyptiis, qui denuncians quod futurum erat, hoc ipſo probaret non eſſe fortuitum. Meo tamen judicio, Propheta ad ipſam miraculorum claritatem alludit: acſi diceret, Quamvis Deus verba non feciſſet, re tamen ipſa patuiſſe eum eſſe populi ſui vindicem.

6. Semen Abrahæ ſervi ejus, filii Jacob electi ejus:	6 זרע אברהם עבדו בני יעקב בחיריו:
7. Ipſe Jehova Deus noſter, in tota terra judicia ejus.	7 הוא יהוה אלהינו בכל הארץ משפטיו:
8. Recordatus eſt in ſeculum fœderis ſui: verbi *quod* mandavit in mille generationes,	8 זכר לעולם בריתו דבר צוה לאלף דור:
9. Quod pepigit cum Abraham, & juramenti ſui ad Iſaac.	9 אשר כרת את אברהם ושבועתו לישחק:
10. Et ſtabilivit ipſi Jacob in decretum, Iſraëli in fœdus perpetuum:	10 ויעמידה ליעקב לחוק לישראל ברית עולם:
11. Dicendo, Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis veſtræ.	11 לאמר לך אתן את ארץ כנען חבל נחלתכם:

6. *Semen Abrahæ.*] Nomine compellat ſuam gentem, quam Deus (ut dictum eſt) ſpeciali adoptione ſibi devinxerat. Fuit enim illud ſanctius vinculum conjunctionis, mero Dei beneplacito præferri omnibus populis. Vocans autem filios Abrahæ, & filios Jacob, admonet non adeptos fuiſſe tantum honorem proprio Marte: ſed quia progeniti erant ex ſanctis Patribus. Quanquam ſimul aſſerit ſanctitatem Patrum à ſola Dei electione manare, non autem à natura. Utrumque enim diſerte exprimit, antequam naſcerentur filii Abrahæ, jam fuiſſe hæredes fœderis, quia originem à ſanctis Patribus traherent: deinde Patres ipſos non ſibi peperiſſe hoc juris ſuo merito vel dignitate, ſed gratis fuiſſe electos. nam ideo vocat Jacob *electum Dei*. Quanquam enim Abraham vocatur ipſe quoque Dei ſervus, quia purus fuit ejus cultor, ſecundo tamen loco teſtatur Propheta non ab hominibus fuiſſe initium, ſed à Deo ſolo, qui eos ſibi in peculium adſciſcere dignatus eſt. Infert ex hoc fœdere, quamvis imperium Dei pateat per totum orbem, & ubique ſua judicia exerceat, eſſe tamen peculiarem Deum uni populo. ſicut dicitur in Cantico Moſis, quum divideret Excelſus Gentes, quum diſtribueret populos, extendit funiculum in Jacob. Atque iterum docere voluit Propheta, non excellere Iſraëlitas quod meliores eſſent aliis, ſed propter Dei beneplacitum. Nam ſi Dei judicia ſe extendunt per omnes mundi plagas, æqualis eſt Gentium omnium conditio, earum reſpectu. Unde ſequitur diſcrimen in Dei amore eſſe, & fontem dignitatis eſſe gratuitum. Quamvis ergo Deus jure ſuo poſſideat totam terram, dicit populum unum ſibi ſumpſiſſe in quo regnaret. Ad nos quoque hodie pertinet hæc admonitio. Nam ſi probe vocationem noſtram expendimus, certe reperiemus non aliunde inductum fuiſſe Deum ut nos aliis præferret, ſed mera ſua gratia fuiſſe contentum.

Geneſ. 26. verſ. 24.

Deut. 32. verſ. 8.

8. *Recordatus eſt.*] Nunc realem (ut vocant) fœderis effectum commendat: atque ex redemptione probat quod prius dixit, Deum, quum æqualiter dominaretur cunctis Gentibus, unum tamen genus Abrahæ ſuo favore eſſe complexum. Nam qui factum eſt ut Deus in redimendo populo brachii ſui virtutem palam tot miraculis illuſtraverit, niſi ut fidem olim ſervis ſuis datam præſtaret? Conſtat igitur antiquum fœdus redemptionis fuiſſe cauſam: quia ut verax eſſet Deus in ſervandis promiſſis, ante oportuit miſericordem eſſe. Quia vero longa annorum ſeries fluxerat inter promiſſionem & effectum, *recordandi* verbo utitur Propheta: acſi diceret, non obſoleſcere longo temporis tractu Dei promiſſiones, ſed dum mundus credit eas eſſe extinctas, vel oblivione deletas, vigere earum memoriam coram Deo, ut eas opportune impleat. quod melius confirmat proximo membro, ubi ſymmetriam & conſenſum laudat inter formam pacti & effectum. Non ad diem unum, inquit, vel paucos Deus pepigit cum Abraham, neque etiam unius hominis vita finivit fœdus ſuum, ſed in mille uſque generationes promiſit ſe Deum fore ejus poſteris. Ergo quamvis diu ſuſpenſum fuerit complementum, Deus tamen ipſa oſtendit vetuſtate non collabi vel effluere fidem ſuam. Porro quia Abraham,

quum

quum permiſtus eſſet idololatris, primus vocatus eſt: ideo ab ejus perſona Propheta incipit. Sed poſtea in filii quoque & nepotis manu ſancitum fuiſſe commemorat. Depoſuit ergo Deus fœdus ſuum apud Abraham & ſolenni jurejurando pepigit ſe fore Deum ſeminis ejus. Sed quo certior conſtaret fides, repetere voluit erga Iſaac & Jacob. facit enim talis propagatio ut altius hominum cordibus inſideat Dei veritas: deinde ut notior ſit ac magis celebris Dei gratia, repetitis vicibus ſæpius teſtata. ideoque per gradus exprimitur quam firma ſit ſtabilitas illius fœderis. nam quod de ſingulis Patriarchis dicitur, peræque ad omnes pertinet. Dicit Propheta Deum juraſſe ipſi Iſaac: annon prius juraverat Abrahæ? Hoc certe dubium eſt, Dicit *ſtabilitum fuiſſe erga Jacob decreti loco:* & in fœdus perpetuum. An quod temporale vel caducum prius fuerit fœdus, & tunc naturam mutaverit? Hoc prorſus remotum eſt à Prophetæ conſilio. Sed diverſis loquendi formis, plenam & ſolidam confirmationem aſſerit: ut ſi forte in uno homine obſcura eſſet vocatio, plus lucis accederet ex quo ejus teſtimonium ad poſteros transmiſerat: quia hoc modo melius rata fuit ejus fides. Hic rurſus memoria repetere convenit, Deum pluſquam indulgenter noſtræ infirmitati conſulere, dum & jurejurando & repetito ſermone nobis confirmat quod ſemel pollicitus eſt. Quo fœdior eſt noſtra ingratitudo dum fidem abrogamus non loquenti modo ſed etiam juranti.

11. *Dicendo tibi dabo.*] Quum hæc exigua fuerit portio gratiæ Patribus oblatæ, videtur Propheta nimis anguſte includere Dei fœdus quod ad ſpem uſque æternæ hæreditatis patebat. Sed Propheta ſatis habuit per ſynecdochen monſtrare præſtitum fuiſſe ac completum quod Deus patribus fuerat pollicitus. Huc enim tendit ejus conſilium, eos non alio jure poſſidere terram Chanaan, niſi quod ex Dei pacto legitima erat Abrahæ hæreditas. Certe ſiquis arrham contractus oſtendat, non violat contractum. Itaque Propheta viſibili ſymbolo probans Deum non fruſtra pepigiſſe cum ſervis ſuis, nec ſpem eorum luſiſſe, alias gratiæ partes non tollit vel abolet. imo dum audiunt Iſraëlitæ ſe jure hæreditario occupare terram, quia ſint electus Dei populus, longius tranſcendere convenit, ut privilegia omnia quibus eos ornare dignatus eſt, ſimul colligant. Atque hinc notandum eſt, dum aliqua in parte ſua promiſſa erga nos complet Deus, malignos eſſe nos & ingratos, niſi in fidei noſtræ confirmationem hæc experientia valeat. neque enim dubium eſt, quoties ſe patrem nobis exhibet Deus, quin verbi ſui vim & efficaciam realiter, ut loquuntur, cordibus noſtris obſignet. Quod ſi terra Chanaan in cælum deducere Iſraëlitas debuit, quia ſciebant reſpectu fœderis in eam ſe fuiſſe adductos: longe plus momenti apud nos habere debet, quod Deus Chriſtum ſuum exhibuit, in quo omnes promiſſiones ſunt Etiam & Amen. Quum dicit, Tibi dabo *funiculum hæreditatis veſtræ*, mutatio numeri oſtendit communiter Deum pepigiſſe cum toto populo, licet ad paucos homines verba faceret: ſicut paulo ante vidimus fuiſſe decretum, vel legem perpetuam. Etſi enim ſancti Patriarchæ primarii fuerunt promiſſionis cuſtodes, non tamen privatim ſibi amplexi ſunt oblatam gratiam, ſed ut poſteris communis foret. 2 Cor. 1. verſ. 20.

12. Quum ipſe eſſent pauci numero admodum & peregrini in ea.	12 בהיותם מתי מספר כמעט וגרים בה׃
13. Et obambularent è gente ad gentem, è regno ad populum alium.	13 ויתהלכו מגוי אל גוי ממלכה אל עם אחר׃
14. Non permiſit hominibus nocere illis, & corripuit pro ipſis Reges:	14 לא הניח אדם לעשקם ויוכח עליהם מלכים׃
15. Ne tangatis chriſtos meos, & Prophetas meos ne lædatis.	15 אל תגעו במשיחי ולנביאי אל תרעו׃

12. *Quum ipſi eſſent.*] Hic enumerat Dei beneficia quibus ſanctos Patres jam ab initio proſequutus eſt: ut appareat longe ante redemptionem non fuiſſe inane fœdus. Hoc enim tendit narratio quam videbimus, ex quo Abraham in fidem ſuam recepit, mirabiliter eum foviſſe: paternum quoque ejus amorem & curam apparuiſſe in tuendis duobus aliis Patriarchis. Quanquam ubi dicit eos fuiſſe numero admodum paucos, non modo virtutem Dei hac circumſtantia commendat, ſed cauſam ſimul notat, cur tam beneficus erga eos fuerit Deus. Hoc igitur primo loco tenendum eſt, ne ſibi quicquam arrogent Judæi, Prophetam diſerte excipere Patres eorum jam tunc favorem Dei expertos eſſe quum infirmi eſſent & contemptibiles, vagi, inopes, & ſecundum carnem modis omnibus miſeri. Sic etiam illis
Deut. 7. Moſes exprobrat, Non elegit Deus patres tuos
verſ. 7. quod plures eſſent numero quam alii populi, ut in illis eſſet aliqua major nobilitas: ſed quia dilexit eos. In ſumma, neque multitudinis, neque ullius præſtantiæ ratio habita fuit in electione hujus populi. Unica fuit domus Abrahæ, & quidem ſterilis: Iſaac ex duobus filiis alterum longe ablegare coactus eſt, alterum vidit reſectum è ſua familia: quanquam domus Jacob fuit fœcundior, erat tamen privata. Deinde non modo ignobiles fuerunt & contempti, quum eſſent inquilini in alieno ſolo: ſed fames etiam, vel aliarum rerum penuria ſæpius eos coëgit locum mutare. quibus poſitis concidit humanæ dignitatis reſpectus: & clare patet, quæcunque in eos contulit Deus beneficia, non fluxiſſe ex alio fonte quam amoris ejus. Cauſa autem amoris extra eum quærenda non eſt. Jam ſi tam ſolicite commendat Spiritus ſanctus Dei gratiam in terrenis beneficiis, quanto magis hoc tenendum eſt ubi de cæleſti hæreditate habetur ſermo? Quum dicit *migraſſe à gente in gentem*, hac circumſtantia clarius demonſtrat quam mirabilis fuerit Dei protectio in illis ſervandis. Si nidum aliquem quietum reperiſſent, fuiſſet hæc commoditas notabile gratiæ Dei ſignum: ſed quum exulaverint in diverſis locis, hinc inde cum magna invidia rejecti fuerint, quemadmodum ſi ventus propellat quiſquilias, multo clarius illic refulget Dei præſidium. Quum ergo ubique eorum vita è filo penderet, mutatio autem hoſpitii eos novis ſubinde injuriis redderet obnoxios, ſola Dei virtus eos præſtitit incolumes.

14. *Non permiſit hominibus*] Scimus non duos vel tres Abrahæ & ejus filiis fuiſſe adverſos, ſed à totis populis exhibitas fuiſſe moleſtias. Quum ergo turmatim multi inſurgerent alii poſt alios, Propheta indefinite dicit prohibitos à noxa fuiſſe homines, ponitur enim hic nomen אדם. Deinde amplificat Dei amorem erga ſervos ſuos, quod eorum cauſa ſe Regibus oppoſuerit. nam quod ne Regibus quidem Ægypti & Gerar pepercit Deus, hinc apparet, quam pretioſa ei fuerit Abrahæ & generis ejus ſalus. Diximus enim nuper, nullius pretii vel exiſtimationis

nis fuiſſe ſanctos Patres coram mundo: quo illuſtrius ſuam bonitatem Deus extulit, Regibus eos præferens. Jam videmus, Judæos in Patrum perſona fuiſſe humiliatos, nequa dignitatis ſpecie fingerent paratam ſibi fuiſſe gratiam coram Deo.

15. *Ne tangatis chriſtos meos.*] Longius nunc procedit, quum Deus bellum ſuſcepit cum Regibus in favorem ſervorum ſuorum, non modo fuiſſe ab eo defenſos, quemadmodum ſolet miſeris hominibus & injuſte oppreſſis ſuccurrere: ſed quia illos ſuo præſidio tuendos ſuſceperat. neque enim generali illa tantum ratione ſuos Deus protegit: ſed quia jure gratuitæ adoptionis profeſſus eſt, ſe fore illorum vindicem. Hæc ratio eſt cur nunc duobus elogiis ſanctos Patriarchas inſigniat Propheta: vocans Prophetas & unctos Dei. Dixiſſet de aliis Deus, Ne tangatis homines innoxios, ne miſeros lædatis, qui de vobis nihil tale meriti ſunt: ſed in Abraham & ejus filiis aliam ſibi oſtendit defenſionis cauſam eſſe. Unctos vocat quos ſibi ſanctificavit in peculium. Eodem ſenſu vocat Prophetas: quo elogio ornatur etiam Abraham ipſe, Geneſis cap. 20. verſ. 7. quia ſcilicet non ſolum Deus propius ſe illis patefecerat, ſed quia cæleſtem doctrinam fideliter propagarunt, ut ſuperſtes ejus memoria illis mortuis vigeret. Nondum quidem unctionis erat uſus, qualis poſtea ſub Lege fuit: ſed quod Deus in Legalibus cæremoniis poſtea oſtendit, Propheta in Abraham re ipſa fuiſſe teſtatur, ſicuti Deus omnibus ſuis electis inſculpſit ſanctificationis notam. Jam ſi tantum valuit interior Dei unctio quo tempore ne Legis quidem figuras Deus prodiderat, quanto nunc majore cura ſuos tuebitur, poſtquam in Filio ſuo unigenito unctionis plenitudinem exhibuit.

16. Et vocavit famem ſuper terram, omnem baculum panis contrivit.
16 וַיִּקְרָא רָעָב עַל הָאָרֶץ כָּל מַטֵּה לֶחֶם שָׁבָר׃

17. Miſit ante eos virum, in ſervum venditus eſt Joſeph.
17 שָׁלַח לִפְנֵיהֶם אִישׁ לְעֶבֶד נִמְכַּר יוֹסֵף׃

18. Afflixerunt in compede pedes ejus, ferrum venit in animam ejus:
18 עִנּוּ בַכֶּבֶל רַגְלוֹ בַּרְזֶל בָּאָה נַפְשׁוֹ׃

19. Uſque ad tempus quo venit verbum ejus: ſermo Jehovæ examinavit eum.
19 עַד עֵת בֹּא דְבָרוֹ אִמְרַת יְהוָה צְרָפָתְהוּ׃

16. *Et vocavit famem.*] Hic nobiliſſimum ſpecimen providentiæ Dei erga electum populum prædicat, quo tempore videri poterat irritum & deletum eſſe fœdus. Nam ad confirmationem, ut prius dictum fuit, addita fuerat arrhæ loco vel pignoris, hæreditas terræ Chanaan. Quum ergo deſcenſus in Ægyptum, qui domum Jacob privabat Terræ conſpectu, facere non potuit ut fœdus intercideret, illic melius refulſit Dei conſtantia. Atqui Deus hac ipſa tentatione clarius oſtendit quam providus eſſet Pater in tuendo genere Abrahæ. Sed præſtat ſingulas partes expendere. Primo docet non fortuitam fuiſſe illam famem quæ Jacob expulit in Ægyptum. Tametſi autem de una fame nunc agitur, ſtatuendum tamen eſt in genere, non aliam eſſe cujuſvis penuriæ cauſam: niſi quod Deus manum ſuam retrahens, alimenta ſubducit. Sed magis exprimitur Dei maledictio, quum dicitur vocata fuiſſe fames, quaſi præſto fuerit ad Dei obſequium tanquam iræ ejus miniſtra: quo monemur, famem & peſtem, & alia flagella non temere oriri, nec ferri cæco caſu, ſed Dei manu dirigi quo viſum eſt, & parere ejus arbitrio. Sequitur ratio vocandæ famis, nempe ubi Deus *frangit panis robur*. Aptiſſima autem eſt *baculi* metaphora, quia Divinitus indita fuit pani vis & proprietas confirmandi hominis, arcana fultura quæ nos ſuſtineat in ipſo quaſi baculus latet, quandiu Dominus hoc medio vires noſtras vult refici. Duobus autem modis conteritur hic baculus, vel quum aufert tritici copiam quæ ſufficiat ad nos alendos: (atque ita videtur accipere Ezechiel cap. 4. verſ. 16. Confringam baculum panis in Jeruſalem, commedent in menſura & anxietate, bibent aquam cum pavore, ne ſcilicet deficiant:) vel quum ſufflat Deus in panem ipſum, ut eſuriem non tollat, ſed maneant famelici qui vorando ſatietatem quærunt. Et certe hoc ſecundum fere ad terræ ſterilitatem accedit, ut Deus à pane fulturam auferat: quia per ſe non vivificat panis (ut dicitur Deuteronomii cap. 8. verſ. 3.) ſed intrinſecam virtutem mutuatur ex ore Dei.

17. *Miſit ante eos.*] Totus hic contextus quaſi per hypotypoſin oſtendit, manu & conſilio Dei fuiſſe gubernatum quicquid contigit in populo illo. Simplex narratio erat, famem veniſſe in terram quum Joſeph à fratribus venditus, in Ægyptum delatus eſſet: ſed emphaticе loquitur Propheta, Dei conſilio præmiſſum fuiſſe Joſeph qui domum patris ſui aleret: vocatam deinde fuiſſe famem, tunc Dei providentia oblatum fuiſſe præter ſpem remedium. Etſi autem hoc generaliter verum eſt in rebus humanis, peculiarem tamen regendæ & alendæ Eccleſiæ curam commemorat Propheta. Recitat autem ſecundo loco quod temporis ordine prius eſt. Ideo in verbo *mittendi* tempus pluſquam perfectum melius ſenſum exprimet: nempe antequam Deus terram Chanaan fame affligeret, remedium paraſſe ſervo ſuo Jacob, & familiæ ejus. Joſeph enim præmiſerat quaſi œconomum qui victum illis curaret. Ponit autem duo quaſi contraria, unde providentia Dei melius eluceat. Quomodo enim miſſus eſt Joſeph à Deo? nempe quum deſtinatus eſſet ad mortem, forte accidit ut fratres vendere ipſum maluerint quam relinquere in ſepulchro. Ipſa igitur venditio ſi per ſe reputetur, quaſi nubes interpoſita, obſcurat & obtegit Dei providentiam. Ubi enim initum eſt conſilium de ejus cæde, quis ſperaret fore nutritium paternæ domus? Poſt, genus mortis inventum eſt minus crudele, ſed in ciſternam projectus, quomodo aliis ſuccurrere poterat? Summa ſpes fuit, quod tandem venditus, è ciſterna emerſit. Sed rurſus parum abfuit quin tota vita putreſceret in carcere. Quis putaret tam flexuoſos circuitus regi Dei providentia? Ideo Propheta occurrit, dicens, reſpectu quidem hominum fuiſſe *venditum*, ſed præmiſſum tamen fuiſſe Divinitus. Locus hic notatu dignus eſt, quia optime Dei providentiam aſſerit contra præpoſterum carnis noſtræ ſtuporem. Quia enim ſubſiſtimus in mediis quæ nobis occurrunt, vel hominum conſiliis adſcribimus quicquid geritur, vel caſu accidere putamus: ita nemo fere ad Deum penetrat. Atqui venditio Joſeph hic non obtenditur quaſi velum quod Dei providentiam abſcondat, ſed potius tanquam inſigne monumentum, quo docemur, ubi hoc vel illud moliti ſunt homines, eventus eſſe in Dei manu: imo corda hominum huc & illuc arcano inſtinctu flectere, ut per eos vel inſcios vel nolentes conſequatur quod ſtatuit. Sic dicebat Joſeph ipſe fratribus, Vos non me vendidiſtis ipſi, ſed Deus præmiſit me vobis in patrem. Cæterum ita Deus occulto fræno gubernat res humanas, & pravis con- Gen. 45. verſ. 5.

conſiliis utitur in rectum finem, ut tamen permiſta non ſint ejus judicia hominum pravitati. Perperam conſpirant fratres Joſeph in ejus necem: injuſte etiam eum vendunt, culpa in ipſis reſidet: Deus per eorum manum proſpicit tam ipſis, quam patri Jacob, totique ſuæ Eccleſiæ. hoc ſanctum conſilium nihil ſordis vel maculæ contrahit ex eorum malitia qui prorſus tendebant in diverſum finem: ſicuti poſtea teſtatus eſt idem Joſeph, Vos quidem cogitaſtis de me malum, ſed Deus in bonum convertit. *Gen. 50. verſ. 20.*

18. *Afflixerunt.*] Non fruſtra perſequitur circuitum illum qui obnubilare poterat hominum mentes ne ad Dei conſilium reſpicerent. Quid enim minus conſentaneum, quam per tam diverſas ambages Deum ad propoſitum ſibi finem venire? Sed providentia Dei ſuperatis tot obſtaculis, multo illuſtrior emergit quam ſi brevi & facili compendio totum negotium tranſigeret, ſi primo ſtatim adventu Joſeph deductus eſſet ad Regem, & Ægypto præfectus, facilis ad ſecundum actum tranſitus erat. Sed ubi in carcerem abreptus, quaſi extra hominum conſuetudinem ſemimortuam vitam agit: deinde longo poſt tempore præter ſpem Regi innoteſcit, ſubita illa mutatio non vulgariter miraculum illuſtrat. Ergo hic circuitus quem recenſet Propheta, ad rei ſummam non parum facit: decies mortuus eſt Joſeph antequam venderetur. Ergo toties Deus Eccleſiæ ſuæ curam habuit, patrem ejus liberando. Ubi in Ægyptum delatus transfertur de manu in manum, donec in aliud ſepulchrum deſcendat: annon hinc clarius apparet, Deum ubi dormire in cælo videtur, maxime excubare pro ſuis? & melius progredi per varios iſtos flexus, quam ſi recta pergeret, imo celeriter curreret? Ideo dicit Propheta, *afflictos fuiſſe in compede pedes ejus*, quod tametſi à Moſe non narratur, certum tamen eſt ut de re nota & vulgata loqui. Et certe multa per manus tradita fuerunt Judæis, quorum nulla fit in Scriptura mentio. Satis etiam probabile eſt non fuiſſe traditum initio in liberalem cuſtodiam, ut poſtea contigit, ſed duriter oppreſſum. Sive autem legamus animam ejus veniſſe in ferrum, ſive ferrum veniſſe in animam, ſenſus idem manet, ſanctum virum ita conſtrictum fuiſſe catenis acſi ferro addicta eſſet ejus vita. Unde ſequitur nihilo magis ſperandum fuiſſe vitam ab eo, quam ab aliquo cadavere.

19. *Uſque ad tempus.*] Hic docet Propheta, quamvis ſecundum carnis ſenſum nimis cunctetur Deus, ſummam moderationem tenere, ut opportune tandem compleat quod decrevit. *verbum* hoc loco haud dubie ſignificat non doctrinam, ſed decretum cæleſte. Quanquam autem relativum *ejus* tam de ipſo Deo quam de Joſeph poteſt intelligi: hoc tamen ſecundum, mihi magis placet, donec ſcilicet pateſieret exitus Joſeph, qui in Dei conſilio latebat. Tenendum ſemper eſt, Prophetam revocare hominum mentes à profana illa imaginatione, quod fortuna temere verſet res humanas. Quum enim nihil Eccleſiæ ſalute magis confuſum fuerit, quandiu habitus eſt Joſeph pro damnato, Propheta hic nos ſurſum attollit, & jubet reputare occultum verbum, cujus nondum opportuna vel matura erat manifeſtatio. Eodem modo interpretor quod ſequitur, *ſermo Dei examinavit eum.* Nam de vaticinio exponere, ut faciunt multi, videtur nimis argutum. Quouſque vero apparuit lætior eventus, quem Deus occultum & ſuſpenſum diu tenuit, ſerio examinata fuit patientia Joſeph. Et quod profani homines qui non agnoſcunt Deum rebus humanis præeſſe, *fatum* appellant, Propheta magis proprio nomine inſignit, dicens ſermonem eſſe Dei, & cujuſque verbum. Nec diſplicet quod Galli ſua lingua vocant *deſtinée.* Stoici quum de fato diſputant, vel potius balbutiunt, non modo ſpinoſis anfractibus ſe involvunt & rem ipſam, ſed verum principium: quia complexum cauſarum fingentes eripiunt Deo mundi gubernacula. Impium hoc figmentum eſt, cauſas inter ſe perplexas nectere, quibus alligatus ſit ipſe Deus. Fidem ergo noſtram ad arcanum Dei conſilium adſcendere oportet, quo libere omnia in ſuum finem dirigit. Interea docet etiam hic locus, finem piorum afflictionibus Divinitus eſſe præfixum, donec probe examinati fuerint.

20. Miſit Rex, & ſolvit eum: Dominator populorum, & liberavit eum.	20 שלח מלך ויתירהו משל עמים ויפתחהו׃
21. Conſtituit eum dominum ſuper domum ſuam, & dominatorem in cunctis opibus ſuis.	21 שמו אדון לביתו ומשל בכל־קנינו׃
22. Ad vinciendum Principes ſuos in anima ſua, & ut ſenes ſuos ſapere doceret.	22 לאסר שריו בנפשו וזקניו יחכם׃
23. Et venit Iſraël in Ægyptum, & Jacob peregrinatus eſt in terra Cham.	23 ויבא ישראל מצרים ויעקב גר בארץ־חם׃
24. Et auxit populum ſuum valde, * multiplicavit eum præ oppreſſoribus ejus. ** vel, roboravit.*	24 ויפר את־עמו מאד ויעצמהו מצריו׃

20. *Miſit Rex.*] Liberationem Joſeph ſplendidis verbis exornat, quia in re tam incredibili maxime enituit rara Dei virtus. Quid enim magis inſolitum, quam Regem potentiſſimum, hominem exterum è carcere accerſere, quem toti regno præficiat, & ſecundum à ſe gradum tenere jubeat? Quod autem dicit, *ad vinciendum Principes*, vulgo exponunt delatum fuiſſe ſummum imperium ipſi Joſeph, ut pro ſua voluntate conjiceret in carcerem etiam regni proceres. Alii, quia hoc aſperius eſſe vident, deducunt verbum לאסור à verbo יסר quod eſt erudire, ut י mutetur in א. Sed miror utroſque metaphoram non animadvertiſſe in hoc verbo: nempe quod Joſeph devinctos ſuo arbitrio teneret primores Ægypti, vel poteſtati ſuæ ſubjectos. Non agitur hic de vinculis, ſed de obſtrictione vel nexu obſequii, quum ab ejus nutu penderent tam Principes quam omnes reliqui. Et quum paulo poſt addit, *ut ſenes ſapere doceret*, oſtendit Joſeph non tyrannice fuiſſe dominatum, ſicuti difficile & rarum eſt in ſumma poteſtate nihil permittere ſuæ libidini: ſed ſummis quibuſque regulam fuiſſe, & exemplar optimæ moderationis.

23. *Et venit Iſraël.*] Non recitat totam hiſtoriam, neque opus fuit: tantum ponit ante oculos Dei providentiam. quam vix centeſimus quiſque expendit dum legunt quod ſcriptum eſt à Moſe. Dicit ergo, poſtquam præmiſſus fuit Joſeph qui patrem cum familia hoſpitio exciperet, tunc Jacob veniſſe in Ægyptum, rebus ſcilicet mirabiliter ordinatis, ut in gente ſuperbiſſima, quum omnes inedia tabeſcerent, reperiret panis copiam. Unde apparet, tarditatem Dei quæ putatur, non alio ſpectare, quam ut optima occaſione opus ſuum compleat.

24. Et

24. *Et auxit.*] Jam alia circumſtantia laudatur ſingularis Dei favor erga Eccleſiam, quod populus ille brevi temporis ſpatio præter communem modum auctus fuerit. Qua in parte enituit admirabilis Dei benedictio: quo putidior eſt quorundam canum latratus, dum populi multiplicationem, quæ à Moſe refertur, proterve ſubſannant, quia ſuperet communem naturæ modum. Atqui ſi uſitato more creviſſet populus, protinus exciperent nullum illic cerni Dei opus. Ita hoc unum captant ſuis cavillis, ut Dei benedictionem aboleant. Nos vero qui ſcimus fas non eſſe potentiam Dei vel ſenſu noſtro vel communi lege naturæ metiri, reverenter hoc extraordinarium ejus opus miremur. Quod poſtea ſequitur, ſubobſcurum eſt, præſertim ſi legamus roboratum fuiſſe populum. Neque enim notare tempus illud videtur Propheta quo quieti in proſpero ſtatu degebant Iſraëlitæ: ſed quo contumelioſe vexati ſunt tanquam mancipia. Poſſumus tamen hoc κατὰ πρόληψιν accipere de re futura. Nam proximo verſu dicet Propheta Ægyptios mutatis animis coepiſſe crudeliter in populum graſſari. Quamvis ergo nondum palam ſævirent in populum Ægyptii, dum & numero hominum & viribus invaleſcebat, perſecutores tamen eos vocat Propheta. Quanquam certum eſt, dum ſerviliter oppreſſus fuit populus, formidabilem hoſtibus ſuis fuiſſe: & Moſes clare affirmat, ſub tyrannide & injuſtis oppreſſionibus conſpicuam adhuc fuiſſe Dei benedictionem. *Exod. 1. verſ. 12.*

25. Vertit cor eorum ut odio haberent populum ſuum & fraudulenter agerent cum ſervis ſuis.	ל 25 הפך לבם לשנא עמו להתנכל בעבדיו׃
26. Miſit Moſen ſervum ſuum, Aaron quem elegit.	26 שלח משה עבדו אהרן אשר בחר בו׃
27. Poſuerunt in illis verba ſignorum ejus, & prodigia in terra Cham.	ו 27 שמו בם דברי אותתיו ומפתים בארץ חם׃
28 Miſit tenebras, & obtenebravit: & non fuerunt rebelles verbis ejus.	28 שלח חשך ויחשך ולא מרו את דברו׃
29. Convertit aquas eorum in ſanguinem, & occidit piſces eorum.	29 הפך את מימיהם לדם וימת את דגתם׃
30. Produxit terra eorum ranas in cubiculis Regum ipſorum.	30 שרץ ארצם צפרדעים בחדרי מלכיהם׃

25. *Vertit cor eorum.*] Quod Ægyptii ex benevolis & humanis hoſpitibus ſævi poſtea hoſtes facti ſunt, hoc quoque Dei conſilio aſſignat Propheta. Certum quidem eſt, pravo malignoque ingenio, faſtu, & avaritia fuiſſe illuc compulſos: ſed non ſine Dei providentia, qui modo incomprehenſibili opus ſuum ita in reprobis peragit, ut lucem eliciat ex tenebris. Quia loquutio videtur quibuſdam durior, paſſive exponunt, converſa fuiſſe corda, quod neque reſpondet contextui, & frigidum eſt. Videmus enim data opera Prophetæ eſſe propoſitum totam gubernationem Eccleſiæ ſubjicere Deo, ut nihil niſi ex ejus voluntate contingat. *Prov. 21. verſ. 1.* Si autem hoc quaſi duriuſculum refugiunt teneræ quorundam aures, Spiritus ſanctus alibi quoque ſecure pronunciat, arcano inſtinctu impelli huc illuc corda hominum, ut nihil velint, vel faciant niſi ex ejus nutu. Quanta autem veſania eſt, nihil amplecti niſi quod arrideat rationi humanæ? Qualis erit verbi Dei auctoritas, ſi non admittitur niſi quatenus adlubeſcit? Qui ergo hanc doctrinam reſpuunt, quia humano ſenſui minus grata eſt, inflati ſunt perverſa arrogantia. Alii maligne calumniatur, non inſcitia, vel errore, ſed tantum ut ſuſcitent turbas in Eccleſia, vel odium nobis conflent apud imperitos. Sunt etiam quidam nimis timidi, qui pacis cauſa doctrinam hanc cuperent ſepultam eſſe. iniqui certe moderatores. nam videmus hanc olim fuiſſe cauſam, cur deſciverint Eccleſiæ ſcriptores à puro & genuino Euangelio, & deflexerint ad profanam Philoſophiam. Unde enim nobis liberum arbitrium, unde operum juſtitia, niſi quod veriti ſunt boni Patres ne licentiam darent maledicis vel protervis hominibus, ſi libere profiterentur quod Scripturis proditum eſt? Quod niſi Deus quaſi violenta manu coëgiſſet Auguſtinum, ſimilis prorſus fuiſſet aliis. Deus autem quaſi malleo eum expoliens, correxit ſtultam illam prudentiam quæ contra Spiritum ſanctum criſtas erigit. Videmus quid aſſerat Spiritus ſanctus, Ægyptios ſic fuiſſe malos, ut corda eorum Deus verterit in odium populi ſui. Eludunt mediatores, flexiſſe corda, quia paſſus fuerit: vel quum Ægyptii corda ſua adjicerent ad tale odium, quaſi per accidens uſus fuerit eorum malitia, quaſi elinguis fuerit Spiritus, ut aliud pro alio proferret. Si videtur hoc prima ſpecie abſurdum, ſciamus non fruſtra Dei judicia alibi inſcrutabilia vocari, & abyſſum profundam. *Rom. 11. verſ. 33. Pſal. 36. verſ. 7.* Niſi enim infra eorum altitudinem ſubſideret ſenſus noſter, nullus eſſet labyrinthus. Interea tenendum eſt, radicem malitiæ fuiſſe in ipſis Ægyptiis, ut culpa in Deum tranſcribi nequeat. Dico ſponte & intrinſecus malos fuiſſe, non alieno impulſu coactos. Quantum ad Deum ſpectat, etiamſi non appareat ratio, voluntas Dei ſufficere nobis debet. Sed cauſa etiam apparet, quæ juſtitiam Dei ab omni calumnia vindicat. Cæterum ſi modo hoc rudimentum imbiberimus, reverenter acquieſcendum eſſe verbo Dei, myſteria hæc quæ vel ſuperbos vel nimis cautos offendunt, ſine controverſia nobis ſapient. Propheta deinde modum exprimit nocendi. neque enim palam aggreſſi ſunt Ægyptii populum Dei, ut eum conficerent, ſed dolis & aſtutia paulatim opprimere tentarunt. nam Propheta verbum ex Moſe ipſo mutuatus eſt. Atque hoc diſerte expreſſum eſt, ne putemus corda impiorum libero curſu in perniciem noſtram ferri. Hoc quidem ſufficere nobis deberet, quicquid diabolus & impii in nos machinentur, Deum tamen ipſorum conatus reprimere. ſed duplex eſt fidei confirmatio, ubi audimus eorum manus non ſolum teneri ligatas, ſed etiam corda & mentes; ut nequid conſultent niſi quod Deo viſum eſt.

26. *Miſit Moſen.*] Hic quæ in populi redemptione notatu digna erant, Propheta breviter perſtringit. Si ſponte paſſi fuiſſent Ægyptii populum exire, neque Moſis opera, neque miraculis opus erat. Sic ergo liberationem illam Deus diſpoſuit, ut negari non poſſit ipſum fuiſſe auctorem. Hoc ſenſu vocat Moſen ſervum Domini, ut ſciamus non à ſeipſo fuiſſe electum, nec quicquam à ſeipſo tentaſſe, ſed quatenus Dei miniſter erat executum fuiſſe partes ſibi injunctas. Idem clarius exprimitur in

perſona Aaron, quum dicitur fuiſſe electus. Quod autem ſingulis tribuitur, ambobus pariter competit: ideoque ſic reſolvi debet oratio, Deum miſiſſe Moſen & Aaron miniſtros ſuos: non qui per ſe idonei forent, vel qui ultro ſuum obſequium detulerint, ſed quia eos elegit. Atque hic locus docet quicunque utilem Eccleſiæ operam impendunt, non præparari ſuo proprio Marte, vel induſtria formari, ſed excitari Divinitus. Moſes homo fuit heroicæ virtutis: ſed ſi per ſe æſtimetur, nullus erat. Ideoque jubet Propheta uni Deo adſcribi quicquid tam de illo quam de Aarone memorabile refertur: ita quicquid conferunt homines in Eccleſiæ ſalutem, gratuitum eſſe Dei donum conſtat.

27. *Poſuerunt in illis.*] Primum leviter delibat Propheta quæ fuſius & pluribus verbis narrantur à Moſe: neque proſequitur continuam hiſtoriæ ſeriem: quia ſatis habuit oſtendere liberationem illam Divinum fuiſſe opus. Ac rurſum diſtinguit inter Dei potentiam, & miniſterium Moſis & Aaron. Nam hos quidem *ſigna* dicit edidiſſe, ſed à Deo profecta, ut cæleſtis virtus non obſcure apparuerit in eorum manu. Unam deinde ſpeciem commemorat, quæ tamen prima ordine non fuit, ſed ex qua facile colligitur, Deum fuiſſe redemptionis auctorem, in qua tota naturæ ratio mutata fuit: quia nihil magis ſtupendum, quam lucem in tenebras converti. Secundo membro commendat fidem Moſis & Aaron, quia ſtrenue exſecuti ſunt quicquid mandaverat Deus: acſi diceret, optimum fuiſſe conſenſum inter imperium Dei ipſius, & utriuſque miniſtri obſequium.

29. *Convertit aquas.*] Quam gravis fuerit hæc plaga Ægyptiis, hinc conjicere licet, quod elementum aquæ unum eſt ex duobus vitæ principiis. Clarius autem enituit Dei potentia, quod quum irrigua ſit illa regio, tamen ſiti exaruerint Ægyptii in aquæ abundantia. Poſtea dicit *productas fuiſſe ranas* quæ penetraverunt uſque ad *Regum cubicula*, quo ſe palam teſtatus eſt Deus miraculi eſſe auctorem. Etſi enim tota Ægyptus ſcateret ranis, oportuit tamen Regum aulas eſſe immunes. Cæterum *Reges* vocat, vel primores regni, vel filios regios qui in ſpem regni educabantur: quia ſcimus tunc Regem unum fuiſſe dominatum in Ægypto. Hinc vero diſcamus, quam facile Deus nec ſine ludibrio in ordinem cogat qui ſuperbiunt in carne. Neque enim ſibi collegit exercitum, ut cum Ægyptiis confligeret: neque ſtatim armavit Angelos, vel è cælo fulminavit, ſed produxit ranas, quæ faſtum illius gentis contumelioſe calcarent, à qua ſcimus deſpectum fuiſſe totum orbem. Glorioſum illis fuiſſet, ſub robuſtis hoſtibus cadere: nunc ranis cedere quantum eſt dedecus? Sed quia probare voluit Deus ſibi non opus eſſe validis copiis ad impios perdendos, quia ludendo id præſtabit quoties volet.

31. Dixit, & venit examen muſcarum: pediculi in omni termino eorum.	31 אמר ויבא ערב כנים בכל גבולם׃
32. Poſuit pluvias eorum grandinem, ignem flammantem in terra ipſorum.	32 נתן גשמיהם ברד אש להבות בארצם׃
33. Et percuſſit vites eorum, & ficulneas ipſorum: & contrivit arborem termini ipſorum.	33 ויך גפנם ותאנתם וישבר עץ גבולם׃
34. Dixit, & venit locuſta, & bruchus abſque numero.	34 אמר ויבא ארבה וילק ואין מספר׃
35. Et voravit omnem herbam in terra ipſorum & conſumpſit fructum telluris ipſorum.	35 ויאכל כל עשב בארצם ויאכל פרי אדמתם׃
36. Et percuſſit omne primogenitum in terra ipſorum, principium omnis virtutis eorum.	36 ויך כל בכור בארצם ראשית לכל אונם׃
37. Et eduxit eos cum argento & auro: & nullus in familiis ejus fuit debilis.	37 ויוציאם בכסף וזהב ואין בשבטיו כושל׃
38. Lætata eſt Ægyptus in egreſſu eorum quia ceciderat timor eorum ſuper illos.	38 שמח מצרים בצאתם כי נפל פחדם עליהם׃

31. *Dixit, & venit.*] Dicendi verbo exprimit, non fortuito *muſcas & pediculos* prodiiſſe. Scimus autem verbum hoc prolatum fuiſſe ore Moſis: quia niſi per ſe Deus jubere poterat, Moſen interpoſuit quaſi præconem. Cæterum non minus efficaciæ verbo ſuo dedit Deus, proferri jubens per hominem, quam ſi è cælo tonaſſet ipſe. Nam dum nihil effutit miniſter, ſed quatenus Dei organum eſt, munus ſuum fideliter peragit, cum externa ejus voce conjuncta eſt interior virtus Spiritus. Hic vero rurſus notandum eſt, muſcis & pediculis ſubjectos fuiſſe Ægyptios, ut majore probro Deus eorum contumaciam domaret. Ubi dicit Propheta *pluvias eorum verſas in grandinem*, ſignificat horribilem fuiſſe impetum grandinis qui naturæ tribui non poſſet. Probabile etiam eſt huic incommodo minus obnoxiam eſſe Ægyptum quam alias regiones: imo non ſæpe pluviam recipit, ſed Nilo irrigatur: quo magis Ægyptiis fuit inſolitum, terram eorum grandine percuti: ignem quoque interpoſuit Deus, quo plus incuteret terroris. Grando igitur procelloſo turbini fuit permiſta, ut Ægyptii, qui ad alia miracula obduruerant, tamen expavefacti ſentirent cum Deo ſibi eſſe negotium.

34. *Venit locuſta*] Hæc agrorum calamitas non potuit in fortunam conferri, quia & momento exortæ ſunt locuſtæ, & abſque numero, ut totam Ægyptum obruerent. Sed miraculum in verbo maxime conſpicuum fuit quia prædictio abſtulit omnem dubitationem. Itaque diſerte Propheta *bruchos & locuſtas* irrupiſſe dicit Deo jubente, acſi dato ſigno milites ad prælium currerent. Semper quidem hæc inſecta, ubi nos infeſtant, & corrumpunt terræ fruges, Dei flagella ſunt: ſed Propheta extraordinarium Dei opus hic notare voluit. Recitat tandem Propheta ultimum miraculum, quod proxima nocte ante populi egreſſum edidit Angelus primogenita omnia occidendo. Hanc hiſtoriam ut alias ſuperiores leviter prætereo: quia & alibi uberius fuerunt tractatæ, & nunc Prophetæ conſilium tenere ſufficit. Quanquam repetitione hanc Dei virtutem amplificat, dicens *contritas fuiſſe primitias, & florem virtutis eorum.* Male alii vertunt, principium doloris. nam quia virile robur in generatione ſe prodit, principium virtutis vocant Hebræi primogenita, ut diximus Geneſ. 49. verſ. 3.

37. *Et eduxit eos.*] Ex oppoſito commendat Dei gratiam, qua populum electum ab omnibus plagis

plagis intactum & incolumem ſervavit. Si promiſcue utrique eaſdem ſenſiſſent plagas, minus notabilis fuiſſet Dei manus. Nunc dum ex tot cladibus nihil prorſus ſentiunt incommodi, hæc diſtinctio, quaſi in tabula paternam Dei curam ergo ſuos depingit. Hac ratione dicit nullum fuiſſe debilem, vel qui impingeret. nam verbum כשל utrumque ſignificat. Ego tamen ſimpliciter accipere malo, quum Ægyptus ad interitum tenderet, populum Dei vegetum fuiſſe, & ab omni morbo immunem. Quum dicit, *eduxit eos*: poſtea, *in familiis ejus*, mutatio eſt numeri Hebræis ſatis trita. Nam quod ad Deum quidam referunt, vereor, ut nimis coactum ſit.

38. *Lætata eſt Ægyptus.*] Alia circumſtantia Dei potentiam teſtatur, quod libenter electum populum dimiſerint Ægyptii, quum tamen nihil minus eſſet propoſitum. Nam quum centies perditos cuperent, ſe tamen putabant lupum auribus tenere: ita vindictæ metus ad delendam populi memoriam eos reddebat magis obſtinatos. Unde ſequitur occultum eſſe opus providentiæ Dei, quod priorem affectum repente exuunt. Eodem ſpectat quod dixit proximo verſu, *eductos fuiſſe cum auro & argento.* Neque enim animus fuiſſet Ægyptiis ſe ultro ſpoliare ad eos ditandos quos cupide vita privaſſent: Fuit igitur hæc Dei liberalitas, in cujus manu & arbitrio ſunt omnes mundi copiæ. Quum autem violenter eripere poſſet Ægyptiis quæ dederat, flexit eorum corda, ut ſe ultro nudarent. *Quia ceciderat timor eorum.* Paſſive accipitur. neque enim timebant Iſraëlitæ Ægyptios, ſed terribiles erant. Nec de vulgari timore loquitur Propheta. nam paulo ante eos inſtigaverat timor ad ſævitiam & tyrannidem. Sed quum ad eum uſque diem præfracta ferocia conati eſſent metum excutere, Deus repente eos proſtravit. Qua re non abs re inter Dei virtutes commemorat Propheta, quod fregerit violentos impetus quibus ante fervebant Ægyptii ut liberos dimitterent quos ſervilibus operis atterere ſtatuerant: quaſi oves lupis formidoloſas redderet.

39. Extendit nubem ad tegumentum, & ignem ut luceret nocte.	39 פרש ענן למסך ואש להאיר לילה׃
40. Et petiit, & adduxit coturnices, & pane cælorum ſatiavit eos.	40 שאל ויבא שלו ולחם שמים ישביעם׃
41. Aperuit rupem, & fluxerunt aquæ, ambulaverunt in aridis *locis ut* fluvius.	41 פתח צור ויזובו מים הלכו בציות נהר׃
42. Quia recordatus eſt verbi ſanctitatis ſuæ ad Abraham ſervum ſuum:	42 כי זכר את דבר קדשו את אברהם עבדו׃
43. Et eduxit populum ſuum in lætitia, in exultatione electos ſuos.	43 ויוצא עמו בששון ברנה את בחיריו׃

39. *Extendit nubem.*] Recenſet quædam miracula, quibus gratiam ſuam Deus erga populum ſuum proſequutus eſt in deſerto. Atque hanc ſeriem notare operæpretium eſt. nam ad illud incomparabile redemptionis opus acceſſit non vulgaris confirmatio, quum Deus ſe itineris ducem præſtare non deſtitit. Ergo poſt Maris tranſitum nubem extendit interdiu, quæ populum protegeret ab æſtu ſolis: noctu illuxit per columnam ignis ut in tenebris lucidum ejus præſentiæ ſignum extaret. Hæc certe perſeverantia locuples perpetui amoris teſtis fuit, acſi palam oſtenderet Deus filios Abrahæ ſe adoptaſſe, ut in finem uſque ſub cuſtodia ſua foveret. Quod de *coturnicibus* ſequitur, alio fine recitat Propheta quam alibi. Certum eſt adſcribi iræ Dei potius quam beneficentiæ, delatam fuiſſe copiam coturnicum, ut ſe populus carnibus ſatiaret: ſicuti etiam ante vidimus exprobrari. Sed nunc omiſſa eorum ingratitudine, Propheta continuam erga eos Dei indulgentiam celebrat. Niſi forte *petendi* verbum accipere libeat in malam partem, quia non ſuppliciter Deum rogavit populus, ſed ſua intemperie proſiliit ad obſtrependum: imo proterve cum Deo litigavit. Hoc modo amplificatio eſſet, quod Deus jure ſuo cedens, pravæ etiam cupiditati morem geſſerit. Quia tamen tacetur crimen, ſinamus quod ſimplicius eſt, coacervari Dei beneficia quibus redemptionem ſemel à ſe factam ſancivit. Sequitur deinde *ſaturatos eſſe pane cæleſti*: ſic autem κατ' ἐξοχὴν Man vocatur, ut alibi vidimus. Nam quum naturale ſit è terra nobis produci cibum quo veſcimur, apertius tunc Deus porrexit manum Judæis, ut eos è cælo paſceret. Jam quia non ſatis erat cibo refici famelicos, niſi & potum Deus ſuggereret, addit rupem fuiſſe apertam, & inde fluxiſſe aquas per loca arida vel deſertum.

42. *Quia recordatus eſt.*] Iterum cauſam deſignat cur tam benigne Deus cum populo illo egerit, tamque humaniter eum toleraverit, nempe ut fidei datæ ſtaret: quia cum Abraham pepigerat ſe fore Deum ſeminis ejus. Hoc autem non abs re ſumma cura traditum fuit à Prophetis gratuitum fœdus fontem eſſe ex quo fluxit redemptio, & continua ſalus populi: quia & melius inde innotuit Dei gratia, quum nihil ſubitum fieret, ſed tantum impleret Deus quod quatuor ante ſeculis pollicitus fuerat. Præluxit ergo Deus verbo ſuo, ne obſcura eſſet ſua gratia & veritas. Ideo rurſus Propheta inculcat, Deum non fuiſſe nova cauſa inductum ut populum redimeret, ſed fidem & effectum fœderis ſui comprobaſſe, perinde acſi quis theſaurum erueret ſub terra defoſſum. Nec dubium eſt quin longius fidem gentis ſuæ ducere voluerit Propheta, ut certo perſuaſi eſſent omnes poſteri, quia tunc teſtatus erat Deus futuris ſeculis certam & ſolidam verbo ſuo veritatem conſtare, non alium fore quam olim experti fuerant Patres. Ideo epitheto inſignit verbum illud, quod mortuo Abraham ſemper vivam efficaciam retinuit. Nam cum Abraham loquutus erat Deus: ſed vis fœderis cum homine mortua non eſt quin ſe Deus veracem erga poſteros oſtenderet.

43. *Et eduxit populum. Lætitiæ & exultationis* meminit, quo gratiæ magnitudinem altius extolleret. Neque enim hoc parvum fuit, quum diris & atrocibus modis afflicti eſſent Ægyptii, tota regio plena eſſet lachrymis & ululatu, ſingulæ etiam domus funeſtæ, populum qui nuper mœſtus gemebat, imo jacebat fere exanimis, alacrem & lætum exire. *Electos* autem Dei vocando, admonet non ſuo merito vel generis dignitate tam propitium illis fuiſſe Deum: ſed quia illos adoptaverat, ut nihil gloriæ fiat reſiduum hominibus, ſed in ſolo Deo gloriari diſcant.

44. Et

44. Et dedit illis terras Gentium, & laborem populorum in hæreditatem adepti ſunt.

44 ויתן להם ארצות גוים ועמל לאמים יירשו:

45. Ut cuſtodiant decreta ejus, & Legem ejus ſervent. Halelu-Ja.

45 בעבור ישמרו חקיו ותורתיו ינצרו הללויה:

44. *Et dedit illis.*] Cauſam finalem profert cur Deus mirificam ſuam virtutem tot modis exſeruerit in redimendo populo, cur non deſtiterit in deſerto fovere illum & tueri: cur terram ſicuti pollicitus fuerat, fruendam illis tradiderit: nempe ut ſe totos dicarent, & addicerent in ejus cultum. Et certe hic electionis noſtræ finis eſt, quod Deus populum aliquem vult habere in terra à quo invocetur & colatur. Porro quo melius ad gratitudinem Judæos incitet, gratiæ amplitudinem extollit, dicens longe lateque *occupaſſe terras Gentium*, & quicquid magno labore acquieſierant multi populi, jam quaſi hæreditario jure tenere. Numerus enim pluralis tam in terris quam gentibus beneficium Dei magis exornat. Jam glorificandi Dei modum breviter definit, *ut Legem cuſtodiant*: quia non ſatis eſſet linguis tantum celebrare Dei gratiam, niſi accederent ſeria pietatis experimenta. Et quia fictitios omnes cultus Deus repudiat, unica ſupereſt ejus rite colendi ratio in ſervandis ejus præceptis.

ARGUMENTUM PSALMI CVI.

Differt hic Pſalmus à ſuperiori, quia quum illic docuerit, Deum electo populo fuiſſe pluſquam beneficum patrem, ut ſibi in futurum tempus acquireret puros cultores, nunc præclara illa beneficia fatetur male locata fuiſſe quia ſubinde jugum excuſſerint Judæi, Dei gratia indigne abuſi fuerint, polluerint ſe multis inquinamentis, perfide etiam deſciverint ab ejus verbo. Quanquam non tam objurgatio eſt vel querimonia, quam confeſſio ad precationem veniæ. Incipit enim Propheta à laudibus Dei, quo ſe & alios erigat in bonam fiduciam. Deinde votum concipit, ut Deus benedictionem ſuam erga genus Abrahæ continuet. Cæterum quia indignus erat populus cui poſt tot defectiones propitius adhuc eſſet Deus, poſtquam confeſſus eſt ab initio per continuas ætates malitia, ingratitudine, ſuperbia, perfidia, & aliis vitiis ſemper iram Dei provocaſſe, veniam tamen poſtulat.

PSALM. CVI.

HAlelu-Ja. Celebrate Jehovam, quia bonus, quia in ſeculum clementia ejus.

1 הללויה הודו ליהוה כי טוב כי לעולם חסדו:

2. Quis loquetur potentias Jehovæ, annunciabit omnem laudem ejus.

2 מי ימלל גבורות יהוה ישמיע כל תהלתו:

3. Beati qui cuſtodiunt judicium, qui facit juſtitiam omni tempore.

3 אשרי שמרי משפט עשה צדקה בכל עת:

4. Memento mei Jehova in beneplacito populi tui, viſita me in ſalute tua:

4 זכרני יהוה ברצון עמך פקדני בישועתך:

5. Ut videam beneficentiam electorum tuorum, ut læter in lætitia gentis tuæ, ut glorier cum hæreditate tua.

5 לראות בטובת בחיריך לשמח בשמחת גויך להתהלל עם נחלתך:

CElebrate.] Exhortatio quaſi inſcriptionis vice ponitur: non quod Pſalmus ſolam gratiarum actionem, vel laudes Dei contineat, ſed ut reconciliationis fiduciam ex præteritis beneficiis colligat populus: atque ita Deum, quamvis tunc offenſus foret, placabilem ſperet fore. Ergo, Dei laudes canendo, revocare in memoriam jubet quæ præſentium malorum lenire dolorem poſſent, & animos à deſperatione erigere.

2. *Quis loquetur.*] Poteſt hic verſus duobus modis exponi. nam ſi conjunctim legas cum proxime ſequenti, ſenſus erit, non idoneos eſſe quoſlibet laudum Dei præcones, quia impii & ſcelerati ore impuro nihil aliud quam ſacrum ejus Nomen profanant, ſicuti dicitur Pſalmo 50. verſ. 16. atque ita huic ſententiæ addita eſſet reſponſio, *Beati qui cuſtodiunt judicium.* Ego tamen judico aliam eſſe Prophetæ mentem, neminem ſcilicet mortalium, utcunque ad canendas Dei laudes ſtudia omnia & conatus ſuos conferat, tam ſplendido argumento parem fore, cujus immenſitas ſenſus omnes noſtros obruit. Quanquam non eo conſilio in ſublime attollit Dei potentias ut nos ab illis prædicandis deterreat: ſed hac potius ratione nos ſtimulat ut ſupra vires nitamur. Nam ſi ſtrenue currendo, longe tamen à perfectione ſemper diſtamus, quis jam pigritiæ locus reſtat? Optimum vero ad nos animandos ſolatium eſt, quod ſcimus, utcunque nos facultas deficiat, quas ex animo offerimus laudes Deo placere: tantum ne frigeamus: quia nimis abſurdum eſſet, qui ad decimam partem non perveniunt, hac occaſione in centeſima torpere.

3. *Beati qui cuſtodiunt.*] Hunc verſum à ſuperiori diſtinguo, ſic tamen ut aliquo modo cohæreat. Poſtquam enim eam virtutum Dei immenſitatem eſſe dixit Propheta, ut celebrandis earum laudibus impares ſint omnes linguæ, nunc etiam addit, non placere Deo laudes quæ in ore tantum reſonent, niſi conſentiant animi, imo in tota vita reſpondeat concentus. Brevis autem eſt veræ pietatis definitio, dum primo jubet cuſtodiri *judicium*, deinde fieri *juſtitiam*. Neque enim dubito quin priore membro ſincerum cordis affectum notet: poſtea deſcendat ad externa opera. Scimus enim umbratilem eſſe juſtitiam, niſi ex animo probitati quis ſtudeat. Perſeverantiam quoque requirit, nequis ſe defunctum putet, niſi qui conſtanter & perpetuo tenore in ſtudium recte juſteque vivendi incumbit. Videmus enim multos projicere quaſdam ſpumas, alios virtutis quædam ſigna dare, ſed æquabilem non tenere curſum.

4. *Memento mei.*] His verbis declarat Propheta hoc ſibi præcipuum eſſe votum, ut Deus amorem quo Eccleſiam complexus eſt, ad ipſum extendat, ut hoc modo benedictionum omnium fiat particeps quibus ab initio Deus dignatus eſt ſuos electos, & quas de die in diem continuat. Quanquam non hoc ſibi privatim optat: ſed communem totius Eccleſiæ nomine precationem concipit, ut fideles inſtituat ſuo exemplo ad idem petendum. *Memento*, inquit, *mei in beneplacito populi tui.* hoc eſt, fac ut gratuitus favor quo populum tuum dignaris, ad me perveniat, ne disjungar ab Eccleſia, ſed unus cenſear ex tuorum numero. Nam beneplacitum populi paſſive

paſſive ſumitur pro dilectione qua Deus electos gratis amplectitur. Quanquam per metonymiam transfert hanc vocem Propheta ad ſigna amoris Dei. Nam quod gratiam ſuam Deus à re ipſa & experimentis probat, hoc ex fonte illo gratuito fluit. Porro ſummam veræ felicitatis in eo ſtatuit Propheta; ſi cenſeatur in Dei populo: quia hoc modo ſentiet Deum ſibi eſſe propitium (quo nihil optabilius eſt) & eum quoque liberalem ſentiet. Recordandi verbum ad circumſtantiam temporis refertur: quia in fine videbimus in triſti & calamitoſo populi ſtatu compoſitum fuiſſe hunc Pſalmum, ut fidelibus obrepere dubitatio poſſet ſe oblivioni eſſe traditos. Eodem ſpectat poſterius membrum, *viſita me in ſalute tua*. Viſitare enim Deus videtur à quibus ſe in ſpeciem ſubduxit: ſalus autem, eſt beneplaciti demonſtratio. Contexit eandem ſententiam verſu proximo, *ut videam in beneficentia electorum tuorum*. Socius enim & conſors ejus beneficentiæ fieri cupit quam ſemper experti ſunt electi Dei. *Aſpectus* enim pro fruitione capitur, ut ſatis notum eſt: ut Videre regnum Dei, Videre bonum & vitam. Falluntur enim qui exponunt, ut videam te electis benefacere: quando neque ſuperior verſus unde hic dependet, ſenſum hunc admittit: & quæ ſequuntur, expoſitionem quam attuli confirmant. *Læter in lætitia populi tui, & glorier cum hæreditate tua.* Satis enim conſtat Prophetam ſibi bonorum omnium ſocietatem optare cum electis, ut Deo uno contentus, beate & feliciter ſub ejus præſidio degat. Quamvis autem tunc miſera eſſet Eccleſiæ conditio, in rebus tamen confuſis hoc principium retinet Propheta, nihil eſſe melius quam cenſeri in grege & populo Dei: quia ſemper optimus fuerit pater ſuorum & ſalutis eorum fidelis cuſtos. Tantum petit eodem ſe modo tractari quo Deus Eccleſiam ſuam ſemper tractare ſolitus eſt. Atque hoc unum ſibi ſufficere teſtatur, non divelli nec ſeparari à communi Eccleſiæ ſorte. Tacita interim querimonia ſubeſt, quod Deus bonitatem ſuam tunc prohiberet ab Eccleſia afflicta, acſi eam abdicaſſet.

Joan. 3. verſ. 3.
1 Petr. 3. verſ. 10.

6. **Peccavimus cum Patribus noſtris, inique egimus, ſcelerate nos geſſimus.**	6 חטאנו עם אבותינו העוינו ה רשענו:
7. **Patres noſtri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non recordati ſunt multitudinis bonitatum tuarum: & rebelles fuerunt ad Mare, in Mari rubro.**	7 אבותינו במצרים לא השכילו נפלאותיך לא זכרו את רוב חסדיך וימרו על ים בים סוף:
8. **Et ſervavit eos propter nomen ſuum, ut notam faceret potentiam ſuam.**	8 ויושיעם למען שמו להודיע את גבורתו:
9. **Et increpuit Mare rubrum, & exſiccatum eſt: & ambulare fecit eos in abyſſis ſicut in deſerto.**	9 ויגער בים סוף ויחרב ויוליכם בתהומות כמדבר:
10. **Et ſervavit eos è manu hoſtis, & redemit eos è manu inimici.**	10 ויושיעם מיד שונא ויגאלם מיד אויב:
11. **Et operuerunt aquæ oppreſſores eorum, unus ex illis non fuit reſiduus.**	11 ויכסו מים צריהם אחד מהם לא נותר:

6. *Peccavimus.*] Hinc clarius patet, quamvis loquutus ſit Propheta in perſona unius hominis, dictaſſe tamen Eccleſiæ communem formam orandi, quia jam totum corpus ſibi adjungit. Cæterum hinc ad finem uſque Pſalmi ex veteribus hiſtoriis colligit, Patres ſuos maligno ſemper & improbo ingenio, perverſis moribus, rebelles, ingratos, & perfidos Deo fuiſſe: poſteroſque nihilo meliores agnoſcit: ut hac confeſſione edita, veniæ deprecatio locum obtineat. Quia ergo veniæ impetrandæ non ante ſumus capaces, quam peccata noſtra damnaverimus, & ſtupor noſter januam Dei gratiæ claudit: merito Propheta in ſevera & dura populi caſtigatione ſuppliciter reatum fatetur; acſi Deus graviores velit pœnas exigere, jure id facturum. Alia etiam de cauſa utile fuit peccata ſua Judæis ante oculos poni: quia ſi nos Deus aſperius caſtigat, mox fingimus promiſſiones ejus excidiſſe. Sed ubi ex oppoſito monemur, mercedem nos referre quam peccatis noſtris ſumus promeriti, ſimul occurrunt promiſſiones quibus ſe propitium Deus offert, modo ex animo reſipiſcamus. Porro tribus verbis ſcelerum atrocitatem exaggerat, ne leviter (ut fieri ſolet) tangantur animi, ſed penitus mœrore vulnerentur. Scimus enim homines vitiis ſuis teneri implicitos, & ſibi parcere, donec ad ſerium examen cogantur: imo ubi Dominus in judicium eos citat, defunctorie tantum uno verbo dicunt ſe peccaſſe. interea hypocriſis ſopitos tenet animos. Non eſt igitur ſupervacua verborum congeries, quum dicit Propheta *populum peccando inique egiſſe*, prorſuſque impium fuiſſe & ſceleratum. Et certe ſi quiſque noſtrum ſe examinet, facile judicabimus, non minus nobis eſſe neceſſarium ad veram confeſſionem urgeri: quia etſi nos abſolvere non audemus, nemo tamen eſt qui non libenter captet latebras & effugia. Eadem fere forma Daniel ſua & populi peccata condemnat. Et fieri poteſt ut auctor hujus Pſalmi illius exemplum ſequutus ſit. Diſcamus autem nos ab utroque, hanc eſſe unicam rationem placandi Dei, ubi ſeveri in nos cenſores ſumus. Diligenter etiam notandum eſt, ſanctos iſtos Prophetas, licet nunquam à Dei timore & cultu deſciverant, ſubire tamen communem reatum cum populo: neque id ſimulata modeſtia, ſed quia ſciebant multis corruptelis ſe fuiſſe infectos: ut fieri non poteſt, dum regnant vitia, & eorum colluvies exundat, quin aliqua etiam ad optimos ſerpat contagio. Neque enim ſe cum reliquis comparant, ſed ad tribunal Dei prodeuntes, vident ſe non poſſe elabi. Tunc vero ſic invaluerat impietas apud Judæos, ut mirum non ſit, etiam qui optimi erant ac integerrimi, fuiſſe quaſi vi tempeſtatis abreptos. Quo magis deteſtabilis eſt eorum ſuperbia qui ſe vix leviter putant delinquere: imo diabolicam neſcio quam perfectionem imaginantur, ut hodie faciunt quidam fanatici. Certe tenendum eſt, quamvis ſollicite Daniel ſe continuerit ſub timore Dei, quem etiam Spiritus ſanctus unum ex juſtiſſimis fuiſſe pronunciat, non tamen ficte ſua & populi peccata cum gravi & ſevera deteſtatione coram Deo fateri. Non fuerat quidem eodem quo vulgus hominum diluvio ſubmerſus, ſe tamen ſciebat multas labes traxiſſe. Jam vero *Patres* non ideo adducit Propheta ut eorum prætextu culpam minuat: (ſicuti hoc clypeo multi objurgationes repellunt, ſe ita edoctos fuiſſe à Patribus, pravam educationem in cauſa eſſe:) ſed potius graviori pœnæ ſe & gentiles ſuos eſſe obnoxios, quia ab

Daniel. 9.
Eze. 14. verſ. 14.

ab initio uſque & quaſi prima infantia exorſi, non deſtiterint novis ſceleribus iram Dei magis ac magis in ſe provocare. Sic enim multiplici reatu patres una cum filiis involvit.

7. *Patres noſtri.*] Hic narrat quomodo populus ſtatim ab exordio redemptionis Deo ingratus fuerit, & ſe contumaciter in eum geſſerit. Neque unius modo temporis hiſtoriam narrabit, ſed huc tendet totus ſermo, nunquam à ſua malitia populum deſtitiſſe, quamvis Deus incredibili bonitate contra certaret. Unde apparet quam indomita fuerit & deſperata gentis illius pravitas. Primo autem accuſat populi dementiam, quæ cauſa fuit ingratitudinis. Neque enim ſtultitiæ nomine culpam extenuat, ut ſæpe fieri ſolet: ſed traducit fœdum & pudendum populi ſtuporem, quod in rebus tam apertis cæcutierit. Erant enim ejuſmodi opera Dei, quæ etiam à cæcis conſpici deberent. Unde igitur tam craſſa ignorantia, niſi quod ipſos dementaverat Satan, ut Dei miracula negligerent quæ lapides ipſos poterant movere? Jam quum addit *non fuiſſe recordatos*, melius exprimit, non fuiſſe excuſabilem ignorantiam: imo ſupina magis ſocordia quam inſcitia eos fuiſſe cæcos. Cauſa enim ignorantiæ fuit, quod ſepelierunt quæ per ſe ſatis erant conſpicua. Addit quam ſubita fuerit oblivio: quod ad crimen augendum valet. fuit enim hoc prodigioſum, quod ne conſpectus quidem ipſe eorum animos excitaverit. Hinc factum eſt ut vix dum egreſſi ex Ægypto, in ipſo Maris tranſitu contra ſuum redemptorem protervè inſurrexerint. Certe nec annus, nec ſeculum tam memorabiles virtutes debuerat ex eorum cordibus delere. Quantus igitur furor, quod adhuc in re præſenti obſtrepunt Deo, quaſi hoſtibus eos jugulandos prodiderit? Mare Suph Hebræi vocant ſinum illum quo trajectus eſt populus. Quidam vertunt caricoſum: & סוף algam eſſe volunt. Qualiſcunque autem ſit etymologia, de loco ipſo nulla dubitatio eſt. Probabile autem eſt, quia juncis refertus erat tractus ille, ideo inditum fuiſſe nomen.

8. *Et ſervavit eos.*] Subjicit Propheta quod ex proxima ſententia colligere cuivis promptum erat, Iſraëlitas non quia digni eſſent, fuiſſe ſervatos, ſed quia Deus ſuæ gloriæ conſulere voluit. Ergo ne Deus ſacrum ſuum Nomen proſtitueret Gentium opprobriis, ſuperato illo obſtaculo, perrexit ad implendam quam cœperat redemptionem. Porro antitheſis inter *nomen Dei*, & hominum merita vel dignitatem notanda eſt: quia Deus ſeipſum reſpiciens, cauſam in nobis minime reperit qua ad nos ſervandos flectatur. Modum ſervandi poſtea deſcribit, in quo melius adhuc refulget inæſtimabilis Dei bonitas, quæ in gratiam perverſi adeo populi naturæ ordinem mutavit. *Increpitum fuiſſe Mare* dicens, Dei potentiam prædicat, quod ſolo imperio vel nutu Mare ſiccaverit, aquas retrocedere jubens, ut liber tranſitus inter adverſas aquarum moles pateret. Atque ut miraculum extollat, ſimilitudine utitur, quam veriſimile eſt ex Jeſaia ſumptam eſſe. dicit enim capite 63. verſ. 13. Tu ambulare feciſti populum tuum per abyſſos quaſi equum in deſerto, ut non impingat. Intelligit autem hoc non ſine mira Dei potentia factum eſſe, ut populus per Mare iter faceret, non ſecus atque in ſicca planitie. Fieri quidem poteſt ut deſertum in quo peregrinatus eſt populus, habuerit multas abyſſos, iter fuerit ſalebroſum, multæ crepidines: ſed non dubium eſt quin Dei potentiam in Maris tranſitu æſtimet Propheta, & hac comparatione augeat, quod per illud profundum Mare æquabilis fuerat via. Miraculum etiam confirmat ubi dicit *ſubmerſos fuiſſe hoſtes ipſorum:* quia ubi Mare liberum iter præbet Iſraëlitis, operit & abſorbet Ægyptios, *ut ne unus quidem ſalvus evadat*, unde hoc tam ſubitum diſcrimen, niſi quia Deus alios ab aliis diſtinxit?

12. Et crediderunt verbis ejus, cecinerunt laudem ejus.	12 ויאמינו בדבריו ישירו תהלתו:
13. Feſtinarunt, obliti ſunt operum ejus, non exſpectaverunt ad conſilium ejus.	13 מהרו שכחו מעשיו לא חכו לעצתו:
14. Et concupiverunt concupiſcentiam in deſerto: & tentaverunt Deum in ſolitudine.	14 ויתאוו תאוה במדבר וינסו אל בישימון:
15. Et dedit illis petitionem eorum: & miſit maciem in animam eorum.	15 ויתן להם שאלתם וישלח רזון בנפשם:

12. *Crediderunt.*] Hoc in eorum laudem non ponitur, quod crediderint verbis Dei, & cecinerint laudem ejus: ſed hinc duplicatur crimen, quod convicti tam inſignis documentis, mox tamen ad ingenium reverſi, quaſi nihil vidiſſent, cœperunt contra Deum tumultuari. Hæc vero minime excuſabilis fuit impietas, momento ſepelire præclara beneficia, quæ agnoſcere coacti fuerant. Magnitudine ergo operum Dei, fidem & laudem illis quaſi invitis expreſſam fuiſſe dicit, ut crimen defectionis augeat: quia quum ſubacta eſſet eorum durities, mox relapſi ſunt ad ſuam infidelitatem. Exoritur tamen quæſtio. nam quum vera fides, verbi naturæ reſpondeat: ſicuti verbum ſemen eſt incorruptibile, ſic illa nunquam extinguitur, quamvis ſuffocari contingat. Sed eſt temporalis quædam fides, ut à Marco vocatur, quæ non tam ex Spiritu regenerationis, quam ex mutabili aliquo effectu manat, ideoque evaneſcit. Quanquam ne voluntaria quidem fides hic à Propheta laudatur, ſed potius violenter extorta: quia ſcilicet velint nolint homines, potentiæ Dei ſenſu ad aliquam ejus reverentiam cogantur. Locus hic notandus eſt, ne ſibi blandiantur qui ſemel Deo ſe ſubjecerint: ſed hanc veræ fidei probationem eſſe diſcant, ubi ſponte amplexi erunt Dei verbum, in hac obedientia conſtanter perſtare. Atque ut populi levitatem perſtringat, dicit *feſtinaſſe*. Nam quod exponunt quidam, celeriter correpto itinere profectos fuiſſe ad locum Marah: nimis frigide prætereunt emphaticam Prophetæ loquutionem, qua odioſe fervidum & præcipitem eorum errorem infamat, quod tantum ad momentum crediderint, & feſtinanter obliti ſint operum Dei. Tridui enim fuit illis iter à trajectu Maris uſque ad Marah: interim cœperunt obſtrepere Deo quod non reperirent aquas dulces. Interea notandum quod alibi vidimus, non alia de cauſa tam ingratos erga Deum eſſe homines, niſi quia ſpernunt ejus beneficia: quorum ſi memoria animis noſtris hæreret, freni loco eſſet ad nos in ejus timore retinendos. Speciem tranſgreſſionis deſignat Propheta, quod non ſuſpenderint vota ſua ad tempus opportunum. Mira enim eſt cupiditatum noſtrarum intemperies, ut vix diem unum Deo concedat. niſi enim protinus nobis obſequitur, ſtatim ſubit impatientia, & tandem deſperatio. Hoc igitur crimen populi fuit, non conjicere curas ſuas in Deum, non placide eum invocare, & patienter exſpectare dum precibus annueret, ſed tumultuoſo impetu ruere, acſi legem imponere Deo vellet. Ideo *conſilii* nomine utitur, feſtinationis crimen exaggerans. quod homines Deo ſapere non permittunt, neque pendent ab ejus conſilio

Marc. 4. verſ. 17.

ſilio ut decebat: ſed volunt plus quam liceat eſſe providi, & potius Deum regere, quam ſe permittere regendos illius arbitrio. Ergo ne Deum exaſperemus, tenendum eſt hoc principium, ut ſinamus Deum nobis proſpicere, quemadmodum utile eſſe novit. Et certe fides propria ſapientia nos ſpolians, in ſpe & ſilentio nos continet, donec impleat Deus opus ſuum, quum ſemper caro intempeſtive Dei conſilium anticipet.

14. *Concupiverunt.*] Hiſtorice proſequitur vitium, quod pro doctoris officio breviter attigerat. Siquis ergo roget, quomodo Dei conſilium non exſpectaverint: reſpondet, quia ſuis concupiſcentiis habenas laxarunt: quia hæc unica eſt moderationis ratio, ſi Deus affectus noſtros gubernet, eorumque ſit arbiter. Quò nos magis eniti decet ad frænandas concupiſcendi licentias, quæ naturaliter in nobis ebulliunt. Nam qui ſibi appetere permittit plus quam datur, aperte bellum Deo indicit, quia omnes carnis concupiſcentiæ recta feruntur contra Deum. *Tentare Deum* eſt non acquieſcere Dei arbitrio, ſed plus expetere quam ipſe dare velit. Quum autem diverſis modis tentetur, genus unum hic notat Propheta, quod Deum excogitatis à ſe mediis adſtringere auſus eſt populus, atque ita contempto medio quod amplecti debuerat, ſibi imaginatus eſt novam Dei virtutem, niſi nos Deus carnibus paſcat, non putabimus eſſe Deum. Atqui alimentum ſuggerebat quod ſufficeret. Deus autem, quamvis non alligatus ſit ullis mediis, vult tamen mediis à ſe ordinatis ſenſus noſtros ſubjici. Exempli gratia, Quamvis nos poſſit abſque pane alere, vult tamen hoc ſubſidio ſuſtineri vitam noſtram: quo neglecto ſi novam rationem ei præſcribimus, tentamus ejus virtutem.

15. *Dedit petitionem.*] Elegans eſt paronomaſia in voce רזון nam ſi pro ז legatur צ, erit beneplacitum. Ergo Propheta voce affini ad beneplacitum alludens vel deſiderium, dicit *Deum miſiſſe in animas eorum maciem*: ſignificans morem quidem geſſiſſe intemperantiæ populi, ſic tamen ut præter maciem nihil retulerint quibus faſtidio erat Manna. Videtur etiam oblique conferre in populum quod perſpicimus quotidie in hominibus lautis & faſtidioſis, præſertim ubi ventriculus, propter vitioſos humores, ſalubres cibos reſpuit: tales enim nonniſi quæ maxime noxia ſunt appetunt. quo autem ſe magis ingurgitant, eo plus malæ habitudinis contrahitur: ita paulatim eos cibus ipſe macerat. Videtur ergo Propheta vitioſum corporis affectum ad animos transferre, & conferre Judæos hecticis, quibus nihil profuit largius comedere, imo nocuit propter atrophiam. Ratio eſt, quia cibo quem improbe petierant, Deus maledixerit, ut pœna transgreſſionis eos humiliaret. Quod autem ne hoc quidem modo correcta fuit obſtinatio, in eo ſe prodidit major pravitas. Dicitur vulgari proverbio, *Stultos accepto malo ſapere.* Ergo inſanos & inſanabiles fuiſſe oportet, qui ne coacti quidem reſipuerunt.

16. Et æmulati ſunt Moſen in caſtris, Aaron ſanctum Jehovæ.	16 ויקנאו למשה במחנה לאהרן קדוש יהוה:
17. Aperta eſt terra, & deglutivit Dathan, & operuit ſuper tabernaculum Abiram.	17 תפתח ארץ ותבלע דתן ותכס על עדת אבירם:
18. Et accenſus eſt ignis in conventu ipſorum, flamma exarſit ſuper impios.	18 ותבער אש בעדתם להבה תלהט רשעים:
19. Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt coram ſculptili:	19 יעשו עגל בחרב וישתחוו למסכה:
20. Et mutaverunt gloriam ſuam in ſimilitudinem bovis comedentis fœnum.	20 וימירו את כבודם בתבנית שור אכל עשב:
21. Obliti ſunt Dei ſervatoris ſui qui fecerat magnifica in Ægypto.	21 שכחו אל מושיעם עשה גדלות במצרים:
22. Miracula in terra Cham, terribilia ad mare Rubrum.	22 נפלאות בארץ חם נוראות על ים סוף:

16. *Et æmulati ſunt.*] Aliam transgreſſionem breviter attingit, ſed in qua ſibi & aliis materiam longæ meditationis proponat. Nam quod populus diverſos peccandi modos ſubinde fabricans, ingenioſus fuerit ad provocandum Deum, hoc nobis debet plus incutere horroris. Porro quum dicit *æmulatos fuiſſe Moſen & Aaron*, ſignificat diabolico ſuo faſtu contra Deum fuiſſe elatos, ut jugum ab eo impoſitum excuterent: ſicut etiam dicebat
Num. 16. verſ. 11. Moſes, Quid ſumus ego & Aaron? Nam quum per eorum manus populum regere Deus vellet, hanc gubernationis ſpeciem non ferre, nihil aliud fuit quam contumaciter reſiſtere Dei imperio. Itaque ſub verbo *æmulandi* ſubeſt magnum pondus, quod dum blande & ſuaviter fovebat Deus Iſraëlitas ſub alis ſuis, ſua tamen ſorte non contenti, adverſus eum calcitraverint. Quorſum iſta intemperies, niſi quod Deum amplius non ferentes nutritium, nubes ipſas tranſcendere cupiunt? Hoc ſenſu vocatur *Aaron ſanctus Jehovæ*, ut ſciamus nihil tam ei quam Moſi fuiſſe à Deo ſeparatum. Nam ſub unius perſona, utrique hoc elogium tribuitur: quo ſignificat Propheta divinitus fuiſſe ad illud miniſterium ſegregatos. Dathan igitur & Abiram delectum hunc labefactando, non cum hominibus, ſed cum Deo bellum gerunt: quia quantum in ſe eſt, profanant ſanctos Dei.

17. *Terra aperta eſt.*] Ex pœnæ magnitudine cognoſci potuit criminis atrocitas. Sed Prophetæ conſilium fuit populi duritiem traducere, qui adeo plagis non fuit emendatus (quum tamen lapides quoque movere debuerit tam horribilis Dei vindicta) ut petulantius inſanierint. fuit ſane horribile hoc portentum, quod *terra* vivos *abſorbuit Dathan & Abiram* cum tota factione: quod *ignis è cælo deſcendens eos conſumpſit*: ſicut dicebat Moſes, Si quid
vulgare contigerit ne credatis Deum qui in cælo regnat, vobis & mihi præfuiſſe: ſed ſi hoc novum *Num. 16. verſ. 29.*
accidat & inſolitum ut dehiſcat terra, credite ſaltem me à Deo fuiſſe miſſum. Quum vero ſuo furore abrepti Iſraëlitæ tunc quoque in Deum tumultuati ſint, deterrimum fuiſſe morbum apparet qui tam violento remedio corrigi non potuit. Et quum hypocritas quoque terreat Dei ſeveritas, fremere & jurgari contra Deum tam duriter percutientem, prodigioſi furoris fuit. Si quæratur cur paucorum hominum crimen toti populo imputet Propheta, ſolutio facilis eſt: quia etſi duo tantum præcipui fuerunt auctores tumultus, qui ducentos & ſeptuaginta ſeditioſos homines ſecum traxerunt, popu-

lum tamen contagione fuiſſe infectum, ex fremitu & calumniis apparet. Pœna duces & anteſignanos impiæ conjurationis transgreſſa non eſt: nempe quia eam mitigare voluit Deus, & vulgo hominum parcere, quod tamen novitatis cupidum fuerat, ut omnibus intolerabiles eſſent Moſes & Aaron.

19. *Fecerunt vitulum.*] Hic defectionem ponit omnium turpiſſimam, dum rejecto vero Dei cultu, vitulum ſibi fabricarunt. Etſi autem propoſitum illis erat, Deum hoc modo colere, brutum tamen ſtuporem coarguit Propheta, quod *adoraverint coram ſculptili*: & Deum *ſub figura bovis fœnum comedentis* repræſentaverint. Nam hinc colligit Propheta auferri Deo quod ſuum eſt, totamque ejus gloriam profanari. Et ſane ita eſt: quamvis enim obtendant idololatræ colendi Dei zelum, ſimul tamen ac ſibi figurant viſibilem Deum, abnegato vero Deo, idolum ſibi impie fabricant. Sed flagitium gravius exprobrat quum dicit *in ſimilitudinem bovis comedentis fœnum*: & ex oppoſito ponit *decus ipſorum*, vel gloriam. Nam quum Deus ſua gloria eos decoraret, quantæ ſocordiæ fuit ſubſtituere in ejus locum non modo bovem, ſed mortuam bovis formam? quaſi aliqua ſit affinitas inter Deum, qui omnes alimentorum ſpecies procreat, & craſſum animal quod fœno veſcitur. Notandum igitur Prophetæ conſilium, quia dum homines in mediocri ſuperſtitione ſe non continent, ſed projecto pudore ſaltant ad prodigioſos cultus, turpior eſt eorum cæcitas, & magis deteſtabilis. Si Deum ſibi repræſentaſſet populus ſub hominis figura, id jam impium & ſacrilegum erat: ſed multo fœdior ſtupiditas, quod bovi Deum aſſimilant. Dum vitam ſuſtinent homines cibo & potu, quia ejus uſuram mutuantur à rebus mortuis, fatentur quam fragilis ſit ſua conditio. Quanto igitur majore contumelia afficitur Deus quum relegatur ad beſtias? Jam comparatio de qua diximus, crimen exaggerat. Quale enim decus fuit ſancto populo mortuam bovis effigiem colere loco Dei? Atqui gloriam ſuam inſtar alarum Deus ſuper filios Abrahæ extendere dignatus fuerat, ut eos ſumma præſtantia ornaret. Ergo illi ſe nudando, turpitudinem ſuam expoſuerunt Gentium omnium ludibriis. Ideo crimen illud idololatriæ deſcribens Moſes, nuditatis voce utitur. Siquis excipiat, Arcam fœderis fuiſſe Dei imaginem: reſpondeo, ſymbolum illud datum fuiſſe Iſraëlitis non in quo defigerent mentes ſuas: ſed quo potius adjuvarentur ad ſpiritualem Dei cultum.

21. *Obliti ſunt.*] Repetit ſecundo Propheta, non inſcitia ſola erraſſe populum, ſed ingratitudine: quia jam ſatis ſuperque ſe Deus patefecerat. Cæcis etiam ipſis ſublata eſt excuſatio: quia Deus in opificio cœli & terræ conſpicuus apparet. Sed Iſraëlitarum crimen longe atrocius, qui Deo valere juſſo, poſtquam familiariter illis ſe communicaverat, convertunt ſe ad brutas ſuperſtitiones. Subeſt enim magna in his elogiis emphaſis, quod Deus, ut eorum eſſet ſervator, incredibilem ſuam potentiam è cœlis exſeruerat. Si vulgare modo aliquod ſignum dediſſet ſuæ virtutis, debebat tamen attentio retinere populum in ejus timore & cultu: nunc quum virtutes apprime inſignes fuerint, imo terribiles & inſolitæ, populum clauſis oculis ad idololatriam ſe projicere, nimis indignum fuit. Nam illa Dei notitia non ſecus ac ſolis fulgore caligo diſcutitur, commenta omnia & pravos errores evaneſcere oportuit.

23. Et dixit ut perderet eos, niſi Moſes electus ejus ſtetiſſet in ruptura coram facie ejus, ad avertendam iram ejus, ne deleret.	23 ויאמר להשמידם לולי משה בחירו עמד בפרץ לפניו להשיב חמתו מהשחית׃
24. Et repudiarunt terram deſiderabilem: non crediderunt verbis ejus.	24 וימאסו בארץ חמדה לא האמינו לדברו׃
25. Et tumultuati ſunt in tentoriis ſuis, non audierunt vocem Jehovæ.	25 וירגנו באהליהם לא שמעו בקול יהוה׃
26. Et extulit manum ſuam ad diſpergendum eos in deſerto.	26 וישא ידו להם להפיל אותם במדבר׃
27. Et ad diſpergendum ſemen eorum inter Gentes, & ad ſeminandum eos per terras.	27 ולהפיל זרעם בגוים ולזרותם בארצות׃

23. *Et dixit.*] His verbis docet Propheta, quum ſolis precibus cohibita fuerit Dei ultio, populum ſenſiſſe mirabiliter ſe exitio fuiſſe ereptum, cui jam propinquus erat: in quo ſe prodidit pervicax ejus malitia, quando paulo poſt ad ingenium reverſus eſt. Quo exprimat gravem Dei offenſam, dicit feciſſe decretum de perdendis transgreſſoribus, non quod in Deum cadant paſſiones humanæ, ut ad momentum excandeſcat, deinde placatus mutet conſilium. Deus enim in arcano ſuo conſilio, ignoſcere ſtatuerat, ſicuti fecit. Sed aliud decretum commemorat Propheta, quo Deus terrere populum voluit, ut agnita culpæ ſuæ gravitate humiliaretur. Hæc eſt pœnitentia cujus ſæpe fit in Scripturis mentio. non quod Deus in ſeipſo ſit flexibilis: ſed quia, ut iræ ſuæ ſenſu nos ſerio tangat, induere cogitur hominis perſonam: acſi Rex qui malefico dare veniam ſtatuit, prius tamen eum ad tribunal ſuum ſiſtat, quo melius commendet ſuum beneficium. Deus ergo arcanum ſuum conſilium intus ſibi retinens, decretum protulit quo populum oſtendit æternæ mortis reatu eſſe obſtrictum. Poſtea dicit *Moſen ſtetiſſe in ruptura*, ſignificans ſua interceſſione obviam iviſſe Deo, ne cum extrema ultione perrumperet. Alluſio autem eſt ad urbium oppugnationes. nam ſi murus ariete vel alia machina dirutus fuerit, ſtrenui milites objectis ſuis corporibus rupturam clauſerant. Itaque Ezechiel pſeudoprophetis objicit quod Moſi ſint diſſimiles qui ſuis blanditiis murum quaſi ſtramineum fingentes, ſe in die prælii ad rupturam non opponant. Exiſtimant quidam interpretes alludere Prophetam ad divulſionem quam populus abrupto Dei fœdere & ſancta unitate, fecerat. & eodem redit ſenſus: quia in ruptura hæc eſt metaphoræ ratio, quod Deus populum fide ſua protegens, erat ei loco muri & antemuralis. Rurſum iratus irruebat quaſi ad ſtragem, niſi Moſes medius interceſſiſſet.

Eze. 13. verſ. 5.

24. *Et repudiarunt.*] Hoc apertum indomitæ malitiæ ſignum fuit, poſtquam exitio addicti fuerant Judæi, vix dum è tanto & tam præſenti periculo ereptos tumultuari contra Deum. Quænam autem tumultus cauſa? Faſtidium terræ ſanctæ, qua nihil illis fuit optabilius. *Terra* autem *deſiderii* tam hic quam pluribus aliis locis non abs re vocatur regio Chanaan, quæ illis deſtinata erat, in qua foverentur paterno Dei ſinu, & ſegregati à profanis Gentibus Deum pure colerent: imo quæ cœleſtis hæreditatis

ditatis arrha illis erat. Sacrum ergo illud domicilium electi populi reſpuere, quam fœdæ ingratitudinis fuit? Ad hæc faſtidii cauſam notat Propheta, quod *verbo Dei fuerint increduli.* Nam ſi Dei promiſſionem qua decebat fide amplexi eſſent, ingenti terræ deſiderio accenſi, ſuperaſſent omnia obſtacula. nunc quia fidem derogant, non modo reſpuunt oblatam ſibi hæreditatem, ſed tumultum in caſtris miſcent, acſi arma induerent contra Deum.

26. *Et extulit.*] Aliam Dei vindictam deſcribit, cujus memoria inſidere cordibus debuerat, ut metum aſſidue renovans, ſollicitudinem etiam incuteret. Nunc ubi nihil proficitur, conſtat inſanabilem fuiſſe furorem ejus Gentis. Moderatus quidem ſibi tunc eſt Deus ne ſemen eorum projiceret in diverſas mundi plagas: ſed ſola comminatio ſuperbiæ eorum in ordinem cogendæ ſufficere debuit, niſi fuiſſent intractabiles. *Manum extollere*, bifariam hic poteſt accipi: quia ſæpe in Scriptura levare Deus manum ſuam dicitur ad ſumendas pœnas: quia tamen receptum fere eſt omnium conſenſu, Prophetam de jurejurando loqui, libenter in hanc partem inclino. Fuit autem ſolennis manus levandæ ritus quaſi Deum è cælo accerſerent: itaque ad Deum improprie transfertur, quia ſua altitudine omnia ſuperat, nec jurare poteſt per majorem, ut dicit Apoſtolus. Verum hoc ut multa alia, mutua- [Hebr. 6. verſ. 13.] tur à communi hominum more. Futura igitur erat horribilis diſſipatio populi, niſi precibus Moſis retenta fuiſſet Terræ ſanctæ poſſeſſio.

28. Et copulati ſunt Baal-peor: & comederunt ſacrificia mortuorum.	28 וַיִּצָּמְדוּ לְבַעַל פְּעוֹר וַיֹּאכְלוּ זִבְחֵי מֵתִים׃
29. Et ad iracundiam provocaverunt in operibus ſuis: & irruit in eos plaga.	29 וַיַּכְעִיסוּ בְּמַעַלְלֵיהֶם וַתִּפְרָץ בָּם מַגֵּפָה׃
30. Et ſtetit Phinees, & vindicavit: & cohibita eſt plaga.	30 וַיַּעֲמֹד פִּינְחָס וַיְפַלֵּל וַתֵּעָצַר הַמַּגֵּפָה׃
31. Et imputatum eſt ei ad juſtitiam in generationem & generationem uſque in ſeculum.	31 וַתֵּחָשֶׁב לוֹ לִצְדָקָה לְדֹר וָדֹר עַד עוֹלָם׃

28. *Et copulati ſunt.*] Recitat, Judæos tam horribili pœna denunciata, ſtatim tamen prolapſos fuiſſe ad novam apoſtaſiam. Putant quidam oblique eos perſtringi, quod mulierum illecebris decepti, ad ſuperſtitiones Madianiticas defecerint. Et certe [Num. 31. verſ. 16.] hoc fuit conſilium Balaam, ubi linguam ſuam à Deo conſtrictam vidit ne populo malediceret. Suaſit enim Regi Balac proſtituendas eſſe puellas quæ blanditiis ſuis populum ad novos cultus pellicerent. Quoniam igitur idololatria cujus hic fit mentio, initium habuit ab adulterinis conjugiis, exiſtimant quidam interpretes Prophetam hac circumſtantia duplicare populi crimen: quod muliebri copula implicitus, alterum vinculum contraxerit cum Baal-peor. Utcunque ſit, invehitur Propheta in ſuæ gentis perfidiam, quod ſpirituale conjugium, à puro Dei cultu degenerans, violaverit. Scimus enim quum Deus uxoris loco Eccleſiam ſuam habeat, dum ſe idolis addicit, non minus turpiter fidem violare, quam ſi mulier relicto marito ſe adulteris proſtituat. Satis notum eſt Baal-peor Madianitarum fuiſſe idolum. Quæ vero ſit nominis ratio, non ſatis convenit. בעל certe tantundem valet ac patronus. Et quia פער aperire ſignificat, vertunt quidam, Deum apertionis & cauſam addunt, quod pudenda coram eo detegerent: quod non audeo pro certo recipere. Ac fieri poteſt ut ſit nomen proprium loci, quemadmodum ſcimus idolis gentilitia nomina ſæpe impoſita fuiſſe. Tenemus nunc Prophetæ ſenſum, Judæos nefarium feciſſe divortium cum Deo, ut ſe polluerent ſocietate Baal-peor. Turpitudinem magis exaggerat, dicens *comediſſe ſacrificia mortuorum.* Intelligit autem quæ idolis oblata fuerant, quum prius ſoliti eſſent ſacrificiis veſci quæ eos uniebant vero Deo, qui fons eſt vitæ inexhauſtus: quo magis pudenda fuit mutatio, quum ſe nefando ſacrilegio in mortem ultro addixerunt. Erat autem epulum, ut ſcimus, quaſi cultus acceſſio. Itaque hoc conſequebantur ſuis ſacrificiis, ut vero Deo valedicentes, mortuos ſibi in conjugium accerſerent: ideoque duplici dedecore eos onerat, quod non tantum genu flexerint coram Baal, & mactaverint hoſtias, ſed epulati ſint in ſacrificiis.

29. *Et provocaverunt.*] Rurſus narrat nova plaga fuiſſe admonitos: ut appareat Deum ſemper gloriæ ſuæ ſeverum fuiſſe judicem, populum caſtigando, ſed abſque profectu: quia nullis plagis correcti fuerint. Sicuti autem nuper dixit, placatum fuiſſe Deum precibus Moſis, ita nunc dicit plagam fuiſſe repreſſam vel ſanatam beneficio Phinees. Quidam verbum פלל vertunt orare: ſed alter ſenſus contextui aptior eſt, quod judicium exercens in ſcortatorem & ſcortum, zelo ſuo Dei vindictam anteverterit. *Stetit* ergo, hoc eſt ſurrexit, vel ſe oppoſuit, quum alii omnes diſſoluta ignavia ceſſarent. Quum ergo unius hominis beneficio ſedatam fuiſſe plagam ſentirent Judæi, eo minus excuſabilis fuit eorum pervicacia, quod ne ſic quidem peccandi finem fecerunt. Sciamus autem hæc omnia nobis dici: nam quum ſubinde nos caſtiget Deus, vel alienis exemplis ad pœnitentiam invitet, quotuſquiſque ſub ejus ferulis proficit? Cæterum notatu dignum eſt, plagam ceſſaſſe ex quo exequutus eſt judicium Phinees. ut ſciamus optimum hoc remedium eſſe extinguendo vindictæ Dei incendio, ubi peccator ipſe ultro judicis partes ad ſe puniendum occupat, ſicut dicit Paulus, [1 Cor. 11. verſ. 31.] Si nos judicaremus, utique non judicaremur à Domino. Atque hæc ſumma dignatio eſt, dum nobis judicium in manu permittit Deus, ut de peccatis noſtris pœnas ſumamus. Simul tamen notandum eſt, ſedatam tunc fuiſſe plagam, unius hominis pœna: quia tunc exhorruit populus ſuum flagitium cui aſſueverat.

31. *Et imputatum.*] Unius hominis laude totum populi corpus infamat Propheta. Nam ex elogio quo Spiritus ſanctus præclarum illud facinus Phinees ornare dignatur, colligimus quam deteſtabilis fuerit populi fœditas. Neque enim penes eum ſolum reſedit decus, ſed nobilitas parta fuit ejus familiæ in multas ætates. Itaque majoris ignominiæ cauſa toti populo opponitur unus Phinees. Quæritur tamen quomodo probatus Deo fuerit privati hominis zelus, qui præter vocationis modum, arrepto gladio judicium exercuit. Videtur enim inconſiderate id tentaſſe. Reſpondeo, quoſdam in ſanctis fuiſſe ſingulares & extraordinarios motus, qui ad communem regulam exigi non debent. Moſes, [Exod. 2. verſ. 12.] quum Ægyptium occidit, quamvis jam eſſet vocatus, quia tamen nondum data ei erat gladii poteſtas, arcano Dei inſtinctu adductum fuiſſe certum eſt ut hoc auderet. Talis fuit impulſus in Phinees. Nam etſi nemo putabat gladio Dei eſſe armatum, ipſe tamen poteſtatis Divinitus conceſſæ probe ſibi conſcius fuit. Atque ita notandum eſt, uſitatum vocandi

candi modum & ordinem quo Deus utitur, non obſtare quominus electos ſuos ubi viſum eſt, arcano Spiritus motu gubernet. Sed reſtat difficilior quæſtio, Quomodo imputatum fuerit ipſi Phinees unum facinus in juſtitiam, Paulus ſola fide juſtificari homines probat: quia ſcriptum eſt, Credidit Abraham Deo, & imputatum ei fuit ad juſtitiam. Eodem verbo illic utitur Moſes. Nunc ſi contra idem de operibus excipere liceat, non infirma tantum erit Pauli ratio, ſed frivola. Primo videndum eſt an Phinees uno opere juſtitiam adeptus fuerit. Certe Lex etiamſi juſtificaret, non tamen ſingulis operibus ſalutem promittit, ſed juſtitiam locat in perfecta obſervatione omnium præceptorum. Reſtat ergo ut dicamus, ipſi Phinees imputatum fuiſſe opus ſuum ad juſtitiam: ſicuti Deus opera fidelibus non intrinſeco merito, ſed gratis in juſtitiam imputat. Nam quum ſola perfecta Legis obſervatio quæ nuſquam reperitur, ſit juſtitia, mortales omnes confuſos ad Dei tribunal jacere neceſſe eſt. Huc accedit quod ſingula opera, ſi vocentur ad examen, reperientur nævo aliquo aſperſa, Supereſt igitur unicum aſylum in gratuita Dei miſericordia. Porro non ſolum ipſi juſtitiam gratis fide conſequimur, ſed quemadmodum lumen ſuum mutuatur Luna à Sole, ita eadem fides opera quoque noſtra juſticat: quia abolitis vitiis juſta reputantur. Denique tam perſonis quam operibus juſtitiæ titulum, non dignitas, ſed ſola fides conciliat. Jam redeo ad Paulum: non tantum ex una voce ratiocinatur nos gratis & ſola fide juſtificari: ſed altiora principia ſumit quæ jam attigi, juſtitia deſtitui cunctos mortales, donec eos ſibi Deus reconciliet per Chriſti ſanguinem. Deinde medium obtinendæ veniæ & reconciliationis eſſe fidem: quia nuſquam reperiatur operum juſtitia. Quare merito concludit ſola fide nos juſtificari. Huic vero juſtitiæ ſubalterna eſt (ut loquuntur) operum juſtitia, quæ nihil pretii merentur niſi ex mera indulgentia Dei, quatenus nos pro juſtis reputat.

Rom. 4. verſ. 2.

32. Et provocarunt ad iracundiam ſuper aquas jurgii, & male ceſſit ipſi Moſi propter eos:	32 ויקציפו על מי מריבה וירע למשה בעבורם:
33. Quia * exacerbaverunt ſpiritum ejus & loquutus eſt labiis ſuis.	33 כי המרו את רוחו ויבטא בשפתיו:
34. Non perdiderunt populos de quibus mandaverat illis Jehova:	34 לא השמידו את העמים אשר אמר יהוה להם:
35. Et commiſti fuerunt Gentibus, & didicerunt opera eorum:	ס 35 ויתערבו בגוים וילמדו מעשיהם:
36. Et ſervierunt ſimulachris eorum, & fuerunt illis in ruinam.	36 ויעבדו את עצביהם ויהיו להם למוקש:
37. Et ſacrificaverunt filios ſuos & filias ſuas dæmonibus:	ב 37 ויזבחו את בניהם ואת בנותיהם לשדים:
38. Et effuderunt ſanguinem innoxium, ſanguinem filiorum ſuorum & filiarum ſuarum, quos ſacrificaverunt ſculptilibus Chanaan, & polluta eſt terra ſanguinibus.	ו 38 וישפכו דם נקי דם בניהם ובנותיהם אשר זבחו לעצבי כנען ותחנף הארץ בדמים:
39. Et coinquinati ſunt in operibus ſuis: & fornicati ſunt in ſtudiis ſuis.	ב 39 ויטמאו במעשיהם ויזנו במעלליהם:

* vel, rebellare fecerunt.

32. *Et provocaverunt.*] Novum crimen recenſet, quod litigaverint cum Deo ad aquas jurgii, unde & locus nomen ſortitus eſt. Quamvis enim rixa contra Moſen directe ſuſcepta fuerit, erant tamen in Deum tumultuoſi, ſi cauſa recte expenditur. Atque ut magis culpam exaggeret, dicit Moſen propter eos male fuiſſe multatum. Hinc autem colligitur gravitas offenſæ, quod Deus ne electiſſimo quidem ſervo ſuo pepercerit. Certum quidem eſt Moſen pœna illa fuiſſe dignum: ſed ſi fontem culpæ quærimus, in illum redundavit populi iniquitas. Quod ſi privatus fuit terræ ingreſſu Moſes, quia alieno vitio præter animi ſui ſententiam abreptus fuit ad peccandum, quanto minus tolerabilis eſt populi impietas, qui data opera cum Deo rixatus eſt, & Moſen ſua intemperie ad culpæ ſocietatem pertraxit?

33. *Quia exacerbaverunt.*] מרה proprie eſt exacerbare: ſed quia ponitur in conjugatione Hiphil, tranſitive quidam accipiunt, quod Moſen rebellare fecerit populus. quod mihi non diſplicet. Quanquam eorum ſententiæ non ſubſcribo qui particulam את volunt notam eſſe dativi caſus, quaſi dicatur Moſes rebellis fuiſſe Spiritui Dei. Neque enim tam aſpere de inconſiderato lapſu & errore loquutus eſſet Propheta. Illud autem quod prius retuli, optime convenit, quum tam ſeverus fuerit Deus contra Moſen, qui populi furore quaſi violenter ad peccandum adactus fuerat, præcipuos auctores longe atrocius peccaſſe. Interea tamen docet Propheta, quamvis propter populum caſtigatus fuerit Moſes, non tamen fuiſſe extra culpam: quia etſi ejus impatientia à populi ſtrepitu principium habuit, debebat tamen ſtare firmior. Subjicit *loquutum fuiſſe labiis ſuis:* quod ad Moſen refero. minus enim probabilis eſt eorum conjectura qui exponunt, denunciatam fuiſſe diſertis verbis pœnam. Potius enim exprimit, Spiritum Moſis tanta perturbatione fuiſſe impulſum ut Deo palam obſtreperet. Ideo ſignificat Propheta, quum docili & manſueto ingenio eſſet Moſes, malitia populi quaſi flabello fuiſſe incitatum, ut ipſe quoque turbulente loquutus ſit, An poterit vobis Deus aquam ex rupe educere? Tantum enim indignationis jam conceperat apud ſe, ut placide mandatum Dei non audiret. Num. 20. verſ. 10.

34. *Non perdiderunt.*] Errare mihi videntur qui pœnam ſimpliciter inflictam referri putant: acſi exprobret Judæis Propheta, eorum culpa factum eſſe ne populos perderent, quia indigni fuerint pluribus victoriis. potius enim novum crimen objicit illis Propheta, quod ignavi fuerint in profligandis Gentibus, imo in terra purganda morem Deo gerere detrectaverint. Jam ad ſummum cumulum pervenerat iniquitas Amorrhæorum, ut Deus non fruſtra vellet excifos, præſertim ne eorum ſocietas contagioſa foret ſancto populo. Deus enim terram illam ſibi in domicilium eligens: volebat ſanctam & ab omni ſorde puram eſſe. Populus ergo injunctam ſibi vindictam exſequi recuſans, ſe inquinamenta ultro appetere oſtendit. Ideo videmus quam du riter excan- Num. 33. verſ. 55.

canduerit ob hunc torporem, Ecce, inquit, juſſeram gladio interfici omnes iſtos populos: nunc quia non paruiſtis mihi, erunt vobis in ſpinas, configent utrinque latera veſtra, compungent oculos veſtros, &c. Quamvis enim ſpecies clementiæ fuerit non omnes ad unum occidere, non tamen excuſabilis eſt populus, qui juſtam Dei vindictam negligit, & terram inquinamentis relinquit obnoxiam. Idque notandum eſt, quia in utramque partem ſibi plus æquo indulgent homines, quod nimis rigidi ſunt ubi opus non eſt, & judicia corrumpunt diſſoluta mollitie. Pendere igitur ab ore Dei nos oportet, ne in hanc vel illam partem perperam labamur. Nam ſi damnantur Iſraëlitæ quod integris Gentibus pepercerint, quid de Judicibus dicendum eſt qui dum erga paucos remiſſi ſunt ac ignavi, in publicam perniciem habenas laxant ſceleribus?

35. *Et commiſti fuerunt.*] Fructum præpoſteræ illius humanitatis deſcribit, quod ſe implicuerint Gentium, quibus pepercerant, inquinamentis. Si ſoli habitaſſent in terra, facilius erat retinere purum Dei cultum: nunc non mirum eſt ſi à vicinis pellecti degenerent: quia ad mala exempla nimium propenſi ſumus. Loquitur autem nunc de eorum poſteris qui toties in deſerto provocaverant iram Dei. Atqui nihilo meliores patribus fuiſſe docet: quia gente renovata eadem infidelitas, contumacia, & ingratitudo graſſata eſt. Porro hæc miſtura cum Gentibus, aperta erat rejectio gratiæ: quando hac lege eos adoptaverat Deus ut ſegregati eſſent à profanis Gentibus, hanc ſanctificationem promiſcua commiſtione quantum in ſe eſt, in nihilum redigunt. Quum addit *didiciſſe opera eorum*, admonet nihil eſſe peſtilentius impiorum conſuetudine: quia ut ſumus ad vitia proclives, fieri non poteſt ubi inter corruptelas verſamur, quin mox latius ſerpat contagio. Quare hic ſumma adhibenda eſt ſedulitas & cautio, ne impii, dum nobis ſunt familiares, vitioſis ſuis moribus nos imbuant: ac præſertim ubi idololatriæ periculum eſt, ad quam unumquemque ſuum ingenium inclinat. Quid igitur fiet ubi oleum camino addet aliena inſtigatio? Exprimit igitur Propheta Judæos fuiſſe Gentium diſcipulos, ut ſe addicerent eorum ſuperſtitionibus. Utitur autem *ſerviendi* verbo, quo refellitur puerile Papiſtarum effugium, dum adoratione duliæ, non latriæ, ſe imagines colere excuſant. Atqui ſi imaginibus ſervire fas eſt, immerito Propheta gentem ſuam accuſat quod ſervierit diis alienis. Putida igitur eſt illa diſtinctio, Deum latria colendum eſſe, imagines autem dulia. Repetit hoc illis *ceſſiſſe in ruinam*, quo melius appareat, contemptis Dei flagellis, pervicaciter in ſuis fuiſſe defixos.

37. *Et ſacrificaverunt.*] Speciem unam ſuperſtitionis deſignat Propheta, in qua prodigioſa populi cæcitas apparet, quod non exhorruerint filios & filias ſuas mactare dæmonibus. Odioſum nomen data opera ponit, quo magis deteſtabile reddat crimen populi. Unde colligimus, quam frivolus ſit prætextus inconſiderati zeli. Nam quo plus fervoris in Judæis fuit, eo ſceleratiores fuiſſe convincit Propheta: quia veſania ſua abrepti, ne propriis quidem filiis pepercerint. Certe ſiquid valeret bona intentio qualem fingunt idololatræ, dignum maxima laude fuiſſet opus oblivisci omnes naturæ affectus in liberis mactandis. Sed ubi ſuo arbitrio feruntur homines quo magis ſatagunt, eo magis augent crimen. Quid enim diſſimile fuit inter Abraham & iſtos quorum meminit Propheta, niſi quod ille fidei obſequio ad filii immolationem ſe accinxit, hos autem veſanus zelus egit præcipites, ut depoſito humanitatis affectu, in proprium ſanguinem ſævirent?

38. *Et effuderunt.*] Acrius adhuc invehitur in illum furorem, quod liberos ſuos mactando, terram polluerint fuſo innoxio ſanguine. Nam ſiquis objiciat, laudari Abraham quod unigenito ſuo non pepercerit: ſolutio facilis eſt, quia Deo paruit fidei puritate, omnem crudelitatis maculam fuiſſe deletam. Nam ſi obedientia præſtantior eſt omnibus victimis, pie & recte agendi optima eſt regula. hoc autem horribile eſt vindictæ Dei ſignum, dum ſuperſtitioſi ſuis tantum figmentis dediti, obdureſcunt ad brutam feritatem. Quoties Martyres vitam impendunt pro aſſerenda veritate, ſuavis eſt hujus ſacrificii odor coram Deo. at quum Decii execrabili forma ſe exitio devovent, nefandum eſt ſacrilegium. Non abs re igitur hac circumſtantia populi crimen Propheta exaggerat, quod perverſum cultum ſequuta ſit immanis ſævitia. Nec ſine cauſa exprobrat terram ab illis fuiſſe pollutam, ex qua veteres incolas Deus profligari juſſerat, ut peculiare aliquod haberet cultus ſui domicilium. Bis ergo ſcelerati Iſraëlitæ, qui non modo ſuperſtitionibus terram polluendo, ſed etiam crudeli mactatione filiorum, Deum jure ſuo fraudant, & quodammodo fruſtrantur.

2 Sam. 15. verſ. 22.

39. *Et coinquinati.*] Concludit nunc in genere, Judæos modis omnibus fuiſſe conquinatos ubi in Gentium mores prolapſi ſunt: quia in hominum figmentis nihil eſt præter ſordes. Nam *opera hominum* vocat fictitios omnes cultus, quos ſine Dei mandato ſibi excogitant: acſi diceret, veram ſanctitatem cultus Dei ex Verbo manare: quicquid ex ſe ipſis ingerunt homines, & admiſcent, profanum eſſe, ſuoque fœtore inficere Dei cultum. Certe Iſraëlitis propoſitum erat Deo ſervire: ſed hoc magno fervore adepti ſunt ut Spiritus ſanctus pronunciet, pollutionum ſuarum fœtore & ſcortationibus fuiſſe Deo abominabiles. quia hæc ſpiritualis eſt caſtitas, verbo Dei prorſus adhærere.

40. Et exarſit ira Jehovæ in populum ſuum, & abominatus eſt hæreditatem ſuam:	40 ויחר אף יהוה בעמו ויתעב את נחלתו :
41. Et tradidit illos in manus Gentium, & dominati ſunt ſuper eos inimici ipſorum:	41 ויתנם ביד גוים וימשלו בהם שנאיהם :
42. Et ſubjugarunt ipſos hoſtes ipſorum, & afflicti ſunt ſub manu ipſorum.	42 וילחצום איביהם ויכנעו תחת ידם :
43. Multis vicibus liberavit eos: & ipſi exaſperaverunt *eum* in conſiliis ſuis, & oppreſſi ſunt in iniquitate ſua.	43 פעמים רבות יצילם והמה ימרו בעצתם וימכו בעונם :
44. Et vidit quum eſſent in anguſtia, audiendo clamorem ipſorum:	44 וירא בצר להם בשמעו את רנתם :
45. Et recordatus eſt erga eos fœderis ſui: & pœnituit eum ſecundum magnitudinem clementiarum ſuarum:	45 ויזכר להם בריתו וינחם ברב חסדיו :

46. Et

46. Et dedit eos in miſericordias coram omnibus qui captivos abduxerant eos.

46 ויתן אותם לרחמים לפני כל שוביהם:

40. *Et exarſit.*] Pœnæ atrocitas confirmat quod nuper diximus, non fuiſſe leve delictum, quod populus, Dei cultum adulterare auſus eſt. Sed populus ipſe eo magis inſanabilem ſuam malitiam prodidit, quod nec ſic quidem ad veram pœnitentiam revocatus eſt. Fuit certe hæc horribilis vindicta, quod populus, qui ſacra erat & electa hæreditas, expoſitus fuit Gentium libidini, quæ tamen diaboli mancipia erant. Tunc ſaltem ſua ſcelera deteſtari debuit, quibus in illas extremas clades projectus fuerat. ideo indignitatem auget Propheta, *ſubjugatos & afflictos ab hoſtibus* fuiſſe dicens: quo turpior fuit amentia, talibus probris non vere & ex animo humiliari ſub potenti Dei manu. Pridem enim admoniti fuerant à Moſe, non fortuito nec hoſtium virtute ſe in duram illam ſervitutem eſſe conjectos: ſed quia Divinitus traditi erant, & quaſi venundati. Fuit autem juſtiſſima ultio, vexandos & opprimendos tyrannis tradi, qui Dei jugum recuſaverunt: & ſubjici hoſtibus ſuis calcandos, qui non ſuſtinuerant paterno Dei imperio regi.

43. *Multis vicibus.*] Sicuti impia populi obſtinatio prodita fuit, quia ne duriſſimis quidem flagellis potuit corrigi: ita nunc Propheta ſceleratam duritiem ex oppoſito coarguit, quod nullis beneficiis flexus eſt ad obſequium. Patet quidem inter afflictiones ſub onere gemuiſſe: ſed ubi Deus non modo pœnas mitigat, ſed mirabiliter eos eripit, an excuſabilis poſtea lapſus eſt? Meminerimus autem hic in ſpeculo nobis proponi totius humani generis ingenium: quia quum Deus omnes fere utroque modo reducere in viam tentet, quotuſquiſque non manet idem? Quod ſi nos vel flagellis ſuis contundat, vel bonitate emolliat, hoc tantum momentaneum, eſt: quia ſtatim in eadem vitia revolvimur, dico quantumvis ſæpe vel pœnas iteret, vel indulgentiam. Quod ad Judæos ſpectat, intolerabilis certe fuit vecordia & ſtupor, quod poſt tot liberationes non ceſſarunt à ſuis defectionibus. Dicit enim Propheta eos nihilominus exaſperaſſe Deum pravis ſuis figmentis. Poſtea repetit, juſtam illis mercedem fuiſſe ſolutam, quia in ſua iniquitate oppreſſi ſint. Rurſus vero commemorat exauditos fuiſſe eorum gemitus, quamvis tot malis eſſent digniſſimi. Unde colligimus, infatigabili bonitate certaſſe cum ipſorum malitia. Cujus enim miſericordiæ fuit attendere ad eorum clamorem, qui ſanæ ejus doctrinæ aures clauſerant, ſurdi fuerant ad omnes objurgationes & minas? Atqui ne hac quidem perſeverantia diabolicum eorum furorem ſanavit.

45. *Et recordatus eſt.*] Cauſam tantæ humanitatis ac tolerantiæ aſſignat, quod Deus fœderis ſui memor fuerit: quo non tantum gratuita venia notatur, ſed perſtringitur perverſa eorum cæcitas, qui talibus remediis ad fœdus in quo ſalutem ſuam videbant poſitam eſſe, reducti non ſunt. Præcipue tamen ingratitudinem illis exprobrat, quod quum digni eſſent exſcindi, non agnoverint ſe Dei clementia ſervatos eſſe. Quod melius confirmat ſecundo membro, Deum illis peperciſſe *ſecundum magnitudinem ſuarum miſerationum.* Nam quum neceſſe fuerit Deum explicare ingentes bonitatum ſuarum theſauros in illis redimendis, inde colligitur quid meriti fuerint. *Pœnitendi* verbo, non aliqua in Deo ipſo mutatio, ſed tantum in pœnis ipſis notatur. Nam Deus pœnas mitigando, vel manum retrahendo ab exſequendis ſuis judiciis, videtur quodammodo mutare conſilium. Itaque Scriptura ruditati noſtræ ſe accommodans, ex ſenſu noſtro loquitur.

46. *Dedit eos.*] Sicuti nuper dixerat traditos fuiſſe Judæos in manus hoſtium, quia hoſtes ſola ira Dei armaverat, ut illos ſub jugum cogerent: ita nunc ab eodem Deo manſuefactos dicit fuiſſe hoſtes qui prius ejus vindictam diris modis exſecuti fuerunt. Quia ergo Dei manu reguntur corda hominum, ut vel ad ſævitiam inflammet, vel ad humanitatem flectat, quoties ita viſum eſt, quandiu exarſit ira ejus in populum, hoſtes quoque ipſi implacabili odio accenſi ſunt: eo autem placato, non ſolum extinctus fuit ignis ille qui ex fornace judicii ejus prodibat, ſed crudelitas in miſericordiam verſa eſt. Incredibilis enim fuiſſet illa converſio, ut hoſtes ſævi & truculenti amore complecti & miſericordia proſequi inciperent quos prius oderant, niſi Dei providentia, ex lupis facti fuiſſent agni.

47. Serva nos Jehova Deus noſter: & collige nos ex Gentibus ad celebrandum nomen ſanctitatis tuæ, ad gloriandum in laude tua.

47 הושיענו יהוה אלהינו וקבצנו
מן הגוים להודות לשם קדשך ל
להשתבח בתהלתך:

48. Benedictus Jehova Deus Iſraël à ſeculo & in ſeculum: & dicat omnis populus Amen Alleluja.

48 ברוך יהוה אלהי ישראל מן
העולם ועד העולם ואמר כל העם
אמן הללויה:

47. *Serva nos.*] Apparet ex hac clauſula compoſitum fuiſſe Pſalmum ſub miſera & triſti populi diſperſione. Et quanquam non extiterint poſt Aggæum & Malachiam inſignes Prophetæ in populo illo, probabile eſt aliquos ex ſacerdotibus Spiritu Prophetico fuiſſe præditos, qui ſaltem neceſſarias conſolationes populo dictarent. Ego certe exiſtimo, poſtquam tyrannide Antiochi diſſipatus fuerat iterum populus, præſenti neceſſitati aptatam fuiſſe precandi formam, in qua populus, veteres hiſtorias repetendo, agnoſceret innumeris modis provocatam fuiſſe à Patribus iram Dei, ex quo eos redemerat. Oportuit enim vere humiliari populum, ne Dei caſtigationi obſtreperet. Quum vero indignis peperciſſet Deus, ſpes veniæ in futurum tempus dabatur, ſi ex animo ſtuderent eum ſibi reconciliare: præſertim quia hic celebratur memoria fœderis, cujus fiducia licebat Deum quamvis offenſum invocare. Quia autem Deus eos elegerat in populum peculiarem, petunt ut lacera membra reſtituat in unum corpus, ſecundum vaticinium Moſis, Si disjectus fueris ad quatuor mundi plagas, inde ego te colligam. Quod tunc demum impletum fuit, ubi multitudo huc & illuc diſperſa, in fidei unitatem coaluit. Etſi enim terrenum regnum, & politiam nunquam recuperavit populus ille, felicior tamen fuit hæc collectio, quod in corpus Chriſti inſiti, ubicunque agerent, ſacro & ſpirituali fidei vinculo inter ſe & una cum Gentibus copulati ſunt, ut Eccleſiam unam in toto orbe diffuſam facerent. Finem redemptionis addunt, *ut celebrent Dei nomen*, ſeque exerceant in ejus laudibus. *Deut. 30. verſ. 4.*

48. *Benedictus.*] Hic vota populi ſic temperat, ut inter ſuos gemitus, calamitoſi exules non deſinant tamen Deo gratias agere. Quæ circumſtantia diligenter notanda eſt: quia ubi rebus adverſis premimur,

mittur; vix centeſimus quiſque placide ad Deum accedit: ſed faſtidioſe precando, vel tumultuoſe conquerendo, ſuperbiam noſtram prodimus. Atqui hæc una erat exorandi Dei ratio, manſueto ſpiritu nos ſubjicere ejus ferulis, crucem nobis impoſitam ferendo. Itaque non abs re Propheta afflictos exules ad Deum benedicendum hortatur, quamvis eos aſperius caſtiget: quo etiam tendit hæc particula, *dicat populus Amen.* aeſi omnes juberet Dei laudibus ſubſcribere, quamvis publice & privatim anxiis laboribus confecti jacerent.

ARGUMENTUM PSALMI CVII.

Docet primo res humanas non verſari cæco fortunæ rotatu, ſed in variis agitationibus, quas mundus caſu accidere putat, reputanda eſſe Dei judicia. Ideoque res adverſas, & quicquid calamitatum ſuſtinent homines, naufragia, ſterilitates, exilia, morbos, bellorum clades, totidem eſſe iræ Dei teſtimonia quibus homines ad tribunal ſuum reos citat: Proſperos autem & lætos ſucceſſus, ejus gratiæ debere adſcribi, ut ſemper quam meretur laudem, vel humaniſſimi patris, vel juſti judicis obtineat. Tandem invehitur in profanos homines, qui in tam claris providentiæ Dei documentis cæcutiunt.

PSALM. CVII.

CElebrate Jehovam, quia bonus, quia in ſeculum clementia ejus.	1 הודו ליהוה כי טוב כי לעולם חסדו׃
2. Dicant redempti Jehovæ, quos redemit è manu tribulantis.	2 יאמרו גאולי יהוה אשר גאלם מיד צר׃
3. Quos collegit ex terris, ab Oriente & occaſu, à Septentrione & Meridie.	3 ומארצות קבצם ממזרח וממערב מצפון ומים׃
4. Errarunt à via in deſerto in ſolitudine, urbem habitationis non invenerunt:	4 תעו במדבר בישימון דרך עיר מושב לא מצאו׃
5. Famelici, etiam ſitibundi, *ut* anima eorum in ipſis deficeret.	5 רעבים גם צמאים נפשם בהם תתעטף׃
6. Et clamaverunt ad Jehovam in anguſtia ſua: ex tribulationibus eorum eripuit eos.	6 ויצעקו אל יהוה בצר להם ממצוקותיהם יצילם׃
7. Et direxit eos via recta, ut venirent in urbem habitationis.	7 וידריכם בדרך ישרה ללכת אל עיר מושב׃
8. Celebrent coram Jehovah clementiam ſuam, mirabilia ejus coram filiis hominum:	8 יודו ליהוה חסדו ונפלאותיו לבני אדם׃
9. Quia ſatiavit animam concupiſcentem, & animam famelicam implevit bono.	9 כי השביע נפש שקקה ונפש רעבה מלא טוב׃

C*Elebrate.*] Verſum hunc, quia initium erat proximi pſalmi, expoſuimus: & conſtat non ſolum in uſu frequentiſſimo fuiſſe Judæis, ſed ita aliis canticis intercalari ſolitum, ut dum chorus unus proſequebatur pſalmum aliquem, chorus oppoſitus alternis vicibus ſuccineret, *Celebrate Jehovam, quia bonus*, &c. Tritam ergo & celebrem ſententiam generalis procemii loco hic poſuit quiſquis fuerit auctor. Deinde ad ſpecies deſcendit. Et primo ad gratitudinem hortatur qui ex longinqua & difficili peregrinatione, adeoque ex ſervitute & vinculis domum incolumes reverſi ſunt. Tales autem vocat *redemptos Dei*, quia per deſerta & invias ſolitudines vagando, ſæpius à reditu excluſi eſſent, niſi Deus quaſi porrecta manu, ducem ſe illis præbuiſſet. Quanquam non quoſlibet viatores hic deſignat, ſed qui vel hoſtili impetu, vel alia vi & neceſſitate in longinquas regiones expulſi, extrema quæque diſcrimina experti ſunt: imo captivi fuerunt apud hoſtes, vel piratas, vel alios prædones. Admonet igitur, non caſu fuiſſe jactatos, nec temere etiam in patriam relatos eſſe, ſed eorum errores gubernatos fuiſſe Dei providentia. Poſſet autem ſecundus hic verſus cum primo contexi: acſi juberet Propheta, quos alloquitur recitare celebre illud canticum: ſed non minus commode ſeorſum legetur, hoc modo, Redempti Jehovæ qui ex captivitate poſtliminio reverſi ſunt, prodeant in medium, & & ſuſcipiant ipſi ſuas partes in canendis Dei laudibus, ac narrent quam in ſua liberatione experti ſunt Dei gratiam. Etſi autem id Judæis fere omnibus commune fuit, quibus longinquas profectiones ſuſcipere contigerat: quia terram ſuam egredi vix poterant quin undique occurrerent vel aſperæ viæ ac difficiles, plenæque variis periculis: hæc tamen doctrina promiſcue patet ad totum genus humanum. Reducit autem illis in memoriam quam ſæpe à recto itinere abducti hoſpitio caruerint: quod frequenter contingit in locis incultis. imo ſiquis ſylvam ingreditur, niſi peritus ſit itineris, poterit errando ſubinde præda eſſe leonum ac luporum. ſed peculiariter eos deſignat qui deprehenſi in locis deſertis, etiam ob famem & ſitim de vita periclitantur. Certum enim eſt, tales (niſi Dominus ſuccurrat) tantum unius horæ ſpatio à morte diſtare.

6. *Clamaverunt.*] Verba præteriti temporis, continuum actum hic notant, ut loquuntur grammatici. Senſus eſt igitur: Qui errant in locis deſertis, ſæpe quia hoſpitium non inveniunt, fame & inedia premi: & quum eos ſpes deficit, clamare ad Deum. Certum quidem eſt, Deum multis laborantibus opem ferre, quamvis ad eum ſua vota non dirigant. Nec vero Prophetæ tam fuit propoſitum laudare piorum fidem, qui ex animo Deum quærunt, quam deſcribere communem naturæ affectum. Nam etſi multorum ſpes in Deo minime defixa ſit, ubi tamen urget major aliqua neceſſitas, arcano ductu ad Deum trahuntur. Atque hoc modo confeſſionem illis Deus extorquet, non aliunde quam ab uno ipſo ſalutem petendam eſſe: imo impios, qui Deum alioqui in deliciis & quiete ſubſannant, Deus ad nominis ſui invocationem nolentes cogit. Fuit hoc ordinarium omnibus ſeculis, ut prophani homines, quibus religio pro fabula eſt, neceſſitate coacti ad Deum clamarent. An id per jocum faciunt? imo arcano naturæ inſtinctu feruntur ad celebrandum

Dei nomen, quod prius ludibrio habuerant. Quod ergo utplurimum accidere ſolet, Propheta meo judicio hic narrat: homines quamvis pietate & fide vacuos, & qui optarent nihil ſibi eſſe cum Deo negotii, ſi graviori in diſcrimine verſentur, etiam ſine certa meditatione, ad Deum invocandum natura duce & magiſtra impelli. Quum autem in rebus dubiis vel deploratis ita ad Deum confugiant, eorum ſocordiam plane arguit hæc confeſſio, quod rebus tranquillis Deum negligant, quia ipſos inebriat ſua proſperitas: & quamvis inſitum ſit eorum cordibus religionis ſemen, nunquam tamen ſapere niſi malis coacti. ſapere dico, ut meminerint aliquem eſſe in cælo Deum. Nec eſt quod objiciat quiſpiam dicterium illud ſcurræ veteris. nam quum templum ingreſſus, tabulas à mercatoribus illic poſitas ſpectaret, quibus profitebantur ſe deorum beneficio ex naufragio ereptos eſſe, viſus eſt facete & falſe excipere, Atqui non numerantur eorum mortes qui ſubmerſi ſunt, quorum innumera eſt turba. Fictitiis idolis potuit ille forte ſic illudere: ſed quamvis centuplo plures mergantur in medio mari, quam ſalvi in portum evadant, hoc gloriam bonitatis non obſcurat, qui ſic eſt miſericors ut ſimul tamen exerceat ſua judicia. Sic de viatoribus per deſerta, palatis & vagantibus dicendum, ſi pereunt multi fame & ſiti, multi vorantur à feris, multi frigore intereunt: nempe totidem judicii ſui ſpectacula proponit Deus. Unde colligimus idem omnibus inſtare, niſi vellet aliquam partem generis humani eſſe ſalvam: atque ita medius judex teſtandæ miſericordiæ ſuæ cauſa quoſdam ſervat, in aliis ſeveritatem ſuam oſtendit. Merito itaque ſubjicit Propheta, Dei manu reduci eos in viam, ut commodum hoſpitium inveniant: & ideo ad gratias agendas hortatur. Et quo melius confirmet Dei beneficium, miſericordiæ conjungit Dei mirabilia, acſi diceret. In hac gratia magis conſpicuum eſſe Dei gratiam, quam ut latere debeat, & dum tacent qui ita liberati ſunt, perfido ſilentio non aliter ſuffocare Dei miracula, quam ſi conentur lumen ſolis pedibus calcare. Quid enim aliud dicendum, quum naturæ ſenſus in diſcrimine ipſo ad Deum nos rapiat, ubi ſtatim ejus obliviſcimur, quis negabit malitia & ingratitudine noſtra ejus gloriam obrui?

10. Habitantis in tenebris & umbra mortis, devincti anguſtia & ferro:

10 ישבי חשך וצלמות אסירי עני וברזל:

11. Quia rebelles fuerunt verbis Dei & conſilium Excelſi ſpreverunt:

11 כי המרו אמרי אל ועצת עליון נאצו:

12. Et humiliavit moleſtia cor ipſorum: afflicti ſunt, & nemo adjutor.

12 ויכנע בעמל לבם כשלו ואין עזר:

13. Clamaverunt ad Jehovam in anguſtia ſua: ex tribulationibus eorum liberavit eos.

13 ויזעקו אל יהוה בצר להם מ ממצקותיהם יושיעם:

14. Eripuit eos ex tenebris, & umbra mortis, & vincula eorum diſrupit.

14 יוציאם מחשך וצלמות ו ומוסרותיהם ינתק:

15. Celebrent coram Jehova clementiam ejus, & mirabilia ejus coram filiis hominum:

15 יודו ליהוה חסדו ונפלאותיו לבני אדם:

16. Quia contrivit portas æneas, & vectes ferreos confregit.

16 כי שבר דלתות נחשת ובריחי ברזל גדע:

10. *Habitantes in tenebris.*] Alteram periculi ſpeciem commemorat Propheta, in qua Deus virtutem ſuam & gratiam liberandis hominibus palam exſerit. Vocat mundus, ut dixi, agitationes iſtas ludum Fortunæ: & Dei providentiæ vix centeſimus quiſque locum relinquit. Sed aliam prudentiam à nobis exigit Propheta, ut in omnibus rebus adverſis reputemus Dei judicia: in ipſo autem exitu bonitatem. neque enim vel caſu incidit quiſpiam in manus hoſtium, vel latronum: vel caſu ſervatur. Sed tenendum eſt principium illud, afflictiones, Dei flagella eſſe: ideoque non alibi quam in ejus gratia eſſe remedium. Siquis à latronibus vel piratis captus non extemplo juguletur, tantum vivit in ſingula momenta, & quidem ſine ſpe vitæ: itaque ejus liberatio documentum eſt gratiæ Dei, quæ eo clarius effulget, quo pauciores evadunt: tantum abeſt ut ejus laudes extinguere debeant multi interitus. Quare eos omnes ingratitudinis damnat Propheta, qui jam mirabiliter erepti paulo poſt ſalutem ſibi præſtitam oblivione inducunt. Et quo eorum crimen melius arguat, iterum contra ipſos, clamores eorum teſtes citat. Nam quum in ſuis anguſtiis ſine fictione profeſſi ſint Deum eſſe ſuum liberatorem: qui fit ut in otio & pace notitia hæc evaneſcat?

11. *Quia rebelles.*] Cauſam notando, falſum illum errorem corrigit quod fortuito res adverſæ contingant. Nam ſi reputantur Dei judicia, caſui & fortunæ non relinquitur locus. Jam vero donec perſuaſi ſint homines ærumnas Divinitus infligi, nunquam in animum inducent ſalutem ab eo petere. Porro cauſæ notatio huc non ſpectat, quaſi palam in foro humano ſcelerati habeantur de quibus agit Propheta: ſed his verbis hortatur afflictos ad examen vitæ ſuæ habendum: & quamvis nemo eos accuſet, ut tamen in ſe ipſos deſcendant, ubi ſemper reperiant malorum cauſam. Nec ſimpliciter eos peccaſſe dicit, ſed rebelles fuiſſe verbo Dei, quo ſignificat unam eſſe bene vivendi regulam, ſequi quod Deus præcipit. Qui ergo ſic convicti tenentur, ſi illis clamorem ad Deum extorquet ultima neceſſitas, nimis ſtupidi ſunt, niſi agnoſcant inopinatam liberationem à Deo eſſe. Nam oſtia chalybea & vectes ferreos nominat amplificandi beneficii cauſa: acſi diceret, vincula perpetuæ ſervitutis ſoluta eſſe.

17. Stulti propter viam tranſgreſſionis ſuæ, & propter iniquitates ſuas cruciantur:

17 אולים מדרך פשעם ו ומעונתיהם יתענו:

18. Omnem eſcam abominatur anima eorum, & appropinquant ad portas mortis.

18 כל אכל תתעב נפשם ויגיעו עד שערי מות:

19. Tunc

19. Tunc clamant ad Jehovam in tribulatione ſua: ex anguſtiis ſuis ſervat eos.

19 ויזעקו אל יהוה בצר להם ס ממצוקותיהם יושיעם׃

20. Mittit verbum ſuum, & ſanat eos, & eripit eos ex omnibus * corruptionibus eorum.

* vel, foveis, aut laqueis.

20 ישלח דברו וירפאם וימלט משחיתותם׃

21. Celebrent coram Jehova miſericordiam ejus, & mirabilia ejus apud filios hominum:

21 יודו ליהוה חסדו ונפלאותיו לבני אדם׃

22. Et ſacrificent ſacrificia laudis, & prædicent opera ejus cum exultatione.

22 ויזבחו זבחי תודה ויספרו ס מעשיו ברנה׃

17. *Stulti, &c.*] Deſcendit ad aliam caſtigationis ſpeciem. Nam ſicuti nuper dixit captivos tradi in manus hominum qui ſe à Dei obſequio emancipant, ita nunc docet morbos Divinitus inſligi propter peccata. Ubi autem ſenſerit peccator Dei ferulis ſe caſtigari, facilis inde tranſitus erit ad gratiæ notitiam. Stultos autem vocat qui inconſiderate concupiſcentias ſuas ſectando, perniciem ſibi accerſunt. non quod ignorantia tantum & errore delinquant: ſed quia cæci affectus privant eos recto judicio, ut ſibi peſſime conſulant. Et ſane tenendum eſt ſemper illud principium, timorem Dei eſſe ſapientiam. Unde ſequitur, amentia rapi & furore qui excutiunt Dei jugum, ut ſe Diabolo mancipent ac peccato. Caput vero amentiæ Propheta *defectionem* ponit: deinde addit *iniquitates*. quia ubi quis ſemel à Deo receſſit, raptari huc & illuc ſubinde neceſſe eſt, ut non deſinat aliud ex alio peccare. Non autem hic de vulgaribus morbis diſſerit: ſed qui lethales prorſus cenſentur, nec ſpem vitæ reſiduam faciunt: quo melius refulgeat liberationis gratia. Nam ſiquis incommoda valetudine ſit levatus, non ita probe in levi mutatione expendet Dei manum, quæ ſe notabili & illuſtri modo exſerit dum ſemimortuis reſtituit plenum vigorem. Dicit ergo ſervari à multis corruptionibus perinde atque à multis mortibus. Atque huc quoque ſpectant circumſtantiæ iſtæ, dum dicit Propheta eos *appropinquare ad portas mortis, & omnem eſcam abominari.* Nam de clamore prius diximus, nempe homines in extremas anguſtias redactos, clamando fateri de ſalute ſua actum eſſe niſi mirabiliter Deus ſuccurrat.

20. *Mittit verbum.*] Iterum oſtendit Propheta ſe de exitialibus morbis agere qui prope exanimant homines, cum eos dicit liberari à perditionibus. Cæterum opem Dei opponit omnibus humanis remediis: acſi diceret, ſola Dei virtute eos reviviſcere, quia medicum in terra invenire impoſſibile erat. Modus quoque ſanandi notandus eſt: quod ſcilicet Deus ſolo nutu vel mandato morbos omnes mortemque ipſam procul abigat. Neque enim hoc reſtringo ad fideles, ut faciunt plerique. Verum quidem eſt, niſi purgentur animæ Dei verbo, corporum ſanationem levis eſſe momenti. Sed Propheta, Dei clementiam in reprobis quoque & ingratis vult conſiderari. Itaque ſenſus eſt, Sicuti morbi non influunt caſu in homines, vel tantum ex naturalibus cauſis proveniunt, ſed tanquam Dei apparitores, ejus imperium exſequuntur: ita eundem ipſum qui percuſſit, ſanare abſque ullo negotio: quia ſufficit præcipere quid fieri velit. Cæterum ubi Prophetæ mentem tenuerimus, non male deinde ſuo loco conveniet anagoge. Si corporales morbi non niſi Dei verbo vel imperio ſanantur, multo minus animas reſtitui in vitam niſi per Verbum, & quidem fide apprehenſum.

22. *Et ſacrificent.*] Sententiam hanc exegetice addidit Propheta quo melius exprimeret fraudari Deum jure ſuo, niſi hac in parte agnoſcitur ejus providentia. Natura dictat, Deo cultum aliquem deberi, & hoc ſine magiſtro profani quoque homines ſentiunt. Et ſcimus ritum ſacrificandi ſemper in uſu fuiſſe apud omnes Gentes, nec dubium eſt quin illo principio Deus ut aliquo pietatis ſenſu, retinere voluerit humanum genus. Illuc ergo ſtupidos vel nimis torpentes revocat Propheta, vera hæc Sacrificia eſſe admonens dum agnoſcitur ejus beneficentia. Neque tamen inficior quin alludat ad cæremonias Legales: ſed quia promiſcue in toto mundo religio ſacrificiis colebatur, reos ingratitudinis peragit qui exempti ab aliquo periculo, ſilentio laudem Dei ſepeliunt.

23. Qui deſcendunt in mare navibus, negotiantes in aquis magnis.

23 יורדי הים באניות עשי מלאכה במים רבים׃

24. Ipſi vident opera Jehovæ, mirabilia ejus in profundo.

24 המה ראו מעשי יהוה ז ונפלאותיו במצולה׃

25. Et dicit, & excitat ſpiritum procellæ, & in ſublime attollit fluctus ejus.

25 ויאמר ויעמד רוח סערה ז ותרומם גליו׃

26. Aſcendunt in cælos, deſcendunt in abyſſos: anima eorum in malo diſſolvitur.

26 יעלו שמים ירדו תהומות נפשם ברעה תתמוגג׃

27. Agitantur & nutant tanquam ebrius, & omnis intelligentia eorum abſorbetur.

27 יחוגו וינועו כשכור וכל ח חכמתם תתבלע׃

28. Et clamant ad Jehovam in anguſtia ſua: & ex tribulationibus eorum educit eos.

28 ויצעקו אל יהוה בצר להם וממצוקותיהם יוציאם׃

29. Stare facit procellam in ſilentio, ut quieſcant fluctus ipſorum.

29 יקם סערה לדממה ויחשו גליהם׃

30. Et lætentur quia ſedati ſunt: & deducit eos ad regionem voti eorum.

30 וישמחו כי ישתקו וינחם אל מחוז חפצם׃

31. Celebrent coram Jehova clementiam ejus, & mirabilia ejus apud filios hominum:

31 יודו ליהוה חסדו ונפלאותיו לבני אדם׃

32. Et extollant eum in cœtu populi, & in conventu ſenum laudent eum.

32 וירוממוהו בקהל עם ובמושב זקנים יהללוהו׃

Digitized by Google

23. *Qui deſcendunt.*] Hic in alia ſpecie oſtendit Propheta quantum humani generis curam Deus gerat, dum naufragos in portum adducit, non ſecus acſi è ſepulchro in lucem eos attolleret. Quod dicit homines navigationi aſſuetos cernere in profundo mirabilia Dei, non interpretor generaliter de multiplici miraculorum copia quibus mare refertum eſt. Verum quidem eſt, tales eſſe idoneos teſtes operum Dei, quia major illic rerum incredibilium copia & varietas offertur quam in terra: ſed ego ad ſequentem contextum hoc reſtringo, quia videtur ſeipſum exponere Propheta, narrans quomodo Deus tempeſtates ſubito excitet ac componat. Summa huc redit, Eos qui navigant, tempeſtatibus ad vivum probari, ut ipſa jactatio totidem oſtentet mortes quot fluctus inſurgunt. Sed magis graphice Dei providentiam nobis depingit, ut enim ſciamus non ſponte mare tumultuari, conſulto *dicendi* verbum uſurpat, ſignificans Dei providentia & imperio ventos ad mare turbandum flare. Verum quidem eſt nautas ex naturalibus cauſis tempeſtates futuras conjicere, ſed ſubitæ mutationes nonniſi ex occulto Dei juſſu proveniunt. Non igitur hiſtorice tantum refert procellas ac turbines ſurgere: ſed quia ſuſtinet perſonam doctoris, ab ipſa cauſa incipit. Periculi deinde magnitudinem exprimit: imo quaſi mortis imaginem depingit in tabula, quo melius in eventu lætiore Dei gratia refulgeat: *ſurgunt*, inquit, *in cælum, deſcendunt in abyſſos*: quaſi diceret, ſurſum evolare, ut evaneſcat eorum vita: poſtea præcipites deorſum ruere ac mergi. Adjungit etiam terrores, qui mentes illis concutiunt, imo auferunt: ſignificans his verbis, quantumvis periti ſint nautæ qui gubernandis navibus præſunt, excidere tamen ab omni intelligentia, unde ſequitur, aliis adminiculis deſtitui, quorum nullus eſſet uſus etiamſi ad manum ſuppeterent. Nam etſi armamenta colligunt, dejiciunt bolidem in profundum, flectunt huc vel illuc vela: ſed omnibus tentatis, permittunt tandem ſe ventis raptandos ubi ars defecit. Deſperatio enim nihil relinquit conſilii. Itaque ubi nihil apparet ſolatii in mundo, ſupereſt unus clamor, qui convincit ipſos ſimiles fuiſſe mortuis.

26. *Stare facit.*] Diceret profanus homo hiſtoriam referens, ventos poſuiſſe, & ſedatos eſſe motus: ſed Propheta in hac mutatione providentiam Dei commendat, ſignificans non fieri humanitus ut tam repente ceſſent violenti illi impetus maris ac ventorum, quibus videtur labefactari mundi machina. Quum ergo horribili fervore mare ebullit, ut ſingulæ quaſi guttæ inter ſe pugnent, unde mox ſilentium & quies, niſi quod undas, quarum tam formidabilis erat colliſio, Deus cohibet, nec ſecus ſtare facit aquas, quam ſi conglaciatæ eſſent? Lætitiam opponit timoribus, unde clarius pateat ingratitudo niſi memoriam tam præclaræ liberationis colant. Neque enim magiſtro indigent, poſtquam & diſcrimine ipſo & ſerenitate reddita ſatis ſuperque edocti ſunt vitam ſuam ſub Dei fuiſſe manu & cuſtodia. Præterea genus beneficii eſſe docet, quod non modo privatim agnoſci vel narrari intra privatos parietes, ſed paſſim & per *celebres conventus* meretur prædicari. Imo *ſenes* diſerte ponit, ſignificans, quo quiſque majore pollebit prudentia, ita harum laudum magis idoneum fore auditorem & teſtem.

33. Ponit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſiccitatem:	33 ישם נהרות למדבר ומצאי מים לצמאון:
34. Terram fructiferam in ſalſuginem propter malitiam habitantium in ea.	34 ארץ פרי למלחה מרעת יושבי בה:
35. Ponit deſertum in ſtagnum aquarum: & terram ſolitudinis in exitus aquarum:	35 ישם מדבר לאגם מים וארץ ציה למצאי מים:
36. Et facit illic habitare famelicos qui ordinant urbem habitationis:	36 ויושב שם רעבים ויכוננו עיר מושב:
37. Et ſerunt agros, & plantant vineas, & edunt fructum proventus.	37 ויזרעו שדות ויטעו כרמים ויעשו פרי תבואה:
38. Et benedicit eos, & multiplicantur valde: & animalia eorum non minuit.	38 ויברכם וירבו מאד ובהמתם לא ימעיט:
39. Poſtea minuuntur, & dejiciuntur præ dolore, malo, & ægritudine:	39 וימעטו וישחו מעצר רעה ויגון:
40. Effundit contemptum in Principes, & errare facit eos in vaſtitate ubi non eſt via:	40 שפך בוז על נדיבים ויתעם בתהו לא דרך:
41. Et erigit afflictum à miſeria, & ſtatuit inſtar gregis familias.	41 וישגב אביון מעוני וישם כצאן משפחות:

33. *Ponit flumina in deſertum.*] Recenſet mutationes quas fortunæ adſcribi nimis abſurdum eſſet. Continget enim fœcundas terras areſcere, ſteriles vero induere novam naturam. Unde fit ut ſterileſcat una regio, altera vero inſolitam pinguedinem acquirat, niſi quia Deus contra illius incolas judicia ſua exercens, benedictionem ab illis ſuam tollit, hanc vero paſcendis famelicis fœcundat? Quod multæ Aſiæ & Græciæ partes, quarum olim famoſa ubertas fuit, nunc jacent ſqualidæ, poſſet hominum paucitati tribui. ſed quum experientia doceat ſiccari quarundam terrarum pinguedinem, quum aliæ fructuoſæ eſſe incipiant, hic certe Dei providentiam quam extollit Propheta agnoſci neceſſe eſt. Quanquam non ſufficit tenere, Dei conſilium dominari in his mutationibus, niſi accedat hoc ſecundum, quod etiam non omiſit Propheta terram maledici propter ſuos incolas, ubi indigni ſunt quos Deus liberaliter paſcat. *Stagna & exitus aquarum* pro agris vel regionibus irriguis poſuit: quia continuus humor ſuccum fructuoſum ſuppeditat. In voce *ſalſuginis* eſt metaphora, quia nihil ſale ſterilius: unde etiam illud Chriſti, Sal ſi infatuatus fuerit, ad quid proderit amplius? ne ad ſterilitatem quidem. Ideo quum aliquem locum damnare volebant ſolitudinis, ſolebant ſaltem ſpargere. Ac fieri poteſt ut Propheta ad morem antiquum alluſerit, dicens ſale terram adſpergi. *Marc. 9. verſ. 50.*

35. *Ponit deſertum.*] Hæc mutatio priori oppoſita, melius illuſtrat mirabilem Dei potentiam: quia ſiquid ex priſtina fœcunditate agris decederet, dicerent profani homines quod olim vulgo jactatum

fuit

fuit terram poſt frequentes partus quaſi effœtam quieſcere. Sed unde locis aridis nova pinguedo, ut videri poſſit mutatus aër cum natura terræ, niſi quod Deus inſigne ſuæ bonitatis ſpecimen illic profert? Quare non abs re Propheta dicit converti deſerta in ſtagna aquarum, ut in locis vaſtis & incultis, ubi ne unum quidem tugurium ante fuerat, ſurgant pópuloſæ urbes. Neque enim magis probabile eſt mutari terræ naturam, quam curſum ſolis & aſtrorum. Quod dicit *ſatiari famelicos*, duplicem ſenſum admittit, vel quod ipſi quoque famelici reperiant quod longæ inediæ medeatur: vel quod miſeris & vagis hominibus quos penuria cogit novum hoſpitium quærere, Deus liberaliter ſubveniat. Ego potius quod ut plurimum fieri ſolet, notari arbitror, nempe famelicos, quibus videtur mundus negare victum, & quos etiam patria ſua evomit, quæ tamen mater erat, commodè locari in deſertis, ut Dei benedictione illic augeſcant. Ubi reddidi *fructum & proventum*, Hebræi multi grammatici duplicationem eſſe putant, ac ſubaudiunt copulam. Sed potius annuum fructum deſignat Propheta: acſi diceret, non ſemel nec paucis annis fructum in illis regionibus provenire, ſed fœcunditatem eſſe perpetuam. תבואות enim vocant Hebræi fructus ornos, & quos terra quotannis affert. Quum dicit *novos incolas terram ſerere*, ſubindicat nullum illic prius arationis vel culturæ fuiſſe uſum: ideoque regionem, cujus agris data eſt inſolita pinguedo, novam faciem induere. Tandem addit nonniſi Dei benedictione fieri ut per continuos progreſſus locupletentur quos nuper egeſtas & inopia premebat.

39. *Poſtea minuuntur.*] Antequam ad rem venio, breviter hoc de vocibus notandum eſt, עוצר à quibuſdam verti tyrannidem. & certe verbum עצר dominari ſignificat. Sed quia metaphorice pro anguſtia capitur, videtur hic ſenſus melius congruere. Duo alia nomina tam in caſu nominativo quam in genitivo legi poſſunt. Mihi tamen magis arridet lectio iſta, ab anguſtia mali & dolore. Quod vero ad ſummam rei pertinet, ſicuti antehac deſcripta nobis fuit quæ terris quoad fundos agrorum, contingit mutatio, ita nunc docemur non eodem ſemper in ſtatu manere homines: quia & numero decreſcunt, & bellis, vel inteſtinis ſeditionibus, vel aliis incommodis attriti decidunt ex ſuo gradu. Ergo ſive peſtis abſumat eorum partem, ſive ab hoſtibus cladem accipiant, ſive conficiant ſeipſos mutuis diſſidiis, ſæpe alternat eorum conditio. Unde autem hoc, niſi quod Deus gratiam ſuam ſubducit, quæ prius erat inſtar occultæ ſcaturiginis unde fluebat proſperitas? Quum autem varii ſint urbium caſus, ſpeciem unam exprimit Propheta præ aliis notabilem & conſpicuam. Nam quia in privatis & obſcuris hominibus non ita expenditur manus Dei, Principes ipſos in theatrum producit, quorum nobilitas non patitur latere ſiquid illis contingit memoratu dignum. Videtur enim mundus in eorum gratiam creatus eſſe. Ergo dum eos præcipitat Deus è gradu, magis expergefiunt hominum mentes ad conſiderandum Dei judicium. Notanda autem loquutio eſt quum dicit *contemptum* divinitus *effundi ſuper Principes*, ſicuti rurſus quantiſper tueri vult eos in ſtatu, reverentiam ipſis conciliat. Nota eſt ſententia Danielis, Terrorem tui ô Rex poſuit Deus *Dan. 2.*
in ipſis avibus cæli & beſtiis terræ. Et certe quamvis *verſ. 37.*
armati ſint potentia Principes, nihil tamen majori præſidio eſt, quam interior dignitas quæ illis divinitus inſculpta eſt. Neque aliter ad triduum ſtaret pagus unus, quam ſi occulto fræno contineret Deus omnium animos. Ergo ubi contemptibiles Deus Principes reddit, neceſſe eſt ſumma quæque imperia labefactari. Atque hoc teſtantur hiſtoriæ, maximos Reges, qui formidabiles toti mundo fuerant, poſtquam dignitate exuti ſunt, ludibrio fuiſſe ſervis ſuis. Sed quum prodigii loco cenſeri debeat hæc mutatio, facit ſtupor noſter ut Dei providentia oculis noſtris non occurrat. Poſtea ex oppoſito docet Propheta, *abjectos & ignobiles extolli*, augeri familias: & qui nullo in pretio erant, opibus & dignitate repente florere. in quo Dei providentiam agnoſcerent homines, niſi eos hebetaret ſua pravitas.

42. Videbunt recti, & lætabuntur: & omnis iniquitas obſtruet os ſuum.

43. Quis ſapiens, ut obſervet hæc, & intelligent bonitates Jehovæ?

42 יראו ישרים וישמחו וכל עולה קפצה פיה׃

43 מי חכם וישמר אלה ויתבוננו חסדי יהוה׃

42. *Videbunt recti.*] Concludit tandem Propheta, non excidere juſtis tot documenta providentiæ Dei: ſed quia fide oculati ſunt, gaudere tali ſpectaculo: impios quoque confuſos obmuteſcere. Nam alios ab aliis prudenter diſcernit: quia impii utcunque agnoſcere cogantur Deum mundi gubernatorem, cæcutiunt tamen videndo: nec aliter proficiunt adſpectu, quam quod redduntur magis inexcuſabiles: juſti autem non tantum judicio pollent, ſed ſponte etiam aperiunt oculos ad contemplandam Dei juſtitiam, bonitatem, & ſapientiam, ſeque oblectant earum notitia. Nam gaudium, voluntarii intuitus ſignum eſt. Quantum ad impios ſpectat, non intelligit Propheta ſerio eos affici, ut vere ſentiant divinitus regi mundum, ſed teneri conſtrictos, ut non audeant negare Dei providentiam ut cuperent; vel ſaltem refutentur quoties oblatrant. nam etſi in propatulo ſint ipſis Dei judicia, excæcatæ tamen ſunt eorum mentes, nec claram lucem cernant. Loquutio autem hæc plus habet vehementiæ quam ſi dixiſſet, obmuteſcere ipſos impios. Neque enim obſtrepere ipſi deſinunt: imo videmus quam proterve fidei noſtræ inſultent, nec dubitent fœdas blaſphemias in Deum evomere. Veriſſimum tamen eſt hoc Prophetæ dictum *iniquitati os obſtrui*, quia re ipſa quo petulantius ruunt, apertius convincitur eorum improbitas. Porro lætitia hæc cujus Propheta meminit, inde manat, quia nihil ad fidem ædificandam aptius eſt, quam providentiæ Dei cognitio: quoniam ea ſublata, non minus quiſque apud ſe æſtuabit, quam mundum fortuito verſari finget. Proinde qui hanc doctrinæ partem evertere conantur, filios Dei vero gaudio privantes, miſera inquietudine torquent animos, & ipſis inferos in hoc mundo fabricant. Quod enim magis horribile tormentum quam ſi anxii, ſine fine trepidemus? Atqui nulla quies, donec in Dei providentiam recumbere didicerimus. Cæterum oſtendit hæc clauſula, quum Deus promiſcue ſuam bonitatem exhibeat hominibus, paucos tamen ex innumera turba proficere. Unde ſequitur hortatum prius fuiſſe omnes ad celebrandam Dei bonitatem, quo palam fieret multorum ingratitudo.

43. *Quis ſapiens.*] Significat tunc demum ſapere homines ubi ſtudium applicant ad conſiderationem operum Dei: deſipere vero reliquos, & quantumvis callidi appareant: evaneſcere tamen in ſuo acumine, dum clauſis oculis prætereunt lucem ſibi oblatam. Interrogatione autem oblique perſtringit falſam perſuaſionem quæ vulgo in mundo graſſatur, dum audaciſſimus quiſque Dei contemptor ſe optime ſapere putat: acſi diceret, fatuos omnes deprehenſum iri, qui hac in parte oculati non ſunt. Atque eo magis neceſſaria eſt hæc admonitio,

nitio, quia videmus quoſdam ex ſummis Philoſophis adeo fuiſſe malignos, ut nulla in re magis laboraverint quam in ſepelienda Dei providentia: vel ſaltem in excudendis mediis cauſis, quibus ſe & alios, neglecto Deo affigerent. Ariſtoteles tam ingenio quam doctrina maxime excelluit: ut tamen profanus homo erat, pravique animi, ſemper hoc habuit propoſitum ut Dei providentiam involveret multis vagis ſpeculationibus: imo quicquid perſpicaciæ in eum Deus contulerat, ſacrilegus ille nebulo ad extinguendam omnem lucem applicuit. Propheta autem non modo Epicureos (quorum craſſior fuit fatuitas) amentiæ damnat, ſed admonet, in ſummis illis Philoſophis magis deteſtabile fuiſſe cæcitatis portentum. *Cuſtodiendi* verbo docet non ſufficere ſiquis ſubito apprehendat Dei opera, ſed ſedula obſervatione eſſe opus quæ mature concoquat hanc notitiam. Itaque continua meditatio requiritur, quæ illam penitus animis noſtris inſculpat. Mutatio numeri gratia non caret, quum dicit Propheta, *Quis ſapiens, & intelligent.* Nam primo tacite conqueritur de eorum paucitate qui Dei judicia obſervant: acſi diceret, quotuſquiſque reperietur verus ſpectator operum Dei? Poſtea oſtendit verſari ante omnium oculos, ut nihil eos impediat præter ſuam malitiam. Cæterum ſiquis roget cur Propheta, ubi de judiciis Dei, & ejus ſeveritate diſſeruit, nunc tantum clementias ejus attingat: Reſpondeo, in Dei operibus ſemper excellere & quaſi primatum tenere ejus bonitatem, ſicuti natura ad beneficentiam propenſus eſt, qua etiam maxime ad ſe nos allicit.

PSALM. CVIII.

CAnticum Pſalmi Davidis.	1 שיר מזמור לדוד :
2. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & pſallam, etiam gloria mea.	ו 2 נכון לבי אלהים אשירה ואזמרה אף כבודי :
3. Exſurge nablum & cithara, excitabor diluculo.	ש 3 עורה הנבל וכנור אעירה שחר :
4. Celebrabo te in populis Jehova, & pſallam tibi in nationibus:	ב 4 אודך בעמים יהוה ואזמרך בלאמים :
5. Quia magna ſupra cælos bonitas tua, & ad nubes veritas tua:	5 כי גדול מעל שמים חסדך ועד שחקים אמתך :
6. Exaltare ſuper cælos Deus: & ſuper omnem terram gloria tua:	6 רומה על שמים אלהים ועל כל הארץ כבודך :
7. Ut liberentur dilecti tui: ſerva dextera tua, & exaudi me.	7 למען יחלצון ידידיך הושיעה ימינך וענני :
8. Deus loquutus eſt in ſanctitate ſua, lætabor, dividam Sechem, & vallem Suchoth dimetiar.	8 אלהים דבר בקדשו אעלזה אחלקה שכם ועמק סכות אמדד :
9. Meus Galaad, meus Manaſſe, & Ephraim robur capitis mei: Jehuda * legiſlator meus. (* vel, dux.)	9 לי גלעד לי מנשה ואפרים מעוז ראשי יהודה מחקקי :
10. Moab olla lotionis meæ, ſuper Edom projiciam calceum meum: ſuper Palæſthina jubilabo.	א 10 מואב סיר רחצי על אדום א אשליך נעלי עלי פלשת אתרועע :
11. Quis deducet me in urbem munitam? quis deducet me uſque ad Edom?	11 מי יבלני עיר מבצר מי נחני עד אדום :
12. Annon tu Deus *qui* repuleras nos, & non egrediebaris Deus inter exercitus noſtros?	12 הלא אלהים זנחתנו ולא תצא אלהים בצבאתינו :
13. Affer nobis auxilium à tribulatione, quia vana ſalus hominis.	13 הבה לנו עזרת מצר ושוא תשועת אדם :
14. In Deo faciemus virtutem, & ipſe conculcabit adverſarios noſtros.	י 14 באלהים נעשה חיל והוא יבוס צרינו :

Quoniam Pſalmus CVIII. partim ex LVII. partim ex LX. compoſitus eſt, ſupervacuus eſſet labor, quæ illic diximus iterum repetere.

ARGUMENTUM PSALMI CIX.

Conſtat tribus præcipuis membris. Incipit à querimonia: deinde adjungitur catalogus multarum imprecationum: poſtea ſequitur precatio cum teſtimonio gratitudinis. Etſi autem dubium non eſt quin de illatis ſibi injuriis conqueſtus ſit David: quia tamen aliam perſonam ſuſtinuit, proprie, quicquid dicitur in Chriſtum Eccleſiæ caput competit: & in ſingulos fideles, quatenus ſunt ejus membra, ut injuſte ab hoſtibus vexati cæleſtis ſui vindicis opem implorent.

PSALM. CIX.

PRæfecto Davidis Pſalmus. Deus laudis meæ ne taceas:	1 למנצח לדוד מזמור אלהי תהלתי אל תחרש :
2. Quia os impii & os fraudis ſuper me aperta ſunt, loquuti ſunt mecum lingua doli:	2 כי פי רשע ופי מרמה עלי פתחו דברו אתי לשון שקר :

3. Et

3. Et verbis odii circundederunt me, & præliati ſunt mecum ſine cauſa.

3 וְדִבְרֵי שִׂנְאָה סְבָבוּנִי
וַיִּלָּחֲמוּנִי חִנָּם׃

4. Pro dilectione mea adverſati ſunt mihi, & ego ad precem.

4 תַּחַת אַהֲבָתִי יִשְׂטְנוּנִי וַאֲנִי
תְפִלָּה׃

5. Et poſuerunt ſuper me malum loco beneficentiæ, & odium pro dilectione mea.

5 וַיָּשִׂימוּ עָלַי רָעָה תַּחַת טוֹבָה
וְשִׂנְאָה תַּחַת אַהֲבָתִי׃

DEus laudis meæ.] Teſtatur hoc exordio David, neque alium ſe expetere integritatis ſuæ vindicem quam Deum, neque etiam alibi poſſe uſquam inveniri. Deum enim laudis ſuæ vocans, licet damnatus ſit totius fere mundi judiciis, ſuam tamen integritatem ei commendat. Quidam active accipiunt, acſi David laudum Dei ſe præconem diceret. Sed eum ſenſum refellit circumſtantia, quia videmus Davidem injuſtis & crudelibus odiis in mundo oppreſſum, ad Dei judicium refugere. Ac ſubeſt tacita antitheſis, quia ubi calumniæ prævalent, laudem ſuam & pretium nuſquam alibi quam apud Deum obtinet integritas. Senſus ergo eſt, Domine utcunque habear pro homine deterrimo, & expoſitus ſim totius mundi infamiæ, tu innocentiæ meæ vindex eris, ac proinde meus laudator. Concinne etiam reſpondet quod addit continuo pòſt, *ne taceas:* quia abſurdum eſſet, ubi improborum calumniis obruimur, Deum innocentiæ noſtræ teſtem ſilere. Jam memoria tenendum eſt quod dixi, de privatis quas patiebatur injuriis ſic eum conqueri, ut in ſua perſona Chriſtum & totum Eccleſiæ corpus repræſentet. Ergo, quamvis omni proborum genere nos onerent homines, diſcamus acquiſcere in unius Dei patrocinio. Neque enim puro animo quiſquam Deo ſe committet niſi qui ſtatuerit apud ſe ſpernenda eſſe mundi probra, modo ſibi bene conſcius, Deum habeat cauſæ ſuæ patronum.

2. *Quia os impii.*] Clarius exprimit David ſe tam ſollicite implorare Dei opem: quia nulla inter homines reperiatur æquitas. Etſi autem credibile eſt, tumultuosè oppugnatum fuiſſe Davidem, conqueritur tamen ora doli vel fraudis contra ſe fuiſſe aperta, ſeque linguis fallacibus fuiſſe circumventum. unde apparet eum ſpecioſo colore gravatum fuiſſe calumniis apud imperitos, ut criminis infamiam non effugeret.

3. *Et verbis odii.*] Verbis hoſtilibus ſe fuiſſe obſeſſum deplorat, quum tamen nihil tale fuerit promeritus. Pulchra autem ſimilitudine oſtendit tantam fuiſſe virulentiæ copiam in linguis hoſtium, ut durius fuerit obſeſſus quam à magno exercitu, & quidem nullo ſuo merito. Hæc belli ſpecies notanda eſt qua Deus filios ſuos utplurimum exercet. Nam etſi eos vi aperta oppugnet Satan, ut tamen eſt pater mendacii, miris calumniarum artificiis eos deformare tentat, acſi eſſent fæces & excrementa mundi. Jam ſicut in Chriſto fuit impletum quod adumbratum fuerat in Davide: ita meminerimus impleri quotidie in fidelibus ὑστερήματα paſſionum Chriſti, quia ſemel in ſe paſſus, illos ſibi conſortes ac ſocios accerſit. *Coloſ. 1. verſ. 24.*

4. *Pro dilectione mea.*] Jam teſtatus fuerat, hoſtes nulla injuria laceſſitos, ſibi gratis & tantum diabolico furore infeſtos eſſe. Idem nunc confirmat, ſe illis amicum fuiſſe dicens. Plus autem eſt diligere quam abſtinere ab omni maleficio. Atque hinc perſpicimus quam prodigioſi ſint Satanæ impulſus, ubi mentes hominum ſibi mancipatas tenet. Nihil enim naturæ minus conſentaneum quam odiò proſequi & crudeliter infeſtare qui nos amant. Amori quoque adjungit beneficentiam: ſignificans externis beneficiis ſe ſtuduiſſe de illis bene mereri.

Et ego ad precem.] Quidam intelligunt, quamvis hoſtes irruerent tanto furore, pro ipſis tamen precatum eſſe Davidem: cui ſententiæ reſpondet quod habuimus Pſalmo 35. verſ. 13. Mihi autem videtur ſimplicior eſſe ſenſus, quod atrociter vexatus, non applicuerit animum ad illicita media, ut paria referret: ſed contentus unius Dei tutela, ſe ad eum contulerit. Atque hoc magnæ virtutis eſt, temperare ſuis affectibus hominem indigne læſum, quem injuriæ ad vindictam ſollicitant, ut tantum provocet ad Dei judicium. Nam qui alioqui bene cum bonis agere cupiunt, ſi cum improbis negotium eſt, fas ſibi eſſe putant retaliare injurias: & nemo eſt piorum qui non ſentiat in ſe hoc tentationis genus. Atqui Spiritus ſanctus frænum nobis injicit: atque ut centies ſua intemperie nos cogant hoſtes ad vindictæ deſiderium, violentia tamen & fraude omni valere juſſa, confugiendum eſſe ad preces. Atque hoc ſuo exemplo præſcribit David, his armis pugnandum eſſe, ſi modo ſub Dei auſpiciis vincere cupimus. Similis locus eſt Pſalmo 69. verſ. 13. Loquebantur contra me ſedentes in porta, canticum fui bibentium ſiceram: ego vero precationem meam ad te Jehova. Nam illic quoque ecliptica eſt loquendi forma. Porro his verbis ſignificat David, quamvis totum mundum ſibi adverſum experiretur, ſatis ad tranquillum animi ſtatum fuiſſe, conjicere ſuas curas in Deum. Jam quia non fruſtra has preces Davidi Spiritus ſanctus & piis omnibus dictavit, quiſquis formam hanc ſequetur, ne dubitet, prout contumelioſe viderit Deus ipſum vexari, ita ad opem ferendam propenſum fore.

6. Præfice ſuper eum impium, & adverſarius ſtet ad dexteram ejus.

6 הַפְקֵד עָלָיו רָשָׁע וְשָׂטָן יַעֲמֹד
עַל יְמִינוֹ׃

7. Dum judicatur, exeat impius, & oratio ejus vertatur in peccatum.

7 בְּהִשָּׁפְטוֹ יֵצֵא רָשָׁע וּתְפִלָּתוֹ
תִּהְיֶה לַחֲטָאָה׃

8. Sint dies ejus pauci: præfecturam ejus accipiat alter.

8 יִהְיוּ יָמָיו מְעַטִּים פְּקֻדָּתוֹ יִקַּח
אַחֵר׃

9. Sint filii ejus pupilli, & uxor ejus vidua:

9 יִהְיוּ בָנָיו יְתוֹמִים וְאִשְׁתּוֹ
אַלְמָנָה׃

10. Et vagando vagentur filii ejus, & mendicent, & quærant è locis ſuis vaſtatis.

10 וְנוֹעַ יָנוּעוּ בָנָיו וְשִׁאֵלוּ וְדָרְשׁוּ
מֵחָרְבוֹתֵיהֶם׃

11. Illaqueet exactor quæcunque ſunt illi: & diripiant extranei laborem ejus.

11 יְנַקֵּשׁ נוֹשֶׁה לְכָל אֲשֶׁר לוֹ וְיָבֹזּוּ
זָרִים יְגִיעוֹ׃

6. *Præfice ſuper eum.*] Quum hactenus in plurali numero conqueſtus ſit de magna turba, nunc quaſi hominem unum deſignat. Fieri tamen poteſt ut de ſingulis quaſi de uno loquatur. Quanquam non minus probabile eſt, odioſius certum aliquem perſtringi qui primatum tenebat inter improbos. Nec diſplicet eorum conjectura qui referunt ad perſonam Doëg, quem ſcimus perfida defectione non ſolum Davidi, ſed piis Sacerdotibus perniciem conflaſſe: (ſcimus enim Pſalmum hunc Judæ aptari
Actor. 1. verſ. 20. à Petro:) ſed æque, & forte melius quadrabit, hanc querimoniam de amico magis familiari intelligere. Jam quod ad imprecationes ſpectat, tenendum eſt quod alibi diximus, Davidem, quoties diras iſtas vel maledictionis vota concepit, nec immodico carnis affectu fuiſſe commotum, nec privatam cauſam egiſſe, nec zelo inconſiderato fuiſſe accenſum. Hæc tria diligenter notanda ſunt. nam ut quiſque ſe ipſum amat, ita ſuis commodis intentus, ſtatim proſilit ad ultionem: ideo ut ſibi quiſque privatim addictus eſt, intemperanter ad curam privatæ utilitatis rapitur. Ex ſtudio privati commodi oritur alterum vitium. nemo enim pœnam expetet de ſuis hoſtibus quia hoc rectum & juſtum ſit, ſed quia odio ſuo indulget: prætenditur quidem hic color, ſed intus ebulliens cupiditas, ſublata æquitatis memoria, animos excæcat. Ubi correcta fuerint hæc duo vitia, nempe privatus noſtri reſpectus & intemperantia carnis: requiritur etiam tertia moderatio, ut cohibito ſtulti zeli fervore, ſpiritum ſequamur ducem. Nunc ſiquis præpoſtero zelo abreptus exemplum Davidis obtendat, nihil
Luc 9. verſ. 55. proficiet. Nam quod Chriſtus reſpondit diſcipulis, merito in eum competet, Neſcitis cujus ſpiritus ſitis. Quo magis deteſtabile ſacrilegium eſt quod Pſalmum hunc Monachi profanant, & maxime Franciſcani. Res enim minime occulta eſt, ſiquis hoſtem capitalem habeat quem velit perditum, conducere ex illis nebulonibus aliquem qui quotidie Pſalmum hunc recitet. Imo in regno Galliæ ſcio primariam quandam fœminam conductitios ex Franciſcanis habuiſſe, qui unigenito filio hac forma imprecarentur. Sed jam redeo ad Davidem, qui purus omni turbido affectu, vota ſua, præeunte Spiritu, protulit. quia impii, contempto Deo, ad perdendos bonos & ſimplices graſſando, jugum omne excutiunt, ut nulla eos modeſtia retineat vel æquitas: digniſſimi ſunt hoc ſupplicio, ut impius ſuper eos dominetur: quia etiam per inſidias peſtem bonis machinantur, digniſſimi ſunt quibus ſubornet Deus adverſarium, qui nunquam diſcedat ab eorum latere. Tantum à nimia feſtinatione caveant fideles dum orant, quin potius Dei gratiæ concedant locum: quia fieri poterit ut qui hodie nos capitaliter odit, cras amicus fiat.

7. *Dum judicatur.*] Alia imprecatio, ut in judicium tractus, ſine ulla miſericordia plectatur: & quamvis ſuppliciter petat veniam, Judex tamen inflexibilis maneat. Poſſet quidem hoc non incommode accipi de ipſius Dei judicio: ſed quum humanis judiciis recte hoc conveniat, nolui à recepta ſententia recedere. Duo igitur membra ſunt, ut palam fiant impiorum ſcelera, ne reliquus ſit abſolutioni locus: deinde ut omnis deprecatio repudietur. Exire ergo impium dicit à conſpectu judicis, qui retectis & convictis flagitiis, quam meritus eſt damnationis infamiam refert. Quantum ad Dei tribunal ſpectat, abſurdum etiam non eſſet precationem ſuam impiis verti in peccatum, quia omnia eorum ſacrificia abominationi eſſe ſcimus: atqui ut ipſi polluti ſunt, ita fœtere quæ videntur in illis ſpecioſæ virtutes. Sed quia de terrenis Judicibus contextus melius fluit, in hac parte non inſiſto.

8. *Sint dies ejus pauci.*] Quamlibet multis ærumnis referta ſit hæc vita, ſcimus tamen benedictionis Dei ſymbolum eſſe ac teſtimonium: ſicuti Deus ſæpe in ſignum favoris promittit vitam ſe prorogaturum hominibus: non quod in ea ſubſiſtere conveniat, ſed quia paternus Dei amor in ea guſtatur, qui ad ſpem immortalis vitæ nos deducat. Ex oppoſito nunc vitæ brevitas in ſignum maledictionis ponitur. nam Deus ſceleſtos è terra quaſi violenter rapiens, indignos eſſe communi ſpiritu demonſtrat. Idem etiam dicendum eſt, quum eos honore abdicans, ex alto præcipitat. Verum quidem eſt hoc idem filiis Dei contingere, quia tam bonis quam malis promiſcuæ ſunt temporales pœnæ: ſed nunquam adeo confuſa eſt permiſtio, quin manifeſta Dei judicia & notatu digna interdum appareant. Petrus hunc verſum citans primo Actorum capite verſ. 20. dicit oportuiſſe impleri in Juda, quia hic ſcriptum eſt, Epiſcopatum ejus accipiat alter. Sumit autem principium illud, Davidem in Chriſti perſona loquutum eſſe. Quamvis ergo Hebraicum nomen פקדה, præfecturam generaliter ſignificet, apte Petrus de Apoſtolatu Judæ exponit. Ac credibile eſt, malitia facere Hebræos interpretes, quod alii hunc locum de uxore, alii de anima (quæ eſt pretioſum depoſitum in homine) alii de ſubſtantia exponunt. Quorſum enim attinet vocem per ſe claram & facilem ſic torqueri, niſi quia maligne in ea obſcuranda ſudant, ne locus appoſite citatus videatur à Petro? Porro docemur his verbis, non eſſe cur ſuperbiant improbi dum regnant in mundo, quia tandem eos manet exitus quem Spiritus hic denunciat: & nobis etiam ſuggeritur optima patientiæ & conſolationis materia, dum audimus, utcunque in ſublime nunc evecti ſint, propinquam tamen abdicationem illis inſtare. Proximis duobus verſibus ad uxorem quoque & liberos extenditur maledictio. & uxoris quidem viduitas, orbitaſque filiorum ex illa vitæ brevitate pendent cujus nuper meminit Propheta. ſed additur *mendicitas* & inopia rerum omnium. Unde colligitur atrocitas criminis: quia mediocri delicto Spiritus ſanctus non denunciaret tam gravem ac ſeverum pœnam. Quum *exactoribus* David ejus bona devovet atque addicit in prædam, hoc ad futuram inopiam filiorum refertur. Neque enim de ignobili & paupere quolibet loquitur, qui moriens nihil ſuis relinquit, ſed de eo qui per fas & nefas ſibi cumulavit unde filios locupletaret, niſi raperet Deus ex ejus manu male parta ſpolia.

12. Ne ſit illi protrahens clementiam: & ne ſit qui miſereatur pupillorum ejus.

13. Sit poſteritas ejus in exitium: in generatione altera deleatur nomen eorum.

14. In memoriam revocetur iniquitas patrum ejus coram Jehova, & ſcelus matris ejus ne deleatur.

15. Sint coram Jehova ſemper, & deleat è terra memoriam ipſorum:

12 אל יהי לו משך חסד ואל יהי חונן ליתומיו :

13 יהי אחריתו להכרית בדור אחר ימח שמם :

14 יזכר עון אבתיו אל יהוה וחטאת אמו אל תמח :

15 יהיו נגד יהוה תמיד ויכרת מארץ זכרם :

16. Quia

16. Quia non recordatus eſt facere clementiam: & perſequutus eſt virum miſerum ac pauperem, & afflictum corde, ut interficeret.

16 יען אשר לא זכר עשות חסד
וירדף איש עני ואביון ונכאה ל
לבב למותת:

12. *Ne ſit illi protrahens.*] Protrahere humanitatem vel clementiam, accipiunt Hebræi pro conſtanter benefacere: aliquando etiam pro miſereri, vel ad humanitatem flecti, ubi longo temporis ſucceſſu miteſcit ira, & calamitas etiam animos emollit. Ideo ſic quidam exponunt hunc locum, nequis etiam erga filios ſit placabilis: quem ſenſum confirmat ſecunda pars verſus. Quanquam ipſum quoque impium David cum ſobole complectitur: acſi diceret, Quamvis tabeſcat ipſe diuturnis malis, & continuo tractu perveniat uſque ad filios calamitas, nequis tamen tangatur miſericordia. Scimus autem ut plurimum accidere, ut crudelibus etiam ingeniis longa miſeria inimici vel ſympathian extorqueat, vel oblivionem inducat odii & malevolentiæ. Hic autem David hoſtem ſuum unà cum progenie ita exoſum & deteſtabilem eſſe cupit, ut nullis malis ſatietur totius populi odium, ſed omnes, acſi ferreo eſſent corde, ad tale ſpectaculum obdureſcant. Tenendum autem eſt, Davidem non temere ferri privato ſuo dolore, ſed pronunciare quaſi ex ore Dei, quænam impiis repoſitæ ſint pœnæ: ſicut etiam in-
Deut. 2. ter Dei judicia Lex hoc recenſet, nempe eum ob-
verſ. 30. durare corda, nequid miſericordiæ inveniant qui ſine modo fuerunt crudeles. Nam æquum eſt eandem illis menſuram rependi qua uſi fuerint erga alios.

13. *Sit poſteritas ejus.*] Proſequitur quod nuper dicere incepit, ut Deus patrum ſcelera rejiciat in ſinum filiorum. Quod jam pluralem numerum uſurpat, ſic poteſt accipi, quia certamen ei fuit cum tota cohorte Saulis, non autem cum uno tantum homine. Cæterum quia ſemper in malis actionibus aliquos ſcimus eſſe duces & anteſignanos, non mirum eſt eum ab uno homine ad plures converti, deinde ad ipſum eundem redire. Quanquam ſimplicius eſt ad progeniem ejus referri, quia nomen אחרית eſt collectivum. Gravior eſt autem imprecatio quam altera quæ præceſſit. Accidit enim ſæpe ut poſtea reſurgat domus, quam repentina calamitas evertit. Sed hic cupit Propheta in eam ruinam dejici impios, ut nunquam vires colligant ad recuperandum priſtinum ſtatum. Id enim eſt *nomen* eorum *deleri in generatione altera*, vel poſt finem ſeculi. Sicuti autem totas impiorum domos exitio devovet, ut illos Deus in ſuis poſteris puniat, ita petit *in memoriam revocari patris & matris ſcelera*, ut in cumulum damnationis accedant. Eſt autem hoc ex communi Scripturæ doctrina ſumptum: quia ſicuti prorogat Deus miſericordiam ſuam & continuat erga poſteros, quia viget fœderis ejus memoria in mille generationes: ita etiam peccata ulciſcitur in tertiam & quartam generationem: non quod inſontes promiſcuè ſceleratis involvat, ſed quia reprobos privando
Rom. 9. gratia & luce Spiritus ſui, vaſa iræ apparat etiam
verſ. 22. antequam naſcantur, ad interitum. Ab hac ſeveritate abhorret communis ſenſus: ſed inde diſcendum eſt, injuriam fieri arcanis & incomprehenſibilibus Dei judiciis, ubi ea modulo noſtro metimur. Ergo hæc tam rigida denunciatio horrore nos procellat, qui mentes noſtras humiliet ad reverentiam. Quod
Ezech. 18. autem ad dictum Ezechielis ſpectat, Non portabit
verſ. 20. filius iniquitatem patris, ſed anima quæ peccaverit, ipſa morietur: ſcimus illic refelli injuſtas populi querimonias qui ſe innoxium jactabat, ideoque præter meritum affligi. Atqui ubi Deus vindictam perſequitur à patribus uſque in filios, nullum illis relinquit defenſionis locum: quia eodem impietatis faſciculo ſunt omnes impliciti. Et jam diximus hoc eſſe vindictæ initium, quod Deus ſpiritum ſuum tam à filiis quam à patribus ſubducens, utroſque Satanæ mancipat. Quæri poſſet, quum optet Propheta ſemper coram Deo verſari peccatum, cur non etiam addat, nomen eorum è cælo deleatur: ſed tantum cupiat excidere ac perire in mundo. Reſpondeo loquutum eſſe pro ratione ſuæ ætatis, qua nondum ſpirituales pœnæ tam liquidò patefactæ erant: quia nondum advenerat maturum plenæ revelationis tempus. Deinde vult David conſpicuam extare Dei vindictam inter homines, ut ſentiat totus mundus Deum eſſe juſtum judicem.

16. *Quia non recordatus eſt.*] Jam docet, non abs re ſe hoſtibus pœnam adeo diram & atrocem imprecari: quia inſatiabilis fuerit eorum immanitas, & perſequuti ſint non minus obſtinato quam crudeli furore miſerum hominem, acſi canem mortuum impeterent. Nam & Philoſophi ſordidis & ſervilibus ingeniis hoc tribuunt, ſævire contra miſeros quibus nullæ ſunt ad reſiſtendum vires. nam æmulatio eſt inter pares. Ideoque Propheta malitiam hoſtium ſuorum amplificat, quod perſequuti ſint *miſerum & inopem*. Magis etiam emphaticum eſt quod addit, *afflictum corde*. Reperiuntur enim miſeri qui tamen ſuperbia turgere non deſinunt. & quo minus ferendum eſt tale portentum, eo magis in ſe provocant potentum iracundiam. Ubi autem accedit cordis dejectio, ſignum eſt extremæ ſævitiæ ſiquis adhuc inſultet. quid enim hoc aliud eſt quam luctari cum umbris? Porro inexplebilis crudelitas notatur hoc verbo, quod non recordatus ſit facere miſericordiam. Significat enim nullis hominis innoxii & miſeri cladibus fuiſſe mitigatum, ut ſaltem memor humanæ ſortis feritatem ſuam exueret. Mutua ergo antitheſis reſpondet inter talem contumaciam & inexorabile Dei judicium. Jam quum David non niſi Spiritus impulſu loquutus ſit, perinde habenda eſt hæc imprecatio acſi Deus ipſe è cæleſti ſolio tonaret. Ita ab una parte vindictam denuntiando, retundit in nobis ac compeſcit pravos omnes nocendi affectus: ab altera dolorem noſtrum temperat, adhibito ſolatio, quo patienter feramus injurias. Impune quidem ad tempus exultant impii in ſua libidine: ſed hæc comminatio oſtendit, Deum non fruſtra in tutelam ſuam recipere miſeros: tantùm ſe ſub manſuetudine contineant fideles, ut dejectio cordis eorum in Dei conſpectum aſcendat. Et quia nobis nondum datum eſt diſcernere electos à reprobis; diſcamus bene precari omnibus qui nobis moleſti ſunt, optare totius humani generis ſalutem, pro ſingulis etiam eſſe ſolliciti. Interea hoc non impediet, ſi modo puri ſint nobis & compoſiti animi, quin liberè provocemus ad Dei judicium, ut deſperatos omnes male perdat.

17. Et dilexit maledictionem, & veniat ei: & non complacitum fuit ei in benedictione, & elongetur ab eo.

17 ויאהב קללה ותבואהו ולא ח
חפץ בברכה ותרחק ממנו:

18. Et induatur maledictione quaſi veſtimento: & veniat, tanquam aquæ, in penetralia ejus: & ſicut oleum in oſſa ejus:

18 וילבש קללה כמדו ותבא כ
כמים בקרבו וכשמן בעצמותיו:

19. Sit

19. Sit ei quaſi pallium quo operiatur, & cingulum quo ſemper ſe accingat.

19 תהי לו כבגד יעטה ולמזח תמיד יחגרה׃

20. Hoc opus adverſantium mihi à Jehova, & loquentium malum ſuper animam meam.

20 זאת פעלת שטני מאת יהוה והדברים רע על נפשי׃

17. *Et dilexit maledictionem.*] Multus eſt David in recitanda hoſtium ſuorum iniquitate, quo melius pateat, ubi in eos tam rigidus eſt, tantum ſubſcribere Dei judicio. Nam hoc ſemper videndum eſt, quoties ad Dei tribunal accedimus, ut certa & liquida cauſæ bonitas eum nobis conciliet. Teſtatur ergo David ſe bona conſcientia fretum, Deo judicium contra hoſtes ſuos deferre. Verba quidem ſunt præteriti temporis, Venit ei maledictio, & benedictio elongata eſt: ſed quæ in modum optandi reſolvi debent. Precatur enim adhuc David retaliari hoſti ſuo quæ aliis intulerat mala. Sicut ergo expers omnis beneficentiæ fuerat, imo quaſi in deliciis habuerat maleficia: ita nunc obnoxium vult eſſe omne genus malis. Quidam Maledictionem accipiunt pro imprecationibus ac diris: acſi dixiſſet, execrationibus eſſe deditum, & nihil præter exitia vel infauſtos & adverſos eventus ſpirare. quod etſi non repudio, libenter tamen extendo longius, Qui lædendo & nocendo abolere ſtuduerit omnem benedictionem, bonorum autem & ſimplicium cladibus oblectatus fuerit. Duos ſequentes verſus multi interpretes vertunt in præterito, *Indutus eſt maledictione*, &c. acſi diceret David, hoſtem ſuum non minus cupide appetere maledictionem quam pretioſum ornamentum: vel, ſe ea involvere perinde ac veſtimento, oſſibuſque ejus ac medullis penitus eſſe infixum hunc morbum. Alter tamen ſenſus ſimplicior eſt, ut maledictio adhæreat impio, inſtar pallii eum operiat, inſtar cinguli eum conſtringat, adeoque penetret in oſſa ejus. Semper autem tenere convenit, Davidem non agere privatam cauſam, nec unum eſſe quemlibet ex vulgo, nequis temere in exemplum trahat quod peculiari Spiritus inſtinctu hic dicit. Nec vero dubium eſt, quatenus erat ex communi ordine fidelium, quin regulam charitatis ſequutus, optaverit omnes eſſe ſalvos: ſed hic ſpiritum ejus extulit Deus ſupra omnes reſpectus humanos, ſicuti iracundia & omni turbida paſſione eum exuit, ut ſancta moderatione, & prudentia Spiritus, reprobum hominem ac perditum devoveret exitio. Quod quidam exponunt, Dilexit maledictionem, data opera in ſe provocavit vindictam, acſi bellum Deo indicens, perniciem ſibi accerſeret, videtur coactum eſſe. Quare potius tenenda eſt illa quam poſui interpretatio, addictum ſic fuiſſe pravitati & injuſtitiæ, ut nihil recti vel humani ab eo exprimi potuerit. Interea notandum eſt, quicquid machinantur improbi, recidere tandem in ipſorum capita: & quo majore licentia graſſantur, ſibi accerſere quicquid aliis intentant, non ſecus ac Cæcias flando nubes accerſit.

20. *Hoc opus.*] Operæ pretium ſignificat vel mercedem: diſerte autem exprimit *à Deo*: ut teſtetur ſibi in cæleſti vindice ſpem eſſe reſiduam, quamvis in terra nudatus ſit & orbatus humanis ſubſidiis. Colligimus autem ex hoc verſu, non temere ac futiliter hoſtibus ſuis maledixiſſe Davidem, ſed ſecure pronunciaſſe quod dictabat Spiritus. Fateor equidem multos, dum talem fiduciam prætexunt, ad petulantiam nihilominus & intemperiem ruere: ſed David quod puro fidei oculo cernebat, quieto etiam affectu protulit, (nempe quia pietatem ipſe coleret ac Dei manu tegeretur) mercedem hoſtibus ſuis eſſe repoſitam. Atqui hinc colligimus non habuiſſe reſpectum ad homines, ut fluctuaret prout mundum ſentiret propitium vel adverſum, ſed in unum Deum recubuiſſe. Et certe quiſquis ab hominibus pendebit, ad minima quæque incommoda excidet. Itaque ſancti viri exemplo, quamvis totus mundus nos deſtituat, mentes ſurſum erigere nos convenit, & inde vindicem noſtrum expectare. Si nos eripere velit per manum hominum, facile reperiet miniſtros quibus utatur: verum ſi fidei noſtræ probandæ cauſa terrenis omnibus auxiliis nos exuat, honore ſuo ſpoliandus non eſt, donec maturè appareat ejus judicium in quo patienter acquieſcimus.

21. Et tu Jehova Domine mi, fac mecum propter nomen tuum: quia bona clementia tua, eripe me:

21 ואתה יהוה אדני עשה אתי למען שמך כי טוב חסדך הצילני׃

22. Quia pauper & inops ego ſum: & cor meum vulneratum eſt intra me.

22 כי עני ואביון אנכי ולבי חלל בקרבי׃

23. Sicut umbra dum inclinat, perambulo: excuſſus ſum quaſi locuſta.

23 כצל כנטותו נהלכתי ננערתי כארבה׃

24. Genua mea collapſa ſunt præ jejunio: & caro mea exaruit à pinguedine.

24 ברכי כשלו מצום ובשרי כחש משמן׃

25. Ego autem factus ſum opprobrium illis: dum vident me, concutiunt caput ſuum.

25 ואני הייתי חרפה להם יראוני יניעון ראשם׃

26. Adjuva me Jehova Deus mi, ſalvum me fac ſecundum clementiam tuam.

26 עזרני יהוה אלהי הושיעני כחסדך׃

27. Et cognoſcent quod manus tua hæc, *quod* tu Jehova feceris.

27 וידעו כי ידך זאת אתה יהוה עשיתה׃

21. *Et tu Jehova Domine mi.*] A querimoniis & hoſtium deteſtatione tranſit ad preces: imo poſtquam Deum ſibi propoſuit liberatorem, videtur hac occaſione ſe ad precandum animaſſe: ſicuti omnes piæ meditationes quibus ſancti fidem ſuam exercent & confirmant, ad invocationem nominis Dei eos ſollicitant. Cæterum nec ullum obſequium jactat quo promeritus ſit auxilium Dei, nec ſua dignitate nititur; ſed unicum ſibi aſylum ſtatuit in Dei clementia. Oppoſuit quidem hoſtibus ſuis integritatem cujus ſibi conſcius erat: quo magis pateret eorum iniquitas. ſed de compenſatione cum Deo non agit: quia altius principium tenet, omnia ſe debere gratuitæ Dei electioni, & ab ea pendere ſuam ſalutem. Atqui ſi quiſquam gloriari potuit propria virtute & meritis, David certe non fuiſſet ultimus. Adde quod Chriſti & totius Eccleſiæ perſonam ſuſtinuit. Unde ſequitur preces omnes diſ-

fluere, niſi in Dei clementia fundatæ ſint. Specialis quidem Chriſti fuit ratio, qui ſua juſtitia Patrem nobis placavit: ſed quia à Dei beneplacito pendebat quicquid habuit in hominis natura, ſuo exemplo ad hunc fontem nos deducere voluit. Nobis vero quid agendum eſt, quorum integerrimus fateri ſemper cogetur ſe multis peccatis eſſe oneratum? tantum abeſt ut Deum ſibi ullo jure obſtrictum teneat. Reſtat igitur hoc unum, quia Deus natura beneficus eſt, ſuamque gratiam vult in ſalute noſtra fulgere, quia bona eſt miſericordia ejus, ut nos tueatur. Ergo quoties ad Deum accedimus, hæc duo tenenda ſunt, opus quidem eſſe teſtimonio bonæ conſcientiæ: ſed nullam eſſe fingendam dignitatem quæ Deum nobis obſtringat, nullum meritum cui debeat mercedem. Nam ſi in fluxæ hujus & caducæ vitæ conſervatione nomen ſuum & bonitatem illuſtret Deus, ubi ad vitam cæleſtem & æternam venitur, quanto magis ceſſare debet omnis operum fiducia? Si tantum mihi in terra vitam proroget ad breve tempus, hoc modo glorificat nomen ſuum, ſe bonum & ultro beneficum eſſe oſtendens. Quum ergo me ex tyrannide diaboli ereptum adoptat inter filios, Chriſti ſanguine ſordes meas purgat, regenerat Spiritu ſancto, in corpus Filii ſui me inſerit, perducit ad cæleſtem vitam, certe quanto liberalius agit mecum, tanto minus fas eſt ullam partem laudis mihi vendicare. Ex oppoſito autem David, quo ſibi favorem acquirat, miſeriam & egeſtatem ſuam profert in medium: & quia non ſufficeret externa afflictio, niſi ſublata omni contumacia dejectus eſſet, iterum repetit, cor ſuum vulneratum eſſe. quo monemur Deum non aliis fore medicum, niſi qui vere humiliati ad eum ſuſpirant, nec obſtupeſcunt in ſuis malis.

23. *Sicut umbra.*] Duæ iſtæ ſimilitudines aptiſſimæ ſunt: ac de priore quidem aliquid diximus Pſalmo 102. verſ. 12. optime ſcilicet hominem afflictum & quaſi ſemi exanimem conferri umbræ veſpertinæ. Nam dum ſol exoritur, vel alte eminet, non tam facile perſpicitur continua umbrarum mutatio: ſed ubi ad occaſum vergit, nullum præterit momentum quo non umbra ante oculos noſtros volitet. Altera ſimilitudine notatur etiam inſtabilis conditio. ſicuti enim locuſtæ hinc inde ſaltant, ita conqueritur David ſibi motoriam fuiſſe vitam, quum ſubinde inſtarent perſequutores, nec ullum ei receſſum quietum permitterent. ſicut alibi dicit inſtar
paſſeris, cui undique tenduntur laquei ab aucupi- *Pſal. 11.*
bus, ſe coactum fuiſſe migrare. In ſumma autem, *verſ. 2.*
deplorat miſeram ſuam ſortem, quod nuſquam tuta ſit ſtatio: imo nullus inter homines reliquus ſit locus. Quum vero totius Eccleſiæ effigiem in hoc Pſalmo nobis repræſentet, ne miremur ſi nos quoque Deus exagitet; & multa caſuum varietate nobis
torporem excutit: ſicuti Paulus ſe & alios vocat *1 Cor. 4.*
ἀστατοῦμεν, quod elogium aliquatenus competit in *verſ. 11.*
omnes Dei filios.

24. *Genua mea.*] Poteſt hoc accipi quaſi mœroris ſignum, quod David, licet victus ſuppeteret, confecerit tamen ſe voluntaria inedia, & jejunio non minus quam precibus ſe addixerit. Poteſt etiam notari faſtidium cibi & potus: quia triſtibus ac mœſtis ſcimus inſipida eſſe alimenta, ſicuti vita ipſa tædio eſt. Si quis ad inopiam referre malit, quia David dum ſævitiam hoſtis fugiens, ſe abdit in cavernas ferarum, multam penuriam & eſuriem paſſus eſt: fruatur ille ſuo ſenſu. Mihi tamen videtur hoc ſigno graviſſimum luctum notare: quia mortem ante oculos cernens, abhorruerit à cibo & potu. Eodem ſpectat quod proxime ſequitur, *carnem exaruiſſe à*
pinguedine: quia ſpiritus triſtis exiccat oſſa. Pingue- *Prov. 17.*
dinem nonnulli exponunt de lautitiis: quaſi diceret, *verſ. 22.*
ſe omni delicatiore victu fuiſſe privatum. Simplicior tamen ſenſus eſt, maciem contraxiſſe ex dolore & inedia: quia ſuccus deficeret. Auget indignitatem alia circumſtantia, quod *ludibrio ſit omnibus*, ſicuti etiam conqueſtus eſt Pſalmo 22. verſ. 7. Triſte vero & acerbum eſt filiis Dei, maledictionem, quam Deus Legis ſuæ transgreſſoribus denunciat, ſentire
in ſua capita converti. Dicit enim Lex contempto- *Deut. 28.*
ribus, Eris in opprobrium & concuſſionem capitis. *verſ. 37.*
Atque hoc genere tentationis impetitus fuit David: nec tantum ſe pro damnato habitum fuiſſe dicit, ſed etiam petulanter deriſum, non ſine obliqua Dei ſubſannatione: ſicuti ſolenne eſt impiis, dum prætextu afflictionum noſtrarum criſtas erigunt, fidem ſimul noſtram & pietatem inceſſere: quia Deus miſeris non ſuccurrit.

26. *Adjuva me.*] Precationem ſuam iterat Propheta, ſicuti neceſſe eſt eo majore ſtudio contendere & eniti, quo pluribus machinis nos oppugnat Satan. Quamvis enim perſuaſi ſimus Deum nobis eſſe propitium, ubi tamen moratur, & ſuis cavillis nos laceſſunt impii, fieri non poteſt quin ſe inſinuent ac ſubinde recurrant variæ dubitationes. Itaque non fruſtra David ad ſuſtinendos tales inſultus clypeum hunc ſæpius opponit, Deum pro ſua clementia ſuis in neceſſitate opem ferre. Petit autem, non vulgari modo, ſed inſigni Dei virtute liberari, ut hoſtis confuſus obmuteſcat. Scimus enim Deum obſcure interdum ſuis auxiliari: aliquando autem exerere palam brachium ſuum, ut impii, licet claudant oculos, cogantur tamen Divinum aliquid ſentire. Nam ſicuti Deo inſultaverunt ejus hoſtes, ita viciſſim de illis triumphum agere cupit Dei nomine. Neque enim ſibi laudem bellicæ virtutis acquirere ſtudet; ſed manifeſtari Dei potentiam, quæ omnem carnem humiliet. Quanquam hoc non ſolum de exitu accipi, ſed ad ipſam afflictionem extendi poteſt, præcipue tamen ſalutem ſuam Dei gratiæ aſcribi cupit: quia Dei manum tam Fortunæ, quam humanis omnibus mediis opponens, vult Deum unum agnoſci auctorem. Quod diligenter notandum eſt, quia etſi cupimus omnes Dei manu ſervari, vix tamen centeſimus quiſque ſcopum illuſtrandæ Dei gloriæ ſibi proponit. Atqui eam pluris eſſe nobis decebat, quam propriam ſalutem: ſicuti ordine præceſſit. Jam qui impios ipſos convinci optat, ne Dei manum ignorent, multo magis expendere debet quod in ſeipſo experitur Dei auxilium. Nimis enim præpoſterum eſſet, objicere aliis Dei manum, niſi ejus cognitio animis noſtris inſideat.

28. Maledicent ipſi, & tu benedices: dum ſurrexerint, pudefient, & ſervus tuus lætabitur.	28 יקללו המה ואתה תברך קמו ויבשו ועבדך ישמח׃
29. Induentur adverſarii mei opprobrio, & operientur quaſi veſte erubeſcentia ſua.	29 ילבשו שוטני כלמה ויעטו כ מעיל בשתם׃
30. Laudabo Jehovam valde ore meo, & in medio magnorum celebrabo eum.	30 אודה יהוה מאד בפי ובתוך רבים אהללנו׃
31. Eo quod ſtet ad dexteram pauperis ad ſervandum à condemnationibus animam ejus.	31 כי יעמד לימין אביון להושיע משפטי נפשו׃

28. *Male-*

28. ***Maledicent ipſi.***] Variant hic interpretes: quia totam ſententiam in modum optandi reſolvunt quidam, Maledicant ipſi, modo tu benedicas: ſurgant & induantur confuſione. Alii retinent futurum tempus modi indicativi, quibus ego libenter aſſentior. Quanquam ſiquis permiſſive accipere malit, non repugno. Falluntur tamen, meo judicio, qui precationem eſſe volunt. Potius enim David, poſt vota concepta, jam ſecurus de favore Dei gloriatur. Fruſtra (inquit) maledicent mihi: quia tu Deus benedices. Hoc autem modo oſtendit ſe minime terreri hoſtium minis: quamvis linguæ virulentia non minus quam gladio inſtructi ſint ad nocendum. Diſcamus ergo exemplo Davidis, ne corda noſtra unquam percellat hoſtium malitia, improbitas, audacia, robur, & furor, Deum à parte noſtra ſtatuere, qui inſtar fumi diſcutiat omnes eorum conatus. Et certe tunc demum locus datur gratiæ Dei, ubi ejus fulgore evaneſcit quicquid terroris objectum nobis erat à mundo. David ergo Dei favore fretus etiam in medio prælio epinicion ſibi canit, intrepide ſpernens quicquid moliti fuerant hoſtes: quia contra Dei benedictionem non prævalebunt. Quod melius proximo membro exprimitur, *Quantumvis inſurrexerint, pudefient tamen.* Significat enim nondum hoſtium intemperiem eſſe domitam, ſed patitur eos furere ac projicere ſuos impetus, modo ipſe oppoſita Dei manu tegatur. Ita ſe & alios ſuo exemplo contra omnem mundi ſuperbiam erigit ac confirmat, etiam dum ſuperior videtur eſſe hoſtium noſtrorum improbitas. Hac ſpe finem triſtitiæ ſibi in futurum tempus promittit. Unde colligimus, leniter & manſuetis animis ferendas eſſe afflictiones, donec adveniat maturum gaudii tempus. In eadem etiam gloriatione pergit ſequenti verſu: quia etſi magna inſolentia efferri videt improbos, procul tamen extendens fidei intuitum, non dubitat quin Deus fruſtretur tandem & eludat eorum conatus.

30. *Laudabo Jehovam valde ore meo.*] Clarius ex hac clauſula liquet quod nuper dixi, Davidem ſancta fidei gloriatione laceſſere hoſtes ſuos, potius quam precari. Nam quaſi votorum compos, ad gratitudinem ſe accingit. Quod autem dicit *ore meo*, non eſt in hac voce pleonaſmos, ſicuti falſo quidam putant: ſed exprimit ſe publice gratias Deo acturum: acſi diceret. Non modo apud me, tacito cordis affectu, vel privatim ſine teſtibus expendam quid Deus mihi contulerit, ſed ſolemni laudis ſacrificio palam apud homines teſtabor quantum ejus gratiæ debeam. Quo etiam ſenſu mox adjungit, *in cœtu magnorum*, vel multorum. Nam רבים utroque modo verti poteſt. Ego tamen magnos transferre malui: quia David celebrem & honorificum procerum conventum videtur notare. Certe gratum ſe fore Deo profitetur non in obſcuro tantum angulo, ſed maxima populi frequentia, atque inter ipſos proceres. Etſi enim pectus linguam præire debet in celebrandis Dei laudibus, frigoris tamen ſignum eſt niſi lingua etiam comes accedat. Oris vero ſolum meminit David, quia hoc pro confeſſo ſumebat, vanas & frivolas eſſe laudes quæ in hominum auribus reſonant, niſi cor loquatur coram Deo. Ideoque ex intimo cordis affectu erumpit in externam confeſſionem: ſicuti mutuæ ædificationis ſtudium fideles ad hoc officium ſtimulare debet: alioqui legitimo honore fraudatur Deus. Formam quoque gratiarum actionis ponit, quod *ſteterit* Deus *ad dexteram pauperis*. Significat autem, quo tempore viſus fuerat Deus, eo neglecto & deſerto, procul receſſiſſe, ſemper tamen fuiſſe propinquum: ut præſto eſſet ad opem tempeſtive ferendam. Nam certe egeſtas & afflictio Davidis ſpeciem quandam rejectionis præbebat: eo quod ſubduceret Deus vel occultaret ſuam gratiam. agnoſcit tamen, Deum ſibi, quamvis afflicto & pauperi, ſemper adfuiſſe. Deſperationem clarius exprimit, ſe à *judicibus animæ ſuæ ſervatum fuiſſe* dicens. quibus verbis, non modo ſignificat cum potentiſſimis hoſtibus, nempe Rege ipſo & proceribus regni, ſibi fuiſſe negotium, ſed illos potentia ſua confiſos ſuperbe, acſi de vita ejus actum foret, tanquam canem mortuum ſpreviſſe. Equidem non dubito quin hic queratur non modo ſævitia hoſtium ſe male vexatum fuiſſe, ſed probris & contumeliis traductum: quia ſcimus eorum iniquitate fuiſſe oppreſſum, qui dignitate prædìti, falſum judicii prætextum jactabant.

ARGUMENTUM PSALMI CX.

Celebratur æternum Chriſti tam regnum quam Sacerdotium. Ac primo quidem David ſummum imperium Divinitus Chriſto datum eſſe affirmat, cum invicta potentia, qua cunctos hoſtes, undecunque ſurgant, vel proſternat, vel cogat in obſequium. Deinde addit, fines hujus regni longe lateque eſſe à Deo propagandos. Tertio Chriſtum non minus Sacerdotis quam Regis honore eſſe ornatum, & quidem ſolemni jurejurando. Poſtremo novum fore Sacerdotii ordinem, cujus adventus finem Levitico, quod temporale fuit, imponat: perpetuitas vero careat fine.

PSALM. CX.

Psalmus Davidis. Dixit Jehova Domino meo, Sede à dexteris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.

1 לדוד מזמור נאם יהוה לאדני שב לימיני עד אשית איביך הדם לרגליך׃

2. Sceptrum potentiæ tuæ emittet Jehova è Sion: dominare in medio inimicorum tuorum.

2 מטה עזך ישלח יהוה מציון רדה בקרב איביך׃

3. Populus tuus cum voluntariis oblationibus in die exercitus tui, in pulchritudine ſanctitatis ex utero ab aurora: tibi res adoleſcentiæ tuæ.

3 עמך נדבת ביום חילך בהדרי קדש מרחם משחר לך טל ילדתך׃

QUum de ſe compoſitum fuiſſe hunc Pſalmum teſtetur Chriſtus, non aliunde quidem nobis quam ex ejus ore petenda eſt certitudo: verum ut ceſſet ejus auctoritas, atque etiam Apoſtoli teſtimonium, Pſalmus ipſe clamat ſe non aliam expoſitionem admittere. Nam ut nobis certamen ſit cum pervicaciſſimis quibuſque Judæis, firmis rationibus extorquebimus, neque in Davidem, neque in alium quempiam, excepto ſolo Mediatore, competere quæ hic dicuntur. Fateor quidem in Davidis perſona fuiſſe adumbratam effigiem regni Chriſti: ſed neque de ſe, neque de ullis ſucceſſoribus aſſerere potuit, Regem late dominaturum qui ſimul Sacerdos eſſet, non legalis, ſed ſecundum ordinem Melchiſedec, & quidem æternus. Neque enim nova & inſolita Sacerdotii dignitas erigi tunc potuit, niſi ablato à Levitis honore. Nec vero in hominem mortalem competere potuit æternitas cujus hic ſit mentio:

quia

quia aliis, præter hunc unum, brevi & fluxo vitæ curriculo ſtatim honor finitur. Cæterum quia fuſius hæc ſuo loco mox tractanda erunt, nunc paucis attigiſſe ſufficiat.

1. *Dixit Jehova.*] Poſſet aliquatenus Davidis perſonæ congruere quod hic dicitur: quia neque temere ſolium ipſe conſcendit, neque illuc penetravit malis artibus: neque evectus fuit ſtultis ſuffragiis, ſed Dei mandato regnavit. Imo de cunctis mundi Regibus merito dici poſſet, Divinitus locatos eſſe in ſuo ſolio: quia cæleſti decreto diſtincti ſunt mundi ordines, nec eſt poteſtas niſi à Deo. *Rom. 13. verſ. 1.* Atqui David regnum de quo nunc diſſerit, ab aliis omnibus voluit diſtinguere, ſicuti etiam peculiaris fuit ejus ratio. Inſtruit quidem Deus poteſtate Reges, ſed non ſanctificantur ſicut David, ut eos ſacra unctio tanquam Chriſti vicarios inſigniat. Vidimus *Pſal. 82. verſ. 1.6.* quidem alibi vocari Deos: quia & Dei placito locum occupant, & ejus perſonam quodammodo ſuſtinent: quia penes eum ſolum eſt omnis dominatio: ſed illis deeſt ſacra majeſtas, qua excelluit David ut eſſet unigeniti filii Dei imago. Adde quod merito prædicat ſibi aliter datum fuiſſe regnum quam aliis Regibus terrenis, qui tametſi præfantur ſe gratia Dei regnare, ſe tamen Dei manu ſuſtineri minime intus reputant: quin potius vel propria induſtria ſe regnare fingunt, vel hæreditario jure, vel Fortunæ beneficio: ideoque ipſorum reſpectu ut plurimum legitima non eſt vocatio. Et quia acceptum illi non referunt quod debent, proprie ad eos non dirigitur mandatum Dei. David autem qui ſibi probe conſcius erat Divinæ electionis, ſeque modeſte continuerat in privato gradu, donec voce Dei regnare juſſus eſſet, non abs re à communi grege ſe eximit: acſi diceret, Deum ſibi eſſe regnandi auctorem. Cæterum ne Davidi quidem poſſe hoc omni ex parte aptari, patet ex Chriſti reſponſo quod Matth. 22. verſ. 44. legitur. Nam quum Phariſæi Chriſtum fore Davidis filium dixiſſent, objicit, Quomodo igitur à Davide ipſo vocatur Dominus? Nec eſt quod obſtrepant Judæi, cavillo uſum fuiſſe Chriſtum, quia non ſuo nomine loquatur David, ſed populi. Hanc exceptionem refellere promptum eſt. quamvis enim fatendum ſit, in communem uſum Eccleſiæ compoſitum fuiſſe Pſalmum: quia tamen ipſe quoque David unus fuit ex piorum numero, & membrum corporis ſub capite, ſe inde eximere non potuit: imo non potuit canticum aliis dictare, quin ſua etiam voce ſimul concineret. Operæ pretium quoque eſt aliud notare. principium enim vel axioma pro confeſſo ſumit, quod tunc receptum erat, nempe Davidem loquutum eſſe Spiritu Prophetico: atque ita de futuro Chriſti regno vaticinatum eſſe. Hoc poſito, haud dubie colligitur, ad Chriſtum reſpicere qui poſtea manifeſtandus erat: quia ſummum eſt & unicum Eccleſiæ caput. Unde etiam ſequitur, aliquid natura humana præſtantius in Chriſto eſſe, cujus reſpectu vocatur Davidis patris ſui dominus. Quod melius confirmatur ſecunda parte verſus. Etſi enim terreni Reges aliquatenus ſedent ad dexteram Dei, cujus nomine præſident, hic tamen ſublimius aliquid exprimitur, nempe Regem unum peculiariter eligi qui ſecundum à Deo potentiæ & imperii gradum obtineat: cujus dignitatis exigua tantum ſcintilla emicuit in Davide, perfecta autem claritas enituit in Chriſto. Nam quum dextera Dei longe ſupra Angelos emineat, ſequitur omnibus creaturis præferri qui illic locatur. Porro non dicemus Angelos, ut Davidi ſubjicerentur, in ordinem fuiſſe coactos. Quid ergo ſupereſt, niſi ut Spiritu Prophetico ſupra cæleſtes Principatus in ſublime tollatur Chriſti ſolium? Eſt autem ſimilitudo ab hominibus ſumpta: quia ſicuti in mundo ad dexteram Regis ſedet qui eſt ab eo ſecundus: ita Filius per cujus manum Pater totum mundum regit, metaphorice ſummo imperio ornatur per hanc ſeſſionem. *Donec ponam.* Hic affirmat Propheta, quamvis undique ad turbandum Chriſti regnum tumultuentur hoſtes, ſuperiorem tamen fore omnibus obſtaculis. Interea ſubindicat tranquillum non fore Chriſti regnum, donec multos & varios hoſtes ſubegerit. Ergo quamvis machinas admoveat totus mundus ad labefactandum Chriſti ſolium, dicit tamen David ſtaturum eſſe in ſua firmitate: & quicunque contra inſurrexerint, tandem ſternendos. Teneamus ergo, quamvis innumeri hoſtes contra Filium Dei conſpirent, ac regnum ejus conentur evertere, nihil tamen profecturos: quia non prævalebunt adverſus Dei immutabile decretum, quin potius immenſa Dei virtute ſternentur ſub pedibus Chriſti. Jam quia ante diem noviſſimum hæc prophetia non implebitur, neceſſe eſt uſque ad finem mundi à variis hoſtibus ſubinde oppugnari Chriſti regnum: ſicuti paulo poſt iterum dicetur, *Dominare in medio inimicorum tuorum.* Jam vero particula *donec*, non ſignificat quid futurum ſit poſt ultimam ſtragem hoſtium Chriſti. *1 Cor. 15. verſ. 24.* Dicit quidem Paulus traditurum tunc Deo & patri regnum quod accepit ex ejus manu: ſed his verbis non intelligit depoſito imperio quaſi privatum hominem fore; tantum regnandi modum deſignat, quod ſcilicet divina ejus majeſtas magis conſpicua erit. Cæterum de ſolis reprobis hic fit mentio, qui in ſuam perniciem cadunt ſub Chriſti pedes: quia quum naturaliter Chriſto repugnet totum humanum genus, alios ſic domat & humiliat in voluntarium obſequium, ut deinde attollat in ſocietatem gloriæ ſuæ: alios autem proſternit, ut in ruina perpetuo jaceant.

2. *Sceptrum virtutis.*] Non modo aliis verbis confirmat quod nuper dixit, ſed addit hoc quoque amplius, longe lateque dominaturum eſſe Chriſtum: quia Deus ſceptrum ejus procul extendet. Quanquam autem David multas ex vicinis gentibus ſibi tributarias fecit, ſi tamen confertur aliis Monarchis ejus regnum, ſemper incluſum fuit anguſtis finibus. Subeſt autem antitheſis, acſi dixiſſet, non in monte Sion duntaxat Chriſtum fore Regem, quia Deus amplitudinem ejus in longinquas mundi plagas extendet. Atque ideo vocatur ſceptrum potentiæ: quia hoc mirabile fuit, toto fere mundo repugnante propagari nihilominus Chriſti regnum. In ſumma, confirmat hic David piorum animos, ne ob veſanam eorum audaciam qui ſe efferent ad turbandum Chriſti regnum, atque inter formidabiles tumultus, labaſcant: quia ad tuendam ſacri hujus ſolii gloriam inexpugnabilis Dei potentia ſe exeret. Quoties ergo agitamur inter varias perturbationes, diſcamus in hanc fulturam recumbere, quantumvis inſaniat mundus, non eſſe tam longas ei manus ut Chriſtum detrahat è Patris dextera. Jam quia non ſibi regnat Chriſtus, ſed in ſalutem noſtram: nos ſub invicti Regis cuſtodia tutos & incolumes fore. Eſt quidem aſpera hæc conditio, ſed quia Deo viſum eſt, ut nos continua militia exerceat, Chriſti regnum circundare hoſtibus, paremus nos ad tolerantiam & manſuetudinem. Dei autem præſidio freti, intrepide totius mundi furori inſultemus. Hinc etiam elicitur Gentium vocatio. niſi enim pronuntiaſſet Deus quod hic audimus de amplitudine regni Chriſti, non eſſemus hodie ex ejus populo: ſed quia rupta maceria promulgatum fuit Euangelium, in corpus Eccleſiæ fuimus collecti, & virtus Chriſti ad nos protegendos ac tuendos diffuſa.

3. *Populus tuus.*] Hic regnum Chriſti tam à prompta & alacri obedientia ſubditi populi, quam à multitudine celebrat. Nomen נדבות ſæpe oblationes ſpontaneas ſignificat: ſed hoc loco ſenſus eſt, electum populum, & qui vere in Chriſti grege cenſetur, voluntarium fore, ut ſponte & liberaliter ad parendum ſe offerat. Dicit autem, *In die exercitus*, hoc

hoc eſt quoties agentur ſolemnes conventus ac legitimi, vel Rex populum luſtrare volet. quod Gallice dici poſſet *au jour des monſtres.* Alii vertunt, In die virtutis: ſed illa prior interpretatio melius quadrat, Ubi ſuos colligere volet Chriſtus, ſtatim ad obſequium præſto fore, licet violento imperio non cogantur. Deinde ut iterum confirmet Regnum hoc Deo ſacrum eſſe præ aliis, addit *pulchritudines* vel decora *ſanctitatis*, acſi diceret, non venturos qui ſe Chriſto ſubjicient, quaſi in conſpectum profani Regis, ſed Dei ipſius: atque hunc ſcopum omnibus fore, ut Deo cultum exhibeant. *Ex utero ab aurora.* Singulas hujus loci interpretationes referre nihil attinet: quia ubi veram & genuinam protulero, in aliis refutandis multum operæ ſumere non erit opus. Ego certe non dubito quin hic Dei benedictionem in augendo Chriſti populo celebret David: ideoque pueritiam, vel ſobolem quæ naſcetur, *rori* comparat: quia creſcet præter ordinarium modum. Sicuti enim mirantur omnes terram irriguam eſſe, quum tamen defluxus roris non appareat, ſed fallat ſpectantium oculos: ita David ſobolem incredibili numero naſcituram Chriſto dicit, quæ totam terram operiat. *Ros* ergo *pueritiæ* vocatur juventus ipſa, quæ inſtar roris, majore copia defluit quam ut numerari queat. Nam ילדות eſt nomen collectivum. Siquis diſtinctius habere velit ſenſum verborum, ita reſolvat: Ex utero prodituram eſſe innumeram ſobolem, ſicuti ros ab aurora diſtillat. Porro hoc non temere fuiſſe prædictum, experientia oſtendit: quia incredibile erat tantam multitudinem ſub Chriſti imperium tam exiguo tempore poſſe colligi, & quidem ſola Euangelii voce, quum totus mundus furioſe repugnaret. Pueros autem vocari ex utero progenitos, qui ſenes vel provectæ ætatis ad Chriſtum converſi ſunt, mirum non eſt: quia ſpiritualis regeneratio pios omnes ſimiles facit infantibus, *1 Petr. 2. verſ. 2.*
ſicut Petrus docet. Sic apud Jeſaiam dicitur Chriſtus viſurus ſemen longævum: & ſub ejus Regno *Jeſa. 53. verſ. 10.*
promittitur Eccleſiæ inæſtimabilis fœcunditas. Hoc de ratione nominis. Certe ex mundi fæce, quæ tantum filios iræ continet, numerum aliquem licet exiguum colligi, miraculum eſſet: duplex vero miraculum eſt, immenſam fere hominum multitudinem Chriſti Spiritu & Euangelio eſſe regenitam. Sed meminerimus, Deum hoc honore dignari electos ſuos, ut alacres ad juſſa capeſſenda concurrant, ſoloque nutu regantur. Neque enim pro ſuis agnoſcet Chriſtus niſi qui libenter jugum ſubibunt, & ſigno dato ſiſtent ſe in ejus conſpectum. Jam ne quis ſe defunctum putet oculari obſequio, addendum eſt etiam illud alterum, Chriſtum non externa pompa ſed vera ſanctitate velle coli, qualem in Dei conſpectum afferri docet.

4. Juravit Jehova, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in ſeculum ſecundum rationem Melchiſedec.

4 נִשְׁבַּע יְהוָה וְלֹא יִנָּחֵם אַתָּה
כֹהֵן לְעוֹלָם עַל־דִּבְרָתִי ם
מַלְכִּי־צֶדֶק׃

4. Verſus hic ſatis evincit non de alio quopiam haberi ſermonem quam de Chriſto. Nam quod Judæi, ut vaticinium obſcurent, כהן vertunt principem: nimis dilutum eſt, adeoque frivolum. Fateor כהנים vocari proceres, vel qui ſunt ex cognatione regia: ſed quid dignum ipſo Chriſto loquutus eſſet David, proceris titulo ipſum inſigniens, qui inferior eſt dignitate regia? Deinde quid hoc ſibi vellet, principem eſſe æternum, & ex ratione Melchiſedec? Ergo non dubium eſt quin ſingulare aliquid deſignet Spiritus, quod Regem hunc diſcernat ac ſeparet ab aliis omnibus. Porro notum eſt
Gen. 14. verſ. 18. elogium quo ornatur Melchiſedec apud Moſen. Fateor quidem olim etiam in profanis Gentibus Reges ſacerdotio functos eſſe: ſed quia unicum Deum rite colebat Melchiſedec, vocatur Sacerdos Dei altiſſimi. Deus autem in populo ſuo hæc officia miſceri noluit.
2 Par. 26. verſ. 21. Itaque quum Rex Uzias, qui legitimus erat Davidis ſucceſſor, ſuffitum Deo adolere tentaſſet, lepra fuit percuſſus. Fuit igitur diverſa ratio in progenie Davidis quam in Melchiſedec. Et colligere promptum eſt diſcrimen hoc notari, quod in hoc novo Rege, Sacerdotii religio cum diademate & ſolio conjuncta erit. Nam certe imperii majeſtas non tanta fuit in obſcuro regulo Melchiſedec, ut eo ſolo reſpectu proponi debuerit in exemplar. Nam Salem unica ejus ſedes, ignobile tunc erat oppidulum ubi precario regnabat, ut nihil in eo memorabile fuerit niſi Sacerdotii & Regni conjunctio. Profanos enim Reges ambitio impulit ut reverentiæ captandæ cauſa honorem Sacerdotii ad ſe raperent. Melchiſedec autem utramque perſonam Dei mandato ſuſtinuit. Nobis quidem abunde ſufficere debet Apoſtoli auctoritas, ne dubitemus Davidem id ſenſiſſe: ſed quamlibet pervicaciter contendant Judæi, manifeſta ratio evincit, clarius hic deſcribi illum ſanctitatis decorem cujus nuper facta fuit mentio: & certam ac inſolitam notam apponi quæ Sacerdotii honore Chriſtum attollat ſupra alios Reges, ſimulque ejus Sacerdotium diſcernat à Levitico. Huc accedit Dei jusjurandum, qui certe ſacrum nomen ſuum rebus leviculis interponere non ſolet: imo ut nos ſuo exemplo ad ſobrie & reverenter jurandum inſtituat, nunquam jurat niſi gravi & ſeria de cauſa. Si autem juraſſet Deus Meſſiam fore ducem & gubernatorem populi ſui, ſicut fuit Melchiſedec, inſulſa eſſet nominis ejus profanatio: nunc quum appareat rarum aliquid & eximium notari, colligere licet quanti ſit ponderis Chriſti Sacerdotium quod Dei jurejurando ſancitur. Et certe in hoc cardine vertitur ſalus noſtra: quia niſi Chriſto mediatore freti, à Dei conſpectu omnes arcemur. Quia vero nobis nihil magis neceſſarium precandi fiducia, Deus non modo ad ſe nos invitat, ſed interpoſito jurejurando, patronum nobis conſtituit qui gratiam conciliet. Ideo qui ſibi præcludunt januam, Deum inſimulant mendacii, atque etiam perjurii. Nec abs re contendit Apoſtolus, hoc modo abrogatum fuiſſe Leviticum Sacerdotium, quia illo ſtante non juraret Deus novam fore rationem, niſi futura eſſet aliqua mutatio. Imo quum promittit novum Sacerdotem, non dubium eſt, aliis omnibus præferri, & qui receptum morem aboleat. דברתי quidam vertunt, ſecundum verbum meum: quorum ſententiam non prorſus repudio. nam hoc modo David Sacerdotium Melchiſedec in Dei vocatione & mandato fundatum eſſe diceret. Sed quia ׳ ſæpe ſupervacuum eſt, ſimpliciter *rationem* vertere malui, ſicuti etiam major pars interpretum huc inclinat. Cæterum quia comparatio Chriſti cum Melchiſedec pleroſque ex vetuſtis Eccleſiæ ſcriptoribus fefellit, quid ſimile ſit, ex Apoſtolo diſcendum eſt, unde colligere promptum erit quanta incogitantia hallucinati ſint. Quid enim magis præpoſterum, quam negligere myſteria omnia de quibus Spiritus per os Apoſtoli diſſeruit: & quod ille omiſit, unum arripere? Nam ſolum in pane & vino philoſophantur, cujus oblatio ſecundum eos utrique communis eſt. Atqui Abrahæ in viaticum, panem & vinum obtulit Melchiſedec, non autem in ſacrificium Deo. Neque in ſacra Cœna oblatio eſt panis & vini, ſicut illi falſo putarunt: ſed communicatio inter fideles. Quod vero ad præſentem locum ſpectat, præcipue in perpetuo Sacerdotio ſimilitudo tenenda eſt: ſicuti

ſicuti etiam particula לעולם admonet. Quemadmodum ergo Melchiſedec quaſi cæleſtis quidam homo deſcribitur à Moſe: ita nunc David Chriſtum ei comparans, fine carere intelligit ejus Sacerdotium. Unde ſequitur (quod etiam Apoſtolus diſputat) quia morte non impeditur ab exequendo ſuo munere, nullum ei eſſe ſucceſſorem. Quo refutatur deteſtabile ſacrilegium Papalis Miſſæ. nam ut Deum omnibus reconcilient Papæ Sacerdotes, eos Chriſto eripere neceſſe eſt honorem ei à Patre datum.

5. Dominus ad dexteram tuam confregit in die iræ ſuæ Reges.

5 אדני על ימינך מחץ ביום אפו מלכים׃

6. Judicabit in Gentibus, implebit ruinis, confringet caput ſuper terram magnam.

6 ידין בגוים מלא גויות מחץ ראש על ארץ רבה׃

7. E torrente in via bibet, propterea exaltabit caput.

7 מנחל בדרך ישתה על כן ירים ראש׃

5. *Dominus ad dexteram.*] Hic terribilem Chriſti potentiam celebrat David ad profligandos hoſtes: atque hoc modo confirmat, quamvis undique infeſtis hoſtium turbis cingatur, non tamen fore obſtaculo improbos illorum conatus, quin Deus Regem quem conſtituit defendat. Notanda eſt tamen particula *in die iræ*: qua monemur, patienter ferendam eſſe nobis crucem, ſi Deus graſſante hoſtium ſævitia & furore, ad tempus diſſimulet: quia ipſe novit maturum & juſtum ultionis tempus. Poſtea Chriſtum Gentibus incircumciſis præficit: acſi diceret, non modo electum eſſe Regem qui uni populo in Judæa præſit: ſed qui Gentes etiam remotas ſub imperio ſuo contineat, ſicuti dictum fuit Pſal. 2. verſ. 8. Porro quia in omnibus terræ plagis, ſicut intra Judææ fines, multi rebelles & immorigeri futuri erant, de eorum quoque ſtrage concionatur: acſi diceret, quicunque reſiſtent Chriſto, cum ſua duritie frangendos.

7. *E torrente.*] Verſum hunc nimis dure, meo judicio, exponunt multi interpretes, tantam fore cæſorum copiam, ut eorum ſanguis fluat torrentis inſtar cujus potu ſatietur victor Chriſtus. Nihilo rectius alii allegoricè pro ærumnis & doloribus accipiunt, acſi dictum eſſet, Chriſtum in hac caduca vita obnoxium fore multis afflictionibus. Atqui potius ſimilitudo eſt à ſtrenuis & robuſtis ducibus ſumpta, qui, dum feſtinant ad hoſtes perſequendos, non indulgent deliciis, ſed ad potum contenti ſunt obviis quibuſque fluminibus, & quidem in tranſcurſu, ut ſtantes ſitim è flumine reſtinguant. Nam & hoc modo Gedeon cordatos & bellicoſos milites expertus eſt: quia ignavos eſſe colligens qui *Judic. 7. verſ. 5.*
bibendi cauſa ſe curuabant, domum remiſit. Ego itaque non dubito quin figuratè tribuat David militare robur Chriſto, negans ſumpturum quietem potus cauſa, quia pergendo raptim è flumine potum hauriet. Quo elogio incutere voluit hoſtibus terrorem, ut ſciant in hac feſtinatione ſibi inſtare exitium. Siquis roget, Ubi igitur ille clementiæ & manſuetudinis ſpiritus, quo præditum fore alibi docet Scriptura? Reſpondeo, ſicuti erga oves manſuetus eſt paſtor, lupis autem & furibus aſper & formidabilis, ita Chriſtum ſuaviter & placidè fovere qui ſe ejus cuſtodiæ committunt: ſed qui obſtinata malitia excutiunt ejus jugum, ſenſuros quàm horribili potentia inſtructus ſit. ſicuti ergo vidimus Pſalmo 2. verſ. 9. ſceptrum ferreum eſſe in ejus manu, quo omnem mundi contumaciam conterat: ſic etiam ad ulciſcendos hoſtes ſuos ſanguinarius dicitur. Quo attentius cavere nos oportet, ne præfracto & intractabili ingenio iram ejus provocemus, dum nos comiter invitat.

Jeſa. 61. verſ. 1.

ARGUMENTUM PSALMI CXI.

Inſcriptio ſit nobis vice argumenti. Cæterum ut omnes ad Deum laudandum melius animet, exemplo ipſe præit. Deinde breviter varia ejus beneficia recenſet, quibus fideles ſuos olim affecit & aſſiduè proſequitur. Pſalmus autem in ordinem alphabeti digeſtus eſt, ſed ita ut ſinguli verſus duas literas contineant. Initium primi verſus eſt א*: ſed in proximo hemiſtichio ponitur litera* ב*. Tantum duo ultimi verſus non ſunt in hemiſtichia diſtincti, ſed uterque ternas literas comprehendit. Quod tamen errore factum eſſe reperiet quiſquis propius expendet contextum. nam ſi tres verſus ex duobus quis faciat, aptiſſimè inter ſe cohærent ſententiæ. itaque à librariis perperam neglecta fuit Prophetæ diſtinctio.*

PSALM. CXI.

HAlelu-Jah. א Celebrabo Jehovam in toto corde, ב in congregatione juſtorum & cœtu.

1 הללויה אודה יהוה בכל לבב בסוד ישרים ועדה׃

2. ג Magna opera Jehovæ, ד explorata cunctis cupientibus ea.

2 גדלים מעשי יהוה דרושים ל לכל חפציהם׃

3. ה Pulchritudo & decor opus ejus, ו & juſtitia ejus manet in ſeculum.

3 הוד והדר פעלו וצדקתו ע עמדת לעד׃

4. ז Memoriam fecit mirabilibus ſuis, ח clemens & miſericors Jehova.

4 זכר עשה לנפלאתיו חנון ו ורחום יהוה׃

CElebrabo Jehovam.] Ducem ſe aliis proponit Propheta ad canendas Dei laudes: quia hæc optima eſt ac in primis efficax exhortandi ratio. Duo autem ſunt hujus ſententiæ membra, Prophetam ex animo ac ſyncero cordis affectu celebraturum Dei laudes: deinde id publicè facturum in cœtu piorum. Et meritò exordium facit à corde: quia Deum intus & ſine teſte laudare præſtat quàm ficto animo clamare, & tonare ejus laudes pleno gutture. Cæterum quiſquis tacitè apud ſe Deo gratus erit, ſimul in apertas voces erumpet: quia alioqui fraudatur Deus dimidia honoris ſui parte. Deum ergo celebrare inſtituit Propheta, primùm toto corde, hoc eſt integro, non fucato. Neque enim ſe omni ex parte officio ſatisfacturum promittit, ſed tantum hypocritis ſe fore ſimilem negat, qui frigidè & corde duplici imo fallaciter linguam tantum exercent in canendis Dei laudibus. Atque hoc notan-

Digitized by Google

notandum eſt, ne quem exanimet deſperatio, ſi cordis perfectionem non afferat qualis optanda foret: quia utcunque mutilæ ſint laudes noſtræ, Deo tamen placere non deſinunt, ſi modo non ſimulatè enitimur ad præſtandum hunc pietatis cultum. Sequitur altera pars, ubi ſe profitetur laudum Dei fore præconem apud homines. Quanquam autem nomen סוד Hebræis cœtum arcanum ſignificat: ego tamen duo ſynonyma hic poni exiſtimo. Interea ſi cui ſubtilius accipere libeat, fruatur ſuo ſenſu. Dicit autem *in cœtu juſtorum*, quia in hunc maxime finem aguntur ſacri conventus, ut Deo laudem ſacrificent ſui cultores. ſicuti alibi dicitur. Te expectat Jehova laus in Sion.

Pſal. 65. verſ. 1.

2. *Magna opera Jehovæ.*] Nunc materiam laudandi Dei in ejus operibus ſuppetere admonet, quæ tametſi generaliter nominat, mox tamen explicatione magis dilucida ad Eccleſiæ gubernationem reſtringet. Cæterum quia magnitudo hæc operum Dei à paucis cognoſcitur, vulgo autem fugit mortalium oculos, ejus ignorantiam mundi ſocordiæ & ingratitudini imputat Propheta, quia pauci attendere dignantur quanta in ipſis ſapientia, bonitas, juſtitia, & virtus refulgeat. Quanquam in ſecunda parte verſus variant interpretes. Nonnulli enim vertunt, exquiſita omnibus deſideriis eorum. Et certe חפץ beneplacitum Hebræis ſignificat. Sed quia ſenſus ille durior eſt, rectius חפצים adjective ſumetur pro ſtudioſis vel deſiderantibus. Quod ad participium *explorata* ſpectat, quanquam דרש Hebræis proprie eſt inveſtigare, hic tamen opera Jehovæ vocantur דרושים quaſi perſpecta vel comperta, ſicuti Jeſaiæ 65. verſ. 1. Inventus ſum ab iis qui me non quærebant. Nunc, ut ad Prophetæ mentem revertar, quia pauci ad reputanda Dei opera ſtudium ſuum applicant, hinc fieri docet Propheta ut major pars in luce cæcutiat. Nam quum excellentiam operum Dei notam eſſe dicit omnibus eam cupientibus, nullos ejus ignaros eſſe intelligit niſi qui oculos ſponte claudunt, imo maligno contemptu ſuffocant oblatam lucem. Tenendus eſt tamen intelligentiæ modus, quia ſcimus tardiores eſſe ac magis debiles fidelium mentes quamdiu in terra peregrinantur, quàm ut ad arcanam operum Dei altitudinem penetrent. Sed utcumque incomprehenſibilis ſit ſapientiæ, æquitatis, juſtitiæ, virtutis, miſericordiæ immenſitas in Dei operibus, notitiam tamen delibant fideles quæ ad Deum glorificandum ſufficiat. Tantùm à reverentia incipere diſcamus, ut nobis ſapiant opera Dei, quæ apud reprobos ſcelerato faſtidio vileſcunt. Quia Græcus interpres vertit, Exquiſita in omnes voluntates ejus: Auguſtinus argutè philoſophatur, quomodo plures ſint Dei voluntates vel ſaltem nobis appareant. Ac utilis quidem doctrina eſt, quamvis in Lege ſuam voluntatem manifeſtet Deus, eſſe tamen arcanum aliud conſilium, quo mirabiliter genus humanum gubernat: ſed nihil ad præſentem locum.

3. *Pulchritudo.*] Alii ſplendorem vertunt. Summa eſt, quicquid agit Deus, plenum eſſe magnifica dignitate. Hoc autem decus & pulchritudinem ſecundo membro clariùs definit: quia ubique conſpicua eſt Dei juſtitia. Neque enim potentiæ ſolum & imperii ſpecimen extare vult Deus in ſuis operibus, quod metu percelleret omnium animos: ſed juſtitiam ſpectandam exhibet, quæ ſua dulcedine nos alliciat. Opponitur autem elogium hoc obſtreperis impiorum calumniis, quibus gloriam operum Dei, quantum in ſe eſt, ſceleratè deformant. Proximo verſu miracula ſpecialiter commendat, quibus virtutem ſuam Deus maxime exeruit. *Facere autem memoriam mirabilibus ſuis*, tantundem valet ac res memoratu dignas edere, vel quarum fama nunquam intereat. Sicuti autem nuper ad reputandam juſtitiam nos hortatus eſt, ita nunc in miraculis præcipuè gratiam & miſericordiam celebrat: idque eodem ferè ſenſu, quia ex fonte gratuiti amoris manat juſtitia illa quam in ſuis conſervandis oſtendit.

5. ט Portionem dedit timentibus ſe: י recordabitur in ſeculum fœderis ſui.	5 טרף נתן ליראיו יזכר לעולם בריתו:
6. כ Virtutem operum ſuorum annunciavit populo ſuo, ל ad dandum illis hæreditatem Gentium.	6 כח מעשיו הגיד לעמו לתת להם נחלת גוים:
7. מ Opera manuum ejus veritas & judicium: נ veracia omnia ſtatuta ejus.	7 מעשי ידיו אמת ומשפט נ נאמנים כל פקודיו:
8. ס Stabilita uſque in ſeculum, ע facta in veritate & rectitudine.	8 סמוכים לעד לעולם עשוים באמת וישר:

5. *Portionem dedit timentibus ſe.*] Quoniam Eccleſia ſpeculum eſt gratiæ & juſtitiæ Dei, ad eam Propheta nominatim accommodat quod de illis dixit. Nec vero propoſitum fuit de qualibet Dei juſtitia diſſerere, ſed quam erga electos ſuos peculiariter explicat. Nunc ergo adjungit, Deum curam habere populi ſui, ut neceſſitatibus ejus proſpiciat. טרף ſæpius accipitur pro præda: vertunt alii eſcam. Mihi nomen portionis magis placuit: quo etiam ſenſu ſumitur, Prov. 30. v. 8. & 31. v. 15. acſi diceret, Deum populo ſuo dediſſe quicquid opus erat, & hoc fuiſſe quaſi liberale demenſum. Scimus enim populum Iſraël non ſua induſtria, ſed Dei benedictione fuiſſe ditatum, acſi paterfamilias domeſticis ſuis annonam victumque divideret. Secundo membro cauſam hujus curæ & liberalitatis aſſignat, quia ſcilicet affectu probare voluerit fœdus ſuum non eſſe irritum vel inane. Atque hoc diligenter notandum eſt, ſicuti olim fœderis gratuiti reſpectu tam benigne egit cum populo Iſraël, ita non aliunde fluere beneficia quibus nos proſequitur, niſi quia nos ſibi adoptavit in populum. Porro memoriam fœderis ſemper vigere dicit: quia nunquam fatigatur Deus, benignè ſuos tractando. Sicuti autem de die in diem ad extremum uſque continuat gratiæ ſuæ teſtimonia, ſic fidem noſtram, ut conſtantiæ ejus reſpondeat, non fluxam eſſe oportet, ſed vitam & mortem tranſcendere. Proximus verſus expoſitionis loco additus eſt, Deum in danda Gentium hæreditate virtutem operum ſuorum manifeſtaſſe populo ſuo. Utitur quidem verbo *annunciandi*, ſed realem prædicationem intelligit: quia Terræ ſanctæ poſſeſſio non humanitus parta eſt, ſed cæleſti virtute multiſque miraculis tradita: acſi palam teſtatus eſſet Deus filiis Abrahæ quam incomparabili potentia ſit præditus. Huc etiam pertinet quod multis gentibus populum opponit, qui certe, niſi fretus cæleſti auxilio, nunquam prævaluiſſet contra tot hoſtes.

7. *Opera manuum ejus.*] Priore verſus parte, exclamat fidelem & rectum in ſuis operibus Deum cognoſci: deinde eandem veritatem & rectitudinem in doctrina Legis commendat: acſi diceret, inter dicta & facta Dei pulcherrimum eſſe conſenſum, quia ubique verax juſtuſque apparet. Etſi autem redemptio veteris populi memorabile hujus rei documentum fuit, non tamen dubito quin ſub operum nomine

nomine continuam Eccleſiæ gubernationem complexus ſit Propheta: quia non deſtitit Deus quotidie ſe probare & juſtum & veracem, & hunc quaſi infatigabilem curſum tenere. Quanquam autem inter homines plus eſſet manu quam lingua aliquem cognoſci juſtum: quia tamen doctrina Legis, vita fuit & ſalus populi, non abs re Propheta pluribus verbis in hac ſecunda parte inſiſtit, veracia eſſe omnia ſtatuta dicens, perpetuò manere, ad ſummæ fidei & rectitudinis normam exactè eſſe compoſita. Et certe niſi ſacro Legis vinculo populum ſibi Deus copulaſſet, perquam tenuis fuiſſet redemptionis fructus, adeoque ſtatim exaruiſſet gratia illa. Notemus ergo primatum hic tribui doctrinæ, quia æternum Dei amorem teſtando vivifica fuit.

9. פ Redemptionem miſit populo ſuo: צ mandavit in æternum fœdus ſuum: ק ſanctum & terribile nomen ejus.

10. ר Principium ſapientiæ timor Jehovæ, ש intelligentia bona cunctis facientibus ea: ת laus ejus manet perpetuò.

ל 9 פדות שלח לעמו צוה
לעלם בריתו קדוש ונורא שמו:
10 ראשית חכמה יראת יהוה
ע שכל טוב לכל עשיהם תהלתו
עמדת לעד:

9. *Redemptionem miſit populo ſuo.*] Repetit aliis verbis quod jam dixerat: quia initium ſalutis fuit redemptio, eam priore loco ſtatuit: deinde adjungit confirmationem in Lege, qua factum eſt ne unquam excideret Dei adoptio. Etſi enim fœdus olim Deus pepigerat cum Abraham, quæ etiam cauſa fuit redimendi populi: hoc tamen elogium ad Legem refertur, qua ſancitum fœdus fuit, ne unquam effflueret. Summa huc redit, Deum non uno tantum die beneficum fuiſſe patrem in liberando populo, ſed gratiam ſuam Lege promulgata ſtabiliviſſe, ut ſpes vitæ æternæ ſemper in Eccleſia reſideret. Porro tenendum eſt quod alibi admonui, & fuſius repetendum erit Pſalmo 119. ubi de Lege ſermo habetur, non ſemper nuda præcepta arripi debere: quia Spiritus ſanctus maxime ad promiſſiones in Chriſto fundatas reſpicit, quibus Deus electum populum ſibi colligens, in vitam æternam regenuit.

10. *Principium ſapientiæ.*] Poſtquam de beneficiis Dei concionatus eſt Propheta, & juſtis elogiis Legem ornavit: nunc fideles ad ipſius Dei reverentiam, Legiſque ſervandæ ſtudium hortatur. Timorem Dei, principium vel caput ſapientiæ vocando, eos omnes damnat amentiæ qui ſe Deo in obſequium non addicunt: acſi diceret, brutos eſſe omnes, nec prima tenere rudimenta rectè ſapiendi, qui Dei timore penitus imbuti non ſunt, & vitam non componunt ad ejus Legem. Quod diligenter notandum eſt. nam quum ſapere paſſim appetant omnes, totus fere mundus, contempto Deo, in prava aſtutia ſibi placet. Quum ergo peſſimi quique præ aliis ſapere credantur, & hac fiducia turgentes contra Deum ſe obdurent, Propheta omnem mundi ſapientiam ſine Dei timore, fumum vel inane ſpectrum eſſe pronunciat. Et certe quicunque vivendi finem non tenent, eos deſipere & mente alienatos eſſe certum eſt. Atqui in hoc nati ſumus & vivimus, ut nos exerceamus in Dei cultu. nulla ergo deterior cæcitas, nullus magis brutus ſtupor, quam ubi contempto Deo, ſtudia noſtra aliò convertimus. quacunque enim vafritie polleant homines profani, deeſt illis caput, hoc eſt vera pietas. Eodem pertinet quod mox additur, prudentiam bonam eſſe Dei mandata ſervantibus. ac in epitheto טוב, ſubeſt magna emphaſis: quia ſtultam perſuaſionem de qua diximus, Propheta refutans, tacitè eos perſtringit qui præpoſterè acuti ſunt. acſi diceret: Fateor vulgo prudentes æſtimari qui bene conſulunt rebus ſuis, qui foro ſerviunt, qui aſtuti ſunt ad retinendum mundi favorem, alios etiam decipiunt: Cæterum ut hoc nomen illis concedam, inutilis ac perverſa eſt eorum prudentia: quia ſanitas mentis in Legis obſervatione ſe prodit. Jam verò pro Dei timore, ponitur *obſervatio mandatorum Dei*: quia licet promiſcue omnes fere jactent ſe timere Deum, nihil tamen magis vulgare Legis contemptu. Meritò igitur hoc examine probari Dei timorem docet Propheta, ſi libenter jugum ejus ſuſcipimus, noſque regi patimur ejus Verbo. Quoſdam nomen principii decepit, ut putarent timorem Dei vocari initium ſapientiæ, quaſi alphabetum, eò quòd ad veram pietatem homines præparet: ſed hoc frivolum eſt, quum alibi vocetur ſapientia. Neque enim timor hic ſicut in Canonica Joannis, pro tyronico vel rudimento pietatis capitur, ſed totum pietatem vel Dei cultum comprehendit. Clauſula Pſalmi expoſitione non indiget. Tantùm enim hoc vult Propheta, ut intelligant fideles nihil ſibi eſſe potius tota vita, quàm Deum celebrare. *Job. 28. verſ. 28.* *1 Joan 4. verſ. 18.*

ARGUMENTUM PSALMI CXII.

Quoniam major pars mundi ſibi ex maleficiis bene fore ſperat, atque ex rapinis, fraudibus, & injuriis quibuslibet lucrum vulgo captatur, benedictiones Dei enumerat Propheta, quæ in puris Dei cultoribus ſpectantur: ut ſciamus ſtudium piè juſtéque vivendi, optima mercede non carere.

PSALM. CXII.

HAlelu-Ja. Beatus vir qui timet Jehovam, in mandatis ejus delectabitur valde.

2. Potens in terra erit ſemen ejus: generatio rectorum benedicetur.

3. Opes & divitiæ in domo ejus, & juſtitia ejus manet in æternum.

1 הללויה אשרי איש ירא את
יהוה במצותיו חפץ מאד:
י 2 גבור בארץ יהיה זרעו דור
ישרים יברך:
ע 3 הון ועשר בביתו וצדקתו
עמדת לעד:

BEatus vir qui timet, &c.] Quanquam hortandi verbum præponitur, jam tamen admonui, altius tendere Prophetam quam ut ad canendas Dei laudes incitet fideles. Nam quia hæc paſſim habetur felicitas, malis artibus vel injuriis graſſari ad nocendum: & quamvis interdum laudetur integritas, vix tamen centeſimus quiſque eam ſequitur, dum ſe omnes fore miſeros putant, niſi per fas & nefas ad ſe rapiant quicquid prædæ expoſitum erit: Propheta contra, docet plus à paterno Dei favore ſperandum eſſe, quam ab omni genere noxarum: ac ſpe mercedis propoſita, nos ad colendam æquitatem & beneficentiam revocat. Ego autem verba ſic reſolvo, Beatus vir qui timet Dominum, ſeque oblectat in ejus mandatis: ut ſecundo membro definiat Propheta in quo poſitus ſit Dei timor. Atque hæc

hæc additio valde neceſſaria fuit, ſicut in fine proximi Pſalmi attigimus: quia quum omnes ſecure Legem Dei deſpiciant, nihil tamen proclivius eſt quam Dei timorem prætexere. Hæc improbitas optime refellitur à Propheta, dum neminem agnoſcit inter Dei cultores, niſi qui animum ſuum adjicit ad Legem ſervandam. Nec emphaſi caret verbum חפץ, quod tantundem valet ac complacitum habere, ut vulgo loquuntur. Nos vertimus *delectari.* nam voluntarium & alacre ſtudium ſervandæ Legis, à ſervili & coacto obſequio diſtinguit Propheta: quia non ſatis eſt attendere ad Legem Dei, niſi eam libenter amplectimur, ut ejus amor ſua dulcedine omnes carnis illecebras ſuperet. Itaque donec huc uſque progreſſus quis fuerit, ut Legis delectatio eum hilariter in officio contineat, non cenſebitur verus Legis obſervator. Nunc redeo ad totam ſententiam. Propheta beatos eſſe affirmans Dei cultores, ex adverſo admonet peſtiferam eſſe fallaciam qua ſe deludunt impii, fictitiam ſibi beatitudinem ex maleficiis fingendo.

2. *Potens in terra.*] Propheta, probandæ quam protulit ſententiæ cauſa, gratiæ Dei teſtimonia enumerat, quibus remunerari ſolet ſuos cultores. Ac primo quidem dicit, non modo in eorum perſonis reſidere paternum Dei favorem, ſed extendi ad poſteros: ſicut etiam in Lege dicitur, Ego ſum miſericors in mille generationes erga eos qui me diligunt, & cuſtodiunt mandata mea. Et Pſalmo 103. verſ. 8. & 9. aliiſque locis hoc doctrinæ caput attigimus. Sed quia multi perperam æquali modo metiri volunt temporales Dei gratias, tenendum eſt quod Pſal. 37. verſ. 25. docui, varie ſcilicet eas diſpenſari, prout Deo placet. Interdum fiet ut careat liberis optimus vir. atqui ſterilitas per ſe cenſetur Dei maledictio. Sic multi ex Dei cultoribus premuntur egeſtate & inopia, morbis laborant, variis ærumnis miſere affliguntur. Tenenda eſt igitur generalis regula, prout Deus ſingulis utile eſſe novit, nunc largius, nunc parcius erga ſuos eſſe beneficum: imo interdum favoris ſui ſigna abſcondere, ut videri poſſit negligere prorſus ſuos. in hac tamen confuſione ſemper apparet non fruſtra eſſe dictum, *pios cum ſua progenie benedici.* Nam quum improbis nihil aliud propoſitum ſit quam regnare in mundo, & filios ſuos attollere ſupra nubes, utplurimum vanas eorum ſpes fruſtratur Deus. Rurſum quum fidelibus ſatis ſint inſtituere filios ſuos in Dei timore, ut tenuiter victitent, Deus quaſi porrecta manu, eos in ſublime attollit. Adde quod olim ſub Lege magis dilucida fuit hujus doctrinæ approbatio, quia rudem & infirmum populum terrenis benedictionibus paulatim ad ſpem meliorem deduci oportuit. Quanquam niſi noſtra vitia obſtaculo forent, hodie quoque clarius fulgerent terrena erga nos Dei beneficia. Nam quod mox additur, *opes & divitias fore in domibus rectorum*, non peræque ſemper experientia verum eſſe demonſtrat: quia ſæpe contingit probos & ſanctos homines eſurire & frugali etiam victu deſtitui: nempe quia noxium illis eſſet liberalius à Deo tractari: quia multi ferendæ opulentiæ idonei non ſunt. Interea notemus, gratiam quam celebrat Propheta, in eo maxime conſpici, quod ſua mediocritate contenti ſunt probi & ſimplices, quum nulla copia ſaturentur profani homines, quamvis totum mundum abſorbeant. Verum enim eſt verus illud proverbium. Tam deeſſe avaro quod habet, quam quod non habet: quia nihil poſſidet, ſed tantum poſſidetur à ſuis divitiis. Conjunctim etiam cum hoc membro legendum eſt quod poſtea ſequitur, *juſtitiam bonorum manere perpetuo.* Atque hoc proprium eſt & certiſſimum diſcrimen: quia etſi ad tempus farciunt impii domos ſuas magnis copiis, uno Dei flatu, ſicut dicit Propheta, repente evaneſcet tota illa congeries. Et videmus quotidie in prædam exponi quæ rapinis vel fraudibus parta ſunt: integritas autem fidelibus optima eſt, & fideliſſima benedictionum Dei cuſtos.

Exod. 34. verſ. 6.

Aggæi 1. verſ. 9.

* vel, *oriri facit.* † vel, *bene vire qui.*

4. * Ortum eſt in tenebris lumen rectis: clemens, & miſericors, & juſtus.	ח 4 זָרַח בַּחֹשֶׁךְ אוֹר לַיְשָׁרִים חַנּוּן וְרַחוּם וְצַדִּיק׃
5. * Bonus vir miſeretur & mutuo dat, metitur verba ſua in rectitudine:	5 טוֹב אִישׁ חוֹנֵן וּמַלְוֶה יְכַלְכֵּל דְּבָרָיו בְּמִשְׁפָּט׃
6. Certe in æternum non nutabit, in memoriam ſeculi erit juſtus.	6 כִּי לְעוֹלָם לֹא יִמּוֹט לְזֵכֶר עוֹלָם יִהְיֶה צַדִּיק׃
7. Ab auditu malo non timebit: ſtabilitum cor ejus, quia confidit in Jehova:	7 מִשְּׁמוּעָה רָעָה לֹא יִירָא נָכוֹן לִבּוֹ בָּטֻחַ בַּיהוָה׃
8. Suffultum cor ejus, non timebit, donec videat in ſuis adverſariis.	8 סָמוּךְ לִבּוֹ לֹא יִירָא עַד אֲשֶׁר יִרְאֶה בְצָרָיו׃

4. *Ortum eſt.*] Sive neutraliter ſive active ſumere placeat verbum זרח, eodem redibit ſenſus. Quanquam utrovis modo accipias, duplicem adhuc ſenſum verba admittunt: vel quod immunes ſervet Deus juſtos à communibus miſeriis, acſi tenebris occupantibus totam terram, Sol luceret in aliquo angulo: vel quod Deus ſerenitatem reſtituat ſervis ſuis, quamvis ad tempus eorum animos triſtitia obnubilet, ſicuti dies nocti ſuccedit. Si probetur poſterior hæc expoſitio, per *tenebras* vel tempus nubilum ac pluvioſum, afflictiones intelligit Propheta, quibus ſervos ſuos exercet Deus ad patientiam. Quanquam aptior videtur altera ſententia, nempe toto mundo in malis demerſo, lucere Dei gratiam ſuper fideles, ut ſentiant, Deo propitio, bene ac feliciter ſibi eſſe. Hoc modo recte diſtinguitur eorum conditio à communi hominum ſorte. Nam improbi quamvis proſperis rebus exultent, quia tamen non guſtant paternum Dei amorem, cœcutiunt in luce: rebus autem adverſis, in tenebras mortales merguntur. certe nunquam illis eſt ſerena tranquillitas. Pii autem, quibus ſemper lucet Dei gratia, quamvis obnoxii ſint communibus miſeriis, nunquam tamen tenebris obruuntur: ideo non abs re dicitur, oriri lumen in tenebris. Cæterum ſi active ſumamus verbum זרח, melius uno tenore fluet verborum ſyntaxis. Certe mihi dubium non eſt quin Deum his elogiis inſigniat Propheta, *clemens, miſericors, & juſtus.* Itaque ſi in neutro genere legamus, exortum eſt lumen, poſterius membrum erit cauſæ redditio. Nam quod exponunt nonnulli, juſtos & humanos non obtenebrare mundum, ut faciunt improbi & ſceleſti: neque ex luce dare fumum, ſed ex fumo lucem: nimis detorquent Prophetæ verba.

5. *Bonus vir.*] Hæc interpretatio communi fere conſenſu recepta eſt. Quanquam ego in alteram magis inclino, bene fore humanis & liberalibus: quia ſic melius texetur Prophetæ oratio. Propoſitum enim eſt oſtendere longe falli profanos homines dum

pravis & illicitis artibus ad felicitatem aſpirant: quia ſola Dei gratia fons & cauſa ſit bonorum omnium. Atque hoc modo ſubaudiendum erit relativum. Falli ergo admonet qui maligna tenacitate ſævisque exactionibus diteſcere properant: quia fideles humanitate & beneficentia Dei gratiam velut canali ad ſe eliciunt. Nam טוב in genere maſculino ſæpe neutraliter capitur. *Mutuo dare* ponit tanquam miſericordiæ fructum. Nam & fœnerator dat mutuo, ſed ut miſeros, fallaci juvandi prætextu, exugat. Proſperum ergo ſucceſſum promittit Deus vere liberalibus, qui miſericordia adducti, pauperibus ſuccurrunt, non autem ut tendant retia. דברים in fine verſus pro negotiis accipio: ſicuti & David Kimhi, qui fideliſſimus eſt inter Rabbinos. Nam de ſermone hoc prædicari, nimis eſſet frigidum, & ſimplicius loquutus eſſet Propheta. Hoc autem optime convenit, juſtos ſua negotia ratione & judicio metiri, ut in re domeſtica neque prodigi ſint, neque ſordidi, vel nimium tenaces, ſed ſine luxuria modum teneant. Deinde ut contrahendo, æquitatis regulam ſemper obſervent.

6. *Certe in æternum.*] Poteſt etiam cauſalis particula in genuino ſuo ſenſu accipi, præſertim ſi in ſuperiore verſu legere placeat, Bene erit viro. Proſperitatem enim illam de qua loquutus eſt, expreſſius deſignat, quod ſcilicet Deus miſericordes & humanos ſuſtinet, ne agitentur inter mundi converſiones. Deinde quod eorum integritatem lucere facit, & ab injuſtis calumniis vindicat. Dicuntur autem *non labaſcere:* quia etſi obnoxii ſunt communibus incommodis, ſæpe etiam videntur malorum oneri ſuccumbere, manent tamen intus in ſuo gradu, & victrice patientia ſuperant res omnes adverſas. Jam quamvis Deus aſſertor ſit juſtitiæ ipſorum, non effugiunt tamen improborum calumnias: ſed ſatis eſt coram Deo & Angelis totoque piorum theatro benedictam eſſe eorum memoriam.

7. *Ab auditu malo.*] Poſſet videri confirmatio ſuperioris ſententiæ: ac ſi dixiſſet Propheta, juſtos à ſiniſtra fama, quam ſibi reprobi culpa ſua & vitiis contrahunt, eſſe immunes. Verum ego potius intelligo, juſtos non eſſe incredulis ſimiles, qui ad minimas quaſque rumoris auras trepidant: ſed quicquid periculorum nuntietur, placidos & quietos inniti paternæ Dei providentiæ. Unde enim continua incredulis fluctuatio, niſi quod Deo in cælis otium agente, fortunam ludos ſuos in terra agere putant? Ergo non mirum eſt ad ſtrepitum folii cadentis perculſi & concidere. Tali inquietudine fideles eximit Propheta, quia non pendent ex rumoribus, neque metu impediuntur quin ſemper Deum invocent. Verum quidem eſt, metuere quoque Dei filios ſiquid impendet diſcriminis: quia ſi nulla eos malorum cura tangeret, ſtuporis eſſet, non conſtantiæ ſecuritas. ſed dum agnoſcunt Deum vitæ ſuæ cuſtodem, quamvis ſollicitudine & metu non ſint exuti, in ſuo tamen curſu pergendo, ſalutem ſuam Deo commendant, cujus arbitrio libenter ſe permittunt. Hæc juſtorum eſt magnanimitas, qua formidoloſos rumores, eos contemnere dicit Propheta. Porro ejus fulturam prudenter in Domino ſtatuit: quia quum innumeræ mortes à dextris & ſiniſtris nos obſideant, ſtatim deſperatione obrui neceſſe erit, niſi ſuccurrat hæc fiducia, nos ſub Dei cuſtodia tutos eſſe. Recta igitur ſtabilitas eſt qualem definit Propheta, nempe ſi in Deo confidimus. Nam quod ſe vana ſecuritate inebriant profani homines, eo magis in ſe provocant Dei fulmina: quia obliviſcuntur quam fragilis ſit humanæ vitæ conditio, ſuaque ſuperbia ſtolide ſe adverſus Deum efferunt. Itaque quum dixerint, Pax 1 Theſſ. 5. verſ. 3.
& ſecuritas, repentinus ſuperveniet interitus. Fideles autem ſic terret vel ſollicitat malorum ſenſus, ut tamen non labefactet eorum animos: quia fidem non excutit, qua ſola fortes ſunt ac firmi. In ſumma, neque ferrei ſunt neque ſtipites: ſed fiducia quam in Deo locant, ſupra omnes anxietates ſe attollunt. Hoc modo mentes retinent pacatas & compoſitas, donec veniat maturum vltionis tempus contra reprobos.

9. Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus perſtat in ſeculum: cornu ejus exaltabitur in gloria.	9 פזר נתן לאביונים צדקתו עמדת לעד קרנו תרום בכבוד :
10. Impius videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium impiorum peribit.	10 רשע יראה וכעס שניו יחרק ונמס תאות רשעים תאבד :

9. *Diſperſit.*] Rurſum affirmat fructu & mercede ſuæ liberalitatis nunquam fraudari juſtos. Ac primo quidem ſpargendi verbo ſignificat Propheta, non tenuiter eos & maligne erogare pauxillum aliquid, quemadmodum multi exigua ſtipe defungi volunt erga pauperes: ſed copioſe largiri, quantum ſcilicet poſtulat uſus, & patitur eorum facultas. fieri enim poterit ut liberali animo non ſuppetat rerum abundantia. Sed tantum ſignificat Propheta, reſtrictos non eſſe juſtos, quin parati ſint ad ſpargendum. Deinde ſimul addit *pauperibus eos largiri*, ſignificans non temere ſua projicere, ſed adhibere prudentiam & delectum, ut neceſſitati ſubveniant. Scimus à mundo ſæpe laudari ſupervacuos & ſuperfluos ſumptus, qui fiunt vanæ oſtentationis cauſa. itaque centuplo plus bonorum dilapidat luxus, vel ambitio, quam moderata liberalitas diſpenſet. Propheta autem beneficentiæ laudem non in promiſcua largitione ſitam eſſe docet, ſed ubi pauperum inopiæ ſuccurritur, & conſumitur pecunia in rectos uſus ac legitimos. Citatur hic locus à Paulo 2. ad Corinth. capite 9. verſ 9. ubi admonet Deo promptum eſſe ut nobis copiam ſuppeditet, unde fluat æquali curſu liberalitas: quod optime cum mente Prophetæ quadrat. Quod poſtea ſequitur, *juſtitiam* talis viri *manere perpetuo*, bifariam poteſt accipi. Quia enim virtutis nomen non meretur impetus ille ambitionis, qui profanos homines ad diſſipandum incitat, non male conveniet continuum tenorem laudari à Propheta: ſicuti prius dixit, juſtos metiri ſuas rationes in judicio. Siquis tamen juſtitiæ fructum interpretari malit, libenter aſſentiar. Et certe videtur eſſe ejuſdem, quam nuper vidimus, ſententiæ repetitio. Poſtea oſtendit Propheta quomodo juſtitiæ ſuæ laudem beneficiis Deus aſſerat, ac mercede non fruſtretur: quia ſcilicet *cornu eorum*, hoc eſt robur, vel proſperum ſtatum, magis ac magis attollit.

10. *Impius videbit.*] Sequitur antitheſis qualem vidimus Pſal. 2. verſ. 5. quæ magis illuſtrat Dei gratiam erga fideles. Intelligit autem Propheta, quamvis procul omnem pietatis ſenſum à ſe rejiciant impii, ne Deum exiſtiment rebus humanis præeſſe: ſenſuros tamen, velint nolint, juſtos non fruſtra ſe addicere Dei imperio ad colendam humanitatem. Quantumvis ergo ſe obdurent, mercedem quam rependit Deus filiis ſuis, manifeſtam illis fore dicit, quæ ad ſtridorem dentium cogat, & lenta invidiæ tabe ipſos conficiat. Tandem addit *impios fruſtratum iri ſuis cupiditatibus.* Nam quum ſint inexplebiles, & hoc vel illud ſubinde appetant, non minus tamen audax eſt eorum confidentia, quam effrænis cupiditas. ita fit ut totum mundum ſtulta ſpe haurire non dubitent. Atqui docet Propheta ereptum illis iri à Deo quod putabant in manu ſua eſſe, ut inanes & famelici ſemper diſcedant.

ARGUMENTUM PSALMI CXIII.

In hoc etiam Pſalmo materia laudandi Dei nobis ex ejus providentia ſuggeritur: quod quum cælos omnes celſitudine ſua longe ſuperet, oculos tamen in terram demittere ad curandum humanum genus dignetur. Porro quia varietas quæ cernitur in terris, pleroſque perturbat, diſerte Propheta in ſubitis converſionibus, quæ præter ſpem accidunt, conſiderandam admonet Dei providentiam: ne dubitemus omnia ejus nutu & arbitrio gubernari.

PSALM. CXIII.

HAlelu-Jah. Laudate ſervi Jehovæ, laudate nomen Jehovæ.

1 הללויה הללו עבדי יהוה הללו את שם יהוה׃

2. Sit nomen Jehovæ benedictum ex nunc & uſque in ſeculum.

2 יהי שם יהוה מברך מעתה ועד עולם׃

3. Ab ortu ſolis uſque ad ejus occaſum laudabile nomen Jehovæ.

3 ממזרח שמש עד מבואו מהלל שם יהוה׃

4. Excelſus ſupra omnes gentes Jehova, ſupra cælos gloria ejus.

4 רם על כל גוים יהוה על השמים כבודו׃

L*Audate ſervi.*] Quanquam Pſalmus argumentum continet cunctis mortalibus commune, peculiariter tamen fideles alloquitur Propheta: quia ſoli ſpiritualibus oculis præditi ſunt ad cernendam Dei manum. Nec ſupervacua eſt duplicatio, ſi expendimus quam frigidi ſint ac pigri homines in hoc pietatis exercitio. Fatemur quidem omnes nos ad celebrandum Dei nomen creatos eſſe: ſed interim jacet inter nos ejus gloria. Ideoque merito corrigitur tam prava ſegnities: & eadem opera nos ſtimulat Propheta ad infatigabile ſtudium laudandi Dei. Ergo repetita exhortatio tam ad perſeverantiam quam ad ardorem referri debet. Siquis per ſervos Dei malit Levitas intelligere, quibus ſub Lege erant mandatæ partes canendi Deo, non admodum repugno: modo ne excludat reliquos fideles, quibus olim Deus præfecit Levitas duces ac magiſtros, ut ſine exceptione celebraretur à populo ſuo. Nec certe alia ratione, ubi de laudibus Dei agitur, nominatim Levitas Spiritus compellat, niſi ut ſuo exemplo præeant aliis, totaque Eccleſia ſancto concentu reſpondeat. Nunce vero quum regale ſimus Sacerdotium, & Zacharias teſtetur contemptiſſimos ex plebe quoſque ſub regno Chriſti fore Levitas, non dubium eſt quin præteritis incredulis, qui muti ſunt, nos ad cultum hunc Deo præſtandum communiter Propheta invitet.

1 Petr. 2. verſ. 9. Zach. 14 verſ. 21.

2. *Sit nomen.*] Confirmat Propheta quod nuper attigi, continuandas eſſe toto vitæ curſu Dei laudes. Nam ſi ſeculis omnibus laudabile eſt Dei nomen, ſaltem tam brevi temporis ſpatio, quo in mundo peregrinamur, ſollicite curandum eſt ut nobis mortuis vigeat ejus memoria. Proximo verſu gloriam nominis Dei in omnes terræ plagas extendit: unde ſequitur, minime excuſabilem eſſe noſtram ignaviam, niſi mutuo inter nos reſonemus ejus laudes. Etſi autem ſub Lege non alibi quam in Judæa rite celebrari potuit Deus, quia nonniſi electo populo innotuerat, digna tamen fuerunt ejus opera totius mundi præconiis quæ fuerunt cunctis Gentibus patefacta. Eodem etiam ſpectat quod ſequitur de *celſitudine* gloriæ Dei. quid enim magis indignum, quam nos in ea extollenda parcos eſſe ac tardos, quum in ſui admirationem ſurſum rapere debeat cunctas mentes? Non fruſtra igitur tantopere extollit Dei nomen Propheta, ſed ut ſciamus non eſſe locum deſidiæ, & ſacrilegum eſſe ſilentium niſi ad ipſum laudibus celebrandum ſupra vires enitimur, ita ut affectus noſter quodammodo cælos tranſcendat. Quod *excelſum* dicit eſſe *ſupra omnes gentes*, ſubeſt tacita exprobratio ad damnandum electi populi torporem. nam quid magis abſurdum, quam oculatos gloriæ Dei teſtes ceſſare ab ejus laudibus, quæ inter cæcos quoque refulgent? Quamvis enim ſolos Judæos Deus cæleſtis doctrinæ luce tunc dignatus eſſet, nunquam tamen deſtitui voluit teſtimonio, quemadmodum dicit Paulus in Actis, & ad Rom. cap. 1. verſ. 20. Cæterum hæc ſublimitas promulgato Euangelio melius perſpecta fuit, quia tunc demum ſub ejus imperium collectus eſt orbis.

Act. 14 verſ. 17.

5. Quis ſicut Jehova Deus noſter, ſe exaltans ad habitandum,

5 מי כיהוה אלהינו המגביהי לשבת׃

6. Se humilians ad videndum in cælis & in terra?

6 המשפילי לראות בשמים ובארץ׃

7. Attollens è pulvere inopem, è ſtercoribus erigit miſerum:

7 מקימי מעפר דל מאשפת ירים אביון׃

8. Ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi ſui:

8 להושיבי עם נדיבים עם נדיבי עמו׃

9. Habitare faciens ſterilem in familia, matrem filiorum lætantem, Halelu-Jah.

9 מושיבי עקרת הבית אם הבנים שמחה הללויה׃

5. *Quis ſicut.*] Hic Propheta altitudinem gloriæ & potentiæ Dei cum immenſa bonitate comparans, hinc laudes ejus amplificat. non quod Dei bonitas ab ejus gloria ſeparari queat: ſed diſtinctio hæc ponitur hominum reſpectu, quibus per ſe formidabilis eſſet Dei majeſtas, niſi comiter ſe demittens, amabili dulcedine nos alliceret. Summa igitur eſt, quamvis Deus ſupra cælos habitans, tanto intervallo à nobis diſtet, non tamen obſtare hanc altitudinem quin ſe nobis propinquum exhibeat, & familiariter ſalutem noſtram curet. Ac Propheta Deum ſupra cælos excelſum eſſe dicens, non ſolum erga homines ejus miſericordiam commendat, quorum vilis eſt & abjecta conditio: ſed admonet, ipſum cæleſtes quoque Angelos poſſe ſuo jure deſpicere, niſi quòd paterno amore adductus, ad eos ſua cura amplexandos deſcendit. Quod ſi Angelorum cauſa ſe humiliat, quid de hominibus dicendum,

qui

qui in terris reptando, ſimul etiam innumeris ſordibus tenentur impliciti? Siquis roget annon impleat Deus cælum & terram: facilis ſolutio eſt, nihil aliud tradi Prophetæ verbis, quam ipſum poſſe pedibus calcare nobiliſſimas creaturas, imo propter longam diſtantiam poſſe eas negligere. In ſumma, dicendum eſt, non fieri noſtra propinquitate ut curam noſtri Deus gerat, ſed quia ultro ſe demittit.

7. *Attollens.*] Hic Propheta in variis converſionibus quæ fortuito creduntur accidere, providentiam Dei celebrat. Quod ergo præter noſtram opinionem res mutantur, hoc pendere dicit ab unius Dei arbitrio. Nam ſi idem & æquabilis eſſet curſus, jactarent omnes, naturam, naturam. nunc viciſſitudo admonet dominari arcanum Dei conſilium. Atqui rebus inſperatis attoniti, transferimus imaginationes noſtras ad Fortunam. Quia ergo omni ex parte maligni ſumus, Propheta in rebus inſolitis jubet nos Dei providentiam mirari. Nam quum vel bubulci, vel alii deſpectiſſimi homines ad ſumma imperia emerſerint, tam inopinata novitate ſenſus noſtros melius expergefieri æquum eſt. Nunc tenemus Prophetæ conſilium. Nam poterat (ſicut aliis locis) proponere cæli & terræ architecturam: ſed quia in ordinario naturæ curſu cæcutiunt mentes noſtræ, dicit in operibus inſolitis magis conſpicuam eſſe Dei manum. Miraculum etiam amplificat, quum dicit obſcuros & ſordidos homines non ſolum ad quemlibet principatum evehi, ſed ut in ſacro populo emineant: quod majus eſt quam dominari in aliis terræ partibus. Status enim Eccleſiæ, præcipuum eſt & maxime ſpecioſum theatrum, ubi Deus admirabilis ſuæ potentiæ, ſapientiæ & juſtitiæ documenta profert ac explicat.

9. *Habitare faciens.*] Aliud commemorat Dei opus, quod etſi non videtur tam memorabile, non minus tamen afficit ſenſus noſtros. Nam ſi mulier quæ diu fuit ſterilis, repente concipiat numeroſam ſobolem, mirari cogimur, licet in quotidianis Dei operibus ſimus ſtupidi. הבית non ſimpliciter pro ædificio capitur, ſed pro ipſa familia, continens pro contento, ſicuti Græci οἶκον, Latini domum appellant. Senſus ergo eſt, quæ prius ſolitaria fuerat mulier, donari fœcunditate, ut domum liberis impleat. *Lætitiam* vero matribus tribuit, quia licet ad expetendas divitias, vel honores, vel delicias, vel quælibet commoda, propendeant omnium animi, ſoboles tamen aliis omnibus præfertur. Quum ergo Deus non modo conſuetum naturæ ordinem gubernet, ſed mutet etiam rerum vices, in ſublime evehens qui jacebant contempti, & mulieres ſteriles fœcundans: niſi ad conſiderandam ejus manum attenti ſumus, bis damnabilis eſt ſtupor noſter.

Argumentum Psalmi CXIV.

Brevis eſt redemptionis deſcriptio, qua Deus populum ſuum ex Ægypto in promiſſam hæreditatem deducens, memorabile ſeculis omnibus virtutis & gratiæ ſuæ ſpecimen edidit. Finis autem eſt, ut filii Abrahæ Deo ſe totos addicant, qui gratuita adoptione eos complexus, ſibi in ſacrum & peculiarem populum eſſe voluit.

Psalm. CXIV.

QUum egreſſus eſt Iſraël ex Ægypto, domus Jacob è populo barbaro:	1 בצאת ישראל ממצרים בית יעקב מעם לעז :
2. Fuit Jehuda in ſanctificationem ejus, Iſraël dominia ejus.	2 היתה יהודה לקדשו ישראל ממשלותיו :
3. Mare vidit & fugit, Jordanis converſus eſt retrorſum.	ל 3 הים ראה וינס הירדן יסב לאחור :
4. Montes exultaverunt ut arietes, colles ſicut agni ovium.	ב 4 ההרים רקדו כאלים גבעות כבני צאן :

QUum egreſſus eſt.] Quum exitus ille tam præclarum erga filios Abrahæ amoris Dei pignus & ſignum fuerit, non mirum eſt toties revocari in memoriam. Initio autem admonet Propheta, non eſſe amplius ſui juris populum quem ſibi Deus tam pretioſe acquiſivit. Nam quod nonnulli interpretantur, tribum Jehuda fuiſſe tunc ſanctificatam Deo, ſecundum illud, Vos eſtis gens ſancta, & regnum ſacerdotale: mihi à mente Prophetæ videtur remotum. Et quod continuo poſt additur, dubitationem eximit, Iſraëlem tunc fuiſſe Dei imperio addictum. Nam ejuſdem ſententiæ ſub diverſis verbis repetitio eſt: ac tribus quidem Jehuda propter excellentiam primatus reliquo populo præfertur. Quanquam minime dubium eſt quin idem elogium quo ſpecialiter ornatur, ad totum populi corpus pertineat. Porro dicitur ſanctificari Deus hominum reſpectu: quia in ſe neque creſcit, neque minuitur. Et dicitur *Jehuda* fuiſſe *in ejus ſanctitatem*, *Iſraël in dominium*, quia tunc ſancta ejus majeſtas, quæ prius obſcura fuerat, in ſui reverentiam traxit quicunque tam incredibilis potentiæ fuerunt teſtes. Quod ſi Deus populum ſuum redimendo, regnum ſibi erexit, & venerationem peperit ſacro ſuo nomini, excuſabilis non eſt populi ignavia, niſi ſe in continua tanti beneficii meditatione exerceat.

Exod. 19. verſ. 6. 1 Petr. 2. verſ. 9.

3. *Mare vidit.*] Non proſequitur quæcunque tunc edita fuerunt miracula, ſed ſummatim attingit, Mare, licet mortuum ſit elementum, & ſenſu careat, metu tamen potentiæ Dei fuiſſe conterritum: idem feciſſe *Jordanem*, & *montes* ipſos *exultaſſe*. Quanquam autem poëtice deſcribit Propheta Maris & Jordanis receſſum, verba tamen rei modum non excedunt: ac Mare quidem opifici ſuo tale præſtans obſequium, ſanctificavit ejus nomen: Jordanis ſua ſubjectione ornavit ejus imperium: montes contremiſcendo teſtati ſunt quam ſacra ſibi eſſet illius majeſtas. Sed non magis propoſitum eſt celebrare Dei potentiam, quam paternam curam & ſtudium ſervandæ Eccleſiæ. Ideoque prudenter Iſraëlem à Mari, Jordane & montibus ſeparat: ſicuti diverſa fuit ratio electi populi & mortuorum elementorum.

5. Quid tibi Mare quod fugiſti? Jordanis, *quod* converſus es retrorſum?	ח 5 מה לך הים כי תנוס הירדן תסב לאחור :
6. Montes exultaſtis ut arietes, colles ſicut agni ovium.	ו 6 ההרים תרקדו כאילים גבעות כבני צאן :

A facie

7. A facie Domini contremiſce terra, à facie Dei Jacob:

7 מלפני אדון חולי ארץ מלפני אלוה יעקב:

8. Qui convertit rupem in ſtagna aquarum, ſilicem in fontem aquarum.

8 ההפכי הצור אגם מים חלמיש למעינו מים:

5. *Quid tibi mare.*] Propheta hic populariter Mare, Jordanem, & montes interrogat, ſicuti nuper ſenſum & reverentiam potentiæ Dei illis tribuit. Atque bis figuris acrius coarguit hominum ſtuporem, niſi intelligentiam qua præditi ſunt, ad conſideranda Dei opera applicent. Aſpectus etiam Maris de quo loquitur Propheta, ad damnandam eorum cæcitatem ſatis ſuperque valebit. Mare enim non potuit ſiccari, neque fluvius Jordan retro curſum flectere, niſi arcano inſtinctu, ut Deus obſequium cogeret. Cæterum quanquam ad mare, Jordanem & montes dirigitur ſermo, potius tamen nos compellat Propheta, ut quiſque noſtrum in ſe deſcendens, ſedulo & attente in hac conſideratione inſiſtat. Ideo quoties occurrunt hæc verba, reſpondeat quiſque non poſſe aſcribi tantam mutationem naturæ & inferioribus cauſis, ſed hic palam fulgere Dei manum. Similitudo ab agnis & arietibus ſumpta, videtur quidem à rei magnitudine longiſſime abeſſe: ſed conſilium Prophetæ fuit rudiſſime exprimere quam incredibili modo ſuam illic virtutem Deus explicuerit. Nam quum in montibus quodammodo fundata ſit orbis ſtabilitas, quid cum arietibus vel agnis ſimile, ut huc & illuc ſaltando ſe agitent? Non ergo miraculum extenuat Propheta, ſed ſub craſſo genere dicendi, rudibus ingeniis melius inſculpit inopinata virtutis Dei ſigna.

7. *A facie Domini.*] Ubi interrogando expergefecit hominum ſenſus, reſponſionem ſubjicit: quam multi in perſona ipſius terræ accipiunt, quia י affixum eſſe putant verbi חולי acſi diceret terra, Meum eſt contremiſcere à facie Domini. Sed hoc commentum ſtare non poteſt, quia mox ſubjicitur nomen terræ. Rectius igitur alii י ſupervacuum eſſe docent, ut ſæpe alias: atque hunc eliciunt ſenſum, Terram contremiſcere coram Domino ſuo æquum eſt ac decet. Sed quia à plæriſque non male reſolvitur verbum חולי in modum imperandi, eos libenter ſequutus ſum. Probabile enim eſt, Prophetam rurſus ad terram verba facere, quo magis ad vivum afficiat hominum animos. Senſus tamen eodem redit, acſi dixiſſet, Agedum ſic fieri oportuit ut terra à conſpectu Regis ſui contremiſceret. ponitur enim nomen אדון, quod dominum vel herum ſignificat. Poſtea tamen diſerte adjungit nomen *Dei Jacob*, quo fictitios omnes deos jubet procul faceſſere. Nam, ut propenſi ſunt homines ad fallacias, ſemper timendum eſt ne idola ſubſtituant in veri Dei locum. Tandem aliud miraculum recenſet, quo Deus poſt tranſitum populi rurſum in deſerto ſuam virtutem magnifice extulit. Hoc autem modo admonet non uno tantum die apparuiſſe Dei gloriam in exitu populi, ſed continuo temporis ſucceſſu fuiſſe in aliis operibus conſpicuam, ſicuti quum ex arida *rupe* repente *fluvius emerſit*. Verum quidem eſt ſcaturire fontes ex rupibus & locis lapidoſis: ſed ex ſicca rupe aquam elicere, fuit certe præter naturæ ordinem. Porro hic ſubtiliter diſputandum non ſuſcipiam quomodo lapis in aquam fuerit converſus, & ſimplex eſt Prophetæ ſenſus. ubi prius ſiccitas erat ac durities, fluxiſſe aquas. Hinc tamen apparet quam ridiculi ſint Sophiſtæ transſubſtantiationem fingendo, ubi Scriptura hoc vel illud converti dicit. neque enim ſubſtantia lapidis tunc mutata fuit in aquam, ſed mirabiliter aquas Deus creavit quæ ex arida rupe fluerent.

Exod 17. verſ. 6.

ARGUMENTUM PSALMI CXV.

Pſalmum hunc dictatum fuiſſe Eccleſiæ quum duriter afflicta eſſet, colligere promptum eſt. Orant autem fideles, quamvis indigni ſint quos exaudiat Deus, ſe tamen liberari: ne ſacrum ejus nomen ſannis & opprobriis Gentium ſubjaceat. Deinde collectis animis inſultant omnium vecordiæ qui idolis addicti ſunt: & ſancta jactantia ſuam felicitatem efferunt, quod ſint à Deo cooptati: unde etiam mutuo ſe ad gratitudinem hortantur.

PSALM. CXV.

NOn nobis Jehova, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam propter clementiam tuam, propter veritatem tuam.

1 לא לנו יהוה לא לנו כי לשמך תן כבוד על חסדך על אמתך:

2. Ut quid dicent gentes, Ubi nunc Deus eorum:

2 למה יאמרו הגוים איה נא אלהיהם:

3. Atqui Deus noſter in cælo, omnia quæ voluit fecit.

3 ואלהינו בשמים כל אשר חפץ עשה:

NOn nobis Jehova, non nobis: &c.] Quanquam de auctore Pſalmi certo non conſtat, neque etiam quando fuerit compoſitus, principium tamen hoc demonſtrat, fideles in rebus deploratis ad Deum confugere. Non exprimunt autem diſertis verbis quid velint, ſed oblique inſinuant ſuam poſtulationem. Interea præfantur ſe non afferre in medium ulla merita, nec impetrandi fiduciam aliunde concipere, niſi quia ipſos liberando, *Deus gloriæ ſuæ conſulet*: quia res ſint inſeparabili nexu conjunctæ. Quamvis ergo repulſam mereantur, rogant tamen ne Deus nomen ſuum Gentium ludibriis proſtituat. Suis quidem miſeriis cupiunt ſolatium & opem afferri: ſed quia nihil in ſe dignum reperiunt Dei favore, ipſum appellant gloriæ ſuæ vindicem. Atque hoc notatu dignum eſt, quamlibet indigni ſimus quos Deus reſpiciat, bene tamen ſperandum eſſe, quia nomen ſuum glorificare vult nos ſervando, quos ea lege adoptavit ut nunquam deſerat. Interea notandum, humilitatis & modeſtiæ cauſa non conqueri aperte de ſuis miſeriis, nec à ſalute ſua incipere, ſed potius à gloria Dei. Nam quum ipſa calamitas quædam eſſet ſpecies rejectionis, pudore confuſi, non audebant palam petere à Domino quod optabant: ideoque inſinuatione uſi ſunt, ut peccatoribus nihil gratiæ promeritis patrem ſe Deus præſtaret gloriæ ſuæ intuitu. Quia autem non ſemel dictata fuit Eccleſiæ hæc precandi forma, quoties ad Deum accedimus, veniat nobis in mentem propria dignitate nos exuere, ut gratuita ejus bonitas nos ad bene ſperandum animet. Imo hic etiam, quum juvari petimus, ſcopus nobis eſſe debet, ut illuſtret nomen Dei liberatio quam adepti erimus. Ac veriſimile eſt promiſ-

ſione

ſione admonitos ſic oraſſe. Dixerat enim Deus exilii tempore, Non propter vos, ſed propter me hoc faciam. *Jeſa. 48. verſ. 11.* Nunc agnoſcunt hoc ſibi unicum eſſe aſylum, dum ſpes omnes aliæ deficiunt. Bis etiam hoc repetendo, melius oſtendunt quam probe ſibi conſcii ſint ſuæ indignitatis: ut ſi contingat centies ſuas preces repudiari, litem movere nequeant ſua cauſa.

2. *Ut quid dicent.*] Nunc exprimunt quomodo Eccleſiam ſervando, Deus vindex gloriæ ſuæ ſit futurus: quia ſi illam exitio permittat, impiis Gentium inſultationibus obnoxium erit ejus nomen. exertæ enim ad maledicendum erunt linguæ, nudatum eſſe potentia Deum Iſraël, qui ſuos clientes in ultima neceſſitate deſerat. non quod tali admonitione indigeat ipſe, ſed potius ut ad ſanctum illum zelum animos ſuos referant fideles, de quo alibi vidimus, *Pſal. 69. verſ. 10.* Opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me. Neque enim rethoricos colores perſuadendi cauſa ficte inducunt, ſed profitentur ſe ita ſolicitos eſſe de propria ſalute, ut pluris tamen æſtiment Dei gloriam, ſicuti meretur. Poſtea rationem aſſignant cur interſit Dei gloriæ ipſos ſervari: quia ſcilicet fœdus pepigerat, quod impii jactaſſent abolitum eſſe & extinctum. Atque hoc modo & irritam Dei gratiam, & vanas promiſſiones eſſe dixiſſent. Deo itaque gratiam ſuam objiciunt, deinde fidem, quarum utramque manebant impiæ calumniæ, ſi populum quem æterno fœdere ſibi devinxerat, & quem adoptaverat gratuita miſericordia, fruſtratus eſſet. Nunc quum nos quoque Deus Euangelii ſui participes faciens, in corpus filii ſui inſerere dignatus ſit, licebit idem in medium afferre.

3. *Atqui Deus noſter.*] Jam fideles ſancta audacia ſe magis animant ad precandum: quia ſcimus irritas eſſe noſtras preces, ſi inter dubitationes fluctuamus. Si in eorum animos penetraſſet illa blaſphemia, futurum erat lethale vulnus. mature igitur clypeum opponunt: atque ideo abrumpunt orationis filum. Mox ſuo loco ſecundum membrum tractabimus, ubi Gentium idolis praviſque ſuperſtitionibus inſultant. nunc ſingula verba hujus ſententiæ expendere operæ pretium eſt. Deum in cælis locando, non includunt aliqua loci circumferentia, neque cancellos circumdant immenſæ ejus eſſentiæ: ſed negant finitam eſſe ejus potentiam, vel alligatam humanis mediis: negant obnoxiam eſſe Fato vel Fortunæ: denique totum mundum ſubjiciunt ejus imperio, ut ſuperior omnibus obſtaculis, libere quicquid viſum eſt exequatur. Quod clarius exprimitur ſecundo membro, *Quæcunque vult facit.* Quomodo igitur in cælis Deus habitat? Quia ſubjectus eſt mundus ejus arbitrio, ut nihil obſtare queat quo minus impleat quicquid decrevit. Eſt autem inſignis doctrina, Deum facere quæcunque vult, modo aptetur in verum & legitimum uſum. Hæc admoneo, ne curioſi vel protervi homines licentiam ſibi pro more arripiant transferendæ ſanæ doctrinæ in phrenetica deliria. Et plus ſatis quotidie perſpicimus in hac parte humani ingenii laſciviam: quia plurimi de hoc myſterio, quod reverenter inprimis ſuſpicere decebat, ſine ullo pudore & modeſtia blaterant. Porro ut ad nos redeat hujus doctrinæ utilitas, notare convenit cur dicatur facere Deus quæcunque vult: nempe quod Deo plena ſuppetat facultas ad tuendam Eccleſiæ ſuæ ſalutem: deinde quum omnes creaturas contineat ſub manu ſua, nullo obſtaculo prohiberi quominus ſua conſilia perficiat. Quanquam ergo vident fideles præcluſas ſibi eſſe omnes ſalutis vias, colligunt tamen animos: quia Deus non ſolum omnibus impedimentis ſuperior eſt, ſed ipſis etiam utitur ad viam ſibi ſternendam. Interea ſimul hoc tenere neceſſe eſt, fieri omnia ſolius Dei decreto, nihil autem fortuito contingere. tantum de uſu doctrinæ præfari oportuit, ut ſe cohibeant mentes noſtræ, nequid imaginentur indignum Dei gloria, ſicut ſolent erratici ſpiritus. Sumpto illo principio, ne pudeat nos ingenue fateri, Deum ſic æterno conſilio moderari omnia ut nihil fiat niſi ipſo volente & ordinante: ideo appoſite & ſcite Auguſtinus hoc teſtimonio probat, non ſimplici Dei permiſſu accidere quæ videntur nobis abſurda, ſed nutu etiam & decreto. Nam ſi facit Deus noſter quæcunque vult, cur permitteret fieri quæ non vult? Cur diabolum & omnes impios ſibi repugnantes non coërcet? Si medius fingitur inter actionem & paſſionem, ut toleret quæ fieri non vult: erit igitur otioſus in cælo, ut Epicurei ſomniant. Quod ſi fatemur Deum conſilio præditum eſſe, ut mundum, cujus eſt opifex, curet ac gubernet, nullamque negligat ejus partem: inde ſequetur, quicquid fit, ipſo volente fieri. Qui obganniunt, Deum hoc modo fore malorum auctorem, perverſi ſunt dialectici. Nec vero ſi impuri ſunt canes, latratu ſuo efficient ut mentitus ſit Propheta, vel Deo eripiant mundi gubernationem. Si nihil fit niſi ex Dei conſilio & decreto, videtur peccata non reprobare. Atqui habet arcanas ſuas cauſas & nobis incognitas, cur fieri velit quod faciunt perverſi homines, non tamen pro vitioſo eorum affectu. Voluit Deus Hieroſolymam excidi: volebat hoc idem Chaldæus, ſed alio modo. ac tametſi Babylonios ſæpius appellet milites ſuos conductitios, dicat excitatos ſuo *Jeſa. 5. verſ. 26.* ſibilo, imo gladium manus ſuæ: non tamen propterea dicemus fuiſſe ejus ſocios: quia longe diverſum fuit conſilium, ut in excidio Hieroſolymæ refulgeat Dei juſtitia, Chaldæos ſua libido, avaritia, & crudelitas merito condemnet. Quamvis ergo fieri velit Deus quicquid fit in mundo, non tamen quicquam mali vult fieri: quia etſi incomprehenſibile nobis eſt ejus conſilium, optima tamen ei ratio ſemper conſtat. Quod ſi nobis ſufficit ſola ejus voluntas, ut certo perſuaſi ſimus, quamvis judicia ejus ſint abyſſus profunda. *Pſal. 36. verſ. 7.* illic tamen regnare ſummam juſtitiam: hæc inſcitia longe doctior erit toto eorum acumine, qui opera ejus captu ſuo metiri audent. Jam & hoc rurſus notandum eſt, ſi facit Deus quæcunque vult, ipſum fieri nolle quæcunque non fiunt. Quod inprimis utile cognitu eſt, ſæpe enim, quum ad Eccleſiæ afflictiones connivet Deus ac quieſcit, quærimus cur ſinat eam tabeſcere, cui ſuccurrere in manu ejus eſt. Avaritia, fraudes, perfidia, crudelitas, ambitio, ſuperbia, libidines, ebrietas, omne denique genus corruptelæ hodie graſſantur in mundo: quæ mox ceſſarent ſi Deo placeret adhibere remedium. Quare hoc nobis tolerantiæ frænum ſit, dum videtur torpere Deus, vel facultate deſtitui ad opem ferendam, nolle tam ſubito, quia moram & dilationem utilem eſſe novit: volentem certe ſua diſſimulatione ferre quæ momento corrigere poſſet, ſi liberet.

4. Idola eorum, argentum & aurum, opus manuum hominum.	4 עֲצַבֵּיהֶם כֶּסֶף וְזָהָב מַעֲשֵׂה יְדֵי אָדָם׃
5. Os illis, & non loquentur: oculi illis, & non videbunt.	5 פֶּה לָהֶם וְלֹא יְדַבֵּרוּ עֵינַיִם לָהֶם וְלֹא יִרְאוּ׃
6. Aures illis, & non audient: nares illis, & non olfacient.	6 אָזְנַיִם לָהֶם וְלֹא יִשְׁמָעוּ אַף לָהֶם וְלֹא יְרִיחוּן׃

7. Manus illis, & non palpabunt: pedes illis, & non ambulabunt: non clamabunt gutture ſuo.

8. Similes illis erunt qui faciunt ea: quiſquis confidit in ipſis.

7 יְדֵיהֶם וְלֹא יְמִישׁוּן רַגְלֵיהֶם וְלֹא יְהַלֵּכוּ לֹא יֶהְגּוּ בִּגְרוֹנָם׃

8 כְּמוֹהֶם יִהְיוּ עֹשֵׂיהֶם כֹּל אֲשֶׁר בֹּטֵחַ בָּהֶם׃

4. *Idola eorum.*] Hæc antitheſis in hunc finem referri debet, ut melius ſpem ſuam confirment pii, qua recumbunt in unum Deum: quia extra ipſum quicquid divinitatis concipiunt hominum mentes, ſtultum eſt ac deluſorium figmentum. Nam certe totius mundi errorem & inſaniam cognoſcere non parum prodeſt ad veræ pietatis confirmationem, dum ex altera parte occurrit Deus, quem certo ſcimus eſſe terræ & cæli opificem, nec fruſtra vel fortuito à nobis coli. Porro quo fortius retundat impiorum petulantiam, qui Deum cum electo populo ſuperbe deſpicere audebant, contemptim deridet fallaces eorum deos, primum idola vocans, hoc eſt res nihili: deinde quia conflati ſint ex mortua materia, vigore & ſenſu carere arguens. Quid enim magis præpoſterum, quam ab illis quicquam opis ſperare: quando neque materia, ex qua fabricantur, neque forma, quæ accedit ex manu hominum, ullam in ſe continent divinitatis guttam, quæ reverentiam illis conciliet? Interea tamen ſubindicat Propheta, pretium materiæ nihil dare præſtantiæ idolis, ut pluris fieri mereantur. Ideoque adverſative reſolvi poteſt oratio: quamvis aurea ſint & argentea, non eſſe tamen deos, quia ſint opus manuum hominis. Nam ſi ſimpliciter materiam vilipendere propoſitum fuiſſet, potius vocaſſet lignum & lapidem: nunc vero auri tantum & argenti meminit. Interea tamen Propheta nihil minus conſentaneum eſſe admonet, quam homines vel eſſentiam, vel formam, vel honorem etiam Deo conferre, quando ipſi precario evanidum ſpiritum trahunt. Unde ſequitur, ſtulte gloriari Gentes deorum ſuorum auxilio, quibus originem dederunt. Nam unde idolis principium, niſi ex hominum arbitrio? adeſt ad manum materia: liberum eſſet non modo pateram aut vas aliud fingere ex auro vel argento, ſed matul[am] quoque: Deum fingere magis libet. Quid magis ridiculum quam mortuæ maſſæ accedere novam Deitatem? Salſe etiam addit Propheta, quamvis membra ſuis ſimulachris forment Gentes, non poſſe vel motum aliquem vel uſum dare. Eo itaque præclarius ſecum agi intelligunt fideles, quia indubie ſtat verus & unicus Deus ab eorum parte: quando conſtat Gentes omnes fruſtra ſuperbire umbrarum præſidio. Quanquam latius extendi debet hæc doctrina, quia inde generaliter colligimus, perperam Deum quæri ſub externis figuris, quæ nihil ſimile vel affine habent cæleſti ejus gloriæ. Niſi enim hæc ſententia hodie tenetur, Gentibus in promptu fuiſſet exceptio, injuſte ſe damnari: quia etſi idola ſibi in terris conflabant, perſuaſi tamen erant Deum in cælo eſſe. Neque enim Jovem putabant vel lapideum eſſe, vel aureum, vel fictilem, ſed repræſentari ſub his ſignis. Unde enim loquutio illa, Supplicare ad deos, niſi quod ſimulachra putabant eſſe quaſi deorum perſonas? Non habent, inquit Cicero, Siculi deos, ad quos precentur: Barbare hoc diceret, niſi hæc infixa fuiſſet opinio vulgi animis, deorum cæleſtium figuras ſibi ante oculos verſari in ære, vel argento, vel marmore. Sed quia deos ſibi propiores putabant, quum ad ſimulachra accederent: merito delirium hoc exagitat Propheta quod deitatem includant corruptibilibus ſignis: quia à natura Dei alienum eſt, ſub lapide, fruſto marmoris, vel ligno & trunco, vel ære, vel argento habitare. Et hac ratione vocat Habacuc magiſterium falſitatis, craſſam *Heb. 2. verſ. 18.* illam colendi Dei formam. Notanda præterea eſt iſta inſectatio, *Os illis, & non loquentur.* Cur enim ad Deum confugimus, niſi quia vita noſtra ab eo pendet, in ejus manu eſt ſalus noſtra, penes eum reſidet bonorum omnium copia & juvandi facultas? Quid ergo abſurdius quam à ſimulachris petere quod illis deeſt, quum & motu & ſenſu careant?

8. *Similes illis.*] Multis videtur eſſe imprecatio: itaque futurum tempus optandi modo vertunt, Similes fiant. Sed non minus recte convenit ſubſannatio, ſi affirmet Propheta idololatras non minus eſſe ſtupidos quam ſi trunci eſſent vel lapides. Merito autem tam acriter invehitur in homines naturaliter ratione præditos, quod ſeipſos abdicent omni ratione & judicio, ſenſuque communi privent. Nam qui à rebus mortuis vitam petunt, nonne quantum in ſe eſt extinguunt omne rationis lumen? Summa eſt, ſiqua eſſet gutta ſanæ mentis, non tribuerent operibus manuum ſuarum deitatem, quibus ſenſum dare nequeunt. Et certe hoc unum ſufficit ad tollendum ignorantiæ prætextum, quod præter naturæ rationem falſos deos ſibi fabricant. Unde ſequitur, ſponte claudere oculos, obducere ſibi tenebras, ſeque obſtupefacere: quæ voluntaria cæcitas eos prorſus inexcuſabiles reddit: ne obtendere liceat, errorem à pio zelo profectum eſſe. Nec mihi dubium eſt quin Propheta titulum ac colorem ignorantiæ diſcutere voluerit: quia ſponte obruteſcunt homines. *Quiſquis confidit.* Hinc clarius patet cur tantopere abominetur Deus ſimulachra: quia ſcilicet ferre nequit cultum ſibi ereptum ad ea transferri. Nihil Deo magis proprium, quam ut mundus agnoſcat eum eſſe unicum ſalutis auctorem: quicquid opus eſt, petat ab eo ſolo & expectet. Ideoque ſpoliatur debito cultu, & quaſi in nihilum redigitur ejus majeſtas, quoties alibi locatur fiducia. Sacrilegium hoc Propheta accuſat, ſicuti etiam *Exod. 34. verſ. 14.* multis locis zelotypiæ confertur Dei indignatio, *Deut. 5. verſ. 9.* quoties videt idola & commentitios deos ſuis ſpoliis ornari. Siquis ſtatuam fingat ex marmore, vel ligno, vel ære, ſi conflet ex auro, vel argento, non eſſet hoc per ſe tam execrabile: ſed ubi Deum ſuis figmentis tentant affigere, & quaſi ipſum elicere è cælo, in ejus locum ſubſtituitur mera falſitas. Verum quidem eſt falſificari (ut ita loquar) Dei gloriam, ſimul ac induitur forma corruptibili: (Cui ſimilem me feciſtis? clamat per Jeſaiam. & plena *Jeſa. 40. verſ. 25.* eſt Scriptura talibus teſtimoniis) duplicatur tamen *& 46. verſ. 5.* contumelia ubi ejus virtus, gratia, & poteſtas in idolis incluſa creditur. Quanquam morbi ſunt fere inſeparabiles, idolis alligare ſuam fiduciam poſtquam fabricata fuerint. Unde enim tam cupide appetit mundus lapideos vel ligneos deos, vel fictiles, vel ex quavis terrena materia: niſi quia Deum imaginantur à ſe remotum, donec aliquo vinculo conſtrictum teneant? Quia igitur nolunt Deum ſpiritualiter quærere, detractum ex ſuo ſolio, mortuis elementis ſubjiciunt. Hinc fit ut preces dirigant ad ſimulachra, quia in illis putant propinquas ſibi eſſe Dei aures, oculos etiam, & manus. Dixi, vix poſſe duo hæc vitia disjungi, quin divinum numen idolis arrogent quicunque ea fabricando, Dei veritatem convertunt in mendacium. Prophetæ tamen conſilium fuit, ut nuper admonui, præcipuum ſacrilegium damnare: & quod maxime deteſtabile eſt, quum dicit idolis *confidere* incredulos.

9. Iſraël confide in Jehova, auxilium eorum, & clypeus eorum ipſe.

9 יִשְׂרָאֵל בְּטַח בַּיהוָה עֶזְרָם וּמָגִנָּם הוּא׃

10. Domus

10. Domus Aaron confidite in Jehova, auxilium eorum & clypeus eorum ipſe.	בית אהרן בטחו ביהוה עזרם 10 ומגנם הוא :
11. Qui timetis Jehovam confidite in Jehova, auxilium eorum & clypeus eorum ipſe.	יראי יהוה בטחו ביהוה עזרם 11 ומגנם הוא :
12. Jehova recordatus eſt noſtri, benedicet, benedicet domui Iſraël, benedicet domui Aaron.	יהוה זכרנו יברך יברך את ב 12 בית ישראל יברך את בית אהרן :
13. Benedicet timentibus Jehovam, parvulis ſimul cum magnis.	יברך יראי יהוה הקטנים עם 13 הגדלים :
14. Adjiciet Jehova ſuper vos, ſuper vos, & ſuper filios veſtros.	יסף יהוה עליכם עליכם ועל 14 בניכם :
15. Benedicti vos à Jehova qui fecit cælum & terram.	ברוכים אתם ליהוה עשה ש 15 שמים וארץ :

9. *Iſraël confide.*] Iterum ad illud doctrinæ caput revertitur Propheta, non eſſe timendum veri Dei cultoribus, ne ipſos in neceſſitate deſerat vel fruſtretur: quia tam propenſus eſt ad curandam eorum ſalutem quam potentia inſtructus. Cæterum primo loco hortatur Propheta totum Iſraëlem in genere ad fidendum Deo: deinde nominatim compellat domum Aaron: tertio ponit timentes Deum. cujus ordinis optima eſt ratio: quia Deus promiſcue adoptaverat totum populum, omnibus etiam expoſita erat ejus gratia, ut deberent communiter in eo ſpes ſuas figere. quo ſenſu dicit Paulus duodecim tribus Iſraël expectare promiſſam redemptionem. *Act. 26. verſ. 7.* Non abs re igitur Propheta totum Iſraëlem initio complectitur. Rurſum tamen, quia peculiariter elegerat ſibi Deus Levitas, præcipue vero Sacerdotes ex domo Aaron, qui aliis præirent, eſſentque religionis antiſtites, plus ab ipſis quam reliquo vulgo requirit: non quod ſpecialis ſalus illis promiſſa eſſet, ſed quia æquum erat viam aliis ipſos monſtrare, ſicuti aditus in Sanctuarium patebat: acſi diceret Propheta, Vos filii Aaron, quos Deus religionis magiſtros populo ſuo eſſe voluit, eſtote aliis exemplum fidei, quando ſingulari honore vos dignatus eſt, Sanctuarium ſuum vobis aperiens.

11. *Qui timetis Jehovam.*] Non loquitur de alienigenis, ut falſo quidam putant, quaſi de Gentium vocatione eſſet vaticinium. quia enim filiis Iſraël & filiis Aaron eos adjungit, putant incircumciſos notari, qui nondum collecti erant in ovile. Sed eodem argumento colligere liceret: Sacerdotes non eſſe ex genere Abrahæ, quia ſeorſum de illis facta eſt mentio. Quin potius ſubeſt correctio in his verbis, qua veros Dei cultores ab hypocritis, qui degeneres erant Abrahæ filii, diſcernit. Quoniam ergo multi carnales Abrahæ filii deſciverant à fide patris, promiſſionem ad eos reſtringit Propheta, qui eam fide amplexi, ſyncere Deum colebant. Atque ita nunc tenemus cur per tres iſtos gradus progreſſus fuerit: quemadmodum ſiquis hodie exhortationem dirigat, primo ad totum Eccleſiæ corpus, poſtea deſcendat ſpecialiter ad miniſtros & doctores, qui debent aliis eſſe anteſignani. Quia vero inani Eccleſiæ titulo fallaciter multi ſe venditant, ideoque cenſeri non merentur in germanis Dei filiis, diſtincte nominat puros & non fucatos Dei cultores.

12. *Jehova recordatus eſt.*] Plerique verbum *benedicendi* in præterito tempore vertunt, acſi propoſita experientia temporum ſuperiorum fideles ad bene ſperandum incitet, hoc modo, Jam longo uſu didicimus quid valeat Dei noſtri favor: quia non aliunde nobis & proſperitas, & bonorum omnium copia, & ſtabilis conditio. Sumit enim principium illud quod nobis omnibus perſuaſum eſſe debet, nos bene & feliciter nunquam habere niſi quatenus Deus benedicit. Jam quia toties erepti fuerant Iſraëlitæ ex multis periculis, toties in neceſſitate adjuti, tam liberaliter tractati, totidem erant clara gratiæ Dei erga ipſos documenta. Quia tamen nulla ratio cogit futurum in verbis tempus mutare, optime etiam conveniet, fidelibus eandem promitti quam ante experti erant gratiam. ita ſenſus eſſet, Deus hactenus fœderis ſui memor, nos reſpexit: ergo ejus benedictio, ſicuti cœpit, ad finem uſque in nos defluet. Eundem vero ordinem repetit, filiis Aaron ſuperiorem gradum tribuens in benedictione Dei, larvatos autem Iſraëlitas ab ea excludens. Dicit *puſillos cum magnis*, hac circumſtantia magis commendans paternam Dei indulgentiam: quia ne viliſſimos quidem & contemptiſſimos negligat, qui modo ex animo ejus fidem implorant. Jam quum nulla ſit perſonarum acceptio apud Deum, ne ab acceſſu nos abſterreat ignobilis & abjecta noſtra conditio, quando tam comiter invitat qui nullius videntur eſſe pretii. Repetitio etiam in verbo *benedicet*, aſſiduum gratiæ curſum deſignat. Si magis placeat tempus præteritum retinere, ſenſus erit, longa ſerie fluxiſſe Dei beneficentiam erga populum quæ certa eſſet perpetui amoris probatio. Et hunc ſenſum adjuvat proximus verſus, ubi Deum *multiplicaturum* dicit quæ hactenus beneficia contulerat. Quia enim fons eſt inexhauſtus Dei liberalitas, nunquam deſinit curſum ſuum tenere, quamdiu ſuæ ingratitudinis obſtaculo eam homines non arcent. Unde ſequitur, ad poſteros quoque manare: quia Deus adoptionis ſuæ gratiam & fructum in mille generationes propagat.

15. *Benedicti vos.*] Proximo verſu ſpem fecerat Propheta perpetuæ felicitatis: quia largiendo, nunquam areſcit immenſa Dei facultas, & locupletare nunquam deſinit quos ſemel fecit ſuæ beneficentiæ participes. Nunc confirmandæ hujus doctrinæ cauſa, filios Abrahæ commemorat ſelectos eſſe à reliquis Gentibus, ut hoc privilegio freti, non dubitent totos ſe tam benigno & benefico patri addicere. Jam quia caro pro ſua tarditate non apprehendit Dei potentiam, cujus cognitio nos ſub Dei præſidio quietos & ſecuros continet: Propheta *cæli & terræ opificem* vocans, admonet minime timendum eſſe ne ipſe unus ad nos tuendos ſufficiat. Neque enim ſic creavit Deus cælum & terram, ut nunc ſedeat otioſus in cælo, ſed ut ſuo imperio moderetur quicquid ſemel condidit.

16. Cæli cæli Jehovæ: at terram dedit filiis hominum.	השמים שמים ליהוה והארץ 16 נתן לבני אדם :

17. Non mortui laudabunt *te* Deus, neque omnes qui deſcendunt in ſilentium.

18. Nos autem benedicemus Deo ex nunc & uſque in ſeculum. Halelu-Jah.

17 לא המתים יהללו יה ולא כל ירדי דומה :

18 ואנחנו נברך יה מעתה ועד עולם הללויה :

16. *Cæli cæli Jehovæ.*] Hic bonitatem Dei, paternumque erga humanum genus amorem commendat Propheta, quod, quum nulla re indigeat ipſe, mundum tamen cum ſuis opibus in uſum hominum condiderit. Quorſum enim tanta bonorum varietate (quæ ubique ſe ingerit oculis noſtris) referta eſt terra, niſi quia Deus, ut providus paterfamilias, neceſſitatibus noſtris conſuluit? Quotquot ergo commoditates hic percipimus, totidem ſunt paternæ ejus curæ teſtimonia. hoc Prophetæ conſilium eſt, quod miror tam ſecure à pleriſque interpretibus negligi. Summa eſt, Deum gloria ſua contentum, terram locupletaſſe copiis omnibus, ne quid hominibus deeſſet. Deum autem omni terrena opulentia poſſe carere probat, quoniam inhabitat cælos. nam certe neque vinum, neque triticum illic naſcitur, neque alia vitæ ſubſidia. Unde ſequitur, Deo non eſſe opus quicquam extra ſe quærere. atque huc ſpectat duplicatio, Cæli cæli Deo ſufficiunt: & quia nullis adminiculis indiget, ipſe ſibi eſt pro centum mundis. Reſtat igitur hoc ſecundum, quicquid eſt in mundo opulentiæ, clamare alta voce quam beneficus pater ſit Deus erga homines. Quum vero de incomparabili iſta Dei bonitate concionatus eſſet Spiritus ſanctus, mirum eſt hujus doctrinæ nullum fuiſſe guſtum. canebant ſub Papatu, ſicuti hodie faciunt, Pſalmum hunc in templis: ſed an centeſimus quiſque expendit, Deum, omnia nobis largiendo, nihil ſibi præter gratiarum actionem reſiduum facere? Neque in eo tantum ſe prodit mundi ingratitudo, ſed fœdius ad craſſam & nimis pudendam blaſphemiam vulgo prorumpere auſi ſunt perditi nebulones, quibus hic verſus jocoſi dicterii loco fuit, quum Deum in cælo deliciari dicerent, nec curare res humanas. Et quum Propheta hic diſerte exprimat, Deo non alia in re utilem eſſe mundum niſi ut paternæ erga homines ejus ſolicitudini ſerviat, verba Prophetæ in ludibrium torſerunt porci iſti & canes, acſi propter longam diſtantiam homines non reſpiceret. Cogor hic memorabilem hiſtoriam referre. Accidit nobis in diverſorio quodam cœnantibus, ut profanus Dei contemptor ſermones noſtros de ſpe cæleſtis vitæ deridens, ſubinde ludibrium hoc evomeret, Cælum cæli Domino. illic repente correptus diris torminibus cœpit vociferari, O Deus, O Deus. atque ut erat patulo gutture, boatu ſuo replebat totum cœnaculum. Ego qui in eum ſevere excandueram, perrexi meo more, ſtomachoſe denuncians ut tunc ſaltem ſentiret non impune Deo illudi. Unus ex convivis qui hodie adhuc ſuperſtes eſt, homo probus & religioſus, ſed tamen facetus, hac opportunitate in alium finem uſus eſt: Tune Deum invocas? an philoſophiæ tuæ oblitus es? cur non in ſuo cælo ſinis quieſcere? Et quoties ille tonabat O Deus, hic alter ſubſannans regerebat, Ubi nunc eſt illud tuum, Cælum cæli Domino? Ac tunc quidem levatus eſt: ſed quod reliquum fuit vitæ, in ſuis impuris ſordibus tranſegit.

17. *Non mortui, &c.*] Hic ultra progreditur Propheta, Deumque precatur ut hac ſaltem de cauſa Deus ſe placabilem exhibeat ſuæ Eccleſiæ, ne funditus intereat humanum genus: & ſint qui non modo fruantur ejus beneficentia, ſed nomen etiam invocent ac celebrent. Poſtquam enim peculiarem erga Iſraëlitas Dei gratiam, & deinde beneficentiam qua proſequitur totum genus hominum laudavit Propheta: nunc ad Dei miſericordiam confugit, ut populi ſui peccatis ignoſcat. Sumit autem principium illud, Quum profanæ gentes ſe ingurgitent Dei beneficiis, ſolum genus Abrahæ ad canendas ejus laudes eſſe electum. acſi diceret, Domine quid fiet ſi nos perire ſinas, niſi ut nomen tuum nobiſcum extinctum ſepeliatur? Sed hic exoritur quæſtio: quia videtur privare ſenſu omnes mortuos. atqui ſi animæ ex corporum ergaſtulis egreſſæ, ſunt ſuperſtites, alacrius tunc eas vigere certum eſt. unde ſequitur, Deum à mortuis quoque laudari. Adde quod domicilium hominibus in terra aſſignans, ita ipſos à Deo ſeparat ut communem tantum cum brutis animalibus relinquat vitam. Neque enim ſolis hominibus data eſt terra, ſed bobus quoque, porcis, & canibus, leonibus, & urſis, imo & inſectis quibuslibet. nulla enim muſca eſt, nullus pediculus cui domicilium non præbeat terra. Primæ quæſtionis facilis eſt ſolutio: quia in terra ideo locati ſunt homines, ut uno quaſi ore inter ipſos Dei laudes perſonent. Ad hanc ſymphoniam reſpexit Propheta, ſicuti & Scriptura aliis pluribus locis, Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini. Dicebat etiam pius Rex Ezechias, Vivens vivens ipſe confitebitur tibi. Dicebat etiam Jonas è ventre ceti ejectus, Immolabo, & vota reddam Domino. Denique quia hic nobis vivendi finis eſt ut ſimus in terra præcones gloriæ Dei, non eſt autem talis inter mortuos communicatio & ſocietas, ut mutuo laudes Dei inter ſe concinant: merito Propheta partes laudandi Dei mortuis adimit. Hinc & alterius quæſtionis pendet ſolutio. dicit Propheta terram hominibus eſſe datam, nempe ubi ſe exerceant in Dei cultu, donec fruantur æterna ſua felicitate. Nam quum ad pecudes & feras perveniant terræ opes, præcipue tamen in uſum hominum creata eſſe omnia Spiritus pronunciat, ut Deum inde Patrem agnoſcant. Concludit tandem Propheta, niſi Deus Eccleſiam conſervet, inverſum iri totum naturæ ordinem: quia irrita erit mundi creatio, niſi ſit aliquis populus qui Deum invocet. Inde colligit, reliquias aliquas ſemper fore ſuperſtites. nec ſolum promittit incolumem fore Eccleſiam, ſed qui in hunc modum ſervati fuerint, eos ad gratitudinem hortatur: imo ſe omnium nomine ad canendas Dei laudes obſtringit. Nec vero de unius tantum ſeculi hominibus habetur ſermo, ſed de toto Eccleſiæ corpore, quod ideo propagat Deus per continuas ætatum ſeries, ut teſtes ſemper ac præcones habeat ſuæ juſtitiæ, bonitatis, ac miſericordiæ.

Pſal. 118. verſ. 17.
Jeſa. 38. verſ. 19.
Jona 2. verſ. 9.

ARGU-

Argumentum Pſalmi CXVI.

David ex ſummis periculis ereptus, quam diros animi cruciatus & anxietates perpeſſus fuerit, deinde quam mirabiliter à Deo ſervatus fuerit, recitat. Nam ex ipſa deſperatione clarius enituit Dei virtus in reſtituenda ſalute: quia ſpes omnes præciſæ erant, niſi Deus illi opem tuliſſet. Hoc modo ſe ad gratias agendas incitat, & fatetur nullum aliud ſuppetere compenſationis genus pro innumeris beneficiis.

Psalm. CXVI.

Dilexi, quia exaudiet Jehovah vocem precationis meæ.

1 אהבתי כי ישמע יהוה את קולי תחנוני׃

2. Quia inclinavit aurem ſuam mihi, & in diebus meis invocabo.

2 כי הטה אזנו לי ובימי אקרא׃

3. Circumdederunt me laquei mortis, & anguſtiæ ſepulchri invenerunt me: tribulationem & dolorem inveni.

3 אפפוני חבלי מות ומצרי שאול מצאוני צרה ויגון אמצא׃

4. Et in nomine Jehovæ invocabo, obſecro Jehovah, libera animam meam.

4 ובשם יהוה אקרא אנא יהוה מלטה נפשי׃

D*ilexi, quia* &c.] Hic ab initio David teſtatur ſe dulcedine bonitatis Dei illectum, in ipſo uno quieſcere. Nam defectiva loquutio magis emphatica eſt, qua exprimit nuſquam ſibi vel gaudium eſſe vel quietem niſi in uno Deo. Scimus enim, donec ſibi Deus animas noſtras penitus devinciat, ſemper vagari poſt inanes illecebras, & inquietudine fervere. Hunc morbum in ſe curatum eſſe aſſerit David, quia certe ſenſerit Deum ſibi eſſe propitium: & quia expertus eſt in ſolidum beatos eſſe quicunque Deum invocant, nullis ſe deliciis ab eo abſtractum iri prædicat. Iſtud ergo Dilexi, tantundem valet acſi negaret ſibi quicquam ſuave fore extra Deum, vel delectabile. Unde colligimus, male proficere in experientia gratiæ Dei, qui ab eo exauditi, non ſe penitus ipſius fidei tradunt. Eodem & ſecundus verſus pertinet, niſi quod ſecunda pars ſenſum commodum admittit, de quo tacent interpretes. Nam quod dicitur, *In diebus meis invocabo*, ſine controverſia ita exponunt, Ego, cui tam feliciter antehac ſucceſſit Deum orare, toto vitæ curriculo in hoc curſu pergam. Sed videndum eſt annon æque conveniat, accipi *dies Davidis* pro opportuno quærendæ opis tempore, quum ſcilicet anguſtiæ urgerent. Neque futurum tempus moror in verbo אקרא: quia & primo verſu verbum Exaudiet de tempore præterito haud dubie capitur. tunc vero copula reſolvenda eſſet in adverbium temporis: quod Hebræis ſatis tritum eſt. Contextus autem hic optime cohæret, Quia aurem mihi præbuit dum eum adverſis meis temporibus invoco, adeoque in ipſo articulo ultimæ neceſſitatis. Quod ſi cui magis arrideat prior expoſitio, non contendam: quæ tamen ſequuntur, magis videntur huic ſecundæ ſuffragari, quia exegetice incipit referre David quinam dies illi fuerint. Cæterum ut gloriam Dei pro merito illuſtret, nullum ſibi à morte exitum fuiſſe prædicat. quemadmodum ſiquis apud hoſtes manicis & compedibus ligatus, omni ſpe redemptionis privetur. Fatetur ergo ſe morti fuiſſe mancipatum, ſe deprehenſum ac captum fuiſſe, ut nulla evaſio reliqua eſſet. Quemadmodum autem ſe mortis anguſtiis dicit fuiſſe conſtrictum, ita etiam addit ſe incidiſſe in tribulationes & dolores. Hic vero jam confirmat quod nuper dixit, quum videri poſſet procul à Deo rejectus, ſibi hoc maxime opportunum fuiſſe tempus orandi.

5. Clemens Jehova & juſtus, & Deus noſter miſericors.

5 חנון יהוה וצדיק ואלהינו מרחם׃

6. Cuſtodiens ſimplices Jehova: extenuatus ſum, & me ſervavit.

6 שמר פתאים יהוה דלותי ולי יהושיע׃

7. Revertere anima mea in requiem tuam, quia Jehova rependit ſuper te.

7 שובי נפשי למנוחיכי כי יהוה גמל עליכי׃

8. Quia eripuiſti animam meam à morte, oculum meum à lachrymis, pedem meum à lapſu.

8 כי חלצת נפשי ממות את עיני מן דמעה את רגלי מדחי׃

9. Ambulabo coram facie Jehovæ in terris vivorum.

9 אתהלך לפני יהוה בארצות החיים׃

5. *Clemens.*] Jam illius dilectionis de qua meminit, fructus profert, Dei elogia ſibi proponens, quæ ad fidem in eo retinendam valeant. Primo vocat clementem, quia gratis ad auxiliandum propenſus eſt. Hinc naſcitur juſtitia quam exerit ad ſuos tuendos. Miſericordia porro adjungitur, ſine qua indigni ſumus quibus Deus ſuccurrat. Et quia afflictiones quæ interveniunt, ſæpe videntur juſtitiæ præcludere januam, hinc ſequitur, nihil ſuavius eſſe quam acquieſcere in eo ſolo, ut paternus ejus favor ſenſus omnes noſtros contineat, nec alio nos rapiat ulla oblectatio aut voluptas. Uſum deinde clementiæ & juſtitiæ Dei accommodat *ad cuſtodiendos ſimplices*, nempe qui conſilio deſtituti, ſibi ipſis proſpicere nequeunt. Accipitur hoc nomen פתאים ſæpe in malam partem pro inconſideratis & ſtultis, qui recto conſilio non obtemperant: ſed nunc ſimplices vocantur qui patent injuriis, qui cavendis inſidiis minime ſunt ſolertes, qui denique facile circumveniuntur, quum filii hujus ſeculi tam aſtu polleant, quam rationibus ſint inſtructi ad ſe protegendos. David ergo ſe fatetur inſtar pueri fuiſſe, qui ſibi conſulere nequiret, & ad repellenda diſcrimina quibus erat obnoxius, minime idoneus eſſet. Ideo Græcus interpres non male reddidit νήπια. Summa eſt, ubi neque prudentia, neque ratio miſeris ſuppetit ad reperienda effugia, Deum pro ipſis ſapere, & arcanam providentiæ ſuæ cuſtodiam opponere periculis omnibus quibus impetitur ipſorum ſalus. Tandem exemplum in ſe David proponit, quod redactus ad ſummam inopiam, integrum ſtatum per Dei gratiam receperit.

7. Rever-

7. *Revertere anima.*] Jam ſe ad colligendum animum hortatur: imo animam ſuam alloquens, tranquillam eſſe jubet, quia Deus ſe propitium exhibuerit. Quod interpretes quidam ſub *quietis* nomine Deum intelligunt, coactum eſt: potius enim pro tranquillo & bene compoſito animi ſtatu accipitur. fatetur enim David ſe graviter fuiſſe perculſum, & jactatum inter multas agitationes: ſicuti quiſque noſtrum ſibi conſcius eſt propriæ inquietudinis, ubi undique mortis terrores impendent. Quamvis ergo rara fortitudine excelleret David, mœroris tamen impulſu tumultuatus eſt: & interior concuſſio animum ejus adeo turbavit, ut merito queratur ſe fuiſſe quiete ſua privatum. Nunc Dei gratiam ſufficere dicit ad ſedandas iſtas perturbationes. Quæritur tamen an ſola experientia gratiæ Dei, metum & trepidationem in animis noſtris ſanet: quia ſe poſthac tranquillum fore David prædicat, quod ſublevatus fuerit Dei auxilio. Si autem fideles non aliter quietem ſuam recuperant niſi quatenus ſe illis exhibet Deus liberatorem, quiſnam erit fidei locus? & quæ vis promiſſionum? Nam hæc certe eſt fidei probatio, dum placide & in ſilentio expectemus quæ Deus occultat favoris ſui ſigna. Fides autem ubicunque viget, tranquillat conſcientias & mentes, ut pax Dei quæ exuperat omnem
Philip. 4. verſ. 7. ſenſum, illic obtineat palmam, ſicuti dicit Paulus. Itaque pii, quamvis labaſcat totus mundus, reſident in ſua ſtatione. Quid ergo ſibi vult iſte reditus ad quietem? Reſpondeo, quamvis ſurſum & deorſum verſentur filii Dei, ſuam tamen illis fulturam manere in Dei verbo, ne prorſus excidant. Cæterum, quamvis promiſſionibus Dei freti ſe rejiciant in ejus providentiam, laborant nihilominus inquietudine, & inter tentationum procellas miſere æſtuant. Ubi autem ſuccurrit Deus, non modo pax interior cuſtodit eorum mentes, ſed hilaritatis & lætitiæ materiam concipiunt ex manifeſta ejus gratia. De hac altera quietis ſpecie nunc tractat David, tempus eſſe dicens, quamvis in anima ſua prævaluerint tumultus, ut jam ſe placide in Deo oblectet. גמל improprie vertunt rependere, quum generaliter Hebræis tam conferre beneficium, quam mercedem rependere ſignificet: idque confirmat proximo verſu, animam ſuam à morte ereptam eſſe dicens, &c. Hæc igitur eſt retributio, (ut ita loquar) quod Deus à morte eum liberans, lachrymas abſterſerit ab ejus oculis. Eſt autem inverſus ordo verborum: quia more noſtro dicendum fuit potius, Eripuit pedes meos à lapſu, oculos meos à lachrymis: imo, eripuit animam meam à morte. quia quod præcipuum eſt, ſolemus extremo loco ponere. ſed Hebræis hæc ſeries verborum minime abſurda eſt: quæ ſic reſolvi debet, Non tantum aſſeruit me Deus à præſenti morte, ſed liberalius egit mecum, triſtitiam mihi diſcutiens, & manum mihi porrigens, ne impingerem. nam eſt amplificatio gratiæ Dei, quod pene exanimem in vitam reſtituit.

9. *Ambulabo.*] Hic ambulare coram Deo, tantundem mihi valet atque agere ſub ejus cura. Hinc David fore ſperat ut ſua incolumitate ſemper fruatur: nihil enim optabilius eſt quam Deo pro nobis excubias agente, vitam noſtram incluſam eſſe ſub ejus cuſtodia. Itaque ſicuti impiorum ſecuritas eſt, procul à Deo recedere: ita hoc uno pii ſe beatos æſtimant, quod Deus totam eorum vitam dirigat. Victurum ergo ſe David prædicat: quia Deum habeat vitæ ſuæ cuſtodem. Nam quod addit, *in terra viventium*, huc ſpectat, actum de nobis eſſe, & ſingulis fere momentis inſtare novos interitus, ſi noſtri obliviſcatur.

10. Credidi, quia loquar: ego afflictus ſum valde.	10 הֶאֱמַנְתִּי כִּי אֲדַבֵּר אֲנִי עָנִיתִי מְאֹד׃
11. Ego dixi in trepidatione mea, Omnis homo mendax.	11 אֲנִי אָמַרְתִּי בְחָפְזִי כָּל־הָאָדָם כֹּזֵב׃

10. *Credidi.*] Iterum recitat quam magno in diſcrimine verſatus ſit: quo melius eluceat liberationis miraculum. Sed præfatur ſe ex ſyncero animi ſenſu loqui, nec aliud ore proferre quam quod diu meditatum & probe concoctum habuerat. Hoc enim valet particula, Credidi, quia loquar, verba ex ſerio animi affectu proficiſci. Paulus 2 ad Cor. 4. verſ. 13. locum hunc citans, Græcam verſionem ſequitur, Credidi, propterea loquutus ſum. Sed quia alibi admonui Apoſtolis non fuiſſe propoſitum ſingulas voces aut ſyllabas referre, ſufficiat Davidis verba nativo ſenſu proprie aptari ad cauſam quæ illic à Paulo tractatur. Poſtquam enim oblique perſtrinxit Corinthios, qui tanquam exempti communi ſorte hominum, ſe ſupra nubes efferebant: Credidi, inquit, propterea loquutus ſum: qui ſemel excitavit Chriſtum à mortuis, Chriſti quoque vitam ad nos uſque extendet: hoc eſt, ego credo, & ideo loquor. Inde colligit, ſtulta jactantia ſuperbire Corinthios: quia non humiliter amplexentur Chriſti crucem, quum eodem fidei Spiritu ipſos loqui deceat. Quamvis autem Hebræi quidam interpretes particulam כי adverſative accipiant, rectior tamen ſenſus eſt, quem etiam doctiſſimi probant, Non loquar niſi quod animo concepi. circumſtantia enim loci hoc exigit, externam linguæ profeſſionem cum vero cordis ſenſu congruere: ſicut multi futiliter garriunt quod nunquam in animos eorum penetravit. acſi diceret, Nequis putet me futiles jactare hyperbolas, quia loquor, vere credidi. Unde colligitur utilis doctrina, fidem non poſſe in cordibus mortuam latere quin emergat. Spiritus enim ſacro vinculo fidem cordis hic copulat cum externa confeſſione, quæ autem Deus conjunxit, homo ne ſeparet. Itaque perfide totum Dei verbum corrumpunt ſimulatores, qui fidem libenter obruerent in tenebris. Sed meminerimus exigi à filiis Dei ordinem quem præſcribit David, ut ante credant quam lingua profiteantur. Cæterum (ut dixi) de magnitudine periculi ſui diſſerit, quo ſalutem Divinitus ſibi oblatam magis illuſtret.

11. *Ego dixi in trepidatione mea.*] Quidam nomen חפז pro feſtinatione vel fuga accipiunt: atque interpretantur, Davidem, quum celeriter fugeret à facie Saulis, ſic fuiſſe loquutum. Sed quia trepidationem metaphorice ſignificat, non dubito quin recitet David ſe conſternatum fuiſſe animo, ut quaſi in præcipitio eſſet. Quum ergo mentis agitatio eum raptaret, fatetur ſe propemodum animo conciddiſſe. In ſecunda parte verſus etiam variant interpretes. Quidam Davidem fateri putant ſe dubitaſſe de promiſſione ſibi oblata per Prophetam Samuelem. Erat quidem ille teſtis idoneus: ſed quum videret ſe David patria expulſum ſubinde in varias mortes incurrere, obrepere potuit tentatio, fruſtra & de nihilo fuiſſe unctum à Samuele. Ergo ſecundum illos, ſenſus verborum eſt, parum abfuit quin prorſus in fuga exciderem, & promiſſio mihi data evaneſceret, imo putavi vana ſpe me fuiſſe deceptum. Alii contrarium ſenſum eliciunt, Davidem ſcilicet tentationis fuiſſe victorem, quod quum aſtute mentem ejus Satan ad deſperationem attraheret, ſeipſum mox corripuerit, atque anſam præciderit ſuæ incredulitati, hoc modo, Quid agis miſer,

miſer, & quo te præcipitas? audesne oblique Deo imputare mendacium? imo ſit ille verax, tu autem vanus, mendax, ac perfidus. Ego vero generalius hanc doctrinam patere arbitror, quod ſcilicet non ſibi directe vaticinium hoc propoſuerit David: ſed animo confuſus, inconſiderate ſe implicuerit Satanæ laqueis, ut nihil firmi uſquam conciperet. Quanquam enim ſæpe labaſcunt fideles, ut denſas tenebras illis objicit Satan, ut fere illis evaneſcat verbum Dei: fundamentum tamen ſuum non relinquunt, neque Deum conſulto incuſant mendacii: quin potius impiis cogitationibus frænum injiciunt. Certe quum *dicendi* verbum Hebræis fixam perſuaſionem denotet, ſicut Gallice dicimus, *I'ay conclu ou reſolu*: non potuit hæc tentatio ferire animum Davidis, quin ſtatim occurreret. Reſtat igitur quod dixi, Davidem mente obtenebratum, momento illo in Deum non reſpexiſſe. Etſi enim non ex profeſſo litigant, vel inquirunt fideles ſitne Deus verax, neque hæc execranda blaſphemia quaſi formata (ut ita loquar) occupat eorum ſenſus: quin potius eam, quoties ſe inſinuat, repellunt ac deteſtantur: contingit tamen interdum ipſis uſque adeo turbari, ut nihil cernant præter mendacium & inanitatem. Talis fuit in trepidatione ſenſus Davidis & quidem confuſus, acſi craſſæ nebulæ aſpectum lucis tollerent, Nihil certi eſt, nihil ſtabilis: quid credam? quid ſperabo? quo confugiam? Atque ita ſecum non raro diſceptant fideles in hominibus nihil certum eſſe. nam velum eſt oppoſitum eorum oculis, quo prohibentur à conſpectu lucis Dei, ideoque in terra ſubſidunt, donec ſupra cælos evecti, veritatem Dei rurſus cernere incipiant. Conſilium Davidis eſt (ut nuper attigi) amplificare modis omnibus Dei gratiam. hac de cauſa de ſuis tentationibus verba faciens, ſe indignum fuiſſe fatetur quem Deus ope ſua ſublevaret. debuerat enim ſe colligere, ut vaticinio innixus, ſupra omnem diffidentiam ſe attolleret. Hoc ſe feciſſe negat, quod mens confuſa nihil præter vanitatem cerneret. Porro quum tam horribili impulſu concuſſus fuerit, quid nobis fiet, niſi nos Deus fulciat ac retineat? Quod tamen non eo ſpectat ut dubii & incerti pendeant fideles, ſed magis ſolicite Deum invocent. Sedulo autem ad certandum intenti ſimus: quia incredibiles ſunt iſtæ luctæ, donec ad rem ventum fuerit. Quanquam ſimul tenendum eſt, agitationem hanc quaſi momentaneam fuiſſe in Davide, quum ſcilicet elapſa vaticinii memoria, dubius oberraret.

12. Quid rependam Jehovæ? omnia beneficia ejus ſuper me.	ת 12 מָה אָשִׁיב לַיהוָה כָּל תַּגְמוּלוֹהִי עָלָי׃
13. Calicem ſalutum accipiam, & nomen Jehovæ invocabo.	13 כּוֹס יְשׁוּעוֹת אֶשָּׂא וּבְשֵׁם יְהוָה אֶקְרָא׃
14. Vota mea Jehovæ reddam nunc coram toto populo ejus.	14 נְדָרַי לַיהוָה אֲשַׁלֵּם נֶגְדָה נָּא לְכָל עַמּוֹ׃

12. *Quid rependam.*] Jam cum admiratione exclamat ſe magis obrui immenſa beneficiorum Dei mole, quam ut referendæ gratiæ par eſſe queat. Emphatica enim interrogatio eſt, qua ſtudium quidem ſibi non deeſſe oſtendit, ſed rationem minime ſuppetere. Quum ergo ſe non eſſe ſolvendo agnoſcat, ſumit quod reſiduum eſt, nempe ut Dei gratiam celebret quibuſcunque poteſt laudibus. Cuperem (inquit) officio defungi: ſed dum in omnes partes circumſpicio, nihil uſquam invenio compenſationis. Quod ad verba ſpectat, particulam *Super me* quidam ita exponunt, quaſi diceret David, reſidere in animo ſuo memoriam omnium beneficiorum quæ Deus in ipſum contulerat. Alii ſubaudiunt particulam, PRO, ſicuti etiam reddidit Græcus interpres. Sed melius quadrat diſtinctio poſt Jehovæ. Poſtquam enim ſe Deo remunerando imparem confeſſus eſt, imo nihil ſibi occurrere quod rependat, ſimul adjungit confirmandi cauſa, non una tantum beneficii ſpecie ſe eſſe obſtrictum, ſed innumeris: acſi diceret, Quum nullum ſit beneficii genus quo non me Deus ſibi devinxerit, quomodo remunerandi facultas mihi ſuppeteret? Quia ergo omnia præmia deficiunt, confugit ad gratiarum actionem: quæ una ſolutio, Deo abunde ſufficit. Admonet autem hoc Davidis exemplum non leviter aut defunctorie reputanda eſſe Dei beneficia: quia ſi pro merito æſtimantur, ipſa cogitatio in admirationem rapere nos debet. Nemo enim eſt noſtrum qui non onuſtus ſit immenſa beneficiorum Dei congerie: ſed vanitas noſtra, quæ animos in erraticas ſpeculationes abſtrahit, hujus doctrinæ oblivionem inducit, quæ tamen in aſſidua ſui meditatione nos occupare debuerat. Ac eo plus laudis meretur Dei erga nos liberalitas, quod nihil à nobis mutuum expectat, ſicuti nec recipere poteſt: quia nec ulla re indiget, nos vero bonorum omnium inopes ſumus ac vacui.

13. *Calicem ſalutum.*] Alludit ad morem uſitatum ſub Lege. nam quum ſolennes agerent Deo gratias, adhibebatur etiam epulum, ubi fiebat in ſignum lætitiæ ſacra libatio. Quia hoc ſymbolum erat liberationis, Calicem ſalutum vocat. Et verbum *invocandi* ſignificat nomen Dei celebrare. quod idem clarius exprimit continuo poſt, ubi dicit ſe *redditurum vota ſua in cœtu fidelium*: quia non alibi quam in Sanctuario fas erat offerre ſacrificia. Summa huc tendit, non eſſe magnopere laborandum fidelibus quomodo ſe liberent, quia Deus ſatisfactiones non quærit quibus eos ſcit carere, ſed nuda & ſimplici gratitudine contentus eſt. nam hæc juſta ſolutio eſt, fateri omnia illi nos debere. Quod ſi Deus tam benigne & humaniter nobis indulget, eo magis deteſtabilis eſt noſtra ignavia, niſi laudes ſalutum quas exigit, ei referimus. Et certe pluſquam indigni ſunt qui ſolis luce & vitali ſpiritu, ne dicam mundi totius divitiis fruantur, qui auctorem tam exiguo jure fraudant. Quanquam autem jam in uſu non ſunt legales cæremoniæ, ideoque ceſſavit externa iſta libatio cujus meminit David, viget tamen ſpiritualis cultus, de quo vidimus Pſalmo 50. verſ. 23. Sacrificium laudis glorificabit me. Interea meminerimus rite Deum à nobis laudari, ſi non modo linguas, ſed nos ipſos & quicquid in nobis eſt offerimus in ſacrificium. non quod ulla inde ad Deum redeat utilitas, ſed quia gratitudinem noſtram hoc modo probari æquum eſt.

14. *Vota mea reddam.*] Quum in mediis periculis vota nuncupaverit, in eo refulget pietatis conſtantia. Jam oſtendit ſe minime eſſe oblitum, ſicuti plerique, dum urgentur manu Dei, ejus quidem fidem implorant ad momentum, ſed memoriam acceptæ ſalutis mox ſepeliunt. Atqui Spiritus de vero cultu diſſerens, non abs re duas iſtas partes inſeparabili nexu conjungit, Invoca me in die tribulationis: & liberatus, glorifica me. Sicut abſurdum eſſe videtur, fideles votorum nuncupatione paciſci cum Deo, ut ſibi concilient favorem: Reſpondeo non promittere ipſos laudis ſacrificium, ut blanditiis ipſum inſtar hominis mortalis demulceant, vel ut *Pſal. 50. verſ. 15.*

ut ſibi obſtringant propoſita mercede. nuper enim teſtatus eſt David nihil ſe afferre compenſationis. Votorum ergo finis & uſus eſt, primum ut impetrandi fiduciam cordibus ſuis obſignent filii Dei: deinde ut ſe magis ad gratiarum actionem incitent. Nam certe vovendi libertas filiis Dei pro ſublevanda eorum infirmitate conceditur: quia hoc modo ad eos deſcendit indulgentiſſimus Pater, ac ſecum permittit familiariter agi, modo in hunc quem dixi finem voveant. Quicquid ſit, nihil tentandum niſi ex ejus permiſſu. Quo magis ridiculi ſunt Papiſtæ, qui ſtulta quælibet abſurdaque vota quæ ſine judicio effutire libuerit, defendunt hoc prætextu. quaſi vero licita ſit ebrietas, quia Deus nobis permittit comedere.

15. Pretioſa in oculis Jehovæ mors manſuetorum ejus.	15 יקר בעיני יהוה המותה לחסידיו׃
16. Agedum Jehova, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus filius ancillæ tuæ, dirupiſti vincula mea:	16 אנה יהוה כי אני עבדך אני עבדך בן אמתך פתחת למוסרי׃
17. Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis, & nomen Jehovæ invocabo.	17 לך אזבח זבח תודה ובשם יהוה אקרא׃
18. Vota mea Jehovæ reddam nunc coram toto populo ejus,	18 נדרי ליהוה אשלם נגדה נא לכל עמו׃
19. In atriis domus Jehovæ, in medio tui Jeruſalem. Halelu-Jah.	19 בחצרות בית יהוה בתוככי ירושלם הללויה׃

15. *Pretioſa.*] Tranſit ad generalem doctrinam, pios curæ eſſe Deo, ut illis in neceſſitate opem ferat: quia pretioſa eſt coram eo ipſorum vita. Hoc autem clypeo munire ſe voluit contra mortis terrores qui ſæpe ingerebantur, quum ſe mox abſorbendum putaret. Nam dum ita Deo connivente periclitamur, obrepit opinio, nos tanquam vilia mancipia negligi, vitamque noſtram pro nihilo duci. Jam ſcimus, impios, dum vident nos deſtitui omnibus præſidiis, eo audacius contra nos inſoleſcere, acſi nulla eſſet vitæ aut mortis noſtræ ratio. Eorum ergo libidini oppoſuit David hanc ſententiam, pluris eſſe Deo ſuos cultores, quam ut eos fortuito in mortem projiciat. Quamvis ergo ad tempus ſimus omnibus fortunæ & hominum injuriis expoſiti, ſemper tamen occurrat hæc conſolatio, Deum tandem palam facturum quam charas habeat animas noſtras. Sicut hodie quum innoxius ſanguis funditur, & atrociter inſultant impii, acſi, Deo victo, triumphos agerent, ſtet nobis firma hæc doctrina, mortem fidelium, quæ ſordida eſt coram hominibus, imo probroſa, in oculis Dei eſſe pretioſam, ut tandem vel mortuis manum porrigat: & horrendis exemplis demonſtret quam ſibi inviſa ſit eorum crudelitas qui
Pſal. 56. verſ. 9. injuſte bonos & ſimplices affligunt. Nam ſi lachrymas eorum in utre numeratas ſervat, quomodo ſanguinem evaneſcere ſineret? Suo igitur tempore im-
Jeſa. 26. verſ. 21. plebitur Jeſaiæ vaticinium, ut terra ſanguines ſuos detegat. Cæterum ut locum demus gratiæ Dei, induamus manſuetudinis ſpiritum: ſicuti Propheta fideles vocans manſuetos, ad ferendum crucis onus
Luc. 21. verſ. 19. jubet colla placide ſubmittere, ut in patientia ſua poſſideant animas ſuas.

16. *Agedum Jehova.*] Sicuti proximo verſu gloriatus eſt, in ſua perſona editum fuiſſe à Deo ſpecimen paterni favoris quo fideles omnes proſequitur, ita nunc ſpecialiter ad ſe accommodat generalem doctrinam, *vincula ſua ſoluta eſſe* dicens: quia unus fuerit ex numero ſervorum Dei. *Vincula* autem nominat, quemadmodum ſi quis pedibus & manibus ligatis trahatur à carnifice. Porro liberationis ſuæ cauſam in eo ſtatuens quod ſervus Dei fuerit, minime jactat ſua obſequia, ſed potius animum refert ad gratuitam Dei electionem: quia minime in nobis ſitum eſt facere nos Dei ſervos, ſed ex mera ejus adoptione nobis contingit hæc dignitas. Ideoque David non ſimpliciter aſſerit ſe fuiſſe Dei ſervum, ſed *filium ancillæ*: acſi diceret, ſe jam ab utero, imo antequam naſceretur, id honoris fuiſſe adeptum. Ergo ſe commune omnibus ſpeculum proponit qui ſe in Dei clientelam addixerint, ut non dubitent ſe ejus patrocinio ſalvos fore.

17. *Tibi ſacrificabo.*] Iterum repetit quod dixerat de gratiarum actione, eaque publica: quoniam non arcano tantum ſenſu coram Deo, ſed externa quoque profeſſione teſtanda eſt nobis pietas noſtra apud homines. Etſi autem legalibus ceremoniis defunctus eſt David cum reliquo populo, quia hæc exercitia ſciebat non fruſtra tunc mandari: veruntamen finem reſpexit, ut ſacrificium laudis & vitulos labiorum præcipue offerret. *Atria domus Dei* nominat, quia tunc unicum erat altare, à quo diſcedere fas non erat: & volebat illic Deus celebrari ſacros conventus, ut mutua eſſet inter fideles ad cultum pietatis invitatio.

PSALM. CXVII.

LAudate Jehovam omnes gentes, celebrate eum omnes populi:	1 הללו את יהוה כל גוים שבחוהו כל האמים׃
2. Quia * confirmata eſt ſuper nos clementia ejus, & veritas Jehovæ in æternum. Halelu-Jah.	2 כי גבר עלינו חסדו ואמת יהוה לעולם הללויה׃

** vel, multiplicata.*

LAudate Jehovam.] Quia per os Prophetæ omnes gentes hortatur Spiritus ad canendam Dei miſericordiam & veritatem, merito colligit Paulus ad Romanos cap. 15. verſ. 11. hoc vaticinio prædictam fuiſſe totius mundi vocationem. Nam increduli, quamvis expertes non ſint Dei miſericordiæ, quia tamen eam non ſentiunt, & ſimul incognita eſt illis ejus veritas, quomodo ad eum laudandum ſe accingerent? Itaque fruſtra ad gentes profanas verba faceret Propheta, niſi ſimul cum filiis Abrahæ congregandæ eſſent in fidei unitatem. nec eſt quod naſuti homines ſuis cavillis eludere conentur hanc Pauli rationem. Hortatur quidem alibi Spiritus, fateor, tam montes, quam fluvios, arbores, pluvias, ventos, & tonitrua ad perſonandas Dei laudes: quia ſcilicet omnes creaturæ tacendo clamant ſuum eſſe opificem: ſed alio modo laudatur ab hominibus qui intelligentia præditi ſunt. Sicuti & addita cauſæ redditio oſtendit, nempe quia *miſericordia Dei & veritas* materiam præbeant. Porro

non

non intelligit Propheta laudandum eſſe paſſim Deum à Gentibus, quia in angulo Judææ hæc notitia reſideat: ſed quatenus diffuſa erit per totum orbem. Primum ergo laudari Deum jubet quod bonitas ejus aucta ſit vel *confirmata* (גבר enim Hebræis utrumque ſignificat) deinde quia ſtabilis in æternum maneat ejus veritas. Qui ergo bruto ſtupore prætereunt Dei bonitatem, qui cæleſtem ejus doctrinam ſurdis auribus reſpuunt, quomodo parati eſſent ad canendas Dei laudes? Porro *veritas Dei* hoc loco proprie ad teſtimonium gratiæ refertur. Poterit enim verax eſſe Deus, ut toti mundo minitetur exitium: ſed ideo priore loco clementiam poſuit, ut fides ejus paternæ benevolentiæ teſtimonium continens, pias animas exhilaret. Non minus quidem laudis merentur potentia ejus & judicium: ſed quia nunquam ad laudandum Deum recte affecti erunt homines, niſi guſtu bonitatis ejus allecti, non abs re Propheta miſericordiam & fidem delegit, quæ ſolæ mutis ora aperiunt. Porro non dicitur æterna veritas, quaſi miſericordia, poſtquam viguit, ad momentum deinde evaneſcat: (nam eadem ratione exigua eſſet, reſpectu miſericordiæ, quæ copioſa eſſe dicitur:) ſed ſenſus eſt, ſic uberem eſſe Dei miſericordiam ſuper nos, ut fluat continuo curſu, quia conjuncta eſt cum æterna ejus veritate. Cæterum ſi legamus confirmatam eſſe clementiam, exemptus erit ſcrupulus: quia eodem conſtantiæ & firmitatis elogio ornabitur tam clementia quam veritas.

ARGUMENTUM PSALMI CXVIII.

Quecunque tempore compoſitus fuerit Pſalmus hic, David regiam poteſtatem adeptus, quia in communem Eccleſiæ ſalutem regnare ſe novit, filios omnes Abrahæ hortatur ad gratiam hanc reputandam. Pericula etiam commemorat, quorum magnitudo & varietas centies potuerit eum perdere, niſi mirabiliter opem Deus tuliſſet. Unde colligere promptum eſt, neque ſua ipſius induſtria, neque hominum favore, neque humanis mediis ei patuiſſe regni ſolium. Simul etiam docet, non temere ſe neque illicitis artibus prorupiſſe ad rapiendum Saulis imperium, ſed Divinitus creatum eſſe Regem. Interea meminerimus, conſilium Spiritus fuiſſe, ſub imagine temporalis illius regni deſcribere nobis æternum & ſpirituale Filii Dei regnum, ſicuti ejus perſonam geſtabat David.

PSALM. CXVIII.

CElebrate Jehovam quia bonus, quia in ſeculum clementia ejus.	1 הודו ליהוה כי טוב כי לעולם חסדו:
2. Dicat nunc Iſraël quia in ſeculum clementia ejus.	2 יאמר נא ישראל כי לעולם חסדו:
3. Dicat nunc domus Aaron quia in ſeculum clementia ejus.	3 יאמרו נא בית אהרן כי לעולם חסדו:
4. Dicant nunc timentes Jehovam quia in ſeculum clementia ejus.	4 יאמרו נא יראי יהוה כי לעולם חסדו:

CElebrate *Jehovam*.] Videmus Davidem non agere privatim gratias Deo, ſed populum clara voce hortari ad commune pietatis officium. Hoc autem facit, non modo quia dux & magiſter aliis erat ordinatus: ſed quia Deus, eum creando Regem, Eccleſiæ ſuæ afflictæ miſertus fuerat. Ergo Iſraëlitas ad prædicandam Dei gratiam hortatur, cujus felicibus auſpiciis prodit ſalutis eorum inſtaurator. Generaliter quidem dicit initio, Deum eſſe bonum, & clementiam ejus æternam: ſed deinde ejus bonitatis documentum in ſe profert, ut ſuo loco videbimus. Interea in memoriam revocare convenit quod proximo Pſalmo admonui, argumentum laudandi Dei nobis proponi in ejus miſericordia, potius quam in potentia & judicio: quia ſi illic quoque refulget ejus gloria, nunquam tamen alacres & voluntarii laudes ejus canemus, donec ſuæ bonitatis dulcedine nos alliciat: ſicut Pſal. 51. verſ. 17. vidimus, aperiri ora fidelibus ad Deum laudandum ubi ſentiunt eum liberatorem. Quod autem ſolum Iſraëlem & filios Aaron alloquitur, id facit ætatis ſuæ reſpectu: quia adhuc in una illa gente reſidebat adoptio. quanquam eundem rurſus ordinem ſequitur quem tenuit Pſalmo 116. Poſtquam enim filios Abrahæ, qui Dei electione ſegregati erant à Gentibus, hortatus eſt: item filios Aaron qui Sacerdotii jure aliis præcinere debebant: ſermonem convertit ad alios Dei cultores: quia multi larvati erant Iſraëlitæ, qui tametſi in Eccleſia locum occupabant, ab ea nihilominus erant extranei. Nec obſtat quod hic Prophetico Spiritu diſſerat David de futuro Chriſti regno: quia etſi ad Gentes extenſum eſt, originem tamen & primitias habuit in populo electo.

5. Ex anguſtia invocavi Deum: reſpondit mihi in latitudine Deus.	ב 5 מן המצר קראתי יה ענני במרחב יה:
6. Jehova mecum, non timebo quid faciat mihi homo.	6 יהוה לי לא אירא מה יעשה לי אדם:
7. Jehova mecum inter auxiliarios meos: & ego videbo in adverſariis meis.	ב 7 יהוה לי בעזרי ואני אראה בשנאי:
8. Melius eſt ſperare in Jehova, quam confidere in homine:	ב 8 טוב לחסות ביהוה מבטח באדם:
9. Melius eſt ſperare in Jehova, quam confidere in Principibus.	ב 9 טוב לחסות ביהוה מבטח בנדיבים:

5. *Ex anguſtia.*] Specialis eſt doctrinæ, quam vidimus, applicatio ad perſonam Davidis, cui tamen annexa eſt totius Eccleſiæ gratulatio: cujus publicæ ſaluti Deus proſpexerat, hominem unum tuendo. Suo autem exemplo pios omnes confirmat, ne rebus adverſis animum deſpondeant. Et videtur con-

zed by Google

conſulto occurrere dubitationi, quæ ſtatim obrepere ſolet quoties prædicatur Dei bonitas, cur ergo ſinat ſervos ſuos tam duriter opprimi & laborare. Admonet igitur David ne ſic quidem excidere Dei miſericordiam, quia paratum eſt malis noſtris ſolatium & remedium in precibus. Circumſtantia temporis quam exprimit, admonet, quo magis nos premunt res adverſæ, tunc vere opportunum eſſe orandi tempus: dum ſcilicet ſe ex anguſtiis precatum dicit, atque hoc modo in latitudinem fuiſſe eductum.

6. *Jehova mecum.*] Unius Dei auxilio fretus, non paucis tantum hoſtibus, ſed toti mundo inſultat: acſi diceret, quia manu Dei protegitur, ſecure ſe & ex tuto deſpicere quicquid machinari poterunt homines. Et certe tunc demum tribuitur juſtus honor Deo, quum præ ipſo nihili ducitur tota mundi potentia. Hoc etiam modo perſtringit omnium fere incredulitatem, qui ſe ultro conſternant vanis terroribus. etſi enim tranquillum animi ſtatum omnes expetunt, quia tamen impie Deum fraudant virtutis ſuæ laude, eos tanto illo bono privat ſua ingratitudo. Nam ſi Dei arbitrio & poteſtati cuncta, ut decet, ſubjicerent, intrepide ad ſuperanda omnia incommoda parati ſtarent, quorum metu ſubinde expaveſcunt. Nunc quum Dei præſidio præferant noxios hominum conatus, digni ſunt quos exagitet ſtrepitus folii cadentis. Hanc pravitatem ſuo exemplo corrigere voluit David, ſe Deo propitio cunctos mortales non metuere aſſerens: quia ſcilicet perſuaſus eſt, in ejus arbitrio eſſe ſitum adverſos omnes conatus diſcutere. Porro ſi hoc canticum cecinit poſt liberationem, conſtat quam bene profecerit in experientia gratiæ Dei. Ergo quoties nobis opem Deus tulerit, creſcat inde fiducia in poſterum, nec tam oblivioſi ſimus quin ſemper occurrat bonitas & virtus Dei in ipſa neceſſitate nobis perſpecta. Quanquam fieri poteſt ut hic recitet quas inter media diſcrimina ſibi meditationes ſuggeſſit: alterum tamen illud magis probabile, poſtquam victoria potitus erat, de perpetuo Dei auxilio in futurum tempus gloriari. Quod *auxiliatores* quidam accipiunt pro exigua manu quam ſibi conciliaverat David, mihi videtur nimis dilutum. Frigide enim Deum numeraret inter ſexcentos illos quos ſecum ducebat, quaſi unus eſſet ex grege. Simplicius ergo interpretor, vocari Deum auxiliatorem, acſi diceret ſibi ſufficere modo illum habeat à parte ſua ſtantem. Quamvis enim deſtitueretur humanis ſubſidiis, Deum cunctis hoſtibus opponere non dubitat.

8. *Melius eſt ſperare.*] Videtur nihil niſi vulgare & tritum dicere. fatentur enim uno conſenſu omnes, ubi ad Dei & hominum comparationem venitur, longe pluris illum unum debere fieri, ideoque nihil eſſe melius quam recumbere in ſpem auxilii quod ſuis promittit. Et quidem hæc confeſſio reſonat in omnium ore. Interea vix centeſimus quiſque Deum unum ſibi ſufficere perſuaſus eſt. Quare multum profecit qui uno Deo contentus, etiamſi nihil auxilii reperiat in terra, bene tamen ſperare non deſinit. Eſt autem impropria comparatio, quia in totum nefas eſt vel minimam ſpei noſtræ partem, quæ tota in Deo fixa eſſe debet, transferre ad homines. ſenſus tamen minime eſt ambiguus, rideri vanas ſpes hominum, quibus huc & illuc raptantur: & dum illis mundus arridet, præterito vel ſpreto Deo, criſtas erigunt. Putant nonnulli Davidem odioſe ſuis hoſtibus objicere quod à Saulis favore pendentes decepti fuerint. Sed hoc mihi videtur nimis reſtrictum: nec dubito quin David exemplum ſe piis omnibus proponat: quia amplam mercedem retulerat ſpei ſuæ, quum ſoli Deo innixus, patienter tuliſſet ſe privari omnibus humanis ſubſidiis. In ſecunda parte verſus ubi *Principes* loco hominum ponit, amplificatio eſt, acſi diceret, non eos modo ſtulte errare qui plebeis hominibus ſpem ſuam addicunt, ſed qui ſummis etiam Regibus ſunt amici: quia ſemper tandem maledicta erit fiducia quæ in carne fundata eſt: Deo autem propitio mors quoque in vitam vertetur.

10. Omnes gentes circumdederunt me, in nomine Jehovæ certe excidam eas.

10 כל גוים סבבוני בשם יהוה כי אמילם׃

11. Circumdederunt me, etiam circumdederunt me, in nomine Jehovæ certe excidam eas.

11 סבוני גם סבבוני בשם ״ כי אמילם׃

12. Circumdederunt me ſicut apes, extinctæ ſunt ut ignis ſpinarum, in nomine Jehovæ certe excidam eas.

12 סבוני כדבורים דעכו כאש קוצים בשם יהוה כי אמילם׃ ק

13. Impellendo impuliſti me ut caderem, & Jehova adjuvit me.

13 דחה דחיתני לנפל ויהוה עזרני׃ ע

14. Robur meum & canticum *meum* Deus, & fuit mihi in ſalutem.

14 עזי וזמרת יה ויהי לי לישועה׃

10. *Omnes gentes.*] Commemorat his verſibus quam mirabiliter ereptus fuerit, ut certo agnoſcant omnes, liberationem quæ humanitus contingere non potuit, vere fuiſſe Divinam. repetit enim ſæpius, ſe fuiſſe obſeſſum, neque id à paucis, ſed ab ingenti multitudine. Quum ergo totus populus iracundia & furore in eum ardens, eum teneret comprehenſum, ut nulla pateret evaſio, nulla ſalus aliunde quam è cælo provenire potuit. Cæterum quod gentes omnes ſibi infeſtas fuiſſe conqueritur, hoc quidam referunt ad vicinos populos, à quibus undique Davidi fuiſſe periculum ſcimus. Meo tamen judicio ſimpliciter intelligit totum mundum ſibi fuiſſe adverſum: quia unius Dei auxilium capitali & furioſo odio opponit quo eum proſequebantur tam populares quam vicini, ut nullus angulus in terra tutus ei foret. Quamvis enim exercitus ex pluribus populis non fuerint collecti ad eum obſidendum: quia tamen nulla niſi in latebris ferarum quieta erat ſtatio, imo illinc quoque metu abigebatur, & quot quot obvii erant, totidem cernebat laqueos: non mirum eſt ſi dicat circumdatum ſe fuiſſe ab omnibus populis. Ecliptica autem loquutio plus habet vehementiæ, quam ſi dixiſſet ſe ſperaſſe in Deo, & hoc modo victoriam eſſe adeptum. Nam ſolum *Dei nomen* in medium proferens, ſe aliis copiis inſtructum fuiſſe negat, ut pereundum certo fuerit, niſi Deus unus opem tuliſſet. Particulam כי affirmative vertere placuit: ſed hoc ſenſu, Quamvis undique ſim obſeſſus à mundo, tantum mihi ſuccurrat Dei virtus, certe ea ſatis ſuperque valebit ad omnes hoſtes meos perdendos. Quod toties inculcat *ſe circumdatum fuiſſe*, in eo exprimitur pertinax & inexplebile odium. *Apum* vero ſimilitudine veſanum ardorem notat: quia etſi in illis animalibus non tantum eſt roboris, mira tamen eſt excandeſcentia: & dum cæco impetu irruunt, non parum injiciunt terroris. Paulo poſt tamen addit *extinctos fuiſſe tanquam ignem ſpinarum*, qui etſi magnum crepitum initio edit, & majores projicit flammas quam ex ſolido ligno,

mox

mox tamen concidit. Summa eſt, hoſtes tumultuoſe aggreſſos eſſe Davidem, ſed eorum violentiam momento collapſam eſſe. Itaque tertio repetit, modo adſit Dei virtus, quicquid fuerit adverſi, ſtatim ceſſurum.

13. *Impellendo.*] Vel eſt heteroſis numeri: vel Saulem qui hoſtium caput erat, alloquitur. Cæterum in perſona unius hominis, omnibus ſimul inſultat: ac ſe impulſum fuiſſe prædicans, fatetur quidem non propria ſe virtute ſtetiſſe, ſicuti qui pares ſunt ad reſiſtendum, firmo gradu contrarios impetus ſuſtinent: ſed hinc melius refulget Dei virtus, quod ab ipſa ruina erectus fuerit. Ideo proximo verſu concludit *Deum eſſe robur ſuum & laudem.* Nam priore epitheto ſuam infirmitatem ingenue agnoſcens, uni Deo adſcribit quod ſalvus manet. Jam ubi confeſſus eſt ſe in ſolo Deo fuiſſe fortem, quatenus ſcilicet ſuffultus eſt ejus virtute, continuo poſt addit *Deum eſſe laudem ſuam, vel canticum:* quod nomen paſſive accipitur: acſi diceret, nullam in ſe ipſo gloriandi materiam ſibi ſuppetere, ſed totam ſalutis ſuæ laudem reſidere in uno Deo. Quo etiam ſpectat verſus clauſula, ubi Deum ſibi in ſalutem fuiſſe prædicat.

15. Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis juſtorum: dextera Jehovæ fecit virtutem,	צ	15 קול רנה וישועה באהלי צדיקים ימין יהוה עשה חיל:
16. Dextera Jehovæ exaltata eſt, dextera Jehovæ fecit virtutem.		16 ימין יהוה רוממה ימין יהוה עשה חיל:
17. Non moriar, imo vivam, & narrabo opera Dei.		17 לא אמות כי אחיה ואספר מעשי יה:
18. Caſtigans caſtigavit me Deus: ſed morti non tradidit me.	נ	18 יסר יסרני יה ולמות לא נתנני:
19. Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas celebrabo Deum.		19 פתחו לי שערי צדק אבא בם אודה יה:
20. Hæc porta Jehovæ, juſti intrabunt in eam.	י	20 זה השער ליהוה צדיקים יבאו בו:
21. Celebrabo te, quia exaudiſti me, & fuiſti mihi in ſalutem.	ל	21 אודך כי עניתני ותהי לי לישועה:

15. *Vox exultationis.*] Tale fuiſſe Dei beneficium aſſerit, pro quo non ſatis ſit in obſcuro receſſu gratias agere: non modo quia illic inſignis apparuerat Dei virtus & memoratu digna, ſed quia fructus ad totam Eccleſiam rediturus erat. Quia ergo admirabilis erat liberatio, & communiter piis omnibus utilis, publicam gratiarum actionem promittit David: & eadem opera pios omnes hortatur ad ſanctam hanc ſocietatem. Præcipue tamen hac circumſtantia extollere voluit gratiæ Dei magnitudinem: & deinde ab ipſo effectu oſtendere non ſibi privatim oblatam fuiſſe ſalutem, ſed in ſua perſona Eccleſiam fuiſſe ſervatam. Hoc quidem exigit mutua inter fideles communicatio ut alii pro aliis viciſſim Deo gratias agant: ſed ſpecialis, quam attigi, in Davide fuit ratio, quem Deus mirabiliter ex multis mortibus ereptum, electo populo præfecerat. Notandum quod vocem lætitiæ & gratulationis cum Dei laude conjungit: ſicut fideles minime gaudere decet ſine gratiæ Dei ſenſu. Porro *facere virtutem* tantundem valet ac magnifice exerere ſuam potentiam, cujus ſplendor palam refulgeat. Sæpe enim occulte & ſub ſpecie infirmitatis Deus fideles ſuos liberat, ut ſentiant quidem ipſi ſe manu ejus fuiſſe ereptos, hoc autem aliis non ſit perinde cognitum. ſed David præclare teſtatum fuiſſe opus Dei aſſerit: ut minime ambiguum ſit unde contigerit hæc ſalus. Eodem pertinet altera loquutio, *Dexteram Dei fuiſſe exaltatam*, quia potenter agendo, & præter conſuetum morem, Deus manum ſuam in ſublime extulerat.

17. *Non moriar.*] Loquitur David quaſi quiſpiam è ſepulchro emergens. Nam qui dicit, non moriar, fatetur ſe à morte, cui jam addictus erat, fuiſſe liberatum. Et certe per annos complures in ſumma deſperatione vixerat, ut ſingulis momentis variæ mortes inſtarent, & exitus ab una, ingreſſus eſſet in aliam. Se ergo non moriturum prædicat, quia vitam, à cujus ſpe exciderat, recuperavit. Cæterum nobis toto vitæ curriculo cantilena hæc meditanda eſt, quorum vita abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. (Coloſſ. 3. verſ. 3.) Siqua datur interdum relaxatio, dicendum quidem erit cum Davide, nos, qui in morte concluſi eramus, emergere ad novam vitam. ſed tamen aſſidue per medias tenebras luctandum eſt: quia ſalus noſtra quæ in ſpe repoſita eſt, palam conſpicua nobis eſſe non poteſt. Secunda parte verſus legitimum oſtendit vitæ uſum, quia Deus vitam ſuis non prorogat ut ſaturentur cibo & potu, dormiant altum ſomnum, & fruantur terrenis omnibus commodis: ſed ut celebrent ejus beneficia, quibus eos quotidie onerat: qua de re diximus Pſalmo 115.

18. *Caſtigans.*] Hic agnoſcit David, quamvis eum injurioſe hoſtes impeterent, ſe tamen caſtigatum fuiſſe Dei ferulis per illorum manus: deinde hanc fuiſſe paternam caſtigationem, quia non inflixerit Deus mortiferas plagas, ſed moderatus ſit rigori ſuo. Videtur autem antevertere perverſa judicia, quibus odioſe premi ſe videbat: acſi mala omnia quæ perpeſſus fuerat, totidem eſſent reprobationis ſigna. Quod ergo calumniabantur reprobi, retorquet in contrariam partem, leniter ſe & paterno more fuiſſe correctum. Hoc primum eſt in rebus adverſis, ut ſciamus nos humiliari Dei manu: accedat deinde alterum, hoc modo probari noſtram obedientiam, nos expergefieri à nimio torpore, crucifigi veterem hominem, purgari ſordes noſtras, cogi nos ſub Dei obſequium, & ſtimulari ad meditationem cæleſtis vitæ. Nam ſi hæc veniant nobis in mentem, nemo erit qui non exhorreat fremere adverſus Deum, imo ſe potius quiſque manſueto ſpiritu ſubjiciet. Et certe quod frænum arrodimus, vel prorumpimus ad impatientiam, inde contingit, quod major pars non reputat aſſlictiones eſſe Dei ferulas: alii vero paternam ejus moderationem non guſtant. Quare hoc ſecundum membrum diligenter notandum eſt, clementer ſemper agere Deum cum ſuis, ut percutiendo ſanet: non quod ſemper appareat paterna ejus indulgentia: ſed exitus tandem demonſtrat, adeo non fuiſſe exitiales plagas, ut medicinæ vice fuerint, quæ nos ad exiguum tempus debilitans, ſanatis noſtris vitiis integrum vigorem nobis reſtitueret.

19. *Aperite.*] Hic zeli ardore prorumpit David ad teſtandam ſuam gratitudinem, dum ſibi Templum ape-

aperiri jubet, quaſi victimis in medium adductis. Atque iterum confirmat quod prius dixit, ſe publice Deo gratias acturum in legitimo piorum cœtu. Quanquam autem ex more Sacerdotes portas Templi aperiebant populo, videtur tamen alludere David ad diuturnum ſuum exilium. atque hanc conjecturam melius confirmat proximus verſus. Quum ergo diu prohibitus eſſet ab acceſſu Sanctuarii, imo privatus ejus conſpectu: nunc lætatur ac triumphat ſe admitti ut Deo ſacrificet. Simul oſtendit ſe venturum, non ut ſolebant hypocritæ, quibus Deus per Jeſaiam exprobrat quod pavimentum ſuum fruſtra terant: ſed ſe venturum cum ſacrificio laudis. Jam quia ſibi veræ pietatis conſcius erat, æquum eſſe dicit, ſibi & ſui ſimilibus patefieri Templi fores, ad quas accedere pridem auſus non fuerat. *Porta*, inquit, *eſt Jehovæ*: ergo juſtis eas tandem aperiet. Summa huc tendit, quamvis extorris à Templo & patria fuiſſet David, nunc tam ipſum quam ſynceros omnes Dei cultores recuperare jus ſuum, ſtatu regni in melius compoſito. Atque ita oblique deflet Templi profanationem, quamdiu ſub tyrannide Saulis fuerat à profanis Dei contemptoribus occupatum, acſi canibus & impuris animalibus ſtabulum eſſet. Quod ergo Templum diu fuerat latronum caverna, hæc indignitas perſtringitur: nunc vero quum juſtis pateat, vere ſacram eſſe Dei domum aſſerit. Porro quod contigit tempore Saulis, hodie cernitur, ut per ſummum nefas ac dedecus Sanctuarium Dei occupent ſacrilegi ejus hoſtes. Neque enim Antichriſtus eſſet Papa, niſi ſederet in templo Dei. Cæterum quum ille paſſim omnia templa fœdis pollutionibus in lupanaria converterit, ſtudeamus quoad in nobis eſt, ea purgare, ut pure in illis colatur Deus. Ubi autem ſacrum inter nos domicilium eligere dignatur, demus quam poſſumus operam arcendis inquinamentis & fœtidis miſturis quæ puritatem Eccleſiæ corrumpunt. Poſtea breviter commemorat David qua de re laudis ſacrificium offerre Deo inſtituat: quia ſcilicet *ſervatus fuerit* ejus gratia.

Jeſa. 1. verſ. 12.

22. Lapidem reprobaverunt ædificantes, factus eſt in caput anguli.

23. A Jehova factum eſt hoc, mirabile eſt in oculis noſtris.

24. Hæc dies quam fecit Jehova, exultemus & lætemur in ea.

25. Obſecro Jehova ſerva, obſecro, obſecro Jehova, proſperum ſucceſſum da obſecro.

26. Benedictus qui venit in nomine Jehovæ: benedicemus vobis è domo Jehovæ.

22 אֶבֶן מָאֲסוּ הַבּוֹנִים הָיְתָה ל
רֹאשׁ פִּנָּה׃
23 מֵאֵת יְהוָה הָיְתָה זֹּאת הִיא
נִפְלָאת בְּעֵינֵינוּ׃
24 זֶה הַיּוֹם עָשָׂה יְהוָה נָגִילָה ו
נִשְׂמְחָה בוֹ׃
25 אָנָּא יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָּא אָנָּא
יְהוָה הַצְלִיחָה נָּא׃
26 בָּרוּךְ הַבָּא בְּשֵׁם יְהוָה ב
רַכְנוּכֶם מִבֵּית יְהוָה׃

22. *Lapidem.*] Jam David collecto animo calumniis inſultat, quibus injuſte & præter meritum fuerat gravatus. Porro quia durum erat præjudicium, à toto procerum conſeſſu & omnibus qui gubernacula tenebant damnatum eſſe, jamque invaluerat opinio, hominem ſceleratum eſſe ac reprobum: hunc errorem conſulto refutat, & contra præcipuos quoſque innocentiam ſuam aſſerit. Nihil moror (inquit) quod rejectus fuerim à maximis quibuſque, quando re ipſa apparuit Dei judicio me fuiſſe electum. Concinna vero metaphora utitur, lapidi ſe comparans: ipſos vero Eccleſiæ primores architectis. Poterat quidem abſurdum videri, privatos fuiſſe Dei Spiritu & ſana mente regni proceres, penes quos reſidebat Eccleſiæ poteſtas: ſed pravis & fallacibus eorum ſuffragiis opponit Dei gratiam, quod decreto & manu Dei poſitus ſit ad ſuſtinendum totum ædificium. In ſumma, docet ſibi non obſtare ſplendidos titulos, & præſtantiam dignitatis qua ſuperbiebant improbi: quia Dei vocatione ſubnixus, gloriam totius mundi judiciis ſuperiorem obtineat. Sed quia difficilis erat ejus rei perſuaſio, gratiam Dei pluribus verbis extollit, ut ejus auctoritate improbos omnes & obſtreperos ſermones compeſcat. *A Domino*, inquit, *factum eſt*: perinde acſi diceret, Ite & litigate cum Deo quicunque me è ſolio dejicere contenditis, quod ego non temere conſcendi, vel humanis mediis, ſed manifeſta Dei virtute. Id autem probat, quia omnes quod factum eſt, quaſi incredibile coguntur mirari. Ubi autem ſupra captum noſtrum & mirabiliter operatur Deus, conſpicua ejus virtus nobis eſſe debet. Siquis adverſative accipere malit in hunc ſenſum, quamvis homines in hoc Dei opere obſtupeſcant, non debere tamen repudiari: fruatur ſuo ſenſu. Mihi certe probabile eſt, *miraculi* nomen à Davide poſitum ut Deo cedat omnis carnis protervia, nec quiſquam amplius obſtrepere auſit. Porro quomodo hæc in Chriſtum proprie conveniant, commodius differam ubi ad 25. verſum pervenerimus.

24. *Hæc dies.*] Nunc fauſtum & felicem eſſe prædicat diem illum quo tandem receptus fuit in Regem, & unctio Samuelis effectu ſancita fuit. Etſi autem verum eſt, dies omnes peræque à Deo creatos eſſe, David tamen κατ' ἐξοχὴν Divinum appellat illum diem qui in ſalutem Eccleſiæ illuxerat poſt longas tenebras: quia ornatus erat inſigni nota & ad poſteros memorabili. Quia autem emerſerat Eccleſia ex tam denſa caligine, fideles ad lætitiam & gratulationem hortatur: idque conſulto facit, quia multi adhuc ignorabant vel ſpernebant Dei gratiam: alios vero tenebat perverſum ſtudium Saulis, ut ſe Davidis imperio ægre ſummitterent.

25. *Obſecro Jehova.*] Quia נא ſæpe adverbium eſt temporis apud Hebræos, multi hoc loco vertunt, ſerva obſecro nunc. quia tamen ſæpe rogantis quoque adverbium eſt, ſenſum hunc elegi qui præſenti loco non male quadrabat. Neque enim dubito quin Spiritus ſanctus frequenti repetitione per os Prophetæ excitare in cordibus piorum voluerit raram vehementiam & ardorem precandi. quanquam ſiquis diverſum potius ſenſum eligat, facile patiar. Hoc quidem certum eſt, dictari electo populo precandi formam, ut felicem ſucceſſum optet regno Davidis, ex quo pendebat publica omnium ſalus. His autem verbis teſtatus eſt, cæleſtibus auſpiciis ſe regnare: deinde indignos eſſe qui in Eccleſia locum occupent, quicunque ad optandam regni ſui felicitatem non conſentiunt. Proximo verſu adjungitur ſpeciale votum, quod concipere debent fideles, nempe ut Deus, ſicut Davidem conſtituit gratiæ ſuæ miniſtrum, ita *benedicat*. Nam dicuntur *in nomine Domini venire*, quorum opera utitur in populi ſui ſalutem: ſicuti Prophetæ & Doctores, quos ad colligendam Eccleſiam ſuam excitat: Duces &

Præ-

Præfecti quos Spiritu ſuo inſtruit. Davidis autem ſingularis fuit ratio, quatenus Chriſti figuram geſtabat: quia ſub ipſo & ſucceſſoribus voluit Deus populum ſuum degere uſque ad Chriſti adventum. Poſſet etiam gratulationis eſſe elogium, quum dicitur *Benedictus qui venit.* Sed quia mox ſubjicitur benedictio Sacerdotalis, potius in illam partem inclino, populum Davidi precari Dei gratiam & favorem. Jam quo votum hoc alacrius concipiant fideles, & inde animentur ad amplexandum quem illis Deus Regem præficit, additur continuo poſt promiſſio in Sacerdotum perſona, *Benedicimus vobis è domo Domini.* Sic autem pro officii ſui ratione loquuntur quibus injunctæ erant benedicendi partes: ſicuti pluribus locis Moſes docet, & præcipue Numerorum 6. verſ. 23. Sed non temere conjungunt cum proſpero regni ſtatu Eccleſiæ ſalutem: quin potius admonent, incolumem fore populum quamdiu florebit regnum illud, & benedictos fore omnes una cum ſuo Rege: quia inſeparabilis ſit nexus inter caput & membra. Jam quia ſcimus, quum David Rex creatus eſt, jacta fuiſſe fundamenta æterni regni, quod tandem Chriſti adventu patefactum fuit: & temporale illud ſolium, in quo ſedebant poſteri Davidis, imaginem fuiſſe perpetui imperii quo donatus eſt Chriſtus à Patre, ut plenam poteſtatem tam in cœlo quam in terra obtineat: non dubium eſt quin fideles jubeat Propheta aſſiduis votis expetere lætos & felices ſpiritualis hujus regni progreſſus. Oportuit autem qui ſub veteribus figuris vixerunt, pro Davide & ſucceſſoribus precari. Ubi vero collapſa fuit tota regni dignitas, oportuit majore ſtudio promiſſam inſtaurationem à Deo petere. Denique quicquid hic dicitur, proprie in Chriſti perſonam competit: & quod in Davide obſcure adumbratum fuerat, ſolide in Chriſto ipſo fuit exhibitum. Arcana fuit Davidis electio: & quum Samuel eum in Regem unxiſſet, rejectus fuit à Saule & cunctis populi Ducibus, omneſque eum abominabantur quaſi centum mortibus dignum. Tanta igitur ignominia deformis, non viſus eſt idoneus lapis cui daretur locus in ædificio. Eadem regni Chriſti fuerunt exordia, qui in Eccleſiæ redemptionem miſſus à Patre, non ſolum contemptus fuit à mundo, ſed in odio & execratione habitus: nec modo apud vulgus ignobile, ſed primos Eccleſiæ antiſtites. Quæri tamen poſſet quomodo architectos nominet Propheta, qui nihil aliud machinabantur quam totum Templi ædificium evertere: tantum abeſt ut tueri ſtuderent. ſcimus enim quanto furore incubuerint Scribæ & Sacerdotes Chriſti tempore ad totius pietatis ruinam. Facilis ſolutio eſt, Davidem ad eorum munus non autem ſtudium reſpicere. Quanquam enim everſor Eccleſiæ Dei fuit Saul cum ſuis conſiliariis, vocationis tamen reſpectu architecti erant. Ita ſolet impiis Spiritus ſanctus concedere honorificum nomen officii, donec eos Deus abdicet. Scimus quam ſceleſti ſæpe fuerint Sacerdotes in veteri populo: manebat tamen penes eos tituli honor & decus, donec è ſuo gradu dejecti eſſent. Sic loquitur Jeſaias cap. 42. verſ. 19. Quis eſt cæcus, niſi ſervus meus? & quis ſtupidus, niſi quem ego miſi? Quamvis enim illis propoſitum eſſet totum ordinem labefactare, quia tamen in alium finem divinitus vocati erant, ſervos Dei & ab eo miſſos vocat. Sic hodie utcunque ſibi Papa cum fœtido ſuo Clero titulum Sacerdotii uſurpet, non tamen deſinunt profeſſi eſſe Chriſti hoſtes. Unde ſequitur, nihil minus quam legitimos eſſe Dei miniſtros: atque hoc illis in gravius judicium cedet, quod gregem diſſipando, locum tamen occupant paſtorum. Quanquam autem inter ipſos & Sacerdotes Leviticos magnum eſt diſcrimen, quatenus tamen ordinaria poteſtas penes eos reſidet, titulum illis concedere nihil obeſt: modo ne hoc prætextu, tyrannidis ſuæ probrum obtegant. Nam ſi nudus titulus ad reverentiam ſufficeret, neceſſe fuiſſet Chriſtum obmuteſcere, quum ejus doctrinam reſpuerent Sacerdotes. Quin potius docet hic locus, peſſimos interdum eſſe operarios quibus mandatum eſt regendæ Eccleſiæ officium. Architectos vocat David in Spiritu, qui Filium Dei & ſalutem humani generis extinguere conati ſunt, à quibus adulteratus fuerat Dei cultus, tota religio corrupta, & profanatum Dei Templum. Ergo ſi promiſcue audiri oportet, quaſi legitimum paſtorem, quicunque ordinaria poteſtate præditus eſt, taceat Chriſtus: quia ut plurimum contigit deterrimos ejus hoſtes deliteſcere ſub paſtorum larva. Videmus quam valido & firmo clypeo nos inſtruat Spiritus contra inanes Cleri Papalis jactantias. Sint ſane titulo architecti: ſed ſi Chriſtum reprobant, an eum nobis abnegare fas erit? Imo ſpretis & calcatis eorum placitis, veneremur hunc pretioſum lapidem, in quo ſalus noſtra fundata eſt. Nam quod dicitur *locatus in capite anguli*, his verbis intellige verum eſſe Eccleſiæ fundamentum, quod totam ædificii molem ſuſtinet: quia in angulis præcipua debet eſſe firmitas. Neque enim placet illa Auguſtini argutia, Chriſtum angularem eſſe lapidem, quia Judæos cum Gentibus conjunxit, ſicuti angulus medius eſt inter diverſos parietes. Poſtea inculcat David (ut dixi) pluribus verbis, perperam æſtimari Chriſti regnum ab hominum ſenſu vel ſuffragiis: quia invito & repugnante mundo, mirabiliter erigitur arcana Dei virtute. Interea meminerimus, quod in Chriſti perſona impletum fuit, ſpectare ad continuum regni ejus curſum uſque ad finem mundi. Spreverunt Chriſtum Eccleſiæ antiſtites dum in terra verſatus eſt: nunc Gigantum more bellantur contra Euangelium & Spiritum qui Petri & Pauli ſe ſucceſſores nominant, quum prorſus ſint Annæ & Caiaphæ. Atqui non eſt quod furioſa hæc rebellio nos conturbet: ſed ſuppliciter adoremus admirabilem ejus potentiam, quæ perverſa mundi judicia evertit. Nam ſi rationem quam Deus in tuenda Eccleſia ſua ſervat, caperet ingenii noſtri modulus, non fieret miraculi mentio. Unde colligimus operandi modum eſſe incomprehenſibilem, qui cogat omnes humanos ſenſus evaneſcere. Quæritur tamen an neceſſe ſit Chriſtum reprobari ab architectis. Atqui male ageretur cum Eccleſia ſi nullos unquam haberet paſtores, niſi ſalutis ſuæ capitales inimicos. Deinde Paulus ſe architectum nominans, docet hoc commune fuiſſe Apoſtolis omnibus officium. [1 Cor. 3. verſ. 10.] Reſpondeo igitur, non damnari perpetuæ cæcitatis quicunque dignitate pollent in Eccleſia: ſed ſpiritum ſanctum occurrere huic ſcandalo, quod alioqui plurimos morari ſolet, dum vident mundi ſplendore obrui Chriſti nomen. Quia ergo Deus, ut potentiam ſuam clarius illuſtret, laxat frænum Satanæ, ut qui auctoritate & imperio ſunt præditi, Chriſtum reſpuant: hic Spiritus ſanctus nos magno animo eſſe jubet, & perverſis ejuſmodi judiciis valere juſſis, reverenter quem Deus nobis Regem præficit ſuſcipere. Scimus initio architectos Chriſtum evertere conatos eſſe. Idem ætate noſtra accidit: quia imperium Chriſti modis omnibus evertere conati ſunt quibus mandatum erat Eccleſiæ regimen, & hodie adhuc quaſcunque poſſunt admovent machinas. Sed ſi hujus vaticinii memoria nobis ſuccurrat, adeo non labaſcet fides noſtra, ut magis ac magis ſtabiliatur: quia inde melius conſtat non regnare Chriſtum hominum arbitrio, vel muniri terrenis ſubſidiis, ſicuti imperium non eſt adeptus humanis ſuffragiis. Interea ſi probe ædificant architecti, eo minus excuſabilis erit eorum malitia qui ſe non permittent aptari ſacro ædificio. Cæterum quoties hoc tentationis genere probabimur, ſemper in mentem veniat, minime æquum eſſe gubernari Eccleſiam pro

captu

captu noſtro, ſed incognitum nobis eſſe ejus regimen: quia quod fit miraculo, non poteſt à nobis comprehendi. Quod poſtea ſequitur, *diem hunc factum eſſe à Deo*, admonet mortiferas tenebras graſſari, donec per ſuum Euangelium illuceat ſol juſtitiæ Chriſtus. Simul etiam monemur aſcribi hoc opus Deo, ne quid ſuæ induſtriæ arrogent homines. Exhortatio ad gratulationem, quæ mox ſequitur, huc ſpectat, ne cedamus hoſtium veſaniæ, quantumvis tumultuentur, ad excutiendum nobis gaudium quod Chriſtus attulit. Nam quum tota noſtra felicitas inde fluat, mirum non eſt, quamvis fremant ac indignentur omnes impii, nos ad gaudium inſuperabile attolli, quod omnes dolores & afflictionum quæ ferendæ ſunt acerbitatem proſternat. Precatio quæ ſequitur, ante Chriſti adventum trita fuit in populo uſque ad ipſos pueros: ſicuti hac voce exceptum fuiſſe Chriſtum Euangeliſtæ commemorant. Nec dubium eſt quin tunc Deus vaticinium quod protulerat per os Davidis, ſancire voluerit: imo acclamatio illa palam demonſtrat publico conſenſu receptam fuiſſe interpretationem cui nunc obſtrepunt & allatrant Judæi: quo minus excuſabilis eſt eorum pervicacia & improbitas. Nam ſtuporem non accuſo, quum data opera, ignorantiæ nebulas ſibi & aliis offundant. Quod autem in illa triſti vaſtitate ac deformibus ruinis, non ceſſavit tamen hæc precatio inter Judæos, animos nobis hodie addere debet illorum perſeverantia. Nulla erat tunc regni dignitas, nullum ſolium, nullum nomen niſi apud Deum: rebus tamen perditis ac deploratis, retinuerunt precandi formam ſemel à Spiritu ſancto dictatam. Hoc exemplo edocti, quamlibet miſere diſſipata hodie ſit Eccleſia, pro ejus tamen reſtitutione fortiter orare pergamus. Præterea his verbis iterum docemur, non hominum induſtria vel promoveri vel fulciri Chriſti regnum, ſed hoc unius Dei eſſe opus: quia ad ſolam ejus benedictionem confugere docentur fideles. Ipſa etiam verborum repetitio, quam emphaticam eſſe diximus, ſegnitiem noſtram excitet: quo ardentius intenti ſimus ad hoc votum. Poſſet quidem ipſe Deus ſponte & abſque ullius rogatu Filii ſui regnum tam erigere quam tueri: ſed non fruſtra hanc curam nobis mandavit: quia nihil eſt in quo ſe melius exerceant fideles, quam in expetenda ejus gloria.

27. Deus Jehova, & illuxit nobis: ligate agnum funibus uſque ad cornua altaris.	27 אל יהוה ויאר לנו אסרו חג בעבתים עד קרנות המזבח:
28. Deus meus es, & celebrabo te: Deus meus, exaltabo te.	א 28 אלי אתה ואודך אלהי ארוממך:
29. Celebrate Jehovam, quia bonus, quia in æternum clementia ejus.	29 הודו ליהוה כי טוב כי לעולם חסדו:

27. *Deus Jehova.*] Confirmat quod prius dixit, Deum Eccleſiæ ſuæ miſertum, diſcuſſis tenebris, gratiæ ſuæ lucem protuliſſe, ubi in ſolium conſcendit David: quia hoc redemptionis, quæ à Chriſto tandem ſperanda erat, fuit præludium. Repetit etiam, Deum hujus tam inopinatæ ſalutis eſſe auctorem, & effectu ipſo palam probaſſe dicit, vere ſe Deum eſſe. Subeſt enim his verbis emphaſis, Jehova ipſe eſt Deus fortis, quia lucem vitæ nobis reſtituit. Nam quia confuſo Eccleſiæ ſtatu fideles propemodum animos deſponderant, impii vero imaginabantur actum eſſe de genere Abrahæ, Deus ipſe quodammodo abſconditus erat. Itaque ad gratiarum actionem rurſus deſcendit. Et quia ex Legis præſcripto, fideles non ſine ſacrificiis ſolennes Deo agebant gratias, jubet *ligari victimam ad cornua altaris*. Scimus enim, ut ſedulus erat Legis obſervator David, ceremonias à Deo mandatas minime neglexiſſe. Quanquam præcipuum ſemper finem ſpectavit, ut rudimentis illis adjutus, ſpiritualem offerret Deo cultum. Nunc umbris legalibus abolitis, ſupereſt ut per Chriſtum offeramus gratiarum actiones Deo, quas ipſe ſua puritate ſanctificat, ne ab hoc pietatis cultu ſordibus carnis noſtræ arceamur. Quod vero mentem ſuam ad Dei laudes direxerit David, clarius apparet ex ſequenti verſu, ubi promittit ſe celebraturum Dei nomen, quia Deum ſuum expertus fuerit: hoc eſt, re ipſa ſenſerit ſalutem ſibi in ejus manu certam & paratam fuiſſe.

ARGUMENTUM PSALMI CXIX.

Quia de rebus variis in hoc Pſalmo diſſeritur, difficile eſt brevi ſumma exponere quid contineat: niſi quod duo præcipui ſunt ſcopi. Nam ad pietatis & ſanctæ vitæ ſtudium filios Dei hortatur Propheta: deinde regulam & modum veri cultus præſcribit, ut ſe totos Legis doctrinæ addicant fideles. Sed quia promiſſiones ſubinde admiſcet, quibus magis animet Dei cultores ad pie juſteque vivendum, querimonias etiam inſerit de impio Legis contemptu, ne ſe malis exemplis profanent: varii denique tranſitus ab uno doctrinæ capite ad aliud occurrunt, nec continuo tenore certum aliquod argumentum proſequitur: ſatius erit ſingula ſuis locis excutere.

PSALM. CXIX.

* vel, *perfecti.* א BEati * integri *in* via, ambulantes in Lege Jehovæ.	ב 1 אשרי תמימי דרך ההלכים בתורת יהוה:
2. Beati cuſtodientes teſtimonia ejus, *qui* toto corde exquirunt eum.	י 2 אשרי נצרי עדתיו בכל לב ידרשוהו:
3. א Certe non operantur iniquitatem *qui* in viis ejus ambulant.	ה 3 אף לא פעלו עולה בדרכיו הלכו:
4. א Tu mandaſti ſtatuta tua cuſtodiri valde.	4 אתה צויתה פקדיך לשמר מאד:
5. א Utinam dirigantur viæ meæ ad cuſtodienda edicta tua.	מ 5 אחלי יכנו דרכי לשמר חקיך:
6. א Tunc non pudefiam quum intentus fuero ad omnia mandata tua.	6 אז לא אבוש בהביטי אל כל מצותיך:

7. א Cele-

7. א Celebrabo te in rectitudine cordis, quum didicero judicia juſtitiæ tuæ.

8. א Edicta tua cuſtodiam, ne me derelinquas uſque longe.

ח 7 אוֹדְךָ בְּיֹשֶׁר לֵבָב בְּלָמְדִי מִשְׁפְּטֵי צִדְקֶךָ׃

8 אֶת חֻקֶּיךָ אֶשְׁמֹר אַל תַּעַזְבֵנִי עַד מְאֹד׃

PSalmum hunc quidam Octonarium nominant, quia per octonos quoſque verſus, prima dictio incipit ab eadem litera, ſecundum ordinem alphabeti. quod memoriæ juvandæ cauſa factum eſſe, ex re ipſa colligitur. Continet enim doctrinam, cujus meditatio aſſidua eſſe debet inter filios Dei. Itaque ut moleſtia lectores Propheta levaret, ſingulas quaſque verſuum ogdoadas propriis literis à capite diſtinxit. quo ſubſidio pigris etiam & frigidis ſublata fuit excuſatio ignaviæ. Quanquam autem Latinis hominibus hoc levamen commune non eſt, tenere tamen hoc principium convenit, doctrinam hic proponi in qua ſe exerceant omnes filii Dei, & quam memoriter diſcant, quo magis familiaris ac trita ſit. De auctore nihil aſſero, quia nec probabili conjectura elicere licet quiſnam fuerit: nec interpretum conſenſu quicquam certi conſtat. Quia tamen hac dote alios omnes antecelluit David, mihi religio non erit, alicubi nomen ejus ponere. De vocibus etiam quarum creberrima occurrit repetitio, aliquid præfari convenit. De nomine תורה non loquar, quia tametſi à doctrina deductum eſt, paſſim pro Lege capitur. חקים ſtatuta, vel ritus divinitus præſcriptos, quorum certa conſtet ratio, quidam Hebræi doctores eſſe tradunt. פקודים volunt eſſe præcepta, quæ ad naturæ æquitatem ſpectant. משפטים certum eſt eſſe mandata, idque ex etymologia probatur. עדות accipiunt Hebræi pro doctrina Legis, ſed cum certa notatione: ut ſciamus illic comprehendi quomodo Deus cum populo ſuo paciſcatur. Cur præcepta Legis vocentur judicia, vel juſtitiæ, ſatis notum eſt: nempe ut ſciamus nihil à Deo præcipi niſi rectum & juſtum. deinde non aliam hominibus perfectæ ſanctitatis regulam eſſe quærendam, niſi ut vitam ſuam in Legis obſequium componant. Eodem fere ſenſu vocantur viæ Domini, ut ſe ab omni errore tutum certo ſciat quiſquis à Legis ductu non deflectit. Sed quum חקים promiſcue vocentur quælibet Dei vel Regum edicta, פקודים etiam quum ex multis locis conſtet ad diverſas ſpecies extendi: refellitur tam argutum illud diſcrimen. Quod vero ad Pſalmum hunc attinet, ex contextu patebit, omnia fere eſſe ſynonima. Ut Legi plus reverentiæ conciliet Propheta, variis eam elogiis inſignit: eandem tamen doctrinam ſemper commendans. Nunc ad verba deſcendo.

1. *Beati integri.*] Idem paradoxon nunc profertur quod initio libri vidimus. Nam quum beati eſſe naturaliter appetant cuncti mortales, adeo tamen recta via ad beatitudinem non aſpirant, ut per innumeros errores conſulto in ſuum exitium errare malint. Quare tanta ſocordia & cæcitas merito à Spiritu Dei coarguitur. Et verborum quidem clarus eſt ſenſus, niſi ſua quemque cupiditas bruto impetu in contrariam partem raperet. Nam quia ut quiſque longius à Deo receſſerit, ſe felicem fore imaginatur, quod de pietate & cultu Dei pronunciat Spiritus, quaſi fabuloſum, omnes repudiant. Certe vix centeſimus quiſque hanc doctrinam amplectitur. *Via* hic ponitur pro vitæ inſtituto vel curſu: ita integros via dicit, quibus ſyncerum & æquabile ſtudium eſt colendæ juſtitiæ, & qui vitam ſuam ad hunc ſcopum deſtinant. Secundo membro clarius definit quænam ratio ſit pie juſteque vivendi, nempe *ambulare in Lege Dei* quia ſiquis ſuo arbitrio currat, nihil aliud quam vagabitur: atque ut ei totus mundus applaudat, ſe tamen abſque profectu fatigabit. Poſſet tamen quæri an à ſpe felicitatis excludat Propheta quicunque non perfecte Deum colunt. atqui hoc modo ſoli Angeli felices eſſent, quia nuſquam in terra reperietur perfecta Legis obſervatio. Solutio facilis eſt, Ubi integritas exigitur à filiis Dei, non tolli gratuitam veniam, qua ſola conſiſtit eorum ſalus: Sic ergo beati ſunt Dei cultores, ut tamen ad miſericordiam confugere neceſſe habeant: quia tantum dimidia eſt eorum integritas. Hoc modo vere prædicantur felices qui Legem Dei fideliter obſervant: ſimul tamen illud impletur, Beatos eſſe quibus non imputat Deus peccata. Secundo verſu eandem doctrinam melius confirmat, beatos vocans, non qui ſibi ſapiunt, vel ſanctitatem ſibi fingunt ſuo arbitrio, ſed qui pacto Dei & Legis doctrinæ addicti ſunt. Cæterum ut ſciamus Deum oculari cultu minime contentum eſſe, ſincerum quoque affectum cordis requirit. Et certe ſi ſolus Deus vitæ noſtræ idoneus eſt judex ac arbiter, non ſatis eſt pedibus & manibus obſequium præſtare, niſi primum locum teneat cordis veritas.

Pſal. 32. verſ. 2.

3. *Certe non operantur.*] Etſi videtur nihil niſi vulgare tritumque dicere, quod publico conſenſu paſſim receptum eſt, non peccare qui Deum ſequuntur ducem: duas tamen ob cauſas neceſſaria eſt admonitio. ut ſcilicet diſcamus totam vitam permittere Deo regendam: deinde magis attenti ſimus ac ſolliciti ad audiendam ejus doctrinam. Fatentur omnes extra errandi eſſe periculum quiſquis Deo obtemperat: ſed interim quiſque ad ſuas ambages declinat. Nonne hæc libido vel audacia palam convincit, pluris eos facere ſua commenta quam certam Dei Legem? Jam quoties lapſus eſt quiſpiam, nonne ſtatim objicitur incogitantiæ prætextus? acſi nemo ſciens & volens unquam peccaſſet? Quaſi vero non ſatis ad cavendum ſuggerat prudentiæ Lex Dei, quæ omnibus delictis remedium affert, quia vitioſas omnes cupiditates frænat. Itaque merito denunciat Propheta, quicunque in Lege Dei edocti ſunt, carere ignorantiæ prætextu, quia ſponte cæcutiunt. Si enim attenderent ad vocem Dei, probe contra omnes Satanæ inſidias muniti eſſent. Jam ut timorem incutiat, dicit quarto verſu, Legis obſervationem *ſevere à Deo exigi.* unde ſequitur, ejus contemptum non fore impunitum, Deum etiam ſecunda perſona compellans, quaſi judicem ante oculos ſtatuit.

5. *Utinam dirigantur.*] Quia verbum כון ſtabilire quoque interdum ſignificat, poſſet videri Propheta ſibi optare perſeverandi virtutem: malo tamen *dirigere*, quia etſi aperte nos inſtituit Deus in Lege ſua, quæ tamen eſt mentis noſtræ tarditas, quæ etiam cordis contumacia, neceſſe habemus in ſingula momenta ejus Spiritu dirigi. Quare hoc ſit caput omnium votorum, mentem expetere quæ nonniſi ex Lege Dei ſapiat, & cor etiam docile ac morigerum. Poſtea ſubjicit, minime timendum eſſe, ſiquis intentus ſit ad ſervandam Dei Legem, ne ipſum pœniteat ullius conſilii vel actionis. Verbo *reſpiciendi* ſignificat non eſſe dandum conſiliis noſtris locum, nec deliberandum ex carnis ſenſu quid agere conveniat: ſed hoc ſemel ſtatuendum eſſe, rectam viam tenere qui à Dei præceptis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinant. Etſi autem non deſinunt à majori hominum parte damnari qui reverenter attendunt ad ejus Legem, eos Propheta *negat pudefieri*, quia ſibi probe conſcii ſunt coram Deo & Angelis, & cæleſti theatro abunde ſunt contenti. nam ſi penderent à mundi opinione, ſubinde labaſcerent. Dicit autem *ad omnia præcepta*, quia inter tot Satanæ inſidias, in tam craſſis tenebris, in tanta noſtra

hebe-

hebetudine non vulgaris ad cavendum ſedulitas requiritur, ſi omni ex parte culpam effugere cupimus. Quare danda opera eſt ut in ſingulis actionibus recurrat Legis memoria quæ nos à lapſu contineat.

7. *Celebrabo te.*] Confirmat, ſingulare Dei beneficium eſſe ſiquis rite in Lege profecerit. Gratiarum enim actio loco ſigni ponitur, acſi dixiſſet, Domine tu mihi incomparabile bonum præſtiteris ſi me docueris in Lege tua. Unde ſequitur nihil eſſe in vita magis expetendum: atque utinam id nobis bene & penitus perſuaſum eſſet. Nam dum ſollicite quærendo quicquid nobis utile putamus, nullum prætermittimus carnis commodum: interea quod præcipuum erat negligimus. *Judicia juſtitiæ* tantundem valet ac præcepta quæ perfectam in ſe juſtitiam continent, atque ita ab exacta doctrinæ perfectione Legem Dei Propheta commendat. Docemur præterea hoc verſu, neminem ſincero cordis affectu laudare Deum, niſi qui in ejus ſchola huc uſque profecit ut vitam formet ad ejus obſequium: quia nimis frigida ſimulatio eſt, Deum ore & lingua laudare, ſi vita noſtra eum probro afficit. Merito itaque Propheta fructum veræ pietatis hic ponit, Deum ſine hypocriſi laudare.

8. *Edicta tua.*] Teſtatur primum, ſibi eſſe in animo ſervare Dei Legem: ſed interim quia propriæ infirmitatis ſibi conſcius eſt, precem adjungit ne deſeratur à gratia Dei. Quanquam iſtud *relinquere* bifariam exponi poteſt: vel quum Spiritum ſuum Deus ſubducit: vel quum perinde rebus adverſis affligi ſuos patitur acſi ab illis remotus foret. Atque hæc poſterior expoſitio melius convenit, propter particulam mox additam *uſque valde*. Neque enim Propheta in totum fugit quin fides ſua tentationibus probetur: ſed ſi examen nimis diu extrahatur, deficere metuit. Itaque ſuæ infirmitati ignoſci cupit. Summa eſt, Tu vides Deus quo ſim animo: ſed quia homo ſum, ne favoris tui ſigna diutius à me abſcondas, vel differas auxilium tuum, quam mihi expediat: ne me derelictum putans, à recto pietatis ſtudio deſciſcam.

9. ב In quo purgabit adoleſcens viam ſuam? cuſtodiendo ſecundum ſermonem tuum.	ל 9 במה יזכה נער את ארחו לשמר כדברך:
10. ב In toto corde meo exquiſivi te, ne me errare ſinas à mandatis tuis.	10 בכל לבי דרשתיך אל תשגני ממצותיך:
11. ב In corde meo abſcondi eloquium tuum, ut non peccem tibi.	11 בלבי צפנתי אמרתך למען לא אחטא לך:
12. ב Benedictus tu Jehova, doce me edicta tua.	ה 12 ברוך אתה יהוה למדני חקיך:
13. ב Labiis meis narravi omnia judicia oris tui.	13 בשפתי ספרתי כל משפטי פיך:
14. ב In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum ut in omnibus divitiis.	14 בדרך עדותיך ששתי כעל כל הון:
15. ב In ſtatutis tuis meditabor, & conſiderabo ſemitas tuas:	15 בפקודיך אשיחה ואביטה ארחתיך:
16. ב In edictis tuis oblectabo me, non obliviſcar verborum tuorum.	16 בחקתיך אשתעשע לא אשכח דברך:

9. *In quo purgabit.*] Repetit aliis verbis quod prius dixerat, nempe utcanque ſibi blandiantur in ſuis factis homines, nihil tamen purum eſſe in eorum vita, donec ſe totos addixerint verbo Domini. Sed quo efficacius promoveat, diſerte pueros vel adoleſcentes in exemplum adducit. Neque enim hos nominans, frænum adultis vel ſenibus laxat, quaſi idonei ſint ad regendam vitam, ac ipſis ſua prudentia legis inſtar ſit: ſed quia adoleſcentia homines locat in bivio, ut certum genus vitæ ſibi deligant; ſignificat, ubi quis vitam inſtituere cogitat, nullum conſilium poſſe fideliter ſuccedere, niſi Legem Dei magiſtram & ducem ſibi proponat. Hoc modo ſimul ad mores ſuos cito vel mature formandos Propheta homines ſolicitat, ne in longum tempus differant, ſicuti & Solomo dicit, Memento creatoris tui in juventute tua, antequam veniant dies afflictionis, & anni qui ſint tibi tædio. Et certe videmus, eos qui procraſtinant obdureſcere in ſuis vitiis, ut ſero ad ea corrigenda virilem ætatem ingreſſi nitantur. Accedit altera ratio, quod adoleſcentes in quibus magis ebulliunt libidines carnis, quaſi duplici fræno opus habent: & quo minus in ipſis eſt temperantiæ, talem laſciviam cohiberi neceſſe eſt. Itaque non immerito eos Propheta peculiariter hortatur ad ſtudium Legis. Jam ducendum eſt argumentum à majori ad minus. Nam ſi ad frænandos adoleſcentiæ impetus tam efficax eſt Lex Domini, ut puros & integros ſervet quicunque ad eam reſpiciunt: minime dubium eſt, ubi acceſſerit ætatis maturitas & cupiditates deferbuerint, optimum fore remedium ſanandis vitiis. Inde igitur tanta malorum colluvies in communi vita, quod ſibi omnes in ſua immunditie indulgent, vel plus ſuo ingenio tribuunt quam cæleſti doctrinæ. Hæc enim una eſt fidelis cuſtodia, cavere nobis ſecundum Dei ſermonem: ſed alii, dum ſapiunt ex proprio ſenſu, ſe projiciunt in Satanæ laqueos, alii autem flagitioſam vitam ignavia fovent.

Eccleſ. 12. verſ. 1.

10. *In toto corde.*] Quamvis Propheta vere animum ſibi rectum eſſe prædicet, ne tamen infirmitate labatur, implorat Dei auxilium. Neque tamen hic ſuam præparationem jactat quaſi proprio motu Deum quærere inceperit: ſed quam adeptus eſt gratiam celebrans, ſimul ad perſeverandi conſtantiam aſpirat. Stulte ergo hunc locum & ſimiles arripiunt Papiſtæ, quaſi Sancti libero arbitrio anteverterint gratiam Spiritus, & deinde ejus ſubſidio adjuti fuerint. Neque enim hic inter ſe & Deum partitur Propheta: ſed potius rogat ut Deus in finem uſque continuet opus ſuum, ſicuti ubique docemur objicere Deo ſua beneficia, donec ea ad perfectionem adduxerit. Interim hæc legitima eſt precandi ratio, ut Dominus manum nobis porrigat, dum videt animis ita eſſe compoſitos, ut nihil magis expetamus quam rite agere. Sicut autem ad petendum donum perſeverantiæ, Deus nos fiducia erigit, ubi rectum affectum cordibus noſtris inſpirat, ſic etiam nos ſolicitat in futurum tempus ne ſecure torpeamus tanquam emeriti, ſed petamus ut in ſingula momenta nos dirigat

rigat Spiritu prudentiæ, & ſpiritu virtutis fulciat. David enim hic ſuo exemplo regulam nobis dictat, ut quiſque ſe Divinitus adjutum fuiſſe ſentit, eo majore cura & ſtudio ad continuum ejus auxilium implorandum impellit: quia niſi nos ſua manu retineat, ſtatim in errorem labimur: quod etiam clarius exprimitur verbo Hebraico תשגני, eſt enim tranſitivum, quod tantundem valet ac in errorem inducere: non quod ex verbi ſignificatione intrinſecum Dei motum probare contendam, ſed ut teneant lectores quæ noſtra eſt ad peccandum propenſio, ſimul ac manum laxarit Deus, protinus in errorem labi. Admonet etiam hic locus, quiſquis vel tantillum declinat à mandatis Dei, extra viam errare.

11. *In corde meo:*] Quia Pſalmus hic in uſum privatum compoſitus non fuit, quoties exemplum ſuum proponit David, ſciamus ſub typo nobis præſcribi quid ſequendum ſit. Hoc autem loco docet, tunc demum nos ad cavendas Satanæ inſidias eſſe inſtructos, ſi Lex Dei penitus cordibus noſtris ſit infixa. niſi enim ita ſolide corda noſtra occupet, nullo negotio ſubinde excidemus. Nam ſicuti qui tantum ex commentariis ſapiunt, niſi librum ſemper habeant præ oculis, facile produnt ſuam inſcitiam: ita niſi imbiberimus Dei doctrinam, & ea probe ſimus imbuti, facile nos deprehendet Satan, ſuiſque laqueis induet. Hæc igitur vera demum munitio eſt, non leviter guſtaſſe Legem Dei, vel legendo tranſvolaſſe, ſed profunde eam recondere in animis noſtris. Interea rurſus monemur, quicquid ſibi de ſua prudentia homines perſuadeant, omni tamen recto judicio deſtitui, niſi quatenus Deus illorum magiſter eſt.

12. *Benedictus tu.*] Etſi hucuſque profecerat Propheta, ut non tantum unus eſſet ex diſcipulis Dei, ſed publicus Eccleſiæ doctor: quia tamen ſe & perfectiſſimos quoſque in curſu eſſe agnoſcit uſque ad vitæ finem, Spiritum intelligentiæ petere non deſinit. Ac in genere quidem oſtendit hic locus, quamvis Lex Dei ſub oculis noſtris verſetur, non eo tamen acumine nos pollere ut lucem illic propoſitam cernamus, donec Spiritu judicii nos Deus illuminet. Atque hinc fit ut multi cæcutiant in clara luce doctrinæ, quod perſpicacia ſua confiſi, arcanam Spiritus illuminationem negligunt. Secundo diſcamus, neminem mortalium tanta intelligentia pollere, quin ſemper incrementis indigeat: quia ſi Propheta cui Deus tam honorificum munus contulerat, profitetur adhuc ſe unum eſſe ex diſcipulis: cujus ſocordiæ erit, nos qui longe adhuc ab eo diſtamus, ad profectum non eniti? Adde quod non propria merita ingerit, ut impetret quod poſtulat: ſed Deum per ſuam gloriam obteſtatur. Nam exordium hoc ſumens, *Benedictus tu Jehova*, ſe inde exorandi fiduciam concipere declarat, quod Deus ob immenſam bonitatem, juſtitiam, miſericordiam omni laude dignus ſit.

13. *Labiis meis.*] Teſtatur hoc verſu ſe non tantum habuiſſe Legem Dei in corde ſuo incluſam, ſed operam quoque dediſſe ut multos condiſcipulos adduceret in obſequium Dei. Per ſe quidem frigidum eſſet de Lege Dei verba facere, ſicuti videmus hypocritas facunde garrire de tota pietatis doctrina, à qua tamen ſunt alieniſſimi: ſed quod Propheta nuper de cordis affectu profeſſus eſt, ad linguam quoque nunc transfert. Et continuo poſt rurſus confirmat, ex animo & abſque fictione operam ſe impendiſſe aliis docendis, dum ſe non minus oblectationis cepiſſe prædicat ex Dei doctrina quam ex cunctis mundi opibus. Pium vero Legis amorem quo flagrabat, oblique confert pravæ cupiditati quæ totum fere mundum occupat: acſi dixiſſet, Quum hominum mentes ad ſe rapiant divitiæ, mihi non minus jucundum fuit proficere in doctrina pietatis, quam ſumma opulentia affluere.

15. *In præceptis tuis.*] Tenendum eſt quod prius admonui, Prophetam hic non efflare ſuas glorias, ſed aliis proponere exemplar quod ſequantur. Scimus quantum major pars hominum terrenis curis addicta ſit, ut nihil temporis & otii ad doctrinam Dei meditandam reſtet. Itaque ut frigus illud ac ſegnitiem corrigat, non fruſtra commendat diligentiam & attentionem. Atque ut mundus non ita nos teneat implicitos, ſcimus tamen quam facile in quotidianis tentationibus nobis obrepat Legis Dei oblivio. Itaque non abs re ad continuam exercitationem nos hortatur Propheta, & huc ſtudia omnia applicare nos jubet. Et quoniam erratica eſt hominum vita, quod carnis cupiditatibus huc & illuc diſtrahi non deſinunt, ideo ſe ad conſiderandas Dei *ſemitas* intentum fore dicit. Poſtea iterum repetit, hoc *ſtudium ſummæ voluptati ſibi fuiſſe*, donec enim hilariter & cum oblectatione animum ſuum quis adjiciat ad Legem Dei, frigide & nimis lente in ea proficiet. Atque hoc recte vivendi exordium eſt, ut Lex Dei ſuavitate nos ſua alliciat. Hæc etiam una ratio domandis vel ſanandis carnis cupiditatibus. quid enim naturaliter nobis arridet niſi vitioſum? Itaque ſemper in illam partem ferenur propenſi, niſi contraria Legis oblectatio nos retrahat.

17. ג Confer ſervo tuo, vivam, & cuſtodiam ſermonem tuum.	17 גמל על עבדך אחיה ואשמרה דברך:
18. ג Aperi oculos meos, & conſpiciam mirabilia ex Lege tua.	18 גל עיני ואביטה נפלאות מתורתך:
19. ג Peregrinus ſum in terra, ne abſcondas à me mandata tua.	19 גר אנכי בארץ אל תסתר ממני מצותיך:
20. ג Confracta eſt anima mea præ deſiderio ad judicia tua in omni tempore.	ם 20 גרסה נפשי לתאבה אל משפטיך בכל עת:
21. ג Perdidiſti ſuperbos, maledicti qui declinant à mandatis tuis.	21 גערת זדים ארורים השגים ממצותיך:
22. ג Aufer à me opprobrium & contemptum, quia teſtimonia tua cuſtodivi.	22 גל מעלי חרפה ובוז כי עדתיך נצרתי:
23. ג Etiam ſederunt Principes, in me loquuti ſunt, ſervus tuus meditatus eſt in edictis tuis.	ע 23 גם ישבו שרים בי נדברו עבדך ישיח בחקיך:
24. ג Etiam teſtimonia tua oblectationes meæ, viri conſilii mei.	ע 24 גם עדתיך שעשעי אנשי עצתי:

17. *Confer*

17. *Confer ſervo tuo.*] Verbum גמל quod retribuere vertunt, Hebræis non ſignificat mutuam mercedem, ſed tantundem ſæpe valet atque conferre beneficium: ſicuti ex Pſalmo 116. verſ. 7. & pluribus aliis locis patet. Hic quidem locus poſtulat de gratuito beneficio exponi. Duplex tamen adhuc poſſet eſſe ſenſus: Vel ut ſeorſum legatur, hoc modo: Præſta Deus te liberalem ſervo tuo: ita vivam, vel, tunc me exiſtimabo felicem. Vel ut tota ſententia uno tenore fluat, Hoc confer ſervo tuo Deus ut vivendo cuſtodiam mandata tua. Si prior lectio magis placet, teſtatur his verbis Propheta ſe abſque Dei favore ſimilem eſſe mortuo: atque ut alia omnia ſuppetant, ſibi nullam fore vitam, niſi Deum ſibi propitium ſentiat. Sed rectior eſt altera expoſitio, Prophetam hoc ſummi beneficii loco petere, ut vivendo ſe totum Deo addicat: quia ſtatuat non aliam ſibi eſſe vivendi cauſam, niſi ut ſe exerceat in Dei cultu. Itaque hæc duo ſimul cohærent, *vivam & cuſtodiam ſermonem tuum*, acſi diceret, non aliam ſe vitam expetere niſi in qua ſe probet verum & fidum Dei cultorem. Sibi omnes vitam prorogari à Deo cupiunt, & certatim rapitur totus mundus ad hoc votum: interea quorſum vivendum ſit vix centeſimus quiſque reputat. Ut nos ab hoc bruto affectu revocet Propheta, legitimum vitæ finem præſcribit. Interea docet, ſingulari Spiritus gratia fieri ut quis Dei Legem obſervet. Nam ſi putaſſet in libero ſuo arbitrio eſſe poſitum ad cuſtodiendam Dei Legem ſe accingere, ſimulata fuiſſet precatio. Quo proxime accedit ſecundi verſus doctrina. Poſtquam enim confeſſus eſt Divinitus hominibus conferri ſervandæ Legis virtutem, ſtatim addit quemque noſtrum cæcum eſſe donec mentis oculos idem Deus illuminet. Verum quidem eſt Deum nobis lucere per verbum ſuum. ſed intelligit Propheta, donec velum ex oculis noſtris abſtulerit, nos cæcutire in clara luce. Perinde ergo eſt acſi ſuam & totius humani generis cæcitatem Propheta defleret, dum ſibi velatos & clauſos oculos fatetur, ne cæleſtis doctrinæ lucem conſpiciant, donec eos arcana Spiritus ſui gratia Deus aperiat. Cæterum dum hoc ſibi munus Deus vendicat, docet remedium in promptu eſſe, modo ne proprio acumine confiſi, ſpernamus quam offert illuminationis gratiam. Diſcamus præterea, non ideo nos illuminari, ut contempto externo verbo, rapiamur ad arcanos afflatus: quemadmodum multi fanatici non aliter ſe putant ſpirituales niſi rejecto Dei verbo, ſua deliria ſubſtituant. Atqui longe alium illuminationis uſum notat Propheta, ut ad cernendam vivificam lucem quam profert Deus verbo ſuo, nobis ſufficiant oculi. Et *mirabilia* vocat Legis doctrinam, primum ut ad ſuſpiciendam ejus altitudinem nos humiliet: deinde quo melius perſuadeat nobis cæleſti gratia opus eſſe ad intelligenda arcana quæ captum noſtrum ſuperant. Atque hinc colligimus, per nomen *Legis* non modo decem præcepta intelligi, ſed fœdus æternæ ſalutis quod Deus pepigit, cum ſuis appendicibus. Et certe quum

Coloſſ. 2 verſ. 3. Rom. 10. verſ. 4.

ſciamus Chriſtum, in quo abſconditi ſunt omnes theſauri ſcientiæ & ſapientiæ, finem eſſe Legis: non mirum eſt ſi eam à ſublimibus myſteriis commendat Propheta.

19. *Peregrinus ſum.*] Operæ pretium eſt notare cur ſe inquilinum & hoſpitem dicat eſſe in mundo. Profanis enim & terrenis hominibꝰs nihil aliud curæ eſt, niſi ut commode hic vivant. Qui vero ſciunt nobis currendum eſſe, & hæreditatem nobis in cælo repoſitam: non affixi ſunt neque impliciti rebus caducis, ſed aſpirant quo vocantur. Senſus ergo eſt, Domine quum mihi per terram celeriter tranſire neceſſe ſit, quid mihi fiet ſi doctrina Legis tuæ deſtituar? Hinc diſcamus unde nos incipere oporteat ut alacriter ad Deum pergamus. Porro *abſcondere* dicitur *Deus mandata ſua*, quibus oculos non aperit: quia dum ſpiritualibus oculis non ſunt præditi, videndo non vident, ut abſconditum ſit quod palam verſatur ante oculos. Atque ut demonſtret Propheta ſe non defunctorie ita precari, adjungit ſe totum Legis deſiderio ardere. Nam quum dicit *animam ſuam confractam fuiſſe*, non vulgaris vehementia exprimitur. Quemadmodum enim ſiquis adeo cupide conferat in rem aliquam ſenſus ſuos ut fere evaneſcant, dicetur intemperie ſua conſumptus: ſic etiam Propheta animi ſui vigorem ardenti Legis deſiderio fractum vel exhauſtum eſſe dicit. Et ſimul perſeverantiam notat, quum dicit, *omni tempore*, quia interdum continget magno impetu quempiam ad ſtudium cæleſtis doctrinæ impelli, ſed cujus evanidus erit fervor. Habenda igitur conſtantia eſt, ne tædio langueſcant animi.

21. *Perdidiſti ſuperbos.*] Alii vertunt increpare. atque id ſignificat Hebræis verbum גער: ſed quum in regimine additur litera ב *Beth.* Nunc autem quum ſimpliciter dicat גערת זדים, ſecundum rationem Grammaticæ aptius convenit perdendi verbum. quanquam ad ſummam rei parum refert. Conſilium enim Prophetæ minime ambiguum eſt, ſe Dei judiciis fuiſſe edoctum ut animum adjiceret ad ſtudium Legis. Et certe non expectandum eſt dum nos ſuis ferulis caſtiget Deus: ſed dum impios & verbi ſui contemptores ulciſcitur, nimium ſumus ſocordes niſi nos erudiant ejus flagella. Ac profecto hæc ſingularis Dei clementia eſt, dum nobis parcit, procul terrorem incutere, ut intactos & à caſtigatione immunes ad ſe adducat. Nec temere ſuperbos vocat omnes incredulos: quia ſola fides eſt quæ nos humiliat, & omnis rebellio ex ſuperbia naſcitur. Quam vero utile ſit attente & ſedulo Dei judicia animadvertere, quibus talem faſtum compeſcit, hinc colligimus. quamdiu enim vident infirmi furioſe impios contra Deum inſurgere, proterve omne jugum excutere, & impune habere ludibrio totam pietatem: dubitare incipiunt an aliquis in cælo judex Deus ſedeat. Quamvis ergo ad tempus Deus conniveat, ſimul tamen atque aliquod exemplum edit, certo ſtatuamus non fruſtra transgreſſoribus Legis ſuæ minatum eſſe Deum: atque ita in mentem veniat maledictos eſſe omnes qui ab eo recedunt. Cæterum notandum eſt *declinandi* verbo non quodlibet delictum notari, ſed effrænem licentiam, quæ ex impio Dei contemptu naſcitur. Eſt quidem illa univerſalis

Deut. 27. verſ. 26.

ſententia, Maledictum eſſe quiſquis non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt: ſed quia Deus paterna indulgentia tolerat qui per infirmitatis vitium claudicant, hic de judiciis nominatim agitur quæ adverſus reprobos exercet. Illorum vero finem eſſe docet Jeſaias, ut juſtitiam diſcant habitatores terræ.

Jeſa. 26. verſ. 9.

22. *Aufer à me.*] Poteſt hic verſus duobus modis intelligi. Scimus, quamlibet ſe filii Dei recte gerant, multis tamen calumniis eſſe obnoxios. Itaque non fruſtra poſtulant fideles ut Deus contra linguas virulentas ſynceræ, quam colunt, pietatis ſit aſſertor: Nec male conveniet hic ſenſus, Domine, quia mihi bene conſcius ſum, & tu mihi etiam veræ integritatis es teſtis, ne permittas ut improbi falſa crimina in me congerendo, vitam meam infament. Sed plenior erit ſententia ſi uno contextu legatur, Ne patiaris Deus impios ideo mihi illudere quia Legem tuam ſervare ſtudeo. Nam ab initio hæc impietas in mundo graſſata eſt, ut Dei cultoribus probri loco objecta fuerit ſua ſimplicitas, & in ludibrium tracta. Sicuti hodie eadem fere probra adverſus filios Dei volitant, quod non contenti uſitata vivendi ratione, nimium ſapere velint. Nam illud Jeſaiæ

Jeſa. 8. verſ. 18.

nunc quoque impleri oportet, Ecce ego, & pueri mei quos dediſti mihi in portentum. ut filii Dei cum capite ſuo Chriſto apud profanos homines monſtris ſint ſimiles: ſicuti & Petrus teſtatur nos ab illis inſaniæ damnari, quia eorum vias non ſequimur. Quia

1 Petr. 4. verſ. 4.

autem hæc contumelia in nomen Dei redundat, ſi ob purum Legis Dei ſtudium habentur ludibrio: merito Propheta ſubſannationes iſtas compeſci poſtulat. Atque etiam ad hoc aſylum nos ſuo exemplo
Jeſa. 23. verſ. 21. Jeſaias confugere docet, quod impiis in terra ferociter probra ſua jactantibus, ſedeat tamen in cælo judex noſter. Proximo verſu clarius aſſerit Propheta, ſe non fruſtra precatum eſſe ut eum Dominus à talibus probris aſſereret: quia non tantum à plebe & hominum quiſquiliis deriſus fuerit, ſed etiam ab ipſis proceribus qui ſedebant tanquam judices. Nam *ſedendi* verbo ſignificat non tantum in ſuis cubiculis vel menſis perperam & inique loquutos eſſe, ſed publice quoque & in ipſo tribunali, ubi jus dicendum erat. Ideo utitur particula גם, quæ tacita comparatione inter obſcuros plebis ſuſurros & ſuperba iſtorum judicia, amplificat rei indignitatem. Interea tamen quam conſtanter perſtiterit in ſtudio pietatis videmus. Nam quia hoc artificio tentabat Satan eum ad deſperationem impellere, remedium ex meditatione Legis Dei ſe quæſiiſſe dicit. Hic vero docemur non eſſe novum ſi mundi Judices inique opprimant ſervos Dei, & eorum pietati inſultent. Hanc contumeliam ſi effugere non potuit David, cur hodie eſſemus immunes? Simul tamen diſcamus, nihil magis eſſe perverſum quam pendere ab hominum judiciis: quia neceſſe erit ſingulis momentis vacillare. Quare ſatis ſit nos Deo probari, quamvis nos injuſte traducant homines, nec modo vulgus ignobile, ſed ipſi etiam judices à quibus ſperanda erat major æquitas.

24. *Etiam teſtimonia tua.*] Particula גם verſum hunc cum ſuperiore connectit. Hoc raræ fortitudinis exemplum eſt, quum mundus perperam de nobis judicat, non mutare propoſitum, nec fluctuari, ſed perſequi meditationem Divinæ Legis. Nunc igitur docet Propheta quomodo hanc tentationem eluctatus fuerit: nempe, Teſtimonia tua (inquit) ſunt lætitiæ meæ. hoc eſt, Quamvis acerba ſit & moleſta hominum iniquitas, dum mendaciter me accuſant; ſufficiunt tamen ad compenſationem deliciæ Legis tuæ. Addit teſtimonia Dei eſſe *ſuos conſiliarios*, qua loquendi forma ſignificat ſe non acquieſcere in proprio ſenſu, ſed petere à verbo Dei conſilium. Quod diligenter notandum eſt. videmus enim ut regendæ hominum vitæ præſideant cæci affectus. Avarus unde petit conſilium, niſi ex falſo principio quod ſibi imaginatus eſt, nihil ſcilicet melius eſſe divitiis? Cur ambitioſi unam altitudinem appetunt, niſi quia exiſtimant nihil eſſe melius quam tenere gradum honorificum in mundo? Non igitur mirum eſt tam miſere errare homines, qui ſe tam malis conſiliariis regendos tradunt. Tunc autem & carnis noſtræ & mundi impoſturis clauſus erit aditus, & contra omnes tentationum impetus ſtabimus invicti, ſi nos verbum Dei gubernet: atque hæc nobis unica ſit prudentia, quicquid præſcribit, obedienter ſequi.

25. ד Adhæſit pulveri anima mea, vivifica me ſecundum verbum tuum.	כ 25 דָּבְקָה לֶעָפָר נַפְשִׁי חַיֵּנִי כִּדְבָרֶךָ׃
26. ד Vias meas narravi, & reſpondiſti mihi: doce me edicta tua.	26 דְּרָכַי סִפַּרְתִּי וַתַּעֲנֵנִי לַמְּדֵנִי חֻקֶּיךָ׃
27. ד Viam mandatorum tuorum fac ut intelligam, & meditabor in mirabilibus tuis.	27 דֶּרֶךְ פִּקּוּדֶיךָ הֲבִינֵנִי וְאָשִׂיחָה בְּנִפְלְאוֹתֶיךָ׃
28. ד Stillat anima mea præ dolore, erige me ſecundum verbum tuum.	28 דָּלְפָה נַפְשִׁי מִתּוּגָה קַיְּמֵנִי כִּדְבָרֶךָ׃
29. ד Viam falſitatis aufer à me, & Lege tua gratificare mihi.	29 דֶּרֶךְ שֶׁקֶר הָסֵר מִמֶּנִּי וְתוֹרָתְךָ חָנֵּנִי׃
30. ד Viam veritatis elegi, judicia tua propoſui.	30 דֶּרֶךְ אֱמוּנָה בָחָרְתִּי מִשְׁפָּטֶיךָ שִׁוִּיתִי׃
31. ד Adhæſi teſtimoniis tuis Jehova, ne pudefacias me.	31 דָּבַקְתִּי בְעֵדְוֹתֶיךָ יְהוָה אַל תְּבִישֵׁנִי׃
32. ד Viam ſtatutorum tuorum percurram, ubi dilataveris cor meum.	32 דֶּרֶךְ מִצְוֹתֶיךָ אָרוּץ כִּי תַרְחִיב לִבִּי׃

25. *Adhæſit pulveri anima mea.*] Significat ſe de vita non ſecus deſperaſſe quam ſi affixus eſſet ſepulchro. Quod notatu dignum eſt, ne tædeat nos vel pigeat, quoties ita viſum fuerit Deo, per varias mortes tranſire. Suo autem exemplo docet, quum nihil occurrit præter mortem, ſpeſque omnes videntur extinctæ, ad Deum nihilominus vota noſtra di-
Pſal. 68. verſ. 21. rigere, in cujus manu ſunt exitus mortis, quemadmodum alibi vidimus: & cujus proprium munus eſt vitam reſtituere mortuis. Cæterum quia hæc difficilis lucta eſt, ideo ſe & alios revocat ad Dei promiſſiones. Nam quum dicit *ſecundum verbum tuum*, fatetur, ſi à Dei verbo receſſerit, nullam ſpem manere ſibi reſiduam. Verum quia pollicitus eſt Deus vitam piorum in manu ſua & tutela eſſe, quamvis ſepulchro adhæreat, ſe tamen in vitæ fiduciam erigit.

26. *Vias meas narravi.*] Priore membro teſtatur ſe abſque fuco fuiſſe precatum, nec ſequutum eſſe ſuperbos homines qui prudentia ſua, virtute, aut opibus freti, ad Deum non confugiunt. Vias enim ſuas Deo exponere dicitur, qui nihil tentare vel aggredi audet niſi ejus auxilio, ſed totus pendens ab ejus providentia, ſua omnia conſilia ejus arbitrio permittit, & quaſi in ejus ſinum deponit affectus ſuos: idque ſincere facit, non ut hypocritæ, qui aliud lingua præ ſe ferunt, aliud in corde occultant. Addit etiam *ſe fuiſſe exauditum*: quod in ſpem futuri temporis non parum valebat. Secundo membro iterum teſtatur ſibi nihil eſſe pluris quam veram Legis intelligentiam conſequi. Sunt enim nonnulli qui vota quidem ſua Deo aperiunt, ſed eum ſtultis ſuis cupiditatibus morigerum habere vellent. Ideo dicit Propheta nihil ſe magis cupere, quam in *Dei ſtatutis* recte *doceri*. Quod & proximo verſu confirmat, hanc ſibi intelligentiam dari rurſus poſtulans. Atque utroque loco notandum eſt, quamvis oculis noſtris Lex Dei ſit expoſita, niſi tamen accedat interior magiſter Dei Spiritus, non multum nos poſſe ex illius lectione conſequi. Cæterum ubi poſui *Meditabor*, quidam interpretes vertunt diſſeram: & verbum שיח tam ad ſermonem quam ad tacitas cogitationes refertur. Sed huic loco poſterior ſignificatio melius convenit. Sic enim reſolvo Prophetæ verba, ut mediter in mirabilibus tuis, fac ut man-

data

data tua intelligam. Scimus enim, donec mentes noſtras Deus purgaverit ut veræ ſapientiæ guſtum percipiant, Legem ejus eſſe nobis inſipidam. Atque ex hoc faſtidio naſcitur ignavia, ut gravetur mundus ad Dei Legem reverenter attendere, quia admirabilem ſapientiam quæ illic recondita eſt non guſtamus. quare non temere Propheta januam intelligentiæ dono ſibi patefieri rogat. Hinc vero ſimul diſcendum eſſe, prout donati ſumus intelligentiæ Spiritu, reverentiam Legis Dei & ejus meditandæ ſtudium debere in nobis creſcere.

28. *Stillat anima mea præ dolore.*] Quemadmodum paulo ante dixerat, animam ſuam pulveri eſſe affixam, ita nunc ſimili fere ſenſu diffluere præ dolore conqueritur. Quanquam ſunt qui ad lachrymas putent eum alludere: acſi dixiſſet animam ſuam in lachrymas liquefieri. Verum ſenſus eſt ſimplicior, vires diffluere inſtar aquarum. Et verbum quidem eſt futuri temporis, continuum tamen actum deſignat. Porro extremi mœroris remedium hoc ſibi ſtatuit Propheta, ſi Deus manum porrigat. ſicuti enim nuper quum exanimis eſſet, ſpem reſurrectionis concepit ex Dei gratia: ita nunc ex eadem, novi & pleni vigoris reſtitutionem ſperat, quamvis nunc evanuerit. Repetit particulam illam *ſecundum verbum*, quia abſque verbo nobis frigeret Dei potentia. Atqui ubi nobis Deus occurrit, quamvis nos animus & vires deficiant, ſatis ad nos confirmandos valere debet ejus promiſſio.

29. *Viam falſitatis aufer à me.*] Quia ſciebat quam propenſa ſint ad vanitatem & mendacium hominum ingenia, priore loco mentem ſuam purgari poſtulat, ne Satanæ impoſturis implicita, in errorem labatur. Deinde ut ſibi à mendaciis caveat, Legis doctrina muniri ſe petit. Quanquam varia eſt ſecundi membri interpretatio. Quidam enim ita vertunt: Fac ut Lex tua grata ſit mihi. Et certe quia Lex carni, quam cogit in ordinem, odioſa eſt, merito rogandus eſt Deus ut ſuavem & gratioſam nobis eam reddat. Alii exponunt. Miſerere mei de Lege tua. acſi miſericordiam deduceret Propheta ex proprio ſuo fonte: quia Deus in Lege ſua fidelibus eam promiſit. Uterque ſenſus mihi coactus videtur: Ideo tertium libentius amplector, Legem tuam gratuito mihi dona. Sed verbum חנני non potuit aliter transferri quam *gratificare mihi.* craſſe quidem & barbare: ſed mihi perinde fuit modo Prophetæ mentem certo tenerent lectores. Jam ſumma nobis conſtat. quia enim nos occupat hebetudo, nihil proclivius eſt quam ut ſe errores inſinuent. Quare ſubinde in varias hallucinationes rapi continget, niſi prudentiæ Spiritu nos Deus inſtruat. Modus autem exprimitur, ut nos inſtituat in Lege ſua. Sed gratificandi verbum poſuit acſi dixiſſet, Hoc quidem incomparabile beneficium eſt, quod homines Lege tua dirigis, ſed quia gratuita eſt tua liberalitas, petere non dubito, ut me in hujus boni fruitione admittere digneris. Jam ſi Propheta qui pridem Deum coluerat, nunc ad novum profectum aſpirans, non petit pleniorem gratiam meritis ſuis tanquam debitam rependi, ſed fatetur hoc gratuitum eſſe Dei munus: concidit impium illud commentum quod in Papatu obtinuit, augmentum gratiæ meritis tanquam debitum retribui.

30. *Viam veritatis elegi.*] Hoc verſu & proximo ſe ita animatum fuiſſe aſſerit, ut nihil magis expeteret quam ſequi quod rectum & verum erat. Non temere hic ponitur eligendi verbum. nam quod veteri proverbio dictum eſt, Vitam hominum eſſe quaſi in bivio, non modo ad generalem curſum, ſed ad ſingulas actiones pertinet. Simul enim ac minimum aliquid ſuſcipimus, huc & illuc diſtrahimur, & quaſi tempeſtate abrepti miſcemus varia conſilia. Ideo Propheta, ut conſtanter in recta via pergeret, dicit ſibi fixum ac decretum fuiſſe non relinquere veritatem. Hoc modo ſe non fuiſſe expertem tentationum ſignificat: prævaluiſſe tamen, quia animum addixerat ſtudio ſervandæ Legis. Eodem ſpectat poſterius membrum, ubi dicit *propoſita ſibi fuiſſe Dei judicia.* Neque enim firma eſſet electio, niſi ſe fideles in continuo Legis intuitu exerceant, neque vagandi licentiam permittant oculis ſuis. Sequenti autem verſu non modo pium hunc affectum prædicat, ſed adjungit ſimul precationem, ne confuſus impiorum ludibriis ſuccumbat, dum Legi Dei totus eſt affixus. Idem verbum nunc repetit quo prius uſus eſt, ubi animam ſuam dicebat affixam eſſe pulveri. atque ita declarat ſe Legem Dei ita tenaciter eſſe amplexum ut ab ea avelli nequeat. Dum ergo pudefieri metuit, vel probris obrui, hinc colligimus, quo ſyncerius quiſque ſe Deo addicit, magis provocare impuras & virulentas linguas.

32. *Viam mandatorum tuorum.*] Significat Propheta, ubi Deus alacritatem dederit, ſatis vegetum & alacrem ſe fore, adeoque conſtantem ne in medio ſtadio fatiſcat, quibus verbis tacite fatetur, donec corda hominum dilataverit Deus, non modo fore ignavos, ſed non poſſe pedem movere ut ad bene agendum aſpirent. Porro ubi corda eorum Deus explicuit, non modo ad ambulandum, ſed etiam ad currendum ſatis fore idoneos. Admonet interea, veram Legis obſervationem non in externis tantum operibus ſitam eſſe, ſed requirere voluntarium obſequium, ut cor ſe quodammodo dilatet. non quod ſe proprio motu ita comparet, ſed quia ubi correcta eſt ejus durities & contumacia, liberaliter ſe offert, neque amplius ſuis anguſtiis conſtringitur. Docet poſtremo hic locus, ubi animos noſtros in hanc latitudinem formaverit Deus, vires non defore: quia Deus una cum recto affectu facultatem quoque ſufficiet, ut pedes ad currendum ſint parati.

33. ה Doce me Jehova viam edictorum tuorum, & cuſtodiam eam ad finem.	33 הוֹרֵנִי יְהוָה דֶּרֶךְ חֻקֶּיךָ וְאֶצְּרֶנָּה עֵקֶב׃
34. ה Fac me intelligere, & ſervabo legem tuam, & cuſtodiam eam in toto corde.	34 הֲבִינֵנִי וְאֶצְּרָה תוֹרָתֶךָ וְאֶשְׁמְרֶנָּה בְכָל לֵב׃
35. ה Dirige me in via ſtatutorum tuorum: quia in ea eſt beneplacitum meum.	35 הַדְרִיכֵנִי בִּנְתִיב מִצְוֹתֶיךָ כִּי בוֹ חָפָצְתִּי׃
36. ה Inclina cor meum ad teſtimonia tua, & non ad avaritiam.	36 הַט לִבִּי אֶל עֵדְוֹתֶיךָ וְאַל אֶל בָּצַע׃
37. ה Averte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua vivifica me.	37 הַעֲבֵר עֵינַי מֵרְאוֹת שָׁוְא בִּדְרָכֶךָ חַיֵּנִי׃
38. ה Confirma ſervo tuo eloquium tuum qui timori tuo *deditus eſt.*	38 הָקֵם לְעַבְדְּךָ אִמְרָתֶךָ אֲשֶׁר לְיִרְאָתֶךָ׃

39. ח Aufer opprobrium meum quod timui, quia judicia tua bona. | 39 הַעֲבֵר חֶרְפָּתִי אֲשֶׁר יָגֹרְתִּי כִּי מִשְׁפָּטֶיךָ טוֹבִים׃

40. ה Ecce concupivi ad mandata tua, in juſtitia tua vivifica me. | ב 40 הִנֵּה תָּאַבְתִּי לְפִקֻּדֶיךָ בְּצִדְקָתְךָ חַיֵּנִי׃

33. *Doce me Jehova viam edictorum.*] Adhuc repetit precationem qua jam ſæpe uſus eſt in hoc Pſalmo: quia magnopere noſtra refert, tenere hoc in vita eſſe præcipuum ut nos Deus gubernet. Videmus enim ut major pars quidvis potius cogitet quam hoc ſibi à Deo petendum eſſe. Ideo votum hoc quod aſſidue recurrere nobis debet, Spiritus ſanctus inculcat: ut non modo qui novitii ſunt ac rudes tyrunculi, ſed qui magnos progreſſus fecerunt, non deſinant ultra eniti. Et quia Spiritus intelligentiæ è cælo datur, arcano ejus inſtinctu poſtulent ſe ad veram Legis ſcientiam deduci. Nam ſecundo membro oſtendit Propheta de qua ſpecie doctrinæ loquatur, nempe quæ efficax ſit ad formandum cor hominis. Cæterum vocem עקב duobus modis exponunt interpretes. Quidam pro mercede, hoc ſenſu, Ubi probe edoctus fuero, non fruſtra eos laborare, cognoſcam qui ſe addicunt ad obſervantiam Legis tuæ. Ideoque propter mercedem mandata tua cuſtodiam: quia nunquam fruſtraris cultores tuos. Alii vertunt, ad finem uſque: quia quos Deus efficaciter docet, ſimul etiam confirmat ne fatigentur in medio itinere, ſed abſque laſſitudine conſtanter ad metam pergant. Equidem non dubito quin de perſeverantiæ dono loquatur: ſed expendant lectores annon ſimpliciter legi poſſit hic verſus ut verba ſonant. Neque enim præpoſitio ע א. exprimitur à Propheta, ſed dicit *Cuſtodiam eam finem*, nempe tanquam ſcopum appoſitive. ita ſenſus eſſet, Domine mihi neceſſe eſt aſſidue doceri, ne deficiam, ſed ſemper intentus ſim ad ſcopum meum, qui abs te eſt præfixus. Tu enim hac lege in ſtadio tuo currere præcipis, ut mors demum ſit meta, interim verbo tuo regamur. Hæc vero conſtantia in me non reperietur, niſi quotidie me doceas. atqui te duce ſemper ero in ſpecula: nec oculos à fine meo vel ſcopo deflectam. Ego tamen in verſione poſui quod magis receptum erat.

34. *Fac me intelligere, & ſervabo.*] Primo admonet hanc eſſe veram prudentiam, ſi tantum ſapimus ex Lege Domini, ut nos ſub ejus timore & obſequio contineat. Hanc vero ſibi Divinitus conferri poſtulans, fatetur homines carnis ſenſu excæcatos, quovis potius tendere. Et certe longe à communi hominum opinione remotum eſt, ſtudia omnia conferre ad ſervandam Dei Legem. Eos enim demum ſapere mundus exiſtimat qui bene proſpiciunt ſuis commodis, in negotiis terrenæ vitæ acuti ſunt & verſuti, aſtutia etiam pollent ad fallendos ſimplices. Contra autem denunciat Propheta, recta intelligentia deſtitui homines quamdiu primatum non obtinet Dei timor. Neque enim aliam ſibi perſpicaciam expetit, niſi ut diſcat totum ſe Deo regendum tradere. Fatetur etiam interim, hoc ſpeciale eſſe Dei donum, non autem proprio marte vel induſtria acquiri. nam ſi idoneus ſibi quiſque magiſter foret, ſupervacua eſſet iſta precatio. Porro quia res non vulgaris eſt Legis obſervatio, duobus verbis utitur: acſi diceret, Domine ardua res eſt ac difficilis Legem tuam exacte ut decet ſervare, quæ munditiem plus quam humanam præſcribit: ſed ego cæleſtis Spiritus tui luce fretus non deficiam. Clarior tamen erit ſenſus ſi verba ſic reſolvas, Da mihi intellectum ut ſervem, & toto corde cuſtodiam. Totius autem cordis fit mentio, ut ſciamus procul abeſſe à Legis juſtitia qui externos tantum ſenſus in officio continent, ut nihil palam deſignent reprehenſione dignum. quia Deus frænum maxime cordibus injicit ut illic vigeat pura integritas, cujus deinde fructus in vita appareant. Atque hæc ſpiritualis Legis obſervatio melius convincit quam neceſſe ſit nos Divinitus ad eam formari.

35. *Dirige me in ſemita.*] Quod ſubinde hanc ſententiam iterat Propheta, non eſt ſupervacuum: quia quum hominibus hic ſit vivendi finis ut proficiant in ſchola Dei, videmus ut ſuis illecebris mundus eos huc & illuc trahat, ipſi etiam ſibi innumera avocamenta fingant. Ac notandum eſt quod ſequitur, hoc eſſe ſuum beneplacitum. Eſt enim hoc raræ virtutis, hominem ſenſus ſuos & affectus ita colligere, ut blanditiis omnibus quæ carnem titillant valere juſſis, non alibi ſe oblectet quam in Dei cultu. & tamen hanc palmam adeptus Propheta, ſibi adhuc aliquid deeſſe videt. Novum igitur Dei ſubſidium implorat, ut ad deſiderium accedat plenus effectus, ſicuti Paulus dicit, Deum eſſe qui in nobis operatur & velle & exequi. Tenendum vero eſt, non hic gloriari de intrinſeco naturæ ſuæ motu: ſed quam accepit gratiam, proferre in medium, ut Deus opus quod inchoavit perficiat: acſi dixiſſet, Domine qui mihi animum dediſti, adde etiam vires. Jam nomen *beneplaciti*, carnis cupiditatibus tacite opponitur quæ hominum corda ſuis illecebris devincta tenent.

Philip. 2. verſ. 13.

36. *Inclina cor meum.*] Primo fatetur adeo morigerum non eſſe cor hominis Dei juſtitiæ, ut potius in contrariam partem feratur. Nam ſi naturaliter & ſponte propenſi eſſemus ad Legis juſtitiam, fruſtra dictum eſſet, Inclina cor meum. Sequitur ergo, corda noſtra nihil niſi vitioſum concipere, & contumaciæ eſſe dedita, donec ea in diverſam partem reflectat Deus. Notanda diligenter eſt hæc Prophetæ confeſſio, corruptam uſque adeo eſſe hominum naturam, ut quidvis potius quam quod rectum eſt appetat: donec manu Dei ad novam docilitatem flectatur, ut proclivis ad bonum eſſe incipiat. Ex altero membro oſtendit Propheta quid impediat quominus ad juſtitiæ ſtudium aſpirent homines: quia ſcilicet proclives ſunt *in avaritiam*. At ſpecies pro genere per ſynecdochen ponitur. בצע quidem violenter agere ſignificat, ſicut concupiſcere vel fraudare: ſed nomen avaritiæ optime convenit, modo ſciamus delectam eſſe hanc ſpeciem à Propheta quæ radix eſt omnium malorum, ut oſtenderet nihil magis eſſe contrarium juſtitiæ Dei. Interea monemur in genere, teneri nos pravis & vitioſis affectibus implicitos, ut abhorreant corda noſtra à ſtudio Legis Dei, donec propenſionem ad bonum inſpiret Deus.

1 Tim. 6. verſ. 10.

37. *Averte oculos meos.*] Docemur his verbis ſic occupari ſenſus omnes noſtros vanitate, ut non mirum ſit à recti ſtudio eſſe alienos donec fuerint purgati & reformati: imo pravitatem quum dixit proximo verſu regnare in hominum cordibus, ad externos quoque ſenſus extendit: acſi diceret. morbum concupiſcendi non in animis modo latere, ſed diffuſum eſſe per omnes partes, ut neque oculi, neque aures, neque pedes, neque manus integram naturam retineant: denique nihil purum ſit à corruptela. Et certe ſcimus labem originalis peccati non tantum reſidere in aliqua parte hominis, ſed poſſidere totam animam & corpus. Nam ſi oculos ſpeciali Dei gratia averti neceſſe eſt à vanitate, ſequitur ſimul atque aperti fuerint, cupide incurrere in Satanæ fallacias quæ ubique ſe ingerunt. Si tantum laqueos tenderet Satan, nos autem ad cavendas ejus impoſturas providi eſſemus, non proprie oculos Deus averteret à vanitate: ſed quia ſponte dediti ſunt malis illecebris, retrahi neceſſe eſt. Quoties

ergo oculos aperimus, duas januas ſciamus Diabolo eſſe apertas quibus in animam noſtram penetret, niſi Spiritus ſui cuſtodiam Deus opponat. Quod autem de oculis dicit, pertinet etiam ad alios ſenſus: quia hic quoque ſynecdochica eſt locutio. Ac reſpondet poſterius membrum. quanquam enim alii diverſos ſenſus afferunt, hunc genuinum eſſe arbitror, Domine, quia maledicta eſt vita hominum quamdiu ſuas facultates conferunt ad peccandum: fac ut quicquid eſt in me vigoris, nihil niſi juſtitiam quam præſcribis, ſpiret. Ut hoc melius pateat, tenere principium iſtud convenit. Quod oculi vident, quod aures audiunt, pedes ambulant, manus palpant, pretioſa quidem dona eſſe Dei: excellentius etiam eſſe donum quod judicio & voluntate præditi ſumus: ſed interim nullum eſſe oculorum aſpectum, nullos ſenſuum motus, nullam cogitationem, cui non adhæreat vitium & pravitas. Quum ita ſit, merito Propheta ſe totum Deo mortificandum offert, ut novam vitam vivere incipiat.

38. *Confirma ſervo tuo.*] Hic breviter notatur legitimus & unicus precandi finis, ut promiſſionum Dei effectus ad nos perveniat. unde ſequitur, perperam facere qui habenas temere ſuis votis laxant. Videmus enim ut Propheta nihil petere vel optare ſibi permittat niſi quod Deus promittere dignatus eſt. Et certe nimis importuna eorum audacia eſt qui ad Deum ſine ulla verbi ejus invitatione perrumpunt: perinde acſi arbitrio ſuo vellent Deum ſubjicere. Notanda autem eſt quæ ſequitur ratio, *Quia ad timorem tuum:* ſiquidem relativum אשר cauſalem particulam valet. Significat enim Propheta ſe non ſubſiſtere in terrenis commodis, ut ſolent profani homines, nec præpoſtere abuti promiſſionibus Dei ad captandas carnis delicias, ſed timorem ac reverentiam Dei ſibi eſſe pro ſcopo. Et certe hæc optima impetrandi fiducia eſt, ubi vota noſtra non ſejungimus à Dei cultu, ſed hoc unum expetimus ut in nobis regnet.

39. *Aufer opprobrium.*] Non ſatis liquido conſtat quodnam opprobrium deſignet. Quia multos calumniatores ſciebat eſſe quaſi in excubiis, ut ſi forte eum deprehenderent in aliquo delicto, maledicendi occaſio ſuppeteret: merito incidere timuit in talem infamiam, idque ſua culpa. Potuit etiam timere aliud probrum, quia ſciebat improbos homines optimis quibuſque proterve maledicere, & recte facta ſuis calumniis trahere in ſiniſtram partem. Ratio additur, *quod judicia Dei bona ſint:* ut Deus improbas linguas compeſcat quæ virus petulantiæ ſuæ exerunt contra homines innoxios, qui Dei ipſius Legem reverenter obſervant. Si opprobrium quiſpiam accipere malit Dei reſpectu, non male ſenſus quadrabit, hoc modo, ut Propheta, cui ſatis erat vitam ſuam Deo probare, tantum cupiat, ubi apparuerit ad ejus tribunal, judicium effugere hominis reprobi: perinde acſi magno & ſublimi animo deſpiciat quicquid garriunt in mundo homines, modo ſtet integer in Dei conſpectu. Et certe hoc maxime probrum timere Sanctos omnes decet, ne cum ignominia cadant ad Dei tribunal.

40. *Ecce concupivi.*] Iterum repetit quod nuper teſtatus erat, ſe præditum eſſe pio affectu, & ſibi cordi eſſe rectitudinem: tantum reſtare ut Deus opus quod inchoavit, abſolvat. Si placet hic ſenſus, tantundem valebit *in juſtitia Dei vivificari* atque in via. Et certe juſtitiæ nomen paſſim occurrit in hoc Pſalmo pro Lege Dei, vel juſte vivendi regula. & hoc modo melius duo membra inter ſe cohærebunt, Domine hoc jam præclarum eſt gratiæ tuæ munus, quod ſanctum ſervandæ Legis tuæ deſiderium mihi inſpiraveris: ſed hoc adhuc deeſt, ut eadem virtus ſe in tota vita mea exerat. Sed quoniam nomen juſtitiæ ambiguum eſt, liberum erit lectoribus accipere: acſi dixiſſet, pro tua bonitate, qua ſoles uti erga omnes tuos, reſtitue me, tuere ac ſuſtenta. Ego tamen quid magis placeret oſtendi.

41. ו Et veniant ad me miſericordiæ tuæ Jehova, ſalus tua ſecundum eloquium tuum:	41 ויבאני חסדך יהוה תשועתך באמרתך:
42. ו Et reſpondebo probris me afficienti verbum, quia ſperaverim in verbo tuo.	42 ואענה חרפי דבר כי בטחתי בדברך:
43. ו Et ne eripias ex ore meo verbum veritatis uſque valde: quia judicia tua expecto.	43 ואל תצל מפי דבר אמת עד מאד כי למשפטך יחלתי:
44. ו Et cuſtodiam Legem tuam ſemper in ſeculum & uſque.	ו 44 ואשמרה תורתך תמיד לעולם ועד:
45. ו Et ambulabo in latitudine: quia ſtatuta tua exquiſivi:	45 ואתהלכה ברחבה כי פקדיך דרשתי:
46. ו Et loquar de teſtimoniis tuis coram Regibus, & non pudefiam:	46 ואדברה בעדתיך נגד מלכים ולא אבוש:
47. ו Et oblectabo me in mandatis tuis quæ dilexi.	47 ואשתעשע במצותיך אשר אהבתי:
48. ו Et tollam manus meas ad ſtatuta tua quæ dilexi, & meditabor in edictis tuis.	48 ואשא כפי אל מצותיך אשר אהבתי ואשיחה בחקיך:

41. *Et veniant ad me.*] Non dubium eſt, quum *miſericordias* Dei priore loco ſtatuit, deinde *ſalutem* addit, quin cauſam effectui, ut poſtulat naturæ ordo, præferat. Atque hoc modo fatetur non aliter ſe fore ſalvum niſi mera Dei miſericordia. Porro dum gratuitam ſalutem ſibi optat, promiſſioni ſimul innititur, quemadmodum jam vidimus aliis locis. Secundo verſu gloriatur ſe optima defenſione contra hoſtium calumnias fore inſtructum, quia in Dei verbo ſperavit. Quanquam futurum tempus licebit in optativum reſolvere, ut multi faciunt: acſi dixiſſet, *Domine quia ſperavi in verbo tuo*, fac ut os mihi libere apertum ſit ad refutanda eorum maledicta, neque me obmuteſcere permittas dum falſa in me probra congerunt. Utrovis modo accipere libeat, primum docemur, nunquam defore homines maledicos, qui filios Dei quantumvis innoxios inſectari non deſinant. Dubium autem eſt de quo probri genere loquatur: quia non tantum Dei filios impii aſpergunt infamia, ſed eorum fidei ſuis ſubſannationibus illudunt. Hunc ſecundum ſenſum, quia ad contextum aptior eſt: facile amplector. Ludibriis enim ſuam ſpem in Deo opponit David: acſi dixiſſet, Erit quod falſis inſultationibus reſpon-

ſpondeam: quia Deus ſperantes in ſe non fraudat. Quod ſi ad utrumque extendere quis malit, non repugno. Porro non dicit ſimpliciter ſe in Deo ſperaſſe, ſed in ejus verbo, quia verbum eſt ſperandi materia. Notanda eſt etiam mutua inter *verbum* & *verbum* relatio: quia niſi Deus ex verbo ſuo aliud verbum nobis ad defenſionem ſuppeditet, ſtatim obruemur impiorum petulantia. Ergo ſi cupimus invicti ſtare contra mundi inſultus, fortitudinis principium hic nobis oſtenditur, nempe ſperare in Dei verbo: quo dum fulti ſumus, jubet nos Spiritus Dei virulentas impiorum blaſphemias animoſe contemnere. atque ut eas refutemus, verbo ſpei adjungit verbum confeſſionis.

43. *Ne auferas verbum.*] Quæri poſſet cur *verbo veritatis* linguam potius inſtrui poſtulet quam cor muniri. nam hoc ordine prius eſt, & majoris momenti. Quantulum enim juvabit, promptas eſſe & diſertas linguas, ſi corda fide vacua ſint? Atqui ubi ſolida fides, ultro etiam ſequitur lingua. Reſpondeo, Davidem non ita de externa profeſſione fuiſſe ſolicitum quin fidem cordis præferret. Sed quum apud Deum verba faciat, nihil mirum ſi tantum de illa loquatur, ſub qua tamen hanc comprehendit: perinde acſi dixiſſet, Domine non modo cor meum fide ſuſtineas, ne tentationibus obruar: ſed fac etiam ut linguæ conſtet plena libertas, ut inter homines te intrepide celebrem. Videmus ut loquendi fiduciam ſibi dari poſtulans, à corde incipiat. Poſſet iterum hic quæri cur dicat *uſque valde.* quaſi vero non metuat verbo veritatis deſtitui ad breve tempus. Atqui hoc valde abſurdum eſſet, quum in ſingula momenta ſolicitos eſſe oporteat, ne unquam inermes ac nudi deprehendamur. Solutio ejus nodi à proprio experimento nobis petenda eſt. Nam in hac carnis infirmitate fieri vix poteſt quin trepident interdum robuſtiſſimi etiam quique, dum violentius eos impugnat Satan. Et quanquam fides non ſuccumbit, labaſcere tamen ſentimus. præſertim non tanta ſuppetit animi præſentia ut æqualis ſemper tenor in linguis conſtet, ac ſemper ad impiorum ludibria prompta ſit reſponſio: quin potius vacillant ad breve tempus & trepidant. David ergo hujus quæ ſe in omnibus prodit infirmitatis ſibi conſcius, precationem ſuam temperat hoc modo, Etiamſi non ſemper in promptu mihi ſit quæ optanda eſſet loquendi fiducia, ne me permittas diu obmuteſcere. Quibus verbis tacite fatetur Propheta ſe non fuiſſe tam conſtantem & animoſum ut par erat, ſed linguam ſuam metu fuiſſe quaſi devinctam. Hinc vero diſcendum eſt, non magis in arbitrio noſtro eſſe ingenue loquendi virtutem, quam cordis affectus. Quatenus itaque linguas noſtras gubernat Deus, promptæ ſunt ad liberam confeſſionem. Simul ac ſpiritum fortitudinis ſubmovet, non modo languent corda, vel proſtrata jacent, ſed linguæ etiam conticeſcunt. Addit rationem, quod *expectaverit ad Dei judicia:* ſic enim loquitur ad verbum. unde colligimus non tantum pro Legis præceptis judicia accipi, ſed hac voce etiam notari promiſſiones, quæ proprie expectationem noſtram ſuſtinent. Quod enim nonnulli deducentes à radice חיל, vertunt, Contremui ad judicia tua: neſcio an conveniat. Certe quod judicia interpretantur de pœnis, alienum eſt.

44. *Et cuſtodiam.*] Hic promittit non modo ad paucos dies ſe fore Legis ſtudioſum, ſed uſque ad vitæ finem. Quod autem tria verba ponit eodem ſenſu, תמיד, עלם & עד, non ſupervacua eſt congeries: quia ſubindicat, niſi fortiter ad reſiſtendum inſiſtant fideles, variis ſubinde tentationibus poſſe illis excuti Dei timorem, ut à Legis ſtudio deſciſcant. Ideo, quo paratior ſit ad pugnam, difficultatem commemorat. Proximus verſus optandi modo legi poſſet: ſequamur tamen quod magis receptum eſt, nempe Davidem gloriari, quia Dei præcepta ſolicite inquirat, viam ſibi planam fore & expeditam: quod eſt *ambulare in latitudine.* Scimus enim plerumque vias hominum vel ſpinoſas eſſe vel anguſtiis conſtrictas: quia ipſi ſibi varia obſtacula accerſunt, vel ambagibus ſe implicant. Ita fit, dum nemo ſe Dei verbo ſubjicere & regendum tradere ſuſtinet, ut hujus arrogantiæ pœnam quiſque luat: quia Deus undique laqueos nobis tendit, foveas objicit, vias abrumpit multis ſalebris, concludit denique in abyſſos: & quo quiſque aſtutior eſt, eo magis anxie laborat. Docet autem hic verſus, ſiquis ſimpliciter Deo obtemperet, hanc ei mercedem rependi, ut quieto & ſecuro animo iter faciat: quod ſiquando occurrant anguſtiæ, inveniat tamen exitum. nam fideles, quantumvis ſe Deo præbeant dociles, contingit tamen interdum hærere perplexos. ſed tandem impletur illud Pauli, Quamvis anxii laborent, non tamen manere conſtrictos: quia Dei eſt viam per invia monſtrare. imo quamvis anxie premantur, ambulant nihilominus in latitudine. quia dubios eventus ſic Deo committunt, ut eo duce non dubitent ex abyſſis liberum ſibi fore egreſſum. 2 Cor. 4. verſ. 8.

46. *Et loquar de teſtimoniis tuis.*] Videtur hic ſecure ſibi promittere quod ante precatus eſt. Poſtquam enim dixit, Ne auferas verbum ex ore meo: nunc quaſi voti compos exurgit, ſeque elinguem fore negat, etiamſi coram Regibus habendus ſit ſermo. Neque enim dubium eſt quin dicat, toto mundo obſtante, ſibi fore præſentem animum, ut ingenue Dei gloriam aſſerat: ſed Reges deligit qui præ aliis ſunt formidabiles, faſtuque ſuo Dei teſtibus ora claudunt. Sæpe quidem contingit, etiam infimis hominibus nos cedere. ſimul enim ac ſe quiſpiam opponit verbo Dei, timide nos colligimus, & evaneſcit illa quam initio profeſſi eramus libertas. Maxime tamen ubi ad Regum tribunalia ventum eſt, timiditas noſtra ſe prodit. Hæc ratio eſt cur dicat David, non modo contra ignobiles adverſarios ſe fortiter ſtaturum, ſed coram Regibus ipſis conſtantem & intrepidum ſe fore. Quibus verbis docemur, tunc demum nos rite profeciſſe in verbo Domini, ſi mentes noſtræ, ubi eas mundus dejicere conabitur, contra humanos terrores munitæ, ne Regum quidem conſpectum formident. Nam vano eorum ſplendore Dei gloriam obrui, nimis indignum eſt.

47. *Et oblectabo me.*] Similem fere ſententiam ante protulerat. Summa eſt, ſic amplexum eſſe amore præcepta Dei ut nihil ſuavius reperiat continua eorum meditatione. Nam oblectandi verbo exprimitur amoris vehementia. Eodem pertinet quod continuo poſt addit, *Tollam manus meas.* Nam quod extentis manibus captamus, cupide à nobis appeti certum eſt. Itaque deſiderii ardorem metaphorice deſignat. Nam ſiquis geſtu ſimulet talem affectum, in omnibus autem vitæ negotiis Legem Dei negligat, nimis putida erit hypocriſis. Atque iterum confirmat, ſerium illum & ardentem affectum inde naſci, quod jam Legis dulcedo animos noſtros ſibi devinxit. Poſtremo dicit ſe *meditaturum in Dei teſtimoniis.* Neque enim dubito quin verbum שיח ad tacitam meditationem, in qua ſe exercent filii Dei, referri debeat. quod etiam major pars interpretum agnoſcit.

49. ז Memento verbi ad ſervum tuum, ſuper quo ſpem mihi dediſti.	49 זְכֹר דָּבָר לְעַבְדֶּךָ עַל אֲשֶׁר יִחַלְתָּנִי׃

50. ז Hæc conſolatio mea in afflictione mea: quia ſermo tuus vivificat me.	50 זאת נחמתי בעניי כי אמרתך חיתני:
51. ז Superbi deriſerunt me plurimum: à Lege tua non declinavi.	51 זדים הליצני עד מאד מתורתך לא נטיתי:
52. ז Recordatus ſum judiciorum tuorum à ſeculo Jehova, & me conſolatus ſum.	52 זכרתי משפטיך מעולם יהוה ואתנחם:
53. ז Terror invaſit me propter impios derelinquentes Legem tuam.	53 זלעפה אחזתני מרשעים עזבי תורתך:
54. ז Cantiones fuerunt mihi edicta tua in domo peregrinationis meæ.	54 זמרות היו לי חקיך בבית מגורי:
55. ז Recordatus ſum nocte nominis tui Jehova, & cuſtodio Legem tuam.	55 זכרתי בלילה שמך יהוה ואשמרה תורתך:
56. ז Hoc factum eſt mihi, quia ſtatuta tua ſervavi.	56 זאת היתה לי כי פקדיך נצרתי:

49. *Recordare verbi.*] Precatur ut Deus re ipſa exhibeat quod pollicitus eſt. nam effectus demonſtrat Deum eſſe verborum ſuorum memorem. De promiſſionibus autem haberi ſermonem, colligimus ex fine verſus, ubi datam ſibi ſperandi materiam dicit: quod non ſtaret niſi oblata fuiſſet gratia. Secundo autem verſu teſtatur, quamvis Deus eum adhuc ſuſpenſum teneret, ſe tamen in verbo requieviſſe. Interim docet, ſe in moleſtiis & curis non captaſſe vana ſolatia, quemadmodum ſolet mundus, ad levandas ſuas miſerias, huc & illuc circumſpicere: & ſiquæ illecebræ arrideant, dolores ſuos lenire talibus emplaſtris. Propheta autem ſe unico Dei verbo dicit fuiſſe contentum: & quamvis alia omnia deficerent, ſe illic reperiſſe plenam vitam. Interim tacite fatetur, niſi animum recipiat ex Dei verbo, ſe fore exanimem. Et certe quamvis profani homines ſæpe in ſuis miſeriis inflatos habeant ſpiritus, vacui tamen ſunt interno animi vigore. Itaque non immerito Propheta fideles hoc ſolo vivere & vigere in ſuis miſeriis dicit, quia illis *vitam inſpirat Dei verbum*. Quare ſi probe meditemur verbum Domini, etiam in media morte vivemus, nec erit ulla tam gravis triſtitia quæ non ſanetur iſto remedio. Quod autem levatione deſtituimur in malis noſtris, fit noſtra culpa, qui contempto vel poſthabito Dei verbo, vanis ſolatiis nos ipſos data opera fallimus.

51. *Superbi deriſerunt.*] Exemplum hoc apprime utile eſt, ut diſcamus, quamvis impiorum ludibriis obnoxia ſit noſtra ſimplicitas, firma conſtantia refutandum eſſe eorum faſtum, ne unquam nobis Legis Dei faſtidium obrepat. Pleroſque enim videmus qui alioqui ad Dei timorem propenſi eſſent, huic tentationi ſuccumbere. Jam terra profanis Dei contemptoribus ſemper referta fuit, hodie vero fere exundat. Quare niſi ad eorum ſannas obdureſcamus, nulla erit fidei noſtræ firmitas. Deſignat autem proprio nomine incredulos, dum *ſuperbos* vocat. Nam hæc ſapientia eſt infidelium, Deum contemnere, floccifacere ejus judicia, calcare pedibus totam pietatem, denique cæleſte regnum conſpuere. nec vero tam audacter ruerent, niſi excæcati eſſent ſuperbia. Cæterum ita reſolvi debent verba, Quamvis mihi ſuperbi illuſerint, non tamen deflexi à Lege tua. Notanda etiam particula eſt, *uſque valde*: qua ſignificat, non ſemel aut uno die ſe fuiſſe exagitatum ab impiis, ſed quotidie renovatum fuiſſe certamen. Unde colligimus, licentiam majorem inde ſumpſiſſe impios, quod numero prævalerent: ſicuti exiguus ſemper eſt piorum numerus qui reverenter Deum colant. Quare ut maneamus integri, cum magna turma & colluvie luctandum eſt.

52. *Recordatus ſum judiciorum.*] In hoc Pſalmo judicia Dei fere ſumuntur pro ſtatutis & decretis, acſi quis diceret rectitudines. Sed propter additam particulam *A ſeculo*, magis probabile eſt nunc ita vocari exempla quibus teſtatus eſt Deus ſe juſtum eſſe mundi judicem. Quorſum enim diceret Legem Dei fuiſſe à ſeculo? Poſſet quidem aliquo modo hoc excuſari: quia rectitudo quæ illic oſtenditur, non fabricata nuper, ſed vere æterna eſt: quia nihil aliud eſt Lex ſcripta quam teſtimonium Legis naturæ, quo Deus reducit nobis in memoriam quæ jam cordibus noſtris ſunt infixa. Sed ego libenter inclino in alterum ſenſum, quod recordatus fuerit David judicia Dei quibus probavit ſe perpetuam fixiſſe in mundo Legem. Atque hæc confirmatio valde neceſſaria nobis eſt: quia ubi aperte non perſpicitur Dei manus, ſæpe friget ejus doctrina. Ubi autem vindictam Deus ſumit de impiis, ſancit quæ locutus fuerat. Unde & pœnæ in Jure civili vocantur ſanctiones. Sed hoc verius competit in Dei judicia, quibus confirmat Legis ſuæ auctoritatem, acſi realis probatio ad verba accederet. Quum autem vetuſtiſſima quæque Dei judicia ſe in memoriam revocaſſe dicit, diſcamus ex hoc verbo, noſtra ingratitudine vel ſocordia fieri quominus ſatis multa Dei judicia ad fidei noſtræ confirmationem occurrant. Nulla enim ætas præteriit qua non clara in hunc finem documenta ediderit Deus, ut vere dici queat, continuo tenore fluxiſſe Dei judicia per ſingulas ætates: ſed ideo nos fugere, quia non dignamur aperire oculos. Siquis objiciat contrarium eſſe Dei judiciis ut conſolationem nobis afferant quæ debebant terrorem incutere: reſponſio facilis eſt, judiciis Dei terreri fideles quatenus illis ad carnis ſuæ mortificationem expedit: ſed quatenus inde agnoſcunt Deo curæ eſſe genus humanum, ampla conſolationis materia ſeſe offert. Colligunt enim, ubi ad tempus laſciverint impii, venturos tandem ad Dei tribunal: ſe vero, ubi patienter militaverint ſub tali ſuæ ſalutis præſide, haud dubie fore ſalvos.

53. *Terror apprehendit me.*] Verſus hic duplicem ſenſum admittit: vel quod graviter vulneratus fuerit Propheta, Legem Dei violari cernens ab impiis: vel quod eorum exitium exhorruerit. Nam quod alii ardorem vertunt, non tam apte fluit. Retineo igitur horroris nomen, & zeli vehementiam notari exiſtimo, quia non tantum moleſte tulerit Legis transgreſſiones, ſed inſtar monſtri deteſtatus fuerit ſceleratam eorum audaciam quibus Lex Dei nullo in pretio erat. Notandum vero eſt, non eſſe novum ſcandali genus, ſi multi excuſſo jugo, contra Deum proterviunt: idque notare operæ pretium eſt, quia multi frivolam excuſationem petunt ex temporis corruptela, acſi inter lupos ululare fas ſit. Atqui Davidis etiam ætate videmus multos fuiſſe apoſtatas qui à pietate deſciſcerent: adeo tamen non concidiſſe,

vidiſſe, vel fractum eſſe, ut timor Dei ſanctam potius iracundiam in ejus animo accenderit. Quid ergo, ſi undique nos obſideant mala exempla, agendum eſt, niſi ut quiſque ad eorum deteſtationem ſe exſtimulet? Atque hic incluſa eſt tacita antitheſis inter fallaces blanditias, dum licitum eſſe creditur quicquid vulgare eſt: & horrorem quo ſe Propheta correptum fuiſſe docet. Si ſe pro libidine contra Deum efferant impii, quia non evigilamus ad Dei judicia, trahimus id in occaſionem pravæ confidentiæ vel ſtuporis. contra autem Propheta ſe horrore correptum dicit, quia Dei patientiam ab una parte reputans, certo tamen perſuaſus erat fieri non poſſe quin tandem pœnas exigeret Deus.

54. *Cantica fuerunt mihi.*] Alia loquendi forma repetit quod dixerat, Legem Dei ſibi unicam fuiſſe vel præcipuam oblectationem in vita. Cantus enim, lætitiæ indicium eſt. Porro quia Sancti in mundo peregrinantur, nec aliter cenſeri poſſunt filii Dei & cælorum hæredes quam ſi terræ ſint hoſpites, per *domum peregrinationum* intelligi poteſt terrenæ vitæ curſus. Quanquam videtur ſpecialis notari circumſtantia, quod David exul à patria, non deſtiterit ex Lege Dei ſolamen petere ſuis malis, imo gaudium quod exilii mœrorem vinceret. Fuit enim hoc raræ virtutis ſpecimen, quum careret templi conſpectu, non poſſet ad ſacrificia accedere, privatus eſſet pietatis exercitiis, non tamen fuiſſe alienatum à Deo. Ergo domus peregrinationis ad amplificationem ponitur, quod ejectus à patria, infixam in animo Dei Legem retinuerit: & quamvis poſſet eum dejicere exilii acerbitas, tamen Legem meditando, ſe ad hilaritatem erexerit.

55. *Recordatus ſum noctis.*] Conjunctim lego totum verſum, quia ſecundum membrum ex priore dependet. ſignificat enim Propheta ſe Dei recordatione ad ſervandum Legem induci. nam hinc Legis contemptus, quia nemo fere ad Deum reſpicit. Itaque Scriptura dum impietatem hominum damnat, dicit oblitos eſſe Dei. Contra David unicam Dei memoriam ſufficere admonet ad nos in timore Dei & Legis obſervantia retinendos. Et certe quoties ſe mentibus noſtris ingerit Dei majeſtas, ejus ſenſu nos humiliari neceſſe eſt: ut hæc cogitatio nos ad pietatem ſolicitet. Quanquam autem *noctis* verbo ſignificat recordationem non unius tantum momenti, ſed continuam: noctis tamen ideo diſerte meminit, quia tunc obruuntur fere omnium ſenſus. ac ſi dixiſſet, quum alii dormiunt, ſibi in ſomno ipſo Deum occurrere. Alia etiam ratione noctis tempus poſuit, ut ſciamus, quamvis nullus adeſſet teſtis vel monitor, imo tenebris eſſet tectus, non ſecus tamen attentum fuiſſe ad colendam Dei memoriam quam ſi in illuſtri theatro verſatus foret.

Pſal. 50. verſ. 22. & 78. verſ. 11. & 106. verſ. 21.

56. *Hoc fuit mihi.*] Non dubito Prophetam ſub pronomine זאת complecti omnia Dei beneficia: ſed quia coram Deo in rem præſentem venit, demonſtrative loquitur. Itaque ſub hac voce includitur tot bonorum quibus ornatus fuerat, recognitio. vel certe ſpeciali aliqua liberatione commemorat probitati ſuæ teſtimonium fuiſſe divinitus redditum. Neque tamen jactat quicquam ſe fuiſſe promeritum: quemadmodum Phariſæi, quicquid tale occurrit in Scripturis, ad operum merita arripiunt. Atqui non aliud fuit Prophetæ conſilium quam ſe opponere Dei contemptoribus, qui proſpera omnia vel arrogant ſuæ induſtriæ vel fortunæ aſcribunt, Dei providentiam tegunt impio ſilentio. Propheta igitur ſe & nos ad Deum revocat: & admonet, quia Deus juſtus judex eſt, mercedem pietati apud Deum eſſe repoſitam. Forte etiam hac ſancta jactantia malignas impiorum calumnias retundit quibus alibi vidimus duriter fuiſſe impetitum.

57. ח Portio mea Jehovah, dixi ad cuſtodiendum verba tua.	57 חֶלְקִי יְהוָה אָמַרְתִּי לִשְׁמֹר דְּבָרֶיךָ׃
58. ח Deprecatus ſum faciem tuam toto corde, miſerere mei ſecundum eloquium tuum.	58 חִלִּיתִי פָנֶיךָ בְכָל־לֵב חָנֵּנִי כְּאִמְרָתֶךָ׃
59. ח Reputavi vias meas, & converti pedes meos ad teſtimonia tua.	59 חִשַּׁבְתִּי דְרָכָי וָאָשִׁיבָה רַגְלַי אֶל־עֵדֹתֶיךָ׃
60. ח Feſtinavi, & non diſtuli ad cuſtodiendum mandata tua.	60 חַשְׁתִּי וְלֹא הִתְמַהְמָהְתִּי לִשְׁמֹר מִצְוֺתֶיךָ׃
61. ח * Funes impiorum apprehenderunt me, Legis tuæ non ſum oblitus.	61 חֶבְלֵי רְשָׁעִים עִוְּדֻנִי תּוֹרָתְךָ לֹא שָׁכָחְתִּי׃
62. ח Media nocte ſurgam ad confitendum tibi ſuper judiciis juſtitiæ tuæ.	62 חֲצוֹת לַיְלָה אָקוּם לְהוֹדוֹת לָךְ עַל מִשְׁפְּטֵי צִדְקֶךָ׃
63. ח Socius ego omnibus qui te timent, & qui cuſtodiunt ſtatuta tua.	63 חָבֵר אָנִי לְכָל אֲשֶׁר יְרֵאוּךָ וּלְשֹׁמְרֵי פִּקּוּדֶיךָ׃
64. ח Miſericordiæ tuæ Jehovah plena eſt terra, edicta tua doce me.	64 חַסְדְּךָ יְהוָה מָלְאָה הָאָרֶץ חֻקֶּיךָ לַמְּדֵנִי׃

* vel, *cœtus impiorum ſpoliaverunt.*

57. *Portio mea.*] Ambiguus eſt verborum ſenſus, quia & Jehova in nominandi caſu legi poteſt: & verbum *dixi* referri tam ad prius quam ad poſterius membrum. Hæc igitur erit una lectio, Jehova eſt portio mea, ideo decrevi Legem tuam ſervare. Altera, Deus qui portio mea es, decrevi Legem tuam ſervare. Tertia, Dixi vel ſtatui Deum eſſe portionem meam ad cuſtodiendam ejus Legem. Quarta, Dixi, vel ſtatui, Domine hæc portio mea eſt ſervare Legem tuam, & hanc ego amplector. Recte quidem convenit hæc ſententia, quia Deus portio noſtra eſt, id debere ad ſervandam ejus Legem animum nobis addere. Jam pluribus aliis locis viſum eſt, Deum vocari hæreditatem fidelium, quia ad ſolidam eorum felicitatem ipſe unus ſufficiat. Et certe quum ſibi nos in peculium elegerit, æquum eſt viciſſim in ipſo ſolo nos acquieſcere. Quod ſi uno Deo contenti erimus, propenſi quoque animi noſtri erunt ad ſervandam ejus Legem: & carnis cupiditatibus valere juſſis, hæc nobis ſumma erit oblectatio & firmum propoſitum. Quanquam autem hæc expoſitio, ſicut dixi, non male cohæret, continetque utilem doctrinam, proxima tamen illa quam mihi probari dixi, ſimplicior eſt, Statui apud me quod hæc mihi optima ſit hæreditas, ſervare Dei Legem. Cui affine eſt illud Pauli dictum, Pietas optimus eſt quæſtus. Comparat autem David Legis obſervantiam omnibus fictitiis bonis quæ ad ſe hominum cupiditates rapiunt: ac ſi dixiſſet, Appetat quiſque quod mens ejus tulerit, & ſuis deliciis fruatur:

1 Tim. 6. verſ. 6.

tur: non erit quod aliis invideam ſi mihi ſalva manebit hæc portio, ut me Dei verbo addicam.

58. *Precatus ſum faciem tuam.*] Teſtatur hoc verſu David ſe ab officio precandi non ceſſaſſe: quia ſine precibus otioſa torperet fides. Quanquam autem loquendi genus quo utitur, aliis linguis aſperum eſſet, Hebræis tamen familiare illud colloquium exprimit ad quod Deus ſervos ſuos admittit & invitat, dum in ejus conſpectum veniunt. Summam porro votorum verbo uno perſtringit, quod imploraverit miſericordiam Dei, cujus fiduciam ex verbo conceperat. Primum itaque notemus, expergefieri noſtram pigritiam, ut fidem noſtram precibus exerceamus. Deinde hoc præcipuum eſſe orandi caput, ut Deus pro gratuita ſua bonitate propitius nobis ſit, reſpiciat noſtras ærumnas, & inopiæ ſuccurrat. Etſi enim Deus innumeris modis nos juvat, neceſſitates etiam noſtræ ſunt innumeræ: unum tamen hoc maxime & unice optandum, ut noſtri miſereatur, unde reliqua fluunt. Tertio ne incerta vota in aërem fundamus, diſcamus Deum in ſuis promiſſis proponi quaſi voluntarium debitorem.

59. *Cogitavi.*] Summa eſt, poſtquam attendit Propheta ad vitæ ſuæ rationem, ſibi non aliud fuiſſe propoſitum quam Legis doctrinam ſequi. Quibus verbis oblique ſignificat ideo ultra metas vagari homines, & miſere diſſipatos huc & illuc ferri, quia inconſiderate ſibi indulgent. Acriter quidem invigilat quiſque, ſtudiaque ſua applicat quo inclinat animi libido, ſed omnes in electione ipſa cæcutiunt: imo velut clauſis oculis vel præcipitanter feruntur, vel per incuriam huc & illuc evaneſcunt. Certe nullus vias ſuas prudenter conſiderat: ideoque non abs re hoc recte vivendi principium eſſe admonet Propheta, ut à ſocordia excitati, vias ſuas reputent, & aliquando ſobrie cogitent quid ſit vitam inſtituere. Docet autem ſecundo loco, ubi quis ſerio ad vitam regendam attentus fuerit, nihil occurrere poſſe melius quam ſi ſequatur quo Dominus vocat. Et certe. niſi in ſua incogitantia ſtuperent homines, certatim uno conſenſu Deum ſibi vitæ ducem eligerent.

60. *Feſtinavi.*] Quanquam verba ſunt præteriti temporis, continuum tamen actum notant. Narrat autem Propheta quanta promptitudine Deo ſe in obſequium obtulerit. Nam celeritas zeli fervorem ſignificat. Quod deinde *ſe tardaſſe negat*, ex uſu linguæ Hebraicæ amplificat quod de feſtinatione dixit. Nam ſicut Hebræis loqui & non tacere tantundem valet ac libere cordateque & non diſſimulanter dicere quod opus eſt, ita Feſtinare & non tardare dicitur qui abſque cunctatione & mora celeriter currit. Quod ſi nobis in mentem veniat noſtra ſegnities, & ex alia parte tot remoræ quas Satan injicere non ceſſat, colligere licebit non fruſtra hoc fuiſſe additum. Nam ut vere & ex animo quis Dei juſtitiæ ſe addicere cupiat, ſcimus tamen quid
Rom. 7. verſ. 15. 18. 19. dicat Paulus, ſe non præſtare quod vellet. Quamvis ergo nullum externum obſtaculum nos moretur, tot tamen impedimentis intus ſumus conſtricti, ut nihil difficilius ſit quam proſperare ad ſervandam Dei Legem. Cæterum tenendum eſt, Prophetam hic comparative loqui, eorum reſpectu qui magna vitæ parte procraſtinant: nec modo cunctanter & lente accedunt ad Deum, ſed deliberando ſubſidunt: vel ſe inter flexuoſos anfractus impediunt ne accedant. Non ergo alacrior ad Deum colendum Propheta fuit quam Paulus, ſed tantum his verbis oſtendit, ſtrenue luctando, expeditum fuiſſe ſibi curſum. Ac ſuo exemplo docet frivolas eſſe excuſationes quas noſtræ ignaviæ vel ex mundi obſtaculis vel ex noſtra ipſorum debilitate obtendimus.

61. *Cœtus impiorum.*] Qui חבלי vertunt dolores, nullum genuinum ſenſum eliciunt, ac tam ſe ipſos quam Prophetæ verba torquent. Duæ ergo reſtant lectiones, quarum utraque eſt probabilis, Funes impiorum apprehenderunt me, vel Cœtus impiorum ſpoliaverunt me. Utramvis eligere placeat, teſtatur Propheta, quum gravi tentationis machina pietatem ejus concuteret Satan, conſtanter perſtitiſſe in Legis Dei ſtudio. Quanquam funes bifariam accipi poſſunt, vel pro captioſis illecebris quibus eum in ſuam ſocietatem implicare tentaverunt: vel pro fraudibus quas machinati erant in ejus perniciem. Si prior ſenſus arridet, raram virtutem prædicat David. Quod quum viſi fuiſſent impii eum ſuis laqueis induiſſe, ſub cuſtodia tamen Legis Dei ſe continuerit. Quia tamen majore conſenſu receptum eſt, verbum עוד tantundem valere ac ſpoliare vel prædari, ſequamur hunc ſenſum, quod Propheta turmatim ab impiis vexatus, deinde pro eorum libidine ſpoliatus ac direptus, ſtationem ſuam non deſeruerit. Quod etiam ſummæ virtutis ſpecimen fuit. nam extremis injuriis expoſiti, niſi Deus ſuccurrat, de ejus providentia ſtatim dubitare incipimus. Videtur omni fructu carere pietas, fingimus etiam liberum eſſe nobis jus vindictæ: inter hos fluctus facile ſubmergitur legis Dei memoria. Propheta autem admonet hoc demum eſſe veræ pietatis ſignum, ſi æquabile manet Legis Dei ſtudium, & eadem juſtitiæ obſervantia, ubi in prædam impiis expoſiti, nullum Dei auxilium ſentimus.

62. *Media nocte.*] Docet hoc verſu ſe non modo probaſſe & ex animo amplexum eſſe quicquid Lex Dei continet, ſed gratitudinis etiam ſignum dediſſe, quod particeps eſſet tanti boni. Videtur quidem hoc vulgare eſſe, Deo ſubſcribere Lege ſua nos docenti, quis enim obſtrepere audeat? Multum tamen abeſt quin Dei doctrinam omni ex parte juſtam eſſe mundus predicet. Primo, quæ carnis noſtræ protervia eſt, vellet quiſque aliquid vel mutatum vel detractum. Deinde ſi detur optio, mallent homines arbitrio ſuo potius quam Dei verbo regi. Denique tam humanæ rationi quam cupiditatibus magnum eſt cum Lege Dei diſſidium. Non parum ergo profecit ille qui & obedienter amplectitur cæleſtem doctrinam: & ſuaviter in ea ſe oblectans, gratias Deo agit. Quanquam non ſimpliciter ſe Dei juſtitiam celebraſſe refert Propheta, ſed media nocte ſe ſurrexiſſe dicens, ardorem ſui deſiderii exprimit, quia ſtudiis & curis quæ nos à ſomno excitant, magnam vehementiam ineſſe oportet. Interim etiam admonet, procul ab omni oſtentatione abfuiſſe quod Legi Dei teſtimonium reddidit, quia ſecum & abſque teſtibus, illius juſtitiam ſuis elogiis ornavit.

63. *Socius ego omnibus.*] Non de fraterno tantum conſenſu & amore loquitur, quem inter ſe mutuo colunt fideles: ſed intelligit, quoties in aliquem inciderat qui Deum timeret, ſe manum porrexiſſe in ſignum ſocietatis: nec ſolum fuiſſe unum ex numero & ordine ſervorum Dei, ſed etiam adjutorem. Et certe hic conſenſus in omnibus piis requiritur, ut alii alios promoveant in timore Dei: ac videtur tacita ſubeſſe comparatio inter ſanctam hanc conſpirationem, in qua fideles Dei cultum & pietatem apud ſe fovent, & impios ſyncretiſmos qui paſſim regnant in mundo. Videmus enim ut adverſus Deum ſuas phalanges conſtituant profani homines, ac ultro citroque ſe adjuvent ad evertendum Dei cultum. quo magis incitari decet filios Dei ad colendam ſanctam unitatem. Fideles primum à timore Dei, ſecundo à Legis obſervantia commendat: quia & Dei timor radix eſt vel origo omnis juſtitiæ: & tunc demum nos Deum timere & revereri apparet, ubi vitam ei noſtram in obſequium dicamus.

64. *Miſericordia tua.*] Hic Propheta Deum per immenſam ejus bonitatem quæ relucet in toto mundo, obteſtatur, ut ſe cæleſtis ſapientiæ theſauro dignetur. Quæ precatio valde emphatica eſt. Quod igitur terram dicit plenam eſſe miſericordia Dei, ſpecies eſt obteſtationis. Neque enim tantum in genere

nere (ut alibi) prædicat Dei bonitatem: quod nullam mundi partem ſuæ liberalitatis expertem relinquat; & eam exerceat non modo erga humanum genus, ſed ad bruta quoque animalia extendat. Quid ergo? nempe Dei miſericordiam, quæ ſe in omnes creaturas diffundit, una in re cupit erga ſe patefieri, ut in Lege Dei proficiat. Unde colligimus, hoc intelligentiæ donum ei fuiſſe inæſtimabilis theſauri loco. Quod ſi hoc præcipuum Divini favoris ſignum eſt, donari Spiritu intelligentiæ: incredulitas noſtra alienationem ab eo noſtram prodit. Jam memoria repetere convenit quod alibi diximus, nimis pudendam eſſe ſocordiam noſtram, qui exiguo cæleſtis doctrinæ guſtu contenti, profectum non magnopere curamus: quum tam præclarus Eccleſiæ doctor cupide & ardenter ſemper ad diſcendum contenderit. Adhæc certum eſt non de externa doctrina hic agi, ſed de arcana mentis illuſtratione, quæ donum eſt Spiritus. Lex promiſcue omnibus erat expoſita, ſed videt Propheta, niſi illuminetur à Spiritu ſancto, hoc non magnæ utilitatis fore, ideoque efficáciter doceri petit.

65. ט Benigne feciſti cum ſervo tuo Jehovah ſecundum verbum tuum.

66. ט Bonitatem guſtus & ſcientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.

67. ט Priuſquam humiliarer ego erravi: at nunc ſermonem tuum cuſtodio.

68. ט Bonus tu & beneficus, doce me edicta tua.

69. ט Concinnaverunt ſuper me mendacium ſuperbi: ego toto corde cuſtodiam edicta tua.

70. ט Impinguatum eſt ſicut adeps cor eorum: ego Lege tua me oblecto.

71. ט Bonum mihi quod afflictus ſum ut diſcam edicta tua.

72. ט Bonum mihi Lex oris tui ſuper millia auri & argenti.

65 טוב עשית עם עבדך יהוה כדברך :

66 טוב טעם ודעת למדני כי במצותיך האמנתי :

67 טרם אענה אני שגג ועתה אמרתך שמרתי :

68 טוב אתה ומטיב למדני חקיך :

69 טפלו עלי שקר זדים אני בכל לב אצר פקודיך :

70 טפש כחלב לבם אני תורתך שעשעתי :

71 טוב לי כי עניתי למען אלמד חקיך :

72 טוב לי תורת פיך מאלפי זהב וכסף :

65. *Benigne feciſti.*] Ad verbum eſt, Bonum feciſti: quod generaliter quidam accipiunt quaſi teſtetur Propheta ſe boni conſulere quomodocunque à Deo tractetur: quia videat in ſalutem ſuam cedere. Verum quia diſerte fit mentio promiſſionis, non dubito quin Dei fidem in præſtanda quam pollicitus eſt gratia celebret: acſi dicat, re ipſa vel effectu ſe expertum eſſe veracem eſſe Deum, nec verbis lactare ſervos ſuos. Statuit igitur Dei promiſſiones in medium, quia inde ad nos manant omnia ejus beneficia: non tanquam ex primo fonte, ſed ex canalibus. Etſi enim gratuita Dei bonitas, unica ei ad nos liberaliter tractandos cauſa eſt, nihil tamen ab eo ſperare poſſumus donec per verbum ſuum nobis occurrat. Poſtquam autem confeſſus eſt David, experientia ſibi compertum eſſe quam verax eſſet Deus in ſuis promiſſis, adjungit votum quale proximo verſu habuimus, nempe ut creſcat in recta intelligentia. quanquam paulo diverſis verbis utitur. Ponit enim rectitudinem guſtus & ſcientiam. Nam quum טעם guſtare ſignificet Hebræis, nomen ex eo deductum proprie capitur pro guſtu. transfertur tamen ad mentem. Nec dubium eſt quin David ſimul cum ſcientia dari ſibi poſtulet ſanam diſcretionem & judicium. Nam qui disjunctim legunt bonitatem & ſenſum, depravant totam ſententiam. Ut tamen nobis conſtet integra mens Prophetæ, addendum eſt poſterius membrum. Dicit ſe fidem habuiſſe Dei edictis, hoc eſt, libenter amplexum eſſe quicquid in Lege præſcribitur: ita ſe docilem eſſe & morigerum affirmat. Quum autem Spiritus ſancti ductu ita ad obſequium Dei propenſus foret, alterum donum addi poſtulat, nempe ſani guſtus & intelligentiæ. Unde colligimus duo hæc ad vitam rite inſtituendam diſtincte requiri, præditum eſſe recto affectu, & prudenter intelligere. Quod fidem jam habebat Propheta Dei mandatis, hæc certe reverentia ex pio zelo oriebatur. ſed ne inconſiderate aberret, non ſine cauſa metuit. Diſcamus ergo, poſtquam corda noſtra formaverit Deus in Legis ſuæ obſequium, ſimul petere ab eo prudentiam quæ zelum noſtrum moderetur.

67. *Priuſquam humiliarer.*] Quia verbum ענה loqui interdum vel teſtificari ſignificat: quibuſdam placet hæc lectio. Antequam meditarer in ſtatutis tuis, ego errabam. Sed hoc nimis coactum videtur. Longius etiam alii recedunt: Quo tempore erravit Propheta, non fuiſſe quod Deo reſponderet. Nec vero refutandis iſtis commentis immoror, quia minime ambiguum eſt Prophetæ conſilium: nempe in ſua perſona communem humani generis vel laſciviam vel contumaciam deſcribit, quod ſcilicet Deo nunquam obſequimur niſi ferulis coacti. Hoc quidem prodigii ſimile, quod præfracte nos Deo ſubjicere abnuimus: ſed tamen experientia oſtendit, ubi Deus nobis indulget, ſemper nos ad ferociam erumpere. Et certe quum in Dei Propheta contumaciam violenter corrigi oportuerit, multo magis hæc eruditio neceſſaria nobis eſt. Nam quum principium obedientiæ ſit carnis mortificatio, quam naturaliter omnes refugiunt, non mirum eſt ſi variis afflictionibus Deus in ordinem nos cogat. imo quoniam ſubinde etiam ubi videtur domita, recalcitrat caro, non mirum eſt ſi nos Deus ſæpius retrahit ad ferulas. Fit autem hoc diverſis modis: quia alios paupertate, alios ignominia, alios morbis, alios domeſtico incommodo, alios moleſtis & duris laboribus Deus humiliat: atque ita diverſis vitiis aptat ſua remedia. Nunc tenemus quam utilem doctrinam contineat hæc confeſſio. De ſe quidem loquitur Propheta: ſicut & Jeremias dicit ſe fuiſſe vitulum indomitum: ſed laſciviæ, quæ nobis omnibus ingenita eſt, imaginem ante oculos nobis ponit. Nos vero nimis ingrati ſumus, niſi fructus hic quem ex caſtigationibus percipimus, earum acerbitatem leniat vel temperet. Nihil enim nobis miſerius quamdiu ſumus Deo rebelles. Atqui hæc una ratio eſt, qua nos ad parendum flectat Deus ac manſuefaciat, dum nos ferulis ſuis erudit. Suo interim exemplo docet Propheta, ſaltem ubi duritiam noſtram ſubigendo oſtendit Deus, ſe velle nos habere diſcipulos, dandam eſſe operam ut miteſcamus, & depoſita ferocia, quod nobis imponit jugum, libenter feramus. Proximus verſus expoſitione

Jer. 31. verſ. 18.

non indiget, quia eandem fere ſententiam continet quam ultimus verſus ſuperioris Octonarii. Deum enim per ſuam bonitatem obſecrat, non ut augeſcat divitiis & honoribus, non ut affluat deliciis, ſed ut proficiat in Legis intelligentia. Nam quia vulgo totus fere mundus Dei beneficentiam implorat, & liberaliter ſecum agere cupit, prout unumquemque ad diverſa vota rapit carnis intemperies: David abunde ſufficere ſibi teſtatur ſi una hac in re, quam fere omnes contemptim prætereunt, ſentiat Deum eſſe liberalem.

69. *Concinnaverunt ſuper me.*] Teſtatur, quum facta ſua in malam partem improbi traherent, atque hoc artificio eum dejicere tentarent à ſtudio recti, ſe tamen animum nunquam mutaſſe. Dura hæc tentatio eſt, quum innoxii rapimur ad probra & infamiam: neque tantum convitiis oppetimur, ſed obducto etiam ſpecioſo colore vulgo nos invidiæ exponunt ſceleſti homines. Videmus enim multos alioqui probos & ad recte vivendum propenſos, ubi tam indignam mercedem rependi ſibi vident, vel collabi vel labaſcere. Quo magis notandum eſt Prophetæ exemplum, ne hominum malignitas ullo modo nos concutiat: atque ut in hominum conſpectu probitatis famam nobis eripiant, non tamen deſinamus Dei timorem intus alere: nobiſque ſufficiat apud Dei tribunal lucere noſtram pietatem, quamvis eam hominum calumniæ deforment. Quamdiu enim pendebimus ab hominum judiciis, ſubinde fluctuabimur, ut dictum eſt. Deinde quantumvis ſplendida ſint noſtra opera, ſcimus tamen non ventura coram Deo in rationem, ſi in illis mundi plauſum ſpectemus. Quare oculos conjicere diſcamus ad cæleſte illud theatrum, & ſiniſtros ſermones deſpicere. Fruantur ſua mercede filii ſeculi: quia in cælo non in terris repoſita eſt nobis corona. Temporalem infamiam libenter ferendo, laqueos expediamus quibus nos morari conatur Satan. Verbum טפל quod alioqui conjungere ſignificat, hic pro texere vel concinnare eleganti metaphora ſumitur: quia non tantum craſſis probris per contumeliam gravatus fuit Propheta, ſed crimina etiam in eum finxerunt non ſine artificio & colore, ut videri poſſet nigerrimos. Quamvis autem non deſierint illi telam hanc texere, perrupit tamen invicta conſtantia, & obſerato corde ſuo, Legem Dei in fideli cuſtodia retinuit. Nec ſine cauſa *ſuperbos* vocat quia hinc conjicere licet, non ex vulgo fuiſſe homines, ſed primarios, qui honoris & opum confidentia inflati, audacius in eum inſurgerent. Certe aperte demonſtrat ſe illorum faſtu non ſecus fuiſſe calcatum quam ſi canis fuiſſet mortuus. Cui reſpondet quod ſtatim ſequitur proximo verſu, *Cor eorum fuiſſe pinguefactum inſtar adipis.* quod vitium in Dei contemptoribus nimis vulgare eſt. Unde enim fit ut optimis Dei ſervis tam petulanter inſultent ſceleſti homines, quos intus mordet conſcientia, niſi quod craſſities quædam occupat eorum corda, ut in ſua obſtinatione ſtupidi ſint, vel etiam furioſi? Mira autem Prophetæ & ſumma laude digna magnanimitas, qui omnes ſuas delicias repoſuit in Dei Lege: acſi diceret, hanc ſuam eſſe ſaginam, & ſe hoc cibo ad ſatietatem refici. quod fieri non potuit niſi cor ejus à pravis deliciis vacuum & bene purgatum eſſet.

71. *Bonum mihi quod afflictus.*] Confirmat quam ſupra habuimus ſententiam, ſe utiliter ſubactum fuiſſe Dei ferulis, ut ad parendum manſueſceret. Quibus verbis fatetur ſe à prava contumacia, qua totum humanum genus laborat, non fuiſſe immunem: alioqui ficta eſſet iſta utilitas quam prædicat, nempe non aliter ſe fuiſſe docilem niſi quia humiliatus fuit. ſicuti nec quiſquam noſtrum ultro collum Deo ſubmittit donec malleo naturæ duritiem emolliat. Fructum vero qui ex Dei caſtigationibus nobis provenit, aſſidue guſtare operæ pretium eſt, ut nobis dulceſcant: atque ita in ordinem cogi nos ſinamus qui tam obſtreperi ſumus & moroſi. Poſtremus quoque verſus nulla expoſitione indiget, quia ſententiam continet in hoc Pſalmo ſatis frequentem & per ſe dilucidam: quod ſcilicet Legem Dei prætulerit omnibus mundi divitiis, quarum inſana cupido majorem hominum partem miſere dementat. Nec vero ſuis fortunis Legem Dei æquiparat, ſed ingenti opulentia ſibi pluris fuiſſe aſſerit.

73 ’ Manus tuæ fecerunt me & formarunt me: fac me intelligere, & diſcam mandata tua.	73 ידיך עשוני ויכוננוני הבינני ואלמדה מצותיך:
74. ’ Timentes te videbunt me, & lætabuntur, quia ad verbum tuum expectavi.	ל 74 יראיך יראוני וישמחו כי לדברך יחלתי:
75. ’ Cognovi Jehova quod juſtitia *ſint* judicia tua: & in veritate humiliaſti me.	75 ידעתי יהוה כי צדק משפטיך ואמונה עניתני:
76. ’ Sit quæſo bonitas tua ad conſolandum me ſecundum ſermonem tuum ad ſervum tuum.	76 יהי נא חסדך לנחמני כאמרתך לעבדך:
77. ’ Veniant mihi miſericordiæ tuæ, & vivam: quia Lex tua delectatio mea eſt.	ת 77 יבאוני רחמיך ואחיה כי תורתך שעשעי:
78. ’ Pudefiant ſuperbi, quia falſo perverterunt me: ego meditabor in edictis tuis.	78 יבשו זדים כי שקר עותוני אני אשיח בפקודיך:
79. ’ Convertantur ad me qui timent te, & noverunt teſtimonia tua.	79 ישובו לי יראיך וידעי עדתיך:
80. ’ Sit cor meum integrum in ſtatutis tuis, ne pudefiam.	80 יהי לבי תמים בחקיך למען לא אבוש:

73. *Manus tuæ.*] Quod Propheta commemorat ſe Dei manu fuiſſe creatum, ad ſpem obtinendæ quam poſtulat gratiæ plurimum valet. Nam quum Dei ſimus figmentum & opus, nec motum vitalem duntaxat, ut brutis animalibus, nobis contulerit, ſed lucem quoque intelligentiæ & rationis addiderit: hinc precandi fiduciam colligere licet, ut nos in obedientiam Legis ſuæ dirigat. Neque tamen Deum tanquam ſibi obſtrictum appellat: ſed quia opus à ſe inchoatum non deſerit, tantum implorat novam gratiam qua Deus quod cœpit proſequatur. Nam & ideo Legis ſubſidio nobis opus eſt, quia corrupta eſt tota mentis noſtræ integritas, ut non teneamus quid rectum ſit, niſi aliunde edocti. Sed hinc etiam major apparet cæcitas & ſtupor, quod nihil prodeſt doctrina donec animas noſtras Deus reformet. Tenendum vero memoria eſt quod ante dixi, quoties ad diſcenda præcepta Dei ſibi intelligentiam dari petit.

petit, ſe & cunctos mortales damnare cæcitatis, cujus unicum remedium eſt Spiritus ſancti illuminatio.

74. *Timentes te.*] Vel cohæret hic verſus proximo, vel latius extenditur ad alia quævis Dei beneficia. Sive autem ſpeciem unam attingat, ſive generaliter loquatur, beneficia Dei quibus ornatus fuerat, hoc elogio in ſublime attollit, ut ad omnes Dei cultores commune perveniat gaudium. Neque enim ſolam lætitiæ cauſam facit quod ſperaverit in Domino, ſed quod ab eo inſigniter ſervatus, multiſque beneficiis auctus, amplum ſpei ſuæ præmium retulerit. Quia autem communiter ſervos omnes ſuos ad ſperandum invitat Deus, quoties erga unumquemlibet gratiæ ſuæ ſpecimen edit, omnibus teſtatur ſe veracem eſſe in ſuis promiſſionibus: nec timendum eſſe ne fraudet in ſe ſperantes.

75. *Cognovi Jehova.*] Quanquam per *judicia* in hoc Pſalmo intelliguntur præcepta Legis, quia tamen Propheta continuo poſt addit juſte ſe fuiſſe caſtigatum, videtur nomen hoc accipere pro pœnis quibus Deus ad reſipiſcentiam homines ſolicitat. Nam duæ voces, צדק & אמונה, ſunt hic fere ſynonymæ. Itaque priore membro fatetur generaliter Propheta Deum ſic temperare judicia ſua, ut os impiis obſtruat, ſi qui de ſævitia vel rigore querantur: ac tantam illic æquitatem lucere, ut fateri cogamur nihil eſſe melius quam ſic revocari homines ad ſeipſos. Deinde exemplum in ſua perſona ſtatuit. Nam & hypocritæ interdum juſtitiæ laudem Deo tribuunt ubi alios caſtigat, nec ſeveritatem ejus unquam improbant, modo ſibi parcatur: at veræ pietatis eſt, non tam in aliorum peccatis quam noſtris acres & ſeveros eſſe cenſores. Et *cognitio* cujus Propheta meminit, teſtis eſt ſerii examinis: quia niſi probe expendiſſet ſuum reatum, non poterat certa experientia in ſuis afflictionibus apprehendere Dei juſtitiam. Siquis in ſenſu uſitato judicia accipere malit, talis erit ratio contextus, Scio Domine Legem tuam ſanctam & juſtam eſſe: neque mihi ideo excidit hæc perſuaſio, quod me ſevere afflixeris: quia hac quoque in parte rectitudinem perſpicio, quæ verbi tui naturæ reſpondet.

76. *Sit quæſo clementia.*] Quamvis ſe jure humiliatum confeſſus ſit, cupit tamen ſuam triſtitiam aliquo ſolatio juvari. Dei enim miſericordiam, quaſi neceſſarium malis ſuis remedium, implorat. Atque hoc modo oſtendit nihil eſſe quod dolorem abſtergat fidelibus donec propitium ſibi Deum ſentiant. Porro quum Deus in verbo miſericordiam ſuam offerat, jam illic ſubeſt non levis conſolatio ad ſanandos omnes dolores. Sed de actuali (ut ita loquar) miſericordia nunc ſermo eſt, ubi Deus re ipſa quem pollicitus eſt favorem declarat. Jam enim Propheta promiſſione Dei fretus, hilaritatem ex ſpe gratiæ in animo ſuo fovebat. Sed quia niſi liberator tandem appareat Deus ſpes, noſtra nihil eſſet quam mera fruſtratio: ſibi impleri poſtulat quod Deus promiſit: acſi diceret, Domine quando mihi pollicitus es te pro bonitate tua ad opem mihi ferendam paratum fore, nunc effectum verbi tui exhibeas. Jam vero tenendum eſt quod alibi admonui, non fruſtra objici Deo verbum ſuum: quia temere in ejus conſpectum prodirent mortales, niſi ipſe viam ultro patefaceret. Quum dicit, *Ad ſervum tuum*, non uni ſibi vendicat Dei miſericordiam, acſi ſingulari oraculo ſibi promiſſa foret: ſed quod Deus toti Eccleſiæ promiſit, pro fidei natura ad ſe accommodat. Niſi enim ſtatuam me unum eſſe ex eorum numero quos compellat Deus, ut ad me quoque pertineant ejus promiſſiones: nunquam ad invocationem animum erigam. Proximo verſu idem fere votum, licet verbis paululum mutatis, repetit ac confirmat. Quemadmodum enim nuper dixerat, non aliter quam Dei miſericordia mœrorem ſuum auferri & gaudium reſtitui poſſe: ita nunc vitam ſibi fore negat donec reconciliatus Deo fuerit. atque ita ſe diſcernit à profanis hominibus quos non magnopere tangit hæc cura, imo qui Deo quoque infenſo delicias ſibi facere non deſinunt. Clare enim aſſerit, donec propitium ſibi Deum eſſe agnoſcat, ſe vivendo mortuum eſſe. Rurſus vero ſimul atque illuxerit Dei miſericordia, ſe reſtitutum iri à morte in vitam. Interea ſignificat ſignis paternæ Dei gratiæ ad tempus ſe fuiſſe privatum: quia fruſtra venire optaret niſi procul abeſſet. Jam ut impetret quod precatur, dicit Legem Dei *ſuam oblectationem eſſe.* neque enim aliter ſperare potuit, Deum ſibi fore miſericordem. Adde quod nemo vere ſentit quid valeat Dei gratia, niſi qui ſummam felicitatis in hac una ſtatuens, miſeros & maledictos eſſe non dubitat qui ſe ab eo disjungunt. quod ex Lege Propheta didicerat.

78. *Pudefiant ſuperbi.*] Jam ſæpe vidimus futurum tempus, optativi loco accipi apud Hebræos: non tamen male quadraret ſenſus hoc modo, Quia mecum perverſe egerunt ſuperbi, & præter meritum moleſti fuerunt, Dominus mercedem illis rependet. Quia tamen inter omnes fere interpretes convenit precationem eſſe, ego in verſione à communi conſenſu diſcedere nolui: præſertim quia ſermo ad Deum ipſum dirigitur. Notanda autem ratio eſt cur Deum hoſtibus ſuis adverſarium fore confidat: quia ſcilicet ſceleſte & malitioſe ipſum oppugnaverant. Quidam שקר vertunt abſque cauſa, ſed videntur dimidiam tantum partem attingere: quia meo judicio nomen hoc ad inſidias & fraudes refertur, quibus conati fuerant ſceleſti homines Davidem perdere. Unde colligimus, recta nos vocari ad Dei præſidium quoties injuſte affligimur. ac ſimul docemur, non eſſe cur nos exanimet eorum inſolentia: quia quantumvis ſibi arrogent, Dominus tamen faſtum eorum retundet ac proſternet cum ignominia: ut pudefacti, aliis exemplo ſint, nihil eſſe magis ridiculum quam triumphos canere ante victoriam. In ſecundo membro verbum אשיחה non minus recte exponi poteſt loquar, quam meditabor; acſi diceret Propheta, ubi potitus victoria fuerit, ſe præconem fore gratiæ Dei. Loqui enim de ſtatutis ejus, tantundem valet atque ex Lege diſſerere quam fidelis ſit ſuorum cuſtos Deus, quam certus liberator, & quam juſtus vindex. Cohæret etiam proximus verſus, ubi dicit, quam adeptus fuerit ſalutem, piis omnibus commune fore documentum. acſi diceret. Potuit ad tempus conditio mea, ſicut reprobis ferociam augebat, piorum animos dejicere: nunc vero collectis animis oculos ad lætum ſpectaculum convertent. Porro ex duabus notis quibus inſignit fideles, diſcimus quæ ſit vera pietatis natura. timorem Dei vel reverentiam priore loco ponit: ſed mox adjungit cæleſtis doctrinæ ſcientiam, ut ſciamus res eſſe conjunctas. Nam ut aliquem Dei timorem præ ſe ferant ſuperſtitioſi, nonniſi evanida eſt ſpecies. Deinde ludunt operam qui ſe fatigant in ſuis commentis: quia Deus non alia, niſi quæ ex ſuo mandato præſtantur, obſequia in rationes ſuas referet. Vera igitur religio & cultus Dei ex fide oriuntur: ut nemo rite Deo ſerviat, niſi qui edoctus fuerit in ejus ſchola.

80. *Sit cor meum integrum.*] Quemadmodum paulo ante ſibi optaverat dari ſanam mentem, ita nunc pro ſincero cordis affectu idem votum concipit. Scimus has eſſe præcipuas humanæ animæ facultates, quarum utramque vitiatam & perverſam eſſe clare oſtendit, qui & illuminari petit à Spiritu ſancto mentem ſuam, & cor ſuum ad obedientiam Legis formari. quo plane refellitur quicquid de libero arbitrio garriunt Papiſtæ. Neque enim hic tantum orat Propheta, quia infirma ſit ſua voluntas, Divinitus adjuvari: ſed in ſolidum prædicat cordis rectitudinem

tudinem eſſe donum Spiritus. Ergo prout quiſque in verbi Dei notitia profecit, in hac altera precatione ſe exerceat. Docemur præterea his verbis quænam vera ſit Legis obſervatio. Nam mundi bona pars ubi defunctorie vitam externo obſequio ad Dei Legem compoſuit, ſibi nihil deeſſe putat. Hic autem pronunciat Spiritus Dei nullum placere Deo obſequium, niſi quod ex cordis integritate profectum ſit. De voce תמים alibi diximus, opponi ſcilicet cor תמים id eſt integrum, duplici vel fucato: acſi diceret Propheta, vere ſe Deo addicere qui ſimulationis expertes, purum ei cor offerunt. Quum addit, *Ne pudefiam*, ſignificat talem exitum manere ſuperbos omnes qui poſthabita ejus gratia, propriis viribus nituntur, & hypocritas qui ſe pulchris coloribus ad tempus oſtentant. Senſus ergo eſt, Niſi nos Deus Spiritu ſuo regat, & contineat in officio, ut cor noſtrum in ſtatutis ejus ſincerum ſit, quamvis ad tempus lateat noſtra ignominia, imo nos laudent ac mirentur homines, inſtare tamen probrum & ignominiam.

81. כ Defecit ad ſalutem tuam anima mea, ad verbum tuum expecto.	81 כלתה לתשועתך נפשי לדברך יחלתי:
82. כ Defecerunt oculi mei ad ſermonem tuum, dicendo, Quando conſolaberis me?	82 כלו עיני לאמרתך לאמר מתי תנחמני:
83. כ Quia fui ſicut uter in fumo, edicta tua non ſum oblitus.	83 כי הייתי כנאד בקיטור חקיך לא שכחתי:
84. כ Quot ſunt dies ſervi tui? quando facies de perſecutoribus meis judicium?	84 כמה ימי עבדך מתי תעשה ברדפי משפט:
85. כ Foderunt mihi ſuperbi foveas, quod non eſt ſecundum Legem tuam.	85 כרו לי זדים שיחות אשר לא כתורתך:
86. כ Omnia mandata tua veritas: fallaciter me perſequuntur, adjuva me.	86 כל מצותיך אמונה שקר רדפוני עזרני:
87. כ Fere conſumpſerunt me in terra, ego tamen non dereliqui ſtatuta tua.	87 כמעט כלוני בארץ ואני לא עזבתי פקדיך:
88. כ Secundum bonitatem tuam vivifica me, & cuſtodiam teſtimonium oris tui.	88 כחסדך חיני ואשמרה עדות פיך:

81. *Defecit ad ſalutem tuam anima mea.*] Intelligit Propheta, quamvis diuturno languore confectus, nullum miſeriis ſuis finem videret, ſe tamen nulla moleſtia vel tædio fuiſſe fractum quominus ſemper à Deo penderet. Quod ut clarius fiat, incipiendum eſt à ſecundo membro, quod exegetice additum eſſe patet. Illic enim aſſerit ſe in Deo ſperare, quod fundamentum eſt. ſed infatigabilem ſpei ſuæ conſtantiam exprimere volens, addit ſe devoraſſe omnia tædia quibus alii ſuccumbunt. Quoſdam enim videmus ſatis avide arripere Dei promiſſiones, ſed paulo poſt evaneſcere eorum ardorem, vel ſaltem rebus adverſis extingui. Videtur quidem primo intuitu aliud ſonare verbum כלה, quod eſt deficere vel conſumi. Sed Propheta hoc loco, ut alibi, per defectionem intelligit tolerantiam, quæ omni vigore ablato, exanimes non deſerit, ac eorum cordibus arcanos & inenarrabiles gemitus inſpirat. Itaque hæc defectio deliciis opponitur, quæ longam moram non ſuſtinent. Proximus verſus affinis eſt, quia ad oculos transfert quod ante dixerat de anima. Hoc diſcrimen eſt, quod pro ſalutis deſiderio, nunc ſermonis deſiderium ponit. Nam ſalus eſt in actu (ut loquuntur) quum ſermo nos expectatione ſuſpenſos teneat. Sed quamvis Deus non ſtatim palam exhibeat quod promittit: quia tamen non alibi quam in verbo ſalutem offert, nulla etiam alia eſt ſperandi ratio quam ubi in verbum recumbimus. Quia igitur verbum ſalutem ordine præcedit, imo ſpeculum eſt in quo nobis manifeſtatur, merito Propheta dum ad ſalutem ſuſpirat, dicit ſe uſque ad oculorum defectum fuiſſe defixum in verbo. Hic vero mira & incredibilis patientiæ virtus in carnis infirmitate apparet, dum languidi & omni vigore deſtituti, ſalutem in Deo abſconditam quærimus. Tandem ſignificat Propheta quam non ſine cauſa defecerit, nequis putet nimis mollem & fluidum fuiſſe. Nam ex Deo quærens *quando tandem eum conſolabitur*, ſatis oſtendit, diu fuiſſe quaſi projectum & deſertum.

83. *Quia fui tanquam uter.*] Particula כי poſſet etiam non male reſolvi in adverbium temporis quando, ut uno contextu legamus, Quando ſimilis utri areſacto fuit Propheta, non tamen fuiſſe oblitum Legis Dei. Conſilium quidem ejus minime obſcurum eſt, nempe, quamvis duro examine probatus, & ad vivum punctus fuerit, non tamen abductum fuiſſe à timore Dei. Comparatio autem utris aut veſicæ huc ſpectat, continuo malorum æſtu fuiſſe quaſi torridum. Unde colligimus, non mediocri mœrore tantum ſqualorem & maciem contraxiſſe ut fere exaruerit. Quanquam videtur ſubeſſe notatio non modo duri ſed etiam lenti cruciatus: ſicuti fumus ex æſtu proveniens, veſicas paulatim areſacit. Sciamus ergo longam fuiſſe dolorum ſeriem, quæ centies conſumere Prophetam, idque diuturno languore, potuit, niſi ſuffultus fuiſſet Dei verbo. Atque hæc demum vera eſt pietatis experientia, dum afflictiſſimi non deſinimus tamen Deo nos ſubmittere.

84. *Quot ſunt dies ſervi tui.*] Quidam ſeorſum legunt hæc duo membra, acſi primum generalis querimonia eſſet de brevitate humanæ vitæ, quales in Pſalmis quædam occurrunt, frequentius vero in libro Job: deinde ſecundum eos ſequitur ſpecialis precatio, ut de hoſtibus vindictam Deus ſumat. Ego vero malo ſimul contexere, & utrumque reſtringere ad Davidis afflictiones: acſi dixiſſet, Domine quouſque tibi decretum eſt ſervum tuum ſubjicere impiorum libidini? & quando tandem eorum ſævitiæ & furori te oppones vindicem? Scriptura Pſal. 137.
enim hoc ſenſu nomen Dierum ſæpe accipit, ut verſ. 7.
dies Ægypti, & dies Babylonis, & dies Hieroſo- Jeſa. 10.
lymæ: quod alibi dicitur Tempus viſitationis. Plu- verſ. 3.
rali autem numero certum & præſcriptum tempus Job. 14.
deſignat, quod alibi comparat diebus mercenarii. verſ. 6.
Non ergo in genere caducam hominum vitam de- Jeſa. 16.
plorat, ſed de ſua militia conqueritur, quam ſua v. 4 14.
opinione nimis longam ſuſtinuerat: ideoque non abs re finiri cupit. Etſi autem expoſtulet cum Deo de ſua moleſtia, non tamen id facit contumaciter, vel obſtrependi affectu: ſed rogans quouſque ſibi neceſſe ſit pati, modeſte precatur ne Deus opem ferre differat. Quod vero eum ad vindictam ſuo voto ſoli-

ſolicitat, alibi vidimus quomodo hanc precem concipere licuerit: nempe quod vindictam appeteret qualis proprie Deo convenit. Certum eſt enim depoſuiſſe vitioſos omnes carnis affectus, ut puro & liquido zelo expeteret Dei judicium. Etſi in genere hic tantum optat, interpoſita Dei manu ſe ab injuriis liberari: non autem exitio devovet ſuos adverſarios. nam ſatis habet modo vindex appareat Deus.

85. *Foderunt mihi ſuperbi foveas.*] Conqueritur ſe fraudibus & vafritie hoſtium fuiſſe circumventum: acſi diceret, non modo aperta vi & gladiis in perniciem ſuam fuiſſe graſſatos, ſed malitioſe & per inſidias vel clandeſtinis artibus captaſſe quomodo eum perderent. Quod addit *non fuiſſe ſecundum Legem Dei*, ad provocandam miſericordiam pertinet: quia eo propenſior eſt Deus ad ſuos juvandos, ubi una cum eorum ſalute violari Legem ſuam videt. Interea ſuæ innocentiæ teſtimonium reddit, quod nihil tale de ipſis fuerit meritus, & quicquid machinati ſint, patienter ſe continuerit. neque enim tentaſſet quod ſciebat Legi Dei eſſe adverſum. Proximo verſu iterum confirmat, quibuſcunque modis vexatus fuerit, non fuiſſe variis cogitationibus diſtractum: quia fretus Dei verbo, de ejus ope non dubitaverit. Ac primo quidem refert quo clypeo ad excipiendos omnes inſultus munitus fuerit: nempe quod fœliciter ſub Dei auſpiciis militent fideles: quia ſalus quam ex ejus verbo ſperant, minime dubia eſt. Hac ratione prædicat vera Dei eſſe mandata. quo elogio ſignificat extra periculum eſſe qui in Dei verbum recumbunt, ut hæc fultura nos rectis animis ſuſtineat. Secundo conqueritur de hoſtium perfidia, ut ſupra expoſuit. Nam hic repetitur nomen שקר, quo intelligit nullam ab illis habitam fuiſſe æquitatis rationem. Hinc & liberationis fiduciam concipit: quia proprium Dei munus eſt pauperibus injuſte oppreſſis ſuccurrere.

87. *Propemodum conſumpſerunt.*] Paulo diverſis verbis repetit quod nuper dixerat, quantumvis duriter tentatus fuerit, ſe tamen in gradu ſuo ſtetiſſe: nempe quia pietatem non deſeruit. Quanquam autem perfectis hoc ſemel eſſe dictum ſufficeret, ſi tamen nobis in mentem veniat noſtra imbecillitas, fatebimur non eſſe ſupervacuam doctrinam. Nec vero extremis tantum certaminibus concuſſi, Legem Dei obliviſcimur, ſed major pars ante quam manus conſerat diffluit. Quo magis notandum eſt hoc mirabile Prophetæ robur, quod fere ſemimortuus non tamen deſierit aſſidua Legis meditatione animum ſuum focillare. Non fruſtra etiam inſeruit hoc factum eſſe in terra. ſubeſt enim tacita cæli comparatio: acſi diceret, Quum ſe undique in terris ingererent mortis terrores, ſe mentem ſurſum extuliſſe: quia ſi fides in cælum pertingat, facile erit ex deſperatione emergere. Ultimus etiam verſus nihil novum continet. Nam initio vitam ſuam David in Dei miſericordia locat: non ſolum quia ſibi humanæ fragilitatis erat conſcius, ſed quia multis mortibus quotidie ſe objici videret, imo ſubmota Dei virtute exanimis jaceret. Deinde ubi reſtitutus fuerit in vitam, ſe gratum fore promittit: neque id lingua modo, ſed tota vita. Nam ſicuti Dei auxilia, quibus nos à periculis liberat, totidem ſunt novæ vitæ, ita æquum eſt, quicquid temporis nobis prorogat, in ejus cultum dicare. Quum Lex vocatur *teſtimonium oris Dei*, hoc elogio præclare aſſeritur ejus auctoritas.

89. ל In æternum Jehova verbum tuum permanet in cælis.
89 לעולם יהוה דברך נצב בשמים:

90. ל In generationem & generationem veritas tua: firmaſti terram, & conſiſtit.
90 לדר ודר אמונתך כוננת ארץ ותעמד:

91. ל At judicia tua perſtant hucuſque: quia omnia ſunt ſervi tui.
91 למשפטיך עמדו היום כי הכל עבדיך:

92. ל Niſi Lex tua delectationes meæ *fuiſſent*, tunc periiſſem in afflictione mea.
92 לולי תורתך שעשעי אז אבדתי בעניי:

93. ל In ſeculum non obliviſcar ſtatutorum tuorum, quia in illis vivificaſti me.
93 לעולם לא אשכח פקודיך כי בם חייתני:

94. ל Tuus ſum ego, ſerva me: quia ſtatuta tua quæſivi.
94 לך אני הושיעני כי פקודיך דרשתי:

95. ל Me expectant impii ad perdendum me, teſtimonia tua conſidero.
95 לי קוו רשעים לאבדני עדתיך אתבונן:

96. ל In omni perfectione vidi finem: latum mandatum tuum valde.
96 לכל תכלה ראיתי קץ רחבה מצותך מאד:

89. *In æternum Jehova.*] Hunc verſum ita plerique exponunt acſi David hoc proferret documentum veritatis Dei, quia ſtabilis ac fixa ſit cælorum conditio. Itaque ſecundum eos ſenſus eſt, Deum probari veracem, quia cæli manent in perpetuo ſtatu. Alii etiam magis coactum ſenſum afferunt, quod veritas Dei certior ſit quam ſit ipſe ſtatus cælorum. Atqui mihi videtur Propheta aliud prorſus velle. Quia enim nihil in terra firmum vel diuturnum cernimus, mentes noſtras in cælum attollit, ut illic figant ſuam anchoram. Certe poterat David (ſicuti aliis pluribus locis) dicere, totum mundi ordinem de conſtantia verbi Dei teſtari: quod veriſſimum eſt. ſed quia periculum erat ne ſuſpenſæ hærerent piorum animæ ſi veritatem proponeret in mundo, ubi variæ ſunt agitationes, eam in cælis locans, domicilium attribuit nullis mutationibus obnoxium. Ergo ne quis verbum Dei ex intuitu tot revolutionum æſtimet, tacite opponitur cælum terræ: acſi dictum eſſet, ſalutem noſtram, quatenus incluſa eſt in verbo Dei, non eſſe verſatilem, ut ſunt omnes res terrenæ: ſed ſtare in tuto & tranquillo portu. Idem Propheta Jeſaias paulo diverſis verbis docet, Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tanquam flos agri. *Jeſa. 40. verſ. 6.*
Nam Petro interprete, ſignificat ſalutis certitudinem in verbo eſſe quærendam: ideoque perperam *1 Petr. 1. verſ. 24.*
facere qui in mundo ſubſidunt: quia verbi Dei firmitas, mundi naturam longe tranſcendit. Eandem ſententiam repetit & confirmat ſequenti verſu. diſerte enim admonet, quamvis ad momentum verſentur fideles in terra quaſi inquilini, & ſtatim diffluant, vitam tamen eorum minime caducam eſſe, quia ex incorruptibili ſemine ſunt regeniti. Quanquam ultra progreditur Propheta. nam ſicuti prius fide nos juſſit in cælum penetrare, quia in mundo nihil reperiemus ubi tuto quieſcere liceat: ita nunc rur-

rurſum ab experientia docet, quamvis volvatur mundus, claris tamen & inſignibus Dei teſtimoniis in eo quoque fulgere Dei veritatem, ut ſtabilitas verbi non tantum incluſa ſit in cælo, ſed ad nos uſque perveniat. Hac ratione additur, terram, ſicuti à Deo fundata eſt, firmam manere: acſi diceret, Domine etiam in ipſa terra, quaſi in ſpeculo viſibilis nobis eſt verbi tui veritas: quia licet ſuſpenſa ſit in medio mari, retinet tamen ſuum ſtatum. Hæc igitur duo inter ſe optime conveniunt, verbi Dei conſtantiam ex ſtatu terreno minime æſtimandam eſſe, quia ſubinde fluctuat, & inſtar umbræ effluit. rurſum tamen ingratos eſſe homines, niſi hanc eandem ſententiam ex parte agnoſcant in mundi opificio: quia terra, quæ alioqui momento uno non ſtaret, firma tamen manet, quia fundata eſt verbo Dei. Jam non eſt cur objiciat quiſpiam difficile eſſe Dei veritatem extra mundum quærere, quia nimis longe ab hominum ſenſu remota eſſet. Occurrit enim Propheta, quamvis in cælo habitet, ſigna tamen ante pedes noſtros conſpicua extare quæ nos pro modulo noſtro & ruditate ad perfectam ejus notitiam paulatim attollant. Sic Propheta ab una parte hortatur nos ut fide ſuperemus totum mundum, ut verbo Dei conſtet juſta firmitas quæ fidem noſtram fulciat: ab altera parte admonet nos minime eſſe excuſabiles niſi ex ipſo terræ aſpectu cognoſcimus Dei veritatem, quum ſe ad pedes uſque noſtros extendat. Priore membro revocantur homines à vanitate ſenſus ſui: altero ſublevatur eorum infirmitas, ut quod in cælo plenius quærendum eſt, in terra deguſtent.

91. *At judicia tua perſtant.*] Nomen היום quod ego, alios interpretes ſequutus, reddidi huc uſque, non male verti poſſet quotidie, vel ſingulis quibuſque diebus: ſenſu tamen non abſimili. intelligit enim Propheta, totius naturæ ordinem, ſolius Dei imperio vel decreto niti. Nam judicia nominans, ad Legem ipſam alludit: acſi diceret, ubique fulgere rectitudinem illam quæ in Lege Dei patefacta eſt. Unde ſequitur, nimis perverſos eſſe homines quum infidelitate ſua, Dei fidem quantum in ſe eſt concutiunt & labefactant, in quam recumbunt omnes creaturæ: deinde quum ſua contumacia violant Dei juſtitiam, & vim præceptis abrogant, in quibus fundata eſt tota mundi firmitas. Quanquam autem dura eſt loquutio, omnia elementa eſſe Dei ſervos, plus tamen exprimit quam ſi dixiſſet omnia eſſe diſpoſita ad præſtandum Deo obſequium. Quomodo enim aër, qui tam fluidus eſt, aſſidue ſpirando non ſe conſumeret, quomodo aquæ fluendo non deficerent, niſi arcanum audirent Dei imperium? Fide quidem percipimus mundum ſtare Dei imperio: ſed quicunque præditi ſunt aliqua intelligentiæ gutta, ex claris documentis idem colligunt. Sit ergo hoc nobis penitus infixum, arcana Dei virtute ſic omnia foveri, ut in ſtatu ſuo retinendo verbum ejus vel mandatum audiant. Tenendus enim eſt ſemper Prophetæ ſcopus, veritatem Dei quæ in externis ejus operibus refulget, per gradus nos altius deducere, ut indubia ſit cæleſtis doctrinæ veritas.

92. *Niſi Lex tua.*] Eandem fere doctrinam continuat Propheta: quia ſibi pereundum fuiſſe dicit, niſi malis ſuis ex Lege Dei ſolatium quæſiſſet. Adverbium אז Hebræis ſignificat tunc: ſed quia de longo tempore interdum capitur, tantundem hic valet ac pridem: niſi cui magis placeat emphaticam eſſe demonſtrationem, acſi adhuc in re præſenti foret. Proprio autem experimento confirmat quod prius dixit, ut appareat non de rebus incognitis eum loqui, ſed afferere quod reipſa didicit ac expertus eſt, nullum ſcilicet aliud in rebus miſeris ſolatium & remedium eſſe, niſi dum acquieſcimus in verbo Dei, gratiamque illic oblatam & ſalutis noſtræ teſtimonium amplectimur. Certum vero eſt, idem verbum quod nuper in cælo manere dixit, nunc celebrari. quia etſi in terra perſonet, penetret in aures noſtras, cordibus inſideat: retineat tamen cæleſtem naturam, quia ſic ad nos deſcendit ut non ſubjaceat mundi inclinationibus. Declarat autem Propheta ſe afflictionum mole fuiſſe gravatum, quæ penitus obruere eum poſſet: ſolatium vero quod ex Lege recepit, in tanta deſperatione ſibi fuiſſe vitæ loco. Proximus verſus gratiarum actionem continet. quia enim ſalutem attulerat Lex Domini, promittit ſe nunquam fore ejus immemorem. Simul tamen ſe & alios admonet quam neceſſe ſit in animo fovere Legis Dei memoriam: quia etſi vivificam eſſe experti ſumus, facile tamen obrepit ejus oblivio, cujus poſtea juſtam pœnam luimus dum nos ſinit Deus in triſtitia noſtra tabeſcere.

94. *Tuus ſum ego.*] Primo hinc ſumit precandi fiduciam, quod ſit in ære & peculio Dei, ut loquuntur. Deinde ab effectu probat ſe Dei eſſe, quia ejus mandata cuſtodiat. Cæterum hoc non ita accipere convenit quaſi ſe quicquam promeritum jactaret, quemadmodum apud homines hæc ſolet adduci ratio ad impetrandum quod petimus, Ego te ſemper colui, ſtudui honori tuo & commodis conſulere, obſequia mea tibi fuerunt parata. Quin potius meram Dei gratiam in medium profert David: quia nemo ſibi propria induſtria tantum honoris acquirit ut ſit ſub Dei clientela, ſed ex gratuita ejus adoptione manat. Deo itaque ſuum hic beneficium objicitur ne inceptum opus deſerat. Nam quod dicit, ſtudioſe mandatis Dei ſe intendere, hoc quoque ex vocatione pendet: quia non ante cœpit Dei mandatis ſtudium ſuum adjicere, quam eſſet vocatus & receptus in ejus familiam. Quia autem à Domino poſtulat ſervari, continuo pòſt neceſſitatem exprimit, *ſe ab impiis ad interitum fuiſſe quæſitum* dicens. Ubi tamen ſimul pietatis ſuæ conſtantiam prædicat: quia mentem ſuam tunc ad Dei Legem applicuerit. quod notatu dignum eſt. nam qui ſponte alias ad Deum ſequendum propenſi forent, concuſſi ab impiis, quo ſe vertere debeant neſciunt, ut facile ad prava conſilia labantur. Quare magna virtus eſt, quamvis in perniciem noſtram conſpirent improbi, ut ſecundum carnem de vita periclitemur, tribuere tamen hoc honoris Deo, ut ſolis ejus promiſſionibus ſimus contenti. *Intelligere* autem *ad Dei teſtimonia* hoc loco tantundem valet atque verbo Dei addicere mentes noſtras, quod nos contra omnes impetus fulciat, efficax ſit ad ſedandos metus, ab omnibus perverſis conſiliis cohibeat.

96. *In omni perfectione.*] Aliis verbis iterum commendat quod primo verſu hujus literæ docuit, nempe Dei verbum, quia ſupra caduca mundi elementa longe eminet, mutationi non eſſe obnoxium. Hic enim dicit nihil ſub cælo tam perfectum eſſe, ac ſolidum, vel abſolutum omni ex parte, quod tamen finem non habeat: ſolum Dei verbum ſua amplitudine ſuperare omnes terminos & metas. Quoniam verbum כלה tam conſumere & finire, quam perficere ſignificat, quidam nomen תכלה pro menſura vel fine accipiunt. Sed ratio poſtulat de perfectione exponi, ut illuſtrior ſit comparatio, & fidem verbi Dei melius amplificet. acſi dixiſſet Propheta, poſtquam omnia circumſpexit, præſertim quæ exactiſſima perfectione excellunt, nihil tamen eſſe ad verbum Dei: quia aliis omnibus impendeat finis, verbo autem Dei ſemper conſtet ſua æternitas. Unde ſequitur minime timendum eſſe ne in medio curſu nos deſtituat. Nam huc pertinet nomen *latitudinis*; quia ut quis ſupra cælos evolet, deſcendat in profundiſſimas abyſſos, tranſcurrat à dextera ad ſiniſtram, non tamen perveniet longius quam nos Dei veritas deducit. Reſtat ut hanc amplitudinem concipiant animi noſtri: quod fiet ubi ſe in anguſtias mundi hujus conjicere deſierint.

97. מ Quam

97. מ Quam dilexi Legem tuam! toto die ipſa eſt meditatio mea.	97 מה אהבתי תורתך כל היום היא שיחתי׃
98. מ Præ adverſariis meis ſapientem me reddidiſti à mandatis tuis: quoniam *ea* mihi in perpetuum.	98 מאיבי תחכמני מצותך כי לעולם היא לי׃
99. מ Præ omnibus doctoribus meis prudentem me reddidiſti: quia teſtimonia tua meditatio mea.	99 מכל מלמדי השכלתי כי עדותיך שיחה לי׃
100. מ Præ ſenibus intellexi: quia ſtatuta tua ſervavi.	100 מזקנים אתבונן כי פקודיך נצרתי׃
101. מ Ab omni ſemita mala prohibui pedes meos, ut cuſtodiam ſermonem tuum.	101 מכל ארח רע כלאתי רגלי למען אשמור דברך׃
102. מ A judiciis tuis non declinavi: quia tu docuiſti me.	102 ממשפטיך לא סרתי כי אתה הורתני׃
103. מ Quam dulcia fuerunt faucibus meis eloquia tua! ſupra mel ori meo.	103 מה נמלצו לחכי אמרתך מדבש לפי׃
104. מ A ſtatutis tuis intellexi, propterea odi omnem ſemitam falſitatis.	104. מפקודיך אתבונן על כן שנאתי כל ארח שקר׃

97. *Quam dilexi.*] Non contentus ſimplici affirmatione, interrogative exclamat ſe incredibili amore Legis Dei fuiſſe accenſum: & probationem addit, quod aſſiduus fuerit in ejus meditatione. Nam ſiquis Legem Dei ſibi charam eſſe jactans, neglecto ejus ſtudio animum alio convertat, nimis craſſam hypocriſin prodit: quia amor ſemper aſſiduam meditationem gignet. præſertim qualis hic exprimitur à Propheta. Et certe niſi corda noſtra in ſui amorem inflammet Lex Dei ac rapiat, ſtatim obrepent multæ illecebræ, quæ nos ad vanitatem traducant. Ergo amorem Legis hic commendat Propheta, qui ſenſus omnes noſtros occupans, januam claudat & obſeret fallaciis omnibus & corruptelis, ad quas nimium ſumus alioqui proclives.

98. *Præ adverſariis meis.*] Hic commemorat Propheta, ſe & hoſtibus ſuis & magiſtris & ſenibus fuiſſe doctiorem, quia diſcipulus erat Legis Dei. Porro aliter intelligit ſe intelligentia fuiſſe præditum ſupra hoſtes, quam ſupra doctores ſuos. illis enim fuit ſuperior, quia nihil profecerint ſua aſtutia & fraudibus, quum acumen ſuum in ejus perniciem intenderent. Scimus enim ut impios ſua malitia ſemper ad nocendum ſollicitet. quia autem ſæpe vafri ſunt & captioſi, niſi inſidiis & iiſdem artibus certemus, timemus ne eorum dolis obnoxia ſit noſtra ſimplicitas. ideo gloriatur Propheta, ſatis ſibi fuiſſe in Dei Lege præſidii, ut omnes laqueos effugeret. Quod vero *ſupra magiſtros doctrinam ſibi vendicat*, videtur abſurda eſſe comparatio: quia illi quoque didicerant ex verbo Dei quod utile fuit cognitu. Sed non dubium eſt quin gratias agat Deo Propheta, quod eorum progreſſus tranſcenderit à quibus rudimenta acceperat. Neque enim novum eſt ut magiſtrum ſuperet diſcipulus, prout cuique Deus menſuram intelligentiæ partitur. Scimus enim ita inſtitui fideles hominum opera & labore, ut Divinitus illuminentur. Atque hinc præſtantia diſcipuli ſupra magiſtrum, quia Deus quaſi digito monſtrare vult ita ſe uti hominum induſtria, ut præcipuus interim maneat doctor. Quare diſcamus nos ei regendos tradere, ut gloriari cum Davide liceat, ejus ductu nos ultra eſſe progreſſos quam nos ducere potuerit humana inſtitutio. Idem & *de ſenibus* confirmationis vice addit. Ætas enim multum confert, ut qui natura tardi ſunt ac rudes, eos longa experientia & uſus expoliat. Propheta autem dicit ſe ex Lege Dei prudentiam adeptum eſſe pluſquam ſenilem. Summa eſt, quiſquis ſe docilem præbuerit Deo, ſenſuſque ſuos in ejus verbo continuerit, ac ſedulo ſe exercuerit in Lege meditanda, illic reperturum ſatis prudentiæ: ut ſibi conſulat contra hoſtium inſidias, & circumſpectus ſit ad cavendas eorum fraudes: deinde ut ad totum vitæ curſum certare poſſit cum optimis quibuſque magiſtris. Neque tamen prudentiam ſuam jactat David, quo ſe coram mundo venditet: ſed exemplo ſuo admonet, nihil nobis eſſe melius quam diſcere ex ore Dei: quia perfecte demum ſapiunt qui edocti ſunt in ejus ſchola. Commendatur etiam fidelibus ſobrietas, ne aliunde ſapere appetant quam ex Dei verbo, ne ambitio vel curioſitas ad vanam oſtentationem eos titillet. Denique modeſtia & ſubmiſſio omnibus præcipitur, nequis ſcientiam ſibi arroget qua efferatur ſupra Dei Legem, ſed ubi in medium prodit cæleſtis illa Sapientia, ſponte ſe omnes, quantumvis intelligentes aut periti, in ordinem cogant. Quum dicit ſe ſervaſſe Dei ſtatuta, ſignificat qualis fuerit illa meditatio, de qua diximus: ut ſciamus, non frigide fuiſſe philoſophatum, ſed ſerio affectu fuiſſe addictum Dei præceptis.

101. *Ab omni ſemita mala.*] Significat ſe bellum indixiſſe omnibus vitiis, ut ſe Deo in obſequium dederet. Unde colligitur utilis doctrina, nempe, ut Legem Dei ſervemus, initio cavendum eſſe ne greſſus noſtri in flexuoſas ſemitas declinent. Nam in tam vitioſa natura, inter tot illecebras, in tanta mentis noſtræ vanitate nihil proclivius eſt quam in errorem abduci. Imo rarum miraculum eſt ſi rectum curſum in vita quis teneat. Summa itaque attentione opus eſt, ut pedes ſuos à vagando fideles prohibeant. Proximo verſu conſtantiam ſuam prædicat David in ſtudio ſervandæ Legis. Dicit igitur, ex quo vivendi rationem à Deo accepit, ſe tenuiſſe rectum curſum. Jam quum tam lubrica ſit via, & pedes tam infirmi, totumque ingenium ad innumeros errores flexibile, non levi conatu ad nos retinendos opus eſt, ne deflectamus à judiciis Dei. Sed notandum eſt quale doctrinæ genus deſignet. etſi enim promiſcue docentur omnes quibus proponitur Dei verbum, vix decimus quiſque ejus guſtum capit: vix autem centeſimus eo uſque proficit, ut ad extremum in recto curſu pergat. Peculiaris ergo hic docendi modus notatur, nempe quod electos ſuos Deus intus ad ſe trahit: acſi diceret Propheta ſe arcano Spiritus inſtinctu in viam ſalutis fuiſſe adductum, & in eadem retentum fuiſſe.

103. *Quam dulcia.*] Quod aliis verbis dixerat, iterum repetit, ſe dulcedine Legis Dei ſic fuiſſe captum, ut non aliam oblectationem appeteret. Nam fieri quidem poterit ut tangatur quiſpiam aliquo reverentiæ ſenſu: ſed nemo alacriter Legem ſequetur niſi qui hanc ſuavitatem conceperit. Deus autem non ſervile obſequium à nobis exigit, ſed vult hilariter ad ſe venire. Quæ ratio eſt ut Propheta

toties in hoc Pſalmo commendet verbi Dei dulcedinem. Siquis roget quomodo dicat Propheta tam ſuaviter ſe oblectatum fuiſſe Dei Lege, quæ (teſte Paulo) nihil quam formidinem incutit: facilis ſolutio eſt, Prophetam non loqui de mortua litera quæ lectores ſuos occidit, ſed complecti totam Legis doctrinam, cujus præcipua pars eſt gratuitum ſalutis fœdus. Paulus Legem Euangelio comparans, tantum attingit præcepta cum minis. atqui ſi tantum præcipiat Deus, & maledictionem denunciet, totum ejus ſermonem mortiferum eſſe certum eſt. Propheta autem Euangelium Legi non opponens, adoptionis gratiam quæ in Lege offertur, merito melle ſibi dulciorem eſſe aſſerit, hoc eſt nullas ſibi delicias fuiſſe pares. Jam memoria repetendum eſt quod alibi dixi, Legem Dei nobis eſſe inſipidam, vel ſaltem nunquam ita nobis dulcem eſſe ut à voluptatibus carnis nos revocet, donec cum proprio ingenio ſtrenue luctati ſimus, ad domandos qui in nobis regnant affectus carnis.

2 Cor. 3. verſ. 9.

104. *A ſtatutis tuis.*] Videtur hic Propheta invertere ordinem quem nuper poſuit. dicebat enim ſe prohibuiſſe ab errore pedes ut ſervaret Legem Dei: nunc diverſam rationem ponit, initium faciens à Legis obſervatione. Dicit enim ſe prius edoctum fuiſſe à verbo Domini, quam vitia ſua corrigeret. Duo tamen hæc non male inter ſe conveniunt, quod fideles ſeſe ab erroribus colligant, ut vitam forment ad regulam verbi Dei: ubi autem jam progreſſi ſunt, quatenus viget in ipſis Dei timor, majori odio habere incipiant & acrius deteſtari omnia ſcelera. Et certe hoc bene vivendi exordium eſt, ut quiſque ſe à vitiis purgare ſtudeat: quo autem quiſque melius profecit, majore zelo ferveat in vitiis deteſtandis & fugiendis. Porro docemur Prophetæ verbis, ideo homines paſſim involvi mendaciis, praviſque erroribus irretiri quia non vere ex Dei verbo ſapiunt. Quum totus mundus deſipiat, hoc errantibus ſubterfugium eſt, ſibi à fallaciis cavere nimis eſſe difficile. atqui remedium in promptu erit ſi Prophetæ ſequamur conſilium, hoc eſt, ſi propriæ prudentiæ non inniti, intelligentiam petamus ex Dei verbo, ubi non tantum oſtendit quid rectum ſit, ſed munit etiam ac providos reddit contra omnes fallacias Satanæ & mundi impoſturas. Atque utinam hoc eorum animis qui ſe fideles hodie jactant, penitus eſſet infixum. neque enim tanta levitate major pars huc illuc ſubinde ad varios opinionum motus fluctuaret. Nos vero, quum tam ſedulo incumbat Satan ad ſpargendos errorum fumos, huic prudentiæ majorem demus operam.

105. נ Lucerna pedi meo verbum tuum, & lumen ſemitæ meæ.	105 נֵר לְרַגְלִי דְבָרֶךָ וְאוֹר לִנְתִיבָתִי׃
106. נ Juravi, & ſtabiliam, ad ſervandum judicia juſtitiæ tuæ.	106 נִשְׁבַּעְתִּי וָאֲקַיֵּמָה לִשְׁמֹר מִשְׁפְּטֵי צִדְקֶךָ׃
107. נ Afflictus ſum uſque valde Jehova, vivifica me ſecundum verbum tuum.	107 נַעֲנֵיתִי עַד מְאֹד יְהוָה חַיֵּנִי כִדְבָרֶךָ׃
108. נ Voluntaria oris mei tibi quæſo placeant Jehova, & judicia tua doce me.	108 נִדְבוֹת פִּי רְצֵה נָא יְהוָה וּמִשְׁפָּטֶיךָ לַמְּדֵנִי׃
109. נ Anima mea in manu mea ſemper, & Legem tuam non ſum oblitus.	109 נַפְשִׁי בְכַפִּי תָמִיד וְתוֹרָתְךָ לֹא שָׁכָחְתִּי׃
110. נ Poſuerunt impii laqueum mihi, & à ſtatutis tuis non erravi.	110 נָתְנוּ רְשָׁעִים פַּח לִי וּמִפִּקּוּדֶיךָ לֹא תָעִיתִי׃
111. נ Hæreditatis loco habui teſtimonia tua in æternum: quia lætitia cordis mei ſunt.	111 נָחַלְתִּי עֵדְוֺתֶיךָ לְעוֹלָם כִּי שְׂשׂוֹן לִבִּי הֵמָּה׃
112. נ Inclinavi cor meum ad facienda edicta tua in perpetuum in finem.	112 נָטִיתִי לִבִּי לַעֲשׂוֹת חֻקֶּיךָ לְעוֹלָם עֵקֶב׃

105. *Lucerna pedi.*] Teſtatur hoc verſu Propheta Legem Dei ſibi fuiſſe bene vivendi magiſtram ac directricem: nobiſque omnibus ſuo exemplo eandem præſcribit normam. nam dum ſequitur quiſque quod viſum eſt, incidimus in horribiles labyrinthos. Verum ut certius teneamus ejus mentem, notandum eſt, omnibus humanis conſiliis opponi Dei verbum. Nam quicquid judicat mundus rectum eſſe, hoc coram Deo ſæpe obliquum ac perverſum eſt, cui non alia probatur vitæ inſtitutio quam quæ exigitur ad Legis ſuæ normam. Nec vero aliter dirigi potuit David verbo Domini, quin prius renunciaſſet carnis prudentiæ: ſicuti hoc noſtræ docilitatis principium eſt. Sed metaphora qua utitur, plus aliquanto explicat: nempe, niſi prælucеat Dei verbum, totam hominum vitam tenebris & caligine implicitam eſſe, ut nihil quam miſere vagari queant. deinde ubi nos dociles ſubjicimus Legi Dei, extra errandi eſſe periculum. Nam ſi ea eſſet verbi obſcuritas de qua blaterant Papiſtæ, falſo & mentito elogio ornatum eſſet à Propheta. Sciamus ergo certam lucem illic nobis monſtrari, modo aperiamus oculos. Eandem ſententiam clarius expreſſit Petrus, fideles laudans quod attendant ſermoni prophetico tanquam lucernæ in loco caliginoſo ardenti.

2 Petr. 1. verſ. 19.

Iterum de ſua conſtantia loquitur: & quemadmodum nuper retulit ſe tota vita non deflexiſſe à Lege Dei, ita nunc agit de mentis ſuæ propoſito. *Jurandi* verbo ſignificat ſe fidem Deo obſtrinxiſſe ne mutaret conſilium. Nam hæc vera eſt ſervandæ Legis ratio, ex animo ſuſcipere & amplecti quod præcipit, & quidem æquabili tenore: ne ardor noſter (ut ſæpe fieri ſolet) ſtatim langueſcat. Hæc eadem eſt legitima vovendi regula, offerre nos Deo, vitamque noſtram dicare. Quæri tamen poteſt annon temeritatis damnandum ſit Prophetæ jusjurandum, qui ſibi longe plus ſumere auſus eſt quam ferat hominum facultas. quis enim par erit ſervandæ Legi? Temere ergo nunc proſilit ad nuncupandum votum, qui rem impoſſibilem Deo promittit. Sed facilis reſponſio eſt, quoties aliquid Deo promittunt fideles, non reſpicere quid per ſe valeant, ſed inniti gratiæ Dei, cujus eſt præſtare quod à nobis exigit, dum ſcilicet vires à Spiritu ſuo ſuppeditat. Cæterum præter Spiritum non poſſunt quidquam vovere ubi Deo obſequendum eſt. neque enim vel ad cogitandum ſumus idonei, ut inquit Paulus. Sed quia Deus manum nobis porrigens, jubet bono & alacri animo eſſe, & ſe nobis nunquam defore aſſerit, hinc illa fiducia jurandi. Nec vero ulla eſt temeritas, ubi promiſſionibus

2 Cor. 3. verſ. 5.

nibus Dei confiſi, quibus nos prævenit, viciſſim nos ei offerimus in obſequium. Nondum tamen ſoluta eſt quæſtio: quia utcunque filii Dei per Spiritus gratiam emergant tentationum omnium victores, laborant tamen ſemper aliqua infirmitate. Sed notandum eſt, in votis & promiſſionibus fidelium non Eze. 11. verſ. 20. modo comprehendi pactum illud quo Deus ſe facturum recipit ut ambulemus in præceptis ſuis: ſed alterum quod ſimul additur de gratuita venia. Quare fidem de ſervanda Lege pro gratiæ ſibi datæ men- Pſal 103. verſ. 13. ſura obſtrinxit David, ſecundum illud Prophetæ, Parcam illis quemadmodum parcere ſolet pater filiis ſibi ſervientibus.

107. *Afflictus ſum.*] Docet hic verſus Deum non ita molliter foviſſe in ſinu ſuo Patres ſub Lege, quin duris tentationibus eos exercuerit. Neque enim leviter & vulgari modo ſe afflictum fuiſſe dicit, ſed ſupra modum, & *vivificari* poſtulans, indicat morti ſe propinquum fuiſſe. Simul tamen indicat, quamvis à morte fuerit obſeſſus, ſe tamen non ſuccubuiſſe quia in Deum recubuerit. Quod diligenter notandum eſt. nam ut initio ſuppetat alacritas ad Deum invocandum, ſi ingraveſcit tentatio, flacceſcunt animi: extremo autem metu extinguitur fiducia. Atqui Propheta gratiam Dei implorat, non qua ſervetur integer in vita, ſed qua vitam amiſſam recuperet. Obſervanda etiam eſt pars iſta, *Secundum verbum tuum*: quia frigebit invocatio, imo nulla erit, niſi in mœrore & anguſtia promiſſio Dei fiduciam addat. Denique non patebit (ut alibi diximus) acceſſus ad precandum, niſi hæc clavis ad manum ſit.

108. *Voluntaria oris mei.*] Poteſt hic verſus tam uno contextu legi, quam diſtingui in duo membra. Prior ſenſus eſſet, Suſcipe ſacrificia mea in hunc finem, ut me præcepta tua doceas. Si magis placeat diſtinctio diverſa, erunt precationes. ut ſacrificia Deus grata habeat: deinde Prophetam inſtituat in doctrina Legis. Ego in priorem ſententiam magis inclino. aſſerit enim Propheta (ſicut alibi vidimus) ſibi nihil fuiſſe potius, quam probe tenere Legis doctrinam: acſi diceret, Suſcipe Domine pro tuo beneplacito quæ offero ſacrificia. & quoniam hæc ſumma eſt votorum meorum ut in Lege tua recte inſtituar, hujus tam optati boni fac me compotem. Notandi autem ſunt loci omnes, ubi aliis omnibus mundi beneficiis præfertur cæleſtis doctrinæ cognitio. Et certe quum æternæ ſalutis pignus in ſe contineat, pro incomparabili theſauro non abs re ducenda eſt. Longius tamen orditur Propheta, ut Deus cultum ſuum probare & ſuſcipere dignetur. Per נדבות mihi dubium non eſt quin ſpontanea quæ vocabant ſacrificia intelligat. Fateor quidem de votis & precibus eum proprie loqui. Sed quia ad propitiandum Deum ſolebant ſacrificia offerre, ut cujuſque facultas ferebat, ad ritum illum legalem alludit: ſicuti laudes Dei, vitulos labiorum appellat Osea 14. verſ. 2. Oſeas. Nam illa ceremonia teſtatum Deus voluit Patribus, nullas ſibi preces niſi ſacrificio conjunctas placere, ut ſemper ad Mediatorem mentes ſuas converterent. Fatetur autem primo loco ſe indignum eſſe qui precibus quicquam impetret, niſi gratis ipſum exaudiat Deus. Deinde Deum ſibi in hoc propitium eſſe optat, ut rite proficiat in doctrina Legis. Nam verbum רצה quo utitur, ſignificat mero beneplacito favere. unde ſequitur nihil eſſe in precibus dignitatis, ſed quoties annuit Deus, liberaliter hoc dare.

109 *Anima mea in manu.*] Docet, nullis ærumnis, afflictionibus vel periculis ſe alienatum fuiſſe à Dei cultu & Legis obſervantia. Animam enim geſtare in manu, tantundem valet ac de vita periclitari, ut Job. 13. verſ. 14. anima ſit quaſi vento expoſita. Sicuti Job, dum tabeſcit in malis, & in ſingula momenta mortem expectat & metuit, conqueritur animam ſibi eſſe in manu: acſi diceret, avulſam à ſuo domicilio, ſubjacere mortis imperio. Perperam igitur loquutio hæc ab indoctis torquetur in abſurdum ſenſum: acſi diceret Propheta, in arbitrio ſuo eſſe vitæ ſuæ regimen. Quin potius hac circumſtantia pietatem ſuam commendat: quod licet inter naufragia jactetur, & centum mortes verſentur ante oculos, ut ne momento quidem ſecurus quieſcat, non tamen abjiciat ſtudium Legis Dei. Hic rurſus notandum eſt quam duris certaminibus probati fuerint Patres ſub Lege, ne diſcrimina & metus nos abſterreant, vel tædio debilitent quominus animis noſtris inſideat Legis Dei memoria. Sententia proximi verſus affinis eſt, quia propius deſignat Propheta quomodo vitam ſuam geſtaverit in manu: nempe quod undique improborum inſidiis concluſus, ſpem fere vitæ nullam gemeret. Dieimus autem alibi, quam difficile ſit, ubi ſuis captionibus perniciem nobis intentant hoſtes, non errare à viis Domini. nam & libido carnis ad retaliandum nos incitat: nec ullus tuendæ vitæ noſtræ modus apparet, niſi certemus iiſdem artibus quibus illi nos oppugnant: & fingimus nobis licitum eſſe vlulare inter lupos. quo magis meditanda nobis eſt hæc doctrina, dum nos impii circumveniunt, nihil eſſe melius quam ſequi quo Deus vocat, nec quicquam niſi ex ejus mandato tentare.

111. *Hæreditatis loco.*] Confirmat rurſus ſententiam illam quæ nimium repeti non poteſt, Legem Dei pluris ſibi fuiſſe quam omnes mundi delicias, opes & copias. Dixi, non fruſtra toties hoc inculcari, quia videmus ut ferveant mundi libidines, quam multiplici ſolicitudine ſinguli æſtuent, dum innumera appetere non deſinunt. interea vix centeſimus quiſque mediocriter aſpirat ad ſtudium Legis Dei. Ergo Propheta, ut ſuo exemplo nos extimulet, dicit teſtimonia Dei tantæ ſibi voluptati eſſe, ut nihil pretioſius æſtimet. Solus enim amor eſt qui pretium rebus conciliet. Ideo ut Legem Dei qua decet reverentia colamus, ab hac delectatione incipere convenit. Porro non mirum eſt teſtimonia Dei lætitiam afferre, quæ poſthabitis & ſpretis aliis omnibus nos ſibi devinctos teneat. Quid enim ſuavius quam nobis cælos aperiri, ut liberè in Dei conſpectum prodire liceat, dum nos ſibi in filios adoptans, peccata gratis condonat? Quid optabilius quam audire ita nobis eſſe placatum, ut vitæ noſtræ curam ſuſcipiat? Hoc breviter attingere viſum eſt, ne miremur Davidem tanta affectum fuiſſe lætitia ex Lege Dei. Similitudo autem *hæreditatis* frequenter occurrit in Scriptura: & hæreditarium vocatur quod ſummum gradum apud nos obtinet, ut parati ſimus reliquis omnibus carere, modo id unum ſalvum maneat. Itaque ſignificat Propheta, quæcunque adeptus fuerat bona, pro adventitiis ſibi eſſe, ſolum cæleſtem doctrinam eſſe hæreditatis loco, quia extra ipſam nihili omnia æſtimet: ut libenter aliis relinquat divitias, honores, commoda, delicias, modo poſſideat incomparabilem hunc theſaurum. non quod in totum contemneret Dei beneficia quæ ad præſentis vitæ uſum ſpectant, ſed quia ligatum non tenebant ejus animum.

112. *Inclinavi cor meum.*] Deſcribit hoc verſu probam Legis obſervantiam, dum ſcilicet hilariter & ex animo nos accingimus ad præſtandum quod jubet: quia ſervile & coactum obſequium à contumacia parum differt. Propheta ergo ut breviter definiat quid ſit Deo ſervire, non tantum manus, oculos vel pedes ſe applicuiſſe dicit ad Legem ſervandam, ſed cœpiſſe à cordis affectu. Quanquam pro verbo *inclinandi*, non male etiam congrueret Extendere cor. ſed ſenſum magis receptum teneo, quod propenſo ſtudio ad ſervandam Legem acceſſerit. Cæterum hæc cordis inclinatio vagis cupiditatibus opponitur, quæ contra Deum exultant, & nos quovis potius rapiunt, quam inclinant ad recte agendum.

dum. Quod autem Papiſtæ ad probandum liberum arbitrium hoc gladio ſe armant, nugatorium eſt. colligunt ex Prophetæ verbis, in poteſtate hominis eſſe, cor ſuum flectere in utramque partem. Sed facilis ſolutio eſt, Prophetam hic non jactare quid propria virtute fecerit. nam idem nunc verbum repetit quod ante poſuerat, quum diceret, *Inclina cor meum*, &c. Si non fuit hæc ſimulata precatio, certe confeſſus eſt, proprium eſſe opus Spiritus ſancti, corda noſtra in bonum inclinare & formare. Sed minime novum eſt, nobis aſcribi quod Deus in nobis agit. Clarum eſt illud Pauli, Deum eſſe qui in nobis velle operatur. Sed Propheta cor ſe inclinaſſe dicens, non ſeparat ſuum conatum à gratia Spiritus; cujus inſtinctu alibi teſtatus eſt id totum peragi. Simul etiam conſtantiam pii ſui affectus ab evanido aliorum fervore diſcernit. Itaque dicit ſe de continuo vitæ curſu cogitaſſe, ne in via fatiſcat, vel etiam retrocedat. Dictio עֵקֶב exegetice meo judicio addita eſt ad לְעוֹלָם: atque id, ut ſciremus fortiter ipſum fuiſſe luctatum cum obſtaculis & difficultatibus, ne conſtantiam ejus frangerent. Neque enim ſine arduo conatu quiſquam in puro Dei cultu perſeverat. Quod alii pro mercede accipiunt, videtur nimis remotum.

Philip. 2. verſ. 13.

113. ס Cogitationes *obliquas* odio habui, & Legem tuam dilexi:	113 סֵעֲפִים שָׂנֵאתִי וְתוֹרָתְךָ אָהָבְתִּי׃
114. ס Latibulum meum & clypeus meus tu, in verbo tuo ſperavi.	114 סִתְרִי וּמָגִנִּי אָתָּה לִדְבָרְךָ יִחָלְתִּי׃
115. ס Declinate à me ſceleſti, & cuſtodiam mandata Dei mei.	115 סוּרוּ מִמֶּנִּי מְרֵעִים וְאֶצְּרָה מִצְוֺת אֱלֹהָי׃
116. ס Suſtenta me in ſermone tuo, & vivam: & ne pudefacias me ab expectatione mea.	116 סָמְכֵנִי כְאִמְרָתְךָ וְאֶחְיֶה וְאַל תְּבִישֵׁנִי מִשִּׂבְרִי׃
117. ס Confirma me, & ſalvus ero: & conſiderabo edicta tua jugiter.	117 סְעָדֵנִי וְאִוָּשֵׁעָה וְאֶשְׁעָה בְחֻקֶּיךָ תָמִיד׃
118. ס Conculcaſti omnes errantes ab edictis tuis, quia mendacium eſt dolus eorum.	118 סָלִיתָ כָּל שׁוֹגִים מֵחֻקֶּיךָ כִּי שֶׁקֶר תַּרְמִיתָם׃
119. ס Scorias ceſſare feciſti omnes impios terræ, propterea dilexi teſtimonia tua.	119 סִגִים הִשְׁבַּתָּ כָל רִשְׁעֵי אָרֶץ לָכֵן אָהַבְתִּי עֵדֹתֶיךָ׃
120. ס Horruit à timore tui caro mea, & à judiciis tuis timui.	120 סָמַר מִפַּחְדְּךָ בְשָׂרִי וּמִמִּשְׁפָּטֶיךָ יָרֵאתִי׃

113. *Cogitationes obliquas.*] Qui סעפים volunt eſſe nomen thoar, vertunt, cogitantes mala: ſed rectius pro ipſis cogitationibus ſumitur, hocque uſu magis receptum eſt. סעף proprie ramum ſignificat: ſed metaphorice ad cogitationes aptatur: quæ ex corde profectæ, ſicut rami ex trunco arboris, huc & illuc ſe extendunt. Quia autem minime dubium eſt hoc loco ſumi in malam partem, addidi epitheton *obliquas*. atque hoc etiam requirit etymologia, ſicuti rami arboris perplexi & impliciti transverſum feruntur, ita etiam per obliquos flexus confuſe inter ſe miſceri cogitationes. Nam quod ex Hebræis quidam, Gentium leges intelligunt, quæ exciſæ ſunt tanquam rami à Lege Dei: argutum quidem eſt, ſed infirmum. Quod ergo ſimplicius eſt, retineo, Legi Dei, quæ ſola recta eſt, opponi tortuoſa cordis humani figmenta, & quicquid ex perverſo ſenſu comminiſcuntur impii. Et certe quiſquis volet Legem Dei vere amplecti, inprimis neceſſe erit ut pravis & vitioſis cogitationibus ſe abdicet, imo ut à proprio ingenio diſcedat. Niſi forte magis arrideat altera metaphora, ut סעפים altas cogitationes ſignificet, quia verbum סעף pro extollere capitur. Scimus autem nullum eſſe gratius Deo ſacrificium quam obedientiam, ubi nihil ſublime ex nobis ſapimus: & docilitas noſtra ab humilitate incipit. Quia tamen hæc quoque expoſitio videri poſſet longius petita, ab ea ſuperſedeo. Sufficiat nobis quod dixi, nempe quia Deus nullos Legis ſuæ diſcipulos admittit niſi qui vacui ſunt & bene purgati contrariis omnibus figmentis quæ mentem corrumpunt, Prophetam hic teſtari ſe inimicum eſſe obliquis cogitationibus, quæ homines huc & illuc diſtrahere ſolent.

114. *Latibulum meum & clypeus.*] Senſus eſt, quia perſuaſus erat Propheta non aliter ſe tutum eſſe niſi quatenus ſub alis Dei abſconditus latebat, ſe ejus promiſſionibus confiſum nihil metuere. Et certe hoc primum eſt, ut ſtatuant fideles, vitam ſuam inter tot diſcrimina non aliter quam Dei præſidio ſalvam manere: ut deinde ad ipſum confugiant, & verbo ejus innixi, ſecure expectent quam promiſit ſalutem. Verum quidem eſt fiduciam hanc ex verbo concipi, quod Deus nobis ſit pro aſylo & clypeo: ſed hæc mutua conjunctio tenenda eſt, quod ubi ex verbo didicimus tutum in Deo nobis latibulum eſſe, hanc doctrinam in animis noſtris foveri & confirmari, dum ſentimus quam neceſſaria ſit nobis Dei defenſio. Cæterum quamvis ejus potentia in ſpem ſalutis abunde nobis ſufficere debeat, ſemper tamen verbum in medio ſtatuere convenit, ne tardante ejus auxilio, fides concidat.

115. *Declinate à me.*] Hunc quidem verſum nonnulli ita exponunt acſi pronunciet David alacrius ac majore ſtudio fore ſe deditum ſervandæ Legi, ubi ab ipſo oppugnando improbi deſtiterint. Et certe ubi Deum ſentimus nobis fuiſſe liberatorem, pluſquam ſtupidi ſumus niſi notitia hæc ſtudium ejus colendi in nobis incitet. Niſi enim pro ſenſu vel experimento gratiæ Dei creſcat in nobis pietas, turpem ingratitudinem prodimus. Vera igitur & utilis eſt illa doctrina: ſed aliud hoc loco Propheta voluit. Quia enim videbat quantum obſtaculi impii nobis afferant, procul eos à ſe ablegat: vel potius ſibi curæ fore teſtatur ne ſe illaqueat illorum conſuetudine. Neque hoc tam ſua cauſa dixit, quam ut ſuo exemplo doceret, ſi cupimus inoffenſo gradu pergere in via Domini, dandam inprimis eſſe operam ut longiſſime abſimus à profanis & impiis, non locorum diſtantia, ſed uſu & communicatione: quia fieri vix poteſt, ſi familiariter ad nos obrepant, quin ſua contagione protinus nos corrumpant. denique nimis clarum eſt quam exitialis ſit malorum ſocietas: atque hinc fit ut pauci ad finem uſque integri maneant, quia mundus refertus eſt corruptelis. In tanta autem naturæ noſtræ infirmitate nihil proclivius eſt quam infici, & pollutionem ex minimo contactu contrahere. Quare merito Propheta ut

fine

ſine offenſa in Dei timore pergat, faceſſere à ſe jubet impios. Nam quiſquis ſe eorum conſuetudine implicuerit, ſucceſſu tandem temporis fiet ut ſe cum illis projiciat ad contemptum Dei, & vitam diſſo-
2 Cor. 6. verſ. 14. lutam. Atque huic dicto reſpondet admonitio Pauli, Ne jugum ducamus cum infidelibus. Quanquam autem non erat in arbitrio Prophetæ longe fugare impios, ſignificat tamen his verbis, ſibi nihil fore poſthac cum illis commune. Emphatice etiam *Deum ſuum* nominat, ut teſtetur eum unum ſibi eſſe pluris quam cunctos mortales: Nam quia videbat paſſim graſſari in terra ſcelerum colluviem, divortium fecit cum hominibus, ut ſe ad Deum colligeret. Atque hodie magnopere intereſt, ne mala exempla nos abripiant, Deum ſtatuere à parte noſtra, & in eo conſtanter manere, quia noſter eſt.

116. *Suſtenta me in ſermone tuo.*] Multi legunt, ſecundum ſermonem tuum, ut ב ſumatur loco כ notæ ſimilitudinis: atque ita ſenſus eſſet, Suſtenta me ſecundum fidem quam dediſti, vel prout mihi pollicitus es. Et certe quoties nobis manum porrigit Deus ut collapſos erigat, vel eadem manu nos fulcit, promiſſiones ſuas implet. Videtur tamen Propheta ſibi poſtulare fidei conſtantiam, ut firmus in verbo maneat. Sicuti enim dicimur excidere à verbo Dei, excidendo ab ejus fide, ita quantiſper in ejus fidem recumbimus, fultura noſtra eſt. Quia vero ſciebat Propheta non eſſe in homine tantum fortitudinis, perſeverantiam à Deo petit, tanquam ſingulare Spiritus donum. Ergo neque alibi reperietur vera ſtabilitas quam in verbo Dei: & nemo huic conſtanter inniti poterit, niſi Spiritus ſancti virtute confirmatus. Ideo ſemper rogandus Deus ut nos in fide retineat qui ſolus eam inchoat & perficit. Porro vitam in fide locans, meram fallaciam eſſe docet quicquid ſibi promittunt homines extra verbum. Solus ergo Dominus verbo ſuo vivificat, ſicut dicit
Habac. 2. verſ. 4. Habacuc, Juſtus ſua fide vivet. Nam utriuſque loci idem eſt ſenſus: quia poſtquam Habacuc ſtultam carnis confidentiam (qua utplurimum inflati ſunt homines) deriſit, eo quod in ſublime ſe attollunt, ut violentius corruant: admonet ſolos fideles, quos ſuſtinet verbum Dei, in tuto & ſolido ſtare. Si prior expoſitio placeat, ſecundum membrum exegetice additum erit, *ne pudefacias me ab expectatione mea.* Nam eodem fere reciderent iſta duo, Prophetam Dei gratia ſecundum ejus verbum incolumem ſervari, & ſpei ſuæ fructum percipere. Videtur tamen, ubi perſeverandi conſtantiam ſibi dari precatus eſt, nunc ultra progredi, ut tandem re ipſa exhibeat Deus quod promiſit. Et certe ſua cuique infirmitas teſtis eſt quam multæ dubitationes nobis obrepant ſi poſt longam tolerantiam ſpei noſtræ non reſpondet ſucceſſus: quia videtur Deus nos fruſtrari. Eodem ſpectat proximus verſus, niſi quod verbi nulla fit expreſſa mentio. *Salus* enim loco vitæ ponitur. His quidem verbis ſignificat Propheta, ſimul ac gratiam ſuam Deus ſubduxerit, de ſalute ſua actum fore: quod ſi divinitus fuerit confirmatus, nihil ſibi eſſe metuendum. Multi verbum שעה vertunt oblectabor: nec male quadrat ſenſus, quia licet optimum bonitatis ſuæ guſtum præbeat nobis Deus in nudo verbo, ubi tamen accedit effectus, ſaporem illum non parum auget, modo ne os Dei à manu perperam ſeparemus. Hæc enim vera fidei prudentia eſt, in omnibus Dei beneficiis promiſſiones expendere: quarum ſi nulla habetur ratio, perit nobis omnium bonorum uſus, imo ſæpe exitialis eſt. Reſpiciendi tamen verbum mihi magis placet: quia ut quiſque magis expertus eſt Dei auxilium, ita ſeipſum expergefacere debet ad conſiderandam cæleſtem doctrinam. Addit præterea ſe tota vita in hac meditatione fore aſſiduum.

118. *Conculcaſti omnes.*] Conculcandi verbo intelligit Deum proſternere omnes Legis ſuæ contemptores, ac disjicere ex altitudine quam ſibi arrogant. Opponitur enim ſtultæ, aut potius veſanæ confidentiæ qua turgent impii dum ſecure eludunt Dei judicia: imo ſeſe contra eum efferre non dubitant, acſi ejus potentiæ non ſubjacerent. Et notandum eſt poſterius membrum, quo docet Propheta impios nihil proficere ſuis aſtutiis: quin potius vel illaqueari, vel tandem ſentire meras fuiſſe præſtigias. Senſum inſcite depravant qui copulam interjiciunt: acſi dixiſſet Propheta, mendacium & fraudem in ipſis eſſe. רמיה enim vafrum & fraudulentum conſilium ſignificat, pro quo ſæpe cogitationem reddunt interpretes. Sed hoc nomine non ſatis Hebraicæ vocis proprietas & vis exprimitur. intelligit enim Propheta, quantumvis ſua illis calliditas placeat, eos tamen nihil aliud quam ſibi illudere ac mentiri. Et neceſſe fuit hoc addere, quia videmus quam exitialiter bonam mundi partem inebrient vanæ ſuæ cogitationes, & quam difficile ſit creditu quod hic pronunciat David, quo ſibi videntur magis perſpicaces, magis ſibi imponere. Affinis eſt proximi verſus ſententia, ubi dicit *aboleri impios à ſuperficie terræ quaſi ſcoriam.* Inopinata enim mutatio hac ſimilitudine deſcribitur, quum imaginaria eorum gloria & felicitas in fumum abit. Cæterum notandum eſt, non ſtatim vindictam Dei patefieri contra reprobos, ut pereant, vel è mundo exterminentur: ſed quum Deus ſubinde eos tollendo, ſe judicem mundi oſtendat, terramque purget, non mirum eſt ſi de eorum exitio ita loquatur Propheta. Verba enim apud Hebræos ſæpe continuum actum deſignant. Sicut ergo Deus paulatim judicia ſua exequitur, & ſæpe donec ſua tolerantia abuti videt impios, pœnas ſuſpendit: noſtrum eſt viciſſim expectationem noſtram tenere ſuſpenſam, donec pœnæ gravitate tarditatem compenſet, ſicut ait profanus ille ſcriptor. Satis conſtat ſubaudiendam eſſe ſimilitudinis notam in nomine *ſcoriæ*, neque eorum ſententiam improbo qui conferri ſcoriis putant improbos: quia dum permiſti ſunt fidelibus, quaſi fæces, eorum puritatem inficiunt ac contaminant. Ubi autem rejecti ſunt inſtar ſpumæ, melius nitet piorum munditíes. Secundo loco addit Propheta, judicia Dei profectu apud ſe non caruiſſe: quia *magis diligere inceperit Legis doctrinam.* Et certe quoties Deus ſublata manu oſtendit mundum ſuo imperio gubernari, nimis perverſos eſſe oportet qui ſe ejus præſidio non committunt. Quum vero ultro ſe per verbum offert, nimis ſtupidi ſunt qui ad tantam gratiam amplexandam non properant. Contra ubi longius connivet ad ſcelera hominum, langueſcit pietatis ſtudium, quo nos in verbi Dei amorem rapi decebat.

120. *Horruit à timore tui.*] Videtur primo intuitu Propheta ſecum pugnare. nam quum nuper dixerit, Dei ſeveritate ſuaviter ad amanda ejus teſtimonia ſe fuiſſe illectum, nunc ſe horrore correptum fuiſſe recitat. Sed quamvis duo iſti affectus longe diverſi ſint, ſi tamen expendimus quibus rudimentis nos Deus ad reverentiam Legis ſuæ formet, videbimus optime congruere. Ut gratiam Dei expetamus, ſubigi nos metu oportet. Ergo quia timor initium amoris eſt, teſtatur Propheta, ſerio Dei timore ſe fuiſſe expergefactum ut ſollicite ſibi caveret. Nec vero mortificatio carnis res tam facilis eſt, ut ad eam quiſque conſentiat niſi violentis modis coactus: ideoque nihil mirum ſi Deus ſervum ſuum pavore concuſſerit, ut ad reverentiam ſui flecteret. Porro hæc non vulgaris prudentia eſt, expaveſcere coram Deo ubi judicia ſua exercet, quæ major pars mundi clauſis oculis præterit. Docemur ergo his Prophetæ verbis, attentius conſideranda eſſe judicia Dei, ut non tantum placide nos erudiant, ſed percellant etiam horrore, qui ad veram uſque pœnitentiam nos adducat.

121. ע Feci judicium & juſtitiam: ne tradas me oppreſſoribus meis.	121 עשיתי משפט וצדק בל תניחני לעשקי׃
122. ע Sponde pro ſervo tuo in bonum, ne opprimant me ſuperbi.	122 ערב עבדך לטוב אל יעשקני זדים׃
123. ע Oculi mei defecerunt ad ſalutem tuam & ad ſermonem juſtitiæ tuæ.	123 עיני כלו לישועתך ולאמרת צדקך׃
124. ע Fac cum ſervo tuo ſecundum bonitatem tuam, & edicta tua doce me.	124 עשה עם עבדך כחסדך וחקיך למדני׃
125. ע Servus tuus ſum, da mihi intelligentiam, ut diſcam teſtimonia tua.	125 עבדך אני הבינני ואדעה עדתיך׃
126. ע Tempus ad faciendum Jehovæ, diſſipaverunt Legem tuam.	126 עת לעשות ליהוה הפרו תורתך׃
127. ע Propterea dilexi ſtatuta tua præ auro & *auro obrizo.	127 על כן אהבתי מצותיך מזהב ומפז׃
128. ע Propterea omnia mandata *tua* omnino recta duxi, omnem viam mendacii odio habui.	128 על כן כל פקודי כל ישרתי כל ארח שקר שנאתי׃

*vel, *margaritis.*

121. *Feci judicium.*] Dei auxilium contra improbos qui moleſti erant, ſic Propheta implorat, ut ſimul teſtetur ſe immerito ab illis vexari. Et certe ſi Deum cupimus ad opem nobis ferendam deſcendere, viciſſim occurrere ei nos decet cum bonæ conſcientiæ teſtimonio. Quia ergo ubique auxilium ſuum miſeris promittit qui injuſte premuntur, non ſupervacua eſt hæc Prophetæ conteſtatio, quod hoſtes ſuos non provocaverit, ſed ſe abſtinuerit ab omni injuria & maleficio, ac ne malum quidem malo rependere conatus fuerit. Se enim omni tempore judicium feciſſe dicens, intelligit, quicquid machinati ſint improbi, ſe conſtanter coluiſſe integritatem, nec unquam à juſto & recto fuiſſe abductum. Similis fere precatio eſt ſecundi verſus. ſic enim malo interpretari verbum ערוב, quam cum aliis vertere, oblecta ſervum tuum bonò, vel, fac ut bono delectetur ſervus tuus. Secunda verſio hunc habet ſenſum, ut Deus beneficiis ſervum ſuum exhilaret. Tertia vero ut animo ejus inſpiret recti amorem ac deſiderium. Nam hæc vera eſt perfectio, quum nos juſtitia & rectitudo oblectat. Ex fine verſus colligere licet Davidem hic ſuppetias ſibi contra hoſtes petere. Itaque melius convenit *ſpondendi* verbum, acſi dixiſſet, Domine quum in meam perniciem crudeliter ferantur ſuperbi, medium te interponas, acſi fidejuſſor meus eſſes. Quod autem inter verbum & nomen litera ל non interponitur, durum videri non debet, quia ſæpe ſubauditur. Plena autem conſolationis loquutio eſt, Deum ſponſoris munus ad nos liberandos ſuſcipere. Metaphorice enim dicitur fidejubere pro nobis, acſi numerata debita pecunia nexos ſolueret. Huc vero tendit precatio, ne impiis contra nos pro libidine ſævire permittat, ſed interveniat vindex ad nos ſervandos. His autem verbis ſignificat Propheta ſe fuiſſe in extremo diſcrimine, nec aliam ſpem ſibi relictam quam in Dei auxilio.

123. *Oculi mei defecerunt.*] Primo teſtatur ſe conflictatum fuiſſe cum duris moleſtiis, neque [illegible] exiguo tantum tempore, ſed ut tædio & languore deficere potuerit. Rurſus tamen docet ſe in tam longis & moleſtis certaminibus non fuiſſe fractum animo. Quid ſit *deficere ad ſalutem*, ſupra expoſuimus: nempe etiamſi nullus finis appareat malorum, & undique ſe deſperatio ingerat, contra tentationem uſque ad totius animæ deliquium eniti. Si præteritum verbi tempus loco præſentis accipere libet, ut videtur hoc ſenſu poſitum, Propheta oculos ſuos deficere refert, non quia fatiſcant, ſed quia vehementi attentione quaſi hebetudinem contrahant, neque tamen deſinant aſſidue attendere ad Dei ſalutem. In ſumma, defectus perſeverantiam ſignificat cum arduo conatu: & momentaneo eorum ardori opponitur qui ſtatim langueſcunt, niſi Dominus reſpondeat eorum votis. Simul notatur acris vehementia quæ ſenſus omnes propemodum conſumat. Sub voce *ſalutis* non unum auxilii genus tantum complectitur, ſed continuum gratiæ Dei curſum, donec in ſolidum ſalvos præſtet ſuos fideles. Modum vero exprimit, quod pependerit à verbo Dei. ubi duo notanda ſunt, nempe non aliter expectari ſalutem à Deo niſi quatenus ejus promiſſionibus freti, in ejus tutelam nos conferimus. Deinde tunc demum tribui Deo ſalutis laudem, ubi ſpes noſtra in verbo ejus defixa perſtat. Hac enim via quærendus eſt: & quamvis ſuam virtutem occultet, in nudis ejus promiſſionibus acquieſcendum eſt. qua ratione *ſermonem* appellat *juſtum*, ut ſe in ejus fide confirmet: quia Deus liberaliter promittendo, non vana opinione lactet ſuos.

124. *Fac cum ſervo tuo.*] Conjunctim legenda ſunt duo membra, quia non ſeorſum poſtulat Deum ſibi eſſe beneficum, deinde magiſtrum & doctorem: ſed potius eum obteſtatur per bonitatem & miſericordiam, qua uti ſolitus eſt erga omnes ſuos, ut ipſum erudiat in Lege ſua. Finis ergo voti eſt, ut Deus Prophetam doceat in ſtatutis ſuis: ſed exordium facit à Dei miſericordia, quo facilius impetret quod cupit. Sic ergo reſolvi debet oratio, Domine humaniter mecum age, ac tuam erga me bonitatem in hoc oſtende, ut me in præceptis tuis doceas. Et certe hic tota noſtra felicitas conſiſtit, ut vere ſapiamus ex verbo Domini. Hæc autem impetrandi unica eſt fiducia, ut clementiam ſuam & bonitatem Deus erga nos exerat. Commendat igitur Propheta beneficii magnitudinem & præſtantiam, dum ſibi gratuito præſtari rogat. Porro quam ardenter id optaverit, & quam ſedulo proſequutus ſit hoc idem votum, oſtendit repetitio quæ ſequitur proximo verſu, *fac me intelligere ut diſcam mandata tua.* Quibus etiam verbis clarius exprimit quomodo ſuos doceat Deus, nempe ſana intelligentia illuſtrans eorum mentes quæ alioqui cæcæ eſſent. Parum enim prodeſſet Legem in auribus noſtris ſonare, vel ſcriptam oculis noſtris proponi, & hominis voce enarrari, niſi correcto noſtro ſtupore, intus nos Deus arcano Spiritus ſui inſtinctu dociles redderet. Siquis autem putet Prophetam aliquid meriti Deo objicere dum ejus ſervum ſe jactat, facilis eſt refutatio. Sic quidem vulgo imaginantur homines, dum ſumus bene præparati, Deum addere novam gratiam quam vocant ſubſequentem. Atqui Propheta tantum abeſt à jactanda ſua dignitate, ut potius commemo-

memoret quantopere ſit Deo aſtrictus. Neque enim in arbitrio cujuſquam hominis eſt, ſe creare Dei ſervum, nec quiſquam ex ſeipſo afferet quod conciliet tantum honoris. Quum ergo probe teneret Propheta indignos eſſe cunctos mortales qui in hoc ordine cenſeri debeant, tantum adducit in medium quam adeptus eſſet gratiam, ut Deus ſuo more perficiat quod cœpit. Sic etiam alibi, Ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ. (Pſal. 116. verſ. 16.) Ubi liquido patet, non gloriari de ſuis obſequiis, ſed tantum referre ſe unum eſſe ex Eccleſiæ membris.

126. *Tempus ad faciendum.*] Propheta impiis & ſceleratis imprecari volens quam meriti ſunt vindictam, dicit jam maturum veniſſe tempus, quia nimis proterve contra Deum laſcivierint. Et generale verbum *faciendi* magis emphaticum eſt: perinde acſi dixiſſet, nimis longam videri poſſe Dei ceſſationem niſi munus Judicis nunc compleat. Proprium enim opus Dei eſt cohibere impios, atque etiam ſevere ulciſci, dum videt prorſus eſſe deſperatos. Siquis objiciat, aliter precari quam poſtulet charitatis ratio, Solutio in promptu eſt, ſermonem nunc haberi de reprobis, de quorum reſipiſcentia nihil ſperatur. Neque enim dubium eſt quin Spiritu prudentiæ gubernatum cor Prophetæ fuerit. Adde quod non conqueritur de privatis incommodis, ſed ſincero rectoque zelo impellitur ad optandum Dei contemptoribus exitium. Neque enim aliud in medium proponit quam Legis diſſipationem. quo demonſtrat, nihil Dei cultu ſibi pluris eſſe & nihil æque pretioſum ac Legis obſervantiam. Sæpius jam alibi monui, quoties nos movent privatæ injuriæ, perverſum eſſe & turbulentum noſtrum zelum. Ideo diligenter notandum eſt, non alia de cauſa natum fuiſſe Prophetæ dolorem quam quod ferre non poſſet violari Legem Dei. Summa autem eſt, ut rebus confuſis & perditis Deus remedium afferat. Nunc reſtat ut diſcamus exemplo Davidis, quoties ſceleribus referta eſt ac polluta terra, ut nulla ſit amplius reverentia Dei, eum implorare ut gloriæ ſuæ vindex appareat. Hic autem eſt doctrinæ uſus, ut ſpem noſtram & patientiam ſuſtineat quoties Deus judicium ſuum diutius quam vellemus ſuſpendit. Propheta enim antequam ſermonem ad Deum convertat, principium hoc ſibi ſumit, quamvis ad tempus in ſpeciem otietur Deus, nunquam tamen officii ſui obliviſci, ſed differre juſtis de cauſis ſua judicia, ut ea tempeſtive demum proferat.

127. *Propterea dilexi.*] Non dubito quin verſus hic cum ſuperiore cohæreat: nam alioqui illativa particula ſenſu careret. Intelligo igitur pretioſam ei fuiſſe Dei Legem præ auro & gemmis, quia penitus infixa eſſet ejus animo hæc perſuaſio, Utcunque ad tempus conniveat Deus, non tamen ſemper inultam fore juſti & recti diſſipationem. Imo quo videbat petulantius impios ruere, ſancta indignatio urendo ejus animum ad Legis amorem magis incitabat. Locus apprime notabilis: ſcitur enim quid faciant mala exempla, quia licitum ſibi quiſque putat quod vulgo fieri permittitur. unde fit ut mala conſuetudo quaſi tempeſtas nos abripiat. Quo attentius meditanda eſt nobis hæc doctrina, dum ſibi effrenem licentiam uſurpant reprobi, fidei oculis conſideranda eſſe Dei judicia quæ ad amorem ſervandæ Legis nos ſtimulent. Quod ſi quando fuit hujus doctrinæ uſus, hodie danda nobis opera eſt ne totius fere mundi ſcelerata conſpiratio ad violandam Dei Legem nos involvat: ſed quo ſe furioſius efferunt reprobi, magis in nobis creſcat Legis reverentia & dilectio.

128. *Propterea omnia præcepta.*] Pendet etiam hæc illatio ex eadem doctrina, quod ſcilicet Propheta patienter Dei judicium expectans, & ardenter ſimul implorans, ejus Legi in omnibus & per omnia (ut loquuntur) ſubſcripſerit, eamque ſine exceptione fuerit amplexus. Deinde quod odio habuerit omnem viam fallacem. Ad verbum eſt, *omnia præcepta omnium.* ſed genitivus ad res, non ad perſonas refertur: acſi diceret, de quibuſcunque rebus præcipiat Deus, ſibi probari omnes quas ſtatuit leges. Similis eſt loquutio apud Ezechielem, Omnes (Eze. 44. verſ. 30.) oblationes omnium: nempe quamcunque ſpeciem offerant homines. Quod non fruſtra tam diſerte Propheta expreſſit: quia nihil proclivius eſt quam faſtidire vel reſpuere quicquid nobis non adlubeſcit in Lege Dei, ita ut quiſque hoc vel illo vitio laborat, optaret contrarium mandatum à Lege Dei expunctum eſſe. Atqui nobis fas non eſt quicquam addere vel minuere: & quum præcepta ſua Deus ſacro & inviolabili nexu conjunxerit, tolerabile non eſt unius ab aliis divortium. Videmus ergo Prophetam ſancta zelotypia Legis cum ſcelerata eorum contumacia certaſſe qui eam ſpernebant. Et certe quum impios videmus tanta audacia Deo illudere, & nunc audacter inſurgere, nunc vero pervertere ſingulas Legis partes: eo nos magis accendi convenit, & animoſiores reddi ad veritatem Dei aſſerendam. Præcipue vero extrema ſeculi noſtri impietas poſtulat ut ſe in hoc ſtudio exerceant fideles. nam certatim per ludibrium, ſalutis doctrinam exagitant profani homines, ſacrum Dei verbum ſuis ſubſannationibus contemptibile reddere conantur, alii blaſphemias ſuas vomere non deſinunt. Quare perfidæ ignaviæ crimen effugere non poſſumus, niſi corda noſtra zelo incaleſcant, & ſancta æmulatio nos urat. Neque enim tantum dicit Propheta ſe penitus & ſine exceptione Legem Dei probaſſe, ſed addit *odio ſibi fuiſſe omnem viam mendacii*, vel fallacem. Et certe ſerio non ſubſcribunt Dei præceptis niſi qui rejiciunt omnes calumnias quibus ſanæ doctrinæ puritatem inficiunt vel obſcurant reprobi. Per *viam mendacii* non dubium eſt quin Propheta intelligat quicquid alienum eſt à puritate Legis: acſi dixiſſet, deteſtabiles ſibi fuiſſe omnes corruptelas quæ Dei verbo repugnant.

129. פ Res mirabiles teſtimonia tua, ideo ſervavit ea anima mea.	129 פלאות עדותיך על כן נצרתם נפשי׃
130. פ Ingreſſus ſermonum tuorum, lux, intelligentiam conferens parvulis.	130 פתח דבריך יאיר מבין פתיים׃
131. פ Os meum aperui & reſpiravi, quia mandata tua dilexi.	131 פי פערתי ואשאפה כי למצותיך יאבתי׃
132. פ Reſpice ad me, & miſerere mei ſecundum judicium erga diligentes nomen tuum.	132 פנה אלי וחנני כמשפט לאהבי שמך׃
133. פ Greſſus meos dirige ſecundum eloquium tuum, & ne dominetur in me ulla iniquitas.	133 פעמי הכן באמרתך ואל תשלט בי כל און׃
134. פ Redime me ab oppreſſione hominum, & ſervabo præcepta tua.	134 פדני מעשק אדם ואשמרה פקודיך׃

135. פ Faciem

135. פ Faciem tuam illuſtra erga ſervum tuum, & doce me edicta tua.

135 פָּנֶיךָ הָאֵר בְּעַבְדֶּךָ וְלַמְּדֵנִי אֶת חֻקֶּיךָ׃

136. פ Rivi aquarum fluxerunt ex oculis meis, quia non ſervarunt Legem tuam.

136 פַּלְגֵי מַיִם יָרְדוּ עֵינָי עַל לֹא שָׁמְרוּ תוֹרָתֶךָ׃

129. *Res mirabiles.*] Ita vertere placuit vitandæ amphibologiæ cauſa. Neque enim Propheta ſimpliciter intelligit admirabilem eſſe Legis doctrinam, ſed complecti alta & recondita myſteria. Dicit igitur, eo quod videret in Lege Dei comprehendi ſublimem & admiratione dignam ſapientiam, ſe in ejus reverentiam fuiſſe adductum. Hoc autem diligenter notandum eſt, quia à majori hominum parte Lex Dei faſtuoſe ſpernitur dum ejus doctrinam probe non guſtant, neque agnoſcunt Deum è ſublimi loqui, ut dejecta carnis ſuperbia, fidei ſenſu nos ſurſum attollat. Colligimus etiam ex hoc loco, fieri non poſſe ut quis Legem Dei ex animo ſervet, niſi reverenter eam ſuſpiciat: quia puræ & rectæ ſubjectionis initium eſt reverentia. Ideo dixi pleroſque aſpernari Dei verbum, quia inferius eſſe putant ſuo acumine, imo audacius ſe ad ſacrilegum hunc contemptum multi projiciunt, quo ſuum ingenium oſtentent. Cæterum ut ſibi in illo faſtu placeant profani homines, verum tamen Prophetæ elogium eſt, comprehendi in Lege Dei myſteria quæ omnes humanos ſenſus longe ſuperent.

130. *Ingreſſus ſermonum.*] Summa eſt, tam perſpicuam eſſe doctrinæ, lucem in verbo Dei, ut ſtatim primo intuitu illuminet. Nam פתח proprie quidem apertio eſt, ſed methaphorice pro janua capitur. Itaque vetus interpres non male vertit principium: modo ſciamus de primis rudimentis hic agi. acſi dixiſſet Propheta, non eos modo qui ad unguem totam Legem didicerint, & qui in ea perfecte fuerint exercitati, perſpicuam illic lucem cernere, ſed qui tenuiter eam guſtaverint, & ſalutaverint (ut ajunt) à limine. Nunc ratiocinandum eſt à minori ad majus: nam ſi tyrones ac novitii primo ingreſſu illuminari incipiunt, quid fiet ubi quis ad plenam ſcientiam admiſſus fuerit? Secundo membro melius ſeipſum explicat Propheta. Parvulos enim intelligit qui nec ingenio excellunt, nec inſtructi ſunt prudentia, imo indocti ſunt ac rudes, eos intelligentia donari affirmat ſimul ac Legis Dei elementa perceperint. Porro hæc ſententia ad excitandum in nobis diſcendi ſtudium acerrimus ſtimulus nobis eſſe debet, quum audimus, etiam qui contemptibiles ſunt idiotæ coram mundo, ſi modo animum adjiciant ad Legem Dei, prudentiam inde conſequi quæ ad ſalutem æternam ſufficiat. Etſi enim non omnibus datur venire ad ſummum gradum, hucuſque tamen communis piorum omnium eſt profectus, ut teneant certam vitæ regulam: ita nemo qui ſe docilem Deo præbuerit, operam ludet in ejus ſchola, quia in ipſo veſtibulo inæſtimabilem fructum percipiet. Interea monemur, vagari in tenebris eos omnes qui ſenſum proprium ſequuntur. Nam David *parvulos illuminari* affirmans, ſignificat tunc demum idoneos Legis diſcipulos fore homines, ubi omni confidentia vacui, Deo ſe ſummiſerint. Rideant vero Papiſtæ, ut faciunt, quod Scripturam promiſcue ab omnibus legi volumus. Deus tamen non fallaciter per os Davidis pronunciat, doctrinæ ſuæ lucem idiotis expoſitam. Non ergo fruſtrabitur eorum ſtudium qui ſuæ ruditatis conſcii, humiliter ſe Deo ſubjicient.

131. *Os meum*] His verbis intelligit, ſe tanto Legis Dei amore flagraſſe ac deſiderio, ut aſſiduus fuerit in ſuſpiriis. Aptiſſima enim metaphora uſus eſt, ſimilem famelicis, vel qui vehementiſſima ſiti ardent, ſe faciens: quia ſicuti illi aperto ore & anxio anhelitu fervorem ſuum demonſtrant, acſi totum aërem abſorbere vellent, ita Propheta ſe continua inquietudine æſtuaſſe dicit. Oris igitur apertio & attractio ſpiritus frigidæ verbi Dei approbationi opponitur. Porro hic docet Spiritus quo ardore expetenda ſit cæleſtis doctrinæ cognitio. Unde colligimus, quicunque male in Lege Dei proficiunt, ignaviæ ſuæ pœnas dare. Quanquam una cum ardore conſtantiam ſimul deſignat, quum ſe in continua reſpiratione fuiſſe dicit.

132. *Reſpice ad me.*] Poſtulat hoc verſu rationem ſui haberi, quemadmodum ſolitus eſt Deus ſemper ſuos reſpicere. Nam משפט hoc loco ſicut aliis compluribus, communem regulam, vel morem uſitatum ſignificat. Deinde addit in quem finem reſpici cupiat, nempe ut levetur à ſuis miſeriis. Eſt igitur precatio hominis afflicti, qui dum videtur Dei auxilio deſtitui, neque aliud ſentire poteſt quam ſe à Deo negligi ac deſeri, ſecum tamen expendit alienum hoc ab ipſius Dei natura & conſuetudine eſſe. acſi diceret, Quamvis non appareat mihi ſignum ullum tui favoris, imo conditio mea tam miſera ſit & perdita, ut pro ſenſu carnis exiſtimem te mihi tergum vertiſſe: quia tamen innumeris documentis ſtatim ab initio mundi ad hunc uſque diem teſtatus es te miſericordem eſſe erga tuos cultores, ſecundum hanc normam nunc ſimilem erga me benevolentiam oſtende. Porro hoc diligenter notandum eſt, Prophetam diu miſeriis fuiſſe oppreſſum ſine aliqua ſpecie levationis: ne animos deſpondeant quibus non ſtatim reſpondet Deus. Simul tamen notandum eſt, non alia quam gratuitæ Dei bonitatis fiducia Propheram hoc petere à Deo. Unde colligimus, quamvis eximia ſanctitate polleret, unicum tamen hoc fuiſſe ejus aſylum. Quantum ad nomen *judicii* ſpectat, diſcamus exemplo Prophetæ, ex variis experimentis agnoſcere Dei naturam: ut certo nobis conſtet ipſum nobis eſſe propitium. Et certe niſi quotidiano uſu perſpecta nobis eſſet ejus gratia, quis noſtrum auderet ad eum accedere? Verum niſi oculi noſtri cæcutiant, ſatis & ſuper claris teſtimoniis fidem noſtram ædificat, ne dubitemus pios omnes ab eo reſpici. Tantum danda eſt opera ut ſimus ex eorum numero qui nomen ipſius diligunt. Porro hoc epitheto fideles deſignat: quia inter Dei cultores cenſeri non merentur qui eum ſerviliter tantum metuunt. Obſequium enim liberale à nobis requirit, ut nihil nobis ſit magis delectabile quam ſequi quo nos vocat. Quanquam ſimul tenendum eſt, dilectionem hanc ex fide naſci. Imo Propheta ſummum fidei effectum hic commendat, pios qui in Dei gratiam recumbunt, à prophanis hominibus diſcernens, qui mundi illecebris dediti, nunquam in cælum attollunt mentes ſuas.

133. *Greſſus meos dirige.*] His verbis (ut ſæpe alias) oſtendit non aliam bene vivendi normam eſſe, quam dum ſe homines in obſequium Legis Dei totos componunt. Sæpius enim jam hoc Pſalmo vidimus, quamdiu vagari ſibi permittunt poſt ſua figmenta: quantumvis anxie laborent, Deum reſpuere quicquid ſatagunt. Sed quemadmodum declarat Propheta, tunc demum rite formari hominum vitam ubi ſe penitus addicunt obſequio Dei: ita rurſum fatetur, hoc minime in ſuo arbitrio vel poteſtate eſſe. Et certe Lex Dei quid rectum ſit nobis præſcribens, nihilo nos reddet meliores: unde & prædicatio externa confertur mortuæ literæ. Itaque David probe in Lege edoctus, cor morigerum ſibi dari poſtulat, ut ambulet in via ſibi propoſita. Hæc autem duo diſtincte notanda ſunt, liberaliter Deum agere cum hominibus dum verbo & doctrina eos ad ſe invitat: ſed hoc totum frigere & carere profectu, donec Spiritu ſuo regat quos jam docuit. Quod autem

autem non ſimpliciter greſſus ſuos dirigi poſtulat, ſed in Dei ſermone: hinc diſcamus non captaſſe arcanas revelationes, verbo poſthabito, ſicuti multi fanatici ſolent: ſed externam doctrinam cum ſpiritus gratia conjunxiſſe: ut hæc ſolida eſt fidelium perfectio, dum cordibus eorum inſculpit Deus quod voce oſtendit rectum eſſe. Itaque nihil hoc commento magis inſipidum, æſtimari à Deo hominum vires quum illis præcipit quid eos velit facere: quia fruſtra perſonat in auribus noſtris doctrina, niſi Dei ſpiritus in corda efficaciter penetret. Fatetur enim Propheta fruſtra ſe legere vel audire Legem Dei, niſi arcano Spiritus motu vita ſua regatur, ut in rectitudine illius doctrinæ ambulet. Secundo membro admonet quam neceſſarium ſit nobis in hoc voto aſſidue exerceri: quia fatetur ſe peccati eſſe mancipium donec ſibi ad liberationem porrecta fuerit Dei manus. Dirige me (inquit) ne dominetur iniquitas. Ergo quamdiu nobis permittitur, viget ac graſſatur tyrannis Satanæ, ut nobis liberum non ſit ab iniquitate nos eximere. Hæc vero unica eſt piorum libertas, gubernari à Dei Spiritu, ne iniquitati ſuccumbant, quamvis duris & moleſtis certaminibus fatigentur.

134. *Redime me.*] Propheta quid ſibi contigerit referens, demonſtrat ſuo exemplo pios omnes expoſitos eſſe rapinis & oppreſſionibus, & quaſi oves in faucibus luporum verſari, niſi Deus eos aſſerat. Nam quum pauciſſimi Dei Spiritu regantur, non mirum eſt omne ſtudium æquitatis à mundo exulare, & omnes paſſim ruere in omne ſcelerum genus, alios impelli ſævitia, alios fraudibus eſſe addictos. Quum ergo injuriis undique oppreſſum ſe videret Propheta, ad Deum redemptorem ſe contulit. Nam hoc verbo ſignificat, niſi mirabiliter ſervetur, de ſua ſalute actum eſſe. Secundo membro gratitudinem promittit: quia nihil etiam eſt quod nos melius confirmet in ſtudio integritatis & juſtitiæ, quam dum experimur pluris nobis eſſe Dei præſidium, omnibus quæ ſibi profani homines accerſere ſolent illicitis ſubſidiis. Docemur autem hoc loco, non certandum eſſe cum improbis malitia, ſed, quantumvis injuſte & violenter nos oppugnent, unica Dei redemptione debere eſſe contentos. Deinde quoties experti erimus in nobis liberandis Dei gratiam, debere nos hoc ſtimulo incitari ad colendam integritatem. neque enim nos redimit in alium finem niſi ut liberationis fructus in vita noſtra appareant. Et nimis perverſi ſumus niſi hæc experientia nobis ſufficiat, qui perſtant in ſincero Dei timore, quamvis totum mundum habeant adverſum, ejus auxilio ſemper manere ſalvos.

135. *Faciem tuam*] Repetitur hoc verſu precatio quam aliquoties vidimus. oſtendit enim Propheta nihil ſibi eſſe pluris, quam probe Legem Dei intelligere. Nam dum præfatur ut Deus faciem ſuam ſuper ſervum ſuum illuſtret, primo quidem paternum Dei favorem ſibi conciliat (quia nihil niſi ab eo propitio ſperandum eſt) ſed beneficii magnitudinem ſimul oſtendit: acſi diceret, nullum ſe documentum amoris Dei magis expetere quam ut rite in ejus Lege proficiat. Unde colligimus quod nuper attigi, cæleſtem doctrinam bonis omnibus ab eo præferri. Atque utinam in animis noſtris vigeret hic affectus! Sed quod tantopere extollit Propheta, fere ab omnibus negligitur. Si qui autem punguntur hoc deſiderio, ſtatim eos ad mundi illecebras videmus relabi, ut pauciſſimi poſthabitis aliis omnibus votis, ſerio cum Davide ad Legis doctrinam aſpirent. Cæterum quia hoc privilegio non alios dignatur Deus niſi quos paterno amore complexus eſt, ab hac precandi forma incipere convenit, ut faciem ſuam ſuper nos lucere faciat. Quanquam loquutio hæc plus aliquid exprimit, quod ſcilicet tunc demum radiis gratiæ ſuæ fideles oblectat Deus, ubi vera Legis ſuæ intelligentia illuſtrat eorum mentes. Sæpe autem contingit ipſis quoque obnubilari in hac parte Dei faciem, dum genuino verbi ſui guſtu eos privat.

136. *Rivi aquarum.*] Hic non vulgari zelo gloriæ Dei ſe flagraſſe prædicat David, quod propter Legis contemptum totus in lachrymas defluxerit. Nam licet hyperbolice loquatur, vere tamen & ſimpliciter affirmat quo præditus fuerit affectu. ſicuti etiam alibi dicit, Zelus domus tuæ comedit me. Et *Pſal. 69. verſ. 10.*
certe ubicunque regnat Dei Spiritus, hunc ardorem excitat qui pios animos urat, dum vident pro nihilo duci ſummi Dei imperium. Neque enim ſatis eſt ſi quiſque noſtrum Deo placere ſtudeat, niſi etiam cupiat Legem ejus ab omnibus haberi in pretio. Hoc modo ſanctus Lot, teſte Petro, animam ſuam cruciabat: quum videret ſcelerum omnium colluviem Sodomæ regnare. *2 Petr. 2. verſ. 8.*
Porro ſi quando tantum mœrorem expreſſit Dei filiis mundi impietas, eo uſque corruptelæ hodie prolapſi ſumus, ut ter & quater ſtupidi ſint qui præſentem ſtatum ſecuri & ſiccis oculis intuentur. Quantus enim mundi furor eſt in Deo contemnendo & reſpuenda ejus doctrina? Pauculi quidem ore profitentur eam ſe velle recipere, ſed vix decimus quiſque vita hoc confirmat. interea innumeri ad Satanæ & Papæ impoſturas rapiuntur: alii inſtar brutorum animalium torpent: multi Epicurei palam ſubſannant quicquid eſt religionis. Siqua ergo ſupereſt in nobis pietatis gutta, non tantum exiguæ lachrimæ ab oculis noſtris fluant, ſed pleni rivi. Cæterum ſi cupimus puri & ſinceri zeli ſignum dare, ſit hoc noſtri doloris initium, dum nos procul adhuc à perfecta Legis obſervantia diſtare cernimus, imo pravas carnis concupiſcentias ſubinde contra Dei juſtitiam inſurgere.

137. צ Juſtus es Jehova, & recta judicia tua.	מ 137 צדיק אתה יהוה וישר משפטיך:
138. צ Mandaſti juſtitiam *in* teſtimoniis tuis, & veritatem valde.	138 צוית צדק עדתיך ואמונה מאד:
139. צ Succidit me zelus meus, quia obliti ſunt verborum tuorum adverſarii mei.	139 צמתתני קנאתי כי שכחו דבריך צרי:
140. צ Purgatum eloquium tuum vehementer, & ſervus tuus dilexit illud.	140 צרופה אמרתך מאד ועבדך אהבה:
141. צ Parvus ego & contemptus, præcepta tua non ſum oblitus.	141 צעיר אנכי ונבזה פקדיך לא שכחתי:
142. צ Juſtitia tua, juſtitia in ſeculum, & Lex tua, veritas.	142 צדקתך צדק לעולם ותורתך אמת:
143. צ Tribulatio & anguſtia invenerunt me, mandata tua oblectationes meæ.	143 צר ומצוק מצאוני מצותיך שעשעי:

144. צ Juſti-

144. ſ Juſtitia teſtimoniorum tuorum in ſecula: fac me intelligere, & vivam. | צדק עדותיך לעולם הבינני ואחיה : 144

137. *Juſtus es.*] Tribuit Deo laudem juſtitiæ, eamque in ejus Lege agnoſcit. Nam quod judicia quidam intelligunt quæ Deus caſtigandis hominum peccatis exercet, non videtur tam apte quadrare. Quia autem adjectivum ישר ſingulari numero ponitur cum judiciis, ſic reſolvi debet oratio, nullum eſſe ex Dei judiciis quod non rectum ſit. Si pro ſubſtantivo accipere libet, idem fere manebit ſenſus. Etſi autem juſtum eſſe Deum fatentur omnes, plus tamen expreſſit Propheta quam vulgus hominum, imo totus mundus ſentiat: quia Deum nominans juſtum, intelligit, ſimulatque ab eo diſceſſum eſt, nullam alibi poſſe inveniri juſtitiæ guttam. Ubi autem addit, hujus juſtitiæ ſpecimen ac documentum in Lege conſpici, Deum ſua laude ſpoliari admonet niſi ſubſcribimus omnibus ejus præceptis. Eodem ſpectat ſequens verſus: Quod Deus plenam & exactam in Lege ſua juſtitiam & veritatem tradiderit. Nam adverbium מאד melius cum nominibus cohæret quam cum verbo *mandaſti*: quia ſcilicet Deo propoſitum fuit perfectam juſtitiæ regulam illic oſtendere. Atque his elogiis ornatur Legis doctrina, ut inde ſapere diſcamus omnes, nec quis ſibi aliam rectitudinem vel juſtitiam fingat: ſicuti libenter quiſque ſibi novam juſtitiæ ideam fingeret.

139. *Conſumpſit me.*] Loquitur de ſuis perſecutoribus, à quibus multas ei moleſtias fuiſſe exhibitas certum eſt. Sed quamvis infeſti eſſent ac crudeles, negat ſe tam privatis injuriis fuiſſe offenſum quam Legis Dei violatione: imo hoc dolore ſe fuiſſe conſumptum, ut privatis incommodis non moveretur. Exemplum apprime utile: ſumus enim ad ferendas injurias nimis teneri: itaque ſimulac digito attingimur, incaleſcimus iracundia: frigide interea afficimur graviſſimis quibuſque Dei offenſis. Quod ſi vigeat in nobis Prophetæ zelus, ad aliam triſtitiam rapiet in qua toti occupabimur. Cauſam hujus zeli proximo verſu notat, cæleſtis doctrinæ amorem. Nam ejus contemptum indigne ferre vel ſevere damnare, niſi nos ſui amore devinctos teneat, mera eſt ſimulatio. Dicit autem, non temere, nec cæco vel inconſiderato affectu amare ſe Dei ſermonem: quia inſtar auri vel argenti purus ſit ac purgatus omni fæce & ſcoria. Hanc enim metaphoram in ſe continet participium צרופה, quæ tametſi videtur nihil niſi vulgare ſonare, ab omnibus pravis & malignis judiciis verbum Dei aſſerens, veram fidei obedientiam graphice exprimit. Nam quotuſquiſque vel diffidentia ſua, vel moroſitate, vel faſtu, vel mollitie non aſpergit Dei ſermonem aliqua macula? Quum ergo tam obſtrepera ſit caro, non vulgare eſt cæleſtis doctrinæ elogium auro bene recocto conferri, ut omni ſorde pura eniteat. Cæterum ad teſtimonii fidem non parum valet quod ipſum Propheta proprio experimento confirmat. Ergo quo efficacius licentiam noſtram cohibeat, quoties vitium aliquod imaginamur in Dei verbo, ſe ex animi ſui ſenſu loqui pronunciat: quia puritate iſta cujus meminit, ſuaviter oblectetur.

141. *Parvus ego.*] Senſus eſt, quamvis inopia & multis miſeriis probatus fuerit, conſtanter tamen perſeveraſſe in ſtudio pietatis & Legis obſervantia. Nam ideo ſe contemptibilem fuiſſe Propheta refert, quia tantumdem quiſque laudis tribuit Deo, quantum ſaturatur ejus beneficentia: & vix centeſimus quiſque reperietur qui ad Dei cultum animum applicet, niſi votis omnibus fruatur. Hinc fit ut hypocritæ dum laute ſaginantur, dum opes accumulant, dum augentur potentia, valde ſint liberales in laudando Deo. Quod ſi paulo aſperius tractari cœperint, mox ceſſat benedictum illud Dei nomen. Quum igitur mercenarii fere ſint homines in Deo colendo, diſcamus Prophetæ exemplo, veram pietatem eſſe gratuitam, ubi non deſinimus Deum benedicere quamvis rebus adverſis nos affligat, reddatque contemptibiles coram mundo. Et certe illa *Joan. 6.*
Chriſti exprobratio diligenter notanda eſt, Quæritis *verſ. 26.*
me, non quia vidiſtis ſigna, ſed quia ſaturati eſtis panibus. Ergo ingenue & ſyncere Deum colunt qui in ejus timore conſtantes manent, quamvis contemptibilis ſit eorum conditio. denique in terra mercedem non quærunt: ſed per æſtum & frigus, egeſtatem, diſcrimina, contumelias & ludibria indefeſſi pergunt in militiæ ſuæ curſu.

142. *Juſtitia tua.*] Hic alio elogio commendat Legem Dei, quod æterna ſit juſtitia & veritas: acſi diceret, alias omnes vivendi regulas, qualibet ſpecie fulgeant, nihil habere præter evanidam umbram. Neque enim dubium eſt quin Legis doctrinam oblique conferat præceptis omnibus quæ unquam tradita fuerunt, ut ſub ejus obſequium cogat omnes fideles, quia ſchola ſit perfectæ ſapientiæ. Nam utcunque magis plauſibile ſit quod argute & ſubtiliter diſſerunt homines, nihil tamen ſubeſt firmi nec ſolidi. Firmitatem hanc ſequenti verſu probat ab una ſpecie, quod tentationibus graviter vexatus, perpetuum tamen ſolatium invenerit in Lege Dei. Atque hoc legitimum eſt profectus noſtri examen, quæcunque nos anguſtiæ conſtringant, conſolationem opponere ex Dei verbo, quæ triſtitiam omnem obliteret ex animis noſtris. Plus autem exprimit quam nuper. illic enim tantum dicebat ſe reverenter coluiſſe Deum, quamvis duriter & aſpere tractatus, videri poſſet operam ludere. Nunc vero ubi angitur & cruciatur, dicit ſe in Lege Dei reperire ſuaviſſimam delectationem, quæ dolores omnes leniat, & eorum acerbitatem non modo temperet, ſed etiam quadam dulcedine condiat. Et certe ubi ad nos oblectandos non viget hic guſtus, nihil proclivius eſt quam abſorberi triſtitia. Et notanda eſt loqutio qua docet Propheta, quamvis undique obſeſſus ac deprehenſus eſſet, hoc ſibi ſatis efficax fuiſſe remedium, quod conſolationem ex verbo Dei oblatam amplexus eſt. Porro quia hoc in nuda præcepta non competeret, quæ adeo malis noſtris non medentur, ut potius anxietatem incutiant, certum eſt ſub præceptis per ſynecdochen comprehendi totam doctrinæ Legem: ubi Deus non tantum exigit quod rectum eſt, ſed electos ſuos ad ſpem æternæ ſalutis invitans, januam plenæ felicitatis aperit: imo ſub Lege, & gratuita adoptio, & omnes quæ inde fluunt promiſſiones continentur.

144. *Juſtitia teſtimoniorum.*] Repetit quod nuper dixerat, Juſtitiam Dei longe diſſimilem eſſe humanis commentis quorum ſplendor evaneſcit, ſed perpetuo firmam ſtare. Bis autem hoc inculcat, quia etſi cogatur mundus juſtitiæ laudem aſcribere Legi Dei, major tamen pars rapitur ad ſuas ſpeculationes, ut nihil difficilius ſit quam nos teneri adſtrictos ad ipſius Dei obſequium. Huc non tendit David, juſtitiam ſeculi vel perpetuam, non alibi comprehendi, & alibi fruſtra quæri quam in Dei Lege. ideoque nunc ponitur clarior definitio juſtitiæ, quæ nos intra Legis metas contineat. Poſterius membrum conjunctim lego, *Fac me intelligere.* quia etſi mentem ſuam à Deo illuminari optat David, non tamen alium ſibi fingit intelligentiæ modum, quam ſi in Lege rite proficiat. Cæterum hic docet non proprie vivere homines ſi careant cæleſti ſapientiæ luce. & certe quando in hunc finem minime conditi ſunt homines ut cum porcis vel aſinis ventres ſuos farciant, ſed ut ſe exerceant in notitia & cultu Dei. ubi hinc degenerant, deterior eſt eorum vita mille mortibus. David ergo profitetur hoc ſibi demum

mum eſſe vivere; ſi non tantum paſcatur cibo & potu, ac terrenis commodis fruatur, ſed aſpiret ad meliorem vitam. quod fieri non poteſt niſi fide directrice. Atque hæc valde utilis eſt admonitio. etſi enim hoc paſſim vulgare ac tritum eſt, hominem hac lege eſſe natum ut intelligendo bruta animalia præcellat, major tamen pars quaſi data opera ſuffocat quicquid Deus lucis inſpirat mentibus. Omnes quidem acumen appetere fateor, ſed quotuſquiſque ad cœlum aſpirat, & reputat initium ſapientiæ eſſe Dei timorem? quando itaque terrenis curis obruitur cæleſtis vitæ meditatio, nihil aliud quam ſe in ſepulchrum demergunt homines, ut mundo viventes, Deo moriantur. Quanquam (ut alibi diximus) vitæ nomine ſummam votorum ſuorum deſignat Propheta: acſi diceret, Domine quamvis ſim exanimis, hac una gratia recreabor, ſi mentem meam cæleſtis doctrinæ notitia illuſtres.

145. ק Clamavi in toto corde, reſponde mihi Jehova, ſtatuta tua ſervabo. — 145 קָרָאתִי בְכָל־לֵב עֲנֵנִי יְהוָה חֻקֶּיךָ אֶצֹּרָה׃

146. ק Invocavi te, ſerva me, & cuſtodiam teſtimonia tua. — 146 קְרָאתִיךָ הוֹשִׁיעֵנִי וְאֶשְׁמְרָה עֵדֹתֶיךָ׃

147. ק Præveni crepuſculum, & clamavi, ad verbum tuum ſuſpexi. — 147 קִדַּמְתִּי בַנֶּשֶׁף וָאֲשַׁוֵּעָה לִדְבָרְךָ יִחָלְתִּי׃

148. ק Prævenerunt oculi mei cuſtodias, ad meditandum in ſermone tuo. — 148 קִדְּמוּ עֵינַי אַשְׁמֻרוֹת לָשִׂיחַ בְּאִמְרָתֶךָ׃

149. ק Vocem meam audi ſecundum clementiam tuam Jehova, ſecundum judicium tuum vivifica me. — 149 קוֹלִי שִׁמְעָה כְחַסְדֶּךָ יְהוָה כְּמִשְׁפָּטֶךָ חַיֵּנִי׃

150. ק Appropinquaverunt perſecutores malitiæ, à Lege tua receſſerunt. — 150 קָרְבוּ רֹדְפֵי זִמָּה מִתּוֹרָתְךָ רָחָקוּ׃

151. ק Prope es tu Jehovah, & omnia mandata tua veritas. — 151 קָרוֹב אַתָּה יְהוָה וְכָל־מִצְוֺתֶיךָ אֱמֶת׃

152. ק Initio cognovi de teſtimoniis tuis, quod in ſeculum fundaſti ea. — 152 קֶדֶם יָדַעְתִּי מֵעֵדֹתֶיךָ כִּי לְעוֹלָם יְסַדְתָּם׃

145. *Clamavi in toto corde.*] Poteſt uno contextu Legi hic verſus, ut in fine oſtendat quid clamando poſtulaverit: ita ſenſus eſſet, quum flagraret ſummo deſiderio ſervandæ Legis, hac de re aſſidue vota feciſſe. Sed ſequens verſus aliter diſtinguere cogit hanc ſententiam: quia non dubium eſt illic ſecundo repeti. Petit ergo à Deo exaudiri, & in ſignum gratitudinis promittit ſe obſervaturum ejus præcepta. Clamandi autem verbum indefinite ponens, non exprimit quas conceperit preces: ſed tantum docet, quum filii ſeculi huc & illuc diſtrahantur, ſe omnes cordis affectus dirigere ad unum Deum: quod ſcilicet ab uno illo penderet. Porro quia fateri cogitur mundus, Deum eſſe bonorum omnium auctorem, ex illo principio fluunt multæ perfunctoriæ preces: ideo David ſe integro corde precatum affirmat. Ubi autem votorum ſuorum compos fuerit factus, finem ſibi proponit Dei gloriam: quia eo majore ſtudio ſe ad Deum colendum addicet. Nam etſi ſacrificio laudis rite ſe coli pronunciat Deus, David tamen ut ſe ab hypocritis diſcernat, qui frigidis & fictis laudibus profanant Dei nomen, non abs re dicit ſe vita & operibus gratias acturum. Sequenti verſu quanquam nihil novum dicit, expreſſius tamen loquitur. ac primo quidem dicit ſe clamaſſe ad Deum: poſtea addit, ei ſe precibus commendaſſe ſuam ſalutem. quo ſignificat, ſive incolumis eſſet, ſive quid inſtaret diſcriminis quod mortem minitaretur, ſemper in Deum recubuiſſe: quia non aliter ſe fore ſalvum perſuaſus erat niſi quod eum haberet ſalutis ſuæ cuſtodem.

147. *Præveni crepuſculum.*] Improprie hoc loco ſic vertitur nomen Hebraicum נשף, quod potius ſignificat ſummum mane antequam illuceat aurora. Sed quia Latini crepuſculum à crepero deducunt, ut ſit dubium tempus & medium inter lucem & tenebras, nolui in voce adeo eſſe ſcrupuloſus: modo ſciant lectores non notari veſpertinum tempus ab occaſu ſolis, ſed tempus obſcuræ lucis ſub exortum auroræ. Maximam ergo feſtinationem exprimit David, quod auroræ adventum anteverterit in ſuis precibus. Et *clamandi* verbo ſemper notatur vehementia: quia non tam ad ſonitum vocis, quam ad contentionem animi refertur. Sed *feſtinationis* meminit, ut perſeverantiam melius commendet. dicit enim, quamvis ita promptus fuerit ad orandum, ſe tamen non fuiſſe ſtatim fatigatum: ut increduli, niſi mox eorum votis annuat Deus, tumultuantur & cum eo expoſtulant. atque ita cum ardore deſiderii, patientiam ſpei conjungens, veram precandi rationem oſtendit. Sicut etiam Paulus peti-
tiones noſtras apud Deum innoteſcere volens cum *Philip. 4. verſ. 6.*
gratiarum actione, admonet turbulentos affectus inter precandum cohibendos eſſe: quia hic etiam precandi finis eſt, ut ſpem noſtram alamus. Nec ſupervacua eſt verbi mentio: quia hoc tantum freno retinetur carnis noſtræ intemperies, ubi nobis verbum Dei ſemper verſatur ante oculos.

148. *Prævenerunt oculi.*] Significat ſe ad meditandam Dei Legem magis ſedulo fuiſſe attentum, quam vigiles noctis ad excubias agendas. Alii verbum שיח pro diſſerere poſitum eſſe volunt. quod ſi recipimus, ſenſus erit, Prophetam non oſtentationis cauſa, ſed in fratrum ſalutem adeo fuiſſe docendi cupidum, ut nihil ſibi otii daret. Sed huic loco melius convenit verbum Meditandi: quia noctu verba facere de Lege Dei non fuiſſet tempeſtivum: ſed tunc ſecum tacitus revocabat in memoriam quæ prius didicerat, ut nulla pars noctis vacua eſſet à Legis meditatione.

149. *Vocem meam audi.*] Primo declarat non aliam ſibi fuiſſe fiduciam exorandi Dei, niſi quod recumberet in gratuitam ejus bonitatem. Quicquid enim Sancti orando in medium proferant, neceſſe eſt à mera Dei gratia incipere. nec alio ſenſu *Judicia* nominat ſecundo membro. Quia enim bonitatem ſuam Deus verbo patefecit, inde petenda eſt ejus certitudo. Ergo Propheta, quum ſibi Dei miſericordia opus eſſe cognoſceret, recta ſe ad verbum contulit, ubi Deus blande homines ad ſe invitans, promittit gratiam ſuam omnibus promptam & expoſitam fore. Quare ut quis certo ſtatuat Deum ſibi miſericordem fore, diſcat Prophetæ exemplo petere ut ſe præſtet qualem pollicitus eſt fore. Quod alii

alii judicia interpretantur morem vel conſuetudinem (quia liberaliter cum ſuis omnibus agere ſoleat) tametſi non plane repudio, durum tamen & remotum eſſe arbitror. ſenſus autem quem attuli optime fluit. Porro *vivificari* optat, ut teſtetur ſe vel in media vita eſſe mortuum, niſi quatenus ſuſtinetur Dei virtute. Et certe quiſquis propriæ infirmitatis ſibi probe conſcius eſt, ſingulis momentis vivificari ſe petet, pro nihilo vitam ſuam ducens. Adde quod ita ſervum ſuum ſæpe exercuit Deus, ut jure potuerit preces, quaſi è ſepulcro, mittere, ut reſtitueretur à morte in vitam.

150. *Appropinquaverunt perſecutores.*] Quia רודפי in conſtructione ponitur, non dubito quin זמה in genitivo legendum ſit: ita appropinquare interpretor ad nocendum. Et miror quid interpretes moverit ut aliter verterent quam ferat linguæ proprietas: Appropinquaverunt ſceleri perſecutores. ut taceam זמה potius ſonare pravitatem vel malitiam, quam ſcelus. Dicit ergo ſibi inſtare qui malitiæ intenti ſunt, & quidem ita irruere ad inferendam perniciem, ut procul remoti ſint à Lege Dei, quia omne recti & æqui ſtudium longe rejiciant. Fuiſſet autem miſerrima Prophetæ conditio, cernere hoſtes ſuos, excuſſo Dei timore & Legis reverentia, capiti ſuo imminentes, niſi ex oppoſito propinquus fuiſſet Deus. ſicuti continuo poſt ſubjicit. Atqui hac conſolatione ſe erigit, quod Deus ſuos urgeri videns, mature etiam ipſe occurrit ad opem ferendam. ſicuti Paulus dicit, Ne ſitis ſoliciti, Dominus prope eſt, moderatio veſtra nota ſit omnibus. Clauſula verſus huc ſpectat, Deum nunquam ſuos deſerere vel fruſtrari in neceſſitate, quia verax eſt in promiſſis. Illic autem denunciat ſibi ſemper eorum ſalutem fore curæ. Ergo ne dubitemus paratam ſemper fore Dei manum ad repellendos hoſtium noſtrorum impetus, nobis hoc fixum maneat, non fruſtra toties ipſum promittere in verbo ſuo ſe fore ſalutis noſtræ cuſtodem.

Philip. 4. verſ. 5.

152. *Initio cognovi de teſtimoniis tuis.*] Quod alii vertunt, Cognovi pridem de teſtimoniis tuis, tametſi non plane improbo, libentius tamen ſenſum quem poſui teneo: quod non tantum cognoverit Propheta æternam eſſe ſtabilitatem in Dei teſtimoniis, ſed hanc quoque notitiam ex teſtimoniis hauſerit. Nam quum Latinum EX exprimere volunt Hebræi, ſæpius utuntur particula מן vel ב. Dicit igitur ſe ex Dei teſtimoniis didiciſſe vel fuiſſe edoctum, in æternum ſtabilia eſſe. Atque hoc primum eſt fidei caput, Non conſtare temporalem duntaxat fidem verbo Dei, ſed immutabilem ſemper manere. Neque enim alioqui ſub eo includere liceret ſpem æternæ ſalutis. Ut autem animis noſtris inſideat hæc firmitas, neceſſaria quidem eſt interior Spiritus revelatio: quia donec verbi ſui certitudinem intus obſignet Deus, ſubinde apud nos vacillabit ejus fides. neque tamen abs re Propheta dicit ſe ex verbo didiciſſe: quia ubi per Spiritum ſuum illuxit Deus, facit etiam ut in verbi ſpeculo reluceat ſancta iſta veritas quæ in æternum manet.

153. ר Vide afflictionem meam, & erue me: quia Legem tuam non ſum oblitus.	153 ראה עניי וחלצני כי תורתך לא שכחתי:
154. ר Diſcepta cauſam meam, & redime me, ad ſermonem tuum vivifica me.	154 ריבה ריבי וגאלני לאמרתך חיני:
155. ר Procul ab impiis ſalus: quia ſtatuta tua non quæſierunt.	155 רחוק מרשעים ישועה כי חקיך לא דרשו:
156. ר Miſerationes tuæ magnæ Jehova, ſecundum judicia tua vivifica me.	156 רחמיך רבים יהוה כמשפטך חיני:
157. ר * Multi perſecutores mei & oppreſſores mei: à teſtimoniis tuis non receſſi. (* aut, validi.)	157 רבים רדפי וצרי מעדותיך לא נטיתי:
158. ר Vidi perfidos, & jurgatus ſum: quia ſermonem tuum non cuſtodierunt.	158 ראיתי בגדים ואתקוטטה אשר אמרתך לא שמרו:
159. ר Vide quia mandata tua dilexi Jehova, ſecundum clementiam tuam vivifica me.	159 ראה כי פקודיך אהבתי יהוה כחסדך חיני:
160. ר Caput verbi tui veritas, & in ſeculum omne judicium juſtitiæ tuæ.	160 ראש דברך אמת ולעולם כל משפט צדקך:

153. *Vide afflictionem meam.*] Docet ſuo exemplo, non eſſe abjiciendos animos pietatis cultoribus, ſi malam in mundo mercedem referant. hæc enim eorum eſt conditio ut militent in terra: ideoque minime convenit rebus adverſis turbari, ſed potius in hoc ſolatio acquieſcere, quod ad Deum invocandum janua pateat. Neque tamen Propheta Legis ſervandæ ſtudium jactat, quaſi mutuam ſibi mercedem à Deo rependi velit, ſed tantum ut oſtendat ſe unum eſſe ex Dei ſervis, quemadmodum alibi de ſpe ſua loquutus eſt. Quanquam proprie ad præſentem cauſam ſpectat hæc ratio: quia hoc raræ virtutis ſignum eſt, non abduci nos rebus adverſis à timore Dei, ſed luctari cum tentationibus, ut eum quæramus dum videtur ex profeſſo abigere. Sequenti verſu afflictionis ſpeciem deſignat, quod injuſte à malis & improbis vexetur. Ad verbum eſt, Litiga litem meam. quod tantundem valet ac ſuſcipere patrocinium, vel cauſam tuendam ſuſcipere, vel aſſerere jus oppreſſi. Primo Deum advocans Propheta ad cauſæ ſuæ defenſionem, inique ſe aut violentia, aut calumniis, aut fraudibus gravari oſtendit: & redemptorem quærens, ſe imparem eſſe docet ad reſiſtendum, vel ita eſſe illaqueatum, ut una ſpes ſuperſit in Dei liberatione. In ſecundo membro ל videtur accipi pro כ nota ſimilitudinis; quia paulo ante ſimilem precandi formam poſuit. Deinde quum ſe David hic queratur quaſi devinctum ab hoſtibus teneri, niſi manu redemptoris vindicetur, merito reſtitui in vitam poſtulat: quia ſimilis eſt mortuo qui ſic dejectus eſt. Apte quoque additur, *ſecundum ſermonem*, quia hinc nobis elucet ſpes vitæ, quod ſe Deus verbo ſuo promittit fore liberatorem. Unde Propheta ex tenebris ad lucem aſpirans, verbo ſe ſuſtentat & erigit. Sicut magis probetur diverſus ſenſus, non ſimpliciter petet David ſibi vitam dari, ſed ſpiritualem: ut animetur ad fidem, timorem Dei, ſancteque vivendi ſtudium.

155. *Procul ab*, &c.] Quia perſuaſus erat Propheta, arcana Dei (qui juſtus eſt judex) providentia mundum regi, ex illo fonte hanc ſententiam deducit, impios à ſalute procul remotos, & ſalutem ab ipſis.

unde

unde precandi fiducia naſcitur: quia ſicuti à verbi ſui contemptoribus averſus eſt Deus, ita ſervis ſuis opem ferre paratus eſt. Porro notandum eſt, quum hoſtes ſuos videret Propheta rebus proſperis efferri, animum fide contra extuliſſe, ut certo ſtatueret maledictas eſſe omnes eorum delicias, & ad exitium tendere. Ergo quoties ex voto impiis ſuccedit, ut laute ſaginati, in ſua pinguedine exultent, clypeum hunc quem Spiritus ſanctus porrigit, ad nos muniendos arripere diſcamus, infeliciter tandem eſſe perituros, quia mandata Dei non exquirunt. unde manat contraria doctrina, quamvis fideles, dum ſincere in timore Dei ambulant, oves ſint mactationi deſtinatæ, prope tamen eſſe eorum ſalutem, quæ occulta Dei cuſtodia protegitur. atque in hunc ſenſum proximo verſu addit Propheta multas eſſe Dei miſericordias: acſi diceret, non alios fore ſalvos niſi qui ad Dei miſericordiam confugiunt. Cæterum quo majore fiducia accedere audeat, non tantum dicit miſericordem eſſe Deum, ſed ejus miſerationes magnifice prædicat & extollit. Unde colligimus, illis contentum fuiſſe, ut nullum ſubſidium ex ſuis meritis accerſeret. Quanquam ſimul notandum eſt, non leviter agitatum fuiſſe Prophetam multis tentationibus, dum illis hanc miſericordiæ amplitudinem opponere coactus fuit. Sive autem magnas legamus, ſive multas, parum intereſt. Quod ſequitur, ut Deus eum *vivificet ſecundum judicia ſua*, de promiſſionibus interpretor. Nam quod alii pro more vel conſuetudine accipiunt, jam ante oſtendi non tam apte congruere. Confirmat ergo rurſus Propheta, non aliter poſſe vitam à Deo vel ſperari vel peti, niſi dum ex ejus verbo ſpes concipitur: idque ſæpius inculcat, quia ſumus hac in parte admodum oblivioſi. Sed ut intrepide liceat quicquid gratiæ ſervis ſuis promittit Deus, ad nos aptare, ſemper ocurrat principium illud de multis vel magnis Dei miſericordiis. Nam ſi fingimus Deum promittere, quia debeat, vel promeriti ſimus, ſtatim obrepet dubitatio quæ precibus januam claudet. Quod ſi penitus nobis perſuaſum ſit, Deum non alia cauſa ad ſalutem promittendam adduci niſi quia miſericors eſt, non dubitabimus ad eum accedere: quia ultro ſe nobis obſtrinxit.

157. *Multi perſecutores.*] Teſtatur ſicut alibi, quamvis fuerit provocatus multis injuriis, ſe tamen non deflexiſſe à recta via. quod ſpecimen magnæ & ſingularis conſtantiæ eſſe admonui. Facile enim eſt recte agere inter bonos: ſed ſi nos improbi laceſſunt, ſi alter nos oppugnat vi & manu, alter prædatur, alter fraudibus nos circumvenit, alter calumniis nos adoritur: difficile eſt perſtare in noſtra integritate, quin potius ululare incipimus inter lupos. Adde quod licentia quæ illis impune permittitur, violenta eſt machina ad labefactandam fidem noſtram: quia Deus connivendo, videtur nos in prædam exponere. Itaque Propheta per *Dei teſtimonia* non modo regulam bene & juſte vivendi intelligit, ſed etiam promiſſiones: acſi diceret, Domine ego neque ab integritate diſceſſi, quamvis occaſio mihi daretur ab improbis: neque mihi excuſſa eſt gratiæ tuæ fiducia, quin patienter auxilium tuum expectaverim. Atque utrumque neceſſarium eſt, quia utcunque recte agendo cum hoſtium ſuorum malitia certet qui injuriis afficitur, & ab omni maleficio abſtineat, niſi tamen totus pendeat à Deo, non ſufficiet hæc rectitudo ad ſalutem: non quod ſe ita modeſte quiſquam gerat niſi qui in Deum recumbit, eumque liberatorem expectat: ſed ſi hoc poſſet accidere, non ſatis in hac dimidia virtute eſſet momenti: quia ſalus Dei fidelibus qui eam ſerio fidei ſenſu implorant, recondita eſt. Quiſquis autem Deum ſibi liberatorem fore perſuaſus, animum ſuum ejus promiſſionibus fulcit ac ſuſtinet, malum etiam bono vincere ſtudebit. Proximo verſu ultra progreditur, ſancto zelo ſe accenſum fuiſſe prædicans quum videret Legem Dei contemni ab impiis. Quanquam in verbo uno non conſentiunt interpretes, quia אתקוטטה quidam à קוט deducunt, quod ſæpe litigare ſignificat etiam in conjugatione hithpahal. alii à קטט, quod eſt excidere vel perimere. Priorem ſenſum, quia magis receptus eſt inter doctos, & optime convenit, amplector. Propheta igitur tanto ſe Legis Dei zelo flagraſſe docet ut impium ejus ludibrium non poſſet ferre. Poteſt tamen verbo litigandi tam interior excandeſcentia notari, quam objurgatio qua palam in Dei contemptores inſurrexerit. Ideo quidam vertunt, exhorrui, vel tædio affectus ſum. Et certe nemo ad contentionem deſcendet pro aſſerenda Dei gloria, niſi qui ſecum prius excanduerit, & animum ſuum cruciaverit. ſicuti rurſus ſanctam hanc indignationem fere ſequitur actio tranſitiva. In ſumma, monemur exemplo Prophetæ, tam indigne ferendum eſſe verbi contemptum, ut animus noſter incaleſcat uſque ad jurgia. Ac primo quidem intus nos pungat dolor: deinde ubi occaſio tulerit, ſtrenue eorum protervium & ſuperbiam reprimere conemur, nec dubitemus eorum furorem in nos provocare.

159. *Vide quia mandata.*] Tenendum eſt quod prius admonui, quoties ſancti apud Deum ſuam pietatem prædicant, non ingerere merita quibus nitantur: ſed principium illud ſumunt, Deum qui ſuos cultores à profanis & ſceleratis diſcernit, propitium ipſis fore, quia ex animo eum quærunt. Adde quod ſincerus Legis Dei amor certum eſt adoptionis ſignum, quum opus ſit Spiritus ſancti. Ergo Propheta, quamvis nihil ſibi arroget, merito pietatem ſuam proponit in medium: ut certiorem impetrandi fiduciam ex Dei gratia quam expertus eſt concipiat. Interea docemur, veram Legis obſervationem non niſi ex liberali amore naſci. Deus enim voluntaria ſacrificia quærit, & hoc recte vivendi principium eſt (ſicut dicit Moſes) eum amare, Quid nunc abs te *Deut. 10.* petit Deus tuus Iſraël, niſi ut ipſum diligas? Quod *verſ. 12.* idem repetitur in ſumma Legis, Diliges Dominum *Deut. 6.* Deum tuum. Ac proinde David Legem Dei non *verſ. 5.* modo ſibi pretioſam eſſe ante dixit, ſed delectabilem. Sicuti autem in ſervanda Lege à ſpontaneo obſequio incipere oportet, ut nihil nos magis delectet quam Dei juſtitia? ſic rurſus tenendum eſt, nonniſi gratuitæ bonitatis Dei & paterni amoris ſenſu inclinari animos noſtros ad hunc affectum: quia nuda præcepta adeo non ſibi conciliant homines, ut potius abſterreant. Ergo qui ex Legis doctrina guſtaverit Dei bonitatem, is demum ad eam amandam animum ſuum mutuo adjiciet. Quod vero toties precem hanc iterat Propheta ut Deus ipſum vivificet, colligimus, vitæ ſuæ fragilitatem probe fuiſſe ei cognitam: ut non aliter vivere homines duceret niſi quatenus ſingulis momentis vitam illis Deus inſpirat. Deinde probabile eſt fuiſſe à multis mortibus aſſidue obſeſſum: quo magis ſollicite ad vitæ fontem confugeret. Ac rurſus fidei ſuæ fundamentum jacit in Dei bonitate: unde perſpicimus quam procul à meritorum jactantia nuper abfuerit dum Legem Dei ſe amare præfatus eſt.

160. *Caput verbi tui.*] Quanquam non obſcurum eſt Prophetæ conſilium, duplex tamen poteſt eſſe verborum ſenſus. Caput enim quidam ita interpretantur, quod veritas Dei à primo ſtatim limine conſpicua refulgeat in ejus verbo, ut merito vocari queat principium. Atque hæc ſententia continet utilem doctrinam, ſi mentis oculis præditi ſumus, ſimulac oculos conjicimus in cæleſtem doctrinam, occurrere nobis ejus veritatem. Forſan tamen non minus recte alii diſtingunt, quod ab initio conſtiterit verbo Dei certa fides, & permaneat uſque in finem. Optime enim cohærent hæc duo membra, Deum ab initio fuiſſe veracem in verbo ſuo, & æquabili tenore ſui

manere ſimilem. Quod *judicium* ad opera Dei referunt, non ad doctrinam, tametſi non refello, contextui tamen non reſpondet. Teneamus igitur hunc ſenſum, ex quo loqui cœpit Deus, ſemper fuiſſe fidelem in ſuis promiſſis, nec ſpem ſuorum unquam fefelliſſe: & ita æquabilem fuiſſe hujus veritatis curſum, ut ab initio uſque ad finem verax ſit & fidelis ejus ſermo.

161. ש Principes perſequuti ſunt me gratis, & à ſermone tuo expavit cor meum.
161 שרים רדפוני חנם ומדבריך פחד לבי׃

162. ש Delectatus ſum ego ſuper ſermone tuo, ſicuti qui educit prædam multam.
162 שש אנכי על אמרתך כמוצא שלל רב׃

163. ש Fraudem odio habui & deteſtatus ſum, Legem tuam dilexi.
163 שקר שנאתי ואתעבה תורתך אהבתי׃

164. ש Septies quotidie laudavi te ſuper judiciis juſtitiæ tuæ.
164 שבע ביום הללתיך על משפטי צדקך׃

165. ש Pax multa diligentibus Legem tuam, & nullum illis offendiculum.
165 שלום רב לאהבי תורתך ואין למו מכשול׃

166. ש Expectavi ad ſalutem tuam Jehova, & mandata tua feci.
166 שברתי לישועתך יהוה ומצותיך עשיתי׃

167. ש Cuſtodivit anima mea teſtimonia tua, & dilexi ea valde.
167 שמרה נפשי עדתיך ואהבם מאד׃

168. ש Cuſtodivi mandata tua & teſtimonia tua: quoniam omnes viæ meæ in conſpectu tuo.
168 שמרתי פקודיך ועדתיך כי כל דרכי נגדך׃

161. *Principes perſecuti ſunt me gratis.*] Refert, in dura & gravi tentatione ſe timore Dei fuiſſe retentum, ut nihil pio homine indignum tentare cuperet. Eſt enim proclivis ad deſperationem lapſus, ubi Principes, qui potentia armati ſunt ad nos obruendos, infeſti nobis ſunt ac moleſti. Accedit etiam indignitas, quod quum debeant ad nos protegendos clypei eſſe, vires ſuas ad nocendum convertunt. Imo dum ita è ſublimi feriuntur miſeri homines, manum Dei quodammodo ſibi adverſam eſſe putant. Fuit etiam Prophetæ ſpecialis ratio dum certamen haberet cum proceribus electi populi, quos in tam honorifico gradu Deus locaverat, ut columnæ eſſent Eccleſiæ. Quidam reſtrictius exponunt, quod ſcilicet David exhortationem Chriſti ſequutus ſit, quæ tametſi nondum ejus ore erat prolata, tamen piorum omnium cordibus infixa eſſe debuit: Nolite timere eos qui occidunt corpus: oſtendam vobis à quo ſit metuendum: Deum timete, qui poſtquam corpus occiderit, animam poteſt mittere in gehennam ignis. (*Mat. 10. verſ. 28.*) Ergo ſecundum illos ſenſus eſt, quod nullis minis vel terroribus à timore Dei dejectus fuerit Propheta. Sed latius extendit hoc conſtantiæ ſuæ elogium. Nota eſt illa exhortatio Jeſaiæ, Ne expaveſcatis ad eorum terrores, ſed Jehova exercituum ſit ipſe timor veſter, & pavor veſter. (*Jeſa. 8. verſ. 12.*) Generaliter illic oſtendit Propheta quibus armis inſtructi fideles, omnes mundi impetus ſuperent: nempe ſi Deum non modo revereantur, ſed etiam ſalutis ſuæ cuſtodem ſemper fore confidant, ut rejiciant in eum omnes curas. Ita enim fiet ut contenti ejus præſidio, non declinent ad quicquam machinandum. Sic etiam hoc loco Propheta, quamvis injuſta Principum violentia oppreſſus triſte eſſet ſpectaculum, ſe tamen ſuccubuiſſe negat, ſed reputaſſe quid ſibi liceret, nec æmulatum prava illorum ſtudia, ut fraudem fraude & vim vi repelleret. Hoc eſt enim *metuere à verbo Domini*, quantum ad præſentem circumſtantiam cohibere ſeipſum, nec quicquam illicitum aggredi. Jam dixi adverbium חנם vel gratis, ad amplificationem poſitum eſſe: quia tentatio eo durior fuit quod hominem innoxium tyranni nulla de cauſa, ſed tantum prava libidine impeterent. Scimus enim ingenuas naturas facilius ad iracundiam abripi, dum impetitur qui neminem laceſſivit. Præclarum igitur fuit modeſtiæ ſpecimen in Propheta, frenum ſibi injicere ex verbo Dei, ne maleficiis certaret, vel etiam ne impatientia victus à ſua vocatione deficeret. Itaque diſcamus quieti manere, quamvis tyrannice poteſtate ſibi divinitus commiſſa abutantur Principes, ne tumultuando legitimum ordinem turbemus.

162. *Delectatus ſum.*] Scimus nullum lucrum plus afferre lætitiæ, quam dum victores ſpoliis hoſtium diteſcunt: quia & cum lucro ipſo conjuncta eſt gloria triumphi, & utilitas repente contingens magis delectat. Hæc ratio eſt cur cæleſtis doctrinæ notitiam quam adeptus erat, ſpoliis magis compararet David, quam aliis opibus. his enim verbis præcipuam ſibi ex Dei ſermone lætitiam afferri ſignificat, ad quam nullus quæſtus quamlibet optabilis, accedat. Unde colligimus, ſermone Dei quaſi plenis deliciis & ſolida felicitate fuiſſe contentum: quod fieri non potuit quin à pravis cupiditatibus cor ſuum ſubduceret. Nec mirum ſi totam beatæ vitæ ſummam David in verbo Dei ſtatuit, ubi ſciebat incluſum eſſe æternæ vitæ theſaurum, ſibique gratuita adoptione offerri. Tertio verſu hujus ogdoadis melius declarat quod nuper attigi, ſe purgatum fuiſſe vitioſis affectibus, ut juſtum honorem & pretium Legi deferret. Quia vero alibi eandem fere ſententiam habuimus, breviter tantum perſtringam cur prius dicat Propheta, ſibi *odio fuiſſe fraudem*, quam de Legis amore & ſtudio loquatur. Quia enim ſcimus ingenitam eſſe hypocriſin omnium cordibus, & naturaliter propenſos eſſe ad vanitatem & fallacias: ſtrenue in purgandis cordibus noſtris laborandum eſt, ut illic regnet amor Legis. Quod ſi initium recte vivendi, & primum juſtitiæ caput eſt, odium fraudis ac deteſtatio: ſequitur nihil integritate eſſe præſtantius. evaneſcunt enim omnes virtutes, niſi primum gradum illa teneat. Nec fruſtra *odio* adjungitur *deteſtatio*, ut ſciamus non ſufficere vulgare fraudis odium, niſi ab ea filii Dei hoſtiliter abhorreant. Jam ſi Legis amor & fraudis odium res ſunt conjunctæ, ſequitur dolo & hypocriſi infectos eſſe quicunque in Dei ſchola edocti non ſunt. Per adverbium *ſepties*, intelligit Propheta ſe in celebrandis Dei laudibus aſſiduum vel frequentem fuiſſe. quemadmodum alibi dicitur juſtus ſepties in die cadere, dum ſæpius in varias tentationes incidit. (*Prov. 24. verſ. 16.*) Quia autem *judicia Dei* paſſim ſumuntur pro pœnis quas ſceleribus irrogat, interdum etiam ad totam providentiam referuntur qua Deus mundum gubernat: quidam intelligunt laudatum fuiſſe Deum à Propheta, quod juſtitiam ſuam clare probet tam in puniendis ſcele-

ſceleribus quam in tota mundi gubernatione. Sed aliis potitus aſſentior qui ad doctrinam referunt: non quod prior ille ſenſus mihi diſpliceat, ſed quia in hoc Pſalmo celebrandæ Legi Dei proprie inſiſtat Propheta. Summa igitur eſt, quum in meditanda Lege Dei aſſiduus eſſet David, tantam reperiſſe in ea juſtitiæ & ſapientiæ perfectionem, ut ſubinde in laudem & gratiarum actionem eruperit. Hæc porro laudandi Dei ſedulitas oſtendit, Davidem non modo reverenter & honorifice loquutum fuiſſe de Lege Dei, ſed pro incomparabili erga humanum genus beneficio eam duxiſſe. Neque enim laudem tantum expreſſit admiratio, ſed gratitudinis affectus: quia videbat nihil potuiſſe dari hominibus præſtantius, quam dum incorruptibili cæleſtis doctrinæ ſemine renovantur in beatam & æternam vitam. Atqui ex iis quibus theſaurum hunc Deus offert, vix centeſimus quiſque mediocre ſaltem ſtudium adhibet ad gratias agendas. Tanta vero paſſim malignitas in mundo regnat, ut faſtuoſe alii rejiciant cæleſtem doctrinam, alii reſpuant, alii oblatrent & fremant ſiquid non arridet.

165. *Pax multa diligentibus Legem tuam.*] Si *pacis* nomen accipimus pro felici vitæ ſtatu (ſicut Hebræi ſæpe hoc ſenſu uſurpant) *offendiculum* quoque viciſſim pro rebus adverſis poſitum erit: acſi dictum eſſet, proſperum fore curſum diligentibus Legem Dei, & ſtaturos in gradu, quamvis totus mundus ruat. Sed diverſa interpretatio peræque conveniet, pacem illis multam eſſe, quia ſcilicet perſuaſi ſe Deo placere ac ſuam vitam, acquieſcunt in bona conſcientia. Scimus enim hanc εὐθυμίαν merito cenſeri primum beatæ vitæ caput, ubi Deo propitio tranquilli agimus, ejuſque paternus favor in cordibus noſtris relucet. Merito autem hanc pacem docet Propheta nos conſequi ex amore Legis: quia quiſquis aliunde pendet, ad minimam quamque auram ſubinde trepidabit. Quod ſi placet hic ſenſus, *offendiculum* in ſecundo membro ſignificabit omnes animi perturbationes, quibus miſere laborant & æſtuant qui verbo Dei non innixi, vel ſua libidine vel hominum arbitrio feruntur. Cæterum, utrovis modo ſumamus duas iſtas voces, conſilium Prophetæ manebit idem, miſeros ſcilicet eſſe qui Deo addicti non ſunt: quia etſi ad tempus ſibi plaudant, multa illis impendent offendicula quæ repente ipſos in contrarium agant. Ex nomine autem amoris colligimus non ſervili obſervantia Legis acquiri hanc pacem, ſed conciliari fide: quia Lex, nulla nos dulcedine ad ſe alliciet, niſi Deum nobis exhibeat patrem, & ſalutis æternæ certitudine animos tranquillet. Contra autem, profanos omnes & Dei contemptores juſte ulciſcitur ſua contumacia & pravitas: quia ſibi quiſque eorum eſt carnifex: & quo magis ferociunt contra verbum Dei, eo ſævius torquentur, donec ultimam ſibi perniciem acceſſant. Quanquam autem piis etiam ſuæ ſunt agitationes, interior tamen conſolatio abſtergit omnem moleſtiam, vel erigit ad ſuperanda offendicula, vel ita levat ut non ſuccumbant.

166. *Expectavi ad ſalutem tuam.*] Sententiam hanc, quæ in ore omnium volitat, non abs re ſæpius inculcat Propheta, quod ſcilicet nihil facilius eſt quam ſervandi laudem & munus Deo tribuere: quum tamen nullum fere in mundo occurrat firmæ ſpei exemplum, ubi cum tentationibus diutius luctandum eſt. Porro ex ordine verborum colligimus, ut quis ſe contineat ſub Dei timore & Legis ſtudio, neceſſe primum eſſe ut ſalutem in Deo quærat. Nam fide gratiæ ſublata, vel excuſſa patientia, huc illuc abrepti, pietatis obliviſcimur. Itaque præcipua fidelium virtus eſt tolerantia crucis & mortificatio, qua ſe Deo placide ſubjiciunt: quia ſi hypocritis nihil adverſi contingat, videntur ipſi quoque ad Deum colendum recte animati. Jam aliæ ſunt rationes cur nos ad Dei ſalutem attentos eſſe oporteat ſi cupimus vitam noſtram recte formare: quia ſi nos ſibi teneant devinctos mundi illecebræ, ſtatim diffluemus. Et videmus ideo majorem partem deficere, quia difficile eſt certo ſtatuere non aliter ſperandam eſſe ſalutem, quam ex gratia Dei. Quare ut perſeveranter Deum colamus, præluceat nobis fides neceſſe eſt: deinde accedat comes patientia, quæ juſtitiæ amorem in nobis foveat. nam hinc pergendi alacritas (ut diximus) ſi ſalutem noſtram in ſinu Dei abſconditam latere æquo animo patimur, nec dubitamus, quamvis gratiam ſuam ab oculis noſtris ſubducat, fidum remuneratorem fore omnibus qui ipſum quærunt. Hanc doctrinam proximo verſu aliis verbis confirmat, ſe *ex animo cuſtodire* dicens *teſtimonia Dei.* Nam *animæ* nomine magis emphatice exprimit, ſe penitus atque intimo cordis receſſu clauſam tenuiſſe Legis doctrinam. Hujus tam ſedulæ cuſtodiæ cauſa eſt ſingularis amor quem ſubjicit. Nam qui neceſſitate & ſerviliter Legi obſequitur, adeo eam arcano cordis domicilio cuſtodiendam non ſuſcipit, ut procul remotam cupiat.

168. *Cuſtodivi mandata tua.*] Quod majore vehementia prius dixit, nunc ſimplicius iterat, addita ratione. Quanquam non in toto complexu orationis eſt iſta brevitas, ſed in ſola voce *animæ*, quam nunc omittit. Interea *mandatis* adjungit *teſtimonia*, ut clarius oſtendat ſe non tantum agere de regula bene vivendi, ſed complecti totum ſalutis fœdus. Et certe non potuit tam ſuavis & amabilis eſſe Legis doctrina, quia præcipiat quid rectum ſit: niſi etiam proponeret gratuitum Dei favorem. Ratio autem quam aſſignat Propheta, huc ſpectat, quoniam ſciebat Deo nihil eſſe occultum, id ſibi inſtar fræni fuiſſe ad colendam pietatem: quia niſi tanquam ſub oculis Dei vivimus, ſtatim nos huc & illuc abripit carnis laſcivia. Poteſt etiam eſſe hic ſenſus, quod Deum ſtatuerit vitæ ſuæ arbitrum & judicem, quia Scriptura *ambulare in Dei conſpectu* dicit qui omnes ſuas actiones ſponte ad eum referunt, & quaſi ab oculis hominum ſubducti, ſiſtunt ſe ad ejus tribunal. Hoc modo ſignificat ſe operam dediſſe ut non modo purus eſſet omni culpa & reprehenſione apud homines, ſed integrum ac ſincerum cor offerret Deo. Utrumvis ſenſum eligas, teſtatur Propheta tunc demum rite ſervari Dei Legem, ubi reputamus nobis negotium eſſe cum Deo cordium cognitore, & cujus oculis nihil eſt abſconditum. Poſſet etiam obteſtationis eſſe forma, acſi dixiſſet, Domine tu optimus es teſtis quam fideliter Legem tuam ſervaverim, quia nihil te latet. Sed videtur potius notaſſe hoc ſancte vivendi principium, quod vitam ſuam Deo conſecraverit, & ſemper in ejus conſpectum defixos habuerit ſuos ſenſus.

169. ת Appropinquet clamor meus ad faciem tuam Jehova, ſecundum verbum tuum da mihi intellectum.	169 תִּקְרַב רִנָּתִי לְפָנֶיךָ יְהוָה כִּדְבָרְךָ הֲבִינֵנִי:
170. ת Veniat precatio mea in conſpectum tuum, ſecundum ſermonem tuum libera me.	170 תָּבוֹא תְּחִנָּתִי לְפָנֶיךָ כְּאִמְרָתְךָ הַצִּילֵנִי:
171. ת Loquentur labia mea laudem, quum docueris me ſtatuta tua.	171 תַּבַּעְנָה שְׂפָתַי תְּהִלָּה כִּי תְלַמְּדֵנִי חֻקֶּיךָ:

 172. ת Loque-

172. ת Loquetur lingua mea ſermonem tuum, quia omnia præcepta tua juſtitia.	172 תַּעַן לְשׁוֹנִי אִמְרָתֶךָ כִּי כָל־מִצְוֹתֶיךָ צֶּדֶק׃
173. ת Sit manus tua ad auxiliandum mihi, quia mandata tua elegi.	173 תְּהִי־יָדְךָ לְעָזְרֵנִי כִּי פִקּוּדֶיךָ בָחָרְתִּי׃
174. ת Expetivi ſalutem tuam Jehova, & Lex tua delectationes meæ.	174 תָּאַבְתִּי לִישׁוּעָתְךָ יְהוָה וְתוֹרָתְךָ שַׁעֲשֻׁעָי׃
175. ת Vivat anima mea, & laudet te, & judicia tua ſubveniant mihi.	175 תְּחִי־נַפְשִׁי וּתְהַלְלֶךָּ וּמִשְׁפָּטֶךָ יַעֲזְרֻנִי׃
176. ת Erravi ſicut ovis perdita: quære ſervum tuum, quia ſtatuta tua non ſum oblitus.	176 תָּעִיתִי כְּשֶׂה אֹבֵד בַּקֵּשׁ עַבְדֶּךָ כִּי מִצְוֹתֶיךָ לֹא שָׁכָחְתִּי׃

169. *Appropinquet clamor meus.*] Repetit quod jam ante vidimus, nempe hoc ſibi primum eſſe votum, & quod aliis poſthabitis maxime urgeat, ut proficiat in Lege Dei. Nam voce *clamoris* vehementiam deſignat: acſi diceret, hac ſe cura præcipue tangi, & hoc deſiderio flagrare (ſicuti æquum eſt ac rectum) intelligentiæ lucem, qua præcellimus bruta animalia, & proxime ad Deum accedimus, omnibus terrenis commodis præferri. Cæterum particula, *ſecundum ſermonem tuum*, duplicem ſenſum admittit: & quidam ita exponunt quaſi optaret David mentem ſuam formari ad verbi Dei præſcriptum, ne aliter ſapiat quam ex Legis doctrina. Nec male congrueret hic ſenſus, niſi obſtaret quod proximo verſu ſequitur, *ſecundum ſermonem tuum eripe me.* Quia autem non dubito quin duæ iſtæ ſententiæ inter ſe reſpondeant, quamvis illud magis ſit plauſibile, Davidem precari ut ad Legis normam ſapiat: potius in alterum ſenſum inclino, quod ſe intelligentia donari poſtulet ſicuti Deus fuerat pollicitus. Scimus autem, quum liberaliter omnia ſuis promittat, hoc merito eſſe præcipuum, ut illuminati ejus Spiritu, vera ſanaque prudentia polleant. Ac multiplex eſt hujus doctrinæ utilitas. Primo enim docemur, nihil eſſe magis expetendum quam ut Deus nos luce ſua dirigat: ne ſimiles ſimus brutis pecudibus. Deinde hoc peculiare eſſe donum Spiritus ſancti: quia fruſtra David ſibi precatus eſſet dari quod naturaliter eſſet ingenitum, vel propria induſtria conſequi liceret. Accedit tertio quod de promiſſione dixi, ne dubitent fideles Deo ſe illuminandos offerre, qui pronunciat ſe ducem fore cæcorum, & qui parvulis & humilibus magiſter & doctor eſſe non recuſat.

170. *Veniat precatio.*] Poſtquam de recta intelligentia votum concepit, nunc Deum liberatorem implorat: quo fatetur ſe aſſidue in multis periculis verſari, è quibus non aliter emergere queat niſi Deus porrigat è cælo manum. Scimus quidem Prophetam, quoties inſtaret aliqua neceſſitas, invocaſſe Dei opem: ſed quia indefinite loquitur, non dubito quin generaliter vitam ſuam Dei tutelæ commendans, innumeris mortibus ſe incluſum teneri reputet, niſi Deus perpetuus ſit liberator. Sed hoc inæſtimabile ſolatium eſt, quod in omni diſcrimine Deus auxilium ſuum nobis promptum ac paratum fore affirmat.

171. *Loquentur labia.*] Nunc alia ratione quam proximo verſu, oſtendit quanti æſtimaverit recipi à Deo inter diſcipulos, recteque in ejus ſchola proficere: nempe quia pleno ore ad gratias agendas proſiliet. Nam verbum נבע quo utitur, metaphorice deductum eſt à ſcaturigine fontium: ideoque non ſimpliciter loqui, ſed copioſum ſermonem profundere ſignificat. Ergo ſicut nuper voti ſui ardorem precatione monſtravit, ita nunc gratulationem ſuam teſtem fore dicit, nihil ſibi eſſe optabilius quam probe imbutum eſſe cæleſti doctrina. Iterum autem confirmat hanc vere ſapiendi eſſe regulam, ſi nos Dei verbo ſubjicimus, neque ſequimur proprias imaginationes: deinde ſi Deus ipſe ſenſus noſtros aperit ac ſubigit in ſuum obſequium. Utrumque enim hic conjungit Propheta, quod ubi Deus Legem ſuam nobis propoſuit, ex qua diſcendum eſt quicquid utile eſt cognitu in ſalutem, idem etiam interior eſt magiſter. quia non ſufficeret aures noſtras externa voce percuti, niſi Deus mentes noſtras illuſtraret Spiritu intelligentiæ, & duritiem noſtram Spiritu docilitatis corrigeret. Porro ſicuti inutilis eſt doctorum opera donec efficax reddatur, ita etiam notandum eſt, qui vere ſunt theodidacti, non abduci per arcanas revelationes à Lege & Scriptura. ſicut fanatici homines ſe in elementis ſubſidere putant, niſi verbum Dei faſtuoſe calcando, poſt ſua figmenta volitent. Quarto verſu hujus ogdoadis dicit, quum profecerit in Lege Dei, ſe aliis quoque inſtituendis operam daturum. Eſt quidem hic ordo tenendus, ut radicem agat in cordibus noſtris doctrina antequam ad alios proferatur: debet tamen quiſque pro fidei ſuæ menſura communicare cum fratribus quod accepit, ne ſepeliatur doctrina, cujus fructum & uſum vult Deus in communi Eccleſiæ ædificatione extare. Additur etiam ratio, qua pios omnes ad enarrandam Dei Legem ſolicitari convenit, nempe quia hoc modo propagatur juſtitia per totum mundum. Neque enim *juſtitiæ* titulo præcepta Dei inſigniens Propheta, ſimpliciter ea probat, ſed oblique inſinuat, donec emineat hæc regula ad regendum humanum genus, triſti & horrenda confuſione plenum eſſe totum mundum. Judicent tamen lectores annon melius conveniat præſenti loco reſpondendi verbum, vel teſtificandi, quod proprie ſignificat Hebraicum ענה: ut ſenſus ſit, Lingua mea teſtimonium reddet, vel reſpondebit ſermoni tuo: quod non aliunde petenda ſit vera cognitio juſtitiæ. Sed tunc ſubaudienda eſſet litera ל ad nomen אמרתך.

173. *Sit manus tua.*] Quia ſe addixit Legis doctrinæ, manum Dei ſibi adjutricem eſſe poſtulat. Cæterum his verbis declarat, aſſidue opus habere Dei præſidio qui ſe ejus verbo regendos tradunt. Et certe quo quiſque ſincerius probitati ſtudet, eum pluribus modis infeſtat Satan: ac plures etiam adverſarii hinc inde moleſtiam exhibent. Atqui ubi videt Deus manere conſtantes in propoſito qui ſemel doctrinam ſuam amplexi ſunt, eo propenſior eſt ad eos juvandos. Et verbo *eligendi* expreſſit, ſibi nihil obſtaculo fuiſſe quominus ſe Legi Dei addiceret. Neque enim ſine magno certamine quiſquam animum adjiciet ad Legis amorem, quum unumquemque huc illuc diſtrahant pravi carnis affectus. Ergo electio hæc cujus fit mentio, oſtendit non inſcitia vel inconſiderato zelo Dei filios precipue expetere cæleſtem doctrinam, ſed quum flexibiles ſint more hominum, varioſque ſentiant carnis impulſus, animum conſulto in Dei obſequium ſubigere,

174. *Expetivi ſalutem tuam.*] Quanquam ſibi omnes bene eſſe cupiunt, & nemo etiam plane repudiat Dei favorem, votum tamen feliciter agendi adeo confuſum eſt ac erraticum, ut vix centeſimus quiſque ad Deum aſpiret. Nam quum alios rapiat

ſua ambitio, alios occupet avaritia, alios urat libido, quo longius à Deo recedunt, eo ſibi melius fore imaginantur: denique ut quiſque ſalvus eſſe cupit, in quærendis hinc inde mediis iram Dei acceſſit. Et ſyntaxis Hebraica conſtantiam deſiderii notat: quia ad verbum dicit *ſe expetiviſſe ſalutem Dei.* Deinde modum exprimit ſalutis patienter expetendæ, ubi ſcilicet malis omnibus ſolatium & levamen petimus ex Dei verbo. Nam quiſquis promiſſæ gratiæ fiducia ſe non oblectat, ad leviſſimos quoſque inſultus labaſcet. Prudenter igitur Propheta, ne ſenſum ſuum averteret à ſperanda ſalute Dei, eum continuit in Legis doctrina.

175. *Vivat anima mea.*] Quia verba ſunt futuri temporis, ſic reſolvi poſſet ſententia, Domine ubi mihi vitam contuleris, ſtudebo me celebrandis tuis laudibus gratum oſtendere. Si arrideat hic ſenſus, erit gratulationis ſpecies, in qua Propheta, Dei promiſſionibus fretus, ſecure vitam ſuam ſalvam fore prædicat. Et certe quamvis abſcondita ſit vita noſtra ſub umbra mortis, gloriari tamen licet eam eſſe tutam, quia fidelis eſt ejus cuſtos. ſicuti ex vivifica ejus gratia quæ nobis offertur Dei verbo, fiducia hæc emergit. Quia tamen major pars interpretum in optandi tempus hæc verba transfert, ſequamur quod magis receptum eſt, nempe Davidem vitam petendo ſibi prorogari, finem ſimul oſtendere cur vivere cupiat: nempe ut ſe exerceat in canendis Dei laudibus, ſicuti Pſalmo 115. verſ. 18. dictum fuit, Nos qui ſuperſtites erimus, confitebimur Jehovæ. In ſecundo membro *judicia* de præceptis accipere durum eſſet, quibus proprie non competit auxilium ferre. Videtur ergo Propheta, quum ſe obnoxium ſentiret innumeris malis (ſicuti fideles in mundo, propter effrænem improborum licentiam, quaſi oves inter lupos habitant) Deum implorare vindicem, ut arcanæ ſuæ providentiæ fræno à noxa cohibeat omnes impios. Atque hæc valde utilis eſt doctrina, ubi res ſurſum ac deorſum volvuntur in mundo, & ſalus noſtra inter varias procellas periclitatur, attollere oculos ad Dei judicia, & ex illis remedium petere. Quia tamen in hoc Pſalmo fere ad Dei præcepta refertur hoc nomen, licebit etiam commode ita interpretari hunc locum, ut Propheta munus & partes auxiliandi tribuat Dei verbo: quia non vanis promiſſis nos lactat Deus, ſed verbum ſuum, quoties opus eſt, præſenti manus ſuæ virtute confirmat ac ſancit. Ita hoc inſigne elogium erit ad commendandam verbi Dei efficaciam, quum Propheta Dei Legem in auxilium ſuum acceſſit. Siquis etiam de Legis obſervatione exponere malit, non repugno: acſi diceret Propheta, Domine, præſidio ſit mihi integritas quam colui, & ſtudium quod impendi ſervandis tuis præceptis.

176. *Erravi ſicut ovis perdita.*] Non fatetur hic ſua delicta, ut multi falſo exiſtimant, acſi tractus eſſet in Satanæ decipulas: quia repugnat ſecundum membrum, ubi ſe negat oblitum eſſe Legis Dei. Ac frivola eſt ſolutio, ovem fuiſſe erraticam ante tempus vocationis, inde vero fuiſſe pietati deditum, vel errando retentum fuiſſe pio aliquo affectu, ne prorſus Dei timorem abjiceret: quia utroque membro tempus idem notari certum eſt. Deinde colligere promptum eſt, Prophetam adverſative loqui, Quamvis erraverit inſtar ovis perditæ, nunquam tamen oblivionem Legis ſibi fuiſſe inductam. Erraſſe igitur, mea judicio, ſe dicit, quia vi & impetu hoſtium profligatus, trepide huc & illuc ad captandas latebras ſe contulerit. Certe Davidem ita profugum fuiſſe ſcimus, ut nuſquam inveniret quietum locum exilio. Quare aptiſſime in eum competeret hæc ſimilitudo, quod fugatus ac diſpulſus, nunquam tamen à Dei Lege deflexerit. Jam quia ubique eum perſequebantur lupi, colligi à Deo precatur, ſibique tutam & tranquillam ſtationem dari, ut tandem vagari deſinat. Hæc vero ad exorandi fiduciam optima fuit ratio, quod multis injuriis impulſus, nunquam à Dei timore defecerit. quod tamen ad curſum vitæ magis referri debet, quam ad ſpeciales actus, ut vocant. Etſi enim ad tempus in adulterio ſuo obſtupuit, certum tamen eſt, in rebus adverſis pia tolerantia fuiſſe retentum, ut perſeveranter juſtitiam coluerit.

ARGUMENTUM PSALMI CXX.

Si Davidem credimus Pſalmi auctorem fuiſſe, quod probabile eſt, refert, quam anxie precatus ſit, quum Saulis ſævitiam fugiens, per varia exilia erraret. Maxime vero de pravis delatoribus conqueritur, qui falſis calumniis injuſte nihil tale meritum gravabant. Sin vero diverſa conjectura magis placeat, ſimplex ac generalis querimonia erit de falſis delationibus. Hic Pſalmus & quatuordecim ſequentes vocantur Graduum: *qua ratione, non convenit etiam inter Hebræos doctores. Quidam fingunt quindecim fuiſſe gradus ad partem Templi viris deſtinatam, quum infra ſubſiſterent mulieres. ſed frivola eſt divinatio: & ſcimus quantum licentiæ in rebus obſcuris ſibi permittant Judæi ad quidvis fingendum. Alii* aſcenſionem *interpretantur reditum ab exilio Babylonico. quod prorſus coactum eſt: quia palam eſt majorem partem compoſitam vel à Davide vel à Salomone: & conjicere promptum eſt ex ipſo argumento, quoſcunque compoſuit David, in templo fuiſſe decantatos eo regnante. Alii aſcenſiones putant eſſe tonos in modulatione. Sunt qui dicant fuiſſe carminis initium. Etſi autem de hac re, quæ levis eſt momenti, non valde laboro, probabilis tamen conjectura eſt nomen ab altiore cantu fuiſſe impoſitum. Deſcendit enim à verbo* עלה*, quod tantundem valet atque aſcendere: ideoque diſtinctos modulationis gradus notari, libenter recipio.*

PSALM. CXX.

CAnticum graduum. Ad Jehovam in anguſtia mea clamavi, & reſpondit mihi.	1 שיר המעלות אל יהוה בצרתה לי קראתי ויענני:
2. Jehova libera animam meam à labio falſitatis, à lingua doli.	2 יהוה הצילה נפשי משפת שקר מלשון רמיה:
3. Quid dabit tibi, & quid addet tibi lingua doli?	3 מה יתן לך ומה יסיף לך לשון רמיה:
4. Sagittæ robuſti *viri* acutæ cum carbonibus juniperorum.	4 חצי גבור שנונים עם גחלי רתמים:

AD *Jehovam in anguſtia.*] Non aſcribitur quidem auctoris nomen, ſed totus verborum contextus Davidem nobis repræſentat. Itaque licet nihil auſim pro certo aſſerere, huc tamen magis inclino, Pſalmum fuiſſe ab eo compoſitum: neque abſurdum (meo judicio) erit perinde interpretari acſi nomen expreſſum foret. Hoc igitur conceſſo, etſi David hoc verſu ſe à Domino exauditum fuiſſe commemorans, gratias agit, præcipuum tamen ejus conſilium fuit, ſub forma querimoniæ referre quam

quam ſcelerate & crudeliter in ejus perniciem ſtudia ſua & conatus intenderint Saulis adulatores. Primo tamen de ſua gratitudine præfatur, quod non fruſtra Deum invocaverit: ut ſuo exemplo alios ad precandi fiduciam animet, præſertim ubi rebus adverſis premuntur. Quamvis enim ſingulis momentis Dei auxilio indigeant homines, nullum tamen magis opportunum ejus quærendi tempus, quam dum urget majus aliquod diſcrimen. Ideo notanda eſt circumſtantia, fuiſſe exauditum, quum tribulatione coactus, in Dei fidem ſe contulit.

2. *Jehova libera.*] Jam ſpeciem afflictionis deſignat, quod ſcilicet fictis criminibus gravatus fuerit. Cæterum hoſtes ſuos mendacii & falſitatis accuſans, innocentiam ſuam aſſerit ab eorum calumniis. Huc itaque tendit expoſtulatio, quum ſibi nullius culpæ ſit conſcius, præter jus & fas ſe impeti ab improbis, trahique in odium nullo ſuo merito. Porro quum duobus modis probos & ſimplices viros oppugnent fallaces linguæ, vel dum eos circumveniunt dolis & captionibus, vel dum falſo infamant: de ſecunda ſpecie nunc Propheta expoſtulat. Quod ſi tanta virtute præditus, & omni ſiniſtra nota purus, remotuſque à crimine Propheta, probris tamen impetitus eſt: quid mirum ſi falſa hodie invidia laborent filii Dei, & quum recte agere ſtuduerint, male tamen audiant? Et certe quum diabolum habeant hoſtem, ejus mendaciis gravari neceſſe eſt: imo videmus ne Filio quidem Dei linguas maledicas pepeciſſe. quo æquius nos ferre decet ſi immerito nos improbi traducunt: quia certum eſt communem hic totius Eccleſiæ fortunam deſcribi.

3. *Quid dabit tibi.*] Exaggerat Propheta hoſtium ſuorum malitiam, quod eos prava libido, etiam nulla utilitate propoſita, ad maledicendum rapiat. Quanquam videtur longius progredi, poſtquam ſcilicet totum calumniarum ſuarum virus profuderint, irritos tamen fore, & profectu carituros eorum conatus. Ergo quia Deus innocentiæ ſuorum aſſertor eſt, hac ſpe fretus David, perinde ac triumphum acturus de tota calumniatorum turba, magno animo inſurgit, exprobrans nihil aliud quam inane maledicendi ſtudium prodere, quod Deus tandem in ipſorum capita retorquebit. Et hoc ſolatio lenit piorum omnium dolorem, ubi injuſte eorum famam proſcindunt calumniatores, nihil profecturos: quia Dominus ſpem eorum fruſtrabitur.

4. *Sagittæ robuſti.*] Malitiam eorum qui ſimplices & innoxios ſuis calumniis infeſtant, alia ratione amplificat, quod probra ſua non ſecus jaculantur ac ſiquis ſagitta proximum ſuum configeret: & eorum calumnias ſimiles eſſe carbonibus juniperi, qui efficacius penetrant, & magis exurunt quam ex aliis lignis effecti. Summa eſt, Igneo ardore accenſas eſſe & quaſi lethali veneno tinctas calumniatorum linguas: ideoque minus eſſe excuſabiles, quod nulla mercede tam exitialiter lædere appetunt. Quia autem nihil hic refert Propheta niſi quod expertus erat: ſi eum ejuſque ſimiles configi mendaciorum jaculis & quaſi carbonibus exuri oportuit, non eſt quod miremur in eundem quoque modum exerceri optimos quoſque Dei ſervos.

5. Hei mihi quia peregrinatus ſum in Meſech, habitavi inter tentoria Kedar.	5 אוֹיָה לִי כִּי גַרְתִּי מֶשֶׁךְ שָׁכַנְתִּי עִם אָהֳלֵי קֵדָר׃
6. Multum habitavit anima mea cum oſore pacis.	6 רַבַּת שָׁכְנָה לָּהּ נַפְשִׁי עִם שׂוֹנֵא שָׁלוֹם׃
7. Ego pacem: & dum loquor, ipſi ad bellum.	7 אֲנִי שָׁלוֹם וְכִי אֲדַבֵּר הֵמָּה לַמִּלְחָמָה׃

5. *Hei mihi.*] Conqueritur trahendam ſibi fuiſſe moram cum perverſis hominibus: ac ſiquis miſer in triſti exilio ſeneſcere cogatur. Scimus Meſechitas & Kedarenos fuiſſe populos Orientales, quorum priores originem traxerunt à Japheth, ut docet Moſes Gen. 10. verſ. 2. alteri vero ex filio Iſmaelis fuerunt progeniti. Nam de Hetruſcis accipere, prorſus abſurdum eſt, & caret omni colore. Quidam Meſech volunt appellativum eſſe nomen: & quia משך trahere ſignificat, Prophetam diuturnum exilium, quod ſine fine prorogari videbat, deflere exiſtimant. Sed quia continuo poſt addit Kedar (quo nomine Iſmaëlitas vocari certum eſt) non dubito quin per Meſech Arabes illis vicinos deſignet. Quod ſiquis Meſechitas à peritia ſagittandi nomen adeptos eſſe putet, non repugno: modo de hac re conveniat, Prophetam, ac ſi in terram prædonum relegatus eſſet, duræ ac moleſtæ habitationis tædium exprimere. Tenendum enim eſt, quamvis Arabes nominet, metaphorice de ſuis popularibus loqui: ſicut alibi corruptos & degeneres Judæos, Gentiles vocat. Sed hic quo magis odioſe perſtringeret hoſtes ſuos, conſulto efferas & barbaras gentes elegit, quarum Judæis nota erat immanis crudelitas. Docemur autem his verbis, filiis Dei vix ullum acerbius malum contingere, quam dum pie & innoxie vivendo, virulentas tamen calumnias effugere nequeunt. Et notandum eſt, quum in patria ageret, fuiſſe inquilinum: quia nihil gravius eſſet pravorum hominum conſuetudine. Nam inde colligimus, Deo, ex cujus Spiritu loquutus eſt, nihil magis eſſe deteſtabile, quam falſas criminationes, quæ Dei Eccleſiam fœda vaſtitate deformant: ut nihil fere à latronum ſpeluncis vel locis ob barbaram feritatem infamibus differat. Jam ſi triſte exilium eſt filiis Dei, ubi injuſtis mendaciis obruitur bonorum integritas, quomodo libenter & ſine acerbiſſimo mœrore moram traherent in eo loco, ubi horrendis blaſphemiis turpiter fœdatur ſacrum Dei nomen, & ſacrilegis mendaciis obſcuratur veritas? Exclamat David, *Hei mihi*, quia apud adulterinos fratres indignam pietatis ſuæ mercedem reportet. Quum igitur hodie in Papatu probris omnibus inquinata ſit religio, quum laceretur fides, quum lux in tenebras converſa ſit, Deique majeſtas craſſis ludibriis ſubjecta, certe in quibus vigebit pietatis ſenſus, non poterunt ſine ingenti cruciatu in illis ſordibus jacere.

6. *Multum habitavit anima mea.*] Jam ſine figura oſtendit quos prius oblique notaverit per Meſechitas & Kedarenos, nempe larvatos & perfidos Iſraëlitas qui deſciverant à ſanctis Patribus. *Oſores* autem *pacis* eſſe dicit, quia bonis & inſontibus ultro bellum inferant: ſicuti addit continuo poſt ſibi ad pacem quærendam animum fuiſſe propenſum, imo ſe prorſus deditum fuiſſe paci, & omnia tentaſſe ad illos ſibi conciliandos, niſi implacabilis eos crudelitas ad nocendum impelleret. Quum dicit, *Ego pax* vel pacem, abrupta eſt loquutio, non tamen obſcura, nullam ab ipſo profectam injuriam quæ odiis occaſionem præbuerit: acſi diceret à parte ſua fuiſſe pacem. Ultra etiam procedit, ſe dediſſe operam ut offenſos mitigaret, atque ad concordiam adduceret. Nam *loqui* tantundem valet ac placide offerre pacis conditiones, vel de reconciliatione agere. Unde melius liquet quam truculenta fuerit hoſtium Davidis ſuperbia, qui hominem de ſe bene meritum, & à quo nunquam læſi fuerant, ne alloquio quidem dignati ſint. Docemur autem exemplo Davidis, non

ſufficere ſi fideles abſtineant ab injuria, niſi etiam comiter allicere ſtudeant, & ad benevolentiam flectere. Quod ſi reſpuitur eorum modeſtia & æquitas, patienter expectent dum vindex è cælo appareat. Meminerimus tamen ferendum eſſe moræ tædium, ſi non ſtatim manum ſuam exerat Deus: ſicuti videmus in hoc Pſalmo Davidem gratias de ſua liberatione Deo agere, & tamen, quaſi languore confectum, longam oppreſſionem deflere.

ARGUMENTUM PSALMI CXXI.

Pſalmus hic ut fideles ad bene ſperandum de auxilio Dei hortetur, & ad ejus tutelam confugere doceat, primo, quocunque vertamus oculos, pronunciat nuſquam alibi ſalutem reperiri poſſe: deinde ſplendidis elogiis paternam Dei curam ad tuendos fideles extollit.

PSALM. CXXI.

CAnticum graduum. Levabo oculos meos ad montes, unde veniet auxilium meum.	1 שיר למעלות אשא עיני אל ההרים מאין יבא עזרי:
2. Auxilium meum à Jehova, qui fecit cælum & terram.	2 עזרי מעם יהוה עשה שמים וארץ:

LEvabo oculos.] Videtur initio Propheta, quiſquis ſit, hominis increduli perſonam ſuſcipere. nam ſicuti Deus benedictionibus ſuis prævenit fideles, ſponteque illis occurrit, ſtatim etiam ipſi recta in eum conjiciunt oculos. Quid ergo ſibi vult vagus hic intuitus Prophetæ, dum oculos circumfert in diverſas partes, quaſi eum fides ad Deum non dirigeret? Reſpondeo, nunquam piorum ſenſus ita occupari Dei verbo, quin primo impetu ferantur ad illecebras. præſertim ubi nos ſolicitant diſcrimina, vel duris tentationibus concutimur, fieri vix poteſt (ut ſumus in terram proclives) quin objectis illecebris moveamur: donec ſibi frænum injiciant mentes noſtræ, ſeque ad Deum colligant. Quanquam poteſt conditionaliter exponi oratio: acſi diceret Propheta, quicquid nobis in mentem veniat, ſpes omnes quæ ab uno Deo nos abſtrahunt, eſſe evanidas & fallaces. hoc modo non diceret Propheta quid ſecum agat, vel quid ſit facturus, ſed tantum eos operam ludere qui poſthabito Deo, procul circumſpiciunt, & remedia quæritant per longos & erraticos circuitus. Certum quidem eſt, eum in ſua perſona, morbum quo laborat totum hominum genus, proponere: minime tamen abſurdum erit, eum ex proprio ſenſu loquutum eſſe: quia hanc vanitatem nobis omnibus à natura ſcimus eſſe ingenitam, ut metu aliquo perculſi, huc & illuc vertamus oculos, donec ab errorum ambagibus reductos, ad unum Deum fides dirigat: nam in hoc tantum ab incredulis differimus, quod tametſi omnes ad recipiendas fallacias propenſi & impoſturis creduli ſimus, illos præſtigiis ſuis faſcinat Satan: Deus autem vitium naturæ noſtræ corrigens, longius nos vagari non ſinit. Prophetæ certe conſilium minime ambiguum eſt, etiamſi potentiſſima quæque mundi ſubſidia ſe nobis offerant, nihil tamen ſalutis extra Deum quærendum eſſe: imo, poſtquam diu ſe fatigaverint homines captandis hinc inde remediis, experimento tandem ſenſuros nihil eſſe certæ opis niſi in uno Deo. Nam per *montes*, quicquid in mundo ſublime eſt vel præclarum, intelligit: acſi diceret, quamvis totus mundi ſplendor nobis arrideat, favorem hunc pro nihilo ducendum eſſe. Conjunctim autem legi debent hi duo verſus, Ubi oculos meos extulero ad montes, experiar demum, perperam & ſine profectu errare, donec in unum Deum fuerint defixi. Ac ſimul notandum eſt, non fruſtra hoc epitheto Deum ornari, quod opifex ſit cæli & terræ, quia tacite perſtringitur hominum ingratitudo, dum in ejus virtute acquieſcere nequeunt. Nam ſi ſolide agnoſcerent Creatorem, perſuaſi quoque eſſent (quia totus mundus in ejus manu eſt, ejuſque arbitrio regitur) immenſa virtute eſſe inſtructum: nunc, dum alio eos rapit cæcus impetus, jure & imperio ſuo eum fraudant. Hoc modo accommodare ad præſentem cauſam epitheton oportet. Summa eſt, quum ſimus natura plus juſto ſoliciti ad quærendum malis noſtris levamen & remedium, præſertim ubi imminet manifeſtum aliquod diſcrimen, perperam tamen diſcurrere per flexuoſas ambages, ideoque cohibendos eſſe ſenſus noſtros, ne alio ſe quam ad unum Deum applicent. Nec male (judicio meo) ſentiunt quidam אל hic poſitum eſſe pro על, quod eſt ſuper. ut ſit ſenſus, quamlibet alte ſpeculentur homines: nihil tamen extra Deum veræ ſalutis reperturos.

3. Non dabit * ad lapſum pedem tuum, non dormitabit cuſtos tuus:	3 אל יתן למוט רגלך אל ינום שמרך:
4. Ecce non dormitabit neque dormiet cuſtos Iſraëlis.	4 הנה לא ינום ולא יישן שומר ישראל:
5. Jehova cuſtos tuus, Jehova protectio tua ad manum dexteram tuam.	5 יהוה שמרך יהוה צלך על יד ימינך:

* vel, in commotionem.

3. *Non dabit.*] Hic Propheta, ut fideles revocet, ut anſam præcidat illecebris omnibus quæ ſolent pias mentes diſtrahere, quicquid à mundo expetere vel ſperare ſolent profani homines, fidelibus in uno Deo ſuppetere & promptum eſſe prædicat: nec potentiam ſolum tribuit Deo, ſed erga nos ita affectum eſſe docet, ut ſalvos omni ex parte præſtare velit. Quoties enim extollitur Dei potentia, multis exceptio in ore eſt, poſſe quidem ſi velit, ſed de ejus conſilio nos eſſe incertos. Ergo fidelibus proponitur Deus cuſtos, ut ſecure in ejus providentiam recumbant. Nam ſicut ab Epicureis, qui fingunt nullam eſſe mundi curam Deo, omnis pietas extinguitur: ita qui confuſe imaginantur mundum à Deo regi, nec ſtatuunt unumquemque piorum peculiari ejus cura foveri, ſuſpenſos relinquunt animos, & continua inquietudine ipſi fluctuant. Certe nunquam vigebit ſeria Dei invocatio, donec hujus cuſtodiæ certitudo penitus animis noſtris infixa fuerit. Deum vero pronunciat cuſtodem noſtrum eſſe ut nos ſuſtentet. מוט Hebræis tam lapſus vel ruina, quam trepidatio & nutatio vocatur. Etſi autem fideles contingit ſæpe nutare, imo labaſcere: quia tamen ſua virtute fulcit eos Deus, recti ſtare dicuntur. Quia autem inter tot pericula quæ ſingulis momentis impendent, difficile eſt à cura & metu nos eximere, ſimul teſtatur Propheta Deum agere perpetuas excubias.

4. *Ecce non dormitabit.*] Ut ſingulos revocet ad com-

commune fœdus, Dei providentiam ad totum Eccleſiæ corpus extendit. nam ut quiſque Deum ſibi propitium fore confidat, à generali promiſſione incipere convenit. Eſſet autem abſurda loquutio in aliis linguis, *Non dormitabit, & non dormiet:* quia potius dicendum eſt, non dormiet, imo non dormitabit: ſed dum hunc ordinem invertunt Hebræi, ratiocinantur à majori ad minus. Senſus ergo eſt, quia nunquam vel minimum dormitat Deus, minime timendum eſſe nequid nobis contingat eo dormiente. Tenemus nunc Prophetæ conſilium. nam ut ſingulis perſuadeat Deum peculiarem eorum curam gerere, in medium profert quid toti populo ſit pollicitus, Deumque pronunciat Eccleſiæ ſuæ eſſe cuſtodem, ut ex hoc fonte ſinguli rivos ad ſe derivent. Itaque quemque privatim compellans, continuo poſt repetit, Deus *cuſtos tuus.* ne ſcilicet dubitet quiſpiam, quod ad totum Iſraëlem pertinet, in ſuum uſum applicare. Vocatur autem Deus *protectio ad dexteram*, ut ſciamus non procul quærendum eſſe Deum, ſed præſto adeſſe, imo ſtare à latere noſtro, ut nos tueatur.

6. Die ſol non uret, neque luna nocte.

7. Jehova cuſtodiet te ab omni malo, cuſtodiet animam tuam.

8. Jehova cuſtodiet exitum tuum & egreſſum tuum ab hoc tempore & uſque in ſeculum.

6 יומם השמש לא יככה וירח בלילה׃
7 יהוה ישמרך מכל רע ישמר את נפשך׃
8 יהוה ישמר צאתך ובואך מעתה ועד עולם׃

6. *Die ſol non uret.*] His loquendi formis fructum præſentiæ Dei commendat, ac per ſynecdochen ſub ſpecie una fideles tutos ab omnibus rebus adverſis fore aſſerit, quia Dei manu proteguntur. Quanquam etiam ſubeſt metaphora, quia per nocturnum frigus & diurnum æſtum Propheta quodvis incommodi genus deſignat. Senſus ergo eſt, quamvis humanæ vitæ miſeriis promiſcue ſubjaceant fideles, umbram tamen Dei ſemper ad latus eſſe oppoſitam, nequid noxæ inde ſentiant. Quanquam non tales promittit delicias filiis Dei, ut immunes ſint ab omni moleſtia, ſed tantum hoc ſolatio temperat eorum dolores, Deo propitio, ab omni exitiali noxa ſecuros fore, ſicuti proximis verſibus clarius explicat: Deum ita ab omnibus malis fore ſuorum cuſtodem, ut eorum vitam incolumem ſervet. Atque hoc quidem generale eſt: poſtea deſcendit ad præcipuas vitæ partes.

8. *Jehova cuſtodiet exitum tuum.*] Senſus eſt, quicquid aggrediaris in tota vita, vel inſtituas, recte & feliciter cedet. Etſi autem Deus ſervorum ſuorum conſilia Spiritu ſuo dirigit, hic tamen locus ad proſperos ejulatus magis referri videtur. Siquis tamen longius extendere malit, non reclamo: mihi ſufficit quod ſine controverſia certum eſt ac ſolidum amplecti, Deum ſervis ſuis perpetuum fore ducem, ut manu porrecta, ab initio ad finem uſque pro voto eos deducat. Jam notare operæ pretium eſt, cur Propheta quod breviter & uno verbo ſatis clare expreſſit, toties repetat. videtur enim ſupervacua eſſe inculcatio. Cæterum ſi expendimus quam difficile ſit noſtram diffidentiam corrigere, colligere licebit non temere inſiſtere Prophetam in commendanda Dei providentia. Quotus enim quiſque hunc Deo cuſtodis honorem tribuit, ut ſecuritatem inde concipiat, ac in periculis eum invocet? imo ubi videmur optime guſtaſſe quid valeat Dei protectio, ſimulac folium deciderit ex arbore, trepidamus acſi noſtri oblitus eſſet. Ergo quum tot pravis dubitationibus ſimus impliciti, & tanta ſit noſtra ad diffidentiam propenſio, admonet hic locus, ſi brevis ſententia nobis non ſufficiat, quicquid paſſim de providentia Dei in Scripturis occurrit, colligendum eſſe: donec penitus cordibus noſtris inſideat hoc doctrinæ caput, Deum ſemper pro nobis excubias agere, ut unico ejus præſidio contenti, omnibus mundi figmentis valedicamus.

ARGUMENTUM PSALMI CXXII.

Hoc Pſalmo ſibi & toti Eccleſiæ gratulatur David, quod tandem deſignata ſit ſtatio Arcæ fœderis, & locus electus à Deo ubi perpetuo invocetur ejus nomen. Deinde ut fideles hortetur atque animet ad cultum Sanctuarii, breviter commemorat hinc pendere felicem populi ſtatum, quod Deus Regiam ſedem delegerit Hieroſolymæ, unde ſuos protegere, tueri & juvare velit.

PSALM. CXXII.

CAnticum graduum Davidis. Lætatus ſum quum dixerunt mihi, In domum Jehovæ ibimus.

2. Stantes * erunt pedes noſtri in atriis tuis Jeruſalem.

* vel, *fuerunt.*

3. Jeruſalem ædificata ut civitas, coaptata in ſe ſimul.

1 שיר המעלות לדוד שמחתי באמרים לי בית יהוה נלך׃
2 עמדות היו רגלינו בשעריך ירושלם׃
3 ירושלם הבנויה כעיר שחברה לה יחדו׃

L*Ætatus ſum.*] Sæpius dixerat Deus per Moſen, fore aliquando certum & ſtabilem locum ſuo Sanctuario: jam tamen ultra mille annos Arca Domini huc & illuc traducta fuerat, quaſi peregrinaretur. Davidi patefactus fuit mons Sion, ubi eam locari Deus volebat, & templum ſibi extrui. Sicuti vero ipſe oraculum ſummo gaudio amplexus eſt, ita ſe lætatum fuiſſe affirmat quod acceſſerit totius populi conſenſus. Hæc circumſtantia non ſatis expenſa fuit, ideoque non bene verterunt interpretes, Lætatus ſum cum dicentibus mihi. Quanquam ſenſus tantum hoc modo redditur obſcurior: quem prorſus corrumpit Græca verſio & Latina vulgaris, ubi ponitur neutrum genus, Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi. Fateor quidem ad verbum eſſe, Lætatus ſum in dicentibus mihi, ſed literam ב *beth* reſolvi in adverbium temporis, novum non eſt, idque poſtulat contextus. David enim ſe duplici gaudio affectum teſtatur: quod oraculum, quo mons Sion ad ſolennem Dei cultum electus fuerat, exceptum eſſe videat communi populi obedientia. Quo exemplo monemur bis gaudendum eſſe, ubi non modo unumquemque noſtrum Deus Spiritu ſuo in obſequium verbi ſui format, ſed alios quoque nobiſcum

biſcum adducit, ut ſimus omnes ejuſdem fidei ſocii. Scimus quanta ſit humani ingenii contumacia, ut ſemper fere major numerus obmurmuret quoties Deus loquitur. Itaque non parva nobis offertur gratulationis materia, ubi nobiſcum omnes Deo ſubſcribunt. Qui vertunt, cum dicentibus mihi: hunc eliciunt ſenſum, Delector eorum conſortio qui me invitant ad Dei cultum, & ſe mihi offerunt comites, ut ſimul adeamus Sanctuarium. Sed ex ſecundo verſu clarius liquebit, gaudium de quo loquitur, inde fuiſſe conceptum, quia populum videbat propenſa fidei obedientia conſentire in cæleſte oraculum de legitima & fixa ſede Arcæ fœderis. nam mox ſequitur.

2. *Stantes erunt.*] Præteritum quidem eſt verbi tempus, quod licebit commode retinere: ſed quia ad ſummam rei parum intereſt, mihi non fuit religio liberam optionem dare lectoribus. Nam communem piorum omnium vocem recitat David, quod pedem demum fixuri ſint Hieroſolymæ: quia illic Sanctuarium reſidere volebat Deus, quod prius in varia hoſpitia ſubinde traductum fuerat. Tali vero Arcæ peregrinatione monebat Deus populum ſuum, non fruſtra ſe per Moſen dixiſſe quod nuper attigi. Ita quoties Arca fœderis ab uno loco in alterum delata fuit, ad certam ſtationem expetendam ſtimulavit Deus ſervorum ſuorum vota. Porro illa quam diximus, loci ſtatio, non parvi momenti fuit: quia ſicuti vagante Arca, fides populi ſuſpenſa fuit: ſic poſtquam Deus elegit certum domicilium, certius teſtatus eſt ſe æternum fore populi cuſtodem. Non mirum igitur quod fideles cum gratiarum actione prædicent pedes ſuos jam fore ſtabiles in portis Jeruſalem, qui prius diſcurrere ſolebant. Verum quidem eſt diu Arcam habitaſſe in Silo: ſed quia nihil de loco illo promiſerat Deus, nulla potuit eſſe ſtabilitas. Rurſus quia de monte Sion dictum erat (ut alibi videbimus) Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: fideles in hoc verbo fundati, ſecure jactant, pedes ſuos in poſterum fore quietos & firmos. Jam quum Chriſtus, in quo habitat plenitudo Deitatis, & qui verus eſt nobis Immanuël, inter nos reſideat, uberioris gaudii materiam nobis ſuppeditat. Quare ingrati ſumus & ſtupidi, niſi in ſummum gaudium nos rapiat illa promiſſio, Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi: præſertim ſi eam publico conſenſu recipi videmus. Nam quod nuper citavi de requie Domini, in Chriſti demum perſona impletum eſt: ſicut conſtat ex capite Jeſaiæ 11. verſ. 10. Requies ejus erit gloria. ubi Jeſaias non de Chriſti ſepultura loquitur, ut falſo putant interpretes, ſed de futura Eccleſiæ præſtantia.

Pſal. 132. verſ. 14.

Coloſſ. 2. verſ. 9.

Jeſa. 7. verſ. 14.

Mat. 28. verſ. 20.

3. *Jeruſalem ædificata.*] Hic incipit David celebrare laudes Hieroſolymæ, idque eo conſilio ut populus conſtanter in obſequio maneat. Magni enim intererfuit non abſtrahi huc & illuc piorum mentes, ſed manere defixas in ea urbe quæ vinculum erat ſacræ unitatis. Et ſcimus hoc fuiſſe miſeræ diſſipationis initium, quum populus in duo corpora diviſus fuit. Quare nihil mirum ſi tanto ſtudio locum Divinitus electum David commendet: quia ſciebat inde pendere Eccleſiæ ſalutem ſi pure illic ex Legis præſcripto Deum colerent filii Abrahæ: deinde ſi regiam ſedem agnoſcerent, quam illic ſuis auſpiciis idem Deus erexerat. Quod dicit Jeruſalem ædificatam eſſe inſtar urbis, non tantum ad muros, vel turres, vel foſſas refertur, ſed præcipue ad ordinem politicum: etſi ad veterem ſtatum alludere fateor. Salem quidem ab initio celebre fuerat oppidum: ſed ex quo regni caput eſſe voluit Deus, faciem & quodammodo naturam mutavit: ut tunc demum vere inceperit nomen urbis bene compoſitæ mereri. Videri poſſet hoc primo intuitu frigidum, Jeruſalem vocari urbem: ſed notandum eſt quaſi unicam ſtatui in tota terra, cui aliæ fruſtra ſint æmulæ. Nam certe paſſus eſt David alias urbes manere in ſuo gradu, ſed Jeruſalem altius extollit ut conſpicua emineat: ſicuti videmus Jeſaiam cap. 2. verſ. 2. loqui de monte Sion, quod ſublimior erit aliis omnibus. Colliculum ut Propheta extollat, altiſſimos quoſque orbis montes in ordinem cogit, ne illius obſcurent gloriam. Sic etiam nunc David Hieroſolymam dicit compoſitam eſſe tanquam urbem, ne huc vel illuc circumſpiciant fideles, ſed urbe Divinitus electa contenti ſint: quia nuſquam reperient parem. Poſtquam autem juſſit omnes alias urbes ſubſidere, præſtantiam Hieroſolymæ paucis verbis oſtendit, quod ſcilicet coadunata ſit, vel omnibus ſuis partibus apte & concinne unita. Quidam ſine figura hoc accipiunt, quod cives ejus concordiam & pacem ſimul colant. Mihi tamen non diſplicet, per ſimilitudinem deſcribi pacatum urbis ſtatum. Mutuam igitur conjunctionem, quæ viget inter cives, & qua inter ſe cohærent, comparat ædificiis inter ſe pulchro artificio aptatis, ut nihil mutilum ſit, vel hiulcum, vel diviſum, ſed concinna ubique æqualitas. Cæterum admonet David non aliter ſtare incolumem Eccleſiam niſi ubi viget conſenſus, & fide ac charitate coagmentata ſanctam unitatem colit.

4. **Illuc aſcenderunt tribus Dei in teſtimonium Iſraëli, ad celebrandum nomen Jehovæ.**	4 שֶׁשָּׁם עָלוּ שְׁבָטִים שִׁבְטֵי־יָהּ עֵדוּת לְיִשְׂרָאֵל לְהוֹדוֹת לְשֵׁם יְהוָה׃
5. **Quia illic ſederunt ſolia ad judicium, ſolia domus David.**	5 כִּי שָׁמָּה יָשְׁבוּ כִסְאוֹת לְמִשְׁפָּט כִּסְאוֹת לְבֵית דָּוִד׃

4. *Illuc aſcenderunt.*] Jam duobus elogiis ornat David Hieroſolymam, quod ſacer ſit & legitimus locus ad invocandum Dei nomen: deinde regia ſit ſedes, unde jus petendum eſt toti populo. Scimus his duobus membris conſtare totam ſalutem noſtram, quod datus eſt nobis Chriſtus Sacerdos, & in Regem præfectus, qui nos gubernet. Id Deus ſub figuris oſtendit veteri populo. Sanctuarium enim fixum in monte Sionis, populi fidem continuit in ſpirituali Chriſti ſacerdotio. Regni etiam ejus imago fuit ante oculos propoſita in Davide. Dicit ergo priore loco venturas illuc Dei tribus, vel familias: mox deinde adjungit, fixum illic eſſe ſolium judicii. in quo ſedeat ipſe cum ſuis poſteris. Scimus cur templum unum duntaxat & unum altare extare tunc voluerit Deus, ne ſcilicet populus in varias ſuperſtitiones diffflueret. Jam ergo David prædicat hunc locum Dei voce ordinatum eſſe, in quem undique conveniant omnes Dei familiæ, vel duodecim tribus. Atque ut clarius exprimat quanti interſit purum & legitimum cultum ſervari, dicit hoc eſſe in teſtimonium. Origo iſtius nominis eſt verbum עוד, quod teſtificari vel paciſci ſignificat. Notatur autem hic mutua teſtificatio vel conventio inter Deum & populum: acſi diceret Propheta, non temere venturas illuc tribus, quia ſic ferat libido: ſed quia eas proprio ore Deus invitet. Summa eſt igitur, ſacros conventus qui Hieroſolymæ agentur, non fore inanes vel frivolos: quia de certo loco Deus cum populo ſuo pepigerit. Unde colligimus, verum Dei templum non cenſeri niſi à doctrina. Quod ad tempus Davidis ſpectat, quoniam adoptaverat Deus veterem populum, & volebat exerceri in externo nominis cultu, regulam præſcripſit à qua nefas fuit deflectere. Ita non ſtulte, vel inconſiderato zelo, vel cerebri ſui impetu tracti fuerunt fideles in montem

Sion

Sion, ſicuti homines ex proprio ſenſu innumeros cultus ſibi fingunt: ſed Dei mandato abducti, ut eum colerent in monte Sion. Quo verbo ſignificat alia omnia templa profana eſſe, & vitioſos cultus, quia Dei præſcripto non reſpondeant. Poſtea finem hujus pacti vel conventionis addit, *ut celebretur nomen Dei.* Et ſane ſicuti hic adoptionis noſtræ, ita omnium actionum finis eſt, bonorum omnium gloriam Deo tribuere.

5. *Quia illic ſederunt ſolia.*] Intelligit ſolium regni Hieroſolymæ fixum eſſe vel locatum, vel illic certam eſſe ejus ſtationem. Scimus aliqua ſemper fuiſſe judicia in populo: ſed quum prius fuiſſent ſuſpenſa & varie mutata, novam gubernationem quæ perpetuo ordine flueret, inſtituit Deus in perſona Davidis, quia in ejus locum poſteros juſſit ſuccedere uſque ad Chriſti adventum. Ergo ſicuti de templo & ſacerdotio nuper loquutus eſt, ita nunc regnum quod Deus erexit, firmum & ſtabile fore prædicat, ut diſcernat à reliquis mundi imperiis, quæ non modo temporalia ſunt, ſed etiam caduca. Atque hæc perpetuitas ab aliis Prophetis ſubinde confirmata fuit, & merito: ut ſcirent fideles non aliter Deum cuſtodem fore ſalutis ſuæ, niſi ſub tutela & præſidio Davidis: atque ita ſi incolumes & ſalvi manere cuperent, non crearent ſuo arbitrio novos Reges ſed placide ſub illo genere regiminis degerent. Itaque emphatica repetitio eſt in nomine ſolii, Illic poſitum eſt ſolium (inquit) judicii vel rectitudinis. Deinde ſolium domus David: quia volebat Deus penes ejus poſteros manere jus & poteſtatem regnandi, donec patefieret in Chriſto ſolida æternitas.

6. Precamini pacem Jeruſalem, proſpere ſit diligentibus te.	6 שַׁאֲלוּ שְׁלוֹם יְרוּשָׁלָםִ יִשְׁלָיוּ אֹהֲבָיִךְ׃
7. Sit pax in munitione tua, * proſperitas in turribus tuis. (* vel, abundantia.)	7 יְהִי שָׁלוֹם בְּחֵילֵךְ שַׁלְוָה בְּאַרְמְנוֹתָיִךְ׃
8. Propter fratres meos & propinquos meos loquar nunc pacem in te.	8 לְמַעַן אַחַי וְרֵעָי אֲדַבְּרָה נָּא שָׁלוֹם בָּךְ׃
9. Propter domum Jehovæ Dei noſtri † quæram bonum tibi. († vel, perſequar.)	9 לְמַעַן בֵּית יְהוָה אֱלֹהֵינוּ אֲבַקְשָׁה טוֹב לָךְ׃

6. *Precamini pacem Jeruſalem.*] Nunc hortatur David omnes pios Dei cultores, ut vota concipiant pro felici ſacræ urbis ſtatu. Et quo efficacius moveat, viciſſim eis quoque Dei benedictionem promittit. Cur tantopere de ſalute illius urbis ſolicitus fuerit, antea diximus, & mox iterum in fine Pſalmi repetet: nempe quia in regno & ſacerdotio incluſa erat totius Eccleſiæ ſalus. Jam vero quum neceſſe ſit, collapſa communi ſalute, unumquemque noſtrum miſere perire, non mirum ſi David hanc curam & hoc ſtudium omnibus Dei filiis commendet. Itaque ſi rite ordinare volumus preces noſtras, hoc ſit exordium, ut Dominus Eccleſiæ corpus conſervet. Quiſquis autem privatim ſibi addictus, communem ſtatum negligit, non ſolum oſtendit ſe vacuum eſſe vero pietatis ſenſu, ſed fruſtra ſibi bene optat, nec quicquam præpoſteris ſuis votis proficiet. Quo etiam ſpectat quæ mox additur promiſſio: *Proſpere erit diligentibus te.* quod tamen membrum optative legi poteſt, ſed eodem fere ſenſu. Quanquam autem verbum שלה in quiete vel pace agere ſignificet, quia tamen pacis nomen generaliter pro læto & felici ſtatu poſuit, ita non dubito quin piis omnibus, quibus curæ erit Eccleſia, benedictionem Dei & vitam proſperam in genere denunciet. Quæ ſententia ſæpius occurrit apud Jeſaiam à 54. capite uſque ad finem. Porro hinc colligimus, à Deo maledici omnes qui Eccleſiam infeſtant, vel ejus perniciem quovis genere noxæ machinantur.

7. *Sit pax in munitione tua.*] Pacis nomen hoc etiam loco non aliud quam proſperitatem ſignificat. Eſt enim ſententiæ geminatio in hoc verſu: ideo ex ſecundo membro colligitur prioris ſenſus. Atqui poſtea additur nomen שלוה, quod interdum quidem Hebræis quietem ſignificat, ſed ſæpius pro abundantia vel rebus proſperis capitur. Qua ratione adductus nomen בחילך tranſtuli, in munitione tua. Etſi enim non improbo quod alii foſſam vel antemurale verterunt, munitio tamen turribus melius reſpondet. Summa eſt, quod David proſperitatem optat Eccleſiæ quam longe patet per totum circuitum. Porro notandum eſt, non ita optari proſperitatem externam, acſi non curaret David quomodo intus habeat: ſed ad mores alludens, optat ſanctam urbem omni ex parte Dei benedictione cinctam eſſe ac munitam.

8. *Propter fratres meos.*] Duas cauſas enumerat cur tangatur Eccleſiæ cura, ut ſuo exemplo pios omnes ad eumdem profectum provocet. Videtur tamen ſubeſſe tacita antitheſis, quia apud improbos & malignos ſuſpectus eſſe poterat, vel ſaltem obnoxius erat eorum calumniis: acſi in commendanda Jeruſalem domeſtico potius commodo, quam publicæ utilitati conſuleret. Nequis objiceret, aſtute regnum ſuum hoc modo ſtabilire: teſtatur ſe non moveri privato ſui reſpectu, ſed totam Eccleſiam ſe animo amplecti. Loquar (inquit) de pace tua Jeruſalem: non quia vel mihi vel meis utile futurum eſt, ſed quia proſperitas tua ſeſe ad omnes Dei filios diffundet. Neque enim dubium eſt quin fideles omnes ſub fratrum nomine deſignet. Additur poſtea ſecunda ratio: quia, niſi ſtante Hieroſolyma, non manebit integer Dei cultus, ſed peſſum ibit. Ergo ſi pretioſa eſt nobis fratrum ſalus, ſi cordi eſt religio, curanda ſimul eſt Eccleſiæ incolumitas quoad in nobis erit. Unde ſequitur non minus crudeles eſſe quam impios quibus ſuſque deque eſt Eccleſiæ ſtatus. nam ſi columna & firmamentum veritatis eſt Eccleſia, ejus interitu pietatem quoque extingui neceſſe eſt. (1 Tim. 3. verſ. 15.) Jam quomodo exitium corporis ſingula etiam membra non involvat? Docet præterea hic locus, non inanem eſſe Eccleſiæ titulum, ſed ubi viget pura religio, illic quærendam eſſe Eccleſiam. Unde apparet quam inſipidi ſunt Papiſtæ, qui profligata Euangelii doctrina, magnifice tamen Eccleſiæ nomine ſuperbiunt.

ARGUMENTUM PSALMI CXXIII.

Hoc Pſalmo fideles crudeli hoſtium tyrannide oppreſſi, Deum liberatorem implorant, quia non alia quam in ejus patrocinio ſpes reſidua ſit.

PSALM. CXXIII.

CAnticum graduum. Ad te levabo oculos meos, qui habitas in cælis.	1 שִׁיר הַמַּעֲלוֹת אֵלֶיךָ נָשָׂאתִי אֶת עֵינַי הַיֹּשְׁבִי בַּשָּׁמָיִם׃
2. Ecce ſicut oculi ſervorum ad manum dominorum ſuorum, ſicut oculi ancillæ ad manum dominæ ſuæ, ita oculi noſtri ad Jehovam Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri.	2 הִנֵּה כְעֵינֵי עֲבָדִים אֶל יַד אֲדוֹנֵיהֶם כְּעֵינֵי שִׁפְחָה אֶל יַד גְּבִרְתָּהּ כֵּן עֵינֵינוּ אֶל יְהוָה אֱלֹהֵינוּ עַד שֶׁיְּחָנֵּנוּ׃
3. Miſerere noſtri Jehova, miſerere noſtri, quia valde ſatiati ſumus opprobrio.	3 חָנֵּנוּ יְהוָה חָנֵּנוּ כִּי רַב שָׂבַעְנוּ בוּז׃
4. Multum ſatiata eſt apud ſe anima noſtra ſubſannatione divitum, opprobrio ſuperborum.	4 רַבַּת שָׂבְעָה לָּהּ נַפְשֵׁנוּ הַלַּעַג הַשַּׁאֲנַנִּים הַבּוּז לִגְאֵיוֹנִים׃

A*D te levabo oculos meos.*] Incertum eſt quando Pſalmus hic vel à quo etiam Propheta compoſitus fuerit. Davidem certe auctorem eſſe, mihi probabile non eſt: quia ubi perſequutiones quas paſſus eſt ſub Saule, deplorat, aliquid de ſe privatim interponere ſolet. Potius ergo arbitror, quum populus in exilio Babylonico degeret, vel quo tempore graſſata eſt Antiochi ſævitia, hanc precandi formam piis omnibus in commune dictatam eſſe ab aliquo Propheta. Quicquid ſit, Spiritus ſanctus, cujus inſtinctu Propheta precandi regulam populo tradidit, clara voce nos ad Deum invitat, quoties non unus & alter modo, ſed tota Eccleſia hoſtium ſuorum libidine injuſte & ſuperbe vexatur. Diſerte autem, meo judicio, vocatur Deus *cælorum habitator*, non modo ut ejus potentiæ deferant fideles quantum oportet, ſed ubi nihil ſpei reliquum eſt in terra, imo deſperata eorum conditio inſtar ſepulchri eſt, vel in labyrintho demerſi ſunt, ut cogitent Dei virtutem in cælo integram manere. Itaque ſubeſſe videtur antitheſis inter turbulentum & confuſum mundi ſtatum, & regnum Dei cæleſte: ex quo omnia ſic moderatur, ut omnes mundi agitationes, quoties ita viſum eſt, tranquillet, perditis & deſperatis ſuccurrat, lucem reſtituat diſcuſſis tenebris, proſtratos & dejectos erigat. Ac *levandi* verbo id confimat Propheta, ubi ſcilicet omnia nos in mundo deficient, ſurſum tollendos eſſe oculos, ubi Deus ſimilis ſui perpetuo manet, utcunque hominum furor omnia hic pervertat.

2. *Ecce ſicut oculi ſervorum.*] Hæc ſimilitudo apprime apta eſt ad præſentem cauſam: quia ſignificat Propheta, extra Dei tutelam nihil eſſe ſolatii fidelibus, inermes eſſe, & ad quamvis injuriam expoſitos, non vires neque audaciam ad reſiſtendum ſuppetere: denique eorum ſalutem pendere totam ab alieno auxilio. Scimus enim quam indigne olim tractati fuerint ſervi, & quibus expoſiti contumeliis: porro ad vim repellendam vix digitum movere audebant. Omni ergo defenſione privatis reſtabat quod hic dicitur, ut ſe herili manu protegi peterent. Eadem etiam ratio ad *ancillas* pertinet. Pudenda quidem ac turpis fuit illa conditio, ſed facit compenſatio quæ hic nobis proponitur, ne ſervilis ignominiæ nos pudeat. Neque enim eſt cur ægre feramus conferri mancipiis, modo Deus ſit patronus noſter, vitæque noſtræ defenſionem ſuſcipiat: qui nos conſulto exarmat, & cunctis hujus mundi opibus exuit, ut diſcamus unica ejus gratia contenti eſſe. Nam olim quia ſervis gladium vel telum aliquod geſtare capitale erat, & omnibus injuriis obnoxii erant, eo animoſius ſolebant domini ſe opponere ſiquis eos abſque cauſa violaverat. Non dubium igitur, ſi Deus à ſua tutela nos pendere videat, nec propriis opibus confidere, quin ad omnes quæ nobis illatæ fuerint moleſtias vindex occurrat. Certum tamen eſt tempus hic proprie deſcribi, quo populus Dei ad extremam inopiam adeoque deſperationem redactus erat. Manum pro auxilio poni, ſatis notum eſt.

3. *Miſerere noſtri Jehova.*] Proſequitur ac confirmat ſuperiorem doctrinam. Dixerat piorum oculos, quia prorſus fracti & dejecti erant, ad Dei manum intentos eſſe: nunc addit ſatiatos eſſe opprobrio. unde colligimus, impios non modo violenter graſſatos eſſe ad quidvis audendum, ſed per ludibrium quaſi calcaſſe filios Dei. Et certe repetitio quæ vehementiæ & ardoris ſignum eſt, ſimul oſtendit nihil defuiſſe ad ſummas miſerias. Jam ubi ad injurias accedit ſubſannatio, nihil eſt quod ingenuas mentes magis vulneret. Ideo de hac maxime conqueritur Propheta, acſi eſſet malorum omnium cumulus. *Divites & ſuperbos* Eccleſiæ inſultaſſe dicit, quia hoc uſu venire ſolet, ut qui eminent in mundo, populum Dei ex alto deſpiciant. Nam illis oculos perſtringit honoris ſui & potentiæ ſplendor, ne ullo pretio dignentur ſpirituale Dei regnum: imo quo proſperior arridet Fortuna impiis, eo magis intumeſcit eorum ſuperbia, & inſolentius deſpumat. Docet tamen hic locus, nihil novi accidere ſi filiis hujus ſeculi, qui opibus excellunt, contemptibilis ſit Eccleſia. Et merito eoſdem vocat ſuperbos, quos & divites: quia abundantia ferociam parit. Cæterum quia videmus jam olim coopertam probris fuiſſe Eccleſiam Dei, & per ludibrium digito oſtenſam, non eſt quod nos hodie exanimet mundi contemptus, vel fidem noſtram labefactent impii dum ſuis dicteriis nos inceſſunt, imo & conviciis proſcindunt. Semper enim tenendum eſt quod hic refertur, ſatiatam fuiſſe animam non unius tantum hominis vel paucorum, ſed totius Eccleſiæ, non modo impia violentia, crudelitate, fraudibus, & aliis maleficiis, ſed etiam probro & ſubſannatione. Tenendum etiam eſt, quicquid eſt altitudinis in mundo & ſuperbiæ, hic contra Eccleſiam Dei ſtatui, ut ſit pro quiſquiliis & ſtercore, quemadmodum dicit Paulus. *1 Cor. 4. verſ. 13.* dum idem nobis hodie uſu venit, ſinamus impios turgere ſuo faſtu donec crepent: atque hoc uno contenti ſimus, quod Deus tamen nos pretioſos ducit. Ac verbo *ſatiandi*, præſertim dum emphatice repetitur, expreſſit Propheta diuturnam oppreſſionem, quæ tædio & mœrore repleverit piorum animos. Porro quam utilis hodie ſit hæc admonitio, prolixe diſſerere nihil attinet. Eccleſiam videmus deſtitui omni mundi præſidio, & jacere ſub hoſtium pedibus, qui copiis omnibus abundant, & formidabili potentia inſtructi ſunt. Papiſtas videmus ſecure inſurgere, & pleno gutture profundere ſua ludibria in nos, & totum Dei cultum. Nobis etiam permiſti ſunt & ubique volitant Epicurei homines, quibus deriſui eſt noſtra ſimplicitas. Multi etiam Cyclopes contu-

meliis nos obruunt: atque hæc indignitas, ex quo rurſus emergere cœpit Evangelium, hucuſque duravit. Quid ergo ſupereſt, niſi ut tenebris circumdati, vitæ lucem in cælo quæramus? & quamvis ad ſatietatem omni probrorum genere repleta ſit anima noſtra, famelicis tamen votis ad liberationem aſpiret?

ARGUMENTUM PSALMI CXXIV.

Quia ex ſummo diſcrimine Divinitus liberata fuerat Eccleſia, fideles hortatur David ad gratias agendas: atque hoc memorabili exemplo admonet, eorum ſalutem nonniſi Dei gratia & virtute ſtare.

PSALM. CXXIV.

CAnticum graduum Davidis. Sine Jehova qui fuit pro nobis, dicat nunc Iſraël:	1 שיר המעלות לדוד לולי יהוה שהיה לנו יאמר נא ישראל:
2. Sine Jehova qui fuit pro nobis, quum inſurgerent contra nos homines,	2 לולי יהוה שהיה לנו בקום עלינו אדם:
3. Tunc vivos deglutiſſent nos, quum excandeſceret furor eorum in nos:	3 אזי חיים בלעונו בחרות אפם בנו:
4. Tunc aquæ obruiſſent nos, torrens tranſiſſet ſuper animam noſtram:	4 אזי המים שטפונו נחלה עבר על נפשנו:
5. Tunc tranſiſſent ſuper animam noſtram aquæ ſuperbæ.	ה 5 אזי עבר על נפשנו המים הזידונים:

SIne Jehova.] Quod putant quidam interpretes deſcribi triſtiſſimam Eccleſiæ cladem, quum reliquiæ populi Babylonem traductæ ſunt, infirmum eſt: quia perſequutionibus quas ſub Antiochi tyrannide paſſa eſt Eccleſia, æque conveniunt quæ hic leguntur querimoniæ. Sed quum Pſalmus præferat nomen Davidis, & hiſtorice narret populum è ſummo periculo Divinitus fuiſſe ereptum, coacta eſt illa conjectura, ſub vaticinio deſcribi quod nondum contigerat. Prophetæ enim alio modo de rebus futuris diſſerere ſolent. Quare magis probabile eſt, Davidem hic proponere notam hiſtoriam, fideleſque hortari ut ſecum reputent quod jam re ipſa experti erant Dei auxilium. Nec vero ad tempus Davidis reſtringere audeo quod hic dicitur. Hoc quidem verum eſt, gentes profanas ſæpius ea potentia inſtructas bellum populo moviſſe, ut diluvio ſimilis eſſet earum impetus: ſed quia nullam ſpeciem deſignat, non unum (meo judicio) liberationis genus, ſed quaſcunque unquam ſuppetias tulerat Deus Eccleſiæ ſuæ, hac gratiarum actione celebrat. Scimus autem variis temporibus ſæpe gentes inſurrexiſſe contra Eccleſiam tam validis copiis, ut nihil fere à morte illa diſtaret. Dubium ergo Eccleſiæ ſtatum qualis ab initio fuerat, quaſi in ſpeculo proponit David: ut diſcant fideles non propriis viribus ſtetiſſe, ſed admirabili Dei gratia ſervatam, ſeque ad Deum in periculis invocandum aſſueſaciant.

2. *Sine Jehova.*] Bis eandem ſententiam non fruſtra inculcat. Quamdiu enim in diſcrimine verſamur, timor noſter modum excedit: perfuncti vero, extenuamus mali noſtri magnitudinem. Et Satan hoc artificio nobis illudit ad obſcurandam Dei gratiam. Quoniam ergo ut plurimum, poſtquam mirabiliter à Domino ſervati ſumus, varias nobis fingimus imaginationes, quæ memoriam gratiæ Dei obliterent, conſulto David populum quaſi attonitum inducens, in amplificando diſcrimine inſiſtit. Quare ſciamus his verbis frænum nobis injici, quod in meditandis noſtris periculis nos retineat, ne ex animis noſtris evaneſcat gratiæ Dei ſenſus. Communis verſio non ſatis exprimit Davidis mentem, Niſi Dominus fuiſſet pro nobis. pronunciat enim David, non aliter quam Dei auxilio potuiſſe ſervari: & ſimul docet, auxilium illud certum & illuſtre fuiſſe. Duo igitur hic diſtincte notanda ſunt, præſto fuiſſe Dominum ad ferendam ſervis ſuis opem, & ab eorum parte ſtetiſſe: deinde non aliundeneque aliter potuiſſe ſalvos evadere qui jam perditi erant. atque ita docemur tunc demum homines adſcribere ſalutis ſuæ gloriam Deo, quum perſuaſi ſunt eum ſibi eſſe propitium, ut eos tueri velit, & incolumes præſtare. Secundo membro in ſublime attollitur immenſa Dei virtus, cujus ſpecimen ediderat in populo liberando: ut ſciamus non competere in homines talem ſervandi modum. Per nomen אדם (quod dum eſt collectivum, homines indefinite ſignificat) videtur notare David ingentem hoſtium numerum: acſi diceret, populo Dei non fuiſſe certamen duntaxat cum paucis hominibus, vel una gente, ſed fere à toto mundo fuiſſe oppugnatum: ut ſatis conſtat Judæis infeſtum fuiſſe totum humanum genus. Quum dicit, *Vivos deglutiſſent nos*, non modo exprimitur truculenta ſævitia, ſed etiam virium imparitas. Primo igitur deſcribit quam violenta fuerit aggreſſio: deinde quam infirmæ ad reſiſtendum vires: quia gladiis opus non fuerit ad cædem, ſed abſque prælio & manu imbellem gregem vorare potuerint immanes illæ beſtiæ.

4. *Tunc aquæ obruiſſent nos.*] Exornat eleganti metaphora formidabilem illum hoſtium impetum, diluvio comparans, quod ſua exundatione quicquid obvium eſt abſorbet. & ſemper hominis expavefacti perſonam retinet. Aquas nominat, deinde *torrentem*, tertio repetit *aquas impetuoſas* vel ſuperbas. Dicit *ſuper nos*, *ſuper animam noſtram*, acſi ex rei intuitu vellet terrorem incutere. Et certe tantundem valere debet patheticus hic ſermo atque hypotypoſis, quo melius ſentiant fideles ex quam profundo gurgite erepti fuerint Dei manu. Nam ille demum ſalutem ſuam Deo fert acceptam, qui ſe ante liberationem perditum fuiſſe agnoſcit. Adverbium *tunc*, vel deicticon eſt, acſi digito rem monſtraret: vel accipitur pro pridem. Quanquam præſenti loco prior ſignificatio magis convenit.

6. Benedictus Jehova, qui non dedit nos in prædam dentibus eorum.	ל 6 ברוך יהוה שלא נתננו טרף לשניהם:
7. Anima noſtra, ſicut avis, erepta eſt è laqueo venantium: laqueus diſſipatus eſt, & nos liberati ſumus.	7 נפשנו כצפור נמלטה מפח יוקשים הפח נשבר ואנחנו נמלטנו:

8. Auxi-

8. Auxilium noſtrum in nomine Jehovæ, qui fecit cælum & terram. | 8 עזרנו בשם יהוה עשה שמים וארץ:

6. *Benedictus Jehova.*] Jam ad gratitudinem pios hortatur, & quaſi verba illis dictat: ubi etiam altera ſimilitudine oſtendit, actum de ipſis fuiſſe niſi Deus opem tuliſſet. Dicit enim non ſecus fuiſſe ereptos, quam ſiquis *prædam ex dentibus* feræ & crudelis beſtiæ auferat. Eodem & tertia ſimilitudo pertinet, irretitos undique fuiſſe, & implicitos hoſtium captionibus, non ſecus atque *aviculæ* reticulo comprehenſæ ſub manu aucupis jacent. ereptos autem non aliter fuiſſe, quam ſiquis liberum exitum captis avibus concedat. Summa eſt, populum Dei imbellem, conſilii inopem, viribus deſtitutum, non modo cum truculentis ſævisque belluis negotium habuiſſe, ſed aucupiis etiam & fraudibus fuiſſe illaqueatum, ut tam conſilio quam aperto marte hoſtibus longe inferior à multis mortibus obſideretur. Unde colligere promptum eſt mirabiliter fuiſſe ſervatum.

8. *Auxilium noſtrum à Jehova.*] Jam ad perpetuum Eccleſiæ ſtatum extendit quod ante experti erant fideles. Sic enim hunc verſum interpretor, ut non tantum de uno beneficio gratias agat, ſed aſſerat non aliter incolumem manere Eccleſiam, niſi quatenus Dei manu & tutela protegitur. Conſilium autem ejus eſt, filios Dei ad bonam ſpem animare, ut non dubitent ſub Deo cuſtode vitam ſuam eſſe in tuto. Eſt autem notanda antitheſis inter Dei auxilium & alia media quibus perperam mundus confidit, ſicut Pſalmo 20. verſ. 8. vidimus. Hi in curribus, illi in equis, nos autem in nomine Dei invocabimus. ut fideles omni prava confidentia purgati & vacui ad unum Dei præſidium ſe conferant: eoque freti, ſecure deſpiciant quicquid Satan & totus mundus in eos machinantur. Etſi autem nomen Dei nihil aliud eſt quam Deus ipſe, ſubeſt tamen aliqua notatio: quia quatenus gratiam ſuam verbo nobis patefecit, facilis ad eum acceſſus patet, ut non procul vel per flexuoſos circuitus quærendus ſit. Nec fruſtra rurſus Deum inſignit epitheto creatoris. Scimus enim qua inquietudine æſtuant mentes noſtræ donec in ſuum gradum extulerint Dei potentiam, ut toto mundo in ordinem coacto, ſola emineat: quod fieri non poteſt niſi ſtatuamus omnia ejus arbitrio ſubeſſe. Neque enim ſemel momento ſuam potentiam oſtendit in mundi creatione, quam deinde ſubduceret: verum aſſidue eandem in illo gubernando demonſtrat. Cæterum etſi liberaliter ac pleno ore fatentur omnes Deum cæli & terræ eſſe factorem, ut improbiſſimos etiam quoſque pudeat hoc titulo ipſum non ornare: ſimul tamen atque objectum eſt aliquid terroris, convincitur noſtra incredulitas, quod ejus auxilium nullo fere loco dignamur.

ARGUMENTUM PSALMI CXXV.

Quia fideles in hoc mundo profanis hominibus permiſti, videntur ad omnes communis vitæ caſus expoſiti, Propheta eos Hieroſolymæ comparans, invicto præſidio munitos eſſe docet. Quod ſi quando Deus improborum libidine vexare eos permittat, hortatur ad bene ſperandum: interim tamen ne promiſcue, quod hic dicitur, ad ſe rapiant hypocritæ, inter veros & falſos Iſraëlitas diſcernit.

PSALM. CXXV.

CAnticum graduum. Qui confidunt in Jehova, ſicut mons Sion non commovebitur, perpetuo reſidebit. | 1 שיר המעלות הבטחים ביהוה כהר ציון לא ימוט לעולם ישב:

2. Jeruſalem montes in circuitu ejus, & Jehova in circuitu populi ſui ex nunc & uſque in ſeculum. | 2 ירושלם הרים סביב לה ויהוה סביב לעמו מעתה ועד עולם:

QUi confidunt.] Differt hic Pſalmus à ſuperiore, quod illic dictum fuit Eccleſiam Divinitus neque humanis mediis fuiſſe ſervatam: nunc autem docet Spiritus ſanctus, in poſterum tempus ſemper ſalvam fore ac tutam, quia inexpugnabili Dei virtute munita eſt. Quum autem ſub ſitu urbis Hieroſolymæ deſcribitur Eccleſia, Prophetæ conſilium eſt ſingulos fideles hortari ut ſalutem communiter toti electo populo promiſſam, certo ſibi perſuadeant ad ſe ſpectare. Sed viſibilem Eccleſiæ imaginem oculis proponens, eorum ruditati ſe accommodat qui pigritia carnis ſuæ retenti, adhuc in terra ſubſidunt. Hoc igitur primo notandum eſt, ſi qui arcanum Dei præſidium fidei ſenſu non ſatis capiant, illis inſtar ſpeculi proponi *montes*, quibus undique cincta erat Hieroſolyma, ut minime dubitent æque ab omni periculo tutam eſſe Eccleſiam, acſi talibus propugnaculis & muris omni ex parte probe clauſa foret. Jam vero utile cognitu eſt quod nuper attigi, quoties Deus totum populum ſuum compellat, vocem ad ſingulos dirigere. Bona enim pars promiſſionum ad totum Eccleſiæ corpus extenditur: ita multi eas tanquam procul remotas eminus ſpeculantur, neque ad ſe aptare audent. Ideo tenenda eſt quæ hic præſcribitur ratio, ut ad ſe quiſque accommodet quicquid Eccleſiæ ſuæ communiter Deus promittit. Porro non temere Hieroſolymam Eccleſiæ picturam facit, quod illic eſſet Dei Sanctuarium & Arca fœderis. Quod ad verba ſpectat, duobus modis exponi poſſunt. Quidam enim prius verbum לא ימוט non commovebitur de Hieroſolyma accipiunt: poſterius autem ישב referunt ad ipſos fideles, ut ſit mutatio numeri quæ Hebræis ſatis trita eſt. Et certe non incommode ſic vertetur ſententia, Qui confidunt in Domino, ſicut mons Sion non commovebitur, in æternum habitabunt, vel, manebunt ſtabiles. Nam hoc ſenſu verbum reſidendi capitur. Nunc tenemus quid velit Propheta: Quamvis tot ac tam ſubitis mutationibus obnoxius ſit mundus, ut in ſingula fere momenta novam faciem induat, fideles autem aliis permiſti ſint, & communis utriuſque ſit conditio: illorum tamen ſalutem invicto Dei præſidio firmam ſtare. non quod tranquilli habitent: ſed quia ſub Dei cuſtodia fruſtra impetitur eorum ſalus. ſalute excidere nunquam poterunt etiamſi labaſcant. Sed notemus requiri fidei conſtantiam: ſub voce הבוטחים quæ Hebræis ſignificat ſperantes, vel qui expectant. Ergo quiſquis manu Dei fulciri cupit, conſtanter in eam recumbat: quiſquis ab ea cupit protegi, patienter ſubea quieſcat. Nam quod Deus ſæpe nos in varias partes abripi, vel inſtar paleæ jactari patitur, id fit noſtra levitate, dum in aëre volitare malumus, quam in rupe auxilii ejus mentes noſtras figere. Similitudo quæ ſecundo verſu ponitur, ſatis dilucida eſt, Quemadmodum in circuitu Hieroſolymæ continui *montes* formam murorum repræſentant, ita Deum ſua virtute circumdare fideles, ut noxas omnes ab illis arceat. Frequenter occurrunt ſimiles loquutiones, Deum populo ſuo murum & antemurale

rale fore: ſed ultra progreditur David, vel quiſquis fuerit Pſalmi auctor, arcanum præſidium, quo ſuos tuetur Deus, ſub montium figura demonſtrans, ut rudes & infirmi quos adhuc in terra torpor ſuus retinet, montium conſpectu adjuti, ſurſum animos attollant.

3. Quia non quieſcet ſceptrum impiorum ſuper ſortem juſtorum, ne extendant juſti ad iniquitatem manus ſuas.	3 כי לא ינוח שבט הרשע על גורל הצדיקים למען לא ישלחו הצדיקים בעולתה ידיהם:
4. Benefac Jehova benignis & rectis in cordibus ſuis.	4 היטיבה יהוה לטובים ולישרים בלבותם:
5. Qui autem * divertunt in pravitates ſuas, ambulare faciet Jehova cum operariis iniquitatis: pax ſuper Iſraëlem.	5 והמטים עקלקלותם יוליכם יהוה את פעלי האון שלום על ישראל:

* vel, *oberrant in pravitatibus ſuis.*

3. *Quia non quieſcet.*] Eſt quædam ſuperioris ſententiæ correctio. Dixerat, in omnes partes extentam eſſe manum Dei ad protegendam Eccleſiam. Quia vero libenter Dei promiſſiones hucuſque trahimus ad noſtrum commodum, ut ſimus immunes ab omni moleſtia, monemur hic non obſtare Dei tutelam quominus cruce & afflictionibus interdum exerceamur, ideoque non eſſe cur ſibi mollem & tranquillam vitam in terra promittant fideles: quia ſatis eſt non deſeri ubi Dei auxilio indigent. Etſi enim tenerrime eos diligit cæleſtis Pater, vult tamen cruce expergefieri, ne carnis ſuæ deliciis nimium indulgeant. Quare ſi amplectimur hanc doctrinam, quamvis impiorum tyrannide nos opprimi contingat, patienter tamen expectabimus dum eorum ſceptrum confringat Deus, vel de manibus excutiat. Dura eſt tentatio, fateor, videre graſſantes impios in hæreditate Domini, & fideles ſub eorum pedibus jacentes: ſed quia non ſine juſta ratione ita Deus ſuos humiliat, petendum inde eſt ſolatium. Additur etiam ratio, ne *juſti* tentatione victi, *ſeſe ad peccandum projiciant*, quæ diligenter notanda eſt. Nam hinc colligimus ideo temperari à Deo res adverſas. quia infirmitati noſtræ parcere vult. Quare etſi non tantum eſt in nobis fortitudinis & conſtantiæ ut vel momentum perſtemus in officio: hæc ſententia nobis occurrat, curæ tamen fore Deo ne fracti malis deſeramus pietatis cultum. Certe ſi toto vitæ curſu abſque ulla relaxatione nos affligeret, crux ſemper eſt nobis utilis. Nam & quam indomita ſit carnis noſtræ contumacia videmus, & quam fervidi ſubinde ebulliant ejus impetus: imo ut inter ipſas afflictiones quibus in obſequium cogenda erat, non tamen deſinat calcitrare. Quo magis neceſſaria eſt hæc admonitio, Dominum tempeſtive modum imponere tentationibus, quia videt nos impares eſſe ad reſiſtendum. Nec vero Propheta tantum dicit eſſe periculum ne infirmi deficiant, ſed ne juſti, qui vere & ex animo Deum colunt, & dediti ſunt pie vivendi ſtudio, ſuccumbant ipſi quoque. Ergo, utcunque in cordibus noſtris vigeat Dei timor, ſciamus tamen non eſſe tanta fortitudine præditos ut ſuſtineamus in finem uſque, niſi Dominus infirmitatis noſtræ rationem habeat. Quod ſi hoc de optimis quibuſque athletis pronunciat Spiritus ſanctus, quid de tyronibus fiet, qui nondum ita ſunt ad pugnandum confirmati? Notanda etiam eſt loquutio, *ne extendant manus ſuas:* qua docet violentos eſſe tentationum impetus, ut juſtorum manus, quæ prius erant quaſi devinctæ, & quarum motus compoſiti erant ad Dei arbitrium, nunc quaſi ſolutæ ad peccandi licentiam ferantur.

4. *Benefac Jehova benignis & rectis.*] Quanquam Propheta certo jam piis omnibus pollicitus fuerat opportunum Dei auxilium, ſe tamen ad precationem convertit: neque id fruſtra. Nam etſi nos ſuſtentet fides, quia tamen interea vacillant carnis noſtræ ſenſus, preces miſcendæ ſunt ad confirmationem. Sequamur ergo hanc Prophetæ regulam, qui pios omnes ad fiduciam hortatus, ſimul oſtendit non ſecure oſcitandum eſſe quin ad Deum confugiant, & precibus ab eo flagitent quod ipſe verbo ſuo jubet eos ſperare. Et certe quia in afflictionum tenebris non perſpicitur Dei auxilium, quin potius videtur coram Deo nullum eſſe juſtorum & impiorum diſcrimen: hoc remedio utendum eſt. Nec tantum ſimpliciter rogat ut bonos benigne tractet Deus, ſed bonitatem quoque definit, quæ manat ex ſincero affectu. Neque enim filiis Dei ſufficeret abſtinere ab omni maleficio, niſi reſpondeat interior cordis integritas, imo niſi totam eorum vitam gubernet.

5. *Qui autem divertunt.*] Quia participium המטים eſt ex conjugatione Hiphil, ſecundum rationem Grammaticæ potius active exponi deberet. ſed quia non parum eſt verba in illa conjugatione neutraliter quoque accipi, probabilis eſt iſta, quam ſequutus ſum, verſio. Sed quia activa ſignificatio non minus apte quadrat, libera ſit electio. Senſus eſt, ne Deus ad eorum ſcelera ſemper conniveat, qui ſe falſa profeſſione jactantes, pro ſua libidine vagantur, vel etiam ſimplices corrumpunt & ſecum trahunt ad peccandi licentiam. Neque enim dubium mihi eſt, de hypocritis haberi ſermonem, quos impunitas temporalis ita obdurat, ut inter ſanctiſſimos locum ſibi arrogent, quia ipſis Dominus indulget. Videmus non tamen in mundo permiſtos eſſe bonos improbis, ſed in ipſa quoque Dei area latere ſub palea & quiſquiliis triticum. In hoc dubio & confuſo ſtatu ſuperbiunt mali, acſi eſſent ex optimis Dei cultoribus. Quare rogandus eſt Deus ut eos trahat in lucem, & cum operariis iniquitatis in juſtas pœnas detrudat. Hinc ſequitur *pax* iſta quam optat *ſuper Iſraëlem*. Non loquitur autem in genere de tota carnali progenie Abrahæ, ſed potius optat purgari Dei Eccleſiam ab hypocritis qui locum in ea occupant, donec manum ſuam Deus in judicium attollat. Ideo dixi hinc oriri Eccleſiæ pacem dum juſtam vindictam exercens Deus contra fictitios & larvatos Iſraëlitas qui ejus viſcera diſcerpunt ac lacerant, rectos corde colligit, ac ſua benedictione paternum erga eos favorem palam demonſtrat.

ARGU-

ARGUMENTUM PSALMI CXXVI.

Pſalmus hic tribus membris conſtat. Nam primo fideles ab exilio reverſos hortatur Propheta ad gratitudinem, & liberationis gratiam magnifice extollit: ut certo agnoſcant, Divinitus, non fortuito caſu, vel hominum beneficio ſe in patriam reductos eſſe. Adjungitur deinde precatio, ut Deus opus ſuum quod cœpit abſolvat. Tandem quamvis non ſtatim oculis appareat plena reſtitutio, mitigat tamen moræ tædium. Atque ut nunc ſatio lachrymis reſperſa ſit, affirmat tamen lætam fore meſſem.

PSALM. CXXVI.

CAnticum graduum. Dum reduxit Jehova captivitatem Sion, facti ſumus tanquam ſomniantes.

2. * Jam implebitur riſu os noſtrum, & lingua noſtra exultatione: † jam dicent inter Gentes, Magnifice ſe geſſit Jehova ad agendum cum iſtis.

3. Magnifice Jehova ſe geſſit ad agendum nobiſcum, facti ſumus lætantes.

* vel, *Tunc impletum eſt.*
† vel, *Tunc dictum eſt.*

1 שיר המעלות בשוב יהוה את שיבת ציון היינו כחלמים :

2 אז ימלא שחוק פינו ולשוננו רנה אז יאמרו בגוים הגדיל יהוה לעשות עם אלה :

3 הגדיל יהוה לעשות עמנו היינו שמחים :

D*Um reduxit.*] Quod vaticinium quidam interpretes hic eſſe volunt de futuro tempore, durum & coactum eſt. Ego certe Pſalmum à reditu populi compoſitum eſſe non dubito: ideo verbum בשׁוב in præterito tempore reddere placuit. Quiſquis autem vel ex Levitis vel ex Prophetis fuerit auctor, modum redemptionis magis fuiſſe mirificum dicit, quam ut fortunæ aſcribi queat. ut hinc colligant fideles vere impletum fuiſſe Jeremiæ vaticinium, quod finem exilio ad ſeptuaginta annos præfixerat. Ac *ſomniandi* verbo rem incredibilem deſignans, locum ingratitudini non reſtare admonet. Nam quoties uſitatis modis agit Deus, ut maligni ſunt homines, ad obſcurandam Dei gratiam comminiſci varias cauſas ſolent. Quia autem in populi reditu miraculum reſplenduit quod abſorbeat vel obſtupefaciat omnes hominum ſenſus, cogit inſigne Dei opus agnoſcere. Hæc ratio eſt cur ſomnio comparet populi redemptionem: acſi diceret, Certe adeo nulla mens capiet tam incomparabile Dei beneficium, ut ſola cogitatio nos in ſtuporem rapiat, acſi ſomnium eſſet, non res geſta. Quanta igitur pravitas erit non agnoſcere ipſum authorem? Porro non intelligit Propheta, fideles ita fuiſſe hebetes ut non ſentirent ſe manu Dei redemptos, ſed tantum attonitos fuiſſe pro carnis ſenſu: ne tanquam de re vulgari apud ſe ratiocinantes, Dei potentiam minoris quam par erat facerent. Nomen שיבת liceret etiam vertere, ut quidam faciunt, reductionem: atque ita magis concinna analogia eſſet. Quia tamen ad ſenſum nihil fere intereſt, ſatis eſt obiter admonitos eſſe lectores.

Jer. 25. verſ. 12. & 29. verſ. 10.

2. *Jam replebitur.*] Adverbium temporis illud fere verti ſolet tunc. Sed quia verba futuri ſunt temporis, putavi non inepte transferri poſſe hoc modo, Jam replebitur, & jam dicent. Quanquam ſi recipimus quod tradunt Hebræi quidam doctores, hanc eſſe vim particulæ ut futurum tempus in præteritum convertat, bene conveniet ſententia. Prophetæ quidem conſilium minime obſcurum eſt. populum enim reditu ita vult lætari, ut non ſepeliat oblivione Dei gratiam. ideoque non vulgarem lætitiam deſcribit, ſed quæ ita animos perfundit, ut cogat eos in geſtu & voce modum excedere. Interea ſolidum hoc eſſe gaudium admonet in quo deceat filios Dei acquieſcere, quod conceſſus ſit in patriam reditus. Nam ſicuti nihil tunc miſerius fuit quam in exilio degere, ubi quodammodo abdicati erant ab hæreditate ſibi divinitus promiſſa: ſic nihil magis optabile illis eſſe debuit quam reſtitui. Quum igitur reductio in patriam teſtimonium fuerit renovatæ Dei adoptionis, non mirum eſt ſi Propheta dicat repletum os fuiſſe riſu & linguam exultatione. Eodem quoque gaudio nos hodie exultare convenit ubi colligit Deus ſuam Eccleſiam. ſicuti nimirum duri ſumus & ferrei, niſi miſera ejus diſſipatio, doloris & luctus nobis cauſa eſt. Longius deinde progreditur Propheta, miraculum hoc à cæcis conſpectum fuiſſe dicens. Scimus enim tunc Gentes, cæcorum inſtar, in tenebris erraſſe, quia nulla in ipſis fulgebat Dei cognitio: & tamen ſic conſpicua illic fuit Dei virtus, ut in apertam confeſſionem erumperent; *magnifice Deum egiſſe cum populo ſuo.* Quo magis pudenda fuit ſocordia inter Judæos, niſi libere & pleno ore celebrarent Dei gratiam, quæ tantum laudis apud incredulos obtinuerat. Et notanda eſt loquutio quæ emphatice exprimit magnificam Dei potentiam in hac liberatione fuiſſe cognitam à Gentibus. Unde & continuo poſt in ſua & Eccleſiæ perſona idem repetit: acſi diceret, ſaltem exeat à nobis confeſſio qualem Deus incredulis expreſſit. Quum ſubjicit *lætatos eſſe*, ſubeſt tacita antitheſis inter novum hoc gaudium & diuturnum mœrorem quo fuerant conſtricti in ſuo exilio. Diſerte autem prædicat redditam fuiſſe lætitiam, quo melius expendant fideles quam lugubris fuerit prior conditio.

4. Reduc Jehova captivitatem noſtram ſicut rivos in Auſtro.

5. Seminantes in lachrymis, in exultatione metent.

6. Vadens vadet ac flebit, portans pretium ſeminis: veniens veniet in exultatione, portans manipulos ſuos.

4 שובה יהוה את שבותנו כאפיקים בנגב :

5 הזרעים בדמעה ברנה יקצרו :

6 הלוך ילך ובכה נשא משך הזרע בא יבא ברנה נשא אלמתיו :

4. *Reduc Jehova.*] Secunda pars Pſalmi, ut dixi, precationem continet, ut Deus reſiduos captivos ſimul colligat. Atque hanc precandi formam Judæis qui jam patria fruebantur, dictavit Spiritus ſanctus, ne miſeros fratres ſuos negligerent. Tametſi enim patefactus erat toti populo exitus, & data libertas, ſcimus tamen exiguum numerum, præ ingenti multitudine, hujus beneficii fuiſſe participem. Quoſdam enim metus retinuit, quoſdam ignavia, quod diſcrimina viderent inſtare quibus obeundis pares non erant: & mallent in ſordibus ſuis torpere, quam ſuſcipere itineris moleſtiam. Credibile etiam eſt, multos præſentem quietem & commoda æternæ ſaluti prætuliſſe. Certe impletum fuit quod prædixerat Jeſaias, Etiamſi populus æquaret arenam maris, reliquias tantum fore ſalvas. Quum ergo multi palam reſpuerent oblatum beneficium, & precaria libertas multis difficultatibus & obſtaculis non care-

Jeſa. 10. verſ. 22.

ret,

ret, ut vix pauci cordatiores pedem movere auderent: non mirum eſt ſi Propheta Eccleſiam adhuc pro reductione vota concipere jubeat. Jam ſimul notandum eſt qualis fuerit eorum ſtatus qui jam reverſi erant. Nam quum occupata eſſet terra ab exteris, quos omnes habebant infeſtiſſimos & juratos hoſtes, non ſecus in patria captivi erant quam inter Babylonios. Itaque duplici reſpectu neceſſe fuit Eccleſiam anxie precari, ut Deus colligeret diſperſos: nempe ut animum adderet timidis, torpentes excitaret, ſtupidis delicias excuteret, omnibus porrigeret directricem manum: deinde ut reducem populi manum locaret in libertate & otio. Similitudinis quæ additur, hunc ſenſum multi eſſe putant, Hoc perinde fore gratum acſi aqua per deſertum flueret. Scimus vero quam grave & moleſtum ſit in regione calida iter per ſiccas arenas facere. Auſter vero pro deſerto capitur: quia Meridionalis plaga ad latus Judææ, vaſta & fere inhabitabilis erat. Mihi tamen rectius videtur, miraculi comparatione Dei gratiam extolli, & magis augeri à Propheta: acſi diceret, Quamvis difficile ſit reliquias diſperſas coaleſcere in unum corpus, eſſe tamen in Dei arbitrio non ſecus ac per deſertum aridum rivos ducere. Interim ad medium iter alludit, ſicuti ex regionum ſitu patet. Ita nihil erit in verbis ſubaudiendum, quæ ſimpliciter hoc ſonant, perinde acſi fluvius in regione ſterili & arida decurreret. Et certe viam aperire populo qui velut in profunda abyſſo demerſus erat, perinde fuit ac curſum aquis irriguis per deſertum patefacere.

5. *Seminantes in lachrymis.*] Hæc ſententia (meo judicio) non minus extendi in futurum tempus debet, quam de præterito intelligi. Fuit Judæis ſua migratio ſationis inſtar: quia vaticinio Jeremiæ animos eorum ad ſpem meſſis erexerat Deus: non tamen ſine ingenti mœrore & cruciatu tracti fuerunt in longinquum exilium. Hoc ergo perinde fuit acſi tempore penuriæ miſer agricola qui jam eſurit, fraudare ſe ordinario victu cogatur, ut in annum futurum ſibi proſpiciat. quanquam autem hoc acerbum eſt, ſpe meſſis ad ſeminandum incitatur. Verum ergo eſt, Judæos, quum in exilium tracti ſunt, non aliter fuiſſe triſtes ac qui ſemen pretioſum tempore ſterilitatis in terram ſpargit: poſtea vero ſequutam eſſe lætam meſſem dum liberati ſunt: quia Dominus tanquam in uberrimo proventu hilaritatem ipſis reſtituit. Sed mihi videtur Propheta fideles in poſterum quoque hortari ad patientiam. Necdum enim completa erat Eccleſiæ reſtitutio: imo ob duas cauſas (quas paulo ante recenſui) patet tunc fuiſſe ſationis tempus: quia etſi liberaliter Judæos omnes invitabat Regis edictum, pauci tamen ex multis, ſenſim & trepide per turmas reverſi ſunt: deinde à vicinis inique ac duriter fuerunt excepti, & multum illis negotii exhibitum, ut æque tolerabilis eſſet prior ſervitus. Unde colligimus ferendum adhuc illis fuiſſe, quia nondum advenerat maturum tempus meſſis: ideoque non fruſtra eos hortatur Propheta ut ſtrenue laborent, & pergant inter continuas moleſtias, neque fatiſcant, donec melior appareat ſucceſſus. Quantum ad verba ſpectat, משך alii pretium vertunt, alii caniſtrum, aut vas ſeminarium. Hæc poſterior verſio ratione caret. Qui pretium interpretantur, locum adducunt ex libro Job 28. v. 18. Pretium ſapientiæ omnibus margaritis melius. Sed quum verbum משך unde nomen hoc deducitur, extendere vel protrahere ſignificet, forte tam hic quam in illo altero loco commodius משך in proprio ſenſu poterit ſumi. Videtur enim Propheta illic non promptum acumen, ſed reconditam ſapientiam laudare: ita protractio ſapientiæ, hoc eſt perpetuus tenor, propter altas radices, dicetur melior margaritis. Ita hoc loco protractio ſeminis refertur ad ipſos agricolas, nempe vitam ſuam eos extendere vel prorogare dum ſeminant. Quod ſi tamen magis placeat nomen pretii, ſenſus erit, anguſta annona cum lachrymis ſemen terræ mandari, quia pretioſum ac carum eſt. Jam latius patet hæc doctrina. Scimus vitam noſtram alibi ſationi conferri. Sæpe autem continget ut ſeminandum ſit in lachrymis. ideo ne alacritatem noſtram frangat mœror, vel retardet, ad ſpem meſſis erigere animos decet. Cæterum meminerimus, non omnes Judæos qui tracti ſunt Babylonem, ſeminaſſe: quia multi qui obduruerant adverſus Deum & Prophetas, ſicuti contempſerant minas omnes, ita privati ſunt ſpe reditus. quibus incubuit talis deſperatio, in ſuis miſeriis conſumpti ſunt: quos autem ſuſtinebat Dei promiſſio, quamvis in extrema inedia ſemen fortuito jacerent in terram, ſpem meſſis in cordibus ſuis fovebant. Ergo ut præſenti noſtræ triſtitiæ gaudium ſuccedat, diſcamus ad exitum quem promittit Deus, animos intendere. Ita experiemur, piis omnibus commune eſſe hoc vaticinium, ut Deus non tantum abſtergat lachrymas ab eorum oculis, ſed corda inæſtimabili gaudio perfundat.

ARGUMENTUM PSALMI CXXVII.

Ordinem mundi tam politicum quam œconomicum, non hominum induſtria, ſedulitate, conſilio, ſed ſola Dei benedictione ſtare oſtendit. Sobolem vero generis humani, ſingulare eſſe ejus donum.

PSALM. CXXVII.

CAnticum graduum Solomonis. Niſi Jehova ædificet domum, fruſtra laborant qui ædificant eam: niſi Jehova cuſtodiat urbem, fruſtra vigilat cuſtos.

2. Fruſtra vobis mane feſtinando ſurgere, tardare ad quietem, comedere panem dolorum: ſic dabit dilecto ſuo ſomnum.

שִׁיר הַמַּעֲלוֹת לִשְׁלֹמֹה אִם יְהוָה 1
לֹא יִבְנֶה בַיִת שָׁוְא עָמְלוּ בוֹנָיו בּוֹ אִם
יְהוָה לֹא יִשְׁמָר עִיר שָׁוְא שָׁקַד שׁוֹמֵר׃
שָׁוְא לָכֶם מַשְׁכִּימֵי קוּם מְאַחֲרֵי 2
שֶׁבֶת אֹכְלֵי לֶחֶם הָעֲצָבִים כֵּן יִתֵּן
לִידִידוֹ שֵׁנָא׃

N*Iſi Jehova.*] Cur Pſalmum hunc Judæi à Solomone compoſitum eſſe negent, nulla eſt ratio: ל tantundem valere putant atque in gratiam Solomonis, quum tamen repugnet communis uſus. nam ubique talis inſcriptio auctorem deſignat. Quare importune novum commentum fabricant, quum optime conveniat, Solomonem, qui in rebus politicis inſtructus fuit, prudentiæ Spiritu de rebus ſibi notis & compertis diſſerere. Mundum autem duplici de cauſa, & hominum vitam divinitus gubernari aſſerit. Primo quicquid proſpere ſucceſſerit hominibus, ſtatim ſe prodit eorum ingratitudo, quod ſibi totum hoc aſcribunt: ita fraudatur Deus juſto honore. Hoc tam perverſum vitium ut corrigat Solomo, pronunciat nihil nobis feliciter cedere, niſi quatenus actiones noſtras Deus bene fortunat. Deinde propoſitum ei fuit ſtultam hominum confidentiam retundere, qui poſthabito Deo, prudentia tantum ſua aut viribus freti, quidvis aggredi audent. Ergo quod ſibi temere arrogant illis detrahens, ad modeſtiam

ſtiam & Dei invocationem hortatur. Porro non repudiat hominum vel laborem, vel ſtudia, vel conſilia: quia virtus eſt laude digna, quæ officii noſtri ſunt ſedulo curare. Neque enim Dominus vult nos ſimiles eſſe truncis, vel ignavos jacere, ſed in uſum applicari quicquid nobis contulit. Verum quidem eſt, maximam laborum partem fluere ex Dei maledictione: ſi tamen maneret primi ſtatus integritas, adhuc vellet Deus nos exerceri. ſicuti videmus Adam locatum fuiſſe in horto ut eum excoleret. Quare Solomo vigilantiam quæ Deo probatur, minime damnat: neque etiam laborem, quem dum ex Dei mandato libenter ſuſcipiunt homines, gratum ei ſacrificium offerunt. Sed ne ſuperbia excæcati, ad ſe rapiant quod proprium Dei eſt, ſatagendo nihil proficere admonet, niſi quatenus eorum laborem Dominus benedicit. Per *domum* non modo ligneam vel lapideam ſtructuram intelligit, ſed complectitur totum ordinem œconomicum. ſicuti paulo poſt per nomen *urbis* non tantum ædificia vel cincturam murorum deſignat, ſed communem totius Reipublicæ ſtatum. Eſt etiam in voce *ædificantis* & *cuſtodis* ſynecdoche: quia generaliter pronunciat, quicquid operæ, conſilii & induſtriæ homines afferant ad tuendam familiam, vel conſervandam urbem, irritum fore, niſi Dominus è cælo proſperos eventus ordinet. Jam memoria repetere convenit quod nuper attigi, nempe, quoniam tam cæca ſuperbia occupat fere hominum mentes, ut Deo contempto, ſuas facultates ſine modo efferant, nihil utilius eſſe quam in ordinem cogi: ut ſentiant, quicquid tentaverint, evanidum fore, niſi profectus à mera Dei gratia accedat. Philoſophi quum diſputant de ſtatu politico, ingenioſe quidem omnia colligunt quæ ad rem facere videntur: cauſas & media erigendæ Reipublicæ acute oſtendunt: rurſum vitia quibus corrumpi ſolet rectus ſtatus. denique ſumma dexteritate perſequuntur quicquid in hac parte cognitu neceſſarium eſt: niſi quod præcipuum caput omittunt, nempe homines, quantumvis prudentia & virtute excellant, quicquid moliantur, nihil poſſe efficere niſi quatenus manum Deus porrigit, imo tanquam organis utitur. Quis unquam ex philoſophis agnovit hominem politicum nihil aliud quam organon eſſe quod manu Dei dirigitur? Imo præcipuam felicis ſtatus cauſam locarunt in hominis virtute. Quum ita mortales ſacrilega audacia inſurgant ad condendas urbes, & conſtituendum totius mundi ſtatum, merito Spiritus ſanctus talem veſaniam coarguit. Sic ergo nos exerceamus, quiſque pro facultatis ſuæ modo & officii ratione, ut interim laus omnis proſperi ſucceſſus penes unum Deum maneat. Nam & partitio quam fingunt multi, iniqua eſt, ut dimidiam laudis partem Deo relinquens, qui ſtrenue ſe geſſit, alteram ſibi uſurpet: ſed unam Dei benedictionem vigere in ſolidum & regnare oportet. Quod ſi à mero Dei beneplacito conditio noſtra terrena pendet, quibus alis in cælum uſque evolabimus? Si inſtituitur domus, vel eligitur certum vitæ genus, imo ſi feruntur Leges, & exercentur judicia, hoc totum nihil aliud eſt quam in terra reptare: & tamen noſtros omnes conatus hic eſſe evanidos Spiritus ſanctus pronunciat. Quo minus tolerabilis eſt eorum dementia qui propriis viribus in cælum uſque penetrare contendunt. Porro ex hac doctrina colligere licet, mirum non eſſe ſi hodie res in mundo turbatæ ſint ac confuſæ, ſi judicia in urbibus diſſipata ſint, ſi conjuges ultro citroque ſe accuſent, parentes de liberis querantur, omnes ſortem ſuam deplorent. Quotus enim quiſque in ſua vocatione ſe ad Deum convertit, ac non potius inflatus arrogantia, ſeſe perperam extollit? Juſte ergo Deus ubi honore ſuo fraudatur, triſtem hanc mercedem rependit ingratis hominibus. Quod ſi modeſte ſe omnes Dei providentiæ ſubjicerent, haud dubie refulgeret in ſingulis vitæ partibus tam publice quam privatim hæc benedictio quam Solomo commendat. Verbum עמל quod laborare vertimus, non modo operam impendere ſignificat, ſed etiam uſque ad fatigationem & moleſtiam ſtagere. Dixi per *cuſtodes* intelligi non ſolum qui locantur in excubiis, ſed omnes Magiſtratus & Judices. Siquid eſt in ipſis vigilantiæ, cæleſte donum eſt. Sed opus eſt rurſus altera Dei vigilantia: quia niſi excubias ipſe agat è cælo, nulla hominum perſpicacia cavendis periculis ſufficiet.

2. *Fruſtra vobis.*] Jam plenius exprimit Solomo, homines ſe fruſtra conficere laboribus, & macerare inedia, ut opes ſibi acquirant: quia hoc quoque unius Dei beneficium eſt. Et quo efficacius permoveat, unumquemque hic compellat. Vobis (inquit) fruſtra eſt. Duo autem media enumerat quæ putantur ad opes colligendas plurimum valere. Nam qui labori non parcunt, ſed noctes dieſque conſumunt rebus agendis, & tenuiter victitant ex ſuo labore, non mirum eſt ſi divitias brevi tempore accumulent. Atqui Solomo neque frugali vita, neque ſedulitate quicquam profici affirmat: non quod vetet parſimoniam in victu colere, & mane ſurgere ad laborem obeundum: ſed ut nos ſolicitet ad preces & invocationem Dei, deinde gratitudinem commendet, in nihilum redigit quæ Dei gratiam obſcurant. Tunc ergo rite auſpicabimur ſi ſpes noſtra à ſolo Deo pendeat, eventus etiam votis noſtris reſpondebit. Quod ſiquis Deo poſthabito, alacriter feſtinet, præcipiti ſuo curſu peſſum ibit. Ergo Prophetæ conſilium non eſt, homines ad ignaviam traducere, ut tota vita nihil cogitent, ſed torpeant ac indulgeant ſuæ inertiæ: ſed dum exequuntur quod ſibi divinitus injunctum eſt, ſemper tamen incipiant à precibus & Dei invocatione, ſuoſque labores ei benedicendos offerant. *Panis dolorum* duobus modis poteſt exponi: vel qui duro & anxio labore partus eſt: vel qui comeditur cum moleſtia: ſicuti videmus parcos homines & tenaces vix panem guſtare quin manum ex ore retrahant. Sed ad rem parum intereſt utrumvis ſenſum eligas: quia ſimpliciter docemur, parcos homines etiam maligne genium fraudando nihil proficere. *Sic dabit dilecto ſuo.* Significat, Dei benedictionem de qua diſſeruit, in ejus filiis ac ſervis re ipſa conſpici. Neque enim ſatis fuerit doctrinam illam tenere, inutile eſſe quicquid conantur homines, niſi accedat promiſſio, ut certa ſpe alacriter officio fungantur. Poteſt autem legi, dabit dilecto ſomnum, vel, dabit per ſomnum, quæ ſcilicet fruſtra increduli proprio marte acquirere contendunt. Particula כן ad certitudinem poſita eſt. nam quo melius perſuadeat Solomo quod videtur incredibile & fabuloſum, nempe Deum ſine magna cura fidelibus victum ſuggerere, rem quaſi digito demonſtrat. Perinde quidem loquitur acſi Deus ſua indulgentia ſervorum ſuorum deſidiam aleret. Sed quia ſcimus hac lege creatos eſſe homines, ut ſe exerceant, & proximo Pſalmo videbimus felices cenſeri Dei cultores dum laborem manuum ſuarum comedunt: certum eſt *ſomni* nomine inertiam non intelligi, ſed placidum laborem, cui ſe ex fidei obſequio addicunt fideles. Unde enim tantus incredulis fervor, ut digitum ſine tumultu non moveant, hoc eſt quia ſe torqueant ſupervacuis curis: niſi quia Dei providentiæ nihil tribuunt? Fideles vero, etſi laborioſam agant vitam, compoſite tamen & tranquillis animis Dei vocationi parent. Ita eorum manus otioſæ non ſunt, ſed animi ſe continent in fidei ſilentio, acſi dormirent. Siquis rurſus objiciat, fideles ſæpe æſtuare diris curis, & dum premuntur rerum omnium inopia, ac deſtituuntur mediis omnibus, eſſe in craſtinum anxios: Reſpondeo, ſi perfecta eſſet in Dei cultoribus fides & pietas, perſpicuam fore Dei benedictionem cujus meminit Pro-

pheta. itaque quoties immodice torquentur, id contingere eorum vitio, quia in Dei providentiam non ſolide recumbunt. Addo etiam, magis ſeveram pœnam de ipſis exigi quam de incredulis, quia ipſis utile eſt inquietudine huc illuc ad tempus raptari, ut ad quietum hunc ſomnum perveniant. Interea tamen prævalet Dei gratia, & in mediis tenebris ſemper emicat, quod Dominus filios ſuos quaſi per ſomnum alit.

3. Ecce hæreditas Jehovæ, filii: merces, fructus ventris.

4. Sicut ſagittæ in manu robuſti, ita filii adoleſcentiæ.

5. Beatus vir qui impleverit pharetram ſuam illis. non pudefient dum loquentur inimicis ſuis in porta.

3 הנה נחלת יהוה בנים שכר פרי הבטן׃
4 כחצים ביד גבור כן בני הנעורים׃
5 אשרי הגבר אשר מלא את אשפתו מהם לא יבשו כי ידברו את אויבים בשער׃

3. *Ecce hæreditas Jehovæ, filii.*] Hic ſpeciem unam profert Solomo, in qua præcipue agnoſci vult quod hactenus in genere teſtatus eſt, vitam hominum à Deo gubernari. Nihil videtur magis naturale quam ut homines ex hominibus naſcantur. Ita ſomniat major pars, poſtquam ab initio id ſtatuit Deus, jam eo ceſſante, arcano naturæ inſtinctu ſobolem gigni: imo qui aliquo pietatis ſenſu præditi ſunt, quamvis Deum non negent humani generis patrem eſſe & auctorem, non tamen agnoſcunt ad hunc peculiarem delectum ejus curam deſcendere, ſed creari homines univerſali quodam motu. Perverſum hunc errorem corrigere volens Solomo, filios nominat Dei hæreditatem: & fructum uteri, ejus munus. Nam Hebraicum nomen שכר quod mercedem reddunt, ſignificat quicquid beneficiorum in homines Deus confert, ut clare patet ex multis Scripturæ locis. Itaque ſenſus eſt, non fortuito caſu obtingere liberos, ſed ut Deo viſum eſt ſingulis partem ſuam diſtribuere. Porro quum bis idem repetat, hæreditas & merces idem valent: quia utrumque vel fortunæ vel hominum vigori opponitur, ut quiſque maxime vegetus eſt, idoneus videtur ad procreandam ſobolem. Contra pronunciat Solomo, patres fieri quos Deus hoc honore dignatur. Porro quia non ſemper numeroſa ſoboles gaudium affert parentibus, additur ſecunda Dei gratia, dum liberos format, ornatque præclara indole & omni genere virtutum. Merito diſputat Ariſtoteles in Politicis an cenſeri πολυτεκνία in bonis debeat: idque negat, niſi accedat εὐγένεια, hoc eſt generoſitas, vel naturæ probitas in ipſis liberis. Et certe multis orbitas vel ſterilitas longe eſſet fœlicior, quam luctuoſa fœcunditas. Itaque non abs re Solomo, ut clarius illuſtret Dei ſbeneficium, εὐγένειαν ac generoſam indolem celebrat in liberis. Videri quidem poſſet ſimilitudo, qua utitur, paulo aſperior, Quemadmodum armatur ſagittarius arcu bene inſtructo, ſic homines liberis ſuis muniri tanquam *arcu & pharetra.* Siquis tamen propius expendat, fatebitur eleganter hoc fuiſſe dictum. admonet enim, quodammodo eſſe exarmatos qui ſobole carent. quid enim aliud eſt orbitas & ſolitudo? Non vulgare autem eſt Dei donum, hominem renovari in ſua progenie: quia novum robur tunc Deus ſuppeditat, ut quaſi ſecundo vivere incipiat qui alioqui ſtatim deficeret. Hæc doctrina apprime cognitu utilis eſt. nam & brutorum animalium fœcunditas uni Deo diſerte aſcribitur. Si Deus beneficium ſuum reputari vult quod vaccæ & oves & equæ concipiunt: quam inexcuſabilis erit hominum pravitas, ubi Deus honorifico patrum titulo eos ornat, gratiam hanc pro nihilo ducere? Adde quod niſi homines liberos Divinitus ſibi dari reputent, contemptim & faſtidioſe eos alunt, ſicuti hæc cognitio optimus eſt alacritatis ſtimulus ad educandam ſobolem. Jam qui ſic Dei beneficium reputat, liberè & ſedato animo expectabit dum gratiam ſuam continuet Deus: neque etiamſi exiguum patrimonium filiis relinquat, ultra modum anxius erit.

5. *Non pudefient dum loquentur.*] Deſcribit hic liberos qui juſtitia & integritate præditi, non dubitent vitæ ſuæ rationem reddere, ut os malevolis obſtruant & calumniatoribus. Scimus in portis olim actos fuiſſe legitimos conventus. Perinde ergo hic de porta loquitur Solomo, ac ſi nunc quis Tribunal diceret, vel Curiam, vel Senatum. Ac notemus, præcipue innocentiam laudari in ſobole, ut hanc gratiam ſuo pretio æſtiment patres. Nuper liberos virtute & præclara natura ornatos ſagittis ſimiles fecerat: ne quis hoc ad violentiam traheret, acſi latronum inſtar permitteret per fas & nefas graſſari, præſidium quod patribus ſuis afferre debent, diſerte in virtute morumque integritate ſtatuit. Docet ergo optandos eſſe tales liberos qui non violenter opprimant miſeros homines, prævaleant aſtu & fraudibus, multas opes injuſte ſibi accumulent, tyrannicam potentiam ſibi acquirant, ſed qui æquitatem colant, non recuſent ſubeſſe legibus, parati ſint ad vitæ ſuæ defenſionem. Quamvis autem ſub caſta diſciplina ſedulo formare debeant patres ſuos liberos, meminerint tamen id ſe nonniſi mera & ſingulari Dei gratia poſſe conſequi. Subindicat etiam Solomo, quantumvis probitati addicti ſimus, nunquam tamen defore nobis obtrectatores. quia ſi ab omni maledicto immunis eſſet integritas, nulla eſſet cum inimicis diſceptatio.

ARGUMENTUM PSALMI CXXVIII.

Pſalmus hic proximo affinis eſt, & quædam veluti appendix. Nam Dei benedictionem, quam Solomo teſtatus eſt diffundi per totum humanum genus, in veris & ſinceris ejus cultoribus maxime illuſtrem eſſe prædicat.

PSALM. CXXVIII.

Canticum graduum. Beatus vir timens Jehovam, ambulans in viis ejus.

2. Laborem manuum tuarum dum comedes beatus eris, & bene erit tibi.

3. Uxor tua ſicut vitis fructifera in lateribus domus tuæ, filii tui ſicut plantæ olivarum in circuitu menſæ tuæ.

1 שיר המעלות אשרי כל ירא יהוה ההלך בדרכיו׃
2 יגיע כפיך כי תאכל אשריך וטוב לך׃
3 אשתך כגפן פריה בירכתי ביתך בניך כשתלי זיתים סביב לשלחנך׃

B*Eatus vir.*] Quia proximo Pſalmo dictum eſt proſperum in omnibus negotiis totoque vitæ decurſu eventum à ſola Dei gratia ſperandum eſſe: nunc admonet Propheta ut qui cupiunt benedictionis Dei eſſe participes, ſincere totos ei ſe addicant, quia cultores ſuos nunquam fruſtrabitur. Ac primus quidem verſus ſummam continet. nam reliqui tantum explicationis vice additi ſunt. Eſt autem hoc paradoxon, cui vix centeſimus quiſque ſubſcribet, beatos eſſe qui timent Deum, præſertim in hac vita. Multi enim Epicurei paſſim volitant Dionyſio ſimiles, qui in ſecunda navigatione jactabat deos favere ſacrilegis. Infirmos etiam turbat & concutit malorum felicitas. Deinde ſub ærumnis ſuis fatiſcunt. atque ut non bene ſit Dei contemptoribus, & tolerabilis ſit bonorum conditio, major tamen pars in reputanda Dei providentia vel cæcutit vel connivet. Certe dicterium hoc pridem communi fere omnium conſenſu receptum fuit, Optimum eſſe non naſci, proximum quam citiſſime aboleri. Denique vel totum humanum genus promiſcue miſerum eſſe exiſtimat ſenſus carnis: vel profanis & ſceleratis hominibus magis propitiam eſſe fortunam quam bonis. Ab hac autem ſententia, ut fuſe diſſerui Pſalmo 37, penitus abhorret, beatos eſſe qui timent Dominum. quo magis in ejus meditatione nos inſiſtere convenit. Cæterum quia obſcura eſt hæc felicitas, ut eam capere poſſimus, primo tenenda eſt ejus definitio quæ mox ſequetur. Deinde ſciendum eſt, à Dei protectione maxime pendere. Nam ut in acervum congeras quæcunque ad beatam vitam facere videntur, nihil certe magis erit optabile quam deliteſcere ſub Dei præſidio. Quod ſi bonum hoc, ut meretur, noſtro judicio reliquis omnibus præcellit, quiſquis perſuaſus erit Deo mundum & res humanas curæ eſſe, ſimul haud dubie ſtatuet ſummum felicitatis caput eſſe quod hic ponitur. Sed antequam ultra progredior, notandum eſt, in ſecunda parte verſus non abs re notam apponi quæ Dei cultores à contemptoribus diſcernit. Videmus ut improbiſſimi quique non minore faſtu quam impudentia & ludibrio timorem Dei jactent. Itaque Propheta probationem in vita exigit, quia res ſunt individuæ timor Dei & Legis obſervatio: atque ex radice neceſſe eſt prodire fructus. Colligimus præterea ex hoc loco, non aliter probari Deo vitam noſtram niſi dum ad Legem ejus formatur. Certe nulla eſt ſine timore Dei religio. Ex illo autem Propheta deducit quod dixi, ut vivamus ad ejus præſcriptum & mandatum.

2. *Laborem manuum tuarum dum comedes.*] Quidam male (meo judicio) ſententiam hanc diſcerpunt, ſeorſum legentes, Quia laborem manuum tuarum manducabis: deinde, Beatus eris, & bene tibi erit: ut hoc poſterius membrum ſit initium novæ ſententiæ. Equidem verum eſſe fateor quod afferunt, hanc Dei gratiam, quod fideles labore ſuo fruentur, opponi maledictioni quam ſcimus toti generi humano fuiſſe inflictam. Sed optime ſenſus fluet, ſi uno contextu legamus, beatos eſſe filios Dei laborem ſuum comedendo. alioqui frigida eſſet adeoque inſulſa repetitio. Jam vero Propheta priorem doctrinam confirmans, breviter admonet ſecus æſtimandam felicitatem eſſe quam facere ſoleat mundus, qui beatam vitam in otio, deliciis, honoribus & opum abundantia locat. Hic autem ſervos Dei ad mediocritatem revocat Propheta, quæ fere ab omnibus reſpuitur. Quotuſquiſque enim, ſi detur optio, ex ſuo labore vivere appetet? imo quis pro ſingulari bono ducet? Simul ac in medium prodit felicitatis nomen, ut inexplebilis gurges eſt hominis cupiditas, ſtatim quiſque ad intemperiem erumpit. Ergo Propheta hoc uno contentos eſſe jubet, quod ſub Deo nutritio commode labore manuum ſuarum alentur, ſicut dictum fuit Pſal. 34. verſ. 11. Leones eſuriunt & ſunt famelici: qui vero Deum inquirunt, eos nihil boni deficiet. Meminerimus autem, Prophetam non de ultima felicitate loqui, quæ nec cibo vel potu conſtat, nec anguſtis caducæ vitæ finibus incluſa eſt: ſed promittere etiam in hac peregrinatione vel terreno hoſpitio fidelibus felicem vitam quatenus patitur mundi conditio: quemadmodum dicit Paulus, pietati utrumque promitti; 1 Tim. 6.
ut ſcilicet Deus toto vitæ curriculo noſtri curam verſ. 6.
gerat, donec ad æternam gloriam tandem nos perducat. Cap. 4. verſ. 8.
Valet etiam ad emphaſin perſonæ mutatio: quia in tertia perſona loquutus, ſermonem ad ſingulos dirigit, hoc ſenſu. Non tantum immortalis felicitas in cælo te manet, ſed quantiſper in mundo peregrinaris, Deus officium patrisfamilias præſtare non deſinet in te educando, ut tibi quotidianus victus ſuppetat ex ejus manu, modo tenui ſorte contentus ſis.

3. *Uxor tua ſicut vitis.*] Iterum hic deſcribitur benedictio Dei ſub ſpecie illa cujus proxime meminit Solomo, nempe quod Deus fœcundos reddet ſuos cultores, ut numeroſam ſobolem generent. Major quidem pars ſobolem expetit, eſtque id fere à natura ingenitum: ſed plerique datam faſtidiunt: deinde pauperibus ſæpe gratior eſt orbitas, quam ſi turbam inopem relinquerent. Verum utcunque præpoſteris deſideriis varie & inconſtanter feratur mundus, hanc ſuam benedictionem Deus præfert omnibus divitiis, ideoque & nobis in pretio habenda eſt. Siquis ergo uxorem habet vitæ ſociam, commodis moribus: non minoris æſtimet hanc benedictionem quam Solomo, qui affirmat non niſi à Deo uxorem Prov. 19.
bonam dari. Siquis etiam pater ſit magnæ ſobolis, verſ. 14.
grato animo excipiat tam præclarum beneficium. Siquis objiciat, Prophetam, ſic loquendo, fideles carnis illecebris in terra morari, ne ſolutis & liberis animis in cælum aſpirent: reſpondeo non eſſe mirum ſi Judæis guſtum gratiæ Dei paternique favoris ſub Lege propoſuerit, quia tunc ſcimus pueris fuiſſe ſimiles. Quanquam ſic eum temperavit, ut ad cæleſtis vitæ meditationem conſcenderent. Hodie quoque nobis, licet parcius, favorem ſuum temporalibus beneficiis Deus teſtatum facit: quemadmodum nuper citavimus ex Paulo pietatem habere tam 1 Tim.
præſentis quam futuræ vitæ promiſſiones. Sed hoc verſ. 8.
modo non injicitur nobis remora vel impedimentum ne in cælum aſſurgant mentes noſtræ, ſed potius ſcalæ eriguntur quibus gradatim illuc conſcendant. Merito itaque Propheta fideles admonet, fructum jam aliquem ſuæ integritatis percipere dum illis victum Deus ſuppeditat, eos fortunat in conjugio & prole, & ad curandam eorum vitam deſcendit. Sed eo conſilio præſentem Dei gratiam commendat, quo alacrius ad æternam ſuam hæreditatem feſtinent. Quod ſi non ſemper hæc felicitas piis contingat, ſed interdum uxor vel moleſta ſit, vel ſuperba, vel vitioſis moribus, ſi liberi etiam diſſoluti ſint ac vagi, imo patris domum dedecore afficiant: ſe ideo Dei benedictione fraudari agnoſcant, quod eam ſua culpa repulerint. Et ſane ſi quiſque ſua vitia reputet, fatebitur terrenis Dei beneficiis juſte ſe privari.

4. Ecce certe ſic benedicetur vir timens Jehovam.	4 הנה כי כן יברך גבר ירא יהוה׃
5. Benedicet tibi Jehova è Sion, & videbis bonum Jeruſalem omnibus diebus vitæ tuæ:	5 יברכך יהוה מציון וראה בטוב ירושלים כל ימי חייך׃

6. Et

6. Et videbis filios filiorum tuorum, pacem ſuper Iſraël.

6 וראה בנים לבניך שלום על ישראל:

4. *Ecce certe ſic.*] Confirmat Propheta ſuperiorem doctrinam, in externo quoque fluxæ hujus vitæ ſtatu fulgere Dei gratiam, quæ demonſtret nos operam non perdere eum colendo. Quia tamen non tam clare apparet pietatis merces, primo demonſtrativa particula utitur, *ecce:* deinde addit *certe.* ſic enim interpretor particulam כי. Semper tamen memoria tenendum eſt quod prius attigi, ſic promitti nobis in terra Dei benedictionem, ne ſenſus noſtros occupet ac detineat: quia ſpem futuræ vitæ minime ſuffocari decet. Quo fit ut non ſemper potiamur æqualiter Dei beneficiis.

5. *Benedicet tibi.*] Quidam precationem eſſe volunt, atque ita futurum tempus reſolvunt in optativum. ſed potius videtur contextus eſſe ejuſdem doctrinæ: quia clarius nunc exprimit Propheta, bonorum quæ retulit, Deum eſſe auctorem. Etſi enim ſæpe nobis ante oculos verſantur ejus dona, tamen eorum conſpectum falſæ imaginationes obſcurant. Quare ſupervacua hæc repetitio non fuit, à Deo benedici fideles quoties aliquid proſperi evenit. Dicit autem *è Sion*, ut pios revocet ad memoriam fœderis quod Deus cum ipſis pepigerat. nam familiariter promiſerat ſe Legis obſervatoribus propitium fore. atque hæc rudimenta pietatis à prima infantia imbiberant. Quare Propheta nihil ſe novum vel prius inauditum afferre docet: quia pridem ex Lege didicerant, temporalibus quoque beneficiis palam fieri, non fruſtra coli Deum, atque id re ipſa ſenſuros aſſerit. Sed quod addit *de bono Jeruſalem*, piis legem præſcribit, ne privatim ſibi tantum conſulant, vel propriis commodis ſint addicti: quin potius ut præcipuum eorum votum ſit videre florentem Dei Eccleſiam. Valde enim abſurdum eſſet, neglecto corpore ſingula membra optare quod ſibi utile ſit. Porro quum nimis illuc cupide ferantur, non temere Propheta ſtudium publicæ ſalutis commendat, ac benedictiones domeſticas ſic permiſcet communibus Eccleſiæ bonis, ut ſciamus res eſſe conjunctas, & quas diſtrahere fas non ſit.

ARGUMENTUM PSALMI CXXIX.

Docet primo hic Pſalmus Deum hoc conſilio Eccleſiam ſuam variis moleſtiis & vexationibus ſubjicere, ut ſe melius liberatorem ejus ac vindicem probet. Ergo fidelibus in memoriam revocat quam miſere ſeculis omnibus afflictus fuerit Dei populus, & quam mirabiliter ſervatus: ut ex illis documentis ſpem in futurum tempus colligat. Ideoque in ſecunda parte ſub forma imprecationis docet, impiis omnibus qui Dei populum ſine cauſa infeſtant, brevi ultionem inſtare.

PSALM. CXXIX.

CAnticum graduum. Sæpe afflixerunt me à juventute mea, dicat nunc Iſraël:

2. Sæpe afflixerunt me à juventute mea, nec tamen potuerunt contra me.

3. Super dorſum meum araverunt aratores, protraxerunt ſulcos ſuos.

4. Jehova juſtus confregit funes impiorum.

1 שיר המעלות רבת צררוני מנעורי יאמר נא ישראל:

2 רבת צררוני מנעורי גם לא יכלו לי:

3 על גבי חרשו חרשים האריכו למענותם:

4 יהוה צדיק קצץ עבות רשעים:

SÆpe afflixerunt.] Probabile eſt Pſalmum hunc fuiſſe compoſitum quum Eccleſia Dei in extremas anguſtias conjecta, vel magno aliquo diſcrimine perculſa, vel tyrannide oppreſſa, parum ab interitu diſtabat. idque conjicio ex adverbio temporis *nunc*, quod mihi videtur emphaticum: acſi diceret Propheta, Dum ſub tentationum mole ægre fideles reſpirant, opportunum eſſe tempus quo ſecum reputent qualiter ab initio Deus & per continuam ætatum ſeriem populum ſuum exercuerit. Simul ac Deus hoſtium noſtrorum libidini habenas laxavit, mœrore conſtricti, tantum in præſenti malorum ſenſu occupamur. hinc naſcitur deſperatio: quia in mentem non venit, idem quoque patientiæ examen ſumptum eſſe de Patribus, nec quicquam nobis accidere quod non experti ſint. Hoc ergo fidelibus optimum ſolatii genus, ſi oculos referant ad vetuſta Eccleſiæ certamina, agnoſcant ſemper laboraſſe ſub cruce, injuſta hoſtium violentia duriter fuiſſe vexatam. Jam mihi non occurrit melior conjectura: quam Pſalmum fuiſſe compoſitum poſtquam ab exilio reverſus fuerat populus, & à ſuis vicinis graves multas acerbaſque injurias perpeſſus, tandem ſub tyrannide Antiochi propemodum defecit. In illa igitur turbida caligine, Propheta fideles ad fortitudinem animat: nec paucos ſolum, ſed ſine exceptione totum corpus: jubetque, ad ſuſtinendos tam duros inſultus, hunc bonæ ſpei clypeum opponere, Eccleſiam Dei patiendo ſemper ſtetiſſe victricem. Ac ſingulis prope verbis ſubeſt pondus. *Dicat nunc Iſraël*, hoc eſt, ſecum vetera experimenta reputet, ex quibus colligere licebit Dei populum nunquam à crucis tolerantia fuiſſe immunem, felici tamen eventu variis afflictionibus fuiſſe ſemper probatum. De hoſtibus autem indefinite loquendo, gravitatem exaggerat magis quam ſi Aſſyrios vel Ægyptios nominaſſet. Certum enim genus non deſignans, mundum ſubindicat innumeris hoſtium copiis refertum eſſe, quos facile armat Satan ad bonorum perniciem, ut omni ex parte nova ſubinde bella emergant. Et certe ſatis teſtantur hiſtoriæ, non fuiſſe negotium populo Dei cum paucis hoſtibus, ſed à toto fere mundo oppugnatum: deinde non ab externis tantum hoſtibus, ſed à domeſticis exhibitas fuiſſe moleſtias. *Juventutis* nomine intelligit prima exordia, non tantum quum Deus populum eduxit ex Ægypto, ſed quum Abraham & Patriarchas laborioſa militia per totam fere vitam confecit. Quum vero immaniter exagitati eſſent in terra Chanaan, poſteris Ægyptus deterior fuit habitatio, ubi non modo ſerviliter, ſed etiam probroſe fuerunt oppreſſi. In egreſſu ſcimus quanta difficultas. ab eo tempore ſi quid relaxationis datum eſt, non tamen diuturna quies fuit uſque ad regnum Davidis. Quanquam autem tunc viſa fuit beata ejus conditio, non multo poſt exortæ ſunt turbæ, atque etiam clades, quæ Dei populo exitium minitarentur. Exilio Babylonico parum abfuit quin ſine ulla ſpe tanquam ſepulchro abditi putreſcerent. Poſt reditum vix breves induciæ ad reſpirandum datæ ſunt. Certe ad internecionem ſæpius fuerunt cæſi. Itaque non abs re dicuntur fuiſſe afflicti, nequis conciperet mediocri aliquo incommodo fuiſſe affectos. acſi Propheta ante oculos nobis ſtatueret Dei populum

quaſi ſemimortuum, quem hoſtes ſub pedibus ſuis proſtratum calcare non dubitent. Quod ſi ad nos venitur, horrendas perſequutiones adjungere conveniet, quibus millies conſumpta fuiſſet Eccleſia, niſi Deus quaſi redivivam arcanis modis ſervaſſet. Porro niſi in malis noſtris obſtupeſcimus, hujus infauſtæ ætatis neceſſitas ad ejuſdem doctrinæ meditationem nos cogit. Adhæc quum bis dixit, *Afflixerunt me*, *Afflixerunt me*, repetitio minime ſupervacua eſt, ut ſciamus Dei populum non ſemel aut iterum bellaſſe, ſed continuis exercitiis fuiſſe ad patientiam probatum. Dixerat cœpiſſe *à juventute*, ſignificans à prima origine ſic fuiſſe imbutum, ut aſſueſceret ad ferendam crucem: nunc addit quam non abs re fuerit tam aſpera educatio, quia per continuos progreſſus non deſtitit Deus malis eos ſubigere. Quod ſi tam auſtera fuerunt pueritiæ rudimenta, niſi hodie, poſtquam in virilem ætatem Chriſti adventu adolevit Eccleſia, robur ad ferendum nobis ſuppetat, nimis pudenda erit noſtra mollities. Conſolatio autem in poſtremo verbo poſita eſt, quod hoſtes, omnia experti, nunquam tamen votis ſuis potiti ſint: quia ſpem & conatus eorum fruſtratus eſt Deus.

3. *Super dorſum meum.*] Exornat apta ſimilitudine quod dixit de gravibus Eccleſiæ preſſuris. Nam Dei populum agro comparat per quem aratrum trahitur. Dicit protractos fuiſſe ſulcos, ut à ſciſſura & foſſione nullus angulus fuerit immunis. His verbis ad vivum exprimit dorſo Eccleſiæ ſemper infixam fuiſſe crucem, quæ longe & late ipſam proſcinderet. mox tamen additur eadem conſolatio, ſed ſub figura, quod Deus juſtus *abſciderit funes.* Ad aratrum enim alludit, quod ſcimus funibus alligari ad colla boum. Et aptiſſime docet paratos quidem fuiſſe impios ad pergendum, quia nunquam feſſa vel ſatiata fuiſſet eorum crudelitas: fuiſſe etiam armis inſtructos: ſed modum fuiſſe inexpectatum quo Dominus eorum rabiem compeſcuit. perinde acſi quis funes & lora conſcindens, boves disjungeret ab aratro. Hinc videmus qualis ſit Eccleſiæ ratio. quia Deus jugum ſuum vult à nobis placide ſuſcipi, Spiritus ſanctus non abs re comparat nos terræ arabili, quæ nihil opponere poteſt quin tota ſcindatur aratri tractu. Siquis argutius Philoſophari velit, dicere liceret arationem fieri ut ager ſeminatus tandem fructum referat. Sed Propheta (meo judicio) ſimplicius concionatur de afflictionibus Eccleſiæ. Epitheton juſti, quo Deum Propheta inſignit, ad circumſtantiam cauſæ aptandum eſt: acſi diceret, Quamvis ad tempus diſſimulet Deus, nunquam tamen oblivisci ſuæ juſtitiæ, quin det relaxationem miſeris. ſicuti Paulus hanc rationem adducit in ſecunda ſua epiſtola ad Theſſalonicenſes, capite 1. verſ. 7. Atque hoc notatu apprime dignum eſt, ſalutem Eccleſiæ neceſſario conjunctam eſſe cum Dei juſtitia. Prudenter etiam Propheta admonet, ideo non prævaluiſſe hoſtes, quia Deus eorum conatus abrupit, nec paſſus eſt ultra progredi quam apud ſe decreverat.

5. Pudefient, & vertentur retrorſum omnes qui oderunt Sion.

6. Erunt ſicut herba tectorum, quæ antequam exeat areſcit:

7. De qua non implevit manum ſuam meſſor, neque ſinum ſuum manipulos colligens.

8. Neque dixerunt tranſeuntes, Benedictio Jehovæ ſuper vos, benedicimus vobis in nomine Jehovæ.

5 יֵבֹשׁוּ וְיִסֹּגוּ אָחוֹר כֹּל שֹׂנְאֵי צִיּוֹן׃

6 יִהְיוּ כַּחֲצִיר גַּגּוֹת שֶׁקַּדְמַת שָׁלַף יָבֵשׁ׃

7 שֶׁלֹּא מִלֵּא כַפּוֹ קוֹצֵר וְחִצְנוֹ מְעַמֵּר׃

8 וְלֹא אָמְרוּ הָעֹבְרִים בִּרְכַּת יְהוָה אֲלֵיכֶם בֵּרַכְנוּ אֶתְכֶם בְּשֵׁם יְהוָה׃

5. *Pudefient.*] Sive hæc precatio ſit, ſive promiſſio, in futurum tempus reſpicit Propheta. Et certe quum verba omnia ſint futuri temporis, aptiſſime convenit ſenſus ſi ex præteritis colligat quid in finem uſque ſperandum ſit. Utrovis modo accipias, docet Propheta non eſſe cur animum deſpondeant fideles, ubi vident in ſublime hoſtes ſuos attolli. Neque enim propter altiorem ſitum pluris eſt herba quæ in tectis naſcitur, quam ſeges quæ in humili fundo calcatur pedibus. Nam herbæ tectorum licet alte emineant ſuper hominum capita, primum ſunt inutiles, deinde paulo poſt areſcunt. Alii verbum שלף vertunt evellatur: acſi dictum eſſet, abſque manu vel artificio hominis ſiccari. Sed quum proprie educi vel exire ſignificet, intelligit (meo judicio) Propheta, adeo non eſſe diuturnum vigorem, ut marceſcant ac pereant in primo germine: quia nulla ſubeſt radix, nulla etiam terra quæ ſuccum vel humorem ſuppeditet in alimentum. Quoties ergo nos terrebit hoſtium ſplendor, vel eminentia, veniat nobis in memoriam hæc comparatio, herbam in tectis naſcentem eſſe ſublimem, ſed abſque radice, ideoque non longæ durationis: ſic iſtos, quo propius ſuperbiæ ſuæ altitudine ad Solem accedunt, citius æſtu conſumptum iri, quia radice carent: quum ſola humilitas vitam & vigorem à Deo hauriat ut nobis inſpiret.

7. *De qua non implevit.*] Confirmat rurſus, quantumvis inſurgant impii, vel ſe efferant, manere tamen in herba, quia neque unquam producunt bonam frugem, neque ad maturitatem perveniunt, ſed mera apparentia (ut loquuntur) turgent. Ut hoc planum faciat, opponit eos herbis frugiferis, quæ ex vallibus & locis depreſſis alimenta hominibus producunt. Tandem omnium odio vel contemptu dignos eſſe dicit, quum publicis votis benedicantur ſegetes. Cæterum quum doctrinam hanc à communi vitæ uſu ſumpſerit Propheta, monemur, ſimulac oculis noſtris ſpes aliqua proventus occurrit, rogandum eſſe Deum, in cujus manu eſt terræ fœcunditas, ut benedictionem ſuam pleno effectu confirmet. Et certe quum tot periculis obnoxii ſint terræ fructus, mirum niſi neceſſitas ipſa nos ad orandum ſolicitet. Adde quod non de ſolis filiis Dei loquitur, qui vere ex ejus verbo edocti ſunt terram ejus gratia eſſe fertilem: ſed complectitur etiam homines profanos, quibus naturaliter ingenita eſt eadem notitia. Porro ſi non modo habitabimus in Eccleſia Domini, ſed ſtudebimus cenſeri inter legitimos ejus cives, intrepide deſpicere licebit totam hoſtium noſtrorum potentiam. quia etſi floreant ad tempus, ſintque conſpicui, ſunt tamen herbæ ſteriles & maledictæ.

ARGUMENTUM PSALMI CXXX.

Sive privatim ſuo nomine oret Propheta, ſive Eccleſiæ totius perſonam ſuſtineat, malis obrutus ardenti vehementia liberationem flagitat. Et quanquam ſe juſte caſtigari agnoſcit Dei manu, ſe tamen & pios omnes ad bene ſperandum hortatur, quia Deus ſuorum ſit perpetuus redemptor, & in promptu ſuppetat ratio qua eos à morte eripiat.

PSALM. CXXX.

CAnticum graduum. De profundis clamavi ad te Jehova:	ק	1 שִׁיר הַמַּעֲלוֹת מִמַּעֲמַקִּים קְרָאתִיךָ יְהוָה׃
2. Domine audi vocem meam, intentæ ſint aures tuæ ad vocem precationum mearum.		2 אֲדֹנָי שִׁמְעָה בְקוֹלִי תִּהְיֶינָה אָזְנֶיךָ קַשֻּׁבוֹת לְקוֹל תַּחֲנוּנָי׃
3. Si iniquitates obſerves Deus, Domine quis conſiſtet?		3 אִם עֲוֺנוֹת תִּשְׁמָר יָהּ אֲדֹנָי מִי יַעֲמֹד׃
4. Quia apud te eſt propitiatio ut timearis.		4 כִּי עִמְּךָ הַסְּלִיחָה לְמַעַן תִּוָּרֵא׃

DE *profundis.*] Notandum eſt quod ſe velut ex profundo gurgite vocem emittere dicit Propheta, utpote malis obrutus. Quia enim miſeriæ quarum finis non apparet, deſperationem fere ſecum trahunt, nihil magis difficile quam ex gravi & alta mœſtitia animos excitare ad precandum. Et mirum eſt, quum rebus lætis & tranquillis frigeant preces, quia tunc ſenſus noſtros occupat ſecuritas: malis quæ acuere nos debebant, magis torpere attonitos. Atqui Propheta ex moleſtiis, cura, periculis, mœrore, ſub quibus demerſus eſt, precandi fiduciam ſumit. Anxietatem vero & ſtudii ardorem exprimit tam voce *clamoris*, quam repetitione quæ habetur ſecundo verſu. Quo magis deteſtabilis eſt barbara Papiſtarum inſcitia, dum Pſalmum hunc in uſum alienum trahentes fœde profanant. Quorſum enim demurmurant eum pro mortuis, niſi quod eos faſcinavit Satan ut doctrinam apprime utilem ſuo ſacrilegio extinguerent? Nam ex quo ad mortuas umbras raptus fuit Pſalmus, vulgo fere creditum eſt nullum eſſe ejus uſum inter vivos: atque ita mundo periit incomparabilis theſaurus.

3. *Si iniquitates obſerves.*] Hic jam fatetur ſe juſtas pœnas luere, quantumvis miſere afflictus ſit. Porro quum ſuo exemplo toti Eccleſiæ regulam dictet, nemo ſine humili deprecatione in Dei conſpectum ſe offerre audeat: præſertim ubi Dominus ſevere nos tractat, ſciamus eandem quæ hic editur confeſſionem à nobis exigi. Nam qui vel ſibi blanditur, vel neglectu ſua peccata ſepelit, dignus eſt qui tabeſcat in ſuis miſeriis: certe indignus eſt qui vel minimum levationis à Deo impetret. Simul ergo ac iræ ſuæ ſigna profert Deus, etiam qui aliis omnium ſanctiſſimus videtur, ad hanc vocem deſcendat, ſi jure nobiſcum agere ſtatuat Deus, vocetque ad tribunal ſuum, neminem mortalium poſſe conſiſtere. Atque ut demus unum hominem hic precari, ſimul tamen pronunciat de toto genere humano: acſi diceret, à primo uſque ad ultimum omnes filios Adæ, ſi reddenda ſit vitæ ratio, perditos eſſe ac damnatos. Ergo ſanctiſſimos etiam quoſque hunc reatum ſubire neceſſe eſt, ut ad miſericordiæ aſylum confugiant. Nec tamen Propheta extenuandæ culpæ cauſa alios ſecum involvit: ſicut hypocritæ, ubi non audent prorſus ſe judicio eximere, ſubterfugium hoc ſibi accerſunt, An ego vel primus vel ſolus peccavi? atque ita dum ſe in turba miſcent, dimidiam abſolutionem ſe adeptos credunt. Propheta vero tale effugium minime captavit: imo poſtquam ſe penitus excuſſit, eo graviore pœna obſtrictum eſſe fatetur, quod ex toto genere humano ne unus quidem æternum exitium effugere queat. acſi dixiſſet, Quiſquis accedet in conſpectum Dei, quamlibet rara ſanctitate polleat, ſuccumbet tamen. quid igitur mecum fiet qui non unus ſum ex optimis? Hæc genuina eſt hujus doctrinæ applicatio, ut quiſque vitam ſuam ſerio examinet ad perfectionem illam quæ nobis in Lege præſcribitur. Sic fiet ut ſine exceptione fateri cogatur, cunctos mortales æterno interitu dignos eſſe: ſinguli vero ſe millies perditos eſſe agnoſcant. Jam vero docet hic locus, quum nullus propriis operibus ſtare queat, quicunque juſti reputantur coram Deo, venia & remiſſione juſtos eſſe: alioqui evaneſcet omnis juſtitia. Et Papiſtæ quidem fatentur defectum operum indulgentia ſuppleri: ſed quia partialem ſomniant juſtitiam, quæ homines ſuſtineat coram Deo, longiſſime aberrant à Prophetæ ſenſu, ſicuti ex ſequentibus clarius liquebit.

4. *Quia apud te.*] Verſus hic longius nos deducit. nam etſi ore tenus fatentur omnes neminem eſſe in mundo quem Deus, ſi velit, æternæ morti non jure addicat: quotus quiſque ſibi perſuadet quod nunc addit Propheta, gratiam qua indiget, ſibi paratam fore? nam vel cum ſtupore indormiunt ſuis peccatis vel fluctuantur inter varias dubitationes, & tandem deſperationi ſuccumbunt. Sine controverſia (ut dixi) valet illud axioma inter omnes, neminem extra noxam eſſe: claudit tamen oculos major pars ad ſua vitia, & in latebris ignorantiæ ſuæ ſecure deſidet, niſi violenter excitetur. Ubi autem urgentur Dei judicio, trepidant, vel uſque ad deſperationem torquentur. Quia igitur nemo Deum ſibi propitium fore confidit, nulla eſt petendæ veniæ cura. Siquis ſerio judicii Dei ſenſu expergefiat, pudore & metu humiliari neceſſe erit. Sed non ſufficeret talis diſplicentia, niſi ſimul accedat fides, quæ dejectos timore animos ad petendam veniam erigat. Recte ergo David ut verum pœnitentiæ affectum induat, ſe primo ad Dei tribunal ſiſtit: ſed ne terrore confuſus deficiat, mox ſpem veniæ adjungit. Et certe qui non ultra gradum hunc procedunt, ut ſe morte æterna dignos ſentiant, eos videmus quaſi phreneticos magno impetu contra Deum ruere. Ideo quo ſe & alios melius confirmet Propheta, pronunciat non poſſe à Deo ſuam clementiam avelli vel ſeparari. acſi diceret, Simul ac de te cogito, occurrit etiam tua bonitas, ut non dubitem te mihi fore propitium, quia exuere naturam non potes, certoque perſuaſus ſim te ideo miſericordem eſſe quia Deus es. Sciamus autem non de confuſa gratiæ Dei notitia hic agi, ſed unde certo colligat peccator, ſimulac Deum quæſierit, paratam reconciliationem fore. Quare non mirum ſi apud Papiſtas nulla viget firma Dei invocatio, ubi ſua merita, ſatisfactiones, & dignam (ut vocant) præparationem miſcentes Dei gratiæ, de reconciliatione cum Deo ſuſpenſi dubiique ſemper diſceptant. Ita fit ut orando nihil quam ſuos dolores & cruciatus augeant, quemadmodum ſiquis lignum admoveat jam accenſo igni. Ut autem orando quis proficiat, eum neceſſe eſt à gratuita peccatorum remiſſione incipere. Notanda etiam eſt finalis cauſa cur Deus ad ignoſcendum propenſus dicatur, & nunquam in medium prodire quin ſe placabilem ſervis ſuis offerat: quia ſcilicet nulla maneret pietas in mundo, nullus Dei cultus ſine impetrandæ veniæ fiducia. Hoc quoque principium ignorant

rant Papiſtæ. Prolixe quidem concionantur de timore Dei, ſed quia perplexas dubitatione tenent miſeras animas, ædificant ſine fundamento. Et certe hic primus Dei rite colendi gradus eſt, ſponte nos ei & liberali affectu ſubjicere. Nam quod de eleemoſynis docet Paulus ad omnes vitæ partes extenditur: Deum ſcilicet hilarem datorem amare. Porro qui fiet ut ſe Deo quiſquam alacriter offerat, niſi recumbat in ejus gratiam, certoque perſuaſus ſit ſua obſequia placere? quin potius fugient omnes, atque horrebunt Dei conſpectum. quod ſi non tergum prorſus obvertant, captabunt tamen ſubterfugia. Denique ſenſus judicii Dei abſque ſpe veniæ, horrorem incutit, qui odium neceſſario ex ſe generat. Non contemnit quidem Deum peccator, qui minas ejus formidans, apud ſe angitur: ſed tamen fugit. hoc vero ipſum fugere, mera eſt apoſtaſia & rebellio. Unde ſequitur, Deum nunquam recte coli abſque notitia gratiæ ejus. Tenenda eſt etiam altera ratio quam attigi, niſi confidimus acceptum eſſe Deo quod ei offerimus, ignavia & torpore nos retineri. Quanquam enim increduli multum fervoris ſæpe oſtentant (ut videmus Papiſtas laborioſe ſuis ſuperſtitionibus incumbere) quia tamen Deum ſibi propitium eſſe non ſtatuunt, nullum interea præſtant ſpontaneum obſequium: quia niſi eos cogeret ſervilis formido, mox erumperet horribilis contumacia, quæ metu ſuppreſſa latet.

2 Cor. 9. verſ. 7.

5. Expectavi Jehovam, expectavit anima mea, & in verbum ejus ſperavi.

6. Anima mea ad Dominum ante cuſtodes mane, cuſtodes mane.

5 קויתי יהוה קותה נפשי ולדברו הוחלתי:

6 נפשי לאדני משמרים לבקר שמרים לבקר:

5. *Expectavi Jehovam.*] Poſtquam Deum in genere miſeris peccatoribus qui ad eum confugiunt, exorabilem teſtatus eſt, concludit ſe inde animari ad bene ſperandum. Nam præteritum verborum tempus loco præſentis accipitur. Porro quum per ſe emphatica ſit repetitio, eſt etiam auxeſis in voce *anima*: acſi diceret, ſe in Deo ſperare, & quidem intimo cordis affectu. Atque hinc etiam colligimus, non modo in hominum oculis fortem fuiſſe, ſed arcano etiam ſenſu apud Deum quietem & patientiam foviſſe: quæ optima eſt fidei probatio. quia utcunque multos cohibeat ambitio ne aperte Deo obmurmurent, vel diffidentiam ſuam prodant, vix decimus quiſque remotis arbitris vel teſtibus pacato animo Deum expectat. Addit continuo poſt, hanc patientiæ ſuæ fulturam eſſe, quia in Dei promiſſiones recumbat: quibus ſublatis, Dei gratiam evaneſcere neceſſe eſt, atque ita mentes noſtras concidere, & deſperatione obrui. Cæterum, ut verum ſpei noſtræ documentum extet, ſolo Dei verbo contentos eſſe docet. Ubi vero quis verbum amplexus, ſalutem ſibi à Deo promittet, fiducia hæc, expectationis vel patientiæ mater erit. Quanquam autem ſe ipſum alloquitur confirmandæ fidei ſuæ cauſa, non tamen dubium eſt quin ſimilem fiduciæ materiam ſuggerat omnibus Dei filiis: ac primo verbum illis ſtatuat ut inde toti pendeant. Deinde admonet evanidam eſſe fidem, niſi ad patientiam nos formet.

6. *Anima mea ad Dominum.*] Hoc verſu tam fervorem ſui ſtudii, quam conſtantiam exprimit. Nam ſe *cuſtodes* antecedere, dicens, quam ſedulo & alacriter ad Deum aſpiret, hac ſimilitudine oſtendit. Repetitio autem, conſtantiæ teſtimonium eſt. quia non dubium eſt quin continuum actum vel tenorem, ideoque perſeverantiam deſignet. Utrumque vero dignum eſt notatu: quia plus ſatis apparet quam lente ac frigide ad Deum mentes noſtræ contendant: deinde quam facile ad minimos quoſque flatus nutent, atque etiam labantur. Porro quia ſolebant vigiliæ in quatuor partes diſtribui, ſic exponi poteſt hic locus, Quemadmodum nocturni cuſtodes, qui vicibus excubias peragunt, intenti ſunt ad auroram, ita Prophetam ſumma animi attentione ad Deum reſpexiſſe. Sed videtur ſimplicior eſſe ſenſus, Sicuti mane alios omnes præveniunt ſua vigilantia, & omnium primi ſurgunt portarum cuſtodes, ut ad ſuam ſtationem compareant, ita animum Prophetæ ſumma celeritate ad quærendum Deum properaſſe. Repetitio, ſicuti jam admonui, docet, in illo intuitu ſtetiſſe defixum. quia ſemper cavendum eſt, ſi Dominus longius nos ſuſpendit, ne moræ tædio fervor noſter langueſcat.

7. *Sed* ſperet Iſraël in Jehovam: quia apud Jehovam clementia, & multa apud eum redemptio.

8. Et ipſe redimet Iſraëlem ex omnibus * iniquitatibus ejus.

* vel, pœnis.

7 יחל ישראל אל יהוה כי עם יהוה החסד והרבה עמו פדות:

8 והוא יפדה את ישראל מכל עונתיו:

7. *Speret Iſraël.*] Poſtquam de ſe loquutus eſt Propheta, & commune in ſua perſona exemplum propoſuit, jam ad totum Eccleſiæ corpus doctrinam accommodat. Notandum vero eſt ubi ſpem omnium piorum fundatam eſſe velit, nempe in Dei miſericordia, ex qua naſcitur redemptio. Priore membro fideles admonet, etiamſi dignitatem nullam afferant, neque merita, ſufficere tamen ipſis quod Deus ſit miſericors. Atque hæc inter fidem Eccleſiæ & gratuitam Dei bonitatem mutua relatio diligenter notanda eſt: ut ſciamus, eos omnes qui meritis ſuis freti, Deum remuneratorem ſibi fore confidunt, ſpem ſuam ad Scripturæ normam minime componere. Ex hoc fonte *redemptionem* deducit: quia, ut populi ſui redemptor ſit Deus, non aliunde quam ſua miſericordia movetur. *Multam* vero eſſe dicit, ut ſe vel in ultima deſperatione ſuſtineant fideles, quia in manu Dei ſint multæ & incredibiles ſervandi viæ. Ac fieri poteſt ut afflictiſſimo Eccleſiæ ſtatu compoſitus fuerit Pſalmus, qui dejicere omnes poſſet, niſi immenſa potentiæ Dei ad ſuos ſervandos magnitudo illis oppoſita fuiſſet. Atque hic verus eſt præſentis doctrinæ uſus, ut in profundis gurgitibus demerſi, non tamen dubitent exitum in manu Dei eſſe, qui rationes abſconditas quoties erit opus inveniet. deinde ſtatuant, quoties afflicta fuerit Eccleſia, eum fore liberatorem. quo etiam ſpectat quæ mox ſequitur clauſula.

8. *Et ipſe redimet Iſraëlem.*] Propius ad Eccleſiam applicat quod dixit. colligit enim, minime dubium eſſe quin Deus, cui patent multiplices ad ſervandum viæ, futurus ſit redemptor populi quem elegit. Quibus verbis docet, ubi teſtata nobis eſt Dei adoptio, ſalutem quoque certam nobis eſſe. Craſſius hoc modo exponere licebit Prophetæ mentem: Quum Dei ſit perpetuum munus redimere, non ſit autem promiſcue omnium redemptor, ſed tantum electi populi, minime timendum eſſe quin fideles ex malis omnibus emergant. quia alioqui ceſſaret Deus ab officio quod ſibi vendicat. Atque iterum inculcat, modo ad reatum deprecandum ſupplex accedat Iſraël, peccata ejus non fore obſtaculo

quo-

quominus Deus ſit redemptor. Etſi enim עון ſæpe pro pœna peccati ponitur, ſubeſt tamen culpæ notatio. Jam quoties pœnarum mitigationem Deus promittit, ſimul docet peccatis ſe fore placabilem: imo reconciliatione oblata, ſpem veniæ facit peccatoribus. Secundum hunc ſenſum dicitur Eccleſiam ſuam redempturus, non ab exilio Babylonico, vel à tyrannide & injuriis hoſtium, vel à penuria, vel denique ab aliis incommodis: ſed à peccatis, quia donec hominibus quos affligit ignoſcat, nulla ſperanda eſt liberatio. Quomodo igitur vel quo ordine petenda ſit à malis omnibus liberatio, hinc diſcamus, nempe ut ſemper primum gradum teneat peccatorum remiſſio, ſine qua feliciter nihil ſuccedet. Nam qui pœnas tantum excutere cupiunt, ſimiles ſunt deliris ægrotis, qui de morbo non ſoliciti, tantum ad ſymptomata curanda intenti ſunt. Ergo ut nos à miſeriis liberet Deus, danda inprimis opera eſt, ut abolitis peccatis redeamus cum ipſo in gratiam: alioqui parum proderit, temporalem pœnam laxari: quia id reprobis etiam ſæpe contingit: hæc autem eſt ſolida liberatio, ubi Deus abolitis peccatis, propitium ſe oſtendit. Unde etiam colligimus, minime timendum eſſe, ubi veniam adepti erimus, quin humanitas Dei & clementia nobis parata ſit & expoſita. quia Redimere ab iniquitate, tantundem valet atque pœnis vel caſtigationibus modum imponere. Quo refellitur perverſum commentum de ſatisfactionibus & Purgatorio, quaſi Deus culpam condonans, pœnam retineat. Quod ſiquis objiciat, puniri interdum à Domino qui jam adepti ſunt veniam: concedo, non ſemper eodem momento Deum favoris ſui ſigna oſtendere hominibus, quo ſibi eos reconciliat: ſed quamvis eos erudiat in poſterum, rigorem ſuum interea lenire. Id vero nihil ad ſatisfactiones pertinet, quibus Papiſtæ fingunt ſe Deo afferre dimidiæ redemptionis pretium. Certe innumeris locis, ubi Deus externas benedictiones populo ſuo promittit, ſemper exordium facit à culpæ remiſſione. Quare nimis craſſa inſcitia eſt, non remitti pœnam donec operibus placatus ſit. Jam quum Dei conſilium ſit, pœnis ad obſequium cogere fideles, perperam hoc ultra mortem extenditur. Sed non mirum eſt Papiſtas tot profana ſomnia coacervare, qui unicum reconciliationis modum non tenent, nempe Deum non aliis propitium eſſe niſi qui expiationem ſuam quærunt in Chriſti ſacrificio. Notandum autem quod dicit *ex cunctis iniquitatibus*, ne miſeri peccatores, quamvis multiplici reatu ſe obſtrictos ſentiant, ſperare tamen deſinant propitium ſibi Deum fore.

ARGUMENTUM PSALMI CXXXI.

Hic David, ut populum animet ad ſtrenue militandum ſub auſpiciis ſuis, vel etiam ad obſequium ſibi præſtandum pios omnes hortetur atque invitet, Deum pronunciat ſemper ducem ſibi fuiſſe, nec abſque ejus mandato & vocatione quicquam ſe fuiſſe aggreſſum.

PSALM. CXXXI.

CAnticum graduum Davidis. Jehova non eſt exaltatum cor meum, nec elati ſunt oculi mei, nec ambulavi in *rebus* magnis & abſconditis à me:	1 שִׁיר הַמַּעֲלוֹת לְדָוִד יְהֹוָה לֹא גָבַהּ לִבִּי וְלֹא רָמוּ עֵינַי וְלֹא הִלַּכְתִּי בִּגְדֹלוֹת וּבְנִפְלָאוֹת מִמֶּנִּי׃

J*Ehova non eſt exaltatum.*] Quia Dei Eccleſiæ præerat David, ut ſe legitimum probaret Regem, ac fideles ſibi morigeros redderet, teſtari voluit nihil ſe ambitione vel ſuperbia abreptum tentaſſe: quin potius ſe quieta & placida modeſtia fuiſſe retentum, ut ſe Deo ſubjiceret. Quæ doctrina ideo apprime eſt utilis, quod nulla certior bene vivendi regula eſt, quam dum quiſque ſorte Divinitus ſibi præſcripta contentus, fortunam ſibi non fingit, ſed Dei vocationem placide expectat: neque plus expetit quam licet: neque ſe præcipitanter ingerit: neque etiam ad magnitudinem effertur, ſed in ſuo gradu libenter ſe continet. Porro cor ſuum exaltatum fuiſſe negans, fontem omnis temeritatis & illicitæ audaciæ notat. Unde enim fit ut ſuis cupiditatibus ita ſerviant homines, ut volitent per medium aërem, ut omnia miſcendo, mundum conturbent, ut denique ſua audacia ferantur præcipites, niſi quia ſuperbia turgent? Correcta vero altitudine cordis, moderationem omnes colent. Quod de *oculis* additur, perinde valet ac nullum ſuperbiæ ſignum in geſtu aut vultu extitiſſe: ſicut alibi in ſuperbis damnantur alta ſupercilia. Etſi longius non inepte extendi hoc poſſet, quod ſcilicet David non modo cor ſuum compeſcuerit, ne ſe ambitione efferret: ſed oculis quoque frænum injecerit, ne cordi altitudinis cupido ſe comites præberent. Summa eſt, una cum corde omnes ſenſus ad modeſtiam fuiſſe ſubmiſſos. Quod ſe *negat ambulaſſe in rebus magnis*, ad animum referri neceſſe eſt. Res certe præclaræ fuerunt, non modo fungi Prophetæ officio, ſed Regia etiam dignitate eſſe ornatum: imo in ſacro unigeniti Filii Dei ſolio ſedere. Omitto alias excellentiæ partes, quibus eum Deus à vulgo hominum exemit. Verum quia ſe continuit in hoc gradu, ne aliud appeteret quam Deo & Eccleſiæ ejus ſervire, merito aſſerit ſe non ambulaſſe in rebus magnis. Quanquam ne quis fruſtra in verbo uno hæreat, particula quæ ſequitur *ſupra me*, communiter rebus magnis & abſconditis vel mirabilibus aptanda eſt. Non ergo agitur quam humilis vel excelſa fuerit Davidis conditio: quia ſufficit tenuiſſe modum, ne tranſiliret vocationis ſuæ metas. Neque enim fas ſibi duxit vel pedem movere, niſi quatenus Dei præcepto regebatur. Atque hic tenenda eſt antitheſis inter Davidis ſubmiſſionem, & pravam eorum temeritatem, qui poſthabito Dei juſſu ſe ingerunt ultra quam par eſt, vel in alienas functiones involant. nam ubi prælucet Dei vocatio, nihil nobis erit abſconditum, vel magnum ſupra nos, præſertim ſi ad quodvis obſequium parati ſimus. quoſcunque vero ambitio ſollicitat, neceſſe eſt in labyrintho vagari. Et ſane videmus ut magnificos iſtos conatus, in quibus faſtuoſe ſe jactant filii ſeculi, fruſtretur Deus. Per longos ſuos diſcurſus obequitant, verſant totum mundum ſuo arbitrio, & nihil intactum prætereunt: placent etiam ſibi in ſuo acumine & induſtria. verum ubi in magnum acervum extulerunt ſua conſilia, repente evertitur: quia nihil ineſt ſolidum. Duobus autem diverſis vitiis laborant qui Deum præire volunt, ſequi non ſuſtinent. alii enim ferventer ſe præcipitant, acſi lapides ædificandi cauſa in cælum projicerent. alii vero, quamvis non palam ſuam intemperiem prodant, ſed lenti ſint, & quaſi reptando in longum tempus proſpiciant: quia tamen non minore arrogantia decernunt, contempto Deo, quid poſt decem & viginti annos facturi ſint, acſi cælo & terræ dominarentur, lapides ædificii ſui fundandi cauſa jaciant in profundum mare. Atqui, ſi Deus centum illis vitas proroget, nunquam ad ſuperficiem pervenient. Quod ſi Deo ſe quis ſubjiciat, primum nihil appetens, deinde ſe continens in ſuo modulo, cum Davide planam & æquabilem viam tenebit.

2. Si

2. Si non poſui & quietam tenui animam meam, ſicut eſt ablactatus ſuper matrem ſuam, ſicut ablactatus ſuper me anima mea. | 2 אם לא שויתי ודוממתי נפשי כגמל עלי אמו כגמל עלי נפשי :

3. Speret Iſraël in Jehovam ex nunc & uſque in ſeculum. | 3 יחל ישראל אל יהוה מעתה ועד עולם :

2. *Si non poſui.*] Concinna ſimilitudine hic melius explicat quid ſibi voluerit, puero nuper ablactato ſe comparans. Senſus autem eſt, curis omnibus valere juſſis, quæ ambitioſos homines inquietare ſolent, parvitatem amaſſe. Quia autem res eſt difficilis creditu, jurejurando confirmat: de cujus forma alibi dictum fuit. nam ſubaudienda eſt imprecatio quæ tacetur: ut diſcant homines jurando linguam ſuam cohibere, ne futiliter Dei nomen uſurpent. Quod ad verba ſpectat, *Ponere animam inſtar pueri*, eſt eam formare ut ſimilis ſit. Deinde oſtenditur qua in re, nempe ut quieſceret in ſilentio. Eſt enim דוממתי verbum quadratum à דום quod tranſitive accipitur pro cogere ad ſilentium. Porro iſtud *quieſcere* fervidis ſtudiis opponitur, quibus ſe multi & totum mundum tumultuoſe perturbant. Infantis pueri ſimilitudo alibi in vitio ponitur. Nam quum dicitur Jeſaiæ 28: 9. Quem docebo ſcientiam? abductos à lacte? avulſos ab uberibus? Propheta odioſe populi tarditatem perſtringit, acſi nihilo eſſet ad diſcendum magis idoneus, quam pueri nondum bimuli. Sed eadem ratione hic laudatur ſimplicitas qua dicit Chriſtus, Niſi ſitis puero huic ſimiles, non poteritis ingredi in regnum Dei. (*Mat. 18. verſ. 3.*) Inde autem inſanæ cupiditates, quod homines ultra quam par ſit, ſapere & providi eſſe appetunt. Ideo addit David, *anima mea ſuper me* quievit: non quod propriis viribus niteretur, ſed quia animum nullis cupiditatibus agitatum placide & ſuaviter in ſinu fovebat. Notatur enim antitheſis inter vagos & erraticos, imo violentos eorum motus, qui ſorte ſua non contenti, ſeſe temere projiciunt, & piorum modeſtiam qui in Dei vocatione tranquilli reſident. Jam ex concluſione patet quorſum aſſerat David, nihil ſe carnis impulſu fuiſſe aggreſſum. Jubet *Iſraëlem ſperare in Deo.* Certe abrupta eſſet oratio, niſi quia ad communem Eccleſiæ ſalutem magnopere interfuit, ipſum Divinitus in ſolio regni locatum eſſe: quia hoc modo de promiſſa benedictione certi erant fideles. Atque hæc certe optima ſperandi ratio, ubi ſobrie & humiliter de nobis ſentientes, nil niſi Deo auctore & approbatore cupimus vel audemus.

ARGUMENTUM PSALMI CXXXII.

Propheta quiſquis ſit Pſalmi auctor, Deum in perſona fidelium de ſua promiſſione appellat, ne Regnum vel Templum intercidere unquam ſinat, ſed utrumque ſtabiliat ac tueatur.

PSALM. CXXXII.

CAnticum graduum. Memento Jehova Davidis * cum omni afflictione ejus. | 1 שיר המעלות זכור יהוה לדוד את כל ענותו :

(* vel, *ad beneficentiam ejus, hoc eſt, ſecundum clementiam quæ fuit abs te exhibita.*)

2. Qui juravit Jehovæ, vovit forti Jacob, | 2 אשר נשבע ליהוה נדר לאביר יעקב :

3. Si introiero in tabernaculum domus meæ, ſi aſcendero ſuper ſtratum lecti mei, | 3 אם אבא באהל ביתי אם אעלה על ערש יצועי :

4. Si dedero ſomnum oculis meis, palpebris meis dormitationem: | 4 אם אתן שנת לעיני לעפעפי תנומה :

5. Donec invenero locum Jehovæ, habitacula forti Jacob. | 5 עד אמצא מקום ליהוה משכנות לאביר יעקב :

MEmento Jehova.] De auctore Pſalmi interpretes non conſentiunt: etſi minime dubium eſt vel Davidem vel Solomonem eſſe. Nam in ſolenni dedicatione Templi, quum Solomo preces conciperet, ſacra hiſtoria quoſdam verſus ab eo pronunciatos recitat: unde probabilis conjectura elicitur jam tunc Pſalmum in populo notum fuiſſe ac celebrem, vel Solomonem pauca verba in eum uſum aptaſſe cui totum Pſalmum deſtinaverat. Porro quia Davidi promiſſa fuerat Regni ac Templi perpetuitas, nomen ejus proponitur in medium: quia etiam poſt ejus mortem, ſuperſtes nihilominus vigebat Dei veritas. Ita merito in hanc formam precari Eccleſia potuit, ut præſtaret Deus quod ſervo ſuo Davidi pollicitus fuerat, non privato ejus nomine, ſed in omnium piorum gratiam. Quo ſatis ſuperque refellitur Papiſtarum ſtultitia, dum ex hoc loco mortuorum ſuffragiis nos juvari contendunt. Quaſi vero hic patronum è ſepulchro fideles ſibi accerſant, qui apud Deum verba faciat. quin potius ex contextu patebit, fœdus tantum ſpectaſſe quod Deus cum Davide pepigerat: quia ſciebant hac lege apud unum hominem fuiſſe depoſitum, ut de manu (quod ajunt) in manum ad omnes perveniret. *Afflictionis* autem vel humiliationis non abs re fit mentio. Nam quod quidam manſuetudinem vertunt, à ratione diſſidet. Fateor 2. Chron. cap. 6. verſ. 42. poni חסדים hoc eſt clementias, vel bonitates, quod paſſive mihi poſitum videtur pro beneficiis quibus ornatus fuerat David: hic vero eorum ſententiæ indubie ſubſcribo qui anxias curas intelligunt, totque difficultates & certamina quibus agitatus fuit David, quantiſper eum Deus ſuſpenſum tenuit. Itaque ſumma eſt, Memento Deus quanta anxietate æſtuaverit David, quantis cum moleſtiis luctatus fuerit antequam potitus ſit regno, quam ferventer etiam & anxie aſpiraverit ad extruendum tibi Templum: quod tamen ſecundum tota vita adeptus non eſt. Et merito ſane apud fideles periculis, laboribus, & ſuſpiriis Davidis obſignata fuit cæleſtis oraculi veritas: quia abunde teſtatus eſt quam firmum certumque duceret quod ex ore Dei profectum erat. Quod in textu copulam interjiciunt, memento Davidis & afflictionis, mihi non placet. nam particula את potius ſpecialem reſpectum notat, ut in memoriam veniant Davidis afflictiones, vel ut ipſe in Dei conſpectum prodeat cum ſuis afflictionibus, & ſecundum eas voti compos fiat.

2. *Qui juravit Jehovæ.*] Inter afflictiones hanc numerat præcipuam, quod David de Arcæ ſtatione perplexus ſeipſum cruciaverit. Juſſus quidem à Moſe pridem fuerat populus Deum colere in loco quem elegerat. (*Deut. 12. verſ. 5.*) Sciebat David maturum jam adeſſe tempus quo locus ille patefieret: & tamen dubius hære-

hærebat. quod non abſque ſolicita expectatione fieri potuit: præſertim quum tanto cultus Dei ſtudio flagraret, deinde ageretur de fixa Dei præſentia ad tuendum & regendum populum. Narrat autem juraſſe, omnibus aliis poſthabitis, ſibi fore curæ ædificationem Templi. Quanquam in formula durior eſt ac ſeverior obſecratio, acſi ſomno ciboque & aliis vitæ adminiculis renunciet, donec locus templo deſignatus fuerit. Atqui temere id & inconſiderato zelo facturus erat; quia non erat in ejus arbitrio tempus Deo præfigere, multorum vero dierum perferre inediam, vel multis noctibus pervigilem durare, non ferebat ejus facultas. Adhæc quando dicemus nuncupatum ab eo fuiſſe votum? Scio quid reſpondeant ex Hebræis quidam, quum expavefactus Angeli conſpectu cecidit, hoc jusjurandum fuiſſe ab eo conceptum. Fateor quidem paulo poſt monſtratam ei fuiſſe aream: ſed divinatio eſt parum firma & prorſus coacta, reſtringere ad illum temporis articulum quod potius de longa meditatione intelligi debet. Porro nihil erit abſurdi, ſi dicamus loquendi genus eſſe hyperbolicum: nec referri hoc loco conceptam devotionis formulam, ſed ita mitiganda eſſe verbe, Ne unquam vel domum ingrediar, vel ſpondam lecti mei conſcendam, quin me iſta cura ſolicitet. Perſuaſus certo erat, ſedem Sanctuarii & Regni ſtatum res eſſe conjunctas: ideoque nihil mirum ſi neque Rex ſibi viſus fuerit, neque ullis vitæ commodis ſibi frui tranquille promiſerit, donec certior de loco Templi factus eſſet. Quia tamen nihil certi habemus, ubi nos deſtituit Scripturæ teſtimonium: tantum affero quod meo judicio magis eſt probabile. Senſus autem hic non male quadrabit, ſive domi habitet David, ſive in lecto jaceat, ſemper anxio & inquieto animo fore, donec edoctus de perpetua Arcæ habitatione fuerit. Quantum ad votum pertinet, ex hoc loco & ſimilibus perperam colligunt Papiſtæ, quicquid abſque delectu votorum effutiverint, Deo probari. Nam ſicuti Deo vovere quod ſibi gratum fore pronunciat, laudabile eſt: ita nimis vitioſa audacia eſt, dum carnis ſuæ ſenſu ad quidvis vovendum proſiliunt homines. Itaque ſpectandum quid probet, ne præcipuo jure ſuo fraudetur: quia apud eum potior eſt obedientia quam victimæ.

6. Ecce audivimus eam in Ephratha, invenimus eam in campis ſylvæ.	ם	6 הִנֵּה־שְׁמַעֲנוּהָ בְאֶפְרָתָה מְצָאנוּהָ בִּשְׂדֵי־יָעַר׃
7. Ingrediemur in habitationes ejus: adorabimus ad ſcabellum pedum ejus.		7 נָבוֹאָה לְמִשְׁכְּנוֹתָיו נִשְׁתַּחֲוֶה לַהֲדֹם רַגְלָיו׃
8. Surge Jehova in requiem tuam, tu & Arca fortitudinis tuæ.		8 קוּמָה יְהוָה לִמְנוּחָתֶךָ אַתָּה וַאֲרוֹן עֻזֶּךָ׃
9. Sacerdotes tui induantur juſtitia, & manſueti tui exultent.		9 כֹּהֲנֶיךָ יִלְבְּשׁוּ־צֶדֶק וַחֲסִידֶיךָ יְרַנֵּנוּ׃

6. *Ecce audivimus eam in Ephratha.*] Verſus hic valde obſcurus eſt, ut mirum non ſit interpretes in ſenſu ejus quærendo ſe torquere. Primum relativo generis fœminini nullum antecedens reſpondet. cogit ergo neceſſitas ad habitationem referre cujus ante meminit, licet in numero plurali. In voce Ephratha magis ſudatur, ubi nunquam repoſita fuit Arca fœderis. Si de tempore anteacto agitur, debuit potius nominari Silo. Sed quum extra controverſiam ſit, novum domicilium celebrari à Propheta, cur pro Sione Ephratha ponitur? Quidam frivolo commento ſe expediunt, binominem fuiſſe locum, & Arcam quæ oſtenſa fuit Davidi, dictam quoque fuiſſe Ephratha, quod locus eſſet fertilis. unde & Hieronymus καρποφορίαν vertit. quanquam ne ipſe quidem ſibi ubique conſtat: quia dum alicubi allegoriis ſuis ludit, interpretatur furorem: quod abſurdum eſt. Equidem non dubito quin à פרה quod eſt fructum ferre, deductum ſit nomen: ſicut & Bethlehem, quæ in ea regione ſita erat, ob fœcunditatem dicta eſt domus panis. Sed de nomine loci frigida eſt divinatio: itaque quærendum quod ad veriſimilitudinem propius accedat. Primum nonnihil coloris haberet hæc expoſitio, Rumor vulgatus fuerat Arcam fœderis locandam eſſe in Ephrata, unde oriundus erat David, & tarte credibile eſt, tam Arcæ, quam Sanctuario locum in ſolo ejus natali maxime idoneum viſum eſſe. Nec mirum eſt ſi hæc opinio paſſim hinc invaluerit. Itaque auditus hic poſitus eſſet pro communi fama. Quod ſi placeat hic ſenſus, tempus verbi eſſet pluſquamperfectum, Audieramus eam in Ephratha, invenimus autem in ſylvis. hoc eſt, in loco non tam culto, neque amœno. Scimus enim Jeruſalem montibus fuiſſe cinctam, nec partem illam terræ fuiſſe frugiferam, ut non abs re vocetur ſylvoſa. Expendant etiam lectores an alter hic ſenſus male conveniat, ut ſi dicant fideles ſe audiiſſe in Ephratha, quia Dominus ſublimius aliquid de Ephratha pollicebatur, quam de Sion. Etſi
Mich. 5. verſ. 2. enim memorabile illud Michææ vaticinium nondum editum fuerat, fieri tamen poteſt ut jam Deus aliquid magnificum & inſigne de Bethlehem teſtatus foret. Audivimus ergo de Bethlehem: ſed quia locus ille adhuc in ſpe nobis eſt abſconditus, interea colendus erit Deus in loco ſylvoſo, donec promiſſionem quam de Ephratha ſuſpendit, impleat. Sed quia hæc interpretatio coacta eſt, eam vix audeo amplecti, certe pro genuina non commendo. Mihi ſimplicius videtur, nomen Ephratha potius de perſona Davidis quam de loco accipere, acſi dixiſſet Propheta, Nunc tandem ex quo Regem Ephratheum ſibi Deus delegit, locum ſimul Arcæ fœderis fuiſſe deſtinatum. Ponitur autem primo loco auditus. quia non fuit in hominum arbitrio Sanctuarium Dei uſquam figere, donec patefacta eſſet Dei volumtas. Nec vero ſupervacua eſt gratulatio, quod tandem ſub regno Davidis nobile illud oraculum de æterna Templi ſtatione allatum fuit. Interea oſtendunt fideles ſe Arcam non locaſſe in hoſpitio fortuito, ſed Divinitus fuiſſe edoctos ubi Deus coli vellet. ſicuti in legitimo cultu ſemper primatum tenet fides, quæ ipſa ex auditu naſcitur. Cæterum quamvis mons Sion nullis fere dotibus excelleret, oſtendunt tamen fideles, nefas eſſe de loco eligendo diſceptare: quia jam audierint quid Deo placeat.

7. *Ingrediemur in habitationes ejus.*] Hic dictat communem exhortationis formam piis omnibus, qua ſe mutuo invitent ad eum locum qui ab Angelo monſtratus fuerat. Et certe æquum eſt, quo certius innotuerit Dei voluntas, eo nos ad obſequium alacriores reddi. Ergo quum nunc probe teneat populus, locum à Deo fuiſſe electum, admonet Propheta jam non eſſe locum deſidiæ, ſed majore ſtudio properandum eſſe: quia Deus certa quiete electa, familiarius ad ſe vocat. Quibus verbis damnat eorum omnium ſegnitiem, qui pro modo revelationis etiam in zelo non proficiunt. Quod *habitationes* plurali numero dici volunt, quia in Templo erat ſanctuarium interius, deinde media pars, & tertio atrium, neſcio an tam argute loquutus fuerit Pſalmi auctor:
non

non tamen repudio. Plus momenti eſt in epitheto quod mox additur. nam Propheta Arcam fœderis *ſcabellum Dei* vocans, breviter oſtendit, immenſam Dei eſſentiam non includi ſanctuario; ſicuti craſſi homines fingebant. Si enim tota externi Templi majeſtas nihil fuit quam ſcabellum pedum, fideles ad cælos neceſſe fuit aſſurgere, ut Deum ipſum reverenter ſuſpicerent. Certe fas non fuit terrenum
Pſal. 27. vers. 8. quicquam de eo imaginari. Dicitur quidem alibi Dei facies, nempe ut ſolida fidei certitudine populus ad ſymbolum Divinitus ſibi propoſitum intentus ſit. Propheta autem hic diſtinctius de utroque loquitur, quod ſcilicet Deum templo includere prava ſuperſtitio ſit: neque tamen fruſtra externis ſymbolis Eccleſia utatur, ne ſcilicet vel adminicula fidei ſuæ negligant, vel in ipſis nimium ſint defixi. Etſi igitur in cælo & ſupra omnes cælos habitat Deus, in eo tamen quærendo non cogimur ſine adjumentis illuc uſque evolare: quia ſymbolum præſentiæ ſuæ porrigens, pedes ſuos in terram extendit, nobiſque palpandos præbet. Nunc videmus quam utiliter balbutiat Spiritus ſanctus pro infirmitatis noſtræ captu, ut nos à terrenis elementis in cælum evehat. Niceni vero Concilii ſecundi pluſquam bruta fuit cæcitas, dum ad probandam idololatriam, boni patercuii locum hunc torquere auſi ſunt, quaſi vero David vel Solomo ſtatuas Deo erigere jubeat in quibus colatur. Nunc poſtquam abolitæ ſunt figuræ legales, rite ad ſcabellum Dei adorant qui reverenter ejus verbo ſe ſubjiciunt, & ſacramentis ſe exercent ad ſpiritualem ejus cultum. Et quia ſciunt Deum non ſimpliciter è cælo deſcendere, ſed auferre pedes ſuos, gradatim ad ipſos aſcendunt. Quia autem in Chriſto non modo quieſcunt pedes Dei, ſed tota eſſentiæ Dei & gloriæ plenitudo reſidet, in ipſo quærendus eſt Pater. Et certe ideo deſcendit ut nos ſurſum attolleret.

8. *Surge Jehova in requiem tuam.*] Eſt hic loquendi modus ſatis craſſus, ut Deus, qui cælum & terram implet, veniat in novum hoſpitium: ſed iis elogiis externa quæ inſtituit Deus pietatis exercitia conſulto ornantur, quo libentius illis operam impendant fideles. Nam ſi Deus nullo medio interpoſito, recta nos in cælum vocet, quia nobis horrorem incutit longa diſtantia, friget invocationis ſtudium. Itaque licet locum non mutet, propius tamen ad nos accedit. Sic olim ad populum ſuum deſcendit per Arcam fœderis, in qua viſibilem extare voluit gratiæ & virtutis ſuæ præſentiam. Ideo ſecundum membrum exegetice additum eſt, ut ſcirent fideles, Dei adventum non aliter intelligi niſi quatenus virtutem ſuam in Arca conſpicuam reddebat. Nam & hoc ſenſu vocatur *arca fortitudinis:* quia non mortuum vel inane ſpectrum erat, ſed re ipſa monſtrabat Deum Eccleſiæ ſuæ propinquum eſſe. Requies autem Dei vocatur mons Sion, quia nuſquam alibi in poſterum tempus coli Deus volebat, quemadmodum paulo poſt iterum repetam.

9. *Sacerdotes tui induantur juſtitia.*] Nunc in genere precatur pro felici Eccleſiæ ſtatu: quod ex proxima ſententia dependet: quia non alium in finem habitat Deus in medio noſtri, quam ut bene & feliciter nobis ſit. Quidam magis optari putant ut vigeat purus Dei cultus: atque ita ſanctitatem requiri in Sacerdotibus, ut etiam alludat Propheta ad ſacras illorum veſtes. Sed dum omnia ſimul inter ſe confero & propius expendo, potius inclino in diverſam ſententiam: votum hic concipi ut Dei juſtitia refulgeat in populo, ſitque vice ornamenti in Sacerdotibus, deinde lætitiam afferat toti populo. ita juſtitiam pro fructu juſtitiæ accipio, & illam quidem non hominum, ſed Dei interpretor. Sacerdotes priore loco ſtatui mirum non eſt: quia ſcimus ita compoſitum fuiſſe Eccleſiæ ordinem, ut præ aliis excellerent. Suum tamen illis gradum aſſignans, non deſinit communiter pro tota Eccleſia precari: acſi diceret, Fac Domine ut juſtitiæ tuæ fulgor irradiet à Sacerdotibus in totum populum. Juſtitia autem nos Deus veſtire dicitur quum apparet liberator noſter, tuetur nos ſua virtute, & ſic gubernat ut teſtetur ſe gerere curam noſtri. Et certe *exultatio* quam mox ſubjicit, deſignat beatam vitam. Quum hæc duo conjungat: ſequitur, nomen juſtitiæ non aliter quam pro Dei tutela & gubernatione accipi. In eundem ſenſum paulo poſt ſequetur, Sacerdotes tui induentur ſalute. Et Solomo in illa ſolenni precatione quam ſupra attigi, juſtitiæ non meminit, ſed ſalutis tantum. Cur חסידים vel manſueti Dei vocentur omnes fideles, ſæpius dictum eſt: quia ſcilicet nulla eſt virtus qua propius ad Deum accedant mortales quam beneficentia.

10. Propter David ſervum tuum ne averſeris faciem Chriſti tui.	10 בעבור דוד עבדך אל תשב פני משיחך׃
11. Juravit Jehova Davidi in veritate, nec ſe avertet ab ea, De fructu ventris tui ponam ſuper ſolium tuum.	11 נשבע יהוה לדוד אמת לא ישוב ממנה מפרי בטנך אשית לכסא לך׃
12. Si cuſtodierint filii tui fœdus meum, & conventiones meas quas docebo eos: etiam filii eorum uſque in ſeculum ſedebunt ſuper ſolium tuum.	12 אם ישמרו בניך בריתי ועדתי זו אלמדם גם בניהם עדי עד ישבו לכסא לך׃

10. *Propter David ſervum tuum.*] Quidam principium hujus verſus cum proximo contexunt. quod tametſi non refello, facile tamen perſpicient lectores verſum hunc uno contextu legendum. Porro antequam mentem Prophetæ explico, ſciendum eſt, nimis argute ſenſum hunc verbis affingi. Ne avertas faciem Chriſti tui, hoc eſt, ne prives nos conſpectu Redemptoris. Certo enim ex Solomonis precatione colligitur, potius rogare Deum ut ſe Regi propitium exhibeat. Sicuti quum Solomonem
1 Reg. 2. vers. 20. filium ſuum rogat Bethſabe, eodem verbo utitur: acſi diceret, ne me rejicias à conſpectu tuo. Tantundem igitur valet atque averſari. idque breviter attingere operæ pretium fuit: quia ſententia illa, Ne auferas promiſſum Redemptorem, ut eſt plauſibilis; facile imperitos alliceret. Atqui ſimpliciter hic rogatur Deus ne Regis vota, quæ pro toto populo concipit, aſpernetur vel repudiet. Petitur autem hic favor vel gratia ſub Davidis nomine, non alia de cauſa niſi quia Deus cum eo fœdus pepigerat. Nam hujus privilegii reſpectu, non quaſi unus quilibet ex vulgari ordine reputandus fuit. Summa eſt, ut Deus promiſſionis ſuæ memor, erga Davidis poſteros favorem ſuum proſequatur: quia & ſingulis Regibus dictata hic fuit precatio pro Eccleſia: ſed fundamentum in perſona Davidis jactum fuit. Itaque jam tunc ſub figura admoniti fuerunt fideles, Chriſtum mediatorem fore qui pro toto corpore populi intercederet. Sed quia nondum carnem noſtram induerat Chriſtus, necdum etiam peracto Sacrificio cæleſte Sanctuarium ingreſſus erat, interpoſitus fuit ad tempus umbratilis mediator, qui exorandi fiduciam populo daret.

11. *Juravit Jehova Davidi.*] Jam clarius exprimit nihil ſe aliud reſpicere in Davide quam gratuitam Dei promiſſionem quæ apud eum depoſita

 fuerat.

fuerat. At ne in ejus fide vacillet, jurejurando ſancitam fuiſſe dicit. Quantum ad verba ſpectat, dicit Deum juraſſe veritatem, hoc eſt, non fallaciter, ſed bona fide: ideoque non eſſe timendum ne à promiſſo deflectat. Promittit autem Davidi ſucceſſorem ex ejus ſemine: quia jam fere de continua ſucceſſione deſperaverat. non quod liberis careret, ſed quia domi ſuæ videbat regnare exitiales turbas, eamque inteſtinis diſcordiis ſciſſam eſſe, quæ totum genus facile peſſundarent. Quanquam autem deſignatus fuit Solomo, non dubium tamen eſt quin promiſſio ad continuam uſque ſeriem pateret. Quia autem non Davidi privatim, ſed toti Eccleſiæ Deus hoc modo proſpexerat, nunc jubentur fideles bono animo eſſe: quod regnum inter eos Deus erexerit non fluxum vel caducum, ſed cujus ſancta eſſet ſtabilitas. Atque utile fuit tam Regem quam populum de hac extraordinaria fultura moneri. Videmus enim quam ſe inſolenter efferant terreni Reges: quia etſi ore fatentur Dei gratia ſe regnare, tamen in ſuo faſtu evaneſcunt. Adde quod ut plurimum violenter irrumpunt in ſolium, ut raro locum obtineat legitima vocatio. Itaque merito à terrenis imperiis diſcernitur ſacrum Davidis regnum, quod in cæleſti oraculo fundatum erat.

12. *Si cuſtodierint filii tui fœdus meum.*] Nunc apertius progreditur ad illam quam dixi ſeriem, qua aſſeritur illius diuturnitas. Etſi autem in hoc mundo Regum filii parentibus hæreditario jure ſuccedunt, certum eſt tamen regnum Davidis ſingulari privilegio eximi à communi lege. quia diſerte pronunciat Deus ſemper exorituram ſobolem quæ ſolium regium obtineat: neque id uno vel altero ſeculo, ſed ſine fine. Nam etſi deletum fuit regnum illud, brevi tamen ſecuta eſt reſtitutio, & in Chriſto ſtabilita ejus perpetuitas. Hic tamen naſcitur quæſtio, An regni duratio hominum meritis nitatur. Nam conditio ſub qua paciſcitur Deus, innuit non aliter ratum fore Dei fœdus, quam ſi homines bona fide reſpondeant. Unde ſequitur, effectum gratiæ promiſſæ pendere ab eorum obedientia. Sed primo loco tenere convenit, quatenus pollicitus eſt Deus ſe miſſurum redemptorem, à quo ſperanda eſſet ſalus, fœdus illud fuiſſe prorſus gratuitum: quia ex prima adoptione fluebat, quæ & ipſa gratuita fuit. Et certe non obſtitit impiæ gentis perfidia quominus Deus exhibito Chriſto palam oſtenderit ſe eorum
Rom. 3: 3. meritis nihil tribuere. Ideo dicit Paulus, Si quidam eorum fuerunt increduli, an ideo exinanita eſt Dei veritas? ſignificans Deum favorem ſuum continuaſſe erga Judæos, quia gratis eos elegerat. Et quum ſæpius data opera, viſi ſint ejus promiſſiones in nihilum velle redigere, certaſſe tamen incredibili bonitate cum eorum malitia atque ita factum eſſe ut ſuperior emerſerit ejus veritas: quia non reſpexit quid meriti eſſent, ſed in ſuo propoſito firmus ſtetit. Nunc tenemus quatenus conditionale non fuerit illud fœdus: ſed quia ſecum trahebat alias acceſſiones, ideo conditio fuit appoſita, Si parueritis mandatis meis, ego vobis benedicam. Ab hac obedientia quia deſciverant Judæi, in exilium abducti ſunt. Ac tunc viſus eſt Deus fœdus ſuum irritum facere, vel profanare, ut alio loco vidimus. Diſſipatio igitur illa, quædam fœderis ruptura fuit, ſed ex parte duntaxat & in ſpeciem. Clarius etiam hoc fiet ſi altius repetamus ex ſacra hiſtoria quid paulo poſt Davidis mortem contigerit. Regnum enim collapſum fuit decem tribuum defectione, ut tantum exigua portio reſtaret. Subinde novis poſtea cladibus attritum fuit, donec tandem à radice evulſum periit. Etſi autem reditus ab exilio ſpem aliquam reſtitutionis præbuit, nullum tamen fuit tunc nomen regium, & in Zorobabel obſcura dignitas: donec exſurgerent Reges adulterini & degeneres. Quis non diceret penitus abolitum fuiſſe fœdus Dei? Et tamen quia non aliunde prodiit Redemptor, firmum ratumque ſtetiſſe ex effectu patet. Hoc ſenſu dicitur Ezec. 21.
apud Prophetam de regio diademate, Tolle cidarim: transverſam, transverſam, transverſam ponam illam, donec veniat cujus eſt. Videtur certe Propheta, Dei chirographum conſcindere & renunciare pacto. Nam populi ſalus regno annexa erat, ſicuti habetur in Threnis Jeremiæ, Chriſtus Thren. 4.
Dominus noſter in cujus ſpiritu nos ſpiramus. Quanquam autem Propheta cidarim tollendo, videtur fœdus abrumpere, mox tamen in ſecunda parte, quatenus gratuitum erat, æternum & inviolabile fore oſtendit. quia etſi ad tempus Judæi ſe abdicaverint à Dei gratia, Redemptorem nihilominus promittit. Nam ut Deus ingratum populum ultus eſt, atque ita oſtendit non fruſtra conditionaliter ſe loquutum eſſe, demum Chriſti adventu gratis præſtitit quod gratis pollicitus erat, dum cidarim repoſuit ſuper Chriſti caput. Cæterum ubi obſervantiam pacti ſui tam ſevere exigit Deus, repudiatis hominum figmentis in pura verbi ſui doctrina nos retinet.

Margin: verſ. 26. (Ezec. 21.); verſ. 20. (Thren. 4.)

13. Quoniam elegit Jehova Sion, dilexit eam in ſedem ſibi.	13 כי בחר יהוה בציון אוה למושב לו׃
14. Hæc requies mea in æternum, hic habitabo: quia dilexi eam.	14 זאת מנוחתי עדי עד פה אשב כי אותיה׃
15. Victum ejus benedicens benedicam, pauperes ejus ſaturabo pane.	15 צידה ברך אברך אביוניה אשביע לחם׃
16. Et Sacerdotes ejus induam ſalute, & manſueti ejus exultatione exultabunt.	16 וכהניה אלביש ישע וחסידיה רנן ירננו׃

13. *Quoniam elegit Jehova Sion.*] Hic Regnum cum Sacerdotio & Spirituali cultu conjungens, expreſſius confirmat non fuiſſe electum humano arbitrio, ſed in cæleſti decreto fundatum. Hæc igitur connexio notanda eſt: quia Regni illius ſtabilitas non alibi quam in Chriſto quærenda erat. atqui regnum Chriſti à Sacerdotio inſeparabile eſt. Hinc videmus quorſum commemoret Sionem electam: quia Deus nihil ſeorſum de Regno ſtatuit, ſed voluit ſimul accedere Sanctuarium, ut vera eſſet imago futuri Mediatoris, qui ſecundum ordinem Melchiſedec non modo Rex eſt, ſed etiam Sacerdos. Unde ſequitur Regni & Tabernaculi ſtatum res eſſe individuas. Poſtea notatur electionis cauſa: nempe montem Sion non ſua præſtantia fuiſſe electum, ut alibi etiam vidimus, ſed quia Domino ita placuit. Pſal. 78.
Favor enim vel beneplacitum Dei merito loci opponitur. verſ. 68. Unde rurſus patet quod nuper attigimus, fœdus quod pepigit Deus cum Davide, à mera ejus bonitate fuiſſe profectum.

14. *Hæc requies mea in æternum.*] Eandem ſententiam, quo plus auctoritatis addat, in perſona Dei repetit. Pronunciat autem Deus non fruſtra ſibi Templum extructum iri, quia manum ſuam è cælo exerens, re ipſa & efficaciter oſtendet ſibi gratum eſſe cultum quem mandavit. Nam requies & habitatio

tatio Dei, virtutis ejus præſentiam hominum reſpectu ſignificant. Ita *in Sion habitavit*, quia illic rite ex Legis præſcripto eum invocarunt fideles: neque etiam luſerunt operam, quoniam votis eorum reſpondit. Et re ipſa palam factum eſt, à Deo fuiſſe hoc promiſſum qui fallere nequit. quia etſi everſum fuit Templum, deletum altare, totus legalis cultus ceſſavit: ſtatim poſtliminio rediit gloria Dei & majeſtas, & uſque ad Chriſti adventum ſedem illic ſuam retinuit. Interim ſcimus quam improbe & ſcelerate abuſi fuerint Judæi hoc oraculo, acſi Deus illis ſerviliter addictus foret: ut hoc prætextu auſi fuerint ſuperbe deſpicere Prophetas omnes, imo crudeliter perſequi. Quare ſcite Lutherus hanc promiſſionem vocat cruentam: quia, ut ſolent hypocritæ ex ſacro Dei nomine ſuis flagitiis facere operculum, quicquid ſcelerum objectum foret, obtrudere non dubitabant, non eſſe tamen penes Prophetas eripere quod Deus dederat. Nam templum ſpoliare Dei gloria, perinde illis erat ac mendacii eum arguere, vel inter eum & ejus veritatem facere divortium. Hac temulenta fiducia ad fundendum ſine modo & ſine innoxium ſanguinem fuerunt impulſi. Et certe hodie ſi Romanus Satan armatus eſſet tam honorifico titulo, quid non auderet? nulla eſt ſyllaba in Scripturis quæ colorem inducat ejus tyrannidi. Jam quum immani barbarie cum aperta Dei contumelia totam pietatem diſſipet, videmus quam ferociter vel potius truculento faſtu nomen Eccleſiæ ingerat. Quid ergo abolebitur hierarchia, quam ſtare neceſſe eſt, niſi Chriſtus perfide ſponſam ſuam deſerat? Nobis vero prompta eſt exceptio, Eccleſiam non eſſe uni loco alligatam: & ex quo Dei majeſtas ad ultimos uſque terræ fines innotuit, requiem Dei non niſi in Chriſto & ejus membris eſſe. Porro æternitas iſta Templi quam Propheta prædicat, dextre intelligi debet. nam quia ſeculum in Chriſto renovatum fuit, non dicemus vanas fuiſſe figuras, quarum vis & complementum in eo extitit. Siquis autem objiciat, nominari montem Sion quaſi æternum domicilium Dei: in promptu ſolutio eſt, ut vaticinio conſtet ſua veritas, ſufficere quod nunc Chriſtus adventu ſuo montem illum dilataverit uſque ad ultimos terræ fines.

15. *Victum ejus benedicens.*] Fuit illud ſummum caput beatæ vitæ, Deum habitare in medio populi ſui: nunc adduntur ſigna paterni ejus amoris, quod victum ordinarium curabit, & ſuggeret populo ſuo, ſuccurret inopiæ, Sacerdotes ornabit ſalute, & pios omnes lætitia circumdabit. Porro non ſupervacua fuit hæc adjectio: quia non adeo ſumus ſpirituales ut in cælos penetremus, niſi oculis noſtris ſe offerat Dei benedictio. Hæc vero duplex in quotidiano victu obſervanda eſt, quod ſcilicet terram fœcundat ut nobis frumentum, vinum & oleum ſuppeditet: deinde quod terræ proventus arcana virtute multiplicat, ut nobis in alimentum ſufficiant. Hoc quidem loco ſpecialem populi ſui curam Deus ſibi fore denunciat, nequid deſit ad ejus alimenta: & quamvis non ſuppetat magna ubertas, ſe tamen facturum ut in penuria ſatientur pauperes. Non minus autem hoc loco notabilis eſt quam ridicula Papiſtarum inſcitia, quæ clare oſtendit ſpiritu ſtuporis fuiſſe omnes percuſſos, ut ſine judicio ex ſtercore cibum facerent: quum in nomine victum duas literas non diſtinguerent, vidum legerunt: & quia vox adhuc mutila erat, putarunt legendum eſſe viduam: ita viduas crearunt ex victu: monſtrum ſane incredibile dictu, niſi adhuc in ſuis templis abſque pudore eandem ſonarent cantilenam. Sed ſicuti Deus victui populi ſui benedictionem promittit, ſic eorum mentes maledicit & linguas, ut prodigioſis deliriis pervertant totum naturæ ordinem. Poſtea iterum confirmat quod de aliis Dei beneficiis prius dixit, niſi quod pro juſtitia ſalutem ponit: ſed eodem ſenſu, ut ſupra expoſui. Nam quod *ſalutem* alii puritatem doctrinæ, & vitæ ſanctimoniam dici volunt, nimis longe petitum eſt. quia ſimpliciter intelligit Propheta, Dei protectione incolumes fore ac beatos.

17. Illic germinare faciam cornu Davidi; paravi lucernam Chriſto meo.

17 שָׁם אַצְמִיחַ קֶרֶן לְדָוִד עָרַכְתִּי נֵר לִמְשִׁיחִי׃

18. Inimicos ejus induam probro, & ſuper eum florebit diadema ejus.

18 אוֹיְבָיו אַלְבִּישׁ בֹּשֶׁת וְעָלָיו יָצִיץ נִזְרוֹ׃

17. *Illic germinare faciam cornu Davidi*] Redit ad ſtatum regni cujus ſe præſidem ac cuſtodem fore promiſerat Deus. Sed propius notanda eſt verborum proprietas. Faciam, inquit, germinare cornu Davidi. Certum & ſatis vulgare eſt Hebræis tantundem valere *cornu* ac robur & potentiam, vel præſidium: ſed germinandi verbo tum contemptam regni originem, tum mirificas reſtitutiones Propheta denotat. David ex ignobili tugurio & ovium ſtercoribus, quum inter pecuarii hominis filios minimus eſſet, in ſolium eductus, aſſiduis incrementis præter ſpem auctus eſt. Jam regnum ſub Jeroboam ita reſectum fuit, ut aſſidue germinando ſteterit in mediocri aliquo gradu. Adhæc quot ſequutæ ſunt evulſiones, quæ totidem erant interitus præſagia, niſi ſubinde pullulaſſet novum germen? Quid autem populo in exilium diſperſo futurum erat, niſi cornu fractum & contritum germinare Deus feciſſet? Itaque Jeſaias non abs re Chriſtum ſurculo comparat,
Jeſa. 11. verſ. 1. qui non ex arbore procera, ſed ex trunco naſcitur.
Zach. 6. verſ. 12. Et forte ad hoc vaticinium alludit Zacharias, Ecce vir, Germen nomen ejus. quia ſcilicet poſt horrendam illam vaſtitatem non aliter reſtitui potuit Regia poteſtas. Alio ſenſu loquitur David, 2 Samuelis 23. verſ. 5. ubi continua regni incrementa ſub hac voce commendat. Nunc autem intelligit Propheta, quamvis interdum vel areſcat vel frangatur cornu Davidis, Deum tamen mirabiliter facturum ut novus vigor ſuccreſcat. Eodem pertinet metaphora *lucernæ*, quæ frequenter alioqui occurrit: quia celebre in populo fuit hoc oraculum. Senſus autem eſt, quamvis obſcura interdum vel fuligine infecta eſſet regni dignitas, fieri tamen nunquam potuiſſe ut ullæ clades eam penitus extinguerent. quia illic ſemper ardebat Dei lucerna, cujus lumen etſi eminus non erat conſpicuum, fidelibus tamen certam ſalutem monſtrabat. & Hieroſolymæ quidem tunc micabant ſcintillæ ex lucerna, nunc ſol juſtitiæ Chriſtus pleno fulgore orbem illuſtrat.

18. *Inimicos ejus induam probro.*] Sicut ante juſtitia & ſalute veſtivit ſacerdotes, ita nunc etiam probrum loco veſtis induit Davidis hoſtibus. Quia enim non ſatis eſſet proſpere intus agere, niſi Deus ab externa vi & injuria nos defenderet: nunc additur hæc ſecunda promiſſio, in qua etiam clarius ſæpe nobis relucet Dei favor, quam dum omni bonorum genere nos in pace locupletat. Quanto enim magis nos afficiunt hoſtium minæ & terrores, ſenſus etiam noſtros expergefaciunt ut apprehendant Dei auxilium: monemur tamen hoc loco, nunquam ſic in terris quietam fore Eccleſiam quin ſubinde infeſtetur à variis hoſtibus, quos in illius perniciem excitare non deſinit Satan. Sed bene eſt quod audimus ex ore Dei, cum probro tandem & ignominia receſſuros ubi fruſtra omnia machinati fuerint. Quod ſequitur, varie torquent interpretes. nam

quia

quia verbum ציץ in conjugatione hiphil, aſpicere interdum ſignificat, quidam vertunt conſpicietur in eo loco diadema Davidis, ubi germinabit cornu. Quidam à ציץ deducunt quod eſt lamina: acſi dictum eſſet, coronam Regis aureis laminis ſplendidam fore. Sed rectius (meo judicio) eodem ſenſu quo nuper loquutus eſt de germine, nunc floridum diadema fore pronunciat. Sicuti ex oppoſito Jeſaias coronam temulentiæ Ephraim comparat flori emarcido. *Jeſa. 28. verſ. 1.* Ita ſenſus erit, quamvis diadema poſteris Davidis futurum ſit ſæpe caducum in ſpeciem, arcano tamen vigore renovatum iri, ut perpetuo floreat.

ARGUMENTUM PSALMI CXXXIII.

Gratulatio eſt de ſancta populi concordia, ad quam mutuo fovendam fideles omnes incitat Propheta.

PSALM. CXXXIII.

CAnticum graduum Davidis. Ecce quam bonum & quam * decorum habitare fratres etiam ſimul. (* vel, *jucundum.*)	1 שיר המעלות לדוד הנה מה טוב ומה נעים שבת אחים גם יחד:
2. Sicut oleum pretioſum ſuper caput, quod deſcendit ſuper barbam, barbam Aaron, quod deſcendit ſuper oram veſtimentorum ejus.	2 כשמן הטוב על הראש ירד על הזקן זקן אהרן שירד על פי מדותיו:
3. Sicut ros Hermon, qui deſcendit ſuper montes Sion: quia illic mandavit Jehova benedictionem, vitam in perpetuum.	3 כטל חרמון שירד על הררי ציון כי שם צוה יהוה את הברכה חיים עד העולם:

ECce quam bonum.] Non dubito quin Davidis conſilium fuerit hoc Pſalmo gratias Deo agere pro reconciliatione totius populi, poſtquam ex longa & triſti diſſipatione iterum coaluit, & ſingulos ad pacis alendæ ſtudium hortari: quia in ejus commendatione prolixe inſiſtit, ſaltem quoad ferebat Pſalmi brevitas. Non abs re autem magnificis elogiis Dei gratiam celebrat, quod populum miſere laceratum, in corpus unum collegerit. Poſtquam enim regnum adeptus eſt, quia diu pro publico hoſte habitus fuerat, adhuc major pars ab ipſo erat alienior: imo ſcimus capitali diſſidio fuiſſe Judæos inter ſe diviſos, ut nulla ſpes eſſet concordiæ niſi in alterius partis interitu. Fuit ergo mirabile & inexpectatum Dei opus ad concordiam deſcendere, & ſe mutuo amplecti qui tam acribus odiis certaverant. Hanc circumſtantiam male prætereunt interpretes, acſi David generaliter & abſque proprio intuitu conſenſum laudaret inter Dei cultores. Ac primo quidem adverbium Ecce, valde emphaticum eſſe exiſtimo, non modo quia res oculis ſubjicitur, ſed quia ſubeſt tacita comparatio belli inteſtini, quo prope ad vaſtitatem redacti erant, cum læta & optabili pace. Amplificat ergo Dei gratiam, quia longa experientia Judæos magis doceat quam inæſtimabile bonum ſit unitas, quia ſe inteſtinis diſcordiis fere perdiderint. Quem ſenſum confirmat particula גם, quæ in fine verſus ponitur. Depravant enim Prophetæ ſenſum interpretes qui eam accipiunt copulæ loco, quum ad vehementiam non parum faciat: acſi dixiſſet, Nos qui fratres eramus natura, ſic fuimus diſtracti, ut alii aliis magis inviſi eſſent quam exteris hoſtibus, nunc igitur quam bonum eſt fraternam illam unitatem etiam animis colere. Interea non dubium eſt quin Spiritus ſanctus fraternum conſenſum, qui vigere debet inter omnes Dei filios, ſuis laudibus extollat, ut huc quiſque applicet ſuum ſtudium. Quod ſi nos ſcindant odia, vel ſimultates diſtrahant, Dei quidem reſpectu manebimus fratres: ſed quia fruſta erimus laceri corporis, non cenſebimur unum. Itaque ſicut in Deo Patre & Chriſto unum ſumus, ita mutuo conſenſu & fraterno amore ſancienda inter nos unitas. Si quando dederit Dominus, ut Papiſtæ ex defectione ad piam concordiam redeant, his verbis licebit gratias Deo agere: interea quicunque ſe Deo placide ſubmittunt, eos amplecti decet. Quia vero aſſidue turbulentos ſpiritus excitat Satan, contra nitamur, & ſedulo retineamus quicunque ſe præſtabunt dociles ac morigeros. Cæterum præfractos omittere neceſſe eſt, quibuſcum fraterna conjunctio coli non poteſt quin ſummum patrem abnegemus, à quo oritur omnis cognatio. Pax enim quam commendat David, à legitimo capite incipere debet. quo ſatis refellitur Papiſtarum improbitas, qui nobis ſchiſmata & diſſenſiones odioſe exprobrant, acſi non ſatis à parte noſtra teſtatum foret, non aliud nos quærere niſi ut nobiſcum in Dei veritatem conſentiant, quæ unicum eſt ſanctæ unitatis vinculum.

2. *Sicut oleum pretioſum ſuper caput.*] Aperte confirmat David quod nuper docui, veram ſcilicet fratrum conjunctionem initium habere à Deo, legitimumque ejus finem eſſe ut pure Deum omnes colant, unoque conſenſu invocent. Quorſum enim ſimilitudinem mutuatur à ſacro unguento, niſi ut religio primum ſemper gradum teneat? ac ſi diceret, inſipidam fore pacem quam inter ſe colent homines, niſi cultus Dei odore perfuſa ſit. Nunc ergo tenemus, ſic inter ſe conjungi homines mutuo amore, ut Deus omnes ſimul gubernet. Quibus vero hæc conditio non placebit, cum illis præſtabit acriter dimicare, quam pacem redimere Dei contemptu. Hoc enim tenere convenit, in Sacerdotis perſona oſtendi concordiam fluere à vero & puro Dei cultu. deinde per *barbam & extremas partes veſtium*, notari, quam longe lateque patet Eccleſia, pacem quæ à capite Chriſto manat, diffundi. Altera ſimilitudo ſumpta à *rore*, qui tam in montem *Hermon* quam *ſuper Sion* diſtillat, oſtendit piam concordiam non modo ſuavis eſſe odoris coram Deo, ſed proferre etiam utiles fructus: ſicuti ros terram irrigando, ſuccum & vigorem ſuppeditat. Scimus autem quid de Judæa dicat Moſes, non eſſe ſimilem Ægypto quam fluvii exundatio fœcundat, ſed pluviam quotidie è cœlo expectare. Monuit ergo David, jejunam ac ſterilem, miſeram denique fore hominum vitam, niſi fraterno conſenſu foveatur. Montem vero Hermon pinguem & opimum fuiſſe conſtat, quia celebratur inter loca paſcua. Præcipua vero montium ubertas ex rore cœleſti: quod in monte Sion ſatis conſpicuum erat. Poſtremo ſubjicit David Deum benedictionem mandare ubi pax colitur, hoc eſt, læta bonorum abundantia teſtari quantopere ſibi placeat, homines vivere unanimes. Hanc ſententiam aliis verbis imitatus eſt Paulus, Pacem colite inter vos, & Deus pacis erit vobiſcum. *2 Cor. 13. verſ. 11.* Studeamus ergo quantum in nobis erit, fraternæ concordiæ locum dare, ut Dei *Phil. 4.* quoque benedictio apud nos reſideat. *verſ. 9.* Extentis etiam brachiis oportet amplecti qui à nobis diſſident, ſi modo non abnuant in fidei unitatem redire: ſiqui calcitrent, valere ſinamus: quia nobis nulla, ut dictum eſt, niſi cum filiis Dei fraternitas.

ARGU-

Argumentum Pſalmi CXXXIV.

Exhortatio eſt ad laudandum Deum: quæ tametſi communis eſt piis omnibus, peculiariter tamen dirigitur ad Sacerdotes & Levitas.

Pſalm. CXXXIV.

CAnticum graduum. Ecce benedicite Jehovam omnes ſervi Jehovæ, qui ſtatis in domo Jehovæ per noctes.	1 שיר המעלות הנה ברכו את יהוה כל עבדי יהוה העמדים בבית יהוה בלילות׃
2. Tollite manus veſtras ad Sanctuarium, & benedicite Jehovam.	2 שאו ידכם קדש וברכו את יהוה׃
3. Benedicat tibi Jehova è Sion qui fecit cælum & terram.	3 יברכך יהוה מציון עשה שמים וארץ׃

ECce benedicite.] Putant quidam interpretes una cum Levitis alios quoque Dei cultores comprehendi: & certe fateor quoſdam è populo, qui præ aliis zelo fervebant, in templo pernoctaſſe (ſicuti de Anna vidua legitur, quod dies & noctes fuerit in precibus aſſidua) ſed ex fine Pſalmi patet, Prophetam non alios hortari quam Sacerdotes: quia formulam benedictionis dictat qua precentur pro communi ſalute. quod munus ſolis Sacerdotibus fuit injunctum. Levitas igitur ab officio, cui addicti erant, ſervos Dei vocari interpretor, ut ſane eorum maxime erat in templo pernoctare, idque per vices, ſicuti docet ſacra hiſtoria. Ideoque adverbio demonſtrandi quaſi in rem præſentem eos adducit, quia decebat aſſiduo templi conſpectu magis ſtimulari ad pietatis exercitia. Jam vero notandum eſt quo conſilio Propheta tam ſedulo eos incitet ad laudandum Deum. Nam ut nihil magis proclive eſt quam ceremoniis abuti, multi ex Levitis ſe officio defunctos putaſſent, ſi modo ſtetiſſent otioſi in templo: ita neglectus fuiſſet præcipuus finis. Oſtendit ergo Propheta totum hoc fore ludicrum & nihili, quod nocturnas excubias agunt Levitæ pro Templi cuſtodia, luminaria accendunt, Sacrificiis dant operam: niſi ſe exerceant in ſpirituali Dei cultu, & externos omnes ritus ad præcipuum illud Sacrificium referant, ut Dei laudes celebrentur. ac ſi diceret, Videtur hoc vobis laborioſum eſſe, quod dum alii dormiunt in ædibus ſuis, vos ſtatis in Templo pervigiles. Atqui Deus alium præſtantiorem cultum exigit, ut ſcilicet laudes ejus præcinatis toti populo. Secundo verſu ceremoniam adjungit quæ cum invocatione Dei conjuncta eſt. Quorſum enim attollunt homines manus precando, niſi ut animos ſuos ad Deum erigant? Itaque Propheta eorum torporem tacite coarguit, qui in Templo vel reſides manebant, vel nugando & confabulando corrumpebant purum Dei cultum.

Luc. 2. verſ. 37.

Lev. 8. verſ. 35.

3. *Benedicat tibi Jehova.*] Verſus hic (meo judicio) cogit Pſalmum exponere de ſolis Sacerdotibus & Levitis, quorum proprium ex Legis præſcripto erat munus, populo benedicere. Poſtquam vero hortatus eſt ipſos Propheta ad benedicendum Deum, nunc ſecundas partes addit, ut populum benedicant in nomine Dei. Neque tamen hoc præceperat Deus ut alii ſecure viverent: (ſicuti in Papatu, modo in templis cantillent Monachi, tota plebs Deum rite coli exiſtimat) ſed Deus Sacerdotes aliis præire voluit, ut quiſque privatim domi ſuæ imitaretur quod in templo fiebat. Populo autem benedicere, illis præceptum fuit, quatenus Chriſti perſonam gerebant. Porro hæc duo non abs re diſtincte ponuntur, ut Deus qui cæli & terræ creator eſt, etiam benedicat. Creatoris elogium ponitur notandæ potentiæ cauſa, ut nihil non à Deo ſperare audeant fideles. Quid enim aliud mundus eſt quam immenſæ ejus virtutis ſpeculum? ut nimium ſtupidi ſint quibus non ſufficit eum habere propitium, cujus imperio omnia ſubeſſe, & in cujus manu omnem opulentiam eſſe cernunt. Cæterum quia audito creatoris nomine, multi de acceſſu diffiderent, acſi procul quærendus eſſet Deus: ideo Propheta ſymbolum propinquitatis ante oculos ſtatuit, ut familiariter & libere ad eum accedere audeant, qui non minus comiter ſe ab eo invitari intelligunt, quam ſi paternum ipſis gremium porrigeret. Ergo ex cælorum intuitu potentiam Dei agnoſcunt: in domicilio Sion, paternum amorem.

Num. 6. verſ. 23.

Argumentum Pſalmi CXXXV.

Exhortatio eſt ad canendas Dei laudes, partim quia electum populum ſingulari gratia dignatus fuerat: partim quia ejus potentia & gloria appareat in toto mundo. Additur etiam antitheſis inter idola, quæ vana Deitatis figmenta ſunt: & Deum Iſraëlis, qui certis clariſque teſtimoniis verum ſe & unicum Deum probavit: ut alacrius ad eum laudandum ferantur pii, ejuſque imperio ſe addicant.

Pſalm. CXXXV.

HAlelu-Jah. Laudate nomen Jehovæ, laudate ſervi Jehovæ.	1 הללו יה הללו את שם יהוה הללו עבדי יהוה׃
2. Qui ſtatis in domo Jehovæ, in atriis domus Dei noſtri.	2 שעמדים בבית יהוה בחצרות בית אלהינו׃
3. Laudate Deum, quia bonus Jehova: canite nomini ejus, quoniam * ſuave eſt:	3 הללו יה כי טוב יהוה זמרו לשמו כי נעים׃
4. Quia Jacob elegit ſibi Deus, Iſraëlem in peculium ſibi.	4 כי יעקב בחר לו יה ישראל לסגלתו׃

* vel, decorum.

LAudate nomen Jehovæ.] Quanquam inter hujus Pſalmi exordium & ſuperioris nullum fere eſt in verbis diſcrimen, videri tamen poſſet nunc Propheta non ſolos Levitas hortari, ſed totum populum: quia cauſas laudandi Dei commemorat quæ apud pios omnes communiter valere debent. Neque etiam de nocturnis excubiis & continua ſtatione loquitur: ſed quia proprium Sacerdotum munus fuit, in hoc pietatis exercitio reliquis præire, & quaſi præcinere vel dictare Dei laudes, minime abſurdum

ſurdum erit eos vocari primo loco & ſtimulari ad ſuas partes. Et quiſquis verba propius expendet, videbit populum ſecundo ordine adjungi Sacerdotibus. Nam compellat Propheta ſervos Dei *ſtantes in templo ejus*, deinde *in Atriis*: quum proximo Pſalmo nulla facta fuerit Atrii mentio. Et videtur plurali numero poſuiſſe Atria: quia Sacerdotibus quoque ſuum erat Atrium: deinde erat alterum commune totius populi, quem Lex arcebat à Sanctuarii ingreſſu. *Levit. 16. verſ. 17.* Porro ne doctrina hæc vel exhortatio ad laudes Dei tam frequenter repetita faſtidium pariat, tenendum memoria eſt quod alibi diximus, nullum ei ſacrificium magis placere, quam dum gratitudinem noſtram erga ipſum teſtamur: ſicut etiam vidimus Pſalmo 50. verſ. 14. Sacrifica Deo laudem, & redde Excelſo vota tua. Item Pſalmo 116. verſ. 12. Quid rependam Deo pro omnibus ejus beneficiis? Calicem ſalutum accipiam, & nomen Jehovæ invocabo. Ac diligenter notandi ſunt loci qui ſpiritualem hunc cultum magnifice extollunt: ne præpoſtero Dei colendi ſtudio, in nugis ludamus operam: ſicuti major pars hominum ſtulte excogitat & comminiſcitur ad Dei cultum, fruſtraque ſe fatigat omiſſo præcipuo capite. Ideo toties Spiritus ſanctus inculcat verbum Laudare, ne vileſcat apud nos vel frigeat hoc pietatis officium. Quanquam ſimul torporem noſtrum oblique perſtringit: quia apud ſedulos & voluntarios ſufficeret parcior exhortatio. Finis tertii verſus, ubi dicit, *quia ſuave eſt*, duplicem ſenſum admittit: vel quod ſuave ſit Dei nomen, ſicuti priore membro dixerat Deum ipſum eſſe bonum: vel quia res ſuavis ſit Deo canere. Quanquam נעים decorum & pulchrum proprie ſignificet: & hic generalis ſenſus melius convenit.

4. *Quia Jacob.*] Alias deinde rationes laudandi Dei colligit ex mundi gubernatione. ſed quia nonniſi à poſteris Abrahæ tunc poterat laudari, quibus ſolis innotuerat, Propheta materiam illis proponit, quod electi ſint in populum peculiarem. Et certe incomparabile hoc bonum fuit, quo eos rapi & accendi decuit ad gratias agendas: ſolos fuiſſe adoptatos, præteritis cunctis Gentibus. Nam laudem electionis Deo aſcribens Propheta, clare admonet non excelluiſſe eos propria virtute, ſed quia gratuito favore eos complexus eſt Pater cæleſtis. Omnes quidem ſibi promiſcue obſtringit, Solem ſuum quotidie oriri faciens ſuper bonos & malos: *Matth. 5. verſ. 45.* ſed tunc ſanctiore vinculo ſibi devinxit filios Abrahæ: ſicuti hodie quoſcunque in gregem ſuum adoptat & inſerit in corpus unigeniti Filii ſui.

5. Quia ego cognovi quod magnus Jehova, & Deus noſter præ omnibus diis.	5 כי אני ידעתי כי גדול יהוה ואדנינו מכל אלהים׃
6. Omnia quæ vult Jehova facit in cælis & in terra, in mari & omnibus abyſſis:	6 כל אשר חפץ יהוה עשה בשמים ובארץ בימים וכל תהומות׃
7. Aſcendere faciens nubes ab extremo terræ, fulgura ad pluviam facit, educens ventum ex locis ſuis abſconditis.	7 מעלה נשאים מקצה הארץ ברקים למטר עשה מוצא רוח מאוצרותיו׃

5. *Quia ego cognovi.*] Ponitur generalis potentiæ deſcriptio: quo melius ſciant Iſraëlitæ, eundem quem colunt Deum, eſſe totius mundi opificem, omnia regere ſuo arbitrio, nec alium uſquam poſſe reperiri. Cæterum non dicit ſe magnitudinem Dei noviſſe, ut alios excludat: ſed potius ex ſuo ſenſu incitat omnes ad eandem attentionem, ut expergefacti cognoſcant quod palam conſpicuum eſt. Etſi enim Dei immenſitatem nemo capit, gloria tamen ejus, quatenus expedit, ſatis eſt nobis expoſita, ut totus mundus careat ignorantiæ prætextu. Nam quiſquis cæli & terræ conſpectu fruitur, quomodo ſine ſummo ſcelere auctorem ipſum clauſis oculis præteribit? Sed quo nos efficacius pungeret, ſuo exemplo ad notitiam gloriæ Dei invitat: vel potius caſtigat ſtuporem noſtrum, quod non ſimus ad eam conſiderandam ſatis attenti. Ex ſecundo membro certius colligimus quod nuper attigi, hoc ſcilicet eſſe Prophetæ conſilium, Iſraëlitas retinere in unius Dei cultu & timore: quia idem Deus qui fœdus ſuum pepigerat cum eorum patribus, cæli & terræ ſit creator. Poſtquam enim Jehovam nominavit, ſtatim addit eſſe Deum Iſraëlis. Unde ſequitur, quicunque ab hoc Deo declinant, falſo prætendere Dei nomen: ſicut hodie Judæi & Turcæ, quamvis Deum mundi creatorem ſe colere profiteantur, meras nugas agunt: quia ubi à Lege & Euangelio diſceditur, quælibet pietatis jactantia, veri Dei eſt abnegatio. Itaque Propheta non abs re ſpeciali titulo Deum veſtit, ut ſe contineant Iſraëlitæ in Legis doctrina. Si per אלהים fictitios Gentium deos intelligas, erit conceſſio: quia improprie Deum vanis & nihili figmentis conferret. ac ſenſus erit, Dei magnitudinem ſic excellere, ut in nihilum redigat quicquid deitatis fingitur. Videtur tamen Angelos complecti, ut alibi diximus: quia etſi in illis Divinum aliquid emicat, quatenus cæleſtes ſunt virtutes ac principatus: ſupereminet tamen Deus ipſe, ut eos cogat in ordinem, ne magnitudinem ſuam obſcurent.

6. *Omnia quæ vult Jehova.*] Hæc eſt immenſa Dei magnitudo cujus meminit, quod non ſemel tantum condiderit cælum & terram, ſed moderetur etiam omnia ſuo arbitrio. Nam qui Deum fatentur mundi creatorem, & ſedere otioſum in cælo fingunt abjecta mundi cura, eum ſua virtute impie ſpoliant. atqui magnam hominum partem occupat craſſum hoc commentum. Siquis roget an credant Deum dormire, negabunt quidem: ſed dum imaginantur eum laxare fortunæ habenas, umbratilem duntaxat potentiam ei relinquunt, quæ effectu ſuo careat, quum Scriptura doceat actualem eſſe: quia totus mundus ejus arbitrio regitur. Nam Propheta diſerte hic affirmat, ſingulas mundi partes curæ eſſe Deo, ut nihil confuſe vel fortuito uſquam contingat. Putant vulgo Deum ſplendide ornatum eſſe, dum neſcio quid de univerſali providentia balbutiunt. Atqui diſtinctio cæli, terræ & aquarum, particularem curam deſignat. Præcipuum tamen pondus ineſt in verbo חפץ. Pronunciat Spiritus ſanctus Deum facere quicquid placitum eſt. Confuſa autem gubernatio, de qua vulgo garriunt, tantum huc tendit, ut Deus incogitanter mundi ordinem contineat. Ita hoc modo in nihilum redigitur ejus voluntas. Nam ſi vult, ſuum habet conſilium, certamque rationem. Unde colligitur ſpecialis ejus providentia, quæ vim ſuam diſtribuit ad regendas ſingulas mundi partes: ut nihil fortuito accidat, ſed arcano ſuo conſilio moderetur quæ videntur maxime fortuita. Etſi autem noſtrum non eſt diſquirere cur fieri velit quæ repugnant cum ſenſu noſtro, niſi tamen velimus omnia pietatis elementa convellere, firmum hoc manere debet, nihil accidere niſi quod ſtatuit Deus ac decrevit. Acſi abſcondita nobis eſt ejus voluntas, eam tamen, ut fontem omnis juſtitiæ & rectitudinis, reverenter ſuſpicere

ſere convenit: quia nihil æquius eſt quam ut ſummum gradum apud nos obtineat. Plura, ſi videbitur, petant lectores ex Pſalmo 115.

7. *Aſcendere facieus.*] Speciem unam atque alteram attingit Propheta, unde melius poſſit intelligi, nihil ſponte moveri niſi quatenus Dei conſilio & manu dirigitur. Quia igitur milleſimam operum Dei partem comprehendere non poteſt ſenſus noſter, pauca tantum exempla hic Propheta delibat, in quibus vult expendi quod docuit de cæleſti providentia. *Nubes dicit attolli ab extremis terræ partibus*, quia vapores è terra ſurgentes denſius concervati, nubes tandem efficiunt. Quis vero futurum putaret ut vapores, quos aſcendere eminus conſpicimus, mox cælum obſcurent, & incumbant noſtris capitibus? Hoc ergo inſigne eſt documentum potentiæ Dei, exiguos vapores ſurgere, qui deinde totum aërem momento occupent. Addit Propheta quod non parum valet ad augendum miraculum, *fulgura pluviæ miſcere*: quæ res ſunt prorſus contrariæ. Niſi hæc ignis & aquæ miſtura uſu cognita eſſet, quis non diceret incredibile eſſe portentum? Eadem eſt ventorum ratio: nam eſſi ventos naturaliter procreari certum eſt, & originem philoſophi demonſtrant, mirabile tamen Dei opus eſt tam multiplex ventorum agitatio. Ceterum non modo prædicat Dei potentiam qualem philoſophi concedunt, ſed intelligit nullam pluviæ guttam è cælo decidere niſi quam Deus certa diſpenſatione ſtillat. Fatentur omnes Deum eſſe pluviæ auctorem, tonitruum item & ventorum, quia hunc in natura ordinem ſemel poſuit: verum Propheta hic ultra progreditur, quoties pluit, non id fieri cæco naturæ inſtinctu: ſed quia Deus ita decrevit, cujus eſt pro ſuo arbitrio cælum ex ſereno reddere obnubilum, & caligine diſcuſſa pœnam lucem reddere.

8. Percuſſit primogenita Ægypti, ab homine uſque ad beſtiam.

8 שהכה בכורי מצרים מאדם עד בהמה :

9. Miſit ſigna & prodigia in medio tui Ægypte, in Pharaone & in omnibus ſervis ejus.

9 שלח אתות ומפתים בתוככי מצרים בפרעה ובכל עבדיו :

10. Percuſſit gentes magnas, & occidit reges fortes.

10 שהכה גוים רבים והרג מלכים עצומים :

11. Sihon regem Amorrhæorum, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan.

11 לסיחון מלך האמרי ולעוג מלך הבשן ולכל ממלכות כנען :

12. Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Iſraëli populo ſuo.

12 ונתן ארצם נחלה נחלה לישראל עמו :

8. *Percuſſit primogenita.*] Rurſus de peculiaribus Dei beneficiis diſſerit, quibus Eccleſiam & electum populum ſibi obligaverat. Nam quia ſermonem dirigit ad ſolos fideles, in Dei laudibus hoc ſtatuit præcipuum caput, quod ex toto humano genere exiguum numerum adoptaverit. Deinde quod in eorum gratiam magnis regnis & validis gentibus ſe oppoſuerit. Quæcunque enim edidit Deus miracula tam in Ægypto quam in terra Chanaan: totidem fuerunt paterni ejus erga electum populum amoris teſtimonia. Quod autem primo loco ponit occiſa Ægypti primogenita, non ſervat hiſtoriæ ordinem, ſed memorabile exemplum proponit, unde appareat quam pretioſa fuerit Deo ſalus Eccleſiæ ſuæ: cujus reſpectu, magno & opulento populo non pepercit. Summa eſt, in redemptione populi ſatis ſuperque teſtatam fuiſſe Dei virtutem ſimul cum gratia.

10. *Percuſſit gentes magnas.*] Deſcendit ad finem redemptionis. Neque enim populum ſuum eduxit Deus ex Ægypto, ut in vaga peregrinatione ſtatim dereſeret, ſed ut locaret in hæreditate promiſſa. Hic ergo etiam conſpicuum fuiſſe Dei favorem Propheta docet, ac infatigabilem gratiæ perſeverantiam: quod ubi ſemel manum porrexit filiis Abrahæ, eo uſque deduxit, perrexitque virtutem ſuam exerere, donec promiſſa terra fruerentur. Potentiam vero Dei extollit, quia nonniſi multis ſtragibus tranquilla contigit terræ poſſeſſio. Bonitatem vero Dei illuſtrat hæc circumſtantia, quod turmam ignobilem validis Regibus & Gentibus robuſtis prætulit. Sihon vero & Og duos Reges memorat, non quia fuerint omnium potentiſſimi, ſed quia precluſo terræ aditu in primis erant formidabiles: præſertim quum populus nondum ad bellandum aſſuefactus foret. Cumulum vero beneficentiæ adjungit Propheta, quod firmam terræ poſſeſſionem adepti ſunt Iſraëlitæ. Non minor eſt virtus quam quærere, parta tueri, inquit ille. quum ergo infeſtiſſimis hoſtibus undique cincti eſſent Iſraëlitæ, in eo maxime enituit Dei virtus, quod neque deleti, neque expulſi fuerunt: quod centies accidere poterat, niſi in ſua poſſeſſione fuiſſent ſtabiliti.

13. Jehova, nomen tuum in ſeculum: Jehova memoria tui in generationem & generationem.

13 יהוה שמך לעולם יהוה זכרך לדר ודר :

14. Quia judicabit Jehova populum ſuum, & ſuper ſervis ſuis * pœnitentia ducetur.

14 כי ידין יהוה עמו ועל עבדיו יתנחם :

* vel, conſolationem accipiet.

13. *Jehova.*] Etſi multæ ſunt rationes cur ſemper florere debeat in mundo nomen Dei: hic tamen proprie concionatur Propheta de æterna laude quam ex Eccleſiæ conſervatione meretur ac ſibi acquirit: quia mox ſubjicitur cauſæ redditio, quod Deus judicabit populum ſuum. Et certe ſicuti totus mundus theatrum eſt Divinæ bonitatis, ſapientiæ, juſtitiæ, virtutis: pars tamen illuſtrior, inſtar orcheſtræ, eſt Eccleſia: & quo propius ad nos accedit Deus, ſuaque beneficia familiarius nobis communicat, in eorum meditatione nos attentius exerceri convenit. Porro quum *judicandi* verbum Hebræis omnes juſti legitimique regiminis partes in ſe contineat, futurum tempus de continuo actu poſitum interpretor, ut frequenter ſolet: acſi dixiſſet Propheta, ſemper Deum præſidem fore & cuſtodem populi ſui: ideoque in tuto eſſe piorum ſalutem, quæ Deo curæ eſt. Niſi forte conſulto futurum tempus notavit Propheta, ut diſcamus in afflictionibus ſpem noſtram ſuſpendere: & ſiquando videbitur à Deo negligi ac deſeri, ne tamen exanimemur. quia utcunque opem ſuam ad tempus occultet, poſtquam ſuos ſatis humiliatos videt, vindicem opportune ſe oſtendit. Neque diſplicet hic ſenſus, quia Prophetam alludere probabile eſt ad Moſis dictum, cujus etiam verba recitat. Nam dolorem quem ex Dei flagellis ſenſurus

Deut. 32. verſ. 36. rus erat populus; Moſes lenire volens, Deum fore judicem populi ſui denunciat, ut miſere afflictum ſublevet ac tueatur. Id nunc ad perpetuum Eccleſiæ uſum accommodat quiſquis fuerit auctor Pſalmi, Deum nunquam paſſurum docens ut penitus intereat Eccleſia, cujus abolitione Rex eſſe deſineret. Tempus autem verbi in præteritum mutare, acſi Deus populum ſuum vindicaſſet contra Ægyptios, frigidum commentum eſt, ac remotum à Moſis & Pſalmi hujus contextu: quia verbum נחם Hebræis tam pœnitentia duci, quam conſolationem accipere ſignificat. utrovis modo accipias, optime conſtabit ſenſus. Nam quoties in gratiam redit Deus cum Eccleſia, quamvis nulla in eum cadat mutatio, in re tamen ipſa apparet. Ergo pœnitentia dicetur affici, dum Eccleſiam, quam iratus juſtis pœnis afflixerat, clementius tractare incipit. Conſolationem etiam accipere vel placare ſuper populo ſuo dicitur, dum fœderis ſui æterni memor, ubi eum ad momentum caſtigavit, perpetuis miſericordiis proſequitur: ſicut dicit apud Jeſaiam. Summa huc redit, temporalem eſſe iram Dei erga fideles: ac dum ulciſcitur eorum ſcelera, miſericordiæ ſuæ recordari in medio iræ curſu, ſicut docet Habacuc: atque ita pingitur nobis Deus ſub humana figura, quia induitur paterno affectu, dum filios ſuos, qui merito abdicandi erant, reſtituit: quia non poteſt à viſceribus ſuis avelli: acſi diceret, Deum miſericordem eſſe fidelibus, quia filii ſunt: ipſe vero ſe orbare nolit. denique ideo eſſe placabilem, quia deliciæ ejus ſunt, ſuaviter fovere quos pro filiis agnoſcit. Jeſa. 54. verſ. 8. Habac. 3. verſ. 2.

15. Simulachra Gentium, argentum & aurum, opus manuum hominis.

15 עצבי הגוים כסף וזהב מעשה ידי אדם:

16. Os illis, & non loquentur: oculi illis, & non videbunt.

16 פה להם ולא ידברו עינים להם ולא יראו:

17. Aures ipſis, & non audient: etiam non eſt ſpiritus in ore ipſorum.

17 אזנים להם ולא יאזינו אף אין יש רוח בפיהם:

18. Similes ſint illis qui faciunt ea, quiſquis confidit in illis.

18 כמוהם יהיו עשיהם כל אשר בטח בהם:

19. Domus Iſraël benedicite Jehovæ, domus Aaron benedicite Jehovæ.

19 בית ישראל ברכו את יהוה בית אהרן ברכו את יהוה:

20. Domus Levi benedicite Jehovæ, timentes Jehovam, benedicite Jehovæ.

20 בית הלוי ברכו את יהוה יראי יהוה ברכו את יהוה:

21. Benedictus Jehova è Sion, qui habitat in Jeruſalem. Halelu-Ja.

21 ברוך יהוה מציון שכן ירושלם הללויה:

15. *Simulachra.*] Quia tota hæc pars Pſalmi expoſita alibi fuit, ſupervacuum eſſet inſiſtere: & repetitio lectoribus moleſta eſſet. Conſilium ergo Prophetæ paucis tantum verbis obiter perſtringam. Nam Gentium ſocordiam exagitans, quod Deum non putarent ſibi propinquum eſſe niſi ad idola confugerent, Iſraëlitas admonet quam præclare cum ipſis actum fuerit: quo ſe attentius contineant in ſimplici & puro Dei cultu, & à profanis ſuperſtitionibus abhorreant. Tandem enim concludit, quo plus impendunt operæ idololatræ in colendis ſuis idolis, gravius ſibi judicium accerſere. Nam certe falſorum deorum cultoribus tam horribilem vindictam denunciat, ut ab eorum exemplo abſterreantur quicunque edocti ſunt in Lege Dei. Cæterum quum Pſal. 115. ad ſperandum hortetur, Propheta hic Deum benedicere jubet. Levitas autem domui Aaron adjungit propter duos Sacerdotii ordines. Reliqua omnia conveniunt, niſi quod ultimo verſu Propheta hic cum reliquo piorum cœtu ipſe quoque Deum benedicit. Dicit autem *è Sione*, quia quum pollicitus eſſet Deus ſe illinc exauditurum ſuorum vota, ac odorem gratiæ ſuæ inde diffunderet, ſimul etiam laudum materiam ſuggerebat. Ratio etiam additur, quia *habitat in Jeruſalem*: quod nihil craſſum vel terreſtre ſonat, quaſi tam anguſto domicilio incluſus eſſet Deus: ſed ad ſenſibilem ejus gratiam referri debet. quia experientia docebat, quamvis cælum & terram impleat ejus majeſtas, virtute & gratia ſuis eſſe præſentem.

Argumentum Psalmi CXXXVI.

Admonet Propheta fraudari Deum juſto beneficiorum ſuorum fructu, niſi aſſidui ſint fideles in canendis ejus laudibus. Porro in ſingulis beneficiis miſericordiam ejus commendans, ſimul docet non rite laudari Deum, niſi gratuitum eſſe agnoſcimus quicquid in nos contulerit.

Psalm. CXXXVI.

Laudate Jehovam, quia bonus, quia in ſeculum clementia ejus.

1 הודו ליהוה כי טוב כי לעולם חסדו:

2. Laudate Deum deorum, quia in ſeculum clementia ejus.

2 הודו לאלהי האלהים כי לעולם חסדו:

3. Laudate Dominum dominorum, quia in ſeculum clementia ejus.

3 הודו לאדני האדנים כי לעולם חסדו:

4. Qui fecit mirabilia magna ſolus, quia in ſeculum clementia ejus.

4 לעשה נפלאות גדלות לבדו כי לעולם חסדו:

5. Qui fecit cælos intelligenter, quia in ſeculum clementia ejus.

5 לעשה השמים בתבונה כי לעולם חסדו:

6. Qui

6. Qui extendit terram ſuper aquas, quia in ſeculum clementia ejus. | 6 לרקע הארץ על המים כי לעולם חסדו:

7. Qui fecit luminaria magna, quia in ſeculum clementia ejus. | 7 לעשה אורים גדלים כי לעולם חסדו:

8. Solem ad præfecturam in die, quia in ſeculum clementia ejus. | 8 את השמש לממשלת ביום כי לעולם חסדו:

9. Lunam & ſtellas ad præfecturam in nocte, quia in ſeculum clementia ejus. | 9 את הירח וכוכבים לממשלות בלילה כי לעולם חסדו:

QUia in ſeculum.] Videri poſſet inanis battologia, quod brevibus & conciſis ſententiis particulam hanc toties inſerit. verum ſi feruntur, imo laudem & plauſum referunt verſus intercalares in profanis poëtis, non debet videri abſurda hæc repetitio, quæ in optima ratione fundata eſt. Nam etſi fateri coguntur omnes, bonorum omnium fontem eſſe liberalitatem Dei, non tamen pure & in ſolidum agnoſcitur gratuita ejus bonitas: cui tamen ſummum gradum ſemper attribuit Scriptura. Imo Paulus de ea loquens, gloriam Dei generaliter κατ' ἐξοχὴν nominat: acſi diceret, Deum, qui in cunctis ſuis operibus ſummam laudem meretur, velle tamen præcipue glorificari in ſua miſericordia. Et ex Sacra hiſtoria colligere promptum eſt, ex Davidis præſcripto inter canendum, morem hunc receptum fuiſſe ut alternis Levitæ ſuccinerent, Quia in æternum clementia ejus. Nam & Solomo in templi dedicatione ritum hunc obſervavit, 2 Chron. 7. verſ. 3. & 6. & Joſaphat in epinicio illo ſolenni, cujus mentio fit ejuſdem libri capite 20. verſ. 21. Priuſquam vero ad recitationem operum Dei veniat Propheta, ſummam ejus Deitatem ſummumque imperium commendat. non quod proprie loquendo extra ipſum ulla ſit Deitatis ſcintilla: ſed quia homines ubicunque partem aliquam gloriæ ejus conſpiciunt, Deitatem aliquam ſeorſum imaginantur, Deumque ipſum perperam diſtrahunt in partes: neque hoc errore contenti, deos ſibi ligneos & lapideos confingunt. Denique omnibus ingenita eſt hæc pravitas, ut ſe deorum varietate & turba oblectent. Ideo Propheta conſulto videtur, non modo in voce אלהים pluralem numerum uſurpaſſe, ſed etiam in voce אדנים. Sic enim eſt ad verbum, *Laudate dominos dominorum*, acſi diceret perfectam omnis dominii plenitudinem in uno Deo inveniri.

Rom. 3. verſ. 23.

4. *Qui fecit mirabilia.*] Hoc nomine inſignit omnia Dei opera à minimo uſque ad maximum: quo nos in eorum admirationem expergefaciat. quia propter ſocordiam noſtram vileſcunt: quum tamen ſingulis inſculptæ ſint inſignes notæ incredibilis tam ſapientiæ quam virtutis Dei. Deum autem feciſſe & facere ſolum quicquid admiratione dignum eſt, aſſerit: ut diſcamus non poſſe vel minimam laudis ejus guttam alio transferri abſque intolerabili ſacrilegio: quia ubi luſtraverimus cælum & terram, nuſquam reperiemus ullum Deitatis ſpecimen, ut ei ſocium vel æmulum adjungere liceat. Poſtea Dei Sapientiam celebrat in una ſpecie, quod ſcilicet tanto artificio *compoſiti ſint cæli*, ut clamitent mirabiliter ſe tam pulchra diſtinctione fuiſſe ornatos. Inde ad *terram* deſcendit: ut diſcamus hoc quoque præclarum & memorabile Dei opus magnifacere, quia nudam & ſiccam terræ ſuperficiem expandat ſuper aquas. Nam quum elementis ſphærica ſit forma, naturaliter aquæ terram obtegerent, niſi cohiberentur ſuis clauſtris: quia Deus hoſpitium concedere voluit humano generi: atque hoc inter ſua principia ponere coguntur Philoſophi. Ergo terræ expanſio, & vacuum hoc ſpatium quod aquis non obruitur, merito cenſetur inter præcipua Dei miracula. Et ſimul Dei gratiæ aſcribitur: quia nulla erat ratio cur aquas à ſuo ſitu depelleret, niſi quia pro immenſa ſua bonitate hominibus conſultum eſſe voluit.

7. *Qui fecit luminaria*] Quum Moſes duo luminaria magna vocet Solem & Lunam, non dubito quin hanc loquendi rationem ſequutus ſit Propheta. Ideo quod paulo poſt adjungit de ſtellis, quaſi acceſſorium eſt. Etſi autem lunam alii planetæ magnitudine ſuperant, non abs re tamen vocatur ſecundum luminare manifeſti effectus cauſa. Neque enim Spiritus ſancti conſilium fuit aſtrologiam docere: ſed quum doctrinam proponeret rudiſſimis quibuſque idiotis communem, populariter loquutus eſt per Moſen, & Prophetas, nequis prætextu difficultatis ſubterfugeret. ſicuti videmus nihil cupidius homines captare quam ignorantiæ prætextum, ſi nimis ſublime ac reconditum eſt quod traditur. Etſi ergo Saturnus Luna major eſt, quia tamen propter longiorem diſtantiam hoc non patet oculis: maluit Spiritus ſanctus quodammodo balbutire, quam diſcendi viam præcludere plebeis & indoctis. Ejuſdem notæ eſt quod ſimul addit Propheta, Deum Solis & Lunæ vices ordine partitum eſſe, ut illum *diei præficeret*, hanc vero nocti: non quod potiantur ullo dominio, ſed quia mirabilis in hac diſtributione Dei œconomia refulget. Et certe dum Sol interdiu ſuo fulgore terram illuſtrat, Luna vero & ſtellæ noctu, honorificum (ut ita loquar) obſequium Deo præſtant.

10. Qui percuſſit Ægyptios in primogenitis ipſorum, quia in ſeculum clementia ejus. | 10 למכה מצרים בבכוריהם כי לעולם חסדו:

11. Et eduxit Iſraëlem è medio eorum, quia in ſeculum clementia ejus. | 11 ויוצא ישראל מתוכם כי לעולם חסדו:

12. In manu forti & brachio extento, quia in ſeculum clementia ejus. | 12 ביד חזקה ובזרוע נטויה כי לעולם חסדו:

13. Qui diviſit mare Rubrum in diviſiones, quia in ſeculum clementia ejus. | 13 לגזר ים סוף לגזרים כי לעולם חסדו:

14. Et tranſire fecit Iſraëlem per medium ejus, quia in ſeculum clementia ejus. | 14 והעביר ישראל בתוכו כי לעולם חסדו:

15. Et præcipitavit Pharaonem & exercitum ejus in mare Rubrum, quia in ſeculum clementia ejus. | 15 ונער פרעה וחילו בים סוף כי לעולם חסדו:

16. Et

16. Et deduxit populum ſuum per deſertum, quia in ſeculum clementia ejus.

16 לְמוֹלִיךְ עַמּוֹ בַּמִּדְבָּר כִּי לְעֹלָם חַסְדּוֹ׃

10. *Qui percuſſit Ægyptios in primogenitis.*] Literam ב alii vertunt cum primogenitis. Sed prior interpretatio melius fluere videtur. Cæterum, niſi concionari placeat, ſupervacuum eſſet pluribus verbis hic morari lectores: quia nihil habetur quod non alibi tractatum fuerit. Vere autem dicit percuſſos fuiſſe Ægyptios in primogenitis, quia licet ſæpius territi fuerint aliis plagis, non tamen deſtiterunt contumacia ſua furere, donec hac ultima plaga domiti vel fracti Deo ceſſerunt. Quia vero propoſitum non erat ordine recenſere ſingula miracula, ſummam uno verbo complexus eſt, populum è medio Ægypti forti manu & brachio extento eductum fuiſſe dicens. quia, ut erat undique obſeſſus, nullum niſi in mirifica Dei virtute effugium patebat. *Brachii extenti* ſimilitudo aptiſſima eſt: quia non ſolemus brachium extendere niſi quum arduum aliquid molimur. Itaque ſenſus eſt, Deum in liberando populo non levi manu uſum eſſe, ſed inſolito modo exeruiſſe ſuam potentiam.

13. *Qui diviſit mare Rubrum.*] De voce סוף alibi dictum eſt. Itaque mihi religio non fuit vertere mare Rubrum. Quia autem Propheta *diviſiones* nominat plurali numero, divinant quidam ex Hebræis plures fuiſſe tranſitus: ut illis ſolenne eſt de rebus incognitis nugari, totamque Scripturam ſuis commentis adulterare. Etſi autem merito ridentur tales ineptiæ, ſimul tamen eas deteſtari convenit: quia minime dubium eſt, Rabbinos Satanæ aſtutia, huc fuiſſe inductos ad labefactandam Scripturæ fidem. Palam & clare aſſerit Moſes utrinque ſtetiſſe aquarum moles, unde colligimus continuum fuiſſe ſpatium. Sed quia turmatim populus tranſibat, non autem unus poſt alium, propter viæ amplitudinem, in qua libere progreſſi ſunt viri & mulieres cum ſuis familiis, & jumentis: ſcite Propheta diviſiones nominat, reſpectu hominum. quia hæc circumſtantia Dei gratiam non parum auxit, videre late ſiccatos gurgites, ut populo turmatim ſimul progredienti planum eſſet iter. Hoc quoque ad gratiæ confirmationem valet, quod paulo poſt ſubmerſus fuit Pharao: quia diverſitas oſtendit non accidiſſe arcano aliquo naturæ motu, quod alii perierint, alii trajecerint ſalvi & incolumes. In hoc igitur diſcrimine conſpicua fuit Dei miſericordia ad populum ſervandum. Quod uno verbo attingit, Deum *fuiſſe ducem populi ſui in deſerto*, longe patet. multis enim & variis miraculis opus fuit, ut in loco arido omnibuſque vitæ ſubſidiis carente annos quadraginta tranſigeret. Itaque in hunc locum decet conferre quæcunque Moſes recenſet bonitatis & potentiæ Dei teſtimonia: quod cibo cæleſti aluerit famelicum populum, aquam ex rupe profluere juſſerit, protexerit ſub nube ab æſtu Solis, ſignum dederit ſuæ præſentiæ in columna ignis, veſtes ſervaverit integras, vagos exules cum parvulis tutatus ſit ſub foliorum tuguriis, & alia quæ lectoribus innumera occurrent.

17. Qui percuſſit Reges magnos, quia in ſeculum clementia ejus.

17 לְמַכֵּה מְלָכִים גְּדֹלִים כִּי לְעֹלָם חַסְדּוֹ׃

18. Et occidit Reges inſignes, quia in ſeculum clementia ejus.

18 וַיַּהֲרֹג מְלָכִים אַדִּירִים כִּי לְעֹלָם חַסְדּוֹ׃

19. Sihon Regem Amorrhæorum, quia in ſeculum clementia ejus.

19 לְסִיחוֹן מֶלֶךְ הָאֱמֹרִי כִּי לְעֹלָם חַסְדּוֹ׃

20. Et Og Regem Baſan, quia in ſeculum clementia ejus.

20 וּלְעוֹג מֶלֶךְ הַבָּשָׁן כִּי לְעֹלָם חַסְדּוֹ׃

21. Et dedit terram eorum hæreditatem, quia in ſeculum clementia ejus.

21 וְנָתַן אַרְצָם לְנַחֲלָה כִּי לְעֹלָם חַסְדּוֹ׃

22. Hæreditatem Iſraëli ſervo ſuo, quia in ſeculum clementia ejus.

22 נַחֲלָה לְיִשְׂרָאֵל עַבְדּוֹ כִּי לְעֹלָם חַסְדּוֹ׃

23. In humiliatione noſtra memor fuit noſtri, quia in ſeculum clementia ejus.

23 שֶׁבְּשִׁפְלֵנוּ זָכַר לָנוּ כִּי לְעֹלָם חַסְדּוֹ׃

24. Et eripuit nos ab oppreſſoribus noſtris, quia in ſeculum clementia ejus.

24 וַיִּפְרְקֵנוּ מִצָּרֵינוּ כִּי לְעֹלָם חַסְדּוֹ׃

25. Qui dat eſcam omni carni, quia in ſeculum clementia ejus.

25 נֹתֵן לֶחֶם לְכָל בָּשָׂר כִּי לְעֹלָם חַסְדּוֹ׃

26. Confitemini Deo cælorum, quia in ſeculum clementia ejus.

26 הוֹדוּ לְאֵל הַשָּׁמָיִם כִּי לְעֹלָם חַסְדּוֹ׃

23. *In humiliatione noſtra memor fuit noſtri.*] Sex verſus, qui ex proximo Pſalmo ſumpti ſunt, non attingo. Alios etiam quia longa explicatione non indigent, ſuccincte percurram. Tantum docet Propheta, quia Deus continua ſerie auxiliari populo ſuo non deſtitit, nullam ætatem ejuſdem bonitatis quæ Patribus exhibita fuerat, fuiſſe expertem. Atque hoc notabilius fuit documentum gratiæ, ſuccurrere calamitatibus populi fere perditi, quam æquabili tenore integrum fovere: quia ipſa neceſſitas oculos nobis aperit, & ſenſus excitat. Deinde quia quoties ſuos liberat Deus, ſequitur eorum peccatis ignoſcere. Tandem paternam Dei providentiam extendit promiſcue non modo ad totum humanum genus, ſed ad cuncta animantia: ut mirum non ſit, tam providum ac beneficum eſſe patrem erga electos ſuos, qui ne bobus quidem & aſinis, corvis, & paſſeribus conſulere gravatur. Quum ergo brutis animalibus longe præcellant homines, & ipſi longe inter ſe differant, non propria dignitate, ſed adoptione Dei, ratiocinatur à minori ad majus Propheta, non poſſe ſatis extolli incomparabilem Dei erga domeſticos ſuos gratiam.

Argumentum Psalmi CXXXVII.

Quum in exilio Babylonico ceſſaret legitimus Dei cultus, Propheta totius Eccleſiæ perſonam ſuſcipiens, conqueritur de hoſtium ludibriis quæ in ſacrum Dei nomen dirigebantur: & exulibus animoſam vocem dictans, ipſos ad ſpem redemptionis erigit.

Psalm. CXXXVII.

SUper flumina Babylonis illic ſedimus, etiam flevimus dum recordamur tui Sion.	1 על נהרות בבל שם ישבנו גם בכינו בזכרנו את ציון׃
2. Super ſalices in medio ejus ſuſpendimus citharas noſtras.	2 על ערבים בתוכה תלינו כנרותינו׃
3. Tunc quæſierunt ex nobis qui ceperant nos, verba cantici, & in ſuſpenſionibus noſtris lætitiam, Canite nobis è cantico Sion.	3 כי שם שאלונו שובינו דברי שיר ותוללינו שמחה שירו לנו משיר ציון׃
4. Quomodo cantabimus canticum Jehovæ in terra aliena?	4 איך נשיר את שיר יהוה על אדמת נכר׃

S*Uper flumina Babylonis.*] Diximus alibi nimis craſſe falli eos qui Davidem putant prophetico Spiritu populum de futuro exilio admonuiſſe: quia ſecus Prophetæ loqui ſolent de rebus futuris: hic autem diſſeritur de re nota & uſu comperta. Conſilium vero Prophetæ quale ſit, breviter expediendum eſt. Triſtis enim illa abdicatio facere potuit ut fides ac religio inter Judæos evaneſceret. Atque ut facilis eſt lapſus ad ſuperſtitiones & corruptelas, dum impiis ſumus permiſti, periculum fuit ne profaneſcerent inter Babylonios. Adhæc exilium, duraque ſervitus, & quæ illic ferendæ erant indignitates, animos dejicere poterant fidelibus. Quiſquis ergo fuerit Pſalmi auctor, lamentationis formam dictat, ut gemendo & orando, ſpem ſalutis deſperatæ foveant. Quanquam alter quoque finis notandus eſt. hortatur enim eos ne in terra profana pietatem colere deſinant, nec ſe polluant Gentium inquinamentis. Hac ratione filiis Edom vindictam imprecatur qualem erant meriti: & Babylonem, cujus caduca felicitas evanidum reddebat totum orbem, miſeram eſſe exclamat, ſuoque exitio propinquam. Porro quam utile, imo neceſſarium fuerit, fulciri pias animas ne deficerent, ſola temporis diuturnitas ſatis docet. Proclive enim erat, aſſueſcere pollutis Gentium moribus, niſi per annos ſeptuaginta mira animi fortitudine fuiſſent præditi. Sedendi itaque verbo longum exilii tempus notat: acſi diceret, non modo abreptum fuiſſe populum à patriæ conſpectu, ſed quaſi in ſepulchro concluſum. Et demonſtratio quoque in adverbio loci שם emphatica eſt, qua in rem præſentem lectores adducit. Etſi autem regionis amœnitas, ut erat irrigua, triſtitiam mulcere poterat, dicit tamen, fideles quamdiu illic habitarunt fuiſſe in continuo fletu. Ideoque utitur particula גם quæ ad augendum valet: acſi diceret, fideles in quibus vigebat purus Dei timor, non fuiſſe inebriatos deliciis Babylonicis, ut ſpernerent hæreditatem ſuam. Simul tamen oſtendit neque obſtupuiſſe in ſuis malis, quin ſentirent juſtam Dei caſtigationem: nec contumaciter reluctatos eſſe Deo, quia fletus tam humilitatis & pœnitentiæ, quam mœroris ſignum fuit. Quod clarius patet ex recordatione Sion, qua ſignificat non fuiſſe terrenis commodis addictos, ſed potius intentos fuiſſe ad cultum Dei: quia Sanctuarium erexerat Deus inſtar vexilli in monte Sion, cujus intuitu continerentur in certa ſpe ſalutis. Quamvis ergo in regione ſuavi & fœcunda, quæ illecebris molles animos corrumpere poterat, longiorem moram traherent fideles, lachrymas tamen, quæ cito areſcere dicuntur, ſemper ſibi ex oculis fluxiſſe dicunt: quia prohibebantur à ſolito Dei cultu, & hæreditate ſibi promiſſa videbant ſe jure privari.

2. *Super ſalices in medio ejus.*] Deplorat interruptionem lætitiæ, cujus uſum præceperat Deus in Templo ſuo. Scimus enim injunctas Levitis fuiſſe canendi partes, ut ad hoc pietatis exercitium toti populo duces eſſent ac magiſtri. Siquis roget quorſum citharas portarint tam procul à patria, hoc quoque tanquam inſigne & fidei & pii zeli teſtimonium memorat Propheta: quum omnibus fortunis exuti eſſent Levitæ, ſollicite tamen ſervaſſe citharas inſtar pretioſæ ſupellectilis, quas rurſus ſuo tempore in priorem uſum aptarent. Et certe probabile eſt, veros Dei cultores reliquias Divini cultus in ſummo pretio duxiſſe, & illis cuſtodiendis ſedulo dediſſe operam, donec veniret reſtitutionis tempus. Porro videtur per ſalices notare oblectabiles fuiſſe ripas illas quæ ad refrigerium conſitæ erant ſalicibus. Negat igitur Propheta ullas umbras, quamvis jucundæ eſſent, valuiſſe ad diſcutiendum mœrorem qui altius occupaverat piorum animos, quam ut profani ſolatii vel oblectationis quicquam admitterent. Certe ipſa loci commoditas, quum arborum umbris obtecti ad ripas fluminum ſederent, eos invitare & allicere potuit ut arreptis citharis, dolorem ſuum canendo lenirent: ſed docet Propheta, gravius oppreſſos fuiſſe animos ſenſu iræ Dei, quam ut ſe vanis ſolatiis fallerent. Longius etiam progreditur, vero & ſancto gaudio privatos tunc fuiſſe. Nam etſi neque pium neque conſultum erat, exacerbare ſuum dolorem, non mirum tamen eſt publica cantica uſque ad reditum diſtuliſſe, quum eos ferulæ Dei ad querimonias & luctum cogerent.

3. *Tunc quæſierunt è nobis.*] Non dubium eſt, ſub barbara illa tyrannide aſpere & duriter tractatos fuiſſe Iſraëlitas. Summum tamen malorum cumulum fuiſſe intelligunt, quod probroſe inſultaverint victores, atque etiam illuſerint: quia non tam propoſitum erat vulnerare miſeros exules, quam blaſphemias in Deum jaculari. Neque enim ſacra cantica audire Babyloniis libebat, neque etiam forte paſſi eſſent publice apud ſe celebrari Dei nomen: ſed ironica fuit loquutio, acſi probroſe jactarent, Levitas, qui prius ſolebant reſonare ſacra cantica, jam obmutuiſſe: quaſi dicerent, An mortuus eſt Deus veſter, cui antehac ſoliti eſtis canere? Nam ſi eum oblectat veſtra muſica, cur ceſſatis? Poſterius membrum verſus varie torquent interpretes. quidam enim nomen תוללינו deducunt à verbo ילל quod eſt ululare: ac vertunt, pro ululatibus noſtris lætitiam. Alii transferunt, ſuſpenſiones lætitiæ. Sunt qui participii vice accipiant, à verbo הלל quod eſt inſanire: acſi dictum eſſet, Inſanientes contra nos. Sed quum proximo verſu verbum תלינו poſuerit radicem hujus nominis pro ſuſpendere, ſimplicior mihi viſa eſt illa quam ſequutus ſum lectio.

4. *Quomodo cantabimus.*] Hic contra ſuperbam inſul-

inſultationem excelſo & magnifico reſponſo fideles inſtruit Propheta, quod in terra polluta abſtineant à canticis, ſicuti à ſacrificiis legalibus. Nam licet Judæos putarent Chaldæi exilii loco affixos eſſe, Propheta *terram alienam* vocando, ſignificat nonniſi ad tempus illic hoſpitari: præcipue tamen ſignificat indignam eſſe Chaldæam tanto honore ut illic perſonent Dei laudes. Certum quidem eſt, filios Dei, ubicunque viverent, ſemper fuiſſe peregrinos in mundo: ſed quia terra Chanaan ſacra erat ejus quies, merito dicit Propheta exteros & inquilinos fuiſſe in aliis regionibus: atque hoc modo ſemper ad reditum paratos & accinctos eſſe jubet, tacite confirmans Jeremiæ vaticinium, quo tempus exilii præfixum erat: ne patriæ unquam obliviſcerentur. Interea conſtantia fideles animat, ne quibus minis territi ſe permiſceant Babyloniis. ſicuti hodie quamvis ſub Papatu inſtet grave periculum fidelibus, niſi ad receptos mores ſe conforment, hoc tamen interſtitio ab omni impia ſimulatione eos Spiritus ſanctus disjungit. Nam Gallis, Italis, & Angelis, quibus cordi ac ſtudio eſt ſincera pietas, quamdiu degunt ſub illa tyrannide, patria ſua vere aliena eſt regio. Quanquam inter nos & veterem populum aliquid eſt diſcriminis. tunc enim nonniſi uno in loco fas erat Deum colere: nunc ubicunque duo aut tres conveniunt in Chriſti nomine, Templum Dei eſt, modo ab omni idololatriæ profeſſione disjuncti, ſe in puro Dei cultu contineant. Cæterum noluit his verbis Propheta ſtudium laudandi Dei prorſus extinguere, ſed potius afflictas mentes hortari ad patientiam, donec reſtituta eſſet publica Dei colendi libertas. acſi diceret, Orbati ſumus Templo & Sacrificiis, expulſi à patria, vagamur in ſolo polluto. quid ergo reſtat niſi ut gemamus, ac noſtræ abdicationis memores, ſuſpiremus ad promiſſam redemptionem?

Jer. 25. verſ. 11. & 29. verſ. 10.

5. Si oblitus fuero tui Jeruſalem, obliviſcatur dextera mea.

6. Adhæreat lingua mea palato meo, ſi non meminero tui, ſi non extulero Jeruſalem ſuper caput lætitiæ meæ.

7. Recordare Jehova filiorum Edom, in die Jeruſalem dicentium, Nudate, nudate uſque ad fundamentum in ea.

8. Filia Babylonis vaſtata, beatus qui rependet tibi retributionem tuam quam retribuiſti nobis.

9. Beatus qui apprehendet & allidet parvulos tuos ad petram.

5 אם אשכחך ירושלם תשכח ימיני׃

6 תדבק לשוני לחכי אם לא אזכרכי אם לא אעלה את ירושלם על ראש שמחתי׃

7 זכר יהוה לבני אדום את יום ירושלם האמרים ערו ערו עד היסוד בה׃

8 בת בבל השדודה אשרי שישלם לך את גמולך שגמלת לנו׃

9 אשרי שיאחז ונפץ את עלליך אל הסלע׃

5. *Si oblitus fuero tui.*] Confirmatio eſt proximæ ſententiæ: unde etiam colligere promptum eſt quid ſibi tunc voluerit. Teſtantur enim Dei cultores, & quidem adhibita imprecatione, memoriam ſanctæ urbis cordibus ſuis ſemper fore infixam, neque unquam deletum iri quicquid acciderit. Quia autem de cantu & muſicis inſtrumentis hic agitur, imprecationis formam inde concipit Propheta, ut *obliviſcatur manus* artis ſuæ, *lingua palato* vel faucibus *adhæreat*. Summa huc tendit, non debere privatis incommodis fideles ita triſtari, quin gravius tangantur communi Eccleſiæ clade: quia æquum eſt, zelum domus Dei palmam tenere in cordibus noſtris, ut ſupra omnes privatos affectus emineat. Secundum membrum quidam ſic interpretantur. ſi non hoc mihi erit præcipuum gaudium, videre rurſus florentem ſtatum Hieroſolymæ. Alii, nunquam penetrabit in animum meum lætitia, donec me exhilaret Eccleſiæ reſtitutio. Sed Propheta, meo judicio, utrumque ſimul complectitur. Nec vero poteſt alterum ab altero divelli: quia ſi Jeruſalem extollimus ad caput lætitiæ noſtræ, caput lætitiæ ipſius erit ex ſecundo proſperoque illius ſtatu: quod non fiet niſi mœror ex ejus malis conceptus, prophanis omnibus gaudiis januam præcludat.

7. *Recordare Jehova filiorum Edom.*] Quum aliis quoque vicinis Gentibus, quæ in excidium Hieroſolymæ conſpiraverant, inſtaret vindicta, non dubium eſt quin per ſynecdochen eos omnes Propheta ſub filiis Edom deſignet: vel quia odii crudelitate ſuperaverant alios, vel quia minus tolerabilis erat eorum crudelitas in conſanguineos & fratres. erant enim poſteri Eſau. & quum populus Iſraël omnia hoſtiliter vaſtaret, Dei mandato pepercerat Idumæis. Nimis ergo cæca fuit immanitas accerſere Babylonios fratribus ſuis perdendis, vel ſuis flabellis eorum ſævitiam magis accendere. Sed notandum eſt, Prophetam hic ad maledictiones & diras non temere prorumpere; ſed Divinum eſſe præconem confirmandis prioribus vaticiniis. Deus enim per Ezechielem & Jeremiam prædixerat de Idumæis pœnas ſe ſumpturum. Et Abdias rationem clarius exprimit, quæ reſpondet huic loco, nempe quia conſpiraverant cum Babyloniis. Conſilium vero Dei fuiſſe ſcimus, fulcire hoc ſolatio animos populi in triſtiſſima clade: quia alioqui videri poterat irrita electio Jacob, ſi ejus filii impune à progenie Eſau tam immaniter fuiſſent lacerati. Nunc Spiritus inſtinctu precatur Deum Propheta, ut re ipſa oſtendat, non fruſtra hoc fuiſſe prædictum. Et quum dicit, Recordare Jehova, promiſſionis memoriam revocat in animos piorum, ut Deum vindicem fore perſuaſi, exitum patienter & moderate expectent. Neque enim vindictam petere fas erat niſi quam promiſerat Deus: & quidem adverſus reprobos & inſanabiles. Nam aliis quantumvis infeſti ſint, optanda eſt ſana mens, & reſipiſcentia. *Diem Jeruſalem* vocat, uſitato Scripturæ more, tempus viſitationis, cui finem Deus præfixerat.

Deut. 2. verſ. 1.

Eze. 25. verſ. 13. Jer. 49. verſ. 7. Abdia. verſ. 11.

8. *Filia Babylonis vaſtata.*] Jam fidei oculis abſconditum Dei judicium inſpicit Propheta, ſicuti fidem ſcite Apoſtolus rerum abſconditarum aſpectum vocat. Quamvis ergo incredibile foret tam potenti monarchiæ, qualis tunc erat Babylon, poſſe quicquam contingere adverſi, omneſque vulgo putarent inexpugnabile eſſe ejus robur: cladem ejus & interitum in verbi ſpeculo intuetur Propheta. Et idem facere jubet pios omnes, ut cæleſtibus oraculis freti, ſceleratæ urbis ſuperbiam quaſi ex alto deſpiciant. Quod ſi fiduciam & ſpem concipere diſcamus ex Dei promiſſionibus, quantumvis abjecti, poterimus tamen ex inferis attollere capita: & gloriari nos in extremis malis beatos eſſe, hoſtes vero noſtros exitio devotos: modo affectus omnes noſtros ſua rectitudine temperet Dei Spiritus. Porro quum pronunciat *beatos qui Babyloniis vindictam rependent*, non intelligit Perſarum & Medorum obſequium placuiſſe Deo, quos ambitio & inexplebilis avaritia, deinde

Heb. 11. verſ. 1.

gitized by Google

deinde prava æmulatio ad bellum impulit: ſed quia bellum illud quaſi Dei auſpiciis geſtum eſt, optabilem ſucceſſum Propheta fore dicit. Quia enim ſtatuerat Deus pœnam ſumere de Babylone, benedixit
Jer. 48. *verſ.* 10.
Cyro, & Dario: ſicuti rurſum Jeremias ſimili ratione maledictos pronunciat qui facient opus Dei negligenter: hoc eſt, qui non ſtrenue operam Deo ſuam, vaſtando & perdendo, impendent, ubi conducti erunt ab eo carnifices. Etſi autem crudele videtur, dum optat teneros fœtus & adhuc innoxios ad lapides allidi & conteri: quia tamen non impulſu proprio loquitur, ſed verba petit ex ore Dei, nihil aliud quam juſti judicii præconium eſt: ſicuti quum pronunciat Dominus, qua quiſque menſura uſus fuerit erga alios, viciſſim ei remenſum iri. *Matth.* 7. *verſ.* 2.
Sed de Babylone ſpeciale vaticinium ediderat Jeſaias, cui haud dubie ſuccinit nunc Propheta, Ecce Deus acuit ferrum, & intendit arcus: Medos & Perſas emittit, qui non expetent argentum & aurum: tantum ſitient ſanguinem, &c. *Jeſa.* 13. *verſ.* 16.

ARGUMENTUM PSALMI CXXXVIII.

David memoria repetens quam præclare ſemper adjutus eſſet à Deo, tam ejus bonitatem quam fidem expertus, his documentis primum ſe ad gratitudinem incitat, & accingit: deinde in poſterum ſibi promittit eundem beneficentiæ curſum, quia Deus perpetuo ſibi conſtat. Quod ſi periclitari contigerit, ſpem ſibi facit læti exitus.

PSALM. CXXXVIII.

DAvidis. Celebrabo te in toto corde meo, coram Diis pſallam tibi.	1 לדוד אודך בכל לבי נגד אלהים אזמרך:
2. Adorabo *te* ad templum ſanctitatis tuæ, & canam nomini tuo ſuper clementia tua & ſuper veritate tua: quia magnificaſti ſuper omnia nomen tuum, ſermone tuo.	ו 2 אשתחוה אל היכל קדשך ואודה את שמך על חסדך ועל א אמתך כי הגדלת על כל שמך אמרתך:
3. In die *quo* clamavi *ad te* tunc exaudiſti me, multiplicaſti mihi in anima mea robur.	3 ביום קראתי ותענני תרהבני בנפשי עז:
4. Celebrent te, Jehova, omnes Reges terræ: quia audierunt verba oris tui.	4 יודוך יהוה כל מלכי ארץ כי שמעו אמרי פיך:
5. Et canant in viis Jehovæ, quia magna eſt gloria Jehovæ.	5 וישירו בדרכי יהוה כי גדול כבוד יהוה:

CElebrabo te.] Sicuti memorandis Dei beneficiis ornatus fuerat David: ita profitetur ſe non vulgari modo gratum fore. Sed quia hypocritæ ficta & inani reſonantia vitiant & contaminant hoc ſacrificium, ſimul addit non labiis modo, ſed ſincero corde gratias ſe Deo acturum. nam *totum cor* pro ſincero accipi, & duplici opponi, alibi vi-
Pſal. 12. *verſ.* 3.
dimus. Jam quia nomen אלהים nunc ad Reges, nunc ad Angelos transfertur, utrumque præſenti loco non male conveniet. Publicam gratiarum actionem promittit David. Jam quia ſacer conventus quaſi cæleſte theatrum eſt, ſcimus ornari Angelorum frequentia. & Cherubim ideo Arcam fœderis cingebant, ut ſcirent fideles ſibi adeſſe teſtes Angelos, quoties in Sanctuarium veniebant colendi Dei cauſa. Quia vero primum ordinem ducebant Principes, non erit abſurdum de ipſis accipere quod hic dicitur, ſicuti & Pſalmo 107. verſ. 32. Celebrate Jehovam in ſeniorum conſeſſu: hoc eſt, celebri & honorifico, ut loquuntur. Quanquam mihi prior ſenſus magis arridet: eo quod fideles, quoties prodeunt in conſpectum Dei, quaſi ſegregati à mundo, cælos conſcendunt, ut ſe conjungant Angelis. ſicuti Pau-
1 Cor. 11. *verſ.* 10.
lus de ordine & decoro ad Corinthios diſſerens, admonet ut in publico cœtu ſaltem Angelos revereantur. Et Deus olim ſub figura Cherubim idem depingi voluit, ut viſibile præſentiæ ſuæ pignus, fidelibus daret. Et mox ſequitur explicatio, ubi dicit, *Adorabo ad templum ſanctitatis tuæ.* Significat enim non modo privatim ſe gratum fore, ſed ex Legis mandato venturum ſe ad Sanctuarium, ut alios ad imitationem hortetur. Etſi enim ſpiritualiter Deum colebat, oculos tamen ad externa illa ſymbola convertere oportuit, quæ tunc vehicula piis erant ad tollendas ſurſum eorum mentes. Porro materiam laudandi Dei ſibi proponit in ejus miſericordia & veritate: quia etſi encomia etiam ſua meretur ejus potentia & virtus, nihil tamen acrius ſtimulare nos debet, ad celebrandum ejus nomen, quam gratuita bonitas: quia liberaliter nobiſcum agendo, os nobis ad canendas ſuas laudes aperit. Cæterum quia miſericordiam non guſtamus, vel ſaltem vivo animi ſenſu non apprehendimus abſque verbo, additur fides aut veritas. Atque hæc copula, ut jam ſæpius admonui, diligenter notanda eſt: quia utcunque effectis ſe beneficum Deus oſtendat, niſi tamen præluceat doctrina, impediet ſtupor noſter ne ejus bonitas in animos noſtros penetret. Hæc autem priore loco ſtatuitur, quando non alia de cauſa veracem ſe Deus nobis præſtat niſi quia ſponte ſe nobis gratuita promiſſione obſtrinxit. Et certe in eo perſpicitur inæſtimabilis ejus miſericordia, quod à ſe alienos prævenit, & familiariter alloqui dignatur ut ad ſe invitet. In fine verſus ſubaudiunt aliqui copulam in voce *ſermonis*, atque ita reddunt, Magnificaſti nomen tuum, & ſermonem tuum ſuper omnia: quod ut frigidum eſt, merito à doctis interpretibus repudiatur, qui tamen ipſi ad ſenſum nimis coactum (meo judicio) confugiunt, ſic vertentes, Magnificaſti ſuper omni ſermone tuo nomen tuum. Ego vero non dubito quin David prædicet nomen Dei ſua celſitudine ſupra omnia excellere: deinde ſpecialem modum definiat, quo Deus nomen ſuum extulit, nempe quia veraciter præſtitit quod liberaliter promiſerat. Et certe quia pro ſtupore noſtro cæcutimus ad Dei beneficia, hæc optima eſt ad nos expergefaciendos ratio, dum ſua voce nos compellat Deus, & tandem effectu quam pollicitus eſt gratiam ſancit & obſignat.

3. *In die* quo *clamavi.*] Quamvis ſæpe vota noſtra præveniat Deus, & quaſi dormientibus occurrat, ideo tamen ſuos ut plurimum Spiritus ſui inſtinctu ſollicitat ad preces: quo melius illuſtret ſuam gratiam, dum agnoſcunt non fruſtra nec ſine profectu ſe oraſſe. Jure itaque David non poſſe hoc videri fortuitum colligit, quod emerſerit ex periculis: quia palam apparuerit exauditum fuiſſe ab eo. Hoc ergo unum eſt, preces noſtras Dei gratiam propius nobis oſtendere. In ſecunda parte verſus nonnulli etiam copulam ſubaudiunt, Multiplicaſti me,

 & in

& in anima mea robur. ſed inepte: quum ſenſus verborum optime fluat nihil addendo, ſive legas quemadmodum prius verti, ſive legere malis, Multiplicaſti me in anima mea robore. Summa eſt, quum debilitatus eſſet malis, adeptum eſſe novam animi fortitudinem. Niſi forte magis placeat ſic reſolvere, Multiplicaſti me. hoc eſt, benedixiſti me, unde in anima mea robur.

4. *Celebrent Jehovam.*] His verbis docet, quam expertus eſt gratiam, longe fore memorabilem, ut fama ejus per totum orbem ſpargatur. Cæterum Reges ipſos dicens audiſſe verba oris Dei, non ſignificat rite eſſe edoctos in pietate, ut inſeri debeant in Eccleſiæ corpus, ſed hoc ubique fore notum, non alia de cauſa mirabiliter ſervatum fuiſſe à Deo, niſi quod ejus mandato unctus fuerat in Regem. Quamvis ergo in illo cæleſti oraculo non proficerent vicini Reges, valuit tamen ad commendationem gratiæ Dei, paſſim cognoſci ab omnibus Divinitus ſe fuiſſe vocatum. Et certe quum per tot annos, quibus acerrime eum ad necem perſequutus eſt Saul, ſemper jactaverit ſe militare ſub Dei vexillo, non potuit hoc eſſe obſcurum, Dei beneplacito & vocatione eum regnare. Tale ergo gratiæ Dei fuit documentum, quod profanis etiam Regibus aliquam confeſſionem exprimeret.

6. Quia excelſus Jehova, humilem tamen reſpiciet, & * excelſus eminus agnoſcet.

* vel, excelſum.

7. Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: ſuper iram inimicorum meorum mittes manum tuam, & ſervabit me dextera tua.

8. Jehova † rependet ſuper me, Jehova clementia tua in perpetuum: opera manuum tuarum non deſeres.

† vel, perficiet pro me.

6 כי רם יהוה ושפל יראה וגבה ממרחק יידע׃

7 אם אלך בקרב צרה תחיני על אף איבי תשלח ידך ותושיעני ימינך׃

8 יהוה יגמר בעדי יהוה חסדך לעולם מעשי ידיך אל תרף׃

6. *Quia excelſus.*] Hoc verſu commendat Dei providentiam, qua totus mundus regitur. Eſt autem hoc apprime utile cognitu, non negligi à Deo ſalutem noſtram: quia etſi verum id eſſe fatentur omnes, trepidatio tamen in minimo quoque diſcrimine diffidentiam noſtram refellit. quia quiſquis ſolide perſuaſus erit, paterna Dei cura ſe foveri, non tam facile expaveſcet. Etſi autem quidam excelſum interpretantur, acſi diceret David, Deum in cæleſti ſolio ſedere ad regendum totum orbem, adverſative tamen poſitum eſſe cenſeo. acſi diceret, non obſtare Dei celſitudinem quominus humiles & abjectos reſpiciat in terra. Quod idem confirmat ſecundo membro, ubi dicit ſublimem procul vel, è longinquo intelligere. Alii גבה in accuſativo caſu legunt: qui etiam ſenſus non male quadrat: quaſi diceret, Deum altos & ſuperbos non dignari propinquo intuitu, ſed contemptim deſpicere: quum parvulos & abjectos (qui videntur in ſpeciem longius remoti) non ſecus ac ſibi propinquos curet. Sunt etiam qui verbum ידע vertant conterere: quaſi dictum eſſet, Deum, humiles fovendo, conterere altos iſtos gigantes, qui ſibi in ſua proſperitate applaudunt. Sed quia vereor ne non tam argute loquutus ſit David, mihi ſufficit ſimplex repetitio ejuſdem ſententiæ: quamvis ſublimis ſit Deus, cognoſcere tamen quæ fugere videntur ejus curam. Sic vidimus Pſalmo 113. verſ. 5. Exaltat ſe Jehova ad habitandum, ſe tamen humiliat ad videndum tam in cælo quam in terra. Summa eſt, Quamvis cælis omnibus ſuperior ſit Dei majeſtas, non arceri tamen longo intervallo, quominus ſua providentia ordinet totum orbem. Sublimis ergo Deus eſt, ſed procul aſpicit: ut neceſſe non habeat locum mutare, dum vult deſcendere ad gerendam noſtri curam. Nos, contempti & ignobiles: ſed non impedit miſera noſtra conditio quin Deus curam noſtri ſuſcipiat. Sic enim convenit immenſam ejus gloriam, qua cælos omnes ſuperat, cum admiratione ſuſpicere, ut tamen non dubitemus quaſi paterno ejus ſinu nos foveri. Et appoſite contexit David hæc duo membra: primum, ne Dei majeſtas objecto terrore, ſenſum bonitatis ejus & indulgentiæ tollat: deinde ne bonitas, qua ſe ad nos uſque demittere non gravatur, minuat gloriæ ejus reverentiam.

7. *Si ambulavero.*] Hic declarat David quomodo ſibi Deum fore ſervatorem confidat: nempe qui mortuo reſtituat vitam, ſi opus ſit. Qui locus notatu dignus eſt. nam ut delicata eſt caro, cuperet quiſque noſtrum extra telorum jactum ſecurus degere. itaque nihil minus tolerabile quam certare cominus cum mortis metu. Imo ſimulac diſcrimen aliquod objectum eſt, ſine modo exhorreſcimus, acſi anguſtiæ noſtræ omnes Dei ſalutes prohiberent. Atqui hæc vera fidei regula eſt, in mortis tenebris cernere vitæ lucem: nec tantum inniti Dei gratiæ, quæ nos ab omni incommodo eximat, ſed quæ nos ſingulis momentis in media morte vivificet: ſicuti ſuos variis afflictionibus humiliat, ut mirabiliter tueatur: atque ita non modo vitæ cuſtos, ſed etiam liberator appareat. Porro quia ſemper in mundo hoſtes imminent fidelibus, pronunciat David quicquid illi machinentur, ſe Dei auxilio tutum fore. Hinc ergo ſpem vitæ ſibi eſſe docet, quia extenta Dei manu protegitur, quam novit invictam eſſe, & omnium hoſtium victricem. Unde ſequitur, Deum ita exercere filios ſuos continua militia, ut alterum in ſepulchro pedem habentes, trepide ſub ejus alas confugiant, ut tranquillitate fruantur. Quidam particulam [illegible] non accipiunt pro ita, ſed pro etiam: atque ita legunt, Extendes etiam ſuper inimicos. Sequutus tamen ſum quod erat receptius: quia & ſenſus plenior eſt, nec quicquam habet coactum.

8. *Jehova rependet.*] Ambigua verbi גמר ſignificatio ſententiam quoque hanc dubiam facit. Significat interdum rependere, adeoque generaliter conferre: quia ſæpe ad gratuita beneficia confertur. Sed quæ ſequuntur in contextu verba, videntur diverſum ſenſum exigere. nam quum addatur ratio, Jehova miſericordia tua in ſeculum, opera manuum tuarum non deſeres: melius convenit, Jehova perficiet pro me. hoc eſt, perget oſtendere ſibi curæ eſſe ſalutem meam, & quod cœpit perducet ad ultimum uſque actum. Ergo quemadmodum liberatus fuerat Dei miſericordia, ſtatuit hoc fore perpetuum: quia Deus naturam non mutat, nec bonitatem, qua præditus eſt, poteſt exuere. Et certe, ut nos bona ſpes in periculis ſuſtineat, oculos in Dei bonitatem defigere neceſſe eſt, in qua fundata eſt ſalus noſtra. Jam quum Deus, qui nullo jure nobis obſtrictus eſt, ultro promittat nos ſibi curæ futuros, optime colligit David, ſalutem ſuam non fore caducam nec temporalem: quia æterna eſt Dei bonitas. Et hanc ſententiam confirmat aliis verbis, Fieri non poſſe ut Deus laſſitudine, vel tædio (ut mortales ſolent) opus imperfectum abjiciat. Nam eodem ſenſu hoc pronunciat David, quo docet Paulus dona & vocationem Dei carere pœnitentia. Rom. 11. verſ. 29.
Nam quum homines vel inconſtantia alio rapti, quod ſtulte aggreſſi ſunt, leviter relinquant: vel infirmitate cogantur omittere quod ſupra vires tentarunt: nihil tale in Deum competit.

petit. ideoque timendum non eſt ne ſpem noſtram in medio curſu fruſtretur. Sola enim malitia & ingratitudo noſtra infatigabilem & perpetuum gratiæ ejus tenorem abrumpit. Ergo quod firma fide amplexi erimus, nunquam auferet Deus, vel nobis effluere finet. Nec vero David pronunciat Deum perficere ſuorum ſalutem, ut ipſe torpori indulgeat: ſed potius ut fidem ſuam confirmet, ſeque ad precandum acuat. Unde enim piis ſolicitudo & metus, niſi quia ſuæ fragilitatis conſcii, ab uno Deo pendent? Interim ſolida certitudine recumbunt in ejus gratiam: quia non dubitant quin perficere velit uſque in diem Chriſti quod cœpit: ſicut idem Paulus admonet Philippenſium capite primo, verſ. 6. Hic autem eſt doctrinæ uſus, ut quoties labimur vel fluctuamus, veniat nobis in mentem, Atqui operatus eſt in me Deus initium ſalutis, ergo uſque in finem proſequetur. Hinc mox confugiamus ad preces, ne ignavia noſtra continuo gratiæ Dei rivo, cujus fons eſt inexhauſtus, aditum claudat.

ARGUMENTUM PSALMI CXXXIX.

David, ut ſibi nebulas omnes, quibus ſe fallaciter major pars mundi involvit, diſcutiens hypocriſin purget ex corde ſuo: multis verbis diſſerit, nihil quamvis occultum Dei oculos latere: idque confirmat ex creatione hominis. quia ſi Deus in utero matrum nobis figuram aptavit, & ſingulis membris attribuit vim ſuam & munus, fieri non poteſt quin omnes actiones noſtræ verſentur ſub ejus oculis. Poſtquam vero hac meditatione ad ſincerum Dei timorem ſe animavit, à profanis & ſceleratis Dei contemptoribus alieniſſimum ſe eſſe teſtatur: atque hujus integritatis, cujus ſibi conſcius eſt, fiducia Deum implorat, ne in medio vitæ curſu ab eo deſeratur.

PSALM. CXXXIX.

PRæfecto, Davidis Pſalmus. Jehova explorasti me, & cognoſcis.	1 למנצח לדוד מזמור יהוה חקרתני ותדע׃
2. Tu cognoviſti ſedere meum & ſurgere meum, intelligis cogitationem meam procul.	2 אתה ידעת שבתי וקומי בנתה לרעי מרחוק׃
3. Semitam meam & accubitum meum obſides, & omnes vias meas intelligis.	3 ארחי ורבעי זרית וכל דרכי הסכנתה׃
4. Quia nullus ſermo in lingua mea: ecce Deus cognoſcis totum.	4 כי אין מלה בלשוני הן יהוה ידעת כלה׃
5. Retro & ante coarctas me, & poſuiſti ſuper me manum tuam.	5 אחור וקדם צרתני ותשת עלי כפכה׃
6. Mirabilis facta eſt ſcientia *tua* ſupra me: exaltata eſt, non potero ad eam.	6 פלאיה דעת ממני נשגבה לא אוכל לה׃

JEhova explorasti me.] Præfatur David ſe non venire in Dei conſpectum quia putet ſe quicquam proficere ſimulando: ſicut hypocritæ, quaſi velis obtentis, ſecure delicias ſibi faciunt: ſed quia perſuaſus ſit, Deo nihil eſſe abſconditum, ſenſus omnes ſuos ultro detegere ut ſe examinandum permittat, Tuum eſt, inquit, ô Deus perſpicere quicquid in me latet, nec quicquam te fugiet. Addit etiam circumſtantias, quibus ſignificat nullam vitæ ſuæ partem Deo eſſe obſcuram. Sive quieſco, inquit, ſive ambulo, ſive ſurgo: tu motus omnes meos obſervas. Porro quum רע amicum vel ſocium ſignificet, quidam interpretes vertunt, Intelligis propinquitatem meam à longe: quod multo aptius quadraret, ſi quod occurreret ſimile exemplum. Eſt enim concinna alluſio, quod procul remotum eſt, ſub oculis tamen Dei verſari quaſi propinquum. Sed quia receptior eſt altera lectio, diſcedere ab ea auſus non ſum. Sunt qui particulam מרחוק, transferant pridem: in qua ſignificatione alibi quoque accipitur. acſi dictum eſſet, Domine, quicquid animo concipio, ante tibi pridem compertum fuit. Sed illud alterum quod ſequutus ſum, magis placet, Deum non eſſe cælo incluſum, ut ſe otio oblectans (ſicut Epicurei fingunt) res humanas negligat: ſed quamvis longe ab eo peregrinemur, eum tamen non longe abeſſe. Quia verbum זרה nunc ventilare, nunc circumdare ſignificat, commode etiam poſſet in tertio verſu exponi, Tu ventilas ô Deus ſemitas meas. Trita enim metaphora eſt, ventilari quod ex tenebris erutum, in lucem profertur. Sequatur ergo quiſque quod magis placuerit. Nam alter ille ſenſus quem poſui, optime reſpondet. In fine verſus variant etiam interpretes. Nam quia verbum סכן in conjugatione Hiphil, ſicuti hic habetur, ſignificat proſperum reddere: putant quidam gratias agi Deo, quod actionibus det felicem ſucceſſum: ſed quia Davidi aliud propoſitum eſt quam Dei benedictionem celebrare, ſignificatio illa nihil ad præſentem locum. Non minus etiam coactum eſt quod alii afferunt, Feciſti aſſueſcere vias meas: quaſi diceret beneficium Dei eſſe, quod præditus ſit conſilio. Ego igitur, quanquam ſit verbum Hiphil, neutraliter accipere non dubito: hoc ſenſu, Domine tu aſſueviſti viis meis, ut tibi familiariter notæ eſſent.

4. *Quia nullus ſermo.*] Duplicem ſenſum admittunt hæc verba: ideo ſic reſolvunt quidam, Domine, antequam ſermo in lingua mea naſcatur, cognoſcis quid dicturus ſim. Alii autem, Quamvis verbum nullum proferam, ſed ſilentio tegere coner mea conſilia, nihil te prorſus latet. Quia fere eodem redit utraque verſio, liberum ſit hanc vel illam eligere. Summa eſt, Quum lingua vocetur inter nos character mentis, quia loquendo quiſque cum proximis ſuis communicat: Deum, qui cordium eſt cognitor, non opus habere ſermone. Et demonſtrativa particula *ecce*, emphatice addita eſt: acſi dixiſſet profundiſſimos mentis receſſus adduci in rem præſentem. In quinto verſu legunt multi, Retro & ante formaſti me: ſed quum צור coarctare ſæpe ſignificet, non dubito quin dicere voluerit David, ſe omni ex parte circundatum & concluſum teneri Dei conſpectu, ut fruſtra effugere conetur quocunque ſe vertat. Nam qui viam ſibi obſtructam eſſe videt, reflectet gradum. David autem ſe non minus à tergo, quam à fronte conſtrictum teneri dicit. Ac eodem pertinet ſecundum membrum, *Poſuiſti ſuper me manum tuam.* frigide enim ad formationem alii trahunt quod Deus, inſtar opificis, manum applicuerit ad opus ſuum formandum: nec ſatis attendunt ad contextum. quare multo rectius eſt, Deum quaſi injecta manu cunctos mortales ſubjicere oculis ſuis, ut ne transverſam quidem lineam deflectere queant, niſi ipſo conſcio.

 6. *Mira-*

6. *Mirabilis facta eſt.*] Particulam ממני duobus modis accipere licet: nempe quod ſcientia Dei mirabilis ſit ex hominis creatione: ſicuti veteri proverbio vocarunt hominem μικρόκοσμον: quia ubi reputamus quanto artificio compoſitum ſit corpus hominis, & quibus dotibus anima excellat, neceſſe eſt quaſi attonitos rapi. Sed contextus diverſam ſententiam exigit. David enim proſequi volens quod hactenus dixit, exclamat, perperam & ſtulte facere qui metiri volunt Dei ſcientiam ſuo modulo, quum mirabiliter ſupra nos emineat. Quia enim ubi Dei ſit mentio, multi ex ſuo ingenio judicium ferunt: hæc temeritas merito coarguenda fuit. Non plus Deo cognoſcere vulgo permittunt, quam ipſi capiant. David autem ſcientiam Dei fatetur ſibi eſſe incomprehenſibilem. quaſi diceret nullis ſe verbis poſſe aſſequi hoc ipſum de quo diſſerit, Deo ſcilicet nihil eſſe abſconditum: quia hujus ſcientiæ nullus ſit modus, vel finis. Itaque nihil ſibi eſſe reſiduum, niſi ut ſuæ imbecillitatis conſcius, tantam altitudinem reverenter ſuſpiciat.

7. Quo proficiſcar à Spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam?	7 אנה אלך מרוחך ואנה מפניך אברח:
8. Si aſcendero in cælos, illic tu es: ſi jacuero in ſepulchro, ecce tu.	8 אם אסק שמים שם אתה ואציעה שאול הנך:
9. Sumam alas auroræ ut habitem in extremis maris:	9 אשא כנפי שחר אשכנה באחרית ים:
10. Etiam illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.	10 גם שם ידך תנחני ותאחזני ימינך:
11. Si dixero, Saltem tenebræ operient me: & nox lux pro me erit.	11 ואמר אך חשך ישופני ולילה אור בעדני:
12. Etiam tenebræ non obtenebrabunt abs te, & nox quaſi dies illuminabitur, & tenebræ ſicut lux.	12 גם חשך לא יחשיך ממך ולילה כיום יאיר כחשיכה כאורה:

7. *Quo proficiſcar.*] Proſequitur, meo judicio, David idem argumentum, nihil proficere ſuis ſubterfugiis homines dum conantur effugere Dei oculos. *Spiritus* non ſimpliciter pro virtute hic ponitur, ut plerumque in Scripturis: ſed pro mente & intelligentia. Nam quia in homine ſedes intelligentiæ eſt ſpiritus, hoc ad Deum transfert. quod ex ſecunda parte clarius patet, ubi *facies* pro notitia vel conſpectu ponitur. Summa eſt, non poſſe Davidem locum mutare quin Deus animadvertat: imo fugientem perſequatur ſuis oculis. Itaque ad probandam eſſentiæ Dei immenſitatem male detortus fuit hic locus. quia etſi minime dubium eſt quin Dei majeſtas cælum & terram impleat, aliud tamen voluit David: quemcunque angulum latebris captaverit, ſe manifeſtum fore Deo, cujus oculi cælum & inferos penetrent. Quamvis ergo ſupra cælos evolet, aut in ultimis abyſſis lateat, dicit ſurſum & deorſum omnia eſſe Deo conſpicua. In alis auroræ vel luciferi pulchra eſt tranſlatio. ſimul enim ac Sol terris exoritur, non ſecus ac celerrimo volatu ſplendorem ſuum repente in omnes mundi plagas tranſmittit. Et eadem etiam metaphora occurrit Malachiæ 3. verſ. 2. Summa eſt, Etiamſi quis æquaret celeritate Solis radios, nullum tamen receſſum ab eo poſſe inveniri, quin ſemper Dei imperio ſubjaceat. *Manus* enim hic vocatur poteſtas: acſi dixiſſet, quoties ſe homines ſubducere tentabunt ab oculis Dei, in ejus fore arbitrio mox retrahere fugitivos.

11. *Si dixero.*] Induit David perſonam hominis ad omnes circuitus intenti, ſi qua forte elabi queat ex ſuis anguſtiis. Poſtquam ergo fugas omnes confeſſus eſt ſibi eſſe inutiles, jam de novo remedio loquens, dicit, Si nulla mihi celeritas prodeſt quæ me extra Dei conſpectum rapiat: ſaltem luce extincta venient tenebræ, quæ me ad tempus occultent, ut tantiſper reſpirare liceat. Sed hoc quoque vanum fore dicit: quia non minus acute cernat Deus in denſiſſimis tenebris, quam in meridie. Qui hæc duo membra ſeparant, *Tenebræ operient me*, & *Nox lux pro me erit* (quaſi diceret tenebras in lucem converſum iri, ut ipſe nihil videns, Dei tamen oculis appareat) meo judicio falluntur: quia potius verba ex ſuo ſenſu contexens David, intelligit, modo tegumentum aliquod inveniat, ſibi fore aliquid licentiæ: quemadmodum furibus & ſylveſtribus feris nox pro die eſt, quod tunc liberius vagentur. Si ergo promiſero mihi aliquas inducias, inquit, inter tenebras noctis, fruſtrabitur me opinio: quia tenebræ lucem tuam non obtenebrent. Et ex particula גם, colligimus membra ſic debere aptari. Si cui autem ſupervacuus videtur hic ſermo, nullum coram Deo diſcrimen eſſe inter lucem & tenebras, experientia ſatis coarguit, ægerrime ſummaque difficultate adduci homines ut nudi & aperti in Dei conſpectum prodeant. Deum quidem omnia cognoſcere fatemur omnes: ſed quod nemo in controverſiam vocat, quiſque apud ſe tacite pro nihilo ducit; dum tam ſecure Deo illudimus, nec ulla ejus reverentia nos coërcet, ut ſaltem locum hominis mortalis apud nos obtineat. Pudore enim retinemur, nequis hominum conſcius ſit ac teſtis noſtræ turpitudinis: Dei vero judicium non ſecus contemnimus, acſi interpoſito velo, ſcelera noſtra abſcondita eſſent ejus oculis. Hæc noſtra ſtupiditas niſi acerrime ſtimuletur, lucem nobis in denſas tenebras ſubinde convertet. Quare non abs re David ad diſcutiendos vanitatis noſtræ fumos tam prolixe inſiſtit. Tantum ſupereſt, dum nobis obrepit nimia ſecuritas, ut quiſque his ſtimulis ſe pungat & excitet.

13. Quia tu poſſediſti renes meos, operuiſti me in utero matris meæ.	13 כי אתה קנית כליתי תסכני בבטן אמי:
14. Celebrabo te, eo quod terribiliter mirificatus ſum: mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet valde.	14 אודך על כי נוראות נפליתי נפלאים מעשיך ונפשי ידעת מאד:
15. * Non eſt abſcondita fortitudo mea abs te, quam feciſti in occulto, contextus fui in infimis partibus terræ.	15 לא נכחד עצמי ממך אשר עשיתי בסתר רקמתי בתחתיות ארץ:

* vel, ut meum non eſt à te abſconditum.

16. In-

16. Informe meum viderunt oculi tui, in libro tuo omnia ſcribentur, diebus formata ſunt, & * non unum ex ipſis.

16 גלמי ראו עיניך ועל ספרך כלם יכתבו ימים יצרו ולא אחד בהם׃

* vel, *ei unum ex ipſis.*

13. *Quia tu poſſediſti renes meos.*] Quanquam videtur continuare eandem doctrinam, paulo tamen longius procedit, non mirum eſſe ſcilicet ſi ita in occultiſſimas quaſque hominum cogitationes diſquirat qui renum ac cordium fictor eſt. Dicit ergo in ipſis renibus poſitum eſſe Deo tribunal, ex quo juriſdictionem ſuam exerceat: nec mirum eſſe ſi eum non fallant flexuoſi cordium noſtrorum receſſus, qui nos adhuc clauſos matris utero tam clare intuitus eſt acſi eſſemus in media luce expoſiti. Nunc tenemus qua occaſione David ad creationem hominum nunc deſcendat. Eodem ſpectat proximus verſus, in cujus verbis licet aliqua ſit ambiguitas, ſenſus tamen facilis ac clarus eſt, mirabilibus modis Davidem fuiſſe formatum, & qui merito admirationem terroremque incutiant: unde cogitur in Dei laudes prorumpere. Inde enim tam ſecura carnis indulgentia, quia non ſatis expendimus quam mirifice nos formaverit cæleſtis opifex. Deinde à ſpecie tranſcendit David ad genus, exclamans, quæcunque oculis noſtris occurrunt Dei opera, totidem miracula eſſe quæ mentes noſtras ad ſe rapere debeant. Hæc enim (ut alibi diximus) juſta eſt operum Dei conſideratio, quæ in admirationem deſinit. Quod autem addit *animam ſuam valde cognoſcere* miracula, quæ tamen ingenii noſtri captum excedunt, non alio tendit, quam modeſta ſobriaque diligentia ſe attentum fore & ſolertem, ut percepto guſtu mirabilium Dei, immenſam gloriæ altitudinem adoret. Non ergo hic ponitur cognitio quæ ſenſibus noſtris ſubjiciat quod David ſub miraculi nomine confeſſus eſt non poſſe comprehendi (ſicut philoſophos inflat ſua arrogantia ut nihil Deo occultum relinquant) ſed tantum pia attentio notatur, quæ nos ad reddendam Deo gloriam expergefaciat.

15. *Non eſt abſcondita.*] Pergit David à creatione hominis ratiocinari, nihil Deo eſſe abſconditum: & Deum oſtendit longe præcellere ſummos quoſque artifices, qui oculorum adminiculo indigent ad formandum ſuum opus, quum Deus in viſceribus matris noſtræ nos formaverit. Sive autem de oſſibus loquatur, ſive de fortitudine, ad ſummam rei parum intereſt. quanquam malim de oſſe accipere. Et deinde uterum matris *infimis terræ cavernis* & penetralibus comparat. Siquis artifex in obſcuro aliquo antro abſque lucis adjumento opus aliquod velit aggredi, unde incipiet? quænam erit progrediendi ratio? & qualis perfectio operis? Atqui Deus nulla luce adjutus, opus omnium perfectiſſimum, nempe hominem in utero matris format. Et verbum רקם, quod eſt contexere, ad amplificationem valet. Neque enim dubium eſt quin metaphorice exprimere velit David inæſtimabile quod in figura corporis humani relucet artificium. Nam ſi tantum ungues inſpicimus, non poterit tamen quicquam illic mutari, quin mox oſtendat incommoditas aliquid eſſe luxatum. quid ergo ſi excutiantur ſingulæ partes? Hujus tam multiplicis variæque texturæ quis phrygio ſua induſtria & acumine centeſimam partem aſſequi poterit? Non mirum igitur ſi Deus homines in lucem editos tam exacte cognoſcat, quos in matris utero numeris omnibus abſolvit.

16. *Informe meum viderunt oculi tui.*] Quia ἔμβρυον, ubi in utero concipitur, non ſtatim formam induit, dicit hic David ſe jam tunc cognitum fuiſſe Deo quum adhuc informis maſſa eſſet, quam Græci τὸ ἔμβρυον vocant. Nam τὸ ἔμβρυον illis foetus vocatur à conceptione uſque ad partum. Ratiocinatur autem à majori ad minus David: ſi antequam coaluiſſet in certam & diſtinctam formam, Deo cognitus fuit, multo minus poſſe nunc ejus notitiam effugere. Dicit poſtea *in libro ejus omnia eſſe ſcripta*, nempe totam rationem creationis Deo eſſe probe compertam. Nam quod ad nomen libri, ſimilitudo ab hominibus ſumpta eſt, qui libris & commentariis ad memoriam juvandam utuntur. Itaque dicitur Deus habere in actis ſuis ſcripta quæcunque novit: quia nullis adminiculis ejus memoria indiget. In ſecundo membro non conſentiunt interpretes. Quidam enim ימים legunt nominandi caſu, quum dies formati ſunt: & hunc eliciunt ſenſum, omnia oſſa mea ſcripta erant in libro tuo, Deus, ab exordio mundi, quum primos dies creares: & tamen nullum re ipſa extabat. Sed diverſa interpretatio magis eſt probabilis, nempe temporis ſucceſſu formari ſingulas humani corporis partes. Neque enim ſimulac coaleſcit ſemen, apparet diſpoſita aliqua ſpecies, vel membrorum proportio: ſed progreſſu temporis digeritur, & aptatur maſſa illa in ſuam figuram. In altero etiam diſſentiunt interpretes. Nam quum in particula לא, ſæpe contingat mutari literas ו & א, quidam acſi eſſet לו per ו, nempe relativum pronomen, ſic exponunt, Quanquam paulatim aptatum fuerit corpus, tamen ſemper unum & idem fuiſſe in libro Dei, qui ſpatio non indiget ad opus ſuum abſolvendum. Verum ut nihil mutetur, negatio non male quadrat, nempe quum diebus ſive paulatim creata ſunt membra, nullum ex ipſis extitiſſe: quia ſcilicet nulla erat concinnitas, vel diſtinctio, ſed informis globulus. Ita commendatio erit providentiæ Dei, eo quod confuſam illam putredinem in pulcherrimam figuram tractu temporis digerat.

17. Et mihi quam pretioſæ ſunt cogitationes tuæ, Deus, quam fortes ſummæ earum!

18. Si numerem eas, præ arena multiplicabuntur: expergefactus ſum, & adhuc ſum tecum.

17 ולי מה יקרו רעיך אל מה עצמו ראשיהם׃

18 אספרם מחול ירבון הקיצתי ועודי עמך׃

17. *Et mihi quam pretioſa.*] Hic quoque רעה cogitationem potius, quam ſocium vel amicum ſignificat, ſicuti multi poſt Chaldæum interpretem verterunt: acſi jam deſcenderet Propheta ad diſcernendos à reprobis fideles. Contextus enim poſtulat hic adhuc de incomparabili Dei providentia fieri ſermonem. Repetit ergo quod prius dixerat, neque id præter rationem: quia tam præclara arcanæ Dei ſapientiæ documenta, quæ in hominis creatione exhibet, totaque vitæ gubernatione vel negligi videmus, vel non æſtimari ſuo pretio. Quod quidam raras vertunt, nihil aliud quam ſenſum obſcurant. Utitur eodem verbo Sacra hiſtoria, fateor, quum dicit tempore Eli rara fuiſſe oracula. Sed quum pretioſa intelligat, retinere ſatius eſt quod omni ambiguitate caret. Sic autem appellat, quia non ſubjaceant hominum judicio. Quo ſenſu mox adjungit *ſummas* vel collectiones *earum* fortes eſſe ac validas, nempe quia ad obruendas hominum mentes ſufficiunt. Hæc autem exclamatio admonet, niſi

1 Sam. 3. verſ. 1.

tam

tam inſipidi eſſent homines, vel potius ſtupidi, perculſum iri arcanis Dei judiciis, ne pro more audacter illudant, ſed trepide & ſuppliciter ſe ſiſtant ad ejus tribunal. Idem & proximo verſu confirmat, *ſi quis numerare tentet* arcana Dei conſilia, eorum immenſitatem ſuperare arenas maris. Unde ſequitur, modulum noſtrum milleſimæ partis non eſſe capacem. Quod ſequitur continuo poſt, *exſurrexi, & adhuc tecum ſum*, quamvis varie diſtrahant interpretes, ſimpliciter ita accipere non dubito, quoties è ſomno ſuo expergiſcitur David, novam materiam offerri ac ſuggeri meditandæ hujus tam incredibilis ſapientiæ Dei. Ergo quum dicit ſe exſurgere, non debet hoc reſtringi ad diem unum: ſed quemadmodum confeſſus eſt immenſa magnitudine ſapientiæ Dei abſorberi ſenſus ſuos: ita nunc addit, Dum quotidie expergeſio, mihi novum admirationis argumentum naſcitur. Nunc tenemus genuinum Davidis ſenſum, Deum ſcilicet ita præeſſe generi humano, ut eum nihil prorſus lateat, ne profundæ quidem cogitationes. Et quanquam multi bruta ſocordia ſe projiciant in omne ſcelus, acſi nunquam venturi eſſent in Dei conſpectum, fruſtra tamen eos ſibi cavernas fodere: quia velint nolint trahentur in lucem. Atque hanc doctrinam eo diligentius expendere convenit, quia dum quiſque manus & pedes ſuos reſpicit, ſibique placet in formæ elegantia, vix centeſimus quiſque fictoris ſui memor eſt. Quod ſi qui tamen Deo acceptam referant vitam ſuam, nemo tamen ad hoc præcipuum caput conſcendit, audire, videre, & intelligere omnia qui aures finxit & oculos, & cor intelligentia præditum creavit.

19. Si occideris, Deus, impium, tunc viri ſanguinum declinate à me.	19 אם תקטל אלוה רשע ואנשי דמים סורו מני:
20. Qui loquuti ſunt de te ſcelerate, ſumpſerunt mendaciter adverſarii tui.	20 אשר ימרוך למזמה נשוא לשוא עריך:
21. Annon oſores tuos, Jehova, odio habebo, & cum inſurgentibus contra te litigabo?	21 הלוא משנאיך יהוה אשנא ובתקוממיך אתקוטט:
22. Perfecto odio odi ipſos, fuerunt mihi in hoſtes.	22 תכלית שנאה שנאתים לאויבים היו לי:
23. Explora me Deus, & cognoſce cor meum: examina me, & cognoſce cogitationes meas.	23 חקרני אל ודע לבבי בחנני ודע שרעפי:
24. Et cognoſce an via pravitatis in me ſit, & deduc me in via ſeculi.	24 וראה אם דרך עצב בי ונחני בדרך עולם:

19. *Si occideris Deus impium.*] Quod pendere quidam hunc verſum à proximo exiſtimant, coactum eſt. Optandi etiam modo accipere, ut volunt quidam, non placet, Utinam, vel, ô ſi occidas Deus impium. Nihilo magis eorum ſententiæ ſubſcribo qui Davidem gratulari ſibi putant ſi è medio tollantur impii. Videtur enim mihi aliud magis velle, ſe conſiderandis Dei judiciis operam daturum, ut proficiat in ejus metu, & pietate, quoties pœnam ſumpſerit de reprobis. Et certe ipſos Deus ſtatuit in exemplum, ut inflictæ illis pœnæ electos ab eorum ſocietate revocent. Etſi enim ſponte ad cultum & timorem Dei propenſus erat David, opus tamen habuit, ut reliqui fideles, fræno aliquo.
Jeſa. 26. verſ. 9. ſicuti etiam dicitur apud Jeſaiam, ubi exercuerit Deus ſua judicia, juſtitiam diſcent habitatores terræ. nempe ut ſe in Dei timore contineant. Interea non dubito quin ſe Propheta ſiſtat coram Deo integritatis ſuæ teſte: acſi diceret, libere & ingenue ſe prodire ad Dei tribunal, quia non ſit unus ex ſceleratis Dei contemptoribus, nec quicquam habeat cum ipſis negotii.

20. *Qui loquuti ſunt de te.*] Exprimit quo licentiæ proſiliant impii quantiſper illis parcit Deus, nec eos premit ultrice manu. Nec enim ſtatuunt modo quidvis ſibi impune ceſſurum, ſed manifeſtas in Judicem ipſum blaſphemias evomunt. Scelerte enim loquutos dicit: quia ſuam malitiam nullis coloribus fucaverint, ſicuti linguas ſuas continent quibus aliquis reſiduus eſt pudor: ſed palam præ ſe tulerint Dei contemptum. Secundum membrum, ubi dicit *ſumpſiſſe fallaciter* nomen Dei, nimis reſtricte quidam exponunt quod abuſi fuerint Dei nomine ad ſua perjuria. Propius ad ſimilitudinem veri accedunt qui dicunt ſumere in vanum impios Dei nomen, dum eum transfigurant in ſua figmenta. Experientia enim docet, majorem hominum partem non ſentire quid ſit Deus, ſed fabricare ſimilem ſemimortuo. Vocatur quidem paſſim judex mundi: ſed mox evaneſcit illa confeſſio, quia judicandi munus ei abdicant. hoc eſt ſumere nomen Dei fallaciter, quia obſcurant ejus gloriam, eumque quodammodo deformant. Sed quia non exprimitur nomen Dei, & verbum נשא in ſublime tollere ſignificat, commodius (meo judicio) ſic interpretari licebit, quod ſeipſos efferant ventoſo & mendaci faſtu. Atque hæc elatio, petulantiæ cujus meminit, ſemper fere conjuncta eſt. Unde enim ſit ut audeant virus proterviæ ſuæ contra Deum evomere, niſi quia faſtu temulenti, non reputant ab una parte ſe miſeros eſſe homunciones, Deum vero ſua poteſtate ſpoliant? Atque hac ratione vocat Dei adverſarios, quia quiſquis ſupra legitimum gradum ſe effert, Gigantum more cum Deo bellatur.

21. *Annon oſores tuos.*] Pergit oſtendere quantum in illa meditatione Dei profecerit, nempe quod ſe revocans ad Dei tribunal, ac ſe non poſſe effugere ejus manum cogitans, cujus oculi in ultimas abyſſos penetrent: ſibi pie ſancteque vivendi legem indixerit. Nam Dei contemptores ſibi dicens fuiſſe odio, ſuam integritatem hoc elogio profitetur: non quod purus fuerit ipſe ab omni delicto, ſed quod pietati colendæ addictus, omnem impietatem ex animo deteſtatus ſit. Neque enim ſatis in cordibus noſtris viget pietatis ſtudium, niſi ex ſe odium ſcelerum generet, quale hic prædicat David. Deinde ſi in nobis ardet zelus ille domus Dei, cujus alibi meminit David, inexcuſabile eſt noſtrum frigus, *Pſal. 69. verſ. 10.*
dum ſcilicet tacite patimur non modo violari ejus juſtitiam, ſed ſacrum ejus nomen petulanter ab impiis calcari. Quod ad poſtremum verbum ſpectat, quum קוט ſignificet rixari, vel contendere, hic in conjugatione hithpael eundem ſenſum retinet. niſi forte aliquid expreſſius notet David, ſe fuiſſe exaſperatum, ut animum ſuum ad litigandum acueret. Videmus ergo, Davidem, neglectis totius mundi odiis, ſtrenue certaſſe pro aſſerenda Dei gloria, ut bellum cum omnibus impiis ſuſciperet.

22. *Perfecto odio odi ipſos.*] Ad verbum, perfectione odii. Confirmat eandem ſententiam, tanti ſibi fuiſſe Dei gloriam ut non ſuſtinuerit quicquam habere commune cum ejus contemptoribus. Summa vero

huc

huc tendit, ſibi nihil fuiſſe conſenſus cum operibus tenebrarum: quia quiſquis ad ſcelera connivet, eaque fovet ſuo ſilentio, perfidus eſt cauſæ Dei proditor, qui nobis omnibus juſtitiæ ſuæ patrocinium commendat. Hoc autem exemplo docemur fortibus altiſque animis ſpernenda eſſe omnia improborum odia, ubi pro Dei honore certandum eſt: potiuſque renuntiandum eſſe terrenis omnibus amicitiis, quam blanditiis perperam foveamus eorum favorem qui Dei odium cupide in ſe accerſunt. Atque hæc doctrina eo magis notanda eſt, quod nos ſtudium privatæ ſalutis, honoris & commoditatum, adeo rapit, ut nulla certamina, ſimulac quiſpiam nos lædit, ſuſcipere dubitemus: in aſſerenda Dei gloria pluſquam meticuloſi ſumus & ignavi. Ergo ut quiſque noſtrum ſibi addictus eſt, ſuæque utilitati conſulit, non alia nos cauſa ad diſſidia, rixas, contentiones & bella impellit, quam ut proprias injurias ulciſcamur: ubi violatur Dei majeſtas, nemo ſe commovet. Atqui zelum Dei in nobis vigere teſtatur hæc magnanimitas, ubi cum improbis & Dei contemptoribus bellum irreconciliabile gerere malumus, quam in eorum gratiam alienari à Deo. Quanquam notandum eſt, odium cujus meminit Propheta, non tam in perſonas quam in vitia dirigi. Colenda enim nobis eſt pax cum omnibus, quoad licet: amanda eſt etiam omnium ſalus: & ſi fieri poteſt, humanitate & omnibus officiis revocandi ſunt in viam. Quatenus tamen Dei ſunt hoſtes, eorum furori nos acriter opponere convenit.

23. *Explora me Deus.*] Confirmat ſe non alia de cauſa inimicum fuiſſe Dei contemptoribus, niſi quia Deum pure ipſe reverebatur, & ab aliis eodem animo timeri optabat. Rara quidem fiducia præditum eſſe oportuit qui ſe Dei judicio examinandum tam intrepide offert. Sed quia probe ſibi conſcius erat ſinceræ pietatis, non temere proſiliit cum hac ſecuritate ad Dei tribunal: neque tamen immunem ſe profiteri voluit ab omni culpa, qui ſub vitiorum ſuorum onere triſtis gemebat. Et certum eſt ſanctos, quoties de ſua integritate loquuntur, ſemper inniti gratuitæ veniæ. Cæterum quia perſuaſi ſunt, utcunque infirmitate labantur, ſuam pietatem probari Deo, non mirum eſt ſi libere ſe ab impiis ſeparent. Etſi autem ſibi cor non eſſe fictum & duplex affirmat, non tamen ſe omni reatu eximit, ſed tantum negat ſe pravitati eſſe addictum. nomen enim עוצב, non quodlibet delictum, ſed dolorem & moleſtiam, vel pravitatem ſignificat: interdum etiam metaphorice pro idolo ſumitur. Quod poſtremum non convenit præſenti loco: quia David non modo à ſuperſtitione, ſed ab injuſtitia tutum ſe fuiſſe teſtatur: ſicut alibi dicitur, in viis talium hominum *Jeſa. 59.*
eſſe moleſtiam & vaſtitatem. quia violenter per ne- *verſ. 7.*
fas omne graſſantur. Alii ad malam conſcientiam trahunt, quæ cæcis tormentis aſſidue impios cruciat: quod eſt nimis coactum. Quicquid ſit, ſimpliciter affirmat David, ſe, quamvis homo eſſet vitiis obnoxius, non tamen fuiſſe iniquitati deditum.

24. *Et deduc me.*] Quod nonnullis videtur eſſe imprecatio, acſi caput ſuum David pœnæ devoveat, nihil habet coloris. Fateor viam univerſæ terræ *Joſua 23.*
quandoque accipi pro communi interitu: ſed ver- *verſ. 14.*
bum *ducendi* beneficium magis deſignat quam pœnam. Deinde neſcio an uſquam mors vocetur *via ſeculi.* Ego igitur non dubito notari continuum vitæ humanæ curſum: acſi peteret David Deum ſibi eſſe ducem ſtadii ſui uſque ad metam. Nec me latet quid alii quidam ſentiant: extendunt enim ad vitæ æternitatem. nec vero inficior comprehendi futuram vitam ſub hoc complemento viæ, ſed mihi ſufficit tenere ſimplicem verborum ſenſum, ut Deus ſervum ſuum cui ſemel manum porrexit, uſque ad finem gubernet, neque deſerat in medio ſpatio.

ARGUMENTUM PSALMI CXL.

Conqueritur David tam de implacabili ſævitia hoſtium ſuorum, quam de inſidiis & virulentis calumniis. Poſtea Dei fidem implorans, ac ſibi propitium fore perſuaſus, ſe bona ſpe liberationis juſtæque in hoſtes vindictæ ſolatur.

PSALM. CXL.

PRæfecto Pſalmus Davidis.	1 למנצח מזמור לדוד׃
2. Eripe me Jehova ab homine improbo, à viro injuriarum cuſtodi me.	2 חלצני יהוה מאדם רע מאיש חמסים תנצרני׃
3 Qui machinantur malitias in corde, quotidie congregant ad prælia.	3 אשר חשבו רעות בלב כל יום יגורו מלחמות׃
4. Acuerunt linguam ſuam quaſi ſerpens: venenum aſpidis ſub labiis eorum. Selah.	4 שננו לשונם כמו נחש חמת עכשוב תחת שפתימו סלה׃
5. Cuſtodi me Jehova à manibus impii: à viro injuriarum cuſtodi me, quia machinantur ad præcipitandum greſſus meos.	5 שמרני יהוה מידי רשע מאיש חמסים תנצרני אשר חשבו לדחות פעמי׃
6. Poſuerunt ſuperbi laqueum mihi: & funibus extenderunt rete: ad viam ſemitæ decipulas poſuerunt mihi. Selah.	6 טמנו גאים פח לי וחבלים פרשו רשת ליד מעגל מקשים שתו לי סלה׃

PRæfecto.] Pſalmum hunc ut reſtringam ad Doëg, ſicuti magna pars interpretum in hanc partem inclinat, adduci nequeo: quia ex contextu liquebit ſermonem haberi de Saule, ejuſque conſiliariis, qui Regem ipſum ſponte plus ſatis furentem, non ceſſabant in ſancti viri perniciem magis accendere. Porro quum geſtaret Chriſti figuram, non mirum eſt diaboli ſatellites tam atrociter in eum ſæviiſſe. Atque hæc ratio eſt cur tam duriter eorum rabiem perfidiamque exagitet. Cæterum improbos & violentos nominans, ſignificat nulla injuria laceſſitos, ſponte & cupide ad nocendum ruere. Suam igitur cauſam Deo commendat, quod pacem cum ipſis coluerit, nulla in re eos læſerit, ſed injuſte perſequuti ſint nihil tale meritum. Atque eadem nobis ratio tenenda eſt, ut Deus contra vim & maleficia ſuccurrat. Neque enim convitia evomit David, ut ſolet fieri in jurgiis, ſed hoc innocentiæ ſuæ teſtimonio ſibi favorem Dei conciliat: quia fieri non poteſt quin probis & tranquillis hominibus ſemper opituletur.

3. *Qui machinantur malitias in corde.*] Hic jam interiorem eorum malitiam accuſat. Ac videmus non unum modo hominem notari, quia nunc ad pluralem numerum tranſit (quod jam nobis ſatis familiare eſſe debet) ut à capite ad omnes improbitatis con-

conſortes & ſocios tranſitus fiat. Quanquam quæ hactenus dixit in numero ſingulari, indefinite accipere licet, ut Grammatici loquuntur. Confirmat interea quod nuper attigi, nulla ſua culpa tam hoſtiliter ſe ab illis oppugnari. Itaque quo improbius nos vexabunt hoſtes, vel clandeſtinis artibus fraudulentius nos impetent, ſciamus præſentaneum nobis remedium promitti à Spiritu ſancto, qui per os Davidis hanc precandi formam dictavit. Secundum membrum tribus modis vertitur. ad verbum eſt, *qui congregant prælia*, & ita quidam accipiunt. Sed quia ſcimus Hebræos ſæpe omittere præpoſitiones, non dubito quin ſignificet eos falſis delationibus accendere omnium odia, atque ita eſſe belli tubas. Nam quod nonnulli verbum יגורו accipiunt pro coire, vel ſimul concurrere, videtur eſſe & remotum & frigidum. Poſtea exprimit quomodo injuſtum bellum excitent, nempe perverſis calumniis: quia vi & manu opprimere non poterant probum hominem, & innoxium, donec calumniis eſſet obrutus.

5. *Cuſtodi me Jehova.*] Querimoniis & accuſationibus nunc iterum addit precationem. unde melius conſtat quod attigi, tantum implorare Deum vindicem. Eſt autem ejuſdem ſententiæ repetitio; mutatis quibuſdam verbis: quia ubi dixerat, *eripe me*, dicit *cuſtodi:* & pro *homine malo*, ponit *manus ſcelerati*. Ubi vero dixerat *cogitare malitias*, mutat *machinari* quomodo miſerum & incautum hominem præcipitent. Quod etiam de fraudibus dixerat, metaphorice repetit non ſine vehementia. Dicit enim retia ad ſe illaqueandum undique extenta eſſe, niſi Dominus ſuccurrat. Etſi autem videntur primo intuitu obſcuriores metaphoræ quam ſimplex nudaque oratio, hæc tamen figura minime obſcurat quod prius dictum eſt, & plus energiæ in ſe continet. Jam ex nomine גאים, quod altos & ſuperbos Hebræis ſignificat, colligimus non agi de gregariis hominibus, ſed qui auctoritate præditi ſperabant nihil ſibi fore negotii in dejiciendo pauperculo homine. Itaque ejus exemplo, quoties inſolenter hoſtes noſtri ſe efferent, diſcamus ad Deum confugere, cujus eſt retundere impiorum ferociam. Neque tamen intelligit, ſola vi & audacia graſſatos, quum de retibus & decipulis queratur: ſed utrumque conjungit, potentia ſua confiſos fraudes excogitaſſe quibus eum perderent.

7. Dixi Jehovæ, Deus meus es: auſculta Jehova voci deprecationis meæ.

8. Jehova Domine mi, robur ſalutis meæ, poſuiſti tegumentum capiti meo in die armorum.

9. Ne permittas Jehova deſideria impii: cogitarunt, ne conſummes, exaltabuntur. Selah.

10. Caput obſidentium me, moleſtia labiorum ejus operiat eum.

11. Cadant ſuper eos carbones cum igne: præcipitabit eos in profunditates, non reſurgent.

7 אמרתי ליהוה אלי אתה האזינה יהוה קול תחנוני :

8 יהוה אדני עז ישועתי סכתה לראשי ביום נשק :

9 אל תתן יהוה מאויי רשע זממו אל תפק ירומו סלה :

10 ראש מסבי עמל שפתימו יכסמו :

11 ימוטו עליהם גחלים באש יפלם במהמרות בל יקומו :

7. *Dixi Jehovæ.*] Docet his verbis ſibi non naſci vota in labiis, ſicut hypocritæ oſtentationis cauſa clamoſe Deum invocant: ſed ſe orare ſerio, & recondito fidei ſenſu. Donec enim vere quis ſtatuerit ſe Dei gratia ſalvum fore, nulla erit ſincera invocatio. Pulchre autem hic exprimitur fidei natura, dum Propheta ſe ab hominum oculis ſubducens, Deum ſeorſum alloquitur: quia hic interior cordis receſſus hypocriſin omnem excludit. Hæc igitur vera precandi regula eſt, non futiliter vocem attollere, ſed ex fide intus concepta proferre noſtras preces. Porro David ut penitus ſibi perſuadeat non fruſtra ſe à Deo ſalutem petere, ſibi proponit quæ in ipſum Deus auxilia ante contulerat. Dicit igitur ſibi fuiſſe inſtar clypei quoties periclitatus eſt. Vertunt quidam in tempore futuro, Operies caput meum in die prælii. Sed non dubito quin commemoret David ſe jam olim fuiſſe protectum manu Dei, fideique confirmationem ab hac experientia colligat. Prodit enim non quaſi novitius & rudis tyro, ſed miles variis certaminibus probe exercitatus. *Robur ſalutis* tantundem valet ac ſalus non vulgari fortitudine allata.

9. *Ne permittas.*] Poſſet etiam non minus commode verti, Ne ſtabilias. quanquam ſenſus manebit idem: nempe ut Deus, impiorum libidinem frænando, quicquid tentant & conantur, irritum reddat. Unde colligimus, in ejus arbitrio eſſe, quoties viſum eſt, prava hominum conſilia, ſpeſque improbas fruſtrari, ſtudia etiam frangere. Itaque quoties videmus non poſſe revocari hoſtes ad ſanam mentem, rogandus eſt ut quas diu coxerunt machinationes, momento diſſipet atque evertat. In ſecundo membro major eſt ambiguitas: quia verbum פוק Hebræis nunc impingere vel cadere, nunc educere ſignificat, non male convenit hæc verſio, ne perducat Deus ad effectum quæ impii conſultant. Sed probabilis quoque eorum ſententia eſt, qui conciſe legunt, cogitatio ejus, non impinges, ut mimetice referat David quas ſpes ſibi fabricent impii. Et ſimili prope forma alibi deſcripſit eorum ſuperbiam, quod Dei providentia valere juſſa, omnes eventus pedibus ſuis ſubjiciant, acſi mundum regerent ſolo nutu. atque ita optime quadrabit verbum *exaltabuntur:* quaſi diceret, impios faſtu ſuo inflatos ſupra nubes efferri: quia nihil ſibi accidere poſſe adverſi imaginentur. Si magis placeat altera lectio, iterum negatio repetenda erit, ne ſinas Deus emergere in ſuum effectum quod impii conſultant, ne exaltentur. Hoc quidem certum eſt, perſtringi à Davide ſecuritatem hoſtium ſuorum, quia Deum pro nihilo ducentes, ſibi ad quidvis audendum habenas laxent.

10. *Caput obſidentium.*] Dubium eſt an ſub voce capitis principem adverſæ factionis notet; quia poſſet eſſe tam ordinis inverſio quam mutatio numeri: hoc ſenſu, Recidat moleſtia quam ſceleratis ſermonibus mihi intentant, in capita ipſorum. Sed quia in priorem ſententiam deſcendunt omnes fere interpretes, ſequamur quod magis receptum eſt: niſi quod Saulem potius notari exiſtimo quam Doëg. Sequitur deinde communis imprecatio contra totam manum, ut *cadant ſuper eos carbones:* ubi ad horribile Sodomæ & Gomorrhæ exitium alludere videtur. Et alibi vidimus proponi à Spiritu Dei hoc vindictæ Dei exemplum ad terrendos omnes reprobos: ſicuti, teſte Juda, hoc æterno documento teſtatus eſt ſemel Deus ſe omnium impiorum fore judicem. Quod ſequitur, nonnulli ſic vertunt, in ignem dejicies eos: quod eſt tolerabile. Sed quia ב *beth* ſæpe nota eſt inſtrumenti apud Hebræos, poſſet etiam commode reddi, dejicias eos per ignem, vel, cum igne,

igne, ſicuti Deus contra Sodomam & Gomorrham fulminavit. Optat autem ſubmergi *in profundas abyſſos*, unde nunquam reſurgant. Nam quum Deus, quos duriter percuſſit, ſanare interdum ſoleat, ſpem veniæ reprobis David præcidit, nempe quia videbat eſſe inſanabiles. Nam ſi flexibiles fuiſſent ad reſipiſcentiam, ipſe quoque viciſſim fuiſſet ad miſericordiam propenſus.

12. Vir linguæ non ſtabilietur in terra, virum violentiæ noxa venabitur ad expulſiones.

12 אִישׁ לָשׁוֹן בַּל יִכּוֹן בָּאָרֶץ אִישׁ חָמָס רָע יְצוּדֶנּוּ לְמַדְחֵפֹת׃

13. Cognovi quod faciet Jehova judicium pauperis, judicium afflicti.

13 יָדַעְתִּי כִּי יַעֲשֶׂה יְהוָה דִּין עָנִי מִשְׁפַּט אֶבְיֹנִים׃

14. Utique juſti celebrabunt nomen tuum, habitabunt recti coram facie tua.

14 אַךְ צַדִּיקִים יוֹדוּ לִשְׁמֶךָ יֵשְׁבוּ יְשָׁרִים אֶת פָּנֶיךָ׃

12. *Vir linguæ.*] Quod vertunt quidam linguacem, nimis reſtrictum eſt. neque enim vel maledicum, vel garrulum, vel futilem, & jactantiæ deditum intelligit: ſed virulentum hominem, qui fraudibus & calumniis magis quam aperto marte pugnat. Nam hoc ſub altera ſpecie oſtendit, tam perfidiæ & aſtutiis quam violentiæ deditos fuiſſe hoſtes ſuos: atque ita leonum ſimul & vulpium fuiſſe ſimiles. ſicuti ante conqueſtus eſt, venenum aſpidis aut viperæ eſſe ſub labiis eorum. Cæterum quum verba ſint futuri temporis, major pars interpretum in optandi modum reſolvit. quod tametſi non repudio, malui tamen retinere futurum tempus: quia non tam videtur precari David, quam animum erigere ad ſpem liberationis. Ergo ſive inſidiis obrepant hoſtes, ſive palam furorem ſuum prodant, remedium in manu Dei fore ſibi promittit. Et concinna eſt ſimilitudo venationis: quia ſicuti venator, ubi undique tetendit plagas ſuas, nullum belluæ effugium relinquit: ita docet, quantumvis tergiverſentur impii, non poſſe tamen elabi ex Dei judicio. *Venatur* autem *eos malum in expulſiones*, quia impunitatem captando, magis ſe præcipitant in ruinam.

13. *Cognovi quod.*] Hic jam haud dubie David, ut precationem ſuam obſignet de providentia Dei & judicio, ſecum diſſerit: quia (ſicuti jam dictum eſt) dubitanter orando nihil aliud quam opera luditur. Pronunciat igitur quaſi de re ſibi certo nota & comperta, fieri non poſſe quin Deus afflictis tandem ſubveniat. Quia autem connivet ad tempus, proboſque & ſimplices miſere vexari patitur, prudenter David huic tentationi opponit clypeum, facere hoc Deum conſulto, ut afflictos ſublevet, oppreſſoſque reſtituat. Ideoque diſerte exprimit *vindicem fore inopis & afflicti*. Hoc modo ſe & alios ad ærumnas patienter ferendas animat, donec opportunum adveniat ferendi auxilii tempus. quaſi diceret, Me nunc omnes miſerum exiſtimant, quia expoſitus impiorum libidini, non ſtatim Dei manu reſtituor: me tamen deſperatio non obruet: quia proprium Dei munus eſſe ſcio pauperum cauſam ſuſcipere. Nam quod privatim ad Davidis perſonam hoc nonnulli reſtringunt, dilutum eſt. Hinc colligit juſtos gratias Deo acturos, ejuſque auxilio ſemper fore incolumes. Nam particula אך, quæ ſæpe adverſativa eſt Hebræis, hic ſimpliciter affirmat, vice tamen illationis ponitur. Quamvis ergo ad tempus obmuteſcant pii, & anguſtiis conſtricti, à Dei laudibus ceſſent: ſtatuit tamen David paulo poſt redditum iri quod ablatum fuerat, ut læti & alacres celebrent Dei gratiam. Et quia hoc in rebus maxime confuſis difficile creditu erat, particulam *utique* interpoſuit. Sic enim luctando ad hanc fiduciam emergere nos decet, quantumvis miſere jaceant fideles, recuperata lætitia, brevi celebraturos Dei nomen. Secundum membrum, cauſæ eſt redditio. Hanc enim Dei laudandi materiam *rectis* fore dicit quia ſentient ſalutis ſuæ curam eſſe Deo. Nam hoc eſt *habitare coram facie Dei*, foveri ac ſuſtineri paterna ejus cura.

ARGUMENTUM PSALMI CXLI.

Quæcunque neceſſitas ad hanc precandi formam Davidem compulerit, utcunque indigne & præter culpam graves injurias ſuſtineat, petit tamen animum ſuum Divinitus frænari & regi, ne ad ulciſcendi cupidinem proſiliens, paria referat: atque ita maleficiis certet. Deinde ubi ſe ad tolerantiam compoſuit, Deum contra hoſtes ſuos vindicem implorat.

PSALM. CXLI.

1 PSalmus Davidis. Jehova clamavi ad te, feſtina ad me, auſculta vocem meam dum ad te clamo.

1 מִזְמוֹר לְדָוִד יְהוָה קְרָאתִיךָ חוּשָׁה לִּי הַאֲזִינָה קוֹלִי בְּקָרְאִי לָךְ׃

2. Dirigatur precatio mea quaſi ſuffitus coram facie tua: elevatio manuum mearum quaſi ſacrificium veſpertinum.

2 תִּכּוֹן תְּפִלָּתִי קְטֹרֶת לְפָנֶיךָ מַשְׂאַת כַּפַּי מִנְחַת עָרֶב׃

3. Pone Jehova cuſtodiam ori meo, cuſtodi ſuper oſtium labiorum meorum.

3 שִׁיתָה יְהוָה שָׁמְרָה לְפִי נִצְּרָה עַל דַּל שְׂפָתָי׃

4. Ne inclines cor meum ad rem malam, ad patranda opera in impietate cum viris operantibus iniquitatem, & ne comedam ex deliciis ipſorum.

4 אַל תַּט לִבִּי לְדָבָר רָע לְהִתְעוֹלֵל עֲלִלוֹת בְּרֶשַׁע אֶת אִישִׁים פֹּעֲלֵי אָוֶן וּבַל אֶלְחַם בְּמַנְעַמֵּיהֶם׃

JEhova clamavi.] Ex hoc principio colligere licet, Davidem, quum ita precatus eſt, non levi tentatione fuiſſe perculſum: quia & eadem vota iterat, & vehementer inſiſtit in flagitando auxilio. Etſi autem non audeo tempus præſcribere, non tamen diſplicet eorum conjectura qui Pſalmum hunc de perſequutionibus, quas ſub Saule paſſus eſt, compoſitum eſſe volunt. Jam David ſuo exemplo ad Deum recta quærendum nos invitat, ne (ſicuti homines profani ſolent) variis ſubſidiis accerſendis occupati, à precandi ſtudio ceſſemus. Clamare ſe ad Deum dicit, quum profani homines cælum, terram, homines, Fortunam, ſuaque omnia figmenta prius inclament. Quod ſiquando ad Deum voces ſuas dirigant, obſtrepunt tamen & obmurmurant: ut ſit hoc potius ululare quam precari. Secundo verſu non dubium eſt eum alludere ad legales ritus. Quia enim ſuffitu & ſacrificiis tunc volebat Deus ſancti-

ſanctificari preces fidelium, huic promiſſioni innititur David. Quod autem hinc conjiciunt quidam profugum tunc & extorrem fuiſſe à cœtu piorum, neſcio an ſatis firmum ſit. Secundum eos ſubeſt tacita antitheſis hoc ſenſu, Quamvis prohibear ab acceſſu Sanctuarii, ut appaream inter Dei cultores, quamvis à ſuffitu & ſolennibus ſacrificiis excludar, ne tamen vota mea repudies ô Deus. Sed quia nulla ratio cogit tam reſtricte accipere, contenti ſimus generali doctrina: quia his ſymbolis admonebantur fideles, non ſecus acceptas eſſe Deo preces ſuas quam ſuaviſſimi odoris ſuffitum & optima ſacrificia, Davidem hinc fidei confirmationem petere. Etſi enim externis illis ceremoniis minime affixi erant Patres, debuit tamen David hæc adminicula in uſum ſuum aptare. Quia ergo ſecum reputat non temere adoleri quotidie ſuffitum in altari ex Dei mandato, nec fruſtra etiam offerri munus verſpertinum, cum illo legali cultu preces ſuas conjungit. *Elevatio manuum* haud dubie pro ipſa precatione ſumitur. nam qui משאת hoc loco vertunt munus, obſcurant imo corrumpunt genuinum Prophetæ ſenſum. Quam frigide enim diceret? Munus meum tibi placeat, ſicut munus veſpertinum. Jam quum nomen hoc à נשא deductum, elevatio ſit Hebræis, optime convenit, orationem notari ab externo geſtu. Et facile conſtat, Davidem ſuo more idem bis repetere. Quorſum vero ſemper publico gentium omnium conſenſu receptum fuerit manus in cælum tollere inter precandum, alibi dictum fuit.

3. *Pone Jehova.*] Quia effræni hoſtium ſuorum ſævitia & libidine concuti potuit David, ut ſe minus temperanter gereret, Divinitus ſe gubernari petit: nec modo manus ſuas cohiberi à vindicta, ſed linguam quoque tam à maledictis, quam obſtreperis vocibus. Nam & moderatiſſimis quibuſque interdum contingit, ſi præter meritum læduntur, hoſtium ſuorum ingratitudine turbari, ut ad ſe ulciſcendos proſiliant. Petit ergo David linguam ſuam à Domino frænari, ne quod præpoſterum verbum effluat. Deinde cor ſuum retineri ab omnibus perverſis conſiliis, ne injurias retaliet. Quod poſtea ſequitur, *ne comedam ex deliciis ipſorum*, metaphoricum eſt: acſi diceret, Ne eorum proſperitas ad pravam æmulationem me alliciat. Debent enim hæc tria conjunctim legi. Sed præſtabit ſingula propius excutere. Quia nihil difficilius eſt quam injuſte afflictos ita linguæ ſuæ moderari, ut placide & cum ſilentio devorent injurias: non fruſtra optat David clauſtris os ſuum & cuſtodia obſerari, adeoque oſtium oris ſui clauſum teneri à Deo, ſicuti janitor ingreſſus & egreſſus obſervat. ſiquidem נצרה verbum eſt imperativi modi potius quam nomen. Secundo adjungit, *ne* Deus *cor ipſius inclinet ad rem malam*. דבר enim, ut ſæpe alias, pro negotio hic ponitur. Et mentem ſuam continuo poſt declarat, ne ſcilicet maleficiis certando, ſimilis hoſtibus ſuis reddatur. Hoc Davidis conſilium ſi probe expendiſſet Monachus ille cujus mentio fit apud Euſebium, non tam inſipide ſilentio totius ſeptennii putaſſet ſe perfunctum eſſe optimi diſcipuli partibus. Quum audiret, raræ eſſe virtutis linguam compeſcere, contulit ſe in remotam ſolitudinem. nec ad magiſtrum reverſus eſt niſi poſt ſeptem annos. tunc vero rogatus de cauſa moræ, ſe meditatum eſſe reſpondit quod didicerat ex hoc verſu. Sed rogandus ſimul erat an nihil interea cogitaſſet. Cohærent enim inter ſe iſta duo, taciturnum eſſe, & immunem à pravis cogitationibus. Atqui fieri potuit, ut tacendo, multas ſecum impias cogitationes agitaverit: quod deterius eſt quam futiliter obloqui. Craſſum hoc delirium breviter attingere placuit, ut diſcerent lectores quid ſit, poſthabito ſcriptoris conſilio, verbum unum mutilatum arripere. Porro David tam ſermones ſuos quam affectus Deo regendos commendans, fatetur non aliter quam arcana Spiritus moderatione & mentem & linguam in officio teneri: præſertim ubi ad intemperiem nos hoſtium petulantia impellit. Jam ſi lubrica eſt ac nimis volubilis lingua, niſi Deus quaſi cuſtos & excubitor eam contineat, non minus neceſſe eſt intus cohiberi turbulentos affectus. Qualis enim officina eſt cor hominis, & quam varia conſilia ſingulis fere momentis fabricat? Fatendum ergo eſt cum Davide, niſi Deus corda & linguas cuſtodiat, nullum fore modum pravis tam cogitationibus quam verbis: quia & linguæ modeſtia, ſingulare eſt ſpiritus donum: & Satan nunquam multa ſuggerere deſinet quæ nos facile, imo cupide amplectemur, niſi ſe Deus opponat. Nec abſurdum videri debet ſi inclinet Deus ad res malas corda noſtra, quæ ſunt in ejus manu, ut ejus arbitrio huc illuc flectantur. Non quod ad malas cupiditates nos ipſe ſollicitet: ſed quia arcanis ſuis judiciis, tradens Satanæ tyrannidi reprobos, & quidem efficaciter mancipans, merito dicitur excæcare & obdurare. Interim culpa ſcelerum extra homines quærenda non eſt, in quibus reſidet concupiſcentia: & quum naturaliter appetant bonum vel malum, non externo impulſu, ſed ſponte & proprio vitio ad malum inclinant. Ubi reddidi *ad patranda opera in impietate*, non male quidam vertunt, ad cogitandum cogitationes. Sed quia eodem recidit ſenſus, non adeo laboro. Per מנעמים (quod nomen vertimus delicias) jucunditatem intelligit qua ſeſe oblectant impii quamdiu pro ſua indulgentia Deus ad eorum ſcelera connivet. Sicuti autem audacius inſoleſcunt, ita periculum eſt ne fideles eorum proſperitate decepti, ſimul etiam diffluant. Ideoque non abs re David arcano Spiritus ſancti fræno retineri poſtulat, ne epuletur ex eorum deliciis: hoc eſt, ne fallaci amœnitate ſeſe ad peccandi licentiam inebriet, atque ita in peccatis voluptuetur.

5. Percutiat me juſtus clementia, & caſtiget me oleum pretioſum, non franget caput meum: quia adhuc & oratio mea in malis eorum.	5 יהלמני צדיק חסד ויוכיחני שמן ראש אל יני ראשי כי עוד ותפלתי ברעותיהם:
6. Dejecti ſunt in loca ſaxoſa Judices eorum: & audient ſermones meos: quia ſuaves ſunt.	6 נשמטו בידי סלע שפטיהם ושמעו אמרי כי נעמו:
7. Sicuti qui frangit & ſecat in terra, diſperſa ſunt oſſa noſtra ad os ſepulcri.	7 כמו פלח ובקע בארץ נפזרו עצמינו לפי שאול:

5. *Percutiat me.*] Quia dum impios ineſcat Satan ſuis illecebris, ſimul ipſi quoque alii aliis blandiendo, ſe mutuo decipiunt, affirmat hic David multo ſibi eſſe optabilius, caſtigationibus velut ferulis aſſidue expergefieri, quam falli inanibus blanditiis. Nam quia inter Dei contemptores non coarguitur qui hoc vel illo vitio infectus eſt, quiſquis ad ſanitatem aſpirat, ſedulo adjungere ſe probis hominibus debet, qui ſanctis monitionibus reſtituant labentem, vel errantem in viam revocent. Eſt quidem hoc carni minime jucundum, reprehendi quoties delinquimus: ſed David ad docilitatem & tolerantiam ſic compoſuerat animum, ut nulla objurgatio acerba foret, quam ſciret à Spiritu manſuetudinis profectam eſſe. Quia tamen in verbis ſubeſt aliqua ambiguitas, videndum eſt quiſnam ſenſus optime conve-

conveníat. Nomen חסד commode reſolvi poſſet in adverbium clementer: vel ſubaudiri præpoſitio כ ׳ ב: & in hanc ſententiam deſcendit major pars interpretum, Inſtar optimi unguenti Davidi fore correctiones quæ ſpirabunt humanitatem & clementiam, vel ex placido benevoloque animo naſcentur. Si placeat hæc lectio, notandum erit, Davidem non tam ad externum objurgationis modum quam ad manſuetudinem cordis reſpicere. Etſi enim acriter excandeſcant juſti, & ſevere verbis errantes caſtigent, non tamen alio quam fraterni amoris affectu moventur. Imo aſperitas ipſa vere ex pia ſollicitudine emergit, dum fratrum ſaluti metuunt. Clementer ergo ſe geret ſemper juſtus, quamvis durior aut vehementior appareat: ſicuti malevoli, quamvis leviter tantum perſtringant, ſunt tamen inhumani. Denique hac nota David objurgationes à ſincero amore profectas diſcernere voluit à convitiis quæ ex odio vel inimicitiis prorum-
Prov. 10. punt, ſicut dicit Solomo. Æque tamen quadrat di-
verſ. 12. verſa interpretatio quam poſui, Corripiat me juſtus, clementia erit: (vel, hoc deputabo in loco beneficii) corripiat me, & hoc mihi erit pretioſum unguentum quod caput meum non lædet. Hoc membrum ſecus alii exponunt, Oleum capitis ne frangat caput meum: hoc eſt, ne me ſuis blanditiis exitialiter demulceant impii. Ita ſub olei nomine notari volunt peſtiferas adulationes, quibus nos in exitium præcipitant improbi, dum prætextu dulcedinis nos magis ac magis in profundam abyſſum demergunt. Hoc modo plenior eſſet ſententia, Davidem non modo eſſe morigerum & docilem ſuſcipiendis correctionibus, ſed etiam adulationes fugere non ſecus ac noxios Sirenum cantus. Et certe quamvis primo guſtu ſuave ſit laudari, quiſquis tamen aures aſſentationibus præbuerit, toto corde mox hauriet præſentiſſimum venenum. Cæterum diſcamus exemplo Davidis excutere omnes blanditias, ad quas natura ſumus nimium propenſi, & pervicaciam exuere: ne caſtigationes, quæ ſaluberrima ſunt vitiis noſtris remedia, reſpuamus. Adeo enim ſocordia perire magnam hominum partem juvat, ut qui ſe damnare cogitur, cupiat tamen mundi ſuffragiis abſolvi. Quorſum hoc, niſi ut torporem conſcientiæ obducens, ſponte ſe exitio devoveat?

5. *Quia adhuc.*] Tribus modis exponitur hoc membrum. Quidam ſenſum hunc eliciunt, Quia nihil magis proclive eſt quam corrumpi malis exemplis, Davidem hoc deprecari, ne in malitiam eorum declinet. Secundus ſenſus eſt, quia David eos quidvis improbe machinari videt, petere à Domino ut ab eorum malitia tutus ſervetur. Tertii ſic reddunt, Quando video eſſe deſperatos, imprecor quod meriti ſunt, ut ſe tandem contra eos exſerat juſta Dei ultio. Contrarius tamen ſenſus videri poſſet aptior, quod obſtinatio eorum non impediat tamen Davidem quominus illis bene precari pergat. Nam adverbium *adhuc* emphatice inſeritur. Quid ſi etiam vaticinetur David de infauſto eorum exitu? acſi diceret, Quamvis nunc laſciviant impii, ubi pauliſper quieverit ipſe, brevi fore ut ipſorum miſereſcat. Et certe huc potius nos deducit verborum contextus, neque enim dicit, Adhuc oratio mea erit in malis ipſorum. ſed videtur ſeorſum dicere, quia adhuc: quum interpoſita copula, deinde adjungat, & oratio mea erit in malis ipſorum. Quia ergo timendum erat ne una cum illis evaneſceret David: prudenter animum ſuum ſuſpendit. acſi diceret, Pauliſper adhuc maneamus integri, & tandem horribili clade ferientur, quæ mihi & omnibus aliis Dei filiis extorqueat miſericordiam.

6. *Dejecti ſunt.*] Conſentiunt omnes fere interpretes in mutando verbi modo. Præteritum enim tempus accipiunt loco futuri. deinde reſolvunt in modum optativum, Dejiciantur. Mihi videtur dilucida fore mens Davidis, ſi vertamus hoc modo, Ubi dejecti fuerint è rupibus, vel in loca ſaxoſa illorum judices, tunc audient ſermones meos. Certum quidem eſt, quia promiſcuum vulgus errore & falſis delationibus captum, contra ſe furere videbat David, culpam rejicere in ipſos duces. Itaque ubi ablata illis fuerit dominatio, ſimplices ad ſanam mentem redituros confidit. Metaphorice autem hic ponitur dejectio è rupibus, vel in loca ſaxoſa, reſpectu dignitatis in qua locati erant. Etſi autem non prorſus extra culpam fuerunt qui malos duces ſequuti, pium & ſanctum virum injuſte perſequebantur: merito tamen de eorum reſipiſcentia melius ſperat: quod tunc ſapere incipient ubi Deus in ipſa capita vindictam exercuerit. Videmus enim plebem impetu magis quam delectu hoc vel illud probare, cæciſque præjudiciis ferri in res peſſimas: rurſum ubi admonita fuerit, eadem facilitate curſum reflectere. Quamvis ergo credulitas ſemper vitioſa ſit, neque ſtultitia excuſet, monemur tamen exemplo Davidis, optandum eſſe ſanum conſilium errantibus, ut verum & æquum patienter audiant.

7. *Sicut qui frangit.*] Hic conqueritur David hoſtes ad ſe interimendum non una & ſimplici morte fuiſſe contentos: quia ipſe & comites lacerati fuerint antequam in ſepulchrum projicerentur. Quum ergo latrones jugulati hominis cadaver projiciant integrum in foveam, crudelius ſe & comites tractatos fuiſſe aſſerit David: quia ſcilicet oſſa ipſorum diſperſa fuerint: quemadmodum fruſtulatim ſcindunt ligna & lapides, vel terra effoditur. Hinc ſequitur, mirabiliter ereptum fuiſſe Davidem ex multis mortibus, quemadmodum loquitur Paulus de ſe, 2. Cor. 1. verſ. 9. Unde etiam ſpes nobis concipienda eſt vitæ & ſalutis, quamvis oſſa noſtra fracta & diſſipata fuerint.

8. Quia ad te Jehova, Domine mi, oculi mei, in te ſperavi: ne exinanias animam meam.	8 כִּי אֵלֶיךָ יְהוִה אֲדֹנָי עֵינָי בְּכָה חָסִיתִי אַל תְּעַר נַפְשִׁי׃
9. Cuſtodi me à manibus laquei quem tetenderunt mihi, à retibus operantium iniquitatem.	9 שָׁמְרֵנִי מִידֵי פַח יָקְשׁוּ לִי וּמֹקְשׁוֹת פֹּעֲלֵי אָוֶן׃
10. Cadant in retia ejus impii ſimul, ego ſemper tranſibo.	10 יִפְּלוּ בְמַכְמֹרָיו רְשָׁעִים יַחַד אָנֹכִי עַד אֶעֱבוֹר׃

8. *Quia ad te.*] Si tenemus quid valeat illa oſſium diſperſio, cujus nuper meminit, perinde accipienda eſt hæc precatio, acſi fruſta diſcerpti & lacerati cadaveris ad Deum clamarent. Unde colligimus quam heroica fortitudine præditus fuerit David, qui tam alta mole obrutus, non deſtitit tamen conjectos in Deum habere oculos. ſicuti proprium fidei munus eſt diſſipatos ſenſus colligere, qui ſubinde alias evaneſcerent. Quamvis ergo inſigne Dei miraculum fuerit, diſperſis oſſibus ſervare ſuperſtites: duplex fuit miraculum, animas retinere in ſolida conſtantia ne deficerent.

9. *Cuſtodi me.*] Fatetur ſe teneri incluſum hoſtium inſidiis, niſi Divinitus liberetur. Deum tamen in his anguſtiis implorans, oſtendit quantum tribuat ejus gratiæ. ſicut alibi dixit, ejus eſſe mortis exitus: Pſal. 68.
quia liberationem Deus ſæpe differt, quo tandem ſit verſ. 21.
illuſtrior: deinde quod machinati ſunt impii, in

eorum

eorum capita retorquet. Quod vero pronomen *ejus*, ad Saulem quidam referunt, quaſi diceret, Doëg, & ſimiles cadant in laqueos Saulis: videtur eſſe abſurdum. Deum ergo tacito ejus nomine deſignari arbitror. Prius dixerat: Cuſtodi me Domine à plagis & laqueis impiorum: nunc laqueis quos tetenderant impii ad circumveniendos ſimplices, opponit Dei retia, qui ſolet deprehendere aſtutos in malitia quam fabricant. Et quia negotium erat cum ingenti multitudine, dicit, *cadant ſimul* quia niſi perſuaſus fuiſſet, in manu Dei eſſe quicquid copiarum coacervant homines, nullo negotio proſternere; nulla ſpes erat effugii. Quod poſtea ſequitur, duplicem ſenſum admittit. Vertunt multi, Ego perpetuo tranſibo. Sed poteſt eſſe inverſio ordinis, donec tranſeam. Hoſtes igitur ſuos irretiri optat, donec evadat ipſe ſalvus.

ARGUMENTUM PSALMI CXLII.

Quum veniſſet Saul in ſpeluncam in qua latebat David, potuit ſanctus vir in tanto diſcrimine vel obſtupeſcere metu, vel conſternatione impelli, quo non licebat: ſicuti qui de vita deſperant, vel jacent ſimiles attonitis, vel amentia huc illuc rapiuntur. Hoc autem Pſalmo teſtatur David ſe retinuiſſe compoſitum animum, ut in Deum certa fide recumbens, nihil illicitum tentaret, ſed acquieſceret in votis & precibus.

PSALM. CXLII.

ERudiens Davidis, quum eſſet in ſpelunca, precatio.	1 משכיל לדוד בהיותו במערה תפלה:
2. Voce mea ad Jehovam clamavi, voce mea ad Jehovam precatus ſum.	2 קולי אל יהוה אזעק קולי אל יהוה אתחנן:
3. Effundo coram facie ejus meditationem meam, afflictionem meam coram facie ejus narro.	3 אשפך לפניו שיחי צרתי לפניו אגיד:
4. Quum ſe involveret ſuper me ſpiritus meus, & tu cognoviſti ſemitam meam: in via qua ambulavi poſuerunt laqueum mihi.	4 בהתעטף עלי רוחי ואתה ידעת נתיבתי בארח זו אהלך טמנו פח לי:
5. Aſpiciendo ad dexteram, & videndo, nemo fuit mihi cognitor; periit fuga à me, nullus requirens animam meam.	5 הביט ימין וראה ואין לי מכיר אבד מנוס ממני אין דורש לנפשי:

VOce mea.] Mira fuit præſentia animi in Davide, quod neque pavore exanimatus eſt, neque iracundia percitus, ſe ultus eſt de hoſte: quod facile erat, neque deſperatione impulſus eſt ad ejus necem: ſed vota ſua compoſito animo ad Deum direxit. Itaque non abs re poſita eſt inſcriptio ad circumſtantiam notandam: nec abs re teſtatur ipſe David ſe Deo prorſus fuiſſe addictum. Quum undique cinctus eſſet Saulis exercitu, qui factum eſt ut ſe quaſi ſepulchro incluſum videns, manum tamen abſtinuerit ab hoſte implacabili: niſi quia precibus ad vincendas omnes tentationes ſe armavit? Huc ſpectat repetitio, qua ſignificat perſeveranter ſe oraſſe, ut contra omnes fluctus ſtaret immobilis. Clarius etiam proximo verſu exprimit ſe exoneraſſe ſuas curas in Dei ſinum. nam effundere cogitationem, & tribulationem nuntiare, perplexis anxietatibus opponit, quas intus coquunt miſeri homines, & quibus ſe exurunt, dum malunt frænum mordere quam confugere ad Deum: vel inſanis clamoribus quos in aërem projiciunt alii, qui ex paterna Dei providentia nihil ſolatii concipiunt. Itaque ſumma eſt, neque ululaſſe bruto impetu apud homines, neque cæcis tormentis animum ſuum cruciaſſe: ſed dolores ſuos familiariter expoſuiſſe coram Deo.

4. *Quum ſe involveret.*] Quanquam hic fatetur ſe anxio fuiſſe animo, confirmat tamen quod dixit de fidei ſuæ conſtantia. Concinna autem tranſlatio eſt animi in ſe contorti & impliciti: quia ubi nullus in periculis exitus apparet, inter varias revolutiones animus alternat, & conſilia hinc inde accerſendo plus moleſtiæ accumulat. Jam vero dicit, quamvis nulla conſtaret ſalutis ratio, Deum tamen ſemper ſciviſſe quomodo liberandus eſſet. Quidam hoc membrum, Cognoviſti ſemitam meam, ſecus accipiunt: acſi integritatis ſuæ David teſtem faceret Deum. ſed alterum illud quod attuli, rectius eſt: quum ipſe animum ſuum variis agitationibus ſurſum & deorſum verſaret, & tamen inexplicabilis eſſet exitus, modum liberandi fuiſſe Deo cognitum. Quibus verbis docemur, quamvis poſt tentata omnia remedia, conſilio deſtitui nos contingat, debere hoc nobis ſufficere quod Deus mala noſtra non ignoret, ac noſtri curam ſuſcipere dignetur, ſicuti dicebat Abraham, Dominus providebit. Hanc eandem regulam ſequutus eſt David, dum mortis caligine obſeptus, clauſis oculis, regendum ſe tradidit paternæ Dei providentiæ. Gen. 22. verſ. 8.

5. *Aſpiciendo.*] Confirmat ſe diros illos cruciatus non abs re perpeſſum eſſe, quum nec quicquam humanæ opis vel ſolatii ſperandum eſſet, neque pateret ullum mortis effugium. Cæterum, quum dicit *aſpiciendo & videndo* non reperiſſe inter homines amicum, non ſignificat ſe, præterito Deo, mentem circumegiſſe ad humana ſubſidia, ſed quoad fas erat quæſiiſſe an ullus eſſet in terra adjutor. Siquis oblatus eſſet, haud dubie ſenſiſſet eſſe miniſtrum gratiæ Dei: ſed Deus hominum auxilio orbare eum voluit, quo mirabilius eum à morte eriperet. Requirere animam, in bonam partem hic ponitur, pro eo quod eſt ſolicitum eſſe de vita hominis tuenda.

6. Clamavi ad te Jehova, dixi, tu ſpes mea, portio mea in terra vivorum.	6 זעקתי אליך יהוה אמרתי אתה מחסי חלקי בארץ החיים:
7. Intende ad clamorem meum, quia miſeria laboro valde: libera me à perſequutoribus meis, quia invaluerunt ſuper me.	7 הקשיבה אל רנתי כי דלותי מאד הצילני מרדפי כי אמצו ממני:
8. Erue è carcere animam meam, ut celebrem nomen tuum: me coronabunt juſti, quia rependeris mihi.	8 הוציאה ממסגר נפשי להודות את שמך בי יכתרו צדיקים כי תגמל עלי:

6. *Clamavi*

6. *Clamavi ad te.*] Jam quo Deus magis opem ſuam acceleret, attenuatum ſe David queritur, redactumque ad extrema. & clamoris voce, ut alibi diximus, vehementiam notat. Tandem ſibi redemptione opus eſſe dicit, quia captivus teneatur. Nam quod per carcerem quidam intelligunt ſpeluncam, nimis reſtrictum eſt. Quod additur in fine, *coronabunt me juſti*, ſecus ab aliis vertitur, nempe expectabunt me. Retinui veram & nativam ſignificationem. Quanquam metaphorice poni fateor pro circundare: acſi dixiſſet ſe fore omnibus ſpectaculo: quia omnes ad tam claram liberationem undique convertent oculos. Sicui magis placeat citra figuram legere, ſenſus erit, Non tantum mihi gratulabuntur juſti, ſed victoriæ cauſa, capiti meo coronam imponent. Sunt etiam qui ſic interpretentur, Convenient ad gratulandum, & ſtabunt omni ex parte coronæ inſtar. Cæterum quia ad verbum eſt, coronabunt in me, quidam ſubaudiunt aliud pronomen, quod ſcilicet juſti ad gloriam ſuam transferent beneficium Davidi collatum: quia Deus, quoties unum aliquem liberat ex ſuis, alios omnes ad eandem ſpem invitans, corona donat. Simplicius tamen eſt quod poſui, gratiam hanc, quaſi in theatro, conſpicuam omnibus fore, ut juſtis celebre ſit documentum, ad fulciendam eorum fidem. Nam verbum גמל Hebræis latius patet quam rependere, & tantundem valet ac conferre beneficium, ſicuti aliis locis diximus.

ARGUMENTUM PSALMI CXLIII.

Quanquam Davidi negotium erat cum ſceleratis hoſtibus, qui non minus injuſte quam crudeliter eum premebant: quia tamen agnoſcit hoc fieri juſto Dei judicio, ut Deum ſibi conciliet, ſimpliciter ad veniæ deprecationem confugit. Deinde ubi conqueſtus eſt de hoſtium ſævitia, & teſtatus eſt ſibi nulla unquam triſtitia excuſſam fuiſſe Dei memoriam, tam reſtitui poſtulat, quam Dei Spiritu gubernari: ut quod reſiduum eſt vitæ pietati addicat.

PSALM. CXLIII.

PSalmus Davidis, Jehova audi precationem meam, auſculta ad orationem meam: in veritate tua reſponde mihi, in juſtitia tua.

2. Et ne intres in judicium cum ſervo tuo: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo ullus vivens.

3. Quia perſequutus eſt inimicus animam meam, proſtravit in terra vitam meam: locavit me in tenebricoſis, ſicut mortuos ſeculi.

מזמור לדוד יהוה שמע תפלתי 1
האזינה אל־תחנוני באמנתך ענני
בצדקתך׃

ואל־תבוא במשפט את־עבדך 2
כי לא־יצדק לפניך כל־חי׃

כי רדף אויב נפשי דכא לארץ 3
חיתי הושיבני במחשכים כמתי
עולם׃

JEhova audi.] Quum adeo dolenter & anxie mala ſua deploret David, apparet extremam fuiſſe hoſtium ſævitiam. Oſtendit autem præfatio non levi mœrore tactum fuiſſe. Cur juſtitiam cum veritate conjungat alibi ratio expoſita fuit. neque enim ſub *juſtitiæ* nomine imaginari oportet meritum ac mercedem, ut inſcite nonnulli faciunt: ſed juſtitia Dei vocatur bonitas qua inducitur ad ſuos tuendos. Eodem & *veritas* ſpectat: quia optima eſt fidei probatio, nunquam eos deſerere quibus ſe auxilio fore pollicitus eſt. Suos igitur juvando, tam juſtum quam veracem ſe Deus oſtendit: quia eorum ſpem non fruſtratur, deinde quia beneficentia ſpecimen edit ſuæ naturæ. ideo ad precandi fiduciam David merito ſibi utrumque proponit.

2. *Et ne intres.*] Cur ad veniam petendam deſcendat, nuper admonui. Nam undecunque proveniant res adverſæ, ſtatuendum eſt, eſſe Dei flagella quibus nos ad pœnitentiam ſollicitat. Nam quum minime oblectetur malis noſtris, certum eſt peccata noſtra cauſam dare cur nos aſperius tractet. Itaque David, tametſi cum improbis hominibus ſit certamen, quorum reſpectu ſibi erat optime conſcius, reus tamen & ſupplex ingenue coram Deo culpam fatetur. Atque hæc generalis regula tenenda eſt, ſi Deum nobis propitium eſſe cupimus, rogandum eſſe ut peccatis noſtris ignoſcat. Nam cum Davidi unicum aſylum fuerit veniæ deprecatio, quis noſtrum juſtitia & integritate ſua fretus, in Dei conſpectum prodire audebit. Quanquam David non tantum ſuo exemplo præſcribit fidelibus qualiter precari debeant, ſed pronuntiat, neminem mortalium, ſi ad cauſam dicendam vocetur, juſtum fore. Hic vero locus continet uberrimam doctrinam. docemur enim, ſicuti nuper attigi, non aliter Deum nobis fore propitium quoties ad eum accedimus, niſi depoſita judicis perſona, gratis peccata remittens, nos ſibi reconciliet. Unde ſequitur, omnes hominum juſtitias concidere, ſimulac ventum eſt ad ejus tribunal. Id uno verbo quamvis omnes fateantur, vix tamen centeſimus quiſque ſerio agnoſcit. Nam dum alii aliis mutuo indulgent, ſecure omnes ſubeunt Dei judicium: acſi tam facile eſſet illi ſatisfacere, quam abſolvi hominum ſuffragiis. Sed quo rem totam probe teneamus, primo notandum eſt quid ſit juſtificari. Locus autem hic clare demonſtrat, juſtificari, qui juſtus coram Deo reputatur ac cenſetur, vel quem judex ipſe cæleſtis tanquam innocentem abſolvit. Jam ab hac innocentiæ laude cunctos mortales excludens David, ſignificat, ſi qua ſit in ſanctis juſtitia, non ita perfectam eſſe ut coram Deo ſtare queat: atque ita pronuntiat omnes obnoxios eſſe Deo, nec poſſe abſolvi niſi confeſſione juſti reatus. Certe poterat merito jactare unum ſe eſſe ex perfectiſſimis, ſi qui reperti eſſent in mundo: ſciebat qualis fuiſſet Abrahæ integritas, & ſanctorum Patrum: quum nec ſibi nec illis parcat. unum omnibus placandi Dei modum definit, ut ad ejus miſericordiam confugiant. Unde colligimus quam diabolicus furor eorum mentes occupet qui hodie adhuc de perfecta juſtitia garriunt, ut è medio tollatur peccatorum remiſſio. Certe nunquam eo ſuperbiæ prorumperent, niſi bruto Dei contemptu intus referti. Magnifice regenerationem extollunt, acſi in puritate vitæ conſiſteret totum Chriſti regnum. Sed quum præcipuum æterni fœderis caput aboleant de gratuita reconciliatione, quam quotidie quærere jubentur fideles, ſeque & alios inflent veſano & pluſquam ebrio faſtu, barbariem ſuam produnt. Sint ergo nobis deteſtabiles, ſicuti libenter conſpuerent in faciem Dei. Hoc tamen unum nondum ſufficit quia fatentur etiam Papiſtæ, ſi Deus judicis partes ſuſcipiat in examinanda hominum vita, omnes ſubjacere juſtæ damnationi. Et in hac parte ſaniores ſunt, modeſtiores, & magis ſobrii, quam prodigioſi iſti Cyclopes, de quibus loquutus ſum. Sed quamvis non ſibi arrogent in ſolidum juſtitiam: dum tamen merita ſua & ſatisfactiones obtrudunt, longe remoti ſunt ab exemplo Davidis. Defectum aliquem ſemper agnoſcunt in ſuis operibus: ideoque, ut gratiam obtineant, ſubſidium advocant miſericordiæ. Atqui inter hæc duo, quæ Scriptura inter ſe opponit, nihil

eſt

eſt medium, Juſtificari operibus & Juſtificari fide. Stulte ergo Papiſtæ tertiam comminiſcuntur juſtitiam, quam partim ſuis operibus acquirant, partim Deus pro ſua indulgentia imputet. Et certe hic David neminem mortalium coram Deo staturum affirmans, ſi opera in judicium vocentur, non fingit duplicem illam juſtitiam, ſed recta nos ad hanc conſequentiam vocat, Deum nobis fore propitium quatenus eſt miſericors. quia evaneſcit coram eo quicquid juſtitiæ ſe afferre homines putabunt.

3. *Quia perſequutus eſt.*] Poſtquam confeſſus eſt David juſtas ſe pœnas luere pro peccatis: nunc ad hoſtes ſuos deſcendit, à quibus exordium facere præpoſtera fuiſſet ratio. Crudelitas autem ita exprimitur, quod ſatiari nequeant niſi extincto ſancto viro. imo ſe jam vita ſpoliatum dicit, niſi celeriter Deus ſuccurrat. Non enim ſimpliciter ſe comparat homini mortuo, ſed putrido cadaveri: quia per *mortuos ſeculi* intelligit qui pridem ſublati ſunt è mundo. Atque his verbis docet, non modo in morbo lethali confidere Deum ſibi fore medicum, ſed quamvis longa oblivione ſepulta eſſet vita ſua, in Dei tamen manu eſſe reſurrectionem qua cineres in vitam reſtituat.

4. Et involvitur ſuper me ſpiritus meus, in medio mei attonitum eſt cor meum.	4 ותתעטף עלי רוחי בתוכי ישתומם לבי׃
5. Recordatus ſum dierum antiquorum, meditatus ſum in omnibus factis tuis: in opere manuum tuarum meditatus ſum.	5 זכרתי ימים מקדם הגיתי בכל פעלך במעשה ידיך אשוחח׃
6. Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi. Sela.	6 פרשתי ידי אליך נפשי כארץ עיפה לך סלה׃
7. Feſtina, reſponde mihi Jehova, deficit ſpiritus meus: ne abſcondas faciem tuam à me, quia ſimilis ero deſcendentibus in foveam.	7 מהר ענני יהוה כלתה רוחי אל תסתר פניך ממני ונמשלתי עם ירדי בור׃

4. *Et involvitur.*] De externis calamitatibus loquutus, nunc fatetur animi ſui infirmitatem. unde colligimus non ſaxeam fuiſſe ejus fortitudinem, ſed quum mœrore obrutus eſſet ſecundum carnis ſenſum, ſola fide & Spiritus gratia ſubnixum ſtetiſſe. Quo exemplo docemur, ſiquando nos debilitent afflictiones, imo fere exaniment, non eſſe tamen à lucta deſiſtendum: quia dabit tandem Deus emergere, modo inter ſuas anxietates cor noſtrum ad eum aſpiret. Et proximo verſu commemorat David ſedulo ſe remedium quæſiſſe ad mitigandos dolores. Pleroſque enim ſponte ſe ignaviæ dedentes, ſuccumbere mirum non eſt: quia ex recordatione gratiæ Dei vigorem colligere negligunt. Verum quidem eſt exacerbari interdum mala noſtra, dum memoria repetimus quam humaniter Deus nobiſcum egerit: quia comparatio ſenſus noſtros magis excitat & acuit. ſed David alium ſcopum ſibi præfixit, ut fiduciam ex veteribus Dei beneficiis ſumeret. Et certe optima eſt dolori leniendo ratio, quum prope deficimus, reſpicere ad antiqua Dei beneficia. Nec ea tantum intelligit David quæ ipſe à puero expertus fuerat. nimis enim reſtricte (meo judicio) ſic quidam interpretantur: quum vox קדם longius pateat. Itaque non dubito quin privatæ ſuæ experientiæ veteres hiſtorias adjunxerit, in quibus perpetuam Dei erga ſuos bonitatem intueri promptum erat. Et nos quoque ejus exemplo diſcamus, non tantum expendere quæ in nos contulit Deus beneficia, ſed revocare in memoriam quoties opitulatus ſit ſervis ſuis: idque totum aptare in uſus noſtros. Quod ſi non ſtatim miteſcat acerbitas doloris, poſtea tamen ſequetur profectus. Nam utcunque hic queratur David non ſtatim hoc ſolatio levatas fuiſſe curas ſuas & moleſtias, perrexit tamen in ſua meditatione, donec opportune tandem fructus ſe exereret. Verbum שוח, ut alibi diximus, tam lingua proloqui, quam animo volvere ſignificat. Ideo vertunt quidam, diſſerui de operibus tuis. Sed quia verbum הגה ſignificat etiam meditari, bis idem repeti arbitror, & quidem aſſiduitatis notandæ cauſa. Sæpe enim accidit ut leviter guſtatis Dei operibus, alio mox transvolent mentes noſtræ. unde non mirum eſt ſi nulla firma conſolatio inſideat. Quare ne evaneſcat cognitio, continua attentione juvanda eſt.

6. *Expandi manus meas.*] Hic apparet meditationis utilitas, quia animum Davidis ad precandi ſtudium erexit: ſicuti neceſſe eſt, ubi ſerio reputamus qualem ſe Deus ſemper oſtenderit ſervis ſuis, & qualem etiam ſumus nos experti, dulcedine bonitatis ejus mentes noſtras rapi ad eum quærendum. Quanquam enim ex fide naſcitur invocatio: quatenus tamen fidem ipſam confirmant potentiæ & bonitatis Dei documenta, ſimul etiam optima ſunt adminicula ad ſublevandum languorem noſtrum. Jam affectus ſui ardorem pulchra ſimilitudine declarat, *terræ ſiticuloſæ animam ſuam* comparans. Videmus in ſummis caloribus terram dehiſcere, acſi aperto ore potum è cælo appeteret. Significat ergo David ſe deſiderio ferventem ad Deum accedere, acſi vitalis humor eum deficeret. quod ſequenti verſu clarius exprimit. Hic vero rurſus ſe profert non vulgare fidei ſpecimen, quod ſe deficere ſentiens, ſepulchroque propinquus, non tamen vacillanti animo huc & illuc circumſpicit, ſed manet in Deo ſolo defixus. Cæterum quamvis ei cum propria infirmitate dura & ardua fuerit lucta, defectio tamen ſpiritus, de qua loquitur, acrior ad incitandum precandi ſtudium ſtimulus fuit, quam ſi Stoica contumacia ſuos metus, dolores, & ægritudines viciſſet. Semper vero notandum eſt, ut ſe alliget uni Deo, omnes alias ſpes ex animo reſcindere: deinde ipſam neceſſitatem ſibi aptare inſtar vehiculi, quo ad Deum aſcendat.

8. Fac me audire mane clementiam tuam, quia in te ſperavi: oſtende mihi viam qua ambulem, quia ad te levavi animam meam.	8 השמיעני בבקר חסדך כי בך בטחתי הודיעני דרך זו אלך כי אליך נשאתי נפשי׃
9. Eripe me ex inimicis meis Jehova, ad te occultavi.	9 הצילני מאיבי יהוה אליך כסתי׃
10. Doce me ut faciam voluntatem tuam, quia tu Deus meus: Spiritus tuus bonus deducat me in terram rectam.	10 למדני לעשות רצונך כי אתה אלוהי רוחך טובה תנחני בארץ מישור׃

11. Propter

11. Propter nomen tuum Jehova viſicabis me, in juſtitia tua educas ex anguſtia animam meam.

12. Et in clementia tua diſſipabis inimicos meos, & perdes omnes affligentes animam meam, quia ego ſervus tuus.

11 לְמַעַן שִׁמְךָ יְהוָה תְּחַיֵּנִי בְּצִדְקָתְךָ תּוֹצִיא מִצָּרָה נַפְשִׁי׃

12 וּבְחַסְדְּךָ תַּצְמִית אֹיְבָי וְהַאֲבַדְתָּ כָּל צֹרְרֵי נַפְשִׁי כִּי אֲנִי עַבְדֶּךָ׃

8. *Fac me audire.*] Hoc verſu iterum poſtulat Dei gratiam ſibi manifeſtari, & quidem cum effectu. Quod dicit, fac me audire, videtur impropria eſſe loquutio: quia ſentitur potius Dei bonitas quam auditur. Sed quia percipere Dei beneficia parum nobis prodeſſet, niſi fidei guſtu nobis ſaperent, merito ab auditu incepit David. Videmus enim ut illis ſe ingurgitent profani homines ſine bonitatis ſenſu: quia ad verbum attenti non ſunt, nec fides prælucet, quæ Deum oſtendat eſſe patrem. Adverbium *mane*, frigide quidam reſtringunt ad ſacrificia. Scimus enim quotidie bis ſacrificia offerre ſolitos, matutinum & veſpertinum. Alii ſubtilius accipiunt, quod Deus mitius agens cum ſuis ſervis, dicatur formare novum diem. Alii metaphoram eſſe volunt, & notari proſperum lætumque ſtatum: ſicut triſte & calamitoſum tempus ſæpe notatur per tenebras. Sed miror in hac voce quæri extraneos ſenſus, qua ſimpliciter repetit quod prius dixerat *feſtina*. Mane ergo tantundem valet ac tempeſtive, vel celeriter. *Spem ſuam*, ut alibi ſæpe, Deo objicit, qua nobis Deum quodammodo obſtringimus: ſicuti liberaliter ſe nobis offerens, & promittens ſe in patrem fore, humano more nobiſcum paciſcitur. Hæc igitur eſt quædam obligationis ſpecies. Verum hoc modo tantum abeſt ut quicquam afferamus dignitatis vel meriti, ut ſpes noſtra potius vacuitatis ſit ac inopiæ teſtimonium. Quod ſibi patefieri viam petit qua ambulet, ad anxietates refertur. Significat enim ſe hærere quaſi attonitum, ut pedem movere nequeat, niſi aperto ſibi Divinitus exitu: quaſi diceret, Domine, omnia animæ meæ deſideria ad te feruntur: ergo in rebus tam perplexis conſilium mihi expedias.

9. *Eripe me ex inimicis meis.*] Eodem fere tendit hæc precatio: quia omnes ei exitus claudebat hoſtium importunitas. Porro verbum כסיתי vertunt quidam ſperare: propria ſignificatio eſt tegere, à qua recedere nolui. Quidam tamen ſic reſolvunt, quod David expoſitum ſe videns mille mortibus, contulerit ſe ſub tegumentum umbræ Dei, ac ſub tutela ejus latuerit. Quæ expoſitio mihi videtur probabilis: certe magis eam amplector, quam alteram, quæ propter argutiam nonnullis placet, Davidem non eſſe vagatum huc & illuc, ſed uno Deo teſte contentum, ſeorſum & occulte eum invocaſſe.

10. *Doce me ut faciam.*] Altius jam conſcendit. Neque enim tantum poſtulat ab externis moleſtiis liberari, ſed (quod præcipuum eſt) gubernari Dei Spiritu, ut neque ad dexteram neque ad ſiniſtram declinans, contineat ſe in vera rectitudine. Quod votum ſtatim occurrere nobis debet quoties nos tentationes durius exagitant: quia nihil difficilius quam nos ita ſubjicere Deo, ne illicita remedia appetamus. Quum ergo curæ, metus, ægritudines, tædia, dolores, ad quidvis tentandum ſæpe multos impellant, exemplo Davidis frænum à Deo nobis injici petamus, ne carnis impulſu feramur quo non oportet. Sed diligenter notanda eſt loquendi forma: quia non tantum doceri cupit qualis ſit Dei voluntas, ſed doceri & formari ad obſequium, ut eam faciat. Prior enim docendi modus parum eſſet efficax: quia ubi oſtendit Deus quid rectum ſit, non protinus ſequimur quo vocat, donec affectus noſtros ad ſe traxerit. Ideoque neceſſe eſt Deum nobis non mortua tantum litera magiſtrum eſſe & doctorem, ſed arcano Spiritus inſtinctu. imo tribus modis fungitur erga nos magiſtri officio: quia verbo ſuo nos docet: deinde Spiritu mentes illuminat: tertio cordibus noſtris inſculpit doctrinam, ut vero & ſerio conſenſu obediamus. Nam & verbi auditus per ſe eſſet inutilis: nec ſufficeret intelligentia, niſi accederet voluntarium cordis obſequium. Nec vero dicit, doce me ut poſſim facere, ſicut Papiſtæ ſomniant in hoc tantum valere Dei gratiam ut nos ad bonum flexibiles reddat, ſed præſentem effectum ſtatuit. Idem & proximo membro confirmat, quum dicit, *Spiritus tuus bonus deducat me*, &c. Ducem enim Spiritum Dei optat non modo quatenus illuſtrat mentes, ſed efficaciter corda flectens, in conſenſum nos quaſi manu ducit. Porro circumſtantia loci admonet, ubi certamen nobis eſt cum improbis, ſedulo cavendum eſſe ne arripiant nos præpoſteri affectus: & quia nobis ad eos frænandos & cohibendos non ſuppetit ratio vel facultas, Spiritum Dei ſemper optandum eſſe ducem, qui eorum intemperiem ſubigat. Interea docemur generaliter quid valeat liberum arbitrium: cui hic à Davide eripitur recta electio, donec cor à Spiritu Dei formatum fuerit ad ſanctam obedientiam. Et verbum *ducendi* confirmat quod nuper attigi, Davidem non fingere mediam gratiam, de qua balbutiunt Papiſtæ, quæ hominem relinquat ſuſpenſum: ſed efficaciam longe majorem exprimere, ſicuti etiam Paulus docet, *Philip. 2. verſ. 13.* Deus eſt qui operatur in vobis velle & perficere pro ſuo beneplacito. *Terram rectam* metaphorice accipio pro rectitudine: quia ſignificat David, ſimul ac deflectimus à Dei beneplacito, in errorem nos abduci. Jam epitheton *Spiritus*, tacitæ pravitati nobis ingenitæ opponitur: acſi dixiſſet David, vitioſas eſſe & tortuoſas omnes hominum cogitationes, donec Spiritus gratia correctæ fuerint ad veram regulam. Unde ſequitur, nihil nobis à ſenſu carnis integrum vel ſanum dictari. Fateor quidem reprobos abripi ſpiritu Dei malo, quia Deus ſua judicia per diabolos exequitur. Sed hoc loco Davidem tam ſubtiliter loquutum eſſe non arbitror: quin potius, damnata ſua pravitate, bonitatis, juſtitiæ & ſinceritatis laudem tribuiſſe Spiritui Dei. Jam quum dicit, *quia tu Deus meus*, oſtendit non aliunde quam ex gratuita adoptione & promiſſionibus ſe petere impetrandi fiduciam. Neque enim in arbitrio noſtro eſt facere ut ſit Deus noſter, donec gratis nos præveniat.

11. *Propter nomen tuum.*] Confirmat melius hoc verbo, non ex alio fonte, quam mera liberalitate Dei, ſalutis fidem petere. nam ſiquid afferret proprium, non reſideret in ſolo Deo cauſa. Atqui dicitur propter nomen ſuum nos juvare, ubi nihil in nobis reperiens quod favorem conciliet, ſola ſua bonitate inducitur. Et eodem pertinet *juſtitiæ* nomen: quia Deus fidelium ſalutem materiam ſibi conſtituit illuſtrandæ ſuæ juſtitiæ, ut alibi diximus. Simul etiam repetit quod dixerat de ingenti afflictionum ſuarum magnitudine: quia vivificari petens, fatetur quodammodo ſe eſſe exanimem, vel morti addictum, niſi arcana quadam reſurrectione eum reſtituat Deus, *Pſal. 68. verſ. 21.* penes quem ſunt exitus mortis.

12. *Et in clementia.*] Hoc quoque verſu rurſus inculcat quod quater vel quinquies prius dixit, ſe vitam ſperare ex mera Dei bonitate. Nam licet ſeverus appareat Deus in perdendis impiis, quam de illis exiget vindictam teſtimonium paternæ erga ſe gratiæ fore affirmat David. Et certe utplurimum ſibi mutuo occurrunt, Dei ſeveritas & miſericordia: quia ſuis ſervandis manum porrigere volens, iræ ſuæ fulmen contra eorum hoſtes exerit. Deni-

que armatus prodit ad ſuos liberandos, ſicut apud Jeſaiam loquitur, Dies vindictæ in corde meo, & annus redemptionis meæ hic eſt. Porro ſervum Dei ſe nominans, nequaquam officia ſua jactat: ſed potius commendat Dei gratiam, cui hoc acceptum referri debuit. Neque enim proprio marte vel induſtria acquiritur hæc dignitas, ut cenſeamur inter Dei ſervos, ſed à gratuita ejus electione pendet, qua nos in ſuorum numerum & ordinem, antequam nati ſimus, accenſere dignatur: ſicuti idem David alibi clarius exprimit, Ego ſervus tuus, ſervus tuus ſum, & filius ancillæ tuæ. Tantundem enim hoc valet acſi Dei ſe clientem faciens, ejus patrocinio vitam ſuam permitteret.

Jeſa. 63. verſ. 4. — *Pſal. 116. verſ. 16.*

ARGUMENTUM PSALMI CXLIV.

Pſalmus hic, gratiarum actione & precibus mixtus eſt: quia David magnifice extollens donorum Dei, quibus ornatus fuerat, amplitudinem, ſive quod curſum totius vitæ humanæ multis incommodis obnoxium videret, ſive quia reſtabat multum negotii cum hominibus perverſis, vota ſimul facit ut Deus eaſdem gratias ad finem uſque proſequatur. Differt a Pſalmo 18. quia illic pacato regno, rebuſque proſpere fluentibus, tantummodo triumphat: hic vero aliquas ſollicitudinis & metus notas aſpergit: quia adhuc eum exercebant hoſtium reliquiæ.

PSALM. CXLIV.

DAvidis. Benedictus Jehova, * fortitudo mea, qui docet manus meas ad prælium, digitos meos ad bellum.	1 לדוד ברוך יהוה צורי המלמד ידי לקרב אצבעותי למלחמה:
2. Beneficentia mea, & munitio mea, arx mea, & liberator meus mihi, clypeus meus, & in ipſo ſperavi, ſubjiciens populum meum ſub me.	2 חסדי ומצודתי משגבי ומפלטי לי מגני ובו חסיתי הרודד עמי תחתי:
3. Jehova, quid eſt homo ut agnoſcas eum? filius hominis, ut de eo cogites?	3 יהוה מה אדם ותדעהו בן אנוש ותחשבהו:
4. Homo vanitati ſimilis, dies ejus quaſi umbra præteriens.	4 אדם להבל דמה ימיו כצל עובר:

* vel, *rupes.*

BEnedictus Jehova.] Facile apparet, Davidem, quum tam ſplendidis elogiis celebravit Dei gratiam, non modo regno potitum fuiſſe, ſed inſignes quoque victorias adeptum. Deum *robur ſuum* appellans, fatetur, quicquid habet fortitudinis, divinitus ſibi fuiſſe inditum: non modo quia ex paſtore ruſtico factus erat ſtrenuus bellator: ſed etiam quia perſeverantia ſingulare erat Dei donum. Videtur autem melius quadrare nomen hoc quam rupis: quia exegetice continuo poſt addit ſe Dei magiſterio formatum eſſe ad militiam. Nam certe his verbis agnoſcit, quamvis militari eſſet animo, non tamen ſe fuiſſe natum ad bella gerenda, niſi novus homo creatus eſſet. Quale enim rudimentum præbuit in Goliath? certe ridicula fuit illa aggreſſio, niſi quatenus arcana Dei virtute inſtructus, humanis adminiculis non indiguit.

2. *Beneficentia mea.*] Dura eſt loquutio Latinis auribus in ſenſu paſſivo ſicuti Hebræis accipitur: ſicuti quum alibi Regem Dei ſe nominat: non quod imperium exerceat in Deum, ſed quia ab ipſo creatus, & ordinatus erat. Quia ergo tot modis Deum expertus fuerat beneficum, bonitatem ſuam nominat, ab eo manare intelligens quicquid poſſidet bonorum. Quæ ſequitur verborum congeries, tametſi videri poſſit ſupervacua, plurimum tamen ad fidei confirmationem valet. Scimus quam lubricæ ſint hominum mentes: præſertim quam facile excidant à fidei conſtantia, ubi incubuit gravior tempeſtas. Si igitur uno verbo Deus nobis opem promittat in hac infirmitate ad nos retinendos, non ſufficiet: imo quamlibet multas fulturas adhibeat, non modo ſubinde multas vacillationes patimur, ſed obrepit etiam gratiæ oblivio, quæ animos noſtros propemodum dejicit. Quare ſciamus, Davidem non teſtandæ modo gratitudinis ſuæ cauſa tot elogia colligere ad celebrandam Dei gratiam, ſed ut pios undique muniat contra omnes Satanæ mundique inſultus. Porro non abs re in præcipuis Dei beneficiis recenſet, quod populum ſub imperio ſuo contineat. Quod עמי Quidam pro עמים poſitum eſſe volunt & vertunt populos: miror cur eos delectet tam coacta interpretatio: quum ſimpliciter intelligat David, ſtatum regni non tam ſuo conſilio, virtute, artibus, & auctoritate fuiſſe compoſitum, quam arcana Dei gratia. Et appoſite uſus eſt verbo רדד, quod extendere ſignificat. Nam quod quidam expanſum populum intelligunt, quia lætus ac fœlix in otio ſederet, longe petitum videtur. Nihilo magis recipio quod alii volunt, proſtratum fuiſſe quaſi pedibus calcandum: quia violenta illa dominatio in electo populo, & ſancta Dei hæreditate non tam fuiſſet optabilis. Ubi autem libenter & ſponte legibus obtemperat populus, placide ſe in ordinem quiſque cogit, melius refulget Dei benedictio. Et concinne, ut diximus, expanſio vocatur talis æquabilitas, in qua nihil eſt turbulentum, vel confuſum. Poſtquam ergo David quas adeptus erat victorias contra exteros, Deo aſcripſit, ſimul etiam gratias agit de ordinato Regni ſtatu. Et certe quum eſſet ignobilis, deinde falſis calumniis exoſus, vix credibile fuit poſſe unquam tranquillum imperium conſequi. Quod ergo præter ſpem repente ſe populus dedidit, tam admirabilis mutatio præclarum fuit Dei opus.

Pſal. 18. verſ. 51.

3. *Jehova quid eſt homo*, &c.] Amplificat comparatione, Dei gratiam. Ubi enim tam præclare ſecum eſſe actum narravit, convertit in ſe oculos, & exclamans rogat, Quiſnam ego ſum, ad quem Deus ſe demittere dignatur? Sermo quidem generalis eſt de toto genere humano: ſed hæc circumſtantia notanda eſt, quod reputans quam ſordida ſit & abjecta ſua conditio, Dei gratiam magis commendat. Aliis locis producit in medium quæ privatum ipſum humiliare poterant, ſed nunc intra communem naturæ reſpectum ſe continet: imo quum excuſſa hominum natura, poſſet etiam alia referre, cur indigni ſint Dei amore & cura: breviter attingit fumo vel *umbræ* eſſe ſimiles. Unde ſequitur, Deum bonitatis ſuæ divitias erga immeritos explicare. Monemur interea, quoties obrepit noſtri oblivio ut nos putemus eſſe aliquid: ſola vitæ brevitate retundi debere omnem arrogantiam & faſtum. Nam quum de hominum fragilitate diſſerit Scriptura, ſimul conjungit quæ neceſſario annexa ſunt. Nam quum momento evaneſcat vita noſtra, quid reperietur in nobis firmum? Diſcendum præterea eſt, nunquam ſatis probe à nobis expendi Dei gratiam, niſi in mentem nobis

veniat

veniat noſtra conditio: quia tunc vere tribuitur Deo quod ſuum eſt, ubi agnoſcimus indignis eum benefacere. Reliqua petant lectores ex Pſalmo octavo, ubi ſimilis fere habetur ſententia.

5. Jehova inclina cælos tuos, & deſcende: tange montes, & fumabunt.	5 יְהוָה הַט שָׁמֶיךָ וְתֵרֵד גַּע בֶּהָרִים וְיֶעֱשָׁנוּ׃
6. Fulmina fulmen, & diſſipa eos: emitte ſagittas tuas, & diſperde eos.	6 בְּרוֹק בָּרָק וּתְפִיצֵם שְׁלַח חִצֶּיךָ וּתְהֻמֵּם׃
7. Mitte manum tuam ab excelſo, erue me, & eripe me ex aquis magnis, è manu filiorum alieni.	7 שְׁלַח יָדְךָ מִמָּרוֹם פְּצֵנִי וְהַצִּילֵנִי מִמַּיִם רַבִּים מִיַּד בְּנֵי נֵכָר׃
8. Quia os eorum loquutum eſt fallaciam, & dextra eorum dextra fraudis.	8 אֲשֶׁר פִּיהֶם דִּבֶּר שָׁוְא וִימִינָם יְמִין שָׁקֶר׃

5. *Jehova inclina cælos tuos.*] Ubi pro merito extulit ſuperiores Dei gratias, petit ut ad regni conſervationem ſuppetias ferat pro neceſſitate præſenti. Sicut autem heroico animo gloriatus in Deo fuerat, eandem in precibus quoque magniloquentiam retinet, ut cælos inclinet, fumum eliciat ex montibus, aërem fulminando conturbet, ſagittas jaculetur. quibus loquendi formis haud dubie impedimenta omnia diſcutit, ſupra quæ emergere nobis difficile eſt, ut immenſam Dei potentiam fide comprehendamus. Pſalmo decimooctavo, quæ jam expertus erat Dei auxilia, iiſdem fere loquendi formis commendat, ſignificans mirabiliter & inſolitis modis ſe fuiſſe divinitus ſervatum. Etſi enim non ſemper tale aliquod ſignum apparuit quoties ei opitulatus eſt Deus, merito tamen quæ præter ſpem contigerant, extollit ſupra communem naturæ uſum. Hic vero aliud propoſitum fuit, nempe quum ſe multæ mortes ingererent, quæ poſſent deſperatione obruere ejus mentem, concipere incredibilem Dei virtutem, cui omnia mundi obſtacula cedere neceſſe eſt. Certe non fruſtra hyperbolicis iſtis loquutionibus evectus eſt, ne ſalutem ſuam includeret humanis mediis: quia nihil magis præpoſterum tunc fuit, quam Dei virtutem conſuetis modis metiri.

7. *Mitte manum tuam ab excelſo.*] Jam uno verbo intelligimus quorſum tendant priores figuræ, nempe, ut ceſſantibus terrenis ſubſidiis, manum ſuam è cælo Deus exerat: quia periculi magnitudo poſcebat inuſitatum juvandi morem. Ideo hoſtes ſuos *aquis magnis* & profundis comparat. Quod *alienos* vocat, non tam ad generis originem, quam ad ingenium & mores refertur. Male enim hoc ad incircumciſos trahitur, quum degeneres potius Judæos perſtringat David, qui falſo gloriabantur in carne. Et paulo poſt ſignificat non tam ſibi cum exteris eſſe negotium, qui vi & armis ex profeſſo pugnarent, quam cum inteſtinis hoſtibus. Per *dextram falſitatis* quidam intelligunt temerarios conatus, quos ſperabat David fruſtratum iri. Alii reſtringunt ad ſolennem jurisjurandi ritum, ac ſi vocaſſet perjuros. Alii exponunt, non minus exequi manibus perverſa conſilia, quam lingua mentiri. Sed quia in promiſſionibus recepti moris fuit, manus conſerere, ſicuti dicit Solomo, Manus ad manum: non dubito quin ſignificet perfidos, inſidioſos, & fallaces. Optime enim cohærent hæc duo inter ſe, lingua fallax, & manus fraudulenta: acſi dixiſſet, quicquid promittant, nihil tamen ſperandum eſſe: quia tantum fallendi cauſa blande loquantur & manus porrigant. *Prov. 11. verſ. 21. & 16. verſ. 5.*

9. Deus canticum novum cantabo tibi: in nablo, in pſalterio pſallam tibi.	9 אֱלֹהִים שִׁיר חָדָשׁ אָשִׁירָה לָּךְ בְּנֵבֶל עָשׂוֹר אֲזַמְּרָה לָּךְ׃
10. Dans ſalutem Regibus, redimens Davidem ſervum ſuum à gladio noxio.	10 הַנּוֹתֵן תְּשׁוּעָה לַמְּלָכִים הַפּוֹצֶה אֶת דָּוִד עַבְדּוֹ מֵחֶרֶב רָעָה׃
11. Redime me, & eripe me è manu filiorum alieni, quorum os loquutum eſt fallaciam, & dextra eorum dextra fraudis.	11 פְּצֵנִי וְהַצִּילֵנִי מִיַּד בְּנֵי נֵכָר אֲשֶׁר פִּיהֶם דִּבֶּר שָׁוְא וִימִינָם יְמִין שָׁקֶר׃

9. *Deus canticum novum cantabo tibi.*] Iterum collecto animo ſe ad gratias agendas comparat, non dubitans quin Deus ad extremum uſque beneficia ſua tueri velit. Diximus autem alibi per canticum novum intelligi rarum & ſingulare. unde ſequitur, plus ſperaſſe Davidem, quam caperet humana ratio: quia pro auxilii magnitudine promittit inſolitum cantici genus, quod inſigni epitheto à quotidianis ſacrificiis ſeparat. Quantum ad *Nablum & Pſalterium*, diximus alibi fuiſſe hanc partem legalis pædagogiæ. Præcipue vero notandum eſt cantici argumentum, quod ſcilicet Deus Regum ſervator Davidem ſua auctoritate & mandato creatum & unctum Regem, non modo tutatus ſit, ſed redemerit à gladio. Quod videtur quibuſdam tacita ſubeſſe antitheſis inter Reges & plebeios, quaſi diceret David non modo gregarios homines divinitus ſervari, ſed potentiſſimos etiam quoſque, qui videntur propriis viribus ſatis ſuperque eſſe tuti: neſcio an ſatis firmum ſit. Mihi diverſa ratio magis probatur, quamvis totum humanum genus Deus ſuſtentet, peculiari tamen modo curam ſuam extendere ad tuendum ordinem politicum unde pendet communis omnium ſalus. Perinde igitur eſt ac ſi vocaſſet regnorum præſidem & cuſtodem: qui quum odioſa res ſit nomen imperii, nec libenter quiſquam alteri pareat, nec quicquam magis naturæ contrarium ſit quam ſervitus, ſinguli excuſſo jugo, certatim ſolia Regum everterent, niſi tegerentur arcano Dei præſidio. Interea David ab aliis Regibus ſe diſtinguit, ſicuti alibi dictus eſt primogenitus Regum: vel ſaltem in ſummo gradu ſe conſtituens, quia ſacra unctione præ aliis donatus fuerat, dicit excelluiſſe erga ſe Dei gratiam. Et honoris cauſa ſpecialem ſervi Dei titulum ſibi vendicat: quia etſi cuncti Reges, Dei ſunt miniſtri, & Cyrus [illegible] apud Jeſaiam vocatur ſervus Dei: quia tamen nemo unquam profanus Dei vocationem agnovit, & tunc unus in toto orbe erat David legitima auctoritate præditus, ut certa fide regnaret, merito apponitur hæc diſcriminis nota. Sub *gladio noxio* non dubito quin comprehendat pericula omnia quibus per tot annos defunctus fuerat, ut vere dici poſſet per varias mortes perveniſſe ad ſolium, & inter mortes ipſas ſtabilitum fuiſſe in ſolio. *Pſal. 89. verſ. 28.* *Jeſa. 45. verſ. 1.*

12. Quia filii noſtri ſicut plantæ, quæ creverunt in adoleſcentia ſua: filiæ noſtræ ſicut anguli politi in ſimilitudinem palatii.

12 אשר בנינו כנטעים מגדלים בנעוריהם בנותינו כזוית מחטבות תבנית היכל:

13. Receſſus noſtri pleni, * exeuntes à ſpecie in ſpeciem: oves noſtræ in millia fœcundæ, in decem millia in plateis noſtris.

* vel, producentes.

13 מזוינו מלאים מפיקים מזן אל זן צאננו מאליפות מרבבות בחוצותינו:

14. Boves noſtri † ad onus aſſueti, non ruptura, neque egreſſus, neque clamor in plateis noſtris.

† vel, pingues.

14 אלופינו מסבלים אין פרץ ואין יוצאת ואין צוחה ברחבתינו:

15. Beatus populus cui ſic, beatus populus cujus eſt Jehova Deus.

15 אשרי העם שככה לו אשרי העם שיהוה אלהיו:

12. *Quia filii noſtri ſicut plantæ.*] Hos tres ultimos verſus quidam accipiunt in modo optandi. Alii Davidem ſibi gratulari putant, totique populo, quod tunc fœliciter bonorum omne genus à Dei benedictione fluebat. Nec certe dubito quin David cum gratiarum actione commemoret quam liberaliter egiſſet Deus cum populo. Sed interea non male convenit ſimul precari ut ſalva maneant Dei beneficia, quorum prope abruptus fuiſſet curſus per ſceleratos homines & hoſtes domeſticos, niſi rebus turbatis & confuſis divinitus ſubventum foret. Hic ergo finis eſt, ne ſinat Deus tam ſplendidas benedictiones, quibus oneravit populum ſuum, collabi & evaneſcere. Et primo quidem à liberis incipit, in quibus *iuventutem* laudare volens, maſculos *plantis* comparat *quæ in adoleſcentia creverunt:* quia arbores niſi mature grandeſcant, dum adhuc teneræ ſunt, vix unquam acquirunt proceritatem. Puellas ſimiles eſſe dicit *angulis bene & affabre exciſis*, ut ſpecioſum ædificium faciant: quaſi diceret, ſua elegantia & ſplendore domum ornare. Porro ſobolem generoſam & bene moratam primo loco poni inter terrena Dei beneficia, mirum non eſt, qua de re alibi fuſius diſſeruimus. Cæterum quum loquatur David in perſona totius populi, ſuaſque fortunas communibus permiſceat, hinc colligimus minime privatis ſuis commodis fuiſſe addictum.

13. *Receſſus noſtri pleni, exeuntes.*] Vertunt alii penuaria: quod non repudio. Sed quum nomen ab eadem radice deductum ſit à qua זוית, quod proximo verſu habuimus, ad etymologiam melius congruere viſum eſt quod verti, nempe receſſus plenos eſſe. Participium מפיקים tranſitive quidam accipiunt, & vertunt producentes: ſed eodem fere redit ſenſus, quod ſcilicet ſcaturiat omnis bonorum copia ex angulis omnibus. Porro ubi dicitur מזן אל זן mihi potius videtur multiplex & diſtincta notari bonorum varietas, quam quod quidam interpretes volunt tam uberem proventum affluere ut miſceantur ſpecies, & ex immodica abundantia confuſus acervus fiat. Nihil enim opus eſt confugere ad duram illam hyperbolen: & verba diſerte aliud ſonant: quia ſi confuſa fuiſſet congeries, dicendum ſimpliciter erat זן זן. Summa igitur eſt, populum non ſolum tritico, ſed omni frugum genere ita eſſe locupletem, ut receſſus omnes, quantum ad ſatietatem ſufficit, quavis ſpecie abundent.

14. *Boves noſtri.*] סבל Hebræis proprie eſt portare. Unde מסובלים quidam accipiunt pro robuſtis: quia niſi bene nervoſi eſſent boves, non eſſent pares ad vecturam vel onus trahendum. Alii tamen oneratos pinguedine intelligunt. Qua de re non adeo laboro, quia ad ſummam rei non admodum intereſt. Potius hoc notatu dignum, hoc nomine laudari paternam Dei indulgentiam erga ſuos, quod minimis quibuſque eorum commodis proſpicere non gravatur. Ergo ſicuti proximo verſu, pecudum & ovium fœcunditatem adſcripſit Dei gratiæ, ita nunc dicit ab eo ſaginari boves, ut ſciamus nullam vitæ noſtræ partem negligi. Quia vero parum prodeſſet affluere omni rerum copia, niſi ea frui liceret, ſubjicit Dei quoque beneficio quietum & tranquillum eſſe populum. Ac primo per *rupturam* non dubito hoſtiles incurſus notari: quaſi diceret, hoſtes non perrumpere violenter effractis portis vel muris. *Egreſſum* miror cur plerique accipiant pro exilio: ac ſi dixiſſet, non rapi nec trahi populum extra patriæ ſuæ fines. Simpliciter enim (meo judicio) docere voluit opus non eſſe eruptione aliqua ad repellendos hoſtes, quum nemo vim aut moleſtiam inferat. Eodem pertinet *clamor in plateis*, qui ex ſubito tumultu exoritur. Senſus ergo eſt, nulla inquietudine turbari urbes: quia Deus hoſtes procul arceat.

15. *Beatus populus cui ſic.*] Concludit hoc modo, ſatis teſtatum eſſe & conſpicuum erga ſuos Dei favorem. Siquis objiciat, nihil niſi craſſum & terrenum ſpirare, quod de fœlicitate hominum æſtimat ex caducis commodis: reſpondeo, hæc duo conjunctim legenda eſſe, beatos eſſe qui in ſua abundantia Deum ſibi propitium ſentiunt: & ſic ejus gratiam deguſtant in benedictionibus caducis, ut de paterno ejus amore perſuaſi, aſpirent ad veram hæreditatem. Nec vero abſurde hoc dicitur, beatos eſſe quibus in hoc mundo Deus benedicet, modo ne in ipſa fruitione & uſu cæcutiant, vel ſocordes ac ſtupidi negligant authorem. Nam quod nonnullis vitæ ſubſidiis deſtitui nos Deus patitur, hæc certe tam benigna ejus providentia illuſtre rari amoris ſpeculum eſt. Quid autem optabilius, quam nos Deo curæ eſſe? præſertim ubi non ita inſipidi animi ſunt quin Deum colligant ſibi eſſe patrem, qui tam liberaliter ab eo aluntur. Nam ad hunc ſcopum referri debent omnia. Et alioqui inedia ſtatim conſumi præſtaret, quam ſatiari brutorum animalium inſtar: nec tenere hoc præcipuum caput, beatos eſſe quos Deus in populum elegit. Interea notandum eſt, quamvis partem aliquam fœlicitatis guſtandam nobis Deus in potu & cibo delibet, non ideo tamen miſeros eſſe fideles qui per inopiam & egeſtatem ægre vitam trahunt: quia defectum hunc, qualiſcunque eſt, ſolatiis melioribus Deus ſupplet.

Arcu

Digitized by

ARGUMENTUM PSALMI CXLV.

Propheta ſecum reputans admirabilem Dei ſapientiam, bonitatem, juſtitiam, primum in tota mundi gubernatione, præſertim vero in tuendo, fovendo, & regendo genere humano, effertur ad celebrandas ejus laudes. Poſtquam autem in genere elogia providentiæ ejus recenſuit, tandem deſcendit ad peculiarem gratiam qua dignatur ſuos fideles.

PSALM. CXLV.

LAus Davidis. Extollam te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in ſeculum & uſque.

1 תהלה לדוד ארוממך אלהי
המלך ואברכה שמך לעלם ועד:

2. Quotidie benedicam tibi, & laudabo nomen tuum in ſeculum & uſque.

2 בכל יום אברכך ואהללה שמך
לעלם ועד:

3. Magnus Jehova, & laudabilis valde, & magnitudinis ejus non eſt inveſtigatio.

3 גדול יהוה ומהלל מאד ולגדלתו
אין חקר:

4. Generatio generationi laudabit opera tua, & potentiam tuam narrabunt.

4 דור לדור ישבח מעשיך
וגבורתיך יגידו:

5. Decorem gloriæ excellentiæ tuæ, & verba mirabilium tuorum * meditabor.

* vel, eloquar.

5 הדר כבוד הודך ודברי נפלאתיך
אשיחה:

6. Et fortitudinem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabo.

6 ועזוז נוראתיך יאמרו וגדולתיך
אספרנה:

EXtollam te.] Non tantum quid facturus ſit narrat David, ſed tam ſe quam alios incitat & hortatur ad hoc pietatis officium, ut ſacrificia laudis quæ meretur, Deo ſimul omnes offerant. Nam in hunc finem Deum humano generi tam beneficum eſſe admonet, ut pia gratitudine colatur. Studii quoque perſeverantiam commendat. nam quum ſua beneficia continuet, minime æquum eſt nos in eo laudando fatigari. Itaque ſicuti novam ſubinde materiam laudum offert ſuis fidelibus, ita eos ad gratitudinem ſtimulat, ut toto vitæ curſu in ea ſe exerceant. Nam quum dicit *quotidie*, notatur aſſiduitas. Poſtea addit, etiamſi plura ſecula victurus eſſet, *ſe in finem uſque id facturum*. Et repetitio ad notandam vehementiam non parum facit. Jam quum probabile ſit, compoſitum fuiſſe Pſalmum quo tempore florebat regnum Davidis, hæc circumſtantia notatu digna eſt, quod Deum *Regem* ſuum vocando, ſe & terrenos omnes Principes cogit in ordinem, nequa terrena altitudo obſcuret Dei gloriam. Quod etiam melius confirmat proximo verſu, ubi exclamans magnitudinem Dei immenſam eſſe, admonet tunc rite demum à nobis Deum laudari quum ad immenſitatem potentiæ ejus quaſi obſtupeſcimus, vel rapimur in ecſtaſin. Ex illo deinde fonte admirationis pro modulo noſtro manabunt juſtæ laudes.

4. *Generatio generationi.*] Hic in genere oſtendit creatos eſſe in hunc finem cunctos mortales, & ſuſtineri in vita, ut ſtudium ſuum impendant canendis Dei laudibus. Ac ſubeſt tacita antitheſis inter æternum Dei nomen, & famæ immortalitatem, quam ſibi magni viri rebus præclare geſtis acquirere videntur. Etſi enim hiſtoriis celebrantur humanæ virtutes, Dei tamen longe diverſa eſt ratio, qui memoriam operum ſuorum quotidie renovat, imo præſenti fructu eam fovet, vigereque facit in animis noſtris, ne unquam intercidat. Hac ratione etiam *glorioſum* dicit *excellentiæ ſplendorem*, vel decus, ut ſe & alios in ejus admirationem melius attollat. *Verba mirabilium* pro incomprehenſibili operum Dei ratione accipio: quia totidem ſunt miracula quæ ſenſus noſtros abſorbent. Atque hinc colligimus, Dei magnitudinem non latere in arcana ejus eſſentia, de qua, omiſſis operibus, qui ſubtiliter diſputant, frigide tantum nugantur: quum vera religio, non ſpeculativam, ſed practicam notitiam requirat. Poſtquam autem dixit *eloquar*, vel meditabor (verbum enim אשיחה utroque modo, poſſe accipi, alibi vidimus) ſermonem ad alios transferens, ſignificat ſemper aliquos fore in mundo, juſtitiæ, ſapientiæ, & bonitatis Dei præcones: ſimulque dignas eſſe virtutes Dei, quarum fama in omnium linguis uno conſenſu perſonet. Cæterum utcunque ceſſent alii, Deumque legitimo honore fraudent, oſtendit tamen ſe nihilominus in ſuas partes intentum fore; ut ſilentibus aliis ſtrenue decantet Dei laudes. Per *robur terribilium* idem repeti quidam exiſtimant. Quanquam videntur ſpecialiter notari quæ adverſus profanos contemptores Deus exercet judicia.

7. Memoriam magnitudinis bonitatis tuæ † eloquentur, & juſtitiam tuam cantabunt.

† vel, eructabunt.

7 זכר רב טובך יביעו וצדקתך
ירננו:

8. Propitius & miſericors Jehova, tardus ad iram, & magnus clementia.

8 חנון ורחום יהוה ארך אפים
וגדל חסד:

9. Bonus Jehova omnibus, & miſericordiæ ejus ſuper omnia opera ejus.

9 טוב יהוה לכל ורחמיו על כל
מעשיו:

10. Celebrabunt te Jehova omnia opera tua, & manſueti tui benedicent:

10 יודוך יהוה כל מעשיך וחסידיך
יברכוכה:

11. Gloriam regni tui dicent, & potentiam tuam loquentur:

11 כבוד מלכותך יאמרו וגבורתך
ידברו:

12. Ut notas faciant filiis hominum potentias ejus, & gloriam decoris regni ejus.

12 להודיע לבני האדם גבורתיו
וכבוד הדר מלכותו:

Digitized by Google

13. Regnum tuum regnum omnium ſeculorum, & dominatio tua in omnem generationem & generationem.	13 מלכותך מלכות כל עלמים וממשלתך בכל דור ודר :

7. *Memoria magnitudinis.*] Quia verbum נבע proprie ſcaturire ſignificat, quum ad loquendum transfertur, quidam emphaſin ſubeſſe volunt, ut ſit non ſimpliciter loqui, ſed plenis buccis effari: ſicuti copioſa aqua ex fonte profluit: & reſpondet poſterius verbum רנן, quod clamare vel ſonore canere ſignificat. Porro celebrare memoriam bonitatis Dei, tantundem valet ac Dei bonitatem, ſicuti proprio ſenſu & experientia nobis cognita eſt, in memoriam revocare, ut eam celebremus. Nam utcunque fateri cogamur, Deum in omnibus ſuis virtutibus laude eſſe dignum: nihil tamen magis nos afficit quam ejus bonitas qua ad nos deſcendit, ſeque patrem exhibet. Ideoque David hac nos dulcedine allicit, ut ſponte & alacriter feramur ad Deum laudandum: imo ut prorumpamus, ſicuti ſonat metaphora in priore verbo.

8. *Propitius & miſericors.*] Pluribus nunc verbis illuſtrat bonitatem illam, quod Deus ad gratiam propenſus ſit. hoc enim proprie ſignificat vox חנון. Deinde quod miſeriis noſtris velut condoleſcens, libenter ſuccurrat. Notandum vero eſt, Davidem ſumpſiſſe hæc elogia ex celebri illo Moſis loco, Exodi 34. verſ. 6. nec mirum eſt, quum Prophetæ ex fonte Legis hauſerint ſuam doctrinam, viſionem quæ illic refertur, ſummo illis in pretio fuiſſe: quia nuſquam clarius vel familiarius exprimitur Dei natura. Ideoque David breviter notare volens quid nos maxime de ipſo Deo ſcire oporteat, verba illinc mutuatur. Eſt autem hæc pars non ultima gratiæ, quod nos ad ſe talibus blanditiis Deus allicit. Nam ſi potentiam ſuam proferret in medium, terrore nos illa dejiceret magis quam attolleret: ſicuti Papiſtæ Deum formidabilem deſcribunt, qui à conſpectu ſuo omnes profliget, quum recta ejus notitia ad ipſum quærendum nos invitet. Unde quo quiſque propius conjunctus eſt Deo, melius in ejus cognitione proficit. Jam ſi Deus non tantum nobis vult gratificari, ut ita loquar, ſed miſeriarum noſtrarum ſympathia tangi dicitur, ut ſit nobis eo humanior, quo magis ſumus miſeri: cujus ſocordiæ eſſet non ſtatim ad eum accurrere? Sed quia peccatis noſtris bonitatem ejus à nobis arcemus, nobiſque obſtruimus acceſſum: niſi hoc obſtaculum ſuperet Dei bonitas, fruſtra de ejus gratia & miſericordia differerent Prophetæ. Ideo quod ſequitur, neceſſario addendum fuit, quia *magnus eſt clementia*, peccatis eum ignoſcere, & tolerare vitia hominum, ut etiam indignis propitius ſit. Etſi autem impios quoque patienter Deus ſuſtinet, quia tamen percipiendæ veniæ capaces non ſunt, peculiariter ad ſolos fideles dirigitur hæc doctrina, qui vivo fidei ſenſu Dei bonitatem percipiunt. Nam reprobis dicitur, Ad quid vobis dies Domini? tenebræ dies ille, & non *Amos 5.*
lux: afflictio, & non lætitia. Et videmus quam du- *verſ. 18.*
riter ſtatim ab initio contra eos fulminet Propheta *Nahum 1.*
Nahum. poſtquam enim elogia hæc ex Moſe retu- *verſ. 3.*
lit, ne animos inde attollant, mox infert ex oppoſito, Deus rigidus eſt ac ſeverus, terribilis & inexorabilis judex. Reſtat ergo ut qui ſuis peccatis iram Dei provocarunt, favorem ejus fide ſibi reconcilient.

9. *Bonus Jehova omnibus.*] Latius patet hæc ſententia quam ſuperior: quia hic commemorat David Deum non modo paterna indulgentia clementer ignoſcere delictis, ſed promiſcue beneficum eſſe erga
omnes, ſicuti oriri facit Solem ſuum ſuper bonos *Matth 5.*
& malos. Quamvis ergo peccatorum remiſſio the- *verſ. 45.*
ſaurus ſit clauſus reprobis, non tamen Deum impedit ipſorum malitia & pravitas quominus in eos quoque ſuam bonitatem effundat Deus, ſed quam ſine ſenſu devorant. Interea ſoli fideles norunt quid ſit
propitio Deo frui: ſicuti alibi dicitur, Accedite ad *Pſal. 34.*
eum, & illuminamini, & facies veſtræ non pude- *verſ. 6.*
fient: guſtate & videte quam ſuavis ſit Jehova. Quod paulo poſt dicitur *miſericordia Dei ſe extendere ad omnia opera ejus*, neque abſurdum, neque durum videri debet. Nam quum peccata noſtra totum mundum involvant Dei maledictione, ubique locus eſt miſericordiæ Dei, ut brutis etiam animalibus ſubveniat.

10. *Celebrabunt te Jehova.*] Concludit David, quamvis multi impio ſilentio Dei laudes obruant, ubique tamen ipſas fulgere, ſponteque occurrere, & quaſi reſonare in mutis creaturis. Deinde ſpeciale præconium attribuit fidelibus, qui & oculis præditi ſunt ad conſideranda Dei opera, & ſciunt nihil eſſe potius quod agant, quam ut ſe exerceant in prædicandis ejus beneficiis. Quod mox additur, *Gloriam regni tui dicent*, ad ſolos fideles refero. Quanquam ſi quibus magis placeat generaliter ad omnes Dei creaturas trahere, non repugno. Sed diſtincta ratio docendi, cujus hic meminit David, nonniſi ſanctis convenit. Ideoque futurum tempus in verbis retineo, quod alii reſolvunt in modum optandi. Cæterum ſub *regni* voce ſignificat David huc tendere manifeſtationem operum Dei, ut totus orbis in ordinem coactus, ejus imperio ſe ſubjiciat. Commendat vero regni præſtantiam, ut ſciant homines omnia eſſe perverſa & confuſa, niſi emineat ſolus Deus. Poſtea exclamat regnum hoc minime caducum eſſe, ut ſunt terrena omnia, ſed firmum perpetuo ſtare. Atque ut hæc æternitas attentius reputetur, præ admiratione exclamans, ſermonem ad Deum ipſum dirigit.

14. Suſtentans Jehova omnes cadentes, & erigens omnes curvatos.	14 סומך יהוה לכל הנפלים וזוקף לכל הכפופים :
15. Oculi omnium ad te ſperant, & tu das illis cibum ipſorum tempore ſuo.	15 עיני כל אליך ישברו ואתה נותן להם את אכלם בעתו :
16. Aperis manum tuam, & ſatias omne vivens beneplacito.	16 פותח את ידך ומשביע לכל חי רצון :

14. *Suſtentans Jehova omnes.*] Exempla quædam bonitatis & clementiæ Dei recenſet, ex quibus apparet Deum non dominari niſi in publicam ſalutem humani generis. Per *cadentes* & *curvatos* metaphorice intelligit quicunque rebus adverſis oppreſſi, mox ſuccumberent niſi Deus manum ad eos fulciendos porrigeret. Summa eſt, Deum reſpicere hominum ærumnas, ut laborantibus ſuccurrat. Unde ſequitur, dignum eſſe non modo quem reverenter ſuſpiciant cuncti mortales in cælo regnantem, ſed cui regendos libenter & cupide ſe permittant. Interea admonet, minime fruſtratum iri quicunque ſolatium ſuis miſeriis à Deo petent.

15. *Oculi omnium.*] Documentum aliud bonitatis Dei profert David, quod cunctis animantibus victum ſuppeditans, patremfamilias ſe illis exhibeat.

beat. Quidam interpretes, adducti verbo *ſperandi*, ad ſolos homines hoc reſtringunt ratione & intelligentia præditos, ut alimenta à cæleſti Patre petant: quia bruta animalia viſu tantum & olfactu cibum quærunt. Verum quamvis ingenita illis non ſit ratio ut pendeant à Dei providentia, quia tamen neceſſitas ipſa arcano quodam inſtinctu ea ad cibum quærendum compellit, non abs re dicuntur in Deo ſperare: ſicuti alibi dicuntur eum invocare pulli corvorum. Qui vero ad homines reſtringunt, ne hoc quidem modo effugiunt abſurditatem: quia impii nihilo magis quam boves & aſini, ad paternam Dei curam attenti ſunt. Quando igitur ita compoſitus eſt naturæ ordo, ut cuncta animalia ferantur ad ſuum opificem, non male conveniet affectum hic pro re ipſa eſſe poſitum. Et proximo verſu tollitur omnis ambiguitas, ubi dicitur omne animal ſaturari. Dicit autem illis dari *cibum ſuum & tempore ſuo*, quia varietas ipſa magis illuſtrat Dei providentiam, dum ſingulis diverſa eſt paſcendi ratio, & variæ alimentorum ſpecies in varios uſus diſtributæ & aptatæ ſunt. Qua ratione vocat David cibos ipſorum. Pronomen vero relativum quod cum tempore conjungitur, non eſt pluralis numeri: ideoque intelligi non poteſt de animalibus. Suum ergo tempus vocat opportunum, quia & hac in parte admirabilem ſuam diſpenſationem commendat Deus, quod fœniſecio, meſſi, vindemiis ordinavit certum tempus, & ita digeſſit anni vices, ut nunc herbis, nunc fœno vel palea alantur pecudes, glandibus etiam, fructibuſque aliis. Nam ſi omnes eodem momento copias effunderet, valde incommoda eſſet perceptio. ideoque in annuo frugum & alimentorum proventu non parum laudis meretur opportunitas.

Pſal. 147. verſ. 9.

16. *Aperis manum.*] Concinna eſt hypotypoſis. quia enim miram Dei bonitatem, quæ in pulcherrimo hoc naturæ ordine conſpicua refulget, major pars clauſis oculis præterit, Deum porrecta manu cibum animalibus diſtribuentem inducit David. In terra, unde victus nobis provenit, & naturalibus mediis perperam ſubſiſtimus. Hunc igitur errorem ut corrigat David, apertam Dei manum ante oculos noſtros pingit, acſi in os cibum ſuggereret. In ſecundo membro nomen רָצוֹן accipiunt pro deſiderio: acſi dixiſſet, ſingulis animalium generibus victum pro voto ſuppetere. Et certe paulo poſt hoc ſenſu ſumetur. Alii tamen referre ad Deum malunt, quod mera gratia & liberalitate paſcat animalia: quia non ſufficeret tenere, ſuppeditari nobis victum divinitus, niſi accederet hoc ſecundum membrum, Deum gratis eſſe liberalem, nec ulla cauſa extrinſeca moveri ut tam benigne cunctis animantibus proſpiciat. Ita cauſa hic poſita erit pro effectu. Alimenta enim effectus ſunt hujus beneplaciti, ſicut χαίρομεν τῆς χάριτος. Quod autem ſæpe eſuriunt & fame laborant tam homines quam reliqua animalia, naturæ corruptelæ aſcribi debet. Nam poſt Adæ lapſum, vitiis noſtris ſæpe labaſcit pulcherrimus ille naturæ ordo quem ab initio Deus inſtituerat: & tamen in mutilis reliquiis ſemper apparet iſta Dei liberalitas quam prædicat David: quia etiam in maxima frugum penuria nullus annus tam jejunus eſt ac ſterilis, quo non aperiat Deus manum ſuam.

17. Juſtus Jehova in omnibus viis ſuis, & clemens in omnibus operibus ſuis.

18. Propinquus Jehova omnibus invocantibus eum, omnibus qui eum invocant in veritate.

19. Deſiderium timentium ſe faciet, & clamorem eorum audiet, & ſervabit eos.

20. Cuſtodit Jehova omnes diligentes eum, & omnes ſceleratos diſperdet.

21. Laudem Jehovæ loquetur os meum, & benedicet omnis caro nomini ſancto ejus in perpetuum & uſque.

17 צַדִּיק יְהוָה בְּכָל דְּרָכָיו וְחָסִיד
בְּכָל מַעֲשָׂיו:
18 קָרוֹב יְהוָה לְכָל קֹרְאָיו לְכֹל
אֲשֶׁר יִקְרָאֻהוּ בֶאֱמֶת:
19 רְצוֹן יְרֵאָיו יַעֲשֶׂה וְאֶת שַׁוְעָתָם
יִשְׁמַע וְיוֹשִׁיעֵם:
20 שׁוֹמֵר יְהוָה אֶת כָּל אֹהֲבָיו וְאֵת
כָּל הָרְשָׁעִים יַשְׁמִיד:
21 תְּהִלַּת יְהוָה יְדַבֶּר פִּי וִיבָרֵךְ כָּל
בָּשָׂר שֵׁם קָדְשׁוֹ לְעוֹלָם וָעֶד:

17. *Juſtus Jehova.*] Jam non de ſola Dei beneficentia diſſerit, quod victum cunctis animalibus quotidie ſubminiſtret, ſed alias etiam ejus providentiæ partes complectitur: ſicuti quod caſtigat hominum peccata, compeſcit ſceleratos, ſuorum quoque tolerantiam cruce examinat: denique judiciis ſæpe nobis incognitis, temperat mundi gubernationem. Etſi autem vulgare hoc eſſe videtur elogium, quia in omnium ore volitat: raræ tamen ſapientiæ eſt caput hoc tenere, Deum in omnibus operibus ſuis eſſe juſtum: ut hæc laus integra ſemper rebus ſurſum ac deorſum converſis, ei maneat in corde noſtro. Poſtquam enim confeſſi ſunt omnes Deum eſſe juſtum, major pars ſimulac affligitur, de nimio ejus rigore expoſtulat: niſi protinus obtemperet votis, obſtrepit: denique nihil magis uſitatum eſt quam juſtitiæ ejus obloqui. Itaque non abs re juſtitia hæc, quæ paſſim indigne laceratur malignis hominum judiciis, contra tantam ingratitudinem aſſeritur: acſi diceret, Quantumvis mundus obſtreperis ſuis vocibus obſcuret Dei juſtitiam, conſtare tamen, & illæſam ſemper manere. Et diſerte exprimit *in omnibus viis, & in cunctis operibus*: quia fraudatur Deus juſta laude, niſi æquabilem in toto operum ejus curſu juſtitiæ tenorem agnoſcimus. Atqui nihil difficilius eſt quam in rebus adverſis, ubi vel nos deſerere, vel inique perſequi videtur, compeſcere carnis affectus, ne adverſus Dei judicia ebulliant: ſicuti de Imperatore Mauricio memorabilis refertur hiſtoria, quum à perfido & ſceleſto proditore Phoca filios ſuos videret jugulari, mox & ipſe ad cædem rapiendus: ſubinde clamaſſe, Juſtus es, Domine, & juſta judicia tua. Ergo ut ſæviſſimis tentationibus clypeum hunc vir non malus oppoſuit, ſic & nos diſcamus frænum mentibus noſtris injicere, ut ſemper ſuam laudem obtineat Dei juſtitia. Quanquam ultra progreditur David, Deum, ubi rigidiſſimus apparet, adeo à crudelitate remotum eſſe, ut duriſſima quæque judicia æquitate & clementia temperet.

18. *Propinquus Jehova.*] Hæc doctrina maxime eſt propria fidelium, quos ſingulari privilegio Deus ad ſe invitat, propitium ſe eorum votis fore promittens. Et certe otioſa, imo etiam mortua jaceret fides ſine invocatione, in qua ſe profert atque exerit adoptionis Spiritus, & qua teſtamur nobis certas ac ratas eſſe omnes ejus promiſſiones. Summa igitur eſt, inæſtimabilem Dei gratiam erga fideles in eo patere, quod ſe illis patrem exhibet. Jam vero quia multæ nobis dubitationes obrepunt, quoties rogandus eſt Deus, atque ita vel trepide accedimus, vel fracti, & exanimati deficimus, vel metu langueſcit fides: ideo ſine exceptione pronunciat David Deum omnibus qui ipſum invocant, exorabilem eſſe. Cæterum quia major pars mundi ſuis figmentis Dei invocationem corrumpit ac profanat, altero membro vera precandi ratio præſcribitur, nempe in

in veritate. Quum frigide ad Deum confugiant homines, imo vel ſuperbia turgentes, vel indignatione, cum eo inter precandum expoſtulent, queruntur tamen ſe non exaudiri: quaſi vero inter precari & rixari, vel inter fidei teſtimonium & hypocriſin, nullum ſit diſcrimen. major pars ſua infidelitate implicita, vix Deum in cælo eſſe cogitat: alii eum inde libenter excuterent: alii vellent ſibi eſſe obnoxium: alii defunctorie ejus placandi modum aliquem quærunt. ita vulgaris mos precandi nihil aliud eſt quam frivola & inanis ceremonia. Et quum ad Deum in ſua neceſſitate curſitet totus fere mundus, vix decimus quiſque affert fidei aut pœnitentiæ guttam. atqui præſtaret ſepultum relinquere Dei nomen, quam talibus ludibriis ſubjicere. Ideo non fruſtra in precibus exigitur veritas, ut prodeant ex ſincero corde. Porro mendacii, quod huic ſinceritati contrarium eſt, variæ ſunt ſpecies ac prope innumeræ: infidelitas, dubitatio, impatientia, murmur, ficta humilitas, vitioſæ cupiditates; totidem ſunt mendacia. Jam quia hæc non levis momenti doctrina eſt, rurſus eam exegetice proximo verſu confirmat David. Atque hæc repetitio diligenter notanda eſt: quia adeo proclive nobis ad incredulitatem ingenium eſt, ut pauciſſimi ſtatuant ſe vocante Deo, non fruſtra preces concipere. hinc fit ut perverſa agitatio huc & illuc vagas mentes impellat: ſicuti in Papatu ſibi excogitarunt innumeros patronos, quia pro nihilo fere ducebant, Dei promiſſiones, quibus nos ad ſe invitat, indubia fide amplecti. Ergo ut latius pateant fores, hic Spiritus ſanctus per os Davidis inculcat Deum *morem gerere piorum omnium deſideriis*. Quæ loquutio dici non poteſt quam efficaciter in animos noſtros penetrare debeat. Quid enim eſt homo, ut ejus voluntati ſe morigerum præbeat Deus: cujus altitudinem ſuſpicere, & cujus imperio ſuppliciter parere noſtrum eſt? atqui ad hanc legem ſe ultro demittit ut noſtris deſideriis obtemperet. Quanquam fræno temperanda eſt hæc libertas. neque enim licentia quidvis appetendi permittitur, ut proterve quicquid libido tulerit, pii ab eo flagitent: ſed antequam eorum vota ſe exauditurum affirmet Deus, eorum affectibus legem obedientiæ & modeſtiæ edicit, quemad-
1 Joan. 5. modum docet Joannes, Scimus quod nihil nobis
verſ. 14. negabit, ſi quidem petierimus ſecundum ejus volun-
Matth. 6. tatem. Atque hac de cauſa formam precandi dicta-
verſ. 10. vit nobis Chriſtus, Fiat voluntas tua: ut cancellos nobis circumdaret, ne præpoſtere Dei beneplacitis noſtra præferamus, vel ſine delectu petamus quicquid in buccam venerit. Jam diſerte exprimens David *timentes Deum*, timorem, reverentiam, & obſequium prius illis commendat, quam proponat Dei indulgentiam: ne ſibi plus optare fas eſſe putent, quam ille verbo ſuo probat & concedit. Quod additur de *clamore*, ſpecies eſt correctionis. Neque enim tam facilis ſemper apparet Deus, ut quod rogatus eſt, eodem momento præſtet. Ideoque perſeverantia opus eſt in hoc fidei examine, ut vota confirmet clamor. Poſtrema etiam particula, *ſervabit eos*, vice correctionis poſita eſt: ut ſciamus quatenus, & in quem finem impleat Deus ſuorum vota, nempe ut reipſa pateat fidum eſſe ſalutis eorum cuſtodem.

20. *Cuſtodit Jehova.*] Eandem doctrinam proſequitur, Deum ſervis ſuis propinquum eſſe, ut in neceſſitate opem ferat: quia hic certus eſt effectus præſentiæ Dei, quicquid accidat diſcriminum, ſalvos tamen & incolumes ejus gratia ſemper evadere. Quod vero timoris loco nunc *dilectionem* ponit, notatu dignum eſt. hoc enim epitheto fideles inſigniens, quod Deum diligant, radicem veræ pietatis eſſe oſtendit, voluntario affectu ſe Deo ſubjicere: quod ipſum, ex fide naſcitur. Donec enim gratiæ ſuæ dulcedine nos Deus traxerit, nunquam ſequetur placida hæc ſubmiſſio. Quanquam forte iſtud diligere, de quo loquitur David, longius patet: quia non modo ſe Deo addicunt fideles, ut imperio pareant, ſed quia ſciunt nihil eſſe optabilius quam ei conjungi, ad hanc felicitatem toto animo aſpirant. Interea tamen dubium non eſt, veræ ſanctitatis & juſtitiæ præcipuum caput hic notari, ſicuti & apud Moſen. Et nunc Iſraël quid abs te petit Deut. 10.
Dominus Deus tuus, niſi ut ipſum diligas, &c? verſ. 12.
Hunc vero pietatis fructum, quod tuti ſalvique manemus ſub Dei cuſtodia, contrario membro David amplificat: pronuncians juſta Dei vindicta male perituros omnes impios. Tandem ut primis ultima reſpondeant, iterum affirmat *ſe laudem Dei fore præconem*, & omnes ſuo exemplo ad hoc idem officium hortatur. Nam quod vertunt aliqui, omnis animans benedicet: mihi non probatur. Quum Moſes de diluvio loquens, omnem carnem in qua erat ſpiritus vitæ, interiiſſe dicit, fateor ſub hac voce comprehendi bruta animalia: verum ubicunque ſine adjectione ponitur *caro*, nonniſi ad homines refertur. Neque tamen hic David quid facturi ſint prædicat, ſed quid facere debeant: acſi diceret, immenſa & inexhauſta Dei bonitate obſtrictos teneri cunctos mortales ad Deum aſſidue & jugiter laudandum.

ARGUMENTUM PSALMI CXLVI.

Poſtquam ſe & alios ſuo exemplo hortatus eſt David ad canendas Dei laudes, morbum fere omnibus ingenitum corrigit: ne ſpes ſuas huc illuc ſpargendo, ſe decipiant. Simul oſtendit remedium, ut tota eorum ſpes in Deo ſit defixa. Quo autem alacrius ad eum ſe conferant, quædam potentiæ & gratiæ ejus teſtimonia breviter attingit.

PSALM. CXLVI.

HAlelu-Ja. Lauda anima mea Jehovam.	1 הללויה הללי נפשי את יהוה:
2. Laudabo Jehovam in vita mea, pſallam Deo meo quamdiu fuero.	2 אהללה יהוה בחיי אזמרה לאלהי בעודי:
3. Ne confidatis in Principibus, in filio hominis in quo non eſt ſalus:	3 אל תבטחו בנדיבים בבן אדם שאין לו תשועה:
4. Exibit ſpiritus ejus, revertetur in terram ſuam, in illa die peribunt cogitationes ejus.	4 תצא רוחו ישב לאדמתו ביום ההוא אבדו עשתנתיו:
5. Beatus cui in auxilium eſt Deus Jacob, cujus ſpes eſt ad Jehovam Deum ſuum.	5 אשרי שאל יעקב בעזרו שברו על יהוה אלהיו:

HAlelu-Ja.] Quinque ultimi Pſalmi eadem, à qua incipiunt, voce clauduntur. Poſtquam autem generaliter juſſit omnes laudare Deum, ſermonem ad ſe, vel quod idem eſt, ad animam ſuam convertit: niſi quod ſub nomine animæ ſenſus ſuos magis emphatice compellat. Secundo verſu quaſi ad præſtandum officium accinctus, omnes animat ſuo exemplo. Unde colligimus non levem & volaticum

ticum fuiſſe motum (qualiter multi pigritiem ſuam hac in parte accuſant, ſed mox in eam recidunt) ſed firmum & conſtantem affectum, quem & ſedulitas ſequuta eſt, & effectus non fictum eſſe probavit. Videtur autem David, quum ſentiret impediri vel tardari Satanæ aſtutia pios conatus, prius ſtimulo adhibito fervorem ſuum incitaſſe, quam aliis ſe ducem fore ac magiſtrum profiteatur. Nam quum vere & ſerio animatus eſſet, id tamen præ ſe ferre noluit, niſi collecto majori ardore. Quod ſi Davidi neceſſe fuit ſe ad laudandum Deum pungere, ubi cæleſtis vita cum noſtri abnegatione meditanda eſt, quam acriter ad rem tam arduam ſtimulandi ſumus? Interea ſciamus, ad hoc pietatis exercitium, cujus nunc fit mentio, nunquam nos fore ſatis impigros, niſi ſtrenui ſimus exactores. Jam quia in hunc finem alit & ſuſtinet ſuos Deus in mundo, ut toto vitæ curſu ſe in ipſo laudando exerceant, merito David uſque ad finem vitæ hoc ſibi agendum proponit.

3. *Ne confidatis.*] Tempeſtive inſeritur hæc ſententia: quia hæc cæcutiendi cauſa eſt hominibus, quod mentes ſuas ſubinde involvunt multis figmentis, quo minus ſoluti & expediti prodeant ad laudandum Deum. Ergo ut laudem ſuam Deus in ſolidum obtineat, corrigit atque abolet David ſpes omnes perverſas ad quas ſumus alioqui nimium propenſi. Etſi autem conſilium ejus eſt, nos generaliter ab hominibus abſtrahere, principes nominat à quibus magis metuendum eſt quam ab hominibus gregariis. Quid enim promitterent pauperculi, & alienæ opis indigi? Magnates vero & opulenti fallaciter nos ſuo ſplendore illectant, quaſi nihil melius ſit quam latere ſub eorum umbra. Quia vero ad eorum fortunam obſtupeſcunt ſimplices, adjungit, potentiſſimum quemque ex mundi principibus, eſſe tamen filium hominis. Quo ſatis ſtultitia noſtra coarguitur, dum eos colimus quaſi ſemideos: ſicuti etiam loquitur Jeſaias capite 31. verſ. 3. Ægyptius homo eſt, & non Deus, caro, & non ſpiritus. Utcunque ergo viribus, pecunia, hominum manu, aliiſque ſubſidiis inſtructi ſint principes: admonet tamen David, perperam in homine mortali & caduco locari noſtram fiduciam, & ſtulte ſalutem quæri ubi non reperietur. Quod ipſum melius explicat proximo verſu, ubi memorat quam brevis & fluxa ſit hominum vita. Etſi enim laxat Deus frænum Principibus, ut quidvis machinando, cælum quoque invadant: migratio tamen animæ, quaſi flatus aliquis tranſiret, conſilia omnia & conatus repente evertit. Quia animæ domicilium eſt corpus, non male de ea intelligi poterit quod hic dicitur. morte enim illam ad ſe Deus revocat. Simplicius tamen exponere licebit de flatu vitali: & contextui melius quadrabit, Simulac ſpirare deſierit homo, cadaver fore putredini obnoxium. Unde ſequitur, pendere ab evanido flatu quicunque in hominibus confidunt. Et quum dicit *cogitationes* omnes *in illo die tranſire*, vel præterfluere, facete hoc verbo perſtringit veſaniam principum, quibus nullus finis vel modus eſt ſperandi & appetendi, ut cælum ipſum non ſecus ac montibus coacervatis tranſcendant. ſicuti freneticus ille Alexander Macedo, quum audiret plures eſſe mundos, deflevit ſe nondum uno potitum eſſe paulo poſt autem ſarcophago contentus fuit. Et experientia ipſa demonſtrat ingentes eſſe labyrinthos, principum conſilia. Ergo ne ſpes noſtræ perperam illis implicentur, pronunciat David, in principibus quoque celerem & momentaneum fore vitæ tranſitum, cum qua ſimul omnia eorum conſilia evaneſcent.

5. *Beatus.*] Quia non ſatis fuiſſet vitium reprehendere, remedium ſubjicit unde pendet vera correctio: nempe tunc demum firmam & bene fundatam eſſe ſpem hominis, ubi ſoli Deo innititur. Hucuſque enim perveniunt interdum profani homines, ut deſipere agnoſcant quiſquis ſpem in carne locat. Ideoque ſæpe ſibi ſuccenſent, quod tam inconſiderato ſalutem expectaverint ab hominibus: ſed interea omiſſo remedio, ſe ab errore non explicant. Propheta igitur, damnata vanitate, quam omnibus ingenitam eſſe diximus, prudenter attexit, beatos eſſe qui Deo confidunt. Eundem ordinem tenet Jeremias capite 17. verſ. 5. 7. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, &c. Deinde, Beatus vir cujus fiducia eſt Jehova. Porro *beatos* pronuntians *quibus in auxilium eſt Deus*, beatitudinem fidelium ad præſentem ſenſum non reſtringit, acſi non aliter beati eſſent niſi dum palam & reipſa Deus eorum auxiliator apparet, ſed in eo felicitatem ſtatuit, ſi vere perſuaſi ſint ſe non ſtare niſi Dei gratia. Jam *Deum Jacob* nominando, eum à falſorum deorum turba diſcernit quibus tum gloriabantur increduli: & merito, quia utcunque omnibus ſit propoſitum, Deum quærere, vix tamen centeſimus quiſque rectam viam tenet. Sicuti autem verum Deum ſua nota deſignat: ſic oſtendit nonniſi certa adoptionis fide fieri ut quiſque noſtrum in eum recumbat. quia propitium nobis eſſe oportet, ut nobis paratum ſit ejus auxilium.

6. Qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in illis ſunt: qui cuſtodit veritatem in perpetuum:	6 עשה שמים וארץ את הים ואת כל אשר בם השמר אמת לעולם :
7. Jus reddens injuſte oppreſſis, dans panem famelicis, Jehova ſolvens vinctos:	7 עשה משפט לעשוקים נתן לחם לרעבים יהוה מתיר אסורים :
8. Jehova illuminans cæcos, Jehova erigens curvos, Jehova diligens juſtos.	8 יהוה פקח עורים יהוה זקף כפופים יהוה אהב צדיקים :
9. Jehova cuſtodiens peregrinos, pupillum & viduam ſublevat, & viam impiorum diſperdet.	9 יהוה שמר את גרים יתום ואלמנה יעודד ודרך רשעים יעות :
10. Regnabit Jehova perpetuo Deus tuus Sion in generationem & generationem. Halelu-Ja.	10 ימלך יהוה לעולם אלהיך ציון לדר ודר הללו יה :

6. *Qui fecit cælum.*] His omnibus epithetis confirmat ſuperiorem doctrinam. Etſi enim creationis mentionem facere, videtur primo intuitu remotum, aptiſſime tamen convenit ut nobis ſuccurrat Dei potentia quoties impendet aliquid periculi. Scimus enim quam levibus momentis nos ad diffidentiam Satan impellat: nos vero ad leviſſimos quoſque motus trepide huc illuc agitamur. Atqui ſi reputamus Deum eſſe cæli & terræ opificem, hunc ei honorem merito tribuemus, In manu ejus & arbitrio eſſe mundi quem creavit imperium. Eſt igitur in primo elogio commendatio potentiæ, quæ metus omnes noſtros abſorbere debet. Sed quia non ſufficeret, auxiliari Deum nobis poſſe, niſi accederet promiſſio qua teſtetur ſe etiam velle, atque facturum, ſecundo loco prædicat David fidelem eſſe *& veracem*, ut jam dubitationi non ſuperſit locus ubi nobis comperta eſt ejus voluntas.

7. *Jus*

7. *Jus reddens.*] Alias ſpecies enumerat tam potentiæ quam bonitatis Dei, quæ totidem ſint nobis bene ſperandi argumenta. Ad hunc ſcopum tendunt omnia, opem Dei contemptiſſimis quibuſque expoſitam fore ac paratam: ideoque obſtaculo non fore noſtras miſerias quominus nos juvet: imo hoc ferre ejus naturam, ut pro cujuſque neceſſitate, adferendam cuique opem propenſus ſit. Primo dicit *jus reddere oppreſſis*, ut nobis in mentem veniat: quamvis, ſecundum carnis noſtræ ſenſum, conniveat ad noſtras injurias, non tamen prætermiſſurum quod officii ſui proprium eſt, ut improbos ad reddendam violentiæ ſuæ rationem trahat. In ſumma, quoniam vult Deus ſuorum patientiam cruce experiri, diſerte hic afflictos alloquitur, ne ærumnis ſuccumbant, & liberatorem placide expectent, qui ideo tardius occurrit ut juſtus mundi judex appareat. Sequitur, ipſum *dare panem famelicis.* Unde etiam colligimus, non ita liberaliter ſemper agere cum ſuis, ut plena copia ſaturentur, ſed benedictionem ſuam interdum ſubducere, ut ſuccurrat poſtquam ad eſuriem ventum fuerit. Si dixiſſet Propheta largiter paſci fideles, & quaſi ſaginari à Deo, quis non in fame vel inedia ſtatim deſponderet animum? Non abs re ergo longius extenditur Dei gratia, ut eſurientes paſcat. Eodem etiam pertinent reliqua, Deum *vinctos ſolvere, & illuminare cæcos.* Quia enim ſubinde contingit fideles anxietate conſtringi, vel hominum tyrannide premi, vel redigi ad extrema, acſi duriſſimis ergaſtulis incluſi forent: ideo hanc conſolationem proponi neceſſe fuit, Domino eſſe faciles exitus, quoties in tales anguſtias redacti erimus. Illuminare cæcos, tantundem valet ac lucem dare ex tenebris. Itaque quoties deſtituimur conſilio, perplexique hæremus, confuſi denique jacemus & attoniti, acſi incumberent mortis tenebræ: diſcamus Deum ornare hoc elogio, ut caligine diſcuſſa, nobis oculos aperiat. Sic quum *curvos erigere* dicitur, diſcamus colligere animum ſiquando ſub onere gementes fatiſcimus. Neque enim voluit ſolum Deus hic celebrari laudes ſuas, ſed cæcis, captivis & afflictis manum quodammodo ideo porrigit, ut curas ſuas & dolores in eum rejiciant. Nec ſupervacuum eſt quod ter repetit nomen *Jehovæ*: quia hoc modo ad ipſum quærendum ſollicitat & pungit homines, qui ſæpe frænum rodendo, malunt putreſcere in ſuis miſeriis, quam ad certum hoc aſylum ſe conferre. Quod poſtremo dicitur Jehova *juſtos diligere*, videtur ſpecies eſſe correctionis. Conſtat enim pleroſque, licet duriter premantur, anxii ſuſpirent, jaceant in tenebris, nihil tamen ſolatii à Deo ſentire: nempe quia tunc quoque ſua contumacia Deum magis provocant, ac dum vix centeſimus quiſque implorat ejus gratiam, juſtam ingratitudinis ſuæ mercedem reportant. Itaque non abs re Propheta quod generaliter dixerat, Deum miſeris opitulari, nunc ad juſtos reſtringit, ut ſincero pietatis affectu ei ſe addicant qui eum experiri cupiunt liberatorem.

9 *Jehova cuſtodiens.*] Sub peregrinis, pupillis & viduis, per ſynecdochen eos omnes Propheta complectitur quos deficiunt humana ſubſidia. Quia enim notis & propinquis quiſque favet, peregrinos ſcimus utplurimum injuriis eſſe obnoxios. Viduis & pupillis qui ſe defenſores offerant ac vindices, non multi reperiuntur: quia videtur perdi opera, ubi ſpes nulla compenſationis affulget. Ergo ſub his exemplis docet Propheta, quacunque moleſtia gravemur, non niſi per nos ſtare quominus manu porrecta nos Deus eruat, qui tam ſuaviter ad ſe invitat omnes miſeros. Ex oppoſito impiis ejus contemptoribus denunciat omnia male & infeliciter ceſſura. Diximus primo Pſalmo, viæ nomine totum notari vitæ curſum. *Diſperdet* igitur Deus *viam impiorum*, quia omnia eorum conſilia, omnes actiones, quicquid tentarint vel aggreſſi fuerint, maledicet, ut nihil eis proſpere ſuccedat. Quamvis ergo polleant conſilio, imo callidi ſint & aſtuti, facultas etiam bonorum omnium ſuppetat, omnes eorum ſpes Deus evertet. Nam ſicuti manum ſuis porrigens, per quævis obſtacula, imo per invia eos deducit: ita rurſus apertam & planam viam reprobis abrumpet.

10. *Regnabit Jehova.*] Sermonem ideo ad Eccleſiam convertit, quo melius perſuadeat piis omnibus re ipſa talem ſenſuros Deum qualem antehac deſcripſit. Porro quum Deum vocat perpetuum Regem, ſimul tenendum eſt in quem finem regnet. Ac definitio ex ſuperioribus elogiis petenda eſt. Unde ſequitur, tam in vita quam in morte nos ſub ejus Regis cuſtodia ſalvos fore, qui nonniſi in ſalutem noſtram regnat. Si ſimpliciter dixiſſet, Jehovam regnare perpetuo, excipere promptum erat procul nos diſtare ab incomprehenſibili ejus gloria. Ideo diſerte exprimit ſacro fœdere devinctum eſſe electo populo.

ARGUMENTUM PSALMI CXLVII.

Invitat etiam hic Pſalmus fideles ad Deum laudandum duabus de cauſis, quod ſcilicet in generali mundi gubernatione, & ſingulis cæli & terræ partibus refulgeant ejus potentia, bonitas, ſapientia, & reliquæ virtutes: præſertim vero quod Eccleſiam, quam gratis elegit, peculiari gratia foveat & tueatur, collapſam etiam reſtituat, & diſſipatam colligat.

PSALM. CXLVII.

LAudate Deum, quia bonum eſt pſallere Deo noſtro, quia jucundum, decora laus?	1 הללויה כי טוב זמרה אלהינו כי נעים נאוה תהלה׃
2. Ædificans Jeruſalem Jehova, diſperſos Iſraëlis congregabit:	2 בונה ירושלם יהוה נדחי ישראל יכנס׃
3. Sanans contritos corde, & colligans dolores eorum.	3 הרפא לשבורי לב ומחבש לעצבותם׃
4. Numerans multitudinem ſtellarum, ſingulis nomina imponens.	4 מונה מספר לכוכבים לכלם שמות יקרא׃
5. Magnus Dominus noſter, & multus virtute, intelligentiæ ejus non eſt numerus.	5 גדול אדונינו ורב כח לתבונתו אין מספר׃
6. Sublevans miſeros Jehova, dejiciens impios uſque ad terram.	6 מעודד ענוים יהוה משפיל רשעים עדי ארץ׃

Laudate

ed by Google

LAudate Deum.] Quanquam beneficia hic commemorat quibus promiſcue totum genus humanum Deus proſequitur, non tamen dubium eſt, ſermonem proprie ad fideles dirigi, qui ſoli oculati ſunt operum Dei teſtes: quum incredulos, mentis cæcitas & ſtupor intelligentia privet. Nec ſolum diſſerit de communibus Dei beneficiis, ſed gratiam, quæ conſpicua erat in populo electo, præcipue commendat. Porro ut ſe ad canendas Dei laudes alacrius accingat Eccleſia, hoc genus exercitii bonum, jucundum & ſuave eſſe dicit, oblique perſtringens omnium fere pravitatem, quibus tædio eſt quælibet Dei mentio: ſumma autem voluptas, Deum & ſe ipſos oblivíſci, quo ſibi liberius indulgeant. Ergo ut ſe oblectare diſcant homines in hoc pietatis exercitio, Propheta admonet *decoram* vel optabilem eſſe *laudem*. Nam utroque modo poteſt accipi dictio נאוה.

2. *Ædificans.*] Incipit à ſpeciali gratia, qua Eccleſiam ſuam dignatus eſt Deus, dum & gentem unam aliis poſthabitis adoptare voluit, & certum locum eligere ubi invocaretur. Nam quod hic vocatur Hieroſolymæ conditor, non tam ad externam formam & ædificium id refertur, quam ad ſpiritualem Dei cultum. Trita autem metaphora eſt in *ædificii* vel templi nomine, ubi de Eccleſia agitur. Summa eſt, non humanitus ædificatam fuiſſe Eccleſiam, ſed cæleſti Dei virtute: quia neque loci dignitas hoc effecit, ut Hieroſolyma unicum Dei eſſet in terris domicilium: neque tantum honorem conſilio, induſtria, labore, vel opibus hominum adepta eſt, ſed quia Deo placuit eam ſibi conſecrare. Verum quidem eſt, hominum opera & miniſterio uſum fuiſſe quum illic ſibi Sanctuarium erexit: ſed ideo ejus gratiam obſcurari minime æquum eſt, quæ ſola urbem ſanctam à reliquis omnibus diſtinxit. Cæterum hoc conſilio Deum Eccleſiæ architectum & opificem nominat Propheta, ut ſciamus ejuſdem virtute eam manere in firmo ſtatu, vel ſi collapſa ſit reſtitui. Unde etiam colligit, in ejuſdem manu & arbitrio eſſe colligere diſperſos. Hic enim miſeros exules, qui huc illuc disjecti erant, ſolari voluit Propheta, ut ſe ex diſſipatione collectum iri ſperarent: quia Deus non fruſtra eos ſibi adoptaverat ut coaleſcerent in unum corpus. Ergo quum Templum & altare ſibi Hieroſolymæ erigi juſſiſſet, illicque ſedem ſuam fixiſſet, Judæos à patria ſua extorres ad bonam ſpem reditus Propheta hortatur: acſi diceret, non minus proprium eſſe Dei opus, dirutam & everſam Eccleſiam rurſus inſtaurare, quam initio fuit ejus fundamenta jacere. Non ergo ſimpliciter propoſitum fuit Prophetæ, in primis Eccleſiæ exordiis laudare gratuitam Dei bonitatem: ſed ab ipſa origine ratiocinari, Deum minime paſſurum ut prorſus intercidat Eccleſia cujus ſemel fuit conditor, ut eam ad finem uſque tueatur: quia opus manuum ſuarum non deſerit. Atque hæc conſolatio hodie nobis occurrere debet in tam funeſta Eccleſiæ laceratione, quæ paſſim cernitur, ut ſperemus electos omnes, qui inſiti ſunt in Chriſti corpus, quamvis miſere diſperſi ſint quaſi lacera membra, collectum tamen iri in fidei unitatem: & mutilum Eccleſiæ corpus, quod quotidie diſcerpitur, reſtituendum eſſe ſuæ integritati: quia opus ſuum prorſus intercidere Deus non ſinet. Proximo quoque verſu eandem doctrinam continuat. huc enim reſpicit ſimilitudo, Quamlibet gravibus morbis laboret, vel confecta ſit Eccleſia, quamlibet multis vulneribus confoſſa ſit, facilem & promptam ſanationem Deo fore. Unde apparet diverſo loquendi modo idem repeti: quamvis non ſemper floreat Eccleſiæ ſtatus, ſalvam tamen & incolumem ſemper fore, quia velut ulceroſum corpus Deus mirabiliter ſanabit.

4. *Numerans multitudinem.*] Quia incredibilis videri poterat collectio populi de qua diſſeruit Propheta, qui eam hoc verſu confirmari putant, moventur probabili ratione. Sic ergo contexunt Prophetæ verba, Quia difficilius non eſt palatos & disjectos homines colligere, quam numerare ſtellas in cælo, non eſſe cur profugi & exules Iſraëlitæ de reditu deſperent: modo uno conſenſu ſe ad Deum, tanquam unicum caput, conferant. Non minus etiam probabilis conjectura eſſet Prophetam alludere ad oraculum illud, Reſpice ſtellas cæli ſi numerare potes: ſic erit ſemen tuum. *Gen. 15. verſ. 5.* Quia tamen de univerſo naturæ ordine continuo poſt diſſerit Propheta, ſimplicius erit (meo judicio) hunc quoque verſum exponere de admirabili cæli opificio, in quo relucet incomparabilis Dei ſapientia, dum varios, multiplices, ac flexuoſos ſtellarum curſus ita moderatur, ut ne puncto quidem aberrent. Singulis attribuit certum ac diſtinctum munus, ut in tanta turba nihil ſit confuſum. Itaque merito ſtatim exclamat *Magnum eſſe Deum, & immenſæ tam virtutis quam intelligentiæ.* Quo etiam docemur, nihil magis eſſe perverſum, quam ſenſus noſtri modulo Dei opera velle metiri, in quibus ſæpe incomprehenſibilem ſapientiam ac potentiam exerit.

6. *Sublevans.*] Hoc Dei elogium proprie ad ſpei noſtræ confirmationem valet in rebus adverſis, ne in examine crucis animi noſtri deficiant. Unde etiam colligimus, quamvis ſub Lege mollius fovendi eſſent Patres, non fuiſſe tamen expertes ejus militiæ, in qua nos hodie Deus exercet, ut alibi quam in mundo, veram requiem quæramus. Si ergo duriter afflictis obrepat dubitatio, ubinam ſit auxilium illud quod Deus præſto nobis fore pollicitus eſt: veniat in mentem hæc ſententia, nos ideo humiliari, ut Dei manu poſtea in ſublime tollamur. [illegible] quando etiam ubi deliciari videmus impios, urat nos vel pungat æmulatio, occurrat quod hic dicit Propheta, in ſublime evehi, ut præcipites ruant. Nam *proſternendos uſque ad terram* eſſe dicens, non dubium eſt quin eorum ſuperbiam oblique perſtringat, qua ſeſe efferunt ſupra nubes acſi non eſſent ex hominum numero.

7. Canite Jehovæ in laude, pſallite Deo noſtro in cithara.	7 עֱנוּ לַיהוָה בְּתוֹדָה זַמְּרוּ לֵאלֹהֵינוּ בְכִנּוֹר׃
8. Qui operit cælos nubibus, parat terræ pluviam, germinare faciens herbam in montibus.	8 הַמְכַסֶּה שָׁמַיִם בְּעָבִים הַמֵּכִין לָאָרֶץ מָטָר הַמַּצְמִיחַ הָרִים חָצִיר׃
9. Qui dat jumento cibum ſuum, filiis corvorum qui ad eum clamant.	9 נוֹתֵן לִבְהֵמָה לַחְמָהּ לִבְנֵי עֹרֵב אֲשֶׁר יִקְרָאוּ׃
10. Non in fortitudine equi placebit ei, neque in cruribus viri oblectabitur.	10 לֹא בִגְבוּרַת הַסּוּס יֶחְפָּץ לֹא בְשׁוֹקֵי הָאִישׁ יִרְצֶה׃
11. Oblectatur Jehova in iis qui ipſum timent, qui ſperant in clementia ejus.	11 רוֹצֶה יְהוָה אֶת יְרֵאָיו אֶת הַמְיַחֲלִים לְחַסְדּוֹ׃

Digitized by Google

7. *Canite Jehovæ.*] Iterum hortatur ad canendas Dei laudes, & ſimul admonet minime deeſſe materiam: quia nova ſubinde documenta potentiæ ejus, bonitatis, & ſapientiæ ſe oculis noſtris ingerunt. Primo dicit *operire cælos nubibus*, quæ mutatio expergefacere ſenſus noſtros debet, niſi nimium ſtupidi eſſemus. Certe utcunque in cælo fulgeant innumera Dei miracula, ſi tamen eadem ſemper maneret ſerenitas, non tam conſpicua eſſet ejus virtus, quam ubi repente cælum obnubilans ſubducit Solis fulgorem, & quaſi mundo novam faciem induit. Poſtea admonet, hoc modo cunctis animalibus eum proſpicere: quia & inde herbæ germinant, & ſuccus terræ ad ubertatem ſuggeritur. Ita cum potentiæ ſuæ documento, gratiæ, paternique erga genus humanum amoris ſpecimen ante oculos Deus proponit: imo demonſtrat, ne feras quidem & pecudes ſe negligere. Atque hoc notatu apprime dignum eſt, non cadere pluviæ guttam in terras niſi jubente Deo. Inveniunt quidem Philoſophi pluviæ originem in elementis: neque vero negandum eſt ex craſſis vaporibus quos terra & mare exhalat, nubes creari: ſed mediæ cauſæ, Dei providentiam obſcurare non debent quin humorem terræ ſuppeditet gignendis frugibus neceſſarium. Denique ſicut terra calore dehiſcens, quodammodo ſitim ſuam ore aperto declarat: ſic etiam viciſſim Deus pluendo, potum diſtillat. Poſſet quidem aliis occultis modis dare vigorem ne deficeret: ſed irrigatio quaſi oculare ſpectaculum eſt continuæ quam de nobis gerit, curæ.

9. *Qui dat jumento.*] Clarius ſpecie una propoſita explicat quod dixit, Deum ſcilicet victum cunctis animalibus curare. Quod autem jumenta potius & corvos quam homines paſci dicit, hoc ad amplificationem valet. Certum quidem eſt, hominis cauſa mundum eſſe creatum, ſuaque fertilitate & copia ornari: & quo propius ad Deum accedimus, eo magis ſuam erga nos beneficentiam illuſtrat. Verum ſi ad bruta quoque animalia extendere non gravatur, hinc facile liquet nobis vere patrem eſſe ac nutritium. Ideo *corvos* nominat contemptiſſimum avium genus, ut doceat, Dei liberalitatem penetrare ad omnes mundi partes. Quod autem *pullos corvorum* dicit *clamare ad Deum*, non dubium quidem eſt quin ad crocitum alludat. interea tamen admonet fateri ſuam egeſtatem niſi Dominus è cælo alimenta porrigat. Nam quod fabulantur Judæi deſeri à pullis ſuos corvos ſimul ac excluſi ſunt, & vermes naſci in corticibus arborum ad eos paſcendos, hoc ſuo more faciunt: quia nulla illis religio vel pudor eſt quidvis ſine colore comminiſci quoties aliquid ambiguum occurrit. Nobis autem hoc ſufficiat, totum naturæ ordinem ſic temperari à Deo ut ne pullis quidem corvorum deſit cibus, qui crocitando fatentur ſe eſſe famelicos, nec ſibi eſſe inopiæ remedium niſi Deus ſuccurrat.

10. *Non in fortitudine.*] Poſtquam docuit Propheta nullam mundi partem vacuam eſſe beneficentia Dei, nominatim pronunciat nullas ſuppetere vires hominibus, niſi quas è cælo ipſe idem inſpirat: idque conſulto addit refellendæ ſuperbiæ cauſa qua naturaliter inflati ſunt fere omnes, ut nitantur propria virtute. Senſus autem verborum eſt, veniat homo inſtructus ſuo robore, & adjumenta omnia afferat quibus pollere ſibi videtur, fumus erit & mendacium: imo ſi vel minimum quidpiam ſibi arroget, ſolo hoc objectu impediet atque arcebit Dei gratiam qua ſola ſtamus. Sub fortitudine equi, per ſynecdochen quodlibet præſidii genus deſignat. non quod Deo per ſe diſpliceant quæ nobis largitur adminicula: ſed quia neceſſe eſt à prava eorum fiducia nos abſtrahi: quia nihil magis commune eſt ſimulac facultas aliqua nobis ad manum ſuppetit, quam veſano faſtu inebriari. Ideo tam hominum quam equorum fortitudini opponit Dei timorem, & ſpem quæ in ejus miſericordia recumbit: acſi diceret, hanc præcipue modeſtiam à nobis requiri, ut pie ſancteque Deum colendo, pendeamus ab ejus gratia. Unde colligimus non aliam fortitudinem damnari niſi quæ Deum honore ſuo fraudat.

12. Celebra Jeruſalem Jehovam, lauda Deum tuum Sion:	12 שבחי ירושלים את יהוה הללי אלהיך ציון׃
13. Quia roborat vectes portarum tuarum, benedicit filiis tuis in medio tui.	13 כי חזק בריחי שעריך ברך בניך בקרבך׃
14. Qui ponit fines tuos pacem, pinguedine frumenti ſatiat te.	14 השם גבולך שלום חלב חטים ישביעך׃

12. *Celebra Jeruſalem Jehovam.*] Poſtquam in genere diſſeruit de beneficiis Dei, rurſus ſermonem ad fideles convertit, quos ſolos ante diximus ſano guſtu præditos eſſe, ut cum vera gratitudine percipiant quæ mundus ingurgitat bona. Porro totam Eccleſiam compellat ſub nomine Jeruſalem: quia illic ſacros conventus tunc agebant fideles, & quaſi confluebant ſub Dei vexillum. Quanquam autem paulo poſt de univerſali mundi gubernatione iterum verba faciet, nunc Dei gratiam commendat, quam nonniſi erga fideles ſuos exerit: nempe dum Eccleſiam ſuam defendit, benigne fovet, largiter bonis omnibus ditat: ſalvam denique ab omni noxa tranquillamque præſtat. *Vectes* enim *portarum à Deo firmari* dicens, intelligit ſanctam urbem optime Dei præſidio munitam eſſe, ut ſibi ab hoſtibus metuere non debeat. Eodem ſpectat altera quæ paulo poſt ſequitur loquutio *cunctos ejus fines poſitos eſſe pacem*, Divinitus ſcilicet arceri hoſtes, ne quid moleſtiæ ac turbarum faceſſant. Non quod ſemper omni ex parte pacata ſit Eccleſia, nullaſque incurſiones ſuſtineat: ſed quia manum ſuam Deus ad impetus repellendos manifeſte opponit ut ſecure hoſtes in circuitu deſpiciat. niſi forte latius extendere placeat nomen *pacis*: ſicut plerumque pro ſecundo & felici ſtatu ſumitur. Sed quia fit mentio finium, videtur prior ille ſenſus melius quadrare. Deinde adjungitur interior Dei benedictio, qua fit ut proſpere & beate in ea cives habitent: & ſimul large ad ſatietatem uſque paſcantur. non quod ſemper filiis Dei ſuppetant lautitiæ, quæ eos corrumperent: ut nimis propenſa eſt caro ad laſciviam: ſed quia in victu quotidiano clarius Dei liberalitatem perſpiciunt quam increduli, quos vel excæcat ſua ſagina, vel inopia miſera ſolicitudine cruciat, vel etiam inſatiabilis cupiditas ſemper urit. Præſertim vero olim Patribus ſub Lege paternus Dei favor in victus abundantia patefactus eſt: quia talibus rudimentis altius tunc deduci oportuit.

15. Dum emittit eloquium ſuum terræ, valde celeriter currit ſermo ejus.	15 השלח אמרתו ארץ עד מהרה ירוץ דברו׃

16. Qui dat nivem ſicut lanam, pruinam quaſi cinerem ſpargit,

17. Projicit glaciem ſuam quaſi fruſta: coram frigore ejus quis conſiſtet?

18. Mittit ſermonem ſuum, & liquefaciet ea: flabit ſpiritus ejus, fluent aquæ.

19. Annunciat ſermones ſuos Jacob, edicta ſua & judicia ſua Iſraëli.

20. Non fecit ſic cuilibet genti, & judicia non manifeſtavit illis. Halelu-Ja.

16 הנתן שלג כצמר כפור כאפר יפזר׃

17 משליך קרחו כפתים לפני קרתו מי יעמד׃

18 ישלח דברו וימסם ישב רוחו יזלו מים׃

19 מגיד דברו ליעקב חקיו ומשפטיו לישראל׃

20 לא עשה כן לכל גוי ומשפטים בל ידעום הללו יה׃

15. *Dum emittit.*] Rurſus operum Dei, quæ in naturæ ordine paſſim refulgent, quaſdam ſpecies attingit. Sed quia aëris & terræ mutationes, quæ teſtimonia eſſe debebant potentiæ ejus, mundus fortuito contingere imaginatur: antequam de nive, pruina & glacie Propheta diſſerat, diſerte exprimit ejus imperio & nutu terram regi. *Emiſſio* enim *ſermonis* nihil aliud eſt quam arcanus motus, quo omnia moderatur & temperat: quia niſi jubente ipſo & ordinante, nulla in elementis eſſet agitatio: nec proprio inſtinctu huc vel illuc ferrentur, niſi præiret arcanum ejuſdem mandatum. *Velociter* autem dicit *ſermonem currere*: quia ſimulac oſtendit Deus quid fieri velit, præſto ad parendum concurrunt omnia. Quod principium niſi tenemus, quantumvis ſubtiliter excutiamus medias cauſas, tota noſtra perſpicacia evaneſcet. Sicuti Ariſtoteles in meteoris acumen ſuum ita exercuit, ut de cauſis naturalibus exactiſſime diſputet: omittat tamen præcipuum hoc caput, in quo rudiſſimus quiſque idiota, vera ſaltem pietate imbutus, eum ſuperat. Nam plus quam inſipidum eſſe oportet quem tam ſubitæ nives ac pruinæ de hac verbi Dei celeritate non docent. Itaque niſi velimus præpoſtere in operibus Dei philoſophari, ſemper ab hoc principio incipere convenit, ſingulas mundi partes ad Dei arbitrium intentas eſſe, ut totus naturæ curſus nihil aliud ſit quam prompta eorum quæ mandavit executio. Nam certe dum ſe aquæ conglaciant, dum per aërem ſpargitur grando, dum pruinæ cælum obſcurant, hinc apparet quam efficaciter loquatur. Quod ſi major pars mundi ad hæc tot miracula obſtupeſcit, frigoris aſperitas qua obrigeſcunt corpora, nos Dei potentiam mirari cogat. Nam certe quum æſtate nos torreat ſolis calor: deinde hyems ſuccedens, omnia contrahat: mutatio hæc quæ extra uſum incredibilis eſſet, aperte clamitat aliquod regnare in cælis numen.

19. *Annunciat ſermones ſuos Jacob.*] Hic alterius ſermonis quam paulo ante, fit mentio: quia aliter creaturis ſenſu carentibus præcipere dicitur Deus, quas arcana inclinatione tacitus in obſequium ſuum dirigit, quam hominibus intelligentia præditis, quos articulate docet ut ſcientes & volentes ſequantur quo ipſe vocat. Etſi autem quæ prius recenſuit beneficia non vulgari pretio digna ſunt, hoc tamen longe præcellit, quod in tradenda pietatis doctrina, quæ æternæ ſalutis theſaurus eſt, magiſtri officio erga electum populum fungi dignatur. Quantulum enim hoc prodeſſet, caducis bonis affluere Eccleſiam, & ab hoſtium violentia defendi, ſi ſpes ejus ſupra mundum non aſſurgeret? Hoc igitur ſummum gratiæ ſpecimen eſt, cæleſtis vitæ lucem in verbo ſuo proponere. Ideoque non abs re, tanquam veræ & ſolidæ felicitatis cumulus hic apponitur. Hinc vero diſcamus, non modo reverenter piaque obſervantia excipere Dei doctrinam, ſed amanter quoque amplecti: quia nihil ſuavius vel optabilius fingi poteſt, quam Deum ſalutis noſtræ curam ſuſcipere, idque familiariter teſtari dum porrecta manu ad ſe nos ducit. Hic enim ſcopus eſt doctrinæ, ut in denſis hujus mundi tenebris, & inter tot flexuoſos errores, quibus humanum genus vagum circumagit Satan, nobis præluceat optimus pater donec in cæleſtem hæreditatem colligamur. Notandum vero aſcribi Deo partes quas ejus mandato executi ſunt Moſes & Prophetæ: quia tunc demum pietatis doctrinæ juſtus defertur honos, & pro ſuo merito æſtimatur, ubi in Deum erigimus mentes: qui ſic hominum utitur opera, ut ſibi interim ſummi & unici doctoris munus minime abroget. Ergo ab auctoris perſona hic ſua aſſeritur verbo majeſtas: & tandem gratiam illam comparatione amplificat Propheta, *non ita reliquis Gentibus factum eſſe* admonens. Nam ſi quæritur cauſa cur populum unum reliquis Deus prætulerit, certe ad fontem gratuitæ electionis præſtantia ipſa nos deducet: quia reperiemus non propria virtute differre filios Iſraël à reliquo mundo, ſed quia ipſos Deus reliquis præteritis adoptare dignatus eſt.

ARGUMENTUM PSALMI CXLVIII.

Quo melius & efficacius exprimat quam laudabilis in ſuis operibus ſit Deus, creaturas omnes ſurſum & deorſum ad canendas ejus laudes advocat. Quamvis enim incipiat ab Angelis, ſtatim ad bruta animalia, mutaque elementa ſermonem extendit: ſignificans nullam eſſe mundi partem in qua non reſonent Dei laudes: quia ubique Deus clarum & diſertum teſtimonium potentiæ ſuæ, bonitati & ſapientiæ reddit. Tandem ad homines delabitur: quos ipſe legitimos laudum ſuarum præcones in hoc mundo conſtituit. Sed quia increduli ſicuti ad conſideranda Dei opera cæci ſunt, ita etiam muti ad celebrandum ejus nomen, Propheta in fine pſalmi filios Iſraël quibus ſe propius Deus patefecit, quaſi peculiares teſtes compellat.

PSALM. CXLVIII.

HAlelu-Ja. Laudate Jehovam è cælis, laudate eum in excelſis.

2. Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes exercitus ejus.

3. Laudate eum Sol & Luna, laudate eum omnes ſtellæ lucidæ.

1 הללויה הללו את יהוה מן השמים הללוהו במרומים׃

2 הללוהו כל מלאכיו הללוהו כל צבאיו׃

3 הללוהו שמש וירח הללוהו כל כוכבי אור׃

4. Lau-

4. Laudate eum cæli cælorum, & aquæ ſupercæleſtes.	4 הללוהו שמי השמים והמים אשר מעל השמים :
5. Laudent nomen Jehovæ: quia ipſe mandavit, & creata ſunt:	5 יהללו את שם יהוה כי הוא צוה ונבראו :
6. Et ſtatuit ea in perpetuum, in ſeculum poſuit illis edictum, & non præteribit.	6 ויעמידם לעד לעולם חק נתן ולא יעבור :

L*Audate Jehovam.*] Videtur tam ſtellas quam Angelos hic complecti, atque adeo cælum ipſum, aërem, & quicquid illic gignitur: quia continuo poſt ſequitur partitio, ubi Angelos primo, deinde ſtellas & aquas cæleſtes hortatur. Quantum ad Angelos ſpectat, quia ideo conditi ſunt ut in hoc pietatis officio ſint aſſidui, non mirum eſt locari eos in primo ordine, ubi de laudibus Dei prædicandis agitur. Ideo in illa memorabili viſione quæ Jeſaiæ 6. v. 3. refertur, clamant Cherubim, Sanctus, Sanctus, Sanctus Jehova exercituum. Et pluribus aliis locis Scriptura Angelos Deum talibus elogiis celebrantes inducit. Quibus ergo ſtimulis indiget tanta alacritas? Quod ſi incitandi forent, quid tamen minus conſentaneum, quam nos qui tanta ſegnitie torpemus, ſuſcipere hortandi partes? Ergo David qui non modo Angelos zelo non æquabat, ſed procul ſequebatur, nequaquam idoneus illis eſſe hortator potuit. Sed neque tale fuit ejus conſilium: imo ſimpliciter teſtari voluit nihil ſibi eſſe gratius, vel magis optabile, quam pio cum electis Angelis conſenſu Deum laudare. Nec vero abſurdum fuit, quo ſe alacrius accingeret ad celebrandas Dei laudes, Angelos qui ſponte currebant, imo viam monſtrabant, vocare ſocios. Eoſdem in ſecunda parte verſus vocat *exercitus Dei*: quia ſemper ad excipienda Dei juſſa præſto adſunt. Myriades enim myriadum (ut eſt apud Daniëlem) ſolium ejus circumdant. *Daniel. 7. verſ. 10.* Transfertur hoc nomen etiam ad ſtellas, tum quia mirabili ordine diſtinctæ ſunt, tum quod incredibili celeritate exequuntur Dei mandata. Sed hic eadem ratione Angeli dicuntur exercitus, qua alibi Principatus & poteſtates: *Coloſſ. 1. verſ. 16.* quia per ipſorum manum virtutem ſuam Deus exerit.

3. *Laudate eum Sol & Luna.*] Non ſuffragatur hic locus Platonis delirio, qui ſtellas finxit ſenſu & intelligentia pollere. Neque enim Propheta eas nunc in eodem locat gradu quem nuper attribuit Angelis, ſed tantum ſignificat, ubique fulgere Dei gloriam, quaſi laudes ejus perſonarent clara voce. Quo etiam oblique perſtringitur hominum ingratitudo: quia hanc melodiam audiet quiſquis vel pauxillum attentus erit ad conſideranda Dei opera. Sol enim tam fulgore ſuo, quam calore, aliiſque ſingularibus donis, annon opificem ſuum celebrat? Stellæ quum peragunt curſum ſuum, cæloſque ornando terram illuſtrant, an non etiam ebuccinant Dei laudes? Quia autem nos ſurdi & ſtupidi ſumus, merito eas advocat teſtes Propheta, ut tarditatem noſtram corrigant. Jam quod nominat *cælos cælorum*, ad ſphæras haud dubiè referri debet. Nam eclipſes, aliique aſpectus palam oſtendunt tam ſtellas fixas ſuperiores eſſe planetis, quam planetas ipſos diverſis orbibus ſitos eſſe. Hanc artificii præſtantiam non abs re commendat Propheta, cælos cælorum diſerte exprimens: non quod re ipſa plures ſint cæli, ſed quia non poteſt ſatis magnifice extolli admirabilis Dei ſapientia quam in cælis creandis adhibuit: Solem, Lunam, & ſtellas confuſe non permiſcens, ſed ſingulis aſſignans proprium ſitum & domicilium, multiplices etiam curſus moderans. Jam quum ſub nomine cælorum aërem comprehendat, vel ſaltem quicquid ſpatii eſt à media regione aëris ſurſum, pluvias vocat aquas ſupercæleſtes. Neque enim ulla ratio eſt cur fingant quidam aquas reſidere ſuper quatuor elementa. Et Prophetæ pluviæ deſcenſum clare notat quum dicit aquas illas deſuper. Nimis etiam ſerviliter literæ ſe aſtringunt qui imaginantur quoddam in cælis mare, acſi illic ſemper aquæ reſideant: quum ſciamus Moſen & Prophetas, ut ſe acommodent ad rudiſſimi cujuſque captum, populariter ſolere loqui. Ideoque præpoſterum eſſet, quæ apud eos leguntur, ad Philoſophiæ regulas exigere. ſicuti hoc loco, quod Deus aquas in aëre ſuſpenſas teneat, hoc miraculum commendat Propheta, quia hoc videtur præter naturam eſſe ut in ſublime conſcendant: deinde quum fluidæ ſint, tamen conſiſtant in loco vacuo. Ideo alibi dictum fuit, teneri illic *Pſal. 33. verſ. 7.* quaſi utribus incluſas. Interea formam loquendi mutuatus eſt Propheta à Moſe, qui dicit aquas fuiſſe *Geneſ. 1. verſ. 6.* diſtinctas ab aquis.

5. *Laudent nomen.*] Quia de creaturis ſenſu carentibus verba facit, tranſit ad tertiam perſonam: unde colligimus, hactenus in ſecunda perſona loquutum eſſe, quo magis afficeret homines. Neque enim aliam exegit laudem, niſi ex qua diſcamus neque à ſe ipſis ortas eſſe ſtellas, neque fortuito pluvias creari: quia quum tam præclara potentiæ Dei documenta aſſidue ante oculos noſtros verſentur, opificem fœdo ſtupore præterimus. Itaque emphaticum eſt pronomen *Ipſe*: ac ſi diceret Propheta, non eſſe mundum æternum, ſicuti ſomniant profani homines, neque ex atomis conflatum, ſed Dei mandato repente extitiſſe pulcherrimum hunc qui cernitur, ordinem. Porro de creatione loquutus, addit quod magis obſervatu dignum eſt, præceptum illis dediſſe quod inviolabile manet. Multi enim, licet concedant mundum divinitus creatum eſſe, poſtea tamen labuntur ad frigidas imaginationes, ac ſi nunc per ſe ſtaret naturæ ordo, Deus vero in cælis dormiret. Merito itaque Propheta hic inſiſtit, cæleſtes creaturas non modo ſemel à Deo eſſe conditas, ſed ejuſdem arbitrio nunc moveri: nec tantum ſemel illis inditam eſſe arcanam virtutem, ſed dum funguntur ſuis partibus, impendere Deo ſuam operam ac miniſterium ad deſtinatos uſus.

7. Laudate Jehovam è terra dracones, & omnes abyſſi:	7 הללו את יהוה מן הארץ תנינים וכל תהמות :
8. Ignis & grando, nix & glacies, ſpiritus procellæ faciens verbum ejus:	8 אש וברד שלג וקיטור רוח סערה עשה דברו :
9. Montes & omnes colles, arbor fructifera, & omnes cedri,	9 ההרים וכל גבעות עץ פרי וכל ארזים :
10. Beſtia & omne jumentum, reptile, & avis pennata.	10 החיה וכל בהמה רמש וצפור כנף :

7. *Laudate.*] Jam ad inferiores mundi partes deſcendit: quanquam iterum non ſatis exacto ordine quæ in aëre gignuntur, ut fulgura, nivem, gelu & procellas, permiſcet. debebant enim hæc potius in priori claſſe ſtatui: ſed ad communem hominum captum reſpexit. Summa huc tendit: quocunque vertamus oculos, ubique nobis occurrere potentiæ Dei teſtimonia. Et incipit à cetis: quia quum mox adjungat *abyſſos*, non dubito quin per תנינים marinos piſces intelligat, quales ſunt balenæ. Nec vero abſurdum eſt, ex mari quod tot miraculis refertum eſt, proferri laudum Dei materiam. Poſtea ad *grandines, nives & procellas* aſcendit, quas dicit *facere verbum Dei*: quia neque cælum fortuito obnubilatur, neque gutta pluviæ ex nubibus decidit, neque tonitrua excitantur, ſed arcano Dei arbitrio reguntur omnes iſtæ mutationes, ſive terras irrigans teſtari velit hominibus bonitatis ſuæ dulcedinem: ſive procellis, grandinibus, aliiſque incommodis caſtigare eorum peccata. Multiplicem enim uſum continet hæc doctrina, ut ſciamus quoties impendet penuria, quamvis terra continuo æſtu exuſta areſcat, in promptu Deo eſſe pluviam, quæ ſimul ac annuerit Deus, ſiccitatem tollat. Si vero continuis imbribus putreſcat in terra ſemen, vel non perveniant ad maturitatem fruges: tunc quoque petenda eſt à Deo ſerenitas. Jam ſi mentes noſtras percellant tonitrua, Propheta admonet invocandum eſſe Deum, cujus eſt ſedare omnes motus, ſicuti in nos iratus ſua manu fulminat. Neque enim tam frigide debet accipi hæc doctrina, ac ſi virtutem ſibi ab initio inditam proferrent creaturæ, Deus autem ſe oblectaret in otio, ſicuti balbutiunt profani homines: ſed præcipue tenendum eſt, Deum proſpicere ſuis creaturis, nec quicquam niſi præſenti ejus arbitrio moveri, ſicuti Pſalmo 104. verſ. 4. vidimus ventos eſſe ejus nuntios, & miniſtros ejuſdem eſſe ignes urentes.

11. Reges terræ & omnes populi, Principes & omnes Judices terræ:	11 מלכי ארץ וכל לאמים שרים וכל שפטי ארץ׃
12. Juvenes atque etiam virgines, ſenes cum pueris.	12 בחורים וגם בתולת זקנים עם נערים׃
13. Laudent nomen Jehovæ: quia excelſum eſt nomen ejus ſolum, laus ejus ſupra terram & cælos.	13 יהללו את שם יהוה כי נשגב שמו לבדו הודו על ארץ ושמים׃
14. Et exaltavit cornu populi ſui: laus omnibus manſuetis ejus, filiis Iſraël, populo qui propinquus eſt ei. Halelu-Ja.	14 וירם קרן לעמו תהלה לכל חסידיו לבני ישראל עם קרובו הללו יה׃

11. *Reges terræ.*] Tandem ad homines vertit ſermonem, quorum reſpectu præconium laudum Dei tam à terrenis quam à cæleſtibus creaturis exegit. Et quia Reges ac proceres excæcat ſuæ dignitatis ſplendor, ut mundum ſua cauſa conditum eſſe putantes, Deum ſuperbe contemnant: peculiariter eos ad officium hortatur, & ab ipſis exordium faciens, eorum ingratitudinem coarguit, quod præ aliis Deo obſtricti, eum tamen debita laude fraudent. Nam certe quum ab ipſa origine æqualis ſit generis humani conditio, quo quiſque altius eminet, propiuſque ad Deum accedit, ſanctiore vinculo obſtringitur ad prædicandam ejus gratiam. Quo minus ferenda eſt iſta malignitas, dum ſe à communi lege eximunt Reges & Proceres, qui duces aliis & magiſtri eſſe debuerant. Uno quidem verbo hortari poterat cunctos mortales, ſicuti etiam generaliter populos compellat: ſed ter *Principes* repetens, ſignificat, niſi urgeantur, ad officium hoc pigros & tardos eſſe. Sequitur deinde ſexuum & ætatum partitio, ut ſine exceptione intelligant omnes, ſe creatos eſſe in hunc finem: ideoque promiſcue debere ſuas operas & ſtudia conjungere. Quantum ad *ſenes* ſpectat, quo longius produxit Deus eorum vitam, eo magis exercitatos eſſe convenit in canendis ejus laudibus: illis tamen ſocios adjungit *juvenes*: qui tametſi minus habent experientiæ ex longo uſu, excuſabiles tamen non ſunt, niſi in ſuo vigore ſentiant vim gratiæ Dei. Ubi loquitur de puellis aut *virginibus*, particula גם hoc eſt etiam, ſupervacua non eſt. amplificationis enim cauſa inſeritur: ac ſi diceret, ipſas quoque adoleſcentulas quæ non tam liberaliter docentur ut maſculi, quia videntur ad domeſtica officia natæ, ceſſare tamen in officio niſi laudandi Dei partes ſimul cum reliqua Eccleſia obeant. Unde ſequitur, à minimo uſque ad maximum communi hac lege omnes obſtringi.

14. *Et exaltavit cornu.*] Quia ſuperiore Pſalmo vidimus luculentius in Eccleſia ſpectari Dei virtutes quam in univerſo mundi opificio, ideo hanc clauſulam appoſuit Propheta, Dei manu protegi Eccleſiam, virtuteque armari contra cunctos hoſtes: ut in mediis periculis tuto tamen habitet. Per *cornu* ſatis notum eſt robur vel dignitatem notari. Itaque nunc intelligit Propheta conſpicuam eſſe Dei benedictionem in Eccleſia & electo populo, quia nonniſi ejus virtute viget ac floret. Subeſt autem tacita comparatio inter Eccleſiam Dei & omnes adverſas poteſtates, quia neceſſe eſt Dei præſidio muniri quæ undique impetitur. Hinc colligit Propheta *laudem* eſſe *omnibus* Dei *manſuetis*, quia ſcilicet pro ſingulari qua eos dignatur, gratia, habent cur ſibi gratulentur, nomenque ejus prædicent. Jam filios Iſraël vocans *populum Deo propinquum*, in memoriam reducit gratuitum fœdus quod cum Abraham Deus pepigerat. Unde enim iſta propinquitas, niſi quod obſcurum & contemptum inquilinum Deus populis omnibus prætulit? Neque enim extra merum Dei amorem quærenda eſt dignitatis ratio. Quum autem peræque ad Deum pertineat totus orbis, familiariter ſe patefecit filiis Iſraël, propinquoſque ſibi reddidit, qui non minus alieni erant quam totum Adæ genus. Unde illud Moſis, Quum diſcerneret Excelſus gentes, ac diſtribueret populos, extendit in Jacob funiculum ſuum. Cauſam ergo oſtendit cur tam præclaris donis populum unum, exiguum & contemptum ornaverit Deus, quia eum ſibi adoptavit. *Deut. 32. verſ. 8.*

Argumentum Pſalmi CXLIX.

Si Pſalmum hunc cum ſuperioribus, & cum proximo qui ultimus erit, conferre libeat, hoc ſolum eſt diſcrimen; quod antehac peculiarem gratiam qua Deus Eccleſiam ſuam fovet ac tuetur, generali providentiæ qua mundum ſuſtinet, permiſcuit Propheta quiſquis fuerit Pſalmi auctor: nunc tantum de beneficiis diſſerit quibus Eccleſiam ſuam proſequitur. Proximo autem Pſalmo ſolum in genere fiet potentiæ Dei mentio.

Pſalm. CXLIX.

HAlelu-Ja. Cantate Jehovæ canticum novum: laus ejus in cœtu manſuetorum.	1 הללויה שירו ליהוה שיר חדש תהלתו בקהל חסידים:
2. Lætetur Iſraël in factore ſuo: filii Sion exultent in Rege ſuo:	2 ישמח ישראל בעשיו בני ציון יגילו במלכם:
3. Laudent nomen ejus in tibia, in tympano & cithara pſallant ei:	3 יהללו שמו במחול בתף וכנור יזמרו לו:
4. Quia complacuit Jehovæ in populo ſuo: glorificabit pauperes in ſalutem.	4 כי רוצה יהוה בעמו יפאר ענוים בישועה:

CAntate.] Exordium hoc comprobat quod nuper dixi, hanc ſcilicet exhortationem reſtringi ad ſolos fideles: quia uberiorem laudis materiam illis ſuppeditat rara, qua privatim eos proſequitur Deus, beneficentia. Ac probabilis conjectura eſt, eo tempore fuiſſe compoſitum quo exulabat populus, vel poſtquam reverſus eſt in patriam ab exilio Babylonico. Videbimus enim in contextu promitti reſtitutionem collapſi ſtatus. Meo autem judicio, animum addere voluit fidelibus Propheta ad ſperandum plenam redemptionem, cujus præludia repente & præter ſpem in exitu permiſſo extiterant. Nam quia non ſtatim inſtaurata fuit Eccleſia, imo vix longo temporis progreſſu colligere potuit vigorem, hæc conſolatio apprime utilis fuit. Voluit etiam Spiritus ſanctus futuris malis mederi: quia vix reſpirare cœperat Eccleſia quum variis incommodis rurſum vexata fuit: oppreſſa etiam dira tyrannide Antiochi, quam ſequuta eſt horrenda diſſipatio. Quare non abs re ad ſperandum gratiæ Dei complementum pios animat Propheta, ut ſtatuant, manu Dei ſe protectum iri, donec ſurgat tandem Meſſias, qui colligat totum Iſraëlem. *Canticum* enim *novum*, ut alibi vidimus, vulgaribus opponitur, quibus quotidie celebrantur Dei laudes inter pios: ſicuti hæc continua eſt eorum exercitatio. Unde ſequitur, de raro & inſolito Dei beneficio haberi ſermonem, quod inſignem & exquiſitam gratiarum actionem merito ſibi vendicat. Ac mihi videtur quiſquis fuerit auctor Pſalmi, ad illum Jeſaiæ
Jeſa. 42. verſ. 10. locum alludere, Cantate Domino canticum novum: ubi de futura Eccleſiæ reſtitutione & æterno Chriſti regno concionatur. Secundo membro ſubeſt promiſſio, aut vaticinium. Quamvis enim hortari pergat fideles ad mutuam laudum Dei ſymphoniam, fore tamen oſtendit ut rurſum coaleſcat Eccleſia in unum corpus ad celebrandas in ſolenni conventu Dei laudes. Scimus enim ſic disjectos fuiſſe Iſraëlitas, ut ceſſarent apud eos ſacra cantica, ſicut etiam
Pſal. 137. verſ. 3. alibi queruntur ſe fuiſſe cum ludibrio provocatos ad canendum, Quomodo cantabimus cantica Jehovæ in terra aliena? Hortatur ergo ut ex illa triſti diſperſione rurſus ſe ad habendos ſacros cœtus comparent.

2. *Lætetur Iſraël.*] In eodem argumento adhuc inſiſtit, ut certo ſibi perſuadeant fideles, non fruſtra genus ſuum electum eſſe ex toto mundo, ſed Deum ſemper memorem fore ſui fœderis, ne concidant ac extinguantur quæ in illos collatæ erant gratiæ. Quamvis ergo ablata ad tempus illis eſſet hæreditas terræ Chanaan, quæ teſſera erat adoptionis, Propheta Deum nominat eorum *factorem, & Regem filiorum Sion*, ut in memoriam revocent, quum fuerunt adoptati ut ſupra alias gentes excellerent, hanc ſpeciem fuiſſe novæ creationis. Ita Pſal. 95. verſ. 6. vocantur Iſraëlitæ opus manuum Dei, non tantum quia ab ipſo creati erant ut reliqui homines, ſed quia eos refinxerat, & ornaverat nova dignitate, ut eſſent à toto genere humano ſegregati. Nomen *Regis* longius patet: quia admonet Propheta, non modo ſemel hunc populum fuiſſe à Deo formatum, ſed in hunc finem ut perpetuo ejus imperio regatur. Muſica inſtrumenta quorum meminit, ad tempus pædagogiæ pertinent: ne ſtulta æmulatione in uſum noſtrum trahamus quod proprium fuit veteri populo Confirmat autem Propheta quod nuper dixi, brevi reſtituendos qui ad tempus aboliti fuerant, ſacros cœtus, ubi Dei nomen legitimo ritu invocent.

4. *Quia complacuit.*] De verbo רצה alibi vidimus: hic gratuitum favorem exprimit: acſi diceret Propheta, Deum mero beneplacito adductum fuiſſe ut hunc ſibi populum eligeret. Ex hoc fonte fluit quod additur ſecundo membro, Deum afflictis daturum novum ſalutis decus. ענוים enim vocant Hebræi pauperes & afflictos: ſed hoc nomen poſtea ad manſuetos transferunt: quia domari ſolet carnis ſuperbia afflictionibus, ſicuti ſatietas ferociam parit. Opportuno igitur ſolatio mitigat Propheta præſentium malorum triſtitiam, ut fideles ærumnis dejecti, ſpe tamen ad gloriam, quæ nondum cernitur aſpirent. Summa eſt: quia populum electum Deus amore complexus eſt, fieri non poſſe ut perpetuo in tantis miſeriis deſerat.

5. Exultabunt manſueti in gloria, jubilabunt in cubilibus ſuis.	5 יעלזו חסידים בכבוד ירננו על משכבותם:
6. Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladius anceps in manu eorum:	6 רוממות אל בגרונם וחרב פיפיות בידם:
7. Ad faciendam vindictam in Gentibus, caſtigationes in populis:	7 לעשות נקמה בגוים תוכחות בלאמים:
8. Ad vinciendos Reges eorum catenis, & Proceres eorum compedibus ferreis:	8 לאסר מלכיהם בזקים ונכבדיהם בכבלי ברזל:

9. Ad

9. Ad faciendum in illis judicium ſcriptum : decor hic omnibus manuetis ejus. Halelu-Ja.

9 לַעֲשׂוֹת בָּהֶם מִשְׁפָּט כָּתוּב הָדָר הוּא לְכָל חֲסִידָיו הַלְלוּיָהּ:

5. *Exultabunt.*] Hic lætitiam, jubilum & magnificam Dei exaltationem nominans, ab effectu clarius probat ſe non de vulgari Dei beneficio diſſerere: quia niſi mirabiliter ſervatus fuiſſet populus, non erat cauſa tantæ lætitiæ, atque etiam triumphi. quibus etiam verbis admonet, non ideo reductum eſſe populum ab exilio ut ſtatim iterum diffluat, ſed ut floreat omni genere benedictionis. Atque ideo *cubilium* meminit, ut ſub Dei protectione diuturnam requiem fideles ſperarent. Instructos quoque armis & potentia fore denuntiat non modo ad hoſtes arcendos, ſed etiam longe lateque profligandos, donec Reges & populos quibus prius fuerant obnoxii, ad obſequium cogant. *Gladios* autem *duplicis oris* vel *ancipites* intellige, qui utrinque ſcindunt: quia tunc vulgo una erat gladiis acies.

7. *Ad faciendam vindictam.*] Hoc certe tam exilii tempore quam poſt reditum incredibile prorſus erat. Nec vero ante Chriſti adventum impletum fuit. utcunque enim Machabæi & eorum poſteri victis Gentibus jugum impoſuerint, fuit tamen hoc duntaxat umbratile præludium, quod pias mentes alio duceret. *Hagg. 2. verſ. 10.* Sed quemadmodum Haggæus tunc clamabat gloriam ſecundi templi majorem fore quam prioris: ita hic promittitur ſtatus felicior quam omnibus ſeculis extitiſſet. Ergo quamlibet imminuti eſſent Judæi, reſque eorum acciſæ, denuntiat Propheta cunctis Gentibus, quæ moleſtæ & infeſtæ fuerant, dominaturos. Ergo quum tributarii eſſent, ac tantum precario habitarent Hieroſolymæ, fide eos amplecti oportuit quod videri poterat pro ſenſu carnis fabuloſum, & animos attollere ad immenſam Dei potentiam, quæ facile omnia mundi obſtacula ſuperat. Vindictam de qua loquitur, intellige non quam ipſi Iſraëlitæ privati doloris impulſu ſumpturi erant, ſed Dei mandato: ne quis hinc colligat, nobis licere injurias noſtras ulciſci. Proximus verſus, ubi *Regum* & *procerum* fit mentio, amplificationem continet: quia ſi tantum de populis & Gentibus loquutus eſſet, reſtringi hoc poterat ad ignobiles & gregarios. Hoc autem longe ſplendidius, Reges quoque & alios primores catenis ad ſupplicium trahi. Porro tenendum ſemper memoria eſt quod nuper attigi, donec apparuit Chriſtus, nunquam dimidiam tanti ſplendoris partem conſpectam fuiſſe. Nam etſi populi opes non parum auctæ fuerunt ſub Machabæis, vix tamen hoc in rationem venire debet, niſi quatenus illo remedio labentem populum Deus ſuſtinuit uſque ad Chriſti adventum. Tenendum enim eſt vaticinium illud Jacob, *Gen. 49. verſ. 10.* Non exibit ſceptrum è Juda, donec veniat Silo. Atqui ex alia tribu oriundi erant Machabæi. Unde ſequitur, legitimum ordinem tunc fuiſſe diſſipatum, nec poſſe magis in illis victoriis fundari felicem populi ſtatum, quam ſi quis ædificium in aëre ſuſpendat. Et videtur conſulto Deus tunc imperium abſtuliſſe à tribu Juda, ne proſperitas illa inebriaret piorum animos: ſicuti major pars inſignibus illis victoriis ſuperbiens, veram & ſolidam redemptionem neglexit. Quum ergo de perfecta populi felicitate hic diſſerat Propheta, ſequitur eum reſpicere ad Meſſiam, ne ejus ſpes ac deſiderium in cordibus piorum tam proſperis quam adverſis rebus evaneſceret.

9. *Ad faciendum.*] Mitigat ſuperiores ſententias, quibus ad ſævitiam populum Dei armare viſus eſt. Hoc vero prima ſpecie abſurdum erat, qui paulo ante vocati fuerant manſueti, nunc ſtrictis gladiis emitti ad ſtrages ubique edendas, fundendumque humanum ſanguinem. quid enim hoc cum manſuetudine affine habet? Sed ubi Deus ipſe vindictæ eſt author, rectum judicium eſt, non crudelitas. Itaque quum hic fit mentio *judicii ſcripti*, admonet Propheta Judæos Dei mandato fuiſſe armatos ad libertatem, qua injuſte ab exteris & tyrannis privati erant, vindicandam. atque ita non poſſe culpari, quod executi ſint judicium ſcriptum. Frigide enim exponitur hic locus ubi non tenetur hoc Prophetæ conſilium, quod ſcilicet Judæos ad præceptum Dei revocet, nequid ſuſcipiant propria libidine, frænumque injiciat ad cohibendum eorum fervorem: acſi diceret; non aliam permitti vindictam filiis Dei, niſi quæ vocationi reſpondeat: quia ubi quiſque proprio impetu fertur, nullus eſt moderationi locus. Objici etiam poſſet alia quæſtio nam ſicuti Chriſtus veniſſe dicitur ſine clamore & ſtrepitu, ut calamum quaſſatum non confringat, ita eandem ſuis perſonam imponit. *Mat. 12. verſ. 20.* ſolutio tamen facilis eſt, Chriſtum ſimul ferreo ſceptro armari, quo rebelles omnes conterat: & alibi deſcribi ſanguinolentum, qui cæſis paſſim hoſtibus, cædendo tamen non fatigetur. *Jeſa. 63. verſ. 2.* Nec vero mirum eſt, quum totus mundus plenus ſit contumacia, clementiam quæ indigne reſpuitur, in ſeveritatem converti. Jam doctrina hæc ſic in uſum noſtrum probe accommodari poterit, quod de gladio ancipiti dicitur, peculiariter competere in Judæos, nobis proprie non aptari, quibus idem juris hodie permiſſum non eſt, niſi quod Principes & Magiſtratus gladio etiam divinitus ſunt inſtructi ad puniendam omnem violentiam: ſed ſpecialis eſt vocatio. Quantum ad totum Eccleſiæ corpus ſpectat, alius nunc gladius nobis datur in manum, verbi ſcilicet, ac Spiritus, *Epheſ. 6. verſ. 17.* quo mactemus Deo in ſacrificium qui prius fuerant hoſtes; vel etiam quo eos tradamus in æternum exitium niſi reſipiſcant. Nam quod de Chriſto vaticinatur Jeſaias, *Jeſa. 11. verſ. 4.* ad omnia ejus membra patet, Conficiet impium verbo oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet. Si inter has vocationis ſuæ metas placide ſe contineant fideles, ſentient tandem non fruſtra promiſſam illis eſſe vindictam de hoſtibus. Deus enim (ut nuper dixi) ad judicium ſcriptum nos revocans, tam animos noſtros quam manus coërcet, ne plus audeamus quam ipſe præcipit. In fine verſus *decorem hunc omnibus Dei manſuetis fore* dicens, non ſolum nos hortatur ad pietatis ſtudium, ſed etiam ſolatium adhibet, ne putemus jacturæ fore noſtram manſuetudinem ac patientiam, ſicuti major pars ideo ad ferociam ebullit, quia non putat ſe vitam ſuam poſſe aliter tueri, quam ululando cum lupis. Ergo quamvis fideles neque robuſti ſint inſtar Gigantum, nec digitum movere audeant ſine Dei juſſu, animis etiam placidi ſint, decorum tamen ac ſplendidum exitum omnibus eorum miſeriis fore Propheta docet.

ARGUMENTUM *hujus* PSALMI ULTIMI

Petatur ex proximo.

HAlelu-Ja. Laudate Deum in Sanctuario ejus, laudate eum in firmamento potentiæ ejus.	1 הללויה הללו אל בקדשו הללוהו ברקיע עזו׃
2. Laudate eum in fortitudine ejus, laudate eum pro multitudine magnitudinis ejus.	2 הללוהו בגבורתיו הללוהו כרב גדלו׃
3. Laudate eum in clangore buccinæ, laudate eum in nablo & cithara:	3 הללוהו בתקע שופר הללוהו בנבל וכנור׃
4. Laudate eum in tympano & tibia, laudate eum in chordis & organo:	4 הללוהו בתף ומחול הללוהו במנים ועגב׃
5. Laudate eum in cymbalis ſonitus, laudate eum in cymbalis jubilationis.	5 הללוהו בצלצלי שמע הללוהו בצלצלי תרועה׃
6. Quicquid ſpirat, laudet Deum. Halelu-Ja.	6 כל הנשמה תהלל יה הללויה׃

1. *Laudate Deum.*] Pſalmus hic in genere commendat ſpiritualem Dei cultum, qui laudum ſacrificio conſtat. Per *Sanctuarium* minime dubium eſt hoc loco cælum intelligi, ſicut alibi ſæpe. Secundum enim membrum exegeticum eſt, quia idem repetitur. Atqui pro Sanctuario ponitur רקיע, hoc eſt cæli expanſio: cui additur epitheton *potentiæ*, quia illic relucet inæſtimabilis Dei virtus, ut cælorum conſpectu, in illius admirationem nos rapi neceſſe ſit. Nam quod exponunt quidam, Laudate vos Angeli Deum qui cælos incolitis, & vos homines qui habitatis ſub firmamento: coactum eſt ac remotum, quum Propheta quo melius homines expergefaciat, qui alioqui frigent in canendis Dei laudibus, jubeat oculos attollere in cæleſte Sanctuarium. Denique ut juſtam reverentiam in mundo obtineat Dei majeſtas, eum in cæleſti ſolio præſidentem Propheta inducit: & eandem ſententiam continuat ſecundo verſu, potentiam Dei, ejuſque magnitudinem celebrans, quam in cælo quaſi in ſpeculo propoſuerat. Ergo ſi vere cupimus animos noſtros accendi ad hoc pietatis exercitium, veniat nobis in mentem immenſa Dei potentia & magnitudo, quæ facile nobis omnem torporem excutient. Etſi enim tantam immenſitatem non capiunt mentes noſtræ, ſolus tamen guſtus ſerio nos afficiet. Deus autem quas pro modulo noſtro obtulerimus laudes non reſpuet.

3. *Laudate eum in clangore.*] De Hebraicis vocibus quæ muſica inſtrumenta ſignificant, non laboro: tantum meminerint lectores, hic multas ſpecies referri quorum uſus viguit ſub Legali cultu, quo melius exprimat non poſſe nimis ſedulo ſatagere Dei filios in celebrandis Dei laudibus: ac ſi juberet ſtrenue conferre ad hoc pietatis officium quicquid habent, & in eo penitus occupari. Neque etiam abs re Deus ſub Lege olim exegit multiplices illos cantus, ut à vanis, imo perverſis oblectamentis quibus nimis cupide dediti ſunt homines, ad ſanctam utilemque lætitiam traduceret ſuorum animos. Exultat enim mira licentia caro noſtra, ut etiam portenta quædam ſibi multi excogitent ad ſeſe oblectandos, interim ſumma illis voluptas eſt Dei memoriam ſupprimere. Hæc pravitas non aliter corrigi potuit niſi Deus multis frænis atque aſſiduis exercitiis retineret infirmum & rudem populum. Ideo Propheta hortari fideles volens, ut totum ſuum gaudium in Dei laudes profundant, coacervat quæcunque tunc in uſu erant muſica inſtrumenta, & admonet debere omnia conſecrari in Dei cultum.

6. *Quicquid ſpirat.*] Quia vox נשמה halitum vel flatum ſignificat, & quicquid eſt animatum, vel ſpirat: ideo poſſet extendi ſententia hæc ad omne genus animantium: ſicut Pſalmis ſuperioribus vidimus, creaturis etiam ſenſu carentibus attribui præconium laudum Dei. Sed quemadmodum ſub carnis nomine ſæpe intelliguntur ſoli homines, ita etiam minime abſurdum erit, ſermonem ad homines dirigi, qui tametſi vitalem ſpiritum communem habent cum brutis animalibus, præ aliis tamen nomen ſpirantium ſicut viventium obtinent. Ut ita accipiam, hæc me ratio movet: hactenus enim populum Legalibus ceremoniis aſſuetum hortatus Propheta ad canendas Dei laudes, ſeſe ad totum humanum genus tandem convertit: venturum tempus tacite oſtendens, quo ubique reſonabunt eadem cantica quæ tunc nonniſi in Judæa audiebantur. Atque hoc vaticinio nos in eandem ſymphoniam Judæis conjuncti fuimus, ut aſſiduis laudum ſacrificiis colatur Deus inter nos: donec collecti in regnum cæleſte, cum electis Angelis canamus perpetuum halelu-Ja.

F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Eorum quæ in his

IN LIBRUM PSALMORUM

COMMENTARIIS EXPONUNTUR.

Prior numerus Pſalmum, alter vero verſum Pſalmi oſtendit.

A.

ABimelech, nomen Regibus Philiſtinis commune. 34. 1
Abnegatio ſui ipſius quid. 19. 13. & 45. 11. & 95. 11
Abraham quondam idololatriæ permiſſus. 105. 8
Abrahæ filii cum reliquo mundo conferuntur. 24. 1
Abrahæ filii duplices. 68. 26. & 69. 35. & 78. 8. & 86. 9. & 87. 5. & 97. 8. & 115. 11
Abrogatio ceremoniarum. 40. 8
Abrogatio cultus legalis. ibid.
Acceſſus ad Deum nonniſi puris ejus cultoribus patet. 15. 1
Achis Rex Philiſtinorum. 34. 1
Adæ lapſu totum genus humanum à nativa ſua origine excidit. 8. 6
Adeps pro faſtu. 17. 10
Adoptio gratuita Deum nobis propitium reddit. 103. 13
Adoptionis noſtræ finis. 102. 19
Adulatio malum non minus peſtiferum quam vulgare. 15. 4
Adulatio damnatur. 12. 4. & 15. 4. & 18. 3
עֵדוּת quid. 19. 8
Ægretatio pro quovis incommodo vel triſtitia. 35. 13
Affectus diverſi in piorum orationibus inter ſe aliquando confligunt. 44. 3
Affectus humani cur Deo interdum tribuuntur. 14. 4
Afflictiones unde. 43. 3
à Deo. 38. 3. & 42. 8. & 88. 7. & 105. 16. & 118. 18. peccatis noſtris imputandæ. 38. 5. piis ac impiis communes. 37. 19. & 109. 8. cur piis immittuntur. 41. 2. cur variæ hominibus immittuntur. 42. 8. non ſemper ſunt iræ Dei ſigna. 6. 2. piis non noxiæ. 42. 6. 7. Vide afflictionum utilitas. æquo animo ferendæ. 109. 28. Chriſti & fidelium communes. 17. 2
Afflictionum brevitas. 30. 6
finis. 6. 3. & 41. 2. utilitas & fructus. 6. 2. & 30. 8. 9. & 34. 19. 20. & 39. 6. & 44. 1. & 52. 14. & 94. 12. & 119. 71
Afflictionum tempore quid agendum. 5. 8. & 6. 2 & 39. 2
אַיֶּלֶת pro cerva, ſeu initio vulgaris cantilenæ. 22. 1
עֲלָמוֹת initium celebris carminis. 9. 1. & 46. 1
Ambulare coram Deo quid. 116. 9. & 119. 168
Ambulare in latitudine. 119. 44
Ambulare in luce vivorum quid. 56. 14
Ambulare in rebus magnis. 131. 1
Amicitia fucata quam noxia. 41. 7. & 55. 13. 21. & 62. 5
אֻמְלַל metaphorice ſumptū, pro dejici & frangi. 6. 2
Amor Dei, vide Dei amor.
אֱמוּנַת pro firma diuturnitate. 37. 3
Anabaptiſtæ quo prætextu ſe ſpirituales jactant. 71. 14
Angeli ſub figura Cherubim repræſentati. 18. 11
non adorandi. 89. 7. & 96. 4. quomodo dii dicantur. 95. 4. cur deorum filii. 89. 7. cur legitimi principatus vocentur. 35. 6. ſemper parati ad capeſſenda Dei juſſa. 103. 19. 21. & 104. 3. judiciorum Dei miniſtri. 78. 44. ſalutis piorum miniſtri. 34. 8. & 35. 6. & 55. 19. & 68. 18. & 91. 11. ad quid conditi. 148. 2. cur principatus & poteſtates dicantur. ibid.
Angelorum præcipua exercitatio. 103. 19
Anima pro corde. 69. 2
Anima pro vita. 31. 6
Anima pro parte vitali. 44. 26
pro ſede intelligentiæ & affectuum. 3. 3. & 103. 1
Animæ vita, Lex. 19. 8
Animam effundere quid. 42. 5
Animam geſtare in manu quid. 119. 109
Animam quærere quid. 54. 4. & 142. 5
Animam ſuam cur unicam vocet David. 35. 17
Animæ corporibus exutæ intelligentia non privantur. 6. 6
Animarum immortalitas. 49. 16. & 115. 17
Animalia bruta à Dei providentia pendent. 145. 15
quomodo in Deo ſperare dicantur. ibid.
Antiochi ſævitia & tyrannis in populum Dei. 44. 13 & 129. 1
Anthropopathia. 10. 1
עֲנָוִים qui Hebræis. 34. 3
אֲפִיקִים quid. 18. 16
Apoſtatæ & degeneres Gentiles dicti. 10. 16
Apoſtolorum libertas in citandis Scripturæ locis. 8. 6. & 40. 8
Aquæ elementum terra ſuperius. 24. 2. & 33. 7. & 104. 9
Aquæ cur ſuper quatuor elementa reſideant. 148. 3
Aquæ pro tribulationibus. 69. 2
Aquæ in aere ſuſpenſæ. 148. 3
Aquarum moles excelſæ ſupra terræ ſitum. 104. 9
Aquilæ natura. 103. 4
Aquilæ ſenectus, proverbium. ibid.
Arca fœderis, cur Jehova dicebatur. 47. 6
Arca fœderis, cur ſcabellum Dei. 99. 5. & 132. 7
Arca fœderis præſentiæ Dei pignus & ſymbolum. 20. 3. & 27. 8. & 47. 6. & 106. 19. & 132. 8. & 138. 1
Ariſtidis gloriatio. 86. 1
Ariſtotelis locus. 19. 7. & 127. 3. & 147. 15
Arrogantia Idumæorum. 44. 14
Ars incantandi. 58. 5
Artes malæ fugiendæ. 37. 11
אָסַף pro congerere in acervum. 26. 9
אֲשֶׁר pro expletiva vel exegetica particula. 8. 1
אֲשֶׁר pro quia. 47. 5
Aſtutia cavenda. 37. 11
Aſtutia Rebeccæ vitioſa. 34. 1
Aſtutia Satanæ. Vide Satanæ aſtutia.
Avaritia damnatur. 39. 7. & 112. 3. 10. & 119. 36
Auguſtinus Hebraicæ linguæ imperitus. 58. 2
Auguſtini dictum de humilitate. 9. 21
lepidum reſponſum ad Donatiſtas. 26. 5
locus. 18. 21. & 31. 20. & 85. 11. & 88. 6. & 99. 5. & 101. 1. & 115. 3. & 118. 25
אָוֶן quid. 55. 4
עוֹלָם quid Hebræis. 66. 7. & 73. 12
עוֹף quid Hebræis. 31. 10. & 38. 5. & 40. 13
Aures perforare quid. 40. 7

B.

BAal-peor Madianitarum idolum. 106. 28
Babylonis excidium. 137. 8
Beatus quis cenſendus. 1. 1. & 4. 7. & 16. 11. & 32. 1. & 34. 9. & 40. 5. & 119. 1. & 128. 1
Beatitudo extra Deum nulla. 48. 3
בְּלִיַּעַל quid. 18. 5. & 41. 9
Benedicere quid. 5. 13
Benedictio Dei. Vide Dei benedictio.
Benedictiones temporales non ſemper conſpicuæ. 37. 19. & 128. 3
Benedictiones Dei terrenæ ad ejus conſilium reſtringuntur. 37. 33
Beneficentia quam præclara virtus. 72. 13
commendatur. 34. 15. & 37. 27. & 112. 5. 9
Beneficia quæ in proximos noſtros conferuntur, in uſum noſtrum ſunt accommodanda. 5. 12
Beneficia Dei, vide Dei beneficia.
Beneficiorum Dei recordatio ſpem fovet. 4. 2. & 9. 2. & 22. 10. & 25. 5. & 27. 1. 3. 9. & 31. 5. & 42. 10. & 44. 3. & 61. 4. & 71. 17. & 77. 12. & 89. 50
Beneficiorum Dei abuſus. 23. 5
Benevolentia fraterna colenda. 16. 3
Boatus Papiſticus. 47. 6
Bonitas pro effectu ſuo capitur. 31. 20
Boni malis permiſti. 1. 1. & 15. 1. & 22. 24. & 24. 3. & 26. 5. & 37. 19. & 50. 4. & 52. 10. & 79. 10. & 101. 8. & 133. 3. & 135. 5
Bonum omne ex gratuita Dei miſericordia. 6. 3. 5
Boni & mali diſcrimen ex ſola Dei Lege petendum. 19. 9
Brachium conterere quid. 10. 15
Brevitas afflictionum, vide Afflictionum brevitas.
Brevitas humanæ vitæ, vide Vita.

C.

כָּבוֹד pro lingua. 16. 9. & 57. 9
כָּבוֹד pro memoria. 7. 6
Cæcitas Judæorum. 22. 17
Cadere à conſiliis quid. 5. 11
Cæſaris dicterium. 48. 5
nomen Romanis Imperatoribus commune. 34. 1
כָּחַשׁ quid Hebræis. 18. 45. & 81. 16
Calamitates non temere oriuntur. 105. 16
Calamitates bonis & malis communes. 37. 19. & 109. 8. & 112. 4
Calix ſalutum. 116. 13
Calumniatores maxime noxii. 35. 1
Canticum novum quid. 33. 3. 5. & 40. 3. & 149. 1
Caro pro vanis hominibus. 78. 39
Caro pro ſolis hominibus. 145. 21
Carnis ſecuritas. 30. 8. & 119. 13
Caſtigationum finis. 89. 31
Caſtitas ſpiritualis, Verbo Dei adhærere. 106. 39
Cathari refelluntur. 26. 5
Catonis locus. 15. 5
Cauſa interdum effectui ſuo ſubjicitur. 26. 11
Cauſa pro ſuo effectu. 145. 16
Cautio ſtulta & futilis. 40. 6
Ceremoniarum abrogatio. 40. 8
Ceremoniarum uſus. 21. 27
Certamen Chriſti cum morte. 22. 16
Cervi certis anni temporibus ardenter aquas expetunt. 42. 2
Charitas mutua commendatur. 133. 3
Charitas fraterna colenda. 16. 3
Charitas erga omnes. ibid.
Chriſtus Deus æternus. 33. 6. & 45. 7
Deus manifeſtatus in carne. 21. 14. hominum & Angelorum caput. 8. 6. caput Eccleſiæ. 40. 8. quomodo vitam ſuam Patri commendavit. 31. 6. fidelium cuſtos. 89. 19. infra omnes dejectus. 22. 7. cur ad nos deſcendit. 18. 2. quomodo è morte ereptus. 22. 20. quibus formidabilis. 110. 7. Eccleſiæ fundamentum. 118. 25. quatenus à Patre genitus. 2. 7. germen. 132. 17. imago Dei. 97. 9. verus Immanuel. 132. 2. judex mundi. 21. 5. 9. & 101. 8. cur lapis angularis. 118. 25. carnis infirmitate minime lapſus. 22. 2. infirmitatibus carnis noſtræ citra corruptelam duntaxat obnoxius. 22. 15. ſolus mediator. 50. 14. & 84. 9. & 110. 4. Rex æternus. 18. 51. & 21. 5. & 132. 12. Rex gloriæ. 24. 8. Rex & Sacerdos. 110. 4. & 132. 12. multa à linguis mendacibus paſſus. 27. 12. aceto potus. 69. 21. piorum paſtor. 23. 4. cur Eccleſiæ præfectus. 22. 31. quomodo ſe à Deo derelictum queſtus fuerit. 22. 2. ſemen Davidis. 18. 51. Angelis ſuperior. 8. 6. & 89. 27. vivit in æternum. 61. 7. ferreo ſceptro armatus. 149. 9
Chriſti affectus minime vitioſi. 22. 15
in cælum aſcenſus. 68. 19. horribile cum morte certamen. 22. 16. Divinitas, vide Chriſtus Deus. dominatio. 110. 2. exaltatio. 21. 4. 5. hoſtes qui. 45. 4. hoſtium horrendus interitus. 21. 9. nomen extingui non poteſt. 45. 18. populus voluntarius. 72. 15. & 110. 3. ſumma poteſtas. 2. 9. & 72. 11. & 110. 5. 7. potentia adverſus hoſtes. 149. 9. regimen ſpirituale. 72. 8
Chriſti regnum æternum. 21. 5. ampliſſimum. 65. 3. & 72. 8. 17. & 110. 3. omnium celeberrimum. 110. 3. opulentiſſimum. 72. 15. perpetuum. 18. 51. & 21. 3. & 72. 17. ſpirituale. 2. 4. ſacerdotio conjunctum. 2. 4. & 110. 4. quam charum & pretioſum. 21. 11
Chriſti regni præſtantia. 68. 17. regno nunquam hoſtes defuturi. 21. 9. reſurrectionis præconium. 22. 32. ſceptrum. 45. 2. 17. & 47. 4. ſponſa. 45. 11. zelus. 69. 10
Chriſti & Eccleſiæ ſacra conjunctio. 45. 1
Chriſti cum Melchiſedec comparatio. 110. 4
Chriſti & Solomonis collatio. 45. 7
Chriſto quomodo omnia ſubjecta. 8. 7
quomodo tribuuntur fidelium vitia. 40. 8
Chriſtum ſedere ad dexteram patris. 110. 1
Chus, Saulis conſanguineus. 7. 1
כִּי varie ſumitur apud Hebræos. 32. 21
כִּי pro particula adverſativa. 37. 20. & 44. 10
כִּי pro quamvis. 8. 4. & 18. 18
כִּי pro אֲשֶׁר. 22. 38
כִּי loco adverbii temporis. 27. 10
Ciborum delectus ſublatus. 24. 1
Ciceronis locus. 15. 4. & 45. 14. & 115. 4
Claudicatio pro caſibus adverſis. 35. 15. & 38. 18
Claudicatio Jacob patriarchæ. 22. 2
Clementia, Regum dos propria. 4. 4
Cæli mutatio teſtis præſentiæ Dei. 18. 9
Cæli pro univerſa mundi machina. 33. 6
quomodo teſtes ac præcones gloriæ Dei. 19. 1
omnium populorum veluti concionatores. 19. 4
quomodo pereunt. 102. 26
Cælorum antiquitas gloriam Dei illuſtrat. 68. 32
inclinatio quid. 18. 9
ſermo qualis. 19. 3. 4
Cœnæ Dominicæ uſus. 110. 4
Communicatio ſanctorum. 16. 3
Conceſſio ironica. 4. 3
Conciliatio quorundam locorum Scripturæ ſacræ. 8. 3. 6. & 16. 10. & 19. 7. 9
Concilium Lateranenſe & ejus decretum. 19. 13
Nicænum ſecundum. 48. 9
Concilii Nicæni bruta cæcitas. 131. 7
Concordia fraterna commendatur. 133. 1
Concordia piis neceſſaria. ibid. Vide Charitas fraterna.
Confeſſio oris neceſſaria. 116. 10
Confeſſio peccatorum qualis requiritur. 19. 13
Confeſſio auricularis à Papiſtis conficta evertitur. 19. 13. & 32. 5
Conſcientia bona, optima fultura & ingens theſaurus. 4. 2. & 69. 5. & 71. 4. & 86. 1. & 109. 1. & 116. 7.
Conſcientia bona optimum patrocinium. 109. 1
felicis vitæ fundamentum. 1. 3
magnum in afflictione ſolatium. 55. 2
Conſcientiæ bonæ integritas fideliſſima benedictionum Dei cuſtos. 112. 2
Conſcientiæ puritas unde. 35. 11
Conſcientiæ bonæ teſtimonium, magni momenti eſt coram Deo. 35. 19
Conſcientiæ rectæ ſtudendum. 31. 23
Conſcientia mala, ſæviſſimus carnifex. 32. 2. & 55. 24
Conſilium impiorum quid. 1. 1
Conſolatio ex Scripturis petenda. 94. 18
Conſolatio fidelium, vide Fidelium conſolatio.
Conſolationis munus Prophetis injunctum. 74. 9
Conventus ſacri Divinitus præſcripti. 84. 2
Converſio pro diverſa voluntate. 7. 13
Copula ו amplificandi cauſa poſita. 31. 12. vide Et.
Cor hominum in manu Dei. 105. 25. & 106. 46. & 109. 12. & 119. 36
Cor totum pro integro vel ſincero. 9. 2
Cordis duplicitas quid. 12. 3
Cordis rectitudo, Dei donum. 86. 11
Cordis integritas ſervanda. 22. 2. & 26. 2
Cordis & linguæ ſymphonia requiritur. 15. 2
Cornu pro robore vel dignitate. 148. 14
Corporis humani inæſtimabile artificium. 139. 15
Correctionum utilitas. 141. 5
Creatio mundi ad Dei providentiam nos deducit. 33. 6

Creatio-

Creationis noſtræ finis. 89. 47
Creaturæ omnes ad Dei laudes incitantur. 103. 22
Creaturæ ratione carentes quomodo Deo obediant. 147. 19
Credulitas nimia damnatur. 15. 3
Crudelitas quam Deo exoſa & abominabilis. 14. 4. & 94. 5
Crudelitas ſemper ſuperba. 10. 3
Culpæ & pœnæ Papiſtica diſtinctio. 32. 1
Cultus quis Deo gratus. 66. 4, 17
Cultus coactus vel ſervilis Deo minime probatus. 1. 1
Cultus legalis celebri encomio commendatus. 24. 7
Cultus legalis abrogatio. 40. 8
Cultus Dei, vide Dei cultus.
Cupiditas opes congerendi damnatur. 39. 7. vide Avaritia.
Curæ fervidæ & præcipites damnantur. 39. 7
Cyrus quomodo beatus. 137. 8

D.

DArius quomodo beatus. 137. 8
David à puero formatus ad pietatem. 32. 4
David licet nervoſus, humilis tamen ſtaturæ fuit. 18. 35. magna animi manſuetudine præditus. 18. 38. non eſt omnium Pſalmorum author. 42. 1. & 44. 1. communis Eccleſiæ doctor. 42. 1. quatenus paſtor. 28. 9. ad Pſalmos legendos fideles hortatur. 1. 1. ſpiritu prophetico in Chriſtum maxime reſpexit. 11. 1. quomodo Angelis præſtantior. 89. 27. & 110. 1. imago capitis Eccleſiæ. 69. 1. mirabiliter ex multis mortibus ereptus. 141. 7. typus Chriſti. 18. 38, 44. & 20. 1, 10. & 41. 10. & 69. 10, 21. & 89. 27. & 109. 3. & 110. 1. & 118. 25. & 140. 1. qualis Rex. 101. 2. cur ſe Dei ſervum nominat. 18. 1. & 19. 14. & 23. 1. & 36. 1. & 143. 10. cur Deum ſuum appellat. 18. 7. & 22. 2. & 31. 15. ſtrenue vocationem ſuam ſequutus. 18. 22. feſtis diebus ſacros conventus frequentavit. 42. 1. ſuis opibus minime excæcatus. 23. 5. à primo ætatis flore, toto fere vitæ tractu variis afflictionibus exercitus. 18. 1. & 27. 12. & 30. 6. & 38. 9. variis calumniis expoſitus. 7. 1. & 13. 1. & 18. 21. & 27. 12. & 31. 12, 13. & 35. 1. & 119. 12. linguis fallacibus circumventus. 109. 2, 3. ſiniſtris criminationibus obnoxius. 64. 4. clandeſtinis artibus oppreſſus. 55. 13. ex confuſo & deſperato ſtatu materiam ſperandi petit. 9. 10. Dei præſidio fretus ferme hoſtibus ſuis inſultat. 27. 1. an Spiritus Sancti inſtinctu veſaniam ſinxerit coram Rege Achis. 34. 1. patria extorris unice optabat in templo Domini habitare. 27. 4. quam dolenter ferebat a Sanctuario arceri. 42. 2, 7. & 43. 3. de ſe in aliorum perſona loquitur. 40. 1. de Solis circuitu populariter loquitur. 19. 5. de terræ ſitu philoſophice non diſputat. 24. 2. non fuit humanæ infirmitatis expers. 38. 11. mali gravitate victus ſtultas & temerarias voces profudit. 39. 4. aliquid perturbationis paſſus. 39. 14. proſperitate interdum abuſus. 30. 7. cur ſuam conditionem miſeram eſſe queratur. 22. 7. cur fidem ſuam ejuſque perſeverantiam celebret. 25. 15. quomodo ſuam juſtitiam coram Deo allegat. 18. 21. quomodo integritatem ſuam jactet coram Deo. 7. 9. & 25. 21. quo jure ſibi immunitatem à morte promiſerit. 16. 10. quomodo ſibi beatam vitam in mundo promittat. 41. 3. quo affectu hoſtibus ſuis imprecatus fuerit. 55. 16. & 59. 5. & 69. 23, 30. & 109. 6, 12, 17. creatus à Deo vindex Eccleſiæ. 60. 10. ſuam ignorantiam fatetur. 73. 22. & 86. 11. certamen habuit cum falſis criminibus. 57. 5. cur templi meminerit quum nondum extructum eſſet. 68. 29. non ſine lucta hoſtes ſuos vicit. 60. 21. cur mortem tantopere exhorruerit. 6. 6. & 30. 10. unico Deo teſte contentus. 143. 9
Davidis agitatio. 116. 7, 11
Davidis conſcientia bona. 7. 6, 10. & 11. 3, 7. & 58. 2, 7. & 69. 5. & 71. 4. & 109. 17. & 116. 7
Davidis conſtantia. 38. 6
Davidis culpa multiplex. 51. 5
Davidis dies. 116. 2
Davidis electio Saulis dominationem ſepelivit. 68. 26
Davidis exilium calamitoſum. 11. 1
Davidis hyperbolica eloquutio. 6. 7. & 18. 5, 16. & 22. 4. & 46. 3. & 78. 61. & 144. 5
Davidis fides vacillavit. 22. 2
Davidis fides nunquam in eo extincta. 40. 13
Davidis rara fortitudo. 116. 7
Davidis ſancta gloriatio. 18. 26. & 27. 1, 3, 5. & 109. 28
Davidis hoſtes implacabiles. 35. 20
Davidis hoſtium duo genera. 41. 7
Davidis hoſtium malitia. 26. 3
Davidis integritas & innocentia. 7. 4, 6, 9, 10. & 11. 3, 7. & 17. 3. & 18. 22, 23. & 25. 15, 21. & 26. 1, 2, 11. & 27. 12. & 28. 3. & 35. 7, 19. & 38. 20. & 41. 1. & 58. 2, 7. & 86. 2
Davidis manſuetudo. 38. 14
Davidis inſignis modeſtia. 18. 1. & 23. 1
Davidis lucta ardua cum propria infirmitate. 143. 6
Davidis nomen magnum & celebre fuit inter vicinas gentes. 22. 18
Davidis patientia. 26. 3. & 39. 3. & 69. 4. & 71. 7. & 119. 147. & 130. 5
Davidis continua peregrinatio. 56. 9
Davidis regnum in Dei beneplacito fundatum. 18. 51
Davidis regnum umbratile. 2. 1
Davidis ſtultitia. 30. 8
Davidis tentationes graviſſimæ. 42. 4
Davidis vitæ brevitas. 21. 5
Davidis zelus purus. 18. 38. & 42. 11. & 69. 10
דוד quid. 28. 2
Deliciæ temporales velut ſomnia evaneſcunt. 16. 11
Deriſores qui dicantur. 1. 1
Deſertum pro feris ipſis ſumptum. 29. 7
Deſperationis ſignum. 30. 4
Deus quomodo in cælis. 115. 3. & 123. 1
Deus Epicuri qualis. 44. 24
Deus quomodo quærendus. 28. 2. & 105. 4
Deus perſonarum acceptor non eſt. 115. 12
Deus mortis ac vitæ arbiter. 31. 16
Deus ſolidi gaudii author. 65. 9
Deus cur bonus & rectus prædicatur. 25. 8
Deus in ſuis promiſſis certus, verus ac conſtans. 12. 7
Deus pura mente colendus. 1. 1. & 2. 12. & 4. 6
Deus ſuorum perpetuus cuſtos, Vide Deus ſuorum curam gerit.
Deus nemini debitor. 16. 2
Deus in ſuis promiſſis quaſi voluntarius debitor. 110. 58
Deus omni laude dignus. 18. 4
Deus fidelis & verax. 31. 6. & 54. 7. & 89. 31, 35
Deus cur interdum & quibus formidabilis inducitur. 29. 5. & 68. 4. & 76. 8. & 103. 9
Deus exercituum cur dictus. 59. 5
Deus hæreditas fidelium. 16. 5. & 73. 26
Deus totius mundi judex. 1. 6. & 5. 5. & 7. 9. & 9. 7, 17. & 11. 4. & 14. 2. & 26. 1. & 35. 24. & 38. 21. & 43. 1. & 50. 6. & 58. 12. & 59. 5. & 73. 21. & 75. 7. & 70. 10. & 94. 8. & 109. 13. & 119. 155
Deus cur juſtus vocetur. 103. 17
Deus fidelium liberator perpetuus. 68. 14, 20
Deus natura miſericors. 25. 6
Deus in cælo minime otioſus. 9. 9. & 10. 14. & 11. 4. & 35. 22. vide Dei providentia.
Deus populi ſui paſtor. 28. 9. & 55. 23. & 77. 20. & 78. 52. & 80. 2. & 95. 7
Deus non eſt malarum cauſarum patronus. 7. 4. & 9. 5. & 43. 1. & 58. 7
Deus pater noſter. 103. 13
pater miratius. 104. 15
Deus ubique præſens. 66. 5
Deus quibus propitius. 3. 2
Deus Rex æternus. 10. 16. & 29. 10. & 145. 10
Deus Rex totius mundi. 24. 1
Deus cordium ſcrutator. 7. 10. & 17. 3. & 139. 1
Deus Servator ſperantium. 17. 7
Deus ſemper ſui ſimilis. 22. 4. & 30. 3. & 40. 10, 11. & 138. 8. & 143. 6
Deus promiſſionum ſuarum tenax. 3. 4
Deus verax. 31. 6. & 105. 8. & 116. 11. & 117. 1
Deus ſcelerum ultor. 5. 6
Deus quomodo dicitur non amare ſacrificia. 40. 7
Deus variis modis ſuis auxiliatur. 109. 26
Deus nunquam ab officio ſuo ceſſat. 7. 12
Deus ſola obedientia colitur. 1. 1
Deus cur homini ebrio confertur. 78. 65
Deus opus manuum ſuarum non deſerit. 4. 4. & 57. 2. & 138. 8
Deus cur auxilium ſuum interdum differt. 9. 10, 14, 19. & 10. 1, 14, 18. & 12. 6. & 13. 3. & 18. 28. & 22. 25. & 25. 6. & 27. 14. & 33. 19. & 34. 10, 19, 23. & 35. 17. & 37. 13, 31, 34. & 40. 2. & 83. 10. & 105. 19, 23
Deus cur pœnas impiorum differat. 2. 4. & 5. 5. & 21. 9. & 34. 16. & 36. 13
Deus quando verè exaudit. 13. 4. & 78. 26
Deus quomodo reprobos excæcat. 69. 28
Deus quomodo per angelos reprobos ſua judicia exercet. 35. 6
Deus ſpem verbo ſuo datam minime fruſtratur. 48. 8
Deus ſuorum curam gerit. 1. 6. & 3. 9. & 5. 13. & 11. 7. & 12. 8. & 14. 5. & 17. 7, 13. & 18. 28. & 23. 1. & 25. 9. & 27. 10. & 31. 6, 17. & 32. 10. & 33. 18, 20. & 34. 8, 10, 16, 21, 23. & 36. 6, 7. & 37. 9, 15, 28, 32. & 41. 13. & 46. 6. & 47. 10. & 48. 4, 15. & 97. 10. & 99. 4. & 116. 15. & 121. 4. & 128. 2. & 135. 13
Deus mortuorum etiam curam gerit. 9. 13
Deus quomodo in templo habitabat. 24. 8
Deus quomodo ſuos inſtituat. 16. 7
Deus quomodo peccatoribus iraſci dicatur. 6. 2
Deus num electis ſuis iraſcatur. 74. 1
Deus quomodo in piorum perſona læditur. 5. 12
Deus variis modis ſuos liberat. 118. 15
cor & animum intuetur. 66. 17. & 119. 1. & 139. 4.
Deus quomodo ſemel loquutus. 62. 12
Deus quomodo piorum laudibus magnificatur. 69. 31
Deus humano captu non metiendus. 90. 2
Deus quomodo placandus. 143. 2
Deus fide poſſidetur. 16. 7
Deus in verbo & Sacramentis ſe nobis conſpiciendum præbet. 27. 8
Deus nos prævenit, non contra. 25. 8
Vide Dei gratia nos prævenit.
Deus quomodo hoſtes ſuos profliget. 8. 3
Deus cur in Davidem propenſior fuit quam in Saulem. 18. 8
Deus duobus modis quæritur. 9. 11
Deus tribus modis docet homines. 143. 10
Deus quomodo regnat. 99. 1
Deus quomodo peccata patrum in ſinum filiorum rejicit. 21. 11
quomodo ſuis mercedem juſtitiæ rependit. 18. 21
Deus ſolus ſervat. 3. 9
Deus verus hominum doctor. 147. 19
Deus unus ac ſolus piis omnibus ſufficit. 16. 5. & 18. 32. & 31. 6. & 37. 4. & 39. 8. & 73. 25, 27. & 77. 14. & 119. 57
Deus quomodo ſurgere dicatur. 9. 20. & 10. 12. & 74. 22. & 76. 10. & 102. 14
Deus quomodo populum ſuum vendiderit. 44. 13
Deus quærentis vivere dicitur. 18. 47
Dei æternitas quomodo conſideranda. 102. 14, 24
amor erga Eccleſiam immenſus. 6. 9. & 27. 10. & 34. 8. & 44. 4. & 68. 8. & 69. 4. & 85. 2. & 103. 8, 13
amor præcipuum caput pietatis. 18. 2
arca, præſentiæ Dei ſymbolum. 105. 4. Vide Arca fœderis.
auxilium humano ſenſu non metiendum. 3. 7. & 68. 20
auxilium nunquam deeſt in ſuo curſu pergentibus. 4. 4
benedictio piis promiſſa. 24. 5. & 25. 13
benedictio, fons & cauſa bonorum omnium. 37. 21, 27. & 115. 12
benedictio terram fœcundat. 132. 15
benedictio arcana juſtos locupletat. 37. 16
benedictio etiam externa in regno Chriſti. 85. 13
benedictio non ſemper æquali modo perſpicitur. 37. 27
benedictiones ad præſentem vitam ſpectantes non perpetuæ. 91. 15
beneficentia nunquam exhauritur. 84. 12. & 89. 18. & 104. 15
beneficentia per ſingulos annorum circuitus conſpicua. 65. 12
erga omnes beneficentia. 145. 9. & 147. 9
beneficia unde fluant. 28. 8
beneficia gratuita. 23. 3
beneficia priora ſpem augent, vide beneficiorum Dei recordatio.
beneficia non defunctorie reputanda. 116. 12
beneficiorum abuſus. 23. 5
beneplacitum non ex nuda experientia cognoſcitur. 41. 12
bonitas ſalutis noſtræ cauſa. 13. 6
bonitas immenſa. 8. 4. & 115. 16. & 145. 8
bonitas quaſi peculiaris theſaurus piis deſignatur & reconditur. 17. 7. & 25. 10. & 31. 17, 20. & 33. 2
bonitas quomodo guſtanda. 71. 14
bonitas cum hominum infidelitate & malitia certat. 31. 23. & 106. 43
bonitas potius ſentitur quam auditur. 145. 7, 9
brachium pro inſigni ejus virtute. 77. 15
clementia magna. 103. 11
clementia ejus potentiæ conjuncta. 62. 12
cognitio vera. 17. 8
cognitio quam neceſſaria. 62. 10. & 67. 3. & 103. 7
cognitio invocationem parit. 91. 14
cognitio qualis in reprobis. 83. 18, 19
conſilium quid. 33. 11
conſilium in verbi ſpeculo inſpiciendum. 25. 14 & 33. 11
conſilia quomodo expendenda. 40. 6
cultores qui. 103. 17
cultus verus & legitimus quis. 16. 3. & 22. 26. & 33. 18. & 50. 4, 23. & 54. 8. & 66. 3. & 100. 1
cultus in ejus amore ſitus. 18. 2
cultus ex ejus notitia. 22. 28
cultus ex fide oritur. 99. 8. & 119. 78
cultus ſpiritualis. 4. 6. & 40. 7. & 135. 2
cultus voluntarius. 54. 8. & 66. 3
cultus dupliciter vitiatus. 78. 58
facies lucida quid. 67. 2
diſcipuli quales eſſe debeant. 19. 8
dona cur ſæpe ſine effectu effluant. 33. 17
facies quid. 4. 7. & 27. 8, 9. & 31. 17. & 42. 6. & 67. 2
fœdus arcanum. 25. 14
gloria infinita. 108. 19. & 113. 5
gloria in ejus operibus conſpicua. 19. 1. & 104. 1. & 135. 5
gloria quanti facienda. 109. 26
gloria in ſola Eccleſia vera celebratur. 29. 9. & 33. 1
gratia fons bonorum omnium inexhauſtus. 37. 26. & 112. 5
gratia, unica piis lux vitæ. 6. 9
gratia ſatis exhilarat. 43. 3
gratia intra hujus caducæ vitæ fines minime includenda. 30. 6
gratia quomodo æſtimanda. 27. 10
gratia quam nobis neceſſaria. 19. 13. & 31. 21
gratia ante oculos ſtatuenda tempore afflictionis. 5. 8
gratia homines prævenit, non contra. 25. 8. & 33. 12. & 65. 5. & 67. 2. & 89. 21. & 105. 6, 17. & 110. 2. & 119. 10. & 144. 3
gratia non æqualiter omnibus diſtribuatur donec repudiata fuerit. 81. 12
Dei gratiæ abuſus. 8. 4
gratiæ cognitio ex verbo petenda. 43. 3
gratiæ tenor continuus erga fideles. 25. 9. & 28. 1. & 30. 6. & 33. 22. & 36. 11. & 37. 26. & 40. 11. & 41. 13. & 44. 2, 5, 9. & 127. 3
gratiæ teſtes idonei qui. 42. 6
imperium minime tyrannicum. 99. 4
erga ſuos indulgentia. 6. 4. & 19. 12. & 20. 7. & 22. 3. & 26. 9. & 40. 14. & 44. 24. & 89. 35, 36, 47. & 99. 8. & 102. 3. & 104. 15. & 105. 8. & 106. 23, 31. & 116. 14. & 127. 2
ira ſub cæli caligine depicta. 18. 9
ira cur tineæ confertur. 39. 12
ira quam gravis. 32. 4
ira quam metuenda. 18. 9. & 39. 12. & 42. 5
ira brevis. 30. 6
Dei iræ ſenſus neceſſarius. 32. 3. & 39. 12
iræ conjungenda ſunt peccata noſtra. 38. 4
Dei judicia æquiſſima. 145. 17
occulta. 28. 5
recta. 9. 9. & 19. 9
quomodo altitudo impiis. 10. 5
cur abyſſo conferuntur. 36. 7
incomprehenſibilia. 28. 5. & 36. 7. & 109. 13. & 115. 3
judicia pertimeſcenda. 119. 120
Dei juſtitia quid. 40. 11

Dei

Dei juſtitia pro fide quam piis præſtat in mundo eorum vita. 5. 9. & 7. 18. & 22. 32. & 31. 2. & 48. 11. & 71. 14, 16. & 99. 4. & 116. 5
pro ejus bonitate. 51. 16
pro vitæ ſanctitate. 69. 28
Dei juſtitia quomodo conſideranda. 11. 7
Dei laudes in ore noſtro quomodo perſonandæ. 34. 3
Dei laudes publicæ & toto vitæ noſtræ curſu celebrandæ. 9. 15. & 18. 50. & 26. 7, 12. & 34. 4. & 40. 10. & 103. 22. & 111. 1. & 113. 2. & 119. 102. & 145. 1
ab omnibus celebrandæ. 148. 11. & 150. 6
Dei erga ſuos liberalitas. 13. 2, 5. & 19. 11. & 30. 9. & 89. 47. & 99. 8. & 104. 15. & 115. 12. & 116. 12. & 145. 16
Dei liberalitas, fons bonorum omnium. 136. 1
Dei lumen pro ejus favore & gratia. 43. 3. & 44. 4
Dei majeſtas formidabilis. 50. 1
Dei manus pro ejus virtute. 78. 42
Dei memoria piis neceſſaria. 20. 8
Dei miſericordia quid. 40. 11
principium & fons omnium promiſſionum. 85. 11
Dei miſericordia ſempiterna. 30. 6
Dei miſericordia immenſa. 145. 9
Dei miſericordia ubique expanſa. 36. 6, 11
nemini non neceſſaria. 19. 13. & 143. 2
ad dignos minime reſtringenda. 25. 8
cum hominum improbitate certat. 40. 15
Dei miſericordia quam præclara. 63. 4. & 117. 1
Dei miſericordia quanti æſtimanda. 103. 4, 11
ejus tenor. 36. 11. & 85. 6. vide Dei gratiæ tenor.
Dei munus proprium. 1. 6. & 5. 11. & 6. 3. & 7. 2. & 9. 10, 14. & 13. 5. & 14. 7. & 17. 7. & 18. 26. & 22. 12. & 24. 5. & 25. 5, 8, 11. & 26. 1. & 28. 3. & 33. 10. & 35. 10. & 38. 13. & 39. 8. & 46. 7. & 50. 5. & 65. 4. & 75. 3. & 82. 4. & 54. 22. & 119. 115, 126
Dei natura. 5. 5. & 11. 7. & 31. 2. & 33. 5. & 65. 3. & 77. 10. & 85. 6. & 86. 5. & 97. 10. & 102. 13. & 103. 6, 8, 9. & 109. 21. & 115. 8
Dei naturæ inſignis deſcriptio. 86. 14
Dei nomen pro ipſo Deo. 20. 2
pro ejus majeſtate. 9. 11
pro celebri ejus notitia. 8. 1
pro ejus potentia. 75. 3
unica ſalutis noſtræ cauſa. 31. 3
ſobrie ſumendum. 89. 36
falſo obtendi non debet. 15. 1
in vanum ſumere quid. 139. 20
Dei oblivio facile nobis tempore pacis obrepit. 23. 1
Dei opera quomodo expendenda. 33. 3, 4, 5, 6. & 66. 5
verbis exprimi nequeunt. 8. 1
aſſidue reputanda. 28. 5
Dei patientia magna. 77. 10. & 78. 38. & 85. 8. & 29. 31. & 103. 8, 13
Dei patientia longe à conniventia differt. 7. 12
Dei pœnitentia qualis. 106. 23
Dei potentia infinita. 18. 26, 32. & 35. 2, 10. & 59. 9. & 65. 7. & 68. 2, 22. & 71. 29. & 77. 18. & 93. 1. & 102. 14. & 103. 19. & 114. 3, 5. & 113. 5. & 124. 2. & 126. 2. & 135. 5, 6
Dei potentia qualiter expendenda. 33. 12. & 38. 4. & 46. 8, 9. & 62. 12
abſoluta. 38. 4. & 39. 10
rectitudini conjuncta. 99. 4
immenſa. 149. 7. & 150. 1
Dei præſentia quam utilis. 16. 8. & 68. 18. & 73. 23. & 96. 10. & 121. 6
præſentia noſtra felicitas. 16. 5
Dei promiſſiones in graviſſimis pugnis locum habent. 37. 14
Dei providentia ad totum orbem promiſcue patet. 22. 29
Dei providentia palam apparet. 8. 3
à paucis conſideratur. 11. 4. & 29. 9
quomodo reputanda. 1. 6. & 8. 3. & 11. 4. & 22. 29. & 23. 4. & 28. 5. & 31. 6, 16. & 33. 4, 5, 10, 13, 15. & 34. 16, 18. & 35. 22. & 36. 6. & 37. 5, 18, 28. & 40. 6. & 44. 13. & 46. 9. & 47. 10. & 55. 23. & 56. 9. & 58. 12. & 59. 10. & 69. 20. & 71. 20. & 73. 16. & 75. 7, 9. & 85. 13. & 88. 6. & 91. 9. & 93. 1. & 94. 8, 15. & 95. 3. & 104. 15, 16, 19. & 105. 17. & 106. 46. & 107. 10, 39, 42. & 112. 7. & 115. 3. & 119. 56, 155. & 121. 3, 4. & 124. 8. & 127. 1. & 135. 6. & 138. 6. & 140. 13. & 145. 15
Dei providentia ſpecialis. 135. 6. & 136. 23
Dei providentiæ dandum ſpatium ut tandem ſe in neceſſitate proferat. 9. 10. & 10. 14
Dei ſecretum in Lege. 25. 14
Dei terror. 9. 21
Dei timor pro ſenſu pietatis. 40. 4
pro tota pietate vel toto Dei cultu. 111. 10
pro ratione colendi Dei. 19. 10
pro ipſa pie vivendi regula. 34. 12
piis quam neceſſarius. 2. 11. & 34. 10, 12. & 111. 10. & 119. 78. & 118. 1
Dei timor in precibus. 5. 8
in mundo rariſſimus. 25. 12
Dei tolerantia, vide Dei patientia.
Dei verbum pro ejus conſilio vel mandato. 33. 4
pro promiſſionibus. 18. 31
non ſemper pro doctrina ſumitur. 33. 4
ſolum veritatem continet. 39. 9
ſobrie ac reverenter tractandum. 24. 7
perpetuum. 119. 96
ſemen incorruptibile. 22. 31
omnibus & ſemper neceſſarium. 60. 8. & 81. 9. & 102. 25. & 119. 9. & 138. 1
Dei verbi conſtantia. 119. 89. præſtantia. 12. 7
Dei veritas quid. 40. 11
pro fide quam Deus in ſuis promiſſis præſtat. 36. 6
Dei via pro ratione agendi quam tenet erga ſuos. 25. 4, 10. & 43. 18
Dei vindicta velociſſima. 58. 10
Dei vindicta eo propius inſtat quo inſolentius ruunt homines ad peccandum. 55. 10
Dei horrenda vindicta adverſus hoſtes. 149. 7
Dei vita quomodo conſideranda. 18. 47
Dei voluntas interdum nobis abſcondita. 135. 6
Dei voluntas à ſolis electis perficitur. 40. 8
Dei vox in tonitru. 29. 3. & 93. 3
Dei & hominum diſcrimen. 37. 13
Dei & idolorum diſcrimen. 9. 12. & 95. 3. & 99. 5. & 115. 4
Deo cur domicilium in cælo aſſignetur. 122. 10
Deum eſſe impii non credunt. 10. 4, 11. & 14. 1
Deum audiri ab hominibus quid. 81. 14
Deum invocare quid. 18. 4
quærere quid. 9. 11. & 22. 27. & 24. 6. & 34. 5
Deum quomodo pœniteat. 106. 45. & 135. 14
Deum ſilere quid. 28. 1
Deum tentare quid. 78. 18. & 95. 9. & 106. 14
Deum tentare atrox contumelia. 78. 40
Dii tutelares quam vani. 18. 32
Diabolus cur malus Dei ſpiritus dicitur. 35. 4
Dicere pro ſtatuere in animo. 116. 11
pro imprecari. 41. 6
Dies Davidis. 116. 1
Dierum continua ſucceſſio certum divinæ providentiæ documentum. 19. 3
Diffidentia peccatum graviſſimum. 31. 23
Diffidentiæ corrigendæ ratio. 31. 5
Dionyſii dicterium. 10. 5. & 73. 2. & 128. 1
Diſcipuli Dei quales eſſe debeant. 19. 8
Diſcipuli Legis qui. 1. 1
Diſcipuli Legis literales perſtringuntur. 25. 14
Diſſidia ex malorum impietate. 34. 15
Diſtinctio pœnæ & culpæ. 32. 1
duliæ & latriæ. 106. 35
Divites à regno Dei non excluſi. 22. 30
officii admonentur. 23. 5
Divitiarum fallax fiducia. 62. 11
Divinum vocatur Ebræis quicquid excellit. 36. 7
Doctor verus quis. 119. 11
Docilitas donum Dei. 119. 124
commendatur. 32. 9
Doctrina generalis in quotidianos uſus aptanda. 10. 14. & 92. 10
Doctrina particularis neceſſaria. 32. 8
Doctrina legis quam neceſſaria. 111. 7
Doeg Regis paſtoribus præfectus. 52. 2
ejus perfidia. 109. 8
ſuperbia. 52. 9
Donatiſtæ refelluntur. 26. 5
Donec quomodo ſumatur. 110. 1
דוד quid Ebræis. 12. 8. & 14. 5. & 21. 31
Duliæ & latriæ putida papiſtarum diſtinctio. 106. 35
Duritiei Stoica in Sanctis non fingenda. 30. 12

E.

EBræi menſes ſuos à luna ſupputant. 104. 19
Ebræi ſæpe præpoſitiones omittunt. 140. 3
Ebræorum puncta non ſemper ſcribendo expreſſa. 15. 4
Ebræis trita temporis enallage. 21. 4
Ebræis tritum eſt relativa omittere. 19. 4
Eccleſia ſub Davide floruit. 44. 1
Eccleſia ubi quærenda. 122. 8
Eccleſia ab omni ſorde nondum purgata. 20. 5
cur columna & firmamentum veritatis. 78. 4
Eccleſia curæ Deo, vide Deus ſuorum curam gerit.
Eccleſia piorum omnium mater. 47. 4
Eccleſia Regina. ibid.
Eccleſia quomodo perpetua. 22. 31, 32
Eccleſia terræ arabili ſimilis. 129. 3
Eccleſia cur turturi confertur. 74. 19
Eccleſia ſpeculum gratiæ & juſtitiæ Dei. 111. 5
Eccleſia inſigne gloriæ Dei theatrum. 76. 2
Eccleſia omnibus aliis curis præferenda. 102. 4
Eccleſia ſuper omnia mundi regna excellit. 87. 1
Eccleſia variis modis ſervatur. 102. 19
variis afflictionum generibus obnoxia. 66. 10
Eccleſia nunquam hoſtibus caret. 46. 7
Eccleſia papiſtarum qualis. 45. 11
Eccleſiæ ædificatio proprium Dei opus. 51. 20
Eccleſiæ hoſtes cæci. 69. 24. leonibus ſimiles. 74. 4. furioſi. 69. 25. domeſtici. 41. 10. & 55. 13. & 59. 5. & 83. 6. perimendi. 68. 22. & 99. 2
Eccleſiæ ornatus internus. 45. 14
Eccleſiæ perpetuitas aſſeritur. 22. 31, 32
Eccleſiæ purgatio ſemper optanda. 26. 5
Eccleſiæ puritas deſideranda. 22. 26
Eccleſiæ redemptio deſcripta. 18. 8
Eccleſiæ fœcunditas. 110. 3
Eccleſiæ regimen externum quorſum ſpectat. 24. 7
Eccleſiæ ſalus firmiſſima. 48. 9
Eccleſiæ ſalus conjuncta cum Dei juſtitia. 129. 3
Eccleſiæ ſecuritas unde. 46. 6
Eccleſiæ ſpes ſupra mundum aſſurgit. 147. 19
Eccleſiæ unitas unde æſtimanda. 47. 10
Eccleſiæ & Chriſti ſacra conjunctio. 45. 1
Effundere animam. 42. 5
Electio gratuita cauſa bonorum omnium. 33. 12
Electio firma. 3. 4
Electionis noſtræ finis. 24. 1. & 105. 44
Electi ſoli Dei voluntatem faciunt. 40. 8
Electi ſoli ſentiunt ſe à Deo ſervari. 68. 20
Electi ſponte Deo ſerviunt. 110. 3. vide Dei populus voluntarius.
Electorum & reproborum, piorum & impiorum, fidelium & infidelium, Juſtorum & hypocritarum diſcrimen. 1. 3. & 2. 9. & 3. 5, 6. & 5. 3. & 9. 2, 18, 21. & 10. 5, 6, 12. & 16. 7, 11. & 17. 1, 15. & 18. 19, 23, 26, 42. & 20. 8. & 22. 3, 26. & 23. 6. & 24. 3, 5. & 25. 7, 14. & 26. 3. & 28. 5, 7. & 30. 7. & 31. 4, 20. & 32. 1, 2, 5. & 33. 18. & 36. 2, 5. & 37. 4, 19, 24, 37. & 38. 5, 6, 7, 10, 19. & 39. 8, 11. & 40. 8. & 41. 5. & 44. 41. & 47. 5. & 52. 3, 8, 11. & 54. 8. & 55. 24. & 56. 14. & 58. 11. & 64. 3. & 66. 3, 15. & 68. 4, 20. & 73. 18. & 77. 10. & 79. 1. & 81. 14. & 83. 19. & 95. 7. & 96. 10, 11. & 102. 15, 29. & 103. 3, 9, 13. & 105. 4. & 106. 2. & 107. 42. & 111. 2, 10. & 118. 18. & 137. 2. & 147. 14
Epicurus quid de Deo ſentiat. 44. 24
Epicuri commentum de mundi compoſitione. 104. 24
Epicurei qualem Deum ſomnient. 33. 13. & 44. 24. & 115. 3
Epicurei multi. 128. 1
Epicureorum ſtultitas & dementia. 107. 43
Epulum in ſacrificiis fieri ſolitum. 22. 27
Equus pro quovis auxilii genere. 33. 17
Errores cavendi. 16. 4
Et pro attamen. 22. 4. & 31. 15
Et pro ergo. 5. 8
Et pro quia. 6. 3. & 7. 10. & 8. 6. & 37. 23. & 60. 13
Et pro ſed. 3. 4
Et pro ideo. 55. 20
Et ſupervacuum. 25. 12. & 31. 4
Ethan quis fuerit. 89. 1
Euangelium ſceptrum Chriſti. 45. 17
Euangelium Judæos à fœdere non abdicit. 47. 10
Euangelii vis. 18. 46
Eventus quotidiani certi Divinæ providentiæ teſtes. 33. 10
Eventus fidelium cur à Deo ſecundantur. 37. 23
Exemplum bonum quam utile. 34. 4, 7
Exercitia pietatis non contemnenda. 26. 8
Experientia fidem adjuvat. 43. 3
Experientia ſtultorum magiſtra. 49. 11
Ezechias proſperitate abuſus. 30. 7
Ezechias cur mortem tantopere exhorruerit. 6. 6

F.

FAcere pro mandare. 99. 4
Facere victurem. 118. 15
Facultas hominis, vide Hominis facultas.
Facilitas commendatur. 34. 15
Fama impiorum extinguitur. 9. 6
Famæ immortalitas quomodo paranda. 21. 6. & 145. 4
Fanatici ſe & alios venia egere negant. 103. 12
Fanaticorum delirium de natura Angelorum. 89. 7
error de perfectione juſtitiæ. 103. 11. & 106. 6
Fatum Stoicorum. 105. 19
Felicitas vera, quæ. 23. 6. & 32. 1. & 34. 13. & 37. 17. & 48. 3. vera unde. 67. 2. in mundo non locanda. 49. 14. fidelium, vide Fidel. felicitas.
Feſtinatio pia & ſancta. 13. 6. & 84. 7. & 95. 1. & 119. 60
Feſtinatio vitioſa. 31. 23. & 34. 23. & 41. 2
Feſtinatio nimia quomodo corrigenda. 55. 25
Fidelis quilibet Chriſti ſponſa. 45. 11
Fideles ſoli numeris omnibus beati. 16. 11
Fideles ante mundum conditum electi. 87. 6
Fideles ſolo Deo contenti ſunt. 17. 15. & 73. 25, 27. & 77. 14. & 119. 57
Fideles ſolo Dei præſidio contenti. 46. 2
Fideles paucis contenti. 37. 16
Fideles ſereno Dei aſpectu recreantur. 84. 12
Fideles calumniis & falſis accuſatoribus expoſiti. 7. 4. & 27. 12. & 35. 11. & 37. 32. & 112. 6. & 119. 12. & 127. 5
Fideles ſtupidi non ſunt. 46. 2, 4
Fideles ſoluti non ſunt omni reatu. 37. 25
Fideles non uno momento ſed gradatim perficiuntur, ideo ſe ſemper imperfectos agnoſcunt. 15. 4. & 19. 13. & 25. 11. & 32. 1. & 65. 5. & 119. 1, 12
Fideles cur reprobis interdum invideant. 37. 1
Fideles extra periculum. 37. 12
Fideles fratres Chriſti. 22. 23. quomodo juſti. 5. 13
Fideles quomodo in ſua juſtitia glorientur. 4. 2
Fideles in pretio habendi. 15. 4. & 16. 3
Fideles quomodo hæredes terræ. 37. 17. 19
Fideles cur manſueti dicantur. 37. 5
Fideles cur multis ærumnis obnoxii. 34. 20
Fideles cur rebus adverſis probentur. 41. 2
Fideles quomodo ſe à Deo rejectos querantur. 42. 10
Fideles recti corde dicuntur. 32. 11
Fideles de cultus Dei perpetuitate ſoliciti. 44. 5
Fideles ſoli quomodo opus Dei. 100. 1
Fideles ſoli illuminantur. 36. 10
Fideles ſoli Deum vere invocant. 105. 1
Fideles ſoli gloriæ Dei præcones. 33. 1. & 119. 7
Fideles ſponte ſe Deo ſubjiciunt. 145. 10
Fideles cur interdum ſepultura careant. 79. 1
Fideles morte non extinguuntur. 25. 13. & 31. 6. & 102. 29. & 116. 15
Fidelium beatitudo. 116. 9. communicatio. 22. 25. jucunda ac ſuavis conditio. 16. 6. miſcta in hoc mundo conditio. 10. 9. & 34. 20. item 37. 14. & 55. 13. & 69. 5. & 119. 22. & 123. 3. conſolatio. 1. 6. & 2. 1, 12. & 5. 5. & 9. 16. & 12. 6. & 14. 5, 7. & 20. 2. & 21. 9, 14. & 23. 4. & 33. 10, 22. & 37. 17, 18. & 38. 21. & 40. 14. & 46. 7. & 49. 1. & 52. 4. & 57. 5. & 64. 8. & 68. 2. & 69. 8. & 71. 14. & 83. 3. & 92. 10. item 94. 12. item 102. 9. & 109. 8. item 119. 165. & 129. 1. invicta conſtantia. 31. 25. & 109. 28. conſtantia à ſtupore differt. 46. 2. maximus cruciatus. 42. 4. & 102. 11. & 119. 136. docilitas. 73. 16. deſcriptio. 36. 11. dignitas & præſtantia. 16. 3. & 68. 17. eventus cur Deus ſecundet. 37. 23. exercitia & ſtudia. 33. 1. fiducia qualis. 30. 8. & 69. 8.

& 69. 8. & 83. 3. & 85. 6. & 91. 1,4,7. & 115. 9. fiducia timori conjuncta. 56. 5. ſolida felicitas. 16. 11. & 21. 7. & 23. 1. & 25. 13. & 37. 24. item 119. 124 felicitas quæ. 32. 11. & 147. 19. gaudium ubi ſitum. 4. 8. & 32. 11. item 68. 4. item 116. 2. ſancta gloriatio. 14. 5. & 16. 5,6. & 19. 14. & 32. 11. hæreditas Deus eſt. 16. 5. hæreditas perpetua & quomodo. 37. 18, 29. infirmitas 22. 2. integritas duabus partibus conſtat 73. 12. lucta cum deſperatione. 42. 6. magnanimitas. 18. 22. memoria benedicta. 112. 6. merces ampliſſima. 5. 11. & 58. 12. & 112. 9. dura militia. 18. 1. & 37. 9. & 39 4. militia perpetua. 12. 8. & 27. 14. & 37. 7. & 37. 24. & 42. 12. & 138. 7. militia cum improbis. 139. 22. mors pretioſa. 88. 6. & 116. 15. multitudo. 116. 3. munitio optima. 5. 13. orationes nunquam irritæ 38. 10. & 65. 3. panopsia. 18. 3. patientia qualis. 27. 14. & 30. 12. & 31. 10. vide patientia. perfectio in quibus rebus ſita. 33. 18. & 119. 121. poſteritas à Deo benedicta. 112. 2. prærogativa. 68. 17. vide fidelium dignitas. progreſſus. 16. 7. prudentia. 14. 6. & 22. 10. & 26. 4. & 38. 5. ſalus Deo pretioſa. 22. 32. ſalus in manu Dei. 37. 39. & 40. 17. & 46. 7. & 102. 29. vera ſatietas 17. 15. ſecuritas qualis. 3. 6. & 4. 9. & 3[illegible]. 7. ſemen benedictum. 25. 13. & 37. 25, 26. ſimplicitas qualis. 26. 4 & 34. 12. & 55. 1[illegible]. & 71. 14. & 131. 2. ſimplicitas impiis ludibrio. 123. 3. ſobrietas. 119. 98. ſpes in Dei miſericordia fundatur. 13[illegible]. 7. ſpes ſupra mundum aſſurgit. 147. 19. ſtabilitas. 112. 7. ſtudia. 36. 5. gravis tentatio. 17. 4. & 34. 1[illegible]. & 77. 8. virtus præcipua. 119. 166. vitia improprie ad Chriſtum transferuntur. 40. 8. unitas. 16. 3. vide Charitas fraterna. zelus. 119. 13[illegible]. 139
Fidelibus omnia cedunt in bonum. 1. 3. & 1[illegible]. 5. & 18. 38. & 34. 1[illegible]. & 37. 3
Fides veræ pietatis radix. 78. 7, 21. nonniſi verbo nititur. 43. 2. mater invocationis. 44. 21. beatos reddit homines. 84. 12. otioſa non eſt. 69. 7. & 91. 15. & 116. [illegible] ſola juſtificat. 106. 31. temporalis. 106. 12. promiſſa præſtanda. 15. 4
Fidei natura. 22. 8. & 37. 7. & 137. 8. & 140. 7. conſtantia a ſtupore differt. 46. 2. obedientia ex auditu eſt. 18. 44. probatio. 11. 4. & 31. 15. & 37. 9. & 40. 17. & 56. 4. & 71. 14. prudentia. 119. 116. externa profeſſio quomodo colenda. 26. 6. regula. 138. 7. veritas ex precibus cognoſcitur. 22. 5
Fiducia maledicta quæ in carne fundata eſt. 118. 8
Fiducia fidelium, vide Fidelium fiducia.
Filii Abrahæ duplices, vide Abrahæ filii.
Filii Adam pro plebejis & ignobilibus. 49. 2
Fœnerator quo loco habendus. 15. 5
Fœnerari cur Deus vetuit. *ibid.*
Fœnoris ſpecies deterrima. *ibid.*
Fœtus in utero matris illæſus mirabiliter ſervatur. 22. 10
Franciſcani Scripturæ depravatores. 119. 6

G.

Gaudium duplex. 9. 3. & 48. 3
verum & ſolidum. 35. 27. & 37. 4. & 71. 22. & 100. 1
Gaudium verum unde. 33. 21
ex ſolo Deo. 65. 9
ex ſolo Dei præſidio naſcitur. 5. 12,13. & 28. 7
ex paterno Dei favore. 16. 11
ex fide. 16. 9. ex Divinæ Legis ſtudio. 19. 9
Gaudium fidelium, vide Fidelium gaudium.
impiorum, vide Impiorum gaudium.
Gemitus confuſi precibus ſanctorum permixti. 55. 10
Gentes in ſuis ſacrificiis ſanguinem libare ſolebant. 16. 4
Gentium converſio Chriſti ductu & auſpiciis facta. 22. 29.
ſtulta gloriatio. 115. 4
vocatio. 2. 8. & 18. 44, 50. & 19. 5. & 22. 28. & 57. 10. & 65. 2, 6. & 66. 4. & 67. 3, 4. & 68. 32. & 72. 17. & 86. 9. & 87. 6. & 96. 1, 7. & 97. 1. & 102. 22. & 106. 47. & 110. 2. & 113. 2. & 117. 1
Gloria pro lingua. 16. 9
נמל quid Hebræis. 142. 6
Gradatio. 39. 13
Gratia Dei, vide Dei gratia.
Gratiæ certitudo unde petenda. 44. 20
Gratiarum actio ſeu gratitudo quam Deo accepta. 5. 8. & 40. 10
pars cultus Dei. 66. 13
pro acceptis Dei beneficiis, fidelibus neceſſaria. 5. 12. & 7. 18. & 9. 2. & 13. 6. & 18. 47, 50. & 20. 6, 7. & 21. 1, 14. & 22. 23. & 26. 7, 12. & 27. 6. & 28. 6. & 30. 1, 12, 13. & 31. 22. & 32. 7. & 34. 2. & 35. 18. & 51. 16. & 68. 26. & 69. 31. & 76. 12. & 86. 8, 12. & 116. 13, 17. & 119. 7
גתית quid Hebræis. 8. 1

H.

Hæreditas fidelium Deus. 16. 5
Hermon mons pinguis & optimus. 133. 2
Homo mortalis & caducus. 9. 20. & 10. 18
quam vilis & calamitoſus. 8. 5
mera vanitas. 39. 6
cur caro dicatur. 56. 5
Hominis conditio antequam Deus illi medeatur. 103. 4
miſera conditio. 39. 6
dignitas & præſtantia. 8. 6
facultas ex Dei præceptis non metienda. 31. 25
ſumma felicitas. 25. 13
Homines antequam crearentur Deo curæ fuerunt. 24. 2
qua lege initio in Adæ perſona creati. 33. 12. cur in terra locati. 6. 6. cuncti quales natura ſunt. 5. 10. & 14. 2. & 19. 13. & 106. 43. natura ad incredulitatem propenſi. 145. 18. omnes ſine Dei benedictione miſeri. 1. 1. ad credendum tardi & difficiles. 22. 19. cognitione Dei vacui inexcuſabiles. 19. 3. morte non abolentur. 88. 11.
Hominum cæcitas magna. 33. 13. corda in manu Dei. 105. 25. & 106. 46. & 1[illegible]9. 12. & 119. 36. indignitas. 103. 14. ingenium & natura. 5. 10. & 14. 2. & 19. 13. & 106. 43. ingratitudo. 30. 9. & 71. 5. & 103. 2. & 104. 1. & 1[illegible]. 11. & 148. 13. natura ad idololatriam prona. 114. 7. ſocordia magna. 18. 8. ſtupiditas. 139. 17. vanitas. 8. 4. & 39. 6. & 78. 39. & 102. 26. & 103. 14
Hominum & pecudum diſcrimen. 85. 14
Horatii locus. 29. 3. & 46. 4 & 78. 8
Hoſtes Chriſti, vide Chriſti hoſtes.
Hoſtes Eccleſiæ, vide Eccleſiæ hoſtes.
חטאים quid Hebræis. 1. 1
חפץ quid Hebræis. 51. 23
חפש quid Hebræis. 77. 7
Humanitas commendatur. 112. 5, 6, 10
Humilitas præcipuum fidei exercitium. 39. 10
coram Deo ſuffitus eſt boni odoris. 16. 2
hominis tota in ſui notitia poſita. 9. 21
piis neceſſaria. 25. 14. & 69. 11
Hypocriſis Deo abominabilis. 26. 2
cavenda. 4. 6. & 18. 3. & 32. 2. & 41. 6. & 78 34. & 119. 47. & 125. 5
Hypocritæ nomine Dei abutuntur. 63. 12. magni ceremoniarum obſervatores. 15. 2. & 50. 16. fruſtra nomen Dei prætexunt. 15. 1. & 18. 42. quomodo Deum quærunt. 24. 6. defunctorie Deum orant. 27. 4. & 28. 7. ad ſuum commodum obtendunt quicquid de juſtis & rectis prædicat Spiritus Dei. 37. 3[illegible]. & 103. 17. Deum defunctorie colunt. 4[illegible]. 7. quomodo peccata ſua fatentur. 32. 5. & 38. 6. perfidi. 50. 17. extra Eccleſiam ſunt. 69. 29. quo velo culpam ſuam tegant. 51. 7. permulti. 1[illegible]1. 8. perſtringuntur. 4. 6. & 24. 3 & 41. 7
Hypocritarum confeſſio qualis. 25. 7. & 32. 5
fallax jactantia. 4. 6. & 1[illegible]. 16
mos. 4. 6. & 44. 18, 21. & 63. 12. & 65. 4. & 103. 17. & 132. 14
ſocordia. 5[illegible]. 21
Hypocritarum & filiorum Dei diſcrimen. 52. 10

I.

Jacob pro electo populo. 20. 2. & 24. 6
Jacob Patriarchæ claudicatio. 22. 1
Idololatræ ſtupidi. 115. 8
ſtrenue laborando nihil proficiunt. 16. 4
falſos deos muneribus ornantes quid proficiant. *ib.*
Idololatrarum vana fiducia. 115. 8
Idololatria damnatur. 115. 4. & 135. 15
externa cavenda. 16. 4
Idololatriæ principium. 115. 4
Idumæorum arrogantia. 44. 14
Iedithun unus ex præcipuis cantoribus. 39. 1. & 62. 1
Jejunii uſus quis hodie. 35. 13
Jeruſalem duplex. 87. 5
unde & cur ſic dicta. 76. 2
Jeroſolyma quo jure Dei civitas. 48. 1
ſpiritualis per omnes mundi plagas diſperſa. 48. 9
Jeroſolymæ laudes. 122. 3
Ignavia. Vide Socordia.
Illuminatio donum ſupernaturale. 36. 10. & 119. 73
Illuminationis noſtræ finis. 119. 17
Imagines in templis non ferendæ. 48. 9
Imitatio præpoſtera cavenda. 27. 13. & 28. 4. & 40. 14
Immortalitas piis apparata. 16. 11
Immortalitatis certum teſtimonium. 9. 13
Impatientia unde. 39. 10
damnatur. 10. 18. & 25. 4. & 27. 9. & 39. 10
Impatientiæ corrigendæ ratio. 39. 10
Impietatis ſummus cumulus. 12. 5
Impius quis. 1. 1
Impii proſperitate abutuntur. 10. 3, 5. & 28. 5. & 37. 35. ſibi blandiuntur, ne ſibi peccando diſpliceant. 36. 3. in clara luce cæcutiunt. 28. 5. in ſenſum reprobum conjecti. 69. 28. filii iræ ultimo exitio devoti. 21. 11. à Deo non exaudiuntur. 18. 42, 43. & 66. 17. indulgentia Dei corrumpuntur. 55. 20. ſua pravitate excæcati. 36. 2, 5. ad tonitrua, grandines, procellas & ſimiles impetus maxime expaveſcunt. 29. 3. ſemper famelici. 37. 21. quaſi Dei ferulæ. 25. 1. quatenus fugiendi. 26. 5. memoriam nominis Dei cum horrore fugiunt. 5. 12. ſemper ad malum impelluntur. 26. 9. non manebunt impuniti. 5. 5. fidelibus infenſi Deo bellum inferunt. 46. 11. omnes inſani. 5. 6. cur tam audacter inſoleſcant. 9. 27. & 10. 11. cur fidelibus inſultent. 89. 51. & 109. 24. & 119. 69. intractabiles. 32. 9. propria aſtutia & inſidiis irretiuntur. 7. 16. & 9. 16. nonniſi Dei permiſſu laſciviunt. 10. 15. non metuendi. 7. 15, 16. & 34. 22. omnes miſeri. 1. 1. quomodo Deum eſſe negent. 10. 4, 11. & 14. 1. & 36. 2. non nocent quantum volunt. 43. 2. & 46. 11. & 68. 2. & 81. 15. & 105. 25. ſine examine quidvis ſibi permittunt. 10. 4. ſub Dei ferulis non proficiunt. 9. 21. quid ſua duritie proficiant. 18. 26. cur non ſtatim puniuntur. 7. 4. in diem mactationis ſaginantur. 17. 14. & 37. 20. brutis animalibus ſimiles. 17. 14. canibus ſimiles. 22. 13, 17. lauro viridi ſimiles. 37. 35. leonibus ſimiles. 17. 11. & 22. 14. & 57. 5. paleæ ſimiles. 1. 4. & 35. 5. panno vel ligno quod tinea conſumit comparantur. 39. 12. quiſquiliis ſimiles. 1. 4. tauris ſimiles. 22. 13. tumulo ubi figi ſolet ſcopus, ſimiles futuri. 21. 13. cur interdum ſervi Dei vocentur. 102. 15. & 115. 3. cur ſtulti vocentur. 73. 2. cur non ſtatim è medio tollantur. 59. 12. plerumque timidi. 35. 20. timore Dei vacui. 36. 2. & 55. 20. tandem ad cæleſte tribunal venturi. 28. 4
Impiorum audacia unde. 9. 20. & 10. 11. & 28. 5
cæcitas. 39. 12
calix. 11. 6
conatus inanes & vani. 2. 1. & 7. 16. & 9. 16, 20. & 21. 12. & 31. 21. & 33. 10. & 35 6. & 37. 13. & 90. 16
quam miſera conditio. 94. 13. & 112. 10
ſtulta confidentia. 61. 6
conſcientia qualis. 10. 3
conſcientia ſtupida. 28. 5. & 36. 3
conſilium quid. 1. 1
conſilia irrita & vana. 5. 11. & 33. 10
conſilia mortifera. 64. 9
conſilia quomodo diſcindantur. 55. 10
conſortia fugienda. 1. 1. & 16. 4. & 26. 4, 5. & 31. 7. & 119. 115
deſcriptio. 5. 10
fama extinguitur. 9[illegible]
fallax jactantia. 18. 42
gaudium. 48. 3
ignominia. 18. 43
ignorantia qualis. 28. 5
impudentia. 73. 8
indolentia. 4. 5
interitus gravis & ſubitus. 1. 4, 6. & 2. 9, 12. & 14. 5. & 21. 9. & 32. 9. 10. & 34. 22. & 35. 5, 8, 26. & 36. 13. & 37. 9, 15, 34. & 58. 9, 10. & 60. 4. & 64. 8. & 73. 9. & 76. 8. & 92. 10. & 105. 29. & 109. 16. & 110. 1, 5. & 119. 5
interitus quam Deo facilis. 105. 29
ludibria quorſum tendant. 38. 17
quam gravia. 42. 11
animos piorum acriter vulnerant. 25. 1
Impiorum memoria extinguitur. 9. 6. & 34. 17
Impiorum merces repoſita. 11. 6. & 21. 9. & 35. 4. & 40. 16
mores fugiendi. 1. 1
multitudo. 12. 8, 9
obſtinatio. 4. 3, 5
pœna. 11. 6
pœnæ, iræ Dei ſigna. 39. 12
potentia infirma. 129. 7
proſperitas ideo deſinit, quia à Deo maledicta. 1. 6. & 4. 7. & 17. 10, 14. & 18. 38. & 32. 10. & 36. 9, 10. & 37. 1. & 52. 7. & 73. 4. & 90. 11. & 92. 10
ſecuritas. 4. 5. & 9. 18. & 10. 3, 5, 6. & 11. 6. & 28. 5. & 30. 7. & 33. 15. & 64. 4. & 94. 11. & 116. 9
ſemen maledictum. 21. 11. & 37. 18
ſtupor. 36. 3
ſuperbia. 10. 2. & 12. 6. & 17. 10
immanis truculentia. 27. 1
vita quomodo brevis. 55. 24
vita maledicta. 1. 6. & 55. 24
Impiis nunquam ſatis eſt. 37. 21
Imprecatio in calumniatores. 35. 1, 4, 5, 6, 8
in crudeles. 35. 26
in hypocritas. 10. 16, 17
adverſus impios. 5. 11. & 7. 7. & 28. 4. & 40. 15, 16
in magniloquos. 12. 4
Imprecationes quatenus piis licitæ. 28. 4. & 35. 6. & 79. 6. & 109. 6
Impunitas peccandi illecebra. 101. 8
In, loco præpoſitionis pro, vel ſecundum. 5. 9
Incantationes præſtigiis diaboli fiunt. 58. 5
Incredulitas quam abominabilis Deo. 78. 21
Increduli omnes ſuperbi. 119. 21
Indulgentia Dei, vide Dei indulgentia.
Infantium curam Deus ſuſcipit. 21. 10
Ingratitudo damnatur. 40. 12. & 41. 14
Iniquitas pro pœna. 38. 19
Dei naturæ contraria. 94. 20
omnis Deo exoſa. 5. 5
Iniquitatem devolvere quid. 55. 2
Injuſtitiæ ſpecies duæ. 12. 1
Integritas Davidis, vide Davidis integritas.
Integritati vitæ ſtudendum. 31. 20, 23. & 34. 10. & 43. 1
Intelligentia præſtantiſſima animæ facultas. 19. 8
Intelligentia in Dei laudibus neceſſaria. 47. 6
Intentio bona idololatrarum. 106. 37
Invocare pro celebrare. 116. 13
Invocatio pro toto Dei cultu. 14. 4
vera quæ. 145. 18. ex Dei cognitione. 91. 14. ex fide naſcitur. 44. 20. & 50. 14. ſpei ſubjecta. 57. 1. ſanctitati conjuncta. 66. 17. vana abſque Dei cognitione. 79. 6. qualis in papatu. 1[illegible]. 4
Invocationis partes duæ. 61. 8
Jobi ſermones quibus querelis referti. 39. 5
יקר quid Hebræis. 37. 20
Joſeph à Deo miſſus in Ægyptum. 105. 17
non tyrannice dominatus in Ægypto. 105. 20
Joſephi locus. 83. 9
Ira Dei, vide Dei ira.
Iracundia damnatur. 4. 5
Iſmael quomodo ſit fratrem perſequutus. 41. 11
Iſraelitæ degeneres. 24. 5, 6
Iſraëlitarum duo genera. *ibid.* & 68. 26. vide Abrahæ filii duplices. contumacia. 81. 12. idololatria. 106. 19. ingratitudo. 106. 7. intemperies. 78. 23. murmur. 106. 16. prærogativa. 147. 19. & 148. 14. ſocordia. 78. 65
Judæ miniſterium ad alium translatum. 109. 8
Judæi cur aliis gentibus prælati. 24. 1
fœdifragi. 78. 9. 34
à fœdere per Euangelium minime abducti. 47. 10
Judæorum apoſtaſia. 106. 28. prærogativa. 24. 1, 2. & 47. 4, 5. & 65. 5. & 67. 2. & 95. 7. & 97. 8. & 1[illegible]3.

Digitized by Google

& 105. 6. 12. & 115. 15. & 147. 19. & 148. 14. unde. 105. 12. Judæorum præſtantia in quo ſita. 6x. 15. unde pendeat. 47. 10. & 105. 12. indomita ad rixandum pertinacia. 32. 17. ſatisfactiones. 32. 1. ſocordia. 78. 9

Judæorum & fidelium Novi T. diſcrimen. 11. 2

Judæis Deus per verbum ſuum innotuit. 19. 8

Judices iniqui perſtringuntur. 26. 10

Judicium pro gubernatione vel publico ſtatu. 94. 15

quotidianum quomodo Deo tribuitur, & cur pœnas ſæpe in longum tempus differat. 7. 12

præceps cavendum. 37. 10. & 41. 2

Judicia Dei, vide Dei Judicia.

Judiciorum nomine quid vates intelligat. 18. 23

Julii Cæſaris dictum. 73. 4

Jurare ecclipſtice Hebræis tritum. 27. 14

Jurare in Dei nomine quid. 61. 12

Jurisjurandi religio. 24. 4

Juſtitia quid. 37. 30. vera quid. 11. 1. fidei quid. 32. 1. pro bona cauſa. 4. 2. pro fructo juſtitiæ. 111. 9. quæ Deo probatur. 64. 10. partialis à papiſtis conficta. 130. 3. Dei. Vide Dei juſtitia.

Juſtitiæ ſpecies duæ. 11. 2

tres partes. 37. 30

Juſtus quis habeatur. 9. 13. & 32. 11

L.

Labor manuum utilis. 127. 1. & 128. 2

Lachrymas in utre ponere. 56. 9

Latriæ & duliæ putida diſtinctio. 106. 35

Laudare pro gloriari. 56. 5

Laudis ſacrificium Deo gratiſſimum. 26. 7. & 50. 14. 23. & 116. 12

Levitæ cur muſicis inſtrumentis olim uſi. 81. 2. & 92. 1

לְעוֹלָם quid. 71. 1

Lex quid. 19. 8

Lex pro tota Scriptura. 1. 2

quot ſunt tradita. 78. 7

quomodo ſuavis. 19. 11. & 119. 103

extra Chriſtum quid valeat. 19. 9

æternæ felicitatis theſaurus. 19. 10, 11

vita animæ. 19. 8

Legis diſcipuli qui. 1. 1

literales perſtringuntur. 25. 14

Legis Divinæ excellentia. ibid.

Legis doctrina omnibus neceſſaria. 68. 15. & 119. 105

promiſſiones quibus addita eſt conditio, quomodo accipiendæ. 19. 13

Liber vitæ in quo fideles deſcripti ſunt. 40. 8. & 69. 29

Liberi quales optandi. 127. 5

Liberi inſtituendi. 22. 32

Liberorum procreatio donum Dei. 127. 3

Liberatio quomodo precibus fidelium adſcribatur, quum ſit gratuita. 102. 18

Liberationis piorum finis. 9. 11

Liberalitas commendatur. 112. 5. 6. 9

Liberum hominis arbitrium unde à Papiſtis aſtruatur. 78. 8. & 95. 8. & 119. 10, 112

evertitur. 16. 7. & 27. 14. & 36. 11. & 100. 3. & 119. 17, 105, 133. & 143. 10

Libertas vera ubi ſita. 40. 8

Lingua purus mentis character eſſe debet. 15. 2. & 34. 14

admodum lubrica. 39. 1

Hebraica conciſa. 19. 4

Linguæ exacta continentia, rara virtus. 19. 15

Linguæ & cordis ſymphonia requiritur. 15. 2. & 34. 14

Linguam compeſcere, rara virtus. 141. 3

Locus in Eccleſia quærendus ut ſervemur. 47. 10

Locus à Judæis fraude corruptus. 22. 17

Locus perperam ad picturas & idola detortus. 27. 4

Locus perperam ad vota detortus. 15. 4. & 22. 26

Locus unde quidam colligunt mortuos carere omni ſenſu. 6. 6

Loqui ſapientiam quid. 37. 30

Loquutio comparativa. 40. 7. 9

impropria. 11. 2

Lot pio zelo affectus. 69. 11

Lumen vultus Dei pro ſerena facie. 4. 7

Lunæ utilitas. 104. 19

Lupus agnos de aqua turbata accuſat, proverbium. 28. 4

Lutheri locus. 132. 14

Lux pro favore & gratia. 6. 9. & 43. 3, 5. & 44. 4

pro jucunditate & beatæ vitæ ſumma. 27. 1

M.

מ litera ſæpe apud Hebræos comparative ſumpta. 31. 12

מִכְתָּם modulationis ſpecies. 16. 1

Magiſtratus officii admonentur. 2. 10. & 29. 1. & 82. 3. & 101. 5. & 106. 34

Magiſtratuum ſegnities notatur. 101. 8

Magnates reſpicere, quid. 40. 5

Maledicentia quam noxia. 31. 21

damnatur. 15. 3. & 50. 17. & 101. 5. & 120. 3. 4

Malum bono vincendum. 7. 4

malo non rependendum. 17. 4. & 26. 1. & 35. 12. & 37. 14. & 38. 21. Vide Vindicta prohibita.

Mali bonis permixti. Vide Boni malis permixti.

Man quo ſenſu cibus ſpiritualis. 78. 24

cur panis fortium dicitur. ibid.

Manichæorum delirium de animæ eſſentia. 73. 26. & 104. 29

Manſuetudo ex ſpe gignitur. 37. 11

piis neceſſaria. 34. 15. & 116. 15

Manus pro imperio & poteſtate. 49. 16. & 139. 7

Manuum elevatio. 28. 2. & 63. 4. & 106. 26. & 134. 2. & 141. 2

Mare Suph. 106. 7. & 136. 13

Mare Tharſis pro mari mediterraneo. 48. 8

Martini Lutheri locus. 132. 14

Martyrum mors pretioſa, 106. 38. & 116. 15

Mauritii Imperatoris hiſtoria. 145. 17

Media humana Dei gloriam obſcurare non debent. 28. 8

Melchiſedec Rex & Sacerdos. 110. 4

Memoria Dei. Vide Dei memoria.

Memoria impiorum. Vide Impiorum memoria.

Mendacitas cum omnis maledicta. 37. 25

Merces ampla piis apud Deum repoſita. 19. 12. & 2. 5

Merces quomodo operibus promiſſa. 19. 12. & 62. 13

Merces impiorum. 40. 16. operum. 19. 12. & 62. 13. ſuperborum. 31. 23. juſtitiæ alibi quam in terra quærenda. 41. 9. juſtitiæ quomodo piis rependatur. 18. 21

Meritum unde à Papiſtis adſtruatur. 31. 1

humanum concidit & evertitur. 19. 13. & 25. 6, 11. & 31. 3, 4. & 47. 5. & 79. 9. & 106. 8

Michtam quid. 56. 1

Militia fidelium. Vide Fidelium militia.

Miſericordia Dei. Vide Dei miſericordia.

Miſericordiæ petendæ ratio. 57. 2

Miſſæ papalis deteſtabile ſacrilegium. 110. 4

Mizar montis nomen. 42. 7

Modeſtia piis quam neceſſaria. 25. 14. & 62. 6. & 69. 11. & 105. 4

Monachi cujuſdam hiſtoria. 141. 3

Monachi Scripturarum corruptores. 109. 6

Monachorum boatus. 47. 6 cantio in templis. 134. 3

Mortui cum à laudibus Dei ceſſent. 6. 6. & 30. 10. & 104. 33. & 115. 17

ſeculi qui. 143. 3

non invocandi. 50. 14

Mors non timenda. 31. 6

piis interitus non eſt. 25. 13. & 31. 6

fidelium. Vide Fidelium mors.

מָעוֹן quid. 19. 8

מַשְׂכִּיל quid. 42. 1. & 44. 1

Moſes cur ſervus Dei dictus. 105. 26. cur vir Dei. 90. ante 1. quomodo ſummo ſacerdotio præditus. 99. 6. quomodo Mediator. ibid.

Moſes & Aaron redemptionis miniſtri, non authores. 105. 26, 27

Moſes de rerum creatione populariter loquutus. 148. 3

מָשָׁל quid Hebræis. 44. 14. & 49. 4. & 78. 2

Mundus in quem finem à Deo conditus. 8. 7. per Chriſtum fabricatus. 33. 6. providentia Dei regitur. 37. 28. & 138. 6. exitialibus corruptelis refertus. 1. 1. faſtuoſis hominibus ſemper plenus. 40. 5. non eſt æternus. 148. 5. totus in Chriſtum conſpiravit. 2. 1

Mundi creatio ad Dei providentiam nos deducit. 33. 6

ingratitudo. 115. 16

Munera judicibus quam noxia. 26. 10

Muſica quatenus in ſacro cœtu permiſſa. 33. 2

Muſica inſtrumenta cur olim in uſu. 81. 2. & 149. 2

num in ſacris conventibus ad canendas Dei laudes congruant. 33. 2. & 71. 22. & 92. 2

Mutationes dominiorum ex Dei providentia. 107. 39

N.

נָבָל quid Hebræis. 14. 1. & 39. 9

נְגִינוֹת pro tono vel certo cantus diſcrimine. 6. 1

Nicodemitæ larvati. 16. 4

Nomen pro memoria. 30. 5

Nomen Dei. Vide Dei nomen.

Novatiani refelluntur. 26. 5

Nox in quatuor vigilias diſtributa. 90. 4

נֶפֶשׁ quid Hebræis. 16. 10

נָטָה pro avertſari vel removere. 27. 9. pro expandere vel divertere. 21. 12

Numeri mutatio Hebræis trita. 22. 30. & 35. 8. & 41. 10. & 44. 16. & 49. 15, 19. & 55. 7. & 56. 9. & 101. 3

O.

Obduratio ex peccandi conſuetudine. 14. 1

Obedientia vera quid. 40. 8

Obed. quovis ſacrificio præſtantior. 119. 113

fidei conjuncta eſt. 16. 44

Obrizon quid. 19. 11

Obſtinatio damnatur. 4. 3. & 32. 9. & 36. 3, 5. & 38. 7

Obſtinatorum pœna. 32. 9, 10

Obtrectatio damnatur. 15. 3. & 101. 5

Vide Maledicentia.

Occaſione utendum. 2. 10. & 32. 6. & 50. 22

Oculi pro omnibus affectibus. 25. 15

Oleum lætitiæ quid. 45. 8

Olei uſus. 104. 15

Opiniones impiæ cavendæ. 16. 4

Opus Dei, Eccleſiæ ædificatio. 51. 20

Opera nulli juſtificent. 106. 31

Operum merces. 19. 12

Operarii iniquitatis qui. 28. 3

Oratio coram Deo legitima quæ. 22. 5. ſine ſpe frivola eſt. 5. 4. ſtatis horis fieri ſolebat. 55. 17

Orationis uſus & finis. 17. 9

Orationes piis neceſſariæ. 34. 16, 18. eccleſiæ quomodo exaudiantur. 20. 3, 4. Eccleſiæ nunquam irritæ. 38. 10, 17. & 56. 10. & 65. 2. fidelium. Vide Fidelium orationes.

Orandi initium à peccatorum remiſſione fieri debet. 25. 7, 18. Orandi alacritas unde. 34. 10. fiducia unde. 42. 10. & 56. 9. ex hoſtium crudelitate colligenda. 42. 11. Orandi finis unicus & legitimus. 119. 38. forma. 44. 20. vera regula. 5. 8. & 7. 7. & 22. 3. & 25. 1, 7, 15, 18. & 33. 22. & 38. 2. & 39. 9. & 44. 20. & 65. 2. & 79. 10. & 91. 15. & 106. 48. & 115. 1. & 119. 10

Orandum certa fide. 56. 10

Ordo in Divinis literis non ſemper ſervatus. 37. 31. & 135. 8

naturæ, paterni favoris teſtimonium. 65. 11

politicus duabus partibus conſtat. 45. 2

Orientales populi ad ceremonias præ aliis proclives. 30. 12

magicis artibus valde addicti. 31. 7

Oſſa pro robore vel potentia. 14. 5

Ovidii locus. 73. 18

P.

Panis pro quolibet alimento. 104. 14

dolorum. 127. 2

Papa antichriſtus. 118. 19

Papæ furor diabolicus totum orbem inflammat. 83. 6

quam inanis jactantia. 78. 19

Papiſtæ veram deitatem quantum in ſe eſt abrogant. 86. 9. Deum formidabilem deſcribunt 145. 8. Scripturarum corruptores. 24. 7. & 27. 8. & 96. 7. & 130. 3, 4. ſimiæ ſunt. 92. 2. quo prætextu corroſerunt caducas mundi opes. 72. 15. ſecure piis inſultant. 123. 3. ſe veros Dei cultores mentiuntur. 103. 17. fruſtra ſuperbiunt Eccleſiæ nomine. 122. 8. Chriſtum ſuperbe repudiant. 45. 7. opera ſua Dei gratiæ miſcent. 51. 19. Scripturam ſacram promiſcue ab omnibus legi nolunt. 119. 130. nomen Dei obſcurant. 100. 1. patrum authoritatem verbo Dei opponunt. 95. 9. Deum præcipua gloriæ ſuæ parte ſpoliant. 66. 17. unde meritum ſtabilire conentur. 62. 12. unde liberum hominis arbitrium aſtruant. 78. 8. & 95. 8. & 119. 112. unde mortuorum ſuffragiis nos juvari eliciant. 132. 1. unde purgatorium ſtabiliant. 26. 12. Deum erraticis ſuis figmentis impie transformant. 27. 8

Papiſtarum calumniæ. 133. 1. commentum de Dei gratia. 143. 1. de fide. 91. 14. de partiali juſtitia. 130. 3. error de peccato originali. 51. 7. de peccatorum remiſſione. 103. 11. de pœna & culpa. 130. 8. diſtinctiones putidæ. 32. 1. & 106. 35. contumacia. 97. 7. ſupina hypocriſis. 19. 13. inanis jactantia. 78. 19. craſſa inſcitia. 133. 15. orationes inanes. 65. 2. & 135. 4. fictitiæ præparationes. 25. 8, 12. ſatisfactiones unde. 89. 31. templa, ſatanæ proſtibula. 26. 8. vota impia, ſtulta & ſacrilega. 50. 14. & 66. 13. & 132. 2

Parentum erga liberos officium. 22. 32. & 44. 3

Parvuli nomen in bonam partem ſumptum. 19. 8

Patientia beatos reddit. 84. 12. optima fultura. 34. 16. piis omnibus quam neceſſaria. 10. 14, 18. & 14. 5. & 18. 28. & 21. 9, 13. & 22. 25. & 27. 14. & 30. 6. & 34. 17. & 35. 11, 17. & 37. 3, 5, 7, 34. & 38. 14. & 44. 23. & 55. 24. & 62. 1, 4. & 76. 11. & 80. 5. & 94. 11. & 109. 8, 28. & 119. 67, 166. & 120. 6. & 126. 5. & 137. 8

Patientiæ fons. 38. 16

Patres cur ſub Lege tanto mortis metu conſtricti fuerint. 6. 6

Patrum orationes quomodo Deo acceptæ. 20. 4

Patrum & fidelium Novi teſtamenti collatio. 24. 8. & 27. 4

diſcrimen. 9. [illegible]

Patrum auctoritas quid valeat. 95. 9

præpoſtera æmulatio. 78. 8

erga liberos officium. 22. 32. & 44. 3. & 78. 4

Pauperum conſolatio. 9. 10, 13, 19

Paupertas æquo animo ferenda. 104. 15

Pax quid Hebræis. 37. 11

vera quæ. 131. 1

vera ex fide. 19. 9

Pax pro proſperitate. 122. 7

quomodo fovenda. 34. 15. & 139. 18

conſtanter perſequenda. ibid.

Peccatum quid. 51. 7

pro pœna. 38. 5. 19

quomodo à parentibus transferatur in filios. 51. 7

ſemper cum ſtultitia vel amentia conjunctum. 38. 6

Peccata noſtra iræ Dei conjungenda. 38. 4

occulta quæ dicantur. 19. 13

Peccatorum confeſſio neceſſaria. ibid.

confeſſio qualis requiratur. 25. 7, 11. & 32. 5

recordatio quatenus prodeſt. 51. 8

remiſſio imprimis neceſſaria. 6. 2. & 65. 4. & 130. 8

remiſſionis utilitas. 103. 1

Peccatores qui. 1. 1

Peccatores ſtulti. 107. 17

Pelagianorum error. 51. 7

Perforare aures quid. 40. 7

Permiſſio quomodo in Deo conſideranda. 115. 3

Perſequutio interna. 42. 11

Perſeverantia donum Dei. 17. 5. & 68. 29. & 71. 16

finalis certa eſſe debet. 16. 8

in precibus. 7. 2. & 13. 6. & 22. 3. & 27. 4. & 55. 17

in precibus neceſſaria. 145. 18

piis quam neceſſaria. 17. 5. & 68. 29. & 69. 4, 14. & 86. 11. & 106. 3. & 119. 24, 101, 119

Perſonæ mutatio Ebræis familiaris. 40. 6. & 69. 31

Perſonæ mutatio in verbis. 27. 8

Pervicacia, vide Obſtinatio.

Pedes in latitudine poni quid. 31. 8

Pharao nomen Regibus Ægyptiis commune. 34. 1

cur Leviathan dictus. 74. 13

Philoſophia quatenus utilis. 39. 5

Philoſophorum quorundam malignitas. 107. 43

Phinees zelus pius. 106. 30, 31

Pietas quid. 106. 3

vera in quo ſita. 103. 17

quanti æſtimanda. 15. 4

promiſſiones habet vitæ præſentis & futuræ. 37. 13

Pietatis vera definitio. 97. 7. natura. 119. 38. vera probatio. 66. 13. exercitia non contemnenda. 26. 8. ſumma. 24. 4

Pii ſemper in proſpero ſtatu conſervantur. 1. 3

Pii, vide Fideles.

Piſcium abundantia ex Dei benedictione. 104. 25

Platonis dictum. 45. 2

delirium. 148. 3. locus. 104. 29. & 148. 3

Plauti

Plauti locus. 73. 21
Plebs à Scripturæ acceſſu non arcenda. 25. 14. & 119. 130
Pluvia ex Dei nutu & decreto. 135. 7
ex Dei liberalitate. 65. 10. & 68. 10
Pluvia non creatur fortuito. 148. 5
Pœna remittitur, culpa remiſſa. 32. 1. & 130. 8
Pœnæ quas Deus infligit, cur pluviæ comparantur. 11. 6
Pœnæ temporales bonis & malis communes. 63. 10
Vide afflictiones.
Pœnitentia non protrahenda. 50. 22. & 51. 2
Pœnitentiæ donum commendatur. 51. 12
Pœnitentiæ gradus. 34. 15. & 83. 14
Populus beatus quis. 33. 12, 18. & 144. 15
Populus Chriſti voluntarius. 110. 3
Populi Orientales ut plurimum jaculatores in præliis. 68. 31
Populi Orientales, vide Orientales.
Populi veteris & novi diſcrimen. 92. 2
Portæ templi quo ſenſu æternæ. 24. 7.
פקודים quid. 19. 8
Poſteritas fidelium benedicta. 25. 13. & 37. 25, 26
Poſteritatis habenda cura in precibus. 90. 16
Præparationes Papiſtarum fictitiæ. 25. 8, 12
Preces in adverſis quam neceſſariæ. 17. 1. vide oratio.
Principes dii vocantur. 82. 6. & 110. 1
Principes officii admonentur, vide Magiſtratus.
Promiſſiones Legis quibus addita eſt conditio, quomodo accipiendæ. 19. 13
Promiſſiones temporales quomodo ſumendæ. 112. 2
Prophetiæ vis. 18. 46
Prophetarum ſcripta ad Philoſophiæ regulas non exigenda. 148. 3
Proſperitas mundi fallax. 49. 19, 20
Proſperitas impiorum, vide Impiorum proſperitas.
Proſperitate non abutendum. 13. 1, 4. & 30. 7
Providentia Dei, vide Dei providentia.
Proximus quis cenſendus. 15. 3
Prudentia vera. 119. 34
Prudentia in rebus adverſis à Deo petenda. 5. 9
Prudentia fidelium, vide Fidelium prudentia.
Pſalmi non omnes à Davide compoſiti, vide, David non eſt omnium Pſalmorum author.
complures poſt mortem Davidis compoſiti. 74. 1
פתאים pro ſimplicibus. 116. 5
Pueri quo ſenſu gloriæ Dei præcones dicantur. 8. 3
Puncta Hebræorum non ſemper ſcribendo expreſſa. 15. 4
Purgatorium unde à Papiſtis aſſtruatur. 86. 12

Q.

Quærere animam, quid. 54. 4. & 142. 5
Quærere Deum quid. 9. 11
Quærere Deum certa pietatis nota. 22. 27
קו pro verſu in ſcriptione. 19. 5

R.

Rabbini in fabricandis commentis perperam ſudant. 56. 8
רבים pro magnis. 31. 13. & 37. 16
Rebeccæ aſtutia vitioſa. 34. 1
Reconciliatio cum Deo inprimis neceſſaria. 32. 1
quomodo quærenda. 32. 6
Reconciliatio ex ſola Dei gratia. 79. 9
Reconciliationis noſtræ cum Deo finis. 32. 8
Recordationis duæ ſpecies in Deo. 25. 7
Recordari pro attendere. 20. 4
Redemptio Chriſti ſanguine parta quanti æſtimanda. 31. 6
רגע quid Hebræis. 35. 20
Regnum Chriſti, vide Chriſti regnum.
Regnum Davidis umbratile, vide Davidis regnum.
Regni legitima adminiſtratio. 72. 4. & 101. 1. duratio an hominum meritis nitatur. 132. 12. firmitas non niſi in tribu Juda. 60. 8
Regnorum ſtabilitas. 45. 4
Rex Chriſtus, vide Chriſtus Rex.
Regis officium. 18. 9. & 101. 1, 5
Reges publicæ utilitati addicti eſſe debent. 28. 9
Regum hujus mundi faſtus & arrogantia. 131. 11
ignavia. 45. 2
Regula in precibus tenenda, vide Orandi regula.
Regula bene vivendi. 19. 15
Relatio mutua inter Dei promiſſiones & fidem noſtram. 30. 10
Relativum ſine antecedente. 16. 4
Religio ſacratiſſimum humanæ conjunctionis vinculum. 55. 13. ex Dei notitia naſcitur. 9. 11. nulla ſine timore Dei. 128. 1. mutuæ inter homines æquitatis optima magiſtra. 14. 4
Remiſſio peccatorum, vide Peccatorum remiſſio.
Remiſſio pœnæ & culpæ. 32. 1
רפא quid Hebræis. 30. 3
Repetitiones quorſum tendant. 29. 1, 3. & 24. 8. & 34. 12
Reprobi quomodo Deum agnoſcunt. 83. 18. 19
hoſtes Chriſti. 110. 1. vere Deum non invocant. 18. 7. & 22. 24. oblatam ſibi lucem ſuffocant. 31. 20. & 111. 2. ad Dei tribunal non niſi tracti veniunt. 32. 5. omnes ſtultitiæ damnantur. 39. 9
Reproborum interitus, vide Impiorum interitus.
pœnæ, iræ Dei ſigna. 30. 12
Reprobi cur filiis Dei invideant. 37. 5
Reſpicere magnates quid. 40. 5

S.

Sabbathum quomodo ritè colitur. 92. 2, 5
שאולה pro inferno. 9. 18. pro ſepulchro. 16. 10
שכם pro tumulo ubi figi ſolet ſcopus. 21. 13
Saccus in luctu veteri communis. 30. 12
Saccus & jejunium precationis adminicula. 35. 13
Sacramentorum contemptores mulcti. 26. 8. & 27. 4
Sacrificium Deo gratiſſimum. 16. 3. & 85. 6. & 51. 19. 21. laudis Deo maxime acceptum. 26. 7. & 50. 14, 23. & 116. 13
Sacrificia quomodo non amentur à Deo. 40. 7. & 50. 9
Sacrificiorum quatuor ſpecies. 40. 7
uſus ac finis legitimus. 76. 12
Sacerdos Chriſtus, vide Chriſtus ſacerdos.
Sacerdotes Papiſtici omnes ſacrilegi. 110. 4
שגיון certa melodiæ vel cantici ſpecies. 7. 1
Salmon montis nomen. 68. 15
Salomonis & Chriſti collatio. 45. 7
Salus nonniſi à Chriſto ſperanda. 20. 10. noſtra Deo committenda. 33. 20. fratrum publice curanda. 14. 7. piorum apud Deum repoſita. 13. 6. fidelium in manu Dei. 37. 39. & 40. 17
Sanctuarium cur domus Dei. 26. 8. interius ſolis Sacerdotibus apertum. 84. 1. cæleſte. 20. 7. pro cælo. 150. 1
Sanctuarii uſus legitimus. 84. 5, 6
Sancti cur ſuam infirmitatem toties commemorant. 38. 3
Sancti, vide Fideles.
Sanctorum communicatio. 16. 3
Sanguis pro morte. 30. 10
Sapientia vera quæ. 107. 43. & 111. 10
Sapientiam loqui quid. 37. 30
Satan judiciorum Dei miniſter. 35. 6. & 143. 10. quomodo fideles ad deſperationem ſolicitet. 55. 5
Satanæ aſtutia. 17. 5. & 19. 14. & 30. 7. & 31. 7. & 39. 2. & 44. 20. fallacia. 32. 2. telum lethale. 22. 8
Satisfactiones unde natæ. 89. 31
Judæorum & Papiſtarum evertuntur. 32. 1
Saul hoſtis Davidis acerrimus. 18. 1. perſtringitur. 25. 21
Saulis dominatio, Davidis electione ſepulta. 68. 26
Scandalum ex Eccleſiæ impuritate. 15. 1
ex impiorum proſperitate. 37. 1, 7
Scelerati per Magiſtratus puniendi. 101. 8. & 106. 34
Sceptrum Chriſti, vide Chriſti ſceptrum.
Scientiæ liberales non aſpernandæ. 71. 14
Scriptura ſacra Legis eſt expoſitio. 1. 1
Scripturæ lectio etiam plebi permittenda. 25. 14. & 119. 130
Scurræ menſarii perſtringuntur. 35. 16
Securitas carnis. 30. 8
impiorum, vide Impiorum ſecuritas.
Selah elevationem in concentu notat. 3. 3. & 9. 17
Semen fidelium, vide Fidelium ſemen.
impiorum, vide Impiorum ſemen.
Sepultura ultimæ reſurrectionis teſtimonium. 79. 1
carere, maledictionis ſignum. 63. 10
cur interdum careant fideles. 79. 1
Sermo pro nutu vel mandato. 33. 6, 8
pro promiſſionibus. 18. 31
Serpentes faſcinis incantantur. 58. 5
Serveti errores confutantur. 73. 26. & 74. 19. & 104. 29
Severitas quæ Deo grata. 101. 8
Simplicitas Fidelium, vide Fidelium ſimplicitas.
Sion quomodo Dei habitaculum dicatur. 9. 12
Sion montis præſtantia. 68. 16
Sobrietas piis neceſſaria. 119. 98
Socordia hominum quanta. 29. 9. & 42. 8
multorum unde. 31. 6. Judæorum. 78. 9. excutienda. 18. 23. & 30. 7. & 31. 5. & 34. 9, 13. & 42. 8. & 50. 22. & 66. 5. & 68. 32. & 69. 7. & 84. 7. & 90. 3. & 103. 2, 3, 22. & 121. 2. & 119. 15, 60, 128. & 134. 1
Socratis dictum 44. 23. reſponſio ad uxorem. 69. 5
Sodomæ & Gomorrhæ exitium Divini in omnes impios judicii documentum memorabile. 21. 9
Sol præcipuum luminis vehiculum. 74. 16
quomodo occaſum ſuum agnoſcat. 104. 19. quomodo Deum laudibus ſuis celebret. 148. 3
Sol & Luna cur dicantur luminaria magna. 136. 7
honorificum Deo obſequium præſtant. ibid.
Solis calor & vis. 19. 7
Solium ſanctitatis quid. 47. 9
Soſannim quid. 69. 1. & 80. 1
Spes piis quam neceſſaria. 37. 34. & 42. 6. amplius concipi debet quo crudelius Eccleſiæ hoſtes inſoleſcunt. 38. 17. ſola manſuetudinem ex ſe parit. 37. 11. ex præteritis Dei beneficiis concipienda, vide Dei beneficiorum recordatio.
Spes & timor quomodo in fidelibus. 56. 4
Spei natura. 42. 6. legitima probatio. 46. 2
Spiritus pro mente & intelligentia. 139. 7
num in electis extinguatur quando peccant. 51. 12
Spiritus ſancti officium. 47. 8. & 51. 9
Spiritus ſanctus tribus modis nos docet. 143. 10
Spiritus oris pro ſermone. 33. 6
Statuta quæ 18. 23. & 19. 8. Domini recta. 19. 9
Stellæ quomodo laudes Dei ebuccinent. 148. 3
Stellarum ordo pulcherrimus. 8. 4
Stoici quale fatum ſomnient. 105. 19
Stoicorum altitudo quam vana. 34. 19
Stultitiæ nomine quid Hebræi intelligant. 38. 6
Stulti plagis ſapiunt, proverbium. 78. 32
Surgere, pro conſcendere tribunal, vel ſe accingere ad reſiſtendum. 7. 7
Surgendi verbum quomodo Deo tribuitur. 9. 20. & 10. 12. & 74. 22. & 76. 10. & 102. 14
Superbia omnibus ingenita. 9. 21
audaciæ mater. 75. 5. omnium injuriarum mater. 10. 2. fugienda. 8. 4. & 9. 21. & 33. 15. & 40. 5. & 101. 5. & 131. 1
Superbiæ corrigendæ optimum remedium. 39. 12. & 68. 29. & 75. 7
Superbiæ pro apertis tranſgreſſionibus quibus adjuncta eſt contumacia. 19. 13
Superbi facete perſtringuntur. 31. 24
Superborum merces. ibid.
Superſtitionum defenſores. 16. 4
Synodus Nicena. 99. 5

T.

שעה quid Hebræis. 34. 1
Tabulæ ſecundæ Legis ſumma. 37. 27
Tanninim pro marinis piſcibus. 148. 7
Temperantia piis neceſſaria. 104. 15
Templum ſanctitatis pro cœlo. 11. 4. & 18. 7
Templum non fruſtra extructum. 132. 14
erat præſentiæ Dei ſymbolum. 27. 5. quomodo Dei habitaculum. 24. 8. cur Dei ſcabellum. 99. 5. ab hoſtibus everſum & incenſum. 74. 5
Templi ſumptuoſum ædificium. 24. 7
partes tres. 74. 5. mentio cur fiat à Davide quum nondum extructum eſſet. 68. 29. portæ quo ſenſu æternæ. 24. 7. profanatio. 118. 19
Tempus præteritum continuum actum deſignat. 10. 14
verbi futurum in generalibus ſententiis continuum actum denotat. 9. 4. & 10. 8. & 18. 29. & 25. 1
Temporis enallage Hebræis trita. 21. 4
ſerenitas à Deo petenda. 148. 7
Tenacitas damnatur. 112. 5
Tentare Deum quid. 78. 18. & 95. 9. & 106. 14
Terra unde fructum ſuum proferat. 65. 10. & 85. 13
Chanaan cur terra deſiderii. 106. 24
Terra infra aquas ſubſidet. 24. 2. & 104. 9. vivorum quæ dicatur. 27. 13. Uphaz unde ſic dicta. 19. 11. recta pro ipſa rectitudine. 143. 10
Terræ fœcunditas ex arcana Dei benedictione. 65. 10. & 104. 10, 24. & 107. 33. & 132. 15. ſterilitas ex Dei maledictione. 107. 33. ſtabilitas. 104. 5. & 119. 90. mutatio teſtis præſentiæ Dei. 18. 9
Timiditas à Deo inflicta. 44. 11. nimia damnatur. 119. 46. nimia quomodo corrigenda. 68. 2
Timere à Domino quid. 33. 8
Timere & ſperare quomodo inter ſe congruant. 40. 4
Timor pro ratione colendi Dei. 19. 10. pro læta & alacri reverentia. 52. 8. qualis fidelibus. 46. 1. quis piis neceſſarius. 22. 24. Dei, vide Dei timor.
Timor & ſpes quomodo in fidelibus ſimul eſſe poſſint. 56. 4
Tonitru nonniſi Dei imperio gignitur. 18. 14
Tribus Jehudæ cæteris præſtantior. 114. 1
Tripudii vox in bonam partem ſumpta. 30. 12
Triſtitia duplex. 42. 5
טוב pro beneficentia vel gratuitis Dei muneribus & donis. 21. 4
Turcarum ſatisfactiones. 32. 1

V.

Venti non temere ſurgunt. 104. 3. & 107. 29
Ventorum multiplex agitatio opus Dei. 135. 7
Verbum pro Dei conſilio vel mandato. 33. 6
Verbum Dei, vide Dei verbum.
Verba futuri temporis continuum actum deſignant. 23. 5. & 25. 1. & 31. 6
Veritas in ſermone requiritur. 34. 14
in ſolo Dei verbo lucet. 29. 9
Via pro vivendi ratione vel inſtituto. 1. 1. & 37. 23.
Dei, vide Dei via.
Viæ, pro negotiis omnibus. 37. 5
Viæ Domini, pro virtute qua ſuos fulcit. 17. 5. pro fide promiſſionum ſuarum. 25. 4. pro paterna quam in ſuis tuendis & fovendis tenet ratione. 25. 10
Viæ juſtitiæ pro facilibus & planis. 23. 3
Victoria uni Deo tribuenda. 9. 4. & 18. 30, 48. & 21. 1. & 28. 8. & 44. 4, 6, 7, 9. & 68. 12, 19, 23
Vigiliæ in quatuor partes diſtributæ. 130. 6
Vindicta minime appetenda. 17. 4. & 25. 4. & 79. 10. & 109. 4. Deo relinquenda. 17. 4. quatenus à piis expeti poſſit. 28. 4. & 41. 11. & 79. 10. quomodo ab homine fieri poſſit. 18. 38, 48. Dei, vide Dei vindicta.
Vini uſus legitimus. 104. 15
Viri pacis qui Hebræis. 41. 10
Vita vera quæ. 119. 144
Vita pro longa duratione. 30. 6
Vita noſtra in manu Dei. 31. 6, 16. beata nonniſi ex Dei benedictione ſperanda. 34. 23. æterna quomodo operum merces. 19. 11. Dei, vide Dei vita.
Vitæ fons in Deo. 36. 10. bene inſtituendæ ratio ex una lege petenda. 19. 12. integritas neceſſaria. 15. 1. liber quis. 40. 8
Vitæ humanæ definitio. 90. 3. brevitas. 39. 5, 6. & 89. 46, 48. & 103. 14. & 146. 3. vanitas. 102. 12. finis. 6. 6. & 30. 10, 12. terminus cuique præfixus. 49. 7
Vivi mortuos nullo officii genere proſequi aut juvare poſſunt. 31. 13
Unguentorum uſus. 104. 15
Unicornis animal perniciſſimum. 29. 6
Vocatio electioni adjuncta. 65. 5
Vocatio Gentium, vide Gentium vocatio.
Vocationis legitimæ certitudo multum prodeſt. 18. 8
Vocationi ſedulo incumbendum. 11. 1
Vota non quælibet probanda. 56. 13
quæ Deo accepta. 66. 13. Papiſtarum impia, ſtulta ac ſacrilega. 50. 14. & 66. 13. & 116. 14
Votorum finis. 116. 14
Vox Dei in tonitru. 29. 3. & 93. 3
Urbes pravis moribus imbutæ in æternum exitium devoventur. 55. 10
Uſuræ nomen paſſim deteſtabile. 15. 5
Uſuræ an omnes damnandæ. ibid.
Vide Fœnus & fœnerator.
Uxor bona ex Dei benedictione. 128. 3

Z.

Zelus pius & ſincerus. 119. 136, 139
Zelus inconſideratus non excuſat. 106. 37
præpoſterus damnatur. 109. 6. Davidis purus & ſanctus. 18. 38. & 42. 11. & 69. 10. Lot. 69. 11. Phinees. 106. 29
זמה quid Hebræis. 26. 10

FINIS.

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

COMMENTARII

IN

JESAIAM PROPHETAM:

Primum collecti operâ & diligentiâ N. GALLASII; deinde locupletati & expoliti magno labore & cura ipſius Authoris; tertio recogniti & aucti amplâ acceſſione locorum Scripturæ qui paſſim in toto opere citantur; nunc poſtremo aliquot locis ex optimarum editionum collatione reſtituti.

Additi ſunt in fine tres Indices locupletiſſimi.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.

M. DC. LXVII.

Digitized by Google

N. GALLASIUS
JOANNI CRISPINO
Veteri amico & hoſpiti S.

QUoties recordor, mi Criſpine, inſignis illius [illegible] pii Eccleſiæ Paſtoris Joannis Calvini, id quod me ſæpius facere neceſſe eſt, toties mœrore gravi ac ſimul lætitia afficior. Nam quum in animum revoco candorem & integritatem hominis, benignumque ejus erga me affectum, ſuavemque & familiarem conſuetudinem qua cum eo per annos ſedecim uſus ſum, fieri non poteſt quin me tali amico aut potius parente privatum eſſe admodum ægre feram. Nec vero meam ipſe vicem ſolum doleo, ſed univerſæ potius Eccleſiæ, quæ tanto viro orbata haud leve ex illius obitu damnum accepit. Quos enim labores, quas vigilias & curas ſubibat; quam acute & ſolerter prævidebat pericula; quanta diligentia iis occurrebat; quanta fidelitate & prudentia conſulebat omnibus; quanta facilitate & comitate excipiebat eos qui ipſum adibant; quam prompte & aperte reſpondebat iis à quibus etiam de rebus maximis rogabatur; quam docte, & privatim & publice, difficultates ac nodos ſi qui proponerentur, ſolvebat; qua lenitate conſolabatur afflictos, mœrenteſque & fractos erigebat; qua conſtantia obſiſtebat adverſariis, & qua vehementia elatos ac præfractos ſolebat retundere; quo animi robore ferebat res adverſas, qua moderatione utebatur in proſperis, denique quam dextre & alacriter omnia veri & fidelis Dei ſervi munia obibat: ego certe nullis verbis exprimere poſſim! Ac ne quis me amoris vehementia ad hæc dicenda impelli putet, res ipſas conſideret, quæ ſane & ſermonem [illegible] cogitationem exuperant. Nam præter ſcripta & monumenta quibus illuſtre de virtutibus illius teſtimonium datur, permulta alia & fecit & dixit quæ non ita poſſunt omnibus innoteſcere, ut iis qui una cum ipſo, quum illa ederet, adfuerunt. Ad illa quum refero animum, ſublevor mœrore, & fructu tantarum rerum, quem mecum tot pii homines percipiunt, meipſum conſolor. Hæc mea lætitia eſt, eaque tam firma & ſolida, ut omnem triſtitiam ac luctum, quantumvis magnum, abſorbeat. Atque hoc nomine tibi etiam gratulor, mi Criſpine, qui quum in illius viri, quem unice amaſti, libris & monumentis ſumma cum voluptate verſeris, das etiam operam ut aliis ea communices. Sic enim augentur iſti ſapientiæ theſauri, & magno cum fœnore ad eos redeunt à quibus ſunt profecti. Sic efficis ut leniatur deſiderium tanti viri, ac doloris ſenſus quem triſtis & præmaturus ejus obitus peperit, minuatur. Jam tertium revocatus ſub incudem tuam ac limatus prodit hic liber, quem vere theſaurum appellare poſſum: propterea quod immenſas gratiæ cœleſtis opes contineat, atque aditum ad majores patefaciat. Quiſquis in eo libenter ac ſtudioſe verſabitur, certo ſciat ſe non inanem rediturum. Ea enim colliget quæ non ſolum huic Prophetæ, ſed aliis omnibus & toti Scripturæ uſui erunt: nec dubitet, ſi regulas teneat quæ ſparſim inſeruntur, quin maximum habeat lumen ad ea contemplanda & fruenda quæ multis occulta & abſcondita fuerunt. Quod igitur ſæpius huic operi manus adhibes, non mihi tantum, qui magno & diuturno labore illud primum emiſi, rem gratam facis, ſed iis omnibus qui in eo ſunt verſati, aut etiam aliquem ejus guſtum habuerunt. Id quod jam antea tot diſtractis exemplaribus ſatis percipere ac re ipſa experiri potuiſti. Nec me profecto tunc ſpes fefellit, quum toto quadriennio, indefeſſo labore, primum ex concionibus, deinde ex prælectionibus, meo tamen judicio & ſtylo, domum reverſus hæc literis mandabam. Ac quoties illius temporis recordor quo ſimul hæc Eccleſia quæ prius exigua & tenuis erat, mira incrementa accepit, non poſſum maximo gaudio non percelli. Tu vero ſatis meminiſſe potes qualis eſſet illius ſtatus quum patria extorris huc primum appuliſti, deinde quanto jam aucta eſſet numero quum recepta familia tua, huc commigraſti prorſus eo animo ut arte induſtriaque tua piorum ſtudia adjuvares. Hæc ego libenter refero ut eorum quæ ipſe expertus es commemoratione acuam ſtudium tuum: teque ad ea quæ ſuſcepiſti, & quorum pœnitere nunquam poterit, præſtanda excitem, & quamvis ſponte currenti ſtimulum adhibeam. Perge igitur, mi Criſpine, hac tua diligentia juvare eorum ſtudia qui ſacris literis dediti ſunt: nec tantum huic operi, ſed aliis quoque edendis incumbe. Vides enim multa quamvis utiliſſima prætermitti ac prope negligi ab iis qui prompto potius quæſtui quam publicæ utilitati ſtudent. Opuſcula ejuſdem authoris ſemel me authore ante quindecim annos excuſa ſunt. Ab eo tempore tametſi multa alia addidit, nemo tamen eidem operi manum admovit, ut vel eadem vel alia quæ poſtea acceſſerunt ſimili exemplo (de Latinis loquor) una excuderet. Ut ergo illorum atque etiam aliorum quæ tibi ſatis nota ſunt curam ſuſcipias, neque tanti viri ſcriptum ullum perire ſinas: denique & ea quæ pii & ſtudioſi à te poſtulant, præſtes, & quam excitaſti jamdudum de te expectationem magis ac magis ſuſtineas: ego te vehementer etiam atque etiam rogo. Deus faveat inſtitutis tuis, tuaque fauſta & felicia eſſe jubeat. Genevæ, Calend. Januar. M. D. LXX.

Sereniſſimæ Reginæ, & ſuis virtutibus non minus quam Regiis decoribus ſplendidæ

D. ELIZABETHÆ

Anglorum Reginæ, in Hybernia & Circumjacentibus Inſulis, &c.

DOMINÆ.

ETſi in hoc Commentario poliendo tantum laboris ac diligentiæ ſumpſi, generoſiſſima Regina, ut merito novum opus cenſeri debeat: quia tamen in prima editione Regi Eduardo fratri tuo dicatus fuerat, cujus pueri, qui multos ætatis ſuæ viros ſuperavit, memoriam, ut digna eſt, ad poſteros florere cupio; ſtatueram in ea inſcriptione nihil mutare. Sed quum in miſera illa triſtique Eccleſiæ diſſipatione & purioris doctrinæ ruina, quæ tam exiguo tempore incredibili violentia graſſatæ ſunt, liber hic cum tota ſinceræ pietatis doctrina ad tempus fuerit ex Anglia profligatus; nunc vero ſperem felicibus regni tui auſpiciis quaſi poſtliminio reſtitutum iri: nihil abſurdi facturus mihi viſus ſum, ſi præſtantiſſimi Regis nomini tuum quoque non minus bonis omnibus amabile & jucundum adjungerem. Imo non occaſio ſolum oblata, ſed neceſſitas poſtulare viſa eſt, ut huic commentario, cujus exilio ingentem piorum numerum ſub tua ditione ingemuiſſe ſcio, patrocinii tui fidem implorem. Etſi non tam privatim labori meo conſulere animus eſt, quam te ſuppliciter rogare, & per ſacrum Chriſti nomen obteſtari, ut non ſolum tuo favore orthodoxi omnes libri hoſpitium rurſus in Anglia tua inveniant, libereque iſthic verſentur: ſed quando fœdum in modum collapſa fuit religio, ut primam ejus curam ſuſcipias. Quod ſi à cunctis terræ Regibus jure ſuo exigit unicus ille Filius Dei, ſanctiore te vinculo, nobiliſſima Regina, ad hoc officium præſtandum devinctam tenet. Nam quum ab illa formidabili procella quæ piorum omnium capitibus graviter incubuit, ne tu quidem, Regia ſoboles, immunis fores: te inde incolumem, licet non à metu periculi intactam, mirabiliter eripiens, te ſibi ac omnia tua ſtudia addixit. Cujus liberationis adeo te pudere non debet, ut Deus amplam & uberem gloriandi materiam tibi dederit, Filii ſui imagini te conformans, inter cujus elogia hoc recenſet Propheta noſter, *cap.* 53: 8. è carcere & reatu in ſummam cæleſtis imperii altitudinem fuiſſe evectum. ſicuti autem non vulgare decus eſt tale referre exemplar: ita quoties in memoriam recurret, quod nulla unquam oblivione intercidere fas eſt, ex quam miſera & anxia trepidatione, Deo tibi manum palam quodammodo porrigente, emerſeris, ſimul hunc tibi finem propoſitum eſſe memineris, ut intrepida conſtantia, invictaque animi magnitudine tuo vindici ac liberatori viciſſim jus ſuum aſſeras; ac poſthabitis omnibus negotiis, quorum ingentem turbam in his regni principiis obſtrepere non dubito, cultum ejus qui ad tempus fœde & indigne fœdatus iſthic fuit, ſuo nitori reſtituendum cures. Quod ſi multis & arduis difficultatibus objectis, metum vel ſegnitiem injicere tentet Satan: unde tibi fiducia ſtrenue pergendi (quæ obſtacula omnia ſuperet) petenda ſit, non ignoras; nec Deus, qui privatas hominum actiones ſua benedictione dignatur, opus ſuum felici & optabili ſucceſſu deſtituet. Te etiam, ô veneranda Regina, extimulet officii religio, quando non à Regibus ſolum flagitet Jeſaias noſter *inf.* 49: 23. ut Eccleſiæ ſint nutricii, ſed etiam à Reginis ut ſint nutrices. Hoc vero tibi officium non modo in repurgandis iterum ſordibus Papatus, & fovendo grege, qui nuper pavidus latebat, præſtandum erit: ſed in colligendis exulibus, quibus patria carere ſatius viſum eſt, quam in ea manere, quamdiu profligata inde fuit pietas. Hic ad alia tuæ erga Deum gratitudinis cumulus accedet, ac ſuaviſſimi quidem odoris ſacrificium, fidos Dei cultores, quos ob Euangelii confeſſionem profugos vagari per longinquas regiones contigit, tuo beneficio in patriam nunc reduci. Nobis vero qui & lugubri illo ſpectaculo acerbiſſimum dolorem, ut par erat, concepimus: & gaudendi, & tibi gratulandi juſta materia ſuppetit, dum nutus tui clementia fratribus noſtris videmus reditum jam aperiri, non modo ut liberum ſit illis Deum ſub tuæ Majeſtatis ditione colere, ſed ut aliis ſint adjutores. Hoc verò meæ erga te obſervantiæ, nobiliſſima Regina, teſtimonium (quod nonnullis forſan leve ac vile eſſet) ſi pro tua clementia, ut confido, non ſpernetur, non vulgaris beneficii loco ducam, meamque quibuſcunque potero officiis gratitudinem tota vita probare enitar.

Dominus te, ſereniſſima Regina, prudentiæ Spiritu gubernet, ſuſtineat invicta fortitudine, Majeſtatem tuam tueatur, omnique benedictionum genere locupletet. Genevæ xv. Januarii: quem diem fama obtinuerat tuæ coronationi præfixum eſſe: quo me alacrius ad ſcribendum accinxi, pauliſper excuſſa quartanæ febris ſegnitie.

LECTORIS.

QUum Angliæ recens à gravi jugo liberatæ gratulari vellet author, & Reginæ Elizabethæ, cujus auſpiciis Eccleſia Chriſtiana reſpirabat à diris perſequutionibus quas Maria regnante paſſa fuerat, hoc opus aliena prius opera editum, quod Eduardo Regi inſcripſerat, à ſe recognitum & locupletatum, piæ illius forori, ut regni ita virtutis & muneris hæredi, rurſus inſcribendum putavit. Ac ne ullam prioris propoſiti ab ipſo mutationem eſſe factam, aut levitate quadam aut ambitione, à quibus ſemper alieniſſimus fuit, hoc fieri quiſquam exiſtimaret, hanc teſtationem in ipſo operis initio præfigi voluit, quam ut pareamus ejus decreto hic tibi denuo ſubjicimus:

Hoc opus, ut nunc magna diligentia & labore limatum prodit, Præclari Regis Eduardi ſexti memoriæ Dicatum maneat.

Sere-

Sereniſſimo Angliæ Regi

EDUARDO VI,

HYBERNIÆ DOMINO, &c.

PRINCIPI VERE CHRISTIANO,

JOANNES CALVINUS.

ETſi Commentarium hunc fideliter & dextre ex meis lectionibus collectum eſſe agnoſco: quia tamen aliena manu expolitus erat, initio veritus ſum, Rex ſereniſſime, ſi nomini inſcriptus tuo in publicum exiret, ne munere non ſatis legitimo erga tuam Majeſtatem defunctus viderer. Sed dubitationem hanc una maxime ratio inter alias mihi tandem exemit: quod ſicuti perſona tua apprime dignus eſt Regio genere ortus Propheta, & nobiliſſimus ſummi Regis Chriſti legatus; ita laborem in explicandis ejus vaticiniis à me poſitum, tuæ Majeſtati gratum ac pretioſum fore ſperavi. Porro quum quinque Regum animos, quibus continuo ſucceſſionis ordine Doctor præfectus fuit, expertus fuerit longe diſſimiles: quiſnam ex illis præcipue tibi ad imitationem diligendus ſit, monere opus non eſt: ac ne hortari quidem ut id facias, in quo jam ſatis voluntarium te oſtendis. Oziam & Jotham, quamvis ad vindicandum Dei cultum non ſatis animoſi forent, propitios tamen habuit. Plus certaminis illi cum Achaz ſubeundum fuit: non illo quidem palam infeſto hoſte, ſed verſuto hypocrita, & perfida ſimulatione referto. Quo hoſtium genere nullum Dei ſervis moleſtius. Succeſſor Ezechias non modo reverenter ſanctum virum coluit, ſed modeſte ejus doctrinæ tanquam unus ex reliquis, ſe ſubmiſit: paruit conſiliis, monitionibus ſe præbuit regendum: quinetiam ſevere reprehendi, quum res ferebat, æquo animo paſſus eſt. Poſtremus Manaſſes, quem ſocerum fuiſſe magno conſenſu tradunt Judæi, diro tormenti genere cruciatum impie necavit. Cæterum quo tempore manum illi porrigebant non mali Reges, adeoque ſub ipſo Ezechia tam ſtrenuo pietatis vindice, non tamen & duris moleſtiſque contentionibus vexari, & acres ſubire conflictus deſtitit. adeo rarus ac difficilis eſt hominum cum ſana doctrina conſenſus. Quin potius aſſiduum cum mundo bellum gerant neceſſe eſt, qui Propheticam functionem ſincere & fideliter obire volunt. Quo majore ſtudio pios Reges ad ſublevandos ſuo patrocinio Dei miniſtros incumbere convenit, ne impiorum protervia ultra modum fatigentur. Sed hæc, ut inſignis & vere heroïca eſt virtus, ita ſi omnes ab initio uſque mundi ætates memoria repetas, rara & à pauciſſimis culta fuit. Multi ignavi & ſocordes, quaſi ea res nihil ad ipſos attineret, Dei veritatem opprimi, ſecure paſſi ſunt. bona vero pars palam adverſa, & violento furore infeſta fuit. Atque utinam quicunque ſe hodie Chriſtianos profitentur, tam eſſent in aſſerenda ſalutis doctrina cordati, quam nomen ipſum ſupercilioſe jactant. Verum ut de aliis taceam, hoc ſaltem in præſentibus Eccleſiæ miſeriis ſolatium non vulgare cenſeri jure poteſt, quod iſta ingenii animique præſtantia ad tuendam pietatis cauſam divinitus ſis excitatus, nobiliſſime Rex, ac tuum in ea parte obſequium Deo tam ſtudioſe offeras, quam illi gratum probatumque eſſe cognoſcis. Etſi enim per conſiliarios adhuc geruntur regni negotia, & ita tum illuſtriſſimo Sommerſeti Duci, Majeſtatis tuæ avunculo, tum pleriſque aliis cordi eſt religio, ut in ea conſtituenda ſedulo, ut par eſt, laborent: ſic tamen omnium ſtudia unus præcurris, ut facile appareat non minimum illis eſſe calcar, quem in te perſpiciunt, ardorem. Neque enim generoſa modo in te indoles, & quædam virtutum ſemina (quod in tenera iſta ætate præclarum videri ſolet) fama celebrantur, ſed jam ultra ætatem adulta earum virtutum maturitas, quæ plenis annis non raram modo laudem, ſed admirationem etiam conciliant. Pietas vero tua præſertim ſic laudatur, ut habiturum Prophetam noſtrum certo mihi perſuadeam, qui eadem reverentia, qua vivum excepit Ezechias, mortuum quoque proſequatur. Quæ porro inde utilitas ad te reditura ſit, ex lectione diſcere te præſtat: & in tractando argumento nonnihil attigi. Unum modo caput eſt, de quo pauca apud tuam Majeſtatem verba facere inſtitui. Poſtquam enim juſtas Dei querimonias adverſus ingratum populum expoſuit Propheta, pœnamque Judæis minatus eſt, qualem & perfida eorum defectio & deſperata pervicacia merebatur; inſtare ſcilicet tempus, quo in horrendam vaſtitatem redigendi forent: mox de nova & incredibili Eccleſiæ inſtauratione diſſerens, ſic Deo poſthac curæ futuram promittit, ut invitis hoſtibus beata & glorioſa ſemper floreat. Lætum hunc ac felicem ſtatum guſtarunt, qui ex Babylonico exilio reverſi, erectis de integro ſacrificiis, ſpem majorum bonorum concipere poterant, quam quibus tunc fruebantur. Quemadmodum ex auroræ conſpectu propinquum Solis exortum ſperamus. Ubi autem cum Euangelii ſui fulgore Sol juſtitiæ Chriſtus emerſit, quod tam magnifice celebratum fuerat Prophetæ oraculis, longe res ipſa ſuperavit. Intra exiguum tempus ſparſa per totum fere orbem fuit veri Dei cognitio. Pura religio, quæ prius in Judæa, quaſi in obſcuro angulo contempta latuerat, diffuſa per omnes gentes ac provincias ita coli cœpit, ut linguæ innumeræ uno fidei conſenſu Deum invocarent. Collectis paſſim Eccleſiis, Regium ſuum tribunal erexit Dei Filius, unde ab ortu in occaſum uſque Solis conſpicuus emineret. Eccleſiæ ipſæ, inauditis Spiritus donis ornatæ, non modo incomparabilem divinæ bonitatis fructum ſenſerunt, ſed admirabilis potentiæ illuſtria cæcis quoque fuerunt theatra. Et quamvis ſub cruce regnaret Dei Filius, tamen inter duros perſequutionum conflictus, auguſtior enituit ejus gloria, & ſpecioſiores triumphi fuerunt quam ſi tranquilla fuiſſet Eccleſiæ proſperitas. Factum tandem eſt, ut ſuperba illa Romani Imperii celſitudo ſe quoque Chriſto ſubmittens, ſingulare domus Dei ornamentum eſſet. Sed ne continuos haberet ſucceſſus hæc felicitas, obſtitit hominum malitia & ingratitudo. Itaque ſponſa Chriſti tam pretioſo habitu nudata, tanta digni-

tate ſpoliata, tanquam ſplendido decore privata, in miſeram poſtea deformitatem redacta eſt. Semper quidem aliquas Deus reliquias velut ſub latebris ſervavit: verum quod ad externam Eccleſiæ ſpeciem pertinet, nihil multis ſeculis quam vaſta, confuſaque ubique diſſipatio apparuit. Et videmus ut hodie etiam Romanus antichriſtus longe lateque ſanctuarium Dei ſacrilega tyrannide occupans, quicquid Dei erat, disjectum ac oppreſſum ſub pedibus habet. Nam quum prodigioſis erroribus corrupta ſit illic doctrinæ puritas; quum obruto Dei cultu, innumeræ idololatriæ illic graſſentur; quum in legitimi regiminis locum dira carnificina ſubierit; quum Sacramenta partim craſſis corruptelis vitiata, partim fœdæ nundinationi expoſita ſint: quid præter lugubres ruinas ex vera & genuina ſpiritualis ædificii pulchritudine reſtat? Atqui hac noſtra ætate Dominus, præter ſpem omnium, quod collapſum erat erigere rurſus cœpit, ut aliqua ſaltem veri templi, in quo pure & ex Euangelii præſcripto adoraretur, ſuperficies extaret. Homunciones quoſdam ex vulgo, qui tamen ſincera doctrina opus hoc proveherent, quaſi architectos ſibi delegit. Arduum ſane, & immenſæ molis opus: etiamſi nihil turbaret Satan. Nunc vero ſimulac ſurrexit aliqua ædificii pars, quum omnes ad demoliendum machinas admoveat, quid mirum eſt ſi tenui lentoque profectu, multum & anxie ſudamus? Itaque ſuperbe nos contemnunt alti gigantes: quaſi Romanæ ſedis tyrannidem labefactare ſtudentes, Olympum ex ſuis radicibus convellere moliamur. Aſtuti vero homines & naſuti (ut ſibi quidem videntur) noſtram ſedulitatem jocoſe rident, quia in reſtituendo Eccleſiæ ſtatu tantopere laboremus: quaſi certus aliquis & fixus inveniri queat. Putant enim illi ſe ita fundatos eſſe & undique munitos, ut Papatum aboleri nihilo ſit facilius, quam cælum terræ miſceri. Horum autem cogitatio paulo diverſa: quia major ſit mundi perverſitas, quam ut fræno aliquo contineri queat, præpoſtere nos ſatagere ducunt, qui correctis vitiis, puram & ſinceram Eccleſiæ adminiſtrationem quæramus. Notum eſt Eraſmi dicterium: Qualem à ſe decimum Capito fere ſperat? Scilicet, Wolfgangum Capitonem negare non poterat & ſanctum eſſe virum, & optimo ſtudio ad repurgandam Eccleſiam incumbere: ſed quum perſuaſus eſſet, non minus fruſtra luctari Chriſti miniſtros in corrigenda mundi malitia, quam ſi flumina retroagere conentur, (ut umbratilibus philoſophis mos eſt) inconſiderati zeli nos omnes ſub unius hominis perſona damnabat. Multum vero errant utrique, quod in colligendis Eccleſiæ ruinis non cogitant ita nos operam Domino, quam mandat & exigit, præbere, ut ſolidum tamen ejus ſit opus, Eccleſiæ inſtauratio: Atqui hoc nec tota paſſim Scriptura abs re teſtatur, nec Propheta noſter tam ſolicite inculcat. Quare nos hujus doctrinæ memores, rem viribus noſtris longe ſuperiorem, Dei auſpiciis freti ſuſcipere ne dubitemus, nec ulla nos frangat vel emolliat difficultas, ut ſuſceptam deſeramus. Ac te quidem nominatim hic appello, præſtantiſſime Rex: imo Deus ipſe per os Jeſaiæ ſervi ſui te compellat, ut quicquid habes virium ac potentiæ, ad provehendam in melius, quæ jam feliciter in regno tuo procedit, Eccleſiæ reſtitutionem conferre pergas. Primum has tibi in regno, cui præfectus es, impoſitas eſſe partes, quotidie audis ac legis. Præſertim Jeſaias, ut dixi, Reges Eccleſiæ nutritios appellans, opem illi tuam, quam afflicta implorat, deeſſe non patitur. Neque etiam leviter animum tuum afficere debet, quod væ Regibus ac populis omnibus denunciat Propheta, qui ſuo illam ſubſidio fraudarint. Quid deinde flagitet temporum neceſſitas, clare Majeſtas tua videt. Etiamſi ſatagendo non admodum proficeres: quia tamen gratum hunc Deo cultum eſſe noſti, adeoque ſuaviſſimi odoris ſacrificium, nihil quantumvis adverſum, abducere te ab inſtituto deberet. Nunc quum Deus ad rem ſtrenue gerendam te hortando, ſucceſſum quoque ſimul promittat, cur non vocantem alacri animo ſequaris? Clamat alio loco Propheta noſter, Sternite viam, ſternite populo meo. Quam deſperatus ab exilio in patriam reditus captivis fuerit, ſatis notum eſt. Nondum id quidem tunc acciderat: ſed quia ſpiritu jam cernit Propheta, quod aliquanto poſt re ipſa ſenſuri erant poſteri, ne quem piorum exanimet tam triſte ſpectaculum, mature anticipat, nihil omne genus obſtaculis tam clauſum obſtructumque fore, quod non ſibi pervium facturus ſit Deus in Eccleſia liberanda. Non minori ſaltem hodie conſolatione nos erigi decet. Te vero, Rex nobiliſſime, pro injuncti muneris ratione acriter excitari operæ pretium eſt: quum Reges omnes & Magiſtratus ſub Cyri perſona hortetur Jeſaias, ut laboranti Eccleſiæ, in ſtatu recuperando manum porrigant. Quanquam tua & Cyri in eo diſſimilis eſt ratio, quod ille, qui alienus à grege Domini erat, nunquam velut ex profeſſo edoctus fuit, ut ſponte ſe & ex animo vindicem Eccleſiæ offerret ac præſtaret: te vero, quem Dominus non modo adoptione ſua dignatus eſt, ſed primario etiam inter filios ſuos loco ſtatuit, quaſi porrecta manu, in has partes vocat Propheta. Quo etiam majore fiducia & ardentiore ſtudio in hoc curſu, generoſe Rex, tibi pergendum eſt. Res quidem, ut dixi, quum per ſe magnarum difficultatum plena, tum vero majoribus implicita moleſtiis, & diſcriminibus perplexa, quod innumeras ſubinde machinas ingerere non deſinit Satan, ſi qua ſacrum Dei templum vel evertere vel labefactare queat. & conſtantiam noſtram Deus talibus experimentis interdum probari vult. Verum ſi iſtud modo conſtitutum habes, nihil te cum præſtantiſſimo tuo conſilio, vel hactenus aggreſſum eſſe in reſtituendo Eccleſiæ ſtatu, vel nunc perſequi, niſi Deo authore, ſenties proculdubio quam mirificus ſit eorum omnium effector, quæ miniſtris ſuis mandat. Fructum ex hoc ſucceſſu incomparabilem percipiet Anglia: nos & tuæ, & regni totius, felicitati gratulabimur. Interea precibus meis, ut par eſt, quando nihil habeo melius, ſanctos iſtos conatus juvabo.

Vale, ſereniſſime Rex. Dominus Majeſtatem tuam quam diutiſſime florentem conſervet, tibi adſit, te gubernet ſuo Spiritu, te in omnibus benedicat, Amen. Genevæ, octavo Calend. Januarii, 1551.

JOANNIS CALVINI
IN
JESAIAM PROPHETAM
PRÆFATIO.

DE Officio Prophetarum permulta dici quidem & tractari ſolent: ſed nullum mihi compendium magis probatur, quam ſi Prophetas ad Legem referamus, unde doctrinam ſuam, veluti rivos è fonte duxerunt. Eam enim velut regulam ſibi propoſuerunt, ut merito ejus interpretes dici ac cenſeri poſſint: quibus nihil eſt ab ea ſeparatum. Lex autem tria potiſſimum continet. Primum doctrinam vitæ: deinde minas & promiſſiones: tertio fœdus gratiæ, quod in Chriſto fundatum omnes in ſe ſpeciales promiſſiones complectitur. Nam quod ad ceremonias attinet, exercitia erant, quibus retinebatur populus in cultu Dei & pietate: ideoque prioris Tabulæ appendices erant. Doctrinam igitur latius explicant Prophetæ: & quæ duæ Tabulæ paucis comprehendunt, plenius interpretantur: & quid potiſſimum requirat Dominus, oſtendunt. Minas vero & promiſſiones quas in genere Moſes promulgaverat, ipſi accommodant ſuo tempori, eaſque in ſpecie deſignant. Poſtremo, quæ obſcurius apud Moſem de Chriſto & gratia ejus habentur, declarant apertius, plenioraque gratuiti fœderis & uberiora teſtimonia afferunt.

Ut autem res iſta melius pateat, altius paulo repetenda eſt: nempe à Lege ipſa, quam Dominus ceu perpetuam regulam Eccleſiæ conſtituit, ut ſemper verſaretur in manibus hominum, & quam poſteritas omnis ſequeretur. Quum videret Deus periculum eſſe ne rudi & indomito populo non ſufficeret tradita à Moſe doctrina: imo populum ipſum videret, niſi arctiore fræno injecto, vix retineri poſſe: dum vetat *Deut.* 18. ne Magos aut Ariolos, Conjectores aut Aruſpices conſulant, ſolaque ejus doctrina ſint contenti: hoc quoque ſimul addit, ſibi fore curæ ne unquam deſit Propheta in Iſraël: idque conſulto facit, objectioni volens occurrere, quæ à populo afferri poterat: conditionem videlicet ſuam deteriorem fore quam impiorum omnium, quibus ſui erant Flamines, Pontifices, Aruſpices, Conjectores, Aſtronomi, Chaldæi, & ejuſmodi, quos ipſis adire & conſulere liceret, neminem vero hominem ipſis futurum, qui dubiis & ancipitibus in cauſis ipſos conſilio juvaret. Ut ergo prætextum ipſis omnem adimat, nec ſe execrandis Gentium ritibus polluant, promittit ſe Prophetas ſuſcitaturum, per quos mentem ſuam aperiet, quique fideliter nuntiabunt quicquid mandaverit: ne quid ſibi in poſterum deeſſe conquerantur. Eſt enim illic ἑνικοῦ numeri, quum Prophetam nominat. Nam etſi locus ille proprie ac potiſſimum ad Chriſtum ſpectat, quemadmodum aperte interpretatur Petrus, *Actor*, 3. quoniam Prophetarum caput eſt, ab eoque pendent omnes cum ſua doctrina, atque in eum uno conſenſu intendunt: tamen ad reliquos etiam Prophetas pertinet: eoſque collectivo nomine comprehendit.

Prophetas igitur quum promiſit Dominus, per quos mentem, & conſilium ſuum aperiret, in eorum interpretationibus & doctrina populum acquieſcere juſſit. Nec vero propoſitum illis fuit Legi quicquam addere: ſed eam fideliter interpretari, ejuſque authoritatem ſtabilire. Unde etiam Malachias, *cap.* 3. dum hortatur populum ad ſinceræ fidei conſtantiam, ac perſeverare in religionis doctrina jubet, Mementote, inquit, Legis Moſis ſervi mei, quam ei in Horeb, ad omnem Iſraëlem mandavi. Revocat eos ad unicam Dei Legem, eaque contentos eſſe jubet. Vultne igitur Malachias Prophetias contemni? Minime vero: ſed quum Prophetiæ ſint Legis appendices, Lex autem ſummatim omnia comprehendat, ſufficiebat iſta exhortatio. Nam qui ſummam ipſam doctrinæ, & capita præcipua tenebunt, eorumque ſtudioſi erunt, Prophetias certe neglecturi non ſunt. Nimis enim ridiculum eſſet jactare ſtudium Legis, ſi divinas ejus interpretationes negligas: quemadmodum hodie impudentes plerique homines ſtudium Verbi jactant, cum tamen admonitiones pias & reprehenſiones, quæ ex Verbi doctrina fluunt, æquo animo ſuſtinere non poſſint. Proinde cum de moribus diſſerunt Prophetæ nihil novi afferunt: ſed ea tantum explicant quæ perperam in Lege intelligebantur: verbi gratia, Populus ſe perbelle functum officio exiſtimabat, cum immolabat victimas, externoſque ritus obſervabat: mundus enim metitur Deum ſuo ingenio, eique carnales cultus affingit. Prophetæ id graviter reprehendunt, atque oſtendunt nihil eſſe omnes ceremonias cum abeſt ſinceritas animi: coli Deum fide & vera invocatione. Id quidem Lege ſatis teſtatum erat: ſed diligentius inculcandum, & ſæpius commemorandum fuit: detegenda quoque hypocriſis, qua ſe tegunt homines ceremoniarum prætextu. Quod attinet ad ſecundam Tabulam, Prophetæ ex ea exhortationes ſuas hauriunt, ut oſtendant ab omni injuria, vi & fraude abſtinendum. Itaque nihil aliud agunt, quam ut populum in obedientia Legis contineant.

In minis vero & promiſſionibus ſpeciale quiddam habent Prophetæ. Quæ enim in genere Moſes propoſuerat, ſpecialiter quaſi digito notant. Habent præterea viſiones ſibi proprias, quibus futura revelabat Dominus, ut promiſſa & minas ad populi uſum applicarent, propiuſque de voluntate Dei teſtarentur. Minatur Moſes, Bello te perſequetur Deus, foris hoſtes, domi te inteſtina diſſidia vexabunt. Vita tua tanquam filo ſuſpenſa erit: ad ſtrepitum folii horrebis, & ejuſmodi. Prophetæ vero, En, inquiunt, Deus adverſus te Aſſyrios armabit, Ægyptios ſibilo accerſet, Chaldæos ſuſcitabit, in exilium rapietur Iſraël, regnum ejus abolebitur, Jeroſolymam vaſtabit hoſtis, templum exuret. Idem etiam de promiſſis dicendum eſt. Ait Moſes, Si obſervaveris mandata, benedicet tibi Dominus.

nus. Beneficia deinde refert in genere. Prophetæ vero nominatim denuntiant, Hoc te beneficio Deus ornabit. Item Dominus per Moſem promittit in hunc modum, Etiamſi in extremas orbis terræ partes disjectus ac diſperſus fueris, tamen te colligam. Per Prophetas vero, Quamvis te in Babylonem disjecerim, tamen poſt LXX. annos inde te eruam.

Quod autem ad gratuitum fœdus attinet olim cum Patriarchis à Deo percuſſum, Prophetæ ſunt multo clariores, atque in eo populum magis confirmant. Semper enim illuc pios revocant, dum volunt eos conſolari, & Chriſti adventum proponunt, qui & fœderis erat fundamentum, & vinculum mutuæ inter Deum & populum conjunctionis: quapropter omnis ſumma promiſſionum ad eum referenda. Qui hoc tenebit, facile intelliget quid quærendum ſit in Prophetis, & quem in finem eorum ſcripta intendant. Et hæc quidem velut digito nunc commonſtraſſe ſufficiet.

Hinc colligere licet quomodo tractanda ſit doctrina Verbi: atque imitandos eſſe Prophetas, qui ſic Legis doctrinam adminiſtrarunt, ut ex ea monitiones, reprehenſiones, minas, conſolationes peterent, quas populo accommodarent pro ſtatus præſentis ratione. Tametſi enim non reveletur nobis quotidie quod pro vaticinio proferamus, tamen mores noſtrorum hominum conferre operæ pretium eſt cum priſci illius populi moribus: atque ex hiſtoriis & exemplis patefacienda judicia Dei; Quæ olim ultus eſt, non minus hodie etiam eſſe ulturum, quia ſit perpetuo ſimilis ſibi. Hanc igitur prudentiam adhibeant pii Doctores, ſi cum aliquo fructu, Prophetarum doctrinam tractare velint.

Hæc de Prophetis in genere. Ut autem ad Jeſaiam noſtrum veniamus, inſcriptio ſatis oſtendit quis fuerit, & quo tempore Prophetias iſtas publicarit: nominatur enim hic ejus pater Amoz qui frater fuiſſe creditur Azariæ Regis Juda. Unde apparet Jeſaiam fuiſſe ſtirpis regiæ, atque in eo veteres omnes conſentiunt: nec tamen aut genus aut propinqua Regis affinitas (ſocerum enim Manaſſis fuiſſe, Judæi tradunt) impedire potuit, quominus interimeretur odio Verbi; nec major habita eſt ratio ipſius quam plebeii cujuſpiam, vel obſcuri & contempti hominis. Tempus quo prophetavit indicant Regum expreſſa hic nomina. Sunt qui exiſtimant ipſum cœpiſſe demum ſub finem regni Uſiæ. Conjecturam autem ducunt ex viſione quæ refertur Capite ſexto, qua ſe confirmatum teſtatur Jeſaias. Verum illa conjectura nimis infirma eſt, quemadmodum dicetur ſuo loco. Aperte vero ex hac inſcriptione conſtat ipſum ſub Uſia prophetaſſe. Neque id mihi dubium eſſe poteſt: Utcunque ſit, conſtat ipſum pluſquam LXIV. annos ut minimum prophetaſſe. Jotham enim ſexdecim annos regnavit: Achaz totidem: Ezechias novem & viginti. Jam fiunt unus & ſexaginta. Adde eos quibus ſub Uſia fuit: deinde ſub Manaſſe, à quo interfectus eſt: ſexaginta quatuor ad minimum anni erunt, quibus Jeſaias aſſidue Prophetæ officio fungi non deſtitit: quanquam probabilis conjectura eſt, imo fere certa ratio, ſupra illud temporis ſpacium decem annis prophetaſſe: verum quia haud ſatis liquide ex hiſtoria conſtat, non ultra contendo. Id quidem miniſtris Dei omnibus diligenter notandum eſt, ut conſiderent quam patienter ſibi ferenda ſit ſua conditio, utcunque alioqui dura & difficilis ſit: nec indignum eſſe putent; ſi multa & gravia ipſis perferenda ſint, dum tolerantiæ ejuſmodi exempla ante oculos verſantur. Hæc autem graviſſima eſt tentatio, cum vident ſe nihil tot laboribus promovere: & centies deſerendum potius exiſtimant ſuum munus, quam ut operam tamdiu ludant. Quamobrem hæc exempla ſæpius proponenda & commemoranda ſunt. Nempe cum Jeſaias parum profecerit tot tantiſque laboribus; Jeremias quoque magnis clamoribus per quinquaginta annos populo inſtare non deſtiterit, qui tamen eo pervicacior reddebatur; nec ullis difficultatibus à ſuo curſu averti potuerint: nobis quoque recta in officio pergendum, & omne moleſtiarum genus æquo animo ſuſtinendum eſſe. Notanda etiam circumſtantia ex mutatione Regum qui hic numerantur. Nec enim potuit idem eſſe rerum ſtatus in tanta varietate, ut ſcimus quoties aliqua fit in publico ſtatu converſio, magnam partem quaſi novos mores induere: unde multas perturbationes interea exoriri neceſſe fuit. Quod perſtitit tamen invicta conſtantia, nec unquam animo fractus eſt, ad imitationem ſtimulare debet omnes Dei ſervos, ne ulla inclinatione unquam flectantur.

Quæri poterit, An Jeſaias ipſe titulum hunc inſcripſerit ſuæ Prophetiæ, an alius quiſpiam. Huic quæſtioni nullus interpretum, cujus quidem ſcripta legerim hactenus, reſpondet. Ego vero etſi omnino ſatisfacere vix poſſum, dicam tamen quod ſentio. Poſteaquam Prophetæ concionem habuerant ad populum, brevem ejus ſummam colligebant, quam valvis templi affigerent, ut omnibus pateret ac melius innoteſceret Prophetia. Quæ cum per aliquot dies ſatis patuiſſet, auferebatur à miniſtris templi, atque reponebatur in theſaurum, ut perpetuum ejus rei monumentum extaret. Hinc confectos eſſe libros Prophetarum veriſimile eſt: idque colligi poteſt ex ſecundo capite *Habac. verſ.* 2. ſiquis ipſum rite expendat: atque etiam ex capite octavo hujus Prophetæ. Imo qui diligenter & cum judicio verſati ſunt in Prophetis, mihi concedent, non ſemper fuiſſe quo decebat ordine digeſtas eorum conciones: ſed ut ferebat opportunitas, inde conflatum fuiſſe volumen. Singulari autem Dei providentia effectum eſt, ut Sacerdotum opera, quorum officium erat Prophetias ad poſteros mandare, (quanquam & ipſi ſæpe infeſtiſſimi eſſent Prophetis) hæc ad nos uſque pervenerint.

JOANNIS CALVINI COMMENTARII IN LIBRUM PROPHETIARUM JESAIÆ.

CAPUT PRIMUM.

VIſio Jeſaiæ filii Amoz, quam vidit ſuper Judam & Jeruſalem in diebus Uſiæ,
Jotham, Achaz, Ezechiæ, regum Juda.
2. Audite cæli, & auſculta terra: quia ſic Dominus loquitur, Filios educavi & ſuſtuli, ipſi tamen * ſcelerate egerunt in me. * vel, rebellarunt contra me.
3. Cognovit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe dominorum ſuorum: Iſraël non
cognovit, populus meus non intellexit.
4. O gens ſceleſta, populus onuſtus iniquitate, ſemen malignorum, filii degeneres!
dereliquerunt Jehovam, * ſpreverunt ſanctum Iſraëlis, alienati ſunt retrorſum. * vel, provocarunt ad iram.
5. Quorſum adhuc vos percuterem? Adjicietis prævaricationem. Totum caput languori, & totum cor dolori.
6. A planta pedis uſque ad caput nulla in eo ſanitas. Vulnus, tumor, & ſanioſa plaga.
Nec ſunt emplaſtro curatæ, nec circumligatæ, nec oleo delinitæ.
7. Terra veſtra in vaſtitatem: urbes veſtræ igni ſuccenſæ: Terram veſtram alieni devorant in conſpectu veſtro: redacta eſt in ſolitudinem, juxta ſubverſionem exterorum.
8. Et reſidua manebit filia Sion, ſicut tugurium in vinea, ſicut diverſorium in cucumerario, ſicut civitas vaſtata.
9. Niſi Dominus exercituum reſiduas nobis feciſſet reliquias vel tantillas, quaſi Sodoma fuiſſemus, & ſimiles Gomorrhæ.
10. Audite verbum Domini, principes Sodomæ: auſcultate Legem Dei noſtri, populus Gomorrhæ.
11. Quorſum mihi multitudo ſacrificiorum veſtrorum? dicit Dominus. Plenus ſum holocauſtis arietum, & adipe ſaginatorum animalium: nec ſanguinem boum, aut ovium, aut hircorum deſidero.
12. Quando venitis ut appareatis coram facie mea, quis hoc è manu veſtra requiſivit? nempe conterere atria mea.
13. Ne pergatis adducere oblationem vanitatis. Incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam, & Sabbathum, & ſolennes indictiones non potero: vana res eſt. nec conventum.
14. Neomenias veſtras & ſolennia veſtra odio habet anima mea: ſuperfuerunt mihi loco oneris, fatigatus ſum ferendo.
15. Quum expanderitis manus veſtras, abſcondam oculos meos à vobis. Etiamſi multiplicaveritis orationem, ego non exaudiam. Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt.
16. Lavate, mundemini, auferte malitiam ſtudiorum veſtrorum à conſpectu oculorum meorum, deſinite malefacere.
17. Diſcite benefacere, quærite judicium, * reſtituite oppreſſum, jus dicite pupillo, * dirigite.
tuemini viduam.
18. Venite, agedum, & diſceptemus, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur: ſi rubicunda fuerint inſtar purpuræ, quaſi lana erunt.
19. Si volueritis, & audieritis, bonum terræ comedetis.
20. Quod ſi nolueritis, & rebelles fueritis, gladio conſumemini. Quoniam os Domini loquutum eſt.
21. Quomodo facta eſt meretrix civitas fidelis? plena judicio fuit: æquitas * pernoctavit in ea: nunc autem homicidæ. * Habitavit.
22. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam, & vinum tuum eſt aqua mixtum.
23. Principes tui perverſi, & ſocii furum: unuſquiſque diligit munus, & inhiat mercedibus. Cauſam pupilli non judicant, nec cauſa viduæ pervenit ad eos.

24. Pro-

Digitized by Google

[* vel, Dominator.]
24. Propterea dicit * Dominus Jehovah exercituum, fortis Iſraël: Heu! conſolationem capiam ſuper hoſtibus meis: vindicabor de inimicis meis.
25. Convertam manum meam ſuper te: purgabo ad liquidum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum.
26. Et reſtituam judices tuos ſicut à principio, & conſiliarios tuos ut ab initio. Tum dicetur de te, Civitas juſtitiæ, urbs fidelis.
27. Sion in judicio redimetur: & qui reducentur ad eam, in juſtitia.
28. Contritio autem prævaricatorum & ſceleratorum ſimul fiet: & qui à Domino defecerunt, conſumentur.
29. Nempe pudefient ab arboribus quas concupiviſtis, & ignominia afficiemini à lucis quos elegiſtis.
30. Eritis certe ſicut arbor cujus folium marceſcit, & ſicut lucus non habens aquas.
[* alias, Deus.]
31. Eritque * fortis veſter ſicut ſtuppa: & fictor ejus quaſi ſcintilla: & comburentur ambo, nec erit qui extinguat.

VOx Hebræa *Hazon*, etſi à videndo deducitur, propieque eſt viſio, tamen fere prophetiam ſignificat. Nam ubi ſpeciales viſiones commemorat Scriptura, quæ ſymboli loco Prophetis fuerunt objectæ, quum Deus aliquid inſigne teſtari vellet, tunc ponitur nomen *Moreah*. Ne plura teſtimonia congeram, primi Samuelis [1 Sam. 3. v. 1, 15.] 1. cap. ubi de prophetia in genere habetur ſermo, dicit auctor libri, ſermonem Dei fuiſſe pretioſum, quia rarus erat Hazon. Paulo poſt viſio per quam ſe [Num. 12. verſ. 6.] Deus Samueli patefacit, vocatur Moreah. Et cap. [1 Sam. 9. verſ. 9.] Numerorum 12, ubi diſtinguit Moſes duos ordinarios revelationis modos, Moreah, tanquam ſpeciem, conjungit ſomnio. Conſtat tamen ex cap. 9. ejuſdem libri, Prophetis olim nomen fuiſſe impoſitum, Haroim: ſed per excellentiam, quod Deus familiariter ſuum illis conſilium patefaceret. Quod ad præſentem locum ſpectat, haud dubie hac voce notatur doctrinæ certitudo: acſi dictum eſſet, nihil hoc libro eſſe proditum quod non divinitus manifeſtatum fuerit Jeſaiæ. Itaque notanda etymologia eſt, qua docemur, Prophetas haud ſponte loquutos, nec deprompſiſſe imaginationes ſuas, ſed illuminatos à Deo, demum aperuiſſe oculos, ut cernerent ea quæ alioqui ex ſeipſis perſpicere nequiviſſent. Commendat igitur nobis inſcriptio doctrinam Jeſaiæ, utpote quæ non humanas ratiocinationes, ſed oracula Dei contineat, ut perſuaſi ſimus nihil hic contineri, quam quod eſt Spiritu Dei revelatum.

Super Judam.] Si Ad Judam vertas, parum intereſt. Nam & particula *al*, utrumque ſignificat, & ſenſus eodem redibit. Nempe quicquid liber hic continet, proprie ad Judam & Jeroſolymam pertinere. Tametſi enim permixta ſunt multa, quæ ad Babylonem, Ægyptum, Tyrum, aliaſque civitates & regiones ſpectant, tamen ſigillatim in titulo recenſeri non oportuit: quia ſatis fuit ſummam præcipuam nobis proponi, ac declarari quibus potiſſimum Jeſaias deſtinatus erat: nempe Jeroſolymæ & Judæis. Nam quicquid præterea continent ejus vaticinia, extraneum quodammodo & accidentale fuit. Nec tamen erat alienum ab ejus officio, aliis etiam ſuas clades nunciare: quemadmodum nec Amos vocationis ſuæ fines egrediebatur, quum neque parcebat Judæis, licet ad eos miſſus non eſſet. Exem- [Galat. 2. verſ. 8.] plum familiarius erit de Petri & Pauli vocatione, quorum alter Judæis, alter Gentibus deſtinatus erat. Nec tamen Petrus ultra metas officii ſui perrupit, [Act. 10. verſ. 27. ibid. 13. verſ. 5. & 14: 1. & 17. v. 2, 10. & 18. v. 4, 19.] Gentibus prædicando, veluti dum ad Cornelium profectus eſt: nec Paulus, Judæis ſuam operam offerens, ad quos recta pergebat, ſimulatque urbem aliquam ingrediebatur. Idem de Jeſaia cenſendum eſt: nec enim dum attentus eſt ad docendos Judæos, & in hunc ſcopum ex profeſſo ſtudium ſuum dirigit, fines ſuos tranſgreditur, obiter aliarum etiam nationum mentionem faciens. *Judam* hic pro tota natione accipit: *Jeroſolymam*, pro ſede regni præcipua. Nec enim ſecernit ipſam à Judæis, ſed κατ' ἐξοχήν, veluti caput nominat: acſi quis hodie Propheta regnum Galliæ, & Lutetiam, quæ caput eſt gentis, compellaret. Idque operæpretium fuit, ne Jeroſolymitani ſeſe eximerent, quaſi vacuos omni culpa, aut propter dignitatis eminentiam legibus ſolutos, atque ita ad ruſticos & plebeculam Prophetas amandarent. Falluntur autem qui ſeorſum Jeroſolymam nominari volunt, quod in tribu Benjamin ſita eſſet: quum dimidia tribus, quæ poſteris Davidis parebat, ſub Judæ nomine comprehendatur.

2. *Audite cæli.*] Jeſaias hic Moſen imitatus eſt, ſicuti mos eſt omnibus Prophetis. Nec dubium quin alluſerit ad celebre canticum illud Moſis, ubi cælum [Deut. 32. verſ. 1.] & terram ſtatim ab exordio adverſus populum conteſtatur: quæ conteſtatio certe graviſſima eſt. Nam perinde valet, acſi ad muta elementa & ſenſu carentia uterque ſe converteret, quia jam nullæ hominibus ſint aures, vel obſtupefacti ſint omnes ſenſus. Sic ergo loquitur Jeſaias, ut de re prodigioſa & ſtupenda, quæ brutis etiam elementis horrorem incutere debeat. Quid enim magis horrendum, quam Iſraëlitas deficere à Deo, à quo tot beneficiis ornati erant? Qui per Cælum Angelos, per Terram homines intelligunt, vim iſtorum verborum nimium extenuant, ideoque quicquid eſt vehementiæ & gravitatis enervant. Porro omnes fere interpretes ſtatuunt hic clauſulam, Quoniam Dominus loquutus eſt: perinde acſi innueret Propheta, ſimulatque ſacroſanctum os Dominus aperit, omnia debere intenta eſſe ad excipiendam ejus vocem. Et certe uberior in ſpeciem videtur hæc ſententia: verum circumſtantia loci alium contextum requirit: ut ſcilicet illud *Audite* referatur non ad quemlibet ſermonem generaliter, ſed tantum ad expoſtulationem quæ proxime ſequitur. Quare ſenſus eſt, Audite querimoniam quam Dominus profert in medium, Filios educavi &c. Refert enim portentum, ad cujus conſpectum perhorreſcit, ut cogatur mortuas creaturas præter naturam teſtes citare. Et ne cuiquam mirum ſit, quod res mutas & inanimes alloquitur, experientia non obſcure oſtendit, vocem Dei à mutis etiam creaturis exaudiri, nec aliud eſſe naturæ ordinem, quam obſequium quod ei à ſingulis mundi partibus redditur: ut ſummum ejus imperium ubique refulgeat: quia pro ejus nutu præſcriptam legem ſervant elementa, & officio ſuo cælum & terra funguntur. Terra fruges producit: mare extra præſcriptos fines non evagatur: ſol, luna, ſtellæ, circuitus ſuos peragunt: cæli etiam ad certa momenta volvuntur: in omnibus mirabilis diſtinctio, tametſi ratione & intelligentia careant. Homo vero ratione & intelligentia præditus, cujus in auribus & mente ſæpius inſonat vox Domini, velut ſtupidus non commovetur, nec cervicem flectere poteſt, quo ſeſe ei ſubmittat. Mutæ ergo & inanimes creaturæ adverſus homines præfractos & contumaces teſtimonium ferent, ut non inanem

nem fuiſſe hanc conteſtationem aliquando ipſi ſentiant.

Educavi.] Ad verbum eſt, Feci magnos. Sed quia de liberis loquitur, melius verti non poteſt quam Educavi, vel Suſtuli. Nam & Tollere liberos, pro Enutrire, Latini dicunt. Mox tamen addit alia beneficia, quibus ipſos magnifice ornaverat: acſi diceret, non modo ſe impleviſſe boni patris munus in alimentis & ordinario victu, ſed curæ ſibi fuiſſe ut in ſublime eos eveheret. Nullum enim genus benignitatis non exercuerat, in ipſos ſe quaſi totum
infra. 5. verſ. 4. effundens: quemadmodum alibi exprobrat, Quid potuit fieri vineæ meæ, & non feci? Poteſt quidem Dominus idem univerſis gentibus objicere, quatenus omnes alit, & variis beneficiis afficit ac accumulat: ſed Iſraëlitas potiſſimum delegerat, & ſibi adoptaverat præ aliis, quos velut filios chariſſimos tractaret, quos in ſinu peculiariter foveret, quos denique ornaret omni beneficiorum genere.

Ut hæc ad tempora noſtra accommodemus, conſiderandum num eadem ſit noſtra conditio, aut etiam melior, quam olim Judæorum fuit. Adoptatio Dei obſtrictos tenebat, ut eum pure colerent: duplex noſtra obligatio eſt. Nempe quia non ſolum redempti ſumus Chriſti ſanguine, ſed quia nos ſuo Euangelio dignatur, qui nos ſemel redemit: atque hoc modo præfert omnibus, quos adhuc ignorantia obcæcatos manere ſinit. Hæc ſi non agnoſcimus, quanto graviore pœna digni erimus? Quo enim plenius & uberius effuſa eſt in nos gratia Dei, eo majoris ingratitudinis nos convincet.

Defecerunt.] Hieronymus vertit Spreverunt. Satis vero patet ex multis locis, *Paſha* plus aliquid exprimere, Defectionem ſcilicet. Significat ergo Deus nullis beneficiis potuiſſe ipſos in obſequio retineri. Averſos eſſe prorſus atque abalienatos, acſi filius domum paternam deſerens, nullam ſpem correctioni relinquat. Quod certe inſtar portenti eſt, filios patri non eſſe morigeros: atque adeo benefico patri, & aſſiduam de ſuis curam gerenti. Lycurgus adverſus ingratos legem ferre noluit, quod prodigioſa res eſſet, beneficium non agnoſcere. Duplex ergo portentum eſt, ingrati filii erga patrem: triplex vero, erga liberalem & beneficum patrem. Nam filios nominat, non honoris cauſſa, ſed ut defectionem illam magis exaggeret, atque inviſam reddat.

3. *Cognovit bos.*] Hæc comparatio magis amplificat crimen defectionis. Poterat enim Dominus populum ſuum conferre cum Gentibus: ſed magis urget, quum ipſum mutis beſtiis comparat, iiſque ſtupidiorem eſſe oſtendit. Illæ enim quamvis mente & ratione careant, ſunt tamen dociles: ea ſaltem parte, quod agnoſcunt eos à quibus paſcuntur. Ergo quum hunc populum Deus non tantum paviſſet ad præſepe, ſed liberaliter aluiſſet, non ſecus ac pater filios ſolet: nec tantum ſaginaſſet ventres, ſed ſpirituale alimentum quotidie porrigeret: poſtquam tantam ſocordiam expertus eſt, merito dignum cenſet qui in belluarum non hominum ſchola doceatur: itaque ad boves & aſinos ipſum amandat, ut ab iis diſcat quid ſit officii ſui. Nec profecto mirum: ſæpe enim beſtiæ naturæ ordinem melius ſequuntur, & plus humanitatis præ ſe ferunt quam homines ipſi. Et ne multa exempla referam, ſufficiet quod hic propoſuit Jeſaias, ſtupidiſſimas ſcilicet & tardiſſimas beſtias tamen dominis & rectoribus ſuis ſeſe ſubmittere. Quod ſi etiam alia conſiderare libeat, quam multa reperientur? Quid enim, quod nullum animal in genus ſuum ſævire ſolet, & agnoſcit in altero ſimilitudinem ſuam? quid etiam, quod omnia animantia tantum diligentiæ adhibere ſoleant in educando fœtu, quum ſæpe mulieres naturæ & humanitatis omnis oblitæ, liberos abjiciant? quid porro, quod id tantum cibi & potus ſumere ſoleant, quod ad tuendam vitam & ſuſtinendas vires ſufficiat, quum homines ingurgitent ſeſe ac prorſus obruant? quid denique, quod nulla in re tranſgrediuntur leges ſibi à natura præſtitutas? Papiſtæ, ut ſolent genuinum Scripturarum ſenſum evertere, & ſuis nugis inficere omnia Dei myſteria, inſulſam hic fabulam commenti ſunt. Finxerunt enim boves & aſinos in præſepi Chriſtum, quum naſceretur, adoraſſe. In quo egregios ſe eſſe aſinos oſtendunt. (Atque utinam ipſi aſinum quem fingunt, imitarentur: hoc eſt, ſaltem aſini eſſent, Chriſtum adorantes, ac non calcitrantes adverſus ejus majeſtatem.) Nec enim de miraculo hic agit Propheta, ſed de ordine naturæ: quem qui pervertunt, velut monſtra eſſe docet. Non ſunt autem confingenda nova miracula ad auctoritatem Chriſto conciliandam. Sic enim falſa veris permiſcendo, periculum eſt ne utriſque fides derogetur. Nec vero dubium eſt, quin, ſi editum eſſet tale miraculum, Euangeliſtæ ſcriptis prodidiſſent. Eſt autem emphaſis in nomine *Iſraëlis*, quem beſtiis iſtis opponit. Scimus quam fuerit honorificum poſteris Abrahæ, hoc nomine cenſeri, quod ſancto Patriarchæ divinitus inditum fuerat, quia victor fuerat Angeli in lucta. Quo magis indignum fuit inter filios degeneres ac perverſos falſo jactari. primum quidem tacita ſubeſt exprobratio, non ſolum quia perperam uſurpant ſancti viri nomen, cui ſunt prorſus diſſimiles, ſed quia in Deum à quo ſummis beneficiis affecti fuerant, ſunt ingrati: deinde obliqua etiam comparatio ſubaudienda. Nam quo major fuerat dignitas, longe ſupra omnes alios populos eminere, nunc majoris ignominiæ cauſa, ſub honorifico titulo Iſraëlis, ab aliis gentibus ſegregantur. Græci interpretes addiderunt *me*, ſed malo repetere quod dixerat: nempe, Iſraël non cognovit poſſeſſorem ſuum, id eſt, Deum; nec præſepe ſuum, id eſt, Eccleſiam in qua educatus eſt, ad quam colligi debet: quum tamen beſtiæ illæ agnoſcant dominum à quo aluntur; & in locum ubi paſtæ fuerint, ſponte redeant.

4. *Ogens ſceleſta.*] Quanquam ſatis vehementer crimen arguerat, amplificandi tamen cauſa exclamationem ſubjungit, qua tam fœdam ingratitudinem & impietatem magis deteſtetur. Nonnulli particulam *hoi*, dolentis eſſe volunt. Hieronymus interpretatus eſt Væ. Mihi vero ſufficit eſſe vocem exclamantis, partim ex admiratione, partim ex triſtitia natam. Nam erumpimus in clamorem, ubi res ipſa ſua indignitate ſimpliciter exprimi non poteſt, vel ubi deſunt verba quæ doloris magnitudini reſpondeant. Ubi poſuimus Gentem ſceleſtam, Græci verterunt, ἁμαρτωλόν, id eſt, peccatricem, ut etiam habet vulgaris tranſlatio. Sed Hebraicum nomen ſceleribus deditos ſignificat: nec vero dubium eſt quin perditam eorum malitiam accuſet Propheta.

Onuſtus.] Notanda eſt vis metaphoræ. Præterquam enim quod in ſua iniquitate quaſi in profundo cœno demerſos eſſe intelligit, ſimul etiam exprobrat, non errore vel incogitantia, ut ſolent flexibiles homines, peccare, ſed fixo animi propoſito contumaciam ſuam perſequi: acſi diceret injuſtitiæ eſſe mancipatos, vel ad male agendum venditos. Quod addit, Semen malignorum, tantundem valet ac malignum. Subtilius alii, indignos pronunciari, qui locum teneant inter filios Abrahæ, quia ſpurii ſint vel alieni: quemadmodum alibi dicuntur Semen Chanaam, & præputium illis objicitur, acſi ex profanis & alienigenis geniti eſſent. Sed Hebræis uſitatum eſt, Filios bonorum pro bonis accipere: quod & Græci imitati ſunt.

Filii degeneres.] Ad verbum eſt, Corrumpentes: ideoque ſupplent interpretes, Seipſos vel ſtudia ſua. Sed puto melius convenire, Degeneres. Sic enim depravatos eſſe intelligit, ut prorſus ſint alieni à ſuis patribus. Porro quatuor, quos videmus, titulis ornat gentem ſuam, parum honorificis, & valde remotis ab

ea opinione quam de ſe conceperat. Sic enim expergefaciendi ſunt hypocritæ: & quo magis ſibi indulgent, nec reguntur timore Dei, fulminibus verborum quatiendi ſunt. Frigeret enim erga tales homines ſimplicior doctrina: nec eos vulgaris exhortatio commoveret. Detrahenda etiam falſa perſuaſio ſanctitatis, juſtitiæ, prudentiæ, qua ſe plerumque tegunt, & inaniter gloriantur.

Quia dereliquerunt.] Subjicit rationem cur tam ſevere eos graviterque reprehenderit, ne ſcilicet ſuo more querantur nimis aſpere & duriter ſecum agi. ac primum quidem illis defectionem à Deo exprobrat, quod eſt malorum omnium caput. Quemadmodum enim ſumma juſtitiæ perfectio eſt, Deo adhærere: quo etiam pertinet illud Moſis, Nunc Iſraël quid petit abs te Deus tuus, niſi ut ſibi adhæreas? ita ubi ab eo deſcivimus, actum eſt de nobis. Conſilium autem Prophetæ eſt, non unius criminis in ſpecie reos facere Judæos, ſed oſtendere prorſus eſſe apoſtatas. Quod ſequitur, ad amplificationem haud dubie facit: ſive Irritare legas, ſive Spernere. quod poſterius magis amplector. Fœda enim indignitas fuit pro nihilo ducere ejus gratiam, qui eos ſolos ex omnibus populis adoptaverat. Et hac ratione vocat Sanctum Iſraëlis: quia ſe illis addicens, ſua ſanctitate ſimul eos ornaverat. Siquidem ab effectu nomen hoc ei paſſim tribuitur. In tanti vero honoris contemptu, quam barbara ſuperbia fuit? Siquis verbum Irritandi magis probet, ſenſus erit, Deum repudiaſſe, acſi data opera iram ejus provocare vellent: unde apparet quam deteſtabilis ſit eorum apoſtaſia.

Abalienati ſunt retrorſum.] Senſus quidem eſt, quum Dominus ipſis certam vivendi viam & rationem proponeret, cupiditatibus ſuis abreptos fuiſſe: proximam tamen ſententiam confirmat, nempe adeo effrenem fuiſſe eorum petulantiam, ut ſeipſos à Deo prorſus abdicaverint; ac data opera à ſcopo, in quem dirigenda vita erat, retro curſum flexiſſe.

5. *Quorſum percutiemini?*] Aliqui vertunt Super quo, vel in qua parte: atque ita accipiunt, acſi Dominus ſibi nullum amplius flagellum eſſe diceret: quia tam variis modis eos in viam reducere conatus ſit, ut nulla amplius ſuperſit ratio caſtigandi. Ego vero malo interpretari, Quorſum: ut etiam voci Hebrææ congruit, & convenientior mihi ſenſus eſſe videtur. Idem enim eſt quod vulgo dicimus, *à quel propos, pour quelle fin.* Nam ſignificat Judæos eo impietatis & ſcelerum progreſſos eſſe, ut ne plagis quidem meliores fore credibile ſit. Nam deſperatos homines poſtquam obduruerint, ſcimus frangi potius quam corrigi: & conqueritur de tanta eorum pervicacia, acſi medicus tentatis omnibus remediis artem jam ceſſare diceret. Interim extremam eorum malitiam accuſat: quia ubi ſceleratos non ſaltem humiliant pœnæ, ad malorum cumulum ventum eſt. Acſi diceret Dominus, Video me facturum ſine profectu, ſi vos caſtigem. Nam quum plagæ & ærumnæ ſint remedia, quibus vitia noſtra ſanare vult Dominus: ubi nihil erga nos proficiunt, deſperandum eſt. Etſi autem non deſinit propterea Deus nos punire: quin potius magis ac magis in nos iraſcitur, quandoquidem tali pervicacia intolerabilius nihil ei eſt: merito tamen ſe operam perdere dicit ubi reſipiſcentiam à nobis non extorquet, ac fruſtra tentari apud inſanabiles remedia. Ita plagas & ærumnas ingeminare, & extrema omnia tentare non ceſſat, imo etiam cogitur, donec omnino profligat atque perdat. Sed interea non facit officium medici: atque id eſt quod deplorat, non fore populo ſalutares ſuas caſtigationes.

Adhuc addetis prævaricationem.] Confirmatio eſt ſuperioris ſententiæ, ideoque hoc membrum à ſuperiore disjungo, quum tamen alii conjungant. Acſi diceret, Non deſinetis adhuc prævaricari: imo adaugebitis flagitia veſtra: nam conſpiratis animis, & quaſi devotis, ad peccandum vos rapi video: ut moderatio nulla ſperanda ſit. Conſilium enim Dei eſt, intractabile eorum ingenium traducere, ne quid amplius excuſent.

Totum caput.] Alii vertunt, Omne: atque primores populi & magnates his nominibus deſignari putant. Ego magis accedo eorum ſententiæ, qui Totum vertunt. Videtur enim mihi ſimplex eſſe ſimilitudo ab humano corpore deſumpta: quum ſcilicet corpus tam graviter afflictum eſt, ut nulla ſit ſpes ſanitatis. Duas autem potiſſimum partes nominat, ex quibus pendet ſalus corporis: eoque magnitudinem morbi declarat, quo miſerum populum uſque ad tabem confectum eſſe docet: non membrum ſcilicet aliquod, aut extremas corporis partes dolere, ſed cor ipſum vulneratum eſſe, & caput graviter afflictum: denique vitales, ut vocant, partes magis vitiatas eſſe & putrefactas, quam ut ullo modo ſanari queant. Cæterum hic etiam variant interpretes: quoniam alii ad peccata corruptionem hanc, alii ad pœnas referunt. Ad peccata hoc modo, Vos jam corpori putrido & fœtido ſimiles eſtis, in quo nihil ſinceri aut integri ſupereſt. Vigent ſcelera & flagitia inter vos, quorum contagione nihil non fœdatum & corruptum eſt. Ego vero malo de pœnis accipere: quia dubium non eſt, quin adhuc pergat Deus in illa querimonia, Populum eſſe adeo pervicacem, ut nullis plagis emendari poſſit: quia fere uſque ad interitum percuſſus, ſaltem vibicibus deformis & horrendum in modum laceratus, nondum tamen reſipuerit. Quo etiam pertinet verſiculus ſequens, ubi in eadem pergit ſimilitudine & eandem continuat ſententiam. Nam certe qui de peccatis exponunt priorem partem, non ſatis attendunt ad reliquum contextum. Demus conferri morbido corpori populum vitiis corruptum: quid ſibi hæc volunt quæ mox ſequuntur, plagas non eſſe ligatas, vel fomentis delinitas? Clarum eſt de afflictionibus Prophetam loqui, in quibus fere populus contabuerat: atque hunc diuturnum languorem proferre, quaſi extremæ impœnitentiæ ſignum. Plagam ſanioſam vocat, ex qua fluit continua tabes, acſi arcana quædam ſcaturigo novum aſſidue virus emitteret: qua ſimilitudine morbum inſanabilem deſignat, cujus materia ſiſti nequit. Exaggeratio autem non parva eſt, quod negat fuiſſe adhibita remedia. Tres enim metaphoræ quas ſimul conjungit, eodem tendunt, ſine ulla ſpe levationis, ſine ſolatio, ſine remedio ita calamitoſum fuiſſe populum, ut ſummus Dei rigor palam in talibus pœnis apparuerit.

7. *Terra veſtra in vaſtitatem.*] Ad verbum eſt, Deſolatio. Atque ita fuſius proſequitur Jeſaias & clarius, quod figurate prius dixerat de plagis. Nempe terram horrenda vaſtitate afflictam eſſe. Nam omnes iſtas ſententias in tempus præteritum malo reſolvere: quia potius narrat Propheta quantæ jam clades acciderint, quam Dei vindictam denunciet. Exprobrat enim vecordiam & ſtuporem, quod ad ſua mala jaceant attoniti.

Juxta deſtructionem alienorum.] Hoc amplificandi cauſa additum eſt. Nam quod *Zarim* quidam loco *Zairahm* pro inundatione poſitum eſſe volunt, coactum eſt. Poſſet quidem ad hoſtes quoque transferri nomen hoc: ſed præſtat in propria ſignificatione pro alienigenis accipere. Plus enim indignitatis habet calamitas, quum homines ignoti, & è longinqua regione profecti, eam inferunt, qui longe inclementius & atrocius ſæviunt quam vicini. Diruunt enim civitates: domos, ædificia, & vicos incendunt: & late vaſtant omnia. Denique irruunt barbarica feritate, cædiúmque & incendiorum avidi, damno potius inferendo quam lucro captando ſtudent. Vicini vero, quia ſubactam regionem præſidiis relictis conſervare poſſunt, & ſtatim ſubſidia mittere ſi qua defectio tentetur, vel oriantur tumultus: ideo non ita ſæviunt, neque regionem vaſtant, ex qua fructus com-

commode percepturi ſunt. Non vulgarem igitur cladem, ſed omnium atrociſſimam deſcribit.

Hinc obſervandum eſt, ubi nos punire cœpit Deus, niſi reſipiſcamus, haud ſtatim quieſcere, ſed multiplices inferendo plagas, & ſubinde revocando in exequendis ſuis partibus pergere. Fugienda igitur talis pervicacia, niſi eaſdem accerſere pœnas velimus: ac ne tandem nobis merito exprobretur quod Judæis: nos haud leviter fuiſſe commonitos, manum Domini ſenſiſſe, corrigi tamen & emendari nequiviſſe. Præterea mirum videri non debet, quod tantis ac tam variis interdum ærumnis premimur, quarum finis aut exitus nullus apparet: noſtra enim pervicacia contendimus cum Deo & flagellis ipſius. Idem igitur accidere neceſſe eſt quod refractariis & calcitroſis equis, quibus gravius tundi caput & latera fodi ſolent, quo magis reniti & refragari conantur. Hodie multi Deum propemodum accuſant crudelitatis, quaſi durius ſæviat, quum nos clementius caſtigare deberet: interim quam horrenda ſint ſcelera noſtra, non animadvertunt. Quod ſi ea expenderent, certe in ſumma illa ſeveritate agnoſcerent inſignem clementiam Dei. Et ne hic ſeverior fuiſſe Dominus videatur, vitia quæ poſtea enumerat conſideranda ſunt. Objicietur quæſtio, Cur populum tam varie afflictum prædicet Jeſaias: quum antea ipſum prophetizandi initium feciſſe ſub Uſia dixerimus, cujus tempore incolumis fuit rerum ſtatus in regno Juda. Nam etſi ſub finem vitæ ipſius regnum Iſraël cladem aliquam paſſum eſt, hoc tamen nihil ad regnum Juda pertinebat. Ideo Judæi hæc ad regnum Jotham, non Uſiæ pertinere putant: quorum opinio etſi primo intuitu parum videtur conſentanea, omnibus tamen excuſſis, probabili ratione non caret. Scimus enim non ſemper in colligendis prophetiis ſervatam fuiſſe temporum ſeriem: & fieri poteſt, ut concio hæc Jeſaiæ primum locum obtinuerit non alia de cauſa, niſi quod ſummam doctrinæ, quæ poſtea refereretur, continet. Alii facile ſe elabi putant, quum hoc totum de vitiis, non de pœnis interpretantur: verum id quod dicitur de incenſis urbibus, & vaſtatione terræ, non poteſt ita facile eludi. Siquis exiſtimet Prophetam non loqui de præſenti ejus regni ſtatu, ſed de futuro, atque in perſona Dei nunciare imminentes plagas, utcunque eas oculis non cernerent, non magnopere reclamo: quanquam de rebus cognitis eum diſſerere veriſimile eſt. Certa narratio eſt, non vaticinium, quanquam proximo verſu dicere eum fateor quis eventus immineat.

8. *Et reſidua.*] Alludit, more apud nos uſitato, ad tugurium quod vinearum cuſtodes, quum uvæ matureſcunt, erigere ſolent: alteram ſimilitudinem, quæ affinis eſt, ex conſuetudine gentis adducit, ubi etiam ſervandis cucumeribus excubabant cuſtodes: deinde explicat ipſe quid per utramque ſignificare voluerit. Hoc autem bifariam exponi poteſt, nempe vel totam regionem vaſtatum iri, niſi ſola civitas maneat ſalva inſtar tugurii, vel civitatem ipſam diruendam eſſe. Priorem interpretationem ſequuntur Judæi, atque hunc locum intelligunt de obſidione Sennacherib: ſed ego latius patere arbitror, hoc eſt, ad alias etiam clades quæ poſtea ſequutæ ſunt. Poteſt quidem hoc ad viciniam referri, qua afflicta & vaſtata, fieri non poteſt quin civitas multum incommodi ſentiat: ſed hanc Prophetæ mentem eſſe puto, quod mala de quibus diſſerit, ad civitatem uſque ipſam pertingent, ut imminuta & attrita ignobilis tugurii ſpeciem referat. Jam filiam Sion nominat Jeruſalem vulgari Scripturæ more, quæ populum quemlibet Filiæ nomine appellat, quemadmodum Filiam Babylon & Tyri, pro Tyriis & Babyloniis. Sion autem potius quam Jeroſolyma ponitur propter Templi dignitatem: atque hæc ſynecdoche paſſim trita eſt.

9. *Niſi Dominus.*] Hic concludit quod antea pronunciaverat de flagellis Dei. Tantam ſcilicet fore vaſtitatem, vel jam adeſſe & conſpici, ut conferri poſſit cum interitu Sodomæ, niſi Dominus tenues quaſdam reliquias velut ex incendio eriperet. Atque hic verſus confirmat quod nuper dixi: ubi de cladibus jam illatis diſſeruit Propheta, eventum qui brevi inſtabat, attexere: acſi diceret, Ne vos decipiant blanditiæ, eadem vos maneret conditio quæ Sodomæ & Gomorrhæ accidit, niſi Deus miſertus veſtri exciperet quaſdam reliquias. cui conſentaneum eſt illud Jeremiæ, Miſericordiæ Dei, quod non ſumus conſumpti.

Ex his duo notanda ſunt. Primum, denunciari hic extremam conſumptionem: quia tamen Deo negotium erat cum ſua Eccleſia & electo populo, peculiari gratia temperari judicium illud, ut à communi totius gentis interitu eripiat ſuos Deus, quos tenuibus reliquiis merito comparat. Quod ſi tam horrendis plagis Judæorum ſcelera ultus eſt, cogitemus idem nobis accidere poſſe, ſi eorum proterviam ſequamur. Conſecraverat enim ſibi Dominus populum illum, & à communi aliorum ſorte exemerat. Cur nobis magis parceret, ſi contumaces in noſtra impietate & perfidia erimus? Imo quis exitus ſperandus eſt in hac vitiorum fæce ac colluvie, in qua ſibi paſſim homines per totum orbem indulgent? Certe idem qui fuit Sodomæ & Gomorrhæ: nempe ut in nihilum redigamur, niſi ejus vindictam cohiberet gratuiti fœderis reſpectus, quo pollicitus eſt Eccleſiam æternam fore. Atque hæc comminatio, quæ certe formidabilis eſt ac ſtupenda, pertinet ad obſtinatos & inſanabiles homines, quorum vitia nullis plagis corriguntur.

Rurſum notandum eſt quod jam antea perſtrinxi ex Jeremia, acceptum ferendum eſſe miſericordiæ Dei, quod non omnes prorſus delemur. Nam ſi contemplemur quanta paſſim graſſetur apud omnes impietas, mirabimur vel unum tantum hominem ſuperſtitem eſſe, nec omnes penitus è vivis eſſe ſublatos. Atque in hunc modum Deus manum ſuam ſuſpendit, ut Eccleſia aliqua in mundo conſervetur. Atque hanc cauſam indicat Paulus qui optimus eſt interpres iſtius loci, dum ejus objecto retundit inſolentiam Judæorum, ne ſolo titulo glorientur, quaſi originem à Patribus duxiſſe ſufficiat. Deum enim agere cum illis poſſe admonet, ut olim cum patribus: reliquias tamen aliquas ejus miſericordia ſalvas fore. & quem in finem? Ne ſcilicet omnino pereat Eccleſia. Ejus enim gratia fit, ut quamvis Dominus ob noſtram pervicaciam extrema judicia experiri cogatur, exiguum tamen aliquod ſemen reliquum faciat. Quæ ſententia in extremis calamitatibus, quibus actum eſſe putamus de Eccleſia, nos vehementer conſolari debet: ut quamvis ruant omnia, & fractus (ut ille ait) orbis illabatur, invicto tamen animo perſtemus, ac certi ſimus Dominum ſemper Eccleſiæ ſuæ rationem habiturum.

Et quidem admodum tenues.] Hæc particula tam ad præcedentia quam ſequentia referri poteſt: ideoque vertunt quidam, Fuiſſemus propemodum inſtar Sodomæ: malo tamen ſuperioribus conjungere, ut definiat paucitatem ejus numeri, quem Deus ex clade reliquum fecerat. Jam vero כ, Caph, affirmative poſitum eſſe quibuſdam placet, ut ſit major expreſſio. quod non diſplicet: quamvis liceat in genuino & proprio ſenſu accipere, acſi dixiſſet, Idque ad numerum exiguum. Eſt autem diligenter notanda ſententia: quia niſi longe lateque ſe extendat Eccleſia, contemptibilis eſſe ſolet. Hinc fit ut ſuis copiis turgeant hypocritæ, infirmi vero earundem ſplendore territi vacillent. Atqui hinc apparet non eſſe metiendam magno numero: niſi paleas tritico præferre libeat, quia multitudine ſuperant. Nobis vero ſufficere debet, quamlibet exiguus piorum ſit numerus, à Deo tamen pro electo populo agnoſci: ac ſimul in mentem venire

nire illa conſolatio, Ne metuas puſille grex, quia complacuit Patri in te.

10. *Audite verbum Dei.*] Confirmat quod prius dixerat, ultionem Domini crudelem non eſſe: quia ſupplicium meriti erant longe atrocius. Quamvis enim diſcrimen eſſet inter ipſos & Sodomitas quod ad pœnam, idem tamen eſſe crimen, ut jure par de ipſis vindicta ſumi potuerit, niſi Dominus pepercifſet. Hæc ſumma eſt: non actum cum ipſis mitius quod Sodomitis levius peccarint, ſed miſericordiæ Domini eſſe tribuendum. Quod principibus nomen urbis Sodomæ, populo nomen Gomorrhæ diſtincte adſcribit, eo non notatur diverſitas, ſed potius ſimilis conditio. Sed quum idem bis repetat, plus gratiæ habet varietas nominum: acſi diceret, nihilo inter ſe magis differre, quam Sodomam à Gomorrha. Alluſio quidem eſt ad diverſos hominum gradus, dum illis duas urbes quaſi ſeparatim attribuit: ſed quia tantundem valet Sodoma ac Gomorrha, videmus quaſi in unum faſciculum conjici. Itaque ſumma eſt, Si quis judicet de populo ac principibus, reperiet optime inter ipſos convenire, non ſecus ac inter Sodomam & Gomorrham: hoc eſt, inter ovum & ovum: quia nihilo in una parte quam in altera major ſinceritas. Incipit autem Propheta Judæis ſuas larvas eripere, & merito. Nam quum hypocritis omnibus commune ſit, mira integumenta obtendere ne in lucem prodeant, populus ille hoc maxime vitio laboravit. Nec alia de re Prophetis acrius vel moleſtius fuit certamen. Jam una cum fictæ ſanctimoniæ jactantia faſtus quoque regnabat: nec minus gentis ſuæ nobilitate & præſtantia, quam ceremoniis & externo cultu gloriabantur. Quo plus offenſæ tanta Jeſaiæ aſperitas commovit. Sed quia neceſſe fuit eorum turpitudinem è latebris ſuis extrahere, quo ſuperbius ſe efferebant, eo vehementius in eos fulminat. quæ ratio ſimiliter erga omnes hypocritas tenenda eſt.

Verbum Domini.] Verbum & Legem pro eodem accipit Propheta. Nec tamen dubito quin Legis nomen conſulto poſuerit, ut craſſam eorum opinionem perſtringeret: quia putantes ſacrificiis abſque fide & pœnitentia oblatis placari Deum, præpoſteri erant Legis interpretes. Quibus verbis admonet, Moſen ſe illis proferre, nihil afferre novi, Legi nihil addere, tantum ut audiant quæ ſit voluntas Dei, de ea ſe fideliter edocturum. Ne falſa juſtitiæ perſuaſione fucum ſe Deo facere poſſe putent, Legem hac in parte illis non patrocinari.

11. *Quorſum mihi.*] Nunc Deum loquentem inducit Jeſaias, qui ſuum conſilium exponat: quia legislatoris eſt non tantum præcipere, ſed legibus etiam addere ſanam interpretationem, ne in abuſum trahantur. Neque vero dubium, quin ſuperior objurgatio valde acerba & moleſta fuerit. Quid enim adverſus ipſos atrocius aut indignius dici potuiſſet? Gloriabantur nomine Abrahæ, cujus ſe filios eſſe jactabant, ſeque efferebant inſolenter. Hæc ratio eſt, cur Propheta ſeſe adverſus ipſos armet auctoritate Dei: acſi diceret, Scitote, vobis haud mecum, ſed cum Deo negotium eſſe. Poſtea Dei mentem & conſilium exponit in exigendis ſacrificiis: nempe id facere, non quod ea miretur, ſed ut ſint pietatis adminicula: ideoque longe falli Judæos qui totam in illis ſanctitatem locabant. Putabant enim ſe perbelle functos officio, quum victimas immolarent: & quum ultra inſiſterent Prophetæ, ſe immerito traduci querebantur. Dominus autem ſe eas rejicere & abominari dicit. nimis quidem id præciſe, ut videtur, quia ab eo inſtitutæ erant. Sed notandum eſt in præceptis Dei alia per ſe ſpectanda eſſe, alia tendere in diverſum finem. verbi gratia: Lex jubet ut colamus Deum ac veneremur, deinde ut benefaciamus proximis. Hæc per ſe grata ſunt Deo, & per ſe requiruntur. In ceremoniis alia eſt ratio. ſunt enim exercitia quæ non requiruntur per ſe, ſed propter aliud. Idem de

Deut. 6. verſ. 5. Levit. 19. verſ. 18.

jejunio. nam regnum Dei in eſca & potu non conſiſtit. Eſt ergo alius finis jejunii. Proinde ceremonias non ita inſtituit Deus, quaſi hac ſatisfactione placandus eſſet: ſed ut in iis populus ſeſe ad pietatem exerceret, magiſque ac magis in fide & puro Dei cultu proficeret. Hypocritæ vero quaſi in hoc cardine verſetur ſumma religionis, ipſas diligentiſſime obſervant: ſeque omnium ſanctiſſimos putant, quum ſe in earum obſervatione diu multumque fatigarunt. Atque etiam ut videantur ſanctiores, addunt aliquid de ſuo, & nova in dies additamenta comminiſcuntur: piis autem Dei inſtitutis perverſiſſime abutuntur, quum in verum finem minime intendunt. Omnes igitur ceremoniæ nihil illis ſunt quam corruptelæ divini cultus. Nam ubi in externa & nuda tantum actione inſiſtunt, quid eorum ſacrificia differunt à ſacrificiis Gentilium, quæ ſacrilegia eſſe ſcimus, quod in legitimum finem minime ſpectent? Hæc ratio eſt cur Dominus rejiciat iſtas ceremonias quæ tamen ab ipſo inſtitutæ erant, quod non animadverteret populus quo conſilio & quem in uſum traditæ eſſent. Fuit autem perpetuum hoc certamen Prophetis cum populo, ut larvas iſtas excuterent, atque oſtenderent Dominum externo cultu non eſſe contentum, nec ceremoniis placari poſſe. idque etiamnum ubique experiuntur pii miniſtri. Homines enim Deum ſemper ex ſe metiuntur, eique externa pompa ſatisfieri putant: ægerrime vero adducuntur ut integrum cor ſuum ipſi offerant. Jeremias facile omnem hujus loci difficultatem tollet. Ait enim, Quum patres veſtros ex Ægypto redemi, non juſſi ut mihi ſacrificarent: tantum præcepi ut me audirent, & ſervarent mandata mea. Nam demonſtrat omnem obſervationem ceremoniarum pendere à verbo: vanaſque prorſus & inutiles eſſe ſi ab eo ſeparentur, haud minus quam ſi anima dividatur à corpore. Huc etiam pertinet argumentum Pſal. 50. Numquid comedam carnem taurorum, aut ſanguinem hircorum bibam? Sacrifica Deo laudem, & redde Altiſſimo vota tua. Atque alibi idem Jeremias, Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes, Templum Domini, templum Domini, templum Domini. Quin magis benefaciendo benefacite, &c. Item Micheas, Numquid complacitum eſt Domino in millibus arietum, aut decem millibus vallium pinguium? paulo poſt ſubjicit, Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum, & quid exigat Dominus à te: nempe, facere judicium, diligere pietatem, & verecunde ambulare cum Deo tuo. Ex quibus perſpicuum eſt, ceremonias ideo improbari, quod à verbo, quaſi ab anima ſua, ſejungantur. Unde apparet quanta ſit hominum cæcitas, quibus perſuaderi non poteſt inutile eſſe quicquid ad Deum colendum inſumunt operæ, niſi præcedat cordis integritas. Nec vero id vulgi vitium eſt, ſed omnium fere hominum, & ſua opinione præſtantium. Unde illud figmentum de opere operato, quod Papiſtici doctores commenti ſunt: nec hodie ex animis multorum revelli poteſt. Hic vero non homo, ſed Deus ipſe loquitur, & decreto immutabili ſtatuit, fruſtra ſibi obtrudi, vanumque & infructuoſum eſſe quicquid agunt homines, niſi vera fide ipſum invocent.

Rom. 14. verſ. 17. — *Jere. 7. v. 21, 22.* — *Pſal. 50. v. 13, 14.* — *Jere. 7. verſ. 4.* — *Mich. 6. verſ. 7.*

12. *Quis hoc ex manu.*] Optima fallacium cultuum refutatio, ubi Deus coram ſe in rationem venturos negat: ac generaliter pronunciat, fruſtra ſibi impenſum ferri quicquid non exigit: quia non aliter coli velit quam ex præſcripto. Unde enim fit ut homines ſibi adeo placeant in talibus figmentis, niſi quod non expendunt ſe nihil præſtare utile aut gratum Deo? Alioqui ſtatim veniret ipſis in mentem, nihil præter obedientiam reſtare: neque tam proterve opera ſua extollerent, quæ ludibrio habet Dominus: non ſolum quia nihil inde emolumenti percipiat, ſed quia ſibi non vult imputari quod ſuo injuſſu temere ſuſcipitur, nec hominum arbitrium pro lege valere

1 Sam. 15. verſ. 22.

valere patitur. quanquam majoris contumeliæ cauſa mox addit, in obſequium perperam afferri quod loco jacturæ ducat, nempe quod templum frequentando, nihil quam atria ſua conterant: acſi de fictis precibus diceret, Multum ſcilicet me obligant, dum aures meas obtundunt.

13. *Ne pergatis.*] Utilis admonitio ad cohibendam eorum libidinem, qui vanos & fictos cultus obſtinate ſequi non deſinunt, ut ſaltem moniti à Deo reſipiſcant, ſi quidem ullum conſilium admitterent. Sed hinc apparet, poſtquam ſemel obduruerunt hypocritæ, quam ſtupida ſit eorum ſecuritas, quod ne Deum quidem audire ſuſtinent clare denunciantem, ne operam ſuam ludere, atque adeo inſanire pergant.

Incenſum.] Ut vehementius urgeat, ultra progreditur, non tantum inutilem eſſe ejuſmodi cultum, ſed etiam illum ſe deteſtari atque abominari: neque immerito, quia ſacrilegio non vacat profanatio cultus Dei, in qua ejus nomen falſo obtenditur. ſicut enim Deo nihil pretioſius ſua gloria, ita nihil minus tolerabile, quam eam corruptelis quibuslibet violari: quod fit dum in locum veri cultus neſcio quid nugatorium ſubſtituitur. Locus hic quoſdam fefellit, qui exiſtimarunt Prophetam de abrogatione Legis diſſerere. nec enim id agit: ſed revocat populum ſui temporis ad veram obſervationem ceremoniarum: atque oſtendit quo conſilio, & quem in finem inſtitutæ fuerint. Nam cultus Dei ab initio mundi, ſpiritualis fuit. quod autem alia fuerunt exercitia ſub veteri Teſtamento, & diverſa à noſtris, hoc hominum, non Dei reſpectu effectum eſt. In Deo enim nulla eſt
Jacob. 1. mutatio: ſed ad imbecillitatem hominum ſeſe ac-
verſ. 17. commodat. Itaque ea gubernatio Judæis, ut pueris ſua pædagogia, conveniebat. Quorſum igitur ea inſtituta eſſet, & quæ ſit vera ceremoniarum obſervatio, nunc demonſtrat.

14. *Neomenias.*] Nihil novi ſuperiori doctrinæ addit Propheta, ſed de omnibus ceremoniis, ubi non ſubeſt ſpiritualis veritas, ſed fallax tantum color refulget, in genere pronunciat res eſſe non ſolum inutiles, ſed impias. Hinc obſervandum eſt, fruſtra nos laborare, niſi Deum rite, ut decet atque ipſe præſcribit, colamus. Nam cum in omnibus rebus Deo placet veritas, tum vero potiſſimum in cultu ſui numinis. Deinde non tantum luditur in iis opera, ſed cultus Dei (ut nuper dictum eſt) pervertitur: quo nihil magis impium eſſe poteſt. Omnes autem ſuperſtitiones ſunt totidem corruptelæ divini cultus. ſequitur ergo ipſas impias & nefandas eſſe. Superſtitio vel ex re ipſa, vel ex animi affectu æſtimanda eſt. Ex re, quum homines comminiſci audent quod Deus non
Coloſ. 2. præcepit. qualia ſunt ea quæ parit ἐθελοθρησκεία, quam
verſ. 22. vulgo devotionem vocant. Eriget hic ſimulachrum, alius ſacellum extruet, alius anniverſaria ſacra conſtituet, & infinita ejuſmodi. Ubi hoc licentiæ ſumunt homines, ut novos cultus confingant, illic ſuperſtitio eſt. Ex affectu vero, quum legitimos quidem ritus & probatos à Deo imitantur homines, ſed externæ ſpeciei fixi inhærent, nec in finem aut veritatem intenti ſunt. Quemadmodum Judæi ceremonias à Moſe præſcriptas mordicus tenentes, omittebant quod præcipuum erat. Nullam enim rationem habebant puræ conſcientiæ, fidei & pœnitentiæ nulla mentio, nulla reatus ſui notitia: quin etiam tollebant ab iis Chriſtum, nec ita ullum locum veritati relinquebant. unde liquido conſtat quod ſupra docui, degenerem & adulterinam fuiſſe larvam: ut nihil differrent eorum ſacrificia à ſacrificiis Gentium. Minime igitur mirum eſt, quod Dominus ea abominationem vocet. Non immorabor in loquutionibus quibus hic uſus eſt, quæ variæ ſunt: nec tamen leviter præteriri debent. Videt enim Dominus quanta ſit laſcivia hominum in comminiſcendis cultibus: ideo exaggeratione utitur, quo magis eam cohibeat, atque iterum pronunciat ea ſibi odio eſſe. Deinde quia ſibi blandiuntur, & quicquid temere excogitaverint, ſtulte ſibi perſuadent fore apud Deum aliquo in loco: contra, ſe abhorrere & deteſtari dicit.

15. *Quum expanderitis.*] Quod expanſio manuum adhiberi precibus olim ſolita eſt, non factum eſt ſuperſtitione: nec ritus ille, ut alii plerique, ſtulta & frivola cupiditate obrepſit: ſed quia natura quoque ipſa homines eo impellit, ut etiam ſignis externis teſtentur ſe ad Deum confugere. Ergo quum ad ipſum evolare non poſſint, hoc ſymbolo ſeſe attollunt. Nihil certe de eo præſcriptum habuerunt Patres: eo tamen uſi ſunt divinitus inſpirati. atque hoc ipſo ſymbolo convincuntur craſſæ cæcitatis omnes idololatræ: qui dum externo geſtu teſtantur ſe confugere ad Deum, re ipſa ad idola confugiunt. Et quo magis convincerentur, Dominus hanc conſuetudinem apud ipſos in perpetuo uſu manere paſſus eſt. Non damnat ergo Propheta extenſionem manuum, ſed hypocriſin: quod ſpeciem quidem invocantium præ ſe ferrent, animo autem eſſent valde alieni, ut alibi plenius exprimit. Prope enim ſe eſſe ait Dominus, *Pſal.* 145.
ſed iis qui ipſum invocant in veritate. Ubi eſt hypo- *verſ.* 18.
criſis, ibi vera invocatio eſſe non poteſt. Nec vero adverſatur huic loco quod alibi habetur, Quum extulerint manus ſuas, exaudiam. Nam illic concionatur Dominus de invocatione quæ manat ex fiducia. Fides enim mater eſt invocationis. ea ſi abſit, *Rom.* 10.
nihil ſupereſt præter inanem ludum. Hoc idem *verſ.* 14.
exaggerat, denuncians ſurdum ſe fore illorum clamoribus, quantumvis preces multiplicent: acſi diceret, Etiamſi in precibus ſitis aſſidui, nihil proderit iſta ſedulitas. Nam hoc etiam habent vitii hypocritæ, ut quo verboſiores ſunt in precibus, eo ſe ſanctiores exiſtiment, & facilius quod optant impetraturos. Ita futilis eorum loquacitas oblique perſtringitur.

Manus veſtræ.] Hic jam apertius concionari incipit, cur tam preces eorum quam ſacrificia repudiet, imo faſtidioſe rejiciat: quod ſcilicet crudeles & ſanguinarii, omnique ſcelerum genere referti, cum ficta pompa prodeant in ſuum conſpectum. Etſi autem alias ſpecies mox ſubjiciet, quia tamen fecerat mentionem expanſionis manuum, ideo de manibus loquitur: atque in his teſtimonium ipſos gerere ac proferre ſcelerum ſuorum dicit, ut mirum non ſit tam duriter à ſe repelli. Nam fuit alioqui ex adverſo
uſitata hæc loquutio, Tollere puras manus, non tan- *1 Tim.* 2.
tum Prophetis & Apoſtolis, ſed etiam profanis au- *verſ.* 8.
ctoribus, quos ipſe naturæ ſenſus ad coarguendam hominum craſſitiem impulit: niſi forte confeſſionem hanc ab illis extorſit Deus, ne aliquo ſaltem præconio uſquam vera religio deſtitueretur. Neque tamen intelligit Propheta, ipſos latrones aut ſicarios fuiſſe: ſed perſtringit fraudes & rapinas, quibus in aliena invadebant. Deus enim aliter judicat quam homines, in quorum judicium non veniunt fraudes occultæ & perverſæ artes, quibus aſtuti homines ſimpliciores fallere & circumvenire ſolent. Deinde ſi veniant, extenuantur tamen, nec examinantur ſuo pondere. Atqui Deus etiam ſplendidos homines, qui honeſtis titulis rapinas ſuas fucare ſoliti erant, in lucem trahens, palam homicidas eſſe pronunciat. Quocunque enim modo quempiam interimas, homicida es: ſive eum jugules, ſive alimenta & neceſſaria ſubtrahas. Non loquitur ergo de hominibus palam ſceleratis, & qui ſuis flagitiis palam eſſent infames, ſed de iis qui volebant probi videri, & exiſtimationem aliquam retinebant. Quæ circumſtantia diligenter obſervanda eſt, quia & eadem cauſa hodie agenda eſt cum improbis, qui dum inopes & tenues per vim & fraudem, aut quamlibet injuriam opprimunt, honeſtis tamen integumentis ſuam turpitudinem veſtiunt. Porro ut ut clamitent impudenter, ſe non eſſe furibus ſimiles aut ſicariis, hac tamen ſeveritate qua

ſuos æquales corripuit Propheta, arguendi ſunt. Nam quum ſuſtinemus perſonam Dei, ex hominum ſenſu & opinione judicandum non eſt: ſed quid Dominus judicet, libere proferendum.

16. *Lavate.*] Hortatur Judæos ad pœnitentiam, ac veram ejus rationem oſtendit, ſi modo obſequia ſua cupiant probare Deo. unde colligimus nihil Deo placere poſſe, niſi profectum ſit à pura conſcientia: nec enim Deus inſtar hominis eſt, ut opera noſtra ab externa ſpecie æſtimet. nam ſæpe apud homines plauſum reportat ſpeciale aliquod opus, etiam ab homine nequiſſimo editum: coram Deo autem, qui cor intuetur, polluta conſcientia virtutes omnes
Agg. 2. v. 14, 15. contaminat. Atque hoc eſt quod docet Aggæus, veterum ceremoniarum exemplum proponens, Quicquid tetigeret immundus, pollui: unde infert nihil ab impiis purum manare. Jam aſſeruit Propheta noſter, fruſtra offerri ſacrificia Deo, fruſtra vota fieri, fruſtra invocari ejus nomen, niſi animi integritas externum cultum ſanctificet. Quare ne fruſtra ſe amplius fatigent Judæi, munditiem illam exigit: & quidem à generali reformatione orditur, ne parte una defuncti, objectum Deo velum putent. Acſic omnino cum hominibus à Deo alienatis agendum eſt. Non unum aut alterum vitium morbidi corporis attingendum eſt: ſed ſi cura habetur veræ & integræ ſanationis, ad renovationem vocandi ſunt, & bene purganda contagio, ut placere Deo incipiant qui prius odioſi fuerunt ac fœtidi. Ac lavandi quidem metaphora non dubium quin ad eluendas internas ſordes hortetur: paulo poſt vero operum quoque fructus adjunget. Lavare præcipit, non quod ex proprio liberi arbitrii motu reſipiſcant homines, ſed remedium non aliud eſſe oſtendit, quam ſi puri coram Deo appareant. Scimus autem transferri ad homines,
Eze. 36. verſ. 25. quod Spiritus Dei in illis operatur: quem ideo Ezechiel aquam mundam appellat, quia proprium ejus opus eſt pœnitentia.

Auferte malitiam ſtudiorum.] Jam ad fructus pœnitentiæ deſcendit Propheta. neque enim ſolum abſque figura explicat quid ſit lavare & mundari, ſed in tota vita & ſingulis actionibus teſtimonium novitatis proferre jubet. Confirmat tamen ſuperiorem ſententiam, quod ante Dei oculos verſetur populi fœditas, quæ omnia opera inquinans ac deformans, gratiam illis adimit. Et nominatim conſpectus Dei ſit mentio, ne ſi oppoſito velo, ſeipſos à cernendo impediant, Deum fingant hebetudinis ſuæ eſſe ſocium.

Deſinite.] Pergit in corrigenda eorum vita. Vulgo ita exponitur hic locus, quaſi Propheta per Male facere, intelligeret Male vivere. ſed proprie de maleficiis intelligi debet, quibus proximus offenditur: ut etiam proximo verſu *diſcite benefacere*, ſubaudiendum ſit, Proximo. Loquitur enim de injuriis & beneficiis quibus afficimus proximos. Quum autem pœnitentia ſedem habeat in corde hominis, ideo per has ſpecies eam deſignat, quibus quodammodo in conſpectum hominum prodit. Nemo enim vir bonus haberi non vult. ſed qualis quiſque ſit, opera ipſa declarant. Eos igitur ad externa opera revocat quibus pœnitentiam teſtentur. Pœnitentiæ autem fructus duobus membris complectitur: nocendi abſtinentia, deinde beneficentia. Primum enim ab omni injuria abſtinendum eſt. neque enim vel prodigi imitandi nobis ſunt qui liberales videri volunt, uni rapiunt quod alii largiantur: neque ignavi rurſum, qui ſatis eſſe putant ſi ſe innoxios ſervarint, & abſtinuerint ab alienis, nullam tamen operam dant beneficentiæ. Utrumque ergo complecti voluit: his enim duobus, ſecundæ Tabulæ obſervatio continetur.

17. *Diſcite benefacere.*] Sicuti nuper, quum jubebat deſinere à maleficiis, aſſiduam exercitationem perſtrinxit: acſi dixiſſet, tota vita fuiſſe aſſuefactos ad peccandum: ita nunc humanitatis expertes eſſe docet, ad quam diſcendam quaſi rudes tirunculos invitat. Ac primo quidem jubet quærere judicium. alii vertunt, Sciſcitamini: quod non placet. Verbo enim Quærendi plus intellexit Propheta: nempe ſtudium, ut vocant, actuale: *Judicii* vero nomine, quicquid bonum rectumque eſt: acſi diceret, Studete rectitudini.

Reſtituite oppreſſum.] Propheta more uſitato generi ſpecies ſubjungit: vel quum jam ſpecialiter ad beneficentiam & æquitatem hortatus ſit, nunc preſſius urgere volens, magis enucleate certas ſpecies enumerat, quæ pleniorem rei declarationem afferant. Semper enim homines recti & juſti alias videri volunt: vixque generali doctrina percelli poſſent. ſed ubi ad ſpecies ventum eſt, quaſi in rem præſentem adducti, cedere coguntur, vel ſaltem miteſcunt: idque in dies experimur.

Jus dicite pupillo.] Duas hic ſpecies eligit Propheta, è quibus hominum improbitas magis detegitur. Raro enim ſuſcipiuntur cauſæ pupillorum & viduarum, propterea quod nulla ab iis præmia ſperantur. Eo ſit ut omnium injuriæ pateant, quod nullus eorum vindex prodeat: quia gratis nemo juſtitiam colit, prompti vero ad diripiendos inopes & tenues quam plurimi. Idque argumento eſt, nemini curæ eſſe judicium. nam potentibus eſſe amicos à quibus juventur, minime mirum eſt, dum ſpes præmii invitat & allicit. Dominus autem declarat ſibi Exod. 22.
curæ eſſe pupillos & viduas, ſeque vindicem fore verſ. 22.
ſi qua fuerint injuriis affecti. Idem ad alios omnes Levit. 21.
extenditur, qui potentiorum vi & tyrannica libi- verſ. 15.
dine oppreſſi gemunt. Quod ſummam conſolationem afferre debet omnibus Dei filiis, quorum conditio eſt poſſidere animas ſuas in patientia. Utcunque enim ſe inſolenter jactent hoſtes, nihil impediet quominus in anguſtiis ſuis triumphent, quorum animis hoc inſidebit, Vindex erit Dominus. tametſi nos homines negligant, ipſi curæ ſumus: deſtitutis opem 1 Petr. 5.
feret, & eorum cauſam tuebitur. verſ. 7.

18. *Venite, agedum.*] Solent vertere, Quæſo, vel igitur. Sed mihi videtur ſignificare fiduciam bonæ cauſæ, ut נא ſit hortantis, Agedum. Declarat enim Dominus Judæos nihil habituros quod reſpondeant: atque etiam ſi detur ipſis purgandi locus, mutos fore omnino. Et certe ita cum hypocritis agi neceſſe eſt. Deum enim audacter in diſceptationem vocant, nec ullum faciunt tergiverſandi finem. Propterea dicit, ſi diſceptare velint, ſe ex oppoſito paratum fore. Quæret forte iterum aliquis, cur Propheta de ſecunda Legis tabula potiſſimum concionetur, ac non potius de cultu Dei. Scimus enim primam Tabulam haud fruſtra priore loco conſtitutam eſſe à Deo quum Legem partitus eſt. Nec dubium quin prior ut ordine, ita pondere antecedat. Reſpondeo, Prophetas quum hominum hypocriſin reprehenderunt, varie loquutos eſſe. Interdum enim de violato Sabbatho queruntur: interdum aiunt Deum invocatum non fuiſſe: præcipue vero idololatriam reprehendunt, & in ſuperſtitiones invehuntur. Hic vero conqueritur Jeſaias de officiis erga proximos neglectis. ſed unus & idem finis eſt omnium: nempe vana eſſe apud Deum opera noſtra, quum à recta conſcientia non proficiſcuntur, & timoris Dei vacui ſumus. Timorem autem nunc ab invocatione nominis ipſius, nunc ab obſervatione Sabbathi, nunc ab aliis operibus deſignant: ſed quia inter verum cultum & hypocriſin certius & magis conſpicuum diſcrimen apparet in officiis charitatis, non temere ab Jeſaia proferuntur. Nam hypocritæ diligentes ſunt in externo cultu & ceremoniis: intus vero ſcatent invidia, crepant ſuperbia & contemptu fratrum, ardent avaritia & ambitione: nec facile, dum ſub illis involucris latent, detegi poſſunt. Sunt igitur ad iſtam regulam, velut ad Lydium lapidem examinandi. Hinc judicium fa-

cien-

ciendum eſt, an Deum timeant. Nos quidem poſſemus falli, ſi ex ſecunda ſolum Tabula de hominis pietate judicaremus: verum ſi quis ſatisfaciat in officiis primæ Tabulæ quæ ſunt pietatis & cultus Dei teſtimonia, tunc ad examen illud veniendum, an verſetur cum aliis innocenter, & abſtineat ab omni injuria, fidem colat, humaniter ſe gerat cum fratribus. Hæc ratio eſt cur Chriſtus dicat, miſericordiam, judicium, & fidem præcipua Legis eſſe: exprobrans Phariſæis quod decimas & oblationes urgendo, tantum minutias perſequerentur, veram juſtitiam omitterent. Per fidem intelligit fidelitatem, quam vulgo dicimus *loyauté*. Per judicium, omnem rectitudinem, quum reddimus cuique ſuum, nec alios violari patimur, opemque ipſis ferimus, quantum in nobis eſt. Atqui ſi hæc præcipua ſunt Legis, quo ordine collocanda erunt prioris Tabulæ præcepta? Reſpondeo, ſuum quidem pondus & ordinem retinere: ſed ex his quæ tam ſevere exigit Chriſtus, & quibus inſiſtit, hypocriſim apertius deprehendi, & melius judicari an quis Deum vere timeat. Eodem ſenſu accipi debet, Miſericordiam volo, & non ſacrificium. nam miſericordia eſt ſpecimen & probatio veræ pietatis. Deinde quia ſeria eſt charitatis demonſtratio, per ſe placet Deo: ſacrificia vero propter aliud. Nunc ſatis patere arbitror cur Jeſaias beneficentiæ potius meminit quam fidei vel invocationis: & cur tam varie loquantur Prophetæ, quum ad verum Dei cultum hypocritas revocant, eumque à fructibus oſtendi volunt.

Mat. 23. verſ. 23.

Hoſe. 6. verſ. 6. Mat. 9. verſ. 13. & 12. verſ. 7.

Si fuerint.] Perinde eſt acſi diceret, ſe non accuſare innocentes, neque etiam litigandi ſe ita eſſe cupidum, ut ſine magna neceſſitate eos accuſet vel cauſam proſequatur. Nam cum Deo expoſtulare ſolent hypocritæ, acſi nimis eſſet rigidus, deinde implacabilis. Imo excuſationem hanc inveniunt ſuæ obſtinationi, quod fruſtra nitantur cum Deo redire in gratiam. Quod ſi omnia ipſos deficiant, tamen ad diverticulum hoc confugiunt, Non eſſe tam præciſe cum ipſis agendum: aliquid perfectiſſimis etiam quibuſque condonandum eſſe. Ideo Propheta antevertit, Deum ita loquentem inducens, Ego ſi opus ſit, diſceptationem non recuſo, ubi conſtabit veſtra pervicacia fieri ne ulla ſit inter nos reconciliatio: tantum afferte munditiem cordis, omniſque inter nos controverſia ceſſabit. Nolim amplius litigare, ſi cor mihi integrum præſtetis. Hinc colligimus eximiam conſolationem, quod Deus non ſic contendat nobiſcum, quaſi ad extremum delicta noſtra perſequi velit. Nam ſi ſerio ad ipſum convertamur, ſtatim redibit in gratiam, omnemque peccatorum noſtrorum memoriam delebit, nec rationem repoſcet. Nec enim ſimilis eſt hominibus, qui vel in levi offenſiuncula inexorabiles eſſe ſolent. Imo nos ipſe mundare, & nitidos reddere paratus eſt. Tantum abeſt, ut jure de nimia ejus ſeveritate queramur. Nam contentus munditia cordis, quicquid offenſæ erit ultro condonat, eos abſolvens à quibus provocatus fuit.

19. *Si volueritis.*] Dei cauſam adverſus populum perſequitur Jeſaias. Atque in ſumma pronunciat, non modo calamitates quaſcunque populus ſuſtinebat, ipſius culpæ imputandas eſſe: ſed per eum ſtare quominus proſperam & optabilem fortunam mox recuperet: quia ultro ad ignoſcendum propenſus ſit Deus, modo non cor obdurent. Quia vero felicitas videtur hic poni in manu & arbitrio hominum, fortiter contendunt Papiſtæ, homines proprio motu liberos eſſe ad eligendum vel bonum vel malum. quaſi vero Deus, ubi hominum pervicaciam accuſat, diſſerat quanta ſit vel qualis eorum facultas. Sed fruſtra diceret, Si volueritis, niſi penes ipſos eſſet velle. Reſpondeo, quamvis non ſit libera electio qualiter ipſi fingunt, jure tamen objici peccatoribus eos ſibi voluntarios eſſe malorum auctores, quia ſponte, non coacti Dei iram in ſe provocant. Verum igitur eſt, ſpeciale Dei eſſe donum, ut quis ad bonum adſpiret: ſimul tamen æque verum eſt, ſuam reprobis pravitatem obſtare, ne illuc adjiciant animum: ideoque totam obſtinationis culpam in ipſis reſidere. Hinc pendet iſta exprobratio: felicem & beatam vitam acturum fuiſſe populum, ſi Deo ſe morigerum & obſequentem præbuiſſet. Nam quum natura beneficus ſit Deus, nihil præter ingratitudinem & malitiam noſtram obſtat, quominus ad nos quoque perveniat illa omnibus expoſita liberalitas. Ex oppoſito gravem & ſeveram denunciationem addit, in manu eſſe ultionem, ut ſentiant non impune Deum contemni. Obſervandum porro eſt, regulam unicam bene vivendi eſſe quam Deo & verbo ejus obedientiam præſtamus. Nam velle & audire nihil aliud eſt quam acquieſcere ad morem gerendum Deo. Atque in his verbis eſt hypallage, quia ſic reſolvi debet oratio, Si vobis promptus ad obſequendum animus, & voluntas parata eſſet: vel quod idem valet, Si obedientem mihi & verbo meo aurem præbueritis. Quum igitur Deus felicitatem hominis conſtituat in obedientia, ſequitur recte inſtitui vitam noſtram, ubi Deum loquentem audimus, ipſique per omnia obtemperamus. Nunc quanta eſt hominum pravitas, quum aſſidue loquenti Deo aures accommodare renuentes, oblatam & paratam felicitatem reſpuunt? Domandi ſane erant perverſi affectus, ne ſibi miſeri homines iram Dei accerſendo, quaſi furioſæ belluæ in aciem gladii ſponte ſe projicerent. Et notandum eſt, quod ultimam tandem vindictam minatur, ubi contumaciter recuſaverint Deo ſe ſubjicere.

Os Domini.] Quoniam dum homines excæcat ſua libido, parum minis tanguntur: ut talem illis ſocordiam excutiat Propheta, non ab homine mortali proferri hanc ſententiam admonet, ſed profectam eſſe ab ore Dei, qui flexibilis non eſt inſtar hominum, ſed propoſitum conſtanter tenet. Ergo os Domini ad terrorem opponitur, ut ſerio advertant ad ejus minas qui in ſuis vitiis quaſi ſopiti jacent.

Bonum terræ.] Intelligit fructus quos terra ſuppeditat ad uſus vitæ neceſſarios. Nam terra quodammodo maligna videtur, quum fructus ſuos non profert, & veluti in ſinu retinet. Quanquam non dubito quin ad Legis promiſſiones alludat, ubi Deus terræ benedictionem cultoribus ſuis paratam fore aſſerit, quo large ſuppetat bonorum omnium affluentia. Neque tamen commoda vitæ terrenæ offert, quod velit nos præſenti felicitate detineri, quam ſolam hypocritæ conſiderant, & in qua toti occupantur: ſed ut contemplatione ipſius, in cæleſtem aſſurgamus, & tantæ bonitatis guſtu ad æternam quoque felicitatem delibandam nos aſſuefaciat. Hoc autem magis uſitatum fuit populo veteri, ut bonorum præſentium guſtu, velut imagine, ad hæreditatem cæleſtem vocarentur. Quod diſcrimen diligenter notandum eſt, ut pro gradu ad quem nos Deus evexit, doctrinam hanc ad nos accommodemus. Docere autem voluit Propheta, veram felicitatem cum ſuis appendicibus conſiſtere in obedientia Dei: impios contumaciter agendo ſibi omne malorum genus accerſere, ideoque adverſa omnia peccatis & ſceleribus noſtris imputanda eſſe.

Deut. 28. verſ. 11.

20. *Si nolueritis.*] Impii graviorem culpa pœnam ſemper eſſe putant, etiamſi leniter eos Dominus caſtiget: & quanquam non prorſus abſolvere ſe audent, eum tamen, ut prius diximus, non deſinunt accuſare nimiæ ſeveritatis. Propheta autem nullum finem malorum fore denunciat donec abſumpti ſint: ac ne ſe defunctos eſſe putarent mediocribus pœnis, quas eatenus erant perpeſſi, adhuc multo graviora ipſis impendere Dei judicia. Papiſtæ hunc locum ad ſtatuendum liberum arbitrium detorquent, atque ita colligunt, Si beati futuri ſunt homines quum Deo parere volunt, ſequitur hoc in noſtra poteſtate ſitum eſſe. Argumento certe admodum puerili. nec enim per

per Prophetam diſſerit Dominus quænam vel quanta ſit noſtra ad bonum vel malum facultas: ſed monet nos in culpa eſſe, quominus bonis fruamur; deinde ærumnas quibus premimur, inobedientiæ noſtræ pœnas eſſe. Eſt autem longe diverſum, an homo ex mala voluntate bonam efficere poſſit, quærere: an vero mala voluntate, quæ ipſi ingenita eſt, contrahat ſibi quicquid ſuſtinet malorum. Perperam igitur & falſo hinc dogma ſuum de libera electione boni & mali colligunt ſubtiles & acuti illi doctores.

21. *Quomodo facta eſt meretrix.*] Quo plus vehementiæ habeat objurgatio, & magis deteſtabile ſit flagitium, quod ita à Deo & omni integritate populus deſciverit, quaſi ad rem prodigioſam exclamat. Et ſane mutatio illa fuit horribilis, quod à ſumma pietate in omnem ſcelerum colluviem exciderit populus Deo ſacer & in regale ſacerdotium electus. (*Exod.* 19. *verſ.* 6.) Præſertim vero de urbe Jeroſolyma loquitur, quæ Dei ſacrarium & regia ſedes erat. Eam nunc ſpoliarium eſſe latronum conqueritur; quæ prius fidelis fuerat juſtitiæ cuſtos, ex ſancta & pura verſam in ſcortum. Ergo ut magis pudefaciat degeneres Judæos, qui à ſanctis Patribus longe alieni erant, mirantis perſonam induit, ac ſecum diſputat quomodo fieri hoc potuerit. Atque in nomine Fidelis, meo judicio, alludit ad fidem conjugalem, quam uxor marito ſervare debet. ſignificatio quidem latius patet: ſed dum loci circumſtantiam perpendo, Fidelem pro caſta non dubito accipere: quoniam diverſum membrum paulo poſt opponit, meretricem vocans. Quum enim prius eſſet veluti uxor, honeſte conjugii fidem colens, nunc in ſcortum verſa eſt, quod nihil pudeat ipſam ſuæ turpitudinis. Hoc autem frequens eſt Scripturis, Eccleſiam vocari Dei uxorem: quem honoris gradum tenuit Jeroſolyma, quamdiu ſpiritualem pudicitiam coluit ac perſtitit in legitimo & puro Dei cultu: ſimulac deſcivit, facta eſt meretrix. (*Hoſea* 2. *v.* 19. 20.) Hanc Prophetæ admirationem cum maximo dolore conjunctam fuiſſe dubium non eſt. hoc enim nobis inſtar portenti eſſe debet, quum homines deficiunt à Deo, & promiſſam fidem abnegant. Nec fieri poteſt, quin viri cordati dum talem defectionem conſiderant, extremo doloris ſenſu afficiantur. Legimus Angelos converſione peccatoris unius in cælis exultare: (*Luc.* 15. *verſ.* 7.) ergo fieri non poteſt, quin uniuſcujuſque interitum lugeant. Quanto igitur magis totius civitatis & Eccleſiæ ruinam & exitium lugebunt? Porro iſta admiratio ſimul expoſtulationem continet: acſi Jeroſolymæ diceret Propheta, E quam florenti ſtatu decidiſti! in quas te conjeciſti miſerias! quanto teipſam dedecore & ignominia affeciſti! Commemoratio enim priſtini ſtatus in quo floruerat, & fuerat honorifice tractata, magis eam permovere debebat. Nam quæ aliquando honeſta matrona fuit, longe magis de honore & fama ſollicita eſt, quam quæ in flagitiis & libidinibus omnem vitam tranſegit.

Plena fuit judicio.] Oſtendit quales illius quondam fidei fructus extiterint. Judicium pro rectitudine ſimpliciter accipere poſſumus. Aut ſi quis malit Juſtitiam accipere, quum redditur cuique ſuum; Judicium vero, quum innocentium cauſa ſuſcipitur, tenueſque & inopes vindicantur ab injuria. talis enim eſt Scripturæ uſus, quum una conjunguntur. Sed quia hic perfecta conjunctio non eſt, pro rectitudine ſimpliciter accipio, ut idem bis dicatur explicationis cauſa.

Nunc autem homicidæ.] Declarat quomodo Jeroſolyma facta ſit meretrix: quod quum antea juſtitiam & æquitatem coleret, nunc homicidis plena ſit. Intelligit autem non ſicarios aut latrones, ut jam antea dictum eſt: ſed qui fraudibus & rapinis ſub juris prætextu ad ſe attrahebant aliorum bona: qui denique non verſabantur ex æquo & bono cum proximis, qualeſcunque tunc habiti fuerint. Ut interdum, & quidem ut plurimum, qui nequiſſimi ſunt ſummo in pretio habentur. Ex hoc ſtatu Jeroſolymæ conſiderandum eſt quam ſæpe Satan in Eccleſiam Dei, velut laxato freno tyrannidem exerceat. Nam ſi uſquam fuit Eccleſia, ea tunc Jeroſolymæ fuit. Eam tamen ſpeluncam fuiſſe latronum teſtatur Jeſaias, aut ſpoliarium in quo homines jugulabantur. Quod ſi ita potuit in ea graſſari Satan, ne miremur idem quoque nobis accidere: ſed demus operam, ne tam malis exemplis corrumpi nos ſinamus.

22. *Argentum.*] Metaphorice loquitur Jeſaias: ac duabus quidem hic ſimilitudinibus oſtendit, quamvis non palam inverſa ſit rerum facies, mutatum tamen & corruptum eſſe ſtatum, ut longe ſit à priore diſſimilis. Dicit enim pro argento nunc ſcoriam nitere: colorem etiam vini manere inſipidum. Licet adhuc evanidam ſpeciem oſtentes, nihil tamen, inquit Propheta, purum in te comperietur. Vinum illud quod in te purum eſſe ſolebat, corruptum eſt: ac quamvis aſpectu fallat, guſtu cognoſcitur depravatio. Hæc autem non alio pertinent, quam ut Judæi abſterſo fuco mala ſua agnoſcere incipiant, nec ſibi placeant amplius, ut hypocritæ ſolent. Cui rei aptiſſimæ ſunt hæ ſimilitudines. Scoria enim ſimile nonnihil habet cum argento: ſimiliter & aqua vino commixta, colore merum refert. Permultum tamen abſunt à puritate, cujus ſpeciem præ ſe ferunt. Ita & hypocritæ fuco tanquam fallaci argenti colore ſe venditant: quum nihilo pluris faciendi ſint quam ſcoria: imo eo deteſtabiliores, quod quum ſint nequiſſimi, perfide tamen non minus quam improbe, inanem fucum, quo malitiam ſuam tegant, Deo & hominibus opponunt.

23. *Principes tui perverſi.*] Eſt hic elegans alluſio vel paronomaſia: acſi diceret, Primi pravi. Non ita loquitur de principibus, quaſi plebs ſancta eſſet, & careret omni reprehenſione: ſed originem mali oſtendit. Quemadmodum enim nullus eſt morbus nocentior, quam qui ex capite in totum corpus diffluit, ita nullum pernicioſius malum in Republica pravo & corrupto Principe: qui ſuas corruptelas tam exemplo quam licentia in univerſum corpus transfundit. Unde etiam proverbium, *Οἵα ἡ δέσποινα, τοῖαι καὶ θεραπαινίδες.* Perinde ergo eſt acſi diceret Propheta, non aliquod particulare vitium reſidere in plebe, ſed graſſari ſcelerum licentiam in ipſis proceribus, atque ita totum corpus labe infectum eſſe. Subeſt enim amplificatio in nomine Principum. nam valde deploranda res eſt, quum inde malum oritur, unde ejus remedium peti oporteret. Speciem ſubjungit, quod ſint ſocii furum: quibus verbis ſignificat, coërcendis furtis & rapinis adeo non impendere operam, ut potius inde quæſtum faciant. ſocios vero furum merito nominat, qui accepta parte prædæ licentiam furandi inducunt. Neque vero aliter fieri poteſt, ubi judex pretio corrumpitur, quin graſſentur impune ſcelera, acſi ipſe cum auctoribus colluderet.

Unuſquiſque diligit munus.] Simul fontem deſignat, cur ſe furibus ſociaverint Principes, & ſe impia conſpiratione alligaverint ad fovenda ſcelera: avaritiam ſcilicet. Nam ubi nummarii ſunt judices, actum eſt de æquitate. quia ſi perſonæ acceptio, corruptio eſt judicii, ut nullus ſit æquitati locus: quiſquis occupatus eſt avaritia, certe perſonam potius quam cauſam intuebitur. Itaque æquum & bonum perſpicere non poterit: ſed accidet, quemadmodum ait ille, ut figat jura atque refigat. Hinc monemur quanta virtus ſit in magiſtratu, contemptus pecuniæ: quia niſi mentem, manus, oculos abſtinentes habeat, nunquam rite poterit judicare. Ridiculum eſt enim quod aiunt nonnulli, ſe animum purum & incorruptum retinere, etiamſi munera accipiant. Quando illud Domini verum eſſe neceſſe eſt, Munere excæcari oculos ſapientum, & perverti verba juſtorum. (*Exod.* 23. *verſ.* 8. *Deut.* 16. *verſ.* 19.) Nemo igitur tam rectus, nemo tam oculatus & perſpicax eſſe poteſt, cujus & mentem non faſci-

faſcinent munera, & oculos non perſtringant. Unde merito tales judices, furum ſocios eſſe pronunciat, quia cæco pecuniæ amore correpti, ſimul & divina & humana jura evertunt: nec ullus apud eos eſt æquitati locus, vel pudori.

Notandum eſt etiam Prophetam ut convincat hypocritas, opera & manifeſta & vulgo nota in medium proferre: quoniam aliter nunquam cederent. Nec tamen dubium, quin tunc multi reclamaverint, dum ita fures ipſos vocaret: ut hodie etiam plerique impudenter & præfracte clamitant ſe propterea non eſſe fures, quod oblata præmia & munera accipiant: neque enim ſe impediri quo minus recte judicent. Cæterum quia frivolæ ſunt ejuſmodi reſponſiones, Propheta ubi probra eorum detexit, ſua reprehenſione contentus prolixius non litigat. Et certe natura dictat rectum judicium ferri non poſſe, ubi judices pretii & mercedis adeo ſunt cupidi: quia fieri non poteſt quin & fidem & famam nundinationi protinus addicant.

Cauſam pupilli.] Quemadmodum pupillos & viduas Dominus peculiariter commendat, quod hominum præſidio deſtituti ſint: ita non mirum ſi ægre fert eos deſeri à judicibus, qui ipſorum tutores & patroni eſſe debebant. Nam ubi nemo ad opem ferendam occurrit, quum ipſi nec conſilio, nec induſtria, nec viribus polleant, ut omnium injuriis & prædæ impune pateant neceſſe eſt. Jam vero ubi nulla habetur eorum ratio, ſequitur avaritiam & rapinas, non æquitatem prævalere.

24. *Propterea dicit.*] Priore loco ponitur vox האדון, quæ proprie Dominum ſignificat, & relationem habet cum ſervo. Deinde additur nomen יהוה, quo exprimitur æterna Dei eſſentia & majeſtas. Poſtquam ergo Jeſaias ſpecies quaſdam ſcelerum recenſuit, unde palam fieret, omnia in populo illo corrupta eſſe, nunc minari volens, ac proponere Dei judicium, non modo judicis poteſtate & officio Deum ipſum ornat: ſed ſimul admonet, filios Abrahæ peculiarem eſſe ejus populum. quo etiam ſenſu paulo poſt adjungit Fortem Iſraël. Quanquam ſubeſſe poteſt ſpecies ironiæ, qua Judæos pungat, acſi diceret, ſtulte eos gloriari Dei nomine, quum ipſi ſint ſervi nequam ac ſcelerati: fruſtra ejus fortitudine confidere, quæ contra ipſos ſe mox convertet. Ita præfatus ſubjicit, Heu! conſolationem capiam &c. Quibus verbis ſignificat Deum non ante pacatum iri quam ſe pœnis ſatiaverit. Conſolationis enim nomen uſurpat humano more. Quemadmodum enim ira nihil aliud eſt, quam ulciſcendi appetitus: ita ultio, ſatisfactio eſt. & ubi quis ſe ultus eſt, ſibi gratulatur, & contentus eſt hoc quaſi compenſationis genere. Ita ſe Dominus ſumenda de hoſtibus pœna ſibi ſatisfacturum dicit. Varie quidem exponitur hic locus, nec ſumam hoc oneris, ut diſcutiam omnes interpretationes, atque refellam quæ minus placebunt: ſatis eſt, modo genuinum ſenſum teneamus. Non loquitur hic de Chaldæis, aut Aſſyriis, ut nonnulli putant, ſed de Judæis, quibus bellum Dei nomine velut caduceator indicit. quæ denunciatio eorum auribus valde aſpera fuit: quando hac lege Deo ſe fœderatos putabant, ut hoſtibus ipſorum eſſet hoſtis. Ipſe autem contra, ſe hoſtem profitetur, quando toties eorum ſceleribus provocatus fuerat. Atque hoc modo ſocordiam hypocritis excuti neceſſe eſt, qui aſſidue cum Deo bellum gerentes, non dubitant tamen ejus tutelam obtendere. Quare nihil mirum, ſi odioſe vocet Dei hoſtes Propheta, qui rupto fœdere tam hoſtiliter ſe cum ipſo geſſerant. Et tamen ut oſtendat Deus ſe quodammodo invitum cogi ad pœnas de populo ſuo exigendas, cum gemitu quodam minatur. Quia enim nihil ei magis proprium eſt quam benefacere: quoties nobis iraſcitur, ac ſeverius nos tractat, certum eſt pravitate noſtra huc adigi, quia ejus beneficentiæ liberum curſum non permittimus. præſertim vero propenſus eſt ad ſuos humaniter tractandos: & dum videt indulgentiæ ſuæ non eſſe amplius locum, quaſi triſtis ad puniendum accingitur. Niſi forte particulam הוי, ſecus exponere libeat, quaſi Deus iracundia accenſus exclamet. Mihi tamen magis probatur hoc loco dolentis eſſe vocem: quia Deus fœderis ſui memor, libenter electo populo parceret, niſi omnem veniam excluderet obſtinatio. In ſecundo membro eſt *ἀναδίπλωσις* Hebræis uſitata, qui rem unam ſæpe eodem verſu repetunt. Unde etiam colligimus huc tendere ſententiam, non aliter poſſe Deum quieſcere, donec vindicatus ſit de ſceleſto & perfido populo.

25. *Convertam manum.*] Moderatio proximæ comminationis. Etſi enim adhuc proſequitur quod dicere cœpit de rigore, ſimul tamen admonet ſuperſtitem his cladibus, quæ infligendæ erant, fore Eccleſiam. Præcipue tamen fideles conſolari propoſitum fuit, ne putent actum prorſus de Eccleſia eſſe, quamvis eam aſperius viſitet Deus. Semper enim apud Prophetas cavet Spiritus, ne filii Dei, qui ſemper ad ejus verbum contremiſcunt, minis ac terroribus fracti animos deſpondeant. nam quo audacius laſciviunt impii, omneſque rident minas, magis trepidant qui ſerio Dei timore tanguntur. Cæterum Converſio manus Dei, generaliter ſignum præſentiæ ejus ſignificat: acſi diceret, Exeram manum meam. Quod bifariam facere ſolet, vel dum impios caſtigat, vel dum ſuccurrit fidelium miſeriis. Quum ergo ex circumſtantia loci facile appareat, Deum pœnæ acerbitatem velle interpoſito ſolatio lenire: manus converſio hic ad Eccleſiæ inſtaurationem referri debet. Quamvis enim in genere pronunciaverit omnes ſibi hoſtes eſſe, ſermonem illum nunc temperat ac reſtringit, Jeruſalem vel Sion nomine compellans. quum addit, Purgabo ſcoriam, tametſi correctionis fructum deſignat, ne ultra modum gravis ſit ac moleſta fidelibus: colligimus tamen inde, purgationem Eccleſiæ proprium eſſe Dei opus. Semper in hunc finem manum exerit ad punienda peccata, ut errantes in viam revocet: ſed nihil prodeſſent ferulæ niſi utiles eas redderet, intus corda tangendo. Et certe quia hic ſpecialem gratiam commendat, qua ſuos electos dignatur, hinc ſequitur pœnitentiam verum ac proprium eſſe Spiritus ſancti donum: quia alioqui ſub flagellis magis ac magis obdureſceret peccator, quam vel tantulum proficeret. Cæterum purgatio ad liquidum ut nulla ſcoria maneat, non ita debet intelligi, quaſi Deus Eccleſiam ſuam in hoc mundo penitus unquam abſtergat ab omni labe: quin potius hoc ad humanum modum referre convenit. acſi diceret talem fore ſtatum Eccleſiæ, ut inſtar mundi argenti reluceat ejus ſanctitas. Vera igitur puritas his verbis notatur, quum ante Judæi ſibi in fæcibus ſuis nimium placuiſſent. Eſt autem aptiſſima ſimilitudo, qua ſignificat Propheta ſic Dei Eccleſiam tunc fuiſſe refertam multis inquinamentis, ut tamen reſiduum aliquid maneret, quod conſumptis ſordibus fulgorem ſuum recuperaret. Hoc etiam modo aptat ſingula membra inter ſe, quia prius de ſceleribus loquens dixerat argentum verſum eſſe in ſcoriam.

26. *Reſtituam judices.*] Jam ſine figura loquitur. Et quia fontem & initium malorum dixerat eſſe in principibus: ita ordinem illum divinitus purgatum iri docet, quum Dominus volet veram Eccleſiæ ſanitatem reddere. Et ſane hinc publici ordinis integritas, ſi præſint pii & ſancti gubernatores: quia impiis dominantibus omnia peſſum eunt. Per Judices & Conſiliarios ſatis notum eſt quoſvis magiſtratus intelligi: eos fore promittens quales fuerant ab initio, revocat in memoriam ſingulare Dei beneficium, quo privati fuerant. Erexerat Deus ſuis auſpiciis Davidis ſolium, & in illo regimine volebat imaginem paterni ſui amoris lucere. Quum autem illud in peſſimam tyrannidem degeneraſſet, manebat tamen interim

terim inanis tituli jactantia, quia non ſecus gloriabantur de regno Davidis, atque hodie ſuperbiunt Papiſtæ ſub fallaci Eccleſiæ prætextu. Quare merito monetur populus ex qua felicitate exciderit ſua culpa, ne ægre ferat ſe diminui hominum numero, ut divinum ordinem recuperet.

Tunc dicetur de te.] Fructum ejus reformationis de qua loquutus eſt, ad totum corpus extendit. Nam quia Jeroſolymam dixerat Propheta, antequam à Deo deſciſceret, urbem fuiſſe fidelem, plenam judicii: nunc ubi correcta fuerit, eaſdem in ea virtutes dicit fore conſpicuas. Hic etiam notatur veræ reſipiſcentiæ ſumma. nam per juſtitiam intelligitur integritas, dum quiſque ſuum obtinet, & alii cum aliis innocenter vivunt. Fidelitatis nomen latius patet: quia fidelis vocatur civitas non ſolum ubi viget inter homines mutua æquitas & rectitudo, ſed ubi Deus ſincere colitur. Ita mentis caſtitas & mundities comprehenditur ſub hoc nomine. Notandum tamen eſt ab hac fide manare juſtitiam, quia ubi veraciter agimus inter nos, facile regnum obtinet juſtitia. Et certe dum omnia propius expendo, videtur nunc Propheta fidem reſtrictius accipere quam paulo ante, & has duas virtutes ita connectere, quaſi in eundem finem tendant, ac veritas quidem præcedat ordine, tanquam cauſa: juſtitia vero ſit ejus effectus. Nec ſolum promittit Jeſaias juſtam ac fidelem fore, ſed his quoque elogiis fore inſignem: quo ſignificat talem fore juſtitiam, cujus notitia vel fama paſſim ſpargatur. Scimus hypocritas etiam ornari honorificis titulis: ſed quia Deum loquentem inducit Jeſaias, pro confeſſo ſumit, re ipſa juſtam fore urbem, qualis prædicabitur. Interea, ſicut dixi, fructum veræ converſionis demonſtrat: acſi diceret, ubi ad ſinceram pietatem reducta fuerit Jeroſolyma, renovationem ejus teſtatam fore apud homines.

27. *Sion in judicio redimetur.*] Confirmat eandem doctrinam. Et quia difficilis creditu erat Eccleſiæ reſtitutio, eam non ab hominum arbitrio pendere, ſed in Dei juſtitia & judicio eſſe fundatam: acſi diceret, Deum minime paſſurum ut in totum deleatur Eccleſia, quia juſtus eſt. Conſilium ergo Prophetæ eſt, abſtrahere piorum ſenſus à cogitationibus terrenis, ut in ſperanda Eccleſiæ ſalute toti ad Deum intendant, neque deſinant bene ſperare, quamvis ubique pro adjumentis cernant obſtacula. Falluntur enim longe qui juſtitiam & judicium referunt ad homines, acſi de ſtatu urbis bene compoſito verba faceret Jeſaias: quia ſimplex ſenſus eſt quem poſui, quamvis nihil ſubſidii conferant homines, Dei tamen juſtitiam abunde ad Eccleſiæ redemptionem ſufficere. Et ſane quamdiu noſipſos ſpectamus, quid ſpei concipere licebit? quam multa vero ſtatim ad fidem noſtram debilitandam occurrent? tantum in Dei juſtitia reperietur perpetua fiduciæ ſoliditas. Secundo membro exprimitur redemptionis modus, quod ſcilicet exules, qui procul diſperſi erant, iterum colligentur.

28. *Contritio autem prævaricatorum.*] Ne hypocritæ ullum ad ſe fructum ex his promiſſionibus pertinere putent, & inaniter glorientur, denunciat ipſos perituros, utcunque Eccleſiam redimat. ſemper enim hypocritæ Eccleſiæ permixti ſunt: imo ſe conſtituunt in intimo ejus ſinu: ſed eam ab externa larva æſtimant. Quicquid vero promittit Deus, ad ſe mox confidenter trahunt. Propheta excutit ipſis hanc fiduciam: ſi tamen fiducia vocari debet, quæ ex ſuperbia & turgidi animi elatione oritur. Hic animadvertendum quanta prudentia opus habeant pii doctores, ut terrendo impios judicio Dei, bonos interim ſublevent, eorumque animos ſuſtentent aliqua conſolatione, ne frangantur, ac concidant. Ex adverſo vero, quum fideles eriguntur promiſſione Dei, eamque impii præpoſtere ad ſe rapiunt, animoſque attollunt inani fiducia, hæc ratio & via tenenda eſt, ut neque ſuperbiendi occaſio detur impiis, nec piorum animi dejiciantur vel labaſcant: ſicuti hoc loco facit Jeſaias. Nam loquutus de redemptione Eccleſiæ, interea tamen peccatoribus, id eſt, ſceleratis, exitium minatur: ut intelligant hæc Dei beneficia ad ſe nihil pertinere. Quanquam impios exitio addicens, hac comparatione Dei gratiam amplificat erga fideles, quæ longe clarius conſpicitur, ubi Deus pereuntibus reprobis, ſuos tuetur incolumes: ſicuti dicitur Pſalmo 91. verſu 7. Iterum etiam mœrorem temperat, quo excruciare poterat pias mentes Eccleſiæ diminutio, quia admonet non poſſe totum corpus aliter eſſe ſalvum, niſi corruptione inde ablata.

29. *Nempe pudeſient.*] Hebraice ponitur cauſalis particula כי, ſed quæ ſæpe etiam exegetica eſt. Quia autem nihil hic novum dicit Propheta, ſed tantum explicat cauſam interitus qui impios manebat, bene congruere viſa eſt dictio כלה, Nempe. acſi dixiſſet Propheta, nullum illis infeſtius malum fore ſua ſuperſtitione: Idola, inquit, quæ vobis accerſitis in præſidium ſalutis, potius exitium afferent. Quod olim quidam vertunt אלים Deos, refellitur ipſo contextu: quia continuo poſt additur nomen lucorum. Cæterum tam ſub arboribus quam lucis per ſynecdochen fictitios omnes cultus perſtringit. Etſi enim multiplex fuit apud Judæos idololatria, hæc tamen ſpecies inter alias maxime fuit vulgaris, lucos & ſylvas ſibi deligere ad offerenda ſacrificia. Sive autem lucos, ſive hortos ſecundo membro legere placeat, non dubium eſt altaria & ſacella notari, ubi perverſos ſuos cultus erexerant. Etſi enim non erat animus à vero Deo palam deficere, comminiſcebantur tamen novos cultus: & quaſi locus unus aliis Deo magis placeret, eum conſecrabant, ſicuti factum videmus in Papatu. Statim vero ſequitur perſonæ mutatio: quia ut gravior ſit objurgatio, impios ipſos compellat, de quibus loquutus erat in tertia perſona. Porro concupiſcendi verbo, veſanum ſtudium taxat, quo flagrare ſolent impii in ſuis ſuperſtitionibus. Toto animo decebat ardenter ad unum Deum ferri: atqui cæco impetu ad fictitios cultus proſiliunt, non ſecus acſi belluina eos impelleret libido. Imo hic morbus humanis fere ingeniis inſitus eſt, ut relicto vero Deo, ſectandis idolis inſaniant: unde Scriptura furorem hunc ſæpe comparat meretriciis amoribus, qui non modo rationem omnem, ſed pudorem quoque excutiunt. quanquam non ſolam intemperiem notari, ſed vitiandi cultus Dei audaciam, apparet ex ſecundo membro, ubi dicit elegiſſe hortos: quod verbum Legis præſcripto opponitur. Quibuſcunque enim coloribus fucare ſuas ſuperſtitiones conentur increduli, fixum tamen illud
manet, Obedientiam præſtare omnibus victimis. *1 Sam. 15.*
Ideoque Paulus ſub nomine [illegible] complecti- *verſ. 22.*
tur perverſos omnes cultus, quos ſibi abſque Dei *Coloſ. 2.*
mandato fabricant homines. Conqueritur ergo Deus, *verſ. 23.*
contempto ſuo verbo, Judæos propriis figmentis fuiſſe addictos: quaſi diceret, Veſtrum erat mihi obedire, vobis autem cordi fuit libera electio, vel potius effrenis licentia. Atque hoc unum ad damnanda hominum inventa ſatis eſt, quod Dei colendi modum eligere fas non ſit, quia penes ipſum eſt jus man-
dandi. Deus tunc nonniſi Jeroſolymæ juſſerat ſa- *Deut. 12.*
crificia ſibi offerri. aliis locis eum oblectari Judæi *verſ. 13.*
putabant: quod falſum etiam delirium profanas gentes decepit. Atque utinam non longius progreſſum eſſet. ſed videmus ut Papiſtas idem error occupet. denique experientia oſtendit communem hunc ſeculis omnibus eſſe morbum. Si quis excipiat non tantum fuiſſe momenti in loco, ut Deus cultus ſibi paſſim exhibitos tantopere abominari debuerit: primum tenenda eſt ratio, cur ſibi tunc voluerit unum eſſe Altare duntaxat, nempe ut hoc vinculum eſſet ſacræ

unita-

unitatis rudi populo, atque eadem maneret inviolabilis religio. Cæterum, ut ceſſet hæc ſpecialis cauſa, tenendum eſt principium illud, de minimis quibuſque rebus data fuiſſe præcepta, ut Judæi ad obedientiam melius aſſuefierent. Nam quia devotionis colore tegitur ſuperſtitio, fieri vix poteſt, quin ſibi indulgeant homines in ſuis commentis. Atqui quum mater veræ religionis ſit obedientia, ſequitur, electionem hominum eſſe ſuperſtitionum omnium fontem. Addendum hoc quoque eſt: ſicuti ante Jeſaias reprehendit quæ adverſus charitatem, ac ſecundam Legis tabulam regnabant in populo ſcelera: ita nunc de violatione prioris Tabulæ conqueri. Nam quum tota juſtitiæ perfectio in Legis obſervatione ſita ſit, ubi hominum peccata coarguere volunt Prophetæ, nunc de priore, nunc de ſecunda Legis tabula concionantur. Semper autem obſervanda eſt ſynecdochica loquendi forma, dum ſub una ſpecie genus totum comprehendunt.

30. *Eritis certe.*] כי affirmative accipi poteſt, ſicuti verti: & videtur alludere Propheta ad lucos illos quibus Dei cultum perperam alligaverant. Nam quia hortorum meminerat, fiduciam quam in illis locabant exprobrans, ariditatem minatur: Placetis, inquit, vobis in hortis & arboribus veſtris: atqui eritis ut arbores ſiccæ & deciduæ. Deridet ergo Dominus vanam idololatrarum jactantiam, qui mire ſibi blandiuntur in figmentis ſuis: & cælum ſibi patere putant, quum in ceremoniis ſuis verſantur. Ut hodie Papiſtæ quum lampades ſuas accenderunt, & ornarunt templa ſua, quum ſplendent auro & gemmis, quum organa & cymbala pulſarunt, bene beateque ſibi eſſe putant, acſi centies placato Deo nihil jam metuendum eſſet incommodi.

31. *Eritque Deus veſter.*] החסן ſignificat fortem. Hic vero transfertur ad Deum: ac nihilominus ſignificationem ſuam retinet. perinde acſi diceret, Deus qui veſtra fortitudo erat, in ſtuppam convertetur.

Fictor ejus.] Effectorem intelligit: ſed quoniam mentio fit idoli, ſecundum ſubjacentem materiam transferri debet. Aliqui hic reſipiſcentiam ſubindicari exiſtimant: quod ſcilicet idololatræ agnoſcent ſtultitiam ſuam, & pudefacti comburent idola ſua. Sed alius mihi videtur eſſe ſenſus. nam quemadmodum ignis ex arida materia conficitur, cujuſmodi ſtuppa eſt: ita, inquit Propheta, colliget Deus & vos & idola veſtra in unum acervum, veluti quum pyra extruitur, ut una conſumamini. Ut idola ſint veluti ſtuppa, homines vero inſtar ignis: idemque omnes una incendium abſumat.

Nec erit qui extinguat.] Obſervandum eſt Prophetas, quum mentionem faciunt iræ Dei, eam externis ſymbolis repræſentare, eo quod percipi oculis aut ullo alio ſenſu non poſſit. Ira ergo Domini qua delentur impii, comparatur igni, quo omnia abſumuntur. Nunc ſatis perſpicuum eſt quid velit Propheta: nempe impios omnes, qualicunque fiducia præditi ſint, perituros. Imo majus exitium ipſorum fore, quod in res falſas ac inanes fiduciam ſuam locarint: omninoque interitum ipſis adfore, unde ſalutem falſo ſperaverant. Simulachra enim & idola, fomenta ſunt iræ Dei, quibus inextinguibile incendium conflatur.

CAP. II.

VErbum quod vidit Jeſaias filius Amoz ſuper Juda & Jeruſalem.

2. Et accidet in noviſſimo dierum, ut ſtatuatur mons domus Jehovæ in verticem montium, & erigatur ſupra omnes colles: & fluent ad eum omnes gentes.

3. Et venient populi multi, ac dicent, Venite, & aſcendemus in montem Jehovæ, in domum Dei Jacob. Et inſtituet nos in viis ſuis, & ambulabimus in ſemitis ejus. Quoniam è Sion exibit Lex, & verbum Domini è Jeruſalem.

4. Et judicabit inter gentes, arguetque populos multos: & concident gladios ſuos in ligones, & lanceas ſuas in falces: nec levabit gens in gentem gladium, nec conſueſcent ultra prælio.

5. Domus Jacob venite: & ambulabimus in lumine Domini.

6. Certe deſeruiſti populum tuum, domum Jacob: eo quod impleti ſint * Oriente, & auguribus, ut Philiſtæi: atque in filiis alienis acquieverint. * vel, antiquitate.

7. Impleta eſt terra ejus argento & auro, nec finis theſauris ejus. Equis quoque repleta eſt terra ejus, nec quadrigis ejus finis.

8. Impleta eſt etiam terra ejus idolis: & coram opere manuum ſuarum ſe incurvarunt, coram eo quod finxerunt digiti ipſorum.

9. Et inclinatus eſt homo, & humiliatus eſt vir: ideo * ne remittas. * vel, non remittes.

10. Ingredere in petram: abſcondere in pulvere à conſpectu pavoris Domini, & gloria magnificentiæ ejus.

11. Sublimitas oculorum hominis humiliabitur, & incurvabitur altitudo hominum, & exaltabitur Jehova ſolus in die illa.

12. Quoniam dies Jehovæ exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum, & ſuper omne elevatum & humile erit.

13. Super omnes, inquam, cedros Libani ſublimes & elevatos, ſuper omnes quercus Baſan.

14. Et ſuper omnes montes excelſos, & ſuper omnes colles elevatos.

15. Et ſuper omnem turrim excelſam, & ſuper omnem murum munitum.

16. Super omnes naves Tharſis, & ſuper exquiſitas picturas.

17. Et incurvabitur celſitudo hominis, & humiliabitur altitudo hominum, & exaltabitur Jehova ſolus in die illa.

18. Idola autem in univerſum abolebit.

19. Et ingredientur in cavernas petrarum, & in voragines terræ, à præſentia terroris Jehovæ & gloria majeſtatis ejus: quum ſurrexerit ut concutiat terram.

20. In die illa projiciet homo idola ſua argentea, & idola ſua aurea, quæ fecerunt ei ad adorandum, in cavernam talparum & veſpertilionum.

21. Et ingredientur in ſciſſuras petrarum, & cacumina ſaxorum, à facie pavoris Jehovæ & gloria majeſtatis ejus: quum ſurrexerit ut concutiat terram.

22. Ceſſate igitur ab homine cujus in nare ſpiritus. * Qua enim in re ipſe reputatur?

* vel, *ad quid?* vel, *quanti?*

V*Erbum quod vidit.*] Hæc prophetia confirmatio eſt ejus doctrinæ quam paulo ante habuimus de reſtituenda Eccleſia. Nam quum difficile ſit, dum ardet ira Dei, & longe lateque omnia conſumit, vel ejus minæ terrorem incutiunt, quaſi in medio exitio ſpem ſalutis concipere, tunc nudæ promiſſiones ad nos ſuſtinendos & ſedandum pavorem vix ſufficiunt. Ideo ad conſolationem quæ jam lata fuerat, ſpecialem hanc viſionem accedere voluit Dominus vice confirmationis, ut certius firmiuſque teſtatum nobis relinqueret, Eccleſiam ſuam nullis cladibus perituram eſſe. Itaque non dubito quin hæc viſio cum verſu 26. & 27. ſuperioris capitis conveniat. Hinc agnoſcimus quis fuerit uſus ac finis viſionum. Quod enim doctrina interdum per ſe non ſatis apud nos valeat, ideo viſiones addit Deus, quibus doctrinam apud nos ſuam obſignet. Quum ergo connexa ſit hæc viſio cum ſuperiore promiſſione, utilem doctrinam inde colligimus: nempe viſiones quaſcunque ſuis Prophetis olim Deus obtulit, adjungendas eſſe promiſſionibus, ut ſint earum ſigilla. Atque hinc miram Dei bonitatem magis magiſque agnoſcimus, quod non contentus ſimplici verbo, rerum quoque imagines quaſi oculis ſubjiciat. Confirmationem autem adjunxit, quod Eccleſiæ reſtitutio, res magni ſit admodum momenti, & cognitu neceſſaria. Ubi enim veritas Domini, ubi fides, ſi nulla ſit Eccleſia? Nam ſi nulla ſit, ſequitur Deum mendacem eſſe, & falſa quæcunque in verbo extant omnia. At vero ſicuti Deus ſæpe, quod incognitis rationibus abſque hominum ope eam conſervet, memorandis documentis oſtendit: ita hoc nunc idem ſe facturum, nobili vaticinio teſtatur. Ejus autem duplex fuit uſus. Nam quum Jeſaias, & poſt eum quoque alii, nullum territandi finem in obſtinata populi malitia facturi eſſent, donec Templo exuſto, & exciſa urbe, in exilium Judæi traherentur: tanta aſperitas apud fideles aliquo ſpei ſolatio temperanda fuit. Deinde quum in captivitate languerent, ac poſt reditum etiam variæ ſubinde clades animos concuterent, ac tandem horrenda vaſtitas & confuſio deſperatione propemodum obrueret, centies deficere poterant, niſi fuiſſent ſublevati. Inſtauratio autem promiſſa jam collapſos erexit, & conſtantia ſtabilivit, ut ſaltem Dei invocatio, quæ unicum & indubium extremis malis eſt remedium, apud eos vigeret. דבר, alii Rem vertunt, ut generalis eſt vocis hujus ſignificatio: ſed melius eſt pro decreto accipere. Id ſibi Jeſaias ſpeciali viſione patefactum eſſe dicit.

2. *Et accidet in noviſſimo.*] Quum finem vel extremitatem dierum nominat, meminerimus eum de regno Chriſti loqui: atque ſimul tenenda ratio, cur ita regnum Chriſti vocet. Nam uſque ad illud tempus omnia veluti ſuſpenſa erant, ne populus oculos defigeret in præſentem rerum ſtatum, qui umbra tantum fuit: ſed in Redemptorem, per quem exhibenda erat veritas. Poſtquam ergo advenit Chriſtus, ſi tempus illud conferatur cum noſtro, finis ætatum vere in nos incidit. Qui vero tunc vixerunt Patres, eos oportuit velut protenſis brachiis ad Chriſtum contendere. Et quum rerum omnium inſtauratio ab ejus adventu penderet, non immerito hucuſque jubentur ſpem ſuam differre. Semper quidem illis utile fuit cognoſcere perfectiorem ſub Chriſto fore Eccleſiæ ſtatum: præſertim quia ſub figuris detinebantur, & interea variis inclinationibus obnoxii erant: quia Dominus conſulto, ut ſuſpenſos teneret, variis modis expergefacere eos voluit. Sed hujus vaticinii peculiaris fuit circumſtantia: quia per annos quadringentos vel circiter, millies exanimari poterant, niſi in mentem veniſſet dierum plenitudo, in qua Eccleſiæ reſtituenda erat integritas. Ergo prout variis tempeſtatibus fere ſubverſa fuit Eccleſia, quiſque fidelium in ſuo naufragio vocem hanc inſtar tabulæ arripuit, qua uſque in portum enataret. Notandum interea eſt, perfectionem dierum ita cœpiſſe à Chriſti adventu, ut continua tamen ſerie fluat uſquedum rurſus appareat in ſalutem noſtram.

Ut ſtatuatur.] Hæc viſio in ſpeciem ridicula videri potuit: non modo quia Sion colliculus fuit haud alte eminens, acſi quis pauxillum pulveris cum ingentibus montibus contuliſſet: ſed quia paulo ante de ejus ruina concionatus fuerat. Quomodo igitur credibile erat montem Sion, omni dignitate amiſſa, rurſus fore tanto ſplendore nobilem, ut Gentium omnium oculos in ſe converteret? Perinde tamen extollitur, acſi foret Olympo celſior. Jactent, ut voluerint Gentes, ſuos præcelſos montes: nihil enim futuri ſint præ iſto colle, quamvis abjecto & humili, inquit Jeſaias. Hoc certe ſecundum naturam veriſimile non erat. Quid? an Sion ſuſpendetur in nubibus? ideoque ab impiis hoc deriſum fuiſſe dubium non eſt: quando ſemper parata eſt impietas ad laſciviendum adverſus Deum. Jam circumſtantia quam attigi, fidem abrogabat vaticinio. Qui enim, poſtquam exciſo Templo cum ſummo dedecore conciderat, tam repente ſurgere potuit? Non eſt tamen fruſtra vaticinatus Jeſaias. Hic enim collis tandem ſupra omnes montes vere evectus eſt: quoniam inde audita eſt vox Domini, ac per totum orbem detonuit, quæ nos in cælum uſque erigeret: hinc refulſit cæleſtis Dei majeſtas: denique quum eſſet Dei ſacrarium, præſtantiæ altitudine totum mundum ſuperavit. Eſt autem notandus Prophetiæ uſus: quod ſcilicet conſolationem afferre voluit Jeſaias, quæ in captivitate, populi animos fulciret: ut quamvis nullum extaret templum, nulla ſacrificia fierent, diruta jacerent omnia, vigeret tamen ſpes iſta in animis piorum: atque in tanta vaſtitate, tamque deformibus ruinis hæc animo conciperent, Mons quidem Domini deſertus eſt, ſed adhuc in ea ſedem habebit: majorque erit hujus montis gloria, quam cæterorum omnium. Ne ergo id futurum dubitarent, Propheta ipſis velut tabulam hic depinxit, in qua Dei gloriam intuerentur. Nam etſi mons extabat, fuit tamen fœda ſolitudine fere deteſtabilis, poſtquam à Deo deſertus decorem ſuum perdiderat. Pios autem non ruinas illas, ſed viſionem hanc ſpectare oportebat. Porro cur tam magnifice loquatur de exaltatione montis Sion, ſatis apparet ex ſequentibus: quoniam illinc manavit Euangelium, in quo refulget imago Dei. Montes enim alii poterant altitudine ſuperare: ſed quia gloria Dei præeminet, montem etiam in quo patet, eminere neceſſe eſt. Montem ergo Sion per ſe non prædicat, ſed cum ſuo ornatu: quo etiam univerſus orbis illuſtrandus erat.

3. *Et venient populi.*] Proximo verſu breviter attigerat, unde tanta monti Sion nobilitas, quod ſcilicet futurus eſſet ad eum concurſus omnium gentium, acſi fluvii magna aquarum copia decurrerent: nunc idem plenius declarat fine addito. Quæri enim poterat, quorſum turmatim ex terris longinquis illuc confluerent diverſi populi: dicit ergo ſtudium Dei colendi illis in cauſa fore. Subeſt autem in voce רבים, antitheſis: quia ſignificat non unam tantum

fore

ſore gentem ut olim, quæ vero Deo colendo ſe addicat, ſed qui prorſus alieni fuerant, venturos in eundem religionis conſenſum. acſi diceret, undequaque colligendam eſſe Eccleſiam, quæ prius velut in angulo concluſa fuerat. Itaque Multos, pro Diverſis poſuit: quia haud dubie extenuare noluit quod nuper dixerat de cunctis gentibus. Cæterum, quamvis nunquam hoc impletum fuerit, ut totius orbis populi, relicta quiſque patria, in Judæam concederent: quia tamen Euangelii doctrina, qua ſibi Deus Eccleſiam collegit promiſcue ex toto mundo, prodiit ex monte Sion, merito illuc venturos eſſe dicit, qui uno fidei conſenſu fœdus æternæ ſalutis amplexi, coaluerunt in unam Eccleſiam. Tenenda eſt etiam analogia inter Legales figuras, & ſpiritualem cultum, qualis eſſe cœpit à Chriſti adventu.

Et dicent, Venite.] His verbis primum exprimit tanto ſtudii ardore præditos fore pios ad propagandam pietatis doctrinam, ut ſua quiſque vocatione & privata notitia non contentus, alios ſecum trahere appetat. Et certe nihil à fidei natura magis remotum hoc torpore, ſi quiſque poſthabita fratrum cura, lumen ſcientiæ intus ſuffocatum premat. Et ut quiſque prior aliis vocatus eſt, ita ſedulo incumbere debet, ut aliis præluceat. Atque hæc ordinaria eſt colligendæ Eccleſiæ ratio, nempe per externam hominum vocem. Etſi enim ſingulos poſſet Deus arcano afflatu adducere, homines tamen adhibet miniſtros, ut eos in ſollicitudine mutuæ ſalutis exerceat. Hoc etiam modo conciliat eos melius inter ſe, & experimentum docilitatis capit, dum alii ab aliis regi ſuſtinent. Deinde oſtendit Jeſaias, quicunque docendi & exhortandi partes ſibi ſumunt, non debere ſedendo aliis præcipere, quin ſe adjungant ſimul comites, ut unanimes ambulent: ſicuti videmus quoſdam ſeveriſſimos eſſe magiſtros, & ſtrenuos impulſores, qui tamen interea pedem non movent. Atqui hic non imperant fideles fratribus, Aſcendite: quin potius viam præmonſtrant ſuo exemplo. Quare hæc vera utiliter docendi ratio eſt, dum reipſa præſtando quod exigimus, palam facimus nos ſerio & ſincere loqui.

Inſtituet nos in viis ſuis.] Primo oſtendit non rite coli Deum, niſi præluceat doctrina. deinde Eccleſiæ unicum doctorem eſſe Deum, à cujus ore pendere nos decet. Unde ſequitur, nihil minus Deo placere, quam ſtultas & vagas devotiones, ut loquuntur. Deinde quamvis utatur hominum opera in docendo, hoc tamen ſibi retinere proprium, ne quid præter verbum ſuum proferant. Hanc regulam ſi ſequuti eſſent quicunque ſe vocabant Eccleſiæ doctores, non tam fœde immenſa & confuſa ſuperſtitionum varietate corrupta fuiſſet religio. Nec vero aliter fieri poteſt dum circumagimur hominum placitis, quin diſtrahamur per varios errores. Merito itaque Jeſaias jus & officium docendæ Eccleſiæ uni Deo vendicans, ora obſtruit cunctis mortalibus. Docendi vero munus non in alium finem Paſtoribus mandari, niſi ut ſolus Deus audiatur. Qua ſententia ſe cogi in ordinem patiantur quicunque ſe probare volunt Dei miniſtros, ne quid ejus magiſterio derogent. Ad verbum eſt, Docebit nos de viis ſuis: quod tantundem valet ac, Docebit nos qualeſnam ſint viæ ſuæ, aut vias ſuas perfectæ doctrinæ loco proponet. Poſtea adjungit obedientiam, dicens, Ambulabimus in ſemitis ejus: quo finem ſimul & fructum denotat. Neque enim ſpeculativa doctrina nobis traditur ex ore Dei, ſed quæ vitæ noſtræ curſum dirigat, ac nos formet in ejus obſequium. ſed iterum notandum eſt, vias & ſemitas vocari Dei præcepta, ut ſciamus miſere aberrare qui vel minimum ab illis deflectunt. Ita coërcetur omnis licentia, & cunctis à minimo uſque ad maximum præſcribitur docilitatis regula, ut ſe contineant ſub Dei verbo.

Quoniam è Sion exibit Lex.] Explicatio eſt ſuperioris verſiculi, quo dicebat montem Sion ſupra omnes montes collocandum eſſe: tunc ſcilicet in ſummum honoris faſtigium evectum iri, quum erit fons ſalutaris doctrinæ, quæ in totum mundum exundet. Le- *Supr. 1.*
gem nominat: ſed alibi diximus de etymologia hujus *verſ. 10.*
nominis. תורה enim doctrinam ſignificat, quam omnium perfectiſſimam Lex continet. Itaque Prophetico more loquitur. nam quum à Lege petenda eſſet pietatis regula, per ſynecdochen ejus nomine totam doctrinam Dei comprehendere ſolebant: quemadmodum etiam ſub Altaris nomine, cultum Dei. Porro vaticinium hoc quum ſciamus impletum
fuiſſe, quum illinc initium cepit prædicatio Euan- *Luc. 2.*
gelii, (Chriſtus enim primum Jeroſolymæ docuit: ac *verſ. 46.*
deinde per univerſum orbem manavit ejus doctrina) *Marc. 16.* *verſ. 15.*
Legis nomen reſtricte accipere non convenit, quæ *Eze. 47.*
potius abrogata tunc fuit, quoad figuras & ſervile *verſ. 1.*
jugum. Unde colligimus indefinite transferri ad Dei *Luc. 24.*
ſermonem. Et Prophetæ ubi dicunt orituras aquas *verſ. 47.*
ex Templo quæ irrigent totum orbem, metaphorice ea demonſtrant quæ hic ſimpliciter docet Jeſaias: nempe originem doctrinæ ſalutaris ex eo loco fore. Inde enim Apoſtoli & reliqui Doctores Euangelium in totum orbem ſparſerunt. Eſt autem obſervanda ratio cur hæc dixerit Propheta: nempe, ut pios confirmaret adverſus mutationes varias, quæ animos eorum centies alioqui frangere potuiſſent. Ideoque offendiculis occurrere, & piorum animos munire operæpretium fuit: Qualiſcunque ſit rerum veſtrarum ſtatus, & undique vos ærumnæ opprimant, hoc tamen certiſſima ſpe expectate, Legem egreſſuram è Sion, & verbum Domini è Jeroſolyma. hoc enim inviolabile Domini decretum eſt, quod nulla varietate temporum aut mutatione irritum erit. Quam neceſſaria fuerit piis hæc conſolatio, facile colligitur ex temporum ratione quæ deinde ſequuta eſt. Deſerta enim Judæa, diruto Templo, everſo cultu Dei, & deleta prorſus Eccleſiæ forma, invaleſcente gravi tyrannide, debilitari animos, omnemque ſpem abjici facile erat. Rurſum quum reductis è Babylone Judæis, horrendæ paulatim ſuperſtitiones invaluiſſent, & Sacerdotes legitimæ adminiſtrationis loco impiam tyrannidem uſurpaſſent: quid piis in mentem venire poterat, niſi concidiſſe religionem, actum eſſe de cultu Dei, niſi ipſos hæc promiſſio ſublevaſſet? Nec enim dubium, hanc quæ ex inteſtinis vitiis accidit tentationem, exilio Babylonico fuiſſe graviorem. Quamdiu exulabant, ſaltem erant eis Prophetæ, quorum doctrina erigebantur: in ea vero corruptela, ademptus erat doctrinæ fructus, nec ulla pietatis aut religionis ratio habebatur. ſed ſola hujus vaticinii fultura opportune ſuſtinuit eos Dominus. Quid enim Lex, propria ſua ſede quam illi conſecraſſe Deus videbatur, dejecta & fœde profanata erat? Quis ergo putaſſet non ibi modo illi fore locum, ſed etiam ubique in locis externis & longiſſime diſſitis regnaturam? Propheta ex adverſo non modo ſtaturam ſuo loco Legem pronunciat: ſed longius exituram. quo ſignificat non amplius circumſcriptum iri priſtinis cancellis: quia Gentibus promiſcue ſit publicanda. Et certe plurimum apud Apoſtolos auctoritatis & ponderis hoc habuit, quum ſe ad ea quæ hic promittuntur præſtanda, ordinatos eſſe intelligerent. Alioqui nunquam ſubire provinciam auſi fuiſſent, nunquam ad pergendum fuiſſent ſatis animati, nunquam denique pares fuiſſent oneri ſuſtinendo, quum præſertim totus orbis furioſe ipſis reſiſteret. Sed intelligebant eum à quo hoc promiſſum, & mandata hujus nuncii perferendi provincia fuerat, omnes difficultates facile ſuperaturum. Obſervandum quoque magnam hinc fidei noſtræ confirmationem accedere, quum audimus doctrinam Euangelii è Sion prodiiſſe: quia inde colligimus non eſſe novam aut nuper ortam: ſed æternam eſſe Dei veritatem, de qua ſeculis omnibus teſtimonium extitit priuſquam in lucem prodiret. Colligimus etiam oportuiſſe abrogari

gari veteres omnes ceremonias, & novam docendi
formam exoriri, quamvis eadem doctrinæ ſubſtan-
Exod. 19. tia remaneat. Nam Lex olim è monte Sina prodiit:
verſ. 20. nunc è Sion. Ergo novam formam induit. Duo igi-
tur animadvertenda ſunt: primum, doctrinam Dei
eandem eſſe, & ſui perpetuo ſimilem: ne quis Deum
variationis arguat, quaſi parum ſibi conſtet. Cæte-
rum quamvis ſit nunc Lex Domini eadem quæ fuit,
tamen cum nova veſte prodiit è Sion: deinde abro-
gatis ceremoniis & umbris patefactus eſt Chriſtus,
in quo earum veritas deprehenditur.

4. *Et judicabit inter populos.*] Doctrinam ſignifi-
cat inſtar regis ſceptri fore, ut Deus inter omnes po-
pulos emineat. Nam verbum judicandi Hebræis per
ſynecdochen pro gubernare vel regere accipitur.
Quia ergo Deus populum unum duntaxat ſuo im-
perio regendum ſuſceperat, Propheta hic docet am-
pliandos eſſe regni fines, ut diverſis gentibus præſit.
Diſcrimen etiam tacite notat inter umbratile Davi-
dis regnum, & hoc alterum quod longe excellentius
futurum erat. Tunc ergo præfuit Deus electo po-
pulo per manum Davidis: Chriſti vero adventu per
ſeipſum regnare cœpit, nempe in perſona unige-
1 Tim. 3. niti Filii, qui vere Deus eſt manifeſtatus in carne.
verſ. 16. Exprimunt quidem interdum Prophetæ Davidis no-
Jer. 30. men ubi de regno Chriſti agitur, & merito, naturæ
verſ. 9. ſcilicet humanæ reſpectu: quia Redemptor ex illa
Eze. 34. familia promiſſus erat: ſed hic divina ejus majeſtas
v. 23.24. extollitur. unde patet quanto præſtantior ſit novæ
& 37.
v. 24, 25. Eccleſiæ conditio quam veteris, ex quo Deus rex
apparuit in Filio ſuo. Atque iterum Gentium voca-
tionem confirmat, quia non ſolis Judæis deſtinatur
Chriſtus, ut inter eos regnet, ſed ut juriſdictionem
ſuam obtineat in toto mundo.

Arguetque populos.] Verbum הוכיח aliquando ex-
poſtulare ſignificat, aliquando corrigere, item præ-
parare: ſed huic loco recepta interpretatio optime
convenit, ubi de Eccleſiæ reformatione loquitur
Propheta. Correctione enim opus eſt, ut Deo nos
ſubjicere diſcamus. nam pro ingenita nobis contu-
macia, nunquam proficiemus in verbo Dei, niſi
Joan. 16. violenter ſubacti. Ideo & Chriſtus hinc facit ini-
verſ. 8. tium prædicandi Euangelii, ut arguatur mundus de
peccato. Ergo ne profectu careat doctrina, docet
Jeſaias frangendam eſſe carnis noſtræ contumaciam:
ideoque partes judicis arguentis aſſignat Deo, ut
vitam noſtram examinet: vitiaque noſtra damnando,
mores noſtros reformet in melius. Et ſane videmus,
ut frigeat Euangelium, niſi ubi viget illa Spiritus
juriſdictio, quæ homines ad pœnitentiam adducat.

Et concident gladios.] Subjicit fructum qui inde
ſequetur, quum Chriſtus Gentes & populos ſub im-
perium ſuum redegerit. Pace nihil optabilius: ſed
dum omnes ſe fingunt appetere, inſanis cupiditati-
bus eam quiſque perturbat. ſuperbia enim & avari-
tia & ambitio faciunt, ut crudeliter alii in alios in-
ſurgant. Ergo quia naturaliter ad tumultuandum
ſuis libidinibus feruntur homines, hujus mali corre-
ctio hic ab Jeſaia promittitur: quia ſicut Euange-
2 Cor. 5. lium doctrina eſt reconciliationis, quæ diſſidium tol-
verſ. 18. lat inter nos & Deum, ita homines inter ſe pacificat
& tranquillat. Summa eſt, populum Chriſti man-
ſuetum fore, & depoſita ferocia, pacis ſtudio addi-
ctum. Inepte quidam hoc reſtringere voluerunt ad
tempus quo Chriſtus natus eſt: quia tunc poſt Actia-
cam pugnam clauſum fuerit templum Jani, ut pa-
tet ex hiſtoriis. Libenter quidem recipio pacem
illam quæ naſcente Chriſto univerſalis fuit in Ro-
mano imperio, ſymbolum fuiſſe pacis æternæ, cu-
jus in Chriſto potimur. ſed aliud voluit Propheta:
nempe Chriſtum ita reconciliare homines Deo, ut
etiam inter ipſos pacatis exitialibus turbis, pax ſalu-
taris conſtet. Nam ſi tollatur Chriſtus, non tantum
abalienati ſumus à Deo, ſed apertum aſſidue bellum
cum eo gerimus, quod juſte in capita noſtra retor-
quet: unde fit, ut turbulenta ſint omnia in mundo.
Porro diſſidiis pacandis optimum fore remedium
promittit Jeſaias, ubi Euangelium promulgabitur:
neque id modo, ſed ut abolitis odiis ad mutuam opem
ferendam propenſi ſint. Non enim ſimpliciter dicit,
Conterentur gladii: ſed, Vertentur in ligones. quo
demonſtrat talem mutationem futuram, ut quum
antea alii alios vexarent, variiſque injuriis afficerent,
deinceps pacem & amicitiam colant, operaſque ſuas
conferant in communem omnium utilitatem. Ligo-
nes enim & falces inſtrumenta ſunt apta agricultu-
ræ, quæ hominum vitæ utilis ac neceſſaria eſt. Oſten-
dit igitur, ubi regnabit Chriſtus, illic etiam ultro ci-
troque benevolentiæ officiis certaturos, quos prius
nocendi cupiditas huc illuc raptabat.

Neque aſſueſcent ultra prælio.] למד ſignificat vel
Conſueſcere, vel diſcere. Senſus vero Prophetæ ſa-
tis perſpicuus eſt, quod non exercebunt ſe artibus
noxiis: nec maleficiis & injuriis inter ſe certabunt,
quemadmodum antea ſolebant. Hinc colligimus pa-
rum profeciſſe in Euangelio, quorum animi ad man-
ſuetudinem revocati non ſunt, atque inter quos
nondum ita prævalet charitas, ut ſeſe mutuis officiis
proſequantur. Hoc autem fieri non poteſt, priuſ-
quam pacatæ fuerint coram Deo conſcientiæ. Nam
illinc initium faciendum, ut pace etiam cum homi-
nibus fruamur. Inſani quidam hunc locum detor-
quent ad ἀναρχίαν, acſi jus gladii omnino adimeret Ec-
cleſiæ. Inde etiam multo gravius damnant bella
omnia. veluti ſi quis Princeps populum ſibi commiſ-
ſum defendat & tueatur ab injuria: Nefas, inquiunt,
eſt Chriſtianis uti gladio. Sed facilis admodum re-
ſponſio eſt: nam Propheta metaphorice loquutus eſt
de regno Chriſti, ipſum pacificum eſſe oſtendens, ut
mutua benevolentia homines inter ſe conciliet. Me-
taphora enim frequens eſt Scripturis, qua res per
ſignum deſignatur: quemadmodum in illo loco, Qui Luc. 22.
non habet gladium, emat. Chriſtus certe nolebat verſ. 36.
ſuos ad arma excitare, ſed belli tempus inſtare ſigni-
ficabat. Ita rurſum ceſſare dicuntur gladii, vel con-
flari in diverſum uſum, quum ceſſent odia, pugnæ,
& inter ſe concilientur qui inimici prius erant. Ex-
cipiet quiſpiam, in concordia & pace nullum quoque
fore gladii uſum. Reſpondeo, eatenus vigere inter
nos pacem, quatenus floret Chriſti regnum: & eſſe
his duobus mutuam inter ſe proportionem. Utinam
quidem ſolide in nobis regnaret Chriſtus: tunc quo-
que pax vim ſuam in ſolidum obtineret. Sed quum
longe adhuc abſimus à perfectione pacifici iſtius re-
gni, de profectu ſemper cogitandum eſt. Ac nimis
inepti ſunt, qui non cogitant regnum Chriſti hic
tantummodo inchoari. Præterea non colligit Deus
Eccleſiam, id eſt, cœtum piorum, ut ſeparatus ſit ab
aliis: ſed boni malis ſemper admixti ſunt. Quin etiam
boni nondum ad metam pertigerunt; longeque ab-
ſunt ab ea perfectione quæ in iis deſideratur. Non eſt
igitur in terris quærendum complementum hujus
Prophetiæ. Satis eſt ſi initia guſtemus, & conciliati
Deo per Chriſtum, mutuam amicitiam colamus, &
abſtineamus ab omni noxa.

5. *Domus Jacob.*] Acriter Judæos perſtringit
propoſito Gentium exemplo. Nam quum propagato
ſuo regno, Deus cunctis Gentibus jura dicturus eſſet
è monte Sion, ut eas inſereret in corpus electi po-
puli: nihil abſurdius erat quam domum Jacob ab eo
deficere, & accedentibus exteris, domeſticos ipſos
recedere, quos præire decebat. Hæc igitur non
modo plena vehementiæ exhortatio eſt, ſed gravis
etiam & mordax querimonia. Ideo compellat eos
honorifico nomine: Domus Jacob, inquit, venite:
ut magis ingratitudinem amplificet, quod quum
eſſent in Eccleſia Dei primogeniti, ſe tamen prorſus
abdicabant communi hæreditatis jure. ſubeſt itaque
tacita comparatio, acſi dixiſſet, En Gentes confluunt
ad montem Sion, & quiſque proximum ſuum hor-
tatur

tatur & incitat: ſubjici ſe doctrinæ Dei patiuntur, & ab ipſo argui: quid vos Iſraëlitæ, vos hæreditas Dei quid ceſſatis? An Gentes ſe ſubjicient Deo, vos ejus imperium detrectabitis? Tanta lux per omnes orbis partes accenſa eſt, nec ea illuſtrabimini? tot aquæ defluent, vos non bibetis? Quæ eſt iſta vecordia, [quum] ita properant Gentes, vos otioſe deſidere? & quum addit Ambulabimus, ſignificat lucem ipſis ante pedes propoſitam eſſe, quam clauſis oculis prætereunt, imo extinguunt quantum in ſe eſt: cujus tamen fulgor longinquas gentes ad ſe trahit.

6. *Certe deſeruiſti populum.*] Hic jam aperte perverſam populi naturam accuſat: neque id ſimpliciter, ſed quaſi in admirationem raptus orationem ſuam præcidit, ſeque ad Deum convertens, exclamat, Quid ego verba faciam apud deploratum populum? quem tu, Domine, juſte repuliſti, quia ſe idololatriis addicens, perfide à verbo tuo deſcivit. Poteſt etiam eſſe vaticinium futuræ pœnæ, quam ſpiritu prævidebat: acſi diceret, nihil mirum eſſe, ſi ruina & vaſtitas immineat monti Sion ob tanta populi ſcelera: ne tam lugubre ſpectaculum interea deſperationis cauſa eſſet: & quicunque erant ſanabiles, pœnitentia tacti, ante eventum hujus cladis ad Deum ſe converterent. Sic enim Prophetæ divini judicii præcones eſſe, atque impiis ultionem denunciare ſolent, ut ſimul ſtudeant quoſcunque poſſunt, ad reſipiſcentiam aliquam adducere. Nec enim hunc affectum unquam exuere debent ſervi Dei, ut ſtu-
2 Tim. 2. verſ. 25. deant etiam reprobis prodeſſe, ſi quo modo fieri poſſit. Eximiam conſolationem piis doctoribus afferre debet hic locus. Quum enim videmur apud ſurdos verba facere, labaſcimus, atque ad defectionem ſollicitamur: Quid ago? aërem verbero. Atqui Propheta non deſinit eos hortari, in quibus nihil bonæ ſpei animadvertebat. Sicque obſtupeſcit in hoc populi exitio, ut quem ruere videt, nihilominus alloquatur. Simul obſervandum eſt, quamlibet obſtinati ſint impii, illis declarandam eſſe ultionem: & quantumvis refugiant frenumque arrodant, ut inexcuſabiles reddantur, ſemper ad Dei tribunal citandos eſſe. כי, pro Certe hic accipio. Hæc enim ſignificatio melius quadrat, quoniam cœptam exhortationem abrumpit, & Deum alloquitur. Et quando rurſus vocat *domum Jacob*, hoc ad majorem vehementiam additum eſt, ut in oratione pathetica fieri ſolet. acſi diceret, Hæc gens ſancta quam Dominus elegerat, nunc derelicta eſt.

Quoniam impleti ſunt.] Quoniam vox קדם Hebræis nunc eſt Oriens, nunc Antiquitas, poſſet ſtare hæc interpretatio, impletos eſſe priſcis moribus, quod ſuperſtitiones quibus olim infecta fuerat terra Chanaan, in uſum revocaſſent. Scimus enim Prophetas ſæpe exprobrare populo Iſraël, quod magis ſimiles eſſent Chananæis, quam Abrahæ & reliquis ſanctis Patribus. Et certe quia ejectis veteribus incolis, adducti in ejus terræ poſſeſſionem fuerant, ut purgata ſuis inquinamentis ſanctitati poſtea addicta eſſet, non mutare perverſos mores duplex fuit ingratitudo. Quia tamen alter ſenſus receptior eſt, eum retinere placuit. Quanquam hic quoque variant interpretes: quia alii comparative accipiunt literam מ, præ Orientalibus, vel pluſquam Orientales. ſimplicius alii, & meo judicio rectius, vertunt repletos eſſe Oriente, hoc eſt, vitiis quæ inde contraxerant: ſicuti mira eſt contagio pravæ imitationis, nec quicquam proclivius quam ut corruptelæ ab uno loco longius ſerpant. Et quod proxime ſequitur, *Auguribus ut Philiſtæi*, clarius idem explicat. Nam ſub auguriis, per ſynecdochen complectitur Satanæ fallacias, quibus deditæ erant profanæ gentes. Intelligit ergo Propheta nihil eos jam à Philiſtinis differre, à quibus tamen Deus adoptionis ſuæ privilegio ipſos ſegregaverat. Atque hoc ad graviſſimam condemnationem ſatis fuit, quod ſuæ vocationis obliti, corruptis & impiis Gentium moribus ſeſe polluerint. unde apparet quam nihil juvet ad levandam culpam alieno exemplo peccare. Poſtrema etiam pars verſus varie exponitur: quia Filios alienos quidam metaphorice trahunt ad leges & inſtituta: alii ad conjugia referunt, quod alienigenas uxores promiſcue ducendo, promiſcuerant ſemen, ut multi eſſent adulterini filii. Durior Hieronymi expoſitio, quod ſe fœdarint contra naturam nefandis libidinibus. Ego vero non dubito Filios alienos accipi pro exteris gentibus: non autem figurate pro legibus ipſis. Crimen itaque in eo ſtatuitur à Propheta, quod Gentium gratiam captantes, earum ſe vitiis implicuerint: atque ita non modo mortales, ſed impios Deo prætulerint. Dicit autem *acquieviſſe*, eo quod ſceleſtæ imitationis cupiditas, vel delectatio deleverit ex eorum cordibus amorem Dei & ſanæ doctrinæ.

7. *Et impleta fuit.*] Animadvertendus eſt ordo quem tenet hic Propheta: cauſas enim nunc recenſet, ob quas Dominus populum ſuum rejecit. incepit proximo verſu ab auguriis & moribus alienigenarum, jam deſcendit ad aurum & argentum: poſtea loquetur de equis & quadrigis. Non dubium eſt quin damnata prius idololatria, ſecundo loco avaritiam, tertio pravam confidentiam reprehendat, ubi homines ſibi extra Deum vana præſidia conſtituunt. Per ſe enim damnandum non eſt, quod auro & argento abundaret: ſed quoniam inſatiabili avaritia ardebat, equiſque & quadrigis confidebat, merito ipſum reprehendit. ו, hic pro adverſativa particula quidam accipiunt: ut ſit ſenſus, Et tamen abundat argento, &c. Ut majorem populi ingratitudinem eſſe oſtendat: quod quum bonis omnibus afflueret, confugeret tamen quaſi rebus deſperatis, ad artes magicas & idola: quod multo minus excuſari poteſt, quam ſi rebus adverſis ad ea confugiſſet, vel ſaginatus bonorum copia, Dei tamen jugum excuteret. Hoc modo amplificaret ſcelus populi gratis & ſponte ad idola confugientis, vel laſcivientis in ſua pinguedine. Ego tamen interpretationem non admitto, quod videatur nimis coacta. Potius uno contextu enumerat vitia, quibus populus laborabat: avaritiam, perverſam fiduciam, & idololatriam. Ergo quamvis vera ſit illorum ſententia qui adverſative exponunt, huic loco non convenit. Et paulo poſt clarius iterum confirmat Jeſaias: etſi enim per ſe vitioſum aut reprehendendum non eſt, ſi quis aurum aut argentum poſſideat, modo eo recte utatur: merito contra pravum illum affectum, & inſanam cupiditatem coacervandæ pecuniæ invehitur, ſicut deteſtanda eſt. finem non eſſe dicit, quia inexplebilis eſt eorum cupiditas, qui naturæ modum excedunt. Idem de equis & quadrigis cenſendum eſt. falſa enim fiducia hic reprehenditur. Huic malo ut occurreret Do- Deut. 17. verſ. 16.
minus, vetuerat ne Reges magnam equorum aut quadrigarum multitudinem ſibi compararent: ne iis confiſi, populum reducerent in Ægyptum. Quum ergo difficile ſit homines hujuſmodi adjumentis abundare, quin ſimul efferantur ſuperbia, Dominus volebat populum ſuum iis deſtitui, vel ſaltem mediocritate contentum eſſe.

8. *Impleta eſt etiam terra ejus idolis.*] Repetit quod nuper attigerat de idololatria, ſed explicatius: ac materiam priore quidem loco ponit: deinde uſum, qui fere ſemper conſequi ſolet. Raro enim contingit erigi idola inter nos, quin ſimul iis abutamur. Nam perinde eſt acſi congeſto ligno ſubjiciatur flamma, quam protinus ardere neceſſe eſt. Neque enim minus quam lignum ad concipiendum ardorem, nos quoque ad ſuperſtitionem ſumus proni. Idolis etiam nomen apud Hebræos recte impoſitum eſt אלילים, quo hic utitur Propheta: quia res ſint inanes ac nihili. Nec dubium eſt, quin Spiritus ſanctus hac voce coarguere voluerit hominum veſaniam, qui ſe pu-

tabant

tabant talibus figmentis adjutos propius ad Deum accedere: ſicut hodie Papiſtæ, ut ſua idola ab utilitate commendent, jactant libros eſſe idiotarum. Sed elogio Spiritus ſancti magis credendum eſt. & res etiam ipſa clare docet quid fructus inde percipiant idiotæ. Craſſis enim imaginationibus deluſi, fingunt ſibi terrenos deos & carnales. Unde merito Jeremias non modo pronunciat vana eſſe ſimulachra, ſed decipulas falſitatis ac mendacii. *Jer. 10. verſ. 14.* Ac obſervanda eſt deſcriptio, ubi commemorat Propheta, populum ſe incurvaſſe coram operibus manuum ſuarum. Cujus enim ſtuporis eſt, homines non tantum venerari lignum & lapidem Dei loco, ſed figmenta ſua Deitate ornare, quam ſibiipſis dare nequeunt? Horribile ſane prodigium eſt, ſimulac trunco qui contemptus jacebat, manum appoſuit mortalis homo, repente adorari, acſi factus eſſet Deus. Etſi autem populum veterem alloquitur Propheta, eadem tamen ratio in Papiſtas competit, apud quos nulla eſt Dei majeſtas, niſi in operibus manuum ipſorum. Repetitio emphatica eſt, ubi Manibus adjungit Digitos: quo magis patefiat tam craſſum flagitium. Notanda quoque loquutio eſt, qua exprimitur adoratio ab externo geſtu: non quod inter homines nefas ſit genu flectere vel caput, politici honoris cauſa: ſed quia divinum cultum profitetur quiſquis ſe coram idolo inclinavit. Itaque quod de adoratione *δουλείας* Papiſtæ balbutiunt, puerile effugium eſt, quando quodlibet reverentiæ ſignum, ubi de religioſo cultu agitur, in genere damnet Propheta.

9. *Et inclinatus eſt homo.*] Pars interpretum uno contextu hoc legit, acſi pluribus verbis crimen aggravaret Propheta: quem ſenſum ſi amplectimur, per Hominem & Virum cunctos Iſraëlitas intelligere conveniet: quaſi diceret neminem eſſe immunem & purum ab hac labe. Alii vero non male exiſtimant repeti aliis verbis quod de pœna dixerat, atque hoc modo exprimi qualis populum à Deo derelictum maneat exitus. atque ita optime quadrabit orationis tenor, ruinam omnibus inſtare, tam parvis quam magnis, quæ totum populum proſternat: quia in tanta impietate, nulla vindictæ Dei ſperanda ſit remiſſio. Porro in duobus iſtis verbis concinna alluſio eſt ad incurvationem, cujus paulo ante meminit. quaſi diceret, Humiliarunt ſe coram idolis: Deus ergo ſub ingenti cladium mole eos humiliabit. Interea mihi dubium non eſt, quin ſimul eorum arrogantiam refutet, quia difficile creditu fuit, populum tantis opibus probe munitum, malis paulo poſt obrutum iri. Poſterius membrum bifariam exponitur, quanquam ad ſummam rei non multum intereſt, utrumvis eligas ſenſum. Nam Prophetæ conſilium eſt docere, erga tam obſtinatos homines implacabilem fore Deum. Si in futuro legas, Non remittes eis, facilior erit ſententia. Imprecatio tamen eodem recidet, Ne remittas: quia ſcimus Prophetas quoties zelo Dei accenſi imprecationes proferunt, quaſi dictante Spiritu, denunciare impiis juſtam pœnam. Nec mirum eſt Prophetam tot & tam abominandis criminibus offenſum ſic incaleſcere, ut gentiles ſuos devoveat exitio, quando nihil ei ſacro Dei honore fuit pretioſius. Sed tenendum ſimul eſt, reliquias tacite excipi, quia non de ſingulis hic habetur ſermo, ſed de ipſo corpore populi, quod in ſuis vitiis fere contabuerat, ut ſanitatis nulla ſpes eſſet: alioqui abſurdum eſſet, incurabiles & prorſus obſtinatos hortari ad pœnitentiam, ſpe veniæ propoſita. Summa igitur eſt, non ante ſperandam inſtaurationem novæ Eccleſiæ, quam Deus exciſo Templo, judicium ſuum exequutus ſit.

10. *Ingredere in petram.*] Quia nimis ſecure contra Dei minas ſibi ut plurimum indulgent impii, ſolenne eſt Prophetis, dum minantur peccatoribus, incutiendi terroris cauſa vivas deſcriptiones addere, acſi in rem præſentem homines ipſos adducerent. Hæc ratio eſt cur nunc Propheta Dei contemptores jubeat rupes & ſpeluncas ingredi, ut ſub terra lateant. Ac primo quidem ſignificat præ centum mortibus formidabile eſſe Dei judicium, cujus fugiendi cauſa optabilis ſit deſcenſus in ſepulchrum. Sed homines ipſos compellans, gravitatem vindictæ Dei magis emphatice illuſtrat. Etſi autem per D[illegible] pavorem flagella intelligit, quibus ſceleratum populum ulturus erat Deus, non tamen fruſtra mox adjungit gloriam ejus magnificam. acſi diceret, Deum pro menſura gloriæ ſuæ metuendum eſſe impiis: in quibus perdendis immenſam ſuam potentiam exeret. Cæterum quamvis nulla pœna flectantur vel corrigantur impii, ad præſentem iræ Dei ſenſum expaveſcere coguntur. Electos alio modo ad Dei metum erudiunt pœnæ: quia ferulis domiti, ad ferendum jugum aſſueſcunt. Gloriam ergo Dei illuſtrem fore pronunciat Jeſaias, ubi juſtus judex apparuerit: quia ubi diſſimulat, in obſcuro latet, nulluſque propemodum videtur eſſe. Atque hinc diſcant Paſtores, quomodo agendum ſit cum ſopitis conſcientiis, nempe ut Dei judicio expergefactæ, ſerio metuant Dei judicium. Etſi enim ſæpe canitur ſurdis, penetrat tamen vel in ferreos animos terror, ut ſint inexcuſabiles: ſæpe etiam aliquos ſanari contingit: & fideles auditis quæ impios & reprobos manent atrocibus pœnarum exemplis, ſimiliter proficiunt.

11. *Sublimitas oculorum.*] Quoniam impii præſenti opulentia, quiete, proſpera fortuna confiſi ex alto deſpiciunt Prophetarum minas, atque hoc modo animos obſtinant contra Deum, imo proterve efferuntur: hic inſtituit Jeſaias, ut jam dictum eſt, eorum retundere arrogantiam. acſi diceret, Veniet tempus quum faceſſet hæc veſtra ſuperbia, qua fruſtra, imo furioſe adverſus Deum contenditis. Impii enim quamvis religionem aliquam ſimulent, ſua tamen audacia in Deum ipſum ferociunt, ut eo videantur altiores. Ergo ipſe viciſſim in eos fulminando, faſtum eorum proſternit, ut ſolus emineat. Atque illud ipſum eſt quod jam diximus, ſcelerum impunitatem veluti nebulam quandam eſſe oculis noſtris objectam, qua Dei gloriam cernere prohibemur. Quum vero ulciſcitur facinora hominum, gloria ejus conſpicua elucet. Atque hæc ipſa cauſa eſt, *Eccleſ. 8. verſ. 11.* cur Salomon impios adverſus Deum inſoleſcere dicat: quod videat æque feliciter impiis ac piis in hoc ſeculo evenire. Creſcit enim omnium audacia, magiſque ac magis excæcantur. Hic autem ſignificat coactis in ordinem ſuperbis, nihil impedimento fore Deo quominus talis agnoſcatur qualis ipſe eſt. Decebat quidem populum ſponte altitudinem Dei ſuſpicere, ſub cujus umbra protegebatur: atque in hunc finem tot beneficiis tam præclare ornatum erat genus Abrahæ, ut ſpeculum eſſet gloriæ Dei; ejuſque ſanctificatio. Nunc quia ſe contra eum extulerint Judæi, denunciat Jeſaias novum Deo fore modum extollendæ ſuæ gloriæ, nempe in eorum ruina. Oculos ſublimes, & altitudinem nominans, à geſtu externo interiorem animi faſtum deſignat. quia fere prava confidentia ipſo intuitu, Dei & hominum contemptum prodit. Eodem ſenſu à Davide etiam *Pſal. 101. verſ. 5.* notantur alta ſupercilia. Proximo verſu idem melius confirmat. atque ex hac vehementia & verborum congerie colligere facile eſt, quanta contumacia tunc graſſata fuerit. Cæterum non mirabimur tantopere inſiſtere in ſubigenda hominum arrogantia, ſi conſideremus quam difficile ſit eorum duritiem inflectere, qui freti ſuis opibus nihil metuunt: & qui hunc putant finem eſſe ſuæ dignitatis, ſi omnia impune liceant. Nam hodie quoque experimur, quam delicati ſint & irritabiles, quicunque ſibi plus juſto arrogant, quam deinde præfracte omnes admonitiones rejiciant. Atque hæc etiam ratio eſt cur ſtylum proprie in eos ſtringat Propheta, potius quam in genere ultionem denunciet toti populo.

Quan-

Digitized by Goo

Quanquam non in ſolos Principes invehitur, qui præ aliis ampla dignitate pollebant: quia non ſoli ipſi, ſed & infimi quique ſæpe turgent ſuperbia. Omneſque (ut vulgari proverbio dicitur) regis animum intra ſe gerunt. Sicuti viliſſimos quoſque experimur ad minimas punctiones, intolerabilis arrogantiæ virus evomere. Quare quum vulgo regnaret vitium hoc, omnes tam ſummos quam infimos complectitur Jeſaias, ſignificans eo gravius inſtare judicium quo liberalius tractati à Deo fuerant: quia ex abundantia, eorum animi intumuerant ad ferociam. Porro quamvis litera ל, quæ nota eſt dativi caſus, interdum ſupervacua ſit, hoc tamen loco vim ſuam retinet: quia videtur Jeſaias, veluti certum diem condicere, ut in judiciis fieri ſolet. Itaque interpretor Deo ipſi præfixum eſſe diem, quo ſiſti oporteat ſuperbos ad ipſum Dei tribunal ſubeundæ damnationis cauſa. Colligere præterea ex iis verbis licet, Deum ſe profiteri omnium ſuperborum hoſtem eſſe: hæc itaque condictio perinde valet, acſi negaret Deus ſe poſſe ferre pravam elationem in hominibus, ideoque fieri non poſſe quin manu ſua conterat, quicunque ultra modum ſe extollunt. Quod ſi animis noſtris vere perſuaſum eſſet, quis non horreret ſuperbiam, qua ira Dei in nos provocatur? Sicui Superbum & elatum in neutro genere legere placeat, ad propugnacula, vallos & munitiones referre conveniet. ſed non patitur Grammaticæ ratio aliter quam de perſonis accipi.

13. *Super omnes cedros.*] Quæ hic de arboribus Libani, & excelſis montibus inſeritur allegoria, rem illuſtrat magis quam obſcurat: quantumvis enim in ſublime aſpiret ac nitatur mortalis homo, non tamen montes & proceras arbores æquabit: quas evertere, Deo non minus facile erit, quam flatu venti quiſquilias diſpergere. Ergo velut in pictura ſuperbis oſtendit Jeſaias, quam inaniter & ſtulte ſuam altitudinem confidant ſibi fore præſidio. Subeſt etiam hyperbole, quæ ad amplificandum terrorem valere debuit. Deum certe montibus & arboribus iraſci probabile non eſt, ut quaſi mutato conſilio dejiciat quod ipſe erexit: ſed in creaturis innoxiis, Dei judicium contemplandum proponit Jeſaias, quo certius perſuadeat non ceſſuram impune improbis & audacibus ſuam temeritatem. Videmus ergo cur figuras cedrorum, quercuum & montium admiſceat. Quod ſubjicitur de turribus & muris, figuratum vel allegoricum non eſt. Scimus ut homines quoties ſe munitos vident, ſibi blandiantur, acſi Dei auxilio non amplius egerent. materiam ergo præpoſteræ fiduciæ commemorat Jeſaias, ſub turrium & murorum nominibus: quia ſi quis locus videtur inexpugnabilis, nidum ſibi illic faciunt profani homines, ex quo cælum & terram deſpiciant, quia putant extra omnem fortunæ aleam ſe eſſe poſitos. Denunciat ergo Jeſaias, quum humiliare Deus homines volet, dejectum iri omnia præſidia, ex quibus perperam arripitur fiduciæ occaſio. Et quamvis res ſint per ſe non malæ: quia tamen ſenſus noſtros nimis occupant, ſtylum non temere in eas ſtringit Jeſaias. Eodem
Mich. 5. verſ. 10. pertinet quod ſubjicit de equis & quadrigis. Nam ſicut dicitur 5. cap. Michææ, Quia perperam affixi ſunt homines terrenis opibus, ſpoliari in totum neceſſe eſt, ut ſola Dei manu ſerventur. Paulo ante copiam equorum reprehenderat: nunc de judicio Dei concionatur, & admonet non aliter locum fore gratiæ Dei, quam ſi prorſus Judæos exarmet, ne amplius terrenis præſidiis perperam confidant.

16. *Super omnes naves Tharſis.*] Tharſis Hebræis vocari Ciliciam non dubium eſt: & quia Judæis cum illa gente multa erant commercia, multa fit in Scriptura mentio navium Tharſis, quæ ideo ſic vocantur, quod mare illud frequentabant. Navigatio quidem per ſe damnari non poteſt, quum importandis mercibus & exportandis non parum utilitatis afferat hominibus. Nec vero quum Deus totum genus humanum mutuis officiis conjunctum eſſe velit, hæc communicandi ratio improbari poteſt. ſed quia abundantia faſtum & ferociam ut plurimum gignit, mercaturæ genus perſtringit Jeſaias, quo maxime ditata fuerat terra. Adde quod mercatura, quæ cum longinquis & exteris gentibus exercetur, ſæpe fraudibus & rapinis plena eſt, nec ullus illic lucri modus. Primum ergo intelligit Jeſaias, divitiis nudatum iri Judæos, ut diſcant ſe Deo ſubjicere. Deinde avaritiam & illicitos quæſtus à ſigno deſignat, acſi quis oſtenſo gladio cruentato cædem notaret. Et ſecunda etiam pars verſus clarius demonſtrat navigationem damnari à Propheta, quæ multis corruptelis terram infecerat. Nimis conſuetum eſt ac vulgare, ut divitias ſequantur deliciæ, mollities, voluptatumque affluentia: quod fere in opulentis regionibus & urbibus mercatoriis perſpicitur. Nam qui in longinquas regiones navigant, domeſticis commodis minime contenti, novas & prius incognitas lautitias ſecum reportant. Quia igitur opulentia fere mater eſt luxus, pretioſam hic ſupellectilem commemorat Propheta. quaſi diceret Judæos ſumptuoſe ſuas domos ornando, judicium Dei ſibi accerſere. Nam ſub picturis per ſynecdochen tam pretioſa aulæa, quam opus Phrygionicum, vaſaque exquiſito artificio compoſita intelligit. Certum vero eſt, corruptos eſſe mores, ubi hinc inde ſupervacua oblectamenta quærit hominum cupiditas: Et videmus ut Romano Imperio exitium attulerint tales deliciæ. nam priuſquam in Græciam penetrarent, ſumma apud eos continentia vigebat. tandem Aſia devicta, magis molleſcere & effœminari cœperunt: ac ubi ſignis, vaſis, gemmis, tapetibus capti ſunt eorum oculi: unguentis & odoribus captæ nares, ſimul excæcati fuerunt omnes eorum ſenſus: & Orientis luxuriem quaſi humaniorem cultum imitando, magis ac magis diffluere cœperunt in omne genus libidinum.

17. *Et incurvabitur celſitudo hominis.*] Declarat Propheta ſe ad homines reſpexiſſe, dum varias nominavit ſpecies altitudinum. Nec enim ardui montes, aut cedri præcelſæ diſplicent Deo, quas creavit ipſe: ſed omne malum in hominibus reſidere ſignificat, qui rebus altis & præcelſis fruſtra confidunt. Objicietur, ſæpe accidere ut impii non reddantur humiliores caſtigatione, ſed ferociant potius, atque obſtinatiores reddantur: ut conſtat ex Pharaone, *Exod. 8. verſ. 15. & 9. verſ. 34.* cujus durities nullis flagellis potuit edomari. ideoque non videtur perpetuum quod hic Propheta denunciat. Reſpondeo, non exprimi caſtigationis effectum, acſi rebelles Deus ad obſequium ſuum flecteret: ſed talem eſſe hujus loci ſenſum, quamvis animos non mutent reprobi, Dominum tamen nullum finem impoſiturum pœnis quas de ipſis ſumet, donec fracta ſit eorum ſuperbia & temeritas. Freti enim opibus & munitionibus, ſecure (ut dictum eſt) ſibi applaudunt, nec Deum reverentur. ſed quantumcunque muniti ſint, Dominus eos facile ſubiget & proſternet: neque id una tantum aut altera plaga, ſed tot tantiſque, ut tandem compreſſi & domiti, adverſus ipſum ſeſe efferre deſinant, atque agnoſcant ſe nihil audacia & protervia ſua proficere. Quod ſubjungit, Et exaltabitur Dominus, jam antea declaratum eſt.

18. *Idola.*] Quemadmodum prius in objurgatione, luxui & avaritiæ, aliiſque vitiis idololatriam conjunxerat: ita nunc in pœnæ denunciatione eam conjungit.

19. *Et ingredientur in cavernas.*] Prius aliis verbis uſus erat, eos ſcilicet compellans in ſecunda perſona, Ingredimini in cavernam: quo durius animos eorum percelleret. Nunc vero pronunciat quid ſint facturi, ac dicit neceſſe ipſis fore ingredi. Atque hinc apparet ſententiam illam non exhortationem,

ſed gravem iræ Dei denunciationem fuiſſe, ad terrendos impios & obſtinatos, qui & monitiones & minas omnes contemnunt. Quod ſubjicitur de terrore Dei, eum intellige qui per Chaldæos & Aſſyrios injectus eſt: quorum manum jam prius (ut etiam hic) gloriam Dei vocavit, quoniam uſus eſt eorum opera ad caſtigandum populum ſuum. Tametſi igitur impii & perfidi erant, tamen gloriæ Dei ſervierunt. Nam & diabolus ipſe, gloriæ Dei aliquo modo ſervit, etiam invitus. Ita loquitur de Aſſyriis & Chaldæis, quod in pœnis quas eorum manu exiget Dominus de Judæis, liceat gloriam ejus contemplari. Idem & Surgendi verbo confirmat: quod tantundem valet, ac Tribunal conſcendere. In particula quæ mox ſequitur, *Ut concutiat terram*, pulchra eſt alluſio vel paronomaſia: quæ vix alia lingua exprimi poteſt. quaſi diceret, Ad terram terrendam, לַעֲרֹץ הָאָרֶץ. Dominum vero ſurgere dicit, quod dormire videatur quantiſper differt judicia ſua. Surgit autem, quum judicis inſtar eminet, ut pœnas irroget ſceleratis: ita ut palam ſit hominibus, nihil ejus cognitionem effugere, vel oculos latere, qui nullum ſcelus inultum ſinit.

20. *Abjiciet idola.*] Mire ſibi placent idololatræ in ſuperſtitionibus ſuis, & impio cultu. Quamvis enim ſceleribus & flagitiis ſcateant, tamen ad hoc aſylum confugiunt, quod ſuo cultu Deum placari putant. Ut ſi hodie Papiſtis flagitia & libidines omnis generis quibus laborant objiciantur, inficiari certe non poterunt: ſed blandientur ſibi hoc prætextu, quod ſpecioſum cultum habent, eoque velo omnia ſcelera ſua tegi exiſtimabunt. Ideo Propheta idololatris integumentum hoc detrahit, ac denunciat nihil fore amplius quo tegant ſuas fœditates. Dominus enim ipſos idola ſua abjicere coget, ut agnoſcant ſe fruſtra in iis ſpem & fiduciam locaſſe. Denique pudebit ipſos ſuæ vanitatis. Proſperis enim rebus Deum ſibi propitium eſſe putant, quaſi eorum cultus ſibi eſſe gratos oſtenderet: nec prius aliter ſibi perſuadere poſſunt, quam Deus reipſa demonſtret, quantopere eos deteſtetur. Rebus igitur demum adverſis, turpitudinem ſuam agnoſcere incipiunt: quemadmodum
Oſee 2: 5. præclare docet Oſeas, dum eos meretricibus comparat, quæ turpitudinem ſuam non agnoſcunt, quamdiu quæſtum faciunt & in deliciis verſantur. Iis vero quum privantur, & deſtituuntur ab amatoribus, ſecum ipſæ de miſeria & infamia ſua cogitare incipiunt, & pœnitentiæ viam ingrediuntur, de qua nunquam in deliciis ſuis cogitaſſent. Idem omnino accidere ſolet idololatris, quos non prius pudet ſuæ turpitudinis, ut idola abjiciant, quam extrema calamitate affecti, quodammodo ſe periiſſe videant.

Quæ fecerunt.] Id eſt, quæ ſibi fieri curavit artificum opera. Nec fruſtra id addidit: ſignificat enim deos, qui ficti ſunt, perperam adorari. quales enim eſſe poſſunt dii ab hominibus creati, quum Deus à ſeipſo ſit, nec initium habeat? Eſt igitur valde præpoſterum, & alienum à ratione, homines opus à ſe effictum adorare. Itaque hoc verbo crimen auget, quod quum idola auro aut argento aut alia corruptibili materia conſtent, ſintque ab hominibus compoſita, Dei tamen loco adorentur: & ſimul cauſam exprimit, cur diſpliceant Deo: quod ſcilicet colantur. Quo nunc colore Papiſtæ impietatem ſuam excuſabunt? nec enim negare poſſunt ſimulachra ab ipſis adorari. Ubicunque vero talis cultus, ibi impietas manifeſta eſt ac convicta. Jam per *cavernas talparum*, ſordida quælibet loca intelligit, in quibus probroſe lateant.

21. *Et ingredientur.*] Hæc repetitio ſupervacua non eſt, quamvis eadem verba iteret Jeſaias, quibus nuper uſus fuerat. Quid enim tam difficile, quam homines ſerio timore Dei percellere? Idque non tantum in hypocritis animadvertimus, ſed in nobiſipſis, ſi ſedulo attendamus. Quam enim multa nobis proponuntur, quibus mentes noſtræ abripi deberent, vix tamen commovemur? Præſertim hoc Dei judicium neceſſe fuit hypocritis inculcari, qui ſibi in ſcelere placebant. Jam vero atrocitas Dei vindictæ notatur, quod profundiſſimis quibuſque abyſſis malint abſorberi impii, quam ſubire Dei conſpectum. Unde etiam videtur mutuatus eſſe Chriſtus *Luc.* 23.
quod Judæis denunciat, Dicent in illa die montibus, *verſ.* 30.
Tegite nos; & collibus, Operite nos.

22. *Ceſſate igitur ab homine.*] Hæc ſuperioribus cohærent, & perperam à nonnullis diviſa ſunt. Poſtquam enim Jeſaias minaciter concionatus eſt de judicio Dei, hortatur impios ut ſeipſos fallere deſinant inani fiducia: acſi diceret, Ego vos ſpe falſa excæcatos atque inebriatos eſſe video, ut nulla apud vos ratio valere poſſit. Hoc ideo fit, quia vobis nimium arrogatis. Atqui homo nihil eſt: vobis autem negotium eſt cum Deo, qui univerſum mundum vel ſolo nutu in nihilum redigere poteſt. Varie quidem exponitur hic locus. nonnulli enim de Chriſto interpretantur, & Spiritum accipiunt pro impetu, quemadmodum etiam alibi Scriptura hac ſimilitudine uti *1 Reg.* 19.
ſolet: Narem vero pro ira, quod iræ ſignum appa- *verſ.* 11.
reat in naribus. atque hunc eliciunt ſenſum, Cavete, ne iram Chriſti in vos excitetis. Verum ſi quis propius expendat, expoſitio illa à textu aliena eſt. Alii quamvis exponant de hominibus in genere, tamen referunt ad illam ſententiam, Nolite timere eos qui *Mat.* 10.
occidunt corpus. ſed neque quadrat ejuſmodi inter- *verſ.* 28.
pretatio. Nam extra tempus & rem id foret dictum, quum nulla cauſa fuerit cur eos à timore hominum revocaret. Verum, ut jam dixi, contextus ipſe facile omnem dubitationem tollet. Sequentis enim capitis initium hæc aperte exponit & confirmat. & qui ea partitus eſt, perperam divulſit quæ inter ſe fuerant conjungenda. Subjunget enim, Dominus adimet ea quæ animos veſtros tantopere attollunt, & ſublimes iſtos ſpiritus in vobis pariunt. Stulta & inanis eſt veſtra fiducia. Hinc pendet quod nunc dicit, Deſinite ergo &c. Sed primum videndum eſt quid ſignificet *ſpiritus* in nare. Denotat autem humanam fragilitatem: nempe vitam hominis inſtar flatus eſſe, qui ſtatim evaneſcit. Et quemadmodum ait David, *Pſal.* 104.
Si ſpiritum eripiat Dominus, homo in pulverem re- *verſ.* 29.
vertitur. Item, Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in *& 146.*
terram ſuam. Item, Caro ſunt, ſpiritus tranſiens *verſ.* 4.
neque revertens. Ergo quum vita noſtra imbecillius *& 78.*
nihil ſit neque fragilius, quid ſibi vult iſta fiducia, *verſ.* 39.
acſi altæ eſſent firmitatis noſtræ radices? Ceſſandum igitur ab homine, id eſt, ſuperſedendum ab inani fiducia: quoniam homo ſpiritum in nare habet. nam anima efflata ſtatim inſtar aquæ diffluit. Loquimur autem hic de ſpiritu vitali, quo nihil fragilius. Porro dum vetamur fiduciam locare in homine, initium faciamus à nobiſipſis, ne ſcilicet prudentiæ aut induſtriæ noſtræ ullo modo confidamus: deinde, ne pendeamus ab humano auxilio ulliſve creaturis: ſed fiduciam totam in Dominum conjiciamus. Maledictus, inquit Jeremias, qui confidit in homine, vireſ- *Jer.* 17.
que ſuas & opem in carne, id eſt, in externis adjumen- *verſ.* 5.
tis conſtituit.

Qua enim in re.] Hæc refutandæ ſuperbiæ una eſt ratio, nihil reſiduum fieri hominibus in quo ſibi placere debeant. perinde enim hoc valet, acſi dixiſſet Propheta, nullius eſſe pretii totam carnis gloriam. Notandum vero eſt, comparative hoc dici: ut diſcamus nihil nobis eſſe proprium, ſed precario tenere, ſi quid in nobis præſtantiæ eſt. Scimus genus humanum à Deo ornatum eſſe nôn contemnendis dotibus. Scimus etiam alios aliis præcellere. Sed quia major pars poſthabito Deo ſibi abſque modo placet, imo profani homines ſe plus quam deos eſſe arbitrantur, prudenter Jeſaias (ut paſſim etiam Spiritus in Scriptura) homines à Deo ſeparat: quia dum in ſeipſis conſiderantur, melius apparet quam fragilis, caduca,

ducta, & fluxa ſit eorum conditio. Simul ergo ac ſibi homines vel minimum quippiam tribuere incipiunt, detegenda eſt illis ſua vanitas, ut agnoſcant ſe eſſe nihil. Hoc uno verbo concidunt magnifica liberi arbitrii & meritorum encomia, quibus Papiſtæ ſeipſos contra Dei gratiam attollunt. Profanis etiam hominibus excutitur ebrius ſui amor. denique ad Deum bonorum omnium auctorem revocamur, ne imaginemur extra ipſum quicquam eſſe excellentiæ: quia non aliter ſua laus ei manet integra, donec omni ſapientia, fortitudine, juſtitia, omni denique laude exinanitus fuerit mundus.

Cap. III.

QUoniam ecce Dominator Jehova exercituum, Jeroſolymæ & Judæ vigorem
& vim adimet: omnem vigorem panis, omnem vigorem aquæ:
2. Fortem, & virum bellicoſum, Judicem & Prophetam, & Divinum &
Senem:
3. Ducem quinquagenarium, & Conſpicuum, Senatorem, eximium quemque inter artifices & * diſertum.
4. Et conſtituam pueros illis Principes, & parvuli dominabuntur eis.
5. Violenter aget populus, quiſque in alium, vir in proximum ſuum: inſoleſcet adoleſcens contra ſenem, contemptus adverſus honoratum.
6. Quum apprehenderit quiſque fratrem ſuum è familia patris ſui, Veſtimentum, dicens, eſt tibi: Princeps noſter eris: ruina hæc in manu tua.
7. Is jurabit in illa die, dicens, Non ero curator. Nam domi meæ neque panis eſt, neque veſtimentum. Itaque ne me Principem populi conſtituatis.
8. Certe corruit Jeruſalem, & Juda cecidit: quoniam lingua eorum, & ſtudia contra Jehovam, ad exacerbandos oculos gloriæ ejus.
9. Probatio vultus eorum reſpondet * in ipſis: peccatum ſuum, ſicut Sodoma prædicaverunt, neque diſſimularunt. Væ animæ ipſorum, quia acceſſiverunt ſibi malum.
10. Dicite, Juſto bene erit: quia fructus manuum ſuarum comedent.
11. Væ impio male erit: quoniam ſecundum opera manuum ſuarum rependetur ei.
12. Populi mei exactores ſunt parvuli: & mulieres illi dominantur. Popule mi, qui te gubernant, ſeducunt, & viam ſemitarum tuarum depravant.
13. Stat ad diſceptandum Jehova, & præſto eſt ad judicandos populos.
14. Jehova in judicium veniet cum ſenibus populi ſui, & cum principibus ejus. Et vos perdidiſtis vineam, eſtque rapina pauperis in domibus veſtris.
15. Quid vobis, quod contunditis populum meum, & facies pauperum commolitis? dicit Dominus Jehova exercituum.
16. Dicit quoque Jehova, Quoniam ſuperbiunt filiæ Sion, & porrecto collo incedunt, oculiſque vacantibus, & ambulando plaudendoque ambulant, tinnitumque pedibus ſuis excitant:
17. Ideo decalvabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus pudenda earum nudabit.
18. In die illa auferet Dominus ornamentum crepitaculorum, & reticula, & lunulas,
19. Olfactoria, armillas, & mitras,
20. Tiaras, crurum ornatus, vittas, bullas, & inaures,
21. Annulos, & monilia narium,
22. Mutatorias veſtes, palliola, pepla, & acus,
23. Specula, & ſindones, calyptras & theriſtra.
24. Et erit pro ſuavi aromate putredo, & pro cinctura laceratio, & pro cincinnis calvitium, pro balteo cinctura ſacci, aduſtio pro venuſtate.
25. Viri tui in gladio cadent, & robur tuum in bello.
26. Mœrebunt ac lugebunt portæ ejus: & ipſa deſolata, humi jacebit.

* vel, intelligentem arcani ſermonis.

* vel, adverſus ipſos.

Q*Uoniam ecce.*] Diximus paulo ante, eundem contexi ſermonem à Propheta, quem in fine proximi capitis exorſus erat. Nam admonet Judæos quibuslibet opibus polleant, nihil tamen ſuppetere quod opponant iræ Dei, quin ubi exarſerit, conſumat totas eorum munitiones. Unde ſequitur nimium deſipere, dum ad terrores procul abigendos, ſuas copias, potentiam, & bellicum robur, conſilia, vires, uberem frugum proventum, aliaque ingerunt. Et particula demonſtrativa הנה, non modo certitudinis cauſa hic ponitur, ſed ad breve tempus notandum: acſi impios in rem præſentem adduceret Jeſaias. Accidit enim plerumque, ut qui aperte non audent ridere judicia Dei, ea tamen quaſi nihil ad ſe pertinentia vel longe adhuc remota eludant: Quid hæc ad nos? inquiunt. vel ſi quando forte eveniant, cur ante tempus eriimus miſeri? An non ubi ingruent calamitates, tunc ſatis mature de illis cogitabimus? Quoniam ergo ad ſpernenda Dei judicia, tales craſſæ & ſupinæ ſecuritatis latebras ſibi effodiunt impii, ideo propius ac inſtantius eos urget Propheta, ne Dei manum procul abeſſe exiſtiment, fruſtraque ſibi promittant inducias. Eodem pertinet quod Deum nominat Dominatorem & Jehovam exercituum, ut ejus majeſtas ſopitos ac hebetes animos metu percellat. Neque enim ullis ornamentis opus eſt Deo, ſed ruditatem noſtram ac etiam torporem, gloriæ ejus ſenſu expergeſieri neceſſe eſt. Primo autem denunciat Propheta ſpoliatum iri Judæos omni copia annonæ, ut penuria deficiant. Idem poſtea ſubjiciet de præſidiis militaribus, totoque ordine politico. Hinc vero colligere licet, ſic gloriatos fuiſſe Judæos præſenti rerum ſtatu, ut ſe ab omni incommodo fore immunes ſtulte

con-

conſiderent. Atqui denunciat Jeſaias non modo totam regionem obnoxiam fore Dei flagellis, ſed Jeroſolymam ipſam quæ invictum erat gentis propugnaculum. quaſi diceret, Non modo graſſabitur ira Dei per ipſum corpus, ſed ad cor ipſum penetrabit. Quantum ad verba ſpectat, quia משען ומשענה hoc eſt maſculinum genus & fœmininum: minime dubito quin hac mutatione certius exprimere voluerit, fulturas omne genus frangendas eſſe. Ideo reddidi Vigorem & vim. Nam quod interpretes quidam ad perſonas hominum referunt, mihi non probatur: quia melius convenit quaslibet fulturas diverſo genere notari. Dubium tamen eſt, reſtringatne hoc ad victum Propheta, an vero ad alias ſpecies extendat, quas paulo poſt ſubjicit. Sed conſentaneum eſt, per משען ומשענה generaliter comprehendi quæcunque ad fulciendum urbis vel populi ſtatum neceſſaria ſunt: deinde explicationis cauſa enumerari quaſdam ſpecies. Prius ergo membrum huc tendit, Deus peſſundabit præſidia omnia & opes quibus vos ſtare creditis, ne quid amplius reſtet ad vos ſuſtinendos. Deinde adjungit qualis futura ſit inopia & nuditas. Et initium quidem, ut diximus, facit à victu & alimentis, quæ primum locum obtinent ad tuendam hominum vitam. Duobus autem modis vigorem panis & aquæ aufert Deus: vel quum cibariis nos privat, vel quum illis eripit vim educandi. Niſi enim virtutem occultam cibis inſpiret Deus, qualiſcunque ſuppetat eorum copia, nihil nobis proderunt. *Levit. 26. verſ. 26.* Unde alibi dicitur Frangere baculum panis, dum piſtores reddunt panem in pondere, dum comeditur, nec tamen ſaturitatem affert. Atque hæc ſimilitudo diligenter notanda eſt, ut ſciamus etiam ventre bene referto, nos ſemper fore famelicos: quia nonniſi arcana Dei benedictio nos paſcit ac ſuſtentat. Etſi autem hoc loco eſuries quam minatur Propheta, poteſt de ſterilitate accipi, quod Deus Judæos cibariis omnibus privabit: quia tamen ut plurimum ſolent Prophetæ ex Lege mutuari loquendi formas, optime conve iet hæc interpretatio. Poterat enim ſimpliciter dicere, Auferam panem & vinum: ſed quiddam magis reconditum exprimit, nominans fulcimentum panis & aquæ. quaſi diceret, quamvis non redigatur ad inediam populus, Deum tamen facturum ut ingluviem replendo, fame nihilominus tabeſcat: quia ſublata Dei benedictione, omnis utilitas evaneſcet. Summa tamen eſt, nulla fore populo alimenta quibus ſe ſuſtentet: vel quia carebit pane & aqua, vel ſi ſuppetant, nullum inde uſum percipiet.

2. *Fortem & bellicoſum.*] Subſidia alia commemorat, quibus retinetur incolumis ſtatus vel gentium vel urbium. His denunciat Judæos penitus orbandos, ut nec domi conſilio aut virtute, nec foris armis valeant. Porro non obſervat curioſe ordinem: ſed contentus brevi compendio, alia aliis miſcet. Incipit à viris bellicoſis, in quorum manu erat patriæ defenſio. tales interdum morte aufert Deus, interdum molles & effœminatos reddendo. Hoc poſterius magis commune, ut poſteritas à majorum virtute degeneret: & qui prius erant formidoloſi, temporis ſucceſſu timidi fiant ac imbelles. Illud tamen etiam alterum contingere videmus, ut cordatiſſimi repente deficiant. Adjungit Judicem & Prophetam. Scimus Hebræis, Judices accipi pro Gubernatoribus quibuslibet. Jam per Prophetas, quoslibet doctores intelligi certum eſt. Itaque abolito civili regimine, extinctaque doctrina, Judæis interitum minatur. Et certe eundem in Republica locum obtinent Magiſtratus ac Doctores, quem in corpore humano duo oculi. Ad eundem ordinem Senes quoque refero, qui ad gubernandum magis ſunt idonei: quia ætas prudentiam, conſilium, & gravitatem conciliet. Quantum ad nomen Divini, tametſi male ſonat in Scripturis, videtur tamen hic accipi in meliorem partem, quum recenſeat Jeſaias quæ ad conſervandum urbis & regni ſtatum faciunt. Poſſet igitur hoc nomine vocari Conjector, qui non auguriis vel arte ſuperſtitioſa, ſed raro acumine & ſolertia, res obſcuras divinat. Cæterum quia Deus *Deut. 18. verſ. 20.* Magos, Ariolos, & Divinos conſuli vetuit, & Balaam *Num. 23. verſ. 23.* ipſe pronunciat non eſſe divinationem in Iſraël, ſi de magicis divinationibus accipere quis malit, non repugno: nec quicquam abſurdi erit numerari inter pœnas, quod populus vitioſis quoque damnatiſque ſubſidiis privandus ſit. ſicuti apud Oſeam cum altari & ſacrificiis ponuntur Theraphim. *Oſe. 3:4.* *Ducem quinquagenarium* nominat, ex more tunc recepto. Erant enim ut Centuriones Romanis, ita Judæis Quinquagenarii, quos Græci Πεντηκόνταρχοι nominant. Latinis vero quia hæc ratio non fuit in uſu, etiam nomen fuit ignotum. Vultu reverendos intelligit, quibus virtutis fama auctoritatem dabat in populo. Vox יועץ, pro qua Senatorem verti, poteſt extendi ad privatos homines qui prudentia excellunt. Sed quia proprie tribuitur Conſiliariis qui publicum munus exercent, nolui à communi ſententia recedere. Cæterum quia artes mechanicæ non minus ad tuendum populi ſtatum, & tolerandam communem vitam utiles ſunt, dicit etiam Jeſaias earum defectu Judæis inſtare exitium. Quod poſtremo loco ponitur, varie exponunt interpretes. Ad verbum eſt, Intelligens muſſitationis vel ſermonis ſubmiſſi. Jam quia Pythonici ſpiritus murmuribus & ſuſurris edunt ſua reſponſa, quibuſdam videtur notari incantatio. Rectius alii per לחש intelligunt arcana conſilia: ſed quia arcana etiam & gravis oratio hac voce non improprie deſignari poteſt, non dubitavi Diſertos vertere. Si quis tamen intelligere malit prudentes homines & cautos, qui ad concionandum minus apti, ſecreto admonent quid factu ſit utile, non repugno. Cæterum notanda eſt compendiaria hæc deſcriptio ſtatus rite ordinati. Primo enim annonam, aliaque ad victum neceſſaria poſuit Jeſaias: deinde militare robur: tertio ſcientiam regendi populi, & alias partes politici regiminis: quarto munus Propheticum: quinto artes mechanicas. His amiculis ornat populos Deus quos præſtare vult ſalvos & incolumes, & rurſus ſpoliat quos vult peſſundare. itaque ex mera Dei gratia fluere ſciamus, quæcunque utilia eſſe experimur ad vitæ cultum. Unde & alterum ſequitur, cavendum ſcilicet eſſe, ne ingratitudine noſtra præclaris iſtis Dei muneribus nos privemus.

4. *Et conſtituam pueros.*] Quo magis conſpicua ſit Dei vindicta, jam deſcribit quam miſera ſit ac triſtis futura mutatio, quum ſublatis è medio fidis & idoneis gubernatoribus, ignavos & nihili homines Deus in illorum locum ſubſtituet. *Pueros* intellige non ætate ſolum, ſed ingenio & moribus: ut ſunt molles & effœminati homines, qui nulla pollent virtute, nec gladium ſibi commiſſum regere poſſunt. Membra hic ſingula ſingulis minime oppoſuit: ſatis enim fuit definire modum quo facile corruit Reſpublica. nempe, ſi præſint ſtolidi vel inertes, quaſi pueri, in quibus nihil ſit gravitatis aut prudentiæ. Hoc autem eſt conſtituendum, neminem ad regendam Rempublicam idoneum eſſe, niſi qui divinitus deſtinatus, & non vulgari virtute præditus ſit: quod etiam recte animadvertit Plato. Nam tametſi, ut profanus, nihil habuerit certi, tamen hoc facile conjectabat, neminem adminiſtrationi publicæ aptum & parem eſſe, niſi qui ſupra vulgarem modum divinitus formatus eſſet. ſicuti enim ab uno Deo eſt adminiſtratio publica, ſic omni ex parte ab eodem ſuſtineri neceſſe eſt. Porro quoſcunque non regit Dominus, nihil eis ſupereſt, niſi ut pueris ſimiles ſint, vel etiam bis pueri, vacui ſcilicet omni & conſilio & prudentia.

Hanc porro vindictam duobus modis exercet Deus: quia ſæpe dum videmur nobis habere viros graves & peritos rerum, quum ad rem ventum eſt, velut cæci impingunt, & nihilo plus ipſis quam pueris eſt prudentiæ. Dominus enim privat ipſos inſigni

ſigni illa qua prius ornaverat virtute, atque ita dementat, acſi fulmine aliquo perculiſſet. Interdum vero lentius progreditur Deus, & paulatim heroici ingenii viros eripit, qui idonei erant adminiſtrationi: & gubernacula rerum in eos transfert, qui ne puerum quidem unum aut familiam regere poſſent. Hæc quum accidunt, haud longe exitium abeſſe certiſſimum eſt. Præterea obſervandum eſt quod nuper attigi, ſtatum Reipubl. bene conſtitutum, inſigne eſſe donum Dei: quum ſinguli ordines, & judicum & ſenatorum, militum, ducum, artificum, & doctorum, mutua communicatione ſeſe juvant, & in communem totius populi ſalutem conſpirant. Nam quum minetur Propheta, & loco graviſſimæ pœnæ denunciet hæc ſublatum iri, ſatis indicat eximia & rara Dei dona populorum conſervationi neceſſaria eſſe. Commendatur ergo hic officium magiſtratus, & ducum, & militum, atque etiam doctorum ordo. Quod notandum eſt adverſus fanaticos homines, qui jus gladii omnemque politiam & ordinem è mundo exterminare conantur. Atqui Propheta monet hæc non tolli aut adimi, niſi ab irato Deo. Sequitur ergo impios eſſe & hoſtes publicæ ſalutis, qui adverſus ejuſmodi beneficia pugnant, eaque quantum in ſe eſt rejiciunt vel extinguunt. Commendatur etiam hic doctrina, ſine qua ſtatus Reip. ſtare non poteſt.
Prov. 29. Quemadmodum enim ait Solomon, Ubi deficit pro-
verſ. 18. phetia, populum diſſipari neceſſe eſt. Commendantur præterea artes mechanicæ, agricultura, opificia omne genus, architectura, & quicquid ſimile eſt, quo carere non poſſumus. Omnes enim cujuſcunque generis artifices qui hominum uſibus ſerviunt, miniſtri Dei ſunt, eundemque ſibi cum aliis finem propoſitum habent, nempe conſervationem generis humani. Idem de militia dicendum eſt. tametſi enim legitimum bellum nihil aliud eſſe debet quam pax quæſita, interdum tamen manus conferendæ ſunt: ut qui jus gladii habent, eo utantur, ſeque & ſuos armis defendant. Bellum igitur per ſe damnandum non eſt: ſubſidium enim eſt conſervandæ Reipubl. Sed neque negligenda eſt facundia: ea enim & publice & privatim ſæpe opus eſt, ut plane dilucideque aliquid demonſtrari, & verum patefieri poſſit. Nam & hoc inter dona Dei & præcipuas benedictio-
Pſal. 127. nes numeratur, quum civitas viris prudentibus ac di-
verſ. 5. ſertis abundat, qui cum adverſariis in porta diſceptare poſſint. Hujus autem loci ſumma eſt, Quum hæc dona adimit Dominus, & ſtatum populi immutat, quoquo modo id accidat, aut mutata adminiſtrationis forma, aut Principibus ſublatis, furor Domini agnoſci debet. Aufert enim Reges in ira ſua,
Oſea 13. ut inquit Oſeas, alioſque in indignatione ſua con-
verſ. 11. ſtituit. Ne igitur has mutationes, Fortunæ aliiſve cauſis tribuamus.

5. *Violenter aget.*] Summam perturbationem deſcribit, quæ collapſo vel diſſipato ordine Judæis inſtabat: ſicuti populis omnibus impendet, ſimulac ſublatum eſt vel concidit regimen. Scimus quanta ſit humani ingenii petulantia, quo unumquemque rapiat ambitio, denique ut furioſæ ſint libidines, ubi nullo freno cohibentur. Itaque nihil mirum ſi proſtratis judiciis, inſoleſcat quiſque contra alium, graſſetur crudelitas, ſine modo ferveat ſcelerum licentia. Quod ſi prudenter expenderemus, pluris à nobis fieret Dei beneficium, dum nos tolerabili aliquo in ſtatu continet, nec ſinit jam miſere diſſipari. Unde conſtat publicos humani generis hoſtes eſſe, imo nihil differre à feris beſtiis, qui ad labefactandum politicum regimen ſtudia ſua conferunt vel applicant. Hæc vero fœdiſſima confuſio à Propheta ponitur, quod puer contra ſenem proterviet, deſpecti & vulgi quiſquiliæ inſurgent contra proceres & magnæ æſtimationis viros. nihil enim magis præpoſterum, quam ſublato pudore jam contumelioſe tractari, qui reverentia digni erant. Hoc tamen tam deforme pudendumque exemplum neceſſario accidit convulſo politico ordine. Quod ergo verbum נגש active interpretatus ſum Violenter agere, neceſſitate coactus feci, quia alioqui mutila eſſet oratio.

6. *Quum apprehenderit.*] Quia verſus hic cum proximo cohæret, pendetque ſententia uſque ad verbum Jurabit, particulam כי pro adverbio temporis accipi certum eſt. Jeſaias enim extremam populi miſeriam exprimere volens, neminem fore dicit qui gubernandi curam, quamvis rogatus, ſuſcipiat. Tantum certe apud homines valet ambitio, ut certatim multi ſemper appetant principatum: imo cum periculo capitis ad eum aſpirent. imo totum orbem omnibus ſeculis concuſſit regnandi cupiditas. Nec ullus eſt tam ignobilis pagus, qui non reperiat voluntarios aliquos præfectos: adeo cupidum honoris animal eſt homo. Hinc ſequitur deplorata eſſe omnia, ubi non modo ſpernitur dignitas, ſed pertinaciter etiam reſpuitur. Extremus enim funeſtæ cladis eſt cumulus, ubi refugiunt omnes quod naturaliter ſummo ardore expetitur. Alias circumſtantias augendi cauſa recenſet Jeſaias, quod potius omnem humanitatis & miſericordiæ ſenſum exuent Judæi, quam ut gubernandi munus obeant. Si quis exteris gentibus recuſet dominari, non ita forte mirum videbitur. Sed ubi de fratrum ſalute agitur, honorificam provinciam rejicere, nimis inhumanum eſt. Ergo ubi onus Principis à ſe depellit, cujus conſanguinei fidem implorant & cujus ſe patrocinio commendant, ſignum eſt extremæ deſperationis. Jam quia ſolent eligi Principes à cenſu, vel ſaltem non ſolet deferri imperium niſi quibus ſuppetit mediocris facultas, ne eos paupertas exponat contemptui & ludibrio, vel ad ſordidos quæſtus impellat, hæc etiam circumſtantia additur: quamvis ad ſuſtinenda onera ſufficiant, non tamen onus impoſitum recepturos. acſi diceret, Non plebeii modo, ſed optimates quoque ac ſplendidi gubernationem fugient. Verbum quoque Apprehendere, emphaticum eſt: quia tantundem valet, ac manum injicere. quaſi dixiſſet Jeſaias, non modo blanditiis & precibus acturos qui Principem quærent, ſed tumultuarium fore concurſum, ut unum aliquem arreptum cogere ad regnandum ſtudeant. Non minus ponderis ſubeſt in extrema circumſtantia, Ruina hæc ſub manu tua ſit, hoc eſt, ſaltem ſi qua eſt miſericordia & humanitas, extremæ noſtræ miſeriæ ſuccurrere ne graveris. Nam ubi turba hominum tanquam grex diſperſus flebiliter ſuam diſſipationem lugens, Paſtoris fidem implorat, non porrigere auxiliarem manum, ferrea durities eſt. Quidam, acſi eſſet in verbis hypallage, ſic convertunt, Manus tua ſit ſub ruina hac, nempe fulciendi cauſa.

7. *Jurabit in die illa.*] Jurandi verbo exprimitur præciſa & vehemens repulſa. Sæpe enim qui initio excuſavit vel abnuit ſe facturum, precibus tandem cedit: qui vero interpoſito jurejurando aliquid negat, ſpei viam præcludit, quaſi re prorſus deliberata & fixa. Forte etiam particula, In die illa, tantundem valet atque Mox, nulla adhibita mora & abſque longa conſultatione. Sed quia poteſt etiam accipi ἀναφορικῶς ad tempus calamitatis rurſus notandum, non inſiſto. De ſumma convenit, nullum diſſipationi remedium fore.

Vocem חבש, tametſi varie exponant interpretes, tamen eorum ſententiam libentius amplector, qui metaphoram hic à chirurgis ſumptam eſſe putant. Nihil eſt enim quod melius quadrare poſſit. perinde enim eſt acſi quis ad ſanandum ægrotum acceſſitus, neget ſe medicinæ peritum eſſe: vel difficiliorem eſſe morbum, quam ut ipſum curare poſſit. Proxima copula ו, eſt loco cauſalis: acſi diceret, Et certe non ſunt mihi pares facultates. Significat ergo tam deploratum fore ſtatum, ut nemo ſit qui vel extremis in rebus conſulere neceſſitati audeat.

8. *Certe corruit.*] Ne videatur nimium crudelis Deus,

Deus, quod tam ſevere in populum ſuum animadvertit: breviter hic exponitur cladis ratio. acſi diceret Propheta merito perire impium illum populum, qui tot modis ad Deum exacerbandum obſtinatus fuerit. Atque ita præciditur expoſtulandi anſa, quia ſcimus quam audacter obſtrepat mundus, quoties aſperius caſtigatur. Dicit autem tam verbis quam exequutione ad quodvis ſcelerum genus fuiſſe promptos. De excidio autem urbis loquitur, acſi res ipſa eſſet in conſpectu: quamvis præteritum loco futuri, ut ſæpe alias, accipi poteſt.

Ad exacerbandum.] Loquutio hæc crimen amplificat, quod velut data opera Deum laceſſere ipſis propoſitum fuerit. Nam quæ ſub oculis noſtris fiunt, ſi diſplicent, plus afferunt offenſionis. Illudunt quidem Deo impii, acſi poſſent eum fallere. ſed quia nihil quantumvis occultum, ejus conſpectum fugit, exprobrat Jeſaias quod palam & ſine pudore coram ipſo proruperint ad ſcelera patranda. Notandum etiam eſt epithetum Gloriæ: quia prodigioſi furoris ſignum eſt, ubi ſe offert Dei majeſtas, nulla reverentia tangi. Deus tam magnifice extulerat gloriam ſuam populo Iſraël, ut merito humiliare eos deberet, ſiquid reliquum fuiſſet pudoris vel modeſtiæ. Ergo utcunque obmurmurent Deo impii, eumque ſævitiæ inſimulent, calamitatum omnium quas ſuſtinent cauſa in manibus eorum reperietur.

9. *Probatio vultus ipſorum reſpondet.*] Quoniam Prophetæ negotium erat cum impudentibus & perfrictæ frontis hypocritis, qui impudenter ſe bonos viros jactabant: ideo dicit, vultum ipſorum teſtimonium reddere quales ſint: neque procul advocandos eſſe teſtes, ut ipſos convincant nequitiæ ſuæ. *Reſpondere* enim accipit pro teſtimonium ferre, vel fateri. Quamvis ergo vultum & frontem ſimulent, ita ut ſæpe fallant alios: Deus tamen ipſos ſeſe quales ſunt, prodere & demonſtrare cogit: ut etiam inviti fraudum & ſimulationum ſuarum notam velut in fronte geſtent.

Alii exponunt eorum ſcelera adeo conſpicua eſſe, ut non ſecus atque in ſpeculo poſſint, quam occultare cupiunt turpitudinem, agnoſcere. Sed priorem ſenſum confirmat quod proxime ſequitur, prædicaſſe ſcelus ſuum non ſecus ac Sodomitas. Quibus verbis ſignificat eos ita ſe proſtituiſſe ad nequitiam, ut ſua flagitia nullo pudore jactarent. acſi glorioſum ac laudabile apud eos foret, calcato omni diſcrimine turpis & honeſti, quidvis ſibi licentiæ permittere. Ideo comparat eos Sodomitis, quos ita excæcaverant ſuæ libidines, ut bruto ſtupore ad quodvis nefas ruerent. Hæc igitur reſponſio vultus eſt cujus nuper meminit, quod manifeſta impietatis ſigna præ ſe ferant, quæ abunde ſufficiant ad reos peragendos.

Gen. 18. verſ. 20. & 19. verſ. 5.

Væ animæ ipſorum.] Hic exprimit quod jam antea dictum eſt, omnem malorum cauſam in ipſis reſidere: quia ſceleribus & flagitiis Dominum provocarunt. Itaque nullam eſſe cauſam cur tergiverſentur, fruſtra vanos colores excogitari, quum malum ipſum in eorum oſſibus reſideat: acſi diceret, Deus inſimulari non poteſt quaſi vos immerito perſequatur. Agnoſcite vosipſos eſſe auctores: date gloriam juſto judici, vobiſque omnem culpam adſcribite.

10. *Dicite, Juſto bene erit.*] Antequam recitem aliorum ſententias, genuinum ſenſum perſtringam. Quoniam ultiones adeo graves, tentationem admodum acerbam piis injicere ſolent, ac præſertim quod nullæ fere accidunt publicæ calamitates, quæ non bonos una cum malis involvant: ideo Propheta, meo quidem judicio, revocat ipſos ad providentiam Dei, quæ nihil temere miſcet, ſed rebus in ſpeciem confuſis, tamen inter bonos ac malos diſcernere non deſinit. Porro varie exponitur hic locus. alii enim vertunt, Dicite juſto, quia bonus eſt: ideo fructus manuum ſuarum comedent. & talis ex eorum ſententia elicitur ſenſus, Volo ac jubeo pios bono animo eſſe: quamvis enim ſevere animadvertam in populi flagitia, pii tamen bene habebunt. Sed hic ſenſus eſt aptior, *Dicite*, id eſt, habete hoc conſtitutum. Dicere enim pro cogitare & perſuaſum habere, ſæpius in Scripturis accipitur: ut David, Dixi, Cuſtodiam vias meas. & ſexcenta ejuſmodi. Non jubet ergo dici juſto, ſed unumquemque perſuaſum habere apud ſe, felicem juſti fore ſtatum, utcunque nunc infelix videatur. Præterea טוב, pro felici & proſpero ſtatu accipio: quemadmodum ſuperiore verſu רעה, cui nunc טוב opponitur. Atque ita non pro malefico, ſed pro adverſa conditione accipiendum cenſeo. Quia autem ad verbum eſt, Dicite juſto כי טוב: aut particula כי affirmat, ut ſæpe alias: aut videtur eſſe ſuperflua. quanquam probabile eſt, ad confirmationem valere, Certe juſto bene erit: quo ſcilicet omnis dubitationis cauſa tollatur, utque perſuaſum habeamus, optimam & feliciſſimam juſti conditionem fore: quod perſuaſu difficile eſt. Ideoque additur, Fructum operum ſuorum comedet: hoc eſt, non fraudabitur æquitatis ſuæ mercede. Quod alii Dicere pro hortari accipiunt, & duas voces כי טוב, vertunt, Quod bene agat, tanquam coactum repudio.

Pſal. 39. verſ. 2.

11. *Væ impio male erit.*] Contrarium ſuperiori membrum opponit: ex quo facile eſt colligere quale ſit conſilium Prophetæ: nempe conſolationem afferre piis, & impios terrere judicio Dei. Nam quum incidit gravior calamitas, qua promiſcue omnes plectuntur, hæſitamus an mundus providentia Dei, an potius temeritate Fortunæ gubernetur. Itaque pii ſibi timent, ac verentur ne eodem exitio ſimul perdantur cum impiis. Alii cogitant nihil referre, bonus ſis an malus, quod peſte, bello & fame, cæteriſque ærumnis hos atque illos premi videant. Atque obrepit impia illa cogitatio, nihil eſſe diſcriminis inter præmia bonorum & malorum. Atque inter has nebulas pleroſque carnis ſuæ ſenſus ad deſperationem ſollicitat. Ideo Propheta oſtendit judicium Dei rectum eſſe, ut Deum timere pergant, atque intelligant, non impune evaſuros quicunque ſpe impunitatis Deum irritant: atque hortatur ad tribuendam Deo laudem juſtitiæ. acſi diceret, Ne exiſtimetis cæcam in mundo Fortunam verſari: aut Deum cæco impetu ruere, nulla adhibita æquitate: ſed habete penitus in cordibus conſtitutum, juſto bene fore. Dominus enim rependet illi quod pollicitus eſt, nec eum ſua ſpe fruſtrabitur. Contra, Statuite infeliciſſimam fore impii conditionem. ipſe enim ſibi malum acceſſit, quod in ejus caput recidere tandem neceſſe erit. Interea his verbis Propheta ſtuporem populi reprehendit, quod judicium Dei non ſentiret. Suſtinebat enim pœnas ſcelerum ſuorum, & tamen in iis obdureſcebat, acſi omnino eſſet attonitus. Nihil autem pejus accidere poteſt, quam quum ad plagas occalluimus, nec ſentimus nos à Deo caſtigari. Ubi talis eſt ſtupor, fere deſperati ſumus.

12. *Exactores.*] Hic quoque coarguitur vecordia & hebetudo populi, quia in rebus apertis cæcutiret. Nihil eſt quod magis ægre ferant homines, quam ſibi jugum imponi: nec ulli ſe libenter potentiorum dominationi ſubjiciunt. Fractos igitur & emarcidos eorum animos eſſe oportet, qui mollibus & effœminatis hominibus parent, ſeque ab iis opprimi patiuntur. Nec vero ignaviæ ſpiritu divinitus percuſſos eſſe dubium eſt, qui non ſecus atque aſini, ſponte humeros clitellis offerunt. Ferenda quidem eſt vis tyrannica, etiam ingenuis naturis: ſed exprobrat Judæis Jeſaias, quum pervicaciter excutiant Dei jugum, ſerviliter ad obſequia quantumvis pudenda & ſordida, paratos eſſe. Nec enim cauſari poterant Judæi ſe cogi per vim, quum iis parerent ſponte, quos tamen libenter refugiſſent. Unde apparet ipſos manu Dei perculſos eſſe, & formidine agitatos, ut nihil animi aut virium haberent. Atque hæc ultio eſt quam Deus per Moſen minatus olim fuerat. Nam ad generalem

ralem illam Moſis doctrinam, ut jam antea dictum eſt, ſemper Prophetæ alludunt. Qui enim fieret, ut homines quibus eſt reſiſtendi facultas, ſponte ſervitutem ſubirent, quam tamen fugerent perlubenter, niſi mentem ipſis & conſilium Deus adimeret, ut ſic eorum ſcelera ulciſceretur? Quoties igitur nobis idem eveniet, ne id fortuitum eſſe exiſtimemus. Imo quoties homines nihili & pueris inutiliores imperabunt, iram Domini ſentiamus, niſi ſummi ſtuporis argui velimus à Propheta.

Qui te gubernant.] Proſequitur eandem doctrinam, Deum Judæis graviter eſſe iratum qui habenas laxet impiis ad omnia turbanda: quando ab eo propitio ſanctiſſimum & beatiſſimum regimen ſperandum erat. Simul probabile eſt, vulgus hominum ſuis proceribus ſtulte fuiſſe deditum, ut tam præſcripta eorum quam mores pro oraculis veneraretur. Atque illinc quicquid paſſim regnabat corruptionis, profectum erat. Ergo quum populi incogitantia ſerperet latius contagio, clamat Jeſaias cavendum eſſe ab ipſis gubernatoribus, qui exitialiter populum depravant. Alii exponunt, Qui te beatificant. ſed quoniam participium quo utitur, poteſt deduci à אשר quod ſignificat Regere, illam potius interpretationem ſequar, ut aptior eſt contextui. Fateor quidem falſos Prophetas populo fuiſſe adulatos: ſed quorſum hic mentio fiat de eorum blanditiis non video. Hoc vero in Duces & capita optime competit, exitii cauſam eſſe. Nam ut ſalutis cauſa creantur Principes, ita nulla eſt magis exitioſa peſtis, ſi mali fuerint, & pro libidine ſua dominentur. Eos igitur qui præſunt, malorum auctores eſſe, & omnia depravare dicit, quum & alios corrigere, & ſuo exemplo viam monſtrare debuiſſent.

13. *Stat ad diſceptandum.*] Quamdiu ſine freno graſſatur impietas, nullumque ex alto remedium adhibet Dominus, putamus ipſum otiari, officiique ſui oblitum eſſe. Præſertim ubi parcitur ipſis magnatibus, videtur illis concedi peccandi libertas, quia ras non ſit quaſi ſacroſanctos attingere. Ideo poſtquam de Principibus conqueſtus eſt, ſubjungit Dominum functurum officio ſuo, nec impune paſſurum tanta flagitia. Nullum enim fere gravius eſt ſcandalum, aut quod mentes noſtras magis conturbet, quam quum Magiſtratus, nullo contra muſſitante, imo cunctis fere plaudentibus, peſſima quæque exempla in publicum ſpargunt. Tunc quærimus ubinam ſit Deus, cujus gloria in ordine illo refulgere debuerat, major vero pars auctoritate abripitur. Huic dubitationi nunc occurrit Jeſaias: Tametſi ſceleratus ſit populus, quia tamen ipſi Principes corruptiſſimi ſint, imo ſuis vitiis contaminent totum populum, Deum ſedere in cælo judicem, qui rationem tandem repoſcet, & cuique rependet mercedem ſuam. Quamvis turbam crimine non liberet, ne tamen incogniti ſint malorum fontes, peculiariter aggreditur gubernatores, ac minatur quam meriti ſunt pœnam. Prius erexerat Deo ſolium, ex quo diſceptaret: nunc rurſus dicit venturum. quomodo? cum Senibus. Etſi autem alluſio concinna eſſe poſſet ad legitimos cœtus, ubi Deo aſſident ſeniores tanquam ejus vicarii: ſubſcribo tamen receptiori ſententiæ, Deum litem ſuſcipere contra ſenes populi ſui. Itaque reſpondet hic locus ſententiæ Davidis, Deus ſtabit in cœtu deorum: id eſt, quamvis nunc Principes omnia impune agere videantur, nec quiſquam eorum libidinem & intemperiem cohibeat: aliquando tamen Deum ſibi præeſſe ſentient: eique geſtorum omnium rationem redditurі ſunt. Has reprehenſiones non ſatis æquo animo tuliſſe judices illius temporis, dubium non eſt. Nec enim tam graviter aut ſevere ſecum agi volunt, nec licere exiſtimant: volunt enim penes ſe eſſe omnia, arbitrium ſuum haberi inſtar legis, licere ſibi quicquid libet: omnes ipſis blandiri & applaudere debere, & in rebus peſſime geſtis aſſentari: neminem ſuarum actionum judicem ferunt, imo nec ſe Deo ipſi ſubjici patiuntur. Quando igitur adeo ſibi frena laxant, ut neque monitiones, neque minas ullas ferre poſſint, Propheta ipſos citat ad tribunal Dei.

Principes autem electi populi honorifice vocantur per conceſſionem: quod etiam notandum eſt, quia dignitate ſua putabant ſe veluti privilegio quodam exemptos & legibus ſolutos: & quamvis profani Reges & Principes redderent rationem, ſe tamen eſſe ſacroſanctos. Putabant ergo ſe omni reprehenſione ſuperiores, nec minis ſecum & terroribus, quaſi cum profanis hominibus, agendum eſſe. Propterea nominatim exprimit Jeſaias, Dominum non cum Principibus quibuslibet ſolum acturum, ſed etiam cum faſtuoſis hypocritis, quibus populum ſuum commiſerat.

14. *Et vos perdidiſtis vineam.*] Satis trita eſt Vineæ metaphora, ubi de populo, præſertim Iſraëlitico, agitur. Et hac voce nunc crimen duplicat Propheta, quod populo, quem Deus ſingulari amore amplexus fuerat, non magis pepercerint, quam ſi in gente profana dominati eſſent. Eſt etiam emphaticum pronomen, Vos. Alloquitur enim ipſos vinitores, qui quum excolendæ vineæ præfecti eſſent, eam tanquam feræ beſtiæ, depaſtæ ſunt. Proinde in eo crudelitatem ipſorum non parum amplificat. Quantæ enim perfidiæ fuit, perdere quod conſervare & tueri debebant? Oſtendit autem Dominus hac ſimilitudine, quantam ſuorum curam gerat, & quam unice ipſos amet. non modo quia ejus vinea & hæreditas vocatur Eccleſia: ſed dum eorum perfidiam & ſcelus [illegible] laturum negat, qui tyrannice dominati fuerint. Speciem unam ſubjicit, ex qua reliquæ vitæ eorum partes agnoſci poterant, Prædas & ſpolia pauperum apud ipſos eſſe. Atqui Principum ædes inſtar ſacrarii cujuſpiam eſſe deceret. Occupant enim ſedem Dei, quæ omnibus ſacroſancta eſſe debet. Summum igitur ſacrilegium eſt è ſacrario ſpoliarium efficere. Auget crimen, quum addit, *Pauperis.* Eſt enim omnium ſceleratiſſimum ſævitiæ genus rapere ab egeno & paupere, qui ſeipſum tueri nequit, quem etiam juvare oporteret.

Pſal. 80. verſ. 9. Jerem. 2. verſ. 21.

15. *Quid vobis.*] Species quoque alias enumerat, ex quibus appareat, ſuperbe, crudeliter, contumelioſe fuiſſe dominatos. Nec enim oportuit Prophetam omnia ſigillatim recenſere, quæcunque in Principibus reprehenſione digna erant: quia ex his paucis conſtat, quam injuſta, immanis & tyrannica eſſet ipſorum dominatio. Quo vero pauperes confugient, niſi ad Magiſtratum, qui Pater patriæ eſſe, & miſeris opitulari debet? Propterea utitur vehementia interrogationis, *Quid?* acſi diceret, Quæ eſt iſta audacia? quanta ferocia ac barbaries, ſic pauperum tenuitate abuti, ut nulla in parte ipſis parcatis? Duabus enim metaphoris notatur ſæva oppreſſio cum faſtu conjuncta.

Dictum Jehovæ.] Ne minus quam par erat haberet auctoritatis objurgatio, Dei perſonam in medium producit. ſubeſt enim tacita antitheſis: non eſſe hæc velut ex hominis ore accipienda: ſed Deum ipſum accuſationis eſſe auctorem, & perſequi iſtas injurias, ideoque tandem ipſas ulturum. Nam qui in aliquo honoris gradu conſtituti ſunt, tam impotenter ſeſe efferunt, ut omnium monita & dicta negligant. Eorum igitur ſupercilio majeſtatem Dei opponit: ne audeant ſerias & graves ejus minas contemnere. Interim meminerimus, non ſic accipi debere hunc locum, quaſi Propheta tantum de miſericordia Dei concionetur. Poſtquam enim univerſalem omnibus ultionem denunciavit, nominatim petit ipſa capita: ut neminem Dei manum evadere poſſe oſtendat. Atque hic eſt argumentum, quod vocant, à majore ad minus: Quomodo parceret Dominus vulgo ignobili, quum etiam de Principibus

pibus ipſis pœnas ſumpturus ſit, quod vineam corruperint?

16. *Superbiunt filiæ Sion.*] Sequitur alia comminatio adverſus mulierum ambitionem, luxum & ſuperbiam. In his autem Propheta certum ordinem ſequutus non eſt: ſed ut res poſtulare videbatur, nunc hæc, nunc alia vitia reprehendebat: deinde habita concione, ſummam ejus paucis comprehendebat,
ſupr. 1. verſ. 7. quemadmodum capite primo dictum eſt. Invehitur ergo in veſtes ſumptuoſas & ſupervacuum ornatum: quæ certa erant ſigna vanæ oſtentationis. Et ſemper ubi exceſſus eſt in cultu & nitore, ambitio perſpicitur: ac plura vitia fere inter ſe conjuncta ſunt. Unde enim luxus in viris & mulieribus, niſi è ſuperbia? Primum igitur ſuperbiam merito taxat, ut fontem mali, eamque à ſigno indicat: ab inceſſu ſcilicet: quod mulieres erecto collo ingrediantur. Quemadmodum enim modeſtiæ ſignum eſt, demittere vultum, (ut etiam profani ſcriptores teſtati ſunt:) ita nimium attollere, arrogantiæ eſt. Neque erecta cervix in muliere quicquam præter ſuperbiam efflare poteſt. Et ſane prudenter à fonte ipſo orditur Propheta. Nam ſi à ſignis initium feciſſet, veluti à veſtibus, inceſſu & ejuſmodi, objicere promptum erat, animum nihilominus rectum & purum eſſe: nec vero ſi elegantius & ornatius paulo veſtiantur, eſſe tamen cauſam idoneam, cur tam acerbis vocibus ipſas inceſſeret, & citaret ad tribunal Dei. Ergo ut vanis accuſationibus obviam eat, interius vitium detegit, quod ſe in toto externo habitu profert. Quod addit de *oculis vagantibus*, affectum impudicum notat, cujus in oculis indicium ut plurimum eſſe ſolet. Oculi enim impudici, nuncii ſunt impudici cordis: honeſtæ vero matronæ, oculos in ſe collectos, non vagos aut inſtabiles habent.

Plaudendo.] Hoc pertinet ad indecoram geſticulationem quæ laſciviam prodit. Eſt autem incertum, an in crepidis ſuis mulieres crepitacula geſtarint, quæ in ipſo inceſſu reſonarent, an vero ingreſſu ad numeros aptato imitatæ ſunt ſaltatriculas, quoniam ab illis ſeculis indumentorum forma valde immutata eſt: libenter tamen recipio illam interpretationem, quod ſonitum ambulando ediderint. hoc enim vox ipſa ſatis innuit.

17. *Ideo decalvabit.*] Eſt hic copula loco particulæ cauſalis. denunciat enim, quod nec blandis monitionibus, nec verbis ullis corrigi poſſint, Dominum longe aliter cum ipſis acturum eſſe, ne tantum ſermone aſper ſit ac ſeverus, ſed manu armata ad ultionem formidabilis prodeat. Itaque quemadmodum proterviam ſuam à capite ad pedes oſtentaverant: ita ſignificat Dominum in omnibus partibus corporis ſigna ultionis ſuæ demonſtraturum. A capite ergo incipit, ubi præcipuus eſt decor, & reliquas partes deinde perſequitur. Eſt autem obſervandum, haud fruſtra Prophetam adverſus mulierum luxuriem tanta vehementia & contentione invectum eſſe: cùm enim laborant multis vitiis, tum iſto maxime, quod inſana ardent cupiditate ſeſe ornandi. Nam quum avaræ ſint natura, ſumptui tamen nulli parcunt, quo ſe ornent: deducunt etiam de cibo, geniumque fraudant, quo elegantius & pretioſius induantur. Tanta eſt ejus vitii corruptela, ut alia omnia exuperet. Teſtantur hiſtoriæ, quantas Romæ turbas mulieres excitarint ob legem Oppiam, quam alii ſancitam, alii abrogatam volebant: atque in eo negotio nihil ob earum turbas aut graviter aut moderate actum eſt. Nec vero exempla longe petenda ſunt, quum infinita apud omnes fere nationes extent, ſitque vitium omnibus ſeculis pervulgare. Quoniam vero acuti & ſolertes ſumus comminiſcendis excuſationibus, quibus luxum & intemperiem noſtram tegamus: ideo Propheta totius mali fontem quaſi digito indicavit, nempe inſanam iſtam ambitionem, ut jam dictum eſt, qua abrepti homines, ſeſe oſtentare, atque inter alios eminere volunt. Nam quo ſint magis conſpicui, veſtium ornatu ſplendere cupiunt, quo oculos aliorum in ſe convertant. Poſtquam vero Propheta manum ad mali fontem direxit, ſpecies multas enumerat, ut quaſi in medium proferat mulierum ineptias. Earumque longum catalogum recenſet, quod in illis coacervandis nihil ſit muliere curioſius. Infinita enim figmenta gignit: nec immerito iis Mundi nomen veteres impoſuêre. Sunt enim fere tam infinita, quam ſingulæ mundi partes, ſi in unum congerantur. Itaque videtur hic Propheta excutere arculas muliebres, & proferre in medium quas in iis reconditas habent pomparum nugas, in quibus quo vehementius delectari & gloriari ſolent, curioſa earum ſtultitia unicuique magis perſpicua eſſe poſſit. Non eſt igitur ſupervacanea hæc enumeratio quantumvis verboſa, qua inexplebilis cupiditas traducitur. Quod ad ſpecies attinet, ego illis explicandis non immorabor, quum etiam peritiſſimi Hebræorum in quibuſdam dubitent, neque certo formas iſtas ornamentorum poſſint diſtinguere. ſatis eſt ſi ſummam rei, & Prophetæ ſcopum teneamus: nempe congeſtas in acervum, & numeratas eſſe has nugas, ut ex ipſarum multiplici varietate ſic pateat luxus & ambitio, quibus excuſatio nulla afferri queat. Nimiæ enim impudentiæ eſſet, dicere ad tegendum corpus neceſſaria eſſe, quæ præter naturam excogitat frivola mulierum vanitas. Quot vero hic refert, quæ neque requirit natura, neque neceſſitas, neque honeſtas? quorſum enim monilia, bullæ, inaures, & reliqua ejuſmodi? Unde ſatis perſpicuum eſt, ſupervacuam congeriem nullo prætextu tegi poſſe: luxum eſſe immoderatum, quem cohiberi aut frenari operæpretium eſt: ſæpe etiam lenocinia eſſe effœminandis animis, atque ad libidinem incitandis. Itaque nihil mirum eſt, quod Propheta in hoc vitium tantopere invehitur, graveſque pœnas denunciat.

24. *Pro ſuavi aromate putredo.*] Conſtat regionem illam aromatum copia abundare: nec dubium eſſe debet, quin odorum illecebris, quemadmodum cæteris in rebus, luxu diffluxerint. Videmus enim apud eas nationes quæ ab Oriente longiſſime abſunt, neque locorum intervalla, neque ſumptum impedimento eſſe, quo minus in iis luxurientur. Quid fiet in redundanti copia? qua & libidinem irritari, & luxum augeri certiſſimum eſt. Unguentis igitur & odoribus varie abuſos eſſe ſignificat. Ingenioſa enim eſt hominum cupiditas: nec unquam ſatiari poteſt.

Pro cinctura laceratio.] Alii Defluxum verterunt, quod Dominus diſcinget. Vult autem res vehementer contrarias inter ſe opponere: quod quum antea curioſe præcinctæ & ornatæ incederent, poſtea laceræ & nudæ futuræ ſint. Opponit etiam calvitium cincinnis: quod non ad modeſtiam, ſed ad luxum capillos componerent. Item balteo, ſaccum: ſive fuerit balteus, ſive aliud cinguli genus. certum eſt Prophetam ſignificaſſe zonam, quæ ſingulari in pretio erat. Item aduſtionem, venuſtati: quoniam elegantiores mulieres vix in ſolem prodire audent, ne adurantur: hoc ipſis eventurum ſignificat. Denique hic tam viri quam mulieres monentur, quam ſobrie donis Dei, tam in victu quam in veſtitu, totoque vitæ cultu utendum ſit. Dominus enim luxum ferre non poteſt, ac neceſſe eſt omnino ut graviore pœna ipſum ulciſcatur, quandoquidem leviore caſtigatione modus imponi nequit.

25. *Viri tui in gladio.*] Sermonem convertit ad Jeroſolymam totumque regnum Juda. Poſtquam enim oſtendit totum corpus tabe infectum eſſe, nec ullum membrum à contagione eſſe purum, ac ne mulieribus quidem pepercit, revertitur ad generalem doctrinam. neque enim quadraret ſingulis fœminis dari plures viros. Deinde quod proxime ſequitur, non-

nonniſi in gentem ipſam competit. Speciem vero poenæ deſignat, quod Deus bellis affliget totum populi robur. Hinc portarum luctus, quem acceptis cladibus fore denunciat. Significat enim, ubi maxima erat frequentia & celebritas, nonniſi horrendam ſolitudinem fore. Scimus tunc in portis habitos fuiſſe conventus. Sicuti ergo portas quodammodo exhilarat civium multitudo: ſic etiam triſtes dicuntur deformi ſua vaſtitate. Neque tamen inficior quin Jeroſolymam comparet mœſtæ mulieri & lugenti ſuam viduitatem. nam jacere in terra, mos fuit lugentium: ſicuti populus ille ceremoniis & ſignis exterioribus magis addictus fuit, quam mores noſtri ferant. Summa tamen eſt, urbem fore incolis deſertam.

CAP. IV.

APprehendent itaque in die illa ſeptenæ mulieres viros ſingulos, dicentes, Pane noſtro veſcemur, veſtimentis noſtris induemur, tantum invocetur * nomen tuum ſuper nos, tollaſque probrum noſtrum. * vel, cenſeamur tuo nomine.

2. In die illa erit germen Jehovæ in pulchritudinem & gloriam: & fructus terræ in præſtantiam & decorem: nempe in liberatis Iſraëlis.

3. Et eveniet, ut qui reliquus fuerit in Sion, & reſiduus manſerit in Jeruſalem, ſanctus vocetur, omneſque Jeroſolymis inter * vivos aſſcripti erunt: * vel, ad vitam.

4. Quum ſcilicet Dominus eluerit ſordes filiarum Sion, & ſanguines Jeruſalem expiaverit è medio ejus, & in Spiritu judicii, & in Spiritu * incendii. * vel, ardoris.

5. Et creabit Jehova ſuper totam habitationem montis Sion, & ſuper omnem cœtum ejus, nubem & obſcuritatem interdiu: noctu vero ſplendorem ignis flammantis: quia ſuper omnem gloriam erit protectio.

6. Eritque obumbratio per diem in umbram ab æſtu, in refugium & latibulum à nimbo & imbre.

A*Pprehendent.*] Proſequitur eundem ſermonem. nec dubium eſt quin uno tenore habita fuerit hæc concio. Certe hic verſus à ſuperioribus minime ſeparari debuit. hac enim circumſtantia melius exprimit qualis futura ſit vaſtatio & clades quam nuper denunciaverat Judæis. Nam hypocritæ niſi geminetur terror, vel ad minas ſurdi ſunt, vel eas extenuant, ut nunquam ſatis eos afficiat Dei ſeveritas. Ergo hic ab effectu oſtenditur cladis propinquæ atrocitas, ne ſibi facile exitum promittant. acſi diceret, Ne putetis mediocrem fore, quæ vos aliqua ex parte tantum diminuat: nam extrema internecio vos manet, ut vix ſeptem mulieribus vir unus reperiatur. Atque huc pertinet verbum Apprehendere. Eſt quidem à ſexus verecundia alienum, ut mulier ultro ſe viro offerat. Atqui Propheta non hoc modo facturas dicit, ſed quaſi injecta manu ſeptem retenturas virum unum: tanta erit raritas. Cladem etiam amplificat quod proxime ſequitur, Pane noſtro veſcemur, &c. Nam quum proprium viri ſit munus uxorem cum familia alere, iniquis conditionibus virum ſibi quærunt mulieres dum eum exonerant omni cura ſuppeditandi victus. Summam igitur virorum paucitatem eſſe oportet, ubi plures fœminæ non ſolum depoſito pudore virum unum ambire coguntur, ſed ne hanc quidem pactionem refugiunt, ut ſibi victum procurent ipſæ, nec aliud poſtulant quam à viro in fidem conjugii admitti.

Invocetur nomen tuum.] Latine reddi poteſt, Cenſeamur tuo nomine. Mulier enim quum tranſit in familiam viri, ejus nomine cenſetur, & proprium perdit: quandoquidem vir ipſius caput eſt. unde ei velum ſubjectionis ſignum eſt: & Saræ dicebat Abimelech, Abraham vir tuus operimentum erit capiti tuo. Quod ſi innupta maneat, latet ſub nomine familiæ ſuæ. Hanc autem iſtius loquutionis veram ſignificationem eſſe, ſatis conſtat ex 48. cap. Geneſ. ubi Jacob nepotibus ſuis benedicens, ait, Nomen meum & patrum meorum, Abraham, & Iſaac, in ipſis invocetur: id eſt, cenſeantur in noſtra progenie, ſintque participes fœderis, nec unquam abalienentur, quemadmodum Eſau & Iſmaëli contigit. Sic & profani ſcriptores loquuntur. Apud Lucanum lib. 2. Martia redire ad Catonem volens, Da tantum nomen inane Connubii: liceat tumulo ſcripſiſſe, Catonis Martia. Dicunt autem, *Colliges probrum noſtrum:* quoniam mulieres quodammodo probroſæ videntur, quum viros non reperiunt. non ſolum quia deſpici videntur quaſi indignæ, ſed quia in populo veteri præcipua Dei benedictio erat ſoboles. ideoque ſollicitas fore dicit Propheta de eluendo hoc probro, omnique ad eam rem perſuaſione uſuras. Denique ſignificat tantam fore cladem, quæ omnes propemodum viros abſumat.

1 Cor. 11. verſ. 3.
Gen. 20. verſ. 16.
Gen. 25. verſ. 23. & 21. verſ. 10.

2. *In die illa erit germen.*] Opportune ſubjicitur hæc conſolatio, quia diræ illius cladis nuncio abſterreri poterant pii, ac ſecum ambigere quomodo in ruina populi ſtabile futurum eſſet Dei fœdus. Hæc enim longe inter ſe diſſident, populum fore inſtar arenæ maris, & tamen horrenda ſtrage ſic periturum, ut in reliquiis nulla eſſet ſuperſtes dignitas, nullus ſplendor, ac nullum fere nomen. Suo igitur & communi Prophetarum more mature occurrit Jeſaias, & addita conſolatione mitigat immodicum terrorem, ut fideles Eccleſiam nihilominus ſalvam fore confidant, ac bona ſpe ſuſtentent ſuos animos. Sicut ergo de inſtauratione montis Sion diſſeruit ſecundo capite, ita nunc promittit exorituram novam Eccleſiam: ſicuti germen in agro prius inculto naſcitur. Locus hic quidem vulgo de Chriſto exponi ſolet: & quum per ſe plauſibilis ſit opinio, plus coloris accedit ex dicto Zachariæ, Ecce vir cujus nomen erit Germen. Hoc idem etiam confirmat, quod Propheta non ſimpliciter, ſed cum adjectione honorifica loquatur de hoc Germine. acſi Chriſti Divinitatem commendare propoſitum eſſet. Poſtea quum addit Fructus terræ, hoc ad humanam naturam referunt. Sed omnibus propius expenſis, non dubito Germen Dei & Fructum terræ accipere, pro copioſo & inſolito gratiæ proventu, qui famelicos recreabit. Perinde enim loquitur, acſi terra poſt vaſtationem ſterilis & ſqualore obſita, nullum germen in futurum promitteret: quo magis in ſubita fœcunditate optabilem reddat Dei gratiam: acſi agri jejuni & ſteriles, inexſpectatam herbam producerent. Atque hæc metaphora ſatis eſt Scripturæ familiaris, Dei dona in mundo germinare. Pſalm. 85. verſ. 12. Veritas è terra germinabit, & juſtitia è cælo proſpiciet. Ita infra 45. v. 8. Aperiat ſe terra & germinet ſalutem. quibus uberem tam ſpiritualis quam terrenæ benedictionis copiam notari certum eſt. Et hunc eſſe præſentis loci ſenſum, ex contextu liquet. ſubjicit enim continuo poſt Jeſaias, fore in decus & ſplendorem

Zach. 6. verſ. 12.

liberationi Iſraël, hoc eſt, numero reſiduo, quem Dominus ab interitu eripiet. Nam nomen פליטה quod verti ſolet Evaſio, hic ſicut aliis pluribus locis eſt collectivum. Porro beatæ fœcunditatis quam promiſit, fruitionem addicit electis: ideoque pronunciat Sanctos fore, qui erunt ſuperſtites. Huc quidem ſpectat Prophetæ conſilium, gloriam Dei fore illuſtrem, quum exorietur nova Eccleſia: acſi ex nihilo crearet ſibi populum, ac bonis omne genus locupletaret. Qui reſtringunt ad Chriſti perſonam, ridiculos ſe faciunt Judæis, acſi præ inopia Scripturæ locos in ſuum commodum torquerent. Sunt autem alii Scripturæ loci, ex quibus plenius evincere licet, Chriſtum eſſe verum Deum & verum hominem, ut nihil hic opus ſit philoſophari. Interea de regno Chriſti hic agi fateor, in quo fundata fuit Eccleſiæ reſtitutio. Notandum vero eſt, conſolationem non promiſcue ad omnes dirigi, ſed tantum ad reliquias, quæ mirabiliter è faucibus mortis ereptæ fuerint. Cæterum quia frigida videri poterat conſolatio, ſi tantum dixiſſet exiguum numerum fore ſalvum, de magnifica gloria & decoro ſplendore concionatur, ut ſperent fideles, nihil damni fore in diminutione illa: quia non in multitudine poſita eſt Eccleſiæ dignitas: ſed in puritate, dum electos ſuos Deus Spiritus donis magnifice & glorioſe exornat. Unde utiliſſima doctrina colligenda eſt: quamvis ſcilicet rari ſint admodum fideles, quando velut ab incendio erepti fuerint, glorioſum tamen inter ipſos Deum fore, nec minus illuſtre magnificentiæ ſuæ ſpecimen inter ipſos, quam inter multos, exhibiturum.

3. *Et eveniet.*] Proſequitur eandem ſententiam: ubi populi colluvies profligata fuerit, quod reſtabit purum & ſanctum fore. Quod ita reſolvunt quidam, vocandos eſſe ſanctos qui inventi fuerint ſcripti in libro vitæ, nimis reſtrictum mihi videtur. Potius ſeorſum legenda ſunt hæc duo membra, omnes qui reſidui erunt in Sion fore ſanctos, & qui ſuperſtites erunt in Jeruſalem, ſcribendos eſſe in libro vitæ. Et repetitio hæc Hebræis ſatis frequens eſt atque uſitata, ubi idem beneficium Dei, variis elogiis prædicant

Joël. 2. verſ. 32. Prophetæ. Sicuti quum dicitur, In Jeruſalem erit ſalus, & in Sion remiſſio peccatorum, eodem utrumque referri debet. Magis tamen extollitur Dei gratia, quum ſalutis cauſa in gratuita venia ponitur. Similis eſt hujus loci ratio. Mundam enim Eccleſiam fore dicit ſordibus abſterſis, & quicunque in ea locum habebunt, vere electos Dei fore. Jam hoc in externam Eccleſiam non omnino competere certum eſt, ubi plerique admixti ſunt titulo tenus fideles, qui nihil dignum ſua profeſſione habent: imo qui tanquam paleæ in area exiguam copiam bonorum numero ſuperant. Et quanquam Deus exilio Babylonico velut cribro multas paleas excuſſerat, ſcimus tamen longe adhuc à legitima puritate abfuiſſe Eccleſiam. Sed quia tunc aliqua ex parte apparuit imago ejus puritatis, quæ vere & ſolide conſpicua erit poſtquam ſegregati fuerint agni ab hœdis, Jeſaias ſuo more de primordiis illis loquens, complectitur continuum tempus uſque ad finem, dum præſtabit Deus in ſolidum quod tunc incepit. idem & quotidie fieri videmus. Quamvis enim caſtigationibus & pœnis non omnibus maculis in totum purgetur Eccleſia, ſublatis tamen inquinamentis, partem ſui nitoris recuperat. Ita nullum ex flagellis damnum patitur: quia ſic minuitur, ut multos hypocritas evomendo tantundem levetur: quemadmodum ægro corpori non niſi purulenta vel fœtida materia ejecta, reſtitui poteſt ſanitas. Hinc redit ad nos utiliſſima conſolatio: quoniam ſemper multitudinem appetere, atque ex ea Eccleſiæ conditionem æſtimare ſolemus. Atqui hoc potius optandum eſſet, ut pauciores eſſemus, atque in nobis omnibus reluceret gloria Dei. Sed quia alio nos ducit noſtra gloria, eo fit ut numerum potius hominum, quam paucorum virtutem ſpectemus. Colligendum eſt etiam quæ vera ſit Eccleſiæ gloria: vere enim floret, quum ſancti in ea locum habent: tametſi pauci & deſpicabiles mundo, florentem tamen & optabilem ejus ſtatum reddunt. Sed quia nunquam futurum eſt in hoc mundo, ut ſancti in Eccleſia ſoli locum occupent, patienter ferenda eſt permixtio. Interim pro beneficio non vulgari habendum, quoties ad legitimam munditiem propius accedit. Per Scriptos in libro vitæ, jam diximus intelligi Dei electos. acſi diceret, reſecandam eſſe profanam turbam, quæ tantùm in terra nomen habet. Alludit autem Propheta ad communem Scripturarum uſum: ſicuti quum Moſes Exod. 32. optat *Exod. 32 verſ. 32.*
potius deleri ex libro vitæ, quam totus populus pereat. Chriſtus autem Apoſtolis dicit, Gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo. Item Ezech, In catalogo populi mei ſcribentur. Etſi autem non alius Deo liber eſt, quam æternum ſuum conſilium, quo nos pro filiis adoptans, prædeſtinavit ad ſalutem: ſimilitudo tamen hæc noſtræ ruditati optime convenit: quia non aliter mens noſtra conciperet gregem ſuum Deo notum eſſe, ne quis ex electis à vita unquam excidat. Quum ergo ſuos habeat Deus quodammodo deſcriptos, decretum adoptionis, quo æterna illis beatitudo fixa manet, liber vitæ dicitur. Reprobi vero etſi ad tempus filiis Dei videntur pares eſſe, ab hoc tamen catalogo alieni ſunt: ſicuti videmus eos excuti, dum ſuos colligit & ſegregat. ac hujus quidem rei complementum non ante diem ultimum extabit: quia tamen filiis Dei, dum conſtanter, deficientibus reprobis perſeverant, ſancitur ſua electio, non leve in malis ſolatium eſt, quum tentationibus agitati non excidunt à gradu.

4. *Quum eluerit.*] Eandem adhuc ſententiam proſequitur. Nam quum vulgo exiſtiment Eccleſiam ex cladibus quibus imminuitur, multum detrimenti accipere: Propheta in contrariam ſententiam magis ac magis inſiſtit. Et nunc ad refellendum illum errorem ratiocinatur à contrario, quod ſcilicet potius hoc modo eluat Deus Eccleſiæ ſuæ ſordes, & corruptelas removeat. Per *ſanguines*, intelligo non homicidia tantum vel atrocia ſcelera, ſed immunditias & inquinamenta omnis generis. Eſt enim *ἀναδίπλωσις* in hac metaphora, qua rem eandem bis inculcat. Nam quod prius dixit Sordes in genere, nunc in ſpecie Sanguines, quaſi menſtrua aut aliud ſimile, appellat. In ſumma, oſtendit fructus qui ſequuntur ex flagellis Dei. Iis enim maculæ noſtræ eluuntur. Nam ubi impune graſſatur impietas, ſimul cum aliis corrumpimur. Quamobrem neceſſe eſt ut nos ſerio admoneat Dominus, & inſtar medici, purget, ſecet, atque etiam interdum urat.

In Spiritu.] Judicium pro rectitudine accipit, ab ipſo effectu: ubi ſcilicet res collapſæ in priſtinum ſtatum reſtituuntur. Addit Spiritum ardoris: quo ſordes exuri ac conſumi debent. In quo duo notanda ſunt: primum expiationem Eccleſiæ fieri per Spiritum: deinde Spiritum ipſum ab effectibus habere nomen nunc judicii, nunc ardoris. Perinde acſi diceret, Judicium Spiritus, Incendium Spiritus. Quoties ergo ejuſmodi loquutiones in Scripturis occurrunt, Dominus hæc faciet in Spiritu veritatis, potentiæ, juſtitiæ: poſſumus hoc modo ſermonem vertere, Potentia, veritate, juſtitia Spiritus. Sic enim in nobis Spiritus Dei operatur, à quo noſtræ ſalutis initium & finis eſt. Ex his igitur epithetis, qui ſint præcipui effectus ipſius, obſervandum. Dominus Spiritu ſuo affectus noſtros concoquit, ut nos reformet rectoſque efficiat. Nomine *judicii*, declarat quid in reſtitutione Eccleſiæ præcipuum ſit: quum ſcilicet in legitimum ordinem reſtituuntur vel confuſæ, res vel collapſæ. *Ardor* autem, modum & rationem deſignat, qua Dominus eam ſuo nitori reſtituit.

5. *Super omnem habitationem.*] Acſi diceret nullum fore angulum montis Sion, in quo Dei gratia

non

non reluceat. Habitationem & conventum pro eodem accipio. Nec enim conventum pro congregatione poſuit, ſed pro loco in quo homines conveniunt. Porro notare volens plenam benedictionem, alludit ad id quod refert Moſes, quum Dominus à ſervitute Ægyptiaca populum liberavit, & miſit columnas nubis interdiu, noctu vero columnas ignis. Hoc enim Prophetis uſitatum eſt, quum inſigne aliquod beneficium proponunt, redemptionem illam ex Ægypto, velut inſigne Dei opus in memoriam revocare. Tunc enim maxime explicuit Deus immenſos gratiæ ſuæ theſauros in conſtituenda Eccleſia, nec ullum beneficentiæ documentum omiſit, quo teſtata fieret ejus populi felicitas. Hoc vero in primis fuit memorabile, nubis tegumento arceri interdiu nimium calorem, noctu præire columnam ignis, ne in devia loca aberrarent. Summa huc redit, quum Eccleſiam Deus ab exilio Babylonico colliget, non minus ſplendidum & nobile fore redemptionis genus, quam dum olim populus egreſſus erat ex Ægypto. non quod medio itinere inter Babylonem & Judæam, ſicut in deſerto, nubes & columna ignis comitatæ reduces fuerint: ſed quia aliis modis non minus inſignibus gratiæ ſuæ & favoris teſtimonium patefecit: perinde acſi quis hodie diceret, Illuminabit nos Deus Spiritu ſuo igneo, dabit linguas diſſectas, quibus Euangelium per totum orbem ſpargatur. Neque enim hoc præciſe accipere deceret, quaſi mittendus eſſet è cælo Spiritus ſub viſibili illo ſigno: ſed miraculum revocaretur in memoriam, ut eandem Dei potentiam in reſtituenda Eccleſia hodie ſperare diſcerent fideles, quam olim experti ſunt Apoſtoli. Adde quod Propheta hoc loquendi modo continuum benedictionis tenorem commendat: acſi diceret, Non modo ad vos liberandos Deus ſemel momento manum ſuam extendet, ſed quemadmodum patribus veſtris ſemper adfuit in deſerto, ſic vos etiam redemptos uſque ad finem tuebitur. Quod ſtatim addit, *ſuper omnem gloriam*, pendet ex ſuperiore dicto, Germen quod rurſus oriturum erat fore in gloriam. Perinde eſt igitur acſi diceret, Super eos qui notam & inſignia liberationis ſuæ geſtabunt. Forte etiam alludit ad locum Exodi 12. verſ. 23. ubi refertur, ſignatas domos ab Angelo ultore fuiſſe abſque noxa præteritas. Sicut enim tunc aſperſio ſanguinis in ſalutem fuit protectio: ita promittit Jeſaias fideles ſub Dei ſigno tutos fore. Idque diligenter notandum eſt, quia monemur non aliter gratiæ Dei nos fore participes, quam ſi ejus imaginem geſtemus, ac in nobis reluceat ejus gloria.

Exod. 13. verſ. 21.

Act. 2. verſ. 3.

6. *Eritque obumbratio.*] Quamvis confirmet Propheta quod jam attigimus, nempe Deum fore perpetuum ſuis ducem, uſquedum ad metam nos perduxerit: monemur tamen fideles variis ærumnis ſemper eſſe obnoxios. Æſtus enim & algores & frigora, & duriora etiam mala ipſos vehementer premunt: quum è periculo aliquo liberantur, in aliud incidunt. Verum hæc optima conſolatio, quod adverſus omnia incommoda, ſola Domini umbra ſufficiet. Eos enim ſic conteget, ut nihil ipſis nocere aut quicquam incommodi afferre poſſit. Tametſi igitur nos undique variæ clades & ærumnæ circumdant, Dominus tamen promittit ſe adfuturum: ſicut in Pſalmo dicitur, Per diem ſol non uret te, neque luna per noctem: quia Dominus cuſtodit &c. Supereſt tantum ut ſequamur vocationem noſtram, & fideliter officio fungamur. Communis probis & improbis hæc conditio eſt, ut varia incommoda ſuſtineant: ſed improbis nulla ſunt refugia, nulla latibula quibus ſe contegant, eoſque penitus obrui neceſſe eſt. Piorum vero beata eſt conditio, quia tametſi algeant, & frigeant, tutum tamen eis in Deo perfugium eſt. Sed gloriam illam in nobis relucere oportet, de qua prius dictum eſt: alioqui hæc nullo modo ad nos pertinebunt. Quod ſi geſtemus Dei notam, quoties tempeſtas ingruet, nobis ipſum præſidio fore confidamus.

Pſal. 121. verſ. 6.

CAP. V.

CAntabo, agedum, pro dilecto meo, canticum dilecti mei ad vineam ſuam: Vinea fuit dilecto meo in cornu filio olei.
2. Eam ſepiverat, & elapidaverat, & plantaverat, ut vineam electam: turrim ædificaverat in medio ejus, & torcular in ea conſtruxerat. Itaque ſperavit ut produceret uvas, & produxit labruſcas.
3. Nunc igitur habitator Jeruſalem, & vir Juda, judicate inter me & vineam meam.
4. Quid faciendum fuit amplius vineæ meæ quod non fecerim ei? quomodo expectavi ut proferret uvas, & tamen produxit labruſcas?
5. Et nunc oſtendam, agedum, vobis, quid ego facturus ſim vineæ meæ: Auferam ſepem ejus, ut ſit in depaſtionem; interrumpam maceriam ejus, ut ſit in conculcationem.
6. Faciam ut ſit deſerta: non putabitur neque fodietur: & aſcendet ſentis & ſpina. Quin etiam nubibus præcipiam, ne ſuper eam pluant.
7. Sane vinea Jehovæ exercituum, domus Iſraël eſt: & vir Juda, palmes ejus delectabilis. Inde expectavit judicium, & ecce oppreſſio: juſtitiam, & ecce clamor.
8. Væ qui conjungunt domum ad domum, agrum ad agrum copulant, donec non ſit locus: ut collocemini ſcilicet vos ſoli in medio terræ.
9. Hoc in auribus Jehovæ exercituum. Si non domus multæ in ſolitudinem redigantur, magnæ & pulchræ abſque habitatore.
10. Quin etiam decem jugera vineæ facient batum unum, & ſemen cori reddet ephi.
11. Væ qui mane ſurgunt ad ſectandam ebrietatem, & qui tempus ad noctem extrahunt, dum vinum accendit eos.
12. Et eſt cithara, lyra, tympanum, tibia & vinum in conviviis eorum: opus autem Jehovæ non reſpiciunt: nec opus manuum ejus conſiderant.
13. Propterea in captivitatem abiit populus meus: quia non fuit præditus ſcientia: & gloria ejus, viri famis, & multitudo ejus aruit ſiti.
14. Propterea dilatavit infernus animam ſuam, & os ſuum diſtendit abſque modo: deſcenditque gloria ejus & multitudo ejus, & opulentia ejus & qui lætatus eſt in ea.

Digitized by Google

15. Et incurvabitur homo, & humiliabitur vir: oculi inquam ſublimium humiliabuntur.

16. Exaltabitur autem Jehova exercituum in judicio: & Deus qui ſanctus eſt, ſanctificabitur in juſtitia.

17. Et paſcentur agni ſecundum rationem ſuam: & deſolata pinguium, advenæ comedent.

18. Væ trahentibus iniquitatem in funibus vanitatis; & tanquam vinculis plauſtri, peccatum.

19. Qui dicunt, Acceleret, feſtinet opus ejus, & videamus: appropinquet ac veniat conſilium Sancti Iſraël, ut ſciamus.

20. Væ qui dicunt malo bonum, & bono malum: qui faciunt lucem ex tenebris, & tenebras ex luce: qui vertunt amarum in dulce, & dulce in amarum.

21. Væ ſapientibus in oculis ſuis: & qui coram ſeipſis ſunt prudentes.

22. Væ qui fortes ſunt ad bibendum vinum: & viris fortibus ad miſcendam potionem.

23. Qui juſtificant impium propter munus: juſtitiam autem juſti tollunt ab eo.

24. Propterea ſicut devorat ſtipulam lingua ignis, & palea à flamma diſſolvitur: ſic radix eorum quaſi putredo erit, & germen eorum quaſi pulvis vaneſcet. Quoniam abjecerunt Legem Jehovæ exercituum, & eloquium Sancti Iſraël averſati ſunt.

25. Idcirco exarſit furor Jehovæ in populum ſuum: & extendens ſuper eam manum ſuam, percuſſit eum: & contremuerunt montes, fuitque cadaver eorum mutilum, projectum in medio viarum. & in omnibus iſtis non eſt averſus furor ejus: ſed adhuc manus ejus eſt extenta.

26. Et levabit ſignum ad gentes è longinquo: ſibilabit genti ab extremo terræ: & ecce velox & levis veniet.

27. Non erit laſſus neque impingens inter ipſos: nullus dormitabit neque dormiet: non ſolvetur ulli cingulum lumborum, neque rumpetur corrigia calciamentorum ejus.

28. Sagittæ ipſorum acutæ erunt, & omnes arcus extenti. Ungulæ equorum quaſi ſilex: & rotæ ipſorum quaſi turbo reputabuntur.

29. Rugitus ejus ſicut leonis: fremet inſtar leunculorum. Frendet, atque apprehendet prædam. Spolia corradet, & nemo eripiet.

30. Fremet ſuper eum in die illo, quaſi fremitus maris: tum aſpiciet ad terram, & ecce tenebræ tribulationis: & lux obtenebrata erit in cælis.

C*Antabo, agedum.*] Diverſum eſt argumentum hujus capitis à ſuperiore. Propheta enim ſtatum populi Iſraëlitici, qualiſcunque erat, deſcribere voluit: ut omnes vitia ſua agnoſcerent, atque ita pudor & diſplicentia ſui eos ſerio reſipiſcentiæ ſtudio afficeret. Hic enim velut in ſpeculo, populus conditionis ſuæ miſeriam potuit contemplari. Placebat autem alioqui ſibi nimium in vitiis, neque monitiones ullas æquo animo ſuſtinebat. Quamobrem ſuam illi fœditatem palam & velut in tabula monſtrari oportuit. Et quo plus haberet auctoritatis, hac præfatione uſus eſt: quoniam res inſignes & præclaræ carmine deſcribi ſolebant, ut omnium ore circumferrentur, & perpetuum extaret earum monumentum. Quemadmodum à Moſe deſcriptum eſſe canticum videmus, & alia pleraque, ut & privatim & publice omnia his vocibus perſonarent. Sic enim celebrior fit doctrina, quam ſi ſimplicius traderetur. Hac igitur ratione Jeſaias canticum hoc compoſuit, ut populo fœditatem ſuam magis conſpicuam faceret. Nec vero dubium quin iſta magnifice & magis ſonora voce tractarit, ſicuti etiam magis exquiſito artificio carmina componi ſolent. *Exod. 15. verſ. 1. Deut. 32. verſ. 1.*

Dilecto meo.] Non dubium eſt quin Deum intelligat. acſi diceret, Carmen ſe in Dei gratiam compoſiturum, quo expoſtulet de populi ingratitudine. Plus enim energiæ habuit, inducere Deum loquentem. Sed quæritur cur ipſum Jeſaias Amicum vocet. Reſpondent nonnulli, quod conſanguineus Chriſti eſſet. & certe à Davide originem duxiſſe fateor. ſed hoc coactum videtur. Simplicius erit & convenientius, ſi ex Joannis ſententia dicamus, Amicis ſponſi committi Eccleſiam: iiſque Prophetas annumeremus. Nec enim dubium quin hic quoque titulus ipſis conveniat, quando veteris populi mandata fuit *Joan. 3. verſ. 29.* cura, ut ſub capite ſuo contineretur. Eos igitur zelotypos fuiſſe mirum non eſt, atque indigne tuliſſe quum populus alio animi ſui affectum conferebat. Prodit igitur Jeſaias in perſona ſponſi: & ut anxie ſollicitus de ſponſa quæ ipſi commiſſa eſt, conqueritur quod ea fidem conjugalem abruperit: ejuſque perfidiam & ingratitudinem deplorat. Hinc agnoſcimus, non tantum Paulum ſponſæ Dei zelotypum fuiſſe, ſed etiam Prophetas omnes ac doctores, quotquot fideliter Domino ſervierunt. Atque hic titulus omnes Dei ſervos vehementer pungere ac expergefacere debet. Quid enim magis pretioſum homini quam uxor? vir profecto recti animi, omnes ei theſauros poſthabebit: & facilius alicui facultates ſuas quam uxorem committet. Fideliſſimum cenſeat eum neceſſe eſt, apud quem conjugem unice ſibi charam deponet. Dominus autem Paſtoribus & Miniſtris Eccleſiam ſuam velut charam conjugem, committit. Quantæ erit nequitiæ, eam ignavia & negligentia noſtra prodere? Quiſquis ejus conſervandæ ſtudio non ardet, nullo prætextu excuſari poteſt. Quod ſecundo loco addit דוד, tametſi primam ſyllabam mutat, eadem tamen ſignificatio eſt cum priore. Utcunque alii Patruelem, alii cognatum vertant, ego potius iis aſſentior, qui alluſionem eſſe putant. debet enim Poëtis pluſquam aliis ſcriptoribus concedi licentiæ. Sic igitur compoſuit iſtas voces, & ad eas alluſit, ut earum ſono & rythmo memoriæ conſuli poſſet, iiſque animi allicerentur. *2 Cor. 11. verſ. 2.*

Vinea fuit dilecto meo.] Similitudo vineæ ſatis frequens eſt Prophetis: nec certe iſta comparatione, alia aptior reperiri poteſt. Ea enim oſtendit duobus modis quanti Dominus Eccleſiam ſuam æſtimet. Nam neque ulla poſſeſſio vinea pretioſior eſt: & nulla etiam plus operæ & aſſidui laboris flagitat. Non tantum igitur pretioſam ſibi nos hæreditatem eſſe *Pſal. 80. verſ. 9. Jerem. 2. verſ. 21.*

eſſe docet, ſed ſimul curam & ſollicitudinem erga nos ſuam commendat Dominus. Initio cantici Propheta commemorat beneficia quæ Dominus in populum Judaicum contulerat: deinde explicat quanta fuerit populi ingratitudo: tertio pœnam quam ſequi oportuit: quarto vitia populi enumerat; quia nunquam homines vitia ſua agnoſcunt niſi coacti.

In cornu.] Initium hoc prædicat, quod Deus populum in beata ſtatione locaverat, perinde acſi quis in colle amœno & fertili vineam plantet. Nam per vocem Cornu, locum editum, & qui ſupra planitiem eminet, intelligo: vulgo dicimus *un coſtau*. Quod nonnulli ad ſitum Jeroſolymæ referunt, mihi frigidum videtur ac coactum. Potius ergo allegoriam ſuam contexit Propheta. Et quod Deus populum hunc dignatus eſt in ſuam curam & cuſtodiam ſuſcipere, gratiam hanc plantationi vineæ comparat. Melius enim in collibus, & altioribus locis, quam in planitie vites conſeruntur. Et quemadmodum ait ille, —— apertos Bacchus amat colles, Aquilonem, & frigora ſylvæ. Alluſit igitur ad naturalem ſerendæ vineæ rationem: deinde ſimilitudinem perſequitur, non vulgarem fuiſſe poſitum hujus loci. Nam Filium olei vocans vel pinguedinis, uberem & maxime feracem intelligit. quod interpretes quidam ad Judææ fœcunditatem reſtringunt, mihi non probatur: quia felicem populi ſtatum metaphorice deſcribere voluit Propheta.

2. *Eam ſepiverat.*] Aſſiduitatem & vigilantiam Dei prædicat in excolenda vinea: acſi diceret, nihil fuiſſe ab eo prætermiſſum, quod requiri poſſit ab optimo patrefamilias & maxime provido. Neque tamen hic ſingula argute perſequi libet, quemadmodum nonnulli faciunt, obſeptam fuiſſe Eccleſiam Spiritus ſancti præſidio, ut tuta eſſet contra diaboli incurſus: Torcular eſſe doctrinam: per Lapides notari omnia errorum impedimenta. Simplicius fuit Prophetæ conſilium, ſicut attigi, Deum optimi agricolæ partibus ſedulo & liberaliter fuiſſe defunctum. Interim Judæos ſecum expendere oportuit, quot & quam variis Dei beneficiis exculti eſſent. Et hodie propoſita vineæ & Eccleſiæ ſimilitudine, debemus has figuras transferre ad Dei beneficia, quibus & amorem erga nos ſuum, & ſalutis noſtræ curam teſtatur. In verbo Plantandi videtur inverſus eſſe ordo, quia à plantatione initium potius fieri debuit quam à ſepimento. Sed ita reſolvo, poſtquam plantaverat, neceſſaria quoque omnia addidiſſe. Merito igitur ingratitudinem & perfidiam exprobrat, quod dignos tam laborioſa cultura fructus non protulerit. Quod ne etiam nobis exprobret Dominus, verendum eſt. Quo enim majoribus beneficiis ornati fuerimus à Deo, eo fœdior ingratitudo noſtra futura eſt, ſi iis abutamur. Non abs re ſuos ornat Dominus, vel ut ſpeciem quandam inanem præ ſe ferant: ſed ut uvas, id eſt, fructum optimum producant. Quod ſi fruſtrentur eum ſua expectatione, ſequetur pœna quæ hic à Propheta prædicitur. Proinde commemoratio beneficiorum nos vehementer commovere, & ad gratitudinem ſtimulare debet. Præterea nomen *vineæ*, præſertim adeo cultæ, tacitam antitheſin continet. Nam eo pluris facienda ſunt beneficia Dei, quo minus vulgaria ſunt, ſed peculiaris benevolentiæ pignora. Hæc promiſcua ſunt, quod malos æque ac bonos Sole ſuo illuſtrat, iiſque ſuppeditat quæ ad victum & cultum neceſſaria ſunt: *Matth. 5. verſ. 45.* ſed fœdus illud gratiæ quod nobiſcum iniit, quo nos Euangelii luce illuminat, quanti fieri debet, quum eo potiſſimum ſuos dignetur? Cura ergo & diligentia, quam aſſidue excolendis animis noſtris adhibet Dominus, potiſſimum conſideranda eſt.

Itaque ſperavit.] Hic conqueritur, populum qui tanta præſtantia donatus fuerat, indigne ac turpiter degeneraſſe: eumque accuſat, quod Dei beneficentiæ non reſponderit. Nam pro ſuavibus uvis, dicit tantum vitioſos & amaros fructus tuliſſe. Certum quidem eſt, Deum, ſub cujus oculis ſunt omnia, ſpe ſua non falli inſtar mortalis hominis: imo in cantico Moſis palam declarat, qualis futura eſſet populi pravitas, ſibi ab initio non fuiſſe incognitum: *Deut. 32. verſ. 15.* Dilectus meus, inquit, ubi bene & pinguiter fuerit saginatus, recalcitrabit. Non ergo magis in Deum cadit dubia ſpes, quam pœnitentia. Nec vero hic ſubtiliter diſputat Jeſaias, quid apud ſe Deus expectaverit, ſed qualiter ſe gerere debuerit populus, ne tam præclara dona in nihilum redigeret. Sic Euangelium jubet Deus promulgari in obedientiam fidei, non quod expectet ab omnibus obſequium, ſed quia ſolo auditu increduli redduntur inexcuſabiles. Cæterum, nihil eſt quod ad ſtudium pie ac ſancte vivendi magis nos animare debeat, quam dum Spiritus ſanctus, quæ Deo præſtamus officia, optimi ſaporis fructibus comparat.

3. *Nunc habitator.*] Eos ipſos quibuſcum litigat, judices conſtituit ſuæ cauſæ, quemadmodum fieri ſolet in rebus apertis, & magis convictis quam ut adverſarius tergiverſari queat. Summæ igitur fiduciæ ſignum eſt, quod jubet reos ipſos pronunciare, an non ita res habeat. Nam paulo poſt clarius exprimet, in ipſos dirigi accuſationem, quibus nunc judicium defert. Quærit autem primo, quid deſiderari poſſit ab optimo agricola aut patrefamilias, quod non ipſe præſtiterit vineæ ſuæ. Hinc colligit nihil eſſe excuſationis, quod indigne fraudatus ſit ſuo labore. Quanquam ſecundo membro videtur ſecum ipſe expoſtulare, quod fructum aliquem gratum vel optabilem à tam ſcelerato populo expectaverit: ut quum expectationi noſtræ eventus non reſpondet, conquerimur ipſi nobiſcum, atque indignamur nos male operam locaſſe apud ingratos, quorum pravitas nos cohibere debuerat: & fatemur nos merito deluſos, quia nimis fuerimus creduli & faciles. Simplicior tamen hic erit ſenſus, Quum omnibus officii partibus defunctus fuerim, ac ſuperaverim omnium vota in vineæ meæ cultu, qui fit ut tam iniquam mihi mercedem rependat: & pro fructu ſperato, meram proferat amaritudinem? Si quis objiciat, remedium fuiſſe in manu Dei, ſi corda populi flexiſſet, frivola eſt quoad ipſos homines tergiverſatio: quia eos conſtringit ſua conſcientia, ne culpam transferendo elabi queant. Etſi enim efficaciter non penetret Deus Spiritus ſui virtute in corda hominum, ut eos ſibi morigeros reddat, fruſtra tamen obſtrepent hoc ſibi defuiſſe, quando omnem ignorantiæ prætextum ſatis ſuperque tollit externa vocatio. Neque etiam hic de potentia ſua loquitur Deus, ſed negat ſe plus debuiſſe quam præſtiterit.

5. *Et nunc oſtendam.*] Quia Judæos quaſi proprio ipſorum ore damnatos tenet, ſimul adjungit, ſe fore ultorem contemptæ ſuæ gratiæ, ut impune non effugiant. Neque enim ſatis ad ipſos movendos valida fuiſſet exprobratio, niſi pœnam ſimul minatus eſſet. denunciat ergo nunc, non fore inultum tantum ſcelus, quod improbe ab ipſis deluſus fuerit. Hæc autem vindictæ ſumma eſt, donis quibus abuſi fuerant privatum iri, ubi Deus non modo ſubtraxerit ſuam curam, ſed hoſtibus ſpoliandos expoſuerit. Interim oſtendit quam miſera futura ſit eorum conditio, ubi ſua liberalitate eos fovere deſierit. Unde ſequitur, quod hactenus ſalva & integra ſtetit, ſingulari Dei beneficentiæ debere acceptum ferri. Imo admonet quam variis adminiculis fuerit ſervata, & quam multa media ad eam peſſundandam intus & foris Deo ſuppetant. Nam & ablato ejus præſidio, prædam obviis quibuſque, tam beſtiis quam hominibus, fieri neceſſe eſt. Diruta, inquit, maceria calcabunt eam ac depaſcent pecora, vaſtabunt ac diripient prædones, ſic deſerta reddetur. Deinde quia fodiendo & putando operam Deus non dabit, ſterilis etiam

culturæ inopia reddetur: ſurgent ſentes & ſpinæ quæ palmites ejus ſuffocent: imo Deus pluviam arcendo, radices ejus areſaciet. hinc jam perſpicitur quam multiplicibus armis inſtructus ſit Deus ad ulciſcendam noſtram ingratitudinem, ubi ſuam beneficentiam contemptui nobis eſſe viderit. Pergit quidem in ſua metaphora Jeſaias, & quo plus ſibi attentionis conciliet, figuris orationem ſuam exornat: ſimpliciter tamen colligendum eſt, ſicut innumeris beneficiis aſſidue nos Deus proſequitur, ita ſollicite cavendum eſſe, ne eorum contemptum, nunc hoc nunc illud ſubtrahendo, ulciſcatur. Quantum vero ad Eccleſiæ regimen ſpectat, quo pluribus indiget ſubſidiis, eo etiam pluribus pœnis obnoxia eſt, ſi perperam corrumpat quæ divinitus ordinata ſunt in ejus ſalutem. Nec vero mirum eſt, ſi tot hodie incommoda vaſtitatem & ſolitudinem minentur. Quicquid enim mali nobis accidat, ſeu deficiat doctrina, ſeu prævaleant improbi, ſive obrepant vulpes & lupi in Eccleſiam, hoc totum tribuere convenit ingratitudini noſtræ: quia fructum non reddidimus qualem decebat, fuimuſque deſides & otioſi. Agnoſcamus ergo iram Domini, quoties merito tantis beneficiis, quæ ſponte offerebat, privamur.

7. *Porro vinea Domini.*] Hactenus figurate loquutus eſt: nunc oſtendit quorſum illud canticum pertineat. Prius detulerat judicium Judæis: nunc demonſtrat ipſos non tantum reos eſſe, ſed etiam convictos teneri. Nec enim ignorare poterant beneficia
Pſal. 80. verſ. 9. quæ acceperant à Deo: Vitem, inquit Pſalmographus, tranſtuliſti de Ægypto, eamque expulſis Gentibus plantaſti. aperta autem & conſpicua erat ingratitudo. Non perſequitur Jeſaias omnes ſimilitudinis partes, nec erat neceſſe. Satis enim fuit demonſtrare finem in quem ſimilitudo illa ſpectabat. Totus populus, Vinea fuit: viri ſinguli, Palmites. Ita univerſum populi corpus, ac deinde unumquemque privatim accuſat: ut nemo poſſet ſe ab univerſali condemnatione eximere, quaſi ſecum minime expoſtulatum eſſet. Cur *vinea* vocetur populus, ſatis perſpicuum eſt: quoniam Dominus eum elegit, & dignatus eſt fœdere gratiæ & æternæ ſalutis, innumeriſque beneficiis proſequutus eſt. Initium eſt plantatio: ſequitur deinde cultura. Adoptatus eſt ille populus, omnibuſque rationibus excultus à Deo. Nec enim ſufficiebat adoptio, niſi Dominus eum aſſidue excoluiſſet, beneficiiſque ſuis ornaſſet.

Eadem apud nos doctrina hodie valere debet. Te-
Joan. 15. verſ. 1. ſtatur Chriſtus ſe vitem eſſe, in quam inſiti excolimur à Patre. quum munus agricolæ erga nos obire dignetur Deus, ac ſedulo præſtare quæ ſe in populum veterem contuliſſe exprobrat, non mirum eſt graviter excandeſcere, ſi fruſtra & inutiliter ope-
ibid. v. 2. ram conſumat. Hinc illa comminatio, Omnem palmitem in me non ferentem fructum, avellet, ac in ignem projiciet.

Expectavit judicium.] Incipit abſque figura narrare, quam impie degeneraverint Judæi, apud quos ſpreta æquitate & juſtitia, graſſatum eſt omne injuſtitiæ & violentiæ genus. In vocibus eleganti paronomaſia utitur. Nam quum idem fere ſonant, tamen contraria eſt ſignificatio. משפט enim, Judicium ſignificat; משפח, Conſpirationem ſive oppreſſionem: צדקה, Juſtitiam; צעקה, Clamorem & querimoniam eorum qui per vim & injuriam opprimuntur: quæ audiri non ſolent, ubi redditur cuique quod ſuum eſt. Cæterum duo commemorat quæ præcipue requirit Dominus à populo ſuo, ut ſunt veri fructus timoris Dei. Etſi enim præcedit ordine pietas: eam tamen ab officiis ſecundæ Tabulæ deſcribi, abſurdum non eſt. Inde ergo Dei contemptus merito coarguitur, quod in homines crudeliter ſævierint: quia ubi regnat inhumanitas, extincta eſt religio. Nunc idem nobis dici intelligamus: ut enim plantatus fuit ille populus, ita & nos. & revocandum in memoriam

quod ait Paulus, Nos fuiſſe velut oleaſtros, quum Rom. 11. verſ. 17.
ipſi eſſent vera & naturalis oliva. Nos ergo quum eſſemus alieni, inſiti ſumus in veram olivam: nos aſſidua cura excoluit & ornavit Dominus. Quales vero fructus proferimus? Certe non tantum inutiles, ſed etiam acerbos. Majoris ergo ingratitudinis damnandi ſumus: quum longe amplioribus beneficiis ſimus ornati ac cumulati. Et merito in nos competit iſta expoſtulatio, quum vis & injuria paſſim graſſetur. Quum autem generalis doctrina non ita vehementer animos perſtringeret, has duas ſpecies potiſſimum enumeravit Propheta: ut quaſi digito monſtraret, quantum abeſſet ille populus à fructu quem bona vinea proferre debuerat.

8. *Væ qui conjungunt.*] Nunc avaritiam & inexplebilem aviditatem reprehendit: unde fraudes, injuriæ, & violentiæ oriri ſolent. Nec enim per ſe damnari poteſt, ſi quis agrum agro, & domum domui conjungit: ſed animum reſpexit, qui ſatiari nullo modo poteſt, ubi ſemel habendi cupiditate accenditur. Deſcribit ergo affectum eorum quibus nunquam ſatis eſt, nec ullæ opes ſatisfaciunt. Tantus enim ardor ineſt avaris, ut omnia ſoli poſſidere cupiant, & quicquid obtinent alii, id ſibi decedere & ereptum eſſe arbitrantur. Unde eleganter alicubi ait Chryſoſtomus, Avaros ſolem pauperibus, ſi poſſent, libenter erepturos eſſe. Nam communia etiam elementa invident fratribus, eaque libenter ingurgitarent. non quo fruerentur: ſed quia ſic eos dementat ſua cupiditas. Nec interea conſiderant ſe aliorum opera indigere: hominem per ſe nihil efficere poſſe: hoc tantum curant, ut quam plurima haurire poſſint. itaque devorant cupiditate omnia. Exprobrat ergo avaris & ambitioſis tantam inſaniam, quod alios è terra ſublatos vellent, ut eam ſoli poſſiderent, ideoq; nullum modum ſtatuunt ſuæ cupiditati. Quanta enim dementia eſt, eos expulſos velle quos Deus nobiſcum in terra locavit, & quibus hæc communis ſedes conſtituta eſt? Quod ſi voti potirentur, certe nihil pernicioſius iis accidere poſſet. Nec enim ſoli arare, metere, aliaque ad victum neceſſaria efficere, ſibique omnia ſubminiſtrare poſſent. Sic enim Deus homines inter ſe conjunxit, ut alii aliorum opera & induſtria egeant: nec quiſquam niſi inſanus, alios homines, quaſi ſibi noxios aut inutiles rejiciat. Ambitioſi vero ſua gloria frui non poſſunt, niſi in multitudine. Quam ergo cæci ſunt, quum alios volunt abigere & ſummovere, quo ſoli regnent?

De amplitudine ædium idem dicendum eſt quod prius de agris diximus. Ambitio enim eorum notatur, qui in ſpatioſis & magnificis ædibus habitare cupiunt. Nec enim reprehendi poteſt, ſi is cui magna eſt familia, ampla etiam domo utatur: ſed quum homines ambitione elati, acceſſionem ſupervacaneam ædibus faciunt, tantum quo laxius habitent, unuſque domicilium & habitationem ſolus occupat quæ pluribus ſufficere poſſet, vana profecto ambitio eſt, & merito reprehendenda. Perinde enim agunt, acſi ejectis cæteris, ſoli domicilio & habitatione frui deberent: aliis vero aut habitandum ſub dio, aut alia ſedes quærenda foret.

9. *In auribus.*] Hic aliquid ſubaudiendum eſt. Intelligit enim Dominum interim ſedere judicem & cognitorem iſtarum rerum. Quia dum avari rapiunt, opeſque ſuas coacervant, ſua cupiditate excæcantur, nec intelligunt ſe aliquando rationem reddituros. Nunquam certe adeo obſtupefacti ſunt homines, quin judicium aliquod Deo tribuant: ſed ita ſibi blandiuntur, ut putent Deum non attendere. Itaque in genere agnoſcunt judicium Dei: ubi ad ſpeciem ventum eſt, ſibi indulgent, nec eo ſibi veniendum eſſe arbitrantur. Ubi autem admonuit, nihil horum fugere Dei oculos: ne otioſa putetur cognitio, mox addit, vindictam prope inſtare, & quidem interpoſito jurejurando. Nam in particula, Si non,

forma eſt jurandi Scripturis uſitata. quo enim terrorem majorem incutiat, ſententiam ſuſpendit apoſiopeſi. Poterat quidem plena oratione hanc comminationem exprimere: verum imperfecta magis dubium & ancipitem auditorem tenet: ideoque formidabilior eſt. Præterea hoc reticentiæ exemplo Dominus nos ad modeſtiam aſſuefacere voluit: ne ſimus licentioſi in execrationibus. Quid autem denunciat? *Domus multas redigendas in ſolitudinem.* Hæc juſta pœna eſt, qua Dominus avaritiam & ambitionem hominum caſtigat: qui quantuli ipſi eſſent non conſiderarunt, ut poſſent mediocritate eſſe contenti. Quemadmodum ille ridens inſanam cupiditatem Alexandri gementis, quod ex philoſophia Anacharſis plures mundos eſſe intelligeret, quum tot exhauſtis laboribus nondum eſſet unius dominium adeptus:

Unus Pellæo juveni non ſufficit orbis.
Æſtuat infelix, anguſto limite mundi,
Ut Gyaræ clauſus ſcopulis, parvaque Seripho.
Quum tamen à figulis munitam intraverit urbem,
Sarcophago contentus erit: mors ſola fatetur
Quantula ſint hominum corpuſcula. ——

Exempla harum rerum quotidiana extant: nec ea animadvertimus. Dominus enim velut in ſpeculo oſtendit, quam ridicula ſit hominum vanitas, qui innumeram pecuniam profundunt in extruendis palatiis, quæ poſtea noctuarum, veſpertilionum, aliarumque beſtiarum cavernæ fiant. Hæc oculis noſtris patent, nec tamen animum ad ea conſideranda adjicimus. Tam variæ & ſubitæ mutationes accidunt, tot deſertæ domus, tot everſæ urbes ac dirutæ, tot denique alia judicii Dei clara documenta extant: nec tamen homines ab hac inſana cupiditate revocari poſſunt. Minatus eſt Dominus per Prophetam Amos: *Amos 5. verſ. 11.*
Ædificaſtis domos ex cæſis lapidibus: ſed non habitabitis in eis. Item, Percutiet domum magnam *Amos 6. verſ. 11.*
in fracturas, & domum parvam in ſciſſuras. Hæc in dies accidunt, nec tamen hominum libido minuitur.

10. *Decem vinearum jugera.*] Idem in agris & vineis eventurum prædicat: futurum ſcilicet ut avari optatis reditibus non fruantur, quorum inexplebilis eſt libido: imo non ſecus atque animalia quædam ſuo anhelitu ſurculos exurunt, atque areſaciunt ſegetes, iſtos rapacitate ſua terræ fruges corrumpere: Agros adeo ſteriles fore, ut vix decimam ſementis partem reddant: Vineas autem minimum vini reddituras. *Batus*, menſura eſt liquidorum, quemadmodum teſtatur Joſephus. Continet autem ſextarios ſeptuaginta duos: quæ menſura certe in decem jugeribus admodum exigua eſt, præcipue in ſolo ferace. *Corus*, menſura eſt aridorum: continet eodem auctore medimnos unum & triginta: *Ephi*, ejus decima pars eſt. Unde apparet paulo plus quam tres medimnos continere. Atqui ubi fœcunda eſt terra, non ſolum in decuplum, ſed etiam in tricecuplum, aut eo plus ſementem auget multoque uberiorem reddit quam acceperit. Ubi aliter accidit, certa eſt maledictio Dei, rapacitatem hominum ulciſcentis. Interea homines malignitatem terræ accuſant, quaſi ipſa in cauſa ſit. ſed fruſtra. Neque enim deeſſent nobis proventus, niſi Dominus, terræ ob avaritiam hominum malediceret. Dum enim tam ſtudioſe coacervant ac cumulant, quid aliud agunt, quam ut Dei beneficentiam aviditate ſua devorent? Quod ſi non perſpicitur in omnibus hoc vitium, quia facultas deeſt, affectus tamen non deeſt. Nunquam ita exarſit mundus hac cupiditate: nec mirum ſi hoc Dei ſupplicium experiatur.

11. *Væ qui mane.*] Non hoc agit Propheta, ut vitia omnia enumeret quæ tum vigebant: ſed ſpecies tantum aliquas deſignat, quibus magis erant obnoxii. Poſtquam enim generalis doctrina tractata eſt, ad ſpecies veniendum: earumque magis neceſſariæ enumerandæ ſunt. nullus enim eſſet finis omnes ſigillatim perſequi. Quum igitur avaritiam reprehendiſſet, nunc in crapulam invehitur: quod vitium vulgare etiam fuiſſe dubium non eſt. Eligit enim vitiorum ſpecies quæ non in uno aut altero, ſed paſſim graſſabantur. Et ſane ſunt ejuſmodi vitia quæ contagione ſua totum corpus inficiunt. *Mane ſurgere*, idem eſt, quod ſtudioſe aliquid factitare. ut apud Solomonem, Væ populo cujus Principes mane comedunt: id eſt, potiſſimum curant, ut paſcant ventrem ac delicientur. id autem eſt naturæ ordinem invertere. Homo enim, ut ait David, ſurgit quo egrediatur ad opus ſuum, & negotiis intentus ſit uſque ad veſperam. Quod ſi laboribus valere juſſis, ſurgat ad captandas delicias & ſectandam ebrietatem, hoc prodigioſum eſt. ſequitur continuatio;, quod *tempus extrahant.* Perinde acſi diceret, à diluculo ad crepuſculum uſque perſequi ſuas compotationes, nec unquam potando fatigari. Hæc autem conjuncta ſunt, nempe abundantia & luxuries. Ubi enim affluit rerum copia, tunc luxuriantur homines, & intemperanter ea abutuntur.

Eccl. 10. verſ. 16.
Pſal. 104. verſ. 23.

12. *Eſque cithara.*] Addit inſtrumenta voluptatum, quibus ſuam ingluviem irritant homines crapulæ dediti. Hæc poterant diverſa eſſe à noſtris: ad muſicam tamen pertinebant. Muſicam certe non improbat Jeſaias: eſt enim ſcientia minime contemnenda: ſed depingit populum omni genere luxuriæ diffluentem, ſibique nimis indulgentem in captandis voluptatibus. Idque ſatis conſtat ex eo quod ſequitur.

Et opera Domini.] Acſi diceret, eos ita verſari in deliciis, & illecebris eſſe affixos, quaſi ad eas nati & educati eſſent: nec cogitare quorſum Dominus ipſis neceſſaria ſuppeditet. Nec enim nati ſunt homines ut edant ac bibant, ſeque volutent in lautitiis, ſed ut obſequantur Deo, eumque reverenter colant, agnoſcant beneficentiam ipſius, ſeque ei gratos præſtare ſtudeant. Ubi vero diffluunt luxuria, ſaltant, cantillant, nec aliud habent propoſitum quam ut jucundiſſime vitam tranſigant, deteriores ſunt beſtiis. Quem enim in finem conditi ſint à Deo non animadvertunt: quomodo Deus orbem hunc providentia ſua adminiſtret: & quo dirigendæ ſint omnes vitæ noſtræ actiones. hunc ſenſum, qui mihi ſimplicior videtur, retuliſſe ſufficiat. Nam argutas interpretationes recipere non poſſum, qualis eſt eorum qui *Opus* Legem exponunt. Nec etiam ſingulas aliorum opiniones referre mihi propoſitum eſt. Et ſatis eſt tenere, flagitium hoc omnibus ad ſaginam intentis objici à Propheta quod ſponte obbruteſcant, ubi ſenſus ſuos ad Deum vitæ auctorem non dirigunt.

13. *Propterea captivus.*] Non placet quod quidam interpretes exponunt, quia in officio ceſſarint doctores, populum inſcitia & errore in multa vitia fuiſſe prolapſum, quæ tandem interitus cauſa fuerint. Quin potius invehitur in craſſam & voluntariam ignorantiam: acſi diceret ultro ſibi ſua dementia exitium acceſſere. Senſus igitur eſt, populum doctrinæ contemptu perire, quum poſſet eſſe ſalvus, ſi ſanis conſiliis obtemperaſſet. Ideoque diſerte exprimit, Populus meus: nempe qui ſingulari privilegio à reliquis gentibus ſegregatus erat, ut duce & magiſtro Deo fretus, certam vivendi regulam teneret: ſicut Deut. 4. verſ. 7. dicitur, Quæ tam nobilis & inclyta natio eſt, quæ deos habeat appropinquantes ſibi, ſicut Deus tuus hodie ad te accedit? Hæc igitur erit veſtra ſcientia & intelligentia præ omnibus populis, Audire Deum veſtrum. hac indignitas crimen exaggerat, quod in tanta luce cæcutiat populus. Itaque hæc graviſſima fuit accuſatio, quod populus, quem Deus regendum ſuſceperat, nulla præditus fuerit ſcientia. Lex enim ad totum vitæ regimen abunde

ſufficere

ſufficere poterat: lucerna erat prælucens in communibus mundi tenebris: ideoque inſtar prodigii fuit, quod populus ad viam ſibi monſtratam animum advertere noluit. quin potius clauſis oculis, projecit ſe in*perniciem. Hoc nunc exprobrat Propheta, quicquid calamitatum ſuſtinet, ejus culpæ eſſe imputandum: quia Deo fideliter docere volenti, aures accommodare noluerit. Quod nomen Captivitatis metaphorice exponunt quidam, nimis coactum eſt. Pœnas enim, quas partim jam inflixerat Deus, partim infligere ſtatuerat, Propheta hic recenſet: ut palam faciat populum propria culpa miſerum eſſe, acſi Dei maledictiones appeteret. Quum hæc concio habita fuit, jam abductæ erant aliquot tribus Iſraël in exilium: inſtabat autem clades utriuſque regni. Itaque perinde loquitur Propheta acſi jam omnes in captivitatem tracti eſſent. Subjicit deinde alteram pœnam, nempe quod fame & inedia tabeſcant: nec plebeii homines modo, ſed præſtantiſſimi quique, in quibus melius perſpicitur Dei ultio. Nam divites, & primarios homines, penes quos reſidebat totius gentis dignitas, famelicos vagari, horribile ſpectaculum eſt. Neque tamen modum exceſſit vindictæ Dei atrocitas: quia ſemper notanda eſt ignorantiæ cauſa, quod ſcilicet præfracti fuerint Judæi, ac lucem cæleſtis doctrinæ contumaciter reſpuerint, imo clauſerint aures Deo, quum magiſtri vices ad eos docendos obire paratus foret. Hinc colligimus utilem doctrinam: fontem ſcilicet omnium malorum eſſe, quod nos verbo Dei doceri non patimur. idque Propheta potiſſimum ſpectari voluit.

Quæri poteſt, an ignorantia, omnium malorum cauſa ſit. Videntur enim permulti non tam ignorantia, quam contumacia peccare. Nam quum animadvertunt quod rectum eſt, id tamen ſequi nolunt. unde conſequens, eos ſponte, non inconſulto tantum peccare. Reſpondeo, ignorantiam aliquando propinquam, aliquando remotam eſſe: id eſt, aliam immediatam eſſe, ut vulgo dicitur, aliam mediatam. Propinqua, quoties homines ſeſe fallunt aliquo prætextu, mentemque ſuam ſponte excæcant. Alia eſt remotior, quum homines principia ipſa reſpuunt, ex quibus vitæ ſuæ normam conſtituere debebant. Eos enim Deum intueri & ad voluntatem ejus attendere oportebat. eum quum negligunt, præfracti quidem ſunt & contumaces: ignorant tamen, quia diſcere nolunt, atque in ipſo principio impingunt. Nec tamen eos excuſat ignorantia, quam ſibi ſponte accerſunt, dum talem Doctorem rejiciunt. Stat ergo hæc ſententia, ideo populum tam varie affligi, quod Dominum ignoret, nec ſe ab eo doceri patiatur.

14. *Propterea dilatavit.*] Hoc verſiculo terrorem augere voluit Propheta ſecuris hominibus, qui propoſitis minis nondum ſatis commovebantur. Quamvis enim res horrenda eſſet captivitas atque etiam fames, major tamen fuit durities ac ſtupor populi, quam ut ſerio ad hæc iræ Dei ſigna attenderet. Ideo Propheta aliquid magis formidabile denunciat, quod infernus ventrem ſuum aperuerit ad omnes abſorbendos. Dixi nuper, debere ex parte referri ad futurum tempus, quæ hic in præterito dicuntur. Nec temere tanquam de rebus compertis & manifeſtis diſſerit Propheta. Voluit enim populum quaſi in rem præſentem adducere, ut oculis cerneret quod perſuaderi non poterat. Cæterum infernum vel ſepulchrum comparans inſatiabili beſtiæ, animam pro ventriculo accipit, in quem cibus ingeritur. Summa eſt, ſepulchrum inſtar eſſe patuli & immenſi gurgitis, qui Dei mandato inhiet ad devorandos homines morti addictos. Magis autem emphatica eſt hæc proſopopœia, quam ſi dixiſſet omnes ad ſepulchrum damnatos eſſe.

Multitudo deſcendet.] Conjungit nobiles plebeiis, ne quis ſpe effugii ſibi blandiatur: acſi diceret, Mors abſumet vos, veſtraque omnia, delicias, opes, voluptates, & quævis alia in quibus fiduciam veſtram locatis. hic igitur confirmatio eſt ſuperioris ſententiæ. Et notanda ſemper particula illativa כי. Populus enim vel aſſignabat calamitates ſuas Fortunæ, vel quovis modo ad ferulas Domini obſtupeſcebat. Propterea ſignificat Jeſaias hæc non fortuito accidere. Adhæc ſolent homines expoſtulare cum Deo, adeoque procaces atque arrogantes ſunt, ut eum in jus vocare non dubitent. Ut ergo coërceat iſtam ſuperbiam, oſtendit juſtas eſſe pœnas quibus plectuntur, eorumque ſtultitiæ omnino aſſignandum eſſe quod modis omnibus ſunt miſeri.

15. *Et incurvabitur homo.*] Hæc eſt veluti clauſula, quæ finem & exitum talium plagarum demonſtrat, ut dejiciantur omnes, Dominus vero ſolus emineat. Similem prius ſententiam legimus: atque illic declaravimus quidnam Propheta ſibi vellet: nempe oſtendit finem plagarum quibus nos Deus caſtigat. Res enim adverſæ adeo nobis odioſæ ſunt, ut nihil in iis boni concipere poſſimus. Quum ſit mentio pœnarum, deteſtamur ipſas atque exhorremus, quia Dei juſtitiam non intuemur. Atqui Prophetæ nos ad aliam conſiderationem revocant, quamdiu laſciviunt homines in ſuis peccatis, ſuffocare quodammodo Dei juſtitiam, nec aliter conſpicuam fulgere, niſi quum peccata noſtra ulciſcitur. Maximus profecto hic fructus eſt, omniumque hominum ſaluti præferendus. Omnia enim poſthabenda ſunt gloriæ Dei, quæ in juſtitia ipſius eluceſcit. Non eſt igitur cur plagas quibus nos caſtigat Deus, tantopere exhorreamus: ſed reverenter amplecti debemus quod de iis Prophetæ pronunciant. Quanquam hoc modo Propheta acriter pupugit protervos hypocritas, quibus impunitas majoris inſolentiæ cauſa erat: quaſi diceret, Putatisne, ubi vos diu toleraverit Deus, fieri ad extremum poſſe ut ſub pedibus veſtris jaceat? Exurget certe, & in veſtra ruina exaltabitur. Quoniam hic Propheta priore loco poſuit אדם, deinde איש, putant ſignificari tam nobiles quam ignobiles: acſi diceret, Non tantum peribit vulgus, ſed etiam ii qui opibus, honore & dignitate antecellunt. Quem ſenſum libenter recipio, quoniam איש à fortitudine, אדם vero à terra dictum eſt. Si quis vero ſimplicius exponere velit, judicium ei ſuum relinquo. Quicquid ſit, Propheta univerſos mortales comprehendit, & ſummos & infimos.

16. *Exaltabitur in judicio.*] Modum eminentiæ de qua loquutus eſt exprimit, vel cauſam formalem, ut vulgo loquuntur: acſi diceret, Deum exercituum, quem pedibus ferociter calcant impii, ſublimem fore, ubi ſe probabit mundi Judicem. Hoc modo ſtultam confidentiam qua turgebant impii, deridet: quia ſi judicium & juſtitiam tandem emergere neceſſe eſt, ſequetur eorum dejectio: quando non aliter ſe attollunt quam everſo naturæ ordine. Atque hoc diligenter notandum eſt, non magis fieri poſſe ut proſpero in ſtatu maneant impii, quam ut Deus gloriam ſuam aboleri ſinat. Etſi autem nihil differt judicium à juſtitia, non tamen ſupervacua eſt repetitio. Creſcit etiam vehementia quum addit ſecundo membro, Deus ſanctus ſanctificabitur: ne perpetuam felicitatem falſa imaginatione perperam ſibi promittant impii. quod niſi abolita Dei ſanctitate fieri non poteſt. Atqui quum ſanctus ſit Deus natura, eum ſanctificari neceſſe eſt. Unde ſequitur impendere reprobis interitum, quo dometur eorum obſtinatio & pervicacia, quia ſeipſum abnegare non poteſt Deus.

17. *Et paſcentur agni.*] Alii, Pro modo, vel Juxta demenſum ſuum, vertunt. Intelligit autem, Secundum rationem uſitatam. Hic verſiculus varie exponitur. verum id in primis notandum eſt, Prophetam afferre conſolationem piis voluiſſe, qui horrendis judiciis Dei auditis expaveſcebant. Quo enim

quiſque

quiſque majore religione præditus eſt, eo magis præſentem Dei manum ſentit, & judicii ejus ſenſu afficitur. denique timor & reverentia Dei efficiunt, ut nos ſerio percellat quicquid ejus nomine proponitur. Proinde auditis tam gravibus minis, ſeſe ſuſtinere non poſſent, niſi inſtar condimenti accederet conſolatio, in qua guſtum haberent miſericordiæ Dei. idque uſitatum eſt Prophetis, ut ſemper habeant rationem piorum, eorumq; animos ſuſtentent. Quamvis ergo, inquit Jeſaias, Deus populum univerſum deleturus videatur, fidum tamen ſe paſtorem præbebit agnis ſuis, eoſque paſcet uſitato ſuo more. hoc unum eſt. Simul autem Prophetæ conſilium fuit, arrogantiam retundere in proceribus, qui injuſta tyrannide pios & humiles opprimendo, ſe Dei Eccleſiam eſſe gloriabantur. Frivolam igitur ac mendacem eorum jactantiam eſſe admonet, dum ſe inſigniunt gregis Dei titulo: quia hirci ſint, non agni. Jam vero illis exterminatis, non modo in promptu rationem fore Deo paſcendi gregis ſui, ſed agnis nunquam aliter bene fore quam ſi ab hircis liberati fuerint.

Deſerta.] Hic magis variant Interpretes: ſed puto verum eſſe ſenſum, quod filii Dei ad tempus aliquod expulſi & quaſi extranei, poſtliminio revocabuntur, & tunc recipient quæ deſerta erunt, vel in vaſtitatem redacta à pinguibus, id eſt, à ſuperbis & crudelibus qui rapuerant eorum fortunas. Nam *advenas* vocat filios Dei, qui ad tempus profugi futuri erant: *deſerta*, poſſeſſiones ab ipſis derelictas, quæ ab aliis occupatæ fuerant. Reſpicit enim morem ſatis notum & vulgo uſitatum: nempe ſi quis agros & prædia poſſideat, manum veluti extenſam in ea habet, ut nemo vel glebam audeat attingere: quod ſi ea deſtituat, occupantur. Populus ergo ſic deſtituerat poſſeſſiones à quibus fuerat expulſus, ut deſperaret ſe eas recuperare poſſe: ut merito deſerta, eorum reſpectu ab ipſis nominari poſſent. Deſerta vero pinguium, quia validis & potentibus in poſſeſſionem ceſſerant. quanquam ſimpliciter accipere licet pro deſertis pinguibus: probabilius tamen eſt, pingues vocari tyrannos.

18. *Væ trahentibus iniquitatem.*] Poſtquam inſeruit brevem conſolationem qua apud pios temperaret acerbitatem pœnarum, ad comminationes redit, & fulmina illa verborum contorquere pergit, quæ metum aliquem extorqueant. Per *funes* nihil aliud intelligit quam illecebras quibus homines ſeſe decipiunt, & in flagitiis animum ſuum obſtinant. Aut enim rident judicium Dei, aut vanas excuſationes comminiſcuntur, & prætextum neceſſitatis adducunt. Quodcunque igitur velum opponant, id Funes vocat. nam quoties ad peccandum ſollicitat homines carnis ſuæ libido, initio hærent apud ſe, & remoram aliquam ſibi injici ſentiunt: qua certe retinentur, niſi contrario impetu ruerent, omnemque ſynteresin abrumperent: interrogatur tacito inſtinctu uniuſcujuſque conſcientia, dum incitatur ad malum, Quid agis? nec unquam peccatum ſic ultro fluit, quin eam remoram patiatur. Sic enim Deus humano generi conſultum voluit, ne in effrenem peccandi licentiam omnes erumperent. Qui ergo fit, ut homines in malis adeo obſtinati ſint? Certe illecebris ſe falli ſinunt, animoſque ſuos obſtupefaciunt, ut ſpreto judicio Dei, licentiam peccandi arripiant. Blandiuntur ſibi fingendo peccatum non eſſe quod peccatum eſt, vel excuſatione aliqua & vano prætextu extenuant. Hi ergo ſunt funes, pravæ colligationes quibus peccatum attrahunt. Unde apparet Dominum haud fruſtra iis minari: nec enim ſponte tantum peccant, ſed pervicaciter & obſtinate: ſe denique peccato alligant, ut ſint inexcuſabiles.

19. *Qui dicunt, Acceleret.*] Deſignat unam ſpeciem, qua demonſtret ipſos peccata veluti funibus attrahere. Nihil enim deterius, quam non modo rejicere omnem cogitationem divini judicii, ſed ſpernere quicquid de eo dicitur, & habere pro fabulis. Nam extremum contemptum exprimere voluit, dum homines propoſito Dei judicio, illud ſe lætis animis expectaturos aiunt: idque velut inanem terrorem ludibrio habent: ſicuti indicant hæc verba plena contemptus, & perverſæ confidentiæ, Veniat, acceleret. *Opus* hic pro judicio κατ' ἐξοχὴν accipitur. nam videtur otioſus eſſe Dominus, quum impiorum delicta non ulciſcitur: quum vero ſurgit ad judicium ferendum & pœnas ſumit, tunc apparet opus ipſius, & manifeſtum eſt, ut vulgo dicunt, actu: quia ex re ipſa deprehendimus ejus imperio & manu gubernari mundum. Opus ergo ſpecialiter pro judicio ſumitur: quoniam eo nobis conſtat Dominum minime otioſum eſſe, ſed fungi officio ſuo. De eo autem per ludibrium & contemptum loquuntur impii. atque iſtam improbitatem & pervicaciam hodie plus ſatis experimur: idemque bellum quod Prophetas olim exercuit, nobis etiam ſuſtinendum eſt. Exiſtimant impii Deum otioſum eſſe, nec curare res humanas: quemadmodum Epicurus ſummam Dei felicitatem ſtatuebat, quod omni negotio vacaret. Quamvis enim imaginentur aliquem Deum, judicium tamen ejus minime agnoſcunt. Interea bono & læto animo ſe eſſe jubent, nec volunt ſe macerare iſtis cogitationibus. Clament hi Prophetæ & miniſtri, atque vociferentur, terroreſque & minas proponant, nos ſecure quod nunciant expectabimus, atque interim gaudio noſtro perfruemur. Hunc in modum refert Propheta impiorum ſermones, quibus ludibrium & contemptum verbi prodebant. nec tantum dicunt, Veniat opus, ſed feſtinet, acceleret: quia ex tarditate colligunt vanum eſſe quicquid non ſtatim exequitur Deus, poſtquam loquutus eſt. Sic Petrus in 2. Epiſt. impios loquentes inducit, Ex quo creatus eſt mundus, continuum naturæ curſum fluxiſſe. ideoque poſt tam multa ſecula expectari diem judicii. Interim quaſi data opera provocant Deum, ut ſi quid habet potentiæ, ſtatim exerat. Et operi adjungitur conſilium; acſi dicerent, Quouſque tandem deliberat, vel quid facturus ſit pronunciat Deus? oſtendat potius ratum eſſe quod decrevit. Atque hoc culpam non parum amplificat, quod doctrinam ſibi familiariter notam, proterve eludere audebant: in eo ſceleratiores profanis Gentibus, quod doctrinam ſpernebant, qua ſibi eos in populum peculiarem adoptaverat.

2 Petr. 3. verſ. 4.

Ut videamus.] Hæc ſunt indicia infidelitatis; quia impii Deum agnoſcere nolunt, niſi præſenti experimento ſentiant: nec fidem verbis ejus habere ſuſtinent. Quod ſi hac nota Spiritus ſanctus impios reddit deteſtabiles, fidem ac pietatem contrario ſigno teſtari nos decet, ut ſcilicet in Dei verbo acquieſcamus, quamvis non protinus appareat effectus: quando proprium fidei eſt, nos ab ore Dei tenere ſuſpenſos. Accedit quidem nobis confirmatio ab operibus: ſed initium minime inde faciendum eſt. Hoc enim eſt diſcriminis inter electos & reprobos, quod electi ſimpliciter acquieſcunt in verbo, interim opera non negligunt: impii vero poſthabito & contempto verbo, etiamſi centies loquatur Deus, opera ſubinde importune flagitant. Et quum proponitur judicium Dei: Ubi eſt? inquiunt. Non poſſunt ferre ejus mentionem, niſi ſtatim re ipſa pateat. Ubi eſt talis immoderatio, ſequitur nullam ineſſe fidem: ſed potius obſtinatam pervicaciam, quæ magis ac magis hominem à Deo ſubducat, atque alienet.

20. *Væ qui dicunt.*] Tametſi nonnulli hanc ſententiam reſtringunt ad judices, tamen ſi quis propius expendat, facile colliget ex toto contextu, eam generalem eſſe. Quia enim nuper in eos invectus fuerat qui nullas monitiones ſuſtinere queunt: nunc pergit in eadem objurgatione. Conſtat autem ejuſ-

modi

modi homines habere ſemper aliquid quod prætexant, & quo ſibi faciant fucum: nullum itaque obloquendi finem faciunt, quum in medium proferuntur eorum ſcelera. Nominatim vero hic eorum petulantiam coarguit, qui omne boni & mali diſcrimen ex profeſſo conantur pervertere. Et litera ל præpoſita dictionibus, Bonum & Malum, tantundem valet, atque De. ſenſus eſt igitur, Qui de malo bonum dicunt, & è diverſo: id eſt, qui inani fuco res malas tegunt, excuſant, transformant, quaſi naturam cujuſque rei mutaturi ſuis cavillis: contra vero, bonas res ſuis calumniis deformant. hæc autem fere ſemper conjuncta ſunt. Quiſquis enim timore Dei præditus eſt, retinetur & conſcientia & pudore, quominus excuſare peccata ſua, aut quod rectum juſtumque eſt, damnare audeat. qui vero timoris hujus vacui ſunt, pari impudentia & vitia laudare, & virtutes damnare non dubitant: quod ſignum eſt deploratæ nequitiæ. Poteſt autem hæc ſententia ad varias ſpecies accommodari. nam ſi hic privatis etiam maledicitur, quum malum bonum eſſe dicunt, & è diverſo: quanto magis iis qui in aliquem dignitatis gradum evecti ſunt, & publico munere funguntur, quorum & recta & honeſta tueri officium eſt? Sed in genere omnes objurgat, qui ſibi in malo blandiuntur, & odio virtutis damnant quicquid recte actum eſt: imo qui apud alios tergiverſando, quo ſua probra tegant, ſeipſos quoque obſtupefaciunt. Tales Propheta dicit perinde facere, acſi lucem verterent in tenebras, & dulce in amarum: quo ſignificat prodigioſam eſſe eorum amentiam, utpote quæ miſceat ac confundat omnia naturæ principia.

21. *Væ ſapientibus.*] Hic pergit objurgare eos qui nulla doctrina reduci poſſunt, omnemque aditum ſanis conſiliis & piis monitionibus præcludunt. denique maledicit præfractis contemptoribus, qui doctrinæ Dei & monitionibus, aut affectus carnis ſuæ, aut perverſam ſapientiæ confidentiam opponunt. Nec vero ſolum objurgat eos qui falſa perſuaſione ſapientiæ inflati ſunt, ut quos pudet ab aliis diſcere: ſed etiam omnes in genere damnat, qui præoccupati ſuo ſenſu, Deum loquentem audire & ſanctis ejus monitionibus obtemperare abnuunt. Hoc vitium fuit omnibus ſeculis nimis vulgare, idque in permultis hodie cernitur: quibus etſi religio eſſet palam reſpuere pietatis doctrinam, à vero tamen obſequio & docilitate tam procul abſunt, ut ferociter repudient quicquid non adlubeſcit. Concedunt opus ſibi eſſe aliquo freno: ſed altera ex parte ita eos excæcat arrogantia, ut Deo viam monſtranti, ſubinde obſtrepant: neque id modo, ſed virulenta indignatione fremant ſua conſilia reprehendi. Imo quotuſquiſque eſt, qui ſe proprio ſenſu abdicans, tantum ex Dei ore ſapere paratus ſit? Atqui nulla deterior peſtis eſt, quam hoc fallax ſapientiæ ſpectrum: quando initium pietatis eſt docilitas, ubi proprio ſenſu exinaniti, ſequimur quocunque vocat Deus. Nec vero hoc tantum nomine falſa hæc perſuaſio damnatur, quod immorigeros reddat homines Deo, atque ita cauſa ſit interitus, ſed etiam quod per ſe eſt intolerabilis Deo: ſtulteſcere nos oportet, ſi cupimus Dei eſſe diſcipuli. ſed hoc quoque certum eſt, furioſam protervium regnare ubicunque non viget hæc modeſtia & humilitas, qua ſponte ſeipſum cogat homo in ordinem. *In oculis ſuis*, idem valet atque quod dicimus lingua Gallica, *à leur ſemblant*.

22. *Væ qui fortes ſunt.*] Nunc aliud vitium reprehendit Jeſaias: nempe ebrietatem & intemperantiam in victu, de qua jam prius loquutus erat. ut probabile ſit hoc caput ex diverſis concionibus collectum eſſe, & ſummas duntaxat breviter attingi. Quum enim Propheta nullam reſipiſcentiam cerneret, eadem repetere & ſæpius inculcare coactus eſt. Redit igitur ad eaſdem objurgationes quas prius attigerat. Nam de ebrietate, luxu, avaritia, aliiſque corruptelis iterum concionatur. unde colligendum eſt, ubi monitiones nihil proficiunt, majore vehementia erga præfractos & indociles utendum eſſe: nec vero eſſe timendum, ne moleſta ſit importunitas; ſed iterandæ ſæpius reprehenſiones, donec flectantur, vel inſanabilem malitiam prodant. Fortes vel robuſtos ab hibendum vocando, facete eos perſtringit, quod vires ſuas in Bacchi militia conſumant. Eſt autem hæc fœda & belluina ambitio, quod firma valetudine præditus vigorem ſuum large potando oſtentat. Jam quia frequens apud Prophetas ſynecdoche, ut etiam in tota Scriptura, ſpeciem pro genere accipit: acſi diceret, Væ crapulæ, væ intemperantiæ. conſulto autem quod maxime probroſum erat poſuit, ut vitium ipſum in genere exoſum & abominabile redderet. Nihil enim vel turpius, vel miſerius, ut diximus, quam experiri vires ſuas in vorando cibo, vinoque ſorbendo: & ſecum ita luctari, ut tantum ingeratur quantum venter capere poteſt. Tales homines nullam vitæ rationem tenent, nec norunt quorſum à Deo educantur. Edimus enim & bibimus ad ſuſtentandum corpus, non obruendum. Vivimus ut cultum & obſequium præſtemus Deo, operamque noſtram proximis impendamus. Quum id agunt homines, ut vires ſuas obruant potius quam ſuſtentent, experiendo quantum cibi & vini ferre poſſint, deteriores beſtiis eſſe certiſſimum eſt.

23. *Qui juſtificant.*] Reprehendit corruptelam, quæ tunc vigebat in judiciis: & cauſam indicat, cur illic nullus ſit æquitati locus, quod ſcilicet munera prævaleant. Nam avaritia excæcat oculos ſapien- *Exod. 23.* tum, omnemque boni & æqui uſum pervertit, etiam *verſ. 8.* apud eos qui alioqui ad colendum recti ſtudium pro- *Deut. 16.* penſi forent. *verſ. 19.* Poſſet quiſpiam objicere: aliis etiam modis, nec muneribus tantum judicia perverti: quandoquidem gratia, odium, amicitia, aliique pravi affectus mentem ſæpius excæcant. Id quidem verum eſt: ſed Propheta id ſpectavit quod accidit ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ: nec tamen iis vitiis parcere voluit, quæ nominatim non expreſſit. Quo exemplo pii doctores, prudentes & circumſpecti eſſe debent in animadvertendis & corrigendis vitiis, quæque maxime in populo graſſantur: ac potiſſimum urgere, quod prava conſuetudine uſitatum vident. Hæc autem corruptela, cujus fit mentio, in judiciis omnium frequentiſſima eſt. Ideoque diligentiſſime cavenda eſt Judicibus, qui volent rectum judicium ferre. Nec audiendi ſunt plerique, qui in eum finem munera ſibi offerri negant: aut quum acceperint, affirmant ſe nihilo minus integrum judicium retinere. nam ubi muneribus locus eſt, recti & æqui ſtudium corrumpi neceſſe eſt. nec vero fieri poteſt, quin proclivior ſit animus tuus in eum à quo acceperis. Denique audiendus Dominus, qui ſapientiſſimi cujuſque *Deut. 16.* mentem corrumpi, & æquiſſimi animum perverti *verſ. 19.* docet: ne Deo ipſo nobis prudentiores eſſe videamur.

24. *Propterea.*] Ne fruſtra toties exclamaſſe videatur, rurſum oſtendit quam gravis & horrenda ultio populo immineat: ac contumacibus denunciat extremum exitium, quod in viam ſe reduci non paterentur, ſed pervicaciter doctrinæ obſiſterent. Utitur autem metaphoris ad rem exprimendam aptiſſimis, & quæ etiam efficacius animos tangunt, quam ſi ſimplicius & abſque figura loquutus eſſet. Incipit quidem à ſimilitudine, ſed mox deſinit in metaphoram, Radicem & Germen populo tanquam arbori tribuens. Duabus autem his vocibus complectitur, quicquid in populo eſt virium, aut occultarum, aut patentium: idque in univerſum periturum dicit. Quemadmodum enim putreſcente radice, quæ ſola arbori vim præbet, eamque ſuſtinet, de ea prorſus actum eſt: ita de populo actum eſſe, omneſque ejus vires exhauſtas & conſumptas eſſe denunciat. Jam vero non enumerat ſicut antea, ſpecies ſcelerum qui-

bus

bus iram Dei provocaverant, ſed generalem cauſam ſubjungit: nempe contemptum Legis divinæ. eſt enim fons malorum omnium, ut ſatis notum eſt. Et hoc crimen non parum exaggerat, quod quum in Lege patefacta illis eſſet Dei voluntas, non ignorantia vel errore, ſed deſtinata malitia, excuſſo Dei jugo prolapſi ſunt in omnem licentiam: quod nihil aliud fuit, quam rejecto adeo benefico Patre, ſe diabolo addicere in mancipia. Adde quod plenæ defectionis eos accuſat: acſi diceret non una tantum aliqua in parte fuiſſe rebelles, ſed quaſi perfidos apoſtatas, prorſus valedixiſſe Deo. Adhæc, verbum Dei non modo ſpreviſſe ipſos, ſed quod longe atrocius eſt, vel abominatos eſſe, vel ſcelerato faſtidio repuliſſe conqueritur. Quod ſi Legis Dei contemptus, fons, caput & cumulus eſt malorum omnium, nihil magis cavendum eſt, quam ne ejus reverentiam nobis Satan excutiat: & ſiquibus vitiis ſimus obnoxii, ſaltem dandus eſt medicinæ locus, niſi eam maligne reſpuendo volumus æternum exitium nobis accerſere.

25. *Propterea exarſit.*] Hoc verſu Propheta priores ultiones quas jam experti erant Judæi commemorat, & nondum adeſſe finem oſtendit: imo impendere multo graviora, niſi in viam redierint. Fateor quidem præteritum tempus in futurum non raro mutari, ſed hic quem dico contextus melius congruet. Duo enim ob pervicacem populi duritiem proponit, eaque diſtincta. Primum, quomodo jam Deus animadverterit in illius ſcelera. Deinde, quum nulla reſipiſcentia appareat, adhuc alia flagella eſſe in ejus manu, quibus populum caſtiget. Tertio deſignat quænam ea ſint: & venturos Aſſyrios præmonet ad nutum Domini, ſimulatque vel ſibilo tantum indicabit. talis eſt contextus Prophetæ. Ex quo notandum eſt, vulgus hominum ubi primum calamitatem aliquam evaſit, caſtigationem oblivíſci, nec amplius conſiderare judicia Dei: & quum experientia ſtultorum quoque magiſtra ſit, obdureſcere tamen ad flagella. hanc ſocordiam pungit Jeſaias. acſi diceret, Tam citone calamitatum obliti eſtis, in quibus gemuiſtis nuper? unde enim cadaverum projectio ex clade, niſi quia manum ſuam contra vos Deus extulerat? quod ſi judicis officio functus eſt Deus, cur non ad ejus metum ſollicitant tam recentes plagæ? ne alias atque alias accerſant nova peccata. Ideo cauſalem particulam repetit, עלכן acſi diceret non eſſe fortuita incommoda, ſed aperta ſigna vindictæ Dei. & ideo nominatim dicit populo ſuo iratum fuiſſe: quia niſi excidiſſent Judæi à ſuo gradu, felicior quam Gentium omnium futura erat eorum conditio. Ergo quum tam ſevere & duriter electum populum tractat Deus, minime dubium eſt, provocatum fuiſſe maximis ſceleribus: ſimul falſam gloriationem refutat, qua ſe efferre & jactare ſolebant Judæi: acſi propterea immunes à plagis eſſe deberent, eo quod peculiaris eſſent Dei populus. Jam Montes contremuiſſe dicens, hac comparatione pœnarum ad quas occalluerant, gravitatem exprimit, ut populi ſtuporem magis coarguat. Stupidiores eſſe rebus inanimis, niſi furorem Dei ſenſerint & horrendam ultionem, qua regnum Iſraël afflictum erat.

Adhuc.] Denunciat graviores plagas in futurum, ut jam dictum eſt. Quamvis enim impii homines agnoſcant ſe à Domino correptos eſſe, tamen una vel altera plaga ſe defunctos putant. Itaque perinde acſi nihil accidere poſſet deterius, jamque exhauſtæ eſſent Dei vires, craſſa ſecuritate ſe involvunt. Ideo exclamat, nondum pacatam eſſe iram Dei: & tametſi multiplices clades ab ea paſſi ſint, adhuc tamen multis telis armatam eſſe, à quibus metuenda ſint innumera vulnera. Copula ו, poteſt reſolvi in adverſativam: ut ſignificet, Quin potius manus ejus adhuc extenta eſt. Reſpicit autem ad id quod prius dixerat, Manum Dei erectam eſſe: nondum clauſam eſſe ait, poſſe adhuc ipſos perſequi, & eaſdem plagas, imo graviores infligere. Diligenter meditandæ ſunt hæ ſententiæ ad excutiendum torporem, quo major pars hominum etiam acceptis plagis, ſæpius laborat.

26. *Et levabit.*] Hic & proximis verſibus exprimit qualitatem pœnæ, quam Dominus ſumpturus eſt de populo ſuo: nempe eandem ab Aſſyriis cladem eos manere, quam paulo ante paſſi fuerant Iſraëlitæ eorum fratres: aut etiam graviorem. Prius quidem & ipſi multa incommoda paſſi erant ab Aſſyriis, tametſi nondum vaſtatum erat regnum Juda. deinde clades regni Iſraël, erat veluti ſpeculum, in quo poterant iram Dei & juſtam caſtigationem intueri. Non dubium tamen quin vaticinium hoc, quamvis claris experimentis non careret, incredibile viſum ſit: quia tunc tranquillus erat rerum ſtatus, & minimis quibuſque induciis facile indormiebant. Ideo à gentibus longinquis talem cladem eventuram dicit, à quibus nihil ejuſmodi expectabatur. atque ita claſſicum canit, acſi coram hoſtes ipſi adeſſent. Neque enim levandi timoris cauſa voces iſtas, *è longinquo* & *ab extremitate terræ*, ponit. quin potius data opera ſic loquitur, ut ſciant iram Dei ab iis quæ apparent minime æſtimandam eſſe. Solemus enim pericula ex ſpecie rerum æſtimare. Quod ſi non adeo propinqui ſunt hoſtes, aut ab aliis impediuntur ne tam cito nobis moleſtiam faceſſant, ſecuri ſumus. Ita populus in utramque aurem dormiebat, acſi nullum periculum verendum eſſet. Hoc autem impedimento non fore dicit Jeſaias quominus vexillum erigens Dominus, momento Aſſyrios ad ſtragem edendam emittat. Eſt autem metaphorica loquutio, quoniam ſublato ſigno, milites ad nutum ducis, manus conſerere & in prælium ruere ſolent.

Sibilabit ad eam.] Quamvis numeri mutatio ſatis uſitata ſit in Scripturis: non temere, meo judicio, Propheta numerum mutando, ex pluribus gentibus quaſi unam facit. Significat enim ubi Deo placuerit colligere varios populos & conflare in unum corpus, non fore multitudinem confuſam, ſed inſtar corporis, cui caput certum præſit ac dominetur. Sibilandi autem verbo potius quam graviore uti maluit, velut Clangendi, aut ſimili: quo oſtendat, Deo clangore opus non eſſe ut hoſtes convocet: nec quicquam difficultatis eſſe in exigendis ſuppliciis, ubi maturum adeſt ulciſcendi tempus. Poteſt enim ſolo nutu omnia peragere.

Ecce ſubito.] Hinc magis confirmatur quod jam annotavi: iram Domini ex præſenti rerum aſpectu æſtimandam non eſſe. Quamvis enim polliceri pacem omnia videantur, ſubito tamen erumpet bellum unde non putamus. Etiamſi undiquaque amicis muniti videamur, Deus tamen ab extremis terræ angulis hoſtes excitabit, qui proruptis obſtaculis, quaſi plana & æquabili via ad nos facile penetrent. Quod diligenter animadvertendum eſt, ne vana ſecuritate, & præfidentia inani, excæcari nos ſinamus. Obſervandum etiam, bella non temere vel arbitrio hominum conflari, ſed Dei juſſu, acſi tuba milites convocaret. Sive igitur bello, ſive fame, ſive peſte affligamur, id totum è manu Dei profectum intelligamus. Omnia enim ipſi parent, ac morem gerunt. Neque tamen eo erant animo Chaldæi, ut parerent Deo. abripiebantur enim ſua cupiditate & libidine dominandi, dum aliud quidvis potius ſpectant. Deus tamen ad exequenda ſua judicia, eorum opera utitur. unde inſigne Dei potentiæ ſpecimen refulget, quæ hominum voluntati alligata non eſt, neque ex eorum arbitrio pendet, quominus invitos aut neſcientes ad obſequium trahat. Neque tamen excuſabiles ideo ſunt impii, quando præter animi ſententiam trahuntur, non autem ſponte Deo ſerviunt. Hoc

enim ſolum ipſis eſt propoſitum, ut rapiant, ſæviant, violent: Deus autem ſcelera & flagitia populi ſui, eorum ſævitia ulciſcitur.

27. *Non erit laſſus*, &c.] Significat omnia ſic inſtructa fore & parata, ut expeditionem eorum nihil impediat, aut retardet: acſi Princeps aliquis conſcriptos habens milites ſuos, ſtatim vias ſterni, cibaria curari, cæteraque neceſſaria ſuppeditari jubeat. ergo alacres atque expeditos fore iſtos demonſtrat, nec quicquam eorum celeritati fore remoræ. Strenuitatem etiam prædicat, negans fore ſomnolentos. ac in his quidem verbis, Non dormitabit neque dormiet, inverſus eſt ordo: quia potius dicendum erat, Non dormiet neque dormitabit. Minus enim eſt dormitare quam dormire. Sed ita reſolvi debet iſta loquutio: Non dormitabit, nedum dormiet: id eſt, tantum aberit ut dormiat, quum ne dormitabit quidem. cujus exemplum habes Pſalmo 121. Ecce non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſraël. Hebraica autem phraſis eſt, cui neque Latina, neque Græca congruit.

28. *Sagittæ eorum.*] Intelligit eos armis neceſſariis inſtructos fore. Reſpicit autem uſitatum Aſſyriis, & aliis Orientalibus populis morem, quibus frequens in bello arcuum & ſagittarum uſus erat, quemadmodum pharetrati in bellum hodie Angli prodeunt. Sub hac autem ſpecie, omne armorum genus comprehendit. Quoniam vero longum erat iter, & profectio difficilis, Judæi exiſtimare poterant, permulta fore impedimenta quæ hoſtium expeditionem frangerent. Ideo dicit ungulas equorum ſilici fore ſimiles: quo intelligit nullam paſſuros offenſionem, ac perventuros tandem in Judæam ſine laſſitudine. Eodem pertinet quod rotas turbini comparat. Solebant autem veteres prælium inire etiam cum curribus. Ideo mentionem facit non tantum equorum, ſed etiam rotarum. quæ omnia ad feſtinationem illam & celeritatem referri debent: quod ſcilicet Dominus nulla itineris longinquitate impedietur, quo minus ad perdendos Judæos, hoſtes ſine cunctatione traducat.

29. *Leonis rugitus.*] Hæc ad ſævitiam & truculentiam pertinent. Chaldæos enim comparat leonibus, quos & horribiles aſpectu, & natura immanes eſſe ſcimus: acſi diceret non fore homines qui ullo miſericordiæ aut humanitatis ſenſu tangantur, ſed immanes potius belluas. Addit etiam robore ſuperiores fore, ne quis ad eripiendam prædam accedere audeat. Significat autem ad prohibendos eorum impetus nihil fore Judæis ſubſidii: quia truculentiæ ſuæ metu, omnes procul abigent. Nam quia locabant operam ſuam Deo ad puniendos Judæos, oportuit etiam formidabili potentia inſtrui, ut tandem agnoſceret vecors ille populus, negotium ſibi non fore cum hominibus, ſed cum Deo, in cujus manus incidere horribile eſt.

30. *Fremet ſuper eum.*] Hoc addit Propheta, ut intelligerent Judæi, Chaldæos non temère irruere: ſed deſtinatos eſſe à Deo, cujus etiam manu diriguntur. Per Fremitum maris, intelligit tantum impetum, ut diluvium eſſe videatur, quo univerſa Judæa naufragium factura ſit. Spes etiam omnes abſcindit, nullam mitigationem pœnis, nullumque exitum fore prædicens. Judæi, inquit, ut fieri ſolet in rebus perplexis, ſurſum & deorſum revolvent ſenſus ſuos ad effugia captanda: ſed quaquaverſum reſpiciant, ſive in cælum, ſive in terram, nihil uſquam reperient ſolatii. Undiquaque enim miſeriæ & calamitates ipſos obruent. Hæc autem loquendi forma etiam vulgi conſuetudine uſitata eſt, quum omnibus ex partibus clades & ruinæ ſeſe oſtendunt, nec ullum effugium aut ſolatium patet. atque hoc accidere neceſſe eſt, quum nos perſequitur Dominus, ut ſublata ejus manus, ubique oculis noſtris occurrat: & quamcunque in partem vertamur, inſtent adverſum nos armatæ creaturæ ad exequendum judicium ipſius. Manus enim hominum interdum effugere poſſumus, Dei vero qui poſſumus?

Cap. VI.

ANno mortis regis Uſiæ, vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum: cujus extrema replebant Templum.

2. Et Seraphim ſtabant ſuper ipſum: erant ſingulis ſex alæ: duabus operiebant faciem ſuam: duabus tegebant pedes ſuos: & duabus volabant.

3. Et clamabant alter alteri, dicentes, Sanctus, ſanctus, ſanctus Jehova exercituum: plena eſt omnis terra gloria ejus.

4. Et commota ſunt ſuperliminaria poſtium à voce clamantis: & domus impleta eſt fumo.

5. Tunc dixi: Væ mihi, quia * exciſus ſum: quum homo ſim pollutus labiis, & in medio populi habitem polluta labia habentis: & tamen Regem Jehovam exercituum viderunt oculi mei.

* *vel, in ſilentium redactus.*

6. Volavit autem ad me unus ex Seraphim, habens in manu ſua carbonem ardentem, forcipe correptum ab altari.

7. Et applicans ſuper os meum, dixit, Ecce tetigit hoc labia tua, & expiabitur peccatum tuum.

8. Poſtea audivi vocem Domini, dicentis, Quem mittam? & quis ibit nobis? tum dixi, Ecce ego, mitte me.

9. Tum dixit, Vade, & dic populo iſti, Audiendo audite, & ne intelligatis: videndo videte, & ne ſciatis.

10. Obſtina cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus obline: ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & cor ejus intelligat, & ubi converſus fuerit, ſit illi ſanatio.

11. Et dixi, Uſquequo Domine? & ait, Dum fuerint vaſtatæ civitates abſque habitatore, & domus vacuatæ fuerint hominibus, & terra redacta fuerit in ſolitudinem:

12. Donec procul amoverit Deus homines, ſitque multa vaſtitas in medio terræ:

13. Donec in ea decima, & revertetur: & erit in excidium ſicut tilia & quercus, quibus in projectione eſt ſubſiſtentia: ita in hac erit ſubſiſtentia, ſemen ſanctum.

ANno quo mortuus eſt.] Hinc fieri ſolet initium ſexti capitis. Nonnulli autem libri ipſius initium eſſe, & prophetias Jeſaiæ perperam collectas fuiſſe putant. Rationem aſſerunt, quod hic Propheta detrectet munus docendi: quod non erat recuſaturus, ſi jam ante eo functus eſſet. novum tironem videri, cui adhuc vocatio ſua ignota ſit. præterea hic profiteri ſe Dominum vidiſſe, non prius. Verum eas rationes nimis infirmas, ut prius attigi, nec vero conſentaneas eſſe arbitror. ac reſpondeo, novum videri non debere, quod inſolita hac viſione ita ſit conſternatus, ut Prophetam ſe eſſe oblivi ſceretur. Nullus enim fuit in eo ſenſus qui non obſtupeſceret præſentia Dei, ut quaſi lymphatus libenter ſe in tenebras abdidiſſet: imo jam deſperans de vita, ſponte mortem advocaſſet. Atque ita neceſſe eſt affici pios, quum Dominus præbet ſigna præſentiæ ſuæ, ut dejiciantur è ſtatu, & extra ſe rapiantur. Adde quod in ſervi ſui perſona, rebellem populum formidine percellere voluit Deus. Quare nihil mirum, ſi pavore attonitus ſeſe excuſat: ſimul etiam quia prius gravitatem muneris non ita ſenſerat, ut nunc poſtquam conſpicue oblata eſt ei majeſtas Dei. Sed cur hæc viſio ei initio minime oblata eſt? Reſpondeo, neceſſariam fuiſſe pro ratione temporis, ut magis ac magis in functione muneris confirmaretur. Cujus rei exemplum in Apoſtolis ipſis perſpicere poſſumus. Initio enim miſſi ſunt cum
Mat. 10. verſ. 5. mandato, ne Judææ fines tranſirent. Poſtquam vero reſurrexit Chriſtus, eos ex integro conſtituit novo
Joan. 20. v. 6. 22. & ſolenni ritu, efflavit in ipſos, jubens ut Spiritum ſanctum acciperent: neque id modo, ſed Spiritum è
Actor. 2. verſ. 3. cælo mittens ſub linguis igneis, inſolita virtute eos induit. Ita propter varias temporum & Regum mutationes, Jeſaiam confirmari, & rurſum nova viſione approbari neceſſe fuit: tam ut animaretur ipſe ad conſtantiam, majorique alacritate pergeret deinceps in ſuo curſu, quam ut cæleſti auctoritate ſanciretur ejus miniſterium apud Judæos. Hæc ratio mihi ſatis idonea videtur, cur non ſtatim ab initio ipſi hæc viſio oblata ſit, ſed poſtquam aliquo tempore functus fuerat munere docendi. Hic autem non fuiſſe initium Prophetiæ, ſatis conſtat ex eo quod præfatio quam prius vidimus, primordiis multo melius conveniat, aptiorque ſit, quam quæ hoc capite continentur: & quum ferrea populi obſtinatione præcluſi eſſent omnes aditus, vehementia illa perrumpere ipſum oportuit. Adde quod probabile eſt, diutius obiiſſe docendi partes ſub rege Uſia, quem mortuum fuiſſe exiſtimo ante editum hoc vaticinium. Denique his verbis ſignificat Propheta, quum jam ſtadium ingreſſus eſſet, Deum ſibi apparuiſſe. Quidam hic *mortem*, intelligunt lepram: quæ certe mors ci-
2 Reg. 15. verſ. 5. vilis erat: quum Rex ſe ab hominum conſortio ſubducere coactus eſt, & abdicare ſe principatu. ſed malo mortem propria ſignificatione accipere. Sic itaque exiſtimo, Jeſaiam ſuperiora nunciaſſe ſub
2 Par. 26. verſ. 21. Uſia, quum etiam lepra percuſſus eſſet: quum autem obiiſſet, & ſucceſſurus eſſet ei Jotham, oblatam eſſe hanc viſionem Jeſaiæ. Scimus enim quam varios motus afferat Regum mutatio: ut mirum non ſit ſuam Jeſaiæ vocationem de integro fuiſſe obſignatam. Ipſa etiam Prophetia quæ ſequetur, ſatis oſtendet ipſum aliquandiu concionatum eſſe priuſquam Dominum videret. Hic enim agitur de excæcatione populi, cujus magnam pervicaciam expertus, ab incepto deſiſtere poterat Jeſaias, quod videret ſe nihil omnino promovere. Eum igitur hac viſione confirmat Dominus, ut nihilominus officio intrepide fungatur, ac perſequatur quod juſſu Domini inſtituit.

Vidi Dominum.] Quæritur quomodo videre Deum potuerit Jeſaias, qui, ut Spiritus eſt, corporeis oculis non cernitur. Imo quum ad immenſam ejus altitudinem conſcendere nequeant humanæ mentes, quomodo ſub viſibili forma comprehendetur? Sed tenendum eſt, quoties ſe Patribus ſpectandum præbuit Deus, nunquam apparuiſſe qualis eſt, ſed qualis hominum ſenſu capi poterat. Neque enim abſurdum eſt, quia humi reptant quodammodo homines; vel ſaltem longe infra cælos ſubſidunt, Deum ad ipſos deſcendere, ut in ſpeculo quodam gloriæ ſuæ radios emittat. Talis igitur forma Jeſaiæ propoſita fuit, qua inæſtimabilem Dei majeſtatem pro ſuo captu guſtaret. quare etiam ſolium, veſtem, & corporalem aſpectum Deo affingit. Unde elicitur utilis doctrina: quoties profert Deus ſignum aliquod ſuæ præſentiæ, eum certo nobis adeſſe, quia non ludit inanibus figuris; ſicuti homines eum ſuis figmentis impie deformant. Quia ergo ſpecies iſta minime fallax Dei præſentis ſymbolum fuit, eum ſe vidiſſe merito affirmat Jeſaias. ut quum dicitur Joannes Spiritum ſanctum vidiſſe in forma columbæ, Mat. 3.
Spiritus nomen ad ſymbolum transfertur: quia in verſ. 16.
repræſentatione, nulla erat fallacia. neque tamen Joan. 1.
vidit Spiritus eſſentiam, ſed teſtimonium habuit cer- verſ. 32.
tum & luculentum, ne ambigeret Spiritum Dei in Chriſto reſidere. Quæritur ſecundo loco, quiſnam fuerit iſte Dominus. Joannes 12. cap. Chriſtum Joan. 12.
fuiſſe docet, ac merito: quia nunquam Deus ſe Pa- verſ. 41.
tribus, niſi in æterno ſuo Sermone & Filio unigenito patefecit. Perperam tamen, meo judicio, hoc quidam ad Chriſti perſonam reſtringunt: quum potius indefinite Propheta Deum nominet. Nec illis ſuffragatur nomen אדני, quod videtur in Chriſtum magis competere: quia Deo ſimpliciter, & ſine relatione ſæpe tribuitur. Hic ergo indefinita ſit Dei mentio: & tamen proprie dicitur Jeſaias vidiſſe Chriſti gloriam, quia jam tunc fuit imago Dei invi- Coloſſ. 1.
ſibilis. verſ. 15.

Sedentem in ſolio.] Non potuit pro circumſtantia loci Deum melius deſcribere, quam ſub Judicis perſona, quo melius Judæos expergefaceret ejus majeſtas: nam poſtea videbimus graviſſimum judicium, quod Dominus protulit è ſuo tribunali. Sed ne exiſtimemus Prophetam excogitaſſe quomodo Deum pingeret: ſciendum eſt fideliter referre ipſam formam, qua ipſi exhibitus ac monſtratus eſt. Poteſt autem dubitari, an Propheta ductus ſit in Templum, an dormienti hæc ipſi viſa objecta ſint. Etſi autem multa afferri ſolent in utramque partem, quæ hoc relinquant in ſuſpenſo, conjectura tamen probabilior eſt etiamſi extra Templum eſſet, potuiſſe vel domi, vel in agro, quemadmodum & aliis Prophetis, hanc viſionem offerri.

Extrema ejus replebant.] Intelligunt fere omnes, fimbrias veſtis: quanquam referri poteſt ad oras tribunalis, ut intelligat tantam fuiſſe ejus amplitudinem, quæ ſeſe in omnes partes Templi extenderet. Vult autem auguſtam ſpeciem, & omni humana forma ſuperiorem tribuere Deo. Hoc etiam plus habet ponderis, quod apparuit è Templo, quia promiſerat ſe illinc populo adfuturum, & populus inde reſponſa expectabat: quemadmodum in dedicatione ſua Salomon diſerte expreſſerat. Ut ergo populus intelligeret iſta à Deo proficiſci, quem quotidie invocabant, cujus inani confidentia efferebantur, hæc viſio in Templo fuit exhibita Prophetæ. Nec parum ad certitudinem valuit, palam illis teſtatum fieri, non ſibi proponi ab homine aliquo mortali ſermonem, ſed cæleſte oraculum, & prolatum à Deo illo cujus nomen ſuperciliose obtendere ſolebant, quoties volebant aliquid majus ſibi arrogare. Nam & alioqui durum erat & odioſum hoc vaticinium, & magna confirmatione indigebat. Neque hoc rarum eſt Prophetis, ut dicant Dominum è Templo ſuo, è Sanctuario ſuo loquutum eſſe.

2. *Seraphim.*] Poſtquam Deum plenum majeſtate & gloria ſibi apparuiſſe teſtatus eſt, ſubjungit Angelos ei adſtitiſſe, quos ab ardore Seraphim nominat. Etſi autem etymologia hujus vocabuli ſatis nota eſt,

varias

variæ tamen rationes afferuntur. Alii Seraphim vocari aiunt, quod ardeant amore Dei: alii, quod inſtar ignis ſint celeres: alii, quod reſplendeant. Utcunque ſit, hac deſcriptione nobis immenſæ Dei majeſtatis ſplendor velut in radiis commonſtratur, ut in iis admirabilem & ſtupendam gloriam ſuſpicere & revereri diſcamus. Multi exiſtimant fuiſſe duos Seraphim, quemadmodum duo Cherubim arcam teſtimonii circumdabant. *Exod 25. verſ. 18.* Quam ſententiam libenter amplector: nihil tamen aſſerere audeo, ubi Scriptura nihil affirmat. quia uſitatum eſt Scripturæ, deſcriptiones quas de Deo ponit, ſymbolis accommodare, quorum ordinarius erat uſus & familiaris notitia inter pios: fieri poteſt ut ejuſmodi ſpeciem Propheta viderit. Atque ego hanc ut probabilem conjecturam ita ſequor, ut tamen diverſa interpretatio, ſi quis eam magis probet, ſuo loco maneat. Nam Daniel non duos modo Angelos, ſed miriadas vidit.

Sex alas.] Hæc figura ratione non caret. iſtæ enim alæ ſic compoſitæ, aliquod myſterium continebant, quod Dominus noluit prorſus ignotum eſſe. Binæ hic alæ quibus Angeli volabant, nihil aliud ſignificant, quam celeritatem & promptitudinem ipſorum ad juſſa Dei exequenda. cujus rei quum analogia certa ſit ac dilucida, homines non contentioſi facile aſſentientur. Duæ aliæ quibus faciem tegebant, ſatis indicant, ne Angelos quidem fulgorem illum Dei ſuſtinere poſſe, ſicque ipſos perſtringi Dei conſpectu, ut quum ſolem ſplendentem intueri volumus. Quod ſi Angeli majeſtatem Dei ferre nequeunt, quanta erit hominum temeritas, ſi conentur eouſque perrumpere? Diſcamus igitur haud plus inquirendum eſſe de Deo quam par ſit atque expediat, ut cognitio noſtra ſobrie & modeſte delibet quod procul à ſenſu noſtro remotum eſt. Neque tamen ita tegebant Angeli faciem ſuam, quin aliquo fruerentur Dei conſpectu: quia volatu erroneo minime ferebantur. Ita & nos Deum quidem intueri debemus, ſed quantum feret ingenii noſtri facultas. In reliquis duabus alis inferioribus paulo plus eſt difficultatis. Alii enim putant tectos fuiſſe Angelorum pedes, ne terram contingerent, atque ex ea contraherent aliquid ſordium: quemadmodum nos homines ſolemus. Ut enim ſitum & pulverem contrahimus ambulando, ita dum verſamur in terra, ſemper aliqua veluti contagione inficimur. Quo admonentur fideles, nihil ſibi fore cum Angelis commercii, donec ſe ſurſum attollant, nec ſint amplius in terra defixi. Hæc quorundam expoſitio eſt: ſed aliis potius aſſentior, qui alas iſtas contrarium ſuperioribus uſum habuiſſe putant. Quemadmodum enim alis ſuperioribus tegunt faciem ſuam ne ſplendore Dei obruantur: ita etiam inferiores alas habent, quibus à conſpectu noſtro contecti ſint. Quod ſi ita eſt, tenues divini ſplendoris radiolos qui in Angelis emicant, à nobis perſpici non poſſe quin protinus obruamur, quomodo ſplendidiſſimam atque illuſtriſſimam majeſtatem quæ ſenſus omnes abſorbet intueri poſſemus? Diſcant ergo homines ſe longiſſime abeſſe à perfecta notitia Dei, quum ne ad Angelos quidem uſque pertingant. Hæc mihi verior expoſitio videtur: ſuperiorem tamen non improbo.

3. *Clamabant.*] Hæc omnia in viſione offerri Prophetæ neceſſe fuit, ut populus magis commoveretur: atque adeo ipſe Jeſaias. Nec enim ipſi minus quam toti populo neceſſaria fuit: quum dura & difficilia ipſum certamina manerent. Nec vero intrepide potuiſſet iſta nunciare, niſi prius eſſet confirmatus. Populus autem hac viſione commonitus quanta & quam formidabilis eſſet Dei majeſtas, à quo hæc condemnatio proferebatur, merito expaveſcere debuit. Is ſcilicet Deus prodibat in medium, ad cujus conſpectum formidant ipſi Angeli, cujus laudes pleno ore aſſidue prædicant, cui denique morigeri ſunt & obſequentes: homines vero, quos ſibi in filios adoptare dignatus fuerat, proterve & contumaciter reſiſtebant. Cæterum quum audimus Angelos exerceri in prædicanda Dei gloria, eorum exemplum ſciamus ad imitationem nobis proponi. Eſt enim ſanctiſſimum omnium officium quod ei præſtare poſſumus, ut in celebrando ejus nomine occupemur: & quod Angelis nos conſociat: ut in terra peregrinantes, cælorum tamen incolis conjuncti ac ſimiles ſimus. Cæterum ut vera ſuis omnibus numeris ſymphonia conſtet inter nos & Angelos, danda opera eſt ut non modo in linguis noſtris perſonent laudes Dei, ſed omnes quoque vitæ noſtræ actiones reſpondeant: quod tunc demum fiet, ſi in his Dei gloriam potiſſimum ſpectemus.

Veteres hoc teſtimonio uſi ſunt, quum vellent adverſus Arianos, tres perſonas in una Dei eſſentia probare. Quorum ego ſententiam non rejicio. quanquam ſi mihi res cum hæreticis eſſet, mallem firmioribus teſtimoniis uti. Nam redduntur pervicaciores, & ſecum ipſi plaudunt, quum minus apertis teſtimoniis oppugnantur: ut hoc loco facile ipſis ac promptum eſſet excipere, ternario numero perfectionem notari, ut in aliis Scripturæ locis. Quamvis ergo non dubitem Deum unum in tribus perſonis hic deſignari ab Angelis (nec certe laudari poteſt Deus, quin ſimul & Patris & Filii & Spiritus laudes celebrentur:) tamen apertioribus locis potius utendum exiſtimo, ne probando fidei noſtræ capite, hæreticis ridiculi ſimus. Et certe hac repetitione potius indefeſſa aſſiduitas notatur, acſi dixiſſet Propheta nullum Angelicæ melodiæ finem eſſe in canendis Dei laudibus: ſicuti inexhauſtam earum materiam nobis ſuppeditat ejus ſanctitas.

Plena eſt omnis terra.] Ad verbum, Plenitudo omnis terræ: quod tam ad fructus quam animalia & multiplices copias quibus Deus terram locupletavit, referri poſſet, hoc ſenſu: in ornatu terræ & tam varia ſupellectile fulgere Dei gloriam, quia totidem ſunt paterni ejus amoris teſtimonia. Simplicior tamen magiſque genuina interpretatio eſt, quod gloria Dei totum orbem impleat, vel diffuſa ſit per omnes terræ plagas: ac ſubeſt, meo judicio, tacita antitheſis, qua ſtultam Judæorum gloriationem refellit: qui putabant nuſquam extare gloriam Dei, niſi apud ipſos, eamque Templo ſuo concludi volebant. Oſtendit autem Jeſaias, adeo non comprehendi tam anguſtis finibus, ut univerſam terram repleat. Atque convenit hoc prophetiæ quæ poſtea *verſ. 10.* ſequetur de excæcatione Judæorum. Ea enim præbuit aditum Gentibus in Eccleſiam Dei, quando- *Rom. 11. verſ. 12.* quidem vacuum & derelictum à Judæis locum occuparunt.

4. *Et commota ſunt ſuperliminaria.*] Hic fragor indicio fuit non fuiſſe vocem humanam quam Propheta audierat. Nec enim ullus mortalium tam ſonoram vocem habet, ut poſſit ſuperliminaria & poſtes concutere. Dominus autem, non ſolum apud Prophetam vocis ſuæ auctoritatem acquirere voluit, ſed apud poſteros ſeculis omnibus ſancire, ne unquam intercideret. Itaque hoc fragore ſciamus nobis hodie confirmari vocem hanc Dei: ut quoties loquitur, trepidemus. Nam ſi commoventur inanimes & mutæ creaturæ, quid nobis faciendum, qui in hoc tantum ſentimus, odoramus, guſtamus, intelligimus, ut ſancte & reverenter ipſius verbo obſequamur?

Domus impleta eſt fumo.] Hoc vulgare & ordinarium ſymbolum fuit, quo Dominus erga populum veterem uſus eſt. Nam quoties Moſes tabernaculum ingrediebatur, legimus fumum ſpargi ſolitum fuiſſe, *Exod. 33. verſ. 9.* ut populus neque Moſem neque tabernaculum intueri poſſet. Fumus ergo quem deſcribit Jeſaias, non fuit res incognita, ſed pro more teſtari voluit Deus ſe potentiam ſuam ad ferendum de populo

pulo judicium exerere. Quæritur autem cur potius hoc ſymbolo Dominus præſentiam ſuam, quam alio quovis indicarit. Hujus quæſtionis ratio duplex reddi poteſt. Primum, quod Dominus ſemper audaciam hominum comprimere voluerit, ne pluſquam par eſt, de ipſius majeſtate inquirant: ut ſunt fere omnes in hac re plus nimio audaces & temerarii. Supra nubes conſcendere volunt, & penetrare in adyta Dei, quum interim id quod ante pedes eſt non videant. hinc errorum labyrinthus. quo ubi implicita fuerunt hominum ingenia, vani & fictitii cultus ſequuti ſunt: quia ut ſibi quidvis de ipſo Deo comminiſci permittunt homines, ita nihil non contra ipſum tentare audent. Non abs re igitur Fumum oppoſuit, ut admoneret homines ſuæ imbecillitatis. nec tamen ipſos cæcutire aut ſtupidos eſſe voluit, eo ſcilicet ſtupore atque errore quem Papiſtæ ſimplicitatis nomine prætexunt: ſed plus inquirere aut ſcrutari vetat, quam nobis verbo ſuo patefecit. Docta enim eſt, ut ait Auguſtinus, talis ignorantia. Quoties ergo hujuſmodi fumi mentio incidit, ſciamus nobis frenum injici, ne in inveſtigando Dei conſilio curioſi ſimus. Præterea fumus hic horrorem incutere debuit: quemadmodum David iratum
[*Pſal. 97. verſ. 2.] & terribilem deſcribens Deum, Nubes, inquit, & caligo in circuitu ejus. Quod etiam huic loco optime convenit. Horrendum enim judicium pronunciat: nempe excæcationem Judæorum. Alii præludium incendii eſſe volunt, quo Templum conflagravit. ſed quod attuli, probabilius eſt.

5. *Væ mihi, quia.*] Nunc refert Propheta quam efficaciter tactus fuerit illa viſione: adeo ſcilicet perterritum fuiſſe Dei aſpectu, ut exitium ſibi inſtare exiſtimaret. Rationem addit, cur actum de ſe putet: Quoniam, inquit, pollutus ſum labiis. Miror cur Hieronymus vertit, Quia tacui, quum nulla ſit in verbo ambiguitas. דמה quidem ſignificat tacere, ſed hic certa verbi paſſivi nota additur. Poteſt etiam verti hic locus, Væ mihi, quia in ſilentium redactus ſum. Nam ſilentium ſæpe pro morte in Scripturis capitur: & dicuntur in ſilentium redacti, qui ſepulti ſunt. Sed quoniam ſenſus idem eſt, de converſione non multum contendo. ſignificat ergo ſe ita fuiſſe expavefactum, ut ſimilis fuerit mortuo. neque id certe mirum eſt. Totum enim hominem, quod attinet ad carnem, in nihilum redigi oportet, ut renovetur ſecundum Deum. Unde enim fit ut homines vivant, id eſt, putent ſeſe vivere, & inflati ſint vana prudentiæ aut potentiæ fiducia, niſi quod Deum ignorant? Itaque priuſquam ſeſe nobis patefaciat, non cogitamus nos eſſe homines, imo nos putamus eſſe deos: ubi autem apparuit Dominus, tunc incipimus ſentire & experiri quales ſimus. Inde vera humilitas: quæ in eo conſiſtit ut homo nihil amplius ſibi arroget, totuſque à Deo pendeat. Proinde hic locus & ſimiles diligenter in hoc argumentum obſervandi ſunt. Fuit autem uſitatum piis Patribus,
[Jud. 13. verſ. 22.] quoties viderent Deum, in iſtas voces proſilire, Perii, Actum eſt de me. Vita igitur noſtra, priuſquam ſerio accedant ad Deum mentes noſtræ, inane figmentum eſt: verſamur in tenebris, in quibus verum à falſo ſecernere difficile eſt. Ubi autem prodimus in lucem, facile eſt diſcrimen adhibere. Ita quum Deus ad nos accedit, ſecum lucem affert: ut inanitatem noſtram cernamus, quam prius falſa opinione imbuti non poteramus perſpicere.

Viderunt oculi mei.] An vero Dei viſio mortem infert hominibus? videtur enim abſurdum ut Dei intuitus vel propinquitas vitam auferat, cujus ipſe fons & auctor eſt. Reſpondeo, id fieri per accidens: quando id ex noſtro vitio, non ex Dei natura accidit. Mors enim eſt in nobis: eam non perſpicimus, niſi cum vita Dei conferatur. idque haud dubie intelligit Propheta. Nec enim ſimpliciter ſe mortuum dicit: ſed rationem addit, Quia pollutus eſt labiis. Cur vero pollutionem reſtringit ad labia? An mente, an aliis partibus corporis purus erat? Reſpondeo, Prophetam id notare quod omnium pretioſiſſimum in ipſo erat: linguam ſcilicet conſecratam Deo: erat enim Propheta à Deo conſtitutus. etiamſi alias peccator eſſet, tamen ob ſanctam muneris functionem, hac parte ſacer erat: quia tamen divinæ ſanctitati non reſpondeat, fatetur ſe etiam ea parte quæ in ipſo ſanctior eſt, eſſe pollutum. atque hic mihi videtur verus & ſimplex hujus loci ſenſus, quem Interpretes non ſunt hactenus aſſequuti.

In medio.] Hoc exegetice additum eſt. Unum enim è vulgi numero ſe facit, qui communem totius corporis pollutionem reſipiat: atque obliviſcitur puritatis quam à Deo acceperat, eo quod ſubſiſtere coram ipſo non poſſit. Hinc conſtat eos errare qui exiſtimant Prophetam ſuperſtitioſe loquutum: quemadmodum vulgus varia ſibi de Deo figmenta comminiſci ſolet. Nam, ut dixi, præſentia Dei & propinquitas, interitus eſt carnis noſtræ. ea enim oſtendit nos ex nobiſipſis nihil eſſe. Nam qui ſuæ miſeriæ conſcius, Deum videt, quid aliud ſentire poteſt quam exitium? Deus enim judex eſt, cui nihil occultum aut ignotum eſſe ſentimus: in cujus conſpectu puritas noſtra impura eſt. Quod ſi hoc Prophetæ accidit, quid de nobis ſentiendum eſt? quid enim præ illo ſumus? Etiamſi purgare nos cœpit Dominus, debemus tamen immunditiem noſtram, cujus reliquiæ ſemper in carne ſubſidunt, agnoſcere. Hinc etiam univerſalis ſententia colligenda eſt, Omnium ſcilicet hominum ora impura & polluta eſſe, niſi à Domino repurgentur. Unde ſequitur omnes humanas doctrinas ſuam immunditiem redolere, nec quicquam eſſe purum, niſi quod à Deo profectum eſt.

6. *Volavit autem ad me unus.*] Oſtendit Propheta quale remedium ipſi allatum ſit poſtquam expavefactus fuerat, ut ſe mortuum arbitraretur: atque id confirmat quod jam dictum eſt, à ſolo Deo labiorum puritatem eſſe. Nihil enim ex ſe homines, niſi ſordidum & fœtoris plenum proferre poſſunt. Si quis objiciat, abſurdum eſſe quod Dominus ipſum nunc demum purget, quaſi prius impura & profana fuerit lingua ipſius, quæ tamen organum erat Spiritus ſancti, huic objectioni prius abunde ſatisfactum eſt. Jam antea quidem ipſum purgaverat Dominus, ſed pro ſua menſura. Purgatio quæ nunc accedit, major eſt: habet enim ſuos gradus & acceſſiones, quas nemo protinus obtinere poteſt. Non eſt igitur colligendum impura Jeſaiæ labia prius fuiſſe, quod nunc purgentur: ſed quorſum id fiat, ſpectandum eſt. quia ſcilicet gratiam ſuam in ipſo augere & cumulare volebat Dominus, atque in majorem dignitatis gradum evehere, quo plus auctoritatis apud populum obtineret. idque temporum ratio, & ſtatus mutatio, exigebat. Et ignis ex altari ſumitur, quaſi divinus, vel cæleſtis. Vetabat enim Lex alienum ignem illuc inferri, quia omnis humana mixtura in ſacris mera profanatio eſt. quare hac figura edoctus fuit Jeſaias, puritatem omnem à ſolo Deo fluere.

7. *Et applicans ſuper os meum.*] Videmus ut ſe ad ruditatem humani ſenſus Deus accommodet, forcipem tradat in manum Seraph, quo ſublatum ab altari carbonem Prophetæ ori admoveat. Geſtum eſt hoc quidem in viſione, externi tamen ſymboli adminiculo Prophetæ mentem erexit Deus. Porro non eſt quod vim ullam carboni inditam fuiſſe putemus: quemadmodum ſuperſtitioſi in magicis artibus occultas vires imaginantur. Hic nihil tale eſt: ſolus enim Deus immunditiem noſtram, quacunque in parte fuerit, purgare poteſt. Angelus hic miniſter fuit purgationis: auctor tamen non fuit: ne quod Dei ſolius eſt, alio transferamus. Quod etiam diſerte exprimit ipſe Angelus, nihil ſibi vendicans, ſed in medium proferens ſacrum pignus quod à Deo acce-

acceperat, velut ſacramentum ori Prophetæ appoſuit. non quod ſine carbone mundari non poſſet: ſed quod viſibile ſignum ad ejus rei confirmationem & teſtimonium utile fuerit. Atque hic eſt ſacramentorum uſus, ut nos pro ruditate noſtra confirment. neque enim ſumus Angeli, qui myſteria Dei ſine ullis adminiculis contemplemur: ideoque paulatim quaſi vehiculis nos ad ſe attollit.

Ecce tetigit.] Oſtendit confirmationem quæ ſigno allata eſt, inanem non fuiſſe, ſed rem quæ ſignificabatur ſimul præſtitam, ut ſe minime deluſum eſſe ſentiret Jeſaias. Unde colligere poſſumus, in ſacramentis rem nobis cum ſigno exhiberi. nec enim Dominus ſacramentum porrigens, paſcit oculos nuda & inani figura, ſed veritatem ipſam conjungit, ut efficaciter in nobis per ea ſe agere teſtetur. Idque eo diligentius animadvertendum eſt, quod pauci hodie verum ſacramentorum uſum teneant, & de iis paſſim inter pleroſque pios & doctos viros certamina moveantur. Hoc autem in primis tenendum eſt, veritatem à ſignis ſeparandam non eſſe, tametſi diſtingui debeat. Signum enim conſpicimus & ſentimus, veluti panem qui nobis à miniſtro porrigitur in Cœna. jam quia Chriſtus in cælo quærendus eſt, eo quoque mens noſtra attolli debet. Corpus tamen ſuum porrigit miniſtri manu, ut vere eo fruantur pii, qui fide ſurſum ad ejus ſocietatem adſpirant. Ipſum igitur præſtat piis, qui fide ad ipſum mentes erigunt. nec enim fallax eſſe poteſt. Cæterum infideles ſignum quidem percipiunt; ſed quia manent in mundo, neque ad regnum cæleſte Chriſti pertingunt, expertes ſunt veritatis. Cui enim deeſt fides, is mentem attollere ad Deum nequit, ideoque nec Chriſti particeps eſſe poteſt. Sola fides nobis januam aperit ad regnum Dei. Proinde quiſquis carne Chriſti veſci vult, neceſſe eſt ut per fidem in cælum ſupra humanam cogitationem evehatur. Denique ſolus Dei Spiritus nos ejus communionis participes reddere poteſt. Nec tamen ideo conſequens eſt, hominum infidelitate veritatem ſacramenti imminui, quando res ſpiritualis ſemper offertur à Deo: ſed impii eam à ſe rejiciunt. quemadmodum etiam Euangelio offertur gratia Dei, ſed non omnes eam admittunt, tametſi auribus aliquid percipiant, veritatique ipſi aſſenſum præbere cogantur.

Præterea ex hoc loco diſcimus, ſacramenta nunquam à verbo ſejuncta eſſe. Nec enim hic Angelus mutam perſonam agit: ſed poſtquam ſignum adhibuit, ſimul adjungit doctrinam, qua finem ejus demonſtret. Nullum enim fuiſſet ſacramentum, niſi adjecta eſſet doctrina, ex qua intelligeret Jeſaias quorſum ori ipſius carbo admotus erat. Proinde ſciamus præcipuam partem ſacramentorum in verbo conſiſtere; abſque eo, meram eſſe corruptelam: qualem in Papatu hodie paſſim cernimus, ubi ſacramenta in actionem hiſtrionicam vertuntur. Summa autem eſt, nihil jam fore obſtaculo, quo minus Jeſaias perfecta munditie præditus, omnique purus inquinamento, Dei perſonam ſuſtineat.

8. *Poſtea.*] Jam incipit Propheta tractare de fine ejus viſionis, quorſum Deus apparuerit cum majeſtate tam glorioſa, ut ipſum denuo Prophetam ordinaret: nempe quia incredibilis legatio perferenda erat de excæcandis Judæis. Ergo in re odioſa certior de ſua vocatione redditur, ut ſubacto metu obtemperet Dei mandato. Nihil eſt enim quod majorem fiduciam piis animis afferat, quam quum ſe ei parere intelligunt. Habebat & aliud teſtimonium, quod à Domino purgatus erat: quo ſufficeret ad obeundum difficillimum quodque munus.

Quem mittam?] Propheta inducit Dominum loquentem, quaſi hominem huic nuncio idoneum reperire non poſſit. Quidam hic putant perſtringi Sacerdotum & Prophetarum ignaviam: quia quum multi eſſent numero, nemo tamen ad docendum aptus erat. Quæ ratio tametſi habet colorem ſuum; hoc tamen ad certitudinem vocationis Jeſaiæ referre malo: quod ſcilicet Dominus ipſum haud temere, ſed cum delectu aſſumpſiſſet. Eſt igitur hic gravis conſultatio, quemnam mittere velit Dominus. non quod ipſe dubitet: ſed hæ loquutiones ad nos relationem habent, quemadmodum & illæ, Deſcendam, & videbo. Deus enim cui omnia patent, nulla inquiſitione opus habet: ſed ne homines ipſum præcipitanter agere putent, ideo ſe communi hominum formæ attemperat. Similiter quum interrogat quem miſſurus ſit, ſignificat ſibi non vulgari, ſed eximio doctore opus eſſe in maximi operis negotio. Hinc collige ſancitam fuiſſe auctoritatem Jeſaiæ, ut non Propheta, ſed præcipuus inter Prophetas haberetur.

Quis ibit nobis?] Non diſplicet hic indicari in Deo tres perſonas, quemadmodum & alibi, Creemus hominem ad imaginem noſtram. Deus enim ſecum loquitur, idque in plurali numero. Nec dubium quin hic conſultationem habeat cum æterna ſua ſapientia & virtute, id eſt, cum Filio & Spiritu ſancto.

Ecce ego.] Tam prompta reſponſio demonſtrat quanta ex fide naſcatur alacritas. Nam qui paulo ante exanimis jacebat, nullam difficultatem metuit. Unde perſpicimus conſternationem illam animi, de qua prius egimus, à contumacia profectam non eſſe, quod Deum fugere vellet, aut munus ſibi injunctum recuſaret: ſed quod opus haberet nova gratia, ut agnoſceret ſe oneri ſuſtinendo parem fore. Ex quo notandum eſt, nihil à nobis rite ſuſcipi poſſe ſine certo teſtimonio noſtræ vocationis. alioqui ad unumquemque greſſum hærebimus ac vacillabimus. Deinde magnum eſt adjumentum noſtræ fiduciæ, quum ſentimus nos neceſſariis dotibus non eſſe deſtitutos, ſed inſtructos à Deo, quo facilius munus noſtrum exequi poſſimus. Cæterum hoc inſigni obedientiæ exemplo nos inſtrui oportet, ut quoties nos vocat Dominus, prompti & parati ſimus ad munus obeundum quod nobis injungere volet: & quantumcunque difficile nobis videatur, ne tamen recuſemus. Quum ait Propheta ſe adeſſe, perinde eſt acſi diceret, ſe præſto eſſe ad juſſa ipſius exequenda. Hac enim loquendi forma frequenter in Scripturis obſequium notatur.

9. *Et dixit, Vade, &c.*] Hinc rurſus clarius patet quam neceſſaria fuerit viſio, ne ſtatim in ſuo curſu deficeret Jeſaias. Nec enim parvum offendiculum erat quod talem contumaciam & rebellionem eum in populo Dei experiri oportebat: idque non in unum aut alterum annum, ſed pluſquam ſexaginta. Ipſum ergo muniri neceſſe fuit, ut murus veluti aheneus foret adverſus tantam duritiem. Itaque Dominus Jeſaiæ ſimpliciter denunciat fore illi negotium cum præfractis hominibus, apud quos parum proficiet: ne tamen rei novitate offenſus animo frangatur, vel cedat hominum contumaciæ, ſed pergat invicto animo, atque ejuſmodi tentationem ſuperet. mature enim de eventu eum præmonet Deus: perinde acſi diceret, Tu quidem ſine profectu docebis: ſed te docere ne pigeat, quia id tibi mando. nec ideo ſuperſedeas, quod nullus fructus extabit. tantum mihi morem geras: omnemque meo arbitrio laboris tui ſucceſſum relinquas. Hæc ego tibi in tempore nuncio, ne te res quaſi nova & inopinata deterreat. Adde quod jubetur palam cæcam eorum obſtinationem traducere, acſi data opera illis inſultet: Nullum quidem extabit operæ meæ pretium, ſed nihil mea refert, ſatis eſt probari Deo quod ago, cui mea prædicatio ſuavis erit odor, quamvis mortem vobis afferat.

10. *Obſtina.*] Hic major ſuperioris ſententiæ expreſſio eſt. nec enim ſolum prædicit Jeſaiæ Deus, irritum fore ejus laborem in docendo: ſed etiam populum

pulum ſua doctrina excæcaturum, ut majoris ſtuporis & pervicaciæ occaſionem afferat, & tandem exitium creet. Pronunciat enim fore ut populus ratione & intelligentia deſtitutus pereat, nec ullus ſit amplius remedio locus. & tamen ſimul admonet, operam Prophetæ, quamvis exitialis ſit ac mortifera Judæis, ſibi gratum fore ſacrificium. Inſignis profecto ſententia: non tantum quod hic prædixit Jeſaias quæ poſtea ſub Chriſto impleta ſunt, ſed etiam quia utiliſſimam doctrinam continet, cujus uſus in Eccleſia Dei perpetuus eſt. Omnes enim qui fideliter verſabuntur in miniſterio verbi, idem experiri cogentur. Idemque nos reipſa pluſquam optandum eſſet, didicimus: ſed hoc commune fuit omnibus Chriſti ſervis. Quamobrem æquiore animo ferendum eſt, tametſi graviſſimum ſcandalum ſit iis, qui pura conſcientia Deo ſerviunt. & præterquam quod res ipſa non parum offendit, Satan impellit ſuos ad invidiam doctrinæ conflandam hoc prætextu, non tantum quod ſit infructuoſa, ſed etiam noxia: quod homines contumaciores reddat, eiſque exitium paret. Nam & hodie qui nihil aliud habent quod obſtrepant doctrinæ Euangelii, aiunt ejus prædicatione nihil aliud profectum eſſe, quam quod mundus eſt deterior redditus. Quicquid autem accidat, teſtatur tamen Deus ſibi miniſterium noſtrum placere: quoniam mandato ejus obſequimur. ac utcunque videatur inanis labor, hominesque in ſuum exitium ruant & contumaciores reddantur, pergendum eſt. nihil enim agimus noſtro arbitrio: hac Dei approbatione contenti ſimus. Nos quidem ingemiſcere debemus quum ſucceſſus non reſpondet labori: & rogandus Deus, ut efficaciam verbo ſuo tribuat: pars etiam culpæ nobis aſcribenda eſt, quum tam exigui fructus extant: non tamen deſerendum munus, nec haſta abjicienda eſt. Reſonare aſſidue debet in ore noſtro veritas, etiamſi nullæ pateant aures, nec quicquam cernat mundus, aut ſentiat. quia & nos gloriæ Dei fideliter ſervire, & ſtudium noſtrum ei gratum eſſe abunde ſufficit. Nec vero inanis eſt vocis noſtræ ſonitus, qui mundum inexcuſabilem reddit. Eximia hinc, imo inæſtimabilis conſolatio redit ad pios doctores ſuſtentandis animis adverſus tam gravia offendicula quæ in dies ex hominum contumacia occurrunt: ne quid ea morentur, ſed invicta conſtantia in officio perdurent. Adhæc quia generale ſcandalum eſt, vivum Dei ſermonem, ad cujus auditum contremiſcere debebat totus orbis, fruſtra & ſine profectu aures verberare, hac ſententia ſe fulcire diſcant infirmi. miramur qui fieri poſſit, ut Deo furioſe major pars obſiſtat. Hinc etiam obrepit dubitatio, an cæleſtis ſit Dei veritas, quæ impune reſpuitur: quia vix probabile eſt, Deum ut ludibrio ſit, homines alloqui. ne labaſcat fides noſtra, fulturam hanc opponere convenit, hac lege mandatum fuiſſe docendi munus Jeſaiæ, ut ſemen vitæ ſpargendo nonniſi mortem produceret: neque ſolum narrari quid ſemel contigerit, ſed vaticinium eſſe de futuro Chriſti regno, ſicuti paulo poſt rurſum dicetur. Notanda eſt præterea circumſtantia: nempe Jeſaiam ad quoslibet miſſum non eſſe, ſed ad Judæos. Eſt itaque emphaſis in particula demonſtrativa, הזה, quod populus quem ſibi peculiariter delegerat Dominus, Prophetam non audiat, & cæcutiat in tam clara luce. Proinde ne miremur nos ſæpe, quum verba facimus apud eos qui Dei nomine gloriantur, ſurdis fabulam canere. Eſt quidem hoc dictu aſperum, divinitus Prophetam mitti qui aures obturet, oculos oblinat, & cor populi obſtinet: quia videntur hæc minime competere in Dei naturam: ideoque aliena eſſe ab ejus verbo. Sed abſurdum videri non debet, ſi Deus populi malitiam ultima excæcatione ulciſcitur. Interea paulò ante oſtendit Propheta culpam hujus cæcitatis ſubſiſtere in populo. Nam audire eos jubens, teſtatur idoneam ſibi eſſe doctrinam populo inſtituendo, ſi docilem ſe præbere vellet; offerri lucem ad ipſum dirigendum, ſi quidem oculos aperiret. Tota ergo mali cauſa in populum transfertur, quod inſignem Dei beneficentiam reſpuat. unde melius liqueſcit ejus nodi quem nunc attigimus ſolutio. Videtur quidem prima ſpecie abſurdum, à Prophetis obſtinatiores reddi hominum animos. Verbum enim Domini in ore gerunt, quo tanquam lucerna decebat greſſus hominum dirigi. hoc enim elogio ſcimus inſigniri à Davide. *Pſal. 119. verſ. 105.* Non eſt igitur Prophetarum officium perſtringere oculos, ſed potius aperire. Deinde vocatur Perfecta ſapientia: *Pſal. 19. verſ. 9.* qui ergo homines dementat & ſtupidos reddit? Eo emolliri animos par eſt, qui prius ærei vel ferrei erant: qui igitur fieri poteſt, ut ipſo indurentur? ut jam attigi. Talis excæcatio atque induratio non proficiſcitur ex natura verbi, ſed accidentalis eſt, ſolique hominum pravitati tribuenda. Quemadmodum enim luſcioſi ſolem accuſare non poſſunt, quod eorum oculos ſuo fulgore perſtringat: nec cui delicatæ ſunt aures, ſonoram & canoram vocem quam vitio aurium ferre non poſſit: nec denique imbecilli ingenii vir, rem arduam quam percipere nequeat: ſic neque verbum accuſari poteſt ab impiis, quod eo audito deteriores reddantur. Omnis enim in ipſis reſidet culpa, quod aditum ipſi omnino præcludant. Nec mirum ſi quod ſalutare ipſis eſſe debuerat, exitiale ſit. Sic enim perfidiam hominum atque incredulitatem puniri æquum eſt, ut mortem inde ſentiant unde poterant vitam percipere: tenebras, unde lucem: denique totidem exitia, quantus beneficiorum cumulus erat in ſalutem. Quod diligenter notandum eſt: quia nihil magis uſitatum eſt hominibus, quam donis Dei abuti: ac tunc non modo ſe fingere innoxios, ſed etiam ſuperbire alienis plumis. Bis tamen ſcelerati ſunt, quod non modo in verum uſum non accommodant quæ Deus apud ipſos depoſuerat, ſed perperam etiam corrumpunt ac profanant. Locum hunc adducit Joannes, ut pervicaciam *Joan. 12. verſ. 39.* Judæorum apertius demonſtret. Verba quidem ipſa ſigillatim non refert: ſenſum vero ſatis indicat. Propterea, inquit, credere non poterant, quia dixit Jeſaias, Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, &c. Hoc quidem vaticinium incredulitatis eorum cauſa non fuit, ſed ideo prædixit Dominus, quia tales fore præviderat. Euangeliſta autem extendit ad Euangelium, quod jam uſu venerat ſub Lege: & ſimul docet ratione & intelligentia privatos fuiſſe ætatis ſuæ Judæos, quia Deo rebelles erant. Quanquam ſi quis primam cauſam requirat, ad prædeſtinationem Dei veniendum erit. Sed quia conſilium illud nobis abſconditum eſt, in eo inveſtigando curioſi eſſe non debemus: nos enim æterna divini conſilii ratio latet. cauſa vero, quæ oculis noſtris patet, conſideranda eſt: pervicacia ſcilicet, qua ſe tot tantiſque beneficiis indignos reddiderunt. Paulus etiam ex hoc loco non ſemel oſtendit, totam cæcitatis culpam in ipſis reſidere: *Actor. 28. verſ. 26.* Aggravarunt, inquit, aures, & oculos compreſſerunt. Quod Jeſaias hic doctrinæ tribuit, Paulus ad perverſum gentis affectum tranſcribit, qui proprie cauſa erat cæcitatis. ideo hoc accidentale doctrinæ, non naturale eſſe admonui. Paulus eo loco Spiritum loquentem introducit: Joannes vero Jeſaiam ita loquutum *Joan. 12. verſ. 41.* eſſe ait de Chriſto, quum gloriam ejus vidiſſet. Ex quo apparet quod ante diximus, Deum illum, qui ſua majeſtate univerſam terram implebat, fuiſſe Chriſtum. Jam Chriſtus à ſuo Spiritu ſejunctus non eſt. Optime ergo convenit, quod Paulus hunc locum ad Spiritum ſanctum tranſtulit. Quum enim Deus in Chriſto vivam ſui imaginem repræſentaverit Prophetæ, ſimul quicquid protulit, id totum virtute Spiritus ſancti in ipſum effudiſſe certum eſt. Nunc utcunque ſuis conviciis nobis oblatrent impii,

doctrinam noſtram ideo culpandam eſſe, quod ejus prædicatione mundus pejor reddatur, nihil omnino agunt, nec de auctoritate doctrinæ imminuunt. Simul enim Deum ipſum totamque ejus doctrinam damnent neceſſe eſt. Atqui non efficient eorum calumniæ quominus emergat ejus juſtitia, ſeque ipſam & nos ſimul abſolvat.

Et ubi converſus.] Hic aperte pronunciat ſe non ideo miſiſſe Prophetam quod ſalvum populum, ſed potius quod perditum velit. Atqui verbum Dei eſt ſalutare: ſaltem ex ejus prædicatione fructum aliquem manare neceſſe eſt, ut quibuſdam proſit, quantumvis multos ſua incredulitas utilitate privet. Reſpondeo, hic ſermonem fieri de univerſo corpore, quod jam excidio addictum erat ac devotum. fuerunt enim ſemper aliqui, quos à communi exitio Dominus excepit. his ſalutare fuit verbum, & vere efficaciam ſuam protulit. vulgus autem deſperata incredulitate & obſtinatione correptum interiit. Sic itaque perſpicimus nunquam ita exitiale eſſe verbum Dei, quin pauci quidam ſibi ſalutare eſſe ſentiant, & reipſa experiantur. Eſt præterea notandum ex verborum ordine & contextu, pœnitentiam initium eſſe ſanationis. Sed priore loco, quid Sanationis nomine ſignificet, intelligendum eſt. eam enim refert ad plagas, quæ populo ob peccata ſua inflictæ erant. Omnium vero malorum quæ perferimus, cauſa eſt noſtra in Deum contumacia: ubi reſipiſcimus, eo propitio, ceſſant demum ferulæ quibus nos caſtigabat. hæc noſtra ſanatio eſt. Atque hic ordo diligenter obſervari debet: ex quo apparet quorſum ſpectet Dominus nos ad ſe invitando, & quis ſit cæleſtis doctrinæ ſcopus: nempe, ut convertamur. at-
Matth. 3. verſ. 2. que hæc altera pars eſt Euangelii, Pœnitentiam agite. Deinde reconciliationem offerens, remedia malis omnibus, non corporis tantum, ſed animæ promittit. Quod ſi tam inſignis fructus percipitur ex verbo Dei: niſi Deo reconciliamur ſimulac auribus noſtris inſonat ejus verbum, non eſt quod alio culpam conferamus, quum tota in nobis reſideat. Et certe refertur hic à Propheta veluti monſtrum ac portentum, quòd homines doctrina verbi, cujus proprium eſt ſanare & emollire, protervi & obſtinati, atque omnino inſanabiles reddantur. Certum qui-
Joan. 6. verſ. 44. dem eſt ſingulare Dei eſſe donum, dum intus trahimur: & brachium Dei non omnibus revelari: hac tamen horribili obſtinatæ malitiæ pœna docere voluit Jeſaias, ſedulo cavendum eſſe ne Deum vocantem aſpernemur.

11. *Et dixi, Quouſque.*] Quamvis Prophetæ ad denunciandam hominibus iram Dei ſeveri ſunt, non exuunt tamen affectum humanitatis. Itaque neceſſe eſt ut duplicem perſonam gerant. debent enim magno & infracto animo proferre judicium Dei: ita ut perditum & penitus exciſum orbem malint, quam aliquid imminui de illius gloria. Nec tamen interea ſunt crudeles, ut nulla fratrum miſericordia tangantur, quibus interitum prædicere cogit officii neceſſitas. Atque hi duo affectus tametſi contrarii videan-
Jerem. 1. verſ. 6. tur, bene conveniunt, quemadmodum ex Jeremiæ exemplo patet: qui initio quidem duram illam provinciam detrectat, qua interitum nunciare populo jubetur. mox vero reſumit animum & fortiter in officio pergit. Sic etiam animo compoſitus fuit Jeſaias: Deo enim morem gerere cupiens, ſtrenuus erat judicii ejus præco: aliquem tamen ad populum reſpectum habebat, præſertim ſi ipſum excæcari oporteret, ne id eſſet perpetuum. nec enim dubium eſt, quin Deum ita rogando ſenſu miſericordiæ tactus ſit, atque optarit tantam pœnæ atrocitatem mitigari. στοργαὶ igitur φυσικαὶ obſtare non debent, quo minus id quod officii noſtri eſt, præſtemus. verbi gratia: Affectus eſt naturalis viri erga uxorem, patris ergo filium: ſic tamen reſtringendus & cohibendus eſt ut quid vocationi noſtræ conveniat, quid Dominus jubeat, potiſſimum ſpectemus. Quod diligenter notandum eſt: quoniam dum nobis frena laxare volumus, obtendimus plerumque hunc colorem, Quamvis parati ſint ac prompti animi ad obeundas quas Deus injungit partes, vinci nos affectu naturali. Atqui ita moderandi erant affectus, ut vocationem noſtram minime impedirent: ſicuti Prophetæ non obſtiterunt, quominus in officio pergeret. Tantum enim auctoritatis apud nos obtinere debet Dominus, ut quum jubet ac præcipit, noſipſos ac noſtra omnia obliviſcamur. Cæterum, quamvis hic pia Jeſaiæ ſollicitudo pro ſalute populi notetur, ſimul tamen exprimitur pœnæ gravitas, ne quid relaxationis impii ſuo more ſibi promittant. Nec dubium eſt quin arcano Dei inſtinctu ad hoc quærendum impulſus fuerit Propheta, ut clare eliceret durum quod ſtatim ſequitur, ac terribile reſponſum: ex quo apparet qualis exitus maneat incredulos: non levem ſcilicet aut mediocrem ipſis pœnam irrogandam, ſed excidio extremo delendos eſſe. Idque adauget quum ait, Uſque dum domus ſint abſque homine, & terra redigatur in ſolitudinem. Poteſt enim fieri ut vaſtentur regiones, ſuperſit tamen urbs aliqua: ut etiam expugnentur atque vaſtentur civitates, permultæ tamen domus ſuperſint: hic vero tantam internecionem fore dicit, ut non tantum urbes, ſed etiam domus ipſæ deleantur, totamque terram deformet triſtis vaſtitas, quum tamen in maximis cladibus maneant ſemper quædam reliquiæ. Tametſi hoc ſemel dictum ſit ab Jeſaia, tamen nobis quoque dici intelligamus. Hæc enim pœna conſtituta eſt adverſus omnes qui Deo pervicacem animum opponunt, vel obluctantur dura cervice contra ejus jugum. Nam quo violentius ruent, pertinacius etiam inſtabit Deus, donec funditus eos exſcindat.

12. *Donec procul.*] Hic verſiculus nihil novi continet, ſed tantum ſuperiorem explicat, & aliis verbis futuram Judææ cladem deſcribit: nempe quod Deus longe ablegabit incolas. Nam qui ſuperſtites erunt ex bello, eos à pœna immunes fore negat, quoniam in exilium trahentur. Et mox additur generalis clauſula de terræ vaſtitate: acſi diceret ipſam fore ſolitariam & nudam incolis, ſive alii aufugiant, ſive alii pellantur in exilium, ſive alii gladio pereant: hæc duris & rebellibus parata eſt merces, qui ſcelera ſceleribus accumulant, donec ingraveſcat implacabilis Dei furor.

13. *Donec in ea.*] Eſt aliqua in verbis obſcuritas: ſed prius quæramus ſenſum, deinde qualis ſit verborum ſignificatio facile colligemus. Bifariam exponitur hic locus. Alii עשיריה, Decimationem, alii decimam partem exponunt: & volunt eſſe nomen collectivum. Certe עשירית, Hebræis proprie, non עשיריה, decimam ſignificat. quanquam in eo parum eſt diſcriminis. Qui vero decimationem vertunt, putant promitti populo inducias, eo quod à regno Uſiæ uſque ad excidium Jeroſolymæ, decem Reges futuri erant. Et certe totidem reperiuntur ab Uſia ſcilicet uſque ad Zedechiam. Atque in eo non levis approbatio foret doctrinæ Propheticæ, quod Reges, qui etiam poſt mortem ipſius futuri erant, numerare potuit: neque tantum rem ipſam, ſed etiam tempus & diem monſtravit. quanquam neſcio an alter ſenſus aptior aliquanto ſit futurus. Videtur enim Propheta afferre hanc populo conſolationem: quod vigoris occulti aliquid retinebit & pullulare poterit, tametſi penitus interiiſſe videatur ad tempus: quemadmodum exacta hyeme arbores de integro vireſcunt. Sed quoniam prior expoſitio ſatis habet coloris, ideo totum verſum explicabo eorum ſenſu, qui hic decem Regum mentionem fieri exiſtimant: ut ſignificet, exactis decem Regibus populum in captivitatem abducendum eſſe, tuncque velut incendio univerſam terram abſumptum iri. Interea teneant lectores, עשיריה, ſive decimam,

ſive

ſive decimationem vertamus, aptiſſime referri poſſe ad populum: tuncque talis erit ſenſus, Donec ad decimam uſque partem imminutus ſit populus. Nam [ſupr. 1. verſ. 9.] prius loquutus erat de reliquiis & quidem exiguis, atque iterum poſtea loquetur. [infr. 10. verſ. 22.] exiguus enim admodum numerus ſuperfuit. Sic igitur commode poſſet accipi: quaſi ex mille centum ſupereſſent, ex centum decem, ex decem unus.

Et revertetur.] Hoc eſt, accidet mutatio in melius, dum redibunt ab exilio Judæi in patriam: atque novam faciem induet terra. Sed videtur in contextu ſpecies eſſe aliqua repugnantiæ: quia continuo poſt adjicit Propheta, Erit in excidium. Quam frigida enim conſolatio, populum reſtitui, ut paulo poſt iterum perdatur? Quidam ita hunc nodum expediunt, acſi de ultima populi internecione verba faceret Jeſaias. Atqui, meo judicio, potius ſignificat non fore plenum excidium, ſed quale contingit arboribus, quum hyeme quidem folia decidunt, nec quicquam apparet præter mortuum lignum: ineunte autem vere repullulant. idemque ait populo eventurum. לבער, ſignificat Ardere. ideoque tantundem hic valet ac Conſumi incendio. Sed conjunctim legendum cum ſimilitudine mox adjuncta. Neque enim ſimpliciter dicit Jeſaias fore in conſumptionem, ſed inſtar tiliæ, hoc eſt, cum ſpe propinquæ reſtitutionis. Quod vero Hieronymus Oſtenſionem vertit, neſcio unde putaverit deduci, niſi quod libere interpretatus eſt: ſententiam potius ſpectans, quam etymologiam verbi. nam quum arbores florent vel folia emittunt, rurſus in apertum prodit ac ſe exerit earum vita. atque hic ſenſus optime conveniet. Non videtur autem Jeſaias fruſtra duas iſtas arborum ſpecies aſſumpſiſſe: aliæ enim citius vireſcunt, atque etiam marceſcunt: quod idem accidit tribui Juda. Prius enim decem tribus cum dimidia parte tribus Benjamin in captivitatem abductæ erant. Ita quæ citius floruerant, citius etiam marcuerunt. Hæc poſtrema omnium emarcuit, non ſine ſumma ſpe iterum vireſcendi. Hic enim ſpes liberationis affertur: nec fuit idem captivitatis genus cum Iſraëlitis. Videtur ergo proprietas quædam huic arborum ſimilitudini ineſſe: quod tamen ego nimium urgere nolim. Per vocem *projectionis* foliorum, dejectio intelligenda eſt, quum arbores foliis tanquam veſte ſua exuuntur. Nam arbores in hac nuditate, ſiccæ & marcidæ videntur: quum tamen intus ſubſiſtat arcanus vigor, quo tandem vegetantur in aëris temperie.

Ita ſubſiſtentia.] Applicatio eſt ſimilitudinis, quæ non parum habet energiæ. nam quum cernimus gratiam Dei ſpiritualem in ipſo naturæ ordine, non parum confirmamur: quemadmodum quum Paulus [1 Cor. 15. verſ. 36.] imaginem reſurrectionis proponit in quotidiana granorum ſatione. ita etiam hoc loco, inſtaurationem Eccleſiæ demonſtrat Jeſaias accepta ſimilitudine arborum, quæ poſt autumnum quidem marceſcunt, ſed protinus vireſcunt ineunte vere, & nova folia emittunt: quod fieri non poſſet, niſi in media etiam hyeme vigorem intus aliquem retinerent: tametſi in ſpecie mortuæ videantur. Idem omnino huic populo eventurum prædicit, ut quamvis in gravi illa & dura captivitate ſimilis ſit arido ligno, nec unquam emergere poſſe putetur: conſervabitur tamen aliquis in eo vigor, quo ſuſtentatus in illis anguſtiis, tandem poſtea emerget ac vireſcet. Hanc doctrinam non eſſe unius ſeculi diximus: quamobrem diligenter notanda eſt. nec enim raro accidit Eccleſiæ ut in variis cladibus quas ſuſtinet, nullus appareat in ea vigor, actumque prorſus de ea exiſtimetur. Quoties hoc accidit, certo teneamus occultum nihilominus intus vigorem latere: qui tametſi non pateat ſtatim oculis noſtris, fructum tamen ſuum tandem emittet. Latet autem is vigor in verbo Domini, quo ſolo Eccleſia ſuſtentatur.

Semen ſanctum.] Oſtendit qualis ſit ea ſubſiſtentia: nempe in exiguo piorum numero, quos vocat Semen ſanctum. intelligit enim electos, qui gratuita Dei miſericordia ſervandi erant, atque ita ſuperfuturi ex illa captivitate. Fuit enim ejectio illa velut purgatio Eccleſiæ, qua Dominus ſuſtulit impios: quibus exterminatis, exiguum quidem populum, ſed ſibi vere ſacrum collegit. Aliqui hoc ad Chriſtum referunt: ſed videtur expoſitio nimis coacta, & melius omnino quadrabit ad pios omnes extendere: Semen enim ſanctum, Eccleſiæ ſubſiſtentia eſt.

CAP. VII.

ACcidit in diebus Achaz filii Jotham, filii Uſiæ regis Juda, ut aſcenderet Rezin rex Syriæ, & Pecah filius Romeliæ rex Iſraël, contra Jeruſalem, ad oppugnandam eam: ſed non potuit expugnare.

2. Nunciatum eſt autem domui David, dicendo, Sociata eſt Syria cum Ephraim: & commotum eſt cor ejus, & cor populi ejus, ſicuti quum ligna ſylvæ moventur à vento.

3. Tunc dixit Jehova ad Jeſaiam, Egredere in occurſum Achaz, tu & Sear-jaſub filius tuus, ad finem aquæductus piſcinæ ſuperioris, ad viam agri fullonis.

4. Et dices ad eum, Contine & quieſce. non formides, neque molleſcat cor tuum propter duas caudas iſtorum titionum fumigantium, in furore iræ Rezin, & Syri, & filii Romeliæ.

5. Eo quod conſilium contra te iniit Syrus malignum cum Ephraim & filio Romeliæ, dicendo,

6. Aſcendamus contra Judam, & excitemus eum, & aperiamus eum nobis: conſtituamuſque in medio ejus Regem, filium Tabeal.

7. Sic dixit Dominus Jehova, Non conſiſtet, & non erit.

8. Quoniam caput Syriæ, Damaſcus: & caput Damaſci, Rezin. Et quidem adhuc ſexaginta quinque anni: & frangetur Ephraim, ut non ſit populus.

9. Interea caput Ephraim, Samaria: & caput Samariæ, filius Romeliæ. Si non creditis, profecto neque ſtabitis.

10. Et adjecit Jehova loqui ad Achaz, dicendo,

11. Petet ibi ſignum à Jehova Deo tuo, petendo in profundo, vel ſurſum in excelſo.

12. Et ait Achaz, Non petam: & non tentabo Jehovam.

13. Et dixit, Audite nunc domus David: An parum eſt vobis, hominibus moleſtos eſſe, niſi Deo quoque meo ſitis moleſti?

14. Pro-

14. Propterea dabit vobis Dominus ipſe ſignum: Ecce virgo concipiet, & pariet filium: & vocabit nomen ejus Immanuel.

15. Butyrum & mel comedet, donec ſciat reprobare malum, & eligere bonum.

16. Et quidem antequam ſciat puer rejicere malum, & eligere bonum, relinquetur terra quam odiſti, à duobus Regibus ſuis.

17. Adducet Jehova ſuper te, & ſuper populum tuum, & ſuper domum patris tui, dies qui non venerunt à die defectionis Ephraim à Juda: nempe Regem Aſſur.

18. Erit in die illa, ſibilabit Jehova muſcæ, quæ eſt in extremitate fluminum Ægypti, & api quæ eſt in terra Aſſur:

19. Venientque, & quieſcent omnes in vallibus deſertis, & in cavernis petrarum, & in omnibus ſpinetis, & in omnibus dumetis.

20. In die illa radet Dominus novacula conducta, per hos qui trans fluvium ſunt, per Regem Aſſur, caput & pilos pedum: quin & barbam tollet.

21. Fietque in die illa, ut homo nutriat vaccam armenti & duas oves:

22. Et eveniet, ut propter copiam lactis quam proferent, comedat butyrum: Butyrum certe & mel comedet quiſquis reſiduus fuerit in medio terræ.

23. Erit etiam in die illa, ut quocunque in loco fuerint mille vites, proſtent mille argenteis propter ſpinas & vepres.

24. Cum ſagittis & arcu venient illuc: quoniam ſpinæ & vepres erunt per univerſam terram.

25. Porro quod ad omnes montes qui ſarculo fodiuntur, non veniet illuc timor ſpinarum & veprium: ſed expoſiti erunt bobus, & conculcabuntur à pecoribus.

F*Actum eſt.*] Hic refertur inſignis prophetia, de mirifica liberatione Jeroſolymæ, quum de ea penitus actum eſſe videretur. Propheta vero exponit omnes circumſtantias, ex quibus clarius eluceat miraculum, palamque fiat non humanis aut conſiliis aut viribus, ſed Dei gratia ſervatam fuiſſe urbem. Adeo enim ingratus erat populus, ut re peracta non intelligeret ſe manu Domini ereptum, niſi ſigillatim omnia in memoriam revocarentur. Et pauci admodum erant, qui imminente periculo ſperare auderent quod promiſit Jeſaias: quia de ſe & publico regni ſtatu judicium facerent ex intuitu præſenti. Quo igitur inſigne Dei beneficium explicet, circumſtantias omnes proponit: ut quanto è periculo & cujus manu erepti fuerint, ipſi agnoſcant: nos autem beneficium hoc in homines ingratos collatum intelligamus, ut conſervaretur Eccleſia, ac deinde ſuſcitaretur Chriſtus. Notandum eſt Prophetam loqui de ſecundo bello quod Rezin & Pecah intulerunt. idque ex Sacra hiſtoria facilius colligitur. Nam priore bello Achaz victus eſt, ingenſque multitudo in ſervitutem abducta: quæ tandem reſtituta eſt ab Iſraëlitis, quum Dei nomine Propheta id fieri juſſiſſet. Iterum vero collecto exercitu, Iſraëlis & Syriæ Reges Achaz invaſerunt: quod ſuperiore bello fractum, nec ullam ei reſiſtendi vim eſſe exiſtimarent. Atque hujus ſecundi belli mentio ad amplificationem miraculi pertinet. Nec enim Achaz integris erat viribus, ut tantæ multitudini obſiſteret, quando flos totius populi priore bello ereptus erat. & quantuſcunque reſtabat populus, tamen imbellis erat, ac recentis cladis memoria adhuc expavefactus. Eo igitur magis Dei bonitas & virtus ſeſe oſtendunt, quod miſertus tantæ calamitatis, populo ſuo opem tulit: & momento eripuit è faucibus mortis, quum omnes de ejus ſalute deſperarent. 2 Reg. 16. verſ. 5.

Aſcenderet.] Eſt bic quaſi propoſitio & ſumma rei totius. Significat enim de quibus rebus ſermonem habiturus ſit, ac pro more linguæ Hebraicæ breviter perſtringit quæ paulo poſt fuſius & magis explicate tradet. Exitum enim ſtatim ab initio proponit, quod duorum Regum irrita fuerit expeditio. Poſtea autem cauſas reddet, cur expugnari non potuerit Jeroſolyma: ſed antequam illuc veniat, breviter attingit quid fuerit animi vel conſilii in rege Achaz.

2. *Nunciatum eſt.*] Non intelligit tunc demum quum ad urbem appropinquarent duo Reges, nuncium allatum fuiſſe Regi de fœdere. neque enim effuſo per agros hoſtili exercitu ipſi Achaz tutum fuiſſet egredi: ſed antequam ſuas copias armaſſent, dicitur jam tunc rex Achaz trepidaſſe. Unde probabile eſt magis ac magis fuiſſe conſternatum, quum propius cerneret diſcrimen. Domus David ſignificat palatium & aulam Regis. acſi dixiſſet Propheta, Achaz & ejus conſiliarios fuiſſe admonitos de conſpiratione contra Judæam facta. Quod ad verba ſpectat, verbum נחה varie ab Interpretibus transfertur. Quia Hebræis Ducere ſignificat, quidam eliciunt hunc ſenſum, Syrus milites ſuos adduxit in auxilium exercitus. atque ita על cum ע, putant poſitum eſſe pro אל cum א. Alii deducunt à נוח, quaſi deficeret litera ו, & vertunt Quievit. Secundum alios potius eſt literarum inverſio, & נחה ponitur pro חנה quod eſt caſtrametari: ideo vertere placuit, Sociata eſt Syria. Neque enim aliud voluit Propheta, quam ſocietatem belli initam fuiſſe inter Iſraëlitas & Syros, ut conjunctis viribus expugnarent Jeroſolymam. Nam in nomine Ephraim eſt ſynecdoche Prophetis ſatis trita. Totum regnum Iſraël ſub Ephraim comprehenditur: non modo quia tribus illa multitudine & opibus ſuperabat reliquas, ſed quia inde oriundus erat primus rex Jeroboam. 1 Reg. 11. verſ. 26.

Commotum eſt.] Hic videmus per domum David nihil aliud ſignificari quam palatium Regis, unde ad totum populum manavit terror. Nec vero aliter fieri potuit, quin audito Regis & Principum metu, vulgus ſimiliter expaveſceret. Simul ergo atque advenit hic nuncius, omnes tanta formidine correpti ſunt, ut nemo eſſet compos ſui. Similitudine propria tremorem illorum exprimit, qua etiam vulgo uti ſolemus, *Il tremble comme la fueille en l'arbre.* Atque id pertinet ad commendationem miraculi. nam inde apparet ipſos non tantum aliis, ſed ſibi quoque, id eſt, ſua opinione fuiſſe deſperatos. Actum itaque prorſus erat, niſi Dominus mature occurriſſet. Hic clariſſimum nobis ſpeculum proponitur, in quo ſecuritatem impiorum contemplari poſſumus, ubi manum Dei non ſentiunt: contra ubi Dominus periculum aliquod oſtentat, quanto pavore ſubito cohorreant. Proſperis enim rebus ſecuri, vix Dei imperio credunt ſe eſſe ſubjectos: certe extra omnem ſe aleam locatos eſſe imaginantur. Adverſis autem conſternati, repente concidunt: imo eorum

ſenſus

ſenſus ita occupat formido, ut exanimes vel attoniti jaceant. Atque hæc eſt pœna qua Dominus profundum eorum veternum excitat. Prius enim fixi & immoti videntur, nec de gradu unquam dejici poſſe. nunc vel ad leviſſimum rumorem ſubito expaveſcunt. Iſte igitur pavor, juſta ultio eſt Dei, quem nunquam reverentur, niſi coacti. Diſcamus autem, ſi qua eſt in nobis mica fidei, dum imminet aliquod diſcrimen, non ita Deo eſſe diffidendum. Fieri quidem non poteſt quin inſtantibus periculis commoveamur ac turbemur: ſed non eſt adeo trepidandum, ut anxii huc atque illuc volvamur: nec portum conſpiciamus, ubi tuto pedem figere liceat. Hoc enim inter piorum & impiorum metum diſcrimen eſſe debet, quod impii ſedandis animis nullum inveniant remedium: pii vero ſtatim ad Deum confugiant, in quo tutiſſimum ſe portum habere ſcientes, quamvis inquietudine vexentur, tranquilli tamen reſident.

3. *Tunc dixit Dominus.*] Primum videmus ut Deus fœderis ſui memor, Prophetæ occurſu præveniat impium Regem: quia non expectat ejus preces, ſed ultro liberatorem ſe fore promittit. Additur Prophetæ teſtis vaticinii filius ejus Sear-jaſub, cui nomen non temere, ſed arcano Spiritus inſtinctu, vel expreſſo Dei mandato inditum fuiſſe probabilis eſt conjectura: idque ad notandam populi futuram redemptionem. Geſtabat igitur in ſuo nomine quaſi inſculptum ſigillum tam propinqui exilii, quam reditus. Credibile etiam eſt, hoc ſymbolum vaticinii vulgo fuiſſe notum: quia alioqui non datus fuiſſet patri comes, niſi quædam in ejus perſona fuiſſet auctoritas. Locus notatur ad certitudinem hiſtoriæ. Fieri poteſt ut Rex arcendi hoſtis cauſa, profectus fuerit ad perluſtrandos acceſſus: quod melius liquet ex ſacra hiſtoria, 2 Reg. 18. verſ. 17. Vocatur autem Via agri fullonis, forte quod illic lavari ſolerent panni, vel quia fuerit monumentum aliquod vetus hoc nomine. Quicquid ſit, fuit hoc ſignum anxietatis & metus, quod miſer ille hypocrita huc illuc curſitaret, quum ad pacandum ejus animum proceſſit obviam Jeſaias.

4. *Et dices.*] השמר, quod Hebræis cuſtodire ſignificat, hic ponitur in Hiphil: & magna pars interpretum accipit pro Cavere: quanquam hoc perperam trahunt ad coactum ſenſum & procul remotum, ut ſibi à bello gerendo caveat Achaz. Simplicior eſt ſententia, ne fluctuet animo aut dubius vagetur, ſed compoſitus & tranquillus maneat. ideo verti, Contine te. Senſus ergo eſt, ut ſubſidat Achaz, nec tumultuetur, vel inquietudine animum ſuum vexet, ſicuti erraticæ & inſtabiles ſunt hominum mentes, ubi formidine ſunt perculſæ. Hanc interpretationem confirmat verbum quod ſequitur, *Quieſce.* Sunt enim hæc duo conjuncta, placidam cuſtodiam agere, ne quis diſtrahatur variis conſiliis, hucque & illuc circumſpectet: deinde quietem colere, & intus ſedato eſſe animo. atque hos ſuaviſſimos fructus profert fides. Quemadmodum enim infideles ad varios impulſus labaſcunt atque errant incerti, nec ſciunt quam in partem ſeſe convertere debeant: ita fideles continent ſeſe, & quieto animo ſe ad Deum recipiunt. Impietas nunquam eſt quieta: ubi vero fides viget, illic tranquillus eſt mentis ſtatus, nec trepidatur ultra modum. Hæc igitur verba optime fidei vim exprimunt. Poſtquam remedium oſtendit ſedandis animi agitationibus, timere etiam vetat: quia fidei, quæ ſalutem noſtram in manu Dei locat, nihil magis contrarium eſt quam timor. At fieri non poteſt quia timeamus, ubi pericula imminent: fateor. nec enim fides omnino ſenſu exuit: imo duplici timore Dei quoque filios affici certum eſt: quorum unus ex ipſo humanitatis ſenſu, etiamſi perfecta fide præditi eſſent, naſcitur: alter ex infirmitate fidei. Nemo enim eouſque profecit, ut nullas habeat reliquias diffidentiæ, adverſus quas nobis aſſidue pugnandum eſt. Non eſt igitur ſic accipienda hæc Prophetæ exhortatio, quaſi Dominus omnem timorem prohibeat: ſed fideles ea conſtantia armatos eſſe jubet, ut timorem vincant: acſi diceret, Ne patiaris te frangi: quod ſi graves & duros impetus ſuſtines, invicto ſis animo, ne te pericula opprimant. quin potius vivas Deo & ſuperior ſis omnibus malis. Addit in eundem finem continuo poſt, ne cor ejus molleſcat, quod tantundem valet ac diffluere. neque enim abs re docet Apoſtolus, fide obdureſcere corda noſtra. *Hebr.* 11.
Mollities autem ignaviæ eſt, ubi Dei obliti, noſtra *verſ.* 27.
infidelitate quodammodo liqueſcimus. Nec enim mollem vel effœminatum eum dices, qui Spiritu Dei fretus, conſtanter adverſis rebus obſiſtit. Unde colligimus Prophetam nihil aliud voluiſſe, quam ut Achaz intrepido animo expectaret eventum, qualem ei Dominus promiſerat. *Propter duas caudas.* Eleganti metaphora utitur Jeſaias ad minuendam quam conceperant Judæi opinionem de duobus illis potentiſſimis Regibus, quæ terrore eorum ſenſus impleverat. Erat enim furor eorum & crudelitas quaſi ardentiſſimus ignis, qui ſufficeret ad incendium totius Judææ, nec reſtingui poſſe videbatur. Contra Jeſaias vocat ipſos non Titiones; nam id magnum adhuc videri poſſet: ſed Caudas, id eſt, fragmenta vel extremitates quaſdam titionum: nec eas accenſas, ſed tantum fumigantes: acſi titio quidam ab igne ereptus elanguerit, & nihil præter tenuem quendam fumum habeat. Hæc metaphora inſignem conſolationem continet: qua admonemur longe aliter de impiorum violentia exiſtimandum eſſe, quam res ipſa præ ſe ferat. Videntur enim tanta potentia præditi, ut totum orbem inflammare ac perdere poſſint. Dominus autem ut occurrat terrori nimio, pronunciat fumum inanem eſſe, & brevem, quod incendium, idque diuturnum fore exiſtimamus.

5. *Quia conſilium malignum.*] Quamvis prædixerit evanidas fore minas hoſtium populi Dei, & irritos conatus, non tamen diſſimulat quam dira machinentur, niſi Dominus eos compeſcat. Nam conſilium malum intelligit exitiale: quia ſcilicet inter ſe conſpiraverant duo illi Reges ad perdendam Judæam. Id quo melius exprimat, & quaſi oculis repræſentet, refert eorum verba.

6. *Aſcendamus.*] Hoc eſt, Paremus expeditionem. נקיצנה, vertunt nonnulli Tædio afficiamus vel affligamus: quod etiam denotat origo verbi. Verum in hac conjugatione ſignificat potius Excitare & expergefacere. Etſi autem illam interpretationem non refello, hanc tamen ſequi malo, quia contextui melius quadrat. Excitare, porro accipio pro Turbare, & novas res moliri: ut vulgo dicimus, *Remuer les affaires:* ne tranquillum illius regni ſtatum eſſe ſinerent. Quod ſequitur, נבקיענה, nonnulli exponunt Perrumpamus in eam. Alii, Perrumpere faciamus eam ad nos. Ego verti, *Aperiamus.* Nam & בקע ſignificat quod ſolemus dicere *faire breſche ou ouverture.* Ratio autem patefaciendi aditus ad Judæam erat, armorum violentia clauſtra ejus perfringere: vel metu ſollicitare ad defectionem timidos & dubios animos. Nam quamdiu ſubditi in fide manent, obſtructus eſt aditus: ubi vero factionibus omnia perturbantur, patefit aditus, quo deinde in munitiſſima quæque & tutiſſima loca perrumpere facile fit. Ita ſperabant hi duo Reges, ſimulatque in Judæam veniſſent, ſe ſtatim magnitudine exercitus & potentia, omnem populum territuros: ut nulla ei eſſet reſiſtendi aut facultas, aut voluntas. Nec enim veriſimile eſt ipſos, quum adeo ingenti eſſent inſtructi hominum multitudine, ſpem in longa obſidione poſuiſſe. Nam ſatis munita erat Jeroſolyma: ſed conterritam & perturbatam illis copiis, ſibi expoſitam fore putabant, ut ſtatim deditionem faceret. Ego tamen verborum iſtorum interpretationem unicuique liberam relinquo: quia utrovis modo accipere libeat,

ſenſus

ſenſus Prophetæ ambiguus non eſt. Cæterum quis hic fuerit Tabeal, non facile colligi poteſt ex hiſtoriis. Veriſimile eſt Iſraëlitam quendam, Davidicæ domus hoſtem fuiſſe, quem ſibi obnoxium reddere Reges iſti cupiebant.

7. *Non ſtabit.*] Quod præceſſit, ad commendationem præclaræ raræque ſalutis ſpectabat. Nam quum Dominus vult tentationibus noſtris opem ferre, proponit magnitudinem periculi, ne putemus eum minus promittere quam neceſſitas ipſa poſtulat. nec ſolet extenuare mala quæ nos urgent, ſed ea potius amplificat: deinde promiſſionem offert; ſeque ſatis potentem eſſe oſtendit ad nos liberandos, tametſi perditi videamur. Hanc rationem ſequutus eſt Propheta. poterat enim ſimpliciter docere quid futurum eſſet, Regemque & populum animare, ne exercitibus illis territi evaneſcerent. Sed deliberationem & conſilium Regum illorum aperuit, cui nunc opponit promiſſionem & decretum Dei, quo magis admirabile auxilium ejus eluceat. nam hæc ſacra eſt anchora quæ ſola nos inter tentationum fluctus confirmat, ſicuti in rebus adverſis nuſquam licebit conſiſtere, ſi deſtituat nos Deus verbo ſuo. Quamvis ergo jam deſperatione prope obrutus Rex eſſet, oſtendit Jeſaias nihil adeo eſſe terribile quod non contemnere liceat, modo promiſſione Dei munitus patienter expectet quod non cernitur, imo videtur eſſe incredibile. Negat igitur ſtaturum quicquid gigantum more contra Deum attollunt homines. Utitur quidem Surgendi verbo, ſicut etiam eadem metaphora ſignificant Latini, opus habere ſuos progreſſus. denique ſacrilegæ audaciæ negat fore ſubſiſtentiam. Plus etiam vehementiæ habet quod ſubjungit, Non erit: id eſt, in nihilum redigetur acſi nunquam extitiſſet. Notanda eſt hæc loquutio: qua nudum & ſimplex Domini verbum, ingenti exercitui & deliberationi Regum oppoſuit.

8. *Caput Syriæ.*] Acſi diceret, Duo iſta regna ſuos fines habebunt, quales etiamnum habent. Aſpirant ad tuum regnum, ſed ego metas illis conſtitui quas non egredientur. Damaſcus erat metropolis Syriæ, ut Lutetia Galliæ. Ait ergo, Reges illos ſua fortuna contentos eſſe oportere; eandemque in poſterum conditionem ipſorum fore, qualis tunc erat. Poſtquam autem dixit, fruſtra nunc eniti ad ampliandos terminos, prædicit calamitatem regni Iſraëlitici. Frangendi enim verbo ſignificat exinanitum iri regnum Iſraël, ut non extet amplius. Nam Iſraëlitæ ſunt abducti in exilium, & in alium populum redacti: quemadmodum hodie pars Sabaudiæ in nomen Galliæ tranſiit, ſuoque nomine privata eſt. Hoc vult Propheta, quum dicit מעם, ne ſit populus. tunc enim Iſraël exteris Gentibus permixtus eſt, ac peculiare ejus nomen deletum.

Intra ſexaginta quinque annos.] Quum Iſraëlitæ abducti ſint ſexto anno Regis Ezechiæ, & Achaz ſexdecim tantum annos regnaverit: certum eſt hanc ſupputationem fieri non debere ab eo die quo Jeſaias ad perferendum hunc nuncium miſſus eſt. Nam viginti ſolum anni effluxerunt uſque ad id tempus, quo decem tribus in captivitatem abductæ ſunt. Amos de hac captivitate vaticinatus erat: nec dubium quin ut hæc prophetia Amos, ita tempus in ea conſtitutum apud omnes celebre eſſet, annorumque numerum compertum haberent. Si igitur ab eo tempore numeremus quo Amos hæc prædixit, ſexaginta quinque anni reperientur. Jotham enim ſexdecim annos regnavit, Achaz totidem. Accedant ſex regis Ezechiæ, quo anno abductæ ſunt decem tribus in exilium. Adde poſtea 27. quibus poſt editam prophetiam regnavit Uſias, fiunt 65. Hæc conjectura valde probabilis eſt: nec quicquam dubium eſſe debet, quin Jeſaias huc reſpexerit. Extat enim vaticinium Prophetæ Amos, quo Dominus populum admonuit, ne quid inſperatum ei accideret, & ſubito

Amos 3. verſ. 12.

ſe oppreſſum eſſe quereretur. Vaticinium illud confirmat Jeſaias, idemque tempus proponit, quod jam apud omnes celebre erat. Porro his verbis ſocordiam Iſraëlitici populi acriter pungit, quod de terra & nominis ſui interitu admoniti, non modo ſecure Dei judicium ſpernebant, ſed quaſi data opera illuderent oraculo cæleſti, vorandæ Judææ inhiabant: quia jam præterierat longum tempus, putabant ſe elapſos eſſe. Hanc amentiam deridet Propheta, quod tam exiguo annorum numero fingant verbum Dei obſoleſcere. Cæterum quia ſurdi erant Iſraëlitæ, ſpatium Judæis præfigit Jeſaias, quo expectent hoſtium ſuorum cladem. Docet autem hic locus, Prophetas alios aliis fideliter manum dediſſe, ut conjunctis ſtudiis Deo ſervirent.

9. *Interea caput.*] Quia repetitio eſt qua confirmat quod prius dixit, medio tempore præſcriptas fore metas divinitus regno Iſraël, copulam ו verti Interea. Alioqui abſurdum eſſet metropolim Regni ſalvam fore poſtquam exciſum eſſet, ſicuti nuper prædixit. Senſus ergo eſt, Interim dum implentur 65. anni, Iſraël habet quaſdam inducias. ejus caput erit Samaria. contentus ſit finibus ſuis, neque aſpiret ad majora. Talis enim erit ſtatus ipſius, donec exſcindatur omnino, nec jam populus cenſeatur.

Si non credideritis.] Ponitur כי rationalis particula vel cauſalis in medio ſententiæ. ideo ſic quidam vertunt, Si non creditis: ratio eſt, quia non eſtis fideles. ac prius membrum reſtringunt ad prophetiam Jeſaiæ: poſterius vero extendunt ad quemlibet Dei ſermonem: acſi dictum eſſet, Si nulla conſtat apud vos fides meis dictis, hinc coarguitur in genere veſtra infidelitas. Sed hoc modo nihil differret verbum תאמינו à verbo תאמנו: quorum prius eſt ex conjugatione Hiphil, alterum ex Niphal. Atqui terminationem non abs re mutavit Propheta: & paſſim ex pluribus Scripturæ teſtimoniis liquet, verbum אמן in conjugatione Niphal apud Hebræos accipi pro Conſiſtere, vel firmum manere in gradu. Tantundem ergo valere interpretor, acſi dixiſſet, Una hæc vobis fida ſtatio eſt, expectate placide & ſine perturbatione mentis quod promiſit Dominus, id eſt, liberationem. Si non expectatis, quid aliud ſupereſt vobis quam exitium? Particula ergo כי, ut ſæpe alias, idem valet quod Profecto. Nam affirmat eos ſtare non poſſe, niſi promiſſioni confidant. imo oblique plus exprimit, Deum nihilominus ſtaturum, quamvis fidem abrogent ejus verbo, & quantum in ſe eſt, conentur ejus firmitatem labefactare. Ipſos vero non aliter ſtaturos, quam ſi recumbant in promiſſionem ſibi oblatam. Unde colligenda eſt univerſalis doctrina: quum ſcilicet à verbo Domini receſſimus, quamvis optime credamus nos eſſe fundatos, ruinam tamen inſtare. Salus enim noſtra in verbo Dei incluſa eſt: quod ubi repudiatur, injuriam ſibi factam merito ulciſcitur ipſe qui paratus erat ſua virtute ſuſtinere homines, niſi ſponte præcipites ruerent. Aut igitur acquieſcendum in promiſſis Dei, aut fruſtra à nobis ſalus expectatur.

10. *Et adjecit.*] Quoniam Dominus ſciebat Regem Achaz tam eſſe impium ut promiſſioni non ſtaret, ideo mandat Jeſaias ut ipſum confirmet addito ſigno. Nam ubi Deus videt promiſſiones ſuas nobis non ſufficere, adminicula adjungit infirmitati noſtræ convenientia: ut non ſolum loquentem ipſum audiamus, ſed etiam manum ejus exertam conſpicientes, aperto rei teſtimonio confirmemur. In quo diligenter notandus eſt uſus ſignorum, id eſt, quorſum Dominus miracula edere ſoleat, nempe ut nos confirment in fide verbi ſui. Nam quum ejus potentiam cernimus, ſi ambigimus fidem habere loquenti, dubitationem noſtram corrigit ipſe rei intuitus. Conjuncta enim verbo miracula, ſigilla ſunt.

11. *Vel in profundo.*] Ego ſimpliciter ita accipio. Vel

Vel ſurſum, vel deorſum: permittit ei liberam electionem miraculi, ut vel terreſtre, vel cæleſte poſtulet. niſi forte in voce Profundi aliquid ſit magis emphaticum: acſi dixiſſet, Tuum eſt optare, mox tibi oſtendet Deus imperium ſibi eſſe altius toto mundo, atque etiam intra omnes abyſſos, ut ſuo arbitrio mortuos excitet è ſepulchris. Mira certe erga impium hunc Regem & populum Dei indulgentia, quod non modo patienter ad tempus tulit eorum diffidentiam, ſed tam liberaliter ſe demiſit, ut qualecunque ipſis viſum foret, potentiæ ſuæ pignus paratus eſſet dare. Quanquam non ſolos incredulos reſpexit, ſed infirmis etiam, in quibus aliquod erat pietatis ſemen, voluit conſulere: quo certius perſuaſi eſſent Jeſaiam non temere prodire, cui promptum erat ſpecimen edere divinæ virtutis ad confirmationem dicti ſui. Eadem nunc quoque Dei bonitas ſe profert erga homines quibus ita indulget, quum iis merito poſſet iraſci. Quam enim atrocem injuriam faciunt Deo, quum de ejus veritate dubitant? Quid enim ſupereſt Deo, ſi ea ſpolietur? Atque utcunque hæſitemus, non tantum ignoſcit nobis, ſed & diffidentiæ ſuccurrit: nec tantum verbo, ſed additis etiam miraculis: nec fidelibus ſolum, ſed & impiis ea proponit. id quod poſſumus in hoc Rege contemplari. Quod ſi alienis adeo benignus tunc fuit, quid non expectare debent ab eo domeſtici?

12. *Et ait Achaz.*] Specioſo prætextu recuſat ſignum quod Dominus offerebat: nempe quod ipſum tentare nolit. Fingit enim ſe fidem habere verbis Prophetæ, nec quicquam requirere à Deo præter verbum. Et certe ut deteſtabilis eſt coram Deo impietas, ita dubium non eſt quin Deus fidem magni æſtimet. Ideo ſi quis acquieſcat in ſolo verbo, & reliqua omnia contemnat, ſumma laude dignus videri poſſit. Nec enim major perfectio eſſe poteſt, quam ſi quis ſe Deo penitus ſubjiciat & addicat. Sed quæritur an tentemus Deum, quum id quod nobis offert ſuſcipimus? minime vero. Mentitur ergo Achaz, quum oblatum ſignum recuſando, ſimulat ſe Deum tentare nolle. nihil enim melius aut præſtantius, quam parere Deo. ſumma quidem virtus eſt, nihil expetere præter verbum Dei: ſi tamen Deus aliquid ad verbum addere velit, non eſt virtutis loco ducendum ubi acceſſio hæc quaſi ſupervacanea rejicitur. Affertur enim non levis Deo injuria, dum ita contemnitur ejus liberalitas, acſi inutiliter nobiſcum ageret, nec ſatis noſſet quæ nobis maxime neceſſaria ſunt. Scimus hoc nomine potiſſimum commendari fidem, quod obedientiam in ſe contineat. ubi autem nimium ſapere volumus, & contemnimus aliquid quod Dei eſt, haud dubie abominabiles ſumus coram Deo, qualemcunque habeamus prætextum coram hominibus. Sic igitur habenda fides verbo Dei, ut ſubſidia minime contemnamus, quæ ſublevandæ fidei noſtræ cauſa voluit ipſe adjungere. Exempli gratia: Dominus offert nobis in Euangelio quæcunque ad ſalutem neceſſaria ſunt. nam quum in ſocietatem Chriſti nos adducat, certe in eo bonorum omnium ſumma continetur. Quorſum igitur Baptiſmus, & ſacra Cœna? an ſupervacua cenſeri debent? minime. Nam quiſquis vere & ſine blanditiis ſuam infirmitatem, cujus omnes à minimo uſque ad maximum ſibi conſcii ſunt, reputabit, libenter his adminiculis ſe fulciet. Dolendum quidem ac gemendum, quod ſacroſancta Dei veritas propter carnis noſtræ vitium ſubſidio opus habeat. ſed quando vitium hoc ſtatim exuere non licet, quiſquis pro captu ſuo fidem habebit verbo, ſimul integrum obſequium Deo præſtabit. Diſcamus ergo amplecti ſigna cum verbo, quum non ſit in poteſtate hominis ea disjungere. Quod Achaz ſignum oblatum recuſat, eo prodit & contumaciam & ingratitudinem ſuam. ſpernit enim quod Deus pro ſumma utilitate obtulerat. Hinc etiam apparet quatenus ſigna expetenda ſint: nempe quum nobis à Deo offeruntur. Qui igitur oblata reſpuet, ſimul gratiam Dei reſpuat neceſſe eſt. Quemadmodum hodie fanatici homines, Baptiſmum & ſacram Cœnam negligunt, & puerilia rudimenta eſſe putant. hoc facere non poſſunt, quin ſimul totum Euangelium rejiciant. Nec enim disjungenda ſunt, quæ Dominus conjuncta eſſe voluit. Quæritur tamen an non liceat ſigna à Domino interdum petere? nam hujus rei exemplum habemus in Gedeone, qui vocationem ſuam voluit ſigno aliquo confirmari. ejus voto obſequutus eſt Dominus, nec tale deſiderium improbavit. Reſpondeo, Gedeonem, quamvis ſignum petere juſſus non ſit à Deo, tamen impulſu Spiritus, non proprio arbitrio id feciſſe. Quare non eſt abutendum ejus exemplo quo ſibi hanc licentiam quiſque noſtrum promiſcue permittat. Tanta eſt enim hominum importunitas, ut innumera ſigna abſque ratione à Deo poſtulare non dubitent. Cohibenda igitur eſt talis audacia, ut contenti ſimus iis, quæ à Domino offeruntur. Sunt autem duo genera ſignorum. quædam enim extraordinaria, ut portenta dici poſſint: quale id mox ſubjiciet Propheta, & quod Ezechiæ oblatum fuiſſe poſtea videbimus. Quædam vero ſunt ordinaria, & quotidiano in uſu apud fideles, ut Baptiſmus & ſacra Cœna: quæ nullum miraculum continent, quod ſaltem oculis aliove ſenſu humano deprehendi poſſit. Quod enim per ea mirabiliter Spiritu ſuo peragit Dominus, occultum eſt: in extraordinariis vero, miraculum ipſum cernitur. Idem autem omnium ſignorum finis & uſus eſt. quemadmodum enim admirabili portento confirmatus eſt Gedeon, ita & nos Baptiſmo & ſacra Cœna confirmamur, tametſi nullum oculis noſtris miraculum pateat.

13. *Domus Davidis.*] Quia minime tolerabilis erat improbitas, ſub ſpecie honoris januam præcludere Dei virtuti quæ fidem promiſſionis ſanciret, liberius excandeſcit Propheta, & aſperius objurgat ſceleratos hypocritas. Etſi autem honorificum illis erat cenſeri ex ſtirpe Davidis, ſi modo imitati eſſent ejus pietatem, contumeliæ tamen potius cauſa eos nominat Davidis poſteros vel familiam. Et certe hinc non parum creſcebat indignitas, quod Dei gratiam repudiabat domus illa, ex qua oriunda erat ſalus totius mundi. Itaque in gravem ignominiam cedere illis debuit ſua origo, à qua tam fœde & nequiter degeneraverant. Atque hic ordo diligenter tenendus eſt. neque enim à gravi reprehenſione initium fieri debet, ſed à doctrina, qua placide homines invitentur: ubi doctrina ſimplex & nuda non ſufficit, accedant confirmationes. Quod ſi hoc etiam modo nihil proficitur, tunc majore vehementia opus eſt. Sic enim fulminantem hic Jeſaiam audimus. poſtquam Regi & doctrinam & ſigna obtuliſſet, extremo nunc remedio utitur, graviter & acerbe obſtinatum hominem objurgans: neque ipſum ſolum, ſed totam domum regiam, quæ ſimili impietate laborabat.

An parum eſt.] Utitur comparatione inter Deum & homines: non quod re vera ſeparari poſſint à Deo Prophetæ & ſancti Doctores, de quibus loquitur, qui nihil aliud ſunt quam organa Dei, & communem cum ipſo cauſam habent dum officio ſuo funguntur. de iis enim teſtatur Dominus, Qui vos ſpernit, me ſpernit: qui vos audit, me audit. Propheta igitur ſermonem ſuum ad impietatem Achaz, & ſimilium attemperat. putabant enim ſibi negotium eſſe cum hominibus. nec dubium iſtas olim voces auditas eſſe quibus etiamnum hodie nobis obſtrepunt impii, Nonne ſunt homines, qui nos alloquuntur? atque ita doctrinam Dei extenuare volunt. Quum idem tunc ſolenne eſſet profanis doctrinæ contemptoribus, Propheta per conceſſionem Homines vocat, qui ſacroſancto docendi verbi munere fungebantur: Eſto, vos me hominem mortalem eſſe

dici-

dicitis: tale apud vos eſt judicium de Prophetis Dei: ſed an parum eſt nos moleſtia afficere, niſi etiam Deo moleſti ſitis? Contemnitis autem Deum, mirabilis potentiæ ſuæ ſignum reſpuendo quod vobis dare paratus eſt. Fruſtra igitur jactatis eum à vobis non ſperni: & cum hominibus, non cum Deo, vobis eſſe negotium. hæc itaque cauſa eſt, cur tantopere excanduerit Propheta. Unde clarius perſpicitur quod nuper attigi, opportunum objurgationibus tunc locum eſſe, ubi ſcilicet omnia tentavimus quæ Deus mandavit, nec quicquam prætermiſimus quod eſſet officii noſtri. Tunc irrumpendum eſt majore vehementia: atque impietas, quæ ſub illis ſimulationum involucris latebat, detegenda eſt.

Deo meo.] Prius dicebat, Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo, quum ſcilicet nondum palam convicta eſſet perverſitas & contumacia: nunc vero ſibi quaſi peculiarem vendicat. quoniam Achaz & ſimiles indigni erant qui nomine Dei gloriarentur. Innuit ergo à parte ſua ſtare, non penes illos hypocritas Deum eſſe: atque hoc modo teſtatur fiduciam ſuam. demonſtrat enim qua conſcientia Regi liberationem promiſerit: acſi diceret, ſe non veniſſe niſi à Deo miſſum: nec quicquam dixiſſe præter id quod in mandatis habuerat. Eadem fiducia præditi eſſe debent omnes Miniſtri: non tantum ut ipſam præ ſe ferant, ſed habeant radicitus inſitam in animis. Satis enim ipſam quoque jactant pſeudoprophetæ, ſed vana & inanis garrulitas eſt, aut cæca præſidentia ex temeritate.

14. *Propterea.*] Repudiaverat jam Achaz ſignum à Domino oblatum, quum Propheta in pervicaciam illius & ingratitudinem invectus eſt: pronunciat tamen Propheta eam impedimento non fore, quominus Deus promiſſum & deſtinatum Judæis ſignum præbeat. quale vero? nempe Virginis partum. Locus hic obſcurus eſt: ſed partim in cauſa ſunt Judæi, qui veram expoſitionem multis cavillis, quantum in ſe fuit, depravarunt. Urget enim ipſos hic locus, quod præclarum vaticinium contineat de Meſſia, qui hic nominatur Immanuel. Atque ideo ſtuduerunt modis omnibus Prophetæ mentem in alienum ſenſum torquere. Alii obtendunt hic fieri mentionem Regis Ezechiæ: alii, filii Jeſaiæ. Qui locum hunc trahunt ad Ezechiam: ſunt nimium impudentes, quandoquidem tunc ipſum adoleviſſe oportuit, quum obſideretur Jeroſolyma. Atque in eo ſe craſſiſſima hiſtoriæ ignorantia teneri oſtendunt. Verum hæc juſta eſt malitiæ merces, quod ita excæcavit ipſos Deus, ut omni judicio careant. quod hodie & Papiſtis accidit, qui ſeſe ludibrio ſæpe exponunt, dum furioſo impetu feruntur ad depravandas Scripturas. Eorum autem qui filium Jeſaiæ eſſe putant, conjectura omnino frivola eſt. Nec enim legimus excitatum liberatorem ex ſemine Jeſaiæ, qui poſſet vocari Immanuel. hic enim titulus longe ſplendidior eſt, quam ut queat in hominem ullum competere. Alii exiſtimant, aut ſaltem, quia nolunt nimium pugnare cum Judæis, fatentur Prophetam loquutum de aliquo puero, qui tunc natus eſt: quo tamen, velut pictura umbratili, Chriſtus delineabatur. Sed firmas rationes nullas afferunt, nec oſtendunt quis fuerit ille puer, nec ullo teſtimonio comprobant. Certum eſt autem, ut jam dictum eſt, hoc nomen Immanuel, nudo homini proprie non potuiſſe aptari. Itaque dubium non eſt, quin Propheta ad Chriſtum reſpexerit. Sed omnes ſcriptores, & Græci & Latini, in tractando hoc loco nimium ſecuri ſunt. Nam perinde acſi nihil eſſet in eo difficultatis, ſimpliciter aiunt Chriſtum hic promitti ex Maria virgine. Non parva autem eſt difficultas quam nobis objiciunt Judæi, intempeſtive hic de Chriſto fieri mentionem. Sic enim agunt nobiſcum, & circumſtantiam loci expendi volunt: Obſidebatur Jeroſolyma, Propheta daturus erat ſignum liberationis. quorſum promiſiſſet Meſſiam, qui quingentis poſtea annis futurus erat? Atque hoc argumento ſe viciſſe arbitrantur, quod promiſſio de Chriſto nihil pertinebat ad confirmandum Achaz de liberatione Jeroſolymæ. Et exultant quaſi victores, præſertim quod nemo fere ipſis reſpondeat. Ideo dixi, interpretes hactenus hac in re nimium ſecuros fuiſſe. nec enim parvi momenti eſt, oſtendere quorſum hic de Redemptore mentio fiat. Sic autem res habet: Quum Rex Achaz ſignum ſibi à Deo oblatum rejiceret, Propheta ipſum revocat tandem ad fundamentum fœderis, quod ne impii quidem palam rejicere auſi eſſent. oportebat naſci Meſſiam, idque omnes ſperabant, à quo pendebat totius populi ſalus. Poſtquam igitur Propheta adverſus Regem excanduit, cum ipſo iterum agit in hunc modum, Tu quidem promiſſionem reſpuendo, decretum Dei evertere velles: ſed inviolabile manebit: nec obſtabit perfidia & ingratitudo tua, quo minus populo ſuo Deus perpetuus ſit liberator. Tandem enim Meſſiam ſuum ſuſcitabit. Ut autem hæc magis perſpicua ſint, notanda eſt conſuetudo Prophetarum, qui quum ſpeciales promiſſiones confirmant, hoc fundamentum conſtituunt: nempe, Deum miſſurum eſſe Redemptorem. Hac generali fultura ubique confirmat Deus quicquid ſpecialiter populo ſuo promittit. Et certe ut opem & auxilium ab eo quis expectet, perſuaſum eſſe neceſſe eſt de paterno ejus amore. Quomodo autem propitius eſſet, niſi per Chriſtum? in quo & electos gratis adoptavit, & venia uſque in finem perſequitur. Hinc illud Pauli, Omnes Dei promiſſiones in Chriſto eſſe Etiam & Amen. Quoties ergo veteri populo opitulatus eſt Deus, ſimul in Chriſto ſibi reconciliavit. Ideoque quoties de fame, peſte & bello ſermo habetur, ut ſpem levationis faciat, Meſſiam ſtatuit ante oculos. Hoc quum minime ambiguum ſit, non eſt cur hic recalcitrent Judæi, acſi parum tempeſtive ad rem longe remotam tranſiret Propheta. Unde enim pendebat Jeroſolymæ liberatio, niſi à Chriſti manifeſtatione? Sicuti hoc unico fundamento ſemper ſubnixa fuit Eccleſiæ ſalus. Hoc igitur appoſite dixit Jeſaias, Tu quidem non recipis promiſſa Dei: ſed ea nihilominus implebit, quia tandem Chriſtum ſuum miſſurus eſt, cujus gratia urbem iſtam vult ſalvam eſſe. tametſi indignus es, Deus tamen habebit rationem ſui. Excluditur ergo Rex Achaz ab eo ſigno quod ante rejecerat, & privatur beneficio quo ſe indignum reddidit: ſed tamen inviolabile Dei promiſſum adhuc ipſi offertur. idque ſatis innuit particula לכן, id eſt, Quia tu reſpuis ſignum illud particulare, quod tibi Deus offerebat, הוא, id eſt, Idem ipſe Deus, qui tam liberalis erat ut ſponte tibi offerret, cui tu moleſtus es, ſignum exhibere non deſinet. Quod dixi Chriſti adventum promitti ipſi Achaz, non ita intelligo quaſi eum Deus comprehendat in electo populo, cui Filium ſuum ſalutis auctorem deſtinaverat: ſed quia ad totum populi corpus ſermo dirigitur. Nam quod לכם nonnulli exponunt Filiis veſtris, coactum eſt. Cæterum quod ad affectum ſpectat, Propheta relinquit impium Regem, & in populum reſpicit quatenus à Deo adoptatus erat. Dabit ergo, non tibi impio Regi tuiſque ſimilibus, ſed vobis quos adoptavit. Manet enim firmum & inviolabile fœdus, quod cum Abrahamo pepigit. Et Dominus ſemper aliquas habet reliquias, ad quos fructus fœderis pertinet: utcunque hypocritæ populo ipſius præſint ac dominentur. Interea abſurdum non eſt externæ Eccleſiæ hoc proponi.

Ecce virgo.] Emphatice ponitur vox demonſtrativa ad magnitudinem rei notandam. Sic enim de rebus magnis & obſervatu dignis loqui ſolet Spiritus, ut erigat hominum mentes. Propheta igitur attentos eſſe jubet qui audiunt, ut hoc inſolitum

Dei

Dei opus conſiderent: acſi diceret, Nolite eſſe ſocordes. ſed ſummam illam Dei gratiam expendite, quæ ultro vobis occurrere debebat: ſed propter ſtuporem veſtrum vos latet. Quanquam autem vox עלמה ab עלם deducitur, quod ſignificat Abſcondere, eo quod virginum pudor & verecundia non ferat ut in publicum prodeant: quia tamen Judæi de hoc vocabulo multum litigant, & negant eo Virginem ſignificari, quod Solomon ipſum uſurparit pro Puella quæ adamatur, nihil opus eſt in ipſa voce inſiſtere. Concedamus ſane illis עלמה vocari aut puellam, & ad ætatem referri hoc nomen, ut ipſi volunt, (tamen Scriptura ſæpe eo utitur, quum de virgine ſermo eſt) res ipſa omnes eorum calumnias ſatis per ſe refellit. Ecquid enim mirum dixiſſet Propheta ſi de puella loquutus eſſet, quæ ex congreſſu viri conciperet? Certe ridiculum fuiſſet id ſigni aut miraculi loco proponere. Fingamus mulierem notari quæ ex coitu viri gravida eſſet futura: frigidum atque adeo inſipidum fore omnes vident, ſi Propheta apud Judæos quaſi de re nova & inſolita præfatus ſubjiciat, Adoleſcentula concipiet. Satis igitur conſtat ipſum loqui de virgine, quæ non erat ordinario naturæ ordine, ſed ex gratia Spiritus ſancti conceptura. Atque hoc myſterium eſt quod magnifice extollit Paulus, Deum ſcilicet manifeſtatum eſſe in carne.

Et vocabit.] Verbum eſt fœminei generis apud Hebræos. Nam qui in maſculino genere legunt, neſcio unde acceperint. Certe quæ in uſu ſunt exemplaria non variant. Quod ſi ad matrem hoc referas, aliquid præter conſuetum morem exprimi certum eſt. Scimus has partes ſemper tribui patri, ut nomen filio imponat. Hoc enim ſignum eſt juris & poteſtatis patrum in filios: nec eadem auctoritas ad mulieres pertinet. Hic vero ad matrem transfertur. Sequitur ergo ſic à matre concipi, ut patre in terris careat. alioqui Propheta communem Scripturæ uſum perverteret, quæ viris tantum hoc officium adſcribit. Quanquam notandum eſt non impoſitum fuiſſe Chriſto nomen matris arbitrio. neque etiam in eo quicquam fuiſſet ponderis: ſed intelligit Propheta in hoc nomine promulgando, Virginem fore inſtar præconis: quia nullus erit terrenus pater qui munus hoc obeat. Porro minime dubium eſt quin hoc nomen Chriſto inditum fuerit ex re ipſa: quoniam unigenitus Dei Filius induit carnem noſtram, & ſocietate naturæ nobis ſe conjunxit. Vocatur ergo Nobiſcum Deus, vel nobis conjunctus: quod non poteſt competere in hominem, qui Deus non ſit. Judæi cavillantur nomen hoc Ezechiæ impoſitum eſſe: quod Deus ipſius manu populum liberarit. qui, inquiunt, miniſter eſt Dei, induit ejus perſonam. Verum nec Moſes, nec Joſue, qui populi liberatores fuerunt, ſic vocati ſunt. ergo & Moſi & Joſuæ & cæteris omnibus præfertur hic Immanuel. Hoc enim nomine antecellit omnes, qui unquam antea fuerunt, & qui poſtea ſequentur: eſtque elogium inſignis cujuſdam eminentiæ & auctoritatis quo præ aliis ornatur. Proinde conſtat, non tantum deſignari Dei virtutem, qualiter ſe per miniſtros exercere ſolet, ſed conjunctionem perſonæ in qua Chriſtus homo ſimul & Deus apparuit. Unde rurſus patet nihil hic vulgare ab Jeſaia narrari, ſed notari incomparabile illud arcanum in quo obſcurando fruſtra Judæi laborant.

15. *Butyrum & mel.*] Hic Propheta veram Chriſti humanitatem confirmat. Hoc enim incredibile prorſus erat, ut qui Deus eſſet, ex puella naſceretur. Tale portentum à communi hominum ſenſu abhorrebat. Ne ergo exiſtimemus ipſum hic quoddam ſpectrum imaginari, ſigna humanitatis declarat, quibus demonſtret Chriſtum revera in carne, vel natura hominis proditurum: quia ſcilicet eodem modo educabitur, quo vulgo pueri ſolent. Fuit autem Judæis alia quam nobis ratio educandi: utebantur enim melle, cujus nobis uſus non ita communis eſt. quem etiam morem hodie retinent, ut nato puero, priuſquam lactetur, guſtum butyri & mellis præbeant.

Ut ſciat.] Id eſt, Donec pervenerit ad eam ætatem, qua bonum à malo diſcernere queat: ut vulgo dicimus, Uſque ad annos diſcretionis. ל enim ſignificat metam & tempus quouſque puerili more educabitur. idque ad veritatem naturæ magis comprobandam facit. Intelligentiam ergo & judicium ſignificat, qualis contingit tranſacta pueritia. In quo videmus quo ſe Filius Dei noſtra cauſa demiſerit, ut non tantum paſci noſtro cibo voluerit: ſed etiam ad tempus privari intelligentia, omneſque noſtras infirmitates ſuſtinere: idque ſecundum humanam naturam. Hoc enim ad divinitatem pertinere non poteſt. De hac Chriſti ad tempus ignorantia teſtatur Lucas, dum ait, Et proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines. Si Lucas ſimpliciter Chriſtum profeciſſe dixiſſet, poterat excipi, Apud homines: ſed nominatim addit, Apud Deum. oportuit ergo ipſum ad tempus ſimilem eſſe pueris infantibus, ut quoad humanitatem, intelligentia deſtitueretur.

Hebr. 4. verſ. 15. *Luca 2. verſ. 52.*

16. *Et quidem.*] Hinc hallucinandi multis data eſt occaſio, dum ſententiam hanc cum proxima contexunt: quaſi fieret ejuſdem pueri mentio: & putant cauſæ eſſe redditionem: acſi particula כי eſſet rationalis. Atqui ſi attentius expenditur Prophetæ conſilium, facile patebit à generali doctrina, ad quam pauliſper digreſſus fuerat, reverti ad præſentem cauſam. Poſtquam enim ſpem ſervandæ urbis fundavit in Mediatore promiſſo: jam quomodo ſervanda ſit, docet. Ego itaque hunc verſum non interpretor de Chriſto, ſed de pueris omnibus in genere: in quo ab omnibus diſſentio. Quod enim hic ſit ה hajedia, putant certum puerum deſignari. Ego autem accipio הנער collective, ut ה ſit quidem notitiæ cauſa additum, tamen ad demonſtrandam potius ætatem, quam certum aliquem puerum: ut quum vulgo dicimus, *L'enfant*, & articulum *Le*, majoris notitiæ cauſa addimus. atque id Scripturæ ſatis uſitatum eſt. Quod ſi certum puerum deſignaſſet, additurus erat הזה, ut alias ſolet. Nec veriſimile hanc promiſſionem de everſione regnorum Syriæ & Samariæ, quæ proxime ſequuta eſt, in quingentos annos, id eſt, in adventum Chriſti protenſam eſſe: idque omnino abſurdum foret. Talis igitur eſt ſenſus, Antequam pueri, qui poſthac naſcentur, bonum à malo diſcernere queant, terra, quam odiſti, relinquetur. Terram autem intelligo Iſraëlis & Syriæ. tametſi enim duæ erant, tamen propter fœdus initum inter duos Reges, eadem cenſetur. Sunt qui accipiant pro Judæa: ſed illud convenire non poteſt, ob relativum quod ſequitur. Porro hæc ita contigiſſe ut ſcripta ſunt, ſatis ex hiſtoria Sacra colligere promptum eſt. nam quum Achaz Aſſyrios in auxilium ſuum vocaſſet, Rezin ab illis occiſus eſt. Haud ita multo poſt, obiit Phace Rex Iſraël, duodecimo ſcilicet anno Regis Achaz: & Oſeas filius Ela, in illius locum ſuffectus eſt. Priuſquam igitur pueri, qui mox erant naſcituri, adoleſcerent, utraque regio ſuis Regibus privanda erat. Nam & Rezin & Phace, ante illud tempus è vivis ſublati ſunt. Dirigitur autem ſermo ad Achaz, & ſolatii loco promittit Deus ſe de illius hoſtibus ſumpturum vindictam: ſed non in alium finem, niſi ut magis reddatur inexcuſabilis. Quod ad verba ſpectat, exoſa eſſe dicitur Syria & terra Iſraël Regi Achaz, vel deteſtabilis, quod inde infeſtis armis premebatur. Promittit ergo futurum ut illi Reges brevi pereant. מפני vertunt nonnulli, Propter. Et fateor hanc vocem plerumque hoc ſenſu uſurpari. Sed ego hic ſimplicius interpretor: acſi diceret, Deſeretur à facie, id eſt,

2 Reg. 16. verſ. 9. ibid. 17. verſ. 1. & 15. verſ. 30.

eſt, à præſentia duorum Regum, ac deſtituetur, ut amplius non appareant. Atque his Prophetæ verbis ſatis conſtat, de utroque regno hæc intelligenda eſſe.

17. *Adducet ſuper te.*] Hic Propheta viciſſim minatur impio hypocritæ, quiquum fingeret ſe Deum tentare nolle, eos tamen accerſebat in auxilium, [Exod. 23. verſ. 32.] quos Dominus vetuerat. Ne igitur ſuperiore promiſſione nimium exultet atque inſoleſcat, denunciat ei quoque ſuum exitium: atque affirmat, id quod ſaluti ſibi fore confidit, id eſt, opem Aſſyriorum, ei prorſus exitialem fore. acſi diceret, Tu quidem omnia tibi promittis à Rege Aſſyriorum, & illum tibi fidelem fore exiſtimas, quod fœdus & amicitiam cum ipſo, idque Deo vetante, inieris: ſed tu brevi intelliges quid tibi profuerit Deum tentaſſe. Poteras ſecurus domi quieſcere, & habere Deum adjutorem: ſed Aſſyrios advocare maluiſti. Eos tu graviores ſenties, quam ipſos hoſtes. Optime igitur quadrat ſuperioribus iſta oratio. Urget enim magis perfidiam & ingratitudinem Regis, qui & verbum Dei, & ſignum rejecerat, ſeque omni promiſſione reddiderat indignum. Et quia hypocritis ſolenne eſt ubi diſcrimine aliquo & metu defuncti ſunt, ſtatim ad ingenium redire, negat præſidio quicquam fore Judæis, quo minus ipſi quoque rapiantur ad juſtas pœnas. Domum enim Davidis, quæ ſingulari privilegio eximere ſe poterat, nominatim pronunciat communibus malis fore obnoxiam. Sic enim ſua judicia temperat Deus, ut Eccleſiæ ſuæ parcens, & ejus perpetuitati conſulens, impios tandem qui bonis permixti ſunt, impune elabi non ſinat.

Ab ea die qua receſſit Ephraim.] Hoc modo loquitur Scriptura, quum gravem aliquam calamitatem deſignat. nec enim Judæi graviorem plagam accipere poterant, [1 Reg. 12. verſ. 16.] quam quum abductis decem tribubus, non modo Regnum miſere diviſum, ſed corpus gentis diſcerptum ac laceratum fuit. ideoque extremæ cladis nota eſt defectio Ephraim à Juda. Nam quum diſſidio illo gravius afflictæ fuerint opes regni Judaici, quam ullis exteris cladibus affligi poſſet, ait majorem ab eo tempore cladem Judæis non accidiſſe. Hinc, ſicut modo dixi, perſpicimus quomodo Deus animadvertens in hypocritas, ſimul fidelium memor viam aperiat miſericordiæ ſuæ. Admirabile hoc conſilium ſuſpiciendum eſt, dum inter horrendas mortes, ſuperſtes tamen manet Eccleſia. Quis unquam putaſſet liberandam eſſe Jeroſolymam ab ingenti duorum Regum exercitu? deinde regnum Syriæ, quod tunc florentiſſimum erat, brevi evertendum? Samariæ vero haud procul ab exitio abeſſe? Interea Aſſyrios, quibus confidebant Judæi, magis infeſtos fore, quam fuiſſent unquam Iſraëlitæ ac Syrii? Hæc omnia Eccleſiæ conſervandæ cauſa fecit Dominus: ſic tamen ut interea nihilominus impietatem Regis Achaz ulciſceretur.

18. *Et erit in die illa.*] Quum Aſſyrios ſibi fœdere obſtrictos putarent Judæi, ſtultitiam hanc deridens Propheta, præſto fore aſſerit ad Dei nutum, ut eos illuc impellat prout viſum fuerit. Quanquam pro imperio metaphorice ponit Sibilum, nempe alludens ad naturam illorum regnorum de quibus tractat. nam Ægyptus abundat muſcis, quod lutoſa ſit regio & calida. ubi autem cum tepore aër eſt humidus, illic magnam muſcarum multitudinem naſci neceſſe eſt. Aſſyria vero apibus abundabat. Quanquam autem ſibilo ſe eos adducturum dicit, alludens ad naturam apum & muſcarum: tamen intelligit ſe minimo negotio ipſos excitaturum. acſi diceret, Haud multo labore opus erit: ſimulatque ſignum dedero, ſtatim accurrent. Atque ita quantum efficaciæ ſit in arcano ſuo inſtinctu vel conſilio oſtendit, quod ſibilo potentiſſimas quaſque gentes ad obſequium cogat.

19. *Quieſcent.*] Pergit in eadem metaphora. Apes enim nidos ſibi quærere ſolent in cavernis, aut vallibus & dumetis, & ejuſmodi: acſi diceret nullum fore angulum, in quo hoſtes non conſideant, domiciliumque ſuum habeant. Nec multum laborandum eſt, cur de dumetis potius & ſpinetis loquatur, quam de aliis rebus: quoniam figurata loquutio eſt. Nec tamen dubito, quin ſignificare voluerit, nullum fore uſquam effugium, ſive abdant ſe in cavernas, ſive latebras quærant in vallibus, quia totam regionem hoſtes occupabunt. Hinc rurſus colligimus quod jam antea annotatum eſt, nihil temere aut fortuito accidere, ſed omnia regi manu Dei. Deinde, utcunque impii tumultuentur & ferantur cæco impetu, frenum tamen ipſis injici à Deo, ut ejus gloriæ ſerviant. Quum ergo omnia ab impiis perturbata cernimus, ne exiſtimemus Deum ipſis frena laxaſſe ut irruant quocunque libuerit, ſed furioſos eorum impetus moderari, certo perſuaſi ſimus. Unde miram conſolationem accipere debemus in his perturbationibus, in quibus orbis Chriſtianus ſic involutus & quarum violentia ita quaſſatus eſt, ut omnia propemodum confuſa videantur. Hoc enim cogitandum eſt, occultum eſſe Domino frenum, quo furioſæ belluæ cohibentur, ne eo erumpant, quo inſana ipſas libido impellit: neque tranſiliant metas, quas ipſis Dominus conſtituit.

20. *Radet Dominus novacula conducta.*] Nunc alia metaphora utitur, atque hoſtes illos, per quos Dominus ſtatuerat affligere ſuo tempore Judæam, comparat novaculæ, qua raditur barba, pili, denique alia ejuſmodi excrementa purgantur. ב hic ſuperfluum eſt, & pro more Hebraico tantum inſtrumenti nota eſt. ideo ſimpliciter verti, Radet novacula. Quid vero intelligat, ipſe mox exprimit: nempe, Aſſyrios inſtar novaculæ fore in manu Dei, & quidem ab extrema plaga. Ideoque addit, Qui ſunt extra fluvium: ſignificans Euphratem non fore obſtaculo, quin trajiciant ad exequenda Dei juſſa. Addit præterea, non fore partem aliquam populi illius ſua ſponte irruentem in alienos fines aut palantem ſine certo duce, ſed Regem ipſum futurum eis ducem, ut & à populo & à Rege ſimul opprimatur Judæa, & ſub tanta mole ſuccumbat. Nec fruſtra hanc novaculam conductam dicit. eo enim ſignificat atrocitatem cladis, quæ per Aſſyrios inferenda erat. ſi quis uteretur conductitio equo, aut gladio, utetur eo liberius: nec ita ei parcet aut temperabit, ut ſuo. Nam quæ conducunt homines, pro ratione mercedis ſibi uſui eſſe volunt. Ita denunciat Dominus, ſe minime parciturum novaculæ, etiamſi ejus aciem retundere debeat: miſſurum Aſſyrios cum impetu & furore inſano. Quod ſi Dominus tam graviter ultus eſt Judæos, ob eas cauſas, quas prius recenſuit Propheta: verendum nobis ne idem experiamur. Imo novacula, qua jam nos radere cœpit, pertimeſcenda eſt.

Caput & pilos pedum.] Per Pilos pedum, inferiores partes ſignificat. Quicquid enim eſt infra alvum, tribuitur pedibus: atque ſynecdochica loquutio eſt. Unde & Aquam pedum, urinam vocant: [2 Reg. 18. verſ. 27.] & Pedes tegere, pro Alvum exonerare. Denique intelligit totum corpus radendum, quin etiam barbam ipſam radendam eſſe. [1 Sam. 24. verſ. 4.] Jam ſi ſublatis figuris ſimplicem & nudum ſenſum habere velimus, ſignificat nullum ordinem ſalvum fore: acſi diceret, raſuram iſtam à vertice capitis ad pedes uſque perventuram, nec fore immunes Reges & Principes ab iſta clade, quin novaculæ quoque aciem ipſi ſentiant.

21. *Et accidet.*] His verſibus uſque ad finem capitis Propheta depingit ſtatum regionis direptæ & vaſtatæ. Vult enim graphice & velut in tabula exprimere tantam fore calamitatem, ut quocunque oculos convertas, nihil appareat præter indicia horrendæ

rendæ

Goog

rendæ vaſtitatis. Nam quod alii poenarum mitigationem hic promitti volunt, paulo poſt videbimus contextui minime quadrare. Quamvis autem indefinite Virum nominet, proprie tamen loquitur de ditiſſimis: nec enim ſingulis totidem attribuit. ſed qui alias ſolebant magnam boum & ovium copiam alere, hi paucis contenti erunt. Significat ergo omnes ad ſummam inopiam redactum iri. Quia Hebraice dicit Propheta, Vivificabit: quidam hoc tantundem valere putant, atque à morte eripere. Sequutus tamen ſum quod & ſimplicius & magis receptum erat.

22. *Propter copiam lactis.*] Aliqui ita exponunt, Vix expreſſum iri ab una vacca, quod in cibum familiæ ſufficiat. Nam qui alunt pecora, non tantum veſcuntur lacte, ſed etiam conficiunt caſeos, & butyrum venale habent. Quum ergo dicit, Ex tota copia nihilo plus effectum iri quam quod neceſſarium fuerit in uſum familiæ, ſecundum illos interpretes inopiam denotat. Alii vero hic fertilitatem promitti putant: utcunque paucas habeant oves & vaccas, tamen abunde habituros unde alantur. Tertia expoſitio melius convenit. videtur enim Propheta velle indicare, tam paucos fore homines, ut lac exiguum ſufficiat omnibus. Hoc autem longe gravius eſt, regionem ſcilicet carere incolis, quam armentis & pecore indigere. proximo igitur verſu pronunciavit Jeſaias ita ſpoliandam eſſe Judæam, ut armenta & pecora pauciſſima ſuperſint: nunc autem addit homines etiam fore pauciores, quoniam lac exiguum incolis terræ ſufficiet. Ego hanc expoſitionem libentius amplector: quia hic non quadraret promiſſio. Prior autem ſenſus coactus eſt: nec jam loquitur tantum de pecuariis ipſis qui vaccas habebant, ſed de omnibus incolis; quia diſerte exprimit, Quicunque reſiduus fuerit. qua etiam voce paucitatem iterum deſignat. Huc ergo ſpectat, tam deſertam & miſere vaſtatam regionem fore, ut magna lactis & butyri copia opus non ſit: quoniam pauci homines ſuperfuturi ſunt accepta clade.

23. *Eveniet quoque, mille vites.*] Ego opinionem eorum qui putant Jeſaiam hic fideles conſolari, ſine refutatione prætereo: quia ipſo contextu ſatis refellitur. Atque adeo hæc verba clare ſonant, Jeſaiam pergere in denunciando exitio, & deſcribenda terræ vaſtitate. Alii putant hunc eſſe ſenſum, Ubi mille erant vites, quæ argenteis mille proſtabant, illic vepres & dumeta fore. ſed videmus nimis vile eſſe pretium, ſi de regione integra ſermo fieret: quale enim illud eſſet, vineam, qua nulla poſſeſſio pretioſior eſt, ſiclo æſtimare? Idem igitur eſt ac vulgo dici ſolet, Nummo addicere, *Bailler pour une piece de pain*, quum res aliqua viliſſimo pretio veniit. Pluris enim vel incultiſſimus & ſteriliſſimus ager venire poſſet, ſi vigeret culturæ ratio, ut fieri ſolet in hominum frequentia. Subjungit rationem mutati pretii, qua ipſum de vaſtitate loqui perſpicuum eſt. Præ ſpinis, inquit, & vepribus. nulli enim erunt cultores: quod accidere ſolet ingenti clade accepta. ל autem quod vertunt alii Ad, ſignificat meo judicio Propter. Poſtquam enim impetu hoſtium diſſipata ſunt omnia, defuntque vinitores & agricolæ, vepribus & dumis cultiſſima quæque obſita & obruta eſſe neceſſe eſt. Itaque ſignificat tam paucos fore incolas, ut vix reperiantur, qui pretioſiſſima prædia vel uno nummo emant.

24. *Cum ſagittis & arcu veniet.*] Verbum eſt ſingulare: debet tamen per plurale exponi, ſagittarios iter facturos per Judæam. De arcubus & ſagittis Jeſaiam loqui nonnulli putant, quod tantus futurus eſſet metus ab hoſtibus, ut nulli ad prædia ſua accedere niſi armati auderent. Atqui mihi probabilius videtur Prophetam ſignificare, illic venationi locum fore ubi prius erat uberrima cultura: quoniam illic ferarum latibula erunt. Hæc autem miſerrima mutatio eſt, quum agri prius culti & fertiles in ſylvas & dumeta vertuntur. Itaque arcum & ſagittam hic pro venatione accipio, hoc ſenſu, Non accedent illuc agricolæ, ſed venatores: nec vites fodient aut propagabunt, ſed feras perſequentur. Nihil denique aliud ſignificat, quam horrendam vaſtationem, qua terræ facies immutata ſit.

25. *Et omnes montes.*] Hic Propheta pugnantia loqui videtur. hactenus enim de vaſtitate terræ loquutus eſt: nunc vero novum quendam ſtatum deſcribit, quum ait ubi vepres erant & ſpinæ, boves illic paſcua habituros. Hinc factum eſt, ut hæc ad populi conſolationem quidam traherent: ſed longe aliud eſt conſilium Prophetæ. Nam ſignificat montes, qui procul aberant ab hominum frequentia, quique non niſi magna cum moleſtia adiri poterant, fore compaſcuos, propter hominum illuc ſe recipientium copiam, nempe quia in deſertos montes & prius inacceſſos confugient. non erit ergo illic timendum à vepribus, quoniam incolis abundabunt. Atqui hoc miſerrimum eſt, quum homines non poſſunt aliter mortem vitare, quam ſi ad vepres & ſpinas confugiant. Intelligit enim montes prius ſolitarios & horridos, in quibus homines ſedem & habitationem quærent, quod nuſquam tutus ſit in regione locus. atque ita depingit calamitoſum & lugubrem totius regionis ſtatum, & cladem adeo gravem, ut alia ſit omnino terræ facies, & diverſa à priore. Quum hæc prædiceret Regi Achaz, deriſum fuiſſe ipſum minime dubium eſt. Rex enim impius præſidiis ſuis & Aſſyriorum fœderi confidens, quaſi in ſuis fæcibus quievit ſimulac ſoluta fuit urbis obſidio. oportuit tamen Jeſaiam conſtanter fungi officio ſuo, ut nullam opem niſi à Deo eſſe oſtenderet, & ſignificaret miſero hypocritæ exitium inde affuturum, unde ſalutem expectabat.

CAP. VIII.

ET dixit Jehova ad me, Sume tibi volumen grande, & ſcribe in eo ſtylo * vul- ** vel, hominis.*
gari, Accelera ad diripiendum, feſtina ad prædam.
2. Et adhibui mihi teſtes fideles, Uriam ſacerdotem, & Zachariam filium Je-
barachiæ.
3. Et acceſſi ad Prophetiſſam, quæ concepit, & peperit filium. Dixitque mihi Je-
hova, Voca nomen ejus, Accelera ad diripiendum, feſtina ad prædam.
4. Sane antequam ſciat puer clamare, Pater mi & mater mea, tolletur ſubſtantia Da-
maſci, & ſpolia Samariæ, coram Rege Aſſyriæ.
5. Rurſus loquutus eſt mecum Jehova, iterum dicens:
6. Quandoquidem rejecit populus iſte aquas Siloë, quæ fluunt cum ſilentio, & gau-
dium fuit illi ad Rezin, & filium Romeliæ:
7. Ideo, ecce Dominus adducit ſuper eos aquas fluvii, violentas & magnas: nempe
Regem Aſſyriæ & omne robur ejus: aſcendetque ſuper omnes rivos, & tranſibit ſuper
omnes ripas ejus.

8. Et trajiciens in Judam, inundabit, & tranſibit, pertinget uſque ad collum. Et implebit extenſio alarum ejus latitudinem terræ tuæ, ô Immanuel.

9. Conſociate vos populi, & confringemini: auribus percipite quotquot è longinqua terra eſtis. Accingite vos, & confringemini: accingite, inquam, vos, & confringemini.

10. Conſultate conſilium, & diſſolvetur: decernite decretum, & non ſtabit: quia * nobiſcum Deus.

11. Nam ſic dixit mihi Jehova, tanquam † apprehenſione manus: & erudivit me, ne irem per viam populi hujus: dicens,

* Hebr. Immanuel. † vel, roboratione.

12. Ne dicatis, Conſpiratio, in quibuſcunque populus iſte dicit, Conſpiratio: neque timorem eorum timueritis, aut formidaveritis.

13. Jehovam exercituum, ipſum ſanctificate: & ſit ipſe timor veſter: & idem ſit pavor veſter.

14. Tum ipſe erit in ſanctuarium: in lapidem offendiculi: & in petram ruinæ duabus domibus Iſraël: in laqueum & tendiculam incolæ Jeruſalem.

15. Et impingent multi inter eos: ideoque corruent, & conterentur, irretientur & capientur.

16. Liga conteſtationem: obſigna legem inter diſcipulos meos.

17. Itaque expectabo Jehovam, qui abſcondit faciem ſuam à domo Jacob: & præſtolabor eum.

18. Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Jehova, in ſigna & prodigia in Iſraël: à Jehova exercituum, qui habitat in monte Sion.

19. Quod ſi dixerint vobis, Sciſcitamini à pythonicis & divinis, qui muſſitant & demurmurant: an non populus Deum ſuum conſulet, à vivis ad mortuos?

20. Ad Legem & teſtimonium. Si non loquuti fuerint ſecundum verbum hoc, ideo nempe quod nihil eſt lucis.

21. Tum per hanc terram tranſibunt oppreſſi, & famelici. Et accidet, ut quum eſurierint, irritentur, ac maledicant Regi ſuo, Deo ſuo, attollentes ſurſum faciem.

22. Et quum ſpectaverit ad terram, ecce tribulatio & tenebræ, caligo, anguſtia, & ad obſcuritatem impulſus.

ET dixit Jehova.] Hæc prophetia nihil novi continet: ſed confirmatio eſt ſuperioris, in qua Jeſaias de propinqua vaſtatione regni Iſraël & Syriæ vaticinatus erat. Utramque etiam regionem ſuo Rege ſpoliatum iri prædixerat, priuſquam infantes qui paulo poſt naſcituri erant, diſcernerent inter bonum & malum, hoc eſt, adoleſcerent. Sed quoniam impii nullis minis terrentur, ideo hoc vaticinium inculcari, & ſymbolo aliquo confirmari oportuit. Primum, quo melius populum expergefaciat Deus, jubet hanc prophetiam publicari ac proſcribi, ut ab omnibus intelligatur. Diximus * prius, hunc Prophetis fuiſſe morem poſtquam juſſi erant aliquid populo nunciare, paucis ſummas rerum complecti, & valvis templi præfigere: quemadmodum ex Abacuc colligi poteſt, quicum ſi confeatur hic locus, res ſatis aperta erit. Sed hic exprimitur aliquid ſpeciale, quia non ſimpliciter vult ſcribi Prophetiam, ſed requirit grande & amplum volumen, ut ſcilicet procul legatur. Quo enim minutior eſt ſcriptura, eo obſcurior, & minus commode legi poteſt. Eodem pertinet quod proxime ſequitur, Stylo vulgaris hominis. אנש enim pro quolibet homine plebeio ſumitur, ne quos ſcilicet fugiat lectio, vel rudiſſimos idiotas.

cap. 7:16. ** in fine præfationis in hunc Prophetam.* *Abac. 2:2.*

Feſtina.] Conciſa hæc brevitas magis emphatica eſt quam ſi prolixe concionatus eſſet. Quatuor enim voces quiſque domum referre poterat, & in his agnoſcere celeritatem iræ Dei: & Dei judicio vere & penitus affici, quaſi digito monſtratum eſſet. Denique verbis agere noluit Deus, quia litigandi tempus non erat, ſed rem ſymbolo repræſentare. Vindictam ergo quam fruſtra minitati toties fuerant Prophetæ, in paradigmate conſpicuam exhibuit, ut altius penetraret in animos, & memoriæ hæreret. Et quoties commemorantur hæc verba למהר שלל חש בז, toties direptionis Iſraël & Syriæ meminiſſent, & certiores de ea redderentur. Quia de Chriſti adventu proximo capite vaticinatus eſt Jeſaias, multi perperam de eodem hoc quoque exponunt: quod inſtructus cæleſti virtute, ad ſpoliandum mundi principem venerit: ideoque velox ſit ad prædam. Et quanquam argutia hæc placet, nullo tamen modo poteſt textui congruere. Nam verus & ſimplex contextus docet hic nihil afferri novi, ſed id quod ſuperius dixerat, confirmari.

ſupr. 7. verſ. 14.

2. *Adhibui teſtes.*] Nomine & verbo ex eadem radice ductis uſus eſt Propheta, & lepida eſt alluſio: acſi diceremus, Conteſtatus ſum teſtes. Quoniam hæc res magni momenti erat, ideo teſtes ſibi adjunxit, ut fieri ſolet in majoribus negotiis. Fideles eos vocat, id eſt, veraces & idoneos: & tamen unus ex iis impius & nequam fuit apoſtata, qui quum Regi ſuo aſſentari vellet, altare erexit ſimile Damaſceno, impietatique & nefario cultui aperte aſſenſit. Alios quidem aliter ſentire ſcio: ſed ſi quis circumſtantiam temporis expendat, hunc Uriam eſſe intelliget, quem Sacra hiſtoria teſtatur ad Regis impietatem & libidinem ſerviliter formatum fuiſſe. Quod vero alium fuiſſe putant, quia eum veracem hic dicat Jeſaias, ejuſmodi certe ratio nimium infirma eſt. nec enim hominem reſpexit Propheta, ſed munus quo ipſe fungebatur, ut ferendo teſtimonio idoneus eſſe poſſet. Itaque non probum & frugi fuiſſe intelligit, ſed ob functionem auctoritate præditum, ut nemo eum repudiaret, & omni exceptione, ut aiunt, majus eſſet ipſius teſtimonium. Ego autem exiſtimo hanc prophetiam affixam eſſe valvis templi, adhibitis teſtibus Uria & Zacharia. Nec enim viſionem refert, ſed Dei mandatum, quod reipſa exequutus eſt: ut hæc verba, veluti proverbium quoddam vulgare, omnium ore circumferrentur.

2 Reg. 16. verſ. 11.

3. *Et acceſſi.*] Quæ ſequuntur Prophetæ per viſionem accidiſſe non dubito, quæ ſuperius vaticinium obſignarent. Viſus eſt igitur ſibi Jeſaias congredi cum uxore ſua: atque ex eo congreſſu genuiſſe infantem, cui ejuſmodi nomen imponi oportuit. Nihil quidem eſſet abſurdi, ſi fateremur Prophetam congreſſum cum uxore, & revera genuiſſe puerum, cui hoc nomen inditum eſſet: nec vellem magnopere cum eo qui ita ſentiret contendere. Sed quia veriſimile non eſt, hoc nomen alicui homini impoſitum, & teſtimonio caret, libentius in eam partem inclino, ut

exiſti-

exiſtimem oblatam eſſe Prophetæ hanc viſionem qua ſuperius vaticinium confirmaretur. Prophetiſſam nominat uxorem, non qualiter Regum uxores honoris cauſa vocantur Reginæ: ſed quod in hac viſione publicam & ipſa perſonam ſuſtinebat. Nec dubium eſt, quin animos piorum à libidinoſo coitu data opera abducere voluerit Jeſaias, ut ad ſacrum myſterium attenti forent. Et certe quamvis in conjugio liberis dare operam res per ſe licita ſit, natura tamen ipſa docet verecundiam ſubeſſe, quæ latebras quærat.

4. *Sane antequam.*] Interpretatio tam ænigmaticæ ſententiæ, quam viſionis additæ. Etſi enim præciſe loqui voluit Deus, tollenda ſimul fuit obſcuritas. cap.7:14. Ego נער, non de filio Prophetæ, ut prius dixi, interpretor, ſed potius de omnibus qui proxime naſcituri erant. Antequam adoleſcant illi, Reges duos Iſraël & Samariæ delendos eſſe pronunciat.

Coram facie.] Id eſt, Arbitrio, vel ad libidinem Regis Aſſyrii: in quo forte alluſit ad veterem triumphantium morem, quorum ante currum ſpolia hoſtium ferebantur. ita Samariæ & Damaſci ſpolia tollentur coram Rege Aſſyrio. Hinc melius apparet Prophetam nihil aliud agere, quam ut vaſtationem regni Iſraël & Syriæ prædicet: idque ut conſoletur pios, atque etiam ut ſtultam formidinem impii Regis derideat, qui ſibi à Domino auxilium ferri non patiebatur. nec enim promiſſiones ſolum, ſed etiam oblatum ſignum rejecerat. quo fit, ut Propheta magis ac magis illius, & totius populi impietatem redarguat: Tu quidem minime credis, Dominus tamen ſuis aderit: & brevi ſubitas & inſperatas mutationes videbis, quibus Dominus populum ſuum liberabit. tametſi hæc non tam Regi, quam piis hominibus dicebantur. Unde colligendum, ſervos Dei non ſemper ita loqui, ut fidem apud auditores obtineant. hic enim Jeſaias alloquitur impios, apud quos nihil ulla ratione efficit. Quorſum igitur apud ipſos ſermonem habet? ut ſcil. magis ac magis ipſos convincat ſuæ incredulitatis, eamque ipſis exprobret: deinde, ut magis etiam conſpicua ſit Dei bonitas. Quis enim viam omni Dei miſericordiæ, tanta impietate præcluſam eſſe non judicaſſet? Dominus tamen & Regis & populi pravitatem, ſua bonitate exuperat. Hoc igitur agit Propheta, ut exprobrando impiis ſuam protervìam, Deum nihilominus ſemper ſui ſimilem eſſe oſtendat.

6. *Quandoquidem aſpernatus eſt.*] Ne inani ſolatio indormiat Achaz, ſermonem de communi piorum ſalute ſtatim abrumpit Propheta, & denuo pœnam incredulis minatur. Putant hic loquutum eſſe adverſus eos, qui cupidi erant rerum novarum: quemadmodum ſæpius fieri ſolet, ut vulgus hominum præſenti ſtatu contentus non ſit, & novum Regem ſibi dari cupiat. Pleriſque enim ſæpenumero accidit quod ægrotis, qui mutato loco ſibi melius fore ſperant. Adeo præpoſtera eſt hominum voluntas, ut quum res non fluunt ex animi ſententia, ad ſtatus mutationem ſpectent, cupide proſiliant, & inde allevationem aliquam quærant. Sed ego Prophetæ mentem latius patere arbitror, nec tantum ad eos extendi qui mutationem cupiebant: ſed univerſalem eſſe concionem, qua omnes ordines complectitur. jam enim fere apud omnes invaluerat impietas & contemptus Dei. Nec vero de paucis, aut de certa factione, ſed de univerſo populi cœtu loquitur. Fateor quidem paucos Dei ſervos excipi, de quibus poſtea fiet mentio: ſed illud obſtare non poteſt quominus hic Jeſaias in totum populum invehatur. Quum enim fere omnes corrupti eſſent, merito omnes reprehendit. Hoc vero crimen eſt, quod populus ſuæ tenuitati diffiſus, majores opes & majora præſidia appeteret. Dicit igitur ſpretas fuiſſe aquas Siloë, quia ſua Judæis conditio contemptui & faſtidio fuerit. Addit *gaudium fuiſſe ad Rezin.* alii vertunt, Cum Rezin: ſed particula Ad, perverſam cupiditatem melius exprimit. Significat autem Judæos quum ſe magnis præſidiis munitos non eſſe viderent, alio reſpexiſſe, & deſideraſſe opes regni Iſraël. Nam quum ſuam paucitatem & tenuitatem intuebantur, trepidabant, nihil in Deo locabant fiduciæ, ſed in externis tantum præſidiis: & putabant ſe tutiſſimos fore, ſi tam potens ipſis Rex contigiſſet, quam Iſraëlitis. Atque ita in alienis divitiis, & earum deſiderio exultabant.

7. *Propterea ecce.*] Loquitur in præſenti, ut propius omnes attendant: En Dominus adducit aquas violentas. Notandæ ſunt metaphoræ, quibus utitur Propheta. nam multo elegantior eſt iſta oratio, quam ſi nuda & ſimplex foret: veluti ſi dixiſſet, Quia populus non eſt contentus ſua ſorte, & appetit alienas opes, ego illi oſtendam quid ſit potentem Regem habere. exempli gratia, Si exiguus aliquis populus obſcuro & ignobili Regi parens vicinos potentes haberet, quibus præeſſet Rex magni nominis, ac diceret, Quanto generoſius eſt florenti illi Regi parere, ſervire Cæſari, aut Regi Galliæ, quorum potentia invicta eſt! nonne merito Deus talem cupiditatem ulciſceretur? quo enim potentiores ſunt Reges, eo gravius populum ſuum premunt, nihil non audent, omnia pro libidine agunt. Nec enim nota eſt eis menſura potentiæ ſuæ, imo pro viribus creſcit licentia. Dominus inſanum illud deſiderium in Judæis reprehendit, quod ſua conditione minime contenti, in opes Regum potentum, potius quam in ipſum intenderent. Et multo plus gratiæ habet ſub iſtis figuris hæc reprehenſio, quam ſi ſimplicius loquutus eſſet. Siloë, ut tradit Hieronymus, exiguus fons erat, ex quo manabat fluviolus leniter decurrens per mediam Jeroſolymam. Quum in anguſto illo fluvio non eſſet multum præſidii, ideo ſibi diffidebant, & expetebant magnos illos fluvios, quibus & muniri urbes, & magnopere ditari ſolent. Nihil enim eſt quod regionem magis augeat, ac citius locupletet, quam magni illi & navigabiles fluvii, quibus omnis generis merces facile importari & exportari poſſunt. Comparat igitur Euphratem, qui fluvius eſt celeberrimus totius Orientis, cum Siloë: atque eandem metaphoram ſequitur, ſub rapidis illius fluvii aquis Aſſyrios intelligens: qui totam Judæam directuri, & diluvii inſtar 2 Reg. 18. vaſtaturi erant. Oſtendam, inquit Dominus, quid v.13, 17. ſit rapidas & violentas illas aquas appetere.

Aſcendet.] Diligenter obſervandus eſt hic locus. Eſt enim nobis omnibus quaſi ingenita diffidentia: ut quum videmus nos humanis præſidiis deſtitutos, animum deſpondeamus. quicquid Dominus promittat, nos ipſos nullo modo colligere poſſumus: ſed defixos oculos habemus in noſtram nuditatem, atque ita quaſi attoniti ſubſidimus in metu noſtro. ergo remedium noſtro huic vitio quærendum eſt. Siloë igitur, hoc eſt, vocatio vel ſors nobis divinitus attributa cum promiſſione, quamvis res ipſa oculis noſtris non pateat, ſit nobis pro præſidio, eamque ſummæ omnium Regum potentiæ præferamus. Nam ſi recumbimus in humana ope, & robur noſtrum in magnis copiis & vi pecuniæ conſtituimus, pœna quam hic Propheta denunciat, expectanda eſt. Hæc ita impleta eſſe teſtatur Sacra hiſtoria, ut qui eam leget, longa expoſitione hujus loci non indigeat. Aſſyrii enim, quos Judæi in auxilium ſuum vocarant, ipſos perdiderunt. Hæc juſta diffidentiæ pœna fuit: in qua illuſtre ſpecimen habemus improbæ hominum cupiditatis, qui Dei promiſſione & ope contenti eſſe non poſſunt. Ex tali ergo Judæorum exitu, nobis ipſis conſulamus. Eſt autem hæc fere perpetua Eccleſiæ conditio, ut præſidiis humanis deſtituatur: ne ſi nimium fuerimus inſtructi, cæcutiamus ad noſtras opes & copias, Deique noſtri obliviſcamur. Hac noſtra tenuitate oblectari & contentos eſſe oportet, ut à Domino ſolo pendeamus: ut pluris nobis ſint exiguæ & lenes aquæ, quam ingentes & rapidi omnium Gentium fluvii, nec magnæ impiorum potentiæ invideamus. Atq; huc pertinet quod Pſal. 46. Pſal. 46. ſcriptum eſt: Rivi fluminis exhilarabunt civitatem verſ. 5.

Dei, ſacrarium tabernaculorum Altiſſimi. Deus eſt in medio ejus: opem illi feret Deus ante auroram. Tumultuentur Gentes, motus concitent regna, & tellus dato fragore defluat: Dominus exercituum à nobis ſtat, &c. Si quis objiciat, humana præſidia rejicienda non eſſe, reſponſio in promptu eſt: ea hic à Propheta non damnari, ſed metum illum perverſum, quo in diffidentiam conjicimur, atque ita trepidamus, ut nulla Dei promiſſio nos contineat intra juſtas metas. Deo verò hic honos tribuendus erat, ut quamvis omnia deficerent, uno ipſo contenti, ſimul ipſum præſto eſſe certi ſimus. tunc parum refert an adſint, vel abſint externa præſidia. nam ſi adſint, iis uti liberum eſt: ſi abſint, æquo animo careamus, nobiſque Deus ſufficiat unus pro omnibus. per ſe enim promiſſa ſua exequi poterit, quando nulla ei externa adminicula neceſſaria ſunt. Tantum nos totos ejus manui tutelæque credamus. Verbum חלף, quod Tranſire interdum ſignificat, hic tantundem valet ac Graſſari, & exſcindere. id eſt, non tantum alluet Judæam, ſed ita inundabit ut penitus demergat. Longe enim lateque per omnes partes vagabitur. Addit,

8. *Uſque ad collum:* quæ ſimilitudo eſt ducta ab homine qui fluvium ingreſſus ſeſe pedetentim mergit, donec aqua ad collum uſque pertingat. Ita fluvio illo rapido, id eſt, Aſſyrio, inundabitur Judæa, donec ad collum uſque demergatur. Intelligit autem Jeroſolymam, quæ caput erat regionis, & ſupremum locum obtinebat: ad quam quum Aſſyrius pervenit, Judæa haud longe aberat ab interitu.

Latitudinem terræ tuæ, ô Immanuel.] Id eſt, Quaquaverſum. Continuat enim ſuam metaphoram Propheta in ſuo vaticinio, & oſtendit quam violentus futurus ſit Aſſyrius. atque vim & impetum ipſius amplificat eadem ſimilitudine: nempe rapidi fluvii, qui ruptis obicibus ripas ſuas egreſſus, longe lateque vagetur, & omnia vi ſua diruat atque evertat. Pergit enim adverſus Judæos concionari, ut duobus proximis verſibus cœperat. nam quum Iſraëlitis & Syriis exitium ſuum nunciaſſet, ſimul & Judæis viciſſim diffidentiæ ſuæ pœnas denunciat. Quod ut melius intelligatur, contextus Jeſaiæ pulcherrimus atque aptiſſimus animadverti debet. Prius ſermonem ſuum alio deflexerat, quod Achaz eo indignus eſſet, Dabit vobis ſignum Dominus: id quod ſuperiore capite declaratum eſt. Simul rationem addidit conſervandæ Jeroſolymæ per ſubitas mutationes quæ Syriæ & Samariæ eventuræ erant. hoc initio hujus capitis, & mandato & viſione confirmatum fuit. Nunc ad Judæos ipſos deſcendit, ne ſe impune evaſuros putent, nec ſe nimium efferant hoſtium exitio. Significat enim ipſis quoque repoſitam eſſe mercedem, & ipſos daturos quoque pœnas ſuæ impietatis & perfidiæ, quod Dominum contempſerint, nec voluerint ejus promiſſis, ſignis, & beneficiis large munificeque oblatis, acquieſcere.

Immanuel.] Quæritur cur Propheta ſermonem potius ad Chriſtum converterit, quam ſimpliciter vocaverit Sanctam Dei terram. nec enim dubium eſt, quin nomine Immanuel, Chriſtum intelligat. Hoc certe ad indignitatem magis exprimendam dictum videri poſſet. nam quum Judæa non modo eſſet conſecrata Deo, ſed in perſona Mediatoris eum haberet ſalutis ſuæ præſidem, indignum erat eam ab impio Rege vaſtari. Sed potius exiſtimo hoc nomen additum eſſe à Propheta, ut aliquid ſpei reliquum faceret bonis, eoſque ſublevaret in tanta calamitate. Vaſtata enim & crudeliter direpta regione, animos deſpondere potuiſſent. Significat igitur, eam vaſtitatem impedimento non fore, quominus prodeat Redemptor, cujus ante meminerat: acſi dixiſſet, Terra nihilominus erit tua, ô Immanuel: in ea habiturus es ſedem ac domicilium tuum. Hoc igitur additum eſt vice conſolationis, ut intelligerent terram quamvis direptam & vaſtatam, Dei magis quam hominum eſſe. Et apoſtrophe eſt emphatica, quia hoc modo implorat redemptionis fidem, ut modum imponat horrendis calamitatibus.

9. *Conſociemini.*] Verbum רעו ſive à רעע ſive à רעה ducatur, ſignificat conterere. Sed quia רעה ſociare ſignificat, quidam hoc ſenſu accipere malunt: qui certe argumento & contextui Prophetæ aptior eſt. Nam quod alii vertunt Conterite vos, aut regnum Judæ, aut Aſſyrios, videtur vel coactum eſſe vel remotum. Conſilia autem & conatus deſcribi, quibus ſe parabant ad extinguendam Dei Eccleſiam, patet ex eo quod ſtatim addit Propheta, ac ſecundo repetit, Accingite vos: item, Inite conſilium. Verbum ergo Sociandi his optime reſpondet. niſi forte metaphorice verbum רעו accipere libeat: in quam ſententiam libenter inclino, ut tantundem valeat atque Coacervare, ſicut vulgo dicimus *Entaſſer.* quoniam ea quæ conteruntur, violenter urgeri & comprimi neceſſe eſt. Significat igitur non ſolum congregationem, ſed etiam adglutinationem: acſi diceret, Denſate vos, acſi eſſetis ſpiſſa congeries. Atque hæc ſignificatio concinne, ſicuti viſum eſt, quadrat circumſtantiæ hujus loci. quod enim ſubjicit, eodem pertinet, Inſtruite, accingite vos. Conſurgit autem Propheta in fiduciam, poſtquam mentionem fecit Immanuelis, id eſt, Dei, qui ſuis adfuturus erat: ſimulque ſpem novam concipit adverſus hoſtes: quamvis voti compotes eſſe viderentur poſtquam regionem depopulati erant, tamen victorem Dominum fore, ſuoſque adverſus truculentiam hoſtium ſervaturum. Itaque animum ab intuitu illius cladis abducens, ad Chriſtum convertit: cujus contemplatione ita ſeſe erigit ut audeat adverſariis tanquam victor inſultare. Conſtituendus eſt Propheta velut in ſpecula, unde cladem populi, & Aſſyrios victores atque inſolenter exultantes conſpiciat: Chriſti vero nomine & conſpectu recreatus, omnium malorum obliviſcatur, quaſi nihil paſſus ſit: omnique miſeria liberatus, inſurgat in hoſtes, quos Dominus erat ſtatim perditurus. Idque diligenter obſervandum eſt: ut dum hodie adverſus eaſdem tentationes nobis luctandum eſt in his afflictionibus quas ſuſtinet Eccleſia, & quarum mole fere obruitur, in Chriſtum recta intueamur, cujus conſpectu poterimus adverſus Satanam & omnis generis hoſtes gloriari.

Populi.] Cur vero Populos nominavit, quum ſolus Aſſyrius vaſtaturus eſſet Judæam? Reſpondeo, exercitum Aſſyrii ex variis populis conflatum fuiſſe. nam & Chaldæos, & multos alios populos ſubegerat: ideoque variis nationibus ea Monarchia conſtabat. Potuit tamen Propheta ſpectare etiam ad Iſraëlitas, Syrios, atque Ægyptios, cæteroſque omnes quotquot adverſus Eccleſiam Dei hoſtes extiterunt. Nec enim loquitur de una Eccleſiæ plaga, ſed de perpetuis certaminibus, quæ ſubinde electo populo ſuſtinenda erant. Sed quo res melius intelligatur, conjungendus eſt proximus verſus, ubi additur in fine, Quia Immanuel. hoc enim eſt fundamentum noſtræ liberationis, quia nobiſcum Deus. Conſpirent homines, machinentur, conſilia ineant, decernant, nihil efficere poterunt: quia nihil eſt conſilii adverſus Dominum. *Prov. 21. verſ. 30.* ab hoc igitur fundamento initium faciendum eſt, ſi modo conſiſtere velimus. Sed videndum an omnibus liceat eo nomine gloriari. nam & impii jactant ſecum eſſe Deum, ejuſque nomine inſoleſcere & ſuperbire non dubitant. ſed vana & inanis eſt eorum gloriatio. Magnanimitas autem piorum Dei verbo nititur, ac ex vera fide manat: quæ ſi animis inſederit, poſſumus in omnes hoſtes inſultare. idque etiam docet Paulus, pios homines hac doctrina animans, Si Deus pro nobis, quis contra nos? *Rom. 8. verſ. 31.* Prius igitur oportet nobiſcum eſſe Deum: quod fieri non poteſt niſi amplectamur promiſſiones fide. ea ſi adſit, non fruſtra gloriamur. Quod vero tam longinquam nationem alloquitur, ad quam iſta

vox

vox pervenire non poterat, ratio in promptu eſt, ut ſcilicet infidelibus nota eſſet efficacia verbi: ac ſcirent cohibendos eſſe Aſſyrios cum ſuo apparatu, tametſi longe abeſſent. acſi diceret, Vos quidem ſpernitis Deum, ſed vos procul coërcere, omnemque furorem veſtrum comprimere facile poterit.

Accingite vos.] Non eſt ſupervacua repetitio, quia longe difficilius eſt iterum Dei auxilium ſperare ubi ſemel liberati ſumus, quam promiſſionem de una ſola liberatione amplecti. Deinde quamvis nos primi hoſtium impetus non adeo terreant, ubi tamen obſtinatos videmus in ſua malitia, durities eorum nos debilitat: idque ipſi in dies experimur. Nam ſi periculum aliquod immineat, poſſumus quidem opem à Domino expectare: ſed ſi iterum periclitemur, labaſcimus: tantaque eſt ingratitudo noſtra, ut vix putemus Deum nobis ſecundo adfore. Deficimus ergo ſi ſæpius periclitandum ſit, nec cogitamus Deum benefaciendo, & ope aſſidue ferenda nunquam fatigari. Huic igitur hominum fragilitati occurrere voluit Jeſaias, ut poſtquam ſemel atque iterum accincti hoſtes nos invaſerint, invicti ſtemus. Si ſuperati aut fracti redintegrent vires, noſque laceſſere non deſinant, ne frangamur. Deus enim & cras, & perendie, & quoties conſpirarint, ipſos dirimere ac delere poterit. Hinc etiam monemur noſtræ conditionis, ut nos ſemper ad novos conflictus ſuſtinendos paremus: nec putemus nos defunctos, ſi ſemel obſtitimus. Semper enim in officio ſuo pergit Satan, nobiſque aſſidue exitium parat: excitat ſuos, & nova cupiditate inflammat. Sed etſi ſæpius ſubeunda ſint certamina, de victoria certi ſumus. Ergo alacriter nobis pugnandum, & conſtanter in acie verſandum eſt.

10. *Conſultate conſilium.*] Poſtquam tractavit de hoſtium viribus, nunc ad conſilia eorum deſcendit: acſi diceret, Tametſi polleant hoſtes non armis tantum & robore, ſed conſilio & prudentia, nihil tamen effecturi ſunt. Atque hæc monitio valde neceſſaria fuit. ſæpe enim accidit ut hoſtes quamvis potentes & armis inſtructos contemnamus, quod conſilio careant, & cæco potius impetu, quam ratione ducantur. Admonet igitur, hoſtium vafritiem omneſque artes quibus Dei populum circumvenire tentabunt, irritas tandem fore: ideoque nihil effecturos etiamſi nihil ipſis deſit, omnibuſque & copiis & conſiliis & aſtutiis præpolleant. Addit, Loquimini verbum: quod, ut ſenſus eſſet clarior, reddidi,

Decernite decretum.] Hoc vero ad audaciam pertinet, vel eſt clauſula conſultationis: nam ex deliberatione decretum conſequi ſolet. Hæc omnia in fumum abitura eſſe pronunciat. Itaque ſatis conſtat quid voluerit Propheta, & quem in uſum hic locus accommodari debeat. Eſt enim veluti clypeus: quo omnes hoſtium terrores propulſare poſſumus: ſeu copiis, opibus, potentia, gratia, auctoritate; ſeu prudentia, conſilio, aſtutia, perſpicacia & ſolertia, tandem audacia quoque prævaleant. Sumus enim inſtructiſſimi & fortiſſimi, ſi Deus nobiſcum eſt. Proinde quicquid machinentur aut decernant adverſarii, protinus evaneſcet. Rationem quam ſubjungit כי עמנו אל, prius ſatis expoſuimus. Mihi vero dubium non eſt, quin alludat ad nomen, quod prius Chriſto impoſuit. Tametſi enim ſignificat Deum adeſſe ſuis, quia tamen nuda Dei majeſtas ad nos erigendos non ſufficeret, Deum ipſum conſiderat in perſona Mediatoris, in quo ſolo promiſit ſe nobis adfuturum.

11. *Sic mihi loquutus eſt.*] Hic Propheta pugnat adverſus aliud genus tentationis: nempe, adverſus infidelitatem populi. & quo id magis perſpicuum fiat, notandum eſt duas fuiſſe præcipuas tentationes: alteram externam, alteram inteſtinam. Externa erat ab hoſtibus profeſſis, velut ab Aſſyrio: cujus quum direptiones & truculentiam populus intuebatur, de ſe actum eſſe exiſtimabat, quod omnia fere obruiſſet. Altera erat inteſtina: quoniam ſacer ille populus, qui jactabat ſe à Deo electum eſſe, in auxilia hominum potius quam Dei animum reclinabat. erat autem hæc perículoſiſſima tentatio. Videbatur enim populus ille ſua infidelitate aditum præcludere promiſſis Dei, quæ quotidie offerebantur, & auribus ejus aſſidue inſonabant. Qualis vero poterat eſſe Prophetæ cogitatio in tanta anxietate, niſi perverſo huic populo, qui non ceſſabat maligne reſpuere Dei gratiam, inſtare propinquum interitum? Dominus ergo & Prophetam & diſcipulos ejus adverſus hujuſmodi tentationem armatos eſſe voluit.

Quaſi apprehenſione manus.] Elegans eſt hic metaphora, quam interpretes mihi non videntur aſſequuti. alludit autem ad patres aut magiſtros, qui quum non ſatis efficiunt verbis, manu filiis aut diſcipulis injecta, eos ſiſtunt, ut parere cogant. Ita Dominus miniſtros ſuos, qui interdum omnia abjicere vellent, quod exiſtiment ſe operam ſuam ludere, veluti manu injecta retinet, ut pergant in officio ſuo. Idque perquam neceſſarium eſſe, ſatis intelligunt & reipſa experiuntur quicunque fideliter Domino inſerviunt. Nulla enim eſt gravior tentatio, quam quum ii, in quibus fides eſſe deberet, deficiunt: denique, quum fides à mundo videtur exulare. Eſt igitur valde neceſſaria hæc manus apprehenſio, quia non modo ſumus nimium flexibiles & levitati obnoxii, ſed etiam naturaliter plus æquo ad malum propenſi, quamvis nemo nos impellat. Quod ſi accedat impetus conſuetudinis, vix compotes noſtri ſumus. Certe ſingulis momentis ſurſum ac deorſum nos verſari contingeret, niſi valido Dei imperio retenti, conſtantiæ anchoram in ſolido figeremus. Unuſquiſque noſtrum ſe diligenter hac cogitatione exerceat. nam etſi nobis hoc perſuaſum ſit, tamen quum ad rem veniendum eſt, excidimus: hominesque potius quam Deum intuemur. Quo magis ſedulo igitur in hanc doctrinam incumbere convenit, rogandusque Deus eſt, ut non ſolum verbo, ſed etiam injecta manu retineat. deinde obſervandum eſt, quam ſimus proclives ad pravam æmulationem. Ubi enim mala exempla cernimus, illuc magno impetu ferimur, & ſtatuimus exemplum pro lege: quia dum alii præeunt, nobis idem licere arbitramur: ac præſertim, ubi non præcedit unus tantum aut alter, ſed conſuetudo apud omnes invaluit: quia quod per ſe vitioſum eſſe conſtaret, ſpecioſo publici conſenſus velo obtegitur, imo omnes quaſi violento turbine, in morem receptum rapiuntur, acſi in arbitrio populi eſſet ſuas corruptelas legis inſtar ſancire. Neque hoc fuit unius ſeculi vitium, ſed hodie peræque aut magis etiam graſſatur. Eſt enim hoc malum naturæ corruptione omnibus inſitum, ut communis error pro lege habeatur. Hinc omnes omnium ſeculorum ſuperſtitiones, & quæ hodie vigent in Papatu: quarum ſi quis originem requirat, reperiet non aliunde manaſſe, niſi quod alii alios ſecum in eundem traxerunt errorem: atque ita temere demum omnes Satanæ laqueis fuerunt impliciti, & adhuc communis hominum conſenſus earum fundamentum præcipuum eſt. hoc mucrone ſe defendunt omnes: Non ſumus, inquiunt, ſoli: infinitam multitudinem ſequimur.

12. *Non dicetis.*] Primum conſiderandus eſt ſtatus populi illius, qualis tunc fuit: videbant enim ſe non eſſe magnis copiis inſtructos, nec bello adverſus hoſtes adeo potentes ſuſtinendo pares eſſe. Inhiabant ergo externis auxiliis, eaque ſummopere expetebant. putabant enim ſe funditus interiiſſe, niſi aliunde opem accerſerent. Atque in hunc ſenſum accipio nomen Conſpirationis, quod fœderatorum auxilio ſibi opus eſſe ducerent. Conſpirationis enim nomen quum

quum medium ſit, interdum & Hebræis tantundem valeat ac ligamen, in bonam partem accipio. Alii vero in malam partem accipiunt, En hoſtes tui, Rex Iſraël & Syriæ inter ſe conſpirarunt. Sed potius aliis aſſentior qui ad fœdus & ſocietatem referunt, quam cum Aſſyrio inire cupiebant plerique increduli. Admonet ergo Dominus Jeſaiam, ne ad impiorum conſilia reſpiciat, etiamſi certatim ad ea totus populus animos applicet. Quanquam adhuc duplex poteſt eſſe ſenſus: quia nonnulli diviſim legunt, acſi ſecundo membro damnaret Propheta in genere pravos mores populi. Sed potius conjunctim legenda ſunt duo hæc membra, Ne vos conturbet ſi quotidie de illicitis fœderibus inter ſe agitant veſtri populares, neque aſſenſum præbeatis. Cæterum quanquam unus ex eorum numero fuit Propheta, quibus utilis fuit correctio, ne alios temere ſequendo à fide deſciſcerent: pluralis tamen numerus, Ne dicatis, oſtendit pios omnes in ejus perſona fuiſſe edoctos.

Et timorem.] Hinc patet ex quo fonte oriantur erratica conſilia quibus ſecum tumultuantur homines: nempe quia ſic eorum ſenſus occupat formido, ut violenter ſine ulla moderatione ferantur. Notatur omnium hic cauſa, cur Aſſyrios Judæi tantopere cuperent adjungere ſocios, quod ſcilicet ultra modum perterriti non ſperarent ſe aliter ſalvos eſſe poſſe, nec in opem Domini reſpicere eos ſineret cæca formido. hæc cauſa fuit fœderis tantopere expetendi. Eadem certe timoris cauſa, & piis & impiis objecta erat: ſed non eodem modo omnes timebant. Pii enim colligebant animos, quod ſcirent ſalutem ſuam curæ eſſe Deo: atque armati promiſſione Dei animos erigebant, quoties meminerant nominis Immanuel. Impii vero terrore victi, nihil aliud cogitabant, quam auxilia Aſſyriorum: in Deo nihil putabant eſſe opis, neque ad ipſum ſeſe recipiebant. Dominus certe non prohibet quominus timeant pii: neque enim id effugere poſſunt: ſed jubet eos vincere terrorem illum nimium, à quo impii abſorbentur. Ne igitur eorum exemplo huc atque illuc circumſpectemus, neve ad illicita auxilia quærenda præcipites ruamus, danda in primis opera eſt ne pavor nobis judicium excutiat. Unum vero hujus mali remedium eſt, ſi nos cohibemus Dei verbo, unde certa animis tranquillitas. Atque illius populi ſtatum cum noſtro conferentes, diſcamus ad nomen Dei confugere, quod nobis inſtar arcis invictæ futurum eſt. Cæterum haud Prophetæ ſoli loquutum eſſe Dominum, iterum ex verbis pluralis numeri apparet, *Ne timueritis*, &c. Hinc etiam Petrus univerſalem doctrinam collegit: admonens ne timore impiorum timeamus: ſed omnem fiduciam locemus in Deum, oculoſque in eum perpetuo defixos habeamus, ut firmi ſtemus, etiamſi cælum terræ miſceri contingat. Si quando illa Petri monitio neceſſaria fuit, ea nunc vel maxime opus eſt. Omnia enim ſurſum ac deorſum volutari, & horribili perturbatione confundi cernimus. Ne ergo turbemur, revocat nos Dominus à conſpectu hominum, ut in verbum ipſius intenti ſtabilem gradum figamus. Petrus quidem timorem illic paſſive accipit, quum Jeſaias active accipiat. hortatur enim ad conſtantiam fideles, ne vacillent ad minas & terrores impiorum: Jeſaias vero trepidationem damnat, quæ ſtimulabat Judæos ad captanda profana fœdera. Sed quia non fuit hoc propoſitum Petro, ut explicaret hunc locum, aut etiam expreſſis verbis citaret, imo tantum ad iſtam ſententiam alludere voluit, in hac varietate nihil eſt abſurdi.

1 Petr. 3. verſ. 14.

13. *Jehovam exercituum.*] Diximus hanc eſſe immodicæ conſternationis cauſam in periculis, quia in Deum oculos & mentes miſeri homines non attollunt. Itaque nunc opportunum remedium adhibet Propheta mitigandis pavoribus, ut ſuum Deo tribuere honorem diſcant qui ſibi à malis impendentibus metuunt. Nam Deum exercituum ſanctificare, tantundem valet, atque in ſublime attollere ejus virtutem: ut meminerimus eum tenere mundi gubernacula, & tam principia quam exitus bonorum & malorum eſſe in ejus arbitrio. Unde ſequitur ſua ſanctitate quodammodo ſpoliari Deum, ubi in rebus perplexis ad eum non recta confugimus. Itaque in hac loquendi forma non parum ſubeſt ponderis: quia docemur non poſſe Deum majore affici contumelia, quam dum ſuccumbimus timori, acſi non emineat ipſe ſupra omnes creaturas, ut rerum eventus moderetur. Rurſum ubi ejus auxilio freti, victrice fidei conſtantia pericula contemnimus, tunc vere ipſum ornari legitimo imperio. quia niſi perſuaſi ſumus innumeras rationes nobiſque incognitas ad nos liberandos penes ipſum in promptu eſſe, fingimus quaſi mortuum idolum. Merito etiam addit, Ut ſit ipſe Deus timor populi ac pavor: ut ſciant juſtam ſibi ac debitam rependi mercedem ſuorum ſcelerum & contemptus Dei, dum ita miſere & anxie ad pericula trepidant. Etſi enim timori adjungit pavorem, non vult tamen Judæos cohorreſcere ad Dei nomen, ut fugere ab ipſo cupiant: ſed quum ſimpliciter ab ipſis exigat reverentiam Dei, notandæ perſeverantiæ cauſa duplex ponit nomen. Liberos igitur & ſolutos animi anxietate fore intelligit, ſi penitus eorum cordibus inſideat ſerius Dei timor, neque unquam evaneſcat. Et certe quiſquis ſponte ſe Deo addicit, & unum ipſum proponit ſibi timendum, ut hoc freno ſe contineat, ſentiet nullum ejus præſidio tutiorem eſſe portum. quia vero proterva licentia ejus iram provocare non deſinunt impii, aſſidua inquietudine mentes eorum vexando, ſupinam illam ſecuritatem optime ulciſcitur.

Sanctificare Deum.

14. *Et erit in ſanctuarium.*] Promittit veris Dei cultoribus tranquillum animi ſtatum, quia Dominus quaſi ſub alis ſuis eos protegens, omnes eorum trepidationes facile pacabit. Alludit autem ad ſanctificandi verbum quo nuper uſus fuerat: quia nomen מקדש, quod nunc Sacrarium, nunc Arcem ſignificat, deducitur ab illa radice. Senſus eſt igitur, Deum nihil requirere, cujus non offerat mutuam compenſationem, quia quiſquis eum ſanctificat, ipſum viciſſim experietur certum ſalutis aſylum. Etſi autem in hac ſanctificatione aliquid inter nos & Deum mutuum eſt, diverſa tamen eſt ratio: ipſum enim ſanctificamus, omnem ei laudem & gloriam tribuendo, dumque ab ipſo prorſus pendemus. Ipſe vero nos ſanctificare dicitur, dum ab omnibus malis tuetur & conſervat. Porro quum pauci admodum parerent penderentque à promiſſis ejus, Propheta voluit pios adverſus ejuſmodi tentationem munitos eſſe. nam periculum erat, ne tam malis exemplis, quaſi tempeſtate aliqua, abriperentur. Hoc igitur voluit Propheta: Dominus erit vobis optimus & fideliſſimus cuſtos. Tametſi in eum alii impingant, vos tamen ne terreamini: permanete conſtanter in vocatione veſtra. Atque hic ſubeſt tacita antitheſis. nam ſanctuarium eſt veluti arx in excelſo loco poſita, & propugnaculum defendendis ac tuendis piis: impiis vero obruendis ac perdendis, quoniam in ipſum temere impingunt. Videbimus autem clarius paulo poſt, quomodo & hoc impletum fuerit partim ſub Ezechia, partim exilii Babylonici tempore: & tamen ſimul adumbratus fuerit Chriſtus, qui non inſtar arcis, ſed offendiculi potius Iſraëlitis futurus erat. Hujus offendiculi præmonet Jeſaias, ut pii nihilominus in eo requieſcant.

Duabus domibus.] Inſcite ac perperam Judæi ſententiam hanc diſcerpunt magis quam diſcindunt, nempe quod Iſraëlitis Deus erit partim in ſacrarium, partim in offendiculum: acſi per duas familias, pios ab incredulis diſcerneret. Potius fidelibus præcipit,

quam-

quamvis tota fere utriuſque regni multitudo illis obſiſtat quo minus Deum ſequantur: ne tamen deſpondeant animos, ſed omnibus valere juſſis, nihilominus perrumpant. Poterat ſimpliciter dicere Propheta, Erit in offenſionem Iſraëli: ſed plus exprimere voluit. totum enim populum comprehendit, eique Deum in ruinam fore ſignificat. Nam diviſus erat populus in duo regna, Ephraim ſcilicet & Juda: propterea utrumque expreſſit. Nonnulli quidem excipiebantur: ſed hic loquitur de univerſo corpore. Inſignis eſt hic locus, nec ſatis poteſt in memoriam revocari, præſertim hoc tempore, quo videmus ſtatum religionis in toto orbe Chriſtiano fere collapſum. Multi jactant ſe Chriſtianos, qui à Deo alieniſſimi ſunt, & quibus Chriſtus eſt lapis offenſionis. Papiſtæ inſolenter & ſuperbe ejus nomine ſeſe efferunt, quum tamen ſuperſtitionibus totum ejus cultum profanent, eumque dedecore & probro afficiant. Eorum vero quibus purior Dei cultus reſtitutus eſt, pauciſſimi ſincero affectu Evangelium Dei amplectuntur. Quocunque igitur oculos vertamus, graviſſimæ tentationes ſeſe omni ex parte offerunt. Ideo ſemper hæc utiliſſima admonitio ſuccurrat, minime novum eſſe ſi plurimi ac fere omnes qui ſe Eccleſiæ domeſticos eſſe jactant, impingant tamen in Deum. Conſtanter interea nobis, quamlibet pauci ſimus, in ipſo permanendum eſt.

Incolis Jeruſalem.] Secunda amplificatio eſt. nam poſteaquam duorum regnorum mentionem fecit, ipſum caput nominat. Tametſi enim univerſa regio corrupta erat, videbatur tamen Dominus illic ſedem ſuam retinere. Significat ergo, Deum in laqueum eſſe, non tantum vulgo quod in agris & oppidulis diſperſum erat, ſed optimatibus ipſis, & ſacerdotibus qui erant Jeroſolymæ: in ſacro, inquam, illo domicilio, ubi potiſſimum Deus memoriam nominis ſui coli voluerat. Idque etiam à Davide teſtatum
Pſal 118. verſ. 22. eſt: Architectos ipſos, quos Dominus conſtituerat,
lapidem angularem & præcipuum rejeciſſe. quem
Mat. 21. verſ. 42. locum Chriſtus adverſus Judæos citans, ad ſe pertinere oſtendit.
Marc 12. verſ. 10. Hoc quidem accidit Jeſaiæ tempore, ſed Chriſti etiam magis. Impietas enim & protervia, paulatim incrementa cepit, donec ad cumulum ventum eſt. Itaque & ſummi & infimi, qui ſemper Deo contumaciter obſtiterant, tunc effrenatius in ipſum proruperunt. Proinde cumulus exitii ſimul acceſſit: ſunt enim prorſus rejecti à Deo, cujus Filium abnegarant. Atque hinc colligitur æterna Chriſti divinitas, quum Paulus oſten-
Rom. 9. verſ. 33. dat eum eſſe Deum, de quo hic loquitur Propheta. Loquitur autem non de novitio Deo, ſed de eo à
Exod. 3. verſ. 6. quo cælum & terra creata ſunt, & qui ſe Moſi patefecerat. idem ergo Deus, à quo ſemper Eccleſia gubernata eſt.

15. *Et impingent multi.*] Pergit impiis comminari, quemadmodum prius cœperat: & non impune evaſuros pronunciat, quicunque in Deo acquieſcere nollent. Talis autem eſt comminatio: Quum impegerint, deinde corruent, tandem conterentur. idque priori metaphoræ reſpondet, qua Deum lapidi comparavit. ad eam alluſit Chriſtus,
Mat. 21. verſ. 44. utrumque membrum comprehendens, Qui ceciderit ſuper hunc lapidem, confringetur: ſuper quem vero ceciderit, conteret eum. Quod deinde ſequitur, Irretientur & capientur: poſteriori metaphoræ convenit, qua Deum laqueo & tendiculæ comparavit. Ne igitur impii ſe Deo fortiores aut aſtutiores fore putent: tandem enim ipſum & viribus & prudentia prævalere ſentient, idque ſuo exitio. perdi igitur ipſos neceſſe erit. Aut enim protinus obterentur: aut ita irretientur, ut nunquam ſe explicare queant. Reſpicit etiam pios hæc denunciatio, ne dubitent à conſortio multitudinis ſe alienare, & crimen diſceſſionis fortiter contemnant. Non eſt autem hoc Dei proprium, ſed (ut ita dicam) accidentale. Dei enim eſt homines ad ſe recipere, & firmum præbere fundamentum ſalutis. Quod etiam in Chriſto luculentius perſpectum fuit, & adhuc perſpicitur. Ideoque Petrus cauſam non eſſe admonet, utcunque impin- 1 Pet. 2.
gant multi increduli, cur fidei noſtræ curſum impe- verſ. 4.
diant eorum offendicula: quia interim Chriſtus lapis nobis eſt electus ac pretioſus.

16. *Liga conteſtationem.*] Nunc Dominus ſermonem ſuum ad Prophetam convertit, eumque confirmat, dum bellandum eſt contra apoſtatas & rebelles, ut intrepide & conſtanter munus ſuum exequatur. quod valde neceſſarium fuit: magnam enim contumaciam in populo experiebatur Jeſaias: ita ut ſi præſentem ſtatum tantummodo ſpectaſſet, nempe infidelitatem populi, vanoſque & irritos labores, protinus deficere neceſſe fuerit. Ideo vocationem ipſius confirmare & obſignare voluit Dominus: non tantum ipſius cauſa, ſed omnium qui doctrinæ ipſius parerent. Quod ſi admodum pauci adhærerent verbis Prophetæ, tamen Dominus teſtatur doctrinam apud illos obſignatam eſſe, nec propterea eſſe vel illi à docendi officio, vel his à fidei obedientia deſiſtendum. Comparat autem doctrinam verbi literis obſignatis: quæ à multis quidem contrectari & teri poſſunt, ſed tamen à paucis leguntur atque intelliguntur: ab iis ſcilicet, ad quos pertinent & miſſæ ſunt. Ita verbum Domini percipitur à paucis, ab electis ſcilicet, tametſi omnibus communiter proponitur. Iis ergo obſignatum eſt verbum, qui nihil fructus ex eo percipiunt: atque ita obſignatum eſt, ut Dominus ipſum ſuis per Spiritum reſignet atque aperiat. Quidam verbum צור deducunt à נצר, ac vertunt Cuſtodi. quod etſi ad ſummam rei non multum refert, rectius tamen eſſe quod ſequutus ſum, colligitur ex altero verbo Obſigna. Solebant enim antiquitus filo perforare literas, ut deinde ſigillum imprimerent. Utiliſſimam hinc doctrinam colligimus: nempe doctores & miniſtros verbi in officio ſuo conſtanter pergere oportere, quamvis omnes homines deficere videantur, nec quicquam præter contumaciam & protervium præ ſe ferant. Reſervabit enim Dominus ſibi diſcipulos aliquos, apud quos legentur cum fructu ejus literæ, tametſi aliis occludantur. Eadem metaphora utetur Propheta,
quum dicet, verbum ſimile eſſe libro clauſo: ſed infr. 29.
illic impiorum tantum mentionem facit: hic vero verſ. 11.
diſcipulorum, apud quos doctrina verbi infructuoſa non eſt. Objiciet quiſpiam, An igitur Propheta, prætermiſſo populo, debuit ſe ſubducere, & concludere cum diſcipulis, inter quos aliquis profectus erat? Reſpondeo, non eſſe hunc Prophetæ ſenſum: voluit enim Dominus Jeſaiam publice vociferari, & patefacere omnibus voluntatem ſuam. Sed quia ſurdis loquebatur, ideoque minus animi habere poterat, quod nullum operæpretium extaret: ideo Dominus ipſum animandum atque incitandum eſſe cenſuit, ut rebus etiam deploratiſſimis pergeret: diſcipuliſque ſuis, quantumvis paucis, contentus, fortior in dies magis magiſque evaderet.

17. *Itaque expectabo.*] Particulam ו malui vertere Itaque: quoniam Propheta ſeſe colligit, poſteaquam accepit à Domino quam nuper vidimus conſolationem: Quum Dominus velit diſcipulos habere apud quos obſignata ſit ejus doctrina, ego ipſum expectabo: quamvis abſconderit faciem ſuam à Jacob, id eſt, rejecerit ac reprobarit populum ſuum. Inſignis locus, cujus meditatione aſſidua nos plurimum animari decet. Tametſi enim univerſus orbis deficere videatur, tamen forti animo pergendum eſt. imo quamvis Deus à populo ſuo faciem abſconderit, & rejecti ſint ii qui nomen ejus profitebantur: ipſe tamen invicta ſpe expectandus eſt. hoc unicum nobis remedium relinquitur. Expectandi

verbum,

verbum, non parum habet ponderis: acſi diceret, Ego tamen non deflectam à Deo, perſtabo in fide. Auget etiam, quum addit, Præſtolabor. Nam quum ad ſcandala quælibet ſoleat vacillare ac labaſcere fides noſtra, hoc tamen graviſſime concutitur dum videmus nos ſociis deſtitui, & profeſſos eſſe hoſtes qui audacter nomen Eccleſiæ obtendunt. Solent enim ſcandala nos avertere à Deo. atque ita conturbare, ut veritatem verbi in dubium revocemus. Hæc igitur conſolatio valde neceſſaria eſt, ſive calamitatibus prematur Eccleſia, ſive perfidia multorum diſſipetur.

18. *Ecce ego.*] Hic non modo teſtatur Propheta, ſe patienter expectaturum, ſed etiam fortitudinis ſpecimen edit, prodiens in medium cum diſcipulis quos Deo acquiſierat, & qui reſidui manebant. Acſi diceret, Etiamſi alii recedant, ego tamen me tibi in obſequium offero, & ſimul adduco quos mea opera mirabiliter ſervare dignatus es. Profitetur ergo hic invictam animi magnitudinem, & teſtatur ſe permanſurum in fide & obſequio Domini, tametſi omnes defecerint. Pueri, pro ſervis & miniſtris accipitur, vulgari uſu linguæ Hebraicæ: quemadmodum etiam Latinæ. Loquitur autem de diſcipulis, quorum prius mentionem fecerat. unde apparet, quid requiratur ab iis qui inter veros Domini diſcipulos cenſeri volunt: nempe ut una cum Jeſaia ſe dociles & paratos ad audiendum fore teſtentur, & ſimulatque Dominus loquutus erit, promptum obſequium præſtent. Doctores autem ſecum diſcipulos adducere, non tantum præmittere debent. præire, inquam, debent ipſi, & ſuo exemplo commonſtrare viam, ut ſecundo cap. dictum eſt: (*cap. 2: 3.*) alioqui nullam in docendo auctoritatem habebunt. Apoſtolus ad Hebræos (*Hebr. 2. verſ. 13.*) hunc locum Chriſto accommodat, atque ex eo monitionem profert, quæ nobis inſtar acerrimi ſtimuli eſſe debet: ut nos non tantum Jeſaiam, ſed Chriſtum ipſum ducem & doctorem ſequi reputantes, eo alacrius properemus.

Quos dedit mihi.] Hinc oſtendit Propheta cui fidem acceptam ferri oporteat: Deo ſcilicet ac gratuitæ ejus electioni. Publice enim docebat Jeſaias, nullum non monebat, omnes ſine exceptione ad Deum invitans: ſed proficit ſolum doctrina apud eos qui à Deo dati ſunt. Datos autem intelligit, quos arcano ſui Spiritus inſtinctu intus trahebat Deus, quum fruſtra vulgi aures externæ vocis ſonitus verberaret: (*Joan. 17. verſ. 6.*) ſic & Chriſtus electos, ſibi à Patre datos affirmat. Ita videmus promptitudinem fidei non eſſe ab hominum arbitrio, ſed ideo credere ex multis quoſdam, (*Actor. 13. verſ. 48.*) quemadmodum inquit Lucas, quia præordinati erant. Quos autem præordinavit, eos etiam (*Rom. 8. verſ. 30.*) vocare ſolet: & efficaciter in iis obſignare teſtimonium adoptionis ſuæ, ut obſequentes ſe & morigeros præbeant. Talis igitur eſt donatio, de qua hic tractat Jeſaias. Hoc autem proprie Chriſto convenit, cui Pater diſcipulos offert atque donat: quemadmodum (*Joan. 6. verſ. 44.*) & apud Joannem dicitur, Nemo venit ad me, niſi Pater traxerit illum. Unde ſequitur, ipſum quoque præſidem nobis conſtitui, qui nos ad finem uſque ſub tutela ſua ſalvos præſtet. Quamobrem ait, (*Joan. 10. verſ. 20. & 17: 12.*) neminem ex iis, quos Pater dederit, periturum.

In ſigna & prodigia.] Quod nonnulli ad miracula referunt hunc locum, ineptum eſt. Nam aliud omnino ſignificat: nempe pios omnes non odio tantum, ſed horrori etiam ſic futuros ut pro monſtris habeantur: neque id exteris vel hoſtibus profeſſis, ſed ipſi Iſraëli. Quod nos etiam hodie quoque experimur. Papiſtæ enim nos magis quam Turcas, aut Judæos, aut etiam canes, aut monſtra exhorreſcunt. Quod etſi valde indignum eſt, non eſt tamen cur tantopere miremur: quia vaticinium hoc nunc quoque impleri neceſſe fuit. Idem à ſuis expertus eſt Jeſaias, cæterique omnes qui doctrinam ejus ſequuti ſunt. Nec vero ſolum id in Papiſtis deprehendimus, ſed in iis qui Eccleſiæ intimi haberi volunt: quorum plerique aut nos exhorrent, aut ſubſannant, aut denique pro monſtris habent: quod de Eccleſiæ ſalute, de honore Dei, de vita æterna tantopere ſolliciti, nos ipſos cruciemus: & tot pericula, odia, invidias, probra, exilia, inopiam, famem, nuditatem, mortem denique ipſam ſubire non dubitemus. Hæc ipſis prodigioſa ſunt: quia dum cutem ſuam diligenter curant, ſumma illa bona guſtare qui poſſent? Sed ne eorum ludibriis conturbemur, nos hac Prophetæ exhortatione armari neceſſe eſt. Porro ut oſtendat quam frivola ſit ac nugatoria impiæ turbæ conſpiratio, Deum exercituum opponens totius mundi ſuperbiæ, magnifice inſultat. acſi diceret, nihil ſe morari quod deteſtabilis ſit paſſim hominibus, quia Deum à parte ſua ſtare novit. Quod etiam addit, *ipſum habitare in monte Sion:* permultum his verbis ineſt ponderis. quamvis enim populus, omni ſcelerum & flagitiorum genere ſcateret, tamen ſe Deo ſacrum eſſe jactabat: & promiſſionibus abutens, veros Dei ſervos damnabat à quibus reprehendebatur. Contra Prophetæ, ut inanem hanc illis confidentiam faſtumque excuterent, profitebantur ſe veri & unici Dei eſſe miniſtros, quem falſo populus jactabat ſe colere in monte Sion. Neque enim domicilium illic ſibi elegerat Deus, quaſi loco affixus fictitios ac degeneres cultus reciperet: ſed volebat quæri & coli ſecundum verbi ſui regulam. Quare Deum qui habitat in monte Sion ſibi vendicans Jeſaias, hypocritas acriter perſtringit, quod fallaci jactantia ſtulte ſuperbiant, quoties dicunt Templum Domini. Idolum enim potius erat, quo extra verbum gloriabantur. Tametſi promiſſiones arripiebant, falſo tamen eas in veros Dei ſervos detorquebant, ſicuti hodie in nos Papiſtæ facere ſolent. Deum igitur hac nota inſigniunt Prophetæ, ut larvam detrahant hypocritis, quibus inane Templi nomen contra manifeſtum Dei (*Jerem. 7.*) verbum objicere ſolenne erat. (*verſ. 4.*) Qua ratione nunc Jeſaias, Pro monſtris nos habete ut libuerit, Deus tamen pro ſuis agnoſcit. nec poteſtis à nobis abhorrere, quin ſimul Deum Abrahæ & Davidis, cujus miniſtri ſumus, deteſtemini.

19. *Et quum dixerint.*] Perſequitur Jeſaias inſtitutum ſermonem, nempe ut Dei auctoritate pii omnes non tantum quaſi clypeo, ſed quaſi muro aheneo muniti, perſtent adverſus omnem impietatem. Admonet igitur ut fortiter reſiſtant, ſi quis eos ad ſuperſtitionem & nefarios ritus ſollicitet. Plurali autem numero utitur, ut vulgare omnium ordinum vitium fuiſſe ſignificet, quodque paſſim graſſabatur. acſi diceret, Video quid futurum ſit: magno in periculo verſabimini: quia tentabunt vos populares veſtri abducere à vero Deo. nam ut impii ſunt, ita vos ſui ſimiles eſſe optabunt. Interea quam ſceleſte à Dei lege & fœdere deſciverint, oſtendit, quod ſine verecundia pythones & divinos obtrudant, quorum execrabile debebat eſſe nomen.

An non populus.] Quidam uno contextu legunt in perſona impiorum, quaſi hoc prætextu abuterentur ad fallendos ſimplices: quia nulla Gens careat oraculis & revelationibus, ſed unaquæque conſulat deos ſuos, vel eorum loco magos & pythonicos ſpiritus. Rectius tamen, meo judicio, ſentiunt alii, quod reſponſum ſuis diſcipulis ſuggerat Jeſaias, ſi ad impios cultus ſollicitari contingat. nondum tamen de ſenſu liquet. Vulgo enim ſic exponitur hic locus, acſi à minore ad majus fieret in eo comparatio: Quid? quum Gentes conſulant deos ſuos, qui tamen falſi ſunt, an non pluris erit Deus, quem verum eſſe ſcimus, qui ſe nobis tot teſtimoniis patefecit? quantus pudor eſt, pluris à Gentibus fieri ſua idola, quam à nobis Deum! verum ego hoc de Judæis ipſis interpretor, qui Populus κατ' ἐξοχὴν vocantur, quod eſſent à Deo adoptati.

Nec

Nec intereſt quod Propheta plurali nomine utitur, אלהיו: nam & אלהים ſingulari ſenſu accipitur. Et hic clypeus eſt, quo omnes ſuperſtitiones, quæ nobis obrepunt, repelli debent. Dum cogitant alii & dubitant, an expediat conſulere divos: hoc ſtatim in promptu ſit, Unum Deum conſulendum eſſe. Al-
Deut. 18. v. 10, 11, 12, 15. luſit autem Propheta ad locum illum Deuteronomii: ubi Dominus vetuit ne ad magos & ariolos ſeſe conferrent. Et ne hoc prætextu ſe excuſarent, quod cuique Genti erant ſui aruſpices aut conjectores, ſubjunxit fore, ut Propheta ipſos non deficiat, nec deſtituantur neceſſaria doctrina. Eos igitur à verbo ſuo Dominus omnino pendere, & ex ipſo ſolo diſcere quicquid cognitu utile foret, ipſique obſequentes eſſe voluit. Quod autem ſequitur, *A vivis ad mortuos*, ſecus alii reddunt. בעד, vulgo interpretantur Pro. & tunc ſenſus talis eſt, An pro vivorum negotiis conſulentur mortui? Atqui quum ſenſus ille coactus ſit, aptius forte eſſet ita exponere: Dominus vult nobis magiſter eſſe, atque in eum finem conſtituit Prophetas, ut ex ipſis voluntatem ejus ſciamus: Propheta enim os Domini eſt. nefas igitur eſt mortuos adire, qui ad id minime ordinati ſunt. nec enim Dominus voluit ad nos docendos uti opera mortuorum. Sed quum propius omnia expendo, malo accipere בעד, pro Ab: nempe, A vivis ad mortuos. acſi diceret, Deum nobis unum ſufficere pro vivis & mortuis. Si cælum, terram & inferos perluſtres, reperies unum Deum nobis ſufficere. Atque hic optimus mihi videtur ſenſus, & ſua ſponte fluit. Pios igitur inſtruit Propheta adverſus machinationes & inſidias impiorum, quibus alioqui ad defectionem induci poſſent, ut Deo unico magiſtro contenti ſint: nec tantum illi injuriæ faciant, ut poſthabita ejus doctrina, alios ſibi magiſtros accerſant: ſed omnibus valere juſſis, pendeant à ſola ipſius veritate: quod continuo poſt iterum repetit & confirmat.

20. *Ad legem & teſtimonium.*] Varie quidem exponitur hic locus. Nonnulli enim hic jurisjurandi formam eſſe putant, acſi Propheta per Legem juraret ipſos eſſe apoſtatas, atque alios ad ſimilem apoſtaſiam incitaturos. Sed ego aliter accipio, Nos ſcilicet ad Legem & teſtimonium revocari. Nam & particula ל hunc ſenſum aperte indicat. Conjungitur autem teſtimonium cum Lege, non quaſi res diverſa ſit, ſed cauſa explicationis: ad Legem, quæ continet teſtimonium, ſeu teſtificationem divinæ erga nos voluntatis. Denique accipiendum eſt Teſtimonii nomen, epitheti loco, ut ſciamus quem uſum nobis Lex afferat, quod ſcilicet Deus ſeſe nobis in ea patefaciat, & declaret qualis erga nos eſſe velit: quid à nobis requirat, denique omnia cognitu neceſſaria præſcribat. Præclarum igitur eſt Legis encomium, quum doctrinam ſalutis, & bene beateque vivendi normam contineat. Unde & merito vetat nos ab ea vel minimum deflectere: acſi diceret, Relinquite omnes ſuperſtitiones in quibus iſti inſaniunt: nam Deo ſolo minime contenti, accerſunt ſibi innumera
Luc. 16. vers. 29. figmenta. Hoc etiam modo loquitur Chriſtus, Habent Moſen & Prophetas, ipſos audiant. Nam etſi introducitur illic Abraham loquens, tamen oraculum perpetuum eſt, quod ore Dei profertur. Jubemur ergo audire Legem & Prophetas, ne laboremus nova curioſitate, nec quicquam ex mortuis ſcire cupiamus. Etenim ſi Lex & Prophetæ non ſufficerent, Dominus alia adjumenta non denegaret. Hinc agnoſcimus omnia quæ verbo adduntur, damnanda & rejicienda eſſe. Dominus enim nos omnino à verbo ſuo pendere, ejuſque cancellis incluſam eſſe intelligentiam noſtram voluit. Quare ſi aliis præbemus aures, cum magna ejus injuria licentiam ab eo negatam arripimus. Quicquid autem ex ſeipſis proferent homines, nihil aliud erit quam corruptela verbi. Neceſſe eſt igitur, ſi volumus parere Deo, omnes alios magiſtros rejicere. Admonet etiam, nos tunc demum adverſus impios cultus & ſuperſtitiones tutos fore, ſi in Lege Domini acquieſcamus. nam quem-
admodum Paulus vocat verbum Dei, Gladium Epheſ. 6.
Spiritus: ita eo Satan, omniaque ejus commenta verſ. 17.
profligantur. Ad ipſum igitur confugiendum erit, quoties nos adorientur hoſtes: ut eo inſtructi, ſtrenue confligere, & tandem ipſos profligare poſſimus.

Si non dixerint.] Non refero omnes hujus loci expoſitiones: quia nimis longum foret. deinde vera expoſitio videtur mihi adeo firma, ut per ſe alias nullo negotio refutet. Vulgo ſic exponunt, impios de ſuis figmentis nugari, & ſuas fallacias venditare: quia nihil eſt in iis lucis, id eſt, carent intelligentia communi. Ego vero hac ratione animari ad conſtantiam fideles interpretor: quia ſi diſſentiant impii à recta doctrina, nihil aliud quam cæcitatem ſuam & tenebras prodent. Spernenda enim eorum veſania eſt, ne quid obſtaculi nobis afferat. quemadmodum & Chriſtus admonet, tales ſecure omittendos eſſe, ne quid nos moveat eorum cæcitas vel obſtinatio:
Cæci ſunt, inquit, & cæcorum duces: an vero vos Mat. 15.
cum ipſis ultro perire vultis? Itaque jubet Propheta verſ. 14.
tantum verbo tribui auctoritatis, ut audeamus totum mundum, ſi repugnet, ſecure contemnere. nam & Angelos ipſos, ſi idem iis accideret, auctoritate
verbi condemnare poſſemus. Si Angelus è cælo Galat. 1.
aliud prædicaverit, inquit Paulus, anathema ſit. verſ. 8, 9.
quanto ergo magis homines Deo adverſantes, intrepide damnabimus? Et emphatica eſt loquutio, Si non dixerint juxta verbum hoc: quia cæcitatis damnatur quiſquis non extemplo & ſine controverſia ſententiam hanc amplectitur, Non eſſe ſapiendum niſi ex Lege Dei.

21. *Et tranſibit.*] Ne ſe publicis erroribus illaqueari ſinant fideles, ſubjicit quam horribilis pœna maneat impios ubi à Deo defecerint, ſtuduerintque alios ad eandem defectionem adducere. Locus eſt aliquantum obſcurus: obſcuritas vero ex eo manat, quod verba ipſa non ſatis expenſa fuerunt. Eſt enim emphaſis in verbo עבר. nam per tranſitum ſignificat errorem, quo vagantur homines, quibus non datur quieſcere, nec fixam uſquam ſedem habere. atque ſubaudiendum eſt in verbo indefinito nomen, Tranſibunt Judæi. Per pronomen *in ea*, Judæam intelligit, quam Dominus omnibus aliis regionibus prætulerat: ideoque facile ſubauditur, etiamſi Pro-
pheta non exprimat. acſi diceret, Promiſi quidem Geneſ. 13.
regionem illam populi mei hæreditatem perpetuam verſ. 15.
fore: ſed vagi & inquieti erunt: quemadmodum ac- & 17: 8.
cidit iis qui ſedibus expulſi, fameque & peſte, & omni calamitatum genere afflicti, ſedem aliquam ubique & conditionem meliorem quærunt, nuſquam tamen reperiunt. Itaque opponuntur hæc dicta inſigni beneficio Dei, quod toties à Moſe commemoratur: fore ſcilicet, ut ſtatum ſit illis domicilium in Judæa. nam hic palantes atque errabundos fore denunciat, non in ſua, ſed in extera regione: ut quocunque venerint, infinitæ ipſos ærumnæ invadant atque exagitent.

Quum eſurierint.] Videtur Propheta ſubindicare Judæorum converſionem: acſi diceret, Tandem oppreſſi malis reſipiſcent. Et certe hæc eſt medicina, qua Dominus plerumque curat morbum obſtinationis. Si quis tamen, impiorum indignationem & fremitum ſine pœnitentia deſcribi putet verbo Eſuriendi, non tantum famem & ſitim, ſed alias quoque ærumnas συνεκδοχικῶς comprehendit. verbo Irritandi ſignificat quod vulgo dicimus, *Ils ſe deſpiteront.* Incipient ſibi diſplicere, & deteſtari omnia præſidia, quibus antea confidebant. atque hoc reſipiſcentiæ initium eſt. nobis enim blandimur in felici ſtatu: oppreſſi vero, omnia quæ circa nos ſunt, deteſtamur. Cæterum ſi quis referre malit ad reprobos, hoc verbo notatur amaruſentia quæ adeo ipſos non humiliat, ut potius acuat furorem.

Maledicent regi.] Per Regem, nonnulli Deum intelligunt. quo ſenſu Zophonias, *Melchom*, id eſt, Regem eorum accepit. Ego vero hic Regem & Deum diſtincte accipio. Impii enim excæcati primum ſunt falſa idolorum fiducia: deinde conſtituunt ſibi præſidium in rebus terrenis. Quum Judæis Rex eſſet, ejus gloria & potentia ſuperbiebant. & quum Jeſaias concionaretur, impii Regem adverſus ipſum inſtigabant: totum etiam populum commovebant, ut Regem velut anteſignanum ſequeretur. Quia igitur partim idolis, partim Rege male gloriati fuerant, tot cladibus affligendos eſſe denunciat, ut cogantur & deos ſuos & Regem deteſtari. Atque hoc reſipiſcendi principium eſt, ut cum deteſtatione procul abigamus omnia impedimenta quæ nos à Deo abducebant.

Soph. 1:5.

Surſum aſpiciet.] Trepidam mentis agitationem deſcribit, qua vexantur miſeri homines donec ſurſum conſtanter intendere didicerint. Eſt quidem hic, ut paulo ante attigi, aliquis profectus, quum ærumnis & caſtigationibus edocti, abjecta ſocordia quærendis remediis impendimus operam. Sed ultra progrediendum eſt, ut ſcilicet defixi in uno Deo non circumſpectemus in varias partes, neque inſtabiles volutemur. Quicquid ſit, extrema quæque Judæis minatur Jeſaias: quia magis erant præfracti, quam ut levi & moderata ferula Deus eorum pervicaciam ſubigeret. Poſſet tamen exponi in bonam partem, quod Judæi in cælum tandem attollent oculos: ſed tunc ſeorſum legendus eſſet 22. verſus qui ſequitur, Quum ſpectaverit ad terram: ac tunc ſenſus eſſet, Judæos ad Deum converſum iri, quoniam in terra præſidiis omnibus deſtituentur: nec quicquam præter horrendas calamitates, quocunque oculos flexerint, ſeſe oſtendet. Sunt autem hic alia translata, alia ſimplicia. nam per Caliginem & Tenebras, nihil aliud quam res adverſas, more Scripturæ, ſignificat. Sed addit Impulſum, quo calamitas mirum in modum amplificatur. nam ſi is qui in tenebris eſt impellatur, longe gravius offendit. Ita gravi ærumnæ aliam etiam graviorem additum iri ſignificat, quo magis præcipitentur. nihil aliud enim intelligit, quam judicia Domini tam horrenda fore, & pœnas tam acerbas, ut etiam inviti in cælum cogantur ſuſpicere.

Cap. IX.

NOn tamen obſcuratio juxta anguſtiam quæ ei accidit tempore quo primum
leviter attigerunt terram Zabulon & terram Nephtali: nec poſterius, quum
aggravarunt per viam maris ultra Jordanem, in Galilæa Gentium.
2. Populus ambulans in tenebris, vidit lucem magnam. Qui habitabant in
terra umbræ mortis, lux affulſit ſuper eos.
3. Multiplicando gentem non auxiſti lætitiam: lætati ſunt coram te ſecundum læti-
tiam in meſſe, quemadmodum exultant dividendo ſpolia.
4. Quoniam jugum ejus oneroſum, & virgam humeri ejus, ſceptrum exactoris ejus
confregiſti, ſicut in die Madian.
5. Quanquam omne prælium bellantis fit cum ſtrepitu & volutatione veſtis in ſan-
guine: erit hoc in combuſtionem, cibum ignis.
6. Quia puer natus eſt nobis: filius datus eſt nobis: & conſtitutus eſt principatus ſuper
humerum ejus: & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater
ſeculi, Princeps pacis.
7. Multiplicationi principatus & paci non erit finis: ſuper ſolium David, & ſuper
regnum ejus, ut diſponat & ſtabiliat ipſum in judicio & juſtitia, ab hoc tempore uſque in
perpetuum. Zelus Jehovæ exercituum hanc rem faciet.
8. Verbum miſit Dominus in Jacob, & cecidit in Iſraël.
9. Et ſciet populus, omnes Ephraim, & incola Samariæ, qui dicunt in ſuperbia & alti-
tudine cordis:
10. Lateres ceciderunt, & politis ædificabimus: ſycomori ſucciſæ ſunt, & cedros ſuffi-
ciemus.
11. Atqui roborabit Jehova hoſtes Rezin contra ipſum: & inimicos ejus coadunabit.
12. Syria à fronte, & Philiſtæi à tergo: devorabuntque Iſraël toto ore. Nec in hoc toto
averſus erit furor ejus, ſed manus ejus adhuc extenta.
* vel, quoniam. 13. * Atqui populus non eſt reverſus ad percuſſorem ſuum: nec Jehovam exercituum
quæſierunt.
14. Abſcindet ergo Jehova ab Iſraële caput & caudam, ramum & arundinem die uno.
15. Senex & vultu ſuſpiciendus, hic eſt caput: Propheta autem qui docet mendacium,
hic eſt cauda.
16. Nam gubernatores populi hujus, ſunt ſeductores: & qui reguntur in eo, perditi.
17. Propterea ſuper adoleſcentibus ejus non gaudebit Dominus: & pupillorum ejus &
viduarum non miſerebitur. Quoniam omnes ſunt hypocritæ & ſcelerati, & omne os lo-
quitur nequitiam. In hoc toto non erit averſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta.
18. Quoniam ſuccenſa eſt velut ignis, impietas: vepres & ſpinas devorabit. Poſtea ex-
ardebit in condenſa ſylvæ: & elevabitur fumus aſcendentis.
19. Præ ira Jehovæ exercituum obſcurabitur terra, & fiet populus quaſi cibus ignis.
Nemo fratri ſuo parcet.
20. Rapiet quiſque ad dexteram, & eſuriet: comedet ad ſiniſtram, & non ſaturabitur:
quiſque carnem brachii ſui devorabit:
21. Menaſſe Ephraim, & Ephraim Menaſſe: pariter ipſi contra Judam. Nec in hoc
toto averſus erit furor ejus, ſed manus ejus adhuc extenta.

Non

NOn tamen.] Incipit ſpe mitigationis ſolari miſeros, ne ingenti malorum congerie abſorbeantur. Multi in contrariam prorſus ſententiam verba hæc trahunt: nempe ut ſit comminatio, quæ graviorem Judæis afflictionem 2 Reg. 15. verſ. 29. denunciat, quam quum à Teglath Pelezer, aut à Salmanazare afflicti ſunt. Prior gravem cladem in- 2 Reg. 17. verſ. 6. tulit, poſterior longe graviorem. quia decem tribus in captivitatem abduxit, & delevit populi nomen. Graviſſimam igitur omnium cladem hic nonnulli prædici putant: quia ſi cum utraque illarum conferatur, ambas ſuperet. Etſi autem hoc rejicere propoſitum non eſt, quia probabili colore non caret, tamen in diverſam ſententiam potius inclino: etſi magis arrideat prior ille ſenſus. Propheta hypocritis delicias excutere voluit, ne putarent cladem hanc quæ exitialis futura erat, inſtar procellæ mox tranſituram ſicut priores. ita particula כי proprie ſumetur. Sed meo judicio optime convenit, conſolationem eſſe, in qua incipit temperare quæ de horrendis illis tenebris & impulſu dixerat: ac pœnarum illarum acerbitatem mitigans, ad ſperandam Dei gratiam erigit. acſi diceret, Et tamen in atroci illa clade, quam ſuſtinebunt Judæi, non erunt tales tenebræ, quales quum terra Iſraël primum à Teglath Pelezer, deinde aliquanto durius à Salmanazare afflicta eſt. Poterant enim alioqui fideles in tantis anguſtiis deficere, niſi conſolatione aliqua eorum animi erecti fuiſſent. ad eos igitur ſermonem convertit Jeſaias, ne ſe periiſſe exiſtiment. Plagas enim quibus plectentur, prioribus leniores fore ſignificat. atque hæc interpretatio quam genuina ſit, paulo poſt ex contextu facile liquebit. Cur vero Propheta hanc cladem quæ longe atrocior erat, mitiorem & tolerabilem fore dicit? nam evertenda erat Jeroſolyma, diruendum Templum, abolenda ſacrificia, quæ ſuperioribus cladibus illæſa permanſerant. Hæc igitur omnium ſæviſſima; & priores, ejus reſpectu, leves videri poſſent. Sed notandum eſt, huic certam promiſſionem additam eſſe, quum in prioribus nulla eſſet. Hac autem ſola & vinci tentationes, & plagæ leviores reddi poſſunt. hoc ſolo, inquam, condimento mala noſtra leniuntur: qui eo deſtituti ſunt, omnes deſperare neceſſe eſt. quod ſi Dominus nos eo confirmet, auxilii ſpem afferens, nullum eſt tam grave malum, quod non leve exiſtimemus. Hoc ſimilitudine facilius reddi poteſt: Accidet ut quis in rivulo exiguo ſubmergatur, ſi præceps in eum deciderit, quum tamen è medio mari, tabulam aliquam nactus, evadere & in portum deferri poſſet. Ita etiam leviſſimæ clades nos obruent, in quibus Dei gratia deſtituemur: quum è ſumma clade, freti Dei verbo, eripi & incolumes evadere poſſemus. Quod ad verba ſpectat, quidam vocem מועף adjective ſumunt, quaſi diceret Propheta, Non obſcurabitur: ſed relativum fœminini generis quod paulo poſt ſequitur, non patitur ad viros hoc referri. Rectius ergo alii nomen ſubſtantivum eſſe docent: ideo ad verbum reddere placuit, Non erit Judææ obſcuratio, ſecundum anguſtiam temporis, &c. Quod verbum הקל quidam exponunt quaſi populo in exilium abducto exonerata eſſet terra, penitus alienum eſt à ſenſu Prophetæ, nec quadrat contextui: quia ſequitur mox regionem maritimam ſecunda clade fuiſſe aggravatam. Porro non dubium eſt quin verbum hoc הכביד ſuperiori reſpondeat. Quia ergo Teglath Pelezer nonniſi partem exiguam regni afflixerat, clades per eum illata levis dicitur ſecundæ reſpectu, quam inflixit Salmanazar. Viæ maris fit mentio, quia Galilæa littori maris Mediterranei vicina erat: ab altera autem parte cincta tractu Jordanis. Vocatur autem Galilæa Gentium, non tantum quod propinqua eſſet Tyro & Sidoni, ſed etiam quod illic permultæ 1 Reg. 9. verſ. 11. Gentes Judæis commixtæ erant: quia ex quo regio illa à Solomone regi Hiram conceſſa fuerat, nunquam ſic potuit pacari, quin partem ejus aliquam occuparent Gentes.

2. *Populus ambulans in tenebris.*] De rebus futuris loquitur in tempore præterito, ut populo quaſi in rem præſentem adducto liceat in excidio urbis, in captivitate ſua, & quaſi rerum omnium interitu, lucem Dei conſpicere. Summa igitur eſt: in ipſis tenebris, imo in morte ipſa, bene nihilominus eſſe ſperandum: Deo enim ſatis virtutis ſuppetere, ut populo ſuo, poſtquam interiiſſe videbitur, vitam reſtituat. Matthæus hunc locum citans, videtur Matth. 4. ipſum in alienum ſenſum torquere. ait enim imple- v. 15, 16. tum eſſe hoc vaticinium, quum Chriſtus circa oram maritimam concionaretur. Verum ſi recte expendimus ſimilitudinem, Matthæus recte & vero ſenſu hunc locum Chriſto accommodavit: tametſi vulgo interpretes noſtri non ſatis exacte ipſum enucleare videntur. Nam quum ſimpliciter ad regnum Chriſti pertinere dicunt, rationem non exprimunt: nec declarant quomodo huic loco id conveniat. Si igitur genuinum hujus loci ſenſum aſſequi velimus, repetendum memoria quod jam alibi dictum eſt, Prophetam, quum de educendo è Babylone populo loquitur, non unam ſolam ætatem ſpectare, ſed & reliquas complecti, uſque dum advenit Chriſtus, pleniſſimamque populo ſuo libertatem attulit. Nam redemptio Babylonica, veluti præludium fuit inſtaurandæ Eccleſiæ, non ut paucis quibuſdam annis extaret, ſed tantiſper dum prodiret Meſſias: qui veram ſalutem, non corporibus tantum, ſed animis quoque ipſis afferret. quem morem Jeſaiæ uſitatum eſſe comperiemus, quum in ejus lectione paulum modo fuerimus progreſſi. Itaque Propheta de captivitate Babylonica loquutus, quæ calamitatem graviſſimam portendebat, eam leviorem fore demonſtrat ea clade quam prius ſuſtinuerat Iſraël: quoniam Dominus Jere. 25. huic cladi modum & finem ſtatuerat, videlicet ſep- v. 11, 12. tuaginta annorum: quibus exactis lux Domini ipſis & 29. affulſura erat. Hac ergo fiducia liberationis animos verſ. 10. metu proſtratos erigit, ne ultra modum affligerentur: atque ita Judæos diſtinxit ab Iſraëlitis, quibus tam propinquæ inſtaurationis ſpes non erat propoſita. Etſi enim guſtum aliquem miſericordiæ dederant Prophetæ electis reliquiis, quia tamen redemptio Iſraëlis erat quaſi acceſſio redemptionis Juda, & inde pendebat, merito nunc Propheta noſter novam lucem oblatam eſſe prædicat, quia Deo ſtatutum eſt populum ſuum redimere. Apte etiam & ſcite Matthæus hujus lucis radios ad Galilæam & terram Zebulon extendit.

Comparat hic exilium Babylonicum tenebris & morti; nam qui eo detinebantur, miſeri & calamitoſi mortuiſque omnino ſimiles erant: quemadmodum etiam ab Ezechiele vox eorum refertur: ſcili- Eze. 37. cet, Exurgent mortui è ſepulchris. Talis igitur erat verſ. 12. eorum conditio, acſi nullus fulgor, nullave lucis ſcintilla ipſis affulgeret. Id tamen impedimento minime futurum oſtendit, quominus etiam luce fruantur, & priſtinum libertatis ſtatum recuperent. Libertatem vero illam non ad exiguum aliquod tempus, ſed ad Chriſtum uſque extendit, ut jam dictum eſt. Atque ita Apoſtoli, Prophetarum teſtimonia Rom. 9. uſurpare, verumque eorum finem & uſum demon- v. 25, 26. ſtrare ſolent. Quemadmodum Paulus citat teſtimo- Oſe. 1: 10. nium illud Oſeæ, Vocabo populum meum, eum & 2: 23. qui non erat populus: idque Gentium vocationi accommodat, tametſi proprie dictum ſit Judæis: & impleri oſtendit, quum Dominus Gentes in Eccleſiam cooptaret. Ita quum populus in illo exilio veluti ſepultus eſſet, nihil differebat à Gentibus. quum igitur in eadem utrique eſſent conditione, non ſolum ad Judæos, ſed ad Gentes quoque teſtimonium hoc pertinere conſentaneum eſt. Nec vero ad externam ſolum miſeriam, ſed æternæ mortis caliginem, in qua demerſæ ſunt animæ donec ad ſpiritualem lu-

cem emergunt, referri debet. nam certe obruti in tenebris jacemus, donec Chriſtus nobis per doctrinam verbi affulgeat. Unde etiam Paulus admonet: *Ephes. 5. verſ. 14.* Surge qui dormis, & excitare à mortuis: & illuminabit te Chriſtus. Itaque ſi initium liberationis ab exitu è Babylone ad Chriſti uſque adventum, ex quo omnis libertas omniſque beneficiorum largitio pendet, protendamus, verum hujus loci ſenſum erimus aſſequuti, qui non ſatis alioqui ab interpretibus explicatus eſt.

3. *Multiplicaſti.*] Hic locus aliquantum obſcurus eſt, tum per ſe, tum propter varietatem interpretationum. videtur enim abſurde negari magnificatam eſſe lætitiam: quum ſtatim deinde ſubjiciat, Lætati ſunt. Propterea Judæi particulam לא non accipiunt negative, ſed perinde acſi eſſet ו pro א. nam & aliquando ſic accipitur in Scripturis, quanquam raro: *Exod. 21. verſ. 8.* id autem faciunt, quod hæc Prophetæ dicta non poſſint arbitrio ſuo contexere. Nonnulli vero hæc referunt ad Sennacherib, *2 Reg. 19. verſ. 35.* quod quum ingens ei eſſet exercitus, non gaudii materiam, ſed mœroris potius ipſi attulit. Alii vero de Eccleſia exponunt, & merito: ſed in ratione aberrant. quoniam hoc dictum putant à Propheta, quod multis & variis ærumnis obnoxii ſint fideles, quamdiu vitam degunt. Alii longius trahunt, quod converſio Gentium qua augebitur Eccleſia, Judæis & veteri Synagogæ non afferet lætitiam. ſed ego nullam earum interpretationum probare poſſum. Itaque ſic interpretor: quemadmodum initio capitis Propheta hoc redemptionis beneficium reliquis omnibus majus fore præfatus eſt, tametſi non adeo magnificiendum videretur, propter eorum paucitatem, qui redempti ſunt: ita nunc eandem comparationem repeti, vel non longe diverſam: quod ſcilicet illuſtrior futura ſit hæc Dei gratia, quam dum olim populum ſuum multiplicaverat. Hoc in ſpeciem minime conſentaneum videri poterat. Si quis enim comparet ſtatum regni Judaici ante captivitatem Babylonicam, cum eo qui reditum ſequutus eſt, tunc certe quum adhuc intacta maneret in ſua hæreditate, magis floruiſſe videbitur. Tenues enim reliquiæ pre illa multitudine quæ abducta fuerat, reverſæ ſunt. Adde, quod neque gratis in ſuo habitabant, ſed veluti precario: & pendendum erat Perſis vectigal, neque ullam fere priſtinæ dignitatis ſpeciem retinebant. Quis igitur ſplendidum illud regnum, quod in familia Davidis fuerat, huic ſtatui non prætuliſſet? Attamen Propheta poſteriorem hunc ſtatum, licet multo inferior, imo miſerior videatur, florenti illi & magnifico præferendum eſſe cenſet: & majorem in eo docet lætitiam fore, quam quum omni opum & facultatum genere abundaret. Quod etiam teſtatus eſt Aggæus: *Agg. 2. v. 3. 10.* majorem poſterioris templi gloriam fore, quam prioris, quamvis in ſpecie longe aliter videri poſſet. Perinde igitur eſt acſi diceret Jeſaias, non fuiſſe antea majorem lætitiam, tametſi major eſſet populi multitudo: quamvis pauci numero ſimus & puſilli, tu tamen ea luce qua effulges, nos ita exhilaraſti, ut nullum prioris ſtatus gaudium cum iſto comparari queat. Nam ea redemptio veluti præludium ejus erat, quæ in Chriſto demum exhibita eſt ſolidæ perfectæque ſalutis.

Coram te.] Verum & ſolidum gaudium, non leve aut temporarium fore ſignificat. Sæpe enim lætantur homines, ſed fallaci & evanido gaudio, quod luctus & lachrymæ ſubſequuntur. Hujus vero gaudii radices altius fixas fore aſſerit, quam ut unquam concidat aut labefactetur. Huc quoque ſpectat particula Coram te, quia nihil aliud pios exhilerat quam dum illis lucet ſerena Dei facies. Neque enim ſicuti profani homines cæca & vaga lætitia huc illuc raptantur, ſed hæc illis unica eſt pleni gaudii materia, *Levit. 23. verſ. 40.* acquieſcere in paterno Dei favore. Ex forte alludere *Deut. 12. verſ. 18.* voluit Propheta ad ſententiam illam quæ frequenter occurrit apud Moſen: Lætaberis coram Domino Deo tuo. Nam etſi illic Tabernaculi ſit mentio, appoſite tamen ad præſentem cauſam transfertur loquutio, non fore profanum fidelis populi gaudium, ſed quia Deum agnoſcat, & fidei oculis intueatur ſalutis auctorem. Alii ſubtilius exponunt: lætari intus coram fideles in ſuis conſcientiis, quia in mundo aſſidui mœrores & gemitus eos manent. Hoc etſi verum eſt, ſimplicior tamen ſenſus colligitur ex circumſtantia loci, vero ſcilicet gaudio fruituros qui divinitus redempti erunt fideles: quia claro experimento edocti erunt, eum ſibi eſſe patrem, ut ſecure gloriari audeant, ſub ejus manu ſe perpetuo fore ſalvos. notatur ergo, ut nuper dixi, perpetuitas. Similitudines quas ſubjicit, Meſſis & Victoriæ, quibus lætitiæ magnitudinem exaggerat, ſatis apertæ ſunt. Cæterum, hinc apparet quid nobis afferat Chriſtus: nempe ſolidum & integrum gaudium, quod nobis excuti vel eripi *Joan. 16. verſ. 20.* nullo modo poteſt, etiamſi procellæ & tempeſtates variæ inſurgant, & omnis generis anguſtiis premamur. Quamvis puſilli & tenues ſimus, nihilominus hilari & læto animo eſſe decet: quia ratio gaudii noſtri non eſt in numero, aut opibus, aut externo ſplendore; ſed in beatitudine ſpirituali, quam nos per Chriſti verbum conſequimur, poſita eſt.

4. *Quia jugum.*] Cauſam gaudii aſſignat, quia ex dira & crudeli tyrannide erepti fideles, quaſi ſe à morte erutos ſentient. Nam illuſtrandæ gratiæ Dei cauſa, quam iniqua & oneroſa fuerit ſervitus qua gravati & afflicti fuerant Judæi, in memoriam revocat: atque huc ſpectat verborum congeries, Jugum oneris, virga humeri, virga opprimentis vel exactoris. Nam quamvis ad præſentem malorum ſenſum nimium teneri ſimus ac molles, ſimulac ſumus elapſi, facile obrepit oblivio. Ergo ne vileſcat populo redempto Dei gratia, reputare jubet Propheta quam acerba & luctuoſa fuerit ſervitus, quum ſub gravi jugo velut curvi gemebant: quum baculus affixus erat eorum humeris, & tyrannico imperio premebantur, hinc lætior & jucundior illis redemptio merito eſſe debuit. Commendat rurſus alia circumſtantia gratiæ hujus præſtantiam, quod Deus aperte manum ſuam exeruerit è cælo. Ideo profert vetus exemplum & memorabile: quia enim Deus jam olim Madianitas ſine hominum manu miro & in- *Judic. 7. verſ. 21.* credibili modo profligaverat, ita nunc ſimile potentiæ ſpecimen fore conſpicuum, Deum ſcilicet ſine alio ſubſidio populum ſuum à crudeli tyrannide eximere, quo tempore nemo ex miſeris Judæis digitum tollere audebit. Notandum autem eſt Deum ſic interdum opitulari ſuis, ut ordinariis mediis utatur; ſed dum hoc videt obſtare hominibus, ne manum ejus quaſi velatam conſpiciant, interdum per ſe & apertis miraculis operari, ne quid virtutis ſute conſpectum impediat vel obſcuret. Sic in hac Gedeonis victoria, ubi ſine ulla hominum opera deleti ſunt hoſtes, palam apparuit Dei brachium. Quid *Judic. 7. verſ. 16. 19. 21.* enim habebat Gedeon præter ſtrepitum lagenarum, quo vix mures abigi potuiſſent? & exigua erat hominum manus contra ingentem exercitum, pro armis inane terriculamentum. Itaque huic redemptioni, populi futuram comparat, in qua non minus nuda & illuſtris manus Dei palam refulgebit. Nonnulli hunc locum ſimpliciter exponunt de Lege: quæ non abs re jugum oneroſum dici poſſet, ac baculus humeris incumbens: ſed non convenit ea interpretatio: quoniam Propheta videretur ex abrupto loqui, & violenter hic locus torqueretur. Illa igitur moderatio, quam prius attigi, tenenda eſt: nempe, Deum ubi populum ſuum è Babylone eduxit, illud redemptionis beneficium uſque ad Chriſtum proſequutum eſſe. Senſus itaque eſt, Fregiſti illa onera, quibus injuſte & crudeliter populus tuus premebatur. Alii trahunt ad excidium Jeroſolymæ ſub Veſpaſiano: ſed nihil habent rationis. Judæi fere omnes ad Ezechiam referunt, quum ſic Dominus

2 Reg. 19. verſ. 35. infr. 37. verſ. 36. nus urbem liberavit ab obſidione Sennacherib, ejuſque exercitum delevit. Sed expoſitio illa quadrare non poſſet: quoniam Ezechias tyrannice Judæis non imperabat. Præterea, tunc Dominus populum è metu ac periculo, non è ſervitute eripuit. unde apparet longius hoc vaticinium ſpectaſſe, veramque & conſentaneam eſſe huic loco interpretationem quam attulimus.

5. *Quoniam omne prælium.*] Hic fere conveniunt interpretes, Jeſaiam voluiſſe opponere victoriam, quam Deus daturus erat populo, aliis victoriis. Alii enim vincunt edita hoſtium ſtrage: hic vero Dominus ſola ſua manu vincet. Nam plenius exprimit quod dixerat, Sicut in die Madian. Dominus ergo, inquit, multorum opera non utetur: ſed è cælo ſibi victoriam pariet. Ubi vero Dominus per ſe agit, eum clarius vitæ & ſalutis noſtræ auctorem eſſe, ſublatis omnibus integumentis, agnoſcimus. Quum autem ſit antitheſis, qua notatur diſſimilitudo inter communem bellandi rationem & miraculum redemptionis, copula ו, in medio verſu debet in adverſativam particulam reſolvi: acſi diceret, communiter tumultuoſa pugna hoſtes proſterni, ſed Deum longe aliter acturum: quia velut igne cælitus demiſſo, & contortis repente fulminibus hoſtes Eccleſiæ delebit. Niſi forte magis placeat eorum ſententia, qui uno contextu exponunt, cunctos præliantes fore in tremore, & in combuſtionem ignis. Sed prior ſenſus melius quadrat, & verba etiam Prophetæ ſuffragantur. hinc vero conſtat non ſolum hic tractari de liberatione quam populus à Cyro conſequutus eſt ut in patriam rediret, ſed ad Chriſti regnum hæc extendi oportere.

6. *Quoniam puer.*] Nunc à fine demonſtrat Jeſaias quomodo hæc liberatio debeat reliquis Dei beneficiis anteponi, quia ſcilicet non modo populum ab exilio reducet Deus, ſed Chriſtum in regia ſua ſede collocabit, ſub quo ſumma & æterna conſtet felicitas. Ita admonet non temporalem fore Dei gratiam, dum complectitur totum medium tempus, quo conſervata fuit Eccleſia uſque ad Chriſti adventum. Nec mirum eſt ſi mox à reditu veteris populi tranſitum faciat Propheta ad plenam Eccleſiæ inſtaurationem, quæ multis poſtea ſeculis contigit: ſupr. 7. diximus enim ſupra cap. 7. quia non aliter quam verſ. 14. per Mediatorem nobis propitius eſt Deus, omnes 2 Cor. 1. promiſſiones in ipſo fundatas eſſe: ideoque morem verſ. 20. tritum eſſe Prophetis, quoties bona ſpe erigere volunt fidelium animos, hoc pignus vel hanc arrham ſtatuere in medio. Huc accedit, quod reditus ab exilio Babylonico initium fuit renovationis Eccleſiæ, quæ Chriſto demum exhibito impleta eſt: unde in continua ſerie nihil eſt abſurdi. Quamobrem recte docet Jeſaias, non eſſe hærendum in præſenti beneficio, ſed finem ſpectandum, eoque referenda eſſe omnia. Hæc ſumma eſt felicitas, vos è morte ereptos eſſe, non tantum ut vivatis in terra Canaan, ſed perveniatis ad regnum Dei. Hinc monemur non eſſe devoranda beneficia, quæ à Deo percipimus, ut ſtatim pereat eorum memoria: ſed mentes ad Chriſtum erigendas eſſe: alioqui & levis fructus, & gaudium inane erit: quia ad guſtandam paterni amoris dulcedinem nos non deducent, niſi in mentem nobis veniat gratuita Dei electio, quæ in Chriſto ſancitur. denique non vult Propheta populum hunc detineri in gaudio externæ & caducæ libertatis quam aſſequutus eſt, ſed intendere in finem: nempe, in conſervationem Eccleſiæ: donec Chriſtus redemptor unicus omnium appareat. Is enim materia & plenitudo omnis gaudii noſtri eſſe debet.

Puer.] Judæi torquent impudenter hunc locum: nam de Ezechia interpretantur, qui tamen natus erat antequam vaticinium hoc ederetur. Atqui loquitur ut de re nova & inexpectata: imo promiſſio eſt, qua excitantur fideles ad ſpem rei futuræ. unde non dubie colligitur, puerum qui deinde naſciturus erat, proponi. vocatur idem Dei Filius. Nam etſi nomen filii Hebræis late patere fateor, id tamen valet ubi aliquid additur. Quiſque hominum filius eſt infr. 65. patris ſui: vocantur filii centum annorum, qui cen- verſ. 20. tenarii ſunt: filii iniquitatis, ſcelerati homines: filii Pſal 80. benedictionis, qui ſunt benedicti: collem fertilem verſ. 23. vocavit ſupra 5. cap. Jeſaias Filium olei. Sed filius ſupr. 5:1. ſine adjectione, non poteſt alius intelligi à Dei Filio. Et nunc κατ' ἐξοχὴν Chriſto tribuitur, ut ſciamus hac inſigni nota eum diſcerni à reliquo genere humano. Nec vero dubium eſt, quin ad ſolenne illud oraculum reſpexerit Jeſaias, quod per ora omnium volitabat, Ero ei in Patrem & ipſe erit mihi in Filium: 2 Sam. 7. ſicut & Pſalmo 2. repetitur, Filius meus es tu: ego verſ. 14. hodie genui te. Niſi enim res vulgo nota & celebris Pſal. 2:7. fuiſſet, Meſſiam fore Dei Filium, inepte & abſque ſenſu Filium ſimpliciter vocaſſet Jeſaias. Quare elogium hoc à ſuperiore vaticinio dependet: ex quo Apoſtolus Hebr. 1. Chriſti præſtantiam colligit ſu- Hebr. 1:5. pra omnes Angelos efferri. Cæterum quamvis in habitu pueri contemptibilis fuerit Chriſtus, Filii tamen titulo ornatur ejus dignitas. Neque tamen infició, quin Davidis quoque filius potuerit dici: ſed ad Deum aptius refertur. Qui vero ſequuntur tituli, multo minus Ezechiæ quadrant. Nam cavillationes quibus hunc locum eludere tentant Judæi, mox abunde refellam. Certe calumnientur, res per ſe ſatis omnibus aperta eſt qui pacate & tranquille de ea judicabunt. Pondere etiam non caret quod addit, populo datum eſſe hunc Filium: ut ſcirent Judæi ſuam & totius Eccleſiæ ſalutem in perſona Chriſti incluſam eſſe. Atque hæc donatio unum eſt ex præcipuis fidei noſtræ capitibus: quia parum nobis prodeſſet natum eſſe Chriſtum, niſi noſter quoque eſſet. Qualis porro futurus ſit hic puer, & quæ ſit ejus conditio, declarat in ſequentibus.

Principatus ſuper humerum ejus.] Alluſio ad crucem Chriſti, quæ nonnullis arridet, plane frivola eſt. Geſtavit crucem humeris Chriſtus, in qua ma- Joan. 19. gnificum de mundi principe triumphum egit: ſed v. 17, 18. quum eadem ratione hic dicatur impoſitus humeris principatus, qua videbimus cap. 22. poſitam fuiſſe infr. 22. clavem domus David ſuper humeros Eliakim, non verſ. 22. eſt cur longe petamus argutias. Quanquam mihi probatur obliqua antitheſis inter principatum quem humeris ſuſtinebit Redemptor, & baculum humeri cujus nuper facta fuit mentio, quo tyranni premebant captivum populum. nam & bene reſpondet, neque obnoxia eſt ullis cavillis. Meſſiam ergo diverſum fore oſtendit Propheta ab ignavis regibus, qui negotiis & curis valere juſſis, otio indulgent: quia par erit ferendo oneri. Ita prædicatur imperii majeſtas & excellentia, quia propria virtute reverentiam ſibi acquiret Chriſtus, neque ſupremis tantum digitis, ſed pleno robore functionem ſuam obibit.

Et vocabitur nomen.] Quanquam activum eſt verbum, quia tamen indefinite capitur, non dubitavi reddere in neutro genere. Tantundem enim valet, acſi plurali numero dixiſſet, Vocabunt. Et nos Galli phraſin hanc imitamur: *on appellera.* Quod enim ad Deum referunt Judæi, & legunt uno contextu, Vocabit nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus fortis, Pater æternus, Princeps pacis, facile apparet ſtudio vel potius libidine obſcurandæ Chriſti gloriæ id fieri. niſi enim nimis cupide eum ſua Deitate ſpoliare contenderent, optime flueret contextus ſicuti noſtri reddunt. Deinde quorſum opus fuit, Deum inſigniri iſtis epithetis, ſi tantum hoc volebat Propheta, nomen ab eo impoſitum fuiſſe Meſſiæ? Nam epitheta quibus ornari ſolet Deus, vel perpetua ſunt, vel accommodantur ad cauſam præſentem: quorum neutrum agnoſcere licet. Deinde non erat hæc recta ſeries, inter diverſa

elogia inſerere medium Dei nomen: ſed continuo poſt verbum יקרא, debuerat ſubjici, Vocabit Deus fortis, admirabilis, &c. Jam nomen יעץ non video quomodo ſimpliciter quadrare Deo poſſit: quia ad conſiliarios refertur, qui regibus, vel aliis adſunt. Si quis rixator pertinacius inſiſtat Rabbinorum commento, nihil aliud quam impudentiam ſuam prodet. nos quod planum eſt ac minime coactum, ſequamur.

Admirabilis.] Notandum eſt iſtos titulos non adventitios eſſe, ſed ad rem præſentem accommodari. Docet enim Propheta qualem ſe Chriſtus oſtenſurus ſit erga fideles. Nec vero de arcana ejus eſſentia diſſerit: ſed commendat ejus virtutes, quas fidei experientia ſentimus. Quod eo diligentius tenendum eſt, quia major pars hominum, nuda ejus appellatione contenta eſt, nec vim aut efficaciam conſiderat: quod tamen potiſſimum erat ſpectandum. Primo elogio mentes piorum ad raram attentionem erigit, ut aliquid excellentius à Chriſto expectent, quam cernatur in ordinario curſu operum Dei. acſi diceret, in Chriſto reconditos eſſe inæſtimabiles rerum mirabilium theſauros. Et certe redemptio per eum allata, mundi etiam creationem ſuperat. Summa eſt, gratiam Dei, quæ in Chriſto exhibenda eſt, præſtare omnibus miraculis. Ratio ſecundi elogii eſt, quod inſtructus veniet Redemptor omnibus ſapientiæ numeris. Meminerimus autem quod jam attigi, Prophetam non diſputare hic de occulta Chriſti eſſentia, ſed de virtute quam erga nos exerit. Conſiliarium ergo minime vocat, quod omnia Patris arcana [Joan. 1. verſ. 18.] noverit: ſed potius quod ex ejus ſinu prodiens impleat omnes partes ſummi & perfectiſſimi doctoris: [1 Cor. 1. v. 24.30.] ſicuti nobis ſapere fas non eſt, niſi ex ipſius Euangelio, ad cujus elogium hoc etiam pertinet. Eo enim [Epheſ. 1. verſ. 17.] perfecta Dei ſapientia continetur, ut ſæpius oſtendit Paulus: atque illic omnia ad ſalutem neceſſaria [Col. 1: 9.] ſic aperit Chriſtus, & familiariter declarat, ut diſci- [Joan. 15. v. 14.15.] pulos non amplius veluti ſervos, ſed ut amicos compellet.

Deus fortis.] אל unum eſt ex nominibus Dei, ductum tamen à fortitudine, ut interdum vice epitheti addatur. Sed hic proprium eſſe liquet, quod eo non contentus Jeſaias, adhuc epithetum Robuſti addit, גבור. Et certe niſi Deus eſſet Chriſtus, nefas eſſet [Jer. 17. verſ. 5.] in eo gloriari. ſcriptum eſt enim, Maledictus qui confidit in homine. Dei igitur majeſtas in eo nobis occurrat oportet: ut rite in eo reſideat, quæ in creatura locari non poteſt abſque ſacrilegio. Eadem igitur ratione vocatur Deus fortis, qua prius Imma- [ſupr. 7. verſ. 14.] nuel. Nam ſi in Chriſto carnem ſolum & naturam hominis reperiamus, tum perverſa erit noſtra gloriatio & frivola, tum fultura ſpei caduca, vel nullius firmitatis. ſed ſi Deum ſe, ac Deum fortem nobis præbet, tuto jam acquieſcere in eo licebit. Robu- [Epheſ. 6. verſ. 12.] ſtum autem merito vocat, quia nobis certamen eſt cum diabolo, morte, & peccato, hoſtibus nimium validis & robuſtis: à quibus ſtatim vinceremur, niſi invicto Chriſti robore induti. Hoc igitur elogio docemur, ſatis eſſe in Chriſto præſidii ad tuendam ſalutem noſtram, ut nihil præter ipſum appetamus: eſt enim Deus, qui vult ſe noſtra cauſa robuſtum oſtendere. Atque hæc applicatio velut clavis hujus loci & ſimilium eſt: ut inter arcanam Chriſti eſſentiam, & virtutem qua ſe nobis patefacit, diſtinguamus.

Pater ſeculi.] Græcus interpres addidit μέλλοντος, & recte, meo judicio, interpretatus eſt: nam æternitatem deſignat, niſi quod melius quadrat perpetuum tempus, vel continua ætatum ſeries, ne quis perpe- [Col. 3: 3.] ram hoc ad cæleſtem vitam, quæ adhuc abſcondita eſt, reſtringat. Complectitur quidem eam Propheta, imo admonet venturum eſſe Chriſtum, ut ſuis [Joan. 5. verſ. 24.] immortalitatem conferat: ſed quia fideles etiam in hoc mundo tranſeunt à morte in vitam, ſeculum hoc ad æternum Eccleſiæ ſtatum extenditur. Nomen Patris pro auctore capitur: quia Chriſtus Eccleſiam ſuam per omnes ætates propagat, & tam corpus quam ſingula membra immortalitate donat. unde colligimus quam fluxa ſit extra ipſum noſtra conditio. Nam ut longiſſime pro communi hominum more vitam protrahamus, qualis tamen erit noſtra diuturnitas? Conferendæ vero mentes in beatam & æternam vitam, quam nondum cernimus, ſpe tamen [Rom. 8. verſ. 25.] & fide poſſidemus.

Princeps pacis.] Extremum hoc elogium eſt: quo ſignificat Propheta, Chriſti adventum plenæ ſolidæque felicitatis cauſam fore: vel certe tutæ & beatæ ſecuritatis. nam Pax, Hebræis tantundem ſæpe valet ac Proſperitas: quia ex omnibus bonis nullum pace melius vel optabilius. Summa huc tendit, quicunque ſe Chriſti imperio ſubjicient, tranquillam & beatam vitam ſub ejus fide acturos. unde ſequitur, ſine hoc Rege miſeram & turbulentam eſſe. Sed interim conſideranda eſt hujus pacis natura: eadem ſcilicet, quæ & regni. Sedem enim magna ex parte habet in conſcientiis: alioqui nos aſſidue conflictari, & quotidianis certaminibus exerceri neceſſe eſt. Quare non tantum promittitur pax externa, ſed qua redimus in gratiam cum Deo, qui prius ab eo eramus alienati. Juſtificati ex fide, inquit Paulus, [Rom. 5: 1.] pacem habemus apud Deum. Cæterum, ubi men- [Phil. 4: 7.] tes noſtras tranquillaverit Chriſtus, eadem pax ſpi- [Coloſ. 3.] ritualis palmam tenebit in cordibus noſtris, ut pa- [verſ. 15.] tienter feramus res omnes adverſas: deinde ex eodem fonte fluet externa quoque proſperitas, quæ nihil aliud eſt quam benedictionis Dei effectus. Nunc ut iſtam doctrinam in uſum noſtrum accommodemus, quoties oboritur aliqua diffidentia, & clauſi nobis ſunt omnes exitus, quoties denique confuſa nobis omnia videntur: ſuccurrat nobis, ideo Chriſtum vocari Admirabilem, quia incredibiles habet juvandi modos, ſuaque virtute ſenſus noſtros longe exuperat. Quum nos conſilium deficiet, meminerimus Conſiliarium eſſe: quum vires, Potentem ac robuſtum: quum in ſingula momenta repente exorientur novi terrores, nobiſque hinc inde multæ mortes inſtabunt, recumbamus in eam æternitatem, cujus non fruſtra vocatur Pater, ac eodem ſolatio lenire diſcamus temporales omnes miſerias: quum variis procellis intus agitabimur, & conabitur Satan conſcientias noſtras turbare, meminerimus Chriſtum eſſe Principem pacis, cui facile ſit perturbationes noſtras omnes facile ſedare. Ita nos hæc epitheta in fide Chriſti magis ac magis obfirmabunt, noſque adverſus Satanam & inferos ipſos præmunient.

7. *Multiplicationi principatus.*] Incipit exponere & confirmare quod prius Chriſtum Principem pacis eſſe dixerat: nempe ipſius principatum in omne ævum prorogari, ac perpetuum eſſe: neque imperio, neque paci ullum finem fore. quod etiam à Da- [Dan. 7.] niele repetitum eſt. Ad id etiam alluſit Gabriel, [verſ. 27.] quum nuncium perferret Virgini. imo vere hunc lo- [Luca 1.] cum expoſuit, quum de alio intelligi nequeat quam [v. 32.33.] de Chriſto. Regnabit, inquit, in domo Jacob, in æternum, & regni ejus non erit finis. Videmus autem maximos hujus mundi principatus, quaſi in lubrico ſitos, inopinata converſione ſtatim concidere. Varietatem & mutabilitatem omnium regnorum quæ ſub cælo ſunt, ex hiſtoriis atque adeo exemplis quotidianis deprehendimus. Unus hic principatus immutabilis atque æternus eſt. Hæc autem prorogatio, de qua nunc tractat Jeſaias, duo membra continet. Refertur enim tam ad tempus, quam ad qualitatem. Etſi enim ea eſt conditio regni Chriſti, ut omnibus momentis interiturum videatur: Deus tamen non modo ipſum tuetur & defendit, ſed etiam longe lateque ampliat ejus fines. deinde propagat, & continua ſerie ad æternitatem extendit. quod dili-

genter tenendum eſt, ne crebræ Eccleſiæ concuſſiones fidem noſtram labefactent, quando audimus inter veſanos fremitus, imo impetus hoſtium, inexpugnabili Dei virtute ſtabile eſſe Chriſti regnum, ut toto mundo invito ac repugnante permaneat ſeculis omnibus. Neque enim de ejus firmitate judicium facere convenit ex præſenti rerum aſpectu, ſed ex promiſſione, quæ & de continuatione, & de novis incrementis certiores nos reddit. Principatui adjungitur pacis æternitas: nec enim aliud ab alio ſejungi poteſt. Nam impoſſibile eſt Chriſtum eſſe Regem, quin ſimul ſuos contineat in ſecura beataque quiete, & omni benedictione locupletet. Quia vero innumeris quotidie turbis ſunt obnoxii, ſuſtinent graves tumultus, inter metus & curas æſtuant ac
Phil. 4: 7. vexantur, pacem illam Chriſti apprehendere conve-
Coloſ. 3. nit, quæ palmam in cordibus obtinet, ut illæſi ma-
verſ. 15. neant, imo tranquilli conſiſtant inter totius mundi ruinas. Quod in voce לםרבה, præter uſitatum morem ſcribendi clauſum ſit ם: nonnulli putant ſignificari ſervitutem, qua populus Judaicus premendus erat uſque ad Chriſti adventum. alii exiſtimant gentem illam perfidiæ ſuæ cauſa excludi hoc ſigno ab hujus regni ſocietate: non inſector. Nos quidem aſſerere vix poſſumus ita ſcriptum eſſe à Propheta: ſed tamen quum ita ſit per manus traditum, & tam diligentes vel minimi cujuſque apicis obſervatores fuerint Rabbini, haud aliter poſſumus ſuſpicari, quam hoc non temere factum eſſe. Quod ſi recipimus Prophetam ita conſulto ſcripſiſſe, mihi utilis eſſe admonitio videtur, ne putarent fideles externa opulentia ſplendidum fore Chriſti regnum: atque ita mundanos triumphos vana ſpe haurirent: ſed tantum inter varias preſſuras ſperarent arcanam dilatationem regni, quia promiſſa erat.

2 Sam. 7. *Super ſolium Davidis.*] Quia Davidi promiſſus
v. 12, 13. fuerat Redemptor ex ejus ſemine, & regnum ejus nihil aliud fuerat, quam imago, vel tenuis umbra perfectioris & plane beati ſtatus, quem Deus per
Jer. 23. manum Filii ſui erigere ſtatuerat, ideo Prophetæ,
verſ. 5. ut populum revocent ad memorabile illud miracu-
& 33. lum, Chriſtum vocare ſolent Filium Davidis. Etſi
verſ. 15. enim tam ſancti & integri Regis merito charum & venerabile erat nomen, fidelibus tamen majore in pretio erat promiſſa renovatio ad plenam ſalutem. & vulgo etiam apud rudiſſimos quoque celebris erat illius oraculi memoria, fixa etiam ac indubitabilis fides & auctoritas. Non congeram multa teſtimonia, quibus Prophetæ afflicto populo reſtitutionem pro-
Jer. 30. mittunt in perſona Davidis, vel filii ejus. Nam in-
verſ. 9. terdum prædicant Davidem fore Regem qui pridem
Eze. 34. erat mortuus. Ita hoc loco ſignificat Jeſaias nihil ſe
v. 23, 24. novum proferre, ſed tantum revocare in memo-
& 37. riam quod Deus ante pollicitus fuerat de regni per-
verſ. 24. petuitate. Oblique etiam inſinuat quod apertius di-
Oſea 3: 5. cit Amos, Chriſto rurſus erigendum eſſe ſolium,
Amos 9. quod aliquandiu everſum eſſet. Deſcribitur etiam
verſ. 11. regni qualitas, ſed per ſimilitudinem à terrenis imperiis ſumptam. Chriſtum enim Regem fore dicit, qui ordinet ac ſtabiliat regnum ſuum judicio & juſtitia. His enim auſpiciis feliciter ſurgunt terreni principatus, & firmas radices agunt. quæ vero metu & vi ſolum adminiſtrantur, diuturna eſſe nequeunt. Quia igitur optima regnorum & principatuum cuſtos eſt juſtitia, atque etiam ex ea dependet communis populi felicitas, hac particula docet Jeſaias regnum Chriſti exemplar fore optimi regiminis. Verum hic, Judicium & juſtitia, ad externam politiam non pertinent. Eſt enim tenenda analogia inter regnum Chriſti & ejus qualitates. nam quum ſpirituale ſit, virtute Spiritus ſancti ſtabilitur. Denique hæc omnia ad internum hominem referenda ſunt: quum ſcilicet à Deo in veram juſtitiam regeneramur. Externa quidem juſtitia poſtea conſequitur: ſed neceſſe eſt, ut illa mentis & animi renovatio antecedat. Non aliter ergo Chriſti ſumus, quam ſi recti & æqui fuerimus ſtudioſi, atque impreſſam animis noſtris juſtitiam geramus, quam Spiritu ſancto infixerit. Quod addit, Ex hoc tempore, ad juſtitiæ & doctrinæ potius, quam regni perpetuitatem referendum videtur: ne ſimiles ejus Leges putemus Regum & Principum edictis, quæ ad triduum aut exiguum aliquod tempus valent, & ſubinde renovantur, ut paulo poſt rurſus obſoleſcant: ſed æternam earum vim eſſe intelligamus. ſunt enim ſancitæ, ut in ſanctitate & juſtitia, quemadmodum
ait Zacharias, omnibus diebus vitæ noſtræ ipſi Luca 1.
ſerviamus. Sicuti enim perpetuum eſt Chriſti re- verſ. 74.
gnum, quia non moritur: ita conſequitur juſtitiæ Rom. 6.
& judicii perpetuitas, quæ nullo ævo poterit im- verſ. 9.
mutari.

Zelus.] Per Zelum, ſtudium ardens intelligo, quod Deus patefaciet in conſervanda Eccleſia, abrumpendo omnes difficultates atque impedimenta, quibus alioqui prohiberi ejus redemptio poterat. Sicut enim quum quid arduum aggredimur, affectus vehementia & ardor obſtacula ſuperant, quæ ſe ingerunt ad frangendos vel tardandos noſtros conatus: ita raro & ſingulari ſtudio Deum accenſum eſſe docet Jeſaias ad Eccleſiæ ſalutem, ut ſi fideles ingenio ſuo metiri nequeant quod nuper promiſit, non tamen deſinant bene ſperare, quia admirabilis & ſtupenda ſit ratio. Denique ſignificat non levi aut molli brachio Deum venturum eſſe ad redimendam Eccleſiam, quia totus ardebit incomparabili fidelium amore, & ſalutis eorum cura.

8. *Verbum miſit Dominus.*] Hic novum deſcribitur vaticinium. Etenim concionem hanc à ſuperiore diviſam eſſe arbitror, quod Propheta jam diſſerat rurſus de futuro ſtatu regni Iſraël, quod tunc infeſtum erat Judæis. Ejus autem copiis & potentia non abs re territos fuiſſe Judæos ſcimus, præſertim inita ſocietate cum Syriis, ut qui viderent ſibi ad reſiſtendum non ſatis virium eſſe. Ut ergo piis conſolationem afferat, docet qualis futurus ſit regni Iſraëlitici ſtatus. Jacob & Iſraël pro eodem accipit. ſed gratia non caret varietas, ut doceat nihil tergiverſando proficere impios, dum à ſe Dei judicium vel avertere, vel deflectere moliuntur. Alludit autem ad eorum ſermonem, qui ſuis dicteriis elabi ſe poſſe putant, jocandoque & ludendo derivant alio quicquid denunciant Prophetæ: quemadmodum ſi quis flatu oris ſui procellam repellere tentaret. Eſt igitur ironica conceſſio, acſi diceret, Veſtra opinione aliis accidet quod vobis Deus edicit: ſed quicquid minarum profert contra Jacob, reſidebit in Iſraële. Mittere enim pro Deſtinare accipitur. Particula ב ſignificat In ipſo Jacob. illic conſidere & quieſcere verbum Dei neceſſe erit, quia non poteſt ſine effectu evaneſcere. Idem hic docet, quod etiam poſtea aliis
verbis, Verbum meum non redibit ad me inane: infr. 55.
quia ſcilicet efficaciter promulgatur quod ſemel ab verſ. 11.
ipſo decretum eſt. Verbo enim Cadendi, certum eventum rei & effectum deſignat: acſi diceret, ſe hæc non imaginari, aut ex ſeipſo præſagire, ſed Deum eſſe loquutum, qui falli aut mutari nequit. Populi nomine non intelligo Judæos, ſed potius Iſraëlitas: imo dubitationem tollit Propheta, nomen Ephraim diſerte exprimens. Addit & Samariam, quæ caput illius populi erat, vel decem tribuum. nam munitæ urbes, quod ſe extra teli jactum poſitas exiſtimant, multo plus arrogantiæ præ ſe ferunt. Putant enim cum hoſte paciſcendo ſibi remedium ſemper fore in manu, etiamſi tota regio devaſtetur. Propterea Jeſaias ipſam à communi clade minime immunem fore denunciat. Omnes autem ſenſuros eſſe dicit, quæ ex ore Dei prodierint oracula, nequaquam irrita fore: & Sciendi verbo, quod ad ipſam experientiam refertur, oblique eorum infidelitatem perſtringit, acſi diceret, Quandoquidem ſurdis loquor,

quor, & pro nihilo ducitis quicquid nunc præmoneo, res ipſa vos docebit, ſed nimis ſero.

Qui dicunt.] Hic Propheta adverſus obſtinationem & pervicaciam illius populi invehitur: quia ſemel atque iterum caſtigatus Dei virgis, & quidem acriter, tam procul aberat à reſipiſcentia, ut damna ſua in lucro deputans, magis obdureſceret. Certe qui ita proterve Deo illudunt, non aliter rediguntur in obſequium, quam penitus ſint attriti. Jam talis inſultatio aperte & ex profeſſo iram Dei provocat. ideo Propheta ex altitudine cordis & ſuperbia prodire dicit. unde ſequitur, juſte nodoſo ligno parari duriores cuneos.

10. *Lateres.*] Verba ſunt pervicacium hominum, atque ſic contemnentium acceptam cladem, acſi ipſis quæſtuoſa eſſet: quod data ſit occaſio ſplendidius ornandi tam domos ſuas quam agros. Sumptuoſius, inquiunt, ædificabimus. Ergo dirutæ ſunt domus lateritiæ, ut habitemus in magnificis palatiis: & cæſis arboribus, fructuoſiores plantabimus. Non fuit autem hoc vitium unius temporis, quando eandem hodie obſtinationem in mundo perſpicimus. Quot ærumnis hiſce triginta & quadraginta annis afflicta eſt Europa? Quot flagellis ad reſipiſcentiam ſollicitata eſt? & tamen nullus extat tot caſtigationum profectus: imo major augetur in dies luxus, libidines inflammantur, pergunt homines in ſceleribus & flagitiis majore quam ut unquam protervia. Denique clades ipſæ videntur totidem eſſe irritamenta luxus & pomparum. Quid igitur expectandum, niſi ut gravioribus plagis conteramur?

11. *Roborabit.*] Quum Iſraëlitæ inflati eſſent ſocietate Regis Syriæ, omniaque ſibi ex voto ſucceſſura confiderent: denunciat Jeſaias novam mutationem, quæ omnem illis ſpem auferet, eorumque conſilia prorſus evertet. nam poſtea excitati ſunt Aſſyrii, qui bellum Syriis intulerunt. Itaque occiſo Rezin, ſtatus ejus regionis funditus mutatus eſt. Hoc etiam amplificat quum addit, *Miſcebit.* ſignificat enim Dominum collecturum acmixturum varios hoſtes, quos ad perdendum Syrium mittet: ſicuti exercitus ille tam amplæ Monarchiæ militans, ex variis Gentibus conflatus erat.

2 Reg. 16. verſ. 9.

12. *Syria à fronte.*] Docet Propheta qualis futura ſit hæc mutatio, & quid eveniet mortuo Rezin, qui adverſus Judam cum Iſraële coierat: nempe quod Syrii poſt mortem Regis ſui, ex ſociis hoſtes repente fient, bellumque Iſraëli inferent, ſicuti accidit. Hoc vult quum ait Syriam fore à fronte. nec enim convenit eorum interpretatio, qui Syriam exponunt de Orientalibus, Philiſtæos de Occidentalibus. Simplicior eſt ſenſus, omni ex parte hoſtes illis fore infenſos: quia undiquaque ſurgent in perniciem qui pro fidis amicis habiti fuerant. Et quod dicit A fronte & tergo, vulgari loquendi mori reſpondet, ut nova interpretatio & aliena quæri non debeat. Hoc exemplo diſcendum eſt quid ſit humanæ potentiæ & ſocietatibus Regum confidere: ac præſertim ubi illicitis fœderibus impliciti, in ſecuritate noſtra torpemus: quia ſimulac volet Dominus, qui prius nobiſcum erant, minimo momento in noſipſos & perniciem noſtram vertentur. & quæ remedia nobis utilia eſſe putavimus, ea nobis exitio erunt, noſque & à fronte & à tergo prement. Eſt etiam obſervandum, Deum non ſtatim primo die flagella omnia depromere: ſed quum obſtinato animo pergimus, magiſque ac magis ipſum provocamus, plagas etiam adauget atque ingeminat: novo etiam pœnarum genere afficit, ut tandem pervicaciam & duritiem noſtram frangat. *Toto ore*, ſignificat id quod vulgo dicimus, *A pleine bouche:* acſi diceret, Exponendum eſſe Iſraëlem hoſtium ſuorum prædæ, ut hinc atque illinc pleno ore, tum à Syriis, tum à Philiſtæis voretur.

2 Reg. 17. verſ. 3.

Non eſt averſus furor ejus.] Hoc duriſſimum omnium eſt, & præ cæteris impios conterrere debet, quod ſi multa perpeſſi ſint, nondum tamen defuncti ſunt: novas iterum pœnas imminere, quoniam in ſua contumacia pergendo, iram Dei magis in ſe acuunt. Hanc enim pervicaciæ & majoris impietatis occaſionem ſumunt homines, quod quum pœnas aliquas perpeſſi ſunt, nihil ſibi amplius ferendum putant, eoque magis indureſcunt: neque etiam judicio Dei eſſe amplius obnoxios credunt, quia jam virgas omnes conſumpſerit: & tanquam ab eo prorſus liberati, frena ſibi magis laxant, omneque jugum excutiunt. Hac ratione denunciat Jeſaias, manum Domini adhuc extentam eſſe, ne ſe eam fugiſſe exiſtiment. Nec vero hic tam docet quam accuſat: tametſi huc etiam minæ tendant, ut doctrina intelligatur. ſed quia negotium ipſi erat cum præfractis hominibus, apud quos nulla caſtigatio profecerat, ideo nondum finem plagis impoſitum eſſe denunciat: ac tametſi eas intermiſiſſet Deus, non remiſiſſe tamen, ſed erectam habere manum ad novum vulnus infligendum.

13. *Atqui populus non eſt reverſus.*] Copulam hic nonnulli accipiunt pro cauſali: acſi Propheta rationem redderet, cur Dominus novis plagis ſubinde infligendis flagella intendere non deſinat: quia ſcilicet tam durus & pervicax eſt populus, ut reſipiſcere nolit. Nam ubi nulla eſt pœnitentia, minime æquum eſt, Deum quaſi victum cedere obſtinatis hominibus. unde fit, ut ſe ad graviores vindictas armet. Quum ergo Iſraël nullis plagis emendaretur, interire ipſum neceſſe fuit: ut deplorata erat omnium malitia, quum toties percuſſi & afflicti non moverentur, nec ullo modo reſipiſcerent. Eſt autem graviſſima hæc objurgatio: quod quum Dominus non tantum verbis moneat, ſed re ipſa impellat, & cogat variis plagis, obdureſcimus tamen, neque nos à flagitiis & libidinibus noſtris abduci patimur. Hoc deploratæ nequitiæ ſignum eſt: nec gravius quicquam dici aut cogitari poſſet. nam & grave jam malum eſt, quum homines doctrinam, ſimulatque propoſita eſt, non ſequuntur: gravius etiam, quum objurgationibus non moventur: graviſſimum, quum adverſus plagas ipſas obdureſcunt, quin potius vel recalcitrant, vel ſua ferocia magis accendunt indignationem Judicis: nec ſecum ipſi cogitant, quorſum percuſſi fuerint, & quo Dominus ipſos vocet. Ubi igitur nulla remedia proficiunt, quid cenſendum, niſi morbum inſanabilem & prorſus deploratum eſſe? Nec vero ad Iſraëlitas tantum, ſed ad nos etiam pertinet iſta objurgatio. Jam enim Dominus variis cladibus totum orbem caſtigavit, ut nulla fere ejus pars ab ærumnis & calamitatibus immunis eſſe potuerit. Omnes tamen obſtinato animo videntur in Deum conſpiraſſe, ut quicquid agat, ſui ſimiles eſſe, & vitia ſua proſequi non deſinant. Proinde merito nobiſcum Dominus eadem expoſtulatione uti poſſet, & certe noſipſos ore Jeſaiæ compellat: nec alius nobis Propheta expectandus eſt, qui novas plagas denunciet, quum ab Iſraëlis cauſa noſtra diverſa non ſit, eandemque cum ipſis culpam ſuſtineamus. Et mox additur explicatio, quum dicit Non quæſiſſe Jehovam: quia in hunc finem percutit Deus, ut ad ſe revocet fugitivos. Videtur quidem hoc modo à ſe procul abigere homines: ſed quia proprium ejus eſt educere è ſepulchro quos viſus eſt plagis conficere, terrendo ſolum humiliat peccatores, ut ad ipſum redeant. Et certe initium converſionis eſt, Deum quærere: imo unica eſt bene vivendi regula. ab ea ſi deflectimus, neque cælum tenemus, neque terram. Nunc vero quid ſit Deum quærere, vel quomodo quærendus ſit, videndum. Hypocritis enim ſemper in ore prompta erit exceptio, precibus, jejuniis, lachrymis, triſti habitu ſedulo ipſos petendæ veniæ cauſa ſupplicare. Sed quæri vult Deus alio modo, dum peccator vere ſubactus jugum quod excuſſerat liben-

libenter recipit, & ſe addicit in ejus quem ſpreverat obſequium.

14. *Abſcindet.*] Significat ultionem Dei univerſalem fore, & quæ omnes ordines involvat. Totus enim populus corruptus erat, & contagio ſic pervaſerat totam regionem, ut nihil ſanum vel integrum reſtaret. Quum autem ita graſſatur impietas, nemo non ſibi blanditur: ſeque perbello velo contectos putant, quod multos habeant ſimiles ſui: & dum ſe comparant cum aliis, paratam ſibi defenſionem eſſe arbitrantur. Hæc cauſa eſt, cur omnibus in genere ultionem iſtam denunciet: quia nemo à communi labe purus erat. Per Ramum, valentiores & robuſtiores ſignificat: per Arundinem vel Juncum, debiliores, id eſt, infimæ ſortis homines, & nullis fere opibus præditos. Significat ergo impendere Dei vindictam, quæ nec robuſtis, neque debilibus, nec ſummis, nec infimis parcat: quia nulla pars à communi labe pura eſt vel intacta. Cæterum quod allegorice dixerat de Capite & Cauda, clarius & ſine figura exponit. & Capita quidem dicit eſſe magnates & primores, qui præerant rebus gerendis, & ad gubernacula Reipub. ſedebant: quibus adjungit Pſeudoprophetas, eoſque ſub Caudæ nomine vult intelligi. Atqui priorem verſus ſuperioris partem ſolum declarat, Rami & Arundinis nullam mentionem facit. Cur id omiſerit, ratio in promptu eſt. nam eos potiſſimum urgere voluit, qui gravius peccabant, & peccandi auctores erant aliis, quod eſſent propter gradum honoris conſpicui. Prophetas Caudæ nomine deſignat, non quod eſſent abjecti & humiles, ut aliqui exiſtimant: ſed voluit exprimere partes extremas totius corporis. In Capite, Magiſtratus & Judices, quoniam in ſummo gradu eminent: Pſeudoprophetas in Cauda, quoniam fallaciis & hypocriſi fallunt & imponunt hominibus: acſi alios leonibus vel urſis, alios vulpeculis conferret. Hoc loco admonemur, non eſſe propterea indormiendum vitiis noſtris, quod impietas & nequitia per omnes ordines graſſetur, nec ulla pars hominum pura aut intacta ſit. quo enim magis abundabunt vitia, eo magis ira Dei adverſus ſummos & infimos accendetur. Quod certe nobis etiam hodie in iſta malorum omnium lue verendum eſt, ne ſcilicet ubi flagrare cœperit ira Dei, ſurſum & deorſum omnia conſumat.

16. *Nam gubernatores.*] Vertunt alii, Qui te beatum reddunt, vel prædicant: acſi diceret, nihil magis noxium aut peſtiferum eſſe populo, quam adulationes, quæ peccandi licentiam fovebant. Ego
cap. 3: 12. vero ſequar lectionem quam prius probavi, quum
idem verbum occurreret. Intelligit autem, rectores & præſides, quorum officium erat populum continere in honeſta diſciplina, frena ad ſcelus & nequitiam omnibus laxaſſe: unde merito ſeductores & corruptores cenſendi ſunt: ab iis enim in plebem univerſam manat, & veluti ex capite in membra fluit corruptio. Deliguntur autem Magiſtratus & Paſtores ut laſciviam populi coërceant, ut quod rectum & honeſtum eſt præſcribant, atque in primis honorem Dei tueantur. ſi hæc negligant, impoſtores potius quam rectores habendi ſunt: quando ab iis miſera diſſipatio oritur. jam ubi omnes pro ſua libidine agunt, nec ullus eſt moderationi locus, quis niſi calamitoſiſſimus exitus eſſe poteſt? Quod vero plebs punitur ita ob ſua vitia, non minor etiam gubernatores ultio manet, quod munus ſibi commiſſum neglexerint, auctoreſque fuerint tantorum malorum. Quum addit Peſſum ire qui reguntur, quanquam hac particula ſignificat exitiales eſſe Principes impios, & qui pro libidine dominantur: ſimiliter & doctores, qui potius fallunt atque imponunt, quam ſalutis viam commonſtrent, quia eorum culpa perit populus: ſimul tamen admonet neminem excuſari, ne quis prætextum ſui erroris quærat ex malis gubernatoribus, quemadmodum vulgo fieri ſolet. Nam
ſi cæcus cæcum ducat, ut inquit Chriſtus, ambo in *Mat. 15.*
foveam cadent. Et certum eſt non alios peſſundari *verſ. 14.*
ab improbis & perfidis ducibus, niſi qui ſponte falli appetunt.

17. *Propterea ſuper adol.*] Exprimit apertius Jeſaias quam horrenda futura ſit illa Dei ultio adverſus omnes ordines. tantum enim abeſſe ut evadant qui præ aliis ſunt noxii, ut neque adoleſcentes, neque impuberes, neque viduæ effugiant: quibus tamen in atroci etiam clade parci ſolet: quod etiam uſitatum fuiſſe Gentibus in excidiis urbium, ex ipſarum hiſtoriis perſpicimus. Dominus autem hic denunciat ſe neque ſexus neque ætatis rationem habiturum. Quanquam hic quoque ſenſus non male conveniet, Quamvis multas mulieres ſuis maritis privabunt, & pueros orbabunt ſuis parentibus ſtrages, Deum tamen non fore exorabilem, quin mulieres viduitate, & pueros orbitate puniat. ſed quia ad ſummam rei parum intereſt, non inſiſto. Cæterum, ne inſimulent Deum ſævitiæ, ſimul demonſtrat quam juſtis de cauſis futurus ſit ita ſeverus, quia ſcelerati erunt omnes: ideoque dignos eſſe quos æqua lege in exitium præcipitet.

Hypocritæ.] Nolui in hac voce recedere à communi ſententia, quanquam חנף impium, duplicem, vel perfidum ac ſceleratum ſignificat. Videtur enim notare malorum omnium fontem, quod nullus apud eos verus Dei timor eſſet. Neque enim levem aliquam fictionem ſignificat, ſed interiorem animi contemptum, quo obſtupeſcunt conſcientiæ, ut nullis deinde monitionibus tangantur: acſi dixiſſet, in ſua pravitate alte eſſe demerſos. Quia vero improbitas, ubi animum occupavit, trahit ſecum manus, pedes & reliqua corporis membra: ideo Propheta ſubjicit, eſſe omnes ſceleratos. Tertio addit, eo licentiæ progreſſos eſſe, ut flagitia ſua abſque pudore jactent. נבלה, quod nomen Stultitiam vertunt, latius ſæpe patet apud Hebræos: quia pro fœ- *Geneſ. 34.*
ditate, nequitia & veſania capitur. Nunc Propheta, *verſ. 7.*
meo judicio, intelligit ſic deditos eſſe flagitiis, ut non *Joſue 7.*
aliunde petendum ſit teſtimonium, quam ex eorum *verſ. 15.*
linguis. *Judic. 19. verſ. 23.*

Non erit averſus.] Iterum repetit hanc ſententiam: ſicuti ſæpius inculcanda eſt, quia non ſufficit ſemel intellexiſſe, quam gravia ſint judicia Domini adverſus ſceleratos: adeo facile & celeriter obrepet eorum oblivio, quæ in futurum tempus tam ſollicitudinem, quam metum excutit. Adhæc nos decipit & excæcat fallacia illa, quia ſingulis vindictis putamus exhauſtam eſſe potentiam Dei. Quare nihil ſa-
tius quam tenere hoc principium: quoties nos Deus *Levit. 26.*
caſtigat, minari aliquid atrocius, niſi mature reſi- *v. 18, 21,*
piſcamus. Et quoniam à Propheta iteratur hæc ad- *24. 28.*
monitio, aſſidue etiam nobis recurrat, nondum ſedatum eſſe furorem Dei, tametſi jam graviter peccata ultus eſſe videatur. Quid ergo judicandum, ubi nos non niſi leviter caſtigavit? Ut hodie paſſi quidem ſumus aliquid pœnarum, ſed quid hoc ad duriſſimas clades quas populus ille ſuſtinuerat, quum ediſſit Jeſaias parari nova adhuc flagella? Quid igitur futurum? Dominus certe perget in officio ſuo, ſuique perpetuo ſimilis futurus eſt. niſi hic metus nos expergefaciat, plane intolerabilis eſt ſtupor noſter. Verbum שב per futurum tempus reddidi, ut dilucidior eſſet ſenſus: quia etſi quaſi de re præterita loquitur, pœnarum tamen continuationem rebellibus denunciat.

18. *Quoniam ſuccenſa eſt.*] Urget Propheta impios, quibus ſolenne eſt ſe exonerare cum Dei invidia. Vel enim tergiverſantur, ut ſe perſuadeant eſſe innoxios; vel convicti culpam tamen extenuant, acſi Dei ſeveritas modum excederet. Nunquam certe niſi coacti fatentur juſtas eſſe Dei ultiones: imo quamvis aperte ſe excuſare non audeant, fremunt

tamen

tamen & obmurmurant. Hanc proterviam refellere volens Propheta, calamitates comparat incendio: ſed hominum impietatem lignum & materiam eſſe docet, qua ira Dei accenditur. acſi diceret, Clamitant omnes & flebiliter queruntur, violenter ardere iram Dei, neque interea conſiderant peccatis ſuis quaſi flabellis eam accendi, eadem peccata materiam ſuggerere: imo ſeipſos intrinſeco ſcelerum ſuorum igne conſumi. Nam quod addit de Spinis & Vepribus, tantundem valet acſi dixiſſet, hac flamma correptum iri omnes Judææ partes. Utrumque autem exprimit, proficiſci à Dei judicio ſcelerum pœnas: culpam tamen reſidere in ipſis peccatoribus, ne crudelitatis prætextu cum Deo expoſtulent. Concinna autem gradatio eſt: quia hoc uſitatum eſſe perſpicimus, ut ignis ab ima alicujus loci parte accenſus, colligat paulatim vires, magiſque ac magis graſſetur, & ad ſuperiora conſcendat: talem fore iram Dei oſtendit Jeſaias, ut quæ non primo ſtatim die corripit ſceleratos, ſed paulatim accenditur, donec ſeſe penitus effundat. Initio enim Dominus moderate agit. Quod ſi levi caſtigatione nihil proficiat, pœnas auget atque ingeminat. Jam [illegible] nos præfractos eſſe videat, ad extremum ardet, ut nos funditus deleat, & veluti condenſam ſylvam exurat. Denique, ut alibi dicunt Prophetæ, nos inſtar paleæ & ſtipulæ eſſe oportet, ubi ſemel ira Dei accenſa eſt.

Pſal. 83. verſ. 14. ſupr. 5. verſ 24. infr. 33. verſ. 11. & 40. verſ. 24. & 41. verſ. 2. & 47. verſ. 14.

19. *Præ ira Jehovæ.*] Poſtquam omnium malorum cauſam à nobis proficiſci, ideoque nobis imputandam eſſe oſtendit, ſimul docet Deum juſtiſſimum eſſe ultorem. Quum enim homines ſibi clades & ærumnas accerſant, Deus non patitur ipſos manum ſuam effugere: non quod propenſus ſit ad ſævitiam (eſt enim benignus & clemens) ſed quod juſtus ſit, nec ſceleratos ferre poſſit. Horrorem autem ultionis Dei, ſimilitudine caliginis exprimit, qua nihil mœſtius eſſe poteſt: quia ſine figuris judicium adeo horrendum declarari nequit. Tametſi alludere videatur ad fumum, de quo prius loquutus eſt. Quum enim prævalet incendium, & graſſatur adeo violenter, lucem denſo fumo adimi neceſſe eſt.

Nemo fratri ſuo parcet.] Poſtrema hac particula & ſequenti verſu deſcribit Propheta quibus rationibus aut mediis, ut aiunt, Dominus vindictam ſuam exequatur, poſtquam ira excanduit. Ubi enim nulli apparebunt hoſtes, à quibus metuamus, nosipſos in perniciem noſtram armabit. acſi diceret, nihil fore difficultatis Domino in exercenda ultione quam denunciat: quia ut nemo aliunde ſit nobis moleſtus, mutuis & inteſtinis bellis nos conficiet. Hoc autem dictu horrendum ac prodigioſum eſt, Neminem fratri ſuo parcere, unumquemque carnem ſuam vorare; nemo enim carnem ſuam unquam odio habuit. Verum ubi excæcati ſumus à Domino, quid ſupereſt niſi ut nosipſos mutuo perdamus? ac tametſi portentoſum eſt, tamen in dies fere accidit. Nulla nos retinet conjunctio aut ſanguinis, aut religionis, aut

Epheſ. 5. verſ. 29.

imaginis Dei, quam omnes gerimus: quum tamen ipſæ Gentes hac communi ſocietate naturæ cohibitæ interdum fuerint à nocendo, quod agnoſcerent bellua ipſas ſimilitudine naturæ retineri, ne in genus ſuum ſævirent: lupum à lupo, urſum ab urſo non vorari. Homines ergo, à quibus humanitas vocata eſt, tam atrociter inter ſe confligere & ſævire, ut belluinam rabiem ſuperent, prodigioſum eſt: nec aliunde hoc malum oriri poteſt, quam quod à Deo excæcati, & in reprobum ſenſum dati ſunt. Merito vero hanc ultionis ſpeciem expreſſit Jeſaias. Quum enim pace fruuntur homines, ſe extra omnem aleam poſitos arbitrantur, nec quicquam reformidant. Hanc autem ſecuritatem deridet Dominus, atque oſtendit ſe vel ſola ipſorum manu, quam in ipſos armabit atque impellet, vindictam ſuam exequuturum.

Geneſ. 1. verſ. 27. & 9. v. 6.

20. *Rapiet quiſque ad dextram.*] Idem eſt quod vulgo dici ſolet, *prendre & ravir à toutes mains.* qua loquutione inſatiabilis vel avaritia vel crudelitas notatur: nam rapiendi libido ad immanem ſævitiam impellit. Fore autem inexplebiles magis emphatice exprimit, quia cæca truculentia impulſi, imo incredibili rabie non ſecus haurient fraternum ſanguinem, quam ſi vorarent proprias carnes. Hac circumſtantia non parum augetur ultionis acerbitas, quod Abrahæ filii, & ſancta electi generis poſteritas, in tam belluinum furorem erumpat. Itaque meminerimus hoc horribile eſſe cæleſtis vindictæ documentum, dum implacabili nocendi cupidine fratres alii in alios feruntur.

21. *Manaſſe Ephraim.*] Hæ tribus peculiariter inter ſe conjunctæ erant. Nam præterquam quod originem ducebant ab eodem patre Abraham, magis arcta neceſſitudo erat, quod ab uno Patriarcha illius pronepote, nempe Joſeph, oriundi erant. Tametſi vero conjunctiſſimæ eſſent, Deus tamen eas ſimul ſe commiſſurum denunciat, ut mutuo conflictu ſeipſos deleant, acſi vorarent carnem brachil ſui: ideoque opus non fore externis hoſtibus denunciat. Addit etiam ubi mutuis vulneribus ſeſe confecerint, ambo adverſus Judam coituros, ut eum perdant.

Geneſ 41. verſ. 50.

Nec in omni hoc averſus.] Si quis per ſe reputet eas clades quas denunciavit Jeſaias, ita obſtupeſcet, ut valde miretur duriora adhuc nunciari. Verum ita agit Dominus cum ſceleratis: nec prius affligendi finem facit, donec penitus obruat atque perdat, quum ſæpius invitati recuſent redire cum ipſo in gratiam. Itaque mirum non eſt, quod plagas alias aliis accumulat, quemadmodum etiam per Moſem eas ſe in ſeptuplum adducturum nunciavit in eos qui reſipiſcere nollent: ne putarent ſe una aut altera perpeſſa, defunctos eſſe. Quum autem Extentam Dei manum dicit, eo ſignificat parata eſſe flagella, quibus ſtatim feriat. nec enim muliebriter iraſcitur Dominus: ſed iram ejus ultio ſtatim conſequitur.

Levit. 26. v. 18, 21.

CAP. X.

VÆ decernentibus decreta iniqua: & qui dictantes dictant injuriam,

2. Ut arceant pauperes à judicio: & eripiant jus pauperibus populi mei, viduas ſpolient, & pupillos prædentur.

3. Et quid facietis in die viſitationis? & quum deſolatio venerit è longinquo, ad quem confugietis auxilii cauſa, & ubi * deponetis gloriam veſtram?

4. † Niſi corruet inter vinctos, & inter occiſos cadent. In hoc toto non erit averſus furor ejus, ſed adhuc manus ejus extenta.

** vel, munietis. † vel, Sine me.*

5. O Aſſur virga furoris mei, & baculus ipſe in manu eorum ira mea.

6. Ad gentem ſimulatricem mittam eum, & contra populum indignationis meæ præcipiam ei, ut prædetur prædam: ut rapiat ſpolia, & ponat eum in conculcationem, quaſi lutum platearum.

7. Atqui ipſe non ſic arbitrabitur, nec cor ejus ſic cogitabit: quia in corde ejus erit ad exſtirpandum & ſuccidendum gentes non paucas.

8. Dicet enim, An non Principes mei pariter Reges?
9. An non, ut Carchemis, ſic Calno? an non Hamath, ſicut Arphad? an non Samaria
ut Damaſcus?
10. Sicut invenit manus mea regnum idolorum, quum ſimulachra eorum ſint præ Jeru-
ſalem & Samaria.
11. An non ſicuti feci Samariæ & idolis ejus, ita faciam Jeruſalem & idolis ejus?
12. Sed accidet, Quum perfecerit Dominus totum opus ſuum in monte Sion & Jeruſa-
lem, viſitabo ſuper fructum magnificentiæ cordis regis Aſſur, & ſuper gloriam altitudinis
oculorum ejus.
13. Quia dixit, In fortitudine manus meæ feci, & in ſapientia mea: quia perſpicax fui:
& ideo abſtuli terminos populorum, & recondita eorum diripui, & detraxi tanquam for-
tis ſedentes.
14. Et invenit quaſi nidum manus mea opes populorum: & ut colliguntur ova dere-
licta, ſic ego univerſam terram collegi: nec fuit qui abigeret ala, & aperiret os, & ſibi-
laret.
15. An gloriabitur ſecuris adverſus ſecantem ipſa? an magnificabitur ſerra adverſus
eum qui ipſam agitat? quaſi elevatio virgæ contra elevantem ipſam: quaſi elevationes
baculi, non ligni.
16. Propterea mittet Dominator Dominus exercituum in pingues ejus maciem: & ſub-
tus gloriam ejus ſuccendet incendium, quaſi incendium ignis.
17. Et erit Lux Iſraël in ignem, & Sanctus ejus in flammam: comburetque & devorabit
vepres ejus & ſpinas die uno.
18. Gloriam ſylvæ ejus, & frugiferi campi ejus, ab anima uſque ad carnem conſumet: &
erit quaſi diſſolutio ſigniferi.
19. Et reliquiæ ligni ſylvæ ejus ad numerum erunt, ut puer eas numeret.
20. Erit in die illo, Non adjicient amplius reliquiæ Iſraël, & ſuperſtites è domo Jacob
inniti percuſſori ſuo: nam innitentur ſuper Jehovam ſanctum Iſraël, in veritate.
21. Reliquiæ revertentur, reliquiæ Jacob ad Deum fortem.
22. Nam ſi fuerit populus tuus Iſraël inſtar arenæ maris, reliquiæ ejus revertentur.
Conſumptio decreta inundans * juſtitiam. * vel, juſtitia.
23. Quia conſumptionem & finitionem Dominus Jehova exercituum facit in medio
totius terræ.
24. Propterea ſic dicit Dominus Jehova exercituum: Ne timeas, popule mi, incola
Sion, ab Aſſur. In virga percutiet te, & baculum ſuum levabit contra te in via Ægypti.
25. Sed adhuc paululum, & † conſummabitur furor & indignatio mea, in abolitione † vel, conſumentur.
eorum.
26. Et excitabit Jehova exercituum contra eum flagellum, ſecundum cædem Madian
in rupe Oreb: & virga ejus ſuper mare, levabitque eam in via Ægypti.
27. Et accidet in die illa, ut auferatur onus ejus ab humero tuo, & jugum ejus à cervice
tua: & diſſipabitur jugum à facie unctionis.
28. Venit in Ajath, tranſiit in Migron, in Michmas reponet vaſa ſua.
29. Tranſierunt vadum, in Gæba pernoctaverunt hoſpitio: territa eſt Rama, Gibea
Saulis fugit.
30. Hinni voce tua filia Gallim, fac audire Laiſam paupercula Anathoth.
31. Mota eſt Madmena: incolæ Gebim collegerunt ſe.
32. Adhuc dies: quum in Nob interquieſcet, agitabit manum ſuam verſus montem
filiæ Sion, collem Jeruſalem.
33. Ecce, Dominus Jehova exercituum amputabit ramum * cum terrore, & proceræ * vel, potenter.
ſtaturæ excidentur, & ſublimia humiliabuntur.
34. Et reſecabit condenſa ſylvæ ferro: & Libanus violenter cadet.

V*Æ decernentibus.*] Nunc propius urget populum Jeſaias: ſicuti fecit 1. & 2. cap. quo ſe merito affligi ſentiat. nunquam enim ſe merito plecti fatentur homines, niſi aperte convicti & coacti. Quamvis autem prioribus teſtimoniis ſatis convicti eſſent, tamen ad ſpecies rurſus veniendum fuit, quibus eorum ſimulatio detegi poſſet. nam adeo perfrictæ frontis ſunt homines, ut qualibet excuſatione ſe tectos putent, & Deum ultro criminentur. In tanta igitur protervia, eos ſatis duriter exagitare, aut accuſando modum excedere non potuit, ut ipſis etiam invitis ora obſtrueret. עמל & און ſæpe in Scripturis conjungi ſolent: ut Pſalmo ſeptimo און ſignificat vanitatem & iniquitatem: ſed (*Pſal. 7. verſ. 15.*) poſterior ſignificatio huic loco melius quadrat. עמל vero moleſtiam ſignificat, & ſæpe cauſam ipſam moleſtiæ, injuriam ſcilicet, quam potentiores tenuioribus inferunt, quum auctoritate & potentia ſua abutuntur. Quemadmodum enim prius originem (*cap. 1: 10, 22, 23.*) mali ab ipſis gubernatoribus eſſe demonſtravit: ita ipſos in priore ordine collocat, ut pœnam ſubeant flagitiorum, quorum ipſi in cauſa fuerunt. Quod diligenter notandum eſt: quia in ſummo gradu conſtituti, ſe à communi aliorum ſorte eximi, ne reddenda ſit Deo ratio, putant. propterea hanc ipſis prærogativam fore denunciat, ut primi etiam pœnas luant. Quod nonnulli hic duos ordines conſtituunt, & diſtinguunt Decernentes à Scribentibus, mihi non probatur. nam in genere & ſine diſtinctione adverſus Principes & Magiſtratus invehitur, qui injuſtis & tyrannicis edictis populum ſic gravabant, ut ad merum latrocinium tenderent: omne
ergo

Digitized by Google

ergo Magiſtratuum & Gubernatorum genus comprehendit.

2. *Ut arceant.*] Alii vertunt, Ut faciant declinare. ſed verus ſenſus eſt, ut arceant pauperes à judicio, vel efficiant ut cadant cauſa. Hæc iniquitas & injuria eſt cujus ſuperiore verſu meminerat: quod inopibus eripitur jus ſuum, fraudanturque in divitum gratiam, & è judicio abeunt deluſi, dum omnia ſunt prædæ expoſita. Pauperes autem potiſſimum nominat, quod ope & auxilio ut plurimum deſtituti ſint. Quum igitur eos Magiſtratus & Judices præ cæteris adjuvare deberent, plus ſibi adverſus ipſos licentiæ permittunt, & contumelioſius ipſos opprimunt. Qui enim opibus, aut amicis, aut gratia valent, injuriæ minus obnoxii ſunt: quoniam arma ipſis ſunt in manu quibus ſe defendant, atque etiam

Exod. 22. *v.* 23, 27. *Deut.* 15. *verſ.* 9. & 24. *verſ.* 15. *Pſal.* 68. *verſ.* 6.

ulciſcantur. Dominus vero ſibi peculiariter commendatos eſſe pauperes ait, qui tamen vulgo contemnuntur: atque ita commendatos, ut injuriam quæ ipſis illata fuerit, inultam non ſinat. neque enim fruſtra ſe talium tutorem ac defenſorem nominat. Hinc igitur inopes & tenues conſolationem petere debent, & æquiore animo miſerias & ærumnas pati, quod intelligunt ſe curæ eſſe Deo, qui inultas ejuſmodi eorum injurias non ſinet. Simul admonentur potentes & opulenti, ne impunitas ſit eis illecebra ad peccandum. nam etſi nullus hic vindex appareat, Dominus tamen ulciſcetur: & eorum cauſam ſuſcipiet, quos omni ope deſtitutos eſſe putabant.

3. *Et quid facietis.*] Hic Propheta ſevere minatur Principibus, qui ſecure deſidebant in ſuis malis, ut ſolent homines proſpera fortuna ebrii omne diſcrimen ex alto deſpicere. Admonet igitur, tametſi cunctetur Deus, præſcriptum tamen eſſe tempus ejus judicio, brevique jam inſtare. Et quia vicinis hoſtibus proſtratis & fœdere potentiſſimæ Gentis muniti, metuere deſierant, diſerte pronunciat cladem è longinquo venturam.

Viſitatio.

Viſitatio autem pro judicio hic capitur. nam alioqui bifariam nos viſitat Dominus: nempe in miſericordia & in judicio. utroque enim modo ſeſe nobis & potentiam ſuam declarat, & quum noſtri miſertus nos eripit è periculis, & quum impios & contemptores verbi ulciſcitur. Eadem autem eſt ratio utriuſque ſignificationis: quia nobis Dominus, niſi ſuis operibus, non apparet: cumque abeſſe putamus, niſi det nobis ſignum aliquod præſentiæ ſuæ. Hanc ergo viſitationem ad ſenſum noſtrum refert Scriptura: quia dum premimur ærumnis, dum licenter ſibi indulgent impii, Deum procul abeſſe, & noſtra negligere ſuſpicamur. Proinde hic Viſitatio, pro Judicio accipi debet, quo Deus impiorum audaciæ & petulantiæ ſe opponens, quaſi fugitivos ad ſe retrahet. Quod ſi tam horrenda ſint in hoc mundo judicia Dei, quam formidabilis futurus eſt, quum poſtremo venerit ad judicandum orbem? Nam quæcunque nunc metum vel terrorem incutiunt pœnarum exempla, nonniſi præludia ſunt extremæ illius vindictæ, qua fulminabit contra reprobos. multa etiam quæ videtur præterire, conſulto in ultimum illum diem reſervat ac ſuſpendit. Quod ſi his caſtigationibus ferendis pares non ſunt impii, quanto minus tolerabilis erit illis glorioſa & inæſtimabilis majeſtas, quum ad tribunal illud magnificum veniendum erit, coram quo Angeli ipſi contremiſcent? Quum ait, *E longinquo*, obſervandum eſt nos obſtupeſcere non debere in tranquillitate præſenti: quia quicunque ſecure torpendo in ſuis vitiis, prava hac ſecuritate Deum exarmant, brevi ſentient poſſe momento, quoties volet, cælum & terram ab Ortu uſque ad Occaſum concutere.

Ad quem confugietis.] Significat ſuis præſidiis fruſtra eos inniti: quia adverſus Dei manum irrita erunt, adeoque evaneſcent. ſimul etiam docet hanc mercedem juſtiſſimam fore: quia quum inhumani fuerint ergo alios, merito nihil tunc opis aut in Deo aut in hominibus ſentient. Judicium enim ſine miſericordia iis qui immiſericordes fuerint. *Jacob.* 2. *verſ.* 13. præſertim vero in Judicibus, qui totius populi aſylum eſſe debent: quando ad hoc inſtituti ſunt, ut miſeros & inopes tueantur. ſi eos neglexerint ac prodiderint, ſi etiam ſpoliarint, quantopere diſpliceat Deo hæc inhumanitas, in ſua ipſorum nuditate ſentire æquum eſt. Quod ſequitur, *Ubi deponetis gloriam*, ita accipiunt interpretes, acſi diceret Exturbatum iri è ſuo gradu. Ironice enim per ludibrium ſciſcitari Prophetam exiſtimant, Quo abibit ſplendida illa dignitas, qua non minus crudeliter quam ſtulte ſuperbiunt Proceres, quantiſper illis Deus parcit? Sed quia hoc coactum eſſet, mihi potius videtur Jeſaias quærere, ubinam reperturi ſint tutas latebras, in quibus gloriam ſuam deponant. ita Relinquere intelligo cuſtodiæ cauſa: & duæ particulæ inter ſe reſpondent, Ad quem confugietis? & Ubi reperietis gloriæ veſtræ aſylum, in quo ſervetur? Niſi forte magis arrideat diverſa ſententia quam in margine notavi, quia verbum עזב Roborare etiam ſignificat. Cæterum, ſi Principes è ſublimi detractos Deus ita direptioni exponit, quid infimis futurum eſt? Non eſt igitur quod ſibi quiſquam blandiatur. nam inſtar ſtipulæ futuri ſumus omnes, ubi ira Domini adverſus nos accenſa erit. *Pſal.* 83. *verſ.* 14.

4. *Niſi corruet.*]. Quia ambigua eſt ſignificatio particulæ בלתי, varios ſenſus eliciunt interpretes. Quidam excluſive accipiunt ſicuti pluribus aliis Scripturæ locis: acſi diceret, Tantum corruet inter vinctos & occiſos: quia ſcilicet omnes aut vinculis aut cædibus addicti devotique erunt. Alii vertunt, *Sine me*: quæ lectio ſi placeat, Propheta docet hanc illis interitus cauſam eſſe, quod defecerint à Deo ſuo: ut certe hæc nobis malorum omnium cauſa eſt, fontem vitæ & ſalutis bonorumque omnium relinquere. & hoc modo acriter perſtringit impiorum vecordiam, qui perinde exultant relicto Deo, acſi nihil optabilius vel lætius eſſet, quam longiſſime ſe ab eo ſubducere: atque ita ironica eſſet exprobratio: quia non aliunde illis obveniet calamitas, quam ex Dei abſentia, qua perperam lætati fuerant. Secundum alios elliptica eſt loquutio, Non aliud fore illis refugium, quam ſi ſe ſubter vinctos & occiſos proſternant. Poſſet quoque jurisjurandi eſſe forma, & optime quadraret hic ſenſus, Deum cum indignatione jurare, nemini ſe parſurum, quin alios mancipet carceri, alios hoſtibus interficiendos tradat. Denique oſtendit hæc ſententia, qualis maneat exitus eos omnes qui verbo Dei admoniti non reſipiſcunt. Et ex proximo contextu colligimus, grave dirumque exitium denunciari. repetit enim quod jam ſæpius dixit, Iram Domini adhuc ſedatam non eſſe: reperturum atrociores pœnas quibus ſeſe ulciſcatur. Quo docemur, nihil omnino præſtabilius, quam vero reſipiſcentiæ affectu tangi, & culpam noſtram agnoſcere, ut veniam à Domino conſequamur.

5. *O Aſſur.*] Quod nunc ſequitur, ſic ad pœnas denunciandas ſpectat, ut miſceat tamen aliquid ſolatii ad leniendos piorum dolores: imo major pars orationis in hac doctrina conſumitur, Quicquid malorum proveniet ab Aſſyriis, temporale eſſe Dei flagellum: incredulos tamen ubi plus æquo laſcivierint, tandem in ordinem cogendos eſſe. הוי interdum dolentis eſt, interdum vocantis adverbium, interdum Væ ſignificat: quemadmodum vetus interpres tranſtulit. hic vero aliter exponi nequit, quam ut Dominus Aſſyrios vocet, vel induat perſonam gementis, quod pœnas de populo ſuo per Aſſyrios ſumere cogatur. Sed quum omnia propius expendo, potius deſcendo in eam ſententiam, hic à Domino vocari Aſſyrios. acſi ſuo edicto ad gerendum bellum eos armaret. Prius quidem eos venturos dixerat: ſed adeo ſecuri ſunt hypocritæ, ut nunquam percellantur

tur timore Dei, niſi quum flagella apparent, atque adeo infliguntur. Hæc ratio eſt cur ipſos nunc accerſat, Adeſte: acſi Judex lictorem vocet, atque ipſum jubeat maleficum vincire: aut carnifici mandet, ut ipſum capite puniat. Ita Dominus vocat Aſſyrios, ut eorum manu vindictam ſuam exequatur.

Et baculus.] Hoc ad Aſſyrium referri poteſt, & ſic reſolvi, ut ſit repetitio ejuſdem ſententiæ, verbis paulum mutatis. Ego tamen aliter diſtinguo, Aſſyrios vocari Baculum furoris Dei: deinde gladios & arma quibus inſtructi ſunt, nihil aliud eſſe, quam iram Dei: acſi dixiſſet Propheta, Deum Aſſyriis pro imperio uti ad exequutionem iræ ſuæ, non ſecus ac gladiis. Deinde etiamſi geſtent gladios, nihil tamen inde eſſe metuendum, niſi quatenus ſe ira Dei exeret contra Judæos. Summa eſt, Quicquid erit virium in hoſtibus, proficiſci ab ira Dei, & arcano inſtinctu ejus concitari ad perdendum populum, qui alioqui digitum non moverent: Baculum vero qui geſtatur eorum manu, Deus pronunciat iram ſuam eſſe, ut ſcirent Judæi cæcos hoſtium impetus regi cæleſti providentia. Quod enim nonnulli vertunt, In loco, vel In regionem iſtorum, ego non probo, & nimis coactum eſt. In ſumma, Dominus vocat Aſſyrios, tanquam miniſtros iræ ſuæ, ut eorum manu ſcelera populi ſui ulciſcatur: & quicquid in manu eorum eſt, ſuam eſſe iram teſtatur. atque huic doctrinæ duo propoſiti ſunt fines. primum, ut terreantur impii, ac ſciant Dominum haud fruſtra ipſis interitum minari. deinde rationem oſtendit qua ipſos puniat. Hoc enim plurimum valebat ad excutiendum torporem impiis, qui omnes Prophetæ conciones & minas irridebant. adhæc non parum valuit hæc doctrina, quum populus ipſe affligi cœpit ab Aſſyriis. Reipſa enim tunc perſpicere licuit non fuiſſe inane, neque fortuito accidere quod à Prophetis prædictum erat. Objiciet quiſpiam, Cur poſtea Baculum vocet iram ſuam, quum prius Aſſyrium Virgam furoris ſui eſſe dixerit? ſic enim potius loquendum erat, Aſſyrius eſt ira mea: & baculus quem gerit eſt iræ meæ. Sed non eſt anxie immorandum verbis, quum Prophetæ mentem tenemus. Vocat autem homines Baculum iræ: quia ipſis, tanquam baculo, utitur. Iram Dei vocat hominum arma, quod eorum arbitrio non regantur, ſed teſtimonia ſint iræ Dei. Appoſite ergo loquutus eſt Propheta, ne exiſtimemus impios licentioſe, quocunque impellit libido, irruere: ſed freno conſtringi & comprimi, ne quid præter voluntatem Dei efficiant. Hinc colligendum eſt, Dominum agere etiam impiorum manu: ſed hic ſobrie ſapiendum & loquendum eſt: prudenter enim & moderate inter opus Dei, & opus hominum diſtinguere convenit. ac triplex eſt Deo per homines agendi modus. Act. 17. verſ. 28. primum, quod omnes per ipſum movemur & ſumus. unde ſequitur omnes actiones ab ejus virtute manare. deinde peculiari modo agit ac flectit quocunque viſum eſt impios: & quamvis nihil minus cogitent, eorum tamen utitur opera, ut ſe mutuo conficiant ac perdant: vel ut populum ſuum eorum manu caſtiget. de hoc modo hic loquitur Propheta. tertio, quum gubernat ſuo Spiritu ſanctificationis: quod electis ſingulare eſt. Itaque ſive tyranni aut latrones, aut alii nobis moleſti ſint, ſive contra nos exurgant exteri populi, ſemper inter turbulentos motus & confuſos nobis refulgeat manus Dei, nec quicquam fortuito accidere putemus.

6. *Ad gentem ſimulatricem.*] Perſequitur ſuperiorem ſententiam, qua Aſſyrium Virgam furoris Dei vocavit. quemadmodum enim pater haud fruſtra ferulam ſumit, ſed hoc propoſitum habet ut filium caſtiget: ita declarat virgam Domini non incertum habere curſum, ſed in caſtigationem ingrati & ſcelerati deſtinatam eſſe. *Simulatricem* porro gentem vocat, aut perverſam, quod in ea nihil eſſet integri aut ſinceri. opponitur enim Simulationi Integritas: quæ omnium virtutum caput eſt, quemadmodum hypocriſis illa mater eſt omnium vitiorum. Proinde hic non leviter accuſat Iſraëlitas, ſed exprobrat quod eſt omnium maxime execrandum: atque ideo continuo poſt vocat Populum indignationis, ſicuti alibi Idumæos Populum anathematis ſui. infr. 24. verſ. 5. Quanquam autem ſignificat ſe Judæis infenſum eſſe, loquutio tamen Hebraica multo plus habet energiæ. exprimit enim populum hunc ideo devotum eſſe exitio, quia nihil in ſe contineat niſi materiam iræ. Deus quidem niſi flagitiis noſtris provocatus, nunquam iraſcitur: ſed ubi ad ſummum cumulum pervenit impietas, accenditur implacabilis ejus furor. Ita ſpem reconciliationis præſcindit ſimulatoribus & perfidis, qui non deſtiterant ſubinde peccata peccatis addere. Poſtea ſe frena laxaſſe dicit hoſtium truculentiæ, ut ſine modo per rapinas omne genus & contumelias graſſentur. Porro hoc non eſt ita accipiendum, quaſi Aſſyrii mandatum haberent à Deo, quo ſe excuſare poſſent. Biſariam enim præcipit Dominus: Præcipere Dei. nempe, arcano conſilio cujus homines conſcii non ſunt: præcipit etiam Lege, qua voluntarium obſequium à nobis poſtulat: quod nobis præcipue attendendum eſt, ut reſpondeamus fanaticis hominibus, qui profane diſputant de conſilio Dei, quum ſuam & aliorum impietatem excuſare volunt. Prudenter, inquam, diſtinguere operæpretium eſt inter has duas præcipiendi rationes. Quum enim Dominus in Lege patefaciat voluntatem ſuam, non debeo ad arcanum ejus conſilium, quod mihi ignotum eſſe voluit, conſcendere: eſt enim ſimpliciter in obſequio permanendum. Quod ſi quis ſe parere Deo cauſetur, quum libidini ſuæ obtemperat, mentitur, Deum fruſtra ſcelerum reatu involvens, quo ſe intus conſtrictum ſentit. Neque enim hic alio vel teſte, vel judice opus eſt, quam propria cujuſque conſcientia. impii quidem opera utitur Deus, ſed alio ſpectantis. Eſt igitur hominum reſpectu accidentale, quod per impios & reprobos agit: quia ſe Deo ſervire neque norunt, neque [illegible] propoſitum habent. Itaque ſi prætextum hunc captent, facile convinci poſſunt, dum libidini ſuæ morem gerunt, nihil minus quam Dei imperio parere. habent enim voluntatem Dei in Lege expreſſam, ut fruſtra alibi eam quærant. ſuo igitur reſpectu opus Dei non agunt, ſed diaboli: quia ſuis cupiditatibus Epheſ. 2. verſ. 2. ſerviunt. Hoc certe minime ſpectabant Aſſyrii, ut operam ſuam Deo locarent, ſed libidine ſua, ambitione, & avaritia ferebantur. Interim Dominus ipſorum conatus & conſilia in alium omnino finem ipſiſque ignotum dirigebat. Summa vero hujus loci eſt, rarum & non vulgare fore ultionis Dei exemplum, quum effreni licentia irruent Aſſyrii: quia divinitus miſſi erunt, non ut humaniter & moderate ipſos tractent, ſed ut hoſtili more ipſos prædentur. addit etiam, *In conculcationem:* quod extremum omnium eſt, quum ſcilicet non parcitur victis, [illegible] contumelioſiſſime, quoad fieri poteſt, tractantur.

7. *Atqui ipſe non ſic.*] Quia impii, dum ſuam ferociam deſpumant, conturbant infirmos animos, acſi penes Deum non eſſet, eorum ſuperbiam & furorem compeſcere: mature occurrit Propheta, & fideles hortatur, quantumvis intemperanter ſe effundat impiorum petulantia, ut tamen ſentiant occulto Dei judicio juſte ſe caſtigari. Oſtendit quod nuper attigimus, longe aliam fore Aſſyriis mentem, quam ut Deo impendant operam, ſintque ejus iræ miniſtri: ſed tenendum ſimul eſt quo conſilio id faciant. Multis enim objicere promptum fuiſſet, Quid nobis, quum ſis Dei præco, ab Aſſyrio minitaris? quaſi vero immanis illa bellua ad capeſſenda Dei juſſa docilis ſit. Reſpondet igitur mirum eſſe Deo artificium, quo vel inſcios, vel invitos in obſequium trahat. Tametſi, inquit, alii ſint eorum conatus aliaque conſilia, nihil tamen impediet, quo minus per

eos exequatur atque impleat Deus quicquid decrevit. Poterant etiam multi obſtrepere, præpoſterum eſſe ordinem, quod Deus profanis Gentibus electum populum ſubjiceret; nec vero æquum eſſe, quantumvis peccaſſent Judæi, ut eorum conditio deterior eſſet quam illorum latronum, qui impietate ſua & ſceleribus atrociſſimam pœnam meriti erant. Denunciat igitur Propheta ſuas Aſſyriis quoque fore vices, ut juſtas pœnas tempeſtive luant. interea non eſſe abſurdum ut affligant alios, prædentur, devorent, interficiant, quia repoſita eſt illis ſua merces. Adhæc medetur Propheta piorum dolori, & anxietatem moleſtiamque levat, ſignificans impiorum audaciam divinitus frenari, ne perficiant quicquid ipſis libitum eſt. Docet igitur, utcunque confuſe tumultuentur impii, Deum è cælo temperare ſua judicia, ut Eccleſiæ ſuæ ſaluti conſulat. Jubet ergo, quamvis Aſſyrius immanis belluæ inſtar, prædæ aviditate ardeat, oculos attollere in Deum, cujus conſilium à cæco illo impetu longe remotum eſt.

8. *Dicet enim.*] Cauſam aſſignat cur non putabit Aſſyrius ſe virgam eſſe Dei, nempe quia excæcatus ſuperbia, nullum ſuperius imperium agnoſcet. neque enim fieri poteſt, ut ſe Dei providentiæ ſubjiciant, qui magnitudine ſua confiſi, hoc & illud arrogant ſuis viribus. Hoc vere eſt legitimum imperium tribuere Deo, ubi ne minimum quidem digitum moveri poſſe credimus abſque ejus nutu. contra vero quiſquis ſe minimum quicquam poſſe imaginatur, ſacrilego faſtu Dei potentiam ad ſe transfert: ſicuti hic Propheta graphice depingit inſolentiam profani Regis in jactanda rerum omnium licentia. atque hoc præſertim ſummis Principibus evenit, qui quum opibus, copiis, & robore valeant, ſic excæcantur, ut vix homines ſe eſſe norint. quod plus ſatis experiri licet: nam quotuſquiſque Principum hodie ſe hominem, & communibus miſeriis obnoxium putat vel meminit? Sic enim ebrietate quadam mentis alienantur, ut quicquid moliti ſunt, protinus ſeſe effecturos, ſuperatis omnibus obſtaculis, credant.

9. *An non, ſicut Carchemis.*] Hic aliquot urbes nominat: tametſi alii regiones eſſe volunt. eſt tamen probabilius urbes aut munita quædam loca fuiſſe. An non, inquit, idem accidet locis mihi nondum ſubjectis, quod aliis quæ mihi obſtiterunt? Comparat igitur Calno, Arphad, & Samariam quas poſtremo vicit, Carchemi, Hamath, & Damaſco, quas prius vicerat: nec eas iſtis fortiores fore dicit. Ita ſolent impii ex priſtinis ſuis factis gloriari atque inſoleſcere, ut ſe omnia impedimenta perrumpere, nec quicquam eorum conſiliis & conatibus obſtare poſſe exiſtiment: imo putant ſe omnia invito & inſcio Deo peracturos. Quum legimus hanc hiſtoriam, diſcamus non eſſe ſuperbiendum quod fortes fuerimus, aut nobis ſucceſſerit ex ſententia. nam in ejus manu erit nos dejicere qui extulit. Quod ſi Aſſyrio iſtam arrogantiam exprobrat: quanto magis arguendi ſunt ii qui ſibi juſtitiæ & ſanctitatis laudem tribuunt, acſi ſua ipſorum virtute regenerari poſſent? Deum enim haud dubie ſpoliant ſuo honore, quodque illius proprium eſt, ſibi uſurpant.

10. *Sicut.*] Longius jam erumpit intemperies: neque enim tantum hominibus, ſed Deo ipſi inſultat Aſſyrius, atque etiam diis ipſis quos colebat. Jactat enim deos, ſub quorum tutela erant aliæ Gentes, ſibi obſiſtere non potuiſſe, quominus eas domaret: Deum Iſraël, cui confidebat Jeruſalem & Samaria, ſibi haud magis obſtaturum. Sic enim ſuperbiunt impii, ut victorias quas conſequuntur, viribus ſuis tribuentes, adverſus Deum & omne numen ſeſe erigere non dubitent. Fingunt quidem ſe numina ſua revereri, id eſt, idola quæ ſibi commenti ſunt, eaque ſalutant, & ſacra faciunt quibus ſpecimen aliquod præbent ſe victorias ſuas diis acceptas ferre: ſed deinde Reti ſuo, ut inquit Habacuc de Na- *Habac. 1. verſ. 16.*
buchodonozor, ſuffitum faciunt, & ſagenæ ſuæ ſacrificant: dum ſcilicet facinora ſua, conſilium, prudentiam, induſtriam jactant. Tunc enim hypocriſin ſuam detegunt, & arcanas cogitationes patefaciunt, quæ ſub illis ſimulationum involucris latebant: dum ſtatim quod numini ſuo tribuere videbantur, ad ſe transferunt. Haud mirum igitur, quod Sennacherib ſe ſupra omne numen efferebat. talis enim eſt fructus impietatis. Duplex autem hic blaſphemia eſt: primum quod ſeſe præfert Deo, ſeque ipſo potentiorem fore exiſtimat: deinde, quod Deum falſis diis permiſcet. Satis vero prodebat impietatem ſuam, quum vel idolis ſolùm ſeſe præferebat. nam etſi nihil ſunt idola, quum tamen aliquid virtutis & divinitatis ipſis affingant eorum cultores, ſi iis inſultant, ſe omnis numinis contemptores eſſe produnt: quando non aliter in idola ſunt contumelioſi, acſi cum Deo ipſo negotium foret. Bellum igitur cum Deo gerere teſtis eſt eorum conſcientia, nec ulla ignorantia ipſos excuſat: quia Deum ſimulachris ineſſe putant. Nam ſi Apollinem aut Jovem deſpiciebat hic tyrannus, certe non tanquam idola, ſed tanquam Dei numen in ipſis contemnebat. Altera vero tyranni blaſphemia fuit, quod Deum vivum cum diis Gentium fictitiis in eundem ordinem redegit, eique ſimul cum aliis inſultare auſus eſt, & Iſraëlis fiduciam ridere, acſi non major ejus poteſtas, quam idolorum foret.

12. *Quum perfecerit.*] Hactenus expoſuit Propheta qualis futura eſſet ſuperbia Aſſyrii, poſtquam ſibi victoriam adverſus Iſraëlem adeptus eſſet. nunc vero quid Aſſyrio ipſi venturum ſit, & quale erit conſilium Domini adverſus ipſum, declarat. Nam impii perinde omnia agunt, acſi Deus in cælo non eſſet, nec poſſet eorum conatus abrumpere. Quid enim aliud declarant ſuperbæ iſtæ voces, *Manus mea invenit regna idolorum*, quam quod exiſtimabat ſe diis omnibus ſuperiorem fore? Atqui Deus ſeſe opponit ejus conatibus: & poſtquam ipſius opera uſus eſt, in eum quoque animadvertit. Duo ſunt hujus ſententiæ membra. impium enim Regem à Deo puniendum eſſe pronunciat: deinde admonet nondum tempus adeſſe, quo fideles ad patientiam animet. Tempus autem agendi tunc Deo opportunum fore denunciat, ubi Eccleſiæ ſuæ peccata correxerit: perinde acſi paterfamilias res domi ſuæ turbatas componeret. Huc ſpectat conſilium, ne animum deſpondeant fideles, ubi impium tyrannum ſic exultantem cernent, neve abjiciant ſpem ſalutis, acſi nullo freno poſſet cohiberi. Promittit Deus in ſumma, ſe, ubi Aſſyrio permiſerit abſque modo ſuperbire, viciſſim fore vindicem: quia partes ſuæ ſint retundere carnis ſuperbiam, quæ cum ſacrilegio conjuncta eſt. Ideo particula על pondus habet, quaſi diceret Altitudine ſua minime eximi Aſſyrium, quo minus pœnis ſubjaceat. Fructum vero hic metaphorice accipit: quoniam impii ſe beatos & felices eſſe putant, dum turgent ſuperbia: acſi fructum aliquem colligerent. Cor vero priore loco ponit, in quo ſedes eſt ſuperbiæ, & quod arrogantia turgidum, ferociam & contumelias efflat. poſtea adjungit Oculos, in quibus interior cordis affectus ſe prodit, & qui elatione ſua occulti vitii nuncii ſunt. Quantumvis ergo ſupercilia ſua attollat Aſſur, teſtatur Deus ſibi in manu eſſe rationem, qua gloriam ejus in dedecus & probrum repente convertat. Itaque & contemptum, & deſpicientiam, & faſtidium, geſtuſque vultuoſos nimiæ confidentiæ ſigna, quæ in ſuperbis hominibus conſpici ſolent, comprehendit. Deum porro loquentem introducit: quoniam ἐμφατικώτερον eſt quod Dominus ore ſuo pronunciat, quam ſi Prophetæ ore loqueretur. Hinc collige univerſalem doctrinam: Dominum ſcilicet inſolentiam ſuperborum ferre non poſſe, quin eam retundat. eſt enim perpetuum ipſi *Jac. 4: 6. 1 Petr. 5. verſ. 5.*
bellum cum arrogantibus & faſtuoſis. Sed animad-

verte,

verte, ut immodicæ feſtinationi obviam iret Propheta, hoc velut reſtrictionis loco additum: poſtquam ſcilicet Dominus totum opus ſuum perfecerit. nam ſimulatque hominem ſuperbum videmus, miramur eum à Domino tolerari. atqui demonſtrat hic Jeſaias, ſuperbum iſtum tyrannum, quantumvis proterve ſe jactet atque efferat, à Deo ferri, quoniam ejus opera uti volebat: nec ſemper adeſſe opportunum tempus, quo Dominus frangat impios, ſed patienter expectandum eſſe: ubi caſtigaverit regnum Juda, acſi domeſticos in ordinem cogeret, in puniendo extero hoſte minime fore ſegnem vel tardum: quemadmodum pater ferulam abjicere aut abrumpere ſolet, qua filium percuſſit. *Montem* porro *Sion* *συνεκδοχικῶς* poſuit pro Eccleſia: & eodem ſenſu Jeruſalem, ut à Templo & regia urbe tanquam à capite totum corpus, vel à parte præcipua totum regnum deſignaret. *Univerſum opus* exprimit, quia libenter præpoſtera noſtra celeritate Deum ab opere ſuo revocaremus, etiamſi tantummodo inchoatum eſſet. præſertim contra impios ebulliunt ejuſmodi vota, ut difficile ſit impatientiam noſtram cobibere, niſi protinus in illis puniendis Deus morem gerat noſtro deſiderio. Hunc fervorem ut temperet Propheta, jubet paternis Dei caſtigationibus liberum & plenum tempus permitti. Totum enim opus accipitur pro juſta menſura. Utilis doctrina & magnæ conſolationis. nam videmus impios mire inſoleſcentes & quaſi victores inſultare Deo, ejuſque doctrinam probris & calumniis inſectari, ut nullis fere verbis exprimi poſſit eorum protervia. quod ſi nobis obtemperaret Dominus, ſtatim ad eos frangendos & delendos advolaret. ſed vult per eos Eccleſiam ſuam prius humiliare. Nec enim de Syris aut Ægyptiis hic loquitur, ſed de Judæis, de Sion, de Templo & domicilio quod ſibi conſecratum eſſe voluerat. Ita hodie varii ſunt Eccleſiæ morbi, quos Dominus curare & purgare vult. id quidem inchoavit: ſed fallimur, ſi perfectum opus eſſe exiſtimemus. non deſinet igitur quoad ita nos domuerit, ut vero ipſius timore perculſi, qua decet modeſtia & docilitate jugum ſubeamus. Itaque mirum non eſt quod frena laxat tyrannis, eoſque in Eccleſiam adhuc ſævire ſinit. ſed conſolatio in promptu eſt: quod quum eorum opera fuerit uſus in caſtiganda Eccleſia, ſuperbiam eorum & arrogantiam viſitabit. Nec mirum eſt, ſi Deus electos ſuos priore loco feriens peculiarem ſalutis eorum curam ſibi hoc modo eſſe declaret. Oportet
1 Petr. 4. verſ. 17. igitur judicium à domo Dei incipere: deinde ad exteros progredi, qui duriores etiam plagas ſuſtinebunt.

13. *Quia dixit, In fortitudine.*] Iterum repetit Propheta plenas blaſphemiæ voces quas crepabat Aſſyrius. Suæ enim potentiæ & ſapientiæ vindicat quicquid victoriarum adeptus eſt. Per Fortitudinem manus intelligit ingentes exercitus ex variis Gentibus collectos. quanquam ſimul gloriatur ſe bellicoſum eſſe Regem, ut ſolent Thraſones iſti laudem omnium quæ eorum auſpiciis geſta ſunt ad ſe trahere, tametſi in umbra deliciis vacaverint. poſtea circumſpectum & prudentem ſe fuiſſe jactat, ut vulgo dicimus, *J'ay eſté bien entendu & expert.* Cæterum minime dubium eſt, quin fraudes & perverſas aſtutias quibus vicinos circumvenerat, honorifico titulo veſtiat. Nam hæc Regum ac Principum ſunt ſtratagemata, obliquis artibus pacem turbare, excogitare litium prætextus, ſerere diſcordiarum ſemina, denique ſuis practicis, ut loquuntur, omnia miſcere. Quod dicit, *Terminos populorum ſuſtuli*, tantundem valet ac Propagavi fines meæ dominationis, aliaſque regiones meis finibus adjunxi, ut earum diſtinctio & terminus tolleretur. quemadmodum ſi diceremus Regem Galliæ, fines Britanniæ, Burgundiæ, Aquitaniæ, Provinciæ, & aliarum regionum ſuſtuliſſe, quum eas ſuo regno conjunxit. Addit etiam nihil adeo abſconditum aut abſtruſum fuiſſe, quin ei in prædam pateret: acſi diceret ſua ſagacitate factum eſſe ut attraheret in ſuas naſſas vicinos, piſcaretur theſauros ipſorum, & ad ſe alliceret quicquid remotum erat.

14. *Et invenit.*] Addit nihil ſibi fuiſſe negotii in Regibus ſuperandis, & in unum contrahendis eorum opibus: idque ſimilitudine planius reddit: quemadmodum ſiquis nidum quærat, & reperiat ab avibus deſtitutum, ſicque ova ſine difficultate capiat. nam ſi incumbant aves, ut eſt innatum ipſis conſervandi nidi ſtudium, aut involabunt in raptorem, eumque roſtro petent, vel ſibilo & garritu eum abigere conabuntur. Hic vero tyrannus jactat neminem fuiſſe, qui adverſus ipſum vel hiſcere tantum auderet, atque ita nullo negotio ad ſe regna omnia collegiſſe. Itaque hæc omnia ſibi arrogat, & ſapientiæ ſuæ tribuit, nec providentiam Dei ullam agnoſcit. Has jactantias conſulto Propheta quaſi ex ore ejus retulit, ut oſtenderet totidem fuiſſe flabella, quæ Dei judicium accenderent. nam inter homines tolerabilis non eſt hic faſtus, quomodo eum Deus non comprimeret?

15. *Angloriabitur.*] Clarius hic deridet veſanam illam Aſſyrii temeritatem, qua ſibi ex nihilo aureos montes fingebat. perinde enim eſſe dicit, acſi ſecuris aut malleus manum à qua agitantur deſpicerent, ac ſuperbirent de ſua agilitate, quum tamen palam ſit carere proprio motu. Sed antequam plura de re, de verbis breviter aliquid attingam. Secundum membrum verſus nonnihil obſcurum eſt. Res quidem ipſa patet, ſed in forma loquendi quædam eſt ambiguitas, qua fit ut magnopere inter ſe varient interpretes. Cæterum, dum omnia propius expendi, videtur hic ſenſus quem reddidi, aliis melius fluere, Quid hoc eſt? ſi baculus ſe efferat contra manum elevantis, ſeque lignum obliviſcatur, quam monſtruoſum erit ſpectaculum? Nam particulam את, quæ nota eſt accuſativi, tantundem valere ac Contra, novum non eſt: ו autem copula ſæpe ſupervacua eſt. ita ſenſum habebimus minime ambiguum, & à Prophetæ verbis non remotum. Prius exprobravit Aſſyrio, quod ſuis conſiliis & armis adſcriberet quas ſibi acquiſierat victorias. nunc dicit hoc modo contra Deum gloriari, non ſecus acſi ſecuris pro nihilo ducens ſecantis manum, artificis laudem ſibi ſumeret: vel baculus perinde acſi mortuum non eſſet lignum & nullius per ſe vigoris, contra eum inſurgeret à quo attollitur. Unde agnoſcimus homines ſeſe efferre adverſus Deum, quoties ſibi pluſquam par eſt tribuunt: nec jam cum hominibus, ſed cum Deo ipſo belligerare. Faceſſant ergo ſuperbæ & blaſphemæ iſtæ voces, Hæc virtute mea, prudentia, induſtria effeci, conſului, curavi. eſt enim Dominus zelotes: nec patitur alio gloriam ſuam transferri. *Exod. 20. verſ. 5.*
Porro notandæ ſunt iſtæ comparationes, quibus homines inſtrumentis ſimiles facit. *infr. 48. verſ. 11.* Nec vero id ad univerſalem providentiam, quo omnes creaturæ aguntur, referendum eſt, ſicuti nonnulli faciunt, qui omnes à Domino agi fatentur, quia negare non poſſunt: ſed addunt, unumquodque impelli pro ſua natura, ut Solem, Lunam, cælos, & ejuſmodi. Ita imaginantur hominem proprio conſilio & libero arbitrio huc vel illuc agi: quia Deus nihil aliud quam continuet virtutem ab initio ſemel inditam. Huc vero tendit commentum, Univerſam mundi machinam ſuſtineri Dei manu, ſed ad ſingulos motus regendos non intercedere ejus providentiam. ſic pluviam & ſerenum tempus Deo adſcribunt, quatenus naturæ conditor eſt: proprie tamen ut Deus nihil præcipiat: generari pluviam à vaporibus, ſerenitatem etiam ſuis cauſis naturalibus creari. Atqui confuſa hæc actio, quam Deo relinquunt, vix milleſima pars eſt ejus gubernationis, quam ſibi ipſe vendicat. Merito ergo Jeſaias hic ad ſingulos actus, ut loquuntur, præſidem ipſum ſtatuit, ut homines veluti fe-

 rulas

nulas deſtinet quocunque viſum eſt, conſilia eorum flectat, conatus ordinet, impetus denique moderetur: ut omnia ab ejus providentia, non ab impiorum libidine pendere intelligamus. Objicitur tamen abſurdum eſſe homines ita Secures & Gladios dici, ut iis voluntas & judicium, & quicquid eos ab inanimis ſecernit, adimatur, ut ex hominibus ſtipites aut lapides fiant. Sed reſponſio in promptu eſt: quamvis enim Deus homines lapidibus comparet, non ſequitur tamen ipſos iis ſimiles prorſus eſſe. Nullum enim ſimile idem: ſed in aliquo conveniunt. Nam ſicuti baculus ſeſe huc aut illuc movere non poteſt, eſt tamen ad ictus infligendos idoneus: ita impii habent aliquid naturale, nec tamen huc aut illuc converti poſſunt, niſi providentia Dei & occulto conſilio dirigantur. non impedit ergo hæc rerum, ut ita dicam, aptitudo, quominus Dei unius in ſolidum, actio eſſe debeat. Verum hic tempeſtive quæſtio de hominis voluntate movetur. nec enim ſi Deus hominum conſilia ſibi ſubjicit, & ſtudia conatuſque vertit in quemcunque viſum eſt finem, ideo conſilia agitare, & hoc vel illud moliri deſinunt homines, quando hic violenta coactio fingenda non eſt, acſi Deus traheret nolentes: ſed mira & incomprehenſibili ratione omnes hominum motus temperat, ut tamen illis maneat ſua voluntas. Præcipue autem hoc loco docet Jeſaias, omnes hominum conatus irritos eſſe, niſi Dominus illis ſucceſſum præbeat. Itaque Aſſyrium, etiamſi omnia tentaſſet, nihil effecturum, niſi Deus victorias contuliſſet: ideo non eſſe cur ſibi laudem arroget earum rerum, quas nonniſi Deo auctore conſequutus erat. atque hoc ipſum confirmat alia metaphora, quum ait, Baculi elevationem à moventis arbitrio, non à ligni natura proficiſci.

16. *Propterea mittet.*] Perſequitur ſuperiorem doctrinam: ſignificans Dominum oſtenſurum Aſſyrio quam immerito ſeſe efferat, atque illius arrogantiam in qua ſibi ſtulte placet, dejecturum. Quum enim opibus & copiis ſuis confideret, Dominum eas adempturum pronunciat: idque ſub Pinguedinis & Maciei metaphora. Pinguedinis enim nomine, tam divitias quam potentiam bellicam ſignificat: Maciei vero, inopiam & penuriam earum rerum, quibus nimium fidebat. acſi diceret, Quicquid ei pingue & opimum eſt, id totum Dominus macerabit. Nec enim novum eſt pinguedini conferri proſperitatem. quia ſicuti nimia ſagina refractarii fiunt equi, ut ſeſſorem excutiant, vel calcitrent ſimulac quiſpiam accedit: ſic in hominibus ſaturitas gignit ferociam, quæ macie ſubigitur. Valde etiam concinna eſt quæ ſequitur ſimilitudo, Ignem ſuppoſitum iri ejus gloriæ: quia ſignificat, Quo ſplendidior eſt ejus felicitas, eo fore uberiorem incendii materiam. Quanquam ſimul indicat penitus redactum iri in nihilum: acſi quis à radice ſuccideret arborem, vel domum à fundamentis everteret. Nam ſi rami tantum arboris abſcindantur, facile repullulat: aut ſi tectum domus incendatur, reliquæ partes integræ manent. nihil igitur ei reliquum facit: ſed extrema internecione delendum affirmat. Particula Tanquam, quæ ſimilitudinis eſt, improprietatem non denotat, ſed potius tale incendium fore, ut Aſſyrii gloriam penitus conſumat.

17. *Et erit Lux Iſraël.*] Alludit eleganter ad incendium illud, quo ſe Aſſyrios conſumpturum minatus eſt. Duo enim ſunt in igne: lumen & ardor. ut Dominus ardore ſuo conſumit hoſtes, ita luce pios illuſtrat. Satis autem uſitatum eſt, Deum nunc Ignem vorantem, nunc diverſo reſpectu Lucem vocari, quia ejus vis erga pios & impios contraria eſt. Piis enim affulgens, eos fovet ac vegetat: impios vero conſumit atque perdit. In ſumma, ſic Aſſyriis exitium minatur, ut piis ſimul conſolationem afferat: idque bifariam, quoniam videbunt Deum ultorem injuriarum quas pertulerunt: deinde ejus luce exhilarati, recipient novam vitam. Qualis ſit ea lux, aperte & ſine metaphora explicat, quum addit *Sanctum ejus*, ut longiore expoſitione opus non ſit. nempe quia populum illum quem elegit, & ſibi quaſi peculium ſegregavit à reliquis gentibus, velit etiam tueri. Tandem ergo Dei gratiam, quæ in Iſraële fulget, inſtar ignis fore ad hoſtes vorandos. *Die uno*, id eſt, ſubito, repentino incendio flagrabit. Inuſitatam enim & ſtupendam flagrantiam ſignificat, quæ impiis repente oboriri ſolet, quum ſibi bene eſſe, & longe periculum abeſſe putant. Deinde quæcunque objicient præſidia, inſtar ſtupparum fore docet, quæ flamma correptæ momento evaneſcent.

Deut. 4. verſ. 24. & 9: 3. Hebr. 12. verſ. 29. infr. 60. verſ. 20. Mich. 7. verſ. 8.

18. *Gloriam ſylvæ.*] Proſequitur eandem ſimilitudinem incendii: ac declarat futurum, ut tam ſumma quam infima conſumat ignis, nec quicquam ſalvum relinquat. Nam fieri poteſt ut ignis ſummas occupet partes: humiles vero & dejectas prætereat. כרמל, hic non arbitror eſſe proprium nomen, ſed potius appellativum, pro ſolo ubere & feraci. Neque enim quadraret ſub Aſſyrii ditione cenſeri montem Carmel. Ideo ſenſus eſt, non modo ſylvis ejus inſtare interitum, ſed ſegetes eodem igne correptum iri. quia non modo graſſabitur in ſuperficie, ſed in fundos ipſos penetrabit. Aliam ſimilitudinem ab homine ductam ſubjungit: Quemadmodum enim homo corpore & anima conſtat, ita cuique ejus parti ægritudines ſeorſum accidunt. nam ſæpe valente anima, ægrotat corpus, & è diverſo: periculoſiſſima vero eſt conjuncta utriuſque ſimul ægritudo. Hac ergo ſimilitudine, nihil Aſſyriis integrum aut ſalvum fore denunciat: ſed exitio extremo eſſe devotos, quia à carne uſque ad animam interibunt: non quod mortales ſint animæ, ſed quia vindicta Dei in eas quoque incumbet. Quod certe horrendum eſt. nam alioqui caſtigationum finis eſt, ut interempta carne, ſpiritus ſalvus fiat: ubi vero ſpiritui quoque exitium affertur, quid miſerius dici aut cogitari poteſt? Flamma enim pios lambit tantum, non abſumit ut impios, in quibus nihil præter materiam incendio aptam reperit.

Diſſolutio vexilliferi.] Eſt hic alluſio in vocibus, quæ Latine exprimi nequit. Idem autem ſignificat quod aliis ſimilitudinibus: cladem videlicet extremam: ut quum vexillo capto exercitus omnino profligatur. captis enim ſignis, major cædes conſequi ſolet: ut quum Hiſtorici magnam internecionem ſignificant, ſigna capta eſſe dicunt. Nec vero hæc Aſſyriis minatur ipſorum gratia, ut admoniti proficiant vel reſipiſcentia tangantur, ſed ut piis conſolationem afferat: ne exiſtiment laturos impune Aſſyrios, quum tam atrociter in populum Dei ſævirent, nec ſuſpicentur aut oblitum promiſſi eſſe Dominum, aut non poſſe eorum conatus abrumpere. Niſi enim antevertiſſet Propheta, multæ hujuſcemodi dubitationes eorum animis occurrere potuiſſent. Quum ſubjicit Reliquias eorum fore in numero, Hebraica loquendi forma docet fore exiguas. atque ita ſuperiorem ſententiam tantummodo confirmat: tantam videlicet vaſtitatem fore poſt cladem divinitus Aſſyriis illatam, ut non difficilis ſit computatio: imo ultra progreditur, tantam fore paucitatem, ut qui ex iis ſupererunt, poſſint vel à puero numerari. nam alioqui pueri vix ad tres aut quatuor uſque numerare poſſunt. Itaque regnum Aſſyriorum velut ingens quædam ſylva prius erat: cujus quum abſciſſæ & dejectæ ſunt arbores, raræ deinde & ſparſim hic atque illic apparent.

20. *Erit in die illo.*] Nunc ad electum populum revertens, deſcribit fructum caſtigationis quæ inſtabat. Quum enim durum nobis atque acerbum ſit, ærumnas ac moleſtias pati, eaſque refugiamus, quantum in nobis eſt: Dominus fructum earum nobis oſtendit, ut animum in earum finem intendere edocti, æquiore animo ipſas feramus. acſi diceret:

Velle-

Velletis quidem Aſſyrium longe hinc arceri, & veſtris commodis pacate frui. ſed cogitate hanc caſtigationem, tanquam medicinam curandis veſtris morbis neceſſariam eſſe: quia non agnoſcitis potentiam Dei, atque ab ipſo in homines impios fiduciam veſtram transfertis. Eſt autem valde miſerum, fiduciam ſalutis locare in hoſtibus, atque in iis recumbere qui nihil nobis præter exitium parant: quemadmodum Iſraël nunc in Aſſyriis, nunc in Ægyptiis recumbebat. Quare hæc non ſpernenda compenſatio fuit imminuti populi, quod tenuis illa portio quæ ſuperſtes duravit, ſpem ſuam didicit in Deum conjicere. Atque hinc melius patet quam neceſſe fuerit Iſraëlem à Deo caſtigari. Moderatio vero quam adhibet, ut nihilominus ſuperſint reliquiæ, inter quas verus Dei cultus inſtauretur, inſignis eſt admodum conſolationis. Nec ſupervacua eſt particula *In veritate*. nam priuſquam affligerentur à Domino, omnes filii Abrahæ exiſtimari volebant, fidem omnes profitebantur, Deumque promiſcue invocabant: ſed mera ſimulatio erat. Hanc ergo hypocriſin perſtringens Jeſaias, poſthac ubi fallaciis fuerint purgati, ſpem eorum veracem & ſinceram fore dicit. quia quum magno ſupercilio fiduciam in Deum ſuam jactarent, eam tamen repoſitam haberent in ope Aſſyriorum. Quum ergo ipſorum manu caſtigati erunt, Deo ſolo confidere diſcent, animumque ſuum ab humanis præſidiis revocabunt. Atque hinc collige, non poſſe in Deum fiduciam locari, niſi penitus animum à creaturis avocemus. Solo enim Deo ita nitendum eſt, ut cæteris omnibus renunciare moleſtum non ſit. Ubi non eſt ſolida hæc fiducia, veritati locus non eſt, in corde ſcilicet duplici ac bipartito.

21. *Reſiduum revertetur.*] Confirmatio eſt ſuperioris ſententiæ: tametſi alludere videtur ad locum illum ſeptimi capitis, ubi filius Jeſaiæ שאר ישוב vocabatur. Illic enim diximus ei tale nomen impoſitum fuiſſe ab eventu, ut eſſet quaſi pignus futuræ liberationis, de qua vaticinatus erat pater. Judæos enim variis modis confirmari oportuit: ut perſuaſum haberent ſe tandem à Domino reductum iri. Quo etiam pertinet id quod poſtea ſubjungit, *Ad Deum fortem*: id eſt, quem reverſus populus ex priore apoſtaſia agnoſcet præſidem ſuæ ſalutis. Hoc enim epithetum, pro loci circumſtantia Deo tribuitur. Nam ſatis videbatur potentiam expreſſiſſe nomine אל, quod Fortem quoque ſignificat: ſed adjungere etiam voluit גבור, id eſt, Robuſtum ſive fortem, quo magis ad fiduciam populum animaret. Qui enim factum erat, ut populus confugeret ad Aſſyrios & Ægyptios, niſi quod Deum ſibi non ſufficere exiſtimaret? Etenim hic fons eſt omnium malorum, quum apud nos conſtitutum non eſt, in Deo eſſe omnia quæcunque ad ſalutem noſtram deſiderari poſſunt.

ſupr. 7. verſ. 3.

22. *Nam ſi fuerit.*] Hypocritas dejicit à ſtulta confidentia: quoniam illis ſatis erat ſecundum carnem genus ducere à ſancto Abraham: ideoque ſolo originis prætextu ſacroſancti cenſeri volebant. Hortatur interea pios ad tolerantiam, ut diſcant placidis animis cladem illam & imminutionem multitudinis ſuæ expectare: ne ubi acciderit, veluti re nova turbentur. Eos ergo conſolatur, ne tantam vaſtitatem ægre ferant: quando ex ea Dominus reliquias ſaltem aliquas colliget. כלה, ſignificat Perficere, ſignificat etiam Conſumere. Hoc poſterius melius quadrat. hanc enim populi diminutionem, Conſumptionem vocat, eamque abſolutam: nam hyperbolice loquitur, quod non longe ab internecione extrema abeſſet, paucis admodum ſervatis. Nomen Iſraël hic poteſt vel in genitivo vel in vocativo accipi, ut hoc modo alloquatur Patriarcham Jacob, vel pios omnes ejus nomine. ſed in ea re parum eſt momenti. ſenſus enim conſtat, quocunque modo accipias. Poteſt ergo & in genitivo accipi. mihi autem magis placet eſſe nomen proprium, quo veri & non degeneres Iſraëlitæ ſignificentur. Emphatica enim eſt apoſtrophe ad Patriarcham: quia Deus mortuum compellans, vivis denunciat quod olim pollicitus fuerat, fore poſteros Abrahæ pares arenæ maris, docet non extendi ad promiſcuam turbam, quæ à pietate deſciverat: ſed quaſi interruptionem fore in populo corrupto, donec paulo poſt renovetur. Additur etiam altera conſolatio, quod pauxilla hæc manus juſtitiam inundabit. Periculum enim eſt, quum tam duris cladibus Eccleſiam premi videmus, ut non longe ab exitio abeſſe videatur, ne animos deſpondeamus, & de miſericordia Dei dubitemus. Graviſſimam vero omnium eſſe tentationem iſtam experiuntur, qui vero judicii Dei ſenſu affecti ſunt. Itaque adverſus eam pios animos muniri oportuit: ut fructum qui ex hac clade ſequuturus erat, conſiderantes, ægritudinem ſuam allevarent: quod ſcilicet juſtitia inſtar fluvii totum orbem inundatura erat. idque jam attigerat, quum diceret, fore ut reliquiæ illæ Deo vere conſiderent. Juſtitiæ nomen varie exponitur. aliqui referunt ad prædicationem Euangelii: quoniam in eo, quemadmodum ait Paulus, juſtitia Dei ex fide in fidem revelatur: Apoſtolorum vero opera, qui reliquiæ exiguæ Judæorum erant, in totum orbem manavit. Alii malunt ita accipere, quaſi iſta conſumptio ſit ſpecimen & documentum juſtitiæ Dei, quod tam graves pœnas de populo ſuo exegerit. Sed malo generalius exponere: nempe, Hæc conſumptio ſufficiet ad implendum univerſum orbem juſtitia: Reliquiæ quæ ex ea ſupererunt, tametſi paucæ, ad deducendos iſtos juſtitiæ rivos ſufficient, ut iis totus orbis inundetur.

Gen. 13. verſ. 16. & 22: 17.

Rom. 1. verſ. 17.
Marc. 16. verſ. 15.

23. *Conſumptionem.*] Hæc repetitio iterum ſuperbis Dei contemptoribus blanditias excutit. Erat enim propemodum incredibile, ut Judæi, quibus tot promiſſiones datæ, quibuſcum æternum fœdus initum erat, veluti momento interirent. idque etiam à Dei conſtantia alienum videbatur. Propheta ergo denunciat, Dominum hujus conſumptionis auctorem eſſe, ut impiorum ſuperbiam retundat, qui præſenti felicitati confiſi, ſe extra omne periculum eſſe putabant: eaque fiducia elati, omnes minas atque monitiones irridebant. Deus, inquit, terram veſtram in ſolitudinem rediget, ut in ipſo meditullio vaſta ſit, & deſerto ſimilis. Medium enim terræ pro corde ipſo, hoc eſt, locis munitioribus & magis reconditis accipit. Nomen נחרצה nonnulli adjectivum eſſe putant. ego ſubſtantive exponere malo: quo etiam modo apud Danielem, & aliis in locis accipitur. Paulus hunc locum citat, ſed paulo aliter quam hic apud Propheram legitur: vulgari ſcilicet interpretatione, quæ tunc magis in uſu erat. Etſi autem ſcite & fideliter atque ex genuino Prophetæ ſenſu loquutus eſt Paulus, verba tamen quæ ex Græco interprete recitat, multis occaſionem dederunt aberrandi à vero Prophetæ ſenſu. Quum enim Græcus, λόγον, id eſt, Sermonem, tranſtulerit: plerique illic de Euangelio philoſophati, abrogationem Legis denotari dixerunt, quod ceremoniis & figuris finem imponat. Itaque abbreviatum & compendiarium eſſe ſermonem, quo à Legis onere, ſub quo populus gemebat, liberamur. Sed illud ad Prophetæ mentem nihil attinet. hic enim Conſumptionem Imminutionem vocat, qua populus fere perdetur. Neque diverſum eſt Pauli conſilium: neque alio tendit Græcorum interpretatio. idem enim per λόγον intellexerunt, quod Hebræi nomine דבר. Tametſi enim Propheta non utatur nomine דבר, tamen rem conſumptam, id eſt, conſumptionem ſignificat: ac utriuſque eadem ſignificatio eſt. Denique idem illic Paulus iterat, quod nunc dictum fuerat ab Jeſaia de futura populi conſumptione, ac vaticinium hoc ſua ætate docet vel maxime impleri,

Gen. 17. verſ. 7.

Dan. 9. v. 24, 27.
Rom. 9. v. 27, 28.

Rom. 9. verſ. 28.

quum

quum Judæi ob ſuam ingratitudinem, demptis paucis reliquiis, à regno Dei exciſi eſſent.

24. *Propterea ſic dicit Dominus.*] Proſequitur eandem conſolationem, quæ ad pios ſolum pertinet: qui certe tunc numero pauci erant. Permulti enim Dei nomine gloriabantur, atque in populo cenſeri volebant: ſed pauci reipſa præſtabant quod verbis profitebantur. non omnes ergo promiſcue compellat, ſed eos tantum qui conſolatione indigebant. Quum enim vaſtato regno, ſibi ac rebus ſuis diffidere, atque ex aliorum ſorte ſuam æſtimare poſſent, ideo conſolari ipſos neceſſe fuit. Atque hæc diſtinctio notanda eſt: quia alioqui ad eoſdem homines tam diverſas ſententias dirigi abſurdum eſſet. Subjungitur ratio conſolationis: nempe cladem iſtam nihil aliud fore ipſis, quam virgæ elevationem, qua corrigantur, non perdantur. כ, particula eſt ſimilitudinis. דרך, Exemplum ſignificat. Sic igitur interpretor, Secundum exemplum Ægypti. acſi diceret, Quamvis ſit crudelis Aſſyrius, modiſque omnibus exitium tuum moliatur: te tamen vulnerabit tantum, non occidet. Exemplum ergo adduxit *Exod. 3. verſ. 14. & 12:31.* Ægyptiacæ ſervitutis, quæ duriſſima fuit quidem, non tamen mortifera. Eſt enim Prophetis uſitatum, in rebus perplexis vel confuſis populum ad redemptionis illius contemplationem revocare, qua Deus *Exod. 14. verſ. 24.* mirabiliter ipſos è manibus Pharaonis, crudeliſſimi videlicet tyranni, eripuit. Senſus ergo eſt, Ut tunc ſuperior fuit Dominus, & delevit Ægyptios, qui in exitium veſtrum conſpiraverant: ita nunc Aſſyrios facile ſuperabit. Alii exponunt, *In via Ægypti*, quod occaſione Ægyptiorum Aſſyrii bellum Judæis intulerunt: ſed illa expoſitio quadrare non poteſt. & ſi quis propius expendat, nullam ea quam attuli aptiorem eſſe comperiet: ſicuti & doctiſſimis probatur. Sunt enim hic duo membra, quæ inter ſe opponit, nempe afflictionem quæ ab Ægyptiis contigerat, & cladem quæ ab Aſſyriis paulo poſt infligenda erat. Ut Ægyptiorum afflictio lethalis non fuit: ita neque Aſſyriorum erit. Expertus es vim & potentiam meam in Pharaonem: ita experieris in Sennacherib. Nec enim quadraret alioqui membrorum inter ſe compoſitio, niſi hæc ita exponeremus.

2 Reg. 18. verſ. 17. 2 Reg. 25. verſ. 4. 25. *Paululum.*] Non tantum obſidionem Jeroſolymæ intelligit, quum eam Sennacherib magno exercitu cinxit, ſed etiam reliquas clades quibus everſa eſt Jeroſolyma, dirutum Templum, captivi abducti. nam adverſus graves illas ærumnas, pios his promiſſionibus armatos eſſe oportebat. Quod diligenter tenendum eſt: hoc enim ſi prætereamus, ut faciunt alii interpretes, hæc apte inter ſe connectere non poterimus. Itaque populi captivitas, veluti conſumptio fuit. Babylon enim inſtar ſepulchri, exilium inſtar mortis erat. Quum vero inſtaret præſens neceſſitas, eoſque Sennacherib copiis ſuis inſtructus urgeret, variiſque anguſtiis in ea obſidione premerentur, eadem conſolatio neceſſaria fuit. Actum enim videbatur de Judæa, nec ulla in ſpeciem reliqua erat ſpes ſalutis. Talis igitur eſt conſolatio, Parcet tibi Dominus: differet quidem ad aliquod tempus, ſuumque auxilium velut abſconditum tenebit, ſed tandem eripiet te, atque ulciſcetur hoſtes tuos, quos funditus delere conſtituit. Si כלה accipere placeat pro Conſumere, eodem modo dicit Conſumere iram ſuam, quo Conſumere annos & totam ætatem dicimus: hoc eſt, Indulgebo iræ meæ, donec omnino perdam Aſſyrios. Sed aptius eſt Complendi verbum, acſi dixiſſet, Donec totam iram meam exequutus fuero. Hoc autem eſt exitium, quod etiam alibi incircumciſis minatur. Dominus enim, ſpe miſericordiæ ſublata, judicium ſuum exercet adverſus impios.

26. *Et excitabit.*] Hic Flagelli non Virgæ nomine utitur Jeſaias, ſignificans Dominum multo durius & acerbius tractaturum hoſtes, quam ipſi Judæos tractaverant. Internecionem enim ipſis denunciat: idque apertius declarat duobus exemplis. primum Madianitarum, qui horrenda ſtrage deleti ſunt in *Judic. 7. v. 25, 22.* valle Oreb; quæ ſic ab ipſorum duce vocata eſt. deinde Ægyptiorum, quos Dominus quum populum ſuum perſequerentur, in mare Rubrum demerſit. *Exod 14. verſ. 28.* Priore vero loco hiſtoriam commemorat, quæ paulo recentior erat: deinde antiquiorem. unde colligimus Dominum in aſſerenda Eccleſia potentiam ſuam exeruiſſe, ut rebus etiam deſperatiſſimis ſtemus conſtanter in fide, & ejus gratiæ innixi bonam ſpem nihilominus foveamus. Modis enim & rationibus inopinatis ipſam liberare ſolet, quemadmodum ſub Gedeone & Moſe contigit. Semper igitur revocanda ſunt in memoriam hæc beneficia, ut ad fiduciam & conſtantiam magis ac magis animemur. Hinc etiam colligendum adverſa omnia quæ patimur, ferulas eſſe Domini, quibus nos plectit. Interea tamen non ſinit Satanam aut ejus miniſtros, lethales nobis plagas infligere. Contra, hoſtes noſtros horribile exitium manet: quemadmodum in Madianitis & Ægyptiis cernimus. Eſt igitur non levis conſolatio, quod ſortem noſtram cum eorum ſorte conferentes, eos quidem ad tempus aliquod exultantes cernimus, & proterve inſoleſcentes adverſum filios Dei: ſimul vero audimus, quam horrenda in ipſos lata ſit ſententia. nam ſupplicio exitiali & ſempiterno addicuntur.

27. *Et accidet.*] Incertum an hic loquatur de liberatione, quæ ſub Zorobabel contigit, an de admirabili illa profligatione Sennacherib, quum Jeroſolymam immani cum exercitu obſideret. In hanc proximam ſententiam omnes fere inclinant. & certe contextus id videtur magis approbare. ſubjiciet *2 Chr. 36. v. 22, 23. 1 Eſd. 1. & 2. 2 Reg. 19. verſ. 35.* enim topographiam: loca præcipua recenſens, per quæ Sennacherib iter facturus erat, donec ad Jeroſolymam ipſam perveniret: ut nihil omnino videretur obſtare, quominus urbis potiretur. Atque huic ſententiæ aliqua ex parte aſſentior: niſi quod longius extendo vaticinium. vult quidem Jeſaias conſolationem afferre piis, quos præſens urgebat neceſſitas. Inanis enim poterat videri promiſſio, cui contrariæ omnino clades mox ſucceſſuræ eſſent. Ut ſi, verbi gratia, Dominus mihi alimenta in proximum annum promittat, iiſque interim me prorſus deſtituat, qualis erit fides promiſſionis tam longinquæ, niſi Dominus me præſenti neceſſitate liberet? Ita promiſſio Domini, qua ſe liberaturum populum è Babylone, eique perpetuo adfuturum dixerat, evanuiſſe videretur, quum objiceretur immanis iſtius belluæ faucibus. Huic dubitationi occurrere volens Propheta, utrumque complectitur, Deum cuſtodem fore populi ſui, donec tandem à morte redimat. Reſtringunt alii ad ſtragem exercitus Sennacherib. ſed quia promittit Jeſaias diſſolutionem vel rupturam jugi, non dubito quin liberationem ab exilio denotet. Interim confirmat, Deum non tantum erepturum ipſos è Babylone, ſed etiam opem ipſis laturum adverſus tyranni obſidionem, quem ultra minas progredi non patietur.

Onus ab humero tuo.] Bifariam exprimit tyrannidem illam, quo magis beneficium redemptionis amplificet. Si ad Sennacherib referre placeat, Judæis nondum impoſitum erat tam grave jugum. Solum vectigal aliquod populus pendebat: quemadmodum ex hiſtoria Sacra deprehendimus. cur ergo duabus *2 Reg 23. verſ. 33. 2 Chr. 36. verſ. 3.* appellationibus hanc tyrannidem expreſſit? excuſatio afferri poteſt, quod imminentis periculi rationem habuerit: quia tyrannus ille, tanquam immanis bellua, totam Judæam aviditate voraverat: atque ita fere oppreſſerat, ut jugum ejus nunquam depelli poſſe videretur. Sed jam expoſui quid mihi magis placeat, continuum ſcilicet gratiæ Dei tenorem notari uſque ad tempus redemptionis. Quod ſequitur, A facie unctionis, aliqui Pinguedinem expo-

exponunt, qua jugum atteritur. Verum illa interpretatio nimis coacta eſt. Rectius ergo ſentiunt alii, שמן uſitata ſignificatione tantundem valere ac Unctionem, vel oleum. Revocat enim ipſos ad Chriſtum, cujus beneficio fieri oſtendit, ut à tyrannide illa liberentur. Unctionem autem vocat Regnum illud quod à Domino conſecratum erat, ideoque volebat integrum atque illibatum ſervari. Nam quum

Pſal. 45. verſ. 8. & 89:21. infr. 61:1. Dan. 9. verſ. 24. Prophetæ majeſtatem regni illius commendare volunt, mentionem faciunt unctionis: qua peculiariter ipſum Dominus inſignierat, quod typum Chriſti præ ſe ferret. Quamvis enim reliqua quoque regna à Deo inſtituta ſint, tamen profana quodammodo fuerunt: hoc præ illis ſacroſanctum erat, quod Dominus Judææ potiſſimum dominaretur, atque ſub hac regni imagine Chriſtum repræſentaret. ob quam

2 Sam. 7. verſ. 12. 1 Chr. 22. verſ. 10. Pſal. 89. verſ. 5. etiam cauſam perpetua regni ſedes Solomoni promiſſa fuit. Quod alii שמן de Rege ipſo exponunt, & nimis coactum eſt, & minus plenam doctrinam continet. Itaque oſtendit Propheta rationem diſſolvendæ illius tyrannidis: quia veriſimile non videbatur, tam facile potentis tyranni jugum abrumpi. Hoc autem à cæleſti illius regni conſecratione eventurum docet: ut omnes beneficium hoc à virtute Chriſti, non ab hominum facultate aut fortuna pendere intelligant.

28. *Venit in Ajath.*] Quia propinqua erat Urbis ſanctæ obſidio, ut re diu probeque meditata perſiſtant piorum animi, totam expeditionem Sennacherib ponit illis ob oculos. Hæc enim hypotypoſis valde efficax fuit ad ſedandos timores, quum agnoſcerent pii Aſſyrios pedem non movere, niſi ex Dei præſcripto: quia per os Prophetæ totum illud iter graphice definierat. Non eſt neceſſe multum in topographiæ explicatione immorari. ſatis eſt ſi eum per hæc loca iter feciſſe intelligamus, de quibus admoniti Judæi fuerant. Quod nos vertimus, Deponet vaſa vel arma, alii legunt, Recenſuit. nam פקד Numerare quoque ſignificat. quam interpretationem ego quidem non contemno: ſed prior mihi magis placet. Intelligo enim Prophetam ſignificare, Aſſyrium depoſiturum arma ſua, id eſt, annonam, & reliqua belli munimenta in Michmas. Hic enim eſt mos bellantium, ut exercitum ſine ſubſidiis non deducant. Ea autem in tuto & apto loco deponunt, ut inde exercitui neceſſaria ſuppeditari poſſint. Armorum autem appellatione, non tantum tela & gladios, ſed omnia belli ſubſidia & munimenta comprehendit. ſignificatio enim nominis כלי late patet, atque ad inſtrumenta omnia extenditur: ſicuti & Latini Vaſa dicunt.

29. *Tranſierunt vadum.*] Tranſitum Jordanis quidam intelligunt. ſed neſcio an vado tranſiri potuerit in illa regione. Deſcribit autem quantus futurus ſit terror audito Aſſyrii adventu: totam regionem conſternatum iri pavore, ut nullo negotio in Aſſyrii manum redigatur. Ubi enim animos tanta formido invaſit, ſponte ſe dedent ad primos hoſtium occurſus, ut victoribus pro libidine graſſari liberum ſit. Mutato numero loquitur in plurali, quia nunc de Rege, nunc de toto exercitu verba facit. Ramah præ cæteris nominat, quoniam erat oppidum propinquius. Fugam etiam quorundam deſcribit, acſi rumore ſolo territi patriam hoſtibus traderent. Poſtquam vero de tanta conſternatione loquutus eſt, Hinniendi verbo ululatum etiam & clamores refert, qui alibi audientur. Satis autem tritum eſt, apud Hebræos, urbes Filias nominari. Tantum autem fore ejulatum dicit, ut à vicinis quoque urbibus audiatur. Laiſæ enim exauditum iri gemitus qui in Anathoth edentur.

31. *Mota eſt Madmena.*] Hyperbolice intelligit urbem illam concuſſam ſic fuiſſe, quaſi alio transferenda eſſet. Refertur autem hoc ad turbulentos motus fugientis populi: acſi dixiſſet non aliter tumultuari incolas urbis illius, quam ſi ipſam è ſedibus ſuis avellerent. Quod ſequitur, Incolæ Gebim colligent ſe, poteſt ita exponi, quod ſe præ metu contrahent quaſi in globum. Alii intelligunt turmatim ſimul ruere, quaſi iter non ſatis latum eſſet.

32. *Adhuc dies.*] Aliqui exponunt, Aſſyrium adhuc uno die in Nob manſurum, quod oppidulum Jeroſolymæ vicinum erat: quemadmodum Hieronymus & alii teſtantur. ſed ego magis ad eorum ſententiam accedo, qui intelligunt adhuc multum fore diem quum illic ſubſiſtet, quo ſe comparet ad Jeroſolymam poſtridie obſidendam. Vult enim celeritatem Aſſyrii exprimere, & quam propinqua diſcrimini extremo Jeroſolyma futura erat: acſi diceret, parum itineris reliquum ipſi fore, & nondum finito die in illa urbe remanſurum. Quod ſequitur de agitatione manus, ad metum augendum valet: quia jam totius regionis victor, ita minabitur Jeroſolymæ, acſi nutu ſolo eam expugnare poſſet. Montis nomine totam urbem συνεκδοχικῶς comprehendit: quod editior eſſet illa pars, & præ aliis urbis regionibus emineret. Ex hac tyranni confidentia oſtendit Jeroſolymam haud procul à diſcrimine extremo abfuiſſe. Tota enim regio atque urbs ipſa ſic pavefacta erat, ut nemo ſeſe ei opponere auderet. His ergo circumſtantiis Propheta beneficium Dei exaggerare voluit: quod ſcilicet ſalva evadet Jeroſolyma, id ſingulari Dei gratiæ & benevolentiæ, non humanis ſubſidiis, quæ nulla fuerant, tribuendum eſſe, acſi è faucibus leonis erepta ovis foret.

33. *Ecce, Dominus.*] Omnes fere hunc locum de Aſſyriis exponunt. Putant enim Prophetam ipſis ſtragem illam minari, qua Dominus eos delevit, 2 Reg. 19. verſ. 35.
poſtquam Jeroſolymam obſederant. acſi in hunc modum loqueretur: Aſſyrius quidem tanta ſuperbia efferetur, ut ſimulatque Jeroſolymam conſpexerit, eam ſibi in manu eſſe putet. quum enim ejus adventu omnia adeo conſternata fuerint, ut fugiant alii, alii ſponte ſe dedant: jam omnibus ſuperiorem ſe eſſe exiſtimabit: ſed mox Dominus rerum ſtatum invertet, excelſoſque illos ramos amputabit. Atqui ego dum propius omnia expendo, ac præſertim id quod paulo poſt de Libano ſubjungit, & conſolationem quæ ſtatim ſequitur: exiſtimo locum hunc ad Judæos ipſos referendum eſſe. Pergit igitur, meo judicio, Jeſaias in denunciatione calamitatum quæ populo imminebant: acſi diceret, Non tantum perveniet in Nob, ſed per totam regionem longe lateque graſſabitur. quicquid ergo in ea nobile & excelſum erit, id totum vaſtabit atque evertet: quemadmodum ſi quis ramos ab arbore, vel arborem ipſam à radice præcideret. Hanc interpretationem mihi ſequens caput confirmat, ubi conſolatio adverſus iſtam calamitatem affertur à Propheta. Cohæret enim cum hoc verſu, & ad leniendum dolorem tanquam opportunum remedium adjicitur. Nec me movet capitis diviſio, quæ ſæpiſſime præpoſtera eſt, & totum Prophetæ ſenſum conturbat. Eam igitur conſolationem his verſibus connectendam puto, acſi nulla ſectio facta eſſet. Hujus porro metaphoræ explicatio difficilis non eſt: quia per Celſas arbores ac proceras ſatis liquet quicquid robuſtum, nobile vel ſublime eſt, notari. Ita prædicitur dejectio & ruina Judææ, quam excidioni ſylvæ comparat: ſignificans nihil illic tam eſſe præclarum quod non demoliantur hoſtes, donec totam terram ſpoliaverint ſuis ornamentis. Libani etiam fit mentio, quia montem hunc fructuoſis & valde pretioſis arboribus celeberrimum fuiſſe ſcimus. Porro ſi de Aſſyriis ſermo eſſet, non congrueret Libani excidium. unde colligitur Prophetam hic rurſus minari Judæis: & optime convenit concionis exordium, dum incipit à voce demonſtrativa, Ecce.

CAP. XI.

SEd prodibit virga ex trunco Iſai: & ſurculus de radicibus ejus, fructus edet.

2. Et requieſcet ſuper eum Spiritus Jehovæ, Spiritus ſapientiæ & intelligentiæ, Spiritus conſilii & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ & timoris Jehovæ.

3. Et ſagacem illum reddet in timore Jehovæ: non ſecundum aſpectum oculorum ſuorum judicabit, neque ex auditu aurium ſuarum arguet.

4. Nam judicabit in juſtitia pauperes, & in æquitate arguet pro manſuetis terræ: & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.

5. Et erit juſtitia balteus lumborum ejus: & fides balteus renum ejus.

6. Habitabit lupus cum agno, & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & pecus pingue pariter: & puer parvus reget eos.

7. Vacca & urſus paſcentur: ſimul accubabunt fœtus eorum. Et leo, quaſi bos, comedet paleas.

8. Et oblectabitur infans ſuper foramine aſpidis: & ſuper ſpeluncam ceraſtis, qui ablactatus eſt manum ſuam mittet.

9. Non nocebunt, neque injuriam inferent in toto monte ſanctitatis meæ: quoniam impleta erit terra ſcientia Jehovæ, tanquam aquis mare operientibus.

10. Et erit in die illa, Radix Iſai, quæ ſtabit in ſignum populorum, requiretur à Gentibus, & erit requies ejus gloria.

11. Et erit in die illa, Adjiciet Dominus rurſus manum ſuam ad poſſidendas reliquias populi ſui, quæ reſiduæ erunt ab Aſſur, & ab Ægypto, à Parthia, ab Arabia, ab Æthiopia, à Perſide, à Chaldæa, ab Hamath, & ab Inſulis maris.

12. Et levabit ſignum Gentibus, congregabitque ejectos Iſraël: & diſperſiones Juda congregabit à quatuor plagis terræ.

13. Et abſcedet æmulatio Ephraim, & hoſtes Juda excidentur. Ephraim non æmulabitur Juda, nec Juda anget Ephraim.

14. Involabunt autem in humeros Philiſtinorum ad Occidentem: diripient pariter filios Orientis. Edom & Moab miſſio manus eorum, & filii Ammon obedientia eorum.

15. Et in nihilum rediget Jehova linguam maris Ægypti: & eriget manum ſuam ſuper fluvium in fortitudine venti ſui: & percutiet illum in ſeptem rivis, & faciet calcari cum calceamentis.

16. Et erit ſemita reliquiis populi ejus, quæ reſiduæ erunt ab Aſſur, quemadmodum fuit Iſraëli, in die quo aſcendit è terra Ægypti.

S*Ed prodibit virga.*] Quum deſcriptio tantarum calamitatum pios terrere, iiſque deſperationis materiam afferre poſſet, conſolationem adhiberi oportuit. nam exciſo regno, dirutis urbibus, longe lateque vaſtata regione, nihil præter luctum & mœrorem reliquum eſſe poterat. Itaque labaſcere animis & demum concidere vel frangi poterant, niſi Dominus hac conſolatione occurriſſet. Quid ergo in poſterum facturus ſit Dominus, quomodo regnum illud inſtauraturus ſit, denunciat. Metaphoram vero continuat qua uſus fuerat in fine proximi capitis. (v. 33, 34.) Judæam enim perituram dixerat, acſi uno incendio ſylva flagraret. Erat igitur futura ejus deformitas, qualis eſſet terræ prius ſylvoſæ poſt conſumptas arbores, ubi præter cinerem nihil cernetur. Nunc ut inter ſe reſpondeant antitheta, dicit ex trunco proditurum ſurculum qui excreſcat in arborem, ramoſque & fructus longe & late diffundat. Itaque גזע truncum aridum, potius quam radicem vertere malui. quanquam ad rem non multum intereſt: ſed priore illo melius exprimitur conſilium Prophetæ. nempe, quamvis aridus ſit truncus, ſurculum qui inde naſcetur præſtantiorem fore omnibus ſylvis. Unde colligimus vaticinium hoc non competere niſi in Chriſti perſonam: quia ante ejus adventum non exortus eſt talis ſurculus. Certe Ezechiæ vel Joſiæ aptari hoc non poteſt: qui ſtatim ab infantia in ſpem regni fuerunt educati. Zarubabel vero ne milleſima quidem ex parte ad hanc dignitatem acceſſit quam celebrat Propheta. Videmus ergo ſolatium miſeris, & fere perditis Judæis proponi in ſolo Meſſiah, & ſpem eorum ſuſpendi uſque ad ipſius manifeſtationem. Nam quum apparuit, nulla tunc ſpes reſtabat excitandi & reſtituendi regni, niſi hæc promiſſio addita fuiſſet. videbatur enim ſoboles Davidis penitus extincta. Propterea Davidem ipſum non nominat, ſed potius Iſai: quia adeo imminuta erat illius familiæ dignitas, ut ruſticana potius & ignobilis, quam regia videretur: qualis erat familia Iſai, quum David ad regni gubernacula præter ſpem vocatus eſt. (1Sam. 16. v. 11, 12. 2Sam. 7. verſ. 8. Pſal. 78. v. 70, 71.) ſic igitur accepta clade, & amiſſa priſtina gloria, familiam Iſai nominat, quod ſupra alias haudquaquam emineret. Proinde hinc conſolationem potius quam à fine ſuperioris capitis incipere arbitror. Poterant autem in vaſtitate adeo horrenda dubitare quis vindex futurus eſſet: ideo promittit fore ut ex arido etiam trunco exoriatur. ac eandem, ut nuper admonui, ſylvæ metaphoram proſequitur: quoniam id multo plus gratiæ habet, quam ſi ſimpliciter dixiſſet Meſſiam adventurum. Quum enim exſcindendam penitus ſylvam denunciaſſet, emerſurum nihilominus ſurculum addit, qui copiam & ſplendorem exuſtæ ſylvæ reſtituat: nempe Chriſtum, qui vindex populi futurus erat. Quam vero humilia fuerint ejus exordia, referre nihil attinet. Certe adeo nihil in eo ſpecioſum vel illuſtre fuit, ut præter generis originem, alia omnia prorſus aliena eſſent, ſecundum carnis intuitum, à perſona Redemptoris. Imo ipſa origo propemodum obruta erat. quis enim pauperculum fabrum ex ſtirpe regia genitum putaſſet? (Marc. 6. verſ. 3.) Jam ubi natus eſt Chriſtus, & qualis fuit ejus educatio? Denique quum tota ejus vita fuerit deſpicabilis ac etiam ignominiæ expoſita, extremum opprobrium in morte ſubiit, à qua Regnum auſpicari debuerat. Excrevit nihilominus in immenſam

menſam magnitudinem, ut ingens arbor ex tenui & exili grano, quemadmodum etiam docet ipſe: idque quotidianis exemplis adhuc perſpicimus. Nam in continuo regni ejus curſu accidere neceſſe eſt, quod viſum eſt in perſona.

Marc. 4. verſ. 32. Mat. 13. v. 31, 32.

2. *Et quieſcet.*] Jam aperte & ſine figura de Chriſto loqui incipit. ſatis enim erat conſolationem ab illa figura inchoaſſe, ut tota antitheſis inter ſylvæ incendium & novam propagationem conſtaret. Duplicem enim populi ſtatum deſcripſit: quia expoſita clade, ſubjecit deinde ſpem inſtaurationis, cujus tamen initium erat à tenui ſurculo: nunc vero qualis futurus ſit Redemptionis modus, & quæ Chriſti & regni ipſius conditio, plane aperit. Nonnulli ad Ezechiam, qui typum Chriſti geſſit, hæc potius referenda putant. ſed quam inconſiderate, jam ſupra oſtendimus. Nam quum natus eſt, adhuc vigebat Davidis fama, & in ejus poſteris regia nobilitas: deinde ab amplitudine, quæ paulo poſt deſcribitur, longiſſime abfuit. Cæterum hinc colligimus ſpirituale Chriſti regnum jam olim promiſſum fuiſſe veteri populo, quia tota ejus vis, potentia & majeſtas in donis Spiritus hic locatur. Tametſi autem Chriſtus hujuſmodi donis minime indigebat: quia tamen induit carnem noſtram, oportuit ipſum his locupletari, ut deinde participes efficeremur omnium bonorum, quorum alioqui vacui ſumus. Nos enim ex ejus plenitudine, quemadmodum inquit Joannes, velut ex fonte haurire oportet.

Joan. 1. verſ. 16. & 7. v. 37, 38.

Spiritus Jehovæ.] Tenendum eſt quod nuper attigi, referri hoc ad humanam Chriſti naturam: quia dono & gratia Patris locupletari non potuit, niſi quatenus homo factus eſt. deinde ſicut ad nos deſcendit, ita è cælo recepit Spiritus dona, quibus nos ornaret. Atque hæc unctio eſt à qua nomen Chriſti ſumpſit, quod nobis communicat. unde enim Chriſtiani cenſemur, niſi quia in ſocietatem ſuam nos admittit, dum cuique ex ſua plenitudine diſtribuit ſecundum gratuitæ donationis menſuram? Et certe non tam hoc loco docemur qualis in ſe ſit Chriſtus, quam quid acceperit à Patre, ut nos ſua opulentia ditaret. Tametſi non multum in ſingulis vocibus laborandum ſit: tamen ſi quis brevem differentiam inter Sapientiæ & Intelligentiæ nomina habere velit, ego ita ſentio, Sapientiæ nomen generaliter comprehendere quicquid ad vitam inſtituendam pertinet: deinde, Intelligentiam addi vice expoſitionis: nam ſi præditi ſumus hac ſapientia, erimus ſatis perſpicaces. Conſilium ſignificat judicium illud, quo nos poſſumus in rebus perplexis expedire. nec enim ſufficeret intelligentia, niſi adeſſet conſilium, quo nobis in rebus dubiis cavere poſſemus. Fortitudinis nomen ſatis notum eſt. Scientia parum ab intelligentia differt: niſi quod magis ad cognitionem pertinet, & ita declarat actum. *Timor Jehovæ* purum colendi Dei affectum ſignificat. Nec vero hic omnes Spiritus ſancti dotes enumerat Propheta, quemadmodum nonnulli exiſtimarunt. Papiſtæ enim Septiformem gratiam ſuam hinc ſtulte & imperite hauſerunt: & quidam ex veteribus perperam ſunt hallucinati. Sex enim tantum ſpecies hic refert: ſeptimam de ſuo addiderunt. Atqui ut error errorem ſequi ſolet, dona Spiritus voluerunt ad ſeptenarium numerum reſtringere: quum alibi tot tantaque epitheta, à variis ſcilicet effectis, ipſi tribuantur. Deinde ſatis conſtat, nos beneficio Chriſti, aliorum eſſe bonorum participes quam quæ hic nominantur: Manſuetudinis, Pudicitiæ, Sobrietatis, Veritatis, Sanctitatis, & ejuſmodi: quæ non aliunde quam ab ipſo Chriſto proficiſcuntur. Non omnia igitur dona quæ in Chriſtum collata ſunt hic commemorat. nec enim neceſſe fuit. tantum breviter oſtendit, CHRISTUM ad nos inſtructum donis omnibus, quibus nos ditaret, non vacuum veniſſe. Quod ſi hæc addita non fuiſſent, potuiſſemus carnalem hujus regni inſtaurationem animo concipere, qualem Judæi ſolent: aut imaginari Chriſtum bonorum omnium inopem & vacuum eſſe. Ideo primum in genere, deinde in ſpecie dona Spiritus in eo recondita eſſe oſtendit: ut ſi quid nos defecerit, ab eo petamus. Nos enim ſapientiæ & intelligentiæ lumine illuſtrabit, conſilium ſuppeditabit in rebus perplexis, in certaminibus fortes & magnanimos reddet: vero etiam Dei timore, id eſt, pietate ornabit: denique omnia ſubminiſtrabit ad vitam & ſalutem noſtram neceſſaria. Omnia enim dona hic Propheta comprehendit: ut nimium inepti ſint, qui ſupprimi voluerunt, quæ hic minime exprimuntur. Ea autem in Chriſto reſidere docet, ut nobis communicentur. Qua etiam ratione vocamur ejus conſortes, Pſalm. 45. quia non ſecus atque à capite vigor defluit in ſingula membra, ſic Chriſtus cæleſtis ſuæ unctionis defluxu totum Eccleſiæ ſuæ corpus irrigat. Unde ſequitur, eos qui ſteriles ſunt prorſus & aridi, nihil cum Chriſto habere commune, falſoque ejus nomine gloriari. Itaque quoties aliquod horum donorum nobis deeſſe ſentimus, accuſemus infidelitatem noſtram. Vera enim fides, nos omnium Chriſti bonorum participes facit. Optandum ergo à Domino, ne carnis affectus in nobis prævaleant, quo nos ſibi Chriſtus penitus conjungat. Obſervandum etiam, bona omnia à ſolo Chriſto petenda eſſe. fallimur enim ſi alio modo à Patre quicquam obtineri poſſe exiſtimamus.

Eph. 4. verſ. 7. — *Sapientia.* — *Intelligentia.* — *Conſilium.* — *Scientia.* — *Timor Jehovæ.* — *Gal. 6: 1. 2 Tim. 1. verſ. 7. Joan. 14. verſ. 17.* — *Pſal. 45. verſ. 8.*

3. *Et ſagacem illum reddet.*] Verbum ריח quod hic ponitur in conjugatione Hiphil, proprie Olfacere ſignificat. active tamen etiam exponi poteſt pro Acutum olfactum dare: quod mihi videtur melius congruere huic loco, ut inter dona Spiritus hæc quoque perſpicacia numeretur. Atque hic effectus peculiariter convenit Chriſti perſonæ, quod ſcilicet ſupra communem piorum captum præditus fuerit acuto judicio ad ſuos regendos. Notanda primo eſt metaphora in verbo Odorandi, quæ ſignificat Chriſtum fore magis perſpicacem, quam ut vel auditu, vel aſpectu docendus ſit: quia ſolo olfactu diſcernet quæ alioqui erunt abſcondita. Particulam, In timore Dei, ſic major pars interpretum accipit, omnes cordis affectus Chriſto fore manifeſtos, ut facile judicet quinam puri ſint Dei cultores. Sed expendant lectores an non melius quadret, Timorem Dei poni pro certa judicandi regula. Conſulto enim cæleſte Chriſti judicium à terrenis diſtinguit, ut ſciamus externam ſanctitatis vel probitatis larvam nullius momenti coram ipſo eſſe. Senſus ergo eſt, ubi venitur ad Chriſti tribunal, non tantum de externis operibus examen haberi more politico: ſed exigi vitam hominum ad normam ſinceræ pietatis. nec enim hominis eſt in animos ipſos penetrare: & ſæpe quos optimos eſſe arbitramur, nihil præter inanem larvam gerunt: Chriſtus autem ab externa ſpecie non judicat, quia intimas cogitationes penitus & noſcit & ſcrutatur. Aliud eſt igitur judicium ipſius quam hominum, qui cum acumine ſuo & ſolerti perſpicacia turpiſſime falluntur. Hinc ſequitur, veros Dei cultores eſſe non poſſe, quam qui ſe Chriſto approbarunt. Probare vero ipſi ſeſe non poſſunt, niſi purum & integrum animum præſtent. nec enim fallaci & inani larva ipſi imponi poteſt.

Luc. 11. verſ. 17.

4. *Judicabit.*] Hic docet, Chriſtum pauperum tutorem fore: vel ſignificat ad quos gratia Chriſti proprie pertineat: nempe ad pauperes vel manſuetos: id eſt, qui ſenſu inopiæ ſuæ dejecti, altos illos & ſublimes ſpiritus depoſuerunt, quibus homines inflati eſſe ſolent, donec manſueſcere didicerint ſubacti verbo Dei. Vindicem ergo & tutorem ſe fore hic teſtatur, non quorumlibet, ſed eorum qui ſe inopes omnique bono vacuos eſſe norunt. idque etiam diſcipulis Joannis teſtatus eſt Chriſtus, inquiens, pauperibus Euangelium nunciari. Nec enim hujus

Mat. 11. verſ. 5.

doctrinæ

doctrinæ capaces ſunt promiſcue quilibet, ſed qui carnis gloria exinaniti, in cæleſte illud patrocinium ſe conferunt. Subeſt ergo tacita antitheſis, Chriſtum ſcilicet divitibus, id eſt, inflatis prava ſui opinione non præeſſe. Tametſi enim omnes ad ſe vocet, major tamen pars ejus imperium recuſat. Soli vero pauperes ſe ab eo regi patiuntur. Hic locus admonet, ſi Chriſti manu protegi cupimus, depoſito omni faſtu induendum eſſe manſuetudinis & modeſtiæ Spiritum. Hæc enim ſpiritualis eſt paupertas, quam omnibus Chriſti membris commendat Propheta, nihil altum ſpirare, ſed inopiæ & nuditatis noſtræ ſenſu vere humiliari, ut à Chriſto ſolo pendeamus. ad eam ubi redacti erimus, ſalutem noſtram tuendam ſuſcipiet fidelis Rex ac cuſtos, & ad extremum contra omnes hoſtes defendet. Audimus etiam quos ad ſe
Mat. 11. verſ. 28. invitet: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis. Nos igitur laborare, & oneris noſtri pondere premi neceſſe eſt, ſi opem ipſius experiri & ſentire velimus. Eſt etiam notandus ordo quem hic tenet Propheta. Primo enim loco Paupertatem, deinde Manſuetudinem locat: quoniam prius pauperes eſſe oportet, quam manſueti reddamur. Quamdiu enim nos aliquos eſſe exiſtimamus, & efferimur inani noſtri ipſorum fiducia, ſimul animus exultat inſolenter, nec ſe abjicere aut demittere poteſt. Conſcii vero inopiæ noſtræ facti, demittimus animos, & domiti adeoque oppreſſi, ſub onere gemere incipimus. Itaque hic populi Chriſti conditionem deſcribit: quemadmodum prius Regis ipſius naturam expoſuerat. Unde etiam diſcendum eſt, inſignibus illis donis Spiritus, quibus inſtructum fuiſſe Chriſtum nuper vidimus, non quoſlibet, ſed pauperes & manſuetos communicare: quia Judicandi verbo gubernatio notatur, cujus pars non minima eſt, quod Chriſtus quas à Patre accepit dotes nobis inſpirat, ut vivat ipſe in nobis, & nos in ipſo.

Percutiet terram.] Efficaciam Verbi, quod regium Chriſti ſceptrum eſt, hic celebrat Propheta. Nam Virga oris tantundem valet, ac Sceptrum verbale. & ſecundo membro idem repetit per Spiritum labiorum: quaſi diceret non opus fore Chriſto mutuari aliunde ſubſidia, ut dejiciat hoſtes ſuos, & quicquid adverſum eſt ſuo imperio proſternat: quia ſufficiet ſolus flatus vel ſermo. Poteſt autem generalis eſſe ſententia, Quando fideles quoque mori neceſſe eſt, ut renoventur in ſpiritualem vitam. quo ſenſu
Rom. 15. vocatur Euangelium Gladius mactandis victimis
verſ. 16. dicatus. Sed poſterior pars verſus diverſum ſenſum flagitat. Quod ſi quis tamen diſtinguere velit, Percuſſio terræ, reprobis & electis erit promiſcua: ſicuti
Hebr. 4. Euangelium gladius eſt anceps uſque ad recondi-
verſ. 12. tos & intimos cordis ſenſus penetrans, cogitationeſque & affectus diſcernens: niſi quod aliter hos atque illos vulnerat. Vitioſam enim naturam in electis mortificans, concupiſcentias enecat, ut fiant vivum bonique odoris ſacrificium: impios autem ferit prorſus exitialiter, qui in ſua morte putreſcunt:
2 Cor. 2. imo ipſis eſt odor mortis in mortem, quemadmo-
verſ. 16. dum ait Paulus. Nec vero mihi diſplicet de utroque ſimul effectu hic diſſeri, niſi quod obſtat uſus linguæ Hebraicæ. Repetunt enim Hebræi ſæpe eandem ſententiam diverſis verbis. Sequitur autem continuo poſt, Chriſtum armatum eſſe ſpiritu labiorum, quo interficiat impios: niſi forte hoc ſecundum membrum augendi cauſa addiderit Jeſaias. Et certe multo plus eſt interficere, quam percutere. Quum ergo proprium Euangelii ſit communiter dejicere omnes, hoc eſt quaſi accidentale in reprobis, ut eos mactet exitiali plaga. Ita Propheta ſpeciem ſubjiceret generi, ſignificans impios ſub Chriſti gladio cadere ad æternum interitum, quia non conſecrantur in victimas. Quicquid ſit, poſterius hoc membrum haud dubie ad impios ſolos reſtringi debet. ideo autem additum eſt, quoniam iſta efficacia non ſtatim apparet in Euangelii prædicatione: quin potius multi ludibrio habent, ſubſannant, & ducunt pro fabula quicquid de Chriſto & verbo ipſius dicitur. Sed quamvis ejus vim non extemplo ſentiant, eam tamen fugere non poterunt, & lethali tandem vulnere necabuntur. Quanquam nondum mens Prophetæ videtur ſatis explicata. Nec enim hic tantum de interno ſenſu agit, quo impii etiam inviti afficiuntur: ſed de impietate ipſa, quæ hujus ſceptri vi & efficacia profligabitur & tolletur: ut etiam Paulus expo- 2 Theſſ. 2.
nit. ad hunc enim locum alluſiſſe dubium non eſt, verſ. 7, 8.
quum de tollendo Antichriſto loquitur: atque in eo Prophetæ mentem nobis aperit. Oſtendit enim, Chriſto hoſtes minime defuturos, qui ejus regnum evertere, & curſum Euangelii vel abrumpere vel tardare conentur (alioqui fruſtra hæc à Propheta dicta fuiſſent) ſed Chriſtus cùm ſingulos ſeorſim ac omnes ſimul, tum vero ipſorum caput & ducem ſuæ doctrinæ ſono profligabit. Sic etiam alibi Pau- Tit. 1: 9.
lus commendat duplicem uſum doctrinæ, in Paſtore deſiderans non ſolum ut ſit ad docendum appoſitus, ſed etiam ut eos qui contradicunt, revincat. Paſtor enim gregem non ſolum paſcere, ſed etiam conſervare, & adverſus omnem noxam tueri debet. Hoc præſtat Chriſtus: ideoque neceſſariis armis inſtructus eſt, ut adverſus Satanæ mendacia & tyrannorum ſævitiam, & omne genus hoſtium prævaleat. Hinc apparet non poſſe aliter profligari impias doctrinas, quam Euangelio. Fruſtra enim Magiſtratus utetur gladio, quod certe facere debet, ut impios doctores & pſeudoprophetas coërceat: fruſtra, in- Deut. 13.
quam, omnia tentabit, niſi hic Verbi gladius antece- verſ. 5.
dat. Idque diligenter obſervandum adverſus Papiſtas, qui Verbo deſtituti, ad nova arma confugiunt, quorum ope ſe ſuperiores fore exiſtimant. Imo tam impudentes ſunt, ut hæreticos Verbo revinci non poſſe jactent: quum & Propheta & Paulus nullam aliam rationem ſtatuant. Quum ait Propheta, *Spiritu labiorum ſuorum*, hoc ad Chriſti perſonam reſtringendum non eſt. Refertur enim ad Verbum quod à miniſtris ipſius prædicatur. Sic enim Chriſtus in illis agit, ut os eorum, os ſuum; labia eorum, labia ſua Luc. 10.
cenſeri velit: quum ſcilicet ex ore ipſius loquuntur, verſ. 16.
& fideliter verbum ejus annunciant. Nec vero hic nos ad arcanas revelationes ablegat Propheta; ut in nobis regnet Chriſtus: ſed externam doctrinæ prædicationem aperte commendat, & Euangelium Chriſto eſſe docet inſtar ſceptri, quatenus prædicatur & vocale eſt, ut ita loquar: alioqui fruſtra Oris & Labiorum facta eſſet mentio. Unde ſequitur eos omnes qui externam Euangelii doctrinam repudiant, excutere, quantum in ſe eſt, vel eripere ſceptrum è manu Chriſti: non quod ab hominum voce pendeat efficacia cujus meminit: ſed quatenus per miniſtros operatur Chriſtus ipſe, qui non vult irritam eſſe eorum operam, quin mactent electos in ob- Rom. 15.
ſequium, reprobos vero interficiant: ſicut alibi jactat verſ. 16.
Paulus ſibi in promptu eſſe vindictam contra omnes 2 Cor. 10.
incredulos & rebelles. Iterum hic memoria repetere v. 4, 6.
convenit, qualis ſit regni Chriſti natura. Ut enim ipſe aureo diademate ornatus non eſt, vel inſtructus terrenis armis: ita non dominatur in mundo armorum potentia, nec ſibi auctoritatem conciliat pomparum ſplendore, vel terrore & metu populum ſuum cogit: ſed Euangelii doctrina regium ejus inſigne eſt, quo ſub obſequium ſuum colligit fideles. Proinde ubicunque annunciatur pure Euangelii doctrina, illic Chriſtum regnare certum eſt: ubi vero rejicitur, ſimul etiam aboleri ejus imperium. Unde apparet quam ſtulte jactent Papiſtæ penes ſe eſſe Eccleſiam, quum obmuteſcere ipſum Chriſtum jubeant, nec ferant ſonitum vocis ejus: ipſi autem plenis buccis edicta ſua, leges, decreta, & tyrannicas ſanctiones crepent.

5. *Et erit juſtitia balteus.*] Alii Cingulum vertunt;

tunt: ſed quia Propheta nobis proponit Chriſtum
velut ornatum inſignibus regiis, potius Balteum
verti, quod etiam regium inſigne eſt, quemadmo-
Job. 12. dum & ſceptrum, quod ei paulo ante tribuerat. Job
verſ. 18. enim de exauctorandis Regibus loquens, eos balteo
ſuo à Domino diſcingi dicit. Balteo igitur accingi,
nihil aliud eſt quam præfici regno: ut etiam alio loco
cap. 14:5. poſtea videbimus. Duplicem autem hic baltei orna-
tum deſcribit Propheta, Juſtitiam & Veritatem. niſi
forte hypallagen eſſe magis placeat: acſi diceret,
Chriſtum veraci juſtitia præcinctum fore. Nec enim
additur veritas, quaſi aliquid à juſtitia diverſum, ſed
ut declaret qualis ſit ea juſtitia, qua Chriſtus accin-
ctus eſt. Juſtitiam hic deſignari putant nonnulli,
quam Chriſtus nobis communicat, ut in membris
ejus reſideat, non in ipſo tantum. Fidem vero intel-
ligunt, qua ſalutem ab ipſo oblatam amplectimur.
Chaldæus paraphraſtes ita exponit, Et erunt circa
eum juſti, cultores fidei ad eum accedent. Verum
ego ſimplicius accipio, acſi diceret, Non apparebit
inſtar Regum, purpura indutus & diademate, aut
præcinctus balteo: ſed juſtitia & veritas in eo fulge-
bunt. Fateor quidem juſtitiam non eſſe incluſam in
Chriſto, ſed pertinere ad ejus membra. ratio tamen
loquendi tenenda eſt: quod Chriſtus juſtitia accin-
ctus prodeat ad ſuos regendos, quam arcana Spiritus
communicatione in eos poſtea diffundit. Si nomen
אמונה à juſtitia diſtinguimus, pro Fide vel ſtabili-
tate poſitum eſſe interpretor: acſi diceret, Chri-
ſtum nunquam fruſtrari ſuos, quia perpetuo ſui
ſimilis manet.

6. & 7. *Lupus cum agno.*] Iterum ad deſcriben-
dos eorum mores revertitur, qui ſe Chriſto ſubjece-
rint. Nam quia inter Regem & populum mutua eſt
relatio, nunc à corpore ad caput aſcendit, rurſus de-
ſcendit à capite ad corpus: & jam diximus Chriſtum
non ſibi regnare, ſed ſuis fidelibus. Unde ſequitur
eum formare ipſis ingenia cæleſti ſuo Spiritu. quan-
quam longius ſpectat Prophetæ oratio. Perinde
enim eſt acſi promitteret beatam mundi reparatio-
nem. Ordinem enim deſcribit qualis fuit ab initio,
antequam hominis defectione accideret triſtis & in-
felix converſio, ſub qua nunc gemimus. Unde enim
brutis animalibus truculentia, ut quæ robore pol-
lent, horribili etiam impetu ad prædandum, lanian-
dum, vorandum ferantur? Nullum certe inter Dei
creaturas diſſidium foret, ſi ſtetiſſent in prima & in-
tegra ſua origine. Quod ergo aliæ in alias ſæviunt,
& quæ imbecilles ſunt cuſtodia opus habent adver-
ſus robuſtas, ſignum eſt ἀταξίας quæ ex hominis vi-
tio manavit. Quum ergo venerit Chriſtus, ut abo-
lita maledictione mundum reconciliaret Deo, non
abs re ei tribuitur inſtauratio perfecti ſtatus: acſi di-
cerent Prophetæ, rediturum illud aureum ſeculum,
in quo ante hominis lapſum, & quæ inde ſequuta eſt
orbis concuſſionem & ruinam, floruit plena felici-
Oſea 2. tas. Sic apud Oſeam loquitur Deus, Feriam illis cum
verſ. 18. beſtia agri, cum volucre cœli & cum reptilibus pa-
ctum. acſi diceret, Poſtquam mundo propitius fue-
rit Deus in Chriſto, daturum etiam ſigna paterni fa-
voris: ut ceſſent omnes corruptelæ quæ à vitio ho-
minis ortæ ſunt. Denique ſub his figuris docent Pro-
Epheſ. 1. phetæ idem quod clare aſſerit Paulus, Chriſtum ve-
verſ. 10. niſſe ut colligeret ex diſſipatione quæ in cælo ſunt &
Coloſſ. 1. quæ in terra. Summa eſt, venturum eſſe Chriſtum
verſ. 20. ut noxas omnes profliget è mundo, & orbem male-
dictioni obnoxium priſtino ſuo nitori reſtituat. Hac
ratione dicit, pabulum leonis fore Paleam, non ſe-
cus ac bovis: quia niſi contagio peccati mundum in-
quinaſſet, nullum animal deditum eſſet ſanguinariis
prædis, ſed terræ fructus omnibus ſufficerent, ſicuti
Geneſ. 1. divinitus præſcripta illis fuit ratio. Quanquam au-
verſ. 30. tem dicit Jeſaias, feris beſtiis & cicuribus fore con-
ſenſum, ut vigeat & palam refulgeat Dei benedictio,
præcipue tamen ſignificat quod dixi, nullum in po-
pulo Chriſti affectum nocendi, nullam ferociam aut
inhumanitatem fore. Et quum antea fuerint veluti
leones ac pardi, inſtar ovium aut agnorum futu-
ros: quia omnem immanitatem, belluinumque affe-
ctum depoſuerint. His enim formis loquendi nihil
aliud intelligit, quam eos qui velut beſtiæ trucu-
lentæ prius fuerant, mites & tractabiles fore. vio-
lentos enim & rapaces homines, lupis & urſis com-
parat, qui præda & rapina vivunt: eoſque cicures
& manſuetos fore pronunciat, ut communi victu
contenti, ab omni injuria & noxa abſtineant. Nam
hic à minori ad majus ratiocinari convenit: ſi bruta
animalia Chriſtus inter ſe pacabit, multo magis in-
ter homines ipſos, qui eodem ſpiritu manſuetudinis
regentur, fraternam concordiam fore. Neque tamen
intelligit Jeſaias, quoſdam natura mites & placidos
eſſe antequam reformentur, ſed tamen promittit
quocunque ingenio præditi ſint, abjecta vel ſubacta
ferocia, ſimiles fore agnis & ovibus. Quod addit
Puerum illis fore ducem, tantundem valet atque ſæ-
vas alioqui & indomitas belluas ad voluntarium ob-
ſequium paratas fore, ut ad coërcendam eorum feri-
tatem nulla violentia opus ſit. Interim tenenda eſt
anagoge quam attigimus, obtemperaturos Chriſto
quotquot ei nomen dederint, quamvis ante atroces
eſſent belluæ: atque ita obtemperaturos, ut ſimulac
digitum ſuſtulerit, eum è veſtigio ſequantur: quem-
admodum & Pſalmo 110. populum ejus ſponta- *Pſal.* 110.
neum fore. Neque enim inter oves cenſeri meren- *verſ.* 3.
tur, qui non ſunt hac manſuetudine præditi. Patia-
mur ergo nos ab ipſo regi & ſubigi: atque iis quos
nobis præfecit, etiamſi pueris ſimiles eſſe videantur,
nos libenter ſummittamus. Quin etiam videntur hic
miniſtri verbi, quod vim nullam exterius adhi-
beant, neque imperium in ullum præferant, pue-
ris comparari. Quæret quiſpiam, An aliqui man-
ſueti reperiantur, etiamſi nondum per Euangelium
cicurati fuerint? Videtur enim hoc innuere Prophe-
ta, quum alios ovibus, alios lupis & urſis comparat.
& certe in hominibus, qui naturæ ſuæ motus ſe-
quuntur, miram varietatem reperiemus. Alii enim
placidi ſunt & quieti, alii feroces & turbulenti: ſed
indomitos omnes eſſe certum eſt, donec à Chriſto
per Euangelium ſubigantur: omnes ambitione & ſu-
perbia tument, priuſquam hac medicina repurgen-
tur. Poterunt quidem multi inanem & fallacem mo-
deſtiæ & humilitatis ſpeciem præ ſe ferre, ſed intus
turgebunt. denique, ubi non erit Spiritus Chriſti,
nulla erit vera manſuetudo.

8. *Et oblectabitur.*] Proſequitur eandem ſenten-
tiam, ubi cum Deo redierint in gratiam homines, &
Spiritu regenerationis à vitiis ſuis purgati fuerint,
immunes quoque fore ab omnibus nocumentis. Quia
non alia de cauſa ſibi à noxio & virulento ſerpentum
morſu metuunt homines, niſi quia indigni ſunt ſub
quorum manu contineat Deus omnes mundi partes.
Et certe quod lædendis etiam infantibus conceſſa eſt
animalibus licentia, hinc apparet totum Adæ genus
peccati labe ab ipſo utero eſſe infectum. Nunc rur-
ſus tenenda eſt illa quam diximus ſimilitudo: qui-
cunque ex hominibus occulto veneno ad nocendum
referti ſunt, mutato ingenio fore vel pueris inno-
xios. quoniam alii palam ſunt truculenti & feroces, *Pſal.* 55.
alii malitiam ſuam tanquam venenum intus gerunt *verſ.* 22.
atque fovent: ſicut etiam à Davide deſcriptum eſt. *Pſal.* 140.
alii enim promptiores ſunt ad prodendam nocendi *verſ.* 4.
libidinem, alii tardiores. Porro qualeſcunque fue-
rint, ſignificat omnes ſua nequitia tam aperta quam
occulta eſſe purgandos, poſtquam ſe Chriſto ſubje-
cerint. Significat etiam deinceps ſecuritatem, quæ
paſſim futura eſt, etiam iis qui omni præſidio carent:
ut libere audeant ſeſe periculis quamlibet manifeſtis
committere.

9. *Non nocebunt.*] Jam aperte pronunciat homi-
nes ipſos, depoſita quæ ipſis naturaliter inſidet pra-
vitate,

vitate, ad æquitatem ſponte fore propenſos. Loquitur autem de fidelibus qui vere in novam vitam regeniti erunt. Nam etſi in Eccleſia electis Dei permixti ſunt multi hypocritæ iniquitate pleni, ſunt tamen Iſmaëlitis ſimiles, quos ſuo tempore Deus ejiciet.
Pſal. 15. verſ. 1. & 24: 3.
Notandum enim eſt quod docetur Pſalm. 15. & 24. ſolis juſtitiæ cultoribus fixam eſſe ſedem in templo Dei, ut illic perpetuo habitent. Ergo ad legitimos Eccleſiæ cives hoc pertinet, ab omni ſtudio nocendi puros eſſe. Unde etiam colligimus, ſingulare eſſe Spiritus Chriſti donum, ut à maleficiis abſtineant homines: quia naturaliter ſemper ad injurias ultro citroque inferendas eos impellet ambitio, ſuperbia, crudelitas, avaritia. Porro non abs re ſubjicit Propheta, incomparabile hoc bonum ex Dei cognitione fluere, quo & humiliatur omnis caro, & docentur homines ejus fidei tutelæque ſe addicere, & ad fraternum conſenſum formantur, ubi eundem ſibi eſſe Patrem audiunt. Quamvis enim multi qui nondum renovati ſunt Chriſti Spiritu, humanitatem præ ſe ferant, tamen in eis φιλαυτίαν dominari certum eſt. Eſt enim omnibus innata atque ita ingenita, ut commoda ſua, non aliorum quærant: ut ſeipſos ſibi, non aliis natos exiſtiment, vellentque ſibi totum orbem, ſi poſſent, ſubjicere: quod prudenter conſideravit Plato. Hinc fraudes, perjuria, furta, rapinæ, & infinita hujuſmodi ſcelera naſcuntur. Nullum igitur aliud remedium domandæ huic libidini idoneum eſt, niſi ut Deum cognoſcamus. Videmus autem ut rurſum Propheta Chriſti imperium in fide & Euangelii doctrina ſtatuat, ut certe non aliter nos ad ſe colligit, quam dum illucet mentibus noſtris ad manifeſtandam cæleſtem vitam: quæ
Joan. 17. verſ. 3.
nihil aliud eſt, ipſo teſte, quam cognoſcere unum verum Deum, & quem ille miſit, Jeſum Chriſtum. Porro ſcientiæ exuberantia tacite cum illo tenui
Galat. 3. verſ. 23. & 4: 3.
guſtu confertur, quem Deus ſub Lege dedit veteri populo. Nam quum Judæi detenti fuerint in elementis puerilibus, perfecta lux ſapientiæ per Euangelium nobis in ſolidum affulſit: ſicut etiam à Jere-
Jere. 31. verſ. 34.
mia prædictum fuerat, Non docebit quiſque proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, ut cognoſcant Deum: quia omnes cognoſcent me à minimo uſque ad maximum. hæc ſcientiæ plenitudo ſi animos noſtros occupat, omni malitia exinaniet. Admonet etiam hic locus, qualis ſit ſub Papatu Eccleſia, ubi luce doctrinæ ſuffocata, imo propemodum extincta, ſumma religio eſt in bruto ſtupore torpere. Quod
2 Pet. 3. verſ. 18.
ſi in nobis ſtatim plena cognitio non eſt, proficiendum in dies, magiſque ac magis progrediendum: atque ita ut fructus ex hac radice emergat. Unde apparet, quam parum in Chriſti ſchola major pars profecerit, quum paſſim & fraudes & rapinæ & injuriæ quælibet graſſentur.

10. *Et erit in die illa.*] Iterum redit ad perſonam Chriſti: eandemque ſimilitudinem repetit, quam pro initio capitis aſſumpſerat: Radicis ſcilicet vel Surculi ex mutilo trunco prodeuntis, cujus nulla extabat ſuperficies. ac futurum prædicat ut Gentes, quæ prius à Judæis abhorrebant, deinceps reverenter ipſorum Regem amplectantur. Id autem incredibile omnino videri poterat: nec dubium quin multis ſeculis deriſa ſit promiſſio, quando talis collectio ſtante ac florente potius, quam exciſo regno ſperanda erat. Verum ita exſcindi oportuit, ut poſtea excitaretur: magiſque in eo gloria & potentia Dei, quam in florenti rerum ſtatu reluceret. Quis enim humano ſenſu apprehenderet tantam Surculi altitudinem, ut conſpicua eſſet cunctis Gentibus, atque ad ſe verteret omnium oculos? Atqui illum comparat vexillo in ſublime extento: idque ſcimus fuiſſe
Joan. 3. verſ. 14.
impletum Euangelii promulgatione: & quidem ſplendidius quam ſi volitaſſet Chriſtus ſuper nubes.
Num. 21. verſ. 9.
Eodem pertinet quod dicit Joan. 3. Sicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis. Requiri autem dicitur Chriſtus, dum ad eum confugitur ſalutis petendæ cauſa, ſicuti Deum quærere paſſim in Scriptura tantundem valet, ac ſpes omnes in eum ſuas conferre. Ideo Græci verterunt ἐλπιοῦσιν, ſententiam potius ſpectantes quam vocem. Quod ſequitur continuo poſt, Requiem ejus eſſe gloriam, vulgo exponunt de ſepulchro Chriſti, idque per ſynecdochen: quoniam poſtea hoc ad mortem quoque transferunt. Et certe Chriſti ſepultura nihil aliud fuit quam acceſſio mortis: atque hunc ſenſum eſſe putant, Mortem Chriſti, quæ ignominioſa coram mundo erat, glorioſam & illuſtrem fore. Sed quum propius omnia expendo, Propheta per Requiem, hoc loco Eccleſiam ſignificat: quemadmodum etiam in Pſalmis, Hæc requies mea ſempiterna, hic habitabo. Pſal. 132. verſ. 14.
atque ita nomine honorifico piorum cœtum exornat, quoniam in iis perpetuum domicilium habere vult. Quum igitur tunc Eccleſia probris & ignominiæ expoſita eſſet, promittit fore ut in meliorem ſtatum reſurgat, & priſtinam gloriam recuperet. Hic igitur inſigne teſtimonium habemus, Deum velle perpetuo habitare in Eccleſia, tametſi id hominibus non ſemper conſpicuum ſit.

11. *Et erit.*] Quia incredibile erat vaticinium de futura Eccleſiæ gloria, modum ejus reſtituendæ exponit: quod ſcilicet Deus virtutem manus ſuæ exeret tanquam ad edendum memorabile & rarum facinus. Cæterum ad ſpem electi populi confirmandam, memoriam præteritæ liberationis revocat in eorum Exod. 12. verſ. 51.
animos, ne dubitent æque nunc potentem fore Deum ad ipſos redimendos, atque olim experti erant eorum patres in Ægypto. Nam huc ſpectat particula שנית, hoc eſt, Secundo vel iterum: acſi dixiſſet, Nunc etiam Deus Eccleſiæ ſuæ redemptor erit. Alia etiam ratione confirmat: quia etſi viſus fuerat Deus negligere populum ſuum, nolit tamen privari hæreditate ſua. Summa eſt, Deo ſalutem Eccleſiæ ſuæ ideo curæ futuram, ne jure ſuo ſpolietur. Diſerte tamen exprimit Reliquias: quia hæc redemptio nonniſi ad exiguum ſemen pertinebat. Denique repetit quod prius dixerat, Quamvis Eccleſiam ſuam diſpergat Deus ac diſſipet, fieri tamen non poſſe ut eam prorſus abjiciat: quia ei non minus pretioſa eſt quam ſua cuique hæreditas. Porro non ſolum de Aſſyriis loquitur, qui captivum populum abduxerant, ſed etiam de aliis populis, apud quos diſperſi erant Judæi. quum enim major populi pars Babylonem abducta eſſet, alii in Ægyptum, alii in Æthiopiam, alii in alias regiones fugerunt. Verebantur enim ne ſibi eadem ſervitus, quæ aliis, contingeret. Pathros, alii Parthiam eſſe putant, quod magis probabile eſt: alii Arabiam Petræam. Sub nomine Elam, comprehendit Medos, Zogdianos, Bactrianos, alioſque populos Orientales. Sinear ad Chaldæam pertinet. Per Hamath intelligunt Ciliciam, & alias regiones quæ ad Taurum montem vergunt. Inſularum nomine, Judæi omnes regiones transmarinas intelligunt. Nam & Græcia, & Italia, & Hiſpania ipſis inſulæ ſunt, quod intermedio mari dividantur. Hic videmus Prophetam non tantum loqui de liberatione quæ contigit ſub Zorobabel, ſed longius ſpectare. Nec enim tunc Iſraëlitæ ex Ægypto, Æthiopia, aliiſque regionibus reducti ſunt. Itaque hæc de Babylonica redemptione intelligi non poſſunt, ſed ad regnum Chriſti referri debent: ſub quo per Euangelii prædicationem hæc liberatio facta eſt. Præterea obſervare convenit, hoc proprium opus Dei non hominum eſſe. ait enim, Extendet Dominus manum ſuam: hoc ſcilicet cæleſti ejus potentiæ aſſignans, quod hominum virtute effici non poterat. Notandum etiam, ex præteritis beneficiis Dei, ſpem in melius ſemper concipi oportere: ut quoties nobis Babylonica & Ægyptiaca redemptio in mentem veniunt, æque potentem Dominum eſſe ſtatuamus: nec minus hodie

die nobis adfuturum, ut Eccleſiam in priſtinam gloriam reſtituat. Quod ſemel atque iterum præſtitit, tertio etiam & quarto ac ſæpius præſtare poteſt. Quod Reliquias vocat eos quos eripit, diſcamus non appetendam eſſe ingentem multitudinem, & contenti ſimus noſtra paucitate: neque exiguo noſtrorum numero terreamur. Modo enim abundet juſtitia Dei, veram & ſolidam fiduciæ cauſam habemus.

12. *Et levabit ſignum.*] Hic verſiculus explicationem tantum ſuperioris continet. Eſt autem metaphorica loquutio, cujus tamen duplex poteſt eſſe ſenſus, vel quod ſigno dato adverſarios terrebit, ne exitus claudere audeant redeunti populo, vel quod ſignum dabit miſeris exulibus, ne ſe ad reditum accingere dubitent. Cæterum adhuc hodie inter nos viget hujus doctrinæ uſus. quemadmodum enim ſignum in exercitu tollitur, ut milites coëant, ſuumque ordinem quiſque ſequatur & teneat: ita vexillum hic nobis proponitur, ad quod omnes coëamus: Euangelium ſcilicet, quod Dominus inter Gentes extulit, in quo nobis Chriſtus prædicatur. Unde colligendum eſt, nos non poſſe congregari in Domino, niſi ad hoc ſignum conveniamus, & conſentiamus fide. nec enim aliter nos pro ovibus ſuis agnoſcit, quam ſi ex diſſipatione collecti ſub hoc ſigno in eundem cœtum coaleſcamus: quemadmodum dicit, Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me. *Joan. 10. verſ. 27.* In verbo Congregandi repetitio eſt. oſtendit enim quam efficax futura ſit Dei vocatio: quia ſimulac nutu oſtenderit ſibi ita placere, populum reſtituet. Diſperſionis nomen collectivum eſt: intelligit enim Judæos huc atque illuc diſperſos. Atque alludere videtur, ut ſæpe alias ſolet, ad ſimilem locum Moſis, ubi Dominus promittit ſe populum, etiamſi in extremas orbis terræ partes atque in quatuor cardines diſperſus fuerit, collecturum. *Deut. 30. verſ. 3. 4.* Hoc autem auſpiciis Chriſti factum eſt. Eodem etiam duce ſperanda eſt hodie miſeræ & diſſipatæ Eccleſiæ inſtauratio. nec enim alia ſpes eſt colligendarum reliquiarum, quam ſi electi ad hoc ſignum reſpexerint. Sunt igitur ſæpius commemorandæ iſtæ promiſſiones, ut iis innixi, animos noſtros magis ac magis obſirmemus.

13. *Et diſcedet.*] Hic promittit tantam fore Eccleſiæ pacem, ut neque inteſtinis diſſidiis ſe amplius conficiant Iſraëlitæ & Judæi, nec quicquam moleſtiæ ab hoſtibus ſuis patiantur: neque odio aut invidiæ obnoxii ſint, ſicuti prius erant. non quod defuturi ſint improbi: ſed Dominus illos tandem exſcindet atque perdet. Præcipue tamen notandum eſt quod de ſedandis domeſticis ſimultatibus adjungit, ut ſibi poſthac moleſti non ſint Abrahæ filii, ſed in eadem religione & puro Dei metu conſentiant. fœdum enim & deteſtabile ſpectaculum fuerat, quod tamdiu inter ſe exercuerant hoſtiles inimicitias. Nec abs re oſtenditur fons diſcordiarum, Æmulatio ſcilicet: qua factum eſt ut ſeipſos laceraverint poſteri Abrahæ, dum inter ſe de gloria contendunt tribus Juda & Ephraim. & hac furiali face ſemper accenſa fuerunt in mundo bella, dum ſingulis grave eſt cedere. In ſumma, Dominus hic externam & internam pacem promittit, quod maximum atque in primis optandum beneficium eſt. Objiciet vero quiſpiam, hoc nunquam fuiſſe impletum, imo prorſus contraria eveniſſe. Nam ſimulatque Euangelium exortum eſt, varia bella, tumultus & perſequutiones horrendæ ſequutæ ſunt, totuſque fere orbis commotus & concuſſus eſt. intus vero quam pacem obtinuit Eccleſia? Satan inter ipſos Chriſtianos, ſuis zizaniis horribiles turbas concitavit, *Mat. 13. verſ. 25.* ut nulli fuerint infenſiores & pernicioſiores hoſtes, quam qui in ipſis Eccleſiæ inteſtinis fuerunt educati. Reſpondeo, Prophetam hic univerſum Chriſti regnum, non unam ætatem aut ſeculum duntaxat aliquod complecti. Hic enim regni Chriſti primitias tantum guſtamus: deinde ita hoſtibus internis & externis vexatur Eccleſia, ut nihilominus eam Dominus tueatur & conſervet, omnibuſque hoſtibus prævaleat. Adhæc proprie veris & legitimis Abrahæ filiis convenit hoc vaticinium, quos Dominus cruce & exilio purgatos obliviſci coëgit ambitionis & invidiæ: ſicuti inter omnes qui manſuefacti ſunt in Chriſti ſchola, ceſſat gloriæ cupiditas. Ita jam aliqua ex parte præſtitum eſt, & quotidie præſtatur quod hic promittit Jeſaias. Sed pergendum eſt in iſtis exercitiis, & aſſidue intus & foris pugnandum, donec conſequamur æternam illam pacem, qua beati in regno Dei perfruemur.

14. *Et involabunt.*] Significat Dominum alia etiam ratione adfuturum populo ſuo: nempe ut prævaleat adverſus hoſtes, eoſque in poteſtatem ſuam redigat. Quemadmodum enim de ſecuritate Eccleſiæ loquutus eſt, ita nunc declarat eam hoſtibus ſuperiorem fore. Commemorat autem eas gentes quibuſcum Judæi aſſidue bellum gerebant. nam hinc Philiſtæi, illinc Ammonitæ & Moabitæ, quibuſcum neceſſitudinis & cognationis jure erant conjuncti, ipſos ſubinde infeſtis armis adoriebantur. hinc etiam Idumæi, quos ſanguinis conjunctio non frenabat, quominus acerrimi eſſent hoſtes. originem enim ducebant ab Eſau fratre Jacob: cujus recordatione debuerant ab inimicitiis & odio abſterreri. *Geneſ. 25. verſ. 30. & 36 v. 1, 8, 9.* Itaque promittit Dominus fore, ut Eccleſia, etſi non omnino careat hoſtibus, eos tamen ferendo vincat tandem, ac ſuperior emergat. Extenſio vero manuum, Imperium ſignificat, quod Eccleſia obtinebit adverſus hoſtes. Nam & Manus nomine, Poteſtatem intelligi vulgare eſt, & Manum extendere Hebræi dicunt pro, ſibi Subjicere hoc vel illud. Ita Pſal. 89. Ponam in mari manum ejus, & in fluminibus dexteram ejus. *Pſal. 89. verſ. 26.* Ergo Emiſſio manus, eſt libera dominandi facultas. E diverſo quoque obſequium ſubjungit, quod ei hoſtes præſtabunt. Judæi, qui terrenum Chriſti regnum ſomniant, hæc omnia carnali ſenſu interpretantur, atque ad externam neſcio quam poteſtatem trahunt: quum debeant potius ex regni Chriſti natura æſtimari. Apparuit quidem vaticinii hujus effectus aliqua ex parte, dum Judæos ab exilio reverſos, Deus omnibus vicinis populis invitis ac repugnantibus in mediocrem fortunam rurſus evexit: ſed fidelibus ſperanda fuit auguſtior victoria, quam adepti demum ſunt prædicato Euangelio. Etſi enim ſub cruce aſſidue militandum nobis eſt, tamen vincimus hoſtes, quum è tyrannide diaboli & impiorum erepti, in libertatem à Chriſto vindicamur, ut ſubacta carne & proſtratis cupiditatibus ipſi vivamus: atque in patientia poſſideamus animas noſtras, moderate & æquo animo ferentes quicquid accidit. *Luc. 21. verſ. 19.* Atque etiam in caput hoſtium congerimus carbones, *Rom. 12. verſ. 20.* ſicque victoriam de iis obtinemus, quorum injuriis & probris videmur obnoxii.

15. *Et exterminabit.*] Hoc verſu nihil aliud ſignificat, quam Dominum mirabili ſua potentia viam patefacturum populo ſuo, quæ ante præcluſa videbatur. Loquitur autem figurate: Linguam enim vocat Sinum maris: quod quum mare in continentem penetrans, partem aliquam occupat, linguæ ſeſe exerentis formam præ ſe ferat. Ægyptium ergo mare intelligit, atque adeo ipſam Ægyptum, ut etiam poſtea apertius declarat. Sed mare & fluvios potiſſimum nominat, quod iis muniantur regiones & claudantur omnes exitus.

Super fluvium.] Nilum haud dubie intelligit, qui totam Ægyptum irrigans & multis partibus ſcindens, abrumpere iter populi in patriam redeuntis poterat. רוח pro Vento hic accipi mihi dubium non eſt: tametſi adjunctum ſit, Domini. etenim venti omnes Domini ſunt, quum eos pro arbitrio moderetur & regat: & peculiariter ita vocatur vehementior turbo miraculo excitatus. Alludit autem ad prio-

priorem populi redemptionem, qua ex Ægypto eductus eſt. Quum enim Dominus ei viam patefacere vellet, ventorum impetu & vi mare ſiccavit. (*Exod. 14. verſ. 21.*) Non erat quidem neceſſarium Domino ventorum adjumentum: per ſe enim hoc efficere poterat. ſed dum externis mediis utitur, primum inde diſcimus creaturas omnes ad obſequium ei præſtandum eſſe paratas. quamvis enim naturalem curſum habeant, ſunt tamen in manu ipſius, ut quo volet, earum vim atque impetum convertat. Verbi gratia, Quum exoritur ventus, habet initium à cauſa naturali: habent & ſinguli venti ſuas proprietates. Auſter enim humidus eſt, Aquilo frigidus: atque ſimiles omnino ſunt effectus qui ab iis manant. humida enim corpora redduntur ab Auſtro, ab Aquilone ſicca. Supra has naturales cauſas dominus inſignibus miraculis oſtendit ſe imperium majus obtinere, ut non dominetur natura, id eſt, illa rerum ſeries quam profani homines imaginantur, ſed ipſe ſolus. Deinde oſtendit ſe, quum libet, naturam rerum & ordinem mutare, ut ſolus earum Dominus agnoſcatur, quia talis converſio magis imperium ejus & dominationem declarat. Proinde Jeſaias non ſimpliciter Ventum, ſed Domini, dixit: ne fortuito ipſum ferri aut agitari, ſed Domini manu dirigi intelligamus.

Et percutiet eum in ſeptem rivis.] Alii Torrentes vertunt, atque exponunt, Dividet Nilum in ſeptem partes. Quæ expoſitio, tametſi recepta eſt ab omnibus, mihi tamen probari non poteſt. Atque mihi videntur oblivione potius quam ignorantia lapſi hic eſſe, docti alioqui homines, & in lectione veterum Scriptorum exercitati. Nam ſatis notum eſt ex hiſtoriis, ſeptem Nili præcipua eſſe oſtia. alia enim, quod nominibus careant, minime celebrantur: ideoque Ora falſa vocata ſunt. Quot igitur ora ſeu brachia habet, totidem rivos ſeu fluvios efficere videtur, quæ totidem fuiſſent ad remorandum iter obſtacula. Eos autem nominatim addit Propheta, propter fluvii celebritatem. Præterea quum profundus eſſet fluvius, eum ſe ſiccaturum dicit, ut calceos detrahere minime opus ſit ad ipſum tranſeundum: quod tamen vel pauca aquula reſtante neceſſarium foret. Itaque Propheta ſub his figuris nihil aliud intelligit, quam nihil impedimento fore Deo, quum ſuos è captivitate eripere volet. Hiſtoriam vero prioris redemptionis attingit, ut intelligant idem futurum, quod antea experti fuerant. Ideoque velut in rem præſentem ipſos adducere voluit: quoniam rationes hujus liberationis non patebant. Nec enim hæc promiſſio ſimpliciter annunciata, animos eorum ita penetrare potuiſſet, quam propoſito hoc inſigni exemplo.

16. *Et erit ſemita.*] Hic verſiculus nihil continet novi, ſed ſuperiorem declarat: populum ſcilicet eandem Domini poteſtatem ſenſurum in redemptione Babylonica, quam in Ægyptiaca ſenſerat. Viam enim per maria, per invias ſolitudines, per Jordanem patefecerat: ita inopinata & incredibili ratione rurſus exitum ſuis patefacturum dicit Jeſaias. (*Exod. 14. verſ. 29. Joſua 3. verſ. 16.*) Quod igitur ſemel præſtitum eſt à Domino, etiam in poſterum expectemus: atque in eum uſum veteres hiſtorias meditemur. Hoc etiam conferri debet in ultimam Eccleſiæ redemptionem, qua omnes una ex miſeriis & ærumnis omnibus eripiemur: ut quamvis incredibilia videantur quæ traduntur de reſurrectione & immortali vita, neque ratio nobis pateat, facilem tamen Domino viam eſſe intelligamus.

CAP. XII.

ET dices in die illo: Cantabo tibi Jehova. Tametſi iratus es mihi, averſus eſt furor tuus, & conſolatus es me.

2. Ecce Deus ſalus mea: confidam, & non pavebo. Quoniam fortitudo mea, & canticum Deus Jehova: factuſque * eſt mihi in ſalutem.

3. Haurietis aquas cum gaudio, de fontibus † ſalvatoris.

4. Et dicetis in die illa: Canite Jehovæ: invocate nomen ejus: celebrate in populis opera ejus: commemorate, quia nomen ejus exaltatum eſt.

5. Pſallite Jehovæ, quoniam magnifica geſſit: & hoc vulgatum eſt per totam terram.

6. Jubila & canta habitatrix Sion: quia magnus in medio tui Sanctus Iſraël.

* vel, *erit.*
† vel, *ſalutis.*

DIces, &c.] Nunc pios omnes ad gratiarum actionem hortatur Jeſaias: tametſi exhortatio huc etiam pertineat, ut plus fidei obtineat promiſſio. Eam enim iſta exhortatione obſignat, ut certam eſſe ſtatuant, nec ſe vana ſpe lactari exiſtiment, quum jam dictetur, & quaſi in os ingeratur gratiarum actio: quod non fieret, niſi vera & ſolida conſtaret materia. Simul admonet quem in finem Dominus benefaciat Eccleſiæ ſuæ: nempe ut celebretur nominis ejus memoria: non quod indigeat noſtra laude, ſed hoc nobiſipſis utile eſt. Et conſiderandus honor quo nos afficit, dum ad celebrandam & propagandam nominis ejus gloriam opera noſtra uti dignatur, tametſi inutiles omnino & nihili ſimus. Univerſum vero populum quaſi hominem unum alloquitur, quoniam ita conjunctos eſſe oportebat, ut unum eſſent. ac nos, eodem exemplo ſimul conjunctos eſſe oportet, ut ſit anima una & os unum, ſi noſtras preces & gratiarum actiones Deo acceptas eſſe cupimus. (*Rom. 15. verſ. 6.*)

Tametſi iratus es.] Summa cantici, quod Deus, tametſi jure infenſus eſſet populo ſuo, modica tamen correctione contentus, ſe exorabilem præbuerit. Quia particula כי ſæpius cauſalis eſt, quidam vertunt, Celebrabo te Jehova, quia mihi iratus, redieris tamen ſtatim in gratiam. Sed quia interdum adverſative capitur, ſequutus ſum quod præſenti loco putavi melius congruere. Reatum igitur primùm agnoſcunt fideles, deinde adſcribunt miſericordiæ Dei, quod ex miſeriis levati fuerint. Quia verba ſunt futuri temporis, tolerabilis etiam eſſet hic ſenſus, Non obſtabit temporalis caſtigatio, quominus mei tandem miſerearis, lætitiæque & conſolationis materiam præbeas. Utrumvis eligas, hæc ſententia diligenter notanda eſt. Nam ſimulac ſenſus iræ Dei occupat animos noſtros, ad deſperationem nos ſollicitat; & niſi mature obviam eatur, facile nos obrueret. Satan quoque nos modis omnibus tentat, omneſque machinas admovet, ut animum deſpondere cogat. Nos igitur hac doctrina armari oportet: ut quamvis ſentiamus iram Domini, brevem fore ipſam ſciamus, ac ſtatim adfore conſolationem, ubi nos caſtigaverit. (*Pſal. 30. verſ. 6.*) Cæterum malis levati, revocemus in memoriam, finem impoſitum eſſe pœnis, non quia perſolverimus Dei judicio quod eramus meriti, ſed quia pro paterno ſuo amore infirmitati noſtræ parcit. Hæc autem confeſſio proprie ad pios & electos pertinet. quamvis enim eædem eſſe videantur piorum & impiorum plagæ, tamen longe diverſa conditio eſt. Perpetua eſt enim ira Domini adverſus impios, & plagæ quibus feriuntur, præludia ſunt exitii ſempiterni:

nulla

nulla iis allevatio aut conſolatio promittitur. Pii vero brevem eſſe iram Dei ſentiunt, animoſque ſuos ſpe & fiducia ſuſtentant: quia Deum ſibi propitium fore ſciunt, qui pœnas ſe de eorum peccatis ſumere
1 Cor. 11. vers. 32. teſtatus eſt non aliumin finem, niſi ut ad reſipiſcentiam erudiat, ne una cum mundo pereant.

2. *Ecce Deus.*] Quanquam in mediis afflictionibus nos fide ſalutem Dei apprehendere convenit, hic tamen de experimentali notitia loquitur Jeſaias: quia canticum lætitiæ dictat, ubi Deus externis ſignis ſe Eccleſiæ placatum oſtendit. Atque huc ſpectat particula הנה: quia nunc ſerena Dei facies, quæ ad tempus fuerat abſcondita, refulget, ut quaſi digito eam monſtrare queant. Quoniam ergo horrorem in pœnis concipimus, nec fieri poteſt quin mentes noſtras obnubilent peccata, acſi aliena vel remota eſſet à nobis Dei ſalus, deſcribitur hic affectus mutatio, ubi nobiſcum Deus redit in gratiam. præcipue vero ad Chriſti adventum, quo propius exhibita fuit ſalus Dei, vaticinium hoc extenditur. Subjicit poſtea, ubi certo ſtatuimus repoſitam eſſe nobis in Deo ſalutem, hoc firmum eſſe fundamentum plenæ fiduciæ, & optimum remedium ſedandis timoribus. Alioqui enim trepidare nos atque anxio & inquieto animo eſſe, & miſere agitari neceſſe erit. Hinc colligimus ex fide manare fiduciam, velut effectum à ſua cauſa. Fide enim ſalutem nobis in Deo repoſitam eſſe percipimus: ex ea conſequitur tranquillus & pacatus animi ſtatus. Ubi vero deeſt fides, nulla conſcientiæ tranquillitas eſſe poteſt. Sciamus ergo nos tunc demum in fide profeciſſe, quum hac fiducia, qualem deſcribit Propheta, præditi fuerimus.
Coloſſ. 3. vers. 15. Præterea hæc fiducia ſic palmam obtinere debet in cordibus noſtris, ut metu & horrore omni ſuperior ſit. non quod motu & agitatione omni exempti ſimus: ſed quod victrix tandem ſecuritas emerget. Tenendum tamen eſt quod dixi, Prophetam hic de alacritate diſſerere quam Deo propitio recipiunt fideles, qui ſub mole tentationum prius fere demerſi fuerant.

Quoniam fortitudo.] Clarius & magis ſpecialiter exprimit canendi materiam fore fidelibus, quia experti fuerint ſe fortes fuiſſe in Deo ſuo: ut certe redemptio illuſtre fuit virtutis Dei ſpecimen. Jam quum non unius diei beneficium prædicet Jeſaias, ſed quod proſequi ſtatuerat Deus uſque ad Chriſti adventum, ſequitur non alios vere & ex animo Dei laudes canere, niſi qui ſuæ imbecillitatis conſcii, precario fortitudinem ab uno Deo petunt. Nec vero pars aut ſubſidium virtutis noſtræ hic vocatur, ſed virtus noſtra in ſolidum: quia tantum valemus, quantum nobis virium adminiſtrat. Hac ratione vocatur, Canticum piorum, quia in hunc finem tam liberaliter tractantur, ut ſe in officio gratitudinis exerceant. Unde colligimus principium gaudii oriri ex Dei fa-
Pſal. 50. vers. 23. vore: finem vero eſſe ſacrificium laudis. Sic quidem ad patientiam compoſitos eſſe decet piorum animos, ut Deum benedicere non deſinant: læto tamen & proſpero ſtatu os illis aperitur, ut plenis buccis reſonent Dei beneficia. Quia vero impii contempto Deo exultant, & ſopitis conſcientiis brutum in morem ſe ingurgitant ebria lætitia, nec ad Deum laudandum ſe unquam expergeſaciunt, merito eorum gaudium
Lucæ 6. vers. 25. maledicit Chriſtus: Væ qui ridetis, quia lugebitis: gaudium veſtrum vertetur in mœrorem, & riſus in ſtridorem dentium. In clauſula verſus, ſi præteritum verbi tempus retinere placeat, ſenſus erit, Hilariter cantare fideles, quia divinitus ſervati ſint. In futuro tamen ipſe ſenſus optime quadrabit, nempe Deum non ſemel tantum ſaluti fuiſſe ſuis, ſed uſque in finem fore: quia in præſenti beneficio ſubſiſtere non debent fideles, ſed ſpem ſuam ad continuum gratiæ curſum extendere.

3. *Haurietis.*] Confirmat hoc verſu quod jam antea attigimus: nempe, hoc caput eſſe quaſi ſigillum ad confirmandam promiſſionem, quam de populi redemptione dedit. acſi diceret, Sic vobis expoſita eſt Domini ſalus, acſi fons perennis decurreret, ex quo abunde aquas haurire poſſitis. Quæ ſimilitudo valde concinna eſt: nam in hac vita nihil magis aqua neceſſarium eſt, ut nullius rei moleſtior ſit penuria minuſque tolerabilis quam aquæ. Ita per ſynecdochen exprimit ex mera Dei liberalitate nobis fluere quicquid ad ſuſtinendam vitam pertinet. Ac quoniam omnis boni vacui ſumus ac ſteriles, non abs re fonti miſericordiam Dei comparat, qui ſiticuloſos & aridos ſatiet, æſtu confectos refrigeret, laſſitudine oppreſſos recreet.

Salvatoris.] Hoc nomen melius huic loco quadrat, quam Dei. quia enim plus conſolationis affert, quum intelligimus nobis eſſe auctorem ſalutis. ideoque circumſtantiæ loci hoc epithetum ſcite aptavit Propheta. Jam ſi promiſſio hæc complectitur totum Chriſti regnum, ipſam in uſum noſtrum perpetuo accommodare debemus. Sciamus ergo propoſitam nobis eſſe bonitatem Dei, ut ea ſatiemur. debemus enim eſſe inſtar terræ aridæ & ſiticuloſæ, quemad- Pſal. 143.
modum inquit Pſaltes, ut aquas Domini appetamus. vers. 6.
Admiranda vero & incredibilis eſt iſta Dei bonitas, quod nos deſiderio fruſtra ardere non patitur: ſed fontem offert unde abunde haurire licet. Porro fons iſte Chriſtus eſt, in quo nobis omnia Dei bona communicantur: nam de plenitudine ejus, ut inquit Joan. 1.
Joannes, haurimus omnes. Supereſt igitur, ut vers. 16.
ſimulac nos urget noſtra inopia, ad eum recta properemus.

4. *Et dicetis.*] Non tantum ſingulos jam hortatur ut laudem canant Deo & gratias agant, ſed ut ſtimulent alios ad idem faciendum. Quemadmodum enim prius dixerat, Ibunt populi multi, & dicent, cap. 2. 3.
Venite, aſcendamus in montem Domini, mutua ſcilicet cohortatione ſeſe incitantes ad purum Dei cultum amplectendum: ita poſtquam ſingulos Deo gratos eſſe juſſit, nunc etiam præſcribit ut ad gratias agendas ſeſe mutuo incitent. Dicendum autem ſignificat non uni, ſed omnibus: neque aliquo tempore, ſed tota vita. Jam quomodo rite celebretur Dei nomen breviter definit, invocare ipſum jubens, ne alibi glorientur. Unde etiam Scriptura ſæpe invocationis nomine totum cultum συνεκδοχικῶς deſignat. ſic enim nos fiduciam noſtram in Deo locatam eſſe oſtendimus: quod etiam à nobis potiſſimum requirit. Hic ſimiliter arbitror, ut totum Dei cultum comprehendat Propheta, invocationem cum laudibus conjungi.

Nota facite.] Tam præclarum hujus liberationis opus fore ſignificat, ut non in angulo aliquo latere, ſed evulgari per orbem univerſum debeat. Voluit quidem Judæis primum innoteſcere, ſed deinde manare ad cunctos mortales. Atque hæc exhortatio qua ſuam gratitudinem teſtati ſunt Judæi, veluti præludium fuit Euangelicæ prædicationis, quæ deinde ſequuta eſt ſuo ordine. Nam ſicuti apud Medos & Perſas aliaſque vicinas gentes celebrarunt Judæi gratiam ſibi præſtitam, ita exhibito Chriſto præcones eſſe oportuit, qui Dei nomen per omnes mundi plagas buccinarent. Hinc apparet qualis vigere debeat affectus in omnibus piis: nempe ut Dei bonitas omnibus palam fiat, quo omnes ad eundem Dei cultum accedant. Tunc vero potiſſimum nos hoc ſtudio accendi oportet, poſtquam è gravi aliquo periculo, maxime vero à tyrannide diaboli & morte æterna liberati ſumus.

5. *Pſallite Jehovæ.*] Pergit in ſua exhortatione, oſtendens ex quo affectu hæc gratiarum actio proficiſci debeat. Docet enim hoc eſſe officii noſtri, ut ubique gentium bonitatem Dei publicemus. Nec vero hortandi & præmittendi ſunt alii, ut interim deſideamus otioſi, ſed exemplo præire alios convenit: quia nihil magis præpoſterum eſt, quam ignavos

 vos

vos & deſides cerni qui ad Deum laudandum reliquos animant. Porro Deum magnifice egiſſe prædicans, ſignificat amplam eſſe materiam canendi. Nec enim de nihilo laudes ſuas celebrari vult Dominus: ſed argumentum ampliſſimum atque uberrimum præbet, quum populum liberat è duriſſima ſervitute. Diximus autem hoc canticum non reſtringi ad breve tempus, ſed potius ad totum Chriſti regnum extendi. Itaque opus hoc vere magnificum eſt, Quod Deus Filium ſuum miſit, quo nos ſibi reconciliaret, ac deſtrueret imperium mortis & diaboli. Si igitur opus liberationis noſtri reputamus ut decet, ampliſſimam laudandi Dei materiam habebimus. Ultimo membro, ubi hoc dicit vulgatum eſſe, attingit vocationem Gentium, & confirmat quod jam dictum eſt, tale opus eſſe, quod in angulo latere non debeat, ſed ubique publicari.

Joan. 3. v. 16, 17. Hebr. 2. verſ. 14.

6. *Jubila.*] Rurſus hortatur pios, ut in Domino gaudeant, ſimul admonens quale ſit verum gaudium, & in quo fundatum ſit. nec enim nobis alia eſt beatitudo, quàm habere Deum reſidentem in medio noſtri: nam alioqui miſera & infelix eſt vita noſtra, tametſi aliis bonis, opibuſque omnis generis affluamus. Jam ſi cor noſtrum adhæret theſauro noſtro, ſenſus omnes noſtros ad ſe rapiet hæc felicitas. *Sanctum* vocat, ut ſciamus qualem ſe nobis præſtare velit, dum habitat nobiſcum: nempe ut non ſolum majeſtas ejus reverentiam ſibi conciliet, quia ſimul nos obrueret terrore, ſed ut nos peculiari cura dignetur, quanquam à reliquo mundo ſeparatos. Sanctum enim ab effectu vocat: quia nos ad ſe colligens & ſalvos præſtans ſua gratia, quaſi in peculium ſibi ſanctificat. Quare ſi nobiſcum eſt Deus, perfundet nos inæſtimabili gaudio ſenſus ejus præſentiæ. Unde ſequitur, eo abſente mœrori & triſtitiæ nos manere addictos. Ac Jubilandi Canendique verbis ſignificat, quum Deus ſuam potentiam attollit in medio noſtri, non vulgaris gaudii offerri nobis cauſam. Cæterum incolas Sion nominatim compellans, non omnes tanti boni capaces eſſe admonet: ſimulque tacite hortatur ad unitatem fidei colendam, ut conjuncti Eccleſiæ beato hoc gaudio perfruamur.

Matth. 6. verſ. 21.

CAP. XIII.

ONus Babylonis, quod vidit Jeſaias, filius Amoz.

2. Super montem excelſum levate ſignum: attollite vocem ad eos: agitate manum, ut ingrediantur portas munificorum.

3. Ego præcepi ſanctificatis meis: adeoque vocavi fortes meos ad iram meam, lætantes gloria mea.

4. Vox multitudinis in montibus inſtar populi multi. Vox ſonitus regnorum, gentium congregatarum: Jehova exercituum recenſet exercitum belli.

5. Venientes è terra longinqua, ab extremó cælorum, Jehova & vaſa furoris ejus, ad vaſtandam univerſam terram.

6. Ululate: quoniam propinquus eſt dies Jehovæ: quaſi vaſtitas * à robuſto veniet.

** vel, à vaſtatore.*

7. Propterea omnes manus diſſolventur: & omne cor hominis liqueſiet.

8. Et terrebuntur: anguſtiæ & dolores apprehendent: inſtar parturientis dolebunt: quiſque ad proximum ſuum obſtupeſcet: facies flammarum, facies eorum.

9. Ecce dies Jehovæ veniet ſævus: & indignatio, & æſtus iræ, ut redigat terram in ſolitudinem, & ſceleratos ejus deleat ex ea.

10. Itaque ſtellæ cælorum & ſidera non expandent lumen ſuum: obtenebratus erit ſol in egreſſu ſuo, & luna non emittet fulgorem ſuum.

11. Et viſitabo ſuper orbem malitiam, & ſuper impios iniquitatem eorum: & ceſſare faciam arrogantiam ſuperborum, & altitudinem tyrannorum dejiciam.

12. Pretioſiorem reddam mortalem auro puro: & hominem maſſa auri ex Ophir.

13. Propterea concutiam cælos, & movebitur terra loco ſuo, in indignatione Jehovæ exercituum, & in die æſtus iræ ejus.

14. Eritque quaſi damula impulſa, & ovis quam nemo colligit: quiſque ad populum ſuum reſpiciet, & quiſque ad terram ſuam confugiet.

15. Quiſquis deprehenſus fuerit, confodietur: & omnis aggregatus cadet in gladio.

16. Parvuli eorum allidentur coram ipſis, diripientur domus ipſorum, & uxores eorum violabuntur.

17. Ecce, ego contra vos ſuſcito Medos, qui de argento non cogitabunt, nec aurum ipſum appetent.

18. Et arcubus pueros allident, fructus ventris non miſerebuntur, nec parcet filiis oculus eorum.

19. Et erit Babel, decor regnorum & ornamentum ſplendoris Chaldæorum, inſtar ſubverſionis Dei in Sodoma & Gomorrha.

20. Nunquam amplius ſedebit, neque habitabit in generationem & generationem: neque figet illic tabernaculum Arabs, neque paſtores illic accubare facient gregem.

21. Sed ibi cubabunt Ziim, & domus eorum implebunt Ohim: illic habitabunt filiæ Struthionis, & illic Satyri ſaltabunt.

22. Et clamabunt Iim in magnificis ædibus eorum, & dracones in palatiis voluptuoſis. ac tempus quidem ejus prope eſt, neque protrahentur dies ejus.

ONus Babylonis, &c.] Hinc uſque ad vigeſimum quartum caput, Propheta vaticinatur quam diræ & horrendæ clades Gentibus & regionibus imminebant: quæ Judæis vel propter viciniam, vel propter commercia & fœdera notiores erant: idque facit non ſine gravibus de cauſis. Dum enim accidunt variæ mutationes, alii Deum ludere in rebus humanis, alii cæco fortunæ impetu omnia verſari exiſtimant, ut ſatis teſtantur profanæ hiſtoriæ: pauci admodum hæc Dei conſilio ſtatui regique intelligunt. Nihil enim difficilius perſuadetur hominibus, quam Dei providentia mundum hunc gubernari. Multi quidem verbis hoc fatentur, ſed pauciſſimi id animo vere infixum habent. Conturbamur vel ad minimam mutationem, atque horreſcimus: inquirimus cauſas, acſi ab hominum arbitrio id penderet. Quid igitur fiet ubi univerſus concutitur orbis, ſicque variis in locis rerum facies invertitur, ut omnia videantur ruitura? Proinde utiliſſimum fuit, Jeſaiam & alios Prophetas concionari de ejuſmodi cladibus, ut omnes nonniſi arcano & mirabili Dei conſilio eas accidere intelligerent. Nam ſi nullum de iis vaticinium ediſſent, tanta rerum permixtio animos piorum turbare & labefactare poterat: ſed quum longe antea ſcirent id futurum, in ipſo eventu ſpeculum divinæ providentiæ habebant. Capta enim Babylone, quod ex ore Prophetæ pridem didicerant, non fruſtra nec temere fuiſſe prædictum uſus ipſe & experientia docuit. Sed fuit & alia cauſa, cur Dominus Babylonis & aliorum excidium prædici juberet. Nec enim Babyloniis aliiſve populis hæc vaticinia profuerunt, nec ad eos hæc ſcripta pervenerunt: ſed hoc ſolatio lenire voluit piorum triſticiam, ne deficerent animis, acſi deterior eſſet ſua conditio quam Gentium: quod merito in mentem venire poterat ſi alios vidiſſent impune effugere Dei manum. Nam ſi integra ſtetiſſet Monarchia Babylonis, non modo exiſtimaſſent Judæi fruſtra ſe Deum coluiſſe, & inane eſſe ejus fœdus quod cum Abraham percuſſerat, quum exteris & impiis melius eſſet quam electo populo: ſed obrepere poterat pejor ſuſpicio: favere Deum ipſum ſceleratis latronibus, qui rapinis & ſeditionibus dediti jus & fas omne ſpernebant. certe ſtatim cogitaſſent aut Deum negligere ſuos, aut ſubvenire illis non poſſe, aut cæco fortunæ impetu omnia verſari. Ne ergo deficiant animis ac frangantur, hujus vaticinii conſolatione occurrit Propheta, Babylonios quoque pœnas daturos oſtendens. Adhæc eos admonuit comparatio, quam gravis ipſos maneret vindicta, quam ſcientes & volentes ſibi accerſiverant. Nam ſi incredulis & profanis Gentibus, quæ in tenebris erraverant, tam graviter minatur Deus, quanto rigidior futura eſt ejus ſeveritas erga rebellem populum, qui data opera
Luca 12. verſ. 47. peccavit? Servus enim ſciens voluntatem domini ſui, & non faciens, merito durius vapulat. Deus ergo cæcis denuncians tam atroces pœnas, Judæis, qui in Lege educati fuerant, tanquam in ſpeculo propoſuit quid eſſent meriti. Præcipuus tamen Jeſaiæ ſcopus erit in his vaticiniis, Judæis oſtendere quam chara Deo & pretioſa eſſet eorum ſalus, quum viderent cauſam ſuam ab eo ſuſcipi, & vindicari illatas ſibi injurias. Primo autem loco, de futura vaſtatione & excidio regni Judaici & Iſraëlitici lo-
1 Petr. 4. verſ. 17. quutus eſt: quia neceſſe eſt judicium incipere à domo Dei. Peculiarem enim ſollicitudinem de ſuis gerit Dominus, eorumque in primis rationem habet. Proinde quoties hæc vaticinia legimus, diſcamus ea in uſum noſtrum accommodare. Dominus quidem hodie non prædicit in ſpecie quæcunque Regnis & populis eventura ſunt; nec tamen eam, quam ſuſcepit mundi adminiſtrationem, reſignavit. Quoties ergo urbium excidia, gentium ærumnas, & Regnorum converſiones conſpicimus, veniant illa nobis in mentem ut humiliemur ſub Dei flagellis, diſcamus alieno malo ſapere, triſtitiæque noſtræ mitigationem petamus.

Onus.] De vocabulo Oneris, quod frequenter occurrit, ſic breviter habendum eſt: Familiare fuiſſe Dei Prophetis, quoties aliquid adverſum denunciare volebant: ut ſciret populus nihil accidere adverſi, quod non Dominus ipſe, velut onus hominum humeris imponeret. Quia autem improbitas & pervicacia populi cogebat Prophetas aſſidue de flagellis Dei concionari, hinc factum eſt, ut vulgari dicterio Prophetias omnes notarent Oneris appellatione: quemadmodum ex Jeremia conſtat, cap. 23. ubi *Jere. 23.*
Dominus graviter excandeſcit, quod hoc ludibrio *verſ. 36.* non infame tantum, ſed odioſum quoque verbum ſuum redderent. Porro hæc vox piis indicat, clades omnes atque ærumnas injungi à Domino, ut quiſque peccati ſui pœnam ſuſtineat. Ac diſerte exprimit viſione cæleſti ſibi fuiſſe teſtatum quod dicturus eſt, ut hæc auctoritas prævaleret contra omnes carnis ſenſus. Erat enim creditu difficile, tam florentem Monarchiam, tantiſque opibus inſtructam poſſe ullo modo everti. Ergo quum oculos perſtringeret tantæ potentiæ intuitus, inde eos Propheta ad fidem cæleſtis oraculi revocat, ut Dei judicium, quod comprehendere non poterant proprio judicio, fide expectent.

2. *Super montem.*] In Montis nomine eſt metaphora: quia de Babylone ſermo eſt, quam ſcimus in planitie fuiſſe ſitam, ſed ſummi imperii reſpectu, quaſi arcem quæ emineat ſupra cunctas gentes, eam in ſublimi ſtatuit. niſi forte magis placeat nomen Montis indefinite accipere: acſi diceret, Signo dato fore magnum concurſum ex terris procul remotis, quia longe lateque conſpectum omnes ad ſe rapiet. & certe hic ſenſus mihi probabilior videtur: ſed volui priore loco referre quod communiter receptum erat. Ridiculum tamen videri poſſet, quod hic creaturis tanquam ſibi ſubjectis imperat Propheta, niſi eſſet inſtructus à Deo, ejuſque auctoritate munitus. Hic enim homo privatus imperat Medis & Perſis, convocat exercitus, vexillum efferri jubet, claſſico emittit ad prælium. Eſt igitur hic conſideranda Dei majeſtas, cujus nomine loquebatur: atque etiam vis & efficacia, quæ ſemper Verbo conjuncta eſt. Atque apud Prophetas paſſim occurrunt iſtæ loquendi formæ, ut quaſi in re præſenti nobis liqueat, nihil Deum minari per ſervos ſuos, quin ſtatim parata ſit exequutio. Poterat certe Jeſaias ſimplicius & nudis verbis denunciare, Venient Perſæ & Medi, & prorumpent in portas Babylonis, quamlibet egregie munita ſit. Sed multo plus vehementiæ habent exclamationes iſtæ, ubi non modo fecialis perſonam induens bellum indicit, ſed pro ſummo imperio mandat, ut Medi & Perſæ non ſecus ac conductitii milites conveniant. Neque enim tantum docet eos ad Dei nutum præſto adfore, quia arcano ejus inſtinctu moventur: ſed quia ad cladem Babylonis teſtandam divinitus miſſus eſt, effectum rei incredibilis voci ſuæ vendicat. Summa eſt, ubi Deus loquutus eſt de eventu, non eſſe ambigendum. Notatu etiam dignum eſt, quod ſuppreſſis nominibus deſignat Perſas ac Medos: quia magis emphatica eſt iſta denunciatio, ubi tanquam digito eos demonſtrat: ſicuti quum dicimus, Hic & iſte. Atque hoc valet ad certitudinem Prophetiæ, quum res adeo remotas tanquam præſentes oſtendit. Quum dicit, Agitate manum, & ingredientur, intelligit ſimulac Dei mandato ſeſe accingent Perſæ & Medi, planam & facilem illis viam fore per omnia obſtacula. Quanquam autem Hebræi נדיבים hoc eſt, Liberales & Munificos vocant Principes, unde etiam illud Chriſti dictum apud Lucam, *Luc. 22.*
εὐεργέται: videtur tamen Propheta notare po- *verſ. 25.* tentiæ ſplendorem, qua Babylonii gloriabantur. Erant enim præ aliis inſtructi copiis & bellico apparatu,

ratu, ut credibile non eſſet eos unquam expugnari poſſe. At Propheta nihil obſtaturum denunciat, quominus via & aditus hoſtibus à Deo pateſiat.

3. *Ego præcepi.*] Hic Propheta Dominum loquentem juſſaque ſua declarantem introducit. Sanctificatos vocat Medos & Perſas, id eſt, præparatos à ſe. Verbum enim קדש varie ſumitur: quia aliquando refertur ad Spiritum regenerationis, quòd electis Dei peculiare eſt. Interdum vero Optare, ſeu Præparare ſignificat: atque hæc ſignificatio melius huic loco convenit. Quoſcunque vero creat Dominus, eos ſimul ad certum uſum deſtinat. Nec enim temere projicit homines in terram, ut quocunque libuerit ſeſe conferant: ſed omnes arcano conſilio ſuo gubernat: atque reproborum impetus regit ac moderatur: ut quocunque voluerit ipſos impellat, frenet etiam ac cohibeat, quum ei ita viſum eſt. Itaque Sanctificatos vocat, ſepoſitos ac paratos ad operam ſibi præſtandam: tametſi hoc ipſis minime propoſitum ſit. Unde & occulto Dei judicio adſcribere docemur turbulentos omnes motus. & mira conſolatio affertur: quia tametſi omnia moliantur impii, nihil tamen efficient quam quod Dominus decreverit. Quod addit continuo poſt, ſe Vocaſſe, plus eſt quam Præcipere, quod primo loco poſuerat. Significat enim ipſos non tantum Dei nutu, ſed etiam expreſſa voce excitatum iri: acſi aliquem ad me vocarem, qui ſtatim ſequeretur. Babylonem igitur à Medis & Perſis deſtructum iri denunciat: non ſecus acſi Deo vocanti morem gererent. Nam etſi eos impulit ſua ambitio, ſuperbia & crudelitas ad pugnandum, Deus tamen neſcientes ad exequendum ſuum judicium direxit.

4. *Vox multitudinis.*] Subjicit magis vivam hypotypoſin, id eſt, deſcriptionem, qua rem velut ante oculos proponat. Nec enim ſatis eſt Prophetis loqui, niſi etiam res ipſas aperte depingant. Verba enim ſimpliciter ac vulgari more enunciata non ita afficiunt, neque animos percellunt ut iſtæ figuræ, quibus viva rerum imago effingitur. acſi diceret, Nunc quidem loquentem hominem auditis: ſcitote vero tantam hujus vocis efficaciam fore, ut ejus ſono concitentur gentes, tumultuentur populi, magnaque frequentia perſtrepant ac fremant ad exitium Babyloniis inferendum. Hoc igitur præconium, etiam me mortuo ita vigebit, acſi jam id quod vobis nuncio cerneretis. Proinde hac in re quanta ſit Verbi efficacia perſpicimus, cui omnes creaturæ & cæleſtes & terrenæ parent. Eoque nos magis in hac doctrina confirmari decet, quod nihil non evenerit eorum quæ multis antea ſeculis prædicta erant. Ideo in fine verſus aſſerit Dei auſpiciis cogi diverſas gentes: & quamvis illis nihil minus ſit propoſitum, quam pœnas ab eo injunctas exequi, nihil tamen niſi ex ejus præſcripto agere, acſi Dux quiſpiam terrenus copias ſuas inſtrueret.

5. *E terra longinqua.*] Certius quod nuper dixi repetendo confirmat, bellicos motus non temere oriri è terra: quia utcunque deſpument hominum cupiditates quicquid eſt turbarum, Deus tamen ex alto præſidet. unde merito primatum Deo tribuit Jeſaias. Deinde ſubjicit armatos homines nihil aliud quam arma furoris ejus eſſe. Dicit autem è terra longinqua venturos qui Babylonis Monarchiam evertant: quia non veremur pericula niſi quæ propius imminent. Babylon vero ſic munita, atque tot regnis ac provinciis quæ ipſi parebant circumdata erat, ut nuſquam hoſtibus acceſſum patere crederet. Denique velut in nubibus locata, nulla pericula verebatur. Quia igitur nihil incommodi circumcirca inſtabat, denunciat cladem emiſſus adfuturam. Quamvis enim pacata & tranquilla omnia videantur, neque ullum nobis cum vicinis diſſidium ſit, Deus ab extremo cæli hoſtes accerſere poteſt. Proinde non eſt quod nobis ſtatum firmum & tranquillum polliceamur, quamvis nullum è propinquo periculum immineat. Si vaticinium hoc ad Babylonios perlatum fuiſſet, minime dubium eſt quin ipſum veluti fabulam reſiſſent. Nam etſi fingamus eos fidem aliquam Prophetæ habuiſſe, tamen in tanta ſecuritate minas iſtas velut inanes ac frivolas contempſiſſent. Exemplum in promptu eſt: Quum hodie de Turca concionamur, quoniam longe adhuc abeſſe putatur, omnes fabulam eſſe putant. Videmus tamen quam brevi tempore ad eos qui aberant longius, & potentiores erant, excurrerit. Tantus eſt hominum torpor, ut excitari non poſſint, niſi feriantur plagaſque ipſas ſentiant. Documento igitur ſint nobis Babylonii, ut mature timeamus minas quæ à Prophetis nunciantur: ne idem nobis accidat quod impiis, qui tranquillitati ſuæ confiſi, ingruente Dei manu ac feriente ſic terrentur, ut nuſquam poſſint conſiſtere, ſed attoniti ruant. Quod autem pro Babylone univerſam terram ponit, ad regni amplitudinem reſpicit: ne putent tot provinciis, quibus undique cincti erant, arceri poſſe hoſtium impetus. Simul tamen indicat haud levem fore calamitatem quæ locum unum attingat, ſed inſtar diluvii fore, quo obruatur non exigua mundi portio. Cæterum Vaſa iræ alio ſenſu vocantur Perſæ & Medi, quam apud Paulum reprobi omnes. nam Paulus vaſa iræ & miſericordiæ inter ſe opponens, docet in electis fulgere gratuitam Dei bonitatem: reprobos vero ſeveri judicii eſſe documenta. Jeſaias autem intelligit Medos & Perſas inſtar telorum eſſe in manu Dei, quibus vindictam ſuam exerceat.

Rom 9. verſ. 22.

6. *Ululate.*] Proſequitur idem argumentum, ac jubet Babylonios ululare: non quod doctrinam ad eos dirigat, acſi profectum aliquem ſperaret, ſed dum ipſam qualis futura eſt prædicat, emphatice apoſtrophem hanc interponit. *Diem Domini* vocat uſitato more Scripturæ, quod quum Dominus differt judicia ſua, ab officio ſuo ceſſare videatur: quemadmodum Judices quum tribunal non conſcendunt. Hæc autem loquutio notanda eſt: quoniam Deum libenter arbitrio noſtro ſubjiceremus, ut ſtatim adverſus impios ſententiam ferret. Habet autem ſtatum tempus ſuum, & opportunitates novit, quibus & punire malos & opitulari bonis conveniat. Poſtea judicii ſeveritatem fore denunciat, quæ merito extorqueat Babyloniis non modo clamorem, ſed ululatum: quia Deus virtutem ſuam exeret ad ipſos vaſtandos & perdendos. שדד enim Vaſtare & Prædari ſignificat: unde שדי deducitur, unum ex Dei nominibus, quod Omnipotentem vertunt. Concinna igitur alluſio eſt ad etymologiam: quaſi diceret, ſenſuros in ſua clade Babylonios quam non abs re Deus vocetur שדי, quaſi robuſtus & validus ad perdendum.

7. *Propterea omnes manus.*] Oſtendit tantam fore Domino potentiam ad Babylonios perdendos, ut nihil habituri ſint quod iræ ipſius opponant. Quamvis enim pollerent opibus, & inſtructi eſſent potentia: animo tamen fracto & manibus remiſſis fore, ut nullam reſiſtendi aut voluntatem, aut facultatem habeant. Atque ita oblique ridetur ferocia qua turgebant Babylonii: quum in arbitrio Dei ſit corda mollire, frangere, luxare, vel enervare manus vel brachia, ut repente concidat omnis magnanimitas, & vires evaneſcant. Ubi vero fractus eſt animus, quid munitiones, aut copiæ, aut opes, aut propugnacula juvabunt? quid valet inſtructa officina ſine artifice? Id quotidie experiemur in iis quos magnis alioqui præſidiis Dominus inſtruxerat. Unde perſpicimus, quam inanis ſit ea quam in externis præſidiis locamus fiducia: quum ea nobis inutilia ſint, ſi Dominus terrore aliquo animos noſtros percellat.

8. *Anguſtiæ apprehendent.*] Quoniam nominis צירים ambigua ſignificatio eſt, Græci interpretes Legatos vertunt. Atqui ſimilitudo parturientis,

quæ

quæ continuo poſt ſubjicitur, ſatis declarat pro Anguſtiis ſumi. nam hic velut uno verbo exponit quod prius dixerat, animos liquefactos & manus remiſſas fore. Quoniam, inquit, pavore conſternati erunt. Unde vero ille pavor? nempe à Deo. Hunc terrorem, cujus nulla extabat cauſa, veteres Panicum vocabant. Panas enim, larvas & ſpectra, & ejuſmodi viſa nominabant, quibus homines etiam nulla extrinſecus objecta cauſa expaveſcebant. Id quidem non ſine ratione: ſed tamen craſſa ignorantia errabant, quod non intelligerent id à Deo proficiſci.

Inſtar parturientis.] Quod ad Babylonios ſpectat, fuit quidem illis juſta timoris cauſa, quum ſe à ſtrenuis & bellicoſis gentibus impeti viderent. ſed tamen minatur Propheta, Quamvis pares ſint ad reſiſtendum, fore tamen quaſi exanimes: quia arcano Dei inſtinctu attoniti jacebunt. Eodem pertinet quod ſubjicit, Stupebit quiſque ad proximum ſuum, ut quum homines turbati huc atque illuc circumſpectant: neque id ſolum, ſed dum nuſquam apparet ſpes ſalutis, quaſi omni ſenſu privati, ignaviæ ſe dedunt. Cæterum terroris vehementia clarius exprimitur proximo membro, ubi tribuit illis Facies flammeas. Nam quod pudorem notari quidam putant, acſi dictum eſſet uno verbo, Erubeſcent, nimis dilutum eſt: aliquid majus & gravius ſignificare voluit Jeſaias. nam quum nos urgent cruciatus, inflammatur facies, & dolore conſtricti ardemus. Et certe nimium leve eſſet, in tam gravi calamitate hæc de pudore interpretari, quum tam atrocem calamitatem deſcribat, ut præ ejus acerbitate flammæ è vultu ebulliant: quod fieri ſolet, quum homines extremo dolore cruciantur. Similitudo Parturientis non tantum magnitudinem doloris, ſed ſubitum quoque incurſum deſignat. Sicuti ergo acerba & violenta futura erat clades, ita repentinam fore denunciat Jeſaias. neque immerito. Quia nunquam putaſſent Babylonii tam validis præſidiis muniti, ſe corripi vel apprehendi poſſe ulla moleſtia.

9. *Ecce dies Domini.*] Repetit quod paulo ante attigerat, Quamvis nunc ſecuri in ſua opulentia ſedeant Babylonii, diem Domini propinquum eſſe, qui ſecuros perterreat. Hic tamen poſſet moveri quæſtio, Cur dies Domini vocetur Sævus, quum nihil optabilius ſit quam Deum præſentem habere: ſola enim præſentia ipſius nos vere beatos reddit. Reſpondeo, ſemper conſiderandum eſſe quos Propheta compellet. Quia ſolent Prophetæ pro varietate auditorum, varie quoque Deum nobis deſcribere: quemadmodum etiam Pſalmo decimo octavo teſta-

Pſal. 18. *v.* 26, 27. tur David, manſuetum eſſe erga manſuetos, improbis vero ſævum & truculentum. Quid enim ſcelerati aliud in Deo concipere poſſunt, quam extremam ſeveritatem? itaque ad primam Dei mentionem terrentur. Pii vero ſimulac in medium profertur Dei nomen, ſummam ex ejus auditu ſuavitatem & lætitiam percipiunt: ut nihil omnino delectabilius afferri poſſit. Ideo quum Prophetæ pios conveniunt, ad Dei mentionem, gaudium & lætitiam ſubjiciunt, quia Deum ſibi propitium & miſericordem ſenſuri ſint illi. quod ſi impios compellant, propoſito judicio Dei, luctus & mœrores addunt. Quemadmodum enim pii exhilarantur Dei præſentia, quod fide ejus bonitatem apprehendant: ita terrentur impii, quod ipſos conſcientiæ teſtimonium redarguat ac convincat venire rigidum judicem. Quum etiam hypocritæ ſe diem Domini avide expectare fingant, eumque ſibi adfuturum jactent: Prophetæ hanc lar-

Amos 5. *v.* 18, 20. vam ipſis detrahunt, & diem Domini ipſis horrendum & formidabilem fore oſtendunt. Uſitatam enim deſcriptionem ad hoc vaticinium accommodat Jeſaias, quo melius oſtendat quantopere timenda ſit ira Domini: quia ut ſumus natura tardi, imo potius ſtupidi, non facile moveremur ſi Dominus ſimpliciter de judiciis ſuis diſſereret. Quoniam igitur ſimplex oratio nimium frigida eſſet, novas loquendi rationes excogitavit, quibus torporem noſtrum excuteret. Peccatores, non promiſcue quoslibet, ſed impios & ſceleratos intelligit qui Babylonem incolebant.

10. *Quoniam ſtellæ.*] Solent Prophetæ, quo graviorem & magis ſerium judicii Dei timorem incutiant, hyperbolicas loquutiones minis ſuis addere, quæ iram Dei quaſi ante oculos ponant, & penetrent in omnes ſenſus, acſi jam elementa omnia conſurgerent ad exercendam ejus vindictam. Neque tamen hic verborum exceſſus rei atrocitatem ſuperat: quia nulla poteſt tam formidabilis proponi judicii Dei imago, quin re ipſa ſentiatur magis eſſe horribile & tremendum. Solis vero, Lunæ, & ſtellarum ideo fit mentio, quod illuſtria ſint ſigna paternæ erga homines Dei benevolentiæ. Unde etiam Chriſtus Dei bonitatem hinc maxime probat, quod Solem ſuum *Matth.* 5. oriri faciat ſuper bonos & malos. Ergo dum Sol, & *verſ.* 45. Luna, & ſtellæ in cælo fulgent, Deus quaſi ſereno blandoque aſpectu nos exhilarat. Quoniam ergo in cæli ſplendore lætam & amicam faciem oſtendit Deus, acſi quodammodo nobis arrideat: obſcuritas quam deſcribit Propheta eo tendit, acſi Deus abſcondita ſua facie, homines quibus iratus eſt, conjiceret in tenebroſum mœrorem. Eadem Joëlis ſe- *Joël.* 2. cundo capite deſcriptio habetur. Et jam diximus *verſ.* 31. formam hanc loquendi Prophetis eſſe familiarem, ut ſciamus omnia adverſo Deo nobis in exitium ceſſura. Deus quidem interdum ſigna dat iræ ſuæ in ſtellis: ſed hoc extraordinarium eſt. Nec vero caligo qualem hic deſcribit Propheta, eveniet ante ultimum Chriſti adventum: ſed hoc ſufficere nobis debet, creaturas omnes, quæ ſua nobis officia præſtando paternæ Dei beneficentiæ teſtimonia ſunt & inſtrumenta, non modo ſui uſum ſubducere ubi Deus in judicium conſurgit, ſed quodammodo armari in ultionem.

11. *Et viſitabo.*] Hic Propheta non loquitur de toto orbe: ſed quum Babylon ſedes eſſet potentiſſimæ omnium Monarchiæ, ideo tribuit ei nomen Orbis, idque ὑπερβολικῶς. Erat enim Babylon inſtar orbis, quod videretur totam fere terram occupare. Et interea ſignificat nullam eſſe tantam amplitudinem in mundo, quam non facile Deus uno digito corripiat. Interim admonet, Deum tunc fore vindicem crudelitatis quam exercuerint Chaldæi. Quanquam ſimul diſcendum eſt, proponi in medium malitiam & ſcelera Babylonis, ut ſciamus Dominum ideo minime crudelem fore, quod tam ſevere in eam animadvertat, quando meritas pœnas ejus populi ſceleribus & flagitiis rependit. Tollitur ergo omnis calumniandi materia, ne hominum ærumnis Deum oblectari exiſtimemus. Nam quum eos pro meritis ſuis ita tractat, omnium ora obſtrui neceſſe eſt, quando malorum acerbitas non proficiſcitur à Deo, ſed cauſam invenit in ipſis hominibus. Interea tenendum quod attigi, non leve ſolatium piis afferri à Propheta, quod Deus Babyloniis ad tempus parcendo, tandem pœnam de injuſta eorum violentia exiget. Quod clarius ſtatim exprimit, peculiare vitium attingens, nempe ſuperbiam, qua fiebat ut fractis habenis, nihil non ſuæ libidini permitterent ad opprimendos miſeros. ideo ſimul tyrannidem eorum perſtringit. Sed hinc quoque utilis doctrina colligenda eſt: fieri non poſſe quin Dominus nos viſitet, ſi inani fiducia elati ſimus, nobiſque ipſi placeamus. Omne enim ſuperbiæ genus hic comprehendit Propheta: ſive homines ſe aliquid eſſe putent, ſive mirentur opes ſuas, & præ ſe deſpiciant alios: nullam arrogantiam ferre poteſt Dominus, nec eam inultam ſinit. Quum igitur inter alia ſcelera, quibus Babylon varie abundabat, hoc præcipuum & magis inſigne fuerit: eo potiſſimum ira Dei provocata eſt.

eſt. Fuit autem, ut fieri ſolet, violentiæ & crudelitati conjuncta: ideoque magnificentiam tyrannorum ſubjungit. Nam ex deſpectu aliorum, violentiæ, injuriæ & oppreſſiones ſequuntur: nec fieri poteſt ut abſtineatur ab injuria, niſi omnis opinio & perſuaſio ſui exuatur. Dejiciamus igitur ſponte ad veram humilitatem animos noſtros, niſi exitio noſtro dejici atque humiliari velimus.

12. *Pretioſiorem reddam.*] Peculiariter hic deſcribit quam ſævum & immane futurum ſit bellum quod contra Babylonem geretur: ſicut etiam his vaticiniis edocti fideles, ſpiritu Prophetico quod eſt in
Pſal. 137. verſ. 9. ſævitia hoſtili extremum imprecantur, ut parvulos à mammis avulſos allidant Perſæ & Medi ad lapides. Summa eſt, Babylonem non tantum diripiendam, ſed internecioni ultimæ addictam eſſe. Nam quum ait, Vitam hominis auro pretioſiorem fore, dicit, quoniam fundendi ſanguinis adeo avidi erunt hoſtes, ut homines nullo pretio ex eorum manibus redimi poſſint. nam interficere, quam pretium accipere malent. Quæri poteſt, an clades illa tam atrox fuerit, ut hic refert Jeſaias: aliud enim teſtantur hi-
Dan. 5. verſ. 30. & 6 1. ſtoriæ: & Daniel ipſe, qui hujus cladis ſpectator fuit, refert eam ſolum captam fuiſſe. nam Medi & Perſæ civibus & incolis pepercerunt. Ratio hæc quoſdam interpretes coëgit allegorice transferre ad omnes reprobos quod hic de Babylone traditur. ſed nimis violenter, quum paulo poſt Medos & Perſas exprimat Propheta. Deinde quæ ſuo ordine poſtea ſequentur minæ contra Idumæos, Moabitas, Tyrios, Ægyptios, & reliquas gentes, ſatis oſtendunt ſermonem nunc contra Chaldæos proprie dirigi, quos primo loco recenſet Propheta: non quod tam propinqua illis ut aliis inſtaret clades, ſed quia nulli infeſtiores fuerunt Eccleſiæ hoſtes. Ac notandum eſt, Jeſaiam hæc non pronunciaſſe, ſtante adhuc Monarchia Nineves: ſed quæ toto vocationis ſuæ curſu contra profanas Gentes prædixit, ſimul fuerunt collecta. Ita ſeries temporum minime ſervata eſt, ſed ſimilitudo in cauſa fuit, ut his omnibus Prophetiis locus unus daretur. Qui fit enim ut Ninevem prætereat Jeſaias, quum poſtea commemoret ſolos Aſſyrios fuiſſe infeſtos Judæis, quum Babylonii amicitiam colerent, niſi quia hiſtoriam ætatis ſuæ non recitat uſque ad caput 23. ſed vaticinatur de judiciis Dei, quæ demum poſt ejus mortem acciderunt? Porro quum teſtetur Babylonem funditus delendam eſſe, certum eſt non unam duntaxat cladem notari, ſed comprehendi excidium, quod longo poſt tempore ſequutum eſt. Floruit enim adhuc Babylon ex quo ſubacta eſt à Perſis, nomenque & dignitatem celeberrimæ urbis obtinuit. Ac tametſi urbs Cteſiphon eo conſilio condita fuit, ut partem ſplendoris ejus & opulentiæ ad ſe traheret: fecit tamen loci commoditas, deinde ſumptuoſa ædificia & urbis munitiones, ut regia dignitate excepta, Perſidi non cederet. Imo quum Seleucia rurſus poſt mortem Alexandri magni non procul eſſet extructa, non potuit tamen antiquæ urbis nomen & honorem extinguere. Hinc colligimus non poſſe ad unum tempus reſtringi quæ hic dicuntur. Neque tamen abs re Propheta tam dira illis minatur, quando imperii converſio præludium fuit variis calamitatibus quæ deinde ſequutæ ſunt. Quamvis enim non fuerit paſſim cæſus populus, quia tamen vi expugnata fuit civitas, & quidem ſubita & nocturna irruptione capta, quum tota Regia adhuc crapulæ vacaret: fieri non potuit, quin Medi & Perſæ obvios quoſque cæderent. Ideoque minime dubium eſt, multas fuiſſe editas ſtrages antequam victores totum populum deditionis lege in fidem reciperent. Jam quis dubitet ſuperbiſſimam Gentem à Barbaris victoribus contumelioſe fuiſſe tractatam, quando aliter in ordinem cogi non poterat? Quum vero paulatim attrita eſſet Babylon, aliquanto poſt dominum rurſus mutavit, & quum brevi temporis ſpatio Alexander Macedo eam tenuiſſet, ſtatim tranſiit ſub imperium Seleuci, qui modis omnibus ſtuduit eam dejicere, donec ſuis tandem ruinis fuit obruta. Ita quamdiu ſuperſtitem manere paſſus eſt Deus, quaſi deforme pudendumque exemplum exhibuit toti mundo, quo certius & illuſtrius eſſet Prophetiæ complementum. Unde non immerito Propheta noſter iram Dei non prius ſedandam eſſe aſſerit, quam illa caverna latronum prorſus deleatur. Quod ad voces ſpectat, אנוש quidam interpretes accipiunt pro viro bellicoſo, aut nobili: אדם pro quolibet gregario. Sed quando neque etymologia reſpondet, nec puto hoc veniſſe Prophetæ in mentem, mihi videtur potius eſſe ejuſdem ſententiæ geminatio, quam ſcimus Hebræis tritam eſſe. Nomen פז, quod poſt alios verti Purum aurum, alii pro margarita accipiunt: ſed ex pluribus Scripturæ locis colligimus, puriſſimum & ſelectiſſimum aurum eſſe.

13. *Propterea cælos.*] Eſt alia figura, quæ ſimiliter ad exaggerationem valet. Deus enim in hac doctrina inculcanda nimius eſſe non poteſt: non tantum ad terrendos impios, ſed ſolatium piis afferendum, qui ſæpe conturbantur quum impiis bene eſt iiſque omnia ex voto ſuccedunt. quod etiam David ſibi accidiſſe fatetur, dum ait, Fruſtra lavi manus Pſal. 73.
meas, &c. Meritò ergo vivæ hæ picturæ nobis ob verſ. 13.
oculos ponuntur, quæ nobis exitium impiorum aperte exprimant. Itaque perinde eſt acſi diceret Jeſaias, Etiamſi movendi ſint cæli & terra, quo concutiantur & deleantur impii, hoc nihilominus futurum eſt. Videntur enim ſibi extra omne periculum eſſe, & tam altas radices egiſſe, ut evelli nequeant: eos autem vehementer falli demonſtrat, quia Dominus & cælum & terram commovebit potius quam non ipſos dejiciat præcipites. Unde ſequitur, quamvis mille fulturas ſurſum & deorſum nobis mundus offerat, nihil tamen ſtabilitatis fore niſi Deo propitio. Quod ſi hoc in particularibus judiciis Dei patefit, quanto magis in univerſali, quum Chriſtus ad perdendos impios, tribunal illud majeſtatis ſuæ conſcendet?

14. *Eritque quaſi damula.*] Auxilia Babyloniis nihil profutura oſtendit: & metum quo percellentur milites, his ſimilitudinibus exprimit. Utebatur autem Babylon non tantum ſuo milite, ſed etiam externo & mercenario. Omnes Damulis ſimiles fore ait, quæ pavidæ ſunt beſtiæ: & Ovibus diſſipatis ut neque ad ſigna aut ſtationem ſe recipiant, neque ullum ordinem teneant. & quod addit, Quiſque ad terram ſuam, hinc facile apparet, Prophetam non de ſolis indigenis, vel etiam inquilinis qui illic pridem habitaverant, loqui, ſed de exteris, qui ad urbis præſidium acciti erant. Dictum enim alibi fuit, ſic eſſe in manu Dei hominum corda, ut pro ejus arbitrio vel novam fortitudinem ſubito induant quæ prius tenera vel pavida fuerant, vel depoſita ferocia molleſcant quæ prius oſtentaverant magnam audaciæ ſpeciem.

15. *Quiſquis deprehenſus fuerit.*] Hic confirmatur quod prius dixerat, neminem à Babylone evaſurum, omneſque qui illic fuerint perituros. Et Xenophon quidem edicto Cyri quicunque obvii eſſent prima nocte trucidatos fuiſſe refert: poſtridie vero quicunque arma non attuliſſent. Sed jam diximus latius extendi vaticinium: quia ſtrages illa aliarum duntaxat præludium fuit, ad quas conſulto ſervata fuit Babylon, ut ſæpius periret. Secundum membrum alii ſecus exponunt quam ego verterim. Nam quum ספה Hebræis Perdere ſignificet, vel Conſumere, legunt, Quiſquis perditus fuerit. & exponunt de ſenibus, qui jam ætate confecti diutius vivere alioqui non poſſent. acſi dixiſſet, Ne provectæ quidem ætatis hominibus ac decrepitis parcetur,

etiamſi

etiamſi ſemimortui ſint, & jam animam ipſam agere videantur. Sed quia frigida eſt illa interpretatio, & idem verbum Addere ſignificat, potius Jonathan & alios ſequor, qui putant notari turmas: quemadmodum urbe capta cuneo facto ſeſe agglomerant milites, ut repellant hoſtium incurſus. niſi forte libeat fœderatos & ſocios intelligere, qui Babyloni adjuncti, & veluti in idem corpus aggregati erant, quo magis atrocitatem hujus cladis amplificet.

16. *Et parvuli.*] Extremæ truculentiæ imaginem depingit. Hoc enim in hoſtili crudelitate extremum eſt, quum nulli ætati parcitur, & infantes qui per ætatem ſe defendere nequeunt, trucidantur. Auget etiam atrocitatem quum addit, In conſpectu parentum. Eodem quoque pertinent quæ ſequuntur de domibus diripiendis & violandis uxoribus: quæ accidunt ubi hoſtes omnis humanitatis obliti, atque ad ſævitiam accenſi, eos quos ſubegerint, una cum nomine ipſorum prorſus extinctos vellent.

17. *Ecce ego ſuſcito Medos.*] Propheta de Babyloniorum excidio vaticinatus, auctores etiam deſignat, vel Deum auctorem fore exprimit: & ſimul quomodo, vel per quos. nam Medos ſuſcitaturum ait. Quod certe humana ratione conjectare non potuit. nullæ enim ſimultates, nulla diſſidia Babyloniis cum Medis intercedebant. quod ſi interceſſiſſent, qualis erat tunc Medorum potentia, ut Babyloniis nocere poſſet? Quum igitur res ita comparatæ non eſſent, ut Medi bellum ipſis inferrent, hoc divinitus inſpiratum fuiſſe certiſſimum eſt: ac præſertim quum pluſquam centum annis antequam evenirent, hæc prædixerit. Quod addit, argenti & auri non fore cupidos, non excuſat Medos à rapacitate & avaritia, quaſi ita liberales futuri ſint ut aurum & argentum contemnant. ſed potius ſignificat bellum adeo ſævum & truculentum fore, ut nihil aliud quàm internecionem ſpectent. Exempli gratia, Hiſpani hodie, quum hoc in primis in bello propoſitum habeant ut prædentur, hominum vitæ facilius parcunt, neque adeo ſanguinarii ſunt ut Germani aut Angli, qui de perdendo tantum hoſte cogitant. Hoc autem abſurdum videri non debet, quod Dominus, tametſi crudelis non ſit, miniſtris tamen adeo crudelibus utatur. Etenim juſte etiam per impios agit Dominus, neque contaminatur ipſorum nequitia. Itaque non eſt æſtimandum opus Dei ab exequutoribus, qui aut ambitione, aut avaritia, aut immanitate feruntur: ſed juſta Dei ultio, quam Babylonii ſceleribus ſuis promeriti erant, conſideranda eſt.

18. *Arcubus allident.*] Alii, Scindent. Putant hoc hyperbolice dictum, acſi ſagittarum loco uterentur pueris Babyloniorum, quos in terram deinde alliderent, ut majore impetu frangerentur: ſed malo ſimplicius accipere, tantam ſcilicet Medorum crudelitatem fore, ut ne pueris quidem infantibus parcant, à quibus tamen niſi ubi extrema ſævitia eſt, abſtineri ſolet. denique nullam ætati veniam fore, quemadmodum antea dictum eſt. Atqui Medos tantam crudelitatem exercuiſſe non legimus, ſtetitque & floruit diutiſſime poſt eam cladem Babylon: & quamvis ab ea tranſlata ſit regni ſedes, nomen & celebritatem ſuam retinuit. Nec vero poſtquam illuxit dies ſævitum eſt præterquam in armatos. Quamvis autem Prophetæ conſilium eſſet, alia quoque Dei judicia complecti quæ manebant Babylonios, & primam illam cladem longo poſt tempore ſequuta ſunt, non tamen abs re, neque intempeſtive barbaros Gentis mores deſcribit, quo melius intelligant Judæi juſtam Babylonis tyrannidi mercedem paratam eſſe. Nec dubium eſt quin poſtea fideles hac promiſſione freti, precationem illam conceperint, quæ
Pſal. 137. *verſ.* 9. Pſalmo 137. habetur, Beatus qui allidet parvulos tuos ad petram, &c.

19. *Et erit Babel.*] Hic ſummatim concludere voluit Jeſaias Prophetiam ſuam de Babyloniis excidendis: tametſi amplificationes quaſdam adjicit, quibus funditus delendos eſſe confirmet. Sic enim de impiorum pœnis loquuntur Prophetæ, ut nullum relinquant miſericordiæ locum, quo ſe ſublevare poſſint. Pii vero, tametſi durius interdum caſtigari videantur, ſuſtinentur tamen hac fiducia, quod Dominus ipſorum miſerebitur, nec eos penitus excidet. Unde colligendum eſt, non eſſe ſemper ab externo aſpectu judicandum: ſæpe enim filios Dei perditos eſſe putaremus, quibus tamen ſalus vel in mediis mortibus propinqua eſt.

In Sodoma & Gomorrha.] Hoc exemplum Prophetis vulgare eſt, ut intelligamus, quamvis nunc non æqualis ſit pœnarum modus, quia tamen æquum eſt judicium Dei, ſpecimen illud memorabile quod *Geneſ.* 19. *verſ.* 24.
in Sodoma edidit, ſpectare ad omnes reprobos: nec minus horribiles pœnas eos manere, qui ſimili pervicacia in vitiis ſuis obdurantur. In hoc enim diſtinguunt pœnas electi populi ab impiorum pœnis, quod ſemen aliquod Iſraëlitis reliquum Deus faciat, impiis nullum: ut prius cap. primo vidimus, Niſi Dominus *ſupr.* 1. *verſ.* 9.
reliquiſſet ſemen, inſtar Sodomæ fuiſſemus. Impios autem implacabili vindicta perſequitur: unde ipſis idem exitium quod Sodomitis denunciat, id eſt, extremum interitum ſublata omnino ſpe emergendi. *Dei* ſubverſionem eſſe ait: ne id fortuito accidere, aut ab hominum voluntate profectum eſſe arbitremur. Quemadmodum enim fulmen haud temere è cælo in Sodomam decidit, ita nec temere corruit Babylon, ſed juſta Dei vindicta: qui quum ſui ſemper ſimilis ſit, juſtum judicium in ipſos exequutus eſt, idemque ſimiliter in omnes reprobos uſque ad finem exequetur. Quod Babylon Decor regnorum vocatur, & magnificus ſplendor, hoc πρὸς αὔξησιν additum eſt, ut intelligamus nullam gloriam aut magnificentiam obſtare Deo poſſe, quominus impios in nihilum redigat. Nam ut incredibilis erat illa converſio, illuſtrius documentum præbuit divinæ potentiæ.

20. *Nunquam amplius ſedebit.*] Sedendi verbo ſtatum ſignificat. acſi diceret, Nulla eſt ſpes inſtaurandæ Babylonis. Omnes enim hæ loquutiones in eundem omnino finem tendunt: nempe ejuſmodi excidio delendos eſſe Babylonios, ut eorum ruina æterna ſit. Hoc etiam amplificat, quum addit tantam vaſtitatem fore, ut ne Arabes quidem illic tentoria, aut paſtores ſepta ſua defigant. Oportet autem locum illum mirum in modum deſertum & incultum fuiſſe, quem errones illi neglexerint. Arabum ſiquidem natio vaga & errabunda fuit, nullamque certam ſtationem habuit. derelicta enim patria quod ſterilis eſſet, unde & Deſerta vocata eſt, (de ea enim loquimur) gregibus paſcendis & venationibus deditì, incertis ſedibus vagabantur: atque in mediis agris, ac præſertim paſcuis ſedes, locabant. unde etiam à Græcis σκηνῖται vocati ſunt. Babylonis autem regio admodum ferax ante illam cladem fuerat: quo magis ſtupenda & quaſi prodigioſa fuit hæc mutatio, ſive loco ablata fuerit prior fœcunditas, ſive propter continuas ſtrages conſpectum ejus omnes exhorruerint. Certe Propheta ſignificat futurum, ut non tantum diruantur ædificia, ſed etiam ut ſolo ipſi maledicatur.

21. *Sed ibi cubabunt.*] Proſequitur deſcriptionem loci deſerti, atque alludit ad id quod prius Babylonem ab incolis vacuam fore dixerat. Quomodo ציים verti debeat, haud facile dixero, propter interpretum varietatem: qui in hoc, quemadmadmodum & in variis animalium & herbarum nominibus, diſſentiunt. Nec enim fuit continuus iſtarum rerum uſus, nec Judæi inertes ipſi & imperiti, harum rerum ſcientiam tenent: tametſi eorum nonnulli medicos ſe jactent impudenter, quum neque herbarum, neque animalium natura ipſis nota ſit. Eorum qui ſylveſtre

veſtre animal eſſe putant, alii quadrupes, alii avem eſſe volunt. qua in re parum momenti eſt. Mihi certe dubium non eſt, quin Propheta aut feras beſtias intelligat quæ cicurari non poſſunt, aut aves quæ nidificantur in ſylvis remotioribus. Nec erit abſurdum, ſi quod ſequitur, de Satyris aut Panibus exponamus: quos Galli, pro regionum varietate, nunc *Luitons*, nunc *Folets*, nunc *Loups-garoux* appellant. Ut enim Satan variis præſtigiis hominibus illudit, ita varia in iis nomina ſortitur. ציים autem pro Dæmonibus interdum accipi in Scripturis, certum eſt: deducitur enim à ציה, quod Siccitatem vel Deſertum, ſicut אים à אים, quod Terrere ſignificat. Nam quum per Faunos & Satyros miras præſtigias exerceat diabolus, ea ratione eorum nomen ad ipſum tranſlatum eſt. Scopus Prophetæ eſt, oſtendere tantam illic ſolitudinem futuram, ut non tantum locus ſit deſertus ab hominibus, ſed etiam dæmones illic præſtigiis ſuis illudant. Captant enim dæmones occaſionem ex locis qui ſolitudine ſua horrorem incutiunt. Quemadmodum enim hoſtes & latrones, quum ex occulto & latebroſo loco erumpunt, terribiliores ſe præbent: ita dæmones noctem & tenebras, & loca ab hominum conſpectu remota captant, quo majorem terrorem hominibus, alioqui natura meticuloſis, inferre poſſint.

22. *Clamabunt.*] Idem exprimit quod jam antea dictum eſt: & demonſtrat quam horrenda futura ſit illa mutatio, ut à judicio Dei, non à fortuna proficiſci palam fiat. Auget etiam, quum hoc non quibuſvis ædibus, ſed voluptuoſis palatiis eventurum addit. Temporis quæ hic præfigitur *brevitas*, ita referri debet ad propinquam cladem, ut tamen longius ſpem fidelium ſuſpendi oportuerit. Dixi Babylonem non tam cito everſam fuiſſe: nec tantam cladem ei illatam eſſe à Medis, ut poſſet deſerto comparari. Brevi igitur id futurum dixit, cujus paulo poſt conſpecta ſunt exordia: quia Judæis ſufficere debuit, non temere ſibi promiſſam fuiſſe ultionem. Solet etiam Spiritus ſanctus reſpectum habere ad noſtrum fervorem & præcipitantiam. vellemus enim Deum ſtatim exequi judicia ſua, & ſceleratos ulciſci, ſimulatque id optavimus. Deus autem occaſiones temporum novit, quas impetus noſter non expectat. Atqui ſi in mentem nobis veniret ejus æternitas, facile eſſet nimiam feſtinationem patientia frenare: ſed quia vix aliter cohiberi poteſt noſtra importunitas, Deus aliquatenus nobis indulget, ſe paulo poſt venturum pronuncians. Cæterum ne ex ſenſu noſtro æſtimemus brevitatem temporis: ſed diebus vitæ hujus neglectis, animos in cælum attollamus. Præſertim vero acquieſcere diſcamus, quoties vel modico guſtu libamus Dei judicia, tametſi eorum plenitudinem longius differat. Jam ſecundum membrum ad confirmationem additur, Non extractum iri dies ejus: acſi diceret, Dominum præfixiſſe diem: neminem interceſſurum qui inducias proroget.

Cap. XIV.

NAm miſerebitur Jehova Jacob, & eliget adhuc Iſraëlem, & faciet eos quieſcere ſuper terram ſuam: adjungeturque illis advena, ſociabuntur, inquam, domui Jacob.

2. Et aſſument eos populi, inducentque eos in locum ſuum, poſſidebitque eos domus Iſraël in terra Jehovæ, in ſervos & ancillas: & capient eos quorum fuerant captivi, imperabuntque oppreſſoribus ſuis.

3. Et erit in die quo tibi requiem dederit Jehova à labore tuo, & à tremore tuo, & à ſervitute dura quæ impoſita fuerat tibi:

4. Tunc ſumes dictum hoc ſuper Regem Babylonis, & dices: Quomodo ceſſavit exactor? ceſſavit cupida auri?

5. Confregit Jehova baculum impiorum, ſceptrum dominantium.

6. Quod percutiebat populos in ira plaga perpetua: dominabatur in iracundia Gentibus: ſi quis perſequutionem patiebatur, non prohibuit.

7. Quievit, tranquilla eſt omnis terra, cecinerunt laudem.

8. Etiam abietes lætatæ ſunt ſuper te, cedri Libani: ex quo quieviſti non aſcendit ſucciſor contra nos.

9. Infernus ſubtus commotus eſt propter te, in occurſum adventus tui excitavit tibi mortuos, & omnes duces terræ ſuſcitavit de ſoliis ſuis, omnes Reges gentium.

10. Omnes loquentur, & dicent tibi: Tu quoque infirmitate affectus es ſicut nos? & ſimilis factus es nobis?

11. Depoſita eſt in ſepulchrum magnificentia tua, & ſtrepitus muſicorum inſtrumentorum tuorum: ſubter te ſtratus eſt vermis, & operiunt te vermiculi.

12. Quomodo cecidiſti è cælo Lucifer fili Auroræ? Quomodo in terram detractus es, * fortem projiciens ſuper Gentes?

* vel, *debilitans Gentes.*

13. Atqui tu dicebas in corde tuo, Aſcendam in cælum: in ſupernis juxta ſidera Dei collocabo ſolium meum, & ſedebo in monte teſtimonii, in lateribus Aquilonis.

14. Aſcendam ſuper excelſa nubium, & ero ſimilis Altiſſimo.

15. Tu vero in ſepulchrum detractus es, ad latera foveæ.

16. Videntes te inclinabunt ſe, & attente intuebuntur. Anne hic eſt vir ille tremefaciens terram, concutiens regna?

17. Poſuit orbem quaſi deſertum, urbes ejus excidit, vinctis ſuis non aperuit domum.

18. Omnes Reges gentium, ipſi, inquam, omnes jacent cum gloria: quiſque domi ſuæ.

19. Tu autem projectus es è ſepulchro tuo, tanquam ſurculus deteſtandus, tanquam veſtes interfectorum, qui gladio cæſi ſunt; deſcendentes in foveam: ut cadaver proculcatum.

20. Non conjunges te cum eis in ſepultura: quoniam terram tuam vaſtaſti, populum tuum occidiſti, non memorabitur perpetuo ſemen impiorum.

21. Præparate filiis ejus mactationem, in iniquitate patrum ſuorum: ne conſurgant & poſſideant terram, atque impleant ſuperficiem orbis urbibus.

22. Nam conſurgam ſuper eos, dicit Jehova exercituum, & exterminabo è Babylone nomen & reliquias, filium & nepotem, dicit Jehova.

23. Et ponam eam in poſſeſſionem erinacii, & in ſtagna aquarum, & ſcopabo eam ſcopa evacuans, dicit Jehova exercituum.

24. Juravit Jehova exercituum, dicendo: Si non quemadmodum cogitavi, ſic factum eſt: & quemadmodum conſultavi, ita ſtabit:

25. Ut conteram Aſſur in terra mea, & in montibus meis conculcem eum: & recedat ab eis jugum illius, & onus illius ab humero ejus auferatur.

26. Hoc conſilium quod conſultatum eſt ſuper totam terram: & hæc manus extenta ſuper omnes gentes.

27. Quoniam Jehova exercituum decrevit, & quis diſſolvet? manus ejus extenta, & quis avertet eam?

28. Anno quo mortuus eſt Rex Achaz, fuit hoc onus.

29. Ne læteris univerſa tu Philiſtæa: quoniam confracta ſit virga percutientis te. Nam de radice colubri naſcetur regulus: & fructus ejus ſerpens ignitus.

30. Et paſcentur primogeniti pauperum, & inopes ſecure accubabunt: & fame interire faciam radicem tuam, & reliquias tuas occidet.

31. Ulula porta, clama civitas, liquefacta es Paleſtina, univerſa tu. Quoniam ab Aquilone venit fumus: nec quiſquam ſolus præfixo ejus die.

32. Quid autem reſpondebitur nunciis gentis? nempe quod Jehova fundavit Sion, & in ea fiduciam habebunt pauperes populi ejus.

Quoniam miſerebitur.] Quum particula כי varias habeat ſignificationes, poſſemus adverſative ſumendo hunc verſum cum ſuperiore hoc modo connectere, Atqui Dominus miſerebitur Sion: ut ſignificet quam diverſa ſit Eccleſiæ conditio ab ea quam prius deſcripſerat. Sed magis probatur, & aptius quadrat hic, ut ſæpe alias, pro cauſali accipi, ut ſit cauſæ redditio: hoc ſenſu, Propterea Deus Babylonem perdet, quia miſerebitur Iſraëlis, quem deſpicere aut abjicere non poteſt. Unde perſpicimus hactenus leniendo miſeri populi dolori Prophetam operam dediſſe: ut ſcirent bene ſperandum eſſe in afflictionibus, quarum futurus erat Deus ultor. Hic ergo velut in tabula opponitur Babylon Eccleſiæ Dei: Babylon, *Pſal. 94. verſ. 4.* inquam, in ſummam potentiam evecta, quæ ſic miſeram & afflictam Eccleſiam demerſerat, ut veriſimile non eſſet eam denuo inſtaurari poſſe. At Dominus Babylonem ex altitudine ſua detrahens, curam populi ſui quamlibet abjecti & contempti ſe gerere teſtatur. Hinc eximia ad nos redit conſolatio, quod univerſum orbem in ſalutem noſtram à Deo gubernari intelligimus. Eo enim tendunt omnia, ut quos elegit ſalvi ſint, nec ullis mutationibus, tametſi variæ accidant, obruantur. Quæret aliquis, An nulla ad tempus fuerat miſericordia Dei? Fuit certe aſſidua: ſed à populo gravibus ærumnis afflicto non ſentiebatur. Nam præoccupatus ſenſu iræ Dei, miſericordiam, ex re ipſa judicium faciens, apprehendere non poterat. Dominus interea ſui ſemper ſimilis fuit, nec unquam naturam ſuam exuit. Ita inter fidei & experientiæ notitiam diſtinguere convenit: quia ubi undique apparent ſigna iræ Dei, quia pro carnis judicio iratum eſſe credimus, abſcondita eſt nobis ejus gratia: fides tamen ſupra has tenebras animos noſtros erigit, ut cernamus in cælo Deum nobis propitium. Quod mox ſequitur aliquanto aſperius eſt: Eliget, inquit, rurſus Iſraëlem. Atqui æterna Dei electio eſt. nec enim ita nos eligit, *Epheſ. 1. verſ. 4.* acſi hoc ei prius in mentem non veniſſet: atque ut *Rom. 11.* electi ſumus ante conſtitutionem mundi, ita nec *verſ. 29.* eum unquam pœnitet ſuæ electionis. Verum, quum Dominus caſtigat ſuos, hoc ſpeciem rejectionis habet: quemadmodum ex crebris ſanctorum querelis colligimus: Domine, cur deſeruiſti nos? Nam re- *Pſal. 74.* jectionem Dei aut electionem pro infirmitate noſtra *verſ. 1.* apprehendimus, ejuſque affectum ex ipſo opere æſtimamus. (loquor de experimentali notitia, quæ fidei luce corrigitur.) Ideo quum nos vocat Dominus, id eſt, electionem ſuam confirmat, nos eligere dicitur: quum vero alienati animi ſignum præbet, rejicere. Talis igitur ſenſus eſt, Tametſi Dominus adeo ſevere tractarit populum ſuum, acſi ipſum rejeciſſet: tamen reipſa demum oſtendet, ac comprobabit à ſe adoptatum fuiſſe, dum teſtimonium locuples dabit electionis ſuæ, ejuſque in æternum miſerebitur. Nunc facile eſt colligere quod jam antea diximus: nempe multum diſſimiles eſſe plagas quas ſuſtinent pii, ab illa mortifera quæ vel levi ictu impiis infligitur. Protinus enim piis in mentem redit electio, cujus fiducia animos ſuos erigunt: impii vero nihil præter tenebras, abyſſos, & horrendam undecunque vaſtitatem cernunt. Quoties ergo caſtigat nos Dominus, hoc diſcrimen ſtatim nobis ſuccurrat, ut ſpe melioris ſtatus animos noſtros firmemus. Signum gratiæ & reconciliationis proponitur in reditu: quia terra Chanaan filiis Abrahæ pignus ſuæ adoptionis erat.

Adjungeturque illis advena.] Vaticinatur Propheta de vocatione Gentium: acſi dixiſſet, Non tantum Dominus reſtituet eos in poſſeſſionem terræ Chanaan, ſed larga acceſſione ipſos augebit: aſſociabit enim ipſis Gentes, ut ex duobus populis unum & idem corpus fiat. Non reſtringitur ergo hoc beneficium ad exiguum tempus, ſed ad totam Eccleſiam pertinet, quam Dominus ſe in tuto locaturum promittit. Nam de Eccleſia non modo ejus ætatis, ſed etiam futura uſque ad Chriſti regnum, & ſub regno ipſius, concionatur: quia alioqui non congrueret iſta acceſſio.

2. *Et aſſument eos populi.*] Significat exteros populos voluntarios fore comites, & quidem ut ſerviles operas impendere non detrectent. Exhibitum eſt ſpecimen hujus rei, quum populus è Babylone edu- *Eſd 1: 6.* ctus eſt: ſed tenuis tantum guſtus fuit eorum quæ per Chriſtum effecta ſunt, ad quem hæc omnia referri debent. Nam Dominus emolliit quidem Gentium animos, quæ hoſtili odio populum illum proſe-

que-

quebantur, ut earum ductu ipſum in patriam reduceret, & priſtina libertate donaret. Sed tantum abeſt, ut poſt reditum è Babylone multi populi Judæis fuerint adjutores, ut certatim vicini omnes conſpi-
Eſd. 4: 4. raverint ad eos vexandos. Certe non modo eos è terra Chanaan profligare, ſed è toto mundo exterminare conati ſunt. Hæc igitur præſtita ſunt in regno
Mat. 28. Chriſti, cui poteſtas omnis non ſolum in terra, ſed
verſ. 18. etiam in cælo conceſſa eſt: quique Gentes, antea
Epheſ. 2. alienas, Judæis per Euangelium aggregavit, ut non
verſ. 14. modo eos juvarent in poſſeſſione ſua tenenda, ſed etiam placide & libenter ſe ſubmitterent ad ferendum jugum. huc enim ſpectat quod dicit de Servis
Exod. 4. & Ancillis: quia quum Judæi ſint velut primogeniti
verſ. 22. in domo Dei, nos qui ipſis adjuncti ſumus, videmur quaſi ſub eorum manum coiiſſe: quia præeunt nos, primumque ante omnes gradum obtinent: & certe hodie obtinerent, niſi ſe ſua ingratitudine privarent tanta prærogativa. Nec tamen impedimento eſſe potuit eorum ingratitudo, quominus hæc reipſa præſtaret Dominus. Nam Apoſtoli, quum Judæi eſſent, ſubegerunt verbo Dei exteras nationes: atque adeo ipſas à quibus antea captivi tenebantur, & quibus fuerant tributarii, Aſſyrios, Chaldæos, Perſas, denique Romanum Imperium: ut merito hæreditas eorum Gentes omnes dici poſſint. quanquam dominari in ipſos noluerint, ſed lucrifacere Deo, ut communem cum ipſis Dominum, & Principem agnoſcerent. Itaque ad dominium & jugum Chriſti, cui Gentes Judæi ſubjecerunt, hæc referri debent, non ad externum principatum, qualem Judæi fruſtra imaginantur.

3. *Et erit in die quo tibi.*] Confirmationem ſuperiorum promiſſionum ſubjungit. Sic enim Dominus imbecillitati noſtræ conſulit: quoniam difficile eſt nos verbo ejus plene acquieſcere, præſertim ubi rerum ſtatus adverſari videtur. Sed Dominus hoc modo fidem noſtram certius probare vult, quum ſalutem, cujus ſpes omnis adempta eſt, nihilominus promittit. Pluribus etiam verbis confirmat, ut omni dubitatione ſublata, etiam rebus deſperatis promiſſis ejus inniti non deſinamus. Quanquam eadem ſimul opera ad gratitudinem hortatur Judæos, ne unquam oblivione ſepeliant tam præclarum & memorabile Dei opus. Nominatim vero Jugum & Servitutem exprimere voluit, ut intelligerent Judæi Dominum hæc impedimenta, quoties vellet, ſublaturum: nec ei obſtare ullo modo poſſe, quominus populum ſuum extemplo, quum ei videretur, eriperet. Quod etiam nos hodie in hac miſera ſervitute, & impio Antichriſti jugo, quo Chriſtiani tenentur, in uſum noſtrum accommodare decet. Quamvis enim laqueis & vinculis undiquaque conſtricti teneantur, Deum liberatorem habent, qui facile omnes difficultates, & cujuſvis generis impedimenta ſuperabit. idque etiam ad omnes labores, miſerias & ærumnas extendi debet. Porro nomine Dicterii aut Parabolæ (משל enim graves & inſignes notatuque dignas ſententias Hebræis ſignificat) tantam Babylonis ruinam fore oſtendit, ut etiam in proverbium vertatur: quod in magnis & ſtupendis rebus fieri ſolet. *Quomodo*, admirantis interrogatio eſt, ac ridentis. Incredibile enim videbatur Babylonem, tot opibus & copiis munitam, everti atque in hoſtium poteſtatem venire. Merito ergo ridetur ſtulta & inanis eorum fiducia, quod inſolenter elati, invictos ſe & extra omnem aleam poſitos exiſtimarent. Atqui videtur alienum à piorum modeſtia, aliorum miſeriæ inſultare: potius enim condolendum erat. Verum, hoc à commiſeratione alienum non eſt, ubi zelus noſter ſeſe ad judicii Dei æquitatem attemperat: quia tunc humanitatis affectu poſſumus miſereri eorum qui ſtultitia ſua pereunt, ſimulque arrogantiam ipſorum ac dementiam ridere. Ut enim Dominus ipſis inſultat, inſaniam eorum ridens, ſic nos ejus gloriæ ſtudioſos ipſis inſultare jubet: non ut efferamur petulanter, ſed ut bonitatem ejus & potentiam celebremus. Hoc igitur exemplo, Dei hoſtibus, quum vincuntur aut minuuntur inſultare licet: quemadmodum Antichriſto, cujus hodie potentiam imminui & paulatim labi videmus. Nomen מדהבה, quod in fine ſententiæ ponitur, verti poſſet Aurata, vel Auraria: ſed quia Exactori vel Tyranno adjungitur, probabile eſt avaritiam & inſatiabilem auri cupiditatem notare, qua Babylonii laborabant. Hoc enim accidit magnis imperiis, civitatibus, & opulentis populis, ut quo major eſt rerum copia, eo majori habendi cupiditate ardeant.

5. & 6. *Confregit.*] Reſpondet proximæ interrogationi. nec enim voluit fideles dubitare, quin id accidat: ſed potius obſtupeſcere in operibus Dei adeo admirandis. Nam & huc valuit interrogatio, ut animi ad majorem attentionem expergefierent. Perinde igitur eſt acſi diceret, hoc non temere aut cæco fortunæ impetu accidiſſe, quod ſervitute perpetua oppreſſi non ſint: ſed providentiæ Dei tribuendum eſſe, qui durum illud ſervitutis jugum abrupit. Obſtupeſcunt vero & impii in ejuſmodi operibus, hærentque attoniti, quod rationem non percipiant: pii autem Deo id tribuendum eſſe norunt. Diſcamus ergo admirari opera Dei, atque ſic obſtupeſcamus, ut agnoſcamus eum auctorem: nec quicquam leviter prætereundum arbitremur, quum præſertim pro redimenda Eccleſia manum exerit: quum unumquemque noſtrum mirabili potentia ſua è ſervitute diaboli, à tyrannide Antichriſti, à morte æterna eripit. Nec enim opus vulgare eſt, cujus ulla pars ſit hominis virtuti, ulliſve aliis cauſis tribuenda. Baculo impiorum adjungit Sceptrum dominantium: qua repetitione ſignificat nulla imperii potentia ſtabiliri poſſe injuſtam tyrannidem. Et continuo poſt clarius exprimit delendam eſſe Babyloniorum Monarchiam, quod injuſta & tyrannica eſſet, dicens plaga inſanabili percuſſos fuiſſe populos, & violentiæ nullum fuiſſe modum, quia impune effrenique licentia graſſati fuerint. Quo admonemur Deum tyrannis minime tandem parſurum eſſe: utcunque ad tempus diſſimulet. Idem enim ipſos excidium manet, quod Babyloni accidiſſe audimus: nam juſtus *Pſal.* 11.
Dominus, ſuique perpetuo ſimilis eſt. *verſ.* 7.

7. & 8. *Quievit.*] Hic docet quam odioſi ſint toti mundo tyranni. Iis enim mortuis aut deletis, omnes exultant gaudio: ac declarant qualiter in ipſos antea fuerint affecti, quod præ metu diſſimulabant. Tunc proſiliunt odia, & malevolentiæ: nec tantum homines gaudium ſuum patefaciunt, ſed & mutæ creaturæ, quemadmodum Propheta majoris amplificationis cauſa ſubjungit de Abietibus & Cedris. ut enim pervertuntur omnia tyrannide, ſic ea profligata in integrum reſtitui videntur. Et quo efficacior ſit ſermo, additur proſopopœia, qua loquentes arbores inducit, ſibique gratulantes, quod tyranno mortuo, jam lætæ & ſecuræ ſtabunt. Huc vero ſpectat conſilium Prophetæ, non poſſe tyrannos à cæleſti judice ferri, qui toti mundo ſunt deteſtabiles. Unde colligendum eſt, tametſi miſeri homines ſileant imperantibus tyrannis, nec hiſcere audeant, Dominum tamen gemitus illorum tacitos exaudire. Ne ergo tam prodigioſos tyrannorum exitus eſſe miremur: quia Deum, qui teſtis eſt injuriarum quas intulerunt innoxiis, pro ſua juſtitia adeſſe neceſſe eſt.

9. *Infernus ſubtus.*] Quemadmodum prius arboribus lætitiam tribuerat: ita nunc ſimili figura mortuis ſermonem attribuit. Eos enim velut è ſepulchris excitat, ut ſuperbiam hujus tyranni derideant. Tota enim iſta exceptio ironica eſt, plenaque ſalſæ mordacitatis. Nam quum adventu Regum contremiſcant populi, obviam prodeant, magnifico etiam apparatu ipſos excipiant: fingit mortuos huic tyranno, ubi mortuus in ſepulchrum deſcendet, obviam proceſſuros,

ros, ut eum honore, ſed quo dignus eſt, afficiant. acſi diceret, non ſolum vivis mortem ipſius, ſed etiam mortuis jucundam fore: mortuos quoque ipſum honorifice, ut meritus eſt, excepturos.

10. *Omnes.*] Hæc ſunt ludibria, quibus mortui tyrannum ſibi aggregatum exagitant: acſi rationem ab eo repoſcerent, cur etiam mortuus ſit, quemadmodum & alii. Rei enim novitate perculſos, fingit Jeſaias de re quaſi incredibili cum admiratione ſciſcitari. Tyranni enim ſua magnitudine excæcati, mortales ſe eſſe non cogitant: imo ſemideos ſe faciunt, ſeque ipſos adorant. ideo communis omnium mortalium conditio, cui obnoxios ſe non putabant, poſt mortem detegitur. Et hoc ſenſu mortui non ſine amara ſubſannatione exprobrant ſibi factum eſſe ſimilem. Etenim mors (ut ille ait) ſola fatetur, quantula ſint hominum corpuſcula. Atque etiam David de Principibus & eorum dignitate loquens, Ego dixi, Dii eſtis: at ſicut homines moriemini, & ſicut quilibet è vulgo cadetis. Principum enim corpora, ut plebeiorum, corrumpi & corrodi à vermibus tandem neceſſe eſt, quamvis etiam iis ſumptuoſa & magnifica ſepulchra extruantur.

Pſal. 82. *verſ.* 6. 7.

11. *Magnificentia tua.*] Pompæ regiæ mentionem facit, quo attentius hæc mutatio conſideretur, dum poſteriora comparantur prioribus: nec eam obſtare potuiſſe oſtendit, quominus ad æqualem aliorum ſortem redigeretur. Nablorum nomine, omnes delicias ac voluptates comprehendit, quibus Reges oblectari ſolent: quia ſcilicet non tantum cantus ſuavitate inducitur mortis oblivio, ſed inſano etiam ſtrepitu diſcutitur omnis triſtitia, & mentes quodammodo obſtupeſiunt. Secunda parte verſus irriſorie dicunt mortui, Stratum te dignum adeptus es. nam tapeti loco aut mollis culcitræ, tibi ſunt tineæ: vermes autem pro magnifica ſtragula. In ſumma, hic depingitur viva imago ſtultæ hominum confidentiæ, qui præſenti fortuna & proſpero rerum ſtatu ebrii ſibi applaudunt. Quæ doctrina diligenter meditanda eſt: quamvis enim homines ſuæ conditionis ſint probe conſcii, & mortem in conſpectu habeant, tamen obruti ambitione & voluptatibus deliniti, faſcinati etiam inani ſplendore, ſuiipſorum obliviſcuntur.

12. *Quomodo cecidiſti.*] Pergit Jeſaias in ſermone quem prius exorſus erat in mortuorum perſona: ac concludit tyrannum nihilo differre ab aliis, quamvis ejus conſilia eo ſpectarent, ut Deus aliquis fore videretur. Eleganti ſimilitudine utitur, dum ipſum Lucifero comparat, Filium Auroræ vocans. idque propter magnificentiam ejus & ſplendorem, quo præ cæteris refulgebat. Quod de Satana expoſuerunt hunc locum, id ignorantia factum eſt: contextus enim ſatis docet, hæc de Rege Babyloniorum intelligenda eſſe. Sed quum temere arripiuntur Scripturæ loci, nec attenditur contextus, hos errores paſſim oboriri mirum non eſt. Craſſior etiam ignorantia fuit, quod Luciferum diabolorum Regem, eique hoc nomen à Propheta inditum eſſe finxerunt. Sed quum hæc figmenta nihil prorſus habeant coloris, tanquam inanes fabulas omittamus. In ſecundo membro verſus falſi ſunt interpretes, qui participium חולש paſſive verterunt, Infirmior factus es, quum activa ſit ſignificatio. Quia tamen verbum ex quo deducitur ſignificat Sortem jacere, & hic inſeritur particula Super, optime quadrat hic ſenſus, Quod quaſi regionum omnium dominus & arbiter ſorte eas diviſerit, vel quaſi hæreditarias ad ſe traxerit. Neque tamen alterum ſenſum repudio, quod gentes debilitaverit.

13. *Atqui tu dicebas.*] Hæc ſuperioribus conjungi debent. Dicere hic accipit pro Statuere apud ſe, more Hebraico. Ridet enim Babylonii ſuperbiam, qui magnitudine ſua confiſus, continuos ſucceſſus promittere ſibi audebat, acſi fortunam fingere ſibi ipſe poſſet. In quo ſpeculum nobis proponitur inſani faſtus quo turgent impii, & quem etiam interdum evomunt. Nec enim tyranni unius perſona hic ſolum conſideranda eſt, ſed omnium impiorum ſacrilegus furor, qui ſecum ita deliberant, acſi omnia poſſent arbitrio ſuo ſtatuere. quemadmodum etiam præclare eorum conſilia deſcribit Jacobus, Ibimus in illam civitatem, negotiabimur, quæſtum faciemus, quum interim ignorent quid craſtina dies allatura ſit. Sub manu Dei ſe eſſe non cogitant, ſeque omnia per ſe effecturos confidunt. Eſt quidem abſurdior hæc jactantia, Aſcendam in cælum, & quæ ſequuntur, quam ut videri poſſit effluere ex ore hominis mortalis: ſed quia Prophetæ conſilium non fuit recitare ad verbum quæ dixiſſet Nabuchadnezer, ſufficiat nobis rem ipſam expendere. Nam certe quicunque plus ſibi arrogant quam ferat humana conditio, Gigantum more cælum ipſum impetunt, ut eſt in proverbio. Unde ſequitur, quicquid moliuntur exitiale ipſis fore: præſertim quiſquis vocationis ſuæ fines egreditur, ſua temeritate iram Dei in ſe provocat. Itaque ſua quiſque ſorte contentus, altiora non appetere diſcat: ſed potius in ſtatione ſua, in qua à Deo locatus eſt, permanere. Quod ſi Deus manum porrigat, altiuſque evehat, progrediendum: ſed nemo id ſibi uſurpare, nec eo ex ſe eniti debet. Atque etiam evectos in altiorem dignitatis gradum humiliter & ſummiſſe ſeſe gerere oportet: non ficta quadam modeſtia, ſed ita dejectis animis, ut nullo modo efferantur. Cæterum, cur peculiariter Babylonicum tyrannum tantæ veſaniæ accuſet Propheta, & quid ſibi per hujuſmodi figuras velit Propheta, facile patet ex ſequentibus: nempe, quod appeteret ſedere in monte teſtimonii: qua audacia parem ſe Deo facere tentabat. Etſi enim humano more ratiocinatus eſt, ſe victoriam poſſe conſequi de Judæis: quia tamen Dei auxilium, quo ſæpe audierat ipſos protegi, pro nihilo ducebat, perinde hoc fuit acſi cælis ipſis machinatus eſſet ruinam. Cæterum pro monte Sion, ponit latera Aquilonis: qualis etiam deſcriptio Pſalmo 48. habetur, Mons Sion ad latera Aquilonis, civitas Regis magni. Prius Montem teſtimonii vocaverat, quod nomen deducitur à יעד, quod Unire, Convenire & Paciſci ſignificat. Propterea מועד & fœdus, & conventum, & ſtatum diem ſignificat: denique ad tempus, locum & perſonas referri poteſt. ſed hic malo pro Fœdere accipere. Nam & Dominus apud Moſen Tabernaculum vocans מועד, illic, inquit, vobiſcum conveniam. Ne ergo putemus conventum hominum ſignificari, ut quum profani ad nundinas ſuas aut feſtos dies conveniunt: ſed quod Dominus ſignum præſentiæ ſuæ dare, & fœdus ſuum ratum facere illic voluerit. Quod diligenter notandum eſt: quia inde convincitur impii Regis ſacrilegium, quod cælos ipſos potius quam terrenum locum aggreſſus ſit.

Jacob. 4. *verſ.* 13.

Pſal. 48. *verſ.* 2. 3.

Exod. 25. *v.* 21. 22. *&* 29:42.

14. *Aſcendam ſuper excelſa.*] Mirum certe videri poſſet, ſic Babylonium accuſari à Propheta, acſi parem ſe Deo facere vellet: quando, ut diximus, hæc cogitatio vix homini in mentem venire poteſt, quin penitus exhorreſcat. Ut enim eſt ingenitum nobis à natura ſemen religionis, ita vel inviti cogimur ſuſpicere numen illud quod omnia antecellere perſuaſi ſumus: nec quiſquam adeo inſanus eſt, ut velit Deum è ſua ſede dejicere. ſic enim à natura inſtituti ſumus, Deum colere & revereri oportere. Unde etiam Gentes, quamvis ignorarent Deum, cultum idolis ſuis exhibebant. Quo fit ut veriſimile non videatur Babylonium, ejecto Deo, in cælis regnare voluiſſe. Nec tamen Propheta ipſum falſo inſimulat. Quamvis enim impii non ſtatuant ſibi loco Dei regnandum eſſe: tamen quum plus quam par eſt ſeſe efferunt, Deo ipſi tantundem detrahunt, quod ipſius proprium eſt ſibi arrogando: quod idem eſt, acſi vellent ipſum è ſolio ſuo deturbare. Quid vero

Gen. 3: 5. Satan quum primum parentem fefellit? Eritis ſicut dii. Proinde erigunt ſeſe adverſus Deum, acſi bellum ipſi indicerent, qui ſibi plus ſumere audent, quam Deus ipſe promittat. Ubi enim eſt ſuperbia, illic contemptum Dei eſſe neceſſe eſt. Simul tenenda eſt illa ratio quam nuper attigimus, quod Tyrannus Eccleſiam, ſacrum Dei peculium, invadens, quaſi ex profeſſo Deum laceſſeret. Quum ergo violaret cæleſte ſacrarium, videri non debet hyperbolica loquutio. Unde etiam elicitur doctrina plena eximiæ conſolationis. Nam docemur impios ſeſe efferre adverſus Deum, quoties in Eccleſiam ejus inſurgunt: nec enim hic accuſatur quod ſe ſupra Angelos extulerit, ſed quod Eccleſiam Dei opprimere ſit conatus. Hodie vero cultus Dei uno in loco incluſus non eſt, ſed tam late patet, quam univerſus orbis. Ubicunque ergo invocatur nomen Dei, ſi quis tyrannus ad opprimendos pios inſurgat, ſciamus eum non homines, ſed Deum ipſum invadere, qui tandem ſibi inſultari non patietur. Simile exemplum nobis poſtea

infr. 36. vers. 18, 19, 20. & 37. v. 4. 6. 17. occurret de Sennacherib, quem Sioni minantem ac conviciantem declarat ipſi Deo minatum ac conviciatum fuiſſe. Itaque ſciamus nos ita eſſe ſub tutela Dei, ut quiſquis negotium nobis faceſſit, is etiam

Zach. 2. vers. 8. Deum hoſtem ſit habiturus. Qui vos lædit, inquit, pupillam oculi mei lædit. Teſtatur etiam ſe in medio Eccleſiæ habitare, ut nemo eam invadere poſſit, quin ipſe primos inſultus excipiat. Ergo vindex injuriarum futurus eſt quas Eccleſia ſuſtinet, utcunque eam ad tempus affligi patiatur.

15. *Atqui in ſepulchrum.*] Prius expoſuit conſilium Babylonii, nempe ſolium ſuum ſupra nubes collocandi: nunc ei contrarium eventum opponit, nempe Latera foveæ vel lacus, id eſt, angulum aliquem ſepulchri, in quem detrahetur. Dixerat enim prius Babylonium evehi velle in montem Sion ad latera Aquilonis: quod illinc locus admodum editus & conſpicuus eſſet. nunc Latera in contraria ſignificatione accipit: acſi diceret, locum in abjectiore ſepulchri parte habiturum: ſicuti ubi quis in obſcurum & ignobilem receſſum compingitur. In amplo enim & capaci ſepulchro, honoratiorum hominum cadavera medium locum occupant: hunc vero in receſſum vel extremas oras abjectum iri ſignificat. Sic Dominus impiorum ſuperbiam ex alto ridet, ut quum omnia cupiditate devorarint, nubeſque & cælos ipſos perfregerint audacia: ipſos tandem omnium ludibrio exponat, poſtquam eorum conſilia vel minimo momento everterit.

16. *Videntes te.*] Iterum Propheta ſub mortuorum perſona impium illum Regem deridet. Poſſet etiam de vivis intelligi: ſed præſtat omnino hunc ſermonem referre ad mortuos, niſi etiam ad ſepulchrum ipſum referre velimus: quod fere idem eſt. Solemus autem protendere faciem, quum aliquid mirandum, aut viſu dignum ſeſe offert. Ita quum ſimile portenti videretur hunc Regem & tali potentia inſtructum periiſſe, omnium oculos in ipſum converſos ait, ut attente inſpicerent, acſi vix propriis oculis fidem haberent. Quærunt autem primum, an poſſibile ſit tam ſubito & facile proſtratum eſſe, ad cujus nutum tremebat orbis? Deinde libidinem & impotentiam omnia perdendi commemorat, & tyrannos cum ſua truculentia nubibus ſimiles eſſe oſtendit, quæ repentinum imbrem aut grandinem ejiciunt, quaſi obruturæ omnia: ſed momento diſcutiuntur. Qua ſimilitudine etiam uſus eſt pius ille ſenex Athanaſius, quum quidam minaretur ei furorem Juliani. Hanc vero mutationem è manu Dei proficiſci docet, qui vel nutu totum mundum labefactare poteſt.

17. Sequenti etiam verſu crudelitatem & ſævitiam exprimit: quod orbi vaſtitatem intulerit, quod exciderit urbes, quod vinctos non dimiſerit. Interdum enim ſolent victores captivos dimittere, ut eorum animos humanitate alliciant: tyranni vero metui malunt quam amari. hanc enim ſolam regnandi viam eſſe arbitrantur, ſi implacabili ſævitia formidinem omnibus incutiant. Mirum igitur non eſt miſerum adeo & infelicem ipſorum exitum eſſe: quia fieri non poteſt quin Dominus vicem ipſis rependat, poſtquam eorum ſævitia Eccleſiam ſuam caſtigavit, omnique miſericordia privet, qua ipſi erga alios caruerunt. Itaque oſtendit quam miſeri ſint tyranni, qui & Deum ſibi infenſum habent, & odioſi ſunt hominibus.

18. *Omnes reges gentium.*] Opponit Babylonium aliis Regibus, ut oſtendat ipſum etiam poſt mortem cæteris omnibus miſeriorem eſſe. Et ita comparando amplificat Dei judicium, quo ulturus erat illatas Eccleſiæ ſuæ injurias. Hic locus in cauſa eſt, ut non audeam, quæ hic de Babylonio prædicit Jeſaias, ad Nabuchodonoſoris unius perſonam reſtringere: quoniam ex hiſtoriis ipſum ſepultura caruiſſe minime conſtat. Tametſi referant Judæi Evilmerodach juſſiſſe, ut effoderetur è ſepulchro, quod primores regni non auderent illi dare nomen, niſi patrem mortuum eſſe conſtaret. verum Hieronymus, quamvis alioqui ſatis credulus, id habet pro fabula. Non unum ergo hominem, ſed totum regnum deſignat: quemadmodum etiam Scriptura quum de Antichriſto loquitur, totum ejus regni ſtatum comprehendit. 1 Joan. 2. vers. 18. Proinde quaſi in perſona unius ſuperbiam ridet omnium iſtorum tyrannorum: & qualis futurus ſit ipſorum exitus, denunciat: futurum ſcilicet, ut ne veſtigium quidem terræ habeant in quo ſepeliantur, quum antea eſſent inexhauſti gurgites, nec ullæ iis poſſeſſiones ſufficerent. Qui vix pedem terræ habent, jus nihilominus retinent in ſepulchro, quod omnium vel maxime ſacrum veteres cenſuerunt. Eo enim privari valde ignominioſum fuit. Reges vero Babyloniorum tanta ignominia afficiendos eſſe oſtendit, ut ex hæreditario etiam ſepulchro ejecti, ignominioſum ſpectaculum præbeant. Quæri poterit, An tanti ſit coram Deo ſepeliri cum patribus, ut ejus privatio, pœnæ & maledictionis loco irrogetur? Reſpondeo, non agi hic de ſepulchro, quaſi de re ad ſalutem neceſſaria: ſed merito inter probra reputandum, quod hic ſepultura caruerit. Ac primum perpendendum eſt, cur inter omnes gentes tanti facta ſit ſepultura. nec enim dubium id profectum eſſe à Patribus, quando cadavera ſepeliri voluit Dominus in ſpem ultimæ reſurrectionis. Projiciuntur belluarum cadavera, quod ad putredinem nata ſunt: noſtra vero terra conduntur, ut illic depoſita ultimum diem expectent, quo reſurrectura ſunt ut cum anima beatam & immortalem vitam degant. Quod autem obortæ ſunt variæ ſuperſtitiones in corporibus humandis, id Satanæ aſtutia factum eſſe dubium non eſt, qui omnia per ſe utilia & pia corrumpere ac pervertere ſolet: innumera enim figmenta commentus eſt, quibus hominum oculos perſtringeret. Judæos autem variis in ea ceremoniis abundaſſe minime mirum eſt, neque id improbari poteſt. nec enim adeo clara reſurrectionis ipſis revelatio fuit, quod Chriſtus nondum patefactus eſſet. Noſtri vero temporis ratio longe diverſa eſt: quia reſurrectionem aperte conſpicimus in Chriſto, & claras promiſſiones, quæ obſcuriores Judæis eſſe ſolebant, nunc omni ſublato velo intuemur. Si quis igitur veteres illos ritus iterum invehere & redintegrare vellet, haud dubie tenebras offunderet luci, magnaque afficeret Chriſtum injuria, quod eum nobis patefactum velaret. Non eſt tamen inanis cura ſepulturæ: quia ſymbolum eſt ultimæ reſurrectionis quam adhuc expectamus. abſit autem omnis ſuperſtitio & exequiarum pompa, à quibus pii omnes abhorrere debent. Nunc ſi quis ſepultura omnino careat, reſpicienda cauſa eſt. multi enim ex Prophetis, Martyribus ac piis viris ea caruerunt. Audimus

Eccleſiæ

(Pſal. 79. verſ. 2.) Eccleſiæ querimoniam, lugentis quod cadavera ſervorum Dei feris & avibus projecta ſint, nec quiſquam ea ſepeliat. & quotidie Chriſti ſervos exuri, ſubmergi, patibulis affigi videmus: quorum tamen interitus & glorioſus & benedictus à Deo eſt. Quemadmodum enim crux Chriſti benedicta fuit: ita cruces, catenæ, vincula, mortes, quas ejus membra ſuſtinent, ejuſdem benedictionis participes, omnium Regum felicitatem, ornatum, pompam & majeſtatem exuperant: (Rom. 5:3. 2 Cor. 12. v. 9. 10. Gal. 6:14.) ut etiam Pauli exemplo in iis libere audeant gloriari. Cæterum in iis quos Dominus ſepultura carere ſinit, quum nihil aliud perſpicimus quam ſignum iræ ipſius, ad hanc ſententiam & ſimiles redeundum eſt. (Jer. 22. verſ. 19.) Quemadmodum Jeremias Joacimo aſini ſepulturam minatus eſt, quod dignior eſſet conſortio beſtiarum quam hominum, qui ab iis etiam poſt mortem humatione ſegregantur. Ita Babylonius quum ſeſe ſupra omnes extuliſſet, infra omnes dejici debuit, ut etiam humatione communi privaretur. Prædicit ergo futurum, ut non ſepeliatur domi, id eſt, in paterno & hæreditario ſepulchro. nec enim intra ædes ſepulchra fuiſſe exiſtimandum eſt. Similitudines adjunctæ magis exprimunt juſtam illius tyranni ignominiam. quemadmodum enim eradicantur arbores noxiæ aut inutiles, ita Babylonium indignum eſſe oſtendit, qui ullum inter homines locum obtineat. Similem poſtea facit veſtibus interfectorum. Nam qui in acie cadunt, non humantur communi more, ſed proculcantur corpora fœtida & ſanguinolenta: & ne fœtore ſuo aërem inficiant, cum indumentis ſuis putridis in foſſam abjiciuntur. & ipſa etiam veſtimenta fœdata luto & ſanguine nemo attingere dignatur, ne quid inde contagionis contrahat. Quis Babyloniorum rex hoc paſſus ſit, aſſerere non poſſumus: impletum tamen fuiſſe dubium non eſt.

20. *Quoniam terram tuam.*] Hæc ratio eſt cur indignum ſepultura Babylonium dicat. Indignus enim eſt quem terra ſinu ſuo excipiat ac contegat is qui eam vaſtavit. quemadmodum enim nos terra vivos ſuſtinet, ita mortuos condit, ac cuſtodit in adventum Chriſti. Eſt igitur juſta crudelitatis pœna, quum ſinum ſuum iis negat, qui ipſam violarunt. Additur gravior comminatio, quod Dominus à poſteris quoque reſiduum pœnarum exiget. quanquam ubi dicit, Non nominabitur ſemen in perpetuum, hoc membrum bifariam exponere poſſumus: vel quod memoria ſeminis impiorum diuturna non ſit, vel penitus extinguenda. Varietas interpretationis eſt in verbo לעולם. aut enim ad præteritum refertur, aut ad futurum. Ad præteritum, Quamvis ad tempus celebre ſit impiorum ſemen, tamen evaneſcet tandem ejus memoria. Ad futurum, Sic Deus impiorum ſemen extinguet, ut nulla deinceps fiat ejus mentio. Eſt autem vulgare ut Dominus ſemini impiorum maledicat: quemadmodum è diverſo, (Pſal. 112. verſ. 6. Prov. 10. verſ. 7. Pſal. 34. verſ. 17.) piorum ſemini benedicit: atque ut memoria juſti æterna eſt, injuſti memoriam tolli ac deleri neceſſe eſt. Quamvis hæc oculis non ſemper intueamur, extant tamen ampla & perſpicua ejus rei teſtimonia, quibus id abunde confirmatur. Sed notanda hujus ultionis ratio eſt. Dominus enim impiorum hominum ſuperbiam ulciſcitur, qui nomen ſuum propagare, & perpetuam ſui memoriam relinquere volunt. huc enim tendunt omnium profanorum hominum ſtudia & conatus. Contra, Dominus eorum nomen delet & memoriam, quæ perpetuis monumentis inſculpta videbatur: atque accidit, ut non tantum ſint ludibrio, ſed etiam execrationi omnibus. Quod tyrannis omnibus evenit, ut quamvis ipſis, dum vivunt, omnes applaudant & aſſententur, mortuos tamen cum ſua poſteritate omnes exhorreant. Itaque Deo, Angelis & hominibus deteſtabiles eſſe apparet.

21. *Præparate.*] Hic apertius quam antea adverſus Babylonium vaticinatur Jeſaias. Loquitur enim de tota progenie, ad quam exitium hoc extendi ſignificat. Memoria vero tenendum quod prius diximus; Prophetam non eſſe hactenus loquutum de uno homine, ſed de toto regno: nunc etiam ejus figuræ dubitationem tollit. Quod vetus tranſlatio habet Filios mactationi, non ſatis convenit. ל enim quod præponitur, ſatis demonſtrat interpretandum eſſe, Filiis. Eſt autem videndum ad quos hic ſermo pertineat. Miniſtros enim aliquos tanquam lictores aut carnifices ſubintelligi neceſſe eſt, quos Dominus accingi jubet, ut judicium ipſius exequantur. Quoſnam vero? partim Medos ac Perſas, partim alios à quibus Babylon funditus everſa eſt: nec enim penitus diruta eſt quum Perſæ eam ſubegerunt, ut prius dictum eſt. Itaque alloquitur eos quos æterno conſilio ſuo deſtinarat Dominus ad Babylonem diruendam. Quæ loquendi forma multo plus energiæ habet, quam ſi ſimpliciter dixiſſet, paratam eſſe mactationem. Oſtendit enim ſe non ſolum de impiis ſtatuere pro arbitrio ſuo, ſed etiam miniſtros in promptu habere quibus eorum ſcelera ulciſcatur. Quod continuo poſt ſubjicit, hoc modo puniri iniquitatem patrum: primo quidem intuitu nimis durum videtur, filios miſceri cum patribus, ubi agitur de pœna ipſis infligenda. durius etiam, pœnam debitam patribus extendi in filios uſque ipſos, & nepotes. Hoc abſurdum facile effugere licebit, ſi עון interpretemur Miſeriam: tam enim peccati pœnam, quam peccatum ipſum ſignificat. Sed quum hæc ſententia paſſim occurrat in Scripturis, Deum ſcelera parentum in (Exod. 20. verſ. 5. & 34: 7. Deut. 5:9. Jer. 32. verſ. 18.) ſinum filiorum rependere, tali effugio opus non eſt. nec repugnat illud Ezechielis, Non ſuſtinebit filius iniquitatem patris. (Eze. 18. verſ. 20.) Nemo enim innocens à Deo plectitur. Nec vero ita accipiendus eſt hic locus, acſi pœnam majoribus debitam Deus in filios alioqui nihil tale meritos transferret: nam filiorum etiam culpa conjuncta eſt. Atque ut omittamus univerſalem maledictionem generis humani, cui omnes ab utero obnoxii ſunt, impii alicujus exemplum ſumamus: quum Dominus eum cum ſobole ſua rejicit, nihil certe eſt quod cum ipſo expoſtulare poſſimus. Nam ſi benedictio ipſius gratuita eſt, urgere eum fas non eſt, quod non omnibus eam æqualiter impartiat. Libera enim eſt ejus gratia: & unumquemque ſecum reputare oportet, quicquid boni habet, id ei minime naturale aut proprium, ſed potius adventitium, atque à gratuita Dei liberalitate profectum eſſe. Si quem ergo rejiciat, nonne etiam ipſius ſemen maledictum eſſe neceſſe eſt? deſtitutis enim gratia ipſius, quid præter nequitiam reliqui eſt? Quod ſi æternæ morti obnoxii ſunt: multo magis temporalibus pœnis: quem enim capitis ſupplicium manet, is carcere & flagris multo magis dignus eſt. Idque diligenter notandum. Puerilis enim mihi videtur eorum ſolutio, qui Dominum temporalibus pœnis impiorum filios afficere putant ob ſcelera parentum, neque indignum Deo cenſent, etiam innoxiis ejuſmodi pœnas irrogari: quoniam Deus nunquam punit immerentes: & natura ad miſericordiam propenſus eſt. Qui vero parceret malis, ſi iram ſuam adverſus innoxios exerceret? Hoc igitur ſtatuendum eſt, omnes qui deſtituuntur gratia Dei, ſub æternæ mortis judicio incluſos eſſe. unde conſequens eſt, reproborum filios, quos Dei maledictio perſequitur, eidem judicio ſubjici. Proinde non loquitur Jeſaias de filiis innoxiis, ſed perditis & nefariis, qui forſan etiam parentes malitia ſuperarunt: quo fit ut merito adjungantur parentibus, eidemque ſupplicio ſummittantur, quum idem vitæ genus ſint ſequuti. Dicet quiſpiam, eos tunc ſui ſceleris pœnam, non parentum ferre. Fateor quidem ex parte: at jam cœperat in parentibus rejectio, ob quam etiam à Deo deſtituti ſunt & reprobati. Non ſeparatur autem ipſorum culpa, quaſi innoxii ſint: ſed iiſdem vitiis ob rejectionem invo-

involuti, iiſdem etiam pœnis & miſeriis implicantur. Scio hac ſolutione non ſatisfieri iis qui nullum finem faciunt cum Deo litigandi: ſed modo piis & non contentioſis ſatisfaciam, illos haud multum moror. Hos certe tali ſolutione, ut vera eſt, contentos fore ſpero ac confido. In clauſula verſus vertunt quidam, Ne impleant hoſtibus ſuperficiem terræ: acſi Propheta ſignificaret, omnes impios hoſtes eſſe generis humani, imo univerſæ terræ: propterea Dominum conſulere omnium ſaluti, quum eos tollit è medio. terra enim quodammodo ab iis, tanquam vepribus & dumetis, ſuffocaretur. Atqui hæc ſignificatio plus quiddam videtur exprimere: quia terra nos recipit in gremium ſuum ſi officium facimus: quod ſi Dei contemptores ſimus, terra invita tanquam hoſtes nos alit & ſuſtinet. Verum ego alteram ſignificationem, quæ communior eſt, ſequi malo. Videtur enim mihi Propheta innuere, impios propagare genus ſuum, ac ſobolem ab ipſis ſcaturire veluti innumeram, ut alios & numero & ſpecie antecellant: quod etiam fieri quotidie videmus. unde natum eſt proverbium, Malam herbam cito creſcere. Subindicat igitur Propheta, futurum ut totam terram non ſolum hominibus ſed etiam oppidis implerent impii, niſi Dominus mature proſpiceret atque occurreret huic malo, eorumque numerum minueret. Quod vero ingentem impiorum multitudinem, quibus terra pene obruitur, ubique cernimus, id merito noſtro accidit. ſed nunquam Dominus ita dure nobiſcum agit, quin aliquid boni ſeminis reliquum faciat, utcunque rarum ſit: atque etiam angulos terræ quoſdam relinquat, ubi pii aliquantum reſpirent. Quod ſi Dominus nôn reſecaret ex multitudine impiorum, terra certe protinus ab iis obrueretur. Hic confirmatur quod jam antea diximus Babyloniorum liberos non mactari innocentes. hic enim cauſa adſcribitur, Ne terram impleant urbibus. Conſequens eſt igitur, impios fuiſſe, & juſto judicio tolli, ut ſaluti hominum conſulatur: nec poſſe Dominum crudelitatis aut ſævitiæ accuſari.

22. *Nam ſurgam.*] Nunc Dominus pronunciat ſe acturum quod prius aliis per Prophetam mandaverat. & utrumque obſervari debet: opus ſcilicet Dei eſſe quum pereunt impii, tametſi hominum opera in exequendis judiciis ſuis utatur. Sic enim prius ipſos alloquebatur, *Præparate*. Unde non ſolum potentia Dei, ſed etiam Prophetiæ vis notanda eſt: ut Prophetæ à Deo ordinati mandent populis omnibus ut hoc vel illud faciant: & tunc tantum abeſſe, ut homines eventum impedire poſſint, ut etiam obſequium ſuum præſtare Deo cogantur. Quoniam vero in hominibus ſubſiſtere ſolemus, & quidem præterito Deo, penes eos locamus agendi poteſtatem, tenendum eſt principium illud, quum per eos agat Deus, proprie operis eſſe auctorem, ipſos vero miniſtros tantum vel inſtrumenta. Id quod aperte ſequentium locorum conjunctio ſatis demonſtrat. ו in cauſalem particulam reſolvere viſum eſt. Reddit enim cauſam, cur Medos atque alios interitum Babyloniis parare jubeat, *Nam* conſurgam adverſus ipſos: atque hæc loquutio, qua Dominus ſe ſurgere dicit, ſatis trita eſt. Ea autem ſe ad captum noſtrum accommodat Propheta, quoniam altior eſt majeſtas Dei, quam ut poſſit à nobis apprehendi. Deum enim jacere & otioſum eſſe putamus, quamdiu diſſimulat. propterea ſurgere ſe dicit, quum exerit potentiam ſuam, eamque aliquo viſibili opere teſtatur. Epitheton quod ſubjungit, Dominum exercituum vocans, ad confirmandam ſententiam facit. acſi diceret, non temere ſibi imperium in populos ſumpſiſſe: Deus enim exercitus omnes manu ſua regit. Quum ergo ad pronunciandam Dei ſententiam ordinatus ſit, ipſius eſt imperare hominibus, ut obſequium ei ſuum præſtent. Et mox iterum repetit nihil ſe afferre niſi divinitus mandatum, quo plus auctoritatis habeat hæc Prophetia. Hoc autem excidium non accidiſſe Babyloni niſi poſt Alexandri mortem, ſatis jam antea dictum eſt. Filiorum & Nepotum nomine, non poſteritatem ſolum intelligit, ſed memoriam: cujus ſtudioſi ſunt impii, ut poſt mortem ſuam multis etiam ſeculis celebrentur. Hoc etiam Dominus ademit Babyloni, ut nulla ejus memoria, niſi cum dedecore & ignominia, extaret.

23. *Et ponam eam.*] De futura vaſtitate eadem quæ antea prædixit rurſus confirmat: non fore ſcilicet poſthac hominum domicilium, ſed quaſi antrum deforme, ubi latebunt fera animalia. קפד, alii Caſtorem, alii Teſtudinem, alii Erinacium eſſe volunt. Ex loci vero circumſtantia, Prophetam de animali aquatili loquutum eſſe veriſimile eſt: nam poſtea ſtagni mentionem facit. quod proprie ad ſitum ejus loci pertinet: quoniam Babylon non in ſtagnoſo quidem loco, ſed humido ſita eſt. Nam hinc Euphrates, illinc Tigris regionem alluit. Unde fit ut ei Dominus diluvium minetur.

24. *Juravit Jehova.*] Ad pleniorem confirmationem jurejurando opus fuit. Nihil enim difficilius nobis perſuadetur, quam impios ſtatim perituros eſſe, quum eos florentes, omnibuſque præſidiis munitos, & veluti extra diſcrimen poſitos, ſuperiores omni metu videamus. Itaque ad eorum conſpectum obſtupeſcimus, & perſtringimur eorum ſplendore, ut vix Deo credamus eorum ruinam & interitum nuncianti. Propterea jusjurandum adhibet, ne ullam dubitandi materiam relinquat. Unde intelligimus, quanta ſit ejus erga nos indulgentia, quum imbecillitatem noſtram adhibito hoc remedio ſublevet, quum alioqui ſatis eſſet eum ſimpliciter loqui. Hoc autem in conſolationem piorum facit, ut ſtatim *Eadem*
videbimus. Ecliptica vero qua utitur jurisjurandi *vide in-*
formula, ſatis nota eſſe debet: ſæpius enim occurrit *fra 22.*
in Scripturis. Ea autem Dominus religionem inferre *verſ. 14.*
voluit, ne nimium licentioſi eſſemus in juramentis, ad quæ audacter & temere prorumpimus. Nam reticentia eſt qua major juramenti pars ſupprimitur, Si non fecero quod decrevi, homines me vanum eſſe exiſtiment, nec me cenſeant Deum: aut aliquid ejuſmodi horrendum dictu ſubauditur. Frenum ergo ſibi injicere debent homines, ne temere in execrationes proſiliant, vel horrendis diris devoveant caput ſuum: ſed proterviam ſuam hinc temperare diſcant.

25. *Ut conteram Aſſur.*] Putant hoc pertinere ad *2 Reg. 19.*
exercitum Sennacherib, qui manu Dei per Angelum *verſ. 35.*
ſtratus eſt, quum Jeroſolymam obſideret. Si hæc in- *infr. 37.*
terpretatio placeat, talis erit ſenſus, Dominum brevi *verſ. 36.*
daturum aliquod ſpecimen illius exitii, quod Babyloniis minatus eſt. Objici enim poterat ab iis qui hæc vaticinia audiebant, Quid nobis proderit Babylonem deleri, poſtquam ab ea oppreſſi fuerimus? nonne ſatius eſſet nobis integris, eam quoque ſalvam eſſe? quæ ad nos conſolatio ex ejus interitu redibit, quum ipſi quoque interierimus? Et certe hoc mihi non dubium eſt, ſpecimen gratiæ Dei in hoſtibus eorum delendis proponi, quod vel jam exhibitum erat, vel paulo poſt exhibendum. Neque enim aſſerere auſim quo tempore hoc vaticinatus ſit Propheta, niſi quod probabilis conjectura eſt ſtragem prius fuiſſe ab Angelo editam in exercitu Sennacherib. Hoc modo ab illuſtri experimento ſpem faceret Propheta futuræ Redemptionis: acſi dixiſſet, Vos jam ſenſiſtis quam mirifice ſuccurrat ſuis Deus in ipſo articulo. Cur vero exercitum Sennacherib prius fuiſſe cæſum exiſtimem, in promptu ratio eſt. Oportuit certe aliquem hujus doctrinæ eſſe uſum. Atqui non ante Babylon quicquam moleſtiæ inferre cœpit Judæis, quam ſubactis Aſſyriis, illuc tranſlata eſt Monarchia. Quamdiu ergo nihil erat negotii Judæis cum Babylone, quorſum de judicio Dei concionatus eſſet Propheta, quo futurus eſſet

populi ſui ultor? Nec vero abſurdum eſt, rei geſtæ teſtimonium cum vaticinio miſceri. neque tamen male conveniet, hic Aſſyrios pro Chaldæis poni: quia etſi privati erant imperio, veriſimile tamen eſt, primos ſemper fuiſſe in procinctu, quoties oppugnandi erant Judæi: atque ita militaſſe ſub alienis auſpiciis, ut majorem partem exercitus efficerent. Nam & propiores erant quam Chaldæi, & qui tunc dominabantur ſciebant in hoc bello propter inveteratum contra Judæos odium ſibi fidos & morigeros fore. Adde quod victoribus utile fuit, continuis bellis atterere victos, donec ad jugum ferendum aſſuefacti eſſent. Unde non inepte per ſynecdochen Jeſaias, tametſi de Babylone verba faciat, totas ejus copias ſub nomine Aſſur deſignat. Ita nulla ratio coget, ut de ſtrage per Angelum in exercitu Sennacherib edita, locum hunc exponamus. Simpliciter enim, quantum ego judico, ſignificat Propheta, finem Aſſyriorum tyrannidi impoſitum iri à Domino, ut non ſemper ita prævaleant: acſi diceret, Quamvis ad tempus impiis Deus permittat in vos dominari, non ſemper hæc potentia durabit: ipſe enim aliquando vindicabit populum ſuum ab hac ſervitute qua premitur, quaſi fracto jugo. Neque enim, ut dictum eſt, tametſi ceſſerant Chaldæis Aſſyrii, ideo deſtiterant hoſtes eſſe Eccleſiæ: ſed Babylon, quæ ſucceſſerat in locum Ninives, quaſi tranſlatitio jure bellum tunc Judæis inferre cœpit. Quod autem frangendum dicit Aſſyrium in Judæa, non ita debet accipi quaſi illic cædendi forent, aut præſentes clade aliqua conterendi: ſed quod electus populus liberandus eſſet ab eorum tyrannide, ac ſic tollenda eorum dominatio. Quare Fractio non tam ad perſonas, quam ad imperium refertur. Et quod dicit de *jugo* & *onere*, non proprie competeret in Aſſyrios ſolos, qui ſaltem urbe Jeroſolyma nunquam potiti ſunt. ideoque tenenda eſt illa quam dixi ſucceſſio: quia non aliud erat jus bellandi Chaldæis, niſi quod ab Aſſyriis ad ſe tranſlatum jactabant. Quare hanc prophetiam merito extendere mihi videor ad eam liberationem, qua Dominus contra Chaldæos & Aſſyrios ſe populi ſui ultorem monſtravit: quia tunc excuſſum fuit jugum, quo miſere conſtricti Judæi tenebantur: imo ſimul complectitur Redemptionem per Chriſtum partam, cujus illa præludium fuit. Quod ſequitur de Montibus, aliqui mutationem numeri eſſe putant pro monte Sion: ſed male ſecus interpretari. Nam quum Jeroſolyma inter montes ſita eſſet, tota regio ob hanc cauſam contemnebatur. ideo contemptim loquitur Propheta, quaſi hoſtibus concedens regionem, quæ montuoſa erat, minoris eſſe pretii. Sed hic quoque contemptus ad amplificandam Dei virtutem valet: quia tam potentis Monarchiæ imperium excutiat ſuis montibus.
1 Reg. 20. Hic pertinet quod habetur prioris Regum 20.
v. 23. 28.

26. *Hoc conſilium.*] Una aut altera confirmatione Dominus contentus non eſt, vixque ſibi ſatisfacere poteſt in re magis ac magis teſtificanda, quod ingenium noſtrum ſuapte natura ad diffidentiam propenſum probe norit. Nulla enim confirmatio nobis ſufficit, etiamſi large & prolixe, atque etiam ſancte promittat. Dominus ergo mederi vult huic malo: eoque pertinet repetitio, ne ſupervacaneam eſſe exiſtimemus. Nec enim ſe bene norunt, qui Prophetam aut potius Spiritum Dei verboſum eſſe putant. Itaque primum Dei voluntatem & conſilium, deinde virtutem proponit. Unde enim fit ut hæſitemus in Verbo, niſi quod Deo eam quam decet potentiam non tribuimus, aut de ejus virtute minime perſuaſi ſumus? Hæ omnino duæ ſunt cauſæ incredulitatis, quibus ex adverſo hæc duo, quæ nobis commendat Jeſaias, opponi debent: nempe conſilium & virtus Dei. Hoc enim primum ſtatuendum eſt, veracem eſſe Dominum: quia nihil pronunciat quod non fixum ſit ac immutabile: deinde potentem, nec quicquam ejus manui obſtare poſſe. Cæterum, non eſt nobis de arcano Dei conſilio inquirendum: nos enim in decreto, quod Dei verbo patefactum eſt, acquieſcere jubet hic Propheta. Altius ergo conſurgendum non eſt, ut in adyta Dei penetremus: ſed contenti eſſe debemus certis teſtimoniis, quæ Prophetarum ore declarat. Itaque amplectamur toto animo omnes Dei promiſſiones, iiſque etiam potentiam ipſius adjungamus: quia nunquam manus ipſius ab ore ſeparari debet. Potentia vero non philoſophorum more otioſa, ſed ut Scripturæ docent, efficax & actuoſa conſideranda eſt. Verum hic quæri poteſt, cur omnis terræ omniumque gentium mentionem fecerit, quum de Babylone tantum loquatur. Sed tenendum eſt memoria quod prius diximus, Babylonis imperium abſorpta Ninive per totum fere Orientem patuiſſe, variaſque nationes ei fuiſſe ſubditas. Quo fit ut ipſius clades reliqui etiam orbis excidium eſſet. nec enim tantæ Monarchiæ concidere poſſunt, quin magnam ſecum ruinam trahant. Itaque quum illius imperii magnitudo hanc prophetiam in dubium revocare poſſet, docet Jeſaias, tametſi longe & late pateat, infinitamque gentium multitudinem comprehendat, id obſtare Deo non poſſe quominus decretum ſuum exequatur.

27. *Quoniam Jehova.*] Hic veluti epiphonemate utitur Jeſaias, ut proximam ſententiam magis confirmet. Quum enim Domini conſilium eſſe dixiſſet,
ut inviolabile eſſe nec irritum fieri poſſe oſtendat, Pſal. 33.
quaſi de re impoſſibili interrogat, Quiſnam vel diſ- verſ. 11.
ſolvet ejus conſilium, vel manum avertet? hac ſcilicet exclamatione inſultans creaturis omnibus. Nam ſimulatque decrevit Dominus, manum exerit. exerta vero manu, certam operis exequutionem conſequi neceſſe eſt. Nec vero tantum homines hac exclamatione ab impediendo decreto Dei, ſed etiam reliqua omnia excludit: ſiquid tamen præter hominem & Satanam voluntati ipſius adverſatur. Denique ſigni-
ficat nullam pœnitentiam aut mutationem in Deum Num. 23.
cadere, ſed quicquid accidat, etiam in ſumma re- verſ. 19.
rum varietate perpetuo ſibi conſtare: nec poſſe conſilium ipſius ulla occaſione abrumpi. Siquis objiciat, Deum aliquando conſilium mutaſſe: veluti quum Ninivitis, Abimelecho, aut Pharaoni pepercit: re-
ſponſio facilis eſt. Nam quum Dominus Jonam ad Jon. 1.
Ninivitas miſit, non patefecit quid in arcano conſi- verſ. 2.
lio ſuo decretum eſſet: ſed volebat eorum animos & 3: 10.
prædicatione Jonæ percellere, & revocare ad pœni-
tentiam, ut eorum miſereretur. Idem quum Abime- Geneſ. 12.
lecho & Pharaoni minatus eſt, quod uxorem Abra- verſ. 17.
hæ ſibi adjungere vellent. Sic enim Dominus ipſos & 20.
terrendo revocare volebat, ne pœnas luerent ſuæ verſ. 3,6.
obſtinationis.

28. *Anno quo mortuus eſt.*] Hic debuit eſſe initium capitis decimi quinti: quoniam Propheta novum argumentum ingreditur. unde plane liquet quam præpoſtera ſit capitum diſtinctio, vel potius laceratio. Loquutus enim de Babyloniis, ad Paleſtinos tranſit: vel forte antequam de prioribus verbum feciſſet, aggreſſus eſt Paleſtinos: qui quum vicini eſſent Judæis, immortale cum ipſis odium exercebant. Erant autem reſidui ex illis gentibus quibus pepercerant Iſraëlitæ, quum tamen Dominus eas è medio tolli juſſiſſet. Cujus rei infidelitas populi in cauſa fuit, ut hæ veluti ſpinæ à Domino
reliquæ fierent, à quibus ipſorum oculi pungerentur:
quemadmodum Scriptura docet id jam antea Domi- Num. 33.
num ipſis minatum eſſe. Itaque quum odiis capitali- v. 52.55.
bus inter ſe hi populi certarent: quoties Judæi cla- Deut. 7.
dem aliquam ſuſtinebant, tantundem ſibi Paleſtini verſ. 16.
accedere lucri arbitrabantur. perditos enim voluiſſent Judæos, nec quicquam jucundius illis accidere poterat, quam adverſa & infauſta his omnia evenire. Ideo adverſus ipſos, tanquam adverſus perpetuos

Eccleſiæ hoſtes Propheta vaticinatur. Eſt autem notandum tempus quo hæc viſio Prophetæ oblata eſt. Quamdiu enim vixit Achaz, ſuperiores fuerant Paleſtini. Dedit enim pœnas ſuæ perfidiæ impius ille hypocrita, qui Deo relicto, ad externa hominum ſubſidia ſeſe proripuerat. Itaque ejus tempore receperunt Paleſtini ea oppida, quæ Uſias ex eorum manu recuperaverat. ipſo vero mortuo, majores etiam animos collegerunt: quia ſperabant ſe omnium votorum tunc compotes fore, quod hæredem adhuc fere puerum reliquiſſet: nam Ezechiæ novo regi neque prudentia, neque auctoritas, neque conſilium erat. Hæ ergo circumſtantiæ diligenter notandæ ſunt. Nec enim Jeſaias tam Paleſtinorum rationem habet, quamvis ipſos alloquatur, quam piorum, quos vult hac Prophetia conſolari & bona ſpe fulcire, qui de ſtatu Judææ actum eſſe alioqui putaſſent: quod undiquaque inſtarent hoſtes, nec ullum uſpiam auxilium appareret. Iis ergo afflictis & deſtitutis ope, Jeſaias manum porrigit, eoſque bono animo eſſe jubet, quod Deus ipſis haud dubie ſit adfuturus. *Onus* vocat hanc Prophetiam, quod gravis & acerba futura eſſet Paleſtinis, qui ſe omnia incommoda effugiſſe putabant, quod Judæi miſere premerentur, nec ſpem melioris ſtatus haberent. Iis igitur ſuam quoque cladem inſtare denunciat.

29. *Ne læteris.*] Initio retundit inanem fiduciam, qua temere inflati erant Paleſtini: & addens *tota tu*, ſignificat omnes hujus cladis partem ſenſuros eſſe. acſi diceret, eam regionem non aliqua tantum in parte vaſtatum iri, ſed nullum ejus angulum fore à clade immunem: & quam longe & late patet, univerſam propediem interitum ſuum ſenſuram eſſe. Quod ſubjicit de *confracta virga*, aliqui referunt ad regem Achaz, ſed falſo. quoties enim conflixit cum Paleſtinis, victus eſt. Ergo ad Uſiam referri debet. Sed neque ad ipſum reſtringi velim, quin ſimul ad univerſum Judaici populi corpus referatur. Perinde igitur eſt, acſi diceret Paleſtinæ, Putasne te ſecuram eſſe Judæis fractis, qui te prius affligebant? falleris vehementer. gravius enim affligi te brevi continget. Itaque ad perſonam aliquam, ut jam dixi, non reſtringo: ſed puto in unius perſona univerſum Judæorum corpus deſignari. Et ſimul rationem ſubjungit cur Paleſtina lætari non debeat: quod ſcilicet Judæi plus virium quam antea habituri ſint ad nocendum. ſi damnum aliquod antea ab iis ſenſerant Paleſtini, majus etiam & gravius poſthac ſenſuros. Similitudo quam adhibet, admodum apta eſt. Regulus enim colubro nocentior eſt, preſter regulo. His animalibus tam noxiis, Dei beneficio in his regionibus caremus. Sed Propheta nihil aliud ſignificat, quam Paleſtinos opinione falli, quod Judæis ademptam vim nocendi putent. Proinde ab aliis diſſentio, qui Reguli & Preſteris nomen ad Ezechiam duntaxat referunt. Quamvis enim multum habeant
2 Reg. 18. verſ. 8. coloris, quod Ezechias quicquid Paleſtini habebant uſque ad Gazam occuparit: tamen Propheta hanc promiſſionem longius extendere voluit. Sciamus ergo, ut ab Ezechia initium fiat, gratiam de qua nunc agitur, ipſam ad Judæos, velut ad unum corpus, pertinere. Hinc autem generalis ſententia colligenda eſt: quum adverſis rebus premimur, exultant impii acſi nos perditi, ipſi vero ſoli felices eſſent: Dominus autem gaudium ipſorum inane eſſe pronunciat. Reſurget enim ſemper Eccleſia; atque in priſtinum & florentem ſtatum reſtituetur, tametſi omnes eam periiſſe judicent. Renaſcentur filii Dei, qui impiorum oculos configant: non quod id optent ipſi, aut propoſitum habeant, ſed quod decreto Dei ita accidere neceſſe ſit. Nec vero ignominioſa ſunt ipſis hæc nomina Reguli & Preſteris. Nec enim tales ſunt pii natura, ſed quod impiis exitioſi ſint, quantumvis per ſe innoxii. nam vitio & malitia impiorum fit, ut ſibi noxium ſit, quod utile & ſalutare eſſe debuerat. Cujuſmodi etiam & Dei ipſius & Evangelii natura eſt. Pſal. 18. verſ. 27. 2 Cor. 2. verſ. 16.

30. *Et paſcentur primogeniti*] Non tam Paleſtinos reſpicit Propheta, ut jam dictum eſt, quibus minando nihil profeciſſet, quam Judæos, quos rebus afflictis volebat conſolari. ſic enim premebantur, ut non procul abeſſent à deſperatione. Ideo *primogenitos pauperum* vocat, quaſi ſuis miſeriis inſignes: quod redacti ad extrema, primum inter miſeros locum obtinerent. Promittit autem futurum, ut Dominus ipſos à talibus miſeriis ereptos, iterum paſcat & enutriat. Ex quo perſpicimus Paleſtinos in ſalutem populi Dei conciſos ac deletos eſſe. Quemadmodum etiam Abrahæ & poſteritati ejus promiſerat Dominus, Benedicam iis qui benedicent tibi: & maledicam iis qui maledicent. Nam qui filiis Dei infenſi ſunt, Deum quoque ſibi infeſtum ſentire neceſſe eſt. Deinde Propheta comparat populum ſuum ovibus, quibus nos ſimiles eſſe oportet, ſi Deum cuſtodem habere velimus. Hac ſimilitudine nihil fere in Scripturis frequentius. Quum ergo Dominus nos caſtigat, velut oves diſſipatæ, lupiſque & prædonibus expoſitæ ſumus: quum vero in hoſtes noſtros animadvertit, vult nos iterum colligere, ut in tuto & ſecuro loco habitemus. Hoc enim ſignificat Jeſaias, ubi dicit, *cum fiducia*. Itaque duo hic promittit Dominus. Primum paſcua, id eſt, omnia quæ ad victum & cultum neceſſaria ſunt: deinde tutelam & conſervationem, ut ſarti & tecti ſimus ab omni injuria. quæ duo paſtoris officio conveniunt: iiſque omnia ad ſalutem neceſſaria continentur. Paulo poſt rurſus ſe convertit ad Paleſtinos, quos arbori comparat tam alte radices agenti, ut nullo modo eradicari poſſe videatur. Verum ſi areſcat radix, arborem ſimul, tametſi alte fundata ſit, deficere neceſſe eſt. Unde colligendum eſt, impiorum ſtatum nunquam adeo firmum eſſe, quin eum facile evertat Dominus. nec enim tantum ramos præſcindet, ſed etiam radicem latentem ſub terra areſaciet, atque perdet. Quod ſequitur, *Reliquias tuas occidet*, hoc ad Ezechiam vulgo referunt: ſed malo, ut jam monui, ad univerſum corpus extendere: de quo velut de uno homine loquitur: ejus autem caput Rex erat, & Chriſtum ipſum repræſentabat. Poſſemus etiam referre ad Aſſyrium, & quoſvis alios, quorum opera in delendis Paleſtinis Dominus uſus eſt. Judæis enim tritum eſt indefinite loqui ubi de miniſtris agitur, per quos exercet Deus ſua judicia.

31. *Ulula porta.*] Hic Propheta amplificationibus utitur, quibus vaticinia ſua in animis piorum obſignet, & vehementius inculcet ea, de quibus alioqui dubitare potuiſſent. *Portas* celebriora loca ſignificare, in quibus fiebant conventus, alibi dictum eſt. Luctum itaque ſingulis urbibus denunciat, & quidem non vulgarem, utpote qui per celeberrimos quoſque conventus vagetur. Quod addit de *fumo* pro Igne accipere poſſumus, ut ita res ab ipſo ſigno notetur: nam prius apparet fumus, quam ignis ſplendeat. Per Aquilonem vero tam Aſſyrios quam Judæos intelligere licet, quando utrique Paleſtinæ reſpectu ad Aquilonem ſiti erant. Malo tamen de Judæis ipſis interpretari, tametſi expoſitionem contrariam refutare nollem. Putabant enim Paleſtini, ut jam diximus, ſibi lucro eſſe incommoda Judæorum, veluti quum iis Aſſyrii cladem aliquam intulerant. verum experti ſunt tandem eorum cladem ſibi quoque communem eſſe. Quemadmodum haud ita pridem multis nationibus accidit, quibus hoſtes ſuos à Turca opprimi jucundiſſimum erat. nam ejuſmodi victorias ſibi pernicioſas & luctuoſas eſſe ſenſerunt. Illis enim victis, quos perditos optabant, via ſimul ad ipſas patefacta eſt, ac tandem oppreſſæ ſunt. Quod addit in fine, Tunc neminem fore ſolitarium, ad hoſtes pertinet, quos Die

præfixo,

præfixo, id eſt, quando Deus Paleſtinam perdere ſtatuerit, tali potentia & auctoritate inſtructos fore dicit, ut domi otioſus nemo deſideat: ſed omnes ad procinctum parati ſint: acſi quis imperium alicujus Principis commendans, omnes ejus ſubditos ſtatim, vel digito ſublato, convenire, ac præſto eſſe diceret.

32. *Quid autem reſpondebitur.*] Ego ſimpliciter de quibuſvis gentibus, quam de una interpretari malo. Nam advenæ ſimulac urbem aliquam ſunt ingreſſi, ſciſcitari ſolent quid geratur, ut aliquid novi intelligant. Perinde ergo eſt acſi dixiſſet, Quid reſpondebitur advenis quum interrogabunt? & quis victis Paleſtinis ſpargetur rumor? nempe, quod *Dominus fundavit Sion.* Quo ſignificat exitium Paleſtinæ inſigne documentum fore miſericordiæ Dei erga populum ſuum: ut omnes intelligant, Dominum Judææ quam ſibi delegerat cuſtodem ac tutorem eſſe. Fundatio enim nihil aliud eſt, quam gra-
Geneſ. 17. verſ. 7. tuita adoptio Dei, qua promiſit Abrahæ & poſteritati ejus ſe in Deum ipſis fore: deinde quum Templum ædificari in Sion voluit, ut illic memoria nominis ipſius coleretur. nec enim iſta fundatio cæmento aut lapidibus conſtat: ſed promiſſionibus gratuitis vitæ æternæ: quæ gratia piis ſemper omnibus nota fuit. Itaque Propheta docet hoc Paleſtinæ excidium inſigne documentum fore, quo remotiſſimæ quæque gentes intelligent, Deum conſervare ac tueri populum ſuum quem elegit.

Et in illa fiduciam.] Non intelligit fidelium ſpem in Sion locatum iri, veluti in Deo ſperandum eſſe dicimus: ſed incolas Sion tuto in loco & ſecuro habitaturos, quemadmodum ſæpe alias Prophetæ ſalu- Joël. 2. verſ. 32.
tem in Sion eſſe docent. Non vult ergo fiduciam piorum locatam eſſe in Eccleſia, ſed in ea conſervari pios oſtendit, quod Dominus eam tueatur. Interea vult Dominus probare fidem noſtram: ne nos per omnia beatos eſſe exiſtimemus. Ideo vocat *Pauperes*, ne nos putemus eximi communibus ærumnis, utcunque ſub tutela Dei ſimus. An vero major ulla conſolatio afferri poteſt, quàm quum audimus Eccleſiæ Dei incolas, tametſi miſeriis infinitis ſint obnoxii, extra omne periculum eſſe? Eam ergo adhibeamus noſtris ærumnis, nec præ impatientia deficiamus, quum intelligimus Deo curam eſſe noſtri, noſque in tuto eſſe certo ſcimus.

CAP. XV.

ONus Moab: Quoniam in nocte vaſtata eſt Ar-Moab, in ſilentium redacta eſt: certe in nocte vaſtata eſt Kir-Moab, in ſilentium redacta.

2. Aſcendet in domum, & Dibon ad excelſa, ad fletum ſuper Nebo, & ſuper Medba Moab ululabit. Super omne caput ejus calvitium, & omnis barba detonſa.

3. In compitis ejus accincti erunt ſacco: ſuper tecta ejus & in vicis ejus omnis ululabit, deſcendet ad fletum.

4. Vociferabitur Heſbon & Eleale: uſque ad Jahaz audietur vox eorum: propterea expediti Moab ululabunt: anima cujuſque ululabit ſibi.

5. Cor meum propter Moab vociferabitur: fugitivi ejus ad Zoar, vitulam triennem per aſcenſum Luhith cum fletu aſcendent: per viam Horonaim clamorem contritionis excitabunt,

6. Aquæ Nimrim exinanitæ ſunt: aruit gramen, defecit herba, olus non ſuperfuit.

* vel, Arabes. 7. Itaque quod reſiduum quiſque fecit, & opes ſuas deferent ad * torrentem ſalicum.

8 Circuivit clamor terminos Moab, uſque in Eglaim ululatus ejus, & uſque in Beer-Elim ululatus ejus.

9. Quia aquæ Dimon implebuntur ſanguine: quoniam ponam ſuper Dimon additiones iis qui evaſerint de Moab leones, & reliquiis terræ.

ONus Moab.] Hic Propheta vaticinatur adverſus Moabitas, qui vicini Judæis & ſanguine conjuncti erant. ſcimus enim
Geneſ. 19. verſ. 37. Moabitas ex Lot Abrahæ nepote originem duxiſſe. In tanta ergo neceſſitudine ſaltem poſtulabat humanitas, ut amicitiam aliquam inter ſe hi populi colerent. Verum nulla conjunctio Moabitas commovit, quominus hoſtiliter Judæos inſectarentur, atque etiam pro opportunitate vexarent. Quod ſignum eſt inhumani & truculenti ingenii. Iis igitur, quum adeo ſævi eſſent in populum Dei, quem fraterno amore proſequi debuiſſent, ſuum quoque exitium denunciat Jeſaias. Meminiſſe autem debemus in quem finem vaticinia hæc tendant. nec enim credibile eſt ea Moabitis profuiſſe, etiamſi ex ore Prophetæ ipſius audiſſent quod legimus. Atqui neque ipſos alloquutus eſt, nec ſcriptum ad eos teſtimonium miſit. Fideles ergo potius quam ipſos reſpexit Propheta, idque duas ob cauſas: primum ne quum tam varias mutationes viderent, everti civitates, regna interire, alios ſuccedere aliis, exiſtimarent hunc mundum cæco Fortunæ impetu gubernari, ſed providentiam Dei agnoſcerent. Etenim ſi nihil prædictum fuiſſet, ut vanitate impliciti ſunt hominum ſenſus, & præpoſtere in Dei operibus cæcutiunt, proclive fuiſſet hæc omnia Fortunæ adſcribere. Sed præmoniti à Prophetis, judicia Dei quaſi ex alta ſpecula intuiti ſunt. Sicuti hodie nobis quaſi digito oſtenderit Jeſaias quæ tunc occulta erant. in ejus vaticiniis Deum velut pro tribunali ſedentem arbitrioque ſuo omnia conſtituentem intuemur: & quamvis pro ſua libidine in hos vel alios graſſati ſint impii, Dominum tamen eorum opera ad exequenda judicia ſua uſum eſſe. Secundus finis à Prophetis ſpectatus eſt, ut inter concuſſiones totius orbis ſcirent Judæi curam ſuæ ſalutis eſſe Deo: & quum vindictam ſumeret de Eccleſiæ hoſtibus, à quibus inhumaniter tractata fuerat, teſtari quam ſibi chara eſſet.

Ar-Moab.] ער Hebræis Civitatem ſignificat: quemadmodum קיר, Murum. ſed quoniam מואב-ער una fuit è præcipuis civitatibus Moabitarum, hic proprium nomen eſſe putant. Poſſumus tamen utrumque nomen appellative exponere, ut everſionem urbium munitarum denunciet, quibus Moabitæ ſuperbiebant. ſed magis amplector communem interpretationem. Itaque talem hic deſcriptionem propoſuit Jeſaias, ut in ea Moabitarum everſionem contemplari liceat, dum primariæ ipſorum urbes diruuntur. Per *noctem*, inopinatum & repentinum caſum ſignificat: à quo ſibi Moabitæ non timebant. Nam quum nox quieti deſtinata ſit, ſi quid tunc acci-

dat, eo omnes vehementer, ut re ſubita & inexpectata turbantur. Deinde Moabitarum ſecuritatem perſtringere voluit: quod ſibi viderentur undiquaque muniti præſidiis, & extra omne periculum conſtituti. *Redigi ad ſilentium*, Extingui eſt: unde etiam Silentium pro morte accipitur. Quanquam alii metaphora neglecta vertere maluerunt Succiſa eſt: quod ego in medio relinquo. Quod autem Jeſaias de Moabitis pronunciat, idem Scriptura de reprobis teſtatur, nempe illis inſtare exitium, quo tametſi nihil tale expectent, miſere opprimentur.

Redigi ad ſilentium. *1 Theſſ. 5. verſ. 2, 3.*

2. *Aſcendet in domum.*] Quod ad voces attinet, alii Hebraicum nomen בית relinquunt. ſed quum ſignificet Domum & templum, probabile eſt vulgari in uſu fuiſſe pro templo, ut etiam ſæpe alias Domus Dei pro templo accipitur. Porro ſupplices idolis ſuis Moabitas inducens, ſimul eorum damnat ſuperſtitionem, qui Chamoz idolum ſuum colebant, quemadmodum ex libro Regum & Jeremia colligere facile eſt. Confugient, inquit Jeſaias, Moabitæ ad Deum ſuum in rebus tam deſperatis, ſed fruſtra. nullam enim opem in ipſo reperient. Et quum mox ſubjiciat Excelſa, hinc clarius apparet de templo loqui. Nec dubium, arcem fuiſſe Moabitis præ cæteris inſignem, & famoſam, ubi in honorem idoli ſui excelſa ædificaverant. Quum enim verus ipſis Deus, ad quem in adverſis confugerent, ignotus eſſet, ſolito ſuo more ad idolum confugere mirum non fuit. In quo augebant miſeriam ſuam, cumulumque malorum omnium ſibi acceſſebant. Eo enim magis provocabant iram Dei, quo ſe eam placare arbitrabantur. Voluit ergo apertius impiorum conditionem exprimere, quibus in adverſis nihil eſt ſubſidii. quæ enim idonea ſuis morbis remedia futura putant, iis nihil peſtilentius eſſe poteſt, quum Domini furorem in ſe magis ac magis inflamment. Nebo etiam fuit una ex urbibus Moabitarum. Duas jam recenſuit Propheta: nunc addit tertiam: ſubjungit & quartam poſtremo: acſi diceret, cladem illam non ſolum extrema illius regionis correpturam, ſed pervaſuram uſque ad intima, ut nullus omnino angulus expers eſſe poſſit.

Exod. 23. verſ. 19. Deut. 23. verſ. 18. Joſue 9. verſ. 23. 1 Reg. 11. verſ. 7. Jere. 48. v. 7, 13.

Super omne caput.] Unicuique nationi ſuæ ſunt ceremoniæ ad luctum aut gaudium deſignandum. Itali & Occidentales populi, capillum & barbam in luctu alebant. unde & Barbam promittere dictum eſt. Contra, Orientales radebant caput & barbam, quæ illis pro ornamento erant. denique quum mutabant uſitatum morem, id inſigne luctus erat. Nihil ergo aliud ſignificat, quam totius regni ſtatum adeo luctuoſum fore, ut poſitis indiciis lætitiæ, omnes mœroris & triſtitiæ ſigna induant.

3. *In compitis ejus.*] Perſequitur eandem ſententiam, luctus ſigna plenius deſcribens. Eis autem abundant præ cæteris Orientales: ut enim acutiores ſunt & vehementiores, ita magis affectus ſuos externis ſignis demonſtrant aliis, qui ut ingenio, ita ſunt motu & geſtu tardiores. Quanquam hoc fuit in eis vitioſum, quod tot ceremoniis & geſticulationibus abundarint: ſed de iis Propheta ut de re nota & vulgari loquutus eſt, tantum ut exprimeret triſtitiam quæ ejus regionis vaſtationem ſequetur. nec enim fruſtra hanc hypotypoſin ſubjecit: quia nunquam percellimur vaticiniis, niſi Dominus velut in rem præſentem nos adducat. Ne ergo hæc leviter prætereunda exiſtimarent Judæi, cladem iſtam deſcribens, ſimul mœrorem, lachrymas, ululatum exprimere voluit: ut ea propemodum oculis ipſis intuerentur, quæ tamen incredibilia erant. tunc enim tranquillus erat Moabitarum ſtatus. Quo magis oportuit fideles confirmari, ne hanc prophetiam in dubium revocarent. Eadem etiam opera notatur deſperatio, cui in rebus adverſis ſuccumbunt increduli, quia mala eſt fultura in quam recumbant.

4. & 5. *Vociferabitur Heſbon.*] Hic alias urbes nominat. Nam conſilium ejus eſt velut in faſciculum omnes ejus regionis urbes colligare, ut in commune exitium pertrahantur: acſi diceret, nullas omnino fore immunes. Quod paulo poſt addit, Propterea expediti Moab, quamvis עלכן cauſalis ſit particula, quidam tamen hic cauſam reddi non putant. ſed hoc parum habet momenti. Oſtendit Propheta, neminem fore qui non ululet: quia ſtrenuis ac cordatis luctum indicit. Deinde unumquemque proprio dolore ſic occupatum iri pronunciat, ut non cogitet de propinquis. Suſcipit tandem ipſe quoque dolentis perſonam. Sed mirum videtur & alienum ab ipſo, quod Moabitarum calamitatem deploret. nam Eccleſiæ clades ipſum potius mœrore afficere debuit: gaudio vero hoſtium interitus. Eſt autem hujuſmodi mos Prophetis, ut perſonam eorum induant quibus calamitates prædicunt: atque ita eorum conditionem tanquam in theatro repræſentent. ſic enim magis afficiunt, quam ſi ſimplici tantum doctrina uterentur. Tametſi dubium non ſit Prophetas exhorruiſſe judicia Dei, etiam adverſus impios: tamen quod dixi, ſimplicius & convenientius eſt: atque ex frequenti uſu facile colligitur. *Fugitivos* vocat, qui inde effugient. ſignificat enim eos qui ex Moab effugient, perventuros uſque in Zoar. Eam autem comparat Vitulæ trienni, quæ integri eſt vigoris, neque partus, labores, aut jugum ſenſit: ſed libere exultat & laſcivit. nam quum impetus hoſtilis urget, confugitur ad urbes intactas, & quæ procul à periculo videntur remotæ. Talis erat Zoar, quæ nullum hoſtium incurſionem ſenſerat. Quanquam ſi quis de tota regione accipere malit, non repugno. Nam generaliter loqui videtur Jeremias, qui tamen complures ſententias ex Propheta noſtro mutuatur. Niſi forte etiam illic tam Zoar quam Horonaim ita appellet, vel potius totam regionem intermediam. Si ad totam gentem extendas, ſenſus erit, Moabitæ in ſummis deliciis & rerum omnium copia verſati, nihil hactenus incommodi ſenſerunt. hinc nata eſt protervia. Ideo ut ſubigantur, profligari ipſos, & in Zoar uſque expelli neceſſe erit. Zoar autem oppidum à Moabitis remotiſſimum erat. Itaque ſaluti ſuæ ipſos conſulere non poſſe ſignificat, niſi procul aufugiant. Hic docentur omnes quos delicate tractat Dominus, ne ſe efferant, ne provocent Deum ſua laſcivia: ſed modeſti ſint rebus vel ſumme proſperis: parati etiam ad omnem viciſſitudinem, quum Dominus eorum ſtatum mutare volet. *Per aſcenſum Luhith.*] Deſcribit alias Moabiticæ regionis partes, ejuſque populi fugam depingit & luctum, qui in univerſa terra futurus erat. Ubi vertimus Clamorem excitabunt, alii reddunt Conterent ſe clamore, vel frangent, voluntque eſſe metatheſin literarum: & ע eſſe duplicatum. Ita radix verbi eſſet רעה. Sed quia ad ſummam rei parum intererat, reliqui quod magis erat receptum, ut verbum deſcendat ab עור. Si quis malit verbum Frangendi, ſenſus erit, In planctu & clamore concuſſionem fore membrorum, & quaſi fragorem, dum brachium brachio alliditur.

Jere. 48. verſ. 34.

6. *Aquæ Nimrim.*] Amplificat hyperbolica loquutione hanc vaſtitatem. Gramen areſcere ait: quod accidit ubi Dominus terram aliquam adminiculis omnibus deſtituit. Aquas ſublatum iri: nam veriſimile eſt ei regioni aridæ & ſiccæ fuiſſe admodum neceſſarias. Nihil enim ſine irrigatione tales producunt. Tametſi vero hyperbolicus ſit ſermo, nihil tamen niſi veriſſimum continet. Nec enim modum excedit, ſed iſta craſſius pro ruditate populi exprimi oportuit, ut ſciant terram Dei benedictione privatam, fore ſimilem deſerto abſque ulla ſpecie.

7. *Propterea reſiduum quod fecit.*] Idem eſt quod vulgo dicimus, *Ce qu'il aura eſpargné.* Opes enim repoſitas intelligit: atque exprimit quod accidere ſolet regionibus quæ hoſtiliter invaduntur. Omnes enim opes ſuas alio transvehere ſolent, ut in tuto ali

quo

quo loco depoſitas poſtea rebus pacatis recipiant. Nullum vero iis receptaculum, nullam arcem fore ſignificat ubi tuto eas deponant: ita ut cogantur eas inter ſalices abſcondere. quæ certe miſeria extrema eſt, quum graſſantibus hoſtibus nullum receptaculum deponendis iis quæ magno labore comparavimus invenitur. Has autem ſalices in abdito quodam & ſemoto ab aliis loco fuiſſe veriſimile eſt. Alii de hoſtibus exponunt, quod opes quas diripuerint afferent ad torrentem, ut communem prædam inter ſe partiantur.

8. *Clamor circuivit.*] כי, ornatus cauſa additum eſt. Significat omnes circumcirca fines ejus regionis plenos fore clamore & ululatu: quoniam ea clades ab uno termino ad alium pervadet. Clamori adjungitur bis ululatus, ad intemperantiam doloris notandam, ſicuti homines deſperati totos ſe in mœrorem projiciunt.

9. *Quoniam aquæ Dimon.*] Hic non tantum mœrorem & ululatum, fugam aut trepidationem, aut cupiditatem hoſtium in diripiendis opibus, ſed hominum ſtragem deſcribit: quam magnam fuiſſe neceſſe eſt, ubi magni & celebres fluvii, qualis Dimon fuit, cruore implentur. Per *additiones* intelligit Dominum, in cujus perſona loquitur, aucturum cædes, ut cumulentur cadavera interempta, nec ullus ſævitiæ & occiſioni ſit modus. Tametſi vero crudeles in hac cæde fuerunt Aſſyrii, Dominus tamen crudelis non fuit. merito enim Moabitarum truculentiam puniebat, quam indigniſſime erga Judæos exercuerant, quorum miſereri debuiſſent. Idem ergo judicium quod in alios tulerant, ipſos ſuſtinere oportuit.

Qui evaſerint.] Hæc etiam additamenta illa ſunt de quibus loquutus eſt: vel ſaltem pars illorum. Eſt enim hic velut cumulus illius cladis: ut ſi qui manus hoſtium evadere atque è ſtrage ſeſe eripere conabantur, his occurrerent leones & feræ beſtiæ, à quibus vorarentur. Eripient quidem ſe è ſtrage, inquit, ſed non propterea ſalvi erunt, neque manum Dei evadent. Atque hic verus eſt Prophetæ ſenſus, ſi quis propius totum ejus contextum expendat. majorem enim expreſſionem miſeræ cladis illius addere voluit: etiam tenues reliquias è ſtrage ereptas, in leones incurſuras eſſe. Sic enim impios inſectatur Domini manus, ut eam nullo modo effugere poſſint. Nam ſi periculum unum evaſerint, in aliud ſtatim incurrent. Hæc autem meminerimus in conſolationem piorum dici à Propheta, ut aliqua promiſſione eorum animos adverſus crudelitatem hoſtium ſuſtentaret. Tandem enim perdentur: nec uſpiam vel in diis ſuis, vel arcibus, vel latibulis, vel fuga perfugium habituri ſunt.

CAP. XVI.

MIttite agnum Dominatori terræ de Petra deſerti ad montem filiæ Sion.
2. Erit autem ſicut avis emiſſa, recedens è nido: ita erunt filiæ Moab ad
tranſitus Arnon.
3. Cogite conſilium, facite judicium: pone ſicut noctem umbram tuam in
medio meridiei: abſconde expulſos, profugum ne prodas.
4. Peregrinentur apud te ejecti mei. Moab, ſis illis latibulum à facie vaſtatoris: quo-
niam ceſſavit emunctor, finitus eſt vaſtator, conſumptus eſt conculcator è terra.
5. Et præparabitur in miſericordia ſolium, ſedebitque ſuper ipſum in firmitate, in
tabernaculo David qui judicet, & quærat judicium, & acceleret juſtitiam.
6. Audivimus ſuperbiam Moab (ſuperbus eſt valde) ſuperbiam ejus, & arrogantiam
* vel, *indignationem.* ejus, & * inſolentiam ejus. Sed non rata erunt mendacia ejus.
7. Propterea ululabit Moab ad Moab, totus ululabit, propter fundamenta Kir-Hare-
ſeth: gemetis tantum percuſſi.
8. Quoniam vites Heſbon exciſæ ſunt, vitis Sibma. Domini gentium conculcarunt
† vel, *palmites.* eximias ejus † propagines quæ uſque ad Jazer pervenerant: erraverant uſque ad deſer-
tum: nobiles ejus plantæ proſtratæ ſunt, quæ tranſibant mare.
9. Propterea flebo in fletu Jazer vitis Sibma: inebriabo te lachrymis meis Heſbon &
* vel, *cadet.* Eleale: quoniam ſuper collectionem tuam, & ſuper meſſem tuam * irruet canticum.
10. Sublatum eſt gaudium & exultatio ab agro fertili: in vineis non exultabitur, nec
jubilabitur. Vinum in torcularibus non calcabit calcator, canticum quieſcere feci.
11. Propterea viſcera mea ſuper Moab quaſi cithara ſonabunt, & interiora mea ſuper
Kir-Hareſeth.
12. Et erit, quum apparuerit fatigatum eſſe Moab ſuper excelſa, tunc veniet ad ſanctua-
rium ſuum precandi cauſa: nec proficiet.
13. Hoc eſt verbum quod protulit Jehova ſuper Moab ab hoc tempore.
14. Nunc, inquam, loquutus eſt Jehova, dicens, Tres anni, quaſi anni mercenarii: &
tunc in ignominiam vertetur gloria Moab, in tota multitudine ejus, quamvis multa: &
reliquiæ ejus paucæ, exiguæ, & invalidæ.

MIttite agnum.] Hic Propheta inſultat Moabitis, quod Deum in tempore non agnoverint, ſed manum ejus ſecure expectaverint, donec funditus perderentur. Eſt igitur hic damnatio feræ pœnitentiæ: quum homines nullis monitionibus reduci poſſunt obſtinatoque animo adverſus Deum pergunt. ubi enim inſanabilis morbus eſt, hujuſmodi exhortatio locum habet. Atque hoc diligenter obſervandum eſt: quoniam Hebræi & Chriſtiani perperam hunc locum interpretantur. Hieronymus eum exponit de Chriſto, quod originem traxerit à Moabitis, unde Ruth erat oriunda: eamque fere ſequuntur omnes Chriſtiani, *Ruth. 1. verſ. 4. Matth. 1. verſ. 5.* acſi diceret Propheta, Domine, tametſi adeo ſeverum judicium Moabitas manet, tu tamen eos haud penitus perdes: ut ſcilicet nobis agnum mittant, Dominatorem terræ. Verum illa interpretatio, quia nihil habet coloris, refutatione non eget. Hebræi vero hoc dictum putant, quod Moabitæ tributum quod eis pendebant, afflictis Judæorum rebus pendere deſierint. Poſtquam autem Jeſaias de reſtituendo Judaico regno vaticinatus eſt, ſimul exhortatio-

Digitized by Google

tationem addi putabant qua eos de agnoſcendo ſuo Rege admoneat. Imo volunt hoc eſſe inſtar edicti Regii, quo eorum defectionem corrigat, Mittite tributum quod debetis. Sed nuſquam legimus Moabitas Judæis ſubditos aut tributarios fuiſſe: nec ulla ejus rei conjectura probabilis eſt. Nec enim conve-
2 Reg. 3. nit quod ex hiſtoria Regum allegant: quandoqui-
verſ. 5.6. dem illic agitur de Rege Iſraël: & nominatim Achab & Samaria exprimuntur, quibus Judæos extremo odio fuiſſe ſcimus. Primam ergo quam attigi interpretationem, ut veram & genuinam, ſequor. Prophetæ enim conſilium eſt damnare Moabitas, quod non reſipuerint in tempore: nunc fruſtra facturos, quod eis facile antea magnoque ipſorum commodo licuerat. Atque ità εἰρωνικῶς accipi debet, Mittite: acſi diceret, nullum eſſe veniæ locum, fruſtra miſſuros. Impii enim quum monentur, ſecure omnem exhortationem negligunt: ubi pœnas dant, anxii circumſpectant, ubique opem quærentes, tentant omnia remedia: verum ſine fructu, nihil enim promovent. Iis igitur pervicaciam & obſtinationem exprobrat Jeſaias: nec jam reſipiſcendi tempus eſſe oſtendit, quum exitium, quo digni erunt, ſuſtinebunt. Quod Judæi hic Ezechiam deſignari putant, ab omni ratione alienum eſt. Nec enim ה hic certam terram, ſed potius univerſum orbem deſignat, de quo etiam in genere loquitur. Ad Deum ergo ipſum referri debet. Agnum vocat, qui in ſacrificium offerendus eſt. nam & Gentes profitebantur ſe Deum colere quum ſacrificia faciebant. *Petram* deſerti urbem vocat, quam Moabitarum primariam fuiſſe putant: quanquam fieri poteſt ut totam regionem complecti voluerit. atque ita erit ſynecdoche. Ad mon-
Deut. 12. tem, id eſt, ad legitimum Dei templum, ubi ex Le-
v. 5,6,7. gis præſcripto ſacrificia offerebantur. Inſignis eſt hic
2 Chron. 7. locus adverſus obſtinatos, qui doctrinam omnem
verſ. 12. rejiciunt, & ſecure contemnunt Deum, donec judicia ipſius experiantur.

2. *Et erit.*] Nunc oſtendit Propheta quid voluerit proxima inſultatione: ſcilicet, non eſſe tunc Moabitis cogitandum de ſacrificiis mittendis: quia ſibi non aliter conſulere poterunt, quam relicta patria. Avium ſimilitudine pavorem exprimit, quo perculſi vel ad folii crepitum fugient. Denunciat enim trepidam fugam & laſſitudinem Moabitis, qui otio ſuo abuſi fuerant.

3. *Cogite conſilium.*] Pergit in eadem ſententia. Nam ſi recte hunc locum intelligere velimus, proponendum eſt nobis excidium Moabitarum, quo dire afflicti ſunt. Revocat autem in memoriam ſcelera ipſorum: ut quam merito dent pœnas, magis perſpicuum omnibus eſſe poſſit. Quum omnia ipſis eſſent in manu, proterve deliciati ſunt, neque apud ipſos locum habuerunt ullæ objurgationes: nunc deſtituti ingemiſcunt, & quærunt remedia, quæ nuſquam apparent. Sic enim cum reprobis agit Dominus, ut quo inexcuſabiliores ſint, media omnia ſuppeditet, & veluti in manum præbeat: ſed quum iis pro ſua libidine abuſi ſunt, atque omnia in perverſum finem converterunt, eos omni ope & ſubſidio deſtitutos, in nihilum redigit. Quum proſperis rebus fruerentur Moabitæ, haud magnopere ipſis boni & æqui cura fuit: quum jure dominari poſſent, regnumque ipſis ſtabile eſſet, eo ad tyrannidem abuſi ſunt. Nunc igitur ſpoliatos omni dominatu, extorres & profugos per ironiam monet Jeſaias, ut conſilia ineant, & ſtatuant judicia quæ olim per fraudem & injuriam everterant. Illud enim tempus reſpicit Jeſaias, quo omne imperium & poteſtas Moabitis adempta fuerunt. Atque ſimilis exprobratio videtur
Geneſ. 3. eſſe ei, qua Dominus Adamum compellat: Ecce,
verſ. 22. Adam quaſi unus ex nobis. Ridetur enim mordaci ſcommate, quod egregiis dotibus ſuis non contentus, Deum ipſum æmulari voluiſſet. Ita Moabitæ ſuis ornamentis & opibus haud contenti, Iſraëlitas & Judæos miſere vexabant, & prædabantur, & adverſus ipſos prava conſilia inibant. Quum ergo præclaris Dei donis abuſi eſſent, merito hanc exprobrationem audierunt: quæ ſimiliter in omnes reprobos competit, qui inſolenter proſperis rebus exultant, iiſque inhumaniter ad vexandos pios abutuntur. nam quum ea quæ Dominus in rectum uſum conſecrarat, fœde contaminent, iis merito privati, extrema penuria afficiuntur. Cujus rei exempla quotidie cernimus. Unde enim fit ut præcipites ruant, qui in ſummo dignitatis gradu erant conſtituti, niſi quod Dominus tyrannicam eorum dominationem & ſcelera ulciſcitur? Deridet etiam Dominus ipſorum probra, ignominiam, ejulatus, atque etiam querelas: ut quum exclamant, O ſi eadem mihi redeat facultas! Si in priſtinum ſtatum reſtituar! Tunc enim ſera pœnitentia eſt.

Umbram tuam.] Poterant, ut jam attigi, Moabitæ aliquam levationem afferre miſeris Judæis, quum eos Aſſyrii vexarent, ſaltem profugos recipere debuiſſent, ſiquid habuiſſent humanitatis; ſed potius inſectabantur, ærumniſque plus ſatis gravatos infeſtius urgebant. Quam ergo crudelitatem Moabitæ exercuerant erga alios, eos etiam experiri æquiſſimum fuit: ut quum ejecti eſſent è ſuis ſedibus, profugi, vagi, nullum ipſis refugium, nulla umbra, qua ſe ab æſtu contegerent, uſquam occurreret. Cur enim fruerentur ſolatiis, quæ inhumaniter aliis denegaverant? *Meridiem* hic pro graviſſimo æſtu accipit. Hæc enim ſimilitudo frequens eſt Scripturis, Exod. 13.
Dominum fuiſſe inſtar nubis in meridie, & noctu v. 21, 22.
columnæ ignis: quod id ſemel in deſerto præſtiterit. Num. 14.
Hanc loquendi formam, quod uſitata eſſet, retine- verſ. 14.
bant Prophetæ: tametſi hiſtoriam non referrent. Deut. 1.
Porro quum dicit, *Abſconde expulſos*, Judæos intel- verſ. 33.
ligit, quos quum perſequerentur & vexarent Aſſyrii, Moabitæ etiam inhumaniter tractarunt. Officium enim ipſorum erat, profugos, ac præſertim ad ſe confugientes, excipere & ſublevare: quos quum expulerint, ipſos ſimiliter expelli, omnique ſubſidio & ope privari neceſſe fuit. Juſta enim Domini ſenten- Deut. 19.
tia eſt, quæ unicuique eadem menſura qua menſus v. 19.21.
erit, reddi jubet. Vult autem Propheta, Moabitas Matth. 7.
peccata ſua agnoſcere, ut ſe merito pœnas ſuæ crude- verſ. 2.
litatis dare fateantur. Quanquam potius Judæos reſpicit, ut miſerias ſuas non negligi à Deo ſciant, quem earum audiunt fore ultorem.

4. *Peregrinentur apud te.*] Sic Moabitas alloquitur Propheta, acſi communi populi nomine ſuppliciter rogentur, Eſtis vicini, conſanguinei: excipite calamitoſos, & juvate: quod ſi juvare non libeat, ne ſaltem noceatis. Inducit autem Deum loquentem qui partes populi ſui ſuſcipere ſolet, quaſi vices ſubeat deprecantis. Certum eſt enim, Moabitas nihil tale Judæis præſtitiſſe: ſed potius conjunxiſſe ſuos conatus cum Judæorum hoſtibus, ut ipſis nocerent. Sed, quemadmodum nuper dixi, quid dictaret ipſa naturæ æquitas ante oculos ponit Propheta: quo magis deteſtabilis ſit crudelis ejus violatio. Cæterum diligenter obſervandus eſt hic locus: quia oſtendit Deus quantam ſollicitudinem gerat pro ſuis, quando perinde afficitur eorum injuriis, acſi illatæ ſibi eſſent: ſicuti per Zachariam teſtatus eſt, Pupillam oculi ſui Zach. 2.
tangi, quoties ipſi attinguntur. Exaudit gemitus verſ. 8.
& lachrymas miſerorum hominum qui ipſum invo- Pſal. 12.
cant: ac utcunque id non ſemper nobis appareat, in verſ. 6.
& 38.
tempore tamen eos ſe audiiſſe oſtendit. Hic ergo verſ. 10.
diſcamus humani & officioſi eſſe erga profugos & ex- & 102.
torres: ac præſertim erga fideles, qui ob confeſſio- verſ. 21.
nem Verbi exulant. Nullum enim officium Deo gratius aut acceptius eſſe poteſt. contra nihil inhumanitate & ſævitia gravius aut deteſtabilius. Quod ſi in calamitatibus noſtris levamen aliquod ſentire velimus, ſimus ipſi humani & miſericordes nec opem egenis denegemus. Beatus, inquit ille, qui de egeno Pſa. 41:2.

& inope prudenter judicat in: die mala liberabit eum *Jacob. 2. verſ. 13.* Dominus. Contra, Judicium ſine miſericordia ei qui miſericordiæ expers fuit. Nam quod ejectos ſuos vocat Deus, quamvis hoc ad pœnam non inepte referri queat, quaſi diceret juſto judicio expulſos eſſe è terra *Deut. 28. verſ. 64.* Canaan, quemadmodum ipſis toties minatus erat: ſimul tamen haud dubie intelligit manere ſub fide ſua & patrocinio, quod eos quamvis patria extorres & ejectos, nihilominus agnoſcat pro ſuis. Ea enim calamitas quam ferebant Judæi, poterat ſignum videri rejectionis. Atqui Dominus eos, tametſi ſevere caſtiget, pro filiis agnoſcit. Unde eximia ad nos redit conſolatio: nempe, nos filiorum numero cenſeri, tametſi duras & graves plagas ſentiamus.

Quoniam ceſſavit emunctor,] Nunc ſermonem ad Judæos convertit, eoſque ſicut ante pergit conſolari: oſtendens fore, ut quum hoſtes ſublati erunt è medio, eorum profligatione vel interitu, ſuis quoque calamitatibus & miſeriis ſublevetur. Tametſi ſuperiora, quamvis nomine Moabitas conveniret Propheta, ad ipſos maxime Judæos pertinebant. Sed tunc vindictam ſolum tanquam hoſtibus minabatur: hic clarius etiam allevationem populo ſuo promittit. acſi diceret, Putaſti Moab de populo meo actum eſſe: atqui cohibebo hoſtes, finemque afflictioni illi afferam: tu igitur peribis: ipſe vero tam diris cladibus tandem emerget. Niſi forte placeat temporum eſſe enallagen: atque ita particula כי valebit Donec, & uno tenore legenda erit tota ſententia. Quia tamen coactum hoc videri poſſet, retinere malui genuinum ſenſum.

5. *Et præparabitur.*] Quod Hebræi totum hunc verſum de Ezechia exponunt, minime conſentaneum eſt. Nam de majori Eccleſiæ inſtauratione diſſerit Propheta: necdum pœnas dederant Moabitæ quo tempore floruit Ezechiæ imperium: & iterum fulgere cœpit in Judæis Dei benedictio. Perinde igitur eſt acſi dictum eſſet, Hoſtes omnes electi populi *2 Sam. 7. verſ. 13.* machinari ruinam ejus regni quod Deus ſtabile fore, imo æternum promiſerat. Ergo ne pii in miſera diſſipatione animos deſpondeant, regni perpetuitas, quæ celebri oraculo teſtata fuerat, in memoriam revocatur. Itaque de nullo alio quam de Chriſto exponi poteſt: quanquam fateor Ezechiam geſſiſſe typum Chriſti, quemadmodum David, & reliqui ſucceſſo- *Joan. 10. verſ. 16. & 11:52.* res. Verum ipſi ad Chriſtum ducunt, qui ſolus vindex eſt, & populi ductor: quique reliquias ex diſſipatione collegit. Hac igitur ratione pios ad Chriſtum revocat acſi diceret, Scitis quem colatis Deum. Is ſe præſidem fore ſalutis veſtræ aſſeruit, ut ſub ejus patrocinio ſemper maneatis tuti & incolumes. Quod ſi quando res in deterius labi contigerit, redemptorem vobis promiſit, ſub quo nova de integro felicitas reſurgat ac vigeat. Utcunque ad tempus deplorati ſitis, veniet tamen ille Eccleſiæ vindex, qui vos in florentem libertatis ſtatum reſtituet. Itaque vos in expectatione ipſius toto animo recumbere oportet: etiam quum diſſipatum & miſerum Eccleſiæ ſtatum cernetis. Atque hoc diligenter notandum eſt: quoniam fluxæ & evanidæ ſunt omnes aliæ conſolationes, niſi ad Chriſtum omnia referamus. Defixi ergo in ipſum ſint oculi noſtri, ſi beati & felices eſſe *Matth. 5. v. 10, 11. Rom. 8. verſ. 28. & 13: 1.* velimus. Promiſit enim nos in media etiam cruce beatos fore: cruciatus & tormenta ad beatam vitam aditum præbitura: quicquid ærumnarum patiemur, nobis in cumulum felicitatis ceſſurum eſſe. Oſtendit autem Jeſaias hoc non opera hominis, ſed beneficio Dei evenire, qui hujus ſolii architectus eſt. Quare ejus gratuito favori tribuere & acceptum ferre convenit, quod ſacra hæc ſedes inter nos ſtabilitur. Idque diſerte Propheta confirmat, non alibi quærendam eſſe cauſam, quam in mera Dei miſericordia. Nec vero eſt. nec enim aut dignitate, aut meritis, quæ certe nulla ſunt, adduci potuit Deus ut ſolium, quod populi culpa & ſceleribus conciderat, rurſus erigeret: ſed quum videret perditos quos adoptaverat, ſpecimen edere voluit infinitæ ſuæ bonitatis. Jam ſi opifex eſt Deus hujus ſolii, à quo everti poterit? an ipſo fortiores erunt impii?

Sedebit in firmitate.] Singula hic fere verba ſuum pondus habent: adeo ut verſiculus hic aſſidua meditatione dignus ſit. Quod alluſionem hic in Tabernaculi nomine eſſe volunt, mihi non diſplicet: quod ſcilicet gregarius homo fuerit, antequam ad regni *1 Sam. 16. v. 11, 12.* ſedem vocaretur. Nam voluit Propheta imaginem *2 Sam. 7.* Eccleſiæ depingere, quæ nihil ſimile habet cum *verſ. 8.* thronis Regum & Principum, nec auro aut gemmis refulget. Etſi autem ſub humili deſpectaque forma propoſuit ſpirituale Chriſti regnum: ſimul tamen admonet in terra atque inter homines manifeſtum fore. Nam ſi tantum dixiſſet, Erectum iri ſolium Chriſti: quæri potuiſſet, an in cælis, vel etiam in terra ei ſedes eſſet. Nunc quum dicit, In tabernaculo Davidis, oſtendit eum non inter Angelos tantum, ſed etiam inter homines regnare: ne ad ipſum quærendum in cælos penetrandum eſſe exiſtimemus. Ridiculum vero putant impii quod prædicamus de regno Chriſti, acſi phantaſma quoddam eſſet, quod ipſi imaginaremur. Volunt enim oculis intueri, quod ſenſibus ipſorum conveniat. At nos nihil carnale de eo concipere, ſed ejus manu & virtute contenti eſſe debemus.

In firmitate.] אמת tam certitudinem quamlibet, quam veritatem ſignificat. Hic vero Propheta firmum & ſtabile Chriſti regnum fore intelligit: quemadmodum etiam Daniel teſtatus eſt. Item Euange- *Dan. 2.* liſtæ, Regni ejus non erit finis. In quo à communi *verſ. 44.* regnorum conditione eximitur: quæ tametſi magnis *& 7: 14.* & amplis opibus fundata ſunt, labefiunt tamen, vel *Luc. 1:33.* etiam ruunt mole ſua, ut eorum ſoliditas parum differat ab evanidis figuris. Atqui imperium Chriſti, quamvis ſubinde labaſcat, quia Dei manu ſuſtinebitur, perpetuum fore teſtatur Jeſaias. Aptanda igitur hæc teſtimonia adverſus tentationes quæ oboriuntur, quoties impetitur regnum Chriſti à tot tantiſque hoſtibus, ut ſtatim collapſurum videatur. Quamvis enim omnia machinetur mundus, adeoque inferi ipſi ignes & flammas evomant, huic promiſſioni ſtandum eſt.

Qui judicet.] שפט accipio pro Gubernatore: acſi diceret, Erit qui gubernet. Sæpe enim magnificum ſolium videmus, quod ſeſſore caret. Et plerumque accidet, Reges aut idola eſſe, aut pecora: ut qui nihil judicii, prudentiæ, aut conſilii habebunt. Hic autem ſeſſurum dicit, qui fungetur officio probi gubernatoris. Atque hoc additum eſt, ut Chriſtum vindicem noſtrum fore intelligamus. Judicium enim quod ei tribuitur & juſtitia, nihil aliud quam tutela eſt, ſub quam nos recepit, & quam violari non ſinet. Nec enim feret ut impune nos impii injuriis afficiant, dum æquis placidiſque animis in ejus fidem nos conferimus. Accelerandi autem verbo brevi ac promptiſſime vicem noſtram ulturum docet: quod impatientiæ noſtræ opponendum eſt. Nunquam enim ſatis tempeſtive nobis opem ferre videtur. Atqui dum abripimur deſiderii fervore, meminerimus hoc accidere, quia ejus providentiæ locum non damus. utcunque enim pro ſenſu carnis noſtræ tardet, ſua tamen judicia ad opportunitates, quas melius novit, optime attemperat. Itaque ejus voluntati acquieſcamus.

6. *Audivimus.*] Propheta addidit hanc ſententiam vice occupationis. Incredibile enim videbatur quod promiſerat de ſolio Regis inſtaurando & delendis Moabitis, qui tunc florebant opibus, & validis munitionibus præditi erant: unde etiam præſenti fortuna elati, inſoleſcebant. Adde quod protervia, qua inſultabant miſeris Judæis, ad frangendos vel quatiendos animos dura & gravis erat machina. Hanc tentationem ut anticipet Propheta, refert

fert ſatis notas eſſe eorum jactantias, verum ipſorum ſuperbiam impedimento non fore, quo minus à Deo profligentur: quia nullus armorum apparatus, nulla pecuniæ vis, nulla multitudo obſiſtere Deo poteſt. Loquitur autem Jeſaias quaſi de re paſſim cognita: Moabitas ſic elatos eſſe animo, ut nihil timeant: quemadmodum iis uſu venit, qui opibus abundant & copiis, ut ſe ſupra Deum & homines impotenter attollant. Qualiſcunque vero ſit eorum arrogantia, Dominus eam facile retundet.

Inſolentiam.] עברה Hebræis ut plurimum vocatur Indignatio. Sed circumſtantia loci aliquid expreſſius requirere viſa eſt. Nomen à transgrediendo deducitur, acſi quis Latine diceret, Exceſſum: ideo Inſolentiam vertere placuit. Apud Jeremiam poſt
Jere. 48. verſ. 29. voces Superbiæ & Faſtus, inſeritur Altitudo cordis. Non dubito quin uterque Propheta intelligat populum illum ſua moroſitate, faſtidio, lautitiis, ita fuiſſe crudelem, ut leviſſimis quibuſque de cauſis excandeſceret, ac ferociter inſurgeret contra alios. Hoc enim vitium ſemper cum elatione animi conjunctum eſt: quia ſuperbiam ſequitur deſpicientia & contemptus aliorum: & qui plus æquo ſibi tribuunt, facile excandeſcunt, indignantur vel ad levem offenſam: nihil denique poſſunt ferre: nec modo irritabiles, ſed etiam contumelioſi ſunt. Omnes enim ſibi obnoxios reddere vellent, ſe vero nemini. niſi ad nutum eorum obſequantur omnes, ſibi injuriam fieri putant. Hanc animi impotentiam facile produnt ſuperbi: humiles contra humanitatem cum pari modeſtia conjunctam habent, & facile cuivis ignoſcunt.

Mendacia.] בדים vocant Hebræi vel Membra hominis, vel Ramos. accipiunt etiam pro Vaticinatione. Unde & Græci μαντεῖα vertunt: in qua ſignificatione aliis in locis reperitur. Nonnulli hic metaphorice putant poſitum eſſe pro Filiis. alii transferunt vel Sermones, vel Cogitationes, alii interpretantur Vires aut Nervos. Sed meo judicio potius accipitur pro inani jactantia: quia & hoc nomen ſæpe pro Mendacio ſumitur: & paulo poſt videbimus quanto aptius præſenti loco reſpondeat hæc ſignificatio. In voce כן ſimiliter variant interpretes. Major pars vertit, Non recta eſſe mendacia, vel Non rectos ſermones: alii, Non eſſe vera mendacia. Et quoad ſummam rei, horum ſententiæ fere ſubſcribo. Nec enim dubito hanc Prophetæ mentem eſſe, Moab temere efflare vanas ſuas oſtentationes: quia quod concepit non efficiet. Quod autem ad verba ſpectat,
Jere. 48. v. 29. 30. certius colligitur eorum ſenſus ex 48. capite Jeremiæ. Nam ubi hæc eadem Prophetæ noſtri verba retulit, mox iterum repetit quaſi expoſitionis vice, על־כן: quaſi diceret, Quod fixum eſt in eorum cordibus effectu carebit. Interea tamen priore membro non exiſtimo particulam ſimilitudinis eſſe, ſed potius firmitudinis, ut ita dicam: negative tamen. Declarat enim nihil in ejus conſiliis ſtabile aut firmum fore: divinationes ſeu mendacia ejus non fore rata. ſic enim ſuperbi homines de rebus omnibus ſtatuunt, acſi eſſent in eorum poteſtate, nec providentiæ Dei ſubeſſent. Concidet talis arrogantia, inquit Jeſaias, & quicquid promittunt ſibi de viribus ſuis, evaneſcet. Hinc monemur, ſuperbiam ſummopere diſplicere Deo: & quo magis homines ſuis opibus inflati ſunt, eo propiores exitio eſſe.

7. *Propterea ululabit.*] Apertius declarat quod jam dictum eſt: hanc ſuperbiam & ferociam, quæ ex
Jac. 4: 6. 1 Petr. 5. verſ. 5. ea naſcitur, exitii cauſam fore. Quum enim ſuperbis reſiſtat Dominus, fieri non poterat, quin faſtum hunc, ſub quo miſere & indigne calcata fuerat Eccleſia, proſterneret. Atque eodem exemplo, ſuperborum omnium finem tragicum eſſe neceſſe eſt. Quod addit *Moab ad Moab*, ſignificat quaſi lugubrem inter eos fore concentum, ubi mutuo conquerentur de ſuis cladibus, ærumnaſque ſuas inter ſe lugebunt. Quod alii reddunt, Ob Moab, frigidum eſt: quia continuo poſt ſequitur, ululatum fore ubique, vel paſſim in toto populo.

Propter fundamenta.] Hanc primariam urbem & regiam fuiſſe, ſatis convenit: ſed alii nomen proprium, alii appellativum eſſe arbitrantur. Non dubium quin etymologia vocabuli inde ducta ſit, quod fictili lapide extructa eſſet. Poteſt etiam fieri ut à murorum ſpecie, qui lateribus conſtructi erant, ſic vocata ſit. Fuit autem urbs inſignis in illa regione. Fundamenta vero potius quam urbem ipſam nominat: quod funditus diruenda eſſet: acſi diceret, Non lugebitis aut direptionem urbis, aut ruinam ædificiorum, ſed integram ejus everſionem. nihil enim ex ea ſupererit. נכאים exponunt Claudos. ego Percuſſos intelligere malo. Particula אך quæ præponitur nunc, tantundem valet ac Certe vel utique: aliquando ſumitur pro Atqui, vel Sed tamen. Qui affirmative exponunt, talem ſenſum eſſe putant, Gemetis utique percuſſi: id eſt, non oportebit vos conducere homines qui veſtro nomine luctum fingant, ut fieri ſolet in funeribus, ſed lugebitis ſerio. Ego vero אך pro Tantummodo accipere malo: id eſt, Quicunque ſuperſtites erunt, vulnerati erunt. Nemo incolumis futurus eſt. Hac enim loquutione extremam urbis illius cladem exprimit: ac ſignificat, ſuperſtites non aliorum tantum ærumnas, ſed etiam ſuas deploraturos. Erunt enim & ipſi vulnerati. Quod ſi tam graves pœnæ ſumuntur de ſuperbis, diſcamus nos ſummiſſe & modeſte gerere, & ſponte humiliari ſub potenti Dei manu.

8. *Quoniam vites.*] Hic Propheta allegorice totius regionis vaſtationem deſcribit. Eam vitibus optimis abundaſſe credibile eſt, quemadmodum ex hoc & ſimili illo Jeremiæ loco colligere promptum Jere. 48. verſ. 32.
eſt. Solent autem Prophetæ, quum regionibus exitium minantur, quæ in iis præcipua ſunt recenſere. Ut ſi de Belgia nobis ſermo ſit, de vitibus certe non loquemur: quemadmodum ſi de Aurelia, aut Burgundia agendum eſſet. Hæ autem urbes quas refert Propheta, præcipuæ in Moabitide fuerunt. Ex earum vinetis palmites quoſque præſtantiſſimos dicit evulſos eſſe à Dominis gentium, hoc eſt, Victoribus, qui populis bello ſubactis longe lateque dominabantur. Quod dicit perveniſſe uſque ad Jazer, ad amplitudinem notandam valet. hæc enim urbs in finibus terræ Moabitarum ſita erat: acſi diceret, Non tantum exſcindetur pars aliqua vitium, ſed tota regio longe lateque vaſtabitur. Aliqui hoc ad hoſtes ipſos referunt: ſed malo ſupplere relativum אשר, & referre ad vites, quæ ſcilicet tam late patebant, ut pervenirent uſque ad Jazer: ut ſit ſenſus, Tametſi ad Jazer uſque pervenerint hæ vites, & occupaverint longiſſimum tractum, illinc ad deſertum uſque: tamen eas omnes Domini gentium calcabunt. Ita contextus optime fluit, quia mox ſequitur, Vineas uſque ad deſertum, atque etiam ad mare uſque diffuſas fuiſſe. quo ſignificat regionem admodum fertilem, præſertim vero vitiferam. Trans mare vero dicit, eo quod in feraci ſolo propinquum mare aggeribus repelli ſolet, ut propagetur cultura, jactiſque pilis & molibus impetus aquæ arcetur ad ſolum dilatandum.

9. *Propterea flebo.*] Alienam hic perſonam induit Propheta, ut alibi annotavimus. nam Moabitarum nomine dolet atque ingemiſcit. Quanquam enim fideles ſemper exhorreſcunt judicia Dei, nec ſenſum humanitatis exuere poſſunt, quin ipſos miſereat exitii impiorum: hic tamen privatos ſuos affectus non deſcribit, ſed conſilium ejus eſt, addere auctoritatem ſuæ doctrinæ, ne quiſquam de eventu ambigat. Itaque repræſentat in perſona Moabitæ, velut in theatro, luctum & mœſtitiam, qua poſt illam cladem afficientur omnes: quo magis confirmet Judæos in hac promiſſione, quæ incredibilis alioqui videri potuiſſet.

Quo-

Quoniam ſuper æſtivos.] Hanc poſtremam partem varie exponunt interpretes. נפל Cadere ſignificat & irruere. Qui pro Irruere accipiunt, nomen הידד referunt ad ipſos hoſtes acſi diceret, Clamor hoſtium ſuper meſſem tuam irruit: ut ſit tacita antitheſis inter hunc clamorem & jubilum, de quo poſtea loquetur. Alii ſic exponunt, Futurum ut clamores jaceant: quaſi nullus futurus ſit cantus, nec amplius lætæ & jucundæ voces meſſorum ſint audiendæ, quibus ſe poſt meſſem exhilarare ſolent. Sed malo ad clamorem hoſtium referre: in quo Jeremiam fideliſſimum hujus loci interpretem ſequor, qui Irruere vaſtatorem dicit: quod hic Jeſaias, Hoſtilem clamorem vocat. acſi diceret, Quum te ad colligendam meſſem & vindemias parabis, irruent hoſtes, quorum terribilis audietur clamor pro jubilo & læta cantilena, qui te alio procul expellat.

Jer. 48. verſ. 32.

10. *Sublatum eſt gaudium.*] Idem aliis verbis confirmat, totam regionem vaſtam ac deſertam fore, ut nulla amplius in ea aut meſſis aut vindemia ſit. Quod Deum minatur facturum, ut deſinant vinitores canere, reſpicit ad vetuſtum morem. Solebant enim collectis vindemiis & tripudiare, & canticis teſtari lætitiam. Unde & illud Virgilii, Jam canit extremos effœtus vinitor antes. ſicuti quum ad portum appropinquant nautæ, clamant ſuum κέλευσμα: quia perfuncti laboribus, & erepti periculis, quietem, vel aliquam relaxationem ſibi propoſitam vident. Perinde ergo eſt acſi diceret Propheta, Sublato frugum proventu nihil reliquum fore, niſi ut penuriam ſuam deplorent.

11. *Propterea.*] Iterum Propheta ſub perſona Moabitæ ingentem luctum deſcribit: nempe ex tam acerbo dolore manantem, ut etiam inteſtina crepent, vel cum ſtrepitu tumultuentur. nam à ſigno rem ipſam notare voluit. Diximus autem quorſum ſpectent vivæ iſtæ deſcriptiones: ut ſcilicet quaſi in rem præſentem adducti, certius ſperemus quæ videntur omnem fidem excedere. Primariam vero urbem iterum nominans, per ſynecdochen deſignat cladem totius regionis.

12. *Et erit.*] Iterum redit ad eam ſententiam quam prius attigerat: nempe idololatras rebus afflictis ad idola ſua confugere, ut ex iis aliquam allevationem quærant. Quanquam aliquanto plus hic exprimit. nam quum idololatræ ordinaria ſua templa & ſacella habeant, ſi qua major ingruat calamitas, aliud templum adeunt, quod præ cæteris ſacrum, unde etiam ſibi numen præſentius fore arbitrantur. Quemadmodum hodie Papiſtæ in extremo aliquo diſcrimine conſtituti (nam vitium hoc ſeculorum omnium fuit) voti ſe magis potituros putant, ſi excurrant ad Claudium, aut Mariam Lauretanam, aliudve inter alia celebre idolum, quam ſi in propinquo templo convenirent. Supplicationes extraordinarias decernunt in templum longinquius, &c. Hac ſignificatione Propheta Sanctuarium vocat, quod apud Moabitas præ aliis celebre fuit, ipſumque adituros ſignificat, ſed nullo profectu. Templum vero celebrius, Chamoz dicatum fuiſſe conſtat ex Sacra hiſtoria. Particulam לאיוכל, hoc eſt, Non poterunt, ſic exponunt nonnulli, Tandem fore ipſis laſſitudinem, ut vires non ſuppetant ad templum adeundum. Sed hic ſenſus mihi aptior videtur: Nihil proficiet. Excludit enim Moabitas ab omni ſpe ſalutis: ne in diis quidem ſuis præſidium illis fore. Verbum נראה, Quum apparuerit, pondus habet. Significat enim idololatras non duci ratione, ſed potius præſenti ſenſu tanquam brutas pecudes. quia ſicut illæ tactu, olfactu, aſpectu judicant: ita idololatræ nullum alium magiſtrum habent, quam ſenſum carnis. Siquis igitur ratione oſtendat eos perperam agere, nihil efficiet. Etiamſi aliquoties experti ſint ſe nihil tot laboribus efficere, non ſuperſedebunt: ſed novas comminiſcentur rationes, novoſque introducent cultus, quos etiam Deo probari volent. Si ex ſententia ipſis ſuccedat, ſuis ſuperſtitionibus omnia tribuunt, magiſque obſtinantur. Quod ſi nulla in re juvari ſe ſentiant, commenta ſua abjiciunt, damnant ſuperſtitioſos cultus, diiſque ſuis maledicunt. Pendent denique toti ex eventis, nec quicquam aut ratione, aut verbo Dei judicant. Ideo prout eos ducit experientia, ſubinde mutant conſilium. Videtur tamen Propheta plus aliquid velle, Moabitas ſcilicet, ubi palam detecta & convicta fuerit eorum ſtultitia, quod hactenus fruſtra laboraverint, venturos in templum Chamoz, pudore magis quam judicio.

1 Reg. 11. verſ. 7.

13. *Hoc eſt verbum.*] Clauſula hæc vaticinii eſt ſanctio. Significat enim decretum ipſius Dei à ſe pronunciatum eſſe: nec quicquam ſe protuliſſe in medium quod non profectum ſit à Domino, atque ita hominis perſonam exuens, Deum loquentem introducit in hunc modum.

14. *Tres anni.*] Tempus non modo ad certitudinem præfigitur: ſed etiam ne longiore mora langueſcant fideles. Alludit autem ad pacta hominum, in quibus ex condicto præfigi tempus ſolet, quod non licet prætergredi. idque potiſſimum in operis mercenariorum: quorum ſimilitudinem ſæpius adducit Scriptura, quod ingenti deſiderio præſcriptum illum diem expectent, quo mercedem accepturi ſunt: gemunt enim quodammodo ſub onere, & quotidianos labores moleſte ferunt. Hoc modo ſe Moabitis edicere diem ait Dominus, è qua minime elabentur, quin deſtruatur omnis eorum potentia. *Multitudinem* nominatim expreſſit, quoniam magna apud ipſos erat, ejuſque nomine gloriabantur, & ſe invictos putabant. Quod addit, Reliquias fore invalidas, tantam fore mutationem intelligit, ut nihil cum priore ſtatu ſimile habeant: quia in reliquiis nonniſi triſte & deforme ſpectaculum extabit.

Job. 7. verſ. 1. 2. & 14: 6. infra 21. verſ. 16.

CAP. XVII.

ONus Damaſci. Ecce Damaſcus ablata eſt, ne ſit civitas: nam erit acervus ruinæ.

2. Derelictæ ſunt urbes Aroër, in caulas vertentur: accubabunt, nec erit qui exterreat.

3. Et ceſſabit præſidium ab Ephraim, & regnum à Damaſco. Et reliquiæ Syriæ, quaſi gloria filiorum Iſraël erunt: dicit Jehova exercituum.

4. Et erit, in die illa attenuabitur gloria Jacob, & pinguedo carnis ejus macreſcet.

5. Et erit, ſicut qui colligit meſſem ſegetis, qui brachio ſuo ſpicas metit: ſimiliter ut quis colligit ſpicas in valle Rephaim.

6. Et relinquetur in ea racematio: ſicut excuſſio oleæ, duæ illic aut tres baccæ reſtant in cacumine altioris rami, quatuor aut quinque in expanſis ramis fructus ejus: dicit Jehova Deus Iſraël.

7. In die illa reſpiciet homo ad factorem ſuum, & oculi ejus ad ſanctum Iſraëlis intuebuntur.

8. Nec reſpiciet ad altaria opus manuum ſuarum, non aſpiciet quæ fecerunt digiti ejus, nec lucos, nec ſimulachra.

9. In die illa erunt urbes fortitudinis ejus, quaſi derelictio virgulti & frondis, quemadmodum reliquerunt coram filiis Iſraël: & erit deſolatio.

10. Quoniam oblita es Dei ſalutis tuæ, nec memor fuiſti Dei fortitudinis tuæ: idcirco plantabis plantas amœnas, & palmitem alienum conſeres.

11. Die plantationis tuæ creſcere facies eam, & mane germinare facies ſemen tuum: ſed & recedet meſſis in die fruendi, & erit dolor deſperatus.

12. Hei multitudo populorum multorum: inſtar ſonitus maris ſonabunt: & ſtrepitus nationum, inſtar ſtrepitus aquarum ingentium tumultuabuntur.

13. Strepent populi inſtar ſtrepitus aquarum ingentium, & increpabit eum, & fugiet procul: fugabitur quaſi ſtipula montium coram vento, & quaſi globus coram turbine.

14. Tempore veſpertino ecce turbatio: antequam ſit mane, nuſquam erit. Hæc eſt pars conculcantium nos, & ſors eorum qui nos diripiunt.

O*Nus Damaſci.*] Hic adverſus regnum Syriæ vaticinatur, atque mentionem facit præcipuæ urbis in qua regni ſedes erat. Hanc autem cladem, ut alias priores, deſcribi oportuit, ut pii Deum ſibi aliquando adfuturum confiderent, nec tandem paſſurum ut opprimerentur ſine fine ab impiis. Syrus enim cum Iſraële adverſus *cap. 7.* Judam fœdus inierat, ut prius capite ſeptimo vidimus; quibus quum viribus pares non eſſent Judæi, aliiſque præſidiis deſtituerentur, poterant etiam de auxilio Dei dubitare, quaſi ipſos omnino fruſtratus eſſet. Ut ergo eximat ipſis hanc dubitationem, excidium illius regni denunciat. unde colligere promptum fuit, Deum pro defenſione populi ſui bellare. Incertum eſt autem quo tempore vaticinium hoc ediderit Jeſaias: quia, ut jam admonui, non ſervat temporis ordinem, ſingulis gentibus quas meritæ erant pœnas denunciando. Sed quantum conjectura colligere licet, tunc iſta prædixit, quum duo illi Reges, nempe Iſraëlis & Syriæ, Judæam invaſerant, & in ejus ac univerſæ Eccleſiæ perniciem conſpiraverant. Utroſque enim, tam Iſraëlitas quam Syros conjungens, ad commune judicium vocat, ut ſciatur hoc tantum profeciſſe illos impia & ſcelerata ſocietate, ut ſe eodem ſimul exitio involverent. atque ita Jeſaiæ propoſitum eſt, pios ex tribu Juda ſolari: quia maxime ad eos, ne animis concidant, non ad Syrios, vel etiam Iſraëlitas quibus exitium nunciat, reſpectum habet. Demonſtrativa particula, *Ecce*, fidem prophetiæ obſignat. Quod autem Damaſcum ſingulariter compellat, hinc non ſequitur eximi alias regni partes, ſed Prophetis ſatis uſitatus eſt ſynecdochicus ſermo: ut ſub primæ urbis ruina totius gentis ſortem comprehendat. Quid enim expugnata regni arce ſperandum eſt vulgaribus oppidis? Quanquam alia ratio eſt, cur præcipuis & regiis urbibus gravius minentur Prophetæ, & ſermonem peculiariter contra eas dirigant: quia ſcilicet illinc ſcelerum colluvies in totam terram exundat.

2. *Derelictæ.*] Non eſt veriſimile hic Aroër vo-
Num. 32. verſ. 34. Deut. 2. verſ. 36. & 3: 12. & 4: 48. cari urbem de qua alibi fit mentio: potius eſt nomen regionis. Formam autem deſcribit regionis vaſtatæ: ſignificat enim eos locos ubi civitates conſtructæ erant, compaſcuos fore: nullum ſuperfore ædificium præter caulas & paſtorum tuguria. quia ſi qui reſtarent incolæ, abigerent alio pecora.

3. *Ceſſabit præſidium.*] Deſignat cauſam cur Dominus regnum Syriæ exſcindere velit. Amos plures *Amos 1. verſ. 3.* recenſet: ſed hæc præcipua fuit, quam Propheta commemorat, nempe quod regnum Iſraël in partes ſuas attraxerant, ut inferrent bellum Judæis. Nec enim dubium quin Syriorum blanditiis pellecti fuerint Iſraëlitæ, ut cum ipſis ſocietatem adverſus fratres ſuos inirent. Prætextus non parum ad fallendum valebat, Syrios ipſis adverſus omnes hoſtes præſidio fore. unde etiam Iſraëlitæ in eorum copiis & potentia fiduciam locabant: ita ut exiſtimarent ſe quibuſvis reſiſtere poſſe. Iſraël hic totus, ut ſæpe alibi, intelligitur ſub nomine Ephraim, quæ prima ejus populi Tribus erat. Cæterum dicitur *ceſſare præſidium* & regnum ab aliquo loco, ubi franguntur vires & concidit dignitas.

Reliquiæ.] Id eſt, Ambo in nihilum redigentur, tam Syrii quam Iſraël. atque ut plus fidei vaticinio faciat, ſimul addit ita Deum pronunciare. Porro quum Dominus tam ſevere in hæc duo regna animadvertit, minime dubium eſt quin hoc modo conſuluerit Eccleſiæ ſuæ, eam ipſorum hoſtium interitu redimens. Et quidem in utraque gente perdenda *2 Reg. 15. verſ. 29. & 16: 9. & 17: 6. 2 Reg. 16. verſ. 7.* Aſſyriorum opera uſus eſt, quos ipſi advocaverant Judæi. in quo etſi peccarant graviſſime, eorum tamen offenſa impedimento eſſe non potuit, quominus Eccleſiæ ſuæ conſuleret Dominus, eamque, hoſtes ipſos inter ſe committendo liberaret. Unde agnoſcimus quanta ſit pro nobis ſollicitudo Dei: quum ne maximis quidem regnis parcat, ut nos conſervet. Obſervandum etiam, quamvis omnes impii ſocietatem ineant, & manus conjungant ad nos perdendos: Dominum tamen facile nos erepturum ex ipſorum faucibus. Præterea notandum eſt, utile nobis eſſe privari terrenis præſidiis, quibus fruſtra adverſus Deum confidimus. nobis enim placemus fortuna noſtra excæcati, nec Deum loquentem audire poſſumus. Impedimenta ergo tolli neceſſe eſt, ut agnoſcamus nuditatem noſtram, quemadmodum Iſraëlitis accidit, quum direpta Syria præſidio ſuo nudati ſunt.

4. *Attenuabitur gloria Jacob.*] Tametſi profeſſus erat ſe de Syria & Damaſco verba facturum, Iſraëlem cum Syriis per occaſionem conjungit, quod *2 Reg. 16. verſ. 5. Jeſa. 7. v. 1, 5. 6.* fœdere inter ſe juncti eſſent, & conjuncti in eadem cauſa. Syrii quidem, quos potiſſimum compellat Jeſaias, inſtar facis fuerant ad inflammandos Iſraëlitas, ut jam dictum eſt. Sed Iſraëlitæ quoque ipſi in eadem culpa erant: ita merito in eaſdem ſimul pœnas quaſi mutua colligatione tracti ſunt. Per nomen Jacob, incertum eſt loquaturne de toto populo electo, ut comprehendat etiam tribum Juda. Sed probabile eſt tantum referri ad decem Tribus, quæ ſibi arrogabant generis nomen: & glorioſos ipſos fieri per ludibrium, quod elati ſua potentia, multitudine & ſocietatibus, Judæos fratres ſuos contemnerent. Quod deinde macilentiam ipſis minatur, pertinet ad taxandam eorum inſolentiam, ut ſæpius Prophetæ eorum pinguedinem exagitant. Inſoleſcebant enim proſpera fortuna & regionis fœcunditate: quemadmodum equi pingues & nimium ſaginati ferocire ſolent. unde etiam Vaccæ pingues alibi vocantur. *Amos 4. verſ. 1.* Utcunque ergo protervi & feroces eſſent, minatur Deus ipſis pinguedinem, qua inflati erant, ſe adempturum.

5. *Et erit.*] Similitudine quanta futura ſit vaſtatio declarat. Quemadmodum, inquit, meſſores plenis brachiis

brachiis ſegetem colligunt, ita hæc multitudo, quantumcunque ingens & conferta, ab hoſtibus demetetur. Jam ne quid reſiduum faciat, Spicas quoque hinc inde peracta meſſe decerptum iri adjungit: acſi diceret, deleta multitudine, terraque inſtar agri demeſſi nudata, ne raros quidem & diſperſos fore ſuperſtites. Porro ſimilitudine Meſſis utitur, quod populus fretus ſua multitudine, nihil timeret. at quemadmodum meſſores non terrentur ſegetum copia: ita negat impedimento fore ingentem numerum, quominus eos Deus in univerſum perdat. Poteſt etiam hoc ad Aſſyrios referri: ſed idem erit ſenſus. erant enim miniſtri Dei in hac vindicta exequenda. In verbo Colligendi, haud multum immorandum eſt. nihil enim aliud ſignificat, quam ſtragem meſſi ſimilem fore: qua edita, ſpicilegium etiam ſequutum eſt. Nam abductis decem tribubus, quum reliquos res

2 Reg. 17. verſ. 4.

novas moliri Aſſyrii intelligerent, ipſos etiam perdiderunt. Vallem Rephaim potiſſimum nominat, quod nota & familiaris Iſraëlitis eſſet ejus fœcunditas.

6. *Relinquetur in eo racematio.*] Alio ſpectat hæc ſimilitudo quam ſuperior: perinde enim acſi delendum eſſet penitus gentis nomen, nihil reliquum fore ex ſtrage præciſe denunciaverat. Nunc addita conſolatione mitigat cladis atrocitatem. ſignificat enim, quamvis hoſtibus propoſitum ſit omnia conſumere & delere, reliquias quaſdam nihilominus fore ſuperſtites. quemadmodum nunquam ita exacta eſt racematio, quin grana aliqua aut etiam uvæ remaneant, quæ ſub foliis latuerunt: neque ita decutitur oliva, quin aliquæ ſaltem in extremis arborum ſuperſint. Ergo quantumlibet ſæviant hoſtes & exardeat etiam Dei vindicta: ſic tamen ſeverum fore judicem denunciat, ut reſervet ſibi exiguum aliquem numerum, nec ſinat hoſtium impetus penetrare ad ſuos electos. Unde ſequitur, in ultione, tametſi graviſſima, miſericordiæ tamen locum fore. Hic enim ſermo habetur de poſteris Abrahæ, qui tametſi deſciverant à Deo, ut rejectione digni eſſent, eorum tamen pravitatem bonitas Dei ſuperavit. Se quidem indignos reddiderant tanta bonitate: ſed fœdus Dei firmum & inviolabile eſſe oportet, ejuſque firmitatis ſpecimen ab ipſo edi in quibuſdam reliquiis, tametſi populus, quantum in ſe erat, illud totum aboleverit. Quod diligenter notandum eſt, ut quum nulla apparet nobis Eccleſiæ facies omneſque pii deleti eſſe videntur, ne tamen ipſam interiiſſe exiſtimemus. Stat

Geneſ. 17. verſ. 7.

enim Domini promiſſio, perpetuam ipſam fore. Manebunt ergo ſemper aliquæ reliquiæ: quamvis ſæpe oculis noſtris non pateant.

7. *In die illa.*] Nunc oſtendit fructum hujus caſtigationis: atque hæc ſecunda conſolatio eſt, qua pii ſeſe in adverſis erigere debent. Quamvis enim nihil præter iram Dei ſentiant, tamen cogitare debent, Dominum, qui nunquam ſui obliviſcitur, perpetuo ſervaturum Eccleſiam ſuam. præterea caſtigationes ipſis ſalutares fore. Poſtquam ergo loquutus eſt de perpetuitate Eccleſiæ, ſimul addit futurum ut homines in Deum reſpiciant: quod omnium optabiliſſimum eſt. Reſtituitur enim mundus antea diſſipatus in ſuum ordinem, quum homines ad Deum ſe recipiunt. atqui dum ab ipſo alienati ſumus, quia ſponte nemo reſipiſcit, non aliter poſſumus revocari, quam ſi nos caſtigationum ſtimulis urgeat. Quo monemur, non tam iniquo animo ferendas eſſe caſtigationes, quæ deterrimam apoſtaſiæ peſtem in nobis corrigunt. Reſpicere enim ad Deum nihil aliud

Reſpicere ad Deum.

eſt, quam quum averſi fuimus, cum ipſo redire in gratiam, ad eum nos recipere & converti. Qui enim fit ut homines in omne ſcelus ſe proſtituant, niſi quia Dei obliviſcuntur? Nam ubi notio Dei, illic reverentia: ubi oblivio, illic contemptus quoque graſſatur. Quanquam proprie hoc ad fidem ſpectat: acſi diceret, Poſtquam tam duris pœnis ſubacti fuerint Iſraëlitæ, ſenſuros nihil eſſe auxilii extra Deum: qua ratione *factoris* nomen mox ſubjicit. Deteſtabilis certe ſocordia erat, in ſolo Deo, qui tot præclaris dotibus eos dignatus fuerat, non acquieſcere. Dicit igitur Propheta, Poſtquam malis & afflictionibus domiti fuerint, redituros ad ſanam mentem, ut ſperare in eo incipiant, qui tot beneficiis eos ſibi devinxerat. Et Factorem quidem ipſorum vocat Deum, non quatenus totum humanum genus creavit, ſed eodem ſenſu quo & Sanctum Iſraëlis. Quamvis ergo ad imaginem Dei formati ſint cuncti mortales: proprie tamen Iſraël opus ejus fuit & figmentum: quia peculium ejus erat, & ſacer electuſque populus. Atque hæc repetitio ex communi linguæ Hebraicæ uſu ad rem unam notandam ponitur. Sanctum ergo vocat non ſolum in ſe, ſed etiam ab effectu, quod ſanctificet, vel ſibi filios Abrahæ ſegregaverit. unde ſequitur, creationem cujus meminerat, de reformatione ſpirituali debere intelligi: ſecundum quam ſpecialiter vocatur Fictor Iſraëlis.

Geneſ. 1. verſ. 27. Exod. 19. verſ. 6.

8. *Et non reſpiciet ad aras.*] Hoc antitheton clarius demonſtrat illud Reſpicere, de quo loquutus eſt proximo verſu, proprie de ſpe & fiducia intelligi. Nam ubi in Deo ſperare didicerint homines, pravas omnes fiducias in nihilum abituras dicit. Ut ſane non aliter Deum purgatis oculis quiſquam intuetur, niſi omnes ſuperſtitiones procul à ſe abjiciat. Ideoque docemur tollenda eſſe ejuſmodi impedimenta, ſi quis ad Deum accedere velit. Nam falluntur, qui volunt Deum cum idolis conjungere, quemadmodum faciunt Papiſtæ & olim fecerunt Judæi. neque enim noſtri tantum ſeculi, ſed omnium hoc vitium fuit. Omnibus igitur obſtaculis renunciandum, ut in Deum intenti, recta & liquide ipſum intueri, atque in eo acquieſcere poſſimus. Porro deteſtationis cauſa fictitios deos Opus manuum vocat, ut ſua ſtultitia pudefacti Iſraëlitæ, tam fœdum probrum à ſe excutiant ac profligent. Interea hoc vitium pluribus notat, quod eo potiſſimum laborarent, quum tamen nullum coram Deo deteſtabilius eſſe poſſit. Innumeræ vero erant apud ipſos ſuperſtitiones, innumeriſque in locis & idola & altaria erexerant, ut merito hæc Jeſaias pluribus reprehendere & urgere debuerit. Poſſet objici, Altare Jeroſolymitanum ab hominibus etiam conſtructum fuiſſe: ideoque relinquendum, ut ad Deum veniretur. Reſpondeo, illud ab aliis longe diſſimile fuiſſe. nam etſi lapidibus & cæmentis, auro & argento conſtabat, hominumque opera, quemadmodum & alia, effectum erat: tamen neque materia, neque operarii, ſed auctor ipſe Deus ſpectari debet: quia juſſu ipſius extructum erat. Itaque forma, ut ita dicam, eſſentialis, quam acceperat ex verbo Dei, ſpectanda eſt: cætera in rationem non veniant, quum Deus ſolus ſit architectus. Aliæ vero aræ, tametſi ſimilitudinem quandam cum illa haberent, quia carebant Verbi auctoritate, deteſtabiles ſunt. Idem de omnibus fictitiis cultibus judicium facere convenit, qualemcunque ſanctimoniæ ſpeciem præ ſe ferant. Nihil enim Deo probari poteſt, niſi quod eſt verbo ipſius conſecratum.

Exod. 27. verſ. 1. Exod. 20. v. 24,25. Deut. 27. verſ. 5,6.

9. *In die illa.*] Proſequitur quod dicere cœperat de exterminandis terræ incolis. Et quia munitis urbibus & propugnaculis freti Iſraëlitæ putabant ſe in tuto quieſcere, nihilo plus in illis præſidii fore denunciat, quam ſi hoſtes per deſerta loca iter facerent. Nam quod putant quidam חורש & עזובת propria eſſe urbium nomina, coactum eſt. ſed potius vel inculta & inamœna loca intelligo: vel nihilo plus momenti fore ad defenſionem in muris & foſſis, quam ſi Iſraëlitæ inter dumeta & virgulta habitarent. Particulam אשר, notam ſimilitudinis hic valere non dubito. ideo reddidi Quemadmodum, ut uno contextu dicat Propheta, non ſecus trepida fuga diſſipandum nunc eſſe populum, quam olim Deus vete-

res incolas fugaverat. Qui אשר relativum eſſe volunt, coguntur aliquid ſubaudire, & abrumpere ſententiæ filum. Atqui ſimpliciter reducitur in memoriam vetus exemplum, ut agnoſcant Iſraëlitæ quam inanis ſit & fallax omnis munitio contra Dei manum. Gravis eſt exprobratio. nec enim cogitabant Iſraëlitæ terram illam ideo ſibi velut hæreditario jure à Domino datam eſſe, ut ipſum colerent: fugatos eſſe hoſtes, ut in ejus poſſeſſionem mitterentur: nunc ingratitudine ſua indignos ſe tanto beneficio reddebant. Quo fit, ut eo privati, merito contraria prioribus bonis mala ſentiant. Atque hic locus ex Moſe, quem ſequuntur Prophetæ, fiet apertior. In
Levit. 26. *verſ.* 8. *Deut.* 32. *verſ.* 30. *Joſue* 23. *verſ.* 10.
promiſſis enim teſtatur in hunc modum, Unus veſtrum fugabit mille. In minis contra, Mille è vobis ab uno fugabuntur. Quemadmodum ergo tantum Cananæis terrorem incuſſerat, ut ſtatim è conſpectu Iſraëlitarum fugerent: ita populi ingratitudinem ultus eſt, ut nihil haberet virium ad reſiſtendum. In quo Dominus bifariam, tum in pellendis Cananæis, tum in ulciſcendo populo potentiæ ſuæ ſpecimen edidit. Proinde vetus illud beneficium Propheta commemorans ſimul ingrato & immemori populo perfidiam exprobrat, ut ſe merito puniri fateatur: idque à Domino proficiſci agnoſcant, quod ita ab hoſtibus profligantur, quibus antea terrori fuerant.

10. *Quoniam.*] Oſtendit cauſam cur adverſus decem Tribus ita ſæviat Dominus, ne ſe immerito affligi vel dure nimium tractari querantur. Summa eſt, mala omnia illis provenire ex impio Dei contemptu. Nimis enim fœda & prorſus inexcuſabilis ingratitudo erat, poſt tot accepta beneficia, perinde acſi nulla unquam in re Dei amorem experti eſſent, ſpes ſuas proſtituere tam profanis gentibus quam idolis. Nulli quidem increduli, ſi in judicium vocentur, culpam hanc effugient, quod vagando poſt creaturas, Deo injuriam faciant. ſed populi Iſraëlitici ſpecialis fuit ratio, cui ſe Deus ita patefecerat, ut omnibus mundi fallaciis valere juſſis, debuerit in ſola ejus gratia acquieſcere. Quare merito ingratitudinis damnatur, quod oblivione ſepelierit rectæ fidei materiam. Et certe, ubi ſemel guſtandam nobis præbuit Deus bonitatis ſuæ dulcedinem, ſi cordibus noſtris inſederit, nunquam alio nos dilabi continget. Unde ſequitur ingratitudinis convinci, qui vero Deo non contenti, huc & illuc inſtabiles feruntur: quia hoc modo inæſtimabilem ejus gratiam vilipendunt. Ideo nominatim exprimit Propheta Deum ſalutis, & Deum vel Rupem fortitudinis. צור enim utrumque ſignificat: quia inſtar portenti fuit non retineri ſub Dei fide, à quo toties ſervati fuerant, & quidem velut exerta manu. Quod addit Non fuiſſe recordatam, amplificatio eſt: quia oblique exprobrat malignam fuiſſe hanc ſocordiam, quod non reputaverint quot modis Deum olim ſenſiſſent beneficum.

Plantabis.] Sequitur pœna, ne inultam hanc ingratitudinem fore exiſtimarent: nempe quia reliquerint fontem bonorum omnium, quantumvis ſatagant pro quærendo victu, inedia tamen & fame confectum iri: quia quæcunque magno labore parta erunt, hoſtis vel rapiet vel perdet. Locus hic ſum-
Deut. 28. *v.* 30, 39.
ptus eſt à Moſe: quia inter alias refertur hæc maledictio. Unde apparet quod jam ſæpius monui, Prophetas multa ex Moſe mutuari, veroſque eſſe Legis interpretes. Vites autem exquiſitas, & palmites aliunde advectos notat: quia ex magnitudine jacturæ exacerbatur dolor.

11. *Die plantationis.*] Significat aſſiduam culturam, quæ plantis & ſeminibus adhibetur. quanquam poſſemus intelligere Succeſſum: acſi plantata nuper vinea ſtatim vinum produceret. Et hoc conſentaneum eſt proximo membro, ubi pro Die ponitur Mane. atque ita videtur notari ſubita maturitas. niſi forte hoc quoque ad ſedulitatem referre placeat, quod ſtatim à prima aurora ad laborem intenti erunt. In verbi, aliqua eſt ambiguitas. vertunt enim aliqui, Commotio rami in die infirmantis. Sed quum נחלה ſit hæreditas, hic meo judicio proprie Fruitionem ſignificat, non autem deduciter à חלה nec video quomodo conveniat nomen Rami. Fateor quidem, quum de vitibus fiat mentio, καταχρηστικῶς ſumi nomen Meſſis. Poſſet etiam verti Collector: & tamen de his duobus nolim pertinacius contendere, quia eodem redibit ſenſus: modo נחלה ſumatur pro ipſa perceptione fructuum. Sic enim non male fluet contextus: Tametſi aſſiduus ſis in cultura & à ſummo diluculo operi inſtes, nihil promovebis: quia vel palmitum agitatione fructus ſponte defluet, aut vites tuæ ſpoliabuntur. Ita per ſynecdochen ſub verbo Plantandi notatur aſſiduus labor, quem agricolæ & vinitores plantis & vineis impendere ſolent. Graviſſima autem hæc pœna eſt, atque à certa maledictione Dei proficiſcitur. Nam ſi is cui nulla poſſeſſio eſt, pellatur è regione & profligetur, non ita ægre feret ut is cui agri ſunt bene culti: ac præſertim ſi operam iis diu ſuam impenderit: ita Dominus Iſraëlitas ulciſci voluit, quod abuterentur fœcunditate terræ, & in abundantia ſua laſcivirent. Similis quoque pœna impiis in genere nunciatur, Quod fruſtra mane ſurgunt & indefeſſo *Pſal.* 127. *verſ.* 2.
labore ſeſe torquent. id enim ſine profectu facturos. Contra, Eos qui in Domino recumbunt, certum la- *Pſal.* 128. *verſ.* 2.
boris fructum percepturos, quia benedictio Dei comitabitur eorum labores.

12. *Hei multitudo.*] Alii exponunt Væ: ut ſit particula execrantis. interdum autem eſt vocantis, ut alibi vidimus. Atqui ego nunc dolentis potius eſſe arbitror. nam ingemiſcit ob cladem quam prævidet futuram in Iſraële: ſive hoc fraterno affectu faciat, ſive ut efficacius penetret vaticinium in animos lenti & ſocordis populi. Certum enim eſt Prophetas vindictam Dei cujus præcones erant, præ aliis exhorruiſſe. & quamvis pro impoſita ſibi perſona ſevere minitarentur, nunquam tamen exuiſſe humanitatis affectum, quin condoluerint pereuntibus. Valuit tamen præſertim ratio fœderis quod Deus cum ſemine Abrahæ pepigerat. Quem affectum in Paulo *Rom.* 9. *verſ.* 3.
etiam fuiſſe cernimus: adeo ut anathema pro fratribus fieri deſideraret. Dum ergo rem ſibi velut præſentem proponit Jeſaias, non poteſt non magno affici doloris ſenſu. atque hoc interea, ut attigi, ad majorem certitudinem facit: quod rem velut præſentem oculis ſubjicit, quaſi eam ipſe coram intueretur. Nomen Multitudinis ideo ponitur, quia ex multis & variis nationibus, quibus Aſſyriorum Monarchia conſtabat, collectus erat exercitus. Similitudines quas ſubjungit, non alio ſpectant niſi ad amplificationem. Eos enim mari aut diluvio comparat, quo univerſa aliqua regio inundatur.

13. *Strepent.*] Tametſi videatur illam comminationem perſequi, qua prius uſus eſt: tamen incipit fideles conſolari, repetita eadem ſententia. acſi quis diceret, Neceſſe eſt qui Dei fuerunt immemores, ſceleſtæ ſuæ defectionis pœnas dare, & quaſi diluvio obrui. Verum Dominus talem hoſtium truculentiam compeſcet. nam quum ſævitiam ſuam exercuerint, inveniet viam qua ipſos ejiciat ac profliget. Atque eximia conſolatio eſt, qua piorum reliquias ſuſtentare voluit. nec vero tantum loquitur de Judæis, ut vulgo exiſtimant. quum hactenus ſermonem direxerit ad decem Tribus, adhuc aliquos in Iſraële ſuperfuiſſe certum eſt qui vere Deum timerent, ac deſperaſſent, niſi eos aliqua promiſſio erexiſſet. His autem ſimilitudinibus, procellas & tempeſtates horrendas deſcribit. Nam quum Spiritus ſanctus piis conſolationem afferre vult, proponit ea quæ terrere & animos dejicere ſolent: ut intelligamus Deum tempeſtates omnes, tametſi violentas atque horrendas, facile ſedaturum. Ut enim ventis, & mari, & procellis: ita hoſtibus & eorum violentiæ facile imperat. Itaque continuo poſt comparat Aſſyrios ſtipulæ.

ſtipulæ. Etſi enim Iſraëlitarum reſpectu terribilis erat eorum impetus: coram Deo tamen ſimiles quiſquiliis fore admonet: quia nullo negotio diſſipabit omnes eorum apparatus. unde ſequitur non eſſe de eorum viribus & potentia ex ſenſu noſtro judicandum. Quoties ergo impiis frena laxari videmus, ut in perniciem noſtram irruant, cogitemus nos quidem, quantum in nobis eſt, eſſe perditos, ſed Deo in promptu eſſe modum, quo evaneſcere faciat eorum impetus. גלגל ſignificat Rem volubilem quæ vento facile exagitatur.

14. *Tempore veſpertino.*] Senſus eſt, Quemadmodum tempeſtas veſperi excitata, & paulo poſt ſedata, mane nulla eſt amplius: ita futurum ut hoſtibus diſpulſis, redeat ſubito præter ſpem læta ſerenitas. Duo voluit Propheta: primum repentinam fore hoſtium incurſionem, deinde cladem quam intulerint, haud diuturnam fore. Ut repente exorti ſunt Aſſyrii adverſus Iſraëlitas, ita repente conciderunt. Hinc miram conſolationem pii omnes percipere debent, quoties omnia tumultuari vident, & imminent horrendæ mutationes. quid enim aliud eſt, quam ſubita tempeſtas, quam Dominus ſedabit? Tyranni inſtar turbinum & procellarum in nos ingruunt. atqui eorum vim Dominus facile diſcutiet. Ejus ergo auxilium patienter expectemus. quamvis enim nos jactari ſinat, tamen per medias tempeſtates ad portum tandem perducet. Quod ſi Propheta exiguas quaſdam reliquias, quæ nullæ propemodum videbantur, conſolatus eſt: non dubium quin hæc promiſſio ad nos quoque pertineat. Nulli quidem fere ſumus, & in paucis angulis latet miſera Eccleſia: ſed ſi ſtatum regni Iſraël conſideremus, quam pauci illic erant Dei ſervi! Atque hi vix mutire audebant, tantum inerat omnibus odium religionis & pietatis. Quamvis ergo Dominus impiorum multitudinem perdat, exiguum tamen piorum numerum, qui cum aliis velut in eadem navi jactatur, porrecta aliqua tabula è naufragio ereptum, in tutum & tranquillum portum deducet.

Hæc eſt pars.] Alloquitur fideles qui latebant in regno Iſraëlis, eoſque cum Eccleſiæ corpore conjungit: tametſi membra hic atque illic diſperſa eſſent, ut ſæpe filiis Dei contingit. Qualis ſit exitus impiorum, qui nos perſequuti ſunt, hic cernimus. tametſi eorum furori ſimus expoſiti, ut diripiant, prædentur, conculcent, omneque genus contumeliæ in nos exerceant: ſimiles erunt procellis, quæ ſuo ipſarum impetu franguntur, & ſubito evaneſcunt. Hæc nobis expectanda ſunt de tyrannis omnibus qui hodie Eccleſiam miſere vexant, & inhumaniter tractant filios Dei. Inſcripta ſit animis noſtris hæc conſolatio, ut idem ipſis eventurum eſſe ſciamus.

CAP. XVIII.

HEus terra inumbrans alis, quæ eſt trans flumina Æthiopiæ.

2. Mittens per mare legatos, in vaſis junceis ſuper aquas. Ite nuncii celeres ad gentem diſtractam & expilatam: ad populum formidabilem, ab eo & deinceps: gentem undique conculcatam, cujus terram flumina diripuerunt.

3. Omnes habitatores orbis, & incolæ terræ, quum ſignum ſuſtulerit in montibus, videbitis: quum tuba clanxerit, audietis.

4. Porro ſic mihi dixit Jehova, Quieſcam, & videbo in tabernaculo meo, ſicut calor ſiccans pluviam, & ſicut nubes roſcida in calore meſſis.

5. Quia dum adfuerit meſſis, perfectum erit germen, & ex flore fructus erit matureſcens: tum amputabit ipſos palmites falcibus, & propagines auferendo exſcindet.

6. Derelinquentur pariter volatili montium & animalibus terræ. Æſtivabit ſuper illud volatile, & omnia animalia terræ hyemabunt.

7. Tempore illo adducetur Jehovæ exercituum munus, populus laceratus & expilatus, & de populo terribili, ex quo eſſe cœpit & deinceps: gente undique conculcata; cujus terram flumina diripuerunt, ad locum nominis Jehovæ exercituum, ad montem Sion.

HEus terra.] Non ſatis mihi compertum eſt, de quo populo loquatur Jeſaias. quanquam ſatis demonſtrat eum Æthiopiæ vicinum eſſe. Aliqui ad totam Ægyptum perperam referunt: quandoquidem ſeorſum proximo capite de ea tractabit. unde liquet, populum hic intelligi ab Ægyptiis diviſum. Nonnulli Troglodytas deſignari putant: quod mihi veriſimile non eſt, quum nihil habuerint commercii cum aliis gentibus. Stridebant enim, ut teſtantur Coſmographi, potius quam loquebantur. Iſtos vero quorum ſit mentio, ſocietates & fœdera cum aliis gentibus agitaſſe apparet. Incertum tamen eſt an contra Judæos conſpiraverint, an vero Ægyptiis ſe adjunxerint ad profligandos Aſſyrios. Si fuerint hoſtes ex profeſſo Judæis, vindictam denunciat Jeſaias. Si vero fallacibus promiſſis eos lactaverint, oſtendit nihil ab ipſis ſperandum eſſe: quia frivolis tantum legationibus tempus extrahent. Quicquid ſit, ex vicinis nationibus, quas hoc capite nominabit, colligere aliqua ex parte licet, quo loco ſiti fuerint: nempe non procul ab Ægypto & Æthiopia. Niſi forte placeat maritimam partem Æ-
infr. 37. verſ. 9. thiopiæ notari, quia patebit ex cap. 37. Aſſyriis cum rege Æthiopum bellum fuiſſe. Cæterum quod terram illam dicit inumbrare alis, hinc colligitur portuoſum fuiſſe ejus mare, ut habuerit frequentes navigationes, & opulenta fuerit. Tenues enim & inopes, nec exteras regiones frequentare, nec mercimonia exercere poſſent. Significat ergo multum apud ipſos fuiſſe uſum navigandi.

2. *Quæ mittis.*] Hoc proprie ad conditionem illorum temporum refertur. Videtur hic populus ſollicitaſſe Ægyptios vel Syros, ut Judam vexarent: vel Aſſyrios eorum opera uſos eſſe ad vexandum Judam: vel ſocios fuiſſe Ægyptiis, ut conjuncta manu Aſſyrios repellerent, ne ultra modum creſceret eorum potentia. nihil enim præter conjecturas afferri poteſt, quod nullæ extent hiſtoriæ quæ de eo teſtentur. Ubi ergo deſunt teſtimonia, probabilibus conjecturis utendum eſt. Has navigationes non in proximum quendam locum, ſed in longinquum ſuſceptas veriſimile eſt. Quod Junceas naves vocat, non debet videri abſurdum: quia Ægyptiis fuiſſe in communi uſu ex veteribus hiſtoriis notum eſt, quod Nilus ſit quibuſdam in locis admodum præceps, & periculoſus navigantibus, propter cataractas, quas Catadupa nominant: adeo ut naves ligneæ eo duci non poſſint, quin frangantur, & allidantur ſaxis: ideo naviculis flexilibus uti neceſſe eſt. Porro ne aquam reciperent, ac ita mergerentur, intus pice fuiſſe illitas tradunt Scriptores.

Ite nuncii celeres.] Hic locus eſt obſcurus: ſequar

tamen quod magis probabile mihi videtur. Oſtendit Propheta finem ſui vaticinii, id eſt, cur illius populi cladem prædixerit, nempe ſi credimus profeſſos fuiſſe hoſtes Judæis, ut aliquam conſolationem fidelibus afferat, qui miſere disjecti & diſſipati erant, ut accepto hoc nuncio oblectentur, & gratias agant Deo. Si autem magis placeat implicitos ab hac gente fuiſſe Judæos illicito fœdere, ironica erit hæc adhortatio, qua electi populi ſtultitiam coarguere voluit Propheta, quod relicto Deo ab inanibus auxiliis penderet. Nam quod nonnulli hæc verba Deo tribuunt, quaſi maritimos iſtos populos in exitium Judæorum properare jubeat, mihi convenire non videtur. Nihilo etiam magis, quod alii putant ſequentibus verbis deſcribi ignoræ illius vel obſcuræ gentis cladem. Expilatam enim gentem intelligit Judæos, qui miſerabiliter vexandi & diſſipandi erant, ita ut nulla in eis pars integra remaneret. Horribilem, quod tantis calamitatibus deformis, horrorem incuteret omnibus qui eam intuerentur. Nec enim probare poſſum, quod nonnulli exponunt de ſignis & miraculis, quæ Dominus apud ipſos edidit, ut omnibus formidabiles redderentur. nam alluſit potius
Deut. 28. *v.* 28, 37. ad illum Moſis locum, Dominus conſtituet te in ſtuporem & horrorem: quemadmodum alibi, In con-
Jer. 18. *verſ.* 16. cuſſionem capitis & ludibrium. Itaque ſignificat populum cujus tam horrendus ſit aſpectus, ut omnes
& 19: 8. & 25. *v.* 9, 18. obſtupefaciat. quod Judæis & prædictum eſſe, & accidiſſe ſcimus. קו קו, id eſt, Undique, acſi quis
Jer. 24. *verſ.* 9. duceret lineas, iiſque inter ſe conjunctis, nullum locum vacuum relinqueret: vel ſulcos duceret in agro, quibus omnes glebas ſubigeret. Sic enim ſubactus ille populus & protritus eſt. Per Flumina, ingentem hoſtium, id eſt, Aſſyriorum exercitum in-
* *verſ.* 6. telligit. Alludit autem ad id quod prius cap. 8.* dixerat, Populum rivulo ſuo minime contentum, rapidas & violentas aquas expetere. poſtquam igitur ipſos accerſiverunt, iis tanquam diluvio ſunt obruti. Atque hæc totius mali cauſa fuit, quod Dei promiſſionibus non contenti aliena præſidia quæſierunt. Jam ſi mandatum hoc ad Nuncios celeres in Dei perſona accipitur, hinc colligimus non ſtatim ipſum ſuis ſuccurrere, ſed ſuſpendere euſque ſuum auxilium, donec ad deſperationem ventum ſit. Neque enim lætum & felicem nuncium mittit ad integros, vel leviter tantum percuſſos, ſed ad gentem prorſus dejectam & calcatam. Properare tamen jubens, intelligit ſubitum fore & inopinatum judicium, ut lux repente in tenebris affulgeat.

3. *Omnes habitatores.*] Tam illuſtre hoc Dei opus fore oſtendit, ut omnibus populis conſpicuum ſit, nedum Judæis. Hæc quidem verba, quæ futuri ſunt temporis, per imperativum, pro more Scripturæ, quidam vertunt: ſed magis convenit in futuro accipere. Perinde acſi diceret, Remotiſſimos quoſque populos hujus cladis fore teſtes: quia & vexillum conſpicietur ab omnibus, & tubarum clangor in toto orbe perſonabit. Unde palam fiet non ab hominibus motum eſſe bellum, ſed à Deo ipſo, qui inſignibus notis ſe auctorem eſſe oſtendet. Quum geruntur bella, omnes palam quid agatur, cernunt: ſed bona hominum pars eorum initia & exitus fortunæ tribuit. Contra, Jeſaias hæc omnia tribuenda Deo eſſe oſtendit, quia novo & inſolito modo potentiam ſuam exeret. Nam ſic interdum operatur, ut manus ejus lateat, nec opus ipſius ab hominibus cenſeatur. Interdum vero ſic manum exerit, ut omnes eam cogantur agnoſcere. idque voluit Propheta.

4. *Porro ſic.*] Poſtquam Æthiopibus, vel eorum vicinis ſtragem minatus eſt, & ſimul oſtendit inde venturum eſſe ſolatium ad Judæos, vel ironice ſtultam fiduciam perſtrinxit, qua decepti fuerant Judæi: nunc ſubjicit Deum iſtos confuſos motus ſic temperaturum, ut electi populi reliquias tandem ad ſe colligat. Particula כי, quam reddidi per Porro, nunc cauſalis, nunc adverſativa eſt. hic autem ſecundus ſenſus videtur melius quadrare: quia dubitationi occurrit Propheta, quæ vehementer alioqui turbare poterat infirmos animos: quia & in rebus permixtis Dei providentia quaſi oppoſito velo nobis obtegitur, & talis erat ſtatus gentis illius, cui excidium denunciat, ut vaticinium hoc pro fabula haberi & rideri poſſet. nec enim, ut colligere licet, ullum periculum ullave mutatio imminebat. Hoc nonnulli ad perſonam Jeſaiæ referunt, quaſi fretus oraculo Dei quieſcat, id eſt, pacato ſit animo: quemadmodum nos eſſe oportet audito verbo Dei, idque certo expectare quod prædictum eſt. Quemadmodum etiam Abacuc, Super ſpeculam, inquit, meam ſtabo. Sed *Abac.* 2.
dubium non eſt quin narret quod ſibi à Domino præ- *verſ.* 1.
dictum fuerat, & Dominum ipſum ejus ore hanc ſententiam pronunciare. *Quieſcam*, id eſt, ſuperſedebo quaſi otioſus. nam & Videre hoc ſignificat. Nullæ enim ſpectatoris ſunt in agendo partes: aſpectu contentus acquieſcit. Ad id etiam facit Tabernaculi nomen, acſi ſub tectum Dominus ſeſe ad quietem reciperet: quemadmodum è diverſo ſe tribunal conſcendere dicit, quum impiorum ſcelera ulciſcitur. Sunt enim formæ loquendi ad uſum noſtrum accommodatæ. Niſi forte magis placeat, Prophetam ad Sanctuarium alludere: quia etſi in afflicto populo obſcura ad tempus latebit Dei majeſtas, efficax tamen fore ejus otium. Summa huc redit: quamvis ſurſum & deorſum omnia volvantur, ut obrepere queat ſuſpicio, nullam Deo amplius curam eſſe regendi mundi, ipſum tamen conſulto quieſcere, acſi cubiculo incluſus otio vacaret, fructumque hujus quietis ſuo tempore fore manifeſtum.

Sicut calor ſiccans.] Hac eleganti metaphora magis exprimit quod jam dixerat Jeſaias. Quanquam bifariam accommodari poteſt ad mentem Prophetæ: vel quod Deus tanquam ex ſua quiete expergefactus, proferet ſerenum vultum qui fideles exhilaret: vel vivifico humore eos irrigabit. hoc modo notaret Propheta diverſos ſucceſſus. Vel ſubeſt tacita antitheſis, qua admonet, ubi videbitur Deus otioſus jacere & ſpeculari quæ aguntur, poſſe tamen quaſi ludendo ſua judicia exequi. Et certe quia cum hoc verſu cohærent duo ſequentes, videtur hoc velle Jeſaias, Quamvis Deus non ſatagat more hominum, neque fervido impetu feſtinet, occultos tamen eſſe modos in ejus manu, ut ſua judicia exequatur, nec interea digitum moveat. Forte etiam docere voluit, Deum in hac gente perdenda, aliter quam plerumque ſoleat acturum. Sed nobis ſufficere debet quod nuper attigi, dum ſecure homines rebus proſperis *1 Theſ.* 5.
indormiunt, ac deliciis ebrii putant nihil jam ſibi *verſ.* 3.
eſſe cum Deo, inſtare ſubitum interitum: quia Deus ſpeculando ſuperat omnes mundi conatus vel apparatus. Itaque teſtatur ſe ſimilem fore lucido ac ſereno cælo, & calori pluvias exſiccanti: deinde roſcidæ nubi in ferventi æſtu. Scimus autem hanc pluviam aptiſſimam eſſe maturitati frugum: atque etiam calorem qui pluvias conſequitur, accelerare fruges ac fœcundiores reddere, quum ſua vi penetrans, humorem intus magis adigat. Hoc autem voluit Propheta, Tametſi impendeant reprobis clades & miſeriæ, tamen ita iis omnia ex voto fluere, ut ſumme beati eſſe videantur, acſi Dominus ipſos omni bonorum genere cumulare vellet. verum ſaginari ut boves ad mactationem deſtinatos. Quum enim ad ſummam felicitatem perveniſſe videntur, ſubito intereunt. Unde ſequitur non eſſe de judiciis Dei ex præſenti rerum aſpectu judicandum. quum enim admodum ſecuri ſunt, haud longe abeſt interitus & extrema ruina. Ita citiſſime ſolatur fideles, ne reprobis melius eſſe exiſtiment quantiſper ceſſat Deus: quia etſi fovere in ſinu videtur quos tolerat, brevi in nihilum rediget. Hæc autem accommodanda ſunt miſeris iſtis & calamitoſis temporibus, quibus tyranni Eccleſiam oppri-

opprimentes, ſoli florent, boniſque omnibus affluunt, ſicque machinantur, acſi omnia ipſis in manu eſſent. Prævalent enim potentia, conſiliis, aſtu. Sed omnia hæc conſilio Dei fieri intelligamus, qui ſucceſſus ipſorum accelerat, omniaque proſpera concedit, ut tandem eos momento interimat atque perdat. Scio longe in diverſum ſenſum ab aliis trahi Prophetæ verba. ſed quiſquis prudenter totum contextum expendet, facile, ut ſpero, ſubſcribet meæ interpretationi.

5. *Quia dum adfuerit meſſis.*] Ad verbum eſt, A præſentia meſſis: ſed mitiganda fuit aſperitas. ac ſenſus Prophetæ minime dubius eſt, Jam propinqua meſſe, & uvis matureſcentibus, totum proventum, cujus ſpe lætati fuerant impii, repente ipſis abreptum iri. Continuat enim eandem ſententiam Propheta, & idem quod prius his ſimilitudinibus confirmat: impios non ſtatim exſcindi, ſed florere ad tempus, Dominumque eis parcere: ſed quum meſſis adfuerit, quum vites gemmas protulerint & defloruerint, ita ut appareant omphaces, palmites ipſos ſuccisum iri. Ita quum impii maturitati proximi erunt, non tantum fructu privabuntur, ſed à radice exſcindentur cum ſua propagine. Talem impiis exitum dabit Dominus, poſtquam eos proſperis rebus aliquandiu frui ſiverit. ſic enim à radice evellentur, ut reviviſcere ac reſtitui nullo modo poſſint. Eximiam vero hinc conſolationem percipimus, quod quum diſſimulat Dominus, fidem noſtram probat, nec ſinit omnia cæco fortunæ impetu ruere, quemadmodum profani homines putant. Deus enim in cælo eſt, velut in tabernaculo ſuo, vel in Eccleſia ſua, quaſi in tugurio ignobili reſidens: opportune deinde prodibit. Ita ingrediamur conſcientias noſtras, ſicque nobiſcum reputemus omnia, ut animos noſtros hujuſmodi promiſſione ſuſtentemus: qua ſola tentationes vinci ac ſuperari poſſunt. Hoc etiam perpendamus, quod Dominus ſe impiorum felicitatem promovere & accelerare dicit: quæ ad illuſtrandam magiſque ac magis patefaciendam Dei miſericordiam facit. Nam ſi eos ſtatim quaſi pullulantem ſegetum herbam præcideret ac tolleret, non ita conſpicua eſſet ipſius potentia, nec bonitas ejus tam certo agnoſceretur: ſicuti quum eos in excelſam magnitudinem excreſcere, repleri & florere ſinit, ut poſtea ſua mole corruant, aut veluti turgidas & pingues ariſtas, putatoriis falcibus præſcindat.

6. *Derelinquentur pariter.*] Sic impios ut res nihili
projectum iri ſignificat: quemadmodum etiam Joan-
Matth. 3. vers. 12. Luca 3. vers. 17. nes Baptiſta comparat eos paleis, quæ abjiciuntur in ſterquilinium. Ita Jeſaias feris & avibus exponendos eſſe docet, ut æſtate apud ipſos nidificent aves, hyeme vero feræ luſtra ſua habeant. acſi diceret, non tantum hominibus, ſed feris quoque ipſis in probrum fore. Talis igitur eſt impiorum exitus, qui excelſo in loco quaſi extra omnem aleam poſiti, omnia præ ſe deſpiciunt. Iis aves & feræ beſtiæ in cubile & paſtum abutentur. Dejicientur, inquam, non ſolum infra omnes homines, ſed etiam infra ipſas beſtias, omnique dedecori & ignominiæ expoſiti, documentum erunt admirabilis Dei providentiæ.

7. *Tempore illo.*] Iterum oſtendit Propheta quorſum profanæ genti excidium minatus ſit. quum enim nationes fere omnes in exitium Eccleſiæ conſpiraſſent, de ea prorſus actum eſſe videbatur. Dominus ergo auxilium ei ſe in tempore laturum ſignificat. Niſi enim obſtitiſſet talibus conſiliis, & tempeſtive repreſſiſſet hoſtium conatus, Judæi deſperaſſent: ideoque oſtendit ſe Eccleſiæ curam habere: & quamvis eam caſtigare velit, occurrere tamen in tempore ne pereat: manumque ſuam opponere tyrannis & aliis hoſtibus, ne ipſam evertant, & voti, quod ſibi putabant eſſe in manibus, potiantur. Ergo ut Judæos ad patientiam animet, non ſolum eos diſcernit à gente Æthiopum, ſed etiam admonet in eorum ſalutem Deum ſua judicia moderari. Alludit autem ad ſecundum verſum hujus capitis, ubi iiſdem nominibus & titulis Judaicum populum deſignari vidimus. Et utitur Adducendi verbo, quia ante in exilium trahendi erant, ut nihilo magis liberum ipſis eſſet in Templum aſcendere, quam exteris gentibus. Notandum etiam quod ait מעם: denotat enim populum non fore integrum. acſi diceret, Tametſi vos ad paucitatem redigi oportet, ut tenues ſitis reliquiæ, hi tamen pauci qui ſupererunt, Deo in ſacrificium offerentur. Utiliſſima hinc doctrina, noſtriſque temporibus aptiſſime colligenda eſt. nam hodie haud procul à deſperatione abeſt Eccleſia: expilata enim, diſſipata & undique quaſſata, imo contrita eſt. Quid agendum in tot tantiſque anguſtiis? arripiendæ ſunt hæ promiſſiones, ut Deum nihilominus Eccleſiam ſervaturum eſſe confidamus. utcunque corpus ſit lacerum, diſſectum in fruſta & disjectum, membra tamen facile Spiritu ſuo conjunget: nec unquam memoriam nominis ſui & invocationem perire ſinet. Efficiet Dominus ut ex his fruſtis quæ nunc disjecta & diſſipata ſunt, populus in unum coëat & congregetur. Quos enim longiſſimo intervallo conjungit unitate ſpiritus, eoſdem facile poteſt in unum aggregare. Tametſi igitur populum imminui, & membra aliqua reſcindi videamus, tamen ex eo munus aliquod Domino offeretur.

Ad locum nominis.] Hic modus loquendi uſitatus eſt Prophetis. Quum enim cultus Dei mentionem faciunt, ab externis exercitiis ipſum indicant: veluti ab aris, ſacrificiis, ablutionibus, & ejuſmodi. Et certe quum cultus Dei ſit interior, non aliter quam externis ſignis deſignari poteſt, quibus homines teſtantur ſe Deum colere & venerari. Hic autem præcipue montem Sion nominat, quod locus ille Deo conſecratus eſſet, atque illic ſibi ſacrificia offerri vellet. nam & præcipuo illo honore dignatus eſt, quum inde doctrinam Verbi emiſerit, quemadmodum antea vidimus: ut merito ſub ejus nomine purus atque supr. 2:3.
integer Dei cultus intelligatur. Denique Prophetæ non deſcribunt cultum Dei, qualis poſt Chriſti adventum futurus erat, ſed qualis erat ſuo tempore. Oportebat enim ipſos ſeſe accommodare populo cui ſerviebant. Hinc colligendum eſt, nos ad Eccle-
ſiam non aliter pertinere, quam ſi Deo in ſacrifi- Rom. 12.
cium offeramur. Comparet ergo ſeſe ad hanc mácta- vers. 1.
tionem quiſquis Dei eſſe volet, nec amplius ſibi vi-
vat, ſed totus Deo conſecretur. Hoc autem gladio 2 Cor. 5. vers. 15.
Verbi ſcimus fieri (Euangelio ſcilicet) quo etiam
Paulus ſe homines Deo offerre & ſacrificare gloria- Rom. 15.
tur. Per Locum nominis Domini, non intelligit vers. 16.
eſſentiam Dei illic eſſe incluſam, de qua nihil craſſum aut terrenum cogitari debet, quaſi Deus loco affixus ſit: ſed quia locus erat in quo Dominus teſtari potentiam ſuam, coli & invocari voluit: ubi ſe beneficiis ſuis & virtute præſentem eſſe declarabat: idque ob ruditatem populi, qui aliter ejus majeſtatem comprehendere non poterat. Interea notandum eſt, nos non poſſe aliter gratos eſſe Deo, quam ſi in unam & eandem fidem coaleſcamus: id eſt, ſimus Eccleſiæ membra. neque enim nobis Jeruſalem, vel ad montem Sion excurrendum. quia tam longe & late patet hodie Sion, quam univerſus orbis, qui totus conſecratus eſt Deo. Supereſt igitur ut eadem vigeat inter nos fides, & charitatis vinculo ſimul juncti ſimus. Hæc ſi deſint, profana apud nos omnia, nec ſacri quicquam aut ſancti habemus.

Cap. XIX.

ONus Ægypti. Ecce Jehova equitat ſuper nubem celerem: & veniet in Ægyptum, & commovebuntur idola Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti diſſolvetur in medio ejus.

2. Et committam Ægyptios cum Ægyptiis, pugnabit quiſque tunc contra fratrem ſuum: quiſque, inquam, contra proximum ſuum: civitas contra civitatem, & regnum contra regnum.

3. Et exinanietur ſpiritus Ægypti in medio ejus: & conſilium ejus deſtruam, etiamſi quærant illud apud idola, apud magos, apud pythones, apud divinos.

4. Et tradam Ægyptios in manum domini ſævi, & Rex fortis dominabitur eis, dicit Dominus Jehova exercituum.

5. Tunc deficient aquæ à mari: & fluvius exſiccabitur atque areſcet.

6. Elongabuntur flumina: exhaurientur & ſiccabuntur rivi munitionis: arundo & careꝺtum ſuccidentur.

7. Herbæ ad rivum & ſuper os rivi, & omnis ſementis rivi areſcet, & propelletur, ut non ſit.

8. Et mœrebunt piſcatores, & lugebunt omnes qui hamum projiciunt in rivum: qui expandunt rete ſuper faciem aquarum, debilitabuntur.

* vel, pellucidas. † vel, mercedis.

9. Qui in lino optimo operantur erubeſcent, & qui texunt plagas * foratas.

10. Erunt enim retia ejus diſſipata: & omnes architecti † retis triſtes erunt animo.

11. Certe ſtulti Principes Zoan: prudentum conſiliariorum Pharaonis conſilium infatuatum eſt. Quomodo dicitis Pharaoni, Filius ſapientum ego, & filius Regum antiquorum?

12. Ubi nunc prudentes tui? ut annuncient tibi, aut etiam ſciant quid decreverit Jehova exercituum ſuper Ægyptum.

13. Infatuati ſunt Principes Zoan, decepti ſunt Principes Noph, ſeduxerunt Ægyptum angulus tribuum ejus.

14. Jehova miſcuit in medio ejus ſpiritum perverſitatis: & ſeduxerunt Ægyptum in omni opere ejus, quemadmodum circumagitur ebrius in vomitu ſuo.

15. Nec erit Ægypto opus quod faciat, caput vel cauda, ramus aut juncus.

16. In die illa erit Ægyptus inſtar mulierum. Horrebit enim & pavebit à facie agitationis manus Jehovæ exercituum, quam agitabit ipſe ſuper eam.

17. Et erit terra Juda Ægyptiis in tremorem. Omnis qui recordatus fuerit illius pavebit ſuper ipſam, propter conſilium Jehovæ exercituum, quod decrevit ſuper eam.

18. In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes labio Canaan, & jurantes per Jehovam exercituum. Civitas deſolationis una vocabitur.

19. In die illa erit altare Jehovæ in medio terræ Ægypti, ſtatua item juxta terminum ejus Jehovæ.

20. Eritque in ſignum & in teſtem Jehovæ exercituum, in terra Ægypti. Quia clamabunt ad Jehovam propter oppreſſores: & mittet eis Servatorem & Principem, ut liberet eos.

21. Et cognoſcetur Jehova ab Ægyptiis, cognoſcent, inquam, Ægyptii Jehovam in illo die: & facient ſacrificium & oblationem, vovebuntque vota Jehovæ & reddent.

22. Itaque percutiet Jehova Ægyptum: percutiens, & ſanans. Convertentur enim ad Jehovam, & exorabitur ab eis, & ſanabit eos.

23. In die illa erit via ab Ægypto in Aſſyriam: commeabunt Aſſyrii in AEgyptum, & AEgyptii in Aſſyriam: & colent Ægyptii * Aſſyrios.

* vel, cum Aſſyriis.

24. In die illa erit Iſraël tertia cum Ægypto, & Aſſyria benedictio in medio terræ.

25. Quia benedicet illi Jehova exercituum, dicens, Benedictus populus meus AEgyptius, & opus manus meæ Aſſyrius, & hæreditas mea Iſraël.

ONus *Ægypti.*] Hic Propheta adverſus Ægyptum vaticinatur, quod eſſet veluti aſylum Judæis, ſimulatque tempeſtas ipſis aliqua ingruebat. Deo enim relicto, ad quem confugere debuiſſent, nihil amplius opis præterquam in Ægyptiis reliquum eſſe exiſtimabant. Ideo regnum etiam illud atteri oportuit, ut nullæ reſtarent ejus opes aut copiæ, quibus Judæi fallerentur. Quamdiu enim florebat Ægyptus, quod populoſiſſima & munitiſſima eſſet, longe à periculo ſe abeſſe confiſi, Deum ſpernebant: vel ſaltem nihili fere ducebant ejus promiſſiones. Itaque duplex in eo malum erat: primum quod quum in uno Deo recumbere deberent, turgebant inani illa fiducia Ægypti: deinde, quoties in ipſos animadvertebat Dominus, Ægyptiorum potentia ſeſe adverſus ejus plagas muniebant: acſi potuiſſent hominum copiis judicia ejus irrita facere, quum ſe totos ad eum convertere debuiſſent: qua de refuſius infra diſſeret Jeſaias c. 30. *infr. 30. verſ. 2.*

Ecce Dominus equitat.] Hæc loquutio habetur etiam in aliis Scripturæ locis, ſed generalis. eam vero *Pſal. 104.* Propheta huic vaticinio accommodat: quod Ægy- *verſ. 3.* ptii ſe undiquaque ſic munitos putarent, ut nullus Deo acceſſus ad ipſos pateret. Hanc ergo inanem fiduciam ridet: & eminentem Dei potentiam oſtendit, quum nube celeri vehatur. unde ſibi aditum facile patefaciet: nec munitiones, neque propugnacula ipſi obſtabunt. Cæterum, quia præter terrenas opes,

falſa

falſa etiam religio dementaverat Judæos, hac quoque in parte ridet eorum amentiam Propheta, quia Deus proſternet quicquid ſibi eſſe putabant auxilii in idolis. Figmentum puerile omitto, quod plerique imaginati ſunt de everſis à Chriſto idolis in Æ-
Matth. 2. *verſ.* 14. gypto, quum illuc infans deferretur. Eſt enim refutatione indignum. Abuſi autem ſunt hoc loco ad id probandum, ut etiam aliis quam plurimis: quum longe alius ſit Prophetæ ſenſus. Loquitur enim de calamitate, quæ Ægyptiis per Aſſyrios illata eſt, quam admonet Deo tribuendam eſſe, non Fortunæ, ut profani homines ſolent. Hoc ergo judicium Dei eſſe oſtendit, cujus manu omnia adminiſtrantur. Significat autem idola ruitura, id eſt, nihil profutura Ægyptiis quantumvis eorum auxilio confidant, & ſub eorum tutela ſe eſſe arbitrentur. Nulla enim gens tam addicta fuit ſuperſtitionibus: quandoquidem feles & boves, & crocodilos, atque etiam cepas atque omne genus plantas adorabant: nec ulla res erat, cui non divinitatem aliquam affingerent. Horum igitur omnium, quos ſibi Ægyptii adoptaverant patronos, fictitiorum deorum potentiam everſum iri ſignificat. Jam ubi docuit Ægyptios fruſtra ſuis ſuperſtitionibus niti, ſimul etiam ſuperbiam dejicit quam conceperant de terrenis ſuis viribus: ac Cordis nomine intelligit magnanimitatem quæ robuſtiſſimos quoſq; interdum deficit, ut nihil audeant etiam dum ſuppetunt vires & copiæ. atque hoc modo bellum illis cum Deo fore exprimit, qui intus corda liquefaciet antequam neceſſe ſit cum hoſtibus confligere. Neque enim tantum expavefactum iri denunciat, ſed ſimul addit, In medio totius regni, ubi maxime tuta & tranquilla erat habitatio, quum longe abeſſent ab omni incurſu. Hoc conſiderandum fuit piis omnibus, quum bellum Ægyptiis illatum eſt: ac idem etiam nos ipſi debemus contemplari in omnibus regnorum mutationibus, quæ ex ſola Dei manu proficiſcuntur. Si cor labaſcit bellicoſis alioqui viris qui magnam fortitudinem oſtentaverant, ſi deficiunt vires, hoc ultioni Dei tribuendum.

2. *Et committam.*] Hic ſpecialius deſignat cladem quam Ægypto inferre ſtatuerat. Committendi verbo, ſignificat inteſtina diſſidia, quibus ſeſe mutuo proſcindunt, qui ſeipſos inter ſe tueri debuerant. quo malo nullum magis exitioſum, aut civitati, aut populo accidere poteſt. Operæpretium vero fuit hoc etiam perſuaderi Judæis, Quia in manu Dei ſunt corda hominum, poſſe arcano ejus inſtinctu ad mutuas diſcordias accendi Judæos quibus ſe ipſi conficerent, quamvis ſuperiores eſſent externis hoſtibus. Hinc docemur, populos nunquam tumultuari, niſi Dominus eos inter ſe committat: acſi quis gladiatores in arenam produceret. Accendit eorum animos ad pugnam, atque impellit, ut alii alios mutuis vulneribus conficiant. Quemadmodum igitur Deo acceptum ferendum eſt quum amicitia colitur inter cives: ita ultioni ejus tribuendum, quum alii ſæviunt in alios, ſeque ipſos cædunt ac comminuunt. Amplificandi cauſa ſubjicit quod etiam magis prodigioſum eſt: eos qui ſanguine inter ſe conjuncti ſunt, armandos eſſe in ſuam ipſorum perniciem. Nam ſi belluis deteriores ſunt homines, quum naturæ communis obliti inter ſe digladiantur, quanto magis abhorret à natura, fratres aut neceſſitudine conjunctos inter ſe pugnare? Quo vero id magis portentoſum eſt, eo magis judicium Dei & dira ejus ultio agnoſcenda eſt. Videtur autem gradatim progredi Jeſaias. primum enim fratrem nominat, deinde proximum, tertio civitates, quarto regna. Regna autem intelligit provincias, in quas diſtributa erat Ægyptus, quas Græci νομοὺς vocabant: ſicuti etiam hic verterunt.

3. *Et exinanietur.*] Sicuti paulo ante Ægyptiis animum abſtulerat Jeſaias, nunc etiam mentem ipſis adimit. quæ duo ad regnorum defenſionem vehementer neceſſaria ſunt: quandoquidem his ſublatis, nulla gerendarum rerum ratio eſſe poteſt. Populus vero ille perſuaſione prudentiæ ſe anteponebat aliis: atque ut faſtuoſe deſpexerit cæteros omnes ut barbaros, acſi in ſola Ægypto eſſet cultus, humanitas, doctrina, ſolertia, ſatis notum eſt. Nam & ſe inventores literarum eſſe jactabant: Philoſophiam & Aſtrologiam à ſe protectam eſſe: denique omnium artium liberalium officinam eſſe Ægyptum. Ideoque nunquam hoc ſibi eventurum putaſſent, ut eos conſilium & prudentia deficeret. nec dubium quin ſi ad eos perveniſſet hoc vaticinium, ſecure riſiſſent: ac potius deſuturas mari aquas, & omnia everſum iri putaſſent, quam hoc ipſis accideret, quibus ingenitam eſſe prudentiam ipſam cenſebant. Verum hoc intrepide pronunciat Jeſaias: nec enim ex ſe loquebatur. Cæterum, quia prædixerat audacia qua pollebant eſſe privandos, contextus poſtulat ut nunc intelligat cæcitate percuſſum iri: quia utraque animæ facultas à ſola Dei gratia pendet. Proinde רוח hic Mentem & perſpicaciam ſignificat: quod diligenter notandum: quia multi in hoc nomine hallucinantur. Et in voce Conſilii, quæ mox additur, major eſt expreſſio prioris ſententiæ. oſtendit enim unde ſit iſta inanitas, nempe quia Deus conſilium ipſis adimet atque tollet.

Etiamſi quærant.] Hic anticipatio eſt. nam occurrit iis quæ Ægyptii objicere potuiſſent, Annon ſunt nobis dii, quos conſulamus? annon ſunt magi, divini, pythones? hæccine tu pro nihilo ducis? Hæc omnia nihil ipſis profutura eſſe denunciat, utcunque iis vehementer confidant, & turgeant inani nomine Sapientiæ. In his nominibus haud multum immorabor, in quibus tamen Jeſaiam gradatim progredi veriſimile eſt. Primum enim deos nominat, deinde magos, poſtea ſubjungit divinos & ariolatores. Habebant enim oracula ſua, quibus in primis confidebant. Inferiores erant magi: quanquam & hi magnæ erant auctoritatis. In rebus autem levioris momenti, pythones conſulebant. Tam inquieti ſunt ſuperſtitioſi homines, ut nihil eis ſatisfaciat. incerti enim & inſtabiles, nunc ad hæc, nunc ad alia remedia decurrunt: & ſane ita ipſis imponit Satan, ut initio ſpeciem quietis & tranquillitatis offerat, quam ſe nactos omnino putent: quo poſtea vacuos eſſe oſtendat, magiſque exagitet ac vexet, novamque certitudinem requirere cogat. Ita nuſquam mentes noſtræ, præterquam in ſolo Deo, acquieſcere & pacatæ eſſe poſſunt. Nec dubium quin iſtas artes ut alienas à ratione damnet Propheta. Deus enim patefecit omnia cognitu neceſſaria artibus & ſcientiis, quas in uſu eſſe voluit, ipſique probatæ ſunt. Si quis aliter ſapere volet, eum Satanam pro magiſtro habere neceſſe eſt.

4. *Et tradam.*] Nunc demonſtrat quid futurum ſit Ægyptiis, poſtquam & fracti corde, & intelligentia privati fuerint. nihil enim iis reſtabit niſi ut in ſervitutem redigantur. Nam populum iis deſtitutum concidere ſua ſponte neceſſe eſt, etiamſi nullo ab hoſte fortius impetatur. unde etiam his præſidiis ſpoliat Deus quos ulciſci vult, omnemque tuendæ libertatis rationem tollit. Quanquam aliquid atrocius denunciat Propheta, non modo ſcilicet imperium illud in quo ſibi faſtuoſe placebant Ægyptii collapſurum, ſed ipſos quoque ſervile jugum ſubituros. Etſi autem epitheton Duri ſingulari numero ponitur, pluraliter tamen dicit ſubjiciendos eſſe dominis: quod indignius eſt quam ſi uni tantum parerent.

Rex fortis.] Intelligit tantam tyranni cui eos ſubjiciet potentiam fore, ut in libertatem facile reſtitui non poſſint. Oſtendunt hiſtoriæ varias mutationes multis regionibus accidiſſe, quas qui ſubegerant, retinere & ſervare non potuerunt. ſæpe enim conſervatio rerum partarum difficilior eſt ipſa victoria. Propheta vero hunc ſtatum haud facile immutatum iri,

iri, & diuturnam Ægyptiorum ſervitutem fore ſignificat. quia robuſtiſſimo victori nemo ſe vindicem opponere audebit. Poteſt etiam hoc modò intelligi, quod minorum gentium Principes humaniores ſunt erga populum ſuum quam potentiores, qui magnitudine ſua freti nihil non ſibi permittunt. ut enim potentiæ ſuæ nullum eſſe modum exiſtimant, ita nec licentiæ, effreneſque decurrunt quocunque ipſos libido impulerit. Utrumvis placeat, ſumma huc redibit, Ægyptios, qui ſe primos & ſummos omnium hominum putant, venturos in alienam poteſtatem, duroque premendos eſſe jugo, potentis ſcilicet Regis, cui nemo ſe opponere audebit. Hinc videmus quanta ſit hominum ſtultitia, qui potentem Regem & multis ditionibus imperantem appetunt: & quam merito pœnas dant ſuæ ambitionis, quæ tamen quotidianis experimentis, quæ paſſim viſuntur in mundo, corrigi non poteſt. Gloriantur hodie Gallia & Hiſpania ſe Principibus magnis ſubeſſe. verum quam utile ſit quod fallaci honoris prætextu eos faſcinat, ſuo damno ſentiunt. Sed de hac re prius alio loco diximus. *ſupra 8. verſ. 6, 7.*

5. & 6. *Et deficient.*] Proſequitur id quod jam cœperat, nihil profuturas Ægyptiis munitiones, quibus ſe egregie inſtructos eſſe exiſtimabant. Nam inexpugnabiles videbantur, quod & mari, & Nilo, & propugnaculis cincti eſſent. & difficiles ad eos fuiſſe acceſſus perhibent hiſtoriæ, quod nullum eſſet Nili oſtium, quo non facile naves arcerentur. Itaque præclaro ſitu illo & munitione naturæ gloriabantur: quemadmodum & hodie Veneti, ſe tam profunda foſſarum cinctura munitos putant, ut diſcingi non poſſint: ſed præſidia ſunt inania, ubi in nos Dominus animadvertere conſtituit. Eodem pertinet quod de munitionibus ſubjicit. Alludit autem ad aggeres, qui non modo exundationes Nili arcebant, ſed protegebant totam terram. acſi diceret, nihil opus iis fore, quoniam ſiccabitur. Certum eſt autem areſactum non fuiſſe Nilum, nec tamen à Propheta quicquam prædictum eſt, quod impletum non ſit. Repetendum igitur eſt memoria quod alibi diximus, ſic nobis ad vivum clades iſtas repræſentari ob ſtuporem noſtrum, ut quaſi in rem ipſam veniamus. Neceſſe enim eſt proponi ſpectaculum quod mentes noſtras afficiat, & ad conſideranda judicia Dei excitet, quæ alioqui contemnimus. Obſervanda eſt arrogantia Ægyptiorum, qui opibus variis abundabant, nec putabant fieri poſſe ut tanta clade premerentur. Juncum & Calamum nominat, quod iis abundarent, & plurimum uterentur: niſi forte potius intelligat ſiccas fore paludes.

7. *Super os.*] Alii Ripas vertunt, ſed potius fontem ipſum intelligit, qui raro ſiccari ſolet: tametſi torrentes aut fluvii deficiant. Os ergo accipit pro ipſa fluvii origine, quæ ita areſcet, ut nulla pars regionis irrigari poſſit. Etſi enim procul aberat Nili ortus, non tamen abs re minatus eſt Propheta flumen illud, ex cujus irrigatione fluebat totius fere terræ fœcunditas, aridum fore à ſuo principio. Raræ enim illic pluviæ: ſed earum vices quotannis ſufficit Nilus, qui ſi parcius exundet, penuriam & famem minatur. Ideoque Propheta ejus ſiccitatem denuncians, ſterilem fore totam regionem intelligit. Qua ratione etiam dicit, etiam in ipſo ore, unde aquæ ebulliunt, fore aquarum defectum, ut illic herbæ exareſcant.

8. *Et mœrebunt piſcatores.*] Semper ad Ægypti ſtatum reſpicit Jeſaias. Monuimus antea hypotypoſes iſtas Prophetis uſitatas eſſe: ut quum de regione aliqua mentionem faciunt, id præcipue nominent quo regio illa abundat & cujus nomine celebris eſt. *ſupra 16. verſ. 8.* Ut quum de regione vitifera ſermo eſt, vites commemorant. ſi vero abundet auro, aurum nominant: ſi argento, argentum. Ita hic de Ægypto loquens, quod irrigua ſit & multis fluviis abundet, de piſcatu ſermonem habet. Quod verbum אמל alii vertunt Exſcindi, non rejicio: ſed verior interpretatio eſt Attenuabuntur. nam hoc reſpondet luctui & mœrori, cujus ante meminerat. Scimus autem illic fuiſſe piſcatorum copiam, & has fuiſſe non minimas opes Ægypti. Piſcatoribus enim ſublatis, quorum magna erat apud Ægyptios copia, & quibus eorum opes magna ex parte conſtabant, eos attenuari neceſſe fuit. Quemadmodum ſi pannificium iis populis adimatur qui ex eo victitant, magna penuria conſequetur. Inſignem ergo mutationem totius regionis deſignat.

9. *Et qui operantur in lino.*] Quemadmodum de luctu loquutus eſt, ita nunc de pudore: quia nullus erit quæſtus iis qui antea copioſum victum ex hoc artificio conſequebantur. hæ autem artes conjunctæ ſunt, retia texere & piſcari. Quanquam dubium eſt an de ſolis retiariis loquatur: quia ſi שריקות accipimus pro optimis quibuſque linis, probabile eſt hoc ad alias texturas potius referri, quæ ex tenui ſubtilique filo magis exquiſitæ ſunt. Et ſcimus telas pretioſiſſimas fuiſſe confectas in Ægypto. Nec male conveniet Plagas albas, quas nos Foratas vertimus, etiam de lineis veſtibus intelligi: quæ majore erant in pretio, quo rarior erat textura. Ita metaphorica erit loquutio, qua oblique indecorum luxum mordet Propheta: Quod Ægyptii lineis veſtibus non aliter ſe tegant quam ſi rete induerent. Si ita intelligere placet, cohæret etiam proximus verſus. Nec ſane video quomodo tam ſubtile texendi artificium ad piſcaturam aptetur. Cæterum, ſi de piſcatoribus omnino intelligere placeat, ſenſus erit, Mœrore oppreſſum iri quicunque hactenus quæſtuoſas artes & frequentem piſcandi uſum exercuerant. Quantum ad nomen שרק, nulla neceſſitas, meo judicio, cogit Rete vertere. quin potius etymologia docet Opus eſſe lucroſum.

10. *Et omnes qui ſtagna.*] Ubi magna eſt piſcium copia, ibi etiam ſervantur in ſtagnis & vivariis: quoniam piſcatores eos minimo pretio dare cogerentur. Præterea non ſemper eis ſuccedit in retis jactu. Idem ergo perſequitur argumentum: Piſces neque capi poterunt, nec ſervari. Vivaria nullum uſum habebunt.

11. *Certe ſtulti Principes Zoan.*] Hic prudentiam cum ſtultitia conjungit: nec immerito. Nam ſapientiæ perſuaſio eripi hominibus non poteſt, quin ſe invito etiam Deo, ſapere exiſtiment. Species igitur conceſſionis eſt, ubi ſapientes vocat, quorum ſimul amentiam vel ſocordiam traducit. אך, adverſativa interdum particula eſt. ſed quum videatur hic Propheta inſurgere adverſus Ægyptios, malo interpretari Utique, vel Sane, vel Nunc ſaltem. Nam inſultat conſiliariis Pharaonis, quod quum ſint ſtultiſſimi omnium hominum, ſapientiſſimi cenſeri velint & ſibi videantur. Ita eſt epiphonema: Ubi eſt ſapientia illa Ægypti? ubi conſiliarii qui omnes contemptui habebant? cur regnum ſuum non tuentur? Nunc ſaltem apparet qualis fuerit eorum prudentia. Atque hoc ad confirmationem Prophetiæ & obſignationem valet, ubi conſtat Prophetam non loqui de rebus ignotis: ſed quaſi verſari præ oculis ejus Ægypti cladem. Dei ergo auctoritate inſtructus, Principes omnes illos, quamlibet ſapere videantur, ſtultos pronunciare audeo. Denique docet Propheta inanem eſſe hominum gloriam, qui abſque Deo vel micam ſapientiæ ſibi arrogant: eo quod tandem deprehenditur eorum ſtultitia, & quum ad rem veniendum eſt, pueros ſe eſſe oſtendunt. Patitur quidem Dominus ut edant multa exempla, quibus apud homines opinionem ſibi comparent: ſed tandem ipſos infatuat, ut cum ſua perſpicacia & magno rerum uſu magis ridiculos pueris ſe præbeant. Diſcamus ergo petere à Domino Spiritum intelligentiæ & conſilii. quem ſi nobis conceſſerit, eo recte & moderate utamur. Deus enim adverſatur hominum ſapientiæ, ubi

plusquam

pluſquam par eſt ſibi arrogant: & neceſſe eſt pœnas dare ſuæ ſtultitiæ, qui ambitioſius ſeſe efferunt. Ideo ſæpe eos pudefacit, ut conſtet ſapientiam eorum nihil præter inanem fumum eſſe. Nulla enim eſt, niſi in timore Dei fundamentum habeat, quem etiam Salomon docet ſapientiæ caput eſſe.

Prov. 1. verſ. 7. & 9: 10.

Quomodo.] Pharaonis conſiliarios reprehendit, quod ei adularentur, ut etiamnum Principibus aulici ſolent. nihil enim dicunt niſi quod aures deliniat & favorem captet: quando hæc bene gerendæ rei ratio eſt, gratiam aucupari. Ita multis ſimulationibus & mendaciis, nullus apud eos veritati locus eſt. Quum autem in magnorum Principum aulis hoc vulgare ſit, tum vero potiſſimum apud Ægyptios hoc vitium invaluerat. Jactabant enim ſe omnium populorum antiquiſſimos, artiumque & omnis liberalis ſcientiæ auctores eſſe. quod ſi penes vulgus ipſum ejuſmodi perſuaſio fuit, quanto major fuit in ipſis Regibus? Duplex ergo fuit jactatio: Antiquitatis ſcilicet, & Scientiæ. & utramque reprehendit Jeſaias: ſaltem nullius fore momenti dicit. Gloriabatur autem Pharao tam de vetuſtate, quam de ſapientia ſuæ gentis. & hoc quidem vulgare erat toti populo: ſed de Rege potiſſimum ut de capite loquitur, in quo hæc ſuperbia magis quam in vulgo perſpicua erat. Non eſt autem gloriandum de ſapientia majorum, quaſi ad nos hæreditario jure pertineat: ſed ſapientia è cælo ab ipſius auctore petenda eſt. Quod ad vetuſtatem attinet, ſtulta etiam & inepta jactatio eſt. Et tamen ita laborant hoc vitio Principes, ut extra mundum genus ſuum & originem quærere velint: nec facile ab ea vanitate abduci poſſunt. Hanc dementiam augent adulatores, à quibus multa de Principum quorundam genealogiis conficta videmus. Nulla enim ipſis eſt lenior cantilena, quam quum à vulgo hominum, tanquam ſemidei aut heroës ſegregantur. Verum iis ſæpe contingit, ut quum abavos & atavos nimis curioſe inveſtigant, ridiculos ſe præbeant: quia à plebeio quopiam originem duxiſſe reperiuntur. Accepi ab hominibus fide dignis lepidam hiſtoriam de Maximiliano Imperatore, cui quum eſſet generis ſui inveſtigandi admodum curioſus, ineptus quidam nugator perſuaſit ſe originem ejus ex ipſa arca Noë inveniſſe. quæ res tam vehementer ipſum affecit, ut negotiis omnibus prætermiſſis, huic uni inveſtigationi aſſidue intentus eſſet, nec ab ullo ſe interpellari ſineret, ne à legatis quidem, qui de rebus magnis cum ipſo tractaturi venerant. Quum hanc vanitatem mirarentur omnes, & tacite reprehenderent: nemo autem poſſet mederi, vel auderet: tandem cocus ipſius, quem etiam pro morione habebat, & cujus dictis ſæpe oblectabatur, petita loquendi venia, ut Imperatoriæ dignitatis ſtudioſus, hoc ſtudium inveſtigandæ originis, nec utile, nec honorificum ei fore dixit. Nunc enim tuam majeſtatem colo, inquit, & te ut Deum aliquem veneror: quod ſi ad arcam Noë veniendum eſt, illic futuri ſumus cognati: nam illinc deſcendimus omnes. Hoc morionis dicto ſic commotus eſt Maximilianus, ut eum puduerit inſtituti, quum antea neque amici, nec conſiliarii, nec negotia eum revocare potuiſſent. Senſit enim fore, ut nomen ſuum, quod atavorum inveſtigatione illuſtrius reddi volebat, omnino vileſceret, ſi ad primam uſque ſtirpem veniretur: à qua Principes & plebeii, nobiles & ignobiles originem duxerunt. Magnam vero dementiam eſſe oportet, quam moriones ipſi ac ſtulti deprehendunt. Nec tamen eſt vitium recens natum, ſed omnium fere animis infixum eſt. Ut hoc effugiamus, diſcamus à ſolo Deo pendere, & beneficium adoptionis divitiis omnibus, & generi, & nobilitati præferamus. Quod ad reges Ægypti ſpectat, quum eſſent ex antiquiſſimis regibus progeniti, qui per multas ætates poſſeſſionem retinuerant, perinde inflati erant, acſi domi ſibi nata eſſet prudentia.

Jer. 1: 5.

12. *Ubi nunc ſapientes.*] Quanquam ad verbum eſt, *Et annunciabunt tibi & ſcient*, ſic tamen debet reſolvi oratio, Ut annuncient, imo ut ſciant tandem: qui modus loquendi ſatis frequens eſt Hebræis. Quum Ægyptii ſuos haberent divinos, nihil tam arcanum eſſe exiſtimabant, quod non illis pateret. nam conſulebant eos de rebus & minimis & maximis, eorumque reſponſa pro oraculis habebant. Eam vanitatem ridens Propheta, Quomodo nunciabunt, inquit, quod ignorant? Suntne acceriti in conſilium Dei? Artem etiam damnari veriſimile eſt, qua in divinando utebantur: quod quum eſſet illicita, meras etiam præſtigias & fallacias contineret. Tres ſunt rationes, quibus futura aut prævidere, aut ſcire poſſumus. Prima & præcipua ex revelatione Spiritus, quæ ſola nos certos reddere poteſt: ut per donum Prophetiæ, quod rarum & ſingulare eſt. altera per Aſtronomiam. tertia ex comparatione rerum anteactarum, unde colligi ſolet prudentia. Quod attinet ad peritiam aſtrorum, interdum ex eorum ſitu & conjunctione nonnulla deprehendi poſſunt: ut fames, ſterilitates, peſtes, largi proventus, & ejuſmodi. ſed neque ea certa eſſe poſſunt, quandoquidem ſola conjectura nituntur. Semper autem in eo eſt conſiderandum, quid proportionis cum his inferioribus locis aſtra habeant. Nec enim iis reguntur hominum facta, ut vani & fallaces Aſtrologi putant: quorum hodie ingens numerus ſe Principibus & populis venditat, acſi penes ipſos omnium rerum & præſentium & futurarum notio eſſet. Sunt autem impoſtores iſtis ſimiles de quibus loquitur Propheta, qui præſtigiis ſuis hominibus illudunt. Principes tamen iis aures multum accommodant, & veluti deos quoſdam ſuſpiciunt. & certe digni ſunt quibus ita imponatur, & merito curioſitatis ſuæ pœnas luunt. Jactant & Magiam, cujus periti erant Ægyptii iſti divinatores. Sed & deteriora multa & deteſtabiliora adjungunt: exorciſmos & invocationes dæmonum, quibus magis exitioſum dici quicquam aut cogitari nequit. Talibus conjecturis & divinandi artibus maledicit Dominus, nec alius earum quam infelix infauſtuſque exitus eſſe poteſt. Et ſi in Ægyptiis olim damnatæ ſunt, quanto plus in iis qui Dei nomen obtendunt damnationis merentur? Mirum eſt autem his impoſturis acutos alioqui & perſpicaces homines tam pueriliter falli, ut mente & judicio privati eſſe videantur. ſed juſta eſt Domini vindicta ingratitudinem hominum ulciſcentis. Quum vero ex rebus anteactis futura colligimus, uſuque & experientia rerum judicamus quid magis expediat: id per ſe improbari non poteſt. ſed neque ex iis certo conſtitui poteſt quid futurum ſit, quando res ſemper in conjectura poſita eſt. Ex profeſſo tamen in illam perſpicaciam invehitur Jeſaias, quæ pro ſumma virtute paſſim laudatur: non quod per ſe vitioſa ſit, ſed quia vix quiſquam acutus & ſolers reperitur, qui non confidat ſe pro ſua peritia tenere quicquid cognitu vel dignum eſt, vel neceſſarium. Ita quaſi nihil ipſos fugeret, occultam Dei providentiam ſpernunt. Huc etiam accedit alterum vitium, quod vafritiem potius & veteratorias artes quam veram prudentiam appetunt. Sed peculiariter faſtum illum caſtigat Jeſaias, quod homines magno ingenio præditi, metiri proprio ſenſu volunt rerum eventus, acſi penes Deum non eſſet mundi gubernatio. Ideoque eorum divinationibus opponit decretum cæleſte. Atque hinc collige quam ſcite pronunciet Iſocrates, ἀρίστου ἐστι παρὰ μὲν τῶν θεῶν εὐτυχεῖν, παρὰ δὲ ἑαυτῶν εὐβουλεῖν. Arridet quidem prima ſpecie illud diſerti Rhetoris apophthegma: ſed quum prudentiæ Spiritum Deo ereptum ad mortales transferat, impia nec minus inſulſa partitio eſt, in hominibus locare ſanum conſilium, proſperam tantum fortunam Deo relinquere. Jam ſi quis prætermiſſis rationibus quibus à Deo docemur, ad impoſturas Satanæ confugiat, ter dignus profecto eſt qui fallatur cum maximo dedecore:

quærit

quærit enim quæ nuſquam extant remedia, & quidem neglectis iis quæ Deus offerebat.

13. *Infatuati ſunt.*] Zoan una erat ex præcipuis urbibus Ægypti: Noph etiam celeberrima fuit: ſed quænam illæ fuerint certo judicare non poſſumus, niſi quod Alexandriam quidam eſſe volunt, cujus certe & vetuſtas & opulentia ex pluribus Scripturæ locis colligitur: quibus etiam refellitur eorum commentum qui ab Alexandro conditam eſſe volunt. Quamvis enim ſæpius diruta ante fuiſſet, non tamen de integro eam extruxit, ſed ſolum ornavit. Fuiſſe autem olim ſui juris, & quidem Ægyptiis fœderatam, deinde florentiſſimam inter alias urbes totius mundi, patet ex 3. cap. Nahum. *Nahum. 3. verſ. 8.* Ruinæ vero præludium merito facit Principum ſocordiam: quia cujuſque reipublicæ aut regni vis præcipua in conſilio & prudentia conſiſtit, ſine quibus nec opes, nec copiæ prodeſſe poſſunt. *Angulum* hic metaphorice accipio, pro præcipua parte ædificii, qua tota moles ſuſtinetur: maloque in nominativo legere, quam in accuſativo. Referendum enim puto ad illos ſapientes, quibus Ægyptii ſe ita munitos exiſtimabant, ut nihil ipſis adverſi accidere poſſet. Atqui hanc nimis debilem eſſe fulturam dicit Jeſaias, quia ſuis conſiliis decepti Ægyptum perdiderint. Ideoque ſubſannans fallacem illam ſapientiam notat, quæ quum timoris Dei vacua eſt, vanitas potius & ſtultitia quam ſapientia nominari debet. Præterquam enim quod præclaro dono Dei abutuntur homines, ad vanam ambitionem ſeſe efferunt, calliditas magis illis quam vera prudentia arridet. Accedit etiam diabolicus furor, quod poſthabita Dei providentia, eventus omnes ad ſenſus ſui captum revocant. Ideo toties in ejuſmodi ſapientes invehitur Scriptura, eoſque ſtultos eſſe pronunciat. Uſurpant enim quod Dei eſt, ſibique tribuunt: quod ſacrilegium nefandum & intolerabile eſt. Nec mirum ſi horrenda adverſus tales ſapientes exempla Dominus edat, ut quamvis ingenioſiſſimi & acutiſſimi ſint, impingant tamen ac ruant minimis rebus: & ſe præcipitent in gravia pericula, quæ ruſticus aut plebeius quiſpiam prævidiſſet. Hæc nobis documento ſint, ne animo efferamur, aut ſapientiæ laudem nobis tribuamus. Si quid eſt in nobis ingenii, aut prudentiæ, id totum Deo acceptum ferre, & ad ſobrietatis modeſtiæque regulam formare convenit. quia ſi ei innititur noſtra ſapientia, vere angulus erit firmiſſimus, quem nemo labefactabit aut evertet.

14. *Jehova miſcuit.*] Quia res inopinata & incredibilis erat, duces acutæ & providæ gentis ſua fatuitate terram perdituros, ideo Dei judicio cauſam adſcribit Propheta: ne cæcutiant Judæi in tam inſigni & memorabili exemplo, quemadmodum Dei judicia fortunæ tribuere profani homines ſolent, ſi quid novi aut inopinati contigerit. Eſt autem metaphorica loquutio: acſi quis vinum in poculo miſceret, ita Dominum inebriare ſapientes hujus mundi ſpiritu vertiginis, ut mente perturbati & attoniti, nec recte ſentire, nec facere poſſint. Hinc fit ut decipiant Ægyptum, quod priores decepti ſint. Quod etiam ſe falli ſinunt Ægyptii, nec impoſturam cavere poſſunt, judicium Domini eſt. Nec tamen Deum ſic auctorem hujus inſaniæ facit Jeſaias, ut culpam in eum Ægyptii conjicere poſſent: verum ſic habendum eſt, Homines per ſe nihil habere mentis aut judicii. unde enim ſapientia, niſi ex Spiritu Dei, qui fons eſt unicus lucis, intelligentiæ, veritatis? Jam ſi nos Spiritu ſuo Dominus deſtituat, quid eſt quod cum ipſo expoſtulemus? nulla enim erga nos obligatione conſtringitur, imo gratuitum eſt quicquid largitur. Quum vero ſpiritu vertiginis mentes percellit, id ob juſtas ſemper cauſas facit, utcunque nobis interdum ſint abſconditæ. Sed ut plurimum in excæcatione pœnas de improbis ſumit, qui adverſus ipſum ſeſe extulerunt. quemadmodum Ægyptiis iſtis contigit, qui perſuaſione ſapientiæ elati, turgebant ſuperbia, cæteroſque omnes contemnebant. Supervacanea eſt igitur hoc loco diſputatio de Prædeſtinatione, quum Dominus eos ob manifeſtum vitium puniat. Itaque quum Deus homines excæcat aut reprobat, ſævitiæ accuſari non poteſt. juſta enim improbitatis & nequitiæ eorum pœna eſt: nec poteſt auctor mali dici, qui ſcelera puniendo juſte agit. Nunc ad puniendi modum veniamus. Permittit eos Satanæ puniendos. ipſe enim eſt qui proprie miſcet ſpiritum vertiginis & pravitatis. Sed quia nihil agit niſi mandato Dei, propterea Deus ipſe id agere dicitur, quod Satan agit. Nam quod vulgo dicunt fieri permiſſu Dei, nimis frivolum eſt effugium: plus enim expreſſit Propheta: nempe, [illegible]dictam à Deo hanc pœnam, quod juſtus ſit judex. Agit ergo Deus per Satanam, ut judex per carnificem, juſtaſque pœnas ſumit de iis qui ipſum offenderunt, quemadmodum in libris Regum legi- *1 Reg. 22. verſ. 22.* mus Satanam ſeſe obtuliſſe Deo, ac petiiſſe ut ei Prophetas Achab fallere liceret: quod quum ei conceſſum eſt, tunc Deo eſt obſequutus. nihil enim ex ſe efficere potuiſſet. Non opus eſt hic varios locos congerere in re ſatis aperta. Jam ubi addit deceptos fuiſſe à ſuis Conſiliariis, ſecundum Dei judicium notat. Poſſet enim fieri, ut Principes & abalienati mente, & ſimiles ebriis eſſent, plebs tamen judicium aliquod retineret: hic vero ait etiam impoſtoribus erroris efficaciam concedi, ut populum fallant. Quæ duplex Dei vindicta eſt, tum in ſeductores, tum in eos qui ſeducuntur. Per *vomitum* fœdam ebrietatem deſignat. Hoc enim *πρὸς αὔξησιν* ſubjungit, ut non vulgariter ebrios, quibus aliquid intelligentiæ ſuperſit, ſed porcis ſimiles eſſe ſignificet.

15. *Nec erit Ægypto.*] Concluſio eſt ſuperioris ſententiæ. ſignificat enim tantum fore in omnibus Ægyptiis ſtuporem, ut quicquid aggrediantur, irritum ſit. Hoc enim, ubi nihil eſt conſilii, accidere neceſſe eſt: & juſta eſt pœna noſtræ arrogantiæ & temeritatis. Succeſſum ergo & effectum denotare voluit, ut infauſtum & infelicem fore demonſtret. & quum hoc tam de Capite quam de Cauda minatur, ſignificat omnes ordines à ſummo uſque ad infimum, omnes, inquam, privatum iri conſilio, ne proſperum quicquam iis ſuccedat. niſi de ipſo ordine agendi potius intelligere placeat. Hinc diſcamus, tam initium quam finem rerum omnium à Domino pendere. Nam & conſilium & prudentia, & eventus rerum ab eo peti debent: niſi idem nobis quod Ægyptiis accidere velimus.

16. *Illa die Ægyptus.*] Iterum repetit quod prius dixerat: nihil virile fore in Ægyptiis. Nonnulli exiſtimant Prophetam alludere ad morem effœminatum, cujus nomine veteres hiſtorici Ægyptios vituperarunt, quod ſcilicet inverſo rerum ordine, mulieres verſarentur in foro, & rebus gerendis: viri autem muliebria negotia tractarent. Ac fieri quidem poteſt ut id reſpexerit Propheta. ſed quum propius omnia expendo, hæc conjectura ſtare non poteſt: quum hic denunciet judicium Dei, quod homines in admirationem adducat. Si loqueretur de uſitato more, hoc ad præſentem cauſam non pertineret. nec enim effœminatos Ægyptiorum animos reprehendit: ſed potius ita conſternatum iri denunciat, ut nihil à mulieribus differant. Nam Ægyptii non tantum ſibi ad bellum ſuſtinendum pares eſſe videbantur: ſed ultro inferebant, & auxilia præbebant aliis nationibus. Videmus enim profanos Scriptores varia referre de geſtis Ægyptiorum, & in eorum laudibus immorari. Quamvis igitur molles & delicati eſſent Ægyptii præ cæteris gentibus, bellicam tamen laudem & gloriam retinere volebant. Nunc mutatio tam ſubita illuſtre eſt cœleſtis judicii exemplum. Ideoque adjungit cauſam horroris fore agitationem manus Dei. quibus verbis totum hoc bellum

bellum à Domino gerendum eſſe oſtendit, ideoque Ægyptios ſubſiſtere non poſſe, quod eis non ſit negotium cum hominibus. Quod autem de Ægypto pronunciat Jeſaias, ad cæteras quoque gentes extendi debet. Nam quum exoriuntur bella, & motus excitantur, ubi animi deficiunt & terrore conſternantur, agnoſcendum eſt judicium Dei. Videmus enim ut bellicoſiſſimæ nationes cedant, mollioreſque ſe fœminis præbeant, & ſine ullo belli apparatu vincantur, quoties Dominus metu eorum animos percutit.

17. *Terra quoque Juda.*] Aliqui ſimpliciter exponunt, Terram Juda admirationi futuram Ægyptiis ut aliis gentibus: & comparant locum hunc
cap. 18. verſ. 2.7. cum dicto illo quod prius vidimus, Eritis in ſtuporem, &c. Sed alium hic Prophetæ ſenſum eſſe puto.
Deut. 28. verſ. 37. cauſam enim notare voluit, cur Dominus tale exemplum adverſus Ægyptios ſit editurus: quia ſcilicet exitii cauſam Judæis attulerant. Eos enim abduxerant à fiducia quam in Deum locare debuiſſent: ut ſolent Principes ſollicitare vicinos ſuos, opemque ſuam iis offerre, ut poſtea ad ſua commoda abutantur.
Deut. 17. verſ. 16. Prohibuerat autem Dominus, ne ad Ægyptios auxilii petendi cauſa confugerent: at miſeri, infidelium ſeſe offerentium ſollicitationi potius quam Deo paruerunt: quamobrem meritas dederunt pœnas. Sed & Ægyptii quoque, quum incredulitatis & diffidentiæ cauſam præbuiſſent, non impune tulerunt. nam ita acerbe caſtigati ſunt, ut quoties eis in mentem veniebant Judæi, toto animo cohorrerent. Hinc colligenda eſt utilis doctrina: nempe, daturos pœnas, eaſque graves qui Eccleſiam abduxerint ab obſequio & fiducia Dei, eique offendiculi cauſam, aut metu, aut conſilio, aut illecebris ullis præbuerint. Tantundem valent Prophetæ verba, acſi quis diceret, Mulieris quam corruperit intuitum pudori fore, ubi retectum fuerit lenocinii dedecus, & Deus fidei conjugalis vindex apparuerit.

18. *In die illa.*] Poſtquam minatus eſt Ægyptiis, ſimulque divini judicii cauſam expoſuit, conſolatur ipſos, & miſericordiam Dei pollicetur. Denunciat enim futurum ut bona ex parte reſtituantur, ſtatumque proſperum & florentem recuperent. Nam è ſex urbibus quinque ſalvas fore dicit, unam tantummodo perituram. Prius autem excidium horribile nunciarat toti regno, ut ſi quis ſuperius vaticinium conſideret, nihil præter deploratiſſimum ſtatum animo concipiat. Ergo hic ſingulari Dei beneficio reſtitutionem promittit: ut ſit hæc quaſi acceſſio ad redemptionem Eccleſiæ, vel cumulus gratiæ Dei ubi miſſus fuerit Redemptor. Modus loquendi aliquantum obſcurus eſt: ſed ſi recte expendimus, nihil eſt in ſenſu difficultatis. Significat enim ſextam duntaxat partem urbium perituram, reliquas ſalvas fore. Difficultas eſt in voce ההרס. Alii enim legunt החרס, id eſt, Solis. Sed hallucinati ſunt in litera ה, quod ſimile eſt cum ח. Qui exponunt Solis, putant Prophetam loquutum de Heliopoli: ſed hoc repugnat contextui. nec vero quinque tantum urbibus reſtitutionem promittit: quantula enim fuiſſet illa reſtitutio? ſed in genere è ſenis quinas ſalvas fore. Scimus enim plurimas fuiſſe in Ægypto urbes. Omitto fabulas veterum, & eos qui viginti millia urbium ei tribuerunt. Sed tamen magnum earum numerum in celebri adeo & frequenti regione, in tam florenti & populoſo regno, tam clementi & benigno aëre, fuiſſe neceſſe eſt. Ponamus ergo mille, aut paulo plures illic urbes fuiſſe. Sextam tantummodo partem perituram ſignificat: reliquas inſtaurandas eſſe, ita ut paucæ intereant. Hanc autem reſtitutionem de cultu Dei intelligendam eſſe ſatis conſtat ex ſequentibus. *Labii* nomine, Linguam intelligit συνεκδοχικῶς. Significat autem conſenſum cum populo Dei, & fidem qua Dei nomen profitebuntur. nam per Linguam, figurate confeſſionem deſignat. Quum enim unica tantum lingua eſſet, quæ Deum verum agnoſceret ac profiteretur: nempe ejus populi qui terram Canaan incolebat: per ejuſmodi linguam, conſenſum in religione intelligendum eſſe manifeſtum eſt. Nam & hæ loquendi formæ ſatis vulgo uſitatæ ſunt, *Parler un meſme langage ou divers*, quum aſſenſum aut diſſenſum notare volumus. Atqui ſimul tenendum eſt, non ſufficere quemlibet conſenſum: veluti ſi homines in eum quem ipſi probaverint cultum conſpirent: ſed ſi accedant ad veritatem quæ patefacta fuit Patribus. Nec enim ſolum dicit Ægyptios loquuturos eadem lingua, ſed lingua Canaan. Ipſos enim linguam mutare oportuit, & ea uti quæ Deo ſanctificata erat. non quod idioma linguæ ſanctius eſſet, ſed ea ratione commendatur, quod veritatis doctrinam contineat. Idque diligenter notandum eſt: ut quæ vera ſit ratio conſentiendi, intelligamus. Quærenda eſt omnibus modis concordia: ſed quibus eam conditionibus obtineamus, videndum eſt. Nec enim media quædam ratio quærenda, ut faciunt everſores religionis, qui tamen pacificatores videri volunt. Valeant ejuſmodi linguæ leves & flexiloquæ: veritas ipſa retineatur, quæ non niſi Verbo contineri poteſt. nobiſcum loquatur, quiſquis ad eam accedere volet. Valeat, & quam volet linguam deligat, quiſquis eam adulterabit: nos in ea conſtanter permaneamus. Itaque non poterunt Ægyptii loqui lingua Canaan, niſi prius ſuam, id eſt, ſuperſtitiones omnes abnegarint. Quod alii ad tempus Ptolomæi trahunt, frigidum eſt: & ex ſequentibus colligere licet de pietate & puro Dei cultu concionari Prophetam. Ac primo quidem ſynecdochice ſanctos fore ſermones ſub una ſpecie docet. quia jurejurando teſtatum facient ſe Deum colere. Poteſt autem legi, Jurantes Domino, vel, Per Dominum, quia ſæpe ל idem valet quod Per. Si legamus *Domino*, ſenſus erit, quod Deo obſequium pollicebuntur, idque adhibito ſolenni jurejurando: quemadmodum quum populus aliquis Principi ſuo fidem promittit: acſi diceret, Venient in poteſtatem Dei, cujus ſe dominationi ſubjicient. ſed quoniam altera lectio magis recepta eſt, libenter eam amplector. nam quum jusjurandum ſpecies ſit cultus Dei, per ſynecdochen, ut dixi, univerſus Dei cultus apte intelligitur. Et Jurare per Dominum, ſæpe accipitur *Deut. 6.*
pro Teſtari ipſum verum Deum eſſe. In ſumma, *verſ. 13.*
ſignificat perfectum conſenſum cum Eccleſia Dei. Unde obſervandum eſt, ad verum Dei cultum ex- *Rom. 10.*
ternam confeſſionem requiri. nam ſi quis fidem *v. 9.10.*
animo incluſam tenere velit, frigidam pro ea opinionem habiturus eſt. Vera enim fides in confeſſionem erumpit, noſque ita accendit, ut quod intus gerimus, re ipſa profiteamur. Mihi flectetur omne genu, & *infr. 45.*
omnis lingua jurabit, inquit alibi Dominus. Ergo *verſ. 23.*
ubi fides, illic externus cultus externaque profeſſio *Rom. 14.*
eſſe debet. Eſt etiam notandum, ea quæ ad cultum *verſ. 11.*
Dei pertinent, alio transferri non debere. Corruptela ergo jurisjurandi erit, ſi per alium juretur. Scriptum eſt enim, Per nomen meum jurabis. Quare *Deut. 6.*
violatur & nudatur ſuo honore, ſi nomen aut divo- *verſ. 13.*
rum, aut creaturæ ullius jurijurando adhibeatur. Obſervandum ſimul quanta ſit adhibenda religio in juramentis. nam ſi jurando profitemur nos Deum colere, non eſt eo niſi cum timore & reverentia veniendum. Jam ubi in fine verſus ſextam quamque urbem excidio deſtinat, ſignificat omnes ſine ſpe reſtitutionis perire, qui non convertuntur ad Deum ut ipſum colant. Opponit enim urbes Ægypti quæ incipient Deum agnoſcere, aliis quæ exitio devotæ ſunt. Ubi enim deeſt cultus Dei, nihil præter excidium reſtare poteſt. חרם enim execrationem & maledictionem ſignificat, quam excidium & mors æterna conſequitur.

19. *In die illa erit altare.*] Proſequitur id quod proximo verſu dixerat: & clarius exprimit novam

ſore Ægypti faciem: quia illic florebit vera religio, erigetur purus Dei cultus, omneſque ſuperſtitiones concident. Altaris autem nomine utitur ad deſignandum, velut à ſigno, cultum Dei: quod ſacrificia & oblationes exercitiá eſſent pietatis.. Per Medium Ægypti præcipuam totius regni partem intelligit, acſi diceret, In ipſa ſede regni, vel in ſinu intimo. Per Statuas, ne ſimulachra deſignari putes, quæ figuram hominum aut divorum gerant, ſed quæ ſint μνημεῖα pietatis. nam inſignia ſignificat iis ſimilia, quibus regnorum fines terminantur: atque in hunc modum ſigna erectum iri ſignificat, quibus omnes populo illi Deum imperare ſciant. Et certe hoc uſu venit, ut populus vere ad Dominum converſus, rejectis idolis & ſuperſtitionibus, palam ſigna tollat veræ religionis: ut notum ſit omnibus Deum illic pure adorari. Hoc loco refert Joſephus abuſum eſſe Oniam, quum ad Ptolomæum Philometora profugiſſet. ei enim perſuaſit utile fore, ſi altare illic erigeretur, in quo Judæi illius regionis accolæ ſacrificarent. Atque hunc locum prætexebat: id ſcilicet fieri oportere, quod à Propheta prædictum eſſet. Quod tandem impius & ambitioſus ſacrificus Regi perſuaſit, reclamantibus palam Judæis. Rex enim commodum ſuum ſpectabat, ille autem nebulo gradu ſuo ejectus, novum honorem & dignitatem captabat. Ita nulla interceſſione potuit ſceleſtum illud conſilium impediri. At Jeſaias purum Dei cultum ſimpliciter deſignat ſub figura ſignorum quæ tunc in uſu erant. Sui enim temporis rationem habet, & hominum quibuſcum ei negotium erat. Perverſe igitur Onias hunc locum & maligne torquebat. Sed non minus impudenter hodie Papiſtici doctores locum
Malach. 1. *verſ.* 11. Malachiæ ad tuendum Miſſæ ſacrificium detorquent. nam quod ille dicat, Futurum ut ubique Deo oblatio munda offeratur, colligunt aliquod ſacrificium ab antiquis illis diverſum eſſe: quod boves & pecudes haud jam amplius mactari oporteat. Eſſe igitur Miſſam. Lepide ſcilicet & argute. Conſtat autem nihil aliud illic quam purum Dei cultum, quemadmodum hic ab Jeſaia, ſub figura Legali notari. Et diligenter notandæ ſunt hæ loquendi formulæ ſæpius uſitatæ Prophetis. Hoc nobis facile explicabit Joëlis locus, quem exempli cauſa adduce-
Joël. 2. *verſ.* 28. mus. Prophetabunt, inquit, filii & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt. Vaticinium illud Joëlis Petrus
Act. 2. *verſ.* 16. impletum eſſe oſtendit, quum Apoſtoli variis linguis Spiritus ſancti afflatu loquerentur. nam quum rudes prius homines eſſent, ad myſteria Dei enarranda inſtructi eſſe cœperunt. Nulla illic videmus ſomnia, ita ut Petrus eum locum perperam citaſſe videri poſſet: ſed conſtat Joëlem nihil aliud eo loco quam prophetiam deſignare: cujus ornandæ cauſa, viſiones & ſomnia nominavit, quibus Dominus ſeſe olim
Num. 12. *verſ.* 6. Prophetis communicabat. Uſitatum enim temporis illius morem ſpectavit: quod aliter Judæi dona Spiritus ſibi adhuc incognita vix ſenſu comprehendiſſent. nam ſub illa pædagogia educati, altius conſcendere non poterant, quam quo ſacrificia, ceremoniæ, ritus & ſigna eos perducebant. Sic igitur cum iis verba faciebant Prophetæ ut cum pueris, quibus nihil majus proponi debet, quam conſuetudine & uſu παχυμερέστερον ediſcere poſſint. Atque hæc doctrina varios nobis locos aperiet, quorum alioqui obſcuritas magnam remoram injiceret. Perſpicuum eſt Prophetam loqui de regno Chriſti; nec ante adventum ejus hæc impleta eſſe. Umbræ igitur tollendæ ſunt: ſpectanda eſt rerum veritas, ut per altare veram ac ſinceram Dei invocationem intelligamus. Sed his quoque ſignis oſtendit Propheta, cultum Dei ſine externis exercitiis conſervari non poſſe: quæ tamen præſcribere noſtrum non eſt. Faceſſant hominum commenta, ut Deus ſolus hac in re audiatur.

20. *Et mittet eis Servatorem.*] Non aliter poſſumus ſervire Deo, quam ſi nos gratia ſua præveniat. nemo enim ſe illi conſecrabit, niſi bonitatis ejus guſtu illectus, eum ex animo amplectatur. Prius ergo ad ſe vocet neceſſe eſt, quam ipſum invocemus. aditus nobis præcluſus eſt, donec ipſe prior nos invitet. Ac prius quidem docuit variis calamitatibus domandos eſſe ut ſe Deo ſubjicerent. nuncque idem repetit: quia nunquam ſibi vaniſque erroribus renunciant homines, quoad ferulis ad docilitatem coacti fuerint. Simul tamen adjungitur alia invitationis ſpecies, quod Dei beneficentiam experti familiariter ad eum confugient. Clamor enim de quo loquitur, ex fide manat: quia niſi allecti dulcedine bonitatis Dei, nunquam ad hoc aſylum ſe reciperent. Quod autem Dominus promittit ſe miſſurum Servatorem cujus manu Ægyptii liberabuntur, hoc non poteſt de alio quam de Chriſto intelligi. nec enim liberata eſt Ægyptus à ſuis cladibus, priuſquam eo Chriſti doctrina pervenerit. Legimus varias mutationes, quas per quadringentos annos regio illa paſſa eſt: bella externa & inteſtina, quibus diſſipata & propemodum everſa fuit. At quum de ea prorſus actum eſſe videretur, ecce ad Dominum converſa, è manibus hoſtium & tyrannorum eripitur. Atque ita Chriſtus, quem cœpit agnoſcere, ipſam liberavit. Sic autem nos ad cognitionem Dei & cultum comparari neceſſe eſt, ut quum varie fuerimus afflicti, in ipſo ſolo repoſitam eſſe ſalutem diſcamus. Atque utinam hodie hoc diſcat mundus, tot jam ærumnis afflictatus, ut exitio proximus eſſe videatur. Quis enim exitus eſſe poterit, niſi ut intereat, vel reſipiſcendo agnoſcat ſe merito pœnas dediſſe tantæ impietatis? Et quum addit *Qui liberet*, hinc colligenda eſt utilis doctrina: nempe Deum nobis ſuccurrere per Chriſtum, cujus manu ab initio ſuis opem tulit. Fuit enim perpetuus Mediator, cujus interceſſione bona omnia à Deo Patre impetrata ſunt: nunc ipſo revelato, ſciamus nihil aliter quam per ipſum poſſe à Deo obtineri.

21. *Et cognoſcetur Dominus.*] Nunc addit Jeſaias quod præcipuum erat. neque enim coli aut invocari poteſt Dominus, niſi prius à nobis agnitus fuerit Pater. Quomodo invocabunt, inquit Paulus, quem *Rom.* 10. *verſ.* 14.
non noverunt? Neque vero participes eſſe poſſumus donorum Dei in ſalutem noſtram, niſi vera cognitio, quæ ex fide eſt, præceſſerit. Merito ergo cognitio Dei ſubjungitur, ut fundamentum totius religionis, vel clavis qua nobis aperitur cæleſtis regni janua. Ea autem abſque doctrina eſſe non poteſt: unde collige omnes fictitios cultus à Deo improbari: nihil enim ipſi probatum eſſe poteſt, ubi non prælucet cognitio, quæ ex auditu veræ puræque doctrinæ naſcitur. Quicquid ergo comminiſcantur ex ſe homines, nunquam verum Dei cultum obtinebunt. Diligenter obſervandi ſunt hi loci, quibus veram invocationem & cultum docet Spiritus Dei, ut figmentis, quibus nimis pertinaciter adhærent homines, valere juſſis, doceri nos ſinamus ex puro Dei verbo, & ejus auctoritate freti libere aperteque damnemus quicquid mundus cum applauſu magnifacit. Jam quod repetit, Cognoſcet, inquam, Ægyptus, non fruſtra bis hanc notionem inculcat. nec enim res tanti momenti leviter prætereunda erat. Partes enim præcipuas obtinet, nec ullus ſine ea cultus eſt legitimus.

Facient illi ſacrificium.] Non aliter exponendus eſt hic locus quam ſuperior, ubi altaris mentionem fecit. Quorſum enim ſacrificia poſt Chriſtum manifeſtatum? Ergo figurate confeſſionem fidei & invocationem deſignat, quæ Euangelii prædicationem ſequutæ ſunt. Comprehendit autem hic omnia quæ Deo offerebantur: & pecudes, & panem, & fruges omnis generis: & quicquid ad gratitudinem teſtandam faciebat. Sed notandum eſt veteris & novi Teſtamenti diſcrimen: atque ita ſub ceremoniarum

umbris

umbris intelligendus rationalis ille cultus, de quo *Rom 12. verſ. 1.* Paulus 12. Rom. cap. Quod de Votis adjungit, hæc etiam pars eſt cultus Dei. Solebant Judæi votis gratitudinem ſuam erga Deum teſtari: ac præſertim ſolenni voto agebant gratias, ſi beneficium aliquod inſigne à Deo accepiſſent. Sponte etiam vota ſuſcipiebantur varias ob cauſas, ut cuique viſum erat. Non erat tamen ea cuique licentia, ut pro arbitrio hoc aut illud voveret: ſed præſcripta erat regula. Quicquid ſit, conſtat Prophetam votorum nomine nihil aliud ſignificare, quam Dei cultum, cui ſe addixerunt Ægyptii, poſtquam ipſum ex verbo Dei didicerunt: ſed nominat exercitia pietatis, quibus Judæi verum cultum & religionem profitebantur. Hinc argumentum ducunt Papiſtæ, ut omnia quæ Deo vovemus præſtanda eſſe probent. Sed quum temere nulloque adhibito delectu voveant, nihil ipſos tuendo errori ſuo hic locus juvat. Jeſaias enim prædicit quid facturi ſint Ægyptii ubi doctrinam Dei amplexi & ſequuti fuerint. Similiter quum David populum hortatur ut voveat & vota reddat, id ſecum facere putant. ſed non ideo hortatur ad vota illicita & temeraria. Manet enim ſemper votorum regula, quam prætergredi non licet: nempe verbum Dei, quo quid à nobis requirat, quid voveri & præſtari velit, intelligimus. Nec enim unquam data eſt quidvis vovendi libertas, quod nimium licentioſi ſimus, nobiſque omnia permittamus in Deum: atque impudentius cum ipſo agamus, quam ſi cum hominibus negotium eſſet. Homines igitur freno aliquo conſtringi & cohiberi oportuit, ne tantum ſibi in cultu Dei & religione permitterent. Quæ quum ita ſint, perſpicuum eſt Deum nihil admittere aliud, quam quod Legi ipſius conſentaneum eſt: cætera omnia, ut aliena & ſuperſtitioſa repudiare. Quod ergo ſponte voverit quiſpiam & ſine teſtimonio Verbi, id ratum eſſe non poteſt. Idque ſi præſtet, dupliciter offendit. primum quod temere vovit, acſi cum Deo luderet: deinde quod perperam & temere inſtituta perficit, quum potius ſuperſedere & reſipiſcere debuiſſet. Tantum igitur abeſt ut votorum nomine quis obligetur, ut agnita temeritatis culpa curſum retro flectere oporteat. Nunc ſi quis de Papiſtarum votis inquirat, facile eſt oſtendere ea nihil habere commune cum verbo Dei. Nam ſi quæ præ aliis commendant & legitima ducunt, impia & nefaria ſunt, veluti monaſtica: quid de reliquis cenſendum erit? Vovent perpetuum cælibatum, acſi promiſcue omnibus concederetur: atqui ſcimus continentiæ donum non vulgare eſſe, nec ſingulis promitti, etiamſi magnis alioqui dotibus ornati ſint. Abraham ſingulari fide, conſtantia, manſuetudine, ſanctitate pollebat: hoc tamen carebat dono. Chriſtus ipſe non omnibus hoc dari teſtatur, quum Apoſtoli hunc cælibatus ſtatum vehementer laudarent. Idem docet Paulus. Qui igitur hoc continentiæ dono deſtitutus eſt, ſi eam voveat, perperam facit: ac merito temeritatis ſuæ pœnas luet. Hinc horrenda impudicitiæ exempla, quibus merito Deus ſub Papatu hanc arrogantiam ultus eſt. Vovent etiam paupertatem, quaſi nihil proprium habituri, quum rerum omnium copia abundent præ aliis. Nonne hoc apertum Dei ludibrium eſt? Obedientia autem quam vovent, prævaricationis plena eſt. Excutiunt enim jugum Chriſti, quo ſe redigant in hominum ſervitutem. Alii vovent peregrinationes, abſtinentiam carnis, obſervationes dierum, & alia ſuperſtitionum plena. Alii nænias & vaniſſima quæque Deo promittunt, acſi cum puero ipſis negotium eſſet. Sic enim agere aut paciſci cum hominibus nos puderet: inter quos nihil prius ratum eſt, quam mutuo conſenſu utrimque conveniat. Quo minus in cultu Dei quicquam ſuſcipere fas eſt, niſi quod verbo ipſius teſtatum eſt. qualis enim cultus erit, ſi judicium Dei nihil valeat, & ſoli hominum voluntati ſit locus? an poterit id placere Deo? Nonne erit ἐθελοθρησκεία, quam Paulus tantopere deteſtatur? *Col. 2: 23.* Fruſtra igitur ſe Deo ſervire jactant, qui talia vota ſuſcipiunt. Fruſtra etiam hinc teſtimonium quærunt: quoniam Dominus ejuſmodi cultum averſatur.

Rom 12. verſ. 1. Deut. 12. verſ. 6. & 23: 21, 22, 23. Num. 30. verſ. 3. Pſal. 76. verſ. 12. Eccl. 5: 3. Gen. 11. verſ. 29. & 25: 1. Mat. 19. verſ. 6. 11, 12. 1 Cor. 7. v. 7, 8, 9. & 26.

22. *Itaque percutiet.*] Concludit Propheta, atque infert ex iis quæ jam dicta ſunt, caſtigationem cujus meminit, utilem Ægyptiis fore: quod præparatio illis ad converſionem futura eſſet: acſi diceret, id futurum Ægypti bono quod eam plectet Dominus. Male interpretantur hunc locum qui dicunt, Percutiet plaga ſanabili: & de ſenſu Prophetæ multum imminuunt: quia intelligit ſalutares ipſis fore plagas: atque ea ratione Dominum ipſos reducturum. Unde colligendum eſt, non eſſe recuſandum quominus à Deo caſtigemur, quum id bono noſtro fiat. *Prov. 3. v. 11, 12. Hebr. 12. v. 5. 6. 7.* Nam impunitas majorem peccandi licentiam gigneret. Sicuti nihil magis proclive quam ut ſibi indulgeant homines, quantiſper illis parcit Deus. Quamobrem neceſſe eſt, ut Dominus huic periculo occurrat. quod facit caſtigationibus & flagellis, quibus nos ad pœnitentiam hortatur & ſtimulat. Inſigne hic nobis exemplum proponitur in Ægypto. quæ quum ſuperſtitionibus & impietate ſcateret, omneſque nationes idololatria ſuperaret, Dei tamen miſericordiam experta eſt. ſed modus notandus eſt: nempe converſio ad Deum. Eſt enim explicatio membri ſuperioris: acſi dixiſſet, Sanabit Deus Ægyptios, quia convertentur. ו enim copula valet cauſalem particulam. Hinc collige, Converſionem eſſe quaſi reſurrectionem ab æterna morte. De nobis enim actum eſt, quamdiu à Deo averſi ſumus: converſi redimus in gratiam, atque à morte liberamur: non quod promereamur Dei gratiam pœnitentia noſtra: ſed quia Dominus hoc modo veluti à morte in vitam exſuſcitat. Pœnitentiæ additur promiſſio: ex qua colligimus non fruſtra nos ſuppliciter pœnam deprecari, ubi ex animo reſipiſcimus. Cæterum quum exorabilem & propitium Ægyptiis Dominum fore dicit, ſimul oſtendit eos veniam deprecaturos, ex quo fuerint converſi. Vera igitur converſio erit, ex qua ſequetur invocatio Dei. Ea autem ſine fide eſſe non poteſt. *Rom. 10. verſ. 14.* nam agnitio quidem peccati etiam impiis communis eſt: ſed ad miſericordiam Dei nemo confugiet, vel de reconciliatione aget, niſi qui vero pœnitentiæ ſenſu perculſus fidem ſimul conjunget.

Sanabit eos.] Non repetit quod dixerat, Deum percutere ut ſanet, ſed alio ſignificatu promittit ſanitatem, quia ſcilicet à pœnis infligendis ceſſabit Deus. Sanatio illa, cujus paulo ante meminit, interior erat: hæc ad flagella & plagas refertur. Denique ſignificat remedium omnibus eorum malis promptum fore. Poſtquam enim reconciliati ſumus Deo, nihil eſt quod in nobis puniat. Unde enim pœnæ, niſi ob culpam? ea remiſſa, pœnarum remiſſio protinus ſequetur. Quod ſi caſtigemur, nondum ad pœnitentiam ſatis inſtructos eſſe argumento eſt. In ſumma, teneamus hunc ordinem qui nobis à Propheta oſtenditur: primum, flagellis ad pœnitentiam homines præparari: deinde ſanari, quod ab exitio æterno liberentur: tertio, quum adducti ſunt ad notionem ſui reatus, veniam deprecari: quarto, exorabilem & propitium ipſis eſſe Deum: quinto, ceſſare plagas poſtquam à Deo veniam impetrarunt. Nec quiſquam eſt qui hæc in ſe agnoſcere non debeat; quæ hic Jeſaias pronunciat de Ægyptiis, in iis typus toti mundo à Domino exhibetur.

23. *In die illa.*] Nunc denunciat Propheta futurum ut Dominus bonitatem ſuam per univerſum orbem diffundat. acſi diceret, In angulo aliquo minime incluſam, aut ſeorſim uni populo, ut antea, notam fore. Hic autem de duobus populis Eccleſiæ infeſtiſſimis loquitur, qui videbantur longiſſime omnium abeſſe à regno Dei. nam in remotis nationi-

bus multo plus ſpei eſſe potuiſſet: quum hæ ex profeſſo bellum cum Deo gererent, & Eccleſiam ejus perſequerentur. Quod ſi capitalibus Eccleſiæ hoſtibus tam propitius eſt Dominus, ut data venia eos adoptet in filios, quid fiet aliis nationibus? Ita hoc vaticinio comprehenſa fuit vocatio omnium gentium. Jam quod dicit patefacta via mutuum fore acceſſum ut alii ad alios commeent, fraterna communicatio notatur. Scimus Ægyptios continua fere bella cum Aſſyriis geſſiſſe, odioque irreconciliabili ſeſe invicem eſſe proſequutos. nunc Dominum animos eorum mutaturum, atque invicem conciliaturum denunciat: ut mutua ſint inter eos commercia, mutui congreſſus & commeatus, patefactis viis quæ antea præcluſæ eſſe ſolebant. Hic obſervandum eſt
ſupr. 2:4. quod jam antea capite ſecundo notavimus: nempe, ubi reconciliati ſunt homines Deo, ſimul æquum eſſe ut fraternam inter ſe benevolentiam colant. Diſſidia enim, jurgia, contentiones, invidiæ, malevolentiæ pacato Deo ceſſare debent. Mirum igitur non eſt, quod dicit viam Aſſyriis in Ægyptum patefactam eſſe: ſed hoc ad Chriſti regnum baud dubie referendum eſt. Nec enim Ægyptios concordes fuiſſe cum Aſſyriis, niſi poſt agnitum Chriſtum legimus.

Colent.] Hoc membrum ita verti poteſt, Colent Deum. Sed quum non exprimatur hic Deus, poteſt referri ad Aſſyrios: quod etiam indicat particula את. Sic ergo exponere licebit, Qui prius ardebant ſtudio nocendi, ii mutato animo benefacere cupient. denique conſtabit fructus veræ pœnitentiæ: qui enim antea mutuis ſe bellis affligebant, mutuo ſe juvabunt. Atque hic ſenſus contextui Prophetæ optime conveniet. Nec tamen rejicio aliam interpretationem, quam omnes fere ſequuntur: nempe, Qui varios antea deos coluerunt, poſthac unum Deum agnoſcent, atque eandem fidei confeſſionem ſequentur: ut liberum cuique ſit eam ſequi quam magis probaverit. Porro ſi hæc poſterior interpretatio arrideat, deducit Propheta fraternum amorem ex pietate quaſi ex fonte.

24. *In die illa.*] Concludit Jeſaias promiſſionem quam attigerat: Fore ſcilicet, ut Ægyptiis & Aſſyriis benedicatur, quemadmodum & Iſraëli. Erat enim prius gratia Dei quodammodo concluſa in Iſraële: quod Dominus cum eo tantum fœdus iniiſſet.
Deut. 32. verſ. 9. Extenderat enim Dominus funiculum ſuum in Jacob, ut ait Moſes: & David, Non ita fecit omni
Pſal. 147. verſ. 20. nationi, & judicia ſua non patefecit eis. denique benedictio Dei in Judæa ſolummodo reſidebat: hanc autem communem fore dicit cum Ægyptiis & Aſſyriis: ſub quorum nomine reliquos etiam populos comprehendit. Nec enim honoris cauſa eos nominat: ſed quod quum perpetui hoſtes Dei fuiſſent, omnium alieniſſimi & à ſpe gratiæ remotiſſimi videbantur.
Gen. 17. verſ. 7. Exod. 19. v. 5, 6. Deut. 7. verſ. 6. & 14: 2. Itaque quum prius filios tantum Abrahæ adoptaſſet, nunc voluit ſine delectu dici Pater omnium gentium. Quod alii vertunt, Iſraël erit tertius, mihi non placet. Nam quum nomen ſit generis fœminini, conjungi debet cum voce ברכה. & Benedictio tantundem valet ac Exemplum vel ſpeculum benedictionis.

25. *Quia benedicet.*] Cauſæ redditio eſt, ac expoſitio prioris ſententiæ. ex gratuita enim beneficentia Dei Aſſyrios & Ægyptios cum electo populo in ſocietatem venturos docet. quaſi diceret, Quum hi tituli ad Iſraëlem tantum pertinerent, ad alios etiam populos transferentur, quos Dominus in ſuos adoptarit. Eſt enim mutua relatio inter Deum & populum ipſius: ut merito Deum ſuum viciſſim nominent quicunque ejus ore vocentur Sacer populus. Atqui promiſcue hæc nuncupatio ad Ægyptios & Aſſyrios extenditur. Quanquam autem exteros Judæis, qui domeſtici fuerant, ſocios adjungere voluit Propheta, aptiſſimis tamen notis gradus diſtinguit. Ægyptios populum Dei vocando, intelligit conſortes fore honoris quo Deus ſolos Judæos peculiariter dignatus fuerat.
ſupr. 17. verſ. 7. infr. 64. verſ. 7. Epheſ. 2. verſ. 10. Aſſyrios vocando Opus manuum ejus, eos inſignit proprio Eccleſiæ elogio. Sicuti alibi diximus vocari τὸ ποίημα Dei, aut Figmentum. quia ſpiritu regenerationis iterum formantur fideles ut imaginem Dei geſtent. Itaque Opus manuum Dei intelligit, non quatenus homines creati ſumus: ſed quatenus in novam vitam reformantur, qui ſegregati à mundo novæ creaturæ fiunt. Unde agnoſcimus nihil nobis in vitæ novitate tribuendum eſſe, quum toti opus Dei ſimus. Sed quum ad Iſraëlem ventum eſt, prærogativa ſua ornatur: nempe quod ſit hæreditas Dei, ut inter novos fratres jus & honorem primogeniti retineat. nomen enim Hæreditatis neſcio quid majus exprimit. Et certe fœdus
Epheſ. 2. verſ. 12. Rom. 11. verſ. 29. illud Domini, quod primum cum ipſis percuſſum fuerat, prærogativam iis tribuit, quæ ipſorum ingratitudine irrita eſſe non poteſt. nam ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei, quemadmodum docet Paulus, qui ipſos in domo Dei primogenitos eſſe oſtendit. Quamvis igitur nunc latius pateat Dei gratia, primum tamen gradum, non merito ſuo, ſed promiſſionum vi retinent.

Cap. XX.

Anno quo venit Thartan in Aſdod, quum miſiſſet eum Sargon Rex Aſſyriæ, oppugnaſſetque Aſdod, & cepiſſet:

2. Tempore illo, inquam, loquutus eſt Jehova in manu Jeſaiæ filii Amoz, dicendo: Vade, & ſolve ſaccum de lumbis tuis, & calceamentum tuum extrahe de pede tuo: fecitque ſic, ambulans nudus & diſcalceatus.

3. Et dixit Jehova: Sicut ambulavit ſervus meus Jeſaias nudus & diſcalceatus tribus annis, ſignum & portentum ſuper Ægypto & Æthiopia:

4. Ita abducet Rex Aſſur captivitatem Ægypti, & transmigrationem Æthiopiæ juvenum & ſenum, nudam & diſcalceatam, & diſcoopertos natibus in ignominiam Ægypti.

5. Et timebunt, & pudefient ab Æthiopia reſpectu ſuo, & ab Ægypto * gloriatione ſua.

** vel, pulchritudine.*

6. Dicetque incola inſulæ hujus in die illa: Ecce, quomodo habeat reſpectus noſter, quo confugimus auxilii cauſa, ut liberemur à facie Regis Aſſur: & quomodo effugiemus nos?

SUperiore capite vaticinatus eſt Jeſaias de calamitate quæ Ægypto inſtabat, ſimulque Dei miſericordiam ei promiſit: nunc idem argumentum repetens, hac Ægyptiorum caſtigatione Iſraëlem pudefactum iri oſtendit, quod in Ægypto fiduciam locaret. Conjungit etiam Æthiopiam. unde veriſimile eſt Æthiopes cum Ægyptiis vires ſuas conjunxiſſe. ſicuti etiam prius attigi, & rurſum videbimus capite 37. Primum, notandum eſt tempus hujus prophetiæ. tunc enim vehementer Judæos urgebat neceſſitas, ut ad exterarum gentium auxilia etiam inviti confugerent. Thartan fuiſſe unum ex ducibus Sennacherib teſtatur Sacra hiſto-
2 Reg. 18. verſ. 17. ria. unde cogimur fateri, hunc Sargon fuiſſe Sennacherib,

cherib, cui duo fuiſſe nomina hinc colligere facile eſt. Conſiderandum etiam qualis in Iſraële rerum *2 Reg. 15.* ſtatus eſſet. nam abductæ fuerant decem Tribus in *2 Reg. 18. verſ. 13.* ſervitutem. De Judæa vero penitus actum videbatur. tota enim fere occupata erat præter Jeroſolymam, *2 Reg. 18. verſ. 17.* quæ obſidebatur à Rabſace. Rurſum à Thartan obſidebatur Aſdodum. Nominantur ſiquidem illic tres Duces: unde veriſimile eſt copias Sennacherib tunc in tres partes diviſas fuiſſe, ut eodem tempore omnes ſimul terreret, atque ita conturbaret, ut alii aliis auxilium diſtracti ferre non poſſent. Tunc nihil reſtabat Judæis, niſi ut exterorum auxilia acceſſerent. Interim mittitur à Deo Jeſaias, qui denunciet vanam eſſe eorum expectationem, quod ab Ægyptiis pendeant. Inſtabat enim ipſis manus Domini: tantumque aberat ut aliis opitularentur, quum ne ſeipſos quidem tueri poſſent adverſus hoſtes. atque hinc agnoſcere debebant Judæi, ſe merito dare pœnas ſuæ infidelitatis, quod relicto Deo, ad Ægyptios confugerant. Finis enim hic conſiderandus eſt: quia Dei conſilium non fuit Ægyptios præmonere, ſed corrigere populi infidelitatem, quæ ſubinde ad ſpes falſas & perverſas eum rapiebat. Ergo ut intelligant in ſolo Deo eſſe acquieſcendum, quid vanis auxiliatoribus impendeat hic denunciat Propheta. Fuit autem valde opportuna admonitio, quia jam Æthiopes Aſſyrios prohibere cœperant, & coëgerant retro curſum flectere: quo nihil poterat optabilius contingere Judæis. Ergo ne lætis iſtis principiis laſciviant, auxilium hoc evanidum fore denunciat: quia paulo poſt cum ſummo dedecore vincentur tam Æthiopes quam Ægyptii.

2. *Vade, & ſolve ſaccum.*] Ut Dominus aliquo ſymbolo hanc prophetiam confirmaret, Jeſaiam nudum ambulare juſſit. Si id ſua ſponte feciſſet Jeſaias, merito irriſus eſſet: ſed quum Domini mandato facit, nihil in eo niſi ſuſpiciendum, adeoque metuendum conſpicitur. In hac nuditate & ſimilibus ſignis aliquid ineſt ſerii. deinde, nihil aut per ſe aut per miniſtros agit Dominus quin ſimul cauſam doceat. Ideo non ſimpliciter ambulat nudus, ſed finem demonſtrat, cur ſcilicet Dominus hoc eum facere juſſerit. Nam alioqui pſeudoprophetæ veros Dei miniſtros imitantur, variaſque ſpecies & ſtupendas induunt, ut vulgi oculos perſtringant, ſibique auctoritatem concilient. Sed nihili ſunt ea ſymbola, quod Deum auctorem non habeant. Quod diligenter notandum eſt adverſus Papiſtas, qui inanes ceremonias pro veris ſacramentis obtrudunt. Iis enim hæc regula opponenda eſt, Si proficiſcuntur à Deo, ea amplecti debemus. ſin minus, intrepide repudiare licet, imo ſine Dei contumelia non recipiuntur: quia tunc ejus auctoritatem ſibi uſurpant mortales. Præterea Deus non proponit ſigna abſque Verbo. quid enim eſſet ſacramentum, ſi nihil præter ſignum intueremur? Sola eſt doctrina quæ ſacramentum facit. proinde fucum fieri ſciamus, ubi nulla doctrina auditur: atque perperam facere Papiſtas, quum vacui doctrina, inanibus ceremoniis nomen ſacramenti imponunt. Sic enim Dominus ea conjunxit, ut nemo ſeparare poſſit, quin violet ordinem ab eo inſtitutum. Porro quod ſaccum jubet ſolvere, ex eo colligunt fere omnes lugubri veſte Jeſaiam tunc fuiſſe indutum, quod defleret calamitatem Iſraëlis. Talis *Joël. 1.* enim habitus lugentis erat: ſicuti ex Joële perſpi- *verſ. 13.* cuum eſt. idque factum eſſe interpretantur, quo veniam à Deo ſub reorum habitu deprecaretur: vel quod fieri non poſſet, ut mœſto ejus animo, vultus & habitus hilaris eſſet. non potuit autem non graviſſimo affici mœrore, dum tantam cladem intuebatur. Quidam putant ordinarium ejus habitum fuiſſe, quod Prophetæ pallio indui ſoliti eſſent, *Zach. 13.* quemadmodum Zacharias teſtatur. Sed nimis infir- *verſ. 4.* ma eſt illa conjectura, nec multum habet coloris. Magis credibile eſt eum ſacco indutum fuiſſe, ut ſpeciem lugentis præ ſe ferret. Tanta enim fuit ſecuritas in Judæa, ut quum miſere afflictos & diſſipatos fratres ſuos viderent, non moverentur tamen, nec ad ſe eorum miſeriam pertinere exiſtimarent. Putabant interea ſe extra teli jactum eſſe, Prophetiſque ipſis minantibus, exitiumque nunciantibus inſultabant. Unde etiam conqueritur Micheas, nemi- *Mich. 1.* nem lugere calamitatem Iſraëlis. Quæritur an hoc *verſ. 10.* vere factum ſit: an vero ſimplex & nuda fuerit viſio quam populo nunciaret. Magis receptum eſt Prophetam nunquam ſe nudaſſe, ſed hoc per viſionem ei eſſe oſtenſum: idque ſemel. Rationem afferunt, quod per æſtum & frigora aliaſque cæli injurias, non licuerit ei nudum toto triennio ambulare. Quid ſi dicamus, Prophetam veſtitum fuiſſe domi, atque etiam in publico, niſi quum ad docendum prodire vellet? atque tunc nuditatis ſpectaculum populo exhibere ſolitum fuiſſe? Nec enim me movet illa ratio, quod æſtum & frigora ſuſtinere non potuit. Deo enim, à quo id facere jubebatur, tueri ipſum ac munire difficile non fuit. Sed aliam rationem adducunt: Indecoram fuiſſe nuditatem Prophetæ. Reſpondeo, hanc nuditatem non magis indecoram fuiſſe Circumciſione: cujus ſpectaculo nihil magis ridiculum judicare poterant homines profani, quum in ea pudenda nudarentur. Verum exiſtimandum non eſt Prophetam ita ſe totum nudaſſe, quin tegeret eas partes quæ deformem conſpectum habituræ erant. ſatis erat populum intelligere quid à Domino gereretur, & re inſolita commoveri. Me vero ut ita ſentiam movet, quod hic dicitur, *In manu.* Tametſi enim ſæpe alias hæc loquutio occurrat, nunquam tamen invenitur quin ſimul tacitam habeat emphaſin, qua effectus ipſe notetur. & ſe hic inter Deum & ſuos gentiles medium interponit, ut non verbis modo, ſed etiam viſibili ſymbolo futuræ cladis præco ſit. Neque vero ſupervacuum quod mox additur, Sic feciſſe. Sic igitur ſtatuo, Jeſaiam ambulaſſe nudum quoties Prophetæ officio fungebatur: eas autem nudaſſe partes, quæ conſpici non inhoneſte poterant. Quod ad Saccum attinet, quanquam in rebus adverſis reatum ſuum hoc modo teſtari privatis quoque hominibus mos fuit, probabile tamen eſt Jeſaiam pro ratione ſui officii hoc ſymbolo ad doctrinam confirmandam fuiſſe uſum, quo magis expergefieret populi tarditas. Si quando nos Dominus aut fratres noſtros caſtiget, veſtem mutari non jubet: neque id neceſſarium eſt: ſed crudeles ſumus & ἄστοργοι, ſi fratrum ærumnis & ruina Eccleſiæ non moveamur. Si quis in nobis affectus Dei, in mœrore & lachrymis eſſe debemus. Quod ſi lugendum eſt, hortandi & alii, exemploque noſtro incitandi, ut calamitatem Eccleſiæ ſentiant, & συμπαθῶς aliqua tangantur.

3. & 4. *Tribus annis.*] Cur hoc tempore? quia præfixum erat Ægyptiis & Æthiopibus, quibus interim Dominus inducias ad reſipiſcendum dabat, & interim probare volebat populi ſui obſequium, ut ſine cunctatione ſe abdicarent illicitis ſubſidiis. tametſi Ægyptios & Æthiopes ſtantes viderent, ſcirent tamen non procul abeſſe ab illa clade. Voluit quoque Dominus interea detegere rebellionem impiorum. Sicuti revera multi ſpecimen ediderunt ſuæ impietatis, quum nuditatem Prophetæ contemnerent: pii contra hoc nuditatis ſpectaculo commoti, quamvis dulcis eſſet illecebra Æthiopum proſperitas, in Verbum tamen defigere ſenſus ſuos non dubitarunt. Nec enim ſimpliciter conſideranda fuit nuditas, ſed nota quam impreſſerat Dominus. Quemadmodum in ſacramentis viſibilibus, nos ea quæ inviſibilia ſunt contemplari decet. *Captivitatem & tranſmigrationem*; collective accipit, pro Captivorum & migrantium cœtu. deinde nullum ætatis diſcrimen fore oſtendit: ſenes æque ac juvenes in captivitatem eſſe abducendos pronuncians.

5. *Et terrebuntur.*] Nunc oſtendit in quorum gra-

tiam hæc de Ægyptiis & Æthiopibus prædixerit: nempe, ut Judæi rebus afflictis in Deum ſperare diſcerent, nec ſibi accerſerent externa auxilia, quæ vetuerat Dominus. *Reſpectum* vocat, quod Judæi ad eos ſeſe converterent, ſimulatque malo aliquo premebantur, ſpemque in eis locarent. Solemus enim eo convertere oculos, unde opem aliquam expectamus. unde & Reſpicere pro Sperare Hebræi paſſim accipiunt. atqui decebat in ſolum Deum intentos eſſe. Vaga igitur eorum levitas coarguitur. Et hoc idem nobis, ac merito accidere neceſſe eſt, ut quum invitati à Deo, tutum aſylum quod nobis offert recuſamus, præſtigiiſque Satanæ allici nos patimur, nudi & deſtituti cum ignominia & pudore jaceamus.

Pſal. 34. verſ. 6. Job. 6.

6. *Et dicet incola.*] Inſulam vocat non tantum Jeroſolymam, ſed univerſam Judæam. ſic autem vocari putant, quod alluatur mari Mediterraneo. Ego vero aliam puto eſſe hujus metaphoræ rationem: alluitur enim exigua maris portione. ſed quemadmodum inſula ab aliis terris ſeparata eſt, ita Dominus ab aliis regionibus Judæam diſcreverat. Erat enim ſegregata ab univerſis Gentibus, quæ Judæis capitali odio infeſtæ erant. nam Maceria interpoſita erat, ut ait Paulus, quam Chriſtus tandem abrupit. Hic porro vaticinium ſuum confirmat Jeſaias: Si nunc mea nuditate non movemini, aliquando re ipſa hæc non fruſtra vobis propoſita fuiſſe intelligetis. Sic enim præfractos & indociles ſero cogit Deus ad confeſſionem delicti, ut attoniti ſecum diſputent quomodo tantopere excæcari potuerint ſua pervicacia.

Epheſ. 2. verſ. 14.

Cap. XXI.

Onus deſerti maris. Sicut tempeſtates in auſtrali regione, tranſituræ à deſerto, veniet à terra horribili.

2. Viſio dura indicata eſt mihi: transgreſſor transgreſſori, & vaſtator vaſtatori. Aſcende Perſa: obſide Mede, omnem gemitum ejus ceſſare feci.

3. Propterea impleti ſunt lumbi mei dolore: anguſtiæ corripuerunt me, ſicut anguſtiæ parturientis: incurvatus ſum audiendo, & videndo obſtupui.

4. Concuſſum eſt cor meum, horror perterruit me: noctem deliciarum mearum poſuit mihi in horrorem.

5. Adorna menſam, ſpeculare in ſpecula, comede, bibe: ſurgite Principes & ungite clypeum.

6. Quoniam ſic dixit ad me Dominus: Vade, conſtitue vigilem, qui annunciet quod viderit.

7. Et vidit currum paris equitum: currum aſini, & currum cameli: deinde attentius ſpeculatus eſt: multum, inquam, ſpeculatus eſt.

8. Tum clamavit, Leo. In ſpecula mea, Domine mi, jugiter ſto interdiu, & totis noctibus in cuſtodia mea locatus ſum.

9. Et ecce hic venit currus hominis: par equitum. Et loquutus eſt, ac dixit, Cecidit, cecidit Babel, & omnia ſculptilia deorum ejus contrivit ad terram.

10. Tritura mea, & filius areæ meæ. Quæ audivi à Jehova exercituum Deo Iſraël, nunciavi vobis.

11. Onus Duma. Clamat ad me ex Seir: Cuſtos, quid de nocte? Cuſtos, quid de nocte?

12. Dixit cuſtos: Venit mane, poſtea nox. Si interrogaveritis, interrogate. Revertimini, venite.

13. Onus in Arabia. In nemore in Arabia pernoctabitis, in viis Dedanim.

14. In occurſum ferte aquas ſitienti, incolæ terræ Tema, pane ſuo ſuccurrite profugo.

15. Quia à facie gladiorum fugiunt, à facie gladii extenti, à facie arcus intenti, à facie gravitatis belli.

16. Nam ſic dixit mihi Dominus: Adhuc annus ſecundum annos mercenarii, tum deficiet omnis gloria Cedar:

17. Et reſiduum arcus, quod numerabitur fortium filiorum Cedar, imminuetur: quoniam Jehova Deus Iſraël loquutus eſt.

Onus deſerti maris.] Poſtquam docuit Propheta non in Ægyptiis, ſed in ſola Dei miſericordia ſpem locandam eſſe, venturaſque gentibus quarum ſubſidio fidebant clades nunciavit, conſolationem ſubjungit qua piorum animos ſuſtentet. Significat enim & Chaldæis, ſub quorum manu captivi futuri erant, repoſitam eſſe mercedem: unde ſequitur, curæ eſſe Deo quas ſuſtinent injurias. Nam per *Deſertum*, Chaldæam intelligit: non quod deſerta fuerit aut infrequens: ſed quod Judæi ab illa parte deſertum ſibi propinquum habuerint: acſi nos Alpes pro Italia acciperemus, quod nobis propinquiores ſint, iiſque nobis iter in Italiam faciendum ſit. Ratio autem notanda eſt: quia non deſcribit naturam regionis, ſed admonet Judæos proximum eſſe interitum hoſtium, de quo vaticinatur: adeoque certum acſi res ipſis eſſet in conſpectu, quemadmodum illud deſertum erat. Adde quod interdum perplexe de Babylone loquuti ſunt Prophetæ, ut ſoli fideles abſconditis myſteriis fruerentur: ſicut Jeremias inverſum ponit Regis nomen. *Ab auſtro* dicit, quoniam ventus ille tempeſtuoſus eſt, procellaſque & turbines excitat. Quod addit *prodire à deſerto*, ad amplificationem valet. Si qua enim tempeſtas oriatur in loco habitabili & frequenti, minus terroris habet quam quæ in deſertis excitantur. Ut ergo horrorem exprimat hujus cladis, comparat eam tempeſtatibus, quæ quum incipiant à deſerto, liberius deinde excurrunt, & irruunt majore impetu. quanquam videtur alio reſpicere Propheta: nempe, ſicuti ab illa parte inſtar procellæ irruperant hoſtes ad vaſtandam Judæam, ita paulo poſt contrarium turbinem exoriturum qui eos ſubvertat. Ideo onus hoc venturum dicit à terra horribili: quo epitheto Judæam deſignari interpretor. Neque enim ſatis fuit verba fieri de Babylonis ruina,

Digitized by Google

ruina, niſi intelligerent ſimul Judæi à Deo provenire. Quare terram horribilem vocet, diximus capite 18. nempe quia poſt tot iræ Dei exempla poterat ejus deformitas metum omnibus incutere. Neque enim patitur circumſtantia temporis, Formidabilem vocari reſpectu admirabilis potentiæ Dei qua tegebatur. Quamvis ergo à Perſis & Medis capta & ſpoliata fuerit Babylon, pronunciat Jeſaias cladem ejus à Judæa venturam: quia hoc modo retaliabit Deus injurias populo illatas, cujus ſe fore cuſtodem promiſerat. *ſupra 18. verſ. 8.*

2. *Viſio dura.*] Quum propoſitum ſit levare populi triſtitiam, non videtur conſentaneum eſſe, ut Viſio dura nominetur quæ lætitiæ materia erat. Sed hoc ad Chaldæos refertur, qui inflati ſua fortuna nihil adverſi metuebant. Nam opulentia ſuperbiam & ſecuritatem gignere ſolet: acſi diceret, fruſtra objici divitias & potentiam Chaldæorum: durumque malleum duro lapidi repertum eſſe.

Vaſtator.] Quia imperium ſibi acquiſierat Babylon cæteras nationes prædando & vaſtando, videbatur ab omni injuria immunis eſſe. Quamvis ergo formidabiles aliis fuiſſent, omneque genus ſævitiæ & crudelitatis exercuiſſent, ipſos tamen prædæ eſſe, & ſimiles injurias pati oportuit quibus alios affecerant. Imo ut fidem conciliet ſuis dictis Propheta, banc viciſſitudinem admonet juſtam eſſe, ut violentia violentiæ reſpondeat. *Elam*, pars eſt Perſiæ: ſed pro tota Perſia accipitur. unde etiam Perſæ Elamitæ vocati ſunt. Eſt autem obſervandum, nullam belli conjecturam fuiſſe quum hæc prædiceret Jeſaias: ipſumque centum annos priuſquam ulla hujus cladis ſuſpicio eſſet, extremum diem obiiſſe. Unde ſatis conſtat ipſum non aliunde quam à Spiritu Dei hæc reſcire potuiſſe. quod non parum ad confirmandam Prophetiæ certitudinem atque auctoritatem valet. Quod autem imperat Medis & Perſis, ſignificat hoc non temere aut fortuito, ſed certo Dei decreto Babyloniis eventurum. Hæc enim Dei, non cujuſquam privati nomine denunciat. Itaque Dei perſonam ſuſtinens, tanquam Imperator aut Dux aliquis, poteſt militibus imperare, ut conveniant ad bellum inferendum. Quomodo autem Dominus prædonum & impiorum opera utatur, prius capite decimo declaratum eſt.

Omnem gemitum.] Intelligunt nonnulli gemitum active, cui occaſionem dederant Babylonii, ceſſaſſe poſtquam à Medis & Perſis oppreſſi ſunt. multis enim gemendi cauſam præbuerat eorum tyrannis: id quod impiis & ſceleſtis dominia tenentibus evenire neceſſe eſt. Alii forte propius ad genuinum Prophetæ ſenſum accedunt, dum aiunt gemitum ceſſaſſe: quia nullam Babylonii miſericordiam ſenſerunt, cujus antea fuerant ipſi expertes. Ego vero ſimplicius expono: Dominum ſcilicet ad gemitus ipſorum obſurduiſſe: acſi diceret, nullum gemitibus & querelis ipſorum fore locum. Nam quum inhumani fuiſſent & crudeles, æquum erat ipſis eadem menſura retribui, qua aliis menſi fuerant. *Mat. 7. verſ. 2.*

3. *Propterea.*] Hic Propheta populum veluti in rem præſentem adducit. nec enim ſatis erat ſimpliciter excidium Babylonicum prædixiſſe, niſi ſic ipſum confirmaſſet, ut pii viderentur ſibi rem ipſam oculis intueri. Neceſſaria igitur fuit iſta hypotypoſis. nec vero privatum animi ſui affectum hic Propheta recitat, acſi Babyloniis condoleſceret: potius, ut alibi dictum fuit, Babylonii perſonam ad tempus ſuſcipit. Certe hoc ſufficere nobis debet, occulta Dei judicia quaſi in ſpecula ſic nobis proponi, ut adjuvetur fidei noſtræ tarditas. Ideò quæ ſuperant captum rationis noſtræ, ſplendidius Prophetæ & plenius deſcribunt, & depingunt vivis coloribus. Dolorem ergo ſuum exprimens Propheta, quam ſevera Dei vindicta Chaldæos maneat & quam atrociter punienda ſit Babylon, fideles docet: ut quum triſti nuncio allato, horrore ſubito corripimur. Majorem etiam doloris expreſſionem addit, dum ipſum comparat doloribus parturientis: ut quum quis acerbiſſime vexatus, ſeſe verſat in omnes partes, membraque ſua contorquet. Has loquutiones Prophetæ tarditati noſtræ accommodant: quia judicia Dei non agnoſcimus niſi tanquam digito oſtenſa ſenſus noſtros tangant. Admonemur autem, priuſquam eveniant, ut nobiſipſis conſulamus.

4. *Concuſſum eſt cor meum.*] Alii non male vertunt, Oberravit: quia nimio pavore mens quaſi loco ſuo movetur. Declarat quam ſubita & repentina futura ſit clades Babylonis. Major enim trepidatio eſt in clade repentina, quam in ea quæ diu prævisa atque expectata eſt. Quod autem hic prædicit Jeſaias: Daniel factum fuiſſe ac ſe vidiſſe narrat. Balthaſar ea nocte paraverat lautum convivium, quum ſubito Perſæ irruerunt: nec quicquam minus expectabat, quam ut occideretur. Deliciæ igitur tunc ſubito in horrorem verſæ ſunt. *Dan. 5. verſ. 30.*

5. *Adorna menſam.*] Hæc in participio legi poſſunt: acſi diceret, Ipſis adornantibus menſam, & cuſtodiam inſtruentibus, dum comederent ac biberent, exortus eſt repentinus terror, ad arma conclamatum eſt, Surgite Principes, &c. Vivas autem deſcriptiones proponit Jeſaias, ut rem quaſi præſentem ob oculos ſtatuat. Certe non tam hiſtorice recitat Xenophon urbis expugnationem: unde apparet non præſagiis naturalibus, ſed cæleſti inſtinctu edoctum fuiſſe Jeſaiam, qui tam graphice res incognitas delineat. Et notandum eſt tempus quo hæc prædicta ſunt. tunc enim florentiſſimus erat ſtatus regni Babylonici, atque invictæ potentiæ videbatur, nec ulla pericula reformidabat. Hanc ſecuritatem deridet Jeſaias, atque oſtendit potentiam illam facile collapſuram eſſe. Quod ſpeculatorem loquentem inducit, non debet videri abſurdum. Etſi enim ſuperbo amentique tyranno ignaviam obſidio non excuſſerat quominus deliciis & crapulæ indulgeret: vigiles tamen ad excubias agendas fuiſſe diſpoſitos minime dubium eſt. Mos eſt quidem Principibus, quo ſe liberius & ſine ulla perturbatione in omnes voluptates effundant, cuſtodiis ſe munire: ſed Propheta conſulto excubitores miſcet cum menſæ lautitiis, quo melius appareat ſpiritu vertiginis perculſum fuiſſe impium tyrannum antequam ſe ad temulentiam projiceret. Epulabatur ergo rex Babylonis, ſeque hilariter tractabat cum ſuis, quum ſubita & improviſa clade oppreſſus eſt. non quod fuerit extra diſcrimen, ſed quia hoſtem ſecure & quaſi cum ludibrio ſpernebat. Ac pridie quam id accideret, fabuloſum videri poterat: quia nondum detecta erat conjuratio Gabriæ & ejus factionis à qua proditus eſt. Quo vero tempore loquutus eſt Jeſaias, nemo putaſſet tale unquam futurum portentum.

6. *Quoniam ſic dixit.*] Jubetur Propheta locare in ſpecula vigilem qui hæc eminus proſpiciat: quia nondum oculis cerni, nec conjectura percipi poſſint. Proinde, ut omnes ſciant ipſum non temere loquutum eſſe, ea ſe nunciare teſtatur. quæ tametſi hominibus ignota & incredibilia ſint, ſpiritu tamen Prophetico clare & dilucide cognovit, quia ſupra hominis judicium evehitur. idque diligenter notandum eſt: quia non eſt exiſtimandum Prophetas didiciſſe ab hominibus ea quæ nunciarunt, aut ſolertia ſua prævidiſſe: ſed evectos eſſe ſupra humanos ſenſus, ut procul hæc quaſi ex alta ſpecula intuerentur. unde etiam merito Videntes vocati ſunt. Tametſi enim nos quoque videmus, hebes tamen eſt aſpectus noſter, vixque id quod ante pedes eſt cernimus: imo acutiſſimi quique interdum caligant. Nihil enim aliud percipiunt quam quod ratione colligere poſſunt. Prophetæ autem Spiritu Dei quaſi è cælis loquuntur. *1 Sam. 9. verſ. 9.*

quuntur. Summa huc redit, perperam facturos ſi qui vaticinium hoc proprio judicio metiri velint, quia à Deo profectum eſt. ideoque ſenſus noſtros exuperat quam maximo intervallo. Hoc etiam plus auctoritatis habet, quod vigilem conſtituit Dei nomine. Si quis ergo objiciat, Incredibilia narras, acſi reipſa eveniſſent: reſpondet ſe nihil temere nunciare. qui enim vigil eſt à Principe conſtitutus, videt eminus quæ aliis ignota ſunt. Sic Jeſaias ea Spiritus revelatione cernebat, quæ alios latebant.

7. & 8. *Et vidit currum.*] Quæ nunc ſubjicit, vivam expreſſionem cladis illius continent. Exiſtimant autem hæc per nuncium Regis ſignificari: quod falſum eſt. nam Propheta denunciat potius quod à vigile, Dei juſſu à ſe conſtituto, habet. Hic enim vigilem illum proſpicientem ac renunciantem introducit. quaſi tamen intuitu primo non animadverterit, currum eſſe ait: deinde propius attendens, in eo par equitum eſſe dicit. Primum enim & novitate & longa diſtantia ambiguum & confuſum eſt judicium. deinde, quum res ipſa propius acceſſit, melius judicatur. Nec vero abſurdum eſt ad Prophetas transferri aut divinas viſiones quod hominibus convenit: quia ſcimus ut Deus ſe ruditati noſtræ accommodans ſuſcipiat humanos affectus. Tandem leonem animadvertit. Eo Darium ſignificari putant, à quo ſubacta Babylon atque expilata eſt: ut habetur Daniel. 5. *Dan. 5. verſ. 28.* Quod excubitor ſe dies & noctes in ſpecula aſſiduum eſſe dicit, ad confirmationem vaticinii pertinet. acſi diceret nihil hac viſione certius eſſe: quia ſomniculoſi non ſint vel hebetes qui divinitus ad ſpeculandum profecti ſunt. Interea fideles hoc exemplo ad ſimilem attentionem hortatur & excitat, ut præeunte Verbi lucerna, procul aſpiciant Dei potentiam.

9. *Cecidit, cecidit.*] Hinc facile apparet non induci vigilem regis Balthaſar. nec enim hic ſermo perſonæ conveniret. Propheta ergo id quod venturum erat Dei juſſu renunciat. Poteſt autem hoc tam ad Darium quoque vel ad Deum referri, quam ad cuſtodem: in quo parum eſt diſcriminis. Darius enim, quia hac in re miniſter Dei fuit, non inepte inducitur judicii ejus præco. probabilius eſſet ad Deum ipſum referre: quia Darius nihil tale cogitabat quum idola Babyloniorum everteret. Sed melius quadrat ſermo perſonæ cuſtodis: quemadmodum ſi Angelus vaticinio interpretationem addat. Eſt autem hic tacita antitheſis inter Deum vivum & mortua idola. Atque notanda eſt loquutio, ubi Sculptilia deorum vocat. Sciebant enim Babylonii, quod etiam omnes idololatræ jactant, ſimulacra ſua deos non eſſe. iis tamen divinam potentiam affingebant: quod quum fit, veritas Dei in mendacium vertitur: imo Deus ipſe abnegatur. Sed de hac re poſtea fuſius tractabitur. Hic agnoſcimus Babylonem ſuo interitu pœnas idololatriæ dediſſe. cauſam enim notat cur perierit: quia Dominus ferre non potuit ut gloriaretur in ſuis ſimulacris.

10. *Tritura mea.*] Quum tam potentis Monarchiæ opes fulgore ſuo omnium oculos perſtringerent, fabuloſum videri poterat, quicquid Jeſaias de ejus excidio nunciabat. propterea mentes ad Deum revocat, ut intelligant ipſum has ſibi partes ſumpſiſſe, ut Babylonem deleret: nec fieri hominum arbitrio, ſed potentia ipſius, ut cadat iſta altitudo. *Tritura* & *filius areæ* pro eodem accipitur. eſt enim loquutio Hebræis uſitata: apud quos etiam frequens ejuſdem ſententiæ repetitio eſt. Obſervandus eſt diligenter hic locus, ut vitium nobis ingenitum corrigamus, dum potentiam Dei modulo noſtro metimur. Præterquam enim quod infra Dei conſilium longe ſubſidit noſtra imbecillitas, pravi quoque & iniqui operum Dei æſtimatores ſumus: nec de iis aliter perſuaderi poſſumus, quam ſi euſque hominum facultas aut conſilium ſeſe extendat. At nobis ſemper in mentem venire debet infinita illius potentia: ac præſertim ubi nos & conſilium & ratio deficiunt. Sicuti quum Eccleſia à tyrannis ita opprimitur, ut nulla ſpes reſtitutionis appareat: ſciamus tamen futurum, ut Dominus ipſos in nihilum redigat, & faſtum eorum calcando, roburque affligendo, trituram ſuam eſſe oſtendat. Hoc enim non de plebeio quodam homine, ſed de potentiſſima & florentiſſima omnium Monarchia prædictum eſt. Quo igitur magis ſeſe extulerint, eo citius perdentur: atque in iis trituram ſuam Dominus exercebit. Quod enim incredibilis ruinæ documentum hic à Domino datum eſt, ad ſimiles quoque pertinere intelligamus. Et ſe à Domino exercituum audiſſe referens, hoc quaſi ſigillo ſuam prophetiam obſignat. Teſtatur enim ſe non protuliſſe conjecturas, ſed à Domino ipſo accepiſſe. In quo notandum eſt, miniſtros Dei hac fiducia inſtructos eſſe debere, ut Dei nomine loquantur: quemadmodum etiam monet Petrus, *1 Petr. 4. verſ. 11.* Qui loquitur, loquatur tanquam eloquia Dei. Impoſtores quoque ipſi jactant nomen Dei: ſed fidelibus ſervis reſpondet conſcientia, nihil proferri ab ipſis, niſi quod Deus mandaverit. Obſerva etiam pluſquam neceſſariam fuiſſe hanc confirmationem: quia totus orbis ad vires Monarchiæ tam potentis obſtupeſcebat. Jam vero non abs re duobus epithetis Deum ornat, Dominum exercituum, & Deum Iſraëlis vocans. Quod ad prius attinet, eſt quidem elogium quod ſemper Deo convenit: ſed hic dubium non eſt, quin præſentem cauſam ſpectarit, ut potentiam Dei opponat omnibus præſidiis Babyloniorum. Nec enim unicus eſt exercitus Deo, ſed infiniti, quibus hoſtes ſuos expugnet. Deum autem Iſraëlis vocat: quia perdendo Babylonios, præſidem ſe ac cuſtodem populi ſui eſſe oſtendit. nam everſio illius Monarchiæ, libertatem peperit Judæis. Denique hæc omnia in gratiam Eccleſiæ facta ſunt, cujus etiam hic Propheta rationem habet. nec enim docet Babylonios, qui haud dubie hæc vaticinia riſiſſent: ſed fideles, ut tametſi opprimerentur à Babyloniis, disjectique eſſent & diſſipati, Deo tamen ſe curæ eſſe confiderent.

11. *Onus Dumæ.*] Conſtat ex 25. Geneſeos, *Geneſ. 25. verſ. 14.* hanc gentem progenitam eſſe à filio Iſmaëlis, cui hoc nomen inditum eſt. unde & poſteri Dumæi vocati ſunt. Cauſa exitii, quæ his nunciatur, certo cognoſci non poteſt. atque hæc prophetia, quod brevis ſit, ideo obſcura eſt. Semper tamen memoria tenendum quod prius monui, Judæos muniri oportuiſſe adverſus horrenda ſcandala, quæ imminebant. Quum enim accidunt tam variæ mutationes, præſertim ſi orbis circumvolvitur, ac viciſſitudines aliæ aliis ſuccedunt, turbamur: ac dubitamus num temere ac fortuito omnia accidant, an regantur providentia Dei. Dominus ergo hanc converſionem à ſe fieri oſtendit, ſtatumque orbis innovari, ut nihil hic perpetuum eſſe intelligamus: atque ad regnum Chriſti, quod ſolum æternum eſt, toto animo aſpiremus. Quum igitur hæ mutationes imminerent, Judæos præmoneri oportuit: ut eventu deinde ſequuto hæc repeterent memoria, divinam prudentiam intuerentur, fidemque ſuam confirmarent. Præterea dubium non eſt, quin Judæi variis cogitationibus diſtraherentur, quum undiquaque orbem univerſum concuti viderent, & quærerent aliquas rationes quibus illas tempeſtates & procellas effugerent: ut ſemper tuto in loco, atque extra omne periculum eſſe optamus. Alias igitur ſedes quærere nonnulli potuiſſent, quo ſibi melius conſulerent: ſed quum undiquaque ingruerent procellæ, nuſquam tutius eſſe domicilium quam in piorum cœtu admoniti retinebantur in ſua ſtatione. Quo exemplo moneri etiam debent multi qui ſe periculorum metu ab Eccleſia disjungunt, nec cogitant majora ſibi extra ipſam imminere. His itaque cogitationibus ſolli-

ſollicitari poterant Judæi: nam eos inquietis animis *ſupr. 8:6.* fuiſſe ſatis ex capite octavo colligimus. Quum ita fluctuarent ancipites, & confugerent ad exteros, facile erat ipſos deficere. Hanc ergo rationem præcipuam eſſe arbitror, cur Dumæis ſua quoque clades nuncietur: nempe, ut Judæi toto animo ad Deum confugerent, eique ſalutem Eccleſiæ in primis commendarent. Proinde diſcamus nos continere in Eccleſia, tametſi multis ærumnis affligetur: ac potius æquo animo feramus paternas caſtigationes, quæ filiis infliguntur, quam ad fæcem, qua præfocantur impii, bibendam excurrere libeat. Quid enim alienis & reprobis futurum eſt, ſi ita filii caſtigantur? *1 Petr. 4. v. 17. 18.* Poteſt tamen fieri, ut electo populo nonnihil moleſtiæ Dumæi quoque exhibuerint, dum undique à ſuis vicinis impetebatur.

De Seir.] Mons erat Idumæorum, quemadmodum ex 14. Geneſeos colligere licet. *Geneſ. 14. verſ. 6. & 32: 3. & 36. verſ. 8. 9.* Sub montis hujus nomine, totum regnum comprehendit. Repræſentat autem hoc loco quaſi ſub pictura, quæ vehementiori teſtificatione opus habebant. Probabile autem eſt, quum interrogent Idumæi, non procul fuiſſe diſſitos, imo quaſi de communi diſcrimine anxios fuiſſe. Inducit enim non curioſitate, ſed ex ſuo uſu à vigile quærentes, quid nocte animadverterit: ut quum unus ſciſcitatus fuerit, alius deinde atque alius ſuccedat, qui idem ſciſcitetur. Huc enim pertinet iſta repetitio: non inquiri ab uno tantum, ſed à pluribus, ut in rebus dubiis & anxiis fieri ſolet, dum quiſque proprio metu correptus, aliis non credit.

12. *Venit mane.*] Significat ſollicitudinem non fore unius diei, aut exigui temporis: acſi reſponderet cuſtos, Quod hodie vobis renuncio, cras etiam nunciabo: ſi nunc metuitis, cras etiam metuetis. Eſt autem miſerrima hæc conditio, quum homines ita anxii ſunt, ut inter vitam & mortem ſuſpenſi hæreant. atque extrema hæc maledictio eſt, quam Dominus impiis per Moſen minatur, *Deut. 28. verſ. 67.* Quis dabit ut vivam uſque ad veſperam? & veſperi, Quis dabit ut diluculum videam? Pii quidem multis periculis obſidentur: ſed in manu Dei ſe ac vitam ſuam depoſitam eſſe ſciunt; ideoque in ipſis mortis horroribus vitam cernunt, vel ſaltem turbulentos ſuos metus ſpe & patientia temperant. Impii vero ſemper trepidant, neque tantum horrore torquentur, ſed tabeſcunt in ſuis doloribus. Quod continuo poſt ſequitur, Revertimini, venite, bifariam poteſt exponi, vel aſſiduo recurſu operam perdituros, vel in hunc modum: Siqui ſint inter vos cautiores, eant in Duma, atque illic magis trepident quam in patria: nuſquam enim tuti erunt. Cæterum, quia Eccleſia curæ Deo ſemper eſt, nuſquam magis tutum perfugium reperietur: etiamſi mare & terras circumeamus.

13. *Onus in Arabia.*] Nunc ad Arabes tranſit, & ipſos quoque ſuo ordine prædicit ad Dei judicium trahendos: ut nullam ex regionibus omittat quæ notæ erant Judæis. Eos autem tanto metu correptum iri ſignificat, ut relictis domibus, in ſylvas confugiant. Atque partem exprimit quo ſe recipient: nempe, Dedanim.

14. *In occurſum.*] Amplificat illam trepidationem, qua ſic percellere ſtatuerat Deus Arabes, ut nihil aliud quam de fuga cogitarent: nec ſpatium ſumerent ad ea ſaltem colligenda, quæ itineri neceſſaria erant. Significat ergo Jeſaias venturos Arabes in regionem Dedanim vacuos & inanes rerum omnium, nulloque viatico inſtructos. Quamobrem hortatur incolas, ut cum aqua & pane obviam ipſis prodeant: alioqui defecturos in tanta inopia. Scio aliter hunc locum exponi ab aliis. putant enim Prophetam inſultare Arabibus, qui inhumani & crudeles fuerant in Judæos: acſi diceret, Quam nunc velletis aquam ferre ſitientibus! ſed nimis coacta eſt illa expoſitio. Neque tamen inficior, mercedem ſuæ crudelitatis eſſe illis redditam, dum famelici huc illuc curſitarunt. Interea genuinus eſt ſenſus quem retuli: nempe, tam miſeros fore Arabes in fuga ſua, ut ne aqua quidem iis ſuppetat. itaque defecturos præ ſiti, niſi iis mature occurratur: inopiam vero tam cibi quam potus fore ſignificat. Vicinos ad opem ferendam inclamat: non ut hortetur ad officium, ſed quo rem magis dilucide exprimat: & ſuum ipſis panem afferri jubet, non qui debeatur, ſed quo in extrema penuria indigent. quia tamen ex communi naturæ & humanitatis lege ſumptum eſt, tacite inſinuat Propheta fraudari ſuo pane egenos & famelicos, ubi victus denegatur.

15. *Quoniam à facie gladiorum.*] Significat atrocem fore calamitatem, nec abs re Arabes ſe in fugam daturos: quia hoſtes acriter ipſos armis & gladiis perſequentur, ut non aliter quam fuga ſaluti ſuæ conſulere poſſint. Cur hanc cladem prædicat, ſatis notum eſt. Admonendi enim erant in tempore Judæi, quid multo poſt futurum eſſet: ut intelligerent mundum Dei providentia, non fortuito gubernari: docendi etiam alienis exemplis: ut quocunque verterent oculos, aſpicerent Deum Gentium omnium judicem. Ignoratur autem, nec conſtat hiſtoriis, an Arabes fuerint Judæis infeſti. Quicquid ſit, hæc in piorum conſolationem dici certum eſt: ut juſtitiam Dei erga omnes nationes conſpiciant, & quidem agnoſcant tribunal ejus eſſe Jeroſolymæ, ex quo judicium ferat contra totum orbem.

16. *Quoniam ſic dicit Dominus.*] Addit hanc cladem, de qua vaticinatus eſt, Arabibus propediem inſtare. quod multum valuit ad pios conſolandos. Sumus enim præcipites natura, nec libenter ſuſpendi deſiderium noſtrum ſinimus. Hujus noſtræ infirmitatis rationem habet Dominus, quum ſe opus ſuum accelerare dicit. Itaque ſignificat ſe vaticinari de rebus quæ non poſt multa ſecula, ſed proxime evenient, quo æquiore animo tolerent Judæi ſuas ærumnas, à quibus ſciunt intra breve temporis ſpatium ſe eximendos. De ſimilitudine Anni mercenarii, quam ſubjungit quo magis rem exprimat, prius diximus. *ſupr. 16. verſ. 14.* indicat enim futurum, ut dies minime prorogetur. Eadem ſimilitudine uſi ſunt profani auctores, quum præfixum & optatum diem exprimere volunt. quemadmodum indicat illud Horatii, Dieſque longa videtur opus debentibus.

17. *Et reliquus numerus.*] Hanc cladem non fore malorum finem denunciat, quia ſi quid reſiduum erit in Arabia, paulatim deficiet: acſi diceret, Non tantum in uno prælio Arabum opes affliget Dominus, ſed ad extremum uſque perſequetur, donec penitus ſublata omni ſpe remedii deficiant. Tales enim ſunt ultiones quas Dominus exercet adverſus impios, quum moderatione aliqua temperet pœnas quas piis infligit, ne prorſus deleantur.

Fortium.] Bellicoſos homines intelligit, & geſtandis armis idoneos: eoſque, licet ſuperiorem illam cladem evaſerint, ait nihilominus ordine ſuo perituros. Similes quidem plagas ante minatus eſt Judæis, ſed promiſſione ſemper addita, quæ triſtitiam leniret, vel ſaltem levaret animos à deſperatione. Continget enim Dei filios interdum æque ut reprobos, vel etiam aſperius affligi, ſed ſpes gratiæ quæ interponitur, eos à toto mundo diſcernit. Porro quum lethales audimus eſſe vindictas quas Deus exercet contra impios, non eſt cur ultra modum etiam in graviſſimis pœnis turbemur: quin potius tenenda eſt *Pſal. 118. verſ. 18.* hæc conſolatio, quod nos levius caſtiget, nec morti adjudicet.

Deus Iſraëlis loquutus eſt.] Docet Propheta, ut jam aliquoties viſum eſt, non ſolum agnoſci debere hæc contigiſſe divinitus: ſed ab illo Deo, quem Iſraël colit, conſtituta eſſe. Omnes enim homines interdum coguntur ad Deum aſſurgere, etiamſi Fortunæ opinione imbuti ſint: quia ſubeunt vel invitis

hæ

hæ cogitationes, aliquem in cælo eſſe Deum, idque & rebus proſperis & adverſis. ſed deinde ſibi numen pro libidine aut in cælo, aut in terra fingunt. Quum ergo ſibi Deum imaginentur ſuo arbitratu profani homines, quod frigidum eſt ac nugatorium, revocat Judæos Propheta ad Deum quem colunt, ut ſciant præclare ſecum agi quod ab ipſo recepti ſint in fidem & patrocinium. Nec enim ſatis eſt ſi colamus Deum aliquem gubernatorem mundi, ſed verus Deus agnoſcendus eſt qui ſe revelavit Patribus, & ſe in Chriſto patefecit. Idque diligenter tenendum adverſus profanas cogitationes multorum, qui quum aperte Deum negare non audent, obſcurum neſcio quod numen comminiſcuntur.

CAP. XXII.

* vel, nunc. ONus vallis viſionis. Quid tibi * hic? quia tu univerſa conſcendiſti ſuper tecta.
2. Strepituum plena, urbs turbulenta, civitas exultans: interfecti tui non interfecti gladio, & non mortui in prælio.
3. Cuncti Principes tui profugerunt pariter ab arcu: vincti ſunt. Omnes, inquam, in te reperti vincti ſunt pariter: qui à longinquo fugerant.
4. Propterea dixi, Deſiſtite à me: amarus ero in fletu meo, ne contendatis me conſolari ſuper vaſtatione filiæ populi mei.
5. Quoniam dies perturbationis, & conculcationis, & anxietatis Domino Jehovæ exercituum in valle viſionis, diruenti urbem, & clamor ad montem.
6. Atqui Elam portans pharetram in curru hominis, equitum, inquam: & Ceir nudans clypeum.
7. Et fuit ut electio vallium tuarum repleta ſit curribus, & equites inſtruendo inſtruerent ad portam.
8. Et tranſtulit operimentum Juda: & reſpexiſti in die illa ad armaturam domus ſaltus.
9. Et interruptiones civitatis David vidiſtis, quæ multæ erant: & collegiſtis aquas piſcinæ inferioris.
10. Et domos Jeruſalem numeraſtis: & domos diruiſtis ad muniendum murum.
11. Foſſam quoque feciſtis inter muros, aquis piſcinæ veteris, & non reſpexiſtis ad
† vel, eminus. fictorem ejus, & opificem ejus † ab antiquo non vidiſtis.
12. Porro vocavit Dominus Jehova exercituum in die iſto ad fletum & lamentum, ad calvitium & cincturam ſacci.
13. Et ecce gaudium & lætitia, occidere bovem, mactare ovem, edere carnes, & bibere vinum, comedere, inquam, & bibere: quia cras moriemur.
14. Id revelatum eſt auribus Jehovæ exercituum. Si remittetur vobis hæc iniquitas, donec moriamini, dicit Dominus Jehova exercituum.
15. Sic dicit Dominus Jehova exercituum, Vade, ingredere ad fautorem iſtum, ad Sobna præfectum domus.
16. Quid tibi hic? & quis tibi hic? quod tibi hic exciderís ſepulchrum, ſicut qui in excelſo excidit ſepulchrum ſuum, aut qui in rupe ſculpit habitaculum ſibi.
17. Ecce Jehova traducet te traductione inſigni, & operiendo operiet te.
18. Convolvendo volvet te convolutione, quaſi globum in terram longinquam manibus: ibi morieris: & ibi currus gloriæ tuæ ignominia domus domini tui.
19. Et propulſabo te de ſtatione tua, & de ſede tua te expellet.
20. Et erit in die illa: vocabo ſervum meum Eliacim, filium Helchiæ.
21. Et induam eum veſtibus tuis, & balteo tuo roborabo eum: & poteſtatem tuam tradam in manum ejus, & erit pater incolæ Jeruſalem, & domui Juda.
22. Et ponam clavem domus David ſuper humerum ejus: aperiet, & nemo claudet: claudet, & nemo aperiet.
23. Et figam eum veluti clavum in loco fideli: eritque in ſolium gloriæ domui patris ſui.
24. Et ſuſpendent ab eo omnem gloriam domus patris ſui, nepotes & pronepotes, omnia vaſa minora, à vaſis craterarum, ad cuncta vaſa melodiarum.
25. In die illa, dicit Jehova exercituum, recedet clavus fixus in loco fideli, frangetur & cadet, & diſſipabitur onus quod fuit ſuper ipſum: quia Jehova loquutus eſt.

O*Nus vallis viſionis.*] Iterum vaticinatur Jeſaias adverſus Judæam, quam vocat Vallem viſionis: hunc enim titulum toti Judææ tribuit potius quam Jeroſolymæ, de qua poſtea loquetur. ſed nunc in præfatione comprehendit totam Judæam. Eam merito Vallem appellat:
Deut. 12. quod undiquaque cingeretur montibus. nam metaphora quæ nonnullis placet, paulo eſt aſperior, Jeroſolymam vallem dici, quod dejicienda eſſet ex ſua altitudine. Cur Viſionis vocet, ſatis notum eſt: Dominus enim toti Judææ illuxerat per verbum ſuum: aſſidui erant in ea Prophetæ, quos etiam propterea Videntes nominabant. Atque in eo ſubeſt tacita antitheſis: minus enim lucis habent valles quam planities apertæ: quod montium altitudine, Solis lumen arceatur. Hanc autem vallem magis lucidam eſſe ſignificat, quam eas regiones quæ omni ex parte Soli expoſitæ ſunt. Id quod ſingulari Dei beneficio accidit. nec vero Solis radiis, ſed verbo Dei illuſtratam eſſe intelligit. Cæterum, minime dubium eſt, quin Propheta voluerit retundere inanem illam fiduciam qua Judæi turgebant, quum præ aliis eſſent inſignibus Dei donis ornati. Abutebantur enim Verbo & Prophetiis, acſi iis adverſus omnem noxam muniti eſſent, *1 Sam.* 9. *verſ.* 9.

eſſent, quum eſſent Deo immorigeri & rebelles. Significat ergo viſiones impedimento non fore, quominus Deus eorum ingratitudinem ulciſcatur. Imo hac nota ingratitudinis exaggerat eorum crimen, quod in tanto fulgore cæleſtis doctrinæ inſtar cæcorum impingere non ceſſabant.

Quid tibi eſt?] Nunc Jeroſolymam compellat: non quod ad eam ſolam pertineat hæc clades, ſed quia ſub umbra Sanctuarii quod illic erat tuto ſe deliteſcere putabat tota regio: deinde quum munitæ civitati hoc accidat, ut cogitent Judæi quid futurum ſit reliquis, quæ omni præſidio deſtituebantur. Per admirationem vero interrogat, quid hoc ſibi velit quod omnes relictis ædibus ſervandæ vitæ cauſa in tecta confugiant. Erat autem alia tectorum forma Judæis, quam nobis hodie in uſu ſit: unde & illud
Mat. 10. Chriſti, Quod vobis in aurem dictum eſt, prædi-
verſ. 27. cate ſuper tecta. Quum igitur in tecta Jeroſolymitani confugerent, hoc extremi timoris ſignum fuit, quod hoſtibus domos ſuas in prædam exponerent. Potuit etiam illuc conſcendi, ut inde telis & miſſilibus hoſtes propulſarentur: ſed intelligit potius compulſos eſſe ab hoſtibus ſe in tecta recipere, quod eorum adventu non modo territi, ſed attoniti fugiant quidem, & tamen non effugiant periculum.

2. *Plena ſtrepitus.*] Intelligit populoſam & frequentem fuiſſe. ibi enim ſtrepitus, ubi magna convenit populi multitudo. unde minor timoris cauſa eſſe debuerat in tanta frequentia. Hoc igitur amplificandi cauſa ſubjunxit Jeſaias, quod quum debuiſſent pro muris & propugnaculis ſtare ad tuendam urbem, quum viri non deeſſent, turpiter ceſſerint hoſtibus, & in tecta ſua confugerint. Itaque magis urget Judæos his verbis, ut judicium Dei conſiderent. nam ubi tanto metu conſternati ſunt animi, pavorem à Deo immiſſum eſſe certum eſt: acſi diceret, Unde fit ut non ſit tibi magis præſens animus ád reſiſtendum? nempe quia Dominus te perſequitur &
Deut. 28. fugat. Atque hæc ex Moſis doctrina ſumpta ſunt,
v. 22, 28. ut ſæpe diximus Prophetas ex eo doctrinam ſuam mutuari. Sed eo differunt, quod ea quæ generaliter dixerat Moſes, ipſi in uſum accommodant. Exprobrat autem Judæis ſuam calamitatem, ac merito: quoniam vehementius urgendi erant, ut diſcerent peccatis ſuis & vitiis aſſignare quicquid malorum & ærumnarum patiebantur. Dominus enim ſe perpetuo iis adfuturum promiſerat. nunc quum deſtituantur, indignos ſe tanto auxilio eſſe agnoſcant: Deumque ſua protervia repuliſſe. Nec enim Dominus fallit, aut fruſtra promittit: ſed miſeri vitio ſuo ſeſe ejus ope & gratia privarunt. idque magis exprimit hæc interrogatio, *Quid tibi?* Nam perinde eſt, acſi ex re præſenti oſtenderet Jeroſolymam ſuo tutore ac defenſore nudatam eſſe: quia hæc loquutio novum aliquid & inſolitum denotat. Atque ut clarius Dei vindictam explicet, fortiter in prælio occubuiſſe negat qui illic ſunt occiſi, oſtendens virilem tantummodo animum illis defuiſſe. Mollis enim & effœminatus animus certo indicio eſt, eos omnes à Domino eſſe deſtitutos: qui ſi adfuiſſet, forti & præſenti animo reſtitiſſent. non ergo ſimpliciter intelligit cladem fore conjunctam cum dedecore & ignominia, ſed hoc iræ Dei adſcribit quod nihil illis animi fuerit ad reſiſtendum. Nec dubium eſt quin hac circumſtantia flagitii refutet inanem eorum faſtum.

3. *Omnes duces tui.*] Variæ ſunt hujus verſiculi interpretationes. Res quidem ipſa aperta eſt: ſed in verbis nonnihil eſt difficultatis. Quum מ ſignificet *præ & pluſquam*, מרחוק exponunt quidam, Fugerunt præ aliis, qui tamen in extremis terræ partibus viciniores erant periculo. alii, Quum ita procul abiiſſent à Jeroſolyma, fugere tamen non deſierunt: ut homines præoccupati formidine, quod ſemper hoſtem inſtare putent, nullum fugiendi finem faciunt. Cæterum, hic ſenſus mihi aptior videtur, A longinquo fugerunt: id eſt, qui Jeroſolymam quaſi in tutum aſylum conceſſerint, deprehenſi ab hoſtibus vincientur. nam Jeroſolyma, veluti commune totius Judææ præſidium erat. ideo undique ſe illuc incolæ exorto bello intulerant. Quum ergo ſe illic tutam ſedem habere exiſtimarent, capti ſunt. Aliqui hoc referunt ad obſidionem Sennacherib: ſed nullo modo adduci poſſum ut ita exponam. loquitur enim de excidio urbis Jeroſolymæ. Quum autem obſeſſa fuit à Sennacherib, ſtatim à Domino liberata *2 Reg. 18.*
eſt. nulli capti aut vincti ſunt, nulla ſtrages homi- *verſ. 13.*
num edita eſt. Hæc igitur multo poſt Prophetæ mor- *2 Reg. 19.*
tem acciderunt: atque de iis teſtatur Sacra hiſtoria, *verſ. 35.*
& Principes ipſos in excidio illo de fuga conſultaſſe. *2 Reg. 24.* *verſ. 12.*
Nihil autem iis fuga profuit, aut præſidium Jeroſolymæ: nam ab hoſtibus deprehenſi ſunt. Quum nominatim exprimit Principes, hoc indignitatem rei auget: quoniam illi priores capita ſua pro ſalute populi opponere debuiſſent. Iis enim, velut clypeis, plebs contecta & munita eſſe debet. Porro hæc, ſtante Jeroſolyma & florente, incredibilia videri poterant. Urbs enim validiſſima & munitiſſima erat: ſed præcipue gloriabatur tutela Dei. nam ſuo Tem- *Jere. 7.*
plo Deum quodammodo affixum eſſe exiſtimabat: *verſ. 4.*
atque ita ſuperbiebat, ut confideret ſe nulla potentia, nullis copiis, etiamſi omnes adverſus ipſam conſpirarent, minui poſſe. Valde igitur novum videri poterat hoc vaticinium, nihil ipſis fore animi, in fugam ſe daturos: neque tamen ſic elabi poſſe.

4. *Idcirco dixi*] Hic Propheta, quo magis afficiat Judæos, induit perſonam lugentis: neque id modo, ſed acerbo luctu deplorat calamitatem Eccleſiæ Dei. Nec enim eodem modo exponendus eſt hic locus, quo ſuperiores, in quibus repræſentabat luctum & mœrorem exterarum gentium: ſed quia de Eccleſiæ clade agit, cujus ipſe membrum eſt, ſerio triſtatur, ſuoque exemplo ad lamentum reliquos invitat. Quod enim Eccleſiæ accidit, ſic afficere nos debet, acſi privatim unicuique noſtrum accideret. nam ubi alioqui futurum eſt illud? Zelus domus tuæ *Pſal. 69.*
comedit me. Nec vero clam luget, aut ſine teſtibus. *verſ. 10.*
primo quia vult, ſicut nunc dixi, alios ſuo exemplo ad luctum ſtimulare: nec ad luctum ſolum, ſed ad pœnitentiam multo magis, ut horribile judicium Dei præveniant, quod ipſis imminebat, deſinantque ipſum deinceps provocare: deinde, quia decuit præconem iræ Dei re ipſa oſtendere non eſſe luſorium quod pronunciat. Quod autem ex proprio animi ſui ſenſu loquatur colligere licet ex eo quod mox adjungit, ſe implacabili dolore affici ob filiam populi ſui. Nam quum unus eſſet ex genere Abrahæ, malum hoc ſibi commune eſſe cenſuit: atque hoc nomine ſignificat ſe juſtam lugendi cauſam habuiſſe. *Filiam*, uſitato more, Congregationem populi vocat. Unde obſervandum eſt, quoties affligitur Eccleſia, nos Prophetæ exemplo συμπαθῶς affici oportere, niſi pluſquam ferrei ſimus. nam indigni ſumus omnino qui numeremur inter filios Dei, ſanctæque Eccleſiæ aggregemur, niſi nos noſtraque omnia ſic ei addicamus, ut nihil nobis ab ea ſejunctum ſit. Sic quum hodie Eccleſia tot tamque variis cladibus affligitur, & innumeræ pereunt animæ, quas ſanguine ſuo Chriſtus redemit, crudeles nos & immanes eſſe oportet, ſi nullo dolore afficimur. Ac præſertim hoc doloris ſenſu percelli miniſtros Verbi neceſſe eſt. nam ut excubare & proſpicere longius, ita ingemiſcere debent, quum futuræ diſſipationis ſigna animadvertunt. Quod palam flevit, hoc ad emolliendos populi animos, ut diximus, valebat. Erat enim ei negotium cum præfractis hominibus, quos ad luctum provocare difficile erat. Ac ſimilis fere eſt locus Jeremiæ, cladem populi & diſſipationem lugentis. dicit *Jere. 4.*
enim animam ſuam præ mœrore deficere: & alibi, *verſ. 31.*

Jer. 9. vers. 1. Quis det ut caput meum plenum ſit aquis, & oculus meus vena lachrymarum: ut interfectos populi mei lugeam? Quum Prophetæ ad frangendam populi duritiem fruſtra ſe eniti viderent, fieri non poterat quin mœrore & triſtitia penitus obruerentur. Commiſeratione ergo ſua animos obſtinatos emollire tentabant, ut eos flecterent ſi quo modo fieri poſſet, atque in viam reducerent.

5. *Hæc enim dies eſt.*] Significat rurſus Dominum auctorem eſſe hujus cladis, ac ne Judæi huc & illuc circumſpectent, vel mirentur hoſtes ipſis prævalere, bellum ipſis cum Deo eſſe denunciat. Tametſi ſæpius in Scripturis occurrat hæc doctrina, minime tamen ſupervacanea eſt: neque poteſt tam aſſidue inculcari, quin, ubi ad rem ventum eſt, ejus obrepat oblivio. ita fit ut neque humiliemur coram noſtro judice, & in homines, atque exteriora remedia potius quam in Deum ſpectemus, qui ſolus mederi poterat malis noſtris. *Diem* uſitato Scripturæ more nominat tempus præſcriptum: quia dum ad ſcelera hominum diſſimulat Deus, videtur quodammodo aliquid remittere de jure ſuo: quod tandem opportune quaſi tempore præſcripto recuperat. Nec fruſtra iterum Viſionis vallem nominat. nam Judæi ſe ab omni clade immunes fore credebant, quod Deus per Verbum ipſis affulgeret. Sed quum ingrati rejicerent doctrinam, fruſtra eam ſibi profuturam eſſe confidebant. Nec vero extra Eccleſiam ſolummodo hominum infidelitatem punit Dominus, sed in ipſa Eccleſia. Imo ab ea caſtigationis initium facit: nec enim abutendum eſt donis Dei, nec fruſtra ejus nomine gloriandum eſt. Quod de clamore ad montem ſubjicitur, tam ad Deum referri poteſt quam ad Chaldæos, vel etiam ad ipſos profugos. Clamorem enim augendi terroris cauſa attollunt victores. victi autem vel implorant fideliter miſericordiam: vel dolorem ſuum ejulatu exonerant. Poteſt etiam ſingularis numerus accipi pro plurali. vel intelligitur pars illa urbis in qua Templum ſitum erat. Uterque ſenſus contextui probe conveniet: nec multum intereſt ſive dicamus hoſtes clamaſſe ad montem Sion, ut alii alios animarent: vel quum urbem diruerent ac vaſtarent, clamorem exauditum eſſe in vicinis montibus: vel cives ipſos ſuis lamentationibus perſonuiſſe uſque ad montes qui planitiem Judææ cingebant.

1 Petr. 4. verſ. 17.

6. *Elam ferens pharetram.*] Hic interpretes perpetuum orationis contextum eſſe putant, atque idem judicium Judæis, quod antea, nunciari. Sed quum propius omnia expendo, cogor ab illis diſſentire. Exiſtimo enim Prophetam exprobrare Judæis contumaciam & pervicaciam ſuam, quod caſtigati à Domino, non reſipuerint: atque ita hiſtoriam anteacti temporis narrare, ut illis in memoriam reducat quam nihil profecerint à Domino caſtigati. Sic igitur hæc à ſuperioribus disjungi debent. Prius ea prædixit, quæ ventura erant Judæis: nunc vero oſtendit, quam merito puniantur, & quam digni eſſent acerbis illis flagellis quibus in eos Dominus animadvertit. quia Deus non tantum verbis, ſed re ipſa ad pœnitentiam pridem eos vocarat: nulla autem ſequuta erat emendatio vitæ, quamvis attritis opibus, & acciſo regno: ſed proterve in ſua nequitia perſiſtebant. Nihil ergo aliud reſtabat, quam ut eos Dominus, quum adeo præfracti & obſtinati eſſent, miſere perderet. Copulam ו adverſative reddidi, ſicut plerumque hoc ſenſu capitur. Qui putant Prophetam in futurum tempus minari, proprium ſenſum retinent: acſi Propheta poſtquam Dei meminit, ſubjiceret vindictæ ejus miniſtros. Sed jam expoſui quid magis placeat, & ex contextu melius deinde liquebit, non abſque ratione me ita ſentire. Et jam quod Elamitas & Cyrenæos ponit, Aſſyriis meo judicio aptius quadrat quam Babyloniis. Quanquam enim ſuis auſpiciis populi illi nunquam bellum Judæis intulerant, probabile tamen eſt mercede conductos fuiſſe ab Aſſyrio, & in ejus exercitu fuiſſe quum Jeroſolymam obſideret. Diximus autem alibi ſub Elamitis per ſynecdochen intelligi Orientales populos. Per Ceir haud dubie intelligit regionis Cyrenaicæ incolas. Hos, quum ..... eſſent, clypeum nudaſſe dicit: quia ubi committitur prælium, tegumenta detrahuntur clypeis. Quod alii vertunt, In curru hominum equitum, non rejicio: malui tamen ad verbum reddere quod dicit Propheta, quia notari arbitror Currum militarem. Tunc enim duplicem curruum uſum habebant. aliis enim ad ferenda impedimenta, aliis ad pugnam utebantur. Tales currus ſignificat, quibus equites inſidebant.

7. *Et fuit ut electio.*] Si eſſet comminatio, reddendum eſſet in futuro tempore, Et accidet. Cæterum quia verba quæ paulo poſt ſequuntur ſunt præteriti temporis, & apparet Prophetam res ante geſtas narrare, non dubitavi hoc initium aptare ſequentibus. Electio vallium, pro electiſſimis vallibus ponitur. Reducit autem in memoriam Judæis eas anguſtias in quas redacti fuerant obſidione Sennacherib, quum hoſtes portis ipſis inſtarent. Tunc enim ad opem Dei confugere debuiſſent: at miſeri magis abalienati ſunt à Deo, atque ſuam contumaciam fœdius prodiderunt. quod hominum deploratе perditorum fuit. Ideo hanc ipſis duritiem exprobrat.

8. *Et ſuſtulit operimentum.*] Oſtendit quam anxii fuerint Judæi quum ea obſidione premerentur. Aliqui hoc verbum ad Deum referunt, alii ad hoſtem. ego potius indefinite accipiendum puto. Nam hæc loquendi forma Hebraicæ linguæ uſitata eſt. *Suſtulit,* id eſt, ſublatum eſt operimentum Juda. *Operimenti* nomine, omnes fere templum, vel etiam Deum ipſum intelligunt: cujus nomine Judæi, ſed falſo, gloriabantur. Ego vero ſimplicius accipio, pro Armamentario, in quo, velut loco ſecretiore, belli munitiones repoſitas habebant. Operimentum enim vocat, quod non in publico paterent, ſed ſanctiore in loco eſſent reconditæ. In ſumma, deſcribit id quod in magna trepidatione accidere ſolet: quia tunc concurritur ad arma capeſſenda, belliqne munitiones antea reconditæ in medium proferuntur. Cohæret poſterius membrum, nempe tunc excuſſa fuiſſe omnia loca unde in ultima neceſſitate ſe armabant: quia bellici apparatus diu in pace fuerant reconditi. Porro teſtatur Sacra hiſtoria, ædificatam à Solomone hanc domum ſaltus, in qua totius regni armamentarium haberet. Mutatio perſonæ non obſcurat ſententiam, ſed potius confirmat quod jam dixi, Prophetam referre quam ſollicite Judæi ad urbis defenſionem omnia tunc paraverint. 1 Reg. 7. verſ. 2.

9. *Et interruptiones.*] Pergit in ſua narratione: rebus enim tranquillis & pacatis nulla munitionum aut apparatus belli cura eſt. ſola enim neceſſitas homines excitat & ſolertes reddit. pace & otio ſegnes & ignavi reddimur. Quamdiu ergo longe à periculo ſe abeſſe exiſtimabant, negligebant interruptiones murorum: excitato autem rumore belli, de iis ſolliciti eſſe cœperunt, ac proſpicere, ne ullus hoſti acceſſus pateret. *Urbem David*, interiorem urbis partem vocat. Urbs enim duplex erat, quemadmodum etiam videmus in multis urbibus. Tota Jeroſolyma cincta erat muris & vallo: ſed interior illa pars, propugnaculum munitius erat, atque urbs Davidis vocabatur. Poſtea munitum etiam fuit Templum. ita triplex quodammodo urbs facta eſt. Significat autem Jeſaias Judæos de ſalute totius urbis fere deſperaſſe, quum in partem illam intimam & munitiorem ſe reciperent. Et certe conſtat ex Sacra hiſtoria omnia deſperatiſſima fuiſſe. Hinc etiam colligere licet prophetias ordine collectas non fuiſſe, nec ſpectatam eſſe temporum rationem ab iis qui ipſas in unum volumen congeſſerunt. Adjungit collectam in uſum neceſſa-

neceſſarium aquam fuiſſe, ne deeſſet obſeſſis: & ita piſcinam pro ciſternis fuiſſe.

10. *Et domos.*] Intelligit urbem propius inſpectam fuiſſe ex omni parte, ne qua domus aut ædificium nocere ejus defenſioni poſſet. Alii intelligunt numeratas domos, ut illinc haberent ſuos vigiles: ſed prior interpretatio magis placet. Eam enim confirmat quod poſtea ſubjungit dirutas fuiſſe domos, unde muri urbis reficerentur. Hoc enim pacis tempore negligi ſolet: & in ipſis muris ſæpe privatorum domus extruuntur. quamobrem diruendæ ſunt belli tempore, ut inde pugnari & hoſtis arceri poſſit: ne etiam è tam propinquis muro domibus, clandeſtina cum hoſtibus colloquia habeantur.

11. *Foſſam quoque.*] Prior pars hujus verſiculi ad ſuperiora pertinet. ſignificat enim ipſos in extrema neceſſitate conſtitutos fuiſſe, tantoque imminente periculo, perculſos eſſe metu, ut omnem rationem comminiſcerentur, qua ſe adverſus hoſtem munirent. Secunda parte objurgat ſocordiam: quia occupati in terrenis ſubſidiis, id eſt, quod præcipuum erat omiſerant. Nam quum in primis ad Deum confugere debuiſſent, eo prætermiſſo ac neglecto, animum ad vallos, & foſſas, & muros, & alia belli munimenta adjecerant. Atqui ſummum præſidium in Deo erat. Nunc magis conſpicuum eſt quod initio dixi, hic non prædici exitium Judæis, ſed quid experti ſint declarari: ut inde oſtendat quam merito Dominus iis iratus ſit, quod nulla caſtigatione corrigi aut emendari potuerint. Ipſos enim extrema pericula in quæ conjecti erant, monere debuerant ſuæ impietatis & contemptus Dei. His pervicaciores redditi ſunt: quum nemo fere ſit adeo pervicax, qui non rebus adverſis, ac præſertim gravibus periculis ſeſe colligat, ac reputet num merito ipſi contigerint, num offenderit Deum, iramque ipſius in ſe concitarit. Neminem Judæorum fuiſſe ait, qui in tantis anguſtiis Dei meminiſſet: propterea Deum merito ipſorum curam abjeciſſe. Hinc collige ſignum extremæ & deploratæ impietatis eſſe, ubi ne plagis quidem aut cladibus acceptis, homines emendantur. Primum ſponte Deum ſequi, eique morem gerere oportebat: ſecundum erat, ut reipſa moniti & caſtigati reſipiſceremus. quod ſi ferulæ nihil proſint, quid ſupereſt niſi ut plagas augeat atque ingeminet, gravioraque flagella ſentiamus, quibus in exitium tandem præcipitemur? Nam deſperato & inſanabili morbo remedia ſupervacanea ſunt. Hæc doctrina noſtris temporibus optime convenit, quibus tot plagis & ærumnis ad pœnitentiam invitamur. Quum nulla ſit reſipiſcentia, quid ſupereſt, niſi ut extrema omnia experiatur Dominus, donec omnes in univerſum perdat?

Ad fictorem ejus.] Oblique fatetur his verbis non improbari Deo ſollicitudinem quam gerimus de propulſandis hoſtibus & cavendis periculis, ſed fiduciam inanem quam in externis præſidiis locamus. Initium enim à Deo facere decebat. Quum eo prætermiſſo ad arma & gladios, ad arces & propugnacula confugimus, merito perfidiæ damnatur præpoſtera ſedulitas. Diſcamus ergo imminentibus periculis
Prov. 18. verſ. 10. confugere ad Deum: noſque toto animo ad tutam nominis ejus arcem recipere. Deinde, remediis quæ in manum præbet uti licebit. Sed omnia nobis exitioſa erunt, niſi in primis ſalutem ei noſtram commendemus. Deum Fictorem Jeroſolymæ & opifi-
Pſal. 132. v. 13, 14. 1 Reg. 9. verſ. 3. Pſal. 110. verſ. 3. Epheſ. 2. verſ. 1. cem appellat, quod illic ſedem ſuam haberet, atque invocari vellet. Quum autem Jeroſolyma viva fuerit Eccleſiæ imago, hoc etiam elogium ad nos pertinet. nam peculiari modo Dominus opifex Eccleſiæ vocatur. Tametſi enim ad univerſam mundi creationem hoc pertinere poteſt, tamen hæc ſecunda creatio, qua nos è morte eripit, regenerat, ſanctificat, electis propria eſt: cæteri cum ea nihil commune habent. Hoc autem elogium non ſubitum quendam actum, ſed continuum deſignat. nec enim ſemel condita eſt Eccleſia, ut poſtea deſtituatur: ſed ad extremum uſque Dominus ipſam tuetur & conſervat. Opus manuum tuarum, ut Pſaltes ait, non deſpicies. *Pſal. 138. verſ. 8.*
Et Paulus: Qui inchoavit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti. *Philip. 1, verſ. 6.*
Porro hoc elogium miram conſolationem continet. nam ſi Deus eſt opifex, nihil eſt quod vereamur, ſi ab ea ejus potentia & bonitate pendeamus. Reſpicere vero in ipſum non poſſumus, niſi vera humilitate & fiducia præditi: ut exuti omni gloria, & in nihilum redacti, ei ſoli gloriam tribuamus. quod fieri non poteſt, quin ſimul confidamus ſalutem noſtram in ejus manu eſſe, ac cèrti ſimus nos minime perituros, etiamſi nos mille mortes circumdent. Creſcebat porro indignitas quod urbis illius electio, quæ tot documentis probata fuerat, non poterat expergefacere Judæos ut in Dei tutelam recumberent. acſi diceret, Quæ iſta veſania eſt, urbem velle ſalvam tueri neglecto ejus opifice?

Eminus.] Vox Hebraica tam loci diſtantiam ſonat quam temporis longinquitatem. Si referatur ad locum, ſenſus erit, Judæos bis ingratos eſſe, quod ne eminus quidem Dominum inſpexerunt. In quo obſervandum, non debere nos ſolummodo intueri Deum quum prope eſt, ſed etiam quum longiſſime abeſſe videtur. Eum autem abeſſe judicamus, quum non ſentimus auxilium præſens, nec ſtatim ſuccurrit noſtræ inopiæ. In ſumma, oſtendit quæ veræ ſpei natura ſit: quia carnalis & craſſus Dei aſpectus eſt, ubi ejus providentiam nonniſi ex manifeſtis beneficiis agnoſcimus, quum ſupra ipſos cælos conſcendere oporteat. Proprie quidem ac vere ſemper adeſt Dominus, ſed remotus & abſens dicitur reſpectu noſtri. Hoc igitur ad ſenſus noſtros, non ad rem ipſam referri debet. Proinde quamvis abeſſe videatur in his calamitatibus quas patitur Eccleſia, erigendæ tamen ad ipſum mentes, expergefacienda corda, atque ignavia excutienda eſt ut ipſum invocemus. Sed alter ſenſus æque quadrat, quod Deum non reſpexerint, qui Eccleſiam ſuam creavit, non heri vel nudiuſtertius, ſed jam olim, & qui pluribus ſeculis ſe ejus opificem comprobaverat. Vocatur ergo vetus fictor Eccleſiæ ſuæ: quoniam ſi longam ætatum ſeriem cogitatione ſua percurrant Judæi, agnituri ſint perpetuum opificii ſui conſervatorem. quo minus excuſabilis eſt eorum ingratitudo.

12. *Et vocavit.*] Amplificat Propheta impiam illam populi obſtinationem. Hæc enim circumſtantia prorſus inexcuſabiles eos reddebat, quod in tam gravibus periculis pias exhortationes Prophetarum contempſerint, & gratiam Dei reſpuerint, quum eos ſanare & redintegrare vellet. Hoc enim ſummæ pravitatis argumentum eſt, quum homines ſic omnem ſenſum exuerunt, ut ſecure & doctrinam & flagella contemnant, & præfracte adverſus ſtimulos calcitrent. ac tunc eos in reprobum ſenſum conjectos eſſe perſpicuum eſt. Quod ait Dominum ipſos vocaſſe, bifariam exponi poteſt. nam etſi non loquatur Dominus, ſatis tamen flagellis ipſis & plagis vocat. Ut enim Scripturam nobis omnem, Prophetas, Doctores, ac monitores deeſſe fingamus, ærumnis tamen & calamitatibus nos erudit: ut breviter definire poſſimus, quamvis plagam vocationem ad pœnitentiam eſſe. Sed dubium non eſt, quin Propheta plus quiddam exprimere voluerit: quod ſcilicet pias monitiones contemnendo, quaſi paternæ Dei invitationi inſultare veriti non ſint. Hoc etiam plus habet ponderis, quod diem afflictionis exprimit, qua periculum ipſos urgebat: ſimul enim & verbo & plagis monebantur. Perſpicua erant ſigna iræ Dei, aſſiduis clamoribus inſtabant Prophetæ: nihilo tamen meliores redditi ſunt. Quum Saccum & Calvitium nominat, pœnitentiam deſignat à ſignis ipſis. Nec enim pœnitentia in ſacco aut cilicio aut ulla re externa, ſed in animo conſiſtit. quos vere pœnitet, ii diſplicent ſibi, peccatum oderunt, & tam acri doloris ſenſu punguntur,

guntur, ut ſeipſos & anteactam vitam exhorreant. Sed quum hoc fieri non poſſit, quin ſimul in confeſſionem erumpant coram hominibus, ideo ſigna exteriora nominat, quibus converſionem noſtram teſtamur. Hæc autem eo tempore in uſu erant Judæis, quum pœnitentiam profitebantur. Itaque ſignificat ipſos ad pœnitentiam vocatos eſſe, ut coram Deo ſeſe dejicerent, & pœnitentiæ ſigna præberent hominibus. Signa quidem ſola non ſufficerent. nam converſio à corde initium habet: atque in hanc ſententiam monet Joël, Scindite corda, & non veſtimenta. [Joël. 2. verſ. 13.] Non quod ſigna repudiari velit, ſed ea non ſufficere, nec Deo per ſe grata eſſe oſtendebat. Hinc collige quid ſit officii noſtri, quum iræ Dei ſigna nobis apparent: nempe, profitendam eſſe pœnitentiam noſtram, non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Ritus quidem indifferentes ſunt: nec jubemur ſaccum induere, aut evellere capillum: ſed veritas horum ſignorum ſerio atque ex animo capeſſenda eſt: diſplicentia & confeſſio noſtri reatus, dejectio animorum, & vitæ emendatio. Niſi enim nos reos & ſupplicio dignos fateamur, nulla erit cum Deo reditio in gratiam. In ſumma, ut rei ad flectendos judicum animos promittunt barbam, & pulla veſte induuntur: ita ſupplices cum teſtificatione pœnitentiæ noſtræ ad Dei miſericordiam confugere debemus. Sed hic quoque externorum pœnitentiæ ſignorum uſus notandus eſt: quod iis, velut ſtimulis, magis ad peccati notionem & deteſtationem incitamur. Ita quatenus incitamenta ſunt cauſæ pœnitentiæ: quatenus vero teſtimonia, effectus dici poſſunt. Nam quæ gerimus noſtri reatus inſignia, nos magis commovent: ut nos peccatores & reos agnoſcamus. Sunt autem effectus: quia niſi antecederet pœnitentia, nunquam ad ea ex animo ſuſcipienda impelleremur.

13. *Ecce gaudium.*] Non improbatur hic per ſe gaudium à Propheta. nam & pios ad verum gaudium (quod ſcilicet in Domino eſt) à Paulo incitari videmus. [Philip. 4. verſ. 4.] Sed hic gaudium reprehendit quod triſtitiæ opponitur quæ ex pœnitentia naſci ſolet. de qua etiam Paulus 2 Cor. 7. [2 Cor. 7. verſ. 10.] Nemo enim pœnitentia & vero ſenſu iræ Dei percelli poteſt, quin ſimul mœrore affectus ſeipſum ſponte excruciet. Gaudium ergo quod huic mœrori opponitur vitioſum eſt, quia ex bruta ſecuritate manat: ac merito reprehenditur, quum Dominus ipſi maledicat. [Luca 6. verſ. 25.] Hinc ſatis perſpicuum eſt, cur ipſis exprobret quod boves occiderint, & mactarint oves. Hæc enim per ſe mala non ſunt, nec diſplicent Deo: ſed quia jejunium pars eſt ſolennis pœnitentiæ quam apud homines teſtamur, [Joël. 1. verſ. 14. & 2: 12.] ideo pecudes ad epulas mactare quum jejunandum eſſet, ſignum eſt contemptus Dei & obſtinationis. ſic enim homines minas Dei negligunt, ſibique in ſuis vitiis blandiuntur. Hoc in ſumma voluit Jeſaias. Ridiculi vero ſunt Papiſtæ, dum hinc carnium abſtinentiam commendari putant. Cur non etiam addiderunt quod de vino ſubjungitur? tantum enim abſunt à vini abſtinentia, ut ejus potu facile ſinant quod cibo deeſt compenſari. Sed iſtas ineptias omittamus. nec enim uſum carnis aut potum ſimpliciter damnat Jeſaias, ſed luxum atque etiam proterviam, qua ſic indurantur homines, ut animo pervicaci minas Dei rejiciant, & habeant pro fabula quicquid à Prophetis nunciatur. Hoc diligenter animadvertendum eſt. nec enim ſemper ſaccus & cinis induuntur: ſed non poteſt vera in nobis eſſe pœnitentia, quin fructibus, qui neceſſario prodeunt, ipſam demonſtremus. denique quemadmodum à ſignis pœnitentiam deſcripſerat: ita à ſignis denotat contumaciam. Nam ut inedia & aliis exercitiis pœnitentiam teſtamur, ita epulis & luxu obſtinati animi ſigna præbemus, eoque magis provocamus iram Dei: ſicuti de diebus Noë legimus. [Gen. 6: 5. Mat. 24. v. 38, 39. Luc 17. verſ. 27.] Poſtquam ergo in genere Propheta intemperantiam & luxum notaſſet, in ſpeciem cibum & potum nominat: quibus ſic indulgebant Judæi, acſi quodammodo iis propulſare iram Dei, & oblivionem minarum inducere potuiſſent.

Cras enim moriemur.] Hæc particula ſatis oſtendit quorſum tam vehementer Propheta in eſum carnium & vini potum invectus ſit: nempe quod per jocum & facetias eluderent quæcunque minitabantur Prophetæ. Hunc locum à Paulo citari putant, quum eadem fere verba refert ad Corinthios. [1 Cor. 15. verſ. 32.] ego vero aliter ſentio. Refert enim ſententiam Epicureorum hominum, qui in diem viventes, nihil de immortali vita cogitabant: ideoque genio indulgendum, & quamdiu vita ſuppetit, deliciis fruendum eſſe cenſebant. verum hic Jeſaias impios homines loquentes introducit, qui contumaciter ridebant minas Prophetarum: nec æquo animo ferre poterant ſibi plagas, exilia, cædes, interitum nunciari. Uſurpabant enim iſtas Prophetarum voces, eaſque per ludibrium in epulis & conviviis jactabant, Cras moriemur. Si interitum proximum nobis hi Prophetæ indicunt, hoc ſaltem die hilari & læto perfruamur. Ita obſtinati animi nullo terrore percelli poſſunt: quin potius Deo & Prophetis inſultant, effrenatiuſque luxuriantur. Prodigioſus ſane fuit hic furor, cum indignatione & ſtomacho ironice referre quæ cœlum & terram concutere, nedum eorum animos afficere debuerant. Sed utinam non extarent hodie ſimilia exempla: quia major pars quoties minatur Deus, vel amarulentiam ſuam evomit, vel ſua dicacitate ſubſannat quicquid prolatum eſt ex ſacro ejus ore.

14. *Atqui hoc revelatum eſt.*] Acſi diceret, An exiſtimatis vos impune laſcivire, quum Deus ad pœnitentiam vocet? Hic quidem videri poſſet nihil à Propheta novi dictum eſſe: Deo enim patere omnia certum eſt. Verum hoc ſubjungit ad excutiendam impiorum ſocordiam, qui nunquam tam proterve adverſus Deum inſurgerent, niſi putarent ſe Deum fallere poſſe. Quiſquis enim ſe Deum teſtem habere novit, eum ſimul judicem fateatur neceſſe eſt. unde ſequitur impios in ſua licentia ſpoliare Deum ſua virtute, ideoque ad ejus tribunal non abs re citantur, ut ſciant reddendam ſibi eſſe rationem. Subjicitur horrenda comminatio, ſcelus hoc fore inexpiabile. Conditionalis autem particula apud Hebræos negationem continet. acſi diceret Dominus, Ne exiſtimetis me veracem eſſe, ullamve eſſe divinitatem meam, niſi ſim ultor tantæ impietatis. Ideo vero ſuſpenſa oratione in juramentis utuntur Hebræi, ut nos ad majorem religionem aſſuefaciant. nam imprecamur nobis Deum judicem & ultorem, ſi fallimus. itaque frenum nobis injiciendum eſt, ne temere ad jusjurandum proſiliamus. Hic autem in ſumma docet Jeſaias, nihil tam diſplicere Deo, quam impœnitentiam, qua theſaurum iræ Dei, ut ait Paulus, nobis coacervamus, omnemque veniæ ſpem excludimus. [Rom. 2: 5.]

15. *Sic dicit Dominus.*] Hoc vaticinium adverſus unum hominem peculiare eſt. Nam de toto populo loquutus, ad Sobnam ſeſe convertit: cujus iterum mentionem faciet capite trigeſimo ſeptimo. Huic Propheta duos titulos tribuit, nempe Scribæ ſeu Cancellarii, & Præfecti domus. quum enim hic Præfectum vocet, illic Scribam nominabit. Ideo exiſtimant nonnulli, eum juxta hanc prophetiam abdicatum eſſe præfectura: Eliacim vero in ejus locum ſubrogatum eſſe. Verum hoc incertum eſt: quanquam prava quædam æmulatio, quod ad ipſum Sobnam ſpectat, elicitur ex Prophetæ verbis, quod Eliacim è gradu dejicere molitus ſit. Nec minus probabile eſt hoc vaticinium fuiſſe editum ex quo profligato exercitu Sennacherib, divinitus ſervata fuerat Jeruſalem. [2 Reg. 19. verſ. 35. infr. 37. verſ. 36.] Medio autem tempore multa accidere potuerunt quæ nobis hodie ſunt incognita. imo à veriſimilitudine non abhorret, quum ſummam auctoritatem adeptus foret perfidus hic nebulo, inique oppreſſum fuiſſe ab eo Eliacim. Apparet enim ex hiſtoria libri Regum, Sobnam fuiſſe Scribam, minime quidem vulgarem, ſed qualem hodie Cancellarium [2 Reg. 18. verſ. 37. & 19: 2.]

larium vocamus. Eſt autem paulo plus difficultatis in nomine סכן. Alii enim putant ſignificare Theſaurarium: eo quod סכן ſignificet Recondere. Sed quum alibi ipſum Cancellarium vocet, mihi veriſimile non eſt Quæſtorem fuiſſe. deinde ſatis oſtendit eum ſic gubernaſſe, ut reliqui præ illo parum auctoritatis obtinerent. Non poterat autem hæc dignitas Quæſtori convenire. Itaque exiſtimo aliud indicari à Propheta. Quum enim סכן aliquando Fovere ſignificet & Calefacere, videtur hic סכן pro Fautore accipere, quem vulgo dicimus *Entreteneur*. Nam certum eſt hunc Sobnam conſilia iniiſſe cum hoſtibus, hominemque vafrum & perfidum fuiſſe. Fovebat enim occultas amicitias cum Ægyptiis & Aſſyriis, & proditorie cum iis paciſcebatur, ut in omnem eventum ſibi caveret, auctoritatemque ſuam tueretur. Alii vero סכן gentile nomen fuiſſe putant, & Sochnitem vocatum fuiſſe ab urbe ex qua oriundus erat. Ægyptium enim fuiſſe tradunt. Nec certe repudio hanc ſententiam: ſed prior mihi magis arridet. Fovebat enim utraſque partes, ſuoque aſtu ſe conſervatum iri exiſtimabat, etiamſi omnia everterentur. Particulam הזה, per contemptum addi perſpicuum eſt. Perinde igitur eſt acſi diceret, Iſtum hominem vafrum, [illegible], diverſas partes foventem, qui utrimque gratiam retinere ſtudet. Hoc ſenſu accipi-
1 Reg. 1. verſ. 2. tur hæc dictio סכן, 1 Reg. quum agitur de puella Regi ſeni adducenda, quæ ipſum foveret. Quanquam ſi quis pro noxio & damnoſo accipere malit, non repugno: quia verbum etiam Pauperiem afferre ſignificat.

16. *Quid tibi hic?*] Extruxerat hic Sobna ſepulchrum Jeroſolymæ, quaſi illic perpetuo victurus, atque etiam moriturus. Ideo rogat Propheta, quorſum in edito & excelſo loco magnificum & ſumptuoſum ſepulchrum erexerit, ut ii facere ſolent qui in mundo memoriam nominis ſui perpetuare volunt. videtur autem hominis exteri & advenæ perſtringi ambitio, quod extra patriam adeo magnifice ſepeliri appeteret: interim vero hoſtiliter inhiaret perdendæ Judææ. Quid autem abſurdius quam monumentum erigere in ea terra cujus ruinam machinabatur? Ideo ſubjungit,

17. *Ecce Dominus traducet te.*] Acſi diceret, Ejicieris ex loco iſto in longinquam regionem, ubi ignominioſe morieris. גבר transferri in genitivo receptius eſt: id eſt, ejectione viri ejicieris: eo quod גבר ſignificat virum non vulgarem, ſed ſtrenuum & fortem: atque ita exponunt, Valida ejectione & magna. Alii in vocativo, O vir: acſi per ludibrium Sobnam compellaret, O vir magnifice, qui tantopere ſuperbis tuis fortunis: qui te heroëm aliquem eſſe exiſtimas. Sed melius conveniet prior lectio. quanquam hic quoque diſſentiunt interpretes: nam præter expoſitionem quam retuli, altera quoque affertur, quod longius aſportentur viri quam mulieres. Cæterum potius ad ſuperbiam Sobnæ alludere puto, qui tam eximium ſibi ſepulchrum extruxerat, ut ejus, tanquam inſignis cujuſdam viri, memoria poſteris traderetur: Vis eſſe ſplendidus poſt mortem tuam: ego te aliter nobilitabo. migratione inſigni te in exteram & longinquam regionem deducam, ubi non vulgari more ſepelieris. Primum, obſervandum eſt in verbo סכן, quantum duplex animus & fallax diſpliceat Deo. nihil enim magis nobis commendat quam ſimplicitatem. Præfectus autem vocatur, quod quum emineret aliis, ſplendor etiam præſentis fortunæ ipſum excæcaret. quod accidit iis qui proſperis rebus elati atque inflati, nihil adverſi metuunt: acſi extra omnem aleam conſtituti eſſent. talibus ſe Dominus judicem eſſe denunciat. Eſt etiam hic conſiderandum, Jeſaiam non potuiſſe hoc vaticinium ſine ſumma invidia proferre: præſertim ad hominem tanta auctoritate præditum, adeoque ſuperbientem. non debuit tamen hanc provinciam recuſare, quin accederet ad hunc hominem, eique minaretur, quemadmodum à Deo juſſus erat. Quod attinet ad ſepulchrum, ſcimus curam ſepulturæ non omnino damnari. Nam etſi facilis eſt, ut ille ait, jactura ſepulchri, ſtudium tamen ſepulturæ humanum eſt, nec omnino negligi debet. Non reprehendit igitur quod voluerit ſepeliri, ſed quod ambitioſum ſepulchrum extruxerit: vanæque & inanis gloriæ ſtudium notatur. Verum aliud etiam in Sobna conſiderandum eſt. nam quum perfide urbem prodere vellet Aſſyriis, exiſtimabat ſe perpetuo regnaturum. ab iis enim ſe adminiſtrationem regni, velut perfidiæ ſuæ præmium, accepturum ſperabat, ſi obtinerent: ſin repellerentur, perpetuo etiam in dignitate & auctoritate ſua permanſurum. Sed hæc melius patefient ex verbis ipſis, *Quid tibi?* Erat enim exterus, qui aggregari quidem populo Dei fide poterat: ſed quum perfidus & alienigena eſſet, nihil habebat proprium in ea urbe aut regione, quam peculiariter Dominus populo ſuo deſtinarat. Petit igitur Jeſaias, Cujas es? Quum nullo cognationis aut neceſſitudinis jure populo Dei conjunctus ſis, tu in hac regione non ſolum vivus regnare, ſed & moriens in ea ſtatam ſedem figere vis? Tu nos Aſſyriis prodes, veroſque dominos expelles, ut tu alienigena ea terra fruaris, cujus ne veſtigium quidem ad te pertinet? Hinc collige ambitionem hanc ſummopere diſplicere Deo, quum ſibi homines æternam in mundo memoriam figunt, non contenti iis honoribus quibus in vita ſatiantur. Nam extolli etiam poſt mortem, & quodammodo in ore hominum vivere volunt: & quum omnia deleantur morte, ſeſe in omne ævum permanſuros temere confidunt. Sed Dominus eorum arrogantiam & temeritatem ulciſcitur. Efficit enim ut quæ monumenta gloriæ eſſe voluerunt, ea dedecori & ignominiæ cedant. quia aut execrabilis eſt eorum memoria, ut nihil de iis videre vel audire poſſint homines, quin protinus deteſtentur: aut etiam ſepulchris ſuis ipſos condi non ſinit, ſed ad cruces & corvos amandat: cujuſmodi exempla varia legimus in hiſtoriis, & noſtris quoque tempo- Iſa. 7.
ribus non pauca vidimus. Quoties vero hunc locum verſ. 10.
lego, ſimile exemplum mihi potiſſimum in mentem redit, quod præ cæteris huic conveniat: nempe Thomæ Mori, qui eodem munere fungebatur, quo hic Sobna. Erat enim, ut ſatis notum eſt, Regis Angliæ Cancellarius. Is quum acerrimus eſſet hoſtis Euangelii, atque pios homines ferro & flammis perſequeretur, eo etiam nomine famam ſuam celebrari, ſuæque impietatis & ſævitiæ monumentum extare volebat. Itaque ſepulchro, quod ſumptuoſo & magnifico opere extruendum curarat, virtutis ſuæ encomia inſcribi juſſit. Atque epitaphium ſuum, quod ipſe deſcripſerat, Baſileam miſit ad Eraſmum cum equo gradario, quem illi dono offerebat, ut illud typis excudendum curaret. Adeo ſcilicet avidus erat gloriæ, ut famam & laudes, quas obitum ſuum ſequuturas putabat, vivens delibare vellet. Inter alia encomia hoc erat celeberrimum, quod Lutheranorum, id eſt, piorum profligator maximus fuiſſet. Quid accidit? Accuſatur proditionis, damnatur, capite plectitur. ita patibulum ei pro ſepulchro fuit. An apertiora Dei judicia requirimus, quibus ſuperbiam impiorum, & effrenem gloriæ cupiditatem, blaſphemam etiam jactantiam punit? In hoc certe populi Dei infenſiſſimo hoſte, non minus quam in Sobna, ſumma Dei providentia agnoſcenda & exoſculanda eſt. Notanda eſt etiam circumſtantia, quod hic Sobna exterus & alienigena eſſet. Sic omnes tyranni & hoſtes filiorum Dei, quamvis alienigenæ ſint, veros terræ hæredes de medio tollere vellent, ut ſoli totum mundum occuparent. verum ipſos tandem pellit Dominus, omnique poſſeſſione privat, ut ne ſepulchrum quidem retineant. Innumera ſunt exempla in hiſtoriis. Hoc quidem non ſemper ita evenit:

ſed quæ nobis exempla proponit Dominus, cogitationem noſtram longius ducere debent, ut ejus judicia adverſus impios & tyrannos conſideremus: qui quum ſe extollere & celebres eſſe voluerint, inſigni aliquo genere mortis nobilitantur, quo celebris ſit eorum infamia. Itaque gloriam ſepulchri quod Sobna extruxerat, tacita antitheſi opponit ignominiæ quæ poſtea ſequuta eſt.

18. *Volvendo volvet te.*] Perſequitur eundem ſermonem Jeſaias quo ſuperbiam ridebat Sobnæ, qui tantos ſumptus in ædificando ſepulchro profuderat. Nam hæc ſententia pertinet ad ſuperius membrum proximi verſus. ut enim illic dicebat, Traducet te inſigni traductione, ita nunc, Projiciet te quaſi globum in planitiem æquabilem. Hac enim ſimilitudine ſignificat nihil impedimenti fore, quominus eum Dominus in longinquam regionem extrudat, quamvis ſtabilitam putaret ſuam potentiam. & quum tam ſollicitus fuiſſet de ſepulchro ſicque de eo ſtatuiſſet quaſi certus de morte ſua, denunciat Jeſaias eum non obiturum Jeroſolymæ, ſed in extera regione in quam fuerit extruſus. Currus vero nomine omnem gloriam & dignitatem Sobnæ comprehendit. acſi diceret, ignominiam ejus apud exteros celebrem fore. Sic ridet Dominus inſanam ambitionem eorum qui nihil præter mundum ſpectant, felicitatemque ſuam æſtimant ex gloria rerum fluxarum & caducarum. Ignominiam quoque domus regiæ appellat, vel quod piam aulam quæ velut Dei ſacrarium erat fœdaſſet, vel quod nimis facilis fuiſſet Ezechias in eo extollendo. Certe ne honoris larva ſe obtegeret contra vaticinium, diſerte exprimit Propheta locum quem occupat augere crimen ut magis reddatur deteſtabilis. Proinde niſi ſe ac domos ſuas probris ſubjicere velint Principes, delectum habere diſcant in creandis officiariis.

19. *Et projiciam.*] Nihil novi affert, ſed vaticinium ſuperius concludit: quanquam poſtremo verſu iterum de Sobna mentionem facturus ſit. nunc vero ſummam comprehendit eorum quæ dicta ſunt. Sobna enim videbatur ſibi ſtatam ſedem habere Jeroſolymæ, ut quicquid accideret, nunquam de ea pelli aut moveri poſſe videretur. Dominus autem denunciat ſe dejecturum ipſum, & alio in longinquam re-
Pſal. 33. verſ. 10. gionem expulſurum. Ita cogitationes impiorum evertere ſolet Dominus, qui aſtutia & vafritie ſua ſubnixi, publicum ſtatum pro libidine ſua volvunt. Mutatio perſonæ oſtendit Prophetam nunc ſuo, nunc Dei nomine loqui.

20. *Accidet in die illa.*] Non ſatis compertum eſt quo tempore in locum Sobnæ Eliacim ſubrogatus eſt. nam Eliacim præfectum fuiſſe domui Regiæ quum Sobna Cancellarius eſſet, trigeſimo ſeptimo capite videbimus. An interea temporis acciderit aliqua mutatio, haud certo aſſeri poteſt. Quanquam magis probabile eſt, ut nuper attigi, factione improbi hominis Eliacim poſtea fuiſſe loco ſuo pulſum: & quum ſuos triumphos ageret Sobna, detectis ejus fraudibus pœnam dediſſe: & quum profugus vel expulſus eſſet è Judæa, exulaſſe apud Aſſyrios, atque illic perfidiæ ſuæ mercedem tuliſſe. quemadmodum accidere ſolet proditoribus, qui quum promiſſa exolvere non poſſunt, odioſi & deteſtabiles ſunt iis quos fefellerunt. Nam ut audaces & temerarii ſunt in promittendo, ita fallaces & perfidos eſſe neceſſe eſt. Tandem diſcerptum eum fuiſſe tradunt Judæi ob perfidiam ſuam: ſed id nulla hiſtoria comprobatur. Ut autem id in medio relinquamus, certum eſt tamen exulem aut profugum in extera regione, non Jeroſolymæ, extremum diem cum ignominia obiiſſe. Quum autem profugiſſet, Eliacim in ejus locum rurſus ſubſtitutum fuiſſe veriſimile eſt.

Vocabo.] Omnes Principes & Magiſtratus à Domino vocari certum eſt, etiamſi impii & ſceleſti ſint.
Rom. 13. verſ. 1. Omnis enim poteſtas à Deo, ut inquit Paulus. Sed hic agit Propheta de peculiari vocatione, qua Dominus bonitatem ſuam erga populum declarat, quum tales miniſtros conſtituit, ut per eos Deum vere ſibi præeſſe intelligat: ipſique viciſſim ſibi ſint probe conſcii, in quem finem à Deo ſint conſtituti, atque fideliter munus ſibi injunctum exequantur. Vocatus quidem ad tempus erat Sobna: ſed ita ut eſſet flagellum Dei. nihil enim minus ſibi propoſitum habebat quam ut Deo inſerviret. Alius autem fuit Eliacim: quia ſe miniſtrum Dei agnovit ſanctæque vocationi paruit. *Vocabo* igitur idem eſt acſi diceret, Signum dabo ſervo meo, ut ſe à me in illo dignitatis gradu collocatum eſſe intelligat. Eſt ergo hic ſingularis relatio inter dominum & ſervum, quæ impiis non competit, quum libidini ſuæ obſequantur & pravis affectibus. Hic vero agnoſcebat Dominum, eique ex animo ſerviebat. Denique hac nota diſcernitur legitimus Dei miniſter à perverſo & adulterino, qui ſibi malis artibus honorem acquiſierat.

21. *Et induam.*] Nunc apertius exponit quod breviter indicaverat ſuperiore verſu, non niſi Dei conſilio dejectum iri Sobnam, ut ſuccedat Eliacim. Verum quidem eſt, quicquid mutationum accidit in mundo, Dei providentia dirigi: quia Reges quos viſum eſt accingit balteo, vel diſcingit, ut eſt in libro Job*. Olim de Romanis Cæſaribus lepide dictum eſt, Reges eſſe tragicos: quia ſicut hiſtriones * cap. 12. verſ. 18. qui fabulas agunt in theatro, depoſita Regis perſona mox ſordidi ſunt opifices: ita illi ex ſublimi faſtigio detracti, ſubinde ad probroſum ſupplicium rapiebantur. Et tamen certum eſt, neque fortuito, nec tantum hominum conſiliis, nec militari impetu res ita fuiſſe tunc turbatas, quin Dei conſilium præeſſet. Sed hoc in Sobna ſpeciale fore aſſerit Propheta, ut ejus abdicatio manifeſta ſit ultio Dei: reſtitutio vero Eliacim, quaſi legitima regni forma. Per Veſtes & Balteum inſignia Magiſtratus intellige. Balteus regium erat inſigne: nec dubium quin ipſum præcipui Magiſtratus geſſerint honoris cauſa. Et Romæ præfecti Prætorio hoc inſigni ornabantur. Job etiam balteo diſcingi à Deo Reges ait, quum ſua Job. 12. verſ. 18. dignitate ſpoliantur. Hæc autem prædicta ſunt à Propheta, ut omnes in hoc exemplo non ſolum providentiam Dei perſpicue intuerentur, & conſilium ejus agnoſcerent: ſed juſte exauctorari impium hominem, qui perperam & illicitis rationibus ſe extulerat.

Erit in patrem.] Impii quidem Magiſtratus à Deo conſtituuntur, ſed in ira ipſius: quum ſcilicet ejus imperio ſumus indigni. Laxat enim frena tyrannis & impiis, ut ingratitudinem noſtram ulciſcatur: acſi nobis renunciaret vel abjiceret curam regiminis. Sed dum boni Magiſtratus præſunt, Deum velut nobis propinquum cernimus, & nobis eorum quos conſtituit manu imperantem. Hoc ſignificat Propheta: quia Eliacim præditus erit Dei Spiritu, functurum etiam patris officio. Interea admonet merito piis omnibus optandam eſſe præfecturam Eliacim, quia tendet in commune Eccleſiæ bonum. *Patris* vero nomine docet quale ſit officium boni Magiſtratus. Idemque profani ſcriptores docuerunt, Bonum ſcilicet Regem eſſe loco patris. Et quum vellent iis qui oppreſſa republica tyrannidem exercebant adulari, natura hunc illis honoris titulum dictabat, ut Patres patriæ vocarent. Philoſophi etiam dum familiam imaginem regni eſſe aiunt, oſtendunt Regem patris loco eſſe oportere. Hoc etiam com- Gen. 20. verſ. 2. 8. & 21. verſ. 21. probant veteres illi Regum tituli: Abimelech, id eſt, Pater mi Rex, & ejuſmodi: quibus oſtenditur Regiam poteſtatem non poſſe à paterno affectu ſeparari. Qui igitur pro legitimis Principibus haberi volunt, & probare ſe miniſtros eſſe Dei, patres ſe populo præbeant neceſſe eſt.

22. *Et ponam clavem.*] Hæc loquutio metaphorica eſt: nec eſt quod multum in eliciendo allegorico ſenſu

ſenſu (ſicuti faciunt nonnulli) laboremus. nam tranſlatio à communi hominum more ſumpta eſt. Qui enim œconomi conſtituuntur, iis traduntur claves, ut omnia claudant pro arbitrio, & recludant. *Domus David* Regiam ſignificat: quæ loquutio uſitata
Pſal. 132. *verſ.* 11. *2 Sam.* 7. *verſ.* 12.
populo erat, quod Davidi de perpetuitate regni data eſſet promiſſio. Ideo regnum illud, Davidis domum vulgo appellabant. *Clavis*, in ſingulari ponitur pro Clavibus. Etſi autem manibus geſtari ſoleant claves: quia tamen de gravi opere agitur, dicit humeris imponi. Interea nihil aliud eſt quam cuſtodiam domus totamque adminiſtrationem tradi in poteſtatem, ut omnia arbitrio ſuo moderetur. Et vulgo Traditionem clavium, pro ſigno poſſeſſionis eſſe ſcimus. Locum hunc ad Chriſtum perperam nonnulli tranſtulerunt: quando Propheta duos inter ſe homines comparat, nempe Sobnam & Eliacim. Privabitur Sobna: ſuccedet autem Eliacim. Quid hæc ad Chriſtum? Nam Eliacim typum Chriſti non geſſit. neque hic Propheta myſterium aliquod reconditum deſcribit: ſed ex communi hominum uſu ſimilitudinem mutuatur. acſi quis œconomo quem conſtituit claves committeret: ſicuti jam dictum eſt. Atque eadem eſt ratio cur Chriſtus officium docendi
Mat. 16. *verſ.* 19.
Verbi, Claves regni cælorum vocet: ut inepti ſint & ridiculi qui in arcana ratione inveſtiganda multum laborant, quum aperta ſit, nec ulla ſubtilitate ſit opus. Ratio enim eſt, quod Miniſtri prædicatione Verbi aditum ad cælos patefaciant, & ducant ad
Joan. 14. *verſ.* 6.
Chriſtum, qui ſolus via eſt. Itaque hic *Claves* pro adminiſtratione domus Regiæ accipit, quod præcipua ejus cura ad Eliacim tranſitura eſſet ſuo tempore.

23. *Et figam eum (tanquam) clavum.*] Hic ſubaudienda eſt nota ſimilitudinis. Ideo inſerui Tanquam. *Fidelem* vocat firmum & ſtabilem. ductum enim eſt hoc nomen à veritate. nam ubi eſt veritas, illic firmitas & certitudo eſt. Ideo Hebræi veritatem pro re firma & certa accipiunt. Eleganti metaphora utitur Jeſaias: ex qua pii Magiſtratus, qui pauci ſunt, inſignem conſolationem accipere debent. Sic enim ſtatuere poſſunt: ſe non tantum in illum honoris gradum evectos à Deo, ſed confirmatos & ſtabilitos eſſe, acſi ejus manu fixi eſſent. Et certe ubi timor Do-
Prov. 16. *verſ.* 12. & 25: 5. & 29. *verſ.* 14.
mini, illic ſtabilitas: atque potentia Regum, & dominatus, ut ait Solomon, æquitate & judicio firmantur. Hæc autem conſolatio non ſolum in eo prodeſſe debet Principibus, ut forti animo omnia pericula ſuſtineant, ſed etiam ut conſtanter & intrepide pergant in ſuo munere, nec ulla cauſa deflectant, ullumve diſcrimen reformident. Sed pauci ſunt admodum qui vere hanc doctrinam guſtare poſſint. omnes fere
1 Reg. 12. *verſ.* 28.
ſunt ſimiles Jeroboam, ſibique religionem ſubſervire putant, & quatenus ſibi uſui fore exiſtimant, eam ſequuntur: imo pro ſuis commodis inflectunt & transformant. Dei vero & pietatis poſtrema cura eſt. Nec mirum ſi ſemper diffidant rebus ſuis, nec unquam fere conſiſtant: quia mentem in eum, à quo
Rom. 13. *verſ.* 1.
omnis eſt poteſtas, non intendunt. Hinc perfidia, hinc crudelitas, avaritia, violentia, & omne genus fraudes & injuriæ: in quibus effrenatiores hodie & impudentiores omnibus aliis ſunt Principes. Sunt tamen nonnulli in quibus perſpiciuntur quæ hic de Eliacim dicta ſunt. Eos tuetur & conſervat Dominus, ſtudiumque æquitatis & juſtitiæ, quo ipſos ornavit, benedictione ſua proſequitur. Nam ſi tyrannos ipſos ad tempus ſuſtinet Dominus, quod ſpeciem aliquam politiæ retineant, quid fiet ubi Princeps omni ſtudio rectum & æquum, verumque Dei cultum tuebitur? nonne magis eum firmabit ac ſtabiliet ille qui perpetuus eſt juſtitiæ patronus?

24. *Et ſuſpendent.*] Perinde eſt acſi diceret, partibus ſuis obeundis parem fore, & in officio non fore ignavum. Unde colligimus Principes non evehi à Deo in honorem ut deſideant otioſi, aut ſibi indulgeant. Principatus enim valde laborioſum onus eſt, ſi quis eo recte fungatur: nec imitetur [illegible] eorum qui ſe in illam dignitatem ſublatos putant, ut vivant laute & omni deliciarum genere ſuaviter fruantur. Siquis autem Princeps munere ſuo recte fungi velit, neceſſe eſt ut multos labores ſuſtineat. Nec eſt cur exiſtimemus Clavi ſimilitudinem principatu indignam eſſe, quum ea onus negotiorum & moleſtiarum plenum ſignificetur. Et ſimilitudines autem nunquam per omnia convenire intelligimus: ſed finem ad quem aptantur notare convenit. Jam quum dicit, Patris ſui domum, dubium non eſt quin Eliacim ex ſanguine Regio progenitus fuerit. Itaque per Poſteros, intelligo non tantum eos qui proxime illi cognati erant, ſed totam familiam Davidis. Suſtinebit ergo quicquid erit in domo Regia. Et *nepotes* addendo, ſimul docet diuturnum fore hunc principatum: ut non unius tantum hominis ætatem duret, ſed ad poſteros uſque extendatur. Nec enim ſuæ tantummodo ætati proſunt boni Principes, ſed etiam poſteris, quibus optimas leges, recta inſtituta, & bonæ adminiſtrationis veſtigia relinquunt: adeo ut ſucceſſores ipſos, etiamſi mali ſint, pudeat ſe ſtatim ad profligatam nequitiam abjicere, & boni aliquid præ pudore, etiam inviti, retinere cogantur. Hoc demonſtrat futurum in Eliacim, cujus tam recta erit adminiſtratio, ut ex ea poſteri ipſi fructum ſentiant.

Vaſa minora.] Metaphorice notat æquabilem fore juſtitiam vel jus analogum, ut dicunt: acſi diceret, Non ſolum magnates ſuſtinebit, ſed etiam infimo ordini conſulet. Quo autem id in Principe rarius eſt, eo majore laude dignum, quam ſi potentibus tantum & opulentis faveret. Ii enim ſe tueri & defendere poſſunt: inopes vero & tenues, prædæ & injuriæ aliorum patent, nec quiſquam fere pro iis intercedit. Per *Vaſa*, Hebræi inſtrumenta intelligunt omnis generis: eaque ſignificatio patet latiſſime. Et *Muſica* dicens, proſequitur quod uno verbo dixerat: hoc enim valet ad expoſitionem illius dictionis קטן. acſi diceret, nihil tam exiguum aut minutum vel contemptibile fore, quod ipſe non ſuſtineat.

25. *In die illa.*] Poſſet hoc contrarium videri ſuperioribus: ſed non loquitur amplius de Eliacim. Redit enim ad Sobnam, quem è gradu ejiciendum eſſe dixerat. Alioqui videbatur præcluſus eſſe acceſſus ipſi Eliacim ad eam dignitatem, niſi dejecto Sobna. Is autem ſic ſtatuerat res ſuas; ut nemo eum expelli poſſe cenſeret. Quamvis igitur multis præſidiis munitus ſit, & longe ab omni periculo abeſſe videatur, tamen recedet è loco ſuo, & Eliacim ipſi ſubſtituetur. Quod *fidelem* locum vocat, id hominum reſpectu intelligi debet. Homines enim perpetuum id fore judicant, quod undiquaque munitum eſt: Deus autem vel minimo flatu id dejicit. Per conceſſionem ergo loquutus eſt, quum eum locum firmum eſſe dixit. Unde colligendum eſt, quam ſtulte glorientur, & magnitudini ſuæ confidant, qui in altum dignitatis gradum evecti ſunt, quum momento vel minimo dejici, omnique honore privari poſſint.

Diſſipabitur onus.] Quando impii corruunt, omnes qui eorum auctoritate nitebantur, ſimul corruere neceſſe eſt. Et certe æquiſſimum eſt, ejuſdem ſupplicii participes eſſe qui eadem ſcelerum ſocietate una juncti fuerunt, & quantum in ſe fuit manum impio præſtiterunt. Difficile autem eſt, eos qui ſe in clientelam dedunt hominibus impiis, omneſque ſuas opes ad eos applicant, non eſſe etiam ſceleris miniſtros. Quod ſi immunes eſſent ſceleris (quod raro, imo nunquam contigit) tamen vel eo meritas pœnas luunt, quod in illis ſpem velut in firmiſſimo præſidio locarint, totique pependerint ab eorum nutu & auctoritate.

Cap. XXIII.

ONus Tyri. Ululate naves Tharſis: quia devaſtatio facta eſt, ut non ſit domus, non ſit commeatus è terra Cittim. Revelatum eſt hoc eis.

2. Tacete incolæ inſularum: negotiator Sidonis, trajicientes mare, qui te replebant.

3. In aquis multis ſemen Nili, meſſis fluminis fruges ejus: & fuit emporium gentium.

4. Erubeſce Sidon: quia dixit mare, fortitudo maris, dicens, Non parturivi, neque peperi, neque educavi adoleſcentes, neque extuli virgines.

5. Simulatque rumor pervenerit ad Ægyptios, dolebunt ſecundum rumorem Tyri.

6. Tranſite in Tharſis: ululate habitatores inſularum.

7. An hæc vobis exultans? à diebus antiquis vetuſtas ejus. Ducent eam pedes ejus, ut peregrinetur in terram longinquam.

8. Quis conſultavit hoc ſuper Tyrum coronantem? cujus negotiatores ſunt Principes, cujus inſtitores nobiles terræ?

9. Jehova exercituum ita decrevit ad profanandam ſuperbiam omnium magnificorum, ut vilipendat omnes glorioſos terræ.

10. Tranſi inſtar fluminis è terra tua ad filiam Tharſis, quia non amplius cingulum.

11. Manum ſuam poſuit ſuper mare, concuſſit regna. Jehova mandavit ſuper Canaan, ut enervet robur ejus.

12. Et ait, Non adjicies ultra ut exultes, ubi oppreſſa fueris, virgo filia Sidon. Surge, ut tranſeas in Cittim. Atqui etiam illic non erit tibi requies.

13. Ecce terra Chaldæorum, hic non fuit populus, Aſſur fundavit eam deſerti incolis: erexerunt arces ejus: excitarunt palatia ejus: redegit eam in vaſtitatem.

14. Ululate naves Tharſis, quia vaſtata eſt fortitudo veſtra.

15. Accidet in die illa, ut ſit in oblivione Tyrus ſeptuaginta annis, ſecundum dies Regis unius: à fine ſeptuaginta annorum, erit Tyro quaſi canticum meretricis.

16. Sume citharam, circui urbem meretrix oblivioni tradita, ſuavem fac melodiam, multiplica carmen, ut in memoriam revoceris.

17. Erit ergo à fine ſeptuaginta annorum, ut viſitet Jehova Tyrum: & tunc redibit ad mercedem ſuam, fornicabiturque cum omnibus regnis terræ quæ ſunt ſuper terram.

18. Sed (tandem) erit negotiatio ejus & merces ejus ſanctæ Jehovæ: non reponetur, neque recondetur: ſed negotiatio ejus (addicta) erit iis qui habitabant coram Jehova, ut comedant ad ſatietatem, & habeant denſum operimentum.

T*Yri onus.*] Tyrus opulentiſſima & celeberrima fuit, cùm propter commercia varia omnium gentium, tum etiam ob inſignes colonias quæ ab ea prodierunt: Carthaginem, quæ Romani Imperii æmula fuit, Uticam, Leptim, Gadium, & alias urbes, quæ etiam quotannis munus aliquod Tyrum mittebant, quo ſe eam ut matrem agnoſcere profitebantur. Huic excidium minatur Jeſaias, quod infeſta fuiſſet populo Dei, quemadmodum ex Ezechiele colligere licet. (*Eze. 26. verſ. 2.*) cauſa enim excidii potiſſimum attendenda eſt. quia conſilium Prophetæ fuit, paternum Dei favorem populo teſtari, quod cunctis ejus hoſtibus ſe opponeret. Nonnulli ad expugnationem Alexandri hæc referenda putant, qui magna difficultate eam cepit. ſed argumento nimis infirmo utuntur: nempe, quod Jeſaias mentionem faciat Cittim: quo nomine Macedones quidem ab Hebræis ſignificantur, ſed & alias nationes ſub hoc vocabulo, veluti Græcos omnes, & tranſmarinos populos comprehendunt. Uſus eſt autem Nabuchadnezer in ea obſidione non tantum ſuo milite, ſed etiam extero, quem è Græcia aliiſque locis accerſivit. Cæterum alia ratione, ut paulo poſt videbimus, ſit Græcorum mentio: nempe, quod poſthac negotiandi cauſa Tyrum non appellent ſuas naves. Sed & argumentum ex fine hujus capitis habeo in contrariam ſententiam. nam de inſtauratione Tyri loquitur Jeſaias. Nunquam vero inſtaurata eſt, ex quo eam Alexander expugnavit. Præterea dum Ezechielis verba cum iſtis confero, videor mihi unum idemque vaticinium cernere. Non loquitur autem de Alexandro, ſed de Nabuchadnezer: nec mihi dubium eſſe poteſt, quin ita exponi debeat. Adde quod Ezechielis & Jeſaiæ temporibus Rex dominabatur in ea urbe. quum autem expugnata fuit ab Alexandro, narrant hiſtorici reductam fuiſſe in formam Reipublicæ. Quod ſi finem prophetiæ conſideremus, ſatis confirmabimur in hac ſententia. vult enim Judæos conſolari denunciando Tyrios, à quibus afflicti fuerant, non impune evaſuros. Nam valde alienum fuiſſet à ratione, puniri à Domino alias nationes: hos autem, qui non minus infeſti fuerant, evadere impune, aut quingentis poſt annis pœnas dare. Omnes igitur conjecturæ nos eo ducunt, ut de Nabuchadnezer hunc locum exponamus.

Ululate.] Variis figuris ſuo more illuſtrat Tyri ruinam, quo plus fidei conciliet vaticinio. ſimplex enim narratio, pigris alioqui & lentis animis frigida fuiſſet, vel non ſatis efficax: ideoque oculis proponit quaſi vivam figuram. Duriſſimam fore hanc cladem ſignificat: quia ſentietur etiam in extremis regionibus. Naves ululare jubet, quod deleta Tyro, otioſæ futuræ ſint. Cilicum autem naves potiſſimum nominat, quod quum vicini eſſent, ſæpe multumque negotiarentur cum Tyriis: Ciliciam Hebræi Tharſis vocant. Fieri autem non potuit quin ea regio maximum incommodum ſentiret, Tyro deleta: non ſolum quia ad tempus ceſſarunt commercia, ſed etiam quia & merces direptæ ſunt, & turbatæ mercatoriæ rationes. ſicuti accidere ſolet everſis divitum fortunis. Ubi ego verti *Ut non ſit commeatus*, alii exponunt, Ut non ſit domus quo ingrediamini: ſed Prophetæ mentem fideliter reddere mihi viſus ſum. Ne-

que

Digitized by Google

que tamen intelligit præcluſum iri aditum Cilicibus vel Græcis, ſed non commeaturos Tyrum ſicuti antea ſolebant. quia nullum illic, ut antea, emporium futurum eſt. Clauſulam verſus, *A terra Cittim*, dividunt à ſuperioribus, & ita contexunt, fuiſſe illis revelatum à terra Cittim, qui putant Prophetam loqui de clade ab Alexandro illata. Ego vero potius aliter conjungo, in hunc ſenſum, A non eundo è terra Cittim: id eſt, ut non amplius commeent Græci, ſicuti antea ſolebant. Nam nomine Cittim, & Græcos, & Occidentales populos ſignificat. acſi diceret, Finem imponendum eſſe commerciis Græcorum, ut non amplius eo naves ſuas applicent. In quo etiam Cyprios, Siculos; Italos, aliaſque nationes comprehendit. Quod dicit hoc illis fuiſſe revelatum, tam de Græcis quam de Tyriis commode intelligi poteſt. Si ad Tyrios referas, ſenſus erit, Ubi fuerit perlatus rumor vaſtatæ urbis, finem facturos ſolitæ navigationis, quia portum illum non ſecus ac ſcopulum fugient: atque hunc ſenſum libentius amplector. non tamen alterum rejicio ut Propheta ſuum vaticinium confirmet, ſicuti de re certa loqui ſolemus, Hoc tibi dictum ſit.

2. *Tacete.*] Amplificat cladem Tyri. Eſt autem hic numeri mutatio in nomine Inſulæ, quia tametſi ſingulariter loquitur, tamen intelligit inſulas maris Mediterranei, & tranſmarinos populos, præſertim vicinos qui frequenter navigabant Tyrum, & commercia exercebant. Iis ſilentium & quietem denunciat: quia non ſunt amplius eo navigaturi. Silere ut confuſos jubet, propter gravem calamitatem quæ ipſis acciderit, ut ne hiſcere quidem audeant. nam fieri non poterat, quin diruto tali emporio, maximum populi qui illic negotiabantur damnum ſentirent. Quemadmodum hodie Venetiis aut Antverpiæ clades accidere non poſſet ſine magno incommodo multarum nationum. Specialiter vero commemorat Sidonios, non modo propter viciniam, ſed quia communis origo erat. Sidon celeberrima fuit, ſed Tyro longe inferior. Sita erat ad littus maris, & ducentis ſtadiis à Tyro remota. Sic autem & vicinitate, & commerciis conjuncta Tyro videbatur, ut frequenter Poetæ Tyrum pro Sidone, & Sidonem pro Tyro accipiant. Non eſt igitur dubium quin Sidonii importandis & exportandis, atque etiam diſtrahendis & commutandis mercibus magnum præ aliis quæſtum facerent, propter vicinitatem loci, & aſſidua commercia. In ipſos enim redundabat Tyri abundantia, ſub cujus alis, ut vulgo aiunt, volitabant. Hinc factum eſt ut magnum præ aliis detrimentum ex everſione Tyri acceperint. Ideoque poſtea iterum dicet Propheta, Erubeſce Sidon. Communiter de omnibus adjungit, Qui te replebant: vel quod frequentia & multitudine hominum referta eſſet, quum illuc ex variis & remotis terris confluerent advenæ: vel quod lucri cauſa illuc navigantes, urbem viciſſim locupletarent.

3. *Atqui in aquis.*] Significat divitias Tyri impedimento non fore quo minus deleatur. ideoque opulentiam ejus extollit, quo magis perſpicuum ſit judicium Dei: omneſque intelligant, haud vulgarem ei cladem accidiſſe. & quo magis inopinata erat, magis dilucidum eſſet opus Dei. Porro eleganti loquutione opulentiam Tyri deſcribit. Nam quum ei triticum aliaque ad victum neceſſaria ſuppeditaret Nilus, magnamque ex Ægypto frumenti copiam deveheret, agros ipſi & ſemen in curſu Nili fuiſſe dicit. quemadmodum Veneti aiunt in mari annonam ſibi eſſe, quod nihil naſcatur domi: ſed omnia ad victum neceſſaria ex mercatura conficiant. De Tyriis in hunc modum loquutus eſt. nam incredibile videbatur, ut eos victus deficeret, quem Nilus abunde & copioſe ſuppeditabat. Inanem fore hanc fiduciam oſtendit Propheta: quoniam ipſos omnia deficient. Atque hæc deſcribit Jeſaias, ſicuti jam dictum eſt, quo melius omnes ultricem Dei manum agnoſcant.

4. *Erubeſce Sidon.*] Hic verſus amplificationis gratia additus eſt. Cur de Sidone potiſſimum loquatur, cauſam reddidimus. *Mare* vocat Tyrum κατ' ἐξοχὴν, acſi ſola in medio mari regnum obtineret. Quod mox ſequitur, *Non parturivi*, μιμητικῶς refertur in Tyri perſona. atque ita ſalſe perſtringit Tyrios, qui ſuis coloniis gloriabantur. peperit enim alias urbes clariſſimas. Olim, inquit Plinius *, clara urbibus genitis, Lepti, Utica, & illa Romani Imperii æmula, terrarum orbis avida Carthagine, etiam Gadibus extra orbem conditis. Nunc omnis ejus nobilitas conchylio atque purpura conſtat. Tyrum igitur priſtinam illam ſuam gloriam deflentem introducit Jeſaias, quod mater eſſe deſierit: nec quicquam ei profuerit tot exexiſſe liberos, civitates etiam produxiſſe. Nam & olim Carthago munus ſolenne quotannis Tyrum mittebat, quo ipſam ut matrem coleret. Sic Tyrus omnes alias urbes dignitate ſuperare videbatur, cui ipſa Carthago, quamvis æmula Romani Imperii, ſeſe quodammodo ſummittebat. ſed Dominus eam momento ornamentis omnibus ſpoliavit, ut defleret orbitatem ſuam, acſi nullos unquam liberos educaſſet.

* lib. 5. cap. 19.

5. *Ut, rumor Ægyptiis.*] Hoc verſu ſignificat cladem hanc communem fore Tyriis & Ægyptiis. quo confirmatur expoſitio quam ſequimur: nempe, hæc ad priorem vaſtationem pertinere. Erant enim conjuncti Ægyptiis, & Regius utriſque ſtatus erat: non ut Alexandri tempore, quo Tyrus civitas libera fuit, ſuiſque legibus vivebat. Non potuit autem melius exprimere ſocietatem quæ erat inter Tyrios & Ægyptios. atque ideo ad Ægyptios quoque hanc cladem pertinere oſtendit, quod Judæos ad rebellionem ſollicitaſſent, atque avocaſſent à fiducia Dei. Illi profeſſi erant hoſtes: hi ſub prætextu amicitiæ, pernicioſas inimicitias fovebant. Merito ergo utrique puniuntur.

6. *Tranſite.*] Compellat non Tyrios modo, ſed exteros qui commerciis erant illis conjuncti. jubet autem alio deflectere, & quærere novos portus. Ac Ciliciam nominat, quæ oppoſita erat Tyro: acſi diceret, Littus illud, quod maxime portuoſum fuerat, poſthac fore deſertum, ut naves in contrariam partem tendant. Solent enim mercatores portu uno aut emporio deleto, aliud ſibi quærere. Inſulam hic pro Inſulis ponit, ut jam antea expoſuimus. mutatio enim numeri Hebræis ſatis uſitata eſt. Luctum iis denunciat, quia victus eorum omnino pendebat ab illa negotiatione. Deinde ultro citroque implicitæ erant rationes.

7. *An hæc.*] Propheta inſultat Tyro, & ſuperbiam ejus deridet, quod antiquitate nominis ſui gloriaretur: confirmat etiam quod incredibile videbatur omnibus. nec enim dubium quin hoc vaticinium deriſum ſit, quum invicta eſſet Tyri potentia, & opulentia inſtar muri ahenei. Eo confidentius loquitur Jeſaias, & certam ei cladem denunciat, tametſi antiquitate ſuperet alias urbes, eoque nomine omnes ei applaudant, hoc tamen impedimento non fore, quo minus deleatur. Repetitur autem in profanis hiſtoriis origo Tyri ab ultima fere memoria, adeoque obſcura & involuta, ut nihil fere agnoſci poſſit: tametſi ferunt conditam eſſe à Phœnicibus. ut qui fama vetuſtatis gloriantur, indigenas ſe terræ vocant. Huic antiquitati Propheta exilium opponit, ſignificans ubi ſtatuerit Deus pœnam de gente illa ſumere, nullam fore amplius ſtabilitatem. Sequi enim quocunque pedes ducunt, nihil aliud eſt quam vagari per longos errores. Quanquam ſimul intelligit deſtitutos ſuis opibus & rerum omnium egenos fore in ſuo exilio, ut ne vehiculum quidem aut jumentum illis ſuperſit. Eſt autem duriſſima exilii conditio, ſi accedat paupertas. Facilius enim tolera-

toleratur ſi quod adſit ſubſidium vitæ: ubi vero in regionibus ignotis in ſumma penuria verſandum, extrema miſeria eſt. Addit etiam cumulum miſeriarum, in longinquam regionem ei peregrinandum. Nam quo remotius, eo durius exilium eſt.

8. *Coronantem.*] Hoc titulo urbem inſignit quæ multos ditabat, ſicut colligere promptum eſt ex contextu. Reges enim vocans ejus mercatores, ſatis declarat ſe per vocem Coronæ metaphorice intellexiſſe Regum ſplendorem. Quo refellitur eorum ſententia qui hoc transferunt ad alias urbes. Summa eſt, ita locupletare ſuos cives, acſi Reges & Principes crearet. Putant aliqui hunc verſum ita additum eſſe, acſi Propheta indueret perſonam obſtupeſcentis ad cladem Tyri, ut ſtuporem aliis incutiat. acſi diceret, Fierine poteſt, ut Tyrus tam cito evertatur: ubi tot opes, copiæ, facultates, munitiones, ubi tanta gloria & majeſtas? atque ita ſubito ſeſe cohiberet, ut ſolet fieri in rebus inopinatis. Sed melius eſt ſequentem verſum huic conjungere, quo difficultas omnis tollitur. quando ſtatim huic ſuæ interrogationi Propheta ipſe reſpondet, qua volebat auditorum animos ad majorem attentionem erigere. Nam hæc quidem Domini conſilio fieri ſimpliciter dicere potuiſſet. verum ut ſocordes ſumus, hæc à tardis hominibus contemptim fuiſſent excepta. Excitat igitur animos iſta interrogatione, ut omnes de re non vulgari ipſum concionari intelligant, ſimulque rationem expendant diligentius. Nam quo longius à communi ſenſu remota ſunt Dei judicia, eo plus admirationis merentur. In hunc quoque modum de
cap. 19. Ægypto ante * loquutus eſt, quum ejus cladem docere vellet non poſſe cenſeri inter uſitatas mutationes. Quia ergo credibile non erat, Tyrum poſſe humanitus everti, merito colligit Propheta, Deum ruinæ eſſe auctorem. Ideo Regum matrem vel nutricem appellat, ut divini judicii gloriam magis illuſtret. Nam ſi vulgaris aliqua fuiſſet civitas, ejus interitus contemneretur: ſed quum dignitate ſumma ornata eſſet, quis illum exiſtimet niſi divinitus accidiſſe? *Inſtitores* vocat Principes. Quemadmodum hodie Veneti mercatores putant ſe dignitate Principes, exceptis Regibus ſuperare: quin & inſtitores præ ſe nobiles viros deſpiciunt. Intellexi Antverpiæ etiam eſſe inſtitores, qui ſumptus non reformidant, quos nobilium ditiſſimi non ſuſtinerent. Solemus autem interrogationibus uti, ubi nihil aliud reſponderi poteſt, quam quod volumus. quod etiam confidentiæ ſignum eſt.

9. *Jehova ad profanandam ſuperbiam.*] Vel altitudinem: utrumque enim legi poteſt: quia altitudo ſuperbiam parit. Et rara mentis humilitas in altitudine eſt. Rectius tamen legemus Superbiam, quæ ſola Dei vindictam provocat, dum excellentiæ ſuæ prætextu ſeſe ultra modum efferunt homines. Profanare & Vilipendere, pro eodem accipitur. nam qui pollent dignitate, videntur ſegregati ab aliis, & neſcio quid ſublime de ſe concipiunt, quaſi vulgo hominum permiſceri non debeant: Deus autem ipſos dignitate ſpoliatos in ordinem cogens, profanos & viles reddit. Ex hoc loco diſcamus providentiam Dei ſic nobis conſiderandam eſſe, ut omnipotentiæ ejus quam meretur juſtæ moderationis laudem tribuamus. Etſi vero non ſemper occurrit vel oculis noſtris ſubjicitur rectitudo, qua Deus judicia ſua temperat, nefas tamen eſt ſapientiam & juſtitiam à potentia ſeparare. Cæterum quia Scripturæ ut plurimum adjungunt etiam, & diſerte exprimunt finem cur hoc vel illud faciat Deus, ad reputandam operum ejus cauſam attendere nos decet. Nam commentum illud de abſoluta potentia Dei, quod Scholaſtici invexerunt, execranda blaſphemia eſt. Idem enim eſt acſi Deum tyrannum quendam eſſe dicerent, pro libidine, non æquitate quidvis ſtatuentem. Talibus blaſphemiis refertæ ſunt eorum ſcholæ: neque abſimiles ſunt ab Ethnicis, qui Deum in rebus humanis ludere aiebant. Nos vero in ſchola Chriſti docemur, juſtitiam Dei relucere in operibus ipſius, cujuſcunque modi fuerint: ut obſtruantur omnium ora, & gloria ipſi ſoli tribuatur. Juſtas igitur cauſas tanti excidii refert Propheta, ne Deum ſine ratione quicquam agere exiſtimemus. nam Tyrii erant ſuperbi, ambitioſi, avari, libidinoſi, diſſoluti. hæc vitia, opes & rerum abundantia ſecum trahunt, iiſque plurimum urbes mercatoriæ laborant. Itaque Deum his vitiis provocatum fuiſſe docet: ut hoc exemplo edocti omnes reliqui melius ſibi conſulant, nec beneficiis Dei ad pompam & luxum abutantur. Talis enim fructus ex his colligi debet, ne nudam hiſtoriam nobis proponi exiſtimemus. Sed quæritur, An Deus magnatum & potentum altitudinem oderit? Nam ipſe evehit in altum Principes, Optimates, nobiles, ordineſque omnes Magiſtratuum & ſuperiorum conſtituit. qui igitur eos odiſſe poſſet? Reſpondeo, Magnitudinem, qua pollent Principes, non eſſe exoſam Deo, niſi ob vitium accidentale, quod in ſublime evecti, deſpiciunt alios, nec homines ſe eſſe putant. Ita fere ſemper altitudinis comes eſt ſuperbia: propterea que Deo inviſa eſt. Ac tandem neceſſe eſt, ut eam arrogantiam retundat, cujus ſe hoſtem eſſe profitetur. מזח, alii Cingulum, alii Fortitudinem vertunt. Illi Tyrum ſic ſpoliatum iri intelligunt, ut ne cingulum quidem ei reſtaret: ut ad ingentem illam mercium opulentiam alludat. nam infimi quique mercatores zonas vendunt: ſed puto Jeſaiam ad ſitum urbis alludere, quæ undiquaque munita, foſſiſque, aggeribus, vallo, & mari circumvallata erat.

11. *Manum ſuam.*] Putant vaticinium quod de Tyri clade edidit Propheta, exemplis confirmari: nempe, Dominum tot exempla potentiæ ſuæ edidiſſe in maximis regnis evertendis, ut mirum eſſe non debeat ſi nunc Tyrum, quamvis florentem & opulentam, evertat. Atque hæc quidem docendi ratio familiaris eſt Scripturis: quoniam homines virtutem Dei non agnoſcunt, niſi apertis exemplis & re ipſa demonſtretur. Repeti ergo hic liberationem ab
Ægypto cenſent, quum Dominus mare diviſit: de- *Exod.* 14.
inde quum expulſis ſeptem Regibus, populum ſuum v. 21.22.
introduxit in terram Canaan. Sed quum propius *Joſue* 6.
conſidero verba Prophetæ, malo ea exponere de re 8. & 10.
præſenti: quandoquidem loquitur hic de Tyro urbe maritima, cujus opes totum mare occupabant. addit etiam de regnis, quia ſola perire non poterat, quin multorum ſimul regnorum ruinam ſecum traheret. Ita oportuit quandam fieri orbis terrarum converſionem: quemadmodum ex hiſtoriis patet. ac tandem concludit ipſe Propheta, Dominum hoc emporium everti juſſiſſe. Dictio כנען, movit interpretes, ut de Cananæis hic Prophetam loqui, & documentum vindictæ Dei contra eos editum citari exiſtimarent: ſed ea ratio admodum infirma eſt. nam כנען, ſæpe accipitur appellative, quemadmodum etiam prius Inſtitores eodem nomine כנעניה vocavit. Nam quum divitiæ Tyri mercaturis & negotiationibus conſtarent, eam à parte præcipua nominavit Jeſaias. Providentiam autem Dei Mandandi verbo extollit, ut intelligant Judæi ſtare & cadere Dei arbitrio quicquid videtur in mundo eſſe ſtabile, nec opus eſſe ullis machinis ad everſiones munitiſſimi cujuſque loci, quin ſimplex nutus ſufficiat.

12. *Et ait.*] Hæc omnia ad unum eundemque finem pertinent. nam quod ſimplex deſcriptio non ſatis futura eſſet efficax, Propheta multis verbis vaticinium ſuum obſignat. Incredibile enim erat urbem tam præclaram ac potentem, tam bene inſtructam ac munitam, ſociis & fœderatis variis conjunctam, deſtrui atque everti. Dicendo, *Non adjicies*, ſpem reſtitutionis quam paulo poſt dabit non vult excludere: quia reſtringi debet hæc comminatio ad tempus cladis: Non laſcivies poſthac, ſicuti prius ſolebas. *Virginem*

ginem metaphorice vocat: quia intactæ fuerant opes Tyri ante illud tempus, nec ullam cladem paſſa erat. Ita non eſt caſtitatis elogium, ſed ſalſe docet delibandos eſſe theſauros qui ſub fideli cuſtodia reconditi fuerant: Tu prius laſciviebas, ut ſolent juvenculæ in flore ætatis: ſed finem facies exultandi, ubi vim paſſa fueris: ut ſi quis hodie Venetiarum urbem virginem intactam vocaret, quod expugnata non fuerit ex quo condita eſt.

Filia Sidon.] De Tyro ſemper loquitur: ſed eam ſic nominat, quod à Sidoniis condita eſſet: tametſi matrem filia ſuperabat, ut fieri ſolet in rebus humanis. Commoditate videlicet, ac ſitu loci effectum eſt, ut Tyrii prævalerent, eiſque Sidon acceſſionis tantum loco eſſet. (1 Reg. 5. verſ. 1.) Atque ſatis ex hiſtoria Regum apparet monarchiam Tyri fuiſſe magni nominis: ſed hic Propheta ejus originem ſpectavit. Jam ubi jubet tranſire ad Cittim, non tantum eos ablegat in Ciliciam, ſed in regiones magis longinquas. nam hoc nomine & Græciam & Italiam, aliaſque regiones ſignificat: acſi diceret, Quum vertes ſolum exilii cauſa, non habebis hoſpitium in vicinis regionibus: ſed totus orbis tibi peragrandus erit: deduceris in regiones ignotas, ac ne illic quidem quieſces. Denique ſignificat cladem illam adeo luctuoſam fore, ut neque apud vicinos, neque tranſmiſſo mari apud exteros ſit ei quieſcendi locus.

13. *Ecce terra Chaldæorum.*] Nunc confirmat exemplo quæ vaticinatus eſt de expugnatione Tyri. Vix enim hæc fidem obtinere poterant, præſertim apud Tyrios, qui ſe ab ejuſmodi exitio longiſſime abeſſe putabant. Scio hunc locum varie exponi: ſed refutandis aliorum opinionibus non immorabor. ſatis erit ſi verum Prophetæ ſenſum, quantum judicio conſequi poſſum, ſimpliciter exponam. *Chaldæorum populus non fuit*, id eſt, nullum nomen habuit. Nam ſi quæramus originem, eam habuit ab Aſſyriis: (Gen. 10. verſ. 11.) quemadmodum ex decimo capite Geneſeos conſtare poteſt. Vere itaque dicit non fuiſſe ab initio populum, qui ſub nomine alieno latebat, ut nullum per ſe corpus efficeret. Ubi nos vertimus Incolas deſerti, alii Naves transferunt: ſed illa expoſitio non videtur conſentanea. Prior autem illa quam poſui apte convenit: Aſſyrios ſcilicet Chaldæorum ſtatum conſtituiſſe, qui prius vagi in deſertis errabant ſub pellibus. Ab Aſſyriis vero in urbes congregati, atque ad humaniorem cultum inſtituti ſunt. idque ſignificat per verbum עררו. nempe, Suſcitaſſe & erexiſſe urbes. nec enim convenire poteſt, quod alii Diruere vertunt. Quid accidit? *Poſuit eam in ruinam*, id eſt, quod vulgo dici ſolet, Filia matrem voravit. nam monarchia Aſſyriorum à Chaldæis everſa eſt, tametſi omnium potentiſſima & florentiſſima eſſet. Quid hæc ad Tyrum? dicet aliquis: nempe quoniam ab Aſſyriis & Chaldæis evertenda erat. Quum igitur Chaldæi, qui antea nulli erant, Aſſyrios ſubigere & ſubjicere ſibi potuerint: quid mirum ſi utrique una conjuncti Tyrum ſubigant? Quum Dominus tale exemplum potentiæ ſuæ ediderit in Aſſyriis, cur Tyrus opulentiæ ſuæ confidet? Experietur haud dubie manum Domini, nec quicquam juvabit eam ipſius potentia.

14. *Ululate.*] Idem repetit quod antea dixerat. Cilices enim quotidiana commercia cum Tyriis propter viciniam habebant. Eorum naves ululare jubet, quod præcluſo illo portu, mercatores obſtupefacti hærebunt, quia non ſunt habituri ſolitos commeatus. Portum vero illum quem frequentabant, vocat ipſarum robur, non modo quia illic tuta eſſet ſtatio, ſed quia non aliter quæſtuoſa erat navigatio.

15. *Accidet.*] Poſtquam Propheta de expugnatione Tyri loquutus eſt, ſimul pronunciat quam diuturnum futurum ſit tempus calamitatis. Accidit enim dirutas urbes ſubito inſtaurari, & priſtinum ſtatum recuperare: hanc autem Prophetæ teſtatur per ſeptuaginta annos vaſtam & dirutam fore. Per *Oblivionem*, intelligit vacationem à mercatura: quod non ſit habitura curſum ordinarium negotiationis. Quod vero *dies Regis unius* nonnulli referunt ad Davidem, nimis frivolum eſt: nam Dies Regis poſuit pro hominis ætate. quemadmodum ætatem hominis ſeptuaginta annorum ſpatio quam plurimum definiri oſtendit Pſaltes. (Pſal. 90. verſ. 10.) Sed cur potius Regis quam hominis cujuslibet mentionem fecit? quia ſcilicet Tyrus Regem habebat, ideo à vita Regis, annos numeravit. Hoc autem ad prophetiæ certitudinem plurimum valuit: nec enim Propheta id conjecturis humanis aſſequi potuiſſet. Per *Canticum* vero *meretricis*, pulchra ſimilitudine mercaturam deſignat: non quod damnari per ſe debeat, quum Reipublicæ utilis & neceſſaria ſit: ſed vitia & fraudes notat, quibus ita ſcatet, ut arti meretriciæ merito comparetur.

16. *Sume citharam.*] Comparat Tyrum meretrici, quæ toto adoleſcentiæ tempore in libidinoſis voluptatibus conſumpto, tandem exolevit: ideoque ab omnibus deſtituta & contempta jacet: nec tamen priſtini quæſtus & libidinum oblivisci poteſt, ſed refloreſcere & amores ſuos redintegrare cupit. Et quo ad ſe alliciat homines, urbem circuit, cantibus & ſonis aures demulcens. Corripiuntur enim quodammodo furore ejuſmodi ſcorta, quum ſe ob ſenectutem negligi vident. quam ob cauſam Lydiam ab Horatio deriſam fuiſſe videmus. Sic Tyrum, poſtquam deleta fuerit, & quaſi oblivione ſepulta, iterum adhibituram ſuos conatus, conſilia, & artes, ut priſtinum ſtatum recuperet. Per Citharam & Suavem cantum intelligit fraudes mercatorias, verſutias, illecebras, blanditias quibus homines ineſcant & veluti in naſſas ſuas impellunt. In ſumma, oſtendit quibus rationibus emergant urbes mercatoriæ: nempe fallaciis & illicitis artibus. Ideo Propheta futurum ait, ut Tyrus leni melodia aures demulceat: addit etiam ut multiplicet carmina: id eſt, fraudes fraudibus, atque illecebras illecebris adjungat: quo tandem omnes ad ſe alliciat, redeat in memoriam hominum, & priſtinam famam recuperet. denique, ut vetula meretrix rationes excogitat, quibus redeat in hominum gratiam, fuco, ornatu, veſtitu, ſonis, cantibus eos ad ſe allicit: ita & Tyrus ſeſe colliget & inſtaurabit, iiſdem ſcilicet artibus quibus antea valuerat. Neque tamen propterea hortatur Tyrum, ut ſe hoc modo reſtituat: ſed pergit in vaticinio ſuo.

17. *Viſitabit Jehova Tyrum.*] Tametſi Dominus ſic affligat Tyrum, ut periiſſe videatur, tamen miſericordiæ locum fore denunciat: quia ex ruinis tandem ſuis emergens, priſtinas vires colliget. Talis autem inſtauratio Dei gratiæ merito adſcribitur: quia alioqui idem accidere neceſſe fuiſſet, quod de Idumæis prædicat Malachias, ut Dominus everteret (Mal. 1. verſ. 4.) ac dirueret quicquid homines ædificarent. Nunquam igitur rediiſſent ad priorem ſtatum, niſi Dominus eos juviſſet. Hinc obſervanda eſt utilis doctrina: tametſi Dominus ſeverus ſit judex adverſus impios, tamen miſericordiæ ſuæ locum relinquere, nec ſemper ita acerbum eſſe, quin plagas mitiget, iiſque tandem imponat modum. Quod ſi erga impios talis eſt, qualis erga eos futurus eſt quos adoptavit, in quos vult bonitatem ſuam effundere? Quum itaque inſtaurantur regna, quum civitates ſeſe colligunt, & populi libertatem ſuam recuperant, id ſola Dei providentia accidit, qui ad infima dejicit quæ (1 Sam. 2. verſ. 7. Luca 1. verſ. 52.) ſublimia ſunt, quoties ei viſum eſt, ſtatimque erigit collapſa ac reſtituit. Quod ſequitur continuo poſt, *Et redibit*, adverſative legi debet: quia ſenſus eſt, nihilo meliorem fore Tyrum, nec correctum iri tam dura caſtigatione, quia paulo poſt rurſus ad ingenium redibit. nam ingratitudinem ejus notat. Eadem exempla quotidie cernimus. nullus enim fere eſt

eſt orbis angulus, in quo Dominus judicii ſui documenta non ediderit. Quos caſtigavit, ſinit tandem reſpirare: ſed nihilo meliores redduntur. Hoc Tyro eventurum dicit Jeſaias, Non reſipiſcet: quin potius ad priſtinas artes ſuas redibit: ſcortabitur, ut antea ſolebat. Non dubium eſt quin de mercimoniis loquatur: ſed pergit in ea ſimilitudine quam uſurpaverat. non quod artem mercatoriam damnare velit, ſicuti jam dictum eſt: ſed quod in tantis hominum corruptelis, ſimillima ſit meretriciæ. Tot enim fraudibus & occultis dolis, tot decipulis referta eſt (id quod etiamnum cernimus) ut ad ineſcandos & fallendos homines excogitata videatur. Quot in dies excogitantur novæ & inauditæ artes quæſtus faciendi, & exercendi fœnoris, quæ à nemine, niſi in mercatorum ſchola exercitatiſſimo, percipi poſſunt? Non eſt igitur mirum Prophetam hac ſimilitudine uſum eſſe: quæ ſignificat nihilo majorem Tyri in exercenda mercatura, quam prius, integritatem fore.

18. *Sed (tandem) erit.*] Hæc altera fuit miſericordia Dei erga Tyrum. Quum reſtituta fuiſſet, tamen ad Deum converſa non eſt: perrexit in fraudulentis artibus: ut merito perire debuerit. Et certe iterum graves dedit pœnas, quum ab Alexandro expugnata eſt: ſed nihilominus erectum eſt illic regnum Chriſti, quemadmodum teſtatur Lucas. *Act. 21. verſ. 4.* Hic ergo verſiculus opponi debet ſuperiori: acſi diceret, Et tamen negotiatio Tyri conſecrabitur Deo. Unde admirabile ſpecimen habemus divinæ bonitatis, quæ in fœdum illud lupanar, ac veluti ad ipſos inferos penetravit. Quod igitur inſtaurata eſt Tyrus, beneficentiæ Dei acceptum ferendum eſt: ſed illud beneficium exiguum fuit præ hoc ſecundo, dum ſibi ipſam conſecravit. Sed quæritur, An id quod Tyrii ex rapinis & illicitis artibus collegerant, Deo in ſacrificium offerri potuerit? *Prov. 21. verſ. 27. ſupr. 1. verſ. 13.* Tales enim victimas abominatur Dominus: quia rectam & puram conſcientiam requirit. Ob hanc quæſtionem multi in expoſitione hujus loci ſeſe torquent: ſed fruſtra. nec enim intelligit merces Tyri Deo ſacras fore, ubi ita ſcortari perget: ſed deſignat tempus quod ejus mutationem & converſionem ſequetur. Tunc igitur non cumulabit ſibi opes, non coacervabit illicitis artibus: ſed operas ſuas Deo locabit, & negotiationis ſuæ fructum in ſublevanda piorum inopia expendet. Quod autem turpi nomine uſus eſt, præteritum tempus ſpectavit: ſignificans fore, ut dediſceret pravas illas artes, atque ingenium mutaret.

Non reponetur.] In ſumma deſcribit pœnitentiam Tyri, quæ quum avaritiæ prius dedita eſſet, converſa ad Chriſtum, non amplius cumulandis opibus ſtudebit, ſed eas in liberalitatem & beneficentiam conferet. Atque hic verus pœnitentiæ fructus eſt ſicuti monet Paulus, *Epheſ. 4. verſ. 28.* ut qui furabatur jam non furetur, ſed potius laboret, ut egeno & inopi ſubveniat. Quum ergo prius inſatiabili cupiditate Tyrii omnium opes vorarent, poſthac ad beneficentiam propenſos fore denunciat Jeſaias, quia ceſſabit inexplebilis lucri cupiditas. Hoc enim teſtimonium eſt charitatis, quum opitulamur proximis: crudelitatis vero, ſi eos patimur eſurire, quum ipſi præſertim abundamus. Addit legitimum beneficentiæ modum, quia Dei ſervos facultatibus ſuis juvabunt. Etſi autem pios omnes complectitur, alludit tamen ad Levitas & Sacerdotes, quorum alii ſacrificabant, *Num. 3. & 4.* alii parabant victimas, alii excubias agebant: denique præſto erant omnes ad obſequium ſuum præſtandum: ideo coram Domino habitare dicti ſunt. Idemque merito de omnibus Eccleſiæ miniſtris dici poteſt. Cæterum quia omnes fideles, cujuſcunque ſunt ordinis, ad Sanctuarium Dei pertinent, & per Chriſtum facti ſunt regale Sacerdotium, *1 Petr. 2. verſ. 5. Apoc. 1. verſ. 6.* ut ſe in Dei conſpectu ſiſtant: ideo libenter hunc locum refero ad omnes domeſticos fidei, quorum præcipue ratio habenda eſt. nam & eos in primis commendat Paulus, *Galat. 6. verſ. 10.* iiſque primum ſubveniri jubet. Nam ſi univerſa humani generis conjunctio nos commovere debet ne carnem noſtram deſpiciamus, *infr. 58. verſ. 7.* quanto magis conjunctio membrorum Chriſti, quæ multo arctior & ſanctior eſt quibuslibet naturæ vinculis? Eſt autem notanda hæc loquutio, qua dicimur habitare coram Deo: quia etſi nulla eſt hodie Arca fœderis, propius tamen Chriſti beneficio ad Deum accedimus, quam olim Levitæ. Itaque jubemur coram ipſo ambulare acſi eſſemus ſub ejus oculis, ut pura conſcientia ſanctitatem & juſtitiam colamus. Jubemur enim coram ipſo ambulare, ipſumque ſemper conſiderare præſentem, ut juſti atque integri ſimus.

Ut comedant ad ſatietatem.] Significat nos multo largius & liberalius miniſtrare fratribus debere, quam ferat vulgaris hominum conſuetudo. Homines enim admodum maligni ſunt, quum proximis ſubveniendum eſt. Pauci alacri animo officium, aut operam, aut beneficium gratis præſtant. ſibi enim decedere putant, tantundemque de ſuo diminui, quantum aliis largiuntur. Alacritas ergo hujus vitii corrigendi cauſa ſummopere à Deo commendatur. nam quod Diaconis præcipit Paulus ut hilariter diſtribuant, *Rom. 12. verſ. 8.* ad omnes transferri debet. Et tenenda omnibus ſententia illa quæ hilarem datorem à Deo diligi teſtatur. *2 Cor. 9. verſ. 7.* Notandum eſt etiam quod Propheta Deo conſecrari dicit quicquid pauperibus erogatur. ſicuti alibi docet Spiritus, talibus victimis rite litari Deo. *Hebr. 13. verſ. 16.* nec enim ſua cauſa unquam ſacrificia fieri juſſit, nec iis profecto indigebat: *Pſal. 50. verſ. 8.* ſed talia pietatis exercitia ſub Lege inſtituit: nunc proximis de noſtro largiri & impendere jubet: quicquid impendimus, boni odoris ſacrificium, *Philip. 4. verſ. 18.* ſibique gratum & acceptum eſſe teſtatur. idque nos vehementer ad liberalitatem & beneficentiam accendere debet, quum audimus noſtras eleemoſynas tali elogio commendari, manuſque noſtras cum ſuo munere conſecrari Deo.

Cap. XXIV.

ECce Jehova evacuat terram, denudat eam, evertit faciem ejus, & incolas ejus diſſipat.

2. Et erit ut populus, ita ſacerdos: ut ſervus, ita dominus ejus: ut ancilla, ita domina ejus: ut emptor, ita venditor: ut mutuo dans, ita qui mutuo accipit: * ut fœnerator, ita qui accipit fœnori.

* vel, *ut creditor, ita debitor.*

3. Evacuando evacuabitur terra, & direptione diripietur: quoniam Jehova pronunciavit hoc verbum.

4. Luxit, cecidit terra: elanguit, cecidit orbis: elanguerunt qui erant ſublimis populus terræ.

5. Et terra fallax fuit ſub incolis ſuis: quoniam transgreſſi ſunt leges, mutarunt ſtatutum, diſſolverunt fœdus ſeculi.

6. Itaque maledictio conſumpſit terram, & deſolati ſunt incolæ ejus: ideo combuſti ſunt, inquam, incolæ terræ: & pauci reſidui ſunt facti homines.

7. Periit

7. Periit vinum, elanguit vitis, gemuerunt omnes qui læto erant corde.
8. Ceſſavit gaudium tympanorum, deſiit ſtrepitus exultantium, quievit lætitia
citharæ.
9. Cum cantico non bibent vinum: amara erit ſicera bibentibus eam.
10. Contrita eſt civitas vanitatis: clauſa eſt omnis domus, ne quis ingrediatur.
11. Clamor eſt ſuper vino in plateis: obſcuratum eſt omne gaudium: migravit lætitia
terræ.
12. Reſidua eſt in urbe vaſtitas, & vaſtatione percuſſa eſt porta.
13. Quia ſic erit in medio terræ, in medio populorum, quaſi decuſſio olivæ, & quaſi
racemi, quum peracta eſt vindemia.
14. Hi levabunt vocem ſuam: jubilabunt in altitudine Jehovæ, vociferabuntur à mari.
15. Propterea in vallibus glorificate Jehovam, in inſulis maris nomen Jehovæ Dei
Iſraël.
16. Ab extremo terræ laudes audivimus, * gloriam juſto: & dixi, Macies mihi, ma- * vel, gratulationem.
cies mihi, væ mihi. Prævaricatores prævaricati ſunt: prævaricatione, inquam, prævari-
catores prævaricati ſunt.
17. Pavor, & fovea, & laqueus ſuper te, ô incola terræ.
18. Et accidet ut qui effugerit à voce pavoris, incidat in foveam: & qui aſcenderit è
medio foveæ, capiatur laqueo. Quoniam feneſtræ de excelſo apertæ ſunt: & commota
ſunt fundamenta terræ.
19. Contritione contrita eſt terra: diſſolutione diſſoluta eſt terra: commotione com-
mota eſt terra.
20. Agitatione agitata eſt terra, ſicut ebrius: & transferetur ſicut tabernaculum: & gra-
vis erit ſuper eam iniquitas ejus: & corruet, neque adjiciet ut reſurgat.
21. Et erit in die illa, viſitabit Jehova ſuper exercitum excelſum in excelſo, & ſuper Re-
ges terræ ſuper terram.
22. Et congregabuntur congregatione inſtar vinctorum in carcere, & claudentur in
ergaſtulo: deinde poſt multos dies viſitabuntur.
23. Erubeſcet Luna, & pudefiet Sol: quum regnaverit Jehova exercituum in monte
Sion, & in Jeruſalem: & coram ſenibus ſuis gloria.

ECce *Jehova evacuat terram.*] Hæc prophetia, quantum judicare poſſum, clauſula eſt omnium ſuperiorum quæ à capite 13. hactenus deſcriptæ ſunt: quibus Jeſaias non Judæis tantum & Iſraëli, ſed Moabitis, Aſſyriis, Ægyptiis, & aliis exitium nunciavit. denique, veluti perluſtratis omnibus regionibus, quæ vicinæ & notæ Judæis erant, ſummam omnium breviter comprehendit. Alii ad Iſraëlem hæc referunt: alii ad Judæos, iiſque excidium nunciari putant: ſed quum orbis mentionem faciat, non poſſum aliter accipere, quam ut omnia quæ ſeorſim, & quidem diverſo tempore dixit de ſingulis, nunc in ſumma & ſemel complectatur: nec obſtat quod ſtatim Sacerdotis mentionem faciat: unde videri poſſit hæc ad ſolum populum Dei pertinere. nam etſi de omnibus populis loquitur, quia tamen primum locum ſemper obtinent Judæi, eorum potiſſimum rationem habere debuit Jeſaias; quoniam iis deſtinatus erat. Eſt enim veluti accidentale, quod aliorum mentionem facit. quamobrem mirum eſſe non debet, ſi poſtquam omnes notavit, uno verbo de populo ſuo in ſpecie loquatur. Alii de univerſo orbe intelligunt: ſed referunt ad diem extremum: quod mihi nimis coactum videtur. Poſtquam enim Propheta minatus fuerit Judæis & aliis gentibus, conſolationem ſubjiciet, quod Dominus aliquando Eccleſiam ſuam excitabit, & florentiorem reddet. quæ certe extremo judicio convenire non poſſunt. *Terræ* autem appellatione non univerſum orbem à Propheta intelligi puto, ſed regiones vulgo notas Judæis: ut ſi hodie de iis quæ in orbe accidunt loquamur, haud fere egredimur Europam, nec de iis quæ in India aguntur cogitamus. eſt enim hic velut noſter orbis. Ita Jeſaias loquitur de terra ſibi & reliquis quos alloquebatur cognita: atque de populis qui vicinas regiones incolebant. Denique hic Orbis nomen conſtituere poſſumus in Ægyptiorum, Aſſyriorum, Moabitarum, & Tyriorum finibus, & ejuſmodi: acſi diceret, Hactenus concionatus ſum de variis cladibus, quæ pleriſque populis tunc imminebant, & adhuc nonnullis ex parte impendent. verum hæc ſumma ſit: Dominum inverſurum, omnibuſque ornamentis ſuis nudaturum faciem terræ. Nonnulli exponunt hic בולקה, Aperit terram, ut hoſtes liberum in eam aditum habeant: ſed malo exponere, Nudat terram: quoniam Operta dicitur terra, quum magna hominum frequentia colitur, denique quum frugibus & pecoribus abundat: Aperta vero, quum privatur ſuis incolis, ſuumque ei integumentum detrahitur, acſi quis ſua veſte & ornamentis exueretur. Hoc autem accidere oportuit non tantum Judæis, ſed Aſſyriis, Ægyptiis, aliiſque gentibus, quarum mentionem fecerat. Iis igitur omnibus una denunciat exitium ſuum.

2. *Et erit.*] His verbis ſignificat ſummam vaſtitatem, ubi nulli amplius ordines, nulla Reipubl. facies futura ſit. quantiſper enim viget tolerabilis Reipubl. ſtatus, aliquod inter populum & Sacerdotes diſcrimen manet. Horrendam ergo confuſionem notat. Cæterum, hic ſpeciem pro genere poſuit συνεκδοχικῶς: ut ſatis uſitatum eſt Scripturis. quanquam כהנים accipere poſſemus pro iis qui dignitate quavis pollent: quia hoc nomine interdum Hebræi appellant Principes, ac præſertim qui ſunt ex ſanguine regio: ſed non diſplicet ſynecdoche. Quum hanc confuſionem inter maledictiones Dei numeret Jeſaias, atque horrendam Dei ultionem eſſe ſignificet, quum perturbantur ordines: à contrario colligamus, quantum placeat Deo politia, & rerum omnium bene conſtitutus ordo: quantum etiam beneficium ipſius ſit, eum inter nos conſervari. Eo enim ſublato, vita hominum nihil à ferarum & pecudum paſtu differet. Quare ut horribilem ultionem Dei agnoſcere, ita & peccata noſtra accuſare debemus, quoties ordinem confundit, doctrinam & judicia adimit: quibus collapſis ipſa quoque humanitas ſimul concidit. Animadvertendum etiam eſt, Dominum, quum judicia ſua exequitur, nulli ac ne ſanctiſſimo

quidem

quidem ordini parcere. qualis enim erat hic Sacerdotum ordo, quem Dominus tam magnifice ornarat, & ſacroſanctum ſibi eſſe voluerat? in quo etiam populus, quaſi inviolabili & æterno, gloriabatur? Sed Dei judicio involvitur etiam Sacerdotalis dignitas,
Ephes. 6. vers. 9. quia nullus hic perſonæ reſpectus eſt, imo quo majore gratia fuerit aliquos proſequutus, atque in majorem dignitatis gradum evexerit, eo gravius in eos animadvertet ſi ingratos ſe præſtent, ejuſque beneficiis abutantur. Eodem pertinet quod additur de ſervis & dominis, emptoribus & venditoribus. Hos enim ordines legitimos eſſe perſpicuum eſt, neque aliter confundi ſolere, quam quum Dominus vult dira ultione populum ſuum caſtigare, ſicuti jam dictum eſt. nam in ſtatu rite ordinato, perſona ſervi & domini diſtingui debent. Sic etiam nullum publicum regimen ſine mutuis commerciis ſtare poteſt. Ita diſcrimine inter pauperes & divites ſublato, confunditur omnis ratio vivendi inter homines. Atque hoc intelligit Propheta, peſſundatum iri totum civilem cultum: quoniam in illis cladibus, qui ditiſſimi fuerunt, ad extremam inopiam rediguntur. Denique ſummam vaſtationem deſcribit, quam ſequetur inſolita mutatio.

3. *Evacuando.*] Confirmat id quod jam dictum eſt: atque admonet iſtas mutationes non fore fortuitas, ſed opus Dei eſſe. Primo verſu diſerte expreſſerat Deum ſe accingere ad terram evacuandam: nunc aſſerit hoc futurum ratione addita, quia Deus ita decreverit & edixerit ſe ita facturum.

4. *Luxit.*] Pergit Jeſaias in ſuo argumento. nam hæc omnia ad exponendam totius orbis vaſtitatem pertinent, quem ſcilicet norant Judæi. Suo autem more judicium Dei clarius figuris illuſtrat, quæ lentos animos permoveant. Per Sublimes intellige quoſque electiſſimos qui aliis præcellebant. hoc enim magis mirum eſt, quam ſi vulgaris populus concidiſſet. Si quis tamen id velit peculiariter de Judæis exponere, non repugno. quamvis enim ipſos Aſſyrii & Ægyptii opibus & potentia ſuperarent, tamen eo vel maxime præcellebant Judæi, quod eſſent adoptati à Deo. Sed altera expoſitio mihi convenientior videtur, ut ſignificet Dominum non modo ſumpturum pœnas de vulgaribus, ſed iis etiam qui gloria & dignitate præ aliis eminebant.

5. *Et terra fallax.*] Alii vertunt Polluta, eo quod חנף ſignificat impium eſſe. utrumque convenire poteſt: ſed proximus verſus exigere videtur, ut exponamus Fallacem. Nam ſtatim plenius oſtendere atque amplificare videtur, quum ait maledictione conſumptam eſſe terram. תחת, ſive quis vertat, Sub ſuis incolis, ſive, Propter ſuos incolas, parum refert. Eſt autem mutuum quodammodo commercium inter terram & agricolas, ut quæ illa acceperit, reddat cum fœnore: alioqui fallit ſuos cultores: ſed rationem reddit, culpam ad ipſos transferens, quod ſterilem ipſam reddant ſua nequitia. Vitio enim noſtro accidit, quod nos non alit, nec fruges producit: quemadmodum ſtato naturæ ordine à Deo præfixum eſt. Eam enim matris loco nobis eſſe voluit, ut victum nobis proferret. Quod ſi naturam & ordinem mutet vel degeneret à ſua fœcunditate, id peccatis noſtris acceptum ferre oportet, quandoquidem nos ipſi ordinem à Deo conſtitutum invertimus: alioqui nunquam nos falleret terra, ſed officium ſuum præſtaret. Additur ſtatim ratio cur terra ſit infidelis, ſuoſque fallat incolas. quia merito victu & alimentis fraudentur qui Deum patrem ac nutricium colere abnuunt. Porro defectionem gentis ſuæ peculiariter hic traducit, quia fœdior erat & minus excuſabilis quam omnia eorum peccata qui nunquam edocti fuerant in ſchola Dei. Quum תורה doctrinam ſignificet, transfertur ad Legem. Sed hic plurali numero ſignificat quicquid doctrinæ Lex complectitur. Quia vero Lex tam præceptis quam promiſſionibus conſtat, explicandi cauſa ſubjicit duas partes. חק, Statutum ſignificat, eoque ceremonias deſignari quidam putant: alii mores. Poſſumus vertere Inſtituta: nec tantum de ceremoniis accipio, ſed de omnibus quæ pertinent ad regulam bene vivendi. Tertio loco ponit ברית, quo Fœdus & Pactum ſignificatur. Hoc enim nomen reſtringitur ad eas pactiones quibus Dominus populum ſuum adoptans, ei ſe in Exod. 19. vers. 5. & 29. vers. 45. Levit. 26. vers. 12.
Deum fore promiſerat. Exprobrat ergo ipſis ingratitudinem ſuam, quod quum Dominus ipſis modis omnibus ſeſe patefecerit, & amoris ſui teſtimonia dederit, immorigeri fuerint & rebelles, transgreſſi ſint leges, ſanctumque fœdus violarint. Cur vero ſe ad Judæos convertit? quia ſciebat ſe illis conſtitutum eſſe Prophetam, ut eos potiſſimum doceret. Hinc colligi poteſt quæ ſit regula bene vivendi. ea enim continetur Lege, quam nos ſequi decet, ſi vitam noſtram Deo probari velimus: ſi deflectimus, nos ſceleratos & perditos eſſe neceſſe eſt. Obſervandum etiam, Deum velle in Verbo non ſolum præcepta & leges, ſed etiam fœdus à nobis conſiderari. Præcipua enim pars Verbi in promiſſionibus conſiſtit, quibus nos adoptat & recipit pro ſuis. Præterea dubium non eſt, quin Propheta amplificatione uti voluerit: acſi diceret, nihil apud ipſos ſani aut integri, omnia fœdata & corrupta eſſe. *Pactum ſeculi* vocat, quod perpetuum & inviolabile eſſe, nec ullis ætatibus intercidere debuerat. Erat enim perpetua ſucceſſione à patribus in filios continuandum: ne unquam ab hominum memoria excideret, ſancteque & integre ſervaretur. Perfidiam ergo & nequitiam exaggerat, quod fœdus cum Domino initum auſi ſint violare, & convellere quæ fixa & ſtabilia Dominus eſſe voluerat. hoc enim inſtar portenti eſt. Unde mirum videri non debet, terram hoc ſcelus ulciſci, & victum hominibus denegare.

6. *Propterea maledictio.*] Alii vertunt Pejeratio. ſed quum hoc verbum ſignificet etiam Maledicere, mihi dubium non eſt, quin maledictionem hic intelligat, atque alludat ad maledictiones illas quas Moſes in Lege impiis & transgreſſoribus Legis de- Deut. 28. vers. 15. Levit. 26. vers. 15. Geneſ. 3. v. 17, 18.
nunciat. quicquid ergo accidit calamitatum, teſtatur Propheta id ex maledictione Dei evenire. Scimus maledictam fuiſſe terram ob transgreſſionem primi parentis, ut ſpinas & tribulos, frugum loco, produceret. Quod tamen mitigavit Dominus, ut quamvis ingratis atque indignis, nihilominus victum proferret. Ubi vero non deſinimus peccare, & ſcelera ſceleribus cumulamus, nonne quo certius appareat hæc maledictio, ſenſuſque noſtros acrius feriat, ſterilem & infrugiferam nobis terram reddi æquiſſimum eſt? אשם hic potius pro Deſolare quam Delinquere accipiendum puto: & contextus id docet. Propterea verti, Deſolati ſunt. niſi forte copulam accipere libeat cauſalis particulæ loco, in hunc ſenſum, Terra à Deo maledicta exaruit, eo quod impie egerint ejus habitatores. Verbum חרו metaphorice accipi poteſt & hoc mihi magis probatur, combuſtos eſſe quos voravit ira Dei: quoniam clades incendio comparatur. Porro quum addit fore *paucos reliquos*, hinc apparet vaticinium hoc non poſſe exponi de extremo die judicii, ac potius vaſtationes illas prædici & confirmari, quæ variis populis imminebant: idque ut timerent pii, erudirentur ad pœnitentiam, atque ad omnia perferenda parati eſſent.

7. & 8. *Defecit vinum.*] Pergit in eodem argumento, maxime denuncians Judæis vaſtitatem terræ. Utitur autem longa deſcriptione, quo magis ipſos afficiat ac percellat ſenſu judicii Dei. Atque eorum luxum, intemperantiam, & delicias perſtringit, quod in tanta rerum abundantia adverſus Deum protervirent. Hæc autem eſt ingratitudo, non Judæorum tantum aut illius ſeculi, ſed omnium, ut rerum copia ſaturi inſoleſcant in Deum, ſibique ni-

mium

igitized Goog

mium indulgeant. Hoc igitur nomine eos perſtringit Propheta: acſi diceret, Hactenus deliciis & voluptatibus fuiſtis immerſi: ſed Dominus efficiet ut alia vobis ratio vitæ ineunda ſit. De re futura, quaſi præſenti, loquitur Jeſaias, ut ipſam magis ob oculos repræſentet.

9. *Non bibent vinum.*] Bibere vinum per ſe malum non eſt, quatenus hominum uſui divinitus fuit deſtinatum: ſed hic Propheta ebrioſorum convivia, laſciviæ, cantilenarum, petulantiæ plena deſcribit. deinde quia abuſi fuerant ſua ſaturitate, penuriam illis minatur, quam ſibi fere accerſunt homines dum liberalitatem Dei luxuria ſua corrumpunt. Addit præterea, Si bibant ſiceram, ipſis amaram fore: quia ſolet triſtitia tam potum quam cibum inſipidum reddere. Summa eſt, quamvis ſuppetat vinum, privandos tamen eſſe illius uſu: quia mœrore conſtricti ſaporem nullum percipient. *Amara erit ſicera*, id eſt, non fruemini amplius iis voluptatibus & deliciis quibus hactenus indulſiſtis.

10. *Contrita.*] Non diſplicet hoc ad Jeroſolymæ vaſtitatem ſpecialiter referri. Quanquam ex contextu colligere licet ad alias etiam urbes extendi: quia paulo poſt Gentes plurali numero ad idem judicium citabit. Sed quia ſuos populares maxime reſpexit Propheta, commode accipere licebit de Jeroſolyma, quam appellat Urbem vanitatis: vel quod nihil in ea fuiſſet ſolidæ virtutis, vel quod exinanita ſit. Siquidem nomen תהו vel ad cladem ipſam, vel ad ſcelera referri poteſt, quibus Deum in ſe provocarunt. Si quis ad ſcelera referre velit, intelliget civitatem confuſionis, in qua nihil compoſitum aut recte conſtitutum fuit. qui ſenſus mihi magis placet: tametſi ad pœnam referri poſſit. Declarat enim, meo judicio, cauſam excidii, & urbem addicit ruinæ: quoniam æquitas & recta adminiſtratio ab ea exulavit. *Domos* clauſas eſſe ait, quod argumentum eſt ſolitudinis. Hoc enim ſimpliciter additum eſt, ad vaſtitatem urbis illius exprimendam.

11. *Clamor ſuper vinum.*] Significat penuriam vini fore. Ubi enim eſt inopia aut fames, infinitæ querimoniæ ſequuntur, non ſolum privatim, ſed in plateis & publicis locis. Luctuoſas igitur illas voces & querelas indicat: ſed interim luxum & intemperantiam notat, quod rebus neceſſariis non contenti, ingurgitarent ſe vino, ſeque in omnem voluptatem effunderent. Eſt enim ſubaudienda antitheſis, Hactenus abundaſtis vino & cibariorum copia: inde occaſionem cepiſtis inſoleſcendi adverſus Deum: quamobrem vobis merito adimentur, & laſciviæ veſtræ loco, clamores & gemitus in plateis audientur. Notanda eſt hic metaphora in ſecundo membro: nam ut affulgere gaudium dicimus quum ejus materia oblata eſt, ita hic obſcuratum eſſe dicit Propheta, quod triſtitia veluti nubes oppoſita ſit. *Gaudere* per ſe malum non eſt, ſicuti nec bibere. nec id per ſe Propheta reprehendit, ſed nimis profuſam & immoderatam lætitiam. Homines enim ſeſe exhilarando ſibi non temperant, propter ἀταξίαν, quæ ipſis inſita eſt. Quum igitur inſolenter ſe geſſiſſent, & luxuriati eſſent Judæi, merito iis ultionem Dei denunciat, quandoquidem optimo jure nobis adimitur gaudium, ubi Domini beneficiis recte uti, atque in ipſo gaudere neſcimus. Sublatis deliciis & voluptatibus, nos gemere & ſuſpirare ut cogat, neceſſe eſt.

12. *Reſidua eſt in urbe.*] Jeroſolymæ, vel multarum ſimul urbium vaſtitatem pulchra loquutione deſcribit. Ornamentum enim & complementum urbium hominibus conſtat: ideoque ſublatis incolis urbes vocantur derelictæ. Atqui Propheta ironice dicit reſiduam fore deformitatem. Quanquam nomen שמה vertitur ab aliis Deſolatio: quod eodem pertinet. *Portas* nominat, quod in iis frequentia urbis cerneretur: nam illic conveniebat populus, & judicia exercebantur. Itaque initio nominat totam urbem: deinde ſpeciem unam deſignat: ſed amplificationis cauſa. nam etſi urbes deſtituantur incolis, tamen in portis nonnulli viſuntur. ſed ſi omnino vacuæ ſint portæ, magnam in tota urbe ſolitudinem eſſe neceſſe eſt.

13. *Quoniam ſic in medio.*] Quoniam hæc ſententia inter minas & conſolationem media eſt, videtur Propheta electum populum, non autem quaslibet promiſcue gentes alloqui: niſi forte diſperſionem notari dicamus, qua Judæi velut in multos populos diviſi ſunt. Sed quia hoc durum & coactum eſſet, ſimpliciter interpretor ſpem aliquam relinqui perditis Gentibus. & certe vaticinium hoc regno Chriſti proprie convenit. unde mirum non eſt partem aliquam ſalutis promitti etiam Gentibus. Hac ſimilitudine jam alibi uſus eſt Propheta: ſed ſolius Eccleſiæ cap. 17.
mentionem faciens. Tunc dicebat reſiduum fore v. 5, 6.
aliquod Dei ſemen: ne fideles de Eccleſia omnino actum eſſe putarent. quemadmodum enim decuſſis olivis, paucæ tamen aliquæ remanent, & racemi aliqui ex vindemia: ita ex ingenti clade quam paſſura eſſet Eccleſia, exiguum aliquem piorum numerum fore ſuperſtitem. Nunc vero eandem promiſſionem ad alias orbis partes extendit, ut per Chriſtum futuræ erant ejuſdem gratiæ conſortes. Quanquam ſimul permixta eſt comminatio: acſi diceret, Terram ſpoliandam eſſe ſuis incolis non ſecus atque arbores & vineæ ſuis fructibus nudantur.

14. *Hi attollent.*] Proſequitur ac auget conſolationem quam attigerat. quemadmodum enim prius cap. 10. dixerat paucas guttulas ſuperfore ex in- v. 19, 20,
genti illa multitudine, quæ tamen univerſum or- 21, 22.
bem inundarent: ita hic exiguum illum numerum piorum, qui ex copioſiſſima vindemia reſtabit, nihilominus exultaturum, ingentemque editurum ſonum, ut ex remotiſſimis regionibus audiantur. Id quod Euangelii prædicatione factum eſt. nam quod ad ſtatum Judææ pertinet: de ea prorſus actum videbatur. ſublata enim erat politia, ſicque & externis & inteſtinis bellis attriti fuerunt, ut emergere nunquam potuerint. Reliquus orbis perinde mutus erat in canendis Dei præconiis, ac ſurdos ad audiendam ejus vocem. quia tamen Judæi primitiæ fuerunt, libenter admittam primos hic in ordine ſtatui. Hinc egregia ad nos redit conſolatio, quod Dominus uno momento Eccleſiam ſuam reſtituere, & florentiſſimam reddere, imo tanquam de nihilo creare poſſit. Vitam enim ex ipſa morte producit, quoties viſum eſt. Hoc autem præter naturam, & uſitatum morem eſt, ut tam pauci vocem attollant, & in remotis locis audiantur. Ubi enim paucitas, illic ſilentium: ubi vero frequentia, illic ſtrepitus eſſe ſolet. Eſt igitur Dei opus, quod ordinem naturæ, & hominum facultatem exuperat. nam alioqui Propheta pugnantia loqui videretur, tota Judæa vaſtata, imo orbe exinanito, paucos ſuperfore, ac fere nullos, clamorem tamen eorum ubique exauditum iri: quod incredibile per ſe, vel potius ridiculum eſt: ſed opus Dei admirabile eſt, ſicuti jam diximus. Præcones enim iſtos non modo ex Judæis progenitos ſecundum carnem intelligit: ſed qui fide ab iis originem duxerunt. Per *Clamorem*, non ſolum gratulatorias voces, quæ hilaritatis & gaudii ſignificationem præbent, ſed fiduciam ſimul deſignat: quia libere & intrepide buccinabunt laudes Dei. Interim admonet æquum eſſe ut fideles in prædicandis Dei, non ſuis virtutibus ſe exerceant. per *Mare*, longinquas regiones, & transmarinas atque ignotas Judæis ſignificari ſatis notum eſt.

15. *Propterea in vallibus.*] Beneficia Dei nos ad gratitudinem provocare debent. Ejus autem teſtimonium reddimus in celebrandis laudibus Dei. Quam enim gratiam referemus, ut inquit David, Pſal. 116.
pro omnibus beneficiis quæ in nos contulit? niſi verſ. 12.

ſumpto calice gratiarum actionis pro ſalute accepta,
invocemus nomen Domini? Hunc igitur ordinem
tenet Propheta. de reſtitutione Eccleſiæ loquutus,
nos ad ſacrificium laudis offerendum hortatur. Per
Valles, ſignificat regiones abſconditas, & quaſi ſe-
gregatas ab aliis. quæ enim cinguntur montibus,
diſtinctæ natura ac ſeparatæ ſunt. unde fit ut val-
lium incolæ minus habeant humanitatis, eo quod
rarius cum aliis verſentur. Idem ergo eſt acſi diceret
Propheta, nullum fore angulum tam abſtruſum aut
latebroſum, in quo Dei laudes non audiantur. *No-
men Dei Iſraël* expreſſit, ut verum Deum ſignificet
invocandum ab omnibus populis. Nam ut ingenita
Rom. 1. eſt omnibus populis notio Dei, & inſitum ſemen re-
verſ. 19. ligionis, ita ad ſuperſtitionem & impios cultus omnes
facile declinant. Hic autem loquitur de vera reli-
gione propaganda per univerſum orbem. unde ite-
rum patet vaticinari de regno Chriſti, ſub quo de-
mum penetravit ad gentes exteras & profanas vera
religio.

16. *Ab extremitate.*] Hic verſus duas ſententias
continet, quæ in ſpeciem pugnare videntur. Ini-
tium enim lætum argumentum habet de laudibus
Dei: mox deinde ad querimonias & ejulatus tranſit:
quibus perfidiam prævaricatorum deplorat, à quibus
pietas & religio evertuntur. Quod ad laudes attinet,
diximus Deum nec laudari nec invocari poſſe: do-
nec ſe nobis patefaciat, & guſtum bonitatis ſuæ præ-
beat, ut ſpem vitæ & fiduciam concipiamus. Hinc
Pſal. 6:6. illæ ſententiæ Davidis, Quis in ſepulchro laudabit te
Domine? quis in morte confitebitur tibi? Ubi enim
nihil ſentimus præter iram Dei, ad ejus laudes muti
ſumus. Proinde, quum dicit auditum iri laudes Dei,
ſignificat Euangelium per totum orbem propagan-
dum eſſe: ut homines Deum Patrem agnoſcant, at-
que ita in ejus laudem proſiliant. Notandum eſt,
quod dicit *Ab extremo*: quoniam tunc laudes Dei in
Pſal. 76. Judæa concluſæ erant, nec procul audiebantur:
verſ. 2. poſtea vero ubique cœperunt perſonare. Quod ad-
jungit *Gloriam juſto*, quidam accipiunt in communi
perſona fidelium, acſi canticum eſſet, Glorificatur
Deus propter ſuam juſtitiam. Alii uno contextu le-
gunt, Audivimus gloriam dari Deo juſto. Qui vero
ipſos laudum Dei præcones putant vocari juſtos,
optimum quidem ſenſum eliciunt, ſed non atten-
dunt ad vocem Gloriæ: vel ſaltem coguntur pro
voce צבי reddere Exultationem. Quod præteritum
verbum poſuit loco futuri, Audivimus, non dubito
quin aliqua conſolatione voluerit piorum animos
erigere, Iterum laudes Dei audiemus. Plus enim eſt
quam ſi dixiſſet, Audientur. Prima etiam perſona
utitur, ut comprehendat totum corpus Eccleſiæ: at-
que ita excitet piorum attentionem. Jam quod *Juſti*
epitheto ornatur Deus, ſcimus frequenter occurrere
Deut. 32. in Scriptura, ſed aliter in ipſum competit quam in
verſ. 4. homines. Homines enim juſti ſunt ob communica-
Pſal. 7. tionem juſtitiæ: Deus vero, quia fons juſtitiæ eſt,
verſ. 10. ab effectu juſtus vocatur. Atque hoc argumentum
& 11: 7. eſt hujuſce congratulationis & gratiarum actionis:
quia nobis ex juſtitiæ hujus communicatione ſalus
& vita eſt. Ubi igitur eſt juſtitia Dei, laudes & gra-
tiarum actiones ſequi debent. Quum hæc prædice-
ret Propheta, quam incredibilia videri poterant?
Pſal. 76. nam inter Judæos tantum notus & celebratus fuerat
verſ. 2. Dominus. Iis excidium nunciatur: deinde publica-
tio Verbi, & laudum Dei celebratio per totum or-
bem. qui vero hæc fieri poterant ſublato populo Dei?
Hinc colligere licet paucos fuiſſe, qui fidem his vati-
ciniis haberent. Nunc quum iſta evenerint, noſtræ
ſunt partes, tantum Dei miraculum admiratione
proſequi: quod non attritis modo, ſed extinctis fere
Judæis, emicuerit tamen ſcintilla qua univerſus
mundus illuminatus eſt: qua omnes accenſi in con-
feſſionem veritatis eruperunt.

Macies mihi.] Varie exponitur hic locus: non-
nulli enim רזי vertunt Secretum: alii Macilentiam.
Qui Secretum vertunt, intelligunt Prophetam
ſignificare arcanum duplex ſibi eſſe revelatum,
quod Dominus ſtatuit præmiis afficere bonos, & re-
probos ulciſci: quia dum homines in externo rerum
aſpectu hærent, ac vident impiis ex voto ſuccedere,
pios vero ærumnis obrui, obturbantur, ac dubitant
an Dei manu res humanæ regantur, an fortuito
omnia contingant: atque hujuſmodi cogitationes,
impietatis ſemen eſſe Solomon oſtendit. Propterea Eccleſ. 8.
etiam Pſaltes ſe in ſanctuarium Dei ingreſſum eſſe verſ. 11.
ait, ut rem aliter quam humana ratione expendat. Si Pſal. 73.
eam interpretationem ſequamur, talis erit ſenſus: verſ. 17.
Tametſi nulla merces videatur eſſe juſtis, tamen hoc
apud me ſecretum contineo, optime illis fore: tametſi
impii evaſuros ſe putent, ſcio tamen iis non impune
fore. verum quoniam hæc argutia videtur procul
quæſita, malo ſimplicius accipere: & mox ſequitur
dolentis interjectio רזי: quo fit ut non putem Jeſaiam
hic de juſtis, aut eorum mercede loqui. Rectius alii
exponunt Macilentiam: acſi diceret ſe mœrore con-
tabeſcere & marceſcere. Ut enim integer & florens
populi ſtatus ipſius veluti pinguedo erat, ita miſer &
calamitoſus ipſius macilentia eſt. Hic enim ſuſtinet
perſonam totius ſobolis, quam quum reſecet Domi-
nus, merito de ejus macie conqueritur. Hæc inter-
pretatio, ut dixi, probabilis eſt: quia Propheta di-
minutionem populi cernens, jure eam lugere potuit.
Scimus enim quum largiſſime ſe effudit gratia Dei,
attenuatum fuiſſe veterem populum: imo Abrahæ
poſteros fere in nihilum redactos eſſe. Sed videndum
an non longius reſpiciat Propheta quam ad gentis
ſuæ rejectionem, ut mala inteſtina deploret quibus
prævidet cruciandam eſſe Eccleſiam. Nam רז, quod
alii Secretum vertunt, apte vocare licebit quicquid
interius eſt. Hoc modo eſſet exclamatio, Inteſtina
mihi dolent, vel penetralia. Neque enim abſurdum
eſt in oratione pathetica verbum ſubaudiri. Quum
Dominus propagavit Eccleſiam ſuam, florere ipſa &
ab omni periculo libera eſſe videtur, at tunc maxime
vexatur, quum ipſis videlicet inteſtinis aut viſceri-
bus, hoc eſt, à domeſticis, turbatur. Exoriuntur
enim fuci, à quibus longe plus moleſtiæ ſuſtinet,
quam ab externis hoſtibus. atque huc pertinent illi
gemitus רזי. nec dubito quin id Jeſaias ſignificare
voluerit, ne exiſtiment pii ſe beatos in hoc mundo
fore, ſed aſſiduum ipſis bellum ſuſtinendum, etiam
quum nihil putabunt ſibi obſtare, quo minus tran-
quilla pace & otio fruantur. Vult enim acerbiſſimi
doloris ſenſum exprimere, quo intus, id eſt, in ipſis
viſceribus Eccleſia affligetur. atque eo magis deplo-
randum hoc malum eſt, quod nullo modo vitari poſ-
ſit. Nam, ut ait ille, inteſtinos & domeſticos hoſtes
nec fugere poteſt Eccleſia, nec fugare. Quamobrem
vix ſatisfacere ſibi poteſt Jeſaias in hac miſeria expri-
menda. Hanc expoſitionem ſatis confirmat, quod
de prævaricatoribus ſubjungit. Quanta ſit hæc cala-
mitas, & quam deploranda, nos ipſi ſatis experti ſu-
mus, & quotidie experimur. unde emerſit Papatus,
& tota ejus corruptela, niſi ab hoc inteſtino malo?
Fuit enim apoſtema in ipſis Eccleſiæ viſceribus enu-
tritum, quod ſaniem tandem & putridam fæcem evo-
muit. unde etiam in renaſcentis demum Eccleſiæ pri-
mordiis, doctrinam corrumpi & labefieri diſciplinam
videmus, non tantum à plebeiis, ſed etiam ab iis qui
ſuo exemplo aliis præeſſe deberent? niſi quod Eccle-
ſia ſemper huic malo obnoxia eſt.

17. & 18. *Pavor & fovea.*] Hic Propheta ad-
verſus peccata populi concionatur. Prius amplam
laudis materiam non tantum uni populo, ſed quam
plurimis atque etiam remotiſſimis datum iri teſtatus
eſt: nunc tranſit ad aliam doctrinam. hæc enim à
ſuperiore argumento ſeparanda eſſe arbitror: quia
rurſus impiis minatur Jeſaias, ut intelligant ſe in
ſumma Eccleſiæ felicitate miſeros fore. Solent enim
impii

Digitized by Google

impii fovendæ ſecuritatis cauſa temere ad ſe rapere Dei promiſſiones, tametſi ad ipſos nihil pertineant: ideoque minas admiſcere ſolent Prophetæ. Poteſt etiam fieri ut alia occaſione ſeparatim hanc concionem habuerit Jeſaias. nec enim Prophetæ ipſi aut docti alii homines capita diſtinxerunt. Sæpe diverſas ſententias inter ſe conjunctas vidimus, abruptas etiam quæ inter ſe conjungi debuiſſent: quod certum eſt factum fuiſſe inſcitia. Quicquid ſit, Propheta redit ad impios, iiſque grave & horrendum judicium minatur. Hæc autem deſcriptio Pavoris, Foveæ, Laquei, ad commovendos affectus pertinet. nam ſi uno verbo dixiſſet, exitium impiis imminere, non admodum perciti fuiſſent. Sed dubitari poteſt, an ſolos Judæos compellet. Equidem de hac re nollem multum contendere: probabilius tamen mihi eſt, has minas ad alias quoque gentes, atque adeo ad univerſum orbem pertinuiſſe, de quibus antea vaticinatus erat. Orbem autem intelligimus eas regiones quæ notæ erant Judæis, ut antea expoſuimus. Ac talis ſenſus eſt, Tam varia te mala prement, ut nullum uſquam effugium pateat. quemadmodum etiam de-
Amos 5. verſ. 19. ſcribit Amos, Qui fugerit metu leonis, incidet in urſum: ſi domum ſe recipiat, quum innixus fuerit
cap. 15:9. parieti, ſerpens eum mordebit. Et prius dixit mittendos eſſe leones adverſus Moabitas qui bellum evaſerant. Sunt enim Deo infinita genera pœnarum, quibus in ſceleſtos animadvertat. Perinde igitur eſt acſi diceret, Scitote vos manum Dei effugere non poſſe: habet enim varias rationes quibus ſcelera veſtra ulciſcatur, atque ita per varios circuitus tergiverſantes circumveniat. Qui bellum effugiet, vexabitur fame: liberatus fame, aliam noxam ſentiet, acſi omni ex parte ad vos illaqueandos intentæ plagæ eſſent. Quæ ſequitur ratio idem confirmat, fieri non poſſe, quin eos deprehendat vindicta Dei, cui liberum curſum in cælo & in terra à ſumma cælorum altitudine uſque ad terræ abyſſos aperuit. Exiſti-
Geneſ. 7. verſ. 11. mant Prophetam alludere ad Diluvium: ſed meo judicio ſimplicior ſenſus eſt, iram Dei ſurſum & deorſum revelatum iri: acſi diceret, Dominus armabit cælum & terram, ut ultionem ſuam adverſus homines exequatur: ut quocunque reſpiciant, nihil præter exitium intueri poſſint.

19. & 20. *Conterendo contrita eſt.*] Pœnas variis loquendi generibus exaggerat. Paulo poſt vero oſtendet cauſam iſtius concuſſionis, Quod ſcilicet homines ſuis peccatis talem ſibi interitum accerſiverant: nunc hoc malum inſanabile eſſe declarat. Diximus antea Prophetam rem unam variis modis explicare, idque ut animos alioqui natura tardiſſimos excitet ac percellat. Nam innata eſt carni ſecuritas, quæ Dei contemptum parit: idque & in aliis ut in nobiſipſis plus ſatis experimur. Ut ergo ſecuros ſuiſque vitiis indormientes animos excitarent Prophetæ, orationem ſuam exornant: non quod eloquentes videri cuperent, ſed ut attentiores redderent auditores, intuſque in animis ipſos pungerent. Hinc alluſiones, quibus hi verſus referti ſunt: hinc ſermonis ſplendor in figuris. hinc minæ ac terrores variis modis nunciati: nempe, ut homines ſecuri expergefiant. Hæc autem doctrina ad impios reſtringi debet: non quod immunes horum malorum ſint pii, qui promiſcue affliguntur: ſed quod pii dum confugiunt ad Deum, atque in eo penitus recumbunt, non ita quatiuntur, firmique & ſtabiles adverſus omnes injurias perſiſtunt. Impii vero qui deriſerunt judicia Dei, effrenemque peccandi licentiam arripuerunt, perterriti ac conturbati nuſquam conquieſcunt. Porro quod addit de transferenda terra, non ita accipere convenit, quaſi aliqua terræ mutatio à ſuo poſitu fiat: ſed ad homines iſta referri debent, ut jam diximus: acſi diceret, nullum regnum, nullam politiam fore. Denique mutationes illas exprimere voluit, de quibus capite decimo tractatum eſt. Cæterum, terram ſua iniquitate onerari dicens, non immerito hanc cauſam addidit: ut intelligamus Deum nunquam fruſtra hominibus iraſci. ſumus enim omnium malorum quæ patimur, ipſi auctores. Deus natura ad beneficentiam propenſus eſt, noſque paterno amore proſequitur. vitio igitur noſtro fit, quod ſevere & acerbe tractamur, nec ulla eſt cauſa cur ipſum accuſemus. Tandem iterat quod nuper attigit, nullum fore malis iſtis remedium. Intelligunt hoc dictum de Judæis, quorum politiam omnino ſuſtulit, ut disjecti & diſſipati vix amplius in numero hominum haberentur. Ego vero latius interpretor: nempe, tam graves fore mundi calamitates, ut reſtitui in integrum non poſſit. Homines enim ſemper contra adverſam fortunam nituntur, plenoſque animos confidentiæ gerunt. Ærumnas perpeſſi, aliquem reſpirandi locum fore putant, atque inani fiducia animos extollunt. Eam igitur adimit Propheta, ne ſe in poſterum vana ſpe decipiant. Quanquam notandum eſt hac generali ſententia non tolli quam prius exceptionem poſuit.

21. *Et accidet.*] Hic locus torſit multorum ingenia, & variæ à variis interpretationes allatæ ſunt. alii de Sole & ſideribus hoc dictum putant. alii de diabolis, qui una cum impiis pœnas daturi ſunt. alii ad Judæos referunt, quos ſingulari privilegio Deus ornarat: ſed nullam iſtarum interpretationum amplecti poſſum. Simplex igitur & verus mihi ſenſus eſſe videtur, Nullam fore tam ſublimem potentiam, quæ ab iſtis Dei flagellis eximatur: etiamſi ſupra nubes ſeſe extulerint, eo tamen venturam Dei manum. ſicut in Pſalmo dicitur, Quo ibo à Spiritu tuo? & *Pſal. 139.*
quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cælum, tu *verſ. 7.*
illic es: ſi ſumpſero pennas diluculi, & habitavero in extremis maris, illuc etiam manus tua proſequetur me. Nam metaphorice Exercitum ſupernum vocat Reges & Principes, qui in mundo eminent & refulgent inſtar ſiderum. quam metaphoram ipſe poſtea apertis verbis exponit, dum addit, *Super Reges terræ:* nec enim disjungenda puto quaſi de diverſis loqueretur, ſed ejuſdem ſententiæ eſſe repetitionem, ut poſterius membrum ſit exegeticum: niſi quis ita exponere malit, Viſitabit ſuper regna terræ: imo ſuper ea ipſa quæ humanam conditionem ſuperare videntur. Quædam enim ſic præ cæteris eminent, acſi eſſent à communi conditione aliorum ſegregata. Viſitandi porro verbum ad pœnam referendum eſt, ut ſatis ex contextu ipſo apparet.

22. *Et colligentur, claudentur.*] Proſequitur initio verſus argumentum ſuum. Eſt autem metaphorica loquutio. nec enim omnes fuerunt captivi: ſed omnes ita in ſervitutem redegit Dominus, acſi quis hoſtes, quos ſubegiſſet, in manu ſua haberet. Deum ergo victorem introducit, qui hoſtes in ergaſtulum concludat, quemadmodum captivi concludi ſolent. Scimus enim homines, quamdiu illis parcit Deus, & dat aliquid relaxationis, quaſi fugitivos eum contemnere. Et hac ratione etiam turmatim conjiciendos in carcerem denunciat, ne quid ſolatii captent ex ſua multitudine. Jam quod ſubjicit viſitandos eſſe poſt tempus, non ſimplex eſt promiſſio, ſed comminatio ſimul implicita eſt, hoc ſenſu, Quia pridem ſua obſtinatione habuerant Deum ludibrio, & tempus peccando nimis diu extraxerant, ita Deum lenta pœna uſurum eſſe, donec ſero tandem cognoſcant eorum cauſam: ſicuti ſæpe terreni judices maleficos quibus irati ſunt, in conſpectum ſuum admittere non dignantur, ſed in tenebris & fœtore demerſos paulatim tædio conficiunt ad frangendam eorum duritiem. Cæterum, quum duobus modis viſitet Deus mundum, vel dum impios punit, vel dum electis paternæ benevolentiæ ſigna oſtendit, hic pro Reſpicere capitur Viſitandi verbum, atque ita Propheta minando rigorem temperat. Erant enim animi piorum in hiſce miſeriis ſublevandi, ne deficerent. atque ideo conſolationes in eorum gratiam poſt

varios terrores ſubjicere ſolent Prophetæ. Quum igitur hæc ad ſuſtinendos fideles pertinerent, non dubium quin Judæis dicerentur, apud quos potiſſimum fides erat: aut potius nuſquam apud alios apparebat. Sed notandum eſt quod dicit *Poſt multos dies.* hoc enim ad exercendam piorum fidem dictum eſt: quia præcipites ſumus in noſtris deſideriis, ac ſtatim vellemus Deum promiſſa ſua exolvere: conquerimur de ejus tarditate, omniſque moræ impatientes ſumus. Ergo patienter expectanda eſt nobis illa miſericordia, nec ulla diuturnitate temporis fatigari debemus. Interea notandum eſt non omnium rationem habitam fuiſſe: quia, ut paulo ante viſum eſt, non niſi exiguas reliquias ſervare inſtituerat Deus: quo magis attentos nos eſſe decet, ut tardis & diuturnis pœnis humiliati, Deo nos viſitanti obviam eamus.

23. *Erubeſcet Luna.*] Plerique exiſtimant Prophetam vehementius excandeſcere in Judæos, ita ut incredulitatem illorum & Soli, & Lunæ, & Stellis pudendam eſſe dicat: nec tantum hominibus, ſed & mutis creaturis deteſtandos eſſe. ſed hoc à mente & propoſito Prophetæ penitus alienum videtur. Ego non dubito quin perſequatur conſolationem quam ſuperiore verſu attigerat, hoc ſenſu: Quum Dominus viſitabit populum ſuum, & Eccleſiam purgabit ſordibus, regnum conſtituet, idque tam illuſtre, ut ſplendore ſuo Solem & ſtellas obſcuret. Quæ loquutio ſatis uſitata eſt Prophetis, & prius de ea vidimus. Hic vero loquitur Jeſaias de corpore Eccleſiæ, non tantum de capite. Quum igitur regnum ſuum ſtabilierit Dominus in monte Sion, tanta erit magnificentia ipſius in populo inſtaurando, ut quæ alioqui fulgent coram hominibus, tenebræ futuræ ſint. quod ut exprimeret, quæ ſplendidiſſima ſunt omnium nominavit. *Regnandi* verbum improprie ad ultionem Dei trahunt. quamvis enim regnare dicitur Dominus quum judicis officio fungitur, tamen hæc loquutio ita complexa de regno Dei in monte *Sion*, ſemper habet notationem miſericordiæ & ſalutis. Loquitur enim de inſtauratione Eccleſiæ: unde ſequitur hæc non niſi in Chriſto impleta eſſe. Diſertam Senum mentionem faciens, utitur ſynecdoche, quæ valde frequens eſt Scripturis. Præcipuam enim partem Eccleſiæ pro toto ejus corpore ſumit, non tamen abſque certo conſilio *Senes* vocat tam Sacerdotes quam alios gubernatores, qui præſunt diſciplinæ & moribus, quorum moderatione & prudentia cæteri regi debent. Sub eorum nomine totum populum comprehendit: non ſolum quia totum corpus repræſentant, & vulgus quodammodo ſub eorum umbra latet: ſed etiam ut ſpem concipiant fideles futuri ordinis: quia alioqui parum aut nihil prodeſſet, diſſipatam multitudinem relinqui quaſi mutilatum corpus vel confuſam maſſam. nec abs re addita fuit particula, Etiam coram ſenibus, ut ſcirent Judæi potentiam Dei manifeſtam & illuſtrem fore: non quod percipi queat ſenſu carnis, ſed fide. Sic enim regnat, ut ipſum nobis adeſſe ſentiamus. Nam ſi hoc comprehenſionem noſtram effugeret, nulla ex eo conſolatio ad nos rediret. Pro *Gloria*, alii legunt Glorioſe, alii Glorioſus. Malo ſimpliciter in ſubſtantivo accipere: tametſi nihil interſit quo ad ſenſum. Docet enim quanta futura ſit magnificentia Dei & gloria regno Chriſti erecto, quia omnem ſplendorem obſcurari, ſolamque Chriſti gloriam eminere & conſpicuam eſſe oportebit. Unde ſequitur, tunc demum ſuo jure Deum potiri apud nos, juſtumque honorem habere, ubi creaturis omnibus in ordinem coactis ſolus in oculis noſtris reſplendet.

CAP. XXV.

JEhova Deus meus es tu: exaltabo te: celebrabo nomen tuum: quia feciſti rem mirificam: conſilia jam olim decreta, veritatem firmam.
2. Quia poſuiſti ex urbe acervum, urbem munitam in ruinam: palatium extraneorum, ut non ſit civitas, nec unquam ædificetur.
3. Propterea glorificabit te populus fortis: civitas gentium robuſtarum timebit te.
4. Nam fuiſti fortitudo pauperi: fortitudo, inquam, egeno in afflictione ejus: refugium ab inundatione, umbra ab æſtu, quia ſpiritus * fortium quaſi † turbo contra murum.
5. Sicut æſtum in arido, ſtrepitum alienorum humiliabis, æſtum in umbra nubis: * clamorem fortium humiliabit.
6. Et faciet Jehova exercituum cunctis populis in monte iſto convivium pinguium, convivium defæcatorum: pinguium, inquam, medullatorum: defæcatorum liquidorum.
7. Et deſtruet in monte iſto faciem involucri quo involuti ſunt populi omnes, & operimentum quod expanſum eſt ſuper omnes gentes.
8. Deſtruxit mortem in æternum. Et abſterget Dominus Jehova lachrymam à cunctis faciebus, & opprobrium populi ſui auferet ab univerſa terra: quia Jehova loquutus eſt.
9. Et dicetur in die illa: Ecce Deus noſter iſte. Expectavimus eum, & ſalvabit nos. Iſte Jehova expectavimus eum. Exultabimus, & lætabimur in ſalute ejus.
10. Nam quieſcet manus Jehovæ in monte iſto: & triturabitur Moab ſubter eum, ſicut trituratur palea in ſterquilinio.
11. Et extendet manum ſuam ſub medio ejus, ſicut extendit natator ad natandum: & humiliabit ſuperbiam ejus, cum brachiis manuum ſuarum.
12. Et munitionem ſublimitatis murorum tuorum ſternet, humiliabit, dejiciet in terram, ad pulverem.

* aut, violentorum.
† vel, inundatio.
* vel, cantum, vel, exciſionem.

JEhova.] Hactenus vaticinatus eſt Jeſaias de judiciis Dei, quæ non tantum uni populo, ſed univerſo fere orbi inſtabant. Fieri autem non poterat, quin tantarum calamitatum, quas prævidebat, cogitatio magnam ei perturbationem afferret. nam qui pio ſunt animo præditi, totum genus humanum ſalvum eſſe cuperent: & dum venerantur Deum, quicquid ipſius eſt, amplecti volunt. denique ut vere quiſque Deum timet, ita acerrimo ſenſu judiciorum ipſius percellitur. Dum ſtupent impii ad judicia Dei, nec ullis terroribus moventur, pii vel ad minimum ſignum iræ ipſius expaveſcunt. Quod ſi ita nobis uſu venit, quid Prophetæ accidiſſe exiſtimamus, cui fere in conſpectu erant hæ clades quas prædixerat? Nam ut Verbi miniſtris conſtet certitudo doctrinæ, eos magis quam vulgus hominum affici

Digitized by Google

affici neceſſe eſt. Quum igitur Dominus horrendas iſtas clades velut in pictura Jeſaiæ propoſuiſſet: neceſſe erat ut triſtitiæ & curarum vehementia impulſus, ſe ad Dominum reciperet: alioqui confuſis perturbationibus animi fuiſſet ultra modum implicitus. Itaque ſeſe colligit, perſuaſum habens, Dominum inter has tempeſtates velle nihilominus Eccleſiæ ſuæ conſulere, & redigere in poteſtatem ſuam qui prius fuerant alieni. Firmus ergo & conſtans in ſua ſtatione manet Jeſaias: nec ſe à propoſito dimoveri patitur, quin ſemper recumbat in fidem miſericordiæ, unde in celebrandis laudibus Dei perſeverat. Proinde ſcimus hanc gratiarum actionem à ſuperioribus vaticiniis pendere, nec tantum Jeſaiam ſpectare quid, ſed etiam quorſum à Domino geratur quicquid prædixit: id eſt, cur Dominus tot populos variis cladibus affligeret: nempe ut eos ſubigeret qui prius fuerant indomiti, & furioſo affectu ruebant: in quibus nullus timor Dei, nullus religionis aut pietatis ſenſus erat.

Deus meus es tu.] Velut confuſus & conturbatus ſubito cogitationem ad Deum refert, ut jam diximus. Unde colligenda eſt utilis doctrina: nempe, quum variis perturbationibus agitantur animi noſtri ob varias clades & ærumnas quæ quotidie accidunt, in Deo ſtatim recolligendos eſſe, ut in ejus providentia conquieſcant. nam vel minimis calamitatibus obruemur, niſi nos eo recipiamus, animoſque noſtros hac doctrina ſuſtentemus. Ac quo melius liqueat Prophetæ conſilium, particulam adverſativam commode inſerere licebit hoc ſenſu, Quicquid tentationum hinc inde me concutiat, te nihilominus Deum meum agnoſcam. Ideo ſe Deo quam meretur laudem daturum promittit. Quod fieri non poteſt, niſi in cordibus noſtris prævaleat, palmamque obtineat certa gratiæ ejus fides, ex qua naſcitur lætitia, quæ nobis ampliſſimam laudum materiam ſuppeditat, quum certi de ſalute noſtra perſuaſum habemus Dominum Deum noſtrum eſſe. Ergo qui nullo ducuntur affectu laudandi Dei, nullam fidem, nullum bonitatis Dei guſtum habent. nam ſi vere fidimus Deo, neceſſe eſt ut ad nomen ejus prædicandum alacres feramur.

Rem mirificam.] פלא, ſingulari pro plurali utitur. Propheta cogitationem ſuam in præſenti rerum aſpectu non retinet, ſed finem ipſum attendit. nam & profani alioqui homines, in mundi gubernatione mirabiles rerum eventus cernunt, ad quarum intuitum obſtupeſcunt: quod Tyriis, Sidoniis, Babyloniis, Moabitis accidiſſe certum eſt. Verum ii tantum in ejuſmodi operibus Dei proficere poſſunt, qui bonitatis & ſapientiæ ipſius guſtum habent. alioqui enim vilipendunt & deſpiciunt opera Dei, nec eorum præſtantiam comprehendunt, quod finem non
2 Cor. 4. verſ. 6. teneant: nempe quod Deus mirabiliter ex tenebris lucem eliciens, Eccleſiam ſuam vivificet in morte, & res humano judicio confuſas optime temperet, atque applicet in rectiſſimum uſum. Cæterum, quo Dei providentiam melius commendet, adjungit conſilia jam olim decreta. quaſi diceret, nihil Deo ſubitum eſſe vel repentinum. Et ſane quanquam nobis interdum ex inopinato agere videtur, omnia tamen certo apud eum ante creationem orbis conſtituta. Propheta ergo ſignificat hoc nomine, omnia miracula quæ præter hominum expectationem eveniunt, fluere ex ordine ejus moderationis, quam in orbe regendo tenet Deus, ab initio ad finem uſque omnia diſponens. Cæterum, quoniam ad arcana illa conſilia non pervenimus, nec eo poteſt conſcendere ingenium noſtrum, propterea ad manifeſtationem ipſorum revocandi ſumus. nos enim latent & comprehenſionem noſtram exuperant, donec ea Dominus patefaciat verbo ſuo, quo ſe ad imbecillitatem noſtram attemperat: quia conſilium ipſius *ἀνεξιχνίαστον* eſt. Ideo ab æternis Dei decretis protinus ad doctrinam & promiſſiones delabitur: quas proculdubio deſignat Veritatis nomine. Nam frigeret repetitio, niſi in hac voce relatio ſubeſſet: quia ubi conſilium ſuum nobis patefecit Deus, ſi conſtat dictis fides, tunc proprie verax apparet. Verbi autem firmitatem & certitudinem commendat, quum veritatem ſtabilem eſſe dicit: quicquid ſcil. prodit à Deo, quicquid pronunciatur, fixum atque immutabile eſſe.

2. *Quia poſuiſti.*] Aliqui hoc referunt ad Jeroſolymam: ſed ego mutationem numeri eſſe puto, ut ſatis eſt Prophetis uſitatum: nec enim de una tantum urbe agit, ſed de variis, quas in acervos redigendas eſſe ſignificat. Quod aliqui intelligunt Jeroſolymam factam eſſe palatium Romanis, nihil ad mentem Prophetæ. Satis autem conſtabit ſenſus, ſi memoria teneamus quod prius dictum eſt: nempe, Prophetam non includere cogitationem ſuam in iſtis cladibus, quibus Dominus varios populos affligit, ſed in caſtigationum finem extendere. Sic enim Dominus edomare & frangere contumaciam hominum voluit, quos nunquam ſibi niſi variis ærumnis afflictos ſubjeciſſet. Porro non ſolum docet Propheta exteros pulſis indigenis habitaturos eſſe in urbibus captis, quia non congrueret quod addit continuo poſt, Ne amplius ſit civitas: ſed vagos homines qui domicilio carebunt, illic reperturos ſatis amplum ſpatium: quia nulli reſtabunt incolæ. nam quum ארמון Splendidas ædes ſignificet, ironice hic dicit, latrunculos habitaturos quaſi in palatiis propter amplitudinem loci deſerti.

3. *Propterea.*] Hic eſt finis cujus memini. nam ſi *ſupr. v. 1.*
Dominus orbem perderet, nullus fructus ſequeretur. Exitium certe nihil præter horrorem generare poſſet: nec inde unquam ad laudes ejus provocaremur: quin potius nos obſtupefieri neceſſe eſt, dum nihil præter iram ſentimus. At ex ſenſu gratiæ & bonitatis laudes emanant. Perinde igitur eſt acſi diceret, Non ſolum percuties & affliges Domine, ſed efficies ut plagæ non careant profectu. Iis enim ferociam hominum ſubiges, ut cervicem tibi ſummittant qui prius à te fuerant alieni. Ex hoc loco notandum eſt quam neceſſariæ ſint nobis caſtigationes, quibus ad obſequium Dei erudimur. nam proſperis rebus ita efferimur, ut omnia nobis licere putemus. Laſcivimus etiam atque inſoleſcimus dum humaniter Deus nos tractat. Timorem vero conjungens oſtendit hanc laudem in verbis aut externo geſtu poſitam non eſſe, ſed in vero cordis affectu. Unde colligimus de integro Dei cultu verba fieri: ſed quia multi ſe defunctos putant ſimulac ore confeſſionem ediderint, explicandi cauſa additur, Timebunt te gentes. Cæterum, Fortes & robuſtos vocans, his epithetis ſignificat arrogantiam & ſuperbiam, quum inflati eſſent proſpera fortuna. Inſurgunt enim adverſus Deum, nec dejici aut humiliari poſſunt, niſi nudentur. Huc ergo referendæ ſunt noſtræ cogitationes in his calamitatibus quas cernimus: hominum ferociam contundi ac comprimi neceſſe eſt, ut ad recipiendam doctrinam & verum obſequium præparentur. quamdiu excæcati erunt ſuis opibus & vana fiducia, ſecure ridebunt judicia Dei, nec unquam ſeſe ei ſummittent.

4. *Quoniam fuiſti.*] Hinc apparet fructus converſionis: quod ſcilicet Dominus nos è morte ſuſcitat, ac veluti è ſepulchro educit, porrigens nobis è cælo manum ut eripiat nos ex ipſis inferis. Hic nobis primus ad ipſum aditus eſt, quia exercendæ beneficentiæ ſuæ materiam non niſi in noſtra egeſtate reperit. Ideoque nos viciſſim in nobis egenos atque inopes eſſe oportet, ut ab ipſo opem ſentiamus. ac neceſſe eſt nos omni fiducia & perſuaſione noſtri vacuos eſſe priuſquam vim ſuam exerat in nobis. Ideoque nos flagris comparat & cruce, quibus nos ita erudit, ut ejus opem & gratiam percipere poſſimus. Nec vero fruſtra Jeſaias his ſimilitudinibus hanc deſcriptionem

nem exornat: quia variæ & multiplices occurrunt
tentationes, quibus fortiter ſuſtinendis, imbecillas
mentes hominum fulciri & muniri neceſſe eſt. Pro-
pterea Deum præſidium egenis, refugium à nimbis,
umbraculum ab æſtu fore dicit. Nam cujuſcunque
generis pericula & incommoda ingruant, Dominus
adverſus ea ſuos tutabitur, omniſque generis arma
Gen. 8: 1. ſuppeditabit. Spiritus hic, ut ſæpe alibi, Flatum
Exod. 15. ſignificat: & accipitur pro violento impetu, quo im-
verſ. 10. pii feruntur adverſum filios Dei. nec enim ſolum mi-
1 *Reg.* 19. nas & terrores ſpirant, ſed ignem ipſum videntur
verſ. 11. evomere. Eodem pertinet Turbo, vel inundatio
2 *Reg.* 7. contra murum: qua figura intelligit tam præcipitan-
ter ruere impios, ubi nocendi licentia conceditur, ut
dejiciant quicquid contra occurrit. Plus enim eſt
everti parietes ac dirui, quam ſi aqua ſeſe per agros
tantum effunderet.

5. *Sicut æſtum.*] Niſi Dominus ſuccurreret quum
irruunt homines violenti, prorſus de vita noſtra
actum eſſet. quantus enim ſit furor impiorum vide-
mus. Quod ſi evertit parietes, quid adverſus eum po-
terit homuncio? Hæc igitur addita ſunt ad amplifi-
candam gratiam Dei, ut reputemus quid nobis eſſet
futurum, niſi Dominus opem ferret. Quanquam
ſimilitudinem bifariam accommodant interpretes.
Quidam enim intelligunt conſumptum iri improbos
Dei furore, non ſecus ac vehementia caloris agros
per ſe ſteriles exurit. alii in ablativo caſu vertunt,
Quaſi æſtu: ut ſit ſenſus, Quamvis impii potentia
ſua confiſi adeo turbulenti ſint, Dominus tamen
ipſos momento humiliabit, acſi æſtu in arido loco
deprehenſi eſſent. Verùm ego aliam eſſe puto ratio-
nem. poſtquam enim oſtendit quantus ſit impiorum
furor adverſum fideles, ſubjicit, Eos tu Domine hu-
miliabis. Atque alludens ad ſimilitudinem Diluvii,
qua prius uſus erat, Tu, inquit, dejicies æſtum ipſo-
rum, quo alioqui conſumeremur: ſicuti pluvia una
vel imber è cælo cadens, æſtum, qui ſitientes agros
torrebat, dejicit. Atque ita ſua ſponte contextus
fluit: quum alia interpretatio ſit coacta, vimque, ut
aiunt, literæ faciat. Poſterior pars verſus huc & illuc
torquetur. nomen זמיר quidam Semen eſſe putant:
alii Radicem: acſi dixiſſet, non tantum impios ever-
tet Deus, ſed radicitus evellet. Quæ ſententia eſſet
probabilis, niſi obſtaret ſimilitudo æſtus. Rectius
itaque, meo judicio, alii Cantum & clamorem, vel
exciſionem vertunt. Quanquam ne ipſi quidem
pertingunt ad Prophetæ mentem. Confirmat igi-
tur proximam ſententiam, quod violentia impro-
borum, vel clamor, quem ſuperbe & audacter at-
tollent, proſtratus ſtatim jacebit: ſicuti Solis fer-
vor ſuperveniente pluvia: quæ notatur per Um-
bram nubis.

6. *Et faciet.*] Variæ etiam interpretationes in
hunc locum afferuntur. nonnulli enim exiſtimant
Prophetam minari Judæis: atque ita minari, ut va-
rias gentes ad convivium vocet. quæ etiam loquutio
alibi reperitur. Dicitur enim Dominus ſaginare im-
pios ad diem mactationis. Quaſi igitur Judæos ob
impietatem ſuam prædæ exponeret Gentibus, ipſas
ad convivium invitari putant. acſi diceret Dominus,
Lautas epulas Gentibus apparavi: Judæos expila-
bunt & prædabuntur Romanæ gentes. Verum hic
ſenſus, meo judicio, ſtare non poteſt. longa refuta-
tione minime opus erit, poſtquam veram interpre-
tationem adduxero. Alii vero ſic exponunt, acſi Je-
ſaias loqueretur de ira Dei in hunc modum, Domi-
nus inſtruet convivium omnibus populis: iis cali-
cem iræ ſuæ propinabit, quo inebrientur. Sed longe
aliud voluit Propheta. pergit enim in gratia Dei de-
claranda, quæ patefacienda erat Chriſti adventu.
Atque eadem metaphora utitur, qua etiam David
Pſal. 22. Pſal. 22. quum regnum Chriſti deſcribit: ac futu-
v. 27, 30. rum ait, ut pauperes ac divites in hoc epulo accum-
bant, eoque veſcantur & ſatientur. quo ſignificat
nullum genus hominum hujus beneficentiæ expers
fore. Prius enim Dominus Judæos tantum alere vi-
debatur, quod ſoli adoptati & veluti ad domeſticas
ipſius epulas invitati erant: nunc Gentes etiam ad-
mittit, liberalitatemque ſuam diffundit in omnes na-
tiones. Subeſt igitur tacita antitheſis, quum dicit, *Pſal.* 76.
Omnibus populis: quia uni tantum antea notus erat. *verſ.* 2.
Pinguium convivium intellige ex animalibus bene
ſaginatis. שמרים, alii Fæces vertunt: ſed perperam.
intelligit enim vetuſta vina, quæ vulgo appellamus
Vins de garde. Ea enim præſtantiora ſunt, præſer-
tim in Orientali plaga, ubi melius ætatem ferunt.
Liquida vocat ea in quibus nihil turbidi eſt aut fæcu-
lenti. Denique ſatis conſtat hic non denunciari exi-
tium Gentibus aut Judæis: ſed utroſque una ad lau-
tiſſimum convivium invitari. Idque melius conſtat
ex ipſis Chriſti verbis, dum regnum cælorum com- *Mat.* 22.
parat nuptiis quas Rex filio ſuo apparavit, ad quas *verſ.* 2.
omnes promiſcue convocat, quum ii qui prius fue-
rant invitati venire nollent. Nec vero mihi dubium,
quin de promulgatione Euangelii loquatur. Et quia
ex monte Sion prodiit, Gentes illuc ad epulandum *ſupr.* 2: 3.
venturas dicit: quia ubi ſpiritualem cibum ad pa-
ſcendas animas toti mundo propoſuit Deus, perinde
fuit acſi communem menſam paraſſet. Ac nos hodie
invitat Dominus, ut bonis omnibus repleat ac locu-
pletet: excitat fideles Miniſtros quibus nobis paren-
tur iſtæ epulæ, verboque ſuo vim & efficaciam præ-
bet, ut eo ſatiemur. Jam quod ad nomen Montis
pertinet, quamvis inde non exeant nunc Dei œco-
nomi ad nos paſcendos, hoc tamen nomine intelligi
debet Eccleſia, extra quam nemo horum ciborum
particeps eſſe poteſt. non projiciuntur in triviis aut
compitis iſtæ epulæ, menſa non eſt ubique diſpoſita,
nec omnibus in locis convivium hoc inſtructum eſt.
Ergo ut epulemur, ad Eccleſiam veniendum. Ejus
vero loci ideo facta fuit mentio, quod Deus illic ſo-
lum coleretur, indeque oracula prodirent: ſicut
inde etiam ortum eſt Euangelium. Quod epulum
hoc lautum & opiparum fore dicit, hoc facit ad com-
mendationem doctrinæ Euangelicæ. Eſt enim ſpi-
ritualis cibus quo animæ noſtræ ſatiantur: adeoque
lautus ac delicatus, ut alios requirere minime ne-
ceſſe ſit.

7. *Et deſtruet.*] Hic etiam variant interpretes.
nonnulli enim Operimenti nomine intelligunt igno-
miniam qua fideles ſic in hoc mundo conteguntur,
ut gloria Dei in ipſis non appareat: acſi diceret,
Quamvis multis probris obruantur pii, Dominus ta-
men ea tollet, eorumque ſtatum glorioſum reddet.
Omitto alias interpretationes. Verus autem meo ju-
dicio ſenſus eſt, quod Dominus promittit ſe ſubla-
turum velum, quo in cæcitate & ignorantia tene-
bantur. Luce ergo Euangelii diſcuſſæ ſunt hæ tene-
bræ. Hoc autem in monte Sion futurum eſſe dicit,
unde etiam lux Verbi toti mundo affulſit, ut antea *ſupr.* 2: 3.
vidimus. Eſt igitur ad Chriſti regnum neceſſario re-
ferendus hic locus. nec enim lux affulſit omnibus ho-
minibus donec Sol juſtitiæ Chriſtus exortus eſt, à quo *Mal.* 4: 2.
omnia vela, integumenta, & involucra ſublata ſunt.
Atque hic alteram Euangelii commendationem ha-
bemus, quod eo diſcutiantur tenebræ, atque erro-
rum involucra ab oculis noſtris tollantur. unde ſe-
quitur nos ignorantiæ tenebris involutos atque ex-
cæcatos eſſe, antequam illuminemur Euangelii do-
ctrina, qua ſola & luci & vitæ reddi, atque in inte-
grum reſtitui poſſumus. Habemus etiam hic confir-
mationem vocationis Gentium, id eſt, noſtræ. nec
enim ſoli Judæi, ſed omnes nationes, quæ prius omni
errorum & ſuperſtitionum genere involutæ erant,
ad hoc convivium invitantur.

8. *Deſtruxit.*] Propheta argumentum ſuum con-
texit. Nam in ſumma promittit ſolidam felicitatem
futuram ſub Chriſti regno. quod ut melius expri-
mat, utitur variis figuris apte ad rem ipſam accom-
modatis.

modatis. Vera eſt iſta felicitas, non temporaria aut caduca: quam nec mors ipſa adimere poteſt, quia in rebus lætiſſimis defectus hic non parum lætitiam minuit, ſi deſit immortalitas. Duo igitur conjungit, quæ felicitatem perfectam & abſolutam reddunt. primum, quod perpetua ſit vita (nam iis qui beati alioqui ſunt ad tempus, interire miſerum eſt) deinde, vita hæc gaudio conjuncta eſt: nam alioqui mœſtæ & ærumnoſæ vitæ mors videtur præferenda. Adjungit etiam, Omni ignominia ſublata, glorioſam hanc vitam fore: quia prophetiæ alioqui fidem derogaſſet triſtis populi oppreſſio. Sed quæri poteſt, ad quod tempus referendæ ſint iſtæ promiſſiones? nam in hoc mundo conflictandum nobis cum variis ærumnis, aſſidueque pugnandum eſt: nec tantum (*Pſal. 44. verſ. 23.*) deſtinati ſumus morti, ſed quotidie morimur. Paulus de ſe & præcipuis Eccleſiæ columnis queritur, (*1 Cor. 4. v. 9, 10.*) quod ſpectaculo ſint omnibus, probraque omnis generis ſuſtineant, καθάρματα etiam & περίψημα exiſtimentur. Ubi igitur aut quando hæc locum habent? Haud dubie ad univerſum Chriſti regnum referenda ſunt. univerſum dico: quia non tantum initium ſpectandum eſt, ſed etiam complementum & meta. Atque ita uſque ad ſecundum Chriſti adventum extendi debet, (*Luc. 21. verſ. 28. Actor. 3. verſ. 21. Rom. 8. verſ. 22. Epheſ. 4. verſ. 10.*) qui propterea dies redemptionis & inſtaurationis vocatur: quoniam omnia quæ nunc videntur confuſa, reſtituentur in integrum, & novam formam induent. Hoc quidem ad redemptionem quoque è Babylone pertinet. ſed quum ea veluti præludium & tenuis guſtus fuerit iſtius, haud dubie hæc promiſſio uſque ad ultimum diem proroganda eſt. Eo igitur ſpem omnem atque expectationem conferamus, nec dubitemus quin hæc omnia in nobis Dominus tandem peracto curſu perficiat. ſi nunc (*Pſal. 126. verſ. 5.*) ſeminamus cum lachrymis, tunc haud dubie cum gaudio & exultatione metemus. Ne vereamur hominum probra aut contumelias, quæ ſummam aliquando gloriam nobis parient. Atque hic jam initia hujuſce felicitatis & gloriæ conſequuti, quum adoptati ſumus à Deo, quum imaginem Chriſti gerere cœpimus, conſtanti etiam & forti animo cumulum ejus ad extremum uſque diem expectemus. Jam quia poſt tot triſtiſſimas clades videbatur res prorſus incredibilis, hæc non ab homine, ſed à Deo profecta eſſe oſtendit. Everſa enim Jeroſolyma, ſublato Dei cultu, diruto Templo, reliquiis populi dura tyrannide oppreſſis, nemo ſibi perſuaſiſſet omnia de integro ſurgere rurſus poſſe. Huic ergo diffidentiæ ad quam homines valde proni ſunt, occurri oportuit. atque ideo Propheta has promiſſiones confirmat, atque obſignat, Scitote Dominum mihi fuiſſe auctorem iſtarum rerum: quare mentes in eum, non in me de- (*Tit. 1: 2.*) figite: eo nitatur fides veſtra, qui mentiri aut fallere nequit.

9. *Et dicetur.*] Verbum eſt indefinitum, Dicet: quia tamen non unius aut alterius, ſed communis omnium ſermo refertur, abſolute vertere placuit. Optima autem hæc clauſula eſt, qua oſtenditur beneficia Dei non hærere alicubi aut ſuſpenſa eſſe, ſed reipſa percipi & ſentiri ab hominibus. Convivium (*verſu 6. hujus capitis.*) ergo, de quo antea loquutus eſt, Deum non fruſtra facturum ſignificat: quoniam in eo epulabuntur homines, æternoque gaudio perfruentur. Nam vox iſta gratulationis, quam fore publicam dicit, realis, ut ita dicam, gratiæ Dei experimenti index ac teſtis eſt. Diligenter autem obſervandus eſt hic locus: quia oſtendit Propheta eam fore revelationem, quæ homines contineat in verbo Dei, ut omni dubitatione vacui in eo conquieſcant. Quod ſi hæc pertinent ad regnum Chriſti, ut certe pertinent, fructum ex iis inſignem colligimus: Chriſtianos ſcilicet, niſi ſibiipſis deſint, & reſpuant gratiam Dei, certam habere veritatem in qua tuto recumbant. Omni enim dubitandi occaſione ſublata, Deus ſeſe ita ipſis patefecit, ut libere prædicare audeant certo ſe tenere quænam ſit ejus voluntas: & veriſſime dicere quod Chriſtus Samaritanæ, Nos adoramus quod ſcimus. (*Joan. 4. verſ. 22.*) Et certe de gratia in Chriſto exhibita, certiores per Euangelium facti, non jam incertis opinionibus, ut alii, vagamur: ſed Deum, purumque ejus cultum amplectimur. Intrepide dicere liceat, faceſſant alia hominum figmenta. Notanda autem eſt antitheſis inter obſcurum & tenuem notitiæ modum qua præditi fuerunt Patres ſub Lege, & plenitudinem quæ nobis in Euangelio refulget. Quamvis enim veterem populum Deus cæleſtis doctrinæ luce dignatus ſit, familiarius tamen per Chriſtum innotuit, ſicut (*Joan. 1. verſ. 18.*) dicitur Joannis primo. hanc certitudinem, quam adventu ſuo attulit unigenitus Dei Filius Patrem nobis oſtendens, nunc Propheta commendat. Cæterum, ut veterem populum hac parte excellimus, quia reconciliatio per Chriſtum facta Deum quodammodo nobis reddit propiorem: ita non poteſt aliter cognoſci Deus quam in Chriſto, qui imago & (*Heb. 1. verſ. 3.*) character ſubſtantiæ ejus eſt. Qui non novit Filium, (*Joan. 14. verſ. 7.*) neque Patrem novit. Quamvis ergo Judæi, Turcæ, cæterique infideles jactent ſe Deum adorare creatorem cæli & terræ, fictitium tamen Deum adorant. Utcunque ſint pervicaces, vagas opiniones & incertas ſequuntur pro veritate: palpant in tenebris, & imaginationem ſuam colunt loco Dei. denique extra Chriſtum & omnis religio fallax eſt, ac evanida, & deteſtandi ſunt omnes cultus, ſecureque damnandi. Nec vero abs re tam adverbio quam pronomine demonſtrativo utitur Propheta, quo certius teſtetur Dei præſentiam: ſicuti iterum paulo poſt repetitione certitudinis & fiduciæ conſtantiam exprimit, qua præditi erunt qui Deum in Chriſto colent. Certum eſt Deum in ſua majeſtate à nobis non poſſe comprehendi: quia lucem inacceſſam ha- (*1 Tim. 6. verſ. 16.*) bitat, qua protinus obruemur, ſi ad eam conſcendere velimus. Ergo ſeſe ad imbecillitatem noſtram demittit, ſe nobis per Chriſtum communicat, per quem ſapientiæ, juſtitiæ, veritatis, aliorumque beneficiorum participes facit. Notatu etiam dignum eſt, quod ubi Chriſtum vocavit Deum piorum, adſcribit nomen Jehovæ: unde colligimus in ejus perſona veram Dei æternitatem comprehendi. Adhæc, quum nobis ita per Euangelium innotuerit Chriſtus, hinc convincitur ſceleſta eorum ingratitudo, qui tam perfecta manifeſtatione non contenti, vanas ſuas ſpeculationes aſſuere auſi ſunt, ſicuti in Papatu factum eſt.

Expectavimus eum.] Tolerantiam & perſeverantiam eorum exprimit qui Deum in Chriſto ſemel ſunt amplexi. nec enim debet eſſe temporalis notio: ſed in ea firmiter in finem uſque perſiſtendum. Loquitur autem Jeſaias in perſona veteris Eccleſiæ, quæ inter Judæos ſolos tunc propriam ſedem habebat. ergo tanquam deos omnes qui alibi colebantur deſpiciens, hunc ſolum eſſe Deum confidenter pronunciat, qui ſe Abrahæ patefecit, & Legem ſuam (*Gen. 15: 1. Exod. 20. verſ. 1, 2.*) promulgavit per manum Moſis. nec enim fuerat Dominus ab aliis nationibus expectatus, quæ ignorantiæ tenebris obvolutæ erant, quando hæc expectatio ex fide oritur, cui etiam patientia adjuncta eſt. Fides autem abſque Verbo non conſtat. Admonet igitur fideles ſalutem eorum in ſpe & expectatione poſitam eſſe. nam promiſſiones Dei uſque ad Chriſti adventum quodammodo ſuſpenſæ erant. Deinde obſervandum eſt qualis fuerit illorum temporum conditio. nam aut Dei promiſſio in nihilum redacta videbatur, aut poſteritas Abrahæ ab eo repudiata. Certe ut longiſſime aſpicerent, nuſquam tunc illis Deus apparebat. Quamobrem mira patientia ipſos inſtructos eſſe oportuit, qua graves & difficiles tentationes ſuſtinerent. Ideoque ad Chriſti adventum eos quietos manere jubet. quia tunc ſentient in ſolidum quam propinquus ſuis cultoribus ſit Deus. Hac eadem doctrina hodie quoque placari nos oportet,

 ut

ut tametſi ſalus noſtra ſit abſcondita, Dominum tamen firma ſpe & invicta expectemus, & de eo procul abſente ſemper dicamus, Ecce. In rebus maxime confuſis eum diſcernere noverimus hac nota, Hic eſt. Quod ad verba ſpectat, quamvis tempore præterito dicat, Exultavimus, & lætati ſumus in ſalute: continuus tamen actus notatur. Et paulo ante dixerat tempore futuro, Servabit nos. Summa eſt, ſi patienter invocetur Chriſtus, ſpem ſuorum nunquam fruſtrari.

10. *Nam quieſcet.*] Non dubito quin Prophetæ conſilium ſit initio verſus pios conſolari, qui alioqui putaſſent ſe à Deo relictos & abjectos. nam quod alii exponunt de judicio quod Dominus in Judæos exequuturus erat, nihil habet coloris: ſed idem eſt acſi diceret Dominum Eccleſiæ ſuæ perpetuo affuturum. Scio quidem manum Dei etiam ſuper reprobos quieſcere, ubi eos urgere non deſinit ſua vindicta, donec in totum opprimat: ſed hic Manus pro auxiliis potius quam pro flagellis capitur. Itaque per verbum Quieſcendi intelligitur perpetuitas tutelæ vel cuſtodiæ. Hinc autem utilis colligitur doctrina, Quod quum Deus infinita per totum orbem beneficia diſpergat ut eorum partem impii quoque percipiant: manus tamen ejus non quieſcit, vel perpetuo adeſt niſi in monte ſacro: id eſt, in Eccleſia, ubi colitur. Obſervandum etiam, Jeroſolymam prius caſtigatam eſſe, quam hæc beneficia ſentiret. Prius enim flagella & pœnas denunciaverat, quibus hanc conſolationem ſubjunxit. Secunda parte verſus duplicat gratiam Dei, quia de hoſtibus Eccleſiæ ſuæ pœnas ſumendo quam ſibi chara ſit illius ſalus oſtendet. Nullos fere capitaliores hoſtes Moabitis habuerunt Judæi, ut paſſim videre licet apud Prophetas, licet cum ipſis genere conjuncti eſſent. Sub eorum ergo nomine μετωνυμικῶς omnes Eccleſiæ hoſtes comprehendit: ac præſertim eos quibuſcum aliquid conjunctionis habet, quibus nulli ſunt nocentiores. Docet autem eos tametſi aliquo tempore ſuperiores ſint, & Eccleſiam opprimant, tandem pœnas daturos. Hic finis eſt, ne fideles ſub malis deſpondeant animos, acſi infelix eſſet ſua conditio, dum impii alacres & læti exultant, quia paulo poſt ſequetur trituratio, cujus hic mentio fit. Quare nos quoque ſi afflictam & perturbatam hodie Eccleſiam videmus ab iis qui neceſſitudine aliqua nobiſcum juncti ſunt, imo qui nomen ejus & titulum uſurpant, hac promiſſione animos noſtros ſuſtentemus. Ubi nos Sterquilinium vertimus Hebraicum nomen מדמנה, aliqui putant eſſe nomen urbis, cujus etiam meminit Jeremias. (Jere. 48. verſ. 2.) Quid autem ſi dicamus Prophetam alludere ad urbem, quam in ſolo feraci ſitam fuiſſe veriſimile eſt: atque ita magis perſtringere & urgere Moabitas? acſi diceret, Quemadmodum trituratur palea in eorum agro, ita Moabitas Dominus triturabit. Alias interpretationes non improbo: ſed mihi non diſplicet, ſi dicamus eum alludere ad ubertatem ſoli, in quo urbs illa ſita erat. Interim communem ſententiam in verſione ſequi mihi religio non fuit.

11. *Et extendet.*] Nunc explicat Propheta & confirmat ſuperiorem ſententiam. utitur tamen alia ſimilitudine. Significat Dominum extenſurum manum uſque ad intima regionis Moabiticæ, non in extremas tantum ejus partes. Nonnulli hanc ſimilitudinem ſic exponunt, Quemadmodum natando extenduntur brachia, ita Dominus Moabitas hic atque illic caſtigabit. Alii putant exprimi ingeminationem pœnarum: acſi diceret, Dominus non ſemel tantum pœnas ſumet de Moabitis: ſed iterum atque iterum ulciſcetur crudelitatem quam in filios Dei exercuerunt. Sed poſſemus etiam aliter rationem hujus metaphoræ explicare. Qui natant, non irruunt toto impetu, ſed leviter ſeſe expandunt, & brachia placide diducunt, aquas tamen proſcindunt & ſuperant: ita Dominus ſæpe haud magnas vires exerit ad proſcindendos impios, ſed abſque ullo negotio, nullis adductis copiis, ſine ullo ſtrepitu aut tumultu eos perdit ac profligat, quantumcunque ſtrenui atque inſtructi videantur. Atque hæc ratio metaphoræ ideo mihi arridet, quia de priore ſenſu nihil diminuit, & magis dilucide explanat, Sæpe in nihilum redigi impios Dei manu, utcunque non palam è cælo fulminet. Admonet etiam nullam fore tam reconditam partem, quo non penetret hæc ultio, quum dicit, In medio ejus.

12. *Et munitionem.*] Dirigit nunc ſermonem ſuum ad regionem Moab. Erat autem munitiſſima, ſuiſque muris & propugnaculis ſuperbiebat: ideoque ullius momenti fore negat arces excelſas, aliaque loca licet fortiſſima & difficillima expugnatu. Fuit autem veteribus, ut ſatis notum eſt, alia quam nobis ratio muniendi. Nec ſupervacuum eſt quod tria hic verba conjungit ad majorem expreſſionem, Proſternet, Humiliabit, Dejiciet. quia ſuperbiam illam qua præditi erant & turgidi Moabitæ, retundi oportebat. Erant enim intolerabiles, ut prius cap. 19. (verſ. 6.) vidimus. Eos igitur ridet Propheta, Quaſi vero Dominus hanc altitudinem qua gloriamini, dejicere non poſſit. Particula Ad pulverem, tantundem valet acſi dixiſſet, Non tantum æquabit ſolo, ſed in pulverem rediget, ut ne veſtigia quidem extent veteris ruinæ. Hic locus continet optimam valdeque opportunam conſolationem. Nam ſic hodie quoque ſuperbiunt Eccleſiæ hoſtes, ut & homines & Deum ipſum ludibrio habeant: adeo inflati & elati ſunt potentia ſua, ut inexpugnabiles ſibi eſſe videantur. ſed adverſus eorum propugnacula & præſidia hanc Prophetæ ſententiam opponere debemus: Dominus ea facile dejiciet ac proſternet. Interea patienter ferendum eſt, quod robore valent & potentia, donec adveniat maturum ruinæ eorum tempus.

Caput XXVI.

IN die illa cantabitur canticum in terra Juda: Urbs fortitudinis nobis: ſalutem poſuit muros & vallum.
2. Aperite portas, & ingredietur gens juſta, cuſtodiens veritates.
3. Cogitatio fixa: cuſtodies pacem, pacem: quoniam in te confiſum eſt.
4. Sperate in Jehova in perpetuum: quia in Jah Jehova fortitudo ſeculorum.
5. Nam incurvabit incolas ſublimitatis, civitatem exaltatam humiliabit: humiliabit, inquam, eam ad terram: deducet ad pulverem.
6. Calcabit eam pes: pedes pauperis, greſſus inopum.
7. Semita juſto rectitudines: * rectam viam juſti æquabis.
8. Etiam in via judiciorum tuorum, Jehova, ſperavimus in te, ad nomen tuum, & memoriam tui deſiderium animæ.
9. Anima mea deſideravit te per noctem: quin & ſpiritu meo intra me te † mane quæram. Nam ex quo fuerint judicia tua in terra, juſtitiam diſcent incolæ terræ.

* vel, tu, qui rectus es, viam juſti æquabis.
† vel, ſedulo.

10. Impius

10. Impius gratiam obtinebit, nec diſcet juſtitiam: in terra rectorum operum perverſe aget, nec videbit magnificentiam Jehovæ.

11. Jehova, utcunque exaltata fuerit manus tua, non videbunt: Videbunt, & pudefient æmulatione populi: quin & ignis hoſtium tuorum vorabit eos.

12. Jehova ordinabis nobis pacem: nam & omnia opera noſtra operatus es nobis.

13. Jehova Deus noſter, ſubjugaverunt nos domini præter te: tantum in te recordabimur nominis tui.

14. Mortui non vivent: occiſi non reſurgent: propterea viſitaſti, & exterminaſti eos: & perdidiſti omnem memoriam eorum.

15. Addidiſti genti Jehova, addidiſti genti: glorificatus es: dilataſti omnes fines terræ.

16. Jehova, in tribulatione viſitaverunt te: effuderunt precationem, dum caſtigatio tua ſuper eos.

17. Sicut prægnans quæ ad partum appropinquat, dolet, clamat in doloribus ſuis: ſic nos fuimus à facie tua, Jehova.

18. Parturivimus, doluimus, acſi peperiſſemus ventum, ſalus non eſt facta terræ, & non ceciderunt incolæ orbis.

19. Vivent mortui tui, cadaver meum, reſurgent. Evigilate, & cantate incolæ pulveris. Quoniam ros herbarum, ros tuus: & * terra mortuos ejiciet.

20. Veni popule mi, intra in cubicula tua: claude oſtia tua poſt te: lateas paululum ad momentum, donec tranſeat indignatio.

21. Nam ecce Jehova egreditur è loco ſuo, ut viſitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum. Et diſcooperiet terra ſanguines ſuos, & non teget amplius ſuper occiſis ſuis.

* vel, terram Gigantum proſternes: vel, terra Gigantes cadere faciet.

HIc rurſus docere incipit Propheta, poſtquam ab exilio reverſus fuerit populus, protectum iri Dei tutela & manu: & Jeroſolymam ejus conſervatione perinde fore tutam, acſi vallo, aggeribus, foſſa, duplici muro cincta eſſet, ne acceſſus ullus pateat hoſtibus. Notandum vero eſt tempus quo Canticum hoc editum fuit. Prædixerat Propheta calamitatem Eccleſiæ, quæ nondum tam prope inſtabat, ſed aliquanto poſt mortem ejus ſequuta eſt. Quum abductus eſſet populus in exilium, deſperaſſet haud dubie, niſi eum hujuſmodi promiſſiones ſuſtentaſſent. Ut ergo confiderent Judæi ſe liberatum iri, atque vitam in ipſa morte cernerent, hoc ipſis Canticum compoſuit Propheta (Eze. 37. verſ. 1.) priuſquam etiam calamitas accideret: ut jam inſtructi ad eam perferendam, & meliora ſperanda eſſent. Nec enim arbitror ideo ſolum fuiſſe compoſitum ut liberati gratias agerent, ſed ut in exilio ipſo, tametſi ſimiles eſſent mortuis, animos ſuos hac fiducia obfirmarent: filios etiam inſtituerent in hac ſpe, atque hæc promiſſa quaſi per manum traderent poſteris. Quorſum autem hæc & alia in carmen redegit Jeſaias, (cap. 5: 1.) alibi diximus: nempe, ut paſſim decantata, animis omnium melius inhærerent. Tametſi ergo lugerent in Babylone, & mœrore propemodum confecti eſſent: (Pſal. 137. verſ. 4.) (unde etiam illæ voces: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?) tamen ipſos ſperare oportebat ſe aliquando, ubi in Judæam reverſi forent, gratias acturos Domino, ejuſque laudes celebraturos. Ideo Propheta diem liberationis procul illis oſtendit, ut ſe ejus expectatione fulciant.

Urbs fortitudinis.] Promittitur his verbis plena Jeroſolymæ & populi reſtitutio, quia Deus non tantum captivos redimet ac diſperſos colliget, ſed ubi in patriam reduxerit, etiam ſervabit incolumes. (2 Reg. 25. verſ. 9. 2 Chr. 36. verſ. 19. cap. 22.) Atqui non multo poſt viderunt fideles dirutam Jeroſolymam & exciſum Templum: & quum reverſi ſunt, nihil occurrere potuit præter deformes ruinas: idque fore jam ante Jeſaias vaticinatus eſt. Ergo ex alta fidei ſpecula eos cernere oportuit hanc Jeroſolymæ renovationem. Poſtea definit qualis futura ſit urbis fortitudo: quia ſalus Dei pro muro, turribus, foſſis, & aggeribus ſufficiet. acſi diceret, Confidant aliæ urbes in ſuis propugnaculis: Deus unus inſtar omnium munitionum nobis erit. Non rejicio quod quidam admonent legi poſſe, Poſuit murum & antemurale ad ſalutem. Sed quia uberior continetur doctrina in Prophetæ verbis ſi nihil ſubaudias, coactum ſenſum longe accerſere nihil attinet: præſertim quum verus & genuinus ſponte occurrat, protectionem Dei omnibus foſſis & mœnibus eſſe potiorem. ſicut etiam dicitur in Pſalmo, Miſericordia tua ſuper vitas. (Pſal. 63. verſ. 4.) Nam ut illic gloriatur David ſe tutius & magis ſecure quieſcere ſub Dei umbra, quam ſi omnibus terrenis præſidiis munitus foret: ita hic dicit Jeſaias juſtam ſecuritatis cauſam fore, ubi cuſtodiendi populi ſui partes Deus ſuſceperit. Jam quum hæc promiſſio ad totum redemptionis curſum pateat, tenendum eſt hodie quoque Deum eſſe Eccleſiæ ſuæ cuſtodem: ideoque pluris eſſe ejus virtutem, quam ſi omnibus copiis inſtructa foret. Itaque ſi cupimus in tuto quieſcere, manendum nobis in Eccleſia eſt. Tametſi nullæ fuerint nobis externæ munitiones, tamen Domini præſidio & certiſſima ejus ſalute, qua propugnacula omnia ſuperantur, contenti eſſe diſcamus.

2. *Aperite portas.*] Non dubium eſt hoc Canticum à multis contemptum fuiſſe, quum ab Jeſaia publicaretur. incolebatur enim Jeruſalem ab impiis & ſceleratis quamdiu ille ſuperſtes fuit in terra: & rariſſimus erat numerus bonorum. Quum autem eo mortuo dederunt pœnas ſuæ impietatis, hoc non fuiſſe de nihilo prædictum aliqua ex parte apparuit. Impii enim, dum proſperis rebus fruuntur, nihil metuunt, nec putant ſe dejici poſſe. Ita Judæi nunquam futurum exiſtimabant, ut pellerentur è Judæa, atque in exilium abducerentur: ſtabilem illic ſedem ſibi eſſe confidebant. Ideo ſuperbiendi & inſoleſcendi materiam ipſis adimi oportuit. quo tendunt hæc Prophetæ verba, Incolas renovatæ urbis prioribus fore diſſimiles: quia juſtitiam & fidem colent. Cæterum tunc quoque luſoria videri potuit hæc promiſſio, quia expulſis & in ſervitutem abductis nihil ſolatii reſtabat. Proinde diruto templo, exciſa urbe, omnique rerum ſtatu everſo ac perdito objicere poterant, Ubi ſunt illæ portæ quas aperiri jubet? ubi populus qui ingrediatur? Hæc tamen impleta eſſe cernimus, nec quicquam prædictum fuiſſe, quod Dominus non præſtiterit. Veteres ergo illæ hiſtoriæ nobis proponendæ ſunt, ut earum exemplo muniamur, & in deſperatiſſimo Eccleſiæ ſtatu Dominum nihilominus eam erecturum ſperemus. Gentem vero juſtam & veracem nominans, non ſolum deſignat

Pro-

ſupr. 15. verſ. 1. Propheta, ut nuper attigi, ad quos hæc promiſſio pertineat, ſed fructum caſtigationis oſtendit: quia poſt purgatas ſordes Eccleſiæ, ſanctitas & juſtitia purior eniteſcet. Tunc enim multitudo impiorum prævalebat, pauciſſimi boni erant, & aliorum numero obruebantur. Illam ergo multitudinem tolli oportuit, quæ timore Dei & religione carebat, ut Dominus reliquias ſuas colligeret. Atque hæc extitit ruinæ compenſatio, ut Jeroſolyma, quæ civium ſuorum impietate polluta erat, iterum vere conſecraretur Deo. Neque enim ſatis fuiſſet recuperare florentem ſtatum, niſi etiam in ſanctitate & juſtitia fulgeret vitæ novitas. Cæterum, ſicuti Dei gratiam prædicat Propheta: ita etiam redemptum populum ad colendam vitæ integritatem hortatur. In ſumma, denunciat has promiſſiones nihil profuturas hypocritis, neque iis portas urbis, ſed juſtis tantum & ſanctis apertum iri. Certum eſt Eccleſiam ſemper Matth. 3. verſ. 12. areæ ſimilem fuiſſe, in qua paleæ tritico permiſcentur, imo triticum obruitur à paleis: minime tamen dubium eſt quin purior fuerit Eccleſia, quum Judæi in patriam reducti ſunt. Nam eos qui redibant inſtinctu bono impelli oportuit, ut per tot moleſtias, difficultates & pericula, tam longum iter ſuſciperent: quum alii interim multi in exilio manere quam redire mallent: tutiorem ſcilicet, & pacatiorem ſtatum ſuum commorantibus Babylone, quam in Judæam redeuntibus eſſe ducentes. Ergo in iis ſemen aliquod pietatis eſſe oportuit, quo inſtigabantur ad promiſſiones, quæ patribus datæ erant, potiendas. Cæterum, quamvis tunc quoque multis vitiis adhuc infecta fuerit Eccleſia, comparative tamen hoc verum fuit: quia & multa colluvies evanuerat, & reliqui nonnihil ſub Dei ferulis profecerant. Porro hanc ſententiam nonnulli ſic diſtinguunt: Gens juſta coram Deo, & recta coram hominibus. Ego vero ſimplicius accipio: poſtquam ſcilicet gentem juſtam nominavit, oſtendit in quo conſiſtat ea juſtitia: nempe, ubi eſt integritas cordis, quæ nihil fictum aut ſimulatum habet. nam juſtitiæ nihil magis contrarium eſt quam hypocriſis. Et quamvis nemo unquam ſit repertus, qui euſque profecerit, ut poſſet à perfecta juſtitia commendari: tamen filii Dei, qui toto animo ad hanc veritatem aſpirant, ejus cuſtodes dici poſſunt. Niſi forte magis placeat ab una parte per ſynecdochen notari quænam ſit vera juſtitia, ubi ſcilicet dolis omnibus & malis artibus valere juſſis, ſincere & veraciter inter ſe agunt homines. Quod ſi aliquis hinc merita hominum aſtruere vellet, reſponſio eſt facilis: nec enim de cauſa ſalutis hic tractatur à Propheta, nec quales ſint natura homines, ſed quales gratia ſua Deus efficiat, & quales Eccleſiæ ſuæ cives habere velit. Efficit enim ex lupis oves, ut prius ſupr. 11. verſ. 6. cap. 11. vidimus. Quamdiu autem hic vivimus, longe ſemper abſumus à perfectione, atque in progreſſu aſſiduo ſumus: ſed Dominus nos æſtimat ab eo quod in nobis inchoavit: & quum ſemel nos in viam juſtitiæ induxit, habet etiam pro juſtis. Quum hypocriſin noſtram corrigere & emendare cœpit, ſimul veraces nos & integros vocat.

3. *Cogitatio fixa.*] Quia יצר Hebræis tam eſt Figmentum vel Creatura, quam Cogitatio, quidam ita vertunt, Figmento innixo cuſtodies pacem: acſi intelligeret Propheta homines, ubi Deo ſuffulti inter mundi agitationes in ſua firmitate manent, tutos ſemper fore. alii vertunt, Cogitationi fixæ cuſtodies pacem: quod eodem fere redit, beatos ſcilicet ad extremum fore, qui mentes ſuas defixerint in uno Deo. Neque enim aliter cuſtodem ſuorum ſe promittit fore Deus, niſi dum animis compoſitis recumbunt in ejus gratiam, non autem alternant vel fluctuant. Sed quia non apponitur nota dativi caſus, ſed conciſe dicit Propheta, Cogitatio fixa vel ſtabilis, expendant lectores annon magis conveniat referri ad Deum: ut ſit ſenſus, æterno ejus conſilio & immutabili fundatam eſſe Eccleſiæ pacem. Nam magnopere intereſt, ne inter varias mundi converſiones ſubinde vacillent pii animi, reſpicere ad cæleſte decretum. Illud quidem verum eſt, conſtanter ſperandum eſſe in Deo, ut perpetuam ejus fidem experiamur in nobis ſervandis: ſemperque requiri à fidelibus, ne ancipiti & dubia hæſitatione diſtrahantur, ſed uni Deo firmiter adhæreant: ſenſus tamen hic facilius elicitur, & melius fluit ex Prophetæ verbis, Hoc fixum & inviolabile Dei eſſe decretum, ut æterna pace fruantur quicunque in ipſo ſperant. Nam ſi fixa cogitatio pro certitudine & conſtantia piorum accipitur, ſupervacua eſſet cauſæ redditio, Quia in te confiſum eſt. Denique utraque loquutio aſpera eſſet, figmento vel cogitationi paratam eſſe continuam pacem. Hoc autem aptiſſime convenit, ubi in Deo confidimus, nunquam ipſum fruſtrari ſpem noſtram: quia æterna cuſtodia nos proſequi decrevit. Unde ſequitur, quia ex mundi ſtatu non pendet ſalus Eccleſiæ, non nutare neque agitari pro variis converſionibus quæ quotidie accidunt: ſed quia in Dei conſilio fundata eſt, ſolida fidelique ſtabilitate niti, ut nunquam excidere queat. Ac ſubeſt, meo judicio, tacita antitheſis inter fixam cogitationem Dei, & erraticas noſtras imaginationes: quia ſingulis fere momentis obrepit aliquid novi quod mentes noſtras ſurſum deorſum impellat: nec ulla eſt tam levis mutatio, quæ non injiciat aliquid dubitationis. Quare tenendum eſt illud principium, perperam nos facere, ſi immutabile Dei conſilium volaticis noſtris commentis metimur: ſicut alibi videbimus, Quantum diſtant cæli à terra, ita procul ab- infr. 55. verſ. 9. ſunt cogitationes meæ à cogitationibus veſtris, domus Iſraël. Quare hoc in primis ſtatuere convenit, mutationi non eſſe obnoxiam ſalutem noſtram. quia non variat Dei ſententia. Hæc cauſa eſt repetitionis, Cuſtodies pacem, pacem: quia notatur continuus tenor ad perpetuitatem uſque. Pacis vero nomine intelligo non ſolam animi tranquillitatem, ſed omne felicitatis genus. acſi diceret, in ſola Dei gratia ſatis eſſe ad beate proſpereque vivendum.

4. *Sperate in Jehova.*] Quod ad verba ſpectat, legunt quidam in ſecundo membro Sperate in Deo Jehova forti ſeculorum. ſed quum צור non ſemper ſit epitheton, ſed fortitudinem ſignificet: ſenſum illum ut coactum repudio. Et ad rei ſummam non multum refert, ut mox liquebit. Parum etiam firma eorum argutia eſt, qui hinc eliciunt Chriſti divinitatem, acſi Jehovam in Jah eſſe Propheta diceret. Nam duplex ponitur Dei nomen conſulto, amplificandæ virtutis ejus cauſa. Hortatur autem nunc populum, ut ſecure ſe Deo committat. poſtquam igitur præceſſit doctrina, nunc exhortationi locus eſt. Ac fruſtra hæc dicerentur, Pacem noſtram eſſe in manu Dei, eumque fidelem nobis ejus cuſtodem eſſe, niſi de hac re edocti atque inſtituti, ſimul etiam animaremur exhortationum ſtimulis. Quanquam non ſimpliciter ad bene ſperandum nos incitat, ſed ad perſeverantiam. ac proprie ad fideles, qui jam didicerunt quid ſit in Dominum ſperare, pertinet iſta oratio: qui quum adhuc infirmi ſint, & ut variæ diffidentiæ occaſiones occurrunt, cum quibus luctandum eſt, ſæpius poſſint labaſcere, confirmatione opus habent. Ideo non modo ſimpliciter jubet ſperare in Domino, ſed conſtanter in ſpe ac fiducia ad finem uſque permanere. Notanda etiam quæ additur ratio, nempe quod ſicut perpetua eſt potentia Dei, quæ fidei ſcopus eſt, ita fides ad eandem perpetuitatem ſeſe extendere debeat. Quum enim Propheta de fortitudine & potentia Dei concionatur, non intelligit otioſam potentiam, ſed efficacem & actuoſam quæ ſe in nos reipſa exerat, atque ad exitum perducat id quod cœperit. Atque hæc doctrina latius patet: ut vere credamus conſiderandam nobis eſſe

eſſe naturam Dei, quia ſimulac deſectimus ab hoc intuitu, nihil niſi fluxum apparet, ideoque ſtatim evaneſcimus. Itaque per continuos progreſſus mundum ſuperare debet fides, quia nec veritas, nec juſtitia, nec bonitas Dei temporalis eſt vel caduca, ſed Deus perpetuo ſibi conſtat.

5. & 6. *Nam incurvabit.*] Nunc melius exprimit de qua virtute Dei ſit loquutus: nempe de ea quam ipſi experimur, & quidem in bonum noſtrum. ideo cohærent inter ſe hæc duo membra, Proſterni Dei virtute ſuperbos, humiles vero & abjectos in illorum gradum ſubſtitui. quia ad plenam conſolationem non ſufficeret quod docet priore loco ſuperbos humiliandos eſſe, niſi etiam addidiſſet, humiles extollendos, ut regnum in ſuperbos obtineant. Agnoſcimus ergo propria experientia Deum efficaciter in ſalutem noſtram operari, unde nobis ſperandi materia ſuggeritur. *Celſitudinis* nomine tam omnis generis munitiones & propugnacula comprehendit (quia ſolebant veteres extruere urbes in locis editioribus) quam ſplendorem & opulentiam. Significat ergo nullum præſidium obſtare Deo poſſe, quominus impios dejiciat ac proſternat. Turres certe & propugnacula non diſplicent Deo: ſed quia raro evenit, ut qui robuſti ſunt & potentes, non ſuperbiant, ideo Celſitudo ſæpe pro Superbia capitur. Non dubium eſt autem quin loquatur de impiis, qui quum armis, opibus, & pecunia valeant, ſe adverſus Deum ipſum munitos
ſupr. 13. eſſe arbitrantur. Et conſolatur, ut prius dictum eſt,
verſ. 1. Judæos, quod invicta Babylonis potentia terreri, & ſe in deſperationem conjicere potuiſſent, niſi Dominus hac promiſſione eos ſublevaſſet. Non eſt quod magnitudine Babylonis aut viribus terreamini: facile enim concidet, nec potentiæ Domini obſiſtet.

7. *Semita juſto rectitudines.*] Non laudat piorum juſtitiam, ut quidam falſo putarunt: ſed docet Dei benedictione proſperos & optabiles illis eſſe ſucceſſus in toto vitæ curſu. Sed quum principio verſus breviter tantum dixiſſet, planas & æquabiles eſſe ipſorum vias, ſecunda parte clarius ſe explicat, Dei gratiæ adſcribens quod juſti quaſi per apertam planitiem in ſtadio ſuo ad metam uſque pergunt. Nam in verbo Librandi metaphora eſt, quod Deus quaſi adhibita lance ad æqualem modum temperet quæ per ſe erant inæqualia. In voce ישר eſt ambiguitas, quia tam ad Deum, quam ad viam referri poteſt. Ideo vertunt quidam, *Tu qui rectus es, viam juſti diri-*
Deut. 32. *ges.* & Deus alibi ſic vocatur. Nec inepta eſſet allu-
verſ. 4. ſio, Rectitudines de quibus loquutus eſt à Deo ma-
Pſal. 25. nare, quia ſolus rectus eſt. Quanquam altera verſio
verſ. 8. videtur minus coacta. Promittit autem in ſumma juſtos curæ Deo fore, ita ut manu ejus quaſi ducantur. Nam omnia videntur in hoc mundo temere volvi, quum impiis bene eſt, juſti vero opprimun-
Pſal. 37. tur: & quamvis Scriptura toties prædicet ac confir-
verſ. 5. met eos curæ eſſe Deo, vix tamen conſiſtere poſſu-
1 Petr. 5. mus, & vacillamus, quum infauſta iis omnia acci-
verſ. 7. dunt. verum tamen eſt Dei libra complanari juſtorum vias: quantumcunque difficiles & aſperæ vi-
Pſal. 91. deantur: quin etiam eorum cuſtodiam mandavit
verſ. 11. Angelis ſuis: ne forte lædantur aut impingant ad lapidem pedem ſuum. alioqui concidere ipſos vel labi vel laſſitudine deficere facile eſſet: nec ullus unquam ipſis ex tot ſpinis, vepribus, præruptis viis, perplexis anfractibus, aſperiſque locis pateret exitus, niſi ipſos educeret Dominus ac liberaret. Proinde diſcamus nos commendare Deo, eumque ducem ſequi, ac tuto dirigemur. Quamvis nos inſidiæ, fraudes, aſtutiæ diaboli & impiorum, innumeraque pericula circumdent, evadere ſemper dabitur. Experiemur quod hic dicit Propheta, vias noſtras inter profundas quoque voragines æquari, ne ulla obſtacula curſum noſtrum abrumpant. Et certe experientia docet, niſi regamur Dei ductu, fruſtra per invia nitendum eſſe, ut vix pedem unum progredi liceat (quæ noſtra eſt imbecillitas) ad minimum quodque offendiculum hæremus. Satan autem & impii non ſolum multis tricis nos implicant ac morantur, nec leves tantum difficultates nobis objiciunt, ſed nunc crepidines, nunc abyſſos, quibus ſuperandis ne totus quidem mundus par eſſet. Ergo quam neceſſaria ſit nobis cæleſtis directio agnoſcere convenit, & fateri cum Jeremia, Scio Domine, quod Jer. 10.
non eſt hominis via ejus: nec viri ambulantis ut diſ- verſ. 23.
ponat greſſum ſuum. Ne ergo efferamur inani confidentia, acſi in manu rerum ſucceſſum poſitum haberemus. ne jactemus, ut monet Jacobus, nos hoc Jacob. 4.
vel illud acturos: quemadmodum homines temerarii verſ. 13.
faciunt, acſi omnia ſuo arbitratu efficere poſſent: quum vel linguam dirigere penes nos non ſit, ut ait Solomon, quo apte reſpondeamus. Fruſtra ergo ho- Prov. 16.
mines proponunt, deliberant, ac ſtatuunt de viis verſ. 1.
ſuis, niſi Deus manum porrigat. Porrigit autem juſtis, eorumque peculiarem curam gerit. nam quum Pſal. 147.
ad omnes extendatur providentia Dei, qui & corvo- verſ. 9.
rum pullis & paſſerculis, & minimis quibuſque animantibus neceſſaria ſuppeditat: tum vero paterna ſollicitudine erga pios afficitur, ut eos è periculis & difficultatibus eripiat.

8. *Etiam in via.*] Hic verſus continet pulcherrimam doctrinam, ſine qua cætera fruſtra dicta videri poſſent. Quum enim dixerit Deum nobis fore ducem tota vita, ut nunquam erremus aut impingamus: atque interea tot anguſtiis coarctemur, ex re ipſa inanes eſſe iſtas promiſſiones judicaremus. Ergo quum exercet patientiam noſtram, luctandum, & nihilominus in ipſo ſperandum eſt. Ejus rei nos hic admonet Propheta, Quamvis amœna planities non ſemper arrideat oculis noſtris, nec facilis ſub pedibus noſtris ſternatur via, ſed per multos rigidos occurſus anhelandum ſit, dandum ſpei & patientiæ eſſe locum. *Viam judiciorum* accipit pro rebus adverſis, & ita ſæpe in Scripturis accipitur nomen Judicii. Hac autem nota diſtinguuntur pii ab hypocritis, qui in proſpero rerum ſtatu benedicunt Deo, & magnifice de eo loquuntur: in adverſis autem obmurmurant, Deoque ipſi maledicunt, ac plane oſtendunt ſe nullam in eo fiduciam habuiſſe. Itaque ex præſenti tantum fortuna Deum æſtimant. Pii vero quum exercentur ærumnis & calamitatibus, magis ac magis ad fiduciam acuuntur. Ideo particula אף emphatice ponitur, acſi diceret fideles non modo alacriter Deum colere, quantiſper ipſis indulget, ſed ſi durius exerceat non deficere tamen, quia ſpe fulciuntur. Proinde hæc vera ſolidæ pietatis probatio eſt, ubi non ſolum quum nos beneficentia ſua proſequitur Deus, ſed quum ſubducit faciem ſuam, noſque affligit, omniaque iræ & ſeveritatis ſigna præbet, in ipſo ſpem fiduciamque noſtram locamus. Diſcamus accommodare hanc doctrinam in uſum noſtrum, quoties nos urgent præſentis vitæ calamitates: nec deſinamus, etiam deſperatiſſimis in rebus, in eum ſperare. Etiamſi me occiderit, inquit Job, Job. 13.
in eo ſperabo. Et David, Etiamſi ambulandum eſſet verſ. 15.
in medio umbræ mortis, confiſurum ſe, nec attoni- Pſal. 23.
tum fore dicit: quia noverit Deum ſibi adeſſe. *Ad* verſ. 4.
nomen tuum. Oſtendere vult Propheta unde infatigabilis illa ſtrenuitas, ut gravioribus malis pii non ſuccumbant: nempe quia tam profanis deſideriis quam nimiis anxietatibus expliciti, fortiter ad Deum ſuſpirant. Nam ut ſunt inordinati noſtri affectus, & ſollicitudines nos quaſi terræ affixos tenent, animi noſtri aut perperam vagantur, aut per ignaviam ſubſidunt, quominus ad Deum libere aſſurgant. Quum autem eſſentia Dei nobis abſcondita ſit, eo fit ut tardiores ſimus ad ipſum quærendum. Ideoque ab occulta eſſentia & incomprehenſibili ad nomen ejus nos revocat Propheta: acſi juberet manifeſtatione quæ in verbo occurrit nos eſſe contentos; quia illic Deus quoad expedit, juſtitiam, ſapientiam, & boni-

& bonitatem ſuam & ſeſe nobis declarat. *Memoriam* quoque non fruſtra adjecit. ſignificat enim primam apprehenſionem aut cogitationem non ſufficere, ſed aſſiduam meditationem requiri, quia ſine adminiculo ſtatim evaneſceret lux omnis doctrinæ. Et certe vera & ſeria cognitio Dei nos inflammat ad ipſum deſiderandum: neque id ſolum, ſed etiam ad proficiendi deſiderium incitat, quoties ſubit in mentem noſtram ejus memoria. Itaque præcedit cognitio Dei: deinde exerceri nos decet frequenti recordatione: quia non ſufficit ſemel ejus apprehendiſſe notitiam, niſi ex continua meditatione amor & deſiderium creſcat. Atque hinc percipimus, notionem Dei, mortuam imaginationem non eſſe.

9. *Anima mea.*] Major eſt expreſſio ſententiæ ſuperioris. Prius enim in perſona fidelium omnium loquutus, deſiderium animæ ad Deum ferri dixerat. nunc de ſe addit, Anima mea deſideravit: acſi diceret, Ego omnes animæ meæ facultates in hoc intentas habeo, ut quæram nomen tuum. נפש, ſæpe pro Anima vitali capitur: ſed quoniam hic Propheta duobus vocabulis utitur, ea ſic diſtinguo, ut נפש Affectum aut voluntatem ſignificet: רוח, Partem intellectivam. quia ſcimus has animæ humanæ præcipuas eſſe partes, nempe Intellectum & Voluntatem: quarum utramque merito Deus ſibi vindicat. quo etiam pertinet illud, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, tota mente tua, omnibuſque viribus tuis. Omnes igitur animæ ſuæ facultates eo niti oſtendit Propheta, ut Deum quærat, ipſique adhæreat. Alii Spiritum accipiunt pro parte regenita, atque ita per נפש intelligunt animam naturalem: per Spiritum, gratiam Dei, quæ ſupernaturalis eſt. Verum illud ſtare non poteſt. homo enim ψυχικὸς nunquam inquirit Deum: atque experimur quantum nobis repugnet ſenſus noſter quum ad Deum aſpiramus, & quanta difficultate eluctemur ex hac repugnantia. Hæc igitur interpretatio refutatione non eget, quum aperte pugnet cum Scriptura. Et ex multis ſimilibus locis ſatis liquet tantundem valere Spiritum & Animam, ac mentem & cor. Per *noctem*, Scriptura ſæpe intelligit res adverſas, quæ tenebris & caligini comparantur. Ego tamen paulo ſecus interpretor: acſi diceret Propheta, Nullum eſt tempus tam importunum aut intempeſtivum, quo te non invocem ac requiram. Parum quidem à ſuperiore differt iſta interpretatio, ſed aliquanto generalior eſt. nox enim videtur quieti deſtinata, tuncque omnia hominum deſideria ceſſant. denique dormiens parum differt à mortuo. Tunc igitur quum quietis & otii tempus eſt, ſe ad Deum quærendum expergefieri dicit, ita ut nulla occaſione deflectatur. non quod dormientes præſentem aliquam cogitationem habeant: ſed quod ſomnus ipſe, ſi ad Deum tendimus, pars ſit curſus noſtri: & quamvis ſopiti & ſilentes, ſpe tamen & fiducia ipſum laudamus. Sed non proprie de ſomno intelligit Propheta. metaphorice enim loquitur: quod ex proximo membro iterum aperte liquet, ubi nocti opponitur tempus matutinum: ſic notatur continuitas. Ac notanda eſt cauſæ redditio, ubi dicit Incolas terræ diſcere juſtitiam ex Dei judiciis: ſignificans homines ferulis erudiri ad timorem Dei. Rebus enim ſecundis obliviſcuntur ipſius, eorumque oculi velut pinguedine excæcantur. exultant ac laſciviunt, nec ſe in ordinem redigi ſinunt. Ideo Dominus eorum petulantiam coërcet, eoſque ad obedientiam erudit. Denique fatetur ſe & alios præparatos fuiſſe Dei caſtigationibus, ut ejus imperio ſe ſubjicerent, ſeque committerent ejus cuſtodiæ. quia niſi exerta manu Deus jus ſuum ſibi vendicet, nemo ſe in obſequium ſponte tradit.

Deut. 6. verſ. 5.
Mat. 22. verſ. 37.

10. *Gratiam obtinebit impius.*] Hanc ſententiam ſuperiori opponit Jeſaias. Dixerat enim pios, etiam quum affliguntur, vel alios affligi vident, nihilominus conquieſcere in amore Dei, atque in eum ſperare. nunc contra, impios nullo modo adduci poſſe ut Deum ament, etſi beneficiis omnibus eos allicere, ſibique adjungere conetur: qualemcunque ſe Dominus erga illos oſtendat, nihilo reddi meliores. Videtur autem primo aſpectu hic verſus à proximo diſcrepare, quod illic diceret, Tunc agnoſci juſtitiam Dei in terra, quum judicia ipſe ſua exercet, ſeque judicem eſſe oſtendit, & hominum ſcelera ulciſcitur. hic autem dicit, Nulla ratione protrahi vel adduci impios ut ipſum colant, tantumque abeſſe ut emendentur plagis, ut etiam beneficiis deteriores reddantur. Nam certe caſtigationum fructus non apparet in omnibus, quando in illis nihil impii proficiunt. quemadmodum perſpicimus in Pharaone, qui plagis & flagellis obſtinatior eſt redditus. Sed quamvis de incolis terræ indefinite loquutus ſit, ſolos tamen Dei electos proprie complexus eſt, niſi quod profectus iſte quibuſdam etiam hypocritis communis eſt: quia interdum coacti tanguntur Dei reverentia, & pœnarum metu frenantur. Sed quia ſinceram reſipiſcentiam Propheta hic deſcribit, ſolos Dei filios deſignat per terræ incolas. Nonnulli interrogative accipiunt, An gratia fiet impio? vel, Cur impius gratiam obtineret? quaſi innueret Propheta, ipſos eſſe indignos quibuſcum clementer Deus agat. Ego autem ſic potius reſolvo, Utcunque beneficiis alliciat Deus impios, nunquam recte agere diſcent. Hic igitur Propheta ſuperiorem ſententiam reſtrinxit. Et quum dicit Perverſe acturos in terra rectitudinum, amplificat indignitatem hujus ingratitudinis. Jam ſatis grave malum erat, eos abuti beneficiis Dei, iiſque reddi pervicaciores: ſed ad cumulum impietatis accedit, quod perverſe agant in terra quam ſibi Dominus conſecraverat. Loquitur autem de Judæa, tametſi ad alias quoque regiones extendi poſſit, in quibus nunc colitur Deus. ſed tunc nullam aliam hoc titulo inſignire poterat Jeſaias, quum nulla alibi eſſet notio Dei. Ideo Judæam vocat *terram rectorum operum.* Sic autem interpretor, quia quum Propheta uſus ſit fœminino genere נכחות, ad homines referri non poteſt. Itaque hoc titulo inſignitur, quod illic vigeret Lex, & populus ille à Deo peculiariter electus eſſet. idque addidit, ut exaggeret populi ingratitudinem, ſicuti jam dictum eſt. Nam quod promiſcue quidam ad totum orbem extendunt, quia ubicunque vivamus, hac lege alimur à Deo, ut colamus rectitudinem, videtur nimis remotum. Cæterum quum Dominus ubique regnum ſuum hodie propagarit, ubicunque nomen ipſius invocatur, illic terra rectorum operum eſt. quo fit, ut bis ſimus damnandi, niſi tot & tantis beneficiis provocati, pietatis ſtudio & bonis operibus gratitudinem noſtram teſtemur. Quod addit, Reprobos non viſuros magnificentiam Dei, minime crimen eorum levat, ſed duplicat potius: quia turpis & pudenda ſocordia eſt, non animadvertere ad Dei gloriam quæ palam ante oculos noſtros verſatur. quo minus excuſabiles ſunt impii, quia utcunque nomen ſuum variis modis illuſtret Dominus, cæcutiunt tamen in clara luce. Nunquam vero deſunt teſtimonia, quibus Dominus magnitudinem & gloriam ſuam conſpicuam reddat: ſed pauci ea conſiderant, ut prius capite quinto vidimus. Cæterum non ſolum per ordinaria opera naturæ Dominus patefacit gloriam ſuam, ſed etiam per inſignia quædam miracula & documenta, quibus nos de bonitate, ſapientia, & juſtitia ſua abunde inſtruit. Impii ad ea claudunt oculos, neque animadvertunt, tametſi vanis in rebus ſint admodum perſpicaces. quam pravitatem nunc coarguit & objurgat Propheta. Alii exiſtimant hic reprobis minari, quaſi indigni eſſent hoc operum Dei conſpectu. Quod tametſi verum ſit, quia tamen hoc membrum cohæret cum reliquis, adhuc reprehendit ſocordiam eorum qui

Exod. 7. verſ. 13.
Pſal. 76. verſ. 2.
ſup. 5. verſ. 12.

qui animum in opera Dei non intendunt, ſed potius obſtupeſcunt. Quo fit ut hodie minus mirum videri debeat tam paucos reſipiſcere, tametſi permulta juſtitiæ Dei documenta pateant. nam ad conſideranda opera Dei ſemper infidelitas cæca eſt.

11 *Jehova, exaltata eſt manus tua.*] Explicatio eſt ſuperioris ſententiæ. Nihil enim novi adfert: ſed planius facit quod paucis antea perſtrinxerat. Prius enim dixit impium non viſurum magnificentiam Domini: nunc quæ ſit illa magnificentia explicat: ea videlicet, quæ in operibus Dei apparet. Nec enim mittit nos ad occultam illam majeſtatem, quæ nobis abſcondita eſt, ſed ad opera adducit, quæ μετωνυμικῶς per Manum ſignificat. Hic autem rurſus accuſat impios, atque oſtendit eos non poſſe ignorantiæ prætextu excuſari. quamvis enim nihil cernant, tamen perſpicua eſt Dei manus: nec quicquam obſtat, quam cæca eorum ingratitudo, imo voluntaria ſocordia, quominus eam conſpiciant. poſſent enim nonnulli ignorantiam cauſari, ſibique hæc opera non patere: ſed exaltatam manum eſſe dicit, non ſolum exertam: ita ut non paucis quibuſdam ſit viſibilis, ſed eminus refulgeat.

Videbunt & pudefient.] Satis oſtendit hunc aſpectum diverſum eſſe ab eo de quo antea loquutus eſt, quum diceret impios non videre gloriam Domini. Vident enim: ſed non animadvertunt, neque obſervant. ſed tandem viſuri ſunt: at nimis ſero, magnoque ſuo malo. Poſtquam enim diu abuſi fuerint patientia Dei, ſeque pervicaces & obſtinatos præbuerint, tandem judicia Dei agnoſcere cogentur. Sic Cain, Eſau, & ſimiles quos ſcelerum nimis ſero pœnituit, quamvis refugerent conſpectum Dei, videre tamen coacti ſunt ipſum judicem. ita ſuis contemptoribus Deus ſenſum aliquem ſæpe extorquet, quo illuſtret ſuam potentiam. Sed nihil eos juvat talis cognitio. Sic igitur Propheta minatur impiis, poſtquam eos cæcitatis arguit, ut oſtenderet omni ignorantiæ prætextu carere: ac denunciat fore tempus quo intelligent cum quo ſibi fuerit negotium, tuncque ſenſuros minime ſpernendum eſſe nomen illud cæleſte, quod nunc pro fabula ducunt, & aſpernantur. clauſis enim oculis ſibi indulgent, & nos habent ludibrio, nec Deum judicem fore exiſtimant: quin potius in miſeriis & ærumnis noſtris ſpectaculo ipſis ſumus. Itaque nos velut ex alto deſpiciunt, magiſque ac magis obdurantur: ſed veros tandem cultores Dei operam ſuam non luſiſſe intelligent. Cæterum ut doceat conſpectum hunc gloriæ Dei, non modo ipſis eſſe inutilem, ſed noxium, cum pudore viſuros dicit Dei erga fideles benedictionem, cujus ipſi erunt expertes. deinde pœnæ atrocitatem auget, quod non tantum urentur æmulatione, quum videbunt filios Dei ereptos ex iſtis miſeriis, atque in gloriam evectos eſſe: ſed etiam accedet aliud malum: nempe, quod hoſtili igne vorabuntur. Ergo *zelus* populi hic Indignationem ſignificat, quam concipiunt reprobi, dum ſortem piorum cum ſua comparant. *Ignem hoſtium* vocat, quo Deus hoſtes ſuos conſumit. Ignem enim accipit pro Dei ultione. quia hic non ſumi debet pro igne viſibili quo urimur: neque etiam pro fulmine duntaxat, ſed metaphorice accipitur pro diro cruciatu: ut ſæpe etiam alias Scriptura extremam Dei ultionem hoc nomine ſignificat. nec enim ſatis diſerte exprimi poteſt hic cruciatus. Quanquam non diſplicet Prophetam ad Sodomæ & Gomorrhæ interitum alludere.

Geneſ. 4. v. 13. 14. & 27. verſ. 38. Hebr. 12. verſ. 17.

Geneſ. 19. verſ. 24. Deut. 32. verſ. 22. Job 20. verſ. 26. & 22. verſ. 20.

12 *Jehova ordinabis pacem.*] Hæc ſententia ad piorum conſolationem pertinet, acſi diceret, Videmus qualis futurus ſit exitus impiorum. Eos enim filiorum conſortio abdicabis, ac velut hoſtes igne abſumes: nos vero beati futuri ſumus. Verbum שית, quod Ordinare ſignificat Hebræis, tantundem valet ac Stabilire: quaſi diceret, Continua ſerie pacem nobis contexes. Nam impii quoque fruuntur pace, ſed non diuturna: pax vero noſtra in Domino ſtabilita eſt, firmumque fundamentum habet, nec ullo tempore finitur. Pacis autem nomine, ſolidam felicitatem deſignat. Hinc collige, ſolos filios Dei, qui in ipſo quieſcunt, beatos eſſe. Impiorum enim vita utcunque deliciis & voluptatibus abundet, dum ex voto illis omnia fluunt, miſerrima eſt. Nullum igitur eſt pacis firmamentum, niſi in paterno Dei amore. Per *Opera*, intelligit omnia beneficia quibus Dominus proſequitur ſuos fideles. acſi dixiſſet, Res, negotia, actiones & quæcunque ſunt ex uſu noſtro: Gallice, *nos affaires*. Qui ergo hoc teſtimonio uſi ſunt ad evertendum liberum arbitrium, Prophetæ mentem aſſequuti non ſunt. Verum quidem eſt, Deum ſolum bene agere in nobis, & quicquid recte inſtituunt homines, eſſe ex illius Spiritu. ſed hic ſimpliciter docet Propheta omnia bona quibus fruimur, ex Dei manu adeptos eſſe. Inde colligit nullum fore beneficentiæ finem, donec plena felicitas accedat. Cæterum, quum Deus auctor ſit omnium bonorum, ea quæ primum ac præcipuum locum tenent, in primis conſideranda. nam ſi Deo accepta ferri debent ea quibus vitam hanc tuemur, multo magis quæ ad animæ ſalutem pertinent. Ergo ſi in rebus minutis beneficentiam ejus agnoſcimus, quanto magis in maximis & præſtantiſſimis agnoſcere decebit? Sed non eſt cur hunc locum objiciamus Papiſtis ad eorum doctrinam refellendam, quum facile ipſum eludere poſſint, multiſque aliis apertiſſimis abundemus. Itaque videtur hic Propheta incitare pios ad gratitudinem teſtificandam. Jubet enim ipſos ita prædicare beneficia Dei, ut quicquid habent, ab eo ſe tenere fateantur. Atque hic continetur utilis doctrina: Pios videlicet ex rebus anteactis & beneficiis acceptis de futura etiam beneficentia Dei ratiocinari, ac colligere ſe quoque in poſterum ipſi curæ futuros. Experti igitur beneficia Dei, in futurum quoque ſperare diſcamus. quum ſe tam beneficum & liberalem præſtiterit, animos noſtros in ſpe futuri auxilii conſtanter obfirmemus. Hoc exemplum pii omnes ſequuti ſunt, fidemque ſuam hoc modo aluerunt. Sic enim David, Opus manuum tuarum non deſpicies. Et Paulus, Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet. Item Jacob, Minor ſum miſerationibus tuis & veritate, quam exhibuiſti ſervo tuo. ſed tu dixiſti, Benefaciendo, &c. Nec enim Deus ſimilis eſt hominibus, ut fatigari benefaciendo, aut exhauriri largiendo poſſit. quo pluribus ergo beneficiis nos cumulavit: eo magis ſpes noſtra confirmari debet, ac augeſcere.

Philip. 2. verſ. 13.

Pſal 138. verſ. 8. Philip. 1. verſ. 6. Geneſ. 32. verſ. 10.

13 *Jehova Deus noſter.*] Hic verſus continet querimoniam piorum, quod tyrannide impiorum oppreſſi fuerint. Eſt enim compoſitum hoc carmen ad erigendos fidelium animos, qui duro exilio ejiciendi erant è terra illa, quæ ſymbolum erat æternæ felicitatis, ut ſacrificiis & ſacris conventibus, omnique fere conſolatione privati, ſub duro Babyloniorum jugo conſtricti, extorres à patria, ignominia & malis ingentibus obruti, ſuos ad Deum gemitus petendæ levationis cauſa dirigerent. Loquitur ergo nomine fidelium, qui in ſpeciem à Deo rejecti videbantur: nec tamen deſinebant teſtari ſe populum Dei eſſe, atque in eum ſperare. Alienum autem à Deo imperium merito ſe ferre deflent, quia in ſuum unius patrocinium eos receperat. Unde ſequitur, niſi fuiſſent ab eo alienati, non ſubituros fuiſſe tam duram ſortem, ut tyrannice hoſtium libidini expoſiti forent. Omnes quidem Principes præter Deum dominari videntur, etiamſi ejus nomine præſint. verum non loquitur Propheta de iis qui bono noſtro præſunt: ſed de alienis à vero cultu, & piæ doctrinæ contrariis. David quidem erat aliquis dominus præter Deum, ſed ſimul legitimus Dei miniſter in communem totius populi ſalutem: ideoque veram religionem tuebatur, quam hi omnino everſam voluiſ-

ſent. Hoc autem merito Judæis ipſis acciderat, ut quum Deo benigniſſime eos tractanti parere noluiſſent, ſub impiorum tyrannidem redigerentur. Eſt enim hic tacita antitheſis inter Deum pioſque Reges, qui ejus nomine & auſpiciis populum gubernaverant, & tyrannos qui legibus iniquiſſimis imperantes, ipſum deinde oppreſſerunt. Planius hoc fiet ſimili Ezechielis loco: *Eze. 20. verſ. 24.* Dederam, inquit, illis leges bonas in quibus victuri eſſent. ſed quia non fecerunt judicia mea, & ſtatuta mea abjecerunt, & profanaverunt ſtatuta mea, & direxerunt oculos ad idola patrum ſuorum: ob id ego dedi eis ſtatuta non bona, & judicia in quibus non vivent. Quum poſſent antea Dei benedictione proſpere & feliciter agere ſi ejus verbo paruiſſent, minatur Propheta tyrannis fore obnoxios, ut inviti pareant rigidis eorum edictis: & quidem abſque profectu vel mercede. Similem nunc miſeriam deplorat Propheta, Quum Dominus imperaret nobis, non potuimus ſorte noſtra eſſe contenti: nunc duram tyrannidem ferre cogimur: meritaſque pœnas damus noſtræ improbitatis. Eadem querimonia uti poſſunt fideles qui degunt ſub Papatu, aut qui ad iniquas ſuperſtitionum leges quoquo modo adiguntur. Imperium enim ſubeunt quod præter Deum eſt: atque ſuſtinent pluſquam barbaram ſervitutem, qua non obſtringuntur corpora, ſed animæ ad lanienam & carnificinam ducuntur.

Tantum in te.] Hæc particula videtur opponi ſuperiori, in hunc ſenſum: Tametſi velint nos abducere profani homines à dominio tuo, nos tamen ſub eo perſtabimus, quoniam certo perſuaſi ſumus nos eſſe tuos. Sed pleniorem doctrinam elicere licet, Tametſi dictet ſenſus carnis relictos eſſe à Deo, & in prædam expoſitos qui crudeliter ab inimicis vexantur: Judæos tamen non deſinere in Deo gloriari, quem ſibi propinquum non cernunt: quia ſola nominis ejus recordatio eos ſuſtentat, ſpemque eorum ſuaviter fovet. Ita ſubeſt antitheſis valde emphatica inter memoriam nominis Dei, & præſentem experientiam gratiæ ejus. Raræ enim virtutis eſt, Deum quamvis abſentem conſtanter amplecti. Alii vertunt, In te & nomine tuo: ſed nulla eſt hic copula. Magna vero hic nobis conſolatio proponitur, admodumque neceſſaria his temporibus, quibus perverſa hominum ingratitudo duriſſimam tyrannidem excuſſo Dei jugo ſibi accerſit. nec mirum ſi jam multis in locis, ubi nomen Dei invocatum eſt, eam graſſari videamus. Non eſt tamen cur propterea pii animum deſpondeant: modo hac ſe conſolatione fulciant, nunquam à Deo penitus deſeri, quibus in recordatione nominis ejus ſatis ſolatii eſt: ſed fidem hanc neceſſe eſt ſimul teſtari, ut mori decies malint quam ſe profanando à Deo diſcedere: quia ubi hominum metu quis prævaricatur, certum eſt nullum dulcedinis nominis Dei guſtum vigere. Quamdiu ergo liberam habemus fruitionem Verbi, nos diligenter in eo exerceamus: ut quum uſus poſtulabit, armati ſimus: atque ita nos in umbra de nihilo philoſophatos non eſſe appareat.

14. *Mortui non vivent.*] Iterum concionatur Propheta de infelici exitu impiorum quorum felicitas nos ſæpe commovet atque ſollicitat: quemadmodum *Pſal. 37. verſ. 9. & 73. verſ. 17.* apud Davidem legimus Pſalmo 37. & 73. Ne ergo perſtringantur oculi noſtri præſenti rerum aſpectu, miſerrimum fore eorum exitum denunciat. Alii interpretantur hunc locum de fidelibus, qui mori videntur ſine ulla ſpe reſurrectionis: ſed minime dubium eſt, quin de reprobis loquatur, idque magis patebit ex ſententia diſſimili, quam 19. verſu ſubjiciet. Eſt enim oppoſitio inter piorum & impiorum reſurrectionem, inter quos parum eſſet diſcriminis, niſi hos æternæ morti addictos eſſe, illos vero beatæ atque æternæ vitæ deſtinatos conſtaret. Nec ſolum æterna mors impios manet, ſed quicquid jam in hoc mundo patiuntur, initium eſt interitus ſempiterni: quia nec ulla conſolatione erigi queunt, & ſentiunt Deum ſibi infeſtum. Ubi vertimus *Occiſos*, alii legunt Gigantes. ſed quum in plurimis Scripturæ *Pſal. 88. verſ. 11. Prov. 2. verſ. 18. & 9: 18. & 21. verſ. 16.* locis רפאים pro occiſis accipiatur, ſic etiam hoc loco melius quadrabit, quoniam alioqui non ſtaret antitheſis. Quod ſequitur, Propterea viſitaſti eos, explicative poſitum eſt, quia cauſam oſtendit cur ſine ſpe intereant reprobi: quia ſcilicet Dei conſilium eſt eos perdere. Porro in ira Dei nihil præter mortem & exitium ipſis expectandum eſt.

15. *Addidiſti genti.*] Varie exponitur hic verſus. ſunt enim qui putent hic indicari à Propheta, pios non uno tantum afflictionis genere premi, ſed quaſi in extremas miſerias demergi, nec ullum iis eſſe finem malorum. Alii ſimpliciter exponunt, Domine, gentem tuam variis beneficiis cumulaſti. atque exiſtimant Prophetam commemorare beneficia quibus Deus varie populum ſuum affecit: acſi diceret, populum non tantum una in re, ſed infinitis, beneficentiam ac liberalitatem Domini expertum eſſe. Sed quum animadverto ad id quod ſequitur, ubi ait, *Dilataſti*, id eſt, propagaſti imperium tuum, quod prius anguſtis finibus continebatur: malo duo hæc una inter ſe conjungere. quia poſterius membrum prioris interpretatio eſt. ac optime reſpondet quod ſequitur, Deum eſſe glorificatum. Scimus enim nulla ex re melius eluceſcere Dei gloriam, quam ex Eccleſiæ incrementis. Idem igitur eſt acſi diceret, Quum prius tibi exiguus eſſet populus, tu illum multiplicaſti, atque adauxiſti. Cooptatæ enim ſunt Gentes & adjunctæ Judæis hac lege, ut unus & idem populus ex iis efficeretur. Ita immenſam multitudinem addidit Dominus: quoniam filii Abrahæ ex omnibus nationibus vocati ſunt. Subaudiendum ergo hic non beneficia, ſed majorem numerum addidiſti: in hunc ſenſum, Domine, tu illa paucitate non contentus, populum immenſum tibi ex omnibus nationibus collegiſti. Hoc autem ad regnum Chriſti pertinet, quod Euangelii prædicatio per totum orbem propagavit. quam amplitudinem hoc loco celebrat Propheta, & deſignat hoc verbo Dilatandi. Quæ loquutio non eſt à communi uſu loquendi aliena, quum imperii aut finium ampliatio ſignificatur. neque tamen intelligit terram ampliorem factam, ſed diffuſo in omnes partes Dei cultu, propter mutuam communicationem fuiſſe amplius ſpatium & habitationem magis liberam: quia diſſidia quandam ſecum reſtrictionem ferebant. Hic habemus promiſſionem de vocatione Gentium, quæ pios in exilio illo & miſera diſſipatione Eccleſiæ non parum recreare debuit, ut quamvis ſe mirum in modum acciſos atque imminutos viderent, perſuaſum tamen haberent ſe ita adauctum iri, ut non tantum infiniti eſſent numero, ſed etiam ut exteræ nationes & alienæ ipſis adjungerentur.

16. *Jehova, in tribulatione.*] Poſſet hoc exponi de hypocritis, qui nunquam ad Deum confugiunt, niſi malis & ærumnis coacti. Sed quum fideles quoque flagellis erudiat Dominus, quemadmodum prius *verſ. 8. 9.* docuit Propheta, malo ſimpliciter hæc ad ipſos referre, ut non ſolum agnoſcant ſe merito plecti à Deo, ſed etiam ex caſtigationis fructu dulceſcat malorum acerbitas. deinde ut inſtructiores reddantur in timore Dei, magiſque ac magis in dies promoveant. Itaque in perſona Eccleſiæ loquitur Jeſaias, ut quoties pii legerent hanc ſententiam, agnoſcerent ſe in miſeriis & ærumnis propiores eſſe Deo, quam quum proſperis rebus fruebantur, quibus ſemper fere (quæ eſt pravitas naturæ noſtræ) nimium efferimur atque inſoleſcimus. Idcirco nos conſtringi plagis, ac domari neceſſe eſt. Atque hæc cogitatio aſperitatem pœnarum mitigabit, nec ab iis tantopere abhorrebimus, ſi eas nobis fructuoſas eſſe intelligamus. לחש, ſignificat Murmur. Non eſt igitur accipienda hæc dictio pro articulata oratione, ſed pro ea quæ

index

index eſt animi conſtricti magnis doloribus: ut qui ſummo cruciatu anguntur, vix effari aut animi ſui ſenſa exprimere poſſunt. Itaque veram, omniſque ſimulationis vacuam invocationem ſignificat: cui tunc demum homines ſtudebunt, quum graviter afflicti gemitus ſummi doloris teſtes proferent. Rebus enim proſperis homines velut plenis buccis loquuntur: adverſis dejecti, vix hiſcere audent, animoque magis quam lingua affectus ſuos declarant. Hinc gemitus illi inenarrabiles, de quibus loquitur Paulus. *Rom. 8. verſ. 26.* Hæc igitur de piis pronunciat Jeſaias, ad eoſque reſtringi debet hæc doctrina. Impii enim, quamvis aliquas lamentationes extorqueat dolor, magis obdureſcunt, deterioreſque ac pervicaciores redduntur.

17. & 18. *Sicuti prægnans.*] Hic duo præcipue notanda ſunt. primum comparat fideles parturientibus, quas extremos dolores ſuſtinere ſcimus. ideoque dicit erumpere ipſorum cruciatus in apertos & violentos clamores. Unde colligimus non ſolum de triſtitia Prophetam loqui, quæ ex moleſtiis vel incommodis externis oritur, ſed potius reſpicere ad horribiles cruciatus quibus longe vehementius & atrocius torquentur piorum animi, dum iratum ſibi Deum ſentiunt, & conſcientiis ſuis arguuntur. Nullus eſt corporis dolor tam acerbus, qui cum eo comparari poſſit. & hoc diſerte exprimitur particula Coram te. Deinde modum ſimilitudinis excedit: quia ubi nullus eſt malorum exitus, deterior ſit piorum conditio, quam parturientium. Hæ enim doloribus *Joan. 16. verſ. 21.* tandem ſuis liberatæ, exultant gaudio quum partum conſpiciunt, omniumque dolorum obliviſcuntur: piis vero ait nullum eſſe finem pariendi: quia ſemper novæ ærumnæ ac miſeriæ imminent. & quum partum inſtare putant, nihil præter angores edunt. Hoc enim ſignificat per *ventum*: nempe nullam doloris liberationem aut allevationem apparere. Atque ſe ipſe exponit continuo poſt, *Nec enim factæ nobis ſunt ſalutes*, id eſt, nulla nobis apparet ſalus. ובל·יפלו id eſt, non ceciderunt. נפל enim cadere ſignificat. Alii exponunt Habitare. Si eo ſenſu accipere libet, talis erit ſententia, Non habitabunt Judæi, id eſt, non redibunt in terram ſuam: incolæ qui eam occupant, non peribunt. Si vero ſequamur vulgarem interpretationem, hoc ad impios referendum erit. Incolæ orbis nos vexant, neque cadunt: iis omnia proſpere eveniunt. Quamdiu enim florent impii, neceſſe eſt filios Dei miſeros eſſe, ſimileſque reddi parturientibus. atque hæc conditio nobis placide ſubeunda, ſi nobis optabile eſt in Dei grege cenſeri. Hæc quidem communis omnium ſors eſt, ut varias atque etiam infinitas ærumnas ferant. Unde illud veterum proverbium, Beatum eſſe non naſci, aut natum ſtatim decedere è vita. Sed videmus pios extremis ſupra alios affici angoribus, graviſſimiſque ærumnis exerceri. Sic enim vult Dominus ipſorum fidem probare, ut cupiditatibus ſuis valere juſſis, abdicatoque mundo, ipſi ſerviant. Quum itaque Dominus peculiarem de iis ſollicitudinem gerat, neceſſe eſt ut eos caſtiget, interim dum impios exultare & laſcivire ſinit. Hic etiam monemur non unam ſolum aut alteram calamitatem perferendam eſſe: ut ne putemus nos defunctos eſſe, ubi aliquas ærumnas pertulerimus: quia ſemper ad novas paratos eſſe oportet. Sic caſtigare ſuos incipit Dominus, ut non ſtatim deſinat. Edemus ventum, ubi partum inſtare putabimus. recrudeſcent mala, noſque novi ſubinde dolores corripient. Defungendum igitur hac militia, quamdiu nos in ea exercere volet. Proinde ſequemur interpretationem magis uſitatam, *Non corruerunt.* Ut enim Dominus ſuos exhilarat, quum eis patefacit ſalutem ſuam atque ulciſcitur impios, ſic ipſis gemendi occaſio affertur quamdiu hoſtes ſuos in ſublime evectos, ſummaque imperia tenentes vident. Quod ſi Dominus ita olim exercuit Eccleſiam ſuam, non eſt quod miremur idem nobis hodie quoque uſu venire. *Incolas orbis*, profanos & alienos à pietate homines intelligit. nam reliquum orbem opponit Judææ, quam prius κατ' ἐξοχὴν terram nominavit, ejuſque incolas ſeparatim deſignat.

19. *Vivent mortui tui.*] Pergit in eadem conſolatione Jeſaias, ſermonemque ſuum ad Deum convertit: in quo oſtendit, nihil omnino melius eſſe quam animos in Deo colligere quoties cum tentationibus certandum eſt. nihil enim magis periculoſum, quam in noſtris cogitationibus vagari iiſque indulgere, quum nihil aliud quam nos ſurſum & deorſum agitare, noſque in errorem impellere poſſint. Ergo nihil omnino tutius, quam nos ad Deum recipere, in quo ſolo animi noſtri conquieſcere poſſunt. Alioqui multa occurrent quæ fidem noſtram labefactabunt. Summa autem eſt, quia fideles cuſtodit Deus, quamvis mortuis ſint ſimiles, victuros tamen in ipſa morte, vel ab interitu reſurrecturos. Sed quæri poteſt de quo tempore loquatur Jeſaias: multi enim de ultima reſurrectione interpretantur hunc locum. Judæi ad regnum Meſſiæ referunt: ſed in hoc falluntur, quod ſtatim primo Meſſiæ ingreſſu hoc impleri putant. falluntur etiam Chriſtiani, quod ad judicium extremum reſtringunt. Nam Propheta totum Chriſti regnum ab initio ad finem uſque comprehendit: quum ſpes vivendi mundum hunc tranſiliat, ut paulo poſt videbimus. Jam ut totam Prophetæ mentem melius aſſequamur, primo expendere convenit non generaliter, ſed ſolis Dei mortuis vitam promitti: loquitur autem de fidelibus qui in Domino moriuntur, & quos ipſe manu ſua protegit. Scimus Deum eſſe Deum vivorum & non mortuorum. ergo *Mat. 22. verſ. 32.* ſi Dei ſumus, haud dubie vivemus. Sed interea nos à mortuis nihil differre oportet. Vita enim noſtra *Coloſſ. 3. verſ. 3.* abſcondita eſt, nec adhuc ea cernimus quæ ſperamus. *Rom. 8. v. 23, [illegible].* Itaque loquitur ſimpliciter de mortuis, id eſt, de conditione fidelium, qui in mortis umbra jacent propter varias ærumnas, quæ ipſis aſſidue ferendæ ſunt. unde apparet ad ultimam reſurrectionem hoc reſtringendum non eſſe. Nam è contrario dicimus reprobos etiam dum vivunt mortuos eſſe: quia paternum Dei favorem, in quo poſita eſt vita, non guſtant, ideoque in bruto ſuo ſtupore evaneſcunt. Fideles vero, quum ad Deum confugiant, vitam in mediis ærumnis, atque adeo in ipſa morte obtinent: ſed quoniam diem illum reſurrectionis propoſitum habent, proprie vivere non dicuntur, uſque ad illum diem, quo omnis doloris & corruptionis immunes vitam in ſolidum obtinebunt. Et ſane Paulus *Coloſſ. 3. verſ. 4.* recte admonet, præpoſterum fore ordinem ſi vita fruerentur donec Chriſtus, qui fons eſt vitæ eorum, apparuerit. Ideoque diximus Jeſaiam univerſum Chriſti regnum comprehendere. nam etſi hujus conſolationis fructum percipere incipimus quum in Eccleſiam cooptamur, non prius tamen eo in totum potiemur, quam advenerit ultimus ille dies reſurrectionis, quo omnia perfectiſſime inſtaurabuntur: qui etiam ea ratione vocatur Dies reſtitutionis. Hoc *Actor. 3. verſ. 21.* ad leniendos piorum dolores unicum remedium eſt, oculos in exitum conjicere, quo Deus ipſos à reprobis diſcernit. Sicut mors naturaliter omnibus Adæ filiis interitus eſt, ita miſeriæ omnes quibus obnoxii ſunt in mundo, præludia ſunt mortis. Ideoque vita eorum nihil aliud eſt quam mortalitas. Sed quia Chriſti beneficio aboletur maledictio Dei tam in exordio, quam in fine mortis, merito quicunque inſiti ſunt in Chriſti corpus dicuntur moriendo vivere: quia mala omnia illis adjumenta ſunt in bonum. *Rom. 8. verſ. 28.* Unde fit ut ſemper ex abyſſis mortis victores emergant, donec in ſolidum capiti ſuo uniantur. Quare ut cenſeamur inter Dei mortuos, quorum vitam fideliter cuſtodit, ſupra naturam aſſurgere nos oportet. Hoc idem melius exprimitur per nomen נבלה, aut Cadaveris. acſi diceret, Non obſtare Dei potentiæ diuturnam putredinem qua videntur conſumpti,

ſumpti, quo minus integri reſurgant. Quantum ad phraſim attinet, vertunt alii, Cum cadavere meo. Alii reſolvunt, Qui ſunt cadaver meum. Alii ſubaudiunt particulam ſimilitudinis, Sicut cadaver meum. Sed quia optime convenit ſenſus ſi nihil addendo vel mutando ſimpliciter tenemus quod verba ſonant, malo appoſitive accipere. Saltem nomen hoc data opera inſeritur, ut ſe toti Eccleſiæ aſſociet Propheta: atque ita Dei mortuis ſe annumeret in ſpem reſurrectionis. Quod autem ſui peculiariter meminit, majorem confirmationem affert huic doctrinæ. Eo enim ſe ex animo loqui teſtatur, atque hanc confeſſionem

Pſal. 116. verſ. 10. 2 Cor. 4. verſ. 13.

fructum fidei eſſe oſtendit: juxta illud, Credidi, propterea loquutus ſum. Poſſent enim alioqui profani homines concionari de miſericordia Dei & vita æterna, qui tamen nihil animo de iis perſuaſum haberent: nam & Balaam

Num. 23. verſ. 19. & 24. verſ. 13.

ſciebat ſe vera loqui: nec tamen ullum ex vaticiniis ſuis fructum percipiebat. Aliter hic loquitur Propheta. profitetur enim ſe ex eorum numero eſſe, qui vitam adepturi ſunt: atque ita ſignificat ſe libenter ferre omnes ærumnas & calamitates, quibus Dominus ipſum mortificat, eaſque perferre malle, quam florere cum impiis. Hoc modo teſtatur ſe non loqui de rebus ignotis, aut quæ nihil ad ſe pertineant: ſed quas experientia ipſa didicerit: tantaque ſe fiducia præditum eſſe oſtendit, ut libenter ſe iis cadaveribus annumeret, quæ jn vitam reſtitutum iri confidit: atque ideo malit cadaver eſſe & cenſeri, modo cenſeatur membrum Eccleſiæ, quam extra ipſam vigere. atque hinc plus efficaciæ habet doctrina. Eam autem ſuperiori illi ſententiæ opponit qua dixit de impiis, *Non vivent.* Eſt enim

Joan. 5. verſ. 29. Actor. 24. verſ. 15.

ipſis ſublata ſpes reſurgendi. Si quis objiciat reſurrectionem non piis tantum, ſed reprobis quoque communem fore, facilis eſt ſolutio. nec enim de reſurrectione ſolum tractat Jeſaias, ſed de felicitate qua pii fruentur. Reſurgent quidem improbi, ſed ad interitum ſempiternum. itaque exitialis eis futura reſurrectio eſt, quum piis ſalutaris & glorioſa futura ſit. *Incolas pulveris* fideles vocat, qui ſub cruce & ærumnis humiliantur: quique in ipſa vita mortem præ oculis aſſidue habent. Fruuntur quidem beneficiis Dei in vita: ſed hac metaphora miſeram eorum conditionem ſignificat Jeſaias, quod imaginem mortis gerant.

2 Cor. 4. verſ. 16.

nam externum hominem mortificari, & tandem concidere oportet, donec prorſus interimatur, ut interior renovari poſſit. Nos igitur libenter in pulvere jacere, atque humiliari oportet, ſi hujus conſolationis participes eſſe velimus. Itaque mortuos *expergiſci*, atque *exultare* jubet: quod ab eorum conditione vehementer alienum eſſe videtur: nam apud eos nihil præter triſte ſilentium eſt. Manifeſtum igitur diſcrimen notat inter electos Dei, quos ſepulchri corruptio & habitatio pulveris non orbabit cæleſti virtute quominus expergeſiant: & reprobos, qui à Deo vitæ fonte & Chriſto ſeparati vivendo tabeſcunt, donec toti à morte exorbeantur. Jam *rorem herbarum* illis promittens, concinna & eleganti ſimilitudine hanc doctrinam illuſtrat. videmus enim herbas, ac præſertim pratorum, hyeme exareſcere, ita ut penitus mortuæ videantur: nec enim aliter ex ſuperficie judicari poteſt: ſubtus autem radices latent, quæ quum ineunte vere rorem ebiberint, vigorem ſuum emittunt: ita ut herbæ antea ſiccæ & aridæ, revireſcant. Hoc modo priſtinum vigorem recipiet populus, poſtquam ubere illo gratiæ Dei rore fuerit irrigatus, tametſi prius omnino contabuiſſe atque emarcuiſſe videretur. Porro hæ ſimilitudines ductæ à rebus paſſim cognitis, non parum efficaciæ ad perſuadendum habent. Si rore irrigatæ herbæ revireſcunt, cur non ipſi gratia Dei irrigati revireſcemus? cur non corpora noſtra, quamvis emortua & putrida reviviſcent? nonne major eſt noſtri cura Deo, quam herbarum? & Spiritus major quam roris efficacia?

1 Cor. 15. verſ. 36.

Simili argumento utitur Paulus ad Corinthios, quum tractat de reſurrectione: ſed quia ſimilitudinem ſuam in alium uſum accommodat, ſatius eſſe arbitror nunc ab ea abſtinere, ne eum locum cum iſto confundamus. Satis enim eſt, ſi ſimplicem Prophetæ ſenſum teneamus. In fine verſus ubi reddidi, Terra mortuos ejiciet, vertunt alii in ſecunda perſona, Terram gigantum proſternes: vel, In terra proſternes gigantes. quam interpretationem non improbo, quum id verba ſignificare poſſint: ſed prior contextui magis convenire videtur, quamvis ad ſummam doctrinæ parum interſit. Hæc enim referenda ſunt ad eam conſolationem de qua prius loquuti ſumus.

20. *Veni popule mi.*] Hoc verſu filios Dei ad patientiam hortatur, ut ſeſe contineant, & moderate ferant ærumnas & calamitates, atque invicti ſtent adverſus ſævas tempeſtates, quibus perituri eſſe videbantur. Quæ adhortatio valde neceſſaria fuit. nam calamitoſus populi ſtatus, qualis poſtea ſequutus eſt, in ſpeciem valde alienus erat ab illa promiſſione. Propheta igitur perturbatum populum, & anxium quo ſe recipiat, tanquam manu apprehenſa, ducit in receſſum, ut illic placide lateat, donec procellæ & tempeſtates ſedentur. Porro ſuum populum nominans, non ex ſua, ſed ex Dei perſona loquitur. Per *receſſus*, intelligit pacatum & tranquillum animi ſtatum: ubi colligimus noſipſos, ac munimus certa fiducia, Dominumque placide expectamus, quemadmodum Abacuc denunciatis calamitatibus quæ

Abac. 2. verſ. 1.

inſtabant Judæis, ait ſe in ſpeculam ſuam, id eſt, in tutum locum aſcendere ubi patienter & quiete expectet. Idem jubet hoc loco Jeſaias, ut pii dum ſe variis agitationibus concuti ſentiunt, quibus ſuſtinendis eſſent impares, in cubiculo vel recondito loco ſeſe contineant. Sed quia non ſufficeret ſemel munitos eſſe contra ſævos tempeſtatum impetus, jubet etiam oſtia claudere: quod ad conſtantiam refertur: acſi præciperet diligenter cavendum, ne ulla rimula diabolo ad nos pateat. Facile enim perrumpet, atque in animos noſtros penetrabit, ſi aditus ei vel minimus præbeatur. Cæterum *latitare* vel abſcondi jubens, ſignificat tutiſſimum fore aſylum fidelibus, ſi ſe colligant, atque patienter Dominum expectent. Nam etſi viriliter ac ſtrenue certandum nobis eſt, quia tamen Dei virtus ſe exerit in noſtra infirmi-

2 Cor. 12. verſ. 9.

tate, nihil melius eſt quam humiliter confugere ſub Dei alas, ut trepidis plenam ſecuritatem afferat. Demum quia præcipites ſumus natura, atque impatientia abripimur, quum præſens Domini auxilium non ſentimus: ideo dicit momentaneas eſſe has procellas. Nobis quidem aſſidue cum ærumnis conflictandum eſt, nec finis ullus quamdiu vivimus ſperari debet. atque eo fit, ut ærumnæ noſtro judicio ſint admodum diuturnæ. Sed ſi conferamus ad illam æternitatem, in qua gaudiis immortalibus perfruemur, vix exiguum quoddam momentum erit. quemadmodum etiam Paulus momentaneam afflictio-

2 Cor. 4. verſ. 17. Rom. 8. verſ. 18.

num, quas hic patimur, levitatem ad pondus illud æternæ gloriæ quod expectamus, minime comparandam eſſe oſtendit. Ubi adjungit, Donec tranſeat, omnem dubitationem vult eximere fidelibus: acſi liberum paulo poſt exitum promitteret. Indignationem ſimpliciter interpretor Calamitatem quæ ex ira Domini proficiſcitur. Alii ad hoſtes referunt: quod ego minime quidenrimprobo: ſed prior ſen-

Amos 3. verſ. 6.

ſus mihi magis placet. Videmus enim Prophetas ſedulo inculcare, nihil nobis evenire malorum niſi ex manu Dei: qui non temere ea nobis infligit, ſed noſtris ſceleribus & flagitiis provocatus. Hinc monemur iram Dei non fore perpetuam adverſus Eccleſiam ipſius: ſed finem tandem, ut procellis & tempeſtatibus, affore. atque eo fit ut fideles eam æquiore

Mich. 7. verſ. 9.

animo ſuſtineant. Unde alibi dicitur, Iram Domini portabo. Sciunt enim ſe in ſalutem ab eo caſtigari. Dominum porro, ut nuper attigi, loquentem introducit,

troducit, quo plus exhortatio ipſius habeat auctoritatis.

21. *Quoniam ecce.*] Graviſſima eſt piis tentatio, quum impios furorem ſuum impune exercere, nec reprimi à Deo vident. putant enim ſe ab eo eſſe deſtitutos. Huic ergo tentationi occurrit Jeſaias, atque oſtendit Dominum, tametſi diſſimulaverit ad tempus, mature ad opem ferendam accinctum fore, & ulciſcendas quæ populo ſuo illatæ fuerint injurias. Ac per vocem Egreſſus, Deum ita manum ſuis porrigentem deſcribit, acſi prius latuiſſet: quod pii ejus opem non ſentirent. Hac enim ratione ipſum egredi ait, ac prodire in publicum ad ferendas ſuppetias judiciumque exercendum, acſi antea velut privatus domi ſediſſet. niſi forte alluſio ſit ad Sanctuarium. quæ loquendi ratio paſſim obvia eſt in Prophetis. (*Mich.* 1. *verſ.* 3. *Abac.* 3. *verſ.* 13. *Zach.* 14. *verſ.* 3.) Quamvis profanis gentibus contemptui ſit Arca fœderis in obſcuro loco repoſita, præſenti tamen virtutis & gratiæ experientia ſenſuros fideles non fruſtra nec inutiliter Deum in illo Sacrario invocari. Interim manet ſemper illa ratio, quamvis increduli Templum velut ignobile aliquod tugurium derideant, Deum tamen inde proditurum ſuo tempore: ut per totum orbem appareat populi ſui vindex. Atque hic ſenſus aptior eſt, quam ſi *Locum* Dei interpretemur Cælum, ex quo egredietur: nam plus quiddam exprimere voluit Jeſaias. Quum enim cælos nominant Prophetæ, majeſtatem Dei & gloriam nobis proponunt: hic vero ad ſenſus noſtros reſpicit, quum ſcilicet Deum nobis auxilium ferre percipimus, qui antea latere & quieſcere videbatur. Particula demonſtrativa & participio temporis præſentis uſus eſt certitudinis cauſa: deinde ne fidelibus moleſtum ſit tolerantia frenare ſuos affectus uſque ad illius adventum. Eodem pertinet quod addit, Ad viſitandum iniquitatem: quia naturæ Dei, qui mundi judex eſt, conſentaneum non eſſet inultam peccandi licentiam dare impiis. In verbo autem Viſitandi ſatis nota eſt metaphora: quia quantiſper judicia ſua differt ac ſuſpendit, eum nihil videre, aut oculos averſos habere exiſtimamus. Pondus etiam ſubeſt in voce Super ipſum: ſicuti ſæpe dicitur, Impios ſuis inſidiis ſibi laqueos tendere vel fodere foveam. (*Pſal.* 9. *verſ.* 16. & 57: 7.) Senſus ergo eſt, noxas omnes redituras in capita auctorum. Poſtremo hoc quoque valde emphaticum eſt, quod *terra diſcooperiet* &c. Nunc ſanguis innoxius dum funditur & calcatur ab impiis, hauritur à terra, quæ eum velut ſinu ſuo excipit: interea mors piorum oblivione perpetua induci ac deleri videtur, ut etiam in conſpectum Dei nunquam veniat. Hoc quidem homines putant: ſed Dominus longe aliter pronunciat. Significat enim cædes illas aliquando revelatum iri, ut in rationem veniant. *Sanguines* igitur terræ vocat, quos terra hauſit: quemadmodum Gen. 4. dicitur terra aperuiſſe os ſuum, quum ſanguis Abel effuſus eſt. (*Geneſ.* 4. *verſ.* 11.) Illic enim Dominus exaggerat atrocitatem criminis, quod terra eo ſanguine polluta ſit. proinde oſtendit quam pretioſa & quantæ ſibi curæ ſit mors piorum, quam tandem minime inultam eſſe patietur. (*Pſal.* 116. *verſ.* 15.) Armabitur terra ipſa ad ulciſcendas cædes & ſævitias quas pii à tyrannis & veritatis hoſtibus paſſi ſunt: nec ulla effuſa eſt gutta ſanguinis, cujus eis ratio reddenda non ſit. Eſt igitur revocanda in memoriam, aſſidueque ob oculos ponenda hæc conſolatio, quum impii nos cædunt, rident atque ſubſannant, omneque genus contumeliæ & ſævitiæ in nos exercent. Tandem enim patefaciet Deus quam non irritus ſit clamor innoxii ſanguinis: (*Lev.* 18: 7.) quia nunquam ſuorum oblivīſci poteſt.

Cap. XXVII.

IN die illa viſitabit Jehova gladio ſuo duro, & magno & forti, ſuper Leviathan ſerpentem penetrantem, & ſuper Leviathan ſerpentem flexuoſum, & occidet draconem qui eſt in mari.

2. In die illa vineæ ruboris canite.

3. Ego Jehova cuſtodio eam, ſingulis momentis irrigabo eam: ne viſitet eam (hoſtis); noctu & interdiu cuſtodiam ipſam.

4. Furor non eſt mihi: Quis me committat * cum vepre & ſpina? Gradiar hoſtiliter * aut, vepre ſpinas.
per eam, incendam penitus.

5. An apprehendet robur meum, ut faciat mecum pacem: mecum, inquam, pacem faciat?

6. In poſterum radices mittet Jacob: pullulabit, & florebit Iſraël, & implebuntur facies orbis fructu.

7. An juxta plagam percutientis eum percuſſit eum? an juxta cædem cædentium eum cæſus eſt?

8. In menſura in emiſſione ejus diſceptabis cum ea: etiam quum flaverit vento ſuo violento in die Euri.

9. Itaque hoc modo expiabitur iniquitas Jacob: & hic omnis fructus, ablatio peccati ejus: quum poſuerit cunctos lapides altaris ſicut lapides calcis confractos, ut non reſurgant luci & imagines.

10. Civitas tamen munita erit ſolitaria: locus habitatus erit deſertus, ac derelictus quaſi ſolitudo. Ibi paſcetur vitulus, & ibi accubabit, & abſumet ſummitates ejus.

11. Dum areſcet meſſis ejus * frangent eam, mulieres venientes accendent eam: quia * vel, ſiccabunt.
non eſt populus intelligens: propterea non miſerebitur ejus factor ejus, & fictor ejus non erit illi propitius.

12. Accidet tamen in die illa, ut excutiat Jehova ab alveo fluminis ad fluvium Ægypti: & vos congregabimini unus ad unum, filii Iſraël.

13. Accidet etiam die illa, ut clangatur tuba magna: & venient qui perierant in terra Aſſur, & qui diſſipati erant in terra Ægypti: & adorabunt Jehovam in monte ſancto, in Jeruſalem.

Digitized by Google

IN *die illa.*] Hic Propheta in genere loquitur de judicio Dei, atque ita univerſum regnum Satanæ comprehendit. Nam quum prius loquutus eſſet de ultione Dei exercenda adverſus tyrannos & impios qui ſanguinem innoxium fuderint, nunc ulterius progreditur in promulgando hujus vindictæ edicto. Nomen *Leviathan* varie interpretantur: verum in genere ſimpliciter ſignificat vel ſerpentem magnum, vel balænas & marinos piſces, qui ingenti magnitudine ad monſtrum accedunt. Etſi autem convenit hæc deſcriptio Ægypti Regi: ſub una tamen ſpecie alios quoque Eccleſiæ hoſtes complecti voluit. Nec vero mihi dubium eſt, quin allegorice de Satana, totoque ejus regno tractet, eum ſub portentoſi cujuſdam animalis figura deſcribens: & interea perſtringens obliquas artes, quibus ſe ad nocendum inſinuat. hoc autem modo multis dubitationibus occurrere voluit, quibus ſubinde agitamur, quum Deus pronunciat ſe nobis adfuturum, atque ex adverſo Satanæ vires, aſtum, & fraudes experimur. Eſt enim miris artibus inſtructus ad nocendum, horrendamque truculentiam exercet in filios Dei. Verum hæc omnia oſtendit impedimento non fore, quominus hoc regnum Dominus deſtruat atque evertat. Certum eſt quidem hic non tam agi de Satana in ſe, quam de organis ipſius, quibus videlicet exercet regnum ſuum, & Eccleſiæ Dei moleſtus eſt. Hoc igitur regnum, tametſi infinitis aſtutiis inſtructum ſit, mirabilique polleat virtute, tamen à Domino deſtruetur. Quod ut perſuadeat Propheta, ex adverſo opponit gladium Domini durum & fortem, quo facile hoſtem tam robuſtum quam fraudulentum conficiet. Obſervandum igitur, nobis aſſidue cum Satana, quaſi immani quadam bellua, negotium eſſe: mundum vero nobis inſtar eſſe maris, in quo vagamur. inſectantur nos variæ belluæ, quæ navem noſtram evertere, noſque demergere conantur: nec quicquam eſt ſubſidii quod ad nos tutandos obſiſtere poſſit, niſi Dominus opem ferat. proinde hac deſcriptione Propheta exprimere voluit, quantum periculi ab hoſtibus adeo potentibus, tamque furioſis & inſidioſis immineat. Nam ad extrema ſtatim redigeremur, actumque eſſet de nobis omnino, niſi ſe Deus opponeret, atque occurreret cum inexpugnabili ſua potentia, quia non niſi ejus gladio exitiale hoc Satanæ regnum deleri poteſt. Sed notandum quod initio verſus dicit, *In die illa*. Significat enim permitti Satanæ ut aliquantum temporis ſtabiliat & tueatur regnum ſuum: ſed tandem futu-
Rom. 16. *verſ.* 20. rum ut intereat. ſicut etiam Paulus docet, Deus brevi conteret Satanam ſub pedibus veſtris. Qua promiſſione ſubindicat nondum impletum eſſe militiæ tempus, & fortiter pugnandum eſſe, donec ſternatur ille hoſtis, qui centies victus, bellum reparare non deſinit. Quare aſſidue cum ipſo confligendum, & ſuſtinendi violenti impetus quibus in nos incurrit. ſed ne defatigemur, reſpiciendum eſt in iſtum diem quo vires ejus omnes frangentur. Epitheta quibus Leviathan inſignit, partim dolos & aſtutias, partim vim apertam deſignant. interea ſignificant præditum inexpugnabili virtute. Nam quum בריח Vectem ſignificet, metaphorice vis penetrandi notatur hac voce: vel propter virulentos morſus, vel propter violentiam. Secundum nomen deducitur à verbo עקל quod Pervertere ſignificat: unde transfertur ad obliquos & contortos flexus.

2. *In die illa.*] Nunc docet hoc totum in Eccleſiæ ſalutem fore: quia ſuis conſulit Dominus, quos in fidem & tutelam ſuam recepit. ut ergo reſtituatur Eccleſia, Satan, totumque ejus regnum in nihilum redigentur. Atque huc pertinent omnes ultiones quas de hoſtibus ſuis ſumit Deus, ut ſe Eccleſiæ conſulere oſtendat. tametſi vero hic Eccleſiam non exprimat Propheta: ſatis tamen oſtendit ſe eam hac congratulatione compellare. Imo hæc figura magis emphatica eſt, quam ſi diſerte loquutus eſſet de populo Iſraël: quia quum tota vineæ præſtantia partim ex ſitu & plantatione oriatur, partim ab aſſidua cultura pendeat, ſi Eccleſia Dei vitis eſt, colligimus eam non excellere niſi & gratuito favore Dei, & continuo beneficentiæ tenore. Eadem etiam ſimilitudine exprimitur ſingularis erga ipſam Dei amor. qua de re fuſius capite 5. diſſeruimus. Porro vocat *ſupr.* 5: 3.
Vineam ruboris, quaſi præſtantiſſimam. nam per Vinum rubrum in Scripturis (ſi quis alios locos expendat) præſtantia ſignificatur. Tunc igitur hoc Canticum in Eccleſia cani poſſe dicit, quoniam interea futurum erat, ut miſere diſſiparetur, horridaque & inculta jaceret. poſtea vero talem inſtaurationem fore prædicit, ut fructu uberrimo repleatur, ex qua emerget ampliſſima materia canendi.

3. *Ego Jehova.*] Hic Dominus ſuam in colenda & cuſtodienda vinea curam & ſedulitatem prædicat: acſi diceret nihil ſe omittere quod ad munus providi & induſtrii patrisfamilias pertineat. nec ſolum quid facturus ſit teſtatur, quando lætitiæ & gratulationis tempus advenerit, ſed beneficia recitat, quibus pridem aſſueverant Judæi, ut ſpes illis in futurum tempus creſcat. Interim ſubaudienda eſt tacita antitheſis medii temporis, quo viſus eſt Deus curam ipſius abjeciſſe, ut tunc nihil differret à deſerto. Hæc igitur ratio eſt cur vinea Domini direpta & vaſtata ſit: nempe, quod Dominus eam deſeruit, atque hoſtium prædæ expoſuit. Unde colligimus nullum fore ſtatum noſtrum ſimulatque à nobis receſſerit Dominus: quod ſi adſit, omnia bene habebunt. Duas poſtea commemorat diligentiæ ſuæ partes, quod ad ſingula momenta eam irriget: deinde ſepiat contra latronum & pecorum incurſus, aliaſque noxas. Duo enim hæc potiſſimum in conſervanda vinea requiruntur, cultura ſcilicet, & cuſtodia. Irrigandi verbo comprehendit quicquid ad culturam neceſſarium eſt: ac promittit ſe nihil prætermiſſurum quod ad eam juvandam pertineat. Debet autem accedere & cuſtodia. nihil enim profuerit magno labore vineam coluiſſe, ſi latrones aut pecora in eam irrumpant. Dominus ergo ſe cuſtodiam adhibiturum promittit, ne ullam noxam patiatur: ut commode fructus matureſcant, ſuoque tempore colligantur. Quamvis ergo multa adverſa ingruant, atque hoſtes & furioſæ beſtiæ magno impetu vineam invadant, pronunciat Deus ſe eſſe intermedium, ut illæſam & incolumem ab omni jactura tueatur. Quia vero certum huic Cantico diem præfigit, meminerimus ſi quando à ſuis partibus ceſſet, non protinus ſpem abjiciendam eſſe. Itaque ſi nos ad tempus vexari & diripi ſinat, tamen ſe curam noſtri minime abjeciſſe tandem oſtendet.

4. *Furor non eſt mihi.*] Hic verſus continet eximiam conſolationem, quia exprimit incredibilem amoris affectum, quo populum ſuum quamvis improbi ac perverſi ingenii proſequitur. Induit enim Deus, ut videbimus, perſonam patris graviter offenſi, qui ita filio iraſcitur, ut tamen magis condoleat & ſponte ad miſericordiam propenſus ſit: quia prævalet dilectionis ardor. Denique oſtendit non poſſe electos ſuos ita ſibi odio eſſe quin dum eos graviſſimis pœnis afficit, paterna tamen benevolentia proſequatur. Scriptura autem nobis Deum varie deſcribit. Interdum enim ira ardentem terribilemque ejus aſpectum proponit: interdum vero nihil præter manſuetudinem & clementiam præ ſe ferentem. idque tam varie, quod bonitatis ejus capaces non omnes ſimus. Ideo perverſe cum perverſis, cum ſanctis vero ſancte agere cogitur, quemadmodum à Da-
vide Pſalmo 18. deſcriptum eſt. talem enim ſe nobis *Pſal.* 18. *verſ.* 27.
præbet, qualem eum eſſe patimur: nam ipſum ad ſeveritatem pervicacia noſtra adigimus. Hic autem Propheta non promiſcue de quibuslibet, ſed tantum de Eccleſia loquitur, cujus ſcelera etſi Deus caſtigat,
vitia-

vitiaque corrigit, non tamen exuit patris affectum. Ita dum indignatur, vult tamen ſalvam manere. Ad eam igitur hæc ſententia reſtringenda eſt, ut ſit relatio inter Deum & populum ipſius electum: cui ſe alium quam patrem præbere non poteſt, quum in reprobos hoſtiliter excandeſcat. Itaque videmus quanta hic conſolatio afferatur. nam ſi intelligimus nos à Deo vocatos eſſe, ſtatuere licet proprie illum nobis non iraſci, ac ne poſſe quidem, quod nos affectu tam ſtabili ac firmo complexus ſit, ut eum exuere nunquam poſſit. Certum quidem eſt pleroſque tunc fuiſſe Deo exoſos in populo illo: ſed adoptionis ſuæ reſpectu dilectum ſibi fuiſſe pronunciat. Jam quo mollior & tenerior fuit Dei affectus, eo minus excuſabiles fuerunt quicunque ſua pravitate provocarunt ejus iram. nec dubium eſt quin hac circumſtantia crimen aggravet, quod ingenium quodammodo mutare cogitur eorum malitia. Nam de manſuetudine ſua præfatus, ex abrupto clamat, *Quis committet me cum vepre & ſpina?* vel (ut alii vertunt) Quis me ponet veprem & ſpinam? Quanquam non male etiam quadraret legere, Quis mihi veprem opponat ut cum eo congrediar velut ſpina? Nec enim inter duas iſtas voces copula interjicitur. Quanquam libenter primum ſenſum retineo, quod Deus ſibi cum tribulis vel ſpinis negotium eſſe optet, quas iræ ſuæ flamma libere conſumat. Si quis malit hic coargui dubitationes quæ nobis ſæpe ex incredulitate obrepunt, quum Deum adverſum nos ira inflammatum concipimus: acſi diceret, Erratis quod me vepri & ſpinæ comparatis: id eſt, Affingitis mihi aſperam & rigidam naturam: fruatur ſuo ſenſu, quem tamen alienum eſſe à Prophetico arbitror. Quod etiam putant alii Deum induere perſonam hominis ſeſe ad iracundiam acuentis: acſi diceret, Nolo amplius tam facilis eſſe, eaque indulgentia uti qua ſolitus ſum, magis coactum videtur quam ut longa refutatione indigeat. Verum quidem eſt, quum Deus clemens & miſericors ſit natura, nec quicquam magis ab ipſo alienum ſit quam ſævitia aut ſeveritas, eam velut mutuari aliunde. Sed illa quam attuli interpretatio, per ſe ad alias refellendas ſufficiet: Deum ſcilicet dolenter conqueri ſibi non potius cum ſpinis quam cum vite ſua eſſe certamen; quia dum reputat hæreditatem ſuam eſſe, parcere cogitur. Quod deinde ſequitur, *Hoſtiliter* gradiar & comburam, expoſitionem meam confirmat. combuſtio enim ad vepres & ſpinas pertinet: quibuſcum ſi negotium ſibi eſſet, innuit ſe eas omnes exuſturum: ideo autem mitius agere, quod ipſius vinea ſit. Hinc colligimus quod non excandeſcit in nos Dominus, hoc non meritis ullis hominum, ſed gratuitæ ipſius electioni tribuendum eſſe. Satis enim oſtendit his verbis, *Quis dabit?* ſe juſtam cauſam habere nobiſcum præliandi, atque etiam hoſtiliter nos perdendi, niſi miſericordia erga Eccleſiam ſuam retineretur. Eſſemus enim ut ſpinæ & vepres atque ſimiles impiis, niſi nos Dominus ab eis ſecerneret, ne cum iis una interiremus. Si particulam In prælio, quam reddidi per adverbium Hoſtiliter, contexere libeat cum verbo Quis me committet, hoc quoque modo ſenſus non male conſtabit.

5. *An apprehendet.*] או ſæpe disjunctiva particula eſt: ideoque hunc locum exponunt, acſi bis hac particula uteretur, Aut apprehendat vires meas, aut pacem mecum ineat: id eſt, Niſi mecum in gratiam redeat, vires meas ſentiet magno ſuo malo. Alii paulo ſecus, Quis apprehendet robur meum? id eſt, cohibebit. Sed interpretationem hanc omitto, quia videtur nimis coacta: redeo ad illam quæ magis recepta eſt. Exiſtimant autem Deum minari Judæis, ut omnes rationes & vias tentet, quibus in viam revocari poſſint. neceſſe enim eſt ut Deus variis nos modis ſollicitet, quod ejus indulgentia & bonitate abuti ſoleamus, ideoque ſæpius denunciat nobis pœnam noſtræ ingratitudinis: quemadmodum hic facere videtur Jeſaias. Niſi bonitatem meam amplecti & reſipiſcere velint, quo mecum redeant in gratiam, experientur vires meas quas hactenus cohibui. Quanquam poſſet etiam diverſus ſenſus forte æque commodus elici, acſi hortetur Deus populum ad agnitionem virtutis ſuæ quæ ad quærendam reconciliationem eum adducat. unde enim tam craſſa ſecuritas, ut non terreamur ira Dei, niſi quia de ejus potentia non ſatis honorifice ſentimus? Cæterum, malo pro interrogatione accipere, ut etiam alias ſæpe hoc ſignificatu occurrit: An apprehendet robur meum, ut mecum pacem ineat? acſi pater ſollicitus & anxius de filio ſuo, gemens quereretur, An non ſibi hic nebulo benefieri patietur? nec enim video qua ratione debeam ipſum tractare. ſeveritatem ferre non poteſt: bonitate vero mea abutitur. quid faciam? abdicabo illum, niſi reſipiſcat: ac tum ſentiet quanta erit illa poteſtas patria, qua eum hactenus conſervavi. quum indulgeri ſibi non patiatur, eum ſummo jure tractari neceſſe eſt. An non igitur apprehendet tandem quanta ſit mea virtus, ut mecum in gratiam redeat? Hoc autem melius intelligemus, ſi conſideremus fontem omnium malorum eſſe, quod divinæ bonitatis ſenſu non tangamur. nam ſi nobis veniret in mentem quanta à Deo beneficia accepimus, facile à ſceleribus & flagitiis revocaremur, & cum eo in gratiam redire cuperemus. Hic videmus quam ſollicitus ſit de ſalute noſtra Pater cæleſtis, qui potentiam & bonitatem ſuam à nobis apprehendi vult, ut experiamur quid valeat, ejuſque magis ac magis participes eſſe poſſimus. nec enim minus familiariter nobiſcum agere vellet, quam cum ſuis liberis, niſi eum malitia noſtra prohiberemus. Quum igitur indulgentiæ ejus paternæ capaces non ſimus, neceſſe eſt ut robur ſuum & majeſtatem oſtendat: ut ea perterriti, & ſenſu judicii commoti, ſupplices ipſum deprecemur, pacemque & veniam ultro petamus. Hoc autem fit ubi vere ad ipſum convertimur. quamdiu enim nobis ipſi placemus, vitiiſque noſtris adulamur, ei diſplicere neceſſe eſt. Quod ſi pacem ineâmus cum ipſo, bellum ex adverſo cum Satana & peccato ſuſcipiendum eſt. Quantopere vero reconciliari nobiſcum expetat Deus, clarius ex repetitione patet: ſe propenſum & facilem eſſe ad dandam veniam uno verbo docere poterat. Ergo bis inculcans, *ut faciat mecum pacem*, ultro ſe & quidem ferventi deſiderio, ad delendas omnes offenſas accurrere exprimit.

6. *In poſterum.*] Nunc re ipſa comprobat illum amorem de quo ante loquutus eſt. Quod ut melius intelligamus, veteris illius populi ſtatus conſiderari debet. nam hæreditas Dei erat, non meritis ipſius, ſed beneficio adoptionis. Ei autem ſic merito iraſci poterat Dominus, ut ipſum perderet omnino, ac deleret. A tanto rigore abſtinuit, quod negotium ſibi eſſet cum vinea & hæreditate ſua. Hoc enim tantum ſpectabat, ut populus reatum ſuum agnoſceret, atque in gratiam rediret. Itaque ſuperiori ſententiæ hanc promiſſionem adjunxit, ne populus potentia illa, quæ judicia Dei, plagas & flagella proponit, nimium territus deficeret. Hic enim judicii Dei ſenſus nos in deſperationem conjicere poſſet, niſi ſpem aliquam reſtitutionis conciperemus. Ideo dicit, *Jacob emittet iterum radices.* Tametſi extenuabo Eccleſiam meam, atque ad ſummam paucitatem redigam, tamen in priſtinum & florentem ſtatum reſtituetur, ita ut univerſum orbem impleat. magis enim ac magis augebitur, ubi ſemel redierit in gratiam. Elegans autem eſt hæc radicum translatio. quoniam ira Domini quodammodo reſecamur, ut videamur perempti prorſus ac mortui: ſed quantumcunque Dominus Eccleſiam ſuam affligat, radices nunquam interimi ſinit. verum interim latent, ac fructum tandem ſuum emittunt. Quod earum

radicum fructu orbem terrarum impletum iri dicit, hoc Chriſti adventu factum eſt: quo per Euangelium collectus eſt & multiplicatus populus Dei: atque Iſraël cum Gentibus coaluit in unum corpus, ut diſcrimen quod prius inter ipſos erat, tolleretur. Euangelium autem, & quicquid ex eo fructus manavit, à Judæis prodiiſſe ſcimus.

Ephеſ. 2. verſ. 14. Jeſa. 2: 3. Joan. 4. verſ. 22.

7. *An juxta percuſſionem.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam, ac demonſtrat, certa & perſpicua teſtimonia bonitatis & miſericordiæ Dei extare in ipſis flagellis: quia ſic Dominus populum ſuum caſtigat, ut rigorem temperando ſemper aliquem miſericordiæ relinquat locum. Varie etiam exponitur hic verſus. ſic enim nonnulli interpretantur, An ego percuſſi Iſraëlem quemadmodum feciſſent hoſtes? Aſſyrii enim nullo modo pepercerunt, à quibus extremam crudelitatem expertus eſt. Ego vero mihi in ira mea moderatus ſum, nec ita percuſſi acſi ipſum perdere voluiſſem: in quo me hoſtem non eſſe ſatis probavi. Verum alia expoſitio mihi magis placet, quæ etiam vulgo recepta eſt: ut hic differentiam inter fideles ac reprobos ſtatui intelligamus. utroſque enim promiſcue punit Dominus: ſed diverſo modo. Nam dum ulciſcitur reprobos, frena laxat iræ ſuæ, quod nihil aliud habeat propoſitum, quam ut ipſos perdat. Nam vaſa iræ Dei, eaque exitio deſtinata ſunt: nec ullum bonitatis Dei guſtum habent. Dum vero pios caſtigat, iram ſuam moderatur, aliumque & diverſum prorſus finem habet. Eos enim vult reducere in viam, ſibique adjungere, quo melius in poſterum iis proſpectum ſit. Quæri tamen poteſt, cur hic Propheta relativo utatur, inquiens, Percutientis eum? Reſpondeo id factum eſſe, quod ſæpe Dominus impiorum miniſterio utatur in nobis caſtigandis: quo nos magis dejiciat atque humiliores reddat. Hoc autem graviſſimam ſæpe nobis tentationem affert, quum ſcilicet nos impiorum tyrannide premi ſinit Dominus. dubitamus enim an ipſis faveat, nos autem velut exoſos deſtituat auxilio ſuo. Ut huic dubitationi occurrat, ait ſe quidem permittere, ut impii populum ſuum affligant, & libere ad aliquod tempus graſſentur: ſed eos tandem pœnas daturos ſuæ impietatis longe acerbiores iis quas ipſi piis inflixerint. Siquis tamen priorem interpretationem ſequi malit, non repugno: nempe, Dominum hoſtiliter nobiſcum acturum non eſſe. unde etiam illa ſententia, Melius eſſe in manus Dei, quam in manus hominum incidere, quia Dominus pacti ſui nunquam obliviſci poteſt, quo pollicitus eſt, ſe humaniter & paterno modo cum Eccleſia acturum.

Rom. 9. verſ. 22.

2 Sam. 24. verſ. 14. 1 Chr. 21. verſ. 13.

8. *In menſura.*] Comprobatio ſecunda eſt divinæ miſericordiæ erga electos omnes, quos in hunc finem caſtigat, ne pereant: pœnaſque quas eis infligit mitigando, ſic infirmitatis eorum rationem habet, ut nunquam eos ſupra modum gravari patiatur. Quod attinet ad vocabulum *menſuræ*, interpretes omnes conſentiunt eo moderationem ſignificari. eſſet enim nobis alioqui intolerabilis Domini manus, eaque in nihilum redigeremur: ſed eam ſuſpendit: & fidelis eſt, ut ait Paulus, ut non patiatur nos tentari ultra quam ferre poſſimus. Sic & Jeremias petit à Domino, ut eum in judicio caſtiget, id eſt, moderate: ferulas ſcilicet infirmitati ejus accommodans. In ſecunda autem voce hujus verſiculi interpretes non conſentiunt. Alii enim dicunt בשלחה, id eſt, Committendo eos inter ſe bellis inteſtinis. alii Deum ulturum ſcelera ipſorum eo gladio quem eduxerunt ipſi, Deoque in manum præbuerunt. Sed quum neutram earum probare poſſim, eas in medio relinquo. Probabilior mihi videtur eorum interpretatio qui dicunt, *In emiſſionibus* ejus, id eſt, in plantis: ut ſignificet Dominum non in externas ſolum res, ſed in eorum perſonas animadvertere. Scimus enim varias eſſe Domini caſtigationes. leniores autem & moderatiores ſunt quibus externa tantum bona, quæ Fortunæ appellant, nobis adimit. Sic igitur à Deo puniri fideles ait, ut non tam eorum perſonas affligat, quam ea quæ ad victum neceſſaria ſunt adimat: ut frumentum, vinum, oleum, & reliqua ejus generis quæ terra producit. שלח enim Emittere & Producere ſignificat. Sed eſt mihi alia expoſitio quæ propius ad Prophetæ mentem accedit. *In emiſſione* diſceptare cum Eccleſia Deum, quia etſi ramos, adeoque truncum ipſum abſcindit, non tamen penetrat ira ejus uſque ad radices, ut rurſus pullulet. ſemper enim vigor aliquis hæret in radicibus, quas nunquam interire ſinit. Atque id cum ſuperioribus congruit, ubi promiſit fore ut Iſraël fructus ederet. Exponit ergo quod prius dixit, *in menſura*: nempe, ut radicem ipſam non evellat. Reſecat enim Dominus quod extrinſecus apparet, ut ramos & folia; integram vero radicem tuetur & conſervat. At è diverſo reprobos evellit radicitus, atque ita præſcindit, ut nullo modo reſurgere poſſint. Ubi alii vertunt, *flavit* vento ſuo, clarius reſolvere viſum eſt, Tametſi flaverit. Perſequitur enim metaphoram qua ad herbas & plantas alluſerat. Hæ autem flante vento aliquo rigidiore, exareſcunt: ſed in ſuperficie tantum: ſemper enim radix ſalva eſt. Ita quamvis Dominus magno impetu in fideles irruat, omnemque ſpeciem & formam deleat, ut perempti omnino videantur, tamen vigorem intus aliquem conſervare ſolet. Diem *Euri* nominans Propheta reſpexit ad ſitum Judææ, cui Orientalem hunc ventum infeſtum fuiſſe colligere licet ex aliis locis. Scimus autem unamquamque regionem ſuo vento infeſtari: aliis enim Aquilo, aliis Auſter, aliis Eurus aut Subſolanus magna affert incommoda: ita ut ſegetes proſternat, vel adurat, vel corrumpat omnes fruges, decutiat arbores, nec quicquam fere integrum in agris relinquat. Per Eurum hic Subſolanum deſignari putant, qui multis regionibus admodum noxius eſt.

1 Cor. 10. verſ. 13. Jer. 10. verſ. 24.

9. *Quamobrem hoc modo.*] Poſtquam de caſtigatione populi loquutus eſt, incipit clarioribus verbis exprimere, Dominum ſic populo ſuo conſulere his flagellis, ut aliquem ex his fructum ſentiat. Hujus quidem rei prius meminerat, ſed eam nunc apertius exponit, Quicquid caſtigationum infliget Deus, ad purganda populi vitia facturum, ut ita reconcilietur Deo. Quæritur, An peccata noſtra expientur ferulis quibus à Deo caſtigamur? nam ſi ita eſt, ſequitur etiam quod Papiſtæ tradunt, Pro peccatis noſtris Deo ſatisfaciendum eſſe. Siquidem hæc duo inter ſe conjuncta ſunt, Si Deus pœnas ſumit pro delictis noſtris ad ipſa eluenda: ubi deſunt pœnæ, ſatisfactiones ſuccedere in illarum vicem. Facilis tamen eſt hujus difficultatis ſolutio, ſi conſideremus hic non tractari à Propheta, an operibus noſtris promereamur remiſſionem peccatorum: vel, an pœnæ quas Deus nobis infligit, ſint eorum veluti compenſationes. Simpliciter enim docet caſtigationes eſſe remedia, quibus Deus morbis noſtris medetur: quod ejus bonitate & patientia abuti ſoleamus. Nos igitur ad agnitionem peccatorum noſtrorum & patientiam ut adigat neceſſe eſt: atque ita pœnæ quas irrogat caſtigandis vitiis noſtris remedia ſunt: quod iis quodammodo cupiditates noſtræ, velut igne, excoquantur: cui etiam eas Scriptura ſæpe comparat. ſatisfactoriæ vero eſſe nullo modo poſſunt: ſed in iis homines ad pœnitentiam præparantur. Hinc igitur docet pios nullam habere cauſam cur fremant adverſus flagella Dei: ac potius agnoſcere debere ſe hoc modo ad ſalutem promoveri, quia non aliter gratiam Dei agnoſcerent. Si quis brevem diſtinctionem malit, poſſumus dicere uno verbo: mediate quidem flagellis peccata noſtra expiari, ſed non immediate: quoniam adducunt nos ad pœnitentiam, quæ ad obtinendam peccatorum remiſſionem nos ſuo ordine adducit. Ubi deinde vertimus, *hic omnis fructus ablatio*, aliqui

Pſal. 66. verſ. 10. & 89. verſ. 47.

in

in genitivo legunt, Ablationis: ſed magis probo ſi in nominativo legamus. רב ſæpe pro Multo & magno accipitur. Intelligit ergo copioſum fructum, qui caſtigationes ſequetur. In ſumma, vult nobis ab utilitate flagella Dei commendare, ut ea placide & moderate ferant pii, quum iis ſe purgari atque ad ſalutem comparari intelligent. Et continuo poſt clarius Propheta ſeſe exponit de abrogandis ſuperſtitionibus loquens. nam quamdiu ſecundis rebus Iſraël fruebatur, de reſipiſcentia non cogitabat, ſic enim nati ſunt homines, ut proſperitate inſoleſcant, magiſque ac magis obdurentur. Oſtendit igitur quamobrem caſtigando populum ſuum, ſimul peccatum ejus eluat Deus: quia quum antea ſibi in malis indulgerent, majoremque peccandi licentiam arriperent ex ejus bonitate & ignoſcentia, nunc ſe merito pœnas dediſſe intelligent, vitamque & mores mutabunt. Hic autem Jeſaias unam ſpeciem pro omnibus per ſynecdochen proponit, ut ſub parte totum intelligamus. Idololatriæ & ſuperſtitionum correctionem in ſumma notat. Nec enim Altare nominat quod ſacrum erat Deo, ſed quod idolis ſuis ſtatuerant. Quum igitur confracti fuerint ejus lapides, everſaque & diruta idola, ita ut nullum ſuperſtitionis indicium appareat, ſimul iniquitas ejus tolletur. Hinc primum notandum eſt, non eſſe veniam à Domino ſperandam niſi ſimul à vitiis noſtris reſipiſcamus. quiſquis enim ſibi indulget, Deum quem provocare non ceſſat iratum habeat, neceſſe eſt. tunc demum aufertur iniquitas noſtra, quum vero pœnitentiæ ſenſu tacti ſumus. Secundo, obſervandum eſt, pœnitentiam tametſi interior ſit cordis affectus, fructus tamen ſuos coram hominibus perferre. Fruſtra enim profitemur nos timere Deum, niſi externis etiam operibus id teſtemur. radix enim à ſuis fructibus ſeparari nequit. Tertio, colligendum hic mentionem idololatriæ potiſſimum fieri, quod ſit fons malorum omnium. Quamdiu enim viget purus Dei cultus & ſincera religio, ſimul locus eſt officiis charitatis, quæ ex ea neceſſario ſequuntur: quum vero Deum reliquimus, ſimul nos in omne vitiorum genus prolabi ſinit. Atque hæc ratio eſt, cur Idololatriæ nomine cætera etiam flagitia comprehendat. adhæc, videmus non ſtatuas tantum & imagines damnari, ſed quicquid excogitaverant Judæi præter Legis præſcriptum: unde ſequitur fictitios omnes cultus ab eo repudiari. Poſtremo quum addit, *Ut non reſurgant*, quam deteſtabilis ſit Deo idololatria admonet, cujus memoriam vult penitus deleri, ne poſthac ullum ejus veſtigium appareat. Interea plus quiddam exprimere voluit Propheta, nempe talem debere eſſe pœnitentiam noſtram, ut in ea conſtanter perſeveremus. Nec enim veram fuiſſe pœnitentiam dicemus, ſi quis ſubito affectu commotus, ſuperſtitiones aboleverit, ac deinde ſenſim ipſas renaſci ac pullulare ſinat. id quod multis accidere videmus, qui initio quidem ſpecie quadam zeli ardent, ſed deinde refrigeſcunt. Hic autem ejuſmodi conſtantiam deſcribit Propheta, ut in finem uſque puritatem colant qui ſemel renunciarunt ſordibus & inquinamentis.

10. *Tametſi civitas.*] Copulam ו hic pro cauſali vulgo accipiunt. quidam pro Alioqui, vel Alias. Duplex igitur erit ſenſus. nam ſi interpretamur Quoniam, Propheta reddet rationem ſuperioris ſententiæ. ſed contextus id non patitur: abſurdumque omnino eſt. Plus igitur coloris habent, qui pro Alias vel Alioqui accipiunt: nam appoſite conjungi poſſet iſta comminatio, Niſi reſipiſcitis, videte quid vobis inſtet: civitas munita ſimilis erit deſerto. ſed nimis coacta mihi videtur iſta expoſitio. malo igitur accipere pro Nihilominus, vel Tamen. Significat enim Propheta Jeroſolymam & alias Judææ urbes dirui nihilominus oportere: etiamſi Dominus populo ſuo parcere velit, fieri non poſſe quin ipſa pereat. quæ admonitio valde neceſſaria fuit. Pii enim fracti eſſent animis, quum civitatem illam ſanctam everſam, templumque dirutum vidiſſent: his vero prædictis intelligebant Deo non defuturas rationes quibus Eccleſiam conſervaret: ſeque iſta conſolatione ſuſtentabant. Itaque huic graviſſimæ tentationi occurrere voluit Propheta. unde etiam docemur, nunquam deſpondendum eſſe animum, quamvis extrema omnia patiamur, atque ſummo jure Dominus nobiſcum agat. Etſi autem extenditur hæc comminatio ad totam Judæam, tamen Jeroſolymam, quæ caput gentis erat, præcipue notari mihi probabile eſt. Quod de *vitulis* illic paſcendis adjungit, hæc figura ſatis uſitata eſt Prophetis, quoties de urbis alicujus vaſtatione loquuntur: ſimul enim adjungunt locum illum paſcuum fore. In quo conſideranda eſt ratio judicii Dei, quod Judæis qui terram profanaverant ſuis ſceleribus, ſubſtituat vitulos & bruta pecora. Nam ſicut ab ipſo adoptati erant in filios, merito ſeſe tam benigno Patri addicere debuerant. Quum autem excuſſo jugo laſcivierint, digna fuit hac mercede ipſorum ingratitudo, ut terram occuparent meliores incolæ, non ex genere humano, ſed brutis animalibus. Quod de Summitatibus addit, ad augendam vaſtitatem pertinet, acſi diceret tantam fore copiam herbarum, ut vituli nonniſi teneras partes decerpant. סעף, etiam Ramum ſignificat: ſed quum ramorum ſit proprie aſſurgere in altum, ego pro Summitate hic accipio. Videri etiam poſſet alludere ad ſpeciem urbis: cui quum excelſæ & ſplendidæ antea eſſent domus, his dejectis, nihil in ea præter herbas & frondes eminebit, quarum comas vituli abundantia ſaturi faſtidioſe comedent.

11. *Dum areſcet meſſis ejus.*] Nonnulli exiſtimant Prophetam reſpicere ad ſimilitudinem vineæ, qua initio capitis uſus erat. ideo vertunt Palmites. Et certe vox קציר ambigua eſt. Sed quum ſimilitudo meſſis melius conveniat, quam etiam קציר ſignificat, ego ſic accipere malo. nec tamen verto, Quum aruerit meſſis, ſed, Quum areſcet. Areſcere autem hoc loco nihil aliud eſt quam Accedere ad maturitatem: Antequam matura ſit meſſis terræ, conteretur. acſi diceret, Auferet tibi Dominus fructum quem tibi jam paratum atque in manu eſſe exiſtimabis. *Venturas mulieres* dicens, ſignificat validis hoſtibus minime opus fore Deo ad judicium ſuum exequendum: tantum muliebri manu uſurum eſſe. In quo indignitatem pœnæ amplificat. denunciat enim fore ut ad calamitatem accedat etiam contumelia: quia turpius eſt magiſque pudendum à mulieribus quæ imbelles ſunt ſpoliari, quam à viris. Tandem ſubjicit cauſam tantæ calamitatis. Hoc enim prima facie nimis durum videri poſſet, quod Dominus populum quem elegit, tam miſere vexari ac diſſipari ſinat, nec ei auxilium ferat. nam id ab ejus clementia & paterno amore quo ſuos amplectitur, alienum eſt. Sed Propheta oſtendit juſtam fuiſſe Deo cauſam, cur tam ſevere animadverteret in Judæos: quia intelligentia ſanaque mente privati fuerint. nec vero abs re fontem malorum omnium fuiſſe ignorantiam docet. Nam quum vera ſapientia ſit timor Dei, merito cæcitatis & amentiæ damnantur à Spiritu ſancto, quicunque neglecto Deo, perverſum carnis ſuæ impetum ſequuntur. *Prov. 1. verſ. 7. Pſal. 111. verſ. 10.* Neque tamen ejuſmodi ignorantia eſt quæ nos excuſet, aut à malitiæ reatu eximat. nam qui peccant, ſibi etiam male conſcii ſunt, tametſi cupiditate ſua excæcantur. conjuncta igitur cum malitia ignorantia eſt: ſed ejuſmodi, ut à vitioſo mentis affectu proficiſcatur. Hinc fit ut Hebræi peccata omnia generaliter Ignorantias appellent: hinc etiam illud Moſis, Utinam ſaperent & intelligerent. *Deut. 32. verſ. 29.* Atque id facile unuſquiſque percipiet, ſi cogitet quantum ad nos turbandos valeant pravi affectus. Luce enim doctrinæ privati & deſtituti intelligentia, à diabolo velut in furorem impellimur, ut neque manum Dei reformidemus, & pro nihilo

duca-

ducamus ſacrum ejus verbum. Tandem rurſus augendi terroris cauſa, ſpem veniæ adimit: quod ad corpus populi refertur. neque enim ſi reliquiæ ſervatæ ſunt, ideo ſævire deſtitit ira Dei in promiſcuam turbam. Hic autem Propheta Deum vocat Fictorem & Creatorem Iſraël, non eo modo quo Creator cæli & terræ vocatur: ſed quo Eccleſiam ſuam formavit Spiritu regenerationis. quemadmodum
Ephеſ. 2. verſ. 10. etiam Paulus nos *αὐτοῦ ποίημα* hoc ſenſu eſſe dicit: ſicuti jam alio loco declaravimus. Hoc autem expreſſit Jeſaias, ut ingratitudinem populi exaggeret, atque oſtendat quam meritas pœnas luant, quum à Deo formati & conſervati dedecore ipſum & ignominia afficerent.

12. *Et accidet.*] Mitigat aſperitatem proximæ ſententiæ. erat enim horribile judicium Dei quod populus omni ſpe miſericordiæ & gratiæ deſtitueretur. ו igitur, ſicuti nuper, pro adverſativa particula accipi debet, Et tamen accidet in die illa. Porro metaphorice loquitur Propheta. comparat enim collectionem Eccleſiæ excuſſioni tritici, qua grana à paleis ſeparantur. Ratio metaphoræ eſt, quod populus in exilio illo ſic obrutus eſſet, ut nihilo plus appareret quam grana quæ ſub paleis latent, atque hic & illic diſperſa ſunt. Quod ergo in illa confuſa mixtura abſconditum erat, Dominum quaſi vanno excutere oportuit: ut merito hæc collectio trituræ comparetur. Quum dicit, *Ab alveo* fluminis ad fluvium, intelligit Euphratem & Nilum: quod populus partim in Chaldæam vel Aſſyriam, partim in Ægyptum expulſus eſſet. Multi enim profugerant in Ægyptum quum alii Babylonem captivi ducerentur. Itaque prædicit futurum, ut Dominus hinc atque illinc ſuos colligat: nec tantum à Chaldæa, totaque Meſopotamia, ſed etiam ab Ægypto. Ubi reddidi *Unus ad unum*, alii vertunt, Singuli ex ſingulis locis: ſed illa expoſitio nimis coacta eſt. hæc quam poſui, mihi videtur ſimplicior: quanquam duplex ſenſus eſſe poteſt. vel, Colligam vos ad unum: vel, Non turmatim, nec magno in numero, ſed ſingulos aggregans ſingulis: ut fieri ſolet, quum homines vagabundi & palantes colliguntur. nec enim ſubito omnes conveniunt inter ſe, ſed paulatim alii ad alios accedunt. Sic Judæi diſperſi atque diſſipati erant, ut in unum colligi ipſos & coaleſcere difficile eſſet. Itaque hanc diſſipationem impedimento non fore oſtendit, quominus in florentem ſtatum reſtituerentur: quod poſtea impletum eſt. Collecti enim & reducti ſunt Judæi, non equorum aut curruum multitudine, non hominum viribus, neque gladiis aut armis, quemadmodum ait Oſeas, Oſe. 1: 7.
ſed ſola Domini manu.

13. *Accidet etiam.*] Explicatio eſt proximi verſus. metaphorice autem loquitur, atque oſtendit tantum fore potentiæ Deo, ut facile populum ſuum reducat. Quemadmodum enim Reges clangore tubæ magnos colligunt exercitus, ita Domino promptum fore docet colligere populum ſuum apud quem Propheta non minus efficaciæ habuit, quam tuba qua milites convocantur. *Perditos* vocat, quod miſere diſſipati eſſent, nec procul ab exitio abeſſe viderentur ſine ulla ſpe reſtitutionis. Neque enim hoſtes ſtante ſua Monarchia unquam paſſi fuiſſent captivos ſuos redire. nec alio conſilio eos traxerant in longinquum exilium, niſi ut ſenſim aboleretur Iſraëlis nomen. Quod de Ægypto adjungit, continet illuſtrius veniæ documentum: eos ſcilicet qui in Ægyptum profugerant, tametſi hac gratia indigni eſſent, collectum iri. Hi enim duplici nomine offenderant Deum, ut ſatis declarat Jeremias cap. 27. Jere. 27.
primum, quod obſtinati fuiſſent & rebelles: deinde, v. 10, 11.
quod revelationi parere noluiſſent. Debebant enim potius jugum Babyloniorum ſubire, quam confugere in Ægyptum contra mandatum Dei. Finis tandem redemptionis notatur, ut in patriam ab exilio reverſi, Deum liberatorem de integro, pure riteque colant. Nam per Montem, templum & ſacrificia deſignat. Hoc quidem ſub Dario impletum eſt, ſed dubium non eſt quin Propheta hoc vaticinium longius extendere voluerit: quia reſtitutio illa velut obſcura quædam adumbratio fuit liberationis quam per Chriſtum conſequuti ſunt: cujus adventu non tantum in Aſſyria aut Ægypto, ſed in extremis partibus orbis, tubæ ſpiritualis, nempe Euangelii, clangor auditus eſt. tunc collectus eſt populus Dei, ut conflueret ad montem Sion, id eſt, in Eccleſiam. Scimus enim hanc loquendi formam uſitatam eſſe Prophetis, dum verum Dei cultum & conſenſum in religione & pietate ſignificare volunt. Accommodabant enim ſeſe mori populi uſitato, quo melius intelligerentur. atque etiam ex Sion Euangelium fluxiſſe ſci- ſupr. 2.
mus. Sed hac de replura capite 2. v. 2, 3.

Cap. XXVIII.

VÆ coronæ ſuperbiæ temulentorum Ephraim: quia decor gloriæ ejus erit flos deciduus, quæ eſt ſuper caput vallis pinguium, oppreſſorum à vino.

2. Ecce durus & fortis Domino, ſicut inundatio grandinis, turbo ſubvertens: ſicut impetus aquarum vehementium, inundantium, dejiciens in manu ad terram.

3. Pedibus conculcabitur corona ſuperbiæ temulentorum Ephraim.

4. Et erit flos deciduus decor gloriæ ejus, quæ eſt ſuper caput vallis pinguium, quaſi fructus præcox ante æſtivos: quem qui viderit, aſpiciens eum dum adhuc in manu eſt, devorat.

5. In illa die erit Jehova exercituum in coronam gloriæ, & diadema decoris reliquiis populi ſui.

6. Et in ſpiritum judicii ſedenti ſuper tribunal, & in fortitudinem propulſantibus prælium ad portam.

7. At iſti quoque præ vino errarunt, præ ſicera hallucinati ſunt. Sacerdos & Propheta errarunt præ ſicera, abſorpti ſunt à vino: hallucinati ſunt præ ſicera, errarunt in viſione, impegerunt in judicio.

8. Quoniam omnes menſæ plenæ ſunt vomitu ſtercoreo, ut locus non vacet.

9. Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet doctrinam? abductos à lacte, abſtractos ab uberibus?

10. Quoniam præceptum ad præceptum, præceptum ad præceptum: inſtructio ad inſtructionem, inſtructio ad inſtructionem: paulùlum ibi, paululum ibi.

11. Quoniam balbis labiis, & lingua exotica loquetur ad populum iſtum.

12. Quoniam illis dixit, Hæc eſt requies: requieſcere facite laſſum: & hoc refrigerium: & noluerunt audire.

13. Erit igitur illis verbum Jehovæ regula ad regulam, regula ad regulam: inſtructio ad inſtructionem, inſtructio ad inſtructionem: paululum ibi, paululum ibi: propterea ibunt: & corruent retrorſum, conterentur, irretientur & capientur.

14. Propterea audite verbum Jehovæ, viri illuſores, qui dominamini populo huic, qui eſt in Jeruſalem.

15. Quia dixiſtis, Percuſſimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum: flagellum inundans quum tranſierit, non veniet ad nos: quia poſuimus mendacium refugium noſtrum, & ſub vanitate ſumus abſconditi.

16. Quare ſic dicit Dominus Jehova: Ecce ego ponam in Sion lapidem, lapidem probationis, angulum pretioſum, fundamentum ſolidum. Qui credit non feſtinabit.

17. Et ponam judicium ad regulam, & juſtitiam ad * menſuram. Everret grando fiduciam mendacii, & latibulum aquæ inundabunt. * vel, trutinam.

18. Et abolebitur pactum veſtrum cum morte: viſio veſtra cum inferno non ſtabit: flagellum inundans quum tranſierit, tunc eritis ei in conculcationem.

19. Ex quo tranſierit, rapiet vos utique mane quotidie, tranſibit interdiu & noctu. Et erit ut † terror duntaxat intelligere faciat auditum. † vel, commotio.

20. Quoniam contractus erit lectus, ut non ſufficiat: anguſta erit ſtragula colligendo.

21. Quoniam ſicut in monte Perazim ſtabit Jehova: & ſicut in valle Gibeon * iraſcetur ad faciendum opus ſuum, alienum opus ſuum: ad deſignandum facinus ſuum, alienum facinus ſuum. * vel, tumultuabitur.

22. Nunc itaque ne ſitis illuſores: ne forte conſtringantur vincula veſtra. Quoniam conſumptionem & finitionem audivi à Domino Jehova exercituum ſuper univerſam terram.

23. Auſcultate, & audite vocem meam: advertite & audite ſermonem meum.

24. An quotidie arat arator, ut ſeminet? aperit & confringit glebas agri ſui?

25. An non quum æquaverit faciem ejus, tunc ſparget viciam, feret cyminum: & ponet triticum in menſura, hordeum demenſum, & ſpeltam ſuo modo?

26. Docet eum rectitudinem Deus ſuus, & inſtituit eum.

27. Certe non triturabitur vicia tabula dentata, nec rota plauſtri ſuper cyminum circumferetur: quia baculo excutitur vicia, & cyminum virga.

28. Triticum licet trituretur, non in perpetuum triturat ipſum, nec rotam plauſtri ſui perpetuo ſtrepere facit, ne dentibus ſuis conterat ipſum.

29. Etiam hoc à Jehova exercituum egreſſum eſt, qui mirificus eſt conſilio & magnificus opere.

V*Æ coronæ ſuperbiæ.*] Nunc aliud argumentum & diverſum à ſuperiore ingreditur Jeſaias. hæc enim concio à proxima disjungenda eſt. Oſtendit iram Domini Iſraëli primum, deinde Judæis impendere. nam probabile eſt integro adhuc & ſtante regno Iſraël Prophetam hæc prædixiſſe: tametſi certo affirmari non poſſit, niſi quod certa ratio dictat, nondum profligatas tunc fuiſſe decem Tribus. Itaque hunc ordinem tenet Propheta. Primum, haud longe abeſſe ab Iſraële vindictam Dei, quod varia ſcelera & corruptelæ omne genus illic regnarent. turgebant enim faſtu & arrogantia: demerſi erant in ſuis lautitiis, & ad omnem intemperiem diffluxerant. hinc proruperant uſque ad craſſum Dei contemptum: ut fieri ſolet, quum homines ſibi nimium indulgent: Dei enim facile obliviſcuntur. Deinde oſtendit Deum quodammodo iram ſuam cohibere, quod parcat Tribui Juda. quia quum abductæ ſunt decem Tribus cum dimidia parte Tribus Benjamin, Judæi intacti atque integri adhuc manſerunt. Hanc Dei miſericordiam commendat Jeſaias, quod Deus Eccleſiam ſuam interire noluerit, atque reliquias quaſdam ſervaverit. Cæterum ipſos quoque Judæos ita depravatos & corruptos eſſe oſtendit, ut nullum huic miſericordiæ Dei locum relinquant. & quum non minor impietas apud ipſos quam in Iſraële vigeret, neceſſe fore ut ultricem Dei manum ipſi quoque ſentiant. Atque diligenter obſervandus eſt hic ordo, quoniam multi in expoſitione hujus loci hallucinantur: quod Propheta Iſraëlis nomen diſerte non expreſſerit, quando ſub Ephraim decem Tribus comprehendi ſatis notum eſt. Quod ad verba ſpectat, quia particula הוי, ut plurimum eſt execrantis, nolui à communi interpretum ſententia diſcedere, præſertim quum palam hic minetur Propheta. ſi quis tamen vertere malit, Heus corona, non repugno. Copula ו in cauſalem reſolvi debet, Quia flos ejus deciduus eſt. Gloriam enim & decorem Iſraëlis comparat flori deciduo, quemadmodum poſtea dicetur. In ſumma, maledicit opulentiæ Iſraëlitarum. nam per Coronam ſuperbiæ nihil aliud intelligit quam pravam confidentiam qua ipſi turgebant. Ea autem ex abundantia rerum & copia naſcebatur. Hæc enim vitia perpetuo fere conjuncta ſunt: quia affluentia & ſatietas ferocitatem & arrogantiam pariunt: nam efferimur rebus ſecundis, nec iis moderate uti ſcimus. Incolebant autem regionem uberem & fertilem. Quam ob cauſam etiam Amos vocat eos Vaccas pingues, quæ montem Samariæ incolunt. *Amos 4. verſ. 1.* Sua igitur opulentia elati, & Deum & homines contemnebant. Ideo *temulentos* ipſos vocat Propheta, quod proſperis rebus inebriati, nihil adverſi vererentur, ſeque extra omnem aleam poſitos, ac ne Deo quidem ipſi ſubditos eſſe exiſtimarent.

Quia flos.] Non dubito quin alludat ad convivales coronas, quæ tunc in uſu erant; ut etiam hodie multis in locis utuntur. Crapulæ autem & ebrietati indulgebant Iſraëlitæ, nec dubium quin terræ fœcunditas intemperantiæ ipſorum occaſionem præbuerit. Jam quum florem *deciduum* vocat: ſimilitudinem ſuam proſequitur, eleganter alludens ad flores qui ſubito marceſcunt. Gloriam porro illam dicit eſſe ſuper verticem vallis pinguium, quia paſcua

ſcua ſua ſub pedibus ſpectabant, quorum ubertas eorum ſuperbiam magis inflabat. Alii vertunt, Unguentorum: ſed non ſatis convenit. affluentiam enim & ſaturitatem ſignificat, quibus pietatis oblivio, & contemptus Dei inducta ſunt. Et per nomen *Capitis*, alludit ad ſitum regionis, quod Iſraëlitæ magna ex parte valles opimas incolerent. ei autem affingit coronam, quæ totum regnum circumdet: quod floreret rerum omnium copia. Significat enim opulentiam, ex qua nata eſt ſocordia, ſecuritas, confidentia, intemperantia, & ferocitas. Quæ doctrina ad nos etiam pertinet. horum enim exemplo monemur rebus proſperis moderate utendum eſſe: alioqui nos infeliciſſimos fore. quoniam Dominus omnibus noſtris opibus & copiis maledicet.

2. & 3. *Ecce durus.*] Hoc ad Aſſyrios referri poteſt, acſi diceret eos præſto fore ad Dei arbitrium, ut ſub auſpiciis ejus militent, ſimulac vocati erunt. Quanquam malo ſine ſubſtantivo accipere, ut ſignificet aut Baculum, aut quamvis aliam rationem, qua Dominus ipſos è tam elato faſtu dejiciet. Eamque inundationi comparat, aut turbini, quo & herbæ & flores proſternuntur, omniſque terræ decor abraditur. In quo proſequitur ſimilitudinem floris decidui, quam initio adduxerat. nihil enim gravi imbre aut turbine, floribus magis infeſtum eſſe poteſt. Utitur autem demonſtrativa particula הנה: quoniam impii nullis minis moventur. Oſtendit ergo ſe non loqui de rebus ambiguis, nec temere divinare, ſed ea prædicere quæ ſtatim ventura ſunt. Ubi reddidi, In manu, Hieronymus vertit, Terram ſpatioſam, quod verbis repugnat. alii pro Fortitudine accipiunt, ut ſit violenta dejectio. Verum ſimplex mihi videtur eſſe ſenſus: ſic Iſraëlitarum gloriam & magnificentiam proſtratum iri, acſi quis ebrium manu impelleret. Verſu tertio eandem ſententiam confirmat.

4. *Et erit.*] Eadem fere verba repetit, quia ſcimus quam difficile ſit metu humiliare, qui proſperis rebus excæcati ſunt, quorum oculos felicitas non ſecus ac pinguedo obducit. Quemadmodum enim Dionyſius ſecundus hebetudinem contraxit, ut ſubinde impingeret, quod intempeſtivis ſe ingurgitaret conviviis: ita deliciis & voluptatibus hebetantur hominum mentes, ut nec Deum nec ſe amplius norint. Stupidis ergo idem inculcat mentibus quaſi ſtupore attonitis, ut intelligerent quod alioqui incredibile videbatur. Hoc vero illuſtrat altera ſimilitudine pulchra admodum & propria. nam fructus quidem præcoces magis commendantur, quod alios præcedant, ſpemque afferant reliqui proventus: ſed exiguum tempus durant, neque ſervari poſſunt. Eos enim ſubito devorant aut mulieres gravidæ, aut pueri, aut viri minus alioqui in victu temperantes. Talem Iſraëlitarum felicitatem fore dicit, quia proſperitas qua florebant non diuturna erit, ſed momento deglutietur. Quod autem de regno Iſraël pronunciavit Jeſaias, ad totum quoque mundum pertinet. Efficiunt enim homines ingratitudine ſua, ut quicquid beneficentiæ in eos contulit Dominus, ad maturitatem pervenire nequeat. nam abutimur ejus bonis, eaque perverſitate noſtra corrumpimus. Hinc fit ut præcoces & momentanei fructus reddantur, qui nos perpetuo alere potuiſſent.

5. *In die illa.*] Poſtquam de regno Iſraël loquutus eſt, tranſit ad Tribum Juda: atque oſtendit in hac ſevera Dei vindicta, miſericordiæ tamen locum fore. Et quamvis decem Tribus periiſſent, Dominum tamen conſervaturum aliquas reliquias, quas ſibi conſecrabit: ita ut illic corona gloriæ & decoris diadema ſit: id eſt, nunquam ita deformari Eccleſiam, quin Dominus eam decore & magnificentia exornet. Quanquam non ad omnes Judæos promiſcue extendo hoc vaticinium, ſed ad electos qui mirabiliter ab interitu erepti ſunt. Etſi enim reſiduum populi vocat Tribum unam & dimidiam reſpectu aliarum decem, in progreſſu tamen videbimus in ipſa quoque Tribu Juda ſtatui diſcrimen. nec mirum eſt Prophetam de eodem populo varie loqui, dum nunc ad corruptum vitiis corpus, nunc ad electos ſermonem dirigit. Certe decem Tribuum reſpectu, quæ à Dei cultu & fidei unitate deſciverant, merito Judæos nominat reſiduum populi: ſed dum eos ſine comparatione reſpicit, & quales intus ſint conſiderat, non minus juſte in eorum corruptelas invehitur. Scio aliter exponi ab aliis, quod ſtatim ſequatur, *Et in vino*, &c. atque hanc ſententiam cum initio capitis jungendam putant. Interea forſitan Judæis parcet Dominus. Qui vero parceret? nihilo enim ſunt aliis meliores. quum ergo in eadem ſint culpa, ſimilibus etiam pœnis ſubjici neceſſe eſt. Atqui non animadvertunt Prophetam in eo ſpecimen proponere ſingularis gratiæ Dei, quod non eodem ſimul tempore vindictam exercuit contra totum Abrahæ genus, ſed everſo regno Iſraël, inducias permiſit Judæis ut forte paulatim reſipiſcerent. deinde eadem opera amplificare ingratitudinem populi ex circumſtantia quam poſuerat: quod ſcilicet oportuiſſet eos exemplo fratrum ſuorum doceri. nam calamitas Iſraëlis ipſos expergefacere, atque ad reſipiſcentiam ſtimulare debuerat. Ea autem non movebantur, ut redderentur meliores. Quamvis ergo indigni eſſent tantis beneficiis, Dominus tamen inter ipſos Eccleſiam ſuam conſervare voluit: hac enim ratione Tribum Juda, & dimidiam partem Tribus Benjamin ab illa clade eripuit. Jam quia Tribus Juda exigua erat gentis portio, ideoque ſuperbis Iſraëlitis deſpecta, Propheta ſatis in uno Deo opulentiæ & gloriæ fore aſſerit, quo terrenos omnes defectus ſuppleat. Atque hinc docet quænam vera ſalutis noſtræ ratio ſit: nempe, ſi in Deo felicitatem noſtram conſtituimus. Nam ſimulatque ad mundum delabimur, flores marcidos colligimus, qui ſtatim decidunt atque evaneſcunt. Atque hæc veſania paſſim, & plus æquo inter nos regnat, quod extra Deum, id eſt, ſine ipſa beatitudine beati eſſe volumus. Præterea oſtendit Jeſaias nullas calamitates, quantumcunque graves, obſtare poſſe quominus Deus Eccleſiam ſuam exornet. Ubi enim omnia ad interitum vergere videbuntur, Deus nihilominus corona gloriæ ſuis futurus eſt. Notatu etiam dignum eſt quod tunc demum novum decus Eccleſiæ promittit Jeſaias, ubi attenuata fuerit multitudo, ne funeſta illa clade quæ inſtabat, animum deſpondeant fideles.

6. *Et in ſpiritum.*] Rationem demonſtrat qua Dominus reliquias illas novo decore ornabit. Nam exempla veræ politiæ proponit, qua potiſſimum populi conſervantur. ea autem duabus præſertim rebus conſiſtit: nempe, conſilio & fortitudine. Conſilio enim & prudentia res domi adminiſtrari debent: foris autem adverſus hoſtes robore & copiis opus eſt. Quum itaque duobus hiſce præſidiis regna & reſpublicæ tueantur ac retineant ſtatum ſuum, ſpiritum prudentiæ & fortitudinis populo ſuo promittit. utrumque vero concedi à Deo, nec aliunde expectandum eſſe ſimul oſtendit. Nec vero Magiſtratus in civitate præeſſe & jus ſuum cuique reddere, nec belli duces propulſare hoſtes poterunt, niſi à Domino regantur.

7. *At iſti quoque.*] Redit ad profanos Dei contemptores, qui titulo tenus Judæi erant, ac amplificat eorum ingratitudinem: quia, tametſi iræ Dei inſigne documentum præ oculis habebant, quum viderent fratres ſuos duriter caſtigatos eſſe, quum præterea Dei clementiam erga ſe experti eſſent: tamen neque illo ſeveritatis exemplo, neque bonitatis divinæ ſenſu in viam reduci potuerunt, nec ulla in re meliores redditi ſunt quamvis Dominus eis peperciſſet. De *Vino* & *Sicera* hic metaphorice loquitur, nec enim accipio de communi ebrietate, in quam

initio

initio capitis invectus eſt: quin potius ebriis ſimiles fuiſſe dicit, quod ſenſu rectaque intelligentia carerent. Si quis in vocibus Vini & Siceræ ſubaudiat notam ſimilitudinis, clarior erit ſenſus. Fateor quidem aſſidua crapula quaſi bruteſcere homines: nec dubito quin ebrietas & luxus in cibo & potu Judæis quoque mentes ſuffocaverint: ſed ſi totum contextum expendimus, facile erit videre amentiam metaphorice damnari. Ubi addit, *Sacerdos* quoque & *Propheta errarunt*, longius progreditur in eadem amplificatione: nec plebeios tantum homines ebrios fuiſſe dicit, ſed Sacerdotes ipſos, qui aliis prælucere, & viam monſtrare debuerant. ſunt enim veluti ſal terræ, quemadmodum ait Chriſtus. *Matth. 5. verſ. 13.* Quod ſi infatuentur, quid accidet plebeiis? ſi oculus cæcus eſt, quid reliquis partibus corporis eveniet? Hoc autem omnium graviſſimum eſt, quod eos non in craſſioribus tantum vitæ flagitiis, ſed in viſione & judicio delinquere dicit. Unde colligendum eſt, quam deploratus fuerit Eccleſiæ Judaicæ ſtatus. Atque hic, velut in ſpeculo, poſſumus vitia noſtra contemplari. Eſt quidem portenti ſimile, poſt tot flagella, velut adhibitis à Deo purgationibus, Eccleſiam tot ſcatere corruptelis. ſed ea eſt pravitas noſtra, ut certemus cum ejus plagis, & quamvis ſubinde exſcindat, aſſiduamque operam purgandis vitiis noſtris adhibeat, omnia remedia non tantum inutilia reddimus, ſed novos etiam morbos accerſimus. Mirum igitur hodie videri non debet, poſtquam Eccleſia tot plagis & ærumnis caſtigata eſt, homines præfractos apparere, atque etiam deteriores eſſe redditos, quum id populo veteri accidiſſe teſtetur Jeſaias. Jam quod hanc tam fœdam & ſceleſtam gentis impietatem Dominus bonitate ſua ſuperavit, Eccleſiamque ſuam nihilominus ſervavit, id arcana ejus virtute præter omnium expectationem factum eſt. nihil enim apud nos proficeret, ſi uſitatis remediis uteretur. Hinc etiam apparet quam ſtulta & puerilis ſit Papiſtarum jactantia, qui ſemper Eccleſiam in ore habent, & Sacerdotum, Epiſcoporum, Pontificum nomina obtendunt, eorumque auctoritate adverſus verbum Dei muniti eſſe volunt: acſi ordo ille nunquam labi aut errare poſſet. incluſum videlicet cerebris ſuis Spiritum ſanctum ſe tenere putant, & repræſentare Eccleſiam, quæ nunquam deſtituitur à Deo. Sed videmus quid de Sacerdotibus pronunciet Propheta, quorum ordo & ſpecioſior fuit & illuſtrior. Si uſquam Eccleſia fuit, tunc certe apud Judæos fuit: & teſtimonium habuit ordo ille ex verbo Dei, quo iſti carent. Eos tamen non moribus tantum corruptos fuiſſe, ſed ratione & judicio aberraſſe oſtendit, Prophetaſque, quos ſcimus Sacerdotibus ob eorum ignaviam extra ordinem fuiſſe divinitus additos, in ſacro tamen illo docendi munere & revelationibus fuiſſe cæcos. Quare nihil futilius, quam titulari officii prætextu ab errandi periculo eximere, qui Deo poſthabito, nec modo abjecta pietatis cura, ſed etiam calcato pudore ſuam tyrannidem quolibet modo defendunt.

8. *Quoniam omnes menſæ.*] Pergit in eadem metaphora, & quaſi in tabula depingit quod accidere ſolet hominibus crapulæ deditis: quia pudoris obliti, non modo more pecudum ſeſe projiciunt, ſed nihil refugiunt turpitudinis. Eſt certe hoc fœdum & deteſtabile ſpectaculum, menſas videre aſperſas vomitu: ideo hac figura exprimit Jeſaias fœtidam eſſe totam populi vitam. Nec enim dubium eſt quin Propheta voluerit uno verbo ſignificare, nihil integri aut ſinceri apud Judæos reſtare. Si quis ad menſas eorum accedat, nihil poſſe reperiri præter fœdam ebrietatem: ſi quis vitam eorum contempletur, nullam ejus partem à vitiis & ſceleribus puram aut vacuam eſſe. Doctrinam vero ipſam adeo corruptam eſſe, ut fœteat quaſi fœdata vomitu & ſtercore. In allegoriis, ut quidam faciunt, nolo ſubtilius philoſophari,

9. *Quem docebit.*] Hic Propheta per admirationem oſtendit inſanabilem eſſe populi morbum, nec reſtare quicquam Deo quod ipſorum cauſa efficiat, quum rationes omnes fruſtra tentarit. Certe ubi errantes in viam revocat, & inconſiderate vagantes non deſinit ſubinde monere, hoc ſingulare remedium eſt: quod ſi profectu caret, actum eſt de eorum ſalute, qui nullam medici opem admittunt. Conqueritur ergo Propheta excludi quodammodo Deum populi vecordia, ne ſanandis ejus vitiis operam impendat: ideoque ſimiles facit Judæos pueris infantibus, vel qui adhuc balbutire incipiunt, quibus docendis luditur opera. Merito quidem hortatur Petrus fideles, ut quaſi infantes nuper geniti, ad lac puræ doctrinæ ſugendum accedant: *1 Petr. 2. verſ. 2.* quia nemo docilem ſe præbebit, niſi qui exuerit duritiem, quæ omnibus ingenita eſt. Sed nunc aliud infantiæ genus damnat Propheta, ubi homines in vitiis ſuis obſtupefacti, nihilo magis attendunt ad cæleſtem doctrinam quam ſi nulla intelligentia præditi eſſent. Itaque perperam nonnulli cum illo Petri loco Prophetæ ſententiam conjungunt, acſi Deum induceret quærentem ſibi diſcipulos, qui depoſito omni faſtu ſimiles ſint pueris nuper ablactatis. quia potius exclamat Propheta, fruſtra, & non ſine ludibrio ſpargi doctrinam inter ſtolidos & fatuos, qui pueri ſunt non malitia, ſed ſenſu, ut loquitur Paulus. *1 Cor. 14. verſ. 20.* atque ex contextu melius liquebit: quia percipiendæ doctrinæ idonei non erant, non poſſe Deum accuſari nimii rigoris, ſi eos abjiciat, neque amplius dignetur inutilem operam feriendis eorum auribus conſumere.

10. *Quoniam præceptum.*] Hinc ſatis apparet Dominum conqueri quod fruſtra laborem ſuum inſtituendo huic indocili populo impendat. perinde acſi quis infantes doceret, quibus ſæpius elementa inculcanda & repetenda ſunt, protinus tamen obliviſcuntur: atque ubi totum diem in una litera edocenda magiſter conſumpſerit, iterum ſequenti die, ac deinceps repetendus erit idem labor. & quamvis nihil induſtriæ aut diligentiæ reliquum faciat, tamen nihilo magis promovebit. Qui faſtidium caventes verba hic mutant, inepta copiæ affectatione obſcurant Prophetæ ſenſum, & ſermonis etiam leporem evertunt: quum iiſdem verbis utens, repetitionem variam & aſſiduam, tædiique plenam ſignificare voluerit. Eſt enim, ut jam dictum eſt, ſimilitudo ducta à pueris, quibus multa ingerere magiſtri non audent, quod minime ſint capaces: ſed paucas veluti guttulas inſtillant. ita ſecundo ac tertio, atque ſæpius idem repetunt, eademque præcepta inculcant. denique ſemper elementarii ſunt diſcipuli, donec ratione & judicio præditi ſint. Et facete per mimeſin verba hæc recitat, Paululum hic, paululum ibi. Nomen קו male, meo judicio, nonnulli interpretantur Lineam, quaſi ad tardam ædificationem, quæ per lineas paulatim aſſurgit, alluderet Propheta. dura enim & procul remota eſſet hæc ſimilitudo, quum de puerilibus rudimentis hic agatur. Fateor quidem ita fuiſſe poſitum ſupra cap. 18. ubi vertimus Lineatim, & aliis pluribus locis: ſed circumſtantia nunc diverſum ſenſum exigit. ſicuti etiam Pſalmo 19. niſi quod illic tolerabilius eſſet nomen Lineæ, vel dimenſionis. *Pſal. 19. verſ. 5.* Quanquam non nego metaphorice pro inſtructione vel regula accipi. Nam quia in ædificiis קו vocatur perpendiculum vel norma, ſicuti paulo poſt eodem capite videbimus: ideo non mirum eſt ad alias præceptiones transferri.

11. *Quoniam balbis labiis.*] Quod ſubaudiunt quidam perinde eſſe acſi quiſpiam loquatur, ſuperfluum eſt. Ego itaque ad Deum refero, quem Propheta dicit inſipido populo barbarum eſſe factum. Hæc autem objurgatio debuit eos acriter pungere, quod ſua culpa Deum, qui linguas omnium formavit, quaſi

balbum redderent. Nondum enim illis minatur, ſed ſocordiæ eorum imputat, quod ſibi reddiderint confuſum ſonitum cæleſtis doctrinæ, quia ſponte cæcutiendo, nihil inde proficient. Quod ergo ſe infatuarunt, ut non audiant loquentem Deum, portento comparat Propheta.

12. *Quoniam illis dixit.*] Quod alii etiam periphraſtice exponunt, Si quis illis dicat, Hæc eſt requies, nolunt audire, frigidum eſt, nec ſermonem contexit ut decebat. Potius cauſam aſſignat Propheta cur Deus Judæis ſit barbarus: nempe, quod eis deeſſent aures. ſurdis enim verba fiebant: fruſtra Dominus eis requiem oſtendebat. Hæc autem ſurditas ex contumacia proficiſcebatur: quia doctrinam pervicaciter & proterve reſpuebant. Hæc autem bis inexcuſabilis fuit pravitas, requiem, quæ naturaliter omnium votis expetitur, ſibi oblatam rejicere. Hæc impietas jam per ſe non erat ferenda, obſurdeſcere ad ſermonem Dei loquentis: cæterum, deterior fuit ingratitudo, bonum ſummopere optabile data opera rejicere. ideo fructum demonſtrat, quem ex fidei obedientia colligere poterant, & quo ſe propria malitia fraudarunt. Hæc igitur ignorantia & cæcitas illis exprobratur, quoniam oritur ab eorum contumacia, dum luce oblata, maligne oculos avertunt, & caligare quam illuminari malunt. Unde ſequitur, ſimulac Deus verbum ſuum propoſuit, incredulos ſponte ſibi accerſere miſeram inquietudinem: quia omnes ad beatam quietem invitat: & ſcopum palam oſtendit, ad quem ſi dirigimus vitæ noſtræ curſum, vera nos felicitas manet, ut nemo audita cæleſti doctrina, niſi ſciens & volens aberrare queat. Hinc colligimus quam amabilis eſſe nobis debeat cæleſtis doctrina, quæ inæſtimabile bonum nobis affert, ut tranquillis mentibus fruamur vera felicitate. Clamant omnes nihil eſſe melius quam reperire ubi conſiſtant: interim dum quies proponitur, negligunt multi: major pars etiam refugit, acſi data opera miſeram anxietatem & trepidationem continuam omnes appeterent. Nec eſt cur obmurmuret quiſquam ſe inſcitia labi: quia nihil clarius, aut apertius Dei doctrina, ut fruſtra quicquam excuſationis obtendant homines. Denique nihil magis abſurdum quam culpam in Deum rejicere, quaſi obſcure loquatur, aut confuſe doceat. Jam vero ſicuti hic teſtatur Deus certam requiem ſe verbo ſuo monſtrare: ita ex oppoſito admonet omnes incredulos juſtam ferre mercedem ſuæ pravitatis, dum eos exagitat continua inquietudo. Quod ſtatim ſequitur, *Reficite laſſum*, aliqui ſic exponunt, Deum ut nobis propitius ſit requirere officia charitatis, eaque per ſynecdochen hic comprehendi. Sed mihi videtur Propheta aliud velle, quietem ſcilicet à Deo monſtrari, qua laſſitudo noſtra ſublevetur. unde magis convincitur noſtra ingratitudo, ſi ne ipſa quidem neceſſitas, quæ acerrimus eſt ſtimulus, nos ad quærendum remedium ſollicitat. Ac eodem fere pertinet hoc Prophetæ
Mat. 11. verſ. 28. dictum, quo illud Chriſti: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Denique ſignificat Jeſaias, hanc optionem dari Judæis, An refici & recreari, an oneri ſuccumbere & obrui malint. Unde confirmatur quod nuper attigi, Deum ſcilicet non fruſtra hortari, ut ad ſe
infr. 45. verſ. 19. veniant qui tranquillitate indigent: ſicuti alibi videbimus, Non fruſtra dixi domui Jacob, Quærite me. Quare ubi edocti erimus ejus verbo, niſi per nos ſteterit, tuto licebit in ea quæ illic monſtratur doctrina acquieſcere. Nec enim vult nos inani curioſitate fatigare, ut homines multa ſibi tormenta & cruciatus vanis ſtudiis ſæpe accerſunt. Cæterum quando hanc quietem laſſis deſtinatam eſſe oſtendit, qui ſub ipſo onere ingemunt, doceant ſaltem nos anxietates quibus vexamur, ad verbum Dei confugere, ut pacem obtineamus. Atque ita experiemur haud dubie certum hunc eſſe verbi Dei uſum, ſedare omnes turbulentos affectus, & placare dubias ac trepidas mentes. quicunque alibi quietem quærunt &, extra Verbi metas curſitant, ſemper torqueri, aut miſere vacillare neceſſe eſt: quia extra Deum ſapere & ſine ipſo felices eſſe volunt. Quod Papiſtis accidere videmus, qui repudiata pace hac Dei, tota vita ſe miſere cruciant. Sic enim eos circumagit & verſat Satan, ut horrenda inquietudine turbentur, nec uſquam inveniant conſiſtendi locum.

13. *Erit igitur illis.*] Quanquam eadem verba repetit Propheta, ſenſus tamen nonnihil diverſus eſt: quia jam voluntarii illius ſtuporis, de quo loquutus eſt, pœnam denunciat: quod ſcilicet Deus ſic attonitos reddet, ut in totum priventur fructu ſalutaris doctrinæ, nec quicquam præter inanem ſonitum percipiant. Denique ex ſuperioribus concludit, quia profectu caruerat verbum Dei, Judæos ingratitudinis ſuæ daturos pœnam: non quod auferatur illis Verbum, ſed quia recto judicio & intelligentia privati in clara etiam luce cæcutiant. Sic Deus reprobos dum immorigeri ſunt, magis ac magis excæcat & obdurat. Paulus hunc locum citat, 1 Cor. 14.
quum reprehendit Corinthios ſtultæ affectationis, verſ. 21.
quoniam apud eos ambitio ſic invaluerat, ut potiſſimum admirarentur eos qui lingua peregrina loquebantur: quemadmodum vulgus hominum ad res ignotas & inſolitas obſtupeſcit. Qui Pauli locus perperam intellectus eſt, quod hæc Prophetæ verba non ſatis expenſa fuerant. Hæc autem Paulus aptiſſime propoſito ſuo accommodat. Nam ſtulta & præpoſtera admiratione Corinthios duci oſtendit, atque perperam affectare ea ex quibus nullum fructum percipiebant: denique ſimiles eſſe pueris, non malitia, ſed intelligentia & ſenſu, ita ſibi ultro maledictionem accerſere, quam hic Propheta comminatur: eiſque accidere ut verbum Dei ſit præceptum ad præceptum: nec plus ex eo doctrinæ percipiant, quam ſi quis ignota ipſis lingua obſtreperet. Hæc autem extrema dementia eſt, vana ſcilicet affectatione cæcitatem ſibi & ingenii hebetudinem accerſere, quam Dominus pervicacibus & obſtinatis denunciat. Hanc igitur Prophetæ ſententiam Paulus ipſe explicat atque apertiorem reddit. nam indignos eſſe oſtendit qui ullos progreſſus faciant in doctrina ſalutis, qui ea abutuntur. Similem fere locum vidimus capite octavo, ubi Propheta doctrinam ſuam ſupr. 8.
obſignatis literis comparabat. Poſtea etiam libro verſ. 16.
clauſo ſimilem eſſe dicet. Hoc autem accidit, ubi infr. 29.
Dominus ob ingratitudinem, judicium ſanamque v. 11.
mentem adimit hominibus, ut videntes non videant, & audientes non audiant. atque juſtiſſima ipſius ultio eſt. Quod diligenter obſervandum eſt. Nam ſæpenumero præclare nobiſcum agi exiſtimamus, nobiſque admodum placemus, quod Verbum minime deſit. Sed quid nobis proderit, niſi mentes noſtras illuminet, animoſque noſtros regat? Nam eo gravius nobis judicium accerſimus. quamobrem duplici gratia nobis opus eſt. Primum, ut affulgeat Deus nobis per verbum ſuum: deinde, ut mentes noſtras aperiat, & corda in obſequium paret. Alioqui nihilo magis Euangelii ſplendore juvabimur quam cæci fulgore Solis. Hac igitur pœna admonemur non eſſe abutendum verbo Dei, ſed intendendum recta in ſcopum, quem nobis Dominus in eo proponit. Tandem in fine verſus exitium eorum deſcribit, qui ad hunc ſplendorem Verbi cæcutiunt: nihil enim aliud iis reſtare, niſi ut ſe temere projiciant, quoniam à via diſceſſerunt. Ergo ruere ipſos & concidere neceſſe eſt. Caſum autem non levem fore ſignificat: quoniam ipſum ſequetur contritio. Jam in verbo Irretiendi uſurpat aliam metaphoram: paratos ſcilicet eſſe laqueos omnibus incredulis, quibus implicati ad interitum trahantur. Similem huic ſententiam prius habuimus cap. 8. atque iiſdem fere ex- ſupr. 8.
preſſam verbis: nam eadem de re illic Propheta con- verſ. 16.
ciona-

cionatur: nempe, de excæcatione populi, qui iram Dei contumacia ſua provocarat. Oſtendit autem exitium ſemper inſtare iis qui extra verbum Dei aberrant. aut enim reperient offendicula in quibus impingent: aut laqueos quibus irretientur. denique fieri non poterit, quin male iis cedat, qui viam à Deo monſtratam non tenent: quoniam vel aperte corruent & contererentur, vel occultis inſidiis ſeipſos in fraudem inducent.

14. *Propterea audite.*] Amplificat objurgationem ſuam, ſimulque conſolationem admiſcet, qua piorum animos erigat. Sic enim impiis extremum interitum denunciat, ut materiam conſolationis relinquat fidelibus, eorum ſalutem Deo affirmans charam & pretioſam eſſe. Cæterum per *Illuſores*, intelligit fraudulentos & captioſos homines, qui putant ſe cavillis aſtuque ſuo judicium Dei poſſe effugere. nam לוץ, Cavillari & Illudere ſignificat. Alloquitur autem non vulgares homines, ſed duces & gubernatores, qui quum populum regerent, ingenio & ſolertia alios antecellere ſibi videbantur. ſed acumen ſuum vertebant in verſutiam qua fucum Deo ipſi facerent, ideoque non ſine ſalſa ironia vocat Illuſores: acſi diceret, Putatis vobis ſatis eſſe aſtutiæ ad illudendum Deum: ſed nequaquam illudetis. Præcipuum ergo & graviſſimum omnium certamen Prophetæ fuit cum primoribus. nam etſi omnes ordines corruptiſſimi erant, hi tamen falſa perſuaſione ſapientiæ inflati, cæteris erant pervicaciores. Atque id fere omnibus ſeculis uſu venit, ut vulgus, tametſi barbaro impetu ferociat, non laboret tanta impietate, quanta proceres, vel aulici, vel alii verſuti homines qui ingenio & prudentia alios antecellere ſibi videntur. Potiſſimum igitur adverſus ingenioſos hoſtes iſtos arment ſe Verbi miniſtri. nulli enim pernicioſiores eſſe poſſunt: nam & per ſe nocent, & alios ad ſimilem contemptum & impietatem inducunt, ac ſæpe exiſtimatione & gloria nominis ſui minus perſpicaces vulgi oculos perſtringunt. Hoc quidem horrendum atque prodigioſum eſt, quum Eccleſiæ gubernatores non tantum ipſi excæcati ſunt, ſed etiam alios excæcant atque ad Dei contemptum animant, piamque doctrinam rident & cavillis ſuis proſcindunt: denique vires ingenii conferunt ad religionem evertendam: ſed adverſus eos colligendi ſunt animi Prophetæ exemplo, ne in hoc certamine frangamur, aut deficiamus. Qua autem ratione tractandi ſint hujuſmodi homines, ipſe quoque oſtendit. Nec enim multum operæ conſumere debemus in iis docendis, (parum enim proficeret doctrina) ſed graviter objurgandi ſunt & terrendi judicio Dei. Criminis atrocitas hinc augetur, quod occupent ipſum Dei Sanctuarium, & electum populum Dei ſuis ſordibus inficiant.

15. *Quia dixiſtis.*] Rationem ſubjungit Propheta cur illuſores vocarit: nempe, quia omnem Dei timorem exuerant. Modum etiam deſcribit, Quod impunitatem in omnibus vitiis & ſceleribus ſibi promitterent, eoque audaciores reddebantur, & quaſi majorem ad male agendum licentiam nacti, ruebant abſque ullo metu quocunque eos ferebat libido. Hoc enim per *Pactum* cum morte & ſepulchro initum ſignificat. Nam omnes minas, omniaque Dei flagella ſpernendo ſecureque ridendo, ſe extra omne diſcrimen poſitos eſſe arbitrabantur. & nomine חזה, idem ſignificat quod prius per ברית. nam geminatio eſt ejuſdem ſententiæ. Viſionis enim nomine ſignificat id quod vulgo dicimus *Avoir intelligence*. Niſi quod videtur tacita ſubeſſe antitheſis inter viſiones Propheticas, & fallacem iſtam ſolertiam, in qua ſibi plaudunt ſceleſti veteratores. Certum eſt autem aſtutos iſtos homines nunquam eo prorupiſſe jactantiæ, ut hæc verba effutirent. nimis enim puerile ac ridiculum fuiſſet. deinde dubium non eſt, quin tametſi deſpicerent Deum, monitioneſque omnes aſpernarentur, tamen apud populum exiſtimationem aliquam retinere vellent: nec unquam faſſi eſſent ſe præſidium locare in vanitate; ſed Propheta eorum affectus & ſtudia, non quid obtenderent, ſpectavit: rem igitur ipſam, eorumque animos, non verba, conſideravit. quiſquis enim ſibi & vitiis ſuis applaudit, & ſecure contemnit minas Dei, profitetur ſe pactum iniiſſe cum morte: quam tametſi denunciet Dominus, minime tamen reformidat. Itaque Propheta reprehendit in genere ſecuritatem carnis, qua homines ſibi oblivionem judicii Dei inducunt ac ſponte ſe falliunt, acſi manum Dei effugere poſſent. Sed præcipue Lucianicos & naſutos homines aggreditur, qui ſuum ſapere non niſi in profano Dei contemptu locant: & quo magis obtegunt ſuum dedecus, eo vehementius traducitur à Propheta, quaſi ex profundo receſſu protraheret in lucem eorum aſtutias, ac diceret, En acumen, ſolertia & aſtus ſapientum hujus mundi, qui quum cladibus & ærumnis undiquaque pateant, ſe tamen latere & in tuto eſſe arbitrantur. digni ſunt profecto qui ex mendacio ſalutem quærant, quum negligant Dei ſalutem, denique ipſum deſpiciant, ac ſubſannent: ſuas quidem artes, aſtutias & fraudes ſpecioſis nominibus tegunt, nec mendacia eſſe putant: ſed eas Propheta ſuis appellat nominibus. Quantum [illegible] *flagellum inundans*, duas ſimul metaphoras hic Propheta comprehendit. Comparat enim clades & ærumnas quibus caſtigat Deus mundi ſcelera, flagello: deinde eas ita vehementes & rapidas eſſe, ut ſint inſtar diluvii. Adverſus eas, quantumcunque graves & aſperæ fuerint, ſe mendacio & vanitate munitos eſſe arbitrantur impii ejuſmodi homines, eaſque, tametſi per totum orbem longe lateque exundent, effugere poſſe confidunt. Judicia Dei & calamitates, quibus obnoxii ſunt homines, intuentur: ſed quum Dei manum & providentiam non attendant, atque imputent fortunæ omnia quæ accidunt, ideo præſidia ſibi & munimenta quærunt quibus ejuſmodi flagella à ſe repellant.

16. *Quare ſic dicit.*] Nunc pios conſolatur Jeſaias: impiis vero exitium, quale meriti erant, denunciat. Priore autem loco conſolationem affert, quod pii aſtutis illis hominibus ludibrio eſſent, ut nos etiam hodie ſimplicitatem noſtram videmus ab impiis rideri, noſque haberi pro fanaticis, quod tam adverſis rebus & tam gravibus ærumnis, nihilominus bene nobis futurum ſperemus. Adverſus hanc inſolentiam reproborum Propheta animos piorum erigit & ſuſtentat, ut ſecure prætereant ac pro nihilo ducant eorum ludibria & ſubſannationes, ſpemque ſuam minime inanem aut irritam fore confidant. Demonſtratio *Ecce* ad certitudinem facit: acſi dixiſſet, Tametſi verba mea deſpiciant impii, fidemque iis derogent, tamen id quod pollicitus ſum præſtabo. Pronomen etiam *Ego* emphaticum eſt, ut vaticinio certa conſtet fides. Quod ad verba attinet, genitivus בחן, qui vice epitheti conjungitur cum lapide, tam active quam paſſive accipi poteſt: vel pro Lapide ad quem totum ædificium probatur, vel exigitur quaſi ad ſuam regulam: vel pro Lapide probato. Prior autem mihi melius convenire videtur. & certe uſus linguæ Hebraicæ hoc poſtulat, ut potius active interpretemur. Lapidem igitur probantem, vel probatorem vocat ab effectu: quoniam ad hunc lapidem totum ædificium formari & aptari debet. alioqui labi ipſum & corruere neceſſe erit. *Angulum* vocat, quod totam ædificii molem ſuſtineat: quo nomine etiam Pſalm. 118. vocatur, eo- *Pſal.* 118.
que robur ipſius & virtutem commendat. denique *verſ.* 22.
fundamentum, & quidem, ut ita loquar, fundamentale vocat, paulatim ad ejus commendationem magis progrediens. nec enim vulgarem aut unum è multis qui ædificio ſerviunt eſſe oſtendit, ſed eximium & quo ſolo totum ædificii pondus nitatur. Sic

ergo lapis eſt, ut totum angulum occupet: ſic eſt angulus, ut tota domus in eo ſit fundata. Nam ſicuti 1 Cor. 5. verſ. 11. aliud fundamentum jaci non poteſt: ita totam Eccleſiam, & ſingulas ejus partes eo ſolo niti ac fulciri oportet. Poſterius membrum verſus hortative alii vertunt, Credens non feſtinet. ego tamen in futuro accipere malo, tum quia ad contextum optime quadrat hic ſenſus, tum quod Pauli auctoritate probatur. Rom. 9. verſ. 33. & 10. verſ. 11. 1 Petr. 2. verſ. 6. Fateor quidem Apoſtolos Græcorum interpretationem ſequutos eſſe, & hac uſos libertate, ut contenti rem indicaſſe, verba ipſa non referrent. ſed nunquam de ſententia mutarunt: quin potius rectam applicationem ſpectantes, verum ac proprium ſenſum oſtenderunt. Quoties ergo ex veteri Teſtamento locum aliquem producunt, finis & uſus ab ipſis diligenter retinetur. Rom. 9. verſ. 33. Paulus vero hoc vaticinium citans, ex Græca lectione transfert, Qui credit non pudefiet. ac certe huc tendit Propheta, eorum qui credent, pacatum & tranquillum animum fore, ut nihil amplius deſiderent, nec vagentur incerti, nec properent ad alia remedia quærenda: ſed eo unico pleniſſime ſint contenti. Dura autem non eſt translatio quum verbo Feſtinandi notatur fervor, aut trepidatio. Denique Prophetæ conſilium eſt laudare fidem ab hoc incomparabili fructu, quoniam in ea nobis placida ſit & quieta ſtatio. Unde ſequitur nos aſſidue angi & inquieto animo eſſe oportere, priuſquam ea præditi ſimus. Unus enim eſt portus, in quo tuto acquieſcere liceat: nempe veritas Domini: quæ ſola nos pacatos & tranquillos reddet. Atque hunc fidei fructum deſcribit alibi idem Paulus: Rom. 5. verſ. 1. dum nos fide juſtificatos, pacem apud Deum obtinere dicit. Mat. 21. verſ. 42. Act. 4. verſ. 11. Rom. 9. verſ. 33. 1 Petr. 2. verſ. 6. Hunc porro Lapidem Apoſtoli & Euangeliſtæ Chriſtum eſſe oſtendunt. quia tunc vere ſtabilita & fundata eſt Eccleſia quum mundo exhibitus eſt. Primum, in eo promiſſiones ſuam firmitatem habent: deinde, ſalus hominum in ipſum ſolum recumbit. proinde ſi tollatur Chriſtus, concidet Eccleſia ac corruet. Res igitur ipſa oſtendit hæc haud dubie ad Chriſtum referri oportere, ſine quo nulla eſt ſalutis ſtabilitas: ideoque in ſingula momenta impendent ruinæ. Accedit Euangeliſtarum & Apoſtolorum auctoritas: imo Spiritus ore ipſorum id aperte docet. Sed re propius expenſa rationem perſpicere melius licebit, qua hæc Chriſto accommodantur. Primum, non abs re Deum Jeſaias loquentem inducit, cujus proprium opus eſt fundare Eccleſiam, ſicuti jam alibi viſum eſt, rurſuſque dicet. Atque hæc ſententia ſatis frequenter in Pſalmis occurrit. Nam ſi omnes mortales operam ſuam eo conferant, non poterunt vel minimum lapidem erigere. Solus igitur Deus eſt qui fundat & ædificat Eccleſiam ſuam, tametſi ad eam rem hominum opera & miniſterio utatur. Nunc à quo nobis datus eſt Chriſtus, niſi à Patre? Hæc igitur effecit ac præſtitit cæleſtis Pater, atque Chriſtum nobis unicum ſalutis fundamentum ſtatuit. Sed annon prius poſitus erat hic lapis? nonne hoc fundamento ſemper ſubnixa fuit Eccleſia? fateor certe: ſed ſpe tantum: quia Chriſtus nondum patefactus erat, neque expleverat officium Redemptoris. Ideo Propheta quaſi de re futura loquitur: ut certo perſuaſi ſint fideles, Eccleſiam quam videbant non modo nutare & labaſcere, ſed graviter concuſſam & fere dirutam diſſolvi in ruinas, nova tamen fultura ſtabilem fore, ubi in lapidem manu Dei poſitum recumbet. Dicit autem In Sion, quia illinc Chriſtum prodire oportuit. quod non parum facit ad fidei noſtræ confirmationem, quum ex eo loco qui tanto prius tempore ad id deſtinatus erat, videmus ipſum prodiiſſe. Cæterum, hodie ubique eſt mons Sion, quum in fines orbis terrarum propagata ſit Eccleſia. Eſt autem Chriſtus vere Lapis probationis: quoniam totum ædificium ad ipſum exigi neceſſe eſt: nec poſſumus ſtructura Dei eſſe, Epheſ. 4. verſ. 15. niſi illi coaptemur. unde & Paulus creſcere nos jubet in eo qui caput eſt, ex quo totum corpus conjungi ac connecti oportet. Tota enim fides noſtra Chriſto accommodanda eſt, ut nobis inſtar regulæ ſit. Eſt etiam Lapis angularis, eoque non una quædam pars ædificii. ſed tota ejus moles, fundamentumque ipſum nititur, Nemo enim, ut ait Paulus, fundamentum 1 Cor. 3. verſ. 11. aliud præter Chriſtum Jeſum ſtatuere poteſt. Itaque Dominus Eccleſiæ ſuæ inſtaurationem ore Jeſaiæ promittens, nos ad fundamentum revocat. Talis enim diſſipatio erat, ut ſimilis eſſet ruinæ. ejus autem inſtaurandæ ratio non aliter quam per Chriſtum iniri potuit. Cæterum, quod Chriſtus dicitur etiam Lapis offenſionis, hoc ei accidentale eſt: nam ingratorum hominum vitio accidit, ut quum ipſum reſpuunt, alium omnino experiantur quam ipſis futurus erat. Sed de hac re capite octavo dictum eſt. ſupr. 8. verſ. 14.

17. *Et ponam judicium.*] Quia talis erat Eccleſiæ diſſipatio, ut vix ſperare auderent fideles meliorem ſtatum, rationem in manu Dei promptam eſſe docet, qua Eccleſiam de integro reformet. Sicut autem ædificii nuper meminit, ita nunc altera ſimilitudine docet minime timendum eſſe, quin Deus inceptum ædificii opus tandem abſolvat. oblique interim eorum faſtum & arrogantiam perſtringit qui cenſeri volebant Eccleſiæ columnæ, quam tamen funditus everterant quantum in ſe erat. Nam quum luce fidei prope extincta, & adulterato Dei cultu horrenda eſſet in populo deformitas, nihilominus gloriabantur regali Sacerdotio, ſicuti hodie Papiſtas videmus ſimilem jactantiam abſque pudore efflare: quum tamen funeſta confuſio totam Eccleſiæ formam apud eos periiſſe clamitet. Hoc conſilio definit Propheta qualis futura ſit Eccleſiæ reformatio. Porro קו & משקלת magis probabile eſt ad idem referri, quemadmodum certius ex ſecundo Regum vigeſimo primo capite colligitur: Ponam ſuper Jeruſalem funiculum vel regulam Samariæ, & menſuram domus 2 Reg. 21. verſ. 13. Achab. Quanquam non inficior quin ad ponderum examen alludat. Sit tamen utraque ſimilitudo ab ædificiis ſumpta, in quibus architecti & fabri ad regulam omnia examinant, ut juſta inter omnes partes proportio ſervetur. Sic judicium æquale Dominus ſtatuere dicitur, quum Eccleſiam inſtaurat, in qua alioqui, velut in deformi ruina, omnia temere congeſta & confuſa ſunt, dum evehuntur impii & proſperis rebus fruuntur: pii vero abjecti & afflicti jacent. Idem de juſtitia addit: quod eam dimetietur, vel ſuis ponderibus appendet, & ad normam omnia æquabit. Nam *juſtitiæ* & *judicii* nomine intelligit juſtam & legitimam Eccleſiæ adminiſtrationem, quæ opponitur larvis & fallaciis, quibus ſe venditant titulares Epiſcopi. In eum igitur finem hoc fundamentum ſtatui ſignificat, non ut inchoëtur tantum Eccleſia, ſed ut perfecte inſtauretur: ut vulgo dicimus, *De fons en comble.* Altera quoque pars ſimilitudinis denotat exactiſſimam æqualitatem. Nihil igitur ædificio deerit, ſi Chriſtus pro fundamento ſtatuatur: contra autem ſi abſit, vaniſſima & confuſiſſima erunt omnia. Jam quia niſi diſcuſſis inanibus fiduciis non erat judicio & juſtitiæ locus, eas omnes diſcuſſum iri pronunciat, quia impetus iræ Dei dejiciet omnem altitudinem, & diluvium ad omnes ſecuritatis latebras penetrabit. Hypocritas ergo cum ſua jactantia, tametſi Dominus conſervet Eccleſiam ſuam, nihilominus perituros eſſe denunciat. nec enim ita loquitur de flagellis, quaſi iis corrigantur impii, quum potius indurentur, reddanturque pervicaciores. Purgationem igitur talem fore oſtendit, ut eos è latebris ſuis eductos, nudet falſa ſua & inani fiducia. Nam impii ſe ſub mendaciis & fraudibus ſic latere putant ut plagas nunquam ſenſuri: ideoque ſibi in flagitiis & ſceleribus ſuis placent atque applaudunt: ſed ad eos facile pervadent aquæ, id eſt, ira Domini, quæ præceps atque inſtar diluvii feretur, facile in latibula eorum perrumpet.

18. *Et abolebitur pactum.*] Prius invectus eſt in hypocritas, qui obſtinatis animis Deum omneſque ejus minas ridebant: atque eorum cogitationes retudit, quod fœdus ſe cum morte habere exiſtimarent, id eſt, impunitatem omnium ſcelerum ſibi pollicerentur: acſi ridendo & ſubſannando, manum Dei effugere poſſent. nunc denunciat, ubi ſerio agnoſcent reddendam eſſe rationem Deo, velint nolint metu & formidine conſternatum iri. Nam quod ita quieſcunt & ſecuri ſunt homines, id veluti quodam veterno aut temulentia accidit, dum morbi ſui gravitatem non ſentiunt: ſed Dominus eos è ſomno ſuo, quamvis profundiſſimo, excitabit, & imaginaria eorum pacta delebit. Denique ſignificat pacem illam, qua impii fruuntur, dum vitiis ſuis indormiunt, non fore perpetuam. nam cogentur etiam inviti Deum judicem agnoſcere: eoſque, dum ſe quieti dare volent, ſecuros & inopinantes miræ perturbationes & cruciatus animi ſubito corripient & exagitabunt. Idem enim iis accidit quod facinoroſis, qui ſi abruptis vinculis evaſerint, rident ſuos judices, iiſque convitiantur & petulanter inſultant: ſed quum à tergo inſectantes lictores aſpexerint, ſubito expaveſcunt, omniſque eorum lætitia in mœrorem vertitur: ac longe deterior fit eorum conditio, quam ſi nunquam vincula abrupiſſent. Sic impii momentaneo quodam gaudio fruuntur quod oblivione ſceleris ſui acerſunt: ſed Dominus ſtatim manum injicit, ſicque eorum conſcientias terret, ut nullo modo conſiſtere poſſint.

19. *Ex quo tranſierit.*] Hoc verſu plus exprimit quam ſuperiore. nam ſignificat exitium propediem reprobis inſtare: quum tamen felicitatem æternam ſibi polliceantur. Impii quidem ſe ærumnis multis obnoxios eſſe vident: ſed interea ſibi indulgent, ſtuporemque ſibi adducunt: atque eo modo ærumnas ſe propulſare poſſe arbitrantur. Hæc enim jactant proverbia, Ne ſimus nobis ante diem moleſti, Fruamur tempore dum licet, Simus hilares: neque nos fruſtra fatigemus. At capitibus ipſorum occultam cladem impendere denunciat. Et addit, *ſingulis mane*, hoc eſt, celeriter & aſſidue. Solus enim mali ſenſus Dei timore afficit impios. ſæpe quidem extra periculum formidant: ſed ille cæcus eſt pavor, quia non intelligunt unde ſibi timeant. Porro quum Deus minatur, ſecuri ſunt, quia ipſum non agnoſcunt judicem: atque ita prius ſentiunt manum Dei, quam de ipſo vere cogitent. Quod iterum repetit, *mane*, & paulo poſt adjungit, *noctu & interdiu*, tam continuum quam quotidianum, ut dixi, flagellum fore ſignificat: ne levem calamitatem fore ſibi perſuadeant, vel ſe decipiant ſpe aliqua relaxationis. Nam quum ira Dei adverſus fideles momentanea ſit, adverſus infideles æterna eſt. eos enim perſequi in finem uſque non deſinit. In fine verſus ubi reddidi, *Tantummodo terror* intelligere faciet, variant interpetres. Hieronymus vertit, Intellectum dabit auditui. Verum hæc interpretatio propius ad Prophetæ ſenſum accedit, Solus rumor intelligere faciet, id eſt, Homines ad quoſcunque nuncius pervenerit, dociles Deo reddentur ſolo rumore. Ego vero paulo ſimplicius: (tametſi nolim expoſitiones aliorum refutare) Accidet ut ſolus terror vos doctrinæ capaces reddat. acſi diceret, Hactenus nihil apud vos exhortationibus meis profeci: ſed Dominus novam inveniet rationem qua vos erudiat: plagas ſcilicet, atque ærumnas, quibus vos ita terrebit, ut cum quo vobis ſit negotium intelligatis. quemadmodum ſi immorigerum atque indocilem filium ſic hortaretur dolens ac mœſtus pater, Quum meas admonitiones contemnas, te aliquando à carnifice moneri oportebit. Sic impiis, qui omnes minas ridebant, denunciat Jeſaias ipſos Prophetarum opera non indigere, ſed aliquando intellecturos reipſa quam ſerio ac vere loquuti ſint: neque tamen id ipſis
profuturum: quia in tam ſera cognitione non erit
pœnitentiæ locus. Quærendus enim eſt Dominus, *infr. 55. verſ. 6.*
dum tempus eſt. Pharao nihilo melior eſt redditus *Exod. 8.*
acceptis plagis: nec Eſau quicquam profecit lachry- *verſ. 15.*
mis ſuis quum ſe prærogativa ſua ſpoliatum videret. *Geneſ. 27.*
Nulla enim reſipiſcentia, nulla vitæ emendatio ſe- *verſ. 38.*
quuta eſt. *Terroris* nomine, ſignificat quam horri- *Hebr. 12.*
bile ſit incidere in manus Dei viventis: nec impune *verſ. 17.*
unquam verbum ejus contemni. שמועה vero hic *ibid. 10,*
pro eo quod auditur, id eſt, pro doctrina accipit. *verſ. 31.*

20. *Quoniam contractus.*] Exornat hac ſimilitudine ſuperiorem ſententiam. nam reprobos qui manu Dei urgentur, comparat iis qui in lectum brevem & anguſtum abditi ſunt: in quo vix membra ſua extendere & caput attollere queant: denique quietis loco, graviſſimos ſentiant cruciatus. Nam Judæos ſic concluſum iri ſignificat, ut extremis anguſtiis opprimantur, & lectum, qui ad quietem datus eſt hominibus, fore inſtar eculei. Jam ſi integumentum quærant, ſtragulam breviorem fore dicit, quam ut ſufficiat. Ita ad ſuperius malum hoc etiam accedere dicit, quod in illis gravibus ærumnis omnia ipſis ſolatia neceſſaria deerunt. Hoc enim ſimilitudine ſtrictioris ſtraguli exprimere voluit, ut omnium miſerrimam conditionem ſuam fore intelligant. quia eos undiquaque & ſubtus & ſupra ultio Dei perſequetur: ut nihil habeant levamenti aut relaxationis, nec quicquam remedii inveniant. His autem ſimilitudinibus utitur Dominus, ut ſeſe [illegible] imbecillitatem noſtram accommodet: quod alioqui quam horribile ſit judicium Dei percipere nequeamus. Ex his ergo colligimus quanti ſint horrores quibus exagitantur impii & conſtringuntur, dum eos perſequitur Dominus: ſiquidem in terræ centrum abdere ſe vellent quæritandis latebris: ſed Dominus eos in apertum producit, atque ita concludit & conſtringit, ut ſe movere nequeant.

21. *Quoniam ſicuti in monte.*] Quoniam hic ſermo de reprobis habetur, Propheta nihil præter terrores & ſævas ultiones proponit. ut enim filiis ſuis Dominus benignum ſe & clementem præbet, ita reprobis formidabilem ſeſe oſtendit. Adducit igitur
exempla, quibus ad defenſionem populi ſui manum
exeruit Dominus: veluti quum Philiſtæos fudit in *2 Sam. 5.*
valle Perazim, perſequente Davide. Item quum *verſ. 20.*
Amorræi & alii hoſtes ab Iſraëlitis cæſi ſunt in valle *1 Par. 14.*
Gibeon, duce Joſua, qui impetravit à Domino ut *verſ. 11.*
Sol & Luna conſiſterent, quo facilius hoſtes perſe- *Joſue 10.*
queretur. Ac *ſtandi* verbo potentiam Dei indicat, *verſ. 10.*
quod eum deſidere & otioſum eſſe exiſtimemus, dum reprobos non ulciſcitur. Stare ergo, vel eminere dicitur, dum palam ſuæ virtutis documenta nobis exhibet, ac præſertim ex quibus appareat quantam Eccleſiæ ſuæ curam gerat. Etſi autem diverſa erat ratio; quia olim contra exteros ſurrexerat pro defenſione electi populi, nunc autem bellum Judæis denunciat: ſcite tamen accommodat Jeſaias hæc exempla: quia Deus hoſtes domeſticos profligando non minus Eccleſiæ ſuæ conſulet, quam ſi vires ſuas armaque converteret contra extraneos. Habiturum igitur ipſos hoſtium numero, quamvis falſo ſe populum ejus eſſe jactarent. *Alienum* hoc opus dici ideo nonnulli putant, quod nihil magis Deo proprium ſit, quam miſereri, atque ignoſcere peccatis noſtris: invitum facere quod iraſcitur, alienamque veluti perſonam & naturæ ipſius adverſam induere. Eſt enim
natura clemens, miſericors, patiens, benignus, tar- *Exod. 34.*
dus ad iram: ut Scriptura multis verbis & variis lo- *verſ. 6.*
quutionibus infinitam ejus miſericordiam declarat. *Pſal. 103.*
Alii exponunt Alienum: quod ſolitus eſſet antea tueri *verſ. 8.*
populum ſuum, ſtupendum eſſe quod nunc ipſum hoſtiliter aggredi ac perdere inſtituat. Ego Alienum ſimpliciter accipio pro Inſolito vel admirabili: nam & ſic appellatur quod rarum, & hominibus inuſitatum eſt. ſcimus autem res novas quam plurimum admira-

mirationi eſſe hominibus. Perinde igitur eſt acſi diceret, Dominus vos puniet: neque id vulgari quadam & uſitata ratione, ſed adeo ſtupenda ut ejus conſpectu vel fama omnes expaveſcant. Certum eſt omnia Dei opera totidem potentiæ ipſius teſtimonia eſſe, ut merito nos in admirationem adducere debeant: ſed quum aſſiduo uſu & conſpectu nobis vileſcant, eum nihil agere exiſtimamus, niſi extraordinarias aliquas rationes experiatur. Vetera igitur exempla producit Jeſaias, ut tametſi hæc ultio nova & ſtupenda ſit hominibus, Deo tamen intelligamus minime novam eſſe, quum jam olim non minora potentiæ & virtutis ſuæ documenta ediderit. Interea libenter amplector, Prophetam impios Iſraëlitas Philiſtæis & Cananæis opponere. acſi diceret, Dominus olim miracula edebat, quum populum ſuum ſervare vellet. nunc ea editurus eſt ad ipſum deſtruendum: nam quum Iſraëlitæ degenerarint, exitialem Dei manum ſentient, quam patres eorum ſalutarem experti ſunt.

22. *Nunc itaque.*] Admonet iterum impios illos quos prius illuſores vocaverat, nihil ſuo aſtu, contemptu, ſubſannatione, cavillis profecturos: quoniam omnis eorum calliditas diſcutietur. & ad pœnitentiam hortatur ſi qui forte adhuc erunt ſanabiles. Ideoque eaſdem iterat minas, quæ eos ſollicitent. luctando enim hoc unum acturos eſſe dicit, ut ſe magis coarctent ſuis laqueis. Nam quod pro Vinculis alii Caſtigationes reddunt, non ſatis quadrat contextui. eſt enim hic aptiſſima vinculorum ſimilitudo. Nam ſicuti vulpes quæ in laqueum inciderit, magis aſtringit nodum quum ſeſe extricare & eripere conatur: ſic impii tergiverſando magis ſe ac magis involvunt atque aſtringunt. Cupiunt effugere manum Dei, & adverſus ſtimulum calcitrant, inſtar equi ferocientis qui omnes vires eo intendit ut ſeſſorem excutiat: ſed nihil aliud ſua contumacia & protervia efficiunt, quam ut gravius & vehementius tundantur. Hinc docemur quomodo agendum ſit cum impiis, quum ſcilicet eos timoris Dei penitus vacuos eſſe cernimus. Hoc enim ſolum reſtat, ut eos nihil ſuis cavillis & irriſionibus adverſus ultionem Dei, quæ ipſis imminet, effecturos denunciemus. Monemur etiam cum Deo minime ludendum eſſe, dum cernimus quaſi in ſpeculo qualis fuerit exitus eorum qui Prophetarum monitiones & minas ab initio uſque mundi ſpreverunt. Jam quo plenam fidem obtineat vaticinium, aſſerit nihil ſe in medium proferre, quod non ſit divinitus revelatum. כלה aliquando Perfectionem, aliquando Conſumptio-
ſupr. 10. nem ſignificat, quemadmodum cap. 10. dictum eſt:
verſ. 23. hic vero pro Conſumptione accipi debet. nihil enim aliud hic ſignificat Propheta, quam apud Deum eſſe conſtitutum brevi univerſam terram extrema internecione delere. Duo igitur comprehendit: primum, exitium grave & horrendum imminere orbi (niſi forte ad Judæam reſtringere libeat, quod non diſplicet) deinde præſtitutum eſſe diem nec longe abeſſe. *Auditus*, hic pro Revelatione accipitur: ſibi enim patefactum eſſe dicit. nam ſicuti Dominus miniſterio Prophetarum uti decrevit, ita arcana ſua iis patefacit, ut eorum ſint veluti interpretes. Perinde igitur eſt acſi diceret, Totus mundus ſcatet ſcelerata impietate, exultant in ſua nequitia reprobi homines, acſi nullum Dei judicium foret: ſed ubique terrarum vel in ſingulis Judææ partibus Deus ſe judicem & ultorem eſſe oſtendet: nec ullus terræ angulus ab ærumnis & calamitatibus, propter Verbi contemptum, immunis erit. Tametſi vero hæc Jeſaiæ ſeculo patefacta ſunt, non minus tamen ad alia quoque tempora pertineant, quibus Deus ſe ſemper ſui ſimilem eſſe oſtendit, eademque ratione & regula judicia ſua exequi ſolet.

23. *Auſcultate.*] Præfatione utitur Jeſaias, tanquam de re magna & admodum ſeria loquuturus. nec enim attentionem ab auditoribus requirere ſolemus, niſi ubi magni quippiam dicendum eſt. Et tamen hic ſermonem habere videtur de rebus tritis & vulgaribus: veluti de agricultura, ſatione, tritura, aliiſque ejuſmodi. Sed Propheta auditorum animos altius erigere voluit. nam quum tractet de judiciis Dei, atque oſtendat quam ſapienter Deus mundum adminiſtret, tametſi impii omnia temere ac fortuito volvi putent, ſimilitudinibus rerum quæ apertæ & vulgo notæ ſunt, rem arduam craſſiore Minerva tradere ac docere voluit. Conquerimur ſæpe Deum ad impiorum ſcelera nimium connivere, quod ea confeſtim arbitrio noſtro non ulciſcatur: Propheta vero oſtendit nihil ab ipſo niſi recte & legitime ordinari. Eo igitur pertinet iſta præfatio, ut homines agnoſcant ſtuporem ſuum, quod judicia Dei carpunt, eaque ſiniſtre interpretantur, quum tamen in ordinario naturæ curſu perlucidum habeant ſpeculum, in quo hæc aperte contemplari poſſint. Eſt enim hic tacita expoſtulatio cum hominibus qui in tam clara luce cæcutiunt. Stupidos enim atque hebetes eſſe oſtendit, quod tam perſpicua Dei opera non comprehendant: atque eo nihilominus prorumpunt audaciæ, ut quæ abſcondita ſunt, arbitrio ſuo ſubjicere & ad reprehenſionem trahere velint. Quemadmodum etiam
Paulus de reſurrectione loquens, dementes vocat 1 Cor. 15.
qui virtutem Dei non agnoſcunt in ſeminibus quæ verſ. 36.
terræ mandantur, Stulte, quod ſeminas non prius germinat aut vireſcit, quam fuerit corruptum: ita ſtupidos hic pronunciat Jeſaias eos qui in rebus tam apertis ſapientiam Dei non agnoſcunt: ac denique homines cæcos & hebetes eſſe oſtendit in operibus Dei contemplandis.

24. *An quotidie.*] Vulgo ſic exponunt hunc locum, acſi Dominus ingratitudinem populo ſuo exprobraret: quod ſcilicet eum tanquam agricola coluiſſet, omnemque operam & diligentiam adhibuiſſet, nullum tamen ex eo fructum, ſicuti decebat, perceperit. Atque ita interpretantur Judæi, quos etiam Græci & Latini ſequuti ſunt: ſed longe aliud voluit Jeſaias. Hanc enim doctrinam contexit cum proxima ſententia, qua dixerat Judææ vel univerſi orbis interitum ſibi revelatum eſſe. itaque ſubjungit, Deum tamen non ſemper exerere manum ſuam, nec ulciſci aſſidue hominum flagitia. ſæpe enim diſſimulat, atque ad tempus differt ultionem ſuam. Impii hac Domini tolerantia & tarditate ad majorem peccandi licentiam abutuntur: ſicuti hanc impietatis occaſionem notat
Solomon, quod bonis æque ac malis omnia eveniant: Eccleſ. [illegible]
quod flagitioſi quique & ſcelerati proſperis rebus verſ. 11.
fruantur, ac pii communibus ærumnis atque etiam majoribus ſint obnoxii. denique, quum impii nullum diſcrimen in rebus externis animadvertunt, aut nullum eſſe Deum cogitant, aut omnia cæco fortunæ impetu gubernari. Ad hæc igitur reſpondet Jeſaias, Neſcitis Deum habere ſuas opportunitates, ac noſſe quid unoquoque tempore agere debeat? Si aratores quotidie terram non proſcindunt nec ſubigunt glebas, haud ideo ſunt imperitiæ arguendi. eos enim peritia potius ceſſare cogit. Quid enim aliud efficerent, terram aſſidue verſando, quam quod fruſtra ſe fatigarent, atque impedirent ne ullum ea fructum proferret? Sic Deus non fatagit, nec tumultuatur, ſed tempora novit & opportunitates rei gerendæ.

25. 26. 27. & 28. *An non quum æquaverit.*] Nunc de ſatione loquitur. Arator quantum poterit ſeminis terræ non mandabit, nec temere coacervabit: ſed dimetiëtur agrum, & quantum neceſſe erit, ei committet. corrumperetur enim alioqui nimia congeries, nec granum unum radices agere poſſet. Præterea ſemina inter ſe varia non commiſcebit: ſed aliam agri partem tritico, aliam viciæ, aliam cymino aſſignabit: idque in menſura. Sic enim interpretandum hic puto שורה. non Eximium aut bonum: quia de dimenſo loquitur. Idem etiam de Meſſe ac tritura

pronun-

pronunciat. nec enim eodem modo omnia excutiuntur. tribula enim aut cratibus excutitur triticum, vicia cum pertica, cyminum cum baculo majore. Loquitur autem pro more regionis. Gallia noſtra, præter Provinciam, hunc triturandi morem ignorat. Denique ſignificat eam trituræ rationem quam fert grani natura, non omnibus eandem adhiberi. præterea non ſemper, neque aſſidue trituræ incumbere agricolam, ſed modum adhibere, ne grana comminuantur. Unde vero hæc agricolæ niſi à Deo didicerunt? Si ita eruditi atque inſtructi ſunt in rebus minimis, quid de tanto doctore & magiſtro ſentiendum eſt? annon certam menſuram & æquitatem ſuis operibus adhibere novit? annon videt tempus exequendi judicii? quando debeat proſcindere populos, & tundendo veluti occare: quando colligenda ſit hominum meſſis: quando trituranda ſit, quos ictus, quod plagarum genus infligere debeat? quid denique ſingulis & temporibus, & perſonis accommodatiſſimum ſit? qui univerſum naturæ inſtituit ordinem, annon etiam hæc æqua proportione temperabit? adeoque temerarii ſunt homines, ut cum ipſo expoſtulare, ejuſve ſapientiam arguere audeant? Summa eſt, non eſſe temere judicandum, ſi non protinus hominum ſcelera Dominus ulciſcatur. Atque hic cohibenda eſt hominum audacia, qui etiam minimis in rebus ſæpenumero hallucinantur. nam ſi quis agriculturæ imperitus agricolam videat agros aratro proſcindentem, ducentem ſulcos, glebas ſubigentem, hucque & illuc impellentem boves, atque è veſtigio ſequentem, fortaſſe puerilem ludum eſſe exiſtimans ridebit: ſed eum ipſum merito damnabit agricola, atque inſcitiæ & temeritatis convincet. nam modeſtiſſimi quique quamvis ignorent, tamen ea non fruſtra nec temere fieri cogitabunt. Quid quum terræ mandatur ſemen, nonne videtur perdi? hæc ſi rerum ignari damnent homines, ut ſemper audax & præceps in judicando inſcitia eſt, annon merito ipſos periti arguent ac damnabunt? Quod ſi ita eſt, quid nobiſcum faciet Dominus, ſi incognita nobis ejus opera reprehendere audemus? Hinc ergo judicemus quantum fugienda ſit hæc temeritas, & quam modeſte in his cogitationibus nos continere debeamus. nam ſi modeſte cum hominibus verſandum eſt, nec temere damnanda quæ apprehenſionem aut intelligentiam noſtram effugiunt, multo majore erga Deum modeſtia utendum eſt. Quum igitur calamitates, quibus varie affligitur Eccleſia, nobiſcum reputabimus, ne queramur eam deſtitutam, impiis laxata frena, aut jam actum eſſe: ſed Dominum ſuo tempore remedia adhibiturum ſtatuamus, & juſta ipſius judicia toto animo amplectamur. Si quis etiam propius verba ipſa expendens colligat, alios citius puniri, alios tardius, ac pœnam differri dicat: hoc non modo probabile erit, ſed omnino à Propheta exprimitur. Mira autem ad nos redit conſolatio, quod trituram ſuam Dominus ita attemperat, ut non frangat neque comminuat ſuos. Impios quidem in nihilum redigit atque perdit: ſuos autem caſtigat, ut ſubacti & purgati in horreum colligantur.

29. *Etiam hoc.*] Nonnulli exponunt hunc locum, acſi diceret Propheta agriculturæ ſcientiam à Domino profectam eſſe. Ego vero ſuperiorum applicationem eſſe arbitror. quemadmodum enim ſapientiam Dei, etiam minutiſſimis in rebus oſtendit, ita mentes altius attolli jubet, ut magis reverenter admiranda & recondita ejus judicia ſuſpicere diſcamus. Obiter quidem ex verſu 26. notari poteſt, atque etiam debet, non modo agriculturam, ſed omnes quoque artes quæ hominum utilitati ſubſerviunt, Dei dona, & quicquid eſt dextræ inventionis, mentibus hominum inſtillatum eſſe. nec enim eſt quod earum nomine ſuperbiant homines, aut inventionis laudem ſibi tribuant: quemadmodum veteres feciſſe videmus, qui Deo ingrati, eos à quibus excogitatum putabant aliquod artificium, in numerum deorum referebant. Hinc apotheoſis & innumera deorum turba, quam Gentes ſibi opinione finxerunt. Hinc magna illa Ceres, hinc Triptolemus, hinc Mercurius, infinitique alii dictis hominum & ſcriptis celebrati. Propheta vero hujuſmodi artes acceptas Deo ferendas eſſe docet, qui unicus auctor & magiſter earum eſt. Quod ſi ita de agricultura, aliiſque mechanicis artibus judicari debet, quid de liberalibus & ingenuis cenſendum eſt? veluti de Medicina, Juriſprudentia, Aſtronomia, Geometria, Dialectica, & ejuſmodi? nonne multo magis cenſebimus à Deo eſſe profectas? annon in his quoque bonitatem ipſius contemplabimur & agnoſcemus, ut & minimis & maximis in rebus, laus & gloria ipſius celebretur?

Cap. XXIX.

HEus Ariel, Ariel, urbs quam incoluit David. Addite annum ad annum quibus jugulentur agni.
2. Atqui in anguſtum redigam Ariel, & erit mœror & triſtitia, eritque mihi tanquam Ariel.
3. Et caſtrametabor adverſum te in circuitu, & oppugnabo te in ſtatione, & erigam contra te aggeres.
4. Tum humiliaberis, è terra loqueris, & è pulvere exibit eloquium tuum, & erit quaſi Pythonis è terra vox tua, & è pulvere eloquium tuum muſſitabit.
5. Et erit quaſi pulviſculus ſonitus extraneorum tuorum, & quaſi ſtipula tranſiens multitudo fortium, & erit ad momentum repente.
6. A Jehova exercituum viſitaberis: in tonitru, & tumultu, & fragore magno, in turbine, & tempeſtate, & flamma ignis vorantis.
7. Et erit quaſi ſomnium viſionis nocturnæ multitudo omnium gentium pugnantium adverſus Ariel: omnis, inquam, pugnantis, & munitiones erigentis in eam, & conſtringentium eam.
8. Fiet ergo quemadmodum famelicus ſomniat, & ecce comedit: quum autem evigilat, inanis eſt anima ejus: & quemadmodum ſitiens ſomniat, & ecce bibit: quum autem evigilat, laſſus eſt, & anima ejus appetens: ſic erit multitudo omnium gentium pugnantium adverſus montem Sion.
9. Immoremini, & admiremini. Excæcati ſunt, & excæcant: ebrii ſunt, & non vino: concuſſi ſunt, & non ſicera.
10. Quia obtexit ſuper vos Jehova ſpiritu ſoporis, obſtruxit oculos veſtros: Prophetas veſtros & præcipuos Videntes caligine obduxit.

11. Itaque facta eſt vobis omnis viſio quaſi verba libri obſignati: quem ſi tradant ſcienti literas, ac dicant, Lege, quæſo, in eo: tum dicet, Non poſſum, quia eſt obſignatus.

12. Quod ſi detur ei liber qui non didicit literas, ac dicatur, Lege, quæſo, in eo: tum dicet, Neſcio literas.

13. Ergo dicit Dominus: Propterea quod appropinquat populus iſte ore ſuo, & labiis ſuis honorat me: ac cor ſuum longe à me removit, & fuit timor eorum erga me præcepto hominum doctus:

14. Propterea ecce adjicio ut faciam rem mirandam in populo hoc, miraculum, inquam, & portentum. nam peribit ſapientia ſapientum ejus, & prudentia prudentum ejus evaneſcet.

15. Væ latitantibus à Jehova, ut abſcondant conſilium: nam ſunt in tenebris opera eorum: ac dicunt, Quis videt nos? & quis ſcit nos?

16. Veſtra converſio an ſicut lutum figuli reputatur? nempe, dicit opus de auctore ſuo, Non fecit me: & figmentum de fictore ſuo, Non intellexit.

17. Nonne adhuc paululum, paululum, & redigetur Libanus in Carmelum, & Carmelus in ſylvam reputabitur.

18. Et audient in die illa ſurdi verba libri: & de caligine & tenebris oculi cæcorum videbunt.

19. Tunc repetent humiles in Jehova lætitiam: & pauperes hominum exultabunt in Sancto Iſraëlis.

20. Quoniam in nihilum redactus eſt violentus, conſumptus eſt deriſor: perierunt qui mane feſtinabant ad iniquitatem.

21. Facientes hominem peccare in verbo, qui arguentem in porta illaquearunt, & juſtum flexerunt ad nihilum.

22. Propterea ſic dicit Jehova ad domum Jacob, qui redemit Abraham: Non confundetur nunc Jacob, neque palleſcent nunc facies ejus.

23. Nam ubi viderit natos ſuos, opus manuum mearum, in medio ſui, ſanctificabunt nomen meum, ſanctificabunt Sanctum Jacob, Deum Iſraël timebunt.

24. Tum errantes ſpiritu diſcent intelligentiam: & murmuratores diſcent doctrinam.

HEus Ariel.] Videtur hic alia eſſe concio, qua Jeſaias urbi Jeroſolymæ minatur. Eam vocat Altare: quoniam in altari ſummum urbis præſidium erat. nam etſi cives aliis munitionibus, quarum eis magna copia fuit, confi- *Jer. 7: 4.* debant, plus tamen in templo & altari, quam in aliis præſidiis locabant fiduciæ. quum enim viribus & potentia invictos ſe eſſe arbitrabantur, tum vero ſummum hoc omnium præſidium & invictiſſimum cenſebant, quod tutela Dei tegerentur. Deum autem ſecum eſſe ſtatuebant, quamdiu altari & ſacris fruebantur. Nonnulli hic templum, Ariel vocari putant, à figura leonis quam præ ſe ferebat, quod ſcilicet anteriore parte latius eſſet, poſteriore vero anguſtius: ſed mihi ſatius videtur ſimpliciter accipere de altari, quum Ezechiel quoque hoc nomen ei tribuat. *Eze. 43. verſ. 15.* Hoc quidem vaticinium adverſus totam urbem profertur: ſed conſilium Prophetæ ſpectandum eſt. ſtultam enim fiduciam Judæis adimere voluit, qua Deum ſibi adfore imaginabantur, quamdiu altare & ſacrificia extare poſſent. his enim falſo gloriabantur, ſeque defunctos putabant, quamvis impii eſſent ac nequiſſimi. Poſtea ad urbem progreditur, quam dignitatis elogio inſignit, quod olim habitata fuerit à Davide: ſed per conceſſionem volens ſcilicet fumum illum vanitatis diſcutere. Quidam minorem Jeroſolymam intelligunt: id eſt, interiorem urbem, quæ etiam muro cincta erat. nam duplex quodammodo Jeroſolyma fuit, quod excreviſſet, latiuſque pomœria ſua extendiſſet. verum, de tota urbe intelligendum hunc locum puto. Davidis autem mentionem facit, quod illius nomine gloriarentur, atque in ejus regia benedictionem Dei perpetuo reſidere jactarent: *2 Sam. 7. verſ. 12. Pſal. 89. verſ. 37.* quia Dominus perpetuum Davidis regnum fore promiſerat. Hinc colligi poteſt, quam ridiculi hodie ſint Romanenſes, qui Cathedræ Petri Eccleſiam affigunt, acſi nuſquam domicilium in toto orbe reperire poſſit Deus quam in Romana ſede. Non diſputamus nunc an Petrus Romanæ Eccleſiæ epiſcopus fuerit, nec ne: ſed ſi apertiſſime hoc conſtare demus, an ulla ejuſmodi promiſſio Romæ data eſt, qualis Jeroſolymæ? Hæc requies mea in ſeculum ſeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. *Pſal. 132. verſ. 14.* Quod ſi data eſſet, nonne videmus quid de Jeroſolyma pronunciet Jeſaias? Deum ſcil. expelli, ubi doctrinæ locus non eſt: ubi cultus Dei corrumpitur. Quid igitur Roma, quæ nullum teſtimonium habet? quid præ Jeroſolyma jactare poteſt? Si ſanctiſſimæ urbi, quam potiſſimum delegerat, maledicit Deus, quid de cæteris dicendum eſt, qui ſacroſanctas ejus leges, omniaque pia inſtituta everterunt? *Addite annum.* Hoc ideo ſubjunxit Propheta, quod Judæi pœnam ſe effugiſſe putarent, quum aliquod tempus ipſis prorogatum erat. Nam impii ſe cum Deo inducias habere putant, ubi nullum propinquum ſibi interitum animadvertunt. Itaque perpetuam ſibi felicitatem promittunt, quamdiu Dominus eos quiete & pace frui ſinit. Adverſus hanc ſecuritatem denunciat Propheta, tametſi ſacrificia aſſidue facerent, eaque quotannis renovarent, Dominum tamen vindictam ſuam exequuturum. Hinc colligendum eſt, non ideo differendæ pœnitentiæ occaſionem eſſe captandam, quod Dominus pœnas & ultionem proroget. nam etſi nobis ad tempus parcit, noſque ſuſtinet, non ideo deletum eſt peccatum: neque ulla cauſa eſt, cur nobis inducias cum ipſo polliceamur. Ne ergo abutamur ejus patientia: ſed eo magis de petenda venia cogitemus.

2. *Atqui in anguſtum.*] ו hic pro adverſativa particula accipiendum puto, Et tamen exequar judicia mea & ulciſcar: utcunque ad aliquod tempus ea differendo remiſiſſe videar. Mœrorem deinde & luctum illis pro dierum feſtorum lætitia minatur. אניה nonnulli adjective capiunt: ſed perperam. nam apud Jeremiam in Threnis hoc eodem modo accipitur. *Thren. 2. verſ. 5.* Teſtatur autem Dominum in anguſtias urbem illam redacturum, ut Judæi intelligerent bellum ſibi cum Deo non cum hominibus eſſe: & quamvis bellum

lum gererent Aſſyrii, Deum tamen illis præeſſe agnoſcerent. Quod tandem addit ſibi fore *quaſi Ariel*, ſoli templo non conveniret. Intelligit enim omnia ſanguinolenta fore ex ſtrage quæ Jeroſolymæ edetur: ideoque comparat aræ, in qua victimæ & hoſtiæ mactantur: quemadmodum etiam impii mactationi deſtinati, ſacrificio comparari ſolent. Denique hic alludens ad nomen Altaris, dicit totam civitatem fore veluti Ariel, quia interfectorum ſanguine redundabit. Ex quibus apparet externam cultus profeſſionem, ceremonias, externaque ſymbola gratiæ Dei parum prodeſſe, niſi ex animo ipſi pareamus. Ironice enim hypocritas (qui pecudum ſacrificia impuro corde obtrudunt Deo, quaſi legitima piacula ad placandam ejus iram) dicit operam ludere: & quia Templum & Altare profanarunt, non poſſe rite ſacrificari Deo, niſi tota urbe victimæ mactentur. perinde acſi diceret ubique fore carnificinam. Improprie autem violentam eorum mactationem, qui ſponte ſe offerre Deo recuſarunt, ſacrificium appellat.

3. *Et caſtrametabor.*] כדור. Alludit ad circumferentiam pilæ: atque idem eſt quod vulgo dicimus, *Je l'environneray*. atque ita omnes effugio exitus præcluſos fore docet. Quod ſubjicit, *Oppugnabo* te in ſtatione, ad alteram ſpeciem invadendæ urbis pertinet. aut enim incurſiones fiunt huc & illuc, aut ſtataria eſt obſidio. Confirmat autem doctrinam ſuperioris verſus, atque oſtendit hoc bellum auſpiciis Dei gerendum eſſe. tametſi Aſſyrii cupiditatibus ſuis & dominandi libidine impellantur, nihil tamen niſi juſſu Dei ſuſcepturos. Magni enim referebat Judæis certo eſſe perſuaſum quicquid malorum ſibi accideret divinitus irrogari, ut inde ad ſcelerum ſuorum examen deſcenderent. quæ doctrina, quum ſæpius occurrat in Scripturis, eo diligentius animis noſtris infigenda eſt. nec enim fruſtra toties eam Spiritus ſanctus repetit atque inculcat.

4. *Tum humiliaberis.*] Ridet arrogantiam qua præditi erant Judæi, ut minas & monitiones omnes contemnerent, quamdiu rebus proſperis fruebantur: id quod omnibus hypocritis uſu venit. Dicit ergo depoſito faſtu fore poſthac ſubmiſſiores: non quod animos mutaverint: ſed quia pudor impediet ne ſuo more exultent. Subaudienda eſt igitur hic tacita antitheſis. Eos enim compellat, qui animo elati magnos ſpiritus efflabant & capita in altum erigebant, cum omnium deſpectu: acſi ne Deo quidem ipſi ſubditi eſſent. imo Deum ipſum maledictis & contumeliis inceſſere non dubitabant, & ſacroſanctum ejus verbum ridere. Dejicietur, inquit Jeſaias, hic faſtus: atque intoleranda hæc arrogantia ceſſabit. Idem ſimilitudine magis exprimit, murmur tanquam ex cavernis edituros dicens. Eorum enim vocem qui prius ita elati & feroces erant, Pythonum ſermoni comparat, qui quum oracula redderent è demiſſo quodam & abſtruſo ſub terram ſpecu, obſcurum neſcio quod murmur edebant: ſuſurrabant enim potius quam articulate loquerentur. His igitur *ἀνάλογως* iſtos ſimiles fore pronunciat. Nonnulli ſic interpretantur hoc dictum, acſi Propheta ſignificaret nullum fore caſtigationis fructum: ſed hoc ex verbis non elicitur, ac poſtea dicet Judæos ad reſipiſcentiam adductum iri: ſed prius terrorem incutit, ut eorum inſolentiam retundat. arroganter enim & proterve omnes Prophetæ minas ſpernebant. Itaque dejectio cujus meminit, nihil aliud ſonat, quam probris fore coopertos, ut non audeant quaſi è ſublimi ſuperbas ventoſaſque jactantias jacere.

5. *Et erit quaſi pulviſculus.*] Prius referam quid alii ſentiant: deinde adducam quid mihi probabilius videatur. Omnes fere de hoſtibus Judæorum hoc dictum putant. Exteros enim pro Hoſtibus accipiunt: atque aiunt multitudinem eorum qui Judæos oppriment, pulveri ſimilem, id eſt, infinitam fore. Sed quum propius omnia expendo, inclino potius in contrariam ſententiam. nam exiſtimo Prophetam contemptim loqui de præſidiis, quibus fruſtra Judæi confidebant, quum ipſi milites exteri & mercede conducti eſſent, atque hi robuſti: ſic enim interpretor עריצים, idque proprie ſignificat: nec video cur Judæorum nonnulli pro impiis, aut iniquis accipiant. Quum itaque Judæi præſidia ſibi aliunde varia accerſerent, exiſtimabant ſe probe munitos eſſe, nec quicquam adverſi verebantur. Iis denunciat Propheta, futurum ut præſidiarii eorum milites, tametſi immenſa eſſet eorum multitudo, fruſtra tumultum cieant: eos enim fore inſtar pulveris aut paleæ: id eſt, nihili quiſquilias, quia effectu carebunt. Unde colligendum eſt, noſtras opes & copias, quantæcunque ſint, in nihilum redactum iri, ſimulatque nobiſcum ſuo jure agere voluerit Dominus. Durant quidem ad aliquod tempus hominum præſidia: verum ubi ſerio manum extulerit Dominus, eorum robur concidere, atque inſtar ſtipulæ eſſe neceſſe eſt. In fine verſus alii exponunt ſonitum ab hoſtili incurſu repente exoriturum, & quaſi momento. Ego vero והיה, potius refero ad tempus durationis quod momentaneum fore ſignificat: id eſt, haud diu ſtabunt illa præſidia: protinus evaneſcent. Fruſtra iis gloriantur homines, quum Deum ſibi infeſtum habent.

6. *A Jehova exercituum.*] Subjicit cauſam cur tota illa præſidiariorum multitudo inſtar ſtipulæ futura ſit: idque declarat ſimilitudine contraria. nam militibus illis iram Domini & viſitationem opponit. Quid autem ſtipula ad flammam ignis vorantis? quid pulvis ad turbinis impetum & vehementiam? Talem igitur Dei vindictam fore docet cui reſiſtere nequeant omnes apparatus. Atque hoc ſenſu mihi contextus fluere videtur. nec vero talis membrorum relatio futura eſt, ſi aliam interpretationem ſequamur. Hinc agnoſcimus, eos à quibus oppugnamur, tantum poſſe quantum eis Dominus conceſſerit. Si igitur nos ſalvos eſſe velit Dominus, nihil efficient hoſtes, etiamſi univerſum orbem adverſum nos concitent. Contra, ſi nos caſtigare velit, nullis copiis aut munitionibus iram ipſius arcebimus, quæ more turbinis omnia facile proſternet: imo conſumet velut flamma.

7. *Et erit quaſi ſomnium.*] Ego quoque hunc verſum aliter interpretor quam alii: nam exiſtimant Prophetam piis afferre conſolationem voluiſſe. quod certe non parum coloris habet, & præclaram continet doctrinam: nempe, Eccleſiæ hoſtes ſimiles reddi ſomniantibus, ubi fruſtratur eos Dominus, quum tamen pene voti compotes eſſe videntur: ſed textui mihi ſatis congruere non videtur hæc interpretatio. Interdum autem accidit, ut quum elegans videtur ſententia, ea nos ad ſe alliciat, atque furtim nos à vero ſenſu abducat, nec hæreamus in contextu, nec diutius in inveſtiganda auctoris mente laboremus. Expendamus igitur an hæc fuerit mens Prophetæ. Certe quum poſtea iterum pergat in denunciandis minis, mihi dubium non eſt, quin eundem hic ſermonem proſequatur, quem alioqui hæc ſententia perperam abrumperet. Objurgat enim Judæos eorumque pervicaciam arguit, quod Deum, minaſque omnes ſecure contemnerent. denique aptiſſima ſimilitudine in falſam eorum fiduciam & ſecuritatem invehitur, dum repente & inopinato adventuros hoſtes denunciat, ubi Judæi ſe tranquilla pace frui & longe ab omni periculo abeſſe exiſtimabunt, & rem adeo ſubitam & inopinatam fore, ut ſomnium eſſe videatur. Quamvis igitur perpetuam nunc quietem animo concipias, inquit, Deus te facile excitabit, & ſecuritatem tibi iſtam excutiet. Salſe autem Propheta Judæos ſomniare dicit, quia ſuis deliciis immerſi nihil vident, aut ſentiunt: ſed mente obruta vel attonita beatitudinem ſibi fingunt ex ſtupore. Unde colligit ſubito quaſi per ſomnium venturos hoſtes, qui dormientibus terrorem incutiant, ſicuti ſæpe contin-

contingit dulcem & jucundum ſoporem diris inſomniis turbari. unde ſequitur, blanditias quibus indormiunt fore illis inutiles: quia utcunque nihil cogitent, ſubito tamen obrepet commotio. Hoc adhuc obſcurius eſſe potuiſſet, niſi rem magis explicaret proximo verſu.

8. *Fiet ergo quemadmodum famelicus.*] Comparat Judæos famelicis hominibus qui obdormiunt quidem, ſed vacuo ſtomacho & cibum appetente. hos de cibis & epulis quibus indigent, ſomniare naturale eſt. Dum igitur vigilabant Judæi, ſimiles erant famelicis: eos aſſidue per Prophetas ſuos admonebat Dominus, atque ad divinas Verbi epulas invitabat: eas contemnebant, neque movebantur, malebantque omnino deliteſcere, atque indormire vitiis ſuis, quam ſacris illis epulis ſatiari. Itaque dum ſopiebant conſcientias ſuas, abunde ſibi omnia ſuppetere, ſeque ab omni incommodo immunes eſſe exiſtimabant. Hoc ſomnio & inani viſo perſimile eſſe declarat Jeſaias: quia repentina clade expergefacti, ſentient quam vacui fuerint & inanes, & quam falſam & deluſoriam opinione ſatietatem finxerint. Ut enim languidiores redduntur famelici quibus ejuſmodi ſomnia contigerunt: ita populus qui ſibi falſo perſuaſit omnia ſua belle habere, moleſtia longe majore afficietur, quam ſi nihil ejuſmodi animo conceptum foviſſet, inopiamque ſuam potius & nuditatem agnoviſſet. Primo quidem intuitu dura videtur loquutio, ubi dicit, Multitudo oppugnantium Ariel erit quaſi ſomnium, &c. ſed ita reſolvi debet, Ubi ſpe fallaci liberationem ſibi promiſerint Judæi, acſi procul abigendi eſſent hoſtes, ſentient paulo poſt ſe fuiſſe deluſos: ſicuti qui præ inedia ſomniat ſe laute epulari, deinde expergefactus ſentit famem acrius fuiſſe accenſam. Nihil igitur hic video quod ad conſolationem pertineat. idem enim argumentum perſequitur, & invehitur in contemptum & pervicaciam Judæorum, quos Propheta nullis monitionibus aut minis poterat commovere.

9. *Immoremini.*] Perſtat in eodem argumento Jeſaias, & craſſum illum ſtuporem populi vehementius inſectatur. Alii vertunt, Obſtupeſcite: ſed malo aliter accipere: nempe, quamvis multum diuque in hanc cogitationem inſiſtant, nullum tamen alium exitum fore, quam ut ex diuturna cogitatione obſtupeſcant eorum mentes. denique ſignificat judicium fore Dei, quo ſic obruentur eorum mentes, ut tametſi ſeſe cogitando & comminiſcendo torqueant, nullum tamen aut exitum aut finem reperire poſſint. Et mox rationem reddit, cur in ſua tarditate defixe cogitando nihil proficiant: nempe quod ſimiles ſint ebriis. Quod igitur nihil cernunt aut percipiunt in operibus Dei, hoc eorum ſocordiæ & ſtupori imputandum eſſe docet. Atque hujus rei ſpecimen quotidie in multis occurrit: quia ſpiritualis ebrietas omnes eorum ſenſus ita occupat & hebetat, ut in rebus apertiſſimis cæcutiant: ac dum ſplendidiſſimam juſtitiæ & æquitatis lucem oſtendit Deus, ita caligant, ut confuſo intuitu magis magiſque deſipiant. Hic autem ſtupor juſta pœna eſt, qua Dominus eorum incredulitatem ulciſcitur. Ut hanc Prophetæ ſententiam in uſum noſtrum accommodemus, notandum eſt hæc Prophetæ verba præcepti loco accipienda non eſſe, acſi diutius inſiſtere & cogitare juberet: ſed potius eorum ſtuporem ridet atque inſectatur, ut jam dictum eſt: *Penſez, y tant que vous voudrez, vous n'y entendrez rien.* Eis enim judicium & rationem deeſſe ſignificat, eoque fieri ut fruſtra hæc Dei opera conſiderent. nam ut talpæ Solis fulgor nihil prodeſt: ita excæcata mens fruſtra nervos intendit, ut magnifica Dei opera comprehendat. Quum vero Excæcatos dicit, ſignificat nos natura ſic creatos eſſe, ut mente & intelligentia præditi ſimus ad conſideranda Dei opera: vitium, ut ita dicam, accidentale, quod excæcamur, ebrietatemque adventitiam eſſe. nam ingratitudini hominum imputanda eſt, in quam Dominus merito animadvertit. *Commotionem* mentis, placidæ rationi & quietæ opponit. Intelligit enim perturbationem qua mens agitata nutat ac vacillat.

10. *Quia obtexit ſuper vos.*] Jam ut fontem hujus cæcitatis clarius demonſtret, adſcribit eam Dei judicio, quia hoc modo populi impietatem ulciſci voluit. quemadmodum enim ipſius eſt oculos ad cernendum dare, ſpiritu judicii & intelligentiæ illuſtrare mentes: ita ſolus omni luce nos privat, ubi videt maligno quodam pravoque veritatis odio tenebras ultro appetere. Quum ergo cæcutiunt homines, ac præſertim in rebus adeo lucidis & conſpicuis, juſtum ipſius judicium agnoſcamus. Addit etiam adminiculis & inſtrumentis populum privari, quæ intelligentiæ lumen afferre, atque alios dirigere debuiſſent. Eo enim deſtinati ſunt Prophetæ, quos utroque nomine & נביאים & חזים, deſignat. denique ſignificat, non modo homines ratione & intelligentia præditos, expertes fore ſenſus communis, ſed doctores quoque ipſos, quorum partes erant aliis prælucere, fore prorſus inſipidos ut viam neſciant, & ignorantiæ tenebris involuti turpiter aberrent, tantumque abfore ut alios moderentur, ut ipſi ſe regere non poſſint.

11. & 12. *Itaque facta eſt vobis omnis viſio.*] Apertius etiamnum exprimit Propheta quod ante dixerat, Tantam ſcilicet inter Judæos cæcitatem fore, ut tametſi Dominus ipſis clariſſima Verbi luce affulgeat, nihil intelligant. Nec vero id ſolis plebeiis eventurum ſignificat: ſed ducibus ipſis & doctoribus, qui præ aliis ſapere, & exemplo præire debuiſſent: denique pervagaturum hunc ſtuporem per omnes ordines. Nam & literatos & illiteratos adeo hebetes & ſtupidos fore pronunciat, ut ad verbum Dei prorſus caligent, nec magis in eo perſpiciant, quam in epiſtola obſignata. Idemque omnino, ſed aliis verbis, docet quod ſuperiori capite dixerat, Ver- ſupr. 28.
bum Domini futurum ipſis veluti præceptum ad verſ. 13.
præceptum, regulam ad regulam. quoniam in primis rudimentis ſemper hærebunt, nec unquam ad ſolidam doctrinam pervenient. Eodem enim ſenſu hic demonſtrat, eos nihil omnino fructus à ſummo ad infimum ex verbo Dei percepturos. Doctrinam quidem ſublatum iri non dicit, ſed quamvis penes eos ſit, mentem ipſis & intelligentiam defuturam. Dominus enim bifariam hominum impietatem punit. nam interdum adimit penitus uſum Verbi: interdum eo relicto, intelligentiam adimit, menteſque ſupr. 6.
hominum excæcat, ut videndo nihil videant. Pri- v. 9, 10.
mum igitur lectione privat, aut ſublatis impiorum tyrannide libris, ut ſæpe accidit, aut falſa hominum perſuaſione, qua exiſtimant non ideo eſſe traditos, ut paſſim legantur ab omnibus: deinde, quamvis eos in manibus verſari & legi ſinat, tamen quia homines iis abutuntur, & ingrati ſunt, nec recta in gloriam Dei intendunt, excæcantur: nec magis perſpiciunt, quam ſi nulla Verbi ſcintilla ipſis enituiſſet. Non eſt igitur externa prædicatione Verbi gloriandum: parum enim proderit, niſi mentes noſtras illuminando fructum ſuum proferat. Perinde igitur eſt acſi diceret, Dominus quidem ob fœdus quod cum patribus veſtris iniit, fœderis illius tabulas vobis relinquet: ſed erunt vobis obſignatæ literæ. nihil enim ex ipſis percipietis. Quum hæc, ita ut minatus eſt Jeſaias, Judæis accidiſſe videmus, & ſtatum po-
puli illius conſideramus qui adoptatus & ſegregatus Deut. 4.
à Deo erat, fieri non poteſt quin toti ad tam horri- v. 20, 37.
bilem ultionem expaveſcamus. Quamvis enim & & 7: 6.
Lege & Prophetis edocti, & ſplendidiſſima luce illuſtrati eſſent, tamen in ſuperſtitiones horrendas, & deteſtandam impietatem prolapſi ſunt: fœdatus eſt cultus Dei, religio omnis everſa & diſſipata, ipſique in varias & portentoſas ſectas diſtracti & diviſi ſunt.

Tan-

Tandem quum Sadducæi omnium impiiſſimi rerum
potirentur, fide omni ſublata & ſpe reſurrectionis,
atque etiam immortalitatis, quales, quæſo, niſi
ſimiles pecudibus aut porcis eſſe potuerunt? quid
enim homini ſupereſt, ſi beatæ & æternæ vitæ ei
ſpes adimatur? Et tamen fuiſſe tales, quum advenit
Mat. 22. verſ. 23. Christus, ſatis teſtantur Euangeliſtæ. tunc enim
Marc. 12. verſ. 18. hæc, ut prædicta erant à Propheta, vere impleta
Luc. 20. verſ. 27. ſunt, ut non fruſtra nec temere haſce minas ab eo
Actor. 23. verſ. 8. jactatas eſſe intelligamus: nec eo minus eveniſſe,
quod tunc ab impiis proterve & contumaciter deriſæ
ac contemptæ ſint. Tunc igitur vel maxime incre-
dulitas eorum & ſimul vecordia apparuit, ubi lux
vera toto orbe patefacta eſt: nempe Chriſtus, uni-
cum veritatis lumen, anima Legis, ſcopus omnium
Prophetarum. Tunc, inquam, potiſſimum Judæo-
rum oculis velum obductum erat, quod in Moſe fue-
Exod 34. verſ. 30. rat adumbratum, quem non poterant ob nimium
ſplendorem intueri. vere autem impletum in Chri-
2 Cor. 3. verſ. 16. ſto: cujus erat velamen illud, ſicuti docet Paulus,
tollere & abolere. Hactenus ergo velamen impoſi-
tum eſt cordibus eorum, quum Moſes legitur, quia
rejiciunt Chriſtum, ad quem Moſes referendus erat.
Moſes eo loco pro Lege accipi debet, quæ ſi reduca-
tur ad finem ſuum, id eſt, Chriſtum, velamen illud
auferetur. Hæc porro Dei judicia ſic contemplemur,
ut eundem hodie judicem agnoſcamus, qui olim fuit:
atque eandem iis paratam eſſe ultionem, qui aures
ſanctiſſimis ejus monitis accommodare noluerint.
Quod doctos & indoctos exprimit nominatim, ob-
ſervandum eſt, non ideo à nobis percipi ſpiritualem
doctrinam, quod valeamus ingenii acumine, aut
liberaliter in ſcholis edocti ſimus. Literæ nihil iſtos
juverunt, quominus excæcarentur. Complecten-
dum igitur animis & affectu eſt Verbum, ſi modo
hanc ultionem effugere velimus, quæ non rudibus
tantum, ſed literatis quoque nunciatur.

13. *Ergo dicit Dominus.*] Oſtendit Propheta Do-
minum juſtiſſimis de cauſis adeo ſevere cum populo
ſuo acturum eſſe. dura & horribilis erat illa caſtiga-
tio, divinitus obſtupefieri mentes. Jam quum ho-
mines, ut ſunt audaces & præfracti, cum ipſo liti-
gare non dubitent, acſi juſto ſeverior eſſet: docet,
Deum juſti judicis officio functum eſſe: culpam hæ-
rere in ſolis hominibus, qui eum nequitia & impie-
tate ſua provocarunt. Sua vero præcipue hypocriſi
& ſuperſtitionibus populum hanc pœnam promeri-
tum eſſe oſtendit. Hypocriſin notat, quum dicit eum
ore appropinquare & labiis. ſic enim interpretor
נגש, & probabilior mihi lectio videtur, quamvis
nonnulli aliter ſentiant: quorum alii vertunt Co-
arctari, alii vero Se magnifacere. ſed antitheton
quod paulo poſt ſubjicitur, ſatis declarat hanc eſſe
genuinam lectionem: quæ etiam receptior eſt. Su-
perſtitiones vero & impios cultus perſtringit: quum
ait *Timorem* quo præditi ſunt, *hominum præceptis edo-
ctum* eſſe. Hæc autem duo fere ſemper conjuncta
ſunt: imo vero nunquam hypocriſis vacat impietate
aut ſuperſtitione. atque è diverſo impietas aut ſuper-
ſtitio hypocriſi non caret. Per *Os* & *labia* externam
profeſſionem intelligit, quæ bonis æque ac malis com-
munis eſt: ſed in eo differunt, quod mali nihil habent
præter inanem oſtentationem, ſeque defunctos pu-
tant ſi labia diduxerint in honorem Dei: boni vero
ex intimo cordis affectu ſeſe coram Deo expandunt,
ſuumque obſequium præſtando, quantum à perfe-
cto officio abſint fatentur atque agnoſcunt. Utitur
ergo hic ſynecdoche, quæ ſatis frequens eſt Scriptu-
ris, quum ex parte aut ſpecie univerſum deſignant.
Speciem autem delegit aptiſſimam & convenientiſſi-
mam præſenti cauſæ, quod lingua potiſſimum & ore
pietatis ſpecies induatur. Cæteras igitur partes ſimul
comprehendit Jeſaias, quibus ſimulant & fallunt hy-
pocritæ. omnibus enim modis ad mendacium & va-
nitatem propendent. Melior vero interpres Chriſto
ipſo quærendus non eſt, qui quum de ablutione ma-
nuum ageretur, quam à diſcipulis omiſſam Phariſæi
reprehendebant, quod ſanctimoniæ ſpeciem præ ſe
ferret: ut eorum hypocriſin convinceret, Bene, in- Mat. 15.
quit, de vobis vaticinatus eſt Jeſaias, Populus hic verſ. 7.
labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me.
Proinde Labiis & Ori, Propheta Cor opponit cujus
integritatem requirit & poſtulat à nobis Deus. Hæc
ſi deſit, omnia opera noſtra, quantumcunque ſplen-
doris habeant, repudiat. ut enim ſpiritus eſt, ita Joan. 4.
ſpiritu & animo vult à nobis coli & adorari. niſi hinc v. 23.24.
initium fiat, quicquid externo geſtu & habitu præ
ſe ferent homines, inanis oſtentatio erit. Hinc facile
eſt judicare quanti fieri debeat ille cultus quem Pa-
piſtæ Deo ſe exhibere putant, dum inanibus ſonis,
murmure, cereis, thure, magnifico ornatu, & ſex-
centis ejuſmodi nugis Deum venerantur. Ea enim
non ſolum rejici à Domino, ſed etiam execrationi
eſſe videmus. Secunda parte, ubi humanis figmentis
colitur Deus, hunc timorem ſuperſtitionis damnat:
tametſi homines ſpecioſo religionis aut devotionis
aut reverentiæ colore tegere conentur. Rationem
exprimit: quod ab hominibus ſit edoctus. Ego enim
paſſive lego מלמדה. ſignificat enim regulam colen-
di Dei perverſe ex mandatis hominum, non ex ejus
verbo peti. At Dominus timorem noſtrum, reve-
rentiam, qua colitur, exigi voluit ad præſcriptum
verbi ſui: nec quicquam adeo requirit, quam ſim-
plicem obedientiam, qua nos omneſque noſtras
actiones ad regulam Verbi formemus, nec in hanc
aut alteram partem flectamur. Unde ſatis liquet,
quicunque ex hominum commentis cultum Dei
diſcunt, non modo plane deſipere, ſed etiam ſe con-
ficere exitiali labore: quia nihil quam iram Dei pro-
vocant. quantopere enim fictitios cultus abomine-
tur, non potuit apertius teſtari, quam hujus pœnæ
atrocitate. Hoc caro indignum eſſe judicat, ut dum
ſe per inſcitiam & errorem fatigant homines ad
Deum placandum, non modo ſtudia eorum pro ni-
hilo ducit, ſed etiam graviter punit. Atqui mirum
non eſt, ſi auctoritatem ſuam ita vindicat. Hunc
locum Chriſtus ipſe exponit, inquiens, Fruſtra me Mat. 15.
colunt docentes doctrinas, mandata hominum. Ali- verſ. 9.
qui copulam addere voluerunt, Et mandata: acſi
non ſatis conſtaret ſenſus. ſed planum eſt eum ſigni-
ficare aliud velle, præpoſtere ſcilicet fieri, ubi man-
data hominum pro regula vivendi & doctrina ſe-
quimur.

14. *Propterea ecce adjicio.*] Pœnam excæcationis
non rudibus vel gregariis tantum, ſed ſapientibus
illis qui apud populum admirationi erant minatur.
Ex qua ultione facile eſt judicare quam deteſtandum
vitium ſit hypocriſis & execrabile coram Deo: ſicuti
paulo ante de humanis commentis dictum eſt. quod
enim pœnæ genus formidabilius eſt caligine mentis
& ſtupore? Hoc quidem non percipiunt vulgo ho-
mines, nec magnitudinem ejus mali agnoſcunt: ſed
omnium infeliciſſimum & ſummum eſt. nec loqui-
tur de vulgo hominum, ſed de ipſis ducibus, qui
inſtar oculorum eſſe debebant. Vulgus enim per ſe,
ut alia membra in corpore, cæcum eſt. ubi ergo ex-
cæcantur oculi, quid reliquo corpori eveniet? Si
lumen tenebræ ſint, quemadmodum ait Chriſtus, Matth. 6.
ipſæ tenebræ quantæ erunt? Hoc igitur ad amplifi- verſ. 23.
cationem iſtius ultionis additum eſt. Unde etiam
colligi poteſt, quam ſtulta & inanis ſit Papiſtarum
jactantia, qui quum Epiſcopale nomen, alioſque
ejuſmodi aut Doctorum, aut Paſtorum, aut Apoſto-
licæ ſedis titulos objecerint, obſtructa eſſe omnium
ora putant. Pollent forte alia ſcientia quam Judæi.
unde vero eam hauſerunt? profectam à Deo eſſe
prætexent. At videmus Prophetam non loqui de
Chaldæorum aut Ægyptiorum ſapientibus, ſed de
ordine Sacerdotali quem Deus conſtituerat, de Do-
ctoribus ac præcipuis ducibus & anteſignanis electi
populi

populi & unicæ Eccleſiæ : denique de ſummo illo Pontifice , qui typum Chriſti gerebat. quicquid enim eminebat in populo & præcellens erat, hoc ſapientum nomine comprehendit.

15. *Væ latitantibus.*] Inſurgit Propheta iterum adverſus impios illos & profanos Dei contemptores, quos ante vocavit לצים, qui ſibi non aliter ſapere videntur , niſi Deo verſute illudant. Nam illis religio quaſi ſtulta eſt ſimplicitas, & in ſuam calliditatem quaſi in labyrinthum ſe abdunt: unde & monitiones & minas , atque omnem denique pietatis doctrinam ludibrio habent. Ex hoc enim verſu ſatis apparet, jam tunc peſtem illam, quæ poſtea latius erupit , graſſatam fuiſſe in mundo , ut hypocritæ ſuaviter in ſinu ſuo Deum ridentes Prophetias deſpicerent. In eos ergo invehitur Propheta, & המעמיקים vocat, quaſi ſibi foderent abſceſſus & latibula , quibus Deum fallere poſſent. Particula quæ ſequitur, *Ad abſcondendum conſilium*, nobis eſt vice explicationis. Sunt qui initium hujus verſus ita interpretantur, acſi Propheta nimiam curioſitatem damnaret , qua arcana Dei judicia nimis audacter nonnulli perſcrutantur. Verum interpretatio illa ſtare non poteſt. atque ſatis oſtendit ipſe Propheta de quibus intelligat: attexens eorum ludibria qui tectius ſe & occultius delinquere putabant , quam ut poſſent deprehendi: nec aliud ſignificat abſconſio conſilii quam tergiverſandi audacia. qua velut objectis nebulis lucem obſcurant impii, ne palam fiat interior eorum pravitas. hinc tam ſecura interrogatio, *Quis videt nos?* Nam etſi profitebantur ſe eſſe Dei cultores, cavillando tamen non modo ſe Prophetas refellere, ſed Dei judicium evertere putabant. non aperte id quidem ; nam & impii ſpeciem aliquam religionis retinere volunt, quo melius fallant , ſed in animo nullum numen agnoſcunt, niſi quod ſibi ipſi finxerunt. Hanc igitur vafritiem , in qua ſibi placent impii & blandiuntur, latibulo vel integumentis comparat Jeſaias. Velo enim ſe contectos putant, ut ne Deus quidem ipſe eorum nequitiam animadvertere ac deprehendere poſſit. Hoc vitio quum præcipue laborent magnates, eos potiſſimum à Propheta perſtringi puto. nec enim ſibi ſatis acuti vel cordati videntur , niſi contemnant Deum, & deſpiciant ejus doctrinam: denique tantum credant quantum ipſis collibuerit. nec enim penitus abjicere audent, imo aliquam religionem inviti coguntur retinere : ſed eatenus id faciunt, quatenus ſuis commodis ſervire putant, nec ullo veri Dei timore tanguntur. Hæc impietas hodie plus ſatis ſeſe prodidit, ac præſertim ex quo Euangelium patefactum eſt. Nam ſub Papatu facile homines cum Deo tranſigebant, quoniam Papa Deum finxerat, qui ſe pro cujuſque ingenio transformaret. variæ cuique rationes erant, quibus peccata ſua ablueret: cultus multiplices, quibus numen ſuum placaret. Quo fit ut nemini mirum videri debeat tunc impietatem non apparuiſſe, quæ ſub ejuſmodi involucris latebat. his vero demum ſibi detractis, quales antea fuiſſent homines aperte prodiderunt. Interea non minus ſeculo noſtro communis eſt morbus, quem in ſua gente deflevit Jeſaias. Homines enim Deum celare ſe poſſe exiſtimant, quum oppoſuerint aſtutias ſuas, quaſi nuda & aperta ejus oculis non ſint omnia, aut quiſquam eum fallere aut latere poſſit. Ideo exegetice dicit *eſſe in tenebris opera ipſorum*, id referens ad inanem fiduciam qua inebriantur impii. Tametſi verſentur in luce, tamen adeo ſunt hebetes, ut eam non cernendo Dei conſpectum effugere conentur. Imo impunitatem ſibi omnem promittunt, atque ita licenter ſibi indulgent, acſi undiquaque eſſent adverſus Deum obtecti ac muniti. quo etiam pertinet illud, *Quis videt nos?* non quod ita palam hæc pronunciare auderent impii, ſicuti dictum eſt, ſed quod ita in animis ſuis loquerentur, vel ita ſentirent. Id quod ſecuritas eorum & vana confidentia oſtendebat. Sic enim ad omnem nequitiam proſtituti erant, ſicque omnia monita aſpernabantur, acſi nullum unquam futurum eſſet judicium Dei. Erat igitur Prophetæ negotium cum impiis, qui quum ſpecie & nomine aliquam Dei notionem profiterentur, reipſa eum negabant, & acerrimi erant hoſtes piæ doctrinæ. Id autem nihil aliud eſt, quam Deum negare eſſe judicem, ipſumque è ſede ſua & tribunali dejicere. Deus enim agnoſci non poteſt ſine doctrina : ubi hæc exploditur aut rejicitur , ſimul ipſum explodi atque ejici neceſſe eſt.

16. *Veſtra converſio.*] Varie exponitur hic verſus. Et certe nonnihil habet difficultatis ob duas particulas אם , & כי. אם ſæpe interrogative capitur: aliquando affirmative. Ideo nonnulli accipiunt pro Vere. Dictionem הפך nonnulli accipiunt pro Subverſione. acſi diceret, Subverſio veſtra inſtar luti reputabitur. Alii pro Verſione, id eſt, pro conſiliis quæ animo agitantur. Magis autem recepta hæc lectio eſt, pro Subverſione accipi, ſeu interitu. acſi diceret, Ego nihilo plus negotii ſum habiturus in vobis perdendis, quam figulus in verſando luto. Vos enim inſtar luti eſtis, quia vos manu mea formavi. Cæterum, quoniam Propheta videtur opponere iſtas duas particulas אם & כי , ego in contrariam ſententiam magis inclino, tametſi illam interpretationem non improbem, quæ utilem alioqui doctrinam continet. Sic igitur accipio, An veſtrum vertere, id eſt, conſilia quæ animo agitatis inſtar luti figulini erunt? An non perinde eſt, acſi vas diceret figulo, Me non formaſti? Miranda eſt veſtra ſuperbia. nam perinde agitis, acſi creaſſetis voſipſos, atque omnia in manu veſtra poſita haberetis. mei juris erat ſtatuere quicquid mihi viſum eſt. Hoc juris atque auctoritatis dum audetis ad vos trahere, nimium ignari eſtis conditionis veſtræ , nec vos homines eſſe cognoſcitis. Hæc interpretationum varietas nihil de Prophetæ ſenſu immutat : cui non aliud propoſitum eſt, quam ut doctrinam ſuperioris verſus confirmet. nam adhuc invehitur adverſus homines elatos, qui tantum ſibi tribuunt, ut imperium Dei ferre non poſſint, & falſa de ſe perſuaſione imbuti omnes exhortationes contemnunt, acſi ipſi dii eſſent. Sic enim negant ſe à Deo eſſe formatos. Quicquid enim ſibi arrogant homines, id Deo eripiunt, eumque ſpoliant ſuo honore. Tantum in priore membro nonnihil variaret ſententia. Nam qui אם affirmative accipiunt, hunc eliciunt ſenſum, Certe ita vos perdam acſi figulus formatam à ſe ollam confringeret. Sed quia Prophetæ negotium erat cum ſuperbis hominibus, qui latebras captabant quibus Deum fallerent, interrogative potius accipio, An tanti eſtis artifices, ut cerebri veſtri revolutiones hoc vel illud forment, ſicuti figulus rotam vertendo vaſa ſuo arbitrio componit? Liberum ſit cuique judicium, ego id ſequor quod probabilius mihi videtur.

17. *Nonne adhuc.*] Nunc affirmat Dominus ſe impiis iſtis, quales ſint demonſtraturum eſſe. acſi diceret, Torpetis nunc in veſtra ſuperbia : ſed ego vos brevi expergefaciam. Homines enim ſibi indulgent, quoad violentam ſentiant manum Dei. Securitati igitur tam ſupinæ Propheta judicium ejus denunciat. ac ſub *Libani* quidem & *Carmeli* nominibus converſionem orbis & rerum immutationem exprimere voluit. Sed quem in finem, ambigitur, ac multum inter ſe diſſentiunt interpretes: quia enim mons Libani arboribus & ſylvis erat veſtitus, Carmel frugiferos & uberes habebat agros. Putant multi Carmelo Judæos conferri, quia ſterileſcent: Chriſtianos autem Libano, quia ingentem frugum copiam producent. Plauſibilis quidem ſententia, ſicuti placere ſolent omnes argutiæ: ſed locus ſimilis quem
videbimus in fine capitis 32. * docebit, Prophetam verſ. 15.
hic comparative augere gratiam Dei: quia ubi rurſus incipiet benedicere populo ſuo, immenſa bonorum

rum omnium ubertas Carmelo famam adimet. E Libano igitur Carmelum ſe effecturum denunciat, id eſt, è nemoroſo loco cultum & ſegetibus conſitum: ex agris vero cultis tantam fructuum copiam collectum iri, ut ſi ſtatus eorum, qualis nunc eſt, ad futurum conferatur, infructuoſi ac deſerti cenſeri poſſint. atque hæc loquendi forma plenius capite 32. explicabitur. Alii Carmel appellative accipiunt: ſed malo proprie accipere. Incultos enim ac deſertos cenſeri poſſe illos feraces agros ſignificat, præ nova & inſolita fœcunditate. Alii allegoricè exponunt, & Libanum accipiunt pro ſuperbis, Carmelum pro plebeiis & abjectis. quod argutius quidem & ſubtilius eſſe videtur: ſed ego ſimpliciorem illum ſenſum ſequi malo. Cæterum ne deficiant pii, à minis ad gratiæ prædicationem tranſit, & teſtatur, ubi pauliſper tolerando crucem ſibi impoſitam obſequium fidei ſuæ probaverint, ſubitam renovationem inſtare, quæ ipſos exhilaret. Interea tamen impios ab hac ſpe excludens, ſignificat ultionem proximam eſſe, ubi ſecuri ſunt, ſibique pacem aut inducias pollicentur. nam quum dixerint Pax & ſecu-
1 Theſſ. 5. verſ. 3. ritas, ut ait Paulus, tunc repentinus accedet interitus.

18. *Et audient in die illa.*] Eccleſiam Dei, ut dictum eſt, inter illas clades nihilominus ſuperſtitem fore promittit. quamvis enim infinitis tempeſtatibus quatiatur mundus, ſurſumque & deorſum volvatur, cælum etiam terræ miſceatur, piorum tamen gregem conſervabit Dominus, & Eccleſiam ſuam quaſi ex media morte excitabit. Atque hinc non vulgariter confirmari debet piorum fides. Hoc enim inſigne Dei miraculum eſt, in tot tantiſque imperiorum & monarchiarum ruinis, quæ hic atque illic accidunt, piorum ſemen conſervari, inter quos eadem religio, idem cultus Dei, eadem fides & ſalutis ratio permaneat. Sed hic pugnantia loqui videtur Jeſaias. nam prius tantum in populo Dei ſtuporem fore prædixit, ut nemo intelligeret: hic vero futurum, ut etiam ſurdi intelligerent, & viderent cæci. Significat ergo prius Eccleſiam caſtigari & repurgari oportere: idque non vulgari quadam & uſitata ratione, ſed tam inſolita, ut prorſus interiiſſe videatur. Ideo dicit, *In illa die*, id eſt, poſtquam pœnas ſumpſerit de impiis, & purgarit Eccleſiam ſuam, non modo locupletabit terram frugum copia, ſed faciem ejus renovans ſimul reſtituet auditum ſurdis, & viſum cæcis, ut doctrinam ejus percipiant. nullæ enim ſunt hominibus aures, nulli oculi quamdiu tam horrenda ultio graſſatur: omnium animi obturbati atque obſtupefacti hærent, nec quicquam percipiunt. Sedatis demum plagis & miſeriis, Dominus oculos ſuis aperiet, ut ejus bonitatem & miſericordiam intueri & amplecti poſſint. Hæc enim vera inſtaurandæ Eccleſiæ ratio eſt, quum cæcis lumen reddit, & auditum ſurdis. quod etiam
Joan. 9. Chriſtum non corporibus tantum, ſed animis quoque ipſis feciſſe videmus. Hoc etiam ipſi noſtro tempore experti ſumus, dum ex ignorantiæ tenebris, quibus obſepti eramus, erepti & veræ luci reſtituti ſumus: atque oculi ad eam contemplandam, aures ad eam percipiendam redditæ ſunt, quæ prius obſtructæ & occluſæ erant. Eas enim Dominus perfo-
Pſal. 40. verſ. 7. dit, ut nos in obſequium ſuum redigeret. Benedictio quidem quam in renovatione terræ propoſuit, jam aliquod erat reconciliationis ſpecimen: ſed illuminatio de qua nunc agitur, longe præcellit, ſine qua non modo pereunt omnia Dei beneficia, ſed etiam in exitium noſtrum vertuntur. Merito autem opus tam præclarum ac ſingulare ſibi uni vendicat Deus, quia nihil minus ſperandum eſt, quam ut proprio Marte cæci viſum, & ſurdi auditum recuperent. Jam hoc peculiariter ſolis electis promitti palam eſt, quia major pars in ſuis tenebris ſemper jacuit.

19. *Tunc repetent humiles in Jehova lætitiam.*] Ego ſic verto hunc locum: ubi alii interpretantur, Adjicient lætari: quoniam Propheta non continuatam, ſed novam potius lætitiam exprimit. acſi diceret, Tametſi nunc mœſti ſint ac triſtes, tamen argumentum lætitiæ dabo, ut iterum gaudio perfundantur. Loquitur autem de humilibus. unde notandum eſt nos afflictionibus ad percipiendam gratiam Dei præparari: nos enim dejicit Dominus & affligit, ut poſtea erigat. Quum igitur plectit ſuos Dominus non debemus animis concidere, ſed revocandæ ſunt in memoriam hæ ſententiæ, ut ſemper meliora ſperemus, ac ſtatuamus ipſum poſt triſtes ærumnas & clades, lætitia tandem Eccleſiam ſuam affecturum. Quanquam iterum colligimus quod nuper attigi, non promiſcue communem eſſe omnibus illuminationis gratiam: quia etſi communiter omnes fuerint caſtigati, non tamen omnium animos ſubegit afflictio, ut vere ſpiritu eſſent pauperes vel manſuefacti.

20. *Quoniam in nihilum.*] Planius declarat id quod jam diximus ſuperiore verſu: nempe inſtaurationem Eccleſiæ in eo conſiſtere, ut Dominus erigat proſtratos, & pauperum miſereatur. Sed prius neceſſaria eſt illa Eccleſiæ purgatio de qua jam loquuti ſumus. quamdiu enim Dominus judicium ſuum non exequitur adverſus impios, atque permixti ſunt bonis mali, ita ut primas etiam partes in Eccleſia teneant, fœdata & corrupta ſunt omnia, neque colitur Deus nec timetur, imo ſub pedibus calcatur pietas. His igitur ſublatis aut compreſſis, ſuo nitori reſtituitur Eccleſia, miſeriiſque & ærumnis liberati pii, lætitia exultant. Primum violentos nominat עריצים, cujus vocis variæ ſunt interpretationes. ſed videtur mihi Propheta diſtinguere inter eos qui palam ſcelerati ſunt abſque pudore, & eos qui ſpeciem quandam probitatis præ ſe ferunt, nec tamen ſunt aliis meliores: quum intus Deum ſubſannent. Niſi forte eoſdem duobus epithetis notet, quod prædonum more inter homines rapiant, opprimant, ſæviant, omnemque ſibi licentiam uſurpent: interea nullo Dei metu retineantur, quia religio illis pro fabula eſt. Complectitur autem & alia ſcelera, quum addit, *eos qui properant ad iniquitatem.* Non loquitur autem de Chaldæis aut Aſſyriis, ſed de iis qui piorum numero haberi volebant, & in ſemine Abrahæ gloriabantur.

21. *Facientes hominem peccare.*] Cum quibus ſit negotium Prophetæ, antea diximus: nempe cum hypocritis vel profanis contemptoribus qui omnes Prophetarum objurgationes & minas nihili ducebant, quique Deum fingere volebant ſuo arbitratu. hi quum licentiam omnem ſibi dari cuperent ut libere in deliciis & flagitiis ſuis verſarentur, ægre admodum ferebant vehementes Prophetarum reprehenſiones: nec æquo ſe animo cohiberi ſinebant. quamobrem obſervabant diligenter & aucupabantur eorum dicta, ut aliquid intercipere aut detorquere poſſent. Nec enim mihi dubium quin perſtringat impios homines, qui conquerebantur de libertate Prophetarum, & objurgationum vehementia: acſi populum & magnates & Sacerdotes inſectari voluiſſent. nam hinc calumniæ & falſæ criminationes, quales etiamnum piis Dei ſervis intenduntur. Hinc ancipites & captioſæ quæſtiones, quibus velut laquei & retia expanduntur, ut juſtum aut in diſcrimen vitæ vocare, aut in fraudem aliquam impellere poſſint.
Quod & Chriſto ipſi à Phariſæis & Sadducæis acci- Mat. 21. verſ. 23.
diſſe videmus. nam generaliter accipere de calu- & 22.
mniis, aliiſque artibus, quibus homines callidi im- verſ. 17.
peritos circumveniunt, non patitur poſterius mem- Joan. 8.
brum verſus, quod exegetice additum eſt: quia illic verſ. 6.
jam apertius impias machinationes damnat Propheta quibus impii ſe ab omni cenſura & reprehenſione eximere conantur. Quia vero in portis agebant publicos conventus, judicia exercebant, & magna erat fre-

frequentia, illic publice omnes arguebant Prophetæ: ac ne judicibus quidem ipſis parcebant. tunc enim dominabantur impii & ſcelerati homines, quos moneri & ſeverius reprehendi oportuit. Ii quum moniti reſipiſcere debuiſſent, deteriores reddebantur, atque excandeſcebant adverſus Prophetas, eiſque inſidias ſtruebant. Nam oderunt, ut inquit Amos, corripientem in porta, & loquentem recta abominati ſunt. *Amos 5. verſ. 10.* Hoc cùm ad omnes pertinet, tum præcipue ad judices & eos qui reipublicæ gubernacula tenent, qui indignius multo & iniquius ferunt ejuſmodi reprehenſiones: volunt enim ab aliorum numero eximi, & optimi omnium haberi, etiam ſi nequiſſimi fuerint. In verbo יקשון diſſentiunt interpretes: quia quidam accipiunt pro Increpare. alii vertunt Probris afficere, quaſi eorum proterviam accuſet Propheta qui ut procul abigant objurgatores ad convitia proſiliunt. Sed quod ſequutus ſum, lectores ut ſpero magis probabunt. Dicit etiam *everti juſtum de nihilo*, id eſt, ubi nulla eſt cauſa. Obliquis enim artibus & fallaciis moliuntur facere, ut qui juſti ſunt omnibus odio & execrationi ſint, peſſimique omnium cenſeantur. verum ubi ſic mundo illuſerint, tandem peribunt. Hanc enim conſolationem affert Dominus, non paſſurum ſe impune graſſari impios, tametſi ad tempus laſciviant & exultent, quin ipſos tandem cohibeat. Sed patientia opus eſt, ut complementum harum promiſſionum expectemus.

22. *Propterea ſic dicit Jehova.*] Concluſio eſt ſuperioris ſententiæ. nam populum conſolatur, ne in miſero illo & infelici ſtatu quo affligendus erat, animum deſpondeat. Notandum enim eſt ad quod tempus iſta referri debeant, quum ſcilicet abducto in ſervitutem populo, everſo templo, ſublatis ſacrificiis, omnis religio concidiſſe, nec ulla ſpes liberationis eſſe videretur. Hoc igitur vaticinio fidelium animos ſuſtentari oportuit: ut facto naufragio, hæc tamen ſupereſſet tabula, qua firmiter apprehenſa, in portum vehi poſſent. Nobis quoque hoc exemplo hæ promiſſiones arripiendæ etiam deſperatiſſimis in rebus, ac toto animo in his conquieſcendum eſt. Alloquitur autem *domum Jacob*: in quo notandum eſt, perpetuam eſſe vim doctrinæ Dei atque ita efficacem, ut vires ſuas exerat quamdiu extat populus qui ipſum timet ac colit. Extant autem perpetuo nonnulli quos ſibi reſervat Dominus, nec ſemen piorum interire ſinit. Quum loquutus ſit Dominus, ſi fidem habemus doctrinæ, fructum ejus haud dubie percipiemus. Ut firma eſt ejus veritas, ita ſi in ipſo recumbimus, conſolatione nunquam deſtituemur. nec vero fruſtra additum eſt, Deum qui nunc propitium filiis Jacob ſe fore docet, eundem eſſe redemptorem Abrahæ. Populum enim ad ipſum Eccleſiæ initium revocat, ut intueatur potentiam Dei, quæ tot tamque inſignibus documentis patefacta olim fuerat, ut nullus debeat poſthac eſſe dubitationi locus. Etenim ſi Abrahæ nomine gloriabantur, cogitare debebant unde primum Dominus ipſum eripuiſſet: nempe, à ſervitute idolorum, quæ tum ipſe tum Patres ipſius coluerant. *Gen. 11. verſ. 31. & 12: 1. Joſ. 24. verſ. 2.* Sed & ſæpe alias ipſum redemit: quum periclitaretur in Ægypto ob uxorem ſuam: item in Guerar: item quum ſubegit Reges: præterea quum ei jam effœto proles data eſt. *Gen. 12. verſ. 17. & 20: 14. & 14: 16. & 21. verſ. 2, 5.* Nam etſi Propheta adoptionem Dei præcipue deſignet, quum eum Dominus è domo patris abire juſſit, tamen redemptionis nomine omnia ſimul beneficia comprehendit. Abraham enim non ſemel redemptum, hoc eſt, è ſummis periculis & vitæ diſcrimine ereptum fuiſſe videmus. Quod ſi Dominus ex uno Abrahamo & quidem ſolitario ſuſcitavit Eccleſiam, quam poſtea conſervaret, nonne in poſterum eam tuebitur, etiam quum homines ipſam interiiſſe putabunt? Quid? quum advenit Chriſtus, quam miſera diſſipatio fuit? quot & quanti adverſarii obſiſtebant? Invitis tamen omnibus excitatum & ſtabilitum eſt ejus regnum, floruit Eccleſia, omnibuſque admirationi fuit. Ergo nemini dubium eſſe debet, quin vires ſuas quoties opus fuerit exerat Dominus, Eccleſiamque ſuam vindicet ab hoſtibus & inſtauret. Jam quum pudefactum iri negat, innuit ſæpe accidere tempus, quo vultum pii præ pudore coguntur dejicere, quemadmodum teſtatur illud Jeremiæ, Ponam os meum in terram. *Thren. 3. verſ. 29.* Item Micheas, Tempus eſt, ut ſapientes in pulverem abjiciant os ſuum. *Mich. 7. verſ. 16.* nam quum adeo ſevere Dominus caſtigat populum ſuum, neceſſe eſt bonos pudeſieri. Significat autem Propheta id non fore perpetuum. Non eſt igitur deſperandum adverſis rebus: etiamſi omni probrorum genere nobis illudant impii homines, Dominus tandem nos à pudore & ignominia vindicabit. Quanquam ſimul admonet Propheta non ſpectare hanc gratiam ad ſuperbos vel præfractos qui Dei flagellis rigidam cervicem opponunt: ſed tantum ad humiles, quos pudor ſuus incurvat, ut triſtes mœſtique incedant. Poteſt autem quæri cur dicat, *Non pudefiet Jacob:* jam dudum enim mortuus erat: atque videri poſſet eum tribuere mortuis ſenſum, ut rerum noſtrarum conſcii eſſe poſſint. unde etiam Papiſtæ mortuos, eorum quæ agimus ſpectatores eſſe volunt. Sed hic proſopopœia eſt, quæ ſæpe occurrit in Scripturis. Quo etiam ſenſu dicit Jeremias, Vox in Rama audita eſt *Jer. 31.* Rachel plorantis filios, nec voluit conſolationem *verſ. 15.* admittere, quia nulli ſunt. Cladem enim Tribus Benjamin ſub luctu Rachel quæ atavia fuerat depingit. Introducit enim Jacob velut pudore affectum ob ſcelera & flagitia poſterorum. Nam ut, teſte Solomone, gloria patris eſt filius prudens, ita inſipiens *Prov. 10. verſ. 1.* matri mœrorem & triſtitiam affert. matres enim quamvis indulgentiores ſint, tamen filiorum peccatis erubeſcunt. Quid igitur patribus accidet, quorum amor erga filios ut minus habet ſtultæ indulgentiæ, atque hoc præcipue ſpectat ut bene ſint morati, recteque vitam inſtituant: ita probris eorum & flagitiis gravius uruntur? Hic vero Propheta populum acrius pungere & percellere voluit, dum Patriarcham ei ſuum proponit, qui tot tantiſque beneficiis à Deo ornatus, nunc à poſteris dedecore afficitur: ita ut ſi coram affuiſſet, maximum ab ipſis pudorem ſuſtinere coactus eſſet. Populi ergo ingratitudinem perſtringit, qui patrem infamabat, cui honori eſſe debuiſſet.

23. *Quoniam ubi viderit.*] Particula כי proprio & nativo ſenſu hic accipitur, nempe pro cauſali. reddit enim rationem cur tolletur ignominia Iſraëlis: quia filii extabunt, & qui periiſſe videbantur, erunt ſuperſtites. Jam *Opus manuum* ſuarum vocando, dubium mihi non eſt quin hic exprimat opus mirabile redemptionis. Efficit enim velut novos homines, quos adoptat pro filiis, & ſibi adjungit, ſicut Pſalmo 102., Et populus qui creatus fuerit laudabit Dominum: *Pſal. 102. verſ. 19.* ubi ſimiliter narratur Eccleſiæ renovatio. Nec enim de generali creatione quæ ad omnes pertinet, hoc intelligitur, ſicuti jam alias ſæpius dictum eſt. revocat autem nos ad agnitionem potentiæ ſuæ, ne ſalutem Eccleſiæ ex præſenti rerum ſtatu æſtimemus. Atque hic notandæ ſunt variæ antitheſes: prima, inter deformitatem Eccleſiæ & eximiam ejus formam, inter pudorem & gloriam: altera, inter populum Dei, & alias nationes: tertia, inter opus manuum Dei, & opera hominum: (ſolo enim Dei manu Eccleſia reſtitui poteſt) quarta inter florentem ſtatum, & diſſipationem qua prius miſere disjecta erat. Nam *medium ſui* vocat inſtaurationem perfectam, qua ſic coaleſcet atque una jungetur populus, ut non extremas ſolum partes, ſed intima ipſa ac præcipua occupet. Poſtremo finem redemptionis notat, quod *nomen ſuum ſanctificabitur*. Ideo creati ſumus omnes ut Dei bonitas inter nos celebretur. Sed quia major pars humani generis ab origine ſua defecit, elegit Deus Eccleſiam in qua perſonent ac reſideant

lau-

Pſal. 65. verſ. 2. laudes ſuæ: ſicut dicitur in Pſalmo, Te expectat laus in Sion. Jam quia interdum multi ex ipſo grege degenerant, fidelibus qui divinitus ſervati erant, has partes aſſignat Propheta. Cæterum, quia hypocritæ, ut ante viſum eſt, labiis venerantur Deum, animo autem valde alieni ſunt, laudum præconiis timorem adjunxit: ſignificans nihil reputari noſtras laudes niſi vere & ex animo ſimus Deo addicti, totaque vita noſtra teſtetur Dei nomen non ficte à nobis prædicari.

24. *Tunc diſcent errantes ſpiritu.*] Iterum repetit promiſſionem illam quam prius attigerat. Quamdiu enim ignorantia & cæcitate perſtrictæ ſunt hominum mentes, etiamſi affluat omne benedictionum genus, eos tamen ſemper interitus circumdat & obſidet. Illucet igitur verbo ſuo, quum Eccleſiæ inſtaurationem parat Dominus, atque intelligentiæ lumine ſuos illuſtrat, qui prius in tenebris vagi errabant. Hoc autem facit arcano Spiritus inſtinctu: quia parum eſſet externo verbo doceri, niſi intus quoque animos noſtros erudiret. In ſecunda parte quidam *ſuſurrones*, alii errones vertunt. Verum ſignificat eos qui prius obſtrepebant Prophetis, nec eorum monita æquo animo ferebant, morigeros & obſequentes fore. Ideo reddere placuit *murmuratores*. Hinc perſpicimus quam admirabilis ſit miſericordia Dei, qui pluſquam indignos homines reducit in viam, tantorumque bonorum participes facit. Atque hoc nobiſcum diligenter reputemus. Quotus enim quiſque eſt qui non aliquando obmurmuraverit adverſus Deum, veramque doctrinam contempſerit? imo niſi obſtreperos mulceret Deus, & placide adduceret ad obſequium, totum fere humanum genus in ſua amentia periret.

CAP. XXX.

VÆ filiis * contumacibus, dicit Jehova, ut capiant conſilium, & non ex me: ** vel, perverſis.*
ut † operiant arcanum, & non ex Spiritu meo: ut peccatum addant peccato. *† vel, fundant fuſionem.*

2. Proficiſcuntur ut deſcendant in Ægyptum, & os meum non interrogaverunt, roborantes ſe robore Pharaonis, & ſperantes in umbra Ægypti.

3. Erit autem vobis fortitudo Pharaonis in pudorem: & fiducia in umbra Ægypti in ignominiam.

4. Fuerunt enim Principes ejus in Zoan, & Legati ejus in Hanes venerunt.

5. Omnes pudefient in populo qui eis non proderit, neque auxilio erit, neque commodum afferet, ſed erit in pudorem atque etiam in opprobrium.

6. Onus jumentorum Auſtri. In terra afflictionis & anguſtiæ. Leo, & leo major ab illis. Vipera & preſter volans, dum portabunt ſuper humerum pullorum divitias ſuas: & ſuper gibbos camelorum theſauros ſuos ad populum qui non proderit.

7. Certe Ægyptii vanitas: & fruſtra auxiliabuntur. Propterea clamavi ad illam: Robur illorum quieſcere.

8. Nunc vade: & ſcribe hanc viſionem in tabula coram ipſis, & in libro inſculpe eam: ut ſit in diem noviſſimum, in perpetuum, uſque in ſecula.

9. Quod populus hic rebellis ſit, filii mendaces, filii qui recuſant audire Legem Jehovæ.

10. Qui dicunt videntibus, Ne videatis: & proſpicientibus, Ne proſpiciatis nobis recta: loquimini nobis blanditias: videte errores.

11. Recedite à via, declinate à ſemita: facite ut à facie noſtra faceſſat Sanctus Iſraël.

12. Propterea ſic dicit Sanctus Iſraël. Quia reſpuiſtis verbum hoc, & confiſi eſtis in violentia & pravitate, & innixi eſtis in eam:

13. Ideo erit vobis iniquitas hæc quaſi ruptura cadens, tumor in alto muro, cujus repente & ſubito venit fractura.

14. Et contritio ejus quaſi contritio vaſis figulorum, quod abſque miſericordia comminuitur: nec in ejus fractura invenitur teſta ad ignem è foco ferendum, vel aquam è puteo hauriendam.

15. Quoniam ſic dixit Dominus Jehova Sanctus Iſraël: In requie & quiete ſalvi eritis: in tranquillitate & fiducia erit fortitudo veſtra, ſed noluiſtis.

16. Et dixiſtis, Non: ſed equis effugiemus. Propterea fugietis. Super celerem conſcendemus. Propterea celeriores erunt qui vos perſequentur.

17. Mille unus à facie increpationis unius, à facie increpationis quinque, fugietis: donec relicti fueritis ſicut malus navis in vertice montis, & ſicut vexillum in colle.

18. Propterea expectabit vos Jehova, ut miſereatur veſtri: & propterea exaltabitur, ut propitius ſit vobis: quia Deus judicii Jehova. Beati omnes qui expectant eum.

19. Certe populus in Sion habitabit in Jeruſalem, flendo non flebis, miſerendo miſerebitur tui: ad vocem clamoris tui, ſimulac audierit, reſpondebit tibi,

20. Ubi dederit vobis Dominus panem angoris, & aquam afflictionis: non arcebitur amplius pluvia tua: & oculi tui videbunt pluviam tuam.

21. Tum aures tuæ audient verbum à tergo tuo, dicendo: Hæc via, ambulate in ea ſive ad dextram ſive ad ſiniſtram eatis.

22. Tum profanabitis tectorium ſculptilium argenti tui, & operimentum conflatilis auri tui, ſeparabiſque ea tanquam pannum menſtruo infectum: diceſque illi, * Egredere. ** vel, Apage.*

23. Tum dabit pluviam ſemini tuo, quum ſeminaveris terram: & panem proventus terræ: & erit uber & pinguis: & paſcentur pecora tua in die illo in amplis paſcuis.

24. Boves etiam tui, & pulli aſinorum colentes terram, pabulum purum comedent, quod in pala ventilatum erit & in vanno.

 25. Et

25. Et accidet, ut ſuper omnem montem excelſum, & ſuper omnem collem elevatum
ſint rivi, rivi aquarum in die cædis magnæ quum turres corruerint.
26. Et erit lux Lunæ ſicut lux Solis, & lux Solis ſeptuplo major, quaſi lux ſeptem dierum, in die quo alligaverit Jehova fracturam populi ſui, & perfoſſionem plagæ ejus ſanaverit.
27. Ecce nomen Jehovæ venit è loco remoto, ardens facies ejus, & grave onus: labia ejus plena ſunt indignatione: & lingua ejus quaſi ignis devorans.
28. Et ſpiritus ejus quaſi torrens inundans, uſque ad collum dividet: ad ventilandas gentes in cribro inutili, & frenum errare faciens in maxillis populorum.
29. Canticum erit vobis quemadmodum in nocte dum celebratur dies feſtus: & lætitia cordis quaſi ejus qui ad tibiam incedit, ut veniat ad montem Jehovæ, ad Fortem Iſraëlis.
30 Et audiri faciet Jehova potentiam vocis ſuæ, & deſcenſionem brachii ſui videri faciet, cum furore vultus & flamma ignis vorantis, diſſipatione, inundatione, & lapide grandinis.
31. Sane à voce Jehovæ conteretur Aſſur, qui virga percuſſit.
32. Et erit in omni tranſitu baculus fundatus, quem infliget Jehova ſuper eum cum tympanis & citharis, & præliis elevationis pugnabit contra eam.
33. Quoniam ordinata eſt ab heſterno Tophet: etiam Regi præparata eſt: quam in profundum poſuit & dilatavit. Pyra ejus ignis, & ligna multa: flatus Jehovæ quaſi torrens ſulphuris ſuccendit eam.

VÆ *filiis.*] Invehitur Propheta in Judæos, quod impares ſuſtinendæ moli, quum ab Aſſyriis aliiſque hoſtibus urgebantur, ad opem Ægypti confugerunt. Poſſet autem hæc objurgatio videri æquo durior, ſi tantum hoc reputetur licere miſeris & pauperculis hominibus, præſertim ubi injuſte premuntur, etiam à malis auxilium petere: quia hoc natura ingenitum eſt ut ſeſe ultro citroque cuncti mortales juvare ſtudeant. Verum ubi ventum fuerit ad ipſos fontes, reperiemus non vulgare fuiſſe nec tolerabile populi crimen. Primum non leve delictum eſt, ſed ſceleſta contumacia, neglecto atque etiam ſpreto Dei imperio libidini ſuæ obſequi. Atqui ſevere vetuerat Deus ſocietatem vel fœdus cum Ægyptiis inire. Probibitionis autem duæ potiſſimum erant cauſæ: una generalis, quæ ſcilicet ad aliarum quoque nationum ſocietates & fœdera pertinebat. Nolebat enim Dominus populum ſuum ſuperſtitionibus Gentium corrumpi. ſit autem, neſcio quomodo, ut eorum vitiis paulatim imbuamur, quibuſcum ſocietatem & conſuetudinem habemus. atque ut natura vitiorum æmuli potius quam virtutum ſumus, facile aſſueſcimus corruptelis: denique brevi tempore ab aliis ad alios obrepit contagio. Quod etiam Galliæ noſtræ à pleriſque nationibus uſu venit: quarum vitia dum nimis cupide ad imitationem arripit, ingenti colluvie referta eſt. Imo præpoſtera hæc in captandis ſubſidiis cupiditas Turcis januam aperuit in Aſiam, & deinde Europam illis patefecit. & quum ſua illis in cibo & potu relicta fuerit frugalitas, tota illa pars armis eorum domita, ſordes tantum & inquinamenta contraxit. Id quod etiam nobis Gallis à pleriſque nationibus uſu venit. Altera huic populo ſpecialis & propria fuit ratio. nam quum Judæos ex Ægypto liberaſſet Dominus, ac tam inſignis beneficii memores eſſe vellet, ne qua ipſis cum Ægyptiis intercederet ſocietas prohibuit. Quod ſi fœdere cum Ægyptiis juncti fuiſſent, facile memoria ejus beneficii deleri poterat. nec enim tam libere eam ipſis ut inſtitutum erat, celebrare licuiſſet. Nimis autem indignum erat, jactura gloriæ Dei amicitiam coli cum profana & impia gente. Jam quum ſimul teſtatum eſſe vellet Deus populo ſuo, ſe unum ſatis ſuperque ſufficere ad tuendam ejus ſalutem: tanti fieri debuit illa promiſſio ut ſibi libenter ab aliis auxiliis interdicerent. Atque hoc fuit atrociſſimum crimen, undique ſibi conciliando profanas gentes legitimo ſuo honore Deum fraudare. Nam ſi contenti fuiſſent unica Dei tutela, non ita curſitaſſent in Ægyptum.

Exod. 13. *verſ.* 17. *Deut.* 17. *verſ.* 16. *Exod.* 23. *verſ.* 32. & 34. *verſ.* 15. *Deut.* 7. *verſ.* 2.

Exod. 13. *verſ.* 3. 8, 14.

Satagendo itaque & tumultuando convicti ſunt ſuæ infidelitatis. Nec dubium eſt quin ſuam vehementiam Propheta in illud ſacrilegium direxerit, quod ruentes ad captanda gentium ſubſidia, laudem plenæ virtutis Deo abrogabant. Unde etiam alibi fervorem illum furioſis amoribus atque etiam nefandis libidinibus Spiritus comparat. Nam quod ſe Ægyptiis junxiſſent Ezechiel perinde eſſe docet, acſi mulier fœda intemperie non modo poſt adulteros feratur, ſed cum equis & aſinis concubitum expetat. Nec vero ſimpliciter damnat hic omnia fœdera quæ cum idololatris ineuntur, ſed prohibitionem ſpectat: ac præſertim eam, qua ab Ægyptiorum ſocietate ipſos Lex arcebat. præcipue vero ob prohibitionis cauſam tantopere excandeſcit: quia non ſine gravi Dei contumelia trepide in Ægyptum currebant. Hac ratione *perverſos* vocat & *contumaces*, de qua voce dictum eſt capite primo. Intelligit autem vel præcipitis malitiæ homines qui ſcientes & volentes deficiunt à Deo, vel obſtinatione quaſi fœtidos ut nihil reſtet integri vel ſinceri. Initio autem vitium illud perſtringit, quod poſthabito Dei verbo propriis conſiliis addicti eſſent. Quod quidam נסך מסכה exponunt Fundere fuſionem: quanquam non pugnat cum Prophetæ mente, rectius tamen meo judicio alii, Operiant operimentum: quos ego ſum ſequutus, quia de arcanis & clandeſtinis conſiliis agitur, quibus aſtute volebant Prophetas fallendo quaſi Dei oculos effugere. Craſſum eſt quod alii reddunt, Ut ſe tegant operimento. Quanquam enim protectionis cauſa Ægyptios quærebant: potius tamen ad illam de qua dixi vafritiem alludit. Eodem redit utraque expoſitio. Tribus autem loquendi formis idem fere inculcat: quod tegant conſilia ſua, aliena videlicet à Deo: quod os Domini non interrogent: quod non patiantur ſe ejus Spiritu gubernari. Nam qui proprio ſenſu aguntur, ad aſtutias deflectunt, quibus tegatur incredulitas & rebellio. & quia propoſitum illis eſt Dei verbo non parere, neque etiam Spiritum implorant. unde conficitur infelix illa & deteſtabilis connexio. Neceſſe eſt autem conſilia & inſtituta quibus non præeſt Dominus, miſere & exitialiter cadere. Porro nulla eſt ſapientia, niſi ex ejus ore petatur. quod ſi os ipſius interrogemus, id eſt, conſulamus Verbum, Spiritu quoque ejus regemur, à quo omnis prudentia & ſapientia eſt. Hæc autem duo ſimul conjungi notandum eſt, Verbum & Spiritum Dei: adverſus fanaticos homines qui ad oracula & arcanas revelationes aſpirant ſine Verbo. neglecta enim & præterita via, ad Deum

Jerem. 5. *verſ.* 8.

Eze. 23. *verſ.* 3.

Contumaces.

Deum contendunt: quo nihil aliud agunt, quam quod volunt, ut vulgo dicimus, ſine alis evolare. Hoc primo loco fixum maneat, Quicquid aggredimur in tota vita vel tentamus abſque Dei verbo, erroneum eſſe ac præpoſterum: quia nos ab ejus ore totos pendere decet. Et ſane ſi nobis ſuccurrat, quanta conſilii imbecillitate vel potius inopia laboret totum humanum genus, fatebimur nimium deſipere quicunque ſibi prudentiæ tantum arrogant ut ne Dei quidem os interrogare dignentur. Si quis objiciat, Scripturis non omnia contineri, nec reſponſa dari ſigillatim eorum quibus egemus: reſpondeo, quæ ad vitam noſtram regendam pertinent, omnia in iis abunde contineri. Si igitur hoc nobis propoſitum ſit, ut Verbo regi nos ſinamus, atque ex eo ſemper quæramus regulam vitæ, Deus nunquam hæſitare nos patietur, quin exitum nobis in omnibus negotiis & difficultatibus oſtendat. Interdum fortaſſe expectandum erit diutius, ſed tandem extricabit nos Dominus atque exolvet, ſi modo ipſi morem gerere parati ſimus. Tametſi igitur impliciti ſimus atque laboremus in conquirendis, ut aiunt, mediis, tamen hæc cogitatio nos ſemper retinere debet, ne quid aggrediamur, niſi quod Deo gratum & acceptum eſſe intelligimus. Damnatur ergo hic eorum audacia, qui tentant illicitas vias, eaſque ſibi proſpere ceſſuras putant, quum per fas & nefas omnia moliuntur, ut ſalvi ſint quaſi invito Deo. Hoc autem ab incredulitate & diffidentia oriri certum eſt, quod Deum ſibi non ſufficere exiſtiment, niſi accedant aliena, quamvis vetita auxilia. Hinc illicita fœdera, hinc fraudes & fallaciæ, quibus rem ſuam melius geſtum iri confidunt homines, quam ſi ſimpliciter & candide alii cum aliis verſentur. Atque innumera extant in omnibus vitæ humanæ partibus hujuſce incredulitatis exempla. Perituros enim ſe putant homines, ſi contenti benedictione Dei, fideliter atque innocenter agant omnia. Atqui cogitandum erat nos deſtitui à Deo, rejici ac maledici, quoties ad vetitas rationes & illicitas vias decurrimus. Omnia igitur inſtituta, conſilia, conatus auſpicari debemus ex Dei voluntate. Semper animadvertendum eſt nobis quid vetet aut permittat, ut toti in obſequium addicti ejus præceptis, deinde nos ejuſdem Spiritui regendos committamus. Alioqui infeliciſſime nobis cedet noſtra temeritas. *Adjicere* dicit *peccatum peccato*: quia nihil aliud inanibus illis præſidiis agebant Judæi, quibus ſe probe munitos exiſtimabant, quam ut iterum offenderent in eundem lapidem, ſcelusque quod jam ſatis grave erat, ingeminarent. Augetur enim ac longe gravior fit culpa, quum illicitis rationibus iram Dei effugere conamur. Verum hæc ratio præcipue in Judæis animadvertenda erat, quod quum Aſſyrios illexiſſent in Judæam (eos enim adverſus Iſraëlem & Syrum in auxilium vocarant) eoſdem volebant Ægyptiorum ope depellere. Vehementer enim ab Aſſyriis premebantur Judæi, meritaſque ab iis pœnas dabant ſuæ infidelitatis: quod potius ad hominum quam ad Dei opem confugiſſent: quod permultis populis accidiſſe videmus, qui Turcam in auxilium vocarunt. Tantum ergo aberat ut Judæos ſui facti pœniteret, ſeque juſtas pœnas dare agnoſcerent, ut etiam malum malo adderent, acſi ſcelus ſcelere elui poſſet. Ideo ſeverius ipſis comminatur. Graviore enim & acerbiore pœna digni ſunt homines, qui in pravitate ſua perſeverant, & furioſo impetu irruunt adverſus Deum, nec ullis monitionibus aut caſtigationibus in viam revocari ſuſtinent.

2 Reg. 16. verſ. 7. 2 Reg. 17. verſ. 4. & 18. verſ. 21.

2. *Ut deſcendant in Ægyptum.*] Cur deſcenſum hunc damnet Propheta, prius dictum eſt. Quia autem aperta craſſaque contumacia crimen exaggerabat, ſimul repetit quod non interrogato ore Dei, imo prohibente ipſo id facerent. Revocat etiam iterum ad fontem mali, dum id roboris conquirendi cauſa factum eſſe dicit, quod fiduciam in viribus Ægyptiorum locarent. Hinc effrenis illa cupiditas fœderis ineundi. Oſtendebant autem hoc modo apud ſe parvi eſſe virtutem Dei, nec magnopere ipſi confidere: atque aperte incredulitatem ſuam prodebant. Objici poterat, homines miniſtros eſſe Dei: eorum opera, quoties opus eſt, ſingulos legitime uti poſſe. Reſpondeo, ſic hominum opera & miniſterio utendum, ut à ſolo Deo pendeamus. Sed in Judæis alia peculiaris ratio fuit. Sciebant enim vetitum eſſe à Deo, ne Ægyptios in auxilium vocarent. Hoc quum facerent, tantum detrahebant Deo quantum Pharaoni & copiis ejus tribuebant. Ita Pharaonem hic Deo non abs re opponit Jeſaias. Opponuntur enim creaturæ Deo, ac veluti ex adverſo in certamen ſtatuuntur, quando adverſus Deum efferuntur, vel quoties iis abutuntur homines, ſive animos ac fiduciam illuc adjiciant, ſive appetant pluſquam permittitur.

3. *In pudorem.*] Nunc oſtendit qualis eventus impios manet, qui ſpreto Deo ejuſque verbo, conſilia ſequuntur quæ ipſi ſecum maxime probaverint: nempe, exitiale ipſis fore quicquid aggreſſi fuerint. nec tantum ſpe ſua fruſtratum iri denunciat, ſed etiam ſibi magno labore perniciem & exitium quærere: ex quo nihil præter mœrorem & ignominiam contrahant. Hoc enim impiis omnibus accidere neceſſe eſt: ut tametſi ad tempus voti potiri videantur, & ſecundæ res ad eorum voluntatem fluant, tamen omnia tandem ipſis exitioſa ſint. Atque hoc juſtum eſt temeritatis præmium, ubi metas Verbi tranſiliunt. nec enim utile cuiquam eſſe poteſt, quod pravis & illicitis artibus eſt conſequutus. *Robur Pharaonis* per conceſſionem vocat. acſi diceret, Exiſtimatis multum in Pharaone eſſe præſidii: verum dedecori vobis & ignominiæ cedet. *Umbra* Ægypti qua vos contectum iri ſperabatis, vos pudore ſuffundet. Ergo ad eorum ſenſum utrumque refertur. & quia חרפה plus eſt quam pudor, poſtea amplificandi cauſa etiam additur.

4. *Fuerunt Principes ejus in Zoan.*] Non ſolum expetitam fuiſſe Ægyptiorum opem dicit, eoſque in auxilium vocatos, ſed plus quiddam exprimit: nempe, magnis laboribus & ſumptibus Judæos id conſequutos eſſe. Difficilia enim ac longa itinera ſuſcipienda fuerunt, & magnæ moleſtiæ ſubeundæ, immanes etiam ſumptus ſuſtinendi, ut in extremas, quas hic nominat, civitates Ægypti donis onuſti pervenirent. Miſſi ſunt autem in hanc legationem non vulgares aut plebeii homines, ſed Principes & magnates. Ideoque aſperior eſt objurgatio, quod ſerviliter captaverint fœdus Ægyptiacum, & ſupplices vagati ſint per varias partes. Tenenda etiam eſt memoria antitheſis quam prius annotavimus. Haud longe quærendus erat Deus, haud magni erant ſuſcipiendi labores, nec faciendi ſumptus ad ipſum invocandum. Invitabat ipſe ſua promiſſione, Hæc requies mea: nec fruſtra ſe illic invocari teſtatus erat. At miſeri contempto Deo ſeſe torquere, & in extremos terræ fines excurrere, quam oblato præſenti auxilio frui maluerunt.

Pſal. 132. verſ. 14. ſupr. 28. verſ. 14.

5. *Omnes pudefient.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam. quoniam difficile admodum eſt perſuadere impiis exitiale ipſis fore quicquid abſque verbo Dei ſuſceperint. Deus autem quo gravius ipſos puniat, proſperum aliquando iis ſucceſſum præbet, ut magis ac magis hallucinentur, ſeque ipſos præcipitent. Juſto enim Dei judicio accidit ut his illecebris eos captet Satan, atque in naſſas ſuas impellat. Atqui tandem accidit ut non tantum expectato auxilio priventur, ſed etiam graves dent pœnas & audaciæ ſuæ & infidelitatis. Minatur autem non modo fallaces Ægyptios fore, ſicuti impii ſæpe quos lactarunt vanis promiſſis, vel deſerunt in ipſa neceſſitate, vel etiam perfide evertunt: ſed ut maxime conentur fidem datam præſtare, fore tamen inutiles. Nam ut

ut ſtrenue ſe nobis impendant homines, quia tamen eventus ſunt in manu Dei, nihil proderunt niſi ipſo benedicente. Erat hoc difficile creditu quum loquutus eſt Propheta, ingente adeo potenti nihil eſſe opis: ſed omnino hoc nobis fixum eſſe debet, quicquid utilitatis in mundo nobis affulget, eſſe evanidum niſi quatenus Deo propitio & favente in uſum noſtrum accommodatur.

6. *Onus jumentorum Auſtri.*] Poſtquam invectus eſt adverſus conſultationes Judæorum de petendo auxilio ab Ægyptiis, magnificos eorum ſumptus ridet, & graves moleſtias quas ea ratione ſuſtinebant. quia ſic maximo emebant exitium ſuum: & eandem quam prius maledictionem denunciat, quod inauſpicato præter Dei verbum ſatagerent. *Auſtri* mentionem facit, quod iter facerent per meridionalem plagam, ad quam reſpectu Judææ ſita erat Ægyptus. *Jumenta* ergo vocat ab itinere, eaque in contumeliam hominum compellat, quod fruſtra ipſis verba fierent, atque obſurdeſcerent ad omnes exhortationes. Ideo denunciat futurum ut ad jumenta ipſa hujus vaticinii effectus perveniat, tametſi id homines animo non comprehendant. Ergo quum faſtu ſuo minas diſcuteret populus, opportune ſe ad equos & camelos convertit Propheta: & quamvis ratione careant, ſenſuros tamen non fruſtra loquutum eſſe Deum: & quum ſibi proſpera omnia fingeret populus in Ægypto, ipſis quoque brutis animalibus moleſtiæ & afflictionis terram fore aſſerit. Erat laborioſum iter ac difficile, nec tamen quicquam laboris recuſabant ut ſatisfacerent inſano deſiderio. Imo ſic eos dementaverat fervor ut nulla eos laſſitudo tardaret. ad hæc incommoda ſpecialem Dei vindictam minatur Jeſaias, ut occurrant leones & ſævæ beſtiæ, *leunculus* & *leo*. Hoc quidem non fuit inſolens aut novum iis qui à Judæa in Ægyptum iter faciebant: ſed hic aliquid extraordinarium denunciat, & magis periculoſum: ad moleſtias & labores, ad ſumptus quos facient, cæleſti inſtinctu accedent etiam infauſti occurſus, atque infeliciſſimus tandem eorum exitus erit. Hæc doctrina nobis accommodanda eſt, qui ſimili fere vitio laboramus. nam in periculis confugimus ad illicita remedia, eaque nobis profutura exiſtimamus, quamvis à Deo improbentur. Idem igitur nos experiri, atque in hæc damna incidere neceſſe eſt, niſi incredulitatem noſtram atque improbitatem verbo Dei coërceamus. Animadvertenda quoque & obſervanda hæc noſtra inſania eſt, qua ſic abripimur ut nulli parcamus ſumptui, nullum laborem refugiamus, dum nimis ferventer ſtultæ cupiditati & deſiderio noſtro obſequimur. Hoc vel maxime experti ſumus in Papatu, ſub quo dum captivi tenebamur, huc atque illuc curſitantes, atque peregrinationibus longinquis & difficilibus ad varios divos nos fatigantes: interim quam maximas moleſtias, leves & faciles eſſe putabamus: nunc quum obtemperandum Deo, *Mat. 11. verſ. 30.* quum leve Chriſti jugum ſubeundum eſt, nihil tolerantiæ in nobis reperitur.

7. *Certe Ægyptii.*] Hic verſus continet explicationem ſententiæ ſuperioris. Idem enim repetit, ac denunciat, Ægyptios Judæis, poſtquam variis moleſtiis magniſque eos ſumptibus exhauſerint, nihil profuturos eſſe. Inane erit ipſis robur Ægypti, etiamſi ſerio ipſis auxilietur, omneſque vires ſuas conferat. Ita Judæos ſpes ſua fruſtrabitur, ſeque ipſos fallent cum magna moleſtia. ו hic vel pro cauſali particula capitur, vel affirmat, quemadmodum etiam reddidi. Poſtea oſtendit Judæos nihil habere excuſationis, quod ita tumultuoſe confugiant in Ægyptum: atque ultro deſipere ipſos, quod moniti non reſipiſcant, omnique venia indignos eſſe. Hoc autem ad Deum ipſum refero, quod clamaverit ad Jeruſalem: quia conqueritur ſe clare monendo & teſtificando operam luſiſſe: ſimul etiam denotat non fruſtra hortatum fuiſſe ut quieſceret, ſed ut obviam iret noxis & cladibus quas prævidebat. Unde vero iſta inquietudo, niſi quia verbis Domini fidem habere noluit? In ſumma, oſtendit eos mera contumacia impelli, ut in Ægyptum confugiant. poterant enim quieſcendo ſaluti ſuæ conſulere. *Clamandi* verbo ſignificat ſe non tantum monuiſſe verbis, ſed etiam caſtigaſſe: unde majorem eorum contumaciam atque obſtinationem fuiſſe apparet. *Quieſcere* hic pro Manere, & domi ſe continere accipit. tametſi poſtea oſtendet eos quietis animis eſſe debuiſſe. Hinc autem tumultus & ſatagendi ardor, quod animis perturbati & conſternati eſſent, nec Dei præſidium ſufficere arbitrarentur, niſi Ægyptios quoque ſibi adjungerent. Sic enim infidelitas eorum ſollicitat animos, qui non ſatis honoris deferunt potentiæ Dei, ut trepidando pacem nuſquam inveniant.

8. *Nunc vade.*] Poſtquam Judæos convicit manifeſtæ incredulitatis, eam perpetuis monimentis teſtatam atque obſignatam eſſe vult, ut poſteri intelligant quam præfractus & contumax fuerit hic populus, & quam jure in eum Dominus animadverterit. Diximus hunc morem fuiſſe Prophetis ut ſummam concionum ſuarum deſcriptam valvis templi affigerent: quæ poſteaquam abunde patuerat omnibus ac lecta erat, à miniſtris ſublata in archivis templi ſervabatur. atque hinc Prophetarum liber collectus & confectus eſt. Sed quum aliquod vaticinium inſigne & præ aliis memorabile fuit, tunc Dominus ipſum literis craſſioribus deſcribi jubebat, ut populum ad lectionem alliceret, atque attentiorem redderet. Hoc fieri nunc jubet Dominus, ut ſignificet nihil hic eſſe vulgare: diligenter hæc ſcribenda eſſe omnia, ſummamque attentionem deſiderare: nec tantum eſſe legenda, ſed ita memoriæ hominum inſculpenda, ut nullo ævo deleri poſſint. Nec vero dubium eſt quin Jeſaias ſibi hoc vaticinio magnam invidiam apud omnes ordines crearit, quod eos non tantum apud ſuæ ætatis homines, ſed etiam apud poſteros traducere, atque ignominia afficere vellet. Nihil enim eſt quod indignius ferant homines, quam ſcelera ſua celebrari, ac memoriæ hominum hærere: hoc indignum & nefandum eſſe putant, hoc omnium graviſſime deteſtantur. Sed Prophetam parere Deo neceſſe fuit, tametſi incurreret in odia hominum & diſcrimen vitæ ſubiret. In quo notanda ejus conſtantia eſt, quod nihil reformidaverit, ut pareret Deo, & vocationi ſuæ non deeſſet. Odia, invidias, ſtrepitus, minas, falſas comminationes, & præſentiſſima pericula contempſit, ut libere & intrepide officio ſuo fungeretur. Quod etiam ipſius exemplo nobis agendum eſt ſi Deum vocantem audire & ſequi velimus. Addit, *Coram eis:* alii vertunt, Cum ipſis: ſed melius convenit, Coram: quia palam Judæos irritare debuit, quibus hoc vaticinium in tabula deſcriptum proponebat. Unde colligendum eſt, impios, tametſi nullam reprehenſionem ferre poſſint, atque inſaniant: ſevere tamen & coram arguendos eſſe: quamvis nihil proficiant apud ipſos minæ & reprehenſiones, tamen cæteris exemplo erunt, quum perpetua infamia notabuntur. atque implebitur quod alibi ſcriptum eſt, Peccatum Juda ſcriptum eſt *Jer. 17. verſ. 1.* ſtylo ferreo, ungula adamantina, exaratum in cordibus eorum. Nec enim eſt quod ſe elapſos putent, quum Prophetias contempſerint, iiſque aures obſtruxerint. nam & hominibus & Angelis conſpicua erit eorum nequitia. Cæterum quia nunquam ſponte eos ſcelerum ſuorum piget vel pudet, monumentum infamiæ confici jubet Deus, quod in hominum oculis ſemper verſetur. Quemadmodum ergo ſolebant victoriæ & res præclaræ tabulis æneis inſculpi: ita probrum quod tergiverſando Judæi tegebant, jubet Deus in publicas tabulas defigi. Fuit enim hoc extraordinarium, ut nuper attigi, quod ſolenni edicto Propheta ſuos gentiles traducere juſſus eſt. Ideoque ſequi-

ſequitur, *In extremum diem*: vel quo per continuam ætatum ſeriem deteſtabiles reddantur: vel quia judicis adventu vere patefient ſcelera impiorum, quum ipſe conſcenderit tribunal ſuum, librique aperti fuerint. nam quæ prius velut tenebris occulta & involuta erant, detegentur. Hic diligenter obſervandum Prophetias non unius tantum ſeculi hominibus ſcriptas fuiſſe. His enim filii, poſterique omnes inſtrui debuerunt, ut ſibi non eſſe imitandos patres intelligerent: *Pſal. 95. verſ. 8.* Nolite obdurare corda veſtra, ſicut fecerunt patres veſtri, &c. nam & hoc prophetiæ convenit, quod de univerſa Scriptura à Paulo dicitur: *2 Tim. 3. verſ. 16.* Utilem eſſe ipſam ad monendum, conſolandum, inſtruendum. Hoc autem omnibus ſeculis convenit, atque neceſſarium eſt. Repudiandæ igitur fanaticorum & impiorum imaginationes, qui illis ſeculis hanc doctrinam propriam fuiſſe dicunt: his vero negant. faceſſant ab auribus piorum ejuſmodi blaſphemiæ: quia mortuo Jeſaia doctrinam ejus vigere fructum que afferre oportet.

9. *Quoniam populus iſte rebellis.*] Particula cauſalis exegeticam hic valet: quia exponit Propheta quid Dominus teſtatum poſteris eſſe velit, nempe deſperatam eſſe hujus populi malitiam, quia ſe nulla doctrina frenari ſuſtineat. Porro quam graviter tam vulgi quam procerum animos vulneraverit hoc elogium, ex magnificis eorum jactantiis colligere licet. quia gloriabantur ſanctum & electum eſſe Abrahæ ſemen. quaſi Dei adoptio craſſiſſimis quibuſque ſceleribus tegendis velum eſſet. Atqui eorum flagitia proferri nihilominus in lucem & publicari Deus jubet. Porro eos accuſans quod *renuant audire Legem Dei*, fontem malorum omnium notat, nempe Verbi contemptum, in quo ſe Dei ipſius contemptus, & impietas prodit. Nugantur enim qui ſe Deum colere fingunt, quum ſint ejus verbo immorigeri. Crimen etiam aggravat Jeſaias, quod medicinam doctrinæ ſanandis ſuis morbis oblatam repudient. hac de cauſa tam *rebelles* & indomitos vocat vel exaſperantes, quam *mendaces* vel perfidos: quia aperte deficiunt à Deo quicunque ejus verbo ſe ſubjicere detractant, acſi tolerabile ipſis non eſſet ejus imperium: ac ſimul demonſtrant vanitati ac Satanæ præſtigiis ſe eſſe deditos, ut nulla ſinceritas placeat.

10. *Qui dicunt videntibus.*] Hic clarius deſcribit, ac veluti depingit contemptum Verbi, & proterviam cujus antea meminerat. nec enim ludibrio ſolum doctrinam habent impii, ſed furioſe repellunt. imo oppreſſam penitus ipſam ac deletam vellent. Idque exprimere voluit Jeſaias, Non ſolum aures, oculos, ſenſuſque omnes avertunt à doctrina, ſed etiam deſtrui cuperent, atque tolli. nam impietatem hic furor neceſſario ſequitur, ut extinctum velint quod tolerare nequeunt. Eos enim vis & efficacia Verbi acuit & exaſperat, ut tanquam immanes belluæ ferociam & truculentiam ſuam promant. libenter quidem eluderent: ſed velint nolint, Deum loquentem audire, ejuſque majeſtatem reformidare coguntur. Hanc amarulentiam ſequitur odium Prophetarum, inſidiæ, terrores, perſequutiones, exilia, cruciatus, mortes, quibus doctrinam cum doctoribus ſummoveri ac deleri poſſe exiſtimant. cupiunt enim homines ſibi potius narrari ſomnia & futiles nugas, quam fideliter doceri. Nec vero Propheta impiorum verba refert quaſi palam his vocibus uterentur: ſed rem ut erat, & animum ipſorum demonſtrat. nec enim ipſi negotium fuit cum hominibus tam ſtolidis, ut impietatem ſuam ex profeſſo detegerent. Vaferrimi erant hypocritæ, qui cultum Dei jactabant, ſeque immerito traduci à Prophetis querebantur. Iis Propheta larvam detrahit, qua ſeſe occultabant: & quales ſint detegit, quum veritati locum dare nollent. Unde enim murmura in Prophetas, niſi quod Deum loquentem ferre non poterant? *Videntes* nominabantur Prophetæ, quod ipſis revelaret Dominus quæ poſtea aliis patefacerent. Erant enim velut in ſuperiore loco conſtituti, ut eminus & quaſi è ſpecula cernerent quid aut proſperi aut adverſi immineret. Populus nihil adverſi ſibi nunciari volebat: propterea infeſtus erat Prophetis, quod dum vitia ejus accuſarent & acriter pungerent, ſimul propinquæ Dei vindictæ teſtes erant. Huc pertinent ejuſmodi verba, *Nolite videre, nolite proſpicere recta*: non quod ita loquerentur, ut jam dictum eſt, ſed quod ita affecti eſſent, & moderationem requirerent in Prophetis, nec tam acerbas eorum objurgationes æquo animo ferre poſſent. Nec enim quiſquam adeo impudens fuiſſet, ut diceret ſe ſeduci velle & veritatem averſari, quum eam ſummo ſtudio quærere ſe profiterentur: ſicuti etiam hodie jactant omnes adverſarii noſtri: ſed negabant verbum Dei eſſe quod ab Jeſaia, aliiſque Prophetis nunciabatur. quemadmodum aperte dixerunt Jeremiæ *Jer. 43. verſ. 2.* ipſum eſſe mendacem: atque etiam gravius minabantur, Non prophetabis in nomine Domini, ne *Jer. 11. verſ. 21.* moriaris per manum noſtram. Intolerabilis ergo ipſis erat veritas, à qua quum diſcederent, nihil præter mendacium poterat ſupereſſe. Atque ita ſibi ultro mendacia & impoſturas accerſebant. Sed fontem ipſum oſtendit, eos blanditias expetere dicens. adulatores enim etiam toto plauſu excipere parati fuiſſent, libenterque paſſi fuiſſent ſibi in Dei nomine aures mulceri. Atque hæc ratio eſt, cur impoſturis non modo expoſitus ſit mundus, ſed eas cupide accerſat. quia indulgentia foveri ſua vitia fere omnes cupiunt. Atqui fieri non poteſt, quin ſervi Dei ubi fideliter partes ſuas exequi ſtudent, ſeveri ſint reprehenſores: unde ſequitur luſorium eſſe ac puerile cavillum, ubi impii Dei ſe libenter fore diſcipulos ſimulant, modo à rigore abſtineat: perinde acſi paciſcantur ut in eorum gratiam mutata natura ſeipſum abneget. ſicuti etiam Michæas non alios Prophetas *Mich. 2. verſ. 11.* dicit Judæis fuiſſe gratos, niſi qui vaticinabantur de vino & ſicera.

11. *Recedite à via.*] Hæc ſumma eſt, quum repudiantur Prophetæ, rejici quoque Dominum ac repudiari, nec jam ullum ipſi dari locum. Hoc diſſimulant impii, quod tantam nequitiam fateri ipſos pudeat: ſed nihil proficiunt. Deus enim audiri vult per eos quibus mandata dedit, ut voluntatem ſuam nobis declararent & adminiſtrarent doctrinam Verbi. Si igitur audiendus eſt Deus, ſi qua ipſi reverentia exhibenda eſt, id amplectendo ejus verbo oſtendere debemus, ut prophetiis & Euangelio continetur. Idque ad commendationem Verbi diligenter notandum eſt: nam qui illud repudiant, perinde faciunt acſi Deum eſſe negarent. Rurſus indicatur hic cauſa tantæ impietatis quæ crimen duplicat: nempe, quod Deus non parcat vitiis noſtris, nec indulgeat. Boni enim & periti medici officio fungitur. appetunt homines blanditias, nec ferre poſſunt æquo animo ut Deus ipſis minetur. Hinc fit ut Verbum odioſum ſit hominibus atque explodatur. Hinc furioſa inſectatio in Prophetas, quorum objurgationes & minas ferre nequeunt. neque enim cauſa eſt cur ſe Dei imperio ſubducant homines, niſi quia in flexuoſis erroribus placentes à recta via abhorrent. Quare duo hæc ſcite conjungit Propheta, faſtidium cæleſtis doctrinæ, & odium rectitudinis.

12. *Propterea ſic dicit.*] Subjungit pœnam impietatis. Denunciat enim illis haud impune fore, quod Deum loquentem audire noluerint. atque eorum contemptum magis exprimit verbo *nauſeandi*. *Verbum iſtud* vocat, demonſtrativo utens: quoniam homines libenter ſibi aliquod Verbum fingerent ſuis moribus accommodatum: ſed Deo loquenti audientiam facere nolunt. deinde ſuavis invitatio Dei & exhortatio ad placidam quietem, opponitur tur-

bulentis eorum ſtudiis, ſicut ſequitur: *Confiſi eſtis in violentia.* עשק, Hebræis rapinam & uſurpationem alienorum bonorum ſignificat: aliqui Opes male partas vertunt. qui Calumniam interpretantur, mentem Prophetæ non ſatis exprimunt. Ego autem non refero ad opes malis artibus quæſitas, ſed potius ad proterviam, qua populus ille inſoleſcebat. Nomen *pravitatis* quod adjungitur, ad judicia reſtringi non placet. patet enim latius meo judicio: atque his duobus verbis audaciam impiorum exprimere voluit, qua furioſe & petulanter adverſus Deum inſurgebant, quum ſua libidine niti ſemper in vetitum auderent. Atque ut Poëtæ fingunt Gigantes bellum geſſiſſe cum Deo, ita repugnabant iſti Deo minanti, ſeque exiſtimabant audacia & ferocia ſua manum ejus facile depulſuros.

13. *Hæc iniquitas quaſi ruptura.*] Hæc eſt pœnæ denunciatio, & aptiſſima ſimilitudine rem ipſam exprimit Jeſaias. Impios enim comparat diſſiſſo muro, aut ventrem facienti. Quemadmodum autem tumor muri ruinam minatur, quoniam aliter conſiſtere non poteſt quam ſi omnes inter ſe partes cohæreant: ita impiis arrogantia & inſolentia proximæ eorum ruinæ ſignificatio, certiſſimumque teſtimonium eſt: quia quo magis inflati ſunt, abſque ſoliditate turgentes ſponte ſe projiciunt, nec fieri aliter poteſt quin mole paulo poſt ſua ruant. Inſurgite, inquit, & inſoleſcite adverſus Deum: is audaciam & inſolentiam veſtram, quia nonniſi faſtuoſus eſt tumor, brevi evertet. Hinc monemur, nihil omnino melius eſſe, quam ſi nos totos ſubjiciamus Deo, atque ita colligamus omnes ſenſus noſtros, ut devicti conſtrictique maneamus ſub ejus imperio. Nam qui excuſſa omni humilitate ſeſe attollunt, multos flatus colligendo ſeipſos diſſipant. Dominus quidem impios tumeſcere ad tempus, ſuaſque ampullas projicere ſinit, ut tandem ſibi tumore ſuo & inani jactatione, ruinam exitiumque parent.

14. *Et erit comminutio.*] Quum cecidit murus, adhuc tamen ruinæ veſtigia quædam apparent, lapideſque ipſi in uſum accommodari poſſunt. aliqua etiam inſtauratio fieri poteſt. Hic vero Propheta ſic eos perituros denunciat qui contumaciter adverſus Deum inflati fuerint, ut inſtaurari nequeant, ſitque inutile omnino quod reſtabit. Ideoque ſimilitudinem adducit vaſis figulini, cujus teſtæ confractæ nullo modo refici aut reparari queunt. Hæ comminationes nos admodum commovere debent, ut verbum Dei reverenter amplectamur: quum in ejus contemptores tam graves pœnas conſtitutas eſſe intelligimus. Funditus enim delendos atque perdendos eſſe ſignificat, omnemque adimit ſpem inſtaurationis. neque immerito: quia videmus ut Dei contemptores bis & ter proſtrati, criſtas tamen attollere non deſinant: quia nihil difficilius eſt quam animos eorum perverſa fiducia exinaniri.

15. *Quoniam ſic dixit Dominus.*] Deſignat hic ſpeciem contemptus Dei. Nam quum in genere monentur hypocritæ, minus affici ſolent. ideo Prophetæ generali doctrinæ ſpecies aliquas ſubjungunt, quas peculiariter deſtinant ad mores eorum quibuſcum ipſis eſt negotium, ut ad certum aliquem ſcopum colliment. Poterant enim tergiverſari atque obtendere, Cur nos tantæ impietatis accuſas, quaſi verbum Domini rejiciamus? Objicitur ergo ipſis hæc ſpecies, quæ & premat conſcientias & retundat vanas cavillationes, Annon erat verbum Domini, In ſpe & ſilentio erit fortitudo veſtra? cur non acquieviſtis Deo? cur tumultum moviſtis? Itaque ſic ipſos convictos tenet Propheta, ut tergiverſari ſine ſumma impudentia non poſſint, vel id facturi ſint abſque profectu. *Sanctum Iſraëlis* vocat, quo magis ipſis exprobret ingratitudinem ſuam: ut intelligant quantum ſibi in Deo præſidium futurum erat. Deus enim cuſtos ipſorum & quaſi tutor eſſe volebat. Eo neglecto, ad Ægyptiorum opem raptabat eos ſua diffidentia. quæ ſumma fuit & intoleranda perverſitas. Acerbam igitur expoſtulationem continet hic titulus, quod Deo appropinquanti aditum clauſerint. שבה nonnulli reſipiſcentiam vertunt: alii Quietem, quos potius ſequor. Exiſtimo enim Prophetam ſæpius populo inculcare voluiſſe, Dominum nihil ab eo exigere quam ut penitus in eo conquieſcat: nec ſupervacua eſt ſententiæ repetitio ſub duplici voce. Data enim opera Quietem & Requiem congerere voluit, ut populi diffidentiam & incredulitatem magis argueret. Hæc porro ſententia conſtat duobus membris, Mandato & Promiſſione. Jubet enim populum quieto eſſe animo: deinde certam ei ſalutem promittit. Huic promiſſioni populus fidem non habens, ita neque mandato obtemperat. Deo enim quomodo morem gereret, cui non credit & cujus promiſſis non innititur? Nihil ergo mirum eſt pace ipſos & tranquillitate privari. Ea enim ſine fide conſtare nequit. Fides autem ſine promiſſionibus eſſe non poteſt: quibus demum apprehenſis, animi inquieti & turbulenti ſedantur. Sola igitur infidelitas generat iſtam perturbationem. Unde eam merito reprehendit Propheta, totiuſque mali fontem eſſe oſtendit. Tametſi vero non ſit eadem omnino cum Judæis noſtra conditio, tamen nos quietis animis ſuam opem expectare Deus jubet: ne tumultuemur, aut anxietate perturbemur, ejuſque promiſſis diffidamus. Hæc doctrina omnibus piis communis eſſe debet. nihil enim aliud molitur Satan, quam ut eos perturbet, atque è ſtatu dejiciat.
Sic jampridem admonuerat Moſes, Vos tacebitis, *Exod. 14.*
Dominus autem pro vobis pugnabit: non quod ipſos *verſ. 14.*
dormire vel otioſos deſidere vellet, ſed hanc in ipſis animorum pacem requirebat. Hac ſi præditi ſimus, experiemur nobis in ea ſatis eſſe præſidii: ſin minus, levitatis noſtræ & temeritatis pœnas daturi ſumus.

16. *Sed dixiſtis.*] Oſtendit quomodo ſalutem Domini placide expectare noluerint: nam ad Ægyptios confugere maluerunt. Eſt autem hic pulcherrima ἀντανάκλασις, qua eorum verba confidentiæ plena in eos ipſos reflectit. Nam *fugere* pro Evadere primo loco ponit: ſecundo pro Fugam capeſſere. Aiebant Judæi melius eſſe ſi in tempore prævenirent diſcrimen, quod proxime imminebat: optime igitur conſultum fore, ſi Ægyptiorum auxilio uterentur. Vos certe, inquit Jeſaias, fugietis: non ut perfugio ſit locus, ſed ut detis terga voſque equites velociores perſequantur. Nunc etiam magis perſpicuum eſt quale vitium hic notet Jeſaias. Et præciſa negatione ſignificat quam pervicaciter abnuerint ſe obtemperaturos conſilio quod eis dabatur à Prophetis, & ſibi alio modo conſulere malebant. Ita neglecto Deo, inanem ſalutis ſpeciem, quam ſibi opinione finxerant, præferebant. Avertendæ igitur ſunt mentes noſtræ à præſentium rerum & externi auxilii conſpectu, ut in Deum penitus defigantur. nam tunc demum ipſi fidimus, quum externa ſumus ope deſtituti. Licet quidem uti ſubſidio rerum præſentium: ſed ita perverſi ſumus, ut derelicto Deo, his penitus abutamur. Cæterum obſervandum quoque eſt, quam infelix ſit exitus eorum qui externis auxiliis magis quam Deo fidunt. Omnia enim ipſis adverſa & eorum opinioni contraria accidere neceſſe eſt. His enim, ut videmus, pro perfugio fuga ignominiæ plena & tamen inutilis capeſſenda eſt. Initio forte proſper aliquis eventus apparet, ſed ut deinde commutatione rei gravior atque triſtior exitus ſentiatur. Nec vero negat Jeſaias auxilium ipſis affuturum ex Ægypto: ſed denunciat novas fore Domino rationes, quibus ejuſmodi auxilia evertat: ita ut manum ipſius effugere non poſſint. Nam etſi conſpirent univerſi homines, nihil tamen adverſus Deum & ejus decreta efficient.

17. *Mille*

27. *Mille (quaſi) unus.*] Quoniam Judæi ob ſuam multitudinem confidebant ſuis viribus, ut homines ſolent quum aliqua potentia præditi ſunt: ideo Propheta quicquid habent intus præſidii, nihilo plus quam externa auxilia profuturum ipſis denunciat. quia Dominus animum ipſis franget atque adimet, ne copiis ſuis uti poſſint. Quid enim arma & ingens hominum multitudo? quid juvant arces & propugnacula, ubi fracti animi & conſternati ſunt? Ergo non aliter fortes & robuſti eſſe poſſumus, quam ſi nos Dominus muniat Spiritu ſuo & confirmet.
Deut. 28. verſ. 62. Hæc autem ſententia occurrit etiam ſæpius in Lege, Futurum ſcilicet ut quum averſi eſſent à Deo, ingens eorum numerus à pauciſſimis hoſtibus fugaretur. Verum hoc inter Legem & Prophetas diverſum eſt, quod ea quæ Moſes in genere ſignificavit, hi in uſum accommodant: quemadmodum alibi diximus. Proinde hic duo notanda ſunt. primum, tantum nobis fore animi, quantum Dominus dederit: nam protinus exanimamur, niſi nos ſua virtute ſuſtineat. deinde juſta Dei ultione effici ut terreamur ab hominibus, quum à nobis impetrare non potuerit ut ipſum timeamus: quum Dei ſermonem & monita contempſerimus, ut hominum vocibus & minis territi concidamus. Sed hoc quoque tertio addi debet, haud magno apparatu Domino opus eſſe, quo nos caſtiget: nam ſi vel digitum ſolum adverſum nos tollat, periimus. Exigui & pauci homines ſufficient ad nos perdendos, etiamſi inſtructiſſimi, magnoque in numero ſimus. deinde non ante finem cladibus fore denunciat, donec redacti ſint ad extremam neceſſitatem, atque in horrenda vaſtitate terræ, rara quædam ſigna miſericordiæ Dei ſuperſint. Quod dicit *Quaſi malus in vertice montis*, duobus modis exponi poteſt. Nonnulli ſimilitudinem à cæſis arboribus deductam putant: nam dum cæditur ſylva, relinquuntur proceræ arbores, quæ ad uſum navalem aptari poſſunt. ſed הר, accipi etiam pro Scopulo vel Promontorio probabile eſt, cui impactæ naves adhæreſcunt: ac deinde in iis malus, naufragii ſignum, conſpicitur. Subjicitur alia ſimilitudo à trophæis ſumpta, quæ profligatis hoſtibus eriguntur. Denique tantam paucitatem fore ſignificat, ut quod reſtabit maximæ ſit ruinæ veſtigium. acſi diceret, Ingens hæc multitudo veſtra oculos veſtros perſtringit: verum accidet tanta diſſipatio atque imminutio, ut nullam populi faciem retineatis. Hic monemur quam ſummiſſe nos ac modeſte gerere debeamus, etiamſi magnæ nobis fuerint opes & copiæ. nam ſi efferamur animo, facile ſuperbiam noſtram contundet Dominus, reddetque nos fœminis ac pueris molliores, ut ne hoſtis quidem unius conſpectum ſuſtinere poſſimus, totumque robur noſtrum inſtar nivis liqueſiat.

18. *Propterea expectabit.*] Nunc conſolationem ſubjicit Propheta. nam hactenus ſic minatus eſt, ut pii fere omnes in deſperationem conjici poſſent. Eorum igitur animos ſublevare, atque in ſpem meliorem erigere voluit: ut in mediis hiſce miſeriis, Dei miſericordiam amplexi, animas ſuas ejus verbo alerent. Hanc expectationem opponit nimiæ feſtinationi, in quam initio capitis invectus eſt. nam populum illic reprehendit, quod feſtinaret ac tumultuaretur, eumque infidelitatis damnavit. nunc vero contra exprobrat Dominum pro illata ſibi contumelia par pari non relaturum, nec ita properaturum ad ipſos puniendos. Alii exponunt, Expectare jubet, vel faciet. Verum ille ſenſus quem attuli mihi convenientior videtur. Ut planior fiat hæc ſententia, fundamentum hoc ſtatuendum eſt: Deum ſibi moderari in exigendis pœnis, quia ad clementiam propenſus eſt: quod per nomen *Judicii* intelligit. nec enim ſolum animadverſionem, ſed etiam moderationem ſignificat, quæ in caſtigando adhibetur:
Jer. 10. verſ. 24. quemadmodum habetur Jerem. 10. Caſtiga me Domine, ſed in judicio, non in ira tua, ne forte conterat
me. Item cap. 30. Non conſumam te, ſed caſtigabo Jer. 30.
in judicio. Ita Severitati Judicium opponitur, quum verſ. 11.
Dominus animadvertendo in fideles modum adhibet, ne ipſos conſumat qui ſemper eorum ſalutis
rationem habet. Ideoque, ut inquit Abacuc, in Abac. 3.
medio iræ miſericordiæ ſuæ recordatur. Non eſt igi- verſ. 2.
tur ſimilis nobis, non tumultuatur, nec feſtinat: alioqui ſingulis momentis pereundum nobis eſſet: ſed placide expectat. Nec levis eſt confirmatio quum addit Deum gloriæ ſuæ ſpecimen exerere dum ignoſcit populo ſuo. Pro eo quod poſui, *Exaltabitur ut ſit vobis propitius*, alii vertunt Dum vobis fuerit propitius. Ego vero priorem interpretationem melius convenire puto. cui etiam reſpondet particula ל. Dominus videtur jacere aut dormire, quamdiu populum ſuum impiorum injuriis premi ſinit. Atque hic eſt communis Scripturæ loquendi uſus, Sedere ipſum, aut otioſum jacere, quum Eccleſiam ſuam non defendit. Quieſcere ergo videbatur, quum frena Chaldæis laxaſſet ad opprimendos Judæos. Ait igitur Propheta, Conſurget iterum Dominus, & conſcendet tribunal. quorſum? ut ſit vobis propitius. Quod pronunciat *Beatos* eſſe *qui expectant eum*, infertur ex proxima ſententia, ubi vocavit Deum judicii. Quum itaque ſibi ita temperat, hinc hortatur eos ad tolerantiam & expectationem. atque utitur participio verbi quo prius uſus erat. Ipſi vero diffidentiæ vitio laborabant, miraque inquietudine & mentis perturbatione agitabantur. eos enim miſere vexabat ſua incredulitas, ita ut Deum pacato animo expectare non poſſent. Ut medeatur huic vitio, *expectare* ipſos, id eſt, ſperare jubet. Spes autem nihil aliud eſt quam fidei perſeverantia: dum ſcilicet placide ſuſtinemus donec impleat Dominus quod promiſit. Dum vero beatos fore pronunciat qui ipſum patienter expectabunt: è diverſo miſeros & infelices eſſe ſignificat, ac tandem perituros, qui impatientia abripi ſe ſinunt, neque à ſceleribus & impietate ſua reſipiſcunt. nulla enim ſine ſpe in Deum ſalus aut felicitas eſſe poteſt.

19. *Certe populus.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam, quod populus quidem affligetur, ſed revertetur tandem in Sion. Hoc autem poſt devaſtationem urbis & totius regionis incredibile erat. totus enim populus interiiſſe videbatur. Promittit tamen Propheta ſuperſtitem fore Eccleſiam. Incipit à monte Sion in quo templum ſitum erat, atque futurum dicit ut illic adhuc invocetur Dominus. Addit etiam *in Jeruſalem*, quo amplificandam & propagandam Eccleſiam eſſe ſignificat, rurſuſque inſtauranda quæ prius vaſtata erant. Interea admonet iterum populoſam fore Jeroſolymam: quia ibi ſacrarium Deus ſibi elegerat. Quod autem proxime ſequitur, *flendo non flebis*, ſignificat hunc mœrorem non fore continuum. Oportuit enim Eccleſiam; id eſt, pios omnes in tam miſero & calamitoſo ſtatu, ingenti mœrore affici, ſed hos luctus finem habituros dicit.
quo etiam ſenſu dicitur in Pſalmo, Qui ſeminant in Pſal. 126.
lachrymis, in exultatione metent. Dominus quidem verſ. 5.
nos magnis angoribus conſtringi ſinit: ſed tandem exhilarat, & gaudii materiam affert, dum inſtaurat Eccleſiam ſuam. Hæc enim vera piorum lætitia eſt. Cæterum, quia ubi ſenſus vindictæ Dei ſenſus occupat, difficile eſt quicquam ſolatii accipere: in illius miſericordia conſolationis materiam proponit, quia timendum non eſt quin ipſo placato ſtatim redeat læta ſerenitas. Atqui, ut jam citavimus ex Propheta
Abacuc, in ira ſua miſericordiæ recordatur Domi- Abac. 3.
nus: nec unquam ita ſævit in pios, quin modere- verſ. 2.
tur & temperet ictus, modumque plagis adhibeat. Simul vero Propheta modum impetrandæ gratiæ oſtendit: nempe, *ad vocem clamoris tui*, quo fideles excitet ad precandi ſtudium & ad anxios gemitus ſollicitet. nam ſi nulla ſit reſipiſcentia, ſi veniam à

Deo

Deo non petimus, ipſius miſericordia omnino indigni ſumus. Ergo ſi volumus colligi Eccleſiam, & vindicari ab interitu ſpecie quadam reſurrectionis, clamemus ad Dominum ut gemitus noſtros & ſuſpiria exaudiat. quod ſi nullo dolore ſtimulemur ad precandum, non eſt quod ullam ab eo levationem exſpectemus. *Reſpondere*, nihil aliud hic ſignificat, quam ſuæ benevolentiæ & auxilii documentum dare. nec enim voce reſpondet Dominus, ſed effectu. Ne tamen exiſtimemus eum ſtatim obtemperare votis noſtris, quæ ſæpe importuna atque intempeſtiva ſunt. Aderit certe quum expediet, ita ut intelligamus ipſum ſalutis noſtræ rationem habuiſſe.

20. *Ubi dederit vobis Dominus.*] Pergit in eodem argumento, & confirmat pios ne deficiant, quia patientia ex ſpe melioris exitus naſcitur. Ideoque ad futuram caſtigationem eos comparat: quia ad tempus eos urgebit ira Dei, ſed mox promittit eis, ubi calamitates iſtas & ærumnas perpeſſi fuerint, lætum exitum inſtare, quia rigorem ſuum Deus cohibebit. ו, igitur accipio pro Ubi vel Poſtquam: acſi diceret, Quum pertuleritis iſtas ærumnas, tunc benefaciet vobis Dominus. veſtrum enim ſtatum in melius commutabit. Quod מורה quidam pro Doctore accipiunt, non quadrat. Etſi enim præcipuus noſtræ cum Deo reconciliationis fructus eſt, fidos habere doctores: quia tamen craſſum vulgus fame & inedia magis tactum fuerat, ad hanc ruditatem verba attemperans Jeſaias, ſub victus copia guſtum paternæ Dei gratiæ præbet. *Panis* & *aquæ* nomine, ſignificat extremam penuriam & inopiam rerum omnium: ideoque *afflictionis* & *tribulationis* vocat. Ejus penuriæ loco ubertatem & affluentiam miſſuram dicit: idque *pluviæ* nomine ſignificat. Cauſam enim exprimit pro effectu: acſi diceret, Terra fructus afferet copioſos: quod potiſſimum illius
Deut. 11. *verſ.* 11. terræ reſpectu proprie dictum eſt, quæ non aliunde fœcunditatem ſuam quam è cælo expectabat. Nec enim fluviis aut fontibus, ſed pluviis irrigabatur. Annonam ergo quam ſterilitate ademerit aut imminuerit Dominus, redituram aſſerit, quia ex pluviæ copia larga ubertas proveniet. Quum igitur in nos animadvertet Dominus, his ſententiis & promiſſis animos noſtros ſuſtentemus.

21. *Tum aures tuæ.*] Fuit quidem illud non ſpernendum quod de ubere frugum proventu promiſit, ſed hæc præcipua lætitiæ & gaudii materia eſt: nempe, quum ſanam & puram doctrinam nobis reſtituit Deus. nec enim ulla eſt tritici penuria, quæ nos adeo terrere & turbare debeat, ut Verbi. & certe quanto præſtantior eſt anima corpore, tanto magis pertimeſcenda hæc fames, quemadmodum etiam
Amos 8. *verſ.* 11. monet alius Propheta. Hoc ergo Jeſaias pro ſummo beneficio Judæis pollicetur, ut paſcantur Verbo, cujus inopia prius graviter premebantur. Jactant & pſeudoprophetæ Verbum, & majore quidem ſupercilio quam pii doctores. optimos ſe directores haberi & dici volunt, ſed abducunt in errorem, atque in exitium tandem præcipitant. Verbum autem quo recta via monſtratur à ſolo Deo eſt: ſed parum efficeret apud nos, ni ſimul promitteret ſe nobis daturum aures. nam alioqui ſurdos compellaret, nec quicquam præter ſonitum audiremus. Quod ergo ſe *à tergo* monitorem fore pronunciat, eo uſque extendi debet quod non fruſtra nobis verba fundi patietur: ſed mentes noſtras & animos intus percellet, ut in veram obedientiam formentur. nec enim ſumus natura dociles, noſque ab ejus Spiritu reformari omnino neceſſe eſt. Emphatice ergo verbum *Audiendi* ponitur. Deum vero hic pædagogo comparat, qui pueros ſibi ante oculos ſtatuit, ut eos melius formet atque regat. In quo mirum Dei erga nos affectum & ſollicitudinem exprimit, qui non ſatis habet nobis præire, niſi etiam intuitu ſuo nos gubernet. Cæterum admonet Propheta extra errandi periculum eſſe qui Deum ſequuntur ducem. Nam hortandi verbo, *Ambulate in ea*, additur pergendi alacritas, ne hæſitatio, ut fieri ſolet, iter moretur: ſed quod adjungit de *dextra* vel *ſiniſtra*, abſurdum videri poſſet. nam quum Moſes viam populo monſtravit qua incederet, ſimul excepit, ne ad dextram aut *Deut.* 5. *verſ.* 32. *&* 17. *verſ.* 20.
ſiniſtram declinarent. Recta enim via eſt: nec ulla diverticula quærenda ſunt. Quid ergo ſibi voluit Propheta? Reſpondeo, hic alio ſenſu Dextræ aut Siniſtræ facere mentionem. Intelligit enim omnis generis conſilia quæ nobis ineunda ſunt. Ea autem ſunt varia, ut diverſa etiam ſunt genera vivendi, & multiplices cuique difficultates occurrunt, atque ex rebus ipſis capiendæ ſunt deliberationes. Dextram ergo & ſiniſtram vocat omnes humanæ vitæ actiones, qualeſcunque ſint: ut quicquid aggrediemur, dirigamur Deo duce, ſemperque ab ipſo, ſive ad dextram ſive ad ſiniſtram eundum ſit, inſtituta noſtra auſpicemur. Atque hinc eximia ad nos conſolatio redit, quod Dominus favebit inceptis noſtris, greſſuſque noſtros diriget in quaſcunque partes flectamur, ſi modo nos à via quam monſtrat non deflexerimus.

22. *Tum profanabitis.*] Hinc apparet quam non irrita futura ſit cæleſtis directio: quia erroribus valere juſſis ad Deum pure colendum animos adjicient. & diſerte externam profeſſionem ſinceræ pietatis exprimit, qua palam faciant fictitiis idolis ſe renunciaſſe. Nam quum ſimulachra & ſtatuæ inſtrumenta ſint idololatriæ & ſuperſtitionis, ea exhorreſcunt & abominantur qui vere ad Deum converſi ſunt, & quantum in ſe eſt, ipſa profanant: quemadmodum Jehu feciſſe legimus, qui profanavit altaria Baal, at- *2 Reg.* 10. *verſ.* 27.
que ex ejus templo cloacam fecit. Ejus & ſimilium exemplum pii Principes & Magiſtratus ſequi debent, ſi verum pœnitentiæ ſuæ documentum dare velint. Pœnitentia quidem in corde ſita eſt, & Deum teſtem habet, ſed à fructibus demonſtratur. Eorum ſpeciem hic unam pro omnibus commemoravit Jeſaias: nam in genere teſtimonium veræ pœnitentiæ notat quo ſignificant homines ſe abominari omnia quæ pugnant cum cultu Dei. Nec vero idola profanari dicit, quaſi alioqui ſacra ſint. qui enim ſacrum eſſe poteſt id quod Deo contumelioſum eſt, atque homines immunditia ſua contaminat? ſed quum homines falſa opinione ſanctitatem iis aliquam affingant, ideo dicit profanari ipſa, ac veluti res contemptiſſimas & ſpurciſſimas contemni ac rejici oportere. Porro & *argentum* ac *aurum* in *ſculptilibus* nominans, ſignificat nullo detrimento aut damno impediri fideles, quominus idolorum cultum deteſtentur. Multi enim retinentur his cogitationibus, quominus idola penitus abjiciant, quod videant ſibi aurum aut argentum, aut aliud quidpiam perire: atque ita idola retinere, quam minimum jacturæ ſuſtinere malunt. Irretitos enim ipſos tenet avaritia, ut peccare ſponte, & inquinamentis illis ſeſe conſpurcare malint, quam hoc aut illud amittere. At omnia cultui Dei poſthabenda erant. Parvi faciendum aurum, abjiciendæ gemmæ, & quidvis pretioſum fœtere debet potius quam talibus flagitiis nos inquinari patiamur. Nihil denique tantæ æſtimationis eſſe poteſt, quod non viléſcere atque nihili apud nos eſſe debeat, quum de evertendo Satanæ regno, & reſtituendo cultu Dei agitur: atque in eo vere demonſtramus, an animis noſtris amor Dei & religionis inſideat: ubi nos ſeria perverſæ noſtræ inſcitiæ deteſtatio ad omnes ſordes abjiciendas impellit.

23. & 24. *Tum dabit (Deus) pluviam.*] Iterum à fructu docet quam optabile ſit ad Deum converti. ſiquidem hic reſipiſcentiæ fructus eſt, quod converſos in gratiam recipit, eoſque proſequitur ſua benedictione, ut nihil ipſis deſit, ſed potius omni beneficiorum genere cumulentur. Quemadmodum enim ærumnæ & calamitates proficiſcuntur ab ira Dei, quem ſceleribus noſtris provocamus: ſic ubi pacatus

tus eſt, omnia nobis proſpere cedunt, omneque genus beneficentiæ exhibetur. ſicuti etiam Lex plenius teſtatur. De pluvia quidem paulo ante loquutus erat, ex qua ſperandus erat liberalis victus: ſed quia non tenuerat ordinem à terrenis & caducis bonis incipiens, ideo nunc doctrinæ, quæ ſpirituale eſt alimentum, ſubjicit quæ ad corruptibilis vitæ uſum pertinent. Nam pietas quamvis promiſſiones habeat tam præſentis quam futuræ vitæ, priore tamen loco in cælum aſpirat. Hinc etiam diſcamus, fruſtra laborare homines colendis agris, niſi Dominus pluviam è cælo mittat. Irrigari ab ipſo labores noſtros, iiſque incrementum dari neceſſe eſt: alioqui inanes erunt. Pluviam autem non aliunde expectamus, quam ex benedictione Dei: cui, ſi uberem fructum colligimus, acceptum ferri debet. Hinc præterea collige nihil nobis defuturum, atque uberrimos laborum noſtrorum fructus paratos eſſe, ſi ad Deum convertimur: & quod ſæpe indigemus & laboramus inopia, id vitio noſtro fieri, quod Dei benedictionem malitia noſtra repellimus. Ne ergo ullis aliis cauſis ſterilitates & fames, quam culpæ noſtræ aſſignemus. nulla enim tanta hominum multitudo eſſe poteſt, quin terra iis alendis & ſuſtentandis ſufficiat: ſed ejus ſinum vitiis & ſceleribus noſtris præcludimus, qui nobis alioqui pateret, omniſque generis fructus abunde promeret, ut vitam felicem & proſperam degeremus. Neque parum facit ad amplificationem gratiæ Dei, quod addit etiam *pecora*. Nam ſi in mutas etiam pecudes effundit beneficentiam ſuam, quanto magis in homines quos ad imaginem ſuam creavit? Mirum vero non eſt ſi bruta animalia, quæ in uſum hominum creata ſunt, una cum ſuis dominis eſuriem perferant: & ubi hominibus propitius eſt Deus ad ipſa quoque perveniat benevolentiæ acceſſio. quod idem proximo verſu repetit & confirmat, *paleam pinguem & mundam bobus & aſinis* promittens. Atque hæc ſententia ex Lege ſumpta eſt, eamque libenter ſæpius uſurpant Prophetæ, ut diſcamus in pecudum quoque macie & defectu iram Dei conſpicere, eoque ardentius expetere cum ipſo reconciliationem, ut domos noſtras repleat ejus liberalitas.

Levit. 26. verſ. 3. Deut. 28. | 1 Tim. 4. verſ. 8. | 1 Cor. 3. verſ. 7. | Pſal. 36. verſ. 7. | Geneſ. 1. verſ. 27. | Deut. 28. verſ. 11.

25. *Et accidet.*] Quum Prophetæ regnum Chriſti deſcribunt, ſimilitudines à communi hominum vita mutuari ſolent. nec enim aliter veram felicitatem filiorum Dei exprimere poſſunt, quam ſi velut imaginem proponant earum rerum quæ ſub aſpectum noſtrum cadunt, & quibus homines beatum & felicem ſtatum æſtimant. Hæc igitur ſumma eſt, Beatos fore qui Deo parent, & Chriſto Regi ſeſe ſummittunt. Hæc autem felicitas ex copia & abundantia rerum externarum æſtimanda non eſt: quarum penuria ſæpe laborant pii, neque tamen eo minus beati ſunt. Sed allegoricæ ſunt iſtæ loquutiones, quibus Propheta ſeſe ad ruditatem noſtram accommodat, ut iis quæ ſenſibus noſtris percipiuntur, majora & præſtantiora, quam quæ ingeniis noſtris comprehendi poſſint, intelligamus. *Rivulos* porro & fluenta *in montibus* fore dicens, amplificat adhuc affluentiam illam & copiam qua ſuos locupletabit Dominus. Nullæ ſcatent aquæ in cacuminibus montium, quibus nihil ſiccius aut aridius eſſe poteſt. valles quidem irriguæ ſunt & affluunt aquis: ſed rariſſimum, ut aqua in faſtigiis montium ſcaturiat. Hoc tamen promittit Dominus: licet fieri nullo modo poſſe videatur: ſed hac loquendi forma nos ſub regno Chriſti omni ex parte beatos fore denunciat, nec ullum fore locum, in quo omnis generis bona non ſuppeditet: nihil tam ſterile, quod fœcundum ſua benignitate non reddat, ut ubique feliciter agere liceat. quæ profecto re ipſa experiremur, ſi plene nobis imperaret Chriſtus. Conſpicua enim undique nobis foret ejus benedictio, ſi morem ei ex animo atque in ſolidum gereremus: omnia fluerent ex animi ſententia, atque univerſus orbis & quicquid in eo eſt, commodis noſtris inſerviret: ſed quoniam longe abſumus ab ejuſmodi obedientia, guſtum tantummodo tenuem eorum bonorum habemus, atque eatenus ipſis fruimur, quatenus in novitate vitæ profecimus. Per *diem occiſionis* alterum divini favoris ſignum notatur, quod ſuos Deus tutos ab hoſtium violentia ſecuroſque præſtabit: & hoc modo fidem priori vaticinio conciliat Propheta: quia alioqui difficile creditu fuiſſet, mancipiis & exulibus ita bene fore. Hic ergo de cæde impiorum loquitur. acſi diceret, Non tantum vobis benefaciet Dominus, ſed hoſtes etiam veſtros profligabit. Omnes fere exiſtimant Prophetam hic loqui de clade quæ impio Regi Sennacherib illata eſt, quum Jeroſolymam obſideret: ſed quum propius expendo, malo referre ad excidium Babylonis. tametſi enim multitudo ingens deleta eſt fuſo & profligato Sennacherib, populus tamen nondum liberatus fuit. Hinc monemur deſperandum non eſſe, etiamſi hoſtes numero, præſidiis, copiis, munitionibus prævaleant: Dominus enim facile profligare ipſos, & Eccleſiam ſervare poteſt: etiamſi ad tempus inſultare ipſos & pro libidine omnia agere patiatur. ne terreamur eorum potentia aut rabie, neque ob paucitatem noſtram animis concidamus. nam neque ſuis copiis, neque propugnaculis, nec furore aut inſolentia conſequentur, ut manum Domini effugiant.

2 Reg. 19. verſ. 35. infr. 37. verſ. 36.

26. *Et erit lumen.*] Non ſatis fuit Prophetæ vulgarem felicitatis ſtatum deſcripſiſſe, niſi extraordinarium aliquid adjungeret. Dominum enim naturæ ordinem in hac beneficentia & liberalitate ſuperaturum dicit. Nunquam vero accidit ut augeretur ſplendor Solis, niſi quum ſub Joſua Sol ſtetit, ut ſpatium daretur ad perſequendos hoſtes: & quum in gratiam Ezechiæ, retroactum eſt horologium: ſed de his nunc ſermo non eſt. Imo non tractat Propheta de prorogando Solis curſu ſupra noſtrum horizontem, ſed de augendo in ſeptuplum ejus fulgore. Docet enim qualis futura ſit conditio piorum ſub regno Chriſti: nam Dominus alioqui malos non minus quam bonos Sole ſuo illuſtrat: hic vero agitur de felicitate quæ impiis communis eſſe non poteſt. alia eſt liberalitas quæ promiſcue in omnes exeritur, alia quæ piis eſt propria & peculiaris, ſicut dicitur in Pſal., Magna multitudo bonitatis tuæ quam abſcondiſti timentibus te. De hac loquitur Jeſaias: atque ut eam exprimat, à rebus notis ſimilitudines mutuatur. Itaque tanto Dei ſplendore illuſtrandos eſſe pios ſignificat, ut ſi coacervarentur ſeptem Soles eorum ſplendor longe minor iſto ſit futurus. Porro ne malorum, quibus paulo poſt obrutus fuit populus, gravitas fidem abrogaret huic dicto, inſeritur etiam altera promiſſio, Deum fore inſtar medici ad ſanandas ſuorum plagas. unde ſequitur caſtigandum populum, & plagis quodammodo ad pœnitentiam præparandum fuiſſe: imo ſic conteri ac comminui oportuit, ut in nihilum propemodum redigeretur. *Percuſſionem* ideo addidit, ut non levem fore hanc contritionem ſignificet. ſimilis enim fuit corpori multis plagis confoſſo ac confecto. Si quando igitur durius à Domino tractari videbimur, hæc vaticinia memoria repetamus, Dominus alligabit vulnera noſtra, quæ alioqui lethalia eſſe videbuntur. Quod ſi roget aliquis, cur Dominus tam ſevere caſtiget ſuos, reſpondeo, parum proficere ipſum erga nos, quum mitius agit. vitia noſtra radicitus inhærent, ipſiſque medullis infixa ſunt, nec niſi aſperiore & penetrabiliore ſcalpro evelluntur.

Joſ. 10. v. 12, 13. 2 Reg. 20. verſ. 11. infr. 38. | Pſal. 31. verſ. 20.

27. *Ecce nomen Domini.*] Exitium minatur Aſſyriis, qui tunc præcipui Eccleſiæ hoſtes fuerunt. Omnes quidem propemodum vicini moleſti erant Judæis: ſed quum Aſſyrii opibus prævalerent & potentia, ideo ſolos fere illos commemorant Prophetæ

phetæ quum agitur de hoſtibus: & deinde Babylonios qui monarchiam ad ſe traxerant. quanquam, ut alibi vidimus, per ſynecdochen Chaldæi ſæpe per Aſſyrios notantur. Porro ſub *Dei nomine* ipſum Deum haud dubie ſignificat: ſed utitur hac periphraſi, quod Aſſyrii, cæterique populi deos aureos & argenteos colerent, atque Judæos ludibrio haberent, acſi coluiſſent inane nomen Dei, nec eum ullo ſimulachro, ullave effigie aut ſpecie repræſentarent: quemadmodum etiam adverſus ipſos quidam ſcripſit.

Qui puras nubes, & cæli numen adorant.

Ita ſemper à viſibili aſpectu impii & profani homines Deum æſtimant: contra Prophetæ ad nomen illud Dei pios revocant: Deus ille qui ſe nomine ſuo vobis patefacit, quem non palpatis, neque cernitis, is veniet, veſtraſque injurias ulciſcetur. *E longinquo.* Hoc etiam addit per conceſſionem. nam quum impii manum Dei non ſentiunt, eum longe abeſſe putant: piorum fiduciam, ut inanem, rident. Ideo Propheta ex impiorum opinione loquens, oſtendit Deum, quem longe abeſſe exiſtimabant, adventurum: imo jam adveniſſe, atque propinquum eſſe. Hoc enim ſignificat particula הנה, quæ opponitur dictioni ממרחק. hoc etiam modo fideles jubet tranſcendere omnia obſtacula, ut ſpe ſua ad illud quod promiſit auxilium perveniant. Jam ut ſciatur nomen Dei non fruſtra neque abſque effectu celebrari in Judæa, formidabilem ejus potentiam deſcribit. nempe quam ad profligandos Eccleſiæ hoſtes convertet. Nam fideles ſuos compellans, ut eos ad fidem animet benignum ſe præbet, humanum, patien-
Exod. 34. tem, tardum ad iram, clementem: impiis vero ni-
vers. 6. hil præter horrores & metum proponit. Et quemadmodum impii ad Dei mentionem perhorreſcunt: ita pii bonitatis ejus ſenſu illecti, conquieſcunt in ipſo, nec turbantur ejuſmodi terroribus. Quo docemur perſtandum aſſidue in timore Dei, ne talem ipſum experiamur, qualem à Propheta hic deſcriptum cernimus. *Grave ejus onus.* id eſt, Dominus ſecum afferet horrendas clades, quas impii ferre non poterunt. Onera enim vocat pœnas, quæ impiis infliguntur. *Labiorum* & *linguæ* nomine idem ſignificat. Sed cur potius ea quam manus nominavit? quoniam impii rident omnes minas, quæ proferuntur ex verbo Dei, & pro fabula ducunt quicquid à Prophetis nunciatur. ſuo igitur damno ſentient non exire inanem ſonitum ex ſacro Dei ore, nec vacuum eſſe tonitru ad feriendas tantum aures, ſed quanta ſit vis ejus Verbi quod contempſerunt, tandem experientur.

28. *Et ſpiritus ejus.*] Pergit in ea denunciatione quam cœperat: futurum ſcilicet, ut caſtigetur quidem Eccleſia, ſed ita ut Aſſyrii penitus intereant. Eos enim Spiritu Dei in abyſſum mergendos eſſe oſtendit, vel potius Spiritum ipſum ſimilem eſſe profundo torrenti qui ipſos abſorbeat. Alii רוח Flatum interpretantur: ut ſit alluſio ad procellam aut impetuoſum ventum. Utitur deinde ſimilitudine *Cribri*, quæ ſatis frequens eſt Scripturis. Cribro autem exagitaturum Aſſyrios dicit, ut eos excutiat atque abjiciat. Ideoque adjicit epithetum *Vanitatis*: id eſt, inutili: non ſervandi cauſa, ſed
Matth. 3. perdendi. nam alioqui ſuos quoque Dominus cri-
vers. 12. brare ſolet, ut in horreum tanquam pura grana colligat. Tertia ſimilitudo eſt *Freni*, quo ſubinde ſuperbiam impiorum & proterviam coërcet: denique iis judicem ſeſe oſtendit. Suos quidem Dominus etiam freno cohibere & domare ſolet: ſed ut in obſequium redigat. Impios vero ſic comprimit, ut præcipites in exitium impellat. Hoc enim ſignificat, quum ait, *Errare faciens.* quemadmodum ferocientes equi huc atque illuc à ſeſſoribus agitari ſolent, & quo magis calcitrant, eo vehementius impelluntur, ac tunduntur: ſic conſtringuntur impii, ut in tranſverſum ruant: quemadmodum etiam præclare à Davide Pſalm. 32. deſcriptum eſt. Hæ porro Pſal. 32.
ſimilitudines eo pertinent, ut intelligamus non eſſe v. 9, 10.
Domino illudendum. Nam etſi ad tempus diſſimulet, experiemur tandem verum eſſe quod dicit Propheta: nempe, ſolum ejus flatum ad proſternendos impios inſtar torrentis futurum eſſe, quo ſubito demergentur. Deinde quum admonet gentes cribro inutili ventilandas eſſe, timendum, ne ſi in nobis præter paleam nihil reperiat Dominus in ſterquilinium abjiciamur. Poſtremo, notanda eſt differentia, quæ eſt inter filios Dei & reprobos: utroſque enim caſtigat Dominus, ſed diverſis modis. Illi enim ut purgentur ac ſerventur, hi ut agantur præcipites ac perdantur.

29. *Et erit vobis canticum.*] Hic teſtatur quicquid pœnarum minatus eſt Aſſyriis ceſſurum in Eccleſiæ ſalutem, quia Deus injurias ſuis illatas non minus ſevere ulciſcitur, quam ſi ipſe læſus eſſet. In quo immenſum erga ſuos amorem & benevolentiam teſtatur, dum in eorum gratiam dignatur arma induere. Unde colligendum eſt minas omnes quæ paſſim occurrunt in Scripturis, ad conſolationem piorum pertinere. Cæterum, *canticum* hoc ſacrum fore dicit, & *ſolennitati ſanctæ* comparat, ut fideles ad gratitudinam hortetur, atque doceat eorum lætitiam ad Deum dirigendam eſſe. nec enim ſatis eſt gaudere, niſi gaudium noſtrum recta in Deum ſpectet, iſque nobis ſemper unice proponatur: alioqui vanum ac profanum, non ſalutare nec Deo gratum gaudium futurum eſt. Porro quia diem à Solis occaſu incipiebant Judæi, ideoque ſtatim à veſpera feſtum celebrabant, *nocturnum* vocat canticum. Atque iterum cujus generis futura ſit hæc lætitia, magis exprimit: Non tripudiabunt profanorum hominum more, ſed in Deum mentes attollent ac defigent, quem bonorum omnium auctorem eſſe agnoſcunt. Per *montem* intelligit templum quod in monte ſitum erat. *Fortem Iſraëlis* vocat, quoniam ipſius ope & auxilio redempti fuerant & ſtabant incolumes. unde admonet non aliter ſalvos fore in futurum, niſi ſpe in uno Deo locata. Et certe ſimulac fortitudinis noſtræ ipſi aliquam induimus perſuaſionem, titulus hic Deo eripitur: quo non alii vere & ſincere ornant quam dejecti & humiles, qui exinaniti ſunt omni propriæ virtutis fiducia.

30. *Audiri faciet.*] Confirmat quod prius dixit de judicio Dei in Aſſyrios. Idque figurate deſcribit, ſicuti mos & ipſi & aliis Prophetis ſatis tritus eſt. Quum diſſimulat Deus, nec ſtatim ulciſcitur impios, illum aut jacere, aut minus potentem eſſe arbitramur, atque ancipitibus & anxiis cogitationibus diſtrahimur. quod ſi aliquod ipſius judicium appareat, tamen pro ingenito nobis ſtupore vel magis pro ingratitudine, larvas nobis objicimus quæ Dei gloriam obſcurent. Nam vel imaginamur fortunam, vel hominum conſilia, induſtriam & vires: Deo vero nunquam, niſi coacti, acceptum quidquam ferimus. Ideo non ſatis fuit Prophetæ ſemel vindictam Dei in Aſſyrios nunciaſſe, niſi etiam graphice depingeret, atque vehementius inculcaret. Talem igitur hoſtium interitum fore ſignificat, ut homines cogantur audire vocem Dei, id eſt, agnoſcere judicium ipſius, & fateri ab eo profectam eſſe hanc cladem, acſi palam loquutus eſſet. Itaque ſumma eſt, rem adeo perſpicuam fore ut nemo ſit qui non intelligat ab ore, id eſt, decreto Dei, hanc cladem profectam. Incipit autem à *voce Dei*, ut ſciamus quicquid geritur in terra ejus imperio gubernari. Quanquam ſimul commendat vim ejus doctrinæ, cui populum inniti neceſſe erat ut ſuo tempore effectus palam fieret. Quia vero conſilium Dei & vocem mature ſubſequitur opus, additur *brachii* deſcenſio. Hæc duo ſemper inter ſe conjungi debent. nec enim Deum homini-

bus

bus ſimilem imaginari fas eſt, qui ſubito aggrediatur aliquid quod mancum & inchoatum relinquat. Quicquid decrevit etiam exequitur, nec unquam ab ore manus ejus ſejungi poteſt. Atque è diverſo nihil exequitur temere, ſed antea decretum fuiſſe oportuit, ut pœnæ omnes quas irrogat totidem ſint recti judicii documenta. In fine verſus figuris illuſtrat vindictam illam, ut ejus gravitate animoſius fidem ſuam in ſublime attollant Judæi: quia hinc non parum ad eos ſolatii redibat, quamvis duriter premerentur, inſtare hoſtibus ſuis magis formidabile judicium. Neque vero eſt cur ſomniemus Aſſyrios fulmine percuſſos eſſe, ut faciunt Rabbini. nimis enim frivola eſt ipſorum conjectura. Quin magis Propheta uſitatum morem ſequitur, atque his ſimilitudinibus deſcribit judicium Dei: quoniam tardi nimium ad ipſum comprehendendum, atque hebetes omnino ſumus. Movemur autem incendiis, fulminibus, inundationibus, diluviis, quod prodigioſum aliquid præ ſe ferant, iiſque magis afficimur. propterea ſimilitudinem ab iis ducunt Prophetæ, ut adverſus impios ultricem & horribilem Dei manum homines apprehendant.

31. *Sane à voce Domini.*] Hoc ſubjunxit duas ob cauſas. primum, ut oſtenderet cur conterendus ſit Aſſyrius. nam quum inhumanus & crudelis fuerit erga alios, æquum eſt illi rependi eadem menſura qua menſus eſt. *Matth. 7. verſ. 2.* Hoc enim Dei judicium adverſus tyrannos ordinarium eſt, ut alio loco dicet Propheta, Væ qui prædaris, quoniam prædæ eris. *cap. 33: 1.* deinde, quod tanta videretur Aſſyrii potentia, ut concidere non poſſet. Utcunque igitur omni ex parte munitus eſſet, non tantum ad ſe tuendum, ſed etiam ad invadendos alios, tamen ſola Dei voce conterendum eſſe dicit. Unde agnoſcimus quam inanis ſit impiorum fiducia, qui præſidiis ſuis & armis nituntur, Deumque ſecure contemnunt, acſi judicio ipſius obnoxii non eſſent. At Domino ad ipſos perdendos aliis armis opus non erit, quam voce ſua: nam vel ſolo nutu ipſos proſternet. Nec dubium eſt quin fideles à terrenis mediis retrahere velit Propheta, ne inquirant quomodo: ſed unica promiſſione Dei contenti ſint: qui ſimulac verbum protulit, ſibi abunde ſufficit ad exequendum.

32. *Et erit in omni tranſitu.*] Significat Aſſyrios fruſtra omnia tentaturos, ut manum Dei effugiant. nam quocunque ſe contulerint, ſive progredi ſive regredi velint, eos manus Dei perſequetur. In *baculo fundato* libenter eorum opinionem ſequor, qui ductam ſimilitudinem putant ab iis quibus tam graves infliguntur plagæ, ut diu vibices & veſtigia hæreant, acſi fuſtis aut baculus infixus atque infoſſus eſſet. Niſi quis accipere malit, perinde affixam eſſe Aſſyrio plagam, ut fundamentum in terram defixum eſt. quod enim fundatum non eſt, moveri loco & transferri poteſt: ſed plagam iſtam ita profunde defixam fore oſtendit, ut neque excuti neque depelli queat. ſicuti incumbit moles iræ Dei reprobis, quæ ad finem uſque obrutos tenet: & ne ſubterfugiendo quidquam ſe proficere poſſe ſperent, omnem locum dicendo, negat ullum fore receſſum. Sic enim reſolvi debet loquutio, Quocunque tranſierit baculus, illic tenaciter hærebit. In *tympanis*, incertum belli eventum non fore ſignificat, ut quum æquo Marte pugnatur. certam enim victoriam futuram eſſe: quia ſimulac prodire vult Deus ad pugnandum, prompta in ejus manu victoria eſt. Tympana enim & citharæ, expanſæ & ſublatæ manus, lætitiam ſignificant, qua exultant cum plauſu victores, & pæana canunt. Quod in genere fœminino adjungit, Contra eam, בה, nonnulli ad exercitum referunt: ſed majus haud dubie aliquid ſignificare voluit: nempe caput regni, id eſt, Babylonem, quæ opponitur Jeroſolymæ, quam etiam prius ſimili relativo deſignavit. Ex his colligendum eſt, impios tandem perdendos eſſe, tametſi effugia multa habere videantur. quocunque enim ſe vertant, quamcunque viam ineant, baculus Domini ipſos perſequetur, imo tergo affixus manebit: manum ejus nunquam evadent, nec plagas à ſe depellent. Nos etiam caſtigamur Dei manu, ſed plagæ perpetuæ non ſunt. Leniuntur dolores noſtri & mitigantur, dolor etiam noſter in gaudium vertitur. *Joan. 16. verſ. 20.* Præterea ſic Dominus adverſus reprobos bellum gerit, ut reſiſtere ipſi nequeant, nec quicquam ſuis conatibus lucrifacere. Conſerit quidem cum ipſis manum, ſed tanquam victor. permittit etiam ſæpe ipſis aliquid, ſed eorum inſolentiam reprimit, quum primum viſum eſt. Nos igitur, ſi ſub ejus vexillo militemus, ne dubitemus de victoria: nam eo duce ab omni periculo ſecuri, ſuperiores haud dubie evademus.

33. *Quoniam ordinata.*] Progreditur Jeſaias in denuncianda ultione Dei, atque impios non temporariam ſolum cladem, ſed æternum quoque interitum manere dicit. Iis enim gehennam præparatam eſſe, nec tantum plebeiis, ſed Regi quoque ipſi & magnatibus. Per *Topheth* Gehennam haud dubie intelligit: non quod locum aliquem ſomniare oporteat, in quem impii poſt mortem tanquam in carcerem incluſi, quæ meriti ſunt tormenta perferant; ſed conditionem ipſorum miſeram, extremoſque cruciatus ſignificat. In libro Regum accipitur pro eo loco, ubi Judæi filios ſuos immolabant idolo Moloch: *2 Reg. 23. verſ. 10.* cujus etiam Jeremias mentionem facit: iſque locus à Joſia ob execrandam ſuperſtitionem deletus ac profanatus eſt. *Jer. 19. verſ. 6.* Nec vero mihi dubium eſt, quin Prophetæ illius loci nomen ad impiorum pœnas & cruciatus transferre voluerint, ut ſola ejus commemoratio piis horrorem incuteret, atque ita idololatria majori in deteſtatione apud omnes foret. quæ eadem etymologia voci Gehennæ communis eſt: quia vallis Hennon ob nefanda ſacrilegia pro ipſis inferis accepta fuit. Quia autem ubi impiis bene eſſe, omniaque proſpere ſuccedere videmus, impunitos fore arbitramur, ex oppoſito reclamat Propheta, Ab heſterno, id eſt, jam olim ab initio mundi conſtituit Dominus, qualibus pœnis in ipſos animadverſurus ſit. Decretum illud quanquam nobis adhuc occultum eſt, certum tamen eſſe debet, nec irritum fieri poteſt. Ne ergo impiorum ſortem ab externa ſpecie æſtimemus: expectemus Dominum, qui opportune juſtum judicium ſuum exequetur. interea ne ſimus præcipites, neque ultionis oblitum Deum putemus. Statuerat enim quid eſſet facturus, antequam nobis in mentem venire potuiſſet: nec tam cito impiorum perniciem expetere poſſumus, quin jam Dominus cogitationes noſtras & deſideria prævenerit maximo intervallo. nam ab initio pœnas & ſupplicia adverſus ipſos conſtituit. Nonnulli ſimilem locum eſſe putant cum illo Apoſtoli: Chriſtus, heri, hodie, & in ſecula. *Hebr. 13. verſ. 8.* Ego vero hic Heſternum ſimpliciter oppono cogitationibus noſtris, ne exiſtimemus nos tanta ſapientia præditos eſſe, ut Deum antevertere poſſimus. quia nihil repentinum eſt in conſiliis Dei: ſed jamdudum omnia ſunt apud ipſum fixa & ordinata. Loquitur autem de pœnis futuri ſeculi, ut antea dictum eſt, quas, præter ærumnas quibus hic torquentur, impii ſuſtinebunt. In quo mirum eſt tam craſſos atque hebetes fuiſſe Sadducæos, ut pœnas & præmia hujus vitæ terminis circumſcriberent, acſi judicium Dei extra hunc mundum non extenderetur. *Mat. 22. verſ. 23. Act. 23. verſ. 8.* Neque enim quæ deinde adduntur loquutiones temporalibus pœnis quadrarent: & nomen ipſum Topheth metaphorice acceptum non niſi in extremam Dei maledictionem competeret. Jam ne *Reges* quidem ipſos, quos ob majeſtatem & potentiam, prærogativa quadam frui debere exiſtimant, ab hoc ſupplicio eximi docet. Perſtringit hominum oculos eorum magnitudo: ſed nihil præſidio ipſis futurum eſt, quominus in eos Dominus pro meritis

animadvertat. Mactationem eorum dicit fore *in profundo*, ut eos evadere aut emergere non poſſe intelligamus. *Latam* quoque Gehennam vocat, ut ſciamus quamlibet multos, etiamſi una omnes conſpirent, ſimul perituros. quia non fatigabitur Dominus puniendo: & ſatis amplum habebit locum in quem omnes hoſtes ſuos includat. *Pyra ejus ignis.* Metaphorice loquitur de exitio reproborum, quod ſatis alioqui mente complecti non poſſumus, quemadmodum nec beatam & immortalem vitam percipimus, niſi ſub figuris quibuſdam ingenio noſtro accommodatis adumbretur. unde apparet quam inepti & ridiculi ſint Sophiſtæ qui de illius ignis natura & qualitate ſubtilius diſſerunt, atque in eo explicando varie ſeſe torquent. Explodendæ ſunt craſſæ hujuſmodi imaginationes, quum figurate Prophetam loqui intelligamus, ſicut & alio loco videbimus ignem conjungi cum verme. *cap. 66. verſ. 24.*

CAP. XXXI.

VÆ deſcendentibus in Ægyptum ad auxilium: & qui equis innituntur: & qui curribus confidunt, quia multi ſint: & equitibus, quia prævalidi: & non reſpexerunt ad Sanctum Iſraël, nec Jehovam inquiſierunt.

2. Atqui ipſe quoque ſapiens eſt. Itaque adducet malum, nec verba ſua faciet irrita: inſurget, inquam, contra domum malignorum, & contra auxilium opificum vanitatis.

3. Et certe Ægyptius homo eſt, non Deus: & equi eorum caro, & non ſpiritus. Itaque ſimulac extenderit Jehova manum ſuam, ruet auxiliator, & cadet adjutus: omneſque ſimul deficient.

4. Quoniam ſic dixit Jehova ad me: Ut leo rugit & catulus leonis ad prædam ſuam: contra quem ſi convocetur cœtus paſtorum, à clamore eorum non commovebitur, neque ob eorum tumultum humiliabitur: ſic deſcendet Jehova exercituum ad præliandum pro monte Sion, & pro colle ejus.

5. Sicut aves quæ volant, ita proteget Jehova exercituum Jeruſalem, protegens liberabit, tranſiliens ſervabit.

ſupra 3. verſ. 20. 6. Revertimini ut profundam feciſtis defectionem, filii Iſraël.

7. Quoniam in die illa abjiciet homo idola argenti ſui, & idola auri ſui, quæ fecerunt vobis manus veſtræ, peccatum.

8. Tum cadet Aſſur per gladium, non viri: & gladius non hominis devorabit eum, & fuga ſibi conſulet à facie gladii, & juvenes ejus in liquefactionem erunt.

9. In arcem ſuam præ formidine tranſibit, & pavebunt Principes ejus à vexillo, dicit Jehova: cui * ignis eſt in Sion, & cui fornax in Jeruſalem.

** vel, qui ignis illi eſt.*

VÆ *deſcendentibus.*] Iterum revertitur ad id quod tractaverat initio capitis proximi. nam adhuc invehitur adverſus Judæos, quibus ſolenne & uſitatum erat in periculis ad Ægyptios potius quam ad Dominum confugere. Diximus prius cur id Deo tantopere diſpliceret. In ſumma, duplex ratio eſt cur Propheta tam ſevere hoc crimen reprehendat. primum, quia fieri non poteſt ut ſalutis noſtræ fiduciam ſimul in creaturis & in Deo locemus: nam oculos noſtros ab eo averti neceſſe eſt, ſimulatque in illas circumferuntur. deinde, vetuerat nominatim Deus, ne fœdus cum Ægyptiis inirent. Accedebat igitur ad perverſam fiduciam contumacia, acſi invito ac ſpreto Deo ſaluti ſuæ conſulere voluiſſent. Hunc igitur mali fontem intueri oportet, ſi penitus Prophetæ mentem tenere velimus. Erat & peculiaris quædam ratio, quam prius notavimus, cur Dominus Judæos cum Ægyptiis nihil habere commercii vellet: ne ſcilicet perverſa illa conjunctio deleret memoriam redemptionis ex Ægypto: & ne corrumperentur Ægyptiorum ſuperſtitionibus & impio idolorum cultu. Nihil tamen apud ipſos valuerunt hæ rationes: nec quicquam effecit prohibitio Dei, quominus ſubinde ad eorum auxilia decurrerent, atque ipſorum ope, veluti clypeo, adverſus manum Dei munitos ſe eſſe exiſtimarent. Quo fit ut non abs re Propheta adverſus tantam amentiam acrius invehatur. Jam deſcenſus in Ægyptum quia vetitus fuerat, non levi reprehenſione erat dignus: ſed crimen fuit magis intolerabile, prava fiducia transferre Dei gloriam ad homines mortales. Et quo certius exprimat Deum hoc modo ſpoliari ſuo jure, non tantum eos accuſat quod innixi fuerint Ægyptiis, ſed objicit etiam ex oppoſito, quod *non reſpiciant ad Sanctum Iſraël.* unde clarius apparet ratio cur iſtam Judæorum perfidiam tantopere inſectetur Jeſaias. nec enim alioqui improbat Dominus ſi quis legitimis remediis utatur, quemadmodum pane veſcimur & aliis cibis, quæ in uſum noſtrum deſtinata ſunt. Ita ſi quis accerſat ſibi in periculis auxilia quæ vetita non ſunt, ſed uſitata & legitima, modo ne quid Dei potentiæ abroget, is certe reprehendi non poteſt: ſed hoc damnandum atque deteſtandum eſt, ſi ita defixi ſimus in externis auxiliis ut Dominum interea non quæramus. deinde ejus promiſſis diffiſi appetamus illicita media. *Reſpiciendi* verbum ſatis uſitatum eſt Scripturis, quum hæc fiducia ſignificatur: quoniam oculos eo ſolemus conjicere, unde auxilium expectamus. In ſumma, docemur hic, ſalutis fiduciam non alibi quam in Deo ſolo locandam eſſe: ut ejus promiſſionibus freti, quicquid optabile eſt ab ipſo audacter petamus. Omnibus certe rebus, quas in uſum noſtrum deſtinavit, legitime uti concedit, ſed ita ut mentes noſtras in ipſum recta defixas eſſe oporteat. Jam *Sanctum Iſraëlis* vocando, malitiam & ingratitudinem populi exaggerat, quod in Dei fidem & tutelam receptus deſpecto tali patrono & ſalutis ſuæ præſide poſt ſuas illecebras feratur. & ſtatim nomen Dei adjungens, ſignificat neque potentia, neque bonitate & paterno favore Dei potuiſſe retineri in officio. Jam quum hodie quoque non minus comiter nos ad ſe invitet, gravem ei facimus injuriam, ſi reſpectemus alio, neque in ipſo ſolo acquieſcere velimus. quicquid autem à Deo mentes noſtras avertet ac deflectet, id nobis inſtar Ægypti futurum eſt.

2. *Atqui ipſe quoque ſapiens eſt.*] Deum ſapientem nominans, non ornat eum perpetuo epitheto: ſed perſtringit eorum aſtutiam, quos videbat plus æquo ſapere. Paulo ante dixit eos ſibi cavernas fodere, *cap. 29. verſ. 15.* dum occultis conſiliis & clandeſtinis artibus effugere ac fallere Dei oculos ſe putabant. nunc falſe hanc amentiam deridens, Deo quoque viciſſim ſuam ſapientiam eſſe aſſerit: oblique eos inſimulans, quod

Google

os Deo neſcienti poſſe oblini confidant: acſi diceret, Quorſum tandem perveniet veſtrum iſtud ſapere? an Deum infatuabit? Imo veſtram vanitatem coarguens, re ipſa oſtendet ſe deprehendere ſapientes in *Job. 5. verſ. 19.* aſtutia ſua. Jam hinc communem doctrinam elicere *1 Cor. 3. verſ. 19.* convenit, nihil proficere quicunque ſub vafritie & clandeſtinis artibus deliteſcunt, niſi quod magis provocant iram Dei. Mala conſcientia refugit ſemper judicium Dei, latebras quærit quibus ſeſe occultet. varias comminiſcuntur impii rationes, ut ſibi caveant & ſe muniant adverſus Deum: ſeque ſapientes & circumſpectos putant, etiamſi inanibus duntaxat larvis contecti ſint: alii autem excæcati ſua magnitudine, Deum & minas ejus contemnunt. Ideo Propheta ſapientem quoque Deum eſſe afferens, amaro aculeo eos pungit, ne tantum ſibi aſtutiæ arrogent, qua eum velut præſtigiis obnoxium deludant. Jam quia indigni erant quibuſcum litigaret, ſenſuros denunciat Deo in promptu eſſe ſuas rationes, quibus tergiverſantes illaqueet. Primo non putabant Deum eſſe ſatis providum, quia pro communi mundi uſu non conſuleret eorum ſecuritati inter tot diſcrimina. deinde minas omnes pro vanis terriculamentis ducebant, acſi quovis modo ſibi cavere liberum foret. hinc & ſatagendi fervor & machinandi audacia. Ergo Deum tantæ injuriæ vindicem fore denuntiat, & expeditum eſſe modum ut quod minatus eſt exequatur. nullis hominum machinis, artibus, aut aſtutia everti poſſe ipſius Verbum. *Artifices vanitatis* appellat, quod inani præſidio ſe adverſus Dei manum muniri appeterent, nempe illicito Ægyptiorum. Antea tacite nomen ſapientum illis concedere viſus eſt, Dei ſapientiam opponens: nunc fumo diſcuſſo, aperte eorum infamiam ac probrum detegit. Unde docemur nihil eſſe melius, quam abnegato proprio ſenſu, nos totos ſubjicere Deo, quia in tota cavendi ſollicitudine, qua ſe macerant increduli; nihil firmum: imo ira Dei fallacibus carnis artificiis, quaſi data opera provocatur.

3. *Et certe Ægyptius homo.*] Nihil hic niſi vulgare & quod omni dubitatione caret, in medium afferre videtur Jeſaias. quis enim unquam exiſtimavit Ægyptios Dei loco ſtatuendos, non homines eſſe? Hoc quidem nihil controverſiæ habet, atque omnes palam fatentur: ſed quum ad rem veniendum eſt, hebeſcunt prorſus, vel hærent incerti de eo quod prius tenere ac certo ſcire videbantur. ita ſeſe extollunt, tantumque ſibi tribuunt, ut jam ſe homines eſſe non putent, neque cogitent Deo parendum eſſe. *Pſal. 146. verſ. 3.* Ideo Scriptura toties monet non eſſe fidendum hominibus, quibus nihil vanius eſſe poteſt. *Jer. 17. verſ. 5.* Maledictus qui confidit in homine & innititur brachio carnis. Videmus tamen & principes & plebeios homines ita deliberare ſecum ac ſtatuere, acſi in centeſimum annum effecturi eſſent quicquid animo conceperunt, atque cælum, maria, terras ſibi ſubjicere, omniaque arbitratu ſuo regere & moderari poſſent. Quum hanc in hominibus ſuperbiam & arrogantiam cernimus, non eſt quod miremur Prophetam exclamare Ægyptios non eſſe Deum, ſed homines. Iis enim tribuebant Judæi quod Deo tribuendum erat, tutelam videlicet & conſervationem Eccleſiæ, quam Deus ſibi ſoli vendicat, neque patitur ad alium transferri. Oblique igitur perſtringit contemptum Dei & perverſam fiduciam qua efferebantur ac turgebant. Hic notatur quantum ſit inter Deum & homines diſcrimen. Homines enim nihil per ſe valent, niſi quantum Dominus conceſſerit. Si de hominis natura & præcellentia diſputandum eſſet, egregias dotes quas à Deo accepit, recenſere poſſemus: ſed quum Deo opponitur, in nihilum omnino redigi debet. Nihil enim homini tribui poteſt, quod Deo non adimatur. Atque hæc ratio eſt, cur male nobis conveniat cum Papiſtis, quum de cauſa ſalutis, de libero arbitrio, de dignitate operum & meritis diſputamus. Nam quum in hac cauſa Deus homini opponatur, neceſſe eſt quicquid conceditur homini adimi Deo: ſic autem partiuntur inter hominem & Deum, ut alteram Deo, alteram homini partem attribuant: nos vero integram & ſolidam ſalutis cauſam Deo aſſignandam eſſe dicimus, nec abſque nefando ſacrilegio quicquam alio transferri poſſe. Denique in hujuſmodi antitheſi, ſciamus nihil homini quod dignum ſit laude relinqui poſſe. *Carnis* nomine imbecillitatem & fragilitatem ſignificat. quid enim caro præter corruptionem habet? De *equis* loquitur: ſed competit in Ægyptios quoque eadem vel ſimilis infirmitas: acſi dixiſſet illos cum ſuis omnibus auxiliis nihil habere ſtabilis vel diuturni. Tametſi enim anima non minus quam corpore conſtabant Ægyptii, oportuit tamen quatenus terrenæ erant creaturæ, & in caduco tugurio habitabant, cogi eos in ordinem: acſi dixiſſet non cæleſti vel ſpirituali virtute eſſe præditos. ſicuti etiam dicitur in Pſalmo, Nolite *Pſal. 146.* confidere in principibus, quia exibit ſpiritus eorum, *verſ. 3. 4.* & revertentur in terram ſuam. Quantum ad equos ſpectat, magis proprie ſic vocantur: nihil tamen mirum eſt homines quoque, ut ſciant quam ſint evanidi, relegari ad putredinem. Porro ex comminatione quæ additur, collige univerſalem doctrinam: nempe hanc impietatem minime inultam fore. nec enim patietur Dominus impune ad creaturas transferri honorem ſuum, aut fiduciam in hominum auxiliis requieſcere, quæ in ipſo ſolo locanda erat. Minatur ergo tam iis qui auxilium ferent & falſæ fiduciæ occaſionem præbebunt, quam iis qui eorum auxilio utentur, atque in eo ſalutem ſuam conſtituent. Quod ſi perverſam hanc fiduciam tolerare non poteſt Dominus, ubi de temporaria tantum ſalute agitur, quanto minus tolerandi ſunt qui pro æterna ſalute conſequenda, varia ſuo arbitratu ſubſidia comminiſcuntur, atque ita hominum vires efferunt, ut eis locum & ſedem Dei aſſignent?

4. *Quoniam ſic dicit.*] Hunc verſum ideo addit Propheta, ne Dominus neceſſariis nos præſidiis deſtituere videatur. nam ſi prohibens ne fiducia noſtra reſideat in creaturis, nihil promitteret auxilii, poſſemus conqueri quaſi deſperationis offerret materiam, non conſolationis: ſicuti paulo ante vidimus, ideo homines magis ſedulo quam par erat ſibi cavere, quia inconſideratos ſe fore putant, ſi contenti uno Deo, abſtineant à vetitis mediis. Omnem ergo excuſationem tollit, quum promittit ſe fidum nobis tutorem fore. quis enim prætextus ſupereſſe poteſt, ſi ſalutem quam ſponte nobis offert ſpernamus? Perinde igitur eſt acſi diceret, Adeſt Dominus, atque adfuturus eſt: vetat ne ab Ægyptiis auxilium petatis. Utitur autem aptiſſima ſimilitudine, tum ut facultatem ſibi ad nos tuendos ſuppetere, tum ſtudium non deeſſe oſtendat, *Leoni* ſeſe comparans, potentiſſimo animali & prædæ avidiſſimo. Inſiſtit tamen in ſecunda parte, quod longe avidius nos ad ſe rapiat, atque ereptos conſervet & tueatur adverſus omnia incommoda. interim tamen notatur vis & potentia, cui nec arma ulla, neque copiæ obſiſtere poſſunt. Cæterum ſimilitudines non poſſunt omni ex parte propoſito congruere, neque neceſſe eſt, ſed ad cauſam quæ tractatur aptari debent. Quum itaque Dominum adeo ſtudioſum & amantem noſtri intelligimus, nonne pluſquam amentes eſſe oportet, ſi eo neglecto alia ſubſidia accerſimus, quæ non tantum inania, ſed etiam exitioſa nobis futura ſunt?

5. *Sicut aves.*] Altera eſt ſimilitudo, qua oſtendit Propheta quantam noſtri curam gerat Dominus, & quam ſedulo intentus ſit ad nos fovendos. Eſt autem ab avibus ſumpta, quas mira pro conſervandis pullis ſollicitudo tenet. nam ſe propemodum ma-

cie conficiunt, nec ullum periculum reformidant, ut pullos ſuos tueri & conſervare poſſint. Eadem ſimilitudine uſus eſt Moſes, dum ingratitudinem *Deut. 32. verſ. 12.* populi exprobrans, Dominum aquilæ comparat nidum ſtruenti atque expandenti alas ſuas, pulloſque ſub iis deferenti. Chriſtus etiam Jeroſolymæ exprobrat, *Mat. 23. verſ. 37.* Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos, & noluiſti? Summa autem hujus loci eſt, Dominum ſatis potentem fore ad conſervandum populum ſuum, quem unice amat atque potiſſimum curæ habet. Nam quod Moſes Deum feciſſe narrat, Jeſaias ſemper facturum promittit: quia nunquam deſerit quos ſemel favore complexus eſt. Itaque ne de unius tantum ſeculi hominibus quiſquam hoc dici putaret, nominatim exprimit Deum expanſis alis protecturum Jeruſalem. Nec abs re addit *collem Sion*, quod in eo ſitum eſſet Templum, in quo Deus volebat invocari. ubi ergo purus eſt Dei cultus, certam fore ſalutem ſciamus: nec enim fruſtra invocari poteſt. Simus ei in populum: ipſe viciſſim nobis in Deum erit.

6. *Revertimini ut.*] Varie exponitur hic verſus. ſic enim exponunt Hebræi, Revertimini ad Dominum, quoniam multiplicaſtis defectiones. Sed ſimplicior mihi videtur hic ſenſus, Revertimini ſecundum quod profundam feciſtis defectionem. Nam לאשר mihi accipi videtur pro כאשר. Significat autem atrocitatem perfidiæ non obſtare quominus reditus illis ad Deum pateat, ſi reſipiſcant. tametſi in profundiſſimam impietatem demerſi ſint, Deum tamen veniam ipſis daturum. Interim tamen hoc ſtimulo ad ſerium mœrorem & ſcelerum odium pungit, ne perfunctorie & leviter, ut ſæpe fieri ſolet, ad dimidiam pœnitentiam aſpirent. Jubet ergo attente reſpicere quam gravi ruina ſe projecerint ad ipſos inferos, ut ſibi pro malòrum atrocitate diſpliceant. Primum obſervandum eſt, Prophetam crimen populi non extenuare: eos enim qui ad Dominum revocandi ſunt, ſenſu peccati ſui graviter percelli neceſſe eſt. nam procul abſunt ab obtinenda venia qui ſibi in vitiis blandiuntur. Nihil ergo melius quam ſi atrocitas mali detegatur, ubi medicina adhibenda eſt. Interea ne animi ad deſperationem ſollicitentur, propoſita Dei miſericordia erigendi atque ſublevandi ſunt. nihil enim aliud molitur Satan, quam ut nobis ſpem veniæ univerſam præcludat. Ideo admonet Deum, tametſi ad inferos uſque ipſi ſeſe demerſerint malitia ſua, paratum fore ad ignoſcendum. nec enim fruſtra nos Dominus ad pœnitentiam invitat: ſed veniam ſimul offert. unde *Eze. 18. verſ. 21.* etiam Scriptura hujuſmodi exhortationibus promiſſiones gratiæ ſimul adjungit, ut quoties ad pœnitentiam invitamur, ſimul veniæ ſpem nobis propoſitam eſſe intelligamus. Ubi vertimus, *profundam feciſtis*, verbum עמק, quod ſignificat Profundum eſſe, alii exponunt Multiplicare, ut ſit translatio ſumpta ab acervis, Quemadmodum cumulaſtis peccata veſtra, ita nunc revertimini. Sed prior expoſitio mihi magis placet. סרה Defectionem ſignificat. Alii Pravitatem hic exponunt, ſed melius convenit nomen defectionis. Itaque invitat ipſos Propheta, ut ad Dominum redeant. *Filios Iſraël* vocat, non honoris cauſa, ſed exprobrans eis ingratitudinem ſuam. Erant enim filii degeneres, qui à fide & obedientia Patrum defecerant. hic ergo titulus continet obliquam exprobrationem. Interea ſignificat, Dominum fœderis quod cum Patribus inierat, minime oblitum eſſe, tametſi ab eo ſua ſe perfidia alienaſſent. Teſtatur enim fore ut agnoſcat eos pro filiis Iſraël, atque præſtet ea quæ promiſerat Abrahæ cæteriſque Patribus, ſi ad ipſum ex animo converſi fuerint.

7. *Quoniam in die illa.*] Perſequitur id quod proximo verſu inceperat. Hoc tamen eſt diſcriminis: quod priore verſu ad pœnitentiam hortatus eſt, nunc autem fructus pœnitentiæ oſtendit. quam docendi rationem Scripturis uſitatam eſſe ſcimus. Nam quum intus per ſe lateat pœnitentia, atque radicem in corde habeat, dehinc ab effectu & operibus demonſtranda eſt, quemadmodum arbor inſitam bonitatem oſtendit ex fructibus. Itaque pœnitentiam ab operibus deſignat. Quod autem de *idolis* tantum loquitur, ſynecdoche eſt admodum frequens Scripturis. nec enim dubium quin de tota hominis converſione concionari voluerit: ſed quia longum fuiſſet omnes ſpecies enumerare, ſub una reliquas etiam comprehendit. Initium autem pœnitentiæ eſt ut cor mutetur: deinde ad externos fructus, id eſt, ad opera veniendum. Notandum eſt præcipue conſilium Prophetæ, cur de pœnitentia concionetur: quia ſcilicet Dominus propinquam ſalutem promiſerat. Ejus ut ſint capaces, ad pœnitentiam ipſos adhortatur. Unde notandum eſt, nos obſiſtere Deo malitia noſtra, quum ſcelerati eſſe pergimus, atque ita impedire ejus gratiam quominus nobis opem ferat. Ut ergo locus pateat auxilio Dei, hoc à nobis poſtulat ut reſipiſcamus. *Idola argenti* & auri, ut ante viſum eſt, nominat: quia ſerio peccati ſui *cap. 2. verſ. 20.* dolore tanguntur quicunque vere reſipiſcunt, ut nequeant veſtigia ſuperſtitionum ſuarum, in quibus dedecus Dei ſummum impreſſum eſt, ſine ſummo horrore inſpicere. Ea ergo deteſtantur, neque auri aut argenti jacturam verentur, ut converſionem ſuam & fidem teſtatam faciant. Nullis enim ſumptibus parcit qui vere ſuperſtitionibus renunciavit, ut purum Dei cultum profiteatur. Idque ſignificare voluit Propheta, quum aurum & argentum potius quam ligna & lapides nominavit. Felix autem eſt jactura vel pretioſiſſimæ cujuslibet rei, quum ab inquinamentis tam nefariis & ſceleſtis repurgamur. Ea qui retinent, tametſi Chriſtianos ſe profiteantur, tamen oſtendunt ſe ſuperſtitionum reliquiis implicitos: unde apparet eorum animos nondum vere & ad liquidum reformatos eſſe. Hic nullæ audiendæ ſunt excuſationes, quales ſæpius audiuntur ab hypocritis qui plane idolorum cultui nequeunt renunciare, Quid facerem? unde viverem? Scio hos proventus, aurum hoc, quoniam ex idololatria manat, res coram Deo deteſtandas eſſe, ſed vita alicunde ſuſtinenda eſt. Faceſſant, inquam, ejuſmodi ineptiæ. quoniam ubi vera eſt animi converſio, ſtatim abjicitur id quod ſine dedecore aut ignominia Dei retineri non poteſt. *Quæ fecerunt manus veſtræ.* Urget eos Propheta, ut peccatum ſuum melius agnoſcant. Homines enim quum accuſantur, alio culpam derivare ſolent, nec libenter in ſe recipiunt aut agnoſcunt in ſe hærere: quemadmodum vulgus hominum libenter accuſat ſacrificos, ſed nemo eſt qui velit agnoſcere reatum ſuum. Revocat igitur ipſos Propheta ad ſuas manus, ut tanti criminis auctores ſeipſos fuiſſe intelligant. Interea admonet quam fallaciter illos deceperit ſua incredulitas, quod ipſi deos ſibi fabricaverint. unde colligendum eſt repudiari à Deo quicquid ex nobis comminiſcimur, nec poſſe cenſeri probum cultum, cujus ipſi ſumus auctores. *Peccatum* appellative accipio: acſi diceret, Quoties inſpicitis idola, crimen veſtrum inſpicite, agnoſcite ſigna perfidiæ & defectionis. quod ſi vere ad Deum eſtis converſi: id reipſa, id eſt, abjectis idolis & ſuperſtitionibus valere juſſis oſtendite. hic enim verus erit fructus converſionis.

8. *Tunc cadet.*] Copulam ו melius reſolvemus in adverbium temporis: Tunc cadet Aſſur: id eſt, Ubi converſi fueritis ad Dominum, & veram pœnitentiam teſtabitur vita veſtra, tunc hoſtis corruet. nam ſicuti excitatus fuerat à Domino Aſſyrius ad ulciſcenda Judæorum ſcelera, ac præſertim idololatriam, ita promittit fore ut concidat, ubi peccare & idola colere deſierint. Hinc admonet obſtinationem noſtram in cauſa eſſe ut Dominus mala malis adjungat,

atque

atque plagas ingeminet, noſque magis ac magis perſequatur. nam ſubinde novam materiam ſuggerimus, quæ vindictam ejus in nos magis magiſque inflammet. Ergo ſi mitigari flagella Dei, ſi deſinere hoſtes ac corruere velimus, ſtudeamus reſipiſcendo cum eo in gratiam redire: quia mox finem faciet affligendi, atque hoſtibus nocendi vim & poteſtatem eripiet. Ubi dicitur *gladio non viri*, ſignificat Propheta liberationem Eccleſiæ proprium Dei opus eſſe, ut intelligant Judæi, quamvis nihil opis ex terra appareat, Deo intrinſecam ſuam virtutem ſufficere ad eos redimendos. Si ergo franguntur hoſtes, ſi furor eorum compeſcitur, ſciamus hoc à Domino proficiſci. Impiorum quidem vim atque impetum retundit variis modis, verum ſola manu ſua Eccleſiam liberat. nam ſic per humana media agit Dominus, ut mirabiliter atque inuſitatis rationibus ſuos conſervet: quod ab initio mundi obſervare licuit, atque nunc etiam niſi oculi nobis deſint, contemplari facile licet. Nec vero id obſtat, quominus miniſtros ad liberandam Eccleſiam adhibeat Dominus, ſed ita adhibet, ut manus ipſius in eo præſertim reluceat. Hoc Jeſaiæ vaticinium impletum eſſe ſcimus, quum deletus eſt exercitus Aſſyriorum, & Sennacherib in fugam ſe dedit. nec enim viri manu deletus eſt, ſed conſpicuam fecit Dominus virtutem ſuam, ut eum ſolum Eccleſiæ ſuæ liberatorem eſſe appareret. Quod autem Jeroſolymam ab obſidione tunc liberavit Deus, in eo ſpiritualem redemptionem ſub quadam imagine adumbravit. Solus ergo ſpirituales hoſtes conficiet. Fruſtra alia auxilia aut remedia accerſemus, aut innitemur noſtræ virtuti, quæ nulla eſt: tantum Deo duce & opem ferente victores evademus. *Juvenes ejus.* ſignificat tantam fore Domini potentiam in Aſſyrios ut juvenum animi, qui feroces alioqui eſſe ſolent, emolleſcant penitus atque liqueſiant inſtar ceræ. nam juvenes quo minus experientiæ habent quam ſenes, eo magis fervent, atque audaciores ſunt. Dominus talem ferociam facile comprimet, ubi volet ſuos ab hoſtium manibus liberare. Hac de cauſa Jeſaias juvenes potiſſimum nominavit: acſi dixiſſet vel florem, vel robur.

2 Reg. 19. verſ. 35. infr. 37 verſ. 36.

9. *In arcem ſuam præ formidine.*] Nunc loquitur de ipſo Sennacherib, quod expavefactus ſeſe recipiet turpi & ignominioſa fuga in *arcem ſuam* Ninivem, quaſi in nidum ſuum. Addit *Duces ejus*, quorum munus eſt reliquos milites animare, adeo fore trepidos ut manus conſerere aut conflictum expectare non audeant, refugiant vexillum. Tandem pronunciat in hoc promulgando edicto ſe Dei præconem eſſe, ne de eventu ſuo more diſceptent vel ambigant Judæi, vel poſtea hujus tanti beneficii obliviſcantur, ac ipſum Fortunæ acceptum ferant. In fine verſus ſi legere placeat, ut alii reddunt, Cujus ignis eſt in Sion, ſenſus erit, Deo ſuppetere igneam virtutem ad hoſtes vorandos. puto tamen relativum אשר redundare: vel in nominativo vertendum eſſe, quia ſcite vocatur Deus ignis reſpectu Aſſyrii, quem conſumet. Quod *ignem* nominat, ſunt qui ad ſacrificia referunt: ſed parum firma & nimis coacta mihi videtur ejuſmodi interpretatio. Ego non dubito quin dicat vel Domino ignem eſſe ad conſumendum Aſſyrium, vel Deum ipſum eſſe inſtar ignis, ut tacite Aſſyrium ſtipulæ comparet. atque hunc ignem in *Sion* & *Jeruſalem* accendi & foveri dicit, id eſt, in medio populi ſui, ut ſignificet impios non impune perſequi Eccleſiam Dei: quia ſentient ipſum aliquando judicem, & experientur adeſſe ſuis, quos omni auxilio deſtitutos eſſe exiſtimabant. Summa eſt, vindictam adverſus impios qui Eccleſiæ moleſti eſſe non deſierunt, paratam eſſe, nec tantum ſui, ſed & ſuorum vindicem Dominum fore. Fruamur ergo iſta conſolatione & quamvis nudi, & ad quodlibet diſcrimen expoſiti videamur, Dominum tamen adverſariis noſtris ignem fore certo perſuaſi ſimus.

2 Reg. 19. verſ. 36.

CAP. XXXII.

ECce in juſtitia regnabit Rex: & Principes in judicio præerunt.

2. Et erit ille vir velut latibulum à vento: receptus ab imbre: rivi aquarum in terra arida: umbra magnæ rupis in terra laborioſa.

3. Tunc non oblinentur oculi videntium, & aures audientium auſcultabunt.

4. Et cor ſtultorum intentum erit ad ſcientiam, & lingua balborum expedita erit ad loquendum diſerte.

5. Non vocabitur amplius ſordidus liberalis: neque parcus dicetur largus.

6. Quoniam ſordidus loquetur ſordes, & cor ejus machinabitur iniquitatem, ad deſignandam pravitatem, ut proferat ſubſannationem contra Jehovam, exinaniat animam famelicam, & potum ſitienti ſubtrahat.

7. Avari * arma ſunt mala: ipſe pravitates excogitat, ut circumveniat ſimplices verbis mendacibus, & loquatur contra pauperem in judicio.

* vel, menſura ſunt mala.

8. At liberalis liberalia agitabit, & liberaliter agendo progredietur.

9. Mulieres quietæ ſurgite: audite vocem meam filiæ confidentes, auſcultate ſermonem meum.

10. Dies ſuper annum expaveſcetis confidentes: quia deficiet vindemia, & collectio non veniet.

11. Contremiſcite quietæ, trepidate confidentes, ſpoliate, nudate, accingite lumbos.

12. Super ubera plangentes, ſuper agros deſideratos, ſuper vitem frugiferam.

13. Super terram populi mei aſcendet ſpina & vepris: etiam ſuper omnes domos lætitiæ in urbe exultationis.

14. Quoniam palatium deſertum, ſtrepitus urbis relictus, turris & propugnaculum redigentur in ſpeluncas in perpetuum, ubi gaudeant onagri, & paſcantur greges.

15. Donec ſuper nos effundatur Spiritus ex alto, & ponatur deſertum in agrum cultum, & ager cultus inſtar ſylvæ reputetur.

16. Et habitabit in deſerto judicium, & juſtitia in agro culto ſedebit.

17. Et erit opus juſtitiæ, pax: effectus, inquam, juſtitiæ, ſecuritas & quies in perpetuum.

18. Et ſedebit populus meus in tabernaculo pacis, & in manſionibus ſecuris, & in refrigeriis quietis.
19. Et grando in ſylvam deſcenſu divertet, & in loco humili conſidet civitas.
20. Beati vos qui ſeritis ſuper omnes aquas, qui immittitis pedem bovis & aſini.

ECce in juſtitia.] Significat Deum adhuc propitium fore Eccleſiæ ſuæ, ut eam in integrum reſtituat. hæc autem optima ejus inſtaurandæ ratio eſt, quum recta inſtituitur politia, ac recte & ordine omnia adminiſtrantur. Hoc vaticinium ad Ezechiam & ejus regnum pertinere dubium non eſt, ſub quo in priſtinum nitorem reſtituta eſt ac reformata Eccleſia: prius enim miſere diſſipata erat. Achaz impius & flagitioſus hypocrita, omnia pro ſceleſta libidine ſua corruperat, omnemque everterat politiæ & religionis ſtatum. Alium igitur Regem, nempe Ezechiam, promittit, cujus virtute & juſtitia res ita everſæ ac peſſundatæ erigantur. Felicem denique Eccleſiæ ſtatum hic nobis velut in tabula depingit: qui quum ſine Chriſto eſſe non poſſit, haud dubie hæc ad Chriſtum referri debent, cujus etiam Ezechias typum geſſit, atque ipſius regnum adumbravit. *Juſtitiæ & judicii* meminit vulgari more Scripturæ, quæ his nominibus rectam adminiſtrationem deſignat. nam per Juſtitiam æquitas & moderatio ſignificatur: per Judicium, pars illa æquitatis qua aſſeruntur boni, & vindicantur ab injuria improborum. Certum eſt quidem boni Principis munus patere latius quam ad judicium & juſtitiam: debet enim potiſſimum honorem Dei & religionem tueri: ſed hic Scripturæ mos uſitatus eſt, ut ab operibus ſecundæ Tabulæ totam Legis obſervationem deſignet. nam ſi abſtinemus ab injuria: ſi eos qui ab aliis opprimuntur, quantum in nobis eſt, juvamus: ſi denique charitatem colimus, ſpecimen damus timoris Dei, à quo fructus ejuſmodi naſcuntur ac prodeunt. A parte igitur totum deſignavit Propheta. Jam non abs re *Proceres* etiam adjungit: quia bonum Principem eſſe non ſufficeret, niſi miniſtri & conſiliarii probi ei adeſſent. Sæpe enim ſub bonis Principibus peſſime habuit populus. quemadmodum legimus de Nerva, ſub quo omnia licebant, ut deterior ſub ipſo quam ſub Nerone multorum conditio foret: quia diſſoluta unius ſegnities multis improbis licentiæ cauſa erat. Adjungendi ſunt igitur Regi boni gubernatores, qui vice oculorum & manuum fungantur, eumque in recta adminiſtratione juvent. Hoc niſi fiat, nunquam adeo bonus Rex promovere poterit, quin tantundem aut eo plus alii retardent. niſi hæc ſit in principatu velut in fidibus harmonia, ſalutaris rerum adminiſtratio eſſe non poteſt. Atque hic audiendum eſt conſilium Jethro Moſem generum ſuum monentis, ut viros fortes, timentes Deum, veraces, ac minime avaros ſibi adjungeret: atque tales Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos ſtatueret. At hodie lenones & libidinum adminiſtri, paraſiti & aſſentatores à Regibus evehuntur, atque his velut juſta aſſentationis aut turpis obſequii merces, honorum & dignitatis gradus aſſignantur. Nec vero mirum ſi ubique terrarum fere convulſas reſpubl., everſos ordines, omnemque rectam adminiſtrationem rejectam ac ſummotam videmus. quia hæc juſta ſcelerum noſtrorum ultio eſt: talibus enim rectoribus digni ſumus, qui Deum nobis imperare non patimur. Hoc ſingulari Dei beneficio quî fruentur vel palam rebelles & profani, vel perverſi hypocritæ qui Deum à ſe rejiciunt, nec jugum Chriſti ferre poſſunt, per quem hæc felicitas & labentis Eccleſiæ inſtauratio promittitur?

2 Reg. 16 verſ. 2, 3.

Exod. 18. verſ. 21.

2. *Et erit ille vir.*] Quantum momenti poſitum ſit in regimine bene conſtituto, ſatis oſtendit his verbis, dum vocat hunc Regem *latibulum à vento, receptum ab imbre.* neque enim tam præclare cum genere humano unquam agitur, ut ſponte ab omni injuſta violentia ſinguli abſtineant, ac ſine freno compoſiti ſint eorum affectus. Quia igitur pleroſque ſua libido & intemperantia ad injurias impellit ac rapit, ultro citroque ſeſe aſſidue turbarent homines, niſi remedium in legibus & judiciis paratum foret: ſed quia plerique tyrannice dominando tumultus excitant potius quam ſedant, hoc elogio ſpeciali non temere pius Rex ornatur. Quod ſi vere dictum fuit de Ezechia, multo magis de Chriſto, ad quem optimum ac potius unicum refugium habemus in his procellis, quibus nos agitari neceſſe eſt quamdiu in hoc mundo verſamur. Quoties ergo torremur gravi æſtu, ſub ejus umbram nos recipere diſcamus: quoties nos agitant procellæ, atque undarum impetu obrui videmur, ad eum velut in tutiſſimum portum confugere: facile ſedabit omnes tempeſtates, & quæ collapſa erunt & diſſipata in integrum reſtituet.

3. & 4. *Tunc non oblinentur.*] Hinc melius perſpicimus ſic regnum Ezechiæ deſcribi à Propheta, ut nos ducere longius velit. nam hic tractat de inſtauratione Eccleſiæ: quæ per Ezechiam quidem adumbrata, ſed in Chriſto vere impleta eſt. Scimus Eccleſiam nunquam bene habere, niſi intus præſint moderatores juſti ac prudentes. Id autem, niſi regnet Chriſtus, fieri non poteſt. Ergo Chriſtus & ejus regnum nobis hic unice commendantur. Opponitur autem hæc promiſſio horrendæ comminationi, qua ſuperiore capite ſe excæcaturum Judæos edixerat. Hic enim contra pollicetur veram lucem, ut qui prius cæci fuerant illuminentur, ſurdi vero audire incipiant, ſtulti intelligant, balbi loquantur. *Videntes* autem & *audientes* vocat, qui videre & audire debuiſſent, quum iis verbum Dei proponeretur: ſed cæci ac ſurdi eſſe maluerant, menteſque & animos averterant à doctrina. His oculos, aures, linguam, & intelligentiam ſe redditurum Dominus promittit. Certum eſt autem nihil hic promitti, quod ex Dei gratia non proficiſcatur: nec enim ſimpliciter pronunciat quid facturi ſint homines, ſed quid facturus ſit Deus ipſe in hominibus. Hæc enim ſingularia Dei dona ſunt: ſicuti è diverſo, quum excæcat, quum intelligentiam adimit & rectum uſum loquendi, quum ignorantiam & barbariem graſſari ſinit, pœnæ ſunt horrendæ quibus ingratitudinem hominum ulciſcitur & contemptum Verbi. Quæ ergo ipſis merito ademerit Dominus, promittit fore ut tandem populi ſui miſertus reſtituat: idque beneficio Chriſti, à quo nobis & lingua ad loquendum, & mens ad intelligendum, & aures ad audiendum reſtitui oportet, quum antea hebetes, & horrendo ſtupore percuſſi eſſemus. Sciamus ergo extra Chriſtum nihil eſſe ſpiritualis vitæ in mundo, quia viſu, auditu, rectaque intelligentia, & recte loquendi uſu hic privantur omnes, donec in unum corpus ſub ipſo coaluerint. unde ſequitur, everſo Chriſti regno, ſimul hæc beneficia adimi. Obſervandum etiam hic beneficia commendari quæ præ aliis eximia atque optanda ſunt. nam opes & divitiæ, cæteraque omnia quibus vulgo homines beatam vitam æſtimant, præ his nihili facienda ſunt. Infelices erimus in abundantia rerum omnium & copia, niſi reſtituat nobis Dominus ſpiritualia bona de quibus hic Propheta concionatur. His ergo ſublatis, Chriſtum ſimul à nobis abeſſe, & nos ab eo alienos ſciamus: quando non niſi ab ipſo uno quidquid eſt ſpiritualium benedictionum fluit, ſicuti docet Paulus 1. ad Epheſ.

ſupr. 31. verſ. 2.

Epheſ. 1. verſ. 3.

Epheſ. cap. Quum autem nobis jam longo tempore adempta hæc bona hodie reſtituta eſſe videmus, pudeat nos ingratitudinis noſtræ, quod eam gloriam, quam decebat, non reddimus Chriſto: nec intelligentiam, quam dedit ad propagandum ejus regnum & promovendum ejus cultum, conferimus: nam oſtendimus plane ipſum in nos regnum minime obtinere. Porro quia ſtulti, præcipites & temerarii eſſe ſolent, ideo Feſtinationem Hebræi pro ſtultitia accipiunt. nam prudentes ſolent eſſe moderati.

5. *Non vocabitur amplius.*] Significat Propheta ſic omnia reſtitutum iri in ſuum ordinem, ut vitia non habeantur, ſicuti antea, pro virtutibus. nam ubi perverſa adminiſtratio eſt, regnant avari, in pretio ſunt & honore, quia virtus æſtimatur ab opibus & potentia: pauper ubique contemnitur, etiamſi probus ſit, frugi, & quantum in ſe eſt liberalis. denique perturbata & confuſa ſunt in ejuſmodi ſtatu omnia. At recta politia ejuſmodi fucos & larvas facile detegit: nam ubi in pretio eſt virtus, ſtatim vitia deteguntur. Bonis etiam permittitur major libertas ad cohibendam eorum proterviam qui fas omne & jus ſub pedibus ante calcabant. Porro quum hic Propheta de Eccleſiæ ſtatu & reformatione loquatur, quæ ſpiritualis politia eſt, altius paulo erigendæ ſunt mentes, ut ad Chriſtum hæc omnia referamus: cui proprium ac peculiaré eſt, occulta vitia detegere, involucra tollere & vela, quæ ſpeciem vitiorum immutant ut pro virtutibus laudentur. Hoc per
Luc. 2: 35. Euangelium facit, quo in lucem profert quæ prius latebant dedecora, & qualia ſint palam exhibet: ut externa ſpecie nemo, niſi ſponte, falli queat. Atque hæc cauſa eſt, cur tam odioſum ſit mundo Euangelium. nemo enim æquo animo patitur occultas cogitationes ſuas & latentem turpitudinem in medium proferri. Philoſophi quidem præclare de avaritia & liberalitate diſputant, & quantum inter eas diſcriminis ſit quodammodo oſtendunt: ſed nunquam in animos penetrant, ut eos perſcrutentur, ac vere inter avarum & liberalem diſcernant. hoc ſolo Chriſti lumine effici poteſt, ubi per Euangelium illucet, atque intimos receſſus cordis humani percontando ad ſpirituale & interius obſequium nos cogit. Revocamur ergo hic ad tribunal Chriſti, qui detecta hypocriſi ſolus patefacit an avari, an liberales ſimus.

6. *Quoniam ſordidus ſordes.*] Poſſemus etiam vertere, Impius impia loquetur, נבלה enim fœditatem aut ſcelus quodlibet ſignificat, quod vulgo dicimus, *Laſcheté.* Poſſet etiam verti, Stultus loquetur nequitiam. atque ita alluſio eſſet in vocibus נבל & נבלה: ſenſus autem multum differret. Sed quum ſuperiore verſu de ſordidis loquens hoc vocabulo uſus ſit, libentius eam interpretationem ſequor. און pro Impietate accipio. nam de continua peccandi, & inique agendi licentia agit, ut ea quæ ſequuntur ſatis oſtendunt. quia invehitur adverſus impios, qui ſe proſtituunt in omne ſcelus; nec ullo conſcientiæ ſenſu tanguntur: rident omnes monitiones, Deumque & ſervos ejus ſubſannant. Hos etiam pertrahit in lucem Chriſtus, & quæ ſub integumentis latebant, detegit. cujus proprie, ut diximus, ſunt partes,
Hebr. 4. verſ. 12. Euangelii gladio penetrare abſconditos cordium affectus, ut Dei udicio reſpondeant. Idem igitur argumentum perſequitur, quod prius [illegible]ctare cœperat Jeſaias. Alii ſecus exponunt: ſed parum apte, ut mihi videtur. putant enim quaſi proverbialem eſſe ſententiam, atque in præſenti tempore accipiunt, Sordidus ſordes loquitur. Sed majus aliquid Prophetam ſignificare arbitror: nempe Chriſtum, ſicuti judex eſt mundi, ita conſcenſurum tribunal, ut oſtendat qualis uniuſcujuſque animus ſit. Nam quamdiu non exercet officium judicis, omnia manent confuſa, laudantur impii, quod piorum ſpeciem præ ſe ferant: optimus quiſque ſpernitur. at Chriſtus vitam uniuſcujuſque in medium producet, ut appareat nequitia quæ prius ſub aliquo prætextu ſplendebat. Ideoque ventilabrum dicitur eſſe in *Mat. 3. verſ. 12.* manu ejus, quo grana à paleis ſecernat. Hoc autem eſt Euangelium, quo tanquam judex maleficos adhibet in quæſtionem, atque invitis ſcelera & maleficia extorquet. quod in dies magis ac magis experimur, dum detegitur impietas quæ ſub larva Papatus, & miris ſuperſtitionum involucris occulta erat. Quis vero unquam in illis tenebris exiſtimaſſet tam horrenda monſtra in animis hominum latere, qualia hodie proferuntur? Tantus enim emerſit contemptus Dei, ut plerique belluis ſimiliores ſe quam hominibus eſſe oſtendant. Calumniantur interim nos Papiſtæ, quaſi noſtra doctrina laxaverimus frena hominibus, & invexerimus contemptum Dei, ut ſine metu & pudore laſciviant. Audiant vero Jeſaiam qui reſpondet, ubi innotuerit Dei veritas, ſordidos ſordida, impios impia & nefaria loquuturos: & certe non aliter ſpiritualis judex eſſet Chriſtus, niſi arca- *Luc. 2. verſ. 35.* nas mentis cogitationes patefaceret, ac occultiſſima quæque in medium proferret. Ludibriis autem quæ jaciunt in Deum reprobi, adjungitur crudelitas, quod *animam famelicam defraudent*: ubi Propheta quæ adverſus ſecundam Tabulam pugnant opera ſuo ordine recenſet. Initium faciunt impii à contemptu Dei: deinde ad externa ſcelera proſiliunt: crudelitatem omne genus exercent in proximos. hæc autem atrociſſima & extrema omnium eſt, victum animæ famelicæ ſubripere, & potum ſitienti. Solus enim naturæ ſenſus nos ad miſericordiam & συμπάθειαν commovet. Ubi vero ita efferati ſunt homines ut aliena miſeria non tangantur, omnemque humanitatis ſenſum exuant, beſtiis ipſis deteriores eſſe oportet, quæ quodammodo ſui ſimilium inopiæ condoleſcunt.

7. *Avari arma ſunt mala.*] Semper retinendum eſt futurum tempus, quia non diſputat quales ſint avari, ſed patefaciendos ſub Chriſto ſignificat, ne amplius fallant, aut imponant. Loquitur enim de cæleſti luce quæ exoritura erat, ut occultas impietates detegeret, ſicuti jam dictum eſt. Chriſtus ergo oſtendit quales ſint avari, & quam pernicioſis inſtructi ſint artibus. כלי, ſi quis Menſuras interpretari malit, non repugno: ſed Armorum nomen melius quadrat & latius patet. nam inſtrumenta omnis generis comprehendit. Omnis igitur generis artes, aſtus & fraudes intelligit, quibus avari ſimplices homines & incautos in ſuas naſſas impellunt. Sequitur cauſæ redditio, quia machinari non deſinunt aliquid noxæ. Certum eſt hic deſcribi pravorum hominum mores, qui commoda tantum ſua & quæſtum curant, & ſemper ad fallendum & circumveniendum intenti ſunt. Hi cum ſuis fraudibus & technis à Chriſto in lucem protrahuntur. Aliis quoque circumſtantiis amplificat indignitatem hujus ſceleris. Indignius enim & atrocius eſt circumvenire ſimplices, qui ſibi cavere non poſſunt, quam aſtutos & veteratores: deinde fallacibus illecebris ſub amicitiæ prætextu: tertio pauperes, quorum inopiæ potius ſuccurrendum erat: quarto inſidias tendere in medio judicio. Hoc enim ſceleratius eſt, quam ſi quis hominem aperta vi adoriatur. quandoquidem judicium debet eſſe aſylum pauperum: quid ergo accidet, ſi ex eo latrocinium aut ſpoliarium fiat? Nam viæ à latronibus obſeſſæ, & inſidiæ aliqua ratione vitari poſſunt: at judiciorum fraudes nullo modo. Hæ igitur circumſtantiæ diligenter notandæ ſunt.

8. *At liberalis.*] Diximus antea has Prophetæ ſententias ſubtiliores eſſe quam vulgo putant. nec enim loquitur vulgari more, ſed de reformatione Eccleſiæ diſſerit. Hoc igitur ad regeneratos pertinet, in quos regnum obtinet Chriſtus. quia etſi voce Euangelii vocentur omnes, pauci tamen illius jugo ſubjici ſe patiuntur. Hos vere liberales & benefi-

cos efficit Dominus, ne amplius quærant ſua còmmoda, ſed opem egeno ferre parati ſint. non ut ſemel tantum aut aliquoties id faciant, ſed in dies magis ac magis in liberalitate & beneficentia progrediantur. Vulgo aliter exponitur hic locus: nempe quod liberales rectis officiis ſeſe promovent, & magni evadunt: quia Deus ipſos remuneratur, majoribuſque beneficiis cumulat. Quæ ſententia prima facie arridet: ſed potius docet Propheta liberales nunquam facturos finem largiendi, quoniam majores facient in dies progreſſus, eademque agitabunt conſilia, & conſtanter in eq animum ſuum obfirmabunt: ſicuti in Pſalmo dicitur, Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum. Hoc autem ideo additum eſt, quod facile ſit ad aliquod tempus liberalitatem ſimulare: multi etiam ſe ex animo liberales putant, quum aliquid largiti fuerint, ſed deſinunt protinus, atque inſtitutum mutant. Vera autem liberalitas momentanea aut temporaria non eſt. perſeverant conſtanter qui ea ſunt virtute præditi, non repentino quodam ac levi ardore ſeſe effundunt, cujus paulo poſt e s pœniteat. Idque exprimere voluit Propheta dictionē קום, quæ ſurgere & creſcere ſignificat. Multa quidem accidunt quæ liberalitatis noſtræ curſum abrumpant. miram in hominibus ingratitudinem experimur, ut quicquid damus, male locatum eſſe videatur. Multi nimis cupide ad ſe rapiunt, & inſtar hirudinum ſugunt alienum ſanguinem. Sed meminerimus hujus ſententiæ, & Paulum audiamus monentem, ne bene agendo defatigemur. nec enim hortatur nos Dominus ad momentaneam liberalitatem, ſed quæ toto vitæ noſtræ curſu duret.

Pſal. 112. verſ. 9. 2 Cor. 9. verſ. 9.

Gal. 6: 9.

9. *Mulieres.*] Hæc prioribus cohærere non videntur. Nam prius de inſtauranda Eccleſia loquutus eſt, nunc autem denunciat inſtare judicium Dei contra populum, opibus & deliciis ſecure vacantem. Ideoque probabile eſt Jeſaiam ſeorſum hic novum ſermonem ordiri. Quanquam abſurdum non erit proximo vaticinio contexere: quia Prophetæ hunc ordinem tenere ſolent, poſtquam fidelibus polliciti ſunt gratiam Dei, ſimul ſermonem ſuum ad hypocritas convertunt, ut ſignificent miſericordiam quam piis Dominus promittit, nihil illis profuturam, ac nihilominus pœnas ſcelerum ſuorum daturos eſſe. Quod autem *mulieres* potiſſimum compellat, Hebræi (ut eorum linguæ hæc ſignificatio uſitata eſt) intelligunt urbes: ſed figuratum hic ſermonem eſſe non puto, ac potius retineo ſimplicitatem verborum. Mulieres autem potius quam viros compellat, ut oſtendat quanta futura ſit clades. parcitur enim alioqui mulieribus & puellis, quod imbelles ſint, neque ſui defendendi poteſtatem habeant: tam immane vero excidium hoc fore dicit, ut nemini parcatur. Nominatim etiam *otioſas* nominat, quæ aliis delicatiores eſſe ſolent. hæ quum divites & opulentæ ſint, aliquo modo ſibi conſulunt, ſeque eripiunt è calamitatibus, etiam quum vulgus extrema quæque patitur: ſed iis præcipue ſignificat Jeſaias ſurgendum ac tremendum eſſe. Hanc vero perturbationem opponit quieti & deliciis quibus in otio fruebantur. *Surgere* enim jubet, ut intelligant haud jam quieſcendi tempus eſſe: Dominum ipſos ex otio & torpore ſuo excitaturum. Ubi ſequitur, *Audite vocem meam filiæ:* Filias ſimiliter interpretantur Rabbini pagos aut minores urbes: ſed ego ſimplicius, ut jam dixi, accipiendum puto. Oſtendit autem unde hic terror, unde ea vis orietur, quæ eas ſurgere ac tremere coget: nempe ex judicio Dei. ſed Vocis meminit, ut ſciant hanc prophetiam non fore inanem: quia bellum ipſis denunciat juſſu Dei. Quam efficax hic ſermo, inquit, & quam vim habeat ad vos excitandos, aliquando reipſa ſentietis. Porro toties otium, ſecuritatem, & delicias illis exprobrat, non ſolum quia longe moleſtius erit quietis aſpere experieſieri, ſed quia vix fieri poteſt in hac naturæ humanæ corruptela & pravitate, quin pigritiem contrahat mundus ex quiete & rebus proſperis: deinde ſenſim delapſus ad ſocordiam, falſa imaginatione ſeſe decipiat, & procul à ſe repellat omnes metus: fretus etiam hac confidentia, petulanter in Deum inſurgat.

10. *Dies ſuper annum.*] Significat his verbis calamitatem diuturnam fore. nec enim leve alioqui ſolatium eſt in malis, quum ſtatim prætereunt quæ nobis alioqui non ſine triſtitia & dolore ſuſtinenda ſunt: at quum nullus finis, nulla dolorum allevatio, nulla conſolatio aut liberationis promiſſio affertur, quid præter deſperationem ſupereſſe poteſt? Denunciat igitur ipſas non tantum paſſuras uno anno, ſed & novas deinceps ærumnas expectandas eſſe. Porro *Contremiſcendi* verbo pungit oblique earum torporem, ſignificans tumultuoſe & cum formidine pertractum iri, quæ ad placidam doctrinam attendere gravatæ ſunt. Porro, quia rebus terrenis & caducis alimentis nimium addicti erant Judæi, ex eorum ſenſu denunciat vini & tritici penuriam. Si melius à craſſis cupiditatibus purgati fuiſſent, potius minatus eſſet quæ deplorat in ſuis Threnis Jeremias, ſacrificia & feſtos dies ceſſaſſe, ſacros conventus eſſe abolitos. ſed quia in ſuis voluptatibus demerſi nondum ita profecerant in æſtimandis ſpiritualibus bonis, ad eorum ruditatem deſcendens Propheta, ventres eorum magis quam animos compellat. Loquitur autem de agrorum vaſtitate, quæ neceſſario ex illa clade ſequuta erat. Otium enim & ſecuritas ex abundantia & copia naſci ſolet. Privabit ergo, inquit, vos Dominus omni victu, vobiſque ſocordiam iſtam excutiet, & confidentiæ materiam tollet. Proinde hic monemur rebus proſperis indormiendum non eſſe, nec concipiendam eſſe ſecuritatem, quaſi continua nos proſperitas in mundo maneret. Sed moderate utendum beneficiis Dei, niſi ſubito excitari, & incauti opprimi, & graviſſime ex inopinata rerum commutatione dolere velimus.

Thren. 1. v. 4. 7. & 2: 7.

11. *Contremiſcite.*] Repetitio hæc non ſuperflua eſt, ſed amplificat quod prius dixit. nam ubi obtorpuerunt homines, haud facile Prophetarum voce excitantur: quamobrem aſſiduis clamoribus atque objurgationibus opus eſt. Atque ita minas alias aliis addendo, vel eaſdem iterando, quantus ſit ſtupor declarat ubi ſemel proſpera fortuna homines excæcati ſunt. vix enim amplius Deum monentem audire ſuſtinent. Et certe plus hominibus periculi eſt à proſperis rebus quam ab adverſis. placent enim ſibi ſecundis rebus, ſuaque felicitate inebriantur: propterea acrius Judæis inſtare ad ejuſmodi torporem excutiendum neceſſe fuit. Hæc igitur Prophetæ exhortatio in futurum reſolvi debet: acſi diceret, Vos tandem contremiſcetis: nec enim quies hæc veſtra perpetua futura eſt. Interea ſignificat cladem quæ inſtabit, nihil aliud quam hujus prophetiæ teſtimonium fore, qua ſcilicet Dominus hæc verba haud inania fuiſſe re ipſa docebit. *Nudari & ſacco accingi* jubens, deſcribit ſpeciem lugentium. Quoties enim premebantur rebus adverſis, induti ſacco nudabant reliquas corporis partes, luctumque ſuum & habitu & geſtu, omni modo teſtabantur. Mulieribus ergo, pro deliciis & voluptatibus in quibus ſeſe volutarant, ſaccum & alia luctus inſignia indicit.

12. *Super ubera.*] Varie exponitur hic verſus, aliqui enim ſimpliciter intelligunt tantam rerum penuriem fore, ut mulieres lac ſuum perdituræ ſint, atque ita pueri in arida ubera ingemiſcant. quod quidem videmus accidere ubi ex ſumma rerum penuria macies contrahitur. Verum receptior ac convenientior ſenſus eſt, ut per *ubera* figurate agros & vineas intelligamus, quemadmodum Propheta ipſe declarat: nam merito uberibus matrum comparantur, quum ex iis victum percipientes lac vel ſanguinem terræ ſugamus. intelligit ergo alimenta & cibaria

ria defutura, quoniam Dominus terræ maledicet, ut nullas fruges producat. Ita ingemiſcent homines ob illam penuriam, tanquam in ubera matris ſuæ à qua prius delicate nutriebantur. Hic ſenſus mihi videtur ſimplicior, & contextui optime quadrat, quia exegetice interpretari convenit quæ continuo poſt ſequuntur de agris opimis, & vite fructifera.

13. *Super terram populi mei.*] Confirmat proximum verſum, & declarat ſterilitatis & inediæ cauſam fore, quod *vepris & ſpina in terram aſcendent:* id eſt, inculti, horridi & ſteriles erunt agri, qui prius fertiles & uberes eſſe ſolebant. Hæc autem ſtupenda erat rerum converſio. ſcimus enim regionem illam præ aliis frugiferam ac uberem fuiſſe, non tam natura quam benedictione Dei. Dixerat enim, Dabo vobis terram affluentem lacte & melle: hinc abundantia & foecunditas. *Terram populi* ſui vocando, anticipat quod illis alioqui excipere promptum fuiſſet, non eſſe metuendum quin terra divinitus electa annuos proventus redderet: quia tametſi Dei benignitas communiter perveniat ad totum humanum genus, peculiari tamen modo pater ac nutricius erat illius gentis. Incredibile igitur erat terram illam, quum filiis Dei eſſet deſtinata, ſpinis & dumetis obtectum iri. atque ita Judæos aſperius objurgat Propheta, quod non ſolum Dei benedictionem exinaniverint ſua malitia, ſed iram ejus accerſiverint quæ terræ nitorem deformet ac corrumpat. In medio verſu particula כי auget, tametſi nonnulli pro cauſali accipiunt, Quia in domibus eorum lætitia eſt. Sed non poteſt ſtare hic ſenſus, quoniam בתי eſt in regimine. Amplificare ergo mihi videtur hanc ſententiam, ac ſignificare non tantum in extremis terræ angulis futuram hanc vaſtitatem, ſed etiam in domibus lætitiæ, id eſt, ſplendidis & magnificis, ubi antea ſummæ deliciæ vigebant. Quum hæc diceret Propheta, minime dubium eſt quin irriſus fuerit ab ejus ſeculi hominibus. certe inter illas delicias quibus excæcati erant, minime audiebatur. Præterea inſoleſcebant ob promiſſa Dei, nec quicquam ſibi defuturum exiſtimabant. Evenerunt tamen omnia quæ prædixit Jeſaias. Quo exemplo diſcamus moderate uti rebus proſperis, ſicque pendeamus à benedictione Dei, ut pura conſcientia verbo ipſius obſequamur.

Exod. 3. v. 8, 17. & 13: 5. & 33: 3. Deut. 6. verſ. 3.

14. *Quoniam palatium.*] Hic etiam melius exprimit regionis illius vaſtitatem. nam quum ſuperiore verſu domos ſplendidas nominarit, hic etiam palatia & urbes adjungit, ut nihil omnino, quantumvis magnificum & præclarum, ab iſta clade eximi oſtendat. Videmus autem donec in cælum ſuſpiciant homines, ut proprius ſplendor illis perſtringat oculos: unde fit, ut ſuaviter in opulentia ſua ſopiti nihil metuant. Quicquid ergo ſplendidi, magnifici & excelſi erat in Judæa, urbes, palatia, propugnacula, arces, ea omnia dirutum iri ſignificat, ut in nihilum redigantur. Dicendo *in ſeculum*, rurſus admonet, ut jam prius, non fore unius diei hanc cladem, ſed quemadmodum diu obſtinati fuerant in vitiis ſuis, ita diuturnam fore. nam ſi ad breve tempus dediſſent pœnas, ut erant præfracti atque indomiti, ſtatim ad ingenium rediiſſent.

15. *Donec ſuper nos effundatur.*] Quoniam Propheta de Judæis tractat, inter quos Dominus ſtatuerat Eccleſiam ſuam, ideo reliquam ipſis ſpem ſalutis fieri oportuit, ne in tantis ærumnis deficerent. Sic enim Dominus adverſus impios, qui falſo obtendunt ejus nomen, ſeverus eſt, ut interim aliquo modo ſervet Eccleſiam ſuam. Hanc igitur promiſſionem adjungit Propheta, ut intelligerent, quamvis acerbe puniat ſuos, tamen fœderis ſui memorem ſemper eſſe. Nunquam enim ſic minatur Dominus, quin aliquem conſolationi locum relinquat, ut rebus etiam deploratiſſimis fidelium animos erigat & ſuſtentet. Cæterum, ut rite ſolatium quod ipſis afferatur guſtent, attollit eorum ſenſus ad ipſum vitæ auctorem. Et certe videmus ut rebus in melius mutatis, major pars ſeſe ingurgitet panis & vini copia. ubi autem urget eſuries, præterito Deo, terram implorant. Non abs re igitur Jeſaias ſpiritum è ſublimi venturum dicit, qui terram vegetando ejus foecunditatem renovet. nec mihi dubium eſt quin ad illam Davidis ſententiam alludat, Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Cæterum quia ſignum hoc reconciliati Dei proponit, ſimul admonet inſtaurationem Eccleſiæ manare à ſola Dei gratia, poſſeque ſterilitatem corrigi, ſimulac è cælo vigorem inſtillaverit. Nam vel momento eam exuſcitare poteſt, qui omnia creat ex nihilo, acſi prius extitiſſent. Poſterius membrum, ubi *deſertum Carmelo* comparat, varie torquent interpretes. ſed quemadmodum cap. 29. attigi, ubi ſimilis erat loquutio, ſimpliciter, meo judicio, commendat Propheta effectum illius inſtaurationis: nempe quod abundantia rerum omnium & copia teſtabitur Deum vere placatum eſſe populo ſuo. Loca enim prius deſerta inſtar Carmeli fore dicit: qui locus ferax & uber erat, unde etiam nomen accepit. Carmelum vero inſtar deſerti, id eſt, adeo feracem fore, ut ſi nunc qualis eſt, ad eum qui futurus eſt, conferatur, inſtar deſerti videri poſſit. Eſt enim amplificatio illius inſolitæ ubertatis: Agri nunc ſteriles & inculti, feraces erunt: culti vero & fertiles, adeo copioſum fructum ferent, ut eorum abundantia inopia ſit & ſterilitas præ copia quæ tunc in ipſis futura eſt. quemadmodum ſi Sabaudicos agros cum Siciliæ aut Calabriæ agris comparemus, deſertum eſſe dicemus. Denique inauditam fertilitatem ſignificat, qua, ubi cum Deo redierint in gratiam, pii fruentur, ut favorem ex beneficentia agnoſcant. Cæterum de regno Ezechiæ ſic vaticinatur Jeſaias, ut omnia in regnum Chriſti ceu finem ac complementum conferat. quum ergo ad Chriſtum ventum eſt, hæc omnia ſpiritualiter exponi debent, ut intelligamus nos renovari ſimulatque Spiritum Dominus è cælo miſit, ut ex deſertis agri culti & fertiles reddamur. Prius quam enim Dei Spiritu afflati ſimus, merito deſertis vel terræ aridæ comparamur, quum nihil præter ſpinas & vepres proferamus. nec enim ſumus apti natura ad fruges producendas. Ergo qui ſteriles & infrugiferi erant, regenerati Spiritu Dei, fructus uberes producere incipiunt: qui vero indolem aliquam & ſpeciem bonitatis præ ſe ferebant, eodem Spiritu regeniti, poſtea tam frugiferi erunt, ut eos antea inſtar deſerti fuiſſe appareat. quicquid enim habent homines, velut horrida ſylva eſt, donec à Chriſto regenerentur. Itaque dum premitur Eccleſia, & deplorata videtur illius conditio, attollamus oculos in cælum, atque ab iſtis promiſſionibus toto animo pendeamus.

Pſal. 104. verſ. 30.

ſupr. 29. verſ. 17.

16. *Et habitabit judicium in deſerto.*] Docet Propheta qualis ſit verus Eccleſiæ ſtatus: nempe, ubi juſtitia & judicium locum habent. nec enim homines pecudibus ſimiles eſſe convenit, ut victus copiam & abundantiam rerum tantummodo quærant. Atque hinc ſatis apparet non retentos fuiſſe Legis doctrina Judæos in caducis lautitiis, ut in terrena ſolum beneficia ſpes eorum defixæ eſſent, quemadmodum fanatici quidam opinantur. Hoc enim quod præcipuum erat, attendere juſſi ſunt, ut juſtitia & judicium vigeret: & proculdubio in eo veram felicitatem ſitam eſſe intellexerunt. Eo igitur nobis quoque potiſſimum ſpectandum eſt, ne beatam vitam, ut porci in hara, panis & vini abundantia metiamur. Hic enim eſt finis omnium bonorum quæ nobis largitur Dominus: huc ſpectat liberatio noſtra, ut ei, quemadmodum inquit Zacharias, in ſanctitate & juſtitia ſerviamus. Per *judicium* & *juſtitiam*, ut alibi viſum eſt, rectitudinis omne genus comprehendit. nam etſi ad æquitatem, quæ mutuo inter

Luc. 1. verſ. 75.

inter nos colenda eſt, proprie ſpectant duæ iſtæ voces: quia tamen uſu receptum eſt ab officiis ſecundæ Tabulæ totius Legis obſervationem deſcribere, hic Propheta ſynecdochice complectitur etiam pietatem & cultum Dei. Ideo autem præcipua officia charitatis, & quæ ad ſecundam Tabulam pertinent attingere ſolent Prophetæ, quoniam iis ut plurimum quemadmodum ſimus erga Deum affecti patefacimus. Jam quum in *deſerto*, perinde ut in *agris cultis* domicilium aſſignet juſtitiæ & judicio, melius hinc liquet paulo ante tantam bonorum exuperantiam fuiſſe promiſſam, cujus conſpectu reputarent homines, quos ante viderant optimos agros, fuiſſe quodammodo ſteriles.

17. & 18. *Et erit opus juſtitiæ, pax.*] Nuper pacem exagitavit, ex qua torporem & ſocordiam contraxerant Judæi: nunc diverſam quietem promittit, quæ illuſtre ſignum erit amoris Dei, qui in gratiam receptos fideliter tuebitur. Notanda igitur eſt tacita antitheſis inter belluinam quietem, quam reprobi per omne nefas graſſando acquirere ſibi videntur ſua audacia, & in qua etiam torpent: rurſus quietem diverſam, quam ſibi pie juſteque vivendo conciliant filii Dei. Ad hanc enim appetendam hortatur Jeſaias, docetque minime timendum eſſe quin placato Deo, beata, lætaque tranquillitas eos maneat. Hoc autem modo illis commendat integritatis ſtudium, quo ſibi certam pacem rediment: quia nulla eſt ratio melior conciliandi favoris, ne quis moleſtiam nobis exhibeat, quam ſi abſtinemus ab omni
1 Petr. 3. verſ. 13. maleficio, ut Petrus docet. Cæterum altius eos ducit, ut pie juſteque vivendo ſub Dei gratia ſe contineant: quando nihil magis præpoſterum, quam impios, dum aſſidue cum Deo bellantur, pacem ſibi optare. Vulgare quidem eſt votum: quia vix centeſimus quiſque reperietur, qui non plenis buccis pacem prædicet, dum interea quiſque ſibi hoſtes in terra concitat: omnes autem turmatim ſceleribus ſuis cælum terramque perturbant. Hanc vero quietem, quia perpetua eſt, cum priore illa comparat, quæ levis & momentanea eſt. Nunc dum *pax* vocatur *effectus juſtitiæ*, diſcamus quemadmodum bella oriuntur ex ira Dei, quam pravitate noſtra provocamus, ita pacem ex benedictione ipſius proficiſci. Quum igitur ad bellum inflammatos hoſtes & tumultuari adverſum nos videmus, ne aliud remedium quam reſipiſcentiæ quæramus. Dominus enim facile tumultus ſedabit, ubi ad eum fuerimus converſi. Ipſe
Pſal. 46. verſ. 10. enim eſt, ut inquit Pſaltes, qui bella ſedat uſque in extrema terræ, qui arcus conterit & truncat haſtas, & quadrigas igni exurit. Diximus prius hæc non ſolum pertinere ad Ezechiam, ſed ad Chriſtum referenda eſſe. Quemadmodum igitur juſtitiam ſpiritualem eſſe diximus quæ in cordibus hominum ſedem habet, idem de pace, ejus ſcilicet fructu, nobis di-
18. cendum eſt. Proinde quum audimus hic *quietas manſiones & refrigeria*, meminerimus ſententiæ Pauli:
Rom. 5. verſ. 1. Juſtificati fide pacem habemus apud Deum. Hanc
Joan. 14. verſ. 27. ſe diſcipulis relinquere dicens Chriſtus, negat poſſe dari à mundo. nec mirum, quia, ut alio loco docet
Phil. 4:7. idem Paulus, Hæc pax omnem exuperat ſenſum. nec enim amplius hac percepta juſtitia inquieti ſumus aut tumultuamur intus nobiſcum, ſicuti quum ex ſenſu iræ Dei mordent nos punctiones. Mala enim conſcientia ſemper turbulenta eſt, ſeque miſera anxietate exagitat. Vexari igitur impios, variiſque perturbationibus agitari neceſſe eſt: quia unde exulat juſtitia, quies iſta locum habere non poteſt: ubi autem regnat Chriſtus, illic tantum conſtat vera pax. Certiſſima ergo pace fruuntur ſoli demum fideles, quibus non modo ſua pietas, ſed fiducia miſericordiæ Dei apud cæleſte tribunal reſpondet. Unde colligimus nondum illic regnare Chriſtum, ubi inquietæ ſunt conſcientiæ, & variis dubitationum undis circumferuntur, ſicuti Papiſtis & reliquis omnibus contingere neceſſe eſt, qui in ſacrificio Chriſti, & expiatione per eum parta fundati non ſunt.

19. *Et grando.*] Prophetis diximus antehac frequentem hunc eſſe uſum, ſub figuris deſcribere regnum Chriſti. nam ſimilitudines ſuas à terreno regno mutuantur, quod alioqui inæſtimabilem bonorum theſaurum aſſequi pro noſtra ruditate vix poſſemus. Senſus eſt, Dominus avertet noxas & incommoda à ſuis, atque alio convertet. quia hic variis tempeſtatibus & procellis obnoxii ſumus: pluviæ, grandines, imbres, venti, turbines ſuſtinendi, Deum admirabili ſua providentia facturum, ut fidelibus nihil noceant, eo quod noxarum omnium impetum alio depellet. Per *ſylvas* autem intelligit loca devia & deſerta, in quibus nulla hominum frequentia eſt. Hinc monemur, ſic nos ab incommodis & periculis immunes eſſe, quum ſub tutela Chriſti ſumus, ut tamen variæ procellæ & tempeſtates capitibus noſtris ingruant. Eſt autem nobis liberator Dominus, qui mala imminentia alio divertit, aut periclitantes eripit. Jam ut iterum pacem de qua loquutus eſt confirmet, *urbes* quæ in planitie ſitæ erunt, extra metum fore dicit. nam tunc in locis editis & altioribus extruere civitates ſoliti erant, quo difficilior ad ipſas aditus eſſet. Eam vero tutelam Dei fore dicit in populum ſuum, ut ſolitis munitionibus minime opus ſit, quia civitas poterit tuto conſidere in vallibus: etiamſi excurſioni hoſtium pateat, nihil incommodi ſentiet: nam manus Domini ipſam tutabitur. Nos ergo præſidiis noſtris inniti in quærenda ſecuritate minime expedit, ne ſtatim è nido detrahamur: ſed quando curam ſalutis noſtræ ſuſcipere dignatur cæleſtis Pater, eo patrono & tutore contenti ſimus.

20. *Beati vos.*] Oſtendit quanta futura ſit mutatio, ubi Chriſtus regnare cœperit. Prius enim dixerat tantam fore vaſtitatem, ut terram ſanctam vepres & ſpinæ contegerent, diruerentur ſumptuoſæ domus, urbeſque & palatia ſolo æquarentur. Id futurum erat, quum aſſiduis hoſtium incurſionibus ea regio vaſtaretur: nunc vero beatos fore dicit, quia frugum omnium proventu eos ſaturabit Deus. ſed copiam illam quæ ſimpliciter exponi poterat, figuris illuſtrat, quod *in paludibus ſeminabunt*, & *pecora ſua* ſine timore jacturæ immittent in ſegetes. Per *aquas* nonnulli intelligunt terram uberem & feracem. ego vero ut aliter accipiam moveor particula univerſali כל: nominat quaſvis aquas. acſi diceret, Loca quæ obruebantur aquis, erunt apta ſationi; nec verendum erit ne aqua ſegetes veſtras corrumpat. Item ſolemus ab agris, præſertim conſitis, boves & aſinos, cæteraque animalia arcere, ne abſumant fruges vel eradicent. Hic vero tantam ſegetum copiam ac denſitatem fore dicit, ut boves & aſini immittendi ſint ad primam herbam depaſcendam: ſicuti luxuriantibus ſegetibus fieri ſolet. *Beatos* vocat more Hebraico, quod labor eorum inutilis futurus non ſit. Si quis excipiat ſub Regno Chriſti nunquam ejuſmodi fœcunditatem fuiſſe viſam, fateor ſane etiam quum liberaliſſime ſuos tractavit Deus, ſemper tamen apparuiſſe ejus maledictionis ſigna, qua totum humanum genus involvit lapſus & defectio Adæ. Sed Geneſ. 3. verſ. 17.
quia fidelibus per Chriſtum reddita eſt mundi hæreditas, non immerito Prophetæ terram ab eo renovandam aſſerunt, ut abſterſo ſqualore quem perdidit nitorem recuperet. Hoc vero qui queruntur nondum eſſe impletum, ſeipſos conſiderent, an omni peccati labe in ſolidum purgati ſint. Quod ſi adhuc procul abſunt à ſpirituali juſtitia, ſufficiat pro modo regenerationis guſtare Dei benedictionem, cujus non ante ſperanda eſt plenitudo, quam ubi ſordibus carnis exuti geſtabimus perfectam Dei imaginem.

CAP. XXXIII.

VÆ qui ſpolias, nec fuiſti ſpoliatus: qui inique agis, nec inique actum in te fuit.
Ubi deſieris ſpoliare, ſpoliaberis: ubi finem inique agendi feceris, inique in
te agetur.
2. Jehova miſerere noſtri, in te ſperavimus: eſto, qui fuiſti brachium eo-
rum in matutinis, etiam ſalus noſtra in tempore tribulationis.
3. A voce tumultus fugerunt populi, ab exaltatione tua diſſipatæ ſunt gentes.
4. Et colligetur præda veſtra collectione bruchorum: ſecundum diſcurſum locuſta-
rum pergens illuc.
5. Exaltatus eſt Jehova, qui habitat in excelſis. Implevit Sion judicio & juſtitia.
6. Et erit ſtabilitas temporum tuorum, fortitudo, ſalutes, ſapientia, & ſcientia, timor
Jehovæ ipſe theſaurus ejus.
7. Ecce nuncii eorum vociferabuntur foris, legati pacis amare flebunt.
8. Deſolatæ ſunt viæ, ceſſavit viator, irritum fecit fœdus, ſprevit civitates, nihil repu-
tavit hominem.
9. Luxit, emarcuit terra, pudefactus eſt Libanus, & ſucciſus: facta eſt Saron inſtar de-
ſerti: excuſſus eſt Baſan & Carmelus.
10. Nunc ſurgam, dicit Jehova, nunc exaltabor, nunc extollar.
11. Concipietis quiſquilias, parietis ſtipulas, ſpiritus veſtri ignis devorabit vos.
12. Et erunt populi [a] combuſtiones calcis: tanquam ſpinæ abſciſſæ igni exurentur. [a] vel, calis combuſtio.
13. Audite qui longe abeſtis quid fecerim: cognoſcite vicini potentiam meam.
14. Expaverunt in Sion impii: terror apprehendit [b] hypocritas. Quis [c] ex nobis habi- [b] vel, ſcelerator.
tabit cum igne devorante? Quis ex nobis habitabit cum ardoribus æternis? [c] vel, pro nobis.
15. Ambulans in juſtitiis, loquens recta, aſpernans lucrum ex vi & calumnia, excutiens
manus ſuas à ſuſceptione muneris: obturans aurem ſuam, ne audiat ſanguines: compri-
mens oculos ſuos, ne videant malum.
16. Hic in excelſis habitabit, propugnacula petrarum aſylum ejus: huic panis dabitur,
& aquæ ejus certæ (erunt.)
17. Regem in decore ſuo videbunt oculi tui: videbunt terram procul remotam.
18. Cor tuum meditabitur terrorem. ubi ſcriba? ubi appenſor? ubi qui annotat domos
inſigniores?
19. Populum trucem non videbis, populum abſtruſi labii, ut non intelligas: linguæ
balbæ, ut non capias.
20. Aſpice Sionem civitatem [d] ſolennitatum noſtrarum: oculi tui videbunt Jeruſalem, [d] vel, conventuum.
habitaculum tranquillum, tentorium quod non transferetur: cujus paxilli non amove-
buntur in ſeculum, & cujus funes cuncti non rumpentur.
21. [e] Adeo illic fortis nobis Jehova. locus fluminum, rivorum ſpatiis amplorum, per [e] vel, Quia ſi.
quem non tranſibit navis remigum, & per quem navis magnifica non pertranſibit.
22. Quia Jehova judex noſter, Jehova legiſlator noſter, Jehova Rex noſter, idem ſer-
vabit nos.
23. Laxati ſunt funes tui, ut non ſolidaverint malum ſuum, neque expanderint velum:
tunc diviſa eſt præda ſpolii multi, claudi quoque diripuerunt prædam.
24. Nec dicet habitator, Ægrotus ſum: populus habitans in ea ſolutus eſt ab iniqui-
tate.

VÆ *qui ſpolias.*] Si de Chaldæis interpretari libeat, ſatis commode fluet ſermo. Nam quum liberationem promiſerit captivis, nunc tempeſtive inſultat victoribus: ſicuti ſingulari confirmatione opus erat, ut fides incredibili oraculo haberetur. Neque enim veriſimile eſſe poterat, diruta & everſa tanta potentia, brevi miſeris captivis qui animos jam deſponderant, liberum fore in patriam reditum. Poterant ergo in illis anguſtiis deficere & deſperare de ſalute ſua, niſi Propheta his monitionibus occurriſſet. Prævenit ergo dubitationes, quibus angi atque ad deſperationem ſollicitari poterant, poſtquam abducti eſſent à Chaldæis, atque in ſervitutem redacti. Nibil enim cernebant eorum quæ hic promittuntur, ſed contraria & adverſa omnia. Quia tamen omnium fere conſenſu receptum eſt exordium eſſe novæ concionis, & ſermonem dirigi ad Sennacherib ejuſque exercitum, neque mihi etiam diſplicet Aſſyriis injuſte omnes vicinos opprimentibus denunciari vindictam, quæ leniret populi dolores ac moleſtias. Miram igitur rerum converſionem ſignificat, qua delebitur florens ille Nineves ſtatus, tametſi inexpugnabilis eſſe videatur. venturos enim hoſtes Chaldæos qui crudelitatem ulciſcantur, quam in tot nationes exercuerunt. Quo vero plus vehementiæ habeat hic ſermo, Aſſyrios ipſos compellat, *Heus qui prædaris*: nunc vobis impune graſſari licet: nullæ vires vobis reſiſtunt: ſed erunt aliquando qui vos viciſſim prædentur, quemadmodum alios prædati eſtis. Loquitur in ſingulari, ſed collective, ut ſatis uſitatum eſt. Alii legunt interrogative, Annon ſpoliaberis? putaſne violentiam iſtam tibi impune ceſſuram eſſe? erunt aliquando qui tibi paria referant. Sed poſſumus ſequi communem expoſitionem, ut amplificet iniquitatem hoſtium, qui adeo avidi erant prædæ, ut nemini parcerent, ne innoxiis quidem, à quibus nullo modo fuerant laceſſiti. hoc enim extremæ crudelitatis argumentum eſt. Hanc igitur expoſitionem magis amplector, ut hoc priore membro deſcribat quales ſint Aſſyrii, ut prædones ſceleſtos & truculentos eſſe oſtendat, atque truculentiam

cap. 32. v. 15. &c.

eorum

Digitized by Google

eorum amplificet, quod immeritos & innocentes vexent atque populentur: ut quum tam effrenem injuſtitiam conſpicerent Judæi, cogitarent juſtum eſſe Deum, nec iſta tandem iis impune fore. *Ubi deſieris prædari.* Secundum hujus ſententiæ membrum eſt, quo ſignificat Propheta, ideo prædari nunc Aſſyrios, quod Deus iis frena laxaverit: ſed aliquando cohibiturum ipſos, ne quid virium habeant ad nocendum. Frigeret enim alioqui ſenſus, ſi intelligeres, Ubi amplius prædari nollent. ſed Propheta altius conſcendit: nempe, venturum tempus quum finem prædandi facient, quia Dominus frenabit ipſos & domabit. Ergo tantundem valet hoc acſi dixiſſet, Quum perveneris ad extremum actum. unde videmus tyrannis præfixos eſſe terminos, quos prætergredi nequeunt. Graſſantur quamdiu in ſtadio ſuo currunt: ſed in meta tandem, velut in extremo actu, ipſis conſiſtendum erit. Hac conſolatione erigamus animos noſtros, dum inſoleſcentes tyrannos & proterve in Eccleſiam Dei inſultantes videmus: quia Dominus tandem eos conſiſtere coget: & quo fuerint truculentiores, eo gravius judicium ſuſtinebunt. Dominus eos momento perdet: hoſtes enim ipſis excitabit, à quibus ſtatim deleantur, & pœnas ſcelerum ſuorum luant. Hic quoque providentia Dei in converſionibus regnorum agnoſcenda eſt. impii enim temere & cæco fortunæ impetu omnia verſari putant: ſed longe aliud nobis conſiderandum eſt: Dominus enim vicem quam meriti ſunt, ipſis rependet, ut experiantur ſævitiam, quam adverſus innoxios exercuerunt, non inultam manere. Atque eventu comprobata fuit hujus prædictionis veritas: quia non multo poſt Nineve imperium perdidit à Chaldæis ſubacta. imo ut nomen etiam perderet, diruta fuit. Quia vero ſucceſſit in ejus locum non minor ſpoliatrix Babylon, merito Propheta alios fore prædones edicit qui eam diripiant, everſoque eorum dominatu, quæ ab aliis rapuerant Chaldæi, diripuerunt ipſi ac prædati ſunt.

2. *Jehova miſerere.*] Hanc ſententiam addidit Propheta, ut moneret pios quo in ejuſmodi anguſtiis confugiendum ſit, etiam quum omni ſpe ſalutis deſtituti videbuntur: nempe ad preces, ut harum promiſſionum eventum tunc vel maxime exoptent à Deo, quum erunt miſerrimi, & prævalebit hoſtium potentia, qua miſere opprimentur. Atque hic ordo diligenter notandus eſt quo propoſita Dei promiſſione, ſtatim ad preces adhortatur. Imo doctrinæ ſuæ tenorem abrumpens, ſubito ad preces tranſilit: quia videbat quam difficile eſſet Judæis tam duriter afflictis, ex metu quo fere exanimati erant emergere. nam etſi maturet Dominus, ut præſtet ea quæ promiſit, tamen ad tempus differt, ut patientiam noſtram exerceat. Ubi vero expectandum eſt, nihil conſtantiæ aut tolerantiæ in nobis reperitur: franguntur protinus & concidunt animi noſtri. Quamobrem ad preces confugiendum eſt: his enim ſolis ſuſtentari & renovari poſſunt, dum in Deum reſpicimus & ſumus intenti, quo ſolo duce ex noſtris anguſtiis emergemus. Expectemus interea patienter invicta ſpe & fiducia quod nobis promittit. Fidelem enim ſe tandem præſtabit, neque nos fruſtrabitur. Simul etiam admonet, non modo generale Dei judicium adverſus Aſſyrios reputandum eſſe, ſed paternum Dei favorem erga electum populum. acſi diceret, vaſtandos eſſe illos, non modo ut juſtam avaritiæ & crudelitatis ſuæ mercedem recipiant, ſed quia hoc modo Deus Eccleſiæ ſuæ ſaluti volet conſulere. Cæterum dum hortatur ad miſericordiam petendam, ſimul miſeros fore nos teſtatur. Secundo ut ſe animent fideles ad impetrandam fiduciam, teſtantur in Deo quem invocant ſe ſperaſſe. & certe inanes ac frivolæ ſunt noſtræ orationes, niſi in hoc principio fundatæ ſint. Sit miſericordia tua Domine ſuper nos, inquit David, quemadmodum *Pſal. 33. verſ. 22.* ſperavimus in te. Quia enim temerarium nimis eſſet prodire in conſpectum Dei, niſi ſua voce acceſſum ipſe patefaceret: ſicuti nos benigne & humaniter invitat, ita amplecti ejus verbum neceſſe eſt, quoties ad eum accedimus. deinde ad fidem accedere debet patientia. ideoque fide ſublata, indigni ſumus quos Dominus exaudiat: nec enim ex fide invocamus. Sola autem fides mater eſt invocationis, ut ſæpius ac multis in locis Scriptura teſtatur. Ea ſi abſit, *Rom. 10. verſ. 14.* nihil in nobis præter hypocriſin ſupereſſe poteſt, qua nihil deteſtabilius eſt coram Deo. Atque hinc apparet nullum eſſe Chriſtianiſmum in toto Papatu. nam ſi præcipua pars cultus Dei oratione conſiſtit, quid autem ſit orare neſciunt, (jubent enim perpetuo dubitare, imo fidem piorum temeritatis inſimulant) quales ſunt Dei cultores? an legitima oratio eſſe poteſt, quæ æſtuat dubitatione, neque certa fiducia promiſſis Dei innititur? annon inſantiſſimos ſe præbent præclari illi Rabbini, qui Theologi haberi volunt? Pueri certe noſtri illos ſcientia & veræ pietatis luce antecedunt. Hinc etiam diſcamus fidem noſtram probari rebus adverſis: quando hoc verum eſt fidei examen, ſi invicta tolerantia adverſus omnia pericula omneſque moleſtias perſiſtamus acquieſcentes in Verbo & promiſſis. Sic enim re ipſa comprobamus nos ex animo crediſſe. Quod poſtea ſequitur, *Eſto qui fuiſti, brachium eorum in matutinis, etiam* &c. alii ſecus vertunt acſi continua eſſet precatio, Sis mane brachium noſtrum & ſalus noſtra in tribulatione. Quod autem in tertia perſona loquuntur fideles, mutationem eſſe putant, quæ frequenti in uſu eſt apud Hebræos: ſed Prophetam aliud voluiſſe puto. vehementius enim deſiderium exprimere voluit, quod ex ſuperioribus beneficiis concipitur. Itaque meo judicio, appoſitive inſeritur pars iſta, *brachium eorum mane*: in qua ſuppleo, *qui fuiſti*, ut vetera ſcilicet beneficia Patribus à Deo collata, in medium proponant, Tu Domine patrum noſtrorum votis annuiſti: quum ad te confugerent, opem eis tuliſti: nunc quoque ſis ſalus noſtra, & ſuccurre noſtris afflictionibus. *Brachium & ſalus* in *Brachium. Salus.* eo differunt, quod Brachium accipitur pro virtute quam exeruit Dominus ad defenſionem Eccleſiæ ſuæ, idque priuſquam affligeretur: Salus vero pro liberatione qua vindicatur Eccleſia, etiam quum peſſundata videtur. Commemorat ergo vetuſta beneficia quibus Patres olim proſequutus erat Dominus, ut ad ſimilem filiis miſericordiam præſtandam flectatur: acſi diceret, Avertiſti olim Domine pericula impendentia Eccleſiæ tuæ: floruit ac proſpere habuit favore tuo freta: oppreſſam etiam liberaſti: idem quoque noſtra cauſa efficies, præſertim quia tuum eſt opem ferre extremis rebus ac perditis. Hæc particula אף, magnam emphaſin habet ad confirmandam fidem, ne dubitemus Deum, qui manet ſemper ſui ſimilis, nec unquam à natura ſua degenerat aut varius eſt in ſuo conſilio, nobis quoque fore liberatorem: quando talem experti ſunt fideles. Itaque aſſidue ob oculos ponendum eſt quomodo Deus olim affuerit Patribus, eoſque liberarit, ut nobis quoque minime defuturum ſtatuere liceat.

3. *A voce tumultus.*] Nunc redit ad ſuperiorem doctrinam, vel potius brevi exclamatione interpoſita eam contexit. Jam profligandos eſſe Aſſyrios oſtenderat, tametſi extra omnem fortunæ aleam poſiti viderentur: nunc Judæos veluti in rem præſentem vocat: quoniam immenſa erat illorum potentia, formidabiles erant omnibus, invictique cenſebantur. Ideo ſtupendam ipſorum ruinam, quaſi re confecta, ob oculos ponit Jeſaias. Utitur plurali numero, *populos* fuiſſe inquiens: quoniam variis populis conſtabat regnum Aſſyriorum, & variis ex nationibus eorum exercitus collectus erat. quamvis ergo innumeri eſſent ac immenſi, miſere tamen perituros aſſerit. *Exaltationem* exponunt Manifeſtationem,

tionem, qua Dominus quid poſſet magnifice oſtendit. Ego vero ſimplicius expono, quod Dominus qui antea veluti jacere videbatur, quum impune ſineret Chaldæos graſſari, nunc repente prodierit in medium. Nec enim dubium eſt quin ſuperbe deriſa ab hoſtibus fuerit ejus cunctatio, acſi fractus & victus eſſet Deus Iſraël: at ſurrexit tandem, & ſedit pro tribunali, atque ultus eſt ſcelera impiorum. Eſt ergo tacita antitheſis inter exaltationem & ſpeciem illam impotentiæ quam præ ſe ferebat Dominus, quum ſineret populum ſuum affligi & diſſipari. *Voce tumultus* intelligunt quidam Dominum ſolo ſtrepitu fugaturum hoſtes: ſed vereor ne hæc interpretatio ſit magis arguta quam ſolida. Libenter igitur accipio Vocem pro tumultu qui à Medis & Perſis excitandus erat.

4. *Et colligetur.*] Alloquitur hic Aſſyrios: niſi forte ad Judæos referre quis malit, & nomen Prædæ active accipere. quanquam prior illa ſententia melius quadrat. Atque hæc apoſtrophe non parum vehementiæ addit vaticinio, dum palam & nominatim ſuperbis hoſtibus inſultat. Dubium tamen eſt, ultimumne gentis exitium notetur, an clades ac- *2 Reg. 19. verſ. 35.* cepta à Rege Sennacherib, quum manu Angeli deletus fuit ejus exercitus ante muros Jeroſolymæ. Hoc poſterius omnes fere interpretes ſequuti ſunt. quod tamen mihi videtur nimis reſtrictum: quia videtur Propheta ab initio capitis plus aliquid voluiſſe, quum de gente illa populanda diſſeruit. Imo, ut paulo ante attigi, poſſet latius extendi vaticinium, ut Chaldæos etiam ultimos Eccleſiæ hoſtes comprehendat. Cæterum, illo omiſſo, facile apparet ſtylum dirigi contra monarchiam Nineves. *Bruchis* vero comparat bellicoſam illam gentem: quia nihil erit virium ad reſiſtendum, ſed expavefacti omnes concident animis, ut collectim per magnas catervas trahantur ad interitum. Eſt autem aptiſſima *Nahum 3. verſ. 15.* ſimilitudo, qua etiam utitur Nahum, licet diverſo aliquantulum ſenſu. Nam ſcimus inſectum illud valde infeſtum eſſe arboribus, atque admodum noxium, ut merito vocari queat terræ calamitas. Sed quia in multitudine ingenti nullæ ſunt vires, quibus ſe tueantur, pueris quoque facile eſt excutere, & colligere, turmatimque interimere quicquid obviam fuerit. idem voraciſſimis prædonibus eventurum ſignificat: quia etſi diu multumque nocuerint rapiendo, tandem confecti nullo negotio perdentur. quia effœminati, & fere exanimes ſub manu hoſtium cadent, & Babylonem transferetur opulentia Nineves ex rapinis collecta. Additur altera ſimilitudo, Chaldæos non ſecus ac *locuſtas incurſum facturos*, ut devorent totam regionem. Nam ut admodum voraces ſunt iſtæ beſtiolæ, continuo inceſſu, imo celeriter raptimque ſaltando corrumpunt cunctas terræ fruges. Quod autem alii ad eoſdem Aſſyrios referunt acſi locuſtis eos conferret Propheta, quia facilis erit ipſorum diſſipatio, non convenit: quia locuſtarum aciem diſponit, quæ ſuo diſcurſu terram longe impleat. & eleganter locuſtas committit bruchis, tam inexplebilis avaritiæ, quam multitudinis reſpectu.

5. *Exaltatus eſt Jehova, quia habitat.*] Fuſius explicat quod nuper attigimus de exaltatione Dei: ac idem quod ante diximus argumentum proſequitur, in excidio tam opulentæ monarchiæ palam fore, quam pretioſa ſit Deo Eccleſiæ ſuæ ſalus, in cujus gratiam, Ninevem urbium reginam, ejuſque incolas peſſundabit. Eſt autem hæc admonitio apprime utilis, Deum reprobis & profanis ideo non parcere, quia ſeſe eorum libidini opponens, teſtari vult quantopere electos ſuos diligat. Atque hæc non vulgaris conſolatio eſt, maxime elucere Dei gloriam in Eccleſiæ ſalute. Primo dicit Deum in ſublime eſſe evectum, quem putabant impii in populi ruina dejectum eſſe & proſtratum. Porro, ne quis putaret Deum recuperaſſe quod perdiderat, ſicut contingere ſolet in mundo, ut qui devicti fuerant, rebus in melius mutatis, iterum colligant novas vires, diſerte exprimit *exaltatum* coram hominum oculis Deum eſſe, quia ipſum deceat ejuſmodi eminentia, quandoquidem cælos inhabitat. Unde ſequitur, Quamvis plerumque occultet ſuam virtutem, nunquam tamen privari jure ſuo, ſed quoties viſum eſt, palam oſtendere ſuam celſitudinem. Nam cælorum habitatio (ut ſcimus) ſummum imperium denotat, cui ſubjicitur totus orbis. Hoc modo non ſolum oſtendit Deo facile & promptum eſſe quicquid eſt altitudinis in mundo dejicere, ſed à perpetua Dei natura ratiocinatur, fieri non poſſe quin Deus, ubi deſpicitur ab impiis, tandem gloriam ſuam aſſerat: quia alioqui ſeipſum abnegaret. Ubi autem dicit *Sionem impletam* eſſe juſtitia & judicio, rurſus confirmat ſingularis Dei gratiæ teſtimonium fore, quum exempti fuerint Judæi à Chaldaica tyrannide. Oportuit enim tanti boni auctorem illis poni ante oculos: quia videmus quam maligne ejus gloriam obſcuret noſtra ingratitudo. Plenitudo autem *juſtitiæ & judicii* huc ſpectat, quod Deus liberaliter & plena copia gratiam ſuam effuderit Eccleſiam reſtituendo. quanquam non male quadrabit referri hoc ad legitimum ordinem, ubi omnia juſte recteque compoſita ſunt: quia ſine hoc nunquam proſpere habebit Eccleſia, etiamſi reliqua omnia ex animi voto ſuccedant. Sancto igitur riteque compoſito ordine, non corruptibili opulentia, felicitas noſtra æſtimanda eſt.

6. *Et erit ſtabilitas.*] Lætum adhuc & felicem regni ſtatum fore ſub Ezechia promittit, præſertim ad infauſtam & lethiferam diſſipationem reſpiciens, quæ viſa fuerat ſub Achaz. Nam hoſte profligato, vix tamen quiſquam ſperaſſet poſſe tam afflictos Judæos in priſtinum ordinem reſtitui. Quod ad verba ſpectat, ſic quidam transferunt, Erit temporibus tuis veritas & fortitudo & ſalutes: acſi referret Propheta qualis adhuc ſub ſancto rege futura ſit populi felicitas: & ſub ſingulis vocibus totidem Dei beneficia enumerari putant. Alii nomen אמונת accipiunt pro Fide, acſi eam pro ſalute & fortitudine fore diceret Propheta. Alii paulo diverſum ſenſum eliciunt, ſtabilem fore ſub Ezechia fortitudinem, ſalutem & ſcientiam. Ego vero dum propius expendo Prophetæ verba, malo aliter diſtinguere, quod *ſtabilitas*, fortitudo & ſalus regnante Ezechia in ſapientia & ſcientia conſiſtet. atque ita optime fluet quod mox additur, *timorem Dei* fore theſaurum pii regis. Nam in pace fideliter & tuto agere omnes quidem appetunt: pauci interea quomodo tam præclaris bonis fruantur, curant. Imo major pars cuperet non ſecus atque in hara porcorum more ſaginari: ita dum omnes ad externa bona rapit cæca cupiditas, bonum incomparabile fere negligitur, lux cæleſtis doctrinæ. Significat ergo tunc demum ſtabilem fore Eccleſiæ felicitatem, quum illic ſapientia & ſcientia regnabunt: fortitudinem perpetuam, quum vigebit cognitio Dei: æternam ſalutem, quum homines ejus ſcientia inſtructi erunt. Atque hic inſignis eſt admodum locus, unde diſcimus noſtra ingratitudine claudi januam benedictionibus Dei, ubi auctore ipſo præterito, in craſſis & terrenis deſideriis ſubſidimus: atque ut nobis affluat quicquid optari & fingi poteſt bonorum, nihil tamen nobis in ſalutem cedere, niſi fidei & ſcientiæ ſale condiatur. Unde ſequitur non aliter vigere Eccleſiam quam ſi omnibus ejus bonis prælucear Dei cognitio: tunc vero demum florere ubi dotes omnes quibus ornatur Deo ipſi fert acceptas: ubi autem ſublata eſt cognitio Verbi, veraque Dei ſcientia vel extincta vel ſepulta, quælibet proſperitas deterior eſt omnibus ruinis. Itaque *ſtabilitatem*, *fortitudinem*, *ſalutes* ad idem refero, tunc firmum fore Eccleſiæ ſtatum, ubi cæ-

citate & ignorantia purgata homines Deum noſſe cœperint. Atque hinc perſpicimus qualem Papiſtæ Eccleſiam habeant: magnificentia quidem & pompa illuſtrem, ſed deeſt ipſis hæc ſcientia: ergo ſtabilis aut firma eſſe non poteſt, neque eſt Eccleſia Dei. Si ergo Dominus nobis hoc beneficium conceſſerit, ut vere inter nos emineat fidei ſplendor, ſponte aliæ benedictiones accedent: quod ſi variæ nos procellæ agitent & concutiant, ſemper fulciemur Dei manu. Porro ubi dicit *temporum tuorum*, alloquitur Ezechiam, non ut privatum hominem, ſed ut totius populi caput, ſub quo totum etiam populum comprehendit. Sed quum Ezechiæ regnum velut tenuis quædam umbra regni Chriſti fuerit, ut prius attigimus, hæc ad Chriſtum referri debent, in quo vera ſapientia & ſcientia eſt. Sunt autem notandi hi tituli, ad commendationem doctrinæ Dei & Euangelii: quibus etiam utitur Paulus, dum ait, Inſtruentes in omni ſapientia & ſcientia. hoc enim elogio extollit Euangelii dignitatem. Unde etiam colligendum eſt, ubi non cognoſcitur Chriſtus, illic homines vera ſapientia carere, etiamſi omni diſciplinarum genere inſtructiſſimi fuerint. vana enim eſt omnis eorum ſcientia, donec vere Deum cognoſcant. Cæterum Timor Dei videtur exegetice eſſe additus, quo melius exprimeret Propheta ſcientiam de qua loquutus eſt, magiſtram eſſe pietatis: nec frigidam vel inanem eſſe, ſed efficaciter penetrare in corda noſtra ut nos formet ad timorem Dei. unde etiam alibi hic timor ſapientia vocatur, imo initium, id eſt, ſumma & caput ſapientiæ. Errant enim qui nomen initii pro rudimentis vel elementis accipiunt, quum Solomon caput ac finem intelligat: quia ſicut inſipidi ſunt homines donec ſe verbo Dei ſubjiciant, ita ex fidei docilitate vel obſequio manat perfectio ſapientiæ. Theſaurus ergo vocatur timor Dei, ſine quo miſera eſt omnis felicitas. unde melius apparet ratio contextus: omnes beatæ vitæ numeros contineri in Dei notitia, quam fide conſequimur. ita ſub regis perſona docet hoc inæſtimabile eſſe bonum, Deum qua decet pietate & reverentia colere. Eos igitur qui vacui ſunt timore Dei, miſeros ac perditos eſſe cenſet: ac contra, beatiſſimos quicunque Dominum timent, etiamſi miſerrimi alioqui judicio hominum habeantur. Loquitur autem de timore qui veram in ſe obedientiam continet, animoſque noſtros reformat. Alius enim eſt timor quo etiam afficiuntur impii, & Deum, ut facinoroſi judicem, reformidant. Is non tam præclarum laudis elogium meretur: quia neque ex vera Dei cognitione manat, neque ex voluntario ejus colendi ſtudio. Ideo procul diſtat à ſapientia quam prædicat Jeſaias. Hæc de Ezechia teſtatus eſt, ſed ut prius diximus, ad totum populi corpus pertinebant. unde colligimus, iſta & plebeiis hominibus & Regi convenire: ſed multo magis Chriſto, qui ſpiritu timoris Dei repletus fuit (ut cap. 11. vidimus) ut nos videlicet eo imbueret.

Prov. 1. & 9.

7. & 8. *Ecce nuncii.*] Incertum eſt commemoretne Jeſaias quam anxie trepidaverint Judæi & quanto in diſcrimine verſati ſint, quo magis illuſtret liberationis gratiam: an vero futuram calamitatem prædixerit, ne ſub ea paulo poſt deficerent piorum animi. & ſane mihi probabile eſt non referri ad hiſtoriam rei geſtæ: ſed quia inſtabat gravis & dura tentatio, muniri animos fidelium ut in rebus perditis Dei auxilium patienter expectent. quicquid ſit, triſtis & luctuoſa Eccleſiæ vaſtatio hic deſcribitur, ne deſinant fideles in ſua quoque anxietate bene ſperare: deinde ut è periculo erepti intelligant id factum eſſe mirifica Dei virtute. Signum autem deſperationis ponitur quod legati ad placandum tyrannum miſſi nihil impetrabant. Omnes namque vias & rationes ineundæ pacis tentavit Ezechias: nihil tamen effecit. Ideo legati triſtes ac mœſti redierunt, neque in via ipſa diſſimulare potuerunt dolorem ſuum, quem intus continere difficile erat rebus adeo deploratis. Nec dubium eſt quin ſignificet ſuperbe & contumelioſe pacem repudiatum iri à Sennacherib, ut cogantur legati tanquam obliti ſuæ dignitatis dolorem ſuum ac lamentationes vulgo effundere, ac priuſquam ad regem ſuum reverſi ſint, rationemque reddiderint ſuæ legationis, palam facere non dubitent quale à crudeli tyranno tulerint reſponſum. Alii Legatos pacis interpretantur qui pacem nunciare ſolebant: ſed longe nimium petita & frigida mihi videtur ea interpretatio. Intelligo igitur Legatos pacis, qui miſſi erant ad placandum Regem, ut pacem aliqua conditione redimerent. Poſtea addit, vias fore clauſas ut nulli ſint ultro citroque commeatus: ſicuti bello indicto accidere ſolet. Videtur autem legatos inducere Propheta narrantes commerciis nullum poſthac locum fore: imo nullos exitus fore liberos. Quod ſequitur continuo poſt, Irritum feciſſe fœdus, quidam ſic interpretantur, quaſi hypocritæ conquerantur Deum promiſſa non præſtare. Atqui ſi hoc libeat referre ad Deum, neceſſe tamen non erit impiis adſcribi ejuſmodi querelam, quum fideles quoque in hunc modum interdum cum Deo expoſtulent: ſed ſenſus ille non convenit: ideoque uno contextu narratur crudelitas & implacabilis furor Sennacherib, quod fœdus ante cum Ezechia initum perfide abruperit. Nam etſi tranquillum ſe fore promiſerat, ſimulac occupandæ Judææ data fuit occaſio, fide violata ſeſe ad bellum accinxit. Eodem pertinet finis verſus, quod ſpreverit urbes, nihili duxerit cunctos mortales, ſignificans tantam fore ejus ferociam ut nec pudore nec metu cohibeatur.

9. & 10. *Luxit, emarcuit.*] Hic plenius exprimit quam miſerum ac deploratum viſuri eſſent Judææ ſtatum, ut ex profunda abyſſo nihilominus eorum fiducia emergeret. Loca etiam ipſa in ſpecie ſubjungit, Libanum, Baſan, Carmelum, quæ longe diſſita ſunt, & quibus extremi fere termini Terræ ſanctæ continentur, ut oſtendat nihil prorſus in ea ſalvi aut integri reliquum fore. Sic vero cladem hanc deſcribit ut cuique loco quod ſuum eſt attribuat. Libano confuſionem, quum ei gloria & decor alibi tribuatur, quoniam arboribus excelſis & pretioſis conveſtitus erat. Saron vero plana regio & ferax quum eſſet, deſerto ſimilem fore dicit: Baſan & Carmelum excuſſum iri, quoniam frugibus abundabant. Itaque alludit ad naturam locorum, calamitatemque & miſeriam deſcribit, ut amplificet & magis illuſtre reddat beneficium Dei, à quo, tametſi deplorati eſſent, liberandi erant. Hic enim conſpicuam Dei manum intueri licet. niſi forte placeat rem geſtam narrare ut ad gratitudinem eos hortetur. *Nunc ſurgam.* Non parum habet ponderis particula *nunc*: item repetitio quam ſubjungit, *exaltabor*, evehar in ſublime. Tempus enim notandum eſt, quo hæc referri debent: nempe, quum de Eccleſia actum eſſe videretur. tunc enim opportunum Deo ad opem ferendam tempus fore admonet. Eſt ergo hic contrariorum inter ſe comparatio. proponit enim fidelibus duras graveſque ærumnas, quibus premendi erant & quibus facile erat ſuccumbere niſi conſolatione aliqua ſublevati eſſent: acſi diceret, Vos ad extrema redigi Dominus patietur: verum ubi deplorati eritis, & fruſtra remedia omnia tentaveritis, exurget Dominus, vobiſque opem feret. Sic enim affligi nos & redigi ad extrema neceſſe eſt, ut Deum unicum ſalutis noſtræ auctorem agnoſcamus. Itaque dictio *nunc*, ſignificat tempus extremæ calamitatis. quod certe abſurdum videri poſſet hominibus, ſed nobis optima conſtat ratio cur ita auxilium ſuum ſuſpendat Deus: quia utile eſt exerceri piorum tolerantiam, examinari fidem, domari carnis affectus, ſtimulari ad precandi ſtudium, erigi ad ſpem futuræ vitæ. Ideoque frenum injicitur ne præcipiti fervore, quod illis divinitus præfixum eſt tem-

pus

pus anticipent. Repetitio magnam vim habet, & confirmationis cauſa addita eſt. Rebus enim deploratis putamus actum eſſe: at tunc vel maxime ſperandum eſt: quia Dominus eo tempore potiſſimum vult potentiæ ſuæ documentum dare. Ideoque his altitudinis ſuæ encomiis pios ad magnanimitatem attollit, ut confidenter hoſtium ſuorum petulantiæ inſultent.

11. & 12. *Concipietis quiſquilias.*] Nunc ad hoſtes Eccleſiæ ſermonem ſuum convertit, quos dicit fruſtra ſtulteque inſoleſcere: quia ubi magnifice extulerit Deus potentiam ſuam, intelligent irritos fore ſuos conatus, nec quicquam effecturos, etiamſi turmatim innumeri conſpirent. Ridet enim Dominus furorem eorum, quod omnia putent ſibi eſſe in manu, quum eos protinus, quamlibet magno inſtructi ſint apparatu, vel nutu ſolo reprimere ac delere poſſit. Studia autem & conatus hominum, *conceptiones* vocari ſatis uſitatum eſt Scripturis. Similitudo ſumpta eſt à gravidis. Homines concipere dicuntur & parturire quum aliquid moliuntur: ſed horum conceptum evanidum fore ſignificat: partum etiam inanem ſequuturum: irrita enim fore omnia quæ ſuſcipient. Non eſt igitur quod terreamur ſplendido hoſtium apparatu: quia utcunque Deus illis ad tempus ſatagere, moliri, tumultuari permittat, tandem Deus convertet in quiſquilias quicquid temerario auſu inſtituent. Quæ autem prædixit Jeſaias de Sennacherib, ſciamus ad omnes piorum & Eccleſiæ hoſtes pertinere. Quod *igni ſpiritus* ſui vorandos pronunciat, ſic exponi ſolet, Spiritus veſter quaſi ignis eſt qui vos devoret: ſed illa ſimilitudo impropria eſt, imo abſurda: genuina autem interpretatio ſponte occurrit, Ignis veſtro flatu accenſus vos devorabit. Ignem flatu accendere ſolemus. Ergo quod impii pravis machinationibus conflaverint incendium illis exitiale fore docet, quia ipſos conſumet. Atque eadem hæc ſententia eſt, quam variis figuris toties inculcat Scriptura: Cadent in foveam quam foderunt, Laqueo ſeſe implicarunt, quem ipſi aliis tetenderant, Gladius quem eduxerant, in eorum viſcera adactus eſt, Arcus eorum reflexus eſt ad vulneranda ipſorum corda. Impium ergo tyrannum qui vaſtata Judæa ingenti exercitu Jeroſolymam obſidebat, cæteroſque ſimiles Eccleſiæ hoſtes, exitium ſibi accerſere, ac tandem perituros eſſe oſtendit, denique conſumptum iri igne illo, quem ipſi accenderunt. Comparat deinde eos *exuſtioni calcis*, quia conteretur ipſorum durities ſicut ignis lapides emollit, ut parvo negotio comminuantur in pulverem: & certe quo majore impetu effervent impii ad nocendum, propria audacia ſeipſos frangunt. Nec minus apta eſt ſimilitudo altera *ſpinarum*. quia etſi noxiis punctionibus manus hominum à tactu arcent, nullum tamen eſt lignum quod violentius ardeat & citius abſumatur. ſicuti eandem diximus eſſe rationem calcis, quæ tametſi primum dura ſit, igne tamen excoquitur. Idem Chaldæis eventurum dicit, quos Dominus nullo negotio delebit, quamlibet initio ſint formidabiles, nec probabile ſit ullo incendio poſſe conſumi. quoties igitur Eccleſiæ hoſtes, omnes opes, copias, ſubſidia omnis generis cumulare videmus ad nos perdendos & totum orbem inflammandum, ſciamus ignem ab ipſis accendi, quo miſere perdentur. Hoc in Sennacherib impletum fuiſſe ſcimus. Exitus enim hæc vaticinia comprobavit, tametſi incredibilia omnino viderentur. Cæteris quoque qui ejus tyranni facta imitabuntur, idem eventurum ſperemus: atque iſto exemplo & aliis innumeris nos in ærumnis & miſeriis noſtris conſolemur, quas certa liberatio & horrenda ultio de hoſtibus ſequutura eſt.

Job. 15. verſ. 35. Pſal. 7. verſ. 15. ſupr. 26. verſ. 17. infr. 59. verſ. 4.

Pſal. 7. verſ. 16. & 9: 16. & 57: 7.

13. *Audite longinqui.*] Hic præfatur Jeſaias, tanquam de re admodum ſeria ſermonem facturus. Jubet enim attentos eſſe auditores: quod fieri ſolet ubi memorabile aliquod argumentum & inſigne tractatur. Alloquitur autem & vicinos, qui oculati hujus rei teſtes futuri erant, & remotiſſimos quoſque populos, ad quos fama ſpargenda erat: acſi diceret, talem fore Dei potentiam, ut non paucis tantum aut vicinis innoteſcat: ſed iis etiam qui magno aberunt locorum intervallo. Itaque ſplendidum, & ſingulare virtutis Dei ſpecimen fore intelligit, quod terrore agitabuntur impii, qui prius in ſecuritate ſua torpebant acſi ab omni moleſtiæ vel incommodi periculo eſſent immunes.

14. *Expaverunt in Sion peccatores.*] Poſſet tamen quiſpiam objicere non agi hic de re tanta, ut grandi illa præfatione opus eſſet, qua excitaret univerſum orbem. an tanti erat momenti, metu percelli impios? Verum ſi quis diligentius expendat, reperiet non vulgare divinæ potentiæ ſpecimen eſſe, quum impiis excutitur ſua vecordia ut volentes nolentes ſentiant Deum eſſe ſuum judicem, præſertim ubi ad Dei contemptum acceſſit hypocriſis. Nam etſi profanos homines difficile eſt expergefacere ubi velum eorum cordibus obductum eſt: major tamen in hypocritis eſt pervicacia qui Deum ſibi obſtrictum eſſe imaginantur. itaque videmus quaſi amentia faſcinatos, ut minas & terrores omnes contemnant, & rideant judicia Dei: denique ſuaviter jocando eludant omnes prophetias, ut miraculi loco habendum ſit, quod ita reluctantes conſternantur. Unde Jeſaias non immerito contra eos excandeſcit. neque enim dubium eſt quin degeneres Judæos perſtringat dum exprimit nomen Sionis. quia Sanctuarii umbra tecti ſe arcem inexpugnabilem tenere putabant. & certe, ut nuper dixi, maxime omnium efferuntur ac ſuperbiunt, qui obtendunt nomen Dei, & Eccleſiæ titulo gloriantur. חנפים, vertunt Hypocritas: ſed generalius etiam accipi poteſt pro perfidis defectoribus & omnino perverſis. Quum ergo tam ſceleſti eſſent, Deumque ipſum & Prophetas ludibrio haberent, judicem illis ſeverum atque acerbum fore denunciat, ut ſibi in fallaciis ſuis placere deſinant. Additur etiam confeſſio ſpeciem humilitatis præ ſe ferens, ut clarius oſtendat hypocritas qui ſponte Verbo non parent, experientia tandem magiſtra ſentire quam terribile ſit Dei judicium. Ergo ubi riſus in ſtridorem dentium verſus eſt, tunc fateri incipiunt totum ſuum robur paleam eſſe vel quiſquilias. Quod ad verba ſpectat, quidam vertunt, Quis habitabit pro nobis: alii, Ex nobis. Si legimus ſimpliciter Nobis, ſic reſolvi poterit, Quis ſe opponet igni, aut medium interponet, ne nos contingat flamma? Eodem recidunt aliæ quoque interpretationes: ſed in hoc variant interpretes, quod nonnulli hæc accipiunt de Aſſyrio Rege: alii ad Deum referunt: quorum ſententiæ me potius accedere jam oſtendi. Nam etſi Aſſyrius veluti ignis fuit, qui ſuo ardore terram exureret, tamen aliquid longe atrocius exprimere voluit Propheta: interius videlicet tormentum, quo exagitantur impii, conſcientiæ aculeos, qui retundi non poſſunt, inextinguibile ſcelerum incendium, quo cruciatus omnes ſuperantur. nam quales ſe gerunt impii, talem erga ſe Deum experiantur neceſſe eſt. Propterea ipſorum reſpectu Deus *ignis urens* vocatur: quemadmodum ex Moſe percipere licet, ex quo Prophetæ (ut ſæpius dictum eſt) doctrinam ſuam mutuantur: quem etiam Apoſtolus Hebræorum duodecimo ſequutus eſt. Hanc expoſitionem Propheta ipſe confirmat, docens quænam illius pavoris cauſa ſit. Poſſet enim objici Deo nimia ſeveritas, quaſi immodice eos terreret: atqui benignus & clemens piis eſſe ſolet: impii vero ſeverum ipſum & formidabilem experiuntur. Putant nonnulli Prophetæ fuiſſe propoſitum, ut homines abjecta operum fiducia proſtrati & humiliati confugerent ad Dei gratiam, reos omnes peragere: quaſi diceret, Neminem niſi perfecte juſtum ſtare ad tribunal Dei poſſe: ideoque eſſe

Deut. 4. verſ. 24. & 9: 3. Hebr. 12. verſ. 29.

omnes maledictos. Atqui potius ex eorum perſona & ſenſu loquitur, qui ante ſubſannaverunt omnes minas: nunc eoſdem trepide interrogantes inducit, Quiſnam audebit prodire in Dei conſpectum? Nam hæc lamentabilis querimonia ejus quem nuper attigit pavoris indicium eſt, ubi ſuæ fragilitatis convicti præ dolore exclamant, Quis Dei præſentiam ſuſtinebit? Cæterum quia Deo nihilominus obſtrepunt quamvis ejuſmodi voces extorqueat ab invitis, ideo Propheta ut compeſcat improbos eorum latratus, reſpondet ex oppoſito Deum non eſſe natura horribilem, nec metum afferre hominibus: ſed eorum culpa accidere, quia ſcelerum ſuorum conſcientia, quam Dominus quietam eſſe non ſinit, abſterrentur.

15. *Ambulans in juſtitiis.*] Nunc ergo melius exprimit quod jam attigimus, Non eſſe cur nimium rigorem exprobrent Deo, qui ejus iram provocando clementiam ejus procul repellunt. Atque ita reatu ſuo conſtrictos ad pœnitentiam hortatur. Oſtendit enim bene convenire inter Deum & homines, ſi juſtitiam ſequi & colere velint: ſi veri & recti ſint ſtudioſi, ſi puri ſint à corruptelis omnibus, & innocenter ſe gerant cum proximis: ſed quum omni vitiorum genere ſcateant, quum malitiæ, calumniis, avaritiæ, rapinis, aliiſque ſceleribus ſint dediti, fieri non poſſe quin Dominus eos proſternat metu, ipſis ſe terribilem oſtendens. In ſumma, Prophetæ conſilium eſt os obſtruere impiis blateronibus, ne in ſuo exitio Deum inſimulent ſævitiæ: quandoquidem tota in ipſis culpa reſidet. Tergiverſando conantur damnationem effugere. Atqui affirmat Propheta, Deum ſuis cultoribus ſemper eſſe propitium, *Deut. 4. verſ. 24. & 9: 3.* & hoc ſenſu vocari à Moſe ignem, ne contemptui ſit ejus majeſtas ac potentia: interim quiſquis vero pietatis affectu ad eum accedet, re ipſa ſenſurum nihil ſuavius vel amabilius eſſe ejus præſentia. Quum ergo ſerena facie Deus piis affulgeat, recta conſcientia tranquillam cum eo pacem conciliant. unde ſequitur ſuapte natura non eſſe formidabilem, ſed pravitate noſtra eo impelli. Præcipue autem ad hypocritas dirigitur hæc concio, qui occultos ſuos fœtores & nequitias obtegunt fallaci pietatis velo, Deique nomine ad majorem peccandi licentiam abutuntur. Juſtitiam vero exemplis definiens, craſſius eorum ſcelera coarguit. Enumerat autem præcipuas vitæ actiones quibus deprehenditur quales ſimus. Secundam enim Tabulam (ut alias ſæpe) attingit, qua experimentum capitur veræ pietatis. nam ut in igne probatur aurum, ita quali erga Deum ſimus animo cognoſcitur ex communi vitæ uſu, ubi mutuis officiis teſtanda eſt noſtra probitas. Quod dicit, *ambulans*, nota eſt viæ metaphora, quæ trita eſt Scripturis, quum agitur de inſtituto vitæ aut continuo curſu. *Juſtitiam* vero intelligit, non integram Legis obſervationem, ſed æquitatem quæ ſecunda Tabula continetur, ne quid altius de juſtitia hic philoſophandum exiſtimemus. poſtea deſcendit ad præcipuas colendæ rectitudinis partes. Et quia lingua præcipuum eſt homini membrum quo actiones ſuas exercet, eam locat in ſecundo poſt juſtitiam gradu. Nam qui eam cohibet à calumniis & maledicentia, à fraude, perjurio & mendaciis, ne proximum ſuum ulla in re offendat, is *recta loqui* dicitur. Additur alia ſpecies *Qui aſpernatur*, &c. Poterat quidem uno verbo dixiſſe, Qui pecuniam contemnit: ſed craſſius loquutus eſt, ſeque hominum ruditati accommodavit. quiſquis enim cupidus eſt lucri, neque à rapina, neque à turpi & nefario quæſtu abſtinet, inopes & tenues vexat atque opprimit, nec ei quicquam aliud curæ eſt, quam ut undiquaque pecuniam, quo jure, quave injuria extorqueat. Longius deinde progreditur: nempe ad corruptelas omnis generis. *munera* enim nominans quibus judices corrumpuntur, cætera etiam comprehendit. Nihil enim omnino eſt, quod ita hominum mentes, rectumque judicium pervertat, Ideo jubet *excutere manus*, ut ſignificet quantopere ab iis abhorrere omnes & religioſe abſtinere debeant: ne ſi tantummodo attigerint, vel ſola contagione infecti ab æquo & juſto deflectant. miræ enim ſunt munerum illecebræ, ut difficile ſit admodum judicibus puras ab iis manus & integras ſervare. Quid ergo de iis judicari poteſt, qui manus ſemper exporrectas & paratas ad capiendum, imo aduncos ungues ad trahendum habent? neque id modo: ſed meretricum inſtar palam ſe ad quæſtum proſtituunt: quid mirum ſi contra eos Deus intolerabili vindicta fulminat? Tandem integritatis ſtudium in auribus quoque requirit. Ac per *ſanguines* quidem homicidia & cædes intelligit: ſed complectitur etiam ſceleſtas conſpirationes omnis generis, ne aures ad eas audiendas pateant quo aſſenſum præbeamus. nec enim vult aures obſtrui ad pauperum clamores, dum injurias ferunt & opprimuntur: ſed vult nos abhorrere ab impiis conſiliis, quibus improbi homines contra innoxios perniciem machinantur, ut ne aures quidem ad eorum ſermones accommodemus, neve ullo modo nos ſollicitari ad malum patiamur. Poſtremo eandem in oculis puritatem exigit. Denique ſenſus omnes continendos eſſe docet, ne improbis ullam aſſenſus ſignificationem præbeamus, ſi velimus iram Dei & horribile illud incendium effugere, de quo antea loquutus eſt.

16. *Ille in excelſis*] Ut intelligant Judæi juſtas fuiſſe caſtigationes quas inflixerat Deus, & cum eo reconciliari ſtudeant, benedictionem ejus paratam eſſe dicit bonis & rectis, quales ſuperiore verſu deſcripſit, nec quicquam periculi imminere, nec pertimeſcendum illud incendium cujus meminit: quia tutiſſimo in loco ſtatuentur. Impiis contra & ſceleſtis, maledicis, rapacibus & fraudulentis qui linguam, manus, aures, oculos à ſceleribus & flagitiis abſtinere non poſſunt, ſi Deus aſperior ſit, nihil eſſe mirum: neque Deum illis eſſe judicem quin ſimul carnifex ſit propria conſcientia. Hoc igitur unicum eſſe remedium, ne extimeſcant Dei præſentiam, ſi in voluntario ejus timore ſe continent. Per *excelſa* intelligit tutiſſimum locum & ab omni periculo immunem, quo nulla hoſtium vis pervadat: ut etiam continuo poſt ipſe ſatis declarat domicilium illis aſſignans in rupibus munitis. Tutæ ſtationi addit copiam bonorum: acſi diceret, puris & integris Dei cultoribus nihil defuturum, quia Deus non modo eos tutabitur ut præſtet incolumes ab omni noxa: ſed etiam quicquid ad tolerandam vitam pertinet large ſuppeditabit. *panis* enim & *aquæ* nomine; ſignificat omnia quæ ad quotidianos vitæ uſus neceſſaria ſunt. *Aquas* vero *fideles* poſtea promittit: quia etſi ad tempus abundant impii, poſtea eſuriunt: ſicuti penuriam & famem illis Deus minatur in Lege. Hoc idem ad panem refertur, *Lev. 26. verſ. 19. Deut. 28. v.23, 48.* quia commune eſt epithetum, acſi diceret, Victum fore certum piis omnibus. Leones enim famelici vagantur: qui vero timent Deum non deſtituentur bono. Quia ut natura liberalis eſt Deus, non fatigatur benigne largiendo, & ejus copias non exhaurit beneficentia. Cæterum, quum variis periculis obnoxia ſit hominum vita, nec cibariorum & victus copia ſufficiat ad nos tuendos, niſi Dominus nos defendat virtute ſua: ideo præcipue notandum quod ante dixit, tuta in quiete locari pios. Dominus enim paſtoris officio fungitur, nec tantum alimenta ſuppeditat, ſed etiam ab impetu latronum, hoſtium, luporum, ſuos conſervat: denique ſub tutela & fide ſua continet, ne quid adverſi patiantur. Quum ergo accidit ut hoſtes nobis infeſti ſint, cogitemus nos meritas de ſceleribus noſtris pœnas dare noſque deſtitutos auxilio Dei quod eo indigni ſimus. quicquid enim malorum ſuſtinemus, vitiis noſtris imputari debet. Interea qui bene ſibi conſcii ſunt, ne putent ſe à Deo deſtitutos eſſe, ſed in extremum uſque diem vitæ his

promiſſis

promiſſis confidant, quibus Dominus ſe tutiſſimum ſuis aſylum fore promittit. Nemo quidem adeo purus aut integer eſſe poteſt, ut ſuſtinere conſpectum Dei poſſit. nam ſi obſervet Dominus iniquitates noſtras, ut inquit David, quis ſuſtinebit? *Pſal. 130. verſ. 3.* Ergo mediatore nobis opus eſt cujus interceſſione peccata noſtra nobis remittantur. neque hanc Scripturæ communem doctrinam excludere voluit Propheta, ſed impios conſternare, quos mala conſcientia exſtimulare atque inſectari non deſinit. Quod diligenter notandum eſt adverſus Papiſtarum doctores, qui hujuſmodi locis, quibus commendantur opera, ad deſtruendam fidei juſtitiam abutuntur: acſi expiationem peccatorum, quam per ſacrificium Chriſti conſequimur, excludi oporteret.

17. *Regem in decore.*] Quamvis Propheta perſonam mutet, tamen hic verſus cum ſuperiore conjungi debet: quia alloquitur ſinceros Dei cultores, quibus aliud etiam beneficium promittit: nempe quod *Regem in decore ſuo videbunt.* quæ promiſſio valde neceſſaria fuit ad ſuſtinendos piorum animos rebus ita afflictis adeoque deſperatis in Judæa. Obſeſſa enim Jeroſolyma, incluſo intra civitatem Rege, perfidis adſtantibus conſiliariis, levi populo tumultuante, omnibus denique ad ruinam ſpectantibus, nihil ſpei ſupereſſe videbatur. Atqui regia poteſtas in familia Davidis ſingulare erat amoris Dei pignus. Huic igitur periculo occurrit Jeſaias, quia, tametſi Regem ſuum ſitu & ſqualore obſitum videat, tamen in priſtinam dignitatem & majeſtatem ſuam reſtituetur. Primum notandum eſt, quam inæſtimabile Dei beneficium ſit tranquillum habere Reipublicæ ſtatum, & bonos Principes, qui ex fide & æquitate omnia adminiſtrent: Deus enim nobis præeſt ipſorum manu. quum ergo non poſtrema ſit hæc felicitas, Propheta hanc partem omittere noluit, felicem ſtatum promittens Dei cultoribus. Interea obſervandum quoque eſt, regnum illud typum fuiſſe regni Chriſti, cujus Ezechias imaginem geſſit. tenuis enim alioqui eſſet hujus promiſſionis fructus, niſi tranſitum ad Chriſtum faceremus, ad quem hæc omnia referri debent. Ne quis me hic allegorias ſequi putet, à quibus ſum alienus, non ſimpliciter de Chriſto interpretor: ſed quia non alibi quam in Chriſto reperitur umbratilis illius regni firmitas, imago quam per ſe ferebat Ezechias, nos ad ipſum veluti manu ducit. Mihi ergo placet ab Ezechia ad Chriſtum anagoge, ut quantus futurus ſit ejus decor, intelligamus. In ſumma, hic reſtitutionem Eccleſiæ promittit Jeſaias. Ejus reſtitutionis duo ſunt membra. primum, ut Rex in decore ſuo appareat: deinde, ut fines regni propagentur. Scimus autem adeo deformatam Chriſti ſpeciem eſſe, ut contemptibilis ſit mundo, quod nihil appareat in eo decoris aut venuſtatis: ſed majeſtas tandem ipſius, magnificentia & decus conſpicua erunt, florebit ejus regnum, & longe lateque propagabitur: tametſi nunc omnia occupent impii, veroſque Dei ſervos opprimant, ut veſtigium vix ullum habeant in quo pedem tuto figere poſſint, expectandus tamen firma ſpe hic Rex noſter, qui illuſtri & ſplendido in ſolio tandem ſedebit, populumque ſuum mirifice exornabit.

18. *Cor tuum.*] Iterum quid malorum impendeat docentur fideles, ne ex inopinato tam duriter oppreſſi ſuccumbant. יהגה alii in præterito, alii in futuro vertunt, quoniam hæc temporum commutatio apud Hebræos uſitata eſt. Ego quia puto admoneri populum de propinquis malis potius quam referri quæ ante pertulerat, futurum tempus libenter retineo, quo etiam utitur Propheta, *meditabitur.* Quærens autem *Ubi ſcriba?* μιμητικῶς refert eorum voces qui terrore expavefacti, in hunc modum exclamant: Ubi ſcriba? ubi appenſor? ut vehementius ipſorum animos afficiat. Si cui abrupta videtur iſta ſeries orationis, quod ſuperiore verſu de Regis decore concionatus nunc terrores proponit, mihi dubium non eſt quin Propheta per comparationem beneficinm Dei amplificet, ut quum liberati fuerint pii, ſtatus ſui conditionem magis æſtiment. Obliviosi enim ſunt homines, & maligni in æſtimandis beneficiis Dei: nec quanta fuit eorum miſeria reputant, poſtquam ſemel erepti ſunt. Eis ergo revocanda ſunt in memoriam miſera & calamitoſa tempora, quibus multa pertulerunt, ut magnitudinem beneficii à Deo præſtiti melius apprehendant. Obſervanda quoque alia ratio eſt cur populum de tali metu commonefieri utile fuerit: ne ſcilicet audito Regis ſplendore vacuitatem ab omni moleſtia ſibi promitteret, ſed paratus eſſet ad ſubeundas quaslibet ærumnas & vexationes. Interea tributarius & obſeſſus tamen intelligeret Deo curæ eſſe regnum Juda, atque liberatum iri è manibus tyrannorum. Eſt autem miſerrima hæc conditio, quam deſcribit Propheta, populum liberæ conditionis tyrannide adeo immani oppreſſum eſſe, ut cenſeantur omnes ejus facultates: domus, prædia, familiæ, ſervi deſcribantur. Quam dura ſit hæc ſervitus, reipſa experiuntur permulti noſtris temporibus, quibus hoc olim inſuetum erat, dum ad minimum uſque quadrantem expendùntur facultates: nec tantum certi reditus, ſed etiam ſpes quæſtus æſtimatur: nec pecuniæ tantum & poſſeſſiones, ſed etiam nomina cenſentur: dum vectigalium novæ excogitantur rationes, non ſolum in cibaria, ſed in minima quæque: adeo ut tyranni magnam ad ſe rapiant earum rerum partem, quibus miſera plebs carere non poteſt. nec tamen his miſeriis hominum inſolentia, libido & protervia caſtigatur. Quid accidet quum liberi ac immunes erunt? nonne malorum omnium obliti & beneficii Dei immemores, effrenatius in omnem luxum & libidinem ferentur? Non fruſtra igitur Propheta miſerum illum populi ſtatum ob oculos proponit, ne inde erepti laſciviant, ſed agnoſcant liberatorem ſuum, eumque toto animo complectantur. Locum hunc à Paulo 1 ad Cor. 1. cap. *1 Cor. 1. verſ. 20.* citari falſo putarunt: quia corrumperet ſenſum Prophetæ, & verba alio torqueret. ac tantum decepti in Scribæ nomine quod hic pro Doctore non capitur. *Scribam* enim vocat eum qui capita, familias, prædia, domos deſcribebat: denique apud quem libri cenſus erant. *Appenſorem* intelligit eum qui recipiebat cenſum: is enim appendebat pecuniam quæ ſolvebatur: cujuſmodi munere funguntur hodie Quæſtores. Moleſtiſſimum vero & odioſiſſimum genus hominum addit, *deſcriptores turrium*, id eſt, ædium inſigniorum. hi enim inquirunt ac perluſtrant ſingulorum domos, ut qui locupletiores ſint, intelligant: quo majorem pecuniam exigere poſſint. His, inquam, velut canibus venaticis uti ſolent tyranni ad ſectanda nummorum veſtigia, ut præter communia tributa extraordinarium aliquid exigatur. Adventum ejuſmodi hominum populo triſtiſſimum eſſe dubium non eſt: nec enim deſinunt; donec ſuccum ejus & ſanguinem univerſum ſuxerint. Si quis Regis ipſius miniſtros intelligere malit, quorum partes erant domos muris urbis vicinas diruere, fruatur ſuo ſenſu. Mihi probabile eſt Prophetam de exactoribus loqui, quos victores imperii ſtabiliendi cauſa præficiunt devictis gentibus.

19. *Populum trucem.*] Alii נועז Robuſtum vertunt: alii Impudentem. ſed dubium non eſt, quin truculentiam Aſſyriorum notare velit. quod poſtea declarat, quum ait nullam cum iis communicationem fore, quoniam diverſa lingua utebantur. Nihil enim eſt quo magis homines ad miſericordiam flectantur quam communicatio ſermonis, qua miſerias ſuas alii aliis exponunt. Hæc ubi deeſt, nulla conciliandorum animorum ratio iniri poteſt: alii aliis ſunt barbari; nec plus ab iis obtineri poteſt,

 quam

quam ſi cum feris aut belluis negotium eſſet. Itaque Propheta miſerum illum populi ſtatum amplificat, ut è diverſo oſtendat quantum fuerit beneficium Dei, eximi à tanto metu. Sicuti alibi Spiritus gratiam Dei commendat, quod ſervatus fuerit in Ægypto populus, quum gentis illius linguam non intelligeret.

20. *Aſpice Sionem.*] Nonnulli in vocativo legunt, O Sion: ſed præſtat in accuſativo legere. Adducit vero promiſſionem quæ multum apud pios omnes valere debet, de reſtitutione Eccleſiæ, qua everſa vel collapſa nulla illis optabilis eſt proſperitas. Sic autem reſtituendam eſſe Eccleſiam docet, ut rem quaſi præſentem ob oculos ponat, quamvis de re futura loquatur: quo ſcilicet plus efficaciæ habeat hæc oratio. perinde acſi diceret, Iterum Sionem inſtauratam, & Jeroſolymam florentem videbis. Tametſi diruta & diſſipata cernant omnia fideles atque deſperent de ſalute ipſius, tranquilla tamen & ſtabilis in ea habitatio futura eſt. Porro *urbem* vocans *ſolemnitatum*, oſtendit unde potiſſimum æſtimanda ſit inſtauratio Sionis, quod ſcilicet illic conveniret populus ad audiendam Legem, ad confirmandum fœdus Domini, ad invocationem nominis ipſius, ad ſacrificia peragenda. His quum populus careret, diſſipatus ac fere perditus erat, quaſi ſejunctus à capite ſuo, atque omnino deſtitutus. Ideo nihil tam deplorabant
Pſal.137. verſ. 5. pii quum Babylone captivi tenerentur, quam exulando à patria, bonis ſimul illis privatos eſſe. atque hanc præcipuam fuiſſe piorum omnium querimoniam ſatis ex pleriſque locis apparet. *Sionem* vero *civitatem* appellat, quod intima eſſet civitas, quæ
1 Reg. 8. verſ. 1. etiam Davidis vocabatur. amplior erat & alius Jeroſolymæ circuitus: nam duplex murus fuit, ut alio loco diximus: idque pleriſque urbibus uſu venit. Hic notandum eſt, reſtitutionem Eccleſiæ præcipuum omnium bonorum & unice exoptandum: cætera omnia quamvis abundantiſſima, nihil eſſe, ſi hoc unum deſit: contra, miſeros nos eſſe non poſſe, quamdiu Jeroſolyma, id eſt, Eccleſia florebit. Tunc autem reſtituitur ac floret, quum Deus præſidet noſtris conventibus, & nomine ejus aggregati, ipſi adhæremus. Impii quidem obtendunt Dei nomen, quaſi ſub ejus auſpiciis conveniant: ſed inanis eſt larva, quum animo longe abſint, nec quicquam ipſo duce aggrediantur. Adhæc fidelibus qui diu vacillaverant inter multas trepidationes, dicit ſecuram & tranquillam fore habitationem in Eccleſia Dei. Cujus pacis tametſi guſtum aliquem Deus populo dedit ſub Ezechia, complementum tamen non niſi in Chriſto fuit exhibitum: non quod filiis Dei quietum ab eo tempore domicilium fuerit in mundo. ſicuti hodie hæc tranquillitas abſcondita eſt: nam vagi & inſtabiles huc atque illuc erramus, variiſque tempeſtatibus & procellis agitamur, innumeri nos invadunt hoſtes, variaque nobis prælia ſuſtinenda ſunt, ut vix momento ullo quieſcamus. Ergo non promittitur ejuſmodi tranquillitas quæ carnis noſtræ ſenſibus apprehendi poſſit: ſed ad intimos animi ſenſus veniendum Spiritu Dei reformatos, ut pace illa fruamur, quæ nullo humano ingenio ap-
Phil.4:7. prehendi poteſt. Omnem enim, ut ait Paulus, ſenſum exuperat. eam haud dubie largietur nobis Dominus, ſi in Eccleſia maneamus. His porro ſimilitudinibus *tabernaculi* & *paxillorum*, Eccleſiæ conditionem vere deſcribit. Potuiſſet enim vocare urbem bene fundatam, ſed tabernaculum dicit: cujus ea eſt natura ut ſtatim alio transferri poſſit: ut quamvis inſtabilem atque variis mutationibus obnoxium Eccleſiæ ſtatum judicemus, ſciamus tamen moveri aut labefactari non poſſe. nam adverſus turbines ac tempeſtates, adverſus omnes hoſtium impetus, præter rei naturam & apprehenſionem ingenii noſtri perſtabit. Hæc duo, quæ videntur inter ſe pugnare, ſola fides conjungit. In tabernaculo quam in munitiſſimis quibuſque arcibus magis firmam ſtationem eſſe. Quo etiam clypeo contra tentationes utendum eſt, quæ alioqui facile fidem noſtram diruerent, quoties Eccleſiam videmus non modo fluctuare, ſed quaſi impetuoſe raptari huc & illuc. Quis enim in illa turbulenta agitatione diceret tutum eſſe habitaculum? Sed quia ſuos Deus non vult penitus in terra defixos eſſe, quo magis pendeant à ſe uno, tutela quam nobis promittit pro centum & mille fulturis habenda eſt.

21. *Quoniam illic fortis.*] Duæ particulæ כי אם ſæpe duplicem affirmationem valent, ſed hic cauſæ redditio eſt: ac commode etiam vertere liceret, Quia ſi. Sed libenter retineo quod dilucidius eſt. Propheta autem cauſam aſſignat cur Eccleſia, quæ ſimilis mobili tentorio videtur, ſtabilitate ſuperet optime fundatas urbes: nempe quia Dominus in medio ejus eſt: quemadmodum etiam dicitur Pſalmo 46. propterea non commovebitur. Quod ſi Eccleſiam ſeparemus à Deo, ſtatim abſque alieno impulſu concidet. conſtabit enim ex hominibus tantum, quibus nihil imbecillius eſt aut magis caducum. Ubi vero Deus habitat nobiſcum, ſuſtinet ac fulcit quod natura infirmum erat, nobiſque eſt inſtar munitiſſimæ arcis, ampliſſimæ foſſæ, vallorum & fluminum urbem omni ex parte cingentium. Alludit autem ad ſitum urbis Jeroſolymæ, cui rivulus tantum exiguus erat, non ampli fluvii & rapidi, quales Babyloni & aliis civitatibus. nam populum alibi unica Jeſa.8:6.
Dei virtute contentum quieſcere juſſit, nec largos illos fluvios appetere, acſi diceret, invictum robur noſtrum fore, ſi Deus nobis præſideat: quia eo tutore & præſide ſatis ſuperque muniti erimus. *Non tranſibit navis.* Hoc incommodi habent magni amnes, quod aditum hoſtibus præbere poſſint, ut ad nos propius quam expediat navibus accedant. Ita ſæpiſſime nocet, quod admodum juvare videtur. Dominus autem ſe ita *pro fluvio* futurum dicit, ut nullum tale incommodum metuendum ſit, nec hoſtibus pateat aditus. Duas vero navium ſpecies enumerat, longas & onerarias, ut hoſtes modis omnibus prohibitum iri oſtendat. Utiliſſima hinc doctrina colligenda eſt, Non eſſe petendam aliunde ſalutis fiduciam quam ab uno Deo, ac fruſtra cumulari varia præſidia, quæ inania, imo pernicioſa nobis futura ſunt, ſi ipſo careamus.

22. *Quoniam Jehova judex.*] Definit jam Propheta quomodo Deus reſideat in Eccleſia: nempe, quod illic colitur & agnoſcitur ut Judex, Legiſlator & Rex. nam qui Deo parent ſeque ipſi tanquam Regi ſubjiciunt, experientur ipſum præſidem ſalutis ſuæ: qui vero ejus nomine falſo gloriantur, fruſtra eum ſibi affuturum ſperant. Tantum nos ſubjiciamus ejus imperio, audiamus ejus vocem, & pareamus: ipſe viciſſim ſe patronum & fideliſſimum cuſtodem præſtabit. Sed quum ſpernimus ejus vocem, ac Verbo ſumus immorigeri, minime profecto mirum eſt nos in periculis deſtitui ab ipſo ac deſeri. Hinc etiam notandum eſt, quæ vera ſit Eccleſia Dei, quæ ſcilicet Legiſlatorem ipſum ac Regem agnoſcit. Qua fronte igitur Papiſtæ audent jactare Eccleſiam Dei, quum legitimam ejus adminiſtrationem, qualis per Moſem, Prophetas, & Chriſtum inſtituta eſt, reſpuant, atque ejus loco figmenta & nundinationes fœdas ſubſtituant? Exercent crudelem tyrannidem in conſcientias, ereptaque omni libertate qua nos Chriſtus donavit, miſere divexant animas atque in exitium ducunt. atqui ſolius eſt Dei conſcientiis dominari, quum ſolus ſit Legiſlator & Judex, noſque Jacob. 4. verſ. 12.
ſolus Verbo ſuo regere & moderari debeat. Conjungit autem hic tres voces, *Judicis*, *Legiſlatoris*, *Regis*: quod res ſit admodum ſeria, nec negligenter prætereri debeat. Si ergo patiamur nos ab ipſius Verbo regi, nunquam deerit nobis. atque hæc unica ſalutis obtinendæ ratio eſt.

23. *Laxati*

23. *Laxati ſunt funes.*] Convertit ſermonem ſuum ad Aſſyrios, ſub quorum perſona omnes etiam Eccleſiæ hoſtes alloquitur. Poſtquam enim firmitatem Eccleſiæ promiſit quæ nunquam vacillet, perſtringit ſtultam confidentiam qua turgent impii: acſi profundiſſimis radicibus centrum terræ attingerent. Quamvis ergo fundatiſſimas eſſe opes ſuas imaginentur, dum inebriat proſpera fortuna, prædicit ſubitam illis ruinam inſtare, quia manu Dei non ſuſtinentur. Perſequitur autem ſimilitudinem qua initio uſus erat. Dixerat enim Eccleſiam ſimilem eſſe loco munito & circumdato fluviis ampliſſimis, per quos hoſtibus acceſſus non pateat. nunc impiorum ſtatum navibus comparat: quo ſignificat eos ſolidum fundamentum non habere, tametſi formidabiles ſe præbeant, ardeant inſania, & ferociter ſæviant, nec quiſquam eorum furori reſiſtere poſſe videatur. Tametſi igitur naves eis longæ & onerariæ ſint, quibus longiſſime disjunctas regiones quodammodo conjungunt, terræque & maris imperium obtinent, nihil tamen diuturni aut firmi apud ipſos erit. evertet Dominus eorum naves, abruptiſque funibus & malis, eodem naufragio ipſos involvet. Ne igitur eorum violentia & audacia terreamur, ſed Domini diem expectemus, quo furorem ipſorum & violentiam in eorum capita convertet.

24. *Et non dicet.*] Propheta iterum ad Eccleſiam revertitur. nam quod exitium Aſſyriis minatus eſt, hoc etiam ad piorum conſolationem pertinebat: quandoquidem non aliter ſalva maneret Eccleſia, niſi tot hoſtium qui undique eam infeſtant injuriis, Deus ſuum patrocinium opponeret. Ergo ubi breviter attigit, reprobos omnes qui filiis Dei moleſti ſunt, diſruptum iri, merito argumentum ſuum proſequitur, Deum nihil omiſſurum quo piorum ſalutem promoveat. Cives ergo Eccleſiæ liberos ab incommodis omnibus fore dicit, quia Deo propitio feliciter habebunt. Poſterior enim pars verſus exegetica eſt: quia oſtendit tunc demum nihil obſtare quin vigeant inter nos Dei benedictiones, ubi nobis remiſſa ſunt peccata. Unde etiam colligimus quicquid miſeriarum nobis incumbit, non manare ex alio fonte quam ex peccatis noſtris. Alioqui ratio quam reddit, remotior ac minus propria videri poſſet. ſed principium illud ſtatuendum eſt: quæcunque nobis Deus infligit mala, totidem eſſe ſigna iræ ejus. unde ſequitur, reatu ſublato, nihil aliud reſtare quam ut Deus benigne quicquid opus eſt largiendo nos paterno ſinu foveat. Quare ſi cupimus à malis eripi, hunc ordinem tenere convenit, ut primum reconciliari Deo quæramus. Cauſa enim ſublata facile effectus tolleretur. Sed quum præpoſtera ſint noſtra deſideria, & tantum de pœnis ſolliciti connivamus ad radicem malorum, nullam eorum allevationem nobis afferri mirum non eſt. Falluntur ergo, qui quum ſibi placeant in vitiis ſuis, malorum vacui & immunes eſſe volunt. quod ſi nihil adverſi patiantur, tamen miſeri eſſe non deſinent: nec vero tranquilli animo eſſe poterunt, quamdiu ipſos ſcelerum conſcientia perſequetur. In hoc igitur conſiſtit vera felicitas, ſi veniam à Deo adepti, quæcunque ex ejus manu percipimus beneficia ex animo ſentimus fructus eſſe paterni ejus favoris. Diſcamus præterea non aliter poſſe nos Deo placere, ut nos pro filiis cenſere dignetur, niſi quum peccata imputare deſinit. Sola igitur gratuita reconciliatio Deum nobis placat, & ejus beneficentiæ viam ad nos ſternit. Quod autem nuſquam cernitur iſta à malis immunitas, id promiſſioni fidem non abrogat, quia abunde ſufficit fidelibus hoc in malis ſolatium, etiam dum caſtigantur manu Dei dilectos nihilominus eſſe filios. Quatenus enim regeniti ſunt ejus Spiritu, benedictionem guſtare incipiunt quæ integra vigebat ante lapſum Adæ. Quia autem multis peccatis onerantur, aſſidua purgatione indigent. Sed interea pœnas temperat Deus eorum infirmitati indulgens, & eorum ſaluti ſe conſulere demonſtrans, dolorem ſi non abolet in totum, mitigat tamen ac lenit. Ideo non abs re Propheta à communibus miſeriis, quatenus ſunt Dei maledictiones, eximit Eccleſiam. Unde etiam apparet quam puerilis ſit diſtinctio Papiſtarum de inani culpæ remiſſione: acſi Dei judicio ſatisfaciendum eſſet. Atqui longe aliter docent Prophetæ, quemadmodum ex variis locis colligere promptum eſt. Quod ſi hic tantum locus extaret, quid apertius dici poteſt, quam ceſſare languores, quia remiſſa eſt iniquitas? Certe tantundem hoc valet, acſi dictum eſſet, ceſſare pœnam eo quod remiſſa ſit culpa. Verum quidem eſt, quamvis placatus ſit Deus, interdum pœnam infligere fidelibus: nempe ut paterna caſtigatione melius eos in futurum erudiat, non autem ut vindictam exigat, acſi dimidia tantum ex parte reconciliatus foret. Papiſtæ vero pœnas ſatisfactorias eſſe volunt, quarum compenſatione quodammodo ſe redimat peccator, reatumque ſuum aboleat. Quod ex diametro pugnat cum gratuita venia. Ita concidunt putrida eorum figmenta tam de ſatisfactionibus, quam de igne purgatorio. Notatu etiam dignum eſt quod ſoli Eccleſiæ cives hoc privilegio ornantur: quia extra corpus Chriſti & piorum ſocietatem nulla cum Deo reconciliatio ſperanda eſt. Unde profitemur in ſymbolo nos credere Eccleſiam catholicam, Remiſſionem peccatorum. quia ſicuti non alios complectitur amore ſuo Deus niſi quos cenſet inter unigeniti Filii membra, ſic non ultra ejus corpus extendit gratuitam juſtitiæ imputationem. unde ſequitur, extraneis qui ſe ab Eccleſia disjungunt, nihil reſtare niſi ut in ſua maledictione putreſcant. Quare & diſceſſio ab Eccleſia aperta eſt æternæ ſalutis abnegatio.

CAP. XXXIV.

Accedite gentes ad audiendum, & populi attendite. Audiat terra, & plenitudo ejus: orbis, & cuncta germina ejus.

2. Quia indignatio eſt Jehovæ ſuper omnes gentes, & furor ſuper omnem exercitum earum: vaſtavit eas, tradidit eas in mactationem.

3. Interfecti earum abjicientur, & è cadaveribus eorum aſcendet fœtor earum, ac liqueſcent montes præ ſanguine eorum.

4. Et tabeſcent omnes exercitus cælorum, & complicabuntur ut liber. Cæli & omnes exercitus eorum defluent, ſicut defluit folium è vite, & ſicut defluit ex ficu.

5. Quoniam inebriatus eſt in cælis gladius meus: ecce ſuper Edom deſcendet, ſuper populum, inquam, anathematis mei in judicium.

6. Gladius Jehovæ impletus eſt ſanguine, impinguatus eſt ab adipe: ſanguine, inquam, agnorum & hircorum: adipe renum arietum. Quoniam victima Jehovæ in Bozra, & mactatio magna in terra Edom.

7. Et deſcendent unicornes cum eis, & juvenci cum tauris: & inebriabitur terra eorum ſanguine, & pulvis adipe impinguabitur.

8. Quoniam dies ultionis Jehovæ, annus retributionum in cauſam Sion.
9. Et convertentur flumina ejus in picem, & pulvis ejus in ſulphur: eritque terra ejus
in picem ardentem.
10. Noctu & die non extinguetur, perpetuo aſcendet fumus ejus: à generatione in ge-
nerationem devaſtabitur, perpetuis æternitatibus nemo tranſibit per eam.
11. Itaque accipient eam in poſſeſſionem pelicanus & ulula: noctúa & corvus habita-
bunt in ea: extendetque ſuper eam funiculum inanitatis & lapides perpendiculares vani-
tatis.
12. Nobiles ejus ſine regno vacabunt: & cuncti principes ejus erunt nihilum.
13. Proferet in palatiis ejus ſpinas, & urticam, & carduum in arcibus ejus: eritque habi-
taculum draconum, & manſio pullis ſtruthionis.
14. Et occurrent beſtiæ ſylveſtres ſatyris, & ſtrix ad ſocium ſuum vociferabitur: etiam
Lamia ibi pernoctabit, invenietque ſibi manſionem quietam.
15. Ulula faciet ibi nidum, & incubabit & excludet, & congregabit in umbra ejus:
quin etiam vultures ibi congregabuntur, unaquæque cum ſocia ſua.
16. Sciſcitamini ex libro Jehovæ, & legite, numquid unum ex illis fuerit ſubtractum.
Nullum ſociæ ſuæ deerit: quoniam os ejus præcepit, & ſpiritus ejus congregavit eas.
17. Et ipſe projecit eis ſortem, & manus ejus diviſit illis in perpetuum, quaſi per funicu-
lum. Ideo hæreditabunt eam, in generationem & generationem illic habitabunt.

A*Ccedite gentes.*] Hactenus Propheta conſolari volens Dei filios quaſi in medio ipſorum concionatus eſt: nunc ad Gentes convertens ſermonem idem argumentum, diverſa tamen ratione, proſequitur. nam quum prius [cap: 33. verſ. 5.6, 15. 16. 17, 20. 21, 22.] oſtendit Dominum eam populi ſui curam gerere, ut ejus ſervandi rationem inveniat, nunc etiam adjungit quod antea ſæpe vidimus, ubi ad tempus paſſus fuerit vexari ab improbis, vindicem tandem fore. Idem igitur argumentum contexit, ſed alio genere conſolationis: quia deſcribit quam gravem ſumpturus ſit Deus ultionem de impiis qui populum ſuum laceſſiverint. Quo vero magis excitet ipſos, hoc exordio conclamat veluti convocaturus gentes pro officio præconis ad Dei tribunal. Sic enim impiorum torporem excuti oportebat, qui in otio & rebus proſperis minas omnes contemnunt, nec Deum ultorem ſcelerum ſuorum fore exiſtimant. Quanquam in hac vehementia rationem potius habet Eccleſiæ. quoniam alioqui verba apud ſurdos abſque profectu protuliſſet. Alloquitur autem Idumæos qui hæc judicia ſecure contempturi erant: atque ideo adverſus ipſos cælum & terram conteſtatur. nam judicium adeo conſpicuum & illuſtre fore dicit, ut non tantum populis omnibus, ſed mutis quoque [Deut. 32. verſ. 5.] creaturis pateſiat. Atque hic uſitatus Prophetis mos eſt, ad mutas ſcilicet creaturas provocare, quum homines quamvis ratione & intelligentia [ſupr. 1: 2.] præditi ſtupent, quemadmodum prius cap. 1. vidimus.

2. *Nam indignatio Jehovæ ſuper omnes gentes.*] Gentes haud dubie intelligit quæ Judæis infeſtæ & ſimul vicinæ erant. nam quum varii Judæos populi undiquaque cingerent, tot fere ipſis fuerunt hoſtes, quot vicini. Etſi autem aliæ erant odii cauſæ, ſicuti æmulatio: diverſa tamen religio rabiem eorum maxime accendit, qui indigne ferebant ſuas ſuperſtitiones damnari. Quo major ratio fuit cur Deus judicem ſe & ultórem fore promitteret. Addit, *ſuper omnem exercitum*, quod pauci numero eſſent Judæi, ſi quis eos cum reliquis gentibus comparaſſet. Quamvis ergo ſua multitudine ſuperbirent gentes, & Judæorum paucitatem deſpectui haberent, facile tamen Deo fore affirmat eas comminuere ac conterere, ut puſillum gregem ſuum, cujus cuſtos eſt, conſervet. At tametſi de rebus futuris loquatur, tamen præterito uti voluit, ut in rem præſentem adduceret, qui rebus adverſis obruti jacebant. Neque enim hæc, ut nuper attigi, ob Idumæos prædixit, apud quos nullus erat huic doctrinæ locus, ſed in gratiam piorum, quos conſolari volebat, quod miſere ab hoſtibus vexati eſſent.

3. *Interfecti eorum abjicientur.*] Hac circumſtantia ingentem fore cladem docet: quia ſi pauci ſint interfecti terra conduntur. ubi vero tanta multitudo in unum contracta eſt ut ſuperſtites ad ſepeliendum non ſufficiant, nulla humandi cura eſt, ideoque cadaverum fœtore corrumpitur aër. Unde apparet ad ſternendos innumeros exercitus Deum ſatis valida potentia eſſe inſtructum. Forte etiam judicium Dei exaggerare voluit Propheta, quia ad cædem gentium ignominia & dedecus accedet, ut ſepulchri honore & officio careant. Alia quoque figura amplificat magnitudinem ſtragis, quia *defluet ſanguis ex montibus*, acſi liqueſcerent ipſi montes: ut quum aquæ ex magnis imbribus violenter currentes terram una ſecum devolvunt. Hoc etiam modo nullum fore perfugium docet, quia per montes ipſos graſſabitur non ſecus atque in conflictu gladii ſævitia.

4. *Tabeſcent.*] Hyperbolica oratione utitur Jeſaias: ſicuti aliis etiam Prophetis uſitatum eſt: nempe ut horrorem illum judicii Dei amplificet, tardoſque & hebetes animos hominum percellat. frigeret enim alioqui ſermo ipſius, parumque apud homines ſecuros proficeret. Addit igitur *Sidera* quoque ipſa in ejuſmodi ſtrage tractura nigredinem acſi contabeſcerent, quo magis luctuoſum cladem illam fore oſtendat. quemadmodum tenebroſo & turbulento cælo nubes convolvi, Sol & ſtellæ palleſcere, & quaſi deficere, ſuperaque illa omnia nutare & ruinam moliri videntur: ſic eo tempore idem eventurum, plenaque triſtiſſimi luctus omnia fore ſignificat. Hæc autem ad hominum ſenſum referri debent. cælum enim loco ſuo non movetur, ſed quum Dominus iræ ſuæ ſigna profert, ita terremur, acſi Dominus cælum contraheret aut dejiceret: non quod tale quicquam cælo contingat, ſed homines ſecuros alloquitur, quos ita compellari oportuit, ne rem levem aut ridiculam eſſe exiſtimarent, Tantus vos conſternabit pavor, ut cælum in capita veſtra ruere vobis videatur. Hæc juſta eſt ſocordiæ merces, ut umbram ſuam metuant impii qui nullo tanguntur Dei timore, & ad ſtrepitum folii cadentis non ſecus expaveſcant quam ſi Sol è cælo caderet. Simul tamen notatur terribilis rerum mutatio quæ ſurſum & deorſum omnia conturbet.

5. *Quoniam inebriatus eſt in cælo.*] Sanguinolentum Domini gladium eſſe dicit, quemadmodum cædibus multis editis gladii cruore madent. & quo plus ponderis habeat oratio, Dominum loquentem introducit. Sed cur id *in cælo* eſſe dicit? nec enim Deus evocat in cælum homines, ut pœnas de ipſis ſumat.: ſed judicia ſua mundo & quidem per manum hominum conſpicua facit: nempe Propheta hic reſpi-

cit

cit decretum arcanum Dei, quo conſtituit & ſancit omnia, priuſquam exequatur: nec intelligit de actu ipſo, ſed vaticinii efficaciam commendat, quod immutabili Dei conſilio certus effectus conſtet: ut quamvis ſibi indulgeant impii, atque impune graſſentur, Dominum tamen in cælo quæſtionem de ipſorum ſceleribus habere intelligant fideles: & quamvis alta pace fruantur illi, gladium tamen quo cædendi ſunt, jam in conſpectu Dei ſanguinolentum eſſe, quum pœnas de iis ſumere conſtituit.
Gen. 18. verſ. 20. quemadmodum Sodoma jam ardebat coram Deo, quum ſe vino & cibis ingurgitaret, atque indulgeret libidinibus ſuis: ita de reliquis impiis dicendum eſt, qui dum vacant deliciis, mactationi Dei addicti tenentur. Proinde non eſt quod hæreamus in præſenti rerum ſtatu, dum impios proſperis rebus frui, omniaque ex animi voto agere videmus. quamvis nemo ſit illis moleſtus, tamen ab interitu haud longe abſunt, quum infenſum ſibi & adverſum Deum habent. Statim vero diſerte Idumæos nominat, qui infeſti erant populo Dei, tametſi neceſſitudine ſanguinis conjuncti, eademque religionis nota inſigniti
Gen. 36. verſ. 43. eſſent. Erant enim, ut alibi dictum eſt, poſtori Eſau, originemque ab Abrahamo ducebant. Ut hodie nullos capitaliores Papiſtis habemus hoſtes, qui eodem nobiſcum Baptiſmo inſigniti, Chriſtum etiam profitentur, nos tamen rabide inſectantur prorſuſque deletos vellent, quod eorum ſuperſtitiones & idolorum cultum damnemus. tales erant Idumæi. ideoque ipſos ex toto hoſtium numero potiſſimum delegit. *Populum anathematis* vocans, quam protulit ſententiam confirmat: quia fruſtra interitum, cui jam deſtinati ſunt ac devoti, effugere tentarent. Nam hac voce cæleſti decreto jam perditos eſſe denunciat: acſi jam ſegregati & exciſi eſſent è numero vivorum. & ne immerito id Deus feciſſe videatur, addit, *in judicium*. nihil enim promptius eſt hominibus, quam Deum ſævitiæ inſimulare: ac major pars ipſum juſtum judicem, præſertim ubi durius caſtigat, agnoſcere ægre ſuſtinet. Quamobrem æquum ejus judicium eſſe demonſtrat Jeſaias, ubi nihil crudeliter aut nimis ſevere admittitur.

6. *Gladius Jehovæ.*] Proſequitur eandem ſententiam: ſed alia deſcriptione quæ ad amplificationem non parum facit: ut ſcilicet impiis torporem excutiat, qui omnem doctrinam ridere atque eludere ſolent ſicuti prius annotavimus. Propterea judicia Dei tanquam viva pictura deſcribi neceſſe eſt, quæ non modo ſtupidos eorum animos percellat, ſed pios animet ſancta fiducia, dum intelligunt ſuperba contumacia nihil proficere hoſtes ſuos, quin trahantur pecudum inſtar ad cædem ſimulac Deo viſum fuerit. Hanc vero comparat *ſacrificiis*: quia ut immolantur victimæ ad cultum & honorem Dei: ſic etiam exitium hujus populi in gloriam Dei ceſſurum ſit. Atque hic confirmat quod prius de judicio dictum eſt. nam quum judicia ſua exercet Dominus, illuſtratur ejus gloria: & homines ipſum reverentur ac reformidant. ut merito impiorum perditio ſacrificiis comparetur, quæ ad cultum ejus pertinebant. Sacrificiorum quidem aſpectum non adeo ſuavem & jucundum fuiſſe certum eſt: ubi fœda carnificina, cruor madens, fumi graveolentia homines abſterrere poterat. In iis tamen refulgebat honor Dei: ſic etiam hæc ſtrages aſpectu deformis fuit, & ad conciliandam gratiam minime apta: ſed ut fideles Dei nomen hac in parte ſanctificent, attollere jubentur in cælum oculos: quia Deus tales pœnas exequendo altaria ſibi erigit mactandis ſacrificiis. Quia enim illi injuſte Eccleſiam Dei affixerunt, omniſque humanitatis obliti filios Dei crudeliter tractarunt, in eorum ſanguine pronunciat Jeſaias offerri ſacrificium boni odoris, Deoque gratiſſimum, quia judicium ſuum exequitur. *Agnorum & hircorum* nomine metaphorice deſignat populum qui mactandus erat, & ad diverſas hoſtiarum ſpecies alludens omnes comprehendit tam plebeios quam magnates: ut ſignificet Dominum ita ſumpturum pœnas de hoſtibus, ut nemo qualiſcunque ſit, eximatur. *Bozra* vero primariam urbem & veluti caput gentis nominat, in qua erit præcipua cædes: deinde regionem *Edom* ſubjungit, per quam univerſam pervagabitur etiam hæc clades.

7. *Et deſcendent.*] Cohæret hic verſus cum proximo. nihil enim ſubjicit novi, ſed pergit in eadem figura, amplificans quod dixerat de arietibus & hircis: quibus non modo addit juvencos, ſed etiam feras & ſylveſtres beſtias. Summa eſt, præciſam fore Dei vindictam ut nulli vel ætati vel ordini parcat, truculentos etiam gigantes cum inani ſua feritate jugulandos objiciat: quemadmodum ſi quis promiſcue ſacrificium pararet ex quovis animalium genere. Neque abſurdum videri debet, quod agni ſævis beſtiis miſceantur: quia non commendatur agnorum nomine ſimplicitas vel innocentia: ſed per comparationem ita vocantur tenues & plebeii, quos ſua conditio ſub aliqua modeſtiæ ſpecie continuit. Etſi autem Deum ita hoſtiliter paſſim graſſari durum videtur: Sacrificii tamen voce aſſerit ſibi juſtitiæ laudem. Et certe ubi ad ejus examen ventum fuerit, nemo reperietur extra culpam: ut merito ſine exceptione funditus omnes perdat. Talis exitus reprobos omnes manet, qui ſponte conſecrare ſe Deo abnuunt: ut profanis manibus immolentur. אבירים, nonnulli pro Robuſtis accipiunt: malui eos ſequi qui Tauros exponunt, quemadmodum etiam Pſal. 50. Pſal. 50. verſ. 13.
accipitur: tametſi hic figurate Tauros nominat eos qui prævalent viribus & potentia.

8. *Quia dies ultionis.*] Hic verſus cum prioribus jungi debet. Finem enim notat cur Dominus ita ſeverus ſit erga Idumæos: nempe, quod ulciſci populum ſuum & cauſam ipſius tueri velit. Niſi igitur accederet iſta cauſæ redditio, ſuperiora obſcura eſſe poſſent vel frigida. Vaga enim eſſet quædam notitia, niſi obſervaremus Deum ulciſcendo impios, teſtari amorem ſuum & ſollicitudinem quam aſſidue gerit pro ſuis conſervandis. Quod autem de Idumæis dictum eſt, ad univerſos Eccleſiæ hoſtes extendi certum eſt, quandoquidem ſub una ſpecie totum genus complexus eſt Propheta: ideoque hac conſolatione animos noſtros in rebus adverſis erigi, & ſuſtineri injurias noſtras, venturas tamen in rationem coram Deo, qui ſibi has partes non fruſtra vendicat. Neque enim ſolum intelligit Propheta in ejus manu eſſe pœnas exigere de improbis, quoties viſum fuerit, ſed ideo regnare in cælo, ut omnem injuſtitiam ſuo tempore puniat. Sed notandæ ſunt voces *diei & anni*: quibus admonet non dormire in cælo Deum, quantiſper diſſimulat, ſed vindictam differre in tempus opportunum: ut interea fideles animas ſuas poſſi- Luc. 21.
deant in patientia, ſinantque ipſum pro incompre- verſ. 19.
henſibili ſua ſapientia moderari.

9. *Et convertentur.*] Quæ nunc ſubjungit Propheta, nihil novi continent, ſed vaſtitatem hanc plenius deſcribunt. Expoſuimus prius cur vivis iſtis picturis Prophetæ judicia Dei proponant, ut ſcilicet adducant homines in rem præſentem, eaque agnoſcere cogant quæ oculos ipſorum & mentes effugiunt: aut etiam conſpecta & apprehenſa ſtatim obliviſcuntur. Sed præterea notandum eſt, Prophetas de rebus abſtruſis atque abſconditis loquutos eſſe, & quæ vulgo incredibiles videbantur. Nam hæc temere à Prophetis jactari permulti exiſtimabant. Oportuit ergo multas adhiberi confirmationes, qualibus & hic & aliis locis utitur. Itaque horrendam mutationem ſignificat, qua univerſa Idumææ facies deleatur. Cæterum, alludit ad excidium Sodomæ & Go- Gen. 19.
morrhæ: quæ ratio ſatis uſitata eſt Prophetis. In eo verſ. 24.
enim, ut monet Judas, perpetuam imaginem habe- Jud. v. 7.
mus iræ Dei in reprobos, nec fruſtra ipſum Prophetæ

in

in memoriam revocant, ut omnes diſcant timere judicia Dei. Atque eodem pertinet quod ſubjicit:

10. *Noctu & interdiu.*] Certum eſt Prophetam hyperbolice loqui: verum ſic Dominus nobiſcum agere cogitur, expergefaciendi ſtuporis noſtri cauſa: nec enim alioqui ſimplicibus verbis afficeremur. Iram ergo Domini adverſus Idumæos perpetuo incendio ſimilem fore dicens, ſpem illis veniæ præcidit, quia ſicuti Deum provocare non ceſſarunt, ita inexorabilem ſentiant: atque hoc reprobationis
Mal. 1: 4. ſignum Malachias quoque ponit, quod in gente illa Dei maledictio quaſi infixa hærebit. Subaudienda eſt antitheſis, quia filiis Dei ſemper in ſolatium proponitur aliqua mitigatio. Sed hæc longam interpretationem non deſiderant: ſatis eſt quod Prophetæ mentem & ſcopum tenemus.

11. *Itaque accipient.*] De his animalibus variæ ſunt ſententiæ: nec de iis inter ſe conſentiunt Hebræi interpretes: planum eſt tamen quo ſpectet Propheta: nempe, ut deſertum locum & vaſtam ſolitudinem deſcribat. Beſtias enim horrendas & monſtra deformia haud dubie commemorat, quæ nec verſari cum hominibus, nec ipſis vulgo nota eſſe ſolent, quo magis horrendam fore ſignificet hanc vaſtitatem. Itaque prius membrum ſatis planum eſt, ſed poſterius habet aliquid difficultatis. *Funiculum inanem* nonnulli per antiphraſin exponunt, & intelligunt de Judæis. Ego vero ſimplicius accipio, atque ad Idumæos, ut reliqua ſuperiora, referendum puto. Et quo melius liqueat genuinum hunc eſſe Jeſaiæ ſenſum,
Mal. 1: 4. eadem verba apud Malachiam, qui longo poſt tempore ſequutus eſt, primo capite leguntur. Eſt autem locus ille hujus vaticinii quaſi ſubſcriptio. Si dixerit Edom, Attenuati ſumus, revertemur igitur, & ædificabimus ſolitudines: ſic dicit Dominus exercituum, Ipſi quidem ædificabunt, ego vero diſſipabo: & vocabunt eos terminos impietatis, & populum in quem iratus eſt Dominus uſque in ſeculum. Et oculi veſtri videbunt, atque dicetis, Magnificetur Dominus ſuper terminos Iſraëlis. Hæc igitur apertius à Malachia dicuntur, quæ prius obſcure ab Jeſaia prædicta erant. Ille enim fruſtra ædificaturos Idumæos pronunciat: hic vero extenſuros funiculum inanem. perinde enim eſt acſi dixiſſet, Architectos fruſtra operam ſumpturos civitatibus inſtaurandis: nam funiculis & perpendiculis utuntur architecti, quibus omnia dimetiuntur. Irritos ergo eorum conatus fore oſtendit, qui Idumæam inſtaurare volent: ſic enim perdendos eſſe ſignificat, ut ab illo exitio exurgere nulla ratione queant: quum tamen alias clades ſoleat Dominus conſolatione aliqua temperare. Atque hinc utiliſſima doctrina colligenda eſt, quum in ſtatum aliquem reſtituuntur urbes, poſtquam diſſipatæ fuerint, id ſingulari Dei beneficio accidere. inania enim erunt architectorum aut artificum opera, niſi manum præbeat tum jaciendis fundamentis, tum promovendo operi. Inane etiam opus & inutile futurum eſt, niſi ad faſtigium uſque perducat, ac deinde recipiat in tutelam ſuam. Fruſtra homines ſumptus magnos facient, & omnia tentabunt, niſi præſit ipſe atque operi benedicat. Sola igitur Dei benedictione ſtatum aliquem obtinemus: unde etiam ma-
Pſal. 48. *verſ.* 9. *&* 87: 5. nus ejus Jeroſolymam fundaſſe dicuntur. Quod autem minatur hoc loco Idumæis Jeſaias, alibi pronun-
Jeſa. 14. *verſ.* 32. ciat Spiritus de domo Achab, radicitus abolendam quoque ipſam eſſe ſignificans.
2 Reg. 21. *verſ.* 13.

12. *Nobiles ejus.*] Variæ ſunt hujus loci interpretationes, quas ideo non refero, quia ſingulas refellere longum eſſet. Hæc inter alias probabilis eſt, Nobiles ejus vocabunt ad regnum, ſed fruſtra: acſi dixiſſet, in deplorato ſtatu neminem repertum iri qui ipſis præeſſe, & reipublicæ curam ſuſcipere velit. Hujuſ-
ſupr. 3. *verſ.* 6, 7. modi ſententia alibi legitur, imo fere ſimilem antea vidimus. ſed verba non reſpondent. Quum autem ſic loquatur Propheta, Principes ejus, & non ibi, Regnum vocabunt, non dubito quin ſalſo dicterio perſtringat gentis illius ſuperbiam, quæ longa pace & opulentia creverat. Quum ergo è ſuis montibus excelſum faſtum ſpirarent Idumæi: ignominioſe dejectum iri tradit Propheta, ut nulla illic futura ſit nobilitas, nullus principatus: quemadmodum everſo regno regimen tollitur, ut promiſcua plebs corpori trunco vel lacero ſit perſimilis, nullaque eſt ordinum diſtinctio. Ita magnificos illos proceres, qui ſe tantopere extulerant, per ludibrium dicit fore principes abſque principatu: quod ex ſecundo membro melius patet, ubi exegetice adjungit, *redigendos eſſe in nihilum.* Summa eſt, Idumæam mutilo corpori fore perſimilem, ne in ea quicquam appareat præter horrendam confuſionem. Atque hæc extrema Dei maledictio eſt: quia nihil fere à beſtiis different homines, ſi politia careant, imo longe deterior erit eorum conditio. Nam beſtiæ poſſunt carere gubernatore, quod in genus ſuum non ſæviant: homine vero nihil crudelius, niſi freno aliquo coërceatur, quia ſua quemque libido quaſi furia ad licentiam impellet.

13. *Et proferet in palatiis.*] Pergit in eodem argumento. Horrendam enim vaſtitatem deſcribit, qua magnificæ domus & palatia ſolo æquantur, vel in eam ſolitudinem rediguntur ut nulli ſint hominibus uſui, ſed illic ſentes, ſpinæ, urticæ ſolummodo naſcantur: hoc enim plus indignitatis habet, quam ſi in agros & prata verterentur. Sic autem Dominus arrogantiam eorum punit, qui excelſas ſplendidaſque ædes & palatia ſumptuoſa extruxerunt, ut perpetua ipſorum apud poſteros extaret memoria. Expulſis enim hominibus, ea domicilia in volucrum & ferarum receptacula convertit, ut ſtultæ ambitionis monumenta extent, quæ nominis ſui & gloriæ velut trophæa fore ſperarunt. Ita hominum loco ſuccedunt feræ beſtiæ, quæ eorum referant naturam, qui præclara illa domicilia extruxerunt. Hæc etiam converſio ordinis triſte ſignum eſt iræ Dei, ubi terra, quæ in hominum uſum creata eſt, profligatis naturalibus dominis, alios incolas recipere cogitur. Quia certum eſt tunc inquinamentis purgari, quibus polluta erat.

14. & 15. *Et occurrent.*] Hæc animalia, alii Faunos, alii Striges, alii Satyros eſſe putant, nec ſatis apud Hebræos conſtat quid proprie ſignificent: ſed nihil eſt cur in iis magnopere torqueamur: ſatis enim eſt, ſi Prophetæ ſenſum & finem teneamus. Depingit enim formam horrendæ vaſtitatis: acſi diceret, ita delendam eſſe Idumæam, ut careat incolis, atque hominum loco horrendæ in ea beſtiæ habitaturæ ſint. Hanc juſtiſſimam ſcilicet mercedem reportat eorum ambitio, qui ſumptuoſa palatia, quaſi nominis & famæ monumenta ædificarunt, ſicuti jam dictum eſt. Quanquam hic pœna denunciatur impiæ gentis crudelitati, quæ ad vicinos & fratres opprimendos ardentiſſimo ſtudio incubuerat. Cæterum quamvis certo aſſerere non liceat Lamiasne, vel Striges, an Satyros, & Faunos deſignet Propheta: ſatis tamen convenit inter omnes his vocibus notari animalia faciem hominum geſtantia. Videmus etiam quam variis præſtigiis illudat Satan, qualia ſpectra & terrifica monſtra appareant, quales tumultus & ſtrepitus audiantur. Sed de his jam cap. 13. tractavimus. Porro vitium quod tam ſevere ultus eſt Deus in una gente, omnibus fere commune eſt. Vix enim extruuntur magnificæ illæ domus, quin multa per vim & injuriam extorqueantur à tenuioribus, multæ magnæque inferantur aliis moleſtiæ: ita ut cæmenta, lapides & ligna coram Deo ſanguine redundent. Propterea clamabit, ut inquit Abacuc, lapis de pariete, *Abac.* 2.
cui & laquear ex tabulato teſtimonium feret. Ne *verſ.* 11.
ergo miremur horrendas iſtas mutationes, ubi rapinas & injuſtas ſpoliationes ſecum trahit ambitio, ſed judicia Domini juſta ſuſpiciamus.

16. *Sciſci-*

16. *Sciſcitemini ex libro.*] Per librum Domini, nonnulli hanc prophetiam intelligunt: acſi moneret, ut attente legeretur hoc vaticinium: fore enim ut ſuo tempore ne minimus quidem apex deficiat, quemadmodum poſtea ſubjiciet. Alii vero ſubtilius exponunt de æterno decreto Dei: Inquirite, an non tale ſit conſilium Dei: ſed hæc expoſitio nimis coacta eſt. Ego libenter interpretor de Lege ipſa, quæ per excellentiam Liber Domini vocatur. nam ex ea, velut ex fonte, doctrinam ſuam Prophetæ hauſerunt, ſicuti jam ſæpe monuimus. Ergo ne vaticinio fidem abroget novitas, dicit Jeſaias hoc Judæis pridem fuiſſe teſtatum. Atque ita eorum incredulitatem oblique perſtringit, qui velut ad ſermonem inſolitum obſtupeſcebant. Merito autem eos ad Legem revocat, ubi ſæpius aſſerit Deus ſe populi ſui curam habiturum: de impiis vero & reprobis pœnas ſumpturum eſſe. quum itaque jamdudum loquutus ſit Moſes, nullam eſſe cauſam dicit Propheta cur difficile ſit perſuaſu quod prædicit: quandoquidem nihil affert novi, ſed tantum ea quæ dicta ſunt à Moſe & teſtata nunc confirmat. Hic mihi videtur genuinus Prophetæ ſenſus. atque his verbis Propheta Judæos confirmare voluit, ut patienter expectarent quæ Dominus pollicebatur: certoque ſecum ſtatuerent eventu tandem comprobatum iri quæcunque de Idumæis cæteriſque hoſtibus Eccleſiæ prædicta erant. quandoquidem illis Moſes idoneus eſſet teſtis, Deum ſemper fore populi ſui vindicem. Præterea admoneri ipſos oportuit, ne quum hæc Idumæis acciderent, fortuita eſſe arbitrarentur, ſed Dei judicio fieri intelligerent. Ea enim perverſitas hominum eſt, ut Deo præmonenti non credant: & quod deinde judicio Dei acciderit, Fortunæ attribuant. Occurrit ergo Jeſaias, atque ex Moſe, cujus auctoritatem reverebantur omnes, inquiri jubet. *Nullum ex illis:* nempe animalibus. Nam Hebræi his dictionibus איש & אשה utuntur, non tantum quum viros & mulieres ſignificant, ſed etiam quum mares & fœminas cujuſvis generis. *Quoniam os ejus.* Confirmat quod prius dixit. tametſi enim opera Dei ſatis aperta ſint, tamen ore ſuo, id eſt, Verbo nobis ea manifeſtiora facit, ut clarius intueamur. Atque hæc vera eſt conſideratio operum Dei, ubi attenti ſumus ad Verbi ſpeculum: quandoquidem alioqui ſumus plus æquo audaces, nobiſque plus quam liceat permittimus, niſi doctrina cæleſti tanquam lucerna dirigamur. Cohibenda eſt igitur hic hominum audacia & temeritas, qui de judiciis Dei, omnibuſque operibus ipſius, ſpreta Verbi doctrina, diſſerere & judicare volunt. quod ſi ex libro ſciſcitarentur, atque interrogarent os Domini, major in iis pietas & religio appareret. Quanquam per os Domini Prophetæ conſilium fuit ſancire quam prædixerat vindictam, quia irritum eſſe non poſſit quicquid ex ſacro Dei ore profectum eſt. Quod ergo ſemel decrevit, ſuoque nomine promulgari juſſit Deus, Jeſaias retractari poſſe negat. Ita hoc clypeo dubitationes omnes repellit, quæ facile obrepunt quoties ſuperant Dei promiſſiones ſenſus noſtros. Interdum quidem minatur ſub conditione, ut Ninevitis, Pharaoni, Abimelecho: quibus pepercit, quia reſipuerunt: ſed ubi ſemel ulciſci atque animadvertere conſtituit, eventu non minus quam dum ſalutem ſuis pollicitus eſt veracem ac potentem ſe eſſe probat. Quod idem rurſus docet per conſenſum *oris* & *ſpiritus*. Etſi enim ſæpe idem valet oris ſpiritus, ac ſermo, & Hebræis tritum eſt rem unam bis repetere, hic tamen eleganter ad anhelitum alludit, à quo voces manant ac formantur: acſi diceret ſatis eſſe efficaciæ in hoc vaticinio: quia idem Deus qui voce ſua mandavit animalibus brutis ut Idumæam occupent, ipſa ſolo flatu attrahet. Loquitur autem de arcano inſtinctu. nec mirum eſt omnia animantia ſolo Dei nutu aggregari, quemadmodum in diluvio, atque adeo in ipſa mundi creatione factum videmus, dum ad primum hominem animalia omnia Dei juſſu collecta eſſe narrat Moſes, ut ejus imperio ſubjicerentur. Ac proculdubio ſubjecta & morigera homini fuiſſent niſi ſeipſum contumacia ſua ab illo imperio & auctoritate abdicaſſet. ſed quum deſcivit à Deo, ſimul animantia obſequium negare, eique noxia eſſe cœperunt.

Jon. 1: 2. Gen. 12. verſ. 17. & 20: 3.

Geneſ. 7. verſ. 15. & 2: 19.

17. *Et ipſe projecit.*] Stabile illic firmumque domicilium feris illis & monſtris datum eſſe dicit, unde non facile ejici aut fugari queant: quod Deus illis ceu hæreditariam portionem aſſignaverit. Totam ergo Idumæam ſub arbitrio Domini eſſe ſignificat, ut expulſis incolis eam cui voluerit, aut feris, aut avibus, aut monſtris poſſidendam tradat. Hinc collige, homines fruſtra ſibi uſquam promittere perpetuam manſionem, niſi quatenus ſuum quiſque locum ſortitus eſt, & quidem hac lege ut Deo vocante ſtatim migrandum ſit. Precario enim degimus ubicunque nos alat: imo tam in ſolo natali quam extra patriam ſumus hoſpites. Si diutius quietam uno in loco ſtationem dare volet, non niſi ſpeciali ejus beneficio commorabimur. Simul autem ac videbitur ſtatim ſedes mutare coget. Cæterum, ſi agnoſcimus ſedem nobis in hac vel illa regione divinitus attributam eſſe, tuto in ea habitare poſſumus, ac tranquillis animis. nam ſi feras beſtias conſervat in poſſeſſione loci quem ipſis aſſignarit, quanto magis homines, in quorum gratiam creavit cælum, terram, maria, & quicquid in eis continetur?

CAP. XXXV.

LÆtabuntur ſolitudo & deſertum, exultabit locus ſqualidus, & florebit quaſi lilium.

2. Florens florebit: & exultabit * adhuc exultatione, atque jubilabit: gloria Libani dabitur ei, decor Carmel & Saron. Ipſi videbunt gloriam Jehovæ, majeſtatem Dei noſtri. * vel, *etiam.*

3. Confortate manus remiſſas: genua labantia roborate.

4. Dicite eis qui trepidi ſunt corde: Confortemini, ne timeatis. Ecce Deus veſter cum ultione veniet, cum retributione † Deus ipſe veniet & ſalvabit vos. † vel, *Dei.*

5. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum aperientur.

6. Tunc ſaliet inſtar cervi claudus, clare perſonabit lingua muti: quoniam effodientur in deſerto aquæ, & flumina in ſolitudine.

7. Vertetur locus aridus in ſtagnum, & regio ſiticuloſa in ſcaturigines aquarum, in habitaculo draconum: cubili, inquam, ejus locus erit arundini & junco.

8. Et erit illic ſemita & via: & via ſancta vocabitur. Per eam non tranſibit immundus: & erit illis ambulans in via, ut ſtulti non errent.

9. Non

9. Non erit illic leo, nec fera beſtia aſcendet per eam, neque ibi invenietur, ut redempti ambulent.

10. Itaque redempti Jehovæ redibunt, & venient in Sion cum exultatione: & gaudium perpetuum erit ſuper caput eorum: & apprehendent gaudium & lætitiam, fugientque triſtitia & gemitus.

L*Ætabuntur ſolitudo*, &c.] Hic mira converſio deſcribitur à Propheta. nam quum ſuperiore capite excidium Idumææ deſcripſerit, eamque in deſertum converſum iri dixerit, nunc è diverſo fœcunditatem deſerto promittit, ut ſteriles & inculti agri fertiles reddantur: ſolitudines vero & vaſta loca habitentur ab hominum frequentia. Hoc autem proprium Dei opus eſt: quia ſicuti benedicit univerſæ terræ, ita benedictione ſua quaſdam partes levius aſpergit: alias uberius irrigat. totam vero ſubducit atque abolet propter hominum ingratitudinem. Cæterum varie exponitur hic locus. Omitto deliria Judæorum, qui omnes hujuſmodi locos trahunt ad temporale regnum Meſſiæ, quem ſibi opinione finxerunt. Aliqui exponunt de Judæa: alii ad vocationem Gentium referunt. Sed videamus annon magis conveniat Judæam & totum orbem ſimul comprehendi. Nam ſic vaticinatus eſt de excidio totius orbis, ut non pepercerit Judææ: imo quia judicium Dei incipit ab ejus domo vel ſanctuario, triſtior prædicta fuit terræ ſanctæ deformitas, ut eſſet ſingulare documentum. Ideoque apte & merito à Judæa incipiens univerſum orbem *deſertum* vocat, quod ubique ira Domini graſſaretur. Proinde libenter ad Judæam & deinde reliquas orbis partes refero hunc locum: acſi diceret, Poſtquam Dominus pœnas ſumpſerit de hominum pravitate & ſceleribus, Judæoſque & Gentes ultus erit, tunc deſertum in terram habitabilem convertetur, & innovabitur facies univerſæ terræ. Hæc autem inſtauratio, inſigne eſt ſpecimen clementiæ Dei: quia ubi ſua defectione eum provocarunt homines, digni ſunt qui prorſus intereant, ac funditus deleantur: præſertim qui ab eo adoptati ſunt in peculiarem populum. Judæos autem maxime reſpicit Jeſaias, ne in ſua clade animum deſpondeant. Nunc videamus quando impleta ſit hæc prophetia, aut quando implenda ſit. Aliquam inſtaurationem inchoavit Dominus, quum è Babylone eduxit populum ſuum. verum id leve quoddam præludium fuit. quamobrem non dubito quin hunc locum ad regnum Chriſti, ut alios ſimiles, referre oporteat. Nec vero aliter intelligi poteſt, ſi alias prophetias cum iſta conferamus. Regnum autem Chriſti intelligo, non tantum quod hic inchoatur, ſed cujus complementum in extremo
Actor. 3. verſ. 21. illo die futurum eſt, qui propterea dies inſtaurationis & reſtitutionis vocatur. Quia ubi ſolide quieſcant piæ mentes nuſquam invenient, donec illuc ventum fuerit. Atque hinc fit ut Prophetæ tam magnifice loquantur de regno Chriſti: quod ſcilicet finem illum ſpectent, quo perfectiſſime ſtabilietur vera piorum felicitas. Poſtquam ergo tractavit Propheta de horrendis cladibus, totiuſque orbis miſeram diſſipationem ſignificavit, pios conſolatur hac promiſſione, qua inſtauranda omnia eſſe denunciat. Hoc autem fit per Chriſtum, quo ſolo renovari atque exhilarari licet: quando ſolus omnia inſtaurat, atque in verum ordinem reſtituit. extra ipſum vero nihil præter ſqualorem & ſolitudinem, nihil præter diſſipationem & in cælo & in terra miſerrimam eſſe poteſt. Sed diligenter notandum eſt, prius mundum ejuſmodi caſtigationibus præparari oportuiſſe, ut percipiendæ tantæ gratiæ aptus idoneuſque eſſet, eoque melius appareret Chriſti gratia, quæ integro rerum ſtatu obſcura latuiſſet. Itaque ſublimes hominum & feroces animos dejici & domari oportuit, ut beneficium Chriſti guſtarent, ejuſque vim ac poteſtatem amplexarentur.

2. *Florens florebit.*] Magis exprimit quantus ſit gratiæ Chriſti effectus, cujus virtute & potentia florent plerumque, recuperant vigorem quæ prius in ſordibus & ſqualore jacuerunt. Hæc igitur repetitio ad amplificationem poſita eſt: ingeminatio autem verbi bifariam accipi poteſt: vel ut ſignificet prorogationem temporis in vegetatione continua: acſi dixiſſet, Non florebit flore deciduo aut evanido, ut ſtatim ad priſtinum ſqualorem redeat: ſed aſſiduo, conſtanti, diuturno, qui nullo ævo marceſcere vel diffluere poterit. vel ut ſignificet augmentum, & quotidianos vel annuos in melius progreſſus. nam ea conditione nos locupletat Chriſtus, ut in dies gratiam in nobis ſuam adaugeat. Similitudines quæ ſequuntur, fœcunditatem illam magis illuſtrant. neque enim ſatis habuit dicere lætas fore ſegetes ubi prius triſtis erat ſolitudo, & loca arida florum pulchritudine veſtitum iri, ſed adjecit eandem fore ſpeciem ac præſtantiam quæ celebris erat in Libano, Carmelo & Saron. Etſi enim Carmel agrum cultum & fertilem ſignificat, hic tamen proprium nomen eſt ut alia duo. Vidimus autem alibi hos montes partim amœnitate, partim frugum copia nobiles admodum fuiſſe, ut facile etiam in tota Judæa præcellerent. *Videbuntque illi gloriam.* Quod prius metaphorice dixerat, nunc plane ac ſine figura exponit. Donec homines Deum agnoſcere diſcant, ſteriles ſunt & vacui bonorum omnium. ergo initium fœcunditatis noſtræ eſt, vegetari Dei præſentia. quod fieri non poteſt abſque interiori fidei ſenſu. Nec enim dubium quin altius mentes erigere voluerit Propheta, ut cæleſtium donorum abundantiam & ubertatem ſpectemus. nam & pane & vino cæteriſque rebus ſatiari poſſent homines, nec tamen agnoſcerent Deum auctorem, nec miſeri eſſe deſinerent, quin etiam ſæpe excæcantur homines copia rerum, atque ferociores redduntur: ſed quum Dominus ſe nobis conſpicuum præbet, efficiens ut gloriam ejus & decorem cernamus, ad ejus benedictiones accedit vera fruitio in ſalutem.

3. *Confortate manus.*] Poſſemus generaliter exponere hunc locum: acſi diceret, Qui manus ſolutas habent, eas confirment: quorum genua trepidant ac labaſcunt, ii colligant animos ac roborent: verum ſequens verſus oſtendit totum hunc locum ad miniſtros Verbi pertinere. Compellat enim doctores Eccleſiæ, ac jubet eos hortari, impellere, animare imbecillos homines quorum fracti aut re[illegible]ſiores animi ſunt, ut conſtantiores & alacriores [illegible]dantur. Hoc vero tempeſtive inſeruit, quia [illegible] non poſſe videbat, quin tot iræ Dei ſigna, de quibus concionatus eſt, fortiſſimos quoſque animos anxietate & metu replerent. Nam quum ſemper nos debilitent res adverſæ, ubi Deus ipſe peccatis noſtris infeſtus quaſi apertum bellum indicit, quis non expaveſceret? Atqui dejectos & fere exanimes recreari jubet Propheta: & deinde modum exprimit ſequenti verſu.

4. *Dicite trepidis.*] Quia hoc robur de quo loquutus eſt inſpirat Deus cordibus noſtris per Verbum, ſicuti ſola fide ſtamus ac vigemus: ideo addit promiſſionem venturæ gratiæ, *Deus veſter veniet.* Primum obſervandum eſt, Deum nolle gratiam ſuam latere ignotam, ſed publicari potius ac communicari, ut qui nutant ac trepidant, animos colligere ac confirmare

firmare poſſint. atque hæc una ratio eſt qua ſuſtineri animi queant in gravibus ærumnis: niſi enim verbo Domini erigamur, deficere nos ac deſperare neceſſe eſt. Hæc igitur provincia injungitur doctoribus Verbi, ut erigant collapſos, confirment debiles, roborent nutantes. Obſervandum etiam quanta ſit efficacia Verbi, quod manus remiſſas confirmat, & ſtabilit genua labantia. Niſi enim efficax eſſet organum huic vigori inſpirando, nunquam ita loquutus eſſet Propheta: & certe ſi aures tantum Verbo feriret Deus neque percelleret animos, fruſtra hæc dicerentur. Quum ergo has partes Dominus tribuit Verbo, ſciamus hanc quoque vim dari, ne fruſtra proferatur, ſed corda intus permoveat. Non ſemper quidem neque promiſcue, ſed ubi Deo placet arcana Spiritus ſui virtute ita operari. Atque hinc colligimus nos in ejus obſequium aptari eodem Verbo: quia alioqui ignavi torpebimus, ſenſus omnes noſtri labaſcent, nec vacillabimus tantum, ſed infidelitas nos prorſus obſtupefaciet. Succurri igitur à Domino neceſſe eſt, ut correcto metu & debilitate ſanata agiles ad movendum gradum reddamur. infixa vero animis noſtris hæc admonitio ſegnitiem excutiet, Ne timeatis, ecce Deus. Simulatque homines Deum ſibi propinquum eſſe ſentiunt, vel deſinunt metuere, vel ſaltem ex nimio pavore emergunt victores.
Philip. 4. verſ. 5, 6. Ne ſolliciti ſitis, inquit Paulus, Dominus enim prope eſt: qua de re alibi plura diximus. Videtur autem
Hebr. 12. v. 3. 12. Apoſtolus ad Hebr. 12. ad hunc locum alludere, ubi poſtquam vetuit defatigari & animis deficere, Prophetæ verba recitat. Quanquam ad ſingulos fideles ſermonem hunc accommodat, ut ſe ad perſeverantiam exſtimulent: & quoniam obeunda illis erant multa certamina, conſtanter pergant in ſuo curſu. Nec ſupervacuum eſt quod dicit *Deus veſter*. niſi enim ſciamus noſtrum eſſe Deum, nobis adventu ſuo terrorem potius quam gaudii materiam afferet. Porro non proponitur hic Dei majeſtas, quæ proſternat carnis ſuperbiam, ſed gratia quæ anxios oppreſſoſque ſoletur. Ideoque non abs re tanquam patronus ſtatuitur, qui ſub fide ſua eos protegat. Siquis objiciat terrorem ſecum afferre, quum ad ulciſcendum venit: reſpondeo, hanc ultionem impiis & hoſtibus Eccleſiæ denunciari. quamobrem his terrori, piis vero conſolationi futurus eſt. Ideoque addit venturum ad ſuos ſervandos, quia alioqui poterat objici, Quid ad nos, ſi pœnæ ſumuntur de hoſtibus? quid hoc nobis prodeſt? an debemus ærumnis hoſtium oblectari? Ideo diſerte exprimit id ceſſurum in ſalutem noſtram: nam ultio quam Deus ſumit de impiis, cum ſalute piorum conjuncta eſt. Quomodo autem piis curam & metum eximat favor Dei, & ſpes auxilii
ſupr. 7. verſ. 4. ejus, dictum eſt cap. 7. Hoc in præſentia notandum eſt, Deum inſtrui armarique vindicta, ut diſcant fideles inniti ejus auxilio, neque imaginari otioſum aliquod in cælo numen. Quo etiam pertinet repetitio: quia non ſtatim ex hominum cordibus abſtergitur diffidentia. In fine verſus duplex poteſt eſſe lectio, quod Deus ipſe veniet cum retributione, vel quod cum retributione Dei ipſe veniet: quia eodem redit ſenſus, libera ſit electio. Si tamen אלהים legere placeat in genitivo caſu, retributio Dei emphatice vocatur, quæ Deo propria eſt, ut certo perſuaſi ſint fideles non minus remuneratorem eſſe, quam Deum.

5. & 6. *Tunc aperientur.*] Perſequitur promiſſionem de inſtauratione Eccleſiæ ad erigendos animos piorum, qui graviter horrendis quas prædixit calamitatibus labefactandi erant. Quum autem vera inſtauratio fiat per Chriſtum, ideo ad ipſum veniendum eſt, ſi, quæ hic ab Jeſaia dicuntur, aſſequi cupimus, ut certo non niſi ejus beneficio renaſcimur in ſpem cæleſtis vitæ. ac probabile eſt, Jeſaiam alludere
ſupr. 29. v. 9, 10. ad vaticinium, quod 29. cap. vidimus, ubi horrendam cæcitatem, vecordiam, totiuſque animæ ſtuporem denunciabat Judæis. nunc ubi Chriſtus affulſerit in novam vitam integros puroſque ſenſus promittit, quibus ad tempus privati erunt. Subeſt enim pondus in adverbio temporis Tunc: quia inde colligendum eſt, quamdiu alieni ſumus à Chriſto, nos mutos, cæcos ac claudos eſſe: denique carere omni facultate bene agendi: Chriſti autem Spiritu renovari, ut vera ſanitate præditi ſimus. Per *linguam* & *aures* & *pedes*, intelligit omnes animæ noſtræ facultates, quæ per ſe adeo corruptæ ſunt, ut nihil ex iis boni elici poſſit, donec Chriſti beneficio reparentur. Nec enim oculi videre poſſunt quod rectum eſt, nec aures percipere, nec pedes nos ducere in rectam viam, donec Chriſto conjuncti ſimus. Etſi enim plus ſatis vegeti ſunt hominum ſenſus quocunque rapit eos libido, lingua ad maledicentiam, perjuria, fraudes, omnemque vaniloquentiam diſerta eſt: manus ad furta, rapinas, crudelitatem nimis promptæ: pedes ad nocendum veloces: tota denique natura ad male agendum non modo expedita, ſed etiam præceps: tamen ad recte agendum ignavia imo hebetudo partes omnes occupat: ideoque Dei virtute reformari neceſſe eſt, ut recte intelligere, ſentire, loqui, ſuiſque officiis defungi incipiant.
quia nemo dicere poteſt Dominum Jeſum niſi in *1 Cor. 12. verſ. 3.*
Spiritu ſancto. Hæc autem renovatio ex ſola Chriſti gratia manat: ideoque ad eum converſi qui prius *Pſal. 51. verſ. 17.*
omni ex parte inutiles erant, ac ſimiles mortuis, recuperant ſanas vires. Nam extra ipſum, aut caremus bonis omnibus, aut ita in nobis vitiata ſunt, ut in rectum uſum accommodari nequeant, ſed potius
abuſu polluantur. Hujus rei Chriſtus ampliſſimum *Mat. 11. verſ. 5. & 15. verſ. 3.*
teſtimonium & documentum dedit, quum linguam mutis, oculos cæcis, mutilis & claudis integras vires reſtituit. ſed quod exhibuit corporibus, ſymbolum tantum fuit eorum quæ abundantius multo ac præſtantius animis noſtris ſubminiſtrat. *Quoniam effoſſæ.* Alia etiam deinde bona adjungit, quibus fideles abundant, ſimulatque Regnum Chriſti erectum eſt: acſi diceret nihil penuriæ vel defectus timendum eſſe ubi reconciliati ſumus Deo per Chriſtum, quia nobis ab eo defluit plena felicitas, quam tamen ſub figuratis loquutionibus adumbrat. ac primo *aquas effoſſum iri* dicit: quoniam ubi prius omnia ſterilia erant, ibi ubertas ſumma futura eſt. Inopes autem & ſteriles ſumus, niſi Deus nobis per Chriſtum benedicat. quia ſolus ipſe Patris benedictionem ſecum affert, quam nobis impartitur. Impii quidem bonis ſæpe affluunt, ſed miſera eſt eorum abundantia: qui Chriſto carent, à quo ſolo vera & ſalutaris bonorum omnium affluentia eſt. Mors certe potius optanda eſſet, quam ea vini & cibi abundantia, cum qua ſimul Dei maledictio devoratur. Exoriente igitur demum Chriſto, flumina & aquæ in verum & ſalutarem uſum exundabunt.

7. *Vertetur locus aridus.*] Confirmat eandem ſententiam, venturum eſſe Chriſtum, ut ſuos locupletet omni bonorum copia: quoniam ex locis aridis ſcaturient aquæ. Tenendum autem memoria eſt quod nuper diximus, quaſi imaginem beatæ vitæ nobis depingi. nam etſi palam non apparuit hæc converſio Chriſti adventu, non tamen abs re aſſerit Propheta eo regnante totam terram fore uberem: quia prius dictum fuit, ſine ipſo omnia nobis maledicta eſſe. Totus ergo mundus nobis inſtar aridi deſerti erit, in quo leones, dracones, aliæque feræ beſtiæ graſſantur, donec Chriſti regnum excitetur. Rurſus eo conſtituto, piis nihil omnino defuturum eſt. Hujus rei ſpecimen editum eſt, quum Dominus liberavit populum ſuum, atque eduxit è Babylone: ſed complementum hujus prophetiæ in Chriſto quærendum eſt, per quem diſſipatus rerum ſtatus componitur ac redintegratur. nam liberatio illa obſcurum quoddam hujus ſymbolum fuit: nec tamen hic abſoluta hujus promiſſionis perfectio quærenda eſt.

Rom. 8. eſt. ut enim per ſpem beati ſumus, ita felicitas no-
verſ. 24. ſtra quæ nunc quodammodo abſcondita eſt, in extremum uſque diem expectari debet: ac ſatis eſt aliquem ejus in hoc mundo haberi guſtum, ut ad perfectam illam beatitudinem ardentiore animo aſpiremus.

8. *Et erit illic ſemita.*] Hic promittitur liber in patriam reditus Judæis, ne Babylonem abducti æterno exilio ſe addictos eſſe putent: quamvis ſententiam hanc longius meo judicio extendat Propheta. Sicut enim nuper affluentiam rerum & copiam promiſit, ubi ſterilitas erat: ita nunc locos pervios & hominum frequentia celebres fore dicit, qui prius à nemine colebantur: denique totam Judæam cum aliis regionibus ſic conjunctam fore & pacatam, ut ultro citroque alii ad alios ſine metu tranſeant. nam ubi nulli ſunt incolæ, nulli commeatus, nullæque viæ eſſe poſſunt. Futurum ergo ſignificat, ut commeent Judæi, & commercia cum aliis exerceant, poſtquam in patriam reducti fuerint ac reſtituti. Non abs re vero à Propheta additur, ſanctam fore viam: quia ubi magna hominum frequentia, illic vitia & corruptelæ innumeræ vigent. Quid enim aliud facit hominum multitudo, quam quod terram polluit dum mutua contagione alii alios inficiunt? Propheta ergo ſignificat non modo terram, ſed mentes quoque hominum Chriſti beneficio renovari, ut terram ſanctificent, quam alioqui ſolent labe ſua corrumpere. Tenendum tamen illud eſt quod attigi, Judæos quibus via conſecrabitur, redituros in patriam, ut pure in ea redemptorem ſuum colant. acſi dixiſſet purgandam eſſe à fœda ſceleſti populi colluvie terram, ut habitetur à veris Dei cultoribus. Additur etiam plenior explicatio: quia terram, quam Deus filiis ſuis deſtinaverit, non calcabunt polluti. acſi diceret, Dominum ita ſegregaturum fideles, ut non ſint permixti reprobis. quod certe inter præcipua Eccleſiæ bona numerandum eſt. Hoc autem non impletur in hac vita: nam promiſcue & contemptores Dei & hypocritæ in Eccleſiam irrumpunt & locum illic occupant. apparet tamen aliquod hujus gratiæ ſignum, quoties Dominus variis rationibus purgat Eccleſiam ſuam: plena interim purgatio ad extremum diem expectanda eſt. Quin etiam Dei cultores quos Spiritu ſuo regenuit, multum immunditiæ ſecum trahunt. tametſi ſanctificati ſint à Deo, nondum tamen plena in iis ſanctitas eſſe poteſt: nondum penitus emortua eſt ipſorum caro, ſed domita & compreſſa, ut ſpiritui pareat. Quod autem Dominus in ipſis regnet atque ipſorum affectus ſubigat, ideo à præcipua illa ſui parte ſancti appellantur. Clauſulam verſus ubi dicitur, *Et ipſe ambulans*, varie torquent interpretes. Quidam enim vertunt, Hæc via erit ipſorum, aſſueti viæ & imperiti non errabunt. Alii, Hæc via erit filiis Iſraël, & ambulantes non errabunt, quamvis ſint imperiti. Rectius tamen meo judicio demonſtrativum pronomen ad Deum refertur, acſi dixiſſet, Deum præiturum ut ſit dux viæ ac monſtrator. Et contextus omnino id poſtulat: quia non ſufficeret tranſitum eſſe patefactum, niſi ad ſuos regendos præcederet Deus. Incomparabile igitur beneficium commendat Propheta, ubi Deum una cum populo ſuo iter facientem inducit: quia niſi viam oſtendat, ſemper nos in errorem abripient pedes noſtri, ut ad vanitatem toti ſumus proclives. Imo quamvis propinqua ſit via & ante oculos pateat, ejus tamen ab errore nullum apud nos diſcrimen erit. quod ſi eam fuerimus ingreſſi, huc vel illuc ſtatim nos abripiet noſtra ſtultitia. Propheta autem nullum fore errandi periculum docet, ubi Deum ſequemur viæ ducem, quando hanc curam ſuſcipere dignatur. ac probabile eſt alludere ad primæ redemptionis hiſtoriam: quia tunc
Exod. 13. Deus interdiu ſub nube, noctu ſub columna ignis
verſ. 21. populum ſuum direxit. Simul admonet quam nobis ſit neceſſarium gubernari à Deo: oblique nos omnes ſtultitiæ damnans, quum addit, Stulti non errabunt. Nam qui ſibi ſapiunt, proprio ductu contenti, eos Deus evaneſcere ſinet per vagos circuitus. Ideoque ut nobiſcum ambulet, ſciamus ejus directione opus nobis eſſe. Interea optima nobis compenſatio offertur, nempe quod quicunque eum ſequuntur, etiamſi nulla alioqui prudentia polleant, ſint extra errandi periculum. neque tamen intelligit Propheta fideles, poſtquam eorum manum apprehenderit Dominus, imperitos fore: ſed oſtendit quales ſint, antequam ſeſe Dominus ducem præbeat.

9. *Non erit illic leo.*] Adjungit alteram Dei gratiam, quamvis per deſertum iter faciat populus, ab omni tamen noxio incurſu tutum fore. Inter Dei maledictiones hanc retulit, feras beſtias quacunque incederent Judæi fore obvias: nunc ubi recepti fuerint in gratiam, nullos illis leones infeſtos fore aſſerit, aut alias belluas: quia eas arcebit Deus, ut viam ſuis ab omni diſcrimine vel metu immunem patefaciat. Nam etſi data ipſis eſſet libera redeundi facultas, tamen multa in itinere obſtare potuiſſent. omnem igitur noxam & difficultatem Dominum ſublaturum eſſe dicit. Atque hinc utilis doctrina colligi poteſt: nempe Dominum opus ſalutis noſtræ non inchoare modo, ſed perducere ad extremum, ne gratia ipſius in nobis inutilis & irrita ſit. quemadmodum enim viam aperit, ita ſternit, atque omnis generis impedimenta tollit: ſeque ducem in toto itinere præbet. denique ſic gratiam ſuam proſequitur in nobis, ut tandem ad cumulum perducat. Atque hoc ad totum vitæ noſtræ curſum accommodari debet. Hic enim velut in via ambulamus ad beatam illam hæreditatem aſpirando. Infinitas vero difficultates objicit Satan, pericula nos undiquaque circumdant: ſed Dominus qui præit, atque nos manu du-
cit, in medio itinere non deſtituet, ſed tandem exa- Philip. 1.
cte perficiet quod in nobis Spiritu ſuo inchoavit. In- verſ. 6.
terea notandum eſt, propitio Deo manſuefactum iri beſtias ipſas, ne pro ſua rabie in nos ſæviant, ſicut
dicitur Oſeæ ſecundo, Percutiam vobis fœdus cum Oſeæ 2.
volucre cæli, beſtiis agreſtibus, &c. verſ. 18.

10. *Itaque redempti.*] Confirmat ſuperiorem doctrinam: quia redimere populum ſuum ſtatuit Deus, nihil poſſe ejus decreto obſtare. Redemptos enim Dei nominat, ut reſpiciant in ejus potentiam, neque ab humanis mediis æſtiment quod pollicitus eſt de reditu. Venturos quoque in Sion dicit, quia non fruſtra velit Deus ipſos è Babylone educere, ut viam ingreſſos deſerat. Interea notandum eſt, nobis ingreſſum non patere in Eccleſiam niſi Dei redemptione. Nam ſub veteris populi exemplo typus generalis nobis ante oculos ponitur: ut ſciamus neminem à diaboli tyrannide, cui omnes mancipati ſumus, liberum exire, donec præveniat Dei gratia: quia nemo ſuipſius redemptor erit. Jam quia hæc redemptio peculiare eſt regni Chriſti donum, ſequitur eum nobis unicum eſſe liberatorem, ſicut etiam
teſtatur Joannis 8. Cæterum non ſatis eſt nos ſemel Joan. 8.
redemptos fuiſſe: hic enim finis eſt, ut colamus Ec- verſ. 36.
cleſiam Dei, atque in dies magis ac magis proficiamus. Nos ergo ubi à Chriſto liberati ſumus, omnibus nervis in hunc finem contendere atque ſemper eniti oportet. Siquis dicat longa ambulatione opus non eſſe, ut in Eccleſiam Dei recipiamur: (nos enim in ipſam admitti per Baptiſmum) reſpondeo, Prophetam hic figurate de toto vitæ curriculo tractare. quia tunc vere in Sion veniunt redempti Dei, quum ſpatio vitæ confecto, ad beatam vitam tranſeunt. Atque ſimul notandum, nos quo magis proficimus in gratia Dei, magiſque intimi reddimur Eccleſiæ, eo reddi ipſi propiores. Per vocem Exultationis & gaudii ſignificat tantam felicitatem fore ſub regno Chriſti, ut uberem gratulationis materiam habituri ſimus.

Et certe hæc vera eſt atque unica gaudendi ratio,
ſentire nos Deo eſſe reconciliatos, cujus favor ad
ſolidam beatitudinem nobis ſatis eſt, ut etiam in re-
bus adverſis gloriari liceat. ſicuti contra ubi nos non
irradiat Chriſtus, mœrore nos obtenebrari neceſſe
eſt. Porro certum eſt non rite gaudere pios, quin
ſimul gratos ſe Deo exhibeant. Ideoque gaudium
hoc ſpirituale à vulgari quo exultant profani homi-
nes, diſtinguendum eſt. nam & reprobi gaudent,
ſed exitus tandem oſtendit quam exitialis ſit carnis
laſcivia, ubi ſibi contempto Deo delicias facit. Hoc
Rom. 14. vero genus gaudii non abs re Paulus ſpirituale vo-
verſ. 17. cat. nec enim pendet à rebus caducis, quales ſunt
Galat. 5. honores, opes, divitiæ & reliqua ejuſmodi, quæ fa-
verſ. 22. cile depereunt: ſed gaudium hoc arcanum eſt, ſedem-
que habet in animis, unde neque excuti, neque
avelli ullo modo poteſt: tametſi Satan omnibus mo-
dis nos perturbare atque affligere conetur. Ideoque
non abs re addit Propheta æternum eſſe & fugare
omnem triſtitiam: quia etſi multas dolorum acerbi-
tates quotidie devorent filii Dei, conſolationis ta-
men tanta vis atque efficacia eſt, ut omnem mœro-
rem abſorbeat. Gloriamur, inquit Paulus, in tri- Rom. 5.
bulationibus noſtris. hæc autem gloriatio ſine gau- verſ. 3.
dio eſſe non poteſt. Ibant Apoſtoli gaudentes à con- Actor. 5.
ſpectu concilii, quod digni habiti fuiſſent pro no- verſ. 41.
mine Jeſu ignominiam pati. Atqui pii ſæpe magnis
angoribus afficiuntur, neque immunes ſunt mœro-
ris. hoc quidem verum eſt, ſed non obruuntur, quo-
niam in Deum recta proſpiciunt, cujus virtute emer-
gunt victores, acſi quis in editum montem ſubla-
tus, ſolem intuens & fruens ejus ſplendore alios in
profunda valle conſpiceret nubibus & caligine invo-
lutos, ad quos ejuſmodi ſplendor pervenire non
poſſet.

Cap. XXXVI.

ACcidit anno decimo quarto Regis Ezechiæ, ut aſcenderet Sennacherib Rex Aſſur contra omnes urbes Juda munitas, & caperet eas.

2. Tum miſit Rex Aſſur Rapſacen è Lachis Jeroſolymam ad Regem Ezechiam cum manu valida, qui ſtetit in aquæductu piſcinæ ſuperioris, in via agri fullonis.

3. Et egreſſus eſt ad eum Eliacim filius Helchiæ præfectus domus, & Sobna cancellarius, & Joach filius Aſaph ſecretarius.

4. Et dixit illis Rapſaces: Dicite agedum Ezechiæ: Sic dicit Rex magnus, Rex Aſſur, Quæ fiducia hæc qua confiſus es?

5. Dixi: Tantum verbum labiorum: Conſilium & fortitudo ad bellum. Nunc ſuper quo confiſus es, quod rebellaſti adverſum me?

6. Ecce confiſus es ſuper baculo iſto arundineo confracto, ſuper Ægypto: cui ſi quis innititur, penetrabit in manum ejus, & perforabit eam. Talis eſt Pharao Rex Ægypti erga omnes qui fiduciam habent in eo.

7. Quod ſi dixeris mihi, In Jehova Deo noſtro confidimus: annon hic eſt cujus abſtulit Ezechias excelſa, & altaria, dixitque ad Juda & Jeruſalem, Coram altari hoc adorabitis?

8. Nunc age, da obſidem Domino meo Regi Aſſur. Dabo tibi duo millia equorum: an tibi erunt equites quos illis imponas?

9. Et quomodo aſpernaris faciem Ducis unius è ſervis Domini mei minoribus, & fiduciam tibi ſtatuis in Ægypto ob currus & equites?

10. Et nunc an abſque Jehova aſcendi ad terram hanc, ut perdam eam? Jehova mihi dixit: Aſcende in terram hanc, ut perdas eam.

11. Et dixit Eliacim, & Sobna, & Joach, ad Rapſacen: Loquere quæſo ad ſervos tuos Syriace, quoniam nos intelligimus; & non loquaris nobiſcum Judaice, audiente populo qui eſt ſuper murum.

12. Et dixit Rapſace: Numquid ad dominum tuum, & ad te miſit me Dominus meus, ut loquar verba iſta? annon ad viros ſedentes ſuper murum, ut comedant ſtercora ſua, & bibant lotium ſuum vobiſcum?

13. Stetit ergo Rapſace, & clamavit voce magna Judaice, ac dixit: Audite verba Regis magni, Regis Aſſur.

14. Sic dicit Rex: Ne vobis imponat Ezechias: quia non poterit vos liberare.

15. Neque vos confidere faciat Jehovæ Ezechias, dicens: Liberando liberabit nos Jehova: non tradetur hæc urbs in manum Regis Aſſur.

16. Ne audieritis Ezechiam: quoniam ſic dicit Rex Aſſur: Facite mecum benedictionem, & egredimini: & comedant ſinguli è vite ſua, & ſinguli è ficu ſua, & bibant ſinguli aquas putei ſui:

17. Donec veniam, & aſſumam vos in terram ſimilem terræ veſtræ, terram frumenti & vini, terram panis & vinearum.

18. Ne forte decipiat vos Ezechias, dicens: Jehova eripiet nos. An eripuerunt dii Gentium, quiſque terram ſuam è manu Regis Aſſur?

19. Ubi eſt Deus Amath, & Arpad? ubi Deus Sepharvajim? An liberaverunt Samariam è manu mea?

20. Quis eſt in omnibus diis iſtarum terrarum, qui liberaverit terram ſuam è manu mea? ut eruat Jehova Jeruſalem è manu mea?

Digitized by Google

21. Tacuerunt, nec reſponderunt ei verbum: quoniam præceptum hoc Regis erat, qui dixerat: Ne reſpondeatis illi.

22. Venit autem Eliacim præfectus palatii, & Sobna cancellarius, & Joach filius Aſaph ſecretarius ad Ezechiam ſciſſis veſtibus, & nunciaverunt illi verba Rapſace.

Accidit anno.] Hoc capite & ſequenti Propheta narrat inſignem hiſtoriam, quæ veluti ſigillum eſt ejus doctrinæ, ubi de futuris populi ſui cladibus vaticinatus eſt: & ſimul promiſit Deum miſericordem fore, ut Aſſyriis repulſis tueretur Jeroſolymam, & Terram ſanctam: eum non fruſtra ſic loquutum eſſe præſenti effectu tunc apparuit: ſed idem ad poſteros quoque teſtatum eſſe voluit Deus. Quanquam non minus illius ſeculi hominibus utile fuit tale monumentum extare. Sæpe minatus fuerat propinquam inſtare Dei vindictam, & Aſſyrios præſto ei eſſe ad manum, quibus velut flagellis uteretur: promiſerat interea ſe Jeroſolymæ etiam in rebus extremis affuturum. Utrumque impletum eſt, ac major quidem pars populi velut clauſis oculis tam manifeſta Dei judicia præteriit: nec minus turpiter contempſit opem ſibi allatam. Quo minus excuſabilis fuit tam craſſa vecordia. Exiguo tamen fidelium numero profuit, in tam præclaris documentis agnoſcere Dei manum, quo major in poſterum eſſet Jeſaiæ auctoritas: ipſe quoque vates animoſius pergere in ſuo curſu intrepida conſtantia potuit, cujus doctrinam è cælo Deus tam magnifice aſſeruerat. Et quia Dei veritas niſi firmis teſtimoniis probata vix apud nos gradum ſuum obtinet, infirmitati noſtræ non minus conſuluit Deus, ut in ſpeculo cernamus conjunctam fuiſſe Dei virtutem cum verbis Jeſaiæ: & quod ille in terra docebat confirmatum fuiſſe è cælo: præſertim tunc non obſcure obſignata fuit ejus vocatio, ubi Jeroſolymam Deus liberavit à gravi obſidione Sennacherib, quum nulla amplius ſpes ſalutis reliqua eſſet: ita ut fideles ſe è faucibus mortis ſola Dei manu ereptos agnoſcerent. Ideo dixi hic veluti ſigillum eſſe ad ſanciendas prophetias de quibus alioqui poterat dubitari. *Quartodecimo anno.* Non abs re deſignat tempus quo hæc ac-
2 Reg. 18. ciderunt. nam tunc Ezechias reſtituerat cultum Dei
verſ. 4. in tota ditione ſua: neque eo contentus, invitaverat
2 Par. 30. Iſraëlitas miſſis huc atque illuc curſoribus, ut undi-
verſ. 5. que accurrerent Jeroſolymam ad offerenda ſacrificia, & ex longo diſſidio iterum coaleſcerent in ſanctum fidei conſenſum, & ex Legis præſcripto Deum adorarent. Quum ergo talis eſſet regni ſtatus, ut ſuperſtitionibus ſublatis & purgato Templo, verus Dei cultus reſtitutus eſſet, Judæa ab Aſſyrio invaditur, ſpoliantur agri, capiuntur urbes, univerſa regio in ejus poteſtatem venit: ſola cum paucis Jeroſolyma reliqua eſt, in qua, velut in carcere, Ezechias incluſus tenebatur. Jam conſiderandum quid pio Regi, & aliis poterat in mentem venire. nam ſi ex ſenſu carnis de hac calamitate judicemus, exiſtimabimus iniquum fuiſſe Deum, qui ſervum ſuum in tales anguſtias redigi paſſus eſt: cujus pietas mereri videbatur, ut eum Dominus tranquillum, & ab omni moleſtia immunem conſervaret, quando hoc unice ſtudebat, ut Deus pure coleretur. Hoc non leve experimentum fuit fidei Ezechiæ: quod nobis aſſidue ob oculos ponendum eſt, quum iiſdem tentationibus obnoxii ſimus. Non puniebat Dominus negligentiam, delicias, aut luxum Ezechiæ: multo minus vel ſuperſtitiones vel profanum Legis contemptum: qui ſimulatque regnare cœpit, omni ſtudio, cura atque diligentia effecit ut religio in integrum reſtitueretur. Ergo fidem ejus ac patientiam probare voluit.

2. *Tum miſit.*] Poteſt hic inverſio eſſe narrationis. prius enim dixerat Sennacherib cepiſſe omnes urbes Judææ: nunc autem ipſum miſiſſe Rapſacen à Lachis, quam videlicet obſidebat: nondum igitur omnes expugnarat. Sed obſervandum eſt, ſæpenumero inverti hiſtoriæ contextum, & poſteriore loco narrari quod tempore prius erat. Deinde ſynecdoche multum uſitata eſt Scripturis: ut univerſas urbes captas fuiſſe dicat, quod paucæ ſupereſſent, ad quas nullus Ezechiæ patebat aditus. Videbatur ergo Aſſyrius totam Judæam in poteſtatem ſuam redegiſſe, quod ſola fere Jeroſolyma reſtaret, in qua Ezechias incluſus erat. Hæc hiſtoria plenius habe-
tur in libris Regum: ubi oſtenditur quam ſtudioſus 2 Reg. 18.
pacis fuerit Ezechias. eam enim quavis conditione *verſ.* 14.
redimere niſus eſt. Præſtiterat trecenta argenti talenta, auri triginta, quæ tyrannus ille imperaverat. quam ſummam, quod ærarium exhauſtum eſſet, è vaſis Templi atque aureis laminis, quæ valvis detractæ ſunt, conficere neceſſe fuit. Verum, ut inexplebiles ſunt ejuſmodi gurgites, ea pecunia accepta, majora etiam popoſcit, durioreſque conditiones imponere voluit. Tantum ut invidia gravaret Ezechiam. Semel enim abuſus facilitate pii Regis, quidvis ſe adepturum eſſe exiſtimavit. Tantum ab eo quæſita fuit belli movendi occaſio. Interea notandum eſt, juſtas de populi ſceleribus ſumptas fuiſſe pœnas, ſicuti prædictum fuerat. Etſi enim ſincera in externo cultu vigebat religio: minime tamen mutata in melius vita erat, neque etiam correcta erat impietas, vel interior labes ex cordibus purgata. Ergo quia non reſipiſcebat populus, obſtinatam ejus malitiam aſperius caſtigari oportuit. Sed quia nondum impleta erat iniquitatum menſura, iræ ſuæ rigorem mitigavit Deus: atque ita repente rebus perditis incredibile auxilium attulit.

3. *Et egreſſus eſt ad eum Eliacim.*] Hujus mentio-
nem fecit capite 22. Is eſt Eliacim, cui Dominus *ſupr.* 22.
promiſerat ſe principatum in regno daturum, de- *verſ.* 20.
pulſo Sobna. nunc inanis videtur illa promiſſio, quum ſupplex ad hoſtem mittitur, quaſi mox ſeſe cum aliis dediturus, & duram tyrannidem ſubiturus. hoc quoque piorum animos ſollicitare poterat, ut de promiſſis Dei dubitarent. Præterea bonorum virorum adeo inops erat pius ille Rex, ut Sobnam cum eo mittere cogeretur, quem perfidum & proditorem eſſe non ignorabat. סופר *ſcribam* ſignificat. Ideoque ſæpe pro Literatis vel doctoribus capitur: aliquando pro literarum cuſtodibus, & qui regiis archivis præfecti ſunt. Ego verti Cancellarium, quia ad peritiam Legis non referri certum eſt. Et colligere licet Sobnam hunc excelluiſſe præcipua dignitate, quamvis ex ſua præfectura dejectus eſſet. מזכיר, ſignificat à commentariis, ſive à memoria.

4. *Dicite agedum.*] Refert tres legatos, qui tamen ſecum ferebant quicquid reſiduum erat in regno ſplendoris, non modo repulſam paſſos, ſed contumelioſe exceptos fuiſſe à ſatellite tyranni, indigniſque probris fuiſſe vexatos. Nam quaſi Rex Ezechias convictus foret ſceleſtæ defectionis, interrogat quomodo auſus fuerit rebellare. Particulam נא, alii rogantis eſſe volunt, ac vertunt, Quæſo: ſed non conveniret ſuperbo homini & arroganti rogare in hunc modum: loquitur eorum more, qui conditiones imponunt vel devictis vel metu ſubactis, quos in deditionem accipere volunt: quod vulgo dicimus, *Sommer*. Jam quo magis authentica ſit denunciatio, loquitur ſatelles iſte ex perſona Regis ſui, cujus magnitudinem in ſublime attollit, ut Ezechiam perterreat, ubi audit ſibi cum Rege tam bene inſtructo negotium eſſe. neque ſolum intelligit præcipuo orbis Monarchæ longe imparem eſſe Ezechiam, qui illius comparatione tantum regulus erat: ſed magnum vocat regem Aſſur, quod ſua potentia

tentia alios omnes obſcuret, ut ſolus emineat. His verborum fulminibus proſterni ac frangi poterat Ezechias, quum præſertim eſſet in urbem compulſus, è qua egredi non poterat, tantum abeſt ut vim illius tyranni propulſare poſſet.

2 Reg. 18. verſ. 20. 5. *Dixi, tantum.*] Quod in ſacra Hiſtoria legitur, Dixiſti: ſic exponi poteſt ut referat Rapſaces qualem Ezechiæ animum eſſe putet: acſi diceret, Iſtæ ſunt tuæ deliberationes. quod autem hic legitur in prima perſona, nihil de ſenſu mutat, quia Rapſaces quaſi exploratis Ezechiæ conſiliis & omnium probe conſcius, ironice exprobrat, Video quid cogites: ſed verba ſunt labiorum. Hic locus varie exponitur: nonnulli interpretantur, Non tantum verba labiorum te habere dicis, id eſt, non ſolum jactas te pollere verbis, ſed etiam fortitudine & prudentia. Alii vero, Tu quidem verba habes, ſed conſilium & fortitudo in bello neceſſaria ſunt. Cæterum quod nonnulli per *Verba* intelligunt Preces, ego non probo: nimis enim coacta & remota expoſitio eſſet. Ego igitur ſic accipio: Ezechias habet verba labiorum, id eſt, oratione compoſita utitur & ornata, ut plebem in officio retineat, quod ſolemus dicere, *Il a de belles paroles*: ſed his bellum geri aut ſuſtineri nequit. Significat ergo ſe compertum habere quid agat Ezechias: qua re potiſſimum nitatur, verbis ſcilicet, & facundia: ſed hæc nihil ad bellum, ubi conſilio & fortitudine opus eſt. Commode etiam referre hoc liceret ad Ægyptios. acſi diceret, ſtulte facere Ezechiam qui ſe lactari ſinat inanibus promiſſis. nec vero dubium eſt, quin liberales fuerint Ægyptii, montes aureos pollicendo, quum tamen reipſa nihil præſtarent. Sed quia paulo poſt ſeorſum de Ægyptiis aget, non dubito hic rideri Ezechiam, acſi ventoſa jactantia populi ſpem aleret, nullo bellico apparatu munitus.

6. *Ecce confiſus es.*] Hoc à proxima ſententia diſtingui probabile eſt. Ubi enim præfatus eſt Ezechiam ſola facundia præditum eſſe qua populum demulceat, & ex eo intulit veſanam eſſe ejus fiduciam, nunc ad alias ſpecies deſcendit. Machinas enim omnes admovet ad concutiendos populi animos, ut obſtupefacti omnes protinus ſe dedant. Ergo ubi intus contemptibilem reddidit, ſimul adjungit externas opes frivolas ac nihili eſſe, longeque falli dicit, quod ab Ægyptiis quicquam opis expectent. Ac primum comparat Ægyptios baculo arundineo ob infirmitatem: deinde amplificandi cauſa vocat baculum confractum: tertio dicit adeo non valere ad fulturam, ut manus perforet, quæ in ipſum incubuerint. Summa eſt, non modo fallacem & evanidam ſpem eſſe, quam ſibi de Ægyptiis fingunt Judæi, ſed exitioſam. Ac vere quidem hæc dixiſſet Rapſaces, ſi verum fuiſſet, Ezechiam Ægyptiis inniti: ſed calumnioſe, falſoque pium Regem vanæ hujus fiduciæ inſimulat. Interea juſtam mercedem rebelli & immorigero populo rependit Deus, quod ſceleſtam ejus defectionem impuri canis convitio coargui paſſus eſt. Severe prius
ſupr. 30. & 31. crimen hoc damnaverat Jeſaias: ſed ſurdis auribus repulſa fuerat objurgatio. Quia ergo Prophetam Dei nomine loquentem impie ſpreverant Judæi, Rapſace magiſtro digni erant. Itaque monemur hoc exemplo, nihil eſſe mirum ſi increduli, qui Dei conſilio non obtemperant in ſuam ſalutem, prophetiaſque omnes reſpuunt, obnoxii ſint hoſtium ſuorum ſubſannationibus, ſicuti hic Judæis contumacibus proterve inſultat Rapſaces regis Aſſyrii ſatelles. Interea expendere operæpretium eſt, quantum inter Dei monitiones, & Satanæ ludibria interſit. Deus nos à prava carnis fiducia revocare volens, in genere pronunciat,
Jere. 17. verſ. 5. Maledictus qui confidit in homine: ut toto mundo in nihilum redacto ſolus ipſe nobis ſufficiat. Itaque ubi nos exinanivit, ſtatim propoſito remedio, addit nobis animos. Fallaciter vero Satan ſpem aliquam vanam accuſans, deſperatione nos ſollicitat, & rapit ad multas aliaſque malas vel pejores, & ad illicita media quærenda nos allicit: ſicuti Rapſaces non proſternit quam de Ægyptiis ſpem conceperant Judæi, ut in ſolum Deum recumbant: ſed Aſſyrium ſubſtituit acſi non aliunde petenda eſſet ſalus. Pharaonem nominat, ſed populum etiam totum comprehendit.

7. *Quod ſi mihi dixeris.*] Argumento utitur tripartito Rapſaces: aut Ezechias ſatis virium ſibi eſſe putat ad reſiſtendum: aut ab Ægypto auxilium expectat: aut confidit Deo. Si confidit ſibi, fallitur: qualis enim eſt, ſi conferatur cum Rege meo? quod attinet ad Ægyptum, nihil inde juvabitur, ſed potius gravia incommoda ſentiet. Reliquum eſt igitur, ut aliquid auxilii à Deo expectet. atqui diruit ejus altaria, cultum ejus imminuit: annon potius de eo pœnas ſumet? denique pio Regi & divina & humana auxilia adimit iſte Rapſaces. Hac vero calumnia non modo Regis animum vulnerare tentavit Satan, ut ſub mole afflictionis deficeret, ſed leve & turbulentum vulgus percellere: quia adhuc in multorum cordibus hærebat ſuperſtitionum amor: & proclivis ad hanc impoſturam erat lapſus, quia mutata erat vetus religio uſuque recepta, Ezechiam pœnas ſuæ temeritatis pendere. ſicuti hodie Papiſtæ ſimulac nobis aliquid adverſi contigit, objiciunt divinitus nos plecti, quia veteres ritus convellere auſi fuerimus.

8. *Et nunc da obſidem.*] Concludit nihil melius Ezechiæ fore, quam ſi depoſito bellandi ſtudio, ſe dedat, perpetuumque obſequium promittat Aſſyrio. Quod ut magis perſuadeat, iterum exprobrat ei tenuitatem ſuam: Si dedero tibi duo millia equorum, homines in toto populo tuo non reperies, qui eos conſcendant. quale igitur eſt robur tuum? vel qua confidentia Regi meo reſiſtere audes? Non offert illi equos honoris aut benevolentiæ cauſa, ſed quo magis deterreat & frangat animum Ezechiæ. Futurum ergo per ſubjunctivum reſolvi debet, Etiamſi dem tibi duo equorum millia, tamen ſeſſores totidem non reperies. Scio quid dicant alii interpretes: ſed quiſquis rem probe expenderit, facile agnoſcet ironice hoc fuiſſe dictum.

9. *Et quomodo aſpernaris.*] Confirmat proximam ſententiam, atque tantum abeſſe oſtendit, ut par ſit Ezechias ad ſuſtinendam Regis ſui præſentiam, ut ne cum minimo quidem ipſius duce conferri debeat. Sic autem petulanter inſultat, ne Judæis animum addat abſentia Sennacherib, quem adhuc tenebat obſidio Lachis. Quamvis ergo nondum coram appareat Sennacherib cum toto exercitu, ſatis virium in ejus præfectis jactat eſſe Rapſaces, ne indictam ſubjectionem recuſet Ezechias.

10. *Et nunc.*] Jam alia via aggreditur Ezechiam, fruſtra eum copias, aliaque ſubſidia comparaturum. Obtendit enim ipſi non cum homine mortali, ſed cum ipſo Deo negotium eſſe ac certamen, quia ejus impulſu non ſponte eo venerit, ut regionem perderet: repugnaturos igitur Deo, quicunque ipſi obſiſtent: atque ita omnes eorum conatus fore inutiles. Ex his obſervandum eſt, quamvis pietati demus operam, & promovere regnum Chriſti fideliter ſtudeamus, tamen ſperandum non eſſe ut ſimus vacui ab omni moleſtia: ſed nos potius ad graviſſimas ærumnas comparemus. nec enim terrenis præmiis pietatem noſtram Dominus ſemper remuneratur: ut certe indigna nimis eſſet iſta merces, nos affluere bonis, externa pace frui, res omnes fluere ex animi ſententia. nam hoc nomine etiam impii coram mundo beati exiſtimantur, quod neque incommoda valetudine, nec rebus adverſis, nec ulla laborent inopia, nec ulla injuria turbentur. Sic à reproborum conditione noſtra nihil differret. Hoc igitur Ezechiæ exemplum nobis aſſidue ob oculos ponendum eſt, qui quum omnem operam reſtituendæ religioni & pio cultui impendiſſet, graviſſimas calamitates paſſus eſt, adeoque extremas, ut non pro-

cul à deſperatione abeſſet: ut quum functi officio
nobis videbimur, nihilominus ad omnis generis pu-
gnas & ærumnas ſuſtinendas parati ſimus: neque
turbemur, ſi primo conflictu prævaleant hoſtes,
quaſi nos protinus voraturi. Facile enim concident
ſublimes illi & elati animi, ubi ebullierit primus
fervor. imo ubi ſeſe profuderint ſpumæ, & impor-
tuna eorum ſuperbia ſtatim evaneſcet. Jactabat Ra-
pſaces magnitudinem & potentiam Regis ſui, ut
terreret Ezechiam. ſic nobiſcum agere ſolent im-
pii: adoriuntur nos verbis minacibus, atque terro-
ribus variis tentant patientiam noſtram, aut potius
id per ipſos molitur Satan: quemadmodum hic
plane ipſum Rapſacis ore loquentem perſpicimus.
Quin etiam Dei ipſius perſonam induit, & transfor-
2 Cor. 11. verſ. 14. mat ſe in Angelum lucis. Sic enim ipſe quoque Dei
Spiritus pronunciat, quia fragiles & caducæ ſunt
Jer. 17. verſ. 5. hominum vires: quiſquis illis innititur, perniciem
ſibi quærere. Idem docet Rapſaces, & perinde con-
cionatur acſi Dei mandato munus Propheticum
obiret. Prudenter ergo diſcernendum quando Deus
loquatur, quando homines ejus nomen falſo obten-
dunt. nam varios colores prætexit Satan, quibus ſe
Deo ſimilem eſſe fingat. Hæc autem omnia imme-
rito Ezechiæ exprobrabat Rapſaces: ut diximus.
nec enim ſpem locabat in ſuis viribus, nec Ægyptiis
confiſus ſuperbiebat: ſed pios, quum bene agunt,
male audire neceſſe eſt. His artibus fidem noſtram
adoritur Satan, noſque immerito apud homines tra-
ducit. quæ tentatio admodum periculoſa eſt, quia
probitatem noſtram cupimus palam eſſe: noſque
male habet, ſi quum bene affecti ſumus, alii ſtudia
noſtra ſecus interpretentur. Ideo Satan conatur ca-
lumniando evertere quicquid pura conſcientia fa-
ctum erit: aut affingit crimen, cujus nulla penes nos
culpa eſt: aut falſis calumniis nos onerat, aut com-
miniſcitur quod nobis nunquam venit in mentem:
ſed recta conſcientia nobis inſtar muri ahenei eſſe
debet, ut adverſus tales criminationes & calumnias,
Ezechiæ exemplo, invicti ſtemus. Quod attinet ad
poſtremum membrum, ubi Rapſaces ei exprobrat
quod cultum Dei everterit, quam calumnioſum ſit,
2 Reg. 18. verſ. 4. omnibus perſpicuum eſt. nam Ezechias ſuſtulerat
fictitios deos & ſuperſtitioſos cultus, quos Deus abo-
minatur. Sed nihil mirum eſt, impios verum Deum
à falſo, ſuperſtitionem à religione non diſcernere.
atque id quotidie nobis uſu venit. Papiſtæ enim,
quibus ſuæ tantum ſuperſtitiones placent, nos accu-
ſant, quod innumera hominum commenta ſuſtule-
rimus, ac queruntur cultum Dei à nobis imminu-
tum ac prope abolitum eſſe. Inſultant etiam more
iſtius Rapſacis, An Deus iſtos juvaret, qui cultum
ejus ſuſtulerunt, profanarunt ſacras ædes, & quic-
quid erat ſpecioſo illo ordine conſtitutum? quia ſci-
licet refulgebant omnia in Papatu, atque homines
in admirationem rapiebant: ritus vero ſimplices ac
nudos & omni pompa vacuos ſolummodo retine-
mus, ideo cultum Dei ſublatum putant, quem re-
bus externis metiuntur. Si quid adverſi accidat, cla-
mant merito accidere, culpam omnem hærere in
nobis, totum mundum dare pœnas noſtræ impieta-
tis: atque eo magis inſultant, ſi calamitatem aliquam
patiamur. Interim firma fide adverſus impias ejuſ-
modi voces perſtandum eſt, ut oſtendamus non eſſe
divinum cultum, quem illi obtendunt, ſed meras
nugas, ac merito ſublatas eſſe: quæcunque finxe-
runt homines, ad cultum Dei non pertinere, Satanæ
eſſe præſtigias, nec iis exitialius quicquam eſſe. Per-
ſtandum igitur invicta fide adverſus probra omnis
generis, quibus Satan pietatis ſtudium nititur obſcu-
2 Reg. 18. verſ. 4. rare. Odioſum primo intuitu videtur, multis altari-
bus everſis unum duntaxat relinquere, profanare
multa templa, ut unum maneat. ſed una hæc defen-
ſio Ezechiam facile abſolvit, nihil tentaſſe niſi ex
Dei verbo: fuiſſe igitur uno altari contentum, quia
plura erigi Deus vetuerat: ſtatuas omnes diruiſſe, Exod. 20. verſ. 4.
quia temere erectæ fuerant contra Legis doctrinam.
Eadem hodie nobis cauſa eſt adverſus Papiſtas, quia
non alio titulo nos gravant, niſi quod immenſa ce-
remoniarum congerie rejecta, tantum retinemus
quod Deus præſcripſit. hic vero non eſt diſputandum
quid hominibus placeat, ſed quid Deo probetur.

11. *Et dixit Eliacim.*] Iterum hac circumſtantia
apparet quam dejecto animo fuerit Ezechias, dum
hoſtis ſui famulum tam ſuppliciter rogat per Lega-
tos. Deinde quanto faſtu inflatus fuerit Rapſaces, dum
preces omnes tam ferociter repudiat. atque eo major
eſt indignitas repulſæ, quod rem non adeo magni
momenti petebant. Hæc autem eo pertinent, ut ſcia-
mus non ſtetiſſe per Ezechiam, quo minus furorem
hoſtis placaret: quia Regiæ dignitatis propemodum
oblitus qua potuit modeſtia lenire eum ſtuduit: ne
ſi quando injuſta violentia urgeri nos contingat, ce-
dere pigeat noſtro jure & humiliter deprecari. Quum
vero ita ſe ſubmiſerit Ezechias, quia ſe imparem
videbat Aſſyrio, hoc ad illuſtrandam Dei gloriam
plurimum valet, quod populum fere perditum con-
ſervarit. Minus enim illuſtris fuiſſet illa liberatio, ſi
è periculo tantum mediocri ereptus eſſet: ſed quum
ab interitu non procul abeſſet, eo magis conſpicua
eſt Dei manus, qui inſigni miraculo ſubmovit ho- 2 Reg. 19. verſ. 35.
ſtem jam cervicibus impoſitum, ac delevit. Rogant
autem ne coram populo ſic loquatur: quia difficile
ſit populum natura levem & inconſtantem conti-
nere: nam facile perturbatur ac trepidat ad mini-
mum terrorem. Ideo Rapſacen optaſſent non loqui
Judaice, quia rationem aliquam pacis moderatam
inire cupiebant. Omnes enim vias tentabat pius ille
Rex, quibus rabiem tyranni illius mitigaret: ſed
nullo profectu. Nihil igitur à Rapſace obtinent iſti
Legati: deterior fit rogatus, magiſque (ut ſuperbi
homines ſolent) inſoleſcit.

12. *Et dixit Rapſaces.*] Hinc ferociam hoſtis at-
que impotentiam perſpicimus. unde etiam apparet
regnum Ezechiæ prope fuiſſe deſperatum. Hic enim
loquitur tanquam victor, neque ut Regem alloqui-
tur, ſed veluti mancipio inſultat. Quum ergo tanta
ſuperbia Rapſacen elatum videmus, hoc ſimul in
mentem venire debet, penitus oppreſſum Eze-
chiam, omnique fiducia deſtitutum, ut pro deplo-
rato haberetur. Hinc etiam collige Rapſacen eo
miſſum non eſſe, ut aliquas pacis conditiones offer-
ret, ſed potius ut acciperet ipſum in deditionem,
atque populo terrorem incuteret: nam ideo Senna-
cherib cum manu valida ipſum miſerat. Hinc etiam
jactat ſibi nihil eſſe negotii cum Rege, ſe populum
alloqui ut ſibi conſulat: atque ut omnes magis ter-
reat, miſeriam & ærumnas commemorat, in quas
ſe conjicient, ſi Ezechiæ parere velint: futurum
ut pereant fame, & ſtercus ſuum comedere, atque
lotium bibere cogantur. Operæpretium ergo factu-
ros, ſi ſe dedant in tempore, & curam habeant ſuæ
ſalutis.

13. *Stetit ergo.*] Oſtendit Propheta quibus arti-
bus conatus ſit Rapſaces animum populi concutere.
ac primum refert ipſum Judaice loquutum, quam-
vis hoc deprecarentur Legati. hoc vero perquam
indignum fuit, linguam ſanctam quæ myſteriis cæ-
leſtis Sapientiæ dicata erat, profanari, & proſtitui
ad impias blaſphemias. nec dubium eſt quin dura in-
firmis animis fuerit hæc tentatio: ſed hinc notan-
dum eſt, nullos eſſe nocentiores hoſtes iis qui com-
muni nobiſcum lingua utuntur: idque hodie expe-
rimur in multis qui linguam noſtram, id eſt, lo-
quendi morem ediſcunt, ut ſe in aures imperitorum
ac ſimplicium inſinuare poſſint, quo eos à vera fide
abducant. nam Papiſtis ante triginta annos lingua
fuit barbara & aliena prorſus à ſtylo Spiritus ſancti:
vix audiebatur ulla vox quæ Chriſtianam pietatem
redoleret: hodie vero ejuſmodi artem didicerunt,

ut ſermone Scripturis uſitato fucare ſciant impietates ſuas, acſi Chriſtiane loquantur. Itaque videmus Satanam architectum eſſe iſtius orationis. Idem enim iſtis magiſter atque auctor eſt, qui olim Rapſaci fuit. Quum ipſum *ſtetiſſe* dicit, ferociam exprimit & arrogantiam impii hominis: nam geſtus ipſe indicat quam ſuperbe ſe geſſerit. Prius enim ſtabat: ſed tunc ita ſe compoſuit, ut magis emineret & magis formidabilem ſe præberet Judæis. Iterum vero de magnitudine Regis ſui præfatus, mandata ejus recitat. Hoc enim Satanæ ſolenne eſt, hoſtium potentiam adaugere verbis, & pericula amplificare ut nos animum deſpondere cogat. nam ubi inani fulgore rerum humanarum perſtricti ſunt oculi noſtri, deficimus. Opponenda eſt igitur periculis omnibus potentia Dei: quam ſi ſemper ob oculos poſitam habeamus, nihil eſt quod nobis officere poſſit. Inflatis buccis & magna arrogantia jactabunt hoſtes magnitudinem ſuam ac vires, tenuitatemque rurſus noſtram & paucitatem ridebunt: ſed ſi Dominus nobiſcum eſt, nihil eſt quod metuamus.

14. *Sic dicit Rex, Ne decipiat.*] Regium nomen Domino ſuo vendicans, Ezechiam nominat velut privatum hominem, ſine ulla tituli adjectione. Eum autem impudenter calumniari pergens, virus ſuum contra Deum ipſum evomit: quia impoſturam vocat, ac decipulas, quod in ejus gratiam recumbat Ezechias, ſuoſque ad eandem fidem hortetur. Atqui ſimilibus calumniis hodie impetimur à Papiſtis: qui non alio colore nos hominum mentes faſcinare aiunt, & in exitium ducere, niſi quod ſperandum eſſe docemus in vero Deo. ſed non eſt quod miremur, eadem quæ in pium Regem dicta fuerunt, nobis quoque objici, quum ab eodem auctore & calumniandi magiſtro Satana proficiſcantur. Quod negat liberari poſſe Ezechiæ manu, hoc quidem verum eſt, niſi auſpiciis Dei. Nec hoc ſibi arrogabat Ezechias, nec honorem Dei ad ſe rapiebat: quin potius teſtabatur & ſuam & populi ſalutem in Deo ſitam eſſe. ſed colorem aliquem ab hoſte adhiberi oportuit: quemadmodum hodie ab impiis fieri ſolet, quum doctrinam noſtram traducunt. Adducunt enim colores, quibus valde ſpecioſa videri poſſint quæ ab ipſis dicuntur: & quidem fallunt, niſi quum propius expenduntur.

15. *Et ne faciat vos fidere.*] Exhortationem, qua populum animabat Ezechias, referens, quaſi frigidum & nugatorium ſermonem extenuat. unde apparet impios quamvis Dei virtutem prædicent, eam tamen pro nihilo ducere. Etſi enim non aperte negat Deum opitulari poſſe ſi velit, ſed eum populo Iſraël infeſtum & contrarium fingit: fidem tamen eludens, Dei potentiam in nihilum redigit quantum in ſe eſt. Conſilium enim ejus eſt ita dejicere populi animos, ut cogantur omnes tanquam deſperati, ſubjectionis leges accipere à tyranno victore. Cæterum alio quoque artificio fiduciam auxilii Dei illis excutit, illecebris commodioris vitæ animos demulcens: ſicuti nihil proclivius eſt quam deficere à Deo, ubi nos alio trahit utilitatis ſpecies. Si blandiatur mundus, ſi alliciat, ſpes æternæ ſalutis facile evaneſcit. ſemper enim ſenſus noſtri in præſentem rerum ſtatum defixi hærent. Hoc igitur artificio inſtructus Rapſaces admonet, Nolite à ſpe incerta pendere: accipite potius quod certum eſt. Atque hæc oratio plurimum ad perſuadendum valet, quia nihil magis gratum hominibus, quam ſi in manu habeant quod putant ſibi optabile. ægre autem patiuntur ſe ſuſpendi, ut quod longe abeſt, præſenti fortunæ anteferant. Tale igitur eſt argumentum Rapſacis: Ezechias promittit vobis auxilium Dei, ſed non apparet: ſuſpendit vos à re incerta: Rex vero meus vobis ea promittit quæ præſentia ſunt, ac certo præſtabit. Argumentum hoc validum videri poſſet: ſed animadvertenda eſt fallacia: quia ſæpe eodem aſtu nos adoritur Satan, atque abducit à fiducia Dei. Vocat nos Dominus ad ſpem æternæ vitæ: ea latet (nam ſperamus ea quæ non cernimus) promittit ſe fore liberatorem, atque interim languere nos & fatiſcere ſinit: ita ut fruſtra ſperare videamur, ſi præſentem rerum ſtatum ſpectemus. Hic nos aggreditur Satan: Quid fruſtra ſperas? quis fructus fidei tuæ? quid extra mundum expectas? Hæc denique quotidiana lucta eſt. Quum Chriſtus nos in cælum vocat, Satan nos in terra retinere conatur. Ergo promiſſis mordicus inhærendum eſt, ut contra ſpem in ſpem erecti confidamus Deo, nec ullis illecebris nos ab eo abduci patiamur.

Rom. 8. verſ. 25.

Rom. 4. verſ. 18.

16. *Nolite audire.*] Dum animos populi ab Ezechia avertere ſtudet, ſimul eos ad delicias revocat, ut obliviſcantur Deum, nec quicquam ab eo expectent. Perinde acſi diceret, Nolite Deo credere, ſed potius Regi meo. Ita nobiſcum agit Satan. nam obſcurans Dei bonitatem ſuis nebulis, & larvas falſæ ſpei nobis objiciens, clam & oblique ſubrepit in locum Dei: vel creaturas ſupponit, ut nos ſuis laqueis implicet. Objicit delicias, & genus aliquod vitæ facilioris cum hac jactantia, Deus procul oſtendit, ego vobis exhibeo. Etſi autem mentio fit Ezechiæ, re ipſa tamen fit comparatio inter Deum & Aſſyrium. nam Ezechias ut miniſter Dei erat, nihil obtendebat falſo, nec jactabat inanem fiduciam, ſed promiſſis veris & certiſſimis innixus, populo ad quærendum Deum fidelis hortator erat: Rapſaces vero Regem ſuum ornabat Dei ſpoliis, & interea miniſter Satanæ erat, ut abduceret populum à fiducia Dei in omnem impietatem. *Facere benedictionem*, eſt tranſigere amice: acſi diceret, Nolite quicquam hoſtiliter deſignare, aut tentare bello. Facite deditionem, obſequia veſtra meo Regi offerte. Non tantum audientiam ſibi fieri poſtulat Sennacherib, ſed etiam populum in nomen ſuum jurare. atqui hanc ſervitutem, quæ per ſe odioſa erat, Benedictionis nomine tegit, quo magis ad ſe alliciat. Jubet autem ipſos tranquillam vitam & alia commoda, quibus ante fruebantur, redimere miſera iſta defectione: nempe ſi relicto Ezechia, ad ſe egrediantur. Nam deficere à pio rege, qui à Deo conſtitutus erat, quique typum gerebat Chriſti, omnium miſerrimum atque infeliciſſimum erat. nec vero id fieri poterat ſine abnegatione Dei ipſius, qui ſignum illud in Judæa erexerat cæleſtis gratiæ.

17. *Donec veniam.*] Nunc conditionem aliam ſubjicit longe duriorem priore. Significat enim pacem non aliter iniri poſſe cum Sennacherib, quam ſi populus in exilium migret. quod nihil aliud erat, quam relinquere cultum Dei & degenerare in ſuperſtitionem, ſeque ab hæreditate divinitus tradita ultro abdicare. ſed afflictos, & extremo periculo attonitos compellans audacter quidvis imperat redimendæ vitæ cauſa. Hic clarius perſpicimus orationem Rapſacis nihil aliud eſſe quam imaginem tentationum, quibus in dies Satan fidem noſtram oppugnat. nihil enim magis vulgare eſt Satanæ, quam nos hujus mundi illecebris ac deliciis abſtrahere à fiducia Dei: Fruendum pace & tranquillitate, eamque omni ratione redimendam eſſe: felicitatem eſſe in abundantia rerum & copia. Maxime vero rebus adverſis abutitur ad nos urgendos, majoreque licentia ad excutiendum Dei jugum inſtigat. ſenſim quidem & clandeſtinis obſcuriſque artibus ſe inſinuat. Poſtquam vero nos ſemel illexit atque ita illaqueavit, ut præſentia bona pluris quam futura faciamus, hanc conditionem ſubjungit, ut prorſus ſibi devinctos & addictos teneat: quam certe vitare non poſſumus, ubi nos ſuis captioſis ſpebus & rerum præſentium guſtu irretitos tenet. Porro quia durum aſperumque erat exilii nomen, nec facile erat renunciare patriæ dulcedini: ut nullam eos jacturam facere oſtendat, ſi migrent è regione ſua, eam in quam

abducendi ſunt æque feracem atque uberem eſſe dicit. Velum ſcilicet eorum oculis obtendens, ne quid ſibi perire exiſtimarent. Interea aſtute prætermittit quæ plus cæteris omnibus æſtimanda erant: cultum Dei, Templum, Legem, Regnum, ordinem ſanctæ gubernationis, & reliqua omnia quæ ad cæleſtem hæreditatem pertinebant. quæ vero poteſt ſine his eſſe felicitas? Sedulo ergo diſcat intendere unuſquiſque mentem in bona ſpiritualia. neque enim abs re omnibus mundi lautitiis proſperiſque ſucceſſibus excellentius bonum prædicat,
Pſal. 84. *v.* 5, 11. Habitare in domo Dei, ne rerum præſentium ſpe abducti, vera felicitate privemur. Hæc enim horribilis eſt pœna, qua Dominus incredulitatem hominum ulciſcitur, quæ piis omnibus pertimeſcenda eſt, ne ullis ærumnis aut calamitatibus victi deficiant.

18. *Ne forte decipiat vos.*] Aliud eſt argumentum diverſum à ſuperioribus, quo populum ab Ezechia & fiducia in Deum abducere conatur. Prius jactabat ſe Dei miniſtrum eſſe, ab eo miſſum ut Judæam deleret, ideoque certam victoriam ſibi pollicebatur. nunc vero palam inſultat ipſi Deo. nec enim primo congreſſu impii contemptum ſuum & impietatem prodere ſolent: ſed Dominus tandem ipſorum affectus patefacit, eoſque ipſos animi ſui virus detegere cogit. Nunc ergo longius erumpit impius Rapſaces, ſeque Deo ipſo ſuperiorem fore jactat. Loquitur autem in perſona domini ſui, quod magnas victorias de variis & robuſtis populis obtinuiſſet. Hi ſuos deos habebant, ſub quorum tutela ſervari videbantur. Deos igitur ipſos ſe viciſſe putabat Sennacherib quod viciſſet gentes, quæ in eorum ope recumbebant. Hinc fit ut eo prorumpat audaciæ, ne Deo viventi comparare ſeſe dubitet, quin furore abreptus, vires ſuas opponat ipſius potentiæ. Quamvis ergo impii initio diſſimulent contemptum Dei, tamen poſtea oſtendunt ſe omnia ſibi, ac ſine Deo arrogare. Verbis quidem ſimulant ſe victorias idolis ſuis tribuere: ſed poſtea, ut inquit Abacuc, ſacrificant
Abac. 1. *verſ.* 16. reti ſuo, & ſuffitum faciunt ſagenæ ſuæ. quod hodie quoque ab hypocritis fieri videmus. Currunt enim ſalutaturi idola ſua, poſtquam victoriam adepti ſunt: ſed deinde conſilia ſua, prudentiam, fortitudinem, apparatus jactant, ut iis plane, non idolis, quicquid accidit ipſos tribuere appareat. Hac ergo tam inſolenti jactatione oſtendit mendacium fuiſſe, quod dicebat ſe Deum auctorem victoriarum ſuarum agnoſcere. Porro fieri non potuit quin hæc animum pii Regis mirum in modum torquerent, quum audiret promiſſa Dei impoſturæ nomine damnari: quum impius iſte palam inſultaret Deo, eumque cum idolis miſceret. Atque hæc ideo referuntur, ut intueamur patientiam pii Regis, noſque, ubi aliquid ejuſmodi continget, ad ejus imitationem conferamus. *An liberarunt.* Quod ſe opponit diis omnibus, iiſque ſuperiorem ſe eſſe affirmat, tam alienum eſt à communi ſenſu, ut vel impii ipſi abhorreant: ſi tamen eos premat Dominus, ſi adigat in quæſtionem, facile extorquet ejuſmodi voces. Quum meditata utuntur oratione, fingunt ſe Dei cultores, ſed poſtea Deus quod intus latebat depromere & fateri cogit. Sciamus ergo ſuperſtitionem cum ſuperbia perpetuo conjunctam eſſe, ita ut qui ignorant Deum, adverſus omne numen inſurgere non dubitent: ac ne proterviam atque inſolentiam impiorum miremur: quia nihil ad humilitatem nos erudire poteſt, quam pura cognitio Dei. Nec vero impius iſte excuſari poteſt, quaſi merito idolis imbecillitatem & vanitatem ſuam exprobret. ejus enim mens & animi propoſitum attendi debent: quandoquidem non ridet ſuperſtitionem & vanam fiduciam gentium, ſed in idolis ipſis deſpicit potentiam Dei. quemadmodum Dionyſius ille tyrannus quum deos ſuos ridebat, pugnabat cum Deo, eumque in certamen provocabat: quia divinum numen, quale animo comprehendere poterat, repugnante conſcientia, inſectabatur. Ita de reliquis impiis dicendum eſt, qui falſas religiones, quas Dei eſſe putabant, ludibrio habuerunt. Hic quoque obſervandum eſt aliud blaſphemiæ genus, quo impie majeſtas Dei violatur: nempe quod Rapſaces Deum miſcet cum idolis, eumque velut unum è turba conſtituit. nam quale illud eſt, Deum immortalem, rerumque omnium auctorem cum rebus viliſſimis, veritatem cum mendacio, gloriam cum ignominia, cælum cum terra miſcere? Magnus, inquit David, eſt *Pſal.* 96.
Dominus & plurima laude dignus, formidabilis præ *verſ.* 4.
omnibus diis: ſiquidem cuncti dii populorum nihili ſunt: at Dominus cælos fecit. Coram ipſo decus & honor, potentia, & magnificentia in ſanctuario ſuo.

19. & 20. *Ubi dii Amath.*] Amath Antiochiam Syriæ fuiſſe putant: *Arpad*, eam urbem ex qua verſus Damaſcum coloniæ deductæ fuerunt: *Sepharvajim*, urbem ſitam in regione Damaſcena. quod ſi verum eſt, Rapſaces vetuſta urbium nomina refert, ex quibus prodierant olim populi complures: deinde non modo famæ celebritatem perdiderant, ſed unaquæque etiam proprium nomen: ut tanta rerum commutatione magis ipſos commoveat. Quicquid ſit, vicinas urbes potiſſimum deſignat, quæ ut propius cognitæ erant Judæis, ita ſuo interitu magis eos afficere poterant. Nec ſane dubito, quin hæc loca Syriæ fuerint & Iſraëlis. acſi diceret, Videte hæc duo regna ſubjugata, quibus præerant dii eorum tutores: An Deus veſter mihi reſiſtet? Particulam כי, interrogative utroque loco accipiunt interpretes, An dii Gentium liberaverunt? & an Deus veſter eripiet? ego autem, ut ſenſus melius flueret, malui ſecundo loco reſolvere, Ut eripiat Deus veſter. Nam ejuſdem vocis repetitio ſimilitudinem notat. Quanquam videtur ſubeſſe ironia: quaſi dixiſſet per ludibrium, nempe ut dii Gentium liberarunt ſuos cultores, ita vobis ſuccurret Deus veſter. Hæc autem impiorum arrogantia inde oritur, quod non intelligant hominum peccata puniri à Deo quum aliquid adverſi patiuntur. ac primum in eo peccant, quod perverſam & præpoſteram comparationem adducunt: illum populum vici: ergo ſum melior vel potentior. nec enim agnoſcunt ſe iræ Dei exequutores ad ulciſcenda ſcelera deſtinatos eſſe. nam etſi quid à Deo ſibi conceſſum dicant, id ſimulate faciunt, nec voluntatem ejus aut juſtitiam animadvertunt. Poſtea altius inſurgunt: quia audent ſe cum ipſo Deo conferre: Iſtos vici quibus præerat Deus: Deum igitur ipſum vici. Atque hic graphice depictum cernimus quod dictum fuerat cap. 10. Heus *ſupra.* 10.
Aſſur virga furoris mei: ipſe vero non ſic cogitabat. *verſ.* 5.
Illic enim fideles monebat Deus, quamvis cæca amentia ſe extollens Sennacherib, omnem Deitatem obruere tentaret, retinendam tamen eſſe ſententiam hanc, non plus eum poſſe quam è cælo permiſſum eſſet. Noſtrum ergo eſt agnoſcere pœnas infligi à Deo per manum impiorum qui iræ Dei velut inſtrumenta ſunt. ab iis igitur avertendi ſunt oculi noſtri, ut in Deum recta intueamur, cui merito pœnas damus. Si prævalent impii, ne putemus fractam eſſe Dei potentiam, ſed nos ejus ope indignos eſſe conſideremus. Armat enim hoſtes in exitium noſtrum: iis vires & copias ſuppeditat: impellit ac flectit quocunque libet, noſque in eorum manus concludit, quum ab ipſo abalienati ſumus. Quum igitur hodie adverſum nos inſoleſcit Turca, quod jamdiu tantam Chriſtianorum multitudinem ſubegerit, non eſt quod ideo turbemur, acſi imminuta eſſet Dei potentia, nec ſatis virium haberet ad nos liberandos: ſed reputare debemus, quot modis & Græci, & Aſiatici iram ipſius provocaverint, dum tot fœda & portentoſa libidinum genera regnarunt in illis regionibus: deinde horrendæ ſuperſtitiones

atque

atque impietates graſſatæ ſunt. ſeveriſſima ergo caſtigatione opus fuit ad reprimenda flagitia eorum qui falſo Dei nomen profitebantur. Hinc Turcæ proſperitas, hinc horrenda in toto Oriente diſſipatio ſequuta eſt. Interim videmus ipſum inſoleſcentem atque erigentem criſtas, religionem noſtram ridere, ſuæque mirum in modum applaudere: ſed
Hab. 1. magis applaudit ſibi, retique ſuo ſacrificat, ut jam
verſ. 16. de aliis impiis dictum eſt. Convertendi ergo ſunt animi noſtri in judicia Dei, ne Turcam ſuis viribus tantum imperium conſequutum eſſe exiſtimemus. Sed Dominus ei frena laxavit, ut impietatem hominum & nequitiam ulciſcatur. tandem ſuo tempore inſolentiam quoque ipſius cohibebit. Etſi autem proſperitas ſignum eſt benedictionis Dei, ab ea tamen initium facere minime convenit, ſi rectum judicium de ipſo Deo facere libeat: ſicuti Turca & Papiſtæ ex victoriis colligunt Deum quodammodo eſſe ſub manu ſua: Sed ubi verum Deum cognoverimus, ad teſtandam ejus gratiam & virtutem ſuo ordine accedunt beneficia. Jam vero ſemper cavendum, ne vel tantillum nobis arrogemus: quia ſimulac obrepſerit ſtulta confidentia, ſtatim abripiet nos hic furor, ne Deum quidem nobis parem fore. Initio impiis quoque deteſtabile erit hoc ſacrilegium: ſed ubi nos ita dementat diabolica ſuperbia, ut nos ſpoliis Dei ornemus, facilis eſt lapſus ad craſſam iſtam inſultationem. Retinuit quidem interea Sennache-
cap. 37. rib aliquam pietatis formam: quia poſtea legemus
verſ. 38. occiſum fuiſſe in templo dei ſui, quum illic adoraret, ac voluit proculdubio Deum ſibi habere propitium: ſed quemadmodum hic cum diis Gentium ipſum terræ & cæli opificem conculcat, ſic occaſione data auſus fuiſſet peræque ſe efferre contra proprium idolum.

21. *Et illi tacuerunt.*] Hoc ideo additum eſt, ut melius intelligamus quam afflictæ res fuerint in tota Judæa. quum enim virium aut præſidii nihil propemodum eſſet pio Regi, ideo obmuteſcit etiam inſoleſcente hoſte. Miſſi erant Legati ad ipſum leniendum: ubi nihil efficiunt, tacere jubentur, ne feram illam beſtiam irritent, quæ plus ſatis ad ſævitiam accenſa erat. Quanquam incertum eſt de Legatisne loquatur, an de populo, in quem probra hæc jaciebat Rapſaces. Et probabile quidem eſt, potius hoc referri ad murorum cuſtodes, quos tametſi acriter pungerent hoſtis contumeliæ, non tamen ad rixas vel tumultus provocarunt, quia morem geſſerunt edicto Regis. unde etiam colligimus ſingulari Dei gratia factum eſſe, ut in rebus perditis tam compoſitos ad obſequium animos habuerit. Objiciet quiſpiam ſilentium minime indicendum fuiſſe, quum tales in Deum blaſphemiæ audirentur. nec enim diſſimulandum eſt, quum impii Deo contumeliis & probris illudunt: tametſi vitæ diſcrimen ſubeundum ſit. ſaltem teſtari debemus nos id æquo animo ferre non poſſe, quod honori & gloriæ ipſius adverſatur. Atqui non ideo tacuiſſe dicuntur, quod vel annuendi ſignificationem dederint, vel pro nihilo duxerint contumelias, quæ in Deum jactatæ, quamvis vocem non exprimerent, cruciabant tamen animos: deinde ad geſtus & ſigna mœroris Legatos ipſos impulerunt. Poſtea enim præ doloris acerbitate diſcindunt veſtes: quo ſigno ſe tales blaſphemias exhorrere & deteſtari oſtendunt. ſed quia ſine ullo profectu rixati eſſent Legati ipſi cum Rapſace, ideo placide ac ſine ulla contentione redierunt: populus vero, quia tumultuari utile non erat, ſatis habuit tacitos gemitus impii hominis petulantiæ opponere. atque hæc non ſpernenda eſt fortitudo, ubi ne hiſcendi quidem poteſtas datur, non tamen labaſcere vel inflecti, ſed manere in ſtatione noſtra tranquillos. Imo hinc monemur haud ſemper litigandum eſſe cum impiis, ubi lacerant Dei nomen, & contumeliis proſcindunt: quoniam in acerba contentione, & confuſis clamoribus veritas non audietur. Nec tamen propterea ignaviæ noſtræ indulgendum: ne putemus nos excuſandos eſſe, ſi quoties impii adverſus Deum inſurgunt, ſileamus. Nam ſilentium noſtrum excuſatione carebit, niſi aliqua ratione teſtemur id vehementer nobis diſplicere, & quantum in nobis eſt, profiteamur nihil nobis eſſe acerbius, quam nomen Dei violari. Dandum igitur zeli ſignum, ne putent impii nobis curæ non eſſe Dei honorem, neque affici quum ab ipſis proſcinditur.

22. *Et venit Eliacim.*] Jam videmus non ideo tacuiſſe Eliacim, alioſque Legatos, quaſi vel applauderent impietati Rapſacis, vel periculi metu tales blaſphemias diſſimularent: quandoquidem diſcindunt veſtes ſuas, atque eo ſigno teſtantur quantopere ipſis diſpliceant impia illa convitia. Sobnam excipio, quem pietate vacuum pudor tantum impulit, ut defunctorie cum aliis triſtitiæ habitum ſuſciperet. Hoc autem moris erat Judæis, atque cæteris Orientalibus, quum aliquid ſummopere deteſtabantur, veſtes lacerare: quia ut ardoris multo plus habent illæ nationes nobis qui regiones frigidas incolimus, ita geſtu, inceſſu, habitu, externiſque ſignis vehementiam majorem præ ſe ferunt. Hic etiam obſervandum eſt, eos qui privatas injurias diſſimulanter tulerant, ubi Deum probro affici audiunt, veſtes ſuas ſcindere. nam quorum irritabiles ſunt animi in privata injuria, ubi patientia opus erat, nec commoventur ubi nomen Dei probro affici intelligunt, oſtendunt ſe nihil habere zeli aut pietatis.

CAP. XXXVII.

FActum eſt autem ut hoc audito, rex Ezechias ſcinderet veſtimenta ſua, & ſacco opertus veniret in domum Jehovæ.

2. Simul miſit Eliacim præfectum palatii, & Sobnam cancellarium, & ſeniores Sacerdotes ſaccis opertos, ad Jeſaiam filium Amoz, Prophetam.

3. Qui dixerunt illi: Sic dicit Ezechias: Dies anguſtiæ, & increpationis, & blaſphemiæ dies hic, Quia filii venerunt ad partum: neque eſt vis pariendi.

4. Si forte audiet Jehova Deus tuus verba Rapſacæ, quem miſit rex Aſſur dominus ejus: ad maledicendum Deo viventi, & arguendum verbis, quæ audivit Jehova Deus tuus. Tu ergo levabis orationem pro reliquiis quæ adhuc extant.

5. Venerunt ſervi regis Ezechiæ ad Jeſaiam.

6. Et dixit illis Jeſaias: Sic dicetis domino veſtro. Sic dicit Jehova, Ne timeas à verbis quæ audiſti quæ mihi exprobrarunt ſervi regis Aſſur.

7. Ecce apponam illi ventum. Audiet enim rumorem, & revertetur in terram ſuam: & faciam ut cadat gladio in terra ſua.

8. Reverſus

8. Reverſus autem Rapſace invenit regem Aſſur oppugnantem Lobnam. Audivit enim profectum à Lachis.

9. Audiens autem de Thirhaka rege Æthiopiæ: Egreſſus eſt, ut pugnet contra te: ex quo audivit, miſit nuncios ad Ezechiam, dicens:

10. Sic dicetis Ezechiæ regi Juda: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis, dicens: Non tradetur Jeruſalem in manum regis Aſſur.

11. Ecce tu audiiſti quæ fecerunt reges Aſſur univerſis terris, quomodo vaſtaverunt eas: & tu liberaberis?

12. An liberaverunt dii Gentium, quos perdiderunt patres mei? Gozam, & Haram, Rezeph, & filios Edem, qui fuerunt in Bithlaſſar.

13. Ubi rex Amath, rex Arpad, rex civitatis Sepharvajim, Hena & Iva?

14. Accepit Ezechias literas è manu nunciorum, & legit eas, & aſcendit in domum Jehovæ, & expandit eas coram Jehova.

15. Tum oravit Ezechias ad Deum, dicens:

16. Jehova exercituum, Deus Iſraël, qui habitas inter Cherubim: tu ipſe Deus ſolus ſuper omnia regna terræ: Tu feciſti cælos & terram.

17. Inclina Jehova aurem tuam, & audi: aperi Jehova oculos tuos & vide: & audi cuncta verba Sennacherib, qui miſit ad exprobrandum Deo vivo.

18. Sane Jehova, perdiderunt reges Aſſur cunctas terras, terram, inquam, eorum.

19. Poſueruntque deos earum in ignem, quoniam non ſunt dii, ſed opus manuum hominis, lignum & lapis, ideo perdiderunt eos.

20. Et nunc Jehova Deus noſter, ſerva nos è manu ejus: ut cognoſcant omnia regna terræ quod tu Jehova es ſolus.

21. Tunc miſit Jeſaias filius Amoz ad Ezechiam, dicens: Sic dicit Jehova Deus Iſraël. Quoniam me precatus es de Sennacherib rege Aſſur:

22. Hoc eſt verbum quod loquutus eſt Jehova de eo: Sprevit te, ſubſannavit te, virgo filia Sion: movit poſt te caput, filia Jeruſalem.

23. Quem probris affeciſti? & quem contumelioſe aggreſſus es? Super quem exaltaſti vocem tuam, & in ſublime extuliſti oculos tuos? nempe, ſuper ſanctum Iſraëlis.

24. In manu ſervorum tuorum exprobraſti Domino, ac dixiſti: Ego in multitudine curruum meorum aſcendam in excelſa montium ad latera Libani, ſuccidam ſumma cedrorum ejus, electas ejus abjetes: tum veniam ad ſummum extremitatis ejus, ſed ſylvam * ejus campeſtrem.

* vel, planitiei ejus.

25. Fodiam, & bibam aquas: exſiccabo planta pedum meorum cunctos lacus obſidionis.

26. Annon audiiſti quod à longinquo tempore fecerim eam: à diebus antiquis formaverim ipſam? Nunc vero adducerem eam, ut ſit in deſolationem, in acervos ruinarum, quemadmodum urbes munitas.

27. Nam incolæ earum manu fuerunt mutilati, territi & confuſi ſunt: facti ſunt tanquam gramen agri, olus viride, herba tectorum, quæ ante maturitatem exareſcit.

28. Seſſionem tuam, exitum tuum, & introitum tuum novi, & iracundiam tuam contra me.

29. Quoniam iratus es contra me: ideo tumultus tuus aſcendit in aures meas. Itaque ponam † hamum meum in narem tuam, & frenum meum in labia tua: & reducam te per viam qua veniſti.

† vel, circulum.

30. Hoc autem erit tibi ſignum: Comedes hoc anno quæ ſponte naſcuntur, ſecundo etiam ſponte provenientia: in tertio vero anno ſeminabitis & metetis, & plantabitis vineas, & comedetis fructum earum.

31. Et adjiciet quod ſervatum erit è domo Juda, quodque reſiduum erit, radicem jacere deorſum, & fructum proferre ſurſum.

32. Nam è Jeruſalem egredientur reliquiæ, & quod ſervatum erit è monte Sion: zelus Jehovæ exercituum hoc faciet.

33. Propterea ſic dicit Jehova de rege Aſſur: Non ingredietur urbem hanc, neque projiciet illuc ſagittam. & non occupabit eam clypeo munitus: neque fundet contra eam baliſtam.

34. Per viam qua venit revertetur, neque ingredietur urbem hanc, dicit Jehova.

35. Et protector ero ſuper hanc urbem, ut ſervem eam, propter me & propter David ſervum meum.

36. Et egreſſus Angelus Jehovæ, percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia: & quum mane ſurrectum eſſet, ecce omnes cadavera mortuorum.

37. Tum profectus abiit, & reverſus eſt Sennacherib rex Aſſur, & habitavit in Ninive.

38. Et accidit quum adoraret in templo Niſroch * Deum ſuum, Adrammelech, & Sarrezer filii ejus percuſſerunt eum gladio, fugeruntque in terram Armeniæ, & regnavit Eſſarradon filius ejus pro eo.

* vel, Dei ſui.

Digitized by Google

ET *accidit.*] Declarat Propheta unicam ſalutis ſpem reliquam fuiſſe pio Regi, ut ad Deum juſtum vindicem ſuas querimonias deferret. ſicuti dicitur in Pſalmo, *Pſal. 123. verſ. 2.* Non ſecus ac ſervi vel ancillæ dum læduntur, ad tutelam heri ſui vel heræ reſpiciunt, ita oculos piorum intentos eſſe ad auxilium Dei. Ergo ubi de Jeroſolyma actum videtur, Ezechias terrenis præſidiis nudatus, ſub Dei protectionem ſe confert: atque ita fatetur non aliud extremis anguſtiis eſſe remedium. unde etiam clarius effulſit gratia Dei, ut perſpicuum eſſet miraculum, quum pius Rex cum toto populo è faucibus leonis iſtius ereptus eſt. Notanda igitur hæc circumſtantia, ut quam illuſtre ſit opus Dei melius intelligamus. Hic etiam docemur quid agendum ſit maxime rebus deploratis, ne ſcilicet pigri vel lenti ſimus ad implorandam opem Dei, qui nos ipſe ad ſe invitat. non eſt expaveſcendum, nec deſpondendi ſunt animi, ſed potius neceſſitate qua premimur exſtimulandi ad opem ejus quærendam: quemadmodum hic ab Ezechia factum videmus, qui ſtatim ſe recepit in Templum non ſecus ac in aſylum, ut ſub Dei umbra deliteſceret cum toto populo. Addit etiam pœnitentiæ ſymbola, ſciſſionem veſtium & indumentum ſacci, conſperſionem cinerum, & ejuſmodi. hæc enim ſolennia pœnitentiæ ſigna erant, quum gravi aliqua calamitate afflicti reos ſe coram Deo fatebantur, veniamque ab ipſo flagitabant. Mira vero ſancti Regis modeſtia, quod tot præclaris operibus defunctus, totque virtutum præſtantia ornatus, ſe tamen ſuppliciter coram Deo proſternere non dubitat: rurſus magnanimitas & fidei conſtantia, quod tam gravi tentationis mole non obruitur, quominus Deum à quo tam duriter percuſſus eſt, ultro quærat. Vix centeſimus quiſque reperitur, qui non obmurmuret ſi paulo ſeverius à Deo tractetur, qui non objiciat per modum exprobrationis ſua benefacta, atque expoſtulet iniquam ſibi rependi mercedem. Alii ubi eorum votis non reſpondet Deus, eum colendo operam ſe luſiſſe queruntur. Nihil tale in Ezechia animadvertimus, qui raræ pietatis ſibi conſcius reatus profeſſionem non fugit. Proinde ſi Deum exorare cupimus, & experiri ejus gratiam in rebus adverſis, teſtatam facere convenit pœnitentiam noſtram, atque ex animo reatum noſtrum agnoſcere. nec enim fortuito nobis res adverſæ accidunt, ſed his ad pœnitentiam Deus ipſe nos expergefacit. Verum quidem eſt, levis momenti fore ſaccum & cinerem niſi præcedat interior cordis affectus: quia ſcimus hypocritas plus ſatis in ceremoniis eſſe liberales: ſed quemadmodum ſupra dictum fuit, ubi hæc exercitia referuntur ad verum finem, merito ea commendat Spiritus ſanctus. Et certe fuit hoc raræ pietatis & modeſtiæ ſignum, quod ſe hoc modo pius Rex cum toto populo ad Dei timorem incitavit: deinde quod voluntariam reatus profeſſionem in ſqualore & ſordibus ſuſcepit. ſcimus enim ut Reges pudeat ſe demittere.

2. & 3. *Et miſit Eliacim.*] Legatio hæc non tantum huc ſpectavit, ut Jeſaiam accerſeret in ſocietatem luctus, ſed ut aliquid ſolatii peteret ex ejus doctrina. Et certe fruſtra in aërem fundentur preces, niſi ſuffultæ ſint Dei verbo. ſicuti videmus incredulos plus ſatis clamoſos eſſe in ſuis precibus, quum tamen Deum fugiant ſpretis vel neglectis ejus promiſſionibus. Hæc ergo ſolidæ pietatis probatio fuit in Ezechia, quod ſe addicens ſtudio precandi, ſimul adjunxit ſpei confirmationem, ne tentationi ſuccumberet. *Deut. 18. verſ. 15. Malach. 2. verſ. 7.* Adde quod rationem divinitus præſcriptam tenet, ubi Deum per os Prophetæ loquentem audire optat. Tametſi enim ſoli Deo innititur, non tamen repudiat hominis mortalis teſtimonium. atque ideo diſerte additur Prophetæ epithetum non ſine cauſa: mittit enim ad Jeſaiam, ut novo aliquo vaticinio confirmetur: atque ipſum nominat, non ut privatum hominem, ſed ut Dei ſervum, cujus officium erat pium Regem conſolatione aliqua ſublevare. Duo igitur notanda ſunt remedia, quibus extremis rebus ſublevamur. Primum invocandus eſt Deus ut nos liberet: deinde conſulendi Prophetæ, ſi modo iis frui licet, ut nobis ſolatium aliquod afferant ex verbo Dei. nam eorum officium eſt, afflictos erigere promiſſionibus & conſolari. quod ſi deſint, tamen ex Verbo ſatis ampla conſolatio ſuppeditatur. Atque conſulendi Prophetæ iſti, qui non ſuæ tantum ætati, ſed poſteris quoque & omnibus ſeculis deſtinati ſunt. nam licet obierint, libri tamen ſuperſtites ſunt: vivit eorum doctrina, nec unquam intermorietur. Nunquam ergo deſtituemur veris remediis, niſi ea reſpuamus. In ſumma tamen, conſulendus eſt ſemper Deus. Quæri poterit, Annon abunde inſtructus fuerit Ezechias & promiſſionibus Dei munitus? annon hoc diffidentiæ ſignum erat, novas promiſſiones petere à Propheta? Reſpondeo, non eſſe imputandum incredulitati aut diffidentiæ, quod novam promiſſionem quærit: nam ſibi conſcius infirmitatis ſuæ novas confirmationes accerſere non veretur. Semper enim ad diffidentiam nos ſollicitat caro, ideoque minime contemnenda ſunt nova ſubſidia: quærenda potius omnis generis adminicula, quibus tentationes varias repellamus. nam omnibus ex partibus nos adoritur Satan, atque ita circumvallat, ut niſi probe muniti, vix ad ejus inſidias aſtuſque vitandos pares futuri ſimus uſque ad finem. Quamvis igitur edocti ſimus verbo Dei ipſum nobis adfore rebus adverſis, tamen ubi ad certamen aliquod arduum ventum eſt, iterum atque iterum os Domini interrogare operæpretium eſt, & quærere novas confirmationes, quibus fidem noſtram roboremus. Nullæ quidem nobis dantur hodie ſimiles prophetiæ, ſed generales (quæ nobis etiam ſcriptæ ſunt) in uſum noſtrum accommodare debemus. Cur autem miſerit legatos Ezechias, non autem ipſe ad Jeſaiam potius acceſſerit ratio in promptu eſt, quod in Templo orabat. Nam communem fuiſſe luctum ex eo apparet, quod Seniores omnes & Conſiliarii ſaccis induti erant. Et probabile eſt preces Regis edicto fuiſſe publice indictas. Quanquam notandum eſt Prophetam non quieviſſe domi, ut deliciis vacaret, ſed ejus abſentia voluit Deus examinare fidem pii Regis.

4. *Si forte audieris.*] Videtur Ezechias dubitare, an Dominus ipſum audire velit. vertunt enim particulam אולי Fortaſſis: & ſic fere accipitur in tota Scriptura. Sed notandum eſt fideles, etiamſi certo ſciant Dominum ſibi affuturum, tamen quia perplexi ſunt ob difficultatem rei, in hunc modum loqui ſolere. Erat quidem Ezechiæ cauſa cur dubius eſſet, ſi rem ipſam ſpectemus: ſed quum in Verbum oculos convertit, certior redditur de voluntate Dei, ita ut deſinat trepidare. quia tamen fieri non poteſt, quin remoras fidelibus injiciat caro, ut non niſi cunctanter & hæſitabunde pergant, interdum ſermonem accommodant ad præſentem rerum aſpectum. Atque alibi obſervare licet ſanctos, ubi etiam de re certa loquuntur, in hunc modum loquutos eſſe. nam Petrus, dum Simonem hortatur, Si forte, inquit, remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. *Act. 8. verſ. 22.* nec enim conſulit Simoni ut trepidet, & rogando vacillet: vana enim fuiſſet ejuſmodi invocatio: ſed gravitatem peccati ipſi oſtendit, ut animum ejus ſerio percellat, & tandem expergiſci cogat, ut ad Deum accedat cum vera pœnitentia. Illud ergo *forte*, non eſt dubitantis, ſed idem quod vulgo dicimus, *Poſſible:* quum ſperare aliquid & promittere nobis audemus. Nec ita loquutus eſt Ezechias quaſi ſurdus eſſet Deus ad impiorum voces, vel eum quicquam fugeret: ſed quia in ejus corde fixum erat principium illud, Deum omnibus propinquum eſſe qui eum vere invocant, *Pſal. 145. verſ. 18.* contra deſperationem luctari inſtituens, precibus

bus ſeſe armat. & quia non ſine difficultate prorumpere nititur, dicit, Si forte. Adde quod duas audiendi ſpecies hic ponit, quæ nodum hunc aliqua ex parte expediunt. Apparet quidem primo intuitu aliqua repugnantiæ ſpecies in his verbis, Si forte audierit, quæ audivit. ſed loquutio aptiſſima eſt, quod certo & ſine controverſia perſuaſus ſit Ezechias nihil Deo occultum eſſe: tantum de hoc ſecum diſceptet, velitne in judicium vocare Deus blaſphemiam impuri canis: quia ſæpe dum ultionem differt ac diſſimulat ad tempus, clauſis oculis præterire videtur. [*Hebr. 4. verſ. 13.*] denique pro confeſſo ſumens, omnia Deo conſpicua eſſe & manifeſta, tantum anxie quærit an Deus re ipſa oſtendet ſe ita offenſum contumeliis Rapſacis, ut diutius impunitas manere nolit: denique effectualiter audire optat, quum ſcilicet ea quæ confuſa & diſſipata erant reſtituit, quum judicem ſe oſtendit. tunc enim re ipſa omnia ab eo animadverſa & perſpecta eſſe cognoſcimus. hoc modo petit Ezechias, An non audierit Dominus blaſphemias Rapſacis, ut eas ulciſcatur, & gloriam ſui nominis curæ ſibi eſſe oſtendat? Deum Jeſaiæ nominans, non intelligit ab uno tantum homine Deum coli, neque etiam ex numero piorum ſe abſcindit; ſed quia ex doctrina manabant preces, pius Rex voluit miniſterium Prophetæ commendare, ac teſtari verum Dei ſervum eſſe. Aliquando longius patet iſta relatio, omnes enim fideles invocant Deum: Deus viciſſim omnes cenſet in populo ſuo. ſed peculiariter cenſetur Jeſaiæ & Pauli Deus, [*Rom. 1. verſ. 8.*] quod ſpecialem vocationem habeant. In ſumma, elogium & commendatio vocationis Jeſaiæ nominatim his verbis continetur. *Et levabis orationem.* Hæc ſecunda ratio eſt cur Ezechias Legatos miſit ad Jeſaiam: nempe, ut ipſe quoque una cum aliis precetur. unde agnoſcimus Prophetæ munus eſſe, non tantum afflictos conſolari verbo Domini, ſed etiam interponere ſuas preces pro ipſorum ſalute. Ne ergo miniſtri Verbi & paſtores functos ſe officio putent, quum hortati fuerint & docuerint, niſi preces quoque adjungant. hoc quidem facere omnes decet: ſed Ezechias ad Jeſaiam potiſſimum miſit, quod cæteris præire exemplo ſuo deberet. Porro *levare orationem*, nihil aliud eſt quam precari: ſed notanda eſt loquutio. Oſtendit enim quomodo affectus noſtros compoſitos eſſe oporteat dum precamur. Scriptura ubique jubet ut animos in cælum erigamus: nulla enim alioqui in nobis eſſet reverentia Dei. deinde tantus eſt in nobis ſtupor, ut ſtatim obrepant craſſæ de Deo imaginationes: ut niſi nos in cælum revocaret, eum potius ad pedes quærere vellemus. Levare igitur orationem eſt ita precari, ut animi noſtri non torpeant in terra, nec terrenum quicquam aut craſſum de Deo cogitent, ſed ei tribuant quod ejus majeſtati convenit, ſerio etiam ardore in ſublime aſpiret affectus noſter. [*Pſal. 141. verſ. 2.*] Quo etiam ſenſu dicitur in Pſalmo, Aſcendat coram te quaſi ſuffitus oratio mea, quaſi ſacrificium veſpertinum. Jam quod pro reſiduo populo, qui ſuperſtes erat, concipi preces cupit, hæc quoque circumſtantia valere potuit ad Dominum flectendum: non quod hominum more flectatur: ſed ita nobiſcum agit, ſeque imbecillitati noſtræ accommodat. Quum ergo res noſtræ in eas anguſtias redactæ ſunt, ut non procul ab interitu abſimus, proponenda eſt Deo miſeria noſtra, ut aliquid conſolationis mentes noſtræ percipiant: quandoquidem miſeros & afflictos ſe reſpicere Deus affirmat. Et quo propiores exitio videmur, eo majore ſtudio & ardentiore petere debemus ut nobis opem ferat: quemadmodum hic deplorato rerum ſtatu, ab Ezechia factum videmus.

5. & 6. *Et venerunt.*] Quemadmodum prius narravit Propheta nullum aliud fuiſſe pio Regi perfugium, quam ut os Domini conſuleret, ita nunc id non fruſtra ab eo factum eſſe docet. audivit enim conſolationem quam optabat. Hoc exemplo moniti, ſi curas noſtras & moleſtias in Dei ſinum exonerando, levamen ab eo quæramus, nunquam nos fruſtrabitur ſpes noſtra: & quamvis non ſemper exſtabunt Prophetæ in mundo, qualis fuit Jeſaias, quo tamen expediet modo ipſe tempeſtive occurret ad opem ferendam. Præfatur autem Jeſaias ſe Dei nomine dare reſponſum, imo diſerte affirmat ipſum eſſe oraculi auctorem: quia & Prophetis ſemper cavendum eſt ne quid proferant à ſeipſis, & in negotio tam arduo neceſſaria fuit Dei auctoritas. docuit etiam hoc modo Propheta Deum fuiſſe obvium votis pii Regis. Jactant quidem & pſeudoprophetæ nomen Dei: ſed falſo: Jeſaias autem quia verum Spiritus ſancti organum fuit, jure obtendit ſacrum ejus nomen à quo miſſus eſt. ac primum quidem timere vetans, vel intrepido, vel ſaltem tranquillo eſſe animo Ezechiam jubet. Nam quoties audimus hanc vocem, ſciamus eam pacem nobis commendari quam fides parit in animis noſtris: quicunque enim Deo confiſi exitum malis ſuis ab eo expectant, patientia ſua victores emergunt ſupra omnes metus, unde etiam in agitatione tranquillitas. Cæterum, quo alacrius pergat pius Rex in ſperando lætiore exitu, clare exprimit propriam agi Dei cauſam, cujus patrocinium ſuſcipiet: quia pati nequeat impune nomen ſuum ab impiis violari, quin juſtus tandem judex appareat. Servorum quoque nomine, indignitatem rei amplificat. Nam etſi Rex ipſe ita loquutus eſſet, Dominum tamen ab homine mortali contemni, & tam probroſe exagitari intolerabile erat. unde colligere promptum fuit, multo minus à ſervis tantam contumeliam paſſurum eſſe. Itaque perſonæ conditio atrociorem reddit injuriam.

7. *Ecce apponam illi ventum.*] Quod alii vertunt, Ponam in eo Spiritum, perinde acſi de arcano cordis inſtinctu ageret Propheta, coactum eſt. Hæc vero metaphora optime convenit, in manu Dei eſſe ventum aut turbinem, qui Sennacherib alio proripiet. Uſitata Scripturæ loquutio eſt, impios ſtipulæ vel quiſquiliis conferre: [*Pſal. 1. verſ. 4.*] quia Deus quocunque viſum eſt eos facile impellit, dum ſe firmiſſimos ſtare putant. Exortam igitur tempeſtatem in regno Sennacherib, vento aut procellæ comparat qua è Judæa pulſus eſt. deinde oſtendit nihilo plus negotii fore Domino ad propulſandum illum hoſtem, quam ſi paleam aut ſtipulam movere vellet. Atque idem omnino de tyrannis omnibus, quamvis potentiſſimis, dicendum eſt. Quod proxime ſequitur, Et audiet, exegetice poſitum eſſe liquet: ideo in cauſalem particulam reſolvere placuit, Nam audiet. Hic enim eſt ventus quo excitato repente propulſus eſt Sennacherib: quia fama de Ægyptio & Æthiope audita, in regionem ſuam redire coactus eſt. Quod addit gladio proſternendum eſſe in ſua terra, perinde valet, acſi diceret, Nunc laceſſit alios & vexat, fines imperii ſui late extendere conatur: verum ego ipſi hoſtes in medio terræ ſuæ ſinu excitabo, à quibus profligetur. Nonnulli exponunt terram Iſraël; ſed nimis coactum eſt. loquitur enim de terra ipſius Aſſyrii: & ſubeſt tacita antitheſis, Hic qui aliorum urbes & regna ſubigebat, ſuam ipſe regionem tueri non poterit, ſed in ea delebitur ac peribit.

8. *Et reverſus.*] Nunc declarat, ut Rapſaces re infecta reverſus ſit ad Regem ſuum, non in eundem locum in quo ipſum reliquerat: intellexit enim ipſum ſolviſſe obſidionem à Lachis, ac migraſſe in Ægyptum ad oppugnandam Lobnam. Hanc urbem Peluſium eſſe putant nonnulli: alii malunt attribuere Judææ. Probabile quidem eſt, quum de adventu hoſtium rumor perlatus eſſet, moviſſe caſtra Ægyptum verſus, ut ſuo occurſu eos ſubſiſtere cogeret. Etſi autem novo bello Deus impetum tyranni moratus eſt, ut aliquid relaxationis Judæis daret,

ret, manu tamen hominum noluit devinci, ſed tantum palam facere, & quaſi producere in theatro indomabilem ejus ſuperbiam, quia in magno diſcrimine non deſtitit eaſdem vomere blaſphemias, ut paulo poſt videbimus.

9. *Audiens autem.*] Quo conſilio repente migraverit Aſſyrius ex Judæa, ex iis quæ ſequuntur conjicere licet. nam Ægypti & Æthiopiæ reges fœdus inter ſe inierant adverſus Sennacherib, quod ejus potentiam nimium augeri viderent, nec finem faceret alias regiones invadendi. niſi ergo ejus violentiæ in tempore occurrerent, facile exiſtimabant ſibi quoque ab ipſo grave periculum imminere. Nec enim ſaluti Judææ conſulere volebant hi Reges cum ſuo incommodo, ſed ſibi ipſi proſpiciebant: ut fere ſuſpicioſa eſt aliis Principibus & populis, ac merito, tam magna unius potentia. Itaque faciunt prudenter, quum junctis viribus ei tempeſtive occurrunt. ſingulos enim ſubigi ac deleri facile eſſet. Hac ratione hi duo Reges arma communia induerunt, ut vim atque impetum tyranni iſtius propulſarent. Aſſyrius vero tam difficili bello implicitus, Legatos ad Ezechiam mittit, ut eum terroribus ac minis ad deditionem impellat: ut tyrannos dementat ambitio, & falſa opinio ſuæ magnitudinis: ideoque verba ſua, rumorem nominis ſui, atque etiam umbram ſuam terrori omnibus fore arbitrantur. Hic difficili bello impeditus, cogitat de ſubigenda Judæa, à quo recedere coactus erat. pudebat ipſum videlicet, in obſidione non perſtitiſſe. quod autem præſens efficere non potuit, exiſtimat forſitan abſentem ſe conſequuturum. Sed Dominus mirifice opitulatus eſt ſuis, qui ab exitio non longe abeſſe videbantur. Ac primo quidem ad impetum tardandum huic tyranno impedimenta & difficultates objecit, è quibus non potuit ſe tam cito explicare: acſi quis rabidæ & furentis beſtiæ ori frenum, aut naribus circulum injiceret. quemadmodum etiam Propheta iterum dicturus eſt. Rabies quidem & ſævitia non ſedatur, ſed ita cohibetur, ut nocumento eſſe non poſſit. Hoc ipſum hodie perſpicimus: quam multi crudeles tyranni Eccleſiam Dei perditam vellent? quibus inſidiis hoc machinantur? quam varia inter ſe conſilia agitant? quas hinc inde vires colligunt? ſed ubi aliquid ſe effecturos putant, Dominus ipſis excitat repente hoſtes: interdum ipſos etiam inter ſe committit, & ſævitiam in eos ipſos convertit quam in filios Dei exercere cupiebant. Pergunt nihilominus in ſua ferocia, nec moliri hoc vel illud deſinunt: ut hic Sennacherib, tametſi ſatis habeat negotiorum, Ezechiam laceſſere non deſinit, & tanquam vile mancipium ex throno Regio alloquitur, ac veluti ſubdito imperat, quin etiam Deo ipſi inſultat petulanter, & miniſtrum Rapſacem ſuperat protervia. Tametſi enim eadem erat verborum Rapſacis ſententia, tamen hic impudentius & velut magis aperto ore Deo convitiatur.

10. *Non decipiat te Deus tuus.*] Quam horrenda eſt hæc blaſphemia: Deum auctorem veritatis acſi fruſtra lactaret ſuos, mendacii & imposturæ damnare! Quid enim ſupereſt Deo ſublata veritate, quia nihil magis ipſi proprium eſt? Deus vero impio homini hanc vocem extorſit, qui tamen antea ſe numen aliquod revereri ſimulabat. nec enim talem impietatem diutius latere ſinit, ut ante dictum eſt. Quod recitat ex Dei perſona ſervandam eſſe Jeroſolymam, hinc conjiciunt nonnulli retectam fuiſſe prophetiam Jeſaiæ regi Aſſyrio à proditore Sobna: atque hæc verba quodammodo id innuere videntur. Sed nihil opus eſt talibus conjecturis. ſatis enim compertum erat Aſſyrio, Ezechiam ſpem ſuam in Deo locare: nec ignota erant promiſſa, quæ tum
Pſal. 132. ipſi, tum Davidi data fuerant, Hæc requies mea,
verſ. 14. hic habitabo in ſeculum ſeculi: non quod ipſe operam dediſſet cœleſtibus oraculis, ſed quia celebris paſſim erat eorum fama: & Judæi mirum in modum his gloriabantur, & ſæpius jactabant adverſus hoſtes auxilium & tutelam Dei. His igitur opponit tyrannus hanc blaſphemiam, Non decipiat te Deus tuus. Atque ita ſeſe adverſus Deum effert, quaſi ipſi ſatis virium non ſit ad tutandam Jeroſolymam: ſibi vero potentia ſit non ſolum quavis humana, ſed etiam divina ſuperior. Hoc autem nititur exemplis comprobare: quod vicerit gentes, quibus alii dii præerant: & argumentum ducit à majorum ſuorum potentia, Hi prævaluerunt diis aliarum nationum: ergo vero majoribus meis longe antecello: ego neque Deus Iſraël mihi prævalebit. Ita impii homines rebus proſperis magis ac magis ſeſe efferre ſolent, ut jam ſe homines eſſe obliviſcantur, nec tantum divinam majeſtatem ſibi arrogent, ſed etiam ipſa majores ſe eſſe arbitrentur. Imo poſthabito recti & injuſti diſcrimine, ſolis nocendi viribus contenti, gloriantur ſuis & majorum ſuorum ſceleribus, eoque magis ſibi applaudunt, quod à latronibus & ſceleratis viris progeniti ſint. nam ſæpe inter monarchas ut quiſque eſt potentiſſimus, ita magni latronis dives filius vocari poteſt. Non diſpicit hic tyrannus, jurene an injuria tot regiones in majorum ſuorum poteſtatem venerint. nec enim tyranni juris aut æquitatis rationem habent, quum ad magnitudinem aſpirent: ſatis eſt ipſis ſi quomodocunque, ſeu per fas, ſeu per nefas, alios ſub jugum ſuum mittere poſſint. Ita quicquid poſſunt, licere putant. Vulgatum illud tenent, εἰ ἀδικεῖν, τυραννίδος πέρι ἀδικεῖν. neque hoc unius ſeculi incommodum eſt, ſed plus ſatis hodie quoque experimur.

11. *Ecce tu audiiſti.*] Duplex hic comparatio obſervanda eſt. nam confert Ezechiam cum aliis regibus Judææ, qui ipſum anteceſſerunt, quod inferior ſit, & tamen à regibus Aſſyriæ victi fuerint. contra vero Sennacherib majorem cæteris omnibus potentiam adeptus, audacius inſoleſcit. Sequebatur, Ezechiam ei obſiſtere non poſſe. Altera comparatio eſt regum Aſſyriæ & ipſius Sennacherib cum idolis Gentium. Nam ſi idola populos quibus præerant tueri non potuerunt, ergo neque Deus Iſraël populum cui præeſt ſervabit. Hic fidem Ezechiæ miris tentationum machinis impulſam fuiſſe dum legimus, iiſdem armis inſtructi paremus nos ad certandum. Imo dum otium nobis conceditur, ſtudeamus mature nos munire, ut quum in ejuſmodi diſcrimen ventum erit, forti animo obſiſtamus. Quod ſi nobis multarum gentium clades objiciat Satan, diſtinguenda eſt noſtra conditio: quia etſi paribus obnoxii ſimus, malis nos tamen certa ſalutis fiducia manet, qua illi deſtituuntur.

12. & 13. *Gozan.*] Hujus loci mentio fit 2. Reg. *cap.* 17:6.
Colligi poteſt oppidum fuiſſe Mediæ, quamvis nonnulli alibi ſitum eſſe putant. verum ſatis ſit quod Jeroſolymæ reſpectu fuit Orientale. Charræ ſæpe mentio fit in Scriptura. Plinius hoc oppidum in
Arabia locat: ſed magis receptum eſt ipſum Meſo- *Actor.* 7.
potamiæ eſſe, idque confirmat Abrahæ peregrina- *verſ* 2,4.
tio: quia ex patria Chaldæa egreſſus eo cum patre *Gen.* 11.
venit. Charras plurali numero vocant profani ſcri- *verſ.* 31.
ptores: ubi etiam Craſſum cum filio fuiſſe occiſum retulerunt.

14. *Et accepit.*] Nunc oſtendit Propheta quale perfugium in tantis miſeriis habuerit Ezechias. ſtatim nempe conceſſit in Templum, ut coram Domino deplorans calamitatem, cui ipſe mederi non poterat, in ipſum ſuam mœſtitiam ac curas rejiceret. Neque enim fuit hæc cæca vel confuſa lamentatio, ſed fletu ſuo & querimoniis Deum ad opem ferendam pius Rex flectere voluit. Ac ejus quidem exemplo docemur nihil eſſe melius ubi anxie urgemur, quam nos exonerare in Dei ſinum. reliqua ſolatia omnia, ſi hoc unum deſit, inutilia erunt. Quod literas expandit coram Domino, hoc non facit quaſi ipſi ignotum

eſſet quod literis continebatur : ſed ita ſecum agi
Deus permittit pro modulo noſtræ infirmitatis. ne-
que enim preces, neque lachrymæ, nec querimoniæ
ea patefaciunt Deo quorum egemus: quandoquidem
Matth. 6. verſ. 8. novit penuriam & neceſſitatem noſtram, priuſquam
ab ipſo quicquam rogemus. Sed hic potius conſide-
randum quid nobis neceſſarium ſit: nempe ut adver-
ſariorum blaſphemias ſibi notas eſſe oſtendat, nec
impune iis fore qui eas protulerunt. Hac igitur ra-
tione & conſilio Ezechias impii tyranni literas co-
ram Deo explicuit, quo ſe magis acueret ad precandi
ſtudium, zelique ſui ardorem magis accenderet.

15. & 16. *Tum oravit.*] Quia Satanæ organum
fuerat Sennacherib ad concutiendam Ezechiæ fi-
dem, munitionem hanc opponit, quod Deus im-
menſa potentia præditus ſit. neque enim dubium eſt,
quin his elogiis Deum inſigniens, ad impetrandi
fiduciam ſe animet. ut ſucceſſu non careant preces,
Hebr. 11. verſ. 6. ſtatuere ſemper convenit, Deum omnibus qui ipſum
quærunt remuneratorem eſſe: præſertim neceſſe
fuit pio Regi, ut libere & intrepide obſtaculum tol-
leret quo fiduciæ ejus curſum abrumpere tentaverat
Satan, hoc arripere, Quantumvis Dei potentiam
ſuis ludibriis extenuent impii, integram tamen ma-
nere. In eo vero apparuit heroica pii Regis magna-
nimitas, quod non ſolum pro aſſerenda Dei poten-
tia jurgatus eſt cum impio Rege, ſed apud ſe eam
extulit, teſtemque Deum fecit interioris ſui affe-
ctus. Ergo antequam precationem ullam formet,
fallacias diſcutit, quibus ejus animum labefacere co-
natus fuerat Satan. Nec tantum Dei omnipoten-
tiam prædicat, ſed etiam vendicat principatum
quem obtinet in univerſo orbe. atque hæc eo dicun-
tur à pio Rege, ut ſeſe confirmet in fide quam con-
ceperat de providentia Dei, qua totum mundum &
ſingulas ejus partes adminiſtrat. hoc enim potiſſi-
mum eſt piis omnibus ſtatuendum: ne fruſtra ſibi
orare videantur. nec tantam vim habuiſſet Regis
oratio, ſi ſolummodo dixiſſet, Inclina Domine au-
rem tuam, aut aliquid ejuſmodi, quam dum ſtatuit
operum ſuorum Domino curam eſſe. Sibi enim per-
ſuadet Deum cauſam iſtam ſuſcepturum: ſi Dei pro-
prium eſt totum orbem regere ac moderari, non pa-
tietur hunc tyrannum inſoleſcere, quin arrogantiam
ejus compeſcat. nam Sennacherib arrogabat ſibi
quod erat proprium Dei: hoc tandem haud impune
laturus erat. Quod ſub manu & arbitrio Dei ſtatuit
omnia regna terræ, ad cauſam præſentem ſpecialiter
accommodat. Interea hoc elogium Deo ſoli & ſem-
per convenit, quod regnis omnibus dominetur. ne-
que tamen negat quin Reges etiam, Præſides & Ma-
giſtratus ſuum principatum teneant, ſed ita ut Deo
ſubſint, eique omne imperium atque auctoritatem
1 Tim 6. verſ. 15. deferant. quemadmodum Paulus ſolius Dei impe-
rium eſſe dicens, Principes & Magiſtratus non
evertit, ſed omnes, quantæcunque magnitudinis
atque potentiæ ſint, à Deo ſolo pendere oſtendit, ne
ſe ejus ſocios aut æquales putent: ſed eum agnoſcant
Dominum ac Principem ſuum. Sic igitur auctori-
tatem ſuam Principes retinebunt, ſi ſe medios inter
Deum & homines contineant, nec altius conſcen-
dere velint. Porro hoc colligit Ezechias ex ipſa
creatione: quia fieri non poteſt, ut Deus qui cæli &
terræ opifex eſt, opus ſuum deſerat: quin potius ge-
nus humanum, præcipuam mundi partem, ſua pro-
videntia moderetur. Creationem enim tam anguſtis
finibus circumſcribere abſurdum eſt, quaſi momen-
taneæ & evanidæ virtutis Dei teſtimonium foret,
ſed ad continuam adminiſtrationem extendere opor-
tet. Hinc apparet tyrannos qui arbitrio ſuo domi-
nari volunt, Deum honore ſuo ſpoliare: quamob-
rem meritas arrogantiæ ſuæ pœnas luunt. Aliis
quoque elogiis ad confirmationem fidei ſuæ utitur
Ezechias. ac primo Jehovam exercituum nominans,
rurſus commendat ejus potentiam. Sed ubi adjun-
git Deum Iſraël, ſibi propinquum & familiarem
reddit: quia non vulgare amoris ſignum fuerat,
curam illius populi ſuſcipere. Eodem pertinet ſeſ-
ſio inter Cherubim: acſi diceret, Tu hic collo-
caſti ſedem tuam, & te eorum tutorem fore pro-
miſiſti qui te coram arca fœderis invocaverint. hac
promiſſione fretus ad te veluti ad præſidem confu-
gio. Cæterum mihi non dubium eſt quin Ezechias
ad formam Arcæ ſpectarit, quam duo Cherubim
circumdabant. Alii interpretantur Cherubim, An-
gelos, quaſi Deus dicatur regnare in cælo, atque in-
ter Angelos ſedere: ſed ea interpretatio non conve-
nit: dicitur enim Sedere inter Cherubim propter *Exod. 25.*
formam Arcæ, quæ hoc modo compoſita erat. Eam *verſ. 18.*
vero certum fuiſſe ſymbolum præſentiæ Dei ſci-
mus, tametſi virtus ipſius illic minime incluſa eſſet.
Atque hoc commemorans Ezechias, certo ſtatuere
voluit, ſibi præſentem adeſſe Deum, qui velut ex-
panſis alis populum ad ſe colligere dignatus erat.
Quum ergo longa inter Deum & nos diſtantia ſit,
illud adoptionis pignus amplexus eſt Ezechias.
Quanquam nihil craſſum vel terreſtre imaginatus
eſt de ipſo Deo, ſicuti è cælo eum evocare cuperent
ſuperſtitioſi: ſed promiſſione quam acceperat con-
tentus, gratiam Dei non procul eſſe quærendam
apud ſe ſtatuit. Hæc igitur loquutio notanda eſt,
qua docemur, præeunte Verbi luce paulatim con-
ſcendere in cælos, ut tamen quo ad opem ferendam
non fingamus Deum abſentem, quando ſibi inter nos
domicilium elegit. Nam quum ejus majeſtas terram
& cælos longe exuperet, eum intra ſenſus noſtri ca-
ptum includere nefas eſt. & tamen ut ſe Verbo no-
bis patefecit pro exigua ingenii noſtri facultate vel
modulo comprehendere licet: non quo detrahatur è
cæleſti ſolio, ſed ut mentes noſtræ infirmæ alioqui
& tardæ gradatim ad ipſum accedant. nam quum &
Verbo & ſignis ad ſuam altitudinem nos invitet, eo
eniti convenit. Quod ſi dextri ſimus interpretes,
ſpiritualis ſemper apud nos vigebit Dei notitia: nec
lapidibus aut lignis, aut arboribus Deum affigemus:
nihil terrenum aut craſſum de ipſo imaginabimur:
ſed quo propius ad nos deſcendet, omnibus quæ pro-
ponit adminiculis ita rite uti ſtudebimus, ne in terra
ſubſidant mentes noſtræ: quandoquidem non in
alium finem ſe ruditati noſtræ Deus attemperat, niſi
ut Sacramenta nobis ſint pro vehiculis, quæ ſuper-
ſtitio in contrarium abuſum vertit.

17. *Inclina Jehova aurem tuam.*] Ex his verbis
colligimus quam anxius fuerit Ezechias. Nam quæ
orationi ſubeſt vehementia miros curarum æſtus
ſpirat, ut facile appareat magna cum difficultate ſe-
cum fuiſſe luctatum, ut ex hac tentatione emer-
geret. Etſi enim precandi fervor vim & magnitu-
dinem fidei oſtendit: ſimul tamen turbulentos affe-
ctus quaſi in ſpeculo repræſentat. ac quoties eadem
nobis ſuſtinenda erunt certamina, diſcamus pii Re-
gis exemplo fervoribus noſtris opponere quæ ad
fidem ſtabiliendam valeant, ut ipſa perturbatio nos
ad tranquillam quietem ducat: neque nos terreat
debilitatis ſenſus, ſi metus & anxietas nos acrius
ſollicitant. Dominus quidem vult nos ſtrenue labo-
rare, ſudare etiam atque algere: nec enim promit-
tenda eſt nobis in umbra & otio victoria: ſed poſt
varia certamina felicem nobis exitum pollicetur,
quem haud dubie præſtabit. Cur vero poſtulat Eze-
chias à Deo ut audiat? an eum dormire aut igno-
rare putat? Minime vero: ſed ita difficili in negotio
loqui ſolemus, ut fere abeſſe Deum, aut ærumnas
noſtras negligere exiſtimemus. Tanta ergo anxie-
tate ſe conſtrictum fuiſſe oſtendit, ut propemodum
ſe deſtitutum à Deo eſſe arbitraretur. Idque ſecun-
dum carnis ſenſum: quia niſi fidei oculis intuitus
eſſet Deum præſentem, concidiſſet animo. Perinde
igitur eſt acſi peteret Ezechias re ipſa & experimen-
to palam fieri, quod ſub ſpei cuſtodia abſconditum
fove-

fovebat in animo, Dei auxilium. Petit ergo ut aperiat oculos & videat, id eſt, oſtendat hæc ſibi curæ eſſe. Satis vero declarat Ezechias, qua de re potiſſimum fuerit ſollicitus: nempe, ut Deus injurias ſibi illatas ulciſceretur: nam etſi regni & populi cura vehementer ipſum premebat, tamen pluris ei Dei gloria fuit, quam alia commoda omnis generis. & certe ejus ſtudium animos noſtros præcipue afficere atque urgere debet: eoque magis quod ſalutem noſtram cum ipſa conjunctam eſſe intelligamus. Itaque Ezechias hic tyrannum iſtum, ut hoſtem Dei conſtituens, qui ipſum convitiis & maledictis laceſſat, quod Jeroſolyma ejus nomine & tutela glorietur, colligit Deum non poſſe urbem cujus patronus eſt deſtituere, quin ſimul nomen ſuum deſerat. Quum ergo Deus pro immenſa ſua bonitate ſalutem noſtram conjunctam eſſe velit cum ſua gloria, arripiendæ ſunt nobis iſtæ promiſſiones, quibus animos noſtros obfirmemus: Tametſi impii dum conviciantur Deo, viruſque animi ſui exhalant atque evomunt, ſeſe obdurent vana ſpe impunitatis, nullam tamen ſyllabam fore quam Dominus non audiat, atque tandem in rationem revocet.

18. & 19. *Sane Jehova.*] Hic incipit Ezechias falſos deos à vero diſcernere: quod etiam nobis diligenter faciendum eſt. Impii enim, quibus nihil eſt lucis, confuſas quaſdam imaginationes concipiunt de Deo, quæ ſubito evaneſcunt, ita ut nullum Deum eſſe putent, vel eum ducant pro nihilo. Deus autem ſuos vel frigida vel caduca opinione tangi non vult: ſed verum Deum ſe ab illis agnoſci, qui virtutis ſuæ fulgore ſuperſtitiones omnes diſcutiat. Non ſatis eſt igitur numen aliquod comprehendiſſe, quale profani homines putant, ſed ita complectendus Deus, ut diſcernatur à commentitiis diis, & veritas à mendacio ſeparetur. & certe ubi ſemel illuxit animis noſtris, ſtatim concidunt falſæ religiones, quæ prius ingenia noſtra occupabant. Atque eo magis tenenda hæc doctrina eſt, quia plerique ſubſidunt in obſcuris ſpeculationibus, & ſufficere putant, ſi numen aliquod agnoverint. Ignorant plane an Turcarum Deus adorandus ſit an Judæorum: atque ita volitant in aëre, ut neque cælum (quod aiunt) neque terram attingant. Hac imaginatione nihil peſtilentius eſſe poteſt: quandoquidem ea Deus cum idolis miſcetur ac confunditur, cujus majeſtas gradum ſuum non retinet, niſi proſtratis omnibus figmentis ſola emineat. Ideoque veræ pietatis initium eſt, Deum unicum, cui penitus nos addicere convenit, ab omni turba prudenter diſtinguere. Duabus autem rationibus iſtos non fuiſſe deos oſtendit. primum quia materia conſtabant: deinde quod ab hominibus fabricati eſſent. Ac nihil magis præpoſterum eſt quam hominem ſibi ſumere creandi Dei licentiam: non modo quia originem habet, quum Deus ſit æternus, ſed quia ne ad momentum quidem propria virtute ſubſiſtit. colligat totus mundus quicquid habet virium, ne pulicem quidem formabit. Cujus ergo audaciæ eſt unumquemque mortalium vel Deum unum vel plures ſibi fingere? Ergo quum nihil in nobis ſit niſi caducum & fluxum, nulla à nobis orietur Divinitas. Adde quod abſurdiſſimum eſt ex corruptibili materia & quæ ſenſu caret velle aliquam Deitatem elicere artificii reſpectu: quaſi ubi acceſſerit ligno vel lapidi figura, incipiat Deus eſſe. Hoc igitur modo quicquid ſuperſtitionum commenti fuerint homines facile evertitur: quia alibi quam in eorum cerebris quærenda eſt ſoliditas. imo vanitatis & mendacii damnatur quicquid imaginati fuerint à ſeipſis.

20. *Et nunc Jehova.*] Nunc precationem ſuam concludens pius Rex, ex timore cum quo luctatus eſt emergit. Nec enim dubium eſt, quin ſubſidia quibus ſe hactenus munivit eum animaverint, ut intrepide brevem hanc clauſulam ſubjiceret. Etſi autem Deus non ſemper ſuos eripit ex temporalibus malis: quia tamen jam pollicitus fuerat ſe fore urbis cuſtodem, certo ſtatuere potuit Ezechias irritos fore impii tyranni conatus, qui in ejus excidium tendebant. Quod autem Deo rurſus objicit, urbis liberationem materiam fore gloriæ illius: hinc colligimus nihil magis eſſe optandum, quam ut nomen ſuum modis omnibus illuſtret. atque etiam hic ſummus ſalutis noſtræ finis eſt, à quo deflectere fas non eſt, ſi Deum nobis propitium eſſe cupimus. unde colligimus indignos eſſe ejus auxilio, qui propria ſalute contenti, negligunt vel obliviſcuntur cur ipſos præſtare ſalvos Deus velit. nec Deo tantum ſunt injurii in hac ingratitudine, ſed ſibi quoque plurimum nocent, ſeparantes quæ Deus conjunxerat: quia in ſuis ſervandis glorificat nomen ſuum: quod certe maximo, ut jam ante dictum eſt, nobis ſolatio eſſe debet. Porro non tantum cupit Ezechias Deum Iſraël aliquo loco cenſeri, ſed abolitis omnibus idolis ſolum eſſe conſpicuum. multi enim tunc idololatræ paſſi fuiſſent ipſum inter alios coli, ſed quia ſocios non admittit, deleri neceſſe eſt quicquid deitatis confingunt homines, ut integram monarchiam obtineat.

21. & 22. *Tunc miſit Jeſaias.*] Oſtenditur precationis fructus, quia ubi ad extrema ventum eſt, Deus auxiliarem manum repente pio Regi per Jeſaiam præbet: non quod protinus exerat manum ſuam ad hoſtes profligandos, ſed ore Prophetæ liberationem promittens, fidem ſervi ſui adhuc exercet. Jeſaias certe ſicuti à ſeipſo opitulari non poterat, ita ridiculus fuiſſet hoc vel illud jactando, niſi perſuaſus fuiſſet Ezechias illum ſibi divinitus eſſe miſſum. Ergo donec ſpecimen ederet Deus ſuæ potentiæ, in hoc ſolatio acquievit. Quo docemur ſemper nobis interrogandum eſſe os Dei, ſi in noſtris curis & anguſtiis allevationem aliquam ſentire velimus. nam ſi rejicimus doctrinam, quam nobis fidelium Doctorum opera adminiſtrat, omni conſolatione prorſus indigni ſumus. Ea vero imbuti atque inſtructi magis ac magis proficere, novaſque ex ea confirmationes petere debemus, ut novis doloribus nova ſubinde occurrant remedia, nec unquam vel acerbiſſimis in malis conſolatione deſtituamur. Nec enim vel inſtructiſſimi omnium ac munitiſſimi poterunt hac doctrina nimium abundare. Illuſtre hic in Ezechia fidei & conſtantiæ exemplum proponitur. & tamen ipſum non ſemel conſolatur Dominus, nec uno tantum vaticinio, ſed pluribus ipſum confirmat. quo magis nos, qui longo intervallo abſumus à tali conſtantia, ſciamus multis & variis adminiculis opus habere, quæ aſſidue fidem noſtram fulciant.

Quoniam me precatus es.] In Sacra hiſtoria exprimitur verbum Audivi: ideoque אשר illic relativum eſt. hic vero vel expoſitive capitur, vel rationalem particulam valet, ſicut aliis pluribus locis. nam ſupplere verbum Audivi, quod faciunt quidam interpretes, durum ac coactum eſt: & optime fluit ſententia uno contextu, dum pronunciat Deus ſe hoc dare precibus Ezechiæ, ut omnes tyranni conatus evertat, impetumque ac furorem cohibeat. quaſi diceret votis pii Regis concinere Dei reſponſum. Et certe quiſquis ad ipſum vota dirigit, ſentiet tandem quam propenſus ſit ad reſpondendum. ſed ideo ut plurimum ſilet, nec quicquam offert conſolationis ex verbo ſuo, quia ipſi obmuteſcimus in malis noſtris. Summa autem oraculi huc redit, non eſſe cauſam cur Ezechias inopiæ & debilitatis ſuæ conſcius fracto & dejecto ſit animo, ubi ſuperbum hunc tyrannum inſoleſcere videt: quia Deus ſe medium opponet. Quod ergo miſeris Judæis ita inſultabat Sennacherib, Deus ſe cauſam hanc ſuſcipere affirmat, ſicuti in eum recidebat contumelia. Quibus verbis oſtendit, ubi ab incredulis contemnitur ſua gratia, ejus fore vindicem, fideleſque admonet, ne ægre ferant ſe mundo eſſe contemptibiles, modo eorum infirmi-

2 Reg 19. verſ. 20.

V 2 tas

tas paratum in cælo auxilium inveniat. Magis autem emphaticum eſt quod Eccleſiam totam alloquitur, quam ſi idem privatim Ezechiæ dixiſſet: quia hac circumſtantia augetur indignitas, quod ludibrio habita fuerit miſeri populi ſimplicitas, acſi nullius momenti eſſet cæleſte auxilium. Perſtringitur ergo cæcitas Sennacherib, quod Deo poſthabito faſtuoſe deſpiciat afflictam Eccleſiam. Urbes quidem Filias appellari ſatis uſitatum eſt. Interdum etiam delicatæ
Pſal. 95. Jeſa. 1. verſ. 8. Jeſa. 23. verſ. 12.
urbes, Virgines nominantur: ut prius alio loco vidimus. Hic vero imbecillitatem urbis Jeroſolymæ notare voluit, quod inſtar virginis orbæ ac deſtitutæ eſſet, cui hic impurus nebulo, & ſceleratus latro inſultabat. Deus autem, ceu pater cui hæc injuria infertur, declarat ſibi compertum eſſe quid impius ille moliatur, & qualis ſit totius Judææ ſtatus.

23. *Cui exprobraſti?*] Proximo verſu rem deſcripſit, qualis ab omnibus animadverti ac conſpici poterat: nunc autem altius animos erigit, oſtendens hunc tyrannum non ſolum Jeroſolymæ inſultare, ſed ipſi Deo. Hic locus in memoriam redeat, quoties nos impiorum injuriis & petulantiæ expoſitos videmus. nam etſi inermes ſimus, nec quiſquam ſe pro nobis opponat, atque ob tenuitatem noſtram magis creſcat hoſtium petulantia, tamen prope eſt Dominus, à quo velut tutiſſimo clypeo protegemur. nam quicunque nobis ſunt infeſti, bellum cum Deo vivo ſuſcipiunt. Nec vero hæc unius ſeculi tantum gratia dicta ſunt, quin potius ut hæc promiſſio per-
Geneſ. 15. verſ. 1. & 17: 1.
petua eſt, Ero Deus tuus, & clypeus tuus: ero amicus amicis tuis, & hoſtis hoſtibus tuis: ita quo minus virium nobis ſuppetit, perſuaſi ſumus propiorem nobis fore Dei virtutem. Quum igitur hac conditione Dominus nobiſcum fœdus inierit, ut ſe pro nobis opponat, ne dubitemus quin re ipſa hoc præſtet, atque oſtendat ſibi injurias inferri quæ nobis inferuntur. In ſumma, ſic nobiſcum conjunctus eſt, ut omnia ſimul communia habere velit. Cæterum quæ in Eccleſiam probra jactaverat Sennacherib, Deus in ſe transfert, ut oſtendat longe falli impios dum in ſua altitudine ſuperbiunt, acſi impune Eccleſiam calcarent, quia ad eorum pedes jacet. Scimus enim Dei providentiam pro nihilo ab ipſis duci: præſertim vero dum fideles conſpiciunt ſub cruce gementes, indignos reputant quibus auxilietur Deus. Itaque conſurgit in medium, & ſe teſtatur non ſecus affici miſeri gregis ſui contemptu, quam ſi palam violaretur ejus majeſtas. Ergo quamvis nos à Deo negligi exiſtiment hoſtes quoties humanis opibus vident deſtitui, & eo majore licentia graſſantur acſi in prædam eſſemus expoſiti: ex oppoſito aſſerit Deus ſalutem noſtram ſibi charam & pretioſam eſſe. Cæterum pluribus verbis ſuperbi hominis faſtum & arrogantiam exprimit Propheta, ut qui ſermone, vultu, geſtu, oculis, toto denique corporis habitu prorſus intolerabilis fuerit. Ut enim ſibi de ſe perſuadent tyranni, ita ſeſe efferunt, & quaſi è cælo delapſi præ ſe deſpiciunt omnes. Tandem ſubjicit, utcunque attenuatæ eſſent res populi, Deum tamen, ſub cujus tutela eſt, integrum in cælo manere. Veſaniam enim Sennacherib perſtringit, quod populum à terrena ſpecie æſtimans, non reputet Deo peculiarem & ſacrum eſſe. Ergo ut Dei virtute ſtemus incolumes, nobiſque in tempore ſuccurrat ejus manus, Iſraëlem ipſius eſſe oportet. quod fiet ſi Verbo ejus innixi quieſcamus ſub umbra alarum ejus.

24. *In manu ſervorum.*] Hoc etiam indignitatem auget, & atrocitatem injuriæ: quia minus tolerabile eſt, convitium fieri à ſervo quam à domino: dum perſonæ vilitas graviorem injuriam facit. Unde etiam ſuperbi & arrogantes quo indignius & gravius ſit quod minantur, ſe per quemlibet ex ſervis vel pediſſequis hoc vel illud facturos jactant, quo magis ſe deſpicere oſtendant, quos oderunt. Voluit igitur Propheta indignitatem blaſphemiæ hac circumſtantia exaggerare, quod eam non ſolum evomuerat proprio ore Sennacherib, ſed famulum ſuum ſubornaverat Rapſacen, cujus contumeliis ſubjiceret ſacrum Dei nomen. Quæ deinde recitat in perſona Sennacherib, aliqui generaliter accipiunt de prioribus victoriis quibus potitus, ut jam dictum eſt, multos populos ſubegerat. Sed malo ſimplicius interpretari, atque ad præſentem obſidionem referre. nam quum prope in manum ejus tota Judæa redacta videretur, occupatis montibus, qui eam regionem undiquaque cingebant, inſoleſcit quaſi victor, & ſe pro jure ſuo arcibus illis, monte Libano, ejuſque cedris & abietibus, aliiſque commodis uſurum minatur. acſi diceret, nihil impedimento fore quo minus propugnacula, arces, & munitiſſima quæque loca occupet, totaque Judæa pro arbitrio ſuo fruatur. Sic enim tyranni quamvis fateantur Martem eſſe dubium, proſperos tamen bellorum eventus in manu ſua eſſe ſomniant.

25. *Ego fodiam.*] Pergit hic tyrannus in viribus ſuis jactandis, tantumque exercitum ſe adducturum minatur, ut præ multitudine fontes & omnes fluvios exhauriat. Quanquam per Lacus obſidionis intelligunt quidam fontem Siloë, & ciſternas ac piſcinas quibus carere obſeſſi Judæi non poterant, quin ſiti exareſcerent. Et certe priore membro dicere videtur, quamvis ſicca eſſet tota regio, ſe tamen non metuere ab aquarum penuria: quoniam fodiendis puteis ſufficient ingentes militum copiæ. Secundo adjungit, ſibi ad ſiccandas omnes urbis aquas rationem in promptu fore, ut ſiti conficiat Judæos. Denique ſignificat Jeroſolymam imparem fore obſidioni, neque diutius eam ferre poſſe, quin protinus ſe dedat. Atqui dum impii ſic efferuntur, Deus in cælo ſedet, unde judicium tandem adverſus ipſos laturus eſt. Eo enim ſpectat hæc Prophetæ narratio, ut illuſtre Dei judicium adverſus hunc tyrannum conſideremus.

26. *An non audiſti.*] Major pars interpretum ita hunc verſum exponit, quaſi Dominus nihil ab hoc tyranno fieri aut jam factum eſſe declaret, quod ore Prophetæ non prædixerit, atque ita auctorem earum rerum ſe eſſe pronunciet. Ego vero aliter interpretor: nempe, quia Deus Jeroſolymæ tutor eſt, ſalvam fore ejus auxilio. ac emphatice ſuppreſſo urbis nomine, pronomen demonſtrativum uſurpat, acſi nullo in pretio eſſent aliæ omnes coram Dei oculis. Alii pronomen referunt ad liberationem quæ pendebat ab arcano decreto Dei. verum quiſquis prudenter & Prophetæ conſilium & verba expendet, fatebitur Jeroſolymam ipſam potius deſignari. Conqueſtus fuerat Deus ſe violatum fuiſſe indignis probris: & tamen recitando verba Sennacherib, tantum Libani & vicinæ regionis meminerat. Nunc ut oſtendat ſub nomine Libani indictum ſibi eſſe bellum, proponit, quod ſæpe alibi, ſua manu funda-
Pſal. 41. verſ. 8. & 78. verſ. 99. & 87: 5. Jeſa. 14. verſ. 32.
tam eſſe Jeroſolymam, ſuiſque auſpiciis conditam. unde ſequitur non poſſe, niſi ipſo expugnato, eam everti à Sennacherib. Quæ doctrina paſſim occurrit, ac ſæpius repetitur in Scripturis. atque hic continetur eximia conſolatio, qua ſe pii in extremis quibuſque anguſtiis ſuſtinere poſſint: nempe quia à Deo electi ſunt, ita ſub perpetua ipſius tutela fore. Hoc enim argumento utitur: *Eccleſiam fundavi*, perpetuo igitur mihi curæ futura eſt ſalus ipſius. quia quod cœpi opus inchoatum non relinquam, ſed ad faſtigium uſque perducam. Denique Dominus teſtatur ſe tueri & conſervare opus ſuum, quoniam hoc ad honorem ipſius & ſalutem noſtram pertinet. Cæterum alio ſenſu Formator Eccleſiæ vocatur, quam vulgo Creator cæli & terræ. Nam peculiare ejus opus ſumus, ποίημα, ut inquit Paulus, ejus Spiritu
Epheſ. 2. verſ. 10.
reformati, quemadmodum prius aliis locis tractatum eſt. Itaque hoc opus univerſa mundi fabrica præſtantius eſt: ne quis induſtriæ ſuæ aut virtuti tribuat,

buat, quod in Eccleſiam Dei ſit cooptatus. nec enim fruſtra ejus figmentum vocamur. Quæri poteſt, cur Dominus ſe Jeroſolymam à diebus antiquis formaſſe dicit. erant enim aliæ urbes longe antiquiores. Reſpondeo, hoc non eſſe referendum ad externam formam aut ſtaturam urbis, ſed ad æternum illud decretum, quo ſibi in ea domicilium elegerat. Nam etſi pronunciatum fuit tunc demum quum Arca extructa eſt, *Pſal. 132. verſ. 14.* Hæc requies mea, hic habitabo: præterea per Moſem, *Exod. 20. verſ. 24.* Ubicunque memoriam fecero nominis mei, veniam ad te & benedicam tibi: tamen longe antea id erat à Deo conſtitutum. nam ante jacta mundi fundamenta, ſicuti etiam docet Paulus, *Epheſ. 1. verſ. 4.* electi ſumus. Et Jacobus nos ſermone veritatis genitos eſſe docet, *Jacob. 1. verſ. 18.* ut ſimus veluti primitiæ omnium creaturarum. Nos ergo præ omnibus creaturis ſervabit, nec interire unquam patietur. Et ſane eadem ratione qua vocatur Chriſtus primogenitus omnis creaturæ, *Coloſſ. 1. verſ. 15.* Eccleſia, quæ eſt corpus ipſius, *Epheſ. 1. verſ. 25.* dignitatis & excellentiæ principatum obtinet in toto mundo. Rabbinis ſua deliria relinquo, quod Deus ante cælum & terram creaverit Meſſiam, & Jeroſolymam cum ſolio gloriæ. Sed hoc tenendum eſt, quia toti mundo Eccleſiam ſuam præferre dignatus eſt, fidum ejus protectorem fore. Quod ſequitur in fine verſus, *Nunc adducerem ipſam*, &c. alii prorſus trahunt in diverſum ſenſum. Fateor quidem verba præteriti temporis eſſe apud Prophetam, Nunc adduxi eam & poſui: verum quia trita eſt linguæ Hebraicæ temporum mutatio, Propheta haud dubie, ubi præfatus eſt Deum eſſe Eccleſiæ ſuæ conditorem, & quidem ut nobiliſſimum ſit operum ejus ſpecimen, inde ratiocinatur fieri non poſſe ut eam ſubjiciat communibus ruinis. Interrogative ergo legendum eſt, An nunc adducam eam, vel adduxerim? quaſi diceret, An paterer aboleri ipſam, ut alias urbes quæ dirutæ ac vaſtatæ ſunt? Nam confert Jeroſolymam cum aliis urbibus quæ ab Aſſyrio everſæ fuerant, & redactæ in ejus poteſtatem, ne quis exiſtimet tam facile à tyranno everti poſſe: quando ejuſdem non eſt conditionis cum aliis quæ dirutæ & ſolo æquatæ ſunt. Ideoque non eſt comparanda cum aliis urbibus etiam munitiſſimis. Hæ enim facile concidunt cum ſuo robore terreno: Eccleſia vero quamvis tenuis atque exigua, firmum & ſtabile fundamentum in Dei electione habet, nulliſque fluctibus aut tempeſtatibus everti poteſt. Miras converſiones videmus in toto orbe ſæpius accidiſſe, everſas Reſpublicas, ſublata imperia, potentiſſimas nationes ſubactas, earumque nomen extinctum & gloriam deletam eſſe. Ubi nunc majeſtas imperii Romani? ubi nobilitas illius gentis quæ orbi univerſo dominata eſt? Si quæ nunc illius reliquiæ extant (quæ paucæ ſunt) nonne miſeram ſervitutem ſubierunt execrandi illius monſtri, Antichriſti videlicet, cujus tyrannis per totum orbem graſſatur? ubi nunc eſt Romana illa libertas? ubi illuſtris Reipublicæ forma? Annon Roma officina nequitiæ & diverſorium flagitiorum omnium merito dici poteſt? Verum inter horrendas iſtas converſiones, Dominus Jeroſolymæ, id eſt, Eccleſiæ ſuæ ſe adfuturum eſſe ſignificat: atque ut inter iſtas mutationes varie affligetur atque agitetur, ſtaturam nihilominus, vel ſaltem concuſſiones ejus vel preſſuras non fore obſtaculo, quin per varias reſurrectiones à ſeculo uno in aliud propagetur. Quamvis autem eadem Eccleſiæ membra non ſemper extent in mundo, idem tamen corpus eſt, eidem capiti, nempe Chriſto, conjunctum. Tuebitur ergo Dominus civitatem ſuam, atque efficiet ut permaneant filii *Pſal. 102. verſ. 29.* ſervorum ſuorum, ut eorum ſemen in ſeculum firmetur.

27. *Nam incolæ earum.*] Hic melius exprimit Propheta quod prius breviter attigerat: non eſſe æſtimandam Eccleſiæ conditionem ab hujus mundi ſtatu. nam etſi munitæ urbes capiuntur, & robuſtiſſimi quique animis fracti in hoſtium poteſtatem veniunt, tamen ſtabit Eccleſia ac vigebit, quandoquidem non propria virtute nititur, nec in terra radices, ſed in cælo habet. Subeſt enim hic tacita antitheſis inter urbes munitas quas incolæ pavefacti & contriti tueri non poſſunt, & Eccleſiam Dei, quæ ſola ejus gratia ſuffulta omnes impetus ſuſtinet ut nunquam excidat. In Deum enim ſolum refert omnia, à quo vitæ initium, continuum vigorem, perſeverantiam, omnes ſalutis partes, ac beneficia omnia obtinet. Hinc docemur omnia præſidia nihili eſſe, niſi adſit manus Domini. Frangentur & concident omnes humanæ vires, niſi ejus virtute fulciantur: arces, propugnacula, copiæ quantumvis ingentes nullum ſine ipſo uſum habebunt. Quod ſimilitudines mox additæ clarius exprimunt: ſicuti operæpretium fuit fidelibus commendari ſingularem qua Deus ipſos proſequitur gratiam, ne profanis hominibus terrenas ſuas opes invideant. Quamvis ergo illorum vires illuſtres ac ſplendidæ ſint, tamen oleribus & gramini ſimiles eſſe docet, quæ ad tempus quidem virent, ſed cito marceſcunt. Eas etiam magis extenuat alia ſimilitudine quam ſubjungit: nempe herbæ tectorum. Illa quidem eminet atque conſpicua eſt, ſed quo altiorem occupat locum, ardori propior eſt, atque citius exareſcit, nec ullum omnino uſum habet, ſicuti etiam in Pſalmo dicitur, Non benedici *Pſal. 129. verſ. 8.* à tranſeuntibus. Nam etſi ſublimes, ac velut in cælum evecti potiantur rerum ac floreant, tamen cito concidunt. Quemadmodum igitur major eſt ſegetis uſus quæ humi ad pedes jacet, quam ejus ſterilis herbæ quæ ſupra tecta elata eſt: ita humilem ſervorum ſuorum conditionem longe potiorem eſſe Dominus oſtendit, quam eorum qui viribus ſuis inſtructi ſupra alios ſeſe efferunt, & adverſus Deum ipſum gloriantur. Quod de ariditate ſubjicit, quartam hic ſimilitudinem adjungi nonnulli putant, ſed puto expoſitionis vice additum eſſe à Propheta: acſi diceret, ejuſmodi herbam ante culmum, ideſt, ante maturitatem exareſcere. ſicuti etiam dicitur in Pſalmo, *Pſal. 129. verſ. 6.* Priuſquam evellatur, exaruit.

28. *Seſſionem tuam.*] Redit ad intolerandam ſuperbiam illius tyranni, qui omnia ſibi arrogabat, quaſi nullius imperio ſubditus, Deumque præ ſe deſpicere & convitiis inſectari audebat. Ejus ſuperbiam & inſolentiam retundit, Atqui novi ſeſſionem tuam. Quum enim hæc ferociendi cauſa ſit impiis, quod nemini ſe ſubjectos, nec Dei ipſius providentiæ ſubeſſe putant: oſtendit eos nihil omnino poſſe, niſi quantum ipſe permiſerit. *Seſſio* & *exitus* hic pro conſiliis, inſtitutis, & machinationibus accipiuntur. Impii & profani homines varia conſilia agitant, quibus populum Dei opprimere ac perdere poſſint. at quoquo ſe vertant, quamcunque ineant viam, nihil ſine voluntate Dei efficient. Retinentur enim providentia Dei, atque huc aut illuc impulſi, præter animi propoſitum feruntur ſæpe in optimum finem, prout Deo viſum eſt: cujus propriæ ſunt partes dirigere greſſus hominum. Furorem quoque Sennacherib ſibi notum eſſe admonet, ſignificans dum tumultuantur in terra impii, ſe in placido ſilentio ridere eorum veſaniam. & quia proterviebat Sennacherib, atque impune id ſe facere exiſtimabat, hoc nominatim addit Propheta, ne fideles hoc novum vel abſconditum eſſe Deo, aut ſe ab ipſo neglectos eſſe putent.

29. *Quoniam iratus es contra me.*] Quo magis furioſe inſurgunt impii adverſus Deum, & rabido impetu feruntur, eo magis ſeſe iis opponere tandem ſolet. Exultare quidem ad tempus ipſos & quodammodo voti compotes eſſe ſinit, ſed ipſos poſt longam tolerantiam domat, ac veluti injecto freno cohibet, ne omnia ſibi in manu eſſe putent. Hujus rei inſigne fuit documentum Sennacherib, qui furendo contra Deum, quo audacius ſeſe extulit, eo graviorem in ſe

ejus iram expertus eſt: quod impiis etiam omnibus expectandum. Concinna autem eſt ſubſannatio ſtolidæ licentiæ, acſi dixiſſet, Video quid ſit, placide & blande tecum agendo nihil proficerem: quia implacabilis eſt furor tuus. Sed quia cicurari non potes, inſtar truculentæ beſtiæ te compeſcam. Atque hoc modo apertius declarat Deum non tantum videre & noſſe quæ agitant vel moliuntur impii, ſed etiam ita moderari, eorumque ferociam cohibere, ut invitos quocunque volet trahat, acſi quis feram beſtiam freno aut circulo conſtrictam deduceret. Quod alii Hamum vertunt, ego Circulum interpretari malui: quoniam hamus piſcibus, non feræ beſtiæ conveniret. Coactus autem fuit Sennacherib redire per viam qua venerat, quia celeriter rebus infectis compendium quæſivit in reditu, quum omnes Judææ & Ægypti partes luſtrare in animo haberet: quod ſponte facturus non erat, niſi occultis modis eum Deus retraxiſſet.

30. *Hoc autem erit tibi ſignum.*] Nunc ſermonem ſuum ad Ezechiam & totum populum convertit. nam quod alloquutus eſt Sennacherib, hoc non fecit quaſi ipſe audiret: ſed ut efficacius piorum animos ad majorem fiduciam excitaret, tyranno abſenti contemptim illudens. Si enim ſimpliciter dixiſſet, Confide Ezechia, tametſi Sennacherib inſoleſcat ego tamen ipſum reprimam in tempore: ea oratio minus emphatica fuiſſet quam ubi tyrannum ipſum compellat, & in eum fulminando animat fideles ad ſpernendam ejus audaciam. Poſtquam igitur tyrannum alloquutus eſt, nunc tempeſtiva ſequitur apoſtrophe ad Ezechiam & populum, eiſque liberationem promittit: non tantum ut è faucibus immanis beſtiæ illius ipſos eripiat, ſed etiam ut Ezechias tranquille fruatur regno: reliqua vero plebs omnia habeat neceſſaria ad vitam proſpere & feliciter degendam. Sic ergo amplificat beneficium liberationis, ut non uno tantum modo, ſed variis ſe populo ſuo conſulere velle oſtendat. Nec enim ſemel & ad momentum duntaxat è periculis ſuos eripit, ſed eos large & munifice proſequitur beneficentia ſua, ut fructus in longum tempus appareat. Verum ſigni loco proponi non recte videtur quod ipſa liberatione poſterius fuit. nam ſi obſeſſos in bonam ſpem erigere volebat, prælucere debuit, non autem referre quid poſtea facturus eſſet. Reſpondeo, ſignorum duo eſſe genera: quædam enim rem præcedunt, atque ad ipſam nos veluti manu ducunt: quædam vero ſubſequuntur ad confirmationem rei, ut melius hæreat animis noſtris, nec ulla oblivione deleatur. Exempli gratia, Quum Dominus populum ſuum
Exod. 3. verſ. 12. reduxit ex Ægypto, plura ante ſigna Moſi dedit, ſed & aliud poſt liberationem ſtatuit, Sacrificabitis mihi poſt triduum: ne ſcilicet tanti beneficii immemores eſſent, ſed gratos ſe præſtarent Deo poſt hanc gratiæ acceſſionem. Tale eſt ſignum quod hic deſcribit Jeſaias. Et certe non parum ad fidei confirmationem valet continuum tenorem ſtatui nobis ante oculos, ut quam varia ſint erga nos Dei beneficia conſideremus. Depulſo hoſte, periculum erat à fame, quæ bello ut plurimum ſuccedit. Vaſtatis enim & populatis agris, ſummam annonæ caritatem conſequi neceſſe erat. Dominus in tanta penuria quæ futura videbatur, promittit fore ut alimenta non deſint. atque hoc apertiſſimum liberationis ſignum proponit, quo certius perſuadeat ſe fore hujus liberationis auctorem, vel ſaltem ut hoc cordibus infixum maneat. Hoc quidem incredibile erat, ſpemque omnem & opinionem ſuperabat: ſed fidem Ezechiæ & populi ita expergefieri oportuit, ut tanta liberalitate audita, alacriores eſſent ad bene ſperandum: deinde ut eventus doceret non poſſe tam luculenta Dei opera Fortunæ adſcribi. Senſus ergo eſt, Poſtquam expulerit hoſtem Deus, eum ita cohibebit, ut novas copias adducere nequeat, & tranquille tua regione fruaris: cibaria etiam & alimenta ſuppeditabit, ut nihil omnino ſit quod deſideres. Cæterum quia (ut fieri ſolet) magnam annonæ partem conſumpſerant, aliam corruperant, nec liberum fuerat obſeſſis vel profugis agriculturæ dare operam, victum illis fore promittit abſque ſatione, donec in tertium annum ſeminent.

31. *Et adjiciet quod ſervatum erit è domo Juda.*] Proſequitur ſuperiorem ſententiam. Dominum enim ita liberaturum Jeroſolymam ſignificat, ut non ſit poſtea curam ipſius abjecturus, ſed in finem uſque futurus ejus ſervator. Et certe quicquid beneficiorum in nos confert Dominus, perpetuæ in nos benevolentiæ ſignum ac teſtimonium eſt, ut nos ab eo nunquam deſtitutum iri intelligamus. Sed hic præcipue memoria tenendum eſt quod ante attigimus, cauſam tuendæ Jeroſolymæ Deo fuiſſe, quia illic Sanctuarium ſibi delegerat, & inde etiam exoriturus erat Chriſtus. פליטה Liberationem proprie ſignificat: ſed hic nomen eſt collectivum pro hominibus liberatis: quemadmodum alibi Captivitas pro Pſal. 14.
captivis ponitur. Nec vero abs re incrementa pro- verſ 7.
mittit exiguis reliquiis: quia utcunque ſoluta eſſet & 53: 7.
obſidio, populus tamen in anguſtias redactus, te- Jer. 29.
nuem gaudii materiam habebat: ac vix in tanta verſ. 14.
paucitate ſperanda erat plena reſtitutio. Hujus ergo doloris mitigandi cauſa terram incolis fore plenam aſſerit, acſi uberrimus frugum proventus horrea prius vacua repleret: nec vero ſola vaſtitas terræ Jehudah piorum animos dejicere, vel mœſtitia conſtringere poterat, ſed etiam major illa imminutio, quum decem Tribus in exilium abductæ eſſent. 2 Reg. 15.
Quanquam ergo ita ſint acciſi, Jeſaias Deum facturum eſſe denunciat, ut priſtinum ſtatum recuperent, verſ. 29. & 17: 6.
& ſuboleſcat immenſa multitudo. Sic enim Dominus attenuari ſuos, atque ad extrema redigi patitur, ut poſtea magis gloria ipſius in eorum liberatione refulgeat. Quod autem eo tempore præſtitit, hodie quoque ſperandum eſt: ut quo magis debilitari Eccleſiæ vires atque in nihilum redigi cernimus, eo certius perſuaſi ſimus promptam in manu Dei rationem eſſe, qua tenuem numerum multiplicet. nec enim judicio noſtro metienda hæc inſtauratio eſt. Porro tantam vaſtitatem fore ſignificat, ut quaſi evulſa radice, penitus interiiſſe videatur Eccleſia: ut certe triſtiſſimum exciſionis ſpectaculum erat clades regni Iſraël. ſed talis futura propagatio dicitur, ut arbor fere evulſa radices late projiciat. Etſi autem non præ ſe fert magnam proceritatem Eccleſia, quemadmodum ſolent hujus mundi principatus: Dominus tamen occultam vim ſubminiſtrat, qua præter humanum modum vegetatur & augeſcit. Ne ergo terreamur quum radices nullæ apparent, aut interiiſſe exiſtimemus: promiſit ſe effecturum ut radices deorſum mittat. Addit etiam *fructum:* quia non inſtar herbæ ſolummodo vireſcit (quod prius de impiorum ſtatu dictum eſt:) ſed fructum uberem profert. atque ita Dominus perficit in ea quod ſemel inchoavit.

32. *Quoniam Jeruſalem.*] Prius ſimilitudine radicis & fructuum, liberationem Eccleſiæ prædixit: nunc citra figuram idem declarat. Alludit autem ad obſidionem, qua populus exiguus, qui in urbe reſtabat, quaſi in ergaſtulo concluſus, atque in extremas anguſtias redactus erat: nunc futurum dicit ut egrediatur, eique tota regio pateat, & abſque metu audeat libere ſpatiari. *Egreſſus* enim hic opponitur anguſtiis in quas trepidos Judæos compulerat terror hoſtium. Quamvis hac voce non modo liberum exitum ſignificat, ſed propagationem Gentis, quæ in ſummam paucitatem redacta erat. Quod enim non modo Judæam rurſus operuit hominum frequentia, ſed ex reliquiis productæ ſunt ingentes copiæ, quæ ſe in diverſas orbis plagas diffunderent: hoc fieri non potuit,

potuit, niſi ex illa paucitate Dominus non unum tantummodo populum, ſed plures procreaſſet. Zelum Dei non ſolum opponit hominum conſiliis, quo operis præſtantiam commendet, ſed pro cauſis omnibus ſufficere admonet, ut Deus admirabile documentum edat ſuæ virtutis. Res erat, ut dictum fuit, prima ſpecie incredibilis: undique multa obſtacula, nihil vero adjumenti. Deum igitur eo amoris fervore Eccleſiam ſuam complecti docet, ut inſolito modo operari non dubitet in aſſerenda ejus ſalute. Eadem loquendi forma in cauſa ſimili uſus
verſ. 7. eſt capite 9.

33. *Propterea ſic dicit.*] Nunc redit ad liberationem de qua prius loquutus erat. Primum enim pollicebatur Deus ſe expulſurum Sennacherib: deinde cibaria & alimenta ſuppeditaturum, quibus populus veſceretur, tametſi regio nudata ac vaſtata eſſet: tertio, effecturum ut paucitas illa in multitudinem immenſam excreſceret. His ergo declaratis ad primum redit: quoniam reliqua ſine iſto inania videri potuiſſent: hoc eſt, niſi populus è manibus illius tyranni liberatus eſſet. Se ergo Deus inſtar propugnaculi fore denunciat, qui ipſum prohibeat ab ingreſſu urbis. Imo ſe obvium fore, ut propiorem acceſſum impediat, ne ipſam oppugnet. Ait enim ipſum ſagittam projecturum non eſſe, nec baliſtam. Nam סללה potius pro Baliſta, vel alio ejuſmodi inſtrumento quo tela projiciuntur, quam pro Aggere hoc loco accipiendum puto. neque enim projiciuntur aggeres, aut funduntur.

34. *Per viam.*] Quid ſit eadem reverti via, prius diximus: nempe, diſcedere re infecta, ut vulgo dicimus, *Il s'en eſt retourné comme il eſt venu*, quum nihil effectum eſt, & irriti ſunt conatus. Ut id confirmet, addit à Domino ita dictum eſſe. nam ſimulatque loquutus eſt qui mentiri non poteſt, verbum ipſius perinde amplecti atque exoſculari decet, acſi jam ſublato diſcrimine conſtaret effectus.

35. *Et protector ero.*] Ratio eſt proximæ ſententiæ, cur ſcilicet in urbem non perveniet Sennacherib: quoniam Dominus eam protegat. Propheta igitur hic jubet Ezechiam & univerſum populum oculos in Deum convertere, quoniam formidabilis erat illius tyranni aſpectus, ut ad eum expaveſcere poſſet. quemadmodum ſi hodie hoſtium noſtrorum potentiam conſideremus, conſternabimur metu, vixque ullus erit ſperandi locus: ſed Deus recta nobis intuendus eſt: amplectenda ejus promiſſa, quibus veluti clypeo muniamur: & quia ſatis eſt virium Deo ad mortalem hominem reprimendum, in eum oculos noſtros convertere oportet. Nec enim ad tempus illud promiſſio hæc reſtringenda eſt, ſed ad omnia extendi debet. Quanquam plenior eſt loquutio Prophetæ, & ſenſum uberiorem continet. affirmat enim Deus ſe præſidem fore & cuſtodem urbis: quia ſcilicet ſua fide tuendam ſuſceperat. Ex eo colligit ſalvam fore, quia certa ſit in ſuo præſidio ſalus. hoc vero ſe facturum dicens *propter ſe*, Ezechiam & pios omnes ad memoriam gratuiti fœderis revocat. Nam Judæi ſæpius duriter ſevereque objurgati, obſtinate iram Dei in ſe provocaverant. Ideoque non modo digni erant quos omni ope deſtitueret, ſed in quos extrema ederet horribilis vindictæ exempla. Ergo ut deſperationi occurrat, Deum illis auxiliatorem fore docet: non quia in ipſis reperiat cauſam, ſed quia ſeipſum potius reſpiciet. primum ut firmus maneat in propoſito, ne abjiciat genus Abrahæ quod adoptavit, ne pietatis cultum aboleat, ne Sacrario deleto extinguat in terra nominis ſui memoriam: deinde ne Gentium ſannis & opprobriis exponat nomen ſuum. Atque hic continetur tacita exprobratio qua merito populus urgendus erat. Plus enim negotii fuerat pio Regi in eo placando, quam in arcendo hoſte. Diffidebat enim, tumultuabatur, nec ullam ſalutis ſpem reliquam eſſe exiſtimabat. Ergo merita populi aut alterius non ſpectabat Dominus, ſed gloriæ tantummodo ſuæ rationem habebat. Nam ſubaudienda eſt quæ apud Ezechielem exprimitur antitheſis, Non Eze. 36.
propter vos domus Iſraël hoc faciam, ſed propter verſ. 22.
me. Jam quum hodie ſimilis ſit noſtra ratio, ne dubitemus peccatis noſtris hunc clypeum objicere, Quamvis centum exitiis digniſſimi ſimus, Deo tamen ſufficere bonitatis & conſtantiæ ſuæ reſpectum, ut impleat quod promiſit. Etſi autem hypocritis nihil prodeſt, Deum eſſe perpetuum Eccleſiæ ſuæ tutorem: electis ſemper hoc tutiſſimum erit aſylum, Quamvis ad propitiandam iram Dei nihil ex ſeipſis afferant, quia tamen non aliunde quam immenſa ſua bonitate inductus Eccleſiam erexit tuerique ſtatuit, non paſſurum ut unquam intereat. Sed apprime notatu dignum eſt quod ſequitur, *propter David ſervum meum*: etſi enim Deo quærenda non fuit extra ſeipſum cauſa, quia gratuito amore complexus fuerat populum illum: non abs re tamen Davidem quaſi certiſſimum amoris pignus in medium
proponit, in cujus manu fœdus pepigerat, & cui ſe 2 Sam. 7.
fore in patrem teſtatus fuerat. neque enim inducit verſ. 12.
Propheta ut hominem privatum, ſed ut ſacrum Regem, cui thronus Dei manu ſtabilitus erat, ſub cujus auſpiciis Eccleſia incolumis maneret, qui denique mediator eſſet inter Deum & Eccleſiam: quo nomine Angelos quoque ipſos præcelluit, quatenus gerebat Chriſti perſonam. Etſi autem paulo poſt proſtratum fuit ſolium & laceratum diadema, non fuit tamen inanis hæc confirmatio, Deum adhuc ad tempus velle urbem protegere, quia irritum eſſe nolit quod de Regni perpetuitate Davidi teſtatus fuerat. Et ſcimus populi exilio non prorſus abolitum fuiſſe principatum in poſteris Davidis, donec tan-
dem emerſit Chriſtus, qui alibi hanc ob cauſam Da- Jer. 30.
vid vocatur. Hinc apparet quam ridiculi ſint Papi- verſ. 9.
ſtæ, quum meritis Sanctorum tribui fingunt quod Eze. 37.
Deus nobis ignoſcit. Nam hic longe alia Davidis verſ. 24.
quam aliorum Sanctorum ratio eſt ob promiſſionem Hoſea 3.
quæ illi data erat. Poterat enim Abrahamum aut verſ. 5.
alium nominare, cujus non parva eſſet in Eccleſia auctoritas. Sed quum hic de conſervanda Eccleſia, de perpetuitate regni Chriſti agatur, eum potiſſimum nominavit qui inter alios nominatim pro-
miſſionem illam acceperat, Hæc requies mea, hic Pſal 132.
habitabo. Quum igitur promiſſi, non perſonæ hic verſ. 14.
habeatur ratio, bis ſtulti ſunt Papiſtæ qui interceſſionem Sanctorum, quam commenti ſunt, hinc juvari putant. Imo quod pro ſe obtendunt eorum errori pluſquam contrarium eſt, quia hic interponitur David unici Mediatoris typus, qui fictitias eorum interceſſiones excludit.

36. *Et egreſſus Angelus Jehovæ.*] Nunc Propheta narrat quid Aſſyrio acciderit, ne Dominum fruſtra loquutum eſſe exiſtimemus. Vaticinium ergo ſuum eventu comprobatum eſſe oſtendit, ut facile liqueret divinitus eſſe miſſum, nec quicquam temere protuliſſe. Nec vero tam memorabile Dei opus ad dictum unum reſtringi debuit, ſed in toto curſu doctrinæ parta fuit ut legitimo Prophetæ auctoritas, ejuſque ſancita vocatio. Nam recenti memoria rem paſſim notam ac celebrem narravit, unde teſtatum fieret uſque ad finem mundi ejus ore loquutum eſſe Deum. Ubi vero iſta fuerit ab Angelo inflicta clades, non ſatis conſtat. Recepta quidem vulgo opinio eſt, eam in obſidione urbis Jeroſolymæ accidiſſe: ſed potuit in itinere etiam accidere, hoc eſt, quum Sennacherib ad obſidendam urbem veniret. Hoc ego in medio relinquo, quia parum intereſt. Certe ex contextu aperte judicamus, non tam prope acceſſiſſe tyrannum, ut telum in urbem mittere potuerit. Repudiandum quidem illud commentum, quo Satan per Scriptores profanos tam illuſtre Dei judicium obſcu-

obſcurare conatus eſt, quum in bello Ægyptiaco pars exercitus peſte conſumpta eſſet, Sennacherib reverſum eſſe in propriam ditionem. neque enim tanta unius noctis ſtrages peſti aſſcribi poteſt. & pater mendacii pro ſolita ſua aſtutia, quod Eccleſiæ ſuæ beneficium præſtitit Deus, in Ægyptum avertit. Res quidem ipſa clamat Jeroſolymam mirabiliter fuiſſe ereptam quaſi ex medio interitu: præſertim quum ea quam vidimus legatione jam perfunctus eſſet Jeſaias, qua non ambigue teſtatus fuerat Deus ſe hoc Judæis potius quam Ægyptiis daturum. ac ne quis naturalibus mediis miraculum involvat, diſerte additur, Angeli manu tantam multitudinem cæſam fuiſſe. Nec vero novum eſt, Dominum uti *Pſal. 91. verſ. 11.* miniſterio Angelorum ad procurandam piorum ſalutem, quorum uſui omnes exercitus cæleſtes deſtinavit. Idque non parum ad confirmandam fiduciam noſtram valet, quum infinitam cuſtodum multitudinem pro nobis excubare audimus. Solus quidem Dominus ſatis per ſe poteſt, ac certe ſolus nos ſervat: Angeli enim manus quodammodo ſunt ipſius: unde *Rom. 8. verſ. 38. Epheſ. 1. verſ. 21.* etiam Virtutes & Poteſtates vocantur. ſed infirmitatem noſtram non parum ſuſtinet, quod cæleſtes miniſtros nobis cuſtodes ac defenſores conſtituerit. Interim penes ſolum Deum tota laus reſideat, cujus organa tantummodo ſunt Angeli, ne in ſuperſtitionem Papiſtarum incidamus, qui Angelos præpoſtere colendo in eos transferunt virtutem Dei. quo errore doctiſſimos quoſque ſeculis omnibus ſcimus fuiſſe implicitos. Jam vero an unius Angeli, aut plurium manu hoc effectum ſit, non poſſumus certo pronunciare, nec certe ad rem magnopere attinet. Tam facile enim Dominus per unum Angelum quam per mille idem efficere poteſt. nec enim utitur eorum opera quod velut aliena ope indigeat: ſed potius ut imbecillitatem noſtram ſuſtineat, ſicuti prius dictum eſt. Magis tamen probabile, quod etiam melius reſpondet Prophetæ verbis, huic judicio præfectum fuiſſe unum Angelum, ſicuti in veteri Redem- *Exod. 12. verſ. 29.* ptione Angelus per totam Ægyptum tranſierat qui primogenita percuteret. Quanquam autem per Angelos malos interdum ſuas vindictas Deus exequitur, unum tamen ex voluntariis ſuis miniſtris elegit Deus per quem Eccleſiæ ſaluti conſuleret. *Centum & octoginta quinque millia.* Exercitum adeo ingentem fuiſſe nihil eſt quod miremur, ſicuti faciunt imperiti, qui incredibile & fabuloſum putant, quum tantam multitudinem in bellum prodiiſſe audiunt: propterea quod longe minoribus copiis bellum gerere ſolemus. Sed longe aliam Orientalium rationem eſſe ſatis teſtantur hiſtoriæ, & res ipſa hodie palam facit. Nec ſane mirum eſt ab iis tam ingentes in bellum duci copias, quum æſtus, laborum, inediæ longe tolerantiores ſint, & longe minore victu contenti ſint, & deliciis careant quibus hodie milites noſtri corrupti ſunt. De ratione & modo cædis hic nihil certi traditum eſt. Judæi ipſos fulmine percuſſos eſſe divinant ſine teſtimonio aut probabili conjectura. Ut enim audaces ſunt in fabulis comminiſcendis, ita ſine judicio quicquid eis in mentem venerit, pro certo affirmant acſi hiſtoria aliqua teſtatum eſſet. Cædem vero illam haud ita apertam fuiſſe ſatis oſtendit hæc narratio. nam proſtratos jacuiſſe dicit. Quod ſi fulmine icti eſſent, hoc certe neminem latuiſſet, neque prætermiſſum eſſet à Propheta. Poſſet igitur hinc refelli conjectura Judæorum: ſed hoc in medio relinquere malo. Satis enim eſt quod Dominus, quum Jeroſolymam ab Aſſyrii manu liberare vellet, exercitum ſubita internecione, ſine ulla hominis manu, delevit.

37. *Et abiit.*] Nunc oſtendit quam turpiter retro ceſſerit ſuperbus hic tyrannus, qui jam cupiditate totam Judæam voraverat, ſeque prius audebat adverſus Deum ipſum attollere. Pluribus autem verbis diſceſſum ejus exprimens Propheta, fugæ turpitudinem oblique perſtringit. neque enim ſupervacua eſt repetitio, Abiit, Profectus eſt, Receſſit. Additur etiam nomen Regis, majoris ignominiæ cauſa: En magnus ille Rex, cujus potentiam Rapſaces tantopere jactabat. Non venerat in Judæam, ut cum illa ignominia diſcederet. Repellitur ergo Dei manu & tanquam ſtipula à vento projicitur. Habitatio Nineves iterum admonet non minus animo quam viribus fuiſſe fractum: quia ſponte non quieviſſet, niſi deſperatio fuiſſet catenæ inſtar. contentum igitur priſtina ſua ditione fuiſſe intelligit, cujus tunc caput & ſedes erat Nineve. Poſtea quum à Chaldæis victi ſunt Aſſyrii, imperium Babylonem tranſlatum fuit, nempe decem annis poſt mortem Sennacherib, quibus regnavit Eſſarradon ejus ſucceſſor, cujus hic fit mentio. nam quum parricidæ non carerent fautoribus, non difficile fuit gentem factionibus diviſam ſubigi & opprimi ab exteris hoſtibus. Itaque hac occaſione fretus Merodach invaſit Aſſyrios, atque in poteſtatem ſuam redegit.

38. *Quum adoraret.*] Hic Judæi ſibi eam divinandi licentiam permittunt, qua ſemper uti ſolent. Fingunt enim Sennacherib oraculum conſuluiſſe, ac petiiſſe cur Judæos vincere non potuiſſet: Reſponſum eſſe, quod Abraham filium ſuum Deo immo- *Gen. 22. v. 9. 10.* lare voluiſſet. tunc tyrannum eo exemplo filios ſuos mactationi deſtinaſſe, ut Deum ſuum promereretur. hinc filios crudeli inſtituto patris infenſos eum in templo idoli ſui occidiſſe. Sed nihil eſt quod ejuſmodi conjecturas moremur, in quibus Judæi præbent ſe nimium impudentes. Hic autem velut in pictura contemplari operæpretium eſt infelicem exitum tyrannorum, quos Dominus ſine hominum manu delet, quum omnia ſuo impetu dejecturi videantur: atque omnium ludibriis ipſos exponit cum ſua potentia. Sennacherib qui cum ingenti exercitu venerat in Judæam, cum paucis domum redit, ac velut in triumpho à victore Deo agitur. Sed nondum finis: quia in medio monarchiæ ſuæ ſinu, in urbe primaria, in templo ipſo, cujus reverentia contemptiſſimis quibuſque ex plebe præſidio fuiſſet, trucidatur: non ab aliquo externo hoſte, non à tumultuante populo, non à proditoribus, non denique à ſervis, ſed à propriis filiis, quo plus ſit dedecoris in ipſa cæde. Eſt enim animadvertendum, quod inexhauſti iſti gurgites, qui ſe libenter in aliorum ſanguine volutarunt, à ſuis cæduntur: atque ab iis dant pœnas, à quibus vel maxime ſecuri eſſe debuiſſent. Hoc enim magis horrendum eſt quam ſi alieni ipſos occiderent. Sed ita crudelitatem eorum ulciſcitur Dominus, qui dominandi libidine, ne innoxiis quidem pepercerunt. Cujus rei varia in profanis etiam hiſtoriis exempla extant, in quibus judicia Domini intueri promptum eſt. Adde quod inexplebilis ejus cupiditas juſtam mercedem recepit, quod dum ampliandis longe lateque finibus intentus eſt, res domeſticas componere non poteſt, ut concordiam alat inter liberos: quia dum aliis neglectis in alios eſt propenſior, inde exorta eſt conſpiratio. Nec vero tyrannus hic ſolummodo occiſus eſt, ſed regnum quoque haud ita multo poſt everſum fuit, ſicuti jam diximus. Interea ne quid ſucceſſor ejus moliri auderet contra Judæos, divinitus ipſe quoque inteſtinis diſſidiis retentus eſt.

CAP. XXXVIII.

IN diebus illis ægrotavit Ezechias uſque ad mortem. Et venit ad eum Jeſaias filius
Amoz Propheta: dixitque illi: Sic dicit Jehova, Præcipe quoad [a] domum tuam: [a] vel, domui tuæ.
quia tu morieris, & non vives.
2. Tunc vertit Ezechias faciem ſuam ad parietem, oravitque Jehovam.
3. Ac dixit: Obſecro Jehova, recordare nunc quod ambulaverim coram te in veri-
tate, in corde perfecto, & recte fecerim in oculis tuis. Flevitque Ezechias fletu magno.
4. Tunc factum fuit verbum Jehovæ ad Jeſaiam, dicendo:
5. Vade, & dic Ezechiæ: Sic dicit Jehova Deus David patris tui: Audivi orationem
tuam, & vidi lachrymas tuas: Ecce ego adjicio ad dies tuos, annos quindecim.
6. Et eruam te de manu Regis Aſſur, atque urbem hanc: & protector ero huic urbi.
7. Erit autem hoc tibi ſignum à Jehova, quod Jehova hanc rem facturus ſit, de qua lo-
quutus eſt:
8. Ecce ego reduco umbram graduum, quibus deſcendit in horologio Achaz per ſolem
decem gradibus: & reverſus eſt ſol decem gradibus in horologio, quibus jam deſcenderat.
9. Scriptum Ezechiæ Regis Juda, quum ægrotaſſet, ac convaluiſſet à morbo ſuo.
10. EGO dixi in ſucciſione dierum meorum, Vadam ad portas ſepulchri: privatus ſum
reſiduo annorum meorum.
11. Dixi, Non videbo Deum, Deum in terra viventium: non aſpiciam hominem ultra
cum incolis ſeculi.
12. Habitatio mea diſceſſit, & convoluta eſt à me, quaſi tabernaculum paſtoris: ſuccidi
quaſi textor vitam meam, ab [b] elevatione ſuccidet me: à die uſque ad noctem conficies me. [b] vel macie, aut morbo.
13. Supputabam ad auroram: ſicut leo ita contrivit oſſa mea: ab aurora ad noctem con-
ficies me.
14. Sicut grus aut hirundo garriebam. gemebam quaſi columba. Elevabantur oculi mei
in ſublime. Domine, vim fecit mihi, recrea me.
15. Quid loquar? Qui dixit mihi, ipſe fecit: [c] Movebor omnibus diebus vitæ meæ in [c] vel, trepidus incedam.
amaritudine animæ meæ.
16. Domine, etiam omnibus qui ultra eos vivent, vita ſpiritus mei in illis (nota erit) &
me quod dormire feceris, & vivificaveris me.
17. Ecce in pace amaritudo mihi amara, [d] & tibi placuit animam meam (eruere) à fo- [d] vel, amaſti animam meam à fovea interitus.
vea: quia projeciſti poſt tergum omnia peccata mea.
18. Quoniam non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: nec expectabunt
qui in foveam deſcendunt, veritatem tuam.
19. Vivens, vivens, ipſe confitebitur tibi: ſicut ego hodie. Pater filiis notam faciet
veritatem tuam.
20. Jehova ad me ſervandum: & cantica noſtra cantabimus omnibus diebus vitæ no-
ſtræ in domo Jehovæ.
21. Dixit autem Jeſaias, Accipient maſſam ficuum, & adhibebunt ulceri, & vivet.
22. Dixerat [e] enim Ezechias, Quod ſignum, quod aſcenſurus ſim in domum Jehovæ? [e] vel, [illegible]

IN *diebus illis.*] Nunc alio tentationis genere pium Regem graviter concuſſum fuiſſe refert Propheta, quod ſcilicet lethali morbo correptus, de vita deſperaverit: neque id modo, ſed etiam quod morte ſibi divinitus indicta, diros cruciatus perpeſſus ſit, acſi hoſtiliter è cælo Deus in ejus caput fulminaſſet. Quo id tempore acciderit, an poſt obſidionem, an quum obſideretur, non ſatis conſtat: ſed de hac re non eſt magnopere laborandum. Facile ex hiſtoria Sacra colligitur, circiter decimum quartum regni ipſius annum hoc eveniſſe, vel quum invaderetur ab Aſſyrio, vel poſtquam liberatus eſt. *2 Reg. 18. verſ. 2. & 20:6.* Nam viginti novem annos regnavit. decimo quarto irruptio in Judæam facta eſt ab Aſſyrio. quindecim autem anni additi ſunt promiſſione quæ hic refertur à Propheta: atque ita efficiuntur viginti novem. Unde apparet non procul à decimo quarto anno Ezechiam hoc morbo laboraſſe. tantum dubium eſt an obſidionis tempore, an poſtea ægrotarit. Mihi certe conjectura probabilior videtur, ipſum obſidione ſoluta in morbum incidiſſe. nam ſi obſidionis tempore ægrotaſſet, id omiſſum non fuiſſet à Propheta. *Supr. 37. verſ. 1. 2.* Contra vero narravit eum miſiſſe Legatos, iviſſe in Templum, expandiſſe literas coram Deo, accerſiviſſe Prophetam: quæ homini graviter ægrotanti non conveniunt. Quod ſi tot malis ſimul acceſſiſſet morbus, circumſtantia illa omittenda non fuiſſet. Sequamur ergo in rebus dubiis quod magis veriſimile eſt: nempe quod liberatus ab hoſte pius Rex, invaditur morbo, atque graviter periclitatur. Quanquam non abs re etiam notatur continua fere ſeries, ut ſciamus vixdum reſpirandi datum fuiſſe ſpatium: ſed quum vix enataſſet ex naufragio uno, repente in aliud æque formidabile fuiſſe raptum. Meminerimus igitur varias piis ſuſtinendas eſſe tentationes, ut nunc bellis, nunc morbis, nunc aliis ærumnis conflictentur, & interdum quaſi perpetuo tenore alia ex aliis ſuccedant mala, totaque vita aſſidue belligerandum ſit: ut quum ex aliquo periculo erepti fuerint, ſe ad aliud ſubeundum parent. Sic enim comparatos eſſe oportet, ut quum mœrorem mœrori Dominus adjicere volet, æquo animo ferant, nec ulla calamitate frangantur. Si qua detur intermiſſio, hoc ſuæ infirmitati concedi reputent, ſed ex brevibus induciis non conficiant ſibi longam pacem falſa imaginatione: novas agitationes concipiant, donec terrenæ vitæ curſu defuncti perveniant ad tranquillum portum. *Uſque ad mortem.* Gravitas morbi pio viro valde moleſta eſſe potuit. primum, lethalis morbus graves quoque dolores ſecum affert, præſertim ubi accedit ulceris inflammatio. Sed hoc omnium acerbiſſimum erat, quod Deum ſibi adverſum & infeſtum poterat judicare: quia ereptus è tanta calamitate, ſtatim ad mortem, quaſi regno indignus, rape-

ed by Google

raperetur. præterea nulli tunc ipſi liberi erant: &
2 Reg. 21. verſ. 1. eo mortuo, magna rerum mutatio ſequutura videba-
tur. Itaque hæc apprehenſio iræ Dei longe acerbius
torquet piorum conſcientias, quam ulla corporis
ægritudo: nec fieri certe poteſt, quin ſi guſtum illum
favoris Dei amittant, protinus opprimantur. Sed
Deus quaſi oleum camino addere ex profeſſo volens,
præciſe mortem indicit, & quo acrius eum pungat,
ſpem omnem vivendi adimit: neque enim ſuperva-
cua eſt particula, *non vives*: ſed augendi vel confir-
mandi cauſa additur, quaſi dictum eſſet nullum eſſe
locum remedio. Tergiverſantur enim homines,
etiamſi mors inſtet, quærendiſque hinc inde effugiis
inhiant. Quare ne velut in rebus ambiguis circum-
ſpiciat Ezechias, bis audit ſibi eſſe moriendum. At-
que ut mundo valedicat, jubet Propheta celeriter
mandare quid poſt mortem ſuam fieri velit. quaſi di-
ceret, Niſi velis à morte deprehendi, mature ſtatue
de rebus tuis domeſticis. Cæterum obiter hic vide-
mus à Domino probari quod ſemper apud omnes ho-
mines uſitatum fuit: nempe ut morituri mandata
dent propinquis aut domeſticis atque de familia ſua
conſtituant. Jonatan vertit, Commenda alicui do-
mum tuam: ſed conſtructio aliud docet. Debet autem
unuſquiſque, quum ei ex hac vita migrandum eſt,
teſtari ſibi curæ eſſe officium ſuum, atque familiæ
etiam in poſterum proſpicere. Præcipua tamen cura
eſſe debet, non legatorum & inſtitutionis hæredis,
ſed ut eorum quos Dominus curæ noſtræ commiſit,
ſaluti conſulatur.

2. *Tunc vertit.*] Nunc recitat quomodo affectus
fuerit Ezechias accepto hoc nuncio: ut pietatem ejus
& fidem perſpiciamus. Non fremit, neque indigna-
tur infidelium more: ſed æquo animo fert hanc pla-
gam: non altercatur cum Deo, quaſi jam ſatis malo-
rum ab hoſtibus paſſus eſſet, nec tam acerbe novo
iterum genere plagarum fuerit tractandus. Atque
hæc vera patientia eſt: non ſemel æquo animo ferre
aliquod malum, ſed in finem uſque perſeverare, at-
que ad nova ſemper incommoda paratum eſſe. maxi-
me autem excipere Dei judicia placido ſilentio, ne-
que obſtrepere ejus ſeveritati, quamvis rigidior ap-
pareat: ſicuti fatetur David ſe obmutuiſſe, quia vi-
Pſal. 39. verſ. 10. debat ſibi negotium eſſe cum Deo. Atque huc ſpectat
converſio vultus *ad parietem*: pudore enim & mœ-
ſtitia dejectus, quaſi hominum conſpectum fugeret,
ſeſe colligit, totumque ad Deum convertit, ut in eo
penitus conquieſcat. Geſtus quidem ipſe eſt indiffe-
rens: ſed plurimum noſtra intereſt nihil objici oculis
aut ſenſibus noſtris quod ab oratione avocet, ut libe-
rius coram Deo vota noſtra effundamus. Sumus enim
lubrici natura, & facile diſtrahimur. quamobrem
non poſſumus nimiam ad nos retinendos diligentiam
adhibere. Quod ſi palam ſit precandum, retardamur
pudore, ne ſi ardorem nimium præ nobis feramus,
ambitioſe id facere videamur: aut veremur ne inepti
geſtus excidant: ideoque avocamenta omnia tollen-
da. Non avertit igitur faciem Ezechias, quaſi obſtu-
pefactus, vel moroſe & contumaciter reſpuens alla-
tum ſibi nuncium, ſed hoc modo ſe ad precandum
acuit. Quod palam vota ſua non format, ſicuti quum
ante in Templum aſcendens præibat reliquæ turmæ,
ſignum eſt extremæ anxietatis, acſi mœror totum
Pſal. 27. verſ. 14. ejus corpus contraheret. Interea ſingulare pietatis
exemplar eſt, quod morti addictus non deſiſtit à Dei
invocatione. Vox illa, *Morieris* & non vives, non
modo ad pungendum, ſed penitus vulnerandum ac
perfodiendum ejus cor tendebat: acſi Deus hoſtiliter
ad eum perdendum irrueret. Erat enim formidabile
iræ ſignum, præcipitem rapi de vita in medio ætatis
flore, & exterminari è mundo quaſi hominum con-
ſortio indignum: ideoque non modo cum morte, ſed
cum ipſo inferno, diriſque tormentis luctandum
fuit. unde ſequitur plus concepiſſe animo quam ſo-
narent Prophetæ verba. Etſi enim non ſtatim expe-
dire ſe potuit, Spiritus tamen perplexo & cæcutienti Rom. 8.
animo ſuggeſſit gemitus inenarrabiles. Et certe ab- verſ. 26.
ſurda fuiſſet legatio, niſi Deus externa ſervi ſui voce
quaſi mactatum arcano inſtinctu recreaſſet. Verum
quia deſperatione correptus nunquam aſpiraſſet ad
pœnitentiam, præceſſit mactatio. deinde ſequutus
eſt arcanus ille vigor, qui mortuum Deo conſe-
craret.

3. *Dixit, Obſecro.*] Videtur hic expoſtulare cum
Deo, atque exprobrare anteactum vitam ſuam,
quaſi immerito vexetur: ſed longe aliter res habet.
potius enim ſeſe inſtruit ac munit adverſus gravem
& periculoſam tentationem, quæ alioqui obrepere
potuiſſet. Nam quod adeo ſevere in eum animad-
vertebat Dominus, cogitare poterat ſe ab eo reje-
ctum, deſtitutum, reprobatum: & quæcunque prius
egerat ab eo repudiari. quamobrem acuit ſeſe atque
erigit, & teſtatur ſe, quicquid egit, bona conſcien-
tia egiſſe: denique ſtatuit, quamvis moriendum ſit,
non tamen diſplicuiſſe ſua ſtudia Deo, ut inde adi-
tum ſibi ad preces & bonam ſpem patefaciat. Non
opponit igitur Deo ſua merita, nec quicquam ex-
probrat, quaſi immerito puniatur: ſed munit ſeſe ad-
verſus difficilem tentationem, ne Deum videatur
iratum habere, quod vitia correxerit & corruptelas,
quæ paſſim in regno, ac præſertim quoad religio-
nem, vigebant. Suis tamen permittit etiam Domi-
nus quodammodo ob res bene geſtas gloriari: non ut
merita ſua apud ipſum jactent, ſed agnoſcant benefi-
cia ipſius, ſicque eorum commemoratione affician-
tur, ut ad omnia æquo animo ferenda parati ſint. In-
terdum vero eos ad ſanctam jactantiam cogit ho-
ſtium importunitas, ut bonam cauſam judici ſuo ac
vindici commendent: ſicuti David improbis ho- Pſal. 7:9.
ſtium calumniis innocentiam ſuam ad Dei tribunal & 17:3.
intrepide opponit. Sed hic Satanæ aſtutiæ occurrere
voluit Ezechias, quam experiuntur fideles, dum hu-
militatis prætextu eos deſperatione obruit: ideoque
ſollicite cavendum, ne animos abſorbeat triſtitia.
Cæterum ex ejus verbis colligimus quænam vera ſit
pie vivendi regula: nempe, ubi primas tenet cor-
dis integritas, quando nihil eſt quod magis abomine-
tur Deus, quam ubi ſimulatione noſtra vel ipſum,
vel homines fallere ſtudemus. Nam ut hominum
oculos perſtringat operum ſplendor: ficta ſanctimo-
nia, quæ tanquam nominis ejus profanatio, iram
ejus provocat. Et merito quum ſpiritus ſit, ſpiri-
tuale obſequium exigit. & cor duplex ſibi abomi-
nabile eſſe pronunciat. Ideoque merito exordium
facit Ezechias à cordis ſinceritate. Vox enim He-
braica שלם, quam vertunt Perfectum, nihil aliud
eſt quam integritas quæ ſimulationi opponitur:
quod etiam patet ex nomine Veritatis: ſicut Paulus 1 Tim. 1.
docet, finem Legis eſſe charitatem ex puro corde & verſ. 5.
conſcientia bona, & fide non ficta. Profert etiam fru-
ctus qui à recto corde velut à radice gignuntur: non
tantum ut ſeipſum, ſed alios etiam confirmet, in
quibus aliqua offendiculi occaſio hærere potuiſſet.
Itaque non nutabat neque vacillabat Ezechias, ſed
offendicula quæ in pleriſque eſſe poterant, adimere
volebat. Sed iterum notandum eſt quomodo vitam
inſtituere conveniat, ſi Deo ſtudium noſtrum pro-
bare cupimus: ne quid ſcilicet niſi ex ejus mandato.
nam ut pompas omnes quibus ſe venditant hypocri-
tæ, rejicit ac damnat, ita etiam pro nihilo ducit com-
mentitios omnes cultus, quibus ſe fruſtra ſtulti ho-
mines fatigant, dum poſthabito ejus Verbo, eum
promereri ſatagunt. Ergo Ezechias, qui pluris ſcie- 1 Sam. 15.
bat fieri obedientiam quam ſacrificia, non tantum ſe verſ. 22.
cucurriſſe dicit, quod ſæpe fit præpoſtere, ſed vitam
ſuam formaſſe ad Dei obſequium, qui ſolus eſt ido-
neus arbiter. Hinc colligere poſſumus quantus fue-
rit in ipſo ardor precandi. nam etſi undiquaque ni-
hil præterquam iræ Dei ſigna appareant, tamen ad
ipſum confugere, fidemque exercere non deſinit. Id
quod

quod piis omnibus in graviſſimis ærumnis ſtudioſe diligenterque faciendum.

4. *Factum fuit verbum.*] Infixo, ut aiunt, aculeo diſceſſerat Jeſaias: quaſi pro derelicto habens quem Dei ipſius nomine damnaverat. Interea vero quam trepida inquietudine vexatus fuerit, imo quanta formidine correptus, partim ex cantico licebit colligere. Quantum temporis interceſſerit inter diſceſſum Prophetæ & reditum neſcitur: certum tamen eſt lætum vitæ nuncium non prius allatum eſſe, quam poſt longas duraſque agitationes ſentiret ſe penitus eſſe deploratum. hoc enim ſerium fidei examen fuit, abſcondita Dei facie teneri in tenebris demerſum. Diximus autem quomodo ſublata conſolationis doctrina, non tamen fuerit extincta pii Regis fides, quin ſcintillæ aliquæ micarent: quia ſcilicet occulto Spiritus inſtinctu gemitus inenarrabiles ex abyſſo mœroris ſurſum ad Deum emerſerint. unde etiam colligimus ſic in die tribulationis exaudiri fideles à Deo, ut non ſtatim affulgeat Dei favor: ſed conſulto differatur, dum vere humiliati fuerint.

Rom. 8. verſ. 26.
Pſal. 50. verſ. 15.

Quod ſi Regem tanta pietate imbutum tormentis fere confici oportuit, quo melius ad expetendam Dei gratiam excitaretur, & dolore fere conſumptus ex inferis ad Deum gemeret: ne miremur ſi quando inter metus & curas nos ad tempus æſtuare ſinens, ſolatium votis noſtris longius differat. Sed videri poſſet abſurdum, quod Deus quam tulerat ſententiam, paulo poſt quaſi pœnitentia ductus retractet: quia nihil minus convenit ejus naturæ, quam propoſiti mutatio. Reſpondeo, mortem ſic denunciatam fuiſſe Ezechiæ, ut tamen apud Deum decreta non eſſet, ſed ita de fide Ezechiæ periculum facere voluit. Subaudienda igitur in iſta denunciatione conditio. nam alioqui irrevocabile decretum Dei Ezechias nec pœnitentia, nec precibus revocaſſet. Verum ſic ei Dominus, ut regi Gerar ob ſublatam Saram, ac Ninevitis, minatus eſt.

Gen. 20. verſ. 2.
Jon. 1: 2. & 3: 4.

Rurſum excipietur, alienum videri à Deo quod ficte denunciat, idque auctoritati Verbi derogare, atque effici, ut promiſſiones & minæ ponderis minus habeant. Sed idem de forma verborum tenendum eſt quod de ſententia jam dixi, Mortem Ezechiæ minatus eſt Deus, quia mori nolebat. Et certe prædici neceſſe non fuiſſet, imo ne utile quidem niſi parato remedio. Jam ſicuti conſilium Dei fuit, ſervum ſuum metu & horrore humiliare, ut ſponte ſe damnans, deprecando pœnam effugeret: ita aſperius loquendo, & præciſa mortis denunciatione eum proſternere voluit, ut tanquam mortuus è ſepulchro vitam ſibi reſtitui expeteret. Ideoque tacita conditio ſubaudienda fuit, quam ſi non ſtatim percepit Ezechias, poſtea tamen ſatis opportune cognovit fuiſſe adjunctam. neque inde colligere licebit Deum ulla fictione uſum fuiſſe, dum ſermonem accommodavit ad captum & profectum hominis. nihil novum eſt ſi prius occidit quam vivificet. Ergo ut ſpirituali mortis ſpecie Ezechiam præpararet, ac paulatim formaret ad novam vitam, partem ſermonis ſuſpendit.

5. *Jehova Deus David patris tui.*] Initio quum merum terrorem incuteret, ſatis habuit nudum & ſimplex Dei nomen proponere, ad cujus cæleſte tribunal reum citaret: nunc conſolationem afferens, peculiari elogio Deum inſignit, ut cauſam & fontem gratiæ deſignet. acſi diceret, ne ſummo jure agat cum Ezechia, reſpectu fœderis ſui quod pepigit cum Davide, ad miſericordiam flecti.

2 Sam. 7. verſ. 12.

Scimus nihil eſſe difficilius, quam animos ſerio iræ Dei ſenſu expavefactos in bonam ſpem erigi, ut Deum ſibi propitium ſentiant. Quare iſta confirmatione opus fuit, ut intelligeret pius Rex, qui apud ſe perditus erat, ſe in vitam à qua exciderat, rurſus poſſe attolli: quia excidere non poterat oraculum de Regni illius perpetuitate. Ergo quia apud ſe exanimatus erat quum putaret de vita ſua actum eſſe, ut reſpiret, profertur in medium memoria promiſſionis, quæ tunc celeberrima erat, Quamdiu Sol & Luna in cælo fulgerent, Reges ſemper ex ſemine & poſteris Davidis in electo populo dominaturos.

Pſal 89. v. 37, 38.

Hæc tabula fuit, quam apprehendens, ex naufragio emergeret. Neque enim David hic ut privatus quiſpiam nominatur, ſed Rex æternus, apud quem depoſita erat promiſſio, quæ fulcire Ezechiam poterat. æternum dico, non in ſe, ſed in ſemine benedicto. Quia autem æternitas illa in Chriſto demum manifeſtanda erat: cujus Ezechias cum aliis Regibus typum gerebat, ſolida bene ſperandi materia eſſe debuit, quod filius eſſet Davidis. Itaque quoties propriis peccatis ſentimus nos arceri à Dei acceſſu, ut ad nos perveniat ejus gratia, hæc præfatio veniat in mentem, utcunque ab eo alienati ſimus noſtra culpa, eſſe tamen patrem Chriſti, qui caput noſtrum eſt, & in quo ſemper recondita nobis manet ſalus. denique nuper Deus ex officio judicis loquutus erat, nunc ſe reconcilians, Mediatorem ſtatuit qui ad ipſum placandum occurrat. Porro ubi januam ſpei aperuit, preces Ezechiæ dicit à Deo fuiſſe exauditas: quod ad precandi ſtudium nos plurimum ſtimulare debet. Nam etſi de ſalute noſtra ultro ſollicitus ſit Deus, neque ſolum dormientes, ſed nondum natos præveniat ſua beneficentia: dum tamen ſe votis noſtris concedere teſtatur quicquid beneficiorum largitur, minime excuſabilis eſt torpor noſter, ſi tam liberaliter invitati partes orandi negligimus. Neque tamen fingendum eſt meritorias eſſe preces, quibus tam indulgenter obtemperat Deus, ſed dum gratuito præſtat quod gratuito promiſit, hunc adjungit cumulum ſuæ liberalitati, quo magis fidem noſtram exerceat. Neque enim vulgaris prærogativa eſt, libere poſſe ad eum accedere, & familiariter curas noſtras deponere in ejus ſinu. Si non fuiſſet precatus Ezechias, Deus haud dubie hoc vel alio modo curaſſet aliquam Regni adminiſtrationem ſalvam manere in progenie Davidis: ſed quod veritatis ſuæ reſpectu facturus erat, dicit ſe dare votis Ezechiæ, ut agnoſcat ſe uberrimum fructum colligere ex fide ſua, quam precando exercuit. Lachrymas commemorat tanquam pœnitentiæ ſignum, atque etiam vehementiæ & ardoris: non quod per ſe concilient gratiam lachrymæ, aut valeant ad placandum Deum: ſed quia ſerias preces à perfunctoriis diſtinguunt. Tandem adjungit Deum prorogaſſe vitam Ezechiæ ad annos quindecim: quod primo intuitu poſſet quidem videri abſurdum, quando ea lege creati ſumus, ut præfixam nobis metam ne momento quidem tranſgredi poſſimus. quemadmodum etiam dicit Job, Conſtituiſti terminos ejus quos præterire non poterit.

Job. 14: 5.

Sed in promptu eſt ſolutio, quod de longiori temporis mora dicitur, referri ad ſenſum Ezechiæ, qui ſpe vitæ excluſus fuerat: unde merito in lucro deputare debuit quod poſtea additum eſt: acſi in ſecundam vitam excitatus eſſet è ſepulchro.

6. *Et eripiam te.*] Qui Ezechiam ægrotaſſe putant quo temporo obſidebatur, hinc argumentum ducunt, quod ſupervacanea alioqui hæc promiſſio videretur: ſed parum firma eſt illa ratio. Poterat enim aliquanto poſt Aſſyrius redintegrare vires, novumque exercitum conficere, quo Judæam iterum invaderet, atque Jeroſolymam expugnaret. Imo clades de qua vidimus, irritamentum eſſe potuit ſævitiæ & furoris, ut merito ſubinde ad quoslibet rumores trepidandum fuerit Judæis: ita minime ſupervacanea eſt iſta promiſſio, quia ſimul cum vita pacem ab hoſte promittit, à quo ſecurus alioqui nondum fuiſſet: ac veluti augmentum & amplificatio eſt ejus beneficii quod Dominus Ezechiæ præſtabat. quemadmodum ſuperiore capite, cum liberatione ſimul abundantiam fructuum promiſit.

ſupr. 37. verſ 30.

7. & 8. *Erit autem hoc tibi ſignum.*] Refert ſuo ordine Hiſtoria ſacra Ezechiam petiiſſe ſignum à Do-

2 Reg. 20. verſ. 8.

Domino, eique datum eſſe, quod in fine demum capitis ſubjiciet Propheta. Sed minime novum eſt apud Hebræos narrationis ordinem invertere. Porro ſigna quædam ſponte offert Deus non rogatus: alia vero ſuis petentibus concedit. Quia autem generalis eſt ſignorum uſus noſtræ infirmitati ſuccurrere, non expectat Deus ut plurimum dum ea flagitentur: ſed ab initio quæ ſciebat utilia eſſe Eccleſiæ ſuæ inſtituit. Si quando itaque optarunt fideles ſigno confirmari ſuam fidem, hoc quia rarius eſt in exemplum trahi non debet: ſicuti Gedeoni quem è cauſa ad regimen populi vocabat, ſignum unum atque alterum petenti dedit, quo major certitudo ſuæ vocationis ipſi conſtaret. (*Judic. 6. verſ. 17.*) Alia vero, ut diximus, ſigna communiter dare ſolitus eſt ut hominum infirmitati conſuleret, quemadmodum Adæ arborem vitæ: Noæ arcum cæleſtem: deinde nubem & columnam ignis, ac ſerpentem æneum in deſerto. Eademque eſt ratio Paſchatis, & omnium ſacramentorum, & quæ olim in uſu fuerunt, & quæ hodie à Chriſto ſunt inſtituta, quæ nemo à Deo poſtulavit. (*Gen. 1: 9. & 9: 12. Exod. 13 verſ. 21. Num. 21. verſ. 8. Exod. 12. verſ. 3.*) Atqui videtur injuriam facere Deo Ezechias, fidem ejus verbo derogans quod ſignum petat. Reſpondeo, non eſſe infidelitatis damnandum, quod fidem infirmam haberet: quia nemo reperietur qui fide perfecta, atque numeris omnibus abſoluta unquam præditus fuerit. Quod autem ſuſtinendæ imbecillitati ſuæ aliquod adjumentum quærit, eo nomine vituperari non poteſt. nam amplexus promiſſionem ſibi oblatam à Propheta, remedium diffidentiæ accerſens, ſe Deo fidere oſtendit. Quod ſi nulla eſſet in homine infirmitas, nullis profecto ſignis indigeret. nihil mirum igitur quod ſignum petit, quum etiam alias ultro à Domino offeratur. Notare tamen ſimul convenit, nunquam temere proſiliiſſe fideles ad petenda ſigna, ſed arcano & ſingulari Spiritus inſtinctu fuiſſe adductos: quod idem de miraculis dicendum. Neque enim ſi Elias pluviam & ſiccitatem à Deo petiit, idem protinus aliis licebit facere. (*1 Reg. 17. verſ. 1. Jacob. 5. v. 17. 18.*) Quare videndum quid Deus nobis permittat, ne poſthabito ejus verbo pro ſtultis carnis noſtræ deſideriis cum eo paciſcamur. Signum autem quod hic Ezechiæ datur, eſt, regreſſus umbræ in ſolario una cum Sole decem gradibus quibus jam aſcenderat, id eſt, progreſſus erat ſupra horizontem. Atque hoc ſignum analogiam habet cum re ipſa: ut omnia etiam alia ſigna habere ſolent. Perinde enim eſt acſi diceret: Ut eſt in poteſtate mea horas diei mutare, ac retroagere Solem, ita & vitam tibi producere. Quod non retrocedit umbra tot gradibus quot anni ei adjiciebantur, hoc fieri non poterat, quia duodecim tantum gradus in ſolario erant. Diem enim in duodecim horas, aut longiores aut breviores pro varietate temporis partiebantur. Non eſt igitur quod in numero torqueamur. ſatis eſt analogiam ac ſimilitudinem apertam eſſe. Hic fabulantur Judæi ſuo more, ac fingunt diem quo mortuus eſt Achaz, decem horis breviorem fuiſſe. & quod de peccatis illius ſupplicium jure ſumpſerat Deus, in favorem Ezechiæ fuiſſe converſum: quia diei unius contractio alterius ampliatio fuit. Verum id nuſquam extat, omnique non ſolum teſtimonio ſed colore etiam caret. neque hic agitur de morte Achaz, nec de mutatione quæ accidit quum mortuus eſt, ſed de horologio quod fecerat.

9 *Scriptum.*] Hoc ſcriptum quanquam hiſtoria Sacra non recitat, eſt tamen memorabile, & apprime dignum obſervatu. Nam videmus Ezechiam tam inſigne Dei beneficium quo affectus erat, præteriri ſilentio, aut oblivione deleri noluiſſe. ac ſuo exemplo docet quid piis omnibus agendum ſit, ubi ſuam erga eos virtutem mirabiliter & inſolito modo Deus exeruit. nec enim ſolum apud eos quibuſcum vivunt, gratitudinem ſuam, ſed poſteris quoque teſtari debent: quemadmodum hoc carmine, veluti monumento publico factum videmus ab Ezechia. quo etiam argumento pleroſque Pſalmos compoſitos videmus à Davide, quum ereptus erat è ſummis periculis, ut quod ætatum omnium memoria dignum erat ad finem uſque mundi celebrandum curaret: (*Pſal. 18. verſ. 2. & 27: 1.*) præſertim quo magis quiſque excellit aut ſublimiore in gradu ſedet, quaſi divinitus in theatrum productus, has partes ſibi impoſitas eſſe reputet. Quanquam interim cavenda eſt ambitio tam plebeiis quam proceribus & magnis viris, ne ſcilicet dum Ezechiam & Davidem ſe æmulari ſimulant, magis illuſtrent ſuum nomen quam Dei.

10. *Ego dixi.*] Carmen admodum lugubre eſt, quod querimonias magis quam vota continet: unde apparet tanta anxietate fuiſſe conſtrictum, ut gemendo ſe fatigans, & in lamentationibus ſubſidens, libere ad formandas preces aſſurgere non auderet. Secum ergo obmurmurans, cauſam & magnitudinem doloris exponit. Porro in cauſa videri hoc abſurdum poſſet, quod tanto vitæ caducæ deſiderio fuerit devinctus, & mortem tantopere exhorruerit. Huc tendunt prima cæleſtis doctrinæ rudimenta, ut diſcamus in hoc mundo peregrinari & celeriter pergere ad cæleſtem vitam. Perinde autem terræ addictus videtur Ezechias, acſi ne minimo quidem pietatis guſtu unquam præditus fuiſſet. Mortem non ſecus fugitat ac deteſtatur, quam ſi de cæleſti doctrina verbum nunquam audiſſet. Jam quorſum attinuit ſcriptis mandare turbulentos affectus, qui lectores ad eandem potius intemperantiam incitent, quam contineant in obſequio Dei? nam plus ſatis ad contumaciam propenſi ſumus, quamvis non aliunde accedant ſtimuli. Verum ubi ſingula prudenter recteque expenſa fuerint, reperiemus nihil nobis fuiſſe utilius, quam imaginem hanc hominis mœrore obruti nobis ad vivum depingi. Nec vero pio Regi fuit propoſitum, virtutes ſuas prædicando, laudem in mundo venari. Certe precatio & fidei & obedientiæ teſtimonium fuit: atqui ea præterita, tanquam pavore metuque attonitus & triſtitia exanimis querulatur. Non dubium igitur, quin ſua infirmitate expoſita, ad humilitatem inſtituere voluerit omnes Dei filios: & ſimul commendare excellentiam gratiæ Dei, quæ hominem perditum ex mortis abyſſis eduxerat. Quod autem propinquus morti perinde ſortem ſuam deplorat, acſi ſuum eſſe locaret in terra, morte vero putaret homines in nihilum redigi, ſpecialis conſideranda eſt ratio. Nam utcunque per ſe expetenda mors non ſit: fideles tamen, quia carnis ergaſtulo incluſi peccato mancipati ſunt, aſſidue gemere decet. Vetantur etiam lugere, ut ſolent increduli: imo jubentur attollere capita, ubi è mundo migrandum eſt: quia eos excipit vita felicior. (*Rom. 8. verſ. 23. Luc. 21. verſ. 28.*) nec vero hoc ſolatio caruit vetus Eccleſia ſub Lege. Et quanquam obſcurior fuit notitia beatæ reſurrectionis, debuit tamen ad moderandam triſtitiam ſufficere. Nam ſi coactus eſt exclamare impoſtor ille Balaam, Moriatur anima meà morte juſtorum, quanta alacritas vigere debuit in cordibus fidelium? (*Num. 23. verſ. 10.*) in quorum auribus perſonabat vox illa, Ego ſum Deus Abrahæ? (*Exod. 3. verſ. 6.*) Cæterum, quanquam firma & indubia ſpe aſpiraverint ad cæleſtem vitam, non tamen mirum eſt perſpici in Ezechia quod de ſe fatetur David, qui tamen ſuo tempore ſatur dierum placide mundum reliquit. (*Pſal. 30. verſ. 10. 1 Reg. 2. verſ. 10.*) Conſtat igitur utrumque non ſimplici mortis horrore fuiſſe impulſum: ſed mortem flebiliter fuiſſe deprecatos, quod certas iræ Dei notas in ea cernerent. Tenendum enim memoria eſt veniſſe Prophetam inſtar fecialis, qui Ezechiæ mortem indiceret Dei nomine. Nuncius hic quaſi horribili triſtitiæ diluvio ſenſus omnes Ezechiæ merito ſubmergere potuit, ut nihil præter iram Dei & maledictionem cogitans, cum deſperatione certaret. atque ita jam emergit Ezechiæ pietas, quod ſe ad tribunal judicis ſui ſiſtens, animum adjicit ad meditationem

ſui

ſui reatus. Ac primo quidem obrepere potuit cogitatio illa, qua ſe tentatum fuiſſe David fatetur, Quid *Pſal. 73. verſ. 3.* ſibi vellet Deus atrociter ſæviens in ſervos ſuos: profanis vero contemptoribus parcens. Videbat deinde ita ſe expoſitum impiorum ſannis, ut vera quoque religio indigne ab illis proſcinderetur. Videbat vix fieri poſſe quin ſuo interitu labaſcerent bonorum omnium mentes: præcipue tamen eum urgebat ira Dei, acſi jam propemodum inferis & æternæ maledictioni addictus foret. Denique quum unica & ſolida noſtra felicitas ſit Deo conjungi, ab eo ſe quodammodo alienatum videns Ezechias, non abs re tantopere expavefactus fuit. Vox enim illa, Morieris, & non vives, occupaverat penitus ejus animum, ut pereundum ſibi eſſe ſtatueret: quod Dicendi verbo exprimitur. neque enim Hebræis tantum ſignificat loqui, aut vocem proferre, ſed ita eſſe perſuaſum, vel reputare cum animo ſuo. Ut hypocritis centies minetur Deus, huc tamen atque illuc reſpectant, ut ſi qua pateat rima, qua ſe effugere poſſe arbitrentur, Deo illudant, ſibique indulgeant in deliciis & ſecuritate. Sed Ezechias, ut ſincerus erat Dei cultor, effugia non captavit: quin potius fidem adhibens Prophetæ verbis, decrevit ad mortem pergendum eſſe, quoniam ſic Deo placeret. Hoc ſenſu de Succiſione dierum loquitur, quod intelligeret ab irato Deo & infeſto curſum vitæ ſibi abruptum eſſe. neque enim communi more tantum dicit violento morbo ſe abripi è vita: ſed certum illud Dei judicium ſucciſionis cauſam eſſe agnoſcit. Succiditur quidem vita ſive ineunte, ſive media ætate morimur, ſive in ſenecta: ſed qui rapiuntur in ipſo flore ætatis, quia nondum abſoluto curſu præmature videntur mori, dicuntur ſuccidi è vita. Ezechiæ autem diverſa ratio fuit, quod reſiduam vitæ partem repente ſucciſam eſſe Dei gladio ſentiret: quia ejus iram provocaverat ſuis delictis. Ergo conqueritur ſubito tanquam indignum ſe divinitus ſpoliari vita, quæ alioqui longior futura erat. Eodem pertinet Reſiduum annorum: quia etſi ut naſcimur mortales, ſingulis momentis mors expectanda nobis eſt: quia tamen denunciata erat in pœnam, non abs re annos ſibi detractos eſſe dicit, quibus victurus fuerat propitio Deo.

11. *Dixi, Non videbo Deum.*] In tam ardenti terrenæ vitæ deſiderio modum excederet Ezechias, niſi dolorem exacerbaſſet agnitio iræ Dei. Quia ergo ſua culpa violenter extrahitur, quaſi indignus qui fruatur communi Solis luce, exclamat ſe eſſe miſerum: quia neque Deum neque homines poſthac viſurus *2 Cor 5. verſ. 6.* ſit. Nam inter fideles valet exceptio, quamdiu verſamur in terra, nos à Deo peregrinari & abeſſe: ubi autem exuerint carnis impedimenta, propius venturos in Dei conſpectum. Reſtrictio quidem additur, *in terra vivorum*: ſed hoc modo videtur Ezechias Dei conſpectum affigere vitæ præſenti, acſi omnem intelligentiæ lucem mors extingueret. Tenendum igitur eſt quod attigi, accepto Dei vindictæ nuncio perinde fuiſſe perculſum acſi paterno ejus favore abdicatus foret. Nam ſi indignus erat qui Solem aſpiceret, majora quomodo ſperaſſet? non quod ſpes in totum deleta fuerit ex ejus animo, ſed quia intentus ad Dei maledictionem non poteſt tam cito, vel expedite tranſcendere in cælos, ut melioris vitæ dulcedine præſentem dolorem mitiget. Sic enim obnubilari interdum contingit pias mentes, ut non ſemper occurrat conſolatio, quæ tamen quamvis ſuffocata reſidet in eorum animis, unde etiam poſtea emergit. Interea pietatis ſignum eſt, quod à recto & legitimo vitæ fine exprimit quam grave & acerbum ſibi ſit ea privari. Nam & pecudibus moleſtum eſt mori, ſed nullum vitæ ſuæ uſum fere habent præter paſtum & ſaturitatem. nobis vero longe excellentior eſt finis, qui creati ſumus & nati hac lege, ut nos exerceamus in cognitione Dei: & quia hæc præcipua nobis vivendi cauſa eſt, bis iterando Dei nomen, affectus ſui vehementiam declarat: Deum ergo, inquit, Deum non videbo amplius. Si quis objiciat, Deum hic à nobis non videri, facilis reſponſio eſt, in ſuis operibus eſſe conſpicuum: quia per viſibile mundi opificium æterna ejus potentia, ut ait Paulus, & divinitas cognoſcitur. Unde & *Rom. 1. verſ. 20.* Apoſtolus mundum hunc ſpeculum rerum inviſibilium vocat. *Hebr. 11. verſ. 3.* Jam quo fidelibus ſe propius cognoſcendum exhibet, eo pluris fecit Ezechias ſpiritualem illum intuitum: ſicut & David Dei faciem videre *Pſal. 27. verſ. 8, 9. & 42: 3.* dicit, qui in Sanctuario pietatis exercitiis fidem ſuam confirmant. Quod ad homines ſpectat, dolet ſe tolli ex eorum conſortio, quia ad mutua officia ultro citroque communicanda nati ſumus.

12. *Habitatio mea.*] Pergit in querimoniis ſuis, pulchra ſimilitudine vitam ſuam depingens. eam enim comparat tabernaculo paſtoris. Talis quidem humanæ vitæ conditio eſt in genere: ſed non tam refert quæ omnibus communiter accidunt, quam quod ſibi peculiariter evenit. Eſt autem frequentior uſus tuguriorum illis regionibus, quam noſtris: & ſæpe manſionem ſuam paſtores commutant, dum gregem ſuum huc atque illuc impellunt. Non ergo ſimpliciter dicit homines ad breve tempus habitare in caduco hoſpitio, dum per terram tranſeunt: ſed quum in regio palatio quieſceret, mutatam fuiſſe ſuam ſortem, quemadmodum ſi tugurium paſtoris biduo poſtquam in agro uno poſitum eſt transferatur. Jam vero obſervatu dignum eſt quod nunc ſibi, nunc Deo promiſcue, diſtinctis tamen rationibus, cauſam mortis ſuæ aſſignat. Se enim auctorem faciens, non obſtrepit Deo, neque expoſtulat quod ab eo ſpolietur ſua vita, ſed ſeipſum accuſat, totamque culpam ſuſcipit. Tantundem enim valent ejus verba, ac quod in proverbio dicitur, Hanc telam ipſe mihi exorſus ſum, ut mors mihi ſoli imputanda ſit. neque tamen fruſtra paulo poſt aſſignat Deo quod à ſe profectum eſſe confeſſus fuerat. Nam etſi nos materiam præbemus Deo ſeverius nobiſcum agendi, ipſe tamen judex eſt qui pœnas infligit. Quare in malis noſtris laudandum ſemper eſt ejus judicium: quia fungitur ſuo officio quum in nos ut meriti ſumus animadvertit. In fine verſus, מדלה quidam vertunt, Præ macie, vel ægritudine: alii Exhauriendo. Priores deducunt hoc nomen à דלל, quod Extenuare ſignificat: alii à דלה, quod eſt elevando haurire. Sed expendant lectores an non magis conveniat Elevandi verbum: quia conqueri videtur Ezechias, quum ad ulteriores progreſſus tenderet vita ſua, ſubito proſtratam eſſe: quemadmodum ſi Deus Solem dum adhuc ſurſum aſcendit in occaſum dejiceret. Poſtea adjungit exiguo temporis ſpatio ſe fuiſſe exinanitum. & hac circumſtantia rurſus gravitatem iræ Dei exprimit: quia momentaneo flatu homines conſumat. Nam die uno proſterni homines, tantundem valet ac celerrime.

13. *Supputabam ad mane.*] Alii, Statuebam, vel Ponebam. Idem hic ſignificat quod vulgo dicimus, *Je faiſoye mon compte.* Ex hoc verſu colligi poteſt Ezechiam biduo ut minimum laboraſſe. nam proximo verſu ſignificavit tantam fuiſſe atrocitatem morbi ut ſtatim mortem expectarit. Ita quum dies unus elapſus eſſet, ad auroram uſque expectavit: præterea à die uſque ad noctem, ut tamen in ſingula momenta ſe moriturum eſſe diceret. Senſus ergo eſt, Tametſi ad auroram pervenerat, ſe tamen per continuas agitationes ad mortem properaſſe: quia formidabili Dei judicio perculſus vitam ſuam ducebat pro nihilo: & quemadmodum Græci, quum dicere vellent nihil homine magis eſſe evanidum, animal ἐφήμερον eſſe dixerunt, ita vitam diurnam ponit Ezechias pro caduca & cui nihil eſt durationis. Quod autem Deum comparat leoni, abſurdum videri non debet, tametſi Deus natura clemens, *Exod. 34. verſ. 6.* miſericors ac benignus ſit: his certe nihil magis Deo

proprium eſſe poteſt: ſed non poſſumus eam manſuetudinem ſentire quum provocavimus eum noſtris ſceleribus, & ad ſeveritatem adegimus noſtra pravitate. Imo nulla eſt ferarum immanitas & truculentia, quæ tantum incutiat terroris, quantum concipimus ex ſola Dei mentione: nec immerito. Oportet enim flagellis Domini efficaciam ineſſe, qua humiliemur atque dejiciamur uſque ad ipſos inferos, & conſolatione propemodum deſtituti omnia horroris plena concipiamus: quemadmodum etiam
Pſal. 22. verſ. 18. & 6: 47. horrores iſtos deſcriptos à Davide cernimus, dum oſſa ſua dinumerata, lectum ſuum lachrymis madefactum, animam ſuam turbatam, inferos apertos eſſe dicit. Sic enim pios interdum judicio Dei terreri neceſſe eſt, ut bonitatis ejus deſiderio magis afficiantur.

14. *Sicut grus.*] Non poteſt ſibi ſatisfacere Ezechias in explicanda mali ſui acerbitate. Nunc ſe eo redactum fuiſſe dicit, ut vocem articulatam edere non poſſet, ſed confuſo quodam ſono ſtreperet, ut ii qui animam fere exhalant. Unde apparet graviſſimos fuiſſe cruciatus. Doloris enim magnitudo vocem adimit. Et vox (inquit ille) faucibus hæſit. audiebantur tantum obſcuri gemitus. Atque eo pertinent hæ ſimilitudines Gruis & Hirundinis, quibus utitur Propheta. Hunc tamen obſcurum vocis ſonum à Deo nihilominus exaudiri certum eſt: tametſi ſenſus omnes noſtri dolore occupati ſint, & præ mœſtitia ſint præcluſæ fauces, Dominus tamen corda noſtra pervidet, & pia ſuſpiria exaudit. Imo plus efficient quam expreſſæ ac diſertæ voces, modo Spiritus adſit, qui excitet in nobis gemitus illos inenarrabiles, de quibus loquitur Paulus 8. ad
Rom. 8. verſ. 26. Romanos capite. ac nemo piorum eſt qui non experiatur, ubi major aliqua triſtitia animum conſtringit, ſe inter orandum vel balbutire vel propemodum obmuteſcere. Quod poſtea ſequitur quidam ita vertunt, Extenuati ſunt oculi mei: ſed non quadraret particula, In ſublime. Ergo ſimplicior tenendus eſt ſenſus, oculos hebetudine fuiſſe quaſi diſſipatos, vel quamvis deficeret Ezechias, tamen oculos in cælum tollere non deſiiſſe: nec unquam ita obſtupefactum fuiſſe, quin ſibi auxilium à Deo petendum eſſe ſciret. Diſcamus igitur Ezechiæ exemplo oculos attollere in cælum, quum afflicti animo ac perturbati ſumus: ac ſciamus magnam à Deo facundiam non requiri. Et hanc ſententiam confirmat, quod ſermonem continuo poſt dirigens ad Deum opem ejus implorat. Quum ergo oppreſſus ſit morbi violentia, Deum ſibi auxiliatorem adeſſe cupit. Vertunt quidam Fidjeube pro me: & verbum ערב, hoc ſenſu plerumque capitur. ſed convenientior eſt, Recrea me, vel Exhilara. Niſi magis placeat quod alii reddunt, Fac me quieſcere. Certe ne morbi violentiæ ſuccumbat, ſolatium à Deo petit. Atque hæc nobis ratio tenenda eſt, quo major nos obruit malorum congeries, Deum præſto adfore ad nos ſublevandos.

15. *Quid dicam?*] Hic vulgo exclamationem eſſe putant, qualis rebus lætis erumpere ſolet, acſi jam voti compos ſibi gratuletur. Ego vero aliter cenſeo. videtur enim Ezechias pergere in querimoniis ſuis: quia loquitur ut ſolent homines mœrore oppreſſi, Quid dicam? Is enim qui dixit, is & fecit: id eſt, mors & vita ſunt in manu ejus: fruſtra cum eo litigo, aut contendo: fruſtra conqueror. Cujuſmodi voces
Job. 7: 4. & 13. verſ. 24. & ſermones etiam in libro Job ſæpe occurrunt. Hunc ſenſum genuinum eſſe puto. Prius enim undique proſpexit Ezechias, an auxilium aliquod ſeſe offerret: nunc quum ſibi moriendum, idque à Deo denunciatum videt, ſtatuit non reluctandum amplius, ſed morem ipſi gerendum eſſe. Quanquam notanda eſt emphaſis, Deum quod verbo minatus erat re ipſa etiam complevíſſe. Nam qui ſimpliciter exponunt, Quod Deus mihi dixit per Prophetam exequutus eſt, neque nihil dicunt, neque totum: quia non tam frigide recitat Ezechias ſibi cognitum Verbi effectum: ſed objecta Dei potentia, omnes murmurandi vel jurgandi anſas ſibi præcidit. Sic etiam David Pſalmo 39. Obſtupeſco quia tu feciſti. Nullus enim obſtrependi finis eſt, donec potentiæ Dei timor nos *Pſal. 39. verſ. 10.* compeſcat. Sic etiam Job negotium ſibi cum Deo eſſe cogitans, Apponam, inquit, digitum ori meo, & ſuppliciter judicem meum deprecabor. Silentium ergo ſibi imperat Ezechias hac ratione, quia fruſtra *Job. 9. verſ. 15. & 39. verſ. 37.* contendat cum Deo. Quanquam ſimul actum eſſe intelligit de vita: quia Dominus re ipſa comprobet ſeriam fuiſſe comminationem. unde colligit ſe nihil proficere quia tergiverſandi non ſit locus. Verum quidem eſt ſententiam hanc ex deſperatione manare: quia hoc modo Deum ſibi infeſtum eſſe concipiens januam precibus ſuis claudit. ſed mirum aut novum non eſt, in ſummis perturbationibus ejuſmodi voces excidere, quæ nos ab orandi fiducia prohibeant, modo ex oppoſito nitamur ad Dei invocationem, quam nobis ſenſus carnis dictat irritam fore. Hac anxietate implicitum fuiſſe pium Regem credibile eſt, ut languore fatiſceret: ſed præcipue ſpectaſſe quod dixi, nihil melius eſſe ſilentio, quia abſque profectu cum Deo diſceptaret, ex proximo contextu melius liquebit. ſubjiciet enim ſe trepidaturum tota vita. unde colligitur nunc ſibi proponere formidabilem Dei potentiam ut ſe ad veram humilitatem comparet. Porro quia דדה nunc Movere, nunc Leniter incedere ſignificat, vertunt quidam interpretes, Movebor, vel Agitabor, alii, Lente incedam. Ego trepidum ac debilem inceſſum notari non dubito, quia ſic proſtratus fuerat Ezechias, ut vires ſibi poſthac integras fore deſperet. Trepidatio autem hæc ad metum referri debet: quia ſequitur continuo poſt, In amaritudine. perinde acſi diceret mœrorem, qui inflictus fuerat, altius hærere in corde ſuo, quam ut deleri unquam poſſit. hinc illa cujus meminit debilitas. Quia vulgaris translatio habet Recognoſcam, ideo Papiſtæ hunc locum ad confeſſionem auricularem torſerunt: ſed tam inepte, ut aniculis ipſis ridiculi eſſe poſſint. Senſus autem planus eſt, hic non agi de recognitione, ſed de metu & trepidatione, qua toto vitæ ſuæ tempore ſe perculſum iri dicit Ezechias.

16. *Domine, ultra eos.*] Conciſa Prophetæ oratio varias genuit interpretationes. Hæc autem magis recepta eſt, Domine *ultra* eos vivent, id eſt, producent vitam ſuam. perinde acſi diceret, Quum mihi vitam prorogaris, efficies ut alii quoque idem beneficium percipiant. Verum ſenſus ille textui non congruit, & coactior mihi videtur. Exiſtimo potius Ezechiam hoc voluiſſe: Domine, quicunque ultra annos iſtos vivent, illis etiam vita ſpiritus mei nota erit. Subaudiendum itaque eſt relativum אשר, ut eſt Hebræis uſitatum: nec quicquam coacti hæc interpretatio habebit. Nec enim dubium eſt, nec quiſquam repugnat, quin loquatur de annis quos ei produxerat Dominus. Intelligit ergo non tantum illius temporis homines, ſed etiam poſteros beneficium illud agnituros. Et hoc modo amplificat gratiæ magnitudinem, quia celebris etiam erit futuræ ætati, & ſuperſtes vigebit in omnium memoria, etiam ipſo Ezechia mortuo: neque id ſolum, ſed quædam Reſurrectionis ſpecies cenſebitur. Dormiendi verbo mortem ſignificat, ut vulgare eſt Scripturis. *Gen. 47. verſ. 30.* Ita morbum hunc lethalem morti comparat. Tam enim propinquus erat morti, ut de vita omnino deſperaret. *1 Cor. 7. verſ. 39. & 11. verſ. 30.*

17. *Ecce in pace.*] Rurſus alia circumſtantia mali gravitatem exaggerat. Subita enim & inopinata *2 Petr. 3. verſ. 4.* mala nos magis conturbant, quam ea quæ ſenſim nobis accidunt. Atrocitas ergo mali eo minus fuit tolerabilis, quia ſubito corripuit quietum & ſecurum: quia nihil minus tunc putabat quam ſibi migrandum eſſe è vita. Scimus etiam ſanctos interdum nimis acquieſcere in rebus proſperis & ſibi promit-

tere

Pſal. 30. verſ. 7.8. tere æquabiles ſucceſſus. quod etiam David Pſal. 30. fatetur ſibi accidiſſe, Dixi in felicitate mea, Non movebor: tu vero abſcondiſti faciem tuam, & obſtupefactus ſum. Nihil ergo Ezechiæ contingere triſtius potuit, quam è vita tolli, quum præſertim fugato hoſte ac deleto pace frui liceret. Nam exiſtimo Ezechiam in morbum incidiſſe quum profligatus eſt Sennacherib, ſicuti antea dictum eſt. In illo igitur gaudio & pace quæ affulgebat, en acerba ægritudo quæ Ezechiam duriter torquet ac cruciat. Hinc monemur, quia nihil ſtabile aut firmum eſt in hac vita, & quidquid nos exhilarat ſtatim poteſt excuti, non eſſe torpendum in lætitia: ſed dum tranquillo rerum ſtatu fruimur, de bello, de adverſis rebus & ærumnis cogitandum eſſe. quærendam eſſe potiſſimum pacem illam quæ paterno Dei favore nititur, in qua tuto conſcientiæ noſtræ conquieſcent. Secunda pars verſus duplicem ſenſum admittit: quoniam verbum חשק nunc Amare, nunc Velle ſignificat, non male convenit ſenſus ille, Placuit tibi animam meam eripere. verum ſi nihil ſubaudias, æque plena erit oratio, neque minus commode fluet, Tu Deus animam meam favore & beneplacito tuo complexus es quum in ſepulchro jaceret. Animam pro vita accipi ſatis notum eſt: ſed hic prædicatur Dei bonitas, quod Ezechiam quaſi mortuum amore proſequi non deſtiterit. hoc modo copula in adverſativam particulam reſolvenda erit. Poſtea cauſam aſſignans ad ipſum fontem nos ducit, & demonſtrat modum iſtius ſanationis. Videretur enim alioqui non niſi de ſanatione corporis hactenus loquutus eſſe. ſed nunc oſtendit ſe ſublimius quiddam ſpectare: nempe quod reus fuerit coram Deo, ac deinde ipſius gratia abſolutus. Sibi quidem reſtitutam eſſe vitam prædicat, ſed pluris æſtimat ſe reconciliatum eſſe Deo quam centum aut mille vitas. Et certe utilius nobis eſſet, nunquam eſſe natos, quam diuturnam vitam agendo offenſas ſubinde alias aliis addere, atque ita nobis gravius accerſere judicium. Hoc ergo nomine ſibi maxime gratulatur, quod ſerena affulgeat Dei facies, quem habere propitium ſumma eſt felicitas. Interea admonet, quidquid malorum nobis infligit Deus peccatis noſtris imputandum eſſe, ut nihil aliud quam reatum ſuum duplicent quicunque Deum inſimulant nimii rigoris: neque unius tantum peccati ſe condemnat, ſed multis ſe oneratum fuiſſe fatetur, ut non una tantum venia opus eſſet. Ergo ſi vere malorum allevationem quærimus, hinc facere exordium convenit: quia placato Deo non poterit nobis male eſſe, quum noſtris miſeriis minime oblectetur. Nobis enim fere contingit quod ſtultis & inconſideratis dum ægrotant, qui ad *συμπτώματα* duntaxat & dolores intenti morbum ipſum negligunt. Atqui potius imitandi ſunt periti medici, qui morborum cauſas expendunt, atque huc toti incumbunt, ut eas radicitus evellant. Externa enim remedia inania eſſe ſciunt, imo nociva, ſi interior cauſa ignoretur. totam enim mali vim intro repellunt, atque ita fovent & augent, ut nullus poſtea ſit curationi locus. Ergo mali ſui cauſam agnovit Ezechias: nempe, ſua peccata: quæ quum ipſi remiſſa eſſent, ſimul pœnam ceſſare ac remiſſam eſſe intellexit. Unde apparet quam ridicula ſit Papiſtarum diſtinctio, qui remiſſionem pœnæ à culpæ remiſſione ſecerni volunt. Hic vero Ezechias teſtatur pœnam ſibi remiſſam eſſe, quod culpa remiſſa ſit. Et notanda eſt loquendi forma qua utitur Jeſaias, *Projeciſti poſt tergum.* ſignificat enim deletam eſſe omnino ipſorum memoriam: quemadmodum alibi dicit Propheta Deum in profundum maris ea projicere. Item alibi, tam longe abjicere quam procul Oriens diſtat ab Occaſu. quibus loquendi formis certiores nos reddit, quæ Deus remiſit imputaturum non eſſe. Quod ſi poſtea nos nihilominus caſtiget, id non facit ut judex, ſed ut pater, quo

Mich. 7. verſ. 19. Pſal 103. verſ. 12.

erudiat filios, atque in officio contineat. Nam in eo falluntur Papiſtæ, quod in pœnis aliquid compenſationis eſſe ſomniant, acſi Deus vindictam exigeret, quia non velit gratis ignoſcere. Atqui Deus ſuos caſtigans, in futurum tempus eorum ſaluti conſulit.

18. *Quoniam non infernus.*] Ubi dicit ſe Dei laudes celebraturum non fuiſſe ſi ablata eſſet vita, gratum ſe ac memorem fore promittit. Et ſimul teſtatur hunc ſibi maxime optabilem fore vitæ fructum, quia Deum laudabit. Etſi autem veræ pietatis eſt, non aliter vitam appetere, quam ut eam tranſigamus per continuas Dei laudes: videtur tamen nimis reſtricte loqui Ezechias. nec enim mors piorum minus Dei gloriam prædicat quam vita. & quia tunc demum perfecte conjuncti ſunt Deo, laudes ejus cum Angelis prædicare non deſinunt. Rurſus etiam exoritur dubitatio, cur tantopere mortem fugerit Ezechias, & terrenæ vitæ tam cupidus fuerit. Etſi autem jam ſoluta fuit hæc ſecunda quæſtio, rurſus tamen in memoriam revocent lectores, pavorem hunc non ex ſola morte fuiſſe conceptum, quando idem Ezechias confecto vitæ ſpatio non reluctatus eſt, quin libenter ad Deum concederet: ſed pium Regem ira Dei perculſum hoc tantum dolere, quod ſuis peccatis ſeſe abdicaverit à vita, quaſi poſthac omnis gratiæ & benedictionis expers futurus ſit. Hinc etiam primæ quæſtionis ſolutio: quia nihil mirum ſi pius Rex non modo ſibi è vita migrandum eſſe reputans, ſed mortem exiſtimans pœnam ſcelerum & ultionem Dei, gemat ac defleat ſe damnari quaſi indignum qui operam impendat promovendæ gloriæ Dei. Nam quicunque hoc fulmine percuſſi ſunt, fieri non poteſt ut vivi aut mortui celebrent Dei laudes: ſed quia deſperatione obruti ſunt, neceſſe eſt obmuteſcere. Eodem etiam ſenſu & David Pſalmo 6., & tota Eccleſia Pſal. 115. dicit, Non eſt memoria tui in morte: in ſepulchro quis te prædicabit? nempe quia perditis & attonitis nulla gratiarum actionis materia ſuppetet. Notandum tamen ſimul eſt, ſanctos dum ita loquuti ſunt, non conſideraſſe qualis poſt mortem conditio ipſos maneret, ſed præſenti dolore correptos tantum ſpectaſſe in quem finem conditi eſſent ac in mundo alerentur. Eſt hæc, ut nuper dictum fuit, præcipua vivendi cauſa hominibus, ut ſe exerceant in Dei cultu: hoc etiam conſilio Eccleſiam Deus in mundo tuetur, quia vult nomen ſuum celebrari. Jam qui ſe præcipitem dejici videt, quia cenſeri non meretur, vel locum tenere inter Dei cultores, non attendit diſtincte quaſi compoſito animo, quid poſt mortem facturus ſit: ſed dolore obnubilatus, acſi poſt mortem ceſſarent omnia pietatis officia, facultatem mortuis eripit laudandi Dei: quia videtur gloria Dei ſepeliri cum ſuis teſtibus.

Pſal. 6. verſ. 6. & 115. verſ. 17.

19. *Vivens, vivens ipſe confitebitur tibi.*] Non quoslibet promiſcue homines comprehendit, quandoquidem multi vivunt, qui tamen ſua ingratitudine extinguunt, quantum in ſe eſt, Dei gloriam: certe nihil minus cogitant quam ſe ad eam prædicandam natos eſſe. Sed ſimpliciter docet, quantiſper in hac vita foventur homines à Deo, poſſe merito gloriæ ejus legitimos eſſe præcones, quando ad hoc officium ſua liberalitate ipſos invitat. Atque hæc antitheſis demonſtrat quod paulo ante dixit, Non eſſe in morte vel ſepulchro memoriam Dei, referri ad hanc ſummam, ubi è mundo exterminantur qui ſtudium ſuum libenter impenderent laudando Deo, hac gratia privari. Porro ſe unum ex teſtibus gloriæ Dei fore profitetur. atque ita certam grati erga Deum animi ſignificationem præbet. Pronunciat enim ſe non fore obliviosum, ſed perpetuo gratias acturum Deo, ac prædicaturum quem expertus erat favorem ejus: neque id tantum ſeculi ſui hominibus, ſed etiam poſteris, ut & ipſi cele-

brent iſtas laudes, tantique beneficii auctorem venerentur. Hinc colligenda eſt utilis monitio, hac lege ſobolem dari mortalibus, ut quiſque liberos ſuos erudiendo pro ſua virili propagare ad poſteros ſtudeat Dei nomen. Quare hæc præcipue ſedulitas patribus familias mandatur, ut Dei beneficia aſſidue commemorent. Veritatis autem nomine, quam Deus præſtat ſuis fidem, omniaque gratiæ teſtimonia quibus ſe veracem eſſe probat, intellige.

20. *Jehova ad ſervandum.*] Agnoſcit ſe non hominum ope aut induſtria, ſed beneficio Dei ſolo liberatum eſſe. Quod alii vertunt, Domini eſt ut me ſervet, non ſatis exprimit, & videtur à litera remotius eſſe. nec enim prædicat ſolummodo potentiam Dei, ſed etiam opus in quo perſpicuum ejus documentum dedit. Denique *ſervare* iſtud Dei, morti opponit cui adjudicatus fuerat: quia ſicuti prius exhorruerat ſeverum judicem, nunc liberatorem ſuum agnoſcens, lætitia exultat. Hinc rurſus ſe ad canendum gratitudinis cauſa accingit: imo alios quoque hujus officii ſocios & comites advocat. Et hac ratione Templi meminit, ubi piorum conventus agebantur. Si privatus fuiſſet ac unus è vulgo, ſolenne tamen Deo ſacrificium offerre debebat, ut alios ſuo exemplo incitaret. Itaque Regi multo magis hoc curandum fuit, ut omnes ſecum ad gratiarum actionem adduceret: præſertim quoniam in ejus perſona Deus totius Eccleſiæ ſaluti conſuluerat. Significat ergo ſe daturum operam ut hæc Dei gratia omnibus innoteſcat, vigeatque ejus memoria non uno tantum die vel anno, ſed quoad manebit ſuperſtes. Et certe tam inſigne Dei beneficium ullo tempore evaneſcere vel excidere nimis indignum fuiſſet. Ut autem oblivioſi ſumus, ita opus eſt aſſiduis ſtimulis, qui nos expergefaciant. Simul obiter oſtendit quorſum inſtituerit Deus ſacros conventus, nempe ut celebretur quaſi uno omnium ore, & alii alios incitent ad pietatis cultum.

21. *Et dixit.*] Nunc refert Jeſaias quale remedium Ezechiæ præſcripſerit. Alii remedium eſſe non putant, quod ficus ulceribus inimicæ & noxiæ ſint: ſed hoc ſigno pium Regem fuiſſe admonitum & certius edoctum, ſanationem non aliunde quam ex ſola Dei gratia proficiſci. Sicuti cæleſtis arcus, quo Geneſ. 9.
teſtari voluit Deus nunquam interiturum humanum verſ. 13.
genus diluvio, videtur rem omnino contrariam no- 14. 15.
tare: quia tunc apparet, quum imminent denſiſſimi imbres & quaſi ad totum orbem obruendum incumbunt. Ergo cataplaſma quod ſanando morbo minime aptum erat, putant conſulto fuiſſe adhibitum à Propheta, ut palam faceret Deum ſine medicamentis ſervaſſe Ezechiam. Sed quum ficus à medicis etiam noſtris adhibeantur ad peſtem maturandam: fieri poteſt ut Dominus promiſſioni medicinam adjunxerit: quemadmodum ſæpe alias factum videmus. nam etſi inferioribus mediis, quæ vocant, non indiget Dominus: iis tamen utitur quoties viſum eſt. Nec vero promiſſionem extenuat hæc medicina, quæ ſine Verbo vana & inutilis fuiſſet: quia & ſignum aliud ſupernaturale acceperat, quo ſatis didicerat ſe vitam, de qua deſperabat, à ſolo Deo recepiſſe.

22. *Dixerat autem.*] Nonnulli ſic exponunt hunc verſum, quaſi hoc etiam ſignum Ezechiæ datum ſit: atque ideo ad proximam ſententiam referunt, & admirantis interjectionem eſſe putant: ſed veriſimilius eſt confuſum hic eſſe ordinem, quod Hebræis ſæpe accidit: ac referri poſteriore loco quod priore dicendum erat. Nec enim initio dixit Jeſaias ſignum petitum fuiſſe ab Ezechia, quod tamen Sacra hiſtoria 2 Reg 20.
teſtatur. Subjungit igitur quod ſuo loco omiſſum verſ. 8.
erat. *Ut aſcendam.* Significat præcipuum ſibi ſtudium fore tota vita, ut nomen Dei celebret. nec enim deliciandi & captandæ voluptatis gratia vitam expetebat, ſed ut honorem Dei & purum ejus cultum tueretur. Meminerimus ergo vitam nobis à Deo prorogari, non ut indulgeamus genio, aut luxui nos dedamus, ſed ut pietatem colamus, exerceamus pia inter nos officia, frequentes ſimus in piorum cœtu & ſacris ſolennibus, ut veritatem Dei & bonitatem prædicemus.

Cap. XXXIX.

Tempore illo miſit Merodach Baladan, filius Baladan, rex Babel, ad Ezechiam literas & munus, ex quo audierat eum ægrotaſſe, & convaluiſſe.

2. Lætatus eſt autem de iis Ezechias, & oſtendit illis domum theſauri ſui, argentum & aurum & aromata, unguentum pretioſum, & omne armamentarium ſuum, & quicquid inveniebatur in theſauris ſuis: non fuit res ulla quam non oſtenderit Ezechias in domo ſua, totoque regno ſuo.

3. Tum venit Jeſaias Propheta ad regem Ezechiam, dixitque illi: Quid dixerunt viri iſti? & unde venerunt ad te? Reſpondit Ezechias, E terra longinqua venerunt ad me, è Babel.

4. Tunc dixit: Quid viderunt domi tuæ? Et dixit Ezechias: Cuncta quæ domi meæ ſunt viderunt: nec res ulla eſt, quam non illis oſtenderim in theſauris meis.

5. Tunc ait Jeſaias Ezechiæ: Audi verbum Jehovæ exercituum.

6. Ecce dies veniunt, ut tollatur in Babylonem quicquid eſt domi tuæ, & quicquid recondiderunt patres tui ad hunc uſque diem: nec reſiduum quicquam manebit, dicit Jehova.

7. E filiis tuis qui egreſſi fuerint ex te, quos genueris tollent: eruntque Eunuchi in palatio regis Babel.

8. Dixit Ezechias Jeſaiæ: Bonus eſt ſermo Jehovæ quem pronunciaſti. Et dixit: Saltem erit pax & ſtabilitas in diebus meis.

Tempore illo.] Hunc primum fuiſſe Regem exiſtimant gentis Chaldaicæ. Nam pater ejus Baladan ſine Regis titulo principatum apud Babylonios obtinuerat. Quum itaque Merodach iſte duodecim annos regnaſſet, Aſſyrios ſubegit, atque effecit ut Chaldæis parerent. Falluntur enim qui à Nabuchadnezer cœptum fuiſſe bellum exiſtimant. Fieri quidem poteſt, ut eos demum ſubegerit: ſed jam ſemifractos fuiſſe probabile eſt, ut non aliud reſtaret quam partum alterius victoria imperium ſtabilire. Etſi autem ſimpliciter narrat Propheta miſſos fuiſſe legatos, notare tamen operæpretium eſt, aſtute hoc factum fuiſſe à Babylonio, ut blanditiis ad ſe pelliceret Ezechiam. Jam imminebat Aſſyriis, quibus ſciebat Judæos ob continua bella merito infenſos eſſe. Ergo ut ſocium & adjutorem

in bello quod moliebatur ſibi conciliet, obliquis artibus contrahit amicitiam cum Ezechia. Ambitio autem pii Regis animum corrupit, ut cupidius fallaces tyranni illecebras arriperet, ac illis ineſcaretur. prætextus tamen fuit, ut Legati gratularentur, quod à morbo convaluiſſet Ezechias. Et tamen hiſtoria (2 Par. 32. verſ. 31.) Sacra aliam cauſam reddere videtur: nempe quod Merodach fuerit prodigio incitatus. Minime certe dubium eſt, famam portenti illius longe pervagatam eſſe, quum Sol retroceſſit: nec fieri potuit quin populos multos permoveret. Cæterum, vix credibile eſt profanum hominem alio ſpectaſſe quam ut Ezechiam in ſuas naſſas attraheret. ſed quia illuſtri ſigno oſtenderat Deus Ezechiæ ſalutem ſibi curæ eſſe, ut ſolent impii perverſe abuti omnibus gratiæ Dei teſtimoniis, putavit Merodach ſi Ezechiam ſibi adjungeret, bellum cæleſtibus auſpiciis ſe ſuſcepturum. Hinc factum eſt, ut teſtandæ benevolentiæ cauſa Legatos ad eum mitteret cum muneribus. Voluit enim ab ipſo gratiam inire, cujus amicitiam ſibi utilem & accommodam fore exiſtimavit. Et quidem hac de cauſa, ut ejus opera adverſus Aſſyrios poſtea uteretur, quos Judæis infenſiſſimos hoſtes eſſe non ignorabat. Hæc enim Regum & Principum conſilia ſunt, ut fraudibus & aſtu rem ſuam gerant. & quamplurimos ſibi quavis ratione adjungant, quorum opera adverſus hoſtes ſuos abutantur.

2. *Lætatus eſt.*] Hiſtorici perſonam agit Propheta. nam ſimpliciter narrat quid actum ſit ab Ezechia, poſtea quorſum id fieret declarabit: ambitione videlicet excæcatum Ezechiam ſeſe Legatis oſtentaſſe: etſi vitioſum gaudii genus perſtringitur, unde poſtea nata eſt gratificandi ſedulitas. Qui nudam hanc hiſtoriam leget, nihil improbe ab Ezechia factum judicabit. Humanitatis enim fuit hilariter & laute Legatos excipere, iiſque omnia benevolentiæ ſigna exhibere. ac barbari fuiſſet hominis, eos à quibus ultro ad amicitiam provocatus fuerat, rejicere, atque tam potentis Regis amicitiam aſpernari. Sed latuit interea in ejus animo ſtudium vanæ oſtentationis. voluit enim ſeſe Babylonio venditare, ut intelligeret fœdus hoc ſibi non inutile futurum: idque ex opibus, copiis & inſtrumentis bellicis cognoſceret. Hoc quoque reprehenſione dignum fuit, quod ad externa & illicita ſubſidia animum adjiciens, tantundem detraxit honoris Deo, quem nuper liberatorem bis fuerat expertus. Nec enim alioqui tam acerbe Propheta hoc factum reprehendiſſet. Inſigne exemplum: quo docemur nihil periculoſius eſſe, quam proſperis rebus excæcari. unde etiam illud probe quondam dictum eſt, Difficilius eſſe proſperam fortunam quam adverſam ferre. Laſcivimus enim atque inſoleſcimus, quum res fluunt ex animi noſtri ſententia: nec poſſumus ullis monitionibus aut minis in officio contineri. Quum id Ezechiæ accidit, (cap. 33. verſ. 6.) cui tam præclarum à Propheta elogium datum eſt, cujus theſaurus fuit timor Dei, vehementer nobis verendum eſt, ne in ejuſmodi pericula incidamus. Abripitur inani jactantia, nec recordatur ſe antea ſemimortuum, inſigni Dei miraculo è morte ereptum eſſe. Antea profitebatur ſe laudes Domini perpetuo celebraturum in piorum cœtu: nunc quum amicitiam ſuam captari, & ſe potentis monarchæ nomine ſalutari videt, obliviſcitur Dei & beneficiorum quæ ab ipſo acceperat. Quum pium hunc Regem tam facile labi, atque ambitione abripi videmus: diſcamus nobis injicere modeſtiæ frenum, quod nos aſſidue ac ſollicite in timore Dei contineat.

3. *Tum venit Jeſaias.*] Perſequitur eandem narrationem: ſed doctrinam ſimul adjungit. Tametſi vero ſe à Deo miſſum eſſe non dicat, tamen inſtinctu Spiritus ſancti ac juſſu Dei hoc feciſſe certum eſt: atque ideo ſeſe ornat epitheto Prophetæ: quo admonet ſe non veniſſe ut privatum, ſed ut fungeretur officio divinitus ſibi injuncto, ut facile ſentiret Ezechias ſibi non eſſe negotium cum homine mortali. Jam ubi ait veniſſe, colligendum eſt, non fuiſſe accitum. Quum Ezechias opes ſuas faſtuoſe oſtentaret, ſinebat ipſum domi quieſcere: nec enim ad ejuſmodi conſilia Prophetæ adhiberi ſolent. Atqui prius quum (ſupr. 37. v. 2, 3, 4.) ſummis anguſtiis premeretur, quum Raſpaces tam proterve inſultaret, & impudenter convitiaretur Deo, miſit ad Jeſaiam, ac petiit ut apud Deum intercederet, & conſolatione aliqua angores ipſius allevaret. Ita rebus adverſis atque extremis quæruntur Prophetæ: proſperis vero negliguntur, vel etiam rejiciuntur: quod ſuis monitionibus hilaritatem noſtram turbent, ac mœroris cauſam afferre videantur. Venit tamen Jeſaias, tametſi non vocatus. in quo laudanda & ſuſpicienda eſt ejus conſtantia. atque ipſius exemplo docemur non eſſe expectandum quoad nos vocent homines qui officio noſtro indigent, quum ſibi placent in graviſſimis malis, & periculum ſibi ſua aut levitate, aut ignorantia, aut etiam malitia accerſunt. Officii enim noſtri eſt, colligere oves errantes, idque ſtudioſe facere debemus, etiamſi nemo à nobis poſtulet. Etſi autem jure in Ezechia reprehendi poteſt, quod regis Babylonii lenocinio corruptus Deum non conſuluerit: eſt tamen hoc non vulgaris modeſtiæ ſignum, quod Prophetam non arcet vel contemnit quaſi intempeſtive obſtrepat, ſed humaniter reſpondet, ac tandem duriſſimam correctionem æquo & manſueto animo ſuſcipit. Satius quidem initio fuiſſet interrogare os Dei, ſicuti in Pſalmo dicitur, Mandata tua viri conſilii mei: ſed (Pſal. 119. verſ. 24.) quia jam errore lapſus erat, delicti remedium obedienter admittere ſecundæ virtutis fuit. *Quid dixerunt?* Non ſtatim vulnerat ipſum Propheta gravi reprehenſione, ſed leniter pungit: ut ipſum in agnitionem peccati ſui adducat. Sibi enim blandiebatur Ezechias, atque omnia apud ſe præclara eſſe exiſtimabat. Itaque paulatim excitandus à ſuo torpore fuit. Suberat quidem non levis ſtimulus: acſi dixiſſet, Quid tibi cum viris iſtis? an non procul tibi fugienda fuit hujus peſtis contagio? Interrogat etiam de legationis ſumma, ut pudorem incutiat Ezechiæ, qui ſe inſidioſe captari non agnoverit. neque enim probabile eſt notari gratulationem, ſi nihil veneni admixtum fuiſſet: ſed tendiculas illas, quibus implicare eum volebant Chaldæi. Et tamen ex reſponſo liquet, nondum levi illa reprehenſione perculſum fuiſſe Ezechiam, quia ſibi adhuc placet. Jactat enim iſtos homines veniſſe è longinqua regione, è Babylone. Nec vero credibile eſt ignotam fuiſſe illam regionem Jeſaiæ, ut opus fuerit Ezechiam tam diſertis verbis diſtantiam exprimere: ſed ita ſeſe jactat, quod ambitionis affectus in eo prævaleret. Durius ergo urgeri ipſum, acrioreſque ſtimulos adhiberi oportuit.

4. *Tunc dixit.*] Pergit Jeſaias in obliqua ſua admonitione, ſi forte tangatur Ezechias, ſibique diſpliceat. Hoc tamen nondum aſſequitur. tametſi vix credibile eſt tam ſtupidum fuiſſe Regem, quin punctiones iſtas ſentiret. Sciebat enim non veniſſe Prophetam, ut curioſi homines ſolent, ad rumores venandos: ſciebat etiam non jocoſe confabulari ſecum, ſed ſerium aliquid afferre. Quicquid ſit, in bonam partem accipere convenit quod placide reſpondet. nec enim inſurgit adverſus Prophetam, ſed modeſte fatetur quod res habet: nondum agnoſcit tamen ſe peccaſſe, vel ſaltem non afficitur ut ſibi diſpliceat: quoniam peccatum ſuum ex occulto illo affectu non æſtimat. Adeo fallit ambitio, ut ſua dulcedine non modo inebriet homines, ſed dementet, ut ne admoniti quidem ſtatim reſipiſcant. Quum igitur pium Ezechiam tanto ſtupore percuſſum videmus, ut ſe reprehendi non ſentiat, vel ſaltem non pungatur ut ſeipſum agnoſcat, diligenter nobis à tam peſtilenti morbo cavendum eſt.

5. & 6. *Tum ait.*] Ex hoc Dei judicio peccatum Eze-

Ezechiæ non leve fuiſſe perſpicimus, quamvis aliter judicet communis ſenſus. nam quum Deus optimum ſemper modum in caſtigandis hominibus teneat, ex pœnæ atrocitate colligitur non vulgare aliquod delictum, ſed atrociſſimum crimen fuiſſe. Unde etiam monemur, perperam hominum arbitrio cenſeri dicta vel facta: ſed unum Deum eſſe idoneum judicem. Theſauros oſtendit Ezechias: an coacervati erant, ut ſemper quaſi defoſſi laterent? Legatos comiter excepit: an abigeret? aures præbuit eorum mandatis: nempe quum Aſſyrii æmulus ultro ejus amicitiam expeteret: an repudianda fuit tanta commoditas? Denique in ſpecie ipſa nihil non excuſabile reperietur. ſed Deus cui nihil abſconditum eſt, primum ingratitudinem obſervat in Ezechiæ lætitia: quia malorum quibus nuper premebatur immemor, Chaldæos quodammodo ſubſtituit in locum ipſius Dei, cui ſe & ſua omnia conſecrare debuerat. Obſervat deinde ſuperbiam: quia ex ſplendore & divitiis famam acquirere nimis cupide tentat. Obſervat pravum amorem fœderis, quod toti populo exitiale futurum erat. Sed præcipuum vitium fuit ambitio, qua fit ut omnis fere Dei timor ex cordibus evaneſcat. Unde merito exclamat Auguſtinus, Quantum & quale venenum ſuperbiæ, quod non poteſt niſi veneno curari! 2 Cor. 12. verſ. 7. Illud enim Pauli reſpicit, ubi angelum Satanæ ſibi datum eſſe ait, à quo velut colaphis cædatur, ne revelationum magnitudo ipſum efferret. Ezechias invicto animo erat quum omnia prope deplorata eſſent: his autem blanditiis vincitur, nec vanæ ambitioni obſiſtit. Quam ergo exitiale ſit hoc malum, attente diligenterque conſideremus, eoque majorem ad ipſum vitandum cautionem adhibeamus. Quia vero duram ſententiam laturus erat, præfatur ſe Dei eſſe præconem. & paulo poſt iterum repetit hoc ſibi à Deo eſſe mandatum, non modo ut à ſe repellat invidiam, ſed quo penitus in animum Regis penetret. ubi rurſus ejus conſtantiam animique magnitudinem perſpicimus. Conſpectum Regis non reformidat, nec morbum ejus detegere, & judicium Dei denunciare veretur. Nam etſi tunc quoque delicatæ erant aures Regibus: quia tamen probe ſibi conſcius erat hanc perſonam ſibi à Deo eſſe impoſitam, munus quantumvis odioſum libere exequitur. Prophetæ quidem ſubditi erant Regibus, nec quicquam ſibi arrogabant? niſi quum Dei nomine agendum erat. tunc vero nihil tam ſublime eſt, quod Dei majeſtati ſubjiciendum non ſit. Quod ſi propoſitum ei fuiſſet gratiam inire cum Principe, adulatorum more tacuiſſet: ſed rationem habet muneris ſui, datque operam ut eo fideliſſime fungatur. *Nec reſiduum quicquam.* Notandum eſt genus pœnæ quo Dominus in Ezechiam animadvertit. Res enim ob quas ſeſe tantopere efferebat, poſteris adimit, ut nullam gloriandi materiam habere poſſint. Sic Dominus ambitionem hominum & ſuperbiam ulciſcitur: ut nomen aut regnum, quod ſibi æternum fore ſperaverant, deleatur, ut contumelioſe tractentur, ut ignominioſa ſit eorum memoria: denique ſtultas eorum cogitationes evertit, ut contraria omnino experiantur figmentis quibus ſe deludunt. Si quis objiciat minime conſentaneum eſſe, urbis direptionem & populi exilium unius hominis delicto adſcribi, quum ubique pronunciet Spi-
2 Chr. 36. v. 14, 15, 16, 17. ritus publicam obſtinationem in cauſa fuiſſe, cur Deus urbem & terram Chaldæis ſpoliandam traderet: reſpondeo, abſurdum non eſſe ut Deus in peccatum unius hominis, ſimulque in ſcelera totius populi animadvertat. Quum enim per univerſam regionem pervagata eſt ira Domini, omnes ſimul reatum ſuum agnoſcere debuerunt, ac unuſquiſque ſeorſim reputare quid eſſet promeritus: ut nemo rejiceret culpam in alios, ſed in ſe potius quiſque transferret. Præterea quum infinitis modis jam Dei judicio obnoxii eſſent Judæi, juſte paſſus eſt omnium malo delinquere Ezechiam: quo magis acceleraret iram ſuam, & judicio ſuo exequendo viam patefaceret: quemadmodum etiam Davidi accidiſſe videmus. Admonet enim Scriptura non fortuito contigiſſe quod David populum numeravit, ſed populi ipſius vitio effectum eſſe, in quem hac occaſione Dominus animadvertere voluit. Accenſus eſt, inquit, furor Domini in populum, & immiſit 2 Sam. 24.
in cor Davidis ut populum cenſeret. Ita & hoc loco verſ. 1.
denunciatur Ezechiæ pœna: ſed peccatum ejus quo iram Dei provocavit, jam Dei erat ultio in totum populum.

7. *E filiis.*] Hoc multo acerbius Ezechiæ videri potuit. Ideoque extremo loco ponitur amplificandi cauſa. Etenim ſi malum aliquid in populo graſſetur, Reges ſe & ſuos eximendos putant, acſi hominum numero non cenſerentur. Quum igitur intellexit filios in ſervitutem abducendos eſſe, duriſſimum hoc ei videri neceſſe fuit. hinc rurſus quantopere diſplicuerit Deo præſidium ex terrenis opibus quæri ab Ezechia, ſeque venditare apud impios, colligere licet: ubi Deus terribili exemplo quaſi inexpiabile crimen ulciſcitur, quod ambitioſe Ezechias coram incredulis pompas ſuas egerit.

8. *Bonus eſt ſermo Jehovæ.*] Ex hoc reſponſo colligimus Ezechiam præfractum non fuiſſe hominem, aut impotenter elatum, quum Prophetæ objurgationem audierit æquo animo, tametſi initio parum moveretur. Ubi enim Dominum audit iratum eſſe, reum ſe ſponte peragit, & ſe merito pœnas dare confitetur. In quo veræ docilitatis & obedientiæ exemplum habemus, quod audito judicio Dei, non contendit nec litigat cum Propheta, ſed placidum & moderatum ſe præbet. Diſcamus igitur exemplo pii Regis, placide Dominum audire, non tantum quum hortatur aut monet, ſed etiam quum damnat & terret juſtas pœnas denuncians. Nam ſermonem Dei bonum eſſe prædicans, non modo juſtitiæ laudem tribuit, ſed patienter amplectitur quod ſua aſperitate odioſum eſſe poterat. ſiquidem & reprobis interdum extorta fuit confeſſio ſui delicti, quorum tamen ſubacta non fuit contumacia, quin fremerent contra ſuum Judicem. Ergo ut nobis dulceſcant minæ Dei, neceſſe eſt à nobis concipi aliquam miſericordiæ ſpem: alioqui ſemper mera amarulentia ebulliet ex cordibus noſtris. Qui vero perſuaſus erit, Deum puniendo affectum paterni amoris minime exuere, non modo fatebitur ipſum eſſe juſtum, ſed placide & ſuaviter temporalem ejus rigorem feret. Denique ubi vigebit gratiæ Dei ſenſus, ut ſtatuamus nobis eſſe patrem, non erit nobis difficile aut acerbum, ſtare & cadere ejus arbitrio: quia dictabit fides nihil paterna ejus caſtigatione nobis eſſe utilius. Sic David duriſſime objurgatus à Nathan ſuppliciter
reſpondet, Dominus eſt, faciat quicquid rectum 1 Sam. 3.
erit in oculis ejus. Nam certum eſt ideo obmuteſcere verſ. 18.
non ſolum quia nihil proficeret contra murmurando, ſed quia libenter ejus judicio ſe ſubmittit. Eo- 1 Sam. 28.
dem videtur tendere Saulis taciturnitas, ubi ſe regno verſ. 20.
privatum iri audit. Sed quia pœna ſolum terretur, non tangitur culpæ diſplicentia: non mirum eſt ſi intus ferocia turgeat, quamvis acquieſcat in ſpeciem, quia reſiſtere non poteſt, quod libenter alioqui facturus erat: ut malefici quum vinculis aut compedibus tenentur conſtricti, judicibus ſunt ſupplices, quos è ſolio detractos libenter calcarent pedibus. At quia David & Ezechias ita humiliantur ſub potenti Dei manu ut ſpem veniæ non amittant, quas infligit pœnas ſubire malunt, quam ſe imperio ſubducere. Ac notatu dignum eſt, quod non ſimpliciter fatetur juſtam eſſe ſententiam quam tulit Deus, ſed quam Jeſaias ipſe promulgavit: non parum enim habet ponderis hæc particula, dum ſermonem licet ab homine mortali allatum reverenter excipere non gravatur, quia præcipuum auctorem

tem reſpicit. Dura certe Regi eſſe poterat ac moleſta Jeſaiæ libertas: ſed quia Dei miniſtrum agnoſcit, cogi ſe in ordinem patitur. Quo minus tolerabilis eſt eorum mollities qui moneri ſe, vel objurgari indigne ferentes, contemptim doctoribus & Verbi miniſtris objiciunt, An non vos quoque eſtis homines? Quaſi vero parendum Deo non ſit, niſi Angelos è cælo mittat, vel deſcendat ipſe. Hinc etiam colligimus quid de fanaticis judicandum ſit, qui ſimulantes Deum ſe revereri, Propheticam doctrinam reſpuunt. Nam ſi Deo obtemperare parati eſſent, non minus loquentem in ſuis Prophetis audirent, quam ſi tonaret è cælo. Fateor veros Prophetas à falſis diſtinguendos eſſe, vocem paſtoris à voce alieni: ſed non ſunt promiſcue ſimul omnes rejiciendi, niſi Deum quoque ipſum rejicere velimus. atque audiendi ſunt non ſolum quum hortantur aut reprehendunt, ſed etiam quum damnant, juſtaſque pœnas juſſu Dei ſceleribus noſtris minantur. Ubi verti *Saltem erit pax*, כי particulam adverſativam, hic vero exceptiva eſt. Novum enim quiddam ſubjicit Ezechias, nempe gratias agens Deo quod pœnam mitiget, quam promeritus erat. perinde acſi diceret, Dominus poterat ſtatim concitare hoſtes, qui me ex regno meo expellerent: nunc mihi parcit, temperat differendo pœnas quas merito ipſe luerem. Quanquam precative exponi poteſt hæc ſententia, ut cupiat Ezechias pœnam differri in aliam uſque ætatem. Probabilius tamen eſt quod dixerat Propheta de venturis diebus, accommodare ad ſolatium doloris, ut ſe ad patientiam animet: quia ſubita vindicta magis fuiſſet expavefactus. Recte ergo convenit exceptio hæc, ut animum ad manſuetudinem componat, Saltem parcet Deus ſeculo noſtro. Si cui tamen magis placeat eſſe cauſæ redditionem, fruatur ſuo ſenſu. *Veritatis* nomen nonnulli pro cultu Dei & pura religione accipiunt, acſi gratias ageret Deo quod pietatis doctrinam moriens relinqueret ſuperſtitem. Ego vero pro Stabilitate accipio, vel tranquillo regni ſtatu, niſi per hypallagen accipere malis proſperitatem diuturnam & certam fore. Poſſet autem crudelis videri Ezechias, quod nullam poſteritatis curam habeat, nec magnopere laboret quid poſtea eventurum ſit. Nam impiæ ſunt & horrendæ illæ voces, ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί. item, Mihi mortuo, omnes mortui ſunt: atque ſimiles quas hodie porci & Epicurei permulti in ore habent. Sed longe alia fuit mens Ezechiæ, qui tametſi futuris ſeculis bene conſultum eſſe optabat, non tamen debuit, quod Deus vindictam ſuam differens clementiæ ſignum dabat, pro nihilo ducere: quia inde ſperare potuit tandem miſericordiam ſenſuros aliqua ex parte poſteros. Quod nonnulli reſpondent dilatione lætatum fuiſſe, quia nos de craſtino ſollicitos eſſe non oporteat, ſufficere diei malitiam ſuam: *Matth. 6. verſ. 34.* huic loco non convenit. nec enim negligit poſteros Ezechias, ſed quia videt pœnam Dei clementia temperari, gratias ei agit, ſicuti jam dictum eſt. quamvis enim hæc pœna aliud ſeculum maneret, tamen præſentem gratiam amplecti debuit. Et certe noſtro potiſſimum ſeculo ſervire debemus, ejuſque præcipue ratio habenda eſt. Futurum non eſt negligendum: ſed quod præſens eſt, atque inſtat, magis officium noſtrum requirit. Nos enim qui ſimul vivimus, majore vinculo aſtrinxit Deus, ut mutua communicatione alii alios, quantum in nobis erit, juvemus. Eſt etiam animadvertendum, quod prius Ezechiæ longiorem vitam promiſerat Dominus, quum proximus eſſet morti, nunc jure metuendum fuiſſe, ne iterum ob peccatum iſtud vitam ei abrumperet. Quum audit ratam eſſe promiſſionem, gratias agit Deo: & moderatius fert venturam calamitatem, tametſi gravis & acerba ipſi eſſet.

CAP. XL.

Conſolamini, conſolamini populum meum, dicet Deus veſter.
2. Loquimini ſecundum cor Jeruſalem, & clamate ad eam, quod impleta ſit militia ejus, quod remiſſa ſit * iniquitas ejus, quoniam accepit è manu Jehovæ duplicia in omnibus peccatis ſuis.

* vel, [illegible]

3. Vox clamans in deſerto: Parate viam Jehovæ: Dirigite in ſolitudine ſemitam Deo noſtro.
4. Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erit præruptum in rectitudinem, & loca confragoſa in planitiem.
5. Et revelabitur gloria Jehovæ, videbitque omnis caro pariter, quod os Jehovæ loquutum ſit.
6. Vox † dixit, Clama. Et dixi, Quid clamabo? Omnis caro herba: & omnis gratia ejus quaſi flos campi.

† vel, di[illegible]

7. Exaruit herba, emarcuit flos, quia ſpiritus Jehovæ ſufflavit in eo. Sane herba eſt populus.
8. Areſcit herba, emarcet flos. At ſermo Dei noſtri ſtabit in æternum.
9. Aſcende in montem excelſum annunciatrix Sion: attolle fortiter vocem tuam annunciatrix Jeruſalem. Attolle, ne timeas. Dic civitatibus Juda: Ecce Deus veſter.
10. Ecce Dominus Jehova in robore veniet: & brachium ejus ſibi potens. Ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram ipſius facie.
11. Sicuti paſtor gregem ſuum paſcet, brachio ſuo colliget agnos, ſinu ſuo portabit, fœtas ſuaviter ducet.
12. Quis menſus eſt pugillo ſuo aquas, & cælos palmo menſus eſt, & comprehendit tribus digitis pulverem terræ, & appendit montes in ſtatera, & colles in trutina?
13. Quis erudivit ſpiritum Jehovæ, aut conſilio eum inſtruxit, & eum docuit?
14. A quo petiit conſilium, ut eum moneret? & docuit eum ſemitam judicii, erudivit ſcientia, & viam prudentiæ oſtendit ei?
15. Et Gentes quaſi gutta ſitulæ, & quaſi pulviſculus trutinæ reputantur: en inſulas quaſi rem minimam tollit.
16. Nec Libanus ſufficeret ad incendium: nec beſtiæ ejus ad holocauſtum.

17. Omnes Gentes quaſi nihilum ſunt coram eo, & præ ipſo reputantur minus quam nihil, & quod non eſt.

18. Cui igitur ſimilem feciſtis Deum, aut quam ſimilitudinem ordinabitis ei?

19. Artifex parat ſculptile, aurifaber aurum aptat illi, & catenas argenteas (conflat) aurifaber.

20. Pauper oblationi eligit lignum quod non putreſcat: artificem peritum quærit ſibi qui ſculptile præparet, ne moveatur.

21. An neſcitis? an non audiſtis? an non vobis annunciatum eſt ab initio? an non edocti eſtis à fundamentis terræ?

22. Is ſedet ſuper gyrum terræ: cujus habitatores ſunt veluti locuſtæ: extendit cælum ut cortinam: expandit, inquam, quaſi tentorium, ut inhabitetur.

23. Redigit potentes in nihilum, gubernatores terræ quaſi non ſint.

24. Perinde ut non plantati, perinde ut non ſati, perinde acſi non radix in terra ſtirps eorum. Etiam dum ſufflat in eos areſcunt, & turbo quaſi ſtipulam aufert eos.

25. Et cui aſſimilabitis me, ut ſimilis ſim? dicit Sanctus.

26. Tollite in ſublime oculos veſtros, & aſpicite quis creavit ea producens ad numerum exercitum eorum, omnibus nominatim acclamabit: à magnitudine virium & robore fortitudinis nullum * deficiet.

* vel, deerit.

27. Quare dices Jacob, & loqueris Iſraël? Abſcondita eſt via mea à Jehova, & à Deo meo judicium meum tranſit.

28. An non ſciviſti? an non audiſti (quod) Deus ſeculi ſit Jehova, qui fines terræ creavit? Non laborat, nec laſſitudine fatigatur: & non eſt inveſtigatio intelligentiæ ejus.

29. Dat laſſo virtutem, & cui nihil eſt virium robur ſuppeditat.

30. Fatigantur adoleſcentes & laſſantur: juvenes cadendo cadunt.

31. At expectantes Jehovam, vires novas colligent: ſuſtollent alas ut aquilæ: current, nec fatigabuntur: ambulabunt, nec deficient.

C*onſolamini.*] Novum argumentum ingreditur Propheta. Nam relicto populo apud quem nec minæ, nec monitiones ullæ proficiebant, quod deplorata eſſet ejus nequitia, ad poſteros ſeſe convertit, ut populo cruce humiliato demum in extremis angoribus conſolationem defuturam non eſſe ſignificet. Ac veriſimile eſt prophetiam hanc ab ipſo ſcriptam eſſe quum inſtaret tempus migrationis, ne decedens ex vita Eccleſiam Dei ſine ſpe reſtitutionis graviſſimis malis obrutam relinqueret. Etſi autem antehac minis ac terroribus vaticinia in hunc finem permiſcuit, eorum tamen præcipue qui tunc vivebant videtur rationem habuiſſe. quicquid autem poſthac ſequetur, ad futuram Eccleſiam ſpectabit, cujus renaſcentia mortem ejus longe ſequuta eſt. Perpetuam enim doctrinam ſubjiciet, quæ ad unum tempus reſtringenda non eſt, ac præſertim quum tractat de exordio & progreſſu regni Chriſti. Atque eo majoris apud nos momenti eſſe debet hæc prophetia, quod recta nos compellat. nam etſi priorum anagoge fieri poteſt, ut & Judæis & nobis communis doctrina ſit: tamen quia derelictis illius temporis Judæis poſteros alloquitur, quotquot futuri ſunt uſque ad finem mundi, hæc magis peculiaris eſſe nobis videtur. Hac igitur exhortatione voluit Dominus piorum animos excitare, ne in gravibus ærumnis deficerent. Primum Judæos, qui in duram illam captivitatem abducendi paulo poſt erant, ubi & ſacrificiis & Prophetis carerent: atque omni conſolatione deſtituti eſſent, niſi Dominus his vaticiniis eorum miſeriæ ſubveniſſet. deinde pios omnes quotquot futuri erant, aut in poſterum extabunt, ut animum erigant, etiam quum ad extrema redacti eſſe ac periiſſe videbuntur. Ut autem hæc oratio plus efficaciæ haberet, magiſque animos percelleret, Deum inducit excitantem novos Prophetas, quibus mandat ut amica conſolatione populi dolores leniant. Summa eſt, ubi ad tempus viſus fuerit deſeruiſſe miſeros exules, rurſus ex tenebris emerſurum eſſe gratiæ teſtimonium: & ubi ceſſaverint lætæ prophetiæ, futurum eſſe rurſus illis ſuum tempus. atque ut lætitiæ materiam amplificet, utitur numero plurali: quo ſignificat ſe non unum aut alterum, ſed plures quaſi in turma miſſurum: id quod etiam re ipſa præſtitit. Unde magis relucet infinita ejus bonitas & clementia. Cæterum, in primis notandum eſt verbum futuri temporis, *dicet Jehova*, quod interpretes in præſenti, vel præterito reddentes, tam verba depravant quam ſenſum corrumpunt. Oblique enim medium tempus deſignat, quo graviter affligendus erat populus, quaſi Deo tacente. Etſi enim tunc quoque non deſtitit Deus per aliquos Prophetas ſpem facere ſalutis: quia tamen in longum tempus rejiciebat miſere afflictos & pene perditos, frigidior erat conſolatio donec libertas reditus quaſi digito monſtrata fuit. ideoque ad præſentem gratiam referri debet verbum *Conſolamini*, cujus repetitio non modo certitudinem vaticinii confirmat, ſed commendat efficaciam & fructum. quaſi diceret, in hac legatione fore uberem, plenam & continuam gaudendi cauſam. Omnino quidem retinendum eſt futurum verbi tempus: quia ſubeſt tacita antitheſis inter triſte illud ſilentium, de quo dixi, & doctrinam conſolationis quæ poſtea ſucceſſit. & cum hoc vaticinio conſentit Eccleſiæ querimonia Pſalmo 74. Signa noſtra non videmus: non eſt amplius Propheta, nec eſt inter nos qui ſciat quouſque. Videmus enim ut ſe optimo ſolatii genere orbatam eſſe deploret: quia nulla promiſſio leniendis malis in medium prodeat. perinde acſi diceret, Non patietur Dominus vos deſtitui Prophetis, qui vos in extremis demum anguſtiis conſolentur. Excitabit eo tempore viros quibus legationem diu à vobis optatam mandabit, ac tunc quoque oſtendet ſe curam habere veſtri. Hoc autem futurum, *dicet*, non tantum ad captivitatem Babylonicam refero, ſed ad totum liberationis tempus quod in ſe complectitur regnum Chriſti. Porro ad verbum, Dicet, ſupplendum eſt, Prophetis, quos ſcilicet in eam rem conſtituet. Fruſtra enim verba facerent, niſi Dominus ipſis diceret, atque etiam ori eorum insereret quod aliis nunciarent. Eſt igitur mutua relatio inter Deum & Prophetas. Denique pollicetur Dominus reliquam fore ſpem ſalutis, tametſi ingratitudo hominum perpetuum hujus vocis ſilentium extremumque exitium mereatur. Hæc autem ad exilium Babylonicum reſtringenda non eſſe dixi: quia patent latiſſime, & doctrinam Euangelii comprehendunt: in qua

Pſal. 74. verſ. 9.

præ-

præcipue eſt vis iſta conſolandi. Ejus enim eſt erigere afflictos & proſtratos: enectos & vere mortuos recreare: mœſtos levare triſtitia: denique læta & jucunda omnia afferre: unde etiam Euangelium nominatur. Nec vero tunc demum cœpit, quum Chriſtus apparuit mundo: ſed multo antea, ex quo ſcili-
Dan. 9:2. cet manifeſtus Dei favor illuxit, ac Daniel primo vexillum quodammodo erexit, ut ſe fideles ad reditum accingerent: poſtea Aggæus, Zacharias, Malachias, Nehemias, Eſras, & alii uſque ad Chriſti adventum, eoſdem ad melius ſperandum hortati
Mal. 4. verſ. 4. ſunt. Qui vero poſtremus omnium ſcripſit Malachias, quia paucos fore Prophetas intelligebat, ad Legem Moſis populum remittit, ut ex ea voluntatem Dei minaſque & promiſſa intelligant. Ex hoc autem loco quid maxime quærendum ſit in Prophetis colligimus, nempe ut propoſita gratiæ Dei dulcedine ad ſpem animent pias mentes, ne ſub malorum onere deficiant, ſed intrepide perſiſtant in Dei invocatione. Cæterum quia res difficilis erat creditu, fœderis memoriam proponit. acſi diceret, fieri non poſſe ut perpetuo obliviſcatur Deus quid olim A-
Gen. 17. verſ. 7. brahæ promiſerit. Quanquam ergo ſuis peccatis exciderant à gratia Judæi, ſe tamen pronunciat eorum eſſe Deum, & ipſos populum ſibi eſſe peculiarem, quorum utrumque ab electione pendebat: quia tamen in illa etiam gente multi erant reprobi, ſubindicat non niſi ad fideles proprie dirigi hunc ſermonem: quia incredulos continuo languore confici prorſus & abſum itacitus patitur. Atqui fidelibus ſuggeritur inæſtimabile ſolarium, quod etiamſi ad tempus mœrore & luctu premantur, quia tamen in Deo ſperant, qui pater eſt conſolationis, ſenſuri tamen ſint ſuo tempore repoſitas ſibi eſſe inſtar occulti theſauri gratiæ promiſſiones, quæ illorum animos exhilarent. Eſt etiam eximia commendatio muneris Prophetici, quod pios ſuſtentet in rebus adverſis, ne deficiant vel frangantur. contra admonet hic locus graviſſimam eſſe Dei vindictam ubi deſunt fidi doctores, ex quorum ore in Eccleſia Dei reſonet conſolatio, quæ proſtratos erigat & exanimes reficiat.

2. *Loquimini ad cor Jeruſalem.*] Præcipit hic Deus ſervis ſuis Prophetis, ac dictat quid eos afferre velit in medium, ubi ex luctu ad gaudium revocandi erunt fideles. neque tamen tam eos hortatur & animat, ut alacriter & ſtrenue incumbant in hoc munus, quam fidelibus certam ſpem ſuggerit, qua patienter devorent moræ tædium, donec appareant Prophetæ cum læto ſuavique hoc nuncio. Loqui ad cor, nihil aliud eſt quam ex voto vel animi ſententia: abhorret enim cor noſtrum, vel refugit ſi quid triſte nuncietur: cupide vero excipit quicquid arridet: imo quaſi obviam accurrit. Jam quum in ſpeciem repudiatus fuiſſet populus, nihil gratius afferri potuit, quam reconciliatio, quæ offenſas omnes deleret. Sub nomine vero Jeroſolymæ Eccleſiam ſynecdochice intelligi ſatis notum eſt. Et *clamandi* verbum ſignificat promiſſionem hujus gratiæ claram & apertam fore, ut perſonet in auribus omnium, atque intelligatur. Nam ſi Prophetæ ſuſurrarent duntaxat aut demurmurarent, ambigua eſſet fides hujus conſolationis vel infirma. Nunc quod libere promulgant & quaſi pleno ore, minus dubitationis habet. *Quod impleta ſit.* Hic eſt ille optabilis nuncius, quod Dominus finem afferre velit militiæ populi ſui. כי accipio expoſitive. צבאה nonnulli pro tempore ſimpliciter accipiunt. Sunt etiam qui putent notari viſitationis tempus, ſed perperam: quia Hebræis proprie ſignificat præfixum & deſtinatum legitimæ operæ aut labori tempus: hic autem procul dubio metaphora ducta eſt à miſſione militum: quia ſignificat moleſtiarum finem atque exitum adeſſe, Deum nolle perpetuo vexari ſuos, ſed ærumnis modum eſſe impoſitum. Tempus ergo exilii Babylonici juſtæ militiæ comparat; quo exacto velut emeriti milites domum reverſuri ſint, ubi otium & quietem colant. *Iniquitatem* vero remiſſam dicit, quod Deum tam propitium habeant, qui ſummo jure ipſos perſequi nolit. Itaque eſt cauſæ redditio. quemadmodum enim medici in curandis morbis primum cauſas tollunt, unde morbi naſcuntur: ſic Dominus nobiſcum agit: flagella, quibus nos caſtigat, ex peccatis noſtris manant. Ergo ut percutere deſinat, prius ipſum nobis ignoſcere oportet. Ideoque finem pœnarum fore dicit, quia iniquitatem amplius non imputet. Alii עונה, pro Miſeria accipiunt; eique finem afferri intelligunt. qui ſenſus probe etiam convenit, ac ſic eandem rem Propheta enunciabit duobus modis. Idem enim eſt Militiam finitam eſſe, & miſeriis ejus finem afferri. Tenendum tamen eſt illud principium, Deum ab exigendis pœnis ceſſare, ubi placatus eſt, ut venia & peccatorum remiſſio ſemper ordine præcedat tanquam cauſa. Quanquam judicio meo verbum נרצה priorem ſenſum flagitat: quaſi diceret ſic litatum eſſe Deo, ut peccata ignoſcens & condonans, paratus ſit redire cum populo ſuo in gratiam. *Duplicia.* Bifariam exponitur hic locus. aiunt enim nonnulli, Quum duplices pœnas meritus eſſet hic populus, duplici gratia ornatum eſſe: alii, ſatis pœnarum dediſſe, quia majores ſumere Deus nolit. Prior interpretatio etſi præclaram & utilem continet doctrinam: quia tamen textui non convenit relinquenda eſt. Et Prophetam nihil aliud velle conſtat quam Deum Eccleſiæ ſuæ miſeriis ſatis ſuperque eſſe contentum. Ergo qui hic in Hieronymum & alios hujus interpretationis auctores invecti ſunt, eos vellem moderatiores fuiſſe: nam omnino genuina eſt: non autem illa ſubtilior; quod Dominus duplicem gratiam pro peccatis rependat. Summa eſt, nolle Deum majores aut diuturniores pœnas de populo ſuo ſumere: quia pro paterna ſua indulgentia ſibi quodammodo diſpliceat in rigore. Atque hic Duplum, pro Largo & Abundanti accipitur. Nec vero exiſtimandum eſt pœnas majores aut æquales fuiſſe delictis. Execranda enim illorum blaſphemia eſt, qui Deum accuſant ſævitiæ, quaſi nimis atroces pœnas hominibus infligat. quæ enim ſat gravis pœna vel minimo peccato infligi poſſet? Hoc igitur ad miſericordiam Dei referendum eſt, qui plagis modum imponens teſtatur ſe plures aut majores ſumere nolle, quaſi prioribus fuerit abunde ſatisfactum, quum tamen multo gravioribus populus ille dignus eſſet. Patris enim perſonam ſuſtinet Deus qui filiis condoleſcens, non niſi invitus ad ſeveritatem trahitur, ideoque libenter ad dandam veniam animum reflectit.

3. *Vox clamans.*] Proſequitur argumentum quod exorſus erat, atque expreſſius declarat ſe miſſurum populo, quamvis in ſpeciem deſperato, miniſtros conſolationis. Simul prævenit objectionem quæ afferri poterat. Tu quidem promittis conſolationem, ſed ubi erunt Prophetæ? nam in deſerto futuri ſumus. unde perveniet ad nos hæc conſolatio? Teſtatur ergo deſertum impedimento non fore quo minus iſta conſolatione fruantur. Et *deſertum* metaphorice capitur pro vaſtitate illa quæ futura erat. non tamen nego quin ad iter intermedium alludat Propheta. Videbatur enim deſerti aſperitas reditum intercludere. Promittit ergo, tametſi obſtructæ eſſent viæ omnes, nec ulla rima pateret, Dominum ſibi ac ſuis exitum per invia facile patefacturum. Alii conjungunt particulam hanc, In deſerto, cum membro ſequenti, atque ita exponunt, Parate viam Jehovæ in deſerto. Sed videtur potius vocem inducere Propheta, quæ palatos & quaſi ab orbe habitabili expulſos colligat. Tametſi nihil præter horrendam ſolitudinem conſpiciatis, tamen hæc vox conſolationis ex Prophetarum ore audietur. Hæc enim ad duram illam ſervitutem referuntur, quam in Babylone ſubituri erant. Quos vero compellat

iſta

iſta vox? an fideles? minime: ſed Cyrum, Perſas, & Medos, qui captivum hunc populum tenebant. Hi quum alieni eſſent ab obſequio Dei, coguntur populum liberare. Jubentur ergo parare ac ſternere viam ut populus Dei in Judæam reducatur. acſi dictum eſſet, Ex inviis pervia facite. Hic commendatur vis & efficacia prophetiæ iſtius. Nam Deus ſervos ſuos poteſtate inſtruens, ut homines ſævos & rapinis deditos, & tunc Babylonis victores jubeant populo ſuo reditum conficere, ſignificat nihil fore obſtaculo, quo minus ſua promiſſio compleatur: quia velut conductitia omnium opera utetur. unde inſignis affertur conſolatio, quum videmus Deum profanorum hominum opera uti in ſalutem noſtram, ad eamque creaturas omnes, quum res poſtulat deſtinare. Quod autem via non Judæis, ſed ipſi Deo paranda eſſe dicitur, hic etiam teſtimonium ſingulare habemus amoris ipſius erga nos: quod in ſe tranſcribit quidquid in ſalutem electi populi ſpectabat. Non erat autem Domino ambulandum, nec via ulla indigebat: ſed nos ita ſibi conjunctos eſſe oſtendit, ut quod fit in noſtram gratiam, ſibi ipſi factum ducat. Quæ loquendi ratio frequenter alibi occurrit, ut quum di-
[Hab. 3. verſ. 13.] citur egreſſum eſſe Deum in prælium cum Chriſto ſuo: item equitaſſe per mediam Ægyptum: item ſublato vexillo per deſertum ſuos duxiſſe. Hic locus
[Mat. 3:3. Marc. 1. verſ. 3. Luc. 3:4. Joan. 1. verſ. 23.] citatur ab Euangeliſtis, & Joanni Baptiſtæ applicatur, quaſi de ipſo hæc prædicta ſint: nec immerito: fuit enim primarius inter nuncios & præcones noſtræ redemptionis, cujus illa è Babylone redemptio typus tantummodo fuit. Et ſane quo tempore emerſit triſtis & ſqualida Eccleſia, deformitas deſerto fuit ſimilor quam exilium Babylonicum. ſed voluit Deus apertam in deſerto, ubi docuit Joannes, figuram & effigiem extare miſeræ diſſipationis, qua totus Eccleſiæ decor inverſus & prope deletus erat. Vere ergo quod hic metaphorice dicitur à Propheta, tunc impletum fuit: quia Joannes in rebus maxime confuſis & perditis extulit lætitiæ ſignum. Verum quidem eſt, eandem vocem editam prius fuiſſe à Daniele, Zacharia, & reliquis: ſed quo propior inſtabat redemptio, efficacius de ea potuit diſſerere
[Joan. 1. verſ. 29.] Joannes: ſicuti etiam Chriſtum digito oſtendit. Cæterum quia in craſſo populo & fere ſtupefacto paucos tangebat ſerius diſſipationis ſuæ dolor, ſolitudinem quæſivit Joannes, ut ipſo loci intuitu parum attentos expergefaceret ad ſpem & deſiderium pro-
[Joan. 1. verſ. 31.] miſſæ liberationis. Quod vero ſe Prophetam eſſe negat, ex fine vocationis & doctrinæ ſumma pendet: quia miſſus non erat ut ſeorſum fungeretur continuo aliquo munere, ſed ut Chriſto magiſtro ac Domino audientiam tanquam apparitor faceret. Jam quod de impedimentis tollendis hic dicitur, non inſcite ad ſingulos transfert, nempe quia naturæ noſtræ pravitas, flexuoſi mentis anfractus, & cordis contumacia viam Domino præcludunt, ut vera ſui abnegatione ſe comparent ad præſtandum obſequium.

4. *Omnis vallis.*] Confirmat ac declarat proximam ſententiam. oſtendit enim nullas difficultates Domino obſtare poſſe quo minus liberet Eccleſiam ſuam ac reſtituat, quum ei viſum fuerit. Verba hæc per modum Imperativum commode reddi poſſent, ut uno contextu jubeat Deus per ſuos Prophetas viam ſibi aptari & æquari: ſed in re ipſa parum eſt diſcriminis. Sufficiat tenere Prophetæ conſilium, Quamvis multæ & arduæ difficultates ſeſe objiciant ad ſalutem Eccleſiæ arcendam, manum tamen Dei ſuperiorem fore & victricem. Simul notandum eſt, ſemper multa impedimenta occurrere, quoties ſaluti noſtræ conſulit Deus, vel afflictis vult ſuccurrere, quibus tamen magis illuſtratur ejus gloria. nos vero nihil jacturæ facimus. nam admirabilem ejus potentiam eo magis conſpicimus, quum nullæ hominum vires aut conatus aut machinationes obſiſtere poſſunt, quo minus ad metam ſuam pertingat. Per montes enim & prærupta loca ſic deducit ſuos, acſi plana omnino via eſſet. Nec vero dubium eſt quin *montium* & *collium* nomine Propheta cujuſvis generis obſtacula figurate intelligat. omnia enim molitur Satan, ut ſalutem noſtram impediat. Ergo ubi ad ſpiritualem redemptionem venitur, his verbis interiora ſimul atque exteriora impedimenta comprehendi certum eſt: cupiditates & pravos affectus, ambitionem, ſtultam confidentiam, impatientiam, quibus mirum in modum retardamur, ſed ea omnia Dominus abrumpet. nam quum porrigit manum, nihil nos abducere aut avertere poteſt.

5. *Et revelabitur.*] Significat magnificum fore hoc redemptionis opus, ita ut palam Dominus ſe auctorem ejus eſſe oſtendat, majeſtatemque ſuam ac potentiam conſpicuam reddat. Eam quidem omnibus in locis ac rebus apertiſſime oſtendit: ſed potiſſimum in vindicanda ac liberanda Eccleſia id ſe promittit facturum: nec fruſtra, quia liberatio Eccleſiæ à ſuis exordiis uſque ad Chriſti adventum incredibilis quædam fuit orbis renovatio. Atque hæc valde opportuna fuit admonitio, quum virtus Dei quam olim exerere ſolitus fuerat, prope extincta foret, ut vix obſcuræ ſcintillæ micarent, ſicuti in Pſalmo [Pſal. 74. verſ. 9.] dicitur, Signa noſtra non videmus, &c. promitti novum & memorabile ſpecimen, ex quo ſentiant Deum ubi ad tempus diſſimulat, in promptu tamen habere varios auxiliandi modos. Miraculum deinde amplificat alia circumſtantia, quia non in Judæa modo, ſed in exteris & longinquis regionibus celebre erit. nam his verbis, *Videbit omnis caro*, ſignificat nullas fore gentes, quibus non liqueat populi reditum cæleſte eſſe opus, nec Deum fruſtra per Prophetam loquutum eſſe. atque in eo perſtringit hominum incredulitatem, qui nunquam acquieſcunt promiſſionibus Dei, atque pro fabulis habent quidquid dicitur à Prophetis, donec rem ipſam intuiti cogantur cedere. Simul hic docemur quæ ſit vera ratio corrigendæ noſtræ incredulitatis: nempe, ſi nos exerceamus in Dei promiſſionibus meditandis, & quæcunque earum documenta exhibet, fidem noſtram confirment. Sic enim doctrinam ipſam cum experientia conjungere decet. Nam quia frigeret apud nos ſpectaculum operum Dei, prælucet Verbi ſui face: deinde ipſo effectu veritatem obſignat.

6. *Vox dixit, Clama.*] Hic aliam vocem deſignat ab ea de qua prius loquutus eſt. Hactenus enim de Prophetarum voce agebat, nunc vocem Dei ipſius intelligit Prophetas clamare jubentis. Tametſi vero Prophetarum vox ſit etiam Dei, cujus organa ſunt, [2 Petr. 1. v. 20, 21.] (nec enim ex ſeipſis loquuntur) tamen hæc diſtinctio neceſſaria eſt, ut intelligamus quando jubeat Dominus, quando Prophetæ & miniſtri juſſa ipſius exequantur. Et concinna eſt inter duas voces comparatio, ut diſcamus non minus reverenter excipere quod afferunt Prophetæ, quam ſi tonaret Deus ipſe è cælo: quia non loquuntur niſi ex ejus ore, & quaſi intermedii recitant quod ſuggeſſit. Porro hæc præfatio de re maxime ſeria Prophetam acturum eſſe admonet: quia etſi ubique teſtatur ſe fideliter de manu in manum tradere quod à Deo accepit: hic tamen quo plus ſibi attentionis conciliet, narrat ſibi expreſſa Dei voce præſcriptam eſſe loquendi formulam. huc pertinet *clamandi* verbum, acſi diceret mandatum hoc clara & ſonora voce promulgandum eſſe, ut penitus afficiat. Jam addita interrogatio pondere non caret. Significat enim Propheta non temere ſe proſilire & jactare quod ſibi tumultuarie audire viſus ſit, ſed quod diſtincte certoque edoctus ſit, quum animo compoſito expectaſſet. Porro ex re ipſa colligere licet nihil hic eſſe ſupervacuum: quia duo præcipua cæleſtis doctrinæ capita breviter tradenda erant. Quamvis fumus ſit ac res nihili homo, totaque ejus præſtantia fallax & emarcida, optimam tamen eſſe cauſam gloriandi fidelibus, quia

extra

extra ſe ſalutem quærunt: & quamvis in terra peregrinantur, quia tamen ſe Deus illis per Verbum ſuum conjungit, cæleſti felicitate eſſe præditos. neceſſe enim eſt, ut noſtri exinanitio ad expetendam Dei gratiam nos adducat. Sciebat certe Propheta quid docere operæpretium eſſet: ſed hac interrogatione animos magis excitare voluit, ut oſtendat, neceſſario cogi ſe & alios omnes Dei ſervos ad proferendam hanc ſententiam: nec aliunde initium docendi fieri poſſe, etiamſi centies rogent, atque inquirant: ut certe nihil unquam proficient, ſi aliam rationem inire velint. Clamandi verbo non diſplicet tam libertatem quam perſpicuitatem intelligi, quia Prophetæ non debent obſcure ſuſurrare, ſed diſerta voce pronunciare quod ipſis mandatur: deinde libere & pleno ore proferre quidquid juſſi ſunt. Quiſquis igitur ad hoc munus vocatur, hæc perpetuo in memoriam revocet ac teneat, invicta ſcilicet libertate utendum adverſus omnis generis difficultates, quali & Prophetæ & Apoſtoli ſemper uſi ſunt. Væ
1 Cor. 9. verſ. 16. mihi, inquit Paulus, ſi non euangelizavero: neceſſitas enim mihi incumbit. *Omnis caro herba.* Primo notandum eſt, non tantum de humanæ vitæ fragilitate agi, ſed longius extendi ſermonem, ut quidquid excellentiæ ſibi ineſſe putant homines in nihi-
Pſal. 103. verſ. 15. lum redigatur. Comparat quidem David fœno hanc vitam, quod emarcida ſit & caduca: ſed contextus evincit Prophetam non modo loqui de externo homine, ſed comprehendere animi dotes, quibus maxime homines ſuperbiunt, ut eſt prudentia, magnanimitas, ſolertia, judicium, dexteritas in rebus agendis, quibus ſibi videntur præſtare ſupra reliqua animantia, idque melius exprimitur voce חסד, quam ſtatim ſubjungit. Vertunt quidam Gloriam, alii Beneficentiam: mihi magis placuit nomen Gratiæ, quo intelligo quidquid decus & favorem conciliat hominibus. Interea tamen paſſiva quoque ſignificatio locum habebit: quaſi diceret Propheta, Quidquid præclarum eſt & laude dignum in homini-
Pſal. 59. v. 11, 18. bus, meram eſſe Dei liberalitatem. Sic David Deum beneficentiæ ſuæ appellat, quem agnoſcit bonorum omnium auctorem, & cujus gratiæ fert acceptum quod tam abunde locupletatus ſit. Certum quidem eſt חסד vocari quidquid eſt in hominibus præſtantiſſimum naturaliter, idque vanitatis damnari à Propheta: quia ſubeſt tacita antitheſis inter communem generis humani naturam & gratiam regenerationis. Nonnulli interpretes ad Aſſyrios hoc referunt, acſi eorum potentiam, opes, induſtriam, conatus extenuans, imo pro nihilo ducens Propheta terrorem eximeret Judæis. Hunc igitur ſenſum eliciunt, Si vos exanimant hoſtium vires, memineritis carnem eſſe, quæ ſua infirmitate ſtatim concidit. Sed eorum error paulo poſt ex contextu refellitur, ubi Propheta diſerte ad Judæos ipſos accommodat. Diligenter vero tenendum eſt, totum hominem cum ſuis facultatibus flori conferri, in quibus tantopere ſibi placere ſolent. Nam de fragilitate humanæ vitæ ſatis vulgo perſuaſi ſunt omnes, de qua profani ſcriptores ampliſſime diſputarunt. Sed in evellenda fiducia quam homines ex falſa perſuaſione ſapientiæ concipiunt, multo plus eſt difficultatis: ſi quid enim aut ſcientiæ, aut induſtriæ habere ſe præter alios putent, merito ſe gloriari arbitrantur. At nihil tam excellens in homine eſſe oſtendit, quod non cito marceſcat, ac pereat. Videtur autem Propheta correctionem quandam veluti per ludibrium ſubjungere, *quaſi flos campi.* plus enim quiddam eſt flos, quam herba. Eſt igitur conceſſio, quod tametſi ſpeciem aliquam præ ſe ferunt homines, tanquam in agris flores, qui tamen refulget decor protinus interit atque evaneſcit, ut fruſtra hoc fallaci & inani ſplendore ſibi placeant vel applaudant.

7. *Exaruit herba.*] Poſſet hoc quidem de agrorum pulchritudine intelligi, quam venti unius impetus deformat, ſicut dicitur Pſalmo 103. nam ventum alibi vocari Dei ſpiritum ſcimus. Mihi tamen magis probatur ſimilitudinem aptari præſenti cauſæ: quia alioqui obſcurior fuiſſet ejus ratio. Exegetice ergo exprimit Propheta quorſum illud pertineat, homines cum ſua gloria nihil aliud eſſe quam herbam: nempe quia ſpiritus Dei repente uno flatu omnes abſumet. Sic autem reſolvi debet oratio, Utcunque vigeant homines præclaris dotibus ornati, ſimulac flaverit Dei ſpiritus, ſentient ſe nihil eſſe. Nam quod ſe inebriant mendaci confidentia, inde contingit, quia non prodeunt in Dei conſpectum: ſed quo ſibi libere adulentur, abdunt ſe in latebras. Ergo ut fatua erroris dulcedine fallere ſe deſinant, eos ad Dei præſentiam trahit Propheta: & concedit florere quidem in ſpeciem, quum ſe à Deo ſubduxerunt: verum ſimulatque Dominus flatum emiſerit, interire omnem illum vigorem & florem putreſcere. At videtur officium adſcribere ſpiritui Dei, quod ab ipſo longe alienum eſt: ejus enim vis eſt renovare faciem terræ. Si vero Dominus ſpiritum ſubtrahat, omnia in nihilum rediguntur. hic longe diverſa prædicat Jeſaias, ac pugnare videtur cum Davide. Sed *Pſal. 104. verſ. 30.*
abſurdum non eſt virtute Spiritus omnia reparari; atque rurſus eadem in nihilum redigi quæ prius aliquid eſſe videbantur. nihil enim ſumus niſi in Deo. in eo autem ut incipiamus aliquid eſſe, ante convinci oportet noſtræ vanitatis, ut ejus probe conſcii ſimus. Propterea Dominus efflat in nos, ut nos ex nobis ipſis nihil eſſe intelligamus. Jam vero ut ſcirent omnes Prophetam non loqui de alienigenis, ſed de populo ipſo qui Dei nomine gloriabatur, ſubjunxit populum fœnum eſſe. exiſtimaſſent enim Judæi ſe antecellere & dignitate aliis præſtare, ideoque à communi aliorum ſorte eximendos. eos igitur proprie ac nominatim compellat, ne quid ſibi præ aliis arrogent. quaſi diceret prudenter eos facere, ſi inopiam ſuam reputando omnem ſui fiduciam abjiciant. In ſumma, quum Propheta conſolationis mentionem feciſſet, oſtendit quomodo ſint homines ad eam præparandi: nec enim ejus capaces eſſe, niſi prius in nihilum rediganmr. Emolliri ergo duritiem noſtram, dejici altitudinem & proſterni, pudefieri jactantiam, domari animos noſtros atque humiliari neceſſe eſt, ſi cum aliquo fructu conſolationes percipere velimus, quæ nobis à Prophetis Dei juſſu afferuntur.

8. *Areſcit herba.*] Repetitio hæc iterum ad exinaniendam carnis gloriam ſubjicitur: ſimul tamen conſolationem optimam in ſe continet, Deum ſcilicet ubi ſuos dejecit, ſtatim ipſos erigere ac reficere. Talis igitur eſt contextus: Fœnum quidem marceſcit atque interit, ſed verbum Domini in æternum manet. Hæc ſola conſolatio nobis reliqua eſt, poſtquam intelleximus quam inanes & vacui ſimus bonorum omnium, quam fluxa & caduca ſit carnis noſtræ gloria, ut verbo Domini, quaſi porrecta manu, erigamur. Fragiles nos eſſe & caducos, ſed ſtabilem atque æternum eſſe ſermonem Domini. denique vitam quæ in nobis deficit, aliunde offerri. Hic tota Evangelii ſumma comprehenditur paucis: conſtat enim agnitione noſtræ miſeriæ, inopiæ, ac vanitatis, ut vere humiliati confugiamus ad Deum, à quo ſolo in integrum reſtitui nos oportet. Ne ergo exanimentur homines aut frangantur, qui nuditatem ſuam & vanitatem norint, quia æternum Dei verbum iis proponitur, quo abunde fulciri ac ſuſtentari poſſunt. Docemur præterea non aliunde petendam eſſe conſolationem quam ab æternitate, quæ non alibi quam in Deo quærenda eſt, quando nihil reperietur in terra firmum aut ſtabile. nihil enim magis inſipidum quam acquieſcere in ſtatu præſenti, quem evanidum cernimus. fallitur autem quiſquis ſolidam felicitatem ſe adipiſci poſſe ſperat, donec ad Deum conſcenderit: quem ideo Scriptura æternum vocat, ut

ſciamus

ſciamus vitam ab eo nobis fluere: ſicuti hac lege nos ſibi filios adoptat, ut faciat ſuæ immortalitatis conſortes. Sed parum id prodeſſet, niſi ratio ejus quærendi nobis oſtenderetur. proponitur ergo Verbum, à quo nullo modo deflectendum eſt: nam ſi vel minimum aberremus, miris labyrinthis implicabimur, nec ullam extricandi noſtri rationem inveniemus. Æternum autem dicitur Verbum, non in ſe tantum, ſed in nobis ipſis: quod præcipue notandum eſt, quoniam nulla alioqui ad nos conſolatio redire poſ-
1 Petr. 1. v. 23,25. ſet. Atque ſic Petrus, optimus hujus loci interpres, eum nobis accommodat, quum nos hoc ſemine incorruptibili regenerari dicit: hoc, inquam, Verbo quod prædicatur. unde colligimus quod nuper dixi, vitam mortuis paratam eſſe, qui ad canalem ſibi propoſitum ſitibundi accedent: quia virtus in Deo abſcondita per Verbum nobis manifeſtatur.

9. *Aſcende in montem.*] Pergit in eodem argumento. nam quum prius Prophetas ſe daturum promiſerit Dominus, qui populi triſtitiam & metum promiſſionibus levarent: nunc jubet eandem conſolationem latius ſpargi: quia per totam Judæam velit gratiam ſuam diffundere. Prius Jeroſolymæ & Sioni ſpem dederat fauſtæ hujus legationis: nunc eandem vocem per alias urbes ſpargi & reſonare jubet. atque hoc conſilio clamorem attolli, & ex edito loco publicari præcipit. Quanquam autem Sionis & Jeroſolymæ nomine idem intelligit, emphatica tamen eſt repetitio: quoniam admonet non alia de cauſa præcellere urbem unam aliis omnibus, niſi quia illic Deus Sanctuarium ſibi delegit. Annunciatricem porro vocat, quia illic ex Legis præſcripto erudiebantur Sacerdotes & Levitæ, qui toti populo magiſtri forent, ſuaque opera propagarent ſalutis doctrinam. Interea notandum diligenter hoc elogium eſt, quo Eccleſiam ſuam inſignit Deus, ne certa diſcretionis nota careat. neque enim cenſeri Eccleſia meretur, ubi non perſonat cæleſtis doctrinæ
1 Tim. 3. verſ. 15. prædicatio. Quo ſenſu etiam vocatur à Paulo columna & firmamentum veritatis. Etſi enim Deus per ſe & abſque hominum miniſterio regere nos poſſet, has tamen Eccleſiæ ſuæ partes mandavit, & apud eam depoſuit inæſtimabilem Verbi ſui theſaurum.
infr. 54. verſ. 1. Galat. 4. verſ. 26. Qua etiam ratione alibi dicetur piorum omnium mater. unde ſequitur, nihil magis præpoſterum eſſe & abſurdum, quam à mutis idolis jactari Eccleſiæ nomen, ut in Papatu. Monemur etiam, non ideo cæleſtis doceri Eccleſiam, ut ſibi intus & occulte ſapiat, ſed ut promulget quod didicit. Adhæc liberam & intrepidam injungit gratiæ promulgationem, ne Prophetæ & Doctores quaſi de re ambigua timide verba faciant: ſed oſtendant conſtare ſibi plenam eorum certitudinem quæ promittunt, quia probe conſcii ſint Deum, qui mentiri non poteſt, ſibi eſſe auctorem. Jubet autem è Sione prodire gratiæ ſuæ teſtes, qui totam Judæam gaudio repleant. Ubi dicit, *Ecce Deus veſter*, complectitur hac loqutione ſummam noſtræ felicitatis, quæ in ſola præſentia Dei conſiſtit. Bonorum enim omnium cumulum ſecum affert. quod ſi abſit, nihil nobis miſerius aut infelicius eſſe poteſt. & quamvis affluant bona omnis generis, tamen ſi ab alienati ſimus à Deo, omnia nobis in exitium verti neceſſe eſt. Porro ex circumſtantia notandum eſt, nihil magis fidei eſſe contrarium, quam ad præſentem rei aſpectum exigere quæ Deus annunciat per Prophetas ſuos, quibus tunc obmuteſcere neceſſe fuiſſet, niſi ut ipſi mentes extulerant ſupra mundum, ita præditi invicta magnitudine & conſtantia auſi fuiſſent alios ſecum attollere, ut in rebus deſperatis bene ſperarent. Et ſane ubi prævalent impii, adeoque ipſa impietas, quo magis ubique trepidatur & quo miſerior videtur Eccleſia, eo magis extollere convenit gratiam Dei, ejuſque præſentiam demonſtrari fidelibus.

10. *Ecce Dominus Jehova.*] Brevem illam ſententiam pluribus exornat, quoniam opus habebat aliqua explicatione. Et demonſtrandi adverbium iterum uſurpat certitudinis cauſa, quo plus fiduciæ addat bonorum animis. Planius igitur oſtendit quantum nobis conferat præſentia Dei: ac primo quidem venturum ipſum dicit cum fortitudine, eaque minime otioſa, ſed cui effectus ita conjunctus eſt quem ſentiamus. לו vertunt, Ex ſeipſo: ſiquis ad verbum malit vertere, eſt Potens, vel regnans ſibi. Significat autem Deum ſibi ſufficere, nec cujuſquam auxilio indigere. Idem clarius repetit per vocem mercedis & operis. Nam Hebraico more rem unam bis *Hebr. 11.*
dici ſatis tritum eſt. Merces autem dicitur non meri- *verſ. 6.*
tis debita, ſed juſtitia Dei, qua ſe remuneratorem eſſe teſtatur omnibus qui vere & ex animo eum invocant. Atque hoc valere nomen שכר noverunt omnes linguæ Hebraicæ mediocriter periti. Summa eſt, Deum non venturum ut ſpectetur à nobis otioſus, ſed ut virtutem ſuam exerat: eamque ipſi experiamur: adeoque pro voce Operis non male quadraret Effectus. Multi ſubtilius exponunt, atque pueriliter philoſophantur in verbis Operis & Mercedis: acſi opus meritum eſſet, cui rependitur merces: quum Propheta nihil minus ſpectarit. Idem enim repetit, ut jam dictum eſt, atque fructum adventus Domini declarat, quem maximo ſuo bono percipient fideles.

11. *Sicuti paſtor.*] Hoc verſu declarat quale ſit illud Domini opus. Nam quum varie, imo innumeris modis operetur, poterat ſuſpenſus hærere auditor quidnam aggredi vellet Deus. ita generalis doctrina minus fuiſſet ad ſpem erigendam efficax. Etſi autem non enumerat ſingulas partes, breviter tamen admonet Deo fore propoſitum Eccleſiam ſuam fovere & tueri. Propterea eum comparat paſtori: quo nomine immenſum ejus erga nos amorem exprimit: quod ſe eo demittere non recuſet, ut paſtoris munere erga nos fungatur. Alibi & nuper etiam deſcri- *ſupr. 34.*
pſit terribili potentia inſtructum ad populi ſui defen- *v. 2. &c.*
ſionem, quod iterum mox repetit. hic perſonam magis amabilem tribuit, ut ſuaviter quieſcant fideles ſub ejus cuſtodia. Jam quamvis ſub gregis nomine deſignet electum populum, cujus regendi curam ſuſceperat, monemur tamen non aliis Deum fore paſtorem, niſi qui modeſtia & manſuetudine oves & agnos imitabuntur. propterea conditio gregis notanda eſt. nec enim vult paſcere feras indomitas, ſed agnos. Exuenda proinde eſt ferocia noſtra, ut nos cicurari patiamur, ſi velimus in ovile, cujus ſe cuſtodem fore promittit Deus, aggregari. *Portabit.* His verbis exprimitur ſingularis Dei indulgentia, quia non modo in totum gregem communi amoris affectu ducitur, ſed prout quæque ovis imbecilla fuerit, ſollicitudinem in ea curanda, & humanitatem in fovenda, & tolerantiam in ferenda declarat. In quo nihil omittit quod ad officium boni paſtoris pertineat. Singulæ enim oves paſtori inſpiciendæ, ut illis pro cujuſque captu conſulat: præſertim ſublevandæ ſunt, ſi debiles nimium fuerint. Summa eſt, Deum in ſuis gubernandis mitem, humanum, placidum, & miſericordem fore, ut imbecilles quoque minime urgeat ultra modulum ſuæ facultatis.

12. *Quis menſus eſt.*] Poſtquam de amica Dei ſollicitudine diſſeruit in populo ſuo tuendo, nunc ejuſdem potentiam prædicat, eamque quibus poteſt encomiis extollit, quæ tamen nos minus afficerent, niſi attenti eſſemus ad conſilium Prophetæ. Primo intuitu putarent imperiti congeri mutilas ſententias à Propheta, quod frigidum eſſet. Atqui ſi finem ſpectemus, tempeſtive Dei potentiam ſplendida oratione exornat, quæ vera eſt fidei noſtræ fultura, ne dubitemus facturum eſſe quod pollicitus eſt. Non *Rom. 4.*
abs re dicit Paulus Abraham minime hæſitaſſe, quia *verſ. 20.*

Deum

Deum qui promiſerat, ſtatuit potentem eſſe ad fidem verbis ſuis præſtandam. quo etiam ſenſu alibi de ſe teſtatur, Scio cui crediderim: potens eſt Deus ſervare depoſitum meum. Eodem tendit illud Chriſti, Pater qui vos mihi dedit, major omnibus eſt. Ergo quia nobis aſſidue cum diffidentia luctandum eſt, multiſque machinis nos impetit Satan, ut fidem apud nos obtineant Dei promiſſiones, potentiæ ejus laudem quam meretur tribuere operæpretium eſt. Jam quia incredibilis erat populi reſtitutio, pias mentes attolli ſupra mundum neceſſe fuit, ne Dei gratiam alligarent humanis mediis. Videmus ut non ſimpliciter doceat Propheta Deum eſſe cæli & terræ opificem: ſed quicquid recitat de immenſa ejus virtute ad præſentem cauſam accommodet, ſicuti ad uſum quoque noſtrum hodie pertinet. Quum nobis aliquid adverſi contingit, ſalus noſtra abſcondita eſt, ac veluti interpoſita nube, potentia Dei obſcuratur: hæremus attoniti, acſi à Domino deſtituti ac neglecti eſſemus. Ne quid igitur hic vulgare dici arbitremur: quia ſi bene inſideret animis noſtris hæc perſuaſio potentiæ Dei, nunquam ita agitaremur, neque nos adverſæ calamitates ullæ perturbarent. Huic potentiæ, ut dictum eſt, innixus fuit Abraham, quo ſecure poſſet amplecti quod alioqui incredibile erat. Ideo affirmat Paulus ipſum ſperaſſe præter ſpem. poſſe enim facere Deum ſibi perſuaſit quæ dixerat, nec fluctuatus, aut animo debilitatus eſt. Docemur ergo oculos attollere ſupra hunc mundum, ne ex ſpecie rerum judicemus, ſed futurum ſtatuamus quod à Deo dictum eſt: quod omnia in ejus arbitrio poſita ſint. Hæc perſuaſio quum neceſſaria ſit omnibus, tum vero Judæis ea maxime opus fuiſſe merito dixi. Urgebantur enim à potentiſſimis hoſtibus, præcluſi erant aditus, nulla ſpes libertatis erat: nihil undique apparebat præter vaſtam & horridam ſolitudinem. Quamobrem fruſtra ipſis allata fuiſſet conſolatio, niſi moniti à Propheta mentes in cælum extuliſſent, totumque animum ſuum, prætermiſſa rerum ſpecie, in potentiam Dei unice intendiſſent. Dum menſuras nominat, quibus homines in minimis rebus utuntur, accommodat ſeſe ruditati noſtræ. Sic enim nobiſcum Dominus balbutire ſolet, atque ſimilitudines mutuari à rebus quæ nobis uſitatæ ſunt, quum de majeſtate ſua loquitur: ut melius magnitudinem ejus & præſtantiam rudes & anguſtæ mentes percipiant. Faceſſant igitur omnes craſſæ de Deo imaginationes: quoniam magnitudine ſua abſorbet omnes creaturas, ut nihil præ ipſo ſint cælum, terra, mare, & quicquid in eis continetur, tametſi immenſa eorum magnitudo ſit.

2 Tim. 1. verſ. 12. Joan. 10. verſ. 29. Rom. 4. verſ. 18.

13. & 14. *Quis erudivit.*] Nunc de ſapientia Domini idem ſubjicit Propheta, quod de ejus bonitate & potentia docuerat. Ac notanda eſt connexio, quia ſicuti maligne Dei virtutem reſtringit carnis ſenſus ad terrena media, ſic perperam incomprehenſibile ejus conſilium humanis rationibus ſubjicit. donec emineat Deus ſupra omnes creaturas, multa ſeſe ingerunt quæ curſum operum ejus impediant. Ergo ſi ex noſtra opinione judicium facimus, obrepent protinus variæ dubitationes. Sic quoties non apparet quomodo hoc vel illud facturus ſit Deus an futurum ſit ambigimus, quia impoſſibile videtur quod rationem noſtram exuperat. Ergo ut noſtræ infirmitati potentiam Dei opponere convenit: ſic audaciam noſtram compeſcere debet incomparabilis ejus ſapientia. Quærens an quis aptaverit vel direxerit ſpiritum Dei, ſignificat non opus fuiſſe magiſtro qui præiret, vel de rebus incognitis eum moneret. *Spiritum* autem pro ratione, judicio, vel mente accipit. mutuatur enim ſimilitudinem ex hominum natura, quo magis ſe illis accommodet: nec mihi videtur hoc de Spiritu eſſentiali Dei intelligendum eſſe. Eandem vero rem pluribus modis enunciat Propheta: ut ſciamus nihil eſſe homine ſtultius, quum audet ſe in cælum evehere ut opera Dei ſuo ingenio ſcrutetur vel æſtimet. Hic igitur magis ac magis hominum audaciam & temeritatem comprimere voluit Jeſaias. Paulus in eundem finem hoc teſtimonium citat, ut ſcilicet ab inſcrutabili illo Dei conſilio arceamur. Deus enim de ſua ſapientia diſquiri non vult, niſi ſobrie, & quoad expedit. unum hoc diſcrimen eſt, quod Paulus ſpirituale Euangelii miniſterium humano ingenio comprehendi poſſe negat. Propheta autem in genere commendat Dei providentiam. In utroque tamen humiliari nos oportet, & ſenſus omnes noſtros ad obſequium captivos offerre. Quicquid enim habemus rationis aut luminis, meræ ſunt tenebræ, donec à Chriſto illuminemur.

Rom. 11. verſ. 34.

15. *En gentes.*] Si mentem Prophetæ cupimus aſſequi: & hæc cum fructu legere, tenendum eſt (quod nuper attigi) ejus conſilium. neque enim ex abrupto celebrat Dei magnitudinem: ſed eam pro circumſtantia præſentis cauſæ quantum poteſt extollit. ut ſciant Iſraëlitæ unum hunc clypeum ſufficere ad ſe protegendos, modo Deum habeant propitium, nullos mundi conatus, furores, impetus eſſe metuendos: atque ita diſcant ſe recipere in Dei tutelam: niſi enim penitus fuiſſet hoc illis perſuaſum, in ſingula momenta variæ oriebantur deſperationis cauſæ. Idem ergo proſequitur argumentum Jeſaias, nihili eſſe omnes gentes ac populos dicens, ſi cum Deo comparentur: quia ſolo flatu diſcutiet inſtar pulviſculi omnes terræ incolas. Nam ut nimium proclives ſumus & perperam ingenioſi ad captandos diffidentiæ prætextus: quicquid à Satana objicitur ſaluti noſtræ adverſum, fingimus viam Deo obſtruere. Hoc vitium ut corrigat Propheta, creaturas omnes nihili eſſe admonet coram Deo, omneſque populos paucis & exiguis aquæ guttis eſſe ſimiles. unde colligimus nihil magis eſſe præpoſterum, quam efferre creaturas ad minuendam potentiam Dei, quæ ſuprema omnium ut eſt, ita agnoſci debet.

16. *Libanus.*] Id eſt: ſi Deo ſacrificandum ſit pro dignitate, nec totus Libanus, nec feræ quæ illic paſcuntur ad ſacrificium ſufficient. Variis loquendi formis inculcat hanc Dei potentiam: ut de ea perſuaſi homines creaturas & omnem earum vim nihil morentur. Quanquam videtur conſulto Propheta de cultu Dei agere, quo lectores ad majorem ejus reverentiam adducat: quaſi diceret, Tu ſcil. Dei virtutem metiri audebis tuo ſenſu, ad quem rite colendum inſtructus non eris, etiamſi quicquid eſt in Libano animalium & lignorum coacerves? Hinc colligunt nonnulli neminem poſſe ſacrificiis Deum promereri. quod quidem verum eſt: ſed ſpectandum eſt conſilium Prophetæ, ſicuti jam dictum eſt, ut ad majorem fiduciam Judæos animet, omnia nihili præ Deo eſſe oſtendit.

17. *Omnes Gentes.*] Repetit quod dixerat, in manu & arbitrio Dei eſſe ſimulac viſum fuerit abolere cunctas Gentes: imo dum permanent in ſuo ſtatu, coram eo cenſeri quaſi nihilum. Sed abſurdum videtur quod Gentes nihil eſſe dicit: quoniam creatæ ſunt à Deo, ut aliquid eſſent. Reſpondeo, hoc dici per comparationem: quando ea eſt pravitas humani ingenii, ut obſcuret Dei majeſtatem, atque ea extollat quæ Deo cedere debuerant. Quum ergo ad certamen illud ventum eſt, ſecure pronunciare poſſumus, nihili eſſe quicquid cum Deo comparatur. Nec loquitur ſimpliciter Jeſaias de hominum natura, qualis à Deo condita eſt: ſed eorum ſuperbiam dejicere ac comprimere vult quum adverſus Deum ſeſe efferre audent. Scimus enim nos non poſſe niſi in Deo conſiſtere, in quo ſolo vivimus (ut ait ille) movemur & ſumus. Homine nihil vanius. ac ſi cum vanitate (ut inquit David) appendatur, ea etiam vanior futurus eſt. Eodem modo Jeſaias Gentes non tantum nihil, ſed minus quam nihil eſſe prædicat,

Actor. 17. verſ. 28. Pſal. 62. verſ. 10.

quo magis earum imbecillitatem & vanitatem demonſtret.

18. *Cui igitur ſimilem feciſtis Deum?*] Judæis ab alia quoque tentatione non leve periculum erat: quia credibile erat Aſſyrios & Chaldæos non abſque eorum ope tot victoriis potitos eſſe: hinc colligere promptum erat, Quid nobis prodeſt peculiari Dei cultu differre ab omnibus populis, quum propitio & favente cælo militent hoſtes noſtri, nihil auxilii nobis à Deo quem colimus affulgeat? Nec vero dubium eſt quin exulibus inſultaverint increduli, ſicuti patet ex aliis locis. ne ergo ob cladem acceptam concideret inter Judæos vera religio, exurgit Deus, ſibique gravem injuriam fieri proclamat, ſi rebus adverſis fracti fideles ad idola & Gentium ſuperſtitiones declinent. Ita eos confirmat in promiſſionum fide, ne pœnarum quas ſuſtinent inſultu labaſcant. nec vero alloquitur, ut prius monuimus, homines tantum ſuæ ætatis, ſed poſteros: quibus durius futurum erat certamen cum Gentium ludibriis, quarum futuri erant captivi: deinde etiam cum malis exemplis & conſuetudine. nam quum profanis Gentibus permixti quotidie cernerent multas pietatis corruptelas, difficilius fuit conſtanter perſtare. Ergo ne quid ſtultæ opinionis conciperent, quod falſorum deorum cultoribus proſpere cederent omnia: huic vitio Propheta occurrit, & admonet Deum quem ipſi & patres eorum coluerunt, non eſſe cum diis Gentium comparandum. Hi enim ab hominibus creati, auro aut argento, ligno aut lapide conſtabant, Deus autem omnia creavit. Injuriam ergo fieri Deo ſummam, non tantum ſi ejus majeſtas cum rebus nihili conferatur, ſed etiam niſi ſupra omnes Angelos, & quicquid cenſetur divi-
Act. 17. verſ. 29. num longe emineat. Quum Paulus utitur hoc teſtimonio adverſus idololatras, aut ſaltem verba Prophetæ recitat, non detorquet à genuino ſenſu. hinc quidem colligit præpoſterum eſſe ſi Deo imaginem aliquam affingamus. Propheta vero ſic à diffidentia revocat Judæos, ut ſimul ſuperſtitiones Gentium condemnet, atque alieniſſimum à Deo eſſe oſtendat aut pingi, aut effingi. Unde apparet Pauli doctrinam probe cum iſta convenire. Poſtquam enim Propheta Dei potentiam immenſam eſſe oſtendit, quum vel pugillo omnia comprehendat, infert tandem, *Cui ergo ergo me ſimilem facietis?* nam quæcunque effigies exprimatur, nihil mihi affine vel ſimile habitura eſt. Utilis doctrina & digna obſervatu. nam ſi vel unicus hic locus extaret, ſufficeret omnino ad refutanda figmenta, quibus ſe deludunt Papiſtæ, quum ſibi licere volunt externis figuris repræſentare Deum. Negat Propheta imaginem poſſe ex mortua materia confici, quæ Dei gloriæ conveniat. palam idola rejicit, necdum loquitur de ipſorum cultu, ſed quod ea fabricare & erigere per ſe coram Deo execrandum & deteſtabile ſit. Scriptura vero hujuſmodi teſtimoniis referta eſt. Moſes populum
Deut. 4. v. 12, 15. ad hoc vitium proclivem monebat, Effigiem nullam aut formam vidiſti in monte, vocem tantum audiiſti. vide ergo & attende ne deceptus ullam imaginem tibi fabrices. Ergo ad cognoſcendum Deum non debemus ipſum pro noſtra libidine effingere, ſed confugere ad Verbum, in quo viva ipſius imago nobis proponitur. Ea communicatione contenti, ne quid amplius ex nobiſipſis audeamus. aliæ enim viæ aut rationes, quemadmodum ſimulachra & imagines, nos ad vanitatem & mendacium, non
Jere. 10. verſ. 8. Habac. 2. verſ. 18. ad veritatem inſtituent, ſicut præclare docet Jeremias: Eruditio vanitatum, lignum. Et Habacuc, Mendacium eſt conflatile ejus. Quod autem Dominus interdum ſeſe leoni, urſo, homini, aut aliis rebus comparat, nihil ad imagines, ut Papiſtæ arbitrantur: ſed iis ſimilitudinibus aut humanitas Dei & clementia, aut ſeveritas & ira, & alia ejuſmodi exprimuntur. nec enim aliter Deus ſeſe nobis patefacere poteſt, niſi ex ſimilitudine rerum quas novimus. In ſumma, ſi Deo ſimulachrum erigere aut ſtatuere liceret, hoc commune haberet cum diis Gentium, nec ſtare poſſet hæc Prophetæ ſententia.

19. & 20. *Artifex.*] Quia magna vis eſt publici conſenſus, & quicquid multitudini placet pro lege ducitur: contra hunc errorem fideles munit Propheta. Eſt igitur occupatio in his verbis, ne Judæos terreat, quod Gentes certatim ſtudia ſua conferant idolis fingendis, quia hoc modo alii alios fallaciis illaqueant: interea in amentiam totius mundi invehitur, quod tanto fervore omnes ad ſuperſtitionem ferantur, & ſibi quiſque magiſter ſit in fingendis idolis. Concludit nullum genus hominum ab iſto crimine purum eſſe: divites ſimul & pauperes reos ac convictos teneri. Divites enim conflare deos ex auro vel argento: pauperes ex ligno ſelecto. unde oſtendit mira inſania abripi cunctos homines: qui, tametſi deſint ipſis facultates, tamen eximium aliquid habere expetunt pro deorum cultu. Volunt enim homines præſentem habere Deum: atque hoc initium & fons idololatriæ eſt: quia Deus per ſimulachrum nobis non adeſt, ſed per Verbum ſuum & Spiritus virtutem. Quamvis autem & gratiæ ſuæ & bonorum ſpiritualium imaginem nobis objiciat in Sacramentis, non alio tamen ſpectat, quam ut surſum ad ſe nos invitet. Interea cæcorum hominum ineptias Propheta perſtringit, quod in idolis concinne ornandis pluſquam induſtrii ſint & curioſi.

21. *An neſcitis?*] Poſtquam deriſit Gentium ſtuporem & inſaniam Propheta, ad Judæos ſeſe convertit. Ut enim omnes ad ſuperſtitionem proclives ſumus, ita facile labimur, quum nobis exemplum aliquod ob oculos poſitum eſt. Quum autem Judæi in exilio Babyloniis permixti eſſent, quotidie fœdiſſima idololatriæ exempla cernere coacti, poterant abripi ad impiam imitationem. Prævenit ergo in tempore Jeſaias, atque admonet ne talium rerum conſpectu moveantur. Rogat an non edocti ſint, atque didicerint quis ſit Deus? Putant plerique interpretes idem & unum hic repeti: liquere ſcilicet ex mundi fabrica nihil minus eſſe conſentaneum quam in ligno & lapide, auro & argento Deum quærere. Sed duo eſſe membra licebit colligere ex contextu. Si pergeret in objurgandis Gentibus, teſtes non alios produceret quam cælum & terram. Sed quia Judæos alloquitur qui familiariter ex Lege edocti erant, ad eos coarguendos teſtimonia diſtincte profert tam ex naturæ ordine, quam ex voce ipſa Dei: ac primum quidem generaliter quærit an ignorent? Duos poſtea modos ſubjicit, quibus verum Deum à falſis diſcernere oportuerat. prior eſt ex Verbi auditu. Ideoque diſerte exprimit, An non vobis annunciatum eſt? an non audiſtis? Poſterior eſt ex pulcherrimo hoc theatro, ubi ſurſum & deorſum refulget Dei gloria. Si ad exteros & profanos homines fuiſſet ſermo, contentus hac ſecunda demonſtratione fuiſſet: ſicuti etiam à Paulo factum vi- *Act. 14. verſ. 17.*
demus. Nam quia cum Lyſtrenſibus negotium erat, *& 17.*
ad quos nulla pervenerat notitia cæleſtis doctrinæ, *verſ. 24.*
naturalibus tantum argumentis utitur: quia Deus dans pluvias & tempus ſerenum, ſe *ἀμάρτυρον* minime reliquerit. Propheta autem apud Judæos de vera pietate diſſerens, Legem omittere minime debuit, quæ bis inexcuſabiles reddebat ſi ea poſthabita cum incredulis ſe profanarent. neque enim ſolum oculorum intuitu convicti erant, ſed aurium quoque ſenſu, quas Deus aſſidue verberabat Legis ſuæ prædicatione. Quia igitur ab uberibus matrum ſimul cum lacte imbiberant veram notitiam Dei, & longa temporum ſerie à patribus edocti erant, merito exprobrat Propheta nimis ingratos & perverſos fore, ſi profectu apud eos careat tale adjumentum. Nam quod dicit *à principio*, vel jampridem, huc pertinet, non modo à pueritia educatos fuiſſe in puro Dei cul-

tu, ſed per continuas ætates viguiſſe in Gente illa doctrinam quæ eos non ſineret errare ſi modo eſſent attenti: perinde acſi diceret, non habetis novitium aliquem Deum, ſed eum ipſum qui ſe Abrahæ, Moſi, cæteriſque patribus ab initio patefecit. Et certe non parva hinc confirmatio accedit, quod vetuſtas doctrinæ nobis conſtat, quæ per tot ſecula inter fideles continuata eſt. non quod ſola ad fidei certitudinem ſufficiat antiquitas (quia ex oppoſito Gentibus promptum fuiſſet objicere non minus vetuſtas ſuas eſſe ſuperſtitiones) ſed quum ab initio abunde ſancita fuiſſet Legis auctoritas, & teſtatus fuiſſet Deus à ſe eſſe profectam, acceſſit ex longo uſu non parva confirmatio, quum ſcirent poſteri traditam ſibi fuiſſe à majoribus religionis formam, quæ abjici non poterat ſine turpi defectionis nota. Tali igitur exordio & progreſſu dubitatio omnis facile tollitur. Una vero & eadem nobis hodie fides cum Patribus, quum eundem nobiſcum Deum, Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti agnoverint. Idem enim ſermo, eadem promiſſa, idem finis, piis omnibus propoſita ſunt. Quod dicit, ***Ex fundamentis terræ***, ſynecdochica eſt loquutio. pars enim mundi pro toto accipitur. Deus autem hunc mundum veluti ſpeculum propoſuit hominibus, ut ex ejus aſpectu majeſtatem ipſius agnoſcerent: ut ſit viva imago rerum invisibilium, ſicuti fuſius differit Paulus 1. ad Rom. cap. [*Rom. 1. verſ. 20.*] Excuſatione igitur caret eorum ignorantia: nec enim ſibi incognitum fuiſſe Deum cauſari poſſunt, qui ſe tot modis patefecit. Et certe magis arrogantia & faſtu quam ignorantia peccant homines. Deſpiciunt enim Deum ſeſe palam offerentem ac plane loquentem, in creaturis rebuſque vaniſſimis occupantur. An vero talis contemptus excuſationem meretur? an non digni ſunt qui excæcentur, atque Dei loco figmenta ſua adorent: ſicuti fere omnibus videmus accidiſſe? Juſta profecto & digna tanto faſtu hæc pœna eſt. Quod ſi huic notioni, qua per creaturas imbuimur, accedat etiam doctrina Verbi, multo minus excuſandi ſumus. Utrumque igitur conjunxit Jeſaias, ut bis damnandos eſſe Judæos oſtenderet, niſi de potentia Dei & bonitate edocti conſiderent.

22. *Is ſedet.*] Perſequitur idem argumentum, quamvis ratione diſſimili, magnificentiam Dei atque potentiam extollens. Quorſum id faciat prius attigimus. quia ſcilicet adeo propenſi ad diffidentiam ſumus, ut occaſione vel minima vacillemus: ideo pluribus inculcare cogitur Propheta, ut infirmos ac labaſcentes animos in fiducia Dei contineat. Ante quidem de mundi creatione loquutus eſt: nunc vero ad perpetuam gubernationem deſcendit: quia non uno tantum momento manum ſuam exeruit Deus ad creandum mundum, ſed in eo conſervando non minus efficaciter eam profert. Atque hoc notatu dignum eſt: quia frigida ſpeculatio eſſet, Deum ſentire mundi auctorem, niſi ad tuendum ejus ſtatum ſemper extenta eſſet ejus manus. Hoc intelligit Propheta Sedendi verbo, terram non manere ſuo loco ſtabilem & fixam, niſi quatenus ſuſtinetur Dei virtute. nam ſeſſio metaphorice tantundem valet atque imperium. Terræ vero incolas locuſtis comparans, admonet Deum minime includi his anguſtiis, quia ne cæli quidem ipſum comprehendunt: [*1 Reg. 8. verſ. 27.*] ut diſcamus, quoties fit Dei mentio, nihil de incomprehenſibili ejus gloria terreſtre vel humanum concipere. Cæterum, docet hæc ſimilitudo quam ridicula ſit hominum cæcitas dum nihil non ſibi arrogant: quia tantundem proficiunt ſuis jactantiis, acſi minutæ quædam beſtiolæ, quales ſunt locuſtæ, ſaltando ſe efferrent. Atqui mox neceſſe eſt eas in terram recidere. *Expandit* quaſi tentorium. Eadem forma loquendi utitur etiam David: [*Pſal. 104. verſ. 2.*] agit autem uterque de cælorum aſpectu & expanſione reſpectu noſtri. nec enim intelligunt Deum expandere cælos, ut in iis habitet, ſed ut nobis potius detur ſub iis habitandi locus. ut enim ſuſtinemur terra, ita cælis contegimur, quo ſartam & tectam undiquaque manſionem habeamus. Verum hæ ſimilitudines multum extenuare videntur dignitatem rei de qua Propheta concionatur: quum tamen ipſam pro viribus extollere atque illuſtrare velit. Quid enim cortina? quid tentorium? Reſpondeo, has ſimilitudines valere nihilominus ad amplificationem rei. Perinde enim eſt acſi diceret, Tam facile à Deo extendi cælum, quam ab homine cortinam. Et unicuique conſiderandum relinquit, quantum differant cæli à cortina, & quanta ſit eorum magnitudo. nemo enim eſt cui hoc ſatis perſpicuum non ſit. Denique ſubeſt antitheſis inter tabernacula, quæ laborioſe magnis impenſis & longo tempore extruunt homines, quæ tamen vix ad centum pedes aſſurgunt: & immenſam cælorum altitudinem ſolo Dei nutu diſpoſitam, quæ ſatis clare demonſtrat qualis & quantus ſit artifex.

23. *Redigit potentes.*] Pergit in celebranda Dei providentia, qua totus quidem orbis, ſed humanum genus ſpecialiter regitur. Nuper attingere cœpit, Deum non ita mundum condidiſſe ut poſtea fortuito regi ſineret, ſed curam gerere ejus ſervandi, juſque & dominationem retinere. Sed quia humanum genus propius reſpicere dignatur, ideo hanc partem deligit Propheta, in qua ejus providentiam commendet. Summa quidem eſt, quaqua verſum patere ejus imperium, ut omnia ſuo arbitrio moderetur & gubernet: ſed quod maxime erat utile cognitu, in ipſa hominum vita præſentiſſimæ Dei virtutis illuſtres notas docet conſpici: imo generali doctrina non contentus ſpeciem in medium proponit, qua magis expergefieri nos decet. quicquid vulgo ignobili accidit, quaſi minus ſpectatu dignum vileſcit ac præterit. Regna autem, & monarchias, vel homines ſumma dignitate præditos è ſublimi decidere, quædam videtur eſſe terræ concuſſio: ſcite Propheta talibus documentis nos excitat. Principes certe & Magiſtratus à communi ſorte exempti, nec communibus hominum miſeriis obnoxii eſſe videntur. ſplendore enim ſuo omnium oculos & mentes perſtringunt: ipſi vero prorſus hebetantur. Ideo potiſſimum illos nominat Propheta, atque in nihilum à Domino redigi pronunciat. Quod ſi adverſus magnates & Principes tantum poteſt Dei manus, quid de vulgo cenſendum eſt? an non etiam pro arbitrio ſuo promiſcua multitudine utetur, & quovis impellet? an non ei vires & animi robur, ſicuti viſum erit, aut dabit aut adimet?

24. *Perinde ut non plantati.*] Tametſi particula אף ſignificet Etiam: tamen huic loco magis convenit quod reddidi Adeo ut. Itaque ſimplex erit ſenſus, Adeo ut dicas planeatos non fuiſſe, nec ſeminatos. Amplificatio autem eſt ejus quod prius dixerat. Funditus enim deleri Principes atque evelli oſtendit, ut ne veſtigium quidem ipſorum reliquum ſit, acſi nunquam extitiſſent. quamdiu ſtatum ſuum retinent, ſic firmi videntur, ut nullo adverſo caſu dejici poſſint. at ejuſmodi converſiones accidunt quæ deleant nomen ipſum & memoriam, ut dicas nunquam extitiſſe: idque non tantum hominibus, ſed etiam florentiſſimis regnis accidiſſe videmus. Quum igitur graves ruinæ totidem ſint formidabilis potentiæ Dei ſigna, diſcamus non inniti fallacibus terræ fulturis, ſed utcunque ſuppetant copiæ aut vires, ab ipſo pendeamus. neque enim, ut blaterant profani homines, mundum inſtar pilæ verſat Deus, quaſi eum delectet hic ludus: ſed ut quiſque in ſublime evectus eſt, ſe inſolenter jactando finem non facit, donec ſe præcipitet, ut ſemper appareant ejus judicia. unde etiam monemur perperam adſcribi Fortunæ vel aliis cauſis varios rerum eventus. Nec enim Deus momentaneus creator fuit, qui curam operis ſui ſtatim abjiceret: ſed aſſidue

manum admotam habet, ne quid niſi ejus arbitrio & voluntate agatur. Quum igitur variæ in mundo accidunt mutationes, quum fluxa & caduca eſſe videmus quæ firma & fixa eſſe putabantur, mentes noſtras ad ſummam illam Dei providentiam convertamus. *Atque etiam flavit.* Hinc oſtendit quam levia ſint & inania coram Deo quæ oculos noſtros perſtringere, noſque attonitos reddere ſolent. nec enim cogitare poſſumus de magno aliquo Rege, quin perturbemur toto animo ac ſtupeamus. Atqui oſtendit Reges ac Principes inſtar ſtipulæ eſſe coram Deo, à cujus flatu velut turbine quocunque volet momento expelluntur. Docemur ergo nunquam obſtupeſcendum eſſe ad creaturæ ullius conſpectum, quin Deo honorem ſuum & gloriam tribuamus. quod diligenter à Judæis conſiderandum fuit, qui monarchiam illam Chaldæorum, à quibus captivi tenebantur, nunquam deleri, nec ſe ex eorum manibus eripi poſſe exiſtimaſſent, niſi veniſſet in mentem hæc doctrina, nihil tam in mundo firmum eſſe quod non ad Dei flatum liqueſcat. Ergo ne deſperent de ſalute ſua admonet Propheta Deum, ſimulac fulminare voluerit è cælo, fracturum quicquid roboris in hoſtibus eos terret, ut evaneſcat.

25. *Et cui.*] Repetit ſuperiorem illam ſenten- *verſ. 18.*
tiam, qua dixit Dominum non paſſurum ſe ſimilem fieri idolis: ne Judæi minus tribuerent ejus potentiæ, quod tam diu captivi eſſent ſub infidelium manu: aut idola aliquid poſſe exiſtimarent, quod florerent eorum cultores, quibus ſervire ipſi cogebantur. Nam in hunc modum de veri Dei & idolorum potentia diſputando, comparaſſent ipſum cum idolis. Ideo repetit quaſi per indignationem, Cui me ſimilem facitis? acſi diceret, An veſtris comparationibus mihi majeſtatem meam adimetis? Nam etſi homines varia cogitent de Deo, eumque pro ſua libidine transforment, ipſe tamen ſimilis ſui manet. naturam enim propter hominum figmenta non immutat. Et appoſite nomen *Sancti* pro Deo uſurpat: quo titulo oblique coarguit vel inſimulat Judæos fœdæ ingratitudinis, niſi ut ab eo ſegregati ſunt, ita viciſſim eum ſanctificent. Nihil enim ſanctitatis reperietur in diis Gentium, mera ſunt hominum figmenta. Atrox igitur fit Deo injuria, & indigne cogitur in ordinem, ubi committuntur idola cum eo in certamen, ac diſputatur pluſne poſſint quam Deus ipſe.

26. *Tollite in ſublime oculos.*] Videtur hic Propheta nimium immorari in hac re, quæ præſertim nihil habet obſcuritatis. pluribus enim ſententiis inculcat quod fatentur omnes, mirabilem Dei potentiam & ſapientiam ex præclaro mundi ordine cognoſci. Sed notandum eſt quod prius dixi, nos tam malignos, tamque ingratos divinæ potentiæ æſtimatores eſſe, ut ſæpe Deum homuncione aliquo minorem fingamus. Plus enim terremur ſæpe inani unius hominis larva, quam omnibus Dei promiſſionibus confirmemur. Non fruſtra igitur repetit Propheta fraudari Deum ſuo honore, niſi nos ejus virtus in ſui admirationem rapiat. Nec in re ſupervacanea operam conſumit. adeo enim tardi atque hebetes ſumus, ut ſubinde nos excitari atque ſtimulari oporteat. Homines quotidie cælum & ſidera cernunt: ſed quotuſquiſque cogitat de eorum auctore? Sic homines natura formati ſunt ut eos ad cælorum contemplationem, ex qua auctorem agnoſcant, natos eſſe appareat. Nam quum reliqua animantia Deus abjecerit ad paſtum, ſolum hominem erexit, atque ad ſui quaſi domicilii conſpectum excitavit. Quod etiam præclare à Poëta deſcriptum eſt:

Pronaque quum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Oſtendit ergo Propheta hominum malignitatem, qui non agnoſcunt de Deo quod palam ipſorum oculis objicitur, ſed pecudum inſtar roſtrum in terram defigunt: quia fieri non poteſt quoties ſurſum oculos tollimus cum aliqua attentione, quin ſenſus noſtros feriat Dei majeſtas. Et Stellas nominans, clarius exprimit mirificum ordinem, qui refulget in cælorum aſpectu, clare dictare unum eſſe Deum & creatorem mundi: idque fateri cogentur quicunque in tanta copia & varietate ſiderum tam diſtinctum ordinem & curſum tam bene moderatum notabunt. nec enim fortuito ſtellæ ſingulæ ſuam ſedem occuparunt, nec temere in tanta celeritate æquabiles tenent progreſſus: atque etiam in diverſis erroribus ad rectam lineam incedunt, ut ne minimo quidem puncto deflectant à via divinitus ſibi præſcripta. Itaque mirabilis earum diſpoſitio Deum auctorem atque opificem oſtendit, ut oculos aperire nequeant homines, quin Dei majeſtatem in ejus operibus intueri cogantur. *Producens ad numerum exercitum eorum.* Militiæ nomine duo comprehendit: nempe numerum prope infinitum: deinde admirabilem diſpoſitionem. nec enim pauci homines exercitum conficiunt, ac ne mediocris quidem numerus, niſi adſint multiplices copiæ. Deinde non dicitur exercitus, quum homines temere ac ſine delectu inter ſe conglomerati miſcentur aut vagantur diſperſi, ſed ubi decurionum, centurionum, millenariorum, aliorumque ducum ordines conſtituti, ubi certo judicio ordinatæ acies ac diſpoſitæ: ita mirifici ſtellarum ordines & certi curſus merito exercitus dici poſſunt. Per vocem Numeri ſignificat Deum ſemper ad manum habere hunc Exercitum. Milites in exercitu vagari poſſunt, nec ſtatim imperator, etiamſi tuba clangat, eos colliget, atque in ordinem rediget: ſed alia ratio in Deo eſt. Semper in promptu habet exercitum ſuum: idque in numerum, hoc eſt, in numerato habet, ita ut nihil deſit. *Omnibus acclamabit.*
Pſalmo 147. idem habetur, eodemque ſenſu. Qui- *Pſal. 147.*
dam exponunt Deum ſtellarum numerum tenere, qui *verſ. 4.*
nobis eſt incognitus. verum aliud ſibi David & Jeſaias voluerunt, Deum ſcilicet ſideribus uti pro arbitrio ſuo: acſi quis ſervo ſuo imperaret nominatim
ipſum ad ſe vocans: ut poſtea idem quoque de Cyro *cap. 45.*
dicetur, cujus opera & miniſterio in liberando populo ſuo Dominus uſus eſt. Denique notatur ſumma docilitas & obſequium, ubi qui vocatur ſtatim ad nomen reſpondet. *A magnitudine.* Qui ſuperiore loco exponunt Dominum ſtellarum numerum tenere, in hoc etiam errant, quod putant ſic nomina iis indidiſſe, ut vim atque officium ipſarum exprimeret. Alii exponunt nullam ſtellam vi & efficacia ſua deſtitui, quod Dominus eam ipſis indiderit, quæ perpetua foret. alii vero conjungunt hæc cum verbo יקרא. acſi diceret, Adeo potens eſt Dominus, ut ſtellæ omnes ipſius juſſa exaudiant. Atque hic ſenſus aptior mihi videtur: nempe, Deum ita potentem eſſe, ut ſimulatque aliquid mandavit, omnes ſiderum exercitus praſto ſint ad obſequium. In quo non vulgare potentiæ ipſius documentum habemus: quum nobiliſſimæ creaturæ illæ ſine controverſia ſeſe illi ſubjiciunt, & juſſa ejus capeſſendo teſtantur ſe auctorem ſuum agnoſcere. Nomen איש, non tantum viris & mulieribus, ſed aliis quoque animantibus, atque etiam inanimatis ab Hebræis accommodatur: quemadmodum prius cap. 36. quum de avibus loquens, quæ magnificas illas domos occupaturæ erant, nullam defore diceret, hac dictione איש uſus eſt. Hic nobis commendatur potentia Dei, ut ſciamus nihil aut in cælo aut in terra eſſe quod ab ejus nutu & arbitrio non pendeat. Nihil ergo magis perverſum aut præpoſterum, quam ſi cum idolis, quibus nihil vanius eſſe poteſt, comparetur.

27. *Quare dices.*] Nunc vel cum Judæis expoſtu-

lat

lat Propheta, quod pene deſperatione victi eſſent, nec intenderent in promiſſiones Dei, quibus animos ſuos ſuſtentare debuiſſent: vel in poſterum conſulit, ne ullis quamlibet diuturnis malis ſuccumbant. Verba ſunt futuri temporis, quæ etiam reſolvi poſſunt in modum ſubjunctivum, Quare diceres? merito enim ex proxima ſententia infert Jeſaias, quicquid acciderit patienter expectandum eſſe Deum ab electo populo, donec in tempore ſuccurrat. Ratiocinatur enim à minori ad majus, quum ſingulas mundi partes contineat Deus ſuo imperio, fieri non poſſe ut Eccleſiam ſuam deſerat. Probabile tamen eſt jam tunc volitaſſe in populo querimonias, quibus Deo obſtreperent acſi eorum ſalutem negligeret, vel tardior eſſet ad opem ferendam, vel etiam clauſis oculis præteriret eorum incommoda. hoc vitium nunc corrigitur, quod putabant ſe Deo curæ non eſſe: ſicuti accidere ſolet in rebus adverſis, in quibus nos abjectos à Deo, & prædæ expoſitos, nullamque ejus providentiam eſſe cogitamus. *Jacob & Iſraël.* His nominibus in memoriam revocat fœdus Domini, quod tot tamque variis promiſſionibus confirmatum erat: perinde acſi diceret, Annon cogitas te populum illum eſſe quem ſibi peculiariter delegit Deus? cur exiſtimas rationes tuas ab eo negligi qui fallere non poteſt? *Viam* enim pro Statu & Rationibus accipit: *abſconditum* pro Neglecto, vel ignoto. Quia ſi auxilium ſuum Deus paulo longius extrahat, non putamus ejus curam ad nos uſque ſe extendere. Quidam aliter exponunt: nempe populum hic reprehendi, quod ſe impune peccare exiſtimaret: atque hanc ſententiam ſimilem eſſe volunt cum ejuſmodi, Dixit impius in corde ſuo, Non
Pſal. 14. verſ. 1. eſt Deus, &c. Sed dubium non eſt, quin hæc fuerit mens Prophetæ, An putas, Iſraël, res tuas à Domino non curari? Invehitur enim in diffidentiam populi, eumque graviter objurgat, ut ipſum poſtea conſoletur, atque oſtendat Dominum perpetuo ſuis quos tuendos ſuſcepit adfuturum. Nomen *Judicii*, quod continuo poſt additur, hanc interpretationem confirmat. Imploratur enim judicium in afflictione, quum immerito opprimimur, aut injuria nobis infertur. & judicium, vel jus noſtrum amplecti & ſuſcipere dicitur Deus quum nos cauſa cognita tuetur & defendit: præterire vero, quum negligit atque ab hoſtibus diripi ſinit. Perinde igitur eſt, acſi diceret immerito facere Judæos, quod neglectam cauſam ſuam à Deo ac deſtitutam querantur. Atque iſta objurgatione ipſos præparat ad recipiendam conſolationem. Nec enim perverſis aut vanis cogitationibus occupatæ mentes eam percipere poſſent. Prius ergo impedimenta tolli, atque viam ſterni conſolationi neceſſe fuit.

28. *An non ſcivisti?*] Idem repetit quod ante dixerat. populum familiariter educatum in ſchola Dei non eſſe excuſabilem in ſua ſocordia. Severe enim eum objurgat, quod non melius in Legis doctrina profecerit, aliiſque adminiculis, quæ Deus ad communem Gentium notionem addiderat. Ac Sciendi verbum, quod generalius eſt, priore loco ponit: quia multis miraculis aliiſque experimentis teſtatam illis fecerat Deus ſuam gloriam. Poſtea deſcendit ad auditum: quaſi diceret, Si nihil tibi profuit factis & ſermone edoctum eſſe Deum nunquam ceſſare ab officio, pluſquam indocilem te eſſe apparet. *Deum ſeculi*, Æternum vocat. ſic enim diſtinguitur ab omnibus idolis, quæ temporalia ſunt, & conficta ab hominibus: quod profecto ſi animis noſtris vere inſideret, non eſſet amplius diffidentiæ locus. nam ſi æternus eſt Deus, nunquam mutatur aut labaſcit. hoc enim conjunctum æternitas habet, ut nunquam ſit mutationi obnoxia, ſed perpetuo ſibi conſtet. Quæ quum non ſatis tenerent Judæi, quamvis ſæpius audiiſſent: ideo Propheta hac objurgatione ipſos excitare voluit, ut oſtendat bis reos fore coram Deo, qui edocti tam plurimis ejus beneficiis quam Verbo, honorem tamen quem decet & gloriam ei non tribuant. *Non fatigatur.* Duo hic docet Propheta. primum, non fatigari Deum benefaciendo: deinde, ſapientiam ejus a nemine perveſtigari. Priore membro oſtendit nihil obſtaturum Deo, quominus beneficentiam ſuam proſequatur: quia ſimilis non eſt hominibus, quorum exhauriuntur facultates ſæpius largiendo, aut qui nova ſubinde officia præſtando fatigantur, aut quos ſuæ liberalitatis pœnitet. Inexhauſta enim eſt ipſius beneficentia: ſi patribus liberalis fuit, poſteros non minore liberalitate & munificentia proſequetur. Quod autem ſæpenumero aliter agit Deus quam nobis expedire putemus, occurrit Propheta, & conſilium ejus incomprehenſibile eſſe dicens, admonet minime eſſe murmurandum, quamvis non ſtatim votis noſtris obtemperet: quia nihil ad ſpem noſtram fovendam aptius, quam hæc ſobrietas, ubi reputantes quam mirabiliter operetur Deus in ſuis ſervandis, arcano ejus conſilio nos ſubjicimus.

29. *Dans laſſo.*] Nunc accommodat Propheta generales ſententias, quibus uſus eſt, ad præſentem cauſam. hoc enim ipſius conſilium eſſe diximus, ut populum melius animet, atque in ſpem erigat. Quod autem Judæi tunc fracti erant viribus, omnique robore deſtituti, ideo admonet officium Dei eſſe, iis qui hoc modo feſſi ſunt ac debilitati opem ferre. Commendat igitur potentiam Dei hac circumſtantia, ut colligant vel ſtatuant non eſſe dubitandum de ſalute quamdiu ipſum propitium habuerint. Propheta quidem populum reſpexit, qui captivus in Babylone tenebatur: ſed nobis quoque hanc doctrinam accommodare debemus, ut quoties nos deficient vires, ac proſtrati fere jacebimus, hoc veniat in mentem: Dominum laſſis manum porrigere, qui omni ope deſtituti deficiunt. Sed prius laſſitudinem noſtram & inopiam à nobis ſentiri neceſſe eſt, ut impleatur illud Pauli, Virtus Dei in infir- *2 Cor. 12. verſ. 9.*
mitate noſtra perficitur. niſi enim ſerio in animis noſtris perculſi & convicti ſimus noſtræ infirmitatis, auxilium à Deo opportunum habere non poſſumus.

30. & 31. *Fatigantur adoleſcentes.*] Hac comparatione magis illuſtrat Propheta quod ante dixerat: invictum ſcilicet atque indefeſſum eſſe quod Deus electis ſuis ſuggerit robur. Hominum enim vires facile deficiunt: Dei vero nunquam. Certum eſt quidem quicquid vigoris naturaliter in nobis reſidet à Deo proficiſci: ſed quoniam ea ſibi quaſi propria arrogant homines, quæ communiter in omnes contulit Deus, ideo Propheta diſcernit inter fortitudinem hominum, quæ videtur eſſe ipſis ingenita, & eam qua Deus peculiariter electos ſuos ſuſtinet. nec enim ſatis perſpicitur beneficium Dei quod in univerſam naturam effuſum eſt. Atque ita Hominum vires appellat, quibus humanum genus communiter pollet, Auxilium Dei, quo nobis proprie ſuccurrit, poſtquam vires noſtræ defecerunt. Agit enim Propheta de gratia Dei quam ſupernaturalem vocant, eamque perpetuam eſſe dicit, quum homines per ſe nihil niſi fluxum & caducum habere poſſint, ut hac nota diſcernat Eccleſiam Dei à reliquo mundo, & ſpiritualem gratiam à terreno ſtatu. ubi in priore membro נערים poſuit, ſubjungit בחורים, quod non modo Juvenes, ſed etiam Electos ſignificat. Quia tamen iterat eandem ſententiam, magis convenit ad ætatem referri: quanquam intelligit quoſque electiſſimi vigoris in ipſo ætatis flore. Hoc autem conſilio commendat eximiam prærogativam, qua Deus filios ſuos præ aliis dignatur: ut ſua ſorte contenti, minime invideant terrenis hominibus vires in quibus exultant. In ſumma, oſtendit vehementer falli homines, ſi propriæ fortitudinis confiden-

ſidentia efferantur. labaſcunt enim protinus, ac deficiunt. Atque alludere videtur ad id quod in dies uſu venit: nempe quo quiſque robuſtior eſt, eo majore audacia quæ difficillima ſunt aggreditur: atque eo fit ut qui vegetiores ſunt natura, raro ſenes fiant. Nihil enim arduum nimis aut difficile eſſe putant, nihil non tentant, & in omnia pericula temere irruunt: ſed fatiſcentes in medio curſu, temeritatis ſuæ pœnas luunt. Idem quoque accidit iis qui dote aliqua ornati à Deo ſuperbiunt, ſibique nimium de ſe perſuadent. quicquid enim à Deo acceperunt, redigitur in nihilum: imo in exitium & perniciem iis vertitur: ac merito tales dant pœnas arrogantiæ ſuæ.

31. *At expectantes Jehovam.*] Mutare vires Hebræi pro Colligere novas vires, atque ita Inſtaurari accipiunt. piis igitur qui in Domino ſperabunt, vires minime defuturas oſtendit: ac confirmat quod prius
ſupr. 30. vers. 15. dixit, In quiete & ſilentio erit fortitudo veſtra. nec enim tumultuari aut temere nos projicere, ſed patienter expectare debemus. itaque Expectatio hic nihil aliud quam patientiam ſignificat. Violenti homines ſuo ſe impetu frangunt: at piorum vigor quamvis minus habeat oſtentationis, imo ſæpe quaſi proſtratus jacet, dum placide auxilium Dei expectant, recreatur ac reficitur. Proinde redeundum
2 Cor. 12. vers. 9. ad illud Pauli, Virtutem Dei in noſtra infirmitate perfici. nos igitur nobis probe ejus conſcios eſſe oportet, ut Dei virtuti locum demus. Hac doctrina Judæis admodum opus fuit, qui duro illo exilio affligebantur: ſed nobis quoque in hac miſera Eccleſiæ diſſipatione vehementer neceſſaria eſt. *Suſtollent alas.* Idem hic à Propheta dici putant quod habetur
Pſal. 103. vers. 5. Pſalmo 103. Renovabitur ut aquilæ juventus tua. Certum eſt aquilam inter reliquas aves admodum longævam eſſe. Ariſtoteles & Plinius teſtantur eam ſenectute nunquam mori, ſed inedia: nempe quod ſuperiore roſtro nimium excreſcente, cibum in os ingerere non poſſit, ac ſolo potu diu veſcatur. Zaadias quidam, ut Judæi omnes audaces ſunt in confingendis fabulis, fingit aquilam in regionem Soli propinquam evolare, atque ita ad Solem accedere, ut veteres pennæ adurantur, atque in earum locum novæ aliæ ſuccreſcant: ſed hoc ridiculum prorſus & fabuloſum eſt. Significat autem Propheta eos qui Domino confidunt, aquilarum more vegetos fore uſque ad ultimam ſenectutem. Sed quum aquilæ altius volent quam reliquæ aves, in quo ſingularem quandam agilitatem oſtendunt: unde etiam proverbium, Aquila in nubibus: ideo hic locus non tantum de vita diuturna, ſed etiam de vigore & agilitate accipi poteſt: ut Jeſaias poſtquam vires ipſorum recreari oſtendit, ſubjiciat etiam vegetari ipſos, & in ſublime extolli. Eodem pertinet quod ſequitur de curſu infatigabili: perinde acſi diceret, Dominum ita adfuturum ſuis, ut peragant curſum ſuum ſine ulla moleſtia. Eſt enim figurata loquutio, qua ſignificat pios divinitus ſuffultos ſemper fore agiles ad munus ſuum obeundum. Atqui tot ærumnæ nobis ſuſtinendæ ſunt in hac vita, dicet quiſpiam, qui ergo nos laſſitudinis immunes fore dicit? Reſpondeo, ſic pios affici moleſtiis & fatigari, ut poſtea emergant, ac ſentiant ſe Dei virtute recreatos. Iis enim accidit quod ait Paulus, Dum in omnibus premimur, non 2 Cor. 4.
opprimimur: laboramus, at non deſtituimur: perſe- vers. 8. 9.
quutionem patimur, at non deſerimur: dejicimur, at non perimus. Diſcamus ergo confugere ad Dominum, qui variis laboribus exantlatis nos tandem ad portum perducet. Qui enim viam ſtravit, noſque in ſtadio ſuo collocatos progredi juſſit, non ad unum modo diem juvare vult, ut in medio curſu deſerat, ſed perducere uſque ad metam.

CAP. XLI.

TAcete mihi inſulæ: & colligant populi vires: accedant: tunc loquentur: pariter ad judicium accedamus.
2. Quis excitavit ab Oriente juſtitiam? vocavit eum ad pedem ſuum? dedit coram eo Gentes? & Reges ſubjugavit? dedit quaſi pulverem gladio ejus, & quaſi ſtipulam propulſam arcui ejus?
3. Perſequutus eſt eos: evaſit in pace, ſemita qua non ingreſſus erat pes ejus.
4. Quis deſignavit, & fecit? vocans nationes ab initio? Ego Jehova primus, & cum noviſſimis ego idem.
5. Viderunt inſulæ, & timuerunt: extremi fines terræ expaverunt, acceſſerunt, & venerunt.
6. Quiſque proximo ſuo opem tulit, & fratri ſuo dixit, Sis ſtrenuus.
7. Confortavit faber conflatorem, malleo percutiens tundentem viciſſim, & dixit, Bonum hoc ad plumbaturam, firmavitque clavis, ut non moveretur.
8. At tu Iſraël ſervus meus: Jacob quem elegi, ſemen Abrahæ amici mei.
9. Quoniam apprehendi te ab extremitatibus terræ: ab eminentiis ejus vocavi te, ac dixi tibi, Servus meus es tu, elegi te, & non repudiavi te.
10. Ne timeas: quoniam ego tecum ſum: non terrearis, quoniam ego Deus tuus ſum, qui te corroboro, * adhuc opem tibi feram, adhuc te ſuſtentabo dextera juſtitiæ meæ. * vel, litigium.
11. Ecce pudefient & erubeſcent omnes qui te provocant: erunt quaſi in nihilum, & peribunt qui tecum litigant.
12. Quæres eos, nec invenies: qui contendunt tecum erunt quaſi nihilum, & qui tecum belligerantur, quaſi conſumptio.
13. Quoniam ego Jehova Deus tuus, apprehendens dextram tuam, ac dicens tibi, Ne timeas, ego tibi opitulabor.
14. Ne timeas vermis Jacob, mortui Iſraël: ego auxiliabor tibi, dicit Jehova, & † redemptor tuus, Sanctus Iſraëlis. † vel, vindex.
15. Ecce poſui te in traham: ut tribula nova habens dentes, triturabis montes & comminues, & colles in pulverem rediges.
16. Ventilabis eos, & ventus tollet, & turbo ſparget eos. Tu vero exultabis in Jehova: in Sancto Iſraël gloriaberis.
17. Egeni & pauperes quærent aquas, quæ non apparent: lingua eorum ſiti exarebit. Ego Jehova exaudiam eos: ego Deus Iſraëlis, non deſeram eos.

18. Ape-

18. Aperiam in editis cacuminibus flumina: & fontes in media planitie: deſertum
ponam in ſtagna aquarum, & terram vaſtam in ſcaturigines aquarum.
19. Dabo in deſerto cedrum, ſpinum, myrtum, & pinum: ponam in ſolitudine abie-
tem, ulmum, & populum ſimul.
20. Itaque videant, & cognoſcant: cogitent, & intelligant ſimul, quod manus Jehovæ
fecerit hoc, & Sanctus Iſraëlis creaverit iſtud.
21. Adeſte cauſæ veſtræ, dicit Jehova: afferte firmamenta veſtra, dicit rex Jacob.
22. Adducant, & annuncient nobis quæ ventura ſunt: priora quæ fuerunt nuncient,
& apponemus cor noſtrum: & ſciemus noviſſima eorum: & quæ ventura ſunt prædicate
nobis.
23. Nunciate quæ futura ſunt in poſterum, ut ſciamus vos deos eſſe: quin benefacite,
aut malefacite, ut enarremus, & * videamus pariter. * vel; miremur.
24. Ecce vos eſtis ex nihilo: & factura veſtra ex nihilo: abominationem elegit in vobis
(homo.)
25. Excitavi ab Aquilone, & venit: ab Oriente Solis vocabit in nomine meo: & veniet
ad Principes, quaſi ad lutum, & tanquam figulus calcabit lutum.
26. Quis nunciavit ab initio, ut cognoſcamus? jam ante, & dicemus, juſtus. Utique
non eſt annuncians: utique non audire faciens: utique non audiens verba veſtra.
27. Primus Sioni, ecce: ecce ipſi: & Jeroſolymæ nuncium dabo.
28. Aſpexi, nec ullus erat: de iſtis inquiſivi, & nullus erat conſiliarius: interrogavi
eos, nec reſponderunt verbum.
29. Ecce, omnes vanitas: & defectus opera eorum, ventus & chaos ſimulachra eorum.

T*Acete mihi inſulæ.*] Tametſi videtur nova eſſe Prophetæ concio, tamen idem argumentum perſequitur. Nam quo pudorem incutiat Judæis, dicit ſi apud incredulos & cæcos agenda ſit cauſa, ſe quoque fore victorem. unde coarguitur non modo tarditas, ſed ſtupor ejus populi, cui Deus per Legem ſuam propius innotuerat. (Deut. 4. verſ. 7.) Interea mirum non eſt, populum multis erroribus implicitum ſic trepidaſſe, ut firmam conſolationem vix admitteret: quia nosipſi plus ſatis experimur quantum res adverſæ nos conturbent: quia in hac naturæ noſtræ pravitate & corruptela, utroque morbo quiſque laborat, ut proſperis rebus ſe intemperanter efferens frenum modeſtiæ & moderationis excutiat: in adverſis vero tumultuetur, vel jaceat exanimis, ægre quidem vel minimum bonitatis Dei guſtum concipiat. Mirum ergo videri non debet quod Propheta ſit adeo copioſus in hoc argumento, & pluribus ipſum perſequatur. *Inſulas* vocat transmarinas regiones. quod enim Judæi nulla cum iis exercerent commercia, ideo quicquid trans marè erat, inſulas vocabant. non ſolum igitur vicinos populos, ſed etiam remotiores compellat, & ſibi ſilentium fieri poſtulat. Quale vero eſt hujuſmodi ſilentium? Judicii ſpeciem deſcribit Jeſaias, quod Dominus cum omnibus Gentibus ſubire non recuſat. tantum poſtulat ut in cauſa ſua audiatur: nec quicquam confuſe aut tumultuoſe agatur: quo nihil magis contrarium judicio eſſe poteſt. Quamobrem vult ſilentium indici Gentibus: quo præſtito, aperte cauſam ſuam declaret. Ordo enim judicii poſtulat, ut ſeorſim quiſque loquatur. nam ſi omnes conclament, miram perturbationem ſequi neceſſe erit. Hinc admonemur nos ideo non ſatis honorifice de Dei potentia, bonitate, ſapientia, aliiſque ejus virtutibus ſentire, quod ipſum loquentem non audiamus. Obſtrepunt homines atque obmurmurant in Deum. alii faſtu ſuo turgentes contemnunt aperte ejus Verbum: alii ſocordia quadam negligunt, & ſepulti in terrenis deliciis ad Regnum cæleſte attendere gravantur. Hodie vero experimur quanta audacia & protervia plerique obloquantur Deo. Qui fit ut Papiſtæ adeo pertinaces & obſtinati ſint in ſuis erroribus, niſi quod audientiam Deo facere nolunt? nam ſi audiretur cum ſilentio, veritas facile vinceret. In ſumma, Dominus hic ſe victorem fore oſtendit, ſi attente ab hominibus audiatur. Non vult autem defunctorie audiri: quod iniqui & corrupti judices, concepta jam animo ſententia, facere ſolent: ſed obſervari rationes ſuas ac perpendi, in quibus nihil niſi æquiſſimum reperietur. Quæri poteſt, An Propheta hic hortetur Gentes ad audiendum? Reſpondeo, hæc potiſſimum ad Judæos ſpectare: nam ſero ad Gentes perventura erat hæc prophetia: ſed eo plus efficaciæ habet iſta oratio ad emolliendam Judæorum duritiem, quum Gentes, quamvis alienæ eſſent, facile ipſius potentiam agnituras oſtendit, ſi modo ipſum ſilentio audire vellent. Plus autem ponderis & vehementiæ habent hæc verba, quibus recta ipſas compellat, quam ſi de iis in tertia perſona loquutus eſſet. *Colligant populi vires.* Provocat Dominus omnes Gentes in certamen, idque per contemptum, ut potentiores ſolent, & qui cauſæ bonitate freti minime de eventu ambigunt. Collectis viribus conſpirent inter ſe, nihil efficient: ſed victor tandem ipſe evadam. ut vulgo ſolemus dicere, *Je les deſpite.* Etiamſi omnes mentis & corporis nervos intendant, tamen vincentur. tantum poſtulo, ut audientiam mihi præbeant. His verbis ſignificat tantam eſſe vim veritatis ut facile mendaciis omnibus reſiſtat, modo homines ad eam attentos ſe præbeant. Quamvis ergo univerſi homines inſurgant ad veritatem opprimendam, ipſa tamen prævalebit. atque ita ſi abducimur à Deo culpam in alios rejicere non licebit: ſed potius conveniet nosipſos accuſare, quod ſatis attenti ac diligentes non fuimus, quum nos ipſe alloqueretur. Nec enim apud nos mendacia prævalerent, neque vel ullo Satanæ aſtu decepti, vel ullis machinis everſi abriperemur ſi probe eſſemus ad Deum audiendum compoſiti. Quod autem perſonam rei ſuſcipit, ut ad tribunal cauſam acturus compareat, quæri poteſt quis tam arduæ & difficilis cauſæ judex idoneus inter homines futurus ſit? Reſpondeo, hic non agi de judicibus deligendis: tantum ſignificat Dominus ſe victorem fore, ſi coram æquis judicibus hæc cauſa tractanda ſit. Nec enim ſe aut hominibus aut Angelis ſummittere poteſt, ut iis rationem reddat: ſed quo omnem excuſationem tollat, teſtatum facit victoriam ſibi eſſe in manu, etiamſi cogatur ad dicendum cauſam. propterea alienum eſſe à ratione, quod diſceptamus inter nos, nec ei omnino acquieſcimus: ingratos nos ac perverſos eſſe, quod ei audientiam non facimus, nec quam juſta à nobis poſtulet cogitemus. Et certe quum nihil magis præpoſterum ſit quam Deum judicari à mortalibus, hoc tamen magis deteſtabile prodigium eſt, ubi cæco noſtro fremitu ante cauſam auditam eum damnamus.

2. *Quis excitavit.*] Hinc ſatis conſtat quiſnam ſit
Prophetæ ſcopus. vult enim teſtari Judæis ipſos ex-
tra errandi fore periculum, ſi viam, quam eis præ-
monſtrat, ſequi velint. atque hæc ratio eſt, cur men-
tionem Abrahæ faciat. Poterat enim alia Dei opera
recenſere: ſed exemplum cauſæ ſuæ accommodatum
elegit. nam quum ex Abrahamo progeniti eſſent,
quem Deus per tot diſcrimina eduxerat è Chaldæa,
ſperare quoque debebant eum non minus ſibiipſis
affuturum: quando neque virtus ejus imminuta erat,
nec benefaciendo fatigatur. Quoniam captivis &
exulibus, quum procul à patria diſtarent, reditum
ſperare difficile erat, ſimili exemplo ad bene ſperan-
dum hortatur. quum in Chaldæa viciniſque regioni-
bus diſperſi eſſent, medium iter propter multa obſta-
Gen. 11. cula putabant ſibi clauſum eſſe. Atqui ex eodem loco
verſ. 31. in Judæam tranſierat Abraham ipſorum pater. an
& 12: 1. qui hominem unum inopem, ſolitarium cum patre,
nepote & uxore, ſalvum per tot diſcrimina & inco-
lumem deduxerat, non poſſet dux itineris eſſe populo
ſuo? Quum ergo Deus Abraham è patria evocans
moleſtiis omnibus liberaſſet, domeſticum hoc ſpe-
cimen magis afficere debuit ejus filios, ut patris A-
brahæ exitus è Chaldæa futuræ redemptionis pignus
eſſet vel ſpeculum. Quod Abrahamum *juſtitiam* vo-
cat, hoc extollendi hominis cauſa non facit, ſed ut
oſtendat perſonam divinitus fuiſſe ei impoſitam quæ
ad totum Eccleſiæ ſtatum pertineat. neque enim ejus
vocatio tanquam privati cujuſpiam fuit: ſed docu-
mentum æternæ Dei juſtitiæ in illa editum piis omni-
bus commune eſt, quaſi diceret in ejus perſona
ſemel liberatam fuiſſe Eccleſiam, ut confideret ean-
dem ſalutis ſuæ & juſtitiæ Dei perpetuitatem fore.
Et ſane in uno homine vocationem piorum, & for-
mam quandam Eccleſiæ, atque initium & finem ſalu-
tis noſtræ intuemur. Denique Abraham, velut di-
vinæ juſtitiæ, quatenus in terrenis relucet, ſpeculum
eſt: atque hoc nomen [illegible] valet. Fuit enim
præclarum Dei opus, juſtitiam ab Oriente, ubi
omnia corrupta & fœdiſſimis ſuperſtitionibus con-
ſpurcata erant, excitari. Si igitur tale documentum
bonitatis & potentiæ Dei ſemel editum, cur non in
poſterum idem aut ſimile expectandum erat? Quod
ſequitur, *Ad pedem ſuum*, nonnulli exponunt Abra-
hamum, quocunque venit, nomen Domini invo-
Gen. 12. caſſe. nam ſimulatque in regionem aliquam vene-
verſ. 7. rat, extruebat altare Deo, in quo ſacrificaret. quod
& 13. quidem verum eſt: ſed ego aliter interpretor:
verſ. 18. nempe Dominum fuiſſe ducem itineris Abrahamo,
Gen. 12. qui ipſum è veſtigio ſequutus eſt. Nam quum exce-
verſ. 1. dere juſſus eſt, nulla certa regio oſtenſa eſt ad quam
Actor. 7. tenderet. Ita migrando neſcivit vel quam procul, vel
verſ. 3. in quam partem concederet: ſed Deus ſuſpenſum
tenuit, donec terram Chanaan eſſet ingreſſus. Quia
ergo vocatus Abraham ſtatim paruit, & quamvis in-
certus eſſet ſui itineris, pependit ab ore Dei, ipſo-
que duce fuit contentus: ſcite ad pedem ſequutus
dicitur, quod ſe pediſſequum Deo tradiderit, ut
prompti & morigeri famuli ſolent, qui domini ve-
ſtigia ſequuntur, tametſi incerti ſint quo ipſos ducat.
Dedit in conſpectum. ſignificat, quamvis hominem
ſuſpenſum multæ ſingulis momentis curæ angere &
torquere poſſent, Deum tamen omnia impedimenta
ſuſtuliſſe, quæ ipſi nocumento eſſe poterant. Non
referuntur omnes difficultates à Moſe, quæ Abra-
hamo decedenti allatæ ſunt: ſed unuſquiſque animo
colligere poteſt migrationem illam maximis mole-
ſtiis carere non potuiſſe. nec enim fieri poterat quin
diſcedens concitaret in ſe odium gentis, ac velut in-
ſanus ab omnibus damnaretur, quod patria, propin-
quis, amicis relictis, in regionem incertam conce-
deret. Poſtquam vero in terram Chanaan venit, ne-
gotium ei fuit cum pravis hominibus & inhuma-
nis, cum quibus bene ipſi convenire non poterat,
quum ab eorum ſuperſtitionibus alienus eſſet. Et
quæ refert Moſes ſatis indicant nunquam quietum
fuiſſe Abrahamum: nihil tamen impios adverſus
eum tentare auſos eſſe: adeo ut quum ab Hethæis
ſepulchrum emendum eſſet, liberaliter & gratis ob- Gen. 23.
tulerint, atque ipſum virum Dei, ac principem eſſe verſ. 6.
confeſſi ſint. illuſtrat Dei gratiam, quod ne Regibus
quidem pepercerit, ut ſe fidelem ſervi ſui vel clien-
tis Abrahæ patronum oſtenderet. Nota eſt hiſto- Gen. 14.
ria de quatuor Regibus ab eo victis & profligatis. v. 14. 15.
poſſet etiam extendi ad Pharaonem & Abimelech: & 12.
quorum mentio quoque fit nominatim Pſalmo 105., verſ. 17.
ubi hoc argumentum tractatur: nam in eos animad- & 20: 3.
verſum eſt, quod auſi ſint attingere Chriſtum Do- Pſal. 105.
mini. Sed proprie deſignat eam victoriam quam verſ. 14.
de quatuor Regibus conſequutus eſt, qui Loth nepo-
tem ex fratre cum tota ejus ſubſtantia abducebant.
Quia ex contextu ſatis apparet Prophetam de Regi-
bus vel populis manſuefactis non loqui, ſed de ar-
matis hoſtibus qui violenter ſub jugum miſſi ſunt.
Amplificat poſtremo facilitatem iſtius victoriæ, at-
que in eo maximum contemptum exprimit, dum
Reges iſtos pulveri & ſtipulæ comparat. Eos enim
ſine periculo proſtravit. Simul revocat in memo-
riam non eſſe hoc hominis virtuti, ſed Dei auxilio
tribuendum: quia tanta vincendi facilitas humani-
tus non contigit.

3. *Perſequutus eſt eos*] Iterum exornat in victoriæ
magnitudine ſingulare Dei beneficium. Hoc enim
plurimum habet momenti, quod eam obtinuit in
regione ſibi ignota. difficile enim & periculoſum eſt
perſequi hoſtes in regionibus ignotis: & quantum
valeat locorum notitia, ſatis oſtendunt hiſtoriæ: id-
que in dies experiuntur qui bellum gerunt. Id nihil
obfuit Abrahamo. unde magis perſpicuum eſt, ipſum
Dei manu ductum atque adjutum fuiſſe, ut intrepide
ſuos circumduceret.

4. *Quis deſignavit.*] Tametſi hic Abrahæ exem-
plum duntaxat propoſuit Jeſaias, tamen dubium non
eſt, quin populum commonefacere voluerit de omni-
bus beneficiis quæ Patres olim acceperant: perinde
acſi diceret, Revocate in memoriam quæ ſit veſtra
origo: unde excitarim patrem veſtrum Abrahamum:
quo ipſum duxerim: neque tamen hæc beneficiorum
meorum clauſula fuit. nunquam enim ab eo tempore
deſii vos omni genere bonorum cumulare. Quum
ergo interrogat quiſnam ſit, non de uno tantum
facinore loquitur: ſed adjungit alia beneficia, quæ
variis temporibus ſequuta ſunt quorum etiam popu-
lus debuit reminiſci. Quod Deum ab initio genera-
tiones vocaſſe dicit, referri debet ad continuos æta-
tum ſucceſſus. דור Hebræis ſignificat non modo
Seculum, vel durationem humanæ vitæ, ſed ejuſ-
dem temporis homines. Ita generatio una ab altera
diſtinguitur, ut patres à filiis, & ab avis nepotes.
Nam poſteri nos proximam generationem voca-
bunt: majores vero noſtros magis remotam ac vetu-
ſtam. Porro quia unumquodque ſeculum abſumeret
humanum genus niſi ſobole renovaretur, docet Pro-
pheta continuo tenore propagari homines à Deo,
ut alii aliis ſuccedant. unde ſequitur omnibus ſeculis
præeſſe, ne putemus fortuito gubernari hunc mun-
dum, ubi in ætatum ſerie clare perſpicitur Dei pro-
videntia. Jam vero quia propter diverſas mutatio-
nes cæco impetu volutari mundus videtur, his ver-
bis admonet Propheta multiplices iſtos eventus à
mundi exordio fuiſſe cognitos. Summa eſt, in varie-
tate iſta quam affert tempus, Deum regnare, &
æquabili tenore perficere quod ab initio decrevit.
Ego Jehova. Tandem horum beneficiorum aucto- Gen. 14.
rem ſe eſſe clarius affirmat: quod Abraham vicit ho- verſ. 16.
ſtes, quod ſine noxa inter impios verſatus eſt, quod Pſal. 105.
fudit Reges, quod cum ultus eſt Dominus, quum verſ. 14.
Abimelech, atque etiam Pharao uxorem ejus rapuiſ- Gen. 20.
ſet: præterea quod ſingulis generationibus alia quo- verſ. 18.
que varia beneficia data ſint, hoc ſibi acceptum fe- & 12.
rendum verſ. 17.

rendum docet. nec enim generi Abrahæ ſolum, ſed univerſo mundo virtus ipſius innotuerat. Quod ſe *primum* nominat, & *cum noviſſimis* ſe eſſe dicit, hoc pertinet non ad æternitatem eſſentiæ modo, ſed ad imperium quod in terra exercet: acſi diceret ſe quantumvis longo tempore non ſeneſcere, neque unquam ceſſurum jure ſuo. nec enim in cælis ſedens otium colit, ſed potius ex ſolio ſuo moderatur res terrenas. Cæterum, quamvis innumeram deorum turbam ſubſtituat mundus, ſibi tamen nihil decedere admonet, quia ſui manebit ſimilis.

5. & 6. *Videbunt inſulæ.*] Nunc oſtendit nimis ingratum fuiſſe mundum, qui quum opera Dei agnoverit, perſtiterit tamen in eadem cæcitate cui ante addictus fuerat. nuper dixerat ſe facile victorem fore, ſi modo audientia ſibi fieret: nunc ſubjicit, cognitam fuiſſe potentiam ſuam à Gentibus, eaſque interea pervicaces atque obſtinatas fuiſſe. quo fit ut excuſatione omni careant: quoniam abunde patefacta fuerit Dei majeſtas, niſi ſponte cæcutire malent. Quo igitur velamen inſcitiæ tollat vel remotiſſimis populis, dicit operum ſuorum intuitu fuiſſe expavefactos, & tamen mox ad ingenium rediiſſe ut ſe multis erroribus & deliriis involverent. Concinna eſt in duobus verbis alluſio, ראו וייראו, quæ Latine exprimi non poteſt. Summa tamen eſt, non modo oculatos fuiſſe teſtes, ſed etiam ita convictos, ut metum illis extorſerit ipſa cognitio. Poſſet objici, beneficia quæ Deus in Abrahamum contulit, per totum orbem celebrari non potuiſſe, ut exteris nationibus nota eſſent. Verum, ut diximus, tametſi Abrahæ tantum mentionem facit, tamen alia quoque beneficentiæ ſuæ exempla in memoriam reducere voluit, quæ patres ipſorum erant experti, ut ex iis ſpem meliorem animo conciperent. nec enim Abrahamum ſolummodo è Chaldæa eduxerat, ſed univerſam ejus

Exod. 13. verſ. 16. ſobolem eripuit è ſervitute Ægypti, atque in poſſeſſionem miſit terræ Chanaan. Gentes igitur potentiam ſuam expertas eſſe dicit, quum liberavit & conſervavit populum ſuum, ut ipſum verum eſſe Deum intelligere poſſent. Nec enim obſcura aut dubia in tot miraculis apparuit potentia ipſius. Denique ſignificat conterritas fuiſſe Gentes admirabili potentia Dei, quum populum ſuum liberaret. Et quotidie impii, quum de ea aliquid audiunt, terrentur, & attoniti redduntur, quia ſibi adverſum eſſe Deum ſentiunt. *Acceſſerunt.* Quidam interpretantur Accedere, quod infideles propius Dei opera intuiti ſint: quia dum certius aliquid percipere volumus, pro-

Geneſ. 14. verſ. 17. pius accedimus. Alii referunt ad Regem Sodomæ, qui obviam Abrahæ venit: ſed ea convenire mihi non videntur. Et certe nihil ad rem faciunt: & contextus optime cohæret, ſi hanc extremam partem cum proximo verſu conjungas hoc modo, *Acceſſerunt*, congregati ſunt, unuſquiſque proximum ſuum adjuvit: ut ſit ſenſus, Tametſi inſulæ opera mea viderint & cognoverint, adeo ut iis fuerint pavefactæ, tamen turmatim collectæ inter ſe conſpirarunt. quorſum? ut mutuo ſe cohortarentur ad novos deos fabricandos, magiſque ac magis ſeſe in cæcitate ſua confirmarent. Crimen ergo Gentium exaggerat, quum proximo ſuo unumquemque adjutorem fuiſſe dicit. Et certe quiſquis probe inquiret, hunc reperiet ſuperſtitionum omnium eſſe fontem, quod mutuo conſenſu homines lucem è cælo ſibi oblatam obtenebrant. Tametſi vero Dominus hic expoſtulat cum idololatris, tamen in Judæorum gratiam facit, ne in Gentium impietatem declinent: nec ſe à Deo & recta fide dimoveri patiantur. Producit ergo in medium ingratitudinem Gentium, ne eam Judæi æmulentur, ſed in vero Dei cultu permaneant. Hic velut in ſpeculo perſpicimus quanta ſit hominum pravitas, qui nihil proficiunt in operibus Dei contemplandis: imo pervicaciores redduntur, magiſque ſeſe obſtinant. Sponte enim caligare, & in media luce palpare, quam Deum ſeſe palam offerentem intueri malunt. Ad cæcitatem accedit rabies, qua in Deum efferuntur, & certamen cum ipſo ſuſcipere non dubitant, ut ſuperſtitiones ſuas tueantur. ita ut hoc vitium non idololatria tantum, ſed idolomania ſit. Hanc inſaniam deſcribit Jeſaias quum ait, Sis fortis, age ſtrenue. Sceleratam enim conjurationem hominum ſignificat, qua ſe mutuo cohortantur, imo inflammant ad idolorum cultum, atque propulſandum timorem Dei quem ex potentia ipſius poterant animo concipere.

7. *Et confirmavit.*] Hic verſus varie exponitur, & certe habet aliquid obſcuritatis: nec Hebræi ipſi in verborum interpretatione conſentiunt. Cur חרש, hic pro fabro lignario tantum accipiatur, non video: quemlibet enim fabrum ſignificat. מחליק, vertunt Percutientem. ego in nominativo vertere malo. פעם, Incudem vertunt, alii Malleum minorem: ſed quum interdum Vicem alteram ſignificet, expoſitio iſta mihi optime contextui quadrare videtur. Nam ſignificat Propheta fabros viciſſim tundendo ſeſe mutuo incitare: quoniam in idem opus intenti incaleſcunt, atque alter alterum impellit & inflammat, ut quod ſuſceperunt citiſſime perficiant. In ſumma, pervicaciam idololatrarum deſcribit & inſaniam, qua alii aliis inſpirant ad reſiſtendum Deo. Hoc vitium unius ſeculi non fuiſſe tam ex hoc loco quam ex omnibus hiſtoriis palam eſt: & hodie ipſi experimur pluſquam optandum eſſet. Videmus ut homines mutua cohortatione ſeſe impellunt ad tuendas ſuperſtitiones atque idolorum cultum. Et quo illuſtrior Dei veritas in medium prodit, eo obſtinatius contrarias partes ſectantur, acſi ex profeſſo cum Deo bellum gerere in animo eſſet. Etenim ex quo enituit purior religio, in ejus odium multis in locis multiplicata ſunt idola & erecta: peregrinationes, Miſſæ, vota impia & anniverſaria apud nonnullos celebriora quam antea fuerunt. nam in priſtina illa ignorantia aliquid erat moderationis: nunc vero idololatræ velut rabie perciti diſcurrunt, & cæco impetu feruntur: nihil n on moliuntur, ut labaſcentem ſuperſtitionem ſulciant, & nutantia idola. denique conjungunt manus, & mutuas inter ſe operas tradunt, ut reſiſtant Deo. Quod ſi quiſpiam in fratrem ſuum rejicere culpam velit, nihil efficiet. ſic enim hæret in unoquoque, ut depelli nullo modo poſſit. Omnes ſtudent mendacio, & quaſi ex profeſſo impoſturas appetunt, ſuaque multitudine freti, tam ſe quam alios ſinguli Deo præferunt. alii alios viciſſim ſtimulant ad idolorum cultum, atque tam inſano amore flagrant, ut univerſus propemodum orbis eo ardeat.

8. *At tu Iſraël.*] Nunc oſtendit, quamvis ſublato vexillo omnes conſentiant in errorem, totuſque mundus fallaciis ſit deditus, quam abſurdum ſit populum Iſraël miſceri cum Gentibus profanis. nam quum gratuita vocatione ſegregatus à Deo ac ſelectus eſſet, in eundem furorem ſeſe projicere non debebat. Inſignis locus, quo docemur vocationem noſtram ſufficere nobis debere, ut ab inquinamentis hujus mundi cohibeamur. quamvis graſſentur corruptelæ, ac mundus ſe in omnem nequitiam effundat, tamen hoc freno retineri nos decet, quod à Deo electi ſumus: ideoque Gentium & impiorum more vagari nobis minime fas eſt. Vos quidem ejuſmodi fuiſtis, inquit Paulus: at nunc abluti eſtis, ſanctificati *1 Cor. 6.*
eſtis per nomen Domini Jeſu, & per Spiritum Dei *verſ. 11.*
noſtri. Imo nihil magis abſurdum, quam ubi nobis illuxit Sol juſtitiæ, vagari quaſi cæcos in tenebris. Spectanda igitur eſt noſtra vocatio, ut eam omni ſtudio & diligentia ſequamur, atque ut filios lucis decet am- *Epheſ. 5.*
bulantes, à priori vitæ conſuetudine abhorreamus. *verſ. 8.*
Hac ratione Servum ſuum appellat, non quod ſuis obſequiis quicquam promeriti eſſent Iſraëlitæ: ſed

quia eos ſibi addixerat. Ideoque in eundem finem addit, *Tu Jacob quem elegi*, quæ clara eſt gratuiti favoris commendatio: acſi diceret, Vos quidem ſervi mei eſtis, non proprio merito, ſed beneficentia mea, quando vos electione mea paravi & aptavi ut mihi peculiaris eſſetis populus. denique admonet non adeptos eſſe ſua induſtria ut cenſeantur Dei ſervi, nec quicquam ab aliis differre in quo excellant: ſed quia ſic Deo placuerit, cujus eſt eligere pro ſuo arbitrio hunc vel illum. Interea ſimul admonet quis finis ſit noſtræ electionis: nempe ut ſerviamus Deo.
Ephes. 1. verſ. 4. Nos enim, ut inquit Paulus, elegit, ut ſancti & irreprehenſibiles eſſemus coram ipſo. Hic enim eſt ſcopus electionis, ut qui mancipia Satanæ fuerunt, ſeſe Deo totos ſummittant, ac devoveant. Additur tertio loco *ſemen Abrahæ*, ut ſciamus electionem pendere à promiſſione Dei: non quod promiſſio electionem præcedat, quæ ab æterno eſt, ſed quod Dominus, promiſſionis reſpectu, beneficentiam ſuam
Geneſ. 17. verſ. 7. proſequutus ſit: quia Abrahæ dixerat, Ego ſum Deus tuus, & ſeminis tui. Continuata igitur hæc in poſteros gratia eſt: atque ob promiſſionem populus ille Domino peculiariter commendatus fuit, quemad-
Rom. 9. verſ. 4. modum etiam Paulus teſtamentum, promiſſionem, legiſlationem ad eum pertinuiſſe docet. unde etiam
Exod. 19. verſ. 6. ſemen illud ſanctum vocatum eſt, ſacra Dei hæreditas, & regnum Sacerdotale.
1 Petr. 2. verſ. 9. Singulari vero honore Abrahamum proſequutus eſt Dominus, quod eum amicum vocarit. Servum Dei appellari magnum & honorificum eſt. nam ſi magni beneficii loco ducitur in familiam Regis aut Principis cooptari, quanto pluris faciendum, quum nos Deus pro ſervis ac domeſticis habet? Sed eo non contentus, majore etiam honore eum afficit, atque amici nomine exornat. Quod autem hic de Abrahamo dictum eſt, ad pios omnes pertinet: idque plenius declarat Chriſtus,
Joan. 15. verſ. 15. Non jam vos ſervos appello, ſed amici mei eſtis. Servi enim voluntatem Domini ignorant: vobis autem arcana & divina myſteria patefacta ſunt. unde amici & propenſi erga vos animi affectum intelligere poteſtis. Tantum igitur honorem à Deo conſequuti, officii noſtri meminiſſe debemus: ut quo magis bonitatem erga nos ſuam teſtatus eſt, eo magis ſollicite, majoreque reverentia ipſum aſſidue colamus. Semper vero tenendum eſt, non alio jure Abraham fuiſſe Dei amicum, quam adoptionis: ſicuti etiam dicit
Deut. 4. verſ. 37. & 7. v. 6, 7, 8. Moſes ſolo Dei beneplacito Judæos excellere, quia patres eorum dilexit Deus.

9. *Quoniam apprehendi te.*] Idem argumentum proſequitur Jeſaias. Ipſi enim uſu experimur quam neceſſe ſit conſolationes repeti ubi nos adverſæ res premunt: ut mirum non ſit Prophetam in hoc argumento adeo copioſum eſſe. Cæterum ab uno Abraham ad totam gentem tranſcendit, commemorans quid ipſis omnibus præſtiterit Deus. Porro relativum אשר hic pro rationali particula accipio: cauſæ enim redditio eſt, cur populus forti animo eſſe debeat in rebus adverſis: quia prius beneficentiam ipſius expertus erat. unde & in poſterum non minus bene ſperandum. Extremitates terræ bifariam accipere licet: vel quod ex longinqua plaga, unde ſcilicet oriundus erat Abraham, deductus fuerit populus: vel quod Deus, qui ultimos orbis fines complectitur ſuo imperio, uni tantum populo manum porrigere dignatus ſit. Addit Eminentias. ſic enim vertere nomen אציליה placuit. alii in genere maſculino malunt, Principes vel eximios, ſenſu non admodum diverſo. extollit enim Dei gratiam Propheta, quod præteritis Gentibus nobiliſſimis, vilem & obſcurum populum ſibi adoptaverit. Nonnulli referunt ad regnum Ægypti, unde Judæi educti ſunt. ſcimus enim quanta fuerit illius populi gloria, & quantum ſe opinione doctrinæ, antiquitatis, nobilitatis, variiſque ejuſmodi dotibus aliis prætulerit. Ego vero aliter interpretor; nam refero ad electionem populi, qui è medio aliarum nationum longe præſtantiorum electus eſt. מ igitur accipio pro Ab, vel Præ: ut ſit comparatio inter Judæos & alias nationes. quemadmodum etiam Moſes oſtendit, non ideo electos Deut. 7. v. 7, 8.
eſſe ipſos quod plures aut præſtantiores aliis populis eſſent: quia longe pauciores erant: ſed quia Dominus dilexit eos, & jusjurandum ſervare voluit quod juraverat patribus ipſorum. Item, Non propter juſtitiam tuam, aut rectitudinem cordis tui venis poſſidere terram. Deut. 9. verſ. 5.
Quum ergo longe inferiores eſſent aliis populis, nihilominus electi ſunt. unde magnitudo amoris Dei perſpicitur: nec quicquam eſſe cur tot tantiſque beneficiis acceptis, tam benefico patri in poſterum diffidant. Adjungit præterea hujus gratiæ teſtimonium in Lege fuiſſe datum populo: quaſi diceret, non fuiſſe abſconditam, ſed potius conſignatam publicis tabulis, quum Deus Lege data fœdus ſuum pepigit. nec enim quos Deus ſibi in populum aſſumpſerat voluit huc aut illuc vagari, ſed promiſſione ſalutis ſibi devinxit. Quod poſtremo ſequitur, *Non repudiavi te*, ſupervacaneum, imo intempeſtive poſitum videtur, niſi hæc loquendi forma Hebræis uſitata eſſet: cui etiam ineſt non parum ponderis. Exprimit enim conſtantiam electionis: acſi diceret, Poſtquam te ſemel adoptavi, non deſerui te, nec deſtitui, tametſi variæ mihi occaſiones repudiandi tui oblatæ ſunt. tanta enim fuerat Judæorum ingratitudo, ut eos merito rejicere poſſet, niſi quia conſtare ſibi voluit. Quod autem de iis dicitur ad nos quoque pertinet. nam perpetua eſt illa Pauli ſententia, Dona Dei abſque pœnitentia eſſe. Rom. 11. verſ. 29.
etſi vero maximam partem propter infidelitatem abſcindat, reliquum tamen facit aliquod ſemen adoptionis, ut in ſurculis quibuſdam vocatio perſeveret. nec enim pravitate hominum electio Dei immutari poteſt. Itaque meminerimus nos hac conditione electos à Deo eſſe, ut permaneamus in ejus familia, tametſi poſſemus merito abdicari.

10. *Ne timeas.*] Quum ſuperior doctrina eo ſpectarit ut populus in Deo recumberet, concludit Propheta ex tot beneficiis quibus amorem ſuum patefecit Dominus, populo extimeſcendum non eſſe. Et notanda diligenter ratio quam ſubjungit, *Quoniam ego tecum ſum*. hoc enim ſolidum eſt fundamentum fiduciæ. quod ſi animis noſtris infixum erit, firmis atque invictis adverſus omnis generis tentationes conſiſtere licebit. ſicut ubi exiſtimamus Deum abeſſe, aut dubitamus an nobis adeſſe velit, perturbamur metu, & inter multas agitationes diffidentiæ fluctuamus. Quod ſi ſtemus innixi huic fundamento, nullis aut ærumnis aut tempeſtatibus obruemur. Nec tamen intelligit Propheta fideles ita intrepidos ſtare ut omnis prorſus timoris vacui ſint & immunes: ſed quamvis agitentur in animo, & variis modis ad diffidentiam ſollicitentur, ea conſtantia reluctari ut ſuperiores evadant. Natura enim timidi & diffidentia pleni ſumus, ſed corrigendum ejuſmodi vitium hac cogitatione, Deus nobis adeſt, & curam noſtræ ſalutis habet. אף עזרתיך alii in præterito vertunt: ego in futuro, Adjuvabo te. אף, interpretor Adhuc: ut ſæpe alias accipi ſolet. Quanquam non male convenit Etiam: ideoque libera ſit optio lectoribus. Si præteritum verbi tempus placeat, tantundem valebit ac Quin etiam, vel Imo. Juſtitiæ nomine Scriptura Juſtitia.
non tantum æquitatem comprehendit, ſed fidem quoque quam Dominus præſtat in conſervandis ſuis. Sic enim ſpecimen edit juſtitiæ ſuæ, quum adverſus impiorum machinationes & varios inſultus fideliter ſuos tuetur. Ergo *dexteram juſtitiæ* appellat qua ſe fidelem & juſtum eſſe prodit: unde colligenda eſt eximia conſolatio. nam ſi ſervos ſuos tueri & defendere ſtatuit Dominus, nihil nobis verendum eſt: quia Deus ſeipſum abnegare, nec juſtitiam ſuam 2 Tim. 2. verſ. 13.
exuere poteſt.

11. *Ecce pudeſient.*] Hic Propheta nominatim pro-

promittit Judæis auxilium adverſus hoſtes. nam ſi ſimpliciter ſalutem promitteret, nulla mentione facta de hoſtibus, variæ cogitationes ac perplexæ animis eorum obrepere poterant. Deus quidem promittit nos fore ſalvos: ſed interea prævalent adverſarii noſtri, noſque indigniſſime & crudeliſſime tractant: ubi hæc ſalus, quæ tam large & prolixe promiſſa eſt? Ad generalem ergo promiſſionem additur etiam hæc circumſtantia: Tametſi floreant hoſtes, tamen pudore & ignominia tandem ſuffuſi retrocedent. Hac ergo conditione promittitur ſalus, ut interea ſuſtinendi hoſtes, variaque certamina cum ipſis ſubeunda ſint, ne tranquillitatem nobis externam promittamus, quoniam aſſidue nobis in bello verſandum eſt.

12. *Quæres eos.*] Id eſt, Si quæras. nec enim quæruntur hoſtes, ubi profligati ſunt. quamobrem hoc Futurum per Subjunctivum reſolvendum puto, Si quæras, non invenies: quoniam deleti atque in nihilum redacti erunt. Hic obſervandum eſt duplex notari hoſtium genus: unum, eorum qui aperta vi nos adoriuntur: alterum, eorum qui verbis nobiſcum agunt, id eſt, calumniis, maledictis, & contumeliis nos proſcindunt: ac veluti juſtam cauſam tuerentur, varias lites nobis intendunt, noſque judicio provocant: ac ſæpe eorum criminum accuſant quorum ipſi auctores fuerunt. Verum hæ ſunt Satanæ artes, cui quum miniſtros ſe præbeant, haud ſane mirum eſt ipſos dominum & magiſtrum ſuum imitari. Ergo armatos hoſtes commemorat Propheta qui violenter Eccleſiam oppugnant: deinde adjungit litigatores, qui fraudibus, calumniis & fallaci juris prætextu moleſtiam exhibent. His ergo criminationibus nos exerceri mirum non eſt: nec novum videri debet, ſi hodie multi nebulones operam ſuam vendiderint Antichriſto ad nos calumniandos: quum id jam olim Prophetis aliiſque Dei ſervis evenerit.

13. *Quoniam ego Deus tuus.*] Jam oſtenderat Propheta ubi fundanda ſit fiducia ſalutis, ut contra omnes impetus perſeveret: nempe, ubi Deum noſtrum eſſe, nobiſque favere perſuaſi ſumus. nunc idem tradit ſed aliis verbis: nec tamen ſupervacanea repetitio eſt. ſcimus enim quam facile nobis excidat hæc doctrina, etiamſi ſæpius inculcetur. nec potuit nimius eſſe in hac promiſſione commendanda, quam in animis noſtris radices agere difficile eſt. Itaque ſciamus felicem nobis omnium pugnarum exitum fore, quoniam Dominus nobis adeſt, atque in eum reſpicere diſcamus quoties difficili aliqua pugna urgemur. Nam ſi dubii huc atque illuc ſpectemus, nunquam tranquillo animo futuri ſumus. Quum autem *Deum* ſe noſtrum vocat, non tantum commemorat potentiam ſuam, ſed bonitatis, quam in nos exercere vult, teſtimonium reddit. nec enim ſufficeret nos perſuaſos eſſe de potentia Dei, niſi de amore ipſius pariter certi eſſemus. imo quum ſolius potentiæ mentione terreamur, bonitas proprie ad nos pacandos valet. Iterum vero & de apprehenſione manus, & de voce loquitur: quia magni noſtra intereſt tenere quæ Deus amoris ſigna nobis dederit, & conjungere doctrinam, quæ nobis perpetuæ gratiæ fidem facit. Itaque verbo Dicendi non parum ineſt ponderis: nos enim ſuſpenſos animi hærere neceſſe eſt, donec loquatur Dominus, cujus ſola voce metus adimi, & tranquillitas afferri poteſt. Si igitur animo quieto eſſe, atque perturbationes, quæ nobis variæ accidunt, vincere cupimus, recta in ejus vocem intentos eſſe oportet, ut nunquam ab ea animum divertamus. Eos enim miſere angi, aſſidueque vacillare, atque incertos eſſe neceſſe eſt qui hanc Dei vocem audire nolunt, vel non ſatis attente audiunt.

14. *Ne timeas vermis.*] Parum honorifice videtur loqui de Judæis, dum eos Vermem, deinde Mortuos appellat. ſed melius congruit hæc comparatio calamitati populi, atque aptior eſt ad ipſum conſolandum, quam ſi gentem electam vocaſſet, regale Exod. 19. verſ. 6.
ſacerdotium, ſanctam arborem ex ſancta radice, & aliis ejuſmodi titulis ornaſſet. Imo abſurdum fuiſſet magnificis illis nominibus ipſos vocare dum miſeria extrema premebantur. Quare Vermis nomine, quaſi ignominiis populi condoleſcens, eo melius in ſpem bonam erigit: quia eum quamlibet abjectum & contemptum à ſe tamen reſpici docet. perinde acſi diceret, Tametſi nullus ſis, ego tamen tibi opem feram, teque in priſtinam libertatem reſtituens, faciam ut è ſordibus & putredine emergas. מתים nonnulli interpretantur Viros, quod contextui minime convenit. Ergo manifeſta ratio cogit vertere Mortuos. Eſt enim expoſitio prioris per repetitionem, quæ Hebræis valde uſitata eſt. Aſſentior igitur Hieronymo, qui ita vertit: neque moror quod מתים per : non per - hic ſcribitur. Facile enim fuit tam affinia inter ſe puncta mutari. Et res ipſa ſpectanda eſt, quia nihil magis inſulſum quam Viros pro Vermibus ſubjicere: niſi forte quis malit legere Mortales. Sed haud dubie vocem hanc Deus audiri voluit ab afflictiſſimis, ut penetraret uſque ad ipſum ſepulchrum: quia ex oppoſito Redemptorem ſe mortuis fore affirmat. Porro ſic Propheta ſeculi ſui rationem habuit, ut hanc doctrinam extenderit ad omnes mundi ætates. Quoties igitur oppreſſam impiorum ſævitia Eccleſiam videbimus, hæc in memoriam revocanda erunt, ut filios Dei qui mundi faſtu calcantur, nec modo habentur contemptibiles, ſed omni crudelitatum & probrorum genere affecti vix reſpirant, ſtatuamus coram Deo in ſummo honore & pretio eſſe, ut brevi caput attollant: & hoc quiſque noſtrum ad ſe accommodet, ut neque contumeliis, neque miſeria noſtra, neque angoribus, neque ipſa morte terreamur. Tametſi mortuis ſimiles ſimus, omniſque ſalutis ſpes nobis adempta ſit, tamen aderit nobis Dominus, Eccleſiamque ſuam vel è ſepulchro ipſo demum excitabit. Et Propheta Sanctum Iſraëlis rurſus addens, ad fœderis memoriam fideles, ſicuti paulo ante, re- ſupr. 40.
vocat, quo ſegregatus erat Iſraël in ſacrum Dei pe- verſ. 25.
culium, atque ita addit animos, ne eos exanimet vel Exod. 19.
debilitet ſortis ſuæ indignitas, dum ſe vermes & verſ. 6.
mortuos eſſe reputant.

15. *Ecce poſui te.*] Loquitur adhuc de reſtitutione Eccleſiæ, eamque ita ſuperiorem hoſtibus fore promittit ut eos triturет ac comminuat: & aptiſſima ſimilitudine hoc declarat. Judæi enim quos alloquitur, pene obtriti erant: ex adverſo vero pronunciat ab iis obterendos eſſe hoſtes, ut poſtquam liberati fuerint, vicem eis mutuam reddant. Porro hoc neceſſario addendum fuit: quia niſi recuperaſſent novas vires, hoſtium libidini ſemper obnoxii fuiſſent. ideoque divinitus armandi fuerunt ad repellendas injurias. Quanquam ſimul pronunciat Jeſaias vindictæ Dei fore miniſtros. Sed videtur hoc modo inflammare Judæos ad ulciſcendi cupiditatem: quod à ſpiritu Dei omnino alienum eſt. & quum nimis in hunc morbum propenſi ſimus, Dominus has ulciſcendi cogitationes ſæpe alibi reprimi jubet, tantum abeſt ut eas indulgentia foveat. Hortatur enim ut potius bene Mat. 5.
precemur hoſtibus, non ut eorum calamitatibus & verſ. 44.
ærumnis oblectemur. Reſpondeo, Prophetam hic docere quid futurum ſit, non jubere neque hortari ut hoſtium exitium appetamus. Si quis rurſus excipiat, non ſolum expectandum eſſe, ſed etiam appetendum quod Dominus promittit, quum cedat in ejus gloriam, & ſalutem noſtram: fateor ſane hoc ſolatio non parum levari noſtros dolores, quum promittit ſe pœnas aliquando ſumpturum de hoſtibus, qui
nos crudeliter vexarunt, atque eadem ipſis menſura Mat. 7.
redditurum: hoc non obſtat quo minus nos interea verſ. 2.
manſuetos eſſe jubeat, ut nos potius miſereat ipſo- Mat. 5.
rum ob mala quæ ſibi acceſſunt, eorumque vicem verſ. 44.
deploremus, quam feramur crudeli affectu in ipſo-
rum

rum perniciem. Quod ſi hanc promiſſionem qua decet fide amplectimur, omni carnis impetu in ordinem ſubacto, primum compoſiti erimus ad tolerantiam: deinde moderato zelo expetemus Dei judicium. Ideoque danda in primis opera eſt, ut omni turbulento carnis motu ſedato & valere juſſo, liquido ſinceroque corde expectemus opportunum judicii tempus, idque non tam privatæ utilitatis reſpectu, quam ut laudem ſuam obtineat Dei juſtitia. In eandem ſententiam à Davide ſcriptum eſt: Lætabuntur juſti, quum viderint ultionem, pedes ſuos in ſanguine impiorum lavabunt. non quod delectentur eorum malo: ſed quod, ut poſtea ſubjungit, juſtum maneat fructus ſuus, & juſta Dei judicia in terra pateſiant, quum improbi ſcelerum ſuorum pœnas luunt. Judæi, ut ſunt truculenti natura, & cædium avidi, has promiſſiones eo ſenſu arripiunt quo feræ & immanes beſtiæ, quæ oblatam prædam aviditate vorant, atque ſolo ejus ſenſu infremiſcunt. At Dominus non vult ſuos manſuetudinis, quam præcipue commendat, oblivisci. nec enim ipſius eſſe poſſumus, niſi eodem ſpiritu, humanitatis videlicet & clementiæ, dirigamur. Denique hac ſimilitudine raſtri dentati nihil aliud ſignificat, quam infeliciſſimum impiorum exitum, quos Dominus piorum manu profligabit. Idque ut pios conſoletur: non ut ad cædis aviditatem inflammet.

Pſal 58. verſ. 11.

16. *Ventilabis eos.*] Idem hic ſignificat quod proximo verſu, ſed alia ſimilitudine. nam Eccleſiam vanno comparat: impios vero quiſquiliis quæ vanno projectæ diſperguntur huc & illuc: acſi diceret, Quamvis ad tempus Gentes vos triturent atque ventilent, durius tamen ipſas judicium manet. Exitio enim ſuo triturabuntur, ac veluti quiſquiliæ projicientur. Notandum vero diſcrimen eſt: quia & hic bono ſuo fideles triturantur, quia patiuntur ſe domari, & redigi ſub imperium Dei. Alii vero pervicaciter repugnant, nec ſe in ordinem cogi ſinunt. hos tanquam paleas aut quiſquilias vento projici docet Propheta. Sic Judæos flagellis Deus excuſſerat, calcaverat triturando, cribrando agitaverat, ut tritico bene purgato ſimiles ad ſe colligeret: profanas vero Gentes quaſi paleas ſterquilinio deſtinat. Huc accedit, quod ex incredulis quoſdam triturat victrix Eccleſia, ut ipſi quoque ſordibus ſuis purgati, locum obtineant in Dei horreo. atque ita impletum fuit hoc vaticinium, quoties opera fidelium ſubjugati fuerunt aliqui in Gentibus, ut Chriſti imperio ſe ſubjicerent. Neque enim terrena unquam potentia præditi fuerunt, ut cunctis hoſtibus ſuis dominarentur. quin potius animas ſuas in tolerantia poſſidere oportuit. Sed inſtar palmarum ſub tot oneribus eos erexit Dominus, ut non modo incolumes emergerent, ſed pedibus etiam calcarent hoſtes ſuos invicta animi altitudine. Notandum præterea eſt, frequenti Scripturæ uſu transferri ad Eccleſiam quod proprie non niſi in Deum competit. Quia ergo impias Gentes afflixit Deus in Eccleſiæ ſuæ gratiam, dicitur eos dediſſe triturandos ſub pedes fidelium, ad quos perveniebat fructus. Cæterum quoties iſtas prophetias legimus, attollendæ ſunt mentes ad regnum Chriſti, ut omni pravo affectu vacui, eum quem decet modum teneamus, neque ante tempus trituram iſtam appetamus: quia abunde ſufficere nobis debet, ſi Caput noſtrum tandem hoſtes ſuos ſub pedibus ſuis proſternat, ut communis ſit nobis victoriæ triumphus. Jam ubi addit cauſam exultandi in Domino Judæis fore, quanquam hac fiducia lenire vult eorum dolorem, ſimul tamen admonet modeſtiæ pios, ne exultent animi ferocia ſi quando erigi ipſos manu Dei contingat, atque ita evehi, ut hoſtes ſub poteſtatem ſuam redigant. nihil enim proclivius eſt hominibus, quam efferri & protervire quum res ipſis ſuccedunt ex animi ſententia. Obliviſcuntur ſe eſſe homines, Deique memoriam delent, quem debuerant bonorum omnium auctorem agnoſcere. Ut ergo immodicam exultationem qua ſemper caro laſcivit, cohibeat Propheta, & qua nos ſæpe abripi ſinimus, ſubjunxit *in Domino*, quia in eo omnis & gloria & lætitia noſtra ſubſidere debet. Denique Propheta ad gratitudinem hortatur, ut quo altius evehimur à Deo, eo diligentius omni ambitionis vanitate correcta, in ipſo ſolo & gaudeamus & gloriemur.

Luc. 21. verſ. 19.

17. *Egeni & pauperes quærent aquas.*] Hic proſequitur argumentum quod jam ab initio quadrageſimi capitis tractare cœperat. miſerum enim & calamitoſum ſtatum declarat: in quo futuri erant Judæi in Babylone: donec tandem Deus eorum miſertus opem afferret. Ergo eos ad tolerantiam extremæ inopiæ præparat, ſiticuloſos fore dicens: quia hæc ſynecdoche ad exprimendam mali gravitatem aptior erat. Scimus enim nihil eſſe quod magis excruciet homines quam aquæ penuriam in ſiti. Atqui ubi eo neceſſitatis ventum fuerit, Deus ſe ſubventurum affirmat. Unde colligendum eſt, ad quos hæc promiſſio pertineat: nempe ad eos qui ad extrema redacti, velut ſiti areſcunt, ac prope deficiunt. Unde etiam perſpicimus Eccleſiam non ſemper abundare bonis omnibus, ſed magna interdum inopia premi, ut his veluti aculeis pellatur ad Deum invocandum: quia ad ſegnitiem delabi ſolemus, quum res fluunt ex animi ſententia. Ideo ſitire nos ac eſurire utile eſt, ut diſcamus ad Dominum toto animo confugere. Denique nos ſenſu inopiæ noſtræ affici ac premi neceſſe eſt, ut auxilium Domini ſentiamus. Nec vero dubium eſt hac circumſtantia partim magnitudinem gratiæ fuiſſe illuſtratam à Propheta: partim vero admonitum fuiſſe populum ne egeſtatis ſuæ tædio deficeret. Et notanda ſunt nomina quibus hic populum Dei vocat. Afflictos enim & pauperes dicendo, non de alienis loquitur, ſed de iis quos Dominus cooptarat, ac veluti peculium ſibi delegerat: quibus extremas quaſque anguſtias patienter ferendas eſſe denunciat. unde mirum videri non debet ſi fame & ſiti nos prope tabeſcere interdum ſinat Deus, quando patres non minus duriter exercuit. Quum dicit aquas nuſquam occurrere, diſcamus Dominum, ut patientiam noſtram & fidem probet, omnia nobis ſubſidia adimere, ut in ipſo ſolo recumbamus. Quum ergo nobis huc illuc circumſpectantibus nullum auxilium apparebit, ſciamus Dominum nihilominus adfuturum eſſe. *Exaudiendi* verbo ſignificat non quibuslibet Deum ſubvenire, ſed iis qui ipſum precantur. quod ſi adeo ſocordes ſimus ut negligamus auxilium ejus, omnino deſtitui, nec ullam, utpote indignos, allevationem ſentire juſtum eſt.

18. & 19. *Aperiam.*] Superiorem doctrinam alio non modo illuſtrat, nempe Deum minime opus habere externis mediis & naturalibus, ut opituletur Eccleſiæ ſuæ: ſed in promptu eſſe arcanos & admirabiles modos, quibus præter ſpem & carnis ſenſum ejus neceſſitati remedium afferat. quum nulla apparet auxilii ratio, facile deſperatio obrepit. vix certe ſperare audemus quicquam, niſi quatenus externa adminicula ſe oculis noſtris oſtendunt. His deſtituti in Domino conquieſcere non poſſumus. At Propheta tunc vel maxime confidendum eſſe admonet: quia tunc major opportunitas Deo eſt exerendæ ſuæ virtutis, quum nullæ hominibus viæ aut rationes patent, omniaque penitus deplorata eſſe videntur. Præter ſpem igitur & cogitationem omnium hominum affuturus eſt ſuis Dominus, ne ancipiti & dubia cogitatione nos huc atque illuc diſtrahi ſinamus. Et quo magis id confirmet, ſe adverſus rerum naturam & ordinem miracula editurum promittit: ne humano ingenio hæc æſtimanda & judicanda eſſe putemus, neque inferioribus hiſce mediis potentiam Dei & promiſſa alligemus. Satis enim per ſe Dominus virtutis habet, nec aliunde eam mutuari neceſſe eſt,

eſt, nec ordini naturæ adſtrictus eſt, quin eum facile immutet, quum ei viſum erit. nam quod in cacuminibus montium aquas, & in planitie agrorum fontes, in deſertis ſtagna ſe editurum dicit, ea omnia præter naturæ ordinem eſſe ſcimus. Quorſum vero hæc promittat ſatis apertum eſt: ne ſcilcet putarent Judæi ſe excludi à reditu in Judæam magna illa deſerti vaſtitate, ubi viatores torrentur Solis æſtu omnibuſque rebus neceſſariis deſtituuntur. Promittit ergo Dominus ſe aquam abunde ſuppeditaturum, & alia quæ ad iter faciendum neceſſaria erunt. Hæc autem impleta ſunt, quum Dominus populum ſuum eduxit e Babylone: ſed multo plenius quum univerſum orbem ad ſe convertit per Chriſtum redemptorem, à quo abundantiſſimæ aquæ per totum orbem ad ſitim miſerorum hominum reſtinguendam effuſæ ſunt. Tunc enim ejuſmodi converſio accidit, qualis nunquam mentibus hominum concipi potuiſſet.

20. *Itaque videant.*] Quum ſibi ex cunctis operibus ſuis reverentiam Deus conciliet, ubi tamen de reſtituenda Eccleſia agitur, admirabilis ejus virtus ſeſe profert, quæ omnes cogat in admirationem ſui. Et ſicut alibi vidimus, ac deinde ſæpius repetet, populum ab exilio reducens, documentum edidit ſeculis omnibus memorabile, ſicuti hic pronunciat ſe facturum. Quoniam vero vel tardi vel negligentes ſumus ad conſideranda ejus opera, &, quia perquam exigua eſt attentio, ſtatim nobis effluunt, pluribus idem inculcat. Vanis enim atque inutilibus rebus potius quam in admirandis hiſce Dei operibus occupamur: ac ſiquando nos in admirationem rapiant, tamen facile obliviſcimur, quia ad res alias & quidem frivolas ſtatim delabimur. Nos igitur exſtimulat Propheta, ut excuſſo torpore omnes ſenſus noſtros ad comprehendendam Dei virtutem excitet atque intendat. Itaque aſpectum primo loco ponit qui certam notitiam pariat: deinde adjungit cogitationem, quæ notitiam melius ac certius confirmet. Incertum eſt autem an Propheta de Judæis, id eſt, domeſticis Eccleſiæ, an de exteris loquatur. Ac meo quidem judicio generaliter accipere poſſumus, in Eccleſiæ reſtitutione conſpicuam fore manum Dei uſque ad Gentes procul remotas, ut inſigne Dei opus omnes admirari cogantur. Certum eſt autem Perſas & Medos ex quo dominati ſunt Judæis, mirum in modum ſtupefactos fuiſſe, quum hæc Prophetarum teſtimonia audirent, maxime ubi rem ipſam oculis intuiti ſunt. hæc enim ab hominibus fieri non poſſe intellexerunt, tametſi ad eum minime converſi ſint.

21. *Adeſte cauſæ veſtræ.*] Hoc etiam ſuperiori doctrinæ neceſſario addi oportuit: quum enim verſamur inter impios, ludibrio habetur ſpes noſtra, & ſtultitiæ ab iis damnamur, quaſi nimium ſimplices ac creduli ſimus. Talibus ergo ſannis invaditur fides noſtra, & ſæpe concutitur: Hi pendent è nubibus, atque ſibi perſuadent ea quæ fieri non poſſunt, omnique rationi adverſantur. Quum igitur in exilio ejuſmodi irriſiones audituri eſſent Judæi, his Prophetæ monitionibus ipſos muniri operæpretium fuit. Et quo plus efficaciæ habeat hic ſermo, teſtandæ fiduciæ cauſa Gentes ipſas ultro laceſſit, jubens ut firmamenta cauſæ ſuæ afferant, ſicuti in judicio fieri ſolet. *Regem* autem *Jacob* ſe vocans, idolis omnibus inſultat, & ſe cauſam populi ſui ſuſcipere demonſtrat, ut tandem appareat gloriæ ſuæ vindex, injuſte oppreſſos redimendo. Interea tamen magna fide pios inſtructos eſſe oportuit: qualis enim fuit regni ſpecies, quum captivi adeoque oppreſſi eſſent? unde
verſ. 14. etiam prius vermem Jacob, & mortuos vocavit. Verum ea promiſſione ſuſtentarunt animos ſuos qua prius radicem eorum ſub terra latere dictum eſt,
cap. 11. quum arbori èxectæ populum comparavit, Emerget ex trunco Iſai, &c. Regnum igitur quod latebat, oculis fidei intuebantur. nec enim id aut corporis oculis cerni, aut humano ingenio comprehendi potuit.

22. & 23. *Adducant.*] Non tantum aggreditur idolorum cultores, ſed jubet ut ſecum deos ipſos in medium producant: perinde acſi diceret, quibuſcunque argutiis ſint inſtructi, non fore tamen idoneos patronos ut tam malam cauſam defendant. Hic porro videmus Deum patroni perſonam ſuſtinere, & totius populi nomine loqui. nec enim vult disjungi ab Eccleſia ſua. Eam ergo confirmat, atque munit adverſus ludibria impiorum, & alias machinas quibus fidem noſtram adoriuntur. Bono igitur animo eſſe nos decet, quum Deus ſuſcipiat cauſam noſtram, atque in medium prodeat adverſus idololatras, atque adeo in ipſa idola armatus invicta ſua veritate inſurgat, eorum vanitatem refutans. Cæterum, hoc modo admonet ſe Verbo ſuo ſatis ſuperque armaſſe ſuos electos ad certam victoriam, ut congredi manuſque conſerere cum incredulis omnibus non dubitent. Et certe quiſquis rite ut par eſt profecit in cæleſti doctrina, victrice fidei conſtantia cunctas Satanæ impoſturas facile diſcutiet. Verum quidem eſt, fidem noſtram ab obedientia incipere: ſed ita intelligentiam præcedit docilitas, qua Deo ſubjicimus ſenſus noſtros in obſequium, ut certa deinde ſcientia mentes noſtras illuſtret. Atque hac nota diſcernitur à ſuperſtitionibus vera religio, quia ad regulam minime dubiam vel fallacem exigitur. Plus ſatis quidem in ſuis erroribus ſuperbiunt idololatræ: ſed tota eorum pervicacia ex ſtupore, amentia, vel phrenetico impetu emergit. Nam ſi ſobrie & placide ad ſanam doctrinam attenderent, ſtatim conciderct faſtus ille quo lucem veritatis obruunt. Alia eſt piorum ratio, quorum etſi fides in humilitate fundata eſt, non tamen ſtulto & inconſiderato zelo temere fertur: quia Spiritum Dei habet ducem & magiſtrum, ne à certa Verbi luce aberret. Itaque ubi nulla eſt ad diſcernendum regula, teſte Propheta, mera eſt ſuperſtitio. Jam quia nihil temere repudiandum, dicunt fideles, Afferte, & cor adjiciemus: non quod divinitus edocti adhuc in utramque partem debeant eſſe flexibiles: ſed quia ſuperſtitioſi nihil niſi ridiculum jactare poſſunt. Iterum ergo notatur diſcrimen ſtupidæ obſtinationis, & rectæ fidei quæ ſuam ſoliditatem habet in verbo Dei, ne unquam labaſcat. Jam videndum eſt quibus argumentis Dei majeſtatem aſſerat Propheta. Nam omnipotentiam, rerumque omnium præſcientiam ita ſibi vendicat Deus, ut alio transferri ſine ſummo ſacrilegio nequeant. Unde colligitur ſic propria eſſe Divinitatis, ut vere Deus cenſeri mereatur quiſquis novit ac poteſt omnia. Nunc ergo ita Propheta ratiocinatur: Si quæ colitis idola, ſunt dii, oportet ipſos ſcire & poſſe omnia. atqui nihil poſſunt neque in proſperis neque in adverſis, neque præterita neque futura tenent: ergo non ſunt dii. Hic exoritur quæſtio difficilis. multa enim apud profanos vaticinia extant, quæ ab oraculis deorum ſuorum acceperunt, quibus videri poſſent Apollo, Jupiter, & alii futura præſcire, proptereaque dii eſſe. Primum reſpondeo, ſi conſideremus cujuſmodi fuerint illa oracula, quæ ab idolis reddita narrantur, omnia obſcura aut ambigua fuiſſe intelligemus.

Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.

Item alibi.

Crœſus Halym penetrans, magnam pervertet opum vim.

His ergo perplexis ambagibus Satan torquebat hominum mentes, ut perinde incertos à ſe dimitteret qui talibus impoſturis dediti erant. Sed tenendum præterea eſt quod docet Paulus, dari efficaciam erro- *2 Theſ. 2.*
ris Satanæ, ut deludat omnes impios qui ſponte ejus *verſ. 11.*
præſtigiis ſe addicunt. Quum ergo Satanam men- *Joan. 8.*
dacii patrem conſulerent increduli, non mirum fuit *verſ. 44.*
decipi prætextu veritatis. Sed hæc juſtiſſima fuit in- *1 Reg. 22*
gratitudinis merces. Videmus laxata fuiſſe frena Sa- *verſ. 22.*
tanæ, ut per falſos Prophetas magis excæcaret

Achab, qui ſibi in talibus præſtigiis placebat. Non minus æquum fuit profanas Gentes, quum ſe alienaſſent à vero Deo, vanis decipulis captari, imo trahi in exitium. Atque hic ſupervacua eſt diſputatio, in qua multum laborat & ſudat Auguſtinus, quomodo ad cæleſtes Angelos præſcientia dæmones accedant: quia cauſam alibi quam in eorum natura quærere convenit. Sic olim Deus fallaciis inſtruens impios doctores, ſcelera populi ſui ultus eſt: non quod illi præcellerent dono intelligentiæ: ſed quatenus in hunc uſum aptati erant, graſſati ſunt permiſſa ſibi licentia. Quod ad Deum ipſum ſpectat, quanquam abſcondita eſt ejus præſcientia, imo profunda eſt abyſſus: eam tamen ſatis patefecit electo populo, ut ſe à falſorum deorum turba eximeret. non quod omnia prædixerit per ſuos Prophetas: quia & inexplebilis eſt hominum curioſitas, nec utile eſt ipſis ſcire omnia: ſed quia nihil celavit quod eſſet utile cognitu, & multis inſignibus vaticiniis quoad ſufficeret oſtendit ſe peculiarem Eccleſiæ curam gerere: ſicut
Amos 3. verſ. 7. dicit Amos, An erit arcanum quod non revelet Deus ſervis ſuis Prophetis? Atque hac prærogativa indigne & ſceleſte abuſi ſunt Judæi, qui ex frivolis ſuis prædictionibus quæſtum paſſim inter Gentes fecerunt. Cæterum ita ſemper enituit veritas in cæleſtibus oraculis, ut in ea dilucide agnoſcerent Deum Iſraël unicum eſſe, quicunque ſibi ab inſidiis cavebant. Fideles quidem in ſchola Dei edoctos non magis fallere potuerunt idola, quam ſi quis homini bene oculato nigrum pro albo in meridie oſtentet, tantum abeſt ut præſcientiam ſuam demonſtraverint. Potentiæ vero multo minus attribuere licuit, quum ex quotidianis vaticiniis palam eſſet Deum unum res proſperas & adverſas moderari. Idolis ſuis gratias egit victor Aſſyrius. Atqui pridem admonuerat Deus Judæos quid futurum eſſet: imo palam oſtenderat ſe armare impium illum exercendæ vindictæ ſuæ cauſa. Porro *malefacere* non eſt hic accipiendum pro Injuriam inferre, quod alienum à Deo eſt: ſed pœnas irrogare ſignificat, & res adverſas immittere, quod providentiæ Dei, non idolis aut Fortunæ tribui debet. Quo ſenſu ſæpiſſime occur-
Amos 3. verſ. 6. Thren. 3. verſ. 38. rit in Scripturis. Amos, An eſt malum in civitate quod non fecerit Dominus? Item Jeremias populum accuſat quod Deum auctorem boni & mali non agnoſceret. His ergo malis, cujuſmodi ſunt bella, peſtis, fames, paupertas, ægritudo, & alia ejus generis, Dominus in ſcelera populi animadvertit: atque eorum omnium auctor agnoſci vult. Non adducit autem Jeſaias omnia exempla & argumenta quibus Deus ab idolis diſtingui poſſet. nam longa admodum opus fuiſſet oratione: ſed iis nunc contentus fuit, quibus breviter & tamen aperte rem monſtraret. nondum enim finem huic argumento facturus eſt.

24. *Ecce vos eſtis.*] Nunc inſultat idolis, ut pios in fiducia & cultu unius Dei confirmet, dum ex comparatione perſpiciunt eos qui idola colunt, miſere falli & cæcutire. *Factura* hic paſſive accipi debet, acſi diceret vanam eſſe imaginationem, vel figmentum nulla de re. Atqui improprie loqui videtur Jeſaias, quum idola ex nihilo eſſe dicit: auro enim aut argento, aut ære, aut lapide, aut alia materia conſtant. Solutio eſt facilis: nec enim materiam ſpectavit Jeſaias: ſed qualitatem, hoc eſt, opinionem divinitatis quam de iis homines perperam concipiunt. Nec enim ſuperſtitioſi lignum, aut æs, aut metallum ſimpliciter adorant, ſed quam ſtulte majeſtatem numinis affingunt. hoc certe nihil omnino quam vanam imaginationem eſſe certum eſt. unde
1 Cor. 8. verſ. 4. etiam Paulus eodem modo pronunciat idolum nihil eſſe. Quid enim eſſe, aut quo nomine figmentum inane vocari poteſt? *Abominationem.* Alii vertunt, Abominatio: atque intelligunt homines qui idola eligunt, abominabiles eſſe. ſed alium ſenſum eſſe puto. Verbum *Elegit* accipio indefinite, ut Grammatici loqui ſolent, quemadmodum etiam alias ſæpe occurrit in Scripturis. nam quum Prophetæ de vulgo hominum loquuntur, & aliquid commune & uſitatum narrant, ſubſtantivum non exprimunt. Sic igitur intelligo, homines idola fabricare non poſſe, quin ſimul abominationem fabricent. Atque hic locus ſingularis eſt ad deteſtanda idola, & audaciam hominum qui ea conſtituunt. Hoc enim ſine maxima Dei contumelia fieri non poteſt. Videtur quidem nonnullis eſſe luſus: ſed Propheta abominationem eſſe pronunciat, quam Deus ferre non poteſt, nec inultam eſſe patietur. Ac per verbum Eligendi idololatriæ origo quaſi digito monſtratur: quia nunquam tot corruptelis vitiata eſſet pura religio, niſi pro ſua libidine auſi fuiſſent homines deos ſibi fingere. Quare notandum eſt electitios omnes cultus veræ pietati opponi.

25. *Excitavi ab Aquilone.*] Iterum ad illud argumentum redit quod prius attigerat, de præſcientia & potentia Dei: atque in eum ſolum, cujus hæc ſunt, Dei nomen competere oſtendit. vana igitur eſſe idola, quæ nihil omnino aut norunt aut poſſunt. Quod dicit ſe ab Aquilone excitaſſe, nonnulli de Cyro interpretantur, alii de Chriſto. Ego vero duas res hic à Propheta notari exiſtimo. Nam quum dicit ab Aquilone, intelligit Chaldæos: ab Oriente, Medos & Perſas. acſi diceret, Duæ mutationes memoratu dignæ contingent: nam Chaldæos excitabo, quorum regnum in ſublime eveham. Deinde advenient Perſæ, qui eorum potentiam ad ſe transferent. Hæc Dominus quamvis longo poſtea intervallo futura, jam ſibi nota eſſe ſuoque conſilio ordinata eſſe docet, ut eorum eventus ſuæ divinitatis certum ſit documentum. Interea priore membro pœnam denunciat ad terrendos Judæos: ſecundo commendat miſericordiam ſuam, quia & captivitatem, & liberationem populi, opus ſuum fore teſtatur, ut palam ſit penes ipſum & præſcientiam & potentiam eſſe. Profani homines varia inter deos ſuos officia diſtribuunt. Apollo prædicit futura, Jupiter exequitur: atque alius alia agit. Dei vero partes ſunt non ſolum futura prædicere aut ſignificare, ſed omnia diſponere ſuo arbitratu. quicquid enim divinitatis eſt, in ſolum Deum competit, nec alio transferri poteſt. Ideo tam præſcire quam facere conjunctim ſibi vendicat. Ab Aquilone ſe vocare dicens, ut nuper attigi, vaticinium edit de futura captivitate, de qua tunc nulla opinio erat, quia Judæi cum Chaldæis amicitia juncti erant. ſimul de reſtitutione populi vaticinatur, qui per Cyrum in patriam reductus eſt. Quis in illo rerum ſtatu hæc credibilia eſſe exiſtimaſſet: præſertim quum longo poſt temporis intervallo ſequuta ſint? nam circiter ducentos poſtea annos evenerunt, ex quo Propheta vaticinatus erat. Harum rerum auctorem ſe eſſe Dominus teſtatur: ut omnes intelligant Chaldæos non temere proſiliiſſe, ſed à Domino fuiſſe excitatos quaſi flagella Judæis caſtigandis: Perſas quoque & Medos non ſua virtute Chaldæos ſubegiſſe, niſi quatenus ducti manu Dei atque impulſi ſunt. Hic igitur magnitudinem Dei & potentiam exprimit, eoque apertius, quod Reges & Principes Dei reſpectu lutum eſſe docet. Hinc melius perſpicimus Prophetam non ſolum temporis ſui, ſed poſterorum rationem habuiſſe. nam iis qui tunc vivebant, hæc nota eſſe non potuerunt: poſteri vero quibus re ipſa hæc comprobata ſunt, melius intellexerunt: ut nemini dubium eſſe poſſet, unicum eſſe Deum, cui nuda & aperta eſſent omnia, Hebr. 4. verſ. 13.
quique res omnes arbitrio ſuo moderaretur. Inſignis locus quo plena & ſolida fides oraculis Dei aſſeritur. Nec enim Judæi, dum captivi eſſent in Babylone, hæc vaticinia finxerunt: ſed quum longe antea eorum etiam patribus relicta & tradita fuiſſent, juſtum Dei judicium tandem noverunt, à quo in tem-

tempore moniti fuerant. deinde miſericordiam ejus amplexi ſunt, quum intelligerent ſe tandem liberandos eſſe à Domino, qui volebat Eccleſiam ſuam ſervari: atque fidelem ipſum in promiſſis experti ſunt. Hinc igitur certo conſtituere poſſumus, Jeſaiam proprio motu minime loquutum, ſed linguam ejus Dei Spiritu impulſam atque directam eſſe. Quod veniſſe dicit, perinde valet atque certo impletum iri quicquid juſſu Dei prædictum eſt. Loquitur autem de re futura: unde præſcientia Dei apparet. deinde auctorem ſe harum rerum eſſe: quod ad virtutem & potentiam pertinet. Vocare Dei nomine nihil aliud eſt, quam rem aggredi ejus auſpiciis. Verum quidem eſt, nihil minus propoſitum fuiſſe Cyro quam operam ſuam Deo Iſraëlis locare, aut eum ſequi ducem: ſed ex re ipſa patuit, Deum occulto modo præire ut eum per continuas victorias, & quidem incredibiles, Babylonem uſque perduceret. Quod figulo comparat lutum calcanti, ideo additum eſt, quoniam immenſa erat Chaldæorum potentia, ut inexpugnabilem omnes vulgo putarent, atque invicti eſſe videbantur. Quum ergo freti ſuis opibus omnes adverſarios contemnerent Babylonii, atque impotenter efferrentur, Propheta non ipſos modo, ſed alios innumeros inſtar luti calcandos atque ſubigendos eſſe dicit. Denique ſignificat opulentiam Chaldæorum impedimento non fore quominus hæc mutatio fiat, atque Medi & Perſæ regnum occupent. Et certe hæc ſimilitudo clare ipſo eventu probata fuit, quod Cyrus tot gentibus devictis, tot bellis feliciter defunctus intra exiguum tempus totum Orientem ſubegit.

26. *Quis nunciavit.*] Iterum adverſus idola inſurgit Dominus, poſtquam aſſeruit divinitatem ſuam. quærit enim an idololatræ ad probandos ſuos cultus ſimile aliquid proferre poſſint: id eſt, exemplum aliquod ejuſmodi præſcientiæ aut potentiæ adducere. Et quia hoc juris ſine controverſia ſibi uni ſumere poterat, inſultans dicit, Fatebimur verum eſſe Deum à quo talia fient. Ad verbum, Juſtum eſſe: ſed juſti appellatio late patet. accipitur autem interdum pro vero & probato. unde illud, [Matt. 11. verſ. 19.] Juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis, id eſt, probata. Hæc igitur luculenta ſunt teſtimonia divinæ majeſtatis quibus vanitas idolorum coarguitur, quod ſolius Dei arbitrio reguntur omnia, ſoloque ejus nutu potentiſſimæ monarchiæ evertuntur. Loquitur autem Dominus in plurali, ut oſtendat ſe non propriam, ſed totius populi cauſam tueri. Ipſe quidem ſua æternitate contentus eſt: verum ut infirmi ſumus, ita nobis probari ipſum eſſe Deum neceſſe eſt, ne vagentur mentes noſtræ, atque incertæ errent, ſed in eo penitus conquieſcant. Ideo additur ad Verbum experimentalis notitia, quæ fidem, ſi adhuc vacillationi obnoxia eſt, melius fulciat. Obmuteſcere vero idola dicit, & ſuſpenſos relinquere ſuos cultores, dum ipſe facem Verbi ſui accendit, quæ electo populo ad rectum judicium præluceat.

27. *Primus Sioni.*] Hoc verſu clarius exprimit Deus futura ſe prædicere Judæis, ut eos ad fidem animet: quia niſi finem ſuum & uſum habeant prophetiæ, res futuras cognoſcere per ſe non admodum prodeſſet. Hoc igitur Deus ſe reſpicere teſtatur in vaticiniis, ut Eccleſiæ fidem ædificet. quod ſuperioribus addi neceſſe fuit, ut populus intelligeret iſta exempla proponi non ſolum ad virtutem Dei prædicandam, ſed ut pii omnes ex ea fructum ſentirent. ſic enim accommodanda ſunt exempla omnia virtutis [1 Pet. 5. verſ. 7.] atque præſcientiæ Dei; ut nos ei curæ eſſe, atque in ſalutem noſtram omnia ab ipſo agi intelligamus. Jubetur ergo Sion agnoſcere verum & unicum Deum: non ex eo ſolum quod pœnas ſcelerum ſuorum dedit: ſed quod reſtituitur ab exilio, atque ita propitium ſibi Deum ſentit. *Ecce.* Hic conſiderandus eſt nobis mons Sion quaſi vaſtus & deſertus: Jeroſolyma vero ut in ſolitudinem redacta. unde etiam Jeremias eam ſic loquentem introducit, ut mulieres afflictæ [Thren. 1. verſ. 20.] & turbatæ ſolent. Ita nunc Dominus eam proponit ut orbam & deſtitutam. Poſtea Jeſaias ipſam ad lætitiam excitabit, [infr. 54. verſ. 1.] ut mulierem prius ſterilem, cui nova fœcunditas ad ſobolem gignendam à Domino data eſt. Eodem modo hic ſignificat ſe conſolaturum Jeroſolymam, quo tempore triſte & horrendum ſpectaculum erat in deformibus ejus ruinis. Hic autem eſt nuncius, vel orituros ex ea liberos, quum diu orba & ſolitaria fuiſſet: vel turmatim ad eam redituros qui per longinqua exilia diſperſi fuerant. Opponenda igitur eſt illi vaſtitati reſtitutio quæ per Cyrum facta eſt, ubi dicitur, Ecce veniunt. & ſub nomine Primi non modo æterna Dei eſſentia, ſed etiam vaticinii antiquitas notatur. Adjungit quomodo fideles Deus edoceat de rebus futuris, nempe opera & miniſterio Prophetarum. מבשר, Hieronymus vertit Euangeliſtam, ſed proprie Nuncium ſignificat. parum tamen intereſt, quod ad ſenſum ſpectat. Prophetas enim denotat qui lætum ac optatum hujus liberationis nuncium perferent, ſicuti ante per Moſen promiſerat Deus ſe per continuas ſucceſſiones excitaturum fideles miniſtros, [Deut. 18. verſ. 15.] qui Magis omnibus, Ariolis & Divinis longe præcellerent. unde etiam prius inſigni titulo Eccleſiam ornabat, [ſupr. 40. verſ. 9.] Annunciatricem vocans: quoniam in ea reſonare debet verbum Dei: quod plurimum valet ad commendationem prædicationis. nec enim Dominus è cælo deſcendit ut nos doceat: ſed utitur miniſterio ſervorum ſuorum, atque ipſorum ore ſe loqui pronunciat. Hoc autem inſigne beneficium Dei à nobis toto animo complectendum eſt. Promiſerat in Lege, [Deut. 18. verſ. 15.] ut nuper attigi, Suſcitabo vobis Prophetam de medio veſtri. nunc promiſſionem iſtam confirmat, quum ait, Nuncios minime defuturos qui populum ſublevent in ſuis mœroribus, & in ſummis illis anguſtiis conſolentur. Hic etiam conſtituendum, nullam eſſe Eccleſiæ formam, ubi prophetiæ ceſſant: id eſt, ubi nulla miſeriis noſtris ex verbo Dei allevatio affertur.

28. *Aſpexi, nec ullus.*] Poſtquam de ſe loquutus eſt Dominus, ad idola revertitur. ſunt enim perpetuæ antitheſes, quibus Deus idolis opponitur: perinde ac ſi diceret, Hæc à me fiunt, ab idolis vero fieri non poſſunt. Nihil enim omnino iis conſilii, prudentiæ vel intelligentiæ eſt: nullum reſponſum interrogantibus dare, nullam allevationem miſeris afferre poſſunt. Atque in iſta comparatione tenendum eſt, primum per Prophetas & eorum doctrinam facile oſtendere ſe eſſe Deum, deinde ſimiliter quoque operibus: in idolis vero nihil tale reperiri. Sequitur ergo non eſſe deos, noſque in hoc uno defixos eſſe oportere. Cæterum hebetantur hominum oculi ſocordia, quod neque interrogent, neque conſiderent, neque obſervent. obſtupeſcunt ergo in idolis: quia ſponte hallucinantur. nam protinus vanitatem deprehenderent, ſi diligentiam in conſiderando adhiberent. Unde apparet idolorum cultores ignorantiæ prætextu excuſari non poſſe: quia cæci eſſe atque in tenebris errare quam lucem intueri & veritatem amplecti malunt.

29. *Ecce, omnes vanitas.*] Poſtquam loquutus eſt de idolis, idem pronunciat de ipſorum cultoribus: quemadmodum etiam Pſal. 115. habetur, [Pſal. 115. verſ. 8.] Similes eis fiunt qui faciunt ea, & omnes qui ſperant in eis. Omnes igitur ſuperſtitioſos vanitatis plenos eſſe, nihil judicii aut rationis habere oſtendit. Hoc quidem ipſis perſuaderi non poteſt: nam arrogantia ſua inflati, ſe primarios omnium hominum eſſe putant, noſque velut ſtupidos & humanarum rerum expertes præ ſe deſpiciunt. Quo faſtu nos contemnunt Papiſtæ & acuti eorum doctores? qua ſuperbia olim Romani Judæos ſpreverunt? Sed nihil eſt cur moremur talem ſuperbiam: omnes enim hic à Deo vanitatis damnantur. *Defectus opera eorum.* Opera vocat tam

ſimulachra quæ ſibi ſuperſtitioſi homines effingunt, quam omnes commentitios cultus, quorum nullus eſt finis vel modus, ubi quis ſibi religionis auctor & magiſter eſſe appetit: omnia Defectum, id eſt, rem nihili eſſe pronunciat. Planius etiam declarat, quum dicit *ventum* eſſe & *chaos*, id eſt, rem confuſam. Sic enim expono תהו, quemadmodum etiam accipi-
Gen. 1: 2. tur primo Geneſeos, quum terram primum informem ac veluti confuſam fuiſſe Moſes ait. Hic locus adverſus idololatras diligenter notandus. Putant enim ſimulachra inſtituta eſſe ad conſervandam religionem, atque eorum conſpectu, tanquam viſibili præſentia Dei, animos accendi. Libros ſimplicium atque idiotarum eſſe putant, qui Scripturarum lectione inſtitui non poſſunt. Hic vero Spiritus Dei rem confuſam atque informem eſſe dicit: quia videlicet obturbantur ingenia hominum, atque in ſuperſtitione retinentur. imo quicquid veræ notitiæ hominibus ineſt, hoc idolorum cultu ſuffocatur atque extinguitur. denique omnia ſimulachra & eorum cultus, & qui eos commenti ſunt, & qui ſequuntur, meram vanitatem eſſe docet, atque à nobis ſecure damnari poſſe.

Cap. XLII.

a vel, *ſuffulciam ipſum.* ECce ſervus meus, ᵃ innitar illi, electus meus, in quo ſibi placuit anima mea. Poſui Spiritum meum ſuper eum: judicium Gentibus proferet.

2. Non clamabit, neque attollet, neque audire faciet in plateis vocem ſuam.

3. Arundinem quaſſatam non perfringet: nec linum fumans extinguet: in veritate proferet judicium.

4. Non deficiet, neque frangetur: donec ponat in terra judicium: & Legem ejus inſulæ expectabunt.

b vel, *potens.* 5. Sic dicit ᵇ Deus Jehova, creator cælorum, & expandens eos: dilatans terram, & germina ejus: dans flatum populo in ea habitanti, & ſpiritum ambulantibus in ea.

6. Ego Jehova vocavi te in juſtitia: & tenebo te manu tua: cuſtodiam te: & ponam in fœdus populi, in lucem Gentium.

7. Ut aperias oculos cæcorum, ut educas ex ergaſtulo vinctos, & è domo carceris ſedentes in tenebris.

8. Ego Jehova: hoc nomen meum: & gloriam meam alteri non dabo, nec laudem meam ſculptilibus.

9. Priora ecce venerunt: & nova ego annuncio: antequam oriantur nota faciam vobis.

10. Cantate Jehovæ canticum novum, laudem ejus ab extremo terræ: qui deſcenditis in mare, & plenitudo ejus, inſulæ & incolæ earum.

11. Exclament deſertum & urbes ejus, villæ ubi habitat Kedar. cantent incolæ petræ, & è vertice montium jubilent.

12. Dent Jehovæ gloriam, & laudem ejus in inſulis annuncient.

13. Jehova tanquam gigas egredietur: & ſicut præliator zelum excitabit. Vociferabitur, jubilabit: ſuper inimicos ſuos roborabitur.

14. Tacui à multo tempore, ſilui & continui me: tanquam parturiens clamabo: vaſtabo, & deglutiam ſimul.

15. In ſolitudinem redigam montes & colles: omnem herbam eorum exſiccabo: ponam flumina in inſulas: & ſtagna exſiccabo.

c vel, *Hæc verba: vel, Hæc res.* 16. Et ducam cæcos per viam quam neſciebant: per ſemitas quas non noverant faciam eos ingredi: ponamque tenebras coram eis in lucem, & obliqua in planum. ᶜ Hæc faciam eis, & non derelinquam eos.

17. Agentur retrorſum, pudefient pudore qui confidunt ſculptili, & fuſili dicunt, Vos dii noſtri.

18. O ſurdi audite, & cæci intenti eſtote ad videndum.

19. Quis cæcus niſi ſervus meus? quis ſurdus ſicut nuncius meus quem mitto? quis cæcus ſicut perfectus, & cæcus ut ſervus Jehovæ?

20. Videndo multa quæ non obſervas, aperiendo aures, ut non audiat.

21. Jehova voluntarius propter juſtitiam ſuam, ut magnificet Legem ac extollat.

22. At hic populus direptus eſt ac conculcatus: illaqueandi in carceribus omnes, & in ſpeluncis abſcondentur. Erunt in direptionem, nec erit qui liberet: in prædam, nec quiſquam dicet, Redde.

23. Quis in vobis auribus percipiet hoc? quis advertet? quis attendet in poſterum?

24. Quis in prædam dedit Jacob, & Iſraël expoſuit direptoribus? Nonne Jehova? eo quod peccaverimus in eum, nec voluerunt ambulare in viis ejus, nec audierunt Legem ejus.

25. Itaque effudit ſuper eum furorem iræ ſuæ, & robur belli. Inflammavit eum undique, neque advertit: exarſit in eum, neque poſuit ſuper cor.

E*Cce ſervus meus*] Videtur Propheta tanquam ex abrupto ad Chriſtum tranſilire, ſed memo-
ſupr. 7. verſ. 14. ria tenendum quod jam alio loco diximus: ſolere Prophetas quum aliquid difficile credita promittunt, ſtatim mentionem de Chriſto ſubjungere. In eo enim promiſſiones omnes ratæ ſunt, quæ
2 Cor. 1. verſ. 20. alioqui dubiæ ac ſuſpenſæ eſſent. In Chriſto, inquit Paulus, eſt Etiam & Amen. Quid enim nobis cum Deo niſi Mediator ille intercedat? nimium profecto abſumus à majeſtate ipſius. ergo neque ſalutis, neque ullius boni, niſi beneficio Chriſti, participes eſſe poſſemus. Porro dum Judæis liberationem promiſit Dominus, altius eorum mentes evehere voluit: ut majora & præſtantiora dona ſpectarent, quam libertatem corporis, & reditum in Judæam. Ea enim præludia tantummodo fuerunt redemptionis quam per Chri-

Chriſtum adepti ſunt demum, & nos hodie conſequimur. Imo mutila fuiſſet Dei gratia in reditu populi, niſi quatenus perpetuus Eccleſiæ ſuæ Redemptor tunc apparuit. ſed ut alibi diximus, finis Babylonici exilii plenam Eccleſiæ reſtitutionem in ſe complexus eſt. Ideoque non mirum ſi illud exordium gratiæ Prophetæ contexant cum regno Chriſti, ſicuti hæc ſeries paſſim occurrit. Ad Chriſtum ergo veniendum, ſine quo propitius nobis Deus eſſe non poteſt: hoc eſt, niſi in ejus corpus inſiti cenſeamur inter Dei filios. De ipſo quidem Primogenito & Capite nunc ſermonem haberi ex progreſſu liquebit: quia neque ad alium quempiam transferri poſſent quæ dicentur: & Euangeliſtæ controverſiam omnem tollunt. *Servum* vocat Chriſtum, κατ' ἐξοχήν. hoc enim nomen in omnes pios competit: quoniam ea conditione adoptati ſunt à Deo, ut ſe & totam vitam ei in obſequium addicant: pii quoque doctores, & quicunque publicam in Eccleſia perſonam ſuſtinent, peculiari modo ſe nominant Dei ſervos. Chriſtus vero ſingulare quiddam habet, cur potiſſimum hoc nomen ei conveniat. nam ideo Servus vocatur, quod Deus Pater non modo vel docendi, vel aliud agendi munus ei injunxerit, ſed ipſum vocarit ad opus eximium & incomparabile, quod cum cæteris commune non eſt. Cæterum hoc nomen etſi tribuitur perſonæ, refertur tamen ad humanam naturam. Nam quum æterna ſit ejus Deitas, & in ea æqualem & eandem cum Patre gloriam ſemper obtinuerit, ut ſe ad parendum ſubmitteret, neceſſe fuit carnem induere. Unde etiam Paulus, Quum eſſet, inquit, in forma Dei, non arbitratus eſt rapinam, ſe facere æqualem Deo: ſed inanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens, &c. Quod ergo fuit ſervus, hoc voluntarium fuit: ne quicquam de ejus dignitate propterea minui exiſtimemus. Atque hoc ſignificarunt veteres Eccleſiæ ſcriptores nomine Diſpenſationis: qua factum eſſe dicunt, ut omnes infirmitates noſtras ſubierit. Eſt enim voluntarius hic affectus quo ſe ſubjecit Deo, atque ita ſubjecit, ut nobis quoque inſerviret. Nec tamen ea tam humilis conditio prohibet quominus ſupremam majeſtatem retineat. Unde etiam Apoſtolus ipſum ſupra omne nomen exaltatum eſſe dicit. *Ecce.* Utitur particula demonſtrativa, ut adducat Judæos in rem præſentem. nam ea quæ ob oculos habebant, poterant ipſos ad deſperationem adigere. Jubet ergo ut oculos avertant à præſenti rerum ſtatu, atque in Chriſtum reſpiciant. אתמך, alii active, alii paſſive exponunt. Si paſſive, talis erit ſenſus, Sic Deum innixurum Chriſto ſuo, ut omnem curam in ipſum rejiciat: ſicuti domini in ſervos fideles ſolent. Atque hoc eximiæ fidelitatis teſtimonium eſt, quod Deus Pater ei omnia committet: atque in ejus manu deponet ſuam poteſtatem & imperium. Non tamen diſplicet activa ſignificatio, Erigam ipſum, vel attollam, vel ſtabiliam in ſuo gradu. nam quod paulo poſt ſequitur, Ponam Spiritum meum in eo, repetitio eſt ejuſdem ſententiæ. Priore itaque loco dicit, Fulciam eum: deinde modum fulturæ indicat, Quod eum Spiritu ſuo reget: qua loquutione ſignificat ſe Chriſto in omnibus adjutorem fore, nec paſſurum ut ullis difficultatibus cedat. Oportuit autem Chriſtum præditum eſſe Spiritu Dei, ut divino illo munere fungeretur, Deique & hominum mediator eſſet: quia humanitus tanta res peragi non poterat. *Electus* hic pro eximio capitur, ut aliis in locis: quemadmodum electi juvenes vocantur, qui ſunt in ipſo flore ætatis. Servum igitur eximium vocat, qui perferat nuncium reconciliationis, cujus omnes actiones regantur divinitus. Interea gratuitum ſuum amorem commendat, quo nos omnes complexus eſt in Filio unigenito, ut in ipſo capite refulgeat electio, qua in ſpem æternæ vitæ ſumus adoptati. Jam quia cæleſtis virtus in humana Chriſti natura habitat, dum ipſum audimus loquentem, ne carnem aut ſanguinem ſpectemus, ſed altius erigamus mentes, ut quicquid ab eo agitur, divinum eſſe intelligamus. *In quo ſibi placuit anima mea.* Hoc teſtimonio intelligimus Chriſtum non ſolùm gratioſum eſſe Patri, ſed ipſum ſolum ei gratum & acceptum eſſe: ut nulla ſit ratio impetrandæ à Deo gratiæ, quam interceſſore Chriſto. Atque hoc ſenſu hic locus ab Euangeliſtis citatur: quemadmodum & Paulus primo ad Epheſios cap. docet nos in dilecto ſic fuiſſe reconciliatos, ut propter ipſum amemur. Poſtea admonet, Chriſtum virtute Spiritus non ſua privatim cauſa ornatum iri, ſed ut eam longe lateque diffundat. Et quidem Judicii nomine ſignificat regimen bene conſtitutum: non ſententiam quæ à judice fertur pro tribunali. Nam Judicare, Hebræis Præeſſe, regere & moderari ſignificat. nec tantum in Judæa, ſed ubique terrarum hoc judicium fore adjungit. quæ promiſſio admodum nova atque inſolita fuit: Deus enim tantummodo in Judæa notus erat, Gentes ab omni gratiæ fiducia excludebantur. Propterea luculentis hiſce teſtimoniis nobis vehementer opus fuit, ut de vocatione noſtra reddamur certiores: nam alioqui hæc promiſſa nullo modo ad nos pertinere viderentur. Chriſtus ergo miſſus eſt ut univerſum orbem ſub poteſtatem & obſequium Dei redigeret. unde apparet ſine ipſo confuſa & perverſa eſſe omnia. Priuſquam ad nos accedat, nulla inter nos recta adminiſtratio eſſe poteſt. Diſcamus ergo nos ei ſubjicere, ſi bene ac moderate regi cupimus. Eſt autem hoc regimen ex natura ipſius regni æſtimandum, quod externum non eſt, ſed ad interiorem hominem pertinet. Conſtat enim recta conſcientia, & vitæ ſinceritate, non quæ coram hominibus, ſed coram Deo æſtimetur. Itaque huc ſumma redit, quia tota hominum vita perverſa eſt ex quo per lapſum Adæ omni ex parte corrupti ſumus, veniſſe Chriſtum cum cæleſti potentia Spiritus, qui nos mutato ingenio reformet in vitæ novitatem.

Mat. 12. v. 17.18. — Phil. 2. verſ. 6. — Hebr. 2. verſ. 17. — Phil. 2. verſ. 9. — Joan. 13. verſ. 3. & 17:10. — 1 Sam. 16. verſ. 2. 2 Sam. 6. verſ. 1. — Matth 3. verſ. 17. & 12:18. — verſ. 6. — Pſal. 76. verſ. 2. Epheſ. 2. verſ. 12.

2. *Non clamabit.*] Oſtendit qualis futurus ſit Chriſti adventus: nempe, ſine pompa aut apparatu, qualis Regibus terrenis eſſe ſolet. Adventu enim Regum varii ſtrepitus & ingentes acclamationes fiunt, adeo ut cælum terræ miſceri videatur. at Chriſtum ſine ullo ſtrepitu aut clamore venturum eſſe dicit Jeſaias: idque non modo laudandæ modeſtiæ cauſa, ſed primum ut nihil de eo terrenum fingamus: deinde, ut cognita ejus manſuetudine qua nos allicit, properemus alacriter ad ejus occurſum. poſtremo, quamvis contemptibilis ſit ejus humilitas, ne tamen langueſcat fides noſtra. Non attollet ergo vocem, hoc eſt, nihil præ ſe feret turbulentum: ut vulgo dicere ſolemus de placido homine & quieto, *Il ne fait pas grand bruit.* nec certe venditavit ſeſe populo: quin ſæpe miracula ſua vulgari prohibebat, ut ejus imperium atque auctoritatem omnes longe diverſam eſſe intelligerent ab ea quam Reges aut Principes ſibi conciliant, rumore de ſe concitato ad capandum favorem multitudinis.

Mat. 8:4. & 9:30. & 12:16. Marc. 5. verſ. 43. Luc. 8. verſ. 56.

3. *Arundinem quaſſatam.*] Poſtquam in genere pronunciavit Chriſtum Principibus terrenis diſſimilem fore: manſuetudinem quoque ipſius in ſpecie declarat in eo, quod infirmos ac debiles ſuſtinebit. Hoc enim ſignificat iſta ſimilitudine *arundinis quaſſatæ*, nolle ſe eos qui ſemifracti ſunt frangere omnino ac conterere, ſed levare potius ac ſuſtinere: ut quod boni in ipſis erit, conſervet atque adaugeat. Idem declarat ſimilitudine lini fumigantis. metaphora ducta eſt ab ellychniis, in quibus etſi diſplicet obſcuritas, aut fumus quem edunt, non tamen extinguuntur, ſed potius mundantur ac foventur. Talem Chriſto indulgentiam attribuit Jeſaias, qua imbecillitatem noſtram toleret: quod re ipſa ſentimus ab ipſo impleri. ubicunque enim emicat aliqua ſcintilla pietatis, eam fovet atque excitat. nam ſi

nobiſcum ſummo jure ageret, in nihilum redigeremur. Quamvis igitur vacillent homines ac claudicent, quamvis etiam quaſſati aut luxati ſint, tamen eos non ſtatim abjicit, quaſi prorſus inutiles: ſed diu perfert, quoad firmiores & conſtantiores reddiderit. Hujus manſuetudinis ſignum editum fuit à Deo, quum Chriſtus ad hoc legationis munus inauguratus
Matth. 3. vers. 16. Marc. 1. vers. 10. Luc. 3. vers. 22. Joan. 1. vers. 32. eſt. miſſus enim eſt è cælo in ipſum Spiritus ſanctus ſub ſpecie columbæ, quæ nihil aliud præ ſe fert quam manſuetudinem & lenitatem. Et certe ſignum ipſi rei omnino convenit. nec enim magnos ſtrepitus movet, nec formidabilem ſe præbet, ut Reges terreni ſolent: neque populum ſuum ſupra modum urgere, aut premere, ſed potius ſublevare ac fovere vult. nec ſolum id præſtitit quum apparuit mundo, ſed in dies per Euangelium talem ſe præbet. Hoc igitur exemplo debent miniſtri Euangelii, quum ejus vices ſuſtineant, manſuetos ſe præbere, & ſuſtinere infirmos, & placide ducere in viam, ne extinguant in eis igniculos pietatis, qui vel paulum modo emicant, ſed potius inflamment totis viribus. Cæterum ne hac manſuetudine vitia & corruptelas foveri exiſtimemus, ſubjungit, *In veritate proferet judicium.* Quamvis ergo Chriſtus infirmos ſublevet ac ſuſtineat, tamen longe abeſt à blanditiis, quibus vitia aluntur. corrigenda igitur ſunt peccata ſine adulatione, qua nihil magis alienum ab iſta manſuetudine eſſe poteſt. Itaque diligenter cavenda nobis ſunt extrema: id eſt, ne vel nimia ſeveritate frangamus debilium animos: vel blanditiis noſtris aliquid mali foveamus. Ut autem melius teneamus in quos hac manſuetudine utendum ſit Chriſti exemplo, ſedulo expendenda ſunt Prophetæ verba. Calamum quaſſatum & ellychnium fumans nominat. Hæc igitur ad eos non pertinent qui robuſti ſunt, atque pervicaciter reſiſtunt, quique furioſi ſunt, ac indomiti. tales enim hac indulgentia indigni ſunt, quin potius ſeveritate Verbi, tanquam malleo, frangendi ſunt & conterendi. Itaque ſic laudat manſuetudinem, ut ſimul quibus apta ſit, quando & quomodo utendum ſit, demonſtret. nec enim convenit duris & præfractis, vel ſui furoris flammam jaculantibus, ſed qui dociles ſe præbent, ac libenter ſe jugo Chriſti ſubjiciunt. Et Fumandi verbo admonet non tenebras, ſed ſcintillas, tametſi tenues & ſubobſcuras, ali ab ipſo ac foveri. Ubi igitur pervicacia & impietas, illic ſumma ſeveritate agendum eſt, nec ullo modo indulgendum: ubi vero quædam vitia non prorſus intolerabilia ſunt, tamen hac lenitate minime foveri, ſed corrigi atque emendari decet: quia præcipua ſemper veritatis, de qua loquitur, habenda ratio, ne vitia tegantur, atque ita occultam putredinem contrahant, ſed infirmi paulatim ad ſinceram rectitudinem formentur. De iis ergo hic agitur, quibus tametſi multum deſit, integro ſunt animo, & ſtudioſi ſunt veræ religionis: ut ſaltem inchoatum in iis boni aliquid appareat. Quam enim durus
Mat. 12. vers. 39. & 22. vers. 18. & 23. vers. 13. in contemptores fuerit Chriſtus, ex multis exemplis abunde patet. Virgam enim ferream cogitur exerere ad comminuendos eos qui ſe paſtorali ejus pedo regi non ſuſtinent. Nam ſicuti vere pronunciat voluntariis diſcipulis jugum ſuum ſuave eſſe, & onus leve: ita non fruſtra eum ſceptro fer-
Pſal. 2. 9. & 110. v. 6, 7. reo armat David Pſalmo ſecundo ad hoſtes frangendos: & Pſalmo 110, ſanguine madidum fore dicit.

4. *Non deficiet, neque frangetur.*] Alludit ad proximum verſum, & confirmat id quod prius dictum eſt: nempe, Chriſtum placidum quidem & lenem fore erga debiles: nihil tamen aut effœminatum aut molle habiturum. quia mandatum ſibi à Patre munus ſuum viriliter exequetur. Hoc enim ſignificat quum ait non defecturum. Atque in hoc verbo יכהה, alluſio eſt cum priore verſu, ubi de fumigante lino loquutus eſt. Oſtendit autem qualis vera ſit moderatio manſuetudinis, ne declinet ad diſſolutam indulgentiam. ſic enim ea utendum eſt, ne officio noſtro deſimus. Multi ſe lenitatis nomine venditare volunt, ut plauſibiles ſint mundo & gratioſi: ſed interim turpiter ac nefarie veritatem produnt. Memini quum in celebri quadam civitate duo eſſent concionatores, quorum alter ſtrenue ac fortiter vitia inſectabatur: alter vero blanditiis auram popularem captabat: hunc blandum qui Jeremiam enarrabat, incidiſſe in locum plenum leniſſimæ conſolationis: atque argumentum opportunum (ut quidem exiſtimabat) nactum, invehi cœpiſſe in rigidos illos & ſeveros reprehenſores, qui verborum quaſi fulminibus homines terrere ſolent. Poſtridie vero quum Propheta argumentum mutaret, & acrius pro ſua vehementia objurgaret impios, miſerum aſſentatorem, quæ recenti memoria omnes audierant, ſumma cum irriſione retractare coactum eſſe. Ita levis illa aura quam captabat, protinus evanuit, quum ſe proderet indicio ſuo, boniſque & malis putidum ſe redderet. Eſt igitur nobis inter dociles & pervicaces diſtinguendum, ne paſſim manſuetudine iſta abutamur. Interea invictam Chriſti fortitudinem Jeſaias fore prædicat, qua obſtacula omnia ſuperet. Nam his verbis, Donec ponat judicium, intelligit efficax fore miniſterium Chriſti, ut emergat fructus doctrinæ. Nec enim ſolummodo dicit, Donec annunciaverit voluntatem Patris: ſed donec ſtabiliat judicium, id eſt, rectam adminiſtrandi rationem: ſicuti prius dictum eſt. Teſtatur ergo miniſterium Chriſti non fore infructuoſum, ſed tantæ efficaciæ ut eo homines reformentur. Quod ad Chriſti perſonam reſtringi non debet, ſed ad totum Euangelii curſum: quia non modo legatione ſibi injuncta functus eſt per triennium, ſed per ſuos miniſtros quotidie eandem continuat. Interea monemur nos munere iſto fungi non poſſe, quin moleſtiæ permultæ ferendæ ſint, & difficilia certamina ſubeunda, adeoque periculoſa, ut iis propemodum frangamur, atque omnia abjicere parati ſimus. Non eſt tamen deſinendum, ſed conſtanter pergendum in officio, atque ad extremum uſque currendum eſt. Ideo teſtatur hic Propheta Chriſtum adeo conſtantem fore, ut vocationem ſuam ad extremum perſequatur. quo etiam exemplo nobis forti animo perſeverandum eſt. *Legem* hic accipit pro doctrina: quemadmodum etiam Hebræis à Docendo appellatur. atque ſic Prophetæ de Euangelii doctrina loqui ſolent, ut oſtendant ipſam neque novam, neque alienam à Moſe futuram eſſe. *Inſulæ.* Prius declaravimus inſulas ab *cap. 41. vers. 1.*
Hebræis vocari tranſmarinas regiones. confirmat autem Propheta ſuperiorem ſententiam, qua dictum eſt, Chriſtum non Judæis tantum, ſed Gentibus quoque deſtinatum eſſe: tametſi nihil commune haberent cum politia Judæorum. Ad omnes denique nationes pertinet iſta promiſſio: ut omnes orbis partes hujus reſtitutionis atque reformationis fructum percipiant. Expectandi quoque verbo ſignificat electos avide ſuſcepturos Euangelium ſibi oblatum. nam in eo Dominus patefacit vim ſuæ electionis, quod qui in tene- *Matth. 4. vers. 16.*
bris errabant, ſimulatque Euangelii vocem audiunt, eam ſummo ſtudio amplectuntur. ac tametſi prius aberrarent ut oves diſſipatæ ac fere perditæ, tamen paſtoris vocem ſtatim audiunt, ſeque libenter ei ſummittunt: quemadmodum etiam Chriſtus ipſe pronunciavit. unde agnoſci- *Joan. 10. vers. 16.*
mus veriſſimum eſſe illud Auguſtini, Pleraſque oves extra caulas agere, quum lupi intra caulas ſæpenumero habitent. Attentio porro hæc opus Dei eſt, dum homines qui ſapere ſe putabant, proprio ſenſu valere juſſo, accurrunt ad diſcendum Chriſti Euangelium, ut toti ab hoc magiſtro pendeant.

5. *Sic dicit Jehova.*] Confirmat id quod dixit initio

tio capitis de regno Chriſti, Omnia videlicet per ipſum reſtituenda atque inſtauranda eſſe: quod quum incredibile videri poſſet, magnificam hic deſcriptionem ſubjunxit de potentia Dei: qua fides noſtra confirmari debet, quum præſertim externus rerum ſtatus omnino adverſatur. Propterea adducit aperta documenta potentiæ Dei, ut eorum commemoratione excitentur omnes, atque ſibi perſuadeant eum qui ex nihilo creavit omnia, cælos expandit, germina produxit, vitam inſpiravit animantibus, quique ſuſtinet ac tuetur omnia ſua poteſtate, facile hæc præſtiturum quæ promittit de regno Chriſti. His loquendi formis monemur, ut verbo Dei ſua conſtet auctoritas & plena fides, reputandam ſemper eſſe ejus potentiam. neque enim abs re ſic præfatur Jeſaias, ſed ut omnem dubitationem eximat: quia Deo, ſub cujus manu & arbitrio ſubeſt totus orbis, nihil ſit difficile: & proximis Capitibus ſimilis loquendi ratio occurret. האל Potentem nonnulli vertunt. alii Deum. ſed parum refert: idem enim eſt ſenſus: quia potentiam ejus & majeſtatem proponit, atque his titulis eam varie exornat, ut ipſum facile collapſa & proſtrata omnia reſtituturum ſciamus.

6. *Ego Jehova vocavi te in juſtitia.*] Iterum repetit Dei nomen, in quo ſubaudienda ſunt ea quæ expreſſit ſuperiore verſu de potentia ipſius. Vulgo putant vocationis Chriſti finem notari, quod miſſus ſit à Patre ut juſtitiam ſtabiliret inter homines. Ea enim deſtituti ſunt quamdiu Chriſto carent: omnibuſque ſcelerum & vitiorum corruptelis dediti, ſub tyrannide Satanæ captivi ſunt. Sed quia *juſtitiæ* nomen latius patet, argutiam illam omitto: neque etiam dicitur *ad juſtitiam vocandus*, ſed loquutio hæc ſimpliciter reſolvi debet in adverbium Juſte, vel Sancte. Potius intelligo vocatum Chriſtum in juſtitia, quod legitima ſit ejus vocatio, ideoque ſtabilis & firma futura ſit. Scimus enim ea quæ rite & ordine non fiunt, diuturna eſſe non poſſe. Niſi forte ita accipere placeat, Deum, ut Chriſtum præficiat Eccleſiæ inſtaurationi, non aliunde cauſam petere, ſed à ſeipſo, & propria juſtitia. Certum tamen eſt, ſtabilitatem notari hac voce: acſi dictum eſſet Fideliter. Per apprehenſionem manus intelligit præſens auxilium Dei: acſi diceret, Ego te gubernabo ac confirmabo in ea vocatione in qua te conſtitui. In ſumma, ut juſta eſt illa tua vocatio, ſic eam tuebor ac ſuſtinebo, acſi apprehenſa manu tua dux tibi eſſem. & verbum Cuſtodiendi quod proxime ſequitur ſatis declarat quid ſit Tenere manu: nempe, ſic gubernatum iri Chriſtum à Patre, ut eum tutorem ac vindicem habeat, fruatur ejus auxilio, denique præſentem ipſum ſentiat in omnibus. *Ponam te in fœdus.* Jam exprimit quorſum cuſtodem ſe Chriſto fore Deus promittat. Cæterum Propheta diſtincte de Judæis & Gentibus loquutus eſt: non quod differant natura, aut alii aliis præſtantiores ſint, (omnes
Rom. 3. verſ. 23. enim egent gratia Dei, atque omnibus promiſcue Chriſtus ſalutem attulit) ſed quia Judæis primum
Mat. 10. verſ. 6. locum attribuit Dominus, ideo ab aliis ſecerni conſentaneum fuit. Ergo antequam diruta eſſet maceria, non ſuo merito, ſed Dei beneficio excelluerunt,
Epheſ. 2. verſ. 14. quod fœdus gratuitum cum iis primo loco initum ſit. Objici poteſt, Cur ſtatuatur Chriſtus in fœdus quod multo ante ſancitum erat: nam ante duo annorum millia & aliquanto plus adoptaverat Deus Abraham: atque ita origo diſcretionis Chriſti adventum longe præceſſit. Reſpondeo, Fœdus quod percuſſum fuerat cum Abrahamo & poſteris, fundatum fuiſſe in Chriſto. hæc enim ſunt fœderis verba, Benedicent in ſemine tuo omnes Gentes. nec
Geneſ. 22. verſ. 18. vero aliter fuit ratum fœdus, quam in ſemine Abrahæ, hoc eſt, in Chriſto: cujus adventu, tametſi prius initum eſſet, confirmatum eſt, atque effectu ipſo
2 Cor. 1. verſ. 20. ſancitum. unde etiam Paulus omnes Dei promiſſiones in Chriſto Etiam & Amen eſſe dicit. Et alio loco Chriſtum miniſtrum Circumciſionis vocat, ad implendas promiſſiones quæ datæ erant Patribus. Clarius etiam alibi Chriſtum eſſe omnium pacem, ut qui ante diviſi erant ſub ipſo coaleſcant, atque ita reconcilientur Deo tam longinqui quam propinqui. Hinc quoque apparet Chriſtum non tantum Judæis, ſed toti mundo promiſſum eſſe. atque iterum hic locuples de Gentium vocatione teſtimonium habemus, quum nominatim exprimat Chriſtum in earum lucem deſtinatum eſſe. *Lucem* porro vocat, quod Gentes in profundiſſimas & denſiſſimas tenebras demerſæ eſſent, quo tempore Judæis tantum Dominus prælucebat. Nunc igitur in nobis ſolummodo culpa eſt, niſi ſalutis hujus participes ſimus. omnes enim homines, nemine dempto, ad ſe vocat, omnibuſque Chriſtum deſtinat, ut ab ipſo illuminemur. Aperiamus modo oculos, ipſe ſolus tenebras diſcutiet, menteſque noſtras veritatis luce illuſtrabit.

Rom. 15. verſ. 8. — Epheſ. 2. verſ. 17.

7. *Ut aperias oculos cæcorum.*] Hic fuſius enarrat in quem finem Chriſtus à Patre mittendus ſit: ut quid fructus nobis afferat, & quam neceſſarium ejus ſubſidium ſit, melius liqueat. Admonet autem cunctos mortales cæcitatis ſuæ, ut eam agnoſcant, ſi illuminari à Chriſto velint. denique ſub iſtis metaphoris declarat qualis ſit hominum conditio, donec illis affulgeat Chriſtus redemptor: miſerrimos ſcilicet, bonorum omnium vacuos & inopes, ærumniſque infinitis ſeptos atque obrutos eſſe, donec à Chriſto liberentur. Etſi autem compellat ipſum Chriſtum, fideles tamen reſpicit, ut ſciant quod ſibi ſperandum ſit, nec dubitent malis ſuis omnibus paratum fore remedium, ſi ejus fidem implorent. nec enim hic Chriſto præſcribit Pater quid acturus ſit, quaſi doceri, vel mandatis inſtrui ipſe neceſſe habeat: ſed cum noſtra cauſa alloquitur, ut quorſum à Patre miſſus ſit intelligamus: quemadmodum etiam Pſalmo ſecundo, Recenſebo decretum: poſtula à me, dabo tibi Gentes. Dignitas enim & auctoritas Chriſti illic prædicatur, ut ſciamus ſummum ei à Patre conceſſum eſſe imperium, quo tutius omnem in eo ſpem & fiduciam locemus.

Pſal. 2. v. 7. 8.

8. *Ego Jehova.*] Hinc collige qualis & quantus ſit morbus incredulitatis, quum in eo curando vix ullis verbis Dominus ſibi ſatisfacere poſſit. Sumus enim ad diffidentiam proni natura: nec Deo loquenti fidem habemus, niſi duritiem noſtram penitus evincat. Deinde ſubinde in idem vitium relabimur noſtra levitate, niſi nos pluribus frenis retineat. Iterum ergo revertitur ad eam confirmationem de qua prius dictum eſt, nequid fidem deroget ſuis promiſſis. הוא, interdum capitur Subſtantivi loco, ut ſit nomen proprium Dei. ego vero ſimpliciter expono, Ipſum eſt nomen meum, id eſt, mihi proprium eſt, ut nefas ſit alio transferri. In ſumma, hac loquutione obſignat quicquid de officio Chriſti dictum eſt, ac veluti ſigillum addit promiſſioni: Qui hæc pronunciat, teſtatur ſe ſolum eſſe Deum, nomenque hoc in ipſo tantum reſidere. *Non dabo.* id eſt, non patiar gloriam meam imminui: quod fieret ſi mendax aut vanus deprehenderer in promiſſis. Suis ergo promiſſis ſe ſtaturum declarat, quod gloriam ſuam vindicare & ſervare integram velit, ne ulla in parte ipſi derogetur. Inſignis locus: quo docemur gloriam Dei in eo præcipue conſpicuam eſſe, quod præſtat ea quæ pollicitus eſt. Atque hinc eximiam fidei noſtræ confirmationem habemus, quod Dominus nunquam fallit, nec promiſſis deeſt, nec ulla ratione impediri poteſt quod ſemel conſtituit. Quoniam vero Satan miris artibus hanc Dei gloriam obſcurare, atque ad homines & falſos deos transferre nititur, ideo teſtatur ſe non paſſurum ut vanus aut fallax in promiſſis videatur. Antitheſis autem inter Deum unicum & idola ad circumſtantiam temporis refertur:

tur: quia niſi Deus ſuorum fuiſſet redemptor, gloriati fuiſſent increduli acſi fallax & inanis fuiſſet vera religio. Negat igitur ſe paſſurum Deus, ut oppreſſa Eccleſia, triumphos agant impii: ſicuti minime dubium eſt, Deum hactenus nobis peperciſſe, & tam clementer adhuc agere nobiſcum, ne ſacrilegis Papiſtarum probris Euangelium ſuum exponat. Hinc univerſalis doctrina colligenda eſt: nempe, Dominum velle gloriam ſuam illibatam ſibi manere. Eam enim ubique ſumma contentione vin-
Exod. 20. verſ. 5. dicat atque aſſerit: ut zelotem ſe ejus acerrimum eſſe oſtendat, nec minimam ejus partem alio transferri patiatur.

9. ***Priora.***] Nunc in memoriam revocat priora vaticinia, ex quorum complemento, fidem in poſterum quoque ſibi habendam eſſe oſtendit. nam quæ reipſa experti ſumus, multum ad confirmationem valere debent. Perinde ergo eſt acſi diceret, Ego toties loquutus ſum patribus veſtris, meque in omnibus veracem eſtis experti: mihi tamen de futuris fidem habere non poteſtis. experientia rerum anteactarum nihil vos movet, neque ad meliora incitat. Sic igitur commemoranda ſunt beneficia Dei, ut in verbo ejus, quoties in ſpe abſcondita latet ſalus noſtra, toto vitæ noſtræ curſu acquieſcamus & confirmemur. ac adverbio *Ecce*, tanquam digito monſtrat, ipſos experientia didiciſſe Deum non eſſe vanum, nec fruſtra per Prophetas loquutum eſſe: quia palam certis documentis nota & celebris erat Dei veritas. ***Antequam.*** Hac nota diſcernit Deum ab idolis, quod futura ſolus ipſe novit ac prædicit: illa vero neſciunt. Quod autem reſponſa plerumque data ſunt à diis Gentium, ea aut falſa aut fallacia fuiſſe
cap. 41. v. 22, 23. ante vidimus. quia turpiter ſæpe deluſi fuerunt qui ab illis pendebant, ſicuti digni fuerunt hac mercede. quod ſi quando prima ſpecie eventus reſpondit, hoc modo demerſi altius fuerunt in æternum interitum: & juſto Dei judicio factum eſt, ut talibus præſtigiis eos faſcinaret Satan. Alia oraculorum ratio, quibus utiliter, & in ſuam ſalutem Eccleſia nunc ad reſipiſcentiam adducta fuit: nunc in bonam ſpem erecta, ne ſub pœnarum onere deficeret. Hoc quidem fixum manet, Quæcunque prædixit Deus, eventu comprobari. Omnia enim providentia ſua regit & moderatur.

10. ***Cantate Domino.***] Nunc populum ad gratitudinem hortatur. hoc enim perpetuum in beneficiis Dei eſſe debet, ut eorum commemoratione ad gratias agendas & laudes ejus celebrandas incitemur. Porro iſta exhortatione pios velut in rem præſentem vocans eas promiſſiones confirmat de quibus loquutus eſt. Hoc enim Prophetæ conſilium notandum eſt, quantumvis duriter premantur fideles, non tamen eſſe cur mœrori ſuccumbant: ſed bona ſpe animari debere ad lætitiam, ut jam ſe ad gratitudinis teſtimonium accingant. Materia hujus Cantici eſt, quod Chriſtus patefactus eſt mundo, & miſſus à Patre, ut Eccleſiæ ſuæ miſeriis ſuccurrat, eamque reſtituat in perfectum ordinem: imo quaſi totum orbem renovet. Quo autem res erat magis difficilis creditu, omnem dubitationem tollere voluit Propheta, ut melius animis eorum hæc vaticinia infigeret: nec profecto mirum eſt Prophetam in his excitandis adeo laborare, quum in extremas anguſtias redacti eſſent, nec ulla ſpes reliqua eſſet ſalutis. Solus enim rerum aſpectus fidem eorum labefacere poterat, imo ſuſpicionem afferre, vana & ridicula eſſe omnia quæ à Prophetis prædicta erant. Huc ergo pertinet iſta exhortatio, ut in deploratiſſimo rerum ſtatu, erecto ſint animo, atque iſtis promiſſionibus confidant. ***Novum***, intelligit præclarum, elegans, exquiſitum, non vulgare aut tritum: ſed quod in admirationem homines rapiat, utpote compoſitum de
Pſal. 33. verſ. 3. & 96: 1. ſingulari Dei gratia, cujus ſimile exemplum nunquam extiterat. Quo ſenſu etiam Pſal. 33. & 96. capitur. Novum enim hic opponitur Vulgari. atque ita incomparabilis Dei miſericordia commendatur, quæ in Chriſto patefacienda erat. Quamobrem celebrari ipſam, atque eximiis laudibus extolli oportuit. Unde colligimus unumquemque noſtrum eo magis ad laudes Dei prædicandas intentum eſſe oportere, quo plus beneficiorum accepit. Omnes quidem Deo laudes canere debent: quia nemo eſt qui non ſummopere ſit ei obſtrictus: ſed magis exquiſitas laudes ab iis manare decet qui liberalius ornati fuerunt. Jam quum fontem omnium benedictionum aperuerit Deus in Chriſto, & ſpirituales omnes divitias explicuerit, non mirum ſi inſolitum & inſigne laudis ſacrificium ſibi rependi poſtulet. Notandum eſt autem hoc Canticum cani non poſſe niſi à renovatis. nam ab intimo cordis affectu proficiſci debet. Spiritu ergo duce atque impulſore opus eſt ut laudes iſtas vere cantemus. Porro non unum tantum aut alterum populum, ſed omnes orbis terrarum nationes ad id hortatur: quoniam omnibus etiam Chriſtus deſtinatus eſt.

11. ***Exclament.***] Quum Propheta omnes orbis partes comprehendat, eas præcipue nominat quæ magis notæ Judæis erant. nam ab Occidente Judæa mare habuit, ab Oriente deſertum & Arabiam. Quum enim loquitur de tentoriis Cedar, deſerto & rupibus, Arabiam deſignat: ſed eſt ſynecdoche, qua totum Orientem comprehendit. Perinde igitur eſt acſi diceret, A Solis ortu ad occaſum uſque audiendas eſſe has laudes: quoniam ubique coletur Dominus, quum antea in Judæa tantum coleretur. Itaque immutabitur rerum ſtatus, atque in extremis terræ partibus laus iſta audietur. ***Villas.*** Cedar nominat, quoniam Arabes Scenitæ, ut ſatis notum eſt, ſub tentoriis habitabant. Atqui urbes nominat, quum de deſerto loquitur. notandum eſt igitur *deſertum* vocari non tantum vaſtam ſolitudinem, quæ inter Judæam & Arabiam erat: ſed ulteriores regiones, quas vulgus à viciniore parte cenſebat: quemadmodum nonnulli montana vocant etiam eas planities quæ trans montes ſitæ ſunt. nam vulgus in ejus quod propius eſt conſpectu ita occupatur, ut cætera quæ longius abſunt, ſimilia eſſe putet. Quanquam gratiæ Dei magnitudinem hinc illuſtrat & extollit Propheta, quod ad Gentes etiam incultas & barbaras, quarum immanis feritas nota erat, penetrabit.

12. ***Dent gloriam.***] Significat qualis hic clamor futurus ſit, nempe ad celebrandas Dei laudes: quoniam ubique bonitas ejus & clementia ſentietur. Contenta igitur voce celebrari jubet redemptionem, ſicuti fructus ejus communis erit omnibus populis, atque hinc monemur hodie quoque vehementi affectu clamandum, quum laudes Dei prædicamus: ut & accendamur ipſi, & alios ad idem faciendum exemplo noſtro invitemus. nec enim ſuſurrare ſolummodo poſſunt, aut tepere, aut ſibi canere, ut aiunt, & Muſis, qui verum divinæ gratiæ guſtum habent.

13. ***Jehova tanquam gigas.***] Quæ nunc ſubjicit Jeſaias, ad ſuperandas piorum tentationes pertinent. Deo enim robur & fortitudinem adſcribit, ut ſatis firmum in eo præſidium ſibi fore intelligant. nam ideo laboramus in adverſis, quod dubitemus an Deus ad opem nobis ferendam ſufficiet: præſertim ubi cunctando videtur vota noſtra quodammodo fruſtrari. Ideo Propheta magnifice extollit potentiam Dei, ut omnes in eum ſpem locare & recumbere diſcant. Egreſſus autem cujus fit mentio, metaphorice capitur: quia latere viſus fuerat Deus, quo tempore ſuos affligi & opprimi abſque ulla auxilii ſpecie paſſus fuerat. tantundem igitur valet ac Prodire in medium ferendæ opis cauſa, quod idem ſequentibus confirmat. Nam quod excandeſcentia Deo tribuitur, ut tanquam bellator contra hoſtes irruat: ſimilitudines ſunt anthropopathicæ, quibus

bus

bus declaratur nobis firmum auxilium Dei, cujus vis alioqui non ſatis nos afficeret. Seſe igitur ad captum noſtrum accommodat, quemadmodum ſæpe dictum eſt: ut ſciamus quanto ſervandi noſtri ſtudio ardeat, & quam indigne ferat pios affligi & opprimi: deinde quam formidabilis ſit ejus iracundia, quoties ad pugnam ſe accingit. Semper autem notanda eſt temporis circumſtantia quam ſpectavit Propheta, ad quam hæc vaticinia accommodari debent. nam quum magis ac magis ferocirent hoſtes, miſeroque populo inſultarent: aliud omnino pio conſiderandum erat, quam quod oculis intuebatur: atque ſtatuendum ſatis eſſe potentiæ Deo ad ſubigendos hoſtes, ut ipſos ex eorum manu eriperet. nec tantum exilii tempore operæpretium fuit hac promiſſione leniri eorum triſtitiam, ſed fere uſque ad Chriſti adventum: quia ſubinde duriter confligendum fuit cum gravibus moleſtiis, ſicuti ex hiſtoriis * patet.

* Eſdra, Nehemia, & Maccabæorum.

14. *Tacui à multo tempore.*] Occurrit Propheta tentationibus, quæ multum moleſtiæ nobis faceſſere ſolent, quum Deus auxilium ſuum differt. Tentamur impatientia, vanaque promiſſa eſſe ſuſpicamur. Deum enim ſilere, ac veluti dormire, quum ſeſe efferunt impii: frigere dum illi nocendi libidine inflammati ſunt: & ſceleribus eorum connivere, dum ſtrenue per omnem ſævitiam graſſantur, abſurdum eſſe judicamus. Afflictos igitur ac pene fractos animos ſuſtinere voluit Propheta, ne ſe deſtitutos à Deo eſſe putarent, quamvis deſperata omnia viderentur. Et conſulto notatur diuturnitas, ne moræ tædio langueſierent animi: nam quum à morte Joſaphat continuis fere cladibus attriti fuiſſent, ſeptuaginta exilii annos tranſigere valde aſperum & triſte fuit. neque tunc quoque malorum contigit finis. ideoque ſedulo moneri neceſſe fuit, quamvis non ſtatim Deus ſuccurrat, nihil tamen damni eſſe in tarditate: modo patienter expectent fideles. Incredulos etiam his verbis increpat, qui freti ejus tolerantia, quidvis licentiæ ſibi ſumebant. negat igitur Deus, quamvis ſe continuerit, & quietus fuerit ſpectator, ſe ideo fuiſſe orbatum virtute. *Tanquam parturiens.* Hac ſimilitudine mirum dilectionis ardorem, & teneriſſimum affectum exprimit. Matri enim ſeſe comparat, quæ partum unice amat, quamvis ſummo cum dolore ipſum ediderit. Hæc quidem convenire Deo non videntur: ſed non poteſt aliter vehemens ipſius erga nos amor exprimi, quam iſtis figuris. Neceſſe eſt igitur ipſum ſimilitudines mutuari à rebus notis, ut ea quæ nobis incognita ſunt, declaret. nam alioqui longe eſt alia ratio amandi Deo: id eſt, integrior & perfectior quam hominibus. Et quamvis ſuperet humanos omnes affectus, nihil tamen habet turbulentum. Cæterum, ſimul notare voluit redemptionem populi, ſpeciem quandam partus fore, quo ſcirent Judæi ſepulchrum ſibi fore pro utero: atque ita in media putredine ſpem ſalutis conciperent. Etſi autem abſque dolore & nixu tunc ſibi peperit novam Eccleſiam, quo tamen gratiam ſuam in hac renaſcentia melius commendet, non abs re clamorem fœminæ parturientis ad ſe transfert. Quoniam autem ſimilitudo illa parturientis, aliquid minuere poterat de majeſtate & potentia Dei, alterum hic affectum adjungere voluit Propheta. Quantum ad amorem igitur, ſimilis matri eſſe dicitur: quantum ad potentiam, ſimilis leoni aut giganti.

15. *In ſolitudinem.*] Significat Propheta omnes munitiones & copias, quibus efferuntur impii, impedimento non fore Deo, quominus populum ſuum in libertatem vindicet. Atque hoc prioribus rurſus addi neceſſe fuit. nam quum videmus hoſtes pollere viribus, ac pene invictos eſſe, expaveſcimus, nec apprehendimus auxilium Dei, quo ad fidei conſtantiam opus eſſet. quamobrem Propheta in hoc inſiſtit, ut oſtendat nullas omnino vires aut copias Domino obſtare poſſe quum ſuos liberare vult. Talem denique rerum converſionem fore oſtendit, ut qui antea potentiſſimi erant, frangantur: nec quicquam omnia tentando adverſus ipſum efficiant. Ac mihi ſimplex videtur hujus loci ſenſus: nec ſubtilius philoſophari opus eſt, ut nonnulli, qui dum hæc allegorice interpretantur, per *montes & colles*, urbes deſignari putant: per *herbam*, homines qui eas incolunt: ſed nihil opus eſt ejuſmodi argutias ſectari. nam ſimpliciter declarat ſatis eſſe Deo potentiæ ad implenda promiſſa & Eccleſiam liberandam. quia omnes difficultates quæ ſe oculis noſtris ingerunt, facile ſuperabit. Et reſpondet hæc ſententia aliis vaticiniis quæ ante vidimus, ubi docebat Propheta naturalibus mediis non obſtrictam eſſe Dei potentiam ſimulac ſuos juvare decrevit, ſed miraculis perrumpere cuncta obſtacula quæ tranſitum claudere videntur.

16. *Et educam cæcos.*] Poſtquam oſtendit hoſtium robur obſtare Deo non poſſe quominus liberet populum ſuum, pergit in ea conſolatione quam prius attigerat. Cæcos autem vocat eos, quibus res adeo perplexæ ſunt & difficiles, adeoque turbulentus rerum ſtatus, ut ignorent, quo ſe vertere, quo confugere debeant: quibus denique nullus exitus, ſed profundi gurgites undique apparent. Nam ſicuti dum res nobis ſatis commode fluunt, via plana & æquabilis oculis noſtris expoſita eſt: ita in rebus duris & aſperis, præſertim quæ ſine ſpe remedii minantur nobis interitum quaſi triſti caligine offuſæ, hebetamur. Quum igitur nihil nobis ſuppetit conſilii, tunc vel maxime ſperandum, auxiliumque à Domino expectandum eſſe docet. Noſtra etiam ſæpe intereſt nullam nobis patere viam, ubique angi & conſtringi, atque etiam excæcari, ut diſcamus à ſolo Dei auxilio pendere, atque in ipſo recumbere. nam dum aliqua ſupereſt tabula, quam apprehendere nos poſſe exiſtimamus, ad eam toto animo convertimur. Ita fit dum huc & illuc rapimur, ut cæleſtis gratiæ memoria nobis evaneſcat. Itaque ſi Deum nobis adeſſe atque adverſis rebus opem ferre cupimus, cæcos nos eſſe neceſſe eſt, id eſt, oculos avertere à præſenti rerum ſtatu, judiciumque noſtrum cohibere, ut promiſſis ejus penitus acquieſcamus. Hæc cæcitas tametſi minime jucunda eſt, mentiſque noſtræ imbecillitatem oſtendit, ſi à fructu ſuo æſtimetur, non admodum fugienda eſt: quia longe præſtat cæcos Dei manu regi, quam nimia perſpicacia labyrinthos nobis fingere. Lucem pro tenebris ſe daturum promittens, confirmat quod jam dictum eſt. ergo tametſi ne ſcintilla quidem lucis nobis appareat in adverſis, tamen de auxilio Dei deſperandum non eſt: ſed tunc vel maxime promiſſa amplectenda ſunt. Dominus enim facile tenebras in lucem convertet, flexuoſos anfractus diriget, atque in viam ducet, ut tuto ambulemus. Agnoſcamus interea hæc ſolis fidelibus promitti, qui ſe Deo committunt, ſeque ab eo regi ſinunt: qui denique cognita cæcitate ſua, ipſum libenter ſequuntur ducem, & in afflictionum tenebris gratiæ auroram patienter expectant. His enim ſolummodo porriget manum, qui promiſſionibus adhærent: non autem aſtutis, qui vel invito ipſo cernere volunt, vel qui per illicita conſilia præcipites feruntur.

17. *Agentur retrorſum.*] Hinc melius agnoſcimus ad quos pertineat ſuperior doctrina. diſtinguit enim inter Dei & idolorum cultores. Dominus ſe ducem populo ſuo præſtabit: interea vero pudefient qui idola colunt. Acſi diceret, optionem hic à Domino dari, vel ut ſalvi ſimus ejus gratia, vel miſere pereamus. quotquot enim ſalutis ſpem locabunt in idolis, peribunt: qui vero recumbunt in verbo Dei, certi ſunt de ſalute: quia etſi graviſſime ſæpe laborent, ſpem tamen ipſorum pudefieri uſque in finem non ſinet, ſed exitu probabit non fruſtra diſcrimen hoc à ſe fuiſſe poſitum. Certum porro eſt duabus

quæ

quæ ſequuntur notis omnes idololatras deſignari, qui alio ſpem ſuam quam in unum Deum conferunt. quia utcunque ſe coram idolis non proſternant idololatræ, ipſis tamen deitatem affingendo, in verum & unicum Deum ſunt ſacrilegi: quia præcipua pars cultus divini in fide & invocatione ſita eſt, quas hic deſignat Propheta. Quæri poteſt, An adeo ſtupidi fuerint, ut ſimulachro dicerent, Tu es Deus meus. Omnes enim ſuperſtitioſi Deum in cælis eſſe fatſi ſunt: neque palam lapidi aut ligno divinitatem tribuerunt. Eos igitur craſſiores & ſtupidiores quam fuerint fingere videtur Jeſaias. Reſpondeo, omnes idololatras affingere ſimulachris potentiam Dei: tametſi eum in cælo eſſe agnoſcant. quum enim confugiant ad ſtatuas & ſimulachra, quum vota iis faciant & reddant, haud dubie ad ea transferunt quod Dei eſt. Fruſtra ergo ſpecioſis coloribus hanc craſſitiem tegunt: quoniam ligna & lapides pro diis habent, ſummaque Deum injuria afficiunt. Non eſt igitur hyperbolice loquutus Propheta, nec falſo idololatras inſimulavit. Satis enim id teſtantur eorum voces & ſermones, quibus idola ſua & ſimulachra deos appellant. Ipſis etiam tacentibus palam ſe prodit eorum amentia, quod neque manum nec aurem Dei propinquam ſibi eſſe putant, niſi proſtrati coram ſimulachris concipiant ſua vota. Hæc autem ideo dicuntur, ut omnes intelligant neminem ſalvum fore, niſi qui Deo ſoli confidet.

18. *O ſurdi audite, & cæci.*] Nunc alio ſenſu cæ-
vers. 16. cos & ſurdos nominat quam prius, quum metaphorice eos deſignaret quibus nihil erat conſilii, & qui ſic erant obruti malorum congerie ut eos ſua mœſtitia hebetaret. nam hic *cæcos* vocat eos qui in media luce caligant, nec opera Dei intuentur: *ſurdos*, qui ipſum audire nolunt, atque hebetes & ignavi deſident in ſuæ ignorantiæ fæcibus. Damnat igitur Judæos cæcitatis, aut potius homines univerſos, quod mihi magis placet. Tametſi enim ſpecialiter exprobret Judæis quod audiendo non audiant, ac videndo non videant: tamen hoc aliqua ex parte ad Gentes
Rom. 1. quoque pertinet, quibus ſe per creaturas patefecit:
vers. 19. quarum etiam animis & conſcientiis impreſſit notitiam ſui, & quas deinde mirabilium operum ſuorum fecerat ac facturus erat conſcias. ac requirens attentionem, ſignificat nihil aliud impedimento eſſe, quominus Dei veritatem & potentiam percipiant, quam quod ſurdi & cæci ſunt: idque non ſine malitia & ingratitudine. ſatis enim aperte docet, & ſatis lucalenta virtutis teſtimonia præbet: ſed animum neque in doctrinam ejus, neque in admirabilia ejus facinora quiſquam intentum habet. unde fit ut ſponte cæcutiant. Culpam ergo in ſolis hominibus hærere oſtendit, quod Dei potentiam non agnoſcunt.

19. *Quis cæcus.*] Sic fere exponitur à nonnullis hic verſus, acſi Propheta referret convitia quæ impii adverſus Prophetas jactare ſolent. nam in ſervos Domini retorquent quæ indigne ferunt reprehendi ab ipſis ac damnari: Quos accuſas cæcitatis? quos ſurdos vocas? Hoc tibi ſume. quis cæcus niſi tu? Perinde igitur eſſe putant, acſi Dominus expoſtularet cum Judæis in hunc modum, Video Prophetas meos vobis cæcos ac ſurdos eſſe. Verum, hanc interpretationem contextui Prophetæ non quadrare mox
vers. 20. videbimus. Docet enim poſtea cur cæcos vocet. nempe, quod quum videant multa, ea tamen non obſervant. quod certe Prophetis nullo modo convenit. Sequamur ergo ſimplicem ac genuinum ſenſum. Propheta damnaverat univerſos homines cæcitatis: ſed potiſſimum Judæos, quod acutius quam reliqui omnes cernere debuiſſent. nec enim communi tantum luce & intelligentia fruebantur: ſed Verbo, quo ſe illis Dominus abunde patefecerat. Quamvis ergo reliqui omnes cæcutirent, tamen hi cernere & Deum agnoſcere debuerunt, quum Lege ipſius & doctrina, tanquam lucidiſſima lampade, illu-
ſtrarentur. Præterea, 60 cap. Jeſaias in hunc modum vers. 1.
alloquitur Judæos, Surge, illuminare Jeruſalem: quoniam tenebræ erunt ſuper terram: in te autem Dominus refulgebit. Quum igitur Judæi cæcutirent in tanta luce, ideo peculiari hac objurgatione ipſos compellat. perinde acſi diceret, Fruſtra contendo cum iis qui à me alieni ſunt: nec adeo mirum eſt ipſos cæcos eſſe: ſed inſtar prodigii, hoc accidere ſervis meis (quorum oculis lux propoſita eſt) ut obſurdeſcant ad doctrinam quæ auribus ipſorum aſſidue inſonat. Hæc enim tam aperta ſunt ut à cæcis videri: tam clara, ut à ſurdis percipi poſſint: ſed fruſtra ipſos alloquor. nihil enim ſtupidius aut hebetius eſt: & quum maxime omnium videre & audire debuiſſent, nulli aut ſurdiores aut cæciores reperiri poſſunt. *Quem mitto.* Gradatim progreditur Jeſaias ab univerſo genere hominum ad Judæos: deinde ad Sacerdotes, qui præcipui omnium, ac veluti ſummi erant. Eorum enim munus fuit enarrare Legem, & præire aliis vitæ exemplo: denique ſalutis viam præmon-
ſtrare. Lex enim Domini ex ore Sacerdotis requi- Malac. 2.
renda erat. Conqueritur ergo cæcos eſſe illos, quos vers. 7.
prælucere aliis & vitæ duces eſſe oportuit. Alii nomen *Servi* referunt ad Jeſaiam: alii etiam ad Chriſtum: atque intelligunt ipſum cæcitatis, quemadmodum & Jeſaiam, damnatum eſſe: ſed nihil ad Prophetæ mentem. Amplificat ergo per comparationem quod nuper conqueſtus eſt de Judæorum ſocordia. nam gravior in ipſis culpa erat quam in aliis: ſed omnium graviſſima in Sacerdotibus, qui duces ipſorum erant. Proinde ſciamus nos eo minus excuſabiles fore, quo propius acceſſerimus ad Deum, atque in altiorem dignitatis gradum ab eo evecti fuerimus. Perfectos eodem reſpectu vocat, qui tales eſſe debuerant. nam probroſe meminit hujus perfectionis à qua exciderant impia defectione, atque ita indigne profanaverant præſtantiſſimum Dei donum. Quum enim perfectam juſtitiæ regulam haberent, per eos tantummodo ſtabat quominus eam ſequerentur.

20. *Videndo multa.*] Quale ſit hoc genus cæcitatis, de qua loquutus eſt, ipſe exponit, eamque duplicem eſſe oſtendit. unde ſatis apparet ipſum de Judæis loquutum eſſe, qui ſceleſto contemptu ſuffocaverant Dei lucem. Duplex igitur erit reatus quum veniendum erit ad tribunal Dei, ſi quum lucem ſuam proponit, oculos claudamus: & quum docet Verbo ſuo, non audiamus. Gentes quidem excuſatione carebunt: ſed Judæi & alii quibus ſe tot modis patefecit Dominus, bis damnandi erunt, quod Deum intueri & agnoſcere noluerint. Nos igitur quibus tot & tam inſignia exempla hodie proponuntur, hoc judicium metuamus. nec enim minor cæcitas aut pervicacia hodie in multis quam olim in Judæis deprehenditur, & nihilo plus erit excuſabilis.

21. *Jehova voluntarius.*] Nunc ut magis exaggeret Judæorum crimen, oſtendit per Deum non ſtetiſſe quominus feliciter beateque viverent. Jam dixit, miſerias & ærumnas quas ſuſtinent, pœnas eſſe cæcitatis, quam ſponte ſibi accerſierunt: nunc auctarium & quaſi cumulum ponit, quod levamen omne ſua obſtinatione repudient. Varie exponitur hic locus. Quidam, Dominus ſic voluit: alii, Clemens eſt: ego, Dominus volens, id eſt, voluntarius ac propenſus ad liberandum populum ſuum: idque amplificandæ Legis ſuæ & extollendæ juſtitiæ cauſa. Quod ergo indignis ſuccurrere paratus ſit Deus, rationem aſſignat, gloriam ſuam velle propagari in eorum ſalute, ut hoc modo conſpicua ſit ejus juſtitia, vigeat Lex ipſius ac floreat. Quod autem Judæi adeo calamitoſi ſunt, hoc ideo fit, quia ſponte cæci eſſe, atque ærumnas ſibi accerſere, quam Deo parere maluerint. nam Dominus alioqui ipſos ornare atque extollere voluiſſet. Alii ſic accipiunt, Dominus vult

Legem ſuam magnificare, quod verax apparere velit, animadvertendo in Judæos, quemadmodum ipſis per Legem minatus erat. Atque ſic juſtitiam referunt ad pœnas & ſupplicia, quæ divinitus impio populo irrogata ſunt. Alii vertunt, Propter juſtum ſuum: atque ad Chriſtum referunt: ſed hallucinantur in nomine צדק. nec dubium eſt quin de juſtitia loquatur, atque ſignificet Dominum libenter oſtenſurum fuiſſe magnificentiam promiſſionum ſuarum, & documenta juſtitiæ ſuæ editurum in populo conſervando, niſi hic ingratum ſe & indignum præbuiſſet. Quidam exiſtimant hic Dominum excuſari, quod dum populus, quem adoptaverat, tot malis expoſitus ſit, labaſcere veritas ipſius videatur: atque huic calumniæ Prophetam occurrere voluiſſe: ſic enim diripi ipſum ac prædæ eſſe, non quod Dominus eorum malis oblectetur, ſed quod omnia poſthabeat juſtitiæ ſuæ. Ego ſimpliciter interpretor, Dominum ornandæ Legis cauſa propenſum fuiſſe ad benefaciendum populo ſuo, ut in eo gloria ipſius ac juſtitia refulgeret: ſed populum indignum ſe tanto beneficio reddidiſſe: atque ita propria duritia morbos ſuos feciſſe inſanabiles. Cæterum, hinc colligendum eſt quorſum Dominus tot beneficiis ornet Eccleſiam ſuam: nempe, ut Legem ſuam propaget, id eſt, ut homines adducat ad cultum ſuæ majeſtatis, magiſque ac magis veritas ipſius eluceſcat. Quum Dominum velle ac propenſum eſſe dicit, ſatis oſtendit non aliunde impelli quam à ſe ipſo: ſed hoc magis exprimit, quum addit, *propter juſtitiam ſuam*. excludit enim quicquid homines afferre poſſent. Nec vero alia de cauſa adducitur Dominus ad benefaciendum, quam quod juſtus eſt. nihil enim meriti aut dignitatis in hominibus reperietur. Specialis autem in Judæis erat ratio, quos ſolos adoptione dignatus erat.

22. *Atqui hic populus.*] Jam declarat Jeſaias populum ſua culpa miſerum, & exitio deſtinatum eſſe, qui Deum alioqui propenſum ad beneficentiam repudiat, acſi data opera, neglectis omnibus remediis, ut ſolent deſperati, mortem præoptaret. Sic ergo Dominum excuſat, ut graviter populum accuſet, quod ingratitudine ſua ipſum repulerit, paternaque ejus indulgentia abuſus ſit. Quanquam, ut nuper attigi, non tam excuſandi Dei cauſa hæc adducit, quam dolenter commemorat gentiles ſuos in ſuam perniciem conſpiraſſe: quia ſe quaſi devotis animis in multas clades projecerint. Ergo ſi diſſipatam hodie & deformem Eccleſiam videmus, hoc vitiis & ſceleribus noſtris imputandum, quo nobis à Deo benefieri non ſinamus. Copulam ו, nonnulli vertunt Itaque: ego malui vertere Atqui. Hæc enim adverſativa opponitur illi deſiderio, quo ſe ductum fuiſſe aſſeruit Deus, ut populum ſuum tueretur, ſi quidem id paſſus eſſet. הפח, per Gerundivum vertere malo, Illaqueandus. Loquitur enim de populo, qui in captivitatem abducendus erat. בחורים, duas dictiones potius quam unam eſſe puto: id eſt, in ſpeluncis. nam pro Juvenibus accipere, mihi alienum videtur à contextu. *Erunt in direptionem.* Qui exponunt de toto genere humano, cujus nemo præter Chriſtum liberator eſt, nihil afferunt quod menti *Joan. 8. verſ. 36.* Prophetæ conveniat. ſimpliciter enim admonet populum interiturum ſine ulla ſpe liberationis, quod reſpueret gratiam Dei. Hinc collige quid nobis accidere neceſſe ſit, niſi oblatam Dei gratiam in tempore amplectamur. Digni profecto erimus qui deſtituamur omni auxilio, prædæque & direptioni expoſiti pereamus.

23. *Quis in vobis.*] Idem argumentum proſequitur Jeſaias. nam Judæos adeo hebetes eſſe ac fore ſignificat, ut ne admoniti quidem percipiant. ac nominatim ipſos compellat, quod quum præ aliis inſtructi atque edocti eſſe debuiſſent, nihil tamen perciperent: nec judicia Dei, quamvis apertiſſima, obſervarent. *In poſterum*, id eſt, ut tandem malis domitus, quamvis ſero, reſipiſcat. Videmus ergo ut hæc admiratio crimen amentiæ aggravet: quia ſemper futuri ſint indociles. Interea diſcamus quis ſit minarum & pœnarum uſus. Nec enim reprehendit Deus ſcelera noſtra, vel pœnas de iis ſumit, quaſi vindicta oblectetur, aut compenſationem quandam requirat, ſed ut nobis in poſterum caveamus.

24. *Quis dedit Jacob in prædam.*] Hæc ſunt quæ à Judæis non obſervari conqueritur Jeſaias. nam quæ patiebantur, aut fortuito accidere exiſtimabant, aut ſibi non eſſe eaſdem vires ad reſiſtendum quæ fuerant patribus, atque ideo ab hoſtibus ſuperatos eſſe. denique in externis cauſis occupati, interea non obſervabant ea quæ toties minati erant Prophetæ, nec judicia Dei animadvertebant. Ideo ad cæleſte eos tribunal retrahit, pronuncians Deum eſſe auctorem. nec enim poterant perſuaderi, clades quas ſuſtinebant, tanquam juſtas ſcelerum pœnas, à Deo proficiſci: ut hodie nihil difficilius perſuaderi poſſe ſcimus. Deum quidem omnium rerum auctorem nemo non fatetur: verum ſi quis roget an adverſa omnia ſint ejus caſtigationes, hoc fateri pudebit: variis enim cogitationibus diſtrahuntur homines: & præoccupati opinione Fortunæ, in has & alias cauſas potius quam in Deum mentes & animos convertunt. Cauſam igitur tanti exitii notat Jeſaias, populi ſcelera, in quæ merito Dominus animadvertit. quemadmodum à Moſe ſatis oſtenſum *Deut. 32. verſ. 30.* erat, Quomodo fugerent mille à facie unius? annon Dominus vos perſequitur, atque in hoſtium manus concludit? Miramur quotidie permulta accidere præter opinionem noſtram: nec interea cauſam in nobis hærentem agnoſcimus. Urgeri ergo nos & vi adigi neceſſe eſt ut culpam noſtram fateamur. quamobrem doctrinam iſtam ſæpius proponi ac repeti admodum neceſſe eſt. Jam vero ne Deum inſimulent ſævitiæ, ſimul addit, eum ex juſta cauſa hoc facere, quia non proſilit ad pœnas exigendas niſi cogat neceſſitas, nec voluptatem ex malis noſtris capit. Proinde duo hic diſtincte notanda ſunt. primum, nihil nobis mali niſi à Domino contingere: ne vel fortuito rerum caſu, vel alia cauſa externa quicquam accidere exiſtimemus. deinde, nos nihil omnino mali, niſi juſta de cauſa ſuſtinere, quoniam in Deum peccavimus. Fruſtra ergo homines Deum crudelitatis inſimulant. nam juſtum ejus judicium in pœnis, quas merito infligit, agnoſcendum eſt. *Nec voluerunt.* Hic amplificat Judæorum crimen: ſed perſonam mutat, quia prius ſe cum aliis annumerabat, quod membrum illius corporis eſſet, & reatum ſuum fatebatur: non quod ſimilis eſſet vulgo hominum, aut eorum ſcelera probaret: ſed quod in tanta vitiorum colluvie immunis eſſe non poſſet, quin, ut reliquæ corporis partes, ſic ipſe contagione quadam inficeretur. Quum ergo longe diſſimilis eſſet vulgo hominum, perſonam mutat, atque ſubjicit, Noluerunt. quo ſignificat tantam contumaciam ſibi diſplicere, ut nullo modo aut connivere, aut aſſenſus ſignificationem præbere liceat. nec enim agitur hic de vitiis communibus: ſed de contemptu & rejectione Dei, quod excuſſo illius jugo ferocirent. Hac enim ratione Jeſaias ſe ex eorum numero ſubducit. Quod ſi hæc merito acciderunt Judæis, ſciamus idem nobis & toti mundo impendere, niſi moniti reſipiſcamus. Videmus enim ut nos benigne Dominus ad ſe invitet, quot modis declaret benevolentiam ſuam, quam comiter ſe placabilem fore teſtetur quamvis offenſus ſit. Jam toties ac tam humaniter invitati à Deo, & clementiam ejus experti, ſi audire nolimus, haud dubie exitium, quod iſtis accidit, experiemur commune eſſe omnibus immorigeris.

25. *Itaque effudit.*] Quoniam admodum ſeveræ erant

erant caſtigationes quibus Dominus in Judæos animadvertere cœperat, & quæ poſtea continuandæ erant, ideo vehementiam ipſarum metaphorice exprimit Propheta. nam Dominum ait furorem ſuum effundere, acſi fulmen aliquod cum impetu emitteretur, aut erumperent aquæ, quæ vicinas regiones longe lateque vaſtarent: quemadmodum in diluvio cataractis cæli ruptis, apertiſque feneſtris, aquæ ingenti violentia & impetu eruperunt. Alia deinde figura utitur, Deum ſuas copias ad bellandum colligere, ut hoſtiliter contra populum graſſetur. Si quis pro hoſtibus hoc capiat, quos Dominus adverſus Judæos excitavit, non admodum contendo. nam judicio Dei excitatos fuiſſe certum eſt. quid enim aliud erat Nabuchodonoſor, quam flagellum Dei? Ego vero metaphorice hoc adhuc accipiendum puto, Deum ſcilicet, ut armatum hoſtem, violenter irruere, & iram effundere in populum ſuum. Habet autem varias bellandi rationes: nunc enim fame, nunc bello, nunc peſte ſuos caſtigat. Itaque omnis generis flagella hic comprehendi arbitror quibus Dominus in populum animadvertit. Quod ſi interdum nobis duriora atque acerbiora videantur, cogitemus quam gravia ſint ſcelera noſtra: nec eum in pœnis irrogandis immodicum aut nimis acerbum eſſe reperiemus. *Nec advertit.* Iterum invehitur in craſſum illum ſtuporem, quo ſic perculſi erant Judæi ut malum ſuum non ſentirent, nec oculos attollerent in cælum, ut Dominum ultorem atque auctorem agnoſcerent. *Neque poſuit ſupra cor.* Ponere ſupra cor, eſt attente diligenterque conſiderare. nam ſi veniret nobis in mentem hæc cogitatio, animiſque noſtris probe inſideret, Deus eſt judex, merito in nos animadvertit: ſtatim reſipiſceremus. Hodie tot calamitatibus premitur univerſus orbis, nullus fere angulus ab ira Dei immunis eſt, nemo tamen animadvertit: ſed indomitis animis & præfractis adverſus ipſum omnes irruunt. nihil igitur mirum quod tam atroces pœnas infligit hominibus, iramque ſuam ubique effundit, quum ſumma pervicacia mundus adverſus ipſum ſeſe obſtinet.

Geneſ. 7. verſ. 11.

Cap. XLIII.

ET nunc ſic dicit Jehova creator tuus, Jacob: fictor tuus, Iſraël: Ne timeas, quoniam redemi (te,) vocavi te nomine tuo: meus (es) tu.
2. Quum tranſieris per aquas, ego tecum (ero,) in fluminibus: non inundabunt te. Quum tranſieris per ignem ipſum, non combureris: nec flamma ardebit in te.
3. Quoniam ego Jehova Deus tuus, Sanctus Iſraël, ſervator tuus: dedi pretium redemptionis tuæ Ægyptum, Æthiopiam, & Saba in vicem tuam.
4. Quia pretioſus fuiſti in oculis meis, honoratus es, & ego dilexi te. Tradam hominem in vicem tuam, & populos in vicem animæ tuæ.
5. Ne timeas, quia ego tecum. Ab Oriente adducam ſemen tuum: & ab Occidente colligam te.
6. Dicam Aquiloni, Da: & Auſtro, Ne prohibeas. Adducito filios meos è longinquo, & filias meas ab extremo terræ.
7. Omnes vocati nomine meo: & ad gloriam meam creavi eos: formavi eos, adeoque feci eos.
8. Ut educam populum cæcum, cui oculi: & ſurdos, quibus aures.
9. Omnes gentes congregentur ſimul, & colligantur populi. Quis eſt in eis qui iſtud annunciet, ac priora nos audire faciat? Proferant teſtes ſuos, juſti pronuncientur: ſed audiant, & dicent, Verum eſt.
10. Vos teſtes mei, dicit Jehova: & ſervus meus quem elegi. Propterea ſcietis, & credetis mihi, & intelligetis quod ego ſum: ante me non eſt formatus Deus, nec poſt me erit.
11. Ego, ego ſum Jehova, & nullus præter me ſervator.
12. Ego annunciavi, & ſervavi, & audire feceram: & non in vobis alienus. Vos ergo teſtes mei, dicit Jehova, quod ego ſim Deus.
13. Etiam antequam dies eſſet, ego eram: & non eſt qui è manu mea eruat: faciam, & quis avertet illud?
14. Sic dicit Jehova redemptor veſter, Sanctus Iſraëlis: Propter vos miſi in Babylonem, & deſcendere feci. Omnes ipſi fugitivi: & Chaldæorum clamor in navibus.
15. Ego Jehova, Sanctus veſter, creator Iſraël, Rex veſter.
16. Sic dicit Jehova, qui dat in mari viam, & in aquis violentis ſemitam.
17. Quum educit, currus & equus, exercitus & robur ſimul jacent, ut non ſurgant. Extincti ſunt: ſicut linum extincti ſunt.
18. Ne recordemini priorum: & antiqua ne memoretis.
19. Ecce ego facio rem novam: jam orietur: an non eam cognoſcetis? * Hac vice ponam in deſerto viam, flumina in ſolitudine.
20. Honorabit me beſtia agri: dracones, & pulli ſtruthionis: quia dederim in deſerto aquas, flumina in ſolitudine ad potandum populum meum, electum meum.
21. Populum hunc creavi mihi: laudem meam narrabit.
22. Et non me invocaſti, Jacob: quin fatigatus es in me, Iſraël.
23. Non adduxiſti mihi pecus holocauſtorum tuorum, & ſacrificiis tuis non honoraſti me: non feci te ſervire in oblatione, nec laborare in ſuffitu.
24. Non emiſti mihi pecunia calamum, nec adipe victimarum tuarum inebriaſti me: ſed me ſervire feciſti in peccatis tuis: & me laborare feciſti in iniquitatibus tuis.

* vel, *Utique.*

25. Ego,

25. Ego, ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me: ideo peccatorum tuorum non recordabor.
26. Reduc mihi in memoriam, judicemur ſimul: narra tu, ut juſtificeris.
27. Pater tuus primus peccavit, & doctores tui in me prævaricati ſunt.
28. Ideo polluam Principes ſanctuarii, & ponam in execrationem Jacob, & Iſraël in opprobrium.

ET *tunc.*] Non ſatis conſtat an diverſa ſit concio, an eadem cum ſuperiore. nec enim Prophetæ, quorum ſcripta nobis relicta ſunt, diſtinxerunt ſermones ſuos in certa capita, ut ſcire poſſimus quid ab eis unoquoque die dictum ſit. Mihi vero probabile eſt hanc doctrinam cum proxima cohærere. nam quum prius graviter in Judæos invectus eſſet, iiſque exitium denunciaſſet, acerbitatem illam temperare voluit. Semper enim piorum rationem habet Dominus. nec vero unquam adeo graſſatur impietas, quin ſuos interim conſervet, ac eorum ſaluti proſpiciat, ne mergantur ſimili exitio. Itaque copula ו mihi in adverſativam reſolvenda videtur, Et tamen conſolationem aliquam Dominus relinquet piis qui ſuperfuturi ſunt. Eſt autem diligenter notandus hic locus. nam etſi in perniciem noſtram conſpiraſſe videantur omnes, tametſi exardeat ira Domini, atque interitui proximi videamur: tamen ſi vel duo tantum, vel tres pii ſuperſint, eis deſperandum non eſt. ſic enim ipſos alloquitur Dominus, *Ne timeas.* Et adverbium temporis *nunc*, quo hic utitur, magnum pondus habet: nam ſignificat præſentem calamitatem, aut inſtantem: denique tempus quo omnia perdita & deplorata videbuntur: quia tunc quoque ſuos conſolari Deus, eorumque dolores ſuaviter lenire non deſinit, ut in ſumma deſperatione invictam ſpei conſtantiam retineant. Huc ſpectat præfatio, Creator & Fictor tuus: quia alioqui clauſa fuiſſet iſtis vaticiniis janua. Porro ex aliis locis colligere promptum eſt, Dominum hic non loqui de univerſali creatione, quæ nobis cum reliquis hominibus communis eſt, & qua mortales naſcimur, ſed de regeneratione in ſpem cæleſtis vitæ, ob quam etiam novæ creaturæ vocamur. quo ſenſu Paulus figmentum Dei nos appellat, ut jam prius ſatis declaratum eſt. Eodem etiam modo fictorem ſe vocat: acſi diceret, non ideo ſe Eccleſiam ſuam formaſſe, in qua eniteat gloriæ ſuæ decor, ut deleat tam præclarum opus. Unde obſervandum eſt Eccleſiam nihil à ſeipſa proprium habere, ſed dono Dei, cui omnia quibus excellit, accepta ferenda ſunt. Quæ additur ratio, *quoniam redemi te*, tam ad futurum quam ad præteritum tempus commode ſpectare poteſt. Liberatio enim prima ex Ægypto alterius futuræ ſpem dabat. Cæterum, quamvis futuram ab exilio Babylonico redemptionem deſignet, non male tamen convenit tempus præteritum: quia Deus apud ſe nos redemit, antequam ad nos perveniat effectus redemptionis. Ideoque teſtari volens quid apud ſe decretum ſit, nempe Eccleſiam ſuam redimere, quæ interiiſſe videbatur, præteritum tempus proprie uſurpat. *Vocavi te nomine tuo.* Vocare nomine, hic eſt recipere in jus aliquod neceſſitudinis: veluti quum à Deo in filios adoptamur. Ratio hujus loquutionis eſt, quod Deus ſic reprobos abjiciat, ut eorum oblitus videatur, unde etiam Scriptura dicit, ab ipſo non agnoſci. Atque ex hujuſmodi antitheſi melius intelligimus quid ſit Vocari à Deo: quum ſcilicet nos, aliis præteritis, peculiari honore dignatur, & ex alienis facere domeſticos. deinde ita in tutelam ſuam & curam recipit, ut nos omniaque inſtituta noſtra dirigat. Eadem ratione addit, *meus es tu*, ut ſciant fideles reſiduam fore aliquam Eccleſiam in populo electo, quia Deus poſſeſſionis ſuæ jure privari nolit. denique eos ſibi pretioſam hæreditatem vendicat, qua ſe nunquam ſpoliari ſinet.

Epheſ. 2. verſ. 10.

Matth. 7. verſ. 23. & 25:12.

2. *Quum tranſieris.*] Occupatio eſt, qua ſignificat non eſſe cur adverſis rebus ſuccumbant præſenti Dei auxilio freti. atque ita expreſſius loquitur quam proximo verſu: quia Eccleſiam docens à miſeriis & calamitatibus non fore immunem, ſed aſſidue ipſi pugnandum fore, ad tolerantiam & fortitudinem animat. acſi diceret, Non redemit te Dominus ut deliciis & voluptatibus fruaris, aut languori & otio te dedas: quin potius ut ad omne genus malorum ſuſtinendum parata ſis. Per *ignem* & *aquam* intelligit omne genus miſeriarum quibus in hac vita obnoxii ſumus. nec enim cum unius generis tantum calamitatibus nobis luctandum: ſed variis & infinitis. nunc per aquam, nunc per ignem tranſeundum eſt: ſicuti fideles hortatur Jacobus ne deficiant quum inciderint in varias tentationes. Et certe multiplici examine opus habet fides: quia ſæpe continget, qui victor emerſit ab una pugna, alio tentationis genere obrui. Variis ergo exercemur ærumnis, ſed tandem eripimur: fluviis impetimur, ſed non obruimur: flammis etiam urimur, ſed non conſumimur. Nobis quidem eſt idem doloris ſenſus cum aliis, ſed ſuſtinemur gratia Dei, atque ſpiritu patientiæ fulcimur, ne deficiamus: donec porrecta manu ſurſum nos attollat.

Pſal. 66. verſ. 12.
Jac. 1: 2.

3. *Quoniam ego.*] Confirmat priorem ſententiam ab experimentis prioribus. ſic enim Dominus antea populum ſuum juverat, ut fideles tuto in ejus gratia recumbere æquum & conſentaneum eſſet. Semper autem tenendum eſt quod habuimus ſuperiore verſu, Ne timeas, quoniam redemi te, Ego Dominus tuus. Hæc enim conjunctim & uno tenore legi debent: quoniam eodem ſpectant. nam ſi Dominus eſt Deus noſter, ſequitur ipſum nobiſcum eſſe: ſervatorem igitur ipſum ſentiemus. Verum ſi talem ipſum experiri velimus, neceſſe eſt nos partem Iſraëlis eſſe, non tantum ut nudo ſimus titulo inſigniti, ſed ut vera pietatis documenta toto vitæ noſtræ curſu præbeamus. Hoc igitur fiduciæ noſtræ fundamentum eſt, quod Jehova ſit Deus noſter. unde ſequitur, eos miſere ſemper trepidare qui Deum patrem non agnoſcunt, nec in ejus benevolentia conquieſcunt. Laſciviunt quidem impii, atque etiam exultant adverſus Deum, ſed eorum ſecuritas, ebrietas mentis eſt ac furor, quo magis præcipites in exitium ſuum ferantur. Hinc piis ſolis affertur certitudo, quod idem qui eos elegit, perpetuo etiam Deus ipſorum eſſe, eoſque ſervare velit: ideoque ſegregaverit in hæreditatem ſuam. Atque hoc ſenſu vocat ſe *Sanctum Iſraëlis*: quia quum univerſum genus humanum ab ipſo alienum ſit natura, populum ſuum ſelegit, quem ſibi ſeorſum colligeret. Quamvis autem externa ſegregatio levis eſt momenti, niſi electos virtute Spiritus ſui Deus ſanctificet: quia tamen vulgo ſe polluerat Iſraël, pronunciat Deus non fore tamen irritum fœdus ſuum, quia ſibi conſtet. Cæterum, nomen Sancti active ſumi pro eo qui ſanctificat, ſatis notum eſt. Itaque ſi de amore Dei erga nos certi eſſe volumus, ſemper occurrat teſtimonium adoptionis noſtræ, quo in animis noſtris, tanquam certo pignore, confirmemur: idque votis omnibus à Deo poſtulemus. *Dedi pretium.* Non annoto iſtas repetitiones quæ tritæ ſunt Prophetæ, & linguæ Hebraicæ uſitatæ ſunt. nam Dare pretium, & Dare in vicem, pro eodem poſuit. Diximus Prophetam confirmare pios, adductis ſuperioribus documentis gratiæ Dei: acſi diceret, Jam experti eſtis Deum

habere rationem veſtræ ſalutis : qui enim factum eſſet ut Sennacherib vires ſuas in Ægyptum, Æthiopiam, alioſque populos converteret, niſi quia Dominus vobis pepercit atque alio impetum hoſtis veſtri convertit? Quum igitur hactenus ſe tam ſollicitum præbuerit veſtra cauſa, non eſt cur in poſterum ſitis ipſi ſolliciti. Ita ſi quando obrepant nobis dubitationes de providentia Dei, aut ejus promiſſis, beneficia quibus antea nos affecit in memoriam revocare debemus. nam ſummæ ingratitudinis damnandi erimus, ſi tot acceptis à Deo beneficiis, de ejus benevolentia in poſterum dubitemus. Sed quæritur, quo ſenſu Ægyptum & Æthiopiam pretium redemptionis Eccleſiæ vocet? nec enim tanti ſunt profani homines, ut filios Dei redimant. Sed hanc loqutionem à communi hominum more mutuatus eſt Propheta: acſi diceret, Ægyptii, Æthiopes, Sabæi ſubierunt vicem tuam, & quaſi permutatione facta, cladem quæ tibi impendebat, ſuſtinere coacti ſunt. ut enim te ſervarem, illos perdidi : atque tui loco, in manum hoſtis redegi. Sed tenenda hiſtoria eſt:
2 Reg. 19. verſ. 28. infr. 37. verſ. 8. Quum Sennacherib toto impetu rueret in Judæam, repente Deus eum, velut freno injecto, cohibuit, atque aliis bellis implicavit : ita ut exercitum reducere cogeretur. Itaque Ægyptii & Æthiopes magnam cladem paſſi ſunt : interea vero populus Dei reſpiravit. Hodie eandem erga nos providentiam Dei, atque immenſam miſericordiam agnoſcere promptum eſt, niſi pluſquam hebetes ſimus, quum tyrannos, qui nos perditos vellent, imo ad nos vorandos eadem cupiditate ſimul inhiant, inter ſe committit : atque furorem quo in nos accenſi erant, alio convertit. hoc enim agendo nos conſervat, ut alios det in pretium noſtræ redemptionis. Dum ergo profanos homines tumultuando & mutuis bellis ſeſe turbando ceſſare à nobis perdendis videmus, quando palam eſt non ſponte hoc ab ipſis fieri : attollamus oculos in cælum, atque Deum, ut nobis parcat, mirabiliter alios in vicem noſtram ſubſtituere ſciamus. Eramus enim ut oves deſtinatæ mactationi: gladii undique exerti, niſi eos excuteret ex impiorum manibus, aut alio adigeret. Hinc generalis doctrina
1 Petr. 5. verſ. 7. colligenda eſt, Sic Domino curæ eſſe pios omnes, ut pluris ipſos quam univerſum orbem faciat. tametſi igitur nullius pretii ſimus, tamen in eo gloriemur, quod Dominus nos magni æſtimat, totique mundo præfert, è periculis eripit, atque adeo in media morte conſervat. Quod ſi inter nos omnia pacata & compoſita eſſent, hanc Dei gratiam non perſpiceremus : ſed quum nobis mille videntur imminere mortes, nec ullum effugium patet, ac ſubito retro agit tyrannos, aut alio flectit, tunc experimur quod hic dicitur à Propheta, atque inæſtimabilem ejus benevolentiam erga nos agnoſcimus.

4. *Quia pretioſus fuiſti.*] Aliqui exponunt, Ideo fuiſti honorabilis, quoniam te in honorem extuli : ſed mihi videtur rationem reddere, cur Ægyptum & Æthiopiam ejus loco tradiderit hoſtibus: nempe, quod eum dilexerit, & charum habuerit. Sic ergo reſolvi debet, Quoniam dilexi te, ideo hominem pro te dedi. Excludit autem his verbis omnem populi dignitatem, ne quid ſuo merito ſe fuiſſe adeptum glorietur. Et certe cauſa ſalutis, & omnium beneficiorum quibus ornamur, gratuitus eſt Dei amor : idem omnis noſtræ præſtantiæ cauſa eſt : quia ſi nos æſtimet propriis dotibus, ne unius quidem pili nos faciet. Tollenda eſt igitur omnis meritorum opinio aut dignitatis, quæ nulla in nobis eſt, ut ſoli Dei gratiæ omnia tribuamus. Amorem vero iſtum non vulgarem eſſe ſignificat, dum nos pretioſos eſſe dicit.
Exod. 4. verſ. 22. Joan. 15. verſ. 15. unde etiam nos primogenitos ſuos & amicos vocat. *Tradam hominem.* Hic nihil adjicit novi, ſed potius explicat proximam ſententiam. Hominem collective accipit pro Hominibus : acſi diceret, Nullum fore hominem, quem non tollat atque perimat Dominus, ut ſuos conſervet. Pluris enim facit unius pii animam, quam totum mundum : interea admonet fideles redimi eorum diſpendio qui nihil origine & natura differunt.

5. *Ne timeas*] Quod hanc exhortationem ſubinde repetit Jeſaias, ſupervacaneum cenſeri non debet. Scimus enim atque experimur quam proclivis ad diffidentiam natura noſtra ſit. Quantis vero terroribus concuſſa tunc fuerit Eccleſia, vix ullis verbis poteſt exprimi. Simul vero atque incipimus in dubium revocare promiſſa Dei, mentes noſtræ variis cogitationibus diſtrahuntur, terremur magnitudine & varietate periculorum, & aſſidue vexamur : tandem obſtupefacti nullum gratiæ Dei ſenſum admittimus. Ergo antequam animos occupet deſperatio, non abs re toties inculcat, *Ego tecum ſum*, ut etiam metum animis noſtris inhærentem vel penitus evellat, vel paulatim corrigat, quia ubi prævaluit, nulla eſt ejus ſanandi ratio. Unde etiam obſervandum eſt, ſecuritatem noſtram non eſſe alibi locandam, quam in præſentia Dei. nam ſi abſit, aut horrebimus metu, aut ſtupebimus, aut ebrioſorum more præcipites feremur. Nec tamen vult nos Dominus ſic carere metu ut ignaviæ & torpori nos dedamus : ſed quum ipſum nobis præſto adeſſe atque affuturum eſſe audimus, in mediis timoribus palmam obtineat fiduciæ alacritas. *Ab Oriente adducam.* Hunc locum ex Moſe deſumptum eſſe conſtat Deut. 30. quemadmodum *Deut. 30. verſ. 3.* initio Prophetas illius eſſe interpretes, doctrinamque ſuam ex ejus libris haurire diximus. Accommodat igitur Propheta locum illum ad circumſtantiam ejus temporis, cujus reſpectum habuit in hac concione. Sic enim prædixerat Moſes, Convertet Dominus Deus tuus captivitatem tuam, & miſerebitur tui, converſuſque congregabit te de omnibus populis in quos te diſperſit Deus tuus. Etiamſi fueris ejectus uſque in fines cælorum, illinc te colliget Deus tuus, atque inde te tollet. Quæ in genere dicta fuerant à Moſe, Propheta hic in ſpecie confirmat, idemque immutatis paulummodo verbis pronunciat. Summa eſt, quamvis nihilo facilius ſit populum non modo diſcerptum, ſed ejectum in remotiſſimas orbis plagas, quam cineres huc & illuc diſperſos colligere : Deum tamen mirifica ſua virtute facturum ut lacera hæc membra rurſus in unum corpus coaleſcant.

6. *Dicam Aquiloni.*] His quatuor partibus univerſum orbem comprehendit, quemadmodum linguis omnibus ſatis uſitatum eſt. Loquitur autem Jeſaias paulo magnificentius quam Moſes : quia populum velut in rem præſentem adducere volebat. cui rei aptiſſimæ ſunt iſtæ hypotypoſes, quæ rem pene oculis ſubjiciunt. Poterat quidem id dicere uno verbo : ſed hoc multo plus energiæ habet. Adducit enim Deum ſummo jure imperantem omnibus creaturis, & univerſis mundi partibus, ut populum ſuum liberum dimittant. *Adducito filios.* Significat totum Iſraëlem colligendum non eſſe, ſed eum tantummodo qui verus Iſraël eſt. nec enim omnes qui ſecundum carnem ab Abrahamo originem ducunt, veri ſunt *Rom. 9: 6.* Iſraëlitæ, ſed ſpurii permulti. Ad verum igitur & genuinum ſemen hæc pertinent. nec enim immenſa illa populi multitudo, ſed reliquiæ tantummodo ſalvæ fuerunt, quemadmodum prius cap. 10. vidimus. *v. 21, 22.* Ingens populi numerus in captivitatem abductus eſt, pauci reducti. In his conſervatum eſt ſemen, quod Dominus interire noluit, & fœdus ratum quod cum Patribus inierat. Hæc autem admodum difficilia creditu fuerunt Judæis qui ab omnibus contempti, nec odiis tantum ſed execrationibus totius fere mundi devoti, vix hominum numero habebantur. ex ſolis igitur promiſſionibus ipſos pendere oportebat. Sciebant venturum Cyrum : ſed quiſnam eſſet, nondum animo concipere poterant, quum natus nondum eſſet. Eximia igitur & conſtanti fide

ipſos

ipſos armatos eſſe oportuit, quum multi hæc vaticinia haberent pro fabulis, ut invicta ſpe Dominum expectarent. Quo etiam exemplo diſcamus in ſolum Deum ſpectare: ne ipſum nobis adfuturum, atque in tempore promiſſis ſtaturum dubitemus.

7. *Omnes vocati.*] Sic reſolvo hanc orationem, quoniam ſingulari numero pro plurali uſus eſt Propheta, quæ loquutio fefellit interpretes. ſic enim exponunt, Quicunque vocati ſunt nomine meo, illos ad gloriam meam formavi. Ego vero ſic intelligo, Omnes vocati, id eſt, vocabuntur nomine meo: ſicuti alibi dicit, Invocabitur nomen meum ſuper eos. Cur ita? quoniam ipſos creavi, formavi, feci in gloriam meam. Proſequitur autem argumentum quod jam tractavit, de populo colligendo in unum corpus, tametſi in varias & longinquas orbis partes diſperſus eſſet: perinde acſi diceret, Quod incredibile videtur hoc opus, non eſſe ex communi naturæ ordine æſtimandum, ſed in potentiam ipſius ſpectandum eſſe. *Nomine* igitur *meo*, id eſt, Auſpiciis meis: ſicuti jam alio loco dictum eſt nobis eum eſſe propitium, quia adoptionis jure cenſemur ejus populus. Jam quia ipſo duce & auſpice, non hominum manu aut ope reducendi erant Judæi, nomen ſuum in hac liberatione illuſtre fore affirmat, idque ut diſcant judicium non facere ex carnis opinione, vel ex naturalibus mediis. *Ad gloriam meam.* Rationem addit Propheta, quæ vim non parvæ confirmationis in ſe continet: quod ſcilicet gloriam ſuam in illis conſpicuam eſſe velit. Teſtatur ergo ſua intereſſe, populum habere ſalvum: non magis poſſe illius curam abjicere, quam nomen ſuum probro & ignominiæ ſubjicere: quod nunquam facturus eſt: denique gloriam ſuam, cujus perpetuus eſt vindex, cum ſalute populi ſui conjunctam eſſe. Amplificandi etiam cauſa idem pluribus verbis iterat, quo certius perſuaſum ſit, opus quod incepit velle perducere uſque ad finem. Eodem tendit particula אף, quæ ſignificat Adhuc, vel Etiam: interdum vero quod dicimus, Hac vice. Ideo talem ſenſum eſſe putant, Quemadmodum creavi populum iſtum, & formavi: ita cupio ipſum in novum ſtatum erigere, & reſtituere in priſtinam libertatem. Poteſt etiam verti, Adeoque. Atque hæc lectio, ſicuti dixi, mihi magis probatur: non modo ut ſignificet populum nihil habere niſi ex gratia ſua, ſed ſingulari ſibi curæ eſſe ejus ſalutem, quia non poſſit opus ſuum, & quidem tam præclarum & inſigne, contemnere. Commendatur ergo nobis hoc loco ſingularis gratia Dei, qua non tantum naſcimur homines, ſed etiam ad imaginem ipſius reformamur.

Gen. 48. verſ. 16. Deut. 28 verſ. 10. ſupr. 4: 1.

8. *Ut educam.*] Brevitas verborum ſenſum obſcuriorem reddit. nonnulli ſic transferunt, Educam cæcos, & eum cui ſunt oculi: id eſt, tam cæcos quam oculatos: tam ſurdos, quam qui audiunt. alii exponunt *cæcos*, qui oculos quidem habent, ſed adeo hebetes ut arcana cæleſtis ſapientiæ percipere non poſſint. Sed quum omnia expendo, malo diſtincte quamvis de iiſdem interpretari, Sic educam cæcos, ut viſum ipſis reſtituam: ſurdos ita liberabo, ut aures recuperent. atque ita verba ſonant, Educere cæcos, & erunt oculi: ſurdos, & aures illis: reſque poſtulat hic beneficium ſeorſum notari. Primum enim liberatur populus: deinde oculi & aures ipſi reſtituuntur. Hoc quidem præſtitit Dominus, quum populum ſuum eduxit è Babylone: ſed Prophetam longius ſpectare non dubium eſt: nempe ad regnum Chriſti. tunc enim non ſolum ex Chaldæa, ſed ex omnibus terræ locis pii collecti ſunt. idque in prima Petri concione palam & inſigniter apparuit, ubi ex variis regionibus permulti in eandem fidei confeſſionem coierunt. Sed & alii deinde, qui alieniſſimi eſſe videbantur, coaluerunt in idem corpus, ſeque filios Abrahæ oſtenderunt. Ergo ſi plenam hujus prophetiæ veritatem quærimus, ad Chriſtum veniendum eſt: quo ſolo eripimur è ſervitute diaboli, atque in libertatem vindicamur. Oculi nobis & aures ab ipſo reſtituuntur, quum natura prius & cæci & ſurdi eſſemus. Ceterum, memoria tenere convenit quod ſæpius jam admonui, cum reditu populi cohærere Eccleſiæ renovationem, quæ per Chriſtum facta eſt. Nam quod Deus populum ab exilio educens exorſus eſt, continuavit uſque ad Chriſtum, tuncque demum perfecit: atque ita una & eadem eſt redemptio. unde ſequitur beneficia quorum hic fit mentio, non debere ad exiguum tempus reſtringi.

Act. 2. verſ. 41. Joan. 8. verſ. 36.

9 *Omnes gentes.*] Hic Propheta omnibus idolis, ut prius, ſub perſona Dei inſultat. Eſt enim pluſquam neceſſarium, ac maxime tunc pro temporis circumſtantia fuit, verum Deum à falſis diſcernere. Deo quidem divinitatis gloriam tribuere facile eſt: ſed admodum difficile ſic ei ſoli ipſam vendicare, ut ficti omnes dii in nihilum redigantur, de quibus tunc magis confirmatus fuerat error: quia in clade populi, dati illis fuerant plauſus ab incredulis non ſecus acſi verum Deum ſuperaſſent. Suggerit ergo fidelibus Propheta quod reſpondeant hoſtium ſuorum ſannis: & quamvis turmatim proſiliant ad errores ſuos tuendos, exiguum numerum contra omnes copias firmum ſtare jubet. Prius diximus præſcientiam & potentiam unius eſſe Dei: omnia enim habet in conſpectu, atque omnia arbitrio ſuo moderatur. ideo his duobus argumentis prius convicit alienos omnes deos vanitatis. Idem nunc quoque repetit, non ut Gentes revocet ab hoc errore, apud quas tunc hæ Prophetiæ non legebantur: ſed ut Judæos in fide confirmaret, qui ſe ſolos verum Deum noſſe intelligebant. Nunc quidem & Gentibus & Judæis hæc doctrina communis eſt: imo quum ſe indignos reddiderint Judæi, ad Gentes earum fructus manavit. ſed tunc Judæos potiſſimum compellabat Jeſaias, ut, tametſi Gentibus omnia ex voto ſuccederent, tamen abhorrerent ab earum idolis & ſuperſtitionibus. Poſtquam vero incredulos citavit ad cauſam deorum ſuorum agendam, vel potius pro confeſſo ſumpſit, quia nulla fuerit inter ipſos prædictio, fruſtra operam dediſſe colendis idolis: adjungit nullos fore teſtes qui vere affirment ullum unquam vaticinium à falſis diis manaſſe: atque ita eorum cauſam deſtitui legitimo patrocinio. Nullum quidem fuit tempus, quo non multæ fabulæ de idolis referrentur, quemadmodum etiamnum innumeras ſpargi & celebrari audimus: nec minore pervicacia defendunt increduli ſua mendacia quam futiliter ea vomunt. verum ſi ad examen ventum fuerit, nullum in iis deprehendemus teſtimonium, ſed meras nugas, & quidem inſulſe confictas. Ideo ſecure victoriam concedit Propheta, ſi teſtes idoneos & fide dignos proferant. Sola igitur hæc gloria penes Deum eſt, quod teſtes habet. Tandem quaſi re ſatis probata confidentius exurgit, ac indicit victis ſilentium. Cæterum audire jubens, ſignificat hoc tantum obſtare hominibus qui veritatem non agnoſcunt, quod errore ſuo præoccupati, Deum audire non dignantur. Efficit enim hic contemptus ut non reſipiſcant, quin potius pervicaciter tueantur errorem ſuum. Dominus autem ad docendum paratus erat, ſi modo æquis animis ipſum audire voluiſſent. eo magiſtro nullus melior quæri poteſt: verum ſuperbia & arrogantia eos verum cernere, & Deum audire non ſinit. Excuſatione igitur carent: quia Deum palam docentem reſpuunt arroganter, nec ejus doctrinæ acquieſcunt. Nam ſi probe attenderent, non abs re pronunciat Jeſaias ceſſuros ut ſubſcribere cogantur. Et certe quicunque dociles ſe præbebunt, facile veritatem Dei firmo & ſtabili judicio, non vaga & ſuſpenſa opinione fundatam agnituri ſunt.

cap. 40: 1. & 41. 6. 21. 9 & 42: 17. Act. 13. verſ. 46.

10. *Vos teſtes mei.*] Poſtquam in certamen provocavit Deus Gentes, & vana commenta eſſe oſtendit

quæ de ſuis idolis ſpargebant : nunc ſe ab eorum grege eximit, atque ſuos teſtes producit, ne ejuſdem conditionis cum illis eſſe videatur. Suos igitur teſtes, eoſque veraces habere ſe jure gloriatur : quia cæleſtibus oraculis edocti fuerant Judæi quantum ad ſolidam certitudinem ſufficeret. Interea ingratitudinem tacite illis exprobrat, niſi quæcunque ad gloriam Dei aſſerendam pertinent ſibi comperta eſſe pleno ore prædicent. Conteſtatur certe eos & adjurat, ne ſilentio tegant vaticinia quibus vera religio probari poterat : quia hoc eſſet injuſte ſuo præſidio fraudare bonam cauſam. Per *Servum* nonnulli intelligunt Jeſaiam : ſed malo collective ſumi pro omnibus Prophetis. eſt enim mutatio numeri. Hoc vero nomen peculiariter impoſitum eſt Prophetis, quos Dominus ad aſſerendam veritatem ſuam elegit. nec tamen dubium quin dum ſingulari numero uſus eſt, potiſſimum ſpectarit in Chriſtum, in quo *Joan. 1. verſ. 46. Act. 3. verſ. 24. & 10. verſ. 43. Rom. 1. v. 2, 3. Hebr. 1.* Prophetiæ omnes clauduntur ac perficiuntur. Eo quoque, ut ſummo teſte, omnes homines maxime convinci certum eſt. Notandum tamen eſt illud quod dixi conſilium, Judæos advocari in teſtes, ut ingratitudinis ipſos inſimulet, niſi libere proferant quod poſtulat ipſorum fides, qui tot tamque inſignibus documentis acceptis, Dei potentiam & bonitatem ignorare non poterant, vel in dubium ſine perfidia ſumma revocare. Interea generaliter oſtendit Eccleſiam à Domino electam eſſe, ut teſtimonium reddat ejus veritati. quo etiam nomine vocatur à Paulo *1 Tim. 3. verſ. 15.* columna & firmamentum veritatis. Officium igitur Eccleſiæ eſt, veritatem tueri & propagare, ut à poſteris in omne ævum colatur : non quod Dominus hoc adjumento egeat, ſed quia apud homines hoc modo veritatem ſuam teſtatam eſſe ac ſtabiliri velit. Omnes autem fideles hic complectitur Jeſaias, quando omnibus hoc teſtimonii ferendi munus incumbit : ſed præcipue Miniſtris, qui velut anteſignani eſſe, ac cæteris exemplo præire debent. Ideo & peculiaris eorum fit mentio : in genere tamen nemo fidelis cenſeri debet qui notionem Dei intus occultat, nec unquam erumpit in confeſſionem veritatis. *Propterea ſcietis.* Ne videatur Dominus teſtimonium petere de re ignota, ſubjungit, Scietis, Credetis, Intelligetis : qua verborum ſerie oſtendit fidem confeſſione priorem eſſe. Si igitur confeſſio ex ſummis labris prodeat, non ex animo, frivola & inanis eſt. nec vero talem poſtulat Dominus, nec probat. Supereſt tamen in ordine iſtorum verborum neſcio quid difficultatis, Scire, Credere, Intelligere. Nec enim qui ſciunt, credere dicuntur : nec vulgari loquendi more, ubi ſcientia eſt, illic fides eſſe poteſt. Deinde ambigitur quid intelligentia, quæ fidei ſubjicitur quaſi poſterior, à ſcientia differat. Sed Propheta hoc loco oſtendit quandam eſſe fidei præparationem, qua Deus verbo ſuo reverentiam conciliat, ubi tali adminiculo opus eſſe videt. Fidei quidem initium eſt humilitas, qua ſenſus noſtros Deo captivos ſubjicimus : ſed quia doctrinam nobis oblatam non ea certitudine amplectimur qua opus eſt, experimentis nos Deus confirmat, ut ſolide credamus. Sic Joannes refert ſe & *Joan. 20. verſ. 8.* Petrum credidiſſe Scripturis, quum viderent Reſur*Joan. 2. verſ. 22.*rectionis Chriſti ſigna in ſepulchro. Sic alibi dicit in Chriſtum diſcipulos credidiſſe, ubi impletum fuit quod ex ore ejus audierant. Summa igitur eſt, Judæos re ipſa ſenſuros, ubi ſignis adjuta fuerit eorum fides, veracem Deum colere. Interea diſcernitur ſolida fides à credulitate, quæ leves homines temere abducit : ac ſemper donat electos ſuos Deus ſcientia & judicio, quo verum à falſo diſtinguant. Sequitur deinde fides, & firma certitudo, ut quicquid à Domino dictum eſt, ſine dubitatione amplectantur. Fides deinde intelligentiæ lucem magis ac magis in mentibus accendit : imo ſecundum gradus profectus creſcit etiam & clarius effulget cognitio. Hæc autem ſenſu noſtro non fiunt, ſed virtute Spiritus ſancti, quatenus ab ipſo illuminamur. *Quod ego ſum.* Significat hoc loco, requiri ad fidem ut ſciamus quiſnam ſit Deus noſter, atque eum eſſe quem colimus, non alium : ne ſtulte vagetur atque aberret mens noſtra, omniaque admittat quæ hominum judicio probabuntur. Non eſt igitur fides quæ aliquid arbitrio ſuo confingit, aut temere cuivis dicto adhæreſcit, aut dubia vacillat, ſed quæ ſic fundata eſt in firma certitudine, ut in unius veri Dei obſequium ſe addicens, factitios omnes deos quaſi ex alto deſpiciat, animoſque liberet & eximat ab erroris metu. Hinc perſpicimus quid de implicita Papiſtarum fide judicandum ſit. Homines enim hebetes atque intelligentiæ vacuos, qui vix ſtridere aliquid de ignoto vel incerto Deo poterunt, fideles judicant, modo profiteantur ſe idem credere quod ſancta mater Eccleſia. Atqui Dominus rem adeo frivolam non commendat, ſed fidem cum intelligentia conjunxit : ne alterum ab altero ſejungi poſſe exiſtimemus. Præterea nulla eſt fides, niſi Deum eſſe credas, qui Pater eſt Domini noſtri Jeſu Chriſti, quique per Prophetas & Apoſtolos loquutus eſt. Vana enim & vaga imaginatio erit, non fides, niſi Deum illum teneamus. Et quo magis confirmet quod nuper dixit, unicum ſe Deum eſſe, iterum addit non fuiſſe alium Deum priorem. Quanquam לא נוצר paſſive accipere licebit diverſo ſenſu, pro Creatura, vel fabrica, aut opere Dei. Sed quia ſenſus ille coactus videtur, libenter communi ſententiæ ſubſcribo, quod non fuerit alius Deus ante formatus. in quo ſubeſt ironiæ ſpecies, acſi dictum eſſet, nullum eſſe alium Deum qui non fuerit confictus & fabricatus à mortalibus : ideoque nullos poſſe conferri cum Deo æterno. Adjungit poſthac non fore, quia ſalvum & illibatum imperium ſemper retinet Deus, nec ſenio aut vetuſtate declinat. Huc tendit ſumma, donec in ipſo acquieſcimus nullam in nobis eſſe fidem. Qui norunt aliquod eſſe numen, nec quid ſit intelligunt, perpetuo vacillant, miriſque involucris ſeſe implicant. Hunc igitur Deum teneamus, qui quum ſolus ſit, nec ſocium nec majeſtatis ſuæ conſortem ferre poteſt.

11. *Ego, ego.*] Hic quaſi victor exurgit Dominus. prius ſatis diſſeruit unde cognoſci debeat : nec ullum, ſe uno dempto, Deum eſſe oſtendit : nunc ut confirmationem afferat huic doctrinæ, exclamat, *Ego ſolus ſum : nullus præter me Deus.* Hinc apparet quam periculoſum ſit, aliquid de Deo, arbitrio noſtro comminiſci. nam ſimulatque neſcio quid effingimus, idolum occurrit loco Dei. Quod igitur à Deo profectum eſt, id unice amplectendum : ne quid nobis licentiæ in hac re concedamus. Poſtquam vero Deus ſe nobis patefecit, in ejus notione proficere, atque in dies adoleſcere & confirmari debemus. Hoc enim vult iſta repetitio, *Ego, ego.* Ne tamen exiſtimemus æternam ſolummodo eſſentiam ejus commendari : ſed potentiam quoque & bonitatem quibus aſſidue erga nos utitur, & ſe abunde patefacit. Additur epitheton quaſi diſcretionis nota, quod ſolus ſit ſervator. In hoc enim hallucinatur mundus, quod nudum & inane nomen Deo tribuit, atque interim ejus auctoritatem alio transfert. quemadmodum in Papatu nominatur quidem Deus, ſed honore ſuo ſpoliatur, dum pars una Petro, alia Paulo, alia Guillelmo & Georgio tribuitur : hoc eſt, in tot partes diſtribuuntur ejus officia ut nihil pene ipſi reliquum ſit præter nudum & inane nomen. Unum quidem ſe Deum colere jactant : ſed quum ad officia ventum eſt, tot fingunt deos quot habent creaturas, quibus auctoritatem & officium ejus partiuntur. Atqui Dominus hæc illibata & integra ſibi eſſe voluit, nec ſine horrendo ſacrilegio alio transferri poſſunt. Solus enim benefacit : ſolus homines tuetur & conſervat.

vat. Experimentalis ergo notitia in fine verſus exprimitur, ne alibi quæramus ſalutem quam in ſolo ejus auctore: unde colligimus præcipuam cultus Dei partem eſſe in fide, dum agnoſcitur vitæ initium & finis, dum ornatur ſervandi potentia, nec alio transfertur quod ſibi proprium eſſe affirmat & in ſe ſolo reſidere.

12. *Ego annunciavi.*] Hic verſus eſt veluti ἀνακεφαλαίωσις ſuperiorum. Sic enim prædixiſſe iterum futura recitat, ac reipſa præſtitiſſe ut prædixerat. Annunciare, ad præſcientiam pertinet: Servare, ad potentiam & bonitatem. In ſumma, ſignificat ſe unum eſſe Deum, qui omnia & noſit, & efficiat. Tametſi vero hæc Judæis dicta ſunt, ſciamus tamen ad nos quoque ipſa pertinere. quot enim vaticinia nobis relicta ſunt, tot etiam documenta nobis eſſe debent divinæ & ſcientiæ & virtutis, ut in ipſo ſolo recumbamus. Atque ut fugatis ſuperſtitionibus in ſolio cæleſtis ſuæ doctrinæ emineat, rurſus commemorat ſe exeruiſſe potentiam ſuam, & dediſſe gratiæ ſigna, abſque ullo adjutore. unde ſequitur nimis ingratos fore & perverſos quicunque non erunt eo uno contenti. Quo tempore, inquit, nullum extraneum Deum colebatis, ego virtutem meam palam & aperte exerui. Ad fictos igitur deos quod meum eſt transferri fas non eſt. Neque tamen hic tam laudatur pietas, vel religio populi, quam excluditur alienum omne ſubſidium. quaſi diceret, Quum nullum alium Deum cognoſcerent Judæi, tot tantaque ejus miracula conſpicua fuiſſe, ut ſatis conſtaret nullum præter ipſum Deum eſſe. Simul autem notat Jeſaias infidelitatem noſtram obſtare Deo quominus potentiam inter nos ſuam exerat. Faceſſant igitur omnes errores, vagæque & incertæ de Deo opiniones, ſi virtutem ejus experiri velimus. nam ſi mentes deflexerimus ad ſuperſtitiones aut idola, nos certe indignos ejus auxilio & bonitate reddemus. Tandem ipſos rurſus citat teſtes, malignæ & ſceleſtæ ingratitudinis eos inſimulans, ſi diſſimulent quod abunde ipſis patefecerat. Quo enim pluribus & majoribus teſtimoniis Deus virtutem & potentiam ſuam nobis patefecerit, eo magis ad eam prædicandam aſtricti ſumus.

13. *Etiam antequam dies.*] Nunc loquitur de æternitate Dei. ſed tenendum eſt conſilium Prophetæ. Nam qui originem habet, nec à ſeipſo eſt, non poteſt imperio ſuo regere, & nutu moderari quæ non creavit. Æternum igitur ſe pronuncians Deus, admonet mundum eſſe ſuam fabricam: quia hic naturæ ordo non temere extitit: ſed ex admirabili Dei conſilio & ſapientia manavit. quo ſenſu paulo poſt addit, Non eſſe qui eruat è manu ſua. unde clarius videbimus ab æternitate probari ſummam & immenſam potentiam. niſi enim æternus eſſet, neque omnia manu ſua continere, nec populi vindex eſſe, nec creaturis pro arbitrio uti poſſet: at quum æternus ſit, omnia ipſius imperio ſubdita eſſe neceſſe eſt. Eodem pertinet quod dicit, Non poſſe quicquid facere decrevit ullo obſtaculo averti: ne Judæos terreant ac debilitent hoſtium copiæ ac vires. Gen. 1: 1.

14. *Sic dicit Jehova.*] Docet Propheta Cyrum fore quaſi mercenarium militem, qui operam ſuam Domino impendat ad populum liberandum. Cyrum quidem non nominat: ſed loquitur de exercitu, quem in manu habet ad Babylonios ſubigendos. Hoc autem à Cyro & Dario effectum eſſe ſcimus, idque auſpiciis Dei, à quo jam longo prius tempore id prædictum erat. Nec tantum alloquitur eos in quorum conſpectu hæc impleta ſunt, ſed alios omnes quos ſuſtinere voluit Dominus hac ſpe liberationis, quam nulla ratione animo concipere potuiſſent. Captivos enim compellat, qui dura illa Chaldæorum tyrannide oppreſſi, nulla ratione eripi poſſe videbantur: quibus hæc promiſſa ridicula videri poterant, quod nulla ſpes redemptionis humano judicio appareret. Hic autem honos eſt deferendus Verbo, ut credamus ea quæ alioqui incredibilia ſunt: ut in ſpem contra ſpem erigamur. Talis enim eſt vis fidei, ut in externarum rerum conſpectu hærere non debeat, ſed ſupra cælos evehi, & ad Deum uſque ipſum penetrare. Emphatice autem aſſerit ſe propter eos miſiſſe Babylonem, quia quum ambitio & inexplebilis dominandis cupiditas Cyrum impelleret, ac multæ eſſent belli cauſæ, nihil minus vulgo creditum fuit, quam illius Monarchiæ ruina concuſſum fuiſſe orbem, ut in patriam redirent Judæi qui tunc abjectiſſimi erant in hominum oculis. Atqui teſtatur Deus ſe faciles daturum victorias Perſis, ut Orientem ſubigant, quia propitius erit ſuæ Eccleſiæ. Hac ratione præfatur ſe eſſe redemptorem populi, & Sanctum, quo melius perſuadeat charos ſibi & pretioſos eſſe quos elegit in populum peculiarem. Hæc tamen videntur pugnare cum iis quæ prius vidimus cap. 33. Væ qui prædaris, quoniam prædæ eris expoſitus. Significabat enim Dominus ſe crudelitatem Babyloniorum ulciſci, atque vices ipſis rependere quas promeriti erant. nunc vero pronunciat ſe Perſas mittere, ut liberet populum ſuum. Verum hæc facile conciliari poſſunt: quamvis enim Dominus animadverteret in Chaldæos, ſimul tamen populi ſui rationem habebat. nam ut providentia Dei extenditur per univerſum orbem, ita præcipuam rationem habet Eccleſiæ ſuæ. atque ut ſingulari amore proſequitur electos, ita omnia in eorum ſalutem diſponit. Non fruſtra igitur dicit ſe miſiſſe gratuito favore impulſum, quia vellet ſuorum eſſe ſervator. Eodem ſenſu adjungit ſuo juſſu deſcenſuros: quia etſi Perſæ ac Medi aliud ſpectabunt, eorum tamen expeditio cæleſti inſtinctu gubernabitur: atque ſic in tempore teſtatam facere voluit electo populo ſuam gratiam, ne ſub multis triſtiſſimis cladibus deficeret. Hæc igitur promiſſio inſignem fidelibus conſolationem afferre debuit, quod licet contemptui, odio, atque etiam horrori eſſent omnibus, tamen Deo chari eſſent: quia tandem ipſis affuturus erat, atque eorum cauſa Babyloniorum regnum deleturus. Fugitivos autem fore dicens, talem ſucceſſum ſe daturum Cyro oſtendit, ut ejus adventu expaveſcant Chaldæi, atque trepide armis abjectis fugam arripiant. Sæpe enim contingit bellum ſuſcipi ab aliquo Principe potentiſſimo, atque inſtructiſſimo, infeliciter tamen geri. Quare non ſatis erat Cyrum cum valido exercitu mitti, niſi proſper quoque ſucceſſus ei daretur. Et quo melius exprimat fugam præcipitem, addit fore clamorem vel tumultum in navibus: nec enim terra fugere poterant. Commodiſſimum autem fluvium habebant: nempe Euphratem conjunctum Tigri, quo facilius poterant evadere. Quanquam hac etiam in parte eos fruſtrata eſt ſua opinio propter ſiccatum alveum.

Rom. 4. verſ. 18.

Exod. 19. verſ. 6.

verſ. 1.

15. *Ego Jehova, Sanctus.*] Hic verſus nullam ſententiam continet: tantum oſtendit quis loquatur, quanta ſit ejus vis & majeſtas, deinde quam propenſus erga populum electum amor, ut plus ponderis habeat ſuperior promiſſio. In ſumma, eſt veluti ſigillum proximæ ſententiæ, quo magis ratum ſit quod antea dictum eſt: Deus eſt qui promittere ſe affirmat. At quis Deus? Sanctus veſter, Creator Iſraëlis, Rex veſter. *Sanctus*, quia populum delegit atque ſegregavit, quem ſibi conſecraret. nam hoc titulo in memoriam revocat adoptionem, qua ſibi peculiariter ipſos conjunxit: ut eum ſibi patrem ac ſervatorem fore intelligant. Atque eadem ratione nos hodie Deum Sanctum noſtrum agnoſcere debemus, quia nos ſegregavit ut membra Eccleſiæ eſſemus: cujus rei certiores reddimur ex vocatione. *Creatoris* nomen non eſt referendum ad univerſalem creationem, qua infideles etiam formantur: ſed ad reformationem, ob quam etiam vocamur ipſius ποίημα: ſicuti jam aliis locis dictum eſt. *Rex veſter.* Hoc quidem abſurdum videbatur: nec enim regni ſpecies apparebat, nec quicquam ſpectabatur in Judæis niſi pro- Epheſ. 2. verſ. 10. ſupr. 27. verſ. 11.

 bro-

brosum & ignominiæ plenum, quum omni ope & auxilio nudati eſſent. Dandus tamen fuit locus fidei, ut regni hujus, quamvis in ſpecie deleti atque prorſus extincti, inſtaurationem ſperarent, Deumque Regem ſuum agnoſcerent.

16. *Sic dicit Jehova.*] Iterum repetit ac confirmat quod alioqui incredibile fuit. & quo plus auctoritatis habeat hæc confirmatio, induit perſonam Dei. Revocat autem priora beneficia in memoriam, ut quum potentem ipſum atque beneficum experti fuerint, eum non minus in poſterum ſibi propitium fore ſtatuant, nec minus potentem ad ipſos liberandos. acſi diceret, Dominus qui loquitur, re ipſa oſtendet quanta ſit potentiæ ipſius magnitudo. Patres veſtri experti ſunt: vos non minus experiemini. Ingrati autem ſumus Deo, niſi ex prioribus beneficiis ſpem etiam in poſterum concipimus: præſertim ubi certum & illuſtre continui erga nos favoris documentum edere voluit. Hac autem lege eduxerat Ju-

Exod. 13. verſ. 9. dæos ex Ægypto, ut nunquam intercideret liberationis effectus. Deum igitur quaſi in re præſenti locat, & eundem eſſe admonet qui obſtacula quælibet virtute ſua ſuperavit, ut eſſet populi ſui Redemptor.

Exod. 14. verſ. 21. Joſue 3. verſ. 16. Tunc enim viam ſtravit per mare: deinde per aquas violentas, id eſt, per Jordanem, quem, tametſi rapidiſſimus eſſet, Dominus exſiccavit. Atque ſtupenda hæc miracula nominatim commemorat, quoniam æſtimare poterant præcluſum ſibi in Judæam reditum, atque fabuloſum eſſe quicquid de eo promittebatur.

17. *Quum educit, currus & equus.*] Oſtendit nullas vires aut copias impedimento fore quominus populum ſuum liberet, quum ei viſum erit. Mare quod intermedium erat obſtare Deo non potuit quominus educeret populum ſuum: ſed medium ejus curſum di-

Exod. 14. verſ. 28. viſit, atque inſequentes hoſtes cum ſuis copiis & curribus demerſit. Eſt igitur hic amplificatio: perinde acſi diceret, Tametſi univerſus orbis in exitium veſtrum conſpiret, atque liberationem Eccleſiæ meæ impedire conetur, nihil tamen efficiet. quia non modo viam inveniet Deus per abyſſos ubi viſum fuerit, ſed profligabit & everret omnes adverſos conatus: & quidem eos ita conteret, ut in poſterum ſe non efferant. nam fieri poteſt, ut qui in uno prælio victus fuerit, redintegret in altero vires, atque ſuperior evadat. Hic autem Dominus perpetuam victoriam promittit. ſic enim hoſtes proſtratum iri ſignificat, ut omnino extinguantur.] Et lini ſimilitudine magis exprimit ſubitum hoſtium interitum. nam linum ardere quidem ac lucere poteſt, ſed protinus conſumitur.

18. *Ne recordemini priorum.*] Hactenus oſtendit Propheta quanta fuerit potentia Dei in populo liberando, nunc ſignificat omnia miracula, quæ Deus edidit in prima illa redemptione parvi momenti fuiſſe præ inſignioribus quæ paulo poſt edenda erant: nempe, tantam fore gloriam ſecundæ hujus liberationis ut priorem illam obſcuret. nec enim vult tanti beneficii immemores eſſe Judæos, quod omnibus ſeculis celebrari, perpetuiſque monimentis conſignari

Exod. 20. verſ. 2. juſſit. nam & initio Legis præfatur in hunc modum, Ego ſum Dominus Deus tuus, qui te eduxi de terra

Exod. 12. v. 26, 27. Ægypti, de domo ſervitutis. Filiis etiam à patribus hoc ſæpius inculcari, atque nepotibus & poſteris de manu in manum tradi voluit. Hoc igitur per comparationem intelligi debet: quemadmodum illud Jere-

Jere. 23. verſ. 7, 8. miæ, Ecce dies veniunt, inquit Dominus, & non dicetur ultra, Vivit Dominus qui eduxit filios Iſraël de terra Ægypti: ſed, Vivit Dominus qui eduxit & adduxit ſemen domus Iſraël de terra Aquilonis, & de cunctis terris ad quas ejeceram eos: & habitabunt in terra ſua. In ſumma, poſteriorem hanc redemptionem, ſi cum priore comparetur, longe illuſtriorem fore oſtendit. Unde ſequitur perperam vaticinium hoc reſtringi ad paucos annos: quia progreſſus à ſuo exordio non ſeparat Propheta: ſed fructum reditus ad Chriſtum uſque extendit qui ſuo adventu vere erexit Sacerdotium & Regnum.

19. *Ecce ego facio rem novam.*] Hinc clarius liquet quid voluerit Propheta ſuperiore verſu. Opus enim novum, id eſt, inauditum atque inſolitum fore pronunciat, & quod præ magnitudine & excellentia ſua omnium aliorum famam obſcuret: non aliter ac Solis fulgor dum cælum & terram occupat ſtellas à conſpectu ſubducit. Et jam exoriturum dicens, ſignificat non longum fore tempus. Atqui non tam cito hæc impleta ſunt. verum, ſi Deum reſpicimus,

Pſal. 90. verſ. 4. 2 Pet. 3. verſ. 8. quadringenti aut etiam mille anni inſtar momenti coram ipſo æſtimantur: quo minus ſeptuaginta annorum mora debuit eorum animos tædio frangere? Quum addit, *An non eam cognoſcetis?* hæc interrogatio plus vehementiæ atque efficaciæ habet, quam affirmatio ſimplex. Eſt autem Hebræis frequentior, quam Græcis aut Latinis. Tranſitum in deſerto promittens, alludit ad deſertum illud quod inter Judæam & Babylonem medium erat: quia de reditu populi concionatur. Ideo viæ adjungit flumina. Nam iter faciendo per aridam regionem, ſiti areſcere ac perire potuiſſent. Propterea Dominus aquas & omnia ad commeatum neceſſaria ſuppeditaturum ſe dicit: perinde acſi diceret, Proſequar vos viatico, ut me duce in patriam redeatis. Sed videtur immodicus eſſe Propheta, atque hyperbolice omnino loqui, dum tantopere liberationem hanc extollit. Nec

Exod. 7. verſ. 20. & 10. verſ. 22. & 12. verſ. 29. enim legimus converſa in ſanguinem flumina, tenebras in aërem ſparſas, primogenitos cæſos, immiſſa inſecta quæ totam regionem depaſta ſint, & alia ejuſmodi portenta, quæ in Ægypto acciderunt. nihil enim tale in Babylone editum eſt. Quid ergo ſibi vult hæc nova redemptio? Hoc omnes fere interpretes Chriſtianos coëgit ſimpliciter hunc locum de adventu Chriſti interpretari. qua in re haud dubie falſi ſunt. Falluntur item Judæi, quum ad redemptionem Babylonicam reſtringunt. Ergo ut jam aliquoties monui, omne tempus illud quod redemptionem Babylonicam ſequutum eſt, uſque ad Chriſti adventum, ſimul hic comprehendi debet. Redemptio ex Ægypto, velut prima Eccleſiæ nativitas fuit: quia populi corpus collectum eſt, & ſtabilita Eccleſia, cujus nulla ante ſpecies erat. hæc autem liberatio non reſtringitur ad tempus quo populus ex Ægypto abiit, ſed continuatur uſque ad poſſeſſio-

Joſ. 6. & 8. nem terræ Chanaan, quæ ejectis Regibus, populo tradita eſt. Idem περὶ τῆς παλιγγενεσίας, qua populus è Babylone ereptus, atque in patriam reductus eſt, cenſeri debet. nam inſtauratio illa ad exitum è Babylone reſtringenda non eſt, ſed ad Chriſtum uſque extendenda: quo toto tempore magnæ res procul dubio & ſtupendæ evenerunt. Annon admirabile fuit captivo populo, quem, ut vile aliquod mancipium, omnes contemnebant, imo vero ut ſcelus exe-

Eſd. 1. crabantur, ab Ethnicis Regibus libertatem & redeundi facultatem dari? neque hoc tantum, ſed commeatus præberi, atque alia quæ tum in itinere, tum domi ad res conſtituendas, ad ædificandam civitatem, ad extruendum templum neceſſaria forent? Sed multo majora ſequuta ſunt. quum pauci redire vellent, ſicque animis fracta eſſet major pars ut miſeram ſervitutem præferret beatæ libertati. Quum inquam præ ingenti illa multitudine, quæ abducta fuerat, pauci in Judæam redirent, maxima adhuc impedi-

Eſd. 4. menta illata ſunt. Conſpirationes enim factæ, inflammata odia in populum antea plus ſatis exoſum, interruptum opus, omneſque viæ tentatæ quibus omnino prohiberi poſſet. Itaque fruſtra eos reduxiſſe videbatur Dominus, quum multo graviora ipſis pericula imminerent. Extructo templo, haud tranquillioris ſtatus potiti ſunt. erant enim graviſſimis & infeſtiſſimis hoſtibus undiquaque obſepti, à quibus

magna

magna ſæpe incommoda ſuſtinebant. Poſtea ærumnis, cladibus, variiſque perſequutionibus afflictati ſunt, ut enecti, obruti, ac prorſus deleti putarentur. Et tamen in mediis cædibus & flammis mirabiliter à Deo conſervati ſunt. Quod ſi miſerum & infelicem eorum ſtatum, & graves tyrannorum perſequutiones conſideremus, mirabimur vel unum tantum ex ipſis reliquum eſſe potuiſſe. Ut ergo intelligamus quanta poſterioris hujus redemptionis præſtantia fuit, quo modo priorem ſuperavit, ad Chriſtum uſque continuanda & deducenda eſt, à quo ingens prioribus beneficiis tandem cumulus additus eſt. Ita minime dubium quin ſecunda redemptio primam longo intervallo ſuperet. Hæc interpretatio nihil habet coacti, & uſitato Prophetarum ſtylo conſentanea eſt. ſemper enim Meſſiam pro fini habent, atque in eum perpetuo intendunt. Sed hoc apertius reddet, quod refertur ab Haggæo. nam quum inſtaurari cœpiſſet templum, ſenes, qui priſci illius gloriam viderant, ingemiſcentes, hoc nihil præ illo eſſe aiebant: parumque aberat quin ſe deſtitutos à Deo, atque irritas promiſſiones eſſe arbitrarentur. Haggæus vero, ut ipſos conſoletur, & majorem novi hujus templi gloriam fore confirmet, quamvis ædificii ſtructura longe eſſet inferius, ipſos ad redemptorem adducit. Sic ait Dominus exercituum, inquit, Adhuc ſemel, idque brevi: Ego commovebo cælos, & terram, mare, & continentem, & omnes gentes, & veniet deſiderium omnium gentium, impleboque domum iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. (*Hagg. 2. verſ. 7. Hebr. 12. verſ. 26.*) Meum eſt argentum, meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum. major erit gloria domus iſtius poſterioris quam prioris. Quemadmodum igitur Haggæus inſtaurationem templi ad Chriſtum uſque continuat, & veram ejus gloriam ad ipſum refert: ita hæc liberatio (res enim conjunctæ aut potius eædem ſunt) ad Chriſtum uſque propagata fuit. Atque ita nihil mirum ſi Ægyptiacam antecelluit omnibus modis.

20. *Honorabit me beſtia agri.*] Exornat ſuperiorem ſententiam. nam in tanta rerum deſperatione, Dei virtutem magnifice extolli oportuit, ut ſuppleretur verbo quod rei deeſſe videbatur. Significat autem virtutem Domini tam apertam & conſpicuam fore, ut ipſæ beſtiæ ejus ſenſu perculſæ, Deum agnoſcant ac venerentur. Reſpondet hoc vaticinium cantico, Mare vidit & fugit, Jordanis verſus eſt retrorſum. (*Pſal. 114. verſ. 3.*) Montes exilierunt ut arietes, & colles ſicut agni ovium: A facie Domini contremuit terra. Eundem hic ſenſum attribuit Jeſaias brutis animalibus: quia arcano inſtinctu cedere cogentur, ut ſecurum populo tranſitum præbeant. Quanquam longius patet cauſæ redditio: quod ſcilicet velut attonita ſubſiſtent viſis miraculis. Significat in ſumma Deus, ſe non paſſurum ut populus rebus neceſſariis deſtitutus iter retro flectat: ſed hyperbolice commendat ſuum erga Judæos amorem, ut ſpei ſuæ altitudine mundum tranſcendant. Nos quoque dum hæc audimus, ne metiamur Dei potentiam ex rerum natura: ſed fide ſupra omnia quæ cerni aut apprehendi poſſunt, evehamur. Jam vero ne alienationis ſigna à ſpe cæleſtis gratiæ & auxilii miſeros exules arceant, revocat illis adoptionis ſuæ memoriam: quaſi diceret eos in triſtiſſima diſſipatione, manere tamen populum Dei: quia conſilium non mutet qui ſemel eos elegit. Ergo quoties animandi erimus ad bene ſperandum, occurrat nobis Dei vocatio. tametſi enim indigni ſumus, ſufficere tamen debet, quod nos Dominus tanto honore dignatus eſt.

21. *Populum hunc creavi mihi.*] Significat Dominum neceſſario facturum quod prius dixit, quoniam intereſt gloriæ ipſius, populum, quem ſibi delegit, conſervari. Proinde hæc quoque verba ad populi conſolationem pertinent: An putatis me paſſurum ut gloria mea concidat? atqui ea ſaluti veſtræ conjuncta eſt. veſtra igitur ſalus mihi curæ erit. Scitote denique vos fore ſalvos, quoniam interire non poteſtis quin gloria ſimul mea intereat. Eritis ergo ſuperſtites: quia gloriam meam à vobis perpetuo celebrari volo. Quum ait ſe populum creaſſe, intelligamus id à ſupernaturali gratia proficiſci, quod populus Dei ſumus. nam tenendum illud principium de quo antea diximus: hic non agi de communi hominum natura, ſed de reformatione ſpirituali, vel de adoptione qua Eccleſiam ſegregat à reliquo mundo, & quidem cum ſuis appendicibus. Ne quis ergo ſibi regenerationem ſuam, aut ullis hominum meritis arroget: ſed tantum beneficium miſericordiæ Dei omnino acceptum ferre diſcamus. *Laudem meam narrabit.* Tametſi Prophetæ conſilium ſit demonſtrare quod dixi, ſalvum ideo fore populum, quia id gloriæ Dei interſit: tamen hinc quoque diſcimus electionis noſtræ finem eſſe, ut Dei gloriam modis omnibus illuſtremus. Sunt quidem & reprobi (*Exod. 14. verſ. 4. 17. 18.*) inſtrumenta gloriæ Dei: ſed ea longe aliter dicitur in nobis relucere. Nos enim elegit, inquit Paulus, (*Epheſ. 1. verſ. 4.*) ut eſſemus ſancti & irreprehenſibiles coram ipſo per charitatem: qui prædeſtinavit nos, ut adoptaret in filios per Jeſum Chriſtum, in ſeſe, juxta beneplacitum voluntatis ſuæ, ut laudetur gloria gratiæ ſuæ, qua charos reddidit nos per illum dilectum. Huc etiam pertinent Petri verba, quum ait, nos è tenebris eductos eſſe in admirabile regnum Dei, ut ejus (*1 Petr. 2. verſ. 9.*) virtutes enarremus. Item Zachariæ, Ut ſine timore, (*Luc. 1. verſ. 74.*) de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus ipſi cum ſanctitate & juſtitia, omnibus diebus vitæ noſtræ. Hic igitur eſt finis noſtræ vocationis, ut conſecrati Deo, eum tota vita noſtra laudemus ac celebremus.

22. *Et non invocaſti me.*] Confirmat non ſine obliqua exprobratione quod proxime dixit, ſe nullis populi meritis provocatum fuiſſe, ut tam humaniter cum eo ageret. Nulli igitur alii cauſæ hæc liberatio, quam bonitati Dei aſſignanda eſt. Ut hoc probet, ait, Tu me non invocaſti. Invocationis nomine totum Dei cultum comprehendit, cujus præcipua pars eſt Invocatio. More igitur Scripturæ uſitato, per ſynecdochen loquutus eſt. Satis vero oſtendit Dominus alibi, ſe potiſſimum coli invocatione. nam Pſal. 50. poſtquam ſacrificia & externas ceremonias ſe reſpuere dixit, ſubjungit, Invoca me, &c. (*Pſal. 50. verſ. 15.*) Unde etiam Scriptura, quum de cultu Dei loquitur, invocationis præcipue mentionem facit. Moſes enim quum reſtiturum Dei cultum ſignificat: Tunc, inquit, cœpit invocari nomen Domini. (*Geneſ. 4. verſ. 26.*) Particulam כי in ſecundo membro verſus, pro adverſativa accipio, Quin potius tædio mei affectus es. Alii vertunt, Quia laboraſti: acſi diceret, Cum faſtidio ſuſcepiſti quicquid à me præcipiebatur. quod eodem fere recidit. Quemadmodum vero Dominus obedientiam requirit, ita alacres & promptos eſſe vult qui ipſum colunt: ſicuti Paulus teſtatur, Hilarem datorem ipſum diligere: (*2 Cor. 9. verſ. 7.*) qui autem inviti parent, veri & probi cultores dici non poſſunt, neque ab ipſo cenſentur. Ut ergo demonſtret ſe cultum à Judæis non fuiſſe ut decebat, invitos id feciſſe dicit. Quod ſi cui magis libeat cauſæ eſſe redditionem, atque ita vertere, Tu me non invocaſti, quandoquidem nullum mihi cultum exhibuiſti ſine moleſtia, & quaſi vi extortum: quia quoad rei ſummam parum intereſt, non admodum repugno. quod tamen reddidi, ſignificantius exprimere videtur Prophetæ mentem. Cæterum antitheſis cauſæ quoque redditionem in ſe continet. Si igitur officia noſtra Deo accepta eſſe volumus, prompto illi animo obſequamur.

23. *Non adduxiſti mihi*] Quæritur cur Propheta hoc exprobret Judæis, quos conſtat ſedulo atque ex præſcripto Legis ſacrificia obtuliſſe. Quidam hoc referunt ad tempus captivitatis, quo tametſi voluiſſent ſacrificia offerre Deo, tamen nequiviſſent: quoniam id nuſquam facere, præterquam Jeroſolymæ, (*Deut. 12. verſ. 13.*)

lymæ, licebat. non poterant igitur Deum ſacrificiis promereri. Ego vero potius univerſalem exprobrationem eſſe puto. nam eo ipſo tempore quo populus ſacrificabat, merita ſua aut dignitatem jactare non poterat, quaſi Deum ſibi hoc modo obſtringeret: quandoquidem deerant ſacrificiis quæ præcipue à Deo commendantur: nempe, fides & obedientia: ſine quibus nihil Deo gratum eſſe poteſt. Nulla erat animi integritas: manus eorum ſanguine redundabant: rapinis & fraudibus omnia referta erant: nec ullus erat juſtitiæ aut æquitati locus. Quamvis igitur quotidie in templum pecudes adducerent, eaſque immolarent, tamen merito negat ſibi quicquam offerri. nec enim accepta Deo eſſe poterant ſacrificia, quum à veritate ſejuncta erant: & cuivis potius quam Deo offerebantur. nam ea per ſe non requirebat, ſed quatenus populus in fide & obedientia exercebatur. Unde colligimus nihil novi Prophetam dicere, ſed inſiſtere in eadem doctrina, repudiari ſcilicet à Deo tam ſerviles, quam alios omnes vitioſos cultus.

24. *Non emiſti.*] Calamum intelligit ex quo fiebat unguenti pretioſi confectio, cujus non erat vul-
Exod. 30. verſ. 25. garis uſus: quemadmodum refertur Exodi 30. Nam eo ſummi Sacerdotes, deinde Tabernaculum conventionis, & Arca teſtimonii cum ſuis inſtrumentis ungebantur. Ait igitur, Tametſi calamum mihi emas pecunia, tamen hoc mihi expenſum ferre non debes, quaſi ratum habeam. Ludebant enim operam ſuam in omnibus iſtis ceremoniis, quia in rectum finem non intendebant, quando minime exercebant ſeſe in fide, nec Deum colebant pura conſcientia. Quod adjungit, Se non fuiſſe inebriatum, Legali loquendi formæ reſpondet, ubi teſtatur Dominus ſacrificia epulas ſibi gratas ac ſuaves eſſe: non quod ex animalium cæde voluptatem caperet, ſed quod talibus exercitiis ad veram obedientiam populum ſuum ducere vellet. Hic igitur è converſo ſignificat populum haud rite ſacrificia obtuliſſe, quoniam impietate omnia conſpurcabat. Itaque ſignificat ſe quodammodo famelicum & vacuum fuiſſe: quia nihil recte oblatum eſt: ſed omnia corrupta & inſipida. Continuo poſt amplificat Propheta gravitatem mali iſtius, quod non tantum populus defuerit officio ſuo, nec ſe Deo ſubjecerit: quinimo Deum ſibi ſubjicere conatus ſit, ut ejus voluntati aut potius libidini inſerviret. Qui hunc locum de Chriſto exponunt, ſenſum Prophetæ torquent: quare ſimplicior mihi videtur hæc interpretatio. Conqueritur enim Dominus quod homines eum peccatis ſuis moleſtum onus ſubire coëgerint, qui tamen reverenter ſe ei ſubjicere debuiſſent. Nam quum inſurgimus adverſus Deum, eum quaſi ſervum protervia & petulantia noſtra reddimus. Hoc autem melius exponit, quum ait ſe *laboraſſe:* id eſt, varia tædia devoraſſe ob nequitiam populi ſui. Ipſum enim quodammodo vul-
Zach. 12. verſ. 10. neramus & confligimus, ut inquit Propheta, quum reſpuimus ipſius vocem, neque ab eo regi nos patimur. Alludere autem videtur ad id quod prius dixerat de tædio vel moleſtia populi in colendo Deo. Nam ex adverſo teſtatur Deus multas ſibi à populo moleſtias exhibitas fuiſſe.

25. *Ego, ego ſum.*] Hoc epiphonemate priorem ſententiam concludit. acſi diceret, ſe jure ſuo poſſe gloriari, quod iniquitates populi ſui deleat, eumque in libertatem vindicet: nulla enim eſſe merita, quibus id impetrare poſſit: quandoquidem graviſſima pœna, imo vero exitio dignus erat. Bis vero idem repetit, ut ingratitudinem hominum magis caſtiget, qui ad ſe rapere ſuum unius honorem, aut quovis modo obſcurare ſolent. הוא Demonſtrativum eſt loco Subſtantivi, ut ſæpe alias. Frigide ac dilute accipiunt Prophetæ verba, qui Deum ſibi jus & poteſtatem aſſerere putant in remittendis peccatis: quia potius ſuam miſericordiam aliis omnibus cauſis opponit, quaſi negaret aliunde ſe induci cur peccata remittat: ſed contentum eſſe mera ſua bonitate, ideoque vel meritis, vel ullis piaculis perperam adſcribi redemptionem, cujus ipſe gratuitus eſt auctor. Summa huc tendit, ſperandum eſſe reditum populo non alia de cauſa, niſi quia Deus gratis ignoſcet peccatis, & clementia ſua ultro placatus paternam manum porriget. Hic agitur de remiſſione peccatorum. videndum qua occaſione. Nec enim dubium quin Propheta gratuitam redemptionem fore ſignificet. Remiſſionis igitur potius quam redemptionis mentionem facit: quia quum gravis pœna ipſorum peccatis inflicta eſſet, veniam prius dari neceſſe erat, quam liberarentur. Cauſam enim morbi tolli oportet, ſi morbum ipſum curare velimus. & quamdiu durat ira Domini, tamdiu etiam flagella durabunt. Prius igitur eam mitigari, noſque Deo reconciliari neceſſe eſt, quam à pœnis liberemur. Atque hæc loquendi forma diligenter notanda eſt, adverſus puerilem Sophiſtarum diſtinctionem, qui remitti quidem à Deo culpam aiunt, ſed pœnis ſatisfaciendum eſſe contendunt. Hinc ſatisfactiones, indulgentiæ, Purgatorium, & infinita alia commenta prodierunt. Propheta vero de culpa ſola non loquitur, ſed nominatim de pœna, quæ remittitur, quod gratuito peccata remiſſa ſint. Quod clarius exprimitur addita particula *Propter me.* Certum eſt omnibus meritis hanc exceptionem opponi, Deum videlicet rationem noſtri, aut ullius rei quæ in nobis ſit non habere, ut peccata nobis remittat: ſed bonitate ſua tantum ad id impelli. nam ſi reſpectum haberet noſtri, quodammodo debitor eſſet, nec gratuita eſſet remiſſio. Itaque apud Ezechielem exprimitur
antitheton, Non propter vos hoc faciam domus Ja- Eze. 36. verſ. 22.
cob, ſed propter me. Unde ſequitur, Deum ſibi auctorem eſſe, & ultro ad remittenda peccata propenſum: quia in hominibus cauſam non reperit. *Ideo peccatorum.* Hoc ad conſolationem piorum addidit Propheta, qui delictorum ſuorum conſcientia in deſperationem ruere alioqui poterant. propterea ipſos in meliorem ſpem erigit, & confirmat in iſta fiducia: nempe, Tametſi indigni eſſent, tamen remiſſurum ipſis peccata, indeque eos liberaturum. Hinc utilis doctrina colligenda eſt, Neminem ſcilicet de impetranda venia certum eſſe poſſe, niſi recumbat in mera Dei bonitate. Eos enim qui opera ſua reſpiciunt, identidem vacillare, & tandem deſperare neceſſe eſt. quia niſi eos deludat craſſa hypocriſis, ſemper occurret illis ſua indignitas, quæ de
amore Dei ambigere coget. Quod autem miniſtri Joan. 20.
quoque peccata remittere dicuntur, cum hoc loco verſ. 23.
non pugnat, quoniam teſtes ſunt hujus gratuitæ remiſſionis. Vulgaris diſtinctio eſt, Deum potentia ſua remittere peccata. miniſtros vero, miniſterialiter. Sed quum ea diſtinctio minime explicet Prophetæ mentem, tenendum eſt quod admonui, Deum non modo pro imperio remittere peccata, ſed quicquid ſperandum eſt bonorum, fluere ex fonte meræ ejus liberalitatis. Sic autem Dominus Euangelii prædicationem, atque ejus miniſtros ornavit, ut plenam ſibi auctoritatem reſervaret.

26. *Reduc mihi in memoriam.*] Quia non facile corrigi poteſt hominum ſuperbia, Dominus hoc argumentum urget: ac pluribus inſiſtit, ut Judæos dejecta omni operum fiducia, humiliores reddat. Defert autem eis libertatem quidvis dicendi ac proferendi, ut cauſam ipſi ſuam probent, niſi ſe victos fateantur. Per Conceſſionem ſibi in memoriam revocari jubet. acſi diceret, Si obliviosum me putas, narra tu ipſe: fac ut reminiſcar, ſi quid boni proferre potes. habe locum dicendi, ego tacebo. Ac forma quidem iſta loquendi magis inſultat hominibus, quam ſi id quod res habet, more ſuo pronunciaret. Homines enim quum aliquid ſibi arrogant, ſtultiſſimos eſſe oſtendit. nam etſi libertas eis detur ſeſe jactandi,

inanes

inanes & vacui reperientur, nec quicquam habebunt quo ſuam cauſam tueri poſſint. *Ut juſtificeris.* id eſt, ut cauſam tuam obtineas, atque ſuperior ſis, permitto tibi dicere quicquid voles. Vehemens inſultatio eſt, qua hominum ora melius obſtruuntur, quam ſi in perſona & pro imperio judicis ſententiam ferret. Notandum interea Prophetæ conſilium eſt: quia neceſſe habuit Judæis detrahere larvam dignitatis, quo ſubmiſſi ac ſubacti gratiam Dei exciperent.

27. *Pater tuus.*] Omnes fere hunc locum de primo parente Adamo intelligunt. *Geneſ. 3. verſ. 6.* alii de Abrahamo interpretari malunt: acſi diceret, Non peccaſtis *Joſue 24. verſ. 2.* ſoli, ſed pater veſter Abraham, tametſi eximiæ ſanctitatis eſſet, ipſe peccavit. Per *Doctores*, Moſem & *Num. 20. verſ. 12.* Aaronem intelligunt, qui quum mirifica ſanctitate pollerent, tamen peccarunt: quanto magis vos qui longe inferiores eſtis? ut ſit argumentum à majore ad minus. Ego vero aliter accipio. nam *Patris* nomine, non unum tantum aut alterum ex majoribus comprehendit, ſed plures. Eſt enim enallage numeri, quæ plurimum Hebræis uſitata eſt. Quæ objurgatio ſatis frequenter occurrit in Prophetis & Pſalmis. nam quum ſcirent divinitus ſe cenſeri genus ſanctum, quaſi hic honor Patrum excellentiæ vel meritis debitus eſſet, contra Deum ipſum ferociebant, ac jus hæreditarium illis inflabat animos. Hac ratione Prophetæ Patrum flagitia per ſingulas *Actor. 7. verſ. 51.* ætates detegunt, & Stephanus eos ſequutus, dicit ſemper reſtitiſſe Spiritui ſancto: perinde acſi diceret, Non incipitis nunc primum eſſe perverſi, jampridem Patres veſtri nequam & ſcelerati fuerunt. A malo corvo, malum ovum prodiit. vos autem longe pejores eſtis, atque Patres veſtros ſuperatis nequitia: ita ut ſi vos tantummodo ſpectaſſem, jamdudum perditi atque in univerſum deleti eſſetis. Doctores autem ſimul adjungit, ut oſtendat non in ſola plebe culpam hærere. qui enim aliorum duces eſſe debuerant, impegerunt primi, atque alios in errorem duxerunt: nempe Sacerdotes & Prophetæ. denique oſtendit nullum ordinem à vitiis & corruptelis immunem eſſe. Eant nunc, & glorientur ſuis virtutibus, atque rationem vel minimam proferant, demptâ bonitate mea, ob quam eos tutari debuerim. Si quis objiciat, nullam eſſe cauſam cur Patrum ſcelera ipſis exprobrarentur, quod ſcriptum ſit, Ani- *Ezech. 18. verſ. 20.* mam quæ peccavit, morituram: nec filios puniri pro patribus: reſponſio facilis erit. nam Dominus parentum peccata rependit in filios, quum ipſi ſimiles ſunt patribus. neque tamen pro alienis peccatis poenas luunt: nam peccarunt & ipſi. Et quum Dominus in totum corpus animadvertit, patres cum filiis pari jugo conjungit, ut omnes eidem condemnationi ſubjiciat.

28. *Ideo pollaam.*] Copula ו hic pro illativa capitur: præteritum vero in futurum reſolvi debet, tametſi in præterito quoque verti poſſit. Sed futurum malui, ut conferatur in tempus captivitatis. eos enim proprie compellat qui ſub captivitate victuri erant. Si quis ad diverſas clades, quibus populum ſuum ignominia affecerat Deus, extendere hoc malit, & ſimul conjungere exilium Babylonicum, nihil erit incommodi. Et forte melius conveniet narrari quid pridem & ſæpius illis acciderit, ut in poſterum commonefiant, nullo jure tam bene ſe eſſe munitos, quin rurſus cum ſummo dedecore poenas ſuæ ingratitudinis luant. Hujus ergo exitii cauſam oſtendit: quoniam ſcelera patrum & filiorum puniri oportebat, quum ſcilicet nullus eſſet peccandi finis, ſed quotidie iram Dei contra ſe accenderent, donec tandem in ipſos animadvertit. Polluere autem vel profanare Eccleſiam ſuam dicitur Dominus, quum eam, ceu rem vilem, contemnit & proſtituit. Sicuti Pſalmo 89. & aliis pluribus locis. *verſ. 39.* Ut enim ſegregati ab ipſo & ſanctificati, ſub fide & tutela ipſius degimus, quamdiu ſancti ſumus: ita quum deſtituimur, dicimur profanari: quia deſinimus ipſi eſſe ſacri, atque ipſius tutela indigni reddimur, & quos antea Chriſtos ſuos vocabat, atque tangi pro- *Pſal. 105. verſ. 15.* hibebat, hoſtium prædæ exponit. At indignum videbatur Sacerdotes, qui vices Chriſti gerebant, profanari: verum hæc cauſa eſt, quod prævaricati ſint, quum aliorum doctores eſſe debuiſſent. Ubi *in execrationem* poſui, nomen Hebraicum eſt חרם, quod Excidium, ſed Execrationem quoque ſignificat: atque hoc ſecundum melius huic loco convenire mihi viſum eſt. Nam poſtea ſequitur, *in opprobria.* Hæc autem ex Moſe mutuatur Propheta: cujus lineamenta ſic refert, ut ſtylum Moſis in his verbis facile ſit agnoſcere: nec quicquam novum aut alienum proferri à Prophetis. Sic enim Moſes, Eriſque *Deut. 28. verſ. 37.* in ſtuporem, parabolam, & fabulam omnibus populis ad quos te duxerit Dominus. Denunciat ergo ſe ita afflicturum populum ut execrabilem ipſum reddat omnibus: ut qui execrari volet, ipſum exempli loco adducat, ſitque formula execrationis: ita ludibriis hominum expoſiturum, ut in ore omnium qui deridere volent, ſit loco proverbii. quemadmodum hodie videmus Judæi nomen, quamvis honorificum per ſe, tamen probri atque ignominiæ plenum eſſe. Proinde horrenda iſta per Jeſaiam minatus eſt Dominus, ut intelligerent ſatis grave ſupplicium ipſis pro ſcelerum atrocitate irrogari non poſſe: nequum in ipſos animadverteret, quererentur ſe graves nimium poenas ſuſtinere, neve nimium acerbas Prophetæ reprehenſiones eſſe exiſtimarent.

CAP. XLIV.

NUnc tamen audi Jacob ſerve meus: & Iſraël quem elegi.
2. Sic dicit Jehova factor tuus, & formator tuus ab utero: tibi auxiliabitur.
Ne timeas ſerve meus Jacob, dilecte quem elegi.
3. Quia effundam aquas ſuper ſitientem, & flumina ſuper aridam. Effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper germina tua.
4. Et germinabunt quaſi inter herbam, quaſi ſalices juxta rivos aquarum.
5. Hic dicet, Ego ſum Jehovæ: & ille vocabitur nomine Jacob: alius ſcribet manu ſua, Jehovæ (ſum,) & nomine Iſraël cognominabitur.
6. Sic dicit Jehova, rex Iſraël, & redemptor ejus, Jehova exercituum: Ego primus, & idem noviſſimus, & præter me non eſt Deus.
7. Et quis ſicut ego vocabit, annunciabit hoc, & ordinabit hoc mihi, ex quo conſtitui populum ſeculi? & quæ pendent, & quæ ventura ſunt, illis annuncient.
8. Ne timeatis & ne terreamini. An non ex tunc audire te feci, & annunciavi? Itaque vos teſtes mei, quod non ſit Deus præter me: & non ſit fortis quem ignorem.
9. Fictores ſculptilis omnes vanitas: & deſiderabilia eorum nihil proſunt: & teſtes eorum ipſi, quod non vident, nec cognoſcunt: ideoque confundentur.

10. Quis

10. Quis formator Dei? & quis ſculptilis conflator, quod nullam ad rem uſui eſt?

11. Ecce omnes ſocii ejus pudefient, & artifices ipſi ſunt ex hominibus. Ut conveniant omnes, ac ſtent, pavebunt, & pudefient ſimul.

a aut, forcipem.

12. Faber ferrarius a limam ſumet: operabitur in prunis, malleis formabit illud: operabitur in eo, brachio virtutis ſuæ: etiam famelicus, ut deficiant vires: non bibat aquam, ita ut fatiſcat.

13. Faber lignarius extendit regulam, illud delineat filo tincto, aptat planulis, circino figurat: facit illud ſecundum formam viri, ſecundum effigiem hominis, ut ſedeat in domo.

14. Succidet ſibi cedros, tollet ilicem & quercum: roborabitur ad ligna ſylvæ: plantabit pinum, quam pluvia enutriet.

15. Tum erit homini in incendium: nam accipiet ex illis, & calefaciet ſe: præterea furnum accendet, & coquet panes: Deum quoque efficiet, atque adorabit: finget idolum, & proſternet ſe coram eo.

16. Partem ejus comburet igni: ex parte carnem comedet: aſſabit aſſaturam, & ſaturabitur. Deinde calefaciet ſe, ac dicet, Ohe calefactus ſum, & vidi ignem.

17. Reliquias ejus in Deum vertit, in ſculptile ſuum: incurvat ſe coram eo: adorat & precatur illud, dicens, Libera me, quia Deus meus es.

18. Neſcierunt, nec intellexerunt: quia oblevit oculos eorum, ne videant, & cor eorum, ne intelligant.

19. Non redit ad cor ſuum, non eſt ſenſus, nec intelligentia, ut dicat, Partem ejus combuſſi igni: etiam ſuper prunas ejus coxi panem: aſſavi carnem, & comedi: reſiduum ejus in abominationem vertam: coram trunco ligni incurvabo me.

20. Paſcit cinerem, cor ſeductum inclinat eum, ut non liberet animam ſuam, neque dicat, Annon mendacium in dextera mea?

21. Memor eſto horum Jacob, & Iſraël, quia ſervus meus es, formavi te: ſervus meus es: Iſraël ne obliviſcaris mei.

22. Delevi, ut nubem, iniquitates tuas: ut nebulam, peccata tua. Revertere ad me, quia redemi te.

23. Laudate cæli, quia fecit Jehova: jubilate inferiora terræ: erumpite montes in laudem: ſylva & omnis arbor quæ in ea eſt: quoniam redemit Jehova Jacob, & in Iſraël glorificabitur.

24. Sic dicit Jehova, redemptor tuus, & fictor tuus ex utero. Ego Jehova faciens omnia, extendens cælos ſolus, expandens terram b mea virtute.

b vel, à meipſo.

25. Diſſipans ſigna divinatorum, ariolos dementans, convertens ſapientes retrorſum, & ſcientiam eorum infatuans.

26. Suſcitans verbum ſervi ſui: & conſilium nunciorum ſuorum perficiens: dicens Jeroſolymæ, Habitaberis: & civitatibus Juda, Extruemini: & ruinas ejus erigam.

27. Dicens profundo, Exſiccare: & flumina tua areſaciam.

28. Dicens Cyro, Paſtor meus: & omnem voluntatem meam perficiet: dicendo etiam Jeroſolymæ, Ædificaberis: & templo, Fundaberis.

Nunc tamen audi.] Quum nuper Jeſaias exagitaverit populi ſcelera, & omnes pariter æterno interitu dignos eſſe pronunciaverit, quod & principes & plebeii omnia ſceleribus polluiſſent: nunc illam pœnarum atrocitatem mitigat, & populum conſolatur. nam hoc loco particulam ו, pro adverſativa capio, ut ſæpe alias. acſi diceret, Tametſi graves ærumnæ tibi immineant, nunc tamen audi quid ego tua cauſa facturus ſim. Hic enim verſus cum ſuperiori argumento conjungi debet: quia declarat Dominus ſe nunquam paſſurum ut populus omnino intereat, tametſi graviter affligatur. Hinc collige, Deum nunquam ita iraſci Eccleſiæ ſuæ, quin aliquem miſericordiæ locum relinquat: ut ſæpe jam vidimus. Hinc fit, ut quoties Prophetæ minati ſunt, ſemper conſolationem aliquam, velut temperamentum, ſubjungant. Sed ne exiſtimemus homines id officiis ſuis promeritos eſſe, ideo ſubjungit, *quem elegi.* Nec enim ſervimus Deo, quod digni ſimus, aut ipſum promereamur, ſed quia nos electione gratuita idoneos reddit. Sunt igitur hoc loco ſynonyma Servus & Electus: ſic tamen ut Electio ordine præcedat. Ideo David ſe Dei ſervum fuiſſe dicit antequam naſceretur, quia jam ab utero matris cooptatus erat in ejus familiam.

Pſal. 116. verſ. 16. Pſal. 22. & 71: 6.

2. *Sic dicit Jehova factor tuus.*] Quamvis aſperius tractaverit Judæos, ut prava omni fiducia exinaniti ſuppliciter ad Dei gratiam confugerent: nunc amico blandoque ſermone eos ſuaviter demulcet, ut ſciant nullam ſe facere jacturam ſibiipſis renunciando. Itaque ſubaudiendæ hic ſunt antitheſes: Tu quidem Jacob nullus in te es, ſed Deus fictor tuus non contemnet opus ſuum: nulla te nobilitas generis ab interitu eximeret, ſed adoptio, qua te dignatus eſt cæleſtis pater, ſatis ſuperque valebit ad te redimendum. Porro tenendum eſt quod ſæpe antehac dixi, non loqui Prophetam de prima creatione qua homines naſcimur: ſed de regeneratione quæ eſt electis propria & peculiaris ut locum in Eccleſia Dei obtineant. Ne vero homines ſibi quicquam arrogent, quaſi ipſum provocarint ut eis benefaceret, addit *formator tuus ab utero.* Quibus etiam verbis fœdus hæreditarium illis proponit, quo Deus nondum genitos ſibi in peculium ſegregaverat. Quod ad perſonam Jacob quidam hoc referunt, quia fratris pedem tenendo inſigne electionis ſuæ ſpecimen ediderit, coactum eſt. ego itaque latius interpretor, nempe Dominum populo ſuo beneficum & liberalem ab initio fuiſſe, & antevertiſſe omnia merita; quia gratuito ipſum formavit, ac deinceps omnia ei beneficia gratis præſtitit. *Auxiliabitur.* Alii ſubaudiunt relativum *qui*: acſi diceret, Auxiliator tuus &

Gen. 25. verſ. 26.

com-

commodius tamen videtur ſeorſum accipere. Clarius fuiſſet in prima perſona, Auxiliabor tibi. ſed in re ipſa nihil eſt diſcriminis. Summa huc tendit, eundem qui populi creator eſt, præſto fore ad ejus auxilium ubi opportunum tempus advenerit. Itaque liberum ſit unicuique lectionem eligere quam volet. Malui tamen ſimplicem ac minus coactum ſenſum ſequi, ut nihil ſubaudiatur. Dictio ישרון varie exponitur. Alii enim à ישר deduci volunt, quod eſt Rectum eſſe, vel Placere: alii à שור: alii ab אשר. Sed potius iis aſſentior qui Dilectum vertunt, ac deducunt à radice ישר: quo etiam titulo Moſes populum illum inſignit in cantico ſuo, Deut. 32. *Deut. 32. verſ. 15.* quamvis enim illic Rectum quidam vertant, ſicut & hoc loco, melius convenit vetus interpretatio, Incraſſatus eſt dilectus. His autem titulis ornat populum ſuum, ut ex præteritis beneficiis ſpem in poſterum Judæi concipiant. Hæc enim perpetua regula apud omnes pios vigere debet, ut quum beneficentiam Dei erga ſe experti ſunt, in futurum quoque ipſam expectent. alioqui nimium ingrati erunt, nec ſe in promiſſis Dei acquieſcere oſtendent: quæ quum animis noſtris inhærent, haud dubie tranquillitatem & ſecuritatem adferunt: non ut omni timoris ſenſu vacui ſimus, ſed ut omnem metum ac diffidentiam eluctemur. Ideoque rurſus inculcat, Ne timeas, Jacob. *Luc. 12. verſ. 32.* Eodem pertinet Chriſti conſolatio, Ne timeas puſille grex, quia Patri meo in te complacitum eſt. Et certe inter diſcrimina quæ undique mortem minantur non aliud eſt ad ſedandos metus remedium, niſi quod Deus favore ſuo nos complecti dignatus eſt, ut in perpetuum ſervet. *Dilecti* ergo nomine magis inculcat, hoc à gratia & libertate Dei pendere. Ad ſe enim revocat, ſibique omnino adſcribit quicquid populo inerat boni.

3. *Quia effundam aquas.*] Pergit in eodem argumento: ac ſimul explicat quale futurum ſit auxilium illud quod promiſit. Semper autem memoria tenendum eſt, in illud triſte & calamitoſum tempus conferri has prophetias cujus ante meminit: nempe quum deploratiſſimo rerum ſtatu, populus omnino ſe deſtitutum arbitrari poterat, omneſque Dei promiſſiones inanes eſſe. Huic dubitationi occurrit Jeſaias: atque populum comparat aridæ & ſiticuloſæ terræ, cuique nihil omnino ſupereſt humoris. qua *Pſal. 143. verſ. 6.* ſimilitudine David etiam miſeriam ſuam declarat. Ergo utcunque malis exhauſtos deficeret vitalis humor, ne tamen animum in extremis anguſtiis abjicerent, hanc Prophetæ ſententiam ſibi proponere debuerunt. Nos quoque quum in ſumma pericula adducemur, nec quicquam aliud quam præſentem mortem animo comprehendemus, ad hæc promiſſa peræque confugere oportet, quibus adverſus omnes tentationes ſuſtineamur. Interea ariditatem noſtram & inopiam à nobis ſentiri ac percipi neceſſe eſt, ut iſtam aquarum irrigationem famelicæ animæ excipiant. Quid per Aquas & Fluenta intelligat, ipſe exponit: nempe Spiritum ſuum. Alibi quoque Spiritus Dei vocatur aqua, ſed alia ſignificatione. Quum *Eze. 36. verſ. 25.* Ezechiel tribuit Spiritui ſancto aquarum nomen, ſimul purgationis intuitu aquas mundas appellat. *Infr. 55. verſ. 1.* Poſtea etiam Jeſaias, Spiritum, aquas vocabit, ſed alia ratione: quod ſcilicet arcano virtutis ſuæ ſucco animas vegetet. Verum, latius patent hæc Prophetæ verba, quia hic non ſimpliciter agitur de Spiritu regenerationis, ſed alluſio eſt ad univerſalem gratiam quæ per omnes creaturas expanſa eſt: & *Pſal. 104. verſ. 30.* cujus mentio fit Pſalmo 104. Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabit faciem terræ. Sicut enim illic prædicat David animari omnes mundi partes quatenus arcanum illis vigorem Deus inſpirat: deinde inſtruit Deum virtute & potentia, qua repente, quoties viſum fuerit, collapſum cæli & terræ ſtatum inſtauret: ita nunc eadem ratione aquam vocat Jeſaias ſubitam Eccleſiæ renovationem: acſi diceret in arbitrio Dei eſſe Eccleſiæ reſtitutionem, non minus, quam ſteriles & prope æſtu torridas terras rore vel pluvia fœcundat. Ita Spiritus aquæ confertur, quia ſine ipſo ariditate omnia deficiunt ac pereunt: totumque mundum arcana virtutis ſuæ irrigatione vivificat. Deinde, quia ſterilitati ex ſiccitate æſtuque contractæ ſic medetur, ut nova facies appareat. Hoc etiam magis explicat Benedictionis nomen quod ſubjunxit.

4. *Et germinabunt.*] Nihil aliud hic continetur quam quod ex Pſalmo 104. citavi: Spiritu Dei *Pſal. 104. verſ. 30.* emiſſo univerſam terræ faciem renovari, atque vireſcere & florere quæ prius æſtu exaruerant: quemadmodum poſt irrigationem pluviarum, herbæ ſuccreſcunt. His enim ſimilitudinibus rem amplificat, atque apertius declarat Deo non minus eſſe facile, nova ſobole augere orbatam Eccleſiam, triſtique ſolitudine deformem, quam terræ inſtillare vim germinandi. Cæterum, quamvis de regeneratione non loquatur, tamen ad eam transferre hanc ſententiam poſſumus: quoniam de inſtauranda Eccleſia loquitur, cujus præcipua pars eſt reformatio, qua in electis imaginem ſuam Dominus reſtituit. Hæc quidem doctrina de 'uci ac fuſius tractari poteſt: ſed prius exprimenda eſt mens Prophetæ, atque ſimplex & genuinus ſenſus patefaciendus eſt.

5. *Hic dicet.*] Hactenus metaphorice loquutus eſt Propheta: nunc ſine figuris rem ipſam aperte declarat. Qualia enim ſint ea germina & herbæ de quibus loquutus eſt oſtendit: quia ſcil. Dominus ex omnibus populis colliget ſuos, & qui prius alieni erant, in Eccleſiam ſuam deducet: eamque quum nulla prius eſſe videretur, inſtaurabit atque augebit. Nam undiquaque omnes ad ipſam convenient, atque piorum numero cenſeri volent: quemadmodum etiam Pſalmo 87. Ecce Philiſtæa, Tyrus, Æthiopia, ille *Pſal. 87. verſ. 4.* natus eſt ibi. Qui locus etſi interpretum errore obſcurus antehac viſus eſt, illuſtrandæ tamen huic prophetiæ optime convenit: quia non niſi exiguum numerum ab exilio reverſum eſſe ſcimus, ſua paucitate terreri & pudefieri poterant fideles, quominus ſpe comprehenderent præclaram & magnificam illam Redemptionis gratiam quæ celebrata fuerat à Prophetis. Occurrit igitur Propheta quiſquis fuerit Pſalmi auctor, pronunciatque Babylonios & Ægyptios fore ex Eccleſiæ domeſticis: venturos Æthiopas & Tyrios, & quicunque tunc alieni erant, ut inſerantur in populum Dei. Nunc, inquit, deſerta eſt Jeroſolyma: ſed Deus non tantum diſperſos aliquando colliget, ſed undique etiam accerſet, ac in unum coadunabit qui nunc maxime diffident, ut glorientur ſe eſſe cives Jeroſolymæ, nec minus pertineant ad corpus electi populi, quam ſi indigenæ eſſent. Idem hoc loco docet Propheta noſter, ex quo haud dubie mutuatus eſt Pſalmi auctor ſententiam illam. Summa eſt, ingentem fore concurſum hominum, qui fide ſimul coaleſcent in obedientiam unius veri Dei. Quoniam autem in cenſu agendo nomen ſuum quiſque dictat, vel inſcribit, ad hunc morem reſpiciens Propheta uſurpat has loquendi formas, Scribet ille manu ſua, Ego ſum Dei, & cognomen Iſraëlis aſſumet: ille profitebitur ſe eſſe Dei, & vocabitur nomine Jacob. Novum enim & inſolitum aliquid deſignat: quia gloriabitur ſe à Deo adoptatum qui prius nihil habebat cum ipſo commune. Vocari hoc loco ſignificat quod vulgo dicimus, *Se reclamer.* Ut prius cap. 4., Invocetur nomen tuum ſuper nos: id eſt, nomine tuo cenſeamur. *Supr. 4: 1.* quum de fœminis ſermo eſſet, quibus inſtar umbræ eſt virorum nomen. Etſi autem videtur Jeſaias hic diſtinguere inter eos qui diſertis verbis profitebuntur ſe eſſe ex populo Dei, & cenſeri volent ex nomine Jacob, ad eoſdem tamen refertur utrumque membrum, quia individuo nexu conjuncta ſunt hæc duo, eſſe filium Dei, & eſſe Iſraëlitam: quia Deus

ſuis

ſuis omnibus filiis matrem Eccleſiam deſtinat. Sed notandum eſt, non alios eſſe legitimos Eccleſiæ cives niſi qui ſe Dei imperio ſubjiciunt. Si præterito Dei nomine Propheta Jacob & Iſraëlem dixiſſet, incipiendum tamen eſſet à capite, unde omnis cognatio tam in cælo quam in terra manat. Sed ne qua ambiguitas maneret, ordinem hunc bis expreſſit, non reputari in ſemine Jacob niſi qui ſe Deo addixerint. Ex his facile apparet quæ ſit mens Prophetæ. Oſtendit enim Eccleſiam, quamdiu benedictione Dei deſtituta eſt, areſcere, ac paulatim ad interitum tendere: ubi vero ſpiritus Dei effuſus eſt, vegetari, atque vires tandem colligere non modo ad recuperandum priſtinum ſtatum, ſed ut miris incrementis præter ſpem augeſcat. Cæterum, meminerimus non de naturæ ordine loqui Prophetam, quaſi novi Eccleſiæ filii tales ab utero naſcantur, quia tantam dignitatem ſibi nemo propria induſtria acquirit: ſed ubi fide regeniti fuerint qui prius alienigenæ erant, dicit nomen certatim daturos, ut ſe filios Dei eſſe teſtentur. Itaque deſcribitur mutatio quæ naturam & omnes humanos ſenſus exuperat, dum ex maledicto genere Adæ ſpiritualis Iſraël efficitur. Quidam exiſtimant hic paucitatem fidelium notari, quum ait, *Ille vocabitur, alius ſcribet*. Sed argumentum illud minime firmum eſt, & eorum error facile refellitur ipſo contextu. ac meo quidem judicio potius intelligendum eſt, turmatim ex variis nationibus ac diſperſis Eccleſiam collectum iri: quia Deus alienos ſub imperium ſuum coget, atque excitabit, ut re vera non inanibus verbis ſe ex ejus populo eſſe jactent. Eſt etiam notandum, veram fidem ſtare non poſſe quin protinus in confeſſionem erumpat. nam huc pertinent hæc quatuor verba, Invocari nomine Iſraël, Scribere, Cognominari, Dicere, Ego Domini ſum. Nec enim obmuteſcere oportet qui vere Deum colunt: ſed quod intus in animo gerunt, factis etiam & dictis teſtari. Profitentur ſe Dei ſervos eſſe, & ejus nomine toto vitæ ſuæ curſu gloriantur.

Ephes. 3. verſ. 15.

6. *Sic dicit Jehova.*] Nunc Propheta nihil aliud agit quam ut ſuperiorem doctrinam confirmet, ſicuti admodum neceſſe erat. quoniam ut ſunt proclives ad diffidentiam animi hominum, rebus adverſis facile dejiciuntur: nec una aut altera exhortatione erigi poſſunt. Pluribus igitur hoc confirmari ſupervacaneum non fuit, quia nunquam Dei potentiæ quantum opus eſt tribuimus: ſed variis cogitationibus diſtrahimur, & præſenti rerum ſtatui nimium inhæremus. Poſtquam nomine Dei ineffabili uſus eſt Propheta, *Regem* etiam & Redemptorem vocat: quia non ſatis eſt potentiam Dei apprehendiſſe, niſi de ipſius erga nos benevolentia certi ſimus. Ut ergo valeant apud nos Dei promiſſiones, non tantum gloriæ ſuæ, ſed bonitatis quoque mentionem facit, ut eam ad nos pertinere intelligamus. Poterat autem ridiculum videri, quod Regem ſe vocabat, quum nullus fere populus eſſet: pios tamen in hac promiſſione recumbere oportuit: ut tametſi regnum oculis minime intuerentur, fide tamen ipſum apprehenderent, atque in futurum ſpectarent. Et certe in animos ſummis anguſtiis conſtrictos, imo deſperatione fere obrutos nunquam penetraſſet hæc doctrina, niſi aditum pateſeciſſet hæc præfatio. Sed ubi Deus familiariter nos compellans ſe nobis conjunctum eſſe declarat, etiam ex ipſis inferis emergit fides tam blanda invitatione allecta. *Ego primus.* His verbis non prædicat æternitatem Dei, ſed eum ſibi perpetuo ſimilem eſſe oſtendit, ut eum talem erga ſe futurum ſperent qualem antea experti ſunt. Quorſum autem hoc, dicet quiſpiam, quum fideles alloquatur, quibus hoc ſatis notum erat? Reſpondeo, tametſi Deo credant homines, tamen eum qualis eſt non agnoſcere, & plus interdum creaturæ quam ipſi tribuere. Puras igitur mentes noſtras, atque omni figmento vacuas in cælum erigi vult, ut in unum Deum penitus defixi ſimus. Adde quod populum tam miſere vexatum contra tam violentos impetus ſtabiliri neceſſe fuit, ut gradum ſuum conſtanter retineret.

7. *Et quis ſicut ego.*] Hic Dominus confert ſe cum idolis, ut jam antea alio loco vidimus. Hoc autem eo ſpectat, ne quum Babylonii victores ipſis proterve inſultarent, animis deficerent, ſeque fraudatos eſſe arbitrarentur. nam duræ ſunt & graves admodum illæ voces, quales objiciebantur ab impiis, Ubi eſt Deus eorum? Cur vobis non auxilio eſt? Talibus blaſphemiis concuti poterant fidelium mentes, atque ita turbari ut ſpem & fiduciam abjicerent. Ideo tam accurate in hoc inſiſtit Propheta, ut pios magis confirmet. Luctuoſa illa clades populi inſtar denſæ erat caliginis, quæ Dei conſpectum adimeret fidelibus. Interim tripudiabant increduli, quaſi plenum fulgorem adepta eſſet deorum ſuorum potentia. Propheta ut illas erroris tenebras diſcutiat, fulgere tamen interea certas gloriæ Dei notas & inſignia oſtendit, quæ ipſum ab idolis diſcernant: nempe quia in tempore palam fecerit quicquid futurum erat, ut in flagellis juſtum Judicem agnoſcerent Judæi, & tamen exorabilem ac propitium fore ſperarent. *Vocare* hic bifariam accipi poteſt, ut vel ad præſcientiam vel ad actum referatur. Deus enim quemadmodum omnia providentia ſua adminiſtrat, ita novit quæcunque futura ſunt, atque præſcientiæ ſuæ teſtimonium reddit. Non eſt autem nimis anxie in ſignificatione hujus verbi laborandum, quoniam aperte conſtat Prophetam & præſcientiam & adminiſtrationem rerum omnium Deo tribuere. Ego tamen potius ad actum referendum puto: An reperietur inter deos Gentium qui vocare, id eſt, ſuſcitare liberatores, annunciare atque ordinare poſſit? annon ex his aperte conſtat me ſolum eſſe Deum? Itaque inſultat idolis, quibus fruſtra homines potentiam ullam tribuunt. Annunciandi verbo, quod continuo poſt addit, ſpecialem gratiam commendat, quod Deus electo populo conſilium ſuum per Prophetas manifeſtare dignatus ſit. Per *populum ſeculi* alii intelligunt omnes gentes, ſingulare pro plurali: quod ſimulatque Dominus nationes propagavit, alias diſtinxit ab aliis, eumque ordinem ſtatuit qui in poſterum duraret. alii extendunt ad omnes creaturas, ut ſtellæ ſint veluti unus populus, herbæ alius, item animantia & ejuſmodi. Sed quum propius expendo, cogor in contrariam ſententiam inclinare: nempe quod Dominus de populo ſuo loquatur. Et Populum ſeculi vocat, quod omnibus aliis præferatur. Alios quidem antiquiores fuiſſe certum eſt. Ægyptii ſua vetuſtate gloriabantur. item Arcades & alii: Abraham vero ex Meſopotamia eductus eſt, quum res Chaldæorum maxime florerent: vixitque domi ſolitarius acſi cum morte paulo poſt delenda eſſet ejus memoria, quum & hominum copia & aliis rebus celebres eſſent vicinæ terræ. Antiquitas ergo Iſraëlis non ex annorum numero aut externo rerum ſtatu, ſed ab electione Dei æſtimanda eſt. unde etiam fundamenta Jeruſalem æterna appellantur. Perinde ergo eſt acſi diceret, Antequam fabricarentur idola ab hominibus, conſtitui me Eccleſiam habiturum, quæ in omne ævum duraret. Hic ergo populus omnium antiquiſſimus & præſtantiſſimus eſt: tametſi alii aut tempore aut gradu antecedant. nam quemadmodum omnia hominis cauſa creata ſunt, ita omnes homines in uſum Eccleſiæ deſtinati: ut nulli ſint, tametſi dignitate præſtantiores, qui non inferiore gradu ſubſidant. Eccleſia enim corpus Chriſti eſt, quo nihil antiquius aut majus eſſe poteſt. Cum Judæis quidem fabulari ridiculum eſſet, conditam ſtatim ab initio fuiſſe Jeroſolymam, quia hic non habetur temporum ratio: ſed tamen principium hoc tenendum eſt, electum populum ordine præ-

Pſal. 79. verſ. 10.

Gen. 11. verſ. 31. Actor. 7. verſ. 2.

præcellere profanas gentes quo propius ad Deum accedit qui fons eſt æternitatis. *Annuncient.* Hæc permiſſio oſtendit homines fruſtra ab idolis revelationem expectare, quæ ſi quid nuncient, præſtigiis aut flexuoſis ambagibus deludent ſuos conſultores, ut jam antea dictum eſt.

8. *Ne timeatis.*] Nunc exponit Jeſaias quorſum antea de potentia Dei loquutus ſit, nempe, ut fidem populi confirmaret. Hoc enim ex ſuperioribus concludit: Quum Dominus adeo potens ſit, atque omnia nutu ſuo gubernet, populo quem protegendum ſuſcepit, extimeſcendum non eſſe. Deinde repetit quod jam dixerat, Deum non ſolum occulte Judæis opem tuliſſe, & repente quaſi è machina, ut dicunt, apparuiſſe, quum minime expectaretur, ſed fidem eorum aluiſſe multis vaticiniis: denique luculenta ſigna dediſſe paterni favoris, ut non obſcura eſſet ſua divinitas. Nihil enim prodeſſet nobis, Deum ſcire & poſſe omnia, niſi etiam patefaceret quantum interſit noſtræ ſalutis. Tametſi ergo multa nobis incognita eſſe velit, tamen omnia communicat quæ nobis cognitu utilia ſunt, & nos ſcire noſtra intereſt. מאז, longum tempus ſignificat: aut ſi cui magis placet, deſignat opportunitatem. nam Dominus revelat arcana ſua electis, quum tempus opportunum videt. Sed altera interpretatio mihi ſimplicior videtur. *Itaque vos teſtes mei.* Significat id quod jam attigi, populum ignorantiam prætexere non poſſe, quominus contentus ſit unico Deo: quandoquidem ſeſe illis abunde patefecit, ut teſtimonium de ipſo reddant. Huc enim ſpectat notio gloriæ Dei, ut veritatem ejus profiteamur coram hominibus, ut jam ante dictum eſt, niſi lumen quod nobis per Spiritum ſuum attulit, extingui velimus. Cæterum, teſtes Deo eſſe non poſſumus, niſi veritate ipſius confirmati. nec enim teſtimonium ex opinione dubia valere poſſet. Nos ergo Dei verbo doceri neceſſe eſt, ut certam & indubiam ſalutis ſpem habeamus. *Fortis* nomen, ut ſæpe alias, tribuit Deo: quia non ſufficit æternam Dei eſſentiam agnoſcere, niſi fortitudinem quoque ipſi tribuamus. Alioqui nihil ipſi relinquetur præter nudum & inane nomen: ſicuti faciunt impii, qui ore tenus Deum fatentur, ac deinde huc atque illuc transferunt potentiam ipſius.

9. *Fictores ſculptilis.*] Ex adverſo nunc oſtendit Dominus quam miſeri ſint idololatræ, qui vagantur in ſuis figmentis, nec in æterna Dei veritate fundati ſunt. nihil enim ſenſus aut ſanæ intelligentiæ habent. Sicut enim merito nuper damnavit populi ingratitudinem, niſi gratiæ Dei documentis ad fidem animaretur: ita nunc contra omnes Gentium ſuperſtitiones armat & munit. Quia vero tam multitudine & turba, quam opibus pollebant increduli, dicit omnes eſſe nihilum: deinde in toto ſplendore nihil eſſe niſi fallaciam. Per *Deſiderabilia*, non ſolum idola, ſed omnem eorum cultum, ornatum, honorem, obſequium, quæ ſtulti homines ipſis impendunt, comprehendit: eaque admodum proprio nomine ſignificat. nam quum præcipuum ſit in vita, Deum agnoſcere & venerari, (hoc enim uno maxime differimus à belluis) eum rebus omnibus vel præſtantiſſimis præferri decet: ut omnia vota noſtra, omnes denique animi cogitationes in eum conferamus. Non fruſtra igitur Scriptura, quum de cultu Dei agitur, hoc vocabulum uſurpat. ſed hic de perverſo cultu agitur, & inſano idolorum deſiderio, quo homines transverſi rapiuntur. propterea quicquid exoptant, aut ſtudioſe agunt, vanum & inutile eſſe dicit. Sæpe
Hoſea 2. verſ. 2. etiam deſiderium hoc comparatur amori meretricio, quo faſcinati homines ac penitus excæcati, turpitudinem ſuam non cernunt, nec ulli rationi parent.
ſupr. 1. verſ. 29. Sed de his prius cap. 1. tractavimus. Quod ſtatim addit, Teſtes eorum eſſe, &c. nonnulli exponunt, idola adverſus ſeſe teſtimonium ferre, atque aperte docere quam vana ſint, ut ſtupidiſſimos homines eſſe oporteat qui id non animadvertant. Sed illa expoſitio nullo modo placet. malo eos ſequi qui ad cultores idolorum hoc referunt, qui ipſi conſcii ſunt tantæ vanitatis. illa enim nihil videre aut intelligere ſciunt. Atque hoc loco eſt antitheſis inter teſtimonia populi Dei, & idololatrarum. Ille inſigne teſtimonium reddet gloriæ Dei ab operibus, à promiſſis & vaticiniis: hi obmuteſcere cogentur, niſi falſa & vana commenta tradere velint, quia prorſus nihil certitudinis habent. Jactant quidem impii magno ſupercilio ſuos cultus, eoſque magnopere commendant: ſed conſcientia eorum teſtis eſt quam incerta & vana ſint quæ agunt. ſemper enim trepidant, nec ulla in re conquieſcunt, licet ſua pervicacia tumultuoſe ferantur. Ergo ipſi adverſus idola ſua teſtimonium ferent. quemadmodum ſi quis indocto magiſtro utatur, teſtis inſcitiæ ejus eſſe poteſt: ita deos ſuos nihil aut ſcire aut poſſe teſtabuntur. Nam lapide aut ligno aut alia materia fabricatos vident, nec quicquam ab iis aut ſentiri aut intelligi poſſe. Soli ergo fideles verum Deo ſuo teſtimonium reddent, quod omnia norit, ordinet, atque adminiſtret. Cæteros tandem pudefieri neceſſe erit, tametſi nunc furioſo impetu errores ſuos tueantur. nam conſcientia ipſorum teſtis eſt quod nihil præter opinionem & vanam imaginationem mentes eorum captivas tenet.

10. *Quis formator Dei?*] Deridet hominum inſaniam, qui deos fingere audent. Eſt enim horrendum dictu & abominandum, homines tantum ſibi arrogare ut Deum creent. nemo profecto erit qui tantam dementiam non magnopere deteſtetur. Et tamen homines promiſcue inſana libidine feruntur ad deos fabricandos, nec ulla monitione revocantur. At dicent, nemini hoc unquam veniſſe in mentem, ſibique injuriam fieri quum tantæ inſaniæ accuſantur: ut hodie Papiſtæ nos calumniari dicunt quum his Prophetæ argumentis in ipſos utimur. Sed fruſtra nituntur cavillis ſuis hoc crimen effugere. veriſſimum enim eſt quod ait Propheta, adeo inſanos eſſe ipſos, ut ſe Deum formare putent. nam lapidi & ligno, ſimulatque fabrefactum aut politum eſt, divinitatem tribuunt, ad id confugiunt, vota faciunt, invocant, proſternunt ſeſe: denique etiam tribuunt quæ ſciunt ad Deum ſolum pertinere. *Quod nullam ad rem utile eſt.* Notanda eſt diligenter hæc particula, qua figuræ omnes quibus repræſentatur Deus, ut vanæ & inutiles damnantur. Unde ſequitur non modo contumelia affici Deum quoties transformatur ejus gloria in imagines mortuas: ſed quicunque idola ſibi comparant non abſque noxa operam male perdere. Papiſtæ libros idiotarum eſſe obtendunt: ſed puerile effugium eſt. nam teſtatur Propheta nullum ipſorum uſum eſſe. Aut igitur eradant hoc teſtimonium è libro Jeſaiæ, aut vana & inutilia ſimulachra eſſe fateantur. Antea plus quiddam expreſſit, quum nihil *cap. 40.*
aliud ab iis quam mendacium diſci poſſe aſſereret. *& 41.*
Sed de hac re ibi ſatis multa diximus.

11. *Ecce omnes ſocii ejus.*] Non tantum invehitur in opifices idolorum & fabros, ſed generaliter in omnes etiam eorum cultores, quando adeo ſtupidi atque hebetes ſunt ut ſimulatque truncus novam aliquam formam acceperit, in eo poteſtatem Dei includant. Non tantum igitur artifices pœnam audaciæ ſuæ daturos ſignificat: ſed omnes qui ſe iiſdem ſuperſtitionibus implicarint. iiſdem enim pœnis ſubjici æquum eſt quos idem reatus tenet. Nec vero ullam excuſationem obtendere poſſint: quia vident muta & vana eſſe ſua idola, quæ ab hominum manu prodierunt: tantum abeſt ut dii eſſe poſſint. *Ut conveniant.* Qualiſcunque impiorum conſpiratio fiat, tamen ubi ventum fuerit ad tribunal Dei, pudefieri ipſos neceſſe erit. Nec vero abs re Propheta pavorem & pudorem ipſis minatur, quoniam impii ſuperbe efferri, & alios omnes præ ſe deſpicere ſolent:

 glo-

gloriantur ſua multitudine: ut hodie Papiſtæ paucitatem noſtram contemptui habent: atque inſolenter efferuntur, & mira arrogantia adverſus Deum & doctrinam ejus inſurgunt. Itaque impiorum conſcientias hic appellat Jeſaias: quia etſi ſumma eos obſtinatio & pervicacia occupet, tamen interdum trepidare coguntur, dum reputant ſecum, Quid agimus? & operum ſuorum rationem inquirunt. Nihil enim firmi aut ſolidi habent, in quo tuto conquieſcere poſſint. Audaces ſunt quum abripiuntur ſuo impetu: ubi vero ad ſe redeunt & ſpatium aliquod cogitandi ſumunt, pavore conſternantur. non eſt igitur quod eorum furore, ſuperbia, aut multitudine terreamur: quoniam hæc cito interibunt. Quare ne Papiſtarum conſpirationes, pompæ, faſtus, furores, conſilia nos commoveant, quum ea omnia ipſis in ignominiam & perniciem cedere intelligamus. nam quo inſolentius ſeſe efferunt, atque in Deum inſurgunt, eo graviore caſu corruent, & majore dedecore afficientur.

12. & 13. *Faber ferrarius.*] Non fruſtra longam hic deſcriptionem texit Propheta, ut ſtuporem & inſaniam ſuperſtitioſis excutiat, ſi quo modo expergefieri queant, vel ſaltem à ſimili vecordia prohibeat Judæos, qui longe lateque obſidebantur ab innumeris falſorum deorum cultoribus. Nam rudi, quod aiunt, Minerva ſingula enumerat, quibus maxime perſpici poteſt ipſos inſanos ac furioſos eſſe. potuiſſet quidem alioqui uno verbo aut paucis hoc ſcelus damnare: ſed iſta hypotypoſis rem velut digito oſtendit, atque oculis ſubjicit, dum fabrorum inſtrumenta, labores, induſtriam, ſollicitudinem commemorat, ut fere in rem præſentem ducamur. Sic enim magis permoventur homines, qui natura infixos animis iſtos errores habent, quam ſimplici doctrina: nec unquam ex veterno ſuo, niſi magnis clamoribus & aſſiduis excitari poſſunt. Singula vero ipſis tradi atque in minuta fruſta concidi, mandi etiam atque ori inſeri tanquam pueris infantibus neceſſe eſt: ut doctrinam, quæ alioqui nova & inſolita ipſis videtur, percipiant. *Etiam famelicus.* Exprimit ardorem quo feruntur ſuperſtitioſi ad fabricandos deos: quia ſic ardent atque inflammantur ut neque modum, neque rationem tenere poſſint. nam ſua libidine tanquam œſtro impulſi ruunt, adeoque ſe præcipitant, ut merito amori meretricio iſtum ardorem comparemus: ſicuti jam antea dictum eſt. Omnes & animi & corporis vires in id intendunt: quod per Brachium virtutis intelligit: quaſi diceret, quicquid eſt roboris in brachiis ipſorum huc applicari: fraudant genium ſuum, ac vix quantum neceſſe eſt alimenti ſumunt: denique nulli labori, nulli ſumptui parcunt, ut deos, quos concupierunt, efficiant. Etſi autem notatur laboris aſſiduitas, quum dicit famelicos non laſſari, ſed famem & ſitim perferre potius quam ut opus relinquant: commode tamen hoc idem extendere licet ad omnes conatus inconſiderati zeli. videmus enim ut incredulis fervida ſua devotio, ut loquuntur, inſtar carnificinæ ſit: ſed quo magis illi ſtrenue ſatagunt in ſuam perniciem, eo fœdior eſt magiſque pudenda noſtra ſegnities, ubi Deum legitimo cultu fraudamus. A fine vero demonſtrat quam inſipida ſit tanta ſedulitas: quia non aliud tandem laboris ſequitur pretium, niſi ut idola ubicunque locata fuerint otioſa ſine motu deſideant: acſi quis ignavus ad focum torperet, vel decumberet in lecto.

14. *Succidet.*] Non tantum ardorem & impetum furioſum idololatrarum, ſed etiam pervicaciam & obſtinationem exprimit Propheta. nam quum dicit ipſos ſuccidere cedros, & plantare pinus, oſtendit eos diutiſſime inſaniam ſuam perſequi, non repentino quodam impetu rapi ad deos effingendos. Non ſolum, inquit, deligunt arbores quæ jam excreverint, ſed etiam ipſas plantant, irrigant, excolunt atque expectant donec ad juſtam magnitudinem pervenerint, ut aptæ ſint conficiendo idolo. Quum hæc legimus, de hac horribili inſania admoniti ſciamus nobis quodammodo manum injici à Deo ut nos ab ea retrahat: deinde ut nos contineat in vera pietate. Mature quidem obviam ire convenit, ne mora longior morbum reddat inſanabilem: quia ſemper timendum ſimulac nos abripuerit ſtulta cupiditas ad impios cultus, ne in voraginem iſtam præcipitemur. Omnes enim hujus furoris ſemen aliquod gerimus, quod nullo modo evelli poteſt: imo emergit aſſidue, ac pullulat, niſi Spiritu Domini repurgemur. Præterea animadvertendum eſt, quum idololatræ tanto impetu ferantur ad colenda idola, pudore nos affici debere, qui in vero Dei cultu frigemus. Pudeat nos, inquam, adeo negligentes eſſe ac frigidos, imo conglaciatos, quum ita ardent idolorum cultores: nobiſque reddendam eſſe rationem cogitemus. Qua rabie perciti ſunt Turcæ, quum de tuendis Mahometi ſui deliriis agitur, pro quibus & ſanguinem & vitam ſuam libenter effundunt? quo furore incitantur Papiſtæ ad ſuas ſuperſtitiones? nos interea vix tepemus, atque interdum ſcintillas ardoris extinguimus, quas in nobis Dominus excitavit. Huc etiam pertinet illa Jeremiæ exprobratio, An eſt ulla gens quæ *Jere. 2.*
reliquerit deos ſuos? Populus vero meus me reliquit, fontem aquæ vivæ, & fodit ſibi ciſternas, quibus aqua contineri nequit. *verſ. 11.* Hæc igitur comparatio diligenter notanda eſt, ut non minus conſtantes ſimus in veritate tuenda, quam illi pertinaces in vanitate.

15. 16. & 17. *Tum erit homini.*] Inſcitiam coarguit, quod craſſa experientia non colligant truncum ligneum non eſſe Deum: eam ingratitudinem etiam perſtringit quod verum Deum, cujus virtus in ipſis arboribus refulget, ſuo honore fraudant. ligna enim in uſus multiplices aptari nequeunt, quin ſe oculis ingerat Dei liberalitas, quoties in furno panis coquitur, vel caro in olla, vel aſſantur edulia ad prunas: quoties nos calefacimus, vel quælibet ex ligno commoditas à nobis percipitur, inexcuſabilis eſt ſtupor noſter, niſi reputamus quam benigne nobis Deus proſpexerit, ne quod deeſſet neceſſitatibus noſtris ſubſidium. Huc pertinent hæc verba, Ohe, calefactus ſum: quibus exprimitur eorum lætitia qui omni incommoditate moleſtiaque levati quodammodo triumphum agunt. Quid autem magis indignum vel præpoſterum, quam homines dum ſuaviter fruuntur Dei beneficiis ſibi plaudere, & gratulari: interim auctori nullas agere gratias? imo largis ejus copiis abuti ad violandum ejus honorem? In ciborum coctione aliiſque commodis agnoſcunt homines lignum ſuo imperio ſubjectum eſſe & addictum: qui fit ergo ut coram lignea hominis effigie ſe proſternant? nonne hoc modo ſuo jure ſpoliatur Deus? Quum vero ſimulachra invocant, nonne Deo eripiunt quod maxime exigit ſacrificium? A profanis etiam ſcriptoribus deriſa fuit olim hæc veſania, quod ex corruptibili materia, quam prius ſpernebant, deos ſuo arbitrio auderent formare. Inde illud Horatii,

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum,
Quum faber, incertus ſcamnum faceretne Priapum,
Maluit eſſe Deum: Deus inde ego.

Sed fons impietatis non fuit vere ab illis cognitus quod animos non adjicerent ad conſiderandam unius Dei bonitatem & potentiam, quæ in omnibus creaturis ſeſe exerit. Quum autem Propheta in hunc modum invectus eſt adverſus idolorum cultores, atque ſtuporem eorum & inſaniam patefecit, minime dubium eſt quin ipſi conqueſti ſint immerito ſe traduci, & ſpecioſis coloribus fucaverint ſuos errores, quod faterentur deos in cælis eſſe, ut ſcriptis etiam prodiderunt, neque lapidem aut lignum Deum eſſe vel-

vellent: quemadmodum etiamnum Papiſtæ eandem cum ipſis cauſam adverſum nos tuentur, nec patiuntur ſe damnari tam craſſæ cæcitatis. Sed jam diximus Prophetam non immorari in nuda Dei eſſentia: quæ ſi tantum relinquatur Deo, inane erit ſpectrum. Omnia ergo quæ ipſi propria ſunt, illibata manere vult: præſcientiam, poteſtatem, adminiſtrationem, juſtitiam, ſalutem, & reliqua ejuſmodi. Nunc quum impii erigunt ſtatuas aut ſimulachra, atque ad ea opis petendæ cauſa confugiunt, & quoties ea ante oculos poſita habent & alloquuntur, à Deo ſe audiri putant, nonne ſalutem ſuam perperam illis alligant? Verum hic ſtupor inde oritur, quod ignorent qualis ſit Dei natura. nam quum ſimplex atque ſpiritualis ſit, eam craſſam atque carnalem eſſe fingunt. in quo nimis maligne de ipſo ſentiunt, & gloriam ejus abjiciunt atque conſpurcant, dum rebus terrenis atque caducis ſimilem reddunt. Nihil enim tam alienum à majeſtate Dei, quam ſimulachra: quæ qui colit, Deum in iis includere, atque ſuo arbitrio tractare nititur. Merito ergo in ejuſmodi corruptelas invehitur Propheta, atque acriter furioſum ſuperſtitioſorum ſtudium inſectatur, quum nihil deteſtabilius dici aut cogitari poſſit.

18. *Neſcierunt, nec intellexerunt.*] Concludit fieri non poſſe ut homines ratione præditi ita hallucinarentur, niſi cæci prorſus ac dementati eſſent. ſi qua enim mica rationis iis reliqua eſſet, perſpicerent quam abſurdum ac ridiculum ſit, adorare partem ejus ligni quod combuſſerunt ipſi, & oculis ſuis viderunt conſumi & redigi in cineres. Sed quum nihil animadvertunt, nec ullas rationes audiunt, oſtendunt profecto ſe in pecudes degeneraſſe. Tantundem enim valet iſtud Neſcire quod illis exprobrat Jeſaias, acſi diceret mente eſſe captos, omnique intelligentia privatos. Etſi autem pleroſque valde acutos ac perſpicaces fuiſſe certum eſt, hac tamen in parte bruta eorum inſulſitas ſatis ſuperque convicta fuit. Ratio quæ ſubjicitur non ad extenuandam culpam ſpectat, ſed admonet quam deteſtabile ſit prodigium: quia nunquam ita deſiperent homines, niſi cæleſti vindicta projecti in ſenſum reprobum. Aliqui hic ſubaudiunt Deum: alii Pſeudoprophetas, atque hi populum cæcum eſſe aiunt, quod à Pſeudoprophetis ſeductus ſit: quia niſi eorum impoſturis deluſus, nunquam tam fœdis erroribus ſe immergeret. impiæ enim doctrinæ oculos perſtringunt. Alii accipiunt in neutra ſignificatione. Poſſet etiam ad diabolum referri. Sed quoniam diverſa expoſitio magis uſitata eſt Scripturis, ego potius eam ſequor, Deum videlicet ipſos juſto judicio excæcaſſe: niſi quis malit de ipſis accipere, quod ſponte & mentes & oculos ſibi perſtringant. atque tunc numeri mutatio eſſet, quæ non infrequens eſt Hebræis. Cæterum dixi quid mihi magis placeat: & ſatis tritum eſt Hebræis, ubi fit Dei mentio, ejus nomen ſubticere. Quomodo vero Deus excæcare, atque in reprobum ſenſum tradere dicatur, patet ex variis Scripturæ locis: nempe, quum lucem Spiritus ſui aufert, & frena laxat hominum libidini, ut nulla amplius ratione cohiberi

2 Theſ. 2. verſ. 11. poſſint. Satanam quoque armat efficacia erroris, ut neque ab ejus inſidiis caveant, & fallaciis obnoxii ſint qui recuſarunt veritati parere. Quid enim tunc in nobis reliquum eſſe poteſt, præter denſiſſimas tenebras & craſſam ignorantiam, ut intus & extra graſſetur pro ſua libidine tyrannus ille mendacii & tenebrarum pater? quia in nobis non modo nulla reperietur lucis ſcintilla, quæ erroris nebulas diſcutiat, ſed ſpiritu vertiginis, quo Deus reprobos percutit, impulſi prodigioſum in morem feremur ad nutum Satanæ. Nec vero culpa hujus cæcitatis in Deum rejicienda eſt. ſemper enim juſtam habet cauſam, tametſi non ſemper oculis noſtris pateat: nec eſt cur eam anxie inquiramus, & in arcanum illius conſilium penetremus, niſi pœnas dare velimus noſtræ temeritatis. Sæpius vero notiſſimæ ſunt cauſæ: nempe, ingratitudo hominum, & contumacia in Deum: quemadmodum ſatis docet Paulus Roman. 1. *Rom. 1. verſ. 28.* Eorum enim juſta pœna excæcatio eſt. Nihil ergo excuſationis habent homines, etiamſi ignorantiam obtendant. nunquam enim tam craſſis erroribus implicarentur, niſi eſſent ob ſcelera ſua à Domino excæcati. Certiſſimum autem argumentum duci poteſt à judiciis Dei ad ſcelera hominum: Deus enim juſtus eſt, nec ſine juſta cauſa in quempiam animadvertit: neque hominem, niſi merentem & ſponte oculos ſibi obſtruentem, excæcat. Itaque culpa in ſolis hominibus hæret, qui cæcitatem ſibi ſua ſponte accerſierunt: nec dubium eſt quin huc tendat Prophetæ conſilium, homines qui divinitus regendi erant, ut naturaliter præditi ſunt aliquo judicio, derelictos eſſe à Patre luminum, ut ſint Satanæ mancipia.

19. *Non redit ad cor ſuum.*] Confirmat proximam ſententiam, & omnes excuſationis anſas præſcindit: quia ſponte ignorantiam ſuam foveant increduli. nam quod naturaliter homines circumſpecti ſunt ac providi in terrenis negotiis, in autem Dei cultu prorſus cæcutiunt, non aliunde fit, niſi quia ad privatas ſuas utilitates ſatis ſuperque ſunt attenti: regni autem cæleſtis non magna cura tanguntur. Neglectum pietatis hinc coarguit Propheta, quod nec poſt longos quidem circuitus ſecum expendant increduli, an rectam viam teneant, an vero fruſtra ſe fatigent in perverſis erroribus. Socordiam quidem minime excuſabilem eſſe docet, quum ita ſuperſtitionibus ſuis indulgent. nam ſi animum paulisper adjicerent ad rem conſiderandam, nihil facilius eſſet quam craſſum illum ſtuporem animadvertere: quum non videant, ſequitur ipſos velle decipi, atque ſibi in errore ſuo placere. Nulla ergo tergiverſatione, nullo prætextu ſe à reatu eximent, nec ignorantiam obtendere poterunt: quoniam ad veritatis inquirendæ ſtudium animum applicare non dignantur. *Redire ad cor* accipit pro Reputare ſecum & attendere. Nemo enim puer tam rudis eſt, qui non idoneus judex futurus ſit tam inſignis dementiæ. Sibi igitur nimis licentioſe indulgent ſuperſtitioſi, nec ſimplici ignorantia labuntur. neque hoc vitium primæ hominis corruptioni tantum, ſed pervicaciæ imputandum eſt.

20. *Paſcit cinerem.*] Hoc etiam verſu ſuperior ſententia confirmatur. Paſcere cinerem, idem eſt quod Paſci cinere: quemadmodum Paſcere ventum, *Hoſee 12. verſ. 1.* pro Paſci vento. Utrumque enim dicitur: ſicut è converſo, Paſces veritatem, pro Paſceris veritate, *Pſal. 37. verſ. 2.* id eſt, ſatiaberis, Pſalmo trigeſimo ſeptimo. Alii exponunt, Adminiſtrabis pabulum ſpirituale: alii, Fideliter paſces: ſed priorem illam interpretationem ſequi malo. Hic autem ſignificat homines quidem inflatos eſſe & tumidos: ſed nihilominus inanes & vacuos eſſe: quoniam referti tantum ſunt impoſturis, quæ nihil firmi aut ſolidi habent. Crepabunt potius tali faſtu homines, quam ſatientur. Deinde rurſus utrumque complectitur, fallacibus blanditiis captos nihil cernere: & tamen ſponte & libenter ſe conjicere in vanas decipulas. In hoc plurimum inſiſtit Propheta, ut oſtendat homines non aliunde impelli ad perverſos & impios cultus, quam quod illuc ſponte feruntur. non eſt igitur quod aliis hoc vitium imputent, quum fontem reperiant in ſemetipſis, quem ipſi ſtudioſe fovent ac tuentur. Mira arrogantia efferuntur adverſus Deum, turgent falſa perſuaſione ſuperſtitionum ſuarum, denique impii omnes crepant ac diſrumpuntur ſuperbia. Nos interea ſolido veritatis pabulo veſcamur, nec ullis præſtigiis abduci nos ſinamus. Tamen exaggerat, quod in re tam ſeria blanditias ſibi faciant. Quis enim negligentiæ ignoſcat ubi de ſalute agitur? Videmus quam ſollicite ſinguli pro caduca vita laborent: ubi peri-

clitatur æterna animæ ſalus, quid minus ferendum eſt quam ſecure torpere qui eam adhibito ſtudio redimere poterant? Liberare porro animam ſuam dicitur qui reſipiſcendo ex diaboli laqueis ſe eripit: ſicut *Jacob. 5. verſ. 20.* dicuntur alii alios ſervare, dum ſanctis admonitionibus reducunt in viam errantes. Unde ergo fit ut idololatræ in exitium ſuum præcipites ruant? quia velut incitato curſu eo feſtinant, obſtinant animos, nec ſe revocari ſinunt. Tandem in fine verſus breviter modum oſtendit quo ſe homines ab exitio liberare poſſint: ubi ſcilicet expendunt opera ſua, neque ſibi adulantur. quiſquis ergo ſibi in errore ſuo placet, nec inquirit an rectum ſit inſtitutum ſuum, is nunquam animam ſuam liberabit. Quemadmodum Papiſtæ rationem cultus ſui inquirere nolunt, eamque ſtupiditatem tegunt nomine ſimplicitatis: acſi Deus vellet nos eſſe belluas, nec diſtingui juberet inter cultum quem probat, & eum quem rejicit: ac diligenter inquiri quæ ſit ipſius voluntas, ne omnia ſine diſcrimine probentur. Omnia enim ad regulam quam nobis præſcripſit, examinari debent. Hoc ſi fiat, exitium facile vitabimus. ſin minus, quia ſponte volumus perire, nec ullo modo moneri, aut in viam reduci nos patimur, nobiſipſis exitium noſtrum imputemus.

21. *Memor eſto horum Jacob.*] Nunc accommodat in uſum populi quæ toties dixerat de Gentium ſuperſtitionibus & mendaciis quibus homines non probe edocti falluntur in colendo Deo. Nec tantum ſeculi ſui hominibus hæc ſcribit, ſed poſteris maxime, qui quum abducendi eſſent in Babylonem, diuturna Chaldæorum conſuetudine corrumpi, atque à vero Dei cultu abduci poterant, niſi Dominus ipſos frenis iſtis cohibuiſſet. Admonet igitur Propheta, ut quum tenebuntur captivi, exhortationes iſtas in memoriam reducant, iiſque animos ſuos in gravibus ærumnis illis ſuſtineant. *Tu es ſervus meus.* Hanc rationem ſubjungit, cur harum promiſſionum memores eſſe, & cavere à communi aliorum contagione debeant: quoniam minus tolerabile fuiſſet electum populum, quem Legis ſuæ cancellis Deus circumdederat, ut ab aliis ſegregaretur, ſeſe promiſcue & nullo diſcrimine miſcere Gentium inquinamentis: acſi diceret, Chaldæos vagari in ſuis erroribus nil mirum eſt: ſed tu iis diſſimilis eſſe debes. Nam formavi te ut mihi ſervires: regeneravi te ac ſanctificavi, ut hæres vitæ æternæ eſſes. De hac creatione prius abunde dictum eſt, eam ſcilicet ad reformationem animæ pertinere. Hoc autem argu-
1 Theſſ 4. verſ. 7. mento ſæpius utitur Scriptura, Ad ſanctificationem, non ad immunditiem vocati eſtis. Ambulate ut filii *Philip. 2. verſ. 15.* lucis in medio nationis pravæ ac tortuoſæ: & ejuſmodi. Hinc colligendum eſt nos duplices pœnas daturos, ſi lumen quo nos illuſtravit Dominus negligentia vel torpore ſuffocare contingat. Crimen enim longe atrocius erit, quam in aliis quos ſimili gratia non ornavit. Dabunt quidem pœnas profani homines, nec ulla ignorantiæ excuſatio ipſos juvabit, ſed longe graviores dabunt qui gratia Dei abutentur. *Ne obliviſcaris.* Significat fieri non poſſe ut qui ſemel in rectam viam ingreſſi fuerint, abducantur, niſi oblivionem Dei inducant. nunquam enim errores & impoſturæ prævalere poſſunt, quamdiu memoria Dei animis noſtris hæret. Malitiæ ergo ſuæ imputet quiſquis à Deo avertitur, atque in ſuperſtitionem aut impietatem declinat. Apoſtaſiæ igitur cauſa diligenter notanda eſt: nempe, oblivio Dei, quæ ſenſim nos à recto abducit, donec penitus alienemur. Cæterum, hoc remedio à defectione tutos fore admonet, ſi ſe continua meditatione exerceant: quia facile ſua ſegnitie rubiginem, ut ita loquar, contrahunt mentes noſtræ, quæ omnem Dei notitiam inficit ac corrumpit, donec prorſus aboleatur.

22. *Delevi ut nubem.*] Promittit Dominus populo ſuo futuram liberationem. nec enim animi noſtri vere in Deum erigi poſſunt, niſi ipſum nobis propitium eſſe ſentiamus. Ut ergo populum quem ſibi ſemel devinxit, retineat, promiſſionem adhibet qua ipſum conſolatur, ut certo ſtatuat non fore perpetuum exilium: quia Deus, ut eſt indulgentiſſimus pater, correctiones ſuas ſic temperat ut ſemper ignoſcat filiis ſuis. Quod ſe iniquitates eorum deleviſſe dicit, hoc proprie ad captivos pertinet, qui ſcelerum ſuorum pœnas dabant. Conſequens autem erat ipſos placato Deo liberatum iri. Eſt enim demonſtratio à cauſa ad effectum: remiſſa eſt culpa, ergo ſimiliter pœna remiſſa eſt. pœna enim quæ ob culpam infligebatur, levati ſunt Judæi ſimulac reconciliati fuerunt Deo. Subeſt autem tacita exhortatio ad pœnitentiam, ut non modo gemant ſub duro onere caſtigationis, ſed juſtas ſcelerum pœnas ſe dare cogitent, quia Dei iram provocarunt. Et certe quoties aſperius nos Deus tractat non ſimpliciter optanda eſt levatio à moleſtia & dolore, ſed exordium à venia facere convenit, ut Deus imputare nobis peccata deſinat. Interea hinc evertitur diſtinctio Sophiſtarum, qui remitti culpam fatentur, pœnam vero negant: ut jam aliis locis plenius dictum eſt. Similitudo Nubis tantundem valet acſi diceret Dominus, ſe nolle ipſos amplius judicio ſuo perſequi, aut pœnas ſumere: quod, remiſſa culpa, ſint ipſi reconciliati. quemadmodum ubi cælo redditur ſerenitas, delentur & evaneſcunt nubes quæ Solis lucem terris abſtulerant. Explodenda igitur diabolica hominum commenta, quæ totam hanc de remiſſione peccatorum doctrinam convellunt, quum aperte Prophetarum doctrinæ adverſentur. Quod addit, *Revertere ad me*, bifariam accipi poteſt: vel ut Dominus populum hortetur ad pœnitentiam: vel ut erigat in ſpem liberationis. Uterque vero ſenſus optime quadrare poteſt. Diximus communem Scripturæ uſum eſſe, quoties Redemptionis mentionem facit, ad pœnitentiam hortari. Vult enim Dominus nos ad ſe hoc modo revocare, ut ad percipienda ſua beneficia idoneos reddat. Cæterum, quia populus infidelitate ſua longe à ſpe ſalutis aberat, poteſt etiam pro confirmatione accipi: ut populus ſtatuat ſe haud dubie reverſurum: acſi diceret, Tametſi me alienum à te eſſe exiſtimes, tamen ſcito me curam tui habiturum. Atque hic poſterior ſenſus mihi magis placet, & aptior contextui videtur. In hoc enim maxime laborat Propheta, ut promiſſiones Dei confirmet, ac penitus animis infigat. Reverti vero ad ſe Judæos jubet, quibus exilium obſtaculo erat quo minus eum fore liberatorem ſperarent. quaſi diceret, Quamvis à vobis alienatus videar, confidite tamen, quia mihi decretum eſt vos redimere.

23. *Laudate.*] Nunc hortatur Judæos ad reddendam gratiarum actionem: non tantum ut gratitudinem ſuam teſtentur, ſed etiam ut ſpem illam liberationis certiorem ipſis reddat. Adducit ergo fideles in rem præſentem, acſi jam eſſent à Domino liberati. Magis vero afficiuntur animi noſtri hujuſmodi loquutionibus, quam ſi promiſſiones nudæ offerrentur. Quum igitur dubitare poſſent fideles de ſalute ſua, quod interea tabeſcerent in miſeriis ſuis, ac pene mortui eſſent, excitat eos Propheta: nec modo canticum illis dictat, quo vota ſua perſolvant, ſed tale opus Dei fore oſtendit, ut cælum & terram & mutas creaturas magnitudine ſua & novitate commoveat. *Erumpite montes.* Poſſemus ſimpliciter interpretari, Cælum ſurſum, & terram deorſum: ſed quum mentionem faciat de montibus, Inferiora terræ vocat loca magis demiſſa, planities ſcilicet, & convalles: ut omnes quaquaverſum regiones ad laudem & celebrationem nominis Dei incitentur. Subjicit deinde opus illud, in cujus admirationem omnes excitabat, Eccleſiæ redemptionem eſſe:

atque

atque ſignificat futurum, ut in eo gloria Dei magnifice reluceat. Porro, tenendum eſt quod alibi admonui, non modo celebrari populi reditum in patriam, ſed finem ipſum comprehendi: quia hac lege redimendi erant ab exilio Babylonico, ut Deus tandem ſub uno capite Eccleſiam ex toto orbe colligeret.

24. *Sic dicit Jehova.*] Propheta ſuo more virtutem Dei & potentiam mox deſcribet: quia promiſſiones nudæ parum auctoritatis & fidei haberent, niſi occurreret potentia Dei, quæ omnem ex animis noſtris dubitationem eximeret. Solemus autem diffidentia & pervicacia noſtra virtutem Dei & bonitatem minuere, hoc eſt, minus ei tribuere quam deceat. Atque ideo Propheta inſignibus elogiis, quæ paulo poſt videbimus, pios animabit ut ſupra ſpem ſperare diſcant. Incipit tamen à commendatione bonitatis, paternique favoris quo Deus Eccleſiam complexus eſt; vultque proſequi uſque in finem. Nam prædicatio potentiæ & virtutis ejus parum apud nos efficeret, niſi ad nos ipſe accederet, atque certiores redderet de benevolentia ſua. Non eſt igitur initium faciendum à majeſtate ipſius: nec tam alte conſcendendum, ne obruamur: ſed bonitas, qua nos ad ſe comiter invitat, amplectenda eſt. Nomen Redemptoris hoc loco refertur ad tempus præteritum, quia Judæi, qui incredibili miraculo ſe-
Exod. 12. mel ex Ægypto quaſi ex abyſſo emerſerant, Re-
verſ. 51. demptionis illius memoria confirmari debebant in ſpe continui progreſſus. Fictorem vocat eo ſenſu quo diximus antea: quia ſcilicet Spiritu ſuo regenerans quos adoptat, facit novas creaturas. Ideo vero obiter commemorat priora beneficia quæ experti erant, ut ex his in poſterum ſtatuant, Deum promiſſis ſuis ſtaturum. *Ab utero.* Hoc addidit, ut agnoſceret populus gratuita fuiſſe beneficia omnia quæ à Deo accepit. eum enim prævenit miſericordia ſua, priuſquam ipſum vel ſolummodo invocare poſſet. Hac
Pſal. 22. conſolatione David in extremis angoribus animum
verſ. 10. ſuum erigebat, Tu is es qui me ex utero extraxiſti: in te fiſus ſum pendens ab uberibus matris meæ. in te conjectus ſum à partu: ab utero matris meæ Deus meus es tu. Quanquam hic non agitur de generali gratia, qua Deus in lucem quoslibet mortales producit, ſed fœdus ſuum commendat quo adoptaverat ſemen Abrahæ in mille generationes. Neque enim dubitare fas erat, quin opus ſuum tueri vellet uſque in finem. Sequuntur poſtea virtutis elogia, quod cælorum & terræ ſpatia ſuo arbitrio dimenſus ſit. *Expanſionis* autem nomine ſignificat ſe adminiſtrationem habere totius mundi, nec quicquam eſſe non ſibi ſubjectum. ſic enim potentia Dei cum verbo ipſius conjungi debet ut nunquam ſeparentur.

25. *Diſſipans ſigna.*] Hoc nominatim addidit Propheta, quod Babylon non ſolum vi armorum, copiis & præſidiis cæteras nationes anteibat: ſed etiam ſingulari quadam prudentia, qua in cælos uſque penetrare videbatur. Quid enim incommodi accidere poterat iis qui futura longe prævidebant, & pericula imminentia facile, ut vulgo exiſtimabatur, poterant declinare? nam Aſtrologi qui apud ipſos celebres erant, omnia prædicebant. ab ipſis enim orta eſt Aſtrologia adulterina, quam Judiciariam vocant, qua etiamnum præclara ingenia permulta corrumpuntur. Uſurparunt autem Mathematicorum nomen, quo ſe magis populo venditarent. Ejus ſcientiæ auctores ſe eſſe gloriabantur Ægyptii, quod antiquiores eſſent, eamque priores tradidiſſent: ſed eis ſuum certamen relinquamus. Certum eſt Chaldæos ejuſmodi artem jam ab initio tractaſſe, atque ei plurimum tribuiſſe, ita ut Chaldæorum nomen ejuſmodi Aſtrologis tum à Græcis, tum à Latinis inditum ſit. Quum igitur multum fiduciæ ponerent in ea ſcientia, Dominus omnia quæ ad ipſam pertinent, ſe diſſipaturum denunciat. *Signa.* Hoc nomine notat poſitus, concurſus, & varios aſpectus ſiderum, de quibus Aſtrologi philoſophantur: poſtea ſe eos infatuare dicit. בדים accipiunt nonnulli pro Mendaciis, quaſi diceret in divinationibus, quas Aſtrologi venditant, non niſi meras eſſe impoſturas: ſed malo accipere pro Divinis, quemadmodum ſæpius in ea ſignificatione reperitur. Quæritur, an Chaldæorum Aſtrologiam in univerſum damnet, an abuſum & corruptelam? Reſpondeo, hic ſimpliciter damnari ſigna illa ex quibus vaticinabantur Chaldæi, & ſe futura noſſe exiſtimabant. ea enim vaniſſima eſſe Dominus pronunciat. Nec abs re vetuit ne populus Chaldæos, Aſtrologos, Divinos, Deut. 18.
Conjectores, aut alios ejuſmodi vates conſuleret: verſ. 10.
neve quiſpiam qui artem iſtam exerceret, in populo toleraretur. Quod ſi aliquid certi colligi poſſet ex aſtrorum ſitu & aſpectu, haud dubie Dominus eam ſcientiam non ita damnaret. Quum ergo ſine exceptione vetuerit, oſtendit profecto eam nihil præter meram impoſturam continere, à qua omnes pii abhorrere debent. At vero hujus vanitatis patroni alFlegant ſidera & ſtellas in ſigna à Domino data eſſe. Geneſ. 1.
Ut ego principium illis hoc concedam, reſpondeo, verſ. 14.
quarum rerum ſigna ſint, animadvertendum. nec enim damnamus Aſtrologiam illam quæ curſus ſiderum contemplatur, in quibus admirabilem Dei majeſtatem agnoſcere debemus: ſed curioſos homines, qui ex iis judicare volunt quam diuturnus futurus ſit aliquis principatus, quid huic civitati aut populo, aut etiam hominibus ſingulis venturum ſit. nam illi modum excedunt, & ſignis abutuntur: quæ non ea ratione dantur ut nobis ſint præſagia rerum futurarum. Fateor quidem nos cæleſtibus ſignis interdum admoneri, ut provocatam à nobis iram Domini aut impendentia flagella conſpiciamus: ſed non ut ſingula ex iis definire aut ſtatuere audeamus, atque adeo res arcanas & occultas quas ſcrutari & inveſtigare nefas omnino eſt. Præcipue tamen notanda eſt impietatis cauſa & origo: quia ſimulac invaluit error ille, aſtrorum imperio gubernari hominum vitam, evertitur Dei tribunal, ne mundi ſit judex in pœnis infligendis, vel ſua miſericordia perditos in vitam reſtituat. Nam qui ſidera irrevocabili motu ſuo trahere hominum vitam exiſtimant, ſimul obdureſcunt ad imaginationem fati, ut jam Deo nihil reliquum faciant. Ita ſepultis Dei judiciis extinguitur pietas, & abolетur omnis invocatio. *Sapientes & ſcientiam*, per Conceſſionem vocat, quoniam illi ſapientiæ titulo admodum gloriabantur, quum proferrent ea quæ ex aſtris didicerant, acſi in conſilium Dei eſſent admiſſi. Significat ergo inanes iſtas ſapientiæ larvas impedimento non fore quominus omnem eorum ſtatum Dominus evertat: nam omnia eorum conſilia & aſtutiæ in nihilum redigentur.

26. *Suſcitans verbum.*] Nunc Propheta inſtituto ſuo accommodat id quod prius dixit. tametſi enim generaliter loquutus eſt, certum tamen ſcopum habuit, ut ad præſentis cauſæ circumſtantiam aptaret quicquid dicebat, ne ſcilicet populus falſa illa Chaldæorum ſapientia perturbaretur, aut dubitaret quin Deus ipſos aliquando eſſet liberaturus. Vanas ergo eorum prædictiones promiſſionibus Dei opponit, ne monarchiam illam ab omni periculo immunem eſſe exiſtimarent. Talis autem erat promiſſio, Ba- ſupr. 21.
bylon corruet: populus vero meus in libertatem re- verſ. 9.
ſtituetur. Has promiſſiones ridebant Chaldæi: Quaſi vero ex aſtris prævidere non poſſimus quid nobis venturum ſit. Ideo dicit Dominus ſe ſuſcitaturum, id eſt, re ipſa comprobaturum quod promiſit, atque ea effecturum quæ ſapientes illi nec prævidere, nec animo concipere poterant. quod enim nunciabant Prophetæ, impii pro inani ſonitu habebant, qui mox concideret. Huic opinioni

 Exci-

Excitandi verbum opponit: quo ſignificat Deum facturum ut conſtet dictis fides. *Servi* nomine intelligit omnes Prophetas: niſi velimus Jeſaiam præcipue deſignari, qui luculentius præ aliis hujus liberationis nuncius ac teſtis fuit. ſed ad unum id reſtringere minime opus eſt, quoniam ad omnes pertinebat, quos etiam communi nomine vocat Legatos Dei, vel Angelos, quia plures miſerat, ut uno omnium conſenſu melius fulciret populi ſui fidem. Conſilii nomine decreta quidem Dei intelligit, ſed non quælibet. nefas enim eſt de arcanis ejus conſiliis inquirere, quæ per ſervos ſuos non manifeſtat: ſed ubi nobis aperit quid facturus ſit, non minus reverenter excipere convenit quod denunciant Prophetæ, quam ſi in penitiſſima cælorum adyta nos Deus admitteret. Ne ergo diſquirant homines pro ſua libidine, poſtquam Deus ore Prophetarum loquutus eſt. In ſumma, voluit commendare auctoritatem Verbi, quod nobis hominum miniſterio prædicatur. acſi æternum Dei conſilium nobis patefaceret. *Dicens Jeroſolymæ.* Poſtquam generaliter loquutus eſt Propheta, certitudinem illam promiſſionum Dei ad præſentem cauſam propius accommodat. nullum enim alioqui fructum populus hinc percipere potuiſſet. Nominatim ergo mentionem Jeroſolymæ ſubjecit, ut eam inſtauratum iri intelligant. Itaque potiſſimum in hac re conſideranda eſt nobis potentia Dei, quod Eccleſiam ſuam mirabiliter tueri, & quoties ita res poſtulat à morte in vitam excitare velit. Si igitur Deum veracem eſſe ac potentem arbitramur, ne dubitemus aliquam ſemper fore Eccleſiam, & ubi triſtis vaſtitas apparet, de inſtauratione bene ſperemus. quod enim de Jeroſolyma hic dicitur, ad totam Eccleſiam pertinet. Ergo ſi hodie diſſipatam ipſam, & dirutas ejus urbes videmus, nec quicquam præter horrendam deformitatem & ſolitudinem appareat, confidamus huic promiſſioni, quoniam aliquando excitabitur ipſa, atque in integrum reſtituetur.

27. *Dicens profundo.*] Hic Babylonem allegorice deſcribi putant: nec certe repugno quin eam comprehendat: ſed tamen ad ipſam hæc reſtringi nolo. nam malo ſimpliciter accipere de mutatione quadam inopinata. Oſtendit enim magna quadam rerum converſione opus fore, quaſi è profundo mari populum extrahi neceſſe foret: ſed Deum ſuperandis omnibus obſtaculis parem fore docet: quia facile profunda exſiccare & flumina areſacere poteſt. ac meo quidem judicio alludere potius videtur ad priorem illam redemptionem, quum Dominus populum ex Ægypto eduxit per mare Rubrum, acſi
Exod. 14. verſ. 29. diceret, Hoc præſtiti patribus veſtris: idem igitur ex me ſperate, ne præcluſum vobis in patriam reditum eſſe exiſtimetis.

28. *Dicens Cyro.*] Inſignis locus, in quo non modo mirabilem Dei providentiam contemplari licet, ſed etiam Prophetiarum fides & auctoritas præclare aſſeritur. Hic enim Cyrus nominatus eſt multo antequam naſceretur. nam inter Manaſſe mortem, à quo interfectus eſt Jeſaias, uſque ad Cyri nativitatem, pluſquam ſeculum interceſſit. Deinde etiam ſi natus fuiſſet Cyrus, quis divinaſſet eum ex remotiſſimis Perſarum montibus in Babylonem venturum? Hæc igitur diligenter notanda ſunt: ex quibus apparet Jeſaiam humano ſpiritu minime loquutum eſſe. Nemo unquam exiſtimaſſet fore aliquem Cyrum, qui ex remotiſſimis barbariſque regionibus ad liberandum populum Dei advolaret. Quod autem impii cavillantur, hæc à Judæis confingi potuiſſe poſtquam impleta ſunt, tam ineptum atque abſurdum eſt ut refutatione non egeat. Evolvebant enim iſtas Prophetias Judæi, dum captivi tenebantur, ut ſpem liberationis animo conciperent: atque omnino fracti eſſent, niſi Dominus ipſos hujuſmodi promiſſis erexiſſet. Hæc igitur monumenta piorum animos in ſpe ac fiducia ſuſtinebant. Nec dubito quin ad ea obſtupuerit Cyrus, quum ſe ducem ac paſtorem reducendo Iſraëli à Deo deſtinatum eſſe intelligeret: atque ideo bene animatus erga populum fuerit, ut ei commeatum aliaque neceſſaria ſubminiſtraret. Deſignat ergo Dominus eum ipſum cujus manu populum reducere ſtatuit, ne anceps huc atque illuc circumſpectet. *Dicendo etiam Jeroſolymæ.* Concluſio eſt, qua ſuperiora confirmantur, ut ſine controverſia Jeroſolymam extructum iri confidant: atque inde colligant quam ſint Deo chari & pretioſi, ubi videbunt ad Perſas transferri totius Orientis Monarchiam. Simul notat finem ob quem Jeroſolyma redintegranda ſit, nempe, ut reſtituatur purus Dei cultus. nec enim promittit hanc inſtaurationem, ut homines quietem ſuam aut vitæ commoda ſpectent: ſed ut ſine ulla perturbatione Dominus pure ac integre à ſuis invocetur. Id quod diligenter notandum eſt. multi enim commoda ſua atque externam quietem pluris faciunt quam honorem & cultum Dei. Unde etiam Haggæus graviter querebatur, quod omnes ædificandis ſuis domibus intenti eſſent, templum vero fere ab omnibus negligeretur. Hagg. 1. verſ. 4. At Dominus ejus potiſſimum rationem haberi volebat. Huc ergo ſpectat quod dicit Propheta: *Et templo, Fundaberis.* Nobis vero hodie non ita ligneum aut lapideum templum commendatur, ſed viva Dei templa, quæ ſumus ipſi: quoniam in nobis domicilium ſuum elegit Dominus. 2 Cor. 6. verſ. 16. Hæc igitur templa diligenter ædificanda ſunt doctrina Verbi, ut ſancte & innocenter vivamus, atque eum quem decet cultum Deo exhibeamus. Hac enim ratione vult Dominus aliquam in mundo Eccleſiam eſſe: ne ſcilicet memoria nominis ejus extinguatur.

CAP. XLV.

SIc dicit Jehova Meſchiæ ſuo Cyro, cujus apprehendi dexteram ad ſubigendas coram eo Gentes: itaque lumbos Regum diſſolvam, ad aperienda coram eo oſtia: ideo portæ non claudentur.

2. Ego te præcedam, & tortuoſa dirigam, oſtia ænea confringam, & vectes ferreos comminuam.

3. Et dabo tibi theſauros tenebrarum, & arcana latebrarum: ut ſcias quod ego ſim Jehova, vocans te nomine tuo: nempe, Deus Iſraël.

4. Propter ſervum meum Jacob, & Iſraël electum meum, vocabo, inquam, te nomine tuo: cognominabo te, quamvis non noveris me.

5. Ego Jehova, & nullus præter me: non eſt præter me Deus: accinxi te, utcunque non noveris me.

6. Propterea ſcient ab ortu Solis, & ab occaſu, quod non ſit præter me. Ego Jehova, & nemo præter me.

7. Formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum: Ego Jehova faciens omnia hæc.

8. Rorate

8. Rorate cæli ſuperne: & nubes ſtillent juſtitiam: aperiatur terra: & proveniant ſalus
& juſtitia: proferat eas ſimul: Ego Jehova creavi eum.
9. Hei litiganti cum fictore ſuo. Teſta ad teſtas terræ. An dicet lutum fictori ſuo, Cur
feciſti me? & operi tuo non ſunt manus.
10. Hei qui dicit patri, Cur genuiſti? & mulieri, Cur parturis?
11. Sic dicit Jehova, Sanctus Iſraël, & fictor ejus: De futuris interrogate me: ſuper filiis
meis, & ſuper opere manuum mearum præcipite mihi.
12. Ego feci terram, & hominem ſuper eam creavi: ego cujus manus extenderunt
cælos, & toti militiæ eorum præcepi.
13. Ego excitavi illum in juſtitia, & omnes vias ejus dirigam. Ipſe extruet urbem
meam, & captivitatem meam dimittet, non pretio nec munere, dicit Jehova exer-
cituum.
14. Sic dicit Jehova, Labor Ægypti, merces Æthiopiæ, & proceri Sabæi ad te tranſi-
bunt, & tui erunt: ibunt poſt te, in compedibus tranſibunt, & adorabunt, (atque) te ob-
ſecrabunt. [a] Utique in te eſt Deus: & nullus ultra præter Deum. [a] vel,
15. Vere tu Deus abſcondens te, Deus Iſraël ſervator. *Tantum.*
16. Pudore afficientur, atque etiam erubeſcent omnes ipſi, ſimul cum pudore abibunt
omnes fabricatores ſculptilium.
17. Iſraël ſervatus eſt in Jehova ſalute æterna: non afficiemini pudore, neque erubeſce-
tis uſque in ſecula.
18. Quia ſic dicit Jehova creans cælos, ipſe Deus fictor terræ, qui fecit eam, para-
vit eam: non inanem creavit, ad inhabitandum formavit eam: ego Jehova, & nullus
præter me.
19. Non in abſcondito loquutus ſum, in loco terræ tenebrarum: non fruſtra dixi ſemini
Jacob, Quærite me: ego Jehova loquens juſtitiam, annuncians recta.
20. Congregamini, venite, accedite ſimul, [b] abjecti Gentium, Nihil intelligunt, qui [b] vel, re-
efferunt lignum ſculptilis ſui, & orant Deum qui non ſervat. *moti.*
21. Annunciate, & adducite, etiam conſultent ſimul: quis audire fecit hoc ab initio, &
jam olim nunciavit? annon ego Jehova? & non eſt ultra Deus præter me, Deus juſtus, &
ſervator non eſt præter me.
22. Reſpicite ad me, & ſalvi eritis omnes fines terræ: quia ego Deus, & non eſt
amplius.
23. Per me juravi: egreſſum eſt ex ore meo in juſtitia verbum, quod non revertetur,
quod mihi flectetur omne genu, jurabit omnis lingua.
24. Utique in Jehova mihi dicet, juſtitiæ & robur: ad eum uſque veniet: pudefient
autem omnes qui provocant eum.
25. In Jehova juſtificabuntur, & gloriabuntur, totum ſemen Iſraël.

S*Ic dicit Dominus.*] Proſequitur argumentum quod tractare cœpit. oſtendit enim ſe non fruſtra liberationem populo promiſiſſe, quoniam ejus ratio apud ipſum decreta omnino & conſtituta eſt. Nam ubi agitur de ſalute noſtra, ſemper modum & rationem inquirimus. Etſi autem ſæpe nos Deus ſuſpenſos tenere mavult, atque ita modum quem in promptu habet, nobis abſcondit: hoc tamen loco ſuorum indulget imbecillitati, atque modum declarat quo ipſos liberaturus eſt: eumque nominat cujus manu ipſos reducet. Nam quum aliis tentationibus ſatis acriter examinanda eſſet ipſorum fides, hac in parte occurrere voluit dubitationi, ne ob difficilem rei eventum labaſcerent. Et quo plus efficaciæ habeat hic ſermo, ad Cyrum ſeſe convertit, Ego te mihi Regem elegi: Apprehendam manum tuam, atque Gentes in poteſtatem tuam redigam: ita ut tibi aditum patefaciant ac ſponte ſe dedant. Hæc enim verba magis afficiunt quam ſi Dominus populum ſuum alloqueretur. Abſurdum tamen videri poſſet, quod Meſchiam vocat Cyrum. ſic enim vocati ſunt Reges Iſraël & Juda, quod Chriſti perſonam ſuſtinerent: ideoque proprie loquendo, unicus eſt Chriſtus Domini. Egreſſus eſt Dominus, in-
Habac. 3. verſ. 13. quit Habacuc, cum Chriſto ſuo in ſalutem populi ſui. Nam in perſona Davidis erectum fuerat regnum, quod imaginem Chriſti & figuram præ ſe ferebat.
Eze. 37. v. 24, 25. unde & Prophetæ ipſum paſſim Davidem & filium Davidis appellant. Specialis quidem fuit unctio, quæ ſacerdotale illud Regnum ab omnibus profanis diſtingueret. Quum ergo ſolis Judææ Regibus conveniret hic titulus, abſurdum videri poſſet quod hic Ethnico Regi & idola colenti tribuitur. Nam etſi edoctus eſt à Daniele Cyrus: non legimus tamen ipſum religionem mutaſſe. Deum quidem Iſraëlis reverebatur, eumque ſummum eſſe cenſebat: verum ſerio animi affectu ad eum colendum impulſus non eſt: nec unquam eo progreſſus eſt ut ſuperſtitiones & impios cultus abnegaret. Meſchiam ergo ſuum vocare dignatur non perpetuo epitheto, ſed quod ad tempus Redemptoris officio functus ſit: quia & Dei Eccleſiam ultus eſt ab hoſtibus Aſſyriis, & eam liberavit: quod munus ad Chriſtum proprie ſpectat. Atque ordinaria hæc Regum appellatio ad hanc circumſtantiam reſtringi debet, quod populum Dei in libertatem reſtituit. Unde obſervandum eſt quanti ſit apud Deum Eccleſiæ ſalus: quia vel hujus tantum beneficii gratia Cyrus homo Ethnicus, Meſchias nominatur. *Cujus apprehendi dexteram.* Hac loquutione ſignificat omnia Cyro proſpere ceſſura: quoniam auſpiciis Dei bellum geret. Itaque in gratiam Eccleſiæ, ut eam liberet, omnia ei proſpera à Deo conceſſum iri pronunciat Jeſaias: atque iterum hic commendat Dei providentiam, ut inter turbulentos motus certo ſtatuant Judæi, Deum è ſublimi cuncta ſic regere ut electis ſuis conſulat. Jam quia non facile erat Cyro, quum ad frangendos ejus conatus conſpiraſſet tota Aſia, Babylonem uſque penetrare, teſtatur Propheta quicquid virium opponent mortales liquefactum iri à

Deo.

Google

Deo. Quoniam vis tota in renibus ſita eſt, ideo Lumbos aperiri aut diſſolvi, pro viribus deſtitui Hebræi accipiunt. Poſſemus etiam paulo aliter, nempe quod Dominus lumbos eorum nudabit aut diſſolvet, more Scripturæ uſitato, quo Reges diſcingi balteo dicun-
Job. 12. tur, inſigni videlicet regio, quum exauctorantur.
verſ. 18. qua etiam loquutione utitur Job, ac mox ipſe Jeſaias
verſ. 5. ſubjunget, Accingam te. Quamobrem ſenſum iſtum magis amplector, ut melius conſtet ratio antitheſeos. Hinc apparet tantum roboris & virium eſſe Regibus, quantum eis Dominus tribuit ad conſervationem uniuſcujuſque gentis. Ubi enim vult transferre eorum principatus, nullis armis aut gladiis ſtatum ſuum tueri poſſunt. *Ad aperienda coram eo oſtia.* Hac loquutione ſignificat nullas munitiones obſiſtere Deo. quod quidem fatentur omnes: ſed non deſinunt vanam in propugnaculis ac munitionibus fiduciam locare. Ubi enim muris bene cinctæ ſunt urbes, & portæ occluſæ, illic ſe homines in tuto eſſe putant. Contra vero Propheta omnia præſidia inutilia eſſe oſtendit, ac fruſtra omnes aditus obſtrui, ubi Dominus viam hoſtibus patefacere vult. Etſi autem portas fuiſſe clauſas & bene obſeratas certum eſt, quia tamen æque pernici curſu penetravit Cyrus acſi perviæ fuiſſent omnes urbes, jure Propheta nihil fore clauſum dicit.

2. & 3. *Ego te præcedam.*] Hi duo verſus nihil novi continent: ſed in ſumma, oſtendit victoriam Cyro facilem & expeditam fore, quod Dominum ducem itineris ſui habiturus ſit. Ideo promittit *tortuoſa omnia directum iri*, quia obſtacula omnia Deus avertet. Jam quia pecunia nervi ſunt bellorum, Cyrus autem ex aridis & egenis Perſarum montibus prodibat, theſauros qui pridem reconditi fuerunt & occulti, venturos dicit in ejus manum, ut opimis prædis locupletatus, ad ſumptus quoslibet ſufficiat. Nam theſauros tenebrarum intelligit qui in mutis & profundis cuſtodiis quaſi defoſſi latebant. Hæc omnia accidiſſe ex hiſtoriis abunde patet: quia Crœſo rege Lydiæ capto, qui tunc omnium erat ditiſſimus, ingentibus pecuniis potitus eſt. Nec vero quiſquam ſperaſſet tam faciles ei fore victorias. Ratio autem hic adjungitur tantæ felicitatis, quod Dominus ipſum vocavit, ac direxit, ut inſigne ipſi potentiæ ſuæ documentum daret. Subjungit enim, *Ut ſcias*: Cyrus quidem, ut antea dictum eſt, licet Deum Iſraël verum Deum eſſe agnoverit, atque admiratus ſit: non eſt tamen ad ipſum converſus, nec unquam purum ejus cultum ex Legis regula amplexus eſt. Hæc igitur particularis cognitio fuit: quatenus ſcilicet Eccleſiæ interfuit, ad quam liberandam ipſe deſtinatus erat: unde neceſſe fuit ipſum hac notitia tangi, ut hoc Dei opus exequeretur. Non loquitur ergo de cognitione qua illuminamur, aut de Spiritu regenerationis, ſed de particulari notione, qualem profani homines habere poſſunt. *Vocans te nomine tuo.* Hanc loquutionem frigide quidam interpretari ſolent: Antequam naſceretur Cyrus, nomine ſuo
cap 43: 1. vocatum divinitus ac deſignatum eſſe: ſed ante vidimus eadem loquendi forma aliud Prophetam intellexiſſe. Deus enim nomine vocare dicitur, quos elegit, atque ad certum opus aliquod deſtinat, ut ſint à vulgo ſegregati. Notatur enim hac voce propior
Joan. 10. & magis familiaris communicatio. Sic paſtor dicitur
verſ. 3. oves vocare nomine, quia diſtincte ſingulas cognoſcit. Hoc quidem fidelibus maxime convenit, quos Deus in grege ſuo, & inter Eccleſiæ domeſticos cenſet, qua gratia Cyrum dignatus non eſt: ſed quia ipſum ducem conſtituens tam præclaræ liberationis, ſingulares ei virtutis ſuæ notas inſculpſit, jure in eum transfertur eximiæ vocationis elogium. *Deus Iſraël.* Hoc diligenter notandum eſt: quia ſuperſtitioſi homines idolis ſuis victorias acceptas ferunt. &, quem-
Habac. 1. admodum ait Habacuc, Immolant quiſque deo ſuo.
verſ. 16. Vagantur ergo in ſuis cogitationibus, & numen qualecunque animo concipiunt, quum Deus ſolus ac verus agnoſcendus ſit. Quod de Cyro dictum eſt, nobis multo magis accommodari debet: ne qualemcunque Dei notitiam concipiamus, ſed ita diſcernamus ab idolis ut eum unice amplectamur, atque in ſolo Chriſto agnoſcamus: extra quem nihil præter idolum, aut etiam diabolum coli poteſt. In eo igitur Cyrum vincamus, cui notitia Dei patefacta eſt, ut abjectis ſuperſtitionibus, omnique impio cultu, pure ipſum atque integre veneremur.

4. *Propter ſervum meum.*] Oſtendit quem in finem tam felices & præclaros ſucceſſus daturus ſit huic Principi: nempe, ut populum ſuum conſervet. perinde acſi diceret Dominus, Tu quidem potieris inſigni victoria, ſed rationem meorum potius quam tui ſum habiturus. nam in eorum gratiam Reges ac populos in poteſtatem tuam redigo. His quidem vaticiniis Dominus piorum animos erigere voluit, ne in anguſtiis illis deſperarent: ſed dubium non eſt quin Cyrum quoque permovere voluerit, ut agnoſceret ſe illi populo debere omnia quæ conſequutus erat, quo propenſior ad præſtandam omnem humanitatem foret. In ſecundo membro repetitio eſt qua cauſam illam magis inculcat. interim oſtendit quo jure ſervos ſuos Iſraëlitas cenſeat: nempe quia gratis eligere dignatus eſt. Neque enim eſt in hominum arbitrio ſe facere Dei ſervos, vel proprio Marte tantum honorem acquirere. Exegetice ergo additum eſt hoc membrum, ut antea. Sed interim notatur quoque electionis finis. nam quum ſimus naturaliter mancipia Satanæ, ideo vocamur ut in libertatem vindicati Deo ſerviamus. Eo tamen honore, quemadmodum dixi, neminem dignum eſſe oſtendit niſi qui ab ipſo eligitur. Quis enim dignum ſe jactabit tanto munere? aut quid à nobis Deo præſtari vel offerri poteſt? Non ſumus ergo idonei ex nobis: ſed nos Dominus idoneos reddidit, ut in-
quit Paulus. Itaque initium ſalutis noſtræ eſt gratuita *2 Cor.* 3.
electio Dei: finis eſt, obſequium quod ei præſtare *verſ.* 5.
debemus. Tametſi vero hoc ad hiſtoriam Cyri reſtringitur, tamen generalem ex eo doctrinam colligere poſſumus. Quum variæ accidunt in orbe mutationes, Deus interim ſalutem ſuorum procurat, & turbulentis temporibus mirabiliter Eccleſiam conſervat. Nos quidem in operibus Dei cæcutimus, atque hallucinamur: hoc tamen certo nobis ſtatuendum eſt, quum temere omnia volvi, ſurſumque ac deorſum ferri videntur, Deum nunquam oblviſci Eccleſiæ ſuæ: quin potius occultis modis promovere ejus ſalutem, ut tandem ipſius tutor ac defen-
ſor appareat. Joſephus memorabilem hiſtoriam nar- *lib.* 11.
rat de Alexandro, qui quum obſideret Tyrum, Le- *cap.* 8.
gatos Jeroſolymam miſit ad petendum tributum, quod à Judæis Dario ſolvebatur. Jaddus pontifex, qui juraverat ſe tributum illud ſoluturum, in poteſtatem Alexandri venire noluit, eique tributum denegavit. Indigne tulit Alexander, atque elatus ferocia, Jeroſolymam perdere ſtatuit: ac victo tandem Dario, ad eam contendit, quaſi ipſam deleturus. Obviam ei prodiit Jaddus cum aliis Sacerdotibus & ſacrificis, indutus Sacerdotali ornatu: quem quum vidiſſet Alexander, deſiliens ex equo velut ſupplex ad ejus pedes procidit. Rem adeo inſolitam atque ab ejus animo alienam quum mirarentur omnes, eumque deſipere exiſtimarent: Parmenioni, qui ſolus ex omnibus ipſum rogavit, reſpondit ſe non hunc hominem adoraſſe, ſed Deum, cujus officio fungebatur. Sibi vero, dum adhuc in Dio civitate Macedoniæ eſſet, talem hominis atque ita ornati, tanquam Dei ſpeciem, in ſomniis oblatam eſſe, qui eum ad capiendam Aſiam incitabat, ſeque ducem exercitus fore pollicebatur, ne ullo modo de victoria dubitaret. Itaque ejus conſpectu ſe non potuiſſe non vehementer commoveri. Proinde liberata eſt hoc modo Jeroſolyma è faucibus immanis illius

præ-

prædonis, qui nihil aliud quam cædes & incendia cupiebat. imo majorem quam antea libertatem, dona etiam & privilegia ab ipſo obtinuit. Hoc exemplum adduxi, ut oſtendam Eccleſiam Dei novis & inſolitis rationibus in mediis periculis conſervari. Tunc enim turbulentiſſima tempora fuerunt: nullus propemodum terræ angulus quietus fuit. Judæa autem inter alias terras direptioni quodammodo addicta. En Eccleſia mirabili quadam & nova ratione eripitur, dum alii delentur populi, atque univerſa propemodum orbis facies immutatur. Quod additur in fine verſus, *neque tamen noviſti me*, ad majorem amplificationem valet: non modo ut intelligat Cyrus nullis hoc ſuis meritis concedi, ſed ne Deum Iſraël quamvis ſibi incognitum contemnat. Nos quidem ſæpe hac de re monet Dominus, ſe prævenire quicquid eſt in hominibus induſtriæ, ut omnem carnis altitudinem retundat: ſed alia in Cyro ratio eſt: nam ſi in ſuam ipſius gratiam hæc ſibi conceſſa à Domino eſſe exiſtimaſſet, neglexiſſet Judæos, iiſque veluti mancipiis abuſus eſſet. Propterea teſtatur nullo ipſius merito id accidere: ſed tantum in gratiam populi, quem ſtatuit è manibus hoſtium liberare. Deinde nihil proclivius fuit homini cæco, quam rapere ad ſua idola quod proprium erat veri Dei: quia pravis ſuperſtitionibus imbutus, obſcuro & incognito Deo non libenter locum dediſſet, niſi hoc vaticinio edoctus.

5. *Ego Jehova.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam: nec vero ſupervacanea repetitio eſt. nam oportuit Cyro inculcari unum eſſe Deum, cujus manu omnes principatus & populi adminiſtrantur, ut ab omnibus fallaciis retractus, mentem converteret ad Deum Iſraël. Deinde clarius exprimitur non alibi quærendam eſſe Deitatem: acſi diceret, Cave ne idolis tribuas hanc victoriam, aut confuſum aliquod numen concipias, quale homines imaginantur: ſcito Deum Iſraël unicum hujus victoriæ auctorem eſſe. Etſi autem non eouſque in hac admonitione profecit Cyrus, ut idolis ſuis valere juſſis vero Deo ſe addiceret, perculit tamen ejus animum, ut ſummum ejus imperium & numen ſuſpiceret: interea domeſticos Eccleſiæ hanc doctrinam amplecti oportuit, ut fictitios omnes deos audacter ſpernerent. *Accinxi te.* Accinctio iſta reſpondet nuditati, cujus antea meminit, quum aperiri Regum lumbos diceret. Accingere enim dicitur eos, quos viribus & fortitudine munit, atque victores reddit. Unde colligendum eſt, nullos eſſe animos hominum, niſi quum Dominus vim iis ſuam & fortitudinem inſpirat: nihil effici armis aut copiis ullis, niſi adſit: denique præeſſe bellis omnibus, atque iis quibus viſum eſt victoriam dare. ne quis fortuito ipſam evenire putet. Iterum repetit, *tu me non noviſti*: ut magis confirmet hæc in gratiam Eccleſiæ Cyro concedi, quo gratum ſe & memorem præbeat, atque populo Dei pro tam inſigni beneficio gratiam referat.

6. *Propterea ſcient.*] Significat tam inſigne hoc beneficium fore ut ab omnibus nationibus celebretur: quod quidem ſtatim impletum non eſt. nam etſi longe lateque pervagata ſit fama victoriæ iſtius, pauci tamen intellexerunt Deum Iſraëlis auctorem eſſe: ſed vicinis hoc ſtatim patefactum eſt: deinde aliis atque aliis, donec ea fama per totum orbem ſpargeretur. Nec enim prædicit quid mox, ſed quid in poſterum futurum ſit: tametſi hæc diu latuerint. Deus ergo minime paſſus eſt hujus rei memoriam deleri: ſed perpetuis monimentis tradi voluit, ut per omnes ætates à remotiſſimis etiam nationibus uſque in finem mundi celebraretur. Tenendum etiam eſt quod prius docui, quia populi reditus futuræ redemptionis præludium fuit, Prophetam ultima primis contexere: atque ita de ſolida Eccleſiæ inſtauratione loqui. Adde quod ubi contingit ingratitudine & malitia hominum ſepeliri præclara Dei opera, non tamen verum hoc eſſe deſinit, perſpicua fore toti mundo: quia etſi cæcos prætereant, palam nihilominus refulgent.

7. *Formans lucem.*] Acſi diceret, eos qui prius aut fortunæ, aut idolis omnia tribuere ſolebant, Deum verum agnituros, ut ei ſoli potentiam, omniumque rerum adminiſtrationem & gloriam attribuant. non loquitur de perfecta cognitione: tametſi ad eam hæc intelligentia requiratur. ſed quum Ethnicis etiam hoc palam fore dicat Propheta, nempe omnia Dei arbitrio regi atque adminiſtrari, pudere debet eos qui Chriſtianum nomen gerunt, quum nudant eum ſua potentia, ut ad varios gubernatores transferant, quos ſua libidine finxerunt: ſicuti in Papatu fieri videmus. Nec enim agnoſcitur Deus quum tribuitur ei nudum & inane nomen, ſed quum plena auctoritas defertur. *Lucis & tenebrarum* nomine tam pacem & bellum, quam adverſa & commoda quælibet metaphorice deſignat. Pacem vero Hebraico more ad proſperos omnes ſucceſſus extendit. idque ex antitheto abunde patet: quia pacem non tantum bello opponit, ſed adverſis quibuslibet. Fanatici homines hanc *Mali* vocem detorquent, acſi Deus mali, id eſt, peccati auctor eſſet. Sed facile apparet quam præpoſtere hoc Prophetæ teſtimonio abutantur. Antitheſis enim id ſatis explicat: cujus membra inter ſe referri debent. Nam opponit Pacem Malo, id eſt, ærumnis, bellis, rebuſque omnibus adverſis. Quod ſi Juſtitiam Malo opponeret, aliquid haberent coloris: verum, hæc contrariarum inter ſe rerum oppoſitio aperta eſt. Ideo vulgaris diſtinctio non improbanda eſt, Deum mali eſſe auctorem, non culpæ, ſed pœnæ. Sed eam Sophiſtæ perperam exponunt: quia dum fatentur famem, ſterilitatem, bellum, peſtem, aliaque flagella à Deo proficiſci: negant, dum nobis ea ab hominibus accidunt, Deum auctorem eſſe. Quod falſum atque huic doctrinæ omnino adverſum eſt. Improbos enim excitat Dominus, ut nos eorum manu ca- (1 Reg. 11. v. 14,23. Exod. 1. verſ. 11. & 2: 23.) ſtiget: quemadmodum ex variis Scripturæ locis perſpicuum eſt. Dominus quidem ipſis malitiam non inſpirat, ſed ea utitur ad nos caſtigandos, atque officio judicis fungitur: quemadmodum Pharaonis atque aliorum malitia uſus eſt, ut in populum ſuum animadverteret. Itaque tenenda hæc doctrina eſt: Deum unum omnium rerum auctorem eſſe: id eſt, adverſa & proſpera ab eo immitti, etiamſi hominum manu utatur: ne quis aut Fortunæ, aut alii cauſæ quicquam tribuat.

8. *Rorate cæli ſuperne.*] Hic quidam precationis formam ſubjici putant, qua uti debuerunt fideles interea dum redemptionem, de qua hic agitur, expectabant: atque ſic hunc verſum cum ſuperioribus conjungunt, Non tam cito vos liberabit Dominus: ſed interea veſtri officii eſt, precibus diligenter incumbere. Ego vero aliter interpretor: nempe Prophetam ſemper Dei nomine loqui: nam pro ſuo imperio cælum & terram compellat, ut operam Eccleſiæ reſtitutioni impendant. Atque hic verſus multum habet energiæ ad confirmandos pios in ſpe futuræ redemptionis. quocunque enim populus intuebatur, nihil præter deſperationem videbat. Si in cælum convertebat oculos, illic ira Dei: ſi in terram, illic etiam plagæ & flagella apparebant. Nihil ergo uſquam bonæ ſpei oſtendebatur. Quamobrem eos confirmat Propheta: atque cælum & terram, à quibus nihil præter minas & terrores imminebat, ſalutem & juſtitiam producere jubet. Quod magis emphaticum eſt, quam ſi promitteret hoc futurum, ubi omnibus elementis quæ ad Dei obſequium præſto ſunt, edicitur quid ipſe fieri velit. Atque ita continuus erit tenor ſententiæ, quæ alioqui abrumpetur, ſi de precibus hunc locum intelligamus. Hæc autem loquendi forma ſatis uſitata eſt Scripturis:

Pſal. 72. verſ. 3. Pſal. 85. verſ. 11.

pturis: quemadmodum Pſal. 72., Et afferent montes pacem populo, & colles juſtitiam. Item Pſal. 85., Pietas & veritas ſibi obviam factæ ſunt: juſtitia & pax oſculatæ ſunt. Veritas de terra germinabit, & juſtitia de cælo proſpexit. ubi deſcribitur à Davide regnum Chriſti & ejus felicitas: atque in eo juſtitiam, pacem, miſericordiam, veritatem, ſimul conjuncta fore oſtenditur. Idem hic quoque agitur. Alludit autem ad ordinarium hominum victum, qui pane & aliis fructibus ſuſtinentur: talibus enim adminiculis indiget eorum vita. Ut autem terra fruges producat, neceſſe eſt è cælo vim ſuam concipiat, atque è nubibus aquam hauriat, qua fœcundetur: ac deinde herbas & fruges & hominibus & animantibus producat. *Juſtitiæ* vero nomine nihil aliud intelligit quam fidem, qua Dominus ſuos tuetur & conſervat. ſic enim Dominus ſtillat è cælo juſtitiam, hoc eſt, ordinem rite compoſitum: cujus fructus eſt ſalus. Tractat enim de liberatione populi è Babylone, in qua Dominus ſe ejus vindicem fore oſtendit. Ubi porro geminum Prophetæ ſenſum tenemus, deſcendere convenit ad regnum Chriſti: ad quem anagoge facienda eſt. nec enim reſtringit Deus has promiſſiones ad paucos annos: ſed beneficia ſua proſequitur uſque in adventum Chriſti, in quo hæc omnia abunde impleta ſunt. Non dubium igitur quin æternam quoque juſtitiam & ſalutem commendet, quæ nobis affertur per Chriſtum: ſed prius ſimplex illa interpretatio de reditu ab exilio Babylonico obſervanda eſt.

9. & 10. *Hei litiganti.*] Locum hunc varie exponunt. quidam enim de Rege Balthaſar intelligunt, qui, ut ex Daniele conſtat, ſuperbe inſultabat Deo, quum vaſa templi profanaret. Verum nimis coacta eſt illa expoſitio: probabilior videri poſſet altera, Dominum longe plura concedere filiis ſuis, quam homo mortalis liberis, aut artifex operi ſuo concedat. nam hujuſmodi comparationem fieri exiſtimant: Si filius inſurgat in patrem, & contendat cum ipſo, non audietur. Pater enim poteſtatem ſuam retinere volet, ac merito filium coërcebit. Eodem modo ſi lutum in opificem conſurgat. Deus autem patitur ſe interrogari: ac liberaliter ſe offert ad ſatisfaciendum populo ſuo: quin etiam ultro ſe interrogari jubet. Atque ita decimum & undecimum verſum ſimul contexunt, ac volunt hinc apparere indulgentiam Dei, quod humanius nobiſcum agat, & magis familiariter ſe demittat quam mortales erga filios ſolent. Hæc quidem expoſitio plus coloris habet: ſed utraque à mente Prophetæ aliena eſt. Itaque ſimplicior hic mihi videtur ſenſus: ut intelligamus Prophetam cohibere hominum querimonias, qui in rebus adverſis obmurmurant, & litigant cum Deo. Tempeſtiva autem hæc admonitio fuit, ut patienter, & compoſitis animis crucem ferendo conſolationem ſibi oblatam admitterent Judæi. Nam quoties nos ſuſpendit Deus, caro nos ad obſtrependum ſollicitat, Cur non citius faciat quod facturus eſt? quid eum juvat ſua cunctatione nos torquere? Ut igitur Propheta hanc proterviam caſtiget, ait, An teſta contendit cum figulo? an filii litigant cum patribus? annon penes Deum eſt ita nos tractare ut viſum erit? Quid reſtat, niſi ut æquo animo feramus pœnas quas nobis infligit? Eſt igitur permittendum Deo quod ipſius eſt, nec ejus poteſtati atque auctoritati derogandum. *Hei*, accipio hic pro interjectione objurgantis & caſtigantis. *Teſta ad teſtas.* id eſt, quod vulgo dicere ſolemus, *Que chacun ſe prenne à ſon pareil*, Teſta cum teſtis terræ contendat. Homines enim ad ſui ſimiles relegans temeritatem & audaciam eorum objurgat, quod non reputant non poſſe certamen cum Deo niſi exitiale ſuſcipi: acſi diceret, Cum quo putant ſibi eſſe negotium? ſciant enim ſe Deo non fore pares, ac tandem cedendum eſſe. Quod ſi ſuæ fragilitatis immemores Gigantum more calum impetunt, experientur tandem non fuiſſe bellandum cum opifice ſuo, qui vaſa quæ formavit nullo negotio in fruſta comminuere, adeoque in pulverem conterere poteſt. Alii חרשים, interpretantur Opifices aut figulos: atque ſic intelligunt, An teſta in figulum inſurget? Verum ii punctum immutant ac legunt Schin pro Sin, quod quidem variare & facile mutari poſſe fateor: ſed uſitatam lectionem ſequi, & ſimplicem hunc ſenſum amplecti malo. *An lutum dicet fictori ſuo.* Conceditur figulo ut vas aliquod quacunque forma voluerit, effingat: patri ut filiis imperet: annon plus juris erit concedendum Deo? Proinde reprehendit eos qui rebus adverſis cum Deo expoſtulant, nec patienter ærumnas ferre poſſunt. Audienda eſt igitur Petri monitio, dum jubet ut diſcamus nos ſubjicere Deo, atque humiliare ſub potenti manu ipſius, ut feramus ejus imperium: nec, ſiquando variis nos ærumnis exerceat, cum ipſo litigemus. Hoc enim ipſi merito tribuendum eſt, ut nos arbitrio ſuo regat. Si ad diſceptationem veniendum ſit, tam firmas quidem ac ſolidas habebit rationes ut convictos obmuteſcere cogat. neque vero compeſcit hominum proterviam, quod ratione deſtituatur: ſed quod nos ejus arbitrio totos regendos tradere ac committere æquum ac rectum ſit: ſed interea hanc ſibi poteſtatem jure vendicat, ne à ſuis figmentis vocetur ad rationem reddendam. Quid enim magis indignum, quam non probari ejus judicia, niſi hominibus placeant? Paulus eandem ſimilitudinem uſurpat: ſed majori in re. diſputat enim de æterna Dei prædeſtinatione: atque ſtultas hominum cogitationes reprimit, qui cum Deo contendunt, cur hos eligat, illos reprobet ac condemnet. Hanc enim ſaltem Deo poteſtatem tribuendam eſſe oſtendit, quæ figulo aut opifici tribuitur. propterea exclamat, O homo, quis es, qui reſpondes Deo? an lutum dicet figulo, Cur me ita feciſti? Quis tam audax ut ſe Deo opponere, & litem cum eo ſuſcipere audeat? Optime ergo convenit cum Propheta: tametſi in re diſſimili & magis ardua hanc ſimilitudinem uſurpet. uterque enim aſſerit plenam eſſe Deo in homines poteſtatem, ut ſe ab eo regi & gubernari ſinant, atque omnia adverſa æquo animo patiantur. Hoc tantum diſcrimen eſt, quod de præſentis vitæ curſu diſſerit Jeſaias: Paulus vero ad cæleſtem & æternam tranſcendit. *Non ſunt manus.* Uſitato more loquitur Propheta, ut dicimus Apponere extremam manum, quum res perficitur: deeſſe vero manus, quum opus indigeſtum, confuſum, aut imperfectum eſt. Sic quoties obmurmurant Deo homines quod ipſorum votis non obſequatur, vel ignaviæ vel inſcitiæ eum inſimulant.

Dan. 5. verſ. 2.

1 Petr. 5. verſ. 6.

Rom. 9. verſ. 21.

11. *Sic dicit Jehova.*] Jam mihi non placere dixi, quod verſum hunc ita cum proximo quidam conjungunt, acſi Deus jure ſuo cedens liberum faceret Judæis inquirere pluſquam inter homines liceat. non multum abſimilis eſt alter ſenſus, ideo miſeros eſſe Iſraëlitas, quod voluntatem Domini ignorent, imo nec ſcire quidem velint: quod non requirant conſolationem, ac ne admittant quidem: denique vitio populi accidere, quod in ſuis ærumnis extrema triſtitia opprimitur: quia ſcilicet os Domini non interrogant: quod ſi recipimus, tenendum eſſet de alia inquirendi ratione nunc agi. Nam ſicuti nefas eſt in arcana Dei conſilia prorumpere, ita quatenus expedit liberaliter quid facturus ſit, aperire ſuis dignatur: merito autem ubi ſacrum os aperit, aures ſibi aperiri jubet, attenteque excipi quicquid pronunciat. Jam quod veteri populo exprobrat Jeſaias, ipſi quoque experimur. Sed magis conſentaneum eſt ſententiam hanc à proxima pendere, ut ſit applicatio ſimilitudinis hoc ſenſu, Filio non licebit litem patri intendere, nec luto jus cum figulo ſuo diſceptandi dabitur, quanto minus tolerabilis hæc licentia eſt, dum præſcribunt mortales Deo qualiter

liter filios ſuos tractare debeat? Nam alioqui ſuſpenſa eſſet ac mutila ſententia. Concinne autem hæc duo membra inter ſe aptantur, Figulus ſuo arbitrio lutum formabit, qui genitus eſt ab homine mortali non audebit cum patre expoſtulare, mihi qui ſummus ſum omnium pater & opifex, ſimilis poteſtas in filios meos & figmenta negabitur? Si arrideat prior ſenſus, exprobrat hominibus ignaviam ſuam, quod Deum interrogare non dignantur, atque ex ipſius ore intelligere quæ ad conſolationem eorum pertinebant. nam ex prophetiis intellexiſſent ſe Deo curæ eſſe: atque exitum miſeriarum ſuarum agnoviſſent. & certe nullum remedium majus in adverſis, quam ſi os Domini interrogemus: nec oculos defigamus in præſentem rerum ſtatum, ſed futuram ſalutem animo comprehendamus, quam Dominus pol-
1 Cor. 10. verſ. 13. licetur. Fidelis eſt Dominus, qui non patietur nos tentari ultra id quod ferre poſſumus: ſed dabit cum tentatione etiam exitum, gratiamque ſuam in nobis adaugebit. Et quod addit paulo poſt, *Præcipite mihi*, hic non eſt ex imperio capiendum: nec enim noſtrum eſt præcipere Deo, aut ipſum importune urgere. nec quiſquam proficere poterit in verbo Dei, niſi qui humilem animum afferet. Verum ita ſe offert Dominus, ut ab ipſo petamus quæ ſcire noſtra intereſt. perinde acſi diceret, Mandate mihi: ego ad ea patefacienda ſum paratus quæ vos ſcire plurimum refert ut ex eis conſolationem percipiatis. Sed quoniam coactus eſſet hic loquendi modus, ſimplicior eſt illa querimonia quam dixi, Deum ſpoliari paterno jure, niſi abſque controverſia Eccleſiam ſub diſciplina contineat. ita Interrogandi verbum in ſiniſtram partem accipitur, dum homines omnis modeſtiæ obliti non dubitant Deum quaſi obſtrictum interpellare, & cauſam ab eo exigere cujuſque facti: quod melius patet ex Præcipiendi verbo, quaſi diceret, Veſtrum ſcilicet erit mihi præfigere quam formam operi meo dari oporteat. In ſumma, Prophetæ conſilium eſt ad ſobrietatem & tolerantiam hortari homines: quia ſimulac diſceptare cum ipſo incipiunt, detrahere è cæleſti ſolio conantur. Judæos autem ſolos non compellat, quia blaſphemias, quæ paſſim tunc etiam inter incredulos volitabant, compeſcere opus fuit. perinde acſi Deus jus ſuum aſſerere volens, totius mundi obtrectationes ita refelleret, Quorſum tandem proſiliet veſtra arrogantia, ut me non ſinatis in officina mea dominari? & familiam meam prout viſum eſt regere?

12. *Ego feci terram.*] Videtur ſimpliciter aſtruere Dei potentiam, ut jam antea fecerat: ut ſit obliqua antitheſis inter Deum & idola, quæ à ſuperſtitioſis coluntur. Stulti enim homines interrogant idola, perinde acſi eorum nutu orbis regeretur: Deus è
Geneſ. 1. v. 1, 6. & 2: 15. converſo nos ad ſe revocat, quum ait ſe creaſſe terram, & hominem in ea collocaſſe: cælos expandiſſe, &c. Sed meo judicio melius conveniet totum hunc ſermonem accommodare ad circumſtantiam hujus loci. Quid enim magis præpoſterum, quam homines ſtare in ſuo gradu, Deum autem cujus majeſtas cælos ſuperat, proterve interrogari, & trahi in reatum? Oblique itaque perſtringit hominum veſaniam, qui ſupra cælos ipſos efferre ſe non dubitant. Admonet tamen interea, ſi ad legitimam diſquiſitionem venire oporteat, Deo quod pro ſua cauſa reſpondeat minime defore. nam ſi univerſum mundum adminiſtrat, certe peculiarem quandam pro ſuis ſollicitudinem gerit, nec curat alienos, ut domeſticos ſuos vagari ac diſſipari ſinat. Sic igitur intelligo hunc verſum: Egone, cujus immenſa & incomprehenſibilis ſapientia & virtus in cælo & terra refulget, non ſolum humanis legibus obſtringar, ſed detrudar infra communem ſortem? Quod ſi de æquitate méa ambigitur, ego qui omnia manu mea rego atque adminiſtro, annon ſollicitus ero de iis quos in familiam meam adoptavi? annon excubabo pro eorum ſalute? ut ſit argumentum à minori ad majus. Atque hic ſenſus Scripturæ conſentaneus eſt. Scimus enim nos ita adoptatos à Deo, ut in tutelam ipſius recepti manu ejus protegamur: nec quiſquam nobis, niſi ejus permiſſu, nocere poſſit. nam ſi paſſerculus injuſſu ejus in terram non cadit, ut ait Chri- Mat. 10. verſ. 29.
ſtus, an nos, quos pluris æſtimat, temere furori hoſtium & crudelitati exponet? Itaque quum Deus omnes creaturas ſua providentia foveat, Eccleſiam quam toti orbi anteponit, negligere non poteſt. Quare, ad hanc providentiam rebus vel deploratiſſimis confugiendum: neque ullis tentationibus, quibus nos varie adoritur Satan, cedendum eſt.

13. *Ego excitavi.*] Nunc proſequitur argumentum quod initio capitis ingreſſus erat. nam quum hoc ſibi propoſuerit Jeſaias, ut afflictionem temperet, quæ dura admodum atque acerba erat, ſpem liberationis affert, & manum illis porrigit, ut certiſſimam redemptionem expectent: Tametſi videamini periiſſe, Dominus tamen vos ab exitio vindicabit. Quorſum autem interpoſita fuerit objurgatio quam vidimus, ex re ipſa colligere promptum eſt: quia niſi in eam abrupto ſermone digreſſus eſſet Jeſaias, impatientiæ ſuæ fervore Judæi ad deſperationem rapti eſſent. *In juſtitia*, tantundem valet ac juſte & veraciter, & relative accipiunt, quia cauſam aſſignat cur Cyrum excitare ſtatuerit Deus: nempe quia fidelis eſt Eccleſiæ ſuæ cuſtos, nec cultores ſuos fruſtratur. Alii exponunt, In juſtitia, id eſt, ut puniat Chaldæos: alii, Ut juſtus regnet: ſed Propheta nihil tale voluit. Sæpius vero Juſtitia in Scri- Pſal. 5. verſ. 9. & 7: 18. & 22: 32.
pturis pro fide accipitur: quod Dominus promiſſa præſtando & tuendo ſervos ſuos, juſtitiam ſuam declaret. In eo enim potiſſimum relucet juſtitia Dei, quod ſuos ſervando ſummæ & perfectæ rectitudinis ſpecimen edat. Nam etſi nullum ſit Dei opus cui non inſculpta ſit juſtitiæ nota, multo inſignius tamen ac luculentius teſtimonium viſitur in Eccleſiæ ſalute. Significat igitur ſe Cyrum excitaſſe, ut in eo juſtitiam ſuam declaret: quem populo reducendo ducem atque auctorem conſtituit. *Urbem meam.* Jeroſolymam intelligit, quam ſuam vocat, quod ibi memoriam nominis ſui fieri voluiſſet, atque ſibi peculiariter conſecraſſet: quemadmodum etiam Deus ipſe monuerat: Ubicunque memoriam fecero nominis Exod. 20. verſ. 24.
mei, veniam ad te, & benedicam tibi. Nulla autem erat alia urbs, quam ad ſacrificia & vota, ad invocationem nominis ſui deſignaſſet. Quamobrem Pſalmo 46. etiam dicitur Civitas Dei, Sanctum ta- Pſal. 46. verſ. 5, 6. & 132. verſ. 14.
bernaculum Altiſſimi: quoniam Deus in medio ipſius: & alibi, Hæc requies mea in ſeculum ſeculi. Cyrus autem non extruxit hanc civitatem manu ſua: ſed edictis vetuit ne quis eam inſtaurari prohiberet: 2 Par. 36. verſ. 23. Eſdr. 1: 2. & 6: 3.
viatica etiam & ſumptus populo ſuppeditavit. *Non pretio*, id eſt, gratis. Hoc autem inſolitum eſt. nam ſi captivi dimittantur à victore: aut exigitur pretium, aut conditiones iis graves imponuntur. nihil tale à Cyro factum eſt. Unde ſequitur, hanc liberationem divinitus, non ab humana voluntate acci diſſe. *Captivitas* autem hoc loco collective pro Captivis accipi debet.

14. *Sic dicit Jehova.*] Loquitur adhuc de reſtitutione quæ auſpiciis Cyri poſtea facta eſt: ſed memoria tenendum quod prius diximus: iſtas promiſſiones longius extendendas eſſe. Univerſum enim tempus comprehendit quod ſequutum eſt uſque ad Chriſti adventum. Quod ſi quis recte conſideret, & uſitatum Prophetæ ſermonem perpendat, nihil immodicum in ejus verbis reperiet, neque hyperbolice loquutum exiſtimabit. Alludit autem Propheta ad ſumptus quos Cyrus extruendo atque ornando tem- Eſdr. 6. verſ. 8.
plo ſuppeditavit. tunc enim impletum eſt quod dicit, Laborem Ægypti, ac mercedem Æthiopiæ ad

Judæos

Judæos perveniſſe: quoniam Ægyptus & Æthiopia tributariæ erant, & ſubditæ Regi Perſarum. Ex illis tributis templum Jeroſolymæ inſtauratum eſt. Sed quemadmodum inſtauratio illa præludium tantummodo fuit ejus quæ à Chriſto facta eſt: ita etiam obſequium exterarum nationum quæ populo Dei ſervierunt, initium tantum fuit ejus obſequii quod variæ nationes, poſtquam mundo patefactus eſt Chriſtus, Eccleſiæ Dei præſtiterunt. Cæterum, ſub nomine Ægypti, Æthiopiæ, & Sabæorum, qui eo tempore floruerunt, reliquas etiam nationes comprehendit. perinde acſi diceret, Vos nunc tyrannide alienarum nationum oppreſſi eſtis: ſed aliquando accidet tempus quo vobis ſubjicientur. Hoc ſtatim adimpletum non eſt: ſed tunc demum quum adveniens Chriſtus ſubegit ſibi ferreas & prius indomitas animas, ut manſuefactæ jugum impoſitum ſuſciperent. Ideo vero Dominus populum ſuum redemit è Babylone, ut aliquam Eccleſiam conſervaret uſque in adventum Chriſti, cujus imperio populi omnes ſubjiciendi erant. ideoque nihil mirum ſi de reditu populi verba faciens Propheta, ad finem & conſilium Dei ſimul orationem ſuam dirigat, faciatque unicam Redemptionem. Quod autem Iſraëlitas Gentium omnium dicit fore victores, ex mutua capitis & membrorum communicatione pendet. Quia enim unigenitus Dei filius ſic fideles ſuos ſibi aſſociat, ut ſimul unum ſint: ſæpius quod illius proprium eſt, ad Eccleſiam, quæ
Ephes. 1. vers. 23. ejus corpus eſt ac complementum, transfertur. Hoc ſenſu & regimen tribuitur Eccleſiæ, non ut ſuperba dominatione capitis gloriam obſcuret, vel etiam arroget ſibi proprium imperium: denique ſeparatum quicquam habeat à ſuo capite: ſed quia Euangelii prædicatione, quæ apud eam depoſita eſt, ſpirituale eſt Chriſti ſceptrum, quo potentiam ſuam exerit: hoc modo ſupplex coram Chriſto nemo ſe humiliare poteſt, quin Eccleſiæ quoque ſe addicat, quatenus fidei obedientia cum doctrinæ miniſterio conjuncta eſt, ſic tamen ut ipſius caput Chriſtus emineat ſolus, poteſtatemque ſuam exerceat. *Certe in te Deus.* Refert quid dicturi ſint ii qui Eccleſiam obſecrabunt honoris cauſa. Deum enim apud ipſam eſſe fatebuntur. אך nonnulli vertunt Tantum: quod etſi non repudio, imo fateor aptiſſimum eſſe ad exprimendam Prophetæ mentem, non tamen prorſus male conveniet affirmative accipere, Utique in te Deus eſt. Exponit autem quomodo exteri populi ſubjiciendi ſint Judæis: quia agnoſcent unicum eſſe Deum, quem Judæi coluerunt. Si quis objiciat, hoc nihil ad Judæos pertinere, qui nunc ab Eccleſia alieni ſunt: reſpondeo, ab iis nihilominus Euangelium manaſſe, atque propagatum eſſe per univerſum orbem: atque
Luc. 24. vers. 47. ita Jeroſolymam ut fontem, unde pura doctrina prodiit, agnoſcimus. Soli certe Judæi intellexerunt
Psal. 76. vers. 2. olim quis eſſet Deus, & qualiter rite colendus eſſet: cæteri fallacibus nugis dediti, figmenta ſua adorabant. Unde etiam Chriſtus, quum Samaritanam al-
Joan. 4. vers. 22. loqueretur, Nos, inquit, ſcimus quid adoramus. Merito ergo hic dicitur, Deus in te eſt: quoniam aliæ nationes ignorabant Deum. Quia autem ſubeſt tacita antitheſis, libenter excluſivam particulam admitto, ut teſtimonium ſit pœnitentiæ Gentium, dum uno Deo contentæ idolis ſuis valedicent. Summa eſt, Qui antea ſuperbiebant, atque elato animo Eccleſiam contemnebant, ſeſe ei eſſe ſubmiſſuros, ubi innotuerit Sanctuarium veri Dei: neque enim, ut dictum eſt, Eccleſiam ſuam extollens Deus, proprio imperio ſe abdicat. Atque hoc ſignum eſt veræ converſionis, quod non colimus Deum quem finximus, ſed qui in Eccleſia agnoſcitur. Notandum eſt etiam hoc Eccleſiæ encomion, Deus in te eſt. nam Deus in medio ejus, quia illic domicilium elegit: quem-
Psal. 46. vers. 6. admodum prius citavimus ex Pſalmo 46. Si enim populus Dei ſumus, atque ſalutari ejus doctrinæ ſubjiciamur, ſequitur ipſum nobis affuturum: quia ſuos deſerere non vult. nam hæc promiſſio perpetua eſt, nec ad tempus illud ſolummodo referri debet.

15. *Vere tu Deus abſcondens te.*] Nunc exclamat Jeſaias, longa patientia opus eſſe, ut promiſſis Dei fruamur: quia populus ad deſperationem ſollicitari poterat, quum impiis omnia fluerent ex voto: ipſis vero adverſa omnia acciderent. Scio aliter à pleriſque exponi. Hebræi enim vulgo huc trahunt, quod Dominus abſcondet ſe Gentibus: populo vero ſuo ſe patefaciet. Chriſtiani vero interpretes alium ſenſum, ſed longe petitum afferunt. Argutum quidem eſt quod aiunt, Chriſtum abſconditum eſſe Deum, quod ejus divinitas lateat ſub humilitate carnis: verum alienum eſt à Prophetæ ſententia. nam abſconditum vocat Deum, quod ſe ſubducere & quodammodo occultare videatur, quum affligi ſuos, & variis ærumnis premi ſinit. quamobrem ſpe erigendi ſunt animi noſtri. Spes autem, ut ait Paulus, non eſt Rom. 8.
eorum quæ videntur. Atque hoc ſenſu Deum abſ- vers. 24.
conditum vocat Jeſaias: quia non ſtatim patent oculis noſtris quæ promiſit. Ita à conſideratione rerum præſentium abducere animos noſtros voluit, & ſupra cælos erigere, ſi opem ipſius apprehendere & amplecti velimus. Opus igitur eſt patientia: ut quum differt promiſſa, deſideria ipſi noſtra ſuſpendamus. Dixerat nuper incredulos, quamvis tunc cæci & ſtupidi eſſent, ſenſuros Dei præſentiam: ſed quia nondum manifeſtationis tempus aderat, non abs re interjicitur hæc exclamatio, quod Deus antequam gloriam ſuam illuſtret, virtutem ſuam occultet ad probandam ſuorum fidem. Porro non de eſſentia Dei, ſed de auxilio Prophetam loqui ex epitheto quod proxime additur, colligere promptum eſt, quum vocatur Deus ſervator. Explicat enim Deum in modo ſervandæ Eccleſiæ ſeſe abſcondere: quia manum ſuam ad tempus perinde occultat, acſi eam deſerere prorſus ſtatutum eſſet. Salutem enim noſtram velut in tenebris latere vult, ut ſi ea frui cupimus, ſciamus egrediendum nobis è mundo eſſe: quia nec ſubito ſe nobis ingeret, neque oculis noſtris patebit. Invicta ergo conſtantia à nobis expectanda eſt. nam & hoc modo fidem noſtram exerceri ac probari à Deo utiliſſimum eſt, ut quum variis undiquaque ærumnis prememur, nihilominus in Deo atque ejus promiſſis conquieſcamus.

16. & 17. *Pudore afficientur.*] Hic Propheta Judæos comparat cum Gentibus, ut gravi & difficili tentationi occurrat, qua poterant ſollicitari, quum Gentes proſperis rebus frui viderent. Suſpicari enim in tanta perturbatione poterant, Deum Gentibus propitium eſſe, aut abjeciſſe curam populi ſui, aut cæco fortunæ impetu omnia gubernari. Monet igitur Propheta, Tametſi ad tempus floreant Gentes, atque in cælo eſſe videantur: tamen perire tandem ipſas, Iſraëlem vero ſalvum eſſe oportebit. In ſumma, hortatur ne Dei potentiam ex præſenti rerum ſtatu æſtiment: ne in momentaneam felicitatem defixas habeant mentes: ſed eas in æternam ſalutem attollant, atque manu Dei percuſſi patienter ferant conditionem ſuam: nec impiorum felicitati invideant, quam infelix mutatio ſequutura eſt: quemadmodum etiam Pſal. 37. præclare deſcribitur. Atque Psal. 37.
hæc ſententia cum ſuperiore conjuncta eſt. Quiſquis vers. 1.
enim intelliget, Deum, quum ſervator eſt, eſſe abſconditum, non mirabitur impios proſpero rerum ſtatu frui, pios vero abjectos eſſe & miſeros, variiſque ærumnis exerceri. Sic Dominus probat fidem & patientiam noſtram: nec quicquam interim nobis deperit de æterna ſalute: tandem vero peribunt qui nunc videntur ſalvi centies ac beati. quicquid nunc boni obtinent, in gravius ipſis exitium cedet: quia beneficiis Dei abutuntur: atque, ut prædones, in aliena invadunt: etiamſi optimo jure ſibi videantur omnia poſſidere. Proinde quoties oboritur animis hæc cogitatio, Impiis bene eſt, ergo Deus ipſis favet,

vet, inania ſunt promiſſa quibus nitimur: ad hanc Prophetæ ſententiam, velut ad certiſſimam anchoram confugiamus, eaque muniamur, Dominus non fruſtrabitur nos expectatione noſtra: liberabimur tandem: tametſi nunc probris, injuriis, ludibriis, & ſevitiæ impiorum expoſiti ſimus.

18. *Quia ſic dicit Jehova.*] Hic verſus ad ſuperiorum confirmationem pertinet. vult enim Propheta Judæis omnino perſuaſum eſſe, ipſos tandem liberatum iri à Domino: tametſi miſera ſervitute oppreſſi ſint. Ideo nonnulli per *terram* hic Judæam intelligunt: ſed puto argumentum eſſe à minore ad majus, ut prius verſu duodecimo diximus: quod quum Dei providentia ad omnes in univerſum creaturas extendatur, multo magis ad eos pertineat quos adoptavit pro filiis. eos enim potiſſimum curæ habet. Tale denique eſt argumentum Prophetæ, Quum Deus terram crearit ut in ea homines ſedem & domicilium haberent, multo magis ut ſit aliquis Eccleſiæ locus: majori enim curæ Eccleſiam habet, quam reliqua omnia. Si igitur firmavit terram, ſi formam ei uſumque certum tribuit, ut ex frugibus quas produceret, homines alerentur: haud dubie primum locum, & ſummum honoris gradum filiis attribuit. Hoc non ſemper oculis noſtris patet: quamobrem ſpe erigendi & ſuſtinendi ſunt animi noſtri, ut adverſus omnes tentationes invicti ſtemus. Denique quamdiu ſtabit terra, tamdiu Eccleſia Dei futura eſt:
Infr. 54. verſ. 9. quamdiu ſol & luna erunt, non deficiet. poſtea utetur etiam majore argumento, Si pactum quod Dominus cum Noë iniit de ſtato hujus mundi ordine,
Geneſ. 9. verſ. 9. firmum eſt: multo magis quod de Eccleſia iniit, firmum eſſe debet. Mundus enim caducus & corruptibilis eſt: Eccleſia vero, id eſt, regnum Chriſti, æterna futura eſt. Quæ igitur ad ipſam ſpectant promiſſiones, haud dubie firmiores & conſtantiores reliquis omnibus fore conſentaneum eſt. Quia vero præcipuus terræ ornatus eſt habitari ab incolis, addit non ideo fuiſſe creatam ut ſua inanitate deformis ac vaſta eſſet. Si quis objiciat contra, terram inanem & vacuam fuiſſe quum creata eſt, ubi eodem nomine utitur Moſes
Geneſ. 1. verſ. 2. quo hic Propheta, תהו ſcilicet, quod informe & vacuum ſignificat: ſolutio facilis eſt. Nec loquitur Propheta de initio creationis, ſed de conſilio Dei quo terra in uſum & habitationem hominum deſtinata eſt. Nihil igitur hic contrarium eſt iis quæ à Moſe dicuntur: quoniam Jeſaias finem & uſum ſpectat. Quod vero ſequitur, ***ad inhabitandum***, hæc quidem ſententia extenditur ad omne genus humanum. nam omnibus terra ad habitandum deſtinata eſt. Unde enim fit ut Dominus nos alat, omniaque neceſſaria ſuppeditet, impios etiam ſuſtineat, niſi quod ſtare voluit decretum ſuum, quo terram hominibus inhabitandam dedit? Eſt enim alioqui ſtupendum quomodo tot ſcelera & flagitia ſuſtineat, nec in univerſum deleat humanum genus: ſed conſilii ſui rationem habet, non noſtræ dignitatis. Hinc ergo ſtant regna & principatus: hinc ordines & politiæ etiam inter barbaros & infideles conſervantur. Quanquam enim propter hominum peccata in vaſtitatem terras quaſdam ſæpe redigit Dominus, & quaſi ſalſugine
Pſal. 107. verſ. 34. aſpergit ut ſterileſcant, nec alere poſſint amplius ſuos incolas: hoc tamen ſemper temperamentum adhibet, ut habitetur terra: quia hoc ejus decretum inviolabile eſt. Interea retinendum eſt quod jam dixi, fieri non poſſe, quamdiu habitabilis erit terra, quin ſuos cultores foveat Deus, à quibus invocetur. Cæterum hinc maximam conſolationem pii omnes percipere debent: quod tametſi contemptibiles mundo, pauci atque exigui ſint: & dum impii numero, potentia atque auctoritate ſuperant, ipſi tam abjecti ſint ut infra mundi excrementa eſſe putentur, tamen Deo pretioſi ſint: quoniam ipſos in numero filiorum habet, nec eos perire unquam patietur. Quod repetit ſe Deum eſſe, non tantum ad aſſerendam eſſentiam ſpectat, ſed ut ſe diſcernat ab omnibus idolis, Judæoſque in pura fide retineat. Nam & ſuperſtitioſi fatentur unum eſſe Deum: ſed eum pro libidine ſua fingunt. Agnoſcendus ergo Deus qui ſe patefecit Patribus, atque per Moſem loquutus eſt. Nec enim tantum hic agitur de æterna eſſentia Dei, ut nonnulli putant, ſed de officiis omnibus quæ ad ipſum ſolum pertinent, ne ulla ex parte ad creaturas transferantur.

19. *Non in abſcondito.*] Nunc revocat populum ad doctrinam Legis, quoniam Deus hominum ſenſu comprehendi non poteſt. Verum ut abſconditus eſt intelligentiæ carnis, ita abunde ſe in Verbo patefacit, atque remedium præbet. Quod igitur nobis deerat, ſuppeditatur ex Verbo, ne quid amplius deſideremus. Hoc ſi deeſſet, nihil haberemus ſpei: ac penitus animo concideremus. Teſtatur autem ſe non fruſtra nos invitare, etiamſi differat auxilium ſuum: certiſſimum enim eſſe quod promiſit. ut aperte docuit quo nobis confugiendum, in quo conquieſcendum eſſet: ita re ipſa comprobaturum, non inanem fuiſſe eorum ſpem qui in ejus Verbo acquieverunt. Hinc apparet quam impiæ ſint eorum voces qui nihil certi ex Verbo colligi poſſe aiunt, atque naſum cereum eſſe fingunt, ut ab ejus lectione alios abſterreant. Sic enim blaſphemant ſcelerati homines, quod errores ſuos ſola Verbi doctrina detegi ac convinci vident. Sed reſpondemus cum Davide, Lucerna pedibus noſtris verbum tuum Domine, & lu- *Pſal. 119. verſ. 105.*
men ſemitis noſtris. Reſpondemus cum Jeſaia & reliquis Prophetis, nihil obſcurum, ambiguum, aut fallax à Domino traditum eſſe. Reſpondemus etiam cum Petro, firmiorem eſſe Propheticum ſermonem: cui dum attenditis, inquit, ceu lucernæ *2 Petr. 1. verſ. 19.*
ardenti in loco caliginoſo, recte facitis: donec dies illuceſcat, & lucifer exoriatur in cordibus veſtris. Quod ſi hæc de Lege & Prophetis dicta ſunt, quid de Euangelio dicemus, quo lux clariſſima nobis patefacta eſt? Annon dicemus cum Paulo, Si obſcurum eſt Euangelium, iis qui pereunt obſcurum *2 Cor. 4. verſ. 3.*
eſſe, quos princeps hujus mundi Satan excæcavit? Seipſos igitur accuſent cæci & luſcitioſi homines, quum hunc ſplendorem Verbi nequeunt ſuſtinere. Nos vero quantaſcunque tenebras offundere conentur, in hac cæleſti luce ſtabiles & fixi ſimus. Porro videtur Propheta alludere ad vaticinia quæ ex antris & tripodibus idolorum dabantur. nam incerta & fallacia erant: quum nihil tale in reſponſis Dei reperiatur. Palam enim loquitur, nec quicquam aut fallax aut flexiloquum tradit. Atqui experientia docet Scripturam eſſe difficilem & ſubobſcuram. Hoc quidem verum eſt, ſed hebetudini ſenſus noſtri & tarditati, non Scripturæ imputandum: nec enim accuſandus eſt ſol à cæcis aut luſcitioſis, quod eum intueri non poſſint. Interea fixum hoc manet, quicunque dociles & morigeros ſe præbent Deo, non fruſtra operam conſumere: quia Deus fideliter optimi doctoris officio fungitur erga humiles & parvulos. Jam quamvis non omnes ad ſummum gradum perveniant, nunquam tamen profectu carebit eorum ſtudium qui Deum ex animo quærent. Atque hoc verbo præcipuum Legis finem & uſum notat Jeſaias, ut homines ad Deum invitet. Et certe hæc ſolida eorum eſt felicitas, conjungi cum Deo: ſacrum vero conjunctionis vinculum fides eſt ac ſincera pietas. Porro hoc ſecundo membro non modo perſpicue & ſine ambagibus ſe loquutum fuiſſe affirmat, ſed prædicat firmitatem & conſtantiam verbi ſui. acſi diceret ſe non fallendi cauſa liberaliter promittere, nec verbis lactare famelicos, ſed re ipſa præſtare quicquid pollicitus eſt. Hinc convincitur eorum ingratitudo qui vocati non reſpondent: quando non aliud Deo conſilium eſt, niſi ut nos bonorum omnium participes reddat, quorum alio-

Digitized by Google

alioqui inanes & vacui ſumus. Quod mox ſequitur, Deum loqui juſtitiam, exegeticum eſt: quaſi diceret nulla fraudis macula aſperſum eſſe ſermonem, quo ſibi conciliat electos ſuos, ſed rectiſſimam puritatem

Pſal. 12. verſ. 7. continere. Eloquia Domini, ut inquit David, munda ſunt, ut argentum excoctum catino terreo, ſepties purgatum. Lucidam ergo juſtitiam habemus in verbo Dei, quæ ſublatis tenebris, ſtatim animis noſtris illuceſcet.

20. *Congregamini.*] Provocat omnes ſuperſtitioſos, iiſque veluti diem dicit, ut æquo arbitrio ſeſe ſummittant: ſicuti antea aliis locis vidimus: ut oſtendat nihil ab iis obtendi poſſe quod non facile evertatur. nunc quidem ſibi placent in ſuperſtitionibus ſuis: ſed facile diſcutientur omnes eorum fumi, ſi veniant ad dicendam cauſam: nulloque negotio convincentur. Colligant igitur ſe turmatim omnes ac conſpirent, fraudibus, minis, ac terroribus omnia moliantur: veritas tandem ſuperior evadet. Hæc confirmatio valde neceſſaria fuit Judæis, quum ubique gentium & locorum graſſari viderent impios errores quibus obruebatur veri Dei cultus. Ad hoc igitur præſidium hodie quoque confugiendum eſt, quum paucitatem noſtram & tenuitatem cernimus. Turcæ magnam orbis partem obtinent: Papiſtæ longe lateque erectis criſtis triumphant: nos interim pauci ac tenues vix habemur numero hominum: ſed veritas tandem prævalebit, omnemque celſitudinem proſternet, qua nunc hominum oculi perſtringuntur. פליטי, alii vertunt Abjectos, alii Profugos, vel Qui evaſerunt: ac putant Judæos qui ab exilio redierant, compellari. Verum, ſenſus ille nimis coactus eſt. magis receptum eſt ut intelligat Abjectos Gentium, quia פלט ſignificat Abjicere. non quod deſignet obſcurum vulgus, vel hominum quiſquilias: quin potius ſermonem ad eos convertit qui dignitate, opibus, potentia, ſcientia inter Gentes præcellebant. Eos enim *abjectos* vocat, quod in conſpectu Dei nihili ſunt: tametſi ab hominibus magni æſtimentur. quod

Luc. 16. verſ. 15. enim altum eſt coram hominibus, coram Deo abominabile eſt. Quanquam ſiquis malit accipere pro Remotis, non admodum repugno. acſi diceret, Conveniant ab extremis terræ. *Qui efferunt.* Oſtendit quanta dementia occupet idololatras, qui ſimulachra adorant, quæ ipſis humeris geſtant, & thenſis circumferunt. Vel Efferre hic accipiemus pro Collocare in edito & eminenti loco. quemadmodum hæc Satanæ aſtutia fuit, erigere ſtatuas in columnis & altioribus locis, ut homines raperet in admirationem, & ſolo earum reſpectu ad cultum & venerationem adduceret. Verum, ſimpliciter interpretari poſſumus de omni cultu qui ſtatuis exhibetur: ut eum vanitatis & inſaniæ convincat. Sciunt enim ſuperſtitioſi, idola hominum ope & auxilio potius indigere, quam homines idolis: quæ ſine hominum opera conſiſtere non poſſunt. Atque huc tendit quod proxime ſequitur, Orare Deum qui non ſervat. Quid enim inſulſius, quam vota & preces dirigere ad lignum, vel lapidem? & tamen ſalutis petendæ cauſa ad mortuas ſtatuas curſitant increduli.

21. *Annunciate.*] Provocat hic iterum eos omnes qui poterant Judæis moleſti eſſe, ac eorum fidem concutere ſuis ludibriis. ſemper enim hoc habet propoſitum, ut fidem populi adverſus omnes Gentium inſultus muniat. Nam in multis tentationibus, iiſque graviſſimis, periculum erat ne labaſcerent Judæi miſere afflicti, niſi validæ rationes contra fuiſſent oppoſitæ, quæ eos in cultu ac fiducia veri Dei retinerent. Permittit ergo ut proferant atque adducant homines profani quæcunque habebunt cauſæ ſuæ adjumenta. Quod ſequitur, *ineant conſilium*, majoris fiduciæ cauſa additum eſt. Significat enim Propheta, quantumvis inter ſe conſultent ac conſpirent, nihil profecturos, ut jam dictum eſt. Quanquam ſimul forte notare voluit evanidam eſſe ſpeciem & fucum, quicquid excogitant increduli ad excuſandos ſuos errores. Ergo utcunque ſplendida oſtentatione venditent ſua figmenta, docet Propheta in verbo Dei ſatis fulturæ eſſe, ne labaſcat piorum fides. Provocat autem eos ad ſerium examen, ut cum Lege & vaticiniis conferatur quicquid increduli à ſuis idolis prædictum fuiſſe jactant. Libenter amplector quod communiter receptum eſt, Prophetam loqui de populi redemptione: ſed quia ſimul conjuncta erat everſio monarchiæ Babylonicæ, eam ſimul comprehendi ſentio. Quoniam autem repetitio eſt ejuſdem ſententiæ, מקדם & מאז idem valent: acſi diceret, Ab initio & jam olim. Hoc enim vaticinium multo antequam res accideret editum fuit. unde certo colligere poterant fideles, Deum loquutum eſſe. Præſcientiæ adjungit potentiam, ut prius: quanquam ſimul exprimit quorſum ſit potens: nempe, ad ſervandum populum ſuum.

22. *Reſpicite ad me.*] Hactenus ſolos Judæos alloquutus erat, acſi ſalus ad eos ſolos pertineret: nunc latius ſermonem ſuum extendit. Univerſum enim orbem invitat ad ſpem ſalutis. Et ſimul ingratitudinis damnat cunctos populos, qui ſuis erroribus dediti quaſi data opera vitæ lucem fugiebant. Quid enim magis indignum quam ſalutem ſuam ultro reſpuere? Jubet igitur omnes in ſe reſpicere: atque præcepto promiſſionem addit, quæ plus momenti habet: atque magis confirmat, quam ſi mandato ſimplici uſus eſſet. Itaque hic habemus inſigne teſtimonium vocationis Gentium: quod diruta maceria, qua *Epheſ. 2. verſ. 14.*

Judæi à Gentibus disjuncti erant, omnes promiſcue Dominus ad ſe invitet. Cæterum, hic etiam monemur quæ ſit vera ratio conſequende ſalutis: nempe, quum reſpicimus in Deum, totoque animo ad ipſum converſi ſumus. Reſpiciendus eſt autem oculo fidei, ut ſalutem omnibus propoſitam in Chriſto amplectamur. Sic enim Deus mundum dilexit, ut filium ſuum *Joan. 3. verſ. 16.*

unigenitum daret: ut omnis qui in eum credit, non pereat. Quum autem hortatur omnes fines terræ, ſimul oſtendit mortales omnes hactenus eſſe vagatos, neque reſpectum veri Dei habuiſſe. nam ubi eſt infidelitas, ibi certus Dei aſpectus eſſe non poteſt, qui eum diſtinguat ab inanibus larvis. Denique hanc omnibus exitii cauſam eſſe docet, quod circumagantur pravis ſuis commentis, atque ita à vero Deo deficiant, ex cujus notitia certa & æterna ſalus manat. Porrigit ergo manum Dominus, ut omnes eripiat, atque rationem oſtendat obtinendæ ſalutis. unde apparet Euangelii doctrinam non temere nationibus omnibus prædicatam eſſe, ſed decreto Dei, à quo jam olim id ſtatutum erat. Quanquam, ut paulo ante attigi, ſocordiam Gentium accuſat, quod ſenſus ſuos huc illuc, quocunque tulit libido, flectant ac verſent. Etſi enim naturaliter ad Deum accedere non poterant, imo una cum lacte imbiberant ſuperſtitiones quibus erant excæcati: jure tamen illis impium gratiæ ſuæ contemptum objicere Deus potuit: quia ſemper ignorantiæ implicita eſt hypocriſis, dum homines vanis blanditiis decipi malunt, quam recta ad Deum tendere.

23. *Per me juravi.*] Subjicit apertiorem confirmationem proximæ ſententiæ. quod enim inſolita eſſet & portento ſimilis hæc vocatio, jusjurandum adhibet: ſicuti rebus novis & difficilibus creditu fieri ſolet. Poterant enim repugnare Judæi, quod ſoli nomine electi populi cenſerentur. ſed quum jurejurando id confirmat, tollitur omnis controverſia. Collimat quidem adhuc Propheta in eundem ſcopum, nempe in Eccleſiæ inſtauratione ſic conſpicuam fore Dei gloriam ut totum orbem ab ortu Solis uſque ad occaſum in ſui admirationem expergefaciat: vel, ut brevius dicam, inſigne ac magnificum fore hoc ſpecimen virtutis Dei, quod populos omnes

metu

metu percellat. Interim recte ex his verbis colligitur quod dixi, Gentes videlicet exæquandas eſſe Judæis, ut Deus ſit communis omnium pater, & ubique regionum colatur. Deus vero per ſeipſum jurat: quia non poteſt alium habere ſatis idoneum teſtem veritatis. Ipſe enim ſolus veritas eſt. Homines, *Hebr. 6. verſ. 16.* ut inquit Apoſtolus, per majorem ſe jurant: Deus vero, quum majorem non haberet, per ſeipſum juravit. Cauſa jurandi notanda eſt, quia infirmitati ſuorum ſuccurrere voluit, ne dubii fluctuarentur. mira certe indulgentia, quod ut medeatur diffidentiæ noſtræ vitio, non gravatur nomen ſuum quaſi pignoris loco in medium proferre. quo turpior magiſque ſceleſta eſt noſtra incredulitas, ſi ne jusjurandum quidem nobis ſufficit. Porro quum Deus omnem veritatis confirmationem ad ſe revocet, diligenter cavendum eſt, ne in jurejurando, quum ad ipſum adigimur, alia nomina aut divorum, aut ullius creaturæ admiſceamus: ſed qua decet reverentia nomen ipſius uſurpantes, integrum ei & illibatum honorem ſuum ſervemus. *Egreſſum eſt verbum.* Significat firmum & ſtabile eſſe quod promulgari juſſit à Propheta ſuo, acſi diceret non temere vel inconſiderate ex ore ſuo fluxiſſe hoc edictum. Atque hoc ſenſu Juſtitia ſæpius accipitur in Scripturis: nempe, pro verbo non fallaci, cujus certiſſima conſtabit fides: itaque irrevocabile decretum eſſe ait. Quo etiam pertinet altera loqutio, Non revertetur. nempe quia ſuos habebit progreſſus donec effectu ipſo pateat, à juſto, verace, & omnipotente Deo progreſſum eſſe. Revertitur enim aliquis, quum longius progredi aliqua difficultate prohibetur: at quia nihil obſtare Deo poteſt, quominus exequatur quod decrevit, merito colligit Propheta nihil eſſe quod curſum hujus verbi impediat, aut retardet. כי, hoc loco pro expoſitiva particula accipi debet: nempe, Hoc verbum eſt, *Mihi flectetur omne genu.* Hac loqutione ſignificat Gentes omnes fore Deo ſupplices, quia mirifica Eccleſiæ liberatio cunctis incutiet terrorem. Inde tamen etiam ſequitur cultum ejus ad omnes Gentes propagandum eſſe. nec enim vere poſſumus coram Deo curvare genu, niſi prius nobis innotuerit. Deo quidem ignoto homines cultum aliquem exhibere poſſunt: ſed fallax eſt, atque inanis. Hic autem loquitur de vera profeſſione, quæ ex notitia Dei penitus animis inſita naſcitur. Nam ubi nulla eſt fides, nullus Dei cultus eſſe poteſt. Fides autem non eſt rei ignotæ aut incertæ. Proinde, rem à ſigno notavit, ut ſæpius fieri ſolet. Unde obſervandum eſt, externum etiam cultum requiri à Deo. nec enim Propheta externam profeſſionem religionis ab interiore animi affectu disjungit. Fruſtra igitur fanatici quadam ſe Deum colere & venerari jactant, dum coram idolis ſeſe proſternunt. Fruſtra, inquam, obtendunt mentem ſuam in Deum erectam eſſe: quoniam animi cultus ab externa profeſſione dividi non poteſt: ſicuti anima dicari Deo & addici nequit, ut interim corpus diabolo addicatur. Utrumque enim Deo conſecrari debet, atque ita cum animi cultu externa quoque profeſſio conjungi. *Rom. 10. verſ. 10.* Corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeſſio fit ad ſalutem. Unde etiam Dominus pietatem ſuorum atque integritatem probans, ait, eos *1 Reg. 19. verſ. 18. Rom. 11. verſ. 4.* non flexiſſe genu ante Baal. Paulus hunc Jeſaiæ locum extremo judicio accommodat, dum ad tribunal *Rom. 14. v. 10, 11.* Chriſti omnibus ſtandum eſſe dicit: quum tamen hic de populi Redemptione & publicatione Euangelii, & ſtabiliendo Chriſti regno agatur. Verum id pro confeſſo ſumit quod omnibus notum eſſe debet, quæ ad regnum Chriſti pertinent ad aliquam ejus partem reſtringenda non eſſe: ſed ad totum ejus curſum patere, donec ad cumulum & perfectionem ventum erit. Flectitur genu Chriſto, dum paretur ejus doctrinæ, atque Euangelii prædicatio admittitur. Sed multi adhuc repugnant, & ſecure ipſum contemnunt. plurima molitur Satan, & aſſidue bellum cum ipſo gerit. Longe ergo abſumus ab hujus prophetiæ complemento. Tunc ergo vere flectetur Chriſto omne genu, quum victis & funditus deletis hoſtibus triumphabit, majeſtatemque ſuam omnibus conſpicuam reddet, quæ nunc à Satana & impiis oppugnatur. Itaque docet Paulus, dum Chriſtus tribunal ad judicandum orbem conſcendet, completum iri quod fieri cœpit ab Euangelii exordio, & quotidie adhuc fieri cernimus. Verbum Jurandi ſynecdochice pro cultu, reverentia, vel ſubjectione poſitum eſt. Jusjurandum, ſpecies eſt honoris qui debetur Deo. Eo enim fatemur & agnoſcimus ipſum auctorem eſſe & patrem veritatis, & legitimum ejus vindicem, omniaque nuda ipſi & aperta eſſe. *Hebr. 4. verſ. 13.* Quum igitur hic honos transfertur ad idola, execrando ſacrilegio violatur majeſtas Dei. Ergo per ipſius ſolummodo nomen ii jurant, qui pure ipſum colunt. Sed de hac re alibi dictum eſt. *ſupr. 10. verſ. 18.*

24. *Utique in Domino.*] Oſtendit qualis ſit vera fides, veruſque Dei cultus: nempe, quum non tantum agnoſcimus, aut mente comprehendimus aliquem eſſe Deum, ſed etiam ſentimus qualis erga nos eſſe velit. Quiſquis enim contentus erit nuda notitia, plurimum aberrat à fide, quæ nos Deo ita conjungere debet ut ipſum ſentiamus in nobis: ſicuti Paulus *Epheſ. 3. verſ. 17.* Chriſtum vult habitare in cordibus piorum per fidem. nec enim qui Deum imaginatur otioſum in cælo ſedere, vel coram ipſo ſincere humiliabitur, vel in ſeriam profeſſionem erumpet. *Juſtitiæ & robur.* Quia hæc duo præcipua ſunt ſalutis noſtræ capita, dum utrumque à Deo ſe habere fideles profitentur, ſolidam beatæ vitæ laudem in eum transferibunt. quod autem ejus gratiæ ferunt acceptum, ſibi deeſſe teſtantur. Itaque agnoſcunt ſibi nihil aut juſtitiæ, aut virium ex ſeipſis eſſe: ſed in ſolo Deo quærunt, ut jure ſuo non fraudetur. *Ad eum uſque veniet.* Hic variant interpretes. Ego tamen ſimpliciter intelligo hunc locum de fidelibus qui ſe Deo ſubjiciunt, ut conſtet ratio antitheſeos inter ipſos & rebelles, qui contumaciter Deo obſiſtere non deſinunt. Sic igitur expono, Qui juſtitiam ſuam in Deo locatam eſſe fatebuntur, ad eum accedent. Significat enim acceſſum patere ad Deum per fidem: ut *Rom. 5. v. 1, 2. Epheſ. 3. verſ. 12.* præſentem eum ſentiant quicunque juſtitiam ſuam in ipſo ſitam eſſe agnoſcunt. Et certe nemo niſi Deo reconciliatus libenter unquam ad eum accedet: quin potius longiſſime refugient omnes quibus formidabilis erit ejus majeſtas. Hic ergo jucundiſſimum gratiæ fructum commendat Propheta: quia Deo conjunget homines quos ante abigebat ſua impietas. cui reſpondet quod legitur Pſalmo 65. Tu Deus *Pſal. 65. verſ. 3.* exaudiens precationem, ad te omnis caro veniet. Poſtquam autem teſtatus eſt Deum alienos ex diſſipatione velle colligere, ut eos familiariter ſibi conciliet, vindictam denunciat contemptoribus, qui ſine Deo laſciviunt, eoque ſpreto ingurgitant ſe mundi deliciis. Nam quemadmodum ſola fide obedimus Deo, ita ſola incredulitate ipſius iram provocari docet Jeſaias: dum hac nota inſignit omnes incredulos, quod Deo ſint immorigeri, imo eum ad certamen laceſſant. quamvis ergo triumphos ſuos nunc agant, ignominia pudefactum iri pronunciat.

25. *In Domino juſtificabuntur.*] Nunc breviter occurrit objectioni quæ afferri poterat, quod abſurdum videretur Gentes à Domino vocari, quæ ſemper alienæ fuiſſent: An fruſtra Dominus elegit ſemen *Geneſ. 15. verſ. 5. & 17: 7.* Abrahæ? an irrita eſt promiſſio toties ab ipſo repetita? Ut dubitationem hanc tollat, ſignificat Dominum nihilominus promiſſis ſuis ſtaturum eſſe: quamvis Gentes eligat, fœdus tamen quod cum Patribus inierat, non fore irritum. quia gradum ſuæ prærogativæ tenebit electus populus. Neque enim hic, ut ſæpius alibi, de rejectione illius gentis agitur:

ſed Propheta ſimpliciter docet gratiam Dei, quæ ſe diffundet per totum orbem, orituram ab illo fonte. Quod majorem numerum Deus abdicavit, non redegit tamen in nihilum fœdus Dei: quia reliquiæ adoptionis ſemper fuerunt verus & legitimus Iſraël: & quamvis pauci eſſent numero, fuerunt tamen primogeniti in Eccleſia. Deinde quicunque ex Gentibus inſiti fuerunt in corpus illud, cenſeri etiam cœperunt
cap. 44. 5. filii Abrahæ, ſicuti ante vidimus: Hic dicet, Pertineo ad Jacob: ille ſcribet manu ſua, Ego ſum progenitus ab Iſraële. atque hoc jure nunc reputamur ge-
Galat. 6. verſ. 16. nuinus Iſraël Dei, quamvis ab Iſraële progeniti non ſimus. Hoc igitur addidit Propheta, tum ne Judæi fœdus Domini irritum eſſe exiſtimarent, tum ne in genere ſuo gloriarentur, ac Gentes deſpicerent. *Totum ſemen Iſraël.* Latius extendit hoc ſemen, ne [illegible] genus Abrahæ reſtringendum eſſe putent. Colligit enim Dominus populum ſuum promiſcue ex Judæis & Gentibus: atque hic in univerſum de toto genere humano loquitur. Obſervandum etiam quod Propheta dicit nos juſtificari & gloriari in Domino. nec enim alibi juſtitia aut gloria quærenda eſt. Gloriam conjunxit, quia dependet à juſtitia, eique annexa eſt. unde etiam Paulus, Ubi eſt gloriatio tua? Excluſa Rom. 3.
eſt. Per quam legem? Operum? Non: ſed per legem verſ. 17.
fidei. Item, Si operibus juſtificatus eſt Abraham, Rom. 4.
gloriam habet, ſed non apud Deum. Sequitur ergo verſ. 2.
eos ſolos merito gloriari qui in Deo juſtitiam ſuam quærunt, neque in ſeipſis ullam gloriæ materiam eſſe agnoſcunt.

Cap. XLVI.

a vel, proſtratus eſt.

INcurvatus [a] eſt Bel: depreſſus eſt Nebo. Simulachra eorum beſtiæ & jumento erunt, geſtantia vos à vobis onerata, pondus ad laſſitudinem.

2. Incurvata ſunt, depreſſa ſunt pariter, (&) non potuerunt ſe ſubtrahere oneri: & anima eorum in captivitatem abiit.

3. Audite me domus Jacob, omnes reliquiæ domus Iſraël, qui geſtamini ab utero, qui portamini à vulva.

4. Et uſque ad ſenium ego idem, & uſque ad canitiem ego portabo. Ego feci, & ego feram, ego portabo & ſervabo.

5. Cui ſimilem me facitis, & æquatis, & comparatis me, ut ſimilis ſim?

6. Promentes aurum ex ſacculis, argentum in ſtatera ponderantes, conducent aurifabrum, ut ex eo faciant Deum, cui ſe incurvent, & quem adorent.

7. Portabunt ſuper humerum, deferent, ponent in loco ſuo, illic ſtabit, loco ſuo non movebitur. Adhæc, ſi quis clamet ad eum, non reſpondebit, neque ex tribulatione ejus liberabit eum.

b vel, roboramini.

8. Recordamini hoc, & [b] erubeſcite: redite prævaricatores ad cor.

9. Recordamini priora à ſeculo: quia ego Deus, & nullus præterea Deus, & nihil mihi ſimile.

10. Nuncians ab initio noviſſimum, & à vetuſtate quæ nondum facta erant: dicens, Conſilium meum ſtabit, & quicquid voluero, faciam.

c vel, cogitationem.

11. Vocans ab Oriente [c] avem, è terra longinqua virum conſilii mei. Loquutus ſum, ideo adducam hoc: cogitavi, idem faciam.

12. Audite me præfracti corde, qui procul eſtis à juſtitia.

13. Appropinquare faciam juſtitiam meam, nec elongabitur, & ſalus mea non morabitur. Et ponam in Sion ſalutem, & in Jeruſalem gloriam meam.

I*Ncurvatus eſt Bel.*] Idem argumentum proſequitur Jeſaias. nec enim ſectionem capitum morari debemus, quæ non ſemper apte diviſa fuerunt: ſed ipſas ſententias expendere, quæ inter ſe quo dixi modo optime cohærent. Quanquam ſi quis exordium eſſe malit novæ concionis, quia de ruina Babylonis mox vaticinium ſubjiciet, non admodum pugnabo. Bel & Nebo idola erant, quæ à Chaldæis colebantur: ac veluti patronos eorum ſummos fuiſſe veriſimile eſt: ut ſemper idololatræ præcipuos quoſdam divos habere ſolent, ſub quorum tutela ſe eſſe arbitrantur. Nebonem quidem iſtum quaſi ſecundarium deum fuiſſe conſentaneum eſt, qui Belo ſummo deo adjungebatur, ut Mercurius Jovi. Sub horum nomine cætera etiam idola comprehendit: atque ſignificat omnes Gentium ſuperſtitiones & cultus impios ſubverſum iri, ubi Deus proſtratis eorum cultoribus triumphum aget: quia tunc patebit eum eſſe juſtum Eccleſiæ ſuæ vindicem. Nam quum falſorum deorum præſidio ſuperbe gloriarentur Chaldæi, fallacem illam confidentiam retundit Propheta: quia Deus Iſraëlis non modo impiam illam gentem profligabit, ſed ejus quoque deos ignominioſe dejiciet. Propterea jumentorum onera fore dicit: quoniam plauſtris impoſita alio transferentur, & quidem ſine honore projecta, prout aurigis placuerit. hoc enim valet Deprimi: quia deos illos quibus ſublimis prius erat ſtatura, raptores in denſum acervum compingent. Hoc quidem impletum eſſe dubium non eſt, quum Babylonem Perſæ & Medi expugnarunt. Tranſlata enim monarchia, hæc idola, ut pars prædæ, ablata ſunt. Sed quamvis hoc prædiceret, longius tamen ſpectavit Jeſaias: nempe ad Chriſti adventum, quo impii cultus ſummovendi ac delendi erant. Nam ſtabilito ejus regno, idola omnia ſtatim concidunt: nec fieri poteſt ut cum ejus notione, falſa religio & impii cultus retineantur. Omnes tenebras ſuo fulgore diſcutit, ut nullum falſis diis aut ſuperſtitionibus locum relinquat. Quid enim Chriſto cum Belial? ut inquit Paulus: Quid 2 Cor. 6.
luci cum tenebris? Simul notandum eſt Prophetam verſ. 15.
habuiſſe rationem temporis, quo Judæi captivi tenebantur. Videbant enim Chaldæos idolis ſuffitum facientes, ſummamque tribuentes potentiam, quaſi ſumma rerum ab iis penderet. Deus autem Judæorum ludibrio habebatur, quaſi populum ſuum tueri non poſſet, aut contemneret. Propterea tantam rerum converſionem fore oſtendit, ut dii Chaldæorum concidant, qui tantopere evehebantur; Deus autem qui videbatur jacere, exurgat, & ſuos vindicet.

2. *Non potuerunt ſe ſubtrahere.*] Vanitatem talium deorum ridet, qui nullum aut vigorem aut motum habent, nec ſe tueri aut ſuſtinere poſſunt: qui denique jumentorum viribus egent, à quibus deferantur. Subeſt igitur tacita antitheſis inter idola & verum

rum Deum, qui nullius omnino rei eget. de jumentis quidem interpretor: ſed ignominiam amplificat Propheta, jumentis quoque ipſis moleſtum fuiſſe onus, & quod libenter excuſſiſſent: itaque falſos deos, ubi inutiles fuerunt ſuis cultoribus, jumenta quoque fatigaſſe. *Anima eorum.* Loquutio eſt Hebraica. Perſtringit autem illos deos quibus neque anima neque ſenſus ineſt. Hæc igitur ironice in vana & muta idola dicit: nempe futurum ut cum ſua anima in captivitatem abducantur. Sed videndum eſt, annon hæc in verum Deum retorqueri poſſint: cujus Arca à [1 Sam. 4. verſ. 11.] Philiſtæis capta eſt, in qua præſentiæ ſuæ teſtimonium dabat. ſic enim Dominus quodammodo captivus eſſe videbatur. Huic objectioni facilis reſponſio eſt: quia etſi Dominus volebat Arcam præſentiæ ſuæ teſtimonium eſſe, tamen Judæos in eam defixos eſſe atque hærere vetabat: ſed jubebat in cælum evectos eſſe, ut illic Deum quærerent, atque venerarentur. [Joan. 4. verſ. 23.] Semper enim ſpiritualiter coli voluit, neque adorabatur Arca pro Deo: ſed ſymbolum erat, quo populus ad Deum veluti manu ſurſum ducebatur. Gentes vero in idolis hærebant, iiſque affigebant poteſtatem numinis. Poſſet etiam dici Philiſtæos tandem [1 Sam. 5. verſ. 6.] pœnas dediſſe ſui ſceleris, atque agnoviſſe ſibi cum vero Deo eſſe negotium: ſed ea reſponſio non ſufficeret, quoniam aliquandiu paſſus eſt Dominus Arcam ſuam ludibrio haberi: ut ſatis ex hiſtoriæ contextu patet. Vera igitur ſolutio eſt, Tametſi Dominus ſe nobis per ſymbola & Sacramenta communicet, tamen in cælo quæri velle. Huc accedit, quod memorandis vaticiniis palam fecerat, ſe non trahi captivum à victoribus, ſed hoſtium libidini ſponte exponere ſua ſacra, ut populi ſcelera ulciſceretur. [2 Reg. 25. verſ. 4.] Neque poterant Judæi, quum templo direpto & incenſo vaſa Babylonem tranſlata ſunt, ambigere, eundem illum Deum quem coluerant, eſſe hujus pœnæ auctorem, quando toties per ſuos Prophetas minatus fuerat quod tunc accidit.

3. *Audite me.*] Hic eleganter oſtendit Propheta quantum verus Deus differat ab idolis. prius enim dixit plauſtris & vehiculis trahendos eſſe deos Babylonicos, quia conſtent ex mortua materia: nunc longe alias partes attribuit Deo Iſraëlis, nempe quod populum ſuum vehat: imo inſtar matris in utero geſtaverit, & inde egreſſum perpetuo geſtet in ſinu ſuo. compellat autem Judæos ut reſpondeant ſua experientia. hoc enim vehementius eos afficere debuit, quum reipſa ſentirent ſe & ſua onera eum ſuſtinere. Aptiſſima ergo antitheſi utitur, atque ex ſuperioribus concludit, Agnoſcite me verum eſſe Deum, & valde diſſimilem idolis, quæ inania ſunt & mortua pondera: quandoquidem vobis nota eſt ac comperta mea virtus ex aſſiduis beneficiis, quibus non deſtiti vos ab utero proſequi. Nec enim ſibi tantum potens eſt Dominus: ſed poteſtatem ſuam diffundit per omnes creaturas, ut vim & efficaciam ipſius ſentiamus. *Geſtamini ab utero.* Expreſſior eſt ſimilitudo, qua Deus matri fœtum in utero geſtanti ſeſe comparat. Loquitur autem de præterito tempore, quo gratiæ ſuæ teſtimonia ipſis dare cœpit. Quanquam ſimplicius poſſent accipi verba, quod Deus populum illum tanquam infantem à matris utero exceptum ſuaviter aluerit, ac portaverit in ſuo [Pſal. 22. verſ. 11.] gremio, ſicut dicitur Pſalmo 22. Sed quia non ſolum ex quo natus eſt populus ille patrem & nutritium Deus ſe præſtare cœpit, ſed etiam ſpiritualiter genuit: non diſplicet euſque verba extendi, quod velut ex Dei viſceribus in novam vitam & ſpem æternæ hæreditatis editi fuerint. Si quis objiciat, [Jer. 31. verſ. 9. Malac. 1. verſ. 6.] Deum ubique vocari Patrem, atque aptiorem hunc ei titulum eſſe: reſpondeo, nullis figuris ſingularem Dei erga nos affectum exprimi poſſe. Immenſus enim eſt atque multiplex: adeo ut ſi in unum congerantur omnia quæ de amore dici aut cogitari poſſunt, ea tamen ſua magnitudine ſuperet. Nulla igitur ſimilitudine incomparabilis ejus bonitas exprimi poteſt. ſi ſimpliciter intelligas, ex quo genuit eos Deus in ſinu ſuo molliter portaſſe & foviſſe, optime conveniet quod legitur in cantico Moſis, Suſtulit eos, & [Deut. 32. verſ. 11.] portavit tanquam aquila pullos in alis ſuis. Denique huc tendit conſilium Prophetæ, Niſi ſuæ originis oblivisci velint Judæi, aliter ſtatuere non poſſe, quam ſe non fruſtra genitos: ac Deum, qui ſe illis & patrem & matrem præbuit, ſemper affuturum. Deinde ita expertos eſſe continuo ſucceſſu ejus virtutem ut minime debeant idolis ſe addicere. Reliquias vocando ſignificat, ut ſupra, magnam partem ſua de- [cap. 10. verſ. 21.] fectione alienatam fuiſſe ab Eccleſia, ut ſpes liberationis non niſi ad paucos pertineret. Ideo audientiam ab illis exigit: quia increduli non minus quam profanæ gentes prorſus ad ejus vocem obſurduerant. Quamvis autem tunc non eſſet integer ſtatus, ſed ex populi diſſipatione exiguus numerus reſtaret: Deus tamen jubet eos reputare quam mirabiliter huc uſque ſervati fuerint, ne dubitent, ut jam olim, patris & matris officio erga ipſos functurum. Quum vero audientiam ſibi fieri poſtulat, oſtendit verum, imo unicum eſſe remedium ærumnis & calamitatibus noſtris, ſi ab ejus ore pendeamus, & ſimus attenti ad promiſſiones gratiæ: tunc enim nobis ſatis fore animi ad omnia toleranda: ſin minus, deſperationi viam parari: nec quicquam aliud quam exitium expectandum eſſe.

4. *Et uſque ad ſenium.*] ו hic pro illativa particula accipio, Itaque. Et diligenter illatio iſta notanda eſt. ſic enim concludit, Genui vos ac peperi: deinde, Infantes adhuc teneros geſtavi brachiis, itaque cuſtos vitæ veſtræ in finem uſque ſum futurus. [Pſal. 22. verſ. 10.] Sic etiam ratiocinatur David, Tu is es qui me ex utero extraxiſti: in te confiſus ſum pendens ab uberibus matris meæ: In te conjectus ſum à partu: ab utero matris meæ Deus meus es tu. Promittit ergo Judæis ſe patrem perpetuo fore. unde videmus certo colligendam eſſe fiduciam ſalutis, ex quo eam ſemel in nobis Dominus inchoavit. Vult enim opus ſuum [Pſal. 138. verſ. 8.] perſequi uſque in finem. Dominus, inquit David, perficiet quod inchoavit in me: item, Domine tua benignitas ſempiterna eſt, nec deſeres opera manuum tuarum. Particula הוא multum hic habet ponderis, meo judicio, quamvis alii interpretes ſimpliciter vertant per demonſtrativum Pronomen: ſed eundem, ac ſui ſimilem perpetuo Deum eſſe ſignificat, non tantum in eſſentia ſua, ſed reſpectu noſtri, ut eundem ipſi ſentiamus. Quod dicit, *Uſque ad ſenium*, poſſet abſurdum videri: quia ubi nos ab infantia extulit Deus adoleſcere convenit. verum ſi quiſque ſe probe excutiat, reperiemus nullos unquam eſſe tantos profectus quin Dei virtute ſuſtentari opus ſit: quia alioqui vel perfectiſſimus quiſque ſingulis prope momentis deficeret: ſicuti alibi etiam [Pſal. 71. verſ. 9.] David teſtatur, Ne deſeras me tempore ſenectutis, ubi declinat virtus mea ne te ſubducas. *Ego feci & geſtabo.* Eodem modo iterum ratiocinatur. Deus non reſpicit quid mereamur, ſed gratiam ſuam proſequitur in nobis. Itaque hinc fiducia colligenda eſt, Tu nos creaſti, non ut homines tantum, ſed ut filii tui eſſemus. Ergo in curſu paternæ & maternæ ſollicitudinis tibi uſque ad finem conſtabis.

5. *Cui ſimilem me facitis, & æquatis.*] Hic Propheta introducit Dominum expoſtulantem cum Judæis, quod ipſi diffiderent, atque dubitarent de ejus potentia: quod denique ipſum parem facerent idolis, atque etiam idola ipſi anteferrent. Nam quum viderent Chaldæos proſpero rerum ſtatu frui, inanem fuiſſe ſpem ſuam, extinctamque memoriam fœderis, ac vix Deum in cælo eſſe, & curam ſui agere arbitrabantur. Propterea conqueritur Dominus, quod idolis tribuant aliquid potentiæ, atque ita potentiam ſuam obſcurent. Idem argumentum prius tractatum eſt capite quadrageſimo ſecundo, quadra-

geſimo

geſimo tertio, & ſequentibus. quamobrem ſingula repetere minime neceſſe eſt. Ne ergo ex præſenti rerum ſtatu potentiam Dei metirentur, animos altius tolli jubet. ut ſi hodie, dum videmus Papiſtas feliciter agere, dubitaremus an veram religionem haberent, eadem monitione revocandi eſſemus. hoc enim eſſet Deum conferre cum idolis. Atque diligenter notanda hæc circumſtantia eſt, qua præterita & neglecta, multi frigidi interpretes extenuant hanc ſententiam, dum exiſtimant Prophetam ſimpliciter invehi in ſuperſtitioſos, qui ligno aut lapidi numen aliquod tribuunt: quia ita deformetur gloria Dei, dum rebus mortuis comparatur. ſed non dubito quin perverſum illud & malignum judicium coarguat, quod ſcilicet populus, quum rebus adverſis premeretur, Deum Babyloniis propitium eſſe fingeret. Nam ſi propitius ipſis eſſet, ſequeretur idolorum cultum ab ipſo probari. atque ſic ad mutas creaturas ipſius honor transferretur. Cæterum, hinc etiam generalis doctrina colligi poteſt, Deum ſpoliari ſua gloria, quum mutis rebus & vanis com- *Actor. 17. verſ. 25.* paratur: quemadmodum & Paulus eam apte accommodat.

6. & 7. *Promentes aurum ex ſacculis, argentum in ſtatera.*] Hæc prius dicta fuerant à Propheta, nunc ea repetit, ut magis ac magis hanc doctrinam animis hominum infigat: quoniam ſuperſtitio in eorum animis tam alte radices egit, ut revelli nullo modo queat, niſi Dominus naturam noſtram penitus immutet. Excidunt ſtatim ea quæ de hac inſania audierimus: quia ſemper gerimus aliquod ſemen ſuperſtitionis, nec quicquam proclivius quam ut in eam relabamur. Dicit igitur ad cudenda idola ab uno materiam, ab alio formam afferri: atque ita duos quodammodo eſſe talium deorum genitores: divitem ſcilicet à quo promitur aurum aut argentum: deinde fabrum, à quo additur forma, atque idolum effingitur. Quo palam convincitur eorum vecordia qui deitatem in ſuis loculis & manu artificum quærunt. Quid enim ſibi vult tam ſubita mutatio, quod ſeſe proſternunt coram metallo ſimulac aliam formam induit, & quidem ipſorum arbitrio vel libidine? quia non alius eſt Deus, niſi quem ſuis impenſis fabricare placuit. Et particula אף in ſecundo verbo auget hanc dementiam. Eſſet enim aliquis forſan veniæ locus, ſi quis præoccupatus ſubito errore, falſum aliquem deum adoraret: ſed hi obſtinate perſequuntur errorem ſuum. Amplificat ergo iſtam pervicaciam, ac penitus excæcatos eſſe oſtendit. Nimis autem craſſus eſt, ut dixi, hic ſtupor, quum homines Deum adorant quem ipſi manibus ſuis fabricarunt. Ad hanc quoque amplificationem pertinet id quod ſequitur proximo verſu, *Portabunt ſuper humerum*, &c. nam quum ſenſu omni careant, ſtupidiſſimos, imo pervicaciſſimos eſſe oportet qui ad eos opis petendæ gratia confugiunt.

8. *Recordamini hoc.*] Poteſt bifariam accipi hic verſus, vel ut Judæos, vel ut Gentes Dominus alloquatur. Homines enim qui non ſunt alioqui edocti in Lege, ideo falluntur, quod notionem, quam Deus animis eorum accendit, extinguant: quia nemo eſt qui non habeat inſitum natura aliquod ſemen religionis: ſed ipſum ſuffocant homines ſua infidelitate, vel corrumpunt & adulterant ſuis figmentis. Hac ergo ratione poſſemus hæc ad univerſum genus humanum extendere. Sed alterum ſenſum amplecti malo, ſicuti eum flagitat contextus: quia ſubjicit paulo poſt quæ non niſi in Judæos competunt, quos ideo prævaricatores vocat, quia brevi tentatione victi à vero Deo defecerant, acſi captivitas obliterare ex eorum animis deberet quæcunque in eos contulerat beneficia. Ergo quum illis excuſſa eſſet vera religio, ingratitudinem eorum aſperius objurgat, quod tam facile ad impia commenta abrepti fuerint. Dum jubet *redire ad cor*, ſignificat eos non eſſe ſanæ mentis. Alii vertunt, Reducite, quod magis dilutum eſt, & jam paulo ante juſſit reminiſci, & idem ſtatim repetet. nunc ergo potius eos ad cor revocat, quia oblivio beneficiorum Dei ſpecies erat dementiæ. *Erubeſcite.* Alii vertunt, Viriliter agite, ac deducunt ab אש: alii ab אשש, quod Fundamentum ſignificat: acſi diceret, Colligite animos: nolite de auxilio meo deſperare. ſed magis aſſentior Hieronymo, qui deducit ab בש: quia melius convenit, ubi retectum eſt illis ſuum dedecus, pudefieri, quam viriles animos induere: tametſi liberum cuique judicium relinquam. Vult ergo ipſos ſuæ vecordiæ, ingratitudinis, atque impietatis pudere, ut ad Deum revertantur.

9. *Recordamini priora.*] Expoſitio eſt ſuperioris ſententiæ. plenius enim declarat quid prius voluerit: nempe Deum ſat multis documentis de ſe teſtatum eſſe, atque oſtendiſſe qualis & quantus eſſet. idque non triduo duntaxat, aut annis aliquot, ſed à ſeculo. Continuaverat enim beneficia ſua, eoſque aſſidue gratia ſua proſequutus erat. Inde colligit luculenta extare ſigna ſuæ Deitatis, ne alio animos ſuos transferant. Particula enim כי hoc loco non tam cauſalis, quam expoſitiva eſt. Adde quod non tantum agnoſci Deus, ſed ſolus agnoſci vult, quemadmodum prius dictum eſt. ideoque vult ab omnibus diis, quos ſibi homines finxerunt, ſeparari, ut in eum penitus defixi ſimus: quia ſi quem admitteret ſocium, concideret, vel labaſceret ſolium ejus. vel enim unus eſt Deus, vel nullus.

10. *Nuncians ab initio noviſſimum*, &c.] Fuſius jam diſſerit quomodo recordari velit Judæos præteriti temporis, nempe quia continuis vaticiniis edocti fuerint, quatenus ferebat eorum utilitas. ſed ab hac præfatione mox tranſitum ſibi facit ad ſpem liberationis. nec vero miremur hæc ſæpius repeti, quia res perſuaſu difficilis erat: populus ipſe non modo tardus ad credendum, ſed etiam refractarius. Admonet igitur eos pridem, neque ſemel didiciſſe quam tutum ſit fidem habere Deo. neque ſolam ejus præſcientiam hic commendat, ſed quæ decreverat teſtatum fuiſſe per Prophetas ſuos dicit. nec vero ulla vaticiniis eſſet certitudo, vel firmitas, niſi idem Deus qui pronunciat hoc vel illud futurum, rerum eventus haberet in manu. Interea admonet veraciter ſe loqui & proferre ſua decreta in omnibus oraculis, ne dubitent certo acquieſcere Judæi ſimulac loquuti fuerint Prophetæ. Cæterum quia hæc copioſius jam expoſui, nunc tantum parce attingo.

11. *Vocans ab Oriente avem, è terra* &c.] Poſtquam Propheta de præſcientia & virtute Dei loquutus eſt, accommodat generalem ſententiam qua uſus eſt, ad inſtitutum ſuum. Judæos enim conſolari volebat, atque oſtendere non ita eſſe in exilium abductos, quin ſpes maneret aliqua liberationis. Speciem ergo ſubjungit, atque Cyrum venturum promittit, tametſi id incredibile videretur. Ubi ego Cogitationem reddidi, Interpretes fere vertunt Avem: & certe hæc genuina eſt vocis ſignificatio. Sed quum ex Danielis ſecundo colligere liceat pro Conſilio *Dan. 2.* interdum ſumi (nam epentheſis illa in nomine עיט *verſ. 14.* Chaldæis uſitata eſt) malo hanc interpretationem ſequi, ut Hebræis quibuſdam probatur. Interea fieri poteſt ut alludat ad avem, acſi diceret ſubitum fore conſilium: nec repugno quin celeritatem adventus Cyri notare velit. Quod rurſus Cyrum *virum* conſilii ſui vocat, repetitio eſt frequentiſſima Hebræis: unde etiam patet priore membro nomen עיט pro Cogitatione vel decreto eſſe poſitum. Virum autem conſilii vocat, quia decretum Domini exequetur. Si cui tamen placet nomen Avis, ego non contendo: elegans enim metaphora eſt: nam adeo repentinus atque inopinatus Cyri adventus fuit, ut tanquam avis advolaſſe videretur. Repente invaſit Babylo-

bylonem atque expugnavit, quum tamen Chaldæi nullum ei aditum patere exiſtimarent. Poteſt etiam dici, ſi cui magis hæc interpretatio placet, Jeſaiam alludere ad auguria, quibus valde intenti erant Chaldæi. Ut enim Aſtrologia judiciaria utebantur, ita avium volatus & garritus obſervabant, atque exiſtimabant certam eſſe ſcientiam rerum futurarum. Dominus vero ſe avem, quam non præviderant, miſſurum denunciat. Mihi tamen prior expoſitio magis placet: nempe ut alludat ad celeritatem Cyri: atque ſignificet nullas ei vias præcluſas fore, nullas munitiones obſtaturas quominus in Babylonem ſtatim penetret. Quum dicit *ab Oriente*, hoc non ſolum pertinet ad certitudinem promiſſionis: ſed ut ſciant nulla diſtantia vel longinquitate tardari poſſe opus Dei: ideoque ſecundo membro expoſitionis vice additur, *è terra longinqua*. Hinc diſcamus in quem finem conferri debeant quæcunque paſſim de præſcientia & virtute Dei legimus in Scripturis. nec enim dicuntur iſta ut hæreamus ſuſpenſi, ſed ut in uſum noſtrum accommodemus. Jam tacite opponit conſilium Dei noſtris cogitationibus: quoniam ita liberat ſuos, ut non poſſit ratio ab hominibus comprehendi. Tametſi ergo incredibile videtur quod promittit Deus, dicit tamen ſibi facile viam patefacturum, ne tam ardua ejus conſilia ingenio noſtro metiamur. *Cogitavi.* Alii vertunt Formavi: ſed magis quadrare videtur, ut יצר hoc loco Cogitare ſignificet. Confirmat autem quod antea dixit: nempe, hoc ita à ſe conſtitutum, ideoque fore ſtabile & irrevocabile. Quod autem addit, *Loquutus ſum, & adducam*, perinde valet acſi diceret, nihil à ſe fruſtra prædictum eſſe, atque hoc vaticinium, quod promulgari juſſit, habendum pro re completa. Primum igitur hoc membrum poſuit ad aſtruendam ſibi fidem: altero autem conjungit cogitationes ſuas cum Verbo prædicato. Quod diligenter notandum eſt: quoniam variis cogitationibus diſtrahimur, ac dubitamus an Deus ex animo loquutus ſit: eumque nobis ſimilem, id eſt, duplicem aut ſimulatorem eſſe ſuſpicamur. At nihil à ſe exire pronunciat niſi quod jam antea apud ſe ſtatuerit: ita ut prædicatio Verbi nihil aliud ſit quam certum teſtimonium occulti ejus conſilii, quod nobis patefieri jubet. Nos ergo ſimulatque Dominus vocem aliquam protulit, de ejus effectu certi eſſe debemus.

12. *Audite me præfracti.*] Iterum objurgat Iſraëlitas, quod fidem habere Deo non poſſent, nec ullas conſolationes admitterent in rebus adverſis. Dura quidem & acerba eſt iſta objurgatio, ſed ea digniſſimi erant, quorum animi nulla promiſſione, nulla Dei ultro ſe offerentis quantumvis benigna invitatione leniebantur. Duo epitheta, quibus hic utitur, notanda ſunt, quibus ſignificat miſeros & afflictos januam claudere auxilio Dei propter ſuam contumaciam: quia tumultuando vel fremendo excutiunt timorem Dei, & ita ſe in deſperationem projiciunt, ut palam ferociant contra Deum. Alloquitur Judæos, qui tametſi propemodum oppreſſi eſſent, tamen faſtu & arrogantia turgebant, & abjecto Dei timore, inſaniebant magis ac magis: quemadmodum hodie multis uſuvenit, qui ærumnis & calamitatibus pervicaciores redduntur. Nullam ergo medicinam, nullum angoribus ſuis remedium admittebant. Si cui magis placeat Juſtitiam pro Dei auxilio, ut mox proximo verſu, ſumi, fruatur ſuo ſenſu. nec vero male convenit, eo quod Deum repellunt, ejuſque gratiam reſpuunt obſtinati homines, qui promiſſis ejus adhærere non ſuſtinent. Sibi enim à Deo beneficeri non patiuntur, qui opem ipſis ſuam offerebat.

13. *Appropinquare faciam.*] Si magis arrideat quod nuper dixi, vocari Remotos à juſtitia, qui capaces non ſunt Dei gratiæ, eadem manebit ſignificatio: ſin vero recipimus procul fuiſſe à juſtitia Judæos, quia ut ſolent deſperati homines, ſceleribus dediti erant, erit concinna antitheſis inter hominum & Dei juſtitiam. Quamvis ergo ab omni ſtudio pietatis defecerint, & alienati ſint Judæi, Deus tamen ſuam juſtitiam affirmat propinquam eſſe. quaſi diceret, incredulitatem maximum quidem impedimentum eſſe: ſed tamen ejuſmodi, ut Deo obſtare non poſſit, quin veritatis ſuæ vim tandem patefaciat. Nec enim, ut ait Paulus, incredulitas hominum, veritatem Rom. 3. v. 3, 4. Dei irritam facere poteſt: atque ut mendaces ſint homines, Deus ſemper verax erit. Et certe niſi malitiam hominum bonitate ſua ſuperaret, omnes ad unum interiremus. quis enim Deum admittit, ejuſque gratia utitur ut decet? Quod igitur beneficia ſua non proſequitur in nobis, non aliunde evenit, quam quod alieni ſumus à juſtitia ipſius: & tamen invitis & repugnantibus nobis appropinquat, ut juſtitiam ſuam exerat, quantumlibet indigni ſimus. Hoc autem ita efficit, ut impii nihil omnino fructus ex ea percipiant: neque enim impios apoſtatas complexus eſt Propheta, acſi futuri eſſent ſalutis quam promittit conſortes: ſed tantum dicit rationem Deo eſſe in promptu, qua emergat ipſius juſtitia. Hic vero conſiderandum qualis fuerit populi ſtatus, cui hæc dicebantur: nam omnia infidelitate corrupta erant, pauci admodum hærebant promiſſis Dei: & qui ex electorum numero erant, interdum præfractos ſe præbebant, ut eadem impietatis lue cum cæteris abrepti viderentur. Totum igitur populum objurgat: tum ut convincat reprobos, tum etiam ut electos caſtiget, atque in viam reducat: præſertim tamen inſultat incredulis, ut dixi, qui velut ex profeſſo arcebant ſpem omnem gratiæ. *Et ſalus mea.* Hinc magis perſpicuum eſt quid ſub Juſtitiæ nomine voluerit: nempe auxilium, quod Dominus populo ſuo promittebat. Idem ergo ſignificat Salutis & Juſtitiæ nomine: quia hoc maxime eſt illuſtre ſpecimen juſtitiæ Dei, ubi conſervat ſuos, tutatur atque eripit. Quod dicit non *elongari*, nec *morari*, ſupervacaneum non eſt: quia majorem in eo clementiam exprimit, quod reluctante & pene invito populo Dominus juſtitiæ ſuæ curſum nihilominus abſolvit. *Et ponam.* ו hic ponitur loco cauſalis particulæ, Quia ponam. Eſt autem altera confirmatio ſententiæ ſuperioris: quia ſemel conſtituit Dominus Jeroſolymam ſervare, non poſſe hoc bono eam fraudari. Gloriam vero ſuam conjungit cum piorum ſalute: quemadmodum etiam gloria à Paulo pro miſericordia uſurpatur. Ephes. 1. verſ. 6. & 3: 16. tunc enim maxime conſpicua eſt gloria Dei, quum vindicat ſuos ab interitu, atque in libertatem aſſerit: quia voluit Eccleſiæ ſalutem inſolubili vinculo cum ſua juſtitia conjunctam eſſe.

CAP. XLVII.

DEſcende, & ſede in pulvere, virgo filia Babel. Sede ſuper terram: non eſt ſolium filiæ Chaldæorum. Quoniam non fiet amplius ut te vocent teneram ac delicatam.

2. Tolle molas, & mole farinam, diſſolve cincinnos tuos, denuda pedes, diſcooperi crura, ut tranſeas flumina.

3. Retegetur turpitudo tua, & videbitur probrum tuum: ultionem ſumam, & non occurram * homini. * vel, homo.

4. Redemptor noſter, Jehova exercituum nomen ejus, ſanctus Iſraëlis.
5. Sede quieta, ingredere in tenebras filia Chaldæorum: quoniam non fiet amplius ut te vocent dominam regnorum.
6. Iratus fui in populum meum, profanavi hæreditatem meam, & tradidi eos in manum tuam: non præſtitiſti illis miſericordias: ſuper ſenem aggravaſti jugum tuum valde.
7. Et dixiſti, Ero in æternum domina. Hactenus non applicuiſti huc animum: neque recordata es finis ejus.
8. Nunc vero audi hoc delicata, ſedens confidenter: quæ dicit in corde ſuo, Ego ſum, & nihil amplius: non ſedebo vidua, nec ſciam orbitatem.
9. Atqui venient tibi iſta duo repente, die uno: orbitas & viduitas: ad perfectionem ſuam venient ſuper te, * ob multitudinem divinationum tuarum, & copiam augurum tuorum.

* vel, in multitudine.

10. Nam confiſa fuiſti in malitia tua: dixiſti, Nemo me videt. Sapientia tua, & ſcientia tua ipſa ſeduxit te. Et dixiſti in corde tuo, Ego, & non amplius.
11. Itaque veniet ſuper te malum, cujus diluculum ignoras: cadet ſuper te contritio, quam non poteris avertere. Veniet repente vaſtatio ſuper te, quam neſcis.
12. Sta nunc inter divinationes tuas, & in multitudine augurum tuorum, in quibus fatigaſti te à pueritia tua: ſi forte poſſis proficere, ſi forte robores te.
13. Fatigata es in multitudine conſiliorum tuorum, ſtent nunc & ſervent te colligatores cælorum, ſpeculatores aſtrorum, qui lunationes docent, ab iis quæ ventura ſunt ſuper te.
14. Ecce erunt quaſi ſtipula: ignis comburet eos: non liberabunt animam ſuam è manu flammæ: non pruna ad calefaciendum: lumen ad quod ſedeatur.
15. Sic tibi erunt cum quibus te fatigaſti: negotiatores tui à pueritia tua. Quiſque in plagam ſuam errabit: nemo erit qui te ſervet.

D*Eſcende, & ſede in pulvere.*] Nunc fuſius exponit Jeſaias quod de conſilio Dei & ejus exequutione breviter attigerat. Babylonis enim excidium aperte exprimit: quia nulla omnino ſpes de reditu populi concipi poterat, quamdiu ſtabat monarchia Babylonis. Proinde hæc duo ſimul conjunxit: nempe everſionem illius Monarchiæ, & populi, quæ deinde ſequuta eſt, liberationem. Nam urbis illius altitudo profundum veluti ſepulchrum fuit, ubi defoſſi erant Judæi: quo aperto Dominus populum ſuum in priſtinam vitam revocavit. Quod imperandi verbo utitur, plus efficaciæ habet, quam ſi nudis verbis & ſimplici narratione idem ſignificaſſet: nam magnifice & veluti è tribunali ipſam compellat: quia mandata Dei profert: ideoque audacter pro imperio promulgat quod futurum eſt: quemadmodum ſcimus hanc à Deo auctoritatem Prophetis datam eſſe. Jerem. 1., Ecce ego te hodie conſtitui ſuper gentes & regna, ut evellas & exſtirpes, perdas & ſubvertas, ædifices & plantes. Nulla enim eſt poteſtas quæ auctoritati Verbi non ſubjiciatur. Denique Judæos in rem præſentem adducere voluit: quia vix mutatio iſta concipi poterat, niſi Deus è cælo tonaret. *Filia Babel.* Hæc figura ſatis uſitata eſt Hebræis, populum videlicet aliquem, Filiæ nomine appellare. *Virginem* vocat, non quod pudica aut caſta eſſet, ſed quod molliter & delicate inſtar virginum educata, nullam vim paſſa eſſet ab hoſtibus: quemadmodum prius de Sidone dictum eſt. Atque hodie idem de Venetiis & aliis quibuſdam dici poſſet, quæ opibus abundant & deliciis, & beatiſſimæ, hominum judicio, exiſtimantur. nam hæc rerum converſio non minus ipſis quam Babyloniis extimeſcenda eſt: etiam quum longiſſime à periculo abeſſe videntur. *Quia non fiet amplius:* id eſt, non amplius applaudent tibi homines, qui te beatam eſſe exiſtimabant.

Jerem. 1. verſ. 10.

cap. 23. verſ. 2.

2. *Tolle molas.*] Tota hæc deſcriptio eo ſpectat, ut ſummam apud Chaldæos mutationem fore demonſtret: ut quæ in ſummo prius honore erat, extrema ignominia & omne genus contumeliis affecta inſigne iræ Dei ſpectaculum præbeat. Hæc enim ſunt indicia extremæ ſervitutis: ſicuti olim viliſſimi ſervi in piſtrinum abdebantur. Duriſſimam ergo captivorum, qui eo redigebantur, ſortem eſſe oportebat. Nam alioqui honeſtius & liberalius interdum tractari ſolebant captivi à victoribus. Hic vero miſerrima proponitur conditio, ne dubitent fideles ſibi liberum fore exitum, ubi ergaſtulis incluſi fuerint Chaldæi, à quibus tunc conſtricti tenebantur. Etſi autem non legimus regni proceres tam ignominioſe fuiſſe dejectos, hoc ad complendum vaticinium ſatis valuit, quod ſervilibus operis addictos Cyrus effœminavit, & ingenuis artibus coëgit renunciare. Jam quia ſuis lautitiis abſque modo luxuriati fuerant, iterum per cincinnos alludit ad virginum habitum. Scimus autem puellas plus ſatis curioſas eſſe in capillis concinnandis, & reliquo ornatu. Hic ex adverſo ſtatum atque habitum valde diſſimilem deſcribit: nempe à vertice ad calcem uſque ignominia, ſqualore & ſordibus contectum iri qui prius exquiſita elegantia nitebant. Virgines vix ſolent ambulare in publico, ſaltem viis bene ſtratis iter facere: at Chaldæis flumina tranſeunda eſſe dicit, & quidem nudis cruribus.

3. *Retegetur turpitudo tua.*] Concludit ſuperiorem ſententiam. Quamdiu florenti rerum ſtatu potita eſt Babylon, retinuit exiſtimationem ſuam, ſummoque honore affecta eſt. nam ſub opibus & potentia, tanquam ſub velis, ulcera ſæpe quam plurima latent: quæ ſublatis velis conſpicua redduntur, nec ſine maxima ignominia apparent. Atque, ut ait Demoſthenes, de ſtatu Philippi loquens, ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς σώμασιν ἕως ἂν μὲν ἐῤῥωμένος ᾖ τις, οὐδὲν ἐπαισθάνεται τῶν καθ' ἕκαστα σαθρῶν, ἐπὰν δὲ ἀῤῥώστημά τι συμβῇ, πάντα κινεῖται, κἂν ῥῆγμα, κἂν στρέμμα, κἂν ἄλλο τι τῶν ὑπαρχόντων σαθρὸν ᾖ, οὕτω καὶ τῶν πόλεων, καὶ τῶν τυράννων. Reteguntur enim probra quæ latebant, quum perturbatur eorum ſtatus, opibuſque & copiis ſpoliantur. Quia & ſævitia, & fraudes, & rapinæ, & perjuria, & injuſtæ vexationes, & alia ſcelera, quæ in proſpero ſucceſſu honori dabantur, in dedecus cedere incipiunt. *Ultionem ſumam, & non occurram homo.* Nonnulli hic כ ſuppleri volunt, *ut homo.* acſi diceret, Ne putes tibi cum homine eſſe negotium, cujus impetum ſuſtinere poſſis. Et certe aliis locis quum loquitur de manu hominis, moderationem aliquam deſignat. Hic autem ſignificat nullum remedium relinqui, quod Deus ipſos in nihilum redacturus ſit. Alii vero transferunt, *Non occurrente homini*; id eſt, occurſum hominis non recipiam. quiſquis occurrat, aut intercedat, ejs non parcam, nec pœnas remittam, nec mitigabo. Atque hic ſenſus

ſus optime congruit: ſed aliquid coacti habet in conſtructione. Sic enim אפגע accipiendum eſſet paſſive, quod vix tolerari poſſet. Præterea non ſimpliciter ait Propheta, quod non rogabitur, ſed quod placari non poterit. Prior itaque expoſitio melius fluit, quod ad verborum contextum attinet. Liberum tamen unicuique ſit eam eligere quam volet. Quamcunque enim expoſitionem ſequaris, ſumma eſt, Dominum Chaldæos deleturum, nec ullum omnino miſericordiæ locum fore. Tantum dico priorem mihi magis probari, quod textui melius conveniat.

4. *Redemptor noſter.*] Oſtendit Propheta in quem finem Dominus pœnas ſumpturus ſit de Chaldæis: nempe in ſalutem populi ſui, ſicuti prius monuerat. *cap. 45. verſ. 4.* Verum hæc ſententia multo plus energiæ habet, quod veluti ex abrupto & quaſi è ſomno quodam expergefactus loquatur, quum dirutam Babylonem videt, quæ prius alias nationes ſubigere, ac pedibus calcare ſolita erat. Atque hoc nulla alia de cauſa accidere demonſtrat, quam quod Dominus ſe redemptorem ac vindicem populi ſui præbet. *Sanctus Iſraëlis.* Acſi diceret, non fruſtra electum eſſe hunc populum, & ſegregatum ab aliis gentibus: in eo igitur potentiæ ſuæ ſpecimen edere voluit, atque ideo *Sancti* titulum potentiæ conjunxit.

5. *Sede quieta.*] Proſequitur idem argumentum: atque oſtendit finem monarchiæ Chaldæorum inſtare. Quod autem id incredibile videretur, ideo pluribus verbis idem repetit, atque inculcat quod brevius dici potuiſſet: adeoque hypotypoſes iſtas proponit, ut veluti in rem præſentem adducat. Quod ſedere ac ſilere ipſam jubet, pudoris vel probri indicium eſt. Quanquam poteſt hoc ſilentium priſtino ſtatui opponi, dum imperabat: quia tunc non modo ſublimius veluti è ſuggeſtu loquebatur, ſed perſonabat magno ſtrepitu, ſuiſque edictis totum Orientem terrebat: nunc mutata conditione ipſam tacitam ſedere jubet: quia non modo terrificas voces edere non audebit, ſed ne leviter quidem fremere. Cæterum quoniam ſubjicit, *Ingredere*, libenter amplector priorem ſenſum, ut pudorem ſignificet. Quorum enim mutata in pejus conditio eſt, os ſuum præ pudore obſtruunt, & vix hiſcere audent. *Quoniam non fiet amplius.* Scimus quam latiſſime monarchiam illam patuiſſe, multaſque ac magnas ditiones ſibi ſubjectas habuiſſe. caput enim multorum regnorum fuit. Propterea captivum populum his promiſſionibus muniri oportuit, atque admoneri de ejus caſu, ut certam ſalutis ſpem animo conciperent.

6. *Iratus fui.*] Occupatio eſt, qua Judæos, ut ſæpius antehac, admonet, exilii calamitatem flagellum eſſe divinitus inflictum: quia ſi aliunde profecta eſſet, remedium non erat in manu Dei. Ergo ut perſuaſi ſint plagas ſuas ab eodem qui eos percuſſerat ſanari poſſe, ſuis peccatis aſcribere eos jubet, quod tam duriter oppreſſi fuerint. Interea ad bonam ſpem hortatur: quia modum caſtigationi Deus adhibere velit: imo cauſam hanc commemorat, cur perdendi ſint Chaldæi, quia Deus qui juſtus eſt vindex crudelitatis & ſævitiæ, multo magis injurias populo ſuo illatas ulciſcetur. Cæterum priore membro Judæos ad pœnitentiam vocat: quia tot mala ſuis ſceleribus ſibi acceſſiverint. Deinde Chaldæos accuſat, quod hanc ſæviendi occaſionem arripuerint, quemadmodum ſi quis puerum quem pater caſtigari mandat, excarnificet. unde ſequitur fruſtra ſuperbire Chaldæos, quaſi potentia ſua Judæos ſubegerint, & abduxerint in captivitatem: quin potius dum perperam abuſi ſunt victoria, & crudeliter captivos tractarunt, merito pœnas daturos eſſe. Quod autem ſe iratum fuiſſe dicit, atque ideo hæreditatem ſuam profanaſſe, ne putemus conſilio mutato, ita fuiſſe offenſum, ut populi ſui curam cum fœderis memoria abjiceret: idque patet tum ex eventu, tum ex eo quod populum ſuum vocare adhuc dignatur, qui tamen magna ex parte erat alienus, quemque optimo jure profanaverat. Sed rationem habet fœderis ſui, dum ita loquitur. Originem enim & fundamentum ſpectat: ut cenſeantur ex populo Dei qui erant ab Abrahamo oriundi: tametſi pauciſſimi vere ad ipſum pertinerent, & inani ejus titulo gloriarentur. Itaque nomen Iræ in Scripturis ad affectum Dei referendum non eſt, qui ſalvum cupit populum ſuum: ſed ad nos ipſos, qui eum ſceleribus noſtris provocamus. Juſtam enim iraſcendi cauſam habet: tametſi nos amare non deſinat. Sic igitur profanat Eccleſiam ſuam, id eſt, proſtituit, & hoſtium prædæ exponit, ut non pereant electi, nec æternum fœdus ipſius violetur. Atque interea miſericordiæ ſuæ in medio iræ Dominus recordatur, & moderatur plagas quibus in populum animadvertit. Pœnas etiam tandem de iis ſumit qui in populum ſuum ſævierunt. Ergo ſi Dominus ad tempus profanat Eccleſiam ſuam, ſi eam tyranni crudeliter opprimunt, ne concidamus animis, ſed ad hanc promiſſionem confugiamus, Qui barbaram hanc Chaldæorum immanitatem ultus eſt, non minus iſtorum truculentiam ulciſcetur. Diligenter etiam notandum eſt, non eſſe cuiquam victoria abutendum, ut in captivos ſæviat, quemadmodum ſæpe fieri videmus. Homines enim exuta omni humanitate, vertuntur in belluas, neque ætati aut ſexui parcunt quum ſuperiores ſe eſſe vident: & conditionis ſuæ penitus obliviſcuntur. Hi poſtquam abuſi fuerint poteſtate ſua, tandem impune evaſuri non ſunt. nam judicium ſine miſericordia ſentient qui miſericordia caruerunt. *Jacob. 2. verſ. 13.* Quæritur tamen quomodo præſcriptum à Deo modum excedere potuerint Chaldæi, acſi eorum libido nullo freno cohiberetur. Et ubi erit illud, Capillus non cadet à capite veſtro ſine decreto Patris veſtri? *Luc. 21. verſ. 18.* reſponſio facilis eſt, Quamvis non fuerit in eorum arbitrio modum re ipſa excedere, ſpectari tamen eorum truculentiam, quia miſeros & ſupplices prorſus delere conati fuerint. Sic apud Zachariam de Gentium intemperantia conqueritur: *Zach. 1. verſ. 15.* quia quum pauliſper iratus eſſet populo ſuo, violento impetu ad eum perdendum ſeſe projecerint. Crimen vero exaggerat, quod ne ſenibus quidem pepercerint, quibus reverentiam naturaliter conciliat ætas. unde colligitur quam immanis fuerit eorum furor contra hoſtes armatos.

7. *Et dixiſti, Ero in æternum domina.*] Hic Babyloniorum ſuperbiam notat, quod perpetuum ſibi dominatum pollicerentur, nec ullo adverſo caſu corruere ſe poſſe exiſtimarent. Ita proſpero rerum ſtatu inebriantur filii hujus mundi, atque omnes præ ſe deſpiciunt. Hanc vero confidentiam ridet Jeſaias, atque Deo ſummopere exoſam eſſe oſtendit. *Dicere*, hic capitur pro ſtatuere in animo, ſicuti paulo poſt clarius patebit. Nec enim ſic palam loquuntur ſuperbi homines, ſed ita perſuaſi ſunt, tametſi diſſimulent. Eſt autem intolerabilis vecordia, dum homines fragilitatis ſuæ obliti, à communi ſorte ſe eximunt: quia hoc modo ſe homines eſſe obliviſcuntur. Fidelibus quidem ſua eſt ſecuritas, quia protegente manu Dei, intrepide ad omne diſcrimen expectandum parati ſunt. Interim tamen reputare non deſinunt, quia nihil ſtabile eſt in mundo, multis incommodis ſe eſſe obnoxios. Deo igitur inſultant profani homines, quoties ſtulta imaginatione inter aſſiduas mundi fluctuationes firmam quietem ſibi promittunt. Jam amplificandi furoris cauſa addit, ne longo quidem temporis progreſſu moderatiores eſſe factos. Parta enim victoria ſtatim elatos fuiſſe haud adeo mirum eſt: ſed ferocire in dies magis ac magis, & captivis inſultare immane prorſus atque intolerandum. Hoc autem ex ſuperbia, ut dixi, oriebatur: quod viciſſitudinem rerum tandem fore, &

præ-

præclarum illum ſtatum mutari poſſe non cogitarent. Itaque hæc ſecunda cauſa eſt, cur Dominus monarchiam Babyloniorum everterit. *Neque recordata es finis ejus.* Aliqui perſonæ mutationem hic eſſe putant, ſed hoc nimis coactum videtur. mihi vero dubium non eſt quin de fine Jeroſolymæ loquatur, ut etiam magis receptum eſt. Dominus enim ſæpe de Eccleſia, κατ' ἐξοχὴν, ſine expreſſione nominis, loqui ſolet: ut quum erga aliquem vehementer affecti ſumus. Impii vero finem Eccleſiæ ignorant, & quorſum in eam Dominus animadvertat. Piorum calamitati inſultant: quia prorſus deletos vellent ac perditos, nec eos curæ Deo eſſe conſiderant. Si quis objiciat, hoc Babyloni notum eſſe non potuiſſe, nihil ad rem pertinet: nec enim poterat iis ignotus eſſe Deus quem colebant Iſraëlitæ. Quum ergo magis efferrentur in Judæos, ac ferocirent, Deum ipſum afficiebant injuria: acſi ipſum & fœdus quod cum populo inierat data opera conculcaſſent.

8. *Et nunc audi.*] Hic Propheta iterum denunciat exitium Babyloni: atque verbis appoſitis utitur ad animos piorum confirmandos, ne proſpero Babyloniorum ſtatu ſtupefacti animum deſpondeant: neque tamen alloquitur Babylonem ut eam afficiat, ſed ut pios conſoletur. Deliciis vero ebriam fuiſſe adjungit: quia proſperitas, ut Dei donum eſt, non erat per ſe damnanda: ſed quam proclive ſit filiis ſeculi à lautitiis ad arrogantiam prolabi plus ſatis notum eſt. Adhæc jam exponit ipſe quale ſit illud Dicere, de quo ſuperiori verſu tractavimus: nempe perſuadere ſibi atque ſtatuere ita futurum, ut ſuperbi & arrogantes ſolent, qui tamen hoc ſæpe ficta modeſtia diſſimulant, nec palam fieri volunt. *Ego ſum, & nihil amplius.* Intolerabilis hæc arrogantia eſt, qua ſe toti orbi præfert. primum, quod ſe eſſe putet: deinde, quod reliquum orbem ſibi imparem eſſe arbitretur: tertio, quod polliceatur ſibi tranquillitatem æternam. Ac primum quidem vere eſſe nemo dicitur, niſi
Exod. 3. verſ. 14. ſolus Deus, cui hoc proprium eſt, Ego ſum qui ſum. Hac enim nota diſcernitur à creaturis. Eripit igitur Deo ſuum honorem qui ſe putat ſua virtute ſubſiſtere, atque ita Babylon ſeſe attollens cum Deo bellum gerebat. Præterea univerſum mundum afficiebat contumelia, quum ei ſeſe præferret. Ita ſuperbi homines incipiunt à Deo, ut eum ſibi hoſtem conſtituant: atque in homines deſinunt, ut nemine dempto omnes ſibi infeſtos reddant ſuo faſtu. Tertium membrum & quaſi cumulus ſuperbiæ eſt, quod ſtatum ſuum æternum fore putet, neque conſideret imbecillitatem rerum humanarum: nam quo altius evecti fuerint homines, eo interdum gravius deprimuntur.

9. *Atqui venient.*] Quum Babylon ſe extra omnem periculi aleam eſſe exiſtimaret, extremam ei calamitatem Propheta denunciat. quum diceret ſe nec viduam nec orbam fore: contra, utramque ei cladem venturam ſignificat, ita ut miſere deſtituta probroſo ſit ſpectaculo. Addit, *ad perfectionem*: id eſt, In ſolidum, ut nihil omnino deſit orbitati: ac tacita eſt antitheſis inter mediocres pœnas, quarum ſperari poteſt aliqua mitigatio, ac horribilem Dei vindictam, cujus non alius eſt finis quam interitus. Nam quo majore confidentia elati fuerint impii homines, eo gravius puniuntur. *Ob multitudinem divinationum.* alii vertunt Divinatorum: ſed mihi videtur nomen hoc rem aut vitium notare potius, quam perſonas. ב exponunt Propter, & accipiunt pro cauſali: quo ſenſu plerumque occurrit in Scripturis: quanquam poſſet commode exponi, Chaldæis nihil opis vel ſubſidii fore in fallaci, qua turgebant, divinationum ſcientia: pro eo quod dicimus vulgo, Non obſtante: acſi diceret, Non impediet divinatorum vel augurum copia ne hæc Babyloni accidant. Ridet enim fiduciam quam locabant in vanis ſuis auguribus, à quibus futura prævideri exiſtimabant: quia tamen paulo poſt in hac parte magis inſiſtet, libenter recipio hic recenſeri inter cauſas vindictæ, quod talibus præſtigiis confiſi nihil timuerint.

10. *Nam confiſa es.*] Explicat id quod dixit ſuperiore verſu, tametſi latius extendi poſſit: nempe ut fraudes & injurias, vim & injuſtas artes perſtringat, quibus Chaldæi in tantam potentiam evecti ſunt. nam amplis omnibus fere regnis accidit quod Archipirata ille dicebat, magna eſſe latrocinia. Nec enim aliter amplificant ditiones ſuas quam per vim & injuriam aliis extorquendo, atque juſtos poſſeſſores expellendo è ſuis ſedibus, ut ſoli late imperent. *Malitiam* autem vocat, quam poſtea magis ſpecioſis nominibus ornabit, Sapientiæ videlicet & ſcientiæ. Sic enim ſuas aſtutias fucare ſolent tyranni, dum poſthabito recti & æqui reſpectu callide populos circumveniunt: ſed deprehenduntur à Domino atque deteguntur, ut palam ſit eos fruſtra nequitiam ſuam inanibus velis contexiſſe. Ita Job, poſtquam ſapien- Job. 5. verſ. 13.
tes in ſapientia ſua deprehendi dixit, eam explicans, Aſtutiam vocat. Quod mox ſequitur, Babylonem putaſſe flagitia ſua non conſpici, ad peccandi licentiam ſpectat. quum enim homines contineat metus vel pudor in officio, qui neque Deum teſtem veretur, neque homines fore conſcios putat, perrumpit in omne genus ſcelerum. Verum quidem eſt, peſſimos quoſque conſcientiæ aculeis interdum pungi: ſed oculos claudendo in torporem non ſecus atque in latebras ſe demergunt, ſenſus denique ſuos omnes obdurant: præſertim videmus Deo audacter illudere, acſi ſua vafritie oblinere poſſent ejus oculos. nam quoties ſimplices fraudare volunt, ſatis eſſe putant ſi non deprehendantur: quaſi Deo imponere poſſint. ſed fruſtra ſibi blandiuntur in aſtutia: Dominus enim larvam ipſis facile detrahet. Deteſtanda igitur ab omnibus hæc ſapientia, qua homines ſeipſos fallunt, atque exitium ſibi accerſunt. *Ego, & non amplius.* Iterum repetit illas blaſphemias, ut quam execrandæ ſint Deo omnes aperte intelligant, & quam propinquum ſit exitium omnibus qui gradum ſuum tranſcendunt.

11. *Itaque veniet.*] Proſequitur argumentum quod prius attigerat, vanam Babyloniorum fiduciam ridens, qui ex aſtrorum ſitu putabant ſe omnia prævidere. Illis ergo inſtare dicit quod generaliter cunctis Dei contemptoribus denunciat Scriptura, nem- 1 Theſ. 5.
pe quum dixerint, Pax & ſecuritas, ut eos repenti- verſ. 3.
nus obruat interitus: ac diluculo ignotum illis fore quod veſperi complebitur. Atque ita accidiſſe ex
Daniele aperte liquet. Dan. 5. verſ. 30.

12. *Sta nunc inter divinationes.*] Sic loquitur Propheta, ut cum hominibus deploratis ſoliti ſumus, quibus nullæ monitiones proſunt, Age, ut ſoles: tandem res ipſa te docebit: ſcies quid tibi augures ac divinatores proſint. Porro Standi verbo alludit ad augurum morem, qui defixi uno in loco manent donec ſignum aliquod apparuerit. Sic & Aſtrologi regiones ſuas in cælo deſignant ad minima uſque puncta. Si quis de hominibus accipere malit, quia nomen בחברים ambiguum eſt, non admodum contra pugnabo. *Si forte robores.* acſi diceret, Non poteris cladem quæ tibi imminet augurum tuorum opera amoliri. Inſultat enim perverſæ eorum confidentiæ: quia ubi omnia experti fuerint, nullus ſequetur profectus.

13. *Fatigata es.*] Nunc etiam apertius declarat ea quæ prius aliquantum obſcure indicaverat: nempe omnia conſilia, quæ jam olim inierat Babylon, ipſi exitio fore. Vanam enim fiduciam intus conceptam fovebat ex perſuaſione potentiæ & ſapientiæ ſuæ, acſi nulla res ei nocumento eſſe poſſet. Nec tantum Conſilia vocat, ſed Multitudinem conſiliorum: ut ſignificet fruſtra inflari ipſos atque efferri, quantumvis ingenioſi ac periti ſint fallendi artifices: quoniam aſtuta eorum conſilia quo plura & ſpecioſiora fuerint, eo plus ipſis moleſtiæ exhibebunt. Generalis eſt ſententia adverſus eos qui ingenio ſuo freti, conſilia

ſilia hinc inde captant, & excudunt: prudentiaque ſua nixi, quicquid poteſt excogitari doli vel noxæ coacervant ad opprimendos alios. Deus enim omnes eorum machinas diſſipat, fraudeſque diſcutit: ſicuti
[ſupr. 30. verſ. 1.] capite 30. infauſtum illicitis omnibus mediis eventum minatus eſt. Audent, inquit, conſilium capere, ſed non ex me: telam ordiuntur, ſed non ex Spiritu meo. Atque ideo peſſime cedit multorum inſtitutis, quod Deum in conſilium minime adhibeant: à
[Jacob. 1. verſ. 5.] quo omnis ſapientia petenda erat. Nam quo plus ſatagunt, eo majores ſubeunt moleſtias: nec fructum ullum conſequi poſſunt. Præclare Solomon fruſtra
[Pſal. 127.] laborare dicit, qui mane ſurgunt, & ſero eunt cubitum, comeduntque panem doloris. nam de infidelibus loquitur, qui non rejiciunt curas ſuas in Dominum: ſed induſtria ſua freti, multa audacter ſuſcipiunt. Hanc confidentiam ridet Dominus, atque efficit ut tandem fruſtrati, ſentiant quam nihili ſint perverſa ſtudia & conatus, atque hoc modo pœnas luant ſuæ temeritatis: quum interea placide dormiant dilecti Dei: quemadmodum illic habetur: non quod moleſtiis omnibus eximantur, ſed quod non fatigent ſe inani labore, atque eventum omnium rerum ſuarum Deo commendent. *Stent nunc.* Hic perſpicimus quos potiſſimum conſiliarios intelligat Propheta: nempe divinatores illos, qui vano ſcientiæ nomine ſeſe populo venditabant, quaſi futura omnia tenerent ex aſtrorum conſpectu. Sed de judiciaria iſta
[cap. 44. verſ. 25.] Aſtrologia, & ejus vanitate prius diximus. Si quis objiciat, iſtorum non fuiſſe pericula quæ impendebant amoliri: reſpondeo, horum monitu id facturos fuiſſe Babylonios, ſi cladem prævidiſſent. Quum non prævideriut, ſequitur vaniſſimam ipſorum eſſe artem. Fruſtra vero nonnulli obtendunt inſcitiam artis, non artem ipſam exagitari à Propheta. Alloquitur enim Chaldæos, à quibus hæc ſcientia profecta eſt. Salſe autem dicit, cælos ab ipſis ſociari: quia perinde proferunt ſua decreta, acſi ſtellarum colligatione & complexu conſtrictum tenerent humanum genus. Quanquam ſi quis malit Incantatores vertere, ſenſus non male conveniet: & verbum חבר utrumque ſignificat. Etſi vero aſtrorum ordinem ſpeculari per ſe malum non eſt, longius quam liceat prorumpere dicit Propheta, qui obſcuros rerum eventus inde colligunt: ac videtur oblique ſpeculatores iſtos opponere Prophetis, quo magis deteſtabiles reddat: quia divinas omnes prædictiones extinguant. ubi enim fatalis neceſſitas ſtellis affigitur, neceſſe eſt excidere omnia Dei judicia.

14. *Ecce erunt quaſi ſtipula.*] Hic etiam acrius invehitur in Aſtrologos illos, qui Babyloni ſuperbiam inani ſua jactantia adaugebant. Solent enim ejuſmodi impoſtores omnem Dei timorem ex animis hominum eximere, dum omnia aſtris attribuunt, ita ut nihil providentiæ Dei relinquatur. Hinc contemptus Dei omniumque minarum ipſius: quia pœnæ non attribuuntur judicio Dei, ſed cuidam fato & complexui rerum quem ſtulte imaginantur. Hac ratione tam vehementer invehitur in Chaldæos, eoſque ſimiles fore dicit ſtipulæ accenſæ, quæ cito conſumitur. nec enim ligno comparat, cujus aliquis ad calefaciendum eſt uſus: ſed ſtipulæ, ut nihil levius aut vanius eſſe oſtendat.

15. *Sic tibi erunt.*] Poſtquam Aſtronomis illis cladem denunciavit, iterum revertitur ad Babylonios: ac denunciat non eſſe iis expectandam opem unde exiſtimabant: nec recumbendum eſſe in vanis conſiliis illis, quibus fruſtra ſe diu multumque torſerunt. *Negotiatores* vocat, quos dicimus vulgo *des practiqueurs*: metaphora ſumpta à mercatoribus, qui infinitas artes fallendi, omniſque generis impoſturas noverunt. Nec enim pro ſua dignitate conſulunt Principes, ſed pudendis artibus negotiantur. Etſi autem ad ſocios omnes à quibus adjuti fuerant Chaldæi, extendere hoc licet: Divinos tamen præcipue reſpicit Propheta. Quum addit, *à pueritia*, amplificat ſcelus Babylonis, quod à prima vetuſtate vana illa perſuaſione imbuta ſit, atque hunc errorem ingenitum habuerit. *Quiſque in plagam ſuam.* Exiſtimant hic Prophetam loqui de fuga Aſtrologorum, quod unuſquiſque ſaluti ſuæ conſulet. Et ego certe aſſentior. ſed alluſionem ſimul eſſe arbitror ad plagas cæli, quas Aſtrologi dividunt ac metiuntur, ut ex iis prognoſtica ſua deducant. Ridet igitur vanam eorum jactantiam: Divertent in plagas ſuas, ſed errabunt: nec ullus erit præſidio locus. Si quis ad eorum defectionem trahere malit, quorum opem præſto ſibi fore paratam putabat Babylon, non repugno.

CAP. XLVIII.

AUdite hoc domus Jacob, qui vocamini nomine Iſraëlis, qui de aquis Juda exierunt, qui jurant in nomine Jehovæ, & Dei Iſraël recordantur, non in veritate, neque in juſtitia.

2. Quoniam ab urbe ſancta denominantur, & innituntur Deo Iſraël, cujus nomen Jehova exercituum.

3. Priora jam olim annunciavi, ex ore meo egreſſa ſunt: publicavi ea, repente feci, & venerunt.

4. Quia cognovi quod durus ſis, & nervus ferreus cervix tua, & frons tua ænea.

5. Annunciavi tibi jam olim: antequam venirent indicavi tibi, ne forte diceres, Idolum meum fecit hæc: ſculptile meum & conflatile meum præcepit ea.

6. Audiſti, vide omnia. Et vos nonne annunciabitis? feci te jam nunc audire nova & abſcondita, quæ neſciebas.

7. Nunc primum creata ſunt, non jam olim, neque ſucceſſu temporis: non audieras ea: ne dicas, Ecce noveram.

8. Certe non audieras: certe non noveras: certe non fuit pridem aperta auris tua: quia ſciebam quod transgrediendo transgreſſurus eſſes. Ideo rebellem ab utero vocavi te.

9. Propter nomen meum differam furorem meum, & in laudem meam moderabor mihi erga te, ut te non ſuccidam.

10. Ecce examinavi te, & non inſtar argenti: elegi te in fornace afflictionis.

11. Propter me, propter me faciam. Nam quomodo profanabitur nomen meum? Et gloriam meam alteri non dabo.

12. Audi me Jacob, & Iſraël vocate mi. Ego ipſe, ego primus: adhuc ego noviſſimus.

13. Utique manus mea fundavit terram: & dextera mea palmo [a] menſa eſt cælos. Vocante me eos, [b] adſtant pariter.

[a] vel, ſuſtinuit.
[b] vel, adſtabunt.

14. Con-

14. Congregamini vos omnes, & audite. Quis in eis annuncians iſta? Jehova dilexit eum. Et voluntatem ejus exequetur in Babylone, & * brachium ejus in Chaldæis

*vel, opus.

15. Ego, ego loquutus ſum, utique vocavi eum, adduxi eum: ideo proſpere habebit in via ſua.

16. Accedite ad me, audite hoc. Non ab initio in abſcondito loquutus ſum. Ex quo res facta eſt, ibi fui. Et nunc Dominus Jehova miſit me, & Spiritus ejus.

17. Sic dixit Jehova redemptor tuus, Sanctus Iſraëlis. Ego Jehova Deus tuus, docens te utiliter: dirigens te per viam qua incedis.

18. O ſi attendiſſes ad mandata mea! Tunc fuiſſet uti fluvius pax tua: & juſtitia tua ut fluctus maris.

19. Fuiſſet ut arena ſemen tuum, & filii uteri tui ut lapilli ejus. Non ſuccideretur, neque aboleretur nomen ejus à conſpectu meo.

20. Exite è Babel, fugite à Chaldæis. Voce exultationis annunciate hoc, divulgate, efferte uſque ad extremum terræ. Dicite, Redemit Jehova ſervum ſuum Jacob.

21. Itaque non ſitierunt quum per ſolitudines duxit eos: aquam fecit illis fluere è petra, ſcidit petram, & fluxerunt aquæ.

22. Non eſt pax, dixit Jehova impiis.

AUdite hoc.] Nunc ſermonem convertit ad Judæos, ut etiam ipſorum præcipue rationem habuit in toto proximo capite. Nec enim miſſus erat Babyloniis, ſed ita ipſos compellat ut à Judæis audiri velit, quibus potiſſimum deſtinatus erat. Babyloniis ergo excidium nunciavit, ut Judæi liberationem placide expectarent, nec interea ipſorum magnitudine & potentia terrerentur, atque his promiſſis freti, adverſus omnes tentationes invicti ſtarent. Quum autem præfracti eſſent Judæi, nec promiſſis iſtis fidem haberent: atque prævideret Jeſaias qualis futura eſſet in exilio quoque ipſorum durities, & contumacia: ideo vehementius ipſos objurgat. Quanta porro fuerit eorum incredulitas, magis ex Ezechiele patet: quum obloquerentur Deo, omnemque fiduciam abjicerent, nec pluris facerent promiſſa Dei quam inanes fabulas. Non abs re igitur hac vehementia uſus eſt Jeſaias, ut oſtenderet ab iis ſummam Deo fieri injuriam, quod in gratia ipſius recumbere nollent. Alloquitur Iſraëlem, ſed qui re ipſa degener, titulotenus tunc erat Iſraël. nec enim honorificum hoc nomen uſurpat honoris cauſa: ſed potius ut falſam eorum jactantiam convincat, quod fruſtra illuſtri hoc titulo gloriarentur, à cujus veritate erant admodum alieni. Cur enim hoc nomine à Deo inſignitus eſt Jacob, niſi quod ſe fortem & invictam in adverſis præſtitiſſet? quod lucta illa in qua congreſſus eſt cum Deo, ſignificabat. Nam quum Dominus variis nos ærumnis exercet, quodammodo in certamen nobiſcum venit. Quî igitur hoc nomen conveniebat poſteritati, ſi rebus adverſis fracta omnem ex animo ſpem abjiciebat? Exprobrat deinde quod quum originem ducant à ſanctis Patribus, ſint tamen prorſus ipſis diſſimiles. Nam per Aquas Juda metaphorice intelligit fontem & ſcaturiginem, ex qua Judæi orti erant. nec enim aſſentior Judæis qui Aquarum nomine ſperma intelligunt, quod liquidum & aquoſum ſit (hoc enim puerile eſt) ſed apte fluit ſimilitudo ab aquis ducta, quæ alicunde oriuntur. Ubi vero eos perſtrinxit, quod ſanctorum Patrum degeneres eſſent ac perverſi filii, adjungit fallaciter obtendere Dei cultum, & ſpeciem pietatis à qua longe ſunt remoti. Quia vero juſjurandum ſpecies eſt cultus Dei, ſpeciem hic pro univerſo genere ponit, ſynecdochice. quemadmodum enim idololatræ Deum afficiunt contumelia, dum per idola ſua jurant: ita veri Dei cultores Deum honore afficiunt, ejus nomen adhibendo in juramentis. Profitentur enim ſe unum habere Deum, cujus nomine gloriantur. Hic autem invehitur in hypocritas, qui plenis buccis detonabant nomen Dei, ejuſque ſæpius mentionem faciebant: interea vero animis erant ab ipſo valde alieni. Propterea dicit, *Non in veritate, neque in juſtitia.* Juſtitiam autem accipit pro integritate cordis & ſinceritate, ſine qua nihil Deo acceptum eſſe poteſt: vel Juſtitia & veritas ſynonyma ſunt: quaſi diceret, meram eſſe ſimulationem & fucum, quod profitebantur ſe populum eſſe veri Dei: quia eorum perfidia mendacium aperte coarguebat.

Eze. 33. verſ. 31.

Gen. 32. verſ. 28.

2. *Quoniam ab urbe ſancta.*] Idem argumentum proſequitur, & aliis verbis refellit mendacem jactantiam: quia falſo jactabant ſe urbis ſanctæ cives, quam flagitiis & ſceleribus ſuis fœdabant. Sancta debuit eſſe Jeruſalem, quum Deus eam ſibi conſecraſſet: ſed tot tantiſque inquinamentis conſtuprata fuit ut nihil fere ſancti haberet. Quales autem deceat eſſe veros Jeroſolymæ cives, Pſalmo 15 & 24. videmus. Sed quum Judæis nullus eſſet pudor Deo illudere, ſatis erat protegi Templi umbra. Quod dicit Jehovæ inniti, non loquitur de vera fiducia, ſed confidentia inani. nam ut pii recumbunt in Deo, totoque animo conquieſcunt: ita hypocritæ falſo nomen ejus obtendunt, vanaque perſuaſione inebriantur, & ſecuri omnia contemnunt: confidenter etiam jactant iſtas voces, Deus nobis aderit, non rejiciet populum ſuum: acſi Deus ipſorum nequitiæ favere vellet. Denique eum pedibus calcando, magnifice prædicant ſibi eſſe ſalutis fulturam. atqui ne exiſtiment ludibrium hoc ſibi impune fore, admonet Propheta, dum ita transfiguratur Deus ab hypocritis, nihil minui de ejus imperio. Nam quod Deum exercituum vocat, hoc addit ad comminationem, ut intelligerent Deum, cujus nomen falſo obtendebant, ſatis potentem fore ad ipſos puniendos, ac minime tandem paſſurum ſe ita ludibrio haberi.

Pſal. 15. verſ. 2. & 24: 4.

3. *Priora jam olim.*] Accuſat Judæos ingratitudinis: quod diffidant Deo, qui nullum non ſpecimen edidit ſuæ bonitatis, ut eos in vera fiducia confirmaret. Omnem ergo iis excuſationem adimit, quum ſe priora annunciaſſe dicit. Videtur autem loqui, non de exitu Babylonico, ſed de aliis beneficiis quæ Dominus in gentem illam contulerat: acſi diceret, Deum jam multo prius tempore cœpiſſe prædicere populo ſuo quæ ventura erant: nec quicquam promiſiſſe quod re ipſa non præſtiterit: nec tamen populum poſt tot experimenta liquidæ & indubiæ veritati fidem habere. Poteſt etiam dici, Prophetam non ſolum eos qui tunc vivebant, ſed qui poſtea in exilio victuri erant, alloquutum eſſe: ut quum accidiſſet hæc calamitas, jam antea prædictam eſſe cogitarent. Hanc enim prophetiam Deus celebrem eſſe voluit, ut tempore exilii ſcirent hæc fortuita non eſſe, & conſolationem aliquam perciperent. Eos igitur objurgat Jeſaias, quod quum veritatem rei cognoſcant ex ipſo eventu: tamen opus Dei agnoſcere, eique fidem habere non poſſint. Ac merito ſane in ipſos acerbe invehitur, & eorum pervicaciam accuſat.

Deo

Deo enim manum porrigenti obſtiterant, atque ipſius gratiam reſpuerunt: reditum ſibi in Judæam permiſſum iri non credebant: & quum patefacta eſt via, vix paucis animus redeundi fuit. Alii ſibi melius eſſe exiſtimabant in Babylone, quam moleſtias & pericula itineris ſubire. Alii ſuſpicabantur aſtute edici à Cyro ut redirent: ut detectis eorum animis, vel opprimeret ipſos, vel durius tractaret: neque conſiderabant hæc à Deo prædicta, neceſſario ventura eſſe, nec poſſe ulla hominum potentia impediri. Sic itaque accipio iſtas prædictiones de quibus loquitur Propheta, ut vetera quidem oracula
Gen. 15. verſ. 13. comprehendantur, quibus prædixit Dominus Abrahæ, ſemen ejus captivum fore, poſtea vero reſtituendum in priſtinam libertatem. deinde ſuo ordine accedant alia vaticinia, quæ etiam diverſo tempore ſequuta ſunt: nam hoc ipſum ſubinde aliis atque aliis temporibus confirmatum eſt. Nihil ergo unquam à Domino prædictum eſſe oſtendit quod non eventus rei comprobaret.

4. *Quia cognovi quod durus ſis.*] Ad verbum eſt, Propter ſcire meum, vel à meo ſcire. Hic Dominus teſtatur per Prophetam ſe ob duritiem populi de rebus futuris loquutum eſſe: acſi diceret, ſe plus ei præſtitiſſe quam debebat, non quod unicum hunc finem ſpectaverit: quia ſcimus præcipuum doctrinæ uſum ad pios referri, qui placide ad obſequium flectuntur, & libenter obediunt: ſed Jeſaias, cui negotium erat cum præfractis hominibus, merito dicit, niſi inſanabilis eſſet eorum pravitas, Deum optimo remedio uſum eſſe, multis ſubinde vaticiniis Legem ſuam comprobando. Quemadmodum igitur futura prædixerat Patribus, ita ſe eundem curſum ſequi oſtendit, ut pervicaciam populi & duritiem vincat vel emolliat. Cervicem eorum, *nervum ferreum* vocat: quia flecti nequit. Nervi quidem duri ſunt, ſed tamen flexiles: hic nullum flexum eſſe dicit: quia ſunt indomiti. Addit *frontem æneam*: ut impudentiam notet. Duo autem ſunt quibus in officio retineri poſſumus: primum, ſi dociles ſumus, & recte monenti aut juſta præcipienti obtemperemus: deinde, ſi quum in aliquam turpitudinem lapſi ſumus, tangat nos ingenuus pudor, ut nos facti noſtri pœniteat. Ubi hæc deſunt, perditæ nequitiæ ſignum eſt. Hæc igitur duo argumenta deploratæ gentis notavit, quod indocilis eſſet, atque impudens. Et tamen Dominus quum aliter mederi non poteſt, pravitati quoque noſtræ euſque indulget, ut de futuris rebus admonitos velit. Ita ſeſe quodammodo vertit in omnes partes, ut nos ad ſe revocet atque in viam reducat.

5. *Annunciavi tibi.*] Iterum repetit eandem ſententiam, ut quum populus ereptus eſſet è Babylone, agnoſceret beneficium Dei, nec idolis aut fortunæ hanc liberationem tribueret. Si quæratur, cur idolorum mentionem faciat Propheta, quum unius Dei cultum Judæi profiterentur: reſpondeo, ſic jam depravatos fuiſſe conſuetudine Gentium, & degeneraſſe in ſuperſtitiones, ut Dei prorſus obliti eſſent.
Ezek. 8: 3. Qua de re conqueritur Ezechiel, in ea viſione qua videbatur ſibi Jeroſolymam tranſvectus, ſanctuarium Dei variis idolis conſpurcatum intueri. Non abs re igitur ad unum Deum auctorem ipſos revocat, ut ab eo ſe redemptos eſſe agnoſcant. *Ne forte dicas.* Significat inexcuſabiles fore Judæos, niſi agnoſcant beneficium Dei, quum emiſſi fuerint è ſervitute. quod enim tam longo prius tempore prædictum erat, fortuito accidere non potuit. Dei igitur præſcientiam conjungit cum virtute: ac non tantum hæc ab ipſo præviſa, ſed etiam præſtita eſſe ſignificat. Hic autem quaſi in ſpeculo nobis ſtatuitur ingenii noſtri malignitas, quæ ſemper excogitat quomodo Deum ſpoliet ſua laude. Quoties vel nobis opitulatur, vel ulla in parte beneficum ſe præſtat, quaſi porrecta manu ad ſe nos invitat. Interea mundus, quaſi data opera refragari velit, alio derivat quod à Deo profectum eſt: ut videmus in Papatu omnia Dei beneficia ſanctis mortuis perinde adſcribi acſi Deus altum ſomnum dormiret. Quare neceſſe eſt fulgere doctrinæ lucernam, quæ judicium noſtrum regat. nam in operibus Dei conſiderandis perperam ſemper errabimus, niſi ipſe Verbo ſuo præluceat. Sed nunc quoque multis idem contingit quod in gente ſua deplorat Jeſaias, ut ne admoniti quidem idola ſibi fabricare deſinant, quæ veſtiant Dei ſpoliis.
Act. 3. verſ. 12. Clara voce teſtati ſunt Petrus & Joannes ſe non meritis aut pietate ſua miracula edere: videmus tamen ut invitos & reluctantes onerent Papiſtæ. Etſi autem quæ eveniunt non ante prædicit Deus, non minus tamen ad damnandam noſtram ingratitudinem valebit Legis & Evangelii doctrina, quam ſi opera, quorum auctorem ſe illic aſſerit Deus, vaticiniis teſtata eſſent.

6. *Audiſti, vide omnia.*] Hinc magis perſpicuum eſt, Prophetam loqui de exilio futuro, & redemptione quæ poſtea ſequutura erat: in quo voluit tum ſui temporis hominibus, tum poſteris conſulere: ut ſi non proficerent ii qui tunc vivebant, poſteritas ſaltem monita, reſipiſceret. Fit enim ſæpenumero ut Prophetarum doctrina præſentes atque audientes parum moveat: interdum etiam ludibrio habeatur: poſteri vero meliore animo ipſam admittant. Quod aſpicere jubet, nonnulli exiſtimant Prophetam ita eventum rei proponere, acſi diceret, nihil à Deo dictum eſſe cujus veritas non conſtaret. Sed ego hanc dictionem חזה aliter interpretor, nempe, Quum Dominus loquutus ſit, officii tui eſt expendere verba & te attentum præbere. Unde obſervandum eſt, fieri noſtro torpore vel ſocordia ut nobis ſtatim effluant quæ proficiſcuntur ex ore Dei, ac fruſtra objici à multis ignorantiæ prætextum: quia Dominus ſatis dilucide aperit quicquid cognitu utile eſt, ſi ſedulo & qua decet attentione qui audiunt expenderent. Plus deinde quiddam requirit Dominus à populo ſuo, quam ut intelligat & conſideret ſermonem ſuum: nempe ut præco ſit ac teſtis miraculorum quæ expertus eſt. Et certe ea lege ſuos inſtituit, ut alios deinde ad eandem fidei confeſſionem adducant. *Jam nunc* tantundem valet acſi diceret, Obſerva hunc diem, quo Dominus tibi per os meum prædicit ea quæ neſciebas. Hæc enim humana conjectura apprehendi aut prævideri non poſſunt.

7. *Nunc primum creata ſunt.*] Oſtendit Propheta ſe non diſputare de rebus notis, aut ipſo uſu compertis: non tantum ut arrogantiam corrigat, quæ ingenita eſt omnibus hominibus (ſibi enim arrogant quod ſolius Dei eſt) ſed etiam ne fortunæ aut alii cauſæ, hujus rei pars ulla tribuatur. Variis enim modis homines Deo gloriam ſuam eripiunt, omneſque animi ſenſus in id intendunt, ut inter creaturas partiantur quod ipſius tantum eſt: ut nudum ipſi & inane nomen relinquant. Ne igitur populus exiſtimaret ſe victum Chaldæorum potentia, aut deinde humanis viribus aut fortuito reſtitutum in libertatem, ideo toties repetit atque inculcat, hoc Dei opus eſſe. Quod audiſſe negat, quidam exponunt populum reſpuiſſe monitiones Dei, nec ſanis conſiliis obtemperaſſe. Sed exiſtimo alium eſſe Prophetæ ſenſum: nempe quod humanitus ſciri non poterat, & quod incognitum fuerat Judæis, fuiſſe ita patefactum ut nequeant Spiritum ſanctum ſua laude fraudare: idque ſatis ex contextu liquet.

8. *Sciebam quod tranſgrediendo.*] Significat hic Dominus ſe non fruſtra urgere, ac tantopere inſtare ut populus agnoſcat ſe ab ipſo caſtigatum, ac tandem ereptum è tantis miſeriis. Nam (quæ erat pervicacia populi illius) conqueri poterat, fruſtra hæc toties repeti, atque obtrudi. Propheta nihil mirum eſſe reſpondet, quod negotium ſit cum obſtinatis. Atque ita aliis verbis confirmat quod nuper dixit de ferreo

cervicis nervo. Summa eſt, quum gentis illius perverſitas probe nota eſſet Deo, nihil ab eo fuiſſe omiſſum ut eos ſibi addictos teneret: & quum certis documentis ſatis ſuperque fuerint convicti, eo minus eſſe excuſabiles. Poſtquam vero detraxit larvam huic populo, qui falsò Iſraëlis nomine gloriabatur (ut antea vidimus) novum ei titulum imponit, atque rebellem vocat. *Uterum* intelligo, non primam originem ex quo populus cenſeri cœpit: ſed ex quo à ſervitute
Exod. 12. Ægyptiaca liberatus eſt. nam ea liberatio fuit veluti
verſ. 51. quædam Eccleſiæ nativitas. Populus vero, tametſi immenſam Dei bonitatem expertus, perfide cum ipſo agere non deſiit, magiſque ac magis prævaricatus eſt, ut merito ipſum rebellem ac prævaricatorem vocet.

9. *Propter nomen meum.*] Poſtquam exprobravit populo malitiam quæ ab initio patribus ingenita ad filios & nepotes tranſierat, nunc admonet ſua miſericordia eſſe ſuperſtites, qui digni alioqui fuiſſent centies perire. Duplex autem hujus admonitionis uſus fuit: quia oportuit fideles ſuſtineri, ne in exilio deficerent. Deinde ubi data eſt redeundi libertas, non minus operæpretium fuit eos humiliari, ut mero & gratuito Dei beneplacito acceptam referrent ſuam liberationem. Atque hinc perſpicimus ſuperiorem objurgationem eo pertinere, ut populus intelligeret nullo ejus merito accidere quod Dominus ei manum porrigit ut eum è ſepulchro Babylonis educat: quandoquidem extremo exitio dignus erat. Quod igitur nunc quoque nobis parcit Dominus, quod pœnas mitigat aut remittit, quod denique ullam noſtri rationem habet, id omne à ſola ejus gratia proficiſcitur: ne quid ullis hominum meritis aut ſatisfactionibus tribuamus. Atque hinc concidit Sophiſtarum diſtinctio, ſicuti jam aliis locis docuimus, de remiſſione pœnæ, quam gratuitam eſſe nolunt, quod ſatisfaciendum ſit Deo. At hic gratuito remitti propter nomen Dei, teſtatur Jeſaias. loquitur enim de pœna quam merito poterat Judæis infligere. Juſtiſſimam enim cauſam delendi populi hujus habebat, niſi gloriam ſuam tueri voluiſſet.

10. *Ecce examinavi te, & non inſtar argenti.*] Oſtendit Dominus ſe ejuſmodi temperamentum adhibere in caſtigandis ſuis, ut eorum ſaluti proſpiciat. Prius dixerat ſe ideo peperciſſe ipſis vel parſurum, quod rationem haberet gloriæ ſuæ: nunc ſignificat ſe plagas quidem infligere, ſed ejuſmodi, ut ſint ipſis ſalutares. nam probandi atque examinandi cauſa ipſos caſtigat. probamus autem quod perditum nolumus. Quum ergo hunc finem propoſitum habeat, ſequitur ipſum ſaluti noſtræ proſpicere. Porro anticipandi cauſa examinis meminit, ne quis objiceret Dei indulgentiam minime in tam duris afflictionibus apparere. Mature igitur occurrit Propheta, & admonet quamvis non penitus ignoſcat Deus, clementer tamen agere cum ſuis. Hoc etiam addit, quod non examinat nos inſtar argenti, quia penitus abſumeremur. nam in argento aliquid eſt puri: in nobis vero nihil præter ſcoriam reperietur: imo niſi Deus argentum nos efficeret, non ſecus ac palea vel ſtuppa in cinerem & nihilum redigeremur. nihil certe puri eliceret ipſa caſtigatio. Ergo in ipſo examine conſiderat Dominus quid ferre poſſimus, ne ultra modum progrediatur: ſimulque arcana Spiritus ſui virtute facit ne profectu careant pœnæ, quæ alioqui exitiales nobis eſſent. *Eligere* hic accipit, pro Diſcernere. Eligimus enim quod conſervare & tueri cupimus, quemadmodum
cap. 7:15. prius in eadem ſignificatione dixit, Eligere bonum, & reprobare malum. Hoc igitur verbo docet quantum differant pœnæ quæ irrogantur piis, ab iis quas impii ſuſtinent. Illis enim in exitium cedunt: nos vero tametſi urat atque ſecet Dominus, tamen acceptos habet, atque benevolentiam erga nos ſuam retinet in mediis afflictionibus: imo efficitur inde exeamus probatiores, atque ſacrificium boni odoris ipſi ſimus. Denique intelligit Deum etiam ubi videtur ſuos conſumptioni addicere, nihilominus eſſe illis propitium.

11. *Propter me.*] Idem repetit quod antea dixerat, ſed interrogationem ſubjungit, qua utuntur Hebræi, quum de rebus abſurdis verba faciunt, Fierine poteſt ut profanetur nomen meum? Secundum membrum quod addit, *gloriam meam alteri non dabo*, eſt vice expoſitionis. Nunc ergo pluribus exornat Jeſaias quod antea perſtrinxerat paucis, atque altius paulo aſſurgit. Non eſt nuda explicatio prioris ſententiæ, ſed potius exornatio ad majorem confirmationem. Significat autem his verbis, homines quantum in ipſis eſt profanare nomen Dei, & gloriam ipſius alio transferre: ſed Dominum admirabili providentia ſua occurrere huic malo, atque efficere ne gloria ſua concidat. Tametſi ergo noſtra culpa proſtituamus gloriam Dei, tamen ipſam tuebitur, dum noſtri vindex erit. Hinc mira conſolatio ad nos redit: quod Dominus ſalutem noſtram conjungit cum ſua gloria: ut jam aliis locis annotavimus. *Non dabo.* id eſt, non patiar mihi eripi gloriam meam. Hoc futurum erat, ſi deleto ac perdito populo deriſus eſſet Deus Iſraël. ut ſolebant impii ejuſmodi blaſphemiis inſultare populo Dei, dum
opprimebatur, Ubi eſt Deus eorum? Similem porro Pſal. 79.
rationem afferebat Moſes, cur Dominus populum verſ. 10.
in univerſum delere nollet: Ne forte, inquit, hoſtes Deut. 32.
eorum id ſibi arrogent: ac dicant, Manus noſtra verſ. 27.
excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia. Et certe ubi Dominus iræ ſuæ ſigna proferens terrorem incutit fidelibus, unicum hoc aſylum reſtat, eum adoptionis ſuæ fore memorem, ne impiorum maledictis ſacrum ſuum nomen exponat. neque ſolum his verbis Propheta ad gratitudinem hortatus eſt populum ſuum, ut fateretur mera Dei gratia ſe eſſe incolumem, ſed precandi materiam ſuggeſſit piis, & clypeum quem deſperationi objicerent.

12. *Audi me Jacob.*] Quorſum æternitatem
ſuam prædicet Dominus, antea dictum eſt. nempe, cap. 41.
ut ipſum ſibi perpetuo conſtare intelligamus, nec verſ. 4.
eum ex ingenio noſtro metiamur. Admonet autem & 44: 6.
ut ipſum audiamus: quoniam ideo hallucinamur, & abducimur falſis opinionibus, quod ei aures accommodare nolimus. Quum Iſraëlem à ſe vocatum dicit, tacite opponit hanc ſententiam reprobationi, cujus meminit initio capitis. Oſtendebat enim Judæos ſibi falſo arrogare hoc nomen, eoque inaniter gloriari, quod veros ſe Iſraëlitas non præberent. Hic vero pronunciat Iſraëlem eſſe vocatum ſuum. perinde acſi pater aliquis filium ſuum objurgans, ſpurium vocaret, ac deinde nihilominus ipſum pro ſuo agnoſceret: ita Dominus Judæos, ſic degeneraſſe oſtendit, ut merito ipſos rejiciat: ſed quamvis indigni ſint tanto honore, tamen habere rationem
ſuæ vocationis, quam nulla hominum ingratitudo Rom. 3.
aut nequitia irritam facere poteſt. Hanc continuatio- verſ. 34.
nem ſignificat hoc loco. nihil enim aliud docet, & 11.
quam Deum ſibi perpetuo conſtare, nec variare verſ. 29.
more hominum, aut conſilium mutare. Propterea dicit ſe primum eſſe ac noviſſimum. Cæterum, hic etiam notandum eſt, Jeſaiam non concionari de æterna Dei eſſentia, ſed hanc doctrinam ad uſum noſtrum accommodare, ut eundem erga nos ipſum fore ſciamus qui ſemper fuit: deinde ut diſcernere eum ab idolis meminerimus, ne mentes noſtræ vagis figmentis abſtractæ, ab ejus timore excidant.

13. *Utique manus mea.*] Hic clarius explicat Propheta quid voluerit ſuperiore verſu. Poſtquam enim de perpetua & conſtanti erga nos Dei voluntate concionatus eſt, ejus quoque potentiam prædicat ab operibus quæ ipſi quotidie intuemur. In iis Dominus ſe quodammodo nobis conſpiciendum

præ-

præbet, atque è ſacrario ſuo prodiens, ad nos ipſe per ea appropinquat. טפחה ſive Menſa eſt, ſive Suſtinuit vertamus, idem ſenſus erit: nec multum in verbi interpretatione laborandum eſt. Nam Metiendi verbo admirabilis Dei ſapientia notatur, quod immenſum cælorum ſpatium tam apta proportione undique æquaverit, ut neque terræ propius eſſet, neque ab ea remotius, quam ut utile ad ordinis conſervationem eſſet, ac in tanta vaſtitate nihil eſſet hiulcum, vel deforme. Si magis arrideat verbum Suſtinendi, eſt hoc quoque non vulgare ſapientiæ & virtutis Dei elogium, quod ingentem cælorum molem in continua agitatione ſuſtinet, ne labaſcat vel inclinet in hanc vel illam partem. Sed poſterius membrum, ubi præſto omnia ad ſuum mandatum adeſſe dicit, plus quiddam habet difficultatis: nam poteſt referri vel ad primam creationem, vel ad perpetuam adminiſtrationem mundi. Si ad primam creationem referamus, futurum יעמדו, erit loco præteriti, Simulatque juſſit Dominus ut extarent, protinus obſequuta ſunt. ſicut habetur in Pſalmo trige-
Pſal. 33. *verſ.* [illegible] ſimo tertio, Dixit, & facta ſunt. Atqui ſi placet hic ſenſus, quod ſubjungit *pariter*, non ſatis convenire videtur cum hiſtoria creationis quam Moſes refert. Nec enim cælum & terra uno momento creata &
Geneſ. 1. *v.* 2, 6. ornata ſunt. primum enim res erant inconditæ & confuſæ: quas Dominus poſtea digeſſit. Solutio facilis eſt, quia nihil aliud ſignificat Propheta, quam Dominum ſolo nutu creaſſe omnia, formamque cælo & terræ dediſſe, ita ut ſtatim ejus mandato paruerint. Ego vero libentius extendo ad perpetuam mundi adminiſtrationem. acſi diceret, Cælum & terram imperio Domini obſequi, & voci ejus obtemperare, & quæ longiſſime diſſita ſunt incredibili conſenſu ultro citroque occurrere, non ſecus ac rotæ eodem motu feruntur: Tametſi longo intervallo cælum à terra disjunctum ſit, tamen vocem Domini ubique exaudiri. Nullis eget nunciis ad ſignificandam voluntatem ſuam, ſed nutu omnia, etiam momento, exequitur. An ullus eſt Princeps qui ſuos ubique miniſtros habeat ejus nutui obſequentes? Minime vero. Immenſa eſt igitur Dei potentia, longeque & late patet, & ad univerſas mundi partes extenditur, quemadmodum
Pſal. 47. *verſ.* 3. teſtatur Scriptura, atque experimento fidei percipimus.

14. *Congregamini vos omnes, & audite.*] Minime profecto dubium eſt quin Propheta Judæos compellet, tametſi hic nihil pronunciat quod non debeat agnoſci ab omnibus. Sed quia incredulis hominibus & profanis deſunt aures, ideo ipſos ad audiendum non invitat. Scimus Judæos hac prærogativa præ cæteris nationibus donatos, quod Deus ſeſe illis pa-
Pſal. 76. *verſ.* 2. *&* 147. *v.* 19, 20. *Rom.* 3:2. tefecerit. Notus in Judæa Deus, inquit Pſaltes: magnum in Iſraële nomen ejus. Quo minus excuſabilis erat eorum vel ſocordia vel pervicacia, dum ſuam felicitatem pro nihilo fere ducebant. unde enim tanta levitas vel ad defectionem propenſio, niſi quod inæſtimabilis cæleſtis doctrinæ theſaurus nullo aut vili in pretio apud eos erat? Digni ergo fuerunt quos gravius & aſperius objurgaret Propheta, ſicuti in eos invehitur, oblique perſtringens quod maligne & perverſe ad obſcurandam Dei gratiam inter ſe conſpirent. Videtur autem Deus hic permittere Judæis, ut ſi quid habeant quod objicere poſſint, in medium proferant: quemadmodum ii qui freti bonitate cauſæ, adverſarios provocare audent: Adduc rationes tuas: ſi quid in te eſt acuminis, oſtende. Ultro igitur laceſſit ipſos: ac liberum facit, ut ſi qua ratione poſſint, oſtendant talia à diis Gentium nunciata eſſe. Licebit etiam extendere ad Divinos & augeres qui ſibi arrogabant ſcientiam rerum futurarum, à quibus hæc nullo modo prævideri potuerunt. Atque in eundem ſenſum repetet ea quæ ſequentur proximo verſu: Ego, ego loquutus ſum. Huc tendit ſumma, Judæos ideo vacillare, imo excidere, quod non ſatis æſtiment quam ſingulare bonum ſit, cognoſcere ex ſacro Dei ore quicquid ad ſalutem expedit. Continuo poſt ſpeciem unam deſignat, quia jam Deus finem exilii Babylonici dignatus fuerat illis prædicere. Cyrum hujus gratiæ miniſtrum non nominat: ſed quaſi de homine certo & noto loquens ſuppreſſo nomine dicit electum eſſe divinitus, qui Babylonem expugnet. Dilectio autem non ſimpliciter, ſed κατά τι accipitur: ideoque ad felicem expeditionis eventum reſtringitur. ſicuti Saul ſecundum quid Deo charus fuit, ut ad tempus regnaret: atque etiam præditus eſſet dono Prophe- *1 Sam.* 10. *verſ.* 10.
tiæ. alia piorum ratio, quos Deus immutabili amore complexus, nunquam à ſe excidere patitur. Significat autem Cyrum ideo expugnaturum Babylonem, quod Deo auctore & duce opus hoc ſuſcipiat, non data quidem opera, ſed quemadmodum Deus vel inſcios & cæcos quo vult impellit, vel ab invitis obſequium extorquet: nec enim voluntaria obedientia laudatur in Cyro, ſed potius extollitur providentia Dei, qua dirigit cunctos mortales ad exequendum ſuum conſilium. *Brachium ejus.* Aliqui in accuſativo legunt, alii in nominativo. Sed parum eſt diſcriminis, quod ad ſenſum attinet. Poteſt autem Brachium accipi pro Opere, idque metonymice: atque ſic melius fluet oratio, Conſilium ejus exequetur in Babylone, opus ejus in Chaldæis. Scimus enim hoc Prophetis peculiare eſſe, ut Opus Domini & Conſilium ſimul conjungant. Oblique vero exprobrat Judæis ingratitudinem ſuam, quod Deo pollicenti fidem adhibere nolint, tametſi rem ipſam velut digito oſtendat: ac longe aliter loquatur, quam aut Divini, aut fictitii dii ſolent. In ſumma, vult perſuaſum eſſe Judæis, opus Domini fore quod Cyrus Babylonem expugnabit. Omnia enim auſpiciis ejus peraget, idque ut tandem Eccleſia liberetur.

15. *Ideo proſpere habebit.*] Iterum ad vaticinia revocat Judæos: atque hunc honorem Deo vendicat, quod re in tempore prædicta omnem dubitationem abſtulerit. Deinde addit ratum fore quicquid prædictum fuerat. Ergo in pronomine repetito duplex ſubeſt emphaſis, non alium quam Iſraëlis Deum de rebus futuris & abſconditis loquutum eſſe: deinde, quia verax, neque unquam fallit, omnium de quibus teſtatus eſt eventum eorum fore indubium. Itaque in fine verſus copulam ו, pro illativa accipio. ac duos hic ſibi fines proponit Jeſaias. Primum, ut Judæi captivi liberationem expectent: deinde, ut liberati agnoſcant Deum tanti beneficii auctorem: neque exiſtiment hæc vel hominum ope, vel fortuito accidiſſe. Ideo vero proſpere ceſſura Cyro omnia ſignificat, quod eum vocarit: non quod dignus eſſet tanto beneficio, aut ſua induſtria aut potentia id conſequutus ſit: ſed quod Dominus ejus opera ad liberandum populum ſuum uti vellet. Nam quod *dilectum* vocavit ſuperiore verſu, atque hic *vocatum* & adductum dicit, nuper admonui non eſſe referendum ad amorem Dei, quo nos adoptat in filios, & ad ſe vocat. nec enim ita dilectus fuit aut vocatus Cyrus: qui tametſi magnis virtutibus præditus eſſet, maximis tamen vitiis laboravit, ambitione & libidine dominandi, avaritia, crudelitate, aliiſque vitiis: & qualis eſſet, infelix ejus exitus demonſtravit. Intelligit ergo Propheta Deum Cyro propitium eſſe, ut eum externa benedictione proſequatur, non ut ipſum adoptet, atque ea gratia dignetur qua electos ſolet. Spectanda enim cauſa eſt cur eum his nominibus vocet: nempe quod ejus miniſterio ad liberandam Eccleſiam utatur, ſicuti jam antea di- *cap.* 45.
ctum eſt.

16. *Accedite ad me, audite hoc.*] Iterum compellat Judæos, eoſque accedere jubens, quaſi obviam

prodit

prodit ut eos humaniter excipiat. Interim tamen oblique perſtringit eorum defectionem, quod ſanæ doctrinæ capaces non eſſent, niſi ſe colligerent ab errore. Hoc porro non leve crimen fuit, à Deo tam procul remotos eſſe, cui familiariter conjuncti eſſe debuerant. Longe vero aberant non loci intervallo, ſed animi conſenſu. Hic ergo acceſſus eſt, ut poſitis affectibus noſtris ad ipſum audiendum parati ſimus. Atque hoc ab ejus gratia proficiſci neceſſe eſt. nec enim ita comparati eſſe poſſumus, niſi nos ad ſe adducat. *Non ab initio.* Hunc locum varie exponunt interpretes. multi ad Chriſtum trahunt, quum tamen nihil tale voluerit Propheta. cavendæ autem ſunt nobis violentæ & coactæ interpretationes. Alii de Propheta ipſo interpretantur: ſed nihilo magis convenit. nec enim hic ſermo homini congrueret. Exiſtimo igitur Deum loquentem ab Jeſaia introduci, ut ingratitudinem populo exprobret, quod ab initio, id eſt, ex quo ſe patefacere cœpit patribus eorum, haud obſcure aut clam loquutus ſit. unde ſequitur, quicquid in illis fuit ignorantiæ, debuiſſe eorum malitiæ imputari, quia lucem ſponte fugerunt. Quod dicit ſe adfuiſſe quum res facta eſt, tantundem valet ac perfectum fuiſſe ejus virtute & manu quod ore prodiderat. Merito itaque prædicat ſe dediſſe præſentiæ ſuæ ſigna, quum omnia præſtando non ſolum vaticinia comprobavit ipſo eventu, ſed monſtravit ſuo arbitrio gubernari quæ fortuita putantur. In ſumma commemorat vetuſtas Dei promiſſiones & complementum ipſarum, ut Deum ſui ſimilem perpetuo fore oſtendat. Qui dicunt Jeſaiam adfuturum ſpiritu, quum Dominus populum ſuum reducet, torquent Prophetæ verba, nec quicquam afferunt quod ejus menti conveniat. *Et nunc Dominus Jehova miſit me, & Spiritus ejus.* Nunc de ſe ſubjungit Jeſaias, atque ſuperiori doctrinæ accommodat hanc ſententiam, ac teſtatur Deum illum, qui ab initio loquutus eſt, per ipſum loqui. itaque ſic habendam eſſe fidem iis quæ nunc Deus per ipſum loquitur, acſi palam adeſſet. Hinc utilis doctrina colligenda eſt: nempe, miracula omnia quæ edidit Dominus, in memoriam revocanda eſſe, ut veritatem ipſius in animis noſtris obfirmemus. Nec enim leve argumentum eſt, quod Dominus ab initio certum habuit populum, cui ſe patefecit, quem docuit, cui certa promiſſa dedit, ac præſtitit, nec eum unquam vel minima in re fefellit. Omnia enim ſuo tempore præſtita atque impleta ſunt. Ad hæc igitur exempla, quoties incidit aliqua dubitatio, confugiendum eſt, Deus ſemper adfuit ſuis: non eſt nunc primum loquutus: nec vero obſcuris ambagibus populum ſuum deluſit: ſed plane & aperte loquutus eſt. Teſtatur ergo Propheta ſe nihil adferre ſuum: ſed miſſum à Deo, qui ſe fidelem comprobavit. Spiritus mentionem facit, non quaſi diverſum aliquid à Deo ſignificet, quum ejuſdem ſit cum ipſo eſſentiæ, nam in una Dei eſſentia agnoſcimus tres hypoſtaſes: ſed ideo Spiritum nominat, quod ſit unicus magiſter ac director omnium
1 Cor. 12. v. 3, 4. Prophetarum. Paulus ait neminem poſſe Jeſum Chriſtum dicere, niſi in Spiritu. Atque paulo poſt, diverſa Dei dona eſſe ait: ſed unum & eundem Spiritum eſſe, qui omnia efficit in omnibus. Hic etiam aperte probatur divinitas Spiritus, quum ab eo Prophetæ mittantur. nam eos mittere ſolius Dei eſt: quemadmodum ſola Principis auctoritate legati mitti ſolent. id quum Spiritus faciat, quum dirigat ipſos, atque vim & efficaciam iis præbeat, procul dubio Deus eſt. Colligimus etiam ex hoc loco, eos qui hac Spiritus directione carent, tametſi ſe à Deo miſſos jactent, repellendos eſſe: veluti Papiſticas illas luporum cohortes, quæ Paſtorum & Doctorum nomine gloriantur, & miſſionem impudenter jactant, quum alieniſſimi ſint à Spiritu Dei & ejus doctrina. Fruſtra enim jactant ſe à Deo miſſos aut inauguratos, quum donis Spiritus instructi non ſint, quæ neceſſaria ſunt ad tale munus exequendum. Porro Spiritus afflatum obtendere, quum fide prorſus vacui ſint, ac ne minima quidem doctrinæ ſcintilla præditi, nimis putidum eſt: ſedebant ſcilicet cornuti Epiſcopi: nota erit majoris partis inſcitia: imo vix ex trecentis decem reperientur qui modice guſtaverint rudimenta pietatis. quid ſtultius eſt, quam jactare talem conſeſſum regi à Spiritu?

17. *Sic dicit Jehova.*] Hunc verſum cum quatuor proximis una conjungo, quod eodem pertineant, atque iis Dominus liberationem populo ſuo promittat: ſed ita ut prius oſtendat ipſum culpa ſua in ſervitutem redactum eſſe: ne ſcilicet obloqueretur populus, atque objiceret, ſatius fuiſſe ipſum in patria retineri, ſi Dominus ei adeſſe vellet, quam abductum reduci. Nam minor gratia habetur medicis qui curant morbum quem præcavere potuiſſent. Occurrit igitur Propheta, ac dicit hoc populi culpa accidiſſe, qui poterat hoc excidium vitare, ſi ad mandata Domini attendiſſet. Hanc igitur juſtam nequitiæ populi mercedem eſſe oſtendit. Nec enim pridem ſteterat per Dominum quin populus bene haberet, ſed ejus gratiam reſpuerat. Et tamen Dominum bonitate ſua hanc nequitiam ſuperaturum docet, quod populum ſuum perire nolit, tametſi ad tempus ipſum affligat. *Docens te utiliter.* Intelligit talem eſſe doctrinam Dei, ut populum ſartum & tectum (quod aiunt) ſervare poſſit, ſi modo in ea conquieſcere vellet. Docet autem nos Dominus non ſua cauſa, ſed ut ſaluti noſtræ conſulat. quid enim utilitatis ei afferre poſſemus? Ergo per doctrinam unicuique noſtrum proſpicit: ut ea inſtructi proſpero rerum ſtatu fruamur. Sed quum ingratitudine noſtra reſpuimus beneficium ultro oblatum, quid ſupereſt niſi ut miſere pereamus? Merito itaque exprobrat Judæis Jeſaias, niſi ſeipſos fraudaſſent doctrinæ fructu, nihil quod utile eſſet in ſalutem fuiſſe illis celatum. Quod ſi de Lege hæc dicta ſunt, Dominum per eam utiliter populum ſuum docuiſſe, quid de Euangelio dicemus, quo pleniſſime omnia quæ nobis utilia ſunt declarantur? Hinc etiam apparet, quam execranda ſit blaſphemia Papiſtarum, qui periculoſam ac noxiam eſſe ſacræ Scripturæ lectionem aiunt, ut ſimplices ab ejus lectione abſterreant. An vero arguent Deum mendacii, qui utilitatem ejus prædicat ore Prophetæ? an ſibi potius quam Deo fidem haberi volunt? Ut blaſphemias ſuas impudenter evomant, nos certe ab hoc ſtudio abduci non decet. nam re ipſa experiemur quam vere loquutus ſit Jeſaias, ſi ſacras literas pie reverenterque tractemus. *Dirigens te.* His verbis clarius oſtenditur utilitas, cujus nuper meminit. Significat enim ſalutis viam nobis monſtrari, ſi Deum loquentem audiamus. Paratus enim eſt ſe nobis præbere ducem toto vitæ noſtræ curſu, ſi modo ipſi morem gerere velimus. Hoc modo teſtatur Moſes ſe Deut. 30. verſ. 19. populo vitam & mortem propoſuiſſe. item, Hæc eſt via, ambulate in ea. Nam regula bene vivendi continetur in Lege, quæ fallere non poteſt. Ego, inquit Moſes, præcipio tibi hodie ut diligas Domi- Deut. 30. verſ. 16. num Deum tuum, ambules in viis ejus, & præcepta ejus cuſtodias, ſtatuta & judicia ejus, ut vivas & multipliceris, & benedicat tibi Dominus in terra ad quam poſſidendam pergis. Summa eſt, non deſtitui vel luce intelligentiæ, vel conſilio, quicunque ad parendum ſunt dociles.

18. *O ſi attendiſſes ad mandata mea!*] Quum populus conqueri poſſet quod in exilium duceretur, Propheta murmuribus occurrere volens, cauſam notat: quod ſcil. doctrinæ ſalutari non dedit locum, nec ullum ex ea fructum percipere ſuſtinuerit. Dubium vero non eſt quin alludat ad Canticum Moſis, ubi Deut. 32. eadem fere loquendi forma habetur, O ſi ſaperent, verſ. 29.

atque

atque intelligerent! לו optantis eſt, O ſi! vel Utinam. Non tantum expoſtulat Dominus cum Judæis, quod neglexerint utilitatem quæ ipſis offerebatur: ſed, ut pater, filiorum miſeriam deplorat. nec enim voluptatem capit ex malis noſtris, neque ſeverus eſt, niſi quum malitia noſtra ipſum cogimus. Eſt igitur hic anthropopathia, qua Deus commiſeratur exitium eorum qui ſponte perire, quam ſalvi eſſe maluerunt. Nam paratus erat ad beneficia omnis generis præſtanda, niſi noſtra contumacia ipſum repelleremus. Interim velle ad arcanum ejus conſilium penetrare, & ſciſcitari cur non addiderit verbo externo Spiritus efficaciam, præpoſterum eſſet: quando hic non de ejus potentia agitur, ſed tantum arguitur hominum durities, ut reddantur inexcuſabiles. Certe quoties nos ad ſe Deus invitat, in ejus verbo conſtat plena felicitas, quæ maligne à nobis repudiatur. Pacis nomine proſperos omnes ſucceſſus ſignificari alibi diximus. Perinde ergo eſt acſi diceret, Tibi uberrima bonorum omnium copia large fluxiſſet; nec timenda fuiſſet ulla mutatio, quia nunquam exareſcit Dei benedictio erga pios. *Juſtitiam* vero quam paci conjungit, poſſemus exponere Jus, quod vulgo dicimus, *Tou bon droict*. Sed malo Juſtitiæ nomine intelligere ſtatum Reipublicæ optime conſtitutum, in qua ſcilicet omnia rite atque ordine adminiſtrantur: acſi diceret, Omnia domi bene compoſita habuiſſes, atque abundaſſes copia rerum omnium. Ac merito hunc ſtatum paci conjungit. nam everſa politia, omnia peſſum eunt atque evertuntur: nec fieri ullo modo poteſt ut pace fruamur ſi juſtitia, id eſt, æquabilis & moderata rerum adminiſtratio deſit. Ergo ſi pacis ſtudioſi ſumus, ſimul felicem hunc ſtatum optemus, cui Dominus benedicat. Quidam hic philoſophantur de juſtitia ſpirituali, & remiſſione peccatorum: ſed vagantur extra Prophetæ mentem, quæ ſimplex & aperta eſt.

19. *Fuiſſet tanquam arena ſemen tuum.*] Hoc quoque ad felicem vitam pertinet, quum ſoboles ſuccreſcit, cujus ope ſenum labores ſubleventur, & quæ reſiſtat adverſariis in porta. Liberos enim ejuſmodi, ſagittis valida manu miſſis Pſaltes comparat: (*Pſal. 127. verſ. 4. 5.*) ac beatum pronunciat eum qui pharetram ex iis ſuam implevit: id eſt, talium liberorum copia abundat. Quum *arenæ* mentionem facit, alludere videtur ad promiſſionem quæ Abrahæ data eſt, Multiplicabo (*Geneſ. 22. verſ. 17.*) ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & velut arenam quæ eſt in littore maris. Ac repetit eandem ſententiam diverſis verbis more Hebraico, pro ſemine ponens filios, & lapillos pro arena. In ſumma, oſtendit populum obſtitiſſe Deo quominus promiſſionis illius fructum perciperet. Poſtea ad interruptionem gratiæ deſcendens, clarius exprobrat, quum mirabiliter collecti eſſent Dei manu, quæſitam ab illis fuiſſe diſſipationem. Nam per *nomen* intelligit legitimum populi ſtatum, qui ſemper floruiſſet, niſi benedictionis curſus fuiſſet averſus. Quod autem *ſucciſum* populum eſſe dicit, id reſpectu terræ Chanaan intelligendum eſt, è qua ejectus populus Dei, velut è domo patris abdicatus eſſe videbatur. Templum enim quo privatus erat, ſymbolum fuit præſentiæ Dei, terraque ipſa pignus vel arrha beatæ hæreditatis. Abactus ergo in exilium populus, quodammodo à conſpectu Dei ejectus ac profligatus erat, nec ullum divini auxilii teſtimonium habebat, niſi promiſſionibus iſtis Dominus eorum miſeriam ſublevaſſet. Hæc autem miſeria diligenter nobis conſideranda eſt, quod ablegati in longinquam regionem, templo, ſacrificiis & conventibus ſacris carerent. ut quibus hodie nulla forma, nullus Sacramentorum uſus, nulla Verbi adminiſtratio eſt, cogitent ſe quodammodo à conſpectu Dei ejectos eſſe, atque votis ardentibus inſtaurationem Eccleſiæ optare & aſſidue poſtulare diſcant.

20. *Exite è Babel, fugite à Chaldæis.*] Hoc ſecundum membrum eſt hujus expoſtulationis, quo teſtatur Dominus ſe populo, quamvis indigno & ingrato, redemptorem fore. Poſtquam enim ſe boni doctoris officio functum teſtatus eſt, populum vero attendere noluiſſe, ita ut propria culpa exilii pœnam ſibi accerſiverit, jam infatigabilem tolerantiam prædicans, ſubjungit ſe nihilominus ei adfuturum, ut ipſum è ſervitute educat. Jubet igitur ipſos excedere è terra Babylonis, ubi captivi erant. Unde perſpicimus Deum pro ineffabili ſua indulgentia, quamvis juſtam nobiſcum expoſtulandi cauſam habeat, malis tamen noſtris ſuccurrere, atque opitulari indignis, adeoque iis qui gratiam ipſius proterve rejecerant. Quod ſequitur de *voce exultationis*, pertinet ad confirmationem liberationis. Fidem enim facere voluit promiſſioni, quæ incredibilis omnino erat. Ut ergo dubitationem omnem tolleret beneficium hoc magnifice commendavit. *Annunciate.* Magnitudinem fiduciæ exprimit, qua Judæos erigi volebat. Solemus enim pleno ore & audacter ea jactare de quibus certi ſumus: quod ſi dubitemus, vix audemus proferre, atque obmuteſcimus. Sic autem de re futura loquitur Jeſaias, acſi coram adeſſet: ut populus majorem fiduciam ac firmiorem animo conciperet. Atque imperandi verbo utitur, quod multo plus efficaciæ habet, & vehementius permovet animos, quam ſi nudis verbis hoc ipſum retuliſſet.

21. *Itaque non ſitierunt.*] Quoniam via Judæis ad reditum non patebat, magnæque ſolitudines & periculoſæ intercedebant: ideo Propheta virtutem Dei prædicat, ejuſque exempla proponit, ne ulla difficultate terreantur. Ipſos ergo conſiderare jubet, num ſatis potentiæ fuerit Deo ad eripiendos ipſorum patres è ſervitute Ægypti per vaſtas ſolitudines, ubi ipſis cibaria, aquas, omniaque alia neceſſaria ſuppeditavit. (*Exod. 16. & 17. & Num. 20.*) Judæi pro more ſuo ſtultas hic fabulas comminiſcuntur, & miracula fingunt, quæ nunquam edita ſunt. Neque id ignorantia fit ab ipſis, ſed audacia, qua ſibi quicquid plauſibile eſt, etiamſi omni ratione careat, facile permittunt. Hoc autem fuit Prophetæ conſilium: nempe in memoriam revocare exitum illum priorem ex Ægypto, & miracula quæ tunc à Domino edita fuerunt: ſicuti moris eſſe Prophetis jam antea monuimus, quum opera Dei ſummopere commendare volunt. Quemadmodum David, quum victorias quas obtinuerat, celebraret, ait montes tremuiſſe, ac defluxiſſe, aërem (*Pſal. 18. verſ. 8.*) eſſe diffiſſum, Dominum apparuiſſe è cælo, quum tamen id nuſquam ipſi acciderit: ſed deſcriptionem Ægyptiacæ redemptionis imitatur, ut oſtendat Deum qui ejus auctor fuit, ſibi etiam in vincendis hoſtibus auctorem ac ducem fuiſſe, nec minus virtutem ejus in ſua victoria, quam in illis ſignis & portentis agnoſcendam eſſe. Ita nunc Propheta vult à populo miracula illa conſiderari, ut incredulitatem ſuam corrigat, neque ulla diffidentia tentetur. Sancti enim Dei ſervi ſemper in liberationem illam oculos conjicere ſolebant, ut tanti beneficii memoria omnium animos in ſpe ac fiducia confirmarent: ſicuti alibi dictum fuit ſeculis omnibus ſperandum fuiſſe redemptionis illius fructum, ut Dominus continuo progreſſu populi redempti cuſtos eſſet. Dominum ergo facile ſuperaturum impedimenta omnia ſignificat, patefacturum viam quæ clauſa eſt, aquas abunde ſuppeditaturum, ne ſiti pereant, quemadmodum jam olim ſtupendo miraculo è rupe eduxit, (*Exod. 17. verſ. 3. 6.*) quum populus de ſe actum eſſe exiſtimaret. Itaque nullam eſſe cauſam cur de reditu deſperent, ſi potentiam Dei quam experti ſunt, contemplari, atque animo complecti velint.

22. *Non eſt pax.*] Nonnulli includunt parentheſi hæc verba, Dicit Dominus: ſed poſſumus hunc contextum retinere: quod Dominus pacem impiis neget, qua indigni ſunt. Atque hoc nominatim additum

eſt, ne hypocritæ, ſuo more, inanem ex his promiſſionibus fiduciam conciperent. Eas enim ad ipſos pertinere negat, ut excludat omnino à ſpe ſalutis. Sed & aliud reſpexiſſe videtur Jeſaias. nam quum major populi pars impietate laboraret, atque hoc beneficium repudiaret, infirmi ac debiles permulti vacillare poterant, ac terreri judicio multitudinis: quemadmodum hodie videmus infirmas conſcientias turbari, quum à majore hominum parte ſalutis doctrinam contemni vident. Quum igitur pleroſque periclitari videret, avertit eorum mentes ab ejuſmodi tentatione, ne impiorum atque incredulorum multitudine turbentur, qui gratiam Dei & proſperum hunc ſtatum rejiciunt: ſed nulla eorum habita ratione amplectantur ipſi hoc beneficium, atque eo fruantur.

Cap. XLIX.

AUdite me Inſulæ, & attendite populi è longinquo. Jehova ex utero vocavit
me, è ventre matris meæ habuit in memoria nomen meum.
2. Et poſuit os meum quaſi gladium acutum: in umbra manus ſuæ protexit
me, & poſuit me in ſagittam terſam, in pharetra ſua abſcondit me.
3. Et dixit mihi: Servus meus es Iſraël, in te gloriabor.
4. Ego autem dixi, Fruſtra laboravi: inaniter & vane fortitudinem meam conſumpſi.
At judicium meum coram Jehova: & opus meum coram Deo meo.
5. Et nunc dicit Jehova, qui formavit me ab utero in ſervum ſibi, ut reducam ad ſe
Jacob. Atque ut Iſraël non colligatur, tamen glorioſus ero in oculis Jehovæ, & Deus
meus erit fortitudo mea.
6. Et ait, Leve eſt ut tu mihi ſis ſervus ad ſuſcitandas tribus Jacob, & deſolationes
Iſraël ut reſtituas. Itaque conſtitui te in lucem Gentium, ut ſis ſalus mea ad extremum
terræ.
7. Sic dicit Jehova redemptor Iſraël, Sanctus ejus, ad contemptibilem anima, ad gentem
abominabilem, ad ſervum dominantium. Reges videbunt, & conſurgent Principes,
& adorabunt propter Jehovam, quia fidelis eſt Sanctus Iſraël, & qui elegit te.
8. Sic dicit Jehova: In tempore placiti exaudivi te, in die ſalutis auxiliatus ſum tibi, &
ſervabo te, & dabo te in fœdus populi, ut ſuſcites terram, ut hæreditate obtineas hæreditates
deſolatas.
9. Ut dicas vinctis, Exite: iis qui ſunt in tenebris, Oſtendite vos. Super vias paſcentur,
in omnibus verticibus paſcua eorum.
10. Non eſurient, neque ſitient: non percutiet eos æſtus & Sol, quia miſerator eorum
diriget eos: & ſuper ſcaturigines aquarum ducet eos.
11. Et ponam omnes montes meos in viam, & ſemitæ meæ elevabuntur.
12. Ecce iſti è longinquo venient: & ecce iſti ab Aquilone, & à mari: & iſti è terra
[a] Sinis.

a vel, Sinim.

13. Laudate cæli, & exulta terra, & erumpite montes in laudem: quia conſolatus eſt
Jehova populum ſuum, & pauperum ſuorum miſerebitur.
14. Atqui dixit Sion, Dereliquit me Jehova, & Dominus meus oblitus eſt mei.
15. An obliviſcetur mulier fœtus ſui, ut non miſereatur filii uteri ſui? Etiam ſi iſtæ
oblitæ fuerint, ego tamen non obliviſcar tui.
16. Ecce ſuper palmas ſculpſi te: muri tui coram me ſunt ſemper.
17. Feſtinant ſtructores tui: deſtructores tui & vaſtatores tui procul abs te diſcedent.
18. Leva per circuitum oculos tuos, & vide. Omnes congregati ſunt, venerunt tibi.
Vivo ego, dicit Jehova, quod omnibus quaſi ornamento veſtieris: & circumligaberis illis
tanquam ſponſa.
19. Quoniam deſolationes tuæ, & vaſtitates tuæ, & terra tua deſerta, nunc tamen anguſta
erit ob multitudinem habitantium: & procul abſcedent conſumptores tui.
20. Adhuc dicent in auribus tuis filii orbitatis tuæ: Anguſtus mihi locus eſt. Secede
alio mihi, ut habitem.
21. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi iſtos? Nam ego [b] orba & ſolitaria demigrans,
& exul, quis ergo iſtos educavit? Ecce ego relicta eram ſola: iſti unde ſunt?

b vel, ſterilis.

22. Sic dicit Dominus Jehova: Ecce levabo ad Gentes manum meam, & ad populos
extollam vexillum meum: & adducent filios tuos in ſinu, & filiæ tuæ ſuper humerum
ferentur.
23. Et erunt Reges nutritii tui: & Reginæ eorum nutrices tuæ: pro no in terram vultu
adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent. Et ſcies quod ego ſum Jehova, quia
non pudefient qui me expectant.
24. An auferetur forti præda? an captivitas [c] juſti liberabitur?

c vel, juſta.

25. Atqui ſic dicit Jehova, Etiam captivitas fortis auferetur, & præda tyranni liberabitur:
quia cum eo qui contendit tecum, ego contendam: & filios tuos ego ſervabo.
26. Et paſcam ſpoliatores tuos carnibus ſuis, & quaſi muſto ſanguine ſuo inebriabuntur:
& ſciet omnis caro quod ego ſum Jehova ſervator tuus, & redemptor tuus, fortis
Jacob.

Audite

zed by Google

A*Udite me Inſulæ.*] Poſtquam diſſeruit de futura populi redemptione, deſcendit ad Chriſtum, cujus auſpiciis populus è Babylone, quemadmodum & olim ex *Ægypto*, eductus eſt. Oportuit autem ſuperiorem prophetiam hac doctrina confirmari: quoniam vix ſperaſſent ſe à Domino redemptum iri, niſi Chriſtum ſibi ob oculos poſuiſſent, quo ſolo fracti animi, erigi ac confirmari poſſunt. Nam ab ipſo non ſolum æterna ſalus, ſed temporaria quoque non minus ſperanda eſt. Adde quod Prophetis ſolenne eſt, ubi de reparatione Eccleſiæ concionantur, Chriſtum proferre in medium, non modo quia ejus miniſter futurus erat, ſed quia in eo fundata erat adoptio populi. Et Judæi, quibus aliquid eſt ſanæ mentis, non de alio quam de Chriſto hunc locum intelligi poſſe confitentur. Sed interea hæc ſeries quam notavimus, ab omnibus animadverſa non eſt. nec enim Propheta ex abrupto tranſilit ad Chriſti mentionem: ſed eam attexit, quod aliter populus liberationis ſpem animo concipere nequiret, quia inde pendebat reconciliatio cum Deo. Et quo plus efficaciæ habeat oratio, Chriſtum loquentem introducit. nec tantum Judæos compellat, ſed transmarinos & exteros populos qui procul aberant à Judæa, quos Inſularum nomine ſignificari alio loco dictum eſt. *Jehova ab utero vocavit me.* Quæritur cu-
Epheſ. 1. verſ. 4. juſmodi ſit hæc vocatio. Nam quum ante mundi conſtitutionem in Chriſto electi ſimus, ſequitur ipſum præcedere: nam eſt initium & fundamentum noſtræ electionis. Proinde minus dicere quam res habeat videri poſſet Jeſaias, quum ab utero vocatum dicit: nam multo prius tempore vocatus erat. Sed facilis eſt reſponſio: quoniam hic non agitur de æterna electione, qua adoptamur in filios, ſed tantum de ordinatione vel inauguratione, qua Chriſtus ad hoc munus deſtinatur: ne quis eum temere illuc irrupiſſe
Hebr. 5. verſ. 4. putet. Nemo enim, ut inquit Apoſtolus, uſurpat ſibi honorem: ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron. Sic & Chriſtus non glorificavit ſemetipſum, ut Pontifex fieret: ſed qui loquutus eſt ad eum, Filius meus es tu: ego hodie genui te. Cæterum, non definit Propheta initium temporis, quaſi Deus ab utero demum cœperit ipſum vocare: ſed perinde eſt acſi diceret, Priuſquam ex utero prodirem, ſtatuerat Deus me ſubiturum hoc munus. Quemadmodum
Galat. 1. verſ. 15. etiam Paulus ſe ab utero ſegregatum dicit, quum tamen ante creationem mundi electus eſſet. Jeremiæ
Jere. 1. verſ. 5. etiam dicitur, Antequam prodires ex utero, cognovi te. denique ſumma eſt, conſilio Patris Chriſtum carne noſtra indutum fuiſſe, ut munus Redemptoris, cui deſtinatus erat, impleret. Eodem reſpicit poſterius membrum. Nominis enim recordatio tantundem valet ac familiaris notitia. Diſcernit ergo ſe à vulgo hominum, quia ad rarum & ſingulare munus electus ſit.

2. *Et poſuit os meum.*] Duplici ſimilitudine utitur: nempe Gladii & Pharetræ, ad vim & efficaciam doctrinæ exprimendam: atque oſtendit quorſum vocatus, ac tam præclaro & celebri nomine inſignitus ſit: nempe ut doceat. Hoc enim *Oris* nomine ſignificat. Chriſtus ergo conſtitutus eſt à Patre, non ut Principum more, vi & armis imperet, aliiſque externis munitionibus inſtructus formidabilem ſe populo ſuo præbeat: ſed totum ejus imperium conſiſtit in doctrina, in cujus prædicatione quæri atque agnoſci vult. nuſquam enim alibi reperietur. Vim autem oris ſui prædicat, id eſt, doctrinæ quæ ab ipſius ore proficiſcitur, dum gladio ipſam comparat. Vivus enim eſt
Hebr. 4. verſ. 12. Dei ſermo & efficax, & penetrantior omni gladio utrimque incidente: ac pertingens uſque ad diviſionem animæ ſimul ac ſpiritus, compagumque ac medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Sed & ſagittæ comparat, quod non ſolum cominus, ſed etiam eminus feriat, & ad eos uſque penetret qui procul abeſſe videntur. Poſtquam vero Jeſaias de efficacia doctrinæ loquutus eſt, adjungit Deum virtute ſua, Chriſtum & doctrinam ejus protegere, ut nihil ejus curſum impedire poſſit. Idque addi perneceſſarium erat. nam ſimulatque apertum eſt os Chriſti, id eſt, Euangelium docetur, undique inſurgunt adverſarii, innumerique hoſtes conſpirant ad ipſum opprimendum: ita ut efficacia quam tribuit doctrinæ, non ſufficeret, niſi accederet ipſius tutela, qua adverſarios ſummoveret. Cæterum non diſputatur hic de perſona Chriſti, ſed de toto Eccleſiæ corpore. Eſt quidem à capite initium faciendum: ſed deinde ad membra deſcendendum eſt: atque omnibus Verbi miniſtris applicandum quod hic de Chriſto prædicatur. Datur enim iis hæc efficacia Verbi, ut non inaniter aërem feriant eorum voces, ſed penetrent in animos, ac ſerio percellant. Efficit quoque Dominus ut non uno tantum in loco, ſed longe lateque per univerſum orbem vox Euangelii perſonet. Denique quia ſub fideli cuſtodia eos tuetur, quamvis expoſiti ſint multis injuriis & undique eos impetat Satan & mundus, non tamen deſiſtunt à ſuo curſu: idque nobis uſu ſatis compertum eſſe debet. Omnes enim ad unum jamdudum ſublati eſſent conjurationibus & inſidiis adverſariorum, niſi Dominus ipſos præſidio ſuo muniviſſet. Et ſane inſtar prodigii eſt, unicum Euangelii præconem inter tot pericula reliquum eſſe. Hoc ergo fit, quod Dominus ipſos umbra ſua defendit, atque abſcondit velut ſagittas in pharetra ſua, ne pateant hoſtium injuriis, ac perdantur.

3. *Servus meus es Iſraël.*] Hunc verſum ſuperioribus conjungere operæpretium eſt, quoniam ex eo apparet non de uno tantum homine, ſed de univerſo populo agi: quod interpretes minime obſervarunt. Nec enim ad Chriſti perſonam reſtringendus eſt hic locus, neque ad Iſraëlem ſolum referri debet. ſed obſervanda hac in parte Scripturæ ratio eſt. Nam quum de toto Eccleſiæ corpore agitur, Chriſtus velut in medio collocatur, qui omnes Dei filios comprehendat. Audimus quid dicat Paulus, Abrahæ *Galat. 3.*
datæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus. Non dicit, *verſ. 16.*
Et ſeminibus, ut in multis: ſed tanquam ex uno, Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Nec enim totam liberorum multitudinem, qui ab ipſo Abraham ſecundum carnem orti ſunt, comprehendit: quum omnes benedictionis participes non fuerint. Rejectus eſt Iſmaël, reprobatus Eſau, alliique multi reſecti ſunt. Quum ereptus eſt è Babylone populus, exiguæ tantum reliquiæ collectæ ſunt: major pars inſigne Dei beneficium repudiavit. Ubi ergo ſemen? In Chriſto, qui caput eſt, ac reliqua ſub ſe membra continet. in eo enim connectitur univerſum ſemen, atque indiſſolubili nexu conjungitur. Eodem modo Jeſaias *Iſraëlis* nomine, quo Chriſtum ſignificat, totum populi corpus, veluti membra ſub capite comprehendit. Neque id novum videri debet. nam & Paulus *1 Cor. 12.*
quum de unione loquitur, adducta ſimilitudine cor- *verſ. 12.*
poris humani, ſubjungit: Ita & Chriſtus. Illic enim Chriſti nomen tribuitur Iſraëli, id eſt, univerſo cœtui fidelium, qui Chriſto, ceu capiti membra, adhærent. Denique, hoc nomine inſignit Dominus Eccleſiam, quæ ſponſa Chriſti eſt, quemadmodum uxor viri nomine & titulo inſignitur. Iſraëlem autem *ſervum* vocat, id eſt, Eccleſiam miniſtram ſuam: quia columna eſt & firmamentum veritatis. Nam *1 Tim. 3.*
ſermonem ſuum apud Eccleſiam depoſuit, ut ejus mi- *verſ. 15.*
niſterio per univerſum orbem propagetur. Tandem in fine verſus oſtendit quis ſit hujus miniſterii finis, & quorſum Euangelii Doctores à Deo vocentur: nempe ut gloriam ipſius ſtudioſe illuſtrent, atque etiam apud alios promoveant, quod etiam Chriſtus docet in Euangelio, Pater glorifica Filium tuum, ut *Joan. 17.*
Filius glorificet te. Summus vero eſt hic honos, quo *verſ. 1.*
Dominus nos homunciones, tametſi corruptos & impuros, ad procurandam gloriam ſuam conſtituit:

eoque nos animari decet, ut fideliter operam ei noſtram & obſequium præſtemus. Quanquam plus aliquid exprimere voluit Deus, quicquid moliatur Satan cum omnibus impiis, victricem fore Dei potentiam, ut glorioſe triumphet Chriſtus, & in ejus Euangelio refulgeat Dei majeſtas.

4. *Ego autem dixi.*] Gravem hic Propheta querimoniam ſubjungit nomine Eccleſiæ: ſic tamen ut initium à capite fieri debeat, ſicuti antea diximus. Conqueritur ergo Chriſtus cum ſuis membris, quod operam ludere videatur. nam quum antea magno & memorabili encomio prædicarit vim & efficaciam verbi quod proficiſcitur ab ore ipſius, atque interea parum aut nihil promoveat, nec reluceat hæc gloria, quam Deus ab ejus miniſterio requirit: ideo Eccleſiam introducit conquerentem, quod fruſtra operam ſuam conſumat, quia ſcilicet prædicatione cæleſtis doctrinæ non reſipiſcant homines. Et certe hoc à Propheta ſubjici valde neceſſe fuit: primum, ut ſciamus fructum illum, cujus meminit, non ſemper oculis hominum patere. Nam alioqui veritatem Verbi in dubium revocare poſſemus, ac ſuſpicari num ſermo Dei eſſet qui tanta protervia à multis contemnitur. deinde, ut invicto & conſtanti animo pergamus, atque laborem noſtrum Domino commendemus, quem tandem inutilem eſſe non ſinet. Periculoſæ ergo tentationi occurrere voluit Propheta: ne propter hominum pervicaciam animum in medio curſu deſpondeamus. Et certe ſic à querimonia incipit Chriſtus, ut aſſerat nihil ſibi fore obſtaculo ad munus obeundum. Clarior hoc modo eſſet oratio, Quamvis irritus ſit labor meus, imo viribus prope exhauſtus ſim abſque profectu: mihi tamen ſatis eſt probari obſequium meum Deo. Atque eo pertinet quod ſubjungit, *ſed judicium meum coram Jehova.* Tametſi palam nobis minime conſtet fructus laboris noſtri, tamen eo contenti eſſe jubemur, quod ſervimus Deo, cui obſequium noſtrum gratum eſt. Chriſtus enim pios Doctores ad ſtrenue luctandum hortatur & animat, donec ſupra hanc tentationem victores emergant, & poſthabita mundi malitia pergant alacriter in officio, nec tædio flacceſcant eorum animi. Ergo ſi Dominus eo uſque fidem & patientiam noſtram probare velit, ut fruſtra nos fatigare videamur, in hoc tamen conſcientiæ noſtræ teſtimonio acquieſcere convenit. Quod ſi nos deficiat hæc conſolatio, certe non ducimur puro affectu: nec Deo, ſed mundo & ambitioni noſtræ ſervimus. Itaque in ejuſmodi tentationibus nobis ad hanc ſententiam confugiendum eſt. Obſervandum eſt interea hic à Chriſto & Eccleſia univerſum mundum accuſari ingratitudinis. Nam ſic conqueritur Eccleſia apud Deum, ut cum mundo expoſtulet, quod Euangelii doctrina, quæ per ſe efficax ac potens eſt, nihil apud ipſum efficiat. Sola autem culpa hæret in contumacia & ingratitudine hominum, qui oblatam ſibi à Deo gratiam reſpuunt, ac ſponte perire volunt. Eant nunc, & Chriſtum accuſent, qui exiguum Euangelii fructum extare dicunt, atque impiis calumniis doctrinam Verbi traducunt: & labores noſtros, ut vanos & inutiles ſubſannant, indeque potius excitatas turbas, atque licentiam peccandi majorem arreptam eſſe aiunt. Conſiderent, inquam, cum quo ſibi negotium ſit, & quid proficiant ſua impudentia: quum ſoli homines accuſandi ſint, qui inutilem (quantum in ipſis eſt) Verbi prædicationem reddunt. Pii vero Miniſtri, quibus valde acerbum eſt homines tam miſere ſua culpa perire, quique ſe interdum exedunt, & mœrore conficiunt, dum tantam pervicaciam experiuntur, hac conſolatione animos ſuos erigant: neque ita perturbentur, ut clypeum & haſtam (tametſi ſatius nonnunquam ipſis videatur) abjiciant. Cogitent ſibi hanc cauſam cum Chriſto communem eſſe. nec enim de ſe tantum loquitur Chriſtus, ſicuti antea dictum eſt: ſed omnium qui fideliter ipſi ſerviunt, cauſam ſuſcipit: ac veluti procurator, omnium nomine accuſationem intendit. Conquieſcant igitur in ejus patrocinio, atque ipſum cauſam ſuam tueri ſinant. Provocent ad diem Domini, ſicuti Paulus facit: neque adverſariorum 1 Cor. 4.
calumnias, probra, aut convitia morentur. Nam verſ. 4.
judicium ipſorum apud Dominum: quia ut centies vituperentur à mundo, Deus tamen fidelis quam impendunt operæ approbator erit ac vindex. Contra, impii & contemptores Verbi, atque hypocritæ contremiſcant. nam accuſante Chriſto, nullus erit defenſioni locus: nec quiſquam eo condemnante, abſolvet. Danda igitur eſt opera ne fructus qui ex Euangelio manare debet, culpa noſtra intereat. nam ideo gloriam ſuam patefacit Dominus, ut efficiamur Joan. 15.
Chriſti diſcipuli, & plurimum fructum afferamus. verſ. 8.

5. *Et nunc dicit Jehova.*] Confirmat hoc verſu ſuperiorem ſententiam: atque pleniorem conſolationem affert, vocationem illam repetens, & conſcientiæ teſtimonium, quod nobis inſtar propugnaculi eſſe debet. Nihil enim eſt quod nos magis torqueat atque anxios reddat quam ſi dubitemus quo auctore, quibuſve auſpiciis inſtitutum aliquod aggrediamur. Propterea nos ad certitudinem vocationis noſtræ revocat Jeſaias. Ac primo pii Doctores cum Principe ſuo Chriſto divinitus ſe formatos eſſe dicunt: quia ſemper neceſſariis dotibus inſtruit & ornat Deus quoſcunque ad munus docendi vocat. nam quibuſcunque donis excellant, ab uno Spiritus fonte prodeunt omnia. Sic unigenitum filium ſignavit Pater: Joan. 6.
deinde alios ſuo quemque gradu præparat, ut idonei verſ. 27.
ſint ad obeundum munus. Oſtendit ſimul finem vocationis: nam in hunc finem conſtituti ſunt & Apo- Epheſ. 4.
ſtoli, & Doctores Eccleſiæ, ut diſſipatum gregem verſ. 11.
Domini colligant, quo omnes in idem corpus ſub Chriſto coaleſcamus. Nam in mundo miſera diſſipatio eſt: in Chriſto vero omnium ἀνακεφαλαίωσιν, ut Epheſ. 1.
inquit Apoſtolus. neque enim aliud vinculum uni- verſ. 10.
tatis eſſe poteſt. Quod attinet ad verbum Creandi vel Formandi, fruſtra hic nonnulli philoſophantur de humana Chriſti eſſentia, quæ creata eſt. Luce enim clarius eſt, formationem ad officium referendam eſſe. *Atque ut Iſraël non colligatur.* Judæi interrogative hæc legunt: Annon reducam Jacob, & Iſraël non colligetur? atque ſupplent particulam ה. Verum illa lectio nimis coacta eſt: nec ſpectant Judæi quid voluerit Propheta: ſed quantum in ſe eſt, textum depravant, ut tegant ignominiam ſuæ gentis. Alii exponunt, Non perdetur, vel, Non peribit. Nam אסף, interdum ſignificat quod dicimus vulgo, *Trouſſer.* Colliguntur enim ea quæ ſervanda ſunt: item quæ conſumenda. unde ſæpius quum aliquem è medio ſublatum ſignificamus, dicere ſolemus vulgo, *Il eſt trouſſé.* Nec male conveniret hic ſenſus, Miſſus ſum, ne Iſraël pereat: ſed malo diverſam interpretationem ſequi: nempe, Tametſi Iſraël non colligatur, tamen glorioſus ero. nam opponi hoc loco res inter ſe contrarias probabile eſt. Si deſtinati ſunt miniſtri Verbi in ſalutem hominum, glorioſum ipſis eſt, multos ad eam adduci: ſin minus, hoc ipſis dedecori & ignominiæ cedit. Paulus enim vocat eos Philip. 4.
quos lucrifecit Chriſto, gloriam & coronam ſuam. verſ. 1.
Contra vero, ubi homines pereunt, nihil præter pu- 1 Theſ. 2.
dorem & ignominiam reportamus: quoniam vide- verſ. 19.
tur Deus maledicere laboribus noſtris, neque nos dignari tanto honore, ut regnum ipſius opera noſtra provehatur. At Propheta nihilominus eos qui Chriſto ſervierint, glorioſos fore pronunciat. loquitur enim tum de capite, tum de membris, ut jam antea dictum eſt. Quamvis igitur Iſraël colligi nolit, tamen miniſterio Chriſti integra manebit ſua gloria: quoniam hominum pravitati & nequitiæ imputabitur, quod non ſint collecti. Hac ratione Paulus quamvis Euangelii præcones odor ſint mortis in 2 Cor. 2.
mortem reprobis, bene tamen & ſuaviter coram verſ. 16.

Deo

Deo ſpirare affirmat, cui placet impios hoc modo magis reddi inexcuſabiles. Bis quidem glorificatur Deus ſi votis ſucceſſus reſpondeat: ſed ubi nihil omiſerint Verbi miniſtri, quamvis merito ipſis doleat infructuoſum eſſe laborem, non eſt tamen cur eos pœniteat Deo placuiſſe, cujus approbatio hic perverſis totius mundi judiciis opponitur, acſi diceret Propheta, Quamvis peſſime audiant inter homines, multiſque probris onerentur, facile tamen ac æquis animis hoc illis eſſe devorandum: quia Deus aliter ſtatuat, & corona decoris dignetur eorum tolerantiam, quæ petulanter ab improbis traducitur. Eodem ſenſu mox ſequitur, ſufficere quod Deus ſit fortitudo, ne terreantur hoſtium ſuorum multitudine aut potentia, quum robur ſuum habeant in Deo conſtitutum.

6. ***Et ait, Leve eſt.***] Ulterius etiam progreditur Jeſaias: atque laborem Chriſti & totius Eccleſiæ non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus glorioſum fore oſtendit. Quamvis enim initio vanus & inutilis videatur, Dominus tamen efficiet ut tandem aliquis fructus præter opinionem hominum emergat. Jam ſatis erat laborem noſtrum à Deo probari: ſed quum addit non inanem fore etiam apud homines, hoc etiam nos magis conſolari atque acrius incitare debet. Unde ſequitur, bene de ſucceſſu ſperandum eſſe, ſed Dei ipſius arbitrio eſſe permittendum, ut benedictio quam promittit, ſuo tempore, quantum quoque modo videbitur, appareat. Addit præterea non tantum efficacem fore hunc laborem in populo Iſraëlitico, ſed etiam in Gentibus. atque ita re ipſa evenit. Imo quum Judæis parum prodeſſet Euangelii prædicatio, atque pervicaciter ab iis Chriſtus rejiceretur, Gentes in eorum locum ſuffectæ
Act. 13. *verſ.* 47. ſunt. Atque ita Chriſtus in lucem Gentium conſtitutus, atque extremis orbis terræ partibus ſalus ejus patefacta eſt. Hæc autem conſolatio valde neceſſaria fuit tam Prophetis quam Apoſtolis, qui pervicaciam Judæorum magis ac magis experti ſunt. Poterant enim dubitare num irritæ eſſent iſtæ promiſſiones, quum nullus earum fructus extaret. ſed quum intellexerunt Chriſtum etiam Gentibus miſſum eſſe, animos colligere ad perſeverantiam non ita difficile fuit. Hoc autem incredibile, imo prodigioſum erat: ſed Dominus ita præter opinionem omnium operari
Epheſ. 3. *verſ.* 9. ſolet. Paulus hoc arcanum à ſeculis abſconditum fuiſſe dicit: nec Angelis quidem ipſis compertum, niſi quum re ipſa in Eccleſia Dei patefactum fuit. Quum ergo ſoli Judæi ſapere viderentur: nunc
Rom. 10. *verſ.* 12. æquantur Gentibus, nec ulla apud Deum Judæi & Græci diſtinctio eſt. Judæi hunc verſum interrogative legunt, ***An leve eſt?*** acſi diceret, ſatis eſſe: nihil majus aut amplius eſſe petendum. ſed naturalem Prophetæ ſenſum malitioſe corrumpunt: atque imaginantur ſe aliquando fore dominos Gentium, longeque & late imperaturos. Verus autem Prophetæ ſenſus eſt, Hoc quidem opus per ſe illuſtre ac magnificum fore, ut erigat & reſtituat tribus Iſraël, quæ collapſæ jacebant: ſed honorem iſtum magna acceſſione ſe locupletaturum: quia Gentes Judæis adjunget, ut in eundem populum coaleſcant, & Chriſti nomine cenſeantur. Neque enim hoc loco de repudio veteris populi agitur, ſed de propaganda Eccleſia, ut Gentes cum Judæis conſentiant. Verum quidem eſt, ubi à fœdere exciderunt Judæi, Gentes quaſi in vacuum locum ingreſſas eſſe: ita illorum defectio cauſa fuit, ut qui prius extranei fuerant, reciperentur in filios: ſed hic, ſicut aliis locis, prædicit Jeſaias ampliorem fore Eccleſiam ubi acceſſerint Gentes, & conjunctæ fuerint Judæis in fidei unitatem. Et ſi autem Lucis nomine intelligitur felicitas vel gaudium, non dubito tamen quin proprie alludat Propheta ad Euangelii doctrinam, quæ animas illuſtrat, & ex tenebris educit. Hanc vero lucem quam afferet Chriſtus, ſalvificam fore docet. quemadmodum Chriſtus via, veritas, & vita nominatur, quod per veritatis *Joan.* 14. *verſ.* 6.
notionem, vitam conſequamur: ita hoc loco dicitur *lux Gentium & ſalus*, quoniam animis noſtris illucet per Euangelii doctrinam, ut nos ad ſalutem perducat. Duo igitur notanda ſunt. Primum, aperiri nobis oculos Chriſti doctrina: deinde, nos qui perieramus, vitæ, aut potius nobis vitam reſtitui.

7. *Sic dicit Jehova*] Idem argumentum proſequitur Jeſaias, ut populus, quum gravi illa clade affligeretur, ſpem melioris ſtatus animo conciperet. Atque ut magis confirmet, Deum qui hæc promiſit, Redemptorem & Sanctum Iſraëlis vocat. Objiciet aliquis, hæc eſſe pugnantia: Deum ſcil. redemptorem vocari ejus populi quem opprimi ſinebat. ubi enim hæc redemptio, ubi ſanctificatio eſt, quum populus objicere poſſet ſe miſerum ac perditum eſſe? Reſpondeo, veteris hiſtoriæ memoriam hic proponi, ut materiam fiduciæ & ſpei. Nam quum Judæos urgeret deſperatio, occurrit Propheta, & admonet, Deum à quo olim redempti fuerant eorum patres, eadem adhuc virtute pollere. Ergo quamvis ad exercendam piorum fidem ad tempus ſalutem ſuam abſconderet, jubentur fideles erecti animis ſtare, quia in illius manu certa ſit redemptio. Interea ipſos concipere oportuit quæ longiſſime ab humano ſenſu remota erant. Inſignis locus, ex quo colligitur quanta fides habenda ſit Deo loquenti: tametſi non ſtatim ea præſtet quæ promiſit, ſed languere nos atque diutius affligi ſinat. בזה, alii Contemptum, alii Contemptibilem vertunt: ego Contemptibilem malo. Hoc autem miſeriam illius populi auget, quod *in anima* apud ſeipſum contemptibilem eſſe dicit. Multi enim deſpiciuntur ab aliis, qui tamen ob dotes ſuas honore digni ſunt, vel non deſinunt ſuperbia turgere, & aliorum faſtum calcare majore faſtu. Sed hunc populum non magis ab aliis quam à ſeipſo contemni dicit. Extremam igitur ignominiam & infeliciſſimum ſtatum deſignat, & ſimul dejectionem animi complectitur, ut ſciant maturum Deo fore tempus opis ferendæ quum penitus humiliati fuerint. Nullam video rationem cur nonnulli in voce Gentis numerum mutarint, quum Propheta utatur ſingulari, גוי: & certum ſit peculiariter ad genus Abrahæ ſermonem dirigi. Addit Servire dominantibus: quaſi diceret opprimi à validis tyrannis: nam משלים, vocat eos quibus tantum eſt roboris ac potentiæ ut non facile ſit eorum manus effugere. Jam quum dicit Reges viſuros, magnifice loquitur de liberatione populi ſui: ſed interea ipſum veluti in fornace examinari ſinit, ut ejus patientiam ac fidem probet. nulla enim alioqui experientia fidei eſſet, ſi ſtatim ea præſtaret quæ promiſit, ſicuti jam antea dictum eſt. In nomine Principum repetitio eſt uſitata Hebræis. Sic autem loqueremur, Reges & Principes videbunt: conſurgent, & adorabunt. *Adorandi* verbo explicat quod dixerat, Conſurgent. Conſurgimus enim honoris cauſa. Summa eſt, ſummos quoſque mundi Principes expergefactum iri ut ſentiant populi reſtitutionem præclarum eſſe Dei opus, & reverentia dignum. *Quia fidelis eſt.* Hæc eſt cauſa tantæ admirationis, atque honoris quem Principes Deo exhibebunt: quia ſcilicet agnoſcent fidem & conſtantiam Domini in promiſſis ſuis. Vult autem Dominus agnoſci verax, non nuda quadam & ſimplici imaginatione: ſed ipſa experientia, id eſt, in eo quod populum quem adoptavit, conſervat. Itaque hinc diſcamus non eſſe æſtimandas promiſſiones Dei à noſtro ſtatu, ſed à veritate ipſius: ut quum nihil præter exitium & mortem imminebit, hujus ſententiæ meminerimus, qua Dominus contemptibiles atque abominabiles compellat. Hinc etiam obſervandum eſt, quam magnificum & admirabile ſit opus Dei, Eccleſiæ liberatio: quod Reges, tametſi ſuperbos, & nihil fere dignum ſuo conſpectu vel pretioſum ducentes, aſpicere, admirari, ſtupeſcere, atque etiam invitos Dominum revereri

reri cogat. Hoc igitur novum atque inuſitatum opus nobis unice commendatur. Quale autem ipſum & quantum ſit, ex nobiſipſis judicemus. nam ut omittamus veteres hiſtorias, qua ratione è miſera Antichriſti tyrannide liberati ſumus? Somnium profecto
Pſal. 126. verſ. 1. nobis eſſe videbitur, ut etiam ait Pſaltes, ſi attentius paulo conſideremus: adeo ſtupendum & incredibile opus à Deo in nobis, qui Chriſto nomen dedimus, editum eſt. In fine autem verſus repetit quod ante attigerat, ſegregatum fuiſſe hunc populum Deo. ſed in Electione initium ſanctificationis notatur: quia ideo hæreditas ſacra fuit populus ille, quod Deus mero beneplacito eum eligere dignatus eſſet. Arcanam igitur Dei voluntatem indicat Jeſaias, à qua ſanctificatio manat: ne Iſraël putaret ſe merito ſuo ſegregatum. perinde acſi diceret: Dominus qui te elegit, re ipſa in te comprobat electionem ſuam, eamque ab effectu demonſtrat. Quemadmodum igitur agnoſcenda eſt veritas Dei in ſalute noſtra: ita ſalus gratuitæ ipſius electioni tantummodo adſcribenda eſt. Interea qui tanti beneficii participes eſſe volent, ſint pars Iſraëlis, id eſt, Eccleſiæ: extra quam nec ſalus, nec veritas eſſe poteſt.

8. *Sic dicit Jehova, In tempore placiti.*] Ex hoc verſu iterum apertius colligitur id quod initio hujus capitis tractavimus: nempe, Prophetam ſic totum Eccleſiæ corpus alloqui, ut à Chriſto incipiat, qui caput eſt. Quod diligenter obſervandum eſſe monui. nam ab interpretibus animadverſum non eſt: nec tamen aliter poterit hoc caput eodem tenore ex-
2 Cor. 6. verſ. 2. plicari. Hoc facile oſtendit Paulus, qui hanc ſententiam ad totam Eccleſiam accommodat. Interea vero quod ſubjicit Propheta, *Dabo te in fœdus*, nemini alteri quam Chriſto convenit. Quomodo hæc inter ſe conciliabimus? nempe, ſi conſideremus Chriſtum non tam eſſe ſuum, quam noſtrum: quia nec venit, nec mortuus eſt, nec reſurrexit ſibi. ipſe enim in ſalutem Eccleſiæ miſſus eſt: nec quicquam ſibi proprium quærit, quum nulla omnino re indigeat. Itaque promittit Deus univerſo Eccleſiæ corpori. Chriſtus, qui veluti ſponſor intermedius eſt, recipit has promiſſiones: nec ſibi privatim ſtipulatur, ſed toti Eccleſiæ, in cujus ſalutem miſſus eſt. Chriſtum igitur non ſeparatim compellat, ſed quatenus corpori ſuo adhæret, eique perpetuo conjunctus eſt. Immenſus autem eſt hic honor, quo nos dignatur cæleſtis Pater, quum noſtra cauſa Filium exaudit: imo dum ſermonem ad Filium convertit, ubi de ſalute noſtra agitur. Inde enim apparet quanta ſit inter nos & Chriſtum conjunctio. Suſtinet perſonam noſtram, nec quicquam à nobis ſeparatum habet: atque noſtra cauſa à Patre exauditur. Sub voce Placiti, frenum, ut ita loquar, injicit, ne feſtinent in ſuis deſideriis fideles, ſed patienter expectent dum præfixum à Deo
Gal. 4: 4. tempus advenerit: quo ſenſu à Paulo adventus Chriſti vocatur tempus plenitudinis. Vult ergo ſuſpenſos eſſe à Dei arbitrio, ut interea placide & compoſitis animis ſuſtineant ejus iram. Cæterum, quamvis Prophetæ conſilium ſit, hortari ad tolerantiam pios, ut diſcant affectus ſuos Deo ſubjicere, ſimul tamen docet ſalutem noſtram fluere à gratuita Dei benevolentia. רצון enim, quam Græci εὐδοκίαν vocant, id eſt, bona Dei voluntas, fundamentum eſt ſalutis noſtræ: ſalus vero, illius gratiæ effectus eſt. Salvi enim ſumus, quia placemus Deo, non dignitate noſtra aut meritis, ſed liberali ejus gratia. Interea vero oſtendit certam nobis eſſe ſalutem, ubi certum gratiæ Domini teſtimonium habemus. Omnis enim dubitatio tollenda ubi Dominus de placito ſuo teſtatus eſt. Hic locus valet ad commendationem Verbi, extra quod de ſalute inquirere fas non eſt: ſicuti admo-
2 Cor. 6. verſ. 2. net Paulus in Euangelii prædicatione certo nobis patere Dei beneplacitum: atque ita impleri quod hic ſcribitur de die ſalutis. Tertio, Propheta nos admonitos voluit, ubi nobis Euangelium mittitur, certum proferri pignus favoris Dei: quia noſtri miſertum eſſe apparet, ubi comiter nos ad ſe invitat, ne huc atque illuc circumſpectemus ad quærendam hanc lucem, quæ à gratuita Dei voluntate ſolummodo expectanda eſt: vel agitemur dubitatione, quam nobis Deus eximit. Cæterum meminerimus hoc totum à libero Dei conſilio pendere. Quum ergo quæritur, cur hoc tempore potius quam olim nobis illuxerit Dominus, hæc ratio reddenda: quoniam ita viſum eſt, ita placuit Deo. Ad hanc enim rationem redit Paulus eo loco quem citavimus, Ecce nunc tempus acceptum, ecce dies ſalutis. qui locus nos plurimum in tenenda Jeſaiæ mente juvare poteſt: ut diſcamus conjungere ſalutem noſtram cum placito Dei: cujus teſtimonium nobis datur in prædicatione Euangelii. Obſervandum etiam, hæc vaticinia ad certam ætatem reſtringenda non eſſe: quum ad univerſam Eccleſiam omnibus ſeculis pertineant. Nam ut initium fiat à redemptione Babylonica, ad redemptionem Chriſti pergendum eſt, cujus illa initium ac veluti præludium fuit. Et quum multæ adhuc ſervitutis reliquiæ nobis ſuperſint, ad diem extremum progrediendum eſt, quo omnia inſtaurabuntur. *Conſtitui te in fœdus.* Hinc confirmatur, quicquid antea dictum eſt Chriſto, non privati ejus commodi cauſa, ſed in noſtram gratiam, promiſſum eſſe. Nam conſtitutus eſt ſponſor fœderis, quod Judæi ſuis peccatis divortium feciſſent à Deo, qui æternum fœdus cum illis pepigerat. Fœderis ergo quod caſſum vel abruptum erat, renovatio Chriſto tribui-
tur. Quanquam ſimul tenendum eſt illud Pauli, Chriſtum eſſe omnium pacem, ut reconciliet tam remotos quam propinquos. Sed proprie reſpexit Jeſaias ad triſtem illam diſſipationem, cujus remedium à ſolo Chriſto ſperandum erat. Porro hanc gratiam ad nos transferre convenit, quod præ Judæis, antequam prodiret Euangelium, inimici atque alieni à Deo eſſemus, nec aliter poſſemus ipſi reconciliari. Chriſtus ergo in fœdus populi datus eſt, quod nulla ad Deum via, quam per ipſum, pateret. Populus tunc, erant Judæi: ſed diruta maceria, omnes & Gentes, & Judæi in idem populi corpus coaluimus. *Ut ſuſcites terram*, quæ ſcilicet tunc vaſta & deſerta erat. Reditus enim populi nova quædam fuit creatio, ut alibi vidimus. Huc quoque pertinent Prophetæ verba, ut intelligamus nihil præter diſſipationem & vaſtitatem in mundo eſſe. Mittitur enim Chriſtus, ut quæ proſtrata ſunt & diruta inſtauret. Si integra eſſent omnia, fruſtra Chriſtus ad nos mitteretur. Itaque diligenter conſideranda eſt noſtra conditio: quoniam alieni à Deo, vita deſtituti, atque ab omni ſpe ſalutis excluſi ſumus. Sed à Chriſto reſtituimur in integrum, & Patri cæleſti reconciliamur. Adjungit etiam Jeſaias beneficia quæ per Chriſtum conſequimur, poſtquam Deo reconciliati ſumus. Epheſ. 2. v. 14. 17.

9. *Ut dicas vinctis.*] Deſcribitur his verbis mutatio quæ Chriſti adventu contigit. neque tamen dubium eſt quin Propheta Judæis ſolatium afferre velit in rebus perditis, ne reſtitutio in melius illis ſit incredibilis: quia ſe excidio fere devotos eſſe videant. Interea in genere oſtendit quale ſit officium Chriſti: ac definit quid ſit reſtituere hæreditates deſolatas. nam priuſquam adveniat Chriſtus, ſub miſero jugo vincti, atque in tenebris conſtituti ſumus. His ſimilitudinibus ſignificat nos, quamdiu caremus Chriſto, malorum omnium congerie eſſe obrutos. nam per *tenebras*, excludit omnia quæ ad regnum Chriſti pertinent: fidem, juſtitiam, veritatem, innocentiam, & ejuſmodi. Sumus ergo in tenebris, donec Chriſtus dicat, *Oſtendite vos.* Sumus vincti, donec dicat, *Exite.* Plurimum vero ineſt ponderis in verbo לאמר, *ut dicas.* Oſtendit enim prædicationem Euangelii modum eſſe quo liberamur. Si ergo libertatem, ſi lucem regni Dei optamus, audiamus Chriſtum loquentem: alioqui perpetua Satanæ tyran-

tyrannide opprimemur. Ubi nunc eſt arbitrii noſtri libertas? Quiſquis enim ſibi lucem aut rationem & intelligentiam arrogat, hanc Chriſti liberationem experiri non poterit. Libertas enim non aliis promittitur, niſi qui ſe captivos eſſe agnoſcunt: lux & ſalus, qui ſe in tenebris demerſos eſſe confitentur. Porro ubi promittit paſcua filiis Dei fore pervia, & ſuper montium cacumina, his metaphoris ſignificat *Joan. 10. verſ. 11.* eos bene habituros qui ſub tutela Chriſti erunt. Eſt enim paſtor diligens ac ſollicitus, omnia gregi neceſſaria ſuppeditans, ut nihil ad ſummam felicitatem deſit. Hæc vero admonitio non parum fuit utilis eo tempore quum per ſqualidas regiones & aridas iter facturi eſſent Judæi, ut demum in terram incultam & deſertam redirent: dicit igitur Propheta, quamvis terrena media non ſuppetant, eſſe tamen ſatis largam copiam Deo qua eorum inopiæ ſubveniat: ideoque pro communi Scripturæ more comparat fideles ovibus, ut ſuæ imbecillitatis conſcii, curæ paſtoris ſe totos committant. Interea probabile eſt oblique moneri fideles, ne appetant nimias lautitias: quia nunquam tanta ſuppetet ubertas, quin multæ difficultates permixtæ ſint. Deinde ne defluant in mollitiem, qua periculis futuri ſint obnoxii. nam vias hoſtium & prædonum incurſibus expoſitas, & cacumina montium ut plurimum arida eſſe ſcimus. Ita gubernatur Eccleſia à Chriſto, ut non procul abſit ab incurſu & injuria hoſtium: ſic paſcitur, ut in horridis tamen & incultis ſæpe locis habitet. Cæterum, quamvis immineant hoſtes, Dominus ab eorum vi & injuria nos tutatur. Si eſurimus aut laboramus inopia, præſto eſt ad ſubminiſtranda abunde omnia quæ ad victum & cultum neceſſaria ſunt. Atque in hujuſmodi difficultatibus & periculis melius ſollicitudinem ejus & curam perſpicimus, quam ſi extra omnem periculi aleam conſtituti eſſemus.

10. *Non eſurient.*] Confirmat quod dictum eſt ſuperiore verſu, eſſe in Dei manu alimenta, ne in itinere Judæos viaticum deficiat. nec dubium eſt quin revocet in memoriam, quum in deſerto panis & ciborum omnium penuria mortem patribus minitaretur, *Exod. 16. verſ. 35.* Deum per XL. annos quotidie Manna è cælo dediſſe: ſicuti etiam continuo poſt de umbra contra Solis æſtum loquens, alludit ad hiſtoriam quæ refertur *Exod. 13. verſ. 21.* à Moſe de columna nubis, qua Dominus populum ſuum tegebat, ne Solis ardore torreretur. Hoc enim ſolenne Prophetis eſſe diximus, ut commemorent exitum populi ex Ægypto, quoties beneficentiam Dei & publice erga omnes, & privatim erga unumquemque confirmare volunt. *Super ſcaturigines.* *Exod. 17. verſ. 6.* Alludit etiam ad aquas illas quæ ex rupe fluxerunt, quum populus fere ſiti periret. Nec enim iſta acciderunt in redemptione Babylonica, ſed commemoratione priorum beneficiorum, potentia Dei in procuranda ſalute Eccleſiæ prædicatur.

11. *Et ponam omnes montes.*] Hic proprie ac nominatim de reditu populi tractat: nam fruſtra tantam Eccleſiæ felicitatem promitteret, niſi in priſtinam libertatem reſtituendus fuiſſet populus. Significat autem ſe ſublaturum impedimenta omnia, & difficultates quæ poterant populi reditum prohibere: atque montes pervios redditurum, qui invii eſſe videbantur: denique complanaturum & montoſa & concava loca, ut facilis in Judæam reditus eſſe poſſit. Quum igitur reſtituenda eſt in integrum Eccleſia, nulla impedimenta, quantumvis magna & ardua, obſtare Deo poſſunt quin ſuperior tandem evadat. Montes porro vocans *ſuos*, non modo ſignificat poſſe illis pro ſuo jure ſe imperare ut populo tranſitum præbeant: ſed exprimit profectionis ſe fore ducem, acſi una cum Judæis pergeret, ac commune iter faceret: *Deut. 32. verſ. 13.* ſicuti alibi dicitur peragraſſe Ægyptum, ac equitaſſe ſuper ejus excelſa in exitu populi. Hic vero exprimitur ſingularis Dei erga Eccleſiam amor, quod ſe cum ea peregrinari dicit, ac ipſe ſuſcipit omnium neceſſitatum curam, acſi ipſe ſibi proſpiceret dum ſuis opitulatur.

12. *Ecce iſti è longinquo venient.*] Quod nonnulli quatuor mundi plagas hic ſignificari putant, ſatis quidem firmum non eſt. Ego tamen non repudio, quia & probabile eſt, & convenit multis aliis locis. Certe primum dicit venturos è longinquis mundi plagis: ſpecies deinde, id eſt, aliquas partes ſubjungit ad generalis ejus ſententiæ explicationem. Loco *Sinis*, alii Sinim legunt: atque apud ipſos Hebræos varia lectio eſt. Hieronymus meridionalem plagam deſignari putat (quæ ſententia magis recepta eſt) à monte Sinai, quæ ad Auſtrum ſita erat. Alii Sienem eſſe putant, quod ſita ſit ſub tropico Cancri. Verum hæc diverſitas nihil ad Prophetæ ſenſum, qui per ſe planus & facilis eſt. Nec enim dubium quin Propheta ſignificet eos qui variis in locis diſperſi atque diſſipati erant, ſive ab Aquilone, ſive à mari colligantur. Sic porro reditum è Babylone promittit Jeſaias, ut ſimul ad tempus Chriſti hoc vaticinium extendat: quemadmodum ex ſuperioribus facile colligitur. Memoria enim tenendum, quod prius diximus, hic ſecundam Eccleſiæ nativitatem deſcribi. Nec enim tantummodo promittit Judæos Jeroſolymam redituros, ut templum inſtaurent, ſed colligendos ex omnibus terræ plagis qui prius ab Eccleſia fuerant alieni.

13. *Laudate cæli, & exulta terra.*] Tametſi pios omnes ad gratiarum actionem hortatur atque incitat, tamen hoc ſimul reſpicit, ut confirmet promiſſionem quæ dubia videri potuiſſet. Rebus enim afflictis turbantur conſcientiæ noſtræ, atque ita vacillant ut non adeo facile ſit in Dei promiſſiones ſolide recumbere. Denique homines aut ſuſpenſi hærent, aut trepidant, aut penitus labaſcunt, imo deficiunt. Interea quantiſper occupat metus, vel anxietas, vel mœror, vix ulla conſolatio admittitur: ideoque variis modis ipſos confirmari neceſſe eſt. Propterea tam magnifice beneficium hujus liberationis prædicat Jeſaias: ut tametſi pii nihil omnino præter mortem & exitium intuerentur, animum tamen ſpe melioris ſtatus erigerent. Eos igitur pene in rem præſentem adducit, ne dubitent ampliſſimam ipſis gaudendi materiam fore: tametſi nunc nihil præter mœrorem & luctum cernerent. Meminerimus ergo, quoties Dominus aliquid promittit, conjungendam eſſe à nobis gratiarum actionem, qua magis animos noſtros excitemus: deinde, attollendas eſſe mentes ad potentiam Dei, qua longe lateque imperat omnibus creaturis. Nam ſimulatque manum exerit, cælum & terra commoventur. Quod ſi ubique ſigna apparent admirabilis ejus potentiæ, præcipuum ſpecimen & maxime illuſtre agnoſci vult in Eccleſiæ ſalute. Hac autem figura docet, nullum eſſe potius obſequium quod Deo præſtent cælum & terra, quam ſi conſpirent, & operas ſimul conferant ad Eccleſiam juvandam. Cæterum, ne fatiſcant ſub malorum onere fideles, antequam conſolationem illis à Deo promittat, ad miſerias placide ferendas hortatur. nomine enim *pauperum* ſignificat Eccleſiam multis ærumnis in hoc mundo obnoxiam eſſe. Ut ergo miſericordiæ Dei participes ſimus, diſcamus ſub cruce multiſque moleſtiis cum gemitu & lachrymis ad eam eniti.

14. *Atqui dixit Sion, Dereliquit me &c.*] Quo magis gratiam ſuam amplificet Deus, conqueritur adeo anguſtos & reſtrictos fuiſſe Judæorum animos, ut ſibi fere via clauſa fuerit, niſi malignas eorum cogitationes ingenti bonitate viciſſet. Simul tamen vitium hoc corrigere ſtudet, ut liberationem ſibi oblatam & quaſi obviam apertis animis excipiant. & ſicuti propenſus eſt ad ipſos juvandos, ſic etiam viciſſim ſe comparent ad bene ſperandum. Jam ad nos quoque pertinet hæc doctrina, quia omnes fere, ubi Deus auxilium ſuum differt, miſere angimur ac cruciamur.

ciamur. putamus enim nos deſertos & abjectos. Ita facile obrepit deſperatio, cui occurrere neceſſe eſt, ne gratia Dei privemur. Et certe in hac dubitatione ſe prodit ac detegit noſtra incredulitas, quod in Dei promiſſis non acquieſcimus, ut moderate feramus vel caſtigationes, quibus nos ad pœnitentiam ſollicitat Deus: vel fidei probationes, quibus nos ad tolerantiam erudit, vel quaſcunque afflictiones, quibus nos humiliat. Merito itaque expoſtulat Deus cum Judæis, quod prava ſua diffidentia oblatam ſalutem reſpuant, nec ſuſtineant ſe juvari. Neque vero reſtringit hoc vitium ad paucos, ſed totam fere Eccleſiam comprehendit, ut oſtendat ſe erga Judæos beneficum ac largum fore ultra menſuram fidei ipſorum: imo cum ipſis ſe luctari, ut cum ſalute ſua perrumpat obſtacula omnia quibus eam arcebant. Videant ergo ſinguli noſtrum, ne ſibi in eo indulgeant aut adulentur. litigat enim Dominus cum tota Eccleſia, quod hujuſmodi voces edat, quæ ex diffidentiæ fonte manant.

15. *An obliviſcetur mulier.*] Ut diffidentiam iſtam corrigat, expoſtulationi exhortationem ſubjungit plenam ſuaviſſimæ conſolationis. Nam apta ſimilitudine oſtendit quantam ſollicitudinem pro ſuis gerat, matri ſeſe comparans, cujus adeo ſollicitus atque anxius eſt amor in fœtum ſuum, ut paternum etiam longo intervallo ſuperet. Non ſatis ergo ipſi fuit patris exemplo uti (quod alioqui frequentiſſime uſurpat) ſed ut ardentiſſimum affectum ſuum exprimeret, matri ſe conferre maluit: nec liberos ſolum nominat, ſed fœtum in quem propenſior affectus eſſe ſolet. Incredibilis enim eſt matris affectus in fœtum quem fovet ſinu ſuo, lactat, & ſollicite curat: adeo ut inſomnes ducat noctes, ſeque continuo maceret, & ſui ipſius obliviſcatur. Atque hæc ſollicitudo non tantum in hominibus apparet, ſed etiam in feris beſtiis: quæ tametſi immanes ſint natura, tamen hac in parte manſueſcunt. Quum vero interdum contingat matres ſic degenerare in monſtra, ut immanitate feras ſuperent, & fœtus ſui obliviſcantur: ſubjungit Dominus, etiamſi id contingeret, ſe tamen nunquam populi ſui obliturum. Nam affectus ipſius erga nos, matrum omnium amorem ardore & vehementia longe exuperat. Et tenendum illud
Mat. 7. verſ. 11. Chriſti, Si vos, quum mali ſitis, noſtis bona dare filiis veſtris, quanto magis Pater cæleſtis? Homines tametſi pravi natura & amantes ſui, curam liberorum habent: quid Deus, qui ipſa eſt bonitas? an affectum paternum exuere poterit? Minime vero. Quamvis igitur accidat matres (quod inſtar prodigii eſt) abjicere fœtum ſuum: Deus tamen, cujus amor conſtans & perpetuus eſt in filios ſuos, nunquam eos abjiciet. In ſumma: deſcribitur hic nobis immenſa Dei cura, qui aſſidue pro noſtra ſalute vigilat, ut eum nunquam defuturum nobis certo perſuaſi ſimus: tametſi multis magniſque ærumnis affligemur.

16. *Ecce ſuper palmas.*] Alia ſimilitudine declarat immenſam illam ſollicitudinem quam pro nobis gerit Dominus. Vulgare eſt proverbium, Nos aliquid tanquam proprios digitos tenere, quum rem memoriæ penitus & ſerio infixam habemus. Et Moſes, quum aſſiduam Legis meditationem commen-
Deut. 6. verſ. 8. dat, Ligabis ea, inquit, in ſignum ſuper manum tuam: nempe ut Dei præcepta ſemper oculis ſuis propoſita haberent. Nunc eandem ſimilitudinem uſurpat: perinde acſi diceret, Non poſſum intueri manus meas, quin te illic quoque contempler. te in animo meo inſculptum gero, ut nulla oblivione deleri queas. tui denique obliviſci non poſſum, quin mei ipſius obliviſcar. Deus quidem neque manus, neque corpoream figuram habet: ſed ita tenuitati ingenii noſtri ſeſe accommodat Scriptura, ut magnitudinem divini erga nos amoris exprimat. Quoniam vero Eccleſia paſſim Domicilium, vel Urbs Dei nominatur (unde etiam ædificationis metaphora paſſim *Pſal. 102. verſ. 17.*
occurrit in Scripturis) ideo murorum ſimilitudinem adducit: qua incolumem Eccleſiæ ſtatum ſigni- *Jere. 24. verſ. 6.*
ficat, acſi diceret ſibi curæ ſemper fore ut vigeat ac floreat Jeruſalem. *Mat. 16. verſ. 18.* Notandum tamen eſt murorum nomine metaphorice rectum ordinem politiæ & diſciplinæ notari, cujus ſedulum & indefeſſum cuſtodem ſe Deus fore affirmat. Meminerimus autem hanc prophetiam habuiſſe locum in miſera illa vaſtitate, quum diruti eſſent muri Jeruſalem, quæ viva Eccleſiæ imago fuit, templum exciſum, everſa politia: denique peſſundata ac propemodum deleta funditus omnia erant. nam mox promittit futurum ut omnia inſtaurentur.

17. *Feſtinant ſtructores tui.*] Declarat quod breviter dictum fuerat ſuperiore verſu. Vana enim videri potuiſſet illa ſententia de aſſidua ſollicitudine quam gerit Dominus de Eccleſia ſua & muris ejus, quos dirui atque everti ſinit. propterea ſubjunxit explicationem, Quod devaſtabitur illa quidem, ſed deinde in integrum reſtituetur. *Structores.* Hinc colligere licet quæ ſit vera inſtaurandæ Eccleſiæ ratio: nempe, ſi Dominus architectos mittat, à quibus exſtruatur: deinde, ſi procul abigat vaſtatores qui eam diruunt. Etſi enim per ſe, & prætérita hominum opera Eccleſiam erigere poſſet Deus, dignatur tamen eorum manus interponere: & quanquam ſolus arcana Spiritus virtute totum hoc ædificium complet, benedicit tamen illorum laborem, ne ſit inutilis. Ab ipſo igitur petendi & expectandi ſunt architecti: quum ejus proprium ſit idoneos reddere (quemadmodum admonet Paulus) & cuique aſſi- *2 Cor. 3. verſ. 6.*
gnare ſuas partes. Rogandus eſt etiam non modo ut mittat operarios in meſſem ſuam: *Matth. 9. verſ. 38.* ſed ut virtutem ſuppeditet & efficaciter dirigat, ne fruſtra operi incumbant. nam ſingulari ejus beneficentia accidit ut cum aliquo fructu Euangelii doctrina prædicetur. Sed neque hoc ſufficeret, niſi procul abigeret vaſtatores. Satan enim innumeris artibus Eccleſiam invadit atque oppugnat: nec deſunt ei miniſtri & ſatellites, qui nervos omnes in id intendunt, ut Domini ædificium diruant, vel corrumpant, vel impediant. Petendum igitur aſſidue, ut eorum conatus avertat. Quod ſi minus ex animi noſtri ſententia id ſuccedat, vitia ipſi noſtra & ingratitudinem accuſemus: nam Dominus hæc beneficia abunde in nos conferre paratus erat.

18. *Leva per circuitum oculos tuos.*] Excitat quaſi re præſenti Eccleſiam ad magnificum opus hoc contemplandum, & cernendos hominum cœtus, qui undiquaque ad ipſam confluent. Sicuti autem collectio hæc pios animos fulcire debuit in diſſipatione: ita qui ejus oculati fuerunt teſtes ad gratitudinem incitari oportuit. unde apparet vaticinium hoc utroque tempore fuiſſe utile, quum & res adhuc ſub ſpe eſſet abſcondita, & poſtquam eventu comprobata fuit. Tametſi vero generaliter univerſam Eccleſiam compellet, tamen ad ſingulos quoque pertinet hic ſermo, ut & communiter omnes, & ſeorſum ſinguli hæc promiſſa amplectantur. Quum autem oculos attolli jubet, ſignificat nos ideo animis dejici, quod non attente, ut decet, opus Domini inſpiciamus: ſed tanquam velum oculis oppoſitum habeamus, quod ea quæ ante pedes poſita ſunt intueri vetat. Hinc accidit ut nihil concipiamus fiduciæ, ſed in rebus confuſis deſperatione propemodum obruamur. Quod ſi hæc toti Eccleſiæ dicuntur, reputet ſecum unuſquiſque quantum laboret hoc vitio: & ſubinde ſe ſollicitet atque expergefaciat ad opera Domini intuenda, ut toto animo in promiſſis ejus conquieſcat. Electos Eccleſiæ congregari dicens, ſignificat, ut ſint unum corpus ſub Chriſto, ac velut unum ovile *Joan. 10.*
ſub eodem paſtore, quaſi eodem ſinu oportere col- *verſ. 16.*
ligi: quia non alios pro ſuis ducit Chriſtus ac cenſet niſi qui fidei unitate in corpus unum coaleſcunt.

Quiſ-

Quiſquis ergo in numero filiorum Dei haberi volet, ſit filius Eccleſiæ. Semper enim alieni erunt à Deo qui ab ipſa ſegregantur. *Quaſi ornamento* Oſtendit Propheta quis ſit verus Eccleſiæ ornatus: nempe, ſi liberos quam plurimos habeat, qui fide ad ipſam aggregentur, & regantur Spiritu Dei. Hic verus ſplendor: hæc Eccleſiæ gloria eſt: quibus ſi careat, deformis ac ſqualida, imo veluti lacera ac diſcerpta erit. Unde perſpicimus quam belle teneant Papiſtæ quomodo rite ipſam ornari oporteat. Toti enim in pictis tabulis, in ſtatuis, in lapidum ſtructura, in auro, gemmis, & veſtibus pretioſis, hoc eſt, in pupis, tanquam pueri, occupantur. At vera Eccleſiæ dignitas quatenus Spiritus ſancti donis conſtat, interior eſt. Deinde in fidei & pietatis profectu ſita eſt. unde ſequitur, ſuis ornamentis præclare inſtructam eſſe, quum populus fide conjunctus ad Deum rite colendum in ejus ſinu convenit. Quo autem plus certitudinis habeat hæc promiſſio, Dominus jusjurandum adhibuit: nempe, ut nos à diffidentia revocet: & quum interitum ejus inſtare putabimus, de reſtitutione ipſius atque inſtauratione certi ſimus. Quod ſi unquam hæc doctrina neceſſaria fuit, hoc maxime tempore neceſſaria eſt. quocunque enim oculos convertimus, nihil occurrit præter horrendam vaſtitatem. Quid ergo nobis agendum eſt, niſi ut hoc Dei jurejurando ſuffulti eluctemur ex deſperatione? nec terreamur paucitate noſtra quæ nos contemptibiles mundo reddit: nec dubitemus quin multi ex electis diſperſi vagentur, quos tandem Deus in Eccleſiam aggregabit. Ergo erigendi ſunt animi, atque attollendi fide oculi, ut non ſolum in unam ætatem, ſed in longiſſimum tempus ſpem noſtram prorogemus.

19. *Quoniam deſolationes tua.*] Confirmat aliis verbis quod jam vidimus, mutationem quam promiſit in manu Dei eſſe, ut Eccleſia quæ diu vaſtata ac diſſipata fuit, brevi multos habeat incolas: ita ut ſit anguſtior locus, quam ut omnes capere poſſit. Utitur ſimilitudine urbis vaſtatæ, cujus muri & ædificia inſtaurantur, ad quam cives tam magno numero redeunt ut dilatanda ſint ejus pomœria, quod prior ambitus omnes continere nequeat. Non ſolum ergo intelligit reductionem populi è Babylone, ſed reſtitutionem quæ per Chriſtum facta eſt: quum ſcilicet Eccleſia non tantum per Judæam, ſed etiam per univerſum orbem longe lateque propagata eſt. Addit etiam præſidium fore paratum ſi qui eam hoſtes infeſtent: imo quietam fore ab eorum injuriis & moleſtiis, quia Deus procul ipſos abiget: non quod Eccleſia unquam in totum pacata fuerit, & ab omni hoſtili violentia immunis: ſed tamen Deus ſuorum infirmitati parcens impios prohibuit, eorumque impetus repreſſit, aut diſcuſſit, ne ſaltem ex Eccleſiæ ruinis regnum Satanæ creſceret.

20. *Adhuc dicent.*] Idem argumentum proſequitur Jeſaias: atque reſtitutionem Eccleſiæ ſub diverſa figura promittit. Eam autem mulieri viduæ aut potius ſterili comparat, ut miſerum & calamitoſum ejus populi ſtatum declaret. tot enim premebatur anguſtiis, ut memoria gentis penitus deleta videretur. nam permixta Chaldæis, qui captivam illam tenebant, in aliud propemodum corpus transierat. Non mirum igitur ſi eam ſterili matri comparat, quum nulli in futurum tempus liberi gignerentur. Prius floruerant Judæi: ſed collapſum eſt regnum & concidit totus vigor: nomen denique fere extinctum eſt, quum in exilium ejecti ſunt. Promittit ergo futurum, ut emergat ex ſqualore Eccleſia, & quæ nunc ſolitaria eſt, eum ſtatum recuperet quem prius habuerat. Atque hoc includitur ſub voce, *adhuc*, ne diffidant in arbitrio Dei eſſe reddere quod olim dederat, quamvis ad tempus ablatum fuerit. Quod nonnulli per *filios orbitatis*, filios orbatos intelligunt, non ſatis convenire puto. Nam orbitas & ſterilitas potius ad Eccleſiæ perſonam refertur. ideo amplificandi cauſa ſic vocat qui præter ſpem orbæ & ſterili dati fuerint. *Secede alio mihi*, id eſt, in gratiam meam. non quod piis conveniat fratres ſuos extrudere vel movere loco: ſed loquendi formam ex vulgari ſermone mutuatus eſt Propheta, ut ſignificet nullam incommoditatem fore obſtaculo quin multi admitti cupiant & ſibi locum aliquem dari. Hoc autem factum eſt, quum Dominus ex toto orbe innumeros homines collegit. nam ſubito & præter ſpem hominum repleta eſt Eccleſia, quæ prius vacua erat: amplificati ejus fines, longeque & late extenſi ſunt.

21. *Et dices in corde tuo.*] His verbis admirabilem, de qua nunc agit, Eccleſiæ reſtitutionem fore denunciat. atque ideo introducit admirantem ipſam, atque obſtupeſcentem, quod inuſitata atque inopinata ratione reſtituta ſit. Nec profecto hujuſmodi deſcriptio ſupervacanea eſt. nec enim ut nova ſoboles quotidie ſuccreſcit hominibus, qua genus humanum propagatur, ita naſcuntur filii Dei & Eccleſiæ, qui non ex *Joan. 1.*
carne & ſanguine, ſed arcana virtute Dei, in novas *verſ. 13.*
creaturas reformantur. Natura enim à regno Dei alieni ſumus. Si quis ergo novum hoc opus atque inſolitum conſideret, & qua ratione propagetur Eccleſia & duret, obſtupeſcere cogetur. Hanc autem admirationem haud fictam fore, ut ſæpe ab adulatoribus proficiſcuntur ejuſmodi voces, ſed ex animo profecturam eſſe oſtendit: quoniam juſta erit cauſa admirandi, quod Dominus ſervarit Eccleſiam in tantis periculis, novaque & inexpectata ſobole propagarit. Quis enim putaſſet, quo tempore contemptiſſimi erant Judæi, omnique probrorum & miſeriarum genere obruti, ullos fore ex Gentibus qui ſocietatem hanc ultro appeterent? Deinde minime credibile erat, poſſe hominum ingenia repente ſic mutari, ut ſe religioni quam abominati fuerant, adjicerent. Adde quod interpoſita maceria exteros omnes & incircumciſos ab ingreſſu arcebat. Verum unam maxime rationem exprimit tantæ admirationis: nempe, quod prius nullos pareret liberos, atque omnino deſtituta eſſet. Ceſſabat enim doctrina, quæ ſemen eſt ſpiritualis vitæ, quo liberi Eccleſiæ *1 Petr. 1.*
gignuntur: cultus etiam Legalis intermiſſus erat. de- *verſ. 23.*
nique ablata erant quæcunque incolumem ſtatum tueri ſolent. Sic autem vocatur Eccleſia, non quod deſtituatur à Deo, ſed quod non ſemper appareat ejus præſentia. Hujus ſterilitatis imaginem ipſi vidimus, quum Dominus ingratitudinem hominum ulciſcens, ſuſtulit doctrinam ſuam, eoſque in tenebris errare ſivit. Tunc vere orba & ſterilis dici poterat, quum nulli ejus liberi apparerent. Unde colligendum eſt, quam ſtulti ſint Papiſtæ, qui ſic Eccleſiam ſemper à Chriſto regi volunt, ut nunquam orba aut ſterilis eſſe poſſit: quum Dominus licet Eccleſiam non deſtituat, ſigna tamen præſentiæ ſuæ propter ingratitudinem hominum ſæpenumero ſubducat. *Quis ergo iſtos educavit?* Difficile eſt iis qui in exilium migrant, ac ſubinde locum & ſedem mutant, educare liberos: & quum Lex & pietatis doctrina non reſonaret amplius in Templo, ſpiritualis alimonia quodammodo defecerat. Sed Dominus qui humanis adminiculis non eget, extraordinaria ratione, atque incredibili Spiritus ſui virtute gignit liberos ſuos, atque educat ubi ita viſum eſt: & in hoc vaticinio complendo nutritios præter ſpem omnium excitavit Deus, ut non abs re miretur Eccleſia quomodo adoleverint. Quum hanc prophetiam legimus, monemur non oportere nos ultra modum turbari, ſi quando Eccleſiam orbæ mulieri ſimilem videamus: nec diffidendum, quin protinus vel uno momento erigi atque inſtaurari poſſit: tametſi nulla ejus inſtaurandæ ratio nobis appareat.

22. *Sic dicit Dominus.*] Confirmat Jeſaias quod nuper dixerat: nempe, Dominum effecturum ut Eccleſia, quamvis diutiſſime ſterilis & orba fuiſſet, immen-

immenſam haberet ſobolem, & fœcunditatem ipſa ſuam admirari cogeretur. idque ut omnem dubitationem tollat, quæ animis eorum obrepere potuiſſet. Pronunciat autem non tantum ex Judæis, ut antea, ſed etiam ex ex Gentibus liberos Eccleſiæ ſe daturum. Atque interea hanc generationem ſpiritualem fore inſinuat per gratiam adoptionis. Huc enim pertinet ſimilitudo Vexilli, ut pii ſperarent novam geniture ſpeciem, & ab ea diverſam quæ in naturæ ordine perſpicitur. Oportuit ergo Dominum attollere ſignum, & arcanam virtutem ſuam per Euangelium exerere, ut ex tam variis populis, qui & moribus & lingua differebant, filios Eccleſiæ adduceret, qui fide inter ſe, ut fratres in matris ſinum convenirent. Qui Manus & Vexilli figura prædicationem Euangelii tantummodo ſignificari putant, & ſeparant virtutem Spiritus, falluntur: nam utrumque conjungi debet. nec enim Spiritus efficacia à prædicatione Euangelii ſeparanda eſt: quemadmodum
2 Cor. 3. verſ. 6. præclare oſtendit Paulus. Ad hanc igitur Dei manum, ad hoc vexillum nobis confugiendum eſt: quum oppreſſam impiorum tyrannide Eccleſiam cernimus. Tametſi enim omnia moliantur, ut eam funditus evertant, ſuperior eſt Dei manus, eique fruſtra homines reluctantur. Tandem eorum pervicaciam domabit & comprimet, ut Eccleſia ſtatum aliquem vel iis invitis obtineat. Quod filios Eccleſiæ inter ulnas, & in humeris allatum iri promittit, metaphorica eſt loquutio, qua ſignificat nihil fore negotii Deo, ubi Eccleſiam colligere ex diſperſione volet: quia Gentes omnes adjutrices erunt. Etſi autem hoc primo loco ad exules & diſperſos Judæos refertur: minime tamen dubium eſt ad omnes Dei electos extendi, qui in ſortem ejuſdem gratiæ aſciti ſunt.

23. *Et erunt Reges.*] Quum loquutus eſſet de obſequio Gentium, oſtendit hoc non ad plebeios tantum, ſed ad Reges quoque pertinere. Reges autem comparat conductitiis hominibus, qui alienos liberos alunt: & Reginas nutricibus quæ operam ſuam locant. Cur ita? quoniam Reges ac Reginæ omnia neceſſaria ad alendam Eccleſiæ ſobolem ſubminiſtrabunt. Nam quum antea Chriſtum è finibus ſuis ejicerent, cum deinceps agnoſcent ſummum Regem, omnemque ipſi honorem, obſequium & cultum exhibebunt. Hoc accidit quum Deus ſeſe per Euangelium orbi terrarum patefecit. Magni enim Reges ac Principes non ſolum Chriſti jugum ſubierunt, ſed etiam facultates ſuas contulerunt ad erigendam & fovendam Chriſti Eccleſiam: ita ut ſe patronos ac tutores ejus præſtarent. Unde obſervandum eſt, ſingulare quiddam hic à Principibus requiri præter vulgarem fidei profeſſionem: quoniam auctoritas & potentia iis à Domino tributa eſt, ut Eccleſiam tueantur, & gloriam Dei procurent. hoc quidem pertinet ad univerſos: ſed Reges, quo major eorum eſt potentia, eo magis ſeſe impendere, & ſtudioſius id
Pſal. 2. verſ. 10. curare debent. Atque hæc ratio eſt cur David eos nominatim compellet, atque adhortetur ut ſapiant Dominoque ſerviant & Filium oſculentur. Hinc apparet quam inſana ſint eorum deliria qui Reges Chriſtianos eſſe non poſſe affirmant, niſi ſe eo munere abdicarint. Hæc enim ſub Chriſto impleta ſunt, quum Euangelii prædicatione Reges ad Deum converſi, illuſtriſſimum hunc dignitatis gradum adepti ſunt, quo omnis generis dominia & principatus ſuperantur, ut Eccleſiæ nutritii ac tutores eſſent. Papiſtæ non aliter Reges Eccleſiæ nutritios eſſe intelligunt, quam quod Sacrificis eorum & Monachis ampliſſimos reditus, opimas poſſeſſiones & latifundia reliquerunt, quibus ſe, tanquam porci in hara, ſaginarent. Verum iſta educatio longe alio ſpectat, quam ad inexhauſtos ejuſmodi gurgites ſatiandos. Nec enim hic agitur de locupletandis eorum domibus qui falſo prætextu pro Eccleſiæ miniſtris ſe venditant (quod nihil aliud quam Eccleſiam Dei corrumpere, atque exitiali veneno perdere fuit) ſed de tollendis ſuperſtitionibus, atque exterminando omni impio & nefario cultu: de promovendo Chriſti regno, & conſervanda puritate doctrinæ: de ſummovendis ſcandalis, atque purgandis ſordibus quæ pietatem corrumpunt, & majeſtatem Dei obſcurant. Hæc certe dum Reges ſtudioſe curant, ſimul paſtoribus & miniſtris Verbi omnia ſuppeditant quæ ad victum & cultum neceſſaria ſunt: conſulunt pauperibus, nec mendicitatem Eccleſiæ indecoram tolerant: ſcholas erigunt, & doctoribus conſtituunt ſtipendia: atque ſtudioſis literarum alimenta decernunt: ptochotrophia & xenodochia ædificant, & reliqua peragunt quæ ad tuendam & conſervandam Eccleſiam pertinent. Verum profuſi illi & ſupervacanei ſumptus in Anniverſaria & Miſſas, in aurea vaſa & pretioſas veſtes, quibus efferuntur atque inſoleſcunt Papiſtæ, pompæ & ambitioni tantummodo ſerviunt, puramque & ſimplicem Eccleſiæ educationem corrumpunt: imo præfocant atque extinguunt ſemen Dei, quo ſolo vivit. Quum hæc hodie longe aliter ſe habere, atque Reges non Eccleſiæ nutritios, ſed carnifices eſſe cernimus: quum ſublata pietatis doctrina, & profligatis veris ejus miniſtris, ventres otioſi, inexplebiles gurgites, ſatellites diaboli ſaginantur (nam iis Principes libenter impartiuntur opes ſuas, id eſt, ſuccum & ſanguinem quem è plebe ſuxerunt) dum etiam pii alioqui Principes minus roboris & conſtantiæ habent ad propugnandum Verbum, & tuendam Eccleſiam: agnoſcamus peccatis noſtris hanc rependi mercedem, noſque probis nutritiis indignos eſſe fateamur. At nihilominus poſt horrendas iſtas ruinas, Eccleſiæ inſtauratio & Regum talis converſio ſperanda eſt, ut ſe nutritios fidelium & tutores præſtent, atque fortiter propugnent doctrinam Verbi. *Pulverem pedum tuorum lingent.* Hoc etiam teſtimonium detorquent Papiſtæ ad ſtabiliendam tyrannidem idoli ſui, quaſi veros & legitimos Dei cultores non aliter ſe probent Reges ac Principes, niſi larvatum illum Eccleſiæ principem loco Dei adorent. Ita pietatis obſequium illis eſt pedes Papæ ſuppliciter oſculari. Primo quid de barbara ejuſmodi & idololatrica veneratione cenſendum ſit, diſcant à Petro, cujus ſedem ſe tenere jactant, qui ſe Act. 10. verſ. 26.
tali honore à Centurione affici paſſus non eſt. Diſcant etiam à Paulo, qui diſciſſis veſtibus ſumma cum Act. 14. verſ. 14.
deteſtatione ejuſmodi venerationem improbavit. Jam quid magis præpoſterum, quam Filium Dei fingere pro Euangelii miniſtro, quaſi profanum aliquem Regem inſtituiſſe Perſica luxuria & pompa fulgentem? Nos vero meminerimus Eccleſiam, ut capiti ſuo ſit conformis quamdiu peregrinatur in mundo, cruci ſubjici, ut humilietur. Quod ſi aliqua detur ab hoſtibus relaxatio, tamen in præcipuo ejus ornatu & ſplendore eſſe modeſtiam. unde ſequitur ſpoliari ſuis inſignibus, ubi profana ſuperbia induitur. Nec vero hic aliud intelligit Propheta quam adorationem, qua Principes coram Deo ſe ſubmittunt, & obſequium quod ejus Verbo præſtant in Eccleſia. Eſt enim diligenter notandum quod antea diximus: quum agitur de honore Eccleſiæ exhibendo, nunquam à capite ſuo ſejungendam eſſe. nam hic honos & cultus ad Chriſtum pertinet, qui ſic ad Eccleſiam transfertur ut penes unum ipſum integer maneat. neque enim pietatis obſequio in ordinem ſe cogunt Reges, ut hominum jugo onerentur, ſed ut ſe Chriſti doctrinæ ſubjiciant. Quiſquis ergo Eccleſiæ miniſterium rejicit, & jugum quod ejus manu Deus vult ſuis omnibus imponi detrectat, nec ullam cum Chriſto communionem habere, nec Dei filius eſſe poteſt. *Quia non pudefient.* אשר, pro cauſali particula accipio. nam continua oratio eſt, quæ perperam ab aliis diſſecatur. atque hoc argumento probat æquum eſſe ut hilariter Dei imperio ſe addicant

tant Principes, ſeque etiam coram Eccleſia humiliare non graventur, quia Deus eos qui in ipſum ſperant, pudefieri non ſinet. quaſi diceret amabilem hanc & jucundam ſubjectionem fore. Conjungit autem veritatem ſuam cum noſtra ſalute: acſi diceret, Se nec veracem nec Deum agnoſci velle, niſi re ipſa præſtet ea quæ promiſit. Atque hinc percipimus incredibilem fructum. quia ſicuti fieri nequit quin ſtatum ſuum Deus retineat: ita ſalutis noſtræ firmitudinem ſtare inconcuſſam neceſſe eſt, quam Propheta ex ipſa Dei ſtabilitate deducit.

24. & 25. *An auferetur forti præda?*] Quum ſuperiore verſu diſſolverit objectionem quæ fidelibus in mentem venire poterat, etiamnum magis idem confirmat. Nam hoc incredibile videbatur, ut Judæi eriperentur è manibus tam potentis hoſtis, à quo capti juſto bello, & in ſervitutem redacti erant. Subjicit ergo iſtam interrogationem quaſi ex totius vulgi perſona, ſicut veriſimile eſt per omnium ora volitaſſe: mox autem reſpondet, ut videbimus. Ac primum obſervanda hæc ſimilitudo eſt, quod Eccleſia vocatur præda robuſti, & captivitas *juſti*, id eſt, legitima. Juſtus enim poſſeſſor dicitur, qui legitimus eſt: ut quum bellum jure illatum eſt, præda in juſtum poſſeſſorem tranſit. Talis fuit veteris populi conditio, quum in exilium profligatus eſſet: quia ſimul cum patria amiſſa erat libertas, & libido victoris pro jure erat. Et interea hæc ſimilitudo diligenter notanda eſt: quod Eccleſia opprimatur tyrannide Principum, & faucibus luporum expoſita ſit: ac nihilominus juſta eorum præda eſſe exiſtimetur. Hoc quidem indignum eſt: ſed ita tractati ſunt patres noſtri, quos neque virtute neque dignitate præcellimus. Sed utcunque juſtos ſe dominos eſſe jactent, & inani titulo glorientur, Dominus eos prædones iniquiſſimos eſſe declarat, quum ſe vindicem fore, atque iis prædam ſuam erepturum eſſe ſignificat. nec enim juſta dominia evertit Deus. Unde ſequitur, dominationem quam in populum Dei occuparunt, merum latrocinium ac tyrannidem ſceleſtam eſſe. Nec vero eorum arma, copiæ, aut munitiones obſtabunt quominus injuſtam eis poſſeſſionem Dominus eripiat. Nec ſolum ad externos hoſtes & tyrannos pertinet iſta promiſſio, ſed etiam ad tyrannidem Satanæ: è qua mirabili Dei virtute eripimur. Magna quidem
Mat. 12. verſ. 29. Luc. 11. verſ. 22. eſt potentia præditus: ſed Dominus longe potentior, arma ejus & præſidia diruit, ut nos in libertatem vindicet. Si ergo hac in parte Dei virtutem experti ſumus, multo magis confidere æquum eſt, certum nobis liberatorem fore, quoties indigna ſervitute oppreſſi ſub pedibus hoſtium jacebimus. Ubi ſe litigaturum denunciat noſtra cauſa, primum revocat nos ad conſiderationem virtutis ſuæ, ne rem ab humana ratione vel ex hominum potentia æſtimemus. Non eſt igitur ſpectandum quid poſſimus, aut quæ nobis præſto ſint ſubſidia, ſed totum negotium Dei unius arbitrio committere oportet, qui nos tueri ac defendere dignatur: deinde profitetur ſe idoneum fore patronum, qui hoſtium calumniis reſpondeat. Diximus enim paulo ante impios non tantum violentia & crudelitate efferri contra Eccleſiam, ſed falſa infamia eam gravare, acſi jure in eam ſævirent. Ideo pluſquam neceſſaria eſt hæc conſolatio, Deum fore innocentiæ noſtræ vindicem, qui inanes omnes prætextus, unde improbis major creſcit audacia & ferocia, ſuo patrocinio diſcutiet. Quamobrem iterum repetit, *Ego ſervabo*. Magna vero ad nos conſolatio redit, quum intelligimus nos tam arcto fœdere cum ipſo conjunctos eſſe ut ſeſe opponat omnibus qui nobiſcum litem ſuſcipiunt: benedicat iis qui benedicunt, ac contra, maledicat iis qui maledicunt: deni- Gen. 12. verſ. 3. que ſe hoſtem hoſtium noſtrorum eſſe teſtetur. Hinc etiam notandum eſt opus humanum non eſſe, quod reſtituimur in libertatem & vitam: quod non opprimimur ab hoſtibus: denique quod ſumus ſalvi, ne quis induſtriæ ſuæ arroget quod Deus tanquam ſingulare beneficium à ſe uno ſperari jubet.

26. *Et paſcam ſpoliatores tuos.*] Primum declarat qualis hoſtes Eccleſiæ maneat exitus: ac denunciat futurum, ut mutuis inter ſe odiis accenſi, mutuis quoque cædibus ſeipſos conficiant. Et certe Deus eſt qui ipſos agit præcipites, atque in furorem impellit, ut vires quas prius exeruerant in Eccleſiam, eas in ſe convertant, ſecum ipſi confligant, ut Madianitæ, ſibique exitium afferant. Judic. 7. verſ. 22. Summa eſt, nullis externis auxiliis, nulloque apparatu opus fore, quum Deus evertere & perdere volet reprobos: quia vertigine ab eo percuſſi mutuo conflictu ſe abſument, dum inexplebili rabie alii in alios ferentur. *Et ſciet omnis caro.* Repetit ſententiam illam quam prius vidimus, Futurum ſcilicet, ut Deus Iſraëlis, verſ. 23. verus & unicus Deus ab omnibus agnoſcatur, quod ſuos ab interitu vindicarit. Hanc enim approbationem Divinitatis ſuæ eſſe voluit, quod redemptor ac ſervator populi ſui palam apparuerit. Nomen *Jacob* nonnulli in vocativo legunt: ego in genitivo. Dominus enim ſe ſervatorem, redemptorem, & fortem Iſraëlis eſſe teſtatur, ut in ejus fide & tutela toto animo conquieſcat.

CAP. L.

SIc dicit Jehova, Ubi libellus iſte repudii matris veſtræ, quam repudiavi? aut quis
creditor cui vendidi vos? Ecce propter iniquitates veſtras eſtis venditi: & propter
tranſgreſſiones veſtras repudiata eſt mater veſtra.
2. Cur veni, & nemo (occurrit?) vocavi, & nemo reſpondit? An abbreviando
abbreviavit ſe manus mea, ut non redimat? annon in me virtus ad liberandum? Ecce increpatione
mea exſicco mare: pono flumina in deſertum, ut putreſcant piſces eorum præ
defectu aquæ, & moriantur ſiti.
3. Induo cælos caligine, & quaſi ſaccum pono operimentum eorum.
4. Dominus Jehova dedit mihi linguam eruditorum, ut ſciam laſſo verbum in tempore.
Excitabit mane, mane excitabit mihi aurem, ut audiam, ſicut docti.
5. Dominus Jehova aperuit mihi aurem, & ego non fui rebellis: retrorſum non reverſus ſum.
6. Corpus meum expoſui percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam
non abſcondi ab ignominia & ſputo.
7. Nam Dominus Jehova auxiliabitur mihi: propterea non ſum pudefactus, ideo
poſui faciem meam quaſi ſilicem, & ſcio quod non confundar.
8. Prope eſt qui me juſtificat, quis contendet mecum? Stemus ſimul: quis adverſarius
cauſæ meæ? accedat ad me.

by Google

9. Ecce, Dominus Jehova auxiliabitur mihi, quis eſt qui me condemnet? Ecce omnes
quaſi veſtimentum veteraſcent: tinea comedet eos.
10. Quis in vobis eſt timens Jehovam? audiat vocem ſervi ejus. Qui ambulavit in tenebris, & qui caruit luce, confidat in nomine Jehovæ, & innitatur Deo ſuo.
11. Ecce vos omnes ſuccenditis ignem, & circumdati eſtis ſcintillis. Ite in lumine ignis
veſtri, & in ſcintillis quas ſuccendiſtis. E manu mea fuit hoc vobis: in dolore jacebitis.

U*Bi libellus iſte?*] Variæ ſunt hujus loci in-
terpretationes: ſed pauci mentem Pro-
phetæ aſſequuti ſunt. Ut ſummam tenea-
mus, notanda eſt conjunctio illa, qua paſ-
ſim teſtatur Dominus populum ſuum ſibi devinctum
eſſe: nempe ut ipſe mariti ſit loco, nos ut uxoris
vicem ſubeamus. Eſt enim conjugium ſpirituale,
quod perpetua ejus doctrina conſecratum, & Chri-
ſti ſanguine obſignatum eſt. Quemadmodum igitur
nos in tutelam ſuam velut chariſſimam conjugem
recipit, ea lege ut fidem caſte ſervemus: ita quum
fefellimus, nos rejicit, tuncque jure repudiare dici-
tur, acſi maritus uxorem adulteram è domo expelle-
ret. Quum itaque Judæi tot tantiſque ærumnis pre-
merentur, ut rejecti à Deo ac repudiati facile judica-
rentur, de repudii cauſa agendum erat. Jam ut diſerti
ad ſe excuſandos homines eſſe ſolent, & culpam in
Deum rejicere conantur: tunc quoque querebantur
Judæi de ſuo ſtatu, quaſi immerito Dominus ipſos
repudiaſſet: quia ſcilicet minime putabant ſceleri-
bus ſuis irritas eſſe promiſſiones & diſſolutum fœ-
dus: ſaltem vix poterat illis extorqueri ingenua
confeſſio. Culpam etiam transferebant in majores
ſuos, quaſi pro alienis ſceleribus pœnas darent. Hinc
illæ voces & querimoniæ quæ ab Ezechiele referun-
Eze. 18. tur, Patres noſtri comederunt uvam acerbam, &
verſ. 2. dentes noſtri obſtupuerunt. Quum igitur volitarent
paſſim ejuſmodi voces, petit Dominus ut producant
libellum repudii, quo probent ſe vacare culpa, atque
immerito rejectos eſſe. Dabatur autem libellus re-
pudii uxoribus quæ injuſte repudiabantur. Eo enim
teſtari coactus fuit maritus uxorem pudice atque
honeſte vixiſſe, ut conſtaret nullam aliam eſſe re-
pudii cauſam, quam quod marito non placeret. Ita
libera diſcedebat mulier: atque penes maritum culpa
tantummodo reſidebat, cujus moroſitati & faſtidio
Deut. 24. repudii cauſa aſſignabatur. Hæc autem repudii lex
verſ. 1. ob duritiem populi illius, ut oſtendit Chriſtus, à
Mat. 19. Moſe conſtituta eſt. Aptiſſima ergo ſimilitudine
verſ. 8. oſtendit Dominus ſe non eſſe auctorem divortii: ſed
populum culpa ſua divertiſſe, & ſequutum eſſe libi-
dines ſuas, ita ut conjugii vinculum penitus abru-
perit. Propterea rogat ubinam ſit libellus ille quem
jactabant. Eſt enim emphaſis in pronomine demon-
ſtrativo זה, Iſte: quo notare voluit inanes eorum ex-
cuſationes: perinde acſi diceret, eos ita crimen à ſe
depellere, & Deum calumniari, acſi parata ipſis
eſſet defenſio: quum tamen ipſi violaſſent fidem con-
jugii, nec quicquam proferre poſſent quominus le-
gitimum eſſet repudium. *Aut quis creditor.* Alia ſimi-
litudine idem demonſtrat. Quum quis ita obrutus
erat ære alieno, ut creditoribus ſatisfacere non poſ-
ſet, cogebatur liberos ſuos in ſolutum dare. Petit
ergo Dominus an id facere coactus ſit: an eos ven-
diderit, aut dederit in ſolutum alicui creditori: an
ſimilis ſit decoctoribus aut malis œconomis, qui ſe
ære alieno obrui ſinunt? acſi diceret, Hoc mihi ob-
jicere non poteſtis: conſtat igitur vos ob ſcelera ve-
ſtra venditos, atque in ſervitutem redactos eſſe. Vin-
dicat ergo Dominus majeſtatem ſuam ab omnibus ca-
lumniis, eaſque hoc ſecundo membro refellit, quod
Judæi ſua culpa repudiati ac venundati ſint. Eadem
Rom. 7. autem loquutio eſt apud Paulum, ubi dicit nos venun-
verſ. 14. datos eſſe ſub peccato, ſed diverſo ſenſu: ſicuti etiam
Hebræi ita loqui ſolent de perditis hominibus, &
quorum deſperata eſt improbitas. Hic autem ſimpli-
citer reos peragere Judæos voluit Propheta: quia
ſibi propriis ſceleribus contraxerant quicquid fere-
bant malorum. Si quæratur, An Dominus repudia-
vit hæreditatem ſuam? an fœdus irritum fecit? mi-
nime quidem: ſed repudiare dicitur Dominus, ut
etiam alibi Profanare, quod ex præſenti aſpectu ali- *Pſal.* 89.
ter judicari non poſſit. Nam quum ipſos non proſe- *verſ* 40.
queretur ſolito favore, ſpecies fuit repudii vel abdi- *Eze.* 24.
cationis. In ſumma, notanda ſunt hæc duo antitheta, *verſ.* 21.
Uxorem repudiari mariti culpa: vel quod impudica
& adultera ſit. Item, Liberos venundari ob penu-
riam patris, vel ipſorum culpa. Atque ita facilis hujus
loci contextus erit.

2. *Cur veni.*] Poſſet eſſe cauſæ redditio, quod
populus non modo provocata ira Dei ſibi ingentem
malorum congeriem accerſiverit: ſed etiam pervica-
cia ſua ſpem ſibi præciderit veniæ & ſalutis. verum
exiſtimo potius Deum ulterius progredi. Poſtquam
enim expoſuit ſe juſtam repudiandi populi cauſam
habuiſſe, quia ſponte ſe in ſervitutem addixerat,
quum liber eſſe potuiſſet: ſubjicit, per ſe nihilomi-
nus non ſtare quominus ſtatim liberetur. Nam quem-
admodum ſuperiore verſu oſtendit omnem culpam
penes Judæos reſidere, ita nunc vitio ipſorum acci-
dere docet, quod conſeneſcant in miſeriis ſuis, ac
putreſcant. Dominus enim paratus erat ipſis opitu-
lari, niſi gratiam ejus & beneficentiam reſpuerent.
In ſumma, oſtendit tam initium quam progreſſum
mali, vitio populi accidere, ut omni culpa Deum li-
beret, ac impie Judæos facere oſtendat, quod eum
velut auctorem mali accuſent, aut querantur quod
ipſis opem ferre nolit. Primum igitur Dominus ſe
veniſſe dicit. quorſum id, niſi ut Judæis manum por-
rigeret? Unde ſequitur merito deſtitui: quia ejus
gratiam amplecti noluerunt. *Venire* autem dicitur
Dominus, quum dat ſignum aliquod præſentiæ ſuæ.
accedit prædicatione Verbi: accedit etiam variis be-
neficiis, quæ in nos confert, & ſignis quibus pater-
nam nobis benevolentiam demonſtrat. An vero, ut
ait Moſes, ullus unquam populus tot ſigna vidit, & *Deut.* 4.
vocem Dei loquentis audivit, ut populus iſte? Quum *verſ.* 33.
illis nihil profuerit aſſidua invitatio, dum propoſita
ſpe veniæ eos ad pœnitentiam hortatus eſt, non abs
re tanquam de re prodigioſa quærit cur non fuerit
exceptus. Convicti itaque tenentur ingratitudinis,
quod quum ipſi Deum quærere debuiſſent, ne ul-
tro quidem venienti occurrerint. Nam pluſquam in-
grati eſt animi, ultro oblatam Dei gratiam nolle am-
plecti. In verbo *vocandi*, repetitio eſt ejuſdem ſen-
tentiæ diverſis verbis. Vocante Deo ad obedientiam,
nos paratos & compoſitos eſſe decet. Hæc enim eſt
reſponſio, quam ſibi negatam fuiſſe conqueritur,
dum nos ejus Verbo totos addicimus. Cæterum ad
circumſtantiam loci proprie nunc reſtringitur: quia
Deus exitum malis eorum proponens, obſtinate con-
temptus fuerit, acſi apud mutos & ſurdos verba face-
ret. Hinc colligit culpam in ipſis hærere, quod non
citius liberati fuerint: idque confirmat prioribus ex-
perimentis: quia ſatis opis in ſe eſſe poſitum olim
Patribus oſtenderit. Porro ne tergiverſando excu-
ſent ſalutem ſe non eſſe adeptos, quum tamen cordi
eſſet, ex adverſo contendit cauſam mutationis alibi
quam in ſe quærendam: quia ſuæ potentiæ nihil de-
ceſſerit. Se igitur in mora non fore quominus manum
laborantibus porrigat, niſi maligne auxilium refu-
gerent. Hac autem interrogatione fiduciam ma-
jorem exprimit, quaſi rem minime dubiam aſſe-
rens. Quis enim Deo objicere audeat imminutam
eſſe

eſſe potentiam ipſius? Commemorat igitur quam potenter eripuerit populum ſuum ex Ægypto, ne hodie ipſum minus potentem eſſe arbitrentur, ſed vitia ſua obſtaculo eſſe agnoſcant. Dicit increpatione ſua ſiccatum mare, quaſi terrorem incuſſerit
Exod. 14. velut comminatione interpoſita. Ejus enim juſſu &
verſ. 21. imperio diviſa ſunt maria, ut via pateſieret, & Jor-
Joſue 3. danis retrorſum actus eſt. Ita fiebat ut piſces aqua
verſ. 16. deſtituti interirent, ac putreſierent.

3. *Induo cælos.*] Commemorat etiam denſas illas
Exod. 10. tenebras, quæ trium dierum ſpatio per totam Ægy-
verſ. 22. ptum effuſæ ſunt. tunc enim cælum velut habitu lugubri indutum erat. nam quemadmodum ſerenitas cæli læta eſt, ita caligo & tenebræ triſtitiam afferunt. Ideo veluti ſacco aut pulla veſte opertos cælos fuiſſe dicit, quaſi ſigna & indicia luctus eſſent. Si quis generales ſententias eſſe malit, fruatur ſuo judicio. Sed mihi probabile eſt hiſtoriam redemptionis attingi, ex qua colligere promptum erat, Deum qui tam mirabiliter auxiliatus fuerat Patribus, eorum ingratitudine excludi, ne præſentibus miſeriis ſuccurreret.

4. *Dominus Jehova.*] Poſtquam populum bis reum peregit, ſubjicit more ſuo conſolationem. Sic enim nos pudefacit Dominus, ut ſtatim à pudore liberare velit. Quamvis igitur juſtiſſimis de cauſis rejectum fuiſſe populum, atque ſua culpa perire oſtenderit, quod etiam liberatione indignum ſe præberet, tamen auxilium ei promittit. Porro quia in re difficili creditu neceſſaria erat ſingularis auctoritas, præfatur ſe divinitus miſſum eſſe, & inſtructum ad exequenda mandata. Vulgo hunc locum de Chriſto exponunt, acſi Prophetæ non conveniret, quod poſtea colaphis cæſum ſe fuiſſe dicat: quod nuſquam de Jeſaia legitur. Verùm hoc argumentum haud ſatis fir-
Pſal. 22. mum eſt: nam David queritur diviſas fuiſſe veſtes
verſ. 19. ſuas, quod proprie in Chriſtum competit. non ſequi-
Mat. 27. tur tamen hoc à Davide ipſo fuiſſe alienum. Mihi
verſ. 35. certe dubium non eſt quin Jeſaias in medium pro-
Joan. 19. deat, velut is qui omnium ſervorum Dei perſonam
verſ. 24. ſuſtinet, & qui fuerunt ab initio, & qui poſtea futuri ſunt. Sibi vero *linguam* à Domino datam eſſe dicit, ut promiſſiones quibus populum erigit, plus momenti habeant. Vacillat enim fides noſtra, ſi hominem ex ſe loqui ſuſpicemur. atque adeo miſer erat illius populi ſtatus, ut nullis rationibus humanis in ſpem liberationis adduci poſſet. Summa eſt, cæleſte illis afferri nuncium propinquæ ſalutis: quod ſi quis non admittat, Deo ſe rebellem & immorigerum prodet. Quanquam autem proprie fidem hic ſibi conciliat Propheta, inde tamen colligere licet in genere, neminem idoneum eſſe ad docendum qui non fuerit primum à Domino formatus. Quo monentur pii omnes Doctores à Spiritu Dei petere quod alioqui minime ſuppeteret. Adhibenda eſt quidem ſedulitas, ne ſuggeſtum niſi bene parati conſcendant: ſed tenendum eſt illud principium, quæcunque ad obeundum munus neceſſaria ſunt, Spiritus ſancti dona eſſe. Et ſane ſumma eſſet temeritas, niſi Spiritus ſancti eſſent organa, prodire in medium Dei nomine. *Ut ſciam.* Hic aliquid ſubaudiendum eſt, nempe, Adminiſtrare, vel proponere. Sciendi verbum complectitur prudentiam ac dexteritatem, qua inſtructus debet eſſe Paſtor, ut fideliter & cum fructu verbum Dei adminiſtret: quaſi diceret ſe probe edoctum fuiſſe in ſchola Dei, atque ita certo tenere quid miſeris & ſub onere gementibus expediat. *Laſſos* vocat
ſupr. 40. eos qui multis ærumnis fracti ſunt, ut prius vidimus,
verſ. 29. Qui dat laſſo virtutem. Sic etiam loquitur Chriſtus,
Mat. 11. Venite ad me omnes qui laſſi & onerati eſtis. Signi-
verſ. 28. ficat ergo ſibi Deum fuiſſe doctorem & magiſtrum, ut miſeros homines apta conſolatione ſublevare poſſit, qua fracti ipſorum animi ad miſericordiæ Dei ſenſum erigantur. Unde colligimus hoc potiſſimum incumbere miniſtris Verbi, ut miſeros & fractos ærumnis, vel ſub earum mole curvatos homines conſolentur: denique ut oſtendant quæ ſit vera quies & ani-
morum tranquillitas: quemadmodum prius cap. 29. *v.* 18, 22.
vidimus. Docemur etiam quid potiſſimum in Scripturis ab unoquoque noſtrum quærendum ſit: nempe ut doctrina ſublevandis miſeriis noſtris idonea & apta imbuamur. Is enim ſe demum in Euangelio profeciſſe ſciat, qui tempeſtiva conſolatione adverſis rebus aut etiam deploratis animum ſuum erigere ac ſuſtinere poteſt. Multiplicem quidem eſſe uſum doctrinæ fateor, quia non modo afflictis & debilibus
ſolandis utilis eſt, ſed etiam ſeveras objurgationes *2 Tim.* 3.
& minas adverſus præfractos continet. Cæterum Je- *verſ.* 16.
ſaias hoc ſibi præcipue injunctum docet, ut pro neceſſitate præſenti deficientibus Judæis aliquid ſolatii afferat. *Excitabit mane.* Hic teſtatur Dominum ita ſollicitum eſſe de miſeris & oppreſſis, ut mane, id eſt, tempeſtive, illis ſuccurrat. Nos quidem ſæpe deſtitui conſolatione fateor: ſed quamvis aliquandiu nos languere ſinat Deus, ſingulos tamen articulos opportunitatis tenet, ut neceſſitatem ipſam mature præveniat ſuo auxilio. adde, ſi tardius ſuccurrat, id accidere noſtro vitio: quia non ſolum torpore noſtro, ſed etiam contumacia ſubducimus nos ejus gratiæ. Quicquid ſit, ſedulo advigilat ſemper atque accurrit ad opem ferendam: imo fugientes etiam & repugnantes ad ſe vocat, ut ejus gratiæ & benignitatis guſtu recreemur. Iterum vero repetit *mane*, quo continuationem & aſſiduitatem ſignificat, ne ipſum more hominum ſubitos quoſdam impetus habere exiſtimemus, ut abjiciat vel paulo poſt negligat eos quorum curam ſemel ſuſcepit, quos potius gratia ſua proſequitur uſque in finem, nec unquam conſolatione deſtituit. *Ut audiant ſicut docti.* Significat non ut tardis & ignavis vellicatam ſibi fuiſſe aurem, ſed fuiſſe formatum ac politum. Interim ſuo exemplo admonet Deum efficaciter docere omnes quorum miniſterio uti vult in ſalutem Eccleſiæ ſuæ. Parum enim eſſet ipſos inſtitui humano more, niſi intus Spiritum Dei magiſtrum haberent. Hinc melius conſtat quam verum ſit quod prius diximus, non alios eſſe bonos doctores, quam qui boni diſcipuli fuerint. Eos enim doctos & eruditos vocat. nam qui diſcere non dignantur, quod ſe quantum opus eſt ſapere putent, bis inſaniunt: quando ſoli demum judicio Dei cenſentur vere eruditi ac docti, qui prius doceri ſe ſuſtinent quam doctorum munere fungantur, ut certam eorum quæ tradunt notionem habeant, nec quicquam in medium proferant, niſi quod teſtari poſſint à Deo profectum eſſe: deinde, ſubinde diſcendo, continuos facere progreſſus non recuſant. Quod alii in accuſativo legunt, ſicut Doctos, durum ac remotum eſt.

5. *Dominus Jehova.*] Iterum repetit quod antea dixerat: atque hic comprehendit omnia quæ ad Doctoris officium pertinent. Nam *apertio auris* non tantum ad doctrinam, ſed ad totam vocationem referri debet: quum ſcilicet addicit ſibi in ſervum, & certiorem facit ſui officii quem mittere decrevit, quum dat mandata, & exequi jubet quod ipſe mandat. Cæterum non tantum aperitur auris à Domino, quum oſtendit quid ipſe velit: ſed quum efficaciter hominis animum percellit, atque ita afficit ut ei obſequatur:
quemadmodum Pſal. 40. dicitur, Aurem autem fo- *Pſal.* 40.
diſti mihi. Et ait Chriſtus, Quicunque audivit & didi- *verſ.* 7.
cit à Patre, ille venit ad me. Quo pertinet ſecundum *Joan.* 6.
membrum, ubi negat ſe fuiſſe rebellem. Summa eſt, *verſ.* 45.
nihil eum temere aggredi, ſed vocationis Dei probe conſcium, munus doctoris quantumvis grave ac moleſtum, quia ad parendum voluntarius ſit, obire.

6. *Corpus meum expoſui.*] Probris, cavillis, & petulantiæ impiorum opponit infractam fortitudinem qua donatus eſt: quaſi diceret, Utcunque obſiſtere conentur Dei contemptores, ſe tamen omnibus eorum injuriis fore ſuperiorem, ut ſuſcepti laboris

ris nunquam pœnitcat. Interea aperte docet hic locus, miniſtros Verbi fideliter munus ſuum exequi non poſſe quin certamen à mundo immineat: imo hinc inde duriter impetantur. Nam ſimulatque Jeſaias ſe mandato Dei obtemperaſſe dicit, adjungit etiam corpus ſuum percutientibus expoſitum fuiſſe. Hanc igitur conditionem fideles Dei ſervi effugere nequeunt, dum Verbi doctrinam adminiſtrant, quin ſuſtineant pugnas, convitia, odia, calumnias, & varios inſultus ab adverſariis, quibus odioſa eſt monendi & reprehendendi libertas, qua ipſos uti neceſſe eſt. Arment igitur ſeſe conſtantia & fide, quoniam bellum iis grave paratum eſt. Nec vero perſequutiones impiorum ſolummodo exprimit, ſed ignominiam mundi: quod impii juſtam cauſam habere videri appetunt, dum infeſti ſunt Verbi miniſtris, eorumque doctrinam inſectantur. eos enim pro maleficis & ſceleratis haberi volunt, ut odio & execrationi ſint omnibus. Itaque variis eos calumniis proſcindunt, nec ab ullo probri genere abſtinent, ut ſatis hodie experimur, quum ab adverſariis hæretici, ſeductores, ſeditioſi vocamur, & aliis maledictis impetimur, quæ Chriſto etiam & Apoſtolis objecta ſunt. Adde quod non modo à profeſſis & exteris hoſtibus ingeſta ſibi fuiſſe ſputa, & colaphos inflictos dicit: ſed perſtringit quas ferre oportuit contumelias ab inteſtinis & domeſticis hoſtibus: quia ſemper è medio Eccleſiæ gremio ſurgunt improbi & Dei contemptores, qui audacter Prophetis inſultent. Ad hæc igitur moderate ferenda paratos eſſe oportet qui Deo ſervire volunt: ut per infamiam & bonam famam ambulent: nec tantum plagas, exilia, vincula, mortes contemnant, ſed etiam probra & ignominiam, tametſi morte interdum durior eſſe videatur. Hæc doctrina quum ad pios omnes pertineat, tum vero præcipue ad doctores Verbi, qui cæteris præire, ac velut anteſignani eſſe debent.

Mat. 27. verſ. 63. Joan. 7. verſ. 12. Actor. 16. verſ. 20. 2 Cor. 6. verſ. 8.

7. *Nam Dominus Jehova*] Declarat Propheta unde tanta fortitudo, qua ipſum alioſque Dei ſervos præditos eſſe neceſſe eſt, ut omnium impetus fortiter ſuſtineant: nempe ab auxilio Dei, cujus fiducia ſe obduruiſſe prædicat adverſus omnes mundi injurias. Quum vero excelſa animi altitudine præditus deſpexerit quicquid erat adverſum, alios quoque ad eandem conſtantiam inſtituit, ac velut in tabula depingit qualis ſit conditio omnium miniſtrorum Verbi: ut averſi à mundo, totos ſe ad Deum convertant, atque in eum penitus defixi ſint. Nullum enim erit tam grave certamen in quo ſuperiores futuri non ſint, eo freti duce. Similitudine Silicis docet quicquid acciderat, imperterritum ſe fore: nam metus aut perturbationis, ut reliquorum affectuum, ſigna in facie apparent. Vultus enim ipſe loquitur, ac demonſtrat quemadmodum affecti ſimus. Jam quum tam ignominioſe tractentur ſervi Dei, identidem ſuccumbere injuriis neceſſe foret, niſi eas lapidea fronte vel ferrea diſcuterent: qua ratione & Jeremias dicitur poſitus eſſe in urbem munitam, columnam ferream & murum æneum contra reges Juda, Principes & populum, primo capite. & Ezechieli dicitur frons robuſta fuiſſe data: imo adamantina, & fortior ſilice, ne ad duritiem populi cederet, cap. 3. Per verbum Pudefieri non idem utroque in loco intelligit: quia priore membro ad affectum refertur, ſecundo ad rem ipſam vel effectum. Ergo initio verſus ubi gloriatur ſe non eſſe confuſum pudore, quia Deus ſtet à parte ejus, ſignificat non ſufficere quod Deus nobis auxilio eſſe velit, niſi id quoque ipſi ſentiamus. Quid enim proderunt nobis promiſſa Dei, ſi diffidimus? Requiritur ergo fiducia, qua ſuſtineamur, ac Deum nobis propitium eſſe certo ſciamus. In fine vero de felici exitu ſe perſuaſum eſſe affirmat. Ita pudor tantundem valet ac fruſtratio: quia ſubſannationi obnoxii ſunt qui vanam ſpem & fallacem conceperant. Hic videmus peculiare quoddam auxilium promitti piis Doctoribus & miniſtris Verbi: ut quo gravius ipſos impetit Satan, atque infenſior eſt mundus, eo magis Dominus ipſos defendat, & ſingulari præſidio tueatur. Atque hinc conſtituendum, eos omnes qui quum ad certamen venitur expaveſcunt, atque animis franguntur, nunquam ad obeundum munus ſuum rite comparatos fuiſſe: nam qui certare neſcit, Deo & Eccleſiæ ſervire neſcit, neque adminiſtrandæ Verbi doctrinæ idoneus eſt.

Jerem. 1. verſ. 18. Eze. 3: 8.

8. & 9. *Prope eſt qui.*] Semper memoria tenendum eſt, Prophetam nihil commemorare quod peculiare ei ſit: ſed teſtari qualis velit eſſe Dominus, ac perpetuo futurus ſit erga fideles Miniſtros: ut quiſquis hoc teſtimonium habet, quod à Deo miſſus ſit, ſeque officio rite fungi novit, omnes adverſarios facile contemnat, neque moveatur eorum calumniis, quum à Domino juſtificetur. ſicuti ſemper prope eſt Dominus & erit ad tuendam atque vindicandam veritatem ſuam. Cæterum ut quis hoc conteſtari poſſit, pura conſcientia opus eſt. Nam ſi quis temere ſeſe ingerat, nec teſtimonium habeat ſuæ vocationis, aut ſomnia ſua in medium producat, fruſtra jactabit hanc promiſſionem, quæ ad eos ſolummodo pertinet qui à Deo vocati, partes ſuas ſincera & integra fide implent. Etſi autem nunquam obſtrepere ceſſant Dei ſervis vel hypocritæ, vel contemptores: obviam tamen progreditur Jeſaias, acſi nemo litem aut calumniam intendere auderet: non quod compeſcere eos queat, ſed quia omnia tentando nihil proficient. Prædicat igitur ſe ex alto deſpicere falſas criminationes, quibus utuntur adverſarii piæ doctrinæ adverſus ejus doctores. Nullum enim crimen eſt quo ipſos non ſugillent: ſed irrito conatu, quando non longe abeſt judex, à quo vindicabitur eorum integritas. Poſſunt igitur audacter, ſicuti Paulus fecit, à perverſis & iniquis hominum judiciis provocare ad diem Domini, à quo innocentia ipſorum patefiet. *Stemus ſimul.* Tantum piis Doctoribus fiduciæ eſſe debet ut adverſarios ultro provocare non dubitent. Satan enim cum ſuis miniſtris aperto Marte congredi non ſemper audet, præſertim ubi mendaciis pugnat: ſed clandeſtinis artibus, ac veluti per cuniculos agit, ut incautos opprimat: at ſervi Dei palam ſtare, & congredi cum hoſte, & rationibus pugnare non verentur: modo adverſarii copiam ſui facere velint. Tanta eſt enim vis veritatis, ut apertam lucem non reformidet, ſicuti videmus hic Jeſaiam ſecure laceſſere quoſcunque ſibi inſidiari videt. Ideo repetit, *Accedat ad me.* Nam ad reddendam doctrinæ ſuæ rationem parati eſſe debent pii Miniſtri. Sed quis ipſos æquo animo audire vult, ac perpendere qualis ſit ea doctrina quam in medium producunt? Accedent quidem libenter adverſarii, ſed ad ſtringendos gladios, quibus eos jugulent: ad exacuendas linguas, ut omni maledicentiæ genere ipſos proſcindant. denique omnis ipſorum defenſio in armis aut fraudibus poſita eſt: quia Scripturæ rationibus congredi non audent. Poſſumus ergo cauſæ noſtræ æquitate freti, libere ipſos ad certamen provocare. Tametſi nos condemnent indicta cauſa, atque multos habeant ſuffragatores ſententiæ ſuæ, non eſt quod moveamur: quia Deo judice, cujus cauſam agimus, tandem abſolvemur. Paulus ad Romanos videtur ad hunc locum alludere, quum ait, Deus eſt qui juſtificat, quis condemnabit? Secure enim confugere poſſumus ad tribunal Dei, quum de gratuita ejus juſtitia per Chriſtum ſecuri ſumus. Sed hic aliud argumentum tractat Jeſaias. nec enim agit de univerſali hominum ſalute, ſed de miniſterio Verbi, cujus vindex erit Dominus adverſus impiorum inſultus: nec eorum fraudibus aut injuriis ſervos ſuos opprimi ſinet. In fine verſus clarius demonſtrat ſe non in umbra & otio jactare fortitudinem, acſi nullus faceſſeret negotium: ſed quamlibet infeſtis copiis gravetur, ſe tamen fortiter in gradu ſtare: quia paulo poſt ſua

1 Cor. 4. verſ. 4. Rom. 8. verſ. 33.

ſua fragilitate concident & evaneſcent quicunque cum verbo Dei bellantur. & quaſi rem oculis cerneret, demonſtrativa particula utitur, Ecce inſtar veſtium conſumpti à vermibus peribunt. Eadem ſimilitudine utitur Pſaltes, dum hujus ſeculi homines comparat cum filiis Dei. Illi enim, tametſi ſpecioſi ſint, ac luceant inſtar veſtium ſplendidarum, peribunt: qui vero nunc in ſordibus jacent fideles, novo ſplendore donati tandem fulgebunt ut ſtellæ. Hic vero proprie de protervis canibus loquitur, qui infeſti ſunt piis Doctoribus, iiſque inſultant. Tametſi enim magni æſtimentur ab hominibus, ſummamque apud ipſos auctoritatem obtineant, concidet tamen atque evaneſcet eorum ſplendor, ut veſtium quæ à tineis eroduntur.

Pſal. 49. v. 15.16.

10. *Quis in vobis.*] Poſtquam concionatus eſt de invicto Dei præſidio quo muniti ſunt omnes Prophetæ, ſermonem convertit ad pios, ut ſe verbo Dei regi patiantur, atque dociles ſeſe præbeant. Unde colligere licet quatenus ſeſe extulerit pia jactantia contra ſuos obtrectatores. Nam quum tunc inter Judæos numero & multitudine longe prævalerent impii, periculum erat ne fidem paucorum obruerent. Et interrogans ubi ſint timentes Deum, paucitatem eorum notat. Interea ſeorſum eos compellat, ut ſe à promiſcua turba explicent, nec conſentiant pravis & damnatis conſiliis: ſicuti cap. 8. vidimus, Ne dicatis, Conſpiratio &c. Quamvis ergo ſuo numero ingentem exercitum conficiant Dei adverſarii, quoſdam tamen reſiduos eſſe non dubitat Jeſaias, apud quos proficiet ejus doctrina. Eos autem alloquitur qui Deum timent: quoniam ubi nulla religio ac Dei timor, nullus etiam doctrinæ aditus patere poteſt. Videmus enim quam proterve eam rejiciant qui alioqui acuti ac perſpicaces haberi volunt: nam quia faſtu inflati, à modeſtia & humilitate abhorrent, in hac Dei ſapientia pluſquam ſtupidi ſunt. Non abs re igitur hoc fundamentum ſtatuit: nempe timorem Dei, ut verbum ejus attente diligenterque audiatur. Unde etiam apparet nuſquam eſſe verum Dei timorem, niſi ubi datur audientia verbo ipſius: nam hypocritæ quidem magno ſupercilio jactant pietatem & timorem Dei: ſed produnt pervicacem contemptum, quum Euangelii doctrinam omneſque pias monitiones rejiciunt. Hæc enim certa ipſorum probatio eſt, ut fucus quem facere volunt, detegatur. *Audiat vocem ſervi ejus.* Poterat ſimpliciter dicere Vocem Dei: ſed nominatim dixit, *Servi*. Deus enim audiri non vult niſi miniſtrorum voce, quorum opera utitur ad nos docendos. Primum autem de ſe loquitur Jeſaias: deinde etiam de omnibus aliis, quibus eadem provincia injuncta eſt: ac ſubeſt tacita antitheſis inter audientiam quam exigit, & licentiam ſpernendæ doctrinæ, quam profani homines dum vilipendunt, ſua etiam petulantia multos vanos & futiles inducunt ad ſimilem contemptum. Quia fidelibus licebat contra excipere non ſibi conſtare fructum ſuæ pietatis, ſed miſere affligi, perinde acſi perdite vixiſſent: prævertit & occupat Propheta hanc querimoniam, affirmans pios, quamvis hactenus duriter tractati fuerint, tamen non fruſtra parere Deo & verbo ipſius. nam ſi in tenebris ambularint, futurum eſſe tandem ut luce Domini fruantur. Per Tenebras hic intelligit Propheta non ignorantiam aut cæcitatem humanæ mentis: ſed afflictiones quibus filii Dei propemodum opprimuntur. Atque hæc conſolatio eſt cujus antea meminit, quum teſtatus eſt ſibi linguam eruditorum datam eſſe, ut Verbum laſſo adminiſtraret. Ita hic promittit futurum ut conſolationem capiant, qui hactenus tot miſeriis dejecti ac fere oppreſſi fuerunt.

11. *Ecce vos omnes.*] Exprobrat Judæis quod propriam ſibi lucem accendere, quam accedere ad lucem Dei malint. Hic locus male expoſitus fuit: quod ſi verum ejus ſenſum tenere velimus, notanda eſt antitheſis inter lucem Dei & lucem hominum: id eſt, inter conſolationem quæ affertur per verbum Dei. & vana hominum ſolatia, dum rebus inanibus ac nihili conantur ac ſatagunt angores ſuos allevare. Nam quum prius de luce & tenebris loquutus ſit, ac piis lucem promiſerit, qui vocem Domini audiunt: hanc lucem à Judæis rejectam eſſe docet, ut aliam ſibi accenderent: atque futurum denunciat ut ipſi tandem hac luce, velut incendio, abſumantur. Sic exprobrat Chriſtus Judæis, quod in luce Joannis exultarent: quoniam ejus perſona ad obſcurandam aut potius extinguendam Chriſti gloriam abutebantur. Objicere enim perſonam Joannis, quæ Chriſti gloriæ tenebras obduceret, nihil aliud erat quam lucem Dei in homine mortali fulgentem extinguere, ut aliam ſibi accenderent: non quæ viam monſtrando ipſos dirigeret, ſed in qua præpoſtere exultando præcipites huc & illuc ferrentur. Dicens autem, Circumdatos ſcintillis, perſtringit varias ipſorum cogitationes, quibus incitati huc atque illuc incerti ferebantur: vanitatemque eorum hoc modo deridet, quod in quamcunque partem eos traherent vanæ illecebræ, libenter & cupide currebant. *Ite.* acſi diceret, Experiemini quam inanis & evanida ſit lux veſtra ubi vos ſpes de nihilo conceptæ deceperint. Ironica enim permiſſio fruſtrationem notat. Alii exponunt, Impios ſibi accendere ignem iræ Dei: ſed altius ſpectavit Propheta, nec videtur ea ſententia congruere huic loco. *E manu mea.* Quoniam impii dum inebriantur inani fiducia, ſe extra omnem periculi aleam conſtitutos putant, ac ſecuri omnia parvipendunt, confidunt luci ſuæ, hoc eſt, præſidiis quibus ſe egregie munitos arbitrantur: Dominus declarat futurum ut in dolore jaceant: atque hoc à manu ſua profecturum. In ſumma, homines qui derelicta Verbi luce aliunde conſolationem petunt, miſere perituros.

Joan. 5. verſ. 35.

CAP. LI.

AUdite me qui ſequimini juſtitiam, qui quæritis Jehovam aſpicite ad petram
exciſionis veſtræ, & ad cavernam ſpecus unde eruti eſtis.
2. Aſpicite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos:
quoniam unicum vocavi eum, & benedixi, & multiplicavi eum.
3. Utique conſolabitur Jehova Sion, conſolabitur omnes vaſtitates ejus, ponetque deſertum ejus quaſi locum deliciarum, & ſolitudinem ejus quaſi hortum Jehovæ. Lætitia & gaudium invenietur in ea: confeſſio & vox cantici.
4. Attendite ad me popule mi, & plebs mea audite me: quoniam Lex à me egredietur: & judicium meum in lucem populorum patefaciam.
5. Prope eſt juſtitia mea: egreſſa eſt ſalus mea: & brachia mea populos judicabunt. Me inſulæ expectabunt, & in brachium meum ſperabunt.
6. Levate in cælum oculos veſtros, & aſpicite in terram deorſum: quoniam cæli ut fumus peribunt: & terra ut veſtis veteraſcet: & incolæ ejus in eundem modum interibunt. Atqui ſalus mea in æternum manebit, & juſtitia mea non interibit.

 7. Audite

7. Audite me qui cognoſcitis juſtitiam, populus in cujus corde eſt Lex mea. Ne timeatis probrum hominis, & à contumelia eorum ne frangamini animo.

8. Quoniam ſicut veſtimentum comedet eos tinea: ſicut lanam comedet eos vermis. At juſtitia mea perpetuo manebit, & ſalus mea in ſeculum ſeculorum.

9. Suſcita te, ſuſcita te, indue fortitudinem, brachium Jehovæ. Excita te ſicut in diebus antiquis, ſeculis olim præteritis. Annon tu illud es, proſcindens ſuperbam, conficiens draconem?

10. Annon tu illud es, quod exſiccavit mare, aquam voraginis magnæ: quod vertit profundum maris in viam, ad tranſitum redemptorum?

11. Ergo redempti à Jehova revertentur: venient in Sion cum cantico, eritque gau-
perpetuum ſuper caput eorum. Lætitiam & gaudium obtinebunt, fugientque dolor &
dium gemitus.

12. Ego, ego ſum, qui vos conſolor. Quænam es, ut timeas ab homine qui morietur? à filio hominis, qui fœnum reputabitur?

13. Et oblita es Jehovæ factoris tui, qui extendit cælos, & fundavit terram: & formidaſti jugiter tota die à furore affligentis, dum ad vaſtandum ſe parat. Et ubi furor affligentis?

14. Feſtinat exul ut ſolvatur, ut non moriatur in ſpecu, nec deficiat eum panis ſuus.

15. Et ego Jehova Deus tuus, qui ſeco mare, & ſonabunt fluctus ejus: Jehova exercituum nomen ejus.

16. Et poſui verba mea in ore tuo: & in umbra manus meæ protexi te, ut plantem cælos, & fundem terram. Dicam Sioni, Populus meus es tu.

17. Expergiſcere, expergiſcere, ſurge Jeruſalem, quæ bibiſti è manu Jehovæ calicem

a vel, trepidationis. furoris ejus: fæces calicis [a] anguſtiæ bibiſti exprimens.

18. Non eſt qui regat eam ex omnibus filiis quos genuit: non eſt qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis quos educavit.

19. Duo hæc acciderunt tibi: quis condolebit tibi? Vaſtitas & contritio, & fames & gladius: quis conſolabitur te?

20. Filii tui exanimati ſunt, jacuerunt in capite omnium viarum, ſicut bos ſylveſtris in reti, pleni furore Jehovæ, increpatione Dei tui.

21. Itaque nunc audi hoc miſera, & ebria, non à vino.

22. Sic dicit Dominus tuus, Jehova, & Deus tuus, vindex populi ſui: Ecce abſtuli è

b vel, trepidationis. manu tua calicem [b] anguſtiæ: fæcem calicis furoris mei. Non fiet ut bibas amplius.

23. Et tradam eum in manu oppreſſorum tuorum: qui dixerunt animæ tuæ, Incurva te, & tranſibimus. Et poſuiſti quaſi terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus.

AUdite me qui ſequimini juſtitiam.] Nunc Judæos hortatur Propheta, ne deſperent ob ſuam paucitatem: ſic enim acciſi atque imminuti erant, ut paulo poſt viderentur in nihilum redigendi, ſpes vero poſteritatis perexigua, vel nulla eſſet. Eos ergo reducit in memoriam originis ſuæ, ut intelligant ſe, tametſi exiguæ reliquiæ eſſent, augeri à Deo, ac multiplicari poſſe: ac jubet eos Abrahamum patrem ſuum contemplari, qui quum unicus eſſet, magnum in numerum auctus, & immenſa poſteritate à Deo donatus eſt. Unde colligere poterant, Deum, qui tam exiguo temporis ſpatio adauxerat ipſorum patres, in poſterum quoque adaucturum ipſos: quum neque imminuta ejus potentia, neque voluntas immutata ſit. *Ad petram exciſionis veſtræ.* Nonnulli exiſtimant Abrahamum vocari Rupem, quod robuſtus fuerit fide, quemadmodum à Paulo, Romanorum capite quarto, dicitur. (Rom. 4. verſ. 19.) Alii contrariam penitus huic metaphoræ rationem adducunt. Petram enim vocari putant, quod effœtus eſſet: Saram, Cavernam, quod eſſet ſterilis. (Gen. 16. verſ. 2.) Sed utrique meo judicio, falluntur: nam ſimplex metaphora eſt, ſumpta à lapicidinis, atque ipſos ex Abrahamo & Sara eductos eſſe dicit, ut lapides è rupe & caverna exciduntur. Hac doctrina & admonitione fulciri pios in clade Gentis pluſquam operæpretium fuit. Semen Abrahæ promiſerat Deus fore ſicut ſtellas cæli, & arenam maris: (Gen. 15. verſ. 5. & 22. verſ. 17.) exciderat hæc in ſpeciem promiſſio in ea vaſtitate, ubi qui reſidui erant nihil fere differrent à paucis acinis poſt peractam vindemiam. Sed quum jam experti eſſent quam efficax eſſet Dei virtus ad creandum è nihilo ingentem populum, bene ſperare jubet Propheta, ne Deo ſint ingrati: & ſermonem directe convertit ad fideles, quibus moleſta erat hæc tentatio. Nec enim omnes alloquitur. ſed eos tantum qui promiſſioni locum dare poterant, nempe quos vocat Sectatores juſtitiæ. Nam incredulis & hypocritis ſcatebat regio, qui pridem à ſtudio pietatis defecerant: quo majori laude digna fuit eorum perſeverantia qui ſequi quod rectum eſt non deſtiterunt. Ubi vero eſt juſtitiæ ſtudium, illic datur Deo audientia: ubi eſt incredulitas, nulli promiſſioni locus eſſe poteſt. Quamvis ergo jactarent ſe filios Abrahæ, tamen non omnes hujus doctrinæ capaces erant. Rationem autem ſectandæ juſtitiæ docet, nempe, ſi quæramus Dominum. Eos enim qui ſpecimen juſtitiæ præ ſe ferunt, nec intendunt in hunc ſcopum, tota via errare neceſſe eſt. Sunt igitur hæc duo inter ſe conjungenda: nempe, ſtudium juſtitiæ, & inquiſitio Dei. *Quoniam unicum vocavi eum.* Hæc applicatio ſatis demonſtrat quorſum pertineat hæc Prophetæ exhortatio, nempe ad erigendos piorum animos in ſpem melioris ſtatus. Unicum vocaſſe dicit, non tantum quod nullos ſecum haberet, quum evocatus eſt è patria ſua: ſed quia Dominus ipſum in terra Chanaan abſque liberis ad effœtam uſque ſenectutem habitare paſſus eſt: ita ut nulla ſpes ipſi eſſet ſuſcipiendæ prolis, præſertim quum ſterilis quoque eſſet Sara: tandem filius unus quaſi in orbitatis ſolatium illis datus, paulo poſt ad mactationem trahi videtur. Eum tamen Dominus magno liberorum numero auxit ac locupletavit. Quam neceſſaria fuerit Judæis hæc conſolatio nuper attigi: & facile eſt ex miſero & infelici eorum ſtatu, quemadmodum hiſtoriæ ſatis teſtantur, judicare. Hodie quoque nobis

nobis in hac Eccleſiæ diſſipatione pernecessaria eſt, ne frangamur animis ob paucitatem noſtram: & Deum inuſitatis modis Eccleſiam ſuam adaucturum ſperemus. Nam hujus rei ſpeculum hic apertiſſimum & lucidiſſimum in benedictione, qua Dominus Abrahæ ad extremum uſque ſenium orbi & ſolitarii ſobolem adauxit, contemplamur. Nec enim ad Judæos tantum pertinet iſta promiſſio, ſed ad reliquas gen-
Gen. 17. verſ. 5. tes: ob quam etiam cauſam non Abram, ſed Abraham vocatus eſt.

3. *Utique conſolabitur Jehova Sion.*] Oſtendit Propheta exemplum in perſona Abrahæ editum fuiſſe, quod omnibus ſeculis conveniat: nam ut Dominus tantam ſobolem repente ex uno homine genuit: ſic etiam miris & incognitis rationibus Eccleſiam ſuam populoſam redditurum: non ſemel tantum, ſed quoties orba & ſolitaria eſſe putabitur. Sic etiam
Rom. 4. verſ. 24. Paulus ad Romanos capite quarto, poſtquam de fide Abrahæ loquutus eſt, atque ipſius excellentiam prædicavit, eam doctrinam unicuique noſtrum accommodat, Quod in ſpem contra ſpem crediderit: neque in varias partes mens ejus diſtracta ſit: ſed perſuaſum habuerit, Deum quæ promiſerat, ſimul efficere poſſe, tametſi incredibilia atque ab omni ratione aliena viderentur. Quod addit, *vaſtitates ejus*, poſſet reſolvi, Dominus conſolabitur Eccleſiam ſuam, non tantum quum florebit, ſed etiam quum vaſta erit & in ſolitudinem redacta. Vaſtari enim & deformibus ruinis fere ad interitum uſque corrumpi oportuit, antequam ſentiret hoc de quo agitur auxilium. Quod ſequitur, ex deſerto fore *quaſi locum*
Geneſ. 2. verſ. 15. & 3: 23. *deliciarum*, alludit Propheta ad locum Moſis, ubi refert hominem initio in horto Eden, id eſt, in loco deliciarum collocatum eſſe: unde expulſus eſt ſua culpa. Nunc vero nos qui privati ſumus illa Dei benedictione quam in primum parentem contulerat, in univerſo orbe exulamus, atque deliciis illis privamur. Proinde quoties accidunt magnæ clades, atque invertitur ordo rerum, & miſere vaſtantur omnia ac diſſipantur, nos infidelitatis noſtræ, ac vitiorum, quæ magna ſunt, pœnas dare intelligamus: ac meminerimus illius ſententiæ quæ in primum parentem, aut potius in univerſum genus humanum lata eſt. idque quum in omnibus vitæ noſtræ partibus, tum vero maxime quum diſſipatum atque everſum Eccleſiæ ſtatum cernimus. Terra enim, quæ alioqui omnium bonorum genere abundaret, noſtra culpa in ſolitudinem redacta: Eccleſia quæ ubique floreret, diruta atque diſſipata eſt. *Lætitia & gaudium.* Significat tantam fore mutationem ut non amplius gemat aut conqueratur Eccleſia. nihil enim præter mœrores & gemitus in ea audiri poterat, quum dura captivitate premeretur. Nunc inſtaurata exultabit, & gratias aget Deo: qua in re ſimul gratitudinis admonemur, ut prorumpamus in laudem Dei & gratiarum actionem, quum ejus bonitatem experti ſumus.

4. *Attendite ad me populo mi.*] Non abs re ſibi toties audientiam fieri petit Dominus. Satis enim experimur quam ſimus tardi ad ipſum audiendum, præſertim rebus adverſis: quum vel maxime conſolatione opus eſſet, eam reſpuimus impatientia noſtra, ac deficimus. Debet igitur unuſquiſque noſtrum, quo magis conſtringitur anguſtiis, eniti ad cor ſuum dilatandum: & hoc modo excitare ſeſe, atque excutere torporem ſuum, ut conſolationem admittat. Requiritur autem hic attentio, quæ patientia ſuſtentet animos, donec advenerit maturum gratiæ tempus. Significat vero Dominus ſe iterum regnaturum, atque excitaturum Eccleſiam in qua nomen ipſius invocetur. Etſi autem nomen Legis tantundem valet atque Edictum quod promulgari jubebit Deus, ubi Eccleſiam ſuam colligere volet, modum tamen regnandi ſimul indicat: nempe per Legem & doctrinam ſuam. Unde perſpicitur nullum illic eſſe Dei principatum, id eſt, non agnoſci ab hominibus, ubi repudiatur doctrina. Per *Judicium* intelligit regiminis normam & adminiſtrationem, qua regnum ſuum inſtaurabit. Hoc autem *in lucem populorum* eſſe dicit, quoniam miſeri homines è tenebris eruuntur, quum Deus incipit regnare, & doctrina Verbi illuſtrantur. *Patefaciam.* Hoc verbum ארגיע varie exponunt interpretes, eo quod רגע diverſa ſignificata habeat. Interdum enim Scindere & aperire, interdum Quieſcere ſignificat. Quidam ergo exponunt, Faciam quieſcere, id eſt, Stabiliam: nec male convenit. Aliter exponunt plerique ex Judæis: ſed contortas & ſpinoſas eorum interpretationes non referam. Hanc lectionem ego potius amplector, Proferam judicium: vel, Erumpere faciam: vel, quod idem valet, Patefaciam: quod melius cum priore membro quadrare mihi videatur. Scimus autem repetitiones Hebræis valde familiares eſſe. Quamvis ergo diverſis verbis utatur, tamen eadem ſententia eſt. Quod enim dicit Legem à ſe prodituram, nunc ſe judicium patefacturum ait.

5. *Prope eſt juſtitia mea: egreſſa eſt ſalus.*] Confirmat ſuperiorem doctrinam. Juſtitia Domini relationem habet ad homines, qui juſtum ipſum experiuntur. Quum populus dura ſervitute premebatur, ſe quidem juſtas ſcelerum ſuorum pœnas dare agnoſcebat: ſed mirari poterat ſe ita deſtitutum, quod ceſſaret Dei cultus, ejuſque nomen probro eſſet impiis, qui impune graſſabantur. Ut ergo conſolationem ipſis afferat, promittit Deum propediem affuturum, ut verax & juſtus ab omnibus agnoſcatur. Nec enim juſtum intelligit, quod juſtam cuique mercedem reddat: ſed quod optimus ſit ſuorum cuſtos, & erga eos beneficus, quod piis omnibus fidem præſtet, ac ſervet promiſſa, quum eos eripit, nec tandem opprimi ſinit. Quod melius liquet ex proximo membro, ubi exegetice adjungit ſalutem ſuam egreſſam eſſe. Nam in liberatione populi enituit Dei juſtitia. Captivitas autem qua tenebantur Judæi in Babylone, ſpecies interitus erat. Quo fit ut redemptionem illam Salutem vocet. *Brachia mea populos judicabunt.* Per Brachia ſignificat expanſionem virtutis ſuæ. Frequens eſt in Scripturis anthropographia. Quoniam vero anguſta dominatio Dei, imo nulla videbatur, propterea brachiorum mentionem facit, quibus ſignificat ipſum longe lateque regnum ſuum propagaturum eſſe.

6. *Levate in cælum.*] Quum tantæ in mundo apparent mutationes, quia eadem volutatione putamus rapi Eccleſiam, neceſſe eſt mentes ſupra communem naturæ ordinem attolli: alioqui pendere videbitur ſalus Eccleſiæ de filo, ac fluctuare inter medias tempeſtates. Quanquam in cælo quoque & terra conſpicere licet quam prudenter omnia moderetur Deus, quam paterne foveat ac tueatur ſuum opificium, & fabricam mundi, quam recte conſulat omnibus creaturis. Sed ſingulari modo dignatur Eccleſiæ ſuæ proſpicere, ſicuti eam à communi ſorte ſegregavit. Atque utrumque hic complexus eſt Propheta. Jubet enim fideles ſurſum & deorſum vertere oculos, ut tam in cælo quam in terra obſervent admirabilem Dei providentiam, qua ordinem ſemel à ſe poſitum tam pulchra ſerie continuat. adjungit tamen, quamvis ad interitum vergant cælum & terra, fieri non poſſe ut Eccleſia labefiat, cujus ſtabilitas in Deo fundata eſt: acſi dixiſſet, Centies miſceri continget cælum terræ potius quam effluat promiſſio cui ſalus veſtra innititur. Ideoque ſalutem priore loco ponit: deinde adjungit juſtitiam, qua illa tanquam ſolido fundamento ſuſtinetur. Quoties ergo undique inſtabunt pericula, ad hoc aſylum confugere diſcamus. Atque huic ſententiæ reſpondet quod habetur Pſal. 102. Cæli veteraſcent & peribunt: tu Pſal. 102.
vero Domine idem ſemper es, & anni tui non mutantur. Ergo filii filiorum habitabunt, &c. Uterque verſ. 27.
locus

locus admonet gratiam Dei, quam in Eccleſiæ conſervatione declarat, excellere ſupra alia quælibet ejus opera. Quicquid enim complectitur cælum & terra, caducum & fragile eſt: at Dei ſalus, qua Eccleſiam tuetur, quum æterna ſit, his periculis obnoxia eſſe non poteſt.

7. *Audite me.*] Quoniam impii quum proſpero rerum ſtatu fruuntur, rident fidem noſtram, atque ærumnis & calamitatibus noſtris inſultant: ideo Propheta fideles ad patientiam hortatur, ne vereantur eorum probra, ne convitiis frangantur, quod diuturna futura non ſit eorum felicitas: qui utcunque proterve exultent, jam deſtinati ſunt tineis & vermibus: ſicuti fidelibus in manu Dei repoſita eſt ſalus, à qua videntur longiſſime repulſi. Hic vero rurſus notanda eſt repetitio verbi *Audite:* Dominus enim jam tertio audientiam poſtulat: quia dum anxii ob miſerias noſtras trepidamus, non ſine maxima difficultate acquieſcimus ejus promiſſis. Proinde ſæpius excitari nos ac ſtimulari neceſſe eſt, donec omnia obſtacula eluctati ſimus. Nec vero incredulos hic compellat, ſed qui juſtitiam norunt: quia etſi non reſpuunt data opera verbum Dei, ſæpe tamen januam claudunt juſtitiæ ejus, ne ad ipſos uſque perveniat, dum præoccupati rebus adverſis occludunt aures, ac prope animum deſpondent. Ut ergo admittant promiſſa, ut dent conſolationi locum, excitat eos atque erigit Propheta. Notanda eſt autem ſermonis ſeries. Exprimit enim qualem Dominus populum habere velit: nempe qui juſtitiam norit: deinde qualis hæc notio ſit, ipſe explicat: quum ſcilicet inſitam atque infixam cordi Legem habet. Nulla enim juſtitia ſine verbo Domini eſſe poteſt: nullæ hominum leges, quamvis bene conſtitutæ nos ad veram juſtitiam adducent. Adumbrare quidem poterunt, ſed nunquam vere exprimunt. Simul vero oſtendit quomodo proficiendum ſit in Lege Domini: nempe quum eam animo complectemur. Sedes enim Legis hujus non in cerebro, ſed in corde eſt, ut cælesti doctrina imbuti penitus innovemur.

8. *At juſtitia mea.*] Quoniam piis Dei ſervis varia probra & vituperia ſuſtinenda ſunt ab hoſtibus Verbi: ideo Propheta ipſos hortatur ac incitat ad ea fortiter ſuſtinenda. Sæpe enim magis ignominia hominum & convitiis, quam gladiis & flammis commovemur: ſed laudi & gloriæ ducendum eſt, quod iis contemptui atque execrationi ſumus. Porro
1 Cor. 4. verſ. 13. hinc exurgit magnanimitas, quod tametſi nos veluti quiſquilias aut ſcobes rejiciat mundus, Deus nos
Exod. 2. verſ. 12. in pretio habet: quia communem cum ipſo cauſam
Hebr. 11. verſ. 26. ſuſtinemus. Præferamus ergo cum Moſe opprobrium Chriſti theſauris Ægyptiorum. Lætemur
Actor. 5. verſ. 41. cum Apoſtolis, qui alacres & læti diſcedebant à conſpectu concilii, quod digni habiti eſſent qui pro nomine Jeſu contumelia afficerentur. Porro quia levis eſſet nobis conſolatio ex interitu impiorum, niſi ſalvi eſſemus, oſtendit qualis conditio noſtra futura ſit: nempe, quod nunquam deſtituemur juſtitia & ſalute Dei. Sed videtur parum apta hujuſmodi comparatio, dum impiorum exitium cum juſtitia ſua confert. Poterat enim multo commodius & apertius dici, Tametſi reprobi exultent, tamen propediem peribunt: pii vero tametſi videantur mortui, vivent. Sed quum nullam noſtri mentionem faciat, ac perpetuitatem juſtitiæ Dei ſolummodo commendet, objici poteſt, nihil inde nos juvari, qui fere oppreſſi ſumus. Verum his verbis admonet Propheta, petendam eſſe inde conſolationem in ærumnis noſtris, quod incolumitas & ſalus noſtra quodammodo in Deo incluſa ſit. Nam quamdiu in ſeipſis hærent homines, vel ſubſidunt, nihil bonæ ſpei omnino concipere poſſunt, quod non ſtatim excidat. Ad Deum igitur convertendi ſunt animi, cujus miſericordia manet à ſeculo uſque in ſeculum ſuper timentes eum, ut inquit David: & juſtitia ejus ſuper filios filiorum. Pſal. 103. verſ. 17.
Quoniam ergo ſalus in bonitate Dei fundata eſt, eo nos revocat Jeſaias, ut in nihilum redigantur homines, atque in Deo ſolo fiducia locetur. Sic enim colligendum eſt: ſalutem eſſe in Deo, non qua ſeipſum, ſed qua nos conſervet: juſtitiam, quam in defenſionem noſtri & conſervationem exerat. Proinde ex perpetuitate ſalutis & juſtitiæ divinæ colligendum eſt, Dei ſervos interire nullo modo poſſe: quemadmodum etiam nuper citavimus ex Davide: Pſal. 102. v. 28, 29.
Tu idem es, & anni tui non deficient. Filii ſervorum tuorum habitabunt, & poſteritas eorum in ſeculum firmabitur. Itaque videmus ut perpetuitatem illam filiis Dei applicet, qui non in ſeipſis, ſed in Deo ſubſiſtunt, & in eo ſalutis ſuæ fundamentum habent.

9. & 10. *Suſcita te.*] Hic docet Propheta, quum Deus nos erigit ſuis promiſſis, ſimul precibus inſtandum nobis eſſe, ut præſtet ea quæ promiſit. Nec enim ideo nos conſolatur ut ſocordes reddat, ſed ut ſtudio precandi majore accendamur, fidemque noſtram aſſidue exerceamus. Loquitur autem Propheta ex ſenſu noſtro: quia Deum dormire exiſtimamus quamdiu inopiæ noſtræ non ſuccurrit. Et couſque nobis indulget Dominus, ut nos pro ſenſu infirmitatis noſtræ loqui & orare ſinat. Petunt ergo pii à Domino ut expergeſiat, non quod eum otioſum in cælo jacere putent: ſed potius fatentur tarditatem ac ruditatem ſuam, quod nequeant aliud de Deo concipere, quamdiu opem ejus non ſentiunt. Sed interea, tametſi caro eum dormire, aut miſerias noſtras negligere putet, altius aſſurgit fides, atque perennem ejus virtutem apprehendit. Excitari ergo & indui fortitudine dicitur, quum virtutis ſuæ documenta præbet, quod alioqui eum jacere aut quieſcere exiſtimemus. Interea Propheta brachium Dei quod abſconditum erat compellans, quaſi in ejus conſpectum pios adducit, ut ſtatuant non alia de cauſa miſere & duriter ſe affligi ab hoſtibus, niſi quia Deus auxilium ſuum ſubduxit. Cunctationis autem cauſa alibi oſtenſa fuit, quod ſe ab eo alienaverat. ſupr. 50. verſ. 1.
Per Dies antiquos memoria repetendum eſſe docet quicquid jam olim Dominus pro ſalute ſuorum egit. Tametſi enim ceſſare videatur, & abjicere curam noſtri, idem tamen Deus eſt qui olim præerat Eccleſiæ ſuæ. Proinde quos in tutelam ſuam recipit, eos nunquam deſerere aut abjicere poteſt. *Seculis olim præteritis.* Hæc repetitio melius exprimit, non ſolum conſideranda eſſe quæ nuper, ſed quæ jam olim acciderunt. nam ad vetuſtiſſimas uſque ætates extendere animos noſtros convenit, ut emergant ſupra tentationes, quibus alioqui facile eſſet eos obrui. Teſtimonia igitur gratiæ quæ Deus variis ætatibus multa ediderat, hic coacervat Propheta, ut ſi pauca non ſufficiant, ipſa tamen multitudo penitus confirmet Eccleſiæ fidem. Cæterum quia nimis longum fuiſſet integrum catalogum texere, præcipuum illud ſpecimen & præ aliis memorabile producit in medium, quod ſcilicet ſemel ex Ægypto mirabiliter redemptus eſſet populus. nec enim mihi dubium eſt quin per Rahab intelligat ſuperbam & ferocem Ægyptum: quemadmodum etiam Pſalmo 87., Memor ero Rahab, & Ba- Pſal. 87. verſ. 4.
bylonis inter familiares meos. Similiter Ezechiel regem Ægypti Draconem vocat, Ecce ego ad te Eze. 29. verſ. 3.
Pharao rex Ægypti, draco magne, qui habitas in medio fluviorum tuorum. Satis conſtat, atque inter omnes convenit, hic in memoriam reduci mirificam liberationem populi ex Ægypto. Si tunc ſuperbia illa Ægypti domita ac compreſſa eſt, ſi profligatus draco, cur non idem nobis quoque ſperandum erit? Quærendo annon illud ſit idem brachium, ratiocinatur à natura Dei: nec enim poſſet hoc de hominis brachio prædicari, cujus vires tametſi magnæ fuerint, tempore minuuntur ac pereunt. Milo, qui robuſtiſſimus fuerat, ſenio confectus,

fectus, brachia ſua intuens, gemebat, quod priſcis illis viribus ſuis deſtitueretur. At non eſt ita in Deo, cujus vires nullo ævo minui poſſunt. Hoc enim legendum eſt ἐρωτηματικῶς, Annon illud es? quoniam oſtendit eundem eſſe Dominum qui olim fuit, quum immutabilis maneat. Tametſi autem non omnia miracula referat Jeſaias, quæ edita ſunt à Deo quum è ſervitute Ægypti populum ſuum eduxit, tamen paucis comprehendere voluit omnia quæ à Moſe referuntur, ut quam variis modis Dominus potentiam ſuam demonſtraſſet, Judæi paucis admoniti obſervarent. Ponitur autem maris Rubri exſiccatio, non modo propter inſignem miraculi præſtantiam, ſed quia in hunc finem tot jam miracula præceſſerant, ut populus ab injuſta vi & tyrannide ereptus, in terram ſibi promiſſam tranſiret. Ideo ſpecialiter commemorat Propheta viam redemptis patefactam eſſe. Atque hoc exemplo nobis reputandum eſt qualis erga nos fuerit Deus, ut eum non diſſimilem ſui fore in poſterum quoque ſtatuamus, ſicut ex contextu patet.

11. *Ergo redempti.*] Nunc clarius exprimit quod breviter attigerat: poſtquam enim magnifica Dei opera retulit, quibus olim potentiam ſuam oſtendit in Ægypto, ut populum ſuum liberaret: colligit nec mare, nec altas rupes, nec abyſſos, ne inferos quidem ipſos obſtare poſſe quominus populum è Babylone educat. Atque ut magis confirmet, & exemplum illud accommodet, Redemptos vocat, ut id ad ſe pertinere intelligant, quod ſe liberatorem populi ſui nominat: nec dubitent quin tale in ipſis liberandis exemplum editurus ſit quale jam olim ſpectatum fuerat, quum eadem ſit ratio. *In Sion.* Nempe in eum locum ubi nomen ſuum voluit invocari, ut inſtauretur templum & purus Dei cultus reſtituatur. Nam quum Judæis in exilio Babylonico idem auxilium ſperandum eſſet quod experti fuerant Patres: quia Deus ſimiliter ipſorum quoque eſſet redemptor, una in re ſuperiores erant Patribus, quod tunc montem Sion elegerat Deus, ubi pollicitus fuerat æternam ſibi fore requiem. Quoniam vero mirabile futurum erat opus Dei quod promittit Jeſaias, ideo populum hortatur ad laudem & gratiarum actionem. רנה quidem ſimpliciter pro Exultatione accipi poteſt: ſed quum ſæpe laudem ſignificet quæ Deo tribuitur, quum ejus beneficia agnoſcimus, malo in hac ſignificatione hoc loco accipere. Magnam vero & inſperatam mutationem fore ſignificat, ita ut ampliſſimam gaudii & gratiarum actionis materiam habeant. Gaudium ſuper caput fore dicens, alludit ad coronas quibus ſeſe ornabant in lætis conviviis. Addit gaudium apprehenſuros, quo firmam & ſolidam fruitionem denotat. Poſtremo amplificandi cauſa addit profligatum iri omnem mœrorem, ne metuant quod accidere ſolet, ut celeri converſione facta, extrema gaudii luctus occupet. Interim admonet Propheta, tametſi gemant ac verſentur in mœroribus, patienter expectent hunc exitum quem promittit. *Prov. 14. verſ. 13.*

12. *Ego, ego ſum.*] Hic non tantum gratiam & ſalutem pollicetur Judæis, ſed cum ipſis expoſtulat Dominus, quod fidem ſibi derogent, ſuamque potentiam minoris faciant quam decebat. Eſt enim prorſus indignum, ſic expaveſcere ad hominum minas, ut auxilium Dei pro nihilo ducatur: quia in hunc finem attollit ſuam potentiam, ut nos ſaltem contra omnes impetus fulciat. Quare homines nimium metuendo, prodimus Dei contemptum. Unde apparet quam iniquum ſit, Deo ad quietem vocante, ad hominum terrores tumultuari. Et certe mira eſt hominum ingratitudo, qui dum audiunt à parte ſua Deum ſtare, nullam ex tam magnificis ejus promiſſis ſpem concipiunt, ut intrepide exclamare audeant, Si Deus pro nobis, quis contra nos? Itaque in periculis hærent attoniti: ac multo plus homini *Rom. 8. verſ. 31.* mortali tribuunt potentiæ in nocendo, quam Deo in juvando. Merito ergo exprobrat Judæis, quod ſe his promiſſis non muniant, atque invictos ſe præbeant adverſus omnia pericula. nam ſumma contumelia afficitur Deus, quum de ipſius veritate dubitatur: quia ſcilicet ita nos exanimant humani terrores ut in ejus promiſſis conquieſcere nequeamus. Hæc autem repetitio magis afficit, Ego, ego. Is enim conſolationem promittit qui verax eſt, in quem nihil hominum vires aut conſilia efficient. Quum ei diffidis, ſequitur te non cogitare quiſnam ſit. *Ut timeas ab homine.* Quam fragilis, caduca, fluxa & vana ſit hominum conditio commemorat, quo magis amplificet ſocordiæ crimen, ubi umbra & fumus Deo præfertur. Oſtendit autem homines quamdiu memores ſunt Dei, metu exanimari non poſſe. Quum ergo periculis ingruentibus obſtupeſcimus, ſequitur nos Dei oblitos eſſe. Ideoque ſubjicit,

13. *Et oblita es.*] Nec vero ſatis eſt imaginari aliquem eſſe Deum, ſed eum agnoſcere ut noſtrum, & amplecti debemus. Quod *factorem* vocat, ad univerſalem creationem referendum non eſt, ſed ad regenerationem ſpiritualem: ſicuti jam aliis locis monuimus. quo ſenſu vocamur etiam à Paulo ποίημα *Epheſ. 2. verſ. 10.*
Dei, quod ad omne opus bonum ab ipſo creati ſimus. Ergo ſi creationis noſtræ & adoptionis memores ſumus, ex principiis continuum progreſſum licebit ſperare, ne ingrati ſimus Deo, ubi veracem ſe certa experientia probavit. Porro ſpeciali benevolentiæ qua Deus populum illum amplexus erat, ſimul adjungit immenſam ejus potentiam, quam opponit hominum imbecillitati, quos antea fœno comparavit. Eam autem ab operibus demonſtrat, ut ſtupidiſſimos eſſe oporteat qui eam non animadvertant: nec enim oculos ullam in partem convertere poſſumus, quin ampliſſima divinæ bonitatis & potentiæ teſtimonia ſeſe offerant: quæ tamen per ſynecdochen breviter deſignat, quum dicit cælos ab eo expanſos fuiſſe, terramque fundatam. Summæ igitur vecordiæ & ignaviæ eſt, ipſius oblivíſci, quum tot ſignis atque monumentis in memoriam hominum revocetur. *Et formidaſti.* Perſequitur eandem comparationem. Quid enim ſunt homines, inquit, ut eos reformides, ſi cum Deo compares, qui auxilium tibi ſuum promittit? Atrox certe fit injuria Deo, niſi potentiorem ipſum ad nos ſervandos, quam hoſtes ad perdendos eſſe intelligamus. Vult ergo conſiderari Dominus à nobis quiſnam & qualis ſit, quam longe & late pateat ejus potentia, ne mortalis hominis furorem, qui turbinis aut fumi inſtar evaneſcit, metuamus.

45. *Feſtinat exul.*] Verſiculus hic varie exponitur: nam aliqui ad Cyrum referri putant, atque ita dictionem צעה tranſitive accipiunt, atque exponunt, Migrare faciens. Sed magis receptum eſt, ut pro Vincto & oppreſſo, aut exule accipiatur qui vagus & inquietus errat. Nec vero tantum exulabant Judæi, ſed ita captivi erant ut liber in patriam reditus ipſis eſſe non poſſet. Itaque de Judæis hoc interpretor. Sed adhuc bifariam intelligi poteſt: aut quod nimiam ipſorum feſtinationem caſtiget Propheta, quod impatienter reditum appeterent: aut quod mature reditum in patriam adventare ſignificet, ut ne tædio exanimati ſuccumbant: quaſi diceret, tempus mox venturum quo ſe ad profectionem accingant. Atque hæc ſecunda expoſitio magis recepta eſt: quam libenter ſequor, quoniam optime quadrat contextui Prophetæ. Sed abſurdum videri poſſet, quod brevi rediturum ſignificet populum, cujus tam diuturna fuit captivitas: atqui Deus non abs re id mox venturum dicit, quod differt in opportunum tempus. tametſi enim longum nobis videatur, quia tamen aptum & idoneum, breve eſt. Et certe breve fuit tempus, ſi monarchiæ illius ſtatum conſideres, quæ tam ampla, tamque firma

erat,

erat, ut nullo ævo dirui poſſe videretur. Quæ ergo nobis videntur diuturna in promiſſis Dei, brevia videbuntur, modo ne oculos in cælum attollere pigeat. Senſum hunc confirmat quod proxime ſequitur, Ne moriatur in fovea captivus. Hæc igitur Dei feſtinatio eſt, ad ſuos liberandos mature occurrere, ut ex profundo emergant incolumes: nec promittit Dominus populo ſuo repentinum quoddam auxilium, ut eum ſolummodo è vinculis educat, ſed etiam ut liberatum beneficentia ſua proſequatur: nam omnia ei ad victum & cultum neceſſaria promittit, ut ſe perpetuo curæ Deo fore confidat: nec enim ad momentum opitulari ſuis, ſed perpetuo adeſſe ſolet.

15. *Et ego Jehova.*] Iterum potentiam ſuam prædicat Dominus: quoniam tanta eſt hominum diffidentia & tarditas, ut quamvis ſæpius prædicetur, tamen de ea non ſatis eſſe perſuaſos leviſſima quæque tentatio demonſtret. Subinde enim ad ſe redeunt, dum premuntur malis: nec ad ſe pertinere putant quod audiunt penes Deum eſſe. Porro non loquitur generaliter, ſed profert ſpecimen illud, cujus antea frequenter meminit: quia Patres ſemel redimendo poſteris æternæ ſalutis ſpem dederat. Proinde merito exclamat ſe eundem eſſe Deum [*Exod. 14. verſ. 21.*] qui pridem ſecuit mare: miraculum etiam illuſtrat, fluctus quamlibet ſonoros ſuo nutu ſedatos eſſe dicens. Nullos ergo fluctus quamlibet turbulentos eſſe ſciendum eſt, quos Dominus non componat ac tranquillet liberandæ Eccleſiæ ſuæ cauſa. Ipſe enim virtute ſua placat, & tranquillum reddit mare (ut inquit Job) [*Job. 26. verſ. 12.*] tametſi furioſo ruat impetu: impellit etiam & commovet, quum ei viſum eſt: quamvis proprie alludat, ſicut attigi, ad hiſtoriam redemptionis. *Jehova exercituum.* Ornatur hoc titulo Dominus, ut quam late pateat ejus poteſtas intelligamus. Eam autem demonſtrat quoties vult Eccleſiæ ſuæ opem ferre.

16. *Et poſui verba mea.*] Iterum redit ad doctrinam quam prius attigerat: nempe Dominum conſolari Eccleſiam ſuam: Ego, ego ſum qui te conſolor: ita nunc ſe Prophetarum ori inſeruiſſe dicit quod dicturi eſſent. Unde colligere licet hæc non proficiſci ab homine, qui fallax eſſe ſolet, ſed à Deo qui mentiri nequit. Alloquitur autem Prophetas omnes: primum, Jeſaiam: deinde reliquos ſuo ordine: ſed tandem ad Chriſtum veniendum eſt. Nec enim hæc aut ad Jeſaiam aut ad Chriſtum reſtringi, ſed ad omnes Prophetas extendi debent. Vult autem Dominus conſolationes ita audiri à Prophetis, acſi coram ipſe loqueretur: imo ſe palam ipſorum ore loqui ſignificat. Unde etiam colligendum, nullos alios ad conſolandam Eccleſiam accedere debere, quam qui ex ore Domini loquuntur. nam qui ſomnia ſua proferunt, tametſi nomen Dei obtendant, repudiandi ſunt. Cæterum, tenendum eſt conſilium Prophetæ: nam quum trepidare ſemper hominum conſcientias oſtendat, donec à Domino confirmentur, hoc principium ſtatuendum eſſe docet: nempe Deum eſſe, qui per Prophetas loquitur. ancipites enim alioqui & incertæ ſemper hærebunt. Quanquam magis emphatica eſt loquutio, ubi mandata Dei recitat, quibus ad exequendum munus ſuum ipſe animatus fuit. *Et in umbra.* Tametſi hoc antea dictum fuerat, tamen ſupervacanea repetitio non eſt: ne dubitemus Deum ſemper affuturum miniſtris ſuis, ut præſenti ope ſua ſuffultos ſupra omnia obſtacula attollat. Ut autem iſta Domini umbra tegantur, duo neceſſaria ſunt: primum ut certi ſint verbum Dei eſſe quod nunciant: deinde ſe id facere mandato Dei. Nam qui temere ſeſe ingerunt, jactare quidem poterunt nomen Dei, ſed fruſtra: quoniam ubi ſerio certandum erit, deficient. Quod ſi conſcientiæ teſtimonium adſit, non eſt cur de tutela Dei & ope dubitemus, qua nos victores emergere faciat. Finis legationis additur, *Ut plantem cælos*, inquit: id eſt, ut omnia in ordinem ſuum reſtituam. Sunt quidem hic variæ interpretationes: ſed mihi ſimplex hic videtur eſſe ſenſus, quod cælum & terra ſalutis doctrina inſtaurari dicantur: quoniam in Chriſto colliguntur omnia, quæ aut in cælis aut in terra ſunt, ut etiam ait Paulus, [*Epheſ. 1. verſ. 10.*] Epheſ. 1. Nam quum ex lapſu primi hominis nihil præter horrendam confuſionem cernamus, qua mutæ etiam creaturæ turbantur, & peccati noſtri quodammodo pœnas luunt: ea non aliter quam per Chriſtum reparari poteſt. Ergo quum horribilis diſſipatio totam mundi ſpeciem deformet, non abs re dicuntur pii Doctores mundum renovare, acſi Deus eorum manu cælum & terram de integro formaret. Atque hinc apparet quanta ſit peccati noſtri atrocitas, ex quo tam horribilis perturbatio in rerum natura ſequuta eſt. Dicantur ergo Plantari cæli, & Fundari terra, quum Dominus Eccleſiam ſuam Verbo conſtituit. Hoc autem facit opera Miniſtrorum, quos agit Spiritu ſuo, & adverſus hoſtium inſidias & varia pericula tuatur, ut efficaciter impleant quod injunxit. Tandem oſtendit altius hoc ſpectare, quam ad viſibilem mundi formam, quæ cito præterit: nempe ut ſpem vitæ cæleſtis excitet ac foveat in cordibus piorum. Hæc porro vera Eccleſiæ ſtabilitas, hæc mundi reſtitutio eſt, ita colligi electos in fidei unitatem, ut uno conſenſu omnes ad Deum aſpirent, quemadmodum eos ſuaviter & blande invitat hac voce, Ego Deus tuus ſum. Atque hinc apparet quanti ſit Deo Eccleſiæ ſalus, quum non ſolum eam univerſo mundo præferat, ſed etiam oſtendat mundi conſtitutionem ab ea pendere. Notandum eſt etiam quale ſit Verbum quod Dominus prædicari jubet. Eo enim non modo præſcribitur vitæ regula, ſed etiam teſtimonium adoptionis noſtræ redditur, in quo præcipue conſiſtit ſalus.

17. *Expergiſcere.*] Quoniam futurum erat ut graves ærumnas ſuſtineret Eccleſia Dei, ideo conſolatione ipſam munit: atque occurrit dubitationi quæ oboriri poterat, quum interea oppreſſi à tyrannis Judæi, nullum iſtarum promiſſionum fructum cernerent. Significat igitur Eccleſiam tametſi varie afflictam atque agitatam, nihilominus erectum iri, ut plenum vigorem recuperet. ac verbo Expergiſcendi eam quaſi è morte & ſepulchro evocat: quaſi diceret, Nullas tam graves ruinas, nullas vaſtationes tam horrendas fore ut hanc Dei inſtaurationem impedire poſſint. Atque hæc conſolatio pernecesſaria fuit. nam dum mœrore occupantur animi noſtri, promiſſiones nihil ad nos pertinere exiſtimamus. Ideoque hæc in memoriam ſæpius revocanda, atque aſſidue ob oculos ponenda ſunt, Deum eſſe qui loquitur, & compellat non integri aut florentis ſtatus homines, ſed proſtratos ac mortuos, quos tamen verbo ſuo erigere ac ſuſcitare poteſt. Etenim deſtinatur hæc ſalutis doctrina non iis qui ſtatum ſuum retinent, ſed mortuis ac deſperatis. *Quæ bibiſti.* Calix furoris bifariam accipitur: nam interdum dicitur Dominus propinare calicem furoris, quum nos vertigine quadam percellit, aut ſtupore dementat: ut videmus afflictione interdum adimi mentem hominibus. Nonnunquam vero ſimplicius accipitur, pro acerbis ac duris pœnis quibus Dominus ſevere in ſuos animadvertit. quo ſenſu hic etiam accipiendum liquet: quia ſimul additur relativum Ejus. Nec obſtat quod ſtupefactam & ebriam fuiſſe Eccleſiam dicit. Hoc enim accidiſſe oſtendit, quod Dominus eam duriter caſtigaret. Eſt autem vulgaris metaphora, qua Dominus pœnam quam infligit ſuis, Potionem vocat, aut certam menſuram quam unicuique diſtribuit. quoties tamen de electis agitur, hæc calicis appellatio ad moderationem divini judicii exprimendam facit: quod Dominus, tametſi durius animadvertat in populum ſuum, modum tamen adhibeat. Ita accipio dictionem תרעלה, pro Angore aut tremore,

quo

quo fere exanimantur homines, quum gravibus ærumnis premuntur. Tales ebrii dici poſſunt, ut qui univerſum poculum exhauſerunt, quod nihil fere ad eorum miſeriam & calamitatem addi poſſit. Atque eo pertinet quod addit, *Exprimens*. Cæterum hic monetur Eccleſia, non aliunde ſibi mala omnia quam à Dei manu provenire, ne fortuito hæc accidere, aut ſe immerito affligi putet. Huc enim tendit Propheta, ut populus ſe juſtas ſcelerum ſuorum pœnas dediſſe intelligat. Nec enim ſurgere quiſquam poteſt, niſi lapſum prius ſuum agnoverit: nec liberari à miſeria, niſi culpa ſua miſerum ſe eſſe intelligat. Denique nullum locum habere poſſunt conſolationes, niſi doctrina pœnitentiæ antecedat. *Fæces* igitur non eodem modo hic accipi debent, ut Je-
Jer. 25. verſ. 15. rem. 25. ubi ſermo habetur de reprobis, quos Dominus calice ſuo præfocat ac perdit: ſed pro juſta & abſoluta ultione, cui Dominus modum ſtatuere voluit. Quum ergo Dominus pœnas ſumpſit de nobis quas volebat, atque miſeriis noſtris finem imponit, fæces exhauſtas eſſe pronunciat: ſicuti viſum eſt capite 40.

18. *Non eſt qui regat.*] Deſcribit extremam Eccleſiæ calamitatem. nam omnium graviſſimum atque omnino extremum eſt, quod nihil allevationis aut conſolationis percipit à liberis quos ipſa enixa eſt. Summam autem hanc miſeriam deſcribit, ut quamvis deploratus ſit ejus ſtatus, conſolationem nihilominus à Deo expectet, qua nunquam ſuos cultores, etiamſi ad inferos uſque ipſos demerſi ſint, fraudabit. Quamvis ergo deſtituta ſit ab hominibus Eccleſia, atque adeo ab iis quos ſinu ſuo fovit & complexa eſt, tamen auxilium à Deo ſentiet. Nulla autem acerbior calamitas matri accidere poteſt, quam quum derelinquitur à liberis, qui vicem ei mutuam reddere debuiſſent. Hæc ingratitudo atque inhumanitas ei profecto longe gravior eſt quam furioſa & quantumvis effrenis hoſtium ſævitia. nam quorſum filios gignit atque extollit, niſi ut viciſſim ab iis alatur? quum vero filii officio ſuo deſunt, quid ſupereſt, niſi ut eos ſe fruſtra genuiſſe & educaſſe putet? Quamvis igitur Eccleſia matris officio functa ſit, ac liberos extulerit ad juſtam uſque ætatem, ab ingratis tamen nihil opis vel ſolatii ſperandum eſſe pronunciat. Quanquam longius patet ſermo Prophetæ, degeneres ſcilicet ac perverſos eſſe filios illos, qui matri ſuæ auxilium non tulerunt, quo ſcilicet eorum jacturam æquiore animo ferat. Durum ac triſte fuit Eccleſiam penitus ſpoliari tota ſua prole, & redigi ad orbitatem: quod tamen accidit. Atqui Propheta indignos eſſe admonet, pro quibus luctum ſuſcipiat mater: ideoque potius expetendam eſſe novam ſobolem: ſicut in
Pſal. 102. verſ. 19. Pſal. dicitur, Populus qui creabitur laudabit Deum. Quod hic deſcribit Propheta, ad noſtram omnino ætatem pertinet. nam multi ſe filios Eccleſiæ jactant: ſed quotuſquiſque de matris ærumnis ſollicitus eſt? quis de ejus ruina angitur? quis ita commovetur ut humeros ſuos ei ſupponat? quam multi eam produnt, ac crudelius perſequuntur hujus tituli prætextu, quam publici & aperti hoſtes? Itaque poſt alias ærumnas, hic veluti miſeriarum cumulus additur. Deinde qui cenſeri volunt in Eccleſia primi, nec tantum ſe pro filiis venditant, ſed ſuperbiunt patrum nomine, perfide eam deſerunt ubi implorat eorum fidem. Quare nihil mirum ſi eos Deus exterminet, ut probis & legitimis filiis augeat Eccleſiam ſuam.

ſupr. 47. verſ. 9. 19. *Duo hæc.*] Idem fere capite 47. de Babylone aſſeruit, Subito die uno tibi hæc duo evenient, Orbitas, & viduitas. Sed hic diverſum tandem eventum Eccleſiæ promittit Jeſaias: quia Dominus eam ex profundiſſima abyſſo eripiet. Denunciatur autem extrema miſeria, ut ſe ad tolerantiam comparent fideles, neque deſinant ex ſuis anguſtiis vota & preces ſurſum emittere. Summa eſt, Eccleſiam omnis generis malis ita oppreſſum iri ut prorſus obterenda eſſe videatur: quia foris ſuſtineat graviſſimas ærumnas, intus vero nihil opis aut allevationis à ſuis habeat. Hæc duo acerbiſſima mala ſunt quæ refert Propheta. Sed non ſatis congrua videtur iſta partitio. poſtquam enim malum unum retulit, quod nemo ei condoleat, nemo conſoletur, quatuor ſpecies enumerat: vaſtitatem, contritionem, gladium, famem. Nonnulli exponunt Eccleſiam intus fame confici, foris vero vexari ab hoſtibus. Ego vero aliter interpretor, ut jam perſtrinxi. Satis enim uſitata eſt Hebræis interrogatio, quum aliquid ſimpliciter negare volunt. idque apud ipſos elegans eſt: tametſi apud Græcos aut Latinos ineptum foret. Duo igitur hæc mala recenſet Jeſaias, unum externum: quia & belli cladibus & fame ad interitum uſque aut vaſtitatem redigetur, quod per quatuor illas ſpecies ſignificavit: alterum internum, quod deſtituatur conſolatione, ac nemo ipſi condoleat. Interrogatione enim negat ullam ei conſolationem futuram eſſe. Atque hic verſus reſpondet ſuperiori, ubi jam declaravimus quorſum tam calamitoſus ac miſer Eccleſiæ ſtatus à Propheta deſcribatur.

20. *Filii tui exanimati ſunt.*] Luctuoſum & miſerum illum Eccleſiæ ſtatum magis declarat, quum liberos ejus proſtratos jacere dicit. Nullus autem eſſe poteſt matri dolor magis acerbus, quam ſi in conſpectu ejus jugulentur liberi: nec ſolum unus aut alter, ſed quorum ſtrage ob multitudinem plenæ ſint viæ. Similitudo additur ab urſis aut aliis feris ſumpta: qua etiam robuſtiſſimos quoſque velut in plagas conjectos eſſe ſignificat. *Plenos* vero *furore Domini* eſſe dicens, diſerte admonet nihil horum fortuitum eſſe, ne quid temere accidiſſe putent: neque Dominum ſævitiæ accuſent, quod gravius in ipſos animadvertat: quia rectum ac juſtum ipſius judicium eſt. Idque ſignificat, quum hoc ſupplicium ab increpatione Domini profectum eſſe dicit. Interea tenendum eſt ejus conſilium quod attigi, nempe ſpem gratiæ abjiciendam non eſſe fidelibus, quamvis innumeræ clades ad deſperationem eos ſollicitent, & impellant.

21. *Itaque nunc audi.*] Nunc oſtendit apertius quorſum de calamitatibus Eccleſiæ loquutus ſit. nempe ut fideles non dubitent quin parata ſit eis à Domino conſolatio, tametſi extrema quæque patiantur. Sed cur Eccleſiam miſeram vocat, quum nihil felicius ſit quam Dei eſſe, nec ea felicitas ærumnis ullis adimi poſſit? nec enim fruſtra dictum eſt, Beatus Pſal. 144.
populus cujus Jehova Deus eſt. Reſpondeo, in ſpecie verſ. 15.
quidem eſſe miſeram: ac Dominum iſto nomine ipſam non fruſtra compellare: quoniam, ut antea diximus, miſeris opitulatur, & auxilio deſtitutis. Quod *ebriam* vocat, notandum eſt fideles nunquam ita conſtanter ferre pœnas quæ ipſis irrogantur, quin nonnunquam obſtupeſcant: ſed quamvis obſtupefacti, meminiſſe debent ſe juſtas Domino pœnas dare, ac ſtatuere Dominum ipſis adfuturum. Nec enim alloquitur robuſtos aut florentes: ſed debiles, miſeros, conſternatos, atque ebriis ſimiles, iiſque ſe conſolationem adferre dicit. Denique hac voce leniens ejus mœrorem, modum ſibi conſtare docet, quo moderetur extremis quibuſque malis, perditamque reſtituat, quaſi putridum cadaver excitaret.

22. *Sic dicit Dominator.*] Non temere ad nomen Jehovæ tria epitheta adjungit, nempe quod Dominus ſit vel patronus Eccleſiæ, & Deus, & poſtremo Vindex. Semper enim reputandum eſt qualis ſit nobis cum Deo neceſſitudo: quia nos ideo familiariter compellat, quod ſemel in populum cooptaverit, perpetuo fœdere ſe nobis conjungens. Hac præfatione olim animati ſunt Judæi, ne amplecti dubitarent quod hic promittitur. ac eadem hodie novi populi ratio eſt, quem Deus in fidem & patrocinium ſuum non minus recepit. Vindicis autem munus ſibi adſcribit Dominus: ut quum graviſſima pericula inſtabunt, & actum de nobis eſſe videbitur, ad hanc

ancho-

anchoram confugiamus, ipſum tamen eſſe vindicem populi ſui. nec ſolummodo quum ab externis hoſtibus, ſed quum à Satana invadimur, hoc valere debet. *Ecce abſtuli.* Proponit ſperandi materiam: quia Deus non niſi temporalibus flagellis Eccleſiam ſuam caſtiget. Unde ſimul diſcendum fuit Judæis, quicquid calamitatum inſtabat, juſtam ſcelerum ſuorum eſſe mercedem: quia nullus fuiſſet finis, niſi reconciliati eſſent Deo. Summa eſt, iram Domini placatum iri, ita ut plagis quibus hactenus punierat Eccleſiam ſuam, modum & finem imponat. De metaphora Calicis prius dictum eſt 17. verſu: cujus explicationem, qualem attulimus, hic locus ſatis confirmat, ubi calicem furoris ſui nominat Deus, qui tamen concuſſerit Eccleſiam acſi vertigine correpta eſſet. Quanquam idem eſt nomen quod ante poſuit, תרעלה, quod alii ſtuporem, alii tremorem vertunt. Fæcibus, ut dixi, plenam vindictæ menſuram deſignat, qua Deus pro ſua paterna indulgentia contentus eſt.

23. *Et tradam.*] Alterum eſt membrum conſolationis, ubi promittit fore, non ſolum ut Dominus Eccleſiam liberet à tantis malis, ſed etiam calamitates quibus afflicta eſt, in hoſtes ejus transferat. Ergo ſi affligimur, brevi immutabitur noſtra conditio, atque graviſſimas hoſtes pœnas dabunt. Siquidem
2 Theſ. 1. verſ. 6. (ut ait Paulus) æquum eſt apud Deum, reddere iis qui vos affligunt, afflictionem: & vobis qui affligemini, relaxationem nobiſcum, quum revelabitur Dominus de cælo, cum Angelis potentiæ ſuæ, cum incendio flammæ, qui infligit ultionem iis qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Euangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti. Temporariæ igitur pœnæ, quas ipſis infligit Deus, præludia ſunt æterni ſupplicii, cui tandem addicentur. Et quo inſolentiam hoſtium & ſuperbiam, qualem in dies ipſi in adverſariis noſtris experimur, melius declaret, verba eorum refert quibus contumelioſe vexarunt miſeros Dei filios. Semper enim conjuncta eſt impietati ſuperbia & crudelitas. nam ut manſuetos reddit homines vera Dei cognitio, ita ignoratio feroces & truculentos efficit. Sibi placent qui ignorant Deum, ſuntque in ipſum & veros ejus cultores ſine modo contumelioſi. Hoc quidem miſerrimum atque indigniſſimum eſt: ſed quum nomen ſuum ſæpe impiorum contumeliis exponi ſinat, ne miremur nos injuriis propter ipſum affici. nec enim ipſo pretioſiores nos ſumus, nec veteris Eccleſiæ conditione melior noſtra eſſe debet. Alia metaphora utitur David, quum Psal. 129. verſ. 3.
Eccleſiam agro ſimilem eſſe dicit qui proſcinditur aratro, ac ſubigitur: ſæpius enim proſciſſam atque proculcatam eſſe docet, ne diverſam eſſe conditionem noſtram exiſtimemus.

Cap. LII.

Excitare, excitare, indue fortitudinem tuam Sion, indue veſtes decoris tui Jeruſalem, civitas ſancta: quia non fiet amplius ut veniat in te incircumciſus & immundus.
2. Excute te de pulvere, ſurge, ſede Jeruſalem: extrica te à vinculis colli tui
captiva filia Sion.
3. Quia ſic dicit Jehova: Gratis venditi eſtis: ideo ſine pecunia redimemini.
4. Quia ſic dicit Dominus Jehova: In Ægyptum olim deſcenderat populus meus ut
peregrinaretur illic: verum Aſſur abſque cauſa oppreſſit eum.
5. Et nunc, Quid mihi hic, dicit Jehova, ut ablatus ſit populus meus gratis: & qui in
eum dominantur, faciant eum ululare, dicit Jehova? & jugiter tota die nomen meum
contumeliæ expoſitum ſit.
6. Propterea ſciet populus meus nomen meum: propterea in die illa, quod ego idem
qui loquor, ecce adero.
7. Quam ſpecioſi ſuper montes pedes annunciantis, publicantis pacem, annunciantis
bonum, publicantis ſalutem, dicentis Sioni, Regnat Deus tuus!
8. Vox ſpeculatorum tuorum, levaverunt vocem, pariter jubilabunt: quoniam oculo
ad oculum videbunt, quum Jehova reducet Sion.
9. Laudate, exultate pariter ſolitudines Jeruſalem: quoniam conſolatus eſt Jehova
populum ſuum, redemit Jeruſalem.
10. Nudavit Jehova brachium ſanctitatis ſuæ coram oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ ſalutem Dei noſtri.
11. Diſcedite, diſcedite, exite inde, immundum ne attingite, exite è medio ejus, mundamini qui fertis vaſa Jehovæ.
12. Quoniam non in feſtinatione exibitis, neque in fuga erit iter vobis: quandoquidem præcedet vos Jehova, & congregabit vos Deus Iſraël.
13. Ecce proſperum ſucceſſum habebit ſervus meus, exaltabitur, elevabitur, & valde
ſublimis erit.
14. Quemadmodum obſtupuerunt ſuper te multi, adeo deformata fuit ab hominibus
ſpecies ejus, & forma ejus à filiis hominum:
15. Sic aſperget gentes multas: ſuper eum Reges claudent os ſuum: quia quod non fuerat ipſis narratum, videbunt: & quod non audierant, intelligent.

Excitare.] Confirmat ſuperiorem doctrinam, ut populum magis excitet, qui mœſtitia & angore oppreſſus erat. Hæc enim velut ſtimulos addi neceſſe fuit, quo magis doctrina in animos ſopitos atque obſtupefactos penetraret. Nam alloquitur Eccleſiam, quæ velut attonita atque obſtupefacta eſt: eamque excitari jubet, ut colligat vires, & animum reſumat. idque ſecundo repetit: nec fruſtra: quando excitari ac colligi difficile eſt eos quorum animi iræ divinæ ſenſu perculſi ſunt, vel etiam proſtrati. *Indue fortitudinem.* Acſi diceret, Tu prius exanimata in ſordibus & ſqualore jacuiſti, nunc te ad beatum & felicem ſtatum compara, in quem te Dominus reſtituet. Fortitudinem ergo opponit Fracto animo, qualis rebus deſperatis eſſe ſolet: *veſtes decoris*, Squalori & ſordibus. Cauſam ſubjicit,

Digitized by Google

jicit, quia non permittet Deus ut poſthac impii ad eam vaſtandam libidinoſe graſſentur. Liberata ab eorum tyrannide Eccleſia jam habet cur gaudeat. ſecuritas vero in poſterum ſolidam ei gaudii & lætitiæ materiam præbet. Nos interea ad communem gratulationem cohortatur Jeſaias, ubi Eccleſiæ ſuæ reconciliatur Deus. Et certe ſi quid eſt in nobis pietatis, nos ejus ſtatu vehementer affici decet, ut proſpero lætemur, & adverſo doleamus. Denique ſumma lætitiæ noſtræ eſſe debet, ut etiam ait Pſaltes, *Pſal. 137. verſ. 6.* Hæreat lingua faucibus meis ſi non tui meminero, & ſi non ſis caput lætitiæ meæ. Veniendi autem verbo id ſignificat quod vulgo dicimus, *Avoir entrée*. Dominus impiis præcludet viam, ne iis impune, ut antea, irrumpere & graſſari liceat. Per *incircumciſos* & immundos, intelligit profanos omnes qui pervertunt cultum Dei, & conſcientias opprimunt tyrannide. Vulgare fuit, Incircumciſos vocari omnes qui alieni erant ab Eccleſia: cujus ſymbolum erat Circumciſio, qua omnes pii ſignabantur, Sed quia permulti, quamvis hac fœderis nota inſigniti, meliores aliis non erant: ut omnem dubitationem tolleret, *Galat. 5. verſ. 6. Rom. 2. verſ. 25.* addidit *immundum*. Nam circumciſionis nota per ſe nihil eſt: atque in præputium (niſi adſit puritas animi, ut inquit Paulus) reputatur. Talibus ergo non fore amplius in Eccleſia locum ſignificat: ut ſublatis corruptelis, & reſtituto Dei cultu, pleniſſimo gaudio perfruatur. Quanquam ad hoſtes exteros reſtringi non diſplicet, quos odioſis nominibus appellat, ut ipſa pœnæ atrocitas Judæos commonefaciat de ſcelerum ſuorum gravitate.

2. *Excute.*] Liberationem Eccleſiæ fuſius exponit, ac per hypotypoſin illuſtrat. Quod ipſam jubet excutere pulverem, ac ſurgere, ne exiſtimemus ideo libertatem noſtram penes nosipſos eſſe, ut eam, ubi viſum erit, conſequamur. unius enim Dei eſt attollere nos è pulvere, erigere jacentes, & vinculis abruptis, vel ſolutis, vindicare in libertatem. Cur ergo utitur imperativis Propheta, quando minime conſentaneum eſt exigi quod efficere non poſſumus? Reſpondeo, verbum imperandi multo plus efficaciæ habere ad excitandum, quam ſi narratione ſimplici uſus eſſet. Itaque pronunciat fore ut in priſtinam libertatem à Deo reſtituta è ſordibus emergat. *Sedendi* verbum integritatem ſtatus deſignat: atque opponitur verbo Jacendi, quo extrema calamitas ſignificatur. Interdum quidem Sedere, ſignificat proſtratum *ſupr. 47. verſ. 1.* eſſe, ut quum prius Babyloni diceret, Sede in pulvere: ſed hic alia ſignificatio eſt. Nam quum juſſerit eam ſurgere, ſimul addit, *ut ſedeat*: id eſt, ne amplius jaceat, ſed priſtinum ſtatum recuperet, nec in poſterum ab hoſtibus proſternatur.

3. *Quia ſic dicit Dominus.*] Male expoſitus eſt hic verſus à pleriſque qui ſubtiliter hic philoſophari voluerunt. nam multa ſomniarunt præter mentem Prophetæ. Convenit autem cum eo quod prius ca- *ſupr. 50. verſ. 1.* pite 50. docuerat, Cui ex creditoribus meis vendidi vos? Nam hic eodem modo dicit, *Gratis venditi eſtis.* acſi diceret, ſe nihil pretii accepiſſe, nec obſtrictum eſſe creditori, qui poſſit eos veluti jure mancipii retinere. Hôc autem plurimum ad confirmandam promiſſionem facit: quia dubitare poterant Judæi de libertate quæ ipſis promittebatur, quod jam diutina poſſeſſione ipſos Chaldæi tenuiſſent, atque potentiſſimi eſſent omnium nationum. Huic dubitationi occurrit Dominus, Ego vos eis non vendidi, neque alienavi: gratis venditi eſtis: poſſum igitur vos jure meo repoſcere, ac vendicare. proinde ne reputetis quantæ ſint difficultates, dum libertatem vobis promitto, neque rationibus humanis de hac re diſſeratis. nullo enim jure Chaldæi vos retinere, aut libertatem veſtram impedire poſſunt. Denique, ut prius dixerat ſe non eſſe ſimilem decoctori, qui ſuos in ſolutum dare aut vendere coactus ſit; ita hoc loco ſignificat ſe gratis mancipaſſe ipſos & tradidiſſe hoſtibus, hac tantum de cauſa, quod ſceleribus ſuis ipſum provocaſſent. itaque, nihilo majorem in ipſis liberandis quam in tradendis difficultatem fore. Nonnulli ſubtilius exponunt: nempe, quod gratis redempti ſumus à Chriſto. quæ quidem doctrina probanda eſt: ſed non convenit menti Prophetæ, qui Judæorum diffidentiam corrigere voluit, ne de libertate ſua dubitarent. Sufficiat igitur, quum liberare ſuos volet Deus, neceſſarium non fore de pretio paciſci cum Chaldæis, quos invitos ab injuſta poſſeſſione nullo negotio depellet.

4. *In Ægyptum.*] Hic etiam interpretes neque cælum neque terram attingunt. Nam Judæi tres hic captivitates ſomniant. Chriſtiani in eo differunt, quod tertiam captivitatem ſub Antichriſto futuram deſignari putant, è qua à Chriſto liberabuntur. Sed longe alia, meo judicio, mens eſt Prophetæ. nam ratiocinatur à minore ad majus, adducto exemplo captivitatis Ægyptiacæ, è qua populus olim mira- *Geneſ. 15. verſ. 14.* bili Dei potentia ereptus eſt. Quare argumentatio eſt ejuſmodi, Si Dominus in Ægyptios animadvertit, *Exod 14. verſ. 28.* quod duriter & inique populum ſuum tractarent, multo magis puniet Chaldæos, qui crudeliter in ipſum ſævierunt. Multo enim plus coloris habuit imperium Pharaonis in Judæos, quam Chaldæorum: nam quum ſponte Jacob in Ægyptum cum ſua fami- *Geneſ. 46. verſ. 5.* lia conceſſiſſet, haud dubie ſubditus erat poteſtati Pharaonis: qui ob beneficium à Joſepho acceptum, regionem ipſi amplam, & paſcua loca aſſignaverat. Succeſſores Pharaonis ingrati, & immemores accepti à Joſepho beneficii, totam poſteritatem variis modis afflixerunt. Hanc ingratitudinem & inhumanitatem Dominus ſevere ultus eſt. Sed longe indignius ac crudelius Chaldæorum ſcelus fuit, qui è juſta poſſeſſione ejectos Judæos in ſervitutem rapuerunt. Si igitur Ægyptios ingratos & iniquis legibus imperantes, utcunque alioqui juſtum poſſeſſionis titulum haberent, Dominus ferre non potuit, multo minus violentos ac truces Chaldæos feret, qui nullo jure populum ſuum tenent, & vi opprimunt. Per Aſſyrium intelligit Chaldæos, qui ſub eadem monarchia cum Aſſyriis conjuncti erant. Sed Aſſyrium præcipue nominat, quod prius magnam intuliſſet Judææ cladem, atque aditum huic captivitati præbuiſſet.

5. *Quid mihi hic.*] Proſequitur ac confirmat quod jam dixi, minime æquum eſſe ut diutius populum ſuum opprimi tacitus ſinat. Nam his verbis quodammodo ſuam ceſſationem caſtigat, acſi diceret, Annon exeram manum? annon vindicabo populum meum? Si mihi non obſtitit Pharao, tametſi legitimus eſſet dominus, an violenti prædones mihi obſtabunt? Poſtea enumerat cauſas quibus incitari debeat ad populum reducendum. Subaudienda eſt autem tacita antitheſis in participio Ablatus. neque enim fuerat ablatus ab Ægyptiis: ſponte illuc deſcenderat quum fame premeretur: inde tamen ereptus eſt: quanto magis eripietur ex eorum manu qui ipſum avulſum à patria in captivitatem violenter abduxerunt? Indignitatis vero augendæ cauſa ad continuum ululatum cogi dicit. Alii vertunt in neutra ſignificatione: ſed mihi videtur hoc augendæ invidiæ cauſa dictum eſſe. quare, verbum tranſitivum eſſe puto, quod violentiam exprimat, quam Chaldæi Judæis inferebant. Nec enim ſolum inique dominabantur, ſed etiam inhumaniter ipſos tractabant. Plus autem eſt ululare quam gemere aut ejulare: quia acerbiſſimum dolorem eſſe probabile eſt qui ſonoros & impetuoſos clamores extorquet. ſimilitudo eſt ſumpta à feris, qua deſperatio extrema deſignatur. *Tota die nomen meum.* Tertia eſt ratio, ac præcipua, cur populum ſuum liberaturus ſit Dominus: ne ſcilicet nomen ejus probro & contumeliæ impiorum ſemper expoſitum ſit. Honoris enim ſui cauſa Dominus Eccleſiam conſervat, & purum nominis ſui

cultum tuetur. Quum autem occaſionem maledicendi arripiant impii ex Eccleſiæ clade, ac petulantèr Deum irrideant: merito dicit in redimendo populo ſe cauſam ſuam acturum. Non refero hic varias interpretationes, nec iis refellendis immoror: quoniam mihi ſatis eſt breviter genuinum Prophetæ ſenſum indicaſſe.

6. *Propterea ſciet.*] Hoc verſiculo concludit quod duobus proximis attigerat: neceſſe tandem eſſe populum redimi à Deo, qui ſui diſſimilis eſſe non poteſt. Nam ſi redemit Patres, ſi ſemper Eccleſiæ adfuit, poſteros, quos ſimiliter adoptavit, obrui nunquam ſinet. Diligenter obſervandum eſt verbum *Sciet.* nam Scire nomen Domini, eſt ſublata omni vana opinione, ipſum ex Verbo, tanquam ex vera imagine, deinde ex operibus cognoſcere. Nec enim arbitratu hominum fingendus eſt Deus, ſed ita comprehendendus ut ſeſe nobis declarat. Concludit ergo Dominus ſe adfuturum re ipſa, & comprobaturum omnia quæ promiſit, ut populus ſe non fruſtra ſperaſſe intelligat, magiſque ac magis in notione nominis ipſius confirmetur. Tenendum autem memoria eſt quod alibi de experimentali notitia diximus, qua ſancitur Verbi fides. Porro Loqui ad promiſſiones pertinet: הנני, Ecce ego, ad potentiam actualem. perinde acſi diceret, Tametſi nunc ſolummodo in auribus veſtris ſonent verba quibus promitto quod vix probabile eſt, tamen paulo poſt rem ipſam percipietis. nam præſtabo re ipſa quod polliceor. Hinc colligenda eſt univerſalis doctrina, individuo nexu conjunctum eſſe effectum Dei promiſſionibus. Quoties ergo nos urget Satan, atque ad diffidentiam ſollicitat, quaſi deſerti à Deo ac deſtituti eſſemus, huc nobis redeundum eſt, atque fidendum Deo, à quo nihil fruſtra promittitur. Si nondum præſtet, aderit tamen in tempore.

7. *Quam ſpecioſi.*] Rurſus Propheta pios confirmat in certitudine verbi Dei, ne ullo modo dubitent ſe in priſtinam libertatem reſtitutum iri, animoſque ſuos in dura illa ſervitute certa ſpe ſuſtineant. Splendidis autem elogiis extollit hunc nuncium, ut ſatis habeant pii, ſpem futuræ ſalutis ſibi in calamitate divinitus offerri. Et certe loquente Deo conſolationem amplecti debent, qua freti placide patienterque eventum promiſſionis expectent. Ut ergo pii contineant deſideria ſua patientiæ freno, magnifice exornat verbum Dei: An adeo ingrati eritis ut vobis non ſufficiat incomparabilis ille theſaurus Verbi, quo tanta beneficia continentur? An ruetis in vota importuna? an expoſtulabitis cum Deo? Vult enim à diffidentia populum revocare, qui variis illecebris abſtrahebatur, neque omnino acquieſcebat in verbo Dei. Propterea doctrinæ excellentiam prædicat, atque oſtendit Dominum plus nobis
Epheſ. 3. verſ. 20. ea largiri quam dici aut cogitari poſſit. Jam vero ſignificat non de quovis genere doctrinæ hic agi, ſed de ea quæ conſolationi apta eſt. Pulchrum ergo & optabilem eſſe oſtendit adventum eorum qui conſolationem adferunt ex ore Dei: quæ non tantum levare nos à mœrore, ſed etiam gaudio perfundere poteſt. Agitur enim hic de doctrina ſalutis, atque ideo Pacem, Bonum, Salutem annunciari dicit. *Pacis* vero nomine proſperum & felicem ſtatum deſignat: ut jam aliis locis de hujus nominis ſignificatione plura diximus. *Dicentis Sioni.* Hinc colligimus quale ſit principium illius doctrinæ quam prædicat Jeſaias, & quid potiſſimum optandum ſit: nempe ut erigatur inter nos regnum Dei: quia donec inter nos regnet, cedere nobis omnia infeliciter neceſſe eſt, ac proinde nos eſſe miſeros: ſicuti rurſum hæc unica eſt ſalutis ſumma, ubi Deus curam noſtri ſuſcipere dignatur. atque hæc eadem eſt unica ratio obtinendæ pacis, quamlibet confuſæ res ſint ac perditæ. Ac meminerimus hunc nuncium deſtinari Eccleſiæ; quia profanis hominibus, qui Deum non norunt, convenire non poteſt. Paulus hunc locum citat, ut probet Euangelii prædicationem non *Rom. 10. verſ. 15.*
ab hominibus, ſed à Deo proficiſci, ac miniſtros qui nuncium ſalutis perferunt ab eodem mitti. Utitur autem gradatione ejuſmodi: Quiſquis invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. Atqui invocari non poteſt donec cognitus fuerit: nec enim aditus ad invocationem patere poteſt, niſi aperiatur fide, qua Deum, ut Patrem amplexi, familiariter in ejus ſinum exoneremus curas noſtras. Ejus autem fundamentum eſt doctrina, per quam Dominus ſeſe nobis patefacit, atque ad eam rem hominum opera & miniſterio utitur. Itaque poſtremo addit, Neminem futurum qui prædicet, niſi à Deo mittatur. Sed videtur Paulus torquere Prophetæ verba. nec enim dicit Jeſaias miniſtros mitti à Deo, ſed adventum ipſorum ac præſentiam optandam eſſe. Reſpondeo, Paulum hoc axioma pro confeſſo habuiſſe: nihil eſſe optandum, niſi à Deo. Unde vero ſalus? An ab hominibus? minime. nec enim poteſt afferri tam ſingulare beneficium, niſi Deo auctore. Merito ergo concludit, ab ipſo, non ab homine proficiſci.

8. *Vox ſpeculatorum.*] Proſequitur argumentum ſuum. Talem enim populi reſtitutionem fore oſtendit, ut eam nuncii intrepide publicare audeant. Idem ſignificat per *levare vocem*, quod antea dixit Super montes. Res obſcura non erit: ſed tam conſpicua & illuſtris ut omnes in admirationem rapiat. Qui de rebus dubiis loquuntur, ſuſurrant inter ſe, nec vocem attollere audent: hic vero nihil dubium aut incertum erit. Mutuatus eſt autem Propheta ſimilitudinem ab excubiis quæ in urbibus locari ſolent. quanquam ſpeculatores quoque vocentur omnes Prophetæ, quod velut in ſpecula conſtituti ſint, ut pro ſalute populi vigilent. Quum eos *vocem ſublaturos eſſe* dicit, ſignificat exilii tempore ſilentium fore, quia non audietur vox Prophetarum. nam etſi moneant privatim unumquemque, nulla tamen erit libertas loquendi. Unde etiam Jeremias *Thren. 3. verſ. 29.*
ait, Ponam in pulvere os meum. Sed quum Dominus educere populum volet, apertum erit os ſpeculatoribus, qui antea muti erant, ut liberum ei reditum annuncient. Nec enim loquentur inter privatos parietes, aut modicam conſolationem adhibebunt, ſed pleno ore prædicabunt iſtam ſalutem: qua de re plura initio capitis 40. *Oculo ad oculum*, id eſt, Pa- *ſupr. 40. verſ. 1.*
lam. Hoc quidem ad ſpiritualem converſionem extenditur: ſed ne propterea recedamus à ſenſu literæ, quin ſimul beneficium quod Dominus veteri populo exhibuit, comprehendamus. Nam quum reſtituit Judæos in libertatem, atque miniſterio Zorobabel, Ezræ & Nehemiæ uſus eſt, hæc impleta ſunt. Simul vero continuanda ſunt uſque ad Chriſti adventum, quo Eccleſia ex omnibus terræ finibus collecta eſt. Quin etiam progrediendum uſque ad ultimum adventum Chriſti, quo pleniſſime omnia inſtaurabuntur.

9. *Laudate.*] Hortatur quidem fideles ad gratiarum actionem: ſed potiſſimum eos confirmat in ſpe ac fiducia hujus ſalutis: acſi jam ipſa rerum fruitio ad gratulationem eos vocaret. Nec enim ſatis afficimur, quum teſtatur Dominus ſe nobis adfuturum: ac ludi nos putamus, niſi reipſa id demonſtret. Ideo Prophetæ multum in id incumbunt, ut confirment animos piorum, & rem ipſam oculis pene ſubjiciant. Etſi autem abſurdum videtur & importunum, lætitiæ canticum dictari in triſtitia, alibi tamen vidimus hac loquendi forma utiliter expergefieri qui ſub doloris, metus, & curarum onere gemunt. *Solitudines* Jeroſolymæ aut vaſtitates vocat, ut quamvis direpta ac diruta eſſet, nihilominus eam inſtauratum iri confiderent. Atque hæc appellatio melius convenit excutiendo timori, quam ſi felicem aut florentem vocaſſet. Nam quum miſerrimus eſſet ejus ſtatus, non aliter ad ſe hæc promiſſa pertinere exiſtimaſſent,

maſſent, quam ſi declarata eſſet eorum miſeria, adverſus quam muniendi erant, ut quamvis nihil præter vaſtitatem & horrendas ruinas intuerentur, tamen inſtaurationem certa fiducia expectarent. *Quoniam conſolatus eſt.* Luctum populi in gaudium vertit Dominus: liberum ex captivo fecit. Atqui, hoc nondum acciderat: ſed in promiſſionibus Dei tanquam in ſpeculo contemplari oportet ea quæ nondum oculis noſtris apparent, etiamſi à ratione aliena nobis eſſe videantur. *Redemit.* Hic videmus proprium eſſe opus Dei, redimere Eccleſiam. Quod ſi ita ſentiendum eſt de redemptione Babylonica, quæ umbratilis tantummodo fuit, quid dicemus de redemptione ſpirituali? an ſine magna Dei injuria hominibus tribui poteſt? Ut autem liberare Eccleſiam ſolius Dei eſt, ita & libertatem ejus tueri.

10. *Nudavit.*] Similitudinem hanc ſumpſit à militibus qui brachia proferunt quum ſe inſtruunt ad certamen. nec enim hic Nudare ſignificat nudum proferre brachium, ſed exerere: quia quum ſedemus otioſi, aut complicata habemus brachia, aut abſcondimus, Deum vero pro ſenſus noſtri craſſitie putamus, donec virtutem ſuam in medium profert, more hominis lapſi vel pigri digitum non movere. Et Brachium ſanctitatis vocat, quoniam potentia ſua in ſalutem populi uſurus erat. Eſt enim hic mutua relatio inter Deum & Eccleſiam quam ſibi Dominus conſecravit. Brachium quidem ſuum nudat in adminiſtratione totius mundi: ſed non vocat ipſum Sanctitatis, ut hic, quum peculiare auxilium fert Eccleſiæ ſuæ. Eſt enim bifariam conſideranda potentia Dei: primum univerſaliter, in conſervandis omnibus creaturis: deinde ſpecialiter, in tuenda Eccleſia. Nam peculiaris eſt quædam ſollicitudo quam pro ſuis gerit, quæ cæteris communis non eſt. *Coram oculis.* Significat hanc liberationem tanta admiratione dignam fore, ut cæcis etiam ipſis appareat. Quod autem nobile hoc ſpectaculum extenditur ad ultimos uſque terræ fines, hinc apparet Prophetam non loqui de reſtitutione populi, quæ intra paucos annos futura erat: ſed de totius Eccleſiæ inſtauratione. Maligne ergo Judæi hanc Prophetiam ad redemptionem Babylonicam reſtringunt: perperam vero Chriſtiani ad ſpiritualem redemptionem quam obtinemus per Chriſtum. Nam initium faciendum eſt à
2 Par. 36. redemptione quæ ſub Cyro fuit, ut ad noſtram uſque
v. 22, 23. ætatem progrediamur. Itaque cœpit Dominus inter
Eſd. 1: 3. Medos & Perſas illuſtrare potentiam ſuam: ſed eam deinde omnibus nationibus conſpicuam reddidit,

11. *Diſcedite.*] Nunc populum hortatur ut ſemper ad migrandum paratus ſit, atque interim miſeriam ſuam patienter ferat. Nam ut corrigenda erat nimia populi feſtinatio, ita torporem ei deinde excuti oportebat. Etenim priuſquam liberationis tempus adveniſſet, importuna abeundi cupiditate flagrabat: ubi vero exilii tempora impleta ſunt, elanguerat diuturna mora, omnemque redeundi & ſpem & voluntatem abjecerat: ita ut pauci in Judæam reverſi ſint. Permiſcuerant ſe Babyloniis, quorum conſuetudine illecti ac corrupti, patriam ſuam negligebant. Excitari igitur ipſos ac moneri neceſſe erat, ne longa expectatione frangerentur, & Babyloniorum inquinamentis corrumpi ſe ſinerent. Secundum membrum, ubi vetat immundum attingere, melius declarat quod jam diximus. Jubet enim ut ſe puros atque integros ſervent ab inquinamentis quibus ſe polluebant Chaldæi. nam periculum erat ne ſuperſtitionibus Gentium corrumperentur, ut proclives ad malum ſumus omnes, maliſque exemplis facile abripimur. Proinde admonet, ut quamvis captivi ſint, tamen ne quid in gratiam dominorum efficiant, quo melior ſit eorum conditio: ne à puro Dei cultu ſe abduci patiantur: ne polluantur eorum ritibus: ne ſimulent ſe colere idola, aut aſſentiri ipſorum religioni. hæc enim execranda eſt immundities, quam Propheta vitari jubet. Accidunt autem captivis & tyrannide oppreſſis ejuſmodi tentationes, quibus ſæpe ita ſuccumbunt ut multa nefaria & illicita ſibi permittant hoc prætextu, quod tyrannorum furorem mitigare volunt. At quam frigida ſit eorum excuſatio, hic cernimus. Nec enim Judæos hortatur Propheta ut mundi ſint quum liberi erunt, ſed quamdiu captivi tenebuntur, ac periculum etiam vitæ ſubibunt. Hæc autem ad nos etiam haud dubie pertinent, quos Paulus hortatur ut impolluti non ſolum *2 Cor. 7.*
ſpiritu, ſed etiam carne ſimus. Hanc porro exhor- *verſ. 1.*
tationem peculiariter dirigit ad Sacerdotes, & Levitas, qui quum anteſignani eſſent, plus integritatis præſtare debuerunt: non quaſi aliis ſeſe polluere liceat, ſed eos potiſſimum compellat, ut aliis præeant ſuo exemplo, quibus veluti duces conſtituti ſunt. Adhæc, memoria tenendum quod ante vidimus, & iterum repetet Jeſaias in fine libri, novum fore Sacerdotium in redempto populo. Quanquam mihi placet ſimplex ille ſenſus, Levitas & miniſtros Templi κατ' ἐξοχὴν poni pro tota plebe. Hæc igitur doctrina non tantum ad miniſtros Verbi, ſed ad omnes Chriſtianos in univerſum hodie pertinet, qui etiam regale ſacerdotium vocantur: nec tantum vaſis templi *1 Petr. 2.*
ferendis deſtinati ſunt, ſed ipſi ſunt templa Dei. Ideo *verſ. 9.*
prædixit Ezechiel futurum, ut in reſtitutione Ec- *1 Cor. 3.*
cleſiæ, Levitæ ſint majores Sacerdotes, totus vero *verſ. 16.*
populus cooptetur in ordinem Levitarum. Quum *& 6: 19.*
igitur omnes in tantum dignitatis gradum extulerit Dominus, ſequitur hanc munditiem ab omnibus ſine exceptione requiri. quam etiam ob cau-
ſam Paulus hunc locum univerſæ Eccleſiæ accommo- *2 Cor. 6.*
davit. *verſ. 16.*

12. *Quoniam non in feſtinatione.*] Rurſus amplificat Propheta beneficium illud redemptionis, quoniam incredibile videbatur, adeo omnium prope animos occupaverat deſperatio. Eos enim potiſſimum compellat qui captivi futuri erant, ne animum in miſero illo ſtatu deſponderent. Promittit autem futurum ut illa liberatio non ſit fugæ ſimilis, qualis Ægyptiaca fuit. eſt enim tacita comparatio inter redem-
ptionem ex Ægypto & iſtam è Babylone. Noctu *Exod. 12.*
enim fugerunt ex Ægypto, quum ſe tridui tantum *verſ. 31.*
iter agere velle ſimularent, ut ſacrificarent Deo. *ibid. 5: 3.*
Exierunt autem cum feſtinatione & tumultu, ſicuti ipſis dictum erat. Abeuntes Pharao perſequutus eſt, quaſi omnes deleturus. Hic vero non idem fore ſignificat: ſed triumphantium in morem abituros, ita ut nemo ipſis negotium faceſſere audeat. Vulgo dicere ſolemus, *Ils s'en irons à enſeigne deſployée.* undè excellentior atque admirabilior hæc redemptio futura eſt. *Præcedet vos*, id eſt, Erit dux itineris veſtri. Dicet quiſpiam, Ducem quoque fuiſſe Deum populo veteri, quum ipſum eduxit ex Ægypto. Hoc quidem verum eſt: ſed non ita palam majeſtatem illic ſuam oſtendit, ut hic, quum velut imperator, devictis hoſtibus exercitum ſuum reduxit. Eodem ſpectat verbum Congregandi, quia nulla erit diſperſio qualis in trepidatione eſſe ſolet, neque palantes errabunt, ſed turmatim & diſpoſito ordine quaſi ſub ſignis iter facient. acſi diceret, Veluti collectam manum aut exercitum Deus educet, non ſequetur unus alterum, ut qui furtim ſe ſubripiunt: ſed palam aggregati, ſine ullo metu diſcedetis. Nemo impedimentum afferet, quia Deo duce aggregabimini, ut in patriam redeatis.

13. *Ecce proſperum.*] Poſtquam Jeſaias de reſtitutione Eccleſiæ loquutus eſt, tranſit ad Chriſtum, in quo omnia colliguntur. ישׂכיל, nonnulli exponunt Prudenter aget: ſed quia ſequitur poſtea Evehetur, contextus mihi videtur poſtulare ut potius de proſpero ſucceſſu intelligamus: quum etiam שׂכל, ſignificet Proſpere agere. Loquitur ergo de proſpero Eccleſiæ ſucceſſu, qui quum minime appareret, eos revocat ad ſummum Regem, à quo omnia reſti-

 tuenda

tuenda ſunt, eumque expectari jubet. Et notandæ diligenter hic ſunt antitheſes quibus utitur Propheta. nam ſublimitatem hujus Regis quem Dominus evehet, opponit miſeræ & abjectæ conditioni populi, qui prope animum deſpondebat. Atque hunc Regem populi caput fore promittit, ita ut ipſo duce floreat, tametſi nunc afflictiſſimus ſit ac miſerrimus: quoniam proſperrime omnia ipſi ſuccedent. *Servum* vocat Chriſtum, ob munus ei à Deo impoſitum. nec enim Chriſtus, ut privatus conſiderari debet: ſed cum perſona quæ ipſi impoſita eſt à Patre, ut ſit populi dux, & inſtaurator rerum omnium: ut quæcunque de ipſo prædicat, ad nos quoque pertinere intelligamus. Nobis enim datus eſt Chriſtus: quamobrem ejus miniſterium ad nos quoque pertinet. Nam poterat uno verbo dixiſſe, Chriſtum evehendum, & honore afficiendum eſſe: ſed quum ei attribuit Miniſtri nomen, eum noſtra cauſa evehendum eſſe ſignificat.

14. *Quemadmodum.*] Utitur anticipatione, quia non apparebat primo aſpectu illa Chriſti ſublimitas, atque hoc prætextu rejici poterat. Ideo admonet eum prius abjiciendum atque humiliandum eſſe: ac prævenit illam dubitationem, quæ oboriri potuiſſet in tam abjecto & deformi ejus ſtatu. acſi diceret, non eſſe cur abhorreant homines ab ea deformitate & ignominia, quam perpetua felicitas ſtatim ſubſequutura eſt. כן, verti, Adeo. Nam falluntur qui applicationem ſimilitudinis eſſe putant. מאיש, Ab hominibus: nec enim מ comparative accipio, ut alii exponunt: hoc eſt, Pluſquam, vel, Præter humanum morem: ſed ſimpliciorem ſenſum ſequor, Chriſtum videlicet deformem inter homines fuiſſe: aut perverſo hominum judicio deletam fuiſſe ejus formam. *Obſtupuerunt.* Hunc ſtuporem nonnulli accipiunt pro admiratione in quam homines ob miracula à Chriſto edita abrepti ſunt: deinde quum ad crucem veniendum fuit, ſtatim ab iis rejectum eſſe. ſed illi mentem Prophetæ aſſequuti non ſunt. Dicit enim talem fore Chriſtum ut omnes ab ipſo abhorreant. Sic enim prodiit in mundum ut paſſim contemptibilis eſſet: delituit ejus gloria ſub humilitate carnis. *Joan. 1. verſ. 14.* Nam etſi refulſit in eo majeſtas digna unigenito Dei filio, non tamen conſpecta fuit à vulgo hominum: ſed potius deſpecta illa exinanitio, quæ velum fuit vel integumentum gloriæ ejus. Atque hæc cauſa ſtuporis fuit, quod ſine ullo ſplendore inter homines verſaretur, nec Redemptorem eo ſtatu & habitu venturum Judæi exiſtimarent. Quum ad crucem ventum eſt, illic longe plus ſtuporis fuit. Hanc Chriſti humilitatem, ac deinde ſublimitatem declarat Paulus, *Philip. 2. verſ. 6.* quum ait, Qui quum in forma Dei eſſet, non arbitratus eſt rapinam, ſe facere æqualem Deo: ſed inanivit ſemetipſum, forma ſervi ſumpta, in ſimilitudine hominum conſtitutus, & figura repertus ut homo, humilem præbuit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & Deus illum in ſummam extulit ſublimitatem: ac donavit illi nomen quod eſt ſupra omne nomen: ut in nomine Jeſu flectatur omne genu cæleſtium, terreſtrium ac infernorum: omniſque lingua confiteatur quod Dominus ſit Jeſus Chriſtus, ad gloriam Dei Patris. Prius ergo Chriſtum humiliari & ignominia affici oportuit, nec ſtatim apparuit ea ſublimitas in quam evehendus erat: ſed ignominiam crucis glorioſa reſurrectio cum ſummo honore ſequuta eſt.

15. *Sic aſperget.*] Alii exponunt, Stillare faciet: quod metaphorice accipiunt pro Loqui. Sed quum נזה ſignificet Aſpergere, atque hoc ſenſu vulgo reperiatur in Scripturis, malo hanc interpretationem ſequi. Significat autem futurum ut Dominus ſermonem ſuum per multas nationes diffundat. Subjungit effectum doctrinæ, quod *Reges claudent os ſuum*, nempe in ſignum admirationis, ſed diverſæ ab ea cujus ante meminit: Homines enim obſtruunt ora ſua, hærentque attoniti, quum rei magnitudo tanta eſt ut exprimi non poſſit, omnemque dicendi facultatem exuperet. *Quod non audierunt.* Significat admirationem hanc non ex nudo Chriſti aſpectu, ſed potius ex prædicatione Euangelii futuram eſſe. nam etſi reſurrexiſſet, tamen omnes ipſum morte obrutum exiſtimaſſent, niſi reſurrectionis gloria publicata eſſet. Itaque prædicatione Euangelii patefacta ſunt ea quæ prius neque viſa neque audita fuerant. Nam ad Reges & populos qui longiſſime aberant, uſque in fines orbis terrarum hæc doctrina perlata eſt. Paulus hunc locum citat, eumque in miniſterio *Rom. 15. verſ. 21.* ſuo impletum eſſe oſtendit, atque eo nomine gloriatur, quod annunciarit doctrinam Euangelii iis qui de ea nihil unquam audierant. Hoc enim Apoſtoli, non cujuſvis miniſtri officium eſt. Significat ergo regnum Chriſti latius patere quam in Judæa, nec jam anguſtis illis terminis concluſum eſſe. nam ipſum propagari per omnes nationes, atque extendi uſque in fines orbis oportebat. Judæi vero aliquid audierant de Chriſto ex Lege & Prophetis: ſed Gentibus penitus ignotus erat. unde ſequitur, hæc verba proprie ad Gentes pertinere. *Intelligent.* Oſtendit hoc verbo fidem certitudine & ſolida intelligentia conſtare. Ubi igitur deeſt ejuſmodi notitia, fidem abeſſe certiſſimum eſt. Unde apparet quam inane ſit Papiſtarum commentum de fide implicita, quæ nihil aliud quam craſſa ignorantia, aut potius mera chimæra eſt.

Cap. LIII.

[a] ad verbum, *ſuper quem.*

QUis credet auditui noſtro? & brachium Jehovæ [a] cui revelatum eſt?
2. Aſcendet tamen ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix à terra deſerta. Non forma ei, neque decor. Videbimus eum, & non aſpectus, ut deſideremus eum.
3. Deſpectus & rejectus inter homines, vir dolorum, peritus infirmitatis: quaſi abſcondimus faciem ab eo, & nihili reputavimus eum.
4. Sane languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit, & nos exiſtimavimus eum percuſſum, vulneratum à Deo & humiliatum.
5. Atqui ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter peccata noſtra. Caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum, & in livore ejus, [b] ſanatio nobis.

[b] vel, *medela,*

6. Omnes nos tanquam oves erravimus, quiſque in viam ſuam declinavit. Et Jehova traduxit in eum noſtras omnium iniquitates.
7. Mulctatus eſt, & [c] afflictus, nec aperuit os ſuum. Quaſi pecus ad mactationem ducetur, & tanquam ovis coram tonſoribus ſuis obmuteſcet, nec aperiet os ſuum.

[c] vel, *oppreſſus.*

8. E carcere & judicio ſublatus eſt. & generationem ejus quis enarrabit? Quoniam ſucciſus eſt è terra viventium: propter tranſgreſſionem populi mei plaga illi.

9. Et

9. Et expoſuit impiis ſepulchrum ejus, & diviti mortem ejus: quamvis iniquitatem non fecerit, nec fuerit dolus in ore ejus.

10. Voluit tamen Jehova conterere eum, infirmitati ſubjicere. Quum poſuerit in ſacrificium animam ſuam, videbit ſemen, prorogabit dies, & voluntas Jehovæ in manu ejus proſperabitur.

11. E labore animæ ſuæ videbit, & ſaturabitur: & * doctrina ſua juſtificabit juſtus ſervus meus multos. quia iniquitates eorum ipſe portabit.

* vel, cognitione ſui.

12. Propterea diſtribuam illi partem cum magnis, & cum robuſtis ſpolia dividet. Quoniam profudit in mortem animam ſuam, & cum iniquis reputatus eſt: ipſe peccatum multorum tulit, & pro iniquis oravit.

QUis credet auditui noſtro?] Hæc capitis diſtinctio, aut potius divulſio omittenda eſt. nam initium potius à verſu 13. ſuperioris capitis fieri oportebat: hæc autem prioribus conjungi debent. Propheta enim hic veluti in medio orationis curſu reſiſtit. Siquidem, quum antea nomen Chriſti ubique promulgandum atque ignotis Gentibus patefaciendum eſſe diceret, interea vero tam humile futurum, ut hæc fabuloſa videri poſſent, abrumpit ſermonem ſuum atque exclamat, Neminem iſta crediturum. Simul dolorem ſuum exprimit, quod tam increduli ſint homines ut ſalutem ſuam rejiciant. Eſt igitur pia ejus querimonia, qui Chriſtum omnibus notum eſſe vellet: atque interea paucos videt qui fidem Euangelio habeant. quamobrem ingemiſcens exclamat, Quis credidit auditui noſtro? ingemiſcamus ergo & conqueramur cum Propheta, atque etiam cruciemur, ſi minus fructuoſum laborem noſtrum cernimus, & coram Deo conqueramur. Sic enim affecti eſſe debent pii miniſtri, ſi fideliter opus ſuum exequi velint. Declarat autem Jeſaias paucos fore qui ſe Euangelio Chriſti ſubjiciant. Nam quum exclamat, Quis credet prædicationi? ſignificat ex iis qui Euangelium audiunt, vix centeſimum quemque fidelem fore. Nec tantum de ſe uno loquitur, ſed velut is qui ſuſtinet perſonam omnium doctorum. Quamvis ergo plures dentur miniſtri à Deo, pauci eorum doctrinæ adhærebunt: quid futurum ubi deſint miniſtri? An miramur ſummam illic cæcitatem eſſe? Si exculta terra parum fructus affert, quid ab inculta & ſterili expectandum erit? Neque tamen ideo quicquam decedit Chriſti Euangelio, ſi à paucis diſcipulis recipitur: nec ejus auctoritatem minuit, vel immenſam gloriam obſcurat credentium paucitas: quin potius facit myſterii ſublimitas, ut vix fidem reperiat in mundo. Ideo enim eſt ſtultitia, quoniam exuperat omnes humanos ſenſus. Et clarius ſecundo membro oſtendit cauſam cur tanta credentium paucitas futura ſit: quia nemo niſi ſingulari Spiritus revelatione ad Deum venire poteſt. Falluntur autem ii, meo judicio, qui per nomen Brachii, Chriſtum deſignari putant. Eſt enim redditio cauſæ cur tam pauci credant: quia ſcilicet ingenii ſui perſpicacia id aſſequi non poſſunt. Celebris eſt hic locus, atque à Joanne & Paulo citatur in hanc ſententiam. Quum multa, inquit Joannes, ſigna feciſſet Jeſus coram eis, non credebant in eum, ut ſermo Jeſaiæ Prophetæ impleretur, quem dixit: Domine, quis credidit ſermoni noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt? Paulus vero, At non omnes obediunt Euangelio: Jeſaias enim dicit, Domine, quis credidit ſermonibus noſtris? Admonet uterque nihil mirum fore, ſi id eveniat quod jamdudum prædictum erat: idque ut tollant offenſionem quæ oriri poterat ex illius populi defectione: qui quum agnoſcere Chriſtum debuiſſet, pervicaciter ei reſiſtebat. Neque enim ſui temporis homines tantum comprehendit Jeſaias, ſed poſteros omnes uſque ad finem mundi. nam quamdiu extabit Chriſti regnum, hoc impleri neceſſe erit. quamobrem fideles adverſus tale ſcandalum hoc teſtimonio muniri debent. Jam vero his verbis refellitur eorum inſcitia, qui

Joan. 12. verſ. 37.

Rom. 10. verſ. 16.

fidem in cujuſque arbitrio eſſe putant, quia communis eſt omnibus prædicatio. Etſi enim ſatis conſtat omnes ad ſalutem vocari: diſerte tamen excipit Propheta, vocem externam quæ invitat nihil prodeſſe, niſi accedat peculiare Spiritus donum. unde vero diſcrimen, niſi ex arcana Dei electione, cujus cauſa in ipſo eſt abſcondita?

2. *Aſcendet.*] Hæc ſententia ad id ſpectat quod antea dictum eſt, Chriſtum initio nihil ſplendoris aut ſpeciei habiturum apud homines: ſed coram Deo nihilominus in ſublime evehendum atque in pretio habendum eſſe. Unde perſpicimus non eſſe humano aſpectu de gloria Chriſti judicandum: ſed fide apprehendendum quod ſacræ Literæ de ipſo docent. Ideo opponitur hic particula *coram eo*, ſenſibus humanis, qui ſublimitatem iſtam comprehendere non poſſunt. eadem fere ſimilitudine uſus eſt capite 11. Egredietur ſurculus de trunco Iſai. nam domus Davidis, inſtar trunci aridi erat, nullus in eo vigor, nulla ſpecies apparebat. Ideo non nominatur illic domus Regia, ſed Iſai: cujus alioqui nomen obſcurum erat. Tantum hic additur, In terra deſerta: quo ſignificat ſurgendi vim non fore in Chriſto ex terræ humore, ſicut in arboribus: ſed præter communem naturæ modum. Qui hoc loco philoſophantur de Maria virgine, eamque terram deſertam vocari putant, quod ex Spiritu ſancto, non ex virili ſemine conceperit, extra rem loquuntur. Nec enim de nativitate Chriſti hic agitur, ſed de toto regno. Ipſum autem ſimile fore dicit virgulto naſcenti è terrâ arida, quod ad juſtam magnitudinem pervenire nunquam poſſe videatur. Nam ſi totam ejus ſtabiliendi rationem conſideremus, & quorum opera ſit uſus, & quam levia fuerint initia, quot adverſarii obſtiterint, facile hæc omnia, ut prædicta ſunt, ita impleta eſſe intelligemus. Quales fuerunt Apoſtoli, ut tot Reges & nationes ſubigerent gladio Verbi? Annon merito exilibus virgultis comparantur? Itaque oſtendit Propheta quibus rationibus regnum Chriſti erigi & ſtabiliri oporteat, ne humanis rationibus de eo judicemus. Deformitas, cujus poſtea meminit, non ſolum de Chriſti perſona intelligi debet, qui mundo contemptibilis & ignominioſæ tandem morti adjudicatus eſt: ſed de toto regno, cujus nulla in oculis hominum forma, nullus decor, nulla magnificentia fuit: nihil denique habuit quod ſpecie ſua oculos hominum ad ſe convertere aut allicere poſſet. Quamvis enim reſurrexiſſet Chriſtus: tamen eum Judæi ſemper crucifixum & ignominioſum duxerunt, ut eum non ſine faſtidio contemnerent.

ſupr. 11. verſ. 1.

Luc. 1. verſ. 35.

3. *Deſpectus & rejectus.*] Eodem pertinet hic verſiculus: nempe rejectum iri Chriſtum ab hominibus, quod nihil in eo præter dolorem & infirmitatem appareat. Hæc autem Judæis inculcari oportuit, ne falſam de Chriſto & ejus regno opinionem conciperent. nam ut cognoſcatur ejus gloria, à morte ipſius ad reſurrectionem progrediendum eſt. Multi impingunt in morte, quaſi ea victus atque obrutus ſit: ſed potentia ejus & majeſtas in reſurrectione conſiderari debet. Quod ſi quiſpiam à reſurrectione initium facere velit, non ſequetur ordinem qui præſcribitur à Propheta, nec virtutem Domini

& potentiam comprehendet. *Abſcondimus faciem.* Non abs re uſus eſt prima perſona, quoniam univerſale judicium fore ſignificat. nemo enim aliter ingenio ſuo comprehendere poterit, niſi eum Dominus corrigat Spiritu ſuo, atque in melius reformet. Etſi autem præcipue videtur Judæos perſtringere, à quibus minime decebat Filium Dei promiſſum & oblatum ita ſuperbe reſpui, ideoque ſe unum facit ex numero, quia membrum erat populi illius: diſcamus tamen ex hoc loco cunctos mortales in Chriſti contemptu notari ingratitudinis ac damnari: quoniam ne aſpectu quidem dignum judicent, ſed oculos avertant quaſi à re abominanda.

4. *Sane languores.*] Particula אכן non ſolum affirmantis eſt, ſed cauſæ redditionem ſimul continet: quum ſcilicet aliquid præceſſit quod novum & inſolens videri poſſet. nam inſtar portenti eſt, eum ita proſterni ac dejici, cui Deus ſummum in omnes imperium dedit: idque, niſi cauſa redderetur, omnes abſurdum judicarent. Cauſa igitur infirmitatis, dolorum, atque ignominiæ Chriſti eſt, quod languores noſtros tulit. Matthæus hoc vaticinium citat, poſtquam retulit Chriſtum varios morbos curaſſe: quum tamen certum ſit ipſum non curandis corporibus, ſed animis potius deſtinatum eſſe. nam de ſpiritualibus languoribus intelligit Propheta. Sed in miraculis quæ ſanandis corporibus edidit Chriſtus, ſpecimen præbuit ſalutis quam animis noſtris affert. Ergo longe altius ſpectabat illa ſanatio, quam ad corpora: quia medicus animarum conſtitutus eſt. Ideoque Matthæus ad ſymbolum transfert quod ipſi rei & veritati conveniebat. Oſtendit ſecundo membro quanta fuerit populi ingratitudo & pravitas, qui non agnovit cur tam duriter affligeretur Chriſtus: ſed ob ſua propria ipſius ſcelera cæſum à Deo eſſe exiſtimarunt, quem tamen ſciebant innocentiſſimum eſſe: ac judex ipſe innocentiæ ejus teſtimonium dedit. Quum ergo innoxium hominem pœnas dare intelligunt eorum quæ non admiſit, cur non cogitant aliquid non vulgare in eo deſignatum eſſe? Sed quia vulneratum & abjectum vident, de cauſa non inquirunt: atque ab eventu ſolummodo (ut ſolent ſtulti) judicium ferunt. Itaque, de perverſo hominum judicio queritur Jeſaias, quod tantarum afflictionum cauſam in Chriſto non reputent: præſertim vero hebetudinem gentis ſuæ deplorat: quia putaverit Deum Chriſto infenſum eſſe hoſtem, poſthabito ſcelerum ſuorum reſpectu, quæ hoc modo expianda erant.

Matth. 8. verſ. 17.

Mat. 27. verſ. 24. Luc. 23. verſ. 4. 14, 22. Joan. 18. verſ. 38.

5. *Atqui ipſe vulneratus eſt propter iniquitates.*] Iterum cauſam repetit tantarum Chriſti afflictionum, ut occurrat ſcandalo quod oboriri potuiſſet. Multos enim ſpectaculum crucis abalienat à Chriſto, dum ea quæ oculis objiciuntur conſiderant, nec finem rei attendunt. Omnis vero tollitur offenſio, dum hac morte expiata eſſe peccata noſtra, & partam nobis ſalutem intelligimus. *Caſtigatio.* Nonnulli hanc caſtigationem ideo *pacis* vocari putant, quod ſecuri eſſent homines, atque obſtupuiſſent in malis ſuis: ideoque Chriſtum pati oportuiſſe. Alii, Pacem referunt ad conſcientias, paſſum videlicet eſſe Chriſtum, ut tranquillas conſcientias haberemus: quemadmodum dicit Paulus, nos fide per Chriſtum juſtificatos, pacem habere apud Deum. Ego vero ſimpliciter accipio pro reconciliatione. Chriſtus enim caſtigationis noſtræ, id eſt, quæ nobis debebatur, pretium fuit. Ita pacata eſt ira Dei, quæ in nos merito accenſa erat. Pax inita ipſo mediatore, qua reconciliati ſumus. Unde colligenda eſt univerſalis doctrina, Nos ſcilicet gratis reconciliari Deo: quia Chriſtus pacis noſtræ pretium perſolvit. Hoc quidem fatentur Papiſtæ: ſed deinde ad originale peccatum hanc doctrinam reſtringunt: quaſi poſt Baptiſmum gratuitæ reconciliationi amplius non ſit locus: ſed meritis atque operibus noſtris ſatisfaciendum ſit. Atqui Propheta non de una ſpecie remiſſionis hic tractat, ſed ad totum vitæ curſum hoc beneficium extendit. Hoc igitur modo extenuari aut ad certum tempus reſtringi ſine ſummo ſacrilegio non poteſt. Hinc etiam facile convincitur commentitia diſtinctio Papiſtarum de remiſſione pœnæ & culpæ. Pœnam enim nobis remitti nolunt, niſi ſatisfactionibus eluatur. Atqui Propheta noſtrorum ſcelerum pœnam in eum translatam eſſe aperte docet. Quid ergo volunt Papiſtæ, quam quod ſocii & collegæ Chriſti eſſe, & communem ſibi cum ipſo auctoritatem arrogare volunt? *In livore ejus.* Iterum nos ad Chriſtum revocat, ut confugiamus ad ejus vulnera, ſi modo vitam recuperare velimus. Hic enim ipſum nobis opponit: quia in nobis nihil præter exitium & mortem reperiri poteſt: in uno Chriſto vita & ſalus. Is ſolus medicinam nobis attulit: imo ſanitatem peperit ſua infirmitate, ſicuti morte vitam: quia ſolus placavit Patrem, ſolus ei nos reconciliavit. Poſſemus hic afferre multa de fructu paſſionis Chriſti: niſi interpretari potius quam concionari nobis conſtitutum eſſet. Itaque ſimplici interpretatione contenti ſimus. Unuſquiſque vero hinc conſolationem percipiat, atque fructum hujus doctrinæ in uſum ſuum accommodet. nam cùm publice omnibus, tum ſingulis ſeparatim hæc dicuntur.

Rom. 5. verſ. 1.

6. *Omnes nos tanquam oves.*] Ut melius infigat animis hominum beneficium mortis Chriſti, oſtendit quam neceſſaria ſit illa ſanatio, cujus prius mentionem fecit. Niſi enim perſpecta nobis fuerit miſeria & neceſſitas noſtra, nunquam intelligemus quam expetendum ſit remedium quod Chriſtus attulit: nec ardenti affectu ad ipſum ut par eſt accedemus. Simul vero ac intelligimus nos fuiſſe perditos, miſeriæ noſtræ conſcii, cupide ad amplectendum remedium accurrimus, quod alioqui nullo in pretio eſſet. Ergo ut nobis ſapiat Chriſtus, unuſquiſque conſideret ſeſe & examinet, ut ſe perditum eſſe agnoſcat, donec à Chriſto vindicetur. Neminem autem hic excipi videmus: quum omnes Propheta comprehendat. Totum enim genus humanum perierat, niſi Chriſtus opem tuliſſet. Imo ne Judæos quidem eximit, quibus falſa dignitatis opinio animos inflabat, ſed eos promiſcue addicit cum aliis exitio. ovibus autem eos comparat, non elevandæ culpæ cauſa, acſi innoxius eſſet error: ſed quo apertius doceat proprium fuiſſe Chriſti, ex diſſipatione colligere qui brutis pecudibus ſimiles erant. Jam addens *unuſquiſque*, ab univerſali ſententia qua omnes complexus eſt, ad ſpecialem deſcendit, ut ſinguli ſecum reputent, num ita ſit. Nam generali ſententia minus afficimur, niſi ad nos ſeparatim eam pertinere intelligant ſinguli. Excitet ergo unuſquiſque conſcientiam ſuam, & ſiſtat ſeſe ad tribunal Dei, ut miſeriam ſuam agnoſcat. Deinde qualis ſit hic error, Propheta declarat apertius: nempe, quod unuſquiſque viam ſequutus ſit quam ſibi delegerat: hoc eſt, ſuo arbitratu vivere voluerit. quo ſignificat unicam tantum nobis eſſe viam recte vivendi: à qua ſi quis deflectat, nihil præter errorem reperire poteſt. Nec tantum de operibus loquitur, ſed de natura ipſa, quæ nos ſemper in errorem impellit. Nam ſi naturæ inſtinctu aut prudentia noſtra noſipſos in viam reducere, atque ab errore liberare poſſemus, Chriſtus nobis neceſſarius non eſſet. Periimus ergo in nobiſipſis omnes, niſi Chriſto vindice liberemur. Et quo magis innitemur prudentiæ aut induſtriæ noſtræ, eo magis exitium & celerius nobis accerſemus. Itaque oſtendit Propheta quales ſimus, antequam per Chriſtum regeneremur. Omnes enim eadem condemnatione concluduntur. Nemo juſtus eſt, nemo qui intelligat, nemo qui quærat Deum. Omnes declinaverunt, & inutiles redditi ſunt: non eſt qui bene agat, ne unus quidem. quemadmodum etiam fuſius à Paulo declaratur. *Et Jehova traduxit.* Eſt hic elegans antitheſis. nam in nobis diſſipati ſumus, in

Joan. 8. verſ. 36.

Pſal. 14. verſ. 3. & 53: 4. Rom. 3. verſ. 10.

Chriſto

Chriſto collecti: aberramus natura, atque in exitium præcipites agimur, in Chriſto viam reperimus, qua ad ſalutis portum ducamur: obruunt nos ſcelera noſtra, at transferuntur in Chriſtum à quo exoneramur. Quum ergo periiſſemus, atque alienati à Deo properaremus ad inferos, Chriſtus iniquitatum noſtrarum colluviem in ſe recepit, ut nos ab æterno exitio liberaret. Hoc autem ad reatum & pœnam ſolummodo referri debet: nam à culpa immunis fuit. Suas ergo iniquitates ſecum quiſque diligenter perpendat, ut verum iſtius gratiæ guſtum habere, ac fructum mortis Chriſti percipere poſſit.

Hebr. 4. verſ. 15. 1 Petr. 2. verſ. 22.

7. *Mulctatus eſt.*] Hic commendat obedientiam Chriſti in morte perferenda. niſi enim voluntariam mortem obiiſſet, inobedientiæ noſtræ ſatisfeciſſe non videretur. Quemadmodum autem, inquit Paulus, inobedientia unius, omnes rei facti ſunt: ita obedientia unius, plures juſti redditi. Atque alibi, Factus eſt obediens uſque ad mortem: mortem autem crucis. atque hæc ſilentii ratio fuit ad tribunal Pilati: quum tamen ſuppeteret juſta defenſio. nam quia ſe reatu noſtro obſtrinxerat, voluit tacitus judicio acquieſcere, ut nobis pleno ore gloriari liceret de gratuita fidei juſtitia. Simul vero hic admonemur patientiæ & manſuetudinis, ut exemplo Chriſti ad probra, & atroces injurias, ad cruciatus etiam & tormenta ferenda parati ſimus. In hunc enim ſenſum citatur à Petro hic locus: quod nos Chriſto capiti noſtro ſimiles reddi oporteat: ut ejus tolerantiam & patientiam imitemur. In voce Pecudis forte alluſio eſt ad Legales victimas: quo ſenſu alibi vocatur Agnus Dei.

Rom. 5. verſ. 19. Philip. 2. verſ. 8. Mat. 27. v. 12, 14 Marc. 15. verſ. 5. Joan. 19. verſ. 9. 1 Petr. 2. verſ. 21. Joan. 1. v. 29, 36.

8. *E carcere & judicio.*] Varie exponitur hic locus. Nonnulli exiſtimant Prophetam perſequi argumentum quod jam tractare cœpit: nempe Chriſtum manu Dei cæſum & afflictum ob peccata noſtra. Græci vertunt, ἐν τῇ ταπεινώσει αὐτοῦ, ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη. Alii, Abſque dilatione ſublatus eſt. Alii exponunt, Sublatus eſt in crucem: id eſt, ſimulatque comprehenſus eſt Chriſtus, ad ſupplicium tractus eſt. Ego potius iis aſſentior qui Prophetam ad reſurrectionis gloriam progredi putant, poſtquam de morte loquutus eſt. voluit enim occurrere cogitationibus quæ multorum mentes perturbare, & anxias reddere potuiſſent. Nam quum nihil præter plagas & ignominiam intuemur, attoniti hæremus: quoniam abhorret à tali ſpectaculo hominum natura. Docet igitur Propheta *ſublatum* eſſe, id eſt, ereptum è carcere, & judicio vel damnatione, & deinde in ſummum honoris gradum evectum: ne quis putaret ipſum obrutum aut abſorptum horrendo illo & ignominioſo genere mortis. Nam certe victor extitit etiam in media morte, & triumphum egit de hoſtibus: atque ita judicatus eſt, ut nunc ſit judex omnium conſtitutus, quod Reſurrectione palam factum eſt. Eundem ergo ordinem tenet Propheta quem Paulus, qui poſteaquam docuit Chriſtum ad crucem uſque humiliatum eſſe, ſubjungit propterea in præcelſum, omniumque ſummum honorem evectum, datumque ipſi nomen, cui omnia & cæleſtia & terreſtria parere & genu flectere neceſſe eſt. Quæ ſequitur exclamatio in varios ſenſus tracta, & quaſi lacerata fuit. hoc loco abutebantur veteres adverſus Arrianos, quum æternam Chriſti generationem probare vellent. Sed apertioribus Scripturæ teſtimoniis contenti eſſe debuerunt: ne ſe ridiculos hæreticis præberent, qui hac occaſione interdum pervicaciores redduntur. Exceptio enim prompta erat, Prophetam de hac re non cogitaſſe. Chryſoſtomus refert ad humanitatem Chriſti, quod mirabiliter abſque virili ſemine in utero virginis conceptus ſit: ſed procul diſcedit à Prophetæ ſententia. Alii putant Jeſaiam invehi in ejus ætatis homines qui Chriſtum crucifixerunt. Alii referunt ad poſteritatem quæ gignenda erat: nempe, quod fœcunda futura ſit proles Chriſti, utcunque moriatur. Sed quum דור, Ætatem ſive Durationem ſignificet, non dubito quin de ætate Chriſti loquatur, ut ſignificet Chriſtum, licet angoribus fere obrutum, non ſolum ab his ereptum iri, ſed etiam ætatem ipſius permanentem atque æternam futuram eſſe: longe ſcilicet abſimilem fore ab iis qui à morte quidem eripiuntur, ſed poſtea morituri. Reſurrexit enim Chriſtus, in æternum victurus: nec jam (ut inquit Paulus) mori poteſt: nec mors ultra ei dominabitur. Meminerimus tamen Prophetam non loqui de ſola Chriſti perſona, ſed complecti univerſum Eccleſiæ corpus, quod nunquam à Chriſto ſeparari debet. Præclarum igitur teſtimonium habemus de Eccleſiæ perpetuitate. Ut enim vivit in æternum Chriſtus, ita regnum hic ſuum interire non ſinet. Tandem ad ſingula membra eadem immortalitas aptanda eſt. *Quoniam ſucciſus.* Hoc quidem prima ſpecie abſurdum videri poſſet, Mortem Chriſti nobis cauſam eſſe & fontem vitæ: ſed quia pœnam tulit noſtrorum ſcelerum, ideo transferendum ad nos eſt quicquid apparet in cruce dedecoris. Interim mirifica in Chriſto Dei bonitas relucet, quæ gloriam ejus conſpicuam nobis reddit, ut in ejus admirationem nos rapi conveniat. Proinde, iterum repetit *Propter* ſcelera populi impoſitam ei fuiſſe plagam: ut diligenter conſideremus ipſum non ſua cauſa, ſed noſtra paſſum eſſe. Pœnas enim tulit quæ nobis perferendæ erant, niſi oppoſita fuiſſet hæc expiatio. Agnoſcenda eſt in nobis culpa cujus ipſe reatum & pœnam ſuſtinuit, ſeque obtulit noſtro nomine coram Patre, ut ejus condemnatione abſolvamur.

Act. 10. verſ. 42. Philip 2. verſ. 9. Rom. 6:9.

9. *Et expoſuit.*] Vertit Hieronymus, *Et* dedit impios pro ſepultura: acſi Propheta loqueretur de pœna qua Dominus ultus eſt impiorum ſcelus, qui Chriſtum crucifixerunt. Sed potius loquitur de morte Chriſti, & ejus fructu, nec ultionem illam attingit. Alii particulam את ſimilitudinis eſſe putant, ut כ: Dedit ſepulchrum ejus ſicut impiorum. Alii את interpretantur *cum: & divitem* exponunt, Joſephum ab Arimathia, in cujus ſepulchro conditus fuit Chriſtus. ſed nimis coacta eſt ejuſmodi interpretatio. Ego potius genuinum hunc eſſe ſenſum arbitror, quod Deus Pater Chriſtum tradiderit in manus impiorum. Quod ſubdit, *Et diviti*, ſingulare עשיר, pro plurali עשירים eſſe puto: ut frequens Hebræis eſſe ſolet. Cur OEcolampadius verterit Excelſa, ego ſane non video. Divites autem intelligit violentos: quoniam homines efferuntur ob divitias & inſoleſcunt, atque opibus ſuis ad ſævitiam & crudelitatem abutuntur. Atque ita per *impios & divites* idem ſignificari puto. Intelligit ergo Chriſtum obnoxium fuiſſe contumeliis, inſolentiæ & libidini impiorum. Nam hinc Phariſæi & Sacerdotes effreni rabie in ipſum irruunt, & atrociter convitiantur: illinc concitata plebs, aſſiduis clamoribus ipſum ad mortem depoſcit. hinc Pilatus, licet innocentiæ ejus bene conſcius, contra jus & fas ipſum condemnat: illinc Romani milites ad omne ſævitiæ genus parati, crudelem & impiam ſententiam crudeliter & impie exequuntur. Quis inter ſceleſtas & ſanguinarias iſtas manus obrutum ac ſepultum Chriſtum non judicet? Sic enim *ſepulchrum* hic metaphorice accipio, quod impii & violenti eum veluti obruerint. Nam ſi quis objiciat Chriſtum honorifice humatum eſſe: reſpondeo, ſepulturam illam fuiſſe initium glorioſæ reſurrectionis: nunc vero de morte agi, quæ ſæpe per ſepulchrum ſignificatur. Hunc ergo genuinum arbitror eſſe ſenſum: tametſi liberum cuique judicium relinqui volo. *Quamvis iniquitatem.* על, ſignificat Quia: ſed interdum pro adverſativa capitur, ut hoc loco. Hic vero Propheta commendat innocentiam Chriſti, non tantum ut ipſum à calumnia vindicet, ſed ut fructum mortis ipſius commendet, ne fortuito paſſum eſſe arbitre-

Mat. 27. verſ. 60. Joan. 19. verſ. 38. Mat. 26. verſ. 66. Marc. 15. verſ. 14. Joan. 19. verſ. 16.

tremur. Innocens patiebatur, decreto Dei: non ſua igitur cauſa patiebatur, ſed noſtra. Solvit enim pœnas quibus ipſi obnoxii eramus. Exprimit autem duobus verbis perfectam innocentiam Chriſti: nempe, quod neque facto, neque verbo ulla in re impegerit. Hoc certe de nullo mortalium dici poſſe omnibus in confeſſo eſt. Sequitur ergo in Chriſtum ſolum competere.

10. *Voluit tamen.*] Hinc clarius apparet quod breviter attigi: nempe longius ſpectare Prophetam in prædicanda Chriſti innocentia, quam ut eum ab omni probro vindicet. Eo igitur ſpectat, ut cauſam ipſam reputemus, quo effectus ad nos perveniat: nihil enim temere ſtatuit Deus: unde ſequitur, legitimam mortis ejus cauſam eſſe. Atque retinenda eſt antitheſis, In Chriſto nihil culpæ fuit, cur ergo Deus ipſum pati voluit? quia cauſam noſtram ſuſtinebat: neque aliter quam ejus morte ſatisfieri poterat judicio ipſius Dei. אשם, ſignificat & Peccatum & Victimam quæ offertur pro peccato: ac ſæpius in poſteriore ſignificatione accipitur in Scripturis. [Exod. 29. verſ. 14. Eze. 45. verſ. 22. Levit. 4. verſ. 4.] Sic enim offerebatur victima, ut peccati pœnam & maledictionem ſuſtinens, ipſum expiaret. Idque ſacrifici manuum impoſitione ſignificabant, quaſi totius populi ſcelera in victimam injicerent. Quod ſi privatus aliquis offerret, ipſe quoque manum ſuam adjungebat: quaſi peccatum ſuum in eam injiceret. Sic injecta ſunt in Chriſtum peccata noſtra, ut ſolus maledictionem ſuſtineat. Quamobrem Paulus etiam ipſum Maledictum ſeu Execrationem vocat, [Galat. 3. verſ. 13.] Chriſtus nos redemit ab execratione Legis, dum pro nobis factus eſt execratio. Item peccatum, [2 Cor 5. verſ. 21.] Eum enim qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit, ut juſtitia Dei efficeremur in ipſo. Et alibi, [Rom. 8. verſ. 3.] Nam quod impoſſibile erat Legi, quatenus imbecillis erat ob carnem, hoc Deus, proprio Filio miſſo ſub ſpecie carnis peccato obnoxiæ, præſtitit: ac de peccato damnavit peccatum in carne, ut juſtitia Legis impleretur in nobis. Idem ergo nomine אשם, ſignificavit Propheta, quod Paulus Rom. 8. Maledicti & Peccati nomine ſignificat. Denique idem eſt אשם, quod Latini Piaculum vocant. Hîc autem fructus mortis Chriſti exprimitur: quod ſcilicet ejus ſacrificio expiata ſint peccata, & Deus erga homines placatus ſit. Huc enim referenda eſt vis hujus vocabuli אשם. Unde ſequitur expiationem & ſatisfactionem peccati haud alibi quam in Chriſto reperiri. Ut hæc melius teneamus, primum intelligendum eſt nos coram Deo reos eſſe, ita ut maledicti atque execrabiles coram ipſo ſimus. Nunc ſi in gratiam cum ipſo redire velimus, peccatum tolli neceſſe eſt. Hoc non fiet piaculis confictis arbitrio hominum. Ergo ad mortem Chriſti veniendum eſt: aliter enim Deo ſatisfieri nequit. Denique docet Jeſaias non poſſe nobis alia ratione remitti peccata, quam ſi ad mortem Chriſti confugiamus. Si cui videtur aſperior loquutio, & Chriſto parum decora, in ſe deſcendat, & habito ſerio examine, expendat quam horribile ſit Dei judicium, quod niſi hoc pretio placari non potuit: ſic inæſtimabilis gratia quæ in Chriſti maledictione refulget, facile ſcandalum omne tollet. *Videbit ſemen.* Significat non ſolum mortem Chriſti impedimento eſſe non poſſe quominus ſemen habeat, ſed cauſam fore gignendæ ſobolis: quia ſcilicet mortuos vivificans populum ſibi acquiret, quem deinde magis ac magis propagabit: nec abſurdum eſt vocari Chriſti ſemen omnes pios, qui etiam fratres ſunt, quando ab ipſo manant. Ubi additur, *Prorogabit dies*, aliqui ſupplent relativum אשר: Semen, quod longævum erit: ſed ego ſimplicius expono, Non impedietur Chriſtus morte ſua quin proroget dies, id eſt, perpetuo vivat. Aliqui diſcedentes è vita liberos relinquunt: ſed qui futuri ſunt illis ſuperſtites, nec aliter victuri ut nomen habeant, niſi mortuis patribus. Chriſtus vero fructur liberis ſuis: nec enim morietur more hominum, quin perpetuam in ſe & ſuis vitam obtineat. Ita in capite & membris immortalem fore vitam prædicat Jeſaias. *Voluntas Jehovæ in manu.* Manus ſæpe accipitur pro Miniſterio: ut Dominus publicavit Legem, Moſis manu. [Num. 36. verſ. 13.] Item Manu Davidis hoc fecit, id eſt, uſus eſt Dominus in ea re Davide miniſtro. [Eſdr. 3. verſ. 10.] Sic etiam, In manu Chriſti proſperabitur voluntas Dei, id eſt, efficiet Dominus, ut miniſterium Chriſti fructum ſuum producat: ne fruſtra tam diris cruciatibus ipſum expoſuiſſe videatur. His quidem paucis verbis uberrima comprehenditur doctrina, quam unuſquiſque colligere poteſt: ſed nos ſimplici textus interpretatione contenti ſumus. Voluntas eodem modo accipitur quo prius: utitur enim nomine חפץ, quo beneficium & liberalem affectum ſignificat. Duplex autem beneficium Dei nobis hoc loco commendatur. Primum, quod Filio unigenito non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum, ut nos à morte liberaret. [Rom. 8. verſ. 32.] Deinde quod mortem ejus otioſam & inutilem eſſe non ſinat: ſed uberrimos fructus producat. Nobis enim inanis eſſet mors Chriſti, niſi in nobisipſis fructum & efficaciam ſentiremus.

11. *E labore animæ ſuæ videbit.*] Idem argumentum proſequitur Jeſaias. Declarat enim Chriſtum, ubi paſſus fuerit, percepturum mortis ſuæ fructum ex ſalute hominum. Quum enim dicit, *Videbit*, ſupplendum eſt, Fructum & Efficaciam. Hæc autem plena ſunt ſuaviſſimæ conſolationis: nec enim melius potuit Jeſaias immenſum erga nos Chriſti amorem exprimere, quam quum ſignificat ipſum unice oblectari ſalute noſtra: atque in ea, ut in fructu laborum ſuorum acquieſcere, velut is qui voti potitus eſt in ea re quam maxime optabat: neque enim ſatiatur quiſquam, niſi qui adeptus eſt quod unice optabat, ut aliis omnibus neglectis hoc uno ſit contentus. Poſtea modum & rationem demonſtrat, quibus vim & efficaciam mortis Chriſti ſentiamus, ejuſque fructum percipiamus: nempe cognitionem ipſius. Poteſt (fateor) hic tam active quam paſſive legi dictio דעת, id eſt, Cognitio vel ſcientia. Quocunque modo accipiatur, facile Prophetæ mentem tenebimus: nec tergiverſari tam impudenter Judæi poterunt, quin iis vel invitis extorqueamus quod hic dicitur, Chriſtum ſolum eſſe magiſtrum ſimul & auctorem juſtitiæ. Effectum enim notat hoc verbo, *Juſtificabit* multos. Ergo non tantum juſtitiam docentur homines in ſchola Chriſti, ſed re ipſa juſti fiunt. Atque hoc eſt diſcrimen inter Fidei & Legis juſtitiam: nam utcunque oſtendat Lex, quid ſit eſſe juſtum, Paulus tamen affirmat impoſſibile eſſe juſtitiam ex ea conſequi, [Rom. 3. verſ. 20.] & experientia idem evincit: quia Lex nobis propriæ injuſtitiæ ſpeculum eſt. [Galat. 2. v. 16, 21. & 3. v. 10, 11.] Porro doctrina obtinendæ juſtitiæ, quam tradit Chriſtus, non alia eſt quam ipſius cognitio. Hæc autem eſt fides, dum amplectimur beneficium mortis ejus, ac plene in ipſo conquieſcimus. Philoſophi multa & præclara præcepta tradiderunt, quibus juſtitiam contineri putant: ſed eam nemini unquam ulli conferre potuerunt: nam quis ex eorum regulis bene vivendi facultatem conſequutus eſt? Parum autem prodeſt intelligere quæ vera ſit juſtitia, ſi ea interim careamus. Ut omittamus Philoſophos, Lex ipſa, quæ perfectiſſimam vitæ normam continet, hoc (ut diximus) conferre non potuit: non quod ei quicquam defuerit: nam Moſes ſe bonum & malum, vitam & mortem propoſuiſſe teſtatus eſt: [Deut. 30. verſ. 19.] ſed quod ea ſit corruptio naturæ noſtræ, ut juſtitiæ impertiendæ Lex ſufficere non potuerit: quemadmodum etiam docet Paulus, [Rom. 8:3.] hanc imbecillitatem ex carne noſtra, non ex Lege manare. Nos enim alio impellit natura, & majore impetu cupiditates noſtræ erumpunt, ut effrenes quædam belluæ, adverſus mandatum Dei. Ita fit ut Lex iram potius quam juſtitiam operetur. [ibid. 4. verſ. 15.] Lex igitur omnes

convi-

convictos tenet, & patefacto peccato, omnem ho-
minibus excuſationem adimit. Proinde alia juſtitiæ
via quærenda eſt: nempe in Chriſto, quem etiam
Lex, ut finem ſuum, demonſtravit. Talis autem
Levit. 18. erat Legis juſtitia, Qui fecerit hæc, vivet in eis. At
verſ. 5. nemo fecit. Alia ergo juſtitia neceſſaria eſt: quam
Rom. 10 etiam Paulus ex ipſo Moſe docet, Prope eſt verbum
verſ. 8. in ore tuo, & in corde tuo: hoc eſt verbum fidei
Galat. 3. quod prædicamus. Hac igitur doctrina juſtificamur:
verſ. 12. haud nuda quidem illa & ſimplici, ſed quatenus of-
Rom. 5. fert beneficium mortis Chriſti, quo expiantur pec-
verſ. 10. cata noſtra, & reconciliamur Deo. Nam ſi bene-
ficium hoc amplectimur fide, juſti coram Deo repu-
tamur. Et Propheta ſeipſum exponit, oſtendens
quid hæc doctrina contineat. Hæc enim duo membra
ſimul cohærent: Juſtificabit doctrina ſua, aut Cogni-
tione ſui, quatenus portabit iniquitates. Semel enim
factus eſt piaculum pro nobis: nunc autem ad perci-
piendum mortis ſuæ fructum Euangelii doctrina nos
invitat. Ideo mors Chriſti, doctrinæ eſt hypoſtaſis,
ut nos juſtificet. Optime etiam huic Prophetæ dicto
2 *Cor.* 5. ſubſcribit Paulus: ubi enim docuit Chriſtum pro
v. 20, 21. nobis victimam expiatricem factum eſſe, ut eſſemus
juſtitia Dei in ipſo, ſimul addit, Pro Chriſto lega-
tione fungimur, & obſecramus vos, reconciliamini
Deo. *Juſtus ſervus meus.* Docet Chriſtum nos juſti-
ficare non ſolum quatenus eſt Deus, ſed etiam quate-
nus homo: quoniam in carne ſua nobis juſtitiam ac-
quiſivit. Nec enim dicit Filius, ſed Servus meus: ut
non tantum ipſum conſideremus Deum, ſed huma-
nam naturam apprehendamus, in quo obedientiam
illam præſtitit, qua coram Deo abſoluti ſumus. Hoc
enim fundamentum ſalutis noſtræ eſt, quod ſe in ſa-
crificium obtulit. Sicuti etiam pronunciat ipſe Joan-
Joan. 17. nis 17., Propter eos ſanctifico meipſum, ut & ipſi
verſ. 19. ſancti ſint.

12. *Propterea.*] Iterum declarat Jeſaias qualis fu-
turus ſit exitus mortis Chriſti. Hanc enim doctri-
nam addi neceſſe fuit de victoria quam morte conſe-
quutus eſt: quoniam id quod prius dictum eſt, nos
morte ejus reconciliatos Patri, non ſatis animos no-
ſtros obfirmaſſet. Hic autem mutuatur ſimilitudi-
nem à communi triumphantium more, qui parta in-
ſigni victoria, magnifico apparatu excipi atque or-
nari ſolent. Ita & Chriſtus, ut ſtrenuus & nobilis
Imperator, victis hoſtibus triumphavit. *Cum robu-
ſtis ſpolia.* Eadem eſt ſententia cum priore. Eſt enim
repetitio uſitata Hebræis. Et quos prius Magnos
dixit, nunc Potentes aut robuſtos vocat. Nam qui
רבים vertunt Multos, ſenſum Prophetæ meo judicio
pervertunt. tantum in duobus hiſce membris hæc
differentia eſt: quod priore Deus teſtatur quid
Chriſto dederit: poſteriore vero ſubjungit Chri-
ſtum eo beneficio frui. Fruitur autem non ſua cauſa,
ſed noſtra: quoniam ad nos redit hujus victoriæ fru-
ctus. Nobis enim Chriſtus mortem, mundum, &
diabolum ſubegit. In ſumma, Propheta commendat
hic victoriam quæ ex morte Chriſti conſequuta eſt.
2 *Cor.* 13. nam etſi mortem obiit infirmitate carnis, tamen Spi-
verſ. 4. ritus potentia reſurrexit & triumphavit de hoſtibus.
Atque huc pertinet Spoliorum metaphora, qua Pro-
Pſal. 68. pheta uſus eſt. Surrexit namque in altum, ut capti-
verſ. 19. vam duceret captivitatem, & dona ſumeret in ho-
Epheſ. 4. minibus. Poſtea addit exinanitionem Chriſti fuiſſe
verſ. 8. hujus ſummi imperii principium: ſicut etiam docet
Coloſ. 2. Paulus, Chriſtum deleto quod nobis contrarium erat
verſ. 14. chirographo, in cruce triumphaſſe. Tantum igitur
abeſt ut ignominia mortis quam obiit Chriſtus, ali-
quid detrahat ejus gloriæ, ut propterea in ſummum
honorem à Deo Patre evectus ſit. Exprimit etiam
genus mortis: quemadmodum Paulus, quum obe- *Phil.* 2.
dientiam Chriſti amplificat, & ad mortem uſque ſe- *verſ.* 8.
ipſum dejeciſſe dicit, ſimul addit non vulgarem fuiſſe
mortem, ſed crucis, id eſt, maledictam & ignomi-
nioſam. Ita hoc loco Jeſaias, ut majorem ignomi-
niam exprimat, inter ſceleratos reputatum fuiſſe
dicit. Sed quo major fuit ignominia coram homini-
bus, eo major reſurrectionis gloria ſequuta eſt. Mar-
cus hunc locum citat, quum refert Chriſtum inter *Marc.* 15.
duos latrones ſuſpenſum eſſe. hoc enim tunc ve- *verſ.* 28.
riſſime impletum eſt. Sed generaliter loquutus eſt
Propheta, ut oſtendat Chriſtum non vulgari morte
defunctum eſſe. Majoris autem ignominiæ cauſa ad-
diti ſunt illi latrones: ut Chriſtus, quaſi ſceleſtiſſimus
omnium, in medio ipſorum locaretur. Aptiſſime igi-
tur à Marco ad eam circumſtantiam hic locus citatus
eſt. *Ipſe peccatum.* Hoc additum eſt vice correctio-
nis: ne quum audimus ignominiam hujus mortis,
aliquid à Chriſto alienum cogitemus, & in eo occu-
patæ mentes noſtræ, partam nobis victoriam, id eſt,
mortis fructum non percipiant. Docet igitur hoc
ita eſſe factum, ut peccata in ſe noſtra ſuſciperet:
ut quoties mentio fiet mortis Chriſti, ſimul memores
ſimus noſtræ expiationis. Atque hic fructus omnem
mortis Chriſti ignominiam abſorbet, ut magis con-
ſpicua ſit ejus majeſtas & gloria, quam ſi tantum ſe-
dentem ipſum in cælis conſpiceremus. Inſigne enim
ac celebre amoris Dei teſtimonium habemus in ipſo,
quum ita dejicitur, vilipenditur, extremaque igno-
minia afficitur, ut nos qui exitio æterno addicti era-
mus, immortali gloria cum ipſo perfruamur. Se-
quutus ſum receptam interpretationem, quod tulerit
peccatum multorum: quanquam non inepte poſſe-
mus intelligere per vocem רבים, Magnos & præ-
ſtantes. Atque ita plenior eſſet antitheſis, quod Chri-
ſtus dum inter iniquos reputatus eſt, pro excellen-
tiſſimis quibuſque vadem ſe obtulerit, & ſubierit
ignominiam eorum nomine qui ſummum honorem
in mundo obtinent. Hoc cogitandum relinquo lecto-
ribus. Interea vulgata lectio mihi placet, quod ipſe
unus multorum pœnam ſuſtinuerit: quia totius
mundi reatus illi impoſitus eſt. Multos enim pro
omnibus interdum accipi, cùm ex aliis locis, tum
ex quinto ad Romanos capite liquet. *Pro iniquis.* *Rom.* 5.
Quoniam idem valet atque rata eſt expiatio, qua nos *verſ.* 19.
abluit Chriſtus ſua morte, quod pro nobis apud
Patrem deprecatus ſit: ideo hoc addi oportuit. Nam
ut in veteri Lege Sacerdos, qui nunquam ſine ſan-
guine ingrediebatur, ſimul pro populo intercedebat: *Exod.* 30.
ita quod illic adumbratum fuit, in Chriſto impletum *verſ.* 10.
eſt. Primùm enim ſacrificium corporis ſui obtulit, *Hebr.* 9.
& ſanguinem fudit, ut pœnam nobis debitam per- *verſ.* 7.
ſolveret: deinde ut valeret expiatio, advocati officio
functus eſt. atque interceſſit pro omnibus qui fide
hoc ſacrificium amplecterentur: quemadmodum
apparet ex illa oratione quam nobis Joannis manu
ſcriptam reliquit, Non pro his tantum rogo, ſed *Joan.* 17.
pro omnibus qui eorum ſermone in me credituri *verſ.* 20.
ſunt. Si ergo ſumus ex eorum numero, ne dubite-
mus paſſum nobis eſſe Chriſtum, ut nunc mortis ejus
fructum percipiamus. *Iniquos* nominatim exprimit,
ut ſciamus nobis certa fiducia confugiendum eſſe ad
crucem Chriſti, quum horrore peccati perculſi ſu-
mus. Imo hac de cauſa proponi deprecatorem & pa-
tronum: quia ſine ejus interceſſione peccata noſtra
à Dei acceſſu nos arcerent.

Digitized by Google

Cap. LIV.

EXulta ſterilis quæ non pariebas: exulta & jubila quæ non parturiebas: quoniam
plures filii viduæ quam filii conjugatæ, dicit Jehova.
2. Dilata locum tabernaculorum tuorum, & cortinas tentoriorum tuorum
extendant, ne parcas. Produc funes tuos, & clavos tuos conſolida.
3. Quia ad dextram & ſiniſtram multiplicaberis: & ſemen tuum Gentes poſſidebit: &
urbes deſolatas inhabitabunt.
4. Ne timeas, quia non pudefies: & ne erubeſcas, quia non afficieris ignominia: imo
pudoris adoleſcentiæ tuæ obliviſceris: & opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis
amplius.
5. Quia maritus tuus, fictor tuus, cui nomen Jehova exercituum: & redemptor tuus
Sanctus Iſraël, Deus univerſæ terræ vocabitur.
6. Quoniam ſicut mulierem relictam & deſtitutam ſpiritu vocabit te Jehova: & uxorem
adoleſcentiæ, quæ repudiata fueras, dicit Deus tuus.
7. Ad exiguum momentum reliqui te, & miſericordiis magnis colligam te.
8. In momento iræ abſcondi faciem meam pauliſper à te: at clementia ſempiterna miſertus
ſum tui, dicit redemptor tuus Jehova.
9. Quoniam * aquæ Noë, hoc mihi: quandoquidem juravi non fore ut amplius tranſirent
aquæ Noë ſuper terram: ita juravi non fore ut tibi iraſcar, vel increpem te.

* vel, *ſicut dies.*

10. Nam montes quidem movebuntur, & colles nutabunt: miſericordia autem mea
non recedet à te: nec fœdus pacis meæ vacillabit, dicit miſerator tuus Jehova.
11. Paupercula tempeſtate jactata, conſolatione deſtituta: ecce ego ſtruam ſuper carbunculum
lapides tuos, & fundabo te in ſapphiris.
12. Et ponam è margaritis feneſtras tuas, & portas tuas ex lapide rutilante, & omnes
fines tuos ex lapide pretioſo.
13. Nam omnes filii tui docti à Jehova, & multa pax filiis tuis.
14. In juſtitia præparaberis, longe aberis ab oppreſſione, quia non timebis eam: & à
pavore, quia non appropinquabit tibi.
15. Et conveniens conveniet contra te abſque me: qui convenerit in te, contra te
cadet.
16. Ecce ego creavi fabrum, ſufflantem in igne prunas, & proferentem inſtrumentum
ad opus ſuum: Ego, inquam, creavi vaſtatorem ad perdendum.
17. Omne inſtrumentum quod formatum eſt contra te, non habebit ſucceſſum: &
omnem linguam quæ in te ſurrexerit in judicium, tu damnabis. Hæc hæreditas ſervorum
Jehovæ, & juſtitia eorum à me, dicit Jehova.

E*Xulta.*] Poſtquam de morte Chriſti concionatus eſt, merito ad Eccleſiam tranſit: ut melius quid valeat mors ejus ac efficiat, in nobis ipſis ſentiamus. Id enim animadverti in Chriſto non poterit, ſi per ſe conſideretur: quamobrem ad corpus ejus, quod eſt Eccleſia, veniendum: quoniam ei Chriſtus, non ſibi paſſus eſt. Atque hic ordo in confeſſione fidei noſtræ obſervatur: nam ubi confeſſi ſumus nos credere in Chriſtum, qui paſſus pro nobis & crucifixus eſt, ſubjungimus, nos Eccleſiam credere, quæ veluti ab ejus latere defluxit. Itaque poſtquam de morte, reſurrectione & triumpho Chriſti diſſeruiſſet Jeſaias, merito ad Eccleſiam deſcendit, quæ nunquam à capite ſuo ſejungi debet, ut propria experientia quiſque piorum diſcat non fruſtra paſſum eſſe Chriſtum. Quod ſi doctrinam hanc prætermiſiſſet, pii non ita animos ſuos ſpe inſtaurandæ Eccleſiæ obfirmare potuiſſent. Hæc autem gratulatio palam oſtendit, quum victor emerſerit Chriſtus à morte, non privatim ſibi modo victurum, quin ſimul vitam corpori ſuo inſpiret. *Sterilem* vocat Eccleſiam, quod nulla proles ex ea ſperari poſſet quamdiu miſera ſervitute premebatur: nam ſi quis eam æſtimaſſet ab externo ſtatu, parum admodum ab interitu abeſſe judicaſſet. Atque etiam præter miſeriam externam, nihil intus habebat puri, omnia corrupta, & ſuperſtitionibus fœdata erant: quia degeneraverant ad impios Gentium ritus. Nec vero Sterilem tantum, ſed Viduam vocat: quorum tamen alterum ad tollendam ſuſcipiendæ prolis ſpem ſufficere poſſet. nunc quum hæc duo concurrant, quid aliud poteſt quam miſer interitus expectari? Sed adverſus tantas miſerias bono ipſam animo eſſe jubet: quod plures liberos habitura ſit, quam conjugata. Poteſt autem hic locus bifariam exponi: vel ut comparetur Eccleſia cum Gentibus, quæ inſtar mulieris conjugatæ florebant: vel cum eo ſtatu quem ipſa Eccleſia ante exilium obtinebat. Nec male conveniet uterque ſenſus: ſed ego ſimpliciorem ſequi malo: nec enim comparationem duplicis ſtatus fieri puto, ſed vulgarem eſſe loquendi formam, qua Propheta uſus eſt: ut præter uſitatum morem, fœcunditatem hanc Eccleſiæ venturam ſignificet, ne ex communi naturæ ordine ejus conditio æſtimetur: quoniam inſigne & admirabile Dei opus futurum eſt. Et tamen fateor tunc fuiſſe viduatam: quia & pridem Deus repudium miſerat per ſervos ſuos, & re ipſa divortium fecerat cum gente illa, eam in exilium ejiciens. Sed Propheta denunciat pœnam hanc temporalem fore, ut paulo poſt clarius videbimus.

2. & 3. *Dilata.*] Proſequitur argumentum ſuum aliis figuris, ac promittit Dominum non modo reſtiturum Eccleſiam ſuam, ſed etiam multo excellentiorem ſtatum ei daturum. Qui putant hoc loco Eccleſiam cum ſynagoga conferri, falluntur, meo judicio: nec aliud proficiunt quam quod obſtinatiores reddunt Judæos, qui ſententiam Prophetæ torqueri vident. Ego quidem fateor hæc pertinere ad regnum Chriſti, ac demum impleta eſſe ex quo cœpit Euangelium promulgari: ſed non propterea ſequitur, Prophetam non ſimul ſpectaſſe tempus quoque illud quod adventum Chriſti præceſſit. Initium enim habuit hæc Prophetia ſub Cyro, à quo redeundi facultas

cultas populo data eſt: deinde ad Chriſtum uſque progreſſa, in eo complementum ſuum habet. Concepit ergo Eccleſia, quum populus in patriam rediit: quia collectum eſt populi corpus unde Chriſtus prodiret, ut purus Dei cultus & vera religio iterum ſuboleſceret. Tunc quidem nondum apparuit hæc fœcunditas: occultus enim conceptus erat, velut in utero mulieris, de quo nihil extrinſecus apparet. ſed deinde auctus eſt populus: atque edito fœtu, velut à pueritia deinceps adolevit, donec Euangelium promulgatum eſt. Hæc enim vera Eccleſiæ adoleſcentia fuit. Sequitur deinde virilis ætas, uſque ad ultimum Chriſti adventum, quo pleniſſime omnia implebuntur. Hæc enim omnia ſimul comprehendi debent, ſi genuinum Prophetæ ſenſum aſſequi velimus.
Zach. 2. verſ. 5. Mal. 4. verſ. 2. Hagg. 2. verſ. 10. Atque hoc modo Zacharias, Malachias, Haggæus, populum ſpe futuri ſtatus animabant, quum viderent ſe extruendo templo parum proficere. Promittebant enim gloriam hujus templi majorem fore quam prioris. hoc autem minime apparebat. Ergo uſque ad Chriſtum promiſſiones iſtas prorogabant, cujus ſpe ac fiducia erigi ipſos oportuit, ut templum ædificarent. Proinde communis hæc Judæis conſolatio fuit qui ſub Lege vixerunt, & nobis qui hanc Eccleſiæ reſtitutionem plenius in Chriſto cernimus. *Tentoriorum.* Similitudo ſumpta eſt à tabernaculis, quorum frequens in illa regione uſus eſt. His autem comparatur Eccleſia, quod ſolidum in mundo ædificium non habeat. Inſtabilis enim & vaga eſſe videtur, quod huc atque illuc ſubinde ob varias mutationes eam transferri neceſſe ſit: ſed interea non dubito quin priorem illam liberationem ſpectarit (ut moris eſſe Prophetis diximus) qua per deſertum educti,
Levit. 23. v. 39, 43. quadraginta annis ſub tentoriis habitarunt: unde etiam quotannis ſolenne feſtum mandato Dei celebrabatur. Objiciet quiſpiam, ſolidum eſſe ædificium quod extruitur à miniſtris Verbi, ut tabernaculis comparandum non ſit. Sed reſpondeo, ſimilitudinem hanc tabernaculorum potius ad externam Eccleſiæ faciem, quam ad ſpiritualem & intrinſecum (ut ita loquar) ejus ſtatum referri. Nam verum Eccleſiæ ædificium non aliud eſt quam regnum Dei: atqui hoc caducum non eſt, aut ſimile tentoriis. Interea non deſinit Eccleſia huc & illuc transferri: quia nuſquam illi firma eſt ſedes in qua conſiſtat. Denique ſolida firmitate excellit ſupra munitiſſimas quaſque arces: quia inexpugnabili Dei virtute freta contemnit omne diſcrimen. Tentoriis autem ſimilis eſt, quia terrenis opibus, copiis & viribus minime fulcitur. Sequitur ratio cur funes produci juſſerit ampliandis tentoriis: quia ſcilicet mediocris locus ingentem populum non caperet, quem undique Deus in unum colliget. Jam quia ruinis & vaſtitate deformis erat Judæa, dicit urbes deſertas habitatum iri.

4. *Ne timeas, quia non pudefies.*] Hic, quemadmodum prius, animos fidelium confirmat, & totam Eccleſiam alloquitur: quia univerſalis erat calamitas, & penitus actum de ipſa videbatur. Eam autem bono animo eſſe jubet: atque rationem ſubjungit, quod talem exitum habitura ſit ut non pudefiat: acſi diceret, Tametſi ad tempus miſera ſis, tamen res tuæ bene habebunt. Et quemadmodum alibi dictum
Pſal. 25. verſ. 3. eſt, Qui ſperant in Domino non pudefient. Iterum repetit, *Ne erubeſcas*: id eſt, Concipe bonam ſpem, & confide. Erubeſcunt enim quos ſui pudet, & qui ſpe ſua fruſtrati animum dejiciunt. Eandem rationem ſubjungit. כי enim hic iterum accipio ut prius, pro particula cauſali. Eſt igitur eadem ſententia bis repetita diverſis verbis: niſi quod prior ad animi affectum, poſterior ad cauſam externam referri poteſt. Simplicior tamen erit in utroque membro lætæ & proſperæ fortunæ promiſſio, acſi dixiſſet finem ejus calamitati eſſe impoſitum. *Imo pudoris.* Confirmatio eſt ſuperioris membri. Intelligit autem calamitates, quæ Eccleſiæ acciderunt, quum veluti adoleſceret. Felicitas enim qua poſtea fruetur, omnem earum memoriam delebit. *Viduitatem* ei tribui nuper attigimus, quod eo tempore deſtituta à Deo, ac veluti repudiata eſſet.

5. *Quia maritus.*] Reddit rationem cur oblitura ſit omnes ærumnas & calamitates, quas olim paſſa eſt: quia Deus iterum ipſam in gratiam admittet. Nam captivitas velut ſpecies quædam divortii fuit: quemadmodum prius capite quinquageſimo vidimus. *Supr. 50. verſ. 1.* Nunc ait, Qui te creavit erit maritus tuus: ſic enim conſtruenda eſt iſta oratio. Fictorem autem ſe vocat Eccleſiæ ſuæ, non tantum quod eam, ut reliquos homines, crearit, ſed quia eam adoptare dignatus eſt in peculium: quæ prærogativa inſtar novæ vitæ eſt. Quanquam autem à ſua præſtantia exciderant Judæi, ſicuti ad defectionem ſtatim feruntur homines, niſi ſpiritu fortitudinis regeniti ſint: ſpiritualis tamen eorum creatio non prorſus extincta erat, quia manebat fœderis memoria. unde etiam factum eſt ut Deus ipſos de integro refinxerit. Quod ſe *Jehovam exercituum* vocat, ad potentiam refertur: ut in ea gloriari nobis liceat, quum ipſius filii ſumus. quanta enim potentia Dei, & quam magnificum ejus nomen, tanta eſt gloriatio noſtra, quamdiu nos habet pro filiis, nec inani titulo gloriamur. Commendat autem Propheta hanc Dei beneficentiam: quod nos dignatur habere uxoris loco, ut ejus potentia & virtute gloriari poſſimus. *Redemptor tuus.* Redemptorem ſe vocat, quo magis populum in ea ſpe confirmet: ut quamvis irrita prior redemptio videretur, quod iterum populus in captivitatem abductus eſſet, tamen ita reſtituendum eſſe ut non inanem Dei gratiam eſſe ſciat. Verbum יִקָּרֵא, vel ad Redemptoris, vel ad Sancti nomen referri poteſt: vel ad utrumque. Ego libenter utrumque ſimul connecto: nempe, Sanctus Iſraël vocabitur redemptor tuus, & Deus univerſæ terræ. Univerſam vero terram nominat, quia nomen Dei prius in Judæa quo- *Pſal. 76. verſ. 2.* dammodo concluſum erat: ſed publicato Euangelio, *Epheſ. 2. verſ. 13.* Gentes in eandem ſalutis ſpem vocatæ ſunt. Dominus enim Gentium Deus eſt, ſicuti & Judæorum. *Rom. 3. verſ. 29.* Judæis enim Gentes, quamvis longe diſſitas, ſub imperium ſuum aggregavit.

6. *Quoniam ſicut.*] Occurrit dubitationi quæ oboriri poterat fidelibus in tam gravi calamitate. Videbantur enim rejecti à Domino, ita ut nihil præter interitum expectandum eſſet. Propheta ergo ſignificat iis minime deſperandum eſſe, quod ita fuerint deſtituti: quia Deus pro ſua indulgentia ad reconciliationem propenſus ſit, imo exanimem velit erigere. *Uxorem adoleſcentiæ* vocat, ut ea ſimilitudine animos in ea ſpe magis confirmet. Facilius enim juvenum conjugum quam ſeniorum animi reconciliantur. Mollior enim ætas & tener amor ipſos invitat, & quodammodo impellit. Ita Deum ad reconciliationem facilem fore oſtendit. Tu quidem repudiata es: ſed diuturnum divortium non erit. Placabilem ſe præbebit Dominus: imo prior te ultro ad reconciliationem invitabit.

7. & 8. *Ad exiguum momentum.*] Plenius explicat ſuperiorem ſententiam, & quale futurum ſit hoc divortium demonſtrat: nempe ut ſtatim in priſtinum locum reſtituatur. Amplificat autem miſericordiam Dei: & mœrorem, quo conſtringi poterant animi piorum, imminuit. Nec enim ſatis erat fideles ſperare aliquam reſtitutionem, niſi brevem fore iram Dei confiderent. Frangimur ſtatim ac deficimus, niſi prope adſit Dominus, nobiſque citus manum porrigat. Quamobrem de reſtituenda Eccleſia concionatus Jeſaias, ſubjungit hoc repudium momentaneum, miſericordiam vero perpetuam fore. Quod ſe populum *reliquiſſe* dicit, ſpecies eſt conceſſionis. Sic enim adoptamur à Deo, ut propter hominum perfidiam ab eo repudiari non poſſimus. Fi-

delis enim eſt, ut nunquam rejiciat ſuos aut derelinquat. Quod igitur hic à Propheta dictum eſt, ad ſenſum noſtrum & externam ſpeciem referri debet: quod abjecti à Deo videamur, quum præſentiam ejus & tutelam non ſentimus. Atque ita concipi à nobis iram Dei neceſſe eſt, quemadmodum uxor à marito repudiata ſortem ſuam deplorat, ut merito nos caſtigari intelligamus. Sed apprehendenda ſimul miſericordia, quæ quum ſempiterna atque immenſa ſit, leves ac momentaneas præ ipſa afflictiones omnes eſſe reperiemus. Quoties igitur rebus adverſis premimur, ad hanc conſolationem confugiendum eſt. Notandum etiam eſt, vere hoc de toto corpore populi fuiſſe dictum, qui ſua perfidia diſſidium fecerat. Et quanquam non omnes promiſcue recepit Deus in gratiam, ſed electas tantum reliquias: nihil tamen in eo eſt abſurdi vel incommodi, quod ſermonem tanquam ad eoſdem dirigit. Iterum vero repetit atque inculcat hanc ſententiam, ut firmius piorum animis inhæreat, ne adverſis rebus ullo modo frangantur. & merito: quia in illa horrenda caligine facile non fuit exulibus ſerenam Dei faciem intueri. Quanquam autem momentanea ira proprie hic vocatur, quod mature captivos reduxerit Deus in patriam: inde tamen generalem doctrinam elicimus, afflictiones Eccleſiæ ſemper eſſe momentaneas, ubi ad æternam ejus felicitatem attollimus oculos. Nam illa
2 Cor. 4. verſ. 17. Pauli admonitio tenenda eſt, Leve & facile toleratu eſſe fidelibus quicquid malorum ſuſtinent, & momentaneum jure cenſeri, dum reſpiciunt ad æternum pondus gloriæ: quia niſi interveniat hæc comparatio, dies ſinguli nobis pro annis erunt. Annos vero 70, quibus exularunt Judæi, conferri momento minime conſentaneum eſſet, niſi in rationem ex oppoſito veniret continuus gratiæ progreſſus.

9. *Quoniam aquæ.*] Hujus loci duplex lectio eſſe poteſt. nam ſi diſtincte legimus כי, vertendum erit Quoniam. Si כ, erit particula ſimilitudinis: & ימי, Dies ſignificabit. Quod attinet ad ſummam rei, parum intereſt. proinde nobis potius ſpectandum quid voluerit Propheta. nam interpretes mentem ipſius aſſequuti mihi non videntur. Exponunt enim
Geneſ. 9. verſ. 11. generaliter, Dominum jurejurando promiſiſſe Noë, nullum unquam fore diluvium, atque hoc jusjurandum perpetuum fore. Potuiſſet enim alioqui bonus vir trepidare, idemque exitium vereri impendentibus pluviis, niſi Dominus hoc nunquam eventurum juraſſet. Ita dum imminent afflictiones, poſſemus interitum vereri, niſi Dominus promitteret ſalvam Eccleſiam fore. Ego vero ad tempus exilii Babylonici hoc reſtringendum puto. nam comparat illam captivitatem cum diluvio, quo facies terræ deleta eſt: quoniam Eccleſia prorſus interiiſſe videbatur. Populus enim pene tranſierat in alienam gentem: nullum regnum, nulla politia penes ipſum erat. Subierat duriſſimam ſervitutem: ac penitus extinctum ejus nomen putabatur. Ac vere tunc accidit quod
ſupr. 1: 9. Propheta primo capite dicebat, Niſi Dominus reliquiſſet nobis ſemen, ſicut Sodoma & Gomorra facti eſſemus. Merito igitur *aquis Noë*, id eſt, diluvio calamitatem illam comparat. quamobrem potius illos ſequor qui legunt, כי מי, id eſt, Quoniam aquæ: quia certior mihi videtur ea lectio, & eam Judæi communiter ſequuntur. Et diligenter expendenda mihi videntur hæc verba, *hoc mihi*, quæ interpretes parum expendunt. Significat enim hanc calamitatem ſibi inſtar diluvii fore: ut quemadmodum uno diluvio contentus fuit, ne unquam ipſum iteret: ita hoc uno Eccleſiæ velut interitu contentus ſit ne unquam ejus faciem deleri ſinat. Sic igitur explicandum hunc locum, atque applicandam ſimilitudinem puto, vaſtitatem Judææ fore Deo quaſi diluvium, quod tempore Noë accidit: quia ſicuti tunc juravit nunquam ſe poſthac talem ſumpturum pœnam de ſceleribus, quæ terram nudaret incolis: ita Eccleſiam non amplius abſumet, ſicuti in exilio Babylonico fecerat. Et ſane qualiſcunque poſtea diſſipatio ſequuta ſit, ſemper tamen viguit aliquod Eccleſiæ nomen, ſtetitque aliqua forma, donec exhibito Chriſto, ſemen Euangelii ubique diſperſum eſt, quod Deo filios produceret ex cunctis gentibus. Denique promittit Dominus fore ut in poſterum iram ſuam temperet, nec tam ſevere in populum ſuum animadvertat. Objiciet quiſpiam, ab eo tempore graviſſimas Eccleſiæ clades accidiſſe: ex quibus judicari poſſet, aut irritum eſſe hoc jusjurandum, aut hunc Prophetæ ſenſum non eſſe. Reſpondeo, nullam adeo gravem accidiſſe Eccleſiæ cladem ut prorſus deleta ſit ejus facies. quod accidit quum populus in Babylonem abductus eſt. Nam etſi horrendæ clades ab Antiocho & aliis tyrannis illatæ ſint, tametſi evenerint etiam poſtea defectiones illæ quas Paulus prædixit, adeoque innumeris ſuperſti- *2 Theſ. 2. verſ. 3.*
tionibus omnia polluta ſint, ut propemodum obrutum fuerit Chriſtianum nomen, aliqua tamen Eccle- *1 Tim. 4. verſ. 1.*
ſiæ forma, quamvis mutila, remanſit: nec ita dirutum eſt ædificium, quin ſupra diluvium extiterint Chriſtianiſmi reliquiæ, ut locum huic jurijurando eſſe conſtaret. *Ut tibi iraſcar.* Hoc non ſimpliciter, ſed comparative accipi debet. Opponit enim hoc membrum priori: quia promittit ſe nunquam adeo ſevere animadverſurum in ſuos, quin pœnarum atrocitatem mitiget. Quamvis igitur effreni rabie graſſentur tyranni, & omnibus machinis Eccleſiam oppugnet Satan, eique Dominus frena laxet, ut ingratitudinem noſtram ulciſcatur: nunquam tamen obrui ipſam ſinet.

10. *Nam montes.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam, ac declarat univerſi potius orbis converſionem fore, quam deficiat miſericordia ipſius. Fruſtra hic quæritur quomodo movebuntur montes, aut colles nutabunt: quia comparatio ſumpta eſt ab iis rebus quæ firmiſſimæ & fixis radicibus ſtare videntur, ut fundamentum Eccleſiæ longe ſtabilius eſſe oſtendat. Firmiſſimi enim ſunt montes, nec in iis adeo frequentes terræmotus, ut in planis locis eſſe ſolent. Pronunciat ergo Dominus, tametſi ingens illa & gravis montium moles commoveatur, aut cælum ruat, ſtabile tamen fœdus ſuum fore, nec miſericordiam ſuam Eccleſiæ defuturam. Quo ſenſu dicitur in Pſalmo, Dominus regnabit, ſtabilietur *Pſal. 93. verſ. 1.*
orbis. Imo alibi dicitur, quamvis pereant cæli, Ec- *Pſal. 102. v. 27, 29.*
cleſiam Dei ſtaturam in ſuo gradu. In voce *miſericordiæ*, notandum eſt quale ſit fundamentum fœderis. nihil enim nobis cum Deo commercii, niſi nos gratuito admittat, noſtri miſertus. *Fœdus pacis* vocat, quod nobis offerat Dominus quicquid ad ſummam felicitatem pertinet: ſicuti etiam Hebræi *pacis* nomine omnia proſpera comprehendunt. Quum igitur firmam & ſolidam beatitudinem hoc fœdus contineat, ſequitur miſeros eſſe omnes qui ab ipſo excluduntur. Confirmat iterum id quod dictum eſt, quum ſe *miſeratorem* vocat: non aliter ſcilicet, neque alia de cauſa ſe fore propitium, niſi quia exorabilis eſt, & facilis ad ignoſcendum.

11. *Paupercula.*] Proſequitur idem argumentum, ac promittit non modo priſtinum ſplendorem Eccleſiæ redditum iri, ſed Deum facturum ut ſplendidiore ornatu niteat, acſi tota eſſet compoſita ex lapidibus pretioſis. Id quod Haggæus ſignificavit *Hagg. 2. verſ. 10.*
uno verbo, quum dixit, poſterioris templi gloriam majorem fore quam prioris. De nominibus gemmarum quas hic exprimit Propheta, de quibus variant ipſi Hebræi, non eſt magnopere laborandum modo ſenſum loci teneamus. Eſt autem valde emphatica alloquutio ad leniendos piorum dolores, quaſi Eccleſiam in profundo demerſam attolleret ex naufragio. Itaque quoties & procellis duriter ipſam concuti, & malorum congerie premi, & orbari omni ſolatio

vide-

videbimus, nobis in mentem veniat hæc ipſa eſſe quæ Deum ad opem ferendam provocant.

12. *Et ponam.*] His ſimilitudinibus oſtendit, excellentiorem quam unquam antea Eccleſiæ ſtatum fore: ſicuti jam dictum eſt. Comparatur autem Ec-
Jer. 24. cleſia ædificio, ut toti Scripturæ vulgare eſt. quam-
verſ. 6. obrem pretioſæ & magnificæ ſtructuræ hic ima-
Mat. 16. ginem proponit. Sed notandum eſt, quod Propheta
verſ. 18. Deum hujus ædificii architectum facit. Hoc enim opus ipſi uni in ſolidum tribui debet. Atqui quæri poteſt quid per Carbunculos, Sapphiros, Margaritas, aliaſque ejuſmodi gemmas Propheta intelligat. nam Paulus ejuſmodi ſimilitudine doctrinam
1 Cor. 3. ſignificavit: Ut ſapiens architectus, inquit, funda-
verſ. 10. mentum poſui: deinde, quod ſiquis ſuperſtruit ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, cujuſque opus manifeſtum fiet. An idem ſit Prophetæ ſenſus nec ne, proximus verſus indicabit.

13. *Nam omnes filii tui.*] Particulam י hic pro rationali accipio, ut aliâs ſæpe. Hinc vero colligere promptum eſt, Jeſaiam concionatum non eſſe de doctrina, ſed de hominibus, ex quibus ſpirituale ædificium Eccleſiæ conſtruitur. Doctrina quidem ea eſt unde ædificatur Eccleſia: ſed hoc fit aggregando homines, & redigendo in obſequium Dei. Hoc igitur diſcrimen eſt inter Paulum & Jeſaiam, quod ille *gemmas* iſtas ad doctrinam refert: hic vero ad dona Spiritus ſancti, quæ in homines conferuntur, ut ex iis extruatur Eccleſia. Notanda eſt autem donorum varietas, quibus Dominus Eccleſiam ſuam exornat. nec enim omnes ſmaragdi, aut omnes carbunculi:
Epheſ. 4. ſed unicuique pro menſura Dominus arbitrio ſuo
verſ. 11. diſtribuit. Unde etiam obſervandum eſt, quicquid ad ornamentum Eccleſiæ pertinet, haud aliunde quam à Dei gratia proficiſci. nam ſi ideo ſumus carbunculi & ſapphiri, quod docemur à Domino: ſequitur hoc à natura non eſſe. Docet autem nos bifariam Dominus: externa prædicatione, & arcana revelatione Spiritus ſancti. Quodnam docendi genus intelligat Propheta, oſtendit Chriſtus apud
Joan. 6. Joannem, dum hoc teſtimonium citat. quare melior
verſ. 45. interpres quærendus non eſt. Scriptum eſt in Prophetis, inquit, Erunt omnes docti à Deo. Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Si de externa prædicatione intelligendus eſſet hic locus, non ſatis conſtaret id quod Chriſtus ex eo concludit. nec enim ſequitur, Prædicatur Euangelium: ergo omnes credunt. Multi enim adverſantur: alii aperte
Actor. 13. rident: alii ſimulant. Tantum qui præordinati ſunt
verſ. 48. ad vitam, ex animo ſunt dociles, ut jure cenſeantur inter diſcipulos. Promiſcua eſt Euangelii prædicatio electis & reprobis: ſed electi ſoli ad Chriſtum accedunt, quia ſunt à Deo eruditi. de his igitur haud dubie intelligit Propheta. Ex his perſpicuum eſt, quomodo ſimus vivi lapides & pretioſi ad extruendum Dei templum: nempe quum nos Spiritu ſuo formavit Dominus, & expolivit, atque exteriori prædicationi Verbi conjunxit interiorem Spiritus efficaciam. Hinc colligimus quanta ſit pravitas humani ingenii, quod flecti & reformari nequit, niſi Dominus vi & efficacia Spiritus ſui impellat. Utramque vero docendi rationem, & interiorem & exteriorem, conjunxit Jeſaias. Nam vocat filios Eccleſiæ, qui à Domino docentur. Si filii, ergo in ejus utero concipi, atque ab ipſa ali neceſſe eſt: primum lacte, deinde ſolido cibo, donec adoleſcant, ac viri
1 Cor. 3. evadant: quemadmodum inquit Paulus. Proinde re-
verſ. 2. quiritur externa adminiſtratio Verbi, ſi diſcipuli eſſe
Epheſ. 4. velimus. Unde apparet quantopere delirent fanatici
verſ. 13. homines, qui hoc teſtimonio abutuntur ad evertendam prædicationem Verbi, & miniſterium quo Eccleſia utitur. Nam Eccleſiæ filii eſſe non poſſunt, niſi in ea ſe educari ſinant. Fruſtra revelationes arcanas jactabunt: quia Spiritus non docet alios quam qui ſe miniſterio Eccleſiæ ſummittunt: proinde diſcipuli ſunt diaboli, non Dei, qui ordinem ab eo inſtitutum repudiant. Nam hæc duo ſic conjuncta eſſe videmus, Filios Eccleſiæ, & Doctos à Deo, ut diſcipuli Dei eſſe non poſſint, qui in Eccleſia doceri nolunt. Sunt quidem apte diſtinguenda, quemadmodum etiam diſtinguit Jeſaias: ne quod efficaciæ Spiritus tribuendum eſt, ad hominem transferatur: ſed deinde ſic conjungenda ſunt, ut Deum hac in re opera hominum uti velle intelligamus. Præterea docemur ex hoc loco efficacem eſſe in electis vocationem Dei. Auguſtinus prudenter expendit hunc locum, & apte accommodat in Pelagianos, qui liberum hominis arbitrium adverſus gratiam Dei extollebant. hi quidem videbantur aliquid tribuere gratiæ Dei: ſed ita ut ipſam velut in medio poſitam liberæ hominis voluntati ſubjicerent: ſicuti etiamnum Papiſtæ, qui eam reſpuere aut recipere quemque poſſe affirmant. Atqui (inquit Auguſtinus) omnes à Deo docti erunt. Docentur autem efficaciter diſcipuli Dei, atque ejus vocationem ſequuntur. Adjungit etiam eum Joannis locum quem citavimus. Unde manifeſto apparet id à libera & in utramque partem flexili hominis electione non proficiſci. Hinc etiam obſervandum eſt, quanti Dominus æſtimet doctrinam ſuam, qua nos cooptat in ædificium ſuum, ut margaritæ, ſapphiri, & carbunculi ſimus. Nam qui Eccleſiam [illegible] volunt repudiata Verbi doctrina, porcorum haram ſtruunt, non Eccleſiam Dei. Videmus etiam quid judicandum ſit de fide implicita, de qua oblatrant Papiſtæ, qui homines deſipere volunt, ut ſibi illudi patiantur. Nam quum oporteat nos à Deo doctos eſſe, pecudibus ſimiles eſſe minime decet. Quæri poteſt, annon etiam ſub Lege Prophetæ & Patriarchæ, aliique fideles à Deo edocti ſint? Fuerunt certe: ſed Propheta hic per comparationem loquutus eſt: quod plenior ſit revelatio in Chriſto, & tam aperte loquutus ſit Dominus, ut ſe magiſtrum Eccleſiæ palam oſtendat: deinde plures ſibi diſcipulos conciliet. Convenit autem
hic locus cum illo Jeremiæ, Non docebit quiſque *Jer. 31.*
proximum ſuum, nec vir fratrem ſuum, quia omnes *verſ. 34.*
me cognoſcent à minimo uſque ad maximum, dicit Jehova. Quare ſi olim neceſſe fuit omnes Dei filios, diſcipulos eſſe Spiritus ſancti, hodie multo magis, quum hæc prophetia proprie ad regnum Chriſti pertineat. *Multa pax.* Pacis nomine felicitatem, id eſt, proſpera omnia deſignat. Atque hinc colligitur quæ vera ſit hominum felicitas: nempe quum Deus mentes noſtras illuminat, ut ſalutem quæ nobis in Chriſto patefacta eſt, comprehendamus. nam quamdiu à tali cogitatione abſumus, nihil infelicius nobis eſſe poteſt: quum ipſa quoque Dei beneficia, donec fide ſanctificentur, nobis in maledictionem cedant.

14. *In juſtitia.*] Significat Deum fore opificem & architectum Eccleſiæ ſuæ. Scio aliter exponi ab aliis, atque accipi Juſtitiam pro Bonis operibus. Et certe illa expoſitio aliquid coloris habet, quod de doctrina loquutus ſit. nam in hunc finem docemur, ut pie & ſancte vivamus. Sed aliud ſibi voluit Propheta: nempe quod reſtituenda ſit Eccleſia auſpiciis Dei, qui ejus tutor & defenſor eſſe vult. Juſtitiam enim opponit Violentiæ & oppreſſioni qua diruta eſt Eccleſia: vel certe ſtabilitatem denotat, acſi diceret non fore caducum ædificium, vel quod fallaci tantum ſpecie ad breve tempus placeat: quia Deus bona fide opus ſuum tuebitur, & quia juſtus eſt, efficiet ut in integrum reſtituta, diu maneat incolumis. Quamvis igitur homines omnibus modis conſpirent in Eccleſiæ ruinam, nihil efficient: quia Dominus eam juſtitia ſua tuetur. Hanc loquendi formam prius vidimus. quamobrem ſimplicior hæc mihi videtur interpretatio: tametſi alia plauſibilior nonnullis videri poſſit.

15. *Ecce convenient.*] Summa eſt, quamvis multi inſurgant ad opprimendam Eccleſiam, irritos tamen fore omnium conatus & impetus. ac videtur Dei auxilium non ſolum contra externos hoſtes, ſed domeſticos etiam & inteſtinos promittere. Multi enim conveniunt in Eccleſiæ ſinum, quaſi ſeſe ipſi adjungere velint: ſed inteſtinum deinde bellum gerunt. Communiter vertunt, Congregando congregabit ſe contra te: ac generaliter intelligunt de quibuslibet Eccleſiæ hoſtibus: & magis recepta eſt illa interpretatio: quam & ego amplector, modo fraudes, inſidias & proditiones quibus impetitur Eccleſia, notari ſciamus. quanquam non dubito idem hic exprimi quod Pſal. 2. nempe, conſpirationes & tumultus Gentium adverſus Chriſtum & Eccleſiam Dei. nec enim una gens ſolummodo, ſed variæ in eam inſurgunt: nominatim tamen hic domeſticos hoſtes, & eos qui uſque in ſinum ejus penetraverint externis conjungi probabile eſt, quia dicit, *In te, contra te*, id eſt, Intus, in medio tui, te oppugnabunt. In ſumma, oſtendit non ſic tranquillam fore Eccleſiam, quin multi ipſam adverſarii exerceant. ſed videntur hæc contraria: nam prius dixit procul futuram à pavore & oppreſſione: nunc vero, conſpirationes futuras in ejus ſinu. Verum hoc ſtatim addidit Propheta, ne pii tranquillum ſibi ſtatum in mundo promitterent, quaſi nihil moleſtiæ ab impiis & hypocritis ſuſtinendum ſit. Sic igitur ab oppreſſione & calumnia Eccleſia vindicanda eſt, ut ei perpetuo bellum cum hoſtibus gerendum ſit. Nova enim certamina in dies excitabit Satan, ut nunquam quieta eſſe poſſit. Eſt igitur hic veluti correctio proximæ ſententiæ, ut pii ſemper ad bellum parati ſint, nec otium ſibi promittant. Additur autem promiſſio, quod Dominus eos nihilominus in mediis periculis conſervabit. Abſque Deo, tantundem valet ac Fruſtra, vel infeliciter. Significat enim irritos fore conatus impiorum, tametſi omnia moliantur. Ruunt ipſi cæco impetu, ſed ſola Domini manus proſperum dat ſucceſſum. Alludit autem ad id quod prius dictum eſt, Babylonios ad vaſtandam Judæam Deo duce venturos eſſe. Tunc periit populus, quia Deum habuit infenſum: ſed nunc quia abſque Deo, id eſt, ſine ejus auſpiciis ipſum aggredientur hoſtes, pudefacti retro abibunt. Quod mox clarius exprimit, *Qui convenerit in te, contra te cadet*: id eſt, quicquid in te machinatus fuerit, recidet in ejus caput. Etiamſi univerſus in te mundus inſurgat, mole ſua ruet. Notanda eſt particula *in te*. Nam quum Dominus hoſtes noſtros procul arcet, confidimus: quod ſi ad nos uſque perveniant, animum deſpondemus. Ideo dicit, Etiamſi ad viſcera uſque tua penetrarint, perdet eos Dominus, & te eripiet.

Pſal. 2. 1.

16. *Ecce ego creavi fabrum.*] Oſtendit Dominus quam promptum ipſi & facile ſit eripere Eccleſiam à pravis conatibus impiorum. nihil enim poſſunt, niſi quantum iis Dominus permittit, quibus etiam velut inſtrumentis utitur ad caſtigandos ſuos. Cæterum, tam ad Chaldæos, quam ad alios hoſtes qui poſtea moleſtiam exhibuerunt electo populo, referri hoc commode poteſt. Si prior ſenſus placeat, ratiocinatur Deus ſibi in promptu eſſe quos adduxit profligare: & quos extulit, tollere è medio. Si de Antiocho, & ſimilibus intelligas, ſenſus erit non admodum diverſus: hos quoque ſuo arbitrio non nocituros, quia ne digitum quidem movere queant, niſi Dei impulſu. Sed videtur Propheta ſecum pugnare: nam ſuperiore verſu dixit impios oppugnare Eccleſiam abſque Domino: nunc eos velut auſpiciis Dei militare, ut ipſo duce atque auctore vaſtent, atque perdant. Reſpondeo, conſiderandam eſſe antitheſin: quod ſcilicet Dominus excitaſſet Babylonios ad Eccleſiam perdendam. Notanda enim eſt ſimilitudo diluvii, qua extremam internecionem ſignificavit: nam tunc Eccleſia veluti ſubmerſa fuit. ad id Babyloniorum opera uſus eſt. Sed poſthac teſtatur ſe velle moderari iræ ſuæ, ut nunquam ab hoſtibus Eccleſiam ſuam deleri ſinat, tametſi eorum manu ipſam caſtiget. Eo enim tendunt Eccleſiæ hoſtes, omnibuſque viribus id moliuntur, ut Eccleſiam diruant ac evertant: ſed eorum impetus cohibet Dominus, quoniam abſque ipſo, id eſt, ejus injuſſu, id faciunt. Quidam exponunt Fabrum creatum ad opus ſuum, id eſt, ut perniciem ſuam ipſe moliatur. Vaſtatorem autem, ad perdendum ſeipſum. Sed prior ſenſus mihi ſimplicior videtur. Quod autem Dominus ſe *vaſtatorem* creare dicit, non ad naturam modo ſpectat, ut homines naſcantur, ſed ad ipſum vaſtandi actum: neque tamen eſt propterea culpa aſſignanda Deo, quaſi injuſtæ crudelitatis ſit auctor quæ reſidet in ſolis hominibus. Nec enim Deus eorum ſceleſtæ libidini aſſentitur: ſed eorum conatus arcana ſua providentia deſtinat: iiſque, velut inſtrumentis iræ ſuæ utitur. Sed de hac re alibi tractatum eſt.

17. *Omne inſtrumentum.*] Iterum colligit quod jam dictum eſt, impios, tametſi omnia moliantur, nihil effecturos: nam arcano Dei conſilio reguntur eorum impetus ac frenantur. Utitur autem univerſali particula, ſignificans multas & varias impiis ad manum fore rationes, quibus Eccleſiam perdant: ſed inanes atque irritas fore, quoniam ipſos coërcebit Dominus. Ipſis etiam è cælo permitti multum licentiæ ad probandam piorum tolerantiam: ſed ubi Deo viſum eſt, viribus & armis ſpoliari. Poſtquam in genere loquutus eſt de inſtrumentis quibus impii Eccleſiam invadunt, linguam nominatim exprimit, quod telum omnium maxime exitiale ac peſtiferum ſit. Nec enim ſolum Dei ſervos convitiis & calumniis proſcindunt, ſed veritatem Dei extinguunt quantum in ſe eſt, hominumque animos ab ea alienant. quod nobis gravius eſſe debet, quam ſi centies vita eriperetur. Adde quod probis & ingenuis hominibus acerbior eſt contumelia, magiſque vulnerat quam ullus telorum ictus. Hoc igitur lethale inſtrumentum omittendum non fuit. Jam linguas in judicio ſurgere dicens, tanta impios petulantia & audacia præditos eſſe ſignificat, ut filios Dei ultro laceſſant, & moleſtia afficiant. Addit autem id in *judicio* fieri: quia ſpecioſos colores obtendunt, quibus id jure facere videntur. Ut Papiſtæ quum nos hæreticos, ſchiſmaticos & canes vocant, nobiſcum quaſi in judicio contendunt, & patroni veritatis catholicæ haberi volunt, quum mendacia & impios cultus tuentur. Et tamen ejuſmodi coloribus obtectæ ſunt eorum calumniæ, ut ſummam nobis invidiam creent apud eos quibus cauſa noſtra ignota eſt. Sed quamvis & armis & lingua & omnis generis telis nos oppugnent, tamen ſuperiores nos fore vaticinio hoc freti ſperemus. Hic enim promittitur victoria, de qua quum certi ſimus, intrepido nobis atque infracto animo pugnandum eſt. *Hæc hæreditas.* Hoc piis velut hæreditario jure à Domino datum eſſe oſtendit, quo nunquam fraudentur. ut enim nullus eſt certior titulus quam pro hærede: ita nihil certius futurum ſervis Domini fore demonſtrat, quam perpetuam tutelam & conſervationem, qua ipſos adverſus omnia pericula defendet. *Juſtitia* hic accipitur pro Jure, quod vulgo dicimus, *Leur droit*. In ſumma ſignificat Dominum vindicem adfore ſuis, ut eorum innocentiam tueatur. Quoties ergo opprimimur hominum injuria, diſcamus recta ad Dominum confugere. Quod enim alia ſubſidia quærimus, eo fit ut ejus patrocinio & tutela deſtituamur.

CAP. LV.

CAP. LV.

HEus ſitientes omnes, venite ad aquas: & qui non habetis pecuniam, venite,
emite, & comedite. Venite, inquam, emite abſque pecunia, & abſque ullo
pretio vinum & lac.
2. Quare expenditis pecuniam, non in panem? & laborem veſtrum, non
ad ſaturitatem? Audite audiendo me, & comedite bonum, & oblectet ſe in pinguedine
anima veſtra.
3. Inclinate aurem veſtram, & venite ad me: audite, & vivet anima veſtra. Et percutiam
vobiſcum fœdus ſeculi, miſericordias Davidis fideles.
4. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem & præceptorem populis.
5. Ecce gentem quam ignoras vocabis: & gens quæ te non cognovit, current ad te:
propter Jehovam Deum tuum, & Sanctum Iſraël: quia glorificavit te.
6. Quærite Jehovam, dum invenitur: invocate eum, dum prope eſt.
7. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas: revertatur ad Jehovam,
& miſerebitur ejus: ad Deum noſtrum, quia multus eſt ad remittendum.
8. Neque enim cogitationes meæ cogitationes veſtræ: neque viæ veſtræ viæ meæ,
dicit Jehova.
9. Nam quanto excelſiores ſunt cæli terra, tantum ſuperant viæ meæ vias veſtras, &
cogitationes meæ cogitationes veſtras.
10. Certe, quemadmodum deſcendit pluvia & nix è cælis, neque illuc revertitur, ſed
irrigat terram, & eam facit concipere & germinare, ut det ſemen ſeminanti, & panem
comedenti:
11. Sic erit verbum meum quod egredietur ex ore meo, non redibit ad me vacuum,
donec faciat quod volo, & ſucceſſum afferat, quo miſi ipſum.
12. Itaque cum lætitia egrediemini, & cum pace deducemini: montes & colles erumpent
coram vobis in gaudium, & omnia ligna agri plaudent manu.
13. Pro rubo aſcendet abies, & pro [a] urtica [b] myrtus creſcet: & erit Jehovæ in nomen, [a] vel, ſpina. [b] vel, alnus.
in ſignum perpetuum quod non auferetur.

HEus ſitientes.] Hic magnifice commendat Propheta bonitatem Dei, quæ ſeſe in Eccleſiam copioſe & ſolito uberius effuſura erat ſub regno Chriſti, penes quem omnes theſauri gratiæ Dei depoſiti fuerunt. Nam in eo ſe nobis totum expoſuit Deus: ut vere impletum ſit quod dicitur apud Joannem, Nos de ejus plenitudine hauſiſſe omnes, & gratiam pro gratia recepiſſe. (Joan. 1. verſ. 16.) Patres quidem ſub Lege expertes non fuerunt divinæ bonitatis, & ſpiritualis beneficentiæ, cujus hic fit mentio. Quam multa, inquit David, bonitas tua, quæ abſcondita eſt timentibus te! (Pſal. 31. verſ. 20.) ſed eam multo liberalius & munificentius in Chriſto effudit. Eſt igitur inſignis commendatio gratiæ Dei, quæ nobis proponitur in regno Chriſti. neque enim docet Propheta quid ſemel factum ſit, ſed etiam quid quotidie fiat, dum nos Dominus ad fruitionem bonorum omnium doctrina ſua invitat. *Aquarum* nomen alii ad doctrinam Euangelii, alii ad Spiritum ſanctum referunt. ſed neutri, meo quidem judicio, recte ſentiunt. Nam qui intelligunt de doctrina Euangelii, eamque opponunt Legi (de qua Judæi Prophetam hic loqui putant) unam duntaxat partem ejus quod Propheta voluit, comprehendunt. Qui de Spiritu ſancto interpretantur, plus aliquanto coloris habent, ac citant illud Joannis, Si ſcires donum Dei, & quis ſit qui dicit tibi, Da mihi quod bibam: tu petiviſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam. (Joan. 4. verſ. 10.) Ac paulo poſt Chriſtus videtur eſſe hujus loci interpres quum ait, Omnis qui bibit ex hac aqua, ſitiet iterum: quiſquis autem biberit ex aqua quam dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua quam dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Mihi vero dubium non eſt quin Jeſaias hiſce nominibus, Aquarum, Lactis, Vini, Panis, omnia comprehendat quæ ad ſpiritualem vitam neceſſaria ſunt. Nam ſimilitudines ſumptæ ſunt ab alimentis quibus quotidie veſcimur. Ut quemadmodum pane, vino, lacte, & aqua nutrimur, ita animas noſtras doctrina Euangelii, Spiritu ſancto, & aliis Chriſti donis veſci ac ſuſtentari intelligamus. Exclamat autem Propheta, veluti contenta voce, *Heus*: quia tantus eſt hominum torpor, ut difficile ſit admodum ipſos excitari. Inopiam enim ſuam non ſentiunt, tametſi famelici ſint: nec cibum, quo maxime egent, appetunt. Ideo ſtuporem iſtum magnis clamoribus & aſſiduis excuti neceſſe eſt: quo turpior magiſque pudenda eſt eorum pigrities qui ad hanc exhortationem ſurdi ſunt, vel tam acriter ſtimulati, torpori ſuo adhuc indulgent. Generalis porro invitatio eſt: ſicuti nemo eſt qui aquis iſtis non indigeat, & cui Chriſtus neceſſarius non ſit. Itaque omnes promiſcue invitat, nulla habita ratione perſonarum. Verum adeo miſeri ſunt homines, ut quamvis ſe Chriſto egere intelligant, comminiſcantur rationes quibus hoc beneficio privari poſſint, & diabolo varia impedimenta ſubminiſtranti potius quam huic benignæ invitationi credant. Obſervandum igitur quæ ſit vera præparatio ad recipiendam hanc gratiam. Eam autem exprimit quum ait *ſitientes*. Nam qui turgent inani fiducia, & ſaturi ſunt, vel qui terrenis cupiditatibus ebrii non ſentiunt animæ eſuriem, Chriſto locum non dabunt: quia ſpiritualis gratiæ guſtum non habent. Sunt enim iis ſimiles qui alimento egent: ſed quia flatu repleti ſunt, ac tument, nauſeant ad cibum, vel abrepti ſua vanitate, acſi nulla re indigeant, ſtupore ſuo paſcuntur. Ita fit, ut qui turgent ſuperbia aut falſa perſuaſione juſtitiæ ſuæ, vel carnis illecebris non ſecus ac veterno ſunt occupati, gratiam Dei averſentur, vel reſpuant. Sitis ergo, id eſt, ardens in nobis deſiderium requiritur, ut tantorum beneficiorum participes eſſe poſſimus. *Abſque pecunia.* Non intelligit eſſe aliquos qui pecunia abundent, ſed ita reſolvendum, Tametſi egeni ſint, & ſumma laborent inopia, tamen aditum eis patere ad Chriſtum, per quem gratis hæc beneficia præſtantur. Sed qualis, dicet quiſpiam, emptio abſque pretio futura eſt? Reſpondeo,

improprie emptionem vocari rationem qua aliquid comparamus. Et שבר hic pro Comparare accipitur: Pretium autem pro Labore aut Induſtria, aut alia via qua homines aliquid adipiſcuntur. Nos autem inopes ac penitus vacuos eſſe oſtendit: nec quicquam habere quo poſſimus Deum promereri: ſed benigne invitari, ut gratis omnia largiatur abſque ulla compenſatione.

2. *Quare expenditis.*] Conqueritur de hominum ingratitudine & dementia, quod Dei ultro omnia offerentis beneficentiam reſpuant vel faſtidiant: atque interim ſeſe multum torqueant in variis nugis quæ nullum ipſis fructum afferre poſſunt. Sic enim faſcinati ſunt à diabolo homines, ut errare per deſerta, & fruſtra ſeipſos cruciare malint, quam in oblata Dei gratia quieſcere. Satis vero hujus ſeculi experientia docet Prophetam non modo expoſtulaſſe cum gente ſua, ſed in omnes homines, cujuſcunque ſeculi fuerint, invectum eſſe. Omnes enim poſteri Adæ hac dementia abrepti ſunt, ut in quærenda cœleſti vita omnino errent, & vanas opiniones ſuas potius quam Dei vocem ſequantur. Non queritur Propheta de eorum ignavia, qui ſui ipſorum & Dei prorſus obliti, de ſpirituali animæ vita non cogitant: cujuſmodi ſunt permulti: ſed de iis qui vitam quidem appetunt, nec tamen ejus adipiſcendæ rationem aut viam tenent, & incerti per deſerta & invia loca vagantur. Hic ergo damnantur omnes rationes quas excogitant homines extra verbum Domini pro ſalute obtinenda: atque ſumptus inutiles vocantur. Nam *Pecuniæ* nomine, quicquid eſt homini induſtriæ, ſtudii aut laboris, deſignat. non quod unius aſſis æſtimet Deus quicquid fruſtra obtrudimus ad eum colendum: ſed quia labores ſtulte ſuſceptos ſenſus carnis pretioſos ducit. *Non in panes.* Videmus hic Panis nomine idem ſignificari quod prius per Aquas. Item *Laboris* nomine, quod prius Pecuniam dixit. Quaſi diceret, ſine profectu ſatagere homines: quia ubi ſequuntur ſua commenta, quantumvis ſtrenue ſe fatigent ac macerent, nulla ſperanda ſit merces. Ideo ſaturari poſſe negat qui inconſiderate ſatagunt. Qui enim relicto Deo novas ſalutis rationes tentant, nunquam ſatiari
[Hoſ. 12. verſ. 1.] poſſunt. Paſcuntur enim vento, ut inquit Hoſeas. Poterunt quidem ſibi videri ſaturi, quum vana fiducia turgebunt, ſed quemadmodum ii qui vento tumidi non ſentiunt inediam ſuam: atqui præſtaret eos urgeri fame & ſiti, quæ ad invocandum ſerio Do-
[Pſal. 143. verſ. 6.] minum incitaret. Sicuti in Pſalmo dicitur, Anima mea ſicut terra arida coram te. Nec vero ſolus panis aut ſola aqua ad ſatietatem ſufficeret, nec altero eorum vita ſuſtineretur. Propterea variis nominibus uſus eſt Propheta, ut oſtendat omnia quæ ad vitam neceſſaria ſunt à Domino abunde ſuppeditari: ne aliunde ſubſidia nobis quærenda eſſe exiſtimemus. Cæterum, quia ſuo quiſque conſilio trahitur in errorem, & præterito Deo evaneſcunt omnes in perverſis ſtudiis, hic remedium ſubjicit Propheta: nempe, ut toti pendeamus ab ore Dei. Quiſquis enim ſe ejus verbo ſubjiciet, verendum non erit ne in rebus nihili operam ſuam conſumat. Perſpicitur autem hic mira bonitas Dei, gratiam ſuam, tametſi ingratis & indignis hominibus, offerentis. Sed adjungit conditionem. nec enim aliter ad vitam ingreſſus patet, quam ſi ipſum audiamus. Atque ut exitii noſtri cauſa eſt, quod obſurdeſcimus ad verbum Dei: ita aditus ad vitam patet, ſi aures ei accommodemus. Eandem autem monitionem repetit, quo magis commoveat, atque idem verbum ingeminat, Audite audiendo. Et quo nos blandius alliciat, teſtatur non niſi per nos ſtare quominus ad ſatietatem uſque omni bonorum copia nos oblectet.

3. *Inclinate aurem.*] Clarius ex hac verborum congerie patet quod nuper attigi, Deum ſcilicet nihil omittere, quo noſtram cunctationem corrigat & excitet. Quanquam ſubeſt objurgatio, quia nimis ſocordes eſſe oportet qui tam benigne vocati non ſtatim obtemperant. Inſignis locus, ex quo apparet totam felicitatem noſtram in eo ſitam eſſe, ſi verbo Dei pareamus. Quum ſic loquitur Deus, hunc finem propoſitum habet, ut nos ad vitam adducat. Culpa igitur penes nos ſolummodo hæret, quia ſalutare & vivificum hoc Verbum negligimus. Cæterum ſi tantummodo præciperet Deus quid agendum ſit, obtinendæ vitæ rationem præſcriberet ipſe quidem, ſed abſque utilitate. Lex [2 Cor. 3. verſ. 7.] enim ex ore Dei profecta, miniſtra eſt mortis: ſed quum nos ad ſe invitat, quum adoptat in filios, quum remiſſionem peccatorum & ſanctificationem promittit, hinc fit ut qui audiunt, vitam ab ipſo obtineant. Conſideranda eſt igitur doctrinæ ſpecies quæ vitam continet, ut ſalutem inde noſtram petamus. Hinc colligimus nullam eſſe ſpem ſalutis, niſi Deo & ejus verbo obſequamur. Atque hinc convincitur omne humanum genus, ut nullam poſſit ignorantiæ excuſationem obtendere. nam qui audire non dignatur, nihil firmi ad cauſæ ſuæ patrocinium afferre poteſt. Hæ vero, ut dixi, repetitiones patientiam Dei in nobis vocandis exprimunt. Nos enim haud ſemel invitat: ſed ubi tardos eſſe videt, iterum atque iterum monet, ut duritiem noſtram pervincat. Non rejicit ergo protinus eos qui ipſum reſpuunt, ſed poſtquam ſæpius invitavit. Exprimitur etiam hic fidei natura, quum nos ad ſe venire jubet. Sic enim audiendus eſt Dominus, ut fructus ſequatur. nam qui fide verbum Dei percipiunt, abjectis cupiditatibus, & contempto mundo, quaſi ruptis vinculis, ad Deum alacres & prompti accedunt. Sed fides concipi non poteſt ſine auditu, hoc [Rom. 10. verſ. 17.] eſt, ſine intelligentia verbi Dei. Ideo prius audire quam accedere juſſit. Quoties igitur fidei mentio fiet, meminerimus eam cum Verbo conjungendam eſſe, in quo fundamentum ſuum habet. *Et percutiam.* Quæritur, annon prius Judæi fœdus cum Deo æternum inierant? Videtur enim novum quiddam & inſolitum promittere. Reſpondeo, nihil hic promitti novi, quod antea Deus cum populo non pepigiſſet: ſed renovatio fœderis & confirmatio eſt, ne Judæi ob diuturnum exilium fœdus Dei irritum eſſe exiſtimarent. Nam quum exularent à regione ſibi promiſſa: quum templo, ſacrificiis, atque omnibus fœderis notis, præter Circumciſionem, carerent: quis de illis actum eſſe non judicaſſet? Hanc ergo loquendi formam Jeſaias ad populi captum accommodavit: ut pactum quod Deus cum Patribus inierat, ratum, firmum, atque æternum, non mutabile aut temporale eſſe intelligerent. Idem intelligit per miſericordias Davidis, ſed hac voce gratuitum eſſe fœdus admonet: quia non alibi fundatum eſt quam in mera Dei bonitate. Quoties ergo fœderis nomen occurrit in Scripturis, ſimul nobis gratiæ nomen in mentem venire debet. In hac vero ſe veracem fore pronunciat: & ſimul oblique ſignificat ſe veracem ac conſtantem eſſe: nec argui poſſe mendacii, quaſi fœdus ſuum violarit: Judæos potius fœdifragos eſſe & perfidos, quoniam ab ipſo deſciverunt: ſe vero pacti aut promiſſi ſui pœnitere non poſſe. *Davidis* vocat, quoniam hoc fœdus cujus nunc ſolennis confirmatio fit, in manu Davidis percuſſum erat. Pepigit quidem Dominus cum Abrahamo, deinde [Gen. 15. verſ. 5. & 17: 7.] per Moſen confirmavit, poſtremo in manu Davidis ſanxit hoc idem fœdus, ut æternum eſſet. [Exod. 2. verſ. 24. & 33: 1.] Quoties ergo Judæi de redemptore, hoc eſt, de ſalute ſua cogitabant, memores eſſe Davidis, quaſi interpretis gerentis perſonam Chriſti, oportuit. [2 Sam. 7. verſ. 12.] Nec enim David ut privatus quiſpiam, ſed cum eo titulo & perſona hic conſiderandus eſt. Interim tenenda eſt illius temporis ratio. nam quum in exilio Babylonico extincta eſſet Regni dignitas, & obſcurum

ſcurum ac vile nomen Regii generis, per illius familiæ ruinam videri poterat collapſa eſſe Dei veritas: ideo ſolium Davidis quod dirutum fuerat, fide inſpicere jubet.

4. *Ecce teſtem.*] Nunc melius exprimit Propheta cur Davidis meminerit: nempe quod in ejus manu depoſita fuerat promiſſio de venturo redemptore. ac poſſet quidem ad illius perſonam aptari hic ſermo, quatenus fœderis ſponſor fuit: quia proprium negotium non egit: ſed interpoſitus fuit quaſi Dei & populi interpres. minime tamen dubium eſt quin ad Chriſtum recta nos ducat Jeſaias, ad quem facilis fuit tranſitus à Davide: acſi diceret, Prodibit ille Davidis ſucceſſor, per cujus manum promiſſa eſt perfecta ſalus ac felicitas. Teſtem vocando, fœdus quod iniit, verum & ratum in Chriſto fore ſignificat. Subeſt autem pondus in nomine Teſtis. nam hujus fœderis comprobationem in Chriſto fore demonſtrat, à quo veritas Dei patefiet. Teſtabitur enim Deum minime fallacem eſſe: ſed hoc teſtimonium in doctrina poſitum eſt: quæ ſi non accederet, parum fructus perciperemus ex adventu Chriſti: ſicut dicitur Pſalmo ſecundo, Promulgabo edictum.
Supra 49. verſ. 2. Quo ſenſu etiam alibi dixit idem Jeſaias, Chriſto os fore inſtar gladii vel ſagittæ. Ideoque *ducem* & *præceptorem* fore addit, quo attentionem ejus doctrinæ conciliet: quia niſi loquentem audiamus, certaque fide amplectamur quod nobis affirmat de Patris beneplacito, exinanitur ejus virtus. ſicuti nomen Chriſti ſatis perſonat in Papatu: ſed quum eo doctore & præceptore uti nolint, nec eum præterquam ex ſolo nomine agnoſcant, inanis & vana eſt eorum jactatio. *Populis.* Hoc ad amplificationem additum eſt, quia Eccleſia in priſtinam dignitatem reſtitui non potuit, nedum augeri, niſi collectis Gentibus: ideoque vocem Chriſti penetrare oportuit uſque ad ultimas terras: quia univerſo generi humano teſtis, dux & præceptor eſt conſtitutus.

5. *Ecce gentem.*] Fuſius explicat Jeſaias quod prius attigit uno verbo. Ducem enim Chriſtum fore ſignificat, non unius populi, ſed cunctorum. *Vocare*, hic poſſeſſionem deſignat. Eſt enim mutua relatio inter Vocandi & Reſpondendi verbum. Vocat igitur Chriſtus pro imperio, ut qui poteſtate ſumma præditus eſt. vocat autem Gentes, ut eas in ordinem cogat, & ſubjiciat verbo ſuo. Præſto autem ad obſequium fore dicit, quamvis hactenus ignotæ fuerint. non quod eas Filius Dei, per quem creatæ fuerant, neſcierit, ſed quia habita non fuit earum ratio donec cenſeri in Eccleſia cœperunt. Deus enim peculiariter vocaverat Judæos: Gentes excluſæ videbantur, quaſi nihil ad ipſum pertinerent. Nunc vero Chriſtum alloquens, promittit fore ut eas ſibi obtemperare cogat, quantumvis alienæ prius ab ejus imperio fuiſſent. Hoc idem in progreſſu apertius declarat, ubi etiam ad numerum pluralem tranſit, quo melius exprimat ex variis populis collectum iri Eccleſiam, ut qui prius diſperſi erant, in unum coëant. nam Currendi verbum ad fidei conſenſum refertur. Alio autem ſenſu nunc dicit Gentes ignoraſſe Chriſtum, quam nuper dixerat Chriſto fuiſſe ignotas. proprie enim profanis omnibus & incredulis tribuitur ignorantia: quia cæleſtis doctrinæ luce privantur, ſine qua non poteſt Dei notitia haberi. Quamvis enim omnium animis naturaliter impreſſa ſit notitia Dei, tamen adeo confuſa & obſcura eſt, variiſque deliriis involuta, ut niſi accedat lux Verbi, Deum noſcendo non agnoſcant, ſed miſere errent in tenebris. Hic habemus inſigne Dei teſtimonium de vocatione Gentium, quibus Chriſtus non minus quam Judæis deſtinatus eſt. Unde etiam colligimus Deum habere curam noſtri, ſi ſub imperium ejus redacti ſimus, nec ſolum eam curam quam de omnibus creaturis, ſed qualem pater pro filiis habet. Quanquam ſub voce Curſus melius exprimitur efficacia hujus vocationis. Hic enim finis eſt, ut pareamus Deo, ut prompto & alacri animo ſiſtamus nos coram ipſo dociles, paratoſque ad excipiendum quemlibet ejus nutum: quemadmodum Paulus *Rom. 1. verſ. 5. & 16. verſ. 26.* Rom. 1. & ultimo, finem vocationis noſtræ obedientiam eſſe oſtendit. Sed quia longiſſime diſtabant Gentes à Deo, oportuit ſtrenue eniti ut abruptis omnibus impedimentis ad eum rurſus accederent. *Propter Jehovam.* Oſtendit unde ſit hæc promptitudo & celeritas: nempe, quia Gentes intelligent negotium ſibi cum Deo eſſe. Nam ſi Chriſtum ut hominem ſolummodo conſideremus, non multum movebimur ejus doctrina: ſed quum apprehendimus in ipſo Deum, miro ardore inflammamur. Deſcribitur autem hic nobis Chriſtus tanquam miniſter deſtinatus à Deo, ut opus ejus perficiat. Induit enim perſonam ſervi ſimul cum carne noſtra: atque hoc reſpectu non abſurde quaſi unus ex aliorum numero ſubjicitur Patri. Cæterum memoria tenendum eſt quod jam ſæpius vidimus de capitis & membrorum conjunctione: quia ad totum corpus pertinet quod de Chriſto nunc dicitur. Ideoque glorificatio toti Eccleſiæ communis eſt. Quanquam primatum ſemper obtinet Chriſtus, qui in ſublime evectus, ſupra totum mundum eminet, ut ad eum concurſus fiat omnium Gentium. In ſumma, oſtendit homines ideo parere Chriſto, & doctrinæ ejus ſe ſubjicere, quod Deus ipſum extulerit, & ejus excellentiam cunctis mortalibus velit notam eſſe. Parum enim alioqui prodeſſet Euangelii prædicatio, niſi Deus per Spiritum doctrinæ ſuæ vim & efficaciam daret.

6. *Quærite Jehovam.*] Poſtquam concionatus eſt de profectu Euangelii inter Gentes, quæ prius alienæ fuerant à regno Dei, ſtimulat Judæos, ut ipſos pudeat currentibus aliis deſidere. Nam quum vocati ſint priore loco, poſtremos eſſe turpe eſt. Hæc igitur exhortatio proprie ad Judæos pertinet, quibus proponitur Gentium exemplum, ut ipſas æmulentur. quemadmodum etiam Dominus prædixerat *Deut. 32. verſ. 21.* ſe ad æmulationem Judæos per gentem ſtultam provocaturum eſſe. Tempus inveniendi non prorſus ita capitur ut Pſalmo 32. ſed quo ſeſe Deus offert, ſicut *Pſal. 32. verſ. 6.* alibi certum beneplacito ſuo & ſaluti diem præfixit. Quanquam facile admitto, ſimul etiam notari tempus, quo neceſſitas urget ad expetendum Dei auxilium. ſed illud præcipue tenendum eſt, opportune quæri Deum, ubi ultro prodit obviam: quia torpidi & ignavi fruſtra deflebunt ſe gratia quam reſpuerint privatos eſſe. Tolerat aliquandiu Dominus tarditatem noſtram, & nos ſuſtinet: ſed ſi tandem nihil proficiat, recedet, atque alio transferet gratiam ſuam. Quamobrem admonet Chriſtus am- *Joan. 12. verſ. 35.* bulandum eſſe quum dies eſt: venturam enim eſſe noctem, qua facultas itineris faciendi nobis auferetur. Eximiam hinc conſolationem percipere debemus, quum audimus non fruſtra à nobis Deum quæri. Quærite (inquit Chriſtus) & invenietis: pulſate, & *Mat. 7. verſ. 7.* aperietur: petite, & dabitur vobis. Poteſt hic Invocandi verbum generaliter accipi: ſed mihi videtur quærendi Dei ſpeciem deſignare, quæ inter alias præcipua eſt, acſi juberet votis & precibus ad eum confugere. Prope autem eſſe dicit, dum apertis foribus ad ſe familiariter invitat: vel prodit in medium, ne per longos circuitus quærendus ſit. *Dum prope eſt.* Tenenda autem eſt Pauli definitio, qui *Rom. 10. verſ. 8.* Euangelii prædicationem notari docet. Prope enim *Philip. 4. verſ. 5.* eſt Dominus, & ſe nobis offert, quum perſonat vox Euangelii. nec eſt procul quærendus, nec longa circuitione opus eſt, quali infideles utuntur. Offert enim ſeſe Verbo ſuo, ut nos viciſſim ad ipſum accedamus.

7. *Derelinquat.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam. nam quum prius ad recipiendam Dei gratiam homines vocaverit, nunc ejus recipiendæ modum

plenius deſcribit. Scimus enim ut hypocritæ plenis buccis Deum inclament quoties levationem expetunt in ſuis malis, interim pervicacia ſua animos obſerent. Ergo ne fucum faciant Judæi in quærendo Deo, ad ſinceram pietatem eos hortatur. unde colligimus pœnitentiæ doctrinam cum promiſſione ſalutis perpetuo conjungendam eſſe: quia non aliter poſſunt homines guſtare bonitatem Dei, quam ſi diſpliceant ſibi in peccatis ſuis, ſibique & mundo renuncient. Nec vero quiſquam Deo reconciliari & remiſſionem peccatorum conſequi ſerio appetet, niſi qui vero reſipiſcendi ſtudio tactus fuerit. Tribus autem loquendi formis naturam pœnitentiæ declarat: Derelinquat impius viam: deinde, Vir iniquus cogitationes ſuas: tertio, Revertatur ad Dominum. *Viæ* nomine totam vitæ rationem comprehendit, atque ita exigit, ut fructus juſtitiæ proferant novitatis ſuæ teſtes. Addendo *cogitationes*, ſignificat non ſolum externos actus corrigendos eſſe, ſed ab animo initium eſſe faciendum. Nam etſi opinione hominum rationem vitæ in melius mutare videamur, exiguus tamen erit profectus, niſi animus mutetur. Itaque pœnitentia totius hominis immutationem continet. In homine enim affectus, conſilia, ac deinde opera conſideramus. Apparent hominibus opera: radix vero intus latet. Hanc primum mutari neceſſe eſt, ut deinde opera fructuoſa edere poſſit. Primum à mente abſtergere convenit omnem immunditiem, & excutere pravas affectiones, ut externa deinde teſtimonia accedant. Quod ſi quiſpiam ſe mutatum jactet, atque interim ſuo more vivat, inanis gloriatio erit. Utrumque enim requiritur: nempe Converſio mentis, & Vitæ mutatio. Porro non ante jubet Deus ad ſe reverti quam defectioni adhibuerit remedium. Libenter enim ferrent hypocritæ laudari quod rectum eſt, modo liberum eſſet in ſordibus torpere. Atqui nihil nobis cum Deo eſſe poteſt niſi à nobis diſcedimus, præſertim ubi alienati ſumus impio diſſidio. Quare ordine præcedit noſtri abnegatio, ut nos Deo addicat. *Miſerebitur*. Diligenter notandus eſt hic contextus. oſtendit enim homines non aliter quam propoſita veniæ fiducia, ad pœnitentiam adduci poſſe. Quiſquis igitur pœnitentiæ doctrinam urget, prætermiſſa Dei miſericordia & gratuita reconciliatione, operam ludit. quemadmodum Papiſtici doctores videntur ſibi optime functi officio, quum in id multum inſtiterunt: & tamen de hac pœnitentiæ doctrina balbutiunt & nugantur. Sed quamvis veram pœnitendi rationem docerent, tamen id parum prodeſſet, quum omittant fundamentum de gratuita venia, quo ſolo pacari conſcientiæ poſſunt. Et ſane, ut alibi dictum fuit, ſemper conſpectum Dei fugiet peccator quamdiu ad reddendam vitæ rationem trahetur ad ejus tribunal, nec unquam, niſi animo pacato, ad timorem & obſequium manſueſcet. Jam quia difficile eſt terrore eximere pavidas mentes, à natura Dei ratiocinatur Jeſaias, exorabilem fore & propitium. Ideo autem Spiritus ſanctus inſiſtit in hanc doctrinæ partem, quod ſemper dubitemus an Deus ignoſcere nobis velit. Tametſi enim aliquid cogitemus de ejus miſericordia, tamen certo nobis perſuadere non audemus eam ad nos pertinere. Non fruſtra igitur hoc membrum additum eſt: ne de immenſa ejus erga nos clementia incerti ac dubii remoram patiamur.

8. & 9. *Neque enim cogitationes meæ.*] Varie exponitur hic locus. Exiſtimant nonnulli hic hominum vitam in univerſum damnari: ne ſibi in ea placeant, aut vitiis ſuis adulentur. nec enim aliter ad Deum acceſſus patet, quam ſi inanem de noſtra juſtitia perſuaſionem tollamus. nec certe expetuntur medici, niſi ab iis qui gravi dolore morbi premuntur, ut una cum ſanitate remedia quoque appetant. Itaque hunc locum comparant cum Chriſti dicto apud Lucam: [*Luc. 16. verſ. 15.*] Quod altum eſt hominibus, abominationem eſſe coram Deo. Sed alius mihi videtur Prophetæ ſenſus. Et rectius, meo judicio, exponunt alii, qui affectum Dei ab humano affectu diſtingui putant. Nam homines Deum ex ſeipſis æſtimare ſolent, ac metiri: quoniam irritabiles ſunt eorum animi, & difficillime placantur. Itaque ſe Deo reconciliari non poſſe exiſtimant, ubi ſemel ipſum offenderunt. At Dominus ſe ab hominibus longe diſſimilem eſſe oſtendit: perinde acſi diceret, Non ſum homo mortalis, ut me durum & implacabilem vobis præbeam. Cogitationes meæ longe diverſæ ſunt à veſtris. Si eſtis inexorabiles, & ægre reditis in gratiam cum iis à quibus injuriam accepiſtis, non ſum veſtri ſimilis, ut me tam inhumanum præſtem. Huic optime convenit locus ille Davidis, [*Pſal. 103. verſ. 11.*] ubi miſericordiam Dei deſcribens, tanto excellentiorem eſſe ait, quanto cæli celſiores ſunt terra. quamvis enim illic diverſa ſit applicatio, tamen eodem ſpectat. Denique nihil clementius Deo, nihil ad ignoſcendum propenſius eſt: ita ut noſtræ ſolummodo diffidentiæ imputandum ſit, ſi veniam ab ipſo non impetramus. Nihil autem eſt quod magis turbet conſcientias noſtras, quam ſi Deum ſimilem noſtri eſſe exiſtimemus. Sic enim fit ut non audeamus ad ipſum accedere, ac fugiamus eum velut hoſtem, nec unquam quieti ſimus. Falſam vero idæam, & penitus alienam à Dei natura concipiunt qui ipſum modulo ſuo metiuntur: nec certe graviorem ipſi injuriam inferre poſſunt. Annon pudet homines pravis cupiditatibus corruptos ac refertos, excelſam Dei & incorruptam naturam cum ſua conferre, ac reſtringere quod immenſum eſt ad anguſtias, quibus ſe miſere conſtringi ipſi quoque ſentiunt? Quo enim ergaſtulo arctius includi quiſque noſtrum poſſet quam propria infidelitate? Hic ſimplex ac purus mihi videtur Prophetæ ſenſus. Nec tamen nego quin alludat interea ad vitam hominum, quales prius deſcripſit. In ſumma, ſignificat homines ſui oblivиſci debere, quum ad Deum converti volunt. nullum autem majus impedimentum aut pernicioſius afferri poteſt, quam ſi Deum inexorabilem eſſe exiſtimemus. Tollenda igitur ex mentibus noſtris hæc vana imaginatio eſt. Cæterum, hinc etiam apparet quantopere aberrent qui abutuntur clementia Dei, ut majorem inde peccandi licentiam captent. Sic enim argumentatur Propheta, Reſipiſcite, derelinquite vias veſtras: quoniam immenſa eſt miſericordia Dei. Quod enim deſperent homines, aut dubitent de obtinenda venia, nequiores atque pervicaciores reddi ſolent: guſtus vero miſericordiæ ipſos allicit ac convertit. Sequitur ergo, miſericordiæ participes non eſſe qui non deſinunt ſcelerate vivere, nec animo immutantur.

10. *Certe, quemadmodum.*] Poſtquam de tenerrimo Dei erga nos affectu, & incredibili indulgentia diſſeruit, rurſus in medium affert promiſſiones, quibus freti nihil eſt quod vereamur ſupra mala omnia emergere. Parum enim prodeſſet nobis ſermonem haberi de natura vel arcano conſilio Dei, niſi ad Verbum, quo ſe patefacit, revocaremur. Deus autem aperte nobis loquitur, ita ut longius inquirere operæpretium non ſit. Ad Verbum igitur veniendum eſt, in quo non obſcure voluntas ejus declaratur: modo intra has metas ſe contineant omnes ſenſus noſtri. Suſpenſi enim alioqui hæremus, ac ambigimus quid de nobis conſtitutum ſit, etiamſi centies Dominus ſe hominibus longe diſſimilem eſſe dicat. Ut enim id fateantur homines, volunt tamen de ſe & ſalute ſua certi eſſe. Propterea diligenter notandus eſt ordo quem Propheta tenet. Sic etiam Moſes [*Deut. 30. verſ. 12.*] populum ad Verbi notitiam revocabat, Ne dicas, Quis aſcendet in cælum, aut quis in abyſſum deſcendet? Prope eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo. Hoc eſt verbum fidei (inquit Paulus) quod prædicamus. [*Rom. 10. verſ. 8.*] Utitur comparatione ſumpta ex quotidiano uſu,

uſu, & miræ appoſita. Nam ſi in pluvia, quæ terram irrigat ac fœcundat, magnam efficaciam videmus, multo majorem in Verbo ſuo Deus exeret. Pluvia enim caduca & corruptioni obnoxia: Verbum æternum, immutabile & incorruptibile eſt, nec poteſt inſtar pluviæ evaneſcere. Ut melius Prophetæ verba intelligamus, tenendus eſt finis in quem ſpectat. Dubitant homines an reipſa facturus ſit Deus quod promittit Verbo. nos enim Verbum, velut in aëre ſuſpenſum, ſine effectu conſideramus. Quam indignum hoc ſit, demonſtrat ex ipſo ordine naturæ. minus enim tribui Verbo quam mutæ creaturæ, abſurdiſſimum eſt. Itaque docet, Verbum nunquam carere ſuo effectu. Quidam intelligunt prædicationem Euangelii nunquam inanem eſſe, quin fructum aliquem producat. quod quidem per ſe verum eſt: operatur enim Dominus per Spiritum ſuum, & incrementum dat, ne inanis ſit miniſtrorum labor: ſed aliud voluit Propheta. nempe Deum non fruſtra jactare aut in aërem ſpargere promiſſiones ſuas: ſed nos earum tandem fructum percepturos, ſi modo ipſi incredulitate noſtra non obſtemus. Duos autem commemorat effectus quos producit Aquæ pluviæ irrigatio, quæ terram fœcundat. primum, ut homines abundent cibo quo ſe ſuſtentent: deinde, ut ſit etiam unde feratur in ſequentem annum. Si igitur in rebus caducis tanta eſt Dei virtus, quid de Verbo cenſendum eſt?

1 Cor. 3. verſ. 7.

11. *Sic erit verbum.*] Sic egreditur verbum ex ore Dei, ut ſimul ex ore hominum egrediatur. Nec enim loquitur palam è cælo Deus, ſed hominibus tanquam organis utitur, ut eorum miniſterio voluntatem ſuam declaret. Sed melius aſſeritur promiſſionum auctoritas, ubi ex ſacro Dei ore prodire audimus. Quamvis ergo teſtes adhibeat è terra, pronunciat quicquid promiſerint firmum & ratum fore: ac quo melius vim & efficaciam prædicationis mentibus hominum infigat, non temere ſemen illud pretioſum ſe projicere admonet, ſed deſtinare in certum uſum: ideoque non eſſe ambigendum de effectu. nihil enim proclivius eſt, quam ut Deum ex ſe æſtiment mortales, ut fidem abrogent ejus voci. Sæpius ergo repetenda hæc doctrina, atque inculcanda fuit: ut Deum facturum intelligamus quod ſemel loquutus eſt. Quum igitur promiſſiones Dei audimus, in iis perſpiciendum ejus conſilium eſt: ut quum promittit gratuitam peccatorum remiſſionem, nos per Chriſtum reconciliari non dubitemus. quemadmodum vero efficax eſt verbum Dei in ſalutem piorum, ita ſatis efficaciæ habet ad impios damnandos. Quemadmodum etiam docet Chriſtus, Sermo quem loquutus ſum, ille judicabit eos in extremo die.

Joan. 12. verſ. 48.

12. *Itaque cum lætitia.*] Concludit Propheta argumentum hujus capitis. quod enim de clementia Dei concionatus eſt, eo ſpectabat, ut perſuaſum haberent Judæi, Dominum ipſos liberaturum. Nunc ad inſtitutum ſuum accommodat quod de immenſa Dei bonitate diſſeruit: atque oſtendit ejus cogitationes ab humanis longe diſſimiles eſſe. Atque hæc vera docendi ratio eſt, nempe ut generales ſententias in præſentem uſum accommodemus. Denique agit de populi reſtitutione, quæ ex gratuita Dei miſericordia pendebat. Per *montes & colles* ſignificat omnia quæ in itinere obvia erunt, tametſi alioqui noceant, adjumento futura iis qui Jeroſolymam redibunt. Sunt enim ſimilitudines quibus oſtendit omnes creaturas annuere voluntati Dei, applaudere, & conferre opem ſuam, ut opus ejus promoveant. Alludit autem ad Ægyptiacam liberationem, ut moris eſſe ſolet Prophetis. Sic enim deſcribitur Pſal. 114. Montes exilierunt ut arietes, & colles ut agni ovium. Quid eſt tibi, ô mare, quod fugiſti: & Jordanis, quod actus es retrorſum? Nam quum reſtitutio Eccleſiæ ſit veluti renovatio totius orbis, cælum & terra, quaſi converſo ordine, immutari dicuntur. Hoc vero totum ex prioribus vaticiniis pendebat, quibus jam facta ſpes fuerat reditus.

Exod. 14. verſ. 22. Pſal. 114. verſ. 4. Joſua 3. verſ. 16.

13. *Pro rubo.*] Extollit adhuc potentiam Dei, quæ in reſtitutione populi conſpicua futura erat. Talem enim docet converſionem fore, ut facilis ad reditum via pateat. Nonnulli allegorice exponunt: ac Rubos accipiunt pro hominibus qui nocere ſtudent, atque alios pungunt: hos futuros *Abietes*, id eſt, frugiferos & utiles proximo: ſed nimis arguta eſt ejuſmodi interpretatio. Quod autem hæc ad regnum Chriſti pertinere, ideoque ſpiritualiter intelligenda eſſe dicunt, ego fateor. Nam initium facit Propheta ab egreſſu è Babylone, & totum Eccleſiæ ſtatum comprehendit, uſque dum Chriſtus mundo manifeſtatus eſt. Sed non propterea convenit illa allegoria: quia de exitu è Babylone loquitur, quem ut patefaciat ſuis Dominus, ſe impedimenta omnia ſublaturum, atque omnis generis adminicula ſuppeditaturum dicit, ut nihil incommodi ſuſtineant. Eodem modo quum Chriſtus redemptionis beneficium promittit, ſimul omnia tollit quæ nocitura atque impedimento futura erant: imo convertit in alium uſum & penitus contrarium, ut ex iis etiam fructum aliquem percipere liceat. Piis enim omnia in bonum cedunt: ac noxiis alioqui exitialibus velut remediis utitur Deus ad ipſos purgandos, ne ſint addicti mundo, ſed alacriores & promptiores ad ejus cultum reddantur. Quum dicit Deo fore *in nomen*, oſtendit quis ſit finis reſtituendæ Eccleſiæ: nempe ut nomen Dei inter homines magis eluceat, ejuſque memoria floreat, ac conſervetur. Ideo & ſignum perpetuum addit, id eſt, monumentum: & quemadmodum vulgo dicimus, memoriale: quod tametſi Eccleſia fluctuet atque agitetur variis modis inter has tempeſtates, tamen quia Dominus perpetuam nominis ſui memoriam eſſe vult, eam tuebitur ac defendet.

Rom. 8. verſ. 28.

CAP. LVI.

SIc dicit Jehova: Cuſtodite judicium, & facite juſtitiam: quoniam propinqua eſt
ſalus mea, ut veniat: & juſtitia mea, ut reveletur.
2. Beatus homo qui fecerit hoc, & filius hominis qui hoc apprehenderit: cu-
ſtodiens ſabbathum, ita ut non violet illud: & cuſtodiens manum ſuam, ut ab omni
malo abſtineat.
3. Et ne dicat filius alienus aggregatus ad Jehovam, dicendo, Separando ſeparavit me
Jehova à populo ſuo: & ne dicat eunuchus, Ego ſum lignum aridum.
4. Quoniam ſic dicit Jehova eunuchis qui cuſtodiunt ſabbatha mea, & eligunt quæ
mihi placent, atque apprehendunt fœdus meum:
5. Dabo eis in domo mea & intra muros meos locum, & nomen melius quam filiorum
& filiarum: nomen perpetuum dabo ei, quod non delebitur.
6. Filios, inquam, alieni, qui aggregati erunt ad Jehovam, ut miniſtrent ei, & dili-
gant nomen Jehovæ: ut ſint illi in ſervos, quiſquis cuſtodierit ſabbathum, ita ut non pro-
fanet illud, & amplexus fuerit fœdus meum.

7. Hos

7. Hos adducam in montem ſanctitatis meæ: & lætificabo eos in domo orationis meæ: Holocauſta eorum & ſacrificia grata erunt in altari meo: quoniam domus mea, Domus orationis vocabitur cunctis populis.

8. Dicit Dominus Jehova, qui congregat expulſos Iſraël: Adhuc congregabo ſuper eum congregatos ejus.

9. Omnes beſtiæ agri venite ad devorandum, omnes beſtiæ ſylveſtres.

10. Speculatores ejus cæci, omnes neſcierunt, omnes canes muti, neſciunt latrare, jacentes dormiunt, amant dormitationem.

11. Et canes illi anima fortes neſciunt ſaturitatem: paſtores ipſi neſciunt, nec intelli-
* vel, ſua. gunt: univerſi reſpiciunt ad vias ſuas: quiſque ad commodum ſuum à fine * ejus.

12. Venite, accipiam vinum, potabimus ſiceram: & erit ſicut hodie, ita craſtinus dies, vel major, excellentior multo.

SIc dicit Jehova.] Inſignis eſt hic locus, quo oſtendit Propheta quid Deus à nobis poſtulet, ſimulac favoris ſui ſigna profert, vel exorabilem ſe nobis fore promittit, ut certa ſit reconciliatio. Exigit enim à nobis ejuſmodi converſionem quæ mentes noſtras & animos immutet, ut derelicto mundo in cælum aſpirent. Deinde ſimul requirit fructus pœnitentiæ. *Judicii* & *juſtitiæ* nomine omnia charitatis officia comprehendit, quæ in eo conſiſtunt, ut non tantum abſtineamus ab injuria, ſed etiam ut ope noſtra proximos juvemus. Atque hæc poſterioris Tabulæ ſumma eſt: in cujus obſervatione, pietatis (ſiqua in nobis eſt) teſtimonium reddimus. Ideoque nos ſemper ad eam revocant Prophetæ: quoniam melius ex ea deprehenditur quales ſimus, & cognoſcitur vera integritas, quum hypocritæ in ceremoniis, ut alibi viſum eſt, fucum ſæpe faciant. Rationem autem reddit, ac ſimul fontem & cauſam deſignat, cur omnes ad vitæ novitatem accingi æquum ſit: quia enim juſtitia Domini ad nos appropinquat, ideo nos quoque viciſſim accedere debemus. Juſtum autem ſe Dominus vocat, & juſtitiam appellat ſuam: non quod eam in ſe incluſam habeat, ſed quod eam in homines diffundat. Similiter & *ſalutem* vocat ſuam, qua homines liberat ab exitio. Etſi autem ad Judæos habitus fuit hic ſermo, ut ſincero cordis affectu, & integritatis ſtudio gratos ſe Deo redemptori oſtenderent, ad nos tamen communiter ſpectat. Totus enim mundus in ſe periit, niſi ſalutem recuperet ab uno Deo. Notanda eſt igitur iſta exhortatio, qua docemur nos eo magis incitari debere ad pietatis ſtudium, quo propiores
Rom. 13. verſ. 12. Deo ſumus. Unde etiam admonet Paulus, Abjicite opera tenebrarum: induite arma lucis, quia propior eſt ſalus noſtra quam putavimus.

2. *Beatus.*] Beatos vocans qui doctrinam hanc amplexi Deo ſe addicunt ad rectitudinem colendam, oblique ſubindicat multos fore ſurdos vel indociles: ſed ne eorum pravitas vel ſocordia cunctationem electis afferat, exhortationem quam poſuit commendat à fructu. Ergo ut omni mora valere juſſa celeriter ad juſtam vitam ſe comparent fideles, exclamat felices eſſe quibus ita ſapere datum fuerit. Diximus proximo verſu Juſtitiæ & Judicii vocibus ſecundæ Tabulæ officia contineri: hic vero Sabbathi mentionem facit, quod ad primam Tabulam ſpectat. Reſpondeo, quemadmodum prius attigi, eos qui innocenter ac pie cum proximis vivunt, teſtari ſe Deum colere. non eſt igitur mirum Prophetam, ubi poſteriorem attigit Tabulam, prioris quoque mentionem facere: quoniam utraque ſimul conjungi debet. In ſumma ſignificat Jeſaias eum qui ſe Deo ſubjiciet, ut integre Legem obſervet, beatum fore. nam ad illum ſalus & juſtitia Dei pertinebunt. Quum vero temere vagentur homines in ſtudiis ſuis, & varias ineant rationes quibus ſe applicent Deo, unicam tantummodo eſſe oſtendit: nempe quum homines vitam ſuam ad præſcriptum Legis componere & formare ſtudent: nam alioqui fruſtra ſeſe aliis in rebus fatigabunt. Denique inſignis eſt hic locus, quo oſtenditur nihil Deo præter Legis obſervationem placere. Si quæratur an homines ſuis operibus juſtitiam & ſalutem conſequi poſſint, facilis erit reſponſio: nec enim offert nobis ſalutem Dominus, quaſi meritis noſtris præventus ſit, (nam potius ab ipſo prævenimur) offert ſeſe nobis gratuito, ac tantum poſtulat ut nos viciſſim ad ipſum accedamus. Quum igitur accerſat ultro, quum gratuitam juſtitiam offerat, adhibenda eſt omnis opera, ne tanto beneficio privemur. Porro quia Sabbathum (ut legitur apud Moſen, Exodi capite trigeſimo primo, & Exod. 31. v. 13. 17.
Ezechiel vigeſimo capite repetit) præcipuum Divini cultus ſymbolum erat: ideo per ſynecdochen Eze. 20. verſ. 12.
omnia pietatis exercitia ſub ſe continet. Sabbathum vero intellige cum circumſtantiis ſuis. Deus enim externam ceremoniam non moratur, nec delectatur otio noſtro: ſed ſeriam noſtri abnegationem exigit, ut totos ſibi addictos teneat. Poſtea ſubjicitur altera ſynecdoche ad notandam charitatem. Summa eſt, Deum non aliter rite coli, niſi vera pietate & vitæ innocentia, ſicuti etiam bene vivendi regulam duabus his partibus diſtinxit. Denique explicatio eſt veræ juſtitiæ quam Lex Domini comprehendit, ut in ea conquieſcamus. Fruſtra enim aliam perfectionis viam inquirunt. Atque hic concidunt omnes fictitii cultus & ſuperſtitiones: denique quicquid homines excogitarunt præter verbum Dei. Ubi vertunt interpretes, Ut non violet illud, ad verbum eſt, A non violando: ideo particulam Ita, interponere viſum eſt, ne qua eſſet ambiguitas.

3. *Et ne dicat.*] Oſtendit Propheta talem fore hanc gratiam Dei, ut etiam qui prius alieni fuerant ab ipſo, & quibus aditus quaſi præcluſus erat, obtineant novam ſortem: vel in integrum reſtituantur. Atque eorum querimoniæ occurrit, ne dicant ſe rejectos eſſe, indignos atque alienos, aut aliqua nota prohiberi: quia Dominus omnia impedimenta tollet. Poteſt autem hoc tam ad Judæos referri, quos temporalis abdicatio ſimiles reddiderat exteris Gentibus, quam ad profanas ipſas Gentes. Ego libenter ad utroſque extendo, ut conveniat cum vaticinio Hoſeæ, Vocabo plebem meam, quæ non erat plebs Hoſea 1.
mea. Cæterum ubi dicit Conjunctos Deo, admonet verſ. 10.
hanc conſolationem ad eos duntaxat pertinere qui Deum vocantem ſequuti fuerint. Multi enim ſunt eunuchi, quos Deus gratia ſua non dignatur: multi alienigenæ qui ad populum Dei non accedunt. Reſtringitur ergo hæc promiſſio ad eos qui fuerint vocati, & paruerint. Jam *alienigenas* & *eunuchos* nominans, utraque ſpecie deſignat omnes qui videntur indigni, quos Deus in populo ſuo cenſeat. Peculiarem enim ſibi populum ſegregaverat Deus, quem deinde hæreditate ſua expulerat. Gentes ab ejus regno prorſus excluſæ erant, ut ſatis conſtat ex univerſa Scriptura. Paulus ad Epheſios capite ſecundo, Epheſ. 2.
Eratis alieni à republica Iſraëlis, & extranei à teſta- verſ. 12.
mentis promiſſionis: ſpem non habentes, Deoque carentes in mundo. Nunc autem per Chriſtum Jeſum, vos qui quondam eratis longinqui, propinqui facti eſtis per ſanguinem Chriſti. Poterant ergo Gentes

Gentes initio dubitare, an adoptionis beneficium ad ſe pertineret, quod Judæis proprie deſtinatum erat. Et videmus quantopere id refugerint Apoſtoli, quum Dominus juberet Euangelium prædicari per univerſum orbem. [Marc. 16. verſ. 15.] Putabant enim doctrinam Dei profanari, ſi promiſcue Gentibus ut Judæis communicaretur. Eadem & populum electum anxietas torquere poterat, ex quo ſignum repudii fuerat exilium à terra ſancta. Propheta igitur has dubitationes faceſſere jubet. *Eunuchus.* Per ſynecdochen omnes comprehendit qui notam aliquam ignominiæ gerebant, qua à populo Dei ſubmoverentur. Nam eunuchi, & ii quibus nulla erat proles, videbantur rejecti à Deo, & excluſi à promiſſione qua Dominus Abrahæ dixerat, ſic fore ſemen ejus ut ſtellas cæli, & arenam maris. [Gen. 15. verſ. 5. & 22. verſ. 17.] In ſumma, omnes revocat à conſideratione ſui ipſorum, ut mentes ſuas in vocationem Dei penitus defigant: atque ita imitentur fidem Abrahæ, qui neque emarcidum corpus ſuum reſpexit, nec effœtam vulvam Saræ, ut per incredulitatem ſecum diſceptaret de potentia Dei: ſed ſupra ſpem omnem ſperavit. [Gen. 15. verſ. 6. Rom. 4. verſ. 18, 19, 20.] Contemptibiles autem & probroſos alloquitur Propheta, ne diffidant: quia non eſt acceptio perſonarum apud Deum, ut inquit Petrus: [Act. 10. verſ. 34.] ſed in quavis gente qui timet ipſum, & operatur juſtitiam, is acceptus eſt illi.

4. *Quoniam ſic dicit.*] Sequitur confirmatio: quia puri Dei cultores, qui Sabbatha obſervarint, atque adhæſerint Legis juſtitiæ, tametſi eunuchi ſint, aut aliud impedimentum habeant, locum nihilominus in Eccleſia ſint habituri. Videtur autem hoc modo externas notas, quibus ſolis gloriabantur Judæi, in nihilum redigere: quia novæ Eccleſiæ non externa, ſed ſpiritualis eſt dignitas, & fideles utcunque nullis polleant inſignibus coram mundo, imo contempti ſint atque ignominioſi, coram Deo tamen excellent. Jam ubi cum Sabbathi cuſtodia obedientiam ponit & obſervationem fœderis, hinc colligere promptum eſt, quum hactenus de Sabbatho loquutus eſt, non frigidam ceremoniam ſpectaſſe, ſed perfectam ſanctitatem. ubi iterum injicitur frenum filiis Dei, ne à Legis præſcripto vel tantillum declinent: quia non permittitur illis eligere quod viſum fuerit, ſed quod Deus ſibi placere ac probari denunciat. Quare tam ſimulatio quam inconſideratus zelus hic damnatur, ubi Deus & placita ſua commentis hominum opponit, & jubet fœdus ſuum ſerio apprehendi.

5. *Et dabo ipſis.*] Hic videmus patefieri omnibus, tametſi indignis, aditum in regnum Dei. Alludit autem ad Jeroſolymam, & templum in quo Dominus ſtatuerat memoriam ſui nominis. In eo autem locus nemini dabatur, præterquam ſolis Judæis: atque pollutum exiſtimaſſent templum, ſi quis è Gentibus in id ingreſſus eſſet. Unde etiam gravis tumultus adverſus Paulum excitatus eſt, [Act. 21. verſ. 28.] quod incircumciſos eo duxiſſet. Nunc Dominus promiſcue admittit quos prius arcebat. Et ſane ſuſtulit hoc diſcrimen, dum nos, qui alienigenæ eramus, in templum, hoc eſt, in Eccleſiam ſuam introduxit. Ea autem non circumſcribitur anguſtiis illis Judææ finibus, ut olim: ſed extenſa eſt per univerſum mundum. יד accipitur hic pro loco, ut ſæpe alias. Poſſet etiam accipi pro Auctoritate vel potentia: quia evehentur in eandem dignitatem, ut filii Dei habeantur. *Nomen melius.* Quæri poteſt, an Dominus comparet Judæos qui tunc in Eccleſia erant, cum fidelibus quos poſtea in eorum locum accerſet: vel futurum populi ſtatum, cum ſtatu illius temporis. Nam certum eſt melius hodie nomen eſſe Gentium quam Judæorum, qui propter infidelitatem ſuam reſecti ſunt: nos vero in eorum locum ſucceſſimus, tanquam oleaſtri inſiti in bonam olivam: quemadmodum ait Paulus. [Rom. 11. verſ. 24.] Poſſet igitur hic eſſe ſenſus, Eunuchos & alienigenas melius nomen habituros, quam filios & domeſticos, qui velut peculium Dei fuerunt. Sed malo aliter exponere, nempe majorem fidelium dignitatem fore ſub Chriſto, quam ſub Lege fuit. Præſtantiſſimum nomen habuerunt patriarchæ, quum Patrem invocarint Deum, eique fœdere conjuncti fuerint: ſed multo plenius effuſa eſt in nos Dei gratia adventu Chriſti: quare multo præſtantius in ipſo nomen nacti ſumus. Nomen hoc *perpetuum* vocat, quia ſcriptum eſt in cælis, ubi ſeculis omnibus vigebit ac florebit. Impii nomen ſuum in hoc mundo celebrari volunt, & famæ ſuæ conſulunt, ut memoria nominis eorum perpetua eſſe poſſit: ſed caduca & momentanea eſt. At longe diverſum eſt hoc nomen: nos enim efficit hæredes regni cæleſtis, ut coram Angelis filii Dei cenſeamur. Poſſemus etiam interpretari מבנים, prout nomen quod habetur ex filiis. Homines enim filiorum propagatione nomen ſuum quodammodo perpetuant. Hoc nomen longe excellentius fore promittit. Sed priorem expoſitionem ſequi malo.

6. *Filios alienigenæ.*] Idem repetit quod prius dixerat, Deum aperturum promiſcue omnibus templi fores, ut nulla ſit amplius Judæi & Græci diſtinctio. Adjungi autem intelligit Deo quos ſibi conciliat per Verbum, quod vinculum eſt noſtræ adoptionis. Atque hæc deſponſatio eſt in miſericordia & fide: cujus meminit Hoſeas capite ſecundo. [Hoſea 2. v. 19, 20.] Porro non modo atrium illis concedit, in quo adorent ut olim plebs ſolebat, ſed ordinem magis honorificum illis attribuit, ut pro ſacerdotibus vel Levitis Deus agnoſcat, qui ante profani erant. Sed notandus eſt finis vocationis, qui mox ſequitur: quoniam hac lege Dei miniſtros fore dicit, ut diligant ejus nomen. Hic ergo excluduntur hypocritæ: quoniam hoc conjunctum habet vocatio, ut Domino ſerviamus, idque prompto animi affectu & liberali. Nullus enim Dei cultus eſſe poteſt, niſi obſequium voluntarium ac promptum ſit. Et quod de eleemoſynis dicitur, Hilarem datorem diligi à Deo, [2 Cor. 9. verſ. 7.] ad omnes vitæ partes accommodari debet: ut cultum Deo voluntarium exhibeamus. *Quiſquis cuſtodit.* Iterum Sabbathi mentionem facit, cujus nomine diximus univerſum Dei cultum comprehendi. In ejus autem obſervatione quod ſummum erat à populo negligebatur. Externa enim ceremonia contenti, veritatem omittebant: id eſt, emendationem vitæ. Sic autem ipſos quieſcere volebat Dominus, ut ab omni ſcelere & nequitia & manus & mentes abſtinerent. *Et amplexus.* Hic ardorem & conſtantiam exprimit eorum qui ſe Deo ſubjiciunt, & adhærent Verbo. Ergo ſi fœdere conjuncti ſumus Deo, nos ejus tenaces eſſe, & piæ doctrinæ firmiter hærere oportet, ne ullo modo avelli ab ipſo aut dimoveri poſſimus.

7. *Hos adducam.*] Idem exprimit his loquutionibus quod prius dixerat, Alienigenas qui prius excludebantur ab Eccleſia Dei, ad eam vocari: ut diſcrimen circumciſionis & præputii deinceps tollatur. Nam hæc ad proſelytos referri non poſſunt, qui per circumciſionem cooptabantur in populum Dei: neq enim id novum aut inſolitum fuiſſet. ſed teſtatur propagandam eſſe gratiam Dei per totum orbem: quod fieri non poteſt, niſi aggregentur Gentes Judæis, ut idem corpus efficiantur. Hoc autem accidit ſublato diſcrimine præputii & circumciſionis. Itaque nihil eſt quod nunc prohibeat Gentes miniſtrare Deo; quum in templum, hoc eſt, in piorum cœtum vocatæ ſint. Imo nuper vidimus à tribu Levitica Sacerdotium non modo ad totum populi vulgus, ſed ad ipſos exteros transferri. Quantum Judæi abhorreant ab hac ſententia, ſatis notum eſt. Nam etſi legant hæc Prophetæ verba, tamen pro ſummo portento ducunt, Gentes ad tantum Dei beneficium vocari, quod peculiariter ipſis deſtinatum erat. Eſt tamen aperta Prophetæ ſententia; ut nequeat, niſi ſumma impudentia,

dentia, in dubium revocari. Gratiam hanc à fructu commendat: quia hæc ſit vera & ſolida felicitas, propitio Deo frui. Scimus quidem impios lætitia diffluere: ſed quæ vertitur in ſtridorem dentium, quia maledicta eſt à Deo. Cæterum Deus corda piorum ſuaviſſimo gaudio perfundit, non ſolum ſe illis placatum eſſe oſtendens, ſed ubi proſpero rerum ſucceſſu benevolentiam ſuam ac favorem declarat, præcipuum tamen eſt gaudium illud ex pace conſcientiæ, Rom. 14. verſ. 17. & 5: 1. quod Paulus adſcribit regno Dei, quo ſcilicet fruimur quum Deo per Chriſtum reconciliati ſumus. Promittit etiam ſibi grata fore ſacrificia, quoniam hac lege vocati ſunt omnes, ut ſe & ſua omnia offerant Deo. Intelligit autem Sacrificiorum nomine, ſpiritualem cultum Dei qualis in Euangelio præſcribitur. Nam Propheta uſitatum ſui temporis morem ſequutus eſt, quo cultus Dei variis ceremoniis involutus erat. Nunc vero pro ſacrificiis, laudes, gratiarum actiones, bona opera, nos denique ipſos offerimus Deo. Quod grata fore ſignificat, ne ex dignitate aut præſtantia ipſorum id accidere putemus: ſed gratuita Dei benevolentia. merito enim rejicere poſſet, ſi per ſe ipſa æſtimaret. Hoc autem velut ſtimulo nos vehementer ad ſtudium divini cultus incitari decet, quod opera noſtra, quæ nihili ſunt, ut pura ſacrificia Deo accepta eſſe cernimus. Addit, *ſuper altare*: quia non poterant aliter accepta eſſe Deo, niſi in altari, ex quo ſanctificationem ſuam habebant. Ita quicquid offerimus impurum erit, niſi ex Chriſto altari noſtro ſanctificationem mutuetur. *Quoniam domus mea.* Prius ſolis Judæis deſtinatum erat templum, à quibus peculiariter voluerat Dominus invocari. Nam quum Paulus oſtendit Judæos antecellere Rom. 9:4. Gentibus, ait ipſorum eſſe λατρείαν, id eſt, cultum Dei. Singulari igitur privilegio templum apud ipſos conſtitutum erat: quum reliquis nationibus idem permiſſum non eſſet. Nunc vero ſublato diſcrimine, omnibus hominibus, cujuſcunque gentis aut loci fuerint, in templum, hoc eſt, in domum Dei acceſſus patet. Eſt enim adeo amplificatum, ut per omnes totius orbis partes extendatur. Omnes enim nationes vocatæ ſunt ad cultum Dei. Hic apertum diſcrimen habemus Legis & Euangelii. Unus enim populus ſub Lege verum Dei cultum tenuit, cujus gratia peculiariter ei templum dicatum erat: nunc omnibus promiſcue patefactus eſt aditus in templum Dei, ut pure in ipſo, id eſt, ubique adorent. Notanda eſt autem loquendi forma, quæ Prophetis uſitata eſt & familiaris: utuntur enim figuris quæ ætati ſuæ conveniunt, ſicuti jam diximus, atque Sacrificiorum & Templi nomine, purum Dei cultum deſignant. Depingit enim ſpirituale Chriſti regnum, ſub quo 1 Tim. 2. verſ. 8. puras ubique manus tollere, ac Deum invocare licet: nec jam in templo illo, ut inquit Chriſtus apud Joan. 4. v. 21, 23. Joannem, adorandus eſt Deus, ſed veri adoratores ipſum adorant in ſpiritu & veritate. Quamobrem aperte hujus Prophetiæ complementum cernimus: quod ſcilicet omnibus populis domus Dei facta ſit Rom. 8. verſ. 15. Galat. 4. verſ. 6. orationis domus, ut ab omnibus invocetur Abba pater, id eſt, quavis lingua: ne deinceps ſoli Judæi ſe Deum habere glorientur. Itaque Prophetas ſermonem ſuum accommodare ſuo tempori, & uſitato ritui neceſſe fuit, ut ab omnibus intelligerentur. Nec enim aderat tempus plenæ revelationis, ſed cultus Dei variis figuris conveſtitus erat. Cæterum dubium non eſt quin templum, quod nomini Dei conſecratum erat, vere fuerit domus ipſius. Nam per Exod. 20. verſ. 24. Moſem teſtatus erat, ubicunque nomini ſuo memoriam faceret, ibi ſe affuturum. Et Solomon in dedi- 1 Reg. 8. verſ. 33. catione templi, Quum venient oraturi in domo iſta, tu exaudies in cælis, in habitaculo manſionis tuæ. Matt. 21. verſ. 13. Atque ideo Chriſtus exprobrat Judæis, quod domum Marc. 11. verſ. 17. Patris converterint in ſpeluncam latronum: atque iſtum locum conjungit cum Jeremiæ loco. Vocat Jerem. 7. verſ. 11. autem Chriſtus templum, Orationis domum, habito ejus temporis reſpectu, quo Euangelium nondum publicatum erat: nam etſi advenerat ipſe, nondum tamen innotuerat: nec ritus Legis abrogati erant. Quum autem velum templi ſciſſum eſt, atque Mat. 27. verſ. 51. annunciata eſt remiſſio peccatorum, hæc templi encomia cum aliis ceremoniis ceſſarunt. Ab omnibus enim populis Deus ubique invocari cœpit. Hic interea notandum eſt, ideo nos in Eccleſiam vocari, ut Deum invocemus. Nam inaniter gloriantur, qui neglectis precibus & vera invocatione, locum in Eccleſia obtinent. quocunque igitur in loco ſimus, ne hoc fidei exercitium à nobis negligatur: quando ex verbis Jeſaiæ colligimus ſummum & excellentiſſimum hoc eſſe ſacrificium, quod Deus exigit: ſicut etiam dicitur Pſalmo quinquageſimo, ut in eo Pſal. 50. verſ. 15. ſtatuatur Templi ſanctitas, ſi illic vigeant preces.

8. *Dicit Dominus Jehova.*] Iterum confirmat Jeſaias quod prius de reſtitutione populi teſtatus eſt. nam magnifice quidem extulit gratiam Dei, qua populum liberaturus erat: ſed talis erat Eccleſiæ ſtatus, ut ridicula ejuſmodi promiſſa viderentur. Non ſunt igitur ſupervacaneæ ejuſmodi repetitiones, ſed ad fulciendos debiles animos neceſſario additæ, ut quod alioqui incredibile erat, certo ipſis perſuaderetur. *Qui congregat.* Deum pro cauſæ circumſtantia hoc epitheto inſignit: quia ejus officium ſit congregare diſſipatam Eccleſiam, quod idem Pſalmo 147. legitur in eundem ſenſum. Pſal. 147. verſ. 2. Ideo promittit ſe aggregaturum ipſos: nec ipſos tantum, ſed varios populos ipſis adjuncturum, ut magno in numero augeſcat & multiplicetur Eccleſia. Proinde quoties variis Eccleſiæ cladibus perculſi de ejus collectione diffidimus, hunc clypeum objicere convenit, Domini eſt congregare diſperſos Iſraël: quamvis longe diſperſi ac disjecti ſint, tamen eos in integrum facile reſtituet. *Adhuc congregabo ad eum.* Ego libenter retineo proprietatem verborum Prophetæ. עד, id eſt, Ad, vel Super. Reſpicere enim mihi videtur ad id quod ſuperiore verſu dixerat, fore ut templum pateret omnibus populis. Et ſignificat ſe ad Judæos qui collecti fuerint, plures etiam alios additurum: quod re ipſa evenit. nec enim ſolummodo collegit diſperſos in Babylonia, ſed & alias diſſipationes collegit, quæ frequentes & pene quotidianæ fuerunt. Nec unquam colligere ceſſavit: ita ut magnum cumulum addiderit ad iſtos congregatos.

9. *Omnes beſtiæ.*] Videtur hoc vaticinium à ſuperioribus diſcrepare: nam quæ hactenus à Propheta dicta ſunt plena fuerunt ſuaviſſimæ conſolationis: nunc autem videtur atrociter minari, atque horrendam vaſtitatem nunciare. Hæc quidem pugnantia videri poſſent: ſed poſtquam conſolatus eſt pios, alienum videri non debet, ſi ipſos de futura calamitate præmoneat: ne quum omnia viderent interitui proxima, animum deſponderent. Simul etiam ut ipſa neceſſitas eos acueret, quo magis ſollicite & ferventer ad Dei gratiam confugerent. Accedit etiam alia ratio, Quod hypocritæ abutuntur promiſſis Dei, eaque falſo obtendunt: ſpem concipiunt inanem: atque inſolenter de iis quæ nihil ad ſe pertinent, gloriantur. his igitur falſæ jactationis materiam adimere voluit Jeſaias. Atque ita duplex ejus conſilium fuit: primum, ne piorum animi frangerentur variis calamitatibus, quibus prope ad internecionem redigendi erant: imo rebus etiam adhuc quietis fide procul cernentes futuram cladem, unico hoc ſolatio contenti forent. deinde ut horrore & metu percelleret hypocritas, ne vana confidentia ſeſe efferrent, ſibique prætextu harum promiſſionum nimium indulgerent. Propterea advocat Deus non homines, ſed truculentas beſtias, à quibus populus devoretur. Pios igitur perturbari & ſollicitari ad diffidentiam vetat, quum hæ feræ beſtiæ mittentur. Quanquam interea ipſis quoque timorem incutere voluit, ut ad pœnitentiam ſtimularet: & ad expeten-

petendam Dei miſericordiam hortari, ne promiſſiones vileſcerent. Quum beſtias *agri* nominat, intelligit omnis generis: nec tantum Chaldæos & Aſſyrios, ſed Antiochum, Romanos, cæteroſque populi hoſtes comprehendit, à quibus variæ clades illatæ ſunt. Sed potiſſimum eam ſpectat cladem quam accepit populus à Chaldæis, quum ab ipſis in miſeram ſervitutem abductus eſt.

10. *Speculatores.*] Nunc ſubjicit cauſam cur perdendus ſit populus: quod ſcilicet à malis præfectis & paſtoribus regeretur: non quod in ipſos ſolos culpam rejicere velit, populum vero innoxium eſſe putet: ſed quod tale eſſet initium mali. Nec enim eximimur à culpa ſi cæcos duces ſequamur, ſed potius dignas ſceleribus noſtris pœnas damus. Nam bonos duces iis eripit Dominus, quos ob ingratitudinem ſuam ulciſci vult. Speculatorum porro nomine non ſolum intelligit Prophetas quibus injunctum erat docendi munus, ſed etiam judices, præfectos ac Reges, qui rite omnia adminiſtrare debuerant. Utrumque enim regimen comprehendit, & præfectorum, & miniſtrorum Verbi quos Dominus veluti binos in corpore oculos, ad regendam Eccleſiam conſtituit. Proinde ſi pravi ſint, vel infidi, nulla deterior peſtis reipublicæ oriri poteſt. Primum vero exprobrat illis inſcitiam ſuam. Quemadmodum enim præcipua dos boni paſtoris eſt noſſe officium ſuum, ut quid gregi utile, quid nocivum ſit judicet, atque ſedulo vigilare, & ſtare quaſi in ſpecula, ut omnibus modis ejus ſalutem procuret: ita nihil magis ab ipſo alienum eſt, quam ignorantia & cæcitas. Nemo igitur futurus eſt idoneus paſtor, niſi qui rectam gubernandi populi rationem tenet. Atque hinc apparet quid ſentiendum ſit de idolis noſtri temporis, qui ſuperbe & inſolenter paſtorum nomine gloriantur, quum indoctæ & ignaræ ſint beſtiæ. Secundo loco vocans Mutos canes, objicit illis ignaviam & ſocordiam. Nam quum paſtorem bonum deceat induſtria & ſedulitas, dum ignavos ipſos & ſocordes vocat, oſtendit nihil in eis fuiſſe quod paſtorem deceret. Quum ergo deſtituimur bonis paſtoribus, atque in eorum locum ignavæ aut etiam immanes belluæ ſuccedunt, agnoſcamus iram Dei, atque exitium haud procul abeſſe intelligamus: quia hinc Propheta minatur ac denunciat populo interitum, ubi obmuteſcunt paſtores. unde ſequitur conſtitui à Deo, ut canum officium præſtent, id eſt, excubias agant, abigant latrones ac fures, nec eos in ovile ingredi patiantur. Quod ſi tam fida eſt cuſtodia canum, & propenſa affectio in dominos, ut ſemper vigilent pro eorum ſalute, nec latratu abigere deſinant eos à quibus periculum imminet: pudere debet paſtores, dum ignaviæ & ſomnolentiæ ſuæ indulgent, ab animali bruto ſuperari.

11. *Et canes illi.*] Tertium vitium quod notat in malis paſtoribus, eſt inſatiabilis habendi cupiditas. Tametſi ignavi ſint, inquit, ad res bene adminiſtrandas, ſunt tamen validi ad cibum capiendum. Alii longius extendunt Prophetæ verba, quod ſcilicet tyrannice dominentur. Quod vitium Ezechiel nominatim coarguit. *Eze. 34. verſ. 4.* Ferocire enim ſolent pſeudoprophetæ, atque inhumaniter & barbare ſe gerunt erga populum Dei. Verum ſiquis propius expendat, intelliget Prophetam loqui de inſatiabili eorum cupiditate: quam etiam poſtea exprimet pluribus verbis. *Reſpiciunt ad vias ſuas*: hoc eſt, Intenti ſunt rebus ſuis: quiſque quod ſuum eſt quærit. Denique ſignificat neminem eſſe qui aliis præferri non velit, acſi ſibi quiſque natus eſſet. מקצהו varie exponunt. nam alii, In fine ſuo, hoc eſt, In ſuis partibus: quaſi legeretur בקצהו: ſed non convenit ſenſui Prophetæ. alii, A termino ejus avaritiæ. Simplicior autem mihi videtur interpretatio, A fine ſuo, id eſt, à parte ſua: quod vulgo dicimus, *Chacun en ſon endroict.* Unuſquiſque ergo avaritiæ intentus, ad ſe trahit omnia & applicat: & neglecto officio, ſtudet commodis ſuis. Hinc colligimus neminem ſervire Deo poſſe, qui pravis cupiditatibus addictus eſt: qui vero ſtudebit opibus congerendis, animum ædificandæ Eccleſiæ Domini non apponet. Nullum cæcitatis genus deterius eſſe poteſt avaritia: quo magis fugienda eſt paſtoribus, ſi fideles ſe Deo ſervos præſtare velint. Quum videmus Prophetam conqueri de malis paſtoribus ſui temporis, ne turbemur quod idem nobis hodie uſu venit: neque inſolitum putemus quod tam pauci in opus Domini ſerio incumbant.

12. *Venite.*] Poſtquam de avaritia & ſocordia paſtorum loquutus eſt, deploratam eorum nequitiam & pervicaciam oſtendit. Inducit enim ipſos loquentes, & præfractas eorum voces in medium profert: ex quibus apparet ipſos nullis monitionibus aut minis in viam reduci potuiſſe: ſed omnia ſecure contempſiſſe. Retulit alio loco Propheta irriſorum verba, qui ſervis Dei ad ſaccum & cinerem hortantibus, ad epulas & pocula ſeſe invitabant, Edamus & bibamus, cras enim moriemur. quid nobis moleſti ſunt iſti Prophetæ? nunquam bene nobis erit, ſi aures ipſis accommodemus. Et ejuſmodi quæ capite 22. & 28. vidimus. *ſupr. 22. verſ. 13. & 28. verſ. 15.* Similem his querimoniam repetit Jeſaias, quod paſtores obſtinarent ſeſe, ac veluti callum obducerent adverſus judicia Dei. Nec vero tantum reprehendit eos quod vinum & ſiceram biberent, quod per ſe malum non eſt: ſed mentis ebrietatem & ferociam, qua ſuperbe & arroganter contemnunt homines verbum Dei. Aliis locis damnatur abuſus vini & ebrietas: ſed hic invehitur Propheta adverſus inſanam protervitam, qua paſtores elati in Deum, omnes minas, monita, reprehenſiones, omnem denique religionem proculcabant. Quanquam non dubium eſt craſſum illud turpeque flagitium notari, quod ſe vino & epulis intempeſtivis quaſi data opera obruerent, ne quis pudor vel metus, ne qua Dei vel hominum reverentia eorum ſecuritatem turbaret: ſicuti impii quibuſcunque poſſunt illecebris ſe obſtupefaciunt, quo audacius magiſque effreni licentia ſe præcipitent. Hoc autem horrendum ac ſtupendum exemplum eſt, talem ſcilicet Dei & religionis contemptum intueri, non in exteris, non in plebecula, ſed in ducibus ipſis & primariis viris, qui cæteros exemplo ſuo docere debuiſſent, in ſacroſancto illo ordine qui imaginem Chriſti referebat: nam & Reges & Sacerdotes typum ejus & imaginem gerebant. Quam intoleranda vero ſit hæc ſuperbia, qua homines ſeſe furioſe Verbo opponunt, ſatis notum eſt. Deplorati enim ſumus & perditi, quum hanc medicinam, quæ extrema eſt, reſpuimus: nec enim à Domino reduci nos patimur. Propterea denunciavit alio loco fore ut hæc nequitia nunquam expietur. Proinde hic notatur extrema impietas: & diligenter expendere operæpretium eſt illa verba, *Sicut hodie, ita craſtinus dies.* Id eſt, Si bene nobis hodie eſt, cras melius erit: ne ſimus miſeri ante tempus. Crimen enim exaggerat, quod Dei lenitatem & patientiam ludibrio habentes, ſibi impunitatem promittant, acſi dormiret Deus, vel deliciis vacaret in cælo, quoties pœnas ſuſpendit. Ut hodie quoque diabolicis ejuſmodi proverbiis homines conſcientias ſopire, imo faſcinare ſtudent, ut liberius ſe volutent in omni genere voluptatum, flagitiiſque & ſceleribus ſuis indulgeant. Ne igitur in horrendum hoc judicium Domini incidamus, revocet ſe unuſquiſque ad calculum, ac procul iram Dei animadvertat, ne ab ipſa repente atque ex improviſo opprimatur.

Cap. LVII.

JUſtus periit, & nemo eſt qui cor adjiciat. Viri miſericordiæ colliguntur, nec eſt
qui animadvertat, quod à facie mali colligatur juſtus.
2. Veniet pax, quieſcent in cubilibus ſuis, quiſquis ambulat coram eo.
3. Et vos accedite huc filii veneficæ, ſemen adulteri & meretricis.
4. Super quem oblectati eſtis? ſuper quo aperuiſtis os? exeruiſtis linguam? annon vos filii prævaricatores? ſemen mendax?
5. Incaleſcentes in a quercubus ſub omni arbore frondoſa, immolantes pueros in convallibus, ſub prominentiis rupium.
6. In politis b lapidibus vallis pars tua: ipſi, ipſi ſors tua. Etiam ipſis fudiſti libamen, obtuliſti ſacrificium: an ſuper his, oblectationem capiam?
7. Super montem excelſum & elevatum poſuiſti ſtratum tuum. Etiam illuc aſcendiſti ad immolandam victimam.
8. Poſt oſtium & poſtem poſuiſti memoriale tuum: diſcooperta es à me: aſcendiſti, dilataſti lectum tuum, feciſti cum eis fœdus, dilexiſti lectum eorum, loco quem vidiſti.
9. Et profecta es ad regem cum oleo, multiplicaſti pigmenta tua: miſiſti legatos tuos ad locum remotum, humiliata es uſque ad inferos.
10. Fatigata es in multiplici itinere tuo: nec dixiſti, Deſperatum eſt. Inveniſti vitam manus tuæ, ideo non doluiſti.
11. Et quem reverita es, & timuiſti, quod mentita es, & mei non es recordata, nec poſuiſti ſuper cor tuum: annon quia ego diſſimulavi, & à ſeculo ideo me non times?
12. Ego annunciabo juſtitiam tuam & opera tua, nec proderunt tibi.
13. Dum clamaveris liberent te collectitii tui. Atqui omnes tollet ventus, rapiet vanitas. Qui autem in me ſperat, hæreditate obtinebit terram, & poſſidebit montem ſanctitatis meæ.
14. Et dicet, Sternite, ſternite, complanate viam, tollite offendiculum è via populi mei.
15. Quoniam ſic dicit excelſus & ſublimis, habitans in perpetuitate, cui nomen Sanctus: Excelſum & ſanctum incolo, & cum afflicto & qui humilis eſt ſpiritu, ut vivificem ſpiritum humilium, ut vivificem cor afflictorum.
16. Quia non in perpetuum litigabo, neque ſemper iraſcar. Nam ſpiritus à facie mea d inducetur: & flatus ego feci.
17. Propter iniquitatem cupiditatis ejus iratus ſui, & percuſſi eum: abſcondi me, & iraſcar: ipſe autem averſus abiit in via cordis ſui.
18. Vias ejus vidi, & ſanabo eum, & ducam eum, reddens ei conſolationes, & lugentibus ejus.
19. Creo fructum labiorum: pax, pax longinquis & propinquis, dicit Jehova, & ſano eum.
20. Impii autem quaſi mare diſpulſum, quod quieſcere non poterit: & projicient aquæ ejus cœnum & lutum.
21. Non eſt pax, dixit Deus meus, impiis.

a vel, *cum diis.*
b vel, *in partibus torrentis.*
c vel, *pœnitentia ducar.*
d vel, *latebit, aut deficiet.*

J*Uſtus periit.*] Argumentum ſuum proſequitur Jeſaias. poſtquam enim oſtendit quam ſecure verſentur in deliciis ſuis hypocritæ, & quam impudenter contemnant verbum Dei, etiam conqueritur, quod opera Dei non conſiderent. Hic enim, velut amplo in theatro, ad contemplanda Dei opera conſtituti ſumus: nec ullum tam minutum eſt opus Dei, quod leviter à nobis prætereundum ſit: ſed omnia accurate & diligenter obſervari debent. Hoc autem præ aliis ſpeculum providentiæ proponit Dominus, quod pios ac probos viros eripit è vita, quum ſtatuit gravius animadvertere in populum ſuum. Sed nemo id conſiderat, aut reputat imminentis exitii ſignum eſſe, colligi ipſos in tutum à Deo, ne communibus miſeriis affligentur. Summa eſt, longe falli impios, dum nihil felicius eſſe ducunt, quam ſibi vitam diu propagari: atque ita ſe præferunt Dei cultoribus, qui maturius decedunt. Nam ut ſunt mundo affixi, hoc quoque prætextu ſe obdurant, quod quaſi non niſi favente Deo, aliis morientibus ſalvi maneant & incolumes. Si *viros miſericordiæ* intelligas Beneficos vel humanos, hoc epithetum diligenter notandum eſt, quo oſtendit Propheta quæ ſit vera juſtitia filiorum Dei, quum eam hypocritæ in rebus nihili conſtituant. Nihil autem gratius eſt Deo, quam beneficentia, qua juſtitiam noſtram teſtamur, vacuumque ab omni ſimulatione animum patefacimus. Sed non minus commode ſumere licebit paſſivo ſenſu Viros miſericordiæ, quos Dominus miſericordia ſua complexus eſt. Eſt enim hæc phraſis Hebræis ſatis trita. nec male conveniet tacite gratiam Dei opponi perverſis & ſiniſtris hominum judiciis: quia pro damnatis habere ſolent qui in ætatis flore rapiuntur. Cæterum quum paſſim manſuetudinis & beneficentiæ nota inſigniat Deus filios ſuos, poteſt, ut dixi, hic veræ juſtitiæ eſſe definitio. Hinc apparet multos eo tempore probos viros collectos fuiſſe à Domino, quorum morte horribilis aliqua clades ſignificabatur: nec tamen ejuſmodi præſagia à Judæis animadverſa eſſe. Imo audacius fuiſſe luxuriatos: quia feliciter ſecum agi putarent, dum ſanctiſſimis quibuſque manebant ſuperſtites. Hæc autem doctrina ſeculis omnibus convenientiſſima eſt. ſæpius enim accidit ut pios viros auferat Deus è medio, quum ſeverius impiorum ſcelera ulciſci vult: nam quum peculiarem pro ſuis curam gerat Dominus, eorum miſertus, velut ex incendio eripit: ut etiam ſuperſtites ex eo iram Dei animadvertant.

Google

vertant. Nec tamen ea lex perpetua eſt, quum ſæpe juſti una cum reprobis temporalibus pœnis implicentur: ſed adeo frequens, ut raro aliter eveniat. Noſtris temporibus inſigne exemplum editum eſt in morte Lutheri, qui paulo ante ſubductus eſt è mundo, quam Germaniæ accideret gravis illa clades, quam multis annis prædixerat, dum in Euangelii contemptum, in flagitia & libidines quæ paſſim vigebant, inveheretur. Rogabat autem ſæpius Dominum, ut prius ipſum ex hac ipſa vita evocaret, quam intueretur graves illas pœnas, ad quarum apprehenſionem toto animo cohorreſcebat. Atque id à Domino impetravit. Ecce paulo poſt ejus mortem, repentina & improviſa irruit clades, qua Germania miſere afflicta eſt, quum nihil minus vereretur. Extant quotidiana ejuſmodi exempla, quæ ſi animadverterentur ab hominibus, non ita ſecure ſibi & vitiis ſuis indulgerent. Sed hoc potiſſimum referendum duxi: quod quum recens ſit, tum vero quod in tam inſigni præcone Euangelii, & Propheta Dei, magis conſpicuum eſſe debeat. Itaque & in vita & in morte juſtorum opus Domini ſedulo attendere debemus. Præcipue vero in morte, qua Dominus ipſos ad vitam meliorem evocat, ut à miſeriis quibus immergi impios neceſſe eſt, eximantur.

2. *Veniet pax.*] Deſcribit Propheta qualis ſit impiorum conditio in morte: quoniam impii, qui nullam aliam vitam quam præſentem putant, eos periiſſe arbitrantur: nihil enim aliud in morte quam interitum apprehendunt. Ideo dicit venturam pacem, quæ mille turbulentis vitis ſit optabilior: acſi eos conferret militibus emeritis, quibus placidum otium colere licet. Addit ſimilitudinem Somnii, ut oſtendat ab omni curarum inquietudine ſolutos fore ac liberos, perinde acſi tuto & ſuaviter dormirent in ſtratis ſuis. Quod ſequitur, *quiſquis ambulat*, hoc participium non refero ad nomen שלום, ſicut alii, qui hunc volunt eſſe ſenſum: quod pax antecedet pios, ut ſit illis quaſi dux viæ. Sed ego fideles potius deſignari arbitror: acſi diceret, Quiſquis ambulat coram Deo, is fruetur pace. Juſti ergo quum moriuntur, variis laboribus exantlatis, quaſi confecto ſpatio, ad quietem & pacem vocantur. quieſcunt autem in ſtratis ſuis, quia nondum plena beatitudine & gloria fruuntur: ſed extremum reſurrectionis diem expectant, quo pleniſſime omnia inſtaurabuntur: idque mihi videtur ſignificaſſe Jeſaias. Dicet quiſpiam, Annon juſti fruuntur hac pace dum vivunt? nam fructus fidei eſt, ut in patientia poſſideamus animas noſtras. Reſpondeo, Quamvis fides generet pacem in animis noſtris, tamen nos variis motibus & turbulentis agitari: nec unquam in vita ſic quietos & placidos eſſe, ut quum nos ad ſe Dominus recipit. Placida igitur & quieta eſt mors juſtorum, quum in conſpectu Dei pretioſa ſit: impiorum vero turbulenta. Hinc etiam colligere poſſumus immortalitatem animorum: nam ſi nullus ineſſet animis ſenſus (ſicuti fanatici quidam ſomniarunt) pace frui non poſſent. Fruuntur ergo pace & quiete, quoniam in Chriſto vivunt.

Luc. 21. verſ. 19. Rom. 5. verſ. 1.

Pſal. 116. verſ. 15.

3. *Et vos.*] Poſtquam de beata & tranquilla piorum morte loquutus eſt, invehitur ſumma vehementia adverſus impios, qui flagitioſe & nequiter vivere non deſinebant, nec piorum morte movebantur. ut enim pace frui pios dixerat, ſic iſtis implacabile bellum denunciat. Imo ſanctis Dei cultoribus mortem docuit fore inſtar latibuli, quod eos à turbine & procella, aliiſque tempeſtatibus protegat, ut protervis Dei contemptoribus extrema quæque minitaretur. Eſt enim hic notanda antitheſis inter pios qui coram Deo ambulant, & impios qui contumaciter Deo reſiſtere non deſinunt. illi fruentur pace mortui: hi & in vita inquieti futuri ſunt, & in morte diros ſentient cruciatus. Prodire jubet ad Dei tribunal, quod ſuis integumentis effugere ſe poſſe confidunt. Negat igitur tergiverſando quicquam proficere, quia inviti trahentur. Cæterum quo magis obduruerant, acrioribus ſtimulis configi neceſſe fuit. Quare non potuit nimia Prophetæ eſſe aſperitas tam in vellicando eorum ſtupore, quam in ſternendo faſtu. Et certe quam inſolenter ſeſe efferrent Judæi ob genus ſuum ſatis notum eſt: ideo Prophetis eorum arrogantiam & ſuperbiam retundere ſolenne fuit, ac negare ipſos eſſe filios Abrahæ, quum degeneres ac perfidi eſſent. Hac ratione vocat ipſos Jeſaias *ſemen adulteri & meretricis.* Eodem modo exprobrat ipſis Ezechiel, Pater tuus Amorrhæus eſt: mater tua Hethæa. Et paſſim ſimiles loquendi formæ occurrunt. Intolerabilem igitur ipſorum audaciam retundit, atque invitos & reluctantes in medium protrahit, ne tribunal Dei ſe effugere poſſe exiſtimarent.

Eze. 16. verſ. 3.

4. *Super quo.*] Oſtendit Propheta nullam eſſe cauſam cur Judæi tantopere ſuperbirent prætextu generis ſui, quum ludibrio haberent Deum & Prophetas. Putabant autem ſibi negotium eſſe cum hominibus, quum reſpuerent Verbum: ſicuti hodie videmus impios, dum ſecure contemnunt doctrinam Dei, & ſubſannant miniſtros, nihilominus obtendere Dei nomen, eoque inaniter gloriari. Hæc cauſa eſt cur Propheta vehementius urgeat ipſos, atque exagitet. Verba huc tendunt, Quum linguam exeritis in Deum, atque illuditis ejus verbo, an putatis negotium vobis cum homine mortali eſſe? Illud enim *ſuper quo*, ſignificat eos ſubterfugia captaſſe, & integumenta quibus impietatem ſuam velarent. nec enim fatentur impii ſe rebelles eſſe Deo: imo gravem ſibi injuriam fieri obtendunt: ſed protrahendi ſunt in lucem, ac convincendi ſuæ impietatis. Nam ſi quis in cælo Deus eſt, bellum cum ipſo gerunt, dum ejus verbum oppugnant, aut rejiciunt, & habent pro fabula. *Aperire os & exerere linguam*, pro eodem accipit, niſi quod his loquutionibus impudentiam magis notavit: quod non ſolum rejicerent Deum, ſed etiam ludibrio haberent. Interior enim contemptus animi ipſos in apertas ſubſannationes & protervas impulerat, ut nullus dedecoris metus eos tangeret. Tandem concludit ipſos eſſe filios prævaricatores: ſemen mendax: atque merito ipſis exprobraſſe, quod filii eſſent meretricis. nec enim poſſet ejuſmodi contemptus in filios Abrahæ competere. Hinc diſcimus quomodo tractandi ſint impii, & quam ſevere arguendi ſint, ne ſibi placeant: & quo magis deſpiciunt omnia quæ proponuntur Dei nomine, ſacrilega ipſorum impietas detegenda, atque in medium proferenda eſt.

5. *Incaleſcentes.*] Alii vertunt, Delectationem capientes, vel Conſolationem: ſed Propheta uſurpat ſimilitudinem quæ paſſim Scripturæ uſitata eſt, præſenti vero cauſæ maxime apta. Nam Dominus ardorem quo feruntur idololatræ conferre ſolet cum meretricio amore, quo leves ac miſeri homines inflammati cæco impetu ruunt. Nihil enim habent moderationis idololatræ, nec ullis rationibus ab inſania ſua ſe revocari ſinunt. Eſt autem idololatria coram Deo fœdiſſimum genus ſcortationis. אלים, alii Deos, alii Quercus vertunt. Liberam cuique lectionem relinquo. ſemper enim ſenſus idem erit: neque diſſentiunt interpretes, quin Propheta idololatriam damnet. Non contendo igitur de lectione. Quanquam probabile eſt, more Hebraico bis idem repeti per ſpeciem & genus, & interea ſub voce ambigua Prophetam alludere ad deos. *Immolantes pueros.* Hic magis premit Judæos, eoſque non eſſe verum ſemen Abrahæ oſtendit: quum ſe polluant omnis generis ſuperſtitionibus. Quia vero Judæi ſibi placebant in talibus figmentis, ideo turpitudinem ipſorum detegit: Vos quidem obtenditis religionis nomen, ſed pronuncio vos ſcortari cum idolis. Sic igitur detegenda & digito monſtranda eſt impietas, quam variis coloribus vafri & malitioſi homines obtegere

Jerem. 3. verſ. 1. Hoſea 2. verſ. 2. & 4. 15.

conan-

conantur. Itaque fungitur ſtrenue officio ſuo Propheta, dum eos citat ad tribunal Dei, ac reos peragit, tametſi modis omnibus tergiverſari velint. Oſtendit autem ipſos prævaricatores eſſe, ac diſceſſiſſe à Lege Dei deteſtando idolorum cultu: atque ſpeciem horrendi cultus, imo execrandi portenti commemorat: nempe immolationem puerorum, ex qua ſatis ap-
2 Theſſ. 2. paret, quam efficax ſit erroris ſpiritus, ubi ſemel à
verſ. 11. Deo homines receſſerunt. Eorum enim mentes ſic occupat Satan, ut ad inſaniam prorſus & rabiem adigat. Qui vero liberis ſuis non parcunt quin eos jugulent, velut juſti ſacrificii cauſa, inſanos ac furioſos eſſe neceſſe eſt. Nec tamen aliquo prætextu carebant truculenti illi parricidæ: nam facinus ſuum tegebant
Gen. 22. Abrahæ exemplo qui unigenito filio non pepercit.
verſ. 16. & veteres Hebræi κακόζηλοι fuiſſe putant, Si filii ſimus Abrahæ, liberis noſtris parcere non debemus.
ibid. v. 2. Atqui Abraham Dei mandato id faciebat: hi ſponte, & injuſſu Dei. Extraordinarium fuit exemplum, quo fidem Abrahæ probare, ac teſtatam facere voluit
ibid. v. 12. Dominus: nec tamen immolatus eſt Iſaac. prompta enim & alacri Abrahæ voluntate Dominus contentus fuit. Hi liberos ſuos mactabant. Perverſa igitur imitatio & damnanda fuit, quum longe à Patre ſuo diſſiderent. Quod diligenter notandum eſt: quia magna pars ſuperſtitionum ab hoc κακοζηλίας fonte profecta eſt. nam temere & ſine delectu arripuerunt homines quicquid à Patribus actum erat.

6. *In politis lapidibus.*] Proſequitur idem argumentum: & varie exagitat ſuperſtitiones quæ in Judæa regnabant. nullus enim locus ab idololatria integer aut immunis erat. Non rupes, non fluvii, non convalles, nulla pars omnino fuit, in qua monumentum ſuperſtitionis ſuæ non ſtatuiſſent. Habebant lucos ſuos & montes, in quibus more Gentium ſacrificabant. Sive hic Politos lapides, ſive Partes fluminis legamus, idem ſenſus erit. Significat enim Judæos ſibi rationem delegiſſe, qua Deum colerent: atque à regula, quam præſcripſerat in Lege ſua, receſſiſſe: ac proinde deteſtabiles atque impios eſſe omnes cultus quos arbitrio ſuo exhibebant. Sola enim Dei vox in religione & cultu ipſius audienda eſt. Si Politos lapides vertere placeat, perſtringit
Exod. 20. Jeſaias Legis contemptum, ubi vetuerat Deus mal-
verſ. 25. leis aptare lapides vel formare extruendo altari: quia non niſi in uno ſacrificia offerri volebat. Sed quia apud Gentes tritum fuit in fontibus & fluviis templa dedicare, non minus conveniet alter ſenſus. Repetitio quæ mox ſequitur emphatica eſt, *ipſi, ipſi.* Poteſt autem ſuppleri verbum in modo permiſſionis, ut permittat Judæis Dominus hærere ſuis figmentis, quandoquidem ipſo relicto, idola & commenti-
Ezech. 20. tios cultus maluerunt: ſicuti Ezechielis 20. Ite, ſa-
verſ. 39. crificate idolis. Atque hæc lectio mihi magis arridet, acſi diceret, Ego figmenta veſtra vobis relinquo, ac facile patior vos eſſe illis in totum addictos, jurique meo renuncio, quia nihil mihi negotii eſt cum perfidis apoſtatis. Nec tamen dubium eſt quin alludat ad teſtimonium illud Moſis, cujus ore Dominus ſe in hæreditatem populo fore dixit: ut ipſo ſolo contenti eſſent. Quod etiam ſequutus David
Pſal. 16. dicit, Dominus pars mea, hæreditas mea. Quum
verſ. 5. igitur Judæi defeciſſent à Deo, atque idola ſequuti eſſent, merito Dominus ipſos ea ſibi habere juſſit, atque ſignificavit eos nihil commune ſecum habituros. *Fudiſti libamen.* Pergit in ſuperſtitionibus commemorandis, ſeque ab illis rejectum & abnegatum fuiſſe confirmat: quia tranſtulerint ad falſos deos quicquid ſibi uni proprium eſſe volebat. Poterant autem ad ſingula Prophetæ verba excipere Judæi, nihil aliud ſibi in animo propoſitum eſſe, quam ut Deum colerent. Sed Propheta vanos ejuſmodi & ineptos prætextus non moratur. Provocatur enim ira Dei commentitiis cultibus: & quo diuturniores & magis aſſidui fuerint, eo magis accenditur. Hinc diſcamus quanta ſobrietas tenenda ſit in cultu Dei, ut à ſolo ejus verbo pendeamus. nam qui vel minimum deflectet, non ſolum operam luſurus eſt, ſed iram Dei accendet, cujus majeſtatem impie violat, & quantum in ſe eſt, imminuit. *Oblectationem capiam.* Poteſt etiam verti, Pœnitentia ducar: atque hæc magis recepta lectio eſt, quod velit cauſam oſtendere cur pœnas de populo ſumat. acſi diceret, An ego quum hæc ſcelera ulciſcar, pœnitentia duci potero? Tamen ea lectio quam ſequutus ſum, mihi convenientior videtur, An oblectationem capiam, vel conſolationem ex his ſacrificiis quæ mihi obtuliſtis? quia ſcilicet delicias ſibi facere ſolent idololatræ in ſuis commentis: finguntque ea omnia quorum inſana cupiditate ardent, Deo ſimul jucunda eſſe. Neque ſupervacanea eſt ejuſmodi interrogatio, quando homines ſimilem ſui Deum arbitrantur, & quod ipſis collibitum eſt, à Deo probandum eſſe. Ipſe vero à ſe probari negat, aut quicquam aliud ſibi placere, quam quod Verbo conſentaneum eſt.

7. *Super montem excelſum.*] Iterum ſimilitudinem illam repetit quam prius attigimus. Scortantur enim ſuperſtitioſi cum idolis ſuis: quia derelicta ſimplicitate Verbi, fidem ſacri conjugii quod Deus cum ipſis iniit, abrumpunt, ſeque Satanæ proſtituunt. Nunc vero plus quiddam exprimere voluit Jeſaias. Nam quum dicit ipſos *Lectum* in ſublimi loco ſtatuiſſe, nihil jam ipſos ſuæ turpitudinis pudere ſignificat: quemadmodum proſtituti pudoris ſcortum, hominum conſpectum non veretur, nec exiſtimationem ſuam curat: ita hi palam & ſine pudore in conſpicuo & eminenti loco ſcortati ſunt. Altaria vero & lucos ſtratis comparat, in quibus execrandum illud flagitium admittitur: homines vero qui in iis ſacrificant, ſcortis impudentibus & deſperatis. neque enim quod alii de lectiſternio afferunt ſatis firmum eſt. In fine verſus abſque figura declarat genus ſcortationis quod reprehendit, quod ſcilicet victimas idolis immolarent. Atqui putabant ſe obſequium illud impendere Deo: Dominus vero repudiat quicquid confingitur arbitrio hominum, atque laſciviam iſtam execratur.

8. *Poſt oſtium.*] Amplificat ſcelus de quo jam dictum eſt, ne ſibi amplius in figmentis ſuis populus blandiatur. Veriſimile autem eſt Jeſaiam alludere ad verba Moſis: quibus præcipiebat Dominus ut ſemper Deut. 11.
Legem ſibi propoſitam haberent, affigerent poſtibus verſ. 20.
domus, deſcriptamque brachiis ſuis, & fimbriis ve- Num. 15.
ſtium involverent, ut aſſidue officii ſui monerentur. verſ. 38.
Contra vero, Judæi inquinabant oſtia & poſtes ædium ſuarum notis idololatriæ, nec ullum apud ſe angulum ab ejuſmodi inquinamentis vacuum aut purum relinquebant. Ita oblivio Dei & Legis paſſim inducta erat. In ejus vero locum ſubſtituerant irritamenta ſuæ libidinis. *Dilataſti lectum.* Iterum repetit quod prius dixerat: atque ad illam clauſulam redit, Judæos cum idolis impuriſſime ſcortari, quum ſe Deum colere putant: quia regulam Verbi non ſequuntur. Idem enim eſt acſi mulier derelicto viro ſe proſtitueret in lupanari, & promiſcue quoslibet admitteret, acſi lectus eſſet lata planities, & capax magnæ turmæ. Propterea eam *diſcoopertam* à ſeipſo dicit: quia rejecto conjugii pudore, ab aliis ſtuprari ſe ac violari paſſa eſt. Deus enim viri locum obtinet, cui ſubjecta eſſe debuerat, ſed novos quæſiit maritos, & conjugii fœdus violavit. Crimen exaggerat quod Judæi ultro ſe obtulerint idolis, acſi proterva mulier cæco impetu virum appeteret. Alia etiam figura præcipitem illum amorem coarguit, quia ſcilicet uno intuitu ſubito & ferventer abrepti fuerint ad quemlibet locum. Arguit interea temeritatem hominum, qui ſe perſpicaces putant in colendo Deo, & locos arbitrio ſuo deligunt. Eſt autem diabolica hæc perſpicacia, quia Dominus oculos noſtros in ſe & Ver-

bum

bum ſuum defixos eſſe jubet, ut ad reliqua omnia occludantur.

9. *Et profecta es ad regem.*] Hic aliud vitium priori affine taxat Propheta. varios enim errores parit impietas, atque in perplexas & graves moleſtias impellit leves animos & timore Dei vacuos: quia æquum eſt agitari, vel potius raptari ſurſum & deorſum qui in Deo quieſcere recuſant. Exprobrat ergo Judæis, quod multum diuque ſe fatigarunt in quærendis ſubſidiis impiorum. nempe dum Aſſyriis opponere Ægyptios tentarunt: deinde ſpe ſua fraudari confugere cœperunt ad Babylonios. Nam ubi alienati ſunt animi à Deo, aliunde ſibi auxilia quærunt, magnoque ſumptu & labore ſibi majores moleſtias accerſunt. Interim dum ſuis Dominus quietem præbet, ut placide peragant opus ſuum, impii ſe fruſtra cruciant, mane ſurgunt, ſero cubitum eunt, comedunt panem doloris, ut dicitur Pſal. 127. nec tamen hilum proficiunt: quia Deo auctore vel auſpice nihil agunt. Hanc vero pœnam ipſis infligit Dominus, ut incerti & dubii perpetuo vagentur, & fluctuent, nec unquam animo conquieſcere poſſint.

Pſal. 127. verſ. 2.

10. *Fatigata es.*] Significat homines ſupervacaneos & inanes labores ſuſcipere, quum Deum non ſequuntur. Fruſtra enim ſe torquent, ſicuti jam dictum eſt: quia nunquam proſpere ſuccedere poteſt quod adverſo Deo tentatur. Et ſalſe deridet perverſa eorum ſtudia qui ſatagendo ſe totos conſumere malunt, quam compoſite progredi quo Dominus vocat. *Deſperatum eſt*: id eſt, Tametſi videas irritos eſſe labores tuos, tamen obſtinato pergis animo, atque inſtituta tua perſequeris: atqui ubi male cedunt conſilia ſua ſtultis, pœnitentia duci ſolent. Obſtinatos igitur & deploratos homines eſſe oportet, ubi malo & infelici rerum ſucceſſu non moventur, ut aliquando ſecum cogitent, Quid agis? Hanc pervicaciam attingit Jeremias: ſed aliis verbis: nam Judæos adeo præfractos fuiſſe tradit, ut dicerent actum eſſe: nempe, Sequemur cogitationes noſtras: hoc conſtitutum eſt apud nos: nec immutari poteſt noſtra ſententia. Hic vero perſtringit ſtuporem illum quo ſic erant attoniti, ut ſtultitiam ſuam agnoſcere, & pœnitentia ducti curſum reflectere non poſſent. *Inveniſti vitam.* Vitam hic nonnulli pro Victu accipiunt: acſi diceret Propheta, Perinde gratus tibi fuit hic labor, acſi victum tibi manu tua comparares. Alii Victum manus, pro Delectatione, aut ſumma voluptate. Atque eodem redit utraque interpretatio. In hoc vero paulo plus eſt difficultatis, an ſerio an ironice loquatur. Nam ſi ſimplex oratio, talis erit ſenſus, Ideo non doluiſti, quia fortuna tibi ad tempus favere viſa eſt. Ubi enim proſpere cedit infidelibus, tunc ſibi magis in ſua infidelitate placent: atque, ut vulgo dici ſolet, Homines ſecunda fortuna excæcantur. verum, id potiſſimum evenit, ubi relicto Deo, viis & inſtitutis ſuis adhærent. tunc enim ſecure Deum contemnunt. Poteſt etiam ironice legi, Qui fit ut non referas gradum ac reſipiſcas? cur non agnoſcis inſaniam tuam? An quia habes vitam in manu tua, & proſpere tibi omnia ſuccedunt? Atque hanc lectionem magis amplector: tametſi alteram non repudio. Satis autem patet ex hiſtoriis Judæos ſibi ob proſperos ſucceſſus applaudere non debuiſſe. Pernicioſum enim & exitiale ipſis fuit fœdus quod cum Ægyptiis primum, deinde cum Aſſyriis, tandem cum Babyloniis inierunt: atque experti ſunt quam temere tales ſocios in auxilium ſuum advocaſſent: ut merito Propheta his objiciat, quod vitam manus ſuæ invenerunt. Amplificat ergo ſocordiam hujus populi ſponte in perniciem ſuam ruentis, atque pervicaciter accerſentis exitium ſuum, quum ſaltem more ſtultorum, accepto malo ſapere debuiſſet.

Jer. 18. verſ. 12.

11. *Et quem reverita es.*] Hic gravius invehitur in Judæos: quod vacui eſſent timore Dei, tametſi jactarent ſanctitatem ſuam, & nomen religionis inane obtenderent. Nec enim ſibi tantummodo placent in ſuperſtitionibus ſuis hypocritæ: ſed etiam à vulgo ſancti & pii exiſtimantur: atque ideo ſuperbe erga Deum & homines ſeſe efferunt, & proterve ſe venditant. Propheta vero pronunciat verum ibi timorem Dei eſſe non poſſe, ubi pure atque ex Verbi regula non colitur. Quicquid enim ſentiant homines de ſpecioſis ſuperſtitioſorum cultibus, mera eſt impietas & inſania. Pronunciat ergo nullum ſui timorem apud ipſos, nullam religionem eſſe, tametſi ſibi magnopere placeant in larvis ſuis. Imo vero ſuis ritibus, tanquam apertis teſtimoniis declarant ſe Deum nec revereri nec timere. Nam & Deus per Moſen teſtatur ſe periculum facere an ex toto corde ametur, quum impios cultus & alienos à ſe per pſeudoprophetas introduci ſinit. Quicunque igitur ad eos transvolant, oſtendunt ſe timoris Dei penitus vacuos eſſe: quia ſi reputarent aliquando coram eo reddendam eſſe rationem, non ita licentioſe calcarent ejus mandata. Dum ſe oblivioni traditum conqueritur, pervicacia magis contra Deum certaſſe quam ignorantia ipſos erraſſe docet: quod quum certam bene vivendi regulam haberent, defecerunt ſponte ab ipſo, & fidem ei datam fregerunt. Quantum hoc ſit fulmen adverſus hypocritas qui omnes minas irrident, atque inanibus velis ſeſe tegunt, diligenter animadvertendum eſt, quum & vacuos timoris Dei, & mendaces, & ipſius oblitos eſſe pronunciat. *An non quia ego diſſimulavi.* Particulam cauſalem hic inſerendam putavi, quæ ſupplenda eſt, ut melius pateat ſenſus Prophetæ. nam qui nihil ſubaudiunt, multum ſe torquent in eliciendo ſenſu. Scimus autem quam frequens ſit Hebræis hæc loquendi forma. Exprobrat Judæis, quod indulgentia Dei & patientia abuſi ſint, qua tamen animi ipſorum molliri debuerant. Sed ea eſt hominum nequitia, ut audaciores reddantur ad peccandum, ac ſibi licere putent quod impune eſt. Itaque in clauſula verſus particulam, ו, pro illativa accipio: Ideo me non times, quod diſſimularim, quum potius bonitate mea frangi debuiſſes. Hinc colligimus Judæos de nimia ſeveritate Dei conqueri non potuiſſe, quum ipſos diu patienter tulerit, ac pejores ea impunitate redditi ſint. quamobrem neceſſe fuit ut aliam omnino perſonam indueret, atque gravius eorum ſcelera ulciſceretur.

Deut. 13. verſ. 3.

12. *Ego annunciabo.*] Declarat Propheta Dominum amplius paſſurum non eſſe id quod antea paſſus eſt, atque aliam ipſi rationem deinceps tenendam eſſe. *Juſtitiam* eorum vocat ironice. Intelligit enim omnes impietates & errores quibus imbuti ac corrupti erant. acſi diceret, Oſtendam qualis ſit juſtitia veſtra. Quamdiu enim diſſimulat Deus, juſti videntur qui injuſtiſſimi atque impuriſſimi ſunt: ubi vero Dominus conſcendit tribunal, educuntur homines è latebris ſuis, atque in medium profertur eorum turpitudo. Itaque ſignificat Propheta ſummas impietates pro juſtitia haberi in mundo, quamdiu diſſimulat Deus: quæ tandem, ipſo conſcendente tribunal, diſcutientur. Poſtquam enim multum diuque ſibi blanditi fuerint homines, tandem ipſum judicem eſſe ſentient. *Nec proderit tibi.* Hoc ad effectum pertinet, ex quo fere ſemper homines judicare ſolent. nec enim judicant ſitne hoc juſtum vel injuſtum: ſed quicquid utile ipſis eſt, id probandum putant. Propheta ergo denunciat pernicioſa fore ipſis omnia opera, ex quibus utilitatem aliquam ſperarunt.

13. *Dum clamaveris.*] Declarat plenius id quod breviter attigerat ſuperiore verſu, ubi ad rem ventum fuerit, eos pudefactum iri: nam potentialis modus in verbo Liberent, tantundem valet acſi diceret, Id facturos non eſſe, Alludit autem ad id quod prius dixerat, Profectus es ad Regem cum unguentis. *verſu 9.* Atque ideo *Collectitios* vocat præſidia omnia quibus Judæi ſe tutos fore exiſtimabant. his enim confiſi, proſtituebant ſe in omni genere vitiorum, quaſi im-

pute ipſis foret, quod undiquaque ſepti ac muniti eſſent. At Dominus oſtendit quam inania ſint ea omnia quæ abſque ipſo colliguntur. Clamor, hic calamitatem denotat, qua affligendi erant. nam fœderibus ſuis & ſociorum ope freti, in ſummo ſe otio fore exiſtimabant, acſi nunquam ante deluſi fuiſſent. Sed pronunciat omnia præſidia quæ ſibi coacervarunt, nihil omnino profutura eſſe. Execranda enim
Jere. 17. verſ. 5. & maledicta eſt illa fiducia quæ derelicto Deo, in rebus externis aut præſidiis hominum locatur. Prius
ſupra 8. verſ. 6. exprobravit populo, quod lenibus aquis Siloë non contentus, rapidos & vehementes fluvios quæreret, à quibus tandem mergeretur. Quod etiam reipſa evenit. nam Aſſyrii & Ægyptii, & tandem Chaldæi, quibus ſe ſocietate junxerunt Judæi, non tantum inutiles ipſis, ſed etiam exitiales fuerunt. Sequitur antitheton, ubi ipſos revocat ad fiduciam Dei, quod remedium malis omnibus opponendum eſt: ſicuti etiam mala omnia ab incredulitate & diffidentia oriuntur. Quod vero ſperantibus in Deum promittitur hæreditas, huc pertinet, Quid aliud quæritis, quam ut ſtetis incolumes, atque hæreditas veſtra ſalva ſit? Meum eſt hoc præſtare. quis enim vos in hanc regionem induxit? quis poſſeſſionem ejus aſſeruit? Et tamen confugitis in Ægyptum: atque inania ab hominibus auxilia quæritis, atque negligitis opem meam. Non dubito quin hæreditatis nomine Judæam intelligat, in qua cupiebant Judæi manere incolumes. Nam poſtea nominat *montem ſanctitatis ſuæ*, in quo videlicet templum ſitum erat. Judæi igitur non tribuebant Domino officium ſuum, quum ad Aſſyriorum aut Ægyptiorum potius quam ad ejus opem confugerent. Hinc colligenda eſt univerſalis doctrina: nempe res noſtras præclare habituras, ſi in Domino ſperemus: quod ſi abjiciamus ejus fiduciam, mirum certe non eſt ſi fluctuemus, atque variis modis agitemur. Quum *montem ſanctitatis* nominat, in quem reducendi ſunt Judæi, ſignificat vitam & omnia ejus commoda per ſe optabilia non eſſe, niſi ut Dominum colamus. Hic enim finis eſt humanæ vitæ, ut ſit aliquis Deo populus à quo pure invocetur. Ergo in cultum & obſequium Dei ſemper defixi ſint oculi noſtri, ſi vitam, aut liberationem, aut alia vitæ commoda optamus.

14. *Et dicet, Sternite.*] Quoniam ridicula videri poterat hæc promiſſio, Poſſeſſuros terram, qui in Domino ſperarent (quum ex ea paulò poſt ejiciendi eſſent) in gratiam piorum qui adhuc reſtabant, ſubjungitur ſecunda hæc promiſſio, qua ſpondet fore ut quamvis ejecti è terra Chanaan, & in longinquam regionem ablegati ſint, in eam tamen reducantur. Occurrit igitur dubitationi quæ oriri poterat: ne pii in duro illo & diuturno exilio animum deſponderent, aut fallacem eſſe promiſſionem Dei exiſtimarent. Nonnulli exponunt, Dominum miſſurum veros & fideles Prophetas, qui Eccleſiam ab offendiculis ſuis repurgent, quæ à pſeudoprophetis & malis ducibus corrupta erat: ſicuti prius exitii cauſam ab iis ortam eſſe oſtendit: atque ita meliorem & optabiliorem ſtatum hic promitti putant. ſed nimis coacta eſt ejuſmodi interpretatio: quare priorem ſequi malo: Quamvis ſcilicet ad tempus terra illa privandi eſſent Judæi, tamen in ipſam reſtitutum iri à Domino, qui vias complanari jubebit, ut ipſos reducat. Convenit autem hic locus cum eo quem prius
ſupra 40. verſ. 1, 2, 3, 4. cap. 40. vidimus: ubi Dominus conſolationem afferri populo ſuo, edici & publicari reditum in Judæam, & vias repurgari jubebat. Nam quum in Babylone, velut in ſepulchro concluſi eſſent, quum longa & difficilis eſſet via, magnaque ſolitudo intercederet, vix ſpes erat ipſos in patriam reverti poſſe. Proinde non leviter hoc ab Jeſaia prætereundum fuit: ut neque interpoſitos montes, nec mare intermedium, nec ulla alia impedimenta reformidarent. Alloquitur autem Cyrum & Darium, quorum mentibus inſpiravit Dominus ut Judæis viam patefacerent ac munirent. acſi diceret, Dominum miſſurum miniſtros, qui nunc ipſis ignoti ſunt, quorum opera viam ſternet, ac populum educet. Et apoſtrophe qua ipſos compellat plus habet vehementiæ, quam ſi in tertia perſona loquutus eſſet. Tolli offendicula jubens, oſtendit nullam eſſe cauſam cur terreantur difficultatibus & impedimentis viarum, quæ Dominus facile tollet, quum ei viſum erit. *E via populi.* In hoc incluſa eſt ſpes reditus, quod Dominus populum ſuum reducem in terra Chanaan iterum locare velit. Ergo quamvis nulla alioqui via eſſet, eam tamen eſſe oportet, perfringique omnia clauſtra & obſtacula: quod Dominus reditum promiſerit, atque ideo ſit dux profectionis.

15. *Quoniam ſic dicit.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam de reſtitutione populi ab exilio: ſed bifariam hic verſiculus exponi poteſt: vel quod Propheta occurrat dubitationi quæ obrepere poterat animis piorum, atque ita recenſeat res inter ſe oppoſitas: vel quod ratiocinetur à natura Dei, ut debiles animos confirmet. Ut hæc clarius exponamus, primum ſcimus his cogitationibus ſæpenumero diſtrahi animos noſtros, Deum quidem in cælo eſſe, ſed magno abeſſe intervallo, ac negligere res humanas, aut deſpicere: denique nullam ei eſſe curam noſtri. Ut Propheta hanc imaginationem corrigat, ait Deum quidem habitare in loco ſublimi: ſed non ideo minus ſpectare hunc mundum ac gubernare providentia ſua. Eſt enim ſollicitus de hominum ſalute: atque habitat cum afflictis, & iis qui contrito ſunt & humili corde, ſicuti legitur Pſalmo 138. Excelſus eſt *Pſal. 138. verſ. 6.*
Jehova, & humilem reſpicit: & aliis locis. Alter ſenſus eſt, quod Propheta oſtendit Deum valde diſſimilem à nobis eſſe. nam ideo trepidamus in rebus adverſis, quod eum modulo noſtro metimur, Qui opem ferret nobis Dominus, qui oppreſſi ſumus? Deinde negligi ſolent & contemni miſeri homines: ita nos apud Deum nullo in pretio eſſe exiſtimamus: quoniam ipſum fingimus ex natura noſtra. Atqui longe aliter de ipſo ſentiendum eſt. ideoque ipſum in cælis habitare dicit: ut ſignificet ipſum humanis affectibus obnoxium non eſſe. Conſtat enim ſibi omni tempore, nec conſilium unquam mutat. Quemadmodum igitur ſemel promiſit reſtitutionem populo ſuo, ita præſtabit. Hic ſenſus mihi non diſplicet: nec priorem rejicio, qui plenior atque uberior eſt: atque convenit cum aliis Scripturæ locis, ubi iſta duo conjungi ſolent: Dominum habitare in cælo, & rerum humanarum curam, præſertim vero filiorum, habere, ſicuti nuper attigi. *Habitans in perpetuitate.* Nos vero inſtabiles ſumus, transferimus huc atque illuc ſtudia noſtra, nec in eum defixi manent animi noſtri, quem ſemel amplexi ſumus. Separat ergo Deum ab hominibus: quia in illum nulla cadit obumbratio: nos vero non ſumus ea conſtantia, ut perpetuo curemus eos qui auxilio noſtro opus habent. *Sanctum incolo.* קדוש, interdum pro Templo accipitur, hic vero pro cælo ipſo. Videmus quorſum Dominus ſe Sanctum & ſancti atque excelſi loci incolam vocet: nempe, ut quantum à nobis differat, & quam diſſimilis naturæ ſit, intelligamus. Eximiam porro hinc conſolationem percipere debemus, quod Dominus miſeris adeſſe velit: imo domicilium ſibi inter ipſos eligat, modo ſcilicet agnoſcant miſerias ſuas. Variis enim calamitatibus premuntur mali: ſed feroces atque elati eſſe non deſinunt. Ii fruſtra propinquum fore ſibi Deum ſperabunt. Oportet enim humiles animos ac vere dejectos eſſe, ſi quid à Deo allevationis expectent. Ergo ad exanimes uſque deſcendit, ut vitam novam inſpirans de integro eos generet. Iterum autem nominatim ſpiritus humilis, & cordis afflicti mentionem facit, ut has promiſſiones ad eos pertinere ſciamus qui in calamitatibus

ſuis præfracti & contumaces non erunt: qui denique ferocia omni depoſita, manſuetos & humiles ſe præbebunt.

16. *Quoniam non in perpetuum.*] Proſequitur eandem doctrinam: quia difficilis hujus rei perſuaſio fuit, quum in duro illo exilio ſentirent ſibi infeſtum eſſe Deum: & vix poſſent guſtum aliquem gratiæ Dei concipere, unde colligerent animos, aut ſublevarent. Occurrit igitur Propheta huic dubitationi: atque oſtendit temporarias fore pœnas quas paſſuri ſunt, nec perpetuo iratum ipſis Deum fore. Deum quidem habere juſtiſſimam iraſcendi cauſam, ſed tamen ceſſurum jure ſuo, ac remiſſurum quod exigere potuiſſet. Conjungit itaque iram Dei cum moderatione qua ſublevat fideles, ne animis frangantur. Nam etſi ratiocinatur à Dei natura, tamen ad Eccleſiam peculiariter dirigitur hæc promiſſio. Hujus ergo ſententiæ in extremis anguſtiis ſemper meminiſſe debemus, ne infeſtum nobis Deum, aut perpetuo litigaturum eſſe nobiſcum arbitremur. Quod autem iraſci Deum tradit, per conceſſionem loquitur, & pro ſenſu carnis noſtræ: quia non aliter in ærumnis noſtris Deum concipere poſſumus quam nobis iratum. Et prodeſt etiam hoc ſenſu tangi, qui nos ad pœnitentiam erudiat. Ad captum igitur noſtrum ſolummodo non ad Deum hæc loquendi forma referri debet. *Nam ſpiritus.* Reddit rationem cur perpetuo litigaturus non ſit. Sunt autem variæ hujus loci interpretationes. Inter alias hæc congruentior videtur: Spiritum videlicet indui corpore, tanquam veſte. unde etiam corpus, tabernaculum & veluti domicilium ſpiritus vocatur. Si hanc ſignificationem recipimus, duplex erit ſenſus. nonnulli enim hunc locum de ultima reſurrectione exponunt: Spiritus *induetur*, id eſt, poſtquam exierit à corpore, iterum in ipſum, velut in domicilium ſuum redibit. Ita erit argumentum à majore ad minus, Ego mortua corpora ſuſcitabo: cur ergo vos, tametſi ſemimortuos, in meliorem vitam non reſtituam? Alter ſenſus, quem ſequuntur & alii, ſimplicior erit ac melior. Remotior enim videtur à contextu illa interpretatio de ultima reſurrectione. Ego circumdedi corpore ſpiritum, acſi diceret, Ego homines creavi: habebo igitur ipſorum curam. Ego vero Prophetam exiſtimo altius conſcendere. Docet enim Dominum tam clementer atque indulgenter nobiſcum agere, quod perſpectum habeat quam debiles atque infirmi ſimus: quemadmodum etiam aliis Scripturæ locis
Pſal. 103. oſtenditur: ut Pſalmo centeſimo tertio, Quemad-
v. 13.14. modum pater miſeretur filiorum, ita Dominus timentium ipſum. Novit conditionem noſtram, recordans quod pulvis ſumus. Hominis ætas fœno ſimilis eſt, floretque ut flos in agro. Idem etiam
Pſal. 78. Pſalmo ſeptuageſimo octavo, Ipſe tamen ad miſeri-
v. 38.39. cordiam propenſus, propitius fuit iniquitati eorum, nec diſperdidit eos: & ſæpenumero revocavit iram ſuam: nec omnem excandeſcentiam ſuam excitavit, memor quod caro eſſent ipſi, & ventus qui abit, nec redit. Idem mihi videtur hic velle Propheta. acſi diceret Dominus, Nolo experiri vires meas cum flatu aut ſpiritu, quaſi cum herba aut folio quæ protinus evaneſcent, ſi ardorem Solis perſenſerint. יעטף nonnulli exponunt Deficiet: & ſatis quadrat huic loco. Spiritum enim noſtrum deficere neceſſe eſt, ubi Dominus potentiam in nos ſuam exerit. Ut autem verborum ſignificationes in medio relinquamus, ſatis conſtat nobis conſilium Prophetæ. Oſtendit enim ideo nobis indulgeri à Deo, ac minus ſevere agi in corrigendis vitiis noſtris, quod infirmitatis noſtræ rationem habeat, eamque ſuſtinere ac ſublevare velit.

17. *Propter iniquitatem.*] Hic conqueritur de obſtinata populi malitia: atque oſtendit Dominum juſtiſſimam habuiſſe cauſam cur ipſum ſic puniret: ita ut de immodica ejus ſævitia conqueri non poſſit. בצע, alii Cupiditatis, alii Avaritiæ vertunt. Si Avaritiæ: ſynecdochica loquutio erit: ſpecies pro genere. eſt enim fons unde mala omnia oriuntur. Sed 1 Tim. 6.
generaliter accipere poſſumus pro omni cupiditate. verſ. 10.
quod enim multis & variis vitiis laborarent Judæi, ideo Dominus iratus eſt: atque pœnas ipſis graves inflixit. Nominatim vero concupiſcentiæ mentionem facit, ut ſignificet non ideo luiſſe pœnas, quod palam eſſent improbi, ſed coram Deo. Hoc enim ſufficit ad reatum, quod Deus judex animorum ſit: nec tantum in externa ſcelera, ſed etiam in pravos affectus & cupiditates animadvertat. Cæterum jure plecti admonet, ut culpæ conſcii ſuppliciter veniam deprecentur. *Percuſſi eum, abſcondi.* Significat gratiam ſuam ad tempus quodammodo remotam & abſconditam fuiſſe. Loquitur autem ex ſenſu hominum: quod infenſum nobis & adverſum Deum apprehendamus quum ulciſcitur ſcelera noſtra: ſicuti jam dictum eſt. Atque ita à nobis apprehendi ipſum ac concipi neceſſe eſt, ut in veram peccatorum noſtrorum agnitionem veniamus. nunquam enim ipſa ſerio agnoſceremus, nec pungeremur, niſi reputaremus ipſi nobiſcum, atque intelligeremus iram Dei à nobis provocatam eſſe. Verum ut nobis expedit hoc modo ad pœnitentiam inſtitui, rurſus cavendum eſt, ne ſi averſum à nobis Deum fingamus & inexorabilem, triſtitia nos abſorbeat. Hos ergo immodicos horrores temperat Propheta, vetatque Deum ex ingenio noſtro æſtimare. quamvis enim pœnas de nobis ſumat, non deſinit paterno affectu & amore proſequi quos ſemel complexus eſt. *Ipſe autem.* Hæc eſt pervicacia quam Propheta reprehendit & accuſat, quod populus nihilo melior redditus ſit, ac perſtiterit in nequitia ſua. Oſtendit enim deſperatos eſſe, quod extrema remedia quæ Dominus expertus eſt, eos in viam reducere non potuerint.

18. *Vias ejus vidi.*] Hic Dominus ex adverſo amplificat miſericordiam ſuam, quod iſti populo, tametſi obſtinato & pervicaci, ſit propitius, eumque gratia & miſericordia ſua præveniat. acſi diceret, Ego populum hunc flagellis meis ad pœnitentiam revocare niſus ſum: quum præceps in cupiditates ſuas rueret: ſed contumacem & indomitum ſe præbuit: nihil profeci. Poſſem equidem merito ipſum perdere: ſed ſanare & conſervare malo. Hoc autem fieri non poteſt, niſi ſumma & incomparabili miſericordia. Deſinam ergo in ipſum animadvertere. Proinde gradatim amplificat miſericordiam Dei, quem velut medicum inducit conſiderantem quæ remedia ſanando huic populo aptiſſima ſint. Inſanabiles autem ſunt morbi noſtri, niſi nos miſericordia ſua Dominus præveniat. Nulla quantumvis gravia flagella nos ad reſipiſcentiam cogent, niſi Dominus Spiritu ſuo nos impellat. Sequetur enim major pervicacia, atque obſtinatiores reddemur. Itaque in populi hujus exemplo humani generis imaginem contemplari licet: ut quæ ſit pervicacia & contumacia noſtra in Deum, & quæ remedia morbis noſtris curandis neceſſaria ſint, planius intelligamus: quod morbidi & fere perditi ſanamur, reducimur in viam, deinde in ea perſtamus. Significat autem hoc totum proprium Dei opus eſſe, ut pergamus in recto curſu. Hinc ſequitur conſolatio. Quod ſi deſit pœnitentia, nulla ibi fides, nulla conſolatio eſſe poteſt. qui enim ſibi non diſplicent in vitiis ſuis, nihil aliud quam iram Dei, terrores & deſperationem concipere queunt. Contextus ergo Prophetæ notandus eſt, qui ſanationi conſolationem non temere ſubjungit. Quorum enim curati ſunt morbi, ſimul animi lætitiam & conſolationem percipiunt, qua fuerant privati. Ubi vero adjungit *lugentes*, videtur ſpecialiter notare pios, qui numero pauci erant: ut ſatis conſtat ex Prophetarum querimoniis, qui in ſtuporem quo paſſim correptus erat populus

lus invehuntur. Eos ergo deſignat quos in communi reatu ſerius dolor ad luctum cogebat, & qui non modo populi mala deflebant, ſed anxie gemebant ſub onere iræ Dei: quum alii ſecure deliciarentur.

19. *Creo fructum.*] Explicatio eſt ſuperioris ſententiæ, qua videlicet ratione Dominus conſolationem huic populo præbebit: hoc eſt, quia pacem ei promittet atque offeret. Nam per *fructum labiorum* ſignificat ſe effecturum ut ipſi audiant lætos nuncios de pace, à quibus exhilarentur. Mihi enim loqui videtur de publicatione pacis, quod miniſterium Prophetis commiſſum erat: ac deinde Apoſtolis & aliis miniſtris Euangelii mandatum eſt: ſicuti docet Paulus, ipſos legatione fungi pro Chriſto, ad reconci-
2 Cor. 5. verſ. 20. liandos homines Deo. Repetitio in voce Pacis non modo ad certitudinem, ſed continuum etiam tenorem notandum valet. acſi diceret, Nihil nunc auditis præter horribiles minas. Silet doctrina gratiæ & ſalutis: quia non eſtis capaces. Ea eſt contumacia veſtra, ut terroribus & minis vobiſcum agendum ſit. Sed aliquando reſtituam doctrinam pacis: & labia Prophetarum aperiam, qui ipſam vobis annuncient. *Longinquis.* Hoc ideo additum eſt, quod populus qui in exilium abductus erat, hæc ad ſe pertinere non putaret, quia longe aberat: ſed ad eos fortaſſe qui domi erant. Nam exilium erat veluti ſpecies abdicationis. Atqui denunciat Propheta, quantumvis longe diſſiti ſint, hujus tamen gratiæ fore participes. Finis demum vel effectus additur, quod velit Deus populum ſanare, hoc eſt, ſalvum præſtare & incolumem. Unde colligimus quod nuper attigi, quicquid ad plenam & ſolidam Eccleſiæ felicitatem pertinet, merum eſſe Dei donum. Paulus videtur
Epheſ. 2. verſ. 17. hunc locum attigiſſe, Epheſ. 2. ubi dicit Chriſtum attuliſſe pacem iis qui prope, & iis qui procul. Loquitur autem de Gentibus & Judæis. nam Judæi propinqui erant: propterea quod Deus cum ipſis fœdus inierat: Gentes remotæ, quod ab eo fœdere alienæ eſſent. Atqui Propheta de Judæis tantummodo videtur loqui. Reſpondeo, à Paulo retineri verum Prophetæ ſenſum, ſi modo rite omnia expendantur. Ideo enim longinqui dicuntur hoc loco Judæi, quod Dominus videretur ipſos è domo ſua expuliſſe: atque in eo ſimiles erant Gentibus. Quum igitur abdicationis illius tempore, nihil inter ipſos & Gentes diſcriminis eſſet: merito Paulus, velut in eodem gradu utroſque locans, illos Gentibus adæquavit: atque ita iis accommodavit quod Propheta de Judæis protulerat. ſicuti non abſimili modo alibi locum Hoſeæ ad Gentes transfert.

Rom. 9. verſ. 25. Hoſea 1. verſ. 10. 20. *Impii autem.*] Quum prius de pace loquutus ſit, qua pii fruentur: impiis contra bellum aſſiduum & perpetuas animi exagitationes atque perturbationes denunciat: ut ſcilicet pii inſigne pacis beneficium pluris æſtiment: deinde, ut reprobi ſciant ſic filiis Dei promitti pacem, ut nihilo melior eorum conditio futura ſit. Quoniam autem reprobi falſo obtendunt nomen Dei, & inaniter in eo gloriantur, Propheta oſtendit nullam eſſe cauſam cur ſibi hujus promiſſionis nomine placeant, aut quicquam ſibi arrogent, quum pacis nullo modo participes eſſe poſſint: nec eis quicquam profuturum ſit, quod Deus populi ſui miſertus, ipſum recipiat in gratiam, eique jubeat pacem nunciari. *Tanquam mare.* Elegans eſt iſta Maris ſimilitudo, & aptiſſima ad explicandam inquietudinem impiorum. nam in ſeipſo turbatur mare: tametſi à vento non impellitur, tempeſtatibus horrendis agitatur: fluctus reciproci ſibi in eo bellum mutuo gerunt, & facto gravi impetu, ſeſe frangunt. Eodem modo impii turbantur inteſtino malo, quod in ipſorum animis defixum eſt. Terret enim & conturbat ipſos conſcientia: qua nullum gravius tormentum, nullus ſævior carnifex eſſe poteſt. Furiæ agitant & inſectantur impios non ardentibus tædis, ut in fabulis, ſed angore conſcientiæ, & fraudis cruciatu. nam ſua quemque fraus, & ſuus terror maxime vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſuæ malæ cogitationes, conſcientiæque animi terrent. Aptiſſime igitur impios proceloſo mari & turbulento comparavit. Quiſquis autem has perturbationes, & diros animi cruciatus effugere vult, pacem quam Dominus ipſi offert, ne rejiciat. Hic nihil medium eſſe poteſt. niſi enim abjectis cupiditatibus hanc pacem admiſeris, angi te miſere ac cruciari neceſſe erit.

21. *Non eſt pax.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam: nempe reprobos fruſtra paci quærendæ daturos operam, quia ubique bellum ipſis occurret. nempe Deus eſt qui bellum denunciat: nullus igitur eſt paci locus. Impii quidem pace frui vellent, eamque vehementer optant. nihil enim magis cupiunt quam ſecuri eſſe, & ſopire conſcientias ſuas, ut libere delicientur, & vitiis ſuis indulgeant. Repellunt cogitationes de judicio Dei ſtuporemque & indolentiam accerſunt, eaſque optimas rationes & vias pacis eſſe putant: ſed nunquam ipſa fruentur. Donec enim reconciliati fuerint Deo, conſcientia ipſorum iis moleſta eſſe, ac bellum gerere non deſinet. Deum ergo unicum pacis auctorem inducit, qui horribili denunciatione delicias extorqueat Judæis: & Deum ſuum vocat adverſus inanem jactantiam illorum qui falſo nomen ejus obtendebant. Nec enim poſſunt agnoſcere Deum, quamdiu Prophetam ejus & doctrinam reſpuunt. Ideo Propheta intrepide pronunciat ſe mandatum habere à Deo, ut bellum ipſis perpetuum indicat.

CAP. LVIII.

**CLama in gutture, ne cohibeas: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia po-
pulo meo peccatum ſuum, & domui Jacob iniquitatem ſuam.**
**2. Me tamen quotidie quærunt, & ſcire vias meas volunt: quaſi gens quæ
juſtitiam fecerit, & judicium Dei ſui non intermiſerit: ſciſcitantur ex me judi-
cia juſtitiæ, appropinquare Deo volunt.**
**3. Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciiſti?
Ecce quo die jejunatis, invenitis voluntatem, & omnes facultates veſtras exigitis.**
**4. Ecce, ad litem & contentionem jejunatis: atque ut percutiatis pugno impio. Ne
jejunetis ſicut hodie, ut audiri faciatis in excelſo vocem veſtram.**
**5. An tale eſt jejunium quod elegi? ut die affligat homo animam ſuam, & quaſi juncus
demittat caput ſuum, ſternat ſaccum, & cinerem? An hoc vocabis jejunium, & diem gra-
tum Jehovæ?**
**6. Annon hoc eſt jejunium quod elegi? ſolvere colligationes impias, diſſolvere faſci-
culos graves, oppreſſos dimittere liberos, atque ut omne jugum abrumpatis?**
**7. Annon ut partiaris eſurienti panem tuum, & pauperes vagos inducas domum? Si
videris nudum, operias eum, & à carne tua ne te abſcondas?**

8. Tunc

8. **Tunc proferetur ut aurora lux tua: & ſanitas tua protinus germinabit: juſtitia ante-**
ibit faciem tuam, & gloria Jehovæ colliget te.
9. Tunc invocabis, & Jehova exaudiet: clamabis, & dicet, Ecce adſum: ſi abſtuleris è
medio tui onus, & emiſſionem digiti, & ſermonem * vanitatis. ** vel. inutilem.*
10. Si effuderis famelico animam tuam, & animam afflictam ſatiaveris, orietur in tene-
bris lux tua, & caligo tua erit ſicut meridies.
11. Et deducet te Jehova ſemper, & ſaturabit in ſiccitatibus animam tuam, & oſſa tua
ſaginabit. Et eris quaſi hortus irriguus: & ſcaturigo aquarum, cujus aquæ non deficiunt.
12. Et erunt ex te qui inſtaurent deſerta ſeculi: fundamenta generationis & generatio-
nis excitabis. Et vocaberis rupturæ reparator, director ſemitarum ad inhabitandum.
13. Si averteris à ſabbatho pedem tuum, nec facias voluntatem tuam in die ſancto meo,
& vocaveris ſabbathum delicias ad conſecrandum Jehovæ, eo quod ſit honorabile, &
honorem illi tribueris, ut non exequaris vias tuas, nec inveniatur voluntas tua, nec loquu-
tus fueris verbum:
14. Tunc delectaberis in Jehova, & equitare te faciam ſuper excelſa terræ: & paſcam te
hæreditate Jacob patris tui: quia os Jehovæ loquutum eſt.

CLama.] Male fuit diviſum hoc caput: quoniam hæc ſuperioribus cohærent. Quare, ſi tenere mentem Prophetæ velimus, ſic à nobis hæc legenda ſunt, acſi nulla ſectio facta eſſet. Teſtatus eſt Propheta ſic puniendum eſſe populum, ut tamen pacis ſpes reliqua eſſet: deinde impiis qui ſupino faſtu Deum eludunt, bellum perpetuum indixit. Nunc confirmat eam doctrinam: ac divinitus ſibi has partes docet eſſe injunctas, ut *clamet gutture*, hoc eſt, quod vulgo dicimus, *à plein goſier*. Quorſum id? nempe ut annunciet populo peccata ſua. Non loquitur de ſola contentione vocis, ſed vehementiam Verbi & ſeveritatem intelligit, qua maxime hypocritæ opus habent, acſi Deus fulmina è cælo jacularetur. Sibi enim placent in vitiis ſuis, niſi arguantur ſeverius, atque in lucem pertrahantur: imo niſi violenter proſtrati cadant. Quod addit, *Ne cohibeas*, modus eſt loquendi valde tritus Hebræis: Loquor, & non taceo. Vulgo dicimus, *Crie ſans eſpargner*. Diximus Prophetam non loqui de ſimplici vocis ſono, ſed objurgationem ſeveram & aſperam ſignificare, qua hypocritas percelli operæpretium eſt. Exempli gratia, Si Prophetæ de Lege Domini ſolum verba facerent, atque oſtenderent quæ ſit regula bene & ſancte vivendi: commendarent cultum Dei, vitia quoque reprehenderent nulla adhibita vehementia, quid efficerent apud hypocritas, quorum conſcientia ſic ſopita eſt, ut nequeat niſi admotis aculeis excitari? Itaque ſimplex docendi ratio non ſufficeret, niſi acrius inſtarent, atque fulmina verborum in ipſos contorquerent.
Rom. 2. verſ. 17.
Paulus etiam imitatus Prophetas, poſtquam univerſum genus hominum damnavit, majore vehementia inſurgit in eos qui ſpeciem aliquam ſanctitatis præ ſe ferebant, & abutebantur patientia Dei: Ecce, tu Judæus cognominaris, & acquieſcis in Lege, & gloriaris in Deo, & noſti voluntatem, ac probas eximia, inſtitutus ex Lege: confidiſque teipſum ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis & veritatis per Legem. Qui igitur doces alium, teipſum non doces: qui prædicas non furandum, furaris, &c. Talibus judicium Dei & horrendam ultionem denunciat: quod bonitate ejus abuſi ſint, atque inaniter ejus nomine ſe jactent. Ita hoc loco Propheta nominatim adverſus Judæos ſtylum ſtringit, qui Dei nomine gloriabantur, ſe tamen adverſus ipſum efferebant. Hæc igitur ratio tenenda eſt adverſus hypocritas, qui inanem præ ſe ferunt ſpeciem ſanctitatis, ſi modo rite atque utiliter officio noſtro fungi velimus. Quemadmodum Dominus hoc belli genere exercuit Prophetas, ita & nos hodie exerceri neceſſe eſt. ne diſſimulemus, aut perfunctorie arguamus ipſos: ſed omni contentione invehamur. Objici poſſet, Si Dominus jubet argui peccata populi, cui promittit pacem: dubium non eſt quin reliquam voluerit ei facere ſpem ſalutis. Et tamen certum eſt iſta reprobis, quibus antea bellum indixerat, deſignari. Reſpondeo, tunc pios exiguo fuiſſe numero. pauci enim oblatam ſibi pacem amplectebantur. Quum ergo propinquæ pacis ſpem facit Jeſaias, exiguum illum gregem ſpectat: quum bellum indicit, multitudinem terret, quæ aliena erat à Deo, omniaque monita contemnebat. Is enim erat populi ſtatus, ut vix quicquam puri aut integri maneret, quemadmodum cap. 1. vidimus.
ſupra 1. verſ. 21.
Merito igitur nominavit *domum Jacob*, quum major populi pars corrupta eſt. ac ſedulo in Prophetis notanda eſt hæc diſtinctio, quod nunc voces ſpargunt in totum vulgus, nunc ſermonem reſtringant ad paucos fideles. nec vero abſque ſalſa & amara ſubſannatione populum ſuum & filios Jacob nominat, qui ab origine ſua exciderant, & turpiter deſciverant à Patrum fide. Quare ironica eſt conceſſio. acſi diceret nullam prærogativam obſtare quo minus audiant quod merentur.

2. *Me tamen quotidie quærunt.*] Hic omnem obloquendi materiam adimere voluit hypocritis, quibus exceptiones iſtæ in promptu erant, Nos timemus Deum, colimus, amamus, atque eum quærimus toto affectu. cur nos tanquam impios objurgas? nam inſtituere vitam noſtram volumus ex præſcripto Legis. Ut occurrat huic exceptioni, negat quicquam ab ipſis pure aut ſincere agi: omnia ficta eſſe & ſimulata: itaque nullius eſſe momenti apud Deum, qui integrum animum requirit.
Gen. 17. verſ. 1.
Notandus eſt hic ordo quem Propheta ſequutus eſt: poſtquam enim bellum denunciavit impiis & hypocritis, ſevere jam ipſos arguit: atque prætextus adimit, & fucos quibus ſe obtegebant. Sic enim tractandi ſunt hypocritæ, & velut educendi è latebris: quia nihil apud ipſos alioqui doctrina proficere poſſet. Nec tantum hic ordo piis doctoribus tenendus eſt: ſed unuſquiſque in uſum ſuum hanc docendi rationem accommodare debet, ne ſibi placeat, aut vitiis ſuis blandiatur: ne fucum ſibi faciat, aut præſtigiis Satanæ illudi patiatur. Integrum ergo & purum animum afferat, ſi proficere in doctrina Verbi, & Deo gratus eſſe velit. Etſi autem perfidis & mendacibus concedit Jeſaias aliquam ſanctitatis ſpeciem: rurſus tamen amarulenta figura eos perſtringit, acſi diceret in eorum improba jactantia nimis craſſam eſſe fraudem. Ita non ſimplex ironia eſt, ſed conjuncta ſimul eſt expoſtulatio, quod Deum in ſpeciem promereri ſatagunt. verum, ſi quis propius examinet ipſos, & totam eorum vitæ rationem expendat, animos longe alienos à Deo eſſe intelliget. *Sciſcitantur ex me.* Qui his verbis putant hypocritas expoſtulare cum Deo, & inſurgere in ipſum, quaſi litem cum eo ſuſcepturi,
Pro-

Digitized by Google

Prophetæ mentem aſſequuti non ſunt. Id quidem fieri paulo poſt fateor. ſed antequam eo deſcendat, larvam fictæ pietatis illis detrahit. Poſtquam ergo dixit eos quotidie Deum quærere, acſi nulla illis eſſet potior cura quam pietatis: pergit in eadem ſententia, ac dicit ipſos ſciſcitari judicia, ut Deum colant, & teneant regulam bene vivendi, nempe dum ſimulant ſe ardere ſtudio pietatis. Et ſane Propheta hic præcipua fidelium exercitia recenſet, quæ interdum oſtentant impii. Hoc autem in pietate ſummum eſt, inquirere de voluntate Dei, ut vitam noſtram ad ejus regulam inſtituamus: pendere ab ore ipſius. Sed ita filios Dei mendaciter æmulantur hypocritæ, ut quæ ad verum Dei cultum pertinent tenere, atque interdum optimos quoſque ſuperare videantur.

3. *Quare jejunavimus.*] Progreditur ulterius in eodem argumento: & dicit fictos ac præpoſteros Dei cultores non modo excæcari ſua ſimulatione, ſed etiam turgere faſtu, ut audeant palam obſtrepere Deo, & ubi durius ipſos urget conqueri, acſi magna ipſis fieret injuria, An rejicis obſequia noſtra, jejunia & preces? cur tibi grata non ſunt? an fruſtra nos torquemus? Conceſſit, ut jam dictum eſt, hypocritis quandam ſanctitatis ſpeciem, qua homines fallunt: ſed nunc intus ſuperbia quoque inflatos eſſe & ebrios ſignificat, quum ficta habent opera, quibus Deo ſatisfieri putant: atque eo prætextu adverſus Prophetas efferuntur, ſibique in maximis vitiis indulgent: qualia ſunt, incredulitas, rebellio, & contumacia in Deum: diffidentia, crudelitas, fraudes, rapinæ. Hæc levia ſunt apud ipſos: atque jejuniis aut aliis exercitiis externis facile eluuntur. nam ea ſunt præclara ipſorum merita in quibus cultum Dei conſiſtere putant, & unde ſperant ſcelerum
Mat. 23. verſ. 24. omnium expiationem. Ita excolant culicem, atque integrum camelum deglutire non dubitant. Si tales fuiſſent ſoli Judæi, & mundus ingenium mutaſſet, procul nobis quærenda eſſent exempla: ſed quum idem quotidie experiamur, non eſt quod multum in expoſitione hujus loci laboremus. Porro querimonia hæc referri poteſt tam ad verbum, quam ad manum Dei. Dominus enim utroque modo judicat hypocritas. Arguit enim verbo, & pœnas ſumit de obſtinata malitia ipſorum. Ergo tam ad ferulas, quam ad ſuperiorem objurgationem hæc referri poſſunt. Ego vero libenter de verbo interpretor, ut objurget hypocritas, qui jactabant jejunia ſua, eaque reprehenſionibus Prophetarum opponebant: acſi veri eſſent cultores Dei, atque immerito traducerentur. Nam ab iis diſſentio qui populum expoſtulare cum Deo exiſtimant, quod durius in exilio tractetur. Potius conqueri mihi videtur de Prophetis, quod ſeverius ipſum & vehementius objurgarent. Judæi enim volebant pii & religioſi haberi: nec poterant æquo animo ferre, quod impietatis & nequitiæ damnabantur. Ideo Propheta detegit affectus ipſorum, atque oſtendit bellum ab iis ſuſcipi cum Deo, ne quid ſibi privati negotii cum ipſo eſſe putent. Secunda parte verſus refellit in Dei perſona quas hypocritæ virtutes ebuccinant: quia ſcilicet non exuant interea pravos carnis affectus, neque incipiant à ſui abnegatione. hoc enim maxime damnat, quod ſuis deſideriis addicti ſint: deinde ſpecies quaſdam vitiorum enumerat. unde colligere promptum fuit, nulla reſipiſcendi cura eorum cor tangi.

4. *Ecce, ad litem.*] Hic verſus cum fine ſuperioris conjungi debet. nam quum priore membro induxiſſet hypocritas conquerentes de vehementia & aſperitate Prophetarum: poſteriore rationem reddidit, cur eorum jejunia, aliaque opera Dominus averſetur, quod ſcilicet à puro animi affectu non prodeant. Oſtendit autem qualis eorum animus ſit, à fructibus. nam revocat ipſos ad officia ſecundæ Tabulæ, ex quibus facile deprehenditur quales ſimus. Animi enim puritas in eo ſeſe oſtendit, quum vivimus innocenter, atque ab omni fraude & injuria abſtinemus. Hæc ſunt puri affectus indicia, ſine quo Dominus omnes externos cultus reſpuit, imo execratur. Ubi vero fraudes, rapinæ, injuriæ vigent, ibi nullum Dei timorem eſſe certiſſimum eſt. Exprobrat ergo hypocritis, quod ex jejuniis majorem captant licentiam peccandi: atque eo magis cupiditatibus ſuis obſequuntur. Hoc quotidie experimur. nec enim ſolum jejunant plerique ut expient fraudes & latrocinia ſua, ac liberius prædentur: ſed etiam ut jejunii tempore plus otii habeant ad expendendas rationes ſuas, perlegenda inſtrumenta, & ſupputanda fœnora, & comminiſcendas rationes quibus obæratorum bona ad ſe attrahant. Quare ſæpius hunc laborem in Quadrageſimæ tempus & ſtata jejuniorum tempora rejiciunt. quemadmodum alii inſignes hypocritæ plures Miſſas quotidie audiunt, ut liberius & ſine ulla interpellatione, ſub religionis prætextu, fraudes & proditiones ſuas moliantur. Tandem jejunia eorum, utcunque pretioſa ab ipſis ducantur, repudiat: quia hoc modo ira Dei magis provocetur. continuo poſt preces etiam rejicit. unde apparet ſicuti fuſius diſſeruimus capite primo, nulla ſup. 1.
officia abſque ſincera cordis integritate Deo probari. verſ. 11.
Nullum certe ſacrificium excellentius eſt invocatione Dei: videmus tamen ut preces omnes vitiet, ac contaminet impuritas cordis. Cæterum, quia jejunium orationi conjungi ſolet: id pro confeſſo ſumit Propheta. Eſt enim appendix orationis. Vetat igitur ab ejuſmodi hominibus inſtitui ſolennes preces cum jejunio: quia nihil aliud proficient, quam ut pœnas graviores Dominus de ipſis ſumat. Atque hinc colligimus (quod jam antea dictum eſt) Dominum externa opera non morari, niſi præluceat verus ejus timor. Jejunium quale Judæis in uſu erat, hic per ſe non improbatur, quaſi ſuperſtitioſus ritus: ſed abuſus jejunii, & prava fiducia. Quod diligenter notandum eſt: quia nobis longe aliter agendum eſſet cum Papiſtis, ſi ipſorum jejunia reprehenderemus. Nihil enim præter ſuperſtitionem continent, quum huic aut illi diei, aut certis temporibus alligata ſint, quaſi reliquo tempore ingurgitare ſeſe liceat: quum putant carnem immundam eſſe, atque interea quaſvis delicias ſibi permittunt: modo ſemel tantum ſe ingurgitent die jejunii, egregie ſe functos eſſe arbitrantur. Quum igitur nihil omnino ſit in iis quod probari queat, ſimpliciter à nobis damnari poſſunt: ſed alia fuit hæc diſputatio. Jejunium enim quod obſervabant Judæi, per ſe probandum erat, quoniam à Deo inſtitutum: ſed falſa opinio reprehendenda. In Papiſtis vero, & falſa opinio, & inſtitutio ipſa, quum perverſa ſit, damnanda eſt. Hoc commune habent Papiſtæ cum Judæis, quod eo ſe defungi coram Deo, & meritorium opus eſſe putent. At jejunium cultus Dei non eſt, nec per ſe ab ipſo requiritur: quemadmodum ea opera quæ in Lege præſcribit: ſed externum exercitium eſt, quod orationi ſubſervit, aut domandæ carni utile eſt, aut teſtificandæ humiliationi noſtræ: quum velut rei, iram Dei in adverſis rebus deprecamur. Sed de uſu jejunii & fine ipſius vide plura in noſtra Inſtitutione. cap. 8.

5. *An tale eſt.*] Confirmat ſuperiorem ſenten- ſect. 200.
tiam: atque oſtendit jejunium per ſe neque appeti à & 9.
Deo, nec probari: ſed quatenus in verum finem di- ſect. 11.
rigitur. Noluit autem ipſum penitus abrogari, ſed perverſum uſum: quod ſcilicet in eo ſtatuerent cultum Dei: ac poſthabita vel etiam neglecta vera pietate, corporale exercitium ſufficere putarent. ſicuti ſemper hypocritæ externos ritus quaſi piacula obtrudunt ad placandum Deum. Porro quia homines pro ſua temeritate definiunt cultum Dei, diſerte nos hic revocat ad ſuum arbitrium: ne quicquid rectum judicat ſenſus noſter, ab ipſo probari exiſtimemus.

mus. Quamvis enim ſibi placeant, miroque ſupercilio elati ſint, & arroganter ſe jactent, Dominus ipſos repudiat, atque execratur: quia jus eligendi ſibi uni vendicat. Porro Eligere tantundem valet ac gratum habere. Negat autem ſe oblectari ſi quis diem unum famelicus tranſigat, deinde incedat triſtis & incurvus. Nam apta ſimilitudine uſus eſt Propheta: quod juncus, quamvis rectus ſit, facile inflectatur: ita hypocritæ ſeſe flectunt, & caput incurvant, quaſi macie confecti: vel oſtentant inanem aliquam ſpeciem humilitatis. Voluit ergo Propheta perſtringere ſuperſtitioſos geſtus, in quibus hypocritæ ſanctitatem aliquam conſtituunt. *Saccum & cinerem.* Hæc etiam annexa erant jejunio: præſertim quum ſolenni ritu pœnitentiam profitebantur. etenim ſe induebant ſacco, & cinere caput aſpergebant. Atqui ſanctum & probatum Deo fuit ejuſmodi exercitium: atque
Joël. 1. videmus Prophetas dum ad pœnitentiam hortantur
verſ. 13. populum, ad ſaccum & cinerem conclamare. Sed quemadmodum diximus hic jejunium per ſe non reprehendi: ita externi hi ritus ab Jeſaia non damnantur, ſed hypocritas objurgat, quod ipſos à veritate ſeparent. Si quæratur, An ſaccus & cinis noſtro tempori conveniant: reſpondeo, res eſſe medias, quibus in ædificationem uti licet. Cæterum in luce Euangelii, quo nobis libertas allata eſt, talibus figuris opus non eſt. Simul obſervandum eſt diſcrimen Orientalium nationum, quæ variis ceremoniis abundant, à noſtris quæ multo ſimplicius ſeſe gerunt. Quod ſi illas imitari vellemus, nihil aliud eſſet quam ſimias agere, aut hiſtrionicam exercere. Nihil tamen prohibet quo minus ſupplicum more ſordidas veſtes induant, quibus propoſitum eſt reatum ſuum fateri. *Diem gratum Jehovæ.* Hinc apparet ſolennibus precibus, quum ſacer conventus haberetur, adhibitum fuiſſe jejunium. nam jejunium, orationis acceſſio eſt: ſicuti jam diximus: quemadmodum videmus etiam
Mat. 17. à Chriſto orationi adjunctum fuiſſe. Non eſt igitur
verſ. 21. inſtitutum per ſe, ſed in alium finem dirigitur.

6. *An non hoc eſt.*] Oſtendit Propheta quæ ſint vera officia pietatis, & quæ nobis potiſſimum à Deo commendentur: nempe, ut miſeros & gravi onere preſſos ſublevemus. Sed videtur in univerſum Propheta jejunium tollere, quum opera recenſet in ipſius locum, quæ Deo longe gratiſſima ſunt. Reſpondeo, jejunium probari, ubi charitati conjunctum eſt. Quamobrem Propheta nos ad illud principium revocat: ut integræ & puræ conſcientiæ ſint, ut mutuam inter nos beneficentiam exerceamus: quia ſi vigeat hic ordo, tunc jejunium quod accedet, gratum Deo & acceptum erit. Atqui nulla hic mentio fit de puritate cordis. Reſpondeo, ipſam ab operibus, ſeu à fructibus deſignari. Ex his enim qualis ſit animus facile conſtat. deinde commemorat officia ſecundæ Tabulæ, qua ſynecdochice totam Legis obſervationem comprehendit, ut alibi viſum eſt. Nec enim ſatis eſſet proximum beneficiis juvare, ſi Deum interea contemneremus. Sed notandum eſt Prophetæ conſilium: quia enim charitas erga proximos non poteſt ſincere coli, niſi quum eos in Deo amamus, ad probandum Dei timorem exigit hæc quaſi propiora ſigna, ſi juſte, innoxie & humaniter alii cum aliis verſamur. Adde quod externa ſpecie contentus non fuit. Nec certe illic viget charitas, ubi non regnat Spiritus Dei: atque ideo Paulus ipſam inter
Galat. 5. Spiritus opera recenſet. Quum itaque de obſerva-
verſ. 22. tione Legis agitur, non tantum externa opera, ſed animi quoque affectus in rationem venire debent. *Colligationes impias.* Nonnulli exponunt Pravas cogitationes, quibus implicita ſunt hominum corda: ſed alio reſpexiſſe mihi videtur Jeſaias: nempe, quod hypocritæ ſint plurimum crudeles in pauperibus vexandis, graviaque ipſis onera imponant. Nexus ergo ſive colligationes vocat, quæ vulgo gravamina dicuntur. Eodemque pertinet quod ſubjungit, *Diſſolvere* faſciculos graves: ſub quorum videlicet pondere gemunt inopes & fatiſcunt. Iterum addit, *Oppreſſos* dimittere liberos, atque eandem rem pluribus verbis deſignat. Non definit igitur Propheta jejunium: ſed oſtendit quid Dominus priore loco ac potiſſimum requirat, & qua ratione poſſit obſequium ei noſtrum probari, & qualiter animatos eſſe oporteat quibus rite jejunare propoſitum eſt.

7. *An non ut partiaris.*] Proſequitur charitatis officia quæ ſuperiore verſu attigerat. nam quum prius ab omni injuria abſtinendum eſſe dixerit, nunc exercendam erga miſeros, & eos qui auxilio noſtro indigent, beneficentiam docet. Duæ enim ſunt rectitudinis & juſtitiæ partes. primum, ut neminem lædamus: deinde, ut opes & facultates noſtras in tenues atque inopes conferamus. Atque hæc duo inter ſe conjungi debent. nec enim ſatis eſt abſtinere ab injuria, ſi egeno opem tuam neges: nec multum proderit te egeno opem ferre, ſi interim aliis eripias quod aliis largiare. Proximi enim præda aut furto juvandi non ſunt: nec ſi quid inique, vel crudeliter, vel doloſe egeris, ficta compenſatione Deus in partem prædæ vocandus eſt. Duæ igitur hæ partes inter ſe cohæreant neceſſe eſt, ſi modo charitatem noſtram probari Deo & acceptam eſſe velimus. *Panem* frangere jubens eſurienti, omnem excuſationem adimere voluit avaris & tenacibus, qui obtendunt, ſua ſibi habere licere, Hoc meum eſt: ergo mihi ſervare licet. cur in commune conferam quod mihi à Deo datum eſt? Reſpondet tuum quidem eſſe: ſed ea lege, ut famelico & ſitienti impertias: non ut ſolus comedas in ſinu tuo. Et certe hoc dictat naturæ ſenſus, fraudari jure ſuo qui eſuriunt, niſi ſuccurritur eorum inediæ: ſicuti triſte illud ſpectaculum ſævis etiam & truculentis miſericordiam extorquet. Alias deinde ſpecies recenſet, quæ etiam ferreos animos ad συμπάθειαν ſolent inflectere: quo minus excuſabilis ſit eorum immanitas qui fraternæ inopiæ & neceſſitatis ſenſu non tanguntur. Tandem concludit: *Et à carne tua ne te abſcondas.* ubi notanda eſt Carnis appellatio, qua intelligit univerſos homines, quorum neminem intueri poſſumus, quin velut in ſpeculo carnem noſtram contemplemur. Summæ igitur inhumanitatis eſt, eos deſpicere in quibus imaginem noſtram agnoſcere cogimur.

8. *Tunc proferetur.*] Oſtendit Propheta Deum nimis rigidum non eſſe: nec plus exigere à nobis quam æquum ſit: ac fruſtra conqueri hypocritas qui ipſum nimiæ ſeveritatis accuſant. Obſtrepunt enim, quum damnantur eorum opera, ac reſpondent nulla ratione ſatisfieri poſſe Deo, ſe jam neſcire quid agendum ſit, aut quam viam ſequi debeant. Reſpondet, nihil aliud ab ipſo quam purum & ſimplicem animum, hoc eſt, integram conſcientiam requiri. Ea ſi adſit, propitium fore Deum ut colligat eos, & ſanctitati teſtimonium reddat atque omni benedictionis genere proſequatur, quorum fallacias merito caſtigat. Denique, nullam eſſe cauſam, cur ipſum nimis auſterum ac durum eſſe obmurmurent, quia beneficum & liberalem ipſum agnoſcent, quum ita depoſita omni ſimulatione, ſe ad verum ejus cultum comparabunt. Notanda eſt particula *tunc:* quia ſignificat ex adverſo hypocritas procul abeſſe à vero cultu Dei: quum tamen ſanctiſſimi videri velint. Sed eos ſatis convictos tenet, quum ab operibus ipſos nec colere Deum, nec timere oſtendit. *Lucis* nomine, proſperum ſtatum deſignat: quemadmodum nomine Tenebrarum, miſera & ærumnoſa vita ſignificatur. Atque hæc loquutio ſatis uſitata eſt Scripturis. Per *ſanitatem* denotat proſperum & incolumem ſtatum, ſicuti alibi iterum videbimus: quia plagæ manu Dei ob peccata inflictæ populum dejecerant, ut tabeſceret quaſi ægrotus languore confectus. nullum enim genus morbi acerbius eſt, quam urgeri juſta

juſta Dei vindicta, vel ſub ejus maledictione conſumi. *Juſtitia* bifariam accipi poteſt: vel pro teſtimonio juſtitiæ, vel pro recto ordine: quia Deus rebus confuſis medebitur, recteque omnia componet. Huc ergo tendit prior ſenſus, Ubi Deus tibi placatus fuerit, teſtimonium juſtitiæ tuæ coram Deo & hominibus conſpicuum erit, acſi te apparitor quiſpiam præcederet. Sunt qui juſtitiam accipere malint pro recta gubernatione, quæ Dei donum eſt, ſignumque paterni favoris: & aliquoties vidimus vocem hanc ita ſumi apud Hebræos. Sed poſterius membrum quod ſequitur, *Gloria Domini*, &c. efficit ut priorem expoſitionem ſequi malim, Prodibit juſtitia tua, id eſt, omnes te ſanctum & juſtum agnoſcent, quum antea reus ac convictus eſſes. Ita & gloria Domini ornaberis, quum antea probris obrutus eſſes. Probroſi enim & ignominioſi reddimur, quum ſcelerum noſtrorum pœnas damus.

9. *Tunc invocabis.*] Proſequitur Jeſaias id quod prius cœperat: nempe, omnia proſpere ceſſura Judæis, ſi ita æquos & innoxios ſe præſtent, atque abſtineant ab omni injuria, ut inde appareat eorum pietas & religio. Idem enim pronunciat quod dicitur
Hoſea 6. verſ. 6. ab Hoſea, & repetitur à Chriſto, Miſericordiam ſacrificiis præferendam eſſe.
Matth. 9. verſ. 13. & 12: 7. Poſtquam ergo de charitatis officiis loquutus eſt, atque teſtatus bene futurum iis qui ea ſervarent, ſubjicit, Tunc invocabis, & Dominus exaudiet te. Hæc enim præcipua eſt pars felicitatis noſtræ, ſi exaudiamur à Deo. contra, nihil nobis infelicius eſſe poſſet, quam ſi adverſum ipſum habeamus. Concedit autem precibus noſtris quod ultro & gratuito largitur, ut fidem noſtram exerceat. nam ſi beneficia ſua dormientibus ſemper ingereret, omnino frigeret, imo ceſſaret precandi ſtudium, atque ita liberalitas Dei fomentum eſſet ſocordiæ. Etſi autem nos prævenit mera ſua gratia, vult tamen intercedere preces medias. Atque ideo ſubjungit, Clamabis: & dicet, Ecce adſum. hæc enim promiſſio ſimul exhortationem continet, ne jaceamus otioſi. Quod ſe *adeſſe* dicit, oculis quidem noſtris non apparet: ſed re ipſa declarat ſe nobis propinquum ac propitium eſſe. In fine verſus iterum repetit Judæis, ſi reſipiſcant Deum fore placabilem. ac *Oneris* quidem nomine comprehendit omnes moleſtias quæ pauperibus inferuntur: acſi diceret, Si deſieris moleſtus eſſe fratribus tuis, atque ab omni vi & fraude abſtineas, Dominus proſequetur te omni genere benedictionis. *Digiti* quoque emiſſio quam ſubjungit, continet omnes ſpecies injuriæ. Dicimur enim Emittere digitum, quum minamur proximis, aut crudeliter ipſos tractamus, aut aliquam inferimus violentiam. *In ſermone vano.* Tertia eſt ſpecies injuriæ, qua nocemus proximo, dum aſtutis & fallacibus verbis, aut blanditiis ipſum circumvenimus. Omnis enim iniquitas vel occulta malitia & fraude conſtat, vel injuſta violentia.

10. *Si effuderis.*] Pergit commendare charitatis officia. hæc enim eſt ſumma totius concionis, Fruſtra homines colere Deum, ſi frigidas tantum & nudas ceremonias ei offerant. neque hunc eſſe vel rectum & ſolidum Dei cultum, qui ſevere præcipit atque exigit ut juſte & innocenter vivamus cum proximis, noſque & operam noſtram libenter ipſis impendere, prompteque & alacriter iis ſuccurrere parati ſimus, quoties neceſſe eſt. Atque hujus officii notandæ ſunt duæ partes, quas diſtincte expreſſit Propheta. nam priore loco commendat nobis affectum miſericordiæ & humanitatis: altero autem, ad opus ipſum & effectum hortatur. Nec enim ſatis eſſet beneficiis proſequi homines, niſi propenſa erga ipſos, & benigna fuerit voluntas. Si diſtribuero
1 Cor. 13. verſ. 3. omnes facultates meas in pauperes (inquit Paulus) charitatem autem non habuero, nihil ſum. Effundere ergo animam, nihil aliud eſt, quam eorum miſeriis condoleſcere, atque ſic affici eorum penuria, acſi eam ipſi ſuſtineremus. ſicuti rurſum reſtricti omnes ſibique addicti, ferreo & obſerato corde eſſe dicuntur, claudere ſua viſcera, & prohibere affe- 1 Joan. 3.
ctus. Quod alii vertunt, Si protuleris animam tuam, verſ. 17.
frigidum eſt. Sequitur iterum eadem promiſſio, & ſub eadem figura vel ſimilitudine. Nam per *tenebras*, adverſum, per *lucem*, proſperum ſtatum deſignat: acſi populo diceret, Efficiet Dominus ut ceſſent omnes miſeriæ quibus nunc oppreſſus jaces, ac repentina felicitas exoriatur. Nullam ergo cauſam eſſe oſtendit cur expoſtulent cum Deo, quod tam graviter affligantur. Emergerent enim protinus, & felici ſtatu fruerentur, ſi vere colerent Deum, eique obedirent.

11. *Et deducet.*] Nunc clarius exprimit quod breviter & figurate dixerat, Deum videlicet ducem futurum: ita ut nihil ipſi ad plenam bonorum affluentiam deſit. Deducere enim dicitur, quum re ipſa ſentimus ipſum nobis præire, acſi ante oculos poſitum haberemus. Adjungit hoc non fore momentaneum, quia Deus in medio itinere nunquam ſuos deſerit: ſed infatigabili tenore beneficentiam erga eos ſuam continuat: ideoque promittit ſaturitatem in ſumma inopia: quia nunquam deeſt bonorum omnium copia Deo, qua ſubveniat ſuorum egeſtati: & pluris eſt ejus benedictio, quam largiſſimæ totius anni pluviæ. Neque tamen lætum & uberem frugum proventum, vel copioſam annonam promittit fidelibus, ſed Deum illis fore nutritium, quamvis è terra alimenta non ſuppetant. Et hoc modo à Dei auxilio pendere jubet, atque eos eſſe contentos, licet non prorſus immunes ſint à ſterilitatis incommodo. Quo ſenſu paulo poſt ſequitur, Eripiet oſſa tua. Neque enim bene & pinguiter ſaginatos fore dicit, ſed ita macilentos, ut in ipſa cute oſſa emineant. Vocat igitur Oſſa, vacuos præ inedia vel fame, homines quibus nihil fere præter aridam cutem & oſſa ſupereſt. Ac Judæis cum penuria rerum omnium & macie luctandum fore ſignificat, donec à Deo reſtituantur. Eodem pertinent ſimilitudines quas ſubjungit, *Horti* irrigui, & ſcaturiginis aquarum. Nec enim ſatisfacere ſibi poteſt Jeſaias in exprimenda beneficentia Dei: qua veros ſuos cultores dignatur, ne alibi homines quam in ſeipſis quærant ſterilitatis cauſas. Summa eſt, fontem ipſum beneficentiæ Dei nunquam exareſcere, quin ſemper fluat, niſi viam ipſi noſtra culpa præcludimus.

12. *Et erunt.*] Per *deſerta*, intelligit Jeſaias horrendam vaſtitatem, quæ acciderat Judæis, quum in exilium abducti ſunt. Terra enim redacta eſt in ſolitudinem, urbs diruta, exciſum templum, populus in ſervitutem redactus & disjectus eſt. *Deſerta* porro *ſeculi* vocat, quod templum non potuerit ſtatim reparari, nec ulla ejus inſtaurandi aut liberandi populi ſpes eſſet. Nam ſi qua urbs exciſa aut diruta fuerit manentibus incolis, ſtatim inſtaurari poteſt: quod ſi nulli ſuperſint incolæ, aut in longinquam regionem abducti ſint, & diutiſſime abſint, nulla ſpes inſtaurandæ illius urbis eſſe poteſt: & portenti inſtar videbitur, ſi poſtquam diu everſa jacuit, aliquis ſignificet eam reſtituendam à populo, qui periiſſe videtur, ac reparandam eſſe. Quum ergo incredibilis eſſet iſta promiſſio, Propheta dubitationi occurrere voluit: quia objicere poterant, Si nos reſtituere vult Deus, cur languere tamdiu ſinit? Reſpondet, nullam temporis moram obſtare Deo, quominus ea quæ diutiſſime jacuerunt, in ſublime rurſus attollat. Nec vero hoc ad ædificium templi, quod cœpit Zerubbabel, & proſequutus eſt Nehe- Eſdr. 3: 8.
mias, reſtringi debet: ſed comprehenditur, quæ aliquot ſeculis poſtea ſequuta eſt, Eccleſiæ inſtauratio. Quod dicit Ex te, tantundem valet atque, Ex illo populo veluti emortuo exorituros qui medeantur triſtibus ruinis, atque ita architecti ſint vel opifices ad extruendam Jeroſolymam. Verbum עו

quidam

quidam paſſive vertunt: ſed quia hoc modo ambiguum ſenſum reddant, activa ſignificatio retinenda fuit. Paulo poſt toti populo tribuere videtur, quod de aliquibus dixerat: idem tamen eſt ſenſus. Si enim quæritur, quis Jeroſolymam inſtauravit? certe fuit ille populus: ſed ex ea multitudine quæ immenſa fuit, Dominus quaſi reſectis aliis, exiguum numerum delegit. Quidam intelligunt impares hominum copiæ urbes fore, ut alias pridem dirutas extruere cogantur: quod videtur eſſe nimis remotum. In ſecundo membro per Fundamenta unius & alterius ſeculi, idem quod prius à Propheta dici putant: atque intelligunt Fundamenta generationis, quæ diu jacuerunt: quum ex iis ſtatim ædificium erigi atque attolli deberet: nam varia impedimenta acciderunt, quibus opus illud interruptum eſt. ſed poſſumus referre ad futurum tempus, Excitabis ædificia, quæ multum diuque permanſura ſunt. Videtur enim diuturnum Eccleſiæ ſtatum polliceri: acſi diceret, Alia ædificia diuturna non eſſe: hoc vero multis ſeculis duraturum. Quod ſi ad præteritum tempus quiſpiam referre malit, ego non magnopere contendo. *Et vocaberis.* Hic Propheta utrumque comprehendit: nempe, quod populus ſimilis foret diruto ædificio: deinde quod rurſus in integrum reſtituendus eſſet. Hoc autem Judæis tribuit, reparatores fore ac directores viarum: quod ſcilicet Dominus eorum opera uſurus ſit. Omnia enim accepta ferre convenit virtuti Dei, qui nos tanto honore dignatur, ut manus noſtras operi ſuo adhibeat. Inſignem hic promiſſionem habemus de colligendis atque erigendis Eccleſiæ ruinis, qua in re quum Dominus labore noſtro uti velit, nos totos ei impendere ne dubitemus: ac tametſi reluctetur mundus, noſque ſubſannet, atque inſanos judicet, colligamus animos, omneſque difficultates ſuperemus. Concipienda enim eſt animis certa fiducia, ubi Domini opus eſſe intelligimus, ac ejus exequutionem nobis eſſe injunctam.

13. *Si averteris.*] Putant aliqui Prophetam allu-
Exod. 20. verſ. 8. dere ad externam Sabbathi obſervationem, quod eo die iter facere non liceret. Quod etſi non repudio, longius tamen ſenſum patere arbitror: nam per ſynecdochen ſignificat totum curſum vitæ humanæ: ut ſatis vulgare eſt per Inceſſum, aut ambulationem, vitam noſtram deſignari. Ait igitur, Si deſinas pergere in tuo curſu, ſi tibi viam præcludas: ne pro arbitrio tuo ambules, &c. Hoc enim eſt, A Sabbatho pedem avertere, quum hanc neceſſitatem nobis injicimus, ne libere & ſolute in cupiditatibus noſtris vagemur. Quemadmodum vero prius ſub jejunii ſpecie omnes ceremonias comprehendit, & externas larvas, in quibus ſanctitatem ſuam conſtituebant, eaſque vanas & inutiles eſſe oſtendit: ita hoc loco veram Sabbathi obſervationem demonſtrat ne conſiſtere ipſam in externo otio putent, ſed in vera abnegatione ſui, ut ab omni maleficio & injuria, ab omni libidine & prava cogitatione abſtineant. Primum Pedis voce opera deſignat: quod quum Judæi aut iter facere, aut carnem coquere non auderent die Sabbathi, interim proximos vexare & miſeris inſultare non verebantur: mox tamen tranſit ad voluntatem & ſermones, ut omnes partes obſequii quod debetur Deo, comprehendat. *Delicias.* Hoc nomen ad Deum, non ad homines referri debet: quia nihil gratius Deo, aut acceptius eſſe poteſt vera Sabbathi obſervatione, & ſincero cultu. Sedulo enim hoc inculcat, perperam facere homines, ſi poſthabitis Dei mandatis, quæ nullius pretii ſint opera magni æſtimant: & admonet ex ſolo ejus nutu judicium fieri debere. Iterum vero ſpecies enumerat, quibus palam faciat veram Sabbathi obſervationem in abnegatione ſui & integra converſione conſiſtere. Ideoque voluntatem veluti fundamentum ſtatuit: ex ea erumpunt ſermones, deinde opera. loquimur enim quæ animo comprehendimus, & ſermone patefacimus voluntatem noſtram, ac deinde exequimur. Quiſquis ergo Deum vere colere vult, neceſſe eſt ut carni ſuæ & voluntati omnino renunciet. Atque hinc perſpicimus cur tantopere Dominus in tota Scriptura Sabbathi obſervationem commendet. Altius enim ſpectavit quam ad externam ceremoniam, hoc eſt, otium & quietem: in quo Judæi ſanctitatem ſummam ſitam eſſe putabant: quin potius voluit Judæos abdicato carnis ſenſu, & affectibus valere juſſis, ſe ſubmittere in obſequium: ſicuti nemo poteſt cæleſtem vitam meditari, niſi mundo & ſibi emortuus. Nunc quum abrogata ſit illa ceremonia, manet nihilominus veritas: quia Chriſtus mortuus eſt, ac reſurrexit, ut perpetuum ſabbathum habeamus: hoc eſt, feriemur ab operibus noſtris, ut Spiritus Dei potenter in nobis agat.

14. *Tunc delectaberis.*] Videtur alludere ad nomen Deliciarum. Verbum enim התענג quo utitur Propheta, deducitur ab ענג, quo ante uſus erat, quum ſummam ex vera Sabbathi obſervatione voluptatem Dominum capere diceret. In ſumma, ſignificat populum nullam ex Deo oblectationem percipere, quod ipſum provocet, nec ejus voluntati pareat: nam ſi vitam noſtram componeremus in obſequium Dei, nos ejus velut deliciæ eſſemus: ipſe viciſſim nobis deliciarum loco eſſet. Pronunciat igitur non niſi per Judæos ſtare, quominus Deo propitio freti hilarem & lætam vitam degant. Quibus verbis tacite exprobrat eos ſibi propria culpa multas moleſtias acccerſere. Addit equitaturos ſuper excelſa terræ: quibus verbis reditum in patriam & ſecuram illic habitationem promittit. Scimus enim Judæam edito in loco ſitam fuiſſe ſupra vicinas regiones: quum Babylonis ſitus inferior atque demiſſior eſſet, ubi etiam populus quaſi in ſpelunca trepide latebat. Apertius mox declarat quid ſignificaverit verbo *equitandi.* Poſſeſſionem enim promittit ejus regionis quæ promiſſa & data fuerat Patribus, & qua ipſi tunc fruebantur, deinde ad tempus privati fuerunt. *Quia os Domini.* Hoc addidit, ut abſque controverſia hæc omnia vera eſſe intelligerent: atque hoc referendum non ſolum ad promiſſiones iſtas, ſed etiam ad initium capitis. Objurgavit enim hypocritas, qui juſtam ſibi cauſam tueri videbantur: ac merito ſuorum ſcelerum pœnas luere oſtendit. Fruſtra etiam litigare cum Deo, & opponere opera ſua, quæ vana prorſus & inania erant. Itaque reducit ipſos ad veram Sabbathi obſervationem, & bene habituros demonſtrat, ſi pure Deum coluerint. Tandem concludit non eſſe ipſis negotium cum homine mortali, ſed Deum eſſe judicem, qui iſta pronunciat.

CAP. LIX.

ECce non eſt mutilata manus Jehovæ, quin ſervet: neque aggravata auris ejus, quin audiat.

2. Sed iniquitates veſtræ diſſidium fecerunt inter vos & Deum veſtrum: & peccata veſtra operuerunt faciem ejus à vobis, ne audiat.

3. Nam manus veſtræ pollutæ ſunt ſanguine, & digiti veſtri iniquitate: labia veſtra protulerunt mendacium: lingua veſtra iniquitatem loquuta eſt.

4. Nemo eſt qui clamet pro juſtitia, nemo qui diſceptet pro veritate: confidunt rebus vanis: loquuntur inania, concipiunt moleſtiam, pariunt iniquitatem.

5. Ova reguli excludunt, & telas aranearum texunt: qui comederit ex ovis eorum, morietur: ſi comprimantur, exibit vipera.

6. Telæ eorum non erunt in veſtimentum: neque ſe tegent eorum operibus. Nam opera eorum ſunt opera [a] iniquitatis: & opus violentiæ in manibus eorum.

7. Pedes eorum ad malum currunt, & properant ad fundendum ſanguinem innoxium: cogitationes eorum, cogitationes [b] vanæ: vaſtitas & contritio in viis eorum.

8. Viam pacis non noverunt: nec judicium eſt in greſſibus eorum: ſemitas ſuas perverterunt ſibi: quiſquis graditur per eas, neſciet pacem.

9. Propterea longe receſſit à nobis judicium: nec apprehendit nos juſtitia. Expectavimus lucem, & ecce tenebræ: ſplendorem, & ecce in caligine verſamur.

10. Palpamus ſicut cæci parietem: ſicuti qui oculis capti ſunt, palpamus. Impingimus in meridie tanquam noctu: in locis ſolitariis tanquam mortui.

11. Nos omnes quaſi urſi vociferamur: & quaſi columbæ ſuſurrando ſuſurramus. Exſpectavimus judicium, & non apparet: ſalutem, & longe ſtetit à nobis.

12. Quoniam multiplicatæ ſunt iniquitates noſtræ coram te, & peccata noſtra [c] teſtata ſunt contra nos. Quoniam iniquitates noſtræ nobiſcum ſunt, & peccata noſtra cognoſcimus.

13. Inique egimus, & mentiti ſumus Jehovæ, & abducti ſumus à tergo Dei noſtri, loquentes calumniam & defectionem: concipientes & proferentes ex corde verba mendacii.

14. Et actum eſt retrorſum judicium: & juſtitia procul ſtetit. Quoniam corruit in platea veritas, & æquitas non potuit prodire.

15. Defecit, inquam, veritas: & qui receſſit à malo, prædæ fuit expoſitus. Et vidit Jehova, ac diſplicuit oculis ejus, quod non eſſet judicium.

16. Vidit, inquam, quod non eſſet vir: & admiratus eſt, quod nemo [d] intercederet. Itaque ſalutem [e] ei attulit brachium ſuum: & juſtitia ejus, ipſa ſtabilivit eum.

17. Et induit juſtitiam, ſicut loricam: & galeam ſalutis capiti ſuo. Induit, inquam, ultionem quaſi veſtem, & indignatione amictus fuit vice pallii.

18. Quaſi propter retributiones, quaſi ad reddendam vindictam, hoſtibus ſuis indignationem, vicem inimicis ſuis, inſulis vicem reddet.

19. Proinde timebunt ab Occidente nomen Jehovæ, & ab ortu Solis gloriam ejus: quia veniet quaſi flumen hoſtis, & Spiritus Jehovæ [f] impellet.

20. Et veniet Sioni redemptor, & iis qui redierint ab iniquitate in Jacob, dicit Jehova.

21. Et ego cum ipſis hoc fœdus meum (ſancio,) dicit Jehova. Spiritus meus qui ſuper te eſt, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent ex ore tuo, neque ex ore ſeminis tui, neque ex ore ſeminis ſeminis tui, dicit Jehova, ab hoc tempore uſque in æternum.

[a] aut, vanitatis.
[b] vel, iniquitatis.
[c] vel, reſpondent nobis.
[d] vel, occurreret.
[e] vel, ſalutem illi fecit brachium ſuum.
[f] vel, fugabit eum.

ECce non eſt mutilata.] Hæc concio ſimilis fere eſt ſuperiori: nam quum hypocritis larvam detraxerit, qui ſe inaniter jactabant, eoſque juſtas luere pœnas oſtenderit: nunc objectionibus aliis reſpondet. Solent enim hypocritæ Deum aut infirmitatis, aut ſeveritatis nimiæ arguere. Oſtendit igitur ei nec potentiam ad ſervandos ſuos, nec voluntatem deeſſe: ſed ipſorum pravitate impediri, quominus beneficentiam erga ipſos ſuam exerceat. improbe ergo expoſtulare cum Deo, & calumniari dum iſta objiciunt, quum ſeipſos potius accuſare debeant. Atque emphaſin habet particula הן, acſi de re præſenti differens, certitudinis notandæ cauſa eam digito monſtraret, ad præcidendam anſam hypocritis, ne amplius tergiverſentur. Et ſubaudiendæ ſunt antitheſes in verbis *aggravata* & *mutilata*: quaſi diceret, ſatis olim fuiſſe præſidii in manu Dei ad opem ſuis ferendam: deinde ſemper exorabilem fuiſſe & facilem exaudiendis votis: jam vero non eſſe diſſimilem ſui, quaſi vel manus ejus fracta fuerit, vel aures hebetatæ ut tardiùs audiat. Summa eſt, non poſſe aſcribi mutationem Deo, quaſi ab ingenio deſciverit: ſed totam culpam in ipſis hærere: quia peccatis ſuis quodammodo prohibeant ejus beneficentiam, nec auxilium ejus admittant. Quod ſi obſtacula ſua non objicerent, æque potenter ac benigne cum ipſis acturum atque olim ſolitus erat cum Patribus. Ita à perpetua & æquabili Dei conſtantia ratiocinatur, ſuis eos peccatis rejicere Dei gratiam, nec auxilium admittere. Hinc colligimus ſola peccata noſtra privare nos gratia Dei, atque diſſidium inter nos & ipſum facere. Quod enim Propheta teſtatus eſt de hominibus ſui temporis, omnibus ſeculis convenit: quandoquidem agit cauſam Dei adverſus calumnias impiorum. Deus ergo ſibi perpetuo conſtat, nec fatigatur bene agendo, nec minuitur potentia ipſius: ſed aditum ejus gratiæ præcludimus. Objiciet quiſpiam, Deum benemeritis hominum præveniri non poſſe, ac neceſſe ut indignis benefaciat. Reſpondeo, hoc quidem eſſe verum: ſed interdum euſque invaleſcere hominum proterviam, ut Dei beneficiis præcludat januam, acſi data opera procul ipſum à ſe abigere vellent. Et quamvis neminem ſine venia exaudiat, ſicuti etiam culpæ deprecationem coram ipſo ſemper afferimus, tamen impiorum vota non exaudit. Quare non mirum eſt ſi populum accuſet Propheta, quod ſuis ſceleribus Dei beneficia rejiciat, ſuaque obſtinatione eum reddat inexorabilem: denique divortium fecerit, quod ſolitum gratiæ curſum arcet vel avertit.

3. *Nam manus.*] Nunc in medium producit eorum opera, ne tergiverſentur, aut in dubium revocent quænam ſint illa peccata, quæ diſſidium fecerunt. Omnem igitur iis excuſationem adimit, ſpecies ipſas in medium producens, acſi in theatro ſpectabilis eſſet flagitioſa eorum vita. Loquitur autem in ſecunda perſona, quod veluti patronus cauſam Dei agat, & perſequatur: atque ideo eximit ſe ab impiorum ordine. Nec enim iis aggregari vult, tametſi non eſſet prorſus immunis à peccato: timebat Deum, & colebat, & conſcientiæ libertate fruebatur. Nec vero poſſet libere alios damnare qui iiſdem vitiis implicitus teneretur, nec idoneus eſſet ad agendam cauſam Dei, qui ſuum ei jus ſcelerate vivendo eripe-

eriperet. Nam oportet nos ab iis diſſimiles eſſe quos arguimus, niſi ludibrio exponere doctrinam noſtram, atque impudentes videri velimus. Ubi vero pura conſcientia ſervimus Deo, pondus & auctoritatem obtinet doctrina noſtra, atque adverſarios ipſos magis convictos tenet. Quod ſceleratam populi vitam depingit, ſupervacaneum non eſt: nam homines varia ſubterfugia quærunt, neque in ordinem cogi poſſunt, niſi vitia prius ſua agnoverint. *Sanguinis* mentionem faciens, non intelligit cædes paſſim fuiſſe perpetratas, ſed hac voce deſignat inhumanitatem, rapinas, vim, & injurias, quas hypocritæ adverſus inopes & tenues exercebant. Nec enim erat ipſis negotium cum latronibus & ſicariis, ſed cum Rege & primoribus, qui magno in pretio & honore habebantur. Eos vocat homicidas, quod innoxios crudeliter vexarent, atque aliorum bona per vim & injuriam ad ſe raperent. Itaque continuo poſt, iniquitatem ponit pro ſanguine. Etſi enim videtur longius extendere ſermonem, eſt tamen repetitio, aut potius reduplicatio frequens Hebræis cum amplificatione. quia plus exprimit per Digitos, quam per Manus: acſi dixiſſet ne minimam quidem partem ab injuſta violentia immunem eſſe. Deinde aliam maleficii ſpeciem attingit, nempe dum fallaciis, perjuriis, aut dolis alii alios circumveniunt. Nam aut crudelitate quaſi manu armata, aut mendaciis & fraudibus continetur ut plurimum iniquitas, qua proximos lædimus. Hic autem Propheta ſecundam Tabulam attingit, atque ex ſceleribus quæ adverſus ipſam admittunt, impios & omni timore Dei vacuos eſſe oſtendit. Inhumanitas enim & perfidia, qua violatur hominum ſocietas, oritur à contemptu Dei. Itaque à manibus, hoc eſt, à rapinis & vi, ad mendacia & fraudulentas artes, ad perjuria & captiones deſcendit, quibus proximos noſtros circumvenimus.

4. *Nemo eſt qui clamet.*] Significat nullum inter eos recti aut æqui ſtudium eſſe: neminem ſe opponere injuriis, quas potentiores tenuioribus inferunt: atque inde creſcere licentiam, quia omnes conniveant, nec cuiquam curæ ſit patrocinium juſtitiæ ſuſcipere. non ſatis eſt autem ſi abſtineamus ab injuria, niſi eam quoque ab aliis, quantum in nobis eſt, arceamus. Et certe quiſquis permittit quod prohibere licet, quodammodo jubet: ut ſilentium quædam ſit ſpecies conſenſus. Eodem pertinet quod ſubjicitur membrum. נשפט, alii paſſive accipiunt, & talem Prophetæ ſenſum eſſe putant, Nemo juſte judicatur: quia omnia plena ſunt corruptelis, interea nemo repugnat. Sed activa ſignificatio melius convenit, quia inter ſe cohærent hæc duo, Neminem clamare pro juſtitia: & veritatis aut rectitudinis nullum eſſe vindicem. nam quod alii vertunt, Nemo ſeipſum judicat vere, paulo durius eſt. Cæterum quia multis locis hoc verbum in Niphal pro Diſceptare capitur, contextus hic aptius fluere viſus eſt, Neminem ſe interponere pro jure tuendo, ut juſtitiam libere & clara voce defendat, & litiget cum improbis: niſi forte Clamare pro juſtitia, ad miſeros qui injuſte vexantur referre placeat: quaſi diceret eos obmuteſcere, quia nihil proficerent clamando. Sed hoc quoque aſperum eſſet. Quod ſi tam ſevere damnantur à Deo qui juſtas hominum cauſas negligunt, nec ſuccurrunt laborantibus: quid nobis fiet ſi nullus zelus tuendæ gloriæ Dei nos ad ſcelerum objurgationem incitet? ſi conniveamus ludibriis quibus impii ſacram doctrinam Dei ſubſannant, nomenque ejus profanant: ſi machinationes quibus perdere conantur Eccleſiam Dei negligamus, annon merito perfidiæ damnabitur ſilentium noſtrum? In ſumma, rectum ordinem noſtra culpa peſſum ire dicit Jeſaias, niſi improbis quoad in nobis eſt reſiſtimus. Deinde admonet hanc eſſe extremam confuſionem, ubi nemo exurgit juſtitiæ patronus. Dicens eos confidere rebus vanis, ſignificat coacervare perverſas fiducias, quibus callum obducant. Eſt autem hic nequitiæ cumulus, dum blanditias hinc inde captando, ſponte ſe obdurant ad contemptum Dei: & talibus illecebris demulcet Satan reprobos, donec prorſus eos faſcinet, ut omni timore Dei excuſſo, non modo deſpiciant ſana conſilia, ſed faſtu inflati audacter ſubſannent. Quoniam igitur præcipites nos rapit audacia, ubi falſas ſpes opponimus Dei judicio, Propheta fiduciam hanc, ſub cujus integumento ſeſe occultant vafri homines, non abs re ponit quaſi deſperatæ malitiæ notam: quia inſatiabilem eſſe morbum conſtat, ubi palam improbi ſibi adulari non dubitant, fretique ſua protervia ſibi quidvis licere putant. Addit in eorum ſermone palam conſpici quales ſint eorum affectus & mores, ſicuti proverbio dicitur, Linguam eſſe effigiem mentis. Quanquam hæc particula bifariam exponi poteſt, vel quod nihil loquantur ſincere, ſed eorum linguæ ad fallendum continuo uſu formatæ ſint: vel quod erumpat eorum improbitas in apertam jactantiam: quod ſecundum magis mihi probatur. *Concipiunt.* Elegantes ſunt iſtæ metaphoræ, quibus comparat impios mulieribus quæ fœtum in utero alunt, ac deinde emittunt. Ita impios, dum machinantur intus ſuas fraudes, quaſi gravidos eſſe dicit, donec pariant ſuo tempore: id eſt, quum occaſiones & opportunitates nacti ſunt. Dicit autem concipere nocendi conſilia, ut deinde ſimplices inique vexent: quaſi diceret, coquere longa meditatione ſua ſcelera, & ſemper paratos eſſe ad noxam aliquam: quia non ceſſant hinc inde accerſere obliquas rationes quibus exhibeant quietis negotium.

5. *Ova reguli.*] Longius progreditur, Judæos comparans non tantum mulieribus, ſed virulentis beſtiis: quo magis conſtet quicquid ab ipſis prodit mortiferum ac lethale eſſe. Primo igitur dicit Excludere ova reguli: quia ſicuti vipera ovum ponere nequit, niſi veneficum: ita eos pravitate ſic imbutos eſſe ac refertos, ut nihil niſi noxium emittant. Per *telas aranearum*, ſignificat ita ſteriles eſſe & vacuos boni, ut ipſa quoque virtutum ſpecie fallant. Duabus enim notis impios deſignat: primum, quod opera quæ edunt, referant corruptam eorum naturam: deinde, quod nulli rei ſint utiles: nihil humanitatis, officii, charitatis, fidei præſtent iis inter quos verſantur. Scio aliter exponi ab aliis: nempe, Impios, dum aliis moliuntur exitium, ſeipſos perdere; dum putant ſe induſtrios, fruſtra & inaniter
laborare: irretiri ſuis ipſorum laqueis, cadere in *Pſal. 7.*
foveam quam foderunt. Sed exiſtimo Prophetam *verſ. 16.*
voluiſſe quod jam dixi: Impios ſcilicet, ubique, ſem- *& 9:16.*
per atque in omnibus rebus nocere, prodeſſe nunquam. quiſquis negotium habuerit cum ipſis, exitiales ac peſtiferos ſenſurum. Huc pertinet quod dicit in ovis latere exitiale venenum: ſi vero frangantur, exiturum eſſe ſerpentem.

6. *Telæ eorum.*] Idem repetit ac confirmat: quicquid aggrediantur vel ſuſcipiant, ſemper eſſe humano generi inutiles: quia deſtinato abhorreant ab omnibus humanitatis officiis. Hoc autem perditi ingenii ſignum eſt, ita ſe maleficiis addicere, ut nulla prorſus commoditas ſperanda ſit ex ejus vita, qui omnis juſtitiæ vacuus & ſterilis eſſe appetit. Alii exponunt, Quod ſine profectu acquirere divitias ſtudebunt, & aſſurgere in honorem. Sed ego ſimplicius accipio, Nemo ſe eorum operibus teget: quia in eorum textura nihil eſt ſolidi vel firmi. Variis autem loquutionibus rem eandem inculcat, ut demonſtret eorum opera nihil omnino afferre utilitatis. Atqui in hoc nati ſumus, ut ope noſtra juvemus proximos, & in communem utilitatem aliquid viciſſim conferamus. Efferatæ igitur ſunt belluæ, nec homines appellandi ſunt, qui tantum ad nocendum ſolertes, ſumma induſtria cavent ne quid proſint. Sta-

tim abſque figura ſubjicit, iniquitati eſſe deditos, & quaſi devotos.

7. *Pedes eorum ad malum.*] Variis modis imaginem impietatis quaſi extremæ nobis depingit: ubi ſcilicet homines excuſſo timore Dei, & procul ejecto, ſe in omne genus ſcelerum projiciunt, atque in omnem ſævitiam, rapinas & injurias prorumpunt. *Currere* dicit, quod ſtrenui ſint, ac nimis ardenter properent ad maleficia. Porro de manibus & linguis antea loquutus, Pedes quoque adjungit, ut oſtendat in omni genere maleficii exercitatos eſſe, nec ullam eſſe corporis partem quæ à ſcelere immunis & vacua ſit. Nonnulli enim ſunt violenti, ſed cohibent linguas ſuas. Alii Harpyiis ſimiles, obvia tamen præda contenti ſunt. Propheta autem gentiles ſuos pedum quoque celeritate valere dicit ad exercenda latrocinia. *Vaſtitas.* Significat iſtos quocunque pergant, feris beſtiis fore ſimiles, quæ rapiunt & vorant quicquid occurrit, nec quicquam faciunt reſidui, ut terribili occurſu profligent omne animalium genus, ne ad eas accedere audeant. Eandem ſimilitudinem uſurpat Plinius de Domitiano loquens, cujus adventus inſtar truculentæ belluæ erat. Idem accidit in reliquis hominibus violentis, quos omnes tanquam feras beſtias fugiunt. Atque hoc modo viæ eorum deſertæ & ſolitariæ redduntur, ubi nulla eſt cum ipſis communicatio.

8. *Viam pacis.*] Quidam ſubtiliter interpretantur nomen Pacis, pro Tranquilla conſcientia: quod neceſſe ſit impios torqueri aſſiduo cruciatu. Sed Propheta impios ſic in judicium adducit, ut ex ſecundæ Tabulæ transgreſſione oſtendat nihil in iis eſſe fidei, nihil humanitatis: denique ἀθέους eſſe. Viam pacis neſcire dicit, quia eos ſua immanitas juſtitiæ & æquitatis expertes reddat, quibus hominum ſocietas fovetur, ut inter ſe pacem & benevolentiam edant. Pax enim juſtitiæ & integritatis alumna eſt. Quod ſi effreni furore quiſque irruat in proximos, atque injurias inferat, illic bellum apertum eſt: nec enim poteſt concordia foveri inter nos, niſi ſinguli æquitatem ſervent. Quod apertius voce exprimit Judicii, acſi diceret, formidabiles eſſe quocunque veniant: quia nullam admittunt rectitudinem. Poſtremum membrum varie accipi poteſt: vel, Quiſquis ambulat in illis, à pace alienus ipſe quoque erit: vel, Qui inciderit in manus impiorum, truculentos ipſos & immanes ſentiet. Uterque ſenſus convenire poteſt, nec de eo magnopere contendendum puto. Poſtquam igitur in genere loquutus erat Propheta, atque oſtenderat per Deum non ſtare quominus Judæi bene habeant, ad ſpecies deſcendit: quibus apertius declarat quomodo ſe alienaverint à Deo, ſeque ejus gratia indignos reddiderint. Oritur hic aliqua difficultas,
Rom. 3. quod Paulus Rom. 3. hunc locum citet ad damnan-
verſ. 17. dum omne genus humanum, quod vitioſum ſit & corruptum, nec quicquam habeat boni: Propheta autem videtur ſpecialiter accommodare ad homines ſui temporis. Sed facilis reſponſio eſt: nam dum Judæos nominatim compellat, qui præ aliis ſancti videbantur, Gentes etiam iis annumerari neceſſe eſt. Si
Rom. 2. quis objiciat Gentes, dum pie vivunt, ſibi ipſis legem
verſ. 26. eſſe: & præputium reputari inſtar Circumciſionis: reſpondeo, Prophetam introducere Deum expoſtulantem cum omnibus qui non ſunt regeniti Spiritu Dei. Ita nemo excipi poterit, ſi conſideretur in ſua natura. Propheta vero ſe ab eorum numero eximit, quod regenitus eſſet, & Spiritu Dei regeretur. Recte igitur à Paulo citatum eſt hoc teſtimonium, quum demonſtrare vellet quales ſint homines relicti à Deo, in quibus propria eorum natura viget. Quanquam autem non ſemper in craſſa flagitia erumpit hominum pravitas: & Prophetæ conſilium eſt, corruptiſſimum ſeculum traducere: quoties tamen ita graſſantur ſcelera, quaſi in ſpeculo intueri licet qualis & quam profunda malorum omnium lacuna ſit hominum natura. Nec vero dubium eſt quin Judæis, qui vana generis ſui gloriatione turgebant, valde acerba fuerit hæc concio: ſed quando ne ipſis quidem pepercit Spiritus Dei, non eſt cur ſuis deliciis aliæ gentes indulgeant, quæ natura non minus ſunt vitioſæ.

9. *Propterea.*] Poſtquam recenſuit quam corruptus ac perverſus eſſet illius populi ſtatus ſimul docet ipſum merito pœnas tam graves dare, ne durius aut aſperius quam decebat ſecum agi queratur. Vitia igitur quæ palam nota erant, velut in tabula depinxit, quo melius agnoſceret quot & quam variis modis reus eſſet coram Deo: nunc iterum commemorat nihil eſſe mirum ſi Deus præfractis ingeniis rigidior ſit, juſtamque mercedem rependat. *Judicium* receſſiſſe ait, quod miſerrimi eſſent omnium hominum, nec vindicem Deum, ut olim, haberent. Judicium & Juſtitiam pro tutela Dei uſurpat, quum nos conſervat, atque oſtendit ſe curam noſtri habere. *Juſtitiam* vocat, quum nos tuetur: *judicium*, quum ulciſcitur injurias nobis illatas. Hic pronunciat Deum abjeciſſe curam populi ſui, ac deſtituiſſe auxilio & ope ſua, quod indignus eſſet. Notanda eſt igitur particula עלכן: quia infert non eſſe expoſtulandum cum Deo, quaſi indigne populum tractet, quum tot modis ipſius majeſtatem violarit. Eodem pertinet quod ſubjicit, expectantibus lucem perpetuas tenebras incumbere. Metaphorice enim docet fere contabuiſſe in ſuis malis: & quum aliquid levationis ſibi promitterent, ſpe ſua fraudatos eſſe. *Lucis* nomine, proſperum ſtatum: Tenebrarum vero, adverſum notari ſatis vulgare eſt. Intelligit ergo fruſtra meliorem ſtatum expectandum eſſe, ut diſcat populus ſibi imputare calamitates ſuas: ne fortuito contingere ipſas, aut nimis ſeverum eſſe Dominum putet. Semper enim conatur populum ad pœnitentiæ doctrinam revocare.

10. *Palpamus.*] Aliis loqutionibus idem exponit: nam quum graves in populo querimoniæ audirentur, nihil prætermittere voluit quod faceret ad exprimendas ejus calamitates. Forte per modum conceſſionis hæc commemorat, perinde acſi diceret, Res noſtræ ad extremam miſeriam redactæ ſunt: ſed cauſa potiſſimum ſpectanda eſt: quandoquidem hæc & graviora meriti ſumus. Sed non male conveniet, ſtupidos expergefieri, ut mala ſua expendant. Etſi enim plus ſatis ſunt queruli: diabolus tamen torporem obducit, ne eos ſigna iræ Dei ad pœnitentiam ſollicitent. Alludit autem ad metaphoram illam, qua uſus erat proximo verſu, quum diceret populum in tenebris & caligine verſari, nec ullum reperire exitum: ac ſignificat eum deſtitui conſilio, & tanta anxietate premi, ut nullum perfugium aut remedium habeat. Quum levius malum urget, circumſpicimus, atque exitum aliquem ſperamus: verum in majoribus anguſtiis oppreſſi deſperatione nihil videmus, nec judicamus. Propterea dicit in labyrinthum conjectos palpare. *Impingimus.* Eodem ſpectat, atque etiam gravius quiddam exponit hæc loqutio, ſi pedem moveant, varias offenſiones undique occurrere: & quidem nihil relaxationis eſſe ipſorum malis, acſi dies in noctem converſus eſſet. Per Loca ſolitaria, intelligo vel abyſſos, vel deformes & ſqualidas terras. Hoc enim loco libenter Hieronymi verſionem ſequor, qui dictionem אשמנים deducit ab אשם. Judæi, quia à שמן duci volunt, mihi pueriliter argutari, nec quicquam ſolidi habere videntur. Viros enim ſignificare putant, quod שמן Unguentum ſignificet: atque aiunt Gentes hoc nomine deſignari. Senſus autem verus Prophetæ eſt, in ſolitudinem redactos eſſe Judæos, ut extra conſortium hominum ſimiles ſint mortuis, nec ullam exitus ſpem habeant.

11. *Nos omnes quaſi urſi.*] Exprimit duas formas eorum qui miſerias ſuas taciti ferre nequeunt, quin externis ſignis demonſtrent. Alii enim ululant vehementius, tanquam urſi: alii tanquam columbæ

gemunt.

ſupr. 38. verſ. 14. gemunt. Hac poſteriore ſimilitudine uſus eſt cap. 38. quum Ezechiæ gemitus narraret. Hoc enim accidit, quum dolorem noſtrum comprimere conamur, nec tamen ita continere poſſumus, quin invitis nobis externa doloris ſigna erumpant. Summa eſt, nunc vi doloris extortos illis fuiſſe clamores, nunc ſuſurris & obſtreperis vocibus conqueſtos eſſe: ſed utrumque ſine profectu quia nulla in melius contigerit mutatio. Proinde iterum repetit fruſtra judicium & ſalutem expectaſſe, ſignificans populum auxilio Dei privatum eſſe, quod maxime cupiebat. Atque uſus eſt Salutis nomine, ut id melius ac plenius exprimeret quod prius Juſtitiæ, & nunc iterum Judicii nomine deſignat. Hinc collige nos culpa noſtra eſſe miſeros, atque ſeneſcere & contabeſcere in miſeriis noſtris: quantiſper ad Deum convertimur. Poterimus quidem gemere & ululare, ſed nullam doloris allevationem ſentiemus ſine pœnitentia. Nullus enim malorum finis eſſe poteſt, quamdiu provocamus iram Domini, nec reconciliari ipſi toto animo ſtudemus.

12. *Quoniam.*] Confirmat id quod prius dixit: nempe populum injuſte facere, quod Deum crudelitatis accuſat, nec intelligit ſe juſtas ſcelerum ſuorum pœnas dare, quorum alta congeries in cælum uſque eminet: quo ſenſu dicit Multiplicata eſſe. Multum etiam ponderis habet hæc particula, Coram te: deſcendit enim Propheta in ſeipſum, & juſtum Dei judicium agnoſcit, quod abſconditum erat hominibus. Voluit ergo tacitam antitheſin annotare inter judicium Dei, & judicium hominum. Hi enim ſibi blandiuntur, nec reputant peccata ſua: ſed non eo minus arguuntur à Deo, qui juſtus eſt judex, nec vanas excuſationes, quibus tegere ſe volunt, moratur. Proinde non ſatis ei fuit populum ſimpliciter damnaſſe: ſed dicit *multiplicaſſe peccata ſua*, hoc eſt, multis nominibus reum eſſe coram Deo. Agnoſcit ergo juſtum eſſe Dominum, & optimi judicis officium agere, quum nihil apud homines recti aut juſti reperiatur. Ideo addit non citari teſtes, vel produci è cælo, ſed Judæos conſcientiæ teſtimonio conſtringi ac damnari. Diligenter notanda eſt iſta loquutio: quia multis probationibus apud Deum opus non eſſe docet, quandoquidem peccata noſtra nos ſatis convictos tenent. Non eſt igitur cum Deo litigandum, quaſi immerito puniat, aut gravius animadvertat: quia peccata noſtra aperte produnt quales ſimus: nec aliis apud Deum teſtimoniis opus erit. Pro *nobiſcum*, alii vertunt, Supra nos: ſed malo proprietatem verbi retinere. Homines ſubterfugiunt, variaſque formas induunt, ut juſti videantur: ſed fruſtra, quia ſecum gerunt iniquitates ſuas, è quibus nequeunt ſeſe explicare, ſicuti pronunciat Deus
Gen. 4: 7. in damnatione Cain, peccatum excubias agere pro foribus: ut fruſtra elabi tentet ſua contumacia, quiſquis judicium Dei ſpernit. Ubi dicit Judæos cognoſcere ſua peccata, non intelligit ipſos vere tactus affici, tunc enim ſequitur pœnitentia: ſed declarat eos, tametſi judicium Dei effugere cupiant, proprio conſcientiæ teſtimonio conſtrictos eſſe & convictos, ut fruſtra tergiverſentur aut excuſationem quærant. Quod autem loquitur in prima perſona, ac ſe quaſi unum è vulgi numero conſtituit, ſatis uſitatum eſt. Interea oſtendit hoc malum ſic per univerſum corpus graſſari, ut nullum membrum integrum aut immune ſit: & quamvis Deo cauſam ſuam probare poſſit, tamen quia pervagata ſit per omnes corporis partes iniquitas, ſe velut unum ex membris putridis, ac communi contagione infectum eſſe fatetur. Nec vero ſecum pugnat, quod hactenus ſe exemerit à communi reatu, quo alios magis pungeret: nunc ut omnem exceptionem tollat, ſeipſum quoque involvit.

13. *Inique egimus.*] Quaſdam hic peccatorum ſpecies enumerat, ut populum vehementius ad peccati ſui notionem exſtimulet. Hoc autem ſimile portento eſt, homines caſtigatos ac pene attritos manu Dei, ſuperbire adhuc, atque ita pervicaces eſſe ut flecti nequeant, nec ſenſu peccati ſui humilientur. Flagellis enim & plagis duritiem noſtram emollire conatur Dominus: quum nihil efficiunt caſtigationes, deploratos eſſe neceſſe eſt. In hoc igitur incumbit Jeſaias, ut oſtendat quam miſera ſit populi conditio, qui quum extrema pateretur, fremebat tamen adverſus Deum, nec ſe ad officium cogi ſinebat. Atque ideo ſæpius inculcat hanc monitionem, & acrius inſtat, ut hanc populi contumaciam domet, & pluribus verbis vitia traducit, & ſpecies enumerat, poſtquam in genere corruptionem, quæ paſſim vigebat, demonſtravit. Nec vitia quædam levia aut paucorum hominum notat, ſed univerſalem defectionem. Sic enim corruptos fuiſſe his verbis ſignificat, ut nihil fidei, integritatis, timoris aut conſcientiæ in ipſis eſſet. Quid enim aliud eſt mentiri Deo, quam perfide ab eo deficere, acſi omne obſequium negetur? non ergo unam vel alteram Legis tranſgreſſionem exprobrat, ſed dicit quaſi fugitivos Deo renunciaſſe, ne vocantem ſequantur. Poſtea adjungit fabricandis malis fuiſſe deditos, & penitus imbutos fallaciis: quia proferre ex corde mendacium longe gravius eſt, quam futiliter mentiri: vel etiam fallere, ubi occaſio invitat. Nec vero dubium eſt quin iſtæ objurgationes Judæos vehementer offenderint, qui elati ſuperbia, ſacroſanctos ſe eſſe exiſtimabant. Sed ita tractanda fuit eorum hypocriſis: quia ſimplex doctrina parum apud ipſos effeciſſet. Hoc igitur exemplo Paſtores, quum Eccleſiam Dei corruptam vident, atque ſibi homines placere, & vitiis ſuis adulari, capita ſua opponere, & acri objurgatione invehi debent.

14. *Et actum eſt.*] Falluntur qui exiſtimant Prophetam ad priorem ſermonem reverti, & concionari de pœnis quas populus manu Dei ſenſerat: nam pergit adhuc in proxima narratione, atque morbos exponit, quibus laborabat populus, ut merito puniri ipſum conſtet. Sic autem diſtingui debet à verſu nono, ubi judicium receſſiſſe dixerat: nam illic pronunciabat ipſos Dei auxilio deſtitui, quia eum cauſæ ſuæ vindicem habere non merebantur. Hic autem *judicium* retroactum dicit alio ſenſu, quod ſcilicet omnem inter ſe juſtitiam ac æquitatem everterint. Juſta igitur illis reddita fuit merces, quod nulla ad opem ferendam Dei juſtitia aſſulſerit, quando jus & æquitatem procul à ſe velut in exilium expulerant. Fruſtra enim expectamus à Deo quod negavimus aliis, atque à nobis ipſis rejecimus. *In platea*, hoc eſt, in publico. Loca enim deſignat in quibus judicia exercebantur: quo ſignificat non privatos quoſdam duntaxat corruptos fuiſſe, ſed totum populi ſtatum adeo depravatum, ut nihil integri ſupereſſet. Nam ſi vitia quædam regnent in plebe, remedii aliquid afferri poteſt, quamdiu eſt judicio locus: quod ſi everſa aut corrupta ſint judicia, ſequitur omnia contagione univerſali infecta eſſe. Licentiam quoque impunem notat, quod palam ſcelerate agere non pudeat, nec lucem & hominum oculos refugiant.

15. *Defecit.*] Hinc ſatis apparet Jeſaiam proximo verſu de pœnis loquutum non eſſe. Idem enim filum orationis adhuc contexit, atque oſtendit populum de atrocitate pœnarum conqueri non debere, quum tam graviter offenderit Deum, ac provocarit. Confirmat ergo quod dixerat prius, concidiſſe veritatem, nullum eſſe æquitati locum: idque magis amplificat, quum addit eum *prædæ* expoſitum eſſe, qui receſſit à malo. Judæi fere omnes hanc partem uno contextu legentes, ſic exponunt, Veritas defecit, & recedens à malo fuit ſpoliata. Cur hic ſenſus placuerit, non video. Expoſitio Hieronymi quam ſequor, multo rectior & convenientior eſt. Et ſatis uſitata eſt Scripturis ejuſmodi loquutio. Job, 1. cap. Job. 1: 1.
dicitur fuiſſe vir integer & rectus, timens Deum, &

rece-

Prov. 14. verſ. 16. recedens à malo. Solomon etiam Proverb. 14. Stultus ſecurus eſt, juſtus autem ſolicitat ſeipſum, & recedit à malo. Significat autem Propheta ſic exoſam fuiſſe omnem rectitudinem, ut veris Dei cultoribus, ſi qui reſtarent, innoxios eſſe non liceret: acſi diceret, Quiſquis inter homines vivere vult, neceſſe eſt ut cum ipſis improbitate certet: quemadmodum fertur vulgari proverbio, inter lupos ululandum eſſe: qui autem innoxie vivere volet, is tanquam ovis à lupis diripietur. Denique exprimit hic cumulum ſummæ improbitatis. Sic enim veritatem defeciſſe oſtendit, ut nemini bono eſſet inter ipſos locus: quia quiſquis ab injuria abſtinet, ſe in prædam exponat. *Et vidit.* Hoc pertinet ad populi conſolationem. Admonet enim, Dominum nihilominus habiturum rationem populi ſui, tametſi adeo graviter offenderit, ut nullus veniæ locus eſſe videatur. Et quamvis duriſſimas pœnas inflixerit, fore tamen demum fœderis ſui memorem, ut morbo ſanando incredibile auxilium afferat. Loquitur hic de futuro tempore, ac promittit fore aliquando, ut poſt tam varias calamitates Deus reſiduo populo ſuccurrat: nam concidiſſent animo, fractique eſſent omnino Judæi, niſi Dominus conſolationem iſtam attuliſſet. Ita homines in contraria vitia ruere, & præcipitare ſeſe ſolent: nam quum arguuntur, aut obſtinant ſeſe & obdurant, aut conſternati in deſperationem ruunt. Diligenter ergo notandus eſt hic ordo quem Propheta ſequutus eſt. Primum enim Judæos coargui neceſſe fuit, ut pœnitentia tacti & proſtrati deſinerent expoſtulare cum Deo: deinde mitigationem pœnarum cum ſalute promitti, ne abjicerent animos, ſed auxilium à Domino expectarent, qui Eccleſiam ſuam perire non vult. Sic enim ad tempus animadvertit in ſuos, ut ipſos deleri ac perdi non ſinat. Quanquam ſi quis tædium hoc Dei, vel diſplicentiam reſtringere ad Judicium malit, quod ſceleſtum populum merito ſit abominatus, non repugno: quaſi diceret, Deum nihil in populo illo vidiſſe præter odii materiam. unde ſequitur, non alia cauſa fuiſſe adductum ad opem ferendam, niſi quia res erant prorſus perditæ.

16. *Vidit.*] Idem argumentum proſequitur Jeſaias: ſed magis exprimit, & enarrat fuſius quod breviter attigerat. Poterat enim obſcurum eſſe id quod dixerat ſuperiore verſu, diſplicuiſſe Domino, quod nullum eſſet judicium. Repetit hoc loco Dominum vidiſſe quod nemo eſſet qui opem ferret Eccleſiæ, & admiratum eſſe. Utitur verbo *Hithpaël*, quo ſignificat Dominum ſibi cauſam ſtuporis fuiſſe: acſi diceret, Fecit ſe obſtupeſcere. מפגיע, nonnulli Deprecatorem vertunt: ſed puto hunc eſſe ſenſum, quod nemo eſſet qui opem afferre ſtuderet rebus afflictis: nullus eſſet medicus, qui manum huic morbo admoveret, propterea Deum mirari. Cur vero hanc admirationem Deo tribuat, colligere promptum eſt. Hac enim exprobratione pudorem infligere voluit Judæis, ne ſuo more fucum obtenderent tegendis ſuis peccatis. Quia vero res incredibilis & portento ſimilis erat, nullum reperiri in ſancto & electo populo, qui ſe injuſtitiæ opponeret, Deum novitate attonitum inducit, ut Judæos tandem ſui pigeat ac pœniteat. cujus enim protervitæ eſſet non pudefieri, quum ſua malitia Deum in admirationem impellant? Simul eorum hypocriſin perſtringit, ſi fingant apud ſe pietatem & ſanctimoniam vigere, quum Deus ſollicite quærendo, ne unum quidem rectum hominem invenerit. Porro hinc extollit atque illuſtrat ingentem Dei miſericordiam, quod populum tam deploratum, quaſi ex profundis inferis eripere dignetur. Neque enim dubium eſt his verbis admonitos fuiſſe Judæos quomodo ſperanda eſſet redemptio: nempe quia Deus ad ſervandum quod perierat, mirabiliter ſurgere velit. Adhæc Mirandi verbo, paternam quoque Dei ſollicitudinem deſignat. Certum eſt in Deum non cadere iſtos affectus, ut aliquid quaſi novum aut inſolens miretur, ſed ita ſe nobis accommodat, ut malorum noſtrorum ſenſu ſerio tacti ſortem noſtram exhorreamus. Quum igitur ait Dominum vidiſſe, ſignificat nihil opis eſſe in noſtra induſtria: quum *admirari*, ſignificat nos pluſquam hebetes eſſe ac ſtupidos, quod mala noſtra nec agnoſcimus, nec curamus. Nec tamen obſtare negligentiam noſtram, quominus Eccleſiæ ſuæ Dominus opem ferat. *Itaque ſalutem.* Significat his verbis deſperandum non eſſe, tametſi nihil auxilii ab hominibus feratur. Interea omnibus aliis adminiculis in nihilum redactis primas & ultimas partes gratuitæ Dei bonitati, & meræ potentiæ aſſignat in ſalute gentis ſuæ, atque adeo totius generis humani. Sicuti ergo Deum ſibi abunde ſufficere affirmans, ſatiſque valida potentia inſtructum ad redimendos Judæos, debilibus manum porrigit: ita nihil afferre homines poſſe dicens in ſalutis ſuæ ſubſidium, omnem altitudinem proſternit, ut fiducia operum ſuorum exinaniti ad Deum accedant. Atque hoc Prophetæ conſilium obſervandum eſt: nec enim dum Prophetas & Apoſtolos legimus, ſolummodo quid, ſed quem in finem & quo conſilio dicant, ſpectandum eſt. Hic igitur potiſſimum attendere debemus conſilium Prophetæ, ſatis in uno Deo ad implendam ſalutem noſtram eſſe virtutis, ne huc & illuc circumſpectemus: quia ad extrinſeca adminicula nimium ſumus propenſi: ſed ſpem ſalutis non alibi quam in Dei brachio locandam eſſe: & verum Eccleſiæ ſtabilimentum in ejus juſtitia: perperam facere qui aliunde pendent, quando nihil extra ſe mutuatus eſt Deus. ac latius patet hujus doctrinæ utilitas, quia tametſi omnia remedia ſæpe nos deficiant, tamen ſatis auxilii in brachio ſuo Dominus inveniet. Quoties igitur hominum auxilio deſtituti ſumus, omniſque generis ærumnis obruimur, nec quicquam aliud quam interitum cernimus, confugiamus ad iſtam doctrinam: ac certiſſimus ſatis eſſe præſidii in Deo, ut nos conſervet: & quum aliena ope non indigeat, tuto in ejus ope recumbere & acquieſcere diſcamus. Interim tenenda eſt univerſalis doctrina: nempe redemptionem Eccleſiæ admirabile ſolius Dei eſſe beneficium, ne quid hominum viribus aut induſtriæ tribuamus. Deteſtanda enim illorum arrogantia eſt qui partem ullam ejus laudis quæ ad Deum pertinet, ad ſe rapiunt: quando in ipſo ſolo & cauſa & effectus eſt noſtræ ſalutis. *Brachium* hic potentiam & virtutem deſignat: *Juſtitia* rectitudinem, qua utitur in procuranda ſuorum ſalute, quum eſt ipſorum vindex, atque ab interitu liberat. Quod dicit brachio Dei *ſalutem* ei fuiſſe partam, hoc ad Deum reſtringendum non eſt: nec paſſive legi debet, quaſi Deus ſeipſum ſervarit: ſed active, ut ſalus iſta ad Eccleſiam referatur, quam ab hoſtium manibus liberavit.

17. *Et induit.*] Hic Deum inſtruit armis ſuis, tum ut magis ac magis piorum fiduciam confirmet, tum ut omni propriæ virtutis fiducia exuat cunctos mortales. Summa enim huc tendit, Deo nihil ad hoſtes debellandos & pariendam victoriam deeſſe: quia ex ſua juſtitia, virtute & gratia, & ardentiſſimo populi ſui amore [illegible] ſibi conficiat. atque hoc rurſus notatu dignum eſt: quamvis enim fateamur ſatis eſſe virtutis in Deo, tamen ea non contenti quærimus interim alia adjumenta. Semper igitur ad infidelitatem propenſæ ſunt noſtræ mentes, ita ut mediis inferioribus hæreant, iiſque admodum implicentur. Ut hoc vitium corrigat Jeſaias, vivam iſtam deſcriptionem proponit: acſi diceret, Scitote Deum habere in manu omnia præſidia ſalutis veſtræ, nec quicquam ei defuturum, quo vos invitis hoſtibus liberet, atque in patriam reducat. Non eſt igitur quod trepidetis. Deinde nihil prolixius eſt quam imaginari nos aliquid Deo conferre:

atque

atque ita partem aliquam laudis ad nos conferre, quæ in ſolidum penes eum manere debuerat. Quod ultione & indignatione quaſi pallio Deum induit, ad hoſtes pertinet, quibus excandeſcere dicitur Deus in populi ſui gratiam. Itaque quo magis ſatagit Satan, & contra nos omnia molitur, eo magis accenditur Deus ad opem nobis ferendam, & potentius exurgit. Quamvis ergo non quieſcat ille cum omnibus reprobis, ſed omnis generis impedimenta opponant ad prohibendam ſalutem noſtram, imo furioſe incumbant ad nos perdendos: Deus tamen omnes eorum conatus unica ſua virtute diſcutiet.

18. *Quaſi propter.*] Confirmat ſententiam proximi verſus. Oſtendit enim qualis ultio illa futura ſit, qua Dominum induerat: nempe quod paratus ſit ad reddendam hoſtibus vicem ſuam. Obſervanda eſt autem ratio, cur Propheta Dominum ſic armatum, indignantem, atque ad ultionem paratum deſcribat: quia ſcilicet Eccleſiæ ſalus cum exitio impiorum conjuncta eſt. Deum proinde adverſus hoſtes qui nos perditos volunt, armatum eſſe oportet. Atque hinc immenſum Dei erga nos amorem perſpicimus, qui ita nos amat, ut inimicitias ſuſcipiat cum hoſtibus noſtris, eiſque paria ſe redditurum pronunciet. Adeo propenſus eſt in exiguum gregem ſuum, ut pluris ipſum quam univerſum mundum faciat. Hæc igitur ratio eſt, cur inſulis, hoc eſt, tranſmarinis & longinquis nationibus ſe vicem redditurum dicat. Potentes enim monarchias, & quæ inexpugnabiles videbantur, evertit ut populum ſuum liberaret. Cæterum quamvis hic nominet ſolos mortales, principium tamen facere convenit à Satana ipſorum capite.

19. *Proinde.*] Nunc teſtatur adeo magnificum & illuſtre hoc opus redemptionis fore, ut totus orbis admiretur, ſuſpiciat, prædicet ac celebret, metuque perculſus reddat gloriam Deo. Incertum porro eſt, an Gentium converſionem ſignificet, an vero terrorem, quo Deus hoſtes ſuos conſternat. Ego in priorem ſenſum magis inclino, uſque ad ultimos terræ fines illuſtre plenumque venerationis fore nomen Dei, ut non ſolum expaveſcant Gentes, ſed cum vera reſipiſcentia ipſum colant & adorent. In cauſæ redditione quæ mox ſequitur, variant interpretes. Verus autem, meo judicio, ſenſus eſt, tantum fore hoſtis impetum, ut torrenti rapido & violento ſimilis omnia abrepturus ac perditurus videatur: ſed Dominum effecturum ut deficiat protinus & evaneſcat. Eſt igitur amplificatio divinæ potentiæ, qua immenſa vis & formidabilis impetus hoſtium frangitur atque alio impulſus cadit. Quæritur nunc quam redemptionem Propheta intelligat. Reſpondeo, ſicuti jam alio loco monui, has promiſſiones ad unicam redemptionem, ut vulgo fieri ſolet, reſtringendas non eſſe: nam Judæi ad redemptionem Babylonicam ſolummodo referunt: Chriſtiani vero ad Chriſtum ſolum. Ego utramque conjungo, ut totum illud tempus ex quo populus rediit, cum eo quod ſequutum eſt uſque ad Chriſti adventum comprehendamus: quia non eſt impleta hæc prophetia niſi in Chriſto: nec ulli alteri quæ hic dicuntur convenire poſſunt. Nec enim prius univerſo orbi patefacta eſt gloria Dei, nec ita fugati hoſtes, quin vires redintegrarent, donec Chriſtus Satanæ, peccati & mortis victor ſingularem triumphum egit.

20. *Et veniet.*] Iterum confirmat quod prius dixit, populum ſcilicet liberandum eſſe: Deumque hujus beneficii fore auctorem. Jubet itaque populum bono animo eſſe in exilio, quod perpetuum futurum non eſt: deinde ſpem redemptionis locandam eſſe in ſolo Deo, ut in ejus promiſſa ſolummodo mentes defigant. Sionis nomine captivos & exules, ſicut alibi, deſignat: quia utcunque procul ejecti eſſent è patria, Templum tamen in ſuis cordibus geſtare oportuit: ſed ne promiſcue hoc ad ſe trahant degeneres filii Abrahæ, paulo poſt oſtendit ad quos perventura ſit redemptio: nempe ad eos ſolos qui vere ad Dominum converſi fuerint. Certum eſt autem multos è Babylone rediiſſe, qui nullo pœnitentiæ ſenſu afficiebantur: qui tamen ejuſdem beneficii participes facti ſunt: ſed Propheta loquitur de plena redemptione qua fruuntur ſoli electi. Quamvis enim ad hypocritas quoque externæ redemptionis fructus pervenerit, tamen beneficium Dei non amplexi ſunt in ſalutem. Huc tendit Prophetæ conſilium, utilem fore pœnam exilii, ut Eccleſiam ſuam Deus quiſquiliis & ſordibus purgatam colligat. Semper enim memoria tenendum eſt quod alibi de populi imminutione vidimus. Et hoc modo electos hortatur Propheta ad Dei timorem, ut ſub ejus ferulis proficiant. Hinc collige, non poſſe nos reconciliari Deo per Chriſti ſanguinem, niſi prius à peccatis noſtris reſipiſcamus: non quod ex pœnitentia noſtra pendeat ſalus, quæ in remiſſione peccatorum fundata eſt: ſed ita conjuncta eſt ei pœnitentia, ut divelli non poſſit. Quos enim Dominus in gratiam recipit, eos ſic renovat Spiritu ſuo, ut vitia ſua deteſtentur, & vitæ genus immutent. Papiſtæ totam ſalutis doctrinam evertunt, dum remiſſionem peccatorum miſcent ac confundunt cum pœnitentia: nec tantum ii, ſed & alii qui acutiores videri volunt. Fatentur enim gratis hominem juſtificari per Chriſtum: ſed addunt, quia per ipſum renovamur. Ita partem juſtitiæ noſtræ in remiſſione peccatorum, partem in pœnitentia conſtituunt. Atqui ſic nunquam tranquillæ erunt conſcientiæ noſtræ: quia longe abſumus à perfecta renovatione. Sic igitur hæc diſtinguenda ſunt, ut ne ſeparentur nec miſceantur: atque ita ſolidum noſtræ ſalutis fundamentum retineamus. Paulus hunc locum citat, ut demonſtret ſpem adhuc aliquam reſtare in Judæis: *Rom. 11. verſ. 26.* tametſi ex indomita eorum obſtinatione colligi poſſet prorſus rejectos eſſe, & æternæ morti devotos. Sed quia Deus perpetuo memor eſt fœderis ſui, & ſine pœnitentia ſunt dona & vocatio ipſius: *ibid. v. 29.* merito colligit Paulus fieri non poſſe, quin aliquæ tandem reliquiæ ad Chriſtum conveniant, partaque per eum ſalute potiantur. Tandem igitur Judæos ſimul cum Gentibus colligi oportebit, ut ex utriſque unum ovile ſub Chriſto fiat. *Joan. 10. verſ. 16.* Atqui Propheta tractat de redemptione Babylonica. hoc quidem verum eſt: ſed diximus eum ſimul complecti regnum Chriſti, & redemptionem ſpiritualem. Ad eam enim hoc vaticinium pertinet. Unde colligere Paulum diximus, redemptorem mundi eſſe non potuiſſe, quin *Rom. 11. verſ. 1. 2.* ad aliquos Judæos pertineret, quorum patres elegerat, & quibus nominatim hæc promiſſio deſtinata eſt. In fine verſus aſcribitur obſignatio tam præclaræ ſententiæ.

21. *Et ego cum ipſis.*] Quoniam difficile erat creditu quod hactenus Propheta docuit: ideo pluribus modis confirmare Judæos ſtudet, ut certa fiducia recumbant in hac promiſſione ſalutis, tantumque honoris tribuant Deo, ut in ejus verbo acquieſcant. Et diligenter notandum eſt verbum *fœderis*, quo Propheta magnitudinem & præſtantiam hujus promiſſionis deſignat. Promiſſiones enim latius patent, & ſunt veluti lapides ædificii, cujus fundamentum eſt fœdus, quod totam molem ſuſtinet. Hoc igitur nomine uſus eſt, ne putarent hic vulgare aliquid contineri: atque iſtas confirmationes adjungit, ut quamvis hæc non ſtatim præſtaret Dominus, nihilominus firma & indubia ſpe expectarent. ac videtur ſubeſſe antitheſis, ut alacrius aſpirent fideles ad fœdus novum, quod ſanciendum erat in manu Chriſti. Videtur tamen dilutum eſſe ac jejunum quod poſtea additur, ubi jubet Eccleſiam Verbo & Spiritu contentam eſſe: quaſi vero hæc magna ſit felicitas, ſuſpenſos hærere in ſolis Dei promiſſionibus. Sed mihi dubium non eſt, quanquam doctrinæ præſtantiam ac pretium commendat Propheta: non tamen eam

Digitized by Google

eam disjungi à ſuo effectu. Sed quia ſic gratiam ſuam temperat Deus ac diſpenſat, ut fideles quamdiu in mundo verſentur exerceat ſemper ad patientiam: nec reſpondeat eorum votis omni ex parte: ideo eos ad doctrinam revocat: quaſi diceret, Tu quidem ſenties me variis modis beneficum, ſed nulla tibi potior erit, vel magis expetenda felicitas, quam me ſentire præſentem Verbo & Spiritu. Unde colligimus, hunc ſingularem eſſe Eccleſiæ theſaurum, quod ſibi domicilium in ea elegit, ut in cordibus piorum per Spiritum ſuum habitet: deinde conſervet apud eos Euangelii ſui doctrinam. Denique prædicit fore, ut nunquam Dominus deſtituat populum ſuum, quin ei ſemper & Spiritu ſuo & ſermone adſit. Spiritus conjungitur Verbo, quoniam ſine efficacia Spiritus nihil efficeret prædicatio Verbi, ſed maneret infructuoſa. Similiter Verbum à Spiritu ſejungendum non eſt, ut fingunt homines fanatici, qui ſpreto Verbo, nomine Spiritus gloriantur, & turgent inani fiducia ſuarum imaginationum. Eſt enim Satanæ ſpiritus qui divellitur à Verbo, cui Spiritus Dei perpetuo conjunctus eſt. Ubi vero externam doctrinam vivificat, ut radices agat in animis noſtris, etiam in multis miſeriis beata eſt noſtra conditio: nec mihi dubium eſt quin Propheta conſulto pronunciet, quamvis Deus liberaliter agat cum Eccleſia ſua, vitam tamen ejus ac ſalutem repoſitam fore in fide. atque ita diſcernitur novus populus à veteri: quia ſicuti ſpirituale eſt Chriſti regnum, ita ex quo ſurrexit à mortuis, fideles animas ſurſum attolli cum eo convenit. Jam vero promittit ineſtimabili hoc bono Eccleſiam nunquam privatum iri, quin Spiritu ſancto regatur, & fulciatur cæleſti doctrina. Parum enim eſſet nobis ſemel offerri Euangelium, noſque Spiritu donari, niſi apud nos reſiderent. *In ore tuo.* Oſtendit Deum ſic nos alloqui, ut hominum miniſterio & opera uti velit. Poſſet quidem è cælo ipſe loqui, aut Angelos mittere: ſed in eo magis noſtri rationem habuit, quod per homines noſtri ſimiles compellat & convenit, ut eorum voce & ſermone magis familiariter nos ad ſe alliciat. Hunc ergo ordinem in Eccleſia ſtatuit, ut fruſtra jactent ſe Deo parere velle, qui ejus miniſtros rejiciunt. Ergo Verbum & doctrinam ex ore Prophetarum & Doctorum qui ejus nomine & juſſu docent, peti jubet, ne novas revelationes ſtulte venemur. Verbum, *non recedent*, alii vertunt in Imperativo, pro quo etiam futurum ſæpius accipi notum eſt. Sed hic verbum imperandi aut hortandi non convenit: quia promittitur à Propheta quod Deus præſtare vult. Hinc quidem exhortatio deduci poteſt: ſed promiſſio priores obtinere debet. Eſt autem ejuſmodi, Dominum ſic affuturum Eccleſiæ, ſicque ejus curam habiturum, ut eam privari doctrina nunquam ſinat. Eo igitur ſemper reſpiciendum eſt, quum rebus adverſis tentamur, nec omnia ſuccedunt ex animi noſtri ſententia. Nam ſuſtentari & erigi debemus Verbo & Spiritu, quibus nos Dominus nunquam deſtitutum iri promittit.

Cap. LX.

SUrge, ſplendida eſto: quia venit ſplendor tuus, & gloria Jehovæ ſuper te orta eſt.
2. Quia ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper te autem orietur
Jehova, & gloria ejus ſuper te videbitur.
3. Et ambulabunt Gentes ad ſplendorem tuum, & Reges ad fulgorem ortus tui.
4. Leva in circuitu oculos tuos, & vide. Omnes iſti congregati ſunt ut veniant ad te:
filii tui à longe venient, filiæ tuæ ad latus nutrientur.
a vel, *diffues.* 5. Tunc videbis, & [a] ſplendeſces, expaveſces ac dilatabitur cor tuum, quia ad te con-
verſa fuerit [b] copia maris, opes Gentium ad te venerint.
b vel, *multitudo maris, & robur Gentium.*
6. Copia camelorum operiet te, pullorum Midiam & Epha. Omnes è Saba venient,
aurum & thus afferent, & laudes Jehovæ annunciabunt.
7. Omnes oves Cedar congregabuntur tibi: arietes Nabajoth miniſtrabunt tibi:
aſcendent ad beneplacitum altaris mei, & domum gloriæ meæ glorificabo.
8. Qui ſunt iſti qui inſtar nubis volant? & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?
9. Me certe inſulæ expectabunt, & naves Tharſis, ut filios tuos abducant à longe:
argentum eorum & aurum cum ipſis, nomini Jehovæ Dei tui, & Sancto Iſraël: quia glo-
rificavit te.
10. Et extruent filii alienigenæ muros tuos, & Reges eorum miniſtrabunt tibi: quo-
niam in ira mea percuſſi te, & in clementia mea miſertus ſum tui.
11. Et aperientur portæ tuæ jugiter; die & nocte non claudentur, ut advehantur tibi
c vel, *robur.* [c] opes Gentium, & Reges eorum ducti.
12. Quoniam gens & regnum quod non ſervierit tibi peribunt: Gentes, inquam, peni-
tus abolebuntur.
13. Gloria Libani ad te veniet; abies, pinus, & buxus pariter, ad decus loci ſanctitatis
meæ. Nam locum pedum meorum glorificabo.
14. Et venient ad te humiles filii affligentium te, & incurvabunt ſe ad plantas pedum
tuorum omnes qui te ſpernebant: & vocabunt te Civitatem Jehovæ, Sion Sancti Iſraël.
15. Pro eo quod fuiſti derelicta & exoſa, ut nemo per te tranſiret, ponam te in magnifi-
centiam perpetuam, gaudium generationis & generationis.
16. Et ſuges lac Gentium, mammillam Regum ſuges: & cognoſces quod ego Jehova,
ſervator tuus, & redemptor tuus fortis Jacob.
17. Pro ære adducam aurum, & pro ferro adducam argentum: & pro lignis æs, & pro
lapidibus ferrum: & ponam præfecturam tuam, pacem: & exactores tuos, juſtitiam.
18. Non audietur amplius oppreſſio in terra tua, vaſtitas & contritio in terminis tuis:
& vocabis Salutem muros tuos, & portas tuas Laudem.
19. Nec erit tibi amplius ſol in lucem dierum, nec ſplendor lunæ lucebit tibi: quia erit
tibi Jehova in lucem perpetuam, & Deus tuus in gloriam tuam.

20. Non

20. Non occidet amplius ſol tuus, nec luna tua occultabitur: quoniam Jehova erit tibi in lucem perpetuam, & finientur dies luctus tui.

21. Populus quoque tuus omnes juſti, perpetuo hæreditabunt terram, germen plantationis ejus, opus manuum mearum, ut glorificer.

22. Parvus erit in mille, exiguus in gentem robuſtam. Ego Jehova tempore ejus accelerabo hoc.

SUrge.] Nunc oſtendit quanta ſit Verbi illius efficacia, de quo prius loquutus eſt. Erigit enim proſtratam & afflictam Eccleſiam, nitorique ſuo reſtituit: & quoniam perſonam Dei ſuſtinet, auctoritatem hic ſuam declarat. propterea uſus eſt imperativo, ut ſermo plus efficaciæ haberet: acſi pro imperio Eccleſiam in poſſeſſionem mitteret felicioris ſtatus, quem promiſerat. Summa huc tendit, ut ſciant fideles non eum verba in aërem jactare, ſed cum effectu loqui. Surgere autem jubet, quia prius dixerat eam jacere, quæ duo verba inter ſe opponuntur. De Babylone prius dicebat, Deſcende, ſede in pulvere, capite 47. De Judæis ipſis, capite 32., Sedebit populus meus in pulvere. Contra autem capite 52., Surge, ſurge, indue veſtes decoris tui. Ita nunc rurſus quaſi porrecta manu Eccleſiam attollit, ut honoris ſui ſedem recuperet, quæ ante proſtrata erat, ac veluti ſordibus & ſqualore obſita. Porro ne Judæos malorum caligo deſperatione obruat, lucem quæ abſcondita fuerat, paulo poſt exorituram dicit: nempe ad diei & noctis viciſſitudinem alludens: acſi diceret, Dominus tui miſertus, te eripiet ex his tenebris in quibus jacuiſti: Satis pœnarum dediſti: jam tempus eſt ut melius habere incipias. *Splendoris* igitur nomine, metaphorice ſalutem & integrum ſtatum deſignat, ſicuti antea per Tenebras, adverſum Eccleſiæ ſtatum ſignificavit. Simul tamen admonet lucem hanc non aliunde orituram quam ex ſereno Dei vultu, ubi gratiam ſuam exerere volet. Ubi enim lumine ſuo nobis affulget Dominus, omnia proſpere ſuccedunt: ubi vero à nobis averſus eſt, nihil miſerius nobis aut infelicius eſſe poteſt.

ſupr. 47. verſ. 1. & 32:18. & 52: 1.

2. *Quia ecce tenebræ.*] Nunc per comparationem amplificat gratiam illam cujus antea meminit: ut quantopere Deus amet electos ſuos, & quam inſigni prærogativa dignetur, æſtimemus. Summa enim eſt, dum miſeriis infinitis premimur, ac veluti demergitur univerſus orbis, Deo populum ſuum curæ fore ut eum variis beneficiis exornet. Oſtendit ergo lucem gratiæ & favoris, cujus meminit, promiſcuam omnibus non fore, ſed peculiarem populo Dei. Diximus Splendoris nomine proſperum Eccleſiæ ſtatum deſignari: ſed ne hunc ſtatum ab externa ſpecie æſtimemus: altius enim conſcendit Propheta: nec mihi dubium quin de ſpirituali luce & ſplendore concionetur. Alioqui non conveniret ea loquutio qua poſtea uſurus eſt, Ambulabunt Gentes ad ſplendorem tuum: & contextus hujus capitis cum ſuperiore id facile oſtendit. Dicit enim fœdus hoc contineri Verbo & Spiritu. Denique ex antitheto facile colligitur aliam Eccleſiæ felicitatem, quam in cibo & potu, vel otio & pace, & aliis commodis promitti. Certe nunquam deinde ſequutum eſt tempus, quo malorum caligo Gentes omnes obrueret tranquillis lætiſque Judæis. Quum ergo ſeparetur Eccleſiæ conditio à toto orbe, beneficium, in cujus poſſeſſionem Jeſaias Eccleſiam mittit, ſpirituale eſt: & ſpiritualis ſplendor quem promittit. Itaque ad ſpirituale Chriſti regnum hæc pertinent: quo lumen Euangelii per omnes orbis partes refulſit, eoque extraneæ gentes illuſtratæ ſunt. Atque huc pertinet quod ſequitur, *Super te orietur Dominus.* Etſi enim claris ſignis & effectis favorem Dei appariturum oſtendit, non tamen omittit quod præcipuum eſt, fideles vere ſenſuros eum patrem, ut ſalutem ab eo expectent. Hinc collige nos tenebris oppreſſos eſſe, donec cum adoptionis gratuitæ teſtimonio affulgeat nobis Deus. Loquor de toto genere humano. nam à ſolo Deo vivificam hanc lucem prodire docet Jeſaias, ut ſignificet peculiare eſſe Dei beneficium. Secundo loco notandum eſt, ſolam Eccleſiam compotem eſſe hujus ſplendoris: hoc eſt, electos Dei. unde ſequitur, non promiſcuum eſſe, aut naturale donum: ſed quo Dominus communem naturæ humanæ defectum ſublevat. Unde etiam perſpicimus nuſquam lumen aut ſplendorem eſſe, quam in Eccleſia. Reliqui enim homines tametſi in luce eſſe, ac ſplendere ſibi videantur, obruuntur tenebris: è quibus non aliter quam lumine Euangelii, eripi poſſunt. Adjungit nomen *gloriæ*, quia poſtquam ſemel nos Dominus complexus eſt gratia ſua, ſic nos proſequitur, ut beneficia ſua in nobis magis ac magis adaugeat.

3. *Et ambulabunt Gentes.*] Confirmat quod jam diximus: non aliam eſſe hominum lucem, quam quum illis Dominus Verbo ſuo affulget. Hoc quidem fatentur omnes. ſed non tanti faciunt hoc beneficium quanti debent: ac vulgare quiddam eſſe putant, quod naturaliter in omnes homines competat. Atqui ſupernaturalem eſſe hanc gratiam oſtendit. Diſtingui ergo debet à natura. idque repetitio hujus vocis, *ſuper te*, qua prius uſus eſt, ſatis oſtendit. Primum igitur tenendum, ſolius Dei eſſe hoc beneficium: deinde non omnes promiſcue ipſius participes, ſed electos tantum: quibus ſcilicet gratuito favore Dominus affulget, ut à vulgo hominum eximantur. Hoc autem fit per Chriſtum, qui vocatur Sol juſtitiæ: quoniam ejus veluti radiis illuſtramur. Cæterum, gratiam longe lateque à Judæis diffuſum iri docet: ſicuti ſonant verba fœderis, In ſemine tuo benedicentur omnes Gentes. Neque enim ſi unus tantum populus frueretur luce, quidquam aliis prodeſſet: ſed quatenus ſparſa eſt Euangelii doctrina per totum mundum, præluxit Judæa Gentibus ante excæcatis ad viam monſtrandam. Nam unius populi ſplendorem proprium faciens, oſtendit non aliter mundum illuminari, atque in hujus beneficii ſocietatem pervenire potuiſſe, quam ſi lucem peteret ex Verbo illo quod prodiit à Judæis, & Jeroſolymæ auditum eſt: ubi accenſa fuit Lampas Domini, ubi exortus eſt Sol juſtitiæ, ut inde in omnes terræ fines lumen ſuum diffunderet. ſicuti ante vidimus, Ex Sion prodibit Lex. Nulla igitur eſt lux quam ex Prophetarum doctrina: ut fruſtra ſe jactent in luce ambulare, qui ab ea recedunt. *Ad fulgorem ortus tui.* Alludit ad auroram, quia ſicuti Lucifer diem inchoat ab una tantum cæli plaga, ſtatim vero Sol totum mundum irradiat: ita primùm diluculum fuit in Judæa, unde lux orta, atque per univerſum orbem deinde expanſa eſt. Nullus enim eſt terræ angulus, quem non Dominus hac luce illuſtraverit. *Reges* autem nominat, ne vulgus ignobile ſolummodo venturum ad hoc lumen putarent, ſed Principes & magnates, qui alioqui ſibi vehementer in ſua dignitate placent. Summus vero hic honor eſt quem Eccleſiæ tribuit, quod tanto fulgeat ſplendore, ut populos & Principes ad ſe convertat. *Lumen* Eccleſiæ vocat, non quod à ſe quicquam habeat luminis, ſed à Chriſto tanquam luna à ſole, mutuetur.

Mal. 4. verſ. 2.

Gen. 22. verſ. 18.

ſupra 2. verſ. 3.

4. *Leva in circuitu.*] Pluribus confirmat promiſſionem illam de reſtituenda Eccleſia, quæ incredibilis omnino videbatur. Nec enim facile erat in tam miſero & perturbato rerum ſtatu hæc Judæis perſuadere. tunc regnum Juda ſolummodo reſtabat, id-

que

que adhuc in aliis minuebatur, donec prorſus concideret. ubi vero in exilium tractus fuit populus, in horrenda illa diſſipatione, & triſtibus ruinis, adeo deſperata erant omnia, ut putaretur de Eccleſia penitus actum eſſe. Pluribus ergo confirmanda fuit hæc doctrina, ne animi natura propenſi ad diffidentiam, amplius dubitarent. Propterea adducit Judæos velut in rem præſentem, tametſi procul abeſſet: ut nihilo magis hæſitent, quam ſi jam ob oculos ipſorum poneretur. Jubet autem fideles *attollere oculos in altum*, id eſt, ſupra humanam cogitationem. Nam quamdiu defixi ſumus in externum ſtatum, fructum harum promiſſionum percipere non poſſumus. Addit, *in circuitu*, ut certo teneant non ab una tantum plaga, ſed undique venturos populos, qui in corpus unum coaleſcant: nec vero tantum diſperſionis quæ futura erat remedium ac finem promittit, ſicut alibi dicitur, Diſperſos Iſraëlis congregabit: ſed latius extenditur hæc collectio. Significat enim mirabilem fore in mundo converſionem, ita ut qui prius fuerant diſſipati & extranei, in unum corpus coaleſcant. Denique notatur Eccleſiæ propagatio in ultimos terræ fines. Subeſt etiam tacita antitheſis, qua miſerum & calamitoſum ſtatum denotat, in quo prius erat mundus, quam auſpiciis Chriſti colligeretur. *Filii tui.* Quidam per *filios* allegorice intelligunt robuſtiores ac firmiores in fide: per *filias*, infirmiores. Sed non exiſtimo tam ſubtiliter Prophetam loquutum eſſe. Itaque ſimplicius accipio, Fore ſcilicet ut filii & filiæ ad Eccleſiam concurrant: hoc eſt, non tantum domi gignantur, ſed etiam foris: atque adeo in extremis partibus mundi. Uterum Eccleſiæ non jam aliquo mundi angulo conſtrictum iri, ſed tam longe & late ſe extenſurum, quam patet univerſus orbis.

Pſal. 147. verſ. 2. ſupr. 56. verſ. 8.

5. *Tunc videbis.*] Hæc prima ſpecie videntur aliquantum inter ſe pugnare, quod prius in præſenti loquutus ſit: nunc vero futurum denunciet. ſed prius de oculis fidei loquebatur, quæ apprehendit ea quæ ſub hominum ſenſus non cadunt: nunc autem de ipſo rei eventu. vel certe præſenti tempore certitudinem notare voluit: nunc vero, ut ſe in tolerantia contineant fideles, reſtringit eandem ſententiam. Cæterum, etſi quæ Dominus promittit, ad tempus lateant oculos hominum, tamen à piis fide cernuntur: ut certiſſime eorum ſucceſſum expectent, utcunque aliis incredibilia videantur. *Splendeſces.* Quia נהר tam Splendere quam Diffluere ſignificat, ideo utroque modo verti poteſt. Referre enim poſſumus ad gaudium quo perfunditur Eccleſia atque diffluit, quum in hunc modum augetur: vel ad ornatum, quo ſplendet ac refulget. Sed hoc alienum videri poſſet à contextu, quod pavoris mentionem facit, atque eum ſplendori vel gaudio permiſcet. atqui non dubito quin hoc verbo admirationem & veluti ſtuporem notare voluerit, quo rapietur Eccleſia, quum ſe inſolito & inopinato hoc honore affici, atque in tam ſublimem honoris gradum evectam cernet. acſi diceret: Tanta erit operis magnitudo, ut opinionem tuam ſuperet. Non eſt igitur pavor qui concipitur ex periculo aliquo, vel re triſti, ſed qualis in maximis rebus, quæ ingenii noſtri captum excedunt, evenire ſolet, dum attoniti ſomniare quodammodo nos putamus. atque hæc trepidatio cum lætitia optime convenit.

6. & 7. *Copia camelorum.*] Deſcribit Propheta figurate gloriam Eccleſiæ, atque ſermonem ſuum tempori accommodat, & perſonis, quibuſcum ipſi negotium erat. Eſt enim memoria tenendum quod ſæpius diximus, Prophetas habuiſſe rationem populi quem docebant: ideoque res uſitatas, & notas ceremonias commemoraſſe, ut ſub earum figuris, ſpiritualem Dei cultum deſignarent. Illi enim primum inſtituendi fuerunt: deinde Gentes, ad quas iſtarum rerum veritas pervenit. perinde acſi diceret, populos longe diſſitos cum ſuis opibus venturos in Dei poteſtatem. Nam quod Eccleſiam locupletandam prædicit, referri non debet ad hominum perſonas, ſed propter unitatem capitis & membrorum, quod Dei & Chriſti proprium eſt ad Eccleſiam transfertur. Stulte ergo Judæi hujus vaticinii prætextu devorant inexplebili ſua cupiditate omnes terræ divitias. nec minus perperam Papiſtæ verba hæc ad luxurioſam ſuam opulentiam pompaſque detorquent. Camelorum autem, Thuris, Auri, Ovium ideo mentionem facit, quod ſpectet quid unaquæque regio proferat: ut oſtendat omnes conſecraturas Deo quicquid penes ſeſe habuerint, ſeque & ſua omnia velut in ſacrificium oblaturas. Unde colligendum eſt, non poſſe nos vere converti ad Dominum: quin omnes ei facultates noſtras offeramus. Hæ enim ſunt ſpirituales hoſtiæ, quas requirit, & quæ negari ipſi non poſſunt, ſi corda vere dicata ipſi & conſecrata fuerint. Impii abutuntur beneficiis Dei ad luxum & intemperantiam, atque ea, quantum in ſe eſt, indigna profanatione corrumpunt. Pii vero, dum iis utuntur pura conſcientia, Domino ipſa conſecrant. Nemo igitur Dei eſſe poteſt, quin ei ſimul omnia ſua addicat ac devoveat. Quod attinet ad regiones quas hic recenſet Propheta, quo quæque loco ſita ſit, exponere minime neceſſe eſt. Obiter tamen notandum, eas hic commemorari quæ ad Orientem ſpectabant: potiſſimum vero Arabiam & vicina loca: quæ per Cedar & Nabajoth deſignat. Papiſtæ abuſi quoque ſunt hoc loco, ut probarent Reges ab Oriente veniſſe, ut dona Chriſto offerrent. In quo ſe nimium ridiculos præbent, quum Propheta de omnibus ordinibus loquatur. Verum ſine judicio congerunt omnes hujuſmodi locos, in quibus auri vel thuris fit mentio quaſi Prophetæ intelligant ea dona quæ Magi obtulerunt. Hic vero nihil obſcurum eſt: ſignificat enim futurum ut Deus ubique invocetur, atque exteri omnes ad ejus cultum conveniant. *Aſcendent.* Alii vertunt, Aſcendent in beneplacito ſuper altare meum: atque hypallagen eſſe putant. neque id inepte prorſus, meo judicio: ut ſignificet Propheta iſtas victimas quæ offerentur à Gentibus, gratas fore Deo. Alii ſic interpretantur רצון, acſi adjectivum eſſet: quod proprietati linguæ non convenit. Nam רצון, ſignificat Benevolentiam, vel favorem. Quare præferendum cenſeo quod reddidi: nempe quod aſcendent hoſtiæ ad beneplacitum altaris. Ac ſic reſolvi poterit oratio, Aſcendent ad placandum Deum: ſicut in hoc ordinatum eſt altare, & offeruntur ſacrificia, ut homines Deum ſibi propitium ac faventem habeant: & Deus etiam juxta ſuam promiſſionem ſacrificia ex altari ſuo grata habet. nam tunc illinc ad obtinendum Dei favorem acceſſus erat. Tria hic diſtincte exprimit Propheta. Primum enim dum *ſacrificia aſcendere* dixit, alluſit ad veterem ceremoniam, qua olim in ſacrificiis utebantur. nam attollebant victimas: quo ſignificabant erigendos eſſe omnium animos, ne in terra fixi hærerent, aut victimam ſolummodo ſpectarent. Deinde ea ſacrificia grata fuiſſe Deo, ut à profanis oblationibus Gentium diſtinguantur: quæ carebant fide. Tertio, In altari: quod ſolum oblationes ſanctificare poteſt. Quicquid enim extra ipſum offerebatur, impurum ac deteſtabile erat. Cæterum, hæc figura nos ad veritatem ducere debet. Chriſtus enim eſt altare Dei, atque in ipſo offerendum, ſi victimas noſtras Deo acceptas eſſe velimus. Porro ſub Templi glorificatione veram populi inſtaurationem declarat. Hæc enim præcipua felicitatis pars erat, ut ſtaret templum, in quo Deus pure invocaretur. nam initium hinc faciendum eſt, ut Deus inter nos regnet, quo vere beati ſimus. Propterea Dominus, quum Eccleſiam inſtauratum iri ſignificat, templi mentionem facit, quod ejus gloriam reſtituet. acſi diceret, Domus mea nunc ludibrio Gentium expoſita

Mat. 2. verſ. 11.

Exod. 29. verſ. 24. Levit. 8. verſ. 29.

eſt;

eſt: ſed gloriam tandem, qua nunc ſpoliata eſt, ei reſtituam. Apparet autem ex Zacharia, Aggæo, & Malachia non ſtatim à populi reditu hoc fuiſſe completum. nec vero in ſumptuoſa illa mole, qua Herodes aſtute favorem ſibi acquirere voluit, veram dignitatem fuiſſe putandum eſt: ideoque non ante emerſit dignitas aut decus, cujus fit hic mentio, quam ubi januam cælorum Jeroſolymæ aperuit Deus, & inde palam vocavit omnes Gentes ad ſpem æternæ ſalutis.

8. *Qui ſunt iſti.*] Quoniam Propheta in exprimendo hoc Dei beneficio ſibi ſatisfacere non poteſt, ipſe in admirationem raptus, exclamat, *Qui ſunt iſti?* hoc enim multo plus habet vehementiæ quam ſi ſimpliciter dixiſſet advolare infinitam multitudinem: iiſdemque ſimilitudinibus etiam uſus eſſet. Plenius ergo exprimere voluit quam magnifica foret iſta propagatio, quum verba non repetit quibus rem ipſam exponat. *Inſtar nubis volant.* Hic Apoſtolos
Marc. 16. v. 15, 20. notari putant, qui incredibili celeritate uſque ad ultimos fines mundi penetrarunt. & nonnihil coloris habet ejuſmodi interpretatio. Sed Propheta loquitur de univerſa Eccleſiæ aggregatione: quia undiquaque homines propere & alacriter ad ipſam accurrent. Columbarum ſimilitudo qua utitur, huic rei aptiſſima eſt. nam quum in agris ſparſæ ſunt, nihil à feris avibus differre videntur: ſunt tamen domeſticæ, & columbarium ſuum habent, in quod ſe recipiunt, atque in eo nidulantur. Ita pii fide illuminati agnoſcere incipiunt cœtum ſuum, quo ſe ab horrenda diſſipatione recipiant. Quam neceſſaria fuerit hæc monitio, facile agnoſcent omnes qui ſtatum illius temporis horrendum ac miſerum reputabunt. Nam ſi Prophetæ tot annis quibus aſſidue inſtiterant Judæis, nihil aut parum admodum efficere potuerunt, quid ſperandum erat de Gentibus penitus à Deo alienis? Annon erat paradoxon, eas aliquando in Eccleſiam venturas? Non eſt tamen hyperbolice loquutus Propheta: ſed ita obſtupeſcit, ut nos etiam in eandem admirationem adducat.

9. *Me certe inſulæ.*] Poſtquam Jeſaias quibus potuit elogiis inſigne illud inſtaurationis beneficium extulit, Deum ipſum introducit loquentem, quo plus auctoritatis habeat oratio. *Expectationem* hic nonnulli accipiunt pro deſiderio. acſi diceret, hoc ideo fieri, quod transmarinæ Gentes, velut famelicæ ipſum appetent: quia ſentient ſe ſalute & vita eſſe deſtitutas. Alii ſimpliciter accipiunt pro Sperare. ſed interdum quoque ſignificat Obſervare. Atque ita
Pſal. 56. verſ. 7. uſurpat David Pſal. 56., Impii expectant animam meam: id eſt, vitæ meæ inſidias tendunt. in qua ſignificatione hoc loco accipi poteſt. Expectabunt, id eſt, obſervabunt nutum meum: quemadmodum ſervi à Domini arbitrio pendere ſolent. Nolite ergo mirari, quod tam multi confluent in Eccleſiam: quoniam inſulæ quæ nunc partim me contemnunt, partim oppugnant, ſic mihi attentæ erunt, ut quicquid mandavero, exequantur. Et certe ex reliquo verſu patet de tali obſequio nunc agi. *Naves Tharſis.* Hic, ſi cui placeat, ſuppleri poteſt particula ſimilitudinis כ: hoc ſenſu, Quemadmodum naves Tharſis olim commeabant in Judæam, atque advehebant res ad templi ſtructuram & uſum hominum neceſſarias, ita futurum ut rurſus commeent, atque abrupta illa navigatio curſum ſuum recuperet. Per Tharſis, id eſt, Ciliciam, quæ oppoſita erat Judæis, συνεκδοχικῶς intelligit omnes navigationes, & commercia quæ cum exteris nationibus exercebantur. Poteſt etiam ſimpliciter accipi, Naves Tharſis quæ nunc ſuperbe deſpiciunt Eccleſiam meam, imperio meo ſubjicientur, atque ad ipſam filios è longinquis regionibus adducent. *Aurum cum ipſis.* Iterum repetit quod antea dixerat, ſic venturas Gentes in obſequium Dei, ut ſe & ſua omnia ipſi offerant. Papiſtici doctores, ut nuper attigi, ſummam impudentiam produnt, quum his teſtimoniis abutuntur ad tuendas tyrannicas & theatrales pompas, quibus Antichriſtus Romanus, & ejus aſſeclæ perlucent & conſpicui reddi volunt. Quum affluant luxu, auroque & gemmis niteant, & meretricio cultu ſeſe ornent, non pudet ipſos hujus nequitiæ Spiritum ſanctum auctorem facere: ut quoties auri & argenti mentio fit in Prophetis, ad luxum ſuum id transferant. In hoc certe perſimiles ſe præbent Judæis, qui ad auri & argenti mentionem toti exultant: ac ſperant ſe, adventante Meſſia, in his volutaturos. Ita Papiſtæ nihil aliud quam aurum & argentum cogitant, atque inani ejuſmodi ſpecie perſtrictæ eorum mentes ſeſe attollere in cælum nequeunt. Sed hic ſtupor longa refutatione non eget. Summa eſt, Deum velle in ſummum honorem evehere Eccleſiam ſuam, & ornamentis neceſſariis illuſtrem reddere. Et ne qua tam magnificæ promiſſionis dubitatio pias mentes impediat, neve quicquam ſuis meritis attribuant, Deus ipſe hujus rei ſe auctorem fore pollicetur. Porro Gentium divitias quas paulo ante viſus fuerat Eccleſiæ in prædam aut victoriæ præmium addicere, Deo nunc in ſacram oblationem deſtinat. atque ita clarius exprimit quod dixi, nihil magis eſſe nobis expetendum, quam ut Dei imperio totus mundus ſubjaceat.

10. *Et extruent.*] Proſequitur idem argumentum. quemadmodum prius dixit exteros ſeſe ſubmiſſuros ipſius imperio, ut templum inſtaurent: ita nunc alienigenas operam ſuam collaturos ad extructionem murorum. Variæ ſunt comparationes, quibus inſtaurationem Eccleſiæ promittit. Eſt enim familiare Scripturis, ubi de Eccleſia agitur, nunc Templum, nunc Jeroſolymam proponere. Promittit autem exteros & alienigenas adjutores fore inſtruendo huic ædificio, ne Judæi ſua paucitate aut inopia territi animos deſpondeant. Poterant enim in captivitate ipſa ad diffidentiam ſollicitari: ut quamvis ſperarent ſe redituros in patriam, tamen hæc à ſe præſtari non poſſe exiſtimarent. Hoc autem præſtitit Cyrus, qui magnam auri & argenti copiam ſuppeditavit. Sed in ipſo hæc tantummodo adumbrata fuerunt: vere impleta ſunt in Chriſto, ad cujus regnum hæc omnino extendi debent. Paucis enim Apoſtolis *Mat. 10.*
primum uſus eſt Chriſtus, qui tanto operi ſufficere *verſ. 1.* non potuiſſent: ſed alienigenas deinde excitavit, ex quibus delegit paſtores, atque exteros eorum Principes, Eccleſiæ alumnos eſſe voluit. Papiſtæ nimis improbe pervertunt ac corrumpunt hunc locum, dum ad tyrannidem Papæ ſtabiliendam ipſum detorquent. Summam enim poteſtatem in Reges ac Principes omnes penes ipſum eſſe volunt: atque in hoc impudenter vicarium Chriſti eſſe mentiuntur. nec
enim Chriſti regnum eſt de hoc mundo: ille barbare *Joan. 18.*
& tyrannice dominatur, atque licentiam mutandi *verſ. 36.*
& transferendi regna uſurpat. Atqui Reges ita ſe ſummittunt Chriſto ut Reges eſſe non deſinant: ſed omnem poteſtatem ſuam ad cultum Dei ſervandum, & juſtam politiam adminiſtrandam conferant. Unde videmus quam alieni ſint à regno Chriſti, qui Regibus auctoritatem & potentiam eripere volunt, ut in ſe transferant. Hinc etiam refelli poſſunt Anabaptiſtæ, qui ſic politicum ordinem evertunt, ut Reges non aliter Chriſtianos eſſe poſſe exiſtiment, quam ſi ſe auctoritate ſua abdicarint: quando in regio etiam ordine Deus ſe velle excellere oſtendit. Porro ne quis objiceret facilius fuiſſe Eccleſiam tueri incolumem, quam ab inferis excitare, prævenit Deus & Judæos ita merito fuiſſe afflictos docet: quia nimis provocatus fuerat eorum ſceleribus. ſed bene ſperandi materiam ſuggerit, quia nolit exigere quas meriti erant pœnas, ſed contentum fore, ſi modo temporalis caſtigatio eos humiliet. Admonet interea Judæos quænam ſit cauſa hujus mutationis: ne ipſam pro ſenſu ſuo æſtiment. Dum enim mutantur regna,

ac

by Google

ac ſubinde evehuntur & concidunt, hæc fortuito contingere, & communem mundi ſortem eſſe putant. Idem exiſtimare poterant Judæi, quum everſo Chaldæorum regno, in libertatem reſtituti ſunt. Propterea Dominus hæc omnia providentia ſua adminiſtrari teſtatur: ne ſcilicet profanorum hominum more cæcutiant. Perinde ergo eſt acſi diceret, Si quæras cur tot miſerias tuleris, hæc cauſa eſt, quod tibi iratus fuerim atque ſcelera tua ultus ſim. Si vero liberationis tuæ cauſam inquiras, gratuita benevolentia mea, non dignitas tua aut fortuitus rerum eventus in cauſa eſt. Itaque, non temere accidunt calamitates, nec ſine cauſa iraſcitur Dominus: nec
Hab. 3:2. ita iraſcitur quin miſericordiæ ſuæ locum relinquat.

11. *Et aperientur portæ.*] Male exponitur vulgo hic verſus. putant enim ſignificari à Propheta Eccleſiam ſub fide & tutela Domini tutam ac ſecuram fore. apertæ enim portæ periculum procul abeſſe oſtendunt. Sed Propheta ſeipſum exponere mihi videtur: apertas ſcilicet fore portas, ut opes in civitatem undiquaque advehantur. Quia vero interdiu portari onera ſolent, Dies, inquit, non ſufficiet, adeo frequens erit concurſus eorum qui in ipſam pretioſos theſauros advehent. Itaque aſſidua erit vectura, ita ut apertis nocte & die portis opus ſit. Quod opes Gentium Eccleſiæ fore dicit, ne referamus ad luxum carnalem, ſed ad obſequium, quod univerſus mundus Deo in Eccleſia præſtabit. quod enim Deo offertur, Eccleſiæ eſſe dicit: quoniam hic Deus nihil ab ipſa ſeparatum habet. *Reges eorum ducti.* Malo retinere participium quo utitur Propheta, quam ſequi eos qui in verbum reſolvunt. Depravant enim Prophetæ ſenſum, qui hoc conſulto addidit, quoniam tanta eſt Regum ferocia, ut ſe duci vix patiantur: quin potius freti ſua poteſtate luxuriant, nec modo feruntur quocunque libitum eſt, ſed alios quoque velut torrentes violenti ſecum abducunt. Hos igitur tametſi feroces natura & indomitos, ſeſe ſummiſſuros poteſtati Dei & Eccleſiæ oſtendit.

12. *Quoniam gens.*] Multus eſt Propheta in confirmandis piorum animis, ne reſtitutionem qualem ipſe pronunciat, talem fore dubitent. Incredibilia enim prorſus iſta erant: & nos ipſi, quamvis ab eventu rerum ſatis habeamus confirmationis (nam omnium oculis patefacta ſunt) tamen niſi Spiritu Domini regeremur, vix ea animo concipere poſſemus. Oſtendit igitur nullam eſſe cauſam cur Judæi de inſtauratione templi dubitent, quoniam Gentes ipſos pro ſua virili adjuvabunt. Sed hic altius quiddam ſpectat Jeſaias, quam ſtructuram viſibilis templi. Intelligit enim obſequium quod Reges, nobileſque & plebeii homines præſtant Eccleſiæ, dum puram doctrinam quantum in ſe eſt propagant: imo longius progreditur, idque magis confirmat dum Regna & Gentes deletum iri pronunciat, quæ ipſi Eccleſiæ non miniſtrabunt. Quod ſi tam horrendum in eos qui Eccleſiam non juverint, judicium eſt, quid dicemus de tyrannis qui furioſo impetu in ipſam ruunt, totiſque viribus diruere conantur? Si ignavis & negligentibus impune non eſt, annon dira ultio manet impios, qui opus Domini turbant, atque evertunt? Quod autem in ſingulari dixerat mox repetit in plurali: ut ſignificet, etiam totum mundum, ſi in eadem fuerit culpa, ſimul periturum. nec enim multitudo obſtare poterit quominus cuncti qui ſunt à Deo alieni, intereant. nec quicquam excuſationis erit impiis, quod ſe mutuo impediunt, ſeque ad impietatem & nequitiam cohortantur. Servire autem, ut ante vidimus, dicuntur Reges & populi Eccleſiæ, non quod imperium aliquod ipſa per ſe exerceat, ſed quia Deus ſceptrum verbi ſui quo dominatur, apud eam depoſuit.

13. *Gloria Libani.*] Iterum uſurpat Jeſaias metaphoram qua prius uſus eſt, dum Eccleſiam Dei ædificio aut civitati comparavit. Ea enim recitat quæ ad ædificandum neceſſaria ſunt: abietem ſcilicet, pinum, buxum, quæ in Libano naſcebantur, quam ſylvam eximiis arboribus conveſtitam fuiſſe ſcimus. Quicquid ergo excellens aut exquiſitum in ea fuerit, in Eccleſiam invectum iri ſignificat. Sed ab his figuris tenenda eſt anagoge ad ſpiritualem Dei cultum. nam Sanctuarii titulo ornat Dominus Eccleſiam ſuam, quia in medio ejus reſidet. ſemper tamen alludit ad templum: ut ſe tempori & mori uſitato accommodet. Exemplar ergo templi, quod Jeroſolymis extabat, nobis proponit, ut ſub ejus imagine conſideremus templum ſpirituale, cujus vivi lapides vivaque materia ſumus. Jam per *locum pedum*, ſignificat ſe ita reſidere in templo, ut tamen majeſtas ejus in eo incluſa non ſit. nec enim tam anguſto in loco continetur. pedes igitur tantum ac velut infimam partem illic eſſe, ut conſcendamus in cælum, nec in externis hiſce ſignis hæreamus, quibus pro modulo noſtro erudimur. Sic etiam in Pſalmo, Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt. Item, Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus: non quod ſurſum & deorſum eſſentia Dei in partes diviſa ſit, ſed quia talibus vehiculis ſervos ſuos veluti à pedibus ad caput attollit.

Epheſ. 2. *verſ.* 21. *1 Petr.* 2. *verſ.* 5.

Pſal. 99. *verſ.* 5. & 132. *verſ.* 7.

14. *Et venient ad te.*] Proſequitur idem argumentum. oſtendit enim quam magnificum opus hoc redemptionis futurum ſit: venturos ſcilicet eos qui Eccleſiam perſequebantur aut ſpernebant: ut humiliter ſeſe ad eam proſternant, totoque animo ſeſe ſummittant. Per *filios affligentium*, perſequutores intelligit & hoſtes qui eam vexabant. Hoc quidem impletum eſt aliqua ex parte, quum Judæi in patriam redierunt. ſed is reditus obſcura quædam umbra fuit liberationis quam per Chriſtum adepti ſumus. Hæc igitur vere impleta ſunt in regno Chriſti: ſic tamen, ut ſolidum omnium complementum in ſecundo ipſius adventu expectandum ſit: ſicuti jam alio loco dictum eſt. Quæret aliquis, Annon hic honos, de quo loquitur Propheta, nimius ſit, ac major quam ut Eccleſiæ debeatur? nam incurvare ſeſe & proſternere, ſigna honoris ſunt, quem nemo hominum admittere debet. Reſpondeo, hunc honorem non membris, ſed capiti exhiberi: nempe Chriſto, qui adoratur in Eccleſia: atque hunc cultum exhibent ii qui ipſum prius oderant atque inſectabantur. Dicimus autem Chriſtum adorari in Eccleſia, non ut Papiſtæ, qui honorem quo afficiunt idolum illud Romanum, Chriſto exhiberi putant. Rejiciunt enim ac reſpuunt doctrinam, cujus gratia hæc dicuntur. Nam honore afficiunt Chriſtum, qui parent ejus doctrinæ: atque hoc intelligit Propheta, qui ab ea prius alieni erant, ſeſe toto animo ſummiſſuros, ut Chriſto morem gerant. Si qua enim eſt Chriſti majeſtas, ea relucet in doctrina, quam opera hominum adminiſtrat. *Vocabunt te civitatem.* Eccleſia prius ornata fuerat hoc titulo: ſed prope deletus erat, quum urbs everſa, dirutum templum, populus in exilium abductus eſſet. Nulla erat Jeroſolyma, nec in ea quicquam apparebat præter horrendam vaſtitatem. Eam igitur ſic inſtaurandam eſſe ſignificat, ut omnes civitatem Dei eſſe agnoſcant. Loquitur poſtea de templo, ut omnes intelligant hanc dignitatem, reſpectu templi, tribui Jeroſolymæ: hoc eſt, propter cultum Dei, quem illic Dominus inſtituit.

15. *Pro eo quod.*] Propheta reſpicit tempus illud intermedium quod jam inſtabat. nam paulo poſt ejus mortem, populus hæreditate ſua privatus, atque in exilium abductus eſt, ita ut omnes de ſalute ipſius actum exiſtimarent. Ne igitur hæc cogitatio obreperet animis fidelium, qua ad deſperationem adigi poterant, Nulli ſumus: rebus tam perditis nullum eſſe poteſt remedium, nec ſperanda melior conditio: oſtendit graves illas calamitates obſtare non poſſe Deo, quominus ipſos reſtituat. Nam etſi ad tempus quodammodo deſtituti erant, quum Dominus in

ipſos

ipſos animadvertebat, tamen in integrum & meliorem ſtatum ipſos rurſus erigere ei facile erat. Si quis objiciat, hanc magnificentiam Eccleſiæ diuturnam non fuiſſe, reſponſio brevis eſt: tametſi varie attritus fuerit populus poſt reditum ſuum, nec etiam Chriſtiana Eccleſia diu permanſerit in ſua dignitate, tamen impleta eſſe quæcunque prædixit Propheta. ſub cruce enim relucet Chriſti gloria, ita ut nomen Dei maneat, ſitque populus aliquis qui ipſum fide invocet. Eſt etiam obſervandum nos fructum iſtarum promiſſionum non percipere ob ingratitudinem noſtram. Abrumpimus enim curſum operum Dei noſque ipſos eorum fructu malitia noſtra privamus. Porro ſemper memoria repetere convenit quod toties dixi, non de paucis annis vel exiguo tempore loqui Prophetam, ſed complecti totum redemptionis curriculum à fine exilii ad Euangelii promulgationem, & demum uſque ad finem regni Chriſti.

16. *Et ſuges lac.*] Loquitur de propagatione Eccleſiæ, cujus antea jam mentionem fecit. ſed eadem ſæpius repeti operæpretium fuit: quod incredibile videretur Eccleſiam in tot tantaſque anguſtias redactam, reſtitutum atque per totum orbem diffuſum iri. Deplorata erat ejus conditio: ſed tandem ex tenuibus illis reliquiis, quæ velut ex incendio ereptæ ſunt, magna omnium admiratione inſtaurata eſt, ejuſque ſemen per omnes orbis partes longe lateque diſperſum. Perinde igitur eſt acſi diceret, Tametſi anguſtis finibus concluſa es, nec ulla tibi cum Gentibus fuerit communicatio, ab iis tamen fructus uberrimos percipies. Per Lac & Mamillas, nihil aliud intelligit quam miniſterium & obſequium, quod Gentes exhibituræ erant Eccleſiæ ad ſobolem ejus alendam. Nam quum prius dixerit uno partu edituram fœtus innumeros, nunc lac illis aſſignat in alimentum, donec adoleſcant. Ac nominatim loquitur de Regibus: quoniam id difficilius creditu erat. Monentur etiam obiter hic Reges officii ſui: quo ſi recte defungi velint, Eccleſiæ miniſtros eſſe neceſſe eſt. Alioqui Dominus ab ipſis rationem repoſcet. Et videmus quid de ipſis Pſal. 2. David pronunciet. *Pſal. 2. v. 10, 11.* Sed quomodo Eccleſia lac & mamillas Gentium ſugat diligenter tenendum eſt. hoc enim ipſi non conceditur, ut totius mundi facultates exhauriat, ſed ut ſtatum ſuum integrum atque incolumem conſervet. Quid enim magis alienum ab Eccleſiæ natura, quam ſi inexplebilis fuerit gurges, atque omnium opes ad ſe trahat? Hæc igitur ad ſpiritualem ejus ſtatum referri debent, ut Deus in ea pure colatur, ut vigeat ac floreat miniſterium Verbi, ut ſervetur aliqua diſciplina, qua veluti freno omnes cohibeantur. Interea meminerint fideles beatius eſſe dare quam accipere: *Act. 20. verſ. 35.* atque ita patienter ferendam eſſe inopiam, ut ſpiritualibus bonis ditent ac locupletent alios. Tandem adjungit palam fore quod ad tempus abſconditum fuerat, non fruſtra electos fuiſſe Judæos, quia certa experientia ſentient ſalutem ſuam curæ eſſe Deo. Quæri poteſt, annon etiam noverint antequam ab exilio reducerentur. Reſpondeo, exilium illud ſimile fuiſſe obſcuris tenebris, quibus etiam id Propheta initio capitis hujus comparavit. Quum igitur ſub dura illa tyrannide magnificentiam Dei & poteſtatem intueri non poſſent, Dominus ipſos in apertam lucem eduxit: non quod ceſſet fides in anguſtiis, ſed quod alius ſit fidei, alius experientiæ ſenſus. Quum videmur perditi, fides ſeſe erigit extra præſentem ſtatum & denſas tenebras quibus obvolvimur. quod ſi Deus in integrum reſtituat, tunc non oculis fidei, ſed experientia ipſa rem perſpicimus. Atque hæc eſt aperta notio de qua loquitur. acſi diceret, Vos me re ipſa ubi tam liberaliter erga vos egero, redemptorem veſtrum agnoſcetis. Nominatim uſurpat elogium Fortis Jacob, quia ſæpius ſe talem præſtiterat. nec modo Jacob variis modis expertus erat virtutem Dei: ſed poſteri quoque in ejus gratia ſatis eſſe præſidii cognoverant. Fortem ergo ſe vocat, ut agnoſcant Deum erga ſe talem fore deinceps, qualis erga Patres olim fuerat.

17. *Pro ære.*] Alludit ad ſtructuram templi veteris, atque ipſum cum cæleſti & ſpirituali confert. acſi diceret, Quum abducti eritis in captivitatem, deplorabitis ruinam templi: ſed efficiam ut multo præſtantius à vobis extruatur. Itaque pro ære aurum, pro ferro argentum, pro ligno æs, pro lapidibus ferrum adducam: id eſt, plena magnificentiæ & ſplendoris erunt omnia in eo templo quod in prioris locum ſuccedet. Scimus autem hoc vaticinium nunquam impletum fuiſſe in externa illa populi reſtitutione, vel inter ejus exordia: imo tunc erectum denuo templum, priore longe inferius fuiſſe. Sequitur ergo Prophetam cui ſolida redemptio in ſpiritu propoſita erat, non tantum referre quid futurum ſit ſtatim à populi reditu, ſed concionari de præſtantia templi ſpiritualis: hoc eſt, de Eccleſia Chriſti. Itaque ad Chriſtum uſque continua ſerie venire neceſſe eſt, ſi prophetiam hanc tenere velimus. In ejus regno hæc abunde impleta ſunt, & prioris templi dignitas magno intervallo ſuperata eſt: quia Dominus effudit dona Spiritus ſancti, quæ auro, argento, & gemmis præſtantiora ſunt. Inſtructum ergo nunc lapidibus pretioſis templum videre licet: quemadmodum prius cap. 54. dictum eſt. *ſupr. 54. v. 11, 12.* *Præfecturam.* Alii Tributum vertunt. Non dubito quin Propheta oblique conferre voluerit miſeram populi ſervitutem, ſub qua detinendus erat, cum præclara dignitate quam poſtea adeptus eſt. Paci enim & juſtitiæ opponit Præfectos, qui exercuerant injuſtam dominationem, dum avare & crudeliter vexati fuerant à Babyloniis. Nunc oſtendit, deletis exactoribus, non aliam fore præfecturam quam pacis & juſtitiæ: Qui poteſtatem in te obtinebunt, juſtitiam & pacem colent. Hoc plenius factum eſt: quum per Chriſtum à tyrannide Diaboli erepti ſumus. nam per Euangelium erexit regnum juſtitiæ, nondum tamen abſolvit. ſed expectandus eſt ultimus adventus, ut in eum ſimus intenti: atque interea primitiis illis contenti ſimus.

18. *Non audietur amplius.*] Hic clarius exprimit quod jam diximus. Nempe, dum Propheta concionatur de felici Eccleſiæ ſtatu, tacite opponere miſerias & calamitates, quibus varie afflicta fuerat. Promittit igitur fore, ut nunquam in poſterum tantas clades accipiat. Atqui variæ nihilominus poſtea acciderunt. Hoc quidem verum eſt: ſed nunquam ita diſſipatus eſt populus, quin aliqua ſupereſſet Eccleſiæ forma, atque ita frueretur pace, & ſentiret ſe manu Dei protegi ac ſervari. His autem verbis non promiſſa fuit immunitas ab omni moleſtia & incommodo: ſed per comparationem ſolatium hoc adhibitum fuit malis futuris, quia Eccleſiæ ſuæ parcet Deus, ſub ejus protectione tutam fore. atque hujus pacis quam celebrat Propheta, ſpecimen apparuit non obſcurum in ipſo redemptionis curſu. Denique ſemper memoria repetendum, quod toties diximus: nos iſta omnia ex parte duntaxat experiri: quia regnum Chriſti nondum impletum eſt. *Et portas tuas.* Alludit ad templi ſtructuram aut civitatis: ſicuti jam aliquoties dictum eſt. Et docet non muris, aut turribus, aliiſve clauſuris tutam fore Eccleſiam: ſed quamvis abſint terrena præſidia, ſatis fore ſalutis & tranquilli gaudii in uno Deo. Conjungit autem Eccleſiæ ſalutem, cum laude vel gaudio. Salva enim & incolumis exultat: quum antea obtrita & deſperata jaceret in ſilentio.

19. & 20. *Nec erit.*] Docet felicitatem Eccleſiæ non temporariam, ſed perpetuam fore. eam enim diſcernit à communi hominum conditione, inter quos nihil ſtabile aut perpetuum eſt. quia nihil ſub ſole eſt, quamvis bene conſtitutum, quod variis mutationibus obnoxium non ſit: ſed Eccleſia ex præſentis vitæ periculis æſtimanda non eſt: quoniam in mediis

diis fluctibus conſervatur: acſi diceret, Ne æſtimes ſalutem tuam ex præſenti rerum ſpecie, ſed in Deo repoſitam eſſe ſcias. Deus erit ſol tuus, ita ut lumen à ſole aut luna mutuari neceſſe non ſit. ne ergo mutationem ullam aut viciſſitudinem rerum pertimeſcas: lucem enim perpetuam atque immutabilem habebis. Non intelligit Propheta his verbis filios Dei communibus vitæ bonis privandos eſſe. nam quum ea Dominus promiſcue omnibus hominibus largiatur, certe filiis quoque ſuis ea deſtinavit. imo in gratiam ipſorum omnia à Deo creata ſunt, quum peculiarem
1 Petr. 5. verſ. 7. de iis curam gerat. Sed Propheta notare voluit majus aliquod bonum, quo ſoli filii Dei fruuntur, Lucem videlicet cæleſtem: quam ut oderunt impii, ita percipere nequeunt. Nam etſi fruuntur ſole, & aliis bonis, ſtabilis tamen & firma eorum felicitas eſſe non poteſt. Quia ut ſunt inſipidi, non guſtant quod præcipuum erat, Deum ſibi eſſe in patrem. Itaque conditionem Eccleſiæ & piorum à communi ſorte hominum diſtinguit, ne eam à viciſſitudine rerum & mutatione æſtimemus: deinde ut ſciamus inter denſiſſimas quaſque tenebras fulgere piis paternum Dei favorem, qui eos exhilaret. Et certe quamvis elementa omnia vel officium ſuum ſubducant, vel triſti aſpectu nobis minentur: ſufficere tamen debet Deum nobis eſſe propitium. Nomine autem Solis & Lunæ, ſynecdochice comprehendit omnem ſtatum humanum, qui ſubinde immutatur.

21. *Populus tuus.*] Hic oſtendit quæ vera ſit conſtitutio Eccleſiæ: nempe, quum ab impiis purgata eſt, & ſoli juſti in ea locum habent. Atqui ſcimus hypocritas ſemper veris Dei filiis in Eccleſia admixtos eſſe. Diximus hic deſcribi univerſum Chriſti regnum: non quale ſingulis temporum articulis futurum eſt, ſed in ſua perfectione. Hoc cœpit facere Chriſtus ſuo adventu, quum Eccleſiam repurgavit.
Matth. 3. verſ. 12. unde etiam Euangelium cribrum appellat, quod eo paleæ à grano ſeparentur. ſed pergit quotidie in ea purganda, atque perget uſque ad diem meſſis. Interim multas quiſquilias tritico admixtas eſſe neceſſe eſt, quæ demum illo die tollentur. Adde quod ſubeſt tacita antitheſis inter profanam illam & impuram turbam, quæ ſuis ſordibus ſanctuarium Dei ante polluerat. Plurali etiam numero videtur notari collectio Gentium, ubi populos omnes dicit fore juſtos. Quod addit hæredes fore terræ in ſeculum, non dubito quin ad Judæam reſpexerit, & tacite oppoſuerit reſtitutionis tempus cum tempore exilii quod proxime inſtabat. acſi diceret, Tametſi populum meum ab hæreditate ſua expellam, tamen poſt ſeptuaginta annos ipſum reſtituam, ut perpetuam ejus poſſeſſionem obtineat. Notandum præterea eſt, quum promiſſionem, quæ ad populum Sionis ſpectabat, reſtringit ad juſtos, ſubeſſe correctionis ſpeciem, ut hypocritas excludat, qui falſo & inaniter ad ſe trahere ſolent quod de veris Dei filiis dicitur. Convenit ergo
Pſal. 73. verſ. 1. hæc ſententia cum initio Pſalmi 73., Quam bonus Iſraëli Deus, iis qui recto ſunt corde! Ubi Propheta nomen Iſraëlis, quod promiſcue omnibus in ore erat, ſolis probis Dei cultoribus vendicat. Ita hoc loco Populus tuus: nempe reſidua illa portio, quæ à ſordibus purgata erit. Hoc non eſt per omnia impletum in Judæis: ſed initium ab iis factum eſt, quum reſtituti ſunt in patriam, ut deinde univerſæ terræ poſſeſſio ipſis, hoc eſt Dei filiis, eorum opera, daretur. Nam ut prius de inſtauratione templi loquutus eſt, quæ plena Jeroſolymæ non fuit, ſed per univerſum mundum extendi debet: ita hæc terræ poſſeſſio ad Judæam reſtringenda non eſt, quum latius pateat, atque ad ipſam vocentur univerſi homines, ut per
Galat. 4. verſ. 28. fidem ſint filii Abrahæ: ſicque hæredes fiant. Diligenter ergo tenendæ loquutiones quæ uſitatæ ſunt Prophetis, ut teneamus eorum ſenſum: neque abrumpamus ſententias, vel ad ſenſus alienos torqueamus. Aliena eſt autem ab idiomate Prophetarum & coacta interpretatio eorum qui per *terram*, cælum & beatam vitam exponunt: quia hoc conſilio terra Chanaan data fuit filiis Iſraël, ut à toto mundo quaſi peculium Dei ſegregati illic eum pure colerent. Ideoque hæreditario jure habitare in terra nihil aliud eſt quam manere in familia Dei. Quod Deus Germen novum quod prodibit opus manuum ſuarum aſſerit fore, ad confirmationem ſpei valet. Neque enim humanitus renaſci poterat Eccleſia, quam omnes videbant emortuam, præſertim quum radix occulta eſſet. Ergo ut germinet, Deum inſtar agricolæ fore dicit, qui rurſus plantet quod evulſum exaruerat. Denique ſignificat mirabile fore Dei opus, non hominum, quod Eccleſia ex miſera & dura captivitate emerget: quia velut à morte excitabitur. Et certe quicquid ad cæleſtem vitam ſpectat, id neque ingenitum eſt nobis à natura, nec virtute noſtra comparatum: ſed à Deo ſolo manat ac proficiſcitur. Et quod in univerſum de toto corpore hic dictum eſt, unuſquiſque ſibi in ſpecie applicare debet. Sumus enim plantatio Dei à conſtituto mundo: deinde inſerti in Chriſtum, ac vocati, ut electionis noſtræ & plantationis teſtimonium habeamus. Impii non ſunt plantatio Dei: unde etiam Chriſtus, quos non plantaverit Pater eradicandos eſſe pronunciat. Tandem ſubjicitur finis plantationis, ut illuſtremus gloriam Dei, & virtutes ejus enarremus: ſicut Paulus ad Epheſ. primo capite præclare docet. Epheſ. 1. verſ. 4. Mat. 15. verſ. 13. Epheſ. 1. verſ. 12. 1 Petr. 2. verſ. 9.

22. *Parvus erit.*] Iterum confirmat quod prius dixit, Quamvis exiguo numero eſſent, tamen Eccleſiam Dei populoſam fore. Quum hæc prædiceret Propheta, adhuc ingens erat populi multitudo, ſed poſtea ſic imminuta eſt, ut tenues tantum reliquiæ ſupereſſent, ſicuti cap. 1. & 10. vidimus. Hanc paucitatem ſic augendam eſſe ſignificat, ut deinde immenſus populi numerus, magnaque potentia præditus ſit. Supr. 1:9. & 10. verſ. 22. Quod Judæis dictum eſt, nobis etiam putemus hodie dici: nempe quamvis exigui ſimus ac pauci, atque interitui proximi videamur, tamen Eccleſiam interire non poſſe, ſed augendam magno in numero atque propagandam eſſe. Eſt enim plantatio Dei, quæ ab externa ſpecie aut ab hominum copia & viribus æſtimari non debet. *Ego Dominus.* Oſtendit nunc quorſum ea omnia dixerit quæ prius vidimus. ne ſcilicet faciamus ipſum ſimilem hominibus, quorum ſtudia & conatus facile evaneſcunt. Etiamſi ſtatum regni alicujus vel orbis mutare velint, nihil efficient. At Dominus vel minimo momento omnia immutat. Non loquitur ergo de ordinaria adminiſtratione, ſed de admirabili opere, quo Eccleſiam ſuam Dominus liberat & propagat. In fine verſus ſe properaturum dicit, ut hoc compleat. Sed particulam inſerit notatu dignam de Eccleſiæ tempore. nam relativum eſt fœminini generis, quod perperam ad Deum quidam referunt. Errandi cauſam præbent qui vertunt, Tempore ſuo: quia relatio ambigua eſt. Significat Propheta præfixum eſſe Eccleſiæ tempus quo liberanda ſit: & hoc modo fideles ad tolerantiam hortatur, ne ſe præcipitent, ſed pendeant ab æterno Dei conſilio, qui novit temporum articulos opportune diſtribuere. Primum ergo opportunitatem notat, & quando utile ſit Eccleſiæ ipſam liberari. Hoc quidem non percipimus: quia ſtatim vellemus obtinere promiſſa Dei, atque impatientes moræ ſumus: Dominus autem differt in bonum noſtrum, & quia nondum tempus advenit. Deinde loquitur de celeritate: quia Dominus videtur nobis otiari & languere, dum cunctatur, quum tamen maturet, ut pro opportunitate, quam ipſe novit, omnia efficiat.

CAP. LXI.

SPiritus Domini Jehovæ ſuper me. ob id unxit me Jehova : ad prædicandum afflictis
miſit me : ad obligandum contritos corde, ad publicandam captivis libertatem,
vinctis apertionem carceris
2. Ad publicandum annum beneplaciti Jehovæ, & diem ultionis Deo noſtro, ad
conſolandum omnes lugentes.
3. Ad conſtituendum lugentibus in Sion, ut dem illis decorem pro cinere, oleum
gaudii pro luctu, pallium lætitiæ pro ſpiritu anguſto, ad vocandum eos arbores juſtitiæ,
plantationem Jehovæ ad glorificandum.
4. Et ædificabunt deſerta ſeculi, priſcas ſolitudines erigent : & inſtaurabunt urbes
vaſtitatis, ſolitudines multarum ætatum.
5. Et ſtabunt alieni, & paſcent oves veſtras : & filii alieni erunt agricolæ & vinitores
veſtri.
6. Vos autem Sacerdotes Jehovæ vocabimini : miniſtri Dei noſtri dicetur vobis, ſub-
ſtantiam Gentium comedetis, & in gloria eorum vos elevabitis.
7. Pro pudore veſtro erit duplex præmium, & pro ignominia exultabunt de portione
eorum : quia in terra eorum duplicia poſſidebunt, & gaudium perpetuum illis erit
8. Quia ego Jehova diligens judicium, odio habens rapinam in holocauſto, & conſti-
tuam opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam cum ipſis.
9. Et cognoſcetur in Gentibus ſemen eorum, & germina eorum in medio populorum.
Omnes qui viderint eos, cognoſcent eos quod ſemen ſint benedictum Jehovæ.
10. Gaudens gaudebo in Jehova, exultabit anima mea in Deo meo : quoniam induit me
veſtibus ſalutis : indumento juſtitiæ circumdedit me : quaſi ſponſum ornavit me, & quaſi
ſponſam ornatam monilibus ſuis.
11. Quoniam ſicut terra profert germen ſuum, & ſicut hortus germinare facit ſemen
ſuum : ita Dominus Jehova germinare faciet juſtitiam & laudem coram omnibus Gen-
tibus.

SPiritus Dei.] Quoniam Chriſtus hunc locum de ſeipſo exponit, Luc. 4. ideo interpretes ſine controverſia ad ipſum hæc reſtringunt ſumunt autem hoc principium, induci Chriſtum loquentem, quaſi ipſi ſoli hæc omnia conveniant. Hoc rident Judæi, quod inconſiderate trahantur ad Chriſtum, quæ aliis quoque Prophetis congruunt. Sic itaque ſentio : hoc caput veluti ſigillum addi ſuperioribus, ut quæ hactenus dicta fuerant de reſtituenda Eccleſia Chriſti, confirmentur : atque in hunc finem teſtari Chriſtum, ſe à Deo unctum eſſe: quo fit, ut ſibi hoc vaticinium merito accommodet. nam quæ alii obſcure tradiderunt, clare & aperte exhibuit. Sed hoc non repugnat, quin aliis quoque Prophetis, qui à Domino uncti ſunt, conveniat hæc ſententia. Nec enim loquuti ſunt privato ſuo nomine, dum hanc ſibi auctoritatem vendicarunt : ac potiſſimum Chriſti munus oſtenderunt : cujus non tantum iſta publicare, ſed etiam præſtare eſt. Sic igitur intelligendum eſt hoc caput, ut Chriſtus qui caput eſt Prophetarum, principem locum obtineat, & ſolus exhibeat iſta omnia : Jeſaias vero cæterique Prophetæ, & Apoſtoli, ſuam operam Chriſto impendant : atque ſinguli partes ſuas agant in publicandis ejus beneficiis : ut quæ Jeſaias per Chriſtum complenda eſſe dixit, nunc re ipſa completa cernimus. *Ob id unxit me Jehova.* Secundum hoc membrum additum eſt vice expoſitionis. primum enim fuiſſet obſcurius ſi tacuiſſet in quem finem præditus erat Dei Spiritu : nunc oſtenſo uſu, longe clarius eſt, dum ſe publico munere fungi declarat, ne tanquam privatus quiſpiam cenſeatur.
Rom. 8. Quoties autem Scriptura Spiritus Dei men-
verſ. 11. tionem facit, eumque in nobis habitare dicit, ne
1 Cor. 3. quippiam inane aut vacuum, ſed virtutem ejus &
verſ. 16. efficaciam conſideremus. Itaque, poſtquam Propheta de Spiritu Dei loquutus eſt, unctionem ſubjungit, qua virtutes quæ ab ipſo manant intelligit,
1 Cor. 12. ſicut docet Paulus diverſa quidem eſſe dona, ſed
verſ. 4. unum eſſe Spiritum. Diligenter obſervandus eſt hic locus. nemo enim docendi jus aut poteſtatem ſumere poteſt in Eccleſia Dei, niſi oſtendat ſe Dei Spiritu ad
1 Cor. 12. ad fuiſſe excitatum : ſicuti idem Paulus tradit nemi-
verſ. 3. nem poſſe dicere Dominum Jeſum, niſi in Spiritu ſancto. Atqui, dicet quiſpiam, videmus fere omnes jactare Spiritum Dei. nam & Papa, & Anabaptiſtæ, aliique hæretici & fanatici homines ſemper in ore habent ejus nomen, quaſi ab ipſo gubernentur. Unde ergo judicabimus aliquem miſſum eſſe à Deo, ac regi Spiritu ipſius? Ab unctione : hoc eſt, ſi donis præditus ſit quæ ad eam functionem requiruntur. Si ergo inſtitutus à Domino, polleat gratiis Spiritus & facultate quam poſtulat vocatio, is vere Spiritum habet. Quod ſi magiſtrum profiteri velit, nec quicquam habeat doctrinæ, pro impoſtore habeatur. *Ad prædicandum.* Non prius vendicat ſibi Propheta jus & auctoritatem docendi, quam oſtenderit ſe à Domino miſſum eſſe. Auctoritas in eo fundata eſt, quod unctus, hoc eſt, neceſſariis donis à Deo inſtructus ſit. A nobis igitur non tanquam privatus homo, ſed tanquam publicus miniſter è cælo profectus audiri debet. *Afflictis.* Alii vertunt, Manſuetis : & utrumque ſignificat nomen ענוים Sed malui retinere priorem ſignificationem, quod Propheta de captivis & vinctis loquatur. Videtur tamen mihi utrumque comprehendere : quoniam intelligit eos qui quum deſtituti ſint omnino ac rejecti, apud ſe etiam miſeri ſunt. Iis enim ſolis promittitur Chriſtus, qui manſuefacti ſunt, & malorum ſuorum ſenſu confuſi, nihil altum ſpirant, ſed in humilitate & modeſtia ſe continent. Atque hinc colligimus Jeſaiam proprie de Euangelio loqui. Lex enim ideo data eſt, ut ſuperbos & turgentes inani fiducia animos proſternat : Euangelium vero afflictis deſtinatur : id eſt, iis qui ſe omni bono vacuos eſſe ſciunt, ut colligant animos ac ſuſtentent. Quorſum enim Prophetæ & Apoſtoli, aliique miniſtri uncti ac miſſi, niſi ut doctrina gratiæ erigant afflictos ac conſolentur? *Ad obligandum.* Plures ſunt metaphoræ quibus utitur Propheta ad eandem rem planius explicandam. Per *obligare*, nihil aliud intelligit quam mederi. ſed plus quiddam hic exprimit quam ſuperiore membro. Oſtendit enim prædicationem Verbi non eſſe inanem ſonum, ſed efficacem medicinam, cujus effectum ſentiunt non robuſti & ferrei homines, ſed vulneratæ conſcien-

tiæ. *Ad publicandam captivis libertatem.* Hic quoque
finis Euangelii, ut qui captivi ſunt, in libertatem
Joan. 8. vindicentur. Sumus ergo vincti & captivi, donec
verſ. 36. Chriſti beneficio liberemur: quum vero Dominus
vincula noſtra abrumpere velit, ne oblatam nobis ab
ipſo gratiam reſpuamus. In genere hoc notandum
eſt, hæc quæ commemorat bona, nobis cæleſti do-
ctrina conferri: ad eorum vero fruitionem non alios
eſſe idoneos niſi qui inopiæ ſuæ conſcii auxilium
Mat. 11. Chriſti cupide appetunt, ſicut dicit ipſe, Venite ad
verſ. 28. me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego re-
ficiam vos.

2. *Ad publicandum.*] Hic nominatim tempus im-
pertiendæ tam inſignis gratiæ commemorat, ut du-
bitationes tollat, quæ oriri poterant. Multas enim
obrepere & ancipites curas quibus varie diſtrahun-
tur animi, experientia ipſa quotidie diſcimus. Præco-
nem vero futuræ gratiæ ſe eſſe affirmat, cui tempus
præſcribit ex Dei beneplacito. nam ſicuti gratuito
favore futurus erat Eccleſiæ Redemptor: ita merito
in ejus arbitrio fuit tempus deligere. Forte ad Jubi-
Levit 25. læum alludit, ſed haud dubie pronunciat expectan-
verſ. 10. dum eſſe placidis & quietis animis, donec placeat
Deo manum ſuam exerere. Hunc annum Paulus ple-
Galat. 4. nitudinis tempus vocat, Gal. 4. & Rom. ult. Item
verſ. 4. ante vidimus, Ecce nunc tempus acceptum, ecce
Rom. 16. dies ſalutis: quod Paulus ad ſuam prædicationem
verſ. 26. accommodat. nam dum per Euangelium nos compel-
Supr. 49. lat Dominus, patefit nobis janua cæli, ut jam velut
verſ. 8.
2 Cor. 6. in poſſeſſionem bonorum Dei ingrediamur. Non eſt
verſ. 2. igitur procraſtinandum: ſed tempus & occaſionem
urgere debemus, quum tanta nobis beneficia offe-
rantur. Sed videntur hæc inter ſe contraria: nempe,
Dies beneplaciti, & Dies ultionis. cur tam diverſa
conjunxit Jeſaias? quia Deus non poteſt liberare Ec-
cleſiam ſuam, quin ſe juſtum judicem oſtendat, atque
ultionem ſumat de impiis. *Beneplacitum* ergo ad ele-
ctos: *diem ultionis* ad impios refert, qui Eccleſiam
inſectari non deſinunt, ideoque pœnas ipſos dare in
liberatione Eccleſiæ neceſſe eſt. ſicuti etiam Paulus
2 Theſ. 1. loquitur, juſtum eſſe coram Deo relaxationem dare
verſ. 6. afflictis, rependere vero mercedem piorum hoſtibus
qui injuſte eos affligunt, nec vero ſperare malorum
exitum poterant Judæi niſi profligatis ſuis hoſtibus.
Interea notanda eſt cauſa noſtræ liberationis: ſoli
enim miſericordiæ, non meritis noſtris, dignitati
aut induſtriæ tribuenda eſt. Videtur quidem, ut nu-
per attigi, alludere ad annum Jubilæi, ſed hoc præ-
cipue obſervandum, ſalutem noſtram in gratuita Do-
mini voluntate omnino ſitam eſſe. *Ad conſolandum.*
Repetendum memoria quod prius attigimus, Finem
Euangelii eſſe ut eripiamur è malis omnibus, atque in
priſtinam libertatem reſtituti abſterſo mœrore frua-
mur ſpirituali gaudio. Quod ſi tanti beneficii parti-
cipes non ſimus, incredulitati noſtræ & ingrati-
tudini imputandum eſt, qua Deum nobis ſponte ſe
offerentem arcemus ac rejicimus.

3. *Ad conſtituendum.*] Pergit in eodem argu-
mento. ſignificat enim talem fore pœnam quæ po-
pulo infligenda erat, ut tamen veniæ ſit locus. Et
quo melius hoc perſuadeat, hanc ſibi provinciam à
Domino injunctam eſſe dicit, ut hanc liberationem
nunciet: nec ſibi tantum, ſed etiam aliis, donec ad-
veniat præcipuus nuncius: nempe Chriſtus, qui re
ipſa præſtet atque exhibeat quod tunc Deus jubebat
in futurum tempus promulgari. Interea ſignificat lu-
ctum impedimento non fore, quo minus lætitiæ ma-
teriam ſuggerat Deus ubi viſum fuerit. nam Con-
ſtituere tantundem valet ac tempus præfigere, ne
moræ tædio exanimentur. Rurſus Dandi verbo
commendat vaticinii efficaciam, ut certo perſuaſi
Eſter 4:3. ſint de eventu. Alludit autem ad veteres ritus Judæo-
rum, qui quum premebantur aliqua clade, cineri-
bus conſpergebant capita, & ſaccum induebant. His
ſqualorem & luctum ſignificat, quæ miſerum po-
puli ſtatum neceſſario ſequuntur: eaque opponit
gaudio & lætitiæ, qua fruentur quum in libertatem
reſtituti erunt. Non videtur autem mihi prætereunda
alluſio quæ eſt in vocibus פאר & אפר: tranſpoſitis
enim ſolummodo literis res diverſiſſimas ſignificare,
atque eleganti inverſione, ſtatus mutationem notare
voluit. *Arbores juſtitiæ.* His verbis reſtitutionem
populi deſignat. acſi diceret, Eos quum prius era-
dicati, ac ſimiles arido trunco eſſent, plantandos
& ſtabiliendos eſſe. Eos igitur revocat ad contem-
plationem divinæ virtutis, ut quamvis enecti ſint at-
que mortui, tamen confidant ſe ita reſtituendos, ut
radices agant, vireſque & incrementa accipiant.
Hinc colligenda eſt univerſalis doctrina: nos ſcilicet
non aliter in vitam reſtitui, quam quum à Domino
plantamur. Vocamur quidem ejus plantatio, quia
nos elegit ab initio: ſed alia quoque ſpecies eſt plan- Epheſ. 1.
tationis quæ priorem illam ſequitur, Vocatio ſcili- verſ. 4.
cet, qua inſerimur per fidem in Chriſti corpus. Hoc
hominum opera & miniſterio Euangelii efficit Do-
minus: ſed totum illi tribuendum eſt, quia ſolus eſt 1 Cor. 3.
qui dat incrementum. Nam anagoge ſemper tenenda verſ. 7.
eſt à prima liberatione ad ſpirituale regnum Chriſti.
Arbores juſtitiæ vocat in quibus relucet Dei juſtitia
vel rectitudo ordinis. Sciamus tamen nos hac lege
cooptari à Domino, ut novæ creaturæ efficiamur, 2 Cor. 5.
veraque in nobis juſtitia regnet. Atque hinc ſequi- verſ. 17.
tur, nos pravos ac corruptos eſſe natura, neque ali-
ter fructum afferre poſſe, quam ſi nos mutarit Do-
minus ac plantaverit. Hinc diluitur vana & arrogans
perſuaſio Papiſtarum, qui vel præparationes vel li-
beri arbitrii adminicula quælibet fingendo uſurpant
quod ſolius Dei eſt. Nam ſi plantamur à Domino,
ſequitur, natura nos aridos & infructuoſos eſſe. *Ad
glorificandum.* Hic finis eſt noſtræ plantationis. ſed
de iis jam ſuperiore capite dictum eſt, verſu vige-
ſimo primo.

4. *Et ædificabunt.*] Amplificat illam Eccleſiæ in-
ſtaurationem: atque in id potiſſimum intendit, ut
Judæi certam redemptionis ſpem animo concipiant,
quoniam hæc promiſſa incredibilia eſſe omnino vi-
debantur. Atque hæc cauſa eſt cur beneficium illud
redemptionis amplis & magnificis verbis exornet.
Falluntur qui hæc verba, *ſeculi*, & *multarum æta-
tum*, ad futurum tempus referri volunt: acſi dice-
ret, Firmum & ſtabile fore ædificium de quo loqui-
tur. Fuit enim longe alia mens Prophetæ. ſiquidem
demonſtrat (ut alio loco notavi) diuturnas urbis rui-
nas impedimento non fore, quo minus de integro
ſurgat. Nam quum alicujus urbis incolæ huc atque
illuc diſperſi diutiſſime abfuerunt, nulla ſpes eſſe po-
teſt illius inſtaurandæ: quemadmodum hodie nemo
ſollicitus eſt de inſtaurandis Athenis. Ita quum in
longinquam regionem ablegati eſſent Judæi, & ſep-
tuaginta annis deſerta fuiſſet Jeroſolyma, quis eam
ædificatum iri ab ipſis civibus ſperaſſet? Propterea
vocat Jeſaias Deſerta ſeculi, Priſcas ſolitudines,
Urbes vaſtitatis, Solitudines multarum ætatum, ut
oſtendat hæc obſtare non poſſe, quo minus oppor-
tuno tempore urbem Dominus reſtituat electis ſuis
habitandam. Cæterum hæc etiam ad tempus noſtrum
accommodari debent, ut quamvis patiatur Dominus
Eccleſiam ſuam, ubi collapſa fuerit, diu in ruinis ſuis
jacere, nec ulla ejus inſtaurandæ ſpes reliqua ſit, ta-
men his promiſſionibus animum obfirmemus: quia
proprium Dei munus eſt erigere & renovare quæ
pridem diruta fuerant, & quaſi æternæ putredini ad-
dicta. Sed de iis prius capite quinquageſimo octavo
tractavimus.

5. *Et ſtabunt alieni.*] Significat exteros & alie-
nigenas præſto futuros ad obſequium eis præſtan-
dum. nam quum tunc diviſi eſſent à reliquis Genti-
bus, nemo erat qui ipſos juvare vellet. Alienos igitur
ſtare dicit, hoc eſt, Paratos eſſe, ut occurrant ipſis,
atque opem ferant. Quod de paſcendis ovibus
addit,

addit, agriſque & vitibus colendis, metaphoricæ ſunt loquutiones. Propheta enim tractat de regno Chriſti, quod ſpirituale eſt: ſed plenam ejus felicitatem declarat his typis, ut melius ipſam ab exemplis earum rerum quæ nobis cognitæ ſunt, percipiamus. Intelligamus ergo tunc nos demum vere beatos fore, quum Chriſtus imperium in nos ſuum obtinebit: quia hoc modo multa adminicula hinc inde præter ſpem accedent, quibus merito privantur filii Adæ.

6. *Vos autem Sacerdotes.*] Hic verſus aliquanto plus lucis affert ſuperiori: quia ſecunda parte prædicit fore, ut pii opibus Gentium fruantur, atque in gloriam evehantur ac ſuccedant. Judæi quidem hujuſcemodi ſententias avide rapiunt, & jam cupiditate devorant omnium populorum bona, quaſi aliquando ipſa poſſeſſuri ſint: atque ita inſultant quaſi totius orbis ad eos perventura ſit gloria. ſed duo potiſſimum obſervanda ſunt, ut iſta melius intelligamus. Primum Prophetas, dum regni Chriſti gloriam & felicitatem exprimere volunt, ſimilitudines mutuari à rebus humanis: deinde, quum de Eccleſia loquuntur, ſic caput conjungere cum membris, ut ipſum magis interdum quam membra conſiderent. Nec enim hæc bonorum alienorum fruitio ſic intelligenda eſt, quaſi aliorum bona, gloriam aut dignitatem ad ſe rapiant qui converſi fuerint ad Chriſtum: quod à pietate alieniſſimum eſt: ſed quia omnia redigenda ſunt ſub poteſtatem Chriſti, ut ſolus ipſe imperium & dominationem obtineat. Atque id eſt quod jam dixi, non tam membra quam caput ipſum ſpectari. Sed quum veniunt in poteſtatem Chriſti, dicuntur noſtra, quia nihil ab Eccleſia ſua ſeparatum habet. *Supra 45. verſ. 14.* Eodem modo alibi dicuntur hoſtes Chriſti exoſculaturi pedes ipſius, & veniam deprecaturi: quum tamen id fiat in Eccleſia, in qua Chriſtum agnoſcunt, & doctrinæ ipſius ſubjiciuntur. Itaque docet Jeſaias *Mat. 28. verſ. 18. Hebr. 2. verſ. 8.* quid daturus ſit Pater Filio, cujus legitima eſt in univerſum orbem poteſtas, cuique omnia ſubjici debent. Interea non omittendum quod nuper dixi, Deum electos ſuos liberaliter alere in mundo, ut ſentiant ſibi longe melius eſſe quam incredulis. nam utcunque multis indigeant, pauxillo tamen contenti, Deo hilariter gratias agunt, ut ipſorum eſuries qualibet ſaturitate infidelium melior ſit. *Sacerdotes.* His verbis conditionem populi multo præſtantiorem fore quam antea demonſtrat. acſi diceret, Hactenus vos delegerat Dominus in peculium ſuum: ſed multo præſtantioribus donis vos ornabit: quia ſacerdotii honore omnes dignabitur. Etſi autem totus populus *Exod. 19. verſ. 6. Deut. 33. verſ. 10.* regnum erat Sacerdotale, ſcimus tamen unicam ſolummodo tribum Leviticam hoc munere functam eſſe: Propheta in poſterum commune fore omnibus denunciat. Hoc autem exhibitum non eſt, niſi ſub regno Chriſti. Cœpit quidem inſtauratio Eccleſiæ, ex quo populus è Babylone reverſus eſt: ſed adventu demum Chriſti hac dignitate fideles ornati atque inſigniti ſunt. Omnes enim ſancti conſecrati ſunt Chriſto, atque iſto ſacerdotii munere funguntur. *1 Petr. 2. verſ. 9.* Quo pertinet illud Petri, Vos eſtis gens ſancta, regale Sacerdotium, &c. Quale vero ſit hoc ſacerdotii genus, diligenter obſervandum eſt. nec enim immolandæ ſunt amplius victimæ terreſtres Deo, ſed homines ipſi offerendi ſunt atque mactandi in obſe- *Rom. 15. verſ. 16.* quium Chriſti: quemadmodum Paulus ſe gladio Euangelii mactaſſe Gentes ſignificat, ut deinceps Domino obedirent. Hinc collige quam pueriliter ineptiant Papiſtæ, qui abutuntur hoc loco ad ſacerdotium ſuum probandum. Inſtituuntur enim à Papa & ejus aſſeclis ſacerdotes, ut immolent Chriſtum: *Hebr. 9. verſ. 12.* non ut plebem doceant. Atqui ſemetipſum Chriſtus æterna redemptione obtulit, & ſolus ipſe ſemel hoc ſacerdotio functus eſt. Sacrificii autem fructum offerri nobis jubet Euangelii doctrina. Sacrilegi ergo ſunt qui hoc munus uſurpant, & quod ab ipſo perfectum eſt iterare volunt. ſed unuſquiſque Deo ſeipſum offerre in ſacrificium debet, ſuaque omnia, ut *Rom. 12. verſ. 1.* hoc legitimo ſacerdotio fungatur: deinde, miniſtri qui peculiariter ad munus docendi vocati ſunt, utantur gladio Verbi, ut mactent homines & conſecrent Deo. Hi vero demum legitimi ſunt miniſtri, qui nihil tentant aut aggrediuntur ex ſeipſis, ſed mandata quæ acceperunt à Deo, fideliter ac ſtrenue exequuntur.

7. *Pro pudore.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam, ubi dixerat oleo gaudii perfuſum iri fideles qui ſacco induti, & cinere conſperſi lugebant. Hæc mœroris in gaudium converſio iterum promittitur. *Duplex* nonnulli interpretantur, quia coram Deo & hominibus beati fuerint qui redempti ſunt à Deo. Sed neſcio an ſatis ſolida ſit ea interpretatio. Malo igitur ſimplicius accipere: acſi diceret Propheta, Tanta erit Eccleſiæ proſperitas, ut calamitates atque perverſa omnia, quibus nunc premitur, longe ſuperet. Ergo, ſi nunc ipſam tædet ſuæ conditionis, reſpicere oportet in illum diem, quo beatiſſima futura eſt. ſicuti Paulus momentaneæ levitati afflictionum *2 Cor. 4. verſ. 17.* æternum gloriæ pondus opponit. Inſultant nobis impii, & laſciviunt, quod ſuperiores videantur. abutuntur proſpera fortuna, ac deſpiciunt & contemnunt filios Dei: ſed Dominus promittit ſe brevi effecturum, ut pii erepti ab illorum tyrannide, eorum portionem obtineant. Hoc quidem fieri cœpit quum reverſus eſt ab exilio populus, ſed luculentius teſtimonium editum eſt in Chriſto, atque editur quotidie, ac tandem perficietur ultimo ejus adventu, quo pleniſſime omnia renovabuntur, & impiis dejectis ad nos perveniet mundi hæreditas. Huc ſpectat quod per modum conceſſionis terram eorum eſſe dicit, hoc eſt, impiorum: quia nunc ſe quidem mundi dominos eſſe jactant, ſed tandem ſentient propriam & peculiarem eſſe filiis Dei. *Gaudium perpetuum.* Hoc referri poteſt ad externum Eccleſiæ ſtatum: quia ſuis Deus gratiarum actionis materiam quotidie ſuppeditat: ſed quia multæ ſimul acerbitates illis vorandæ ſunt, eoſque circumdat multiplex triſtitia, non aliter impletur hoc vaticinium, quam dum viget palmamque obtinet in cordibus noſtris gaudium Spiritus, & pax illa quæ omnem ſenſum exuperat (ut inquit Paulus) *Coloſſ. 3. verſ. 15. Philip. 4. verſ. 7.* qua ſoli filii Dei fruuntur, quum adoptionis teſtimonium habent. *Perpetuum* vocat, ut demonſtret quantum differat à gaudio impiorum, quod momentaneum eſt, ac protinus evaneſcit: imo in ſtridorem dentium vertitur.

8. *Quia ego Dominus.*] Non tantum confirmat quod pollicitus eſt Dei nomine, ſed etiam hortatur Judæos ut reſipiſcant: atque oſtendit unde ſalutem expectare debeant, quantoque & quali cum judice ipſis negotium ſit: à natura enim Dei ratiocinatur quomodo vitam ipſos formare deceat, ne oblatam ſibi gratiam ſua pravitate reſpuant. Judicii nomine, quicquid rectum & æquum eſt comprehendit. Opponit enim hoc nomen inanibus figmentis Judæorum, quibus ſatisfacere ſe putabant Deo, atque interim malitiam ſuam tegebant. Dominus enim, ut ſæpius viſum fuit, ejuſmodi larvas & vanos prætextus non moratur, ſed exigit veram cordis munditiem, & manus ab omni injuſtitia puras. Recto igitur animo ſit, ac vita integer qui ſe ſuaque ipſi probare volet. *Rapina in holocauſto.* Synecdochice denotat ſimulatum Dei cultum. ſub Holocauſto vero quodvis ſacrificii genus comprehenditur. Quum ergo ex fraude & rapina ſacrificant homines Deo, vel quum ſua mendacia, ſimulationem, impuritatem animi ſacrificiis permiſcent, vel maligne Deum fraudando cultum ejus vitiant, nihil deteſtabilius eſt. Hoc autem commune eſt non unius duntaxat ætatis vitium, ſed omnium temporum. Omnes enim ſimulant ſe colere Deum, ac pudet impios ipſos carere ſpecie religionis. quandoquidem adeo ingenitus omnium animis

eſt ſenſus divinitatis, ut revelli nequeat. Interim major hominum pars cum Deo ludit, atque puerilibus nugis ei ſatisfacere conatur. Hanc igitur hypocriſin damnat, atque deteſtatur Jeſaias: ac docet Dominum miſericordiam potius à nobis requirere, quam ſacrificia. nec enim rite coli poteſt à nobis Deus, niſi ſecundam Tabulam obſervemus, atque abſtineamus ab omni fraude & injuria. nam qui fraudat proximos aut violat, Deum quoque injuria afficit. Denique conſilium Prophetæ eſt, docere quæ vera ſit reſipiſcentiæ ratio: nempe, ſi hypocriſi ſublata, figmentiſque omnibus valere juſſis, beneficentiam inter ſe mutuam exerceant Dei cultores. *Opus eorum.* Quidam exponunt Mercedem operis. Ego autem potius exiſtimo notari omnia vitæ inſtituta, quibus felicem exitum Dominus promittit. Peſſime ſuccedit hominum inſtitutis: quia Deum in conſilium adhibere nolunt, nec ejus auſpiciis quippiam aggrediuntur. Ideo ſuæ temeritatis merito pœnas luunt: quia fidunt conſiliis ſuis, aut à cæco fortunæ eventu pendent: ubi nihil omnino veritatis, ſed fallax tantummodo umbra eſt. Iis autem qui Spiritu Domini reguntur, quique ſe totos ejus tutelæ committunt, ſi feliciter & ex voto ſuccedat, nihil mirum, quia à ſola ejus benedictione fluit omnis proſperitas. Porro ſub Veritatis nomine æquabilis curſus notatur: quia & increduli plerumque evanido gaudio inflari ſunt, ſed mox diffluunt. Stabilitatis cauſam in fine aſſignat, quia Deus non ſemel modo illis velit manum porrigere, ſed perpetuus eſſe dux itineris: atque hæc vera perſeverantiæ noſtræ fultura eſt, quod perpetuum fœdus nobiſcum percutere dignatur, in quo ſpontaneum ſe debitorem conſtituit, atque ultro nobis omnia defert, quum tamen nihil omnino debeat.

Hoſ. 6. verſ. 6. Mat. 9. verſ. 13. & 12:7.

9. *Et cognoſcetur.*] Hic clarius diſſerit Propheta de propagatione Eccleſiæ, quæ tunc velut in anguſto terræ angulo concluſa erat, atque poſtea valde imminuta & acciſa eſt: quemadmodum capite primo & decimo vidimus. Diſſerit ergo Jeſaias de Eccleſia poſt talem imminutionem propaganda per totum orbem, ita ut conſpicua ſit omnibus Gentibus. Quod tamen ne ſub regno quidem Solomonis acciderat, dum opibus & dignitate maxime florebant Judæi. Hoc autem omnino incredibile videbatur. Ideoque tantopere in eo perſuadendo laborant Prophetæ: ac ſubinde hoc inculcant, ne ſuo ſenſu aut præſenti rerum aſpectu reſtitutionem hanc metiantur. Nunc quæritur quando hæc evenerint. Reſpondeo (ut jam ſæpe alias) hæc cœpiſſe quum populus in patriam rediit: quia & tunc, & ſubinde temporis progreſſu beneficentiam Dei multiplicem erga ſe expertus eſt. Sed quia tenues ſolummodo ſcintillæ emicarunt: pleniſſimum ſplendorem in Chriſto refulſiſſe, in cujus regno hæc cumulate præſtantur. Nam ubi ſumma erat pietatis ſterilitas, pullulavit Abrahæ ſoboles: quia per fidem inſiti ſunt extranei in electum populum: ita exteræ nationes & barbaræ agnoverunt Judæos ſemen Dei ac benedictum eſſe, dum ipſis in eandem fidei confeſſionem coaluerunt. neque ſemel tantum hoc impletum eſt, ſed quotidie impletur. Quod autem Judæi præcellunt, atque priorem locum in fœdere Dei obtinent, hoc miſericordiæ Dei, non eorum dignitati tribuendum eſt, ſicuti docet Paulus Rom. 3. Poſtquam enim ipſos natura à Gentibus nihil differre oſtendit, atque eidem condemnationi ſubjecit, ſimul docet eos hac prærogativa excellere, quod primi omnium ſermonem Dei & promiſſa acceperint. Hoc autem ex gratuito Dei beneficio, non ex meritis ipſorum aut dignitate profectum eſt.

ſupr. 1. verſ. 9. & 10:22. 1 Reg. 10. v. 21, 27. Gen. 22. verſ. 18. Rom. 3. verſ. 2.

10. *Gaudens gaudebo.*] Inducit Eccleſiam gratias agentem Deo, quo magis perſuadeat ea quæ prius dixit: eſt enim velut hypotypoſis, qua res oculis hominum quaſi depicta ſubjicitur, ut omnem dubitationem tollant. Nam ſumus ad diffidentiam proclives natura, atque adeo leves, ut figmentis hominum potius, quam verbo Dei fidem habeamus: ac de hac confirmationis forma diximus tam cap. 12. quam 26. & aliis locis. *Quoniam induit me.* Hæc quidem longe adhuc remota erant: ſed oculis fidei cerni ac percipi oportuit: ut certe attollendi fuerunt oculi in cælum, quum Propheta de ſalute & juſtitia concionetur. Nihil enim hic viſibile, ac multo minus ſenſu apprehendi potuit tanta felicitas, quum omnia ad interitum vergerent. Sed quia ne hodie quoque tale apparet Eccleſiæ decus: imo ſub deformi crucis habitu contemptibilis eſt mundo: fide hic opus eſt, quæ cæleſtia & inviſibilia comprehendit. *Juſtitiam* conjungit cum Salute: quoniam alterum ab altero ſejungi non poteſt. Notæ hæ ſunt metaphoræ *veſtium & indumentorum.* Perinde eſt acſi diceret, Collatam in ſe juſtitiam & ſalutem. Quum vero hæc beneficia conferat Dominus, ſequitur ab ipſo ſolo petenda atque expectanda eſſe. *Ornavit me decore.* Metaphora ſumpta putatur ab ornatu ſacerdotali: atque ideo nonnulli de ſacerdotio Chriſti philoſophantur. Sed non exiſtimo tam ſubtiliter loquutum eſſe Prophetam, quum ſponſi & ſponſæ ſimilitudinem adducat. Prius Eccleſia in ſitu & ſqualore erat, & paſſim ab omnibus contemnebatur, quaſi repudiata mulier: nunc in gratiam à marito recepta, miro ſplendore fulget. Reſpondet locus Hoſeæ 2. capite. Hoc præſtitum eſt Chriſti adventu: ſed quotidie ſimul nobis præſtatur, dum juſtitia & ſalute ſuos Dominus exornat. Pleniſſime vero ad extremum Chriſti adventum, ut jam ſæpius dictum eſt, omnia perficientur.

ſupr. 12. verſ. 1. & 26: 1. Hoſea 2. v. 19.20.

11. *Quoniam ſicut.*] Eleganti ſimilitudine Propheta confirmat ſuperiores promiſſiones. Revocat enim Judæos ad ordinariam potentiam Dei, quæ refulget in ipſis creaturis. Terra enim quotannis profert germen ſuum, horti poſt ſationem vireſcunt: denique herbæ & plantæ, quæ mortuæ hyeme videntur, reviviſcunt ad vernam temperiem, vigoremque ſuum recipiunt. Hæc autem teſtimonia ſunt & certiſſima documenta divinæ potentiæ & beneficentiæ erga nos: quod quum ita ſit, an homines de ipſa dubitare convenit? Qui hanc vim & facultatem terræ præbuit, annon ipſam magis exeret in populo ſuo liberando? & electum ſemen, quod promiſit æternum fore in mundo, pullulare faciet? *Coram omnibus gentibus.* Iterum oſtendit terminos Eccleſiæ non fore amplius tam anguſtos, quam antea fuerunt. Efficiet enim Dominus, ut ipſa orbem univerſum repleat. *Juſtitiæ* mentionem facit, cujus plena fuit demonſtratio, quum Dominus populum ſuum redemit: ſed potiſſimum apparuit juſtitia Dei, quum Chriſtus mundo patefactus eſt: non quod uſque ad tempus illud Deus ſuppreſſam tenuerit juſtitiam ſuam, ſed quod eam homines non agnoverint. Perinde ergo eſt acſi diceret, Sic Deus liberabit ac reſtituet populum ſuum, ut omnes ipſum juſtum eſſe agnoſcant. Nam redemptio illuſtre eſt ſpecimen juſtitiæ Dei. Subjungit *laudem:* quia tale beneficium gratiarum actio ſequi debet. Finis juſtitiæ eſt, ut detur gloria Deo. Proinde hortatur nos ad gratitudinem: quia pluſquam indignum eſt nos acceptis beneficiis Dei mutos eſſe.

CAP. LXII.

PRopter Sion non tacebo: & propter Jeruſalem non quieſcam, donec egrediatur
ut ſplendor juſtitia ejus, & ſalus ejus ſicut lampas ardeat.
2. Et videbunt gentes juſtitiam tuam, & omnes Reges terræ gloriam tuam: &
vocabitur tibi nomen novum, quod os Jehovæ nuncupabit.
3. Et eris corona gloriæ in manu Jehovæ: & diadema regni in manu Dei tui.
4. Non dicetur tibi amplius derelicta: nec terræ tuæ dicetur amplius deſolata: quia
vocabunt te beneplacitum meum in ea: & terram tuam maritatam. Quia beneplacitum
Jehovæ in te, & terra tua maritabitur.
5. Quoniam ſicut adoleſcens maritat ſibi virginem, ita maritabunt te ſibi filii tui: &
gaudio ſponſi ſuper ſponſa gaudebit ſuper te Deus tuus.
6. Super muros tuos Jeruſalem ordinavi cuſtodes, qui tota die & tota nocte jugiter
non tacebunt. Qui * memores eſtis Jehovæ, ne ſilentium ſit vobis. * vel; memoriam celebratis.
7. Et ne detis ſilentium illi donec reparet, & donec ponat Jeruſalem laudem in terra.
8. Juravit Jehova per dexteram ſuam, & per brachium roboris ſui: Si dedero frumen-
tum tuum amplius cibum inimicis tuis, & ſi biberint filii alienigenæ vinum tuum pro quo
laboraſti.
9. Nam qui congregaverunt illud, comedent, & laudabunt Jehovam, & collectores
ejus bibent vinum in atriis meis ſanctis.
10. Tranſite, tranſite per portas: repurgate viam populo: complanate, complanate
iter: ſternite lapidibus, levate ſignum ad populos.
11. Ecce Jehova publicavit uſque ad extremum terræ: dicite filiæ Sion, Ecce ſervator
tuus venit: Ecce merces ejus cum eo: & effectus operis ejus coram ipſo.
12. Et vocabunt vos Populum ſanctum, redemptos Jehovæ. Et te vocabunt Quæſitam
urbem, non relictam.

P*Ropter Sion.*] Quum triſte illud exilium immineret, quo univerſæ propemodum gentis nomen delendum erat, pluribus verbis confirmari, atque animari pios neceſſe fuit, ut firma & certa fiducia in his promiſſionibus ſub crucis onere perſtarent. Hic igitur Propheta fungens eo munere quod ſibi injunctum erat, aperte pronunciat ſe officio ſuo minime defuturum: nec loquendi finem facturum, donec erigat piorum animos ſpe futuræ ſalutis, ut intelligant ac perſuaſum habeant, Deum Eccleſiæ ſuæ liberatorem fore. Poterat enim frangi ipſe quoque incredulitate populi illius, atque animum deſpondere, quum res videret quotidie in pejus collabi, & acerbam illam ultionem animo præſumeret. Sed adverſus tantas difficultates ſe nihilominus perſtiturum in officio declarat, ut intelligant omnes, neque internecionem populi, nec diffidentiam obſtare poſſe Deo, quominus promiſſa ſua in tempore exequatur. Hæc autem ſæpius repeti neceſſe fuit: quoniam ea eſt ingenii noſtri pravitas, ut ſtatim promiſſorum Dei obliviſcamur. Quum ſe nullum finem loquendi facturum dicit, ſimul alios admonet officii ſui, ut colligant animos, certaque fiducia reſtitutionem expectent, tametſi in longum tempus differatur: imo ut continuis Dei vocibus reſpondeat infatigabilis eorum attentio. Id quam neceſſe ſit experimur in dies, quum modis omnibus Satan nos à recto curſu avertere conetur. Simul oſtendit quale piorum doctorum ſtudium eſſe debeat: nempe ut ſe totos impendant ac profundant in Eccleſiæ utilitatem. Nam quum ait, *propter Sion*, ſignificat præcipue curandum nobis eſſe, ut ſalva ſit Eccleſia, nec probos aut fidos eſſe doctores, niſi quibus tam chara eſt ejus ſalus, ut nullis laboribus parcant. Nonnulli exponunt de precibus: ſed ego ad doctrinam referre malo: & hoc melius convenit, Prophetam nullo tædio nulliſque moleſtiis fatigatum iri, & nullis obſtaculis ceſſurum, quin pergat in officio docendi quod Deus mandavit de redemptione Eccleſiæ. Nam ſi triſtiſſimæ cladi fuiſſet ſuperſtes, multis haud dubie convitiis eum exagitaſſet incredulum vulgus, ut alios Prophetas. verum quicquid acciderit, invicta ſe conſtantia inſtructum dicit, ut nunquam pudore obmuteſcat, ſed ſtrenue nitendo pergat in ſuo curſu. Porro hac loquendi forma fidem conciliat ac vendicat ſuis vaticiniis, ut ipſo quoque mortuo ſonare non deſinant in auribus piorum. *Juſtitiam* accipit pro jure Eccleſiæ: quia tempore calamitatis damnata eſſe videbatur. Emergit ergo juſtitia ipſius, quum reſtituitur in integrum, & priſtinum ſtatum recuperat. Latebat enim tempore exilii. *Salutem* juſtitiæ conjungit: quia quos juſtificat Deus, vel quibus ſuum jus aſſerit, ſimul illi ſalutem recuperant. Unde colligimus nos ideo miſeros eſſe, abſque auxilio, quantiſper ab indignis gratiam ſuam Deus ſubducit: ideoque alibi ſæpius vocavit juſtitiam Dei, quam hic dicit eſſe Eccleſiæ. Interiimus ergo dum caremus juſtitia Dei: hoc eſt, dum in peccatis noſtris torpemus, & Deus ſeverum judicem vindicando ſe oſtendit. Porro verbum *exeundi*, ſignificat juſtitiam Eccleſiæ aliquandiu fuiſſe abſconditam, & quaſi ſepultam: nulla quidem eſſe merebatur coram Deo: quin potius immenſæ ejus iniquitates ita prævaluerant, ut nihil quam juſta Dei ultio ſupereſſet. Verum hic reſpectus habetur ad homines, qui afflictam Eccleſiam pro perdita jam ducebant, & faſtu ſuo probriſque ad inferos fere dejiciebant. Denique eam cum mundo comparat, & mundi reſpectu juſtam fore dicit, ubi purgatis ejus vitiis, cauſam ejus ſuſceperit. His verbis docet Propheta ſemper de inſtauratione Eccleſiæ bene eſſe ſperandum, quamvis ſub tetra caligine atque in ſepulchro demerſa ſit: quia tametſi ad tempus oppreſſa lateat, Deum nihilominus vindicem in cælo habet: qui poſtquam moderate eam caſtigaverit, tandem ſibi eam fuiſſe curæ oſtendet. Et ſane illuſtrem & conſpicuam eſſe oportet juſtitiam ejus: idque in eorum ſalutem quos ſibi in populum & peculium delegit.

2. *Et videbunt gentes.*] Nunc apertius declarat, cur antea dixerit ſe non taciturum: nempe ut pii certo perſuaſum habeant non fruſtra ſibi ſalutem promitti. *Gloriam* hic accipit pro Salute. Quo argumento ſeſe ad conſtantiam inſtruere debeant Prophetæ, hic perſpicimus: quod ſcilicet fidelis ſit Dominus: atque tandem præſtabit quod ſemel pollicitus eſt, tametſi aliquandiu differat. *Reges.* Hoc ad amplificationem valet: acſi diceret, non ſolum plebeios ac vulgares conſpecturos atque admiraturos gloriam Dei, ſed etiam Reges ipſos, qui è ſublimi deſpicere ſolent quod alioqui pretio & honore dignum erat.

Excæcat enim eos ſuus ſplendor, & altitudo dementat, ut non libenter quicquam dignitatis extra ſe conſpiciant. *Nomen* porro *novum* accipit pro Celebritate. Sic enim diſperſus erat populus, ut certum corpus nullum eſſet, ac penitus interiiſſe videretur. Tametſi enim ingens multitudo in exilium traducta erat: quia tamen inter Babylonios diſſipati, quaſi laceri corporis membra exulabant, vix retinebant nomen populi: quod etiam illis denunciatum fuerat. Quum autem reducti ſunt ab exilio, cœperunt rurſus in corpus unum coaleſcere: atque ita nomen recuperarunt, quo privati fuerant. Quanquam Novum pro Inſolito capitur: acſi diceret Propheta, ſingularem & prius inauditam fore gloriam populi: quod ſcimus factum eſſe temporis ſucceſſu: quia exigua illa populi manus, quum precario habitaret in patria, nulla inſigni præſtantia acquirere ſibi potuit tantam celebritatem: ſed promulgata demum Euangelii doctrina, innotuit atque excelluit Judaicum nomen. Confirmat autem quod difficile alioqui creditu fuiſſet, Deum hujus gloriæ fore auctorem promittens: neque enim in hominum arbitrio fuit, ignobilem & infamia coopertam Eccleſiam ſic extollere, ſed Deo qui pauperes erigit ex ſtercore, difficile non fuit nova fama decorare ſuam Eccleſiam. Quemadmodum ante quadraginta annos nulla erat Eccleſiæ facies: & quamvis ſemen aliquod haberet Dominus, tamen ita confuſum atque obrutum erat, ut certus Dei populus non appareret. Nunc reſtituit Eccleſiæ nomen ſuum, quum eam verbo Euangelii aggregavit. Hoc igitur magnificum Dei opus nos in eo confirmare debet, ut ſciamus ipſum nunquam Eccleſiæ defuturum: & quamvis nos maledictis lacerent impii, ſugillent, conſpuant, modiſque omnibus fœdare conentur, meminerimus Deo minime eripi jus ſuum, ut nos in mundo illuſtret, quorum nomina dignatus eſt in cælis ſcribere. Alii ſubtilius exponunt: nempe quod pro Iſraëlitis vocandi eſſent Chriſtiani. Sed ego ſuperiorem illum ſenſum Prophetæ contextui, & uſitato ejus ſermoni convenientiorem puto. Diligenter autem obſervandæ ſunt hæ loquendi formæ, quæ peculiares ſunt Prophetis, ut eorum ſtylo aſſueſcamus. Summa eſt, populum reſtitutum iri, tametſi deletus videatur: novumque nomen non ab hominibus, ſed à Deo conſequuturum.

3. *Et eris corona.*] Idem argumentum proſequitur Jeſaias. nec mirum: nemo enim carnis ſenſu rem tantam concipere ac ſperare potuiſſet: deinde voluit piorum animos intentos eſſe in regnum Chriſti, quod ſplendidis hiſce elogiis eo magis ornari ac prædicari neceſſe fuit, quia adhuc & obſcurum, & procul remotum erat. Duplex enim periculum antevertere opus fuit, ne Judæi longiſſime adhuc ſe abeſſe videntes à priſtino honore, gratiam Dei contemnerent, vel ſubſiderent in ipſis primordiis: atque ita poſthabito Chriſto, tantum commodis terrenis addicti forent. Admonet igitur Propheta, reditum in patriam quaſi præludium eſſe ſummæ dignitatis, quæ exhibito Chriſto ſperanda erat. Quod ad prius membrum ſpectat, nihil præter deſperandi materiam exules & ſervi apprehendere poterant, quum externum rerum ſtatum intuebantur: quum etiam reverſi in patriam ac reſtituti, parum admodum in ædificando templo promoverent. Eos ergo in Deum reſpicere jubet, ut ab eo expectent gloriam à ſenſu carnis abſconditam: & quia ſe apud ipſum charos & pretioſos eſſe norunt, hoc uno ſint contenti, donec per Chriſti manum liberalius ipſos exornet. Eccleſiam vocat coronam Dei: quia Deus vult gloriam ſuam lucere in nobis. in quo inæſtimabilem Dei bonitatem ſuſpicere & admirari par eſt: quod nos tametſi natura ſordidos & corruptos, atque ſterquiliniis fœdiores, tamen ita exornet, ut diadema regni ſui eſſe velit. Excitemur ergo hac Dei bonitate ad ſtudium bene vivendi, ut in nobis imago ipſius magis ac magis reformetur.

4. *Non dicetur.*] Occurrit dubitationi quæ obrepere poterat animis piorum, quum derelicti ac deſtituti eſſent, qui interea diadema & corona vocarentur. Hæc enim ridicula videri poterant, quum exoſi atque execrabiles eſſent omnibus nationibus, proſtrati etiam interdum jacerent ſub pedibus hoſtium, nec uſquam auxilium appareret: evehi tamen ad cælos, & locari in Dei manu. Significat ergo populum, tametſi ad tempus ſit inſtar repudiatæ ac derelictæ mulieris, tamen ita reſtitutum iri, ut conditionem ac nomen mutet: acſi diceret, Repudium hoc perpetuum non erit: Deus te tandem ad ſe recipiet. Tametſi ergo abjecta videatur Eccleſia, atque ſpeciem gerat mulieris repudiatæ, tamen Dominus ærumnis ejus ac miſeriis finem imponet. Hoc autem à beneplacito, hoc eſt, gratuito favore Dei proficiſci docet, ne quicquam hominum meritis aut dignitati tribuatur, ſicuti loquitur apud Hoſeam, Deſponſabo te mihi in miſericordia & miſerationibus. *Hoſea 2. verſ. 19.* Ergo non alia de cauſa melius habituros docet, niſi quia Deus pro immenſa ſua bonitate gratis reconciliare dignabitur quos abdicaverat. Etſi autem hoc ad Eccleſiam proprie ſpectat: in genere tamen diſcamus, favore ac beneficentia Dei reſtitui urbes ac regna in priorem ſtatum: quæ ipſo irato & averſo videbantur periiſſe. Propheta ergo Judæis conſiderandum proponit calamitatum omnium, quas perpeſſi erant, fontem: quum teſtatur Deo propitio eos fore beatos: quia inde colligendum eſt, Deum fuiſſe prius illis infeſtum, quum male & miſere haberent. Jam conjugii elegans eſt metaphora, eaque duplex, qua reſtitutionem populi ſignificat. Finem diſſidii inter Deum & Eccleſiam fore docet: quia hæc quaſi à placato marito in uxorem recipietur. Deinde quia populi frequentia tollet viduitatis probrum. Terra enim, veluti arbores cum vitibus, quodammodo cum ſuis incolis maritatur: rurſum nudata incolis, vidua dicitur. *Quia beneplacitum.* Iterum repetit ac confirmat quod jam dictum eſt, gratuitum Dei beneficium eſſe, quod reſtituitur Eccleſia, quod manet in ſuo ſtatu, quod terra recipit ſuos incolas: nam quum Deus avertit faciem ſuam, noſque averſatur, nihil præter interitum ſperari poteſt: nec quicquam ab hominum ope aut viribus expectandum.

5. *Quoniam ſicut.*] Hic verſus clariorem tantummodo explicationem atque confirmationem continet ſuperioris. Videtur autem ſpecies eſſe repugnantiæ, quod poſteriore membro unum Deum faciat Eccleſiæ maritum, quum priore plures ei maritos aſſignarit. Verum facilis eſt ſolutio: nam quum de hoc Eccleſiæ conjugio agitur, unus eſt ejus maritus, nempe Deus, qui ſemper hunc ſibi titulum vendicat: idque in Chriſto impletum eſt: cui Paſtores Eccleſiam, tanquam virginem caſtam deſpondent, ut ait Paulus. *2 Cor. 11. verſ. 2.* Sed hoc non obſtat quin metaphora conjugii ad exprimendam fidei unitatem transferatur, quam habent omnes filii Dei cum Eccleſia matre ſua. Imo ſic Deus Eccleſiæ maritus eſt, ut Eccleſiæ ſuæ maritet omnes populos qui ad eam aggregantur: quia dum liberis caret, quodammodo vidua eſt ac ſolitaria. Itaque hoc etiam reſpectu Dei dicitur, qui ſuis auſpiciis ſacram unitatem inter Eccleſiæ ſuæ membra ſanciens, conjugii effectum ad totum corpus extendit. Atque hinc colligendum, Eccleſiam Dei vere populoſam fore: id eſt, multos filios habituram, quum marito Deo conjuncta eſt: nam à Deo initium faciendum eſt, ut Eccleſiæ ſuæ præſit, & ejus auſpiciis in ejus ſinum colligamur. tunc enim vere ſacrum erit conjugium. Alioqui magna populi frequentia non conſtituet Eccleſiam, ſed potius fœdum lupanar: quemadmodum videmus in Papatu jactari Eccleſiæ nomen, quum interea Dei majeſtas horrendis ſacrilegiis in eo violetur.

6. *Super muros.*] Quoniam Propheta plenam

regni

regni Chriſti felicitatem deſcribere volebat, ideo colligit omnia quæ ad beatum regionis alicujus vel urbis ſtatum pertinent. Aliis igitur beneficiis præſidia & cuſtodiam adjungit, quia bonorum omnium abundantia & copia parum prodeſſet, niſi ab hoſtibus tuti eſſemus. Itaque ſignificat Dominum non modo ſuppeditaturum res Eccleſiæ neceſſarias, ſed etiam adhibiturum fidos cuſtodes, à quibus hoſtes & latrones arceantur: ut ita intus & foris beatæ vitæ auctor appareat. *Non tacebunt.* Hic Tacere accipit pro Quieſcere: acſi diceret, aſſiduos fore in excubiis, ut imminentia pericula longe prævideant. Quinam vero ſint illi cuſtodes ſubjungit, nempe *Qui memores erunt Domini*: id eſt, celebrabunt memoriam nominis illius. Quanquam inter cuſtodes non abſurde Pſal. 91. verſ. 11. Hebr. 1. verſ. 14. numerari poterunt Angeli, quibus has partes injunctas eſſe ſcimus: ſed quia ſponte & alacriter advigilant pro Eccleſiæ ſalute, nec ullis exhortationum ſtimulis indigent, Propheta ſermonem dirigit ad alios vigiles. Verbum quo utitur ambiguæ eſt ſignificationis. Interdum enim ſignificat Recordari, interdum In memoriam revocare: nec male conveniet utraque ſignificatio. Sed videtur mihi ſimpliciter ſignificare, hos cuſtodes miniſtros fore Dei ad nomen ejus prædicandum. Quidam vertunt, Annunciantes Dominum: ſed nimis coactum eſt, & ſententiam Prophetæ abrumpit: neque attingunt ejuſmodi interpretes ſimilitudinem cuſtodum urbis, quæ à Propheta uſurpatur. Tametſi vero Propheta ſimpliciter docere vult Eccleſiam ab omnibus periculis tutam fore, quod Deum habeat præſidem ſuæ ſalutis: tamen ſemper animo reputandum, qualis regni Chriſti natura ſit: nec enim vi bellica defenditur, aut armis: 2 Cor. 10 verſ. 4. verum ut ſpirituale eſt, ita ſpiritualibus armis & præſidiis ſervatur. Miniſtros ergo ſuos habebit Dominus, quorum opera utetur ad Eccleſiam tuendam gladio Verbi, ut non terrenis præſidiis, ſed arcana & ſpirituali Dei virtute ſalva maneat. Et Propheta ſeipſum exponit, dum ait, Qui memores eſtis Domini. quamvis autem hæc ſententia ad pios omnes pertineat, qui nomen Dei, quantum in ſe eſt, celebrare ubique jubentur: tamen præcipue Sacerdotes attingit, qui quum munere publico fungantur, cæteris exemplo præire, totoque ſtudio intenti in laudes Dei eſſe debent. Hic porro monentur paſtores officii ſui: nec enim ſatis eſt paſcere gregem Domini, niſi ſimul ipſum à latronum & luporum incurſu defendant. Nocte igitur & die ipſos vigilare, atque in excubiis eſſe oportet, ſi rite officio fungi velint. Dominus ipſos ſilere vetat: quia vult ſedulos ac diligentes eſſe: in quo oſtendit quantopere ſollicitus ſit de Eccleſiæ ſalute. Teſtatur etiam hic locus ſingulare Dei beneficium eſſe, quod fidos habemus paſtores, qui curam noſtri gerant. Nam periculis omnis generis expoſiti ſumus, & patemus inſidiis Satanæ, niſi nos Dominus præſidiis ſuis tueatur. Quare ſemper rogandus eſt, ut nos quibus videt opus eſſe præſidiis muniat.

7. *Et ne detis.*] Hactenus loquutus eſt Propheta de munere & ſtudio docendi: ſed quoniam hoc non ſufficeret, niſi preces quoque accederent, ad eos miniſtros Verbi hortatur: nam ego particulam לו, ad Deum referendam puto. Inſtare igitur apud Deum, & contendere aſſiduis precibus convenit, ut ſucceſſum aliquem præbeat laboribus noſtris, qui inutiles alioqui forent. Et quum nos totos impenderimus in prædicanda doctrina, noſque fortiter oppoſuerimus Satanæ omnia machinanti, ſimul mentes noſtras convertere diſcamus ad Deum, ne labores noſtros irritos eſſe patiatur. Quemadmodum igitur initio capitis ſilentium ad doctrinam retulit, quum diceret, Non tacebo: ita hoc loco ad preces refert, quibus fructum aliquem doctrinæ à Deo obtinemus: quin etiam ad hoc precandi ſtudium ſuo exemplo Angeli Zach. 1. verſ. 12. quoque nos incitant, ſicuti legimus Zachariæ primo, Angelum ardenter pro Eccleſiæ reparatione precari. *Donec reparet.* Hinc collige duo eſſe diſtincta beneficia: fidos habere paſtores qui vigilent pro Eccleſiæ ſalute: deinde Eccleſiam erigi & conſervari ipſorum opera in ſuo ſtatu. Deus autem qui hic loquitur, hæc beneficia ſibi proprie vendicat: quemadmodum & pleriſque aliis locis. Quomodo prædicabunt, inquit Paulus, niſi mittantur? Rom. 10. verſ. 15. Eſt igitur Dei ſolius ordinare paſtores: nemo enim alioqui ad tantam adeoque difficilem provinciam idoneus 2 Cor. 2. verſ. 16. eſſet: deinde etiam ſolus ipſe promovet eorum opera Eccleſiæ inſtaurationem: irriti enim prorſus & vani eſſent ipſorum conatus, niſi Dominus felicem iis ſucceſſum daret. Atque hic videmus externam hominum operam conjungi cum effectu Spiritus ſancti. Quamvis enim ſolus agat Dominus & efficiat, tamen organa adhibet, quibus utitur ædificio Eccleſiæ inſtaurando. Hinc monemur non eſſe abjiciendos animos, etiam quum nihil præter ruinas & diſſipationem miſeram intuemur: ſed noſtrum eſt orare, ut Dominus eam inſtauret: quod etiam ſe facturum promittit. Quod addit, *Donec ponat laudem*, tantundem valet ac Reddere Eccleſiam glorioſam, ut illinc materia laudis effulgeat. Nam quum nihil præter ſeveritatem Dei ſentimus, muti reddimur, & obruimur pudore: quum vero nos liberat ab ærumnis noſtris ac recreat, ſimul nobis os aperit: quia nobis ſubminiſtrat materiam laudis & gratiarum actionis.

8. *Juravit Dominus.*] Perſequitur ſimilitudines quibus antea uſus eſt: nam quum pro modulo carnis noſtræ Chriſti regnum exprimi nequeat, ſub figuris ipſum depingi oportuit. Quemadmodum igitur prius abundantiam rerum omnium, deinde fidam cuſtodiam promiſit, qua tuta ſit piorum conditio, ita hic pacem & quietem, qua placide fruantur bonis ſuis, neque in poſterum iis fraudentur: acſi diceret, Quicquid habuiſti in manibus antea, prædæ & direptioni expoſitum fuit: nunc ſarta tibi & tecta erunt omnia, atque libere frumento & vino tuo veſceris, tranquilla denique erit tua felicitas. Quoniam vero ea eſt naturæ noſtræ pravitas, ut Deo quamvis large & munifice promittenti diffidamus: ideo jurantem ipſum introducit. Nam eouſque Dominus indulget nobis, ut jusjurandum adhibeat, quo magis diffidentia & pervicacia noſtra corrigatur. Jurat autem Dominus per ſeipſum: quia majorem ſe non habet, ut inquit Apoſtolus. *Brachii* Hebr. 6. verſ. 13. vero dextri mentionem fecit, hoc eſt, virtutis Dei: quoniam id præſenti orationi congruebat: quaſi diceret, Si qua eſt mea potentia, eam in ſalute veſtra proferam, ac ne in re ardua torpeant mentes veſtræ, per invictam manum meam & omnium victricem juro, quæcunque difficultates occurrant, me tamen vindice vos fore incolumes. Quoties ergo ſalutem promittit, de virtute ipſius & potentia cogitemus. *Si dedero.* Elliptica eſt formula loquendi, qua docemur quam ſancte & religioſe jurandum ſit. Atque idem valet iſta oratio acſi diceret, ſibi in poſterum fidem haberi nolle, niſi rerum eventus hæc promiſſa comprobarit. Pacatam tritici & vini fruitionem promittens, ſuo judicio factum eſſe ſignificat, non fortuito caſu, quod Eccleſia frumento & vino ſpoliata fuit: nam quoties graſſantur hoſtes ac prædantur, id permiſſu Dei fieri certiſſimum eſt: ſicuti in Lege minatur. Deut. 28. verſ. 33. Rurſum peculiaris eſt hæc ejus benedictio, ut quiſque ſecure comedat ſub vite ſua, & ſub 1 Reg. 4. verſ. 25. ficu ſua.

9. *Nam qui congregaverunt.*] Exegeſis eſt ac confirmatio ſuperioris ſententiæ: poſtquam enim teſtatus eſt ſe non paſſurum amplius ut bona Eccleſiæ ſint prædæ expoſita, ſubjungit fore ut ipſa bonis ſuis fruatur. Interea oſtendit frumentum & vinum jure noſtrum vocari, quum juſto labore ipſi comparavimus. Nam qui ad ſe rapiunt alienum panem, aut

illicitis

illicitis artibus eum acquirunt, ipſum à Domino non habent: nec benedictioni ejus poſſunt adſcribere, quaſi legitima eſſet poſſeſſio: cui reſpondet quod in *Pſal. 128. verſ. 2.* Pſalmo legitur, Laborem manuum tuarum comedes, beatus es, ac bene tibi erit. Sed quum terræ cultoribus victum aſſignet, cur dicit gratias Deo acturos? Cur vero homines Deum laudant, ſi ipſi labore ſuo congregant frumenta, & vina colligunt? Videtur enim ficta eſſe gratiarum actio, ſi hominum ſudori & induſtriæ tribuatur: nec ullam Deus mereatur laudem, ſi laboribus ſuis homines victum acquirunt. Sed notandum eſt, Prophetam ubi legitimam victus quærendi rationem docuit, ſimul addere inanem fore laborem noſtrum, niſi Dominus ipſe victum nobis ſuppeditet. Dei enim eſt quicquid habemus: atque ipſi ſoli, quod conſequimur, tribuendum. Ubi addit *in atriis*, alludit ad ſolennem ritum ſacrificandi. Poterant enim bibere aliis in locis, & quiſque domi ſuæ veſci: ſed alluſio eſt ad illum conſecrandi morem, quo Libari primitias Lex jubebat, ut totius anni proventus Deo dicarentur: & trita eſt *Deut. 12. verſ. 18.* apud Moſen ſententia illa, Epulaberis & gaudebis in conſpectu Dei tui.

10. *Tranſite.*] Concludit ex ſuperioribus liberum fore tranſitum per portas urbis, quæ prius clauſæ aut dirutæ erant. Clauſæ, quum obſidebatur ab hoſtibus: dirutæ, quum everſa urbs & ſolo æquata eſt. Significat ergo talem fore urbis inſtaurationem, ut frequentes in ipſa incolæ ſint, & crebri ad eam commeatus. Putant nonnulli verba fieri ad paſtores, ut ingrediantur portas, atque aliis tanquam duces præeant. Sed generalis & translatitia eſt ſententia, qua Eccleſiam comparat urbi populoſæ, quum ad tempus fuiſſet diruta ac deſerta, qualis Jeroſolyma fuerat. Alii ſubtilius philoſophantur, atque aiunt apertas eſſe Eccleſiæ portas, quum annunciatur in ea remiſſio peccatorum, qua legatione Deus omnes ad ſe invitat. verum ſi velimus aſſequi Prophetæ ſenſum, tenendum eſt iſta omnia per ſimilitudinem dici: ſicut jam monuimus. *Repurgate.* Hoc quidem officium proprie doctorum eſt, ſed generaliter loquutus eſt Propheta: atque omnes compellat quorum opera ad ſternendam populo viam uſus eſt Deus. Tunc quidem Medos & Perſas alloquebatur, quorum opera viam patefecit Judæis, ut in patriam redirent: ſed reliquos deinde omnes comprehendit per quos Dominus inſtauravit Eccleſiam ſuam. Alloquitur autem imperioſe omnes homines ut vias purgent & complanent: ut intelligerent Judæi omnia impedimenta facile ſublatum iri, atque omnes homines, tametſi infeſtiſſimos, mandato Dei confeſtim obſequuturos. Hoc autem modo jubet fideles ſe ad opus ſtrenue accingere, acſi multi operarii ad ſecundarias partes agendas præſto eſſent. & notanda eſt in repetitione verborum emphaſis, quæ ad certitudinem valet. *Sternite lapidibus.* סקל, interdum Lapides removere ſignificat: interdum Lapidibus ſternere: atque in hac poſteriore ſignificatione potius hic accipiendum puto: tametſi aliter vulgo ſentiant interpretes. Eodem pertinet quod jubet ſignum tollere. Significat enim populos ita obſequuturos mandato Dei, ut ſubditi Principibus ſolent. Convenient enim & concurrent ſigno ſublato, & operas ſuas conferent ad populum reducendum. Itaque magnifice extollit potentiam Dei, ne Judæi ſe aliquando reſtituendos eſſe dubitarent.

11. *Ecce Jehova.*] Significat Dominum mirabiliter ſupra ſpem & ſenſum carnis agendo, effecturum, ut Gentes omnes hoc fieri mandato ejus intelligant. Objici enim poterat, Qui fiet ut populi ſe Deo præbeant obſequentes, quum nunc ferociter ipſi reſiſtant? Rationem reddit, Quia Dominus publicabit reditum veſtrum: ita ut agnoſcant vos imperio ipſius reſtitui. Quod autem ſubjicit, *Dicite filiæ Sion*, non dubium eſt quin proprie ad miniſtros Verbi pertineat, & Prophetas, quibus Dominus hanc provinciam injungit, ut Eccleſiæ liberationem & ſalutem promittant. Atque hinc colligimus has promiſſiones ad unam ſolummodo ætatem non reſtringi: ſed ad finem uſque mundi extendendas eſſe. nam ut initium fiat à reditu è Babylone in Judæam, progrediendum eſt uſque ad Chriſti adventum, quo vere demum hæc prophetia impleta eſt, & Redemptio finem ſuum adepta. Venit enim Servator, quum gratia Dei per Euangelium publicata eſt. In ſumma, denunciat futurum aliquando, ut ab ortu Solis uſque ad occaſum vox Dei perſonet, nec ab uno tantum populo, ſed ab univerſis audiatur. Hæc autem eſt vox, *Ecce Servator tuus venit*, quam proprie Euangelii eſſe ſcimus. Jubet itaque Eccleſiæ doctores erigere animos piorum, fiducia adventus Domini, tametſi procul à populo ſuo abeſſe videretur. Verum hæc promiſſio ad regnum Chriſti maxime pertinet, à quo plene & in ſolidum hæc præſtita ſunt. Nam ſe re vera ſervatorem exhibuit Eccleſiæ ſuæ: quemadmodum prius capite quadrageſimo vidimus. Jam ne *ſupr. 40. verſ. 10.* qua amplius eos dubitatio ſollicitet, ubi Deus ſervator apparuerit, eum inſtruit potentia, ſicuti cap. 40. Eadem enim verba quæ illic vidimus repetit: quaſi diceret, ſimulac Deo placuerit manum ſuam exerere, promptum & celerem fore effectum: quantiſper enim ceſſat vel cunctatur, carnis ſenſus otioſum eſſe judicat. Et videmus ut multi fanatici homines inane fingant numen, acſi mortuam imaginem pingerent. Merito itaque Propheta opus & mercedem coram Deo ſtatuit, ut ſe juſtum mundi judicem, ubi opus fuerit, demonſtret.

12. *Et vocabunt.*] Exprimit beneficium adventus Domini: quia ſcilicet electos ſuos, veluti peculium, ſibi curæ eſſe oſtendens, palam faciet toti mundo non fuiſſe luſorium adoptionis fœdus, quod pepigit cum Abraham. ideo vocat Populum ſanctum, quoniam Dominus eos ſibi ſegregavit ac con- *Exod. 19. verſ. 6.* ſecravit: nam etſi populos omnes gubernet, ſemen Abrahæ eligere dignatus eſt, cujus peculiarem quandam curam gereret. Atque hoc ſenſu ſignificat ſanctum fore populum ſuum Deus, quum apparuerit Servator ac redemptor. Quemadmodum enim Profanari dicitur, quum afflictus & vexatus ludibriis impiorum in ſordibus jacet: ita Sanctificari, quum re ipſa Dominus ſe ejus ſaluti præeſſe oſtendit, quod mirifica redemptione impletum fuit: ac tunc etiam teſtatum fecit Deus ſibi hæreditatem ſuam cordi eſſe, quam in hominum oculis quaſi derelictam neglexerat: nam his vocibus, *Quæſita, non derelicta*, antitheſis notatur inter tempus quo divortium fecit Deus cum populo: deinde quo ſibi iterum reconciliavit quos abjecerat.

Cap. LXIII.

QUis eſt iſte qui venit ab Edom, rubicundus in veſtibus, à Boſra: iſte decorus in veſtitu ſuo, gradiens in multitudine virtutis ſuæ? Ego qui loquor in juſtitia, * multus ad ſervandum.

* vel, validus.

2. Quare ruber eſt veſtitus tuus, & indumenta tua ſicut prementis in torculari?

3. Torcular preſſi ſolus: neque ex populis quiſquam fuit mecum. Calcabo enim eos

in

Digitized by Google

in ira mea, & conculcabo eos in furore meo: & ſpargetur ſanguis eorum ſuper veſtes meas, & omnia indumenta mea inquinabo.
4. Quia dies ultionis in corde meo, & annus redemptorum meorum venit.
5. Itaque aſpexi, nec erat auxiliator: & admiratus ſum, nec erat qui fulciret: itaque ſalutem mihi fecit brachium meum, & ira mea fulſit me.
6. Et conculcabo populos in ira mea, & inebriabo eos furore meo, & proſternam fortitudinem eorum in terram.
7. Miſericordias Jehovæ memoria repetam: laudes Jehovæ tanquam ſuper omnibus quæ contulit nobis Jehova, & multitudine beneficentiæ erga domum Iſraël, quam contulit illis ſecundum miſericordias ſuas, & ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum.
8. Nam dixit, Certe populus meus ſunt, filii qui non mentiuntur: itaque factus eſt illis ſervator.
9. In omni anguſtia eorum * illi fuit anguſtia: & Angelus faciei ejus ſervavit eos: in * vel, non
dilectione ſua & clementia ſua ipſe redemit eos: portavit eos & extulit, omnibus diebus fuit.
ſeculi.
10. Verum illi rebelles fuerunt, & irritaverunt Spiritum ſanctum ejus. Ideo converſus illis in hoſtem pugnavit ipſe contra eos.
11. Et recordatus eſt dierum priſcorum, quibus Moſes fuit cum populo ejus. Ubi eſt qui aſcendere fecit eos è mari, cum paſtore gregis ſui? Ubi eſt qui poſuit in medio ejus Spiritum ſuum ſanctum?
12. Qui duxit ad dexteram Moſis brachio magnificentiæ ſuæ, qui diviſit aquas coram ipſis, ad comparandum ſibi nomen perpetuum?
13. Qui fecit eos ingredi per abyſſos, tanquam equum in deſerto, ut non impegerint.
14. Tanquam jumentum in planitiem deſcendit Spiritus Jehovæ requiem illi præſtitit: ſic duxiſti populum tuum, ut faceres tibi nomen glorioſum.
15. Aſpice è cælo: vide ex habitaculo ſanctitatis & gloriæ tuæ. Ubi zelus tuus, & fortitudo tua? multitudo viſcerum tuorum, & miſericordiarum tuarum erga me cohibuerunt ſe.
16. Certe tu pater noſter es, etiamſi Abraham neſciat nos, & Iſraël nos non agnoſcat: tu tamen pater noſter es, redemptor noſter: à ſeculo nomen tuum.
17. Quare feciſti nos errare Jehova à viis tuis? recedere feciſti cor noſtrum à timore tui? Convertere propter ſervos tuos, ad Tribus hæreditatis tuæ.
18. Ad exiguum tempus poſſederunt populus ſanctitatis tuæ: adverſarii noſtri conculcarunt ſanctuarium tuum.
19. Fuimus à ſeculo, quibus tu non dominatus es, ſuper quos non eſt invocatum nomen tuum. [b] O ſi diſrumpas cælos: deſcendas, & à facie tua montes diffluant! b vel, ſi forte.

QUis eſt iſte.] Hoc caput violenter torſerunt Chriſtiani, quaſi ad Chriſtum hæc pertinerent: quum Propheta ſimpliciter de ipſo Deo pronunciet: atque finxerunt hic rubicundum Chriſtum, quod ſanguine proprio madidus eſſet, quem in cruce fuderit. atqui nihil tale voluit Propheta. Simplex ſenſus eſt, Dominum hic rubicundis veſtibus prodire in populi conſpectum, ut omnes intelligant ipſum ultorem ſuorum ac vindicem eſſe. Nam quum infinitis malis premeretur populus, atque interea Idumæi, aliique hoſtes, quaſi extra omnem periculi aleam poſiti, impune laſcivirent, periculoſe tentari poterat, quaſi fortuito hæc ei acciderent, aut negligeretur à Deo, aut acerbe nimium caſtigaretur. Nam ſi in Judæis puniebatur Dei contemptus, multo magis in Idumæis, aliiſque apertis nominis Dei hoſtibus puniendus erat. Huic graviſſimæ tentationi occurrit Jeſaias, quum introducit Deum vindicem ab Idumæorum ſtrage redeuntem, quaſi madeat eorum ſanguine. Eſt autem viva & efficax deſcriptio hujuſmodi, *Quis eſt iſte?* nam iſta interrogatio in admirationem rapit auditorum animos, atque magis afficit, quam ſimplex narratio. Quamobrem ad excitandos Judæorum animos, qui velut ſopiti ac ſtupefacti erant, ea Propheta uſus eſt. Scimus Idumæos quodammodo ſanguine conjunctos fuiſſe Judæis: quoniam ab iiſdem majoribus originem ducebant: ſic enim vocati ſunt ab Eſau, qui Edom quoque dictus eſt. Ii quum purum Dei cultum corrupiſſent, tametſi eandem Circumciſionis notam gererent, Judæos hoſtili odio perſequebantur. Accendebant etiam furorem aliorum hoſtium in Judæos; atque ex illius populi clade magnam ſe voluptatem capere ſua cohortatione oſtendebant: ut ſatis apparet ex Pſalmo 137., Memor eſto Domine filiorum Edom, qui in die excidii Jeroſolymæ dixerunt, Nudate, nudate eam uſque ad fundamenta. Venturos igitur in judicium Idumæos Propheta denunciat, ne quis impune ipſis fore putet inhumanem illam ſævitiam, qua exarſerant in fratres ſuos. Omnes enim impios atque hoſtes Eccleſiæ ſic ulturus eſt Dominus, ut eam ſibi curæ eſſe oſtendat. Porro, quia tabes ex ſanguine victores inquinat & fœdat, decorum nihilominus in veſtitu ſuo Deum fore pronunciat Jeſaias, poſteaquam hoſtes ultus fuerit: ſicuti alibi vidimus ſtrages impiorum ſacrificiis conferri, quia in illis reluceat Dei gloria. Quis enim pulchrior ornatus judicio fingi poteſt? Itaque ut reverentiam conciliet juſtis Dei ultionibus, ſanguinem quo aſperſus eſt, cæſis ac perditis impiis, decorum & ſpecioſum eſſe prædicat: acſi diceret, Ne exiſtimetis Deum vulgari cuidam homini fore ſimilem: tametſi madeat ſanguine, hoc tamen non impediet quo minus ſplendor & majeſtas in eo refulgeat. *Gradiens.* Varie exponunt Judæi dictionem צעה. Referunt enim tranſitivo ſenſu quidam ad populum, quem Dominus ab exilio reduxit. Alii ad gentes quas Dominus alio transferet, tametſi firmam ſedem habere videantur. Sed Prophetæ contextui convenientius eſſe arbitror, ſi abſolute capiatur. Eſt enim nomen *Toar*, ut inquiunt. Deſcribit igitur Propheta magnificum Dei inceſſum, & heroicam præſentiam, qua ingentem potentiam præ ſe fert. *Ego qui loquor.* Dominus ipſe reſpondet, quod multo plus habet auctoritatis, quam ſi Propheta in ſua perſona loqueretur: ac fideles revocat ad priora vaticinia, ut ſciant in judiciis

Gen. 36. v. 1. 8, 9.

Pſal. 137. verſ. 7.

ſupr. 34. verſ. 6.

Dei

Dei non modo juſtitiam ejus & bonitatem, ſed fidem quoque palam fieri: quaſi diceret, Ecce nunc impleri cernitis quod hactenus ſæpius per ſervos meos vobis teſtatus ſum. hic promiſſionum mearum effectus clare demonſtrat me veracem eſſe, juſteque & bona fide, non fruſtrandi cauſa loqui. Frigida enim fuiſſet viſio, niſi earum quas ante audierant promiſſionum memores fuiſſent Judæi. Quia autem hic erat finis, ut in Dei ſalutem recumberent, ſimul non vulgarem ſervandi potentiam ſibi vendicat.

2. *Quare ruber.*] Pergit in eodem argumento: ſed quia minus emphatica narratio fuiſſet, non ſtatim explicat unde rubicundus color veſtibus Dei: ſed interrogationem ſuam proſequitur, quæ animos ad rei novæ & raræ conſiderationem excitet. Significat enim ſanguinis aſperſionem aliquid eſſe adventitium & inſolitum. Porro ſimile à torculari ſumptum optime convenit: quia oppidum Boſrah, cujus nuper meminit, in regione vitifera ſitum erat: quaſi diceret, alias fore vindemias quam pro more, quia ſanguis pro ſucco uvarum fundendus eſſet.

3. *Torcular.*] Nunc Propheta viſionem exponit: cur videlicet ſanguine tinctus ſit Dominus: nempe quod Idumæos & reliquos hoſtes qui inhumaniter populum ſuum tractarant, ulturus ſit. Ridiculum eſſet iſta referre ad Chriſtum, quod ſolus & ſine humana ope nos redemerit: nam intelligit Deum ſic animadverſurum in Idumæos, ut auxiliis hominum minime indigeat: quia per ſe ſufficiet ad ipſos delendos. Nam objicere poterant Judæi, potentes eſſe Idumæos, nulliſque bellis infeſtari, florere, & pacato frui rerum ſtatu. Oſtendit Propheta hæc obſtare non poſſe, quo minus pœnas de ipſis ſumat Dominus quum volet. Uſus quidem eſt mediis humanis, quum Idumæos ultus eſt: ſed ita ut palam cunctis fieret id omnino ipſius regi manu, nec quicquam hominum viribus aut conſiliis tribui poſſet. Subita enim & improviſa clade oppreſſi ſunt: cujus unum Deum eſſe auctorem ambigere non debuit populus, qui toties jam admonitus fuerat. Quod ſubjicit neminem ex populis ſecum fuiſſe, huc pertinet, quamvis exorturi ſint è terra populi, qui perdant gentem Edom, tamen ſeparatum fore ab ipſis Dei opus: quia profanis hoſtibus nihil minus erat propoſitum quam pœnas exigere injuſtæ crudelitatis ab Idumæis. Ergo inter ſtrepitus armorum & turbulentos motus reputari & lucere vult Deus judicium ſuum. *Calcabo.* Ego libenter retineo futurum tempus: quoniam Propheta loquitur de rebus futuris, & nondum impletis: quod tametſi integri eſſent ac ſecuri Idumæi, tamen graves pœnas Deo ob ſuam crudelitatem daturi erant.* Cur Propheta utatur metaphora torcularis ſanguinolenti, cujus triſte ac tetrum ſpectaculum eſt, jam aliqua ex parte attigimus: ſimul tamen addendum eſt pœnas & ſupplicia quæ Deus ſumit de hoſtibus, ejus vindemiam apte vocari: acſi colligeret ipſos, quum delet aut profligat. Quemadmodum etiam alibi ſupplicium hujuſmodi ſolenne ſacrificium vocatur: ut diſcamus non minus tribuendam
ſupra 34. verſ. 5. eſſe gloriam Deo, quum judicia ſua exercet, quam ubi miſericordiæ ſigna oſtendit. Singularem interea erga Judæos amorem ſuum exprimit, quod eorum gratia dignetur ſe perfundere ſanguine hoſtium. unde & Inquinandi verbo utitur. *In ira mea.* Hoc ſolummodo perdendis Idumæis ſufficere oſtendit, quod iis iratus ſit Dominus: acſi diceret, neminem erepturum ipſos, quum animadvertere volet. Unde colligere licet, non aliunde interitum eſſe hominibus, quam ab ira Dei: quemadmodum è diverſo, à ſola ejus gratia pendet noſtra ſalus. In ſumma, hic teſtatum voluit Deus, Idumæos non impune laturos, quod Eccleſiam Dei perſequuti erant.

4. *Quia dies ultionis.*] Priore membro hujus verſiculi ſignificat Deum in officio ſuo non ceſſare, tametſi protinus judicia ſua non exequatur: quin potius differre in tempus opportunum, quod ipſe melius novit. neque vero noſtrum eſt ei præſcribere quando aut quomodo hoc vel illud agere debeat: ſed arcano ejus conſilio deferendum eſt, ut omnia pro arbitratu ſuo adminiſtret. Ne ergo dum cunctatur interea ipſum dormire aut jacere exiſtimemus. Poſteriore membro hæc omnia in gratiam piorum fieri demonſtrat, quum ait, *Annus redemptorum.* Diem & Annum hic pro eodem accipit: ſed per vocem Anni notatur exilii diuturnitas, ne deſperent Judæi aut tædio deficiant, ſi longius protrahatur redemptio. Dominus ergo punit impios & profligat, ut pios liberet, atque Eccleſiam ſuam redimat, cujus potiſſimum rationem habet. Denique per illorum ſtrages & excidia viam gratiæ ſuæ ſternit. Atque hæc ad conſolationem noſtram pertinent, ut quoties extant ſigna iræ Dei adverſus impios, fructum pœnarum quas ipſi ferent, ad nos perventurum ſciamus: quia hoc modo clare apparet exauditos fuiſſe noſtros gemitus, & Deum ubi vult afflictis ſuccurrere, armatum eſſe viribus ad profligandos omnes Eccleſiæ ſuæ hoſtes. Itaque quamvis nobis grave ſit crucis onus, patienter tamen ferendo diſcamus ſpe attollere animos ad annum, quem Deus vindictæ ſuæ præſcripſit.

5. *Aſpexi, nec erat.*] Tametſi deſtituti eſſent omni auxilio Judæi, nec quiſquam eos aut verbis, aut re juvaret: tamen ſolum Domini brachium ſufficere oſtendit ad puniendos hoſtes: ipſos vero in libertatem vindicandos. A ſolo igitur Deo expectandam eſſe ſalutem docet: ne huc atque illuc circumſpiciant, ſed in Deum penitus defixi ſint, qui aliena ope non eget. Itaque Deum introducit obſtupeſcentem, quod nemo ſit qui manum ei porrigat, quum judicia ſua exequi vult, quo magis hanc doctrinam animis piorum infigat, Deum ſcilicet humanæ opis non egere, ac per ſe ſufficere ad ſalutem populo ſuo comparandam. atque hac circumſtantia magis illuſtrat quam ſtatuerat populo ſuo opem ferre, partim ut diffidentiam corrigat, partim ut in poſterum ad gratitudinem hortetur: alienam enim perſonam induit Deus, quum dicit ſe quaſi attonitum ſtetiſſe: quia hic ſtupor proprie erat in Judæis, qui vix credebant quod humanitus fieri non poterat. Itaque omnibus adminiculis brachium ſuum opponit, cujus inexpugnabili potentia ſe fore contentum dicit, tam ut ſuorum ſervator appareat, quam ut diſſipet ac proſternat omnes impios.

6. *Et conculcabo.*] Concludit ex proxima ſententia iram Dei ſatis validam eſſe ad perdendos impios, ut aliunde ſubſidia non accerſat, idque eo conſilio ne Judæos à bene ſperando deterreant adverſæ vires. *Inebriare* hic alio ſenſu accipi debet, quam prius aliquot locis. Interdum inebriari nos vidimus, quum ſupr. 29. verſ. 9.
Deus furore aut dementia percellit aut ſpiritu vertiginis, vel denique in reprobam mentem nos conjicit, Sed hic nihil aliud ſignificat quam Replere, & ad ſatietatem uſque percutere: ut vulgo dicimus, *tout leur ſaoul:* qua etiam metaphora non raro utuntur Prophetæ. *Proſternam fortitudinem:* id eſt, tametſi inexpugnabiles ſe eſſe putent, tamen ipſos dejiciam ac delebo. Summa eſt, Judæos quum affliguntur, ſaluti ſuæ diffidere non debere, quaſi Deo exoſi eſſent: nec obſtupeſcere in pœnis quas ſuſtinent, quaſi fortuito contingant. alios enim populos à quibus nunc vexantur, pœnas daturos: futuram rerum viciſſitudinem, nec evaſuros tandem qui triumphum ſibi canunt ante tempus. Producit autem in exemplum Idumæos, quod viciniores eſſent reliquis, & notiores, atque etiam præ omnibus moleſti.

7. *Miſericordias.*] Conſolationem affert Jeſaias populo ſuo in rebus miſeris & calamitoſis: ac jubet exemplo ſuo Judæos, dum anguſtiis prementur, in memoriam revocare priſtina Dei beneficia, & ad preces confugere: ne ſimiles ſint hypocritis, qui

pro-

proſperis ſolum rebus bonitatem Dei ſentiunt: adverſis vero ſic dejiciuntur, ut nullius beneficii meminerint. Atqui ubi nos caſtigat Dominus, ejus beneficia commemorare & celebrare debemus, atque in poſterum melius ſperare: quia Dominus ſemper idem eſt, neque conſilium aut animum mutat. Proinde ſi locum ejus miſericordiæ damus, nunquam deſtituemur. Hæc ratio contextus eſſe mihi videtur: tametſi aliter alii accipiant: nempe, Prophetam antehac de exitio populi loquutum, ſeipſum conſolari, hac miſericordiæ fiducia, quod Deus aliquos ſervare velit. Sed in eo falluntur, quod putent Jeſaiam hactenus loquutum de Judæis: acſi Deus ipſos tantum puniret, quum teſtatus ſit eum de aliis quoque gentibus pœnas ſumpturum, ne ſolos ſe exoſos Deo eſſe exiſtimarent: atque ideo nunc ipſos hortatur ad celebrandam memoriam beneficiorum quæ Deus in Patres olim contulerat, ut eorum exemplis amorem Dei erga ſe melius apprehendant. Et ex contextu clarius patebit, Judæos patribus ſuis conjungi, ut commune fœdus eos ad bonam ſpem animet. *Tanquam.* Uſus eſt particula ſimilitudinis, ut oſtendat nobis in rebus adverſis ſtatim occurrere debere ea beneficia quibus populum ſuum affecit Dominus, acſi ob oculos poſita eſſent, tametſi longa vetuſtate ſepulta videantur: quia niſi ad nos pertineant, frigida & inutilis erit eorum recordatio: quod etiam confirmat particula Nobis. Nam quia ejuſdem erant corporis membra Judæi, merito abavis & aliis majoribus poſteros annumerat. Non ſenſerat quidem Jeſaias ipſe illa beneficia quorum mentionem facit: ſed quum in Eccleſiam collata eſſent, fructus eorum aliqua ex parte ad ipſum quoque pervenerat: quoniam Eccleſiæ membrum erat. Et certe tantum apud nos valere debet illa communicatio ſanctorum quam profitemur, ut nobis datum eſſe putemus, quod Eccleſia ex manu Dei recepit. Una enim eſt Dei Eccleſia, & quæ nunc eſt nihil ſeparatum habet ab ea quæ aliquando fuit. Et ſeipſum explicat Jeſaias, quum addit, *In* multitudine beneficentiæ erga domum Iſraël. Ergo quum ſe liberalem & beneficum erga ſuos præſtiterit Dominus, idem hodie ſperandum eſt, quum domeſtici ipſius & ejuſdem Eccleſiæ membra ſimus. *Epheſ. 2. verſ. 19.* Quamvis iratum nobis ipſum ſentiamus ob peccata noſtra, tamen erigendi ſpe animi, & fiducia armandi: quoniam Eccleſiam ſuam deſtituere non poteſt. Interea diligenter obſervandum eſt, quod Propheta magnifice prædicat atque extollit miſericordiam Dei, ut in ea noſtræ ſalutis & bonorum omnium fundamentum eſſe intelligamus. Excluduntur enim hic merita hominum, ne quid eis ullo modo tribuatur. Et quo melius hæc doctrina percipiatur, habenda eſt ratio temporis de quo loquitur Jeſaias. eo enim maxime florebant juſtitia & pietas: nam etſi valde corruptus erat populus, tamen Moſes, Aaron, aliique pii viri præclara innocentiæ & ſanctitatis exempla dabant. quicquid tamen Dominus in Moſen & alios bonorum contulit, hoc non meritis ipſorum, ſed miſericordiæ Dei tribuendum eſſe Propheta docet. Nos vero quales præ Moſe ſumus, ut aliquid à Deo mereamur? Hæc igitur repetitio beneficentiæ, miſericordiarum & miſerationum, ſicuti debiles animos in ſublime evehit, ut ſupra arduas tentationum moles emergant: ita omnem de hominum meritis cogitationem tollere atque abſorbere debet.

8. *Nam dixit.*] Commemorat electionem populi, & de ea loquentem introducit Deum, ut finis noſtræ vocationis in mentem nobis veniat, voluiſſe ipſum peculiarem populum habere, apud quem invocetur. Atque interea ingratitudinem populi accuſat, quod Deum expectatione ſua fruſtratus ſit: non quod falli poſſit Dominus, quum ſatis prævideret quales futuri erant, atque etiam per Moſen ſignificaſſet: *Deut. 32. verſ. 15.* ſed ita loquitur Scriptura, quum non ſtat per hominum ingratitudinem, quominus Deum fruſtrentur, ut prius capite quinto vidimus, Expectavi ut faceret mihi uvas, & fecit labruſcas. *ſupr. 5. verſ. 2. 4.* Nec vero de arcano Dei conſilio diſſerit, ſed humanitus loquitur de mutuo Dei & piorum conſenſu, ut Deo vocanti reſpondeant omnes, quibus ſe in patrem offerre dignatur: firmum enim ſtat fundamentum, Neminem ex electis perire, quia novit Deus qui vere ſint ſui. *2 Tim. 2. verſ. 19.* Interea ſcimus hunc finem noſtræ vocationis eſſe, ut ſanctam & innocentem vitam degamus: ut teſtatur univerſa Scriptura, & jam ſæpius aliis locis dictum eſt. *ſupr. 43. verſ. 21. & [illegible]: 5.* Merito igitur ait Dominus ſe populum elegiſſe, ut ſanctus ac verax eſſet: ut filios haberet à mendacio & vanitate alienos. Sed populus fefellit fidem, & longe abfuit ab ea ſimplicitate quam ſequi debuerat. Omnia enim fraude & hypocriſi plena fuerunt. At nihilominus ſpem veniæ facit, modo ad Deum confugiat, atque ex animo converſus ſe humiliet. Oſtendit autem Propheta quid præcipuum ſit in cultu Dei: nempe ut cor purum atque integrum geramus. Unde ſequitur ideo nos deſeri à Deo, quod perfidi atque fœdifragi ſimus. Quum igitur hic populus ſibi in malis ſuis placeret, eum prius infidelitatis ſuæ convinci oportuit: ut deinde ad Deum converſus, ſervatorem ipſum experiretur.

9. *In omni anguſtia.*] Amplificat bonitatem Dei erga populum ſuum: atque docet beneficum fuiſſe patribus, quamdiu paſſi ſunt ſe ab ipſo gubernari: atque ita ſollicitum de iis fuiſſe, ut ærumnas eorum & anguſtias ipſe tulerit. Sic enim loquendo incomparabilem amorem declarat, quo Deus erga ſuos affectus eſt. Et quo magis nos commoveat & ad ſe alliciat Dominus, quicquid paterni affectus, amoris & συμπαθείας eſſe poteſt, in ſe transfert, & humano more accommodat. Nec tamen in rebus humanis ullum charitatis aut benevolentiæ genus excogitari poteſt, quod non ipſe magno intervallo ſuperet. Fateor particulam לא per א proprie negativam eſſe. Ideoque diverſum ſenſum non prorſus repudio, populum in ſuis malis non fuiſſe anxium, quia ſemper aliquid ſolatii Deus adhibuerit ad leniendos dolores. Sed quum ex aliis locis pateat א ſæpe mutari in ו, recte, meo judicio, docti interpretes relative hic accipiunt, quo teſtetur Propheta, ut Deus angores populi ſui & moleſtias levaret, ipſum onera ſubiiſſe: non quod angi ullo modo poſſit, ſed humanas paſſiones figura ſatis uſitata in ſe ſuſcipit ac transfert. Hujus curæ effectum deinde explicat, quod per manum Angeli ſui ſemper eos eripuerit, quem vocat *Angelum faciei*, quia teſtis fuerit Dei præſentiæ, & quaſi ejus apparitor ad juſſa exequenda: ne putemus Angelos prodire à ſeipſis, aut proprio motu ſe ingerere, ut opem nobis ferant: quia Dominus utitur eorum opera, & præſentiam ſuam nobis per eos declarat. Angeli nihil ex ſe poſſunt, nec opem ferunt, niſi quatenus eos emittit Dominus, ut ſint miniſtri noſtræ ſalutis. *Hebr. 1. verſ. 14.* Ergo ne hæreamus in ipſis, quum recta nos ad Deum ducant. Si cui magis placeat exprimi vivam Dei effigiem, quia Angelus iſte dux populi & cuſtos quaſi in ſpeculo faciem Dei oſtenderit, apte conveniet. Nec vero mihi dubium eſt, ſervandi munus Chriſto tribui, ſicuti ſcimus primarium fuiſſe Angelum, ſub cujus manu, cuſtodia & patrocinio incolumis ſtetit Eccleſia. *In dilectione.* Oſtendit quæ tantorum beneficiorum fuerit cauſa: nempe amor ipſius, & gratuita beneficentia: ſicuti etiam docet Moſes, Qui factum eſt, inquit, ut Deus ſuſceperit patres tuos, niſi quod amavit eos, & cor ejus ipſis adglutinatum fuit? *Deut. 4. verſ. 37. Deut. 7. verſ. 8.* Vult enim Moſes omnem opinionem tollere quam de ſeipſis concipere poterant, quod eſſent arrogantes & faſtuoſi, & ſibi plus æquo tribuerent. nullam itaque aliam eſſe cauſam tantorum bonorum, quam meram & gratuitam Dei bonitatem oſtendit. Eandem poſtea metaphoram uſurpat, qua utitur Moſes in Cantico ſuo, Deum *Deut. 32. verſ. 1[illegible].*

non ſecus populum ſuum portaſſe quam aquilam pullos ſuos alis fulcire docet: niſi ad oves forte referre ſup. 40. verſ. 11. libeat, ſicut alibi vidimus, Foetas ipſe geſtabit. quanquam Matris ſimilitudo optime quadrat, quæ non modo fœtum geſtat in utero, ſed evehit in juſtum robur. Summa eſt, non ſemel modo populum quum redemptus eſt expertum fuiſſe Dei gratiam, ſed continuo vitæ curſu, ut omnia ei ſoli accepta ferri debeant. Ideoque additur, *Diebus ſeculi:* id eſt, continua ſerie multorum annorum. nec enim fatigatur Dominus benefaciendo: nec uni duntaxat ætati clementiam ſuam oſtendit: nunquam enim ceſſavit Eccleſiam ſuam ornare variis donis ac locupletare.

10. *Verum illi rebelles fuerunt*, &c.] Nunc deſcendit ad ſecundum membrum quo ſignificat ideo deſiiſſe Dominum benefacere populo ſuo, quod deſciverit ille, atque averſus ſit. Summa eſt, Deus longo tempore proſequutus eſt beneficentiam ſuam erga patres noſtros: cur eandem ipſi non experimur? an diſſimilis eſt ſibi? Minime: ſed nos ipſi perfidia noſtra bonitatem ejus abjicimus, imo repellimus. Quanquam Propheta non tantum ſeculi ſui homines accuſat, ſed damnat etiam ſuperiores ætates. Vide-
Exod. 17. verſ. 2. mus enim ut duce etiam Moſe murmurarint adverſus Deum ac rebellarint. Hinc effectum eſſe docet,
Num. 11. verſ. 1. ut Deus qui amiciſſimus ipſis erat, eorum contumacia hoſtis redditus ſit. Seipſos igitur accuſent,
& 20: 3. quod ſcelerum ſuorum pœnas luunt. Deus enim ad beneficentiam propenſus eſt natura: nec quicquam ei gratius eſt, quam ſi beneficia ſua proſequatur. Porro *ſanctum Dei Spiritum* malitia noſtra exacerbare dicimur humano more, quo magis deteſtabile ſit nobis peccatum, quod iram & odium Dei provocat. Jam quum idem ſit Spiritus per quem Deus operatur ſalutem noſtram, admonet Propheta peccata noſtra Deum alienare à nobis, abrupto conjun-
Epheſ. 4. verſ. 30. ctionis vinculo: quo pertinet illud Pauli, Ne contriſtetis Spiritum Dei, quo obſignati eſtis, &c. Eſt etiam hic notandum, non eſſe cur homines accuſemus, qui nobis infeſti ac moleſti ſunt, quum Dominus bellum gerat, atque eorum manu ſcelera noſtra ulciſcatur. Ea igitur accuſanda potius ac damnanda ſunt, quum malis omnibus quæ patimur, cauſam præbeant.

11. *Et recordatus eſt.*] Hic eſt finis caſtigationis, ut populus excitetur è veterno ſuo, atque in memoriam revocet ea quæ prius oblitus erat. Sic enim inebriamur rebus proſperis, ut Dei penitus obliviſcamur. Hanc igitur cogitationem quæ in nobis deleta erat, flagella reducunt, Ubi eſt Deus qui tot olim beneficia in patres contulit? nam ad præteritum tempus hæc refero: atque ideo verti *priſcorum:* nam *ſeculi* hoc loco non convenit, quum ea tempora commemoret quibus Moſes præerat populo Dei. Itaque verus hic Prophetæ ſenſus eſt, Judæos dum miſere premerentur, de temporibus priſcis cogitaſſe, quibus Dominus exerebat potentiam ſuam ad populum ſuum vindicandum. Quod nonnulli ad Deum referunt, acſi luctatus ſit cum populi malitia, quia maluerit beneficia ſua apud ingratos male locare, quam non implere quod cœperat, videtur eſſe aſperius & nimis remotum: potius ergo gemitus & querimonias miſeri populi recitat Propheta, ubi ex flagellis didicit quam miſerum ſit à Dei protectione excidere. *Paſtorem,* intelligit Moſen: nec video cur in plurali potius quam in ſingulari vertendum ſit. Modum quoque exprimit, quod ipſum donaverit ſingulari Spiritus gratia: nam Ponere Spiritum in medio ejus, tantundem valet atque exerere Spiritus ſui virtutem. Alii ad populum referre malunt: cui ſententiæ non repugno. Sed quum Dominus Moſen delegerat, ac conſtituerat totius populi ducem, dicitur in eo potiſſimum Spiritum ſuum poſuiſſe. Dederat autem ei Spiritum ſuum totius populi bono, ut ei eſſet inſignis gratiæ miniſter, ipſumque in libertatem vindicaret. Simul autem in medio totius populi apparuit Spiritus Dei potentia.

12. *Qui duxit.*] Proſequitur hic mirificam populi liberationem, qui Moſis auſpiciis ex Ægypto eductus eſt: ac pergit in referendis querimoniis, quæ Judæis afflictis in mentem venire poterant. Hic duo ſimul conjuncta videmus: nempe, Dexteram Moſis, & Brachium magnificentiæ Dei. Sic autem utitur hominum opera & miniſterio Dominus, ut nihil de ejus laude & gloria imminui vel obſcurari debeat. Sic enim hæc duce Moſe geſta ſunt, ut Deo omnia tribuantur. Ut quum hodie miniſtri Evan- Joan. 20.
gelii dicuntur remittere peccata, quod tamen ſolius verſ. 23.
Dei eſt, an id de auctoritate ejus & majeſtate imminuit? Minime vero: nam organa tantummodo ſunt, & operam ſuam accommodant Deo: cui laus integra tribuenda eſt. Et ſane quid præſtitiſſet unius hominis manus, niſi à Dei brachio emiſſa? Ideo finem diſerte addit, mirabiliter tunc egiſſe Deum, ut ſibi nomen æternum pararet: quo ſi eum ſpoliare fas non eſt, non licebit vel minimam laudis partem ad hominem tranſcribere.

13. & 14. *Qui fecit.*] Hæc ad amplificationem illius beneficii addita ſunt. Similitudines etiam ſubjungit ad inſignem illam virtutem Dei exprimendam. *Tanquam* equum in deſerto: *Ut* jumentum in planitie: hoc eſt, tam placide eduxit populum ſuum, acſi quis equum in planitiem educeret. Neque enim Deſerti nomine intelligitur ſolitudo Param, ubi quadraginta annis fuit populus: ſed pro communi linguæ Hebraicæ uſu ſignificat loca paſcua, in quibus pecora & armenta libere vagantur: quod ex ſequenti verſu melius liquet, ubi loco Deſerti Planitiem nominat: & idem ſenſus ex eo elicitur, quod dicit populum ſine offenſa ambulaſſe per abyſſos, ut ſolent equi in deſerto. In ſumma, docet mare Rubrum im- Exod. 14.
pedimento non fuiſſe, quo minus per medias abyſ- verſ. 22.
ſos iter faceret populus, acſi in agro plano incederet. *Nomen glorioſum:* nuper Perpetuum dixerat eodem ſenſu. Nunc objicit Deo populus, ſi ſemel glorioſum nomen acquirere voluit, hanc ei curam abjiciendam non eſſe. Alioqui futurum ut memoria beneficiorum quæ olim contulit in patres, penitus deleatur.

15. *Aſpice.*] Poſtquam totius populi nomine retulit beneficia ſuperiorum temporum, id nunc ad præſentem cauſam accommodat, ac petit à Domino ut rationem habeat populi ſui. *E cælo: vide ex habitaculo.* His verbis ſignificat non imminutam eſſe Dei potentiam: tametſi id non ſemper appareat. Subaudienda enim eſt antitheſis, quod tunc Deus quaſi lateret, nec ſe talem exhiberet ipſis qualem patribus: Tametſi ergo nuſquam te cernamus Domine, atque cælo incluſus quodammodo à nobis te ſubduxeris, ut videri queas curam noſtri penitus abjeciſſe, tamen aſpice è cælo, atque ex habitaculo tuo ad mala noſtra attende. Sic enim pios ab incredulis differre oportet, ut potentem Deum & beneficum agnoſcant, etiam quum nulla potentiæ aut beneficentiæ ſigna percipiunt, atque ita etiam quum longe remotus eſt nihilominus invocent: quia nunquam ceſſat Domi- 1 Petr. 5.
nus curam habere populi ſui, quum nec deſinat ul- verſ. 7.
lam mundi partem gubernare. *Ubi zelus?* Hac interrogatione videntur quodammodo fideles exprobrare Deo, quod nullo jam tangatur erga ipſos affectu, aut minuta ſit ejus potentia: ſed alius eſt Prophetæ ſenſus: nam ideo beneficia iſta prædicat, ſicuti jam monui, quod piorum ſpem in futurum confirmare velit: ut intelligant Deum ſibi perpetuo conſtare: nec unquam populi ſui curam abjecturum. atque ex iis quæ ſequuntur ſatis patebunt. *Multitudinem* viſcerum & miſericordiarum accipit pro ingenti Dei bonitate: nam Dominus explicat nobis quodammodo viſcera ſua, & effundit, quum nos proſequitur liberalitate & beneficentia, quæ profecto tanta eſt, ut

ut eam pro dignitate prædicare non poſſimus. Nec vero novum eſt, ut fideles dolore coacti familiariter cum Deo expoſtulent, quod viſcera ſua claudat. Retinent quidem principium illud, Deum quia naturam non mutat, miſericordem ſemper eſſe: quod vero talem non experiuntur, tametſi imputant ſuis peccatis, ne tamen deſperationi ſuccumbant, rogant qui fieri poſſit ut minus clementer cum ipſis agat Deus: imo quaſi ingenii ſui oblitus, meri tantum rigoris ſigna oſtendat?

16. *Certe tu pater.*] Permittit nobis Deus familiariter animos noſtros coram ipſo exponere: nam oratio nihil aliud quam explicatio cordis noſtri coram Deo eſt. ut hæc optima levatio eſt, curas noſtras, angores & ſollicitudines velut in ſinum deponere. Volve ſuper Dominum curas tuas, inquit David. *Pſal. 37. verſ. 5.* Poſtquam igitur Propheta beneficia Dei recenſuit, ex quibus bonitas ejus & potentia ſatis perſpecta eſt, ut ſola hominum peccata obſtare conſtet, quo minus eam ut olim ſentiant, ad hanc cogitationem redit, tantam nihilominus eſſe bonitatem Dei, ut hominum nequitiam ſuperet. Deum, Patrem vocat, Eccleſiæ nomine. Nec enim ſic vocari poteſt ab omnibus: ſed Eccleſiæ ſingulare privilegium eſt, ut paternum nomen Deo objiciat. Unde colligendum eſt, Chriſtum tanquam primogenitum, imo unicum Dei Filium ſemper Eccleſiæ præfuiſſe: nec enim aliter Deus pater quam per ipſum vocari poteſt. Atque hic rurſum videmus non litigare fideles cum Deo, ſed ab ejus natura ratiocinari, ut victis tentationibus ad bonam ſpem nitantur. *Etiamſi Abraham.* Quæritur hic, cur dicat populum à Patriarcha non agnoſci. Hieronymus hoc ideo fieri putat, quod degeneres eſſent, ac propterea indigni tanto honore: ſed nimis coacta mihi videtur illa interpretatio. Senſus autem verus eſt, Tametſi nos abnegent Patres noſtri, tamen nos Deus pro filiis habiturus eſt, ſeque patrem nobis præſtabit. Qui dicunt Abraham & reliquos fideles non habere amplius curam rerum humanarum, nimis ſubtiliter detorquent verba Prophetæ. Ego de re ipſa non loquor: ſed dico verbis iſtis non probari, Sanctos curam noſtri non habere. Simplex autem ac verus ſenſus eſt, Domine, quod pater noſter es, id adeo firmum ac ſtabile erit, ut etiam ſi jus patrium cognatioque omnis in terra ceſſet, tamen pater eſſe non deſinas. Potius enim naturæ jura ceſſabunt, quam te nobis patrem non præbeas, vel labefactetur ſacra adoptio, quæ in tuo conſilio immutabili fundata, & unigeniti Filii tui morte ſancita eſt. Interea colligere poſſumus, ſanctos homines ita ſe offerre Deo ac precari, ut nullas aliorum interceſſiones ſpectent. Sic enim orare jubentur, ut paternæ Dei clementiæ confiſi alias omnes fiducias valere jubeant. Quod ſi Judæos animum ad Abraham & Jacob, quibus tot tantæque promiſſiones datæ erant, convertere non docuit Propheta ut exaudirentur à Deo, certe nos ad Petrum, Paulum, & alios multo minus confugere debemus. Nec enim hæc unius vel alterius hominis privata eſt oratio, ſed publica & univerſalis totius Eccleſiæ: acſi Propheta communem formam præſcriberet. Atque ſic fundata eſſe debet fiducia noſtra in paterno favore & clementia Dei, ut oculos noſtros ad omnia hominum aut viventium aut mortuorum patrocinia claudamus. In ſumma, profitentur fideles ſe non circumſpicere huc aut illuc, ſed conquieſcere in ſolo Deo. Quæritur nunc, cur Abraham & Jacob potiſſimum nominet, præterito Iſaac? Hæc ratio eſt, quoniam fuit magis ſolennis cum iis duobus ſanctio fœderis. Iſaac quidem fœderis non minus particeps fuit: ſed non tam amplas tamque frequentes promiſſiones accepit. *Redemptor noſter.* Exprimitur hic redemptio, quaſi teſtimonium illius adoptionis. Hoc enim documento Deus ſe patrem populi oſtenderat. conſtanter igitur ac ſecure fideles invocant Deum Patrem, quoniam inſigne ſpecimen paterni erga ipſos affectus ediderat, quo ad fiduciam animabantur. Sed non ſatisfeciſſet ſimplex & nuda redemptio, niſi promiſſio ſimul addita fuiſſet. quemadmodum ergo ſemel redemit, ita ſe perpetuo patrem fore pollicitus eſt. Per nomen *Seculi*, oſtenditur ſtabilitas & firmitudo paterni ejus nominis. Nec enim filiorum nomen promeriti ſumus: ſed immutabilis eſt ejus voluntas, qua nos ſemel in filios adoptavit. Quum igitur Dominus habeat æternum nomen, ſequitur titulum & gratiam, quæ ſimul conjuncta eſt & ab illa æternitate fluit, ſtabilem ac perpetuam fore.

17. *Quare feciſti nos errare Jehova.*] Quoniam duræ & aſperæ videntur hæ loquutiones, nonnulli putant incredulos hic introduci obſtrepentes Deo, atque blaſphemiis laceſſentes, ut eſt furioſa eorum pervicacia, quum deſperant. Sed nullo modo patitur id contextus horum verborum: nam Propheta oſtendit fructum qui ex calamitatibus & ærumnis Judæorum ſequuturus erat, quia ſubacti & domiti ferocire, atque ſibi in vitiis ſuis placere deſinent. Eos igitur piget ſuperiorum temporum, quod ita abalienati fuerint à recta via, & culpam ipſi ſuam agnoſcunt. Et certe dum mala ſua aſſignant iræ Dei, culpa ſe liberare aut reatum delere nolunt. Sed trita loquendi forma uſus eſt Propheta: ſatis enim uſitatum eſt Scripturis, ut dicatur Deus in errorem impellere, conjicere in reprobum ſenſum, & obdurare. *2 Theſſ. 2. verſ. 11. Rom. 1. verſ. 28. & 9: 18.* Quum autem fideles ita loquuntur, nolunt Deum erroris aut ſceleris facere auctorem, quaſi ſint innoxii, aut culpam ſuam elevare: ſed altius ſpectant, ac potius agnoſcunt ſe culpa ſua alienari à Deo, atque deſtitui Spiritu ipſius: atque hinc fieri ut præcipitentur in omne genus malorum. Qui dicunt Deum nos inducere in errorem privative, hoc eſt, quia nos privat Spiritu ſuo, ad ſcopum uſque non pertingunt. Deus enim ipſe indurare dicitur & excæcare, quum Satanæ excæcandos tradit, qui iræ ipſius miniſter atque exequutor eſt. Alioqui libidini Satanæ expoſiti eſſemus: ſed quum nihil per ſe efficere poſſit injuſſu Dei, cujus imperio ſubjacet, Deum excæcationis & indurationis auctorem recte dicemus: quemadmodum etiam Scriptura paſſim teſtatur. *Rom. 9. verſ. 18.* Nec tamen propterea auctor culpæ dici aut nominari poteſt, quia ingratitudinem hominum ejuſmodi excæcatione ulciſcitur. Ita fatentur hic fideles ſe relictos à Deo, ſed culpa ſua: atque juſtam Dei vindictam in ſe agnoſcunt. Sic Moſes ubi dicit hactenus Deum populo non dediſſe oculos ad videndum, & cor ad intelligendum, *Deut. 29. verſ. 4.* non onerat eum crimine, ſed Judæos admonet unde ſocordiæ, cujus convicti erant, petendum ſit remedium. Atqui videntur hic aliud obtendere, dum cauſam inquirunt, atque expoſtulare cum Deo, quod aliter agere, & mitius ipſos tractare debuerit. ſed reſpondeo, fideles ſemper intueri bonitatem Dei, etiam quum fatentur ſe merito pati ob ſuas ærumnas. Quidam referunt hæc verba ad exilium: quaſi querantur pii, quod Dominus eos tamdiu in exilio languere ſinat: acſi diceret, Majorem obſtinationis cauſam eſſe, quod Dominus nullum gratiæ ſuæ guſtum iis præbeat. Periculoſa enim tentatione turbantur pii, quum vident impune graſſantes impios, ac propemodum deſperant: ſicuti præclare à Davide ſcriptum eſt, Pſalmo centeſimo & vigeſimo quinto. *Pſal. 125. verſ. 3.* Sed videtur mihi generalior Prophetæ ſententia: nam agnoſcunt fideles ſe erraſſe, quod Spiritu Dei gubernati non fuerint: nec expoſtulant cum Deo, ſed exoptant Spiritum illum, à quo dum olim regebantur Patres, proſpera omnia obtinebant. תקשיח nonnulli vertunt, Induraſti: ſed quia non conveniret hoc verbum cum eo quod ſequitur, In timore tuo: malui vertere, Recedere feciſti. Nam & קשח ſignificat Removere & elongare. Quod ſequitur, *Convertere propter ſervos tuos*, aliqui putant ad univerſalem populum ſpectare, ſicuti plerumque ſervos Dei nominat Scriptura

omnes

omnes Eccleſiæ domeſticos. Sed proprie ad Abraham, Iſaac & Jacob referri puto, idque multo probabilius eſt: non quod niteretur populus interceſſione illorum, ſed quia Dominus cum ipſis fœdus pepigerat, quod de manibus in manus ad poſteros transmitterent: non ergo ipſos tanquam homines ſibi proponunt, ſed tanquam miniſtros ac depoſitarios, vel internuncios fœderis, quod fundamentum fiduciæ
Pſal. 132. verſ. 1. ipſorum erat: quemadmodum in cantico illo, Memento Domine David, Patriarchæ mortui nomen proponitur Deo, non quod patrocinio futurum ipſum ſancti exiſtiment, ſed quod promiſſio uni data de regno ſtabiliendo in ejus familia in omne ævum, ad populi corpus pertineat. Has voces avide arripiunt Papiſtæ, quaſi interceſſionibus ſanctorum ſuffragentur. ſed quam facilis ſit reſponſio, ſatis ex vera interpretatione apparet. Fit enim mentio Patrum, non quod promeriti ſint ex ſe aliquid, aut nunc intercedant, ſed quod gratuitum fœdus cum iis initum ſit, quod non tantum ad ipſos, ſed ad poſteros omnes pertinet. *Ad tribus.* Particulam *ad*, quæ ſubaudienda eſt, adjunxi, ut facilius conſtaret ſenſus. Eſt autem Hebræis uſitata forma loquendi, Convertere tribus, pro Ad tribus: acſi diceret, Redi cum populo tuo in gratiam. Hinc apparet ea quæ prius dicta ſunt non alio ſpectare, quam ut populus propoſitis Deo miſeriis & calamitatibus ſuis, ipſum ad miſericordiam provocet. Atque ita nos ad Deum accedere neceſſe eſt: nempe repetendo priſtina beneficia, & proferendo noſtras ærumnas, ſi ab iis cupimus liberari. *Hæreditatis* vocat, quod Deus eum populum ſibi velut in peculium delegit: acſi diceret, Ubi erit populus tuus, ſi pereamus? non quod alligatus eſſet ei populo Dominus, ſed quod fidem ei ſuam dediſſet. Deum igitur ob ſua promiſſa interpellare ac precibus urgere audet populus, quod ſe ſua ſponte & patribus & poſteris obligaverit. Nunc quum promiſſiones
2 Cor. 1. verſ. 20. omnes ſancitæ & confirmatæ ſint in Chriſto, ac veritatem rerum omnium obtineamus, nos majore fiducia erectos eſſe oportet: nec enim ſolummodo percuſſum eſt fœdus in ejus manu, ſed ejus ſanguine ratum & ſtabilitum eſt. Fuit quidem & ipſe mediator Patribus antiquis, ſed nos clariora & apertiora habemus omnia, quum illi obſcurioribus umbris adhuc hærerent.

18. *Ad exiguum.*] Mirum eſt Prophetam exiguum tempus vocare, quum mille & quadringenti anni fluxiſſent, ex quo populus terram illam poſſidere cœperat. Sed conſideranda eſt promiſſio, qua per-
Gen. 17. verſ. 8. & 48: 4. petuam fore ſemini Abrahæ hæreditatem dixerat. Breve igitur erat illud tempus, ſi cum perpetuitate conferatur. Quare fideles objiciunt Deo brevitatem illam temporis, non quod malæ fidei ipſum inſimulent, ſed ut pacti & fœderis recordetur, atque rationem potius habeat ſuæ bonitatis, quam pœnarum
Pſal. 120. quas ipſi promeriti erant. Sic Pſalmo 120. queritur vetus Eccleſia virtutem ſuam in itinere afflictam, abbreviatos eſſe dies ſuos: rogatque ne perimatur in medio vitæ curſu: quia ſcilicet ætatis plenitudo à Chriſti adventu pendebat. *Adverſarii.* Multo gravior fuit hæc querimonia, quod terra, quam ſibi conſecraverat Dominus, profanaretur ab impiis. Hoc certe multo acerbius fuit populo quam cæteræ calamitates: ac merito. nec enim tam noſtri rationem habere debemus, quam cultus Dei & religionis. Atque hic etiam eſt finis redemptionis, ut ſit populus qui Domini nomen celebret, ac rite colat.

19. *Fuimus à ſeculo.*] Duplex eſſe poteſt ſenſus Prophetæ. Sic enim hunc locum nonnulli accipiunt, acſi populus objiceret Deo, ſe electum fuiſſe eo tempore quo cæteræ nationes rejectæ erant: atque jam à ſeculo, hoc eſt, à multo tempore, fœdus hoc ſancitum eſſe. Alter ſenſus, quem potius ſequor, talis eſt: objicere populum Deo, ac conqueri, quod nihil ab incredulis differre videatur: quia ſcilicet nullam opem aut allevationem ab eo percipit in adverſis: quod abſurdum atque indignum eſt. Atque inſignis & notanda eſt ſententia. Licet enim nobis, quoties ultra modum premimur adverſis rebus, conqueri cum Deo, eique proponere vocationem noſtram, ut opem ferat, ac demonſtret quantum ſit inter nos & exteros diſcriminis. *Super quos.* Eodem hæc pertinent: ſignificat enim vocationem Dei irritam eſſe non debere. Et certe Dominus haud fruſtra vult à nobis invocari. Inanes enim atque inutiles eſſent preces, niſi Dominus curam noſtri haberet. Hac autem nota inſignitur Eccleſia Dei, quod nomen ejus ſuper ipſam invocetur. Nam impii ipſum invocare non poſſunt: nec enim patet ad ipſum aditus, niſi per Verbum, cujus hi notionem non habent. Ubi igitur eſt fides, illic etiam invocatio eſt: quod ſi abſit, nullam illic ſpem aut fiduciam eſſe certum eſt. *O ſi diſrumpas cælos!* Particula לוא, mihi hoc loco videtur eſſe optantis: quamvis enim plures ſignificationes habeat, hanc tamen convenientiorem eſſe huic loco contextus ipſe docet. Erumpunt enim hic fideles in votum ardentius, ſicuti accidere ſolet, quum anguſtiis duriter urgentibus non reperimus in ſimplici ſermone quod affectui noſtro reſpondeat. *Cælos diſrumpere* dicitur Deus, quum rarum & memorabile aliquod ſignum præbet ſuæ virtutis, idque ex inſperato. Atque hujus loquutionis ratio eſt, non modo quod homines dum gravius premuntur, ſoleant in cælum ſuſpicere, unde auxilium expectant: ſed quia perrupto naturæ ordine miracula viam inſolitam ſibi faciunt. Videtur autem Deus cælo incluſus, quum nullum auxilium affert, ac negligere quæ in terra aguntur. Propterea dicitur Aperire cælos ac diſrumpere, quum exhibet nobis teſtimonium aliquod præſentiæ ſuæ, quod eum magno alioqui intervallo abeſſe exiſtimemus. Hæc autem dicuntur pro ſenſu carnis noſtræ, ſicut & Deſcendere. Gen. 11. verſ. 5.
nec enim moveri loco Deum neceſſe eſt: ſed ita ſe nobis accommodat, ut melius iſta comprehendamus. & 18:21.
Montes diffluant. hoc eſt, ita ut majeſtas tua palam appareat, atque ejus ſenſu perculſa elementa cedant ac obtemperent: quemadmodum plenius ſtatim ſequetur. Pſal. 18. verſ. 10.

Cap. LXIV.

TAnquam incendio ignis liquefactionum, ignis aquas ebullire fecit, ad manifeſtandum nomen tuum hoſtibus tuis: à facie tua gentes tremebant.
2. Quum faceres terribilia, quæ non expectavimus, deſcendiſti: à facie tua montes defluxerunt.
3. A ſeculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit Deum præ-
[a] vel, Deus qui facit. ter te, [a] qui faciat expectanti ſe.
4. Occurriſti lætanti & facienti juſtitiam. In viis tuis recordabantur tui: ecce tu iratus
[b] vel, ſalvati ſumus. es, & nos peccavimus: in ipſis ſeculum, & [b] ſalvabimur.
5. Et fuimus quaſi immundus nos omnes, & tanquam veſtimentum inquinatum omnes juſtitiæ noſtræ. Et decidimus inſtar folii omnes nos, & iniquitates noſtræ, quaſi ventus, abſtulerunt nos.

6. Non

6. Non eſt qui invocet nomen tuum, nec qui ſe excitet ut te apprehendat: quia abſcondiſti faciem tuam à nobis, & tabeſcere nos feciſti in manu iniquitatis noſtræ.
7. Et nunc Jehova, tu es pater noſter, nos lutum, & tu figulus noſter: opus, inquam, manuum tuarum ſumus omnes.
8. Ne iraſcaris Jehova ultra modum, ne in ſeculum memineris iniquitatis. Ecce reſpice quæſo: nos omnes populus tuus ſumus.
9. Urbes ſanctitatis tuæ fuerunt deſertum: Sion deſertum fuit, Jeruſalem ſolitudo.
10. Domus ſanctuarii noſtri, & gloriæ noſtræ, in qua te celebrarunt patres noſtri, fuit in combuſtionem ignis: & omnia noſtra deſiderabilia in vaſtationem.
11. An ſuper his te continebis Jehova? tacebis, & affliges nos ultra modum?

T*Anquam incendio.*] Hæc omnia in futuro, aut etiam in ſubjunctivo legi poſſunt. acſi diceret, Domine, ſi deſcenderes, Gentes tremerent ad conſpectum tui: hoſtes tui protinus liqueſcerent. Sed quod verti mihi videtur ſimplicius. Eſt enim certiſſimum, Prophetam hic alludere ad montem Sinai, ubi palam ſe populo Dominus patefecit. Unde etiam apparet quam præpoſtera ſit capitis ſectio, quando hæc narrantur in ejus voti confirmationem, quod potius initio locari debuerat. Vidimus autem alibi, ubi Deum populo ſuo auxiliatum fuiſſe Prophetæ commemorant, ſpecimen in hiſtoria redemptionis proferre. Quoties vero Prophetæ mentionem hujus hiſtoriæ faciunt, omnia beneficia complectuntur quæ Deus unquam in populum ſuum contulit: non ſolum quum liberavit eum à tyrannide Pharaonis, quum in monte Sinai apparuit, ſed etiam per quadraginta annos omnia neceſſaria ei ſubminiſtravit in deſerto, quum profligatis hoſtibus induxit eum in poſſeſſionem terræ Chanaan. denique, omnia teſtimonia comprehendunt quibus ſe propitium populo ſuo, formidabilem vero hoſtibus olim præbuerat. *Igne* liquefactionum aquas efferbuiſſe dicit, quia præter morem imbribus violentis ignes & fulgura permixta erant. quaſi diceret igne Dei liquefactam fuiſſe ſummam quamque duritiem, aquas vero fervore conſumptas. Eodem ſpectat quod addit montes fluxiſſe à conſpectu ejus: quia per ardua quæque obſtacula tranſitum patefecit populo ſuo. Dicit etiam vidiſſe Iſraëlitas quod minime ſperabant: quia etſi eos præmonuerat Deus, jamque multiplicem virtutis ſuæ guſtum dederat, humani tamen ingenii captum & omnes ſenſus longe ſuperat formidabile illud ſpectaculum de quo agitur.

Exod. 19. verſ. 11.

3. *A ſeculo.*] Confirmat hic verſus quod jam antea dictum eſt: fideles nihil novum hic aut inſolitum petere: ſed tantum ut Deus ſe talem erga ipſos præbeat, qualem ſe erga patres olim præbuit: atque beneficentiam ſuam proſequatur. Quumque ipſi uſitatum ſit ſuccurrere ſuis, atque certa dare ſigna præſentiæ ſuæ, ne ceſſet in poſterum, ut virtus & potentia ipſius magis ac magis eluceſcat. Sic enim fideles precantes Deum introducit, ut ſe confirment memoria præteriti temporis, eoque majore animo ad opem Dei confugiant. *Oculus non vidit.* Non dubium eſt quin Prophetæ ingentem Dei bonitatem celebrare propoſitum ſit, quum tot beneficia commemorat, quibus olim populum ſuum affecit. atque hoc ſplendidiſſimum eſt elogii genus, quod raptus in admirationem ipſorum, exclamat, nullum præter ipſum Deum eſſe: inaudita atque inuſitata eſſe ea quæ Dominus in populi ſui gratiam deſignavit. Sed bifariam hæc legi poſſunt. nam אלהים, vel in accuſativo, vel in vocativo legitur: Domine, nemo vidit præter te quæ facis expectantibus te. Sed altera lectio magis recepta eſt, Nemo unquam vidit aut etiam audivit talem Deum. Atqui in hac lectione particulam ſimilitudinis ſubaudire oportet, quoniam aliter ſententia non conſtaret. Nam verbum יעשה abſolute poſitum eſt, Nulla auris audivit, nec oculus vidit talem Deum, qui ſic faciat. Atque ita diſcernitur Deus ab idolis, à quibus ſuperſtitioſi homines putant ſe bona omnia obtinere. Illa enim mera ſunt hominum figmenta, nec prodeſſe poſſunt, nec obeſſe, quum Deus beneficiis omnis generis cultores ſuos proſequatur. Paulus videtur aliter exponere hunc locum, atq; in aliam ſententiam torquere. citat etiam ipſum aliis verbis: nempe quia ſequutus eſt verſionem Græcam. Qua in re Apoſtoli moroſi non fuerunt, quum ſententias potius quam verba ſpectarent. ſatis enim erat ipſis monuiſſe auditorem loci Scripturæ unde peti poterat quod docebant. Quod autem Paulus videtur de ſuo addidiſſe, Nec in cor hominis aſcendit quod præparavit Deus diligentibus ipſum: explicationis cauſa factum eſt. Nihil enim adjecit quod non conſentaneum ſit cum Prophetæ doctrina. Atque ut melius intelligamus quam bene conveniat cum Propheta, conſilium ejus nobis tenendum eſt. Diſſerit eo loco de Euangelii doctrina, quam oſtendit humani ingenii comprehenſionem ſuperare. nam alienam admodum & remotam à ſenſu carnis noſtræ ſcientiam continet: denique arcana ſapientia eſt. quo fit ut merito Paulus in admirationem ejus rapiatur. Atque ut Propheta beneficia Dei admirabilia ſecum expendens quaſi attonitus exclamat, nihil uſquam tale fuiſſe auditum: ita in præſtantiſſimo omnium beneficio, ubi ſcilicet per Euangelium nobis offertur Chriſtus, eundem in modum exclamare licet, Domine, quod præſtas populo tuo omni captu humani ingenii majus eſt: nullus oculus, nulla auris, nullus ſenſus, nullus animus ad tantam altitudinem pervenire poteſt. Itaque Paulus optime ad ſuam diſputationem accommodat hunc locum, nec abutitur Prophetæ ſententia, dum peculiarem qua Deus Eccleſiam ſuam dignatur gratiam ſupra mundum locat. Unica tantum ſupereſt difficultas, quod Paulus ad ſpiritualia transferat, quæ hic de temporalibus beneficiis à Propheta dicuntur. Verum, dicere poſſumus hic ſimpliciter Jeſaiam intueri cauſam beneficiorum Dei, tametſi præſentis vitæ ſtatum ſpectet. Omnia enim quæ victus & cultus cauſa accipimus à Deo, documenta ſunt paterni erga nos favoris. Atque hoc fidei proprium eſt, à viſibilibus gratiis ad inviſibiles aſſurgere. Quamvis ergo Propheta de externa liberatione & aliis hujus vitæ beneficiis verba facere videatur, tamen altius conſcendit, atque illa potiſſimum ſpectat quæ ad populum Dei peculiariter attinebant. Qualis enim eſſet hic ſtupor, ſi dum fruimur beneficiis Dei, fontem ipſum, hoc eſt, paternum amorem non reſpiceremus? Fruuntur promiſcue boni & mali communibus gratiis: ſed favor ille quo nos complectitur, peculiariter ad domeſticos pertinet. Ita fit ut non obſervemus ea ſolummodo quæ ſub hominum ſenſus cadunt, ſed cauſam ipſam contemplemur. Quamvis igitur neque oculi, neque aures eo pertingant, ut comprehendant gratiam adoptionis, qua ſe Dominus patrem noſtrum teſtatur, tamen id Spiritus ſui teſtimonio revelat. Eſt etiam probabile, quum de ſpeciali Dei beneficio loquutus eſſet Propheta, hac occaſione ad univerſam conſiderationem fuiſſe evectum. nam in reputandis Dei operibus hoc ſolenne piis ac tritum eſt, ut à ſpecie una ad totum genus transeant. Ita unum hoc tam inſigne divinæ bonitatis exemplum, Prophetæ men-

1. Cor. 2. verſ. 9.

tem

tem altius rapere potuit, ut immenſam illam bonorum affluentiam, quæ fidelibus in cælo eſt recondita, ſecum volveret. Imo clare perſpicimus, ſub hoc elogio comprehendi fœdus gratuitum quo ſibi filios
Gen. 17. verſ. 7. Abrahæ in ſpem æternæ vitæ Deus adoptavit. Summa huc redit, Quum tanta ſit Dei bonitas & potentia, non eſt quod ei diffidamus: ſed ita repoſita in eo eſſe debet fiducia noſtra, ut ſperemus eum certo adfuturum eſſe. Atque huc ſpectant beneficia illa præclara quæ hic à Propheta commemorantur.

4. *Occurriſti.*] Pergit in eodem argumento. Deplorat enim populus fortunam ſuam, quod in adverſis nihil ſentiat allevationis, quum tamen patribus olim Deus manum porrigere ſolitus eſſet. Loquuntur ergo fideles in hunc modum, Solebas occurrere patribus noſtris: nunc facies tua à nobis averſa eſt: & quia te invocando nihil proficimus, videris inexorabilis: unde iſta varietas, quaſi mutata natura, alius nunc eſſes quam fuiſti? Subjungunt deinde, & fatentur ſe merito pœnas dare, quia peccarunt. Prius admonui nihil omnino melius eſſe in adverſis, quam ſi beneficiorum Dei recordemur: nec eorum tantum quæ ipſi experti ſumus, ſed etiam quæ à Scriptura referuntur. nec enim firmiore clypeo muniri poſſumus adverſus omnis generis tentationes. Perperam hunc verſum, meo judicio, exponunt, qui hæc conjunctim legenda putant, *Lætanti* & *facienti juſtitiam*: quaſi dixiſſet, Occurriſti iis qui voluntarie tibi ſerviunt, & quibus ſumma voluptas eſt recte agere. Exiſtimo enim Lætantes hic vocari eos qui rebus proſperis gaudebant: quia tunc populus in luctu ac mœrore erat. Subeſt enim tacita antitheſis, Olim ſolebas occurrere patribus, antequam ullo incommodo premerentur, eoſque adventu tuo exhilarare: nunc longe abes, noſque mœrore & luctu contabeſcere ſinis. Eodem pertinet quod addit recordatos fuiſſe Dei, quia præſenti ejus gratia fruebantur, eumque ſentiebant auctorem ac præſidem ſuæ ſalutis. atque ita per Vias Dei, res proſperas intelligit: ſive quod hoc modo propinquus illis erat quum molliter ac delicate velut filios tractaret: ſive quia Deus ad beneficentiam propenſus eſt natura. Sed quoniam dixit Deum occurrere ſolitum facienti juſtitiam, recordatio ad ſtudium pietatis referri poteſt, quod ſcilicet ſedulo ad Deum colendum ſe addixerint. Atque ita explicatio erit ſuperioris membri. Solent enim Prophetæ pluribus confirmare quod ſemel dixerunt. *Recordari Dei* eſt ſuavi ejus memoria ſic allici, ut nos nihil magis optemus, atque in eo felicitatem noſtram conſtituere. Nihil enim eſt quod nos magis delectet, quam divinæ clementiæ recordatio. Contra vero, ſi iratum ſentiamus Deum, ejus commemoratione abſterremur. *Et nos peccavimus.* Cauſæ redditio eſt: quod enim tam diſſimilem experiuntur Deum, non obmurmurant adverſus ipſum, ſed omnem in ſe culpam transferunt. Hinc diſcamus, nunquam de flagellis quæ Dominus infligit cogitandum eſſe, quin ſimul peccata noſtra nobis in mentem veniant: ut nos juſtas pœnas dare fateamur, & reatum noſtrum agnoſcamus. *Seculum* nihil aliud eſt hoc loco, quam Diuturnitas: ſed referri poteſt vel ad Peccata, vel ad Vias Domini. Ad peccata hoc modo, Tametſi obſtinati fuimus in peccatis noſtris, ac digni quos centies perderes, tamen miſericordia tua hactenus ſervati ſumus. Si de viis Domini intelligamus, erit cauſæ redditio, cur non perierit populus: quia perpetuæ & ſtabiles ſunt viæ Domini, nec unquam ceſſat miſericordia ipſius. atque hic ſenſus magis quadrare videtur huic loco. Supplent nonnulli, fundatum eſſe in viis Domini ſeculum. Sed malo ſimpliciter accipere verba ut ſonant: quemad-
Pſal. 30. verſ. 6. modum Pſal. 30. ubi ſignificat David Dominum non niſi ad momentum iraſci, placabilem eſſe, ac perpetuo miſereri. nec enim vel cito, vel immodico fervore abripitur iracundia, more hominum: ſed conſtans in benevolentia & favore eſt. Nondum tamen integram Prophetæ ſententiam tenemus. Servatum enim populum dicit, qui tamen in exilium, velut in ſepulchrum, abductus ſuam calamitatem deflebat. Itaque præteritum accipio loco futuri. Votum enim aut precatio potius quam affirmatio eſt. Nec gloriantur ſancti ſe adeptos ſalutem, ſed deplorantes miſeriam ſuam, ad perpetuas Dei miſericordias confugiunt. Prædicant ergo quod optant, non quod jam conſequuti ſunt.

5. *Et fuimus.*] Pergunt fideles in ſua querimonia: deplorant enim ſtatum ſuum, quod Deus nullam ipſorum rationem habere videatur. Non conſentiunt Hebræi in expoſitione vocis בגד עדים. Certum eſt tamen rem vilem & nullius pretii ſignificari, imo quæ ſua immunditie fœtet hominibus. Cæterum hic duo notari debent. primum, fideles reatum ſuum fateri, ac merito ſe pœnas dare: deinde, nihilominus conqueri de gravitate pœnarum quas ſuſtinent: non ut expoſtulent cum Deo, ſed ut ipſum ad clementiam provocent: quemadmodum ubi reus judicem flectere conatur, miſerias ei ſuas & calamitates exponit. Hic ſe nonnulli torquent, quod Propheta de ſcelerum inquinamentis loquens ſine exceptione Judæos omnes exprimat, in quibus tamen nonnulli reſtabant puri Dei cultores, ſed fruſtra: quia non loquitur de ſingulis, ſed de univerſo corpore: quod quum infra omnes homines abjectum, atque extrema clade affectum eſſet, panno ſordido comparat. Hic locus citari à quibuſdam ſolet, ut probent adeo nihil eſſe meriti in operibus noſtris, ut coram Deo putida ac fœtida ſint. Sed hoc mihi videtur alienum à Prophetæ ſententia, quum de toto genere humano non loquatur: atque eorum querimoniam deſcribat, qui in exilium miſſi, iram Domini in ſe ſentiebant: ideoque ſe cum juſtitiis ſuis panno inquinato ſimiles eſſe fatebantur. Ac primum hortatur ipſos ad confeſſionem peccati ſui, ut reatum ſuum agnoſcant: deinde, ut nihilominus veniam à Deo poſtulent, cujus impetrandæ ratio eſt, quod dum miſerabiles & calamitoſos nos eſſe querimur, ſimul nos juſtas ſcelerum noſtrorum pœnas dare agnoſcimus. *Et decidimus.* Pulcherrima comparatio eſt, qua oſtenditur homines marceſcere omnino ac concidere, quum iratum ſibi Deum ſentiunt, quemadmodum præclare de-
ſcriptum eſt Pſalm. 90. & 103. idque etiam cap. 40. Pſal. 90.
notavimus. Merito ergo foliis comparamur, quos verſ. 5.
iniquitates, tanquam ventus, abripiunt. & 103.

6. *Non eſt qui invocet.*] Confirmat id quod antea verſ. 15.
dictum eſt. hortatur enim fideles, tametſi gravis illa ſupr. 40.
Dei ultio videretur, tamen ut ſe ejuſmodi pœna di- verſ. 6.
gnos eſſe ſtatuant. Commemorat autem gravia peccata: & quoniam longum fuiſſet omnia ſigillatim referre, fontem ipſum deſignat, ac neglectum Dei cultum eſſe dicit. nam invocationis nomine comprehendit univerſum cultum Dei, ut ſatis uſitatum eſt Scripturis: quoniam hoc præcipuum eſt in colendo Deo, ut ipſum invocemus, ac fiduciæ in ipſum noſtræ teſtimonium demus. Certum quidem eſt preces & vota ſemper fuiſſe in uſu: ſed quia cor remotum erat, fictas omnes ceremonias pro nihilo ducit. idque clarius explicat proxima particula, ubi dicit neminem ſerio animum adjicere & operam dare quærendo Deo: ſed omnes diffluere, ſuaque ſegnitie diſſipari. Ac primo quidem oſtendit nihil magis eſſe optabile quam ut penitus Deo ſimus conjuncti. Nam quum ſumus ab ipſo alieni, omnia nobis infeliciter cedere neceſſe eſt. Sumus autem tardi & ſegnes natura: quamobrem ſtimulis opus habemus ad nos excitandos. Quum pigritiæ noſtræ indulgeamus natura, audiendum eſt conſilium Prophetæ, ne omnino torpeamus: quia fiet tandem ut nos viciſſim repudiet, vel præ faſtidio abjiciat. Deſcribit enim Propheta deploratum populi ſtatum, in quo nullum quærendi Dei ſtudium, nulla cordis ad pietatem excitandi

citandi ratio erat. *Tabeſcere.* Iterum queruntur ſe obrui mali gravitate, nec quicquam allevationis obtinere à Deo. nam totius populi nomine hæc prædicat Jeſaias: ac precatur Deum, ne in tantis miſeriis ipſum diutius tabeſcere ſinat.

7. *Et nunc Domine.*] Poſtquam de miſeriis ſuis conqueſti ſunt quibus prope obruti erant, jam apertius veniam à Domino, & malorum allevationem petunt, & majore fiducia objiciunt Deo ſe tamen eſſe ejus filios. Sola enim adoptio ad bene ſperandum erigere animos potuit, ne in patrem ſuum recumbere deſinerent, quamvis afflictionum mole oppreſſi. atque hic ordo diligenter notandus eſt. Nam ut vere animis humiliemur, dejici nos ac proſterni, fereque conteri expedit. Sed ubi ſe ingerit deſperatio, hanc conſolationis aram arripere neceſſe eſt, Quum Deus nos ſibi in filios eligere dignatus ſit, ſalutem ab eo in rebus quoque extremis ſperandam eſſe. Reſpectu ergo gratuiti fœderis Iſraëlitæ ſe Dei filios eſſe prædicant, ut paternum ejus favorem experiantur, ne evanida ſit ejus promiſſio. Comparatione amplificant Dei gratiam, ubi fatentur ex deſpecto luto ſe formatos eſſe. nec enim quærunt in ſe præſtantiæ cauſam, ſed in ſua origine celebrant miſericordiam Dei, qui ex ignobili & fœtido luto filios ſibi creare voluerit. Eodem pertinet ſecundum membrum, ubi vocatur Deus formator, populus autem opus manuum ejus, quia uni Deo adſcribunt quidquid ſunt & quidquid habent: quæ vera demum gratitudo eſt. neque enim quantiſper vel minimum ſibi arrogant homines jus ſuum obtinet Deus. Loquitur autem Jeſaias non ut de communi hominum natura, ſed de regeneratione, ob quam fideles peculiariter opus Dei vocantur: ſicuti jam ſæpius aliis locis dictum eſt. Agnoſcunt autem hic ſingulare Dei beneficium, quod electi eſſent in populum, totque & tantis beneficiis ornati.

ſupr. 17. verſ. 7. & 19:25. & 22:11. & 27:11. & 37:26. & 43. v. 1, 15.

8. *Ne iraſcaris.*] Deprecatur populus acerbitatem pœnarum, & rigorem iræ Dei. non quod Deus excedat modum: ſed quia obruerentur omnino, ſi ſummo jure cum ipſis agere velit. Petunt ergo mitigationem pœnarum: quemadmodum Jere. 10 cap. Caſtiga me Domine, ſed in judicio: hoc eſt, moderate. Judicium enim iræ opponit: ut alibi etiam dicitur nos caſtigare manu hominis, quia potentiam manus ſuæ non exerit ad nos puniendos, ne protinus deleamur. Eſt autem notandum non ſimpliciter deprecari vel ſubterfugere Dei judicium, ſed ita ſe offerre corrigendos, ne ſub flagellis deficiant. Atque hæc ratio eſt cur iniquitatum memoriam deleri cupiant: quia niſi clementer ignoſcat Deus, nullus erit finis. Idem repetit Propheta quod paulo ante dixerat, genus Abrahæ divinitus fuiſſe electum, quia impetrandæ veniæ hæc optima erat fiducia, Deum qui verax eſt in ſuis promiſſis, non poſſe abjicere quos ſemel elegerat. *Omnes* dicendo, non loquitur de ſingulis, ut ante admonui, ſed totum corpus Eccleſiæ comprehendit. Etſi autem major pars impia ſua defectione exciderat, verumtamen hoc fuit, Judæos peculiarem eſſe Dei populum. & hæc precatio non promiſcue quibuslibet, ſed reſiduis tantum filiis Dei dictata fuit. Non objectat autem populus Deo ſua merita, ſed confugit ad gratuitum fœdus, quo adoptati erant. Hoc enim certum & unicum piorum aſylum, hoc omnium malorum remedium eſt. Atque ideo Moſes aliique Prophetæ toties id inculcant.

Jere. 10. verſ. 24.
2 Sam. 7. verſ. 14.
Exod. 32. verſ. 13.

9. *Urbes ſanctitatis.*] Iterum miſerias recenſet Eccleſia, ut Deum ad miſericordiam flectat, veniamque obtineat. Urbes in ſolitudinem redactas eſſe dicit: atque amplificationis cauſa addidit, *Sion* deſertum, quoniam ſedes erat regia, in qua Deus volebat invocari. Addit etiam *Jeroſolymam*, in qua Sion erat: quoniam videbatur indignum, diripi ab hoſtibus ac deleri civitatem quam Deus ſibi conſecrarat. Urbes ſanctitatis vocat, quoniam ut populum ſanctificaverat Dominus: ita etiam urbes, imo totam regionem volebat ſibi conſecratam eſſe. Urbes igitur quum dicatæ Deo eſſent, merito vocantur Sanctitatis ejus: quoniam in iis regnabat Deus, atque invocabatur. Eodem modo poſſumus hodie appellare Urbes ſanctitatis Dei, quæ rejectis ſuperſtitionibus, puro & ſincero ritu ipſum adorant.

10. *Domus ſanctuarii noſtri.*] Sanctuarium alia ratione vocatur populi, quam Dei. nam quia teſtimonium erat ſacræ inter Deum & populum conjunctionis, ſæpe dicitur ſancta Dei domus, quæ ſcilicet ejus ſanctitati reſpondeat: nunc paſſive nominant fideles ſuum ſanctuarium, quia inde illis petenda erat Sanctificatio: idque apertius confirmant per vocem Gloriæ. Fatentur ſe nihil habere in quo glorientur, præter templum, in quo adorari & coli Deus volebat. Et tamen videmus ſæpe inanem fuiſſe hanc gloriationem, atque ideo reprehendi à Jeremia, Ne confidatis verbis mendacii, dicentes, Templum Domini, templum Domini. Sed ut præpoſtera erat eorum gloria qui efferebantur inanibus titulis, atque inſoleſcebant: ita vera & ſolida eorum erat qui inſtitutum Domini animo comprehendebant, & Verbi teſtimonio freti ſciebant ſe habitare ſub ejus umbra, qui ſibi familiare domicilium inter eos erexerat. Nam extructum juſſu Domini templum erat, ut merito gloriari in eo poſſent Judæi, quod Deum haberent præſidem ſuæ ſalutis. Quia vero tunc corruptus atque adulteratus fuerat cultus Dei, omneſque propemodum ad ſuperſtitionem & impietatem deſciverant, ideo prioris ſeculi, non præſentis mentionem facit. acſi diceret, Tametſi eum quem decebat cultum nos tibi non exhibuimus, tamen hoc templum eſt, in quo te patres pure coluerunt: an profanari ipſum ſines ac deleri? Annon in te hæc ignominia recidet, quum ad cultum nominis tui pertineat? Tacent hic Judæi de ſua vita, nec excuſationes afferunt, potius fatentur culpam: ſed objiciunt Deo cultum ipſius, ut memor ſit fœderis, nec promiſſa ſua irrita eſſe patiatur. quod exemplum piis omnibus imitandum eſt. Laudandi verbum pro gratulatione accipitur: acſi diceret, In eo templo, cujus lamentabilis ruina dolorem & lachrymas piis omnibus elicit, olim perſonuiſſe Dei laudes, quum benigne & ſuaviter populum ſuum foveret.

Jere. 7. verſ. 4.

12. *An ſuper his.*] Confirmat ſe populus certa fiducia, quod Deus gloriam ſuam conculcari non ſinet, etiamſi infinitis hominum ſceleribus provocetur. Hinc nihil omnino conſolationis ad hypocritas redire poteſt, ſed ad eos ſolum hæc pertinent qui vero miſericordiæ divinæ ſenſu tanguntur: hi ſtatuunt ac certo perſuaſum habent, quamvis interitus immineat, tamen Deum habita gloriæ ſuæ ratione reliquis ſaltem propitium fore, ne extinguatur ſemen. *Et affliges.* Oſtendit fieri non poſſe quin Deus memor ſit miſericordiæ ſuæ: nec enim ſeipſum abnegare poteſt. Eſt autem cum ejus gloria conjuncta noſtra ſalus: quod diligenter hic notandum eſt. Poſtquam enim loquutus eſt de gloria Dei, ſubjungit, Non affliges nos ultra modum. Moderabitur ergo caſtigationes ſuas Dominus: quia nos à morte ſalvos emergere intereſt gloriæ ipſius, quam negligere non poteſt. Ad hanc igitur deprecationem confugiamus quoties ab hoſtibus noſtris invadimur: non hypocritarum more, qui plenis buccis gloriam Dei jactant, cujus nullum habent guſtum: ſed cum pœnitentia & fide, ut ſolidum ejus fructum percipiamus.

Hebr. 3. verſ. 2.
2 Tim. 2. verſ. 13.

CAP. LXV.

by Google

Cap. LXV.

PAtefeci me iis qui non interrogabant, inventus ſum ab iis qui non quærebant me: dixi, Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum.

2. Expandi quotidie manus meas ad populum rebellem, gradientes via non bona poſt cogitationes ſuas.

3. Populus qui me irritat ſemper in faciem meam, qui ſacrificat in hortis, & ſuffitum facit ſuper lateres.

4. Qui manent in ſepulchris, in deſertis pernoctant, qui comedunt carnem ſuillam, & jus pollutorum in vaſis eorum.

* vel, ſanctior ſum quam tu.

5. Qui dicunt, Mane apud te, ne accedas ad me, quia * ſanctificarem te: iſti fumus in furore meo, ignis ardens tota die.

6. Ecce ſcriptum eſt coram me: non tacebo, quin reddam & rependam in ſinum eorum.

7. Iniquitates veſtræ & iniquitates patrum veſtrorum ſimul, dicit Jehova. Quia ſuffitum fecerunt in montibus, & ſuper colles probro me affecerunt, ideo remetiar opus eorum vetuſtum in ſinum eorum.

8. Sic dicit Jehova, Quemadmodum ſi quis inveniat muſtum in botro, & dicat, Ne perdas illud, quoniam eſt benedictio in eo: ita faciam propter ſervos meos, ut non perdam totum.

9. Et educam è Jacob ſemen, & è Juda hæredem montium meorum: & hæreditate obtinebunt eam electi mei, & ſervi mei illic habitabunt.

10. Et erit Saron habitaculum pecudum, & vallis Achor locus ad accubitum armenti, populo meo qui quæſierunt me.

11. At vos deſertores Jehovæ, qui obliviſcimini montis ſanctitatis meæ: qui paratis exercitui menſam, & impletis numero libamen.

12. Itaque numerabo vos ad gladium, & omnes in cædem corruetis: eo quod vocavi, nec reſpondiſtis: loquutus ſum, nec audiſtis, feciſtiſque malum in oculis meis: & in quibus voluptatem non cepi, elegiſtis.

13. Propterea ſic dicit Dominus Jehova, Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis. Ecce ſervi mei bibent, & vos ſitietis. Ecce ſervi mei lætabuntur, & vos erubeſcetis.

14. Ecce ſervi mei jubilabunt præ hilaritate cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ anguſtia ſpiritus ululabitis.

15. Et relinquetis nomen veſtrum in execrationem electis meis: interficiet te Dominus Jehova, & ſervos ſuos vocabit nomine alio.

16. Qui benedixerit ſibi in terra, benedicet ſe in Deo veraci, & qui juraverit in terra, jurabit in Deo veraci: quia oblivioni traditæ ſunt afflictiones priores, & abſconditæ ab oculis meis.

17. Quia ecce ego creabo cælos novos, & terram novam: priorum non erit memoria, neque in cor aſcendent.

18. Sed gaudete & exultate in perpetuum iis quæ ego creo. Nam ecce ego creo Jeruſalem exultationem: & populum ejus, gaudium.

19. Et exultabo in Jeruſalem, & gaudebo in populo meo, nec audietur in ea amplius vox fletus, & vox clamoris.

20. Non erit illic amplius infans dierum: nec ſenex qui non impleat dies ſuos. Quoniam filius centum annorum morietur adoleſcens: & qui peccat filius centum annorum, maledicetur.

21. Ædificabunt domos, & inhabitabunt: plantabunt vites, & comedent fructum earum.

22. Non ædificabunt ut alius inhabitet: non plantabunt ut alius comedat: quoniam ſecundum dies arboris, dies populi mei: & opus manuum ſuarum perpetuabunt electi mei.

23. Non laborabunt fruſtra, nec parient in terrore: quoniam ſemen benedictorum Jehovæ erunt, & ſoboles eorum cum ipſis.

24. Et erit, antequam clament ego exaudiam: adhuc illis loquentibus ego audiam.

25. Lupus & agnus paſcentur ſimul: & leo ſicut bos comedet paleam: & ſerpenti pulvis erit panis ſuus. Non affligent, neque nocebunt in univerſo monte ſancto meo, dicit Jehova.

P*Atefeci.*] Propheta nunc tranſit ad aliam doctrinam. Oſtendit enim juſtam eſſe Deo rationem cur repudiet atque abjiciat Judæos: quia ſcilicet apud ipſos nihil aut monitiones aut minæ profuerunt, ut à ſuis erroribus in viam reducerentur. Jam vero ne putarent fœdus Domini propterea irritum fore, ſubjicit alium ſibi populum exoriturum qui ante nullus fuerat, & ubi prius incognitum fuerat, nomen ſuum celebre & illuſtre fore. Hoc Judæi inſtar portenti eſſe ducebant, atque omnino alienum judicabant à fœdere quod Dominus cum Abrahamo inierat, ſi ad alios quam ad poſteros *Gen. 17. verſ. 7.*
hujuſmodi beneficium transferri contingeret. Sed Propheta ſtultam iis fiduciam adimere voluit, ne Deum

Deum poſteritati Abrahæ alligatum putarent. nec enim Dominus iis ſe obſtrinxerat niſi certa lege, quam ſi violarent, ut fœdifragi & perfidi nullum ex fœdere fructum conſequebantur. Nec vero Abrahæ tantum & iis qui originem ab ipſo ducebant facta erat promiſſio, ſed omnibus qui per fidem in ejus familiam inſerendi erant. Sed commodius erit à ſecundo verſu incipere, ubi exponitur rejectionis cauſa, quo nobis melius pateat Prophetæ conſilium.

2. *Expandi.*] Accuſat Judæos atque de ipſorum ingratitudine & contumacia queritur: atque hinc demonſtrat nullam eſſe cauſam cur ſibi injuriam fieri dicant, ſi Dominus gratiam in alios ſuam transferat. Superbiebant Judæi, atque efferebantur in Deum, quaſi ſuo merito electi eſſent. Dominus ob ingratitudinem & inſolentiam iſtam ipſos velut indignos rejicit, atque exprobrat quod fruſtra expanderit manus ſuas ut eos adduceret, ſibique adjungeret. nam per expanſionem manuum ſignificat quotidianam invitationem. Varie autem manus extendit ad nos Dominus. Nam aut re, aut Verbo nos ad ſe allicit. Hoc loco præcipue ad Verbum referri debet. Nunquam loquitur nobiſcum Dominus, quin ſimul manum porrigat, ut nos ſibi conjungat, eumque viciſſim nobis propinquum eſſe ſentiamus. Imo nos amplectitur, paternamque ſollicitudinem oſtendit, ut noſtræ tantummodo culpæ imputandum ſit, niſi invitanti pareamus. Crimen etiam non parum exaggerat aſſiduitas ipſa, quod Deus longa ætatum ſerie non deſtiterit Prophetas alios aliis ſubmittere: imo, ut alibi

Jerem. 7. verſ. 13. & 11: 7. & 35:14.

dicit, mane ſurrexerit & proſequutus ſit eandem curam uſque ad veſperum. Primo autem rebelles eos vocat, vel immorigeros: ſed continuo poſt declarat cujuſmodi ſit ea rebellio, quod ſcilicet populus ſuas cogitationes ſequitur. Nihil enim eſt quod magis diſpliceat Deo, quam ſi homines ſint *αὐθάδεις*, hoc eſt, ingenio ſuo addicti. nos enim proprium ſenſum abdicare jubet, ut veræ doctrinæ capaces eſſe poſſimus. Teſtatur ergo Dominus per ſe non ſtetiſſe quo minus populum retineret, ſolitoque favore proſequeretur, ſed ipſos ſua ſe dementia alienaſſe, quod ſuo ingenio hærere quam Deum ſequi ducem maluerint. Demonſtrata cauſa hujus rejectionis, veniendum eſt ad Gentium vocationem, quæ in Judæorum locum ſucceſſerunt. De hac enim tractari verſ. 1. minime dubium eſt. Eam autem jamdudum per Moſen prædixerat Dominus, adeo ut novum hoc videri non deberet: Ipſi provocaverunt me in eo qui non eſt Deus: ad iracundiam concitaverunt me in vanitatibus ſuis: & ego quoque provocabo eos in eo qui non eſt populus, in gente ſtulta irritabo illos.

Deut. 32. verſ. 21.

Denique idem minatur nunc Propheta quod poſtea à Chriſto denunciatum fuit quum excæcatio inſtaret, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti quæ fructum proferet.

Mat. 21. verſ. 43.

Quum dicit patefactum iri Deum *iis qui non interrogabant*, oſtendit Gentes præventas eſſe gratia Dei, nec quicquam attuliſſe meriti aut dignitatis, quo Deum provocarent. quod aperte convenit cum eo loco quem citavimus, ubi Moſes Gentem ſtultam appellat. Itaque, ſub typo univerſali deſcribit quales ſint homines antequam ipſos Dominus miſericordia ſua præveniat. nec enim invocant Dominum, nec quærunt, nec de eo cogitant. Ac diligenter notandus eſt hic locus, ad ſtabiliendam certitudinem noſtræ vocationis. Eſt enim hæc veluti clavis qua nobis regnum cælorum aperitur. Hinc pacatæ & tranquillæ redduntur conſcientiæ noſtræ, quæ ſemper dubiæ & ancipites eſſent, niſi teſtimoniis hujuſmodi niterentur. Videmus ergo non temere nec ſubito caſu accidiſſe, ut vocaremur à Deo, atque populus ejus cenſeremur, quum id jampridem multis teſtimoniis prædictum eſſet. Ex hoc loco Paulus fortiter pugnat pro vocatione Gentium: ac dicit Jeſaiam audere fortiter clamare, & aſſerere Gentes eſſe à Deo vocatas, quia majus quiddam & clarius expreſſit, quam ferret ratio illius temporis.

Rom. 10. verſ. 20.

Æterno igitur conſilio Dei longe antequam res accideret nos vocatos eſſe hic perſpicimus. Bis repetens *Ecce ego*, magis confirmat tam familiariter patefactum iri Deum extraneis & profanis Gentibus, ut in medio ſui habitare non dubitent. Et certe ut difficilis creditu erat ſubita illa mutatio, confirmari opus fuit. quanquam in ipſa quoque novitate extollere voluit Propheta inopinatam Dei gratiam. Summa eſt, ubi ſe Deus Gentibus obtulerit, atque ipſæ in ſanctam Abrahæ ſobolem coaluerint, aliquam fore Eccleſiam in mundo Judæis profligatis. Quicquid autem hic à Propheta prædictum eſt, per Euangelium impletum eſſe cernimus, quo vere Dominus ſeſe exteris nationibus obtulit atque exhibuit.

Marc. 16. verſ. 15.

Quoties igitur inſonat noſtris auribus hæc vox Euangelii, aut ipſi verbum Domini legimus, ſciamus Dominum præſentem eſſe, ac ſe offerre, ut familiariter à nobis cognitus ſecure certaque fiducia invocetur.

3. *Populus qui me irritat*] Hic deſignat ac fuſius proſequitur quibus in rebus Deo rebelles fuerint Judæi: quod ſcilicet relicto Dei mandato, variis ſuperſtitionibus ſe polluerint. Nuper dixerat alienatos fuiſſe Judæos à Deo, quod in ſuis figmentis errarent: nunc fructum hujus licentiæ oſtendit, quia frenum ſuis cogitationibus laxantes everterint purum Dei cultum. Et certe hæc omnium ſuperſtitionum origo eſt, quod ſibi placent homines in ſuis inventionibus, ſibique ſapere malunt quam frenare ſenſus ſuos ſub Dei obſequio. Fruſtra allegant ſuperſtitioſi ſuas devotiones, quas vocant, & bonas intentiones: quas ſic Deus exhorret ac deteſtatur, ut qui eas ſequuti fuerint, rei ſint fœderis violati, ac læſæ majeſtatis. Nihil enim à nobis proprio ſenſu aggrediendum, ſed jubenti Deo parendum eſt. Denique initium & perfectio legitimi cultus eſt docilitas. Irritandi verbo, impudentiam populi notat, qui velut ex profeſſo Deum provocavit, nec reveritus eſt majeſtatem ipſius ut imperio ſe ſubjiceret. Idque magis auget, quum dicit, *in faciem*. nam quum veluti præſentem intueantur Deum qui verbo ejus monentur, longe gravius peccant, majoriſque pervicaciæ & impudentiæ rei ſunt, quam alii qui nunquam Verbum audierunt. *Hortos* nominat, quos conſecraverant ſuis idolis: atque in iis ſe provocatum dicit. *Lateres* hic nonnulli per contemptum nominari putant, & oblique opponi altari, in quo tantummodo ſacrificari Deus volebat: atque ita exiſtimant hic commemorari tecta in quibus ſuperſtitioſi ſolebant immolare: quoniam lateribus conſtabant. Sed ego ſimpliciter altaria quæ extruxerant idolis, notari puto. Tametſi enim ſpecioſo prætextu non carerent, quod formam illam altaris à Deo præſtitutam imitari vellent: Deus tamen quia à Verbo ſuo alienum erat, abominabatur.

4. *Qui manent.*] Enumerat alia genera ſuperſtitionum, quæ etſi propter brevitatem obſcura ſunt, qualia tamen fuerint ex aliis locis colligere promptum eſt. Nam ut Necromantice paſſim recepta fuit apud Gentes profanas, ipſi quoque Judæi in ſepulchris & deſertis conſulebant dæmones, quum Deum ſolum conſulere debuiſſent: & quaſi à mortuis peterent reſponſa, dæmonum præſtigiis falli perjucundum ipſis erat. Quam vero ſancte id Dominus vetuiſſet, ex cap. 18. Deuter. & aliis locis manifeſte liquet. vidimus etiam nonnihil capit. 8. Generaliter autem docemur nihil eſſe quod Dominus requirat præter obedientiam: quam victimis & ſacrificiis anteponit. *Comedunt carnem ſuillam.* Ante conqueſtus eſt inquinari Dei cultum adventitiis commentis: nunc addit confundi omne diſcrimen, ut inter mundum & immundum non diſcernant: ac ſpeciem unam producit, quod non abſtineant à carne ſuilla. Atqui hoc leve videbatur. Minime vero. nec enim ex noſtra, ſed ex Legiſlatoris ſententia quam

Deut. 18. v. 10. 11. ſupr. [illegible] verſ. 19. 1 Sam. 15. verſ. 22.

grave

grave ſit peccatum judicandum eſt: nec leve quicquam cenſeri debet quod à Domino vetitum eſt. Hoc ad externam fidei profeſſionem pertinebat, qua Judæos teſtari oportebat quantum à pollutione Gentium alieni eſſent. Ab ea ergo regula, quam nobis Dominus præſcribit, ne latum quidem unguem diſcedendum eſt.

5. *Qui dicunt.*] Extremam impietatem notat in Judæis, quod indomitos ſe & contumaces opponerent Dei cultoribus, nec ullis monitionibus parere vellent. Eſt enim aliqua ſpes reſipiſcentiæ quamdiu monitis & reprehenſionibus locum damus: quod ſi eas reſpuamus, deſperatos nos eſſe certiſſimum eſt. Etſi autem verba in ſpeciem obſcura ſunt, ſumma huc redit, moroſe & ferociter hypocritas repellere pios monitores: quia vel ſibi falſam ſanctitatem arrogent, vel præ ſuperbia non ſuſtineant reprehendi. nunquam enim hypocriſis moroſo faſtidio & ſuperbia vacat. Ne miremur ergo eos qui hoc vitio laborant, inſolenter ſeſe efferre, ac jactare virtutem & ſanctitatem ſuam, aliiſque omnibus ſeſe præferre: noſque idem experiri in noſtri temporis hypocritis, quod Jeſaias de ſuis prædicabat. Nam eos excæcavit Satan, ut inani magniloquentia jactantes ſuam quam vocant devotionem, verbum Dei vilipenderent. Exiſtimant interpretes generalem hic eſſe ſententiam, qua reprehenduntur Judæi, quod ſe Prophetis ſubjicere nollent. ſed videtur mihi conſideranda circumſtantia, quam non ſatis perpendunt: quod continua ſerie hæc ſuperioribus conjungantur, atque vehementer reprehendantur Judæi, quod non ſolum deſciverint à vero cultu, ſed etiam pervicaciter figmenta ſua ſequuti ſint, ut faceſſere juberent quiſquis non applauderet. Nam iſtud Mane apud te, nihil aliud eſt quam Apage, quaſi negarent quicquam ſibi negotii eſſe cum probis monitoribus.

6. *Ecce ſcriptum eſt.*] Alludit ad communem judicum morem, apud quos ſcriptæ ſunt alicujus rei inquiſitiones, teſtimonia, acta, & ejuſmodi, ut quum iis uti opus erit, facile reus convincatur. Nam ſcribimus ea quorum in poſterum memoriam extare cupimus. Teſtatur ergo Dominus hæc nulla oblivione deleri poſſe, quoniam ſcripta ſunt. quamvis enim ad tempus diſſimulet, tamen non impune evadent impii, ſed juſtum tandem judicem eſſe ſentient. Hinc colligendum eſt non eſſe abutendum patientia Dei, quod diu nos tolerat, nec ſtatim exerit manum ad nos puniendos: quia nihilominus apud ipſum deſcripta ſunt omnia, quorum tandem pœnas nos dare neceſſe erit, niſi reſipiſcamus. Dominus quidem ſcriptura, quaſi ſubſidio memoriæ, non eget: ſed hac loquendi forma utitur, ne quid eum oblitum eſſe exiſtimemus, quum tardius judicia ſua exequitur. *Jere. 17. verſ. 1.* Imo apud Jeremiam expreſſius loquitur, Peccatum Jehudah ſcriptum eſſe ſtylo ferreo in ungue adamantino. Hæc loquutio, Rependere in ſinum, ſatis *Pſal. 79. verſ. 12.* uſitata eſt Scripturis: quoniam homines peccata ſua aut latere, aut in rationem ventura non eſſe exiſti- *Jere. 32. verſ. 18.* mant, ſed effreni cupiditate feruntur, vel culpam alio derivantes, metum à ſe procul repellunt: ideo minatur Dominus ſe repenſurum in eorum ſinum, ut cogitent cum quo judice negotium ſibi futurum ſit.

7. *Iniquitates.*] Amplificat Jeſaias id quod brevius dixerat ſuperiore verſu. Oſtendit enim Judæos non eſſe nunc primum reos hujus perfidiæ: ſed vetus fuiſſe exemplum patrum, quos è veſtigio ſequuntur. Quemadmodum prius querebatur Dominus, ſe populum illum diu ſuſtinuiſſe, ac tandem fatigatum eſſe. Exaggerat ergo gravitatem mali, quum Judæos exemplum patrum ſequi dicit: acſi diceret, Peſſima ova eſſe malorum corvorum. Nam quo ſæpius ac diligentius admoniti fuerint homines, eo magis pervicaciæ damnandi, ſi non reſipiſcant. Eos ergo neglectis monitionibus ac minis, multos annos in nequitia & impietate ſua perſeveraſſe oſtendit; ne quid amplius excuſationis aut prætextus objiciant: ſed potius intelligant ſe gravioribus ſuppliciis dignos eſſe. Hic videmus tantum abeſſe ut corruptela quæ manavit à patribus, ſit excuſationi filiis: ſicuti objiciunt imperiti, ac vulgo hujuſmodi clypeo utuntur: ut potius judicium gravius ipſis accerſant. *Simul.* יחדו. acſi diceret Dominus ſe una colligere, ac velut in faſciculum redigere ſcelera patrum & filiorum, ut tandem ulciſcatur. nou quod filius ſuſtineat iniquita- *Ezec. 18.* tem patris, & pœnas ei debitas perſolvat: ſed quum *verſ. 20.* ſubſcribant patrum ſceleribus, eodem judicio comprehendi ipſos ac damnari neceſſe ſit, dum obſtinatio inſanabiles oſtendit eſſe morbos. *Quia ſuffitum.* Speciem unam attingit, ſub qua ſynecdochice reliqua etiam vitia deſignat. Significat enim totam defectionem qua ſe populus ſubduxit à vero cultu, ſeque alienis diis addixit ac devovit. Hoc autem extremum malorum eſt. Sublato enim timore Dei, nihil ſanum aut integrum in nobis eſſe poteſt. Omnium ergo malorum fontem indicat, qui eo magis animadverti debet, quod ſibi perplaceant homines, ſeque magna laude dignos eſſe exiſtiment, quum ſuo arbitrio Deum colunt: neque intelligunt nihil apud Deum voluntario & fictitio cultu execrabilius quicquam eſſe. Mininie certe dubium eſt quin populus Deo gratus eſſe cuperet ſuffitum faciendo in montibus: ſed non eſt opus eorum ex animi propoſito & intentione, ut vocant, æſtimandum. Audienda eſt præ omnibus hominibus vox Domini teſtantis ſe ignominia gravi affici: ne patrocinium nobis conſtituamus in noſtra intentione, quæ nos bis reos coram Deo reddet. *Remetiar.* Varie exponi poteſt dictio ראשנה: vel, Remetiar cum ſua vetuſtate, vel In primis, vel Olim, vel Ab initio. Verum circumſtantia loci conſideranda eſt: quia ex ea facilius liquebit Prophetæ conſilium. Quum de operibus patrum nuper loquutus ſit, dubium non eſt quin eos rideat qui in iis defenſionem ſuam locabant. Eſt enim leve atque inane præſidium. & certe obſervationes patrum, hoc eſt, diuturnam corruptelam, objicere Deo frivolum eſt: quia hoc modo gravius nobis judicium accerſamus. Et tamen hoc ſe prætextu adeo inebriant multi homines, ut omni exceptione majorem eſſe putent: nec quicquam præterea audire velint. Multum quidem venerationis habet antiquitas: ſed nemini tanti eſſe debet, ut de honore Dei quicquam imminuat. Inſignis eſt hic locus ad convincendos eos qui annorum multitudine ſuperſtitiones tueri volunt: quaſi inveteratus error pro lege habendus ſit.

8. *Sic dicit.*] Hic temperat Propheta ſuperiorem ſententiam. nam valde alioqui durum erat ſic in memoriam reduci patrum iniquitates, ut Dominus patres & filios ſimul perderet: atque tantum horroris hæc incutere poterant fidelibus, ut de ſalute ſua omnino actum eſſe exiſtimarent. Sedulo igitur nobis cavendum eſt, & animadvertenda ratio, cur nobis Dominus iraſcatur. Sic enim nos terrere vult, ut ad ſe adducat, non ut in deſperationem conjiciat. Ideo fidelibus ſpem affert, ne abjiciant animos: & adhibito ſolatio ad reſipiſcentiam animat. Similitudine id confirmat. Quemadmodum ſi quis vitem ſibi incommodam vel damnoſam eradicare ſtatuit, ac fructuoſum palmitem reperiens, ei parcet: ita ſe continebit Dominus ne evellat eos in quibus aliquid reperiet vigoris aut ſaporis. Prius conquerebatur inuti- *cap. 5.* lem eſſe populum, imo vero acerbos fructus edere. *v. 2, 4, 7.* Eandem ſimilitudinem retinet Jeſaias: ſed aliter eam accommodat, Tametſi populus ſit velut vitis infrugifera & degener: tamen reliquos eſſe quoſdam palmites fructuoſos, quos Dominus perire non ſinet. ſed hoc bifariam accipi poteſt, vel quod Dominus ſervabit populum ſuum propter electos: vel quod perditis reprobis, pios ab interitu vindicabit. Inter has duas interpretationes magna eſt differentia. quod

ad

ad primam attinet, ſcimus interdum parci impiis propter pios, quos Deus perdere, eodemque judicio involvere non vult: quemadmodum varia Scripturæ exempla ſatis oſtendunt. [*Gen. 18. verſ. 32.*] Dominus pepercisſet Sodomæ, ſi vel decem tantum bonos viros in ea reperiſſet. [*Actor. 27. verſ. 24.*] Omnes qui cum Paulo navigabant, numero 276, ipſi dati ſunt à Deo atque è naufragio erepti: quo magis conſpicua eſſet virtus quam in ſervo ſuo edebat. [*Gen. 39. verſ. 5.*] Domui Putifaris benedixit Dominus, proſperaque omnia conceſſit propter Joſephum, qui in familia illius erat. Sunt & alia ejuſmodi exempla, quæ per ſe quiſque facile colliget. Sed alteram interpretationem magis probo, Dominum ſic ulturum ſcelera populi ſui, ut tamen habeat ſuorum rationem: nec in univerſum omnes eodem exitio deleat. Nec vero tantum intelligit pios fore ſalvos, ſed aliquem populum ſuperſtitem fore, in quo nomen ipſius invocetur. Atque diligenter notanda eſt ſimilitudo. Exiguas enim reliquias fore oſtendit, præ ea multitudine quæ tunc erat: ſicuti jam antea 1. cap. declaratum eſt. [*ſupr. 1: 9.*] Quod autem pii ſæpe cum reprobis dant pœnas, ne immerito id fieri exiſtimemus. Satis enim culpæ in unoquoque noſtrum reperiet Dominus, ut nos affligat ac puniat. deinde vult nos erudire atque excitare flagellis ſuis: & quum alicui populo conjuncti, ac velut corpori inſiti ſimus, mirum profecto videri non debet, ſi iiſdem plagis ac doloribus afficimur, quum membra quodammodo morboſa ſimus. Interea temperat Deus pœnas, ne electas plantas radicitus evellat.

9. *Et educam.*] Explicat ſuperiorem verſum aliis verbis, atque oſtendit Dominum velle ſibi reſervare aliquod ſemen, à quo invocetur. Sic enim caſtigare ſolet Dominus populum ſuum, ut Eccleſiam extare velit, in qua veritas ipſius & pura religio conſervetur. ob quam etiam cauſam Paulus ipſam vocat columnam & firmamentum veritatis. [*1 Tim. 3. verſ. 15.*] Non eſt igitur æſtimanda Eccleſia ex præſenti rerum ſtatu (quum hic nihil ſtabile eſſe poſſit) ſed ex conſilio Dei, qui eam everti aut deleri non patietur. Hæc ergo diligenter nobis tenenda ſunt, ne cladibus aut ruinis, aut ulla quantumvis deformi Eccleſiæ vaſtatione terreamur. Hæredes montium nominat qui ab exilio reverſi patriam rurſus incolent. Erat autem montuoſa Judææ regio, ut ſatis notum eſt. Rurſus autem explicat quæ obſcuriora videri poterant. ſignificat enim redituros Judæos in priſtinum ſtatum, ut ea regione fruantur, tanquam hæreditate ſua, è qua ejecti erant. Redacta enim eſt paulo poſt Judæa in ſummam vaſtitatem. hoc non fore diuturnum teſtatur Dominus: & quo magis confirmet, ſummatim mentionem facit fœderis, quo terra illa ipſis deſtinata eſt, ut eam hæreditario jure poſſiderent. Tametſi ergo diu exularent: tamen eos hoc hæreditatis nomine excitari oportebat, ut ſe tandem ejus poſſeſſionem recuperaturos eſſe confiderent. ſed notandum eſt ad electos & veros Dei cultores reſtringi hanc gratiam, ne eam promiſcue ad ſe traherent quilibet.

10. *Et erit Saron.*] His figuris nihil aliud docet quam rurſus habitandam eſſe terram, quæ deſerta fuit. ſubeſt enim tacita comparatio, Tametſi incolis ejus in longinquam regionem pulſis deſerta fuerit & vaſta: tamen ita denuo coletur, ut pecoribus & armentis abundet, atque fertilia & compaſcua loca habeat, omniaque ad victum & cultum neceſſaria abunde ſubminiſtret. *Saron* compaſcuus locus fuit. item *Achor*: ſed ille pecudibus, hic armentis aptus erat. [*1 Tim. 4. verſ. 8.*] Videmus hic promiſſiones Dei non tantum futuræ, ſed etiam præſentis vitæ beneficia continere, ut magis ac magis liberalitatem ejus ac beneficentiam guſtemus. His enim ad majora ac præſtantiora cæleſtis vitæ beneficia invitamur. Quod Dominus liberalitatem ſuam in pecora uſque & armenta extendit, nos eo magis confirmari decet ac certiores reddi de paterna ejus cura & ſollicitudine erga nos. Nam ſi pecorum rationem habet, quæ in gratiam noſtram creata ſunt, multo magis omnia quæ ad præſentem ac futuram vitam neceſſaria ſunt, ſuppeditabit. Quanquam ſimul tenenda eſt anagoge, de qua alibi diximus, à terrena benedictione Dei ad ſpirituale Chriſti regnum quod ſub imagine Prophetæ adumbrant. *Populo meo.* Hic quoque reprobos excludit, quos Dei nomine inaniter ac fruſtra gloriari non pudebat. Tametſi promiſſiones & ſacramenta jactent confidenter, tamen nihil commune habent cum filiis, atque ab omni ſpe beneficiorum Dei excluſi mercedem ſuæ iniquitatis recipiunt. Et addendo, *qui quæſierunt me*, apertius deſignat quinam horum beneficiorum participes futuri ſunt, ut reprobos & hypocritas omnino abdicet, ſicuti jam dictum eſt. Hæc enim certa eſt nota, qua agni ab hœdis, legitimi filii ab adulterinis ſecernuntur, nempe *quærere* Dominum. nec enim ſatis eſt nomen & titulum obtendere, ſed quærendus Dominus pura conſcientia, ut ei toto animo adhæreamus. [*Deut. 6. verſ. 5.*]

11. *At vos deſertores.*] Iterum ne hypocritæ abutantur his promiſſionibus, aut ad ſe pertinere putent quæ de reſtitutione populi dicta ſunt, his verbis ipſos compellat: ac Deſertores vocat, quod montis Sion obliti ſint, hoc eſt, à vero Dei cultu diſceſſerint. nam metonymice per *montem* ſanctitatis, ſignificat regulam bene vivendi, quæ verbo Domini præſcripta erat. quandoquidem templum extructum erat Domini juſſu, ut illic invocaretur: item altare in quo Dominus ſacrificia offerri volebat. Impura igitur erant ea ſacrificia & libamina quæ aliis in locis aliiſve diis fiebant, vel aliter quam ex puro Legis ritu. nihil enim arbitrio ſuo aggredi fas eſt hominibus: quia Dominus nihil præter obedientiam requirit. Obedientia autem nulla eſt ſine fide. [*1 Sam. 15. verſ. 22.*] Fides vero nulla eſt ſine Verbo, nec extra ipſum inquirere de Deo aut cogitare licet. [*Rom. 10. verſ. 17.*] *Qui paratis.* Enumerat eorum ſuperſtitiones. Dictio גד varie exponitur. Alii enim Jovem, aut ſtellam Jovis, alii Fortunam ſignificari putant. Hieronymus vertit, Qui ponitis menſam Fortunæ. exiſtimat enim notari proſperos ſucceſſus: ſed probabilius mihi videtur גד accipi pro Copia, ſeu turba: aut etiam exercitu. atque etymologiæ vocabuli & contextui ſatis convenit. Eſt locus inter alios notatu dignus, Gen. 30. ubi Lia gaudet propter acceſſionem liberorum: [*Gen. 30. verſ. 11.*] nam ſic intelligendum cenſeo id quod ipſa pronunciat: בגד. acſi diceret, Nunc mihi copia liberorum eſt. plures enim jam antea habuerat. Unde etiam nomen גד, quinto filio impoſuit. Ita hoc loco גד, accipiendum puto pro Turba vel Exercitu: quia tot ipſis erant fictitii dii, ut præ multitudine vix numerari poſſent. *Implere*, hic bifariam accipi poteſt: nempe, quod large & munifice omnia ſuppeditaverint ad cultum idolorum: (nam ſuperſtitio nullum aut finem aut modum habet: & qui parci ſunt in cultu Dei, omnia idolorum gratia libentiſſime profundunt) vel quod nullum idolum prætermiſerint cui cultum ſuum non exhiberent. quem ſenſum ego potius ſequor. nec enim ſatisfactum ſibi putant idololatræ, niſi cuique divo ſuum honorem exhibeant: & quo plures coluerint, eo ſibi melius futurum arbitrantur. Id quod etiam plus ſatis hodie experimur in Papiſtis. Per *numerum* idem intelligit quod per Exercitum ſignificabat. Eſt enim repetitio uſitata Hebræis. Intelligit ergo Parari menſam, hoc eſt, ſacrificium fieri non uni idolo, ſed infinitis: ut quam graves pœnas meriti ſint, aperte oſtendat.

12. *Itaque.*] Alludit ad numerum deorum, de quo loquutus eſt: ac declarat Dominus ſe facile deprehenſurum quo in numero ſint. Se enim gladio numeraturum ipſos. Atque hinc apparet Prophetam non loqui ſuperiore verſu de duobus planetis, Jovis ſcilicet, ac Mercurii, ut nonnulli putant: ſed quod

uno

uno Deo non contenti acceſſerent ſibi varia idola. Atque frivola conjectura eſt eorum qui nomine מני, Mercurium deſignari volunt, quod מנה, ſignificet numerare, ac Mercurius numeris ac mercatoribus præeſſet. Apertum enim eſt conſilium Prophetæ, qui ideo numerandum gladio populum ſignificat, quod ingenti deorum numero gauderet: neque acquieſcere vellet in uno Deo. *Eo quod vocavi.* Amplificat magnitudinem ac gravitatem perfidiæ iſtius, quod Judæi deliberata malitia, atque ex induſtria potius quam ignorantia peccarent. Fuerant enim edocti ſæpius ac moniti, ſed proterve omnia monita rejecerant. Ergo longe minus excuſabiles ſunt, quam alii ad quos nulli Prophetæ miſſi fuerunt. nam etſi ignorantiæ excuſationem nulli hominum obtendere poſſint, tamen multo minus Judæi & ii quibus verbum Domini annunciatur. Gravem igitur præ aliis condemnationem ſuſtinebunt. Modum vocandi exprimit, quod hortatus populum fuerit per Prophetas. Loquendi enim verbo bis idem repetit, ut moris Hebræis eſſe jam antea diximus. *Audire* Dominum, eſt obſequi Verbo ipſius. leve enim eſſet accommodare aures, niſi obtemperaremus Verbo: idque accideret quod dicitur in proverbio, Aſini auribus annuunt. Deus enim ex animo audiri vult, nec fictam audientiam probat. Oſtendit autem unde factum ſit, ut vocationem reſpuerent. quia ſcilicet aures clauſerunt Propheticæ doctrinæ: quia initium parendi eſt afferre diſcendi ſtudium. *In oculis* tantundem valet atque In faciem: qua loquendi forma paulo ante uſus eſt. Omnes quidem in oculis Domini peccant, nec quiſquam ejus conſpectum fugere poteſt. ſed proprie dicimur in oculis ejus peccare, quum ab ipſo vocati, præſentiam ejus non veremur. Propius enim accedit ad eos quos per Prophetas vocat, & iis ſe quodammodo præſentem exhibet. Magis ergo deteſtanda eſt eorum impietas & flagris aſperioribus digna, qui Deum vocantem ac propius invitantem, quaſi projecto omni pudore, contemnunt ac deſpiciunt. Porro ex fine verſus apparet præcipue eos damnari non ob craſſa ſcelera, ſed ob ſtultas devotiones, quibus vitiabant Dei cultum. Etſi enim ſtrenue operam dabant ſacrificiis à ſe confictis, quod ſe hoc modo putarent Deum promereri: ipſe tamen ſe abominari pronunciat perverſa eorum ſtudia. Non eſt igitur permiſſa cuique libera electio, ut id ſequatur quod magis placuerit: ſed quid probet Deus, ſpectandum: nec ab eo ullo modo deflectendum eſt. Videmus autem non fuiſſe unius ſeculi vitium, ut homines in colendo Deo libidinem ſuam ſequerentur, & figmenta ſua pro Deo adorarent. ſed quantamcunque voluptatem ex iis capiant homines, Dominus ea ſe damnare atque execrari teſtatur.

13. & 14. *Propterea.*] Hic etiam clarius Propheta diſcernit hypocritas qui locum occupabant in Eccleſia Dei, à veris filiis & germanis. Nam etſi promiſcue omnes filios ſe vocarent, tamen plures è familia abdicandos eſſe oſtendit: & qui ſuperbe & arroganter populi Dei nomine ſe efferebant, ſpe ſua (quæ fallax & inanis erat) fruſtrandos eſſe. Eſt enim diligenter notanda antitheſis, quæ magni eſt ponderis, inter ſervos Dei, & eos qui falſo nomen ejus obtendunt. Nam iis inanes titulos, & falſam jactationem aut vanam perſuaſionem nihil profutura eſſe docet. *Comedent, bibent.* His verbis felicitatem & proſperum vitæ ſtatum deſignat. acſi diceret, curæ ſibi fore, ne qua re indigeant fideles. Sed videtur Dominus aliud promittere ſervis ſuis, quam
1 Cor. 4. verſ. 11. quod re ipſa præſtat. Sæpe enim eſuriunt ac ſitiunt: quum interea impii affluant bonis omnis generis, atque ad luxum & intemperantiam abutantur. Sed obſervandum eſt regnum Chriſti hic deſcribi ſub figuris, quoniam aliter ipſum comprehendere non poſſemus. Ideo Prophetæ ſimilitudines ducunt à regnis terrenis, in quibus dum opulentia floret populus, bonisque omnis generis fruitur, conſpicua eſt Dei benedictio ex qua cenſetur paternus ejus amor: ſed quia in terrenis commodis occupari pios non decet, ſatis eſt guſtu aliquo fidem eorum foveri. Quod ſi interdum premantur inopia: tamen modico victu contenti, Deum Patrem, ejuſque beneficentiam nihilominus agnoſcunt: atque in ſua tenuitate Regum & magnatum opes ſuperant. Impii vero, tametſi abundent bonis omnibus, quoniam illis bona conſcientia frui nequeunt, ſunt omnium hominum miſerrimi. Reſpicit ergo Propheta purum uſum donorum Dei. nam qui pure Deum colunt, tanquam filii ex manu patris omnia vitæ ſubſidia accipiunt: alii vero ea tanquam fures & ſacrilegi prædantur. Nunquam impiis ſatisfacit quantumvis magna rerum copia: ſemper diffidunt ac trepidant, nec tranquilla eſſe poteſt eorum conſcientia. Nihil igitur hic promittit quod non re ipſa præſtet: neque ab externo rerum ſtatu hæc felicitas æſtimanda eſt. Quod etiam ex ſequentibus melius patet, ubi lætitiæ, & gratiarum actionis fit mentio. nec enim dubium eſt quin breviter admoneat Propheta, ſatietatem poſitam in rerum copia non eſſe, ſed in tranquilla pace animi, & ſpirituali gaudio, quia incredulis inſipida ſunt omnia. fideles autem ſenſus paterni Dei amoris ſuavius condimentis omnibus oblectat. Interea notemus felicitatem omnem à ſolo Deo expectandam eſſe, qui ſuis nihil omnino eorum quæ ad beatam vitam pertinent deeſſe ſinet.

15. *Et relinquetis.*] Proſequitur eandem doctrinam: ac docet, Deum tandem hypocritas ſeparaturum à veris ſervis. Nec certe mirum eſt Prophetam tantopere hanc partem urgere: quia nihil difficilius perſuadetur hypocritis, qui ſuperbia inflati ſeipſos fallunt atque excæcant. Execrabile vero eorum nomen fore aſſerit, quia ſemen ſanctum ſe exiſtimabant, nec ullum aliud ſub cælo eſſe dignum memoria. ac eodem ſpectat verbum Relinquendi, quaſi diceret violenter excuſſum iri falſam jactantiam, cui tantopere affixi erant. Proinde ne ſibi in gloria temporali & mox peritura placeant, Dominus arrogantiam illam retundit: ac ſe alios ſervos habiturum declarat, quibus iſti execrationi erunt. ut etiam in ſolenni execratione hoc exemplum ſumatur, Deus tibi ut Judæis maledicat. *Vocabit nomine alio.* Refellit confidentiam ejus gentis, quæ nullum Deo populum fore arbitrabatur, ſi poſteris Abrahæ careret. Teſtatur enim ſe cooptaturum novum populum: neque ita ſe Judæis adſtrictum eſſe, quin alios facile inveniat, quos populi ſui nomine exornet. Quod nonnulli per Aliud nomen intelligunt Chriſtianum, nimis coactum eſt. Et Prophetam alio ſpectaſſe ex circumſtantia ipſa apparet. nam quia Judæi antiquitatem ſui nominis ſuperbe jactabant, atque inſoleſcebant, quod jamdudum eſſent electi à Deo, acſi Deus ipſis carere non poſſet: oſtendit alium populum ab ipſo eligendum atque adoptandum eſſe: nec tamen propterea argui poſſe inconſtantiæ aut levitatis: quaſi conſilium mutarit. Conſilium enim ſuum & juſta judicia exequetur in eos qui falſo nominis ejus prætextu gloriam ejus obſcurant, totamque pietatem corrumpunt.

16. *Qui benedixerit.*] Hic opponitur orbis univerſus angulo Judææ, in quo cultus Dei quodammodo concluſus erat. poſtquam enim patefactus eſt ubique Deus, non jam in certa aliqua regione, ſed omnibus in locis ſine diſcrimine colitur. quemadmodum etiam docet Chriſtus, Venit hora quando Joan. 4. verſ. 21.
neque in monte hoc, neque Jeroſolymis adorabitis Patrem. Et Paulus, Volo, inquit, viros in 1 Tim. 2. verſ. 8.
omni loco ſuſtollere puras manus, abſque ira & diſceptatione. *Terræ* igitur nomen, quo hic univerſum orbem deſignat, tacite Judææ opponit. *Benedictione & jurejurando* univerſum Dei cultum notat. Juſju-

randum

ſupr. 19. verſ. 18. & 48: 1. randum eſt ſpecies cultus Dei, ut antea vidimus: eo enim judicium omne deferimus Deo: eumque teſtem & conſcium rerum omnium quæ aguntur, agnoſcimus. Benedicimus vero, quum omnia proſpera ab ipſo optamus, eique ſoli ferimus accepta. Denique non aliter nobis bene eſſe fatemur, quam ex mera ejus liberalitate. Per Deum verum, fidelem in ſuis promiſſis & ſtabilem in ſuo conſilio intellige. quanquam forte ſubeſt obliqua antitheſis inter veracem Deum, & fallaces Gentium deos. *Quia oblivioni.* Hæc promiſſio ad ſolos fideles pertinet. Significat Deus ſe finem ærumnis & malis impoſiturum, ne ſit perpetua Eccleſiæ calamitas. quod fieri cœptum eſt, quum è Babylone eductus eſt populus. Tametſi enim variis adhuc modis & in itinere & domi afflictus ſit, ſimul tamen adjuncta fuit gravibus pœnis moderatio: quia reditus in patriam, Templi inſtauratio, reſtitutio politiæ, leniebat dolores, animoſque bona ſpe fulciebat uſque ad Chriſti adventum.

17. *Quia ecce.*] His metaphoris promittit inſignem rerum mutationem. ac ſi diceret Deus, ſibi in animo eſſe, atque etiam in manu, non modo reſtituere Eccleſiam ſuam: ſed ita reſtituere, ut novam vitam obtinere, atque in novo mundo habitare videatur. Hyperbolicæ ſunt hæ loquutiones: ſed non potuit aliter exprimi tanti beneficii magnitudo, quod adventu Chriſti exhibendum erat. Nec vero de primo tantum adventu intelligit, ſed de univerſo regno, quod ad extremum uſque adventum protendi debet: ſicuti jam aliis locis dictum eſt. Itaque per Chriſtum mundus quodammodo renovatur. unde etiam Apoſtolus ad Hebr. Seculum novum appellat: nec dubium quin hanc Prophetæ ſententiam ſpectarit. Atqui, loquitur Propheta de reſtitutione Eccleſiæ poſt reditum è Babylone. Hoc quidem verum eſt: ſed reſtitutio illa manca eſt, niſi ad Chriſtum uſque extendatur. Atque nos etiamnum in progreſſu & curſu ſumus: nec iſta complebuntur uſque ad reſurrectionem ultimam, quæ nobis velut meta conſtituta eſt. Quod priorum memoriam fore negat, nonnulli ad cælum & terram referunt, quaſi diceret nullam utriuſque famam, nullumque nomen poſthac fore. ſed ego ad tempora ſuperiora referre malo. Tantam enim lætitiam reſtitutionis fore ſignificat, ut non amplius miſeriarum ſuarum recordentur. niſi forte magis placeat de beneficiis accipere, quæ tametſi memoratu digna erant nomen perdiderint, ubi incomparabilis Dei gratia illuxit. quo ſenſu
ſupr. 43. verſ. 18. dixit alibi Propheta, Priorum ne recordemini: non quod primam redemptionem aboleri aut deleri voluerit Deus ex cordibus piorum: ſed quia ex comparatione inducta fuit quædam oblivio, ſicuti Sol exoriens ſtellis eripit ſuum fulgorem. Meminerimus hæc in nobis eatenus habere locum, quatenus renovati ſumus. Sumus autem duntaxat ex parte renovati: ideoque nondum plane cælum novum & terram novam cernimus. Non eſt igitur mirum mœrores nobis & luctus ſupereſſe: quando nondum exuimus omnino veterem hominem, ſed multæ adhuc ſuperſunt reliquiæ. novitas autem à nobis initium facere debet: quia primum ordinem tenemus, & noſtro peccato creaturæ ingemiſcunt, &
Rom. 8. verſ. 20. vanitati ſubjectæ ſunt, ut oſtendit Paulus. Ubi vero pleniſſime fuerimus renovati, cælum quoque & terra penitus renovabuntur, integrumque ſtatum recipient. Atque hinc colligendum, quod ſæpius notavimus, Prophetam univerſum Chriſti regnum ſpe-
Actor. 3. verſ. 21. ctare, uſque ad metam ultimam, quæ etiam dies renovationis & inſtaurationis appellatur.

18. *Sed gaudete.*] Hortatur fideles ut gaudium quale decet ex hoc Dei beneficio percipiant. Atque hoc amplificationis cauſa additum eſt: quoniam homines non ſatis pro dignitate cùm reliqua Dei beneficia, tum vero hoc ſummum, & præ aliis maxime inſigne reputant. aut enim negligitur, aut minoris ſit quam decebat. Propterea excitari fideles hujuſmodi exhortationibus, atque ſtimulari neceſſe eſt, ut gratos ſe & memores præſtent, nec leviter prætereundum eſſe arbitrentur, quod redempti per Chriſti manum pignus æternæ & cæleſtis vitæ in cordibus ſuis geſtant. Ideo non aliter redemptioni juſtam tribui laudem docet Jeſaias, quam ſi toto vitæ curſu gaudium continuent fideles, ſeque exerceant in celebrandis Dei laudibus. Quod Jeruſalem vocatur gaudium, & populus ejus exultatio, durum primo intuitu videri poſſet: optimus tamen ſenſus elicitur, tantam fore in Eccleſiæ liberatione materiam gaudii, ut omnes triſtitiæ nebulas abſtergat. Et certe quum miſeriæ quoque nobis adjumento ſint *Rom. 8.*
in ſalutem, in ipſis merito gaudendum eſt. *verſ. 28.*

19. *Et exultabo.*] Plus exprimit quam ſuperiore verſu. ſignificat enim his verbis ſe non modo daturum hominibus materiam qua gaudeant: ſed etiam ejuſdem gaudii participem ſe nobiſcum fore. Tantus enim eſt ipſius erga nos amor, ut non minus delectetur noſtro bono, quam ſi eo nobiſcum una frueretur. Atque hinc non parum confirmationis fidei noſtræ accedit, quum Deum tali, tantoque affectu erga nos duci audimus. Si male habemus & diſſipamur, ait ſe mœrore & triſtitia affici. contra, ſi bene nobis eſt ac commode, magnam ex felici noſtro ſtatu voluptatem ſe capere. Unde etiam prius vidimus *ſupr. 63.*
Spiritum Domini affici triſtitia, quum everſus ac *verſ. 10.*
confuſus eſt is ordo quem requirit ac probat: alibi *ſupr. 62.*
ſponſi perſonam in ſe transfert qui in uxoris amore *verſ. 5.*
acquieſcit.

20. *Non erit amplius.*] Nonnulli putant hic diſcrimen notari inter Legem & Euangelium: quod Lex veluti pædagogia, diſcipulos tenuerit in primis *Gal. 3:24.*
rudimentis: Euangelium autem nos ad provectam uſque ætatem perducat. Alii nullum amplius ætatis diſcrimen fore intelligunt. quod ubi æterna eſt vita, ibi neque pueri, neque ſenis ratio habeatur. Ego vero Prophetæ verba ſic interpretor, Sive pueri ſint, ſive ſenes, ſic ad maturam uſque ætatem perventuros, ut ſemper vigeant, velut in ipſo flore ætatis. denique, ſemper vegetos atque integros fore. Nam ſeneſcimus & deſtituimur viribus ob peccata noſtra. Cuncti dies noſtri te iraſcente dilabuntur, inquit Moſes: annos noſtros finimus dicto citius. Dies an- *Pſal. 90.*
norum noſtrorum quibus vivimus, anni ſunt ſeptua- *verſ. 9.*
ginta, aut ad ſummum octoginta: quod ultra eſt in præſtantiſſimis, labor eſt, ac moleſtia: velociter tranſit vigor noſter, noſque avolamus. Chriſtus autem venit ut reparet vires noſtras, ac reſtituat, ſtatumque noſtrum integrum ſervet. Quanquam diſtinguere convenit inter duo membra. Nam ubi longævos fore dixit Eccleſiæ cives, ut nemo niſi matura ætate, & completa curſus ſui meta, tollatur è mundo: ſimul adjungit in ipſo quoque ſenio robuſtos fore. Etſi autem major pars fidelium vix ſe præ debilitate ſuſtentat, aliis etiam ante tempus vires ſunt caducæ, non tamen fallax eſt iſta promiſſio: quia ſi vere & perfecte in nobis regnaret Chriſtus, floreret haud dubie virtus ejus in nobis, corpuſque & animum vegetaret. Eſt igitur noſtris vitiis imputandum, quod morbis, doloribus, ſenio, aliiſque incommodis ſumus obnoxii: quia nos plene à Chriſto poſſideri non patimur, nec ita profecimus in novitate vitæ, ut omnem vetuſtatem exuerimus. Eſt etiam hic notandum, benedictiones aut animæ aut corporis in ſolo Chriſti regno, id eſt, in Eccleſia eſſe: extra ipſam igitur nihil aliud quam maledictio eſt. Unde ſequitur miſeros & infelices eſſe omnes qui alieni ſunt ab hoc regno: & quamvis floridi & vegeti videantur, putrida nihilominus coram Deo & fœtida eſſe cadavera.

21. & 22. *Non ædificabunt domos.*] Commemo- *Levit. 26.*
rat his verſibus quod in Lege dictum eſt. Nam hæ *verſ. 10.*
ſunt benedictiones Legis, ut qui obſequuti fuerint *Deut. 28.*
verſ. 30.

Deo, habitent in domibus quas ædificarint, colligent fructum ex arboribus quas plantarint. contra, immorigeri expellantur à domibus quas extruxerint, atque alienigenis cedant, & fructibus arborum quas plantaverint, ſpolientur. Dominus, inquit Jeſaias, vos ab iſta maledictione eximet, ut rebus veſtris fruamini. Proponunt autem Prophetæ ea quæ ad præſentem vitam pertinent, atque ex iis ſimilitudines mutuantur: ſed ut altius conſcendere nos doceant, atque æternam & beatam vitam amplecti. Non eſt enim caducis hiſce bonis hærendum: ſed iis veluti ſcalis utendum eſt, ut in cælum evecti, æternis & immortalibus bonis frui poſſimus. Merito autem regenitæ Eccleſiæ & quæ mero Dei beneplacito innititur & gratuito favori, promittitur eorum bonorum fruitio quibus ſe increduli privaverant. Quod mox additur, Secundum dies arboris, quidam hic æternam vitam promitti putant: acſi homines haberent arborem vitæ. Sed argutia coacta eſt, & nimis remota à Prophetæ ſenſu. Ac miror equidem interpretes in hujus loci explicatione tantopere laborare. quoniam Propheta non ſolum de vita, ſed de tranquillo vitæ ſtatu loquitur: acſi diceret, Plantabitis vineas, & veſcemini fructu ipſarum: nec prius eripiemini è vita, quam fructum percipiatis: nec tantum vos, ſed liberi quoque veſtri & poſteri iis fruentur. Arboris vero ſimilitudinem uſurpat, quod prius de vineis plantandis loquutus eſſet. Itaque promittit futurum ut populus tranquille fruatur & domibus & vineis ſuis, neque ab hoſtibus aut prædonibus infeſtetur: nec minus diuturna ſit hæc tranquillitas, quam vita arboris. *Opus ſuum.* Opus continuari aut perpetuari dicitur, quum proſperum ſucceſſum habet. nam alioqui fruſtra ſe diu multumque fatigarent homines, niſi Dominus ſucceſſum daret. Aut enim hoſtes diripient, aut vaſtabunt quod inſtituimus, neque perfici poterit. Continuari ergo proprie dicitur, non quum aliqua ſolum eſt progreſſio, ſed quum abſolvitur. Hic obſervandum eſt, non aliter rite nos poſſe compotes eſſe rerum noſtrarum, & tranquillitate legitime frui, quam ſi degamus in regno Chriſti qui ſolus eſt mundi hæres, atque ejus corpori inſiti ſimus. Impii quidem multos annos frui bonis hujus vitæ poterunt: ſed perpetuo inquieti erunt, ſeque miſere exedent, ut ipſa quoque poſſeſſio exitialis ſit ac mortifera. quæcunque enim pertinent ad beatam vitam fide ſolum apprehendimus, qua qui carent, Chriſti membra eſſe non poſſunt.

23. *Non laborabunt.*] Enumerat alias benedictionum ſpecies quas Deus regno Chriſti promittit. nam etſi populo ſuo ſemper benedixit Dominus, tamen ſuſpenſæ quodammodo erant benedictiones uſque ad Chriſti adventum, in quo ſolida & plena apparuit felicitas. Summa eſt, tam Judæos quam Gentiles omni ex parte beatos fore ſub regno Chriſti. Quemadmodum autem ſignum iræ Dei & maledictionis eſt, quum nullum ex labore noſtro fructum percipimus: ita ex adverſo benedictionis ſignum eſt, quum laboris noſtri fructus nobis conſtat. Propterea dicit non fruſtra laborem conſumpturos, nec luſuros operam qui ab exilio reverſi erunt, ut potiantur vera & plena redemptione. Lex minatur orbitatem, bella hoſtilia, privationes bonorum, terrorem in animis: ex adverſo hic promittitur fœcunditas, pax, fructus laboris, tranquillitas. *Levit. 26. verſ. 22. Deut. 28. verſ. 48.* Atque hujuſmodi benedictiones diligenter notandæ ſunt. nam pauci ſunt qui in ſuis laboribus benedictionem Dei reputent, ut ei ſoli omnia attribuant, ac perſuaſum habeant ſe nihil omnino effecturos, niſi Dominus proſperum ſucceſſum donet. Ergo, ut omnis benedictio optanda eſt à Deo, ita ei ſoli acceptam ferre convenit. Quod ſequitur, Non parituras mulieres in terrore, quidam ita exponunt, partum non fore triſtem, vel formidoloſum, quia expertes erunt doloris. Scimus hanc pœnam inflictam eſſe mulieri ob peccatum, ut pariat cum labore, ac periculum mortis ſubeat. *Gen. 3. verſ. 16.* Generantur etiam liberi cum metu & trepidatione, quum aliqua eſt ſuſpicio belli: & probabile eſt huc potius reſpicere Prophetam, nempe eam fore tranquillitatem, ut neque mulieribus, neque viris trepidandum ſit. Nam ad utroſque parentes hoc referendum eſt, qui poſteris ſuis non metuent, ut fieri ſolet quoties impendet aliquid diſcriminis. *Quia ſemen benedictum.* Optime convenit hæc ratio. Unde enim metus ac terrores, unde inquietudines, niſi ex maledictione Dei? Sublata igitur maledictione, merito dicit Propheta parentes cum ſua ſobole immunes fore à formidine & anxia cura: quoniam perſuaſi erunt propitio Deo ſe tutos ſemper fore & ſalvos. *Soboles.* Hoc contrarium eſt orbitati, quæ inter maledictiones Dei numeratur. Idem ergo eſt acſi diceret, Non privabo amplius eos filiis quos genuerint: ſed efficiam ut iis, cum reliquis beneficiis quibus ipſos ornabo, perfruantur.

24. *Et erit.*] Inſignis promiſſio. nihil enim optabilius eſt, quam ut Deum propitium habeamus, atque nobis ad eum facilis acceſſus pateat. Nam etſi infinitæ ærumnæ & calamitates nos circumſtant, tamen miſeri eſſe non poſſumus quamdiu nobis ad Dominum confugere licet. Hic igitur promittit Dominus, nos non fruſtra precaturos. Atqui hoc etiam Patribus ſub Lege promiſſum erat. Certum eſt enim exauditos ab initio mundi fuiſſe Patres, quicunque ipſum invocarunt. nam hic præcipuus fidei fructus eſt. Sed hoc magis ac magis confirmat: quoniam diu exules futuri erant Judæi, Dominus teſtatur ſe non paſſurum ut in exilio diutius langueant, neque dilaturum amplius auxilium ſuum: exauditurum ipſos, etiam priuſquam clament. Atque hoc ad regnum Chriſti potiſſimum pertinet, per quem exaudimur, atque aditum habemus ad Deum Patrem: ſicuti Paulus præclare docet Epheſ. 3. *Epheſ. 2. verſ. 18. & 3: 12.* Patribus quidem patebat idem aditus: nec aliter quam per Chriſtum exaudiri poterant: ſed anguſta adhuc & quaſi impedita erat janua: nunc latiſſime ac pleniſſime patefacta eſt. Sub Lege populus in atrio procul ſtare ſolebat: nunc ab ipſo ſanctuarii ingreſſu nihil nos prohibet, quoniam velum templi ſciſſum eſt. *Mat. 27. verſ. 51.* Nobis igitur in cælum aditus per Chriſtum patet, ut libere & cum fiducia ad thronum gratiæ accedamus, ut miſericordiam conſequamur, atque opportunum auxilium inveniamus. *Hebr. 4. verſ. 16.* Objicietur quæſtio, An nulli hodie ſint fideles in mundo, nullum Chriſti regnum: quia non apparet Deum ita promptum eſſe ad opem ferendam, nec ullus conſtat fructus precum noſtrarum? Reſpondeo: quamvis tunc demum appareat nos exauditos eſſe, quum eventus re ipſa id comprobat, nos tamen interim non negligi à Deo, qui deficere nos non ſinit, ſed virtute Spiritus ſui ſuſtentat, ut patienter illum expectemus. Neque propterea differt, quod tanquam homines, opus habeat tempore: ſed quia patientiam noſtram exercere ac probare vult. In ſumma duplex eſt Deo exaudiendi modus: primum, quum apertum auxilium præbet: deinde, quum virtute Spiritus ſui aſſiſtit, ne malis victi deficiamus. Quod ſi tenaciter infixa eſſet animis hominum hæc doctrina, alacrius ac liberius ad Deum confugerent, nec tam pertinaciter de Sanctorum invocatione diſputarent. Qui enim fit ut homines tam varios ſibi patronos confingant, ad quos potius ſe recipiant quam ad Chriſtum: niſi quod iſtam doctrinam non admittunt, atque beneficas & liberales hujuſmodi promiſſiones repudiant?

25. *Lupus & agnus.*] Significat omnia in integrum reſtitutum iri, ubi Chriſtus regnabit. Atque hic videtur tacita eſſe comparatio inter Adamum & Chriſtum. nam ſcimus omnes præſentis vitæ ærumnas fluxiſſe ex peccato primi hominis; quia tunc

privati

Geneſ. 1. verſ. 28. privati ſumus imperio & dominatione quam Deus homini dederat in animantia omnis generis: quæ certe omnia prius libenter parebant imperio hominis, & morigera erant ad ejus nutum, nunc vero eorum plurima inſurgunt in hominem, atque mutuo etiam inter ſe bellum gerunt. Quod igitur lupi, urſi, leones, & aliæ ejuſmodi feræ noxiæ ſunt homini, aliiſque beſtiis, ex quibus utilitatem aliquam percipimus, imo animalia, quæ utilitatem afferre homini debuerant, ei infeſta ſunt, hoc ejus peccato aſſignandum eſt, quoniam inobedientia ſua rerum ordinem perturbavit. Quum autem Chriſti ſit omnia in ſtatum atque ordinem ſuum colligere, ideo confuſionem vel diſſipationem quæ nunc eſt in rebus humanis Chriſti adventu ſublatum iri ſignificat: quia tunc abolitis corruptelis redibit mundus ad primam originem. Leo veſcetur ſine noxa, nec amplius prædam appetet. Serpens ſuo pulvere contentus, in eo delitеſcet, nec amplius venefico morſu nocebit. Denique, quicquid confuſum aut perturbatum eſt, ordini ſuo reſtituetur. Interea minime dubium eſt, quin Propheta allegorice loquatur de ſanguinariis & violentis hominibus, quorum fera & immitis natura domabitur, quum Chriſti jugum ſubibunt. Sed prius confuſio quæ hominis lapſu contigit, in creaturis omnibus diligenter conſideranda, ea enim præterita, beneficium hoc reſtitutionis non ſatis apte & accurate à nobis expendi poſſet. Simul repetenda ſunt memoria quæ undecimo capite de ſimili allegoria diximus. *ſupr. 11. verſ. 6.* Docemur hic quales ſint homines antequam eos convertat Dominus, atque in ovile ſuum adſcribat: ſunt enim feræ beſtiæ & indomitæ: atque tunc demum ab omni noxa abſtinere incipiunt, quum Dominus eorum libidinem, & inſanum nocendi appetitum repreſſerit. Addit tandem *In* toto monte ſancto, quia diſcuſſis quiſquiliis & ſordibus Dominus puram ſibi Eccleſiam colliget: nam ſub nota univerſali intelligitur purgatio. Mirum interea videri non debet, quod tam multi adhuc ferociant. Pauci enim ſunt veri incolæ montis Dei: pauci integri ac fideles, etiam inter eos qui ſe Chriſtianos profitentur. Quum in iis adhuc regnet ac vigeat vetus homo, diſſidia quoque & bella inter ipſos vigere & graſſari neceſſe eſt.

CAP. LXVI.

SIc dicit Jehova, Cælum ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum. Ubi iſta
domus, quam ædificabitis mihi? & ubi hic locus quietis meæ?
2. Atqui manus mea hæc omnia fecit, & cœperunt eſſe hæc omnia, dicit Je-
hova. Et ad hunc reſpicio qui humilis eſt ac contritus ſpiritu, tremitque ad ſermo-
nem meum.
3. Qui mactat bovem, acſi hominem occidat: qui ſacrificat pecudem, acſi canem jugu-
let. Qui offert minha, acſi offerret ſanguinem ſuillum: qui recordatur thuris, acſi benedicat
[a] idolo. Et ſane elegerunt vias ſuas: & abominationes eorum anima ipſorum deſideravit. *a Hebr. iniquitati.*
4. Ego quoque eligam illuſiones eorum: & terrorem ipſorum inducam illis: quia vo-
cavi, & nemo reſpondit: loquutus ſum, & non audierunt, & fecerunt malum in oculis
meis, & ea in quibus non oblector elegerunt.
5. Audite verbum Jehovæ, qui tremitis ad verbum ejus. Dixerunt fratres veſtri odio
vos habentes, rejicientes vos propter nomen meum: [b] Glorificetur Jehova. Atqui vi- *b vel, gravis eſt: vel, honoratus: vel, glorificabitur.*
debitur cum lætitia veſtra: illi autem pudefient.
6. Vox tumultus ex urbe, vox è templo: vox Jehovæ reddentis mercedem hoſti-
bus ſuis.
7. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret illi dolor, enixa eſt maſculum.
8. Quis audivit huic ſimile? quis ſimile huic vidit? An parietur terra die uno? An
naſcetur gens vice una? Quoniam ſimul doluit ad partum, ſimul peperit Sion filios ſuos.
9. An ego fœtus emitto, & non pariam? dicit Jehova. An ego parere facio, & cohi-
bebor? dicit Deus tuus.
10. Lætamini cum Jeruſalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum
ea gaudio omnes qui lugetis ſuper eam.
11. Ut ſugatis & ſaturemini ab ubere conſolationum ejus: ut mulgeatis & delectemini
ſplendore gloriæ ejus.
12. Quoniam ſic dicit Jehova, Ecce ego derivo ſuper eam, quaſi fluvium pacem: &
quaſi torrentem inundantem, gloriam Gentium. Sugetis itaque, ſuper latus portabi-
mini, & ſuper genua delectabimini.
13. Sicuti virum quem conſolatur mater ſua, ita ego conſolabor vos, & ſuper Jeruſa-
lem erit vobis conſolatio.
14. Et videbitis, & lætabitur cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi herba florebunt: &
cognoſcetur manus Jehovæ erga ſervos ſuos, & indignabitur hoſtibus ſuis.
15. Quoniam ecce Jehova in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ ejus, ut reddat in
furore iram ſuam, & increpationem ſuam in flamma ignis.
16. Quoniam in igne Jehova judicabit, & in gladio ſuo omnem carnem: & multi erunt
interfecti Jehovæ.
17. Qui ſanctificant ſe, & qui ſe purificant in hortis poſt unam in medio: qui comedunt
carnem ſuillam, & abominationem & murem, ſimul tollentur, dicit Jehova.
18. Nam ego opera eorum, & cogitationes eorum. Quia venit tempus ut congregem
omnes gentes & linguas: & venient, & videbunt gloriam meam.
19. Et ponam in illis ſignum, & mittam quoſdam ex illis ſervatos ad gentes Tharſis,
Pul, & Lud, qui trahunt arcu, Thubal & Javan, inſulas remotas: quæ non audierunt no-
men meum, & non viderunt gloriam meam, & annunciabunt gloriam meam in gentibus.

Digitized by Google

20. Et adducent omnes fratres veſtros ex omnibus gentibus oblationem Jehovæ in equis, & quadrigis, in vehiculis, & mulis, & celeribus animalibus. ad montem ſanctum meum Jeruſalem, dicit Jehova: quemadmodum adferunt filii Iſraël in vaſe mundo in domum Jehovæ.

21. Adeoque aſſumam ex illis aliquos in Sacerdotes & Levitas: dicit Jehova.

22. Nam ſicut cæli novi, & terra nova, quæ ego facio ſtant coram me, dicit Jehova: ita ſtabunt ſemen veſtrum, & nomen veſtrum.

23. Et accidet, ut è menſe in menſem ejus, & ex Sabbatho in Sabbathum ejus veniat omnis caro, ut adoret coram me, dicit Jehova.

24. Et egredientur, & videbunt cadavera hominum qui prævaricati ſunt in me: quia vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt nauſea omni carni.

S*Ic dicit.*] Hæc concio diverſa eſt à priore. nam hic Propheta invehitur in Judæos, qui inani ſacrificiorum & templi fiducia elati, ſecure deliciabantur, ſibique in peccatis ſuis ſub hoc prætextu placebant. atque hanc fiduciam non modo ſtultam & inanem, ſed diabolicam & execrandam eſſe oſtendit: quoniam Deo craſſe illudunt, qui externo ritu ipſum colere & placare ſtudent. Itaque ipſis exprobrat quod idolum loco Dei fabricare nituntur, dum templo ipſum includunt. Poſtea de Eccleſiæ renovatione diſſerit, ejuſque propagatione per totum orbem. Porro larvatis vel fucatis Dei cultoribus delicias excutere volens, ab ejus natura exordium ſumit. nam cælum pro domicilio aſſignans, ſignificat majeſtatem Dei omnia implere, ubique eſſe diffuſam, nulloque loco includi aut circumſcribi: tantum abeſſe ut templo includatur. Sæpe docet Scriptura, Deum eſſe in cælo, non quod illic incluſus ſit, ſed ut mentes extra mundum evehamus, nec quicquam humile aut carnale aut terrenum de ipſo cogitemus. Solus enim cæli aſpectus nos altius evehere, atque in admirationem rapere debet. Interea, teſtatur infinitis locis, ſe nobiſcum eſſe, ubique diffuſam ſuam potentiam, ne cælo incluſam eſſe imaginemur. Hoc videtur carere omni controverſia, atque tunc apud omnes pro confeſſo receptum erat. Quis enim neſciebat cælum & terram impleri majeſtate Dei? Objicere ergo poterant: neminem deturbare Deum è cælo velle, fruſtraque excandeſcere Prophetam, & tam vehementer invehi. Nec dubium eſt quin magno cum faſtu hanc Prophetæ doctrinam repudiarint, & ſumma indignatione exarſerint, quaſi fieret ſibi gravis injuria. Sed in promptu eſt exceptio, quum homines ſuo arbitratu placare Deum ſtudent, alienum prorſus ab ejus majeſtate idolum fingere. Hi confiſi frigidis ceremoniis ſuis, probe ſe functos officio putabant, quum frequentarant templum, votaque & ſacrificia in eo fecerant. Propheta non eſſe hoc modulo metiendam Dei majeſtatem oſtendit, ac meras eſſe nugas quicquid ſine cordis puritate obtruditur. nam quum ex cælorum habitatione conſtet ſpiritualem eſſe Dei naturam, niſi reſpondeat cultus, vitioſum & perverſum eſſe certum eſt. *Templi* nomine, ceremonias omnes comprehendit in quibus conſtitutum Dei cultum eſſe putabant. quia ergo Deum & ejus cultum metiebantur pro templi ratione, Propheta hoc indignum majeſtate Dei eſſe docet, eum affigere viſibili & caduco ædificio. Nec enim hic diſputat ſimpliciter de eſſentia Dei, ſed de vero ejus cultu ſimul concionatur: quem ideo ſpiritualem eſſe docet, ut naturæ Dei, qui Spiritus eſt, reſpondeat. Quod ſi homines ſedulo reputarent qualis ſit Deus, cultus ei peregrinos & novos non affingerent, nec eum ex ſe metirentur. Itaque plus habet ponderis & efficaciæ hæc vulgaris & trita ſententia, quam ſi Propheta novum quippiam in medium adduxiſſet. Oſtendit enim eos tam ſtupidos eſſe ac hebetes, ut ignorent id quod vel minimo cuique notum erat: atque mutis beſtiis eſſe ſimiles, quod Deum in templo ſedere ac quieſcere putent. Contemptim itaque quærit, Ubinam eſt iſte locus? quia neque Deum in terra ſubſidere, neque ergaſtulo incluſum latere conſentaneum eſt. atqui templum in monticulo extructum erat, nec capere poterat Dei gloriam ſuis anguſtiis. *Locus meæ quietis.* Atqui, de templo dixerat Dominus, Hæc requies mea ſempiterna, hic habitabo, quoniam elegi eam. Et alibi, Ingredere Domine in requiem tuam. Item prius cap. 11. vidimus requiem Domini in eo glorioſam fore. denique ſolennis fuit hic templi titulus, quem tamen nunc Propheta reprehendit. Reſpondeo, Templum Requiem Dei vocari quod ſignum præſentiæ ſuæ in eo daret. Eum enim delegerat locum ubi invocaretur: unde etiam virtutis & potentiæ ſuæ documentum præberet. Sed non ideo extrui juſſit, ut ejus majeſtatem homines fingerent ſuo arbitratu: quin potius, ut ſignis præſentiæ Dei admoniti, altius mentes attollerent, & eveherent in cælum, atque ipſum toto mundo ſuperiorem & majorem eſſe agnoſcerent: ſed ut propenſæ ad ſuperſtitionem ſunt hominum mentes, ex adminiculis impedimenta ſibi fecerant Judæi: & quum fide aſſurgere in cælum deberent, Deum ſibi devinctum eſſe perſuaſi, defunctorie tantum, imo luſorie eum colebant pro ſuo ingenio. Hic locus perquam accommode citatur à Stephano, & tacite aptatur à Paulo in hunc ſenſum quem diximus. oſtendunt enim eos vehementer falli & errare, qui carnales ceremonias obtrudunt Deo, acſi iis purus cultus & religio conſtaret, vel ſtatuis & imaginibus ſceleſte & impie ejus gloriam deformant. Judæos enim compellat Stephanus, qui dediti Legalibus figuris veram pietatem negligebant. Paulus vero apud Gentiles verba faciens negat Deum in templis manufactis habitare.

Pſal. 132. *ſupr. 11. verſ. 10.* *Actor. 7. & 17.*

2. *Atqui manus mea.*] Propheta refellit falſam opinionem quam homines concipiunt de cultu Dei, quod ſacrificia & externos ritus multum per ſe valere exiſtiment. Hic enim ſtatus eſt quæſtionis: Deum nihil per ſe morari ceremonias, inanes & frigidas eſſe larvas, quum iis Deo ſatisfieri homines putant. Quod ſe hæc omnia feciſſe dicit, non eſt ſolummodo referendum ad templum: ſed ad omnia quæ Deo illic offerebantur. *Feciſſe* autem ideo ſe dicit, ut intelligant homines, Deum externo hoc cultu non indigere, ſicuti Pſalmo 50. omnia animantia ſe creaſſe, & ſua eſſe pronunciat, quorum victimis ipſum promereri volebant Judæi. Sed hoc vitio laborant ſtulti mortales, quod Deum transfigurant pro ſuo ingenio, quum ipſe commodi potius noſtri cauſa quam ſui, cultum externum inſtituerit, ut ſcilicet pro modulo carnis noſtræ exerceamur. *Cœperunt.* Idem eſt acſi diceret, ſe non eſſe his rebus comparandum, quæ aliquando eſſe cœperunt, quum ipſe æternus ſit, nec initium habuerit. Potui, inquit Dominus, carere ſacrificiis veſtris, quum prius eſſem quam ipſa eſſe cœperint. Ea igitur nihil mihi afferre poſſunt. Denique ceremonias per ſe nihil efficere contendit, ſed in alium finem ſpectare. Sumit autem pro confeſſo Jeſaias, fieri non poſſe ut quicquam Deo accreſcat: unde ſequitur, ſe uno eſſe contentum: quia ab ultima æternitate mundo carere potue-

potuerit. Poſtea additur legitimi cultus definitio: quum enim Deum ad humiles reſpicere dicit, non dubito quin Propheta hic *humilem* & contritum ſpiritu, tacite opponat ceremoniarum pompæ ſplendorique illi & elegantiæ, quibus perſtringi hominum oculi ſolent, ita ut in admirationem rapiantur. Teſtatur ergo Dominus ſe potius requirere humiles & dejectos animos, & qui ad ejus mandata contremiſcant: quibus verbis notatur interior cordis puritas, veruſque pietatis affectus: ac ſimul docet quomodo nos comparatos eſſe deceat, ut Deo grati ſimus. Quod attinet ad tremorem, poſſet abſurdum videri in ſpeciem, quod eum in fidelibus requirit, quum ſermone Domini nihil lenius ſit aut ſuavius: nec alienius quicquam ab eo, quam terrere. Reſpondeo, duplex eſſe tremoris genus: unum quo abſterrentur ii qui Deum fugiunt & oderunt: alterum quo tanguntur & ſubiguntur in obſequium Dei, qui reverentur eum ac timent. Scio membrum hoc ab aliis referri ad Legem, quæ minatur ac terret, atque horribile Dei judicium denunciat: ſed ego generalius accipio: nam ad promiſſiones etiam pii contremiſcunt, quum eas reverenter amplectuntur. Hinc collige veram pietatem in eo conſiſtere, ut ſenſus omnes compoſitos habeamus in obſequium Dei, nec quicquam nobis confidenter aut proterve arrogemus. Hæc enim fidei natura eſt, ut morem geramus Deo, eumque loquentem attente patienterque audiamus. Ubi vero inani perſuaſione noſtri efferimur ac tumemus, vacui ſumus pietate ac timore Dei. Nec enim vel tantillum arrogare nobis poſſumus, quin Deum aſpernemur. Ac diligenter notandum eſt quod dicit, *tremere* ad ſermonem Dei. Multi enim ſe Deum revereri & timere jactant. ſed dum negligunt ejus Verbum, ſimul ſe Dei contemptores eſſe oſtendunt. Quicquid enim reverentiæ debemus Deo, Verbo ipſius deferendum eſt, in quo plene tanquam in viva imagine agnoſci vult. Summa eſt, hoc ſacrificium aliis omnibus præferri à Deo, dum fideles vera ſui abnegatione ſic proſtrati jacent, ut nihil de ſe altum ſapiant, ſed patiantur ſe in nihilum redigi. Sic & Pſalmo 51. Sacrificium Deo ſpiritus contritus, cor afflictum Deus non deſpicies. quia autem hæc modeſtia fidei docilitatem parit, hic quoque pietatis affectus additur, ut dejecta omni pervicacia tremant ad ſermonem Dei. Ex his verbis colligenda eſt inſignis conſolatio: Tametſi miſeri videamur in noſtra dejectione & humilitate, atque indigni hominum conſpectu, tamen beatos & felices eſſe, quum nos reſpiciat Dominus, & favore ſuo proſequatur. Quum ad deſperationem ſollicitamur, cogitemus Dominum hoc modo ſervos ſuos, quamvis ad inferos uſque dejecti ſub onere prope deficiant, tamen in cælum evehere.

3. *Qui mactat bovem.*] Hujus verſiculi duo ſunt membra: priore Jeſaias aperte pronunciat, omnia ſacrificia gentis ſuæ nullius eſſe pretii apud Deum, ſed meram eſſe abominationem: altero, horrendam corruptelam notat, qua ritus Gentium miſcuerant ſacrificiis Legis, atque hoc modo omnia corruperant ac perverterant. Plerique his verbis ſacrificia Legis abrogari putant, ſed falluntur: quoniam Jeſaias idem hoc loco tractat quod antea capite 1. & 58. neque damnat præciſe ſacrificia, ſed potius eorum vitia & corruptelas, quod fallaci nudaque ſpecie ſatisfieri Deo putarent Judæi: atque interea verum timorem Dei & puram conſcientiam negligerent. Non loquitur ergo de re ipſa, ſed homines perſtringit, qui ſacrificiis abutebantur: quia hoc tantundem erat, quam Deo putamen vacuæ nucis offerre. Summa eſt, nulla ſacrificia placere Deo, niſi quæ à puro animo & recta voluntate proficiſcuntur. Interea probabile eſt Prophetam alludere ad ſacrificia Gentium, quæ horrenda & portentoſa erant. Mactabant enim vivos homines, aut defodiebant. à quo ſcelere nec Romani, qui ſe religioſiores aliis eſſe putabant, imo nec Judæi abſtinuerunt. Quin etiam parricidiis multis ſe polluerunt [illegible] homines, dum ſe patrem ſuum Abraham ſequi exiſtimabant. Idem ergo facere ipſos dicit Jeſaias, dum mactant bovem, acſi hominem interimerent. Atque ita oſtendit Judæos, tametſi peculiarem cultum atque à Deo inſtitutum haberent, tamen nihilo meliores eſſe Gentibus, apud quas omnia profana & impura erant: nec magis Deo probari: quia pietatis ſimulatio non ſecus profanat Dei nomen atque adulterini & fictitii cultus. Quam vero neceſſaria fuerit hæc admonitio alibi vidimus: quia ubi ſcelerum omnium convicti erant Judæi, quantiſper tamen ſub hac umbra deliteſcebant, ſe putabant tutos eſſe. Merito itaque occurrit Propheta, nihil eos magis proficere ad Deum placandum, quam ſi piacula quærerent ex abominandis Gentium ſacrilegiis. Ubi in fine verſus dicit, *Et ſane elegerunt*, hic locus bifariam verti poteſt. Nam relativum tam in Gentes, quam in Judæos poteſt competere: nempe Judæos ſe miſcuiſſe atque involviſſe impiis ritibus Gentium, vel ſuas ipſorum inventiones ſequutos eſſe. Ac prior quidem expoſitio non male quadraret, niſi eſſet coacta: quia nomen Gentium prius expreſſum non fuit. Hic enim ſceleris cumulus fuit in Judæis, quod non tantum abuſi ſunt puro Dei cultu, ſed etiam contempta Lege, templum & loca omnia impiis & nefandis ritibus conſpurcarunt. Extruebant excelſa, lucos plantabant & nutriebant, edebant ludos, edebant ſpectacula, cæteraque omnia quæ ad corrumpendos animos inſtituta erant, æmulabantur. Ita confuſa quædam ſuperſtitionum farrago apud ipſos erat, qualis hodie ſpectatur in Papatu, ubi conſutos varios centones videmus ex omni genere ſuperſtitionum, non tantum Ethnicarum & Judaicarum, ſed etiam earum quas recens excogitavit Satan, ut facilius & majore cum prætextu mundo imponeret. Hos ergo ac ſimiles bis damnandos eſſe merito diceret Propheta, quod quum jactent Dei nomen, atque ejus cultum profiteantur, eum tamen ſacrilegiis impiarum Gentium polluere & contaminare non pudeat. Altera interpretatio neque obſcura eſt, & peræque convenit, Judæos addictos fuiſſe ſuis commentis, & ſequutos eſſe ſuas abominationes. Negat igitur Deum ex animo colere, qui pro ſua libidine eum contemnant, non modo quia pleni ſunt avaritia, odio, ambitione, fraudibus, ſævitia & rapinis: ſed quia ſuis figmentis Dei cultum adulterant. Etſi enim relativum de Judæis intelligitur, omnes tamen ſuperſtitiones damnat Propheta, quas mutuati erant à profanis Gentibus. Ita in re parum eſt diſcriminis: quia tantum docet, quum audacter & proterve jugum Dei excuſſerint, quum apud eos palam graſſetur impietas, quicquid ab ipſis manat impurum ac deteſtandum eſſe. Neque enim rivuli ex turbido & inquinato fonte lutum & fœtorem trahentes, puri aut liquidi eſſe poſſunt. Electio & deſiderium contumaciam apertius detegunt: nempe quia ſcientes & volentes ſpretis Dei mandatis, animum adjecerint ad omnia contraria, acſi ex profeſſo reſpuere vellent quicquid à Deo profectum erat, ut pravæ ſuæ cupiditati morem gererent.

4. *Ego quoque.*] Significat Propheta Judæos nihil proficere, dum varios obtendunt & ſpecioſos colores, ac ſubterfugia quærunt: quia Deus aſtutiam hominum, & inania verba nihil moratur. Nec certe Deum ingenio noſtro metiri decet, nec pendere oportet à judicio hominum: ſed de operibus Dei ex verbo ipſius judicandum eſt. *Eligam*: hoc eſt, Ita diſcutiam nebulas, quas offundere conantur, ut illuſiones eorum pateant, & conſpicuæ ſint omnibus: nunc enim videntur abſconditæ, ſed aliquando in medium proferentur. Summa eſt, quia tantum ſibi licentiæ ſumpſerant Judæi, ut quicquid libitum

eſſet

eſſet præferrent Dei mandatis, fore etiam Deo ſuas vices, ut pro arbitrio omnes eorum fallacias explicet. Sub voce *errorum*, idem repetit, more Hebræis uſitato, Efficiam ut intelligant ſe erraſſe, atque ut errores quos ſequuti fuerint in eorum capita recidant. Nihil igitur iis ſubterfugia aut prætextus ficti proderunt ad confundendam cum mendacio veritatem, & velandas ſuperſtitiones: quia Dominus ea probe diſcernet. *Quoniam vocavi.* Damnat rurſus Propheta in Judæis obſtinationem, quod ſe à Domino corrigi paſſi non ſint. Hoc enim tantum remedium ſupereſt vitiis noſtris corrigendis, ut Deum loquentem audiamus, quum nos in viam reducere conatur. Sed quum obſtinamus atque induramus animos, malorum omnium extremum eſt. Quum ergo inſtitutis & mandatis Dei homines commenta ſua præferunt, aperte contemnunt Deum: cujus voluntati ſe ſubmittere debuerant, præſertim ubi accedit præfracti animi durities, ut piis monitionibus clauſa ſit janua: ac fruſtra obtendunt diſplicere Deo non poſſe quod ipſius colendi gratia ſuſcipiunt: nam quicquid relicto Verbo eligunt ac ſequuntur homines, Dominus rejicit atque execratur. Repetit etiam quod ante dixerat, peccaſſe Judæos in Dei conſpectu, acſi eum laceſſere propoſitum fuiſſet. Modum tandem adjungit, quia perverſo ſtudio expetiverint quæ vetuerat Deus. nec vero toties perſtringit impiam laſciviam, qua fraudant homines Deum ſuo jure, ſuſque deque habentes quid probet.

5. *Audite verbum Jehovæ.*] Convertit ſermonem ſuum ad veros Dei cultores, atque eis promittit quod in diris illis calamitatibus vix ſperare potuiſſent. Eos porro nominatim compellat, quia multi eo tempore nomen Dei falſo jactabant. Imo promiſcua multitudine relicta, ſeorſim ad paucos dirigit ſermonem, ſicuti capite 8. dictum eſt, Obſigna Legem, liga teſtimonium inter diſcipulos meos. Hac autem nota veros & genuinos Dei filios deſignat, quod ad verbum Domini contremiſcant: quæ rara profecto eſt virtus. Itaque eam opponit falſæ profeſſioni eorum qui Circumciſionem gerentes, cenſeri volebant in populo Dei, magnamque ſanctitatis ſpeciem præ ſe ferebant: ut intelligamus eos demum revereri ac timere Deum, qui ſacroſanctum ejus verbum reverentur ac timent: id eſt, audita Dei voce ſerio perculſi ſenſus omnes ſuos cogunt ad parendum. Hoc enim pietatis inſigne documentum eſt. Porro quia larvatis Dei cultoribus ſolenne eſt magnifice jactare ſuas pompas, Prophetæ conſilium eſt ad ſuſtinendos eorum inſultus armare fideles ac munire, ne deriſi & petulanter vexati labaſcant: acſi diceret, Vobis certamen eſt non modo cum exteris gentibus, ſed cum hoſtibus domeſticis, qui locum in Eccleſia occupant: vobiſque propter commune Dei fœdus fraterna neceſſitudine devincti ſunt. Si ut faſtuoſe Deum quoque ipſum deſpiciunt, ludibrio illis eſt veſtra ſimplicitas, vobis conſtanter & intrepide repellenda eſt hæc tentatio. Fratres ergo nominat, qui tamen hoſtes piorum erant ac verbi Dei: nam hoc nomen, quod falſo uſurpabant, iis per conceſſionem tribuit. Unde colligimus non eſſe novum hoc malum: hoſtes qui fratrum nomen gerunt, in ſinu Eccleſiæ foveri. Bellum hoc inteſtinum perpetuo ſuſtinendum eſt cum hypocritis, qui æquo animo ferre non poſſunt, quod recta & pura conſcientia à nobis Deus colatur. *Rejicientes.* Ad verbum, Jubentes vos procul faceſſere: quemadmodum videmus Papam adverſus nos diris fulminibus agere, quaſi in ſceleratos & perditos: ita hypocritæ exiguum piorum numerum rejiciebant. Nam quum ſuperiores ſunt numero, auctoritate, & opibus, eam quoque tyrannidem exercent, ut pro ſua libidine probent atque improbent omnia, & efficiant ut pii nullo in numero habeantur, quos non modo multitudine obruunt ut palea triticum, ſed faſtu etiam conculcant. *Glorificetur Dominus.* Vel in futuro tempore, Glorificabitur. Alii vertunt, Gravis eſt: ſed videamus quis ſenſus melius conveniat. Qui transferunt Gravis eſt, putant impios conqueri de nimia Dei ſeveritate, quod non parceret populo ſuo, ac ſeverius cum ipſo ageret: atque hac voce ſollicitatum ad deſperationem populum fuiſſe putant: nam quum impii nos alienare à Deo conantur, tollunt omnem ſpem ac fiduciam ſalutis. Sed ego alterutram ex duabus aliis expoſitionem potius ſequor. Hæc quidem magis recepta eſt: Quoniam impii prophetias ridebant & promiſſa, quod nuſquam ea gloria quam aſſidue inculcaverant Prophetæ, appareret: acſi dicerent, Exhibeat Dominus ſpecimen aliquod ſuæ gloriæ, ut tuto in ea recumbamus: velle Prophetam armare pios adverſus talem blaſphemiam, ne fidem ſuam impiorum ſannis labefactari ſinant. Commode tamen & forte rectius poſſet ita accipi hic locus, impios optima quæque ſibi fuiſſe pollicitos, acſi ſuis officiis promeriti fuiſſent Dei favorem, ſicuti etiam illis exprobrat Amos, *Amos 5. verſ. 18.* quod ſecure Deum provocantes, confidant ſibi propitium fore. Quum ergo freti ſuis piaculis ſpernerent omnes minas, Deumque ſibi auxiliatorem fore jactarent: reſpondet longe diverſo modo viſuros Dei gloriam. perinde acſi diceret Deum effecturum ſuo adventu, ut pii intelligant ſe non fruſtra ſperaſſe. Apparebit enim piorum bono, & exitio eorum qui appariturum ipſum prædicant impietatis patronum, cujus ſeverus erit ultor. Illi gaudio fruentur & conſolatione: hi vero pudore ſuffundentur: nam ſentient propediem judicium Dei, quod nunc rident.

6. *Vox tumultus.*] Confirmat ſuperiorem ſententiam: nempe non fruſtra minatum eſſe Deum hypocritis ſe brevi adfore vindicem, quo pii cupidius expectent quod de lætitia promiſſum eſt. Quoſnam vero hoſtes deſignet, dubium eſt: poteſt enim hic locus exponi de Babyloniis, quorum clades fuit Eccleſiæ ſuæ redemptio: poteſt etiam de aliis hoſtibus, qui in Eccleſiæ gremio fovebantur. atque huc ego magis inclino, tametſi non nego poſſe de quovis hoſtium genere accipi. Sed reſpicit domeſticos hoſtes, de quibus hactenus loquutus erat, qui vocem Dei aſſidue perſonantem in ore Prophetarum reſpuebant. Denunciat ergo futurum brevi ut aliam vocem atque horribiliorem audiant. Sed continuo poſt ſequitur mitigatio, ne idem terror pios Dei ſervos exanimet. Summa eſt, fruſtra gloriari impios, ſuamque proterviam opponere Dei judiciis: quia ejus manum minime effugient: imo ex templo quod illis perverſæ confidentiæ latibulum erat, prodituram ejus vocem, pios vero patientiæ ſuæ fructum tunc capturos. Utinam hodie ſimilem contemptum non experiremur in hypocritis, qui omnes monitiones & minas parvipendunt: neque verbo Dei honorem habent. His ergo pro placida & leni voce quam nunc audiunt, vocem tumultuoſam denunciare cogimur, quam aliquando ab aliis longe diſſimilibus magiſtris audient. Nam quum ſacrilego contemptu mundus reſpuat verbum Dei: armatam vocem, hoc eſt, flammas & cædes non tantum audire, ſed etiam experiri cogetur.

7. *Antequam.*] Quum prius conſolatus ſit pios Dominus, ne fratrum arrogantia & deſpicientia moverentur, quos tandem ulturus erat: atque ita firmo & conſtanti animo adventum Domini expectare juſſerit: ſimul addit ſe ita ulturum illos, ut in eorum interitu, piorum ſaluti conſulat. Nec de uno tantum aut altero homine loquitur, ſed de tota Eccleſia, quam mulieri comparat: atque ea ſimilitudine jam aliquoties uſus eſt. Hoc enim agit potiſſimum Deus, ut nos in unum corpus colligat, in quo habeamus teſtimonium adoptionis noſtræ, eumque agnoſcamus patrem: atque in Eccleſiæ velut matris noſtræ utero foveamur. Eſt igitur admodum propria hæc matris ſimili-

ſimilitudo. Significat ſic reſtituendam eſſe Eccleſiam, ut magnam & copioſam ſobolem obtineat, tametſi ad tempus orba ſteriliſque videretur. Atque eam repetit ſententiam, qua jam aliquoties uſus eſt. ſed plus quidem exprimit: nempe ſubitum & inopinatum fore hoc Dei opus. Revocat enim pios à ſenſu carnis, ne ex ſuo judicio reſtitutionem Eccleſiæ æſtiment. Mulieres gerunt uterum per decem menſes, ac tandem partum magno cum dolore emittunt: ſed Domino longe alia gignendorum liberorum ratio eſt. Nam facturum eſſe dicit ut prius in lucem fœtus emergat, quam animadverti aut ullo doloris ſenſu percipi poſſit. unde etiam totam ſibi laudem vendicat, quia miraculum induſtriam hominum excludit. Maſculum autem potiſſimum nominat, ut virilem & fortem animum horum liberorum deſignet: generoſam enim prolem, non mollem aut effœminatam fore intelligit. ſicuti etiam ſcimus Chriſti Spiritu regenerari fideles, qui invicta fortitudine peragant militiæ ſuæ curſum: qua ratione dicit
Rom. 8. verſ. 15. Paulus, non jam eſſe præditos Spiritu timiditatis, &c.

8. *Quis audivit.*] Prædicat magnitudinem rei de qua loquutus eſt. admirabilem enim atque inauditam Eccleſiæ reſtitutionem fore ſignificat, ut eam pii non ex naturæ ordine, ſed ex gratia Dei æſtiment. Nam quum de ea cogitant ſecum homines, inſtar ſomnii eſſe putant: quemadmodum etiam dicitur
Pſal. 126. verſ. 1. Pſal. 126. Cæterum non intelligit Eccleſiam plene ad momentum reſtituendam eſſe: ſunt enim multi progreſſus & longi hujus reſtitutionis: imo etiam pro carnis ſenſu lenti: ſed oſtendit initium ipſum omnem ingenii humani captum ſuperare. neque tamen loquitur hyperbolice: quia ſæpe videmus Eccleſiam parere, quæ prius gravida non videbatur. Imo quum putatur ſterilis, prædicatione Euangelii redditur fœcunda: ita ut magnopere rem ipſam, ubi evenit, admiremur: quam incredibilem omnino eſſe ante judicavimus. Hæc impleta ſunt aliqua ex parte, quum rediit populus è Babylone; ſed multo luculentius teſtimonium in Euangelio editum eſt, quo publicato, ſtatim varia ſoboles & numeroſa prodiit. Noſtris vero temporibus annon hujus prophetiæ complementum vidimus? Quot enim liberos à triginta annis, quibus Euangelium prædicatum eſt, genuit Eccleſia? Annon Dominus ſuos hodie magno in numero ubique terrarum habet? Nihil igitur hic prædictum eſt, quod non evidenter appareat. Miraculi gloriam illuſtrat ſimilitudine: nulla gens eſt quæ ſtatim in mundo extiterit. Nam paulatim conveniunt homines & numero augentur, & gentem ſuam propagant. Eccleſiæ vero longe alia ratio eſt, quæ ſtatim non uno tantum in loco ingentem multitudinem parit. Summa eſt, Deum mirabiliter facturum, ut inſolito more innumeri Eccleſiæ filii ſimul & repente naſcantur. Terram pro qualibet regione, vel pro incolis accipere licet.

9. *An ego.*] Quemadmodum ſuperiore verſu opus Dei magnifice extulit, ita nunc oſtendit incredibile hoc videri non debere, nec ambigendum eſſe de ejus potentia, quæ omnem naturæ ordinem ſuperat: nam ſi conſideramus quis loquatur, & quam facile ſit ei præſtare quæ promiſit, haud ita ancipites hærebimus, quin protinus ſuccurrat mundi renovationem eſſe in ejus manu, cui difficile non eſſet creare momento uno centum mundos. Nuper admiratione interpoſita extollere magnitudinem operis voluit: nunc vero ne quid pias mentes impediat vel moretur, ad reputandam ſuam virtutem hortatur: ac quo melius perſuadeat nihil tam arduum eſſe coram hominibus, quod non ſibi expeditum ſit, & arbitrio ſuo ſubjaceat, proponit in medium ea quæ ipſi quotidie cernimus: nam in partu muliebri admirabilem ejus potentiam intuemur ac ſuſpicimus. Annon vero ſe Dominus multo admirabiliorem præbebit in augenda & multiplicanda Eccleſia, quæ præcipuum eſt gloriæ ejus theatrum? Nimis ergo maligne reſtringitur ejus virtus, ſi minus creditur valere, ubi immediate & quaſi palam exerta manu per ſe agere volet, quam ubi operatur per naturalia media.

10. *Lætamini*] Promittit lætum fore ſtatum qui mœſtus antea & lugubris erat: nam reſpicit Jeſaias non ſuam ætatem, ſed exilii tempus quo aſſidue gemebant pii, ac mœrore confecti prope deſperabant. Pios igitur omnes ad gaudium hortatur atque incitat, qui ſingulari affectu erga Eccleſiam ducuntur, nec quicquam habent optabilius ejus ſalute. quo admonet non alios tanti boni conſortes fore, niſi quos pius Eccleſiæ amor & ſtudium ad expetendam ejus liberationem ſollicitat: & quidem ubi contemptibilis eſt coram mundo, ſicuti Pſal. 102. dicitur, Quoniam Pſal. 102.
diligunt manſueti tui lapides ejus, & pulveris ejus verſ. 15.
miſerebuntur. Ideoque addit, *qui lugetis*: nam quia in exilio deformis & horrenda diſſipatio erat, nec quicquam ſalutis amplius ſperabatur, excitat pios, ac læto animo eſſe jubet, vel ſaltem ſe accingere ad gaudium. Atque hæc exhortatio promiſſionem quoque & plus quiddam continet. Nec enim tantum efficaciæ habuiſſet ſimplex promiſſio: ſed iſta ad unum tempus duntaxat reſtringi non debent: nam tenenda eſt generalis regula, de qua jam ſæpius diximus. nempe iſtas promiſſiones à populi reditu uſque ad regnum Chriſti & complementum ejus extendendas eſſe.

11. *Ut ſugatis.*] Hic verſus ſuperiori conjungi debet: nam Propheta exponit qualis gaudii materia futura ſit: quia ſcilicet infelix ac miſer Eccleſiæ ſtatus in beatum & felicem mutabitur. Sugendi autem verbo ad teneros infantes alludit: acſi diceret, Fruamini matre veſtra cum bonis omnibus, atque à mammis ejus pendeatis. Hic vero pueris ſimiles facit pios omnes, cujuſcunque ſint ætatis, ut meminerint infirmitatis ſuæ, ac Domini virtute confirmentur. Quamobrem diligenter hæc ſugendi & mulgendi metaphora notanda eſt. *Conſolationum* vocem alii active, alii paſſive accipiunt: ego vero ſignificationem paſſivam amplecti malo. Intelligit enim conſolationes quas accepit Eccleſia, quarum etiam liberos ſuos participes facit. Et certe ea gaudii materia, nulla major aut amplior, nulla inſignior afferri poteſt. Idque apertius liquet ex proximo membro, ubi additur delectatio in ſplendore gloriæ.

12. *Quoniam.*] Proſequitur metaphoram ſuam: ac filios Dei comparat pueris infantibus qui in ulnis geſtantur, qui foventur in ſinu matrum: cum quibus etiam luditur. Atque ut magis affectum ſuum erga nos exprimat Dominus, matri ſe comparat, cujus amor reliquos omnes vincit magno intervallo, ut alibi viſum eſt. Vult ergo nobis Dominus eſſe loco matris, ut pro moleſtiis, ludibriis, miſeriis, & angoribus quos ſuſtinuimus, nos delicate tractet, ac veluti in ſinu foveat. *Pacis* nomine, felicitatem deſignat. In voce *Gloriæ*, repetitio eſt, qua ſignificat omne genus opulentiæ, ut nihil ad abſolutam & integram pacem deſit. Nam quum ante in deliciis agerent Gentes, refertæque eſſent multiplici bonorum copia, divitias omnes, & quicquid ad beatam vitam ſpectat piorum fore affirmat, ſicuti in mare decurrunt fluvii. Per continuum vero defluxum notatur perpetuitas: nam quia Deus fons eſt inexhauſtus, multum ejus pax differt à pace mundi, quæ ſtatim defluit, & cujus exareſcit fundus. Quoties ergo triſtem ac luctuoſum Eccleſiæ ſtatum videmus, meminerimus has promiſſiones ad nos quoque non minus quam ad populum illum pertinere. Quum ſint Domino fluvii pacis quos emittere vult in Eccleſiam ſuam, ne in mediis, atque etiam acerrimis bellis animum deſpondeamus: ſed in miſeriis & anguſtiis noſtris erigamus animos ac lætemur. Quod autem nos quaſi infantes, non tanquam adultos homines, delectat, agnoſcere debemus conditionem noſtram, ut conſolationibus ejuſmodi contenti ſimus. Et certe ſingularis indulgentiæ ſignum eſt, quod ita infirmitatem noſtram tolerat.

Digitized by Google

13. & 14. *Sicuti virum.*] Mirum eſt Prophetam tantopere in hanc renovationem inſiſtere, quum prius ſatis de ea dixiſſe videretur. Sed quia nec magnitudinem amoris & ardorem, quo Deus erga nos afficitur, exprimere, nec ſibi dicendo ſatisfacere poteſt, ideo repetit ſæpius atque inculcat. Quod dicit gaudium illis fore ſuper Jeruſalem, bifariam exponere licet. Poteſt enim dici pios lætis animis fore, quum reſtitutam Eccleſiam videbunt: vel Eccleſiam, poſteaquam reſtituta erit, partibus ſuis functuram eſſe, ut filios ſuos exhilaret. Cui interpretationi ego potius adhæreo: quanquam utraque convenire poſſit. Prior quidem interpretatio uberior videtur: ſed quid voluerit Propheta, non quid magis arrideat, ſpectandum eſt. Deum quidem primùm facit lætitiæ auctorem, & merito: adjungitur tamen ſecundo loco Jeruſalem quaſi miniſtra. Cæterum hoc profanis contemptoribus non dicitur, quos nulla Eccleſiæ cura tangit, ſed qui pio ſtudio ejus ſe filios eſſe declarant. Vivendi verbo certam experientiam exprimit, ne de eventu fideles dubitent: ſed vaticinium hoc plena certitudine amplexi Eccleſiæ orbitatem patienter ad tempus ferant. Similitudine hoc idem illuſtrat, oſſa eorum dicens recuperatura novum vigorem, ſicuti herbæ emortuæ re-
Prov. 17. floreſcunt. Oſſa vero nominat, quæ ut triſtis ſpiritus
verſ. 32. deſiccare, ita alacer & lætus replere & vegetare ſolet. Vehementem ergo & incomparabilem lætitiam deſignat: ac videtur alludere ad triſtitiam qua pii in exilio fere contabuerant, ut aridi, mortuiſque hominibus ſimiles redditi eſſent. Eos ergo conſolatur Dominus, atque florentem boniſque omnibus abundantem Eccleſiam promittit. acſi oſſa ſucco carentia novum vigorem recuperarent: ſicuti herba quæ hyeme emortua videtur, quotannis germinat. Poſtea iterum ut fiduciam concipiant, aſſurgere ad Deum jubet, qui tunc patefaciet ſuum auxilium. Sequitur autem non ſemper cognitam fuiſſe Dei manum, ſed aliquandiu ignotam latuiſſe, acſi nullam ſuorum curam haberet. Nam in ſpecie videbatur ipſos abje-
Dan. 1:6. ciſſe, quum Daniel aliique pii non minus quam Zedechias in exilium abducti eſſent. Ergo ubi illuxerit ſerenitas, diſcrimen bonorum & malorum tale fore dicit, ut conſpicua ſit hæc manus, quæ prius quodammodo abſcondita erat: quia non diſſimulabit amplius, nec impios graſſari ſinet, ſed aperte oſtendet quantam pro ſuis curam gerat. Ergo ſi ad tempus prævalent, atque impune graſſantur hoſtes: ſi negligi ac deſtitui omni auxilio videmur, ne deſperemus: quia veniet tempus quo ſe patefaciet Dominus, noſque ab eorum injuriis & tyrannide vindicabit.

15. *Quoniam.*] Hæc hypotypoſis eo ſpectat, ut quum pii ſceleratos homines in eorum miſeriis exultare, magiſque ac magis inſoleſcere vident, ne propterea deflectant à recta via, aut animum deſpondeant: nec enim ſolummodo voluit percellere impios qui nullis moventur minis, omniaque ſubſannant: ſed pios conſolari ut ſe beatos eſſe ſentiant, quod ſub tutela Dei ſint, nec propterea ſe adjungant impiis, quod proſpere iis omnia ſuccedunt. His ergo potiſſimum conſulit, ut Dei tutela & gratia contenti ſint. Cæterum an extremum quoque judicium comprehendat cum temporalibus pœnis, quibus jam impios perſequi incipit, ambigi poteſt. Ego vero non dubito quin illud quoque ſimul cum iis complecti velit, quæ æterni judicii tantummodo præludia ſunt. *Veniet.* Hoc fieri cœpit quum populo Babylonem abducto, hoſtes domeſticos ultus eſt Deus. Ex quo autem impletum fuit redemptionis tempus, armata manu impias gentes durius aggreſſus eſt, nec deſtitit alia etiam & varia ſui adventus documenta ſubinde dare, quibus ſe electo populo præſentem oſtendit, atque in igne venit ad judicandos hoſtes. Tandem ſcimus eum ultimo venturum in igne, ut omnes impios ulciſcatur. Sed hic locus ad extremum judicium reſtringendus non eſt, quin reliqua etiam complectamur. Quanquam has minas, ut paulo poſt videbimus, peculiariter ſtringit contra larvatos Judæos. Metaphoricæ vero hæ loquutiones ſatis uſitatæ ſunt Scripturis: non enim aliter 2 Theſſ. 1.
horrendum hoc judicium Dei animo comprehen- verſ. 8.
dere poſſemus, quam ſi Prophetæ ex rebus notis & 2 Petr. 3.
uſitatis ſimilitudines adferrent. verſ. 7. His autem ſenſus noſtros ſerio afficere ſtudent Prophetæ, ut vero Dei timore perculſi non æmulemur impios, quibus tam horribilis imminet vindicta. Unde apparet quam frivolæ & inutiles ſint ſpeculationes Sophiſtarum, qui de qualitate & ſubtilitate illius ignis diſſerunt, quum Scriptura eo tendat, ut horribile judicium Dei nobis ſub figuris demonſtret, quod alioqui nec cogitatione complecti, nec animo comprehendere poſſemus. Quod etiam melius liquet ex nomine Gladii, quia eadem eſt ratio.

16. *Quoniam in igne.*] Hic nihil adfert novi: ſed tantummodo confirmat ſuperiorem ſententiam: ac formidoloſum hoc judicium fore demonſtrat, ne quis rem levis momenti eſſe putet. Illum igitur horrorem amplificat, ut metuant impii: pii vero ſe puros & caſtos conſervent, atque ab eorum conſortio ſe ſubducant. Interea æquo animo ſuſtineant injuſtos & crudeles hoſtium impetus, donec armatus prodeat è cælo vindex. Cladem vero denunciat cunctis mortalibus, ut multa ſit cadaverum congeries. Et diſerte hoc addidit, quia paſſim regnaret impietas, ac periculoſam tentationem pii ob felicitatem impiorum ſuſtinerent. Nam quæ ingenii noſtri eſt levitas, prava conſuetudine abduci nos ſinimus, & multitudo nos conturbat, acſi ad prohibendam Dei manum ſufficeret. pravum hunc metum corrigit Propheta: quia ſcilicet quo magis graſſabitur impietas, & major ſceleratorum copia futura eſt, eo magis accendetur ira Domini, ut plures ac majores ſtrages edat: nec impiorum turba & conſpiratio impediet, quin eodem exitio ipſos tollat.

17. *Qui ſanctificant.*] Nunc hoſtes illos deſignat quibus Deum infeſtum fore docuit. Nam dubium eſſe poterat, exterosne & profeſſos hoſtes notaret, an vero ſermonem dirigeret ad Dei contemptores, qui tamen electis & ſanctis permixti erant: aperte ergo falſos & degeneres Judæos compellat: nec mihi dubium eſt quin priore loco hypocritas perſtringat: ſecundo autem ubi dicit, *qui comedunt carnem ſuillam*, ſceleratos deſignet: hoc eſt, eos qui palam & craſſiore licentia impii erant. Sanctificabant ſe hypocritæ, hoc eſt, falſas ſanctitatis larvas induebant: atque hoc prætextu fallebant multos. *Purificabant* ſe in hortis, hoc eſt, variis ſuperſtitionibus ſe polluebant, quibus tamen ſe puros reddi coram Deo arbitrabantur. Alii ſine ulla diſſimulatione Deum religionemque omnem ſpernebant. Eſt igitur generalis ſententia, qua omnes impios, cujuſcunque generis ſint, comprehendit: nempe tam eos qui nequitiam ſuam aperte produnt, quam qui variis integumentis tegunt & occultant. Quod dicit, *Poſt unam in medio*, quidam interpretes ſubaudiunt Piſcinam, acſi in medio horti repoſita eſſet aqua ſacra ad ablutiones. Sed non minus conveniet alter ſenſus, quia proprium ſibi quiſque Deum eligeret, ſuam quoque arborem cuique fuiſſe ex multis.

18. *Nam ego opera eorum.*] Confirmat quod dixit ſuperiore verſu: nempe ſumendas eſſe pœnas de omnibus impiis, ut quamvis ad tempus eos impune peccare ſinat Dominus, eos tamen pœnas aliquando daturos eſſe perſuaſi fideles, ab eorum exemplis abſtineant. Dominus hic teſtatur ſe opera ipſorum videre & obſervare, ac ſe aliquando re ipſa oſtenſurum neminem latere ipſius oculos poſſe. Alii intelligunt nihil ab impiis deſignari poſſe ſine permiſſu Dei: quæ quidem ſententia vera eſt: ſed huic loco non convenit. Nemo enim non videt hanc ſententiam coactam & à contextu Prophetæ alienam eſſe.

Solum

Solum enim confirmat quod prius dixit, hypocritas & ſceleratos tandem impune evaſuros non eſſe, quia Deus omnia eorum facinora, inſtituta, & cogitationes animadvertit: nec quicquam tergiverſando proficere. quaſi nunquam in judicium trahendi eſſent. *Quia venit tempus.* Hoc etiam magis confirmat quod dictum eſt. Jam enim tempus appropinquare dicit, quo omnes gentes convocabit, ut rejectis hypocritis & impiis, populum ex illis colligat, & ſibi adoptet. Judæi efferebantur ſuperbia, omneſque alias nationes ut impuras deſpiciebant. Dominus autem eas ſe adoptaturum ſignificat, ut ejus gloriæ ſint participes, cujus ſe indignos Judæi præbent. Inſignis eſt hic locus, quo docemur Deum alicui populo obſtrictum non eſſe, quin eos eligat quos volet, rejectis incredulis quos prius ad ſe vocavit: ſicuti luculente docet Paulus Rom. 10. & 11. (Rom. 10. verſ. 19. & 11. verſ. 25.) ubi oſtendit nos veluti in vacuam poſſeſſionem veniſſe, poſtquam Judæi ſua incredulitate rejecti ſunt. Hoc eis jam minatur Jeſaias, Ne exiſtimetis Deum populis carere, quum defeceritis, voſque indignos reddideritis ejus gratia. Alios enim habiturus eſt: ipſe vero judicem ſe oſtendet, nec vos tanta licentia abuti tandem patietur. Venturos dicit, quia fidei conſenſu inſiti in Eccleſiam coaleſcent cum veris Judæis, qui ab adoptione non deſciverint: nam quia propinqui Deo erant Judæi, Gentes quæ remotæ erant accedere ad eos oportuit, ut diſſidio ſublato fierent ſimul unum corpus. *Videre* gloriam Domini, nihil aliud eſt quam ea frui gratia qua Judæos dignatus erat. Hoc enim ſpeciale illius gentis privilegium fuit, ut gloriam Dei intuerentur, atque ejus præſentiæ ſigna haberent. Nunc gentes quæ his bonis caruerant, viſuras dicit & conſpecturas illam gloriam: quia Dominus ſeſe omnibus patefaciet ſine exceptione.

19. *Et ponam.*] Hoc dupliciter accipi poteſt, vel quod Deus aliquod ſignum porrigat: vel aliquo ſymbolo aut teſſera ſuos inſigniat, ut ſalvi evadant. Prior expoſitio magis recepta eſt: ſed nonnulli in ea pueriliter argutantur de ſigno crucis: alii vero ad prædicationem Euangelii referunt: utrique meo judicio hallucinantur. Videtur enim potius alludere (Exod. 12. verſ. 13. Apoc. 7. verſ. 4.) ad id, quod Moſes ſcribit factum eſſe in exitu & liberatione populi: atque in Apocalypſi refertur, Quotquot ſignati fuerint à Domino, ſalvos fore, etiam quum ira ejus graſſabitur per univerſum orbem; quemadmodum ii quorum ſignatæ erant poſtes in Ægypto, ſalvi evaſerunt. Atque ita oſtendit neminem effugere poſſe iram Dei, præter electos, quibus ſignum & notam Dominus impreſſerit. In ſumma, Propheta amplificat quod jam dictum eſt de gravi & dira ultione quam Deus ſumpturus erat de impiis. Omnes enim perituri eſſent promiſcue, niſi Dominus aliquos nota ſua inſigniret. A communi igitur exitio totius gentis, exiguum aliquem numerum ſe (cap. 1: 9. & 10. verſ. 22.) reſervaturum dicit. Atque hic verus Prophetæ ſenſus eſt: quemadmodum etiam alibi dixerat ſe quaſdam reliquias velut à communi incendio erepturum. Ex hac reſidua manu dicit quoſdam fore ſibi præcones ad celebrandum in Gentibus nomen ſuum: ſicuti videmus paucorum opera longe lateque promulgatam fuiſſe ſalutis doctrinam. *Tharſis.* Hoc nomine Ciliciam deſignat: atque totum littus maris mediterranei Judææ oppoſitum comprehendit. Alii Africam & Cappadociam ſignificari putant: ſed priorem ſententiam magis amplector. Per *Lud*, nonnulli Lybiam: & alii Aſiam minorem intelligunt. Per eos *qui trahunt arcu*, Parthos: quoniam experti erant in arte ſagittandi. Per *Thubal* & *Javan*, Italiam & Græciam: per *inſulas* vero, ignotas regiones deſignat. Nam inſularum nomine, quicquid ultra mare erat, Judæi ſignificabant: ut jam antea ſæpius dictum eſt. *Quæ non audierunt.* Significat ſpargendam eſſe notitiam Dei per univerſum orbem: nam Græci, Itali, Parthi, Cilices, aliique populi nihil de pura religione & ſincero Dei cultu audierant: atque univerſus orbis profundiſſimis ignorantiæ tenebris demerſus erat. Notam ergo ubique terrarum fore gloriam Dei promittit. Subeſt autem emphaſis in nomine *gentium*: quia tunc Dominus uni tantum populo notus erat, nunc omnibus ſe patefecit.

20. *Et adducent.*] Hic aperte exponit quod prius dictum eſt: nempe omnes qui evadent ac ſuperſtites erunt, quamvis ſint pauci numero, tamen ſacerdotes fore qui undique victimas Deo adducent. Alludit autem ad veterem ritum Legis: tametſi notat diſcrimen quod inter iſtas oblationes, & veteris Legis ſacrificia futurum eſt. Nam inſtituit novum ſacerdotii genus, & nova ſacrificia. Quemadmodum vero dixerat ſe omnes gentes collecturum, ita nunc oſtendit non inanem ſacerdotum, quos conſtituerat, laborem fore: quia Dominus proſperum ſtudiis eorum ſucceſſum dabit. *Fratres* vocat, qui prius alieni erant: quia novam conjunctionem reſpicit, quæ conſtat fide. Scimus enim exteras gentes per fidem in genus Abrahæ inſitas eſſe. Quanquam alii diverſum ſenſum eliciunt, quem non prorſus rejicio, Ubi Deus novum populum ſibi ex alienis gentibus colliget, Judæos qui huc & illuc fuerant diſperſi, aggregandos eſſe: quod etiam impletum eſt. Videtur tamen aptius hoc referri ad vocationem Gentium: quia tunc ſublato diſcrimine fraterna conjunctio eſſe cœpit inter omnes quos adoptare voluit Deus in filios. Abraham fuit pater unius gentis, nec tamen (Rom. 9. verſ. 7. ibid. 4. verſ. 17. Gen. 17. verſ. 5.) omnes qui ab eo originem duxerunt ſecundum carnem, filii ejus cenſentur: nam Iſmaelitæ & Idumæi rejecti ſunt. Tunc ergo demum pater multarum gentium factus eſt, cum Deus cooptavit gentes, ac fœdere ſibi conjunxit, ut fidem Abrahæ ſequerentur. Atque ita videmus quorſum Propheta vocet nos Judæorum fratres, qui prius alieni ab Eccleſia Dei fueramus. quia falſos & reprobos fratres prius dejecerat ſuo loco. Notandus eſt hic fructus qui ſequitur ex piis laboribus eorum qui Domino operam ſuam impendunt: nempe quod à mortiferis erroribus ad Deum vitæ fontem adducant fratres ſuos. qua conſolatione animos ſuos erigere, atque in ærumnis & moleſtiis, quas ferunt, ſuſtentare debent. Dominus ex ſuis neminem perire ſinit. Quum itaque opera noſtra uti vult ad eripiendos fratres noſtros, felices & beati ſumus. *Ex omnibus gentibus.* Significat nullum amplius diſcrimen inter Judæos & Gentes fore. (Epheſ. 2. verſ. 14.) quia Deus maceriam diruet, atque Eccleſiam conſtituet ex omnibus gentibus. Atque ita impletum eſt illud Davidis de Chriſto, Poſtula à me: (Pſal. 2. verſ. 8.) dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Quum *montem ſanctum* nominat, accommodat ſe uſui & conſuetudini illius temporis: quia Deus Jeroſolymis in templo colebatur. Nunc diffuſum eſt ubique templum: quia puras ad Deum manus tollere ubique licet, (1 Tim. 2. verſ. 8.) nec jam ullus habetur locorum delectus. Oblationum quoque mentionem facit, & ſacrificiorum quæ in templo fiebant: quanquam ſacrificia quæ nunc offerenda ſunt, à priſcis illis longe differant. Sed Prophetas à rebus uſitatis ſimilitudines mutuari neceſſe fuit: ſicuti jam ſæpius dictum eſt. Prius animalia & pecudes pro victimis erant: at Apoſtoli aliique ſacerdotes Chriſti, homines ipſos mactarunt: vivumque ſacrificium Deo per Euangelium obtulerunt. Paulus hoc ſe ſacerdotio functum teſtatur, quum gentes mactavit gladio Euangelii, ut fierent oblatio acceptabilis Deo, ſanctificata per Spiritum ſanctum. Non eſt igitur ſacerdotium legale, nec Papiſtico ſimile, quo Chriſtum immolari dicunt: ſed Euangelicum, (Rom. 15. verſ. 16.) quo mactantur homines, ut renovati Spiritu, Domino offerantur. Quoſcunque ergo lucrifacere poſſumus Chriſto, eos in ſacrificium offerimus, ut toti Deo conſecrentur. Sacrificat etiam unuſquiſque

quum ſe devovet & addicit Deo, atque integrum
Rom. 12. verſ. 1. obſequium illi offert. Hanc enim hoſtiam Paulus etiam Rationalem vocat. Ita vocationis noſtræ finis oſtenditur, ut abſterſis pollutionibus, & nobis mortui, nos colendæ ſanctitati addicere diſcamus. *In equis & quadrigis.* Quidam hic allegoriam quærunt: atque Prophetam ideo *adducendi* verbo uſum putant, quod Euangelium non cogat metu homines, ſed blande potius alliciat, ita ut ſponte ſe conferant ad Deum, ac properent alacriter hilari conatu. Ego vero ſimplicius hunc locum accipio. Quia enim ſubire poterat hæc dubitatio in animos multorum, Qui fiet ut homines è tam longinquis regionibus ad nos accedant? reſpondet, Equos, quadrigas, & vehicula defutura non eſſe. Nam omnia adminicula Dominus in promptu habet, ut juvet ſuos, atque ad propoſitum finem perducat. Cæterum non repugno quin Euangelium poſſit vehiculum dici, quum nos ad ſpem vitæ æternæ vehat: ſed mihi ſimpliciter videtur innuere Propheta, nihil obſtaturum Deo, quo minus colligat Eccleſiam ſuam: & ſibi præſto fore adminicula, ne quis ex electis quos vocaverit, in medio curſu deficiat.

21. *Adeoque.*] Amplificat id quod jam pronuntiavit de inſolita Dei gratia. Colligendam enim Dei Eccleſiam ex populis omnibus ſignificaverat, ita ut ſuperatis omnibus impedimentis & moleſtiis, longinquæ etiam nationes accederent. Nunc vero longius progreditur: nec enim ſolummodo cooptandas à Deo gentes, ſed etiam in ſummum honorem evehendas eſſe docet. Jam magnus erat hic honor, quod immundæ & ſpurcæ gentes cenſerentur in ſacro populo: nunc vero longe admirabilius eſt, quod in ſummum dignitatis gradum evehuntur. Hinc apparet longe aliud eſſe ſacerdotium ſub
Exod. 28. verſ. 1. Chriſto quam ſub Lege fuit. Nam ſub Lege, una tantummodo Tribus ad ſacerdotium admittebatur; Gentes, ut immundæ, prohibebantur ab ingreſſu templi, tantum aberat ut iſto ſacerdotio fungi poſſent: nunc vero omnes promiſcue admittuntur. Nonnulli generaliter exponunt hunc locum, Quod Gentes ſacerdotes erunt, hoc eſt, ſeipſas offerent
1 Petr. 2. verſ. 9. Apoc. 1. verſ. 9. & 5: 10. Deo: ſicuti paſſim Scriptura fideles omnes Regale ſacerdotium vocat. Sed videtur peculiariter deſignare miniſtros & doctores, quos etiam ex Gentibus elegit Dominus, atque inſigni huic muneri, hoc eſt, prædicando Euangelio deſtinavit: quemadmodum Lucam, Timotheum, & ſimiles, qui ſpirituales victimas Deo per Euangelium obtulerunt.

22. *Nam ſicut.*] Hic promittit talem Eccleſiæ inſtaurationem fore ut perpetuo duret. Vereri enim multi poterant, ne poſtea iterum laberetur. Firmum ergo deinceps ſtatum fore ſignificat, poſtquam ſemel à Deo reſtituta erit. Itaque hic magnifica duo beneficia recenſet, inſtaurationem ſcilicet, ac perpetuitatem. Quum loquitur de *cœlis* novis, & *terra* nova, reſpicit ad regnum Chriſti, à quo omnia re-
Hebr. 8. v. 8. 13. novata ſunt: ſicut Apoſtolus ad Hebræos docet. Hæc autem novitas eo ſpectat, ut perpetuo vigeat hic florens ac felix Eccleſiæ ſtatus. Quod enim vetus eſt, ad interitum tendit: quæ inſtaurantur & renovantur, diuturniora eſſe debent. Promiſerat Deus, quamdiu Sol & Luna ſtarent in cælo, teſtes fore
Pſal. 89. v. 37.38. æternæ ſucceſſionis, ne poſteritas Davidis intercideret. Sed quia interruptio quædam ex perfidia populi & ingratitudine contigerat, inſtauratio per Chriſtum facta vaticinium illud vere ſancivit. Merito itaque Jeſaias, Suboleſcent, inquit, vobis filii, & filiis nepotes: & quemadmodum ſtabiliet Deus mundum, ut nunquam intereat; ſic Eccleſiæ perpetua erit ſucceſſio, ut per omnes ætates prorogetur.

In ſumma, exponit quod prius dixerat de renovando mundo: ne quis hoc ad arbores, aut beſtias, aut ſyderum ordinem pertinere putet; nam ad interiorem hominis renovationem referri debet. Veteres hallucinati ſunt, quum exiſtimarunt hæc ad extremum judicium præciſe ſpectare, nec contextum Prophetæ, nec authoritatem Apoſtoli ſatis perpenderunt. Quanquam non nego euſque pertinere, quia non ante ſperanda eſt rerum perfectio, quam Chriſtus mundi vita apparuerit: ſed initium facere altius oportet, ab ea ſcilicet liberatione qua ſuos Chriſtus regenerat, ut ſint novæ creaturæ, ſicuti dicitur ſecundæ ad Corinthios capite ſeptimo. 2 Cor. 7. verſ. 1.

23. *Et accidet.*] Iterum docet Propheta quale diſcrimen futurum ſit inter ſpiritualem Dei cultum, qualis erit ſub regno Chriſti, & carnalem qui ſub Lege fuit. Singulis menſibus in novilunio ſacrificia offerebantur. erant ſabbatha, aliique feſti ac ſolennes dies, quos diligenter obſervabant. At ſub regno Chriſti perpetua erit & continua ſolennitas: nec enim fixi ſunt & ſtati ſacrificiorum dies, quibus eundum ſit Jeroſolymam, aut quicquam hic vel illic offerendum: ſed noſtræ oblationes, feriæ & lætitiæ continua ſerie velut ex die in diem perpetuantur. Interea alludit ad veterem ſacrificiorum morem, ut jam ſæpius uſitatum eſſe Prophetis diximus. Vult ergo Dominus ſibi pura ſacrificia quotidie offerri, non ſtatis temporibus, nec qualia ſub Lege olim aut 1 Petr. 2. verſ. 5.
hodie apud Papiſtas, qui vel ſtulte incumbunt ſuis ceremoniis, acſi piacula eſſent ſcelerum, vel Chriſtum mactare ſcelerate audent: ſed ſpiritualia, ut Joan. 4. verſ. 23.
puro & ſincero cultu veneremur Deum & adoremus. Quod nonnulli hinc abrogationem Legis & veterum ceremoniarum probare volunt, mihi ſatis firmum non videtur. Certum quidem eſt legales illos ritus ſublatos eſſe, atque hinc colligi poteſt: ſed ad probationem hujus rei aliis firmioribus locis uti vellem. Subeſt enim hic duntaxat antitheſis inter Sabbatha & feſtos dies, qui celebrabantur ſub Lege, Hebr. 4.
& Sabbathum quod nobis hodie continuum eſt. v. 9. 10.

24. *Et egredientur.*] Non ſunt hic quærendæ ſubtiles & argutæ interpretationes: ſimpliciter enim admonet eos qui in Eccleſiam cooptati fuerint, circumcirca horrendam Dei ultionem viſuros. Quanquam ſubeſt inter calamitatis anguſtias & liberum exitum tacita antitheſis: acſi diceret, Ex tenebricoſo ergaſtulo ubi conſtricti erant, prodituros rurſus in lucem. Non intelligit has ſtrages fore in cœtu fidelium; hoc enim felicitatem Eccleſiæ valde imminueret, in qua omnia lætitiæ & gaudii documenta à Deo eduntur: ſed quemadmodum prius de perpetua gloria loquutus eſt, qua illuſtrabit ſuos, ita nunc denuntiat pœnas quibus afficiet improbos, ut pii magis ſe in timore Dei contineant. Quod igne cruciandos dicit, nuper metaphoricam eſſe loquutionem admonui: idque ex membro adjuncto aperte liquet. neque enim fingendi ſunt è terra vermes, qui infidelium corda arrodant. Simplex ergo ſenſus eſt, Impiis malam conſcientiam inſtar carnificis fore, qui abſque fine eos diſcruciet, tormentumque illis paratum eſſe quod alia omnia ſuperet. denique dirum & horribilem in modum pavidos & irrequietos fore: acſi vermis cor alicujus hominis roderet, aut exederet ignis, nec tamen ita exeſus interiret. Porro quia nunc impii ſummo in honore habentur, atque pios velut ex alto deſpiciunt, horrendam mutationem denuntiat: quia cum extremo cruciatu ignominiam quoque ſummam ſuſtinebunt; ſicuti par & æquum eſt, quibus contemptui & ludibrio fuit Dei gloria, eos probris omnibus obrutos Angelis & toti mundo abominabiles reddi.

FINIS.

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE

INDEX

INDEX
SENTENTIARUM ET LOCORUM INSIGNIUM
qui in hoc vel JESAIÆ vel CALVINI in JESAIAM opere continentur.

Prior numerus caput, poſterior verſum deſignat.

Abalienantur multi à Chriſto ob crucis ſpectaculum, 53. 5
Abalienari ab eccleſia quam miſerum & exitiale, 11. 11
Abalienati homines a Deo miſerrimi, 1. 26
Abducti à lacte, pro indocilibus, 28. 9
Abnegatio noſtri neceſſaria, 55. 7
Abraham cur Dei amicus dicitur, 41. 8
Abraham e Chaldæa à Domino eductus, 41. 2
Abraham quondam idololatra, 29. 22
Abraham quando multarum gentium pater factus ſit, 66. 20
Abraham non ſemel redemptus, 29. 22
Abraham cur juſtitia dicitur, 41. 2
Abraham quomodo Judæos neſcire dicitur, 63. 16
Abrahæ vocatio, 51. 2
Abrahæ exemplum quatenus imitandum, 57. 5. & 66. 3
Abſtinentiam carnium unde Papiſtæ commendari putent, 22. 13
Abundantia rerum luxuriei conjuncta, 5. 12
Abundantia ſuperbiam & ſecuritatem parere ſolet, 23. 3
Abundantia homines interdum excæcat, 35. 2
Abundantia impiorum miſera, 3. 1. & 55. 6
Acceptio perſonarum judicibus noxia, 1. 23
Acceptio perſonarum in Deo nulla, vide Deus acceptor perſonarum non eſt.
Achaz quoties cum Palæſtinis conflixit victus, 14. 29
Achaz oblatum a Domino ſignum protervè reſpuit, 7. 12
Achaz Regis contumacia & ingratitudo, *ibid.*
Adam & Chriſti diſcrimen, 65. 25
Admiratio quomodo Deo tribuitur, 59. 16
Adoratio duliæ figmentum papiſticum, 2. 8
Adulatio damnatur, 19. 11. & 41. 3
Adulatio à paſtoribus aliena eſſe debet, 30. 10
Ægyptus urbibus abundans, 19. 18
Ægyptus idolis ac ſuperſtitionibus valde addicta, 19. 1
Ægyptus omnium artium liberalium officina haberi voluit, 19. 3
Ægyptus à Chriſto liberata, 19. 20
Ægyptus quomodo pretium redemptionis Eccleſiæ, 43. 3
Ægypti excidium prædicitur, 19. 1
Ægyptii falſa perſuaſione prudentiæ inflati cæteros omnes ut barbaros faſtuoſè deſpiciebant, 19. 3
Ægyptii cæteris gentibus molliores & magis delicati, 19. 16
Ægyptii quando cum Aſſyriis concordes, 19. 23
Ægyptiorum bellum continuum cum Aſſyriis, *ibid.*
Ægyptiorum inſania quo ſenſu Deo tribuitur, 19. 14
Ægyptiorum ſuperbia, 19. 1, 5
Ægyptiorum ad Deum converſio, 19. 19, 21
Ægyptiorum & Chaldæorum collatio, 52. 4
Æmulatio fons diſcordiarum, 11. 13
Æthiopia quomodo pretium redemptionis Eccleſiæ, 43. 3
Affectus fidelium, vide Fidelium affectus.
Afflictiones omnes peccatis noſtris imputandæ, 1. 19. & 64. 4. & 65. 3. 25
Afflictiones à Deo, 5. 26. & 10. 5, 26. & 13. 1. & 14. 5. & 16. 4. & 18. 3. & 19. 1. & 21. 1. & 21. 5. & 23. 8. & 24. 6. & 29. 3. & 41. 25. & 42. 24. & 45. 7. & 47. 6. & 51. 17, 2?. & 60. 10. & 62. 8 & 63. 6
Afflictiones variæ, 42. 25. & 43. 2
Afflictiones quomodo breves & momentaneæ, 51. 14. & 54. 7, 8. & 63. 18
Afflictiones cur diuturnæ, 24. 22. & 32. 14
Afflictiones interdum graves, 51. 21
Afflictionum fructus & finis, 10. 18, 20. & 19. 22. & 21. 11. & 22. 12. & 25. 3. & 26. 9, 12, 16, 2?. & 27. 7, 9. & 29. 19. & 35. 1. & 38. 13, 17. & 40. 31. & 41. 17. & 48. 10. & 59. 15
Afflictionum vis, 9. 1
Agricultura Dei donum, 28. 29
Alacritas piis neceſſaria, 43. 22. & 56. 6
Alacritas in liberalitate inprimis requiritur, 23. 18
Alacritas fidelium, 12. 2. & 40. 31
Alexandri magni inſana cupiditas, 5. 9
Alexandri hiſtoria, 45. 4
Alexandriæ vetuſtas & opulentia, 19. 13
Alimenta duobus modis hominibus adimuntur, 3. 1
Alma pro virgine, 7. 14
Altare pro Dei cultu, 19. 19
Altare noſtrum Chriſtus, 56. 7
Altare unum duntaxat cur Deo conſecratum, 1. 29
Altare Ieroſolymitanum cur cæteris ſanctius, imo ſolum ſanctum, 17. 8
Altitudo, vide Superbia.
Amath urbs ubi ſita, 36. 19
Ambitio damnatur, 5. 8. & 22. 18. & 39. 5
Ambitio Ezechiæ, 39. 2
Ambitio eorum qui Regem multis ditionibus imperantem appetunt quam ſtulta & damnoſa ſit, 8. 7. & 39. 4
Amicitia cum profana & impia gente quatenus colenda, 30. 1
Amor fraternus ex pietate manat, 19. 23
Amos prophetæ vaticinium de captivitate decem tribuum, 7. 8
Amos Jeſaiæ pater. In præfat.
Anabaptiſtarum anarchia, 2. 4. & 60. 17
Angeli miniſtri Dei, 6. 7. & 37. 36
Angeli cur Seraphim dicuntur, 6. 2
Angeli cur virtutes & poteſtates vocentur, 37. 36
Angeli Dei majeſtatem ferre nequeunt, 6. 2
Angelorum munus, 63. 9
Angli pharetrati in bellum prodeunt, 5. 28
Angli quales in bello, 13. 17
Angulus pro præcipua ædificii parte quæ totam molem ſuſtinetur, 19. 13. & 28. 16
Anima pro ventriculo in quem cibus ingeritur, 5. 14
Animæ humanæ præcipuæ partes, 26. 9
Animarum immortalitas, 57. 2
Animalia cur hominibus noceant, 11. 8. & 65. 25
Animus duplex & fallax, vide Hypocriſis.
Animi tantum in nobis eſt quantum a Deo conceditur, 31. 8
Anni mercenarii, 16. 14. & 21. 16
Antichriſtus virtute verbi tollendus, 11. 4
Antichriſti nomine totus ejus regni ſtatus comprehenditur, 14. 18
Antichriſti potentia paulatim labitur, 14. 3
Antiquitas Iſraelis unde æſtimanda, 44. 7
Antiquitatis jactatio reprehenditur, 19. 11. & 65. 7
Antiquitatis prætextu errores non ferendi, 65. 7
Antiquitati quantum tribuendum, *ibid.*
Antverpiæ inſtitores ditiſſimi, 23. 8
Apoſtoli quomodo Prophetarum vaticinia uſurpare ſoleant, 9. 2
Apoſtoli in citandis Scripturæ locis liberiores, 28. 16
Apoſtolorum mos in citandis Scripturis, 64. 3
Aquæ pro Spiritu ſancto, 44. 3
Aqua pedum pro urina, 7. 20
Aquæ uſus in hac vita quam neceſſarius, 12. 3
Aquilæ ſenectus, 40. 31
Aquilo pro Judæis, 14. 31
Arabiæ clades prædicitur, 21. 13
Arabes num Judæis infeſti, 21. 15
Arabum fuga miſera, 21. 14
Arca fœderis præſentiæ Dei ſymbolum, 37. 26. & 46. 2
Arca domini quomodo adorabatur, 46. 2
Arcuum uſus in bello orientalibus frequens, 5. 28
Ariel pro Jeruſalem, 29. 1
Armamentarium in Judæa, 22. 8
Ar-moab appellative ſumptum, 15. 1
Aroer nomen regionis, 17. 2
Arrogantia omnibus hominibus ingenita, 48. 7
Arrogantia quam Deo abominabilis, 10. 9
Arrogantia impiorum, vide Impiorum ſuperbia.
Ars divinationis damnatur, 19. 12
Artes magicæ deteſtandæ, 6. 7. & 19. 3. 12
Artes omnes dona Dei, 28. 29
Artes mechanicæ quam utiles, 3. 2
אשם pro peccati victima, 53. 10
אשר pro id eſt, 37. 21
אשר pro quia, *ibid.*
אשר pro cauſali particula, 49. 23
אשר pro rationali particula, 41. 9
אשר pro nota ſimilitudinis, 17. 9
Aſſyrius pro Chaldæis, 52. 4
Aſſyrius cur baculus furoris Dei, 10. 5
Aſſyrii exercitus ex variis populis conflatus, 8. 9
Aſſyrii ſuperbia, 10. 9, 13
Aſſyrii fluvio rapido cur ſimiles, 8. 7, 8
Aſſyrii cur novaculæ conferuntur, 7. 20
Aſſyrii quando cum Ægyptiis concordes, 19. 23
Aſſyrii præcipui Eccleſiæ hoſtes, 30. 27
Aſſyriorum crudelitas, 30. 31
Aſſyrii quomodo ad Deum converſio, 19. 23, 24
Aſſyriorum exitium prædicitur, 30. 27, 28. & 33. 1
Aſſyriorum exercitus angeli manu deletus, 37. 36
Aſſyriorum exercitus quomodo interierit, *ibid.*
Aſſyriorum monarchia variis nationibus conſtabat, 8. 9. & 17. 12
Aſtrologia judiciaria à quibus orta, 19. 12. & 44. 25
Aſtrologia vana damnatur, 47. 14
Aſtrologia num prorſus damnanda, 19. 12. & 44. 25
Athanaſii dictum, 14. 10
Avaritia damnatur, 1. 23. & 5. 8, 23. & 33. 15. & 57. 17
Avaritia à Deo maledicta, 5. 10
Avaritia judicibus quam noxia, 1. 23
Avaritia Babyloniorum, 14. 3
Avaritia paſtorum damnatur, 56. 11
Avari Evangelio Chriſti paſtſiunt, 32. 7
Audientia qualis verbo Dei præſtanda, 65. 12. & 66. 2
Auditus pro revelatione, 28. 22
Auguſtini locus, 6. 4. & 39. 5. & 42. 4. & 54. 13
Aulicorum aſſentationes, 19. 11
Aurem a Domino aperiri quid, 50. 5
Aurum & argentum poſſidere per ſe minime malum, 2. 7
Auxilia impiorum inania, vide Impiorum auxilia.

B.

Babylon ubi ſita, 14. 23
Babylon cur aurata vel auraria, 14. 4
Babylon decor regnorum, 13. 19
Babylon cur montis nomine deſignatur, 13. 2
Babylon cur orbis nomine ſignificatur, 13. 11
Babylon ob idololatriam a Deo punita, 21. 9
Babylon bis ſubacta, 13. 12
Babylon ſubacta a Perſis nomen ac dignitatem celebratæ urbis obtinuit, 13. 12
Babylonica captivitas velut ſpecies divortii fuit, 50. 1. & 54. 5
Babylonis excidium prædicitur, 13. 1. & 47. 9
Babylonis excidium centum annos antequam eveniret ab Jeſaia prædictum, 21. 2
Babylonis excidium à Deo, 21. 1. & 48. 14
Babylonis repentina clades, 21. 4
Babyloniorum clades quomodo atrociſſima, 13. 12
Babylonis clades quomodo à Judæa venit, 21. 1
Babylonicæ exilii captivitas cum diluvio confertur, 54. 9
Babylonis monarchia omnium potentiſſima, 13. 11. & 14. 26. & 47. 5
Babyloniorum monarchia tyrannica, 14. 5
Babyloniorum exitium tenebris & morti confertur, 9. 2
Babyloniorum avaritia, 14. 3
Babyloniorum deliciæ in horrorem verſæ, 21. 4
Babyloniorum Rex cur communi humatione privatus, 14. 19, 20
Babyloniorum ſuperbia, 47. 7
Babyloniorum ſuperbia violentiæ & crudelitati conjuncta, 13. 11
Baculus iræ Dei Aſſyrii, 10. 5
Balteus regium erat inſigne, 22. 21
Bel idolum Chaldæorum, 46. 1
Bellum per ſe damnandum non eſt, 2. 4. & 3. 4
Bellum legitimum pax eſt quæſita, 3. 4
Bellum adverſus Babylonios ſævum & immane, 13. 12, 16
Bella ex Dei ira oriuntur, 32. 17
Benedictio pro exemplo vel ſpeculo benedictionis, 19. 24
Benedictio omnis ſoli Deo accepta ferenda eſt, 65. 23
Benedictionem facere quid, 36. 16
Benedictiones quam multæ & variæ in regno Chriſti, 65. 23
Beneficentia commendatur, 23. 18. & 57. 1. & 58. 7
Bonitas Dei, vide Dei bonitas.
Bonum ſummum Deo adhærere, 64. 6
Bona omnia a ſolo Chriſto petenda, 11. 2
Boni ſemper malis admixti, 2. 4. & 8. 14. & 26. 2. & 65. 21
Bonorum rariſſimus numerus tempore Jeſaiæ, 26. 2
Boſra primaria urbs Idumæorum, 34. 6
Brachium pro opere, 48. 14
Brachium pro virtute, 33. 2. & 51. 5. & 59. 16. & 61. 8. & 63. 12
Brachii & ſalutis diſcrimen, 33. 2

C.

Cæcitas quæ expetenda, 42. 16
Cæcitas quæ fugienda, 42. 18
Cæcitas Judæorum, vide Judæorum cæcitas.
Cain pœnitentia, 26. 11
Calix furoris bifariam accipitur, 51. 17
Calvitium & ſaccus pœnitentiæ ſigna, 22. 12
Canticum meretricis, 23. 15
Canticum novum quid, 42. 10
Captivitas pro captivorum cœtu, 20. 4
Capitum inepta ſectio, 4. 1. & 10. 33. & 14. 28. & 24. 19. & 46. 1. & 53. 1. & 58. 1. & 64. 1
Carbo cur oſi Jeſaiæ admotus, 6. 7
Carmel locus ferax & uber, 10. 18. & 32. 15. & 33. 9
Caro pro imbecillitate & fragilitate, 31. 3
Carnium abſtinentiam unde Papiſtæ commendari putent, 22. 13
Carthago Tyri colonia, 23. 1, 4
Caſtigatio, vide Afflictionum fructus.
Cauda pro pſeudoprophetis, 9. 15
Ceremoniæ ad quid inſtitutæ, 1. 13
Ceremoniæ quales neceſſariæ, 1. 11
Ceremoniæ per ſe inanes & frigidæ, 66. 2
Ceremoniarum uſus, 1. 11
Ceremoniarum abrogatio, 2. 3
Chaldæa cur deſerti nomine deſignatur, 21. 1
Chaldæi quomodo præſcriptum a Deo modum excedere potuerint, 47. 6
Chaldæorum ſeveritas & immanitas, 5. 29. & 52. 4
Chaldæorum & Ægyptiorum collatio, 52. 4
Chamos idolum Moabitarum, 15. 2
Charitas nulla ubi ſpiritus Dei non eſt, 58. 6
Charitas non viget ubi non eſt Dei amor, *ibid.*
Charitatis officia, 58. 10
Charra urbs, 37. 12
Chriſtus Deus æternus, 2. 4. & 6. 1. & 8. 14. & 9. 6. & 25. 9
Chriſtus verus homo, 7. 15. & 11. 2. & 42. 1. & 53. 11
Chriſtus admirabilis, 9. 6
Chriſtus quomodo in Eccleſia adoratur, 60. 14
Chriſtus altare noſtrum, 56. 7
Chriſtus Legis anima, 29. 11
Chriſtus Pacis author, 57. 19
Chriſtus ſolus author & magiſter juſtitiæ, 53. 11
Chriſtus Eccleſiæ caput, 54. 1

Chri-

Digitized by Google

Chriſtus conſiliarius, 9. 6
Chriſtus cur David & filius Davidis dictus, 37. 35 & 45. 1
Chriſtus fidelium doctor & magiſter, 55. 4. & 61. 1
Chriſtus verus Dei filius, 9. 6
Chriſtus cur Immanuel dictus, 7. 14. & 8. 10
Chriſtus totius mundi judex, 32. 6. & 45. 23
Chriſtus lapis angularis, 28. 16
Chriſtus lapis probationis, *ibid.*
Chriſtus quomodo lapis offenſionis, 8. 14, 15. & 28. 16
Chriſtus lux fidelium, 42. 6
Chriſtus Dei & hominum mediator, 8. 12. & 19. 20. & 37. 35. & 42. 1, 7. & 49. 8. & 63. 17. & 65. 24
Chriſtus medicus animarum, 53. 4
Chriſtus ad quid a Deo miſſus, 61. 7
Chriſtus contumeliis & libidini impiorum expoſitus, 53. 9
Chriſtus cur pater ſeculi, 9. 6
Chriſtus omnis creaturæ primogenitus, 37. 26
Chriſtus princeps pacis, 9. 6
Chriſtus promittitur, 11. 1
Chriſtus toti mundo promiſſus, 2. 4. & 42. 6. & 55. 5
Chriſtus ex Maria virgine promiſſus, 7. 14
Chriſtus ubi quærendus, 16. 5
Chriſtus unicus redemptor, 35. 10
Chriſtus optimum ac potius unicum piis refugium eſt in rebus adverſis, 32. 2
Chriſtus Rex populi Dei, 32. 13
Chriſtus Rex æternus, 9. 7
Chriſtus ſcopus omnium prophetarum, 29. 11
Chriſtus promiſſionum Dei ſcopus, 42. 1
Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſervator, 62. 11
Chriſtus quomodo Dei ſervus, 42. 1. & 43. 10. & 53. 11. & 55. 5
Chriſtus Sol Iuſtitiæ, 35. 7. & 60. 3
Chriſtus Eccleſiæ ſponſus, 61. 5
Chriſtus pauperum tutor & vindex, 11. 4
Chriſtus quomodo via, veritas & vita nominetur, 40. 6
Chriſtus victor in media morte, 53. 8. 12
Chriſtus ſuorum vindex, 16. 5
Chriſtus quando cœperit, 42. 1
Chriſtus loquens introducitur, 49. 1
Chriſtus etiam quatenus homo juſtificat, 53. 11
Chriſtus ſemper Eccleſiæ præfuit, 63. 16
Chriſtus non ſibi ſed ſuis regnat, 11. 6
Chriſtus cur coram Pilato tacuit, 53. 7
Chriſti adventus prædictus, 9. 6. 7.
Chriſti adventus humilis, 42. 2
Chriſti authoritas, 42. 7
Chriſti dona in Eccleſiæ utilitatem collata, 11. 2
Chriſti elogia, 9. 6
Chriſti invicta fortitudo, 41. 4
Chriſti gloria abſcondita, 52. 14
Chriſti gloria non hominum ſenſu æſtimanda, 53. 2
Chriſti gratiæ fructus, 35. 2
Chriſti humilitas ac ſubmiſſio, 7. 15. & 42. 2. & 52. 14
Chriſti ad tempus ignorantia, 7. 15
Chriſti imperium in quo ſitum, 49. 2
Chriſti erga ſuos indulgentia, 42. 3
Chriſti innocentia, 53. 9, 10
Chriſti magnificentia, 53. 12
Chriſti manſuetudo, 42. 3
Chriſti manu Deus ab initio ſuis opem tulit, 19. 20
Chriſti miniſterium non infructuoſum, 42. 4. & 53. 10
Chriſti mors nobis cauſa & fons vitæ, 53. 8
Chriſti mortis fructus, 53. 5. 11
Chriſti nomen Iſraëli tribuitur, 49. 3
Chriſti nomen perperam Papiſtæ jactant, 55. 4
Chriſti obedientia, 53. 7
Chriſti regnum æternum, 9. 7. & 16. 5
Chriſti regnum invitis omnibus hoſtibus excitatum & ſtabilitum, 29. 22
Chriſti regnum cur extremitas dierum nominatur, 2. 2
Chriſti regnum in ſpeciem humile, 53. 2
Chriſti regnum nondum impletum, 60. 18
Chriſti regnum pacificum, 2. 4
Chriſti regnum ſpirituale, 11. 2, 4, 14. & 16. 5. & 42. 1. & 56. 7. & 60. 2. & 61. 5. & 62. 6
Chriſti regni initia, 53. 2
Chriſti regni magnificentia, 24. 23
Chriſti reſurrectio, 52. 14. & 53. 8
Chriſti mira perſpicacia, 11. 3
Chriſti invicta potentia, 9. 6
Chriſti principatus, 9. 7
Chriſti verbi efficacia, 11. 4
Chriſti legitima vocatio, 42. 6
Chriſti vocatio qualis, 49. 1
Chriſti & reliquorum hominum diſcrimen, 9. 6. & 11. 3
Chriſti & Regum hujus mundi diſcrimen, 42. 2. & 49. 2
Chriſto genu flectere quid, 45. 23
Chriſto omnia ſubjecta, 14. 2. & 45. 23
Chriſto omnes egent, 42. 6. & 55. 1
Chriſtianiſmus in toto papatu nullus, 33. 2
Chriſtianorum feriæ, 66. 23
Chriſtianorum mores, 11. 6
Chryſoſtomi locus, 5. 8. & 53. 8
כי particula augendi vim habet, 32. 13
כי adverſative ſumptum, 12. 1. & 14. 1. & 43. 22
כי affirmative ſumptum, 1. 30. & 3. 6
כי particula interdum exegetica, 1. 29. & 40. 2. & 45. 23
כי Particula exceptiva, 39. 8
כי pro cauſali particula, 54. 4
כי pro ut, 36. 19
Cilicia Hebræis Tharſis dicitur, 23. 1
Cilicia Tyro oppoſita, 23. 6
Cinerem paſcere quid, 44. 20
Circumciſionis uſus, 52. 1
Civitas Davidis, 22. 9. & 33. 20
Civitas juſtitiæ quæ dicatur, 1. 26
Clades Babyloniorum quomodo atrociſſima, 13. 12
Claves regni cœlorum quæ, 22. 22
Clavium traditio pro ſigno poſſeſſionis ponitur, *ibid.*
Cœlibatus perpetuum votum in Papatu temerarium, 19. 21
Cœlum ut cortina expanſum, 40. 22
Cœlum quomodo ſedes Dei, 66. 1
Cœli novi, 65. 22
Cœlos diſrumpere quid, 63. 19
Concordia fraterna commendatur, 41. 6
Concordia quibus conditionibus appetenda, 19. 18
Concordia fraterna ex pietate manat, 19. 23
Confeſſio fidei fructus, 26. 19
Confeſſio externa ad verum Dei cultum neceſſaria, 19. 18
Confeſſio auricularis à Papiſtis conficta, 38. 15
Conſcientia bona quam neceſſaria, 58. 4
Conſcientia mala ſemper judicium Dei refugit, 31. 2
Conſcientia mala ſemper turbulenta, 31. 18
Conſcientia Papiſtarum, vide Papiſtarum conſcientia.
Conſcientiæ ſopitæ quomodo expergefaciendæ, vide Impii quomodo tractandi.
Conſilia erratica unde oriantur, 8. 12
Conſilia impiorum, vide Impiorum conſilia.
Conſolatio in quibus locum habeat, 40. 2
Conſolatio unde petenda, 30. 1. & 40. 8. & 50. 4, 11. & 51. 8, 16. & 52. 9. & 57. 18. & 66. 11
Conſpiratio in bonam partem ſumpta, 8. 12
Conſpirationes Papiſtarum, 44. 11
Conſuetudo ſuperſtitionum mater, 8. 11. & 65. 3
Continentiæ donum non vulgare, 19. 21
Contumacia malorum omnium cauſa, 6. 10
Contumacia Judæorum, vide Judæorum contumacia.
Converſio eſt quaſi reſurrectio ab æterna morte, 19. 22
Cordis integritas requiritur, 29. 13. & 38. 3
Crapula damnatur, 5. 11, 22. & 22. 13. & 28. 1
Creatio nova ſpiritualis, 19. 25. & 27. 11. & 37. 26. & 43. 1, 15, 21. & 44. 2, 21, 24. & 51. 13. & 54. 5. & 64. 7. & 65. 22
Creationis noſtræ finis, 29. 23
Creaturæ omnes Dei imperio ſubjacent, 11. 15
Creaturæ omnes quodammodo armantur in ultionem impiorum, 13. 10
Crudelitas ſemper impietati conjuncta, 53. 23
Culpæ & pœnæ remiſſio, 19. 22. & 43. 25. & 48. 9. & 53. 5
Culpa remiſſa cur Deus pœnam nonnunquam infligit, 33. 24
Cultus externus requiritur à Deo, 45. 23
Cultus Dei, vide Dei cultus.
Curioſitas vitanda, 6. 4. & 19. 13. & 34. 16
Curruum uſus olim duplex, 22. 6
Cyrus multo antequam naſceretur nominatus, 44. 28
Cyrus quomodo à Deo vocatus, 45. 15
Cyrus quomodo Deo paruerit, 41. 25
Cyrus quaſi mercenarius miles, 42. 14
Cyrus quomodo Deo charus, 48. 14
Cyrus cur Meſſias dictus, 45. 1
Cyrus quomodo Jeruſalem extruxerit, 45. 13
Cyrus maximis vitiis laboravit, 48. 15
Cyrus num religionem mutaverit, 45. 1
Cyri proſperitas à Deo, 48. 15

D.

דבר pro decreto, 2. 1
Dæmones cur loca deſerta captent, 13. 21
Damaſcus Metropolis Syriæ, 7. 8
Damaſci excidium prædicitur, 17. 1
Darius Dei miniſter, 21. 9
Darius per leonem deſignatus, 21. 7, 8
Darius judicii Dei præco, 21. 9
David typus Chriſti, 37. 35. & 55. 3, 4
cur ſervus Dei dicatur antequam naſceretur, 44. 1
Davidis nomen cur interdum pro Chriſto ponitur, 2. 4
Davidis urbs quid, 22. 9
Demoſthenis locus, 47. 1
Deſertum maris pro Chaldæa, 21. 1
Deſerta pro locis paſcuis, 63. 13
Devotio ſuperſtitionum mater, 1. 14, 29. & 65. 3
Devotiones ſuperſtitioſæ, 65. 3, 4
Deus æternus, 40. 28. & 43. 13. & 48. 12
Deus cur abſconditus dicatur, 45. 15
Deus acceptor perſonarum non eſt, 55. 1. & 56. 3, 6
qualis adorandus, 31. 17
qualis agnoſcendus, *ibid.*
cur Jeſaiæ amicus dicatur, 5. 1
quomodo rerum omnium author, 42. 24. & 45. 7
author mali non eſt, 19. 14. & 45. 7. & 63. 17
an author excæcationis, 19. 14
author excidii Babylonici, 13. 17. & 14. 5
author cladis Jeroſolymitanæ, 22. 5
author pacis, 3. 17
ſolus purgationis noſtræ author, 6. 7
natura beneficus, 1. 19. & 24. 19. & 42. 28. & 63. 10. & 64. 4
natura clemens & exorabilis, 55. 7, 8
Eccleſiæ ſuæ conſolator, 51. 16
creator omnium, 37. 15
quo ſenſu creator Iſraëlis, 43. 15
cur Jeſaiæ Deus dicatur, 7. 11. & 51. 15, 16. 21
cur ſe Iſraëlis Deum vocet, 21. 10
unus Eccleſiæ doctor & magiſter, 2. 3. & 8. 19. & 30. 21. & 41. 22. & 48. 17. & 54. 13
cur exercituum Dominus vocetur, 3. 1. & 14. 22. & 21. 10. & 51. 15. & 54. 5
ſolus naturæ Dominus, 22. 15
fidelium ductor, 35. 9
cur factor vocetur, 17. 7
factor Iſraëlis, *ibid.* & 22. 11. & 27. 11. & 44. 6. & 45. 11
fidelis & verax, 42. 9. & 49. 7
cur fortis Iſraël, 1. 24. & 30. 29
cur fortis Jacob, 60. 16
ſuperborum omnium hoſtis, 2. 11
cur igni confertur, 33. 15
totius mundi judex, 3. 13. & 5. 16. & 19. 14. & 21. 15. & 22. 14. & 33. 22. & 59. 12
ſolus legiſlator, 33. 22
cur leoni confertur, 31. 4. & 38. 13. & 42. 13
cur matri ſimilis dicatur, 42. 14. & 46. 3. & 49. 15. & 63. 9. & 66. 12
miſericors, 54. 10. & 55. 7
omnipotens, 41. 22
Eccleſiæ opifex, 22. 11
ſuorum paſtor, 34. 30. & 40. 11
quo ſenſu primus & noviſſimus, 41. 4. & 44. 6
quomodo nobis propinquus, 55. 6
quomodo quærendus, 9. 13. & 30. 4. & 55. 6. & 65. 10
ſolus Rex, 33. 22
Rex Jacob, 41. 21
Rex Iſraëlis, 43. 15. & 44. 6
cur ſanctus vocetur, 12. 6. & 40. 25. & 43. 15
cur ſanctus Iſraëlis, 1. 4. & 10. 17. & 17. 7. & 43. 3, 15. & 47. 4. & 48. 17. & 49. 7
ſolus ſapiens, 31. 2
ſolus Servator, 43. 11. & 63. 8
perpetuo ſibi ſimilis, 2. 3. & 14. 1, 27. & 16. 4. & 31. 5. & 33. 2. & 41. 9. & 44. 6. & 46. 4. & 48. 12, 16. & 51. 6, 9. & 59. 1. & 63. 7
Eccleſiæ ſponſus, 57. 8
tutor populi ac pavor, 8. 13
perpetuus Eccleſiæ tutor, 37. 35. & 54. 14
per omnia verax, 14. 26
miniſterii verbi vindex, 50. 8
juſtiſſimus ultor, 9. 19
opus ſuum cur accelerare dicitur, 28. 16
tripliciter agit per homines, 10. 5
quomodo per Satanam agat, 19. 14
quomodo agit cum reprobis, 16. 3
cur ſævius agat in pertinaces, 1. 7
bifariam homines ad ſe alliciat, 65. 2
quomodo patribus apparuerit, 6. 1
bifariam audire dicitur, 37. 4
cur Eccleſiæ benefacit, 43. 28
quomodo omnia ſimul creaverit, 48. 13
cur auxilium ſuum differt, 42. 14. & 57. 9
cur pœnas impiorum differat, 10. 3. & 13. 6. & 18. 5. & 26. 21. & 28. 14, 15. & 63. 4. & 65. 6. & 66. 18
bifariam docet, 54. 13
ſolus vere eſſe dicitur, 47. 8
in cœlo quomodo eſſe dicatur, 66. 1
bifariam exaudit, 65. 24
quomodo homines excæcat & reprobat, 19. 14. & 44. 18. & 63. 17
ubique potentiam ſuam exerere poteſt, 14. 22, 26, 27. & 43. 13
peculiarem electorum ac fidelium ſuorum curam gerit, 1. 17. & 8. 14. & 11. 11. & 13. 1. & 14. 1, 5, 7, 14, 25, 32. 32. & 15. 1. & 16. 3, 4. & 17. 3, 13, 14. & 18. 4, 7. & 21. 1, 12. & 26. 1, 4, 7. & 27. 2, 3. & 30. 15. & 31. 5. & 33. 2. & 37. 6, 9. 32, 33, 35. & 41. 10, 17. & 42. 16. & 43. 3, 7, 14. & 45. 4, 12, 15. & 46. 3. & 48. 15. & 49. 9, 15. 16, 24. & 51. 3, 6, 22. & 54. 17. & 57. 1. & 58. 11. & 59. 18. & 60. 2. & 62. 12. & 63. 9. & 65. 8
perpetuo in Eccleſia habitat, 11. 10
quomodo in errorem impellat, 63. 17
cor intuetur, 1. 16
nunquam fruſtra hominibus iraſcitur, 24. 19
cur juret & per ſeipſum, 14. 24. & 45. 23. & 62. 8
humano more loquitur, 1. 24. & 5. 2. & 6. 8. & 14. 22. & 41. 22. & 48. 18
electos ſuos odiſſe non poteſt, 17. 4
bifariam præcipit, 10. 6
bifariam hominum impietatem punit, 29. 11
quomodo regnat, 51. 4
cur ceremonias à ſe inſtitutas rejiciat, 1. 11
quomodo ſuos ſanctificat, 8. 14
in papatu honore ſuo ſpoliatur, 43. 11
ſibi ſufficit, 42. 10
piis ſufficit unus pro omnibus, 8. 7, 19. & 10. 21
quomodo ſurgere dicatur, 2. 19
quomodo tractet impios, 9. 12
quando venire dicitur, 50. 2
bifariam vocat, 44. 7
homines bifariam ad pœnitentiam vocat, 22. 12
quomodo & quatenus impiorum opera utitur, 7. 18. & 10. 5, 15. & 13. 3, 17. & 14. 21, 22. & 21. 2. & 27. 7. & 36. 19. & 43. 14. & 45. 7. & 54. 16, 17
interdum lenta pœna utitur adverſus impios, 24. 22
Dei erga ſuos amor immenſus, 40. 3. & 42. 14. & 43. 4. & 46. 3. & 49. 11, 15. & 53. 10. & 59. 18. & 65. 19. & 66. 11. 14
authoritas quanta, 45. 9
auxilium quibus promittitur, 41. 16
benedictio bonorum omnium cauſa, 65. 23
benedictio erga fideles, 30. 23
arcana benedictio homines paſcit, 3. 1
benedictio hominum ingratitudine quodammodo impeditur, 33. 6
erga populum Iſraël beneficia, 1. 2

Dei beneficiorum finis, 12. 1
beneficiis moderate utendum, 32. 10, 13
erga Eccleſiam benignitas, 1. 9
bonitas erga ſuos, 41. 15
bonitas in Chriſto conſpicua, 12. 3
bonitas omnibus prædicanda. 22. 4, 1
brachium, vide Brachium.
cognitio, totius religionis fundamentum, 19. 21
perfecta cognitio in hominibus in hac vita non reperitur, 6. 2
cognitio ex cælorum aſpectu, 40. 26
cognitio in Euangelio certa, 25. 9
cognitio quam neceſſaria, 11. 9. & 16. 8. & 53. 23
conſilium arcanum non inquirendum, 14. 26
conſilium noſtris commentis non metiendum, 26. 3
conſilium in verbo patefactum, 46. 11
conſilium immutabile, 14. 27. & 18. 4. & 65. 15
conſilium in exigendis ſacrificiis, 1. 11
cultores qui, 11. 3
cultus quis verus ac legitimus, 1. 11. & 45. 24
cultus ab initio mundi ſpiritualis fuit, 1. 13. & 46. 2. & 62. 6. & 66. 1
cultus ubique diffuſus, 66. 19, 20
cultus profanatio, 1. 14
electio æterna, 14. 1
electio gratuita, 44. 1
electio libera, 66. 18
fœdus gratuitum, 55. 3. & 61. 9. & 64. 7
fœdus irritum eſſe nequit, 7. 14. & 19. 25. & 14. 5. & 45. 23. & 55. 4. & 59. 20. & 65. 1
gloria pro ejus miſericordia, 46. 13
gloria cum ſalute piorum communis, 43. 7. & 46. 13. & 48. 11. & 62. 2
gloria in promiſſionum adimpletione conſpicua, 42. 8
gloria in Eccleſiæ inſtauratione relucet, 45. 23
gloria in ejus operibus conſpicua, 26. 11
gloria per totum orbem diffuſa, 6. 3
gloria modis omnibus illuſtranda, 42. 21
gloria non proſtituenda, 48. 11
gloria cur ab impiis non videtur, 26. 10
gloria etiam impiorum interitu promovetur, 63. 3
gratia libera, 13. 21
gratia commendatur, 43. 2
gratia aliis publicanda ac communicanda, 35. 4
gratia homines prævenit, 19. 20
gratiæ contemptus ſevere puniendus, 5. 5
gratiæ tenor, 41. 8. & 46. 4
erga ſuos indulgentia, 2. 1. & 7. 11. & 12. 1. & 21. 16. & 27. 5. & 33. 24. & 40. 2, 11. & 41. 16. & 42. 14. & 43. 3. & 45. 13. & 46. 3. & 48. 20. & 49. 15. & 55. 10. & 57. 11, 16. & 62. 8. & 63. 9, 16
invocatio veram converſionem ſequitur, 19. 22
ira ex præſenti rerum aſpectu æſtimanda non eſt, 5. 26
ira metuenda, 9. 14. & 13. 9
ira ad humanum ſenſum referri debet, 42. 6
ira erga fideles brevis, 12. 1. & 14. 2, 16. & 57. 16
ira adverſus impios graviſſima, 9. 18, 21. & 10. 4, 6, 25, 26. & 13. 2. & 15. 9. & 21. 17. & 24. 2. & 26. 14. & 27. 4. & 28. 19, 21. & 30. 32. & 34. 9, 10. & 36. 19. & 38. 15. & 42. 21. & 63. 1, 3, 6. & 64. 5, 8. & 66. 6, 15, 16, 19
ira cur igni confertur, 1. 31
iræ ſigna in ſtellis, 13. 10
iræ hyperbolica deſcriptio, ibid.
judicium verum, 1. 25. & 19. 12
judicium cur igni ſimile, 66. 15
judicia adverſus impios gravia, 9. 17
judicia quomodo expendenda, 19. 13, 14. & 28. 23
judicia ſemper juſtiſſima, 14. 27. & 16. 3. & 21. 2. & 30. 31. & 33. 1. & 39. 5. & 41. 15. & 65. 6
judiciorum uſus, 26. 9
laudes perpetuo prædicandæ, 6. 3. & 38. 18. & 42. 10. & 43. 21. & 49. 13. & 12. 9
laudes ex vero cordis affectu prodire debent, 25. 1. & 29. 13
laudes ubique prædicandæ, 24. 16. & 44. 23
erga ſuos liberalitas, 12. 3. & 65. 10
locus pro templo, 26. 21
immenſa majeſtas, 14. 22. & 45. 12, 15. & 60. 13. & 66. 1
manus nunquam ab ejus ore ſeparanda, 14. 26. & 30. 30
manus converſio quid, 1. 25
miſericordia magna, 22. 17. & 29. 24. & 30. 18. & 31. 6. & 33. 2. & 42. 2. & 54. 7, 9, 10. & 55. 7. & 57. 16, 18. & 63. 7, 15
nomen pro ipſo Deo, 30. 27. & 52. 6
opera quomodo expendenda, 5. 12. & 14. 5. & 34. 16. & 41. 5
oraculorum ratio, 42. 9
patientia, 42. 14. & 57. 11. & 65. 6
patientia non abutendum, 65. 6
potentia bifariam conſideranda, 52. 10
potentia promiſſionibus adjungenda, 14. 26
potentia non otioſa, 26. 4
potentia hominum modulo non metienda, 21. 10
Dei potentia naturalibus mediis non obſtricta, 42. 15. & 43. 12
Dei invicta potentia, 37. 1. & 63. 5
Dei potentia infinita, 28. 10. & 40. 22. & 46. 5. & 48. 13. & 49. 24. & 50. 2. & 51. 9, 12. & 54. 5. & 55. 10, 13. & 59. 19. & 62. 10. & 63. 5, 11, 13, 15. & 66. 1. 9
Dei potentia quomodo expendenda, 14. 26. & 21. 10. & 29. 22. & 30. 32. & 40. 12, 26. & 42. 5. & 43. 11, 13. & 44. 24. & 45. 7, 16. & 49. 13. & 61. 11.
Dei in homines poteſtas libera, 45. 9
Dei præcepta cur ſemitæ vocentur, 2. 3
Dei præſcientia qualis, 41. 22. & 43. 12. & 46. 10
Dei præſentia metum adimit, 41. 10. & 43. 5
Dei præſentia aliter pii aliter impii afficiuntur, 15. 9. & 33. 14
Dei promiſſiones certiſſimæ, 52. 6
Dei promiſſiones patienter expectandæ, 7. 9
Dei promiſſiones etiam præſentis vitæ beneficia continent, 65. 18
Dei providentia quomodo expendenda, 10. 14. & 18. 4. & 13. 9. & 25. 1. & 40. 12, 24. & 42. 9, 24. & 43. 2. & 44. 28. & 45. 18. & 51. 6. & 54. 10. & 57. 1, 15
Dei ſceptrum doctrina eſt, 2. 3
Dei templum ubique diffuſum, 66. 20
Dei timor quis, 50. 10
Dei timor pro puro colendi Dei affectu, 11. 2
Dei timor pro certa judicandi regula, 11. 3
Dei timor quam neceſſarius, 8. 13. & 29. 23. & 65. 7
Dei timor ſapientiæ caput, 19. 11
Dei timor quo ſenſu initium ſapientiæ dicitur, 33. 6
Dei verbum quomodo æternum, 40. 8
Dei verbum cur literis obſignatis confertur, 8. 16
Dei verbum cur pluviæ ſimile, 55. 10
Dei verbum votorum regula, 19. 21
Dei verbum omnium actionum noſtrarum regula, 29. 13
Dei verbum ab ejus Spiritu minime ſeparandum, 59. 21
Dei verbum quomodo reprobos excæcat, 6. 10
Dei verbum cur reprobis nuntiatur, ibid. & 8. 4, 16
Dei verbum fidelibus ſufficit, 5. 19. & 8. 20. & 14. 26. & 18. 12
Dei verbi auctoritas, 8. 20
Dei verbi certitudo, 45. 19. & 52. 7
Dei verbi contemptus fons malorum omnium, 30. 9
Dei verbi obſcuritas unde, 41. 19
Dei verbi perſpicuitas, ibid.
Dei verbi reverentia, 50. 10
Dei verbi potentia, 7. 7. & 11. 4. & 13. 3, 4. & 14. 22. & 30. 31. & 35. 4. & 40. 3. & 41. 6. & 43. 14. & 49. 2. & 55. 10, 11. & 60. 1
Dei verbo nihil addendum, 8. 20
Dei viæ pro rebus proſperis, 64. 4
Dei viſio quomodo hominibus mortifera, 6. 5
Dei vocatio quam efficax, 11. 12
Dei vocatio irrita eſſe nequit, 63. 19
Dei & eccleſiæ conjunctio, 60. 11. & 65. 19
Dei & hominum diſcrimen, 1. 15, 18. & 29. 30. & 31. 3. & 40. 30. & 42. 12. & 51. 12. & 57. 15. & 59. 12. & 62. 12
Dei & idolorum diſcrimen, 21. 9. & 37. 18. & 40. 18, 28. & 41. 21, 23. & 42. 8, 9. & 43. 9. & 44. 7. & 46. 3. & 48. 12. & 64. 3
Deo minime illudendum, 30. 28
Deo quomodo admiratio tribuitur, 59. 16
Deo ſimulachrum erigere quam abominandum, 40. 18
Deum quærere quid, 45. 5
Deum ſcire & poſſe omnia quid nobis proſit, 44. 8
Deum ſurgere quid, 14. 22
Deum tentare quid, 7. 12
Deo adverſo omnia nobis in exitium cedunt, 11. 10
Dii falſi, vide Idola.
Deorum falſorum officia, 41. 23
Diabolus, vide Satan.
Dicere pro cogitare & perſuaſum habere, 3. 10
Dicere pro ſtatuere, 14. 13. & 47. 7
Dies pro tempore præſcripto, 23. 5
Dies Domini quid, 13. 6
Dies Domini cur ſævus vocetur, 13. 9
Diem à ſolis occaſu incipiebant Judæi, 30. 29
Diffidentia hominibus quaſi ingenita, 8. 7. & 43. 3
Dimon fluvius Moabitarum, 15. 9
Dionyſius ſecundus unde hebetudinem contraxerit, 28. 4
Dionyſius tyrannus religionis contemptor, 36. 18
Dionyſii tyranni impietas, ibid.
Diſcrimen Adami, & Chriſti, 65. 25
Diſcrimen electorum & reproborum, vide Electorum & reproborum diſcrimen.
Diſcrimen Legis & Euangelii, 66. 21, 23
Diſcrimen legitimi Dei miniſtri & adulterini, 22. 20
Diſcrimen inter veterem populum & nos, 1. 19
Diſcrimen veteris & novi teſtamenti, 19. 21
Diſcrimen inter Chriſti & Davidis regnum, 1. 4
Diſſidia inter homines orta divinæ ultioni tribuenda, 19. 2
Diſtinctio papiſtica de remiſſione pœnæ & culpæ quam frivola, 33. 24. & 43. 25. & 44. 22. & 48. 9. & 53. 5
Divinationis ars damnatur, 19. 12. & 44. 25
Divini nomen interdum in bonam partem accipitur, 3. 2
Divorum cultus in papatu, 48. 5
Docendi vera ratio, 2. 3. & 55. 12
Docilitas donum Dei, 30. 21. & 32. 3. & 42. 4. & 43. 8
Docilitas piis quam neceſſaria, 48. 17. & 50. 10
Docilitas intelligentiam præcedit, 41. 22
Doctores impii quam exitiales, 56. 10
Doctrina verbi quam neceſſaria, 3. 4
Doctrina ſola ſacramentum facit, 22. 2
Doctrina generalis ex particulari, 54. 8
Doctrina particularis neceſſaria, 1. 17
Doctrina Prophetarum immortalis, 37. 2
Doctrinæ impiæ ſolo verbo profligantur, 11. 4
Domitiani feritas, 59. 7
Domus pro templo, 15. 2
Domus David pro regia, 7. 2. & 22. 22
Domus ſaltus in qua totius regni armamentarium erat, 22. 8
Donorum varietas eccleſiam exornat, 14. 13
דוד quid Hebræis, 41. 4. & 53. 8
Dormire pro mori, 38. 15
Dormire quomodo Deus dicitur, 51. 9
Dumæ excidium prædicitur, 21. 11
Dumæi unde orti, ibid.

E.

Ebrietas damnatur, 5. 11. & 22. 13. & 24. 9. & 28. 1. & 56. 12
Ebrietas ſpiritualis, 19. 14
Eccleſia vera quæ, 33. 22
Eccleſia ædificio ſimilis, 54. 11
Eccleſia cur annuntiatrix, 40. 9. & 41. 27
Eccleſia tutiſſimum aſylum, 26. 1
Eccleſia ex omnibus populis colligenda, 66. 20, 21
Eccleſia civitati confertur, 60. 10, 13
Eccleſia in mundo contemptibilis, 1. 9
Eccleſia cur corona Dei, 62. 3
Eccleſia ſemper curæ Deo, vide Deus peculiarem electorum ſuorum curam gerit.
Eccleſia perpetuum Dei domicilium, 11. 10. & 49. 16
Eccleſia cur à Deo electa, 43. 10
Eccleſia piorum mater, 40. 9. & 66. 11
Eccleſia interdum mulieri orbæ ſimilis, 49. 21
Eccleſia cur mulieri parturienti ſimilis, 66. 7
Eccleſia magno numero metienda non eſt, 1. 9. & 4. 3
Eccleſia cur miſera vocetur, quum Dominum pro Deo habeat, 51. 21
Eccleſia opus manuum Dei, 19. 25. & 37. 26. & 54. 5. & 64. 7. vide Creatio nova.
Eccleſia ſola benedictionum particeps, 65. 20
Eccleſia cur ſterilis à Propheta vocetur, 54. 1.
Eccleſia cur tentorio confertur, 54. 2
Eccleſia cur vanno confertur, 41. 16
Eccleſia cur vidua dicitur, 54. 4
Eccleſia vineæ ſimilis, 3. 14. & 5. 1, 7. & 27. 2
Eccleſia urbs Dei, 49. 16
Eccleſia uxor Dei, 1. 21
Eccleſia qualis ſub papatu, 11. 9. & 33. 6, 22
Eccleſia mirabiliter in mundo conſervatur, 1. 9. & 7. 17. & 29. 18. & 37. 26. & 51. 8
Eccleſia cur omnino deleri non poteſt, 1. 27
Eccleſia cur non ſtatim liberetur, 58. 12. vide Deus cur auxilium differt.
Eccleſia ſola peccatorum remiſſionem obtinet, 33. 24
Eccleſia cur toti mundo præfertur, 37. 26
Eccleſia quomodo polluta dicatur, 43. 28. & 47. 6
Eccleſia quo ſenſu ſanctificari dicitur, 62. 12
Eccleſiæ adoleſcentia & virilis ætas, 54. 3
Eccleſiæ extrema calamitas, 51. 18
Eccleſiæ colligendæ ratio, 2. 3
Eccleſiæ conditio ab hujus mundi ſtatu minime æſtimanda, 37. 27
Eccleſiæ perpetua fere conditio, 8. 7
Eccleſiæ conditio qualis, 33. 20
Eccleſiæ miſera in ſpeciem conditio, 6. 13. & 51. 21. vide Fidelium conditio.
Eccleſiæ vera conſtitutio, 60. 21
Eccleſiæ dignitas interior, 49. 18. & 56. 4. & 62. 3
Eccleſiæ encomium, Deus in te eſt, 45. 14
Eccleſiæ filii quomodo degeneres, 51. 18
Eccleſiæ magna fœcunditas, 66. 8
Eccleſiæ perpetua felicitas, 60. 19
Eccleſiæ forma ſemper aliqua remanſit, 54. 9
Eccleſiæ nulla forma eſt, ubi ceſſant Prophetæ, 41. 27
Eccleſiæ vera gloria quæ ſit, 4. 3. & 40. 18. & 60. 6
Eccleſiæ hoſtes duplices, 41. 13
Eccleſiæ hoſtes domeſtici, 34. 16. & 25. 10. & 66. 5
Eccleſiæ hoſtes domeſtici cæteris longe nocentiores, 25. 10
Eccleſiæ hoſtes graviſſime puniendi, 31. 9. & 34. 8. & 49. 24. & 63. 1. & 66. 5
Eccleſiæ inſtaurandæ vera ratio, 49. 17
Eccleſiæ inſtauratio promittitur, 1. 25. & 11. 10. & 14. 13, 14. & 27. 12. & 28. 16. & 30. 18. & 32. 1. & 35. 1. & 40. 1. & 41. 11, 15. & 42. 5. & 46. 13. & 51. 17. & 52. 1, 2. & 58. 12. & 60. 4. & 62. 4. & 65. 17. & 66. 7, 8, 23
Eccleſiæ inſtauratio maximum divinæ potentiæ argumentum, 44. 26
Eccleſiæ inſtauratio ſolius Dei opus, 11. 11. & 16. 5. & 18. 16. & 29. 18, 23. & 31. 8. & 32. 15. & 41. 20. & 42. 16. & 44. 2. & 49. 19, 24. & 51. 9. & 56. 8. & 60. 21
Eccleſiæ liberatio proprium Dei opus, 31. 8. & 34. 13
Eccleſiæ perpetua militia, 41. 2
Eccleſiæ nomen quomodo novum, 62. 2
Eccleſiæ ornatus, 49. 18. & 54. 13
Eccleſiæ pax promittitur, 11. 13
Eccleſiæ perpetuitas, 17. 6, 7. & 28. 5. & 29. 18. & 37. 26. & 43. 1. & 45. 18. & 53. 8. & 54. 12. & 55. 13. & 65. 8, 9. & 66. 23
Eccleſiæ propagatio, 60. 10. & 61. 9. & 66. 7
Eccleſiæ purgatio proprium Dei opus, 1. 25. & 60. 21
Eccleſiæ querimonia, 49. 4
Eccleſiæ vera reformatio, 2. 4. & 33. 5, 6
Eccleſiæ redemptio opus admirabile, 49. 7
Eccleſiæ redemptio ſolius Dei opus, 52. 12
Eccleſiæ reſtitutio in regno Chriſti fundata, 4. 2
Eccleſiæ ſalus æterna, 45. 17. & 51. 6
Eccleſiæ ſalus quanti Deo ſit, 51. 16

Eccleſiæ ſalus cum impiorum interitu conjuncta, 59. 13
Eccleſiæ victoria certa, 11. 14
Eccleſiæ judaicæ ſtatus tempore Jeſaiæ quam deploratus, 29. 7, 8, 11. & 46. 13
Eccleſiæ papiſticæ ornatus, 48. 10
Eccleſiæ honos quis exhibendus, 45. 14. & 49. 23. & 60. 3
Eccleſiam periculorum metu deſerere quam noxium, 21. 11
Eccleſiam deſerere eſt æternæ ſaluti renunciare, 33. 24
Elam pro tota Perſia, 21. 2
Eligere pro diſcernere, 48. 10
Eligere pro gratum habere, 58. 5
Electio Dei æterna, 14. 1
Electio Dei gratuita, 44. 1
Electio Dei gratuita initium eſt ſalutis noſtræ, 45. 4
Electio à Dei promiſſione pendet, 41. 8
Electionis noſtræ finis, 41. 8. & 43. 17, 21
Electus pro eximio, 42. 1
Electi ſoli credunt, 8. 18. & 53. 1. & 54. 13
Electi ſoli iram Dei effugiunt, 66. 19
Electi ſoli redemptione fruuntur, 59. 20
Electi ſoli ſervantur, 65. 19
Electi perire nequeunt, 8. 18
Electorum & reproborum, fidelium ac infidelium, juſtorum & hypocritarum diſcrimen, 1. 10. & 3. 10. & 4. 3. & 5. 20. & 7. 2, 4. & 8. 12. & 10. 5, 18. & 12. 2. & 13. 3, 5, 9, 19. & 14. 1, 5, 20, 26. & 16. 6. & 19. 22. & 21. 11, 12, 17. & 25. 10. & 26. 10, 16, 19. & 27. 4, 7. & 28. 14. & 29. 13, 17. & 30. 26, 28, 32. & 31. 17. & 33. 5, 14. & 35. 4, 10. & 39. 8. & 40. 31. & 41. 22. & 42. 17. & 43. 1, 2, 21. & 45. 2. & 48. 1. & 53. 8, 17, 13. & 54. 2, 13. & 55. 11. & 56. 5. & 57. 2, 21. & 59. 2, 2, 3, 20. & 60. 2, 6, 19, 21. & 63. 15, 19. & 64. 3, 11. & 65. 8, 10, 13, 14. & 66. 2, 5, 13, 16, 19
Electorum paucitas, vide Fidelium paucitas.
Eliacim ſanguine regio progenitus, 22. 24
Eliacim loco Sobnæ ſubrogatus, 22. 20
Eliacim quo ſenſu vocatus à Domino dicitur, ibid.
Ephi menſuræ genus, 5. 10
Ephraim pro toto Iſraële, 17. 3
Ephraim pro decem tribubus, 28. 1
Epicureorum voces quædam, 29. 8
Epiſcopi Papiſtarum quales, 28. 7, 17. & 58. 16
Error inveteratus pro lege minime habendus, 65. 7
Erroris efficacia impoſtoribus conceſſa ut populo imponant, 19. 14
Eſau pœnitentia qualis, 26. 11
Evangelium ſpiritualis animæ cibus, 25. 6. & 55. 1
Evangelium cur cribro ſimile, 6. 21
Evangelium doctrina pacis, 57. 19
Evangelium doctrina reconciliationis, 2. 4
Evangelium cur mundo tam odioſum, 32. 5
Evangelium ortum ex monte Sion, 2. 3. & 25. 6
Evangelium decreto Dei ubique prædicatum, 45. 22
Evangelium cur vexillo confertur, 11. 10
Evangelium, vide Dei verbum.
Evangelii commendatio, 25. 7
Evangelii dignitas ac præſtantia, 33. 6. & 49. 9
Evangelii doctrina nova non eſt, 42. 4
Evangelii finis, 61. 1, 2, 3
Evangelii natura, 14. 29
Evangelii officium, 11. 4. & 55. 2
Evangelii prædicatio à Deo proficiſcitur, 53. 2
Evangelii prædicatio unde initium ceperit, 2. 3
Evangelii & legis diſcrimen, 56. 7. & 66. 21
Eunuchi qui, 56. 3
Europæ pervicacia, 6. 10
Eurus Judææ infeſtus, 27. 8
Excæcatio Judæorum aditum præbuit gentibus in Eccleſiam Dei, 6. 3
Exceſſus in cultu & nitore notatur, 3. 16
Exemplum Abrahæ, vide Abrahæ exemplum.
Exemplo alieno non peccandum, 2. 6
Exercitus orientalium quam magni, 37. 36
Exercitus Sennacherib ſubita internecione à Deo deletus, 37. 36
Exercationes fugiendæ, 3. 9. & 14. 24
Exorciſmi damnandi & fugiendi, 19. 12
Expiatio & ſatisfactio peccati in ſolo Chriſto quærenda, 53. 10
Expiatio Eccleſiæ fit per Spiritum, 4. 4
Ezechias quam ſtudioſus pacis, 39. 8
Ezechias typus Chriſti, 33. 6, 17. & 38. 5
Ezechias ambitione abreptus, 39. 2
Ezechiæ mira modeſtia, 37. 1
Ezechiæ fides, 37. 4
Ezechiæ ægritudo, 38. 1
Ezechiæ peccatum Deo quomodo diſplicuerit, 39. 2, 5

F.

Fabulæ Papiſtarum de bove & aſino, 1. 3
Fabulæ veterum de tabidis Ægypti, 19. 18
Facere benedictionem quid, 30. 16
Facundia negligenda non eſt, 3. 4
Fæces calicis quæ dicantur, 51. 17
Fames ex Dei maledictione, 3. 1. & 5. 13. & 33. 16
Fames verbi Dei pertimeſcenda, 3. 21
Familia, regni imago, 22. 21
Fanatici verbum à ſpiritu ſeiungunt, 59. 21
Fanaticorum error de animarum dormitione, 57. 2
Fauni & ſatyri qui, 13. 21
Felicitas hominum quæ, 1. 19. & 45. 19
Felicitas omnis à ſolo Deo expectanda, 65. 16
Feriæ Chriſtianorum, 66. 23
Feſtinatio nimia fugienda, 13. 22. & 32. 19
Feſtinatio pro ſtultitia cur ab Hebræis accipitur, 32. 4
Fidelis pro firmo & ſtabili, 22. 23
Fideles omnes amici Dei, 41. 8
Fideles cur arbores juſtitiæ dicantur, 61. 3
Fideles ſub regno Chriſti, omni ex parte beati, 30. 25. & 35. 5. & 65. 13
Fideles variis calumniis expoſiti, 30. 10. & 41. 12
Fideles columbis ſimiles, 60. 8
Fideles ſoli canendis Dei laudibus idonei, 42. 10
Fideles cur pueris infantibus ſimiles, 66. 11, 12
Fideles cur pro mortuis habeantur, 8. 18
Fideles quo ſenſu opus manuum Dei vocentur, 29. 23. vide Creatio nova.
Fideles ovibus ſimiles, 14. 30
Fideles Dei plantatio, 60. 21. & 61. 3
Fideles coram Deo pretioſi, 43. 4
Fideles ex parte duntaxat renovati, 65. 17
Fideles de aliorum ſalute ſoliciti, 2. 3
Fideles omnes Sacerdotes, 23. 18. & 32. 12. & 56. 7. & 61. 6. & 66. 20, 21
Fideles omnes ſemen Chriſti, 53. 10
Fideles ſoli peccatorum veniam conſequuntur, 33. 24
Fideles cur ſæpe humanis auxiliis deſtituuntur, 5. 16
Fideles omnes coram Deo habitare dicuntur, 23. 18
Fideles ſe Deo in ſacrificium offerunt, 18. 7
Fideles interdum pudefieri coguntur, 29. 22
Fideles cur ſæpe cum reprobis puniantur, 65. 8
Fideles ſoli verum Deo ſuo teſtimonium reddunt, 44. 9
Fideles ad Chriſtum revocantur, 16. 5
Fideles patientia vincunt, 11. 14
Fidelium affectus qualis apparere debeat, 12. 4
Fidelium afflictiones variæ, 43. 2
Fidelium graves afflictiones, 26. 17. & 51. 20
Fidelium afflictiones diuturnæ, 26. 17, 20
Fidelium afflictiones quomodo breves & momentaneæ, 26. 20. & 65. 16
Fidelium alacritas, 12. 2. & 40. 31
Fidelium extrema calamitas, 51. 18
Fidelium beata conditio, 4. 6. & 30. 26
Fidelium conditio in ſpeciem miſera & contemptibilis, 26. 19. & 33. 2. & 41. 14. & 49. 7. & 51. 21. & 54. 2
Fidelium conſolatio, 1. 25, 28. & 4. 2. & 5. 17. & 6. 13. & 7. 4, 19. & 8. 12, 17. & 9. 1. & 10. 5, 13, 22, 24, 26. & 11. 1. & 12. 1. & 14. 1, 24, 28, 32. & 15. 9. & 16. 4. & 17. 6, 13, 14. & 18. 4, 5. & 19. 18. & 21. 1, 15, 16. & 22. 11. & 23. 17. & 24. 13, 14, 23, 23. & 25. 1. & 26. 12, 13, 21. & 27. 4. & 28. 16, 25. & 29. 21, 22. & 30. 19, 21, 29. & 31. 9. & 32. 15. & 33. 5. & 35. 4. & 37. 26. & 40. 1, 8, 29. & 41. 8, 9, 10, 14. & 43. 1, 4, 25. & 44. 2. & 48. 11. & 49. 24. & 50. 10. & 51. 1, 17, 22. & 52. 9. & 54. 11. & 55. 6. & 57. 15. & 59. 15. & 63. 4, 7. & 65. 8. & 66. 2, 5
Fidelium conſtantia, 8. 12. & 56. 6
Fidelium exercitia præcipua, 58. 2
Fidelium felicitas, 65. 13
Fidelium gaudium, 9. 3, 4. & 12. 6. & 30. 19, 29. & 35. 10. & 41. 16. & 45. 3. & 51. 3, 8, 11. & 56. 7. & 61. 7. & 65. 13, 18. & 66. 5, 10, 11, 14
Fidelium imprecatio adverſus Babylonios, 13. 12
Fidelium magnanimitas verbo Dei nititur, 8. 9
Fidelium perpetua militia, 8. 9. & 11. 14. & 26. 8. & 36. 15. & 54. 15, 16
Fidelium mores quales eſſe debeant, 11. 6, 9
Fidelium mors, 57. 1, 2
Fidelium metus, 43. 10
Fidelium obedientia, 11. 6
Fidelium orationes inanes eſſe nequeunt, 25. 9. & 4. 10
Fidelium patientia, 20. 12. Vide patientia quam neceſſaria.
Fidelium paucitas, 1. 9. & 4. 3. & 8. 16. & 11. 11. & 16. 2. & 43. 6. & 45. 20. & 50. 10. & 51. 1. & 58. 1. & 60. 22. & 65. 25. & 66. 5
Fidelium perſeverantia, 35. 9
Fidelium querimonia, 63. 15
Fidelium querimonia ſub partu, 26. 13
Fidelium ſabbathum perpetuum, 58. 13. & 66. 23
Fidelium ſacrificia ſpiritualia, 66. 23
Fidelium ſalus æterna, 51. 6, 8
Fidelium ſalus conjuncta cum gloria Dei, 64. 11
Fidelium ſalus cum impiorum interitu conjuncta, 63. 4. & 66. 7
Fidelium ſemen benedictum, 65. 23
Fidelium victoria certa, 8. 9. & 9. 5
Fidelium zelus moderatus eſſe debet, 36. 21
Fidelibus num liceat aliorum miſeriæ inſultare, 14. 3
Fides vera quæ, 43. 10
Fides non eſt omnibus communis, 53. 1
Fides à verbo Dei non ſeparanda, 55. 3
Fides invocationis mater, 1. 15. & 33. 2
Fides certitudine & ſolida intelligentia conſtat, 12. 15
Fides confirmatione eget, 17. 3, 21
Fides nos bonorum Chriſti participes facit, 11. 35
Fides ab obedientia incipit, 41. 22
Fides confeſſionem præcedit, 43. 10
Fides Papiſtarum implicita, ibid. & 52. 15. & 54. 13
Fidei natura, 55. 3. & 64. 3
Fidei præparatio, 41. 10
Fidei probatio & examen, 33. 2
Fidei vis quanta, 43. 14
Fidei unitas colenda, 12. 6
Fidei & nudæ notitiæ diſcrimen, 45. 24
Fiducia in hominibus minime locanda, 2. 22. & 30. 1, 2. & 31. 3. & 51. 12. & 57. 13.
Fiducia in Deo locanda, 7. 4. & 8. 12. & 17. 8. & 26. 19. & 30. 15, 16. & 31. 1. & 33. 20, 21. & 36. 15. & 42. 13, 17. & 45. 6. & 50. 11. & 51. 12. & 57. 13. & 59. 16
Fiducia Ægyptiorum inanis, 19. 1
Fiducia impiorum inanis, vide Impiorum fiducia.
Filia pro populo aut cœtu aliquo, 1. 8. & 22. 4
Filiæ pro urbibus, 37. 21
Filii eccleſiæ, qui à Deo docentur, 54. 13
Flagellum, vide Afflictiones.
Fœcunditas ſub regno Chriſti, 32. 20
Fœdus cum Aſſyriis cur à Judæis tantopere expetitum, 8. 12
Fœdus Dei, vide Dei fœdus.
Fortunæ nihil tribuendum, vide Dei providentia.
Frumentum & vinum quo jure noſtrum dicere poſſimus, 62. 9
Fundamenta Jeruſalem quo ſenſu æterna, 44. 7
Futura tribus rationibus prævideri aut ſciri poſſunt, 19. 12

G.

Gabriæ conjuratio, 21. 5
Galilæa cur gentium dicta, 9. 1
Galilææ ſitus, ibid.
Galli natura aliorum vitiorum potius quam virtutum æmuli, 10. 1
Galli Principibus magnis ſubeſſe ſuo malo gloriantur, 19. 4
Gaudium duplex, 22. 13.
Gaudium verum ex Dei favore, 12. 1, 6
Gaudium fidelium, vide Fidelium gaudium.
Gaudium impiorum, vide Impiorum gaudium.
Gentium ſocordia, 41. 22
Gentium prædicta vocatio, 2. 3, 4. & 11. 10. & 12. 5. & 14. 1, 2. & 9. 22, 23. & 35. 7. & 26. 15. & 42. 4, 6, 11. & 45. 22, 23, 15. & 49. 6, 12, 21. & 52. 8, 15. & 54. 1. & 55. 4, 5. & 56. 3, 7. & 60. 9. & 65. 1. & 66. 19, 20
Gentium vocatio Apoſtolis quam admiranda, 56. 3
Gentium vocatio portento ſimilis, 45. 23
Gentium & Judæorum æqualitas, 66. 20
Germani quales in bello, 13. 17
Gladiatura quatenus Chriſtianis licitus, 2. 4
Gloria pro ſalute, 62. 2
Gloria in ſolo Deo quærenda, 45. 25
Gozan oppidum Mediæ, 37. 12
Gratia ſeptiformis quam ſtulte ac imperite à Papiſtis conficta, 11. 2
Gratia Dei, vide Dei gratia.
Gratiarum actio, vide Gratitudo.
Gratitudo commendatur, 12. 1. & 25. 1. & 26. 1. & 41. 16. & 42. 10. & 44. 23. & 49. 13. & 51. 11. & 52. 9. & 61. 11. & 63. 6, 7

H.

Habitaculum Dei cur templum dicatur, 66. 1
Habitare coram Deo fideles dicuntur, 23. 18
Heſbon civitas Moabitarum, 15. 4
Hiſpani principibus magnis ſubeſſe ſuo malo gloriantur, 19. 4
Hiſpani in bello quomodo ſe gerunt, 13. 17
Hiſtoria Alexandri, 45. 4
Hiſtoria cujuſdam ambitioſi concionatoris, 51. 4
Hiſtoria lepida de Maximiliano Imperatore, 19. 11
Hiſtoria Thomæ Mori, 22. 17
Hiſtoria cur nobis conſideranda, 26. 2
Homines ſua culpa miſeri, 59. 11
Homines cur locuſtis conferantur, 40. 22
Homines fruſtra ſibi uſquam perpetuam manſionem promittunt, 34. 17
Hominum extra Chriſtum miſera conditio, 49. 8, 9
Hominum corda in manu Dei, 13. 3, 14. & 19. 2
Hominum fiducia vana, 29. 5
Hominum felicitas in obedientia ſita, 1. 19
Hominum gloria inanis, 19. 11
Hominum ignavia, 59. 2
Hominum ignorantia inexcuſabilis, 55. 3
Hominum natura ante converſionem, 65. 25
Hominum potentia non metuenda, 2. 4
Hominum tarditas in agnoſcendis Dei judiciis, 21. 3
Hominum vanitas, 40. 6, 15, 17
Hominum vita præfixam metam habet, 38. 5
Hominibus ſi quid tribuitur Deo adimitur, 31. 3
Hominibus cur interdum tribuitur quod Dei proprium eſt, 1. 16. & 41. 16. & 45. 14. & 62. 12
Honor quis eccleſiæ debeatur, 60. 11, 12, 13
Horatii locus, 5. 9. & 21. 16. & 23. 16
Hoſtes domeſtici, 24. 16. & 35. 10. & 50. 6. & 66. 5
Hoſtium genus duplex, 41. 12
Humanitas commendatur, 16. 4. & 59. 3, 4, 6
Humilitas fidei initium, 43. 10
Humilitas piis quam neceſſaria, 16. 2. & 26. 5. & 30. 17. & 57. 15. & 61. 1. & 66. 2
Hypocriſis mater omnium vitiorum, 10. 6
Hypocriſis ſemper ſuperbiæ conjuncta, 65. 5
Hypocriſis evangelii verbo detegitur, 32. 5
Hypocriſis quam deteſtanda, 1. 15. & 9. 17. & 10. 6. & 26. 2. & 19. 13, 14. & 48. 1, 2. & 50. 10. & 63. 8. & 66. 17
Hypocritæ ceremoniarum obſervantiſſimi, 1. 11, 18
Hypocritæ eccleſiæ permixti, 1. 28
Hypocritæ ſemper arrogantes ac ſuperbi, 65. 5
Hypocritæ quo prætextu plures miſſas audiant, 58. 4
Hypocritæ quomodo Deum quærunt, 9. 13
Hypocritæ cur juncis ſimiles, 58. 5
Hypocritæ quomodo tractandi, vide Impii quomodo tractandi.
Hypocritarum abdicatio, 52. 1
Hypocritarum ſtulta confidentia, 1. 28. & 10. 20, 23

Hypo-

Hypocritarum cum Deo expoſtulationes, 1. 11
Hypocritarum in precibus loquacitas, 1. 15
Hypocritarum mos, 1. 23
Hypocritarum opera Deo abominabilia, 58. 4
Hypocritarum orationes inanes, 1. 15
Hypocritarum ſacrificia execranda, ibid.
Hypocritarum vota qualia, 19. 21
Hypotypoſes quando neceſſariæ, 21. 3

I.

Jacob pro decem tribubus, 17. 4
Jacob vita functus quo ſenſu pudefieri dicatur, 29. 22
Jacob lucta cum Deo quid ſignificarit, 48. 1
Javan quid, 66. 19
Jazer urbs Moabitarum, 16. 8
Idololatræ quam vani ac miſeri, 41. 29. & 44. 9
Idololatrarum ardor, 44. 12
Idololatrarum hypocriſis, 10. 10
Idololatrarum horrendus interitus, 1. 31. & 2. 18. & 65. 12
Idololatrarum liberalitas, 65. 11
Idololatrarum magiſter carnis ſenſus, 16. 12
Idololatrarum pervicacia, 41. 7. & 46. 6
Idololatrarum ſtupiditas, 41. 17
Idololatrarum veſania, 2. 8
Idololatrarum voces, 41. 17
Idololatria quomodo aucta, 41. 7
Idololatria humanis fere ingeniis inſita, 1. 29
Idololatria fons malorum omnium, 27. 9
Idololatria fœdiſſimum ſcortationis genus, 57. 5. 7
Idololatria quam deteſtanda, 41. 22, 24
Idololatria externa damnatur, 2. 8
Idololatria Papiſtarum, vide Papiſtarum idololatria.
Idololatriæ fons, 40. 19
Idola penitus abjicienda, 30. 22. & 31. 7
Idola quo ſenſu ex nihilo ficta dicantur, 41. 24
Idola iræ Dei fomenta, 1. 31
Idola opus manuum hominum, 17. 8
Idolorum falſa fiducia, 8. 21
Idolorum oracula quam vana ac fallacia, 41. 22. & 42. 9
Idolorum vanitas quanta, 41. 29. & 46. 2
Idumæi unde dicti, 63. 1
Idumæi infenſi populi Dei hoſtes, 63. 1. 3
Idumæorum excidium prædicitur, 34. 1. 5. 11. & 63. 1
Jehu altaria Baal profanavit, 57. 22
Jehuda pro natione, 1. 1
Jejunium orationis acceſſio, 58. 5
Jejunium pars ſolennis pœnitentiæ, 22. 12
Jejunium quatenus Deo gratum, 58. 5. 6
Jejunium hypocritarum quale, 58. 4
Jejunii uſus, 1. 11
Jejunia papiſtarum qualia, 58. 4
Jeremias cur inverſum ponit Regis nomen, 22. 1
Jeroboam multos habet imitatores, 22. 23
Jeronymi locus, 6. 5. 11. & 8. 7. & 14. 18. & 53. 9. & 59. 15. & 63. 16
Jeruſalem cur civitas Dei, 45. 13
Jeruſalem mirabiliter erepta, 10. 32
Jeruſalem cur filia Sion, 1. 8
Jeruſalem quo ſenſu à diebus antiquis formata, 37. 26
Jeruſalem quomodo facta meretrix, 1. 21
Jeruſalem quo ſenſu virgo dicatur, 37. 21
Jeruſalem urbs validiſſima & munitiſſima, 22. 3
Jeruſalem cur urbs vanitatis, 24. 10
Jeruſalem fundamenta quomodo æterna, 44. 7
Jeſaias brevis & concitus, 26. 3
Jeſaias Chriſti conſanguineus, 1. 1
Jeſaias impiorum convitiis expoſitus, 50. 6
cur nudus ambulare juſſus eſt, 20. 2
quomodo & quando nudus inceſſerit, ibid.
Judæis Propheta deſtinatus, 1. 1. & 24. 1
acerbo luctu calamitatem Eccleſiæ deplorat, 22. 4
cur hoſtium Eccleſiæ calamitatem deploret, 15. 4. & 16. 9. & 21. 3
quo ſenſu idola profanari dicat, 30. 22
cur ſe ab impiorum ordine eximat, 42. 24. & 59. 3
cur Medis & Perſis imperat, 13. 2. & 21. 2
alienam perſonam induit, 16. 9. & 21. 3
Dei perſonam ſuſtinet, 21. 8
cur Judæos ſuo tempore afflictos prædicet, 1. 7
quomodo Deum videre potuerit, 6. 1
Jeſaias cur Deum amicum ſuum vocet, 5. 1
Jeſaiæ authoritas ſancita, 6. 8. & 7. 11. & 13. 2. & 16. 13. & 50. 4
Jeſaiæ invicta magnanimitas, 8. 18. & 12. 17. & 15. 1. & 30. 8. & 39. 3. 5
Jeſaiæ nuditas non indecora, 20. 3
Jeſaiæ vocatio de integro obſignata, 6. 1
Ignis pro acerbiſſimo cruciatu, 30. 33. & 66. 15. 24
Ignis pro Dei ultione, 26. 11
Ignis purgatorius à Papiſtis confictus, 33. 24
Ignis & aqua pro omni miſeriarum genere, 43. 2
Ignorantia num malorum omnium cauſa ſit, 5. 13
Ignorantia craſſa & voluntaria damnatur, ibid.
Ignorantia impios non excuſat, 27. 11. & 42. 21
Ignorantia docta quæ, 6. 4
Ignorantias cur Hebræi peccata omnia vocent, 27. 11
Iim qui, 13. 21
Imitatio præpoſtera, 57. 5. & 66. 3
Imolatio puerorum, 57. 5
Immortalitas animarum, 57. 2
Impatientia corrigenda, 16. 5. Vide Patientia piis neceſſaria.
Impœnitentia quantum Deo diſplicet, 22. 14
Impœnitentia extremum malum, 22. 12, 14. & 57. 18
Impii æternis pœnis cruciandi, 66. 24
Impii pacis expertes, 57. 20, 21
Impii inexcuſabiles, 10. 6. & 16. 3. & 22. 11. & 26. 12. & 47. 21
Impii inutiles, 59. 6
Impii eriam Dei miniſtri, 10. 5. & 17. 5
Impii bonis permixti, 1. 28. & 5. 18. & 17. 9
Impii minime timendi, 8. 12
Impii & hypocritæ quomodo tractandi, 1. 4, 10, 15, 18. & 2. 6, 12, 22. & 3. 9. & 8. 18. & 9. 12. & 13. 9. & 28. 17, 21. & 29. 15, 16. & 30. 8. 15. & 33. 14, 15. & 42. 3. & 48. 1, 2. & 56. 9. & 57. 3, 4, 11, 21. & 58. 1, 2. & 59. 1, 8, 12. & 65. 15. & 66. 6
Impii plagis non emendantur, 8. 21. & 9. 10. & 26. 10. & 28. 19. & 29. 21. & 57. 17
Impii quomodo à Deo excæcantur, 44. 18
Impii quomodo negant ſe à Deo formatos eſſe, 29. 16
Impii non nocent quantum vellent, 7. 19. & 14. 25. & 17. 6. & 26. 5. & 27. 1. & 29. 6. & 33. 1. & 37. 7, 29. & 42. 8. & 43. 3. & 54. 16. & 59. 19
Impiorum abundantia miſera, 35. 6
Impiorum anxietas, 21. 12
Impiorum audacia, 8. 10
Impiorum auxilia inania, 30. 1. & 31. 1. & 57. 9
Impiorum blaſphemiæ quomodo refellendæ, 30. 21
Impiorum voluntaria cæcitas, 28. 13
Impiorum conatus inanes, 37. 3, 13. & 54. 15
Impiorum miſera conditio, 3. 11. & 5. 18. & 15. 2. & 21. 12. & 28. 20. & 57. 3, 20
Impiorum conjuratio, 41. 5
Impiorum conſcientia mala, 59. 12
Impiorum conſilia vana & infirma, 8. 10. & 16. 6. & 19. 3. & 33. 11. & 37. 28. & 47. 13
Impiorum conſortia fugienda, 33. 15. & 59. 5
Impiorum vana fiducia, 14. 29
Impiorum gaudium inane, 14. 29. & 16. 9, 10. & 22. 18
Impiorum gaudium maledictum, 22. 13. & 14. 11
Impiorum duo genera, 66. 17
Impiorum vana jactantia, 59. 4
Impiorum ignorantia inexcuſabilis, 27. 11
Impiorum immanitas, 59. 8
Impiorum impudentia, 57. 4
Impiorum interitus mente comprehendi non poteſt, 30. 33
Impiorum interitus cur ſacrificio confertur, 34. 6
Impiorum interitus Dei gloriam promovet, 63. 3
Impiorum horrendus ac ſubitus interitus deſcribitur, 3. 11. & 5. 16. & 10. 17, 18, 26. & 13. 9. & 14. 30. & 15. 1, 9. & 16. 9. & 17. 13, 14. & 18. 5, 6. & 19. 1. & 21. 10. & 24. 17. & 26. 14. & 29. 17. & 30. 13, 11, 27. 33. & 31. 9. & 33. 4, 11, 23. 24. & 34. 4. 7. & 37. 18. & 40. 24. & 43. 17. & 47. 11. & 49. 26. & 50. 9. & 51. 23. & 59. 17. 19. & 63. 1. & 66. 5, 18, 24
Impiorum labor inanis, 17. 11. & 57. 9, 10
Impiorum memoria ignominioſa, 14. 12
Impiorum mors turbulenta, 57. 2
Impiorum natura, 59. 5
Impiorum opera qualia, ibid.
Impiorum opera quomodo Deus utitur, 5. 26. & 7. 20
Impiorum orationes non exaudiuntur, 59. 1
Impiorum pavor ex Deo, 13. 8
Impiorum pervicacia, 5. 24. & 16. 1. & 41. 5, 16. & 48. 4. & 56. 12. & 57. 11
Impiorum fluxa proſperitas, 2. 12. & 5. 16. & 7. 2. & 13. 13. & 15. 4. & 16. 3. & 18. 4, 5. & 26. 14. & 28. 1. & 32. 10. & 34. 5. & 41. 11. & 45. 16. & 47. 7, 8. & 51. 7, 8. & 61. 7. & 66. 15
Impiorum reſurrectio exitialis, 26. 19. & 66. 15, 24
Impiorum ſapientia lethalis, 5. 21
Impiorum vana ſecuritas, 5. 26. & 7. 2. & 9. 19. & 16. 1. & 24. 17. & 25. 15, 18. & 29. 1. 15. & 32. 10, 17. & 47. 7. & 50. 11. & 59. 4
Impiorum ſemen maledictum, 14. 17, 21
Impiorum voluntaria ſocordia, 26. 11
Impiorum ſtatus facile evertitur, 14. 30
Impiorum ſuperbia quanta, 3. 12
Impiorum ſuperbia ob victorias, 10. 15
Impiorum ſuperbia retundenda, 2. 11
Impiorum vaſrities, 29. 15
Impiorum voces, 9. 10. & 10. 13. & 22. 13. & 18. 15, 19. & 29. 15. & 33. 14. & 41. 6. & 56. 12. & 66. 5
Impiis interdum parcitur propter pios, 65. 8
Imprecatio fidelium adverſus Babylonios, 13. 12
Incircumciſi qui dicebantur, 52. 1
Incredulitas quantus morbus, 42. 8
Incredulitas ſola iram Dei provocat, 45. 24
Incredulitatis corrigendæ ratio, 40. 5
Increduli, vide impii.
Infantia quæ damnanda, 28. 9
Infidelitas perturbationum animi cauſa, 30. 15
Infidelitatis indicia, 5. 19
Infirmi quomodo tolerandi, 42. 3
Ingratitudo quam deteſtabile vitium, 44. 21
Ingratitudo mundi, 49. 4
Ingratitudo vitanda, 60. 15
Inhumanitas ex Dei contemptu, 59. 3
Inhumanitas damnatur, 10. 4
Inſulæ pro transmarinis regionibus, 41. 1. & 42. 4. & 49. 1. & 60. 9. & 66. 19
Intentiones bonæ Papiſtarum evertuntur, 65. 3. & 66. 3
Interrogationum uſus, 23. 8. & 43. 19. & 48. 12. & 53. 19. & 57. 6. & 63. 1, 2
Invocatio pro toto Dei cultu, 64. 6
Invocatio piis quam neceſſaria, 41. 17. & 55. 6
Invocatio ſanctorum mortuorum evertitur, 65. 24
Joannes baptiſta cur ſe prophetam eſſe negat, 40. 3
Joſephi locus, 5. 10. & 19. 19. & 45. 4
Ira Dei, vide Dei ira.
Iſocratis locus, 19. 12
Iſrael duplex, 43. 6
Iſraelis nomen perhonorificum, 1. 3
Iſraelitarum excidendi cauſa, 17. 10
Iſraelitarum falſa fiducia, 17. 9
Iſraelitarum ingratitudo, 17. 9, 10
Iſraelitarum perfidia, 17. 9
Iſraelitarum ſuperbia, 28. 1
Itali quibus ſignis luctum teſtabantur, 11. 2
Judæa cur inſula vocatur, 20. 6
Judæa cur vallis viſionis dicitur, 22. 1
Judææ excidium prædicitur, ibid.
Judæi apoſtatæ, 1. 4
Judæi audaces in fabulis comminiſcendis, 37. 36. & 40. 31. & 48. 28
Judæi Scripturæ corruptores, 49. 6
Judæi execrationis exemplum, 65. 15
Judæi cur gens expilata & horribilis, 18. 2
Judæi filii degeneres, 29. 22. & 31. 6. & 48. 1. & 57. 3
Judæi quomodo hoſtes Dei, 1. 24
Judæi inexcuſabiles, 5. 2, 3. & 31. 4. & 42. 18. & 42. 20. & 44. 8. & 48. 5. & 50. 1, 2. & 65. 12. & 66. 4
Judæi corruptis gentium moribus polluti, 2. 6. & 48. 5
Judæi primogeniti in Eccleſia Dei, 14. 2. & 19. 25
Judæi cur vermi conferuntur, 41. 14
Judæi Ægyptiorum potentia nitebantur, 19. 1
Judæi cur ſacrificia Deo non obtuliſſe dicuntur, 43. 23
Judæorum variæ afflictiones, 1. 5
Judæorum apoſtaſia, 1. 2, 4, 21. & 5. 24
Judæorum inſatiabilis avaritia, 2. 7
Judæorum cæcitas, 6. 10. & 29. 10, 11. & 41. 19
Judæorum cæcitas voluntaria, 43. 10
Judæorum miſera conditio, 3. 12
Judæorum falſa confidentia, 30. 17
Judæorum contumacia & obſtinatio, 1. 5. & 6. 9, 10. & 9. 8, 13. & 22. 6, 7. & 29. 7. & 30. 1. & 31. 1. & 43. 4. & 49. 6. & 57. 10, 17. & 59. 1. & 65. 2, 3. & 66. 4
Judæorum diffidentia, 30. 2. & 49. 14
Judæorum fabula de Sennacherib, 37. 38
Judæorum vana fiducia, 20. 5. & 22. 1. & 29. 1. & 30. 1, 2. & 66. 1
Judæorum gloriatio, 57. 4. & 65. 15
Judæorum hypocriſis, 29. 13, 20. & 30. 10. & 58. 3
Judæorum ſuperba jactantia, 65. 15
Judæorum idololatria, 1. 29. & 2. 8
Judæorum impudentia, 65. 3
Judæorum incredulitas, 48. 1
Judæorum ingratitudo, 1. 2. & 2. 5. & 5. 2. & 22. 11. & 24. 5. & 26. 10. & 27. 11. & 28. 7. & 29. 22. & 31. 1. & 41. 9. & 46. 8. & 48. 1. & 50. 3. & 63. 8. & 65. 2
Judæorum perdita malitia, 1. 4
Judæorum morbus inſanabilis, 38. 9
Judæorum origo, 41. 4. & 43. 27. & 51. 1. & 65. 7
Judæorum patres quomodo ſcelerati, 43. 27
Judæorum prærogativa, 19. 25. & 22. 1. & 52. 6. & 61. 9
Judæorum protervia, 30. 12
Judæorum ſecuritas, 22. 2. & 29. 1. & 48. 2
Judæorum ſocordia, 29. 9. & 57. 10
Judæorum ſtupor, ibid. & 41. 25. & 6. 9
Judæorum ſuperbia, 22. 1. & 65. 15
Judæorum ſuperſtitiones, 65. 11. & 66. 3
Judæorum vecordia, 1. 7. & 28. 9
Judæorum & gentium æqualitas, 41. 23
Judæis cur ſua conditio contemptui & faſtidio fuerit, 8. 6
Judicare pro regere & gubernare, 2. 4. & 16. 5
Judicium pro jure, 1. 21. & 26. 9
Judicium pro moderatione quæ in caſtigando adhibetur, 30. 18. & 64. 8
Judicium pro norma regiminis, 51. 4
Judicium pro rectitudine, 1. 17, 21. & 4. 4. & 32. 16. & 61. 8
Judicium pro tutela, 16. 5. & 59. 9
Juramentum divini cultus ſpecies, 19. 18. & 45. 23. & 48. 1. & 65. 16
Jurisjurandi religio, 14. 24
Jurandi forma Scripturis uſitata, 5. 9
Jurandi forma cur ecliptica, 14. 24. & 60. 8
Juſtitia pro æquitate, 33. 15
pro auxilio, 46. 13
pro tutela & fide, 16. 5. & 45. 13. & 51. 1. & 54. 14. & 59. 9
pro cordis integritate, 45. 6
pro jure, 54. 17. & 62. 1
pro rectitudine, 32. 16
pro ſtatu Reipublicæ optime conſtituto, 48. 18
pro teſtimonio juſtitiæ, 58. 8
pro veritate, 61. 8
Juſtitia vera quid, 57. 1
Juſtitia in ſolo Deo quærenda, 45. 24
Juſtitiæ partes duæ, 58. 7
Juſtus pro probato, 41. 26

L.

Labium pro lingua, 19. 18
Lex Oppia, 3. 17
Lex pro Evangelio, 42. 4
Lex pro doctrina, ibid.
Lex pro Dei ſermone, 2. 3
Legis encomium, 8. 20
Legis finis & uſus præcipuus, 45. 19. & 51. 4

Legis

INDEX

Legis præſtantia, 8. 29
Legis propagatio quam neceſſaria, 42. 21
Legis ſedes in corde, 31. 7
Legis & Euangelii diſcrimen, 66. 11. 23
Lepra mors civilis, 6. 1
Levitas, vide Manſuetudo.
Levare orationem quid, 37. 4
Leviathan quid, 27. 1
Libellus repudii, 50. 1
Liber pro lege ipſa, 34. 16
Liber Prophetarum unde confectus & collectus ſit, 30. 8
Liber vitæ, quis dicatur, 4. 3
Liberi ad quid dentur, 18. 19
Liberorum copia Dei donum, 48. 19
Liberalitas vera quæ, 32. 8
Liberum hominis arbitrium quale, 1. 16. 19. 20. & 2. 22. & 54. 13
Lingua pro ſinu maris, 11. 15
Lingua noſtrarum conſultationum inſtrumentum, 3. 8
Lingua mentis effigies, proverbium, 59. 4
Lingua præcipuum hominis membrum quo actiones ſuas exercet, 33. 15
Lingua Papiſtarum, vide Papiſtarum lingua.
Litigandum non ſemper cum impiis, 36. 21
Lobna urbs quæ, 37. 8
Locus perperam detortus, 19. 1. & 63. 16
Locus ab Onia detortus, 19. 19
Locus perperam detortus ad evertendum liberum hominis arbitrium, 26. 12
Locus quo Papiſtæ abutuntur ad deſtruendam fidei juſtitiam, 33. 16
Locus perperam ad Chriſtum translatus, 22. 22. & 43 24. & 48. 16. & 52. 3. & 53. 8. & 63. 1
Locus perperam à Papiſtis de Magis expoſitus, 62. 6
Locus de ſatana perperam expoſitus, 14. 12
Locutio comparativa, 2. 22. & 43. 18. & 54. 9. 10. 13. & 60. 16
Locutio impropria, 55. 1
Loqui ad cor quid, 42. 2
Lucani locus, 4. 1
Lucifer diabolorum Rex falſo creditus, 14. 12
Luctus ſigna ſingulis nationibus propria, 15. 2 & 32. 11
Lutherus propheta Dei, 57. 1
Lutheri mors, ibid.
Lux pro proſpero ſtatu, 58. 8. 10. & 59. 9
Lux nulla ubi deeſt prophetarum doctrina, 60. 3
Lycurgus cur adverſus ingratos nullam legem tulit, 1. 2

M.

MActatio virorum hominum, 66. 3
Madianitæ à Gedeone ſubacti, 9. 4
Magia damnatur, 19. 3
Magiſtratus omnes à Deo vocantur, 22. 20
Magiſtratus pii ſingulare Dei donum, 1. 26
Magiſtratus impii ex Dei ira, 22. 21
Magiſtratuum authoritas, 9. 12
Magiſtratuum conſolatio, 22. 23
Magiſtratuum officium, 3. 4. & 22. 22. 24. & 32. 13
Magnanimitas fidelium, vide Fidelium magnanimitas.
Mala omnia à peccato oriuntur, 33. 14
Mane ſurgere, 5. 11
Manſuetudo commendatur, 11. 4. 6. & 53. 7. & 57. 15. & 61. 7
Manſuetudo vera nulla ubi non eſt Spiritus Chriſti, 11. 6
Manſuetudo qualis in paſtoribus requiritur, 42. 4
Manſuetudo Chriſti, vide Chriſti manſuetudo.
Manus pro auxilio, 25. 10
Manus pro miniſterio, 53. 10
Manus pro opere, 26. 11
Manuum expanſio precibus adhiberi ſolita, 1. 15
Manuum extenſio pro imperio, 11. 14
Martini Lutheri mors, 57. 1
Maximiliani Imperatoris hiſtoria, 19. 11
Medicina non ſpernenda, 38. 21
Medium terræ pro locis munitioribus & magis reconditis, 10. 13
Medi authores excidii Babylonici, 13. 17
Medorum crudelitas, 13. 18
Medi & Perſæ quo ſenſu vaſa iræ vocentur, 13. 5
Medi & Perſæ cur ſanctificati dicuntur, 13. 3
Mercatura an per ſe damnanda, 23. 15. 17
Mercatura ſæpe fraudibus & rapinis plena, 2. 16
Merces pro Dei juſtitia, 40. 10
Meridies pro graviſſimo æſtu, 16. 3
Merita hominum evertuntur, 43. 4. 25. & 44. 2. & 63. 7. & 65. 2. vide Liberum hominis arbitrium.
Merodah primus Babyloniorum Rex fuiſſe creditur, 39. 1
Merodah Aſſyrios invadit, 17. 37
Militia non omnis illicita, 3. 4
Minæ Prophetarum metuendæ, 13. 5
Miniſtri, vide Paſtores.
Miniſterii Verbi commendatio, 50. 10. & 62. 7
Miracula Verbo conjuncta ſigilla ſunt, 7. 10
Miracula nova non fingenda ad authoritatem Chriſto conciliandam, 1. 3
Miraculorum uſus, 2. 10
Miſericordia veræ pietatis probatio, 1. 18
Miſericordia ſacrificiis anteferenda, 58. 9
Miſericordia quibus promiſſa, 64. 11
Miſſæ ſacrificium quam impudenter à Papiſtis aſſeritur, 19. 19
Moabitæ unde originem duxerint, 15. 1
Moabitæ crudeles & inhumani, 15. 1. & 16. 3. & 25. 10
Moabitarum excidium prædicitur, 15. 1
Moabitarum fuga, 15. 4. 9. & 16. 2
Moabitarum obſtinatio, 15. 1
Moabitarum ſuperbia, 16. 6
Moabitarum truculentia, ibid.
Monarchia Aſſyriorum variis nationibus conſtabat, 8. 9. & 17. 12
Monarchia Babylonis omnium potentiſſima, 13. 11. & 14. 26. & 47. 5
Monarchia Tyri celeberrima, 23. 12
Monachorum vota qualia, 19. 21
Mons pro templo, 16. 1. & 18. 7. & 25. 10. & 66. 20
Mons Sion Deo conſecratus, 18. 7
Mons Sion pro Eccleſia, 10. 12
Mons ſanctitatis pro bene vivendi regula quæ Dei verbo præſcripta erat, 65. 11
Mons excelſus pro Babylone, 13. 2
Mors per ſepulchrum ſæpe deſignatur, 53. 9
Mortui quomodo à laudibus Dei ceſſare dicantur, 38. 18
Mortui num rerum noſtrarum conſcii eſſe poſſint, 29. 22
Motus bellici ex Dei decreto, 13. 3. 5
Mulier cum dolore parit ob peccatum, 65. 23
Mulierum luxuries taxatur, 3. 16. 17
Mulierum ſuperbia damnatur, ibid.
Muniendi alia veteribus ratio fuit quam nobis, 25. 12
Mundus per Chriſtum quodammodo renovatus, 65. 17. & 66. 22
Mundi ingratitudo, 41. 5. & 49. 4
Munera accipere judicibus quam noxium, 5. 23
Multi pro omnibus, 53. 12
Muſica minime improbanda, 5. 12
Mutatio in Deo nulla, 14. 27
Mutationes regnorum à Deo, 19. 1. & 22. 21 & 41. 4. & 51. 6

N.

NAbuchodonoſor flagellum Dei, 42. 25
Nachor locus compaſcuus, 65. 10
Natura ſuæ integritati quodammodo per Chriſtum reſtituta, 11. 6. 8
Natura impiorum, vide Impiorum natura.
Navigatio minime damnanda, 2. 16
Nebo idolum Chaldæorum, 46. 1
Nebo urbs Moabitarum, 15. 2
Neceſſitas ſolertes reddit, 22. 9
Nilus inſtar pluviæ, Ægypti campos irrigat, 19. 7
Nili ſiccitas ſterilitatis ſignum, ibid.
Nineve, caput & ſedes regni Aſſyriorum, 37. 37
Nomen pro celebritate, 62. 2
Nomen novum Eccleſiæ datum, ibid.
Nomen filio imponere patribus convenit, 7. 14
Nomen alterius ſuper aliquem invocari, 4. 1
Nigra pro provinciis in quas diſtributa erat Ægyptus, 19. 2
Noph, urbs Ægypti celeberrima, 19. 13
Notio Dei omnibus populis ingenita, 24. 15
Novum pro præclaro, eleganti & exquiſito, 42. 10
Nudare brachium pro exerere, 52. 10
Nuditas Jeſaiæ non indecora, 20. 2
Numeri mutatio Hebræis uſitata, 21. 6
Nundinationes Papiſticæ, 33. 22

O.

OBedientia veræ religionis mater, 1. 29
Obedientia Deo gratiſſima, 1. 12. 10. 19. & 6. 8. & 43. 23. & 58. 4. & 65. 4
Obedientia ſine fide nulla, 65. 12
Obedientia Chriſti, vide Chriſti obedientia.
Oblationes Chriſtianorum, 66. 23
Occaſione utendum, 16. 1. & 42. 21. & 55. 6
Occidentales quibus ſignis luctum deſignabant, 15. 2
Oniæ conſilium Ptolomæo datum, 19. 19
Onus quid Prophetis, 13. 1. & 14. 28
Opulentia ſuperbiam & ſecuritatem gignere ſolet, 21. 2
Opus pro judicio, 5. 19
pro beneficentia, 5. 12. & 26. 11
Opus novum pro inaudito & inſolito, 43. 19
Opus operatum à Papiſtis confictum, 1. 11
Opera impiorum qualia, 59. 6
Oracula idolorum quam vana, 41. 22. & 41. 9
Oratio explicatio eſt cordis noſtri coram Deo, 63. 15
Oratio plus quam neceſſaria, 41. 17. & 55. 9
Orationem levare quid, 37. 4
Orationes Papiſtarum hæſitatione plenæ, 33. 2
Orbis pro Babylone, 13. 11
Orbis pro regionibus quæ Judæis notæ erant, 24. 17
Ordo inverſus, 1. 27. & 38. 22
Oreb vallis unde nomen acceperit, 10. 26
Orientales ceremoniis abundant, 58. 5
Orientales quibus ſignis luctum teſtabantur, 15. 2. 3. & 36. 22
Os Domini Propheta, 8. 19
Os & labia pro externa confeſſione, 29. 13
Oris virga pro doctrina, 11. 4
Oſſa pro macilentis hominibus, 58. 11
Otium damnatur, 32. 9
Otium & ſecuritas ex abundantia naſci ſolent, 32. 10

P.

PAlæſtini in ſalutem populi Dei concidi ac deleri, 14. 30
Palæſtinorum excidium, 14. 28
Palæſtinorum inanis fiducia, 14. 29
Panis & aqua pro rebus omnibus ad quotidianos vitæ uſus neceſſariis, 33. 16
Panes aut Satyri quomodo à Gallis vocentur, 13. 21
Papa antichriſtus, 49. 23. & 60. 9
Papa ſe impudenter vicarium Chriſti eſſe jactitat, 60. 10
Papæ fulmina adverſus veros Dei cultores, 66. 5
Papæ impietas cur non ſtatim appareat, 29. 15
Papæ tyrannis unde à quibuſdam ſtabiliatur, 49. 23. & 60. 9. 10
Papatus & tota ejus corruptela ab hoſtibus Eccleſiæ domeſticis emerſit, 24. 16
Papatus impietas Euangelii verbo detegitur, 32. 6
Papiſtæ Euangelicorum hoſtes infenſiſſimi, 34. 5
Papiſtæ cur cum Euangelicis non conveniunt, 31. 5
Papiſtæ Euangelicos veluti monſtra exhorreſcunt, 8. 18
Papiſtæ remiſſionem peccatorum cum pœnitentia confundunt, 59. 20
Papiſtæ Deum cum idolis conjungunt, 17. 8
Papiſtæ quo magiſtro Chriſtiane loqui didicerunt, 36. 13
Papiſtæ ob multitudinem gloriantur, 44. 11
Papiſtæ quo ſenſu Reges Eccleſiæ nutritios eſſe intelligunt, 49. 23
Papiſtæ inanes ceremonias pro veris Sacramentis obtrudunt, 20. 2
Papiſtæ Chriſtum doctorem repudiant, 55. 4
Papiſtæ Deum honore ſuo ſpoliant, 42. 11
Papiſtæ unde carnium abſtinentiam commendari putent, 22. 13
Papiſtæ unde confeſſionem auricularem eliciant, 38. 15
Papiſtæ unde ſeptiformem gratiam ſuam hauſerint, 11. 2
Papiſtæ qua ratione liberum hominis arbitrium ſtatuant, 1. 19. 20
Papiſtæ unde mortuos eorum quæ agimus ſpectatores eſſe volunt, 29. 22
Papiſtæ unde Sanctorum interceſſionem eliciunt, 37. 35. & 63. 17
Papiſtarum arrogantia, 61. 3
Papiſtarum audacia in profanandis Dei myſteriis, 1. 3
Papiſtarum balbuties de adoratione duliæ, 2. 8
Papiſtarum execranda blaſphemia de lectione ſacræ Scripturæ, 48. 17
Papiſtarum cæcitas, 44. 15
Papiſtarum calumniæ adverſus Euangelii miniſtros, 32. 6. & 36. 7. 10. 14. & 54. 17
Papiſtarum conſcientia ſemper turbulenta, 33. 18
Papiſtarum conſpirationes, 44. 11
Papiſtarum cultus quam inanis, 29. 13
Papiſtarum devotio qualis, 1. 14. & 19. 13
Papiſtarum pueriles diſtinctio de remiſſione pœnæ & culpæ, 33. 24. & 38. 17. & 43. 25. & 53. 5
Papiſtarum doctrina de pœnitentia, 55. 7
Papiſtarum Eccleſia qualis, 11. 9. & 28. 17. & 31. 6. 22
Papiſtarum Epiſcopi quales, 48. 16
Papiſtarum fabula de bove & aſino, 1. 3
Papiſtarum fides implicita, 41. 10. & 51. 15. & 54. 13
Papiſtarum figmentum de opere operato, 1. 12
Papiſtarum felicitas, 46. 8
Papiſtarum furor pro tuendis ſuperſtitionibus, 44. 14
Papiſtarum vana jactantia, 1. 30. & 29. 14. & 36. 19. & 45. 20. & 49. 21. & 62. 5
Papiſtarum idololatria, 1. 29. & 47. 28. & 41. 7. & 44. 10
Papiſtarum impudentia, 11. 4
Papiſtarum miſera inquietudo, 28. 12
Papiſtarum inanes labores & fatigationes, 30. 6
Papiſtarum in cultu idolorum liberalitas, 61. 12
Papiſtarum lingua olim barbara, & qualis nunc ſit, 36. 13
Papiſtarum obſtinatio unde, 41. 1
Papiſtarum querimonia de ſublato Dei cultu, 36. 10
Papiſtarum ſacerdotium ſacrilegum, 61. 6
Papiſtarum ſacramenta qualia, 10. 2. & 66. 23
Papiſtarum ſatisfactiones evertuntur, 31. 24
Papiſtarum noxia ſimplicitas, 6. 4. & 44. 20
Papiſtarum ſuperbia, 1. 26. & 8. 14. & 47. 29
Papiſtarum ſuperſtitio in cultu Angelorum, 37. 36
Papiſtarum ſupplicationes extraordinariæ, 16. 12
Papiſtarum vota qualia, 19. 21
Parthi in arte ſagittandi experti, 66. 19
Paſcere cinerem pro paſci cinere, 44. 20
Paſtores pii ſingulare Dei beneficium, 62. 6
Paſtores quam in mundo neceſſarii, 49. 17
Paſtores cur hominibus exoſi, 30. 10
Paſtores multorum calumniis expoſiti, 29. 21. & 50. 6. 8. & 51. 8
Paſtores omnes Sacerdotes, 23. 18. & 61. 6. & 66. 20. 21
Paſtorum quomodo Eccleſiarum ſponſi, 62. 5
Paſtores confirmatione egent, 8. 11
Paſtores quomodo peccata remittere dicantur, 43. 25. & 63. 12
Paſtorum alacritas, 51. 8
Papiſtarum avaritia damnatur, 56. 11
Paſtorum authoritas, 43. 25. & 47. 1
Paſtorum conditio, 50. 6. & 51. 8
Paſtorum conſolatio, 6. 10. & 8. 16. & 28. 14. & 29. 21. & 49. 4. & 51. 16. & 62. 7
Paſtorum conſtantia ac magnanimitas, 8. 16. & 29. 21. & 50. 7
Paſtorum contemptus, 37. 8. & 59. 21
Paſtorum ebrietas deteſtanda, 56. 12
Paſtorum fiducia, 7. 13. & 50. 8
Paſtorum gloria, 49. 5
Paſtorum inopia Dei vindictæ tribuenda, 40. 1
Paſtorum labor Deo gratiſſimus, 49. 4. 5
Paſtorum manſuetudo, 42. 3

Paſto-

Paſtorum militia, 41. 4. & 49. 4. & 50. 7
Paſtorum miſſio, 52. 7
Paſtorum munus & officium, 3. 10. & 5. 25. & 7. 11. & 11. 4. & 21. 12. & 22. 4. & 35. 3, 4. & 39. 3, 6. & 47. 6. & 42. 3. & 43. 1. & 49. 1. & 52. 4. & 52. 8. & 56. 10. & 62. 1, 6, 10, 11
Paſtorum duo officia, 11. 4. & 50. 4
Paſtorum orationes, 62. 7
Paſtorum habenda ratio, 49. 23
Paſtorum patientia, 51. 8
Paſtorum præſentia quam neceſſaria, 49. 17
Paſtorum quorundam inſana protervia, 56. 12
Paſtorum prudentia, 1. 28
Paſtorum querimonia, 49. 4. & 53. 1
Paſtorum ſeveritas, 58. 1
Paſtorum ſocordia damnatur, 56. 10, 12
Paſtorum ſolicitudo pro ſalute populi, 6. 11
Paſtorum vehementia, 58. 1
Patientia fidelibus neceſſaria, 11. 22. & 16. 5. & 18. 7. & 24. 12. & 26. 8, 20, 21. & 30. 18. & 33. 22. & 34. 8, 16. & 40. 26, 31. & 42. 10. & 45. 9, 15. & 49. 14. & 51. 4, 7. & 53. 7. & 61. 7. & 62. 1. & 65. 24
Pater pro authore, 9. 6
Patrum veteris & fidelium novi Teſtamenti diſcrimen, 54. 13. & 55. 1. & 63. 17
Paucitas Fidelium, vide Fidelium paucitas.
Pauperes & afflicti curæ Deo, 3. 14, 15. & 10. 2
Pauperum conſolatio, 10. 2
Pauperum habenda ratio, 58. 7
Pauperum oppreſſores latronibus ſceleratiores, 33. 7
Paupertas ſpiritualis, 11. 4
Pavor impiorum ex Deo, 13. 8
Pax pro proſperitate & felicitate, 9. 6. & 26. 3, 12. & 48. 18. & 52. 7. & 54. 10, 13. & 66. 12
Pax ex Dei præſentia, 41. 10
Pax juſtitiæ & integritatis alumna, 59. 8
Pax quatenus expetenda, 32. 17. & 38. 17. & 59. 8
Pax conſcientiæ evangelii fructus, 2. 4
Pax conſcientiæ ſolis fidelibus propria, 32. 18
Pacis quærendæ ratio, 32. 17
Paz, pro puriſſimo & ſelectiſſimo auro, 13. 12
Peccatores pro impiis & ſceleratis, 13. 9
Peccatum pro peccati victima, 53. 10
Peccati confeſſio neceſſaria, 64. 5
Peccati remiſſio ex ſola Dei miſericordia, 43. 25
Perſæ & Medi quo ſenſu vaſa iræ vocentur, 13. 5
Perſonæ tres in una Dei eſſentia, 6. 3, 8
Pedem à Sabbatho avertere quid, 58. 13
Petra deſerti urbs Moabitarum primaria, 16. 1
φιλαυτία hominibus innata atque ingenita, 22. 9
φιλαυτία malorum omnium mater, ibid.
Philoſophi quomodo de virtutibus & vitiis diſputent, 22. 5. & 53. 11
Pietatis vera officia, 58. 6
Pinguedo pro proſperitate, 10. 16
Piſcinæ duæ Jeroſolymis, 7. 3
Pii, vide Fideles.
Platonis locus, 3. 4. & 11. 9
Plinii locus, 23. 4. & 37. 12. & 40. 31. & 19. 7
Pluviæ in Ægypto raræ, 19. 7
Pœnitentia vera quæ, 19. 22. & 30. 22. & 55. 7. & 59. 12
Pœnitentia noſtra qualis eſſe debeat, 22. 9
Pœnitentia proprium Dei opus, 1. 16, 25
Pœnitentia ſanationis initium, 6. 10
Pœnitentia commendatur, 31. 6. & 33. 15
Pœnitentia in Deo nulla, 14. 27. & 19. 25. & 41. 9. & 59. 20
Pœnitentia ſera notatur, 16. 1, 3
Pœnitentia Cain & Eſau, 26. 11
Pœnitentiæ doctrina nunquam à promiſſione ſalutis ſeparanda, 55. 7
Pœnitentiæ fructus, 1. 16. & 27. 9. & 31. 7. & 56. 1
Pœnitentiæ initium, 1. 21. & 31. 7
Pœnitentiæ partes, 1. 16
Pœnitentiæ vera ratio, ibid.
Pœnitentiæ ſigna, 22. 12. & 30. 22. & 37. 1. & 45. 14. & 58. 5
Ponere ſuper cor, 42. 25
Pontifex ſummus typum Chriſti gerebat in populo Dei, 29. 14
Populi Chriſti conditio deſcribitur, 11. 4, 6, 7
Portæ pro locis celebrioribus, 14. 31
Portarum luctus, 3. 25. & 14. 31
Poſteritatis habenda ratio, 18. 9, 10, 19. & 39. 8. & 41. 25. & 43. 10. & 49. 18
Potentia Dei à verbo non ſeparanda, 44. 24
Potentia Dei abſoluta quid Papiſtis, 23. 9
Potentia Dei, vide Dei potentia.
Præmia hujus vitæ terminis Sadducæi circumſcribebant, 30. 33
Præſcientia & potentia ad ſolum Deum pertinent, 41. 26. & 45. 21
Præſidia humana quatenus appetenda, 8. 7
Preſter ſerpens regulo nocentior, 14. 29
Principes omnes à Deo vocantur, 22. 20
Principes patres populo eſſe debent, 22. 21
Principum officium, 30. 22. & 32. 1. & 49. 23
Principum mos quo liberius voluptatibus indulgeant, 21. 5
Principibus magnis ſubeſſe non ſemper utile, 8. 7. & 19. 4
Profeſſio externa piis neceſſaria, 45. 23
Prophetæ pro quibuslibet doctoribus, 3. 3
Prophetæ ſervi Dei, 44. 10
Prophetæ quatenus ſubditi eſſent Regibus, 39. 5
Prophetæ cur olim videntes dicti, 1. 1. & 21. 6, 7. & 29. 10. & 30. 10
Prophetæ in rebus adverſis conſulendi, 37. 2
Prophetæ a Deo illuminati à ſeipſis minime locuti ſunt, 1. 1
Prophetæ de Babylone perplexe loquuti, 21. 1, 3
Prophetæ doctrinam ſuam ex Moſe mutuati ſunt, 1. 2. & 8. 20. & 17. 10. & 22. 2. & 34. 16
Prophetæ cur potius de ſecunda Legis tabula quam de cultu Dei concionantur, 1. 18
Prophetæ quum repudiantur, rejicitur quoque Dominus, 30. 11
Prophetæ alienas perſonas interdum ſuſcipiunt, 22. 3
Prophetarum doctrina immortalis, 37. 3
Prophetarum humanitas, 6. 11
Prophetarum mos, 1. 2, 18, 29. & 5. 17. & 7. 14. & 9. 6, 7. & 10. 24. & 13. 9, 10, 19. & 14. 22. & 15. 4. & 18. 7. & 19. 5, 19. & 21. 1, 3, 7. & 23. 2. & 27. 10, 13. & 30. 8, 25, 33. & 32. 11, 16, 19. & 34. 1, 4. & 41. 16, 24. & 42. 1. & 44. 1. & 48. 14, 21. & 49. 1, 16. & 54. 2. & 55. 12. & 56. 1, 2. & 57. 1. & 60. 6, 21. & 61. 6. & 64. 1, 4. & 65. 13, 21. & 66. 15, 22, 23
Prophetarum vehementia, 1. 2. & 2. 9. & 3. 19. & 7. 13
Prophetia quam neceſſaria, 41. 27
Prophetiæ quo tempore collectæ, 1. 7
Prophetiæ ordine collectæ non fuerunt, 23. 9
Prophetiæ non unius tantum ſeculi hominibus ſcriptæ, 30. 8
Prophetiarum authoritas ſancita, 44. 28
Prophetiarum uſus, 41. 27
Proſperitas Impiorum, vide Impiorum proſperitas.
Proſperitate non abutendum, 32. 13
Pſeudoprophetæ veros Dei miniſtros imitantur, 20. 2
Puerorum immolatio, 57. 5
Pupilli curæ Deo, 1. 17, 23
Purgatorii ignis à Papiſtis confictus, 33. 14

Q.

Quærere Deum quid, 9. 13. & 31. 10
Quæſtiones variæ cum earum diſſolutionibus, 1. 7. & 27. 9. & 37. 26. & 38. 4, 8. & 54. 16
Querimonia fidelium ſub papatu, 20. 13
Querimonia Eccleſiæ, 49. 4. & 63. 15
Quinquagenarii Judæis in uſu, ut Romanis Centuriones, 3. 3

R.

Rabbinorum deliria, 17. 16
Ramus pro valentioribus & robuſtioribus, 9. 14
Rapſaces quam ſuperbus & blaſphemus, 36. 12, 13
Rapſacis oratio arrogantiæ ac blaſphemiæ plena, 36. 13
Reconciliationis cum Deo vera ratio, 59. 20
Redemptio peculiare regni Chriſti donum, 35. 10
Redemptio vera per Chriſtum, 41. 8
Redemptio per Chriſtum parta reliquis beneficiis anteponenda, 9. 6
Redemptio facta per Chriſtum omnium illuſtriſſima, 43. 18, 19. & 52. 12
Redemptio contenta voce celebranda, 41. 12
Redemptionis finis, 27. 13. & 29. 23. & 32. 16. & 35. 10. & 43. 2. & 44. 28. & 55. 13. & 63. 18
Redemptionis Ægyptiacæ & Babylonicæ diſcrimen, 52. 12
Redire ad cor, pro, reputare & attendere, 44. 19
Reformatio ſpiritualis, vide Creatio nova.
Regeneratio, vide Creatio nova.
Regimen bene conſtitutum quanti ſit momenti, 3. 4
Regnum Chriſti, vide Chriſti regnum.
Regnum Dei, vide Dei regnum.
Regnum Jehudah typus regni Chriſti, 31. 17
Regnum Iſrael cur unctio dicatur, 10. 27
Regnorum mutationes à Deo ſunt, 19. 1. & 23. 11. & 41. 4. & 51. 6
Regnorum defenſio in quo ſita, 19. 3
Regulus ſerpens colubro nocentior, 14. 29
Religionis mater obedientia, 1. 19
Religio omnis extra Chriſtum fallax & evanida, 25. 9
Religionis & ſuperſtitionis diſcrimen, 41. 22
Remedia legitima non negligenda, 38. 1
Remiſſio peccatorum ex ſola Dei miſericordia, 43. 25
Remiſſio pœnæ & Culpæ, 30. 23. & 33. 24. & 44. 22. & 48. 9. & 53. 5
Reprehenſiones quam neceſſariæ, 19. 21. & 19. 8
Reprobi quomodo flagellis Dei domentur, 1. 17
Reprobi flagellis Dei non humiliantur, vide Impii plagis Dei non emendantur.
Reprobi etiam dum vivunt, cur mortui, 26. 19
Reprobi etiam gratia Dei percutiuntur, 11. 4
Reprobi quomodo gloriæ Dei inſtrumenta ſint, 43. 21
Reprobi inexcuſabiles, vide Impii inexcuſabiles.
Repudii libellus, 50. 1
Requies pro Eccleſia, 11. 10
Reſipiſcentia, vide Pœnitentia.
Reſpublica quomodo rite adminiſtranda, 3. 4. & 32. 1
Rerum omnium tam initium quam finis à Deo pendet, 19. 15
Rerum ſacrarum privatio magna miſeria, 48. 19
Reſpicere pro ſperare, 22. 5. & 31. 1
Reſpicere ad Deum quid, 17. 7
Reſpondere pro teſtimonium ferre vel fateri, 3. 9. & 59. 12
Reſponſa Deorum falſorum qualia, 41. 2
Reſtitutio Eccleſiæ, vide Eccleſiæ reſtitutio.
Reſurrectio piis & impiis communis, 26. 19
Revelationes novæ non expectandæ, 59. 21
Revelationis duo modo ordinarii, 2. 1
Rex patris loco eſſe debet, 22. 21
Rex Jehudah typus Chriſti, 14. 30
Rex Babylonis cur Lucifero confertur, 14. 12
Regis Babylonii crudelitas, 14. 17
Regis Babyloniorum ſuperbia, 14. 13
Reges quo ſenſu Eccleſiæ nutritii vocentur, 49. 23
Regum officium, ibid. & 60. 16
Ritus legis ſublati & quomodo, 66. 23
Robur à Deo, 40. 29, 31
Roma olim quanta, & qualis nunc ſit, 37. 26
Roma omnis nequitiæ officina, ibid.
Romani viros homines mactabant, 66. 3
Romanenſes ridiculi, 19. 1

S.

Sabbathum pro toto Dei cultu, 56. 2, 6
Sabbathum fidelium perpetuum, 58. 13. & 66. 23
Sabbathi obſervatio cur tantopere commendatur, 58. 13
Saccus lugubris habitus olim erat, 20. 2. & 58. 5
Saccus & cinis num tempore noſtro conveniant, 58. 5
Sacerdotes, vide Fideles & Paſtores.
Sacerdotes papiſtici, ſacrilegi omnes, 61. 6
Sacerdotium evangelicum, 66. 19
Sacerdotium papiſticum quale, 61. 6. & 66. 20
Sacramentum a verbo Dei ſejungi non debet, 20. 2. & 6. 7
Sacramenta piis tanquam vehicula ſunt, 37. 15
Sacramenta papiſtarum qualia, 6. 7
Sacramentorum uſus & finis, ibid. & 20. 3. & 38. 7. & 47. 19
Sacrificium miſſæ quam impudenter à Papiſtis defenditur, 15. 19
Sacrificia fidelium ſpiritualia, 66. 23
Sadducæorum error refutatur, 30. 33
Salmanazar cladem Judæis intulit, 9. 1
Salus a ſolo Deo expectanda, 65. 5
Salus Eccleſiæ æterna, vide Eccleſiæ ſalus.
Samaria caput populi Iſraelitici, 9. 9
Sanctificati cur vocentur Medi & Perſæ, 13. 3
Sancti mortui num pro nobis orent, 63. 16
Sanctorum interceſſio à Papiſtis conficta, 37. 35. & 63. 17
Sanctuarium quid, 8. 14
Sanguis pro inhumanitate & rapina, 59. 3
Sanguines pro homicidiis & cædibus, 33. 15
Sanguines terræ qui dicantur, 26. 21
Sapientia vera quæ, 33. 6
Sapiens quo ſenſu Deus dicatur, 31. 2
Saron locus compaſcuus, 65. 10
Satan Dei quo cuſtodit, 19. 14
Satan quomodo gloriæ Dei ſerviat etiam invitus, 2. 19
Satan quomodo homines à fiducia Dei abſtrahat, 36. 15
Satan quam efficaciter operetur in impiis, 57. 5
Satanæ aſtutia, 13. 21. & 26. 7, 20. & 17. 1. & 31. 9. & 36. 6, 10, 13, 15, 16. & 37. 2. & 38. 1. & 40. 11. & 41. 12. & 43. 8. & 45. 20. & 49. 17
Satanæ tyrannis injuſta, 49. 24. & 59. 17. & 66. 1
Satanæ tyrannis in Eccleſiam, 4. 22
Satanæ regnum deſcribitur, 23. 1
Satisfactiones Papiſticæ invertuntur, 33. 24
Satisfactionum figmenta unde Papiſtæ duxerunt, ibid.
Satyri aut Panes præſtigia Satanæ, 13. 21. & 34. 14
Scholæ Papiſtarum blaſphemiis refertæ, 23. 9
Scriba pro eo apud quem libri cenſus erant, 33. 18
Scriptura humano more loquitur, 40. 12. & 49. 16. & 63. 19. & 65. 6
Scripturæ ſacræ lectio quam neceſſaria, 48. 17
Scripturæ ſanctæ utilitas, 30. 8. & 48. 17
Scripturarum uſus, 50. 4
Securitas carni innata, 24. 19
Securitas impiorum, vide Impiorum ſecuritas.
Seleucia non procul à Babylone extructa, 13. 19
Sennacherib à ſuis filiis occiſus, 37. 38
Sennacherib crudelitas & implacabilis furor, 33. 7
Sennacherib perfidia, 33. 8
Sennacherib ſuperbia, 14. 14
Senſus cur animalibus brutis tribuitur à Propheta, 43. 20
Sepulchrum pro morte, 53. 9
Sepultura ultimæ reſurrectionis ſymbolum, 14. 18
Sepulturæ cura non damnanda, 22. 17
Sepultura carere an maledictionis loco haberi debeat, 14. 18
Seraphim cur angeli dicantur, 6. 2
Seir mons Idumæorum, 21. 11
Seir pro toto Idumæorum regno, ibid.
Sidon urbs ubi ſita, 23. 2
Sidon urbs celeberrima, ibid.
Signa pro poſitu, concurſu & variis aſpectibus ſyderum, 44. 25
Signa quatenus expetenda, 7. 12
Signa pœnitentiæ, 22. 12
Signorum duo genera, 7. 12
Signorum uſus, 7. 10. & 38. 7
Silim qui, 33. 21

O o

Silen-

Silentium pro morte, 6. 5. & 15. 1
Siloe qualis fluvius, 8. 7
Simplicitas papiſtarum qualis, 44. 20
Simulachra, vide Idola.
Sion mons Deo conſecratus, 18. 7
Sion cur cæteris montibus præfertur, 1. 2
Sion quomodo a Deo fundata, 14. 32
Sion annuntiatrix, 40. 9
Sion civitas Davidis, 33. 20
Sobna Regis Cancellarius, 22. 15. & 36. 3
Sobna hypocrita, 36. 22
Sobna proditor, 22. 15
Sobna cur ad Rapſacem ab Ezechia miſſus, 36. 3
Sobnæ ſtatus quomodo firmus, 22. 25
Sobnæ ſuperbia & ambitio, 22. 16, 17
Sobnæ exilium prædicitur, 22. 17, 25
Sobrietas commendatur, 19. 13
Socordia excutienda, 5. 5, 7, 25. & 9. 17. & 32. 9. & 38. 17. & 41. 17. & 43. 5. & 44. 19. & 50. 4. & 51. 12. & 55. 2
Socordia gentium, 45. 22
Sodomæ ſubverſio exemplum eſt reprobis omnibus, 13. 19. & 34. 9
Solis fulgor quomodo in ſeptuplum auctus fuerit, 30. 26
Solomon typus Chriſti, 10. 27
Somnium & viſio, duo ordinarii modi quibus ſe Prophetis Dominus patefaciebat, 1. 1
Sophiſtarum diſtinctio de remiſſione pœnæ & culpæ, 44. 22. & 48. 9
Sophiſtarum garrulitas de natura & qualitate ignis æterni, 30. 33. & 66. 15, 24
Spes ex præteritis Dei beneficiis concipienda, 11. 11, 16. & 25. 1. & 26. 10. & 29. 22. & 30. 18. & 37. 31. & 41. 5. & 42. 9. & 43. 3, 16. & 44. 24, 27. & 48. 21. & 51. 9. & 63. 7. & 64. 3
Spiritus pro ratione, judicio vel mente, 40. 14
Spiritus ſanctus Deus æternus, 6. 10. & 48. 16
Spiritus ſanctus cur aquæ mundæ confertur, 1. 16
Spiritus ſanctus verus fidelium doctor, 29. 24
Spiritus efficacia à prædicatione Euangelii ſeparanda non eſt, 49. 22. & 59. 21
Spiritus Dei officium, 40. 7
Spiritus vertiginis quid, 19. 14
Splendor pro proſpero ſtatu, 60. 2
Stabilitas ubi timor Domini, 33. 23
Statuam erectam iri Domino in Ægypto quo ſenſu Jeſaias dixerit, 19. 19
Status rite ordinati compendiaria deſcriptio, 3. 2
Stellarum innumera multitudo, 40. 26
Stellarum obſcuritas pro extrema Dei indignatione, 13. 10
Sterilitas terræ ex Dei maledictione, 5. 10
Stupor Judæorum, vide Judæorum.
Stupor Papiſtarum, 6. 4
Summum bonum, Deo adhærere, 64. 6
Superbia quam Deo exoſa & abominabilis, 2. 11. & 13. 11. & 14. 15. & 16. 6. & 23. 9. & 26. 5. & 30. 27. & 39. 5. & 47. 9
Superbia ſemper impietati conjuncta, 31. 13
Superbia quomodo refutanda, 2. 22
Superbia exitii cauſa, 16. 6, 7
Superbia Babyloniorum, 13. 11
Superbia impiorum, vide Impiorum ſuperbia.
Superſtitio malorum omnium cauſa, 1. 29
Superſtitio conjunctam ſemper habet ſuperbiam, 36. 18
Superſtitio devotionis colore tegitur, 1. 29
Superſtitio unde æſtimanda, 1. 14
Superſtitiones unde natæ, 8. 11. & 65. 3
Superſtitiones Iſraelitarum, 17. 8. & 65. 4
Superſtitionum confuſa farrago in papatu, 66. 3
Superſtitioſi ignorantia non laborant, 44. 19
Supplicationes Papiſtarum extraordinariæ, 16. 12
Surditas Judæorum ex contumacia, 6. 9, 10
Surgere mane quid, 5. 11
Surgere Deus quomodo dicatur, 2. 19. & 14. 21
Surgere opus quando dicatur, 7. 7.
Sydera, vide Stellæ.
Sympathia commendatur, 20. 2. & 22. 4
Syriæ regni excidium, 17. 1
Syri poſt mortem Regis ſui Rezin, ex ſociis hoſtes Iſraeli facti bellum ei intulerunt, 9. 12

T.

TAbernaculorum dies feſtus, 54. 2
Tabulæ ſecundæ obſervatio cur tantopere à Prophetis commendetur, 1. 18
Tacere pro quieſcere, 62. 6
Tectorum forma qualis Judæis, 22. 1
Teglat-pelezer Judæis cladem intulit, 9. 1
Templum pro omnibus ceremoniis, 66. 1
Templum ubique diffuſum, 66. 20
Templum Jeroſolymitanum muris cinctum, 22. 9
Templum quomodo domus Dei, 56. 7. & 66. 1
Templum quomodo ſanctuarium dicatur, 64. 10
Templum inſtauratum priore longe inferius, 60. 17
Templi Judaici profanatio, 56. 5
Templi uſus, 64. 10
Temporum ſeries à Prophetis minime ſervata, 13. 12. & 17. 1
Tenebræ pro rebus adverſis, * 8. 21. & 50. 10. & 58. 8, 10. & 59. 9. & 60. 1
Tentationes fidelium, 20. 21. & 33. 20. & 36. 10. & 63. 17
Terra pro ejus incolis, 66. 8
Terra pro regionibus vulgo notis Judæis, 24. 1, 17
Terra nova quid, 60. 22
Terra viventium, 38. 11
Terræ fertilitas ex Dei benedictione, 1. 19. & 35. 1
Terræ ſterilitas ex Dei maledictione, 5. 10. & 15. 6. & 24. 5, 6. & 32. 13
Terram aperiri aut operiri quid, 26. 21. & 28. 24. & 60. 1
Teſtamenti veteris & novi diſcrimen, 19. 21
Teſtes Deo quomodo pii eſſe poſſint, 44. 8
Tharſis Hebræis Cilicia eſt, 2. 16. & 23. 1
Tharſis nomine quid intelligi debeat, 66. 19
Tharthan unus ex ducibus Sennacherib, 20. 1
Theologi Papiſtici quam indocti, 33. 2
Thomæ Mori hiſtoria, 22. 17
Thubal quid, 66. 19
Timor duplex, 7. 4
Timor alius in piis, alius in impiis, 8. 12
Timor Dei, vide Dei timor.
Tophet quomodo gehennam ſignificet, 30. 33
Traditiones humanæ quid valeant, 29. 13
Tranquillitas piorum qualis, 33. 20
Tremor quis piis neceſſarius, 66. 2
Tremoris genus duplex, ibid.
Trepidatio impiorum, 7. 2
Triturandi mos varius, 28. 25
Tumultus populorum à Deo manant, 19. 2
Turcæ proſperitas unde, & quid de eo ſperandum ſit, 36. 19
Turcarum gloriatio ob multitudinem, 45. 20
Turcarum inſolentia ob victorias, 36. 19
Turcarum & Judæorum Deus qualis, 45. 9
Turres & propugnacula num Deo diſpliceant, 26. 5
Tyranni quam toti mundo odioſi & deteſtabiles, 14. 7
Tyranni cur nubibus ſimiles, 14. 16
Tyrannorum exitus, 14. 7, 18
Tyrannorum imperium ex ira Dei, 26. 13
Tyrannis præfixi termini, quos prætergredi nequeunt, 33. 1. Vide Impii non nocent quantum vellent.
Tyrannos cur ad tempus Dominus ſuſtineat, 22. 23
Tyrus urbs opulentiſſima & celeberrima, 23. 1
Tyrus cur filia Sidon vocatur, 23. 12
Tyrus cur meretrici confertur, 23. 16
Tyri monarchia olim celeberrima, 23. 12
Tyri opulentia deſcribitur, 23. 3
Tyri ruina prædicitur, 23. 1
Tyri converſio ac pœnitentia, 23. 17, 18

V.

ו Copula pro adverſativa particula ponitur, 9. 5. & 22. 6. & 27. 10, 12. & 29. 2. & 42. 22. & 44. 1
ו loco cauſalis particulæ, 3. 7, 17. & 19. 22. & 46. 13. & 64. 4
ו pro illativa particula, 43. 28. & 46. 4. & 57. 11
ו pro interea, 7. 9
ו pro itaque, 8. 17
ו pro rationali particula, 54. 13
ו pro adverbio temporis, 31. 8
ו pro ubi, vel poſtquam, 30. 20
Vallis viſionis pro Judæa, 22. 1
Vaſa iræ Perſæ & Medi quo ſenſu dicti, 13. 5
Ubera pro agris & vineis, 32. 12
Venetiarum urbs opulentiſſima, 47. 1
Venetiarum urbs nunquam expugnata, 23. 12
Veneti mercatores opulentiſſimi, 23. 8
Ventus orientalis Judææ infeſtus, 27. 8
Ventus Domini pro vehementi turbine, 11. 15
Verbum Chriſti, vide Chriſti verbum.
Verbum Dei, vide Dei verbum.
Verbi miniſterium commendatur, 59. 21
Veritas pro ſtabilitate, 39. 8
Veritatis vis, 42. 2. & 50. 8
Vermis inextinguibilis, 66. 24
Vetuſtatis jactatio reprehenditur, 19. 11. vide Antiquitas.
Via pro ſtatu & rationibus, 40. 27
Via duntaxat una recte vivendi, 33. 6
Via, Veritas & Vita, quomodo Chriſtus nominetur, 49. 6
Victimæ cur in ſacrificiis attollebantur, 60. 7
Victimæ piorum quales eſſe debeant, 18. 7. & 61. 6. & 65. 20
Victoria omnis à Deo eſt, 47. 6
Victoria non abutendum, ibid.
Videntes cur Prophetæ dicti, vide Prophetæ cur videntes dicti.
Viduæ curæ Deo, 1. 17, 23
Vindicta num appetenda, 41. 15
Vinum rubeum quid in Scripturis deſignet, 27. 2
Viſio & ſomnium duo ordinarii modi quibus Dominus ſe patribus patefaciebat, 1. 1
Viſitare pro judicare & perdere, 13. 11. & 24. 21
Viſitare pro reſpicere, 24. 22
Viſitatio pro judicio, 10. 3
Vita quomodo rite inſtituenda, 33. 15
Vita hominum præfixam metam habet, 38. 5
Vitæ humanæ brevitas, 38. 12
Vitæ humanæ finis, 38. 11, 18, 22. & 57. 13
Vitæ humanæ fragilitas, 40. 6
Vitæ integritati ſtudendum, 16. 2. & 43. 23. & 52. 11. & 56. 1
Vitæ prorogatio quatenus appetenda, 38. 10, 22
Ultio, vide Vindicta.
Vocare pro recipere in jus, 43. 1
Vocari à Deo quid, ibid.
Vocari quid, 44. 5
Vocatio Gentium, vide Gentium vocatio.
Vocationis noſtræ certitudo, 65. 1
Vocationis noſtræ finis, 43. 21. & 55. 5. & 56. 6. & 60. 21. & 61. 3. & 63. 8
Vota pars cultus Dei, 19. 21
Vota Papiſtarum qualia, ibid.
Votorum regula verbum Dei, ibid.
Votis noſtris cur non ſtatim Deus obtemperet, 30. 19
Vox Dei à rebus mutis & inanimis exauditur, 1. 2
Urbs Davidis, 22. 9
Urbs Jeroſolyma duplex erat, ibid.
Urbs ſanctitatis Dei quæ, 64. 9
Urias quomodo teſtis fidelis, 8. 2
Utica Tyri colonia, 23. 1, 4

X.

XEnophontis locus, 13. 15. & 21. 5

Z.

ZElus pro indignatione, 26. 11
Zelus inconſideratus notatur, 56. 4
Zoan urbs celeberrima Ægypti, 19. 13
Zoar oppidum à Moabitis remotiſſimum, 15. 5
Zoar cur vitulæ trienni confertur, ibid.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
LOCORUM UTRIUSQUE TESTAMENTI,

Quos Author in his Commentariis, aut in ſua aut adverſariorum aut etiam aliorum ſcriptorum perſona non citat modo, ſed magna etiam ex parte interpretatur; & apposite ad ſenſum ſuum accommodat.

Primi numeri antepoſiti, caput & verſum locorum citatorum denotant: Poſteriores vero numeri Arithmetici, caput & verſum Jeſaiæ in his Commentariis commonſtrant. Quod ſi quæ citatorum non ita in margine aſſignata conſpiciuntur, quærat modò Lector in ipſo textu Commentariorum, & inveniet indicem ſe rectè habere.

GENESIS.

I. 1. IN principio creavit Deus cælum & terram, 43. 13. & 45. 12
2. Terra autem erat inanis & vacua, 41. 29. & 45. 18. & 48. 13
6, 7. Dixit Deus, Sit expanſio &c. 45. 12. & 48. 13
14. Et ſint in ſigna, 44. 25
26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, 6. 8
27. Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, 9. 19, 49. & 17. 7. & 30. 23
28. Dominamini piſcibus maris ac volatili cæli & omni beſtiæ, 65. 25
29, 30. In eſcam. Et cunctis animantibus terræ, 11. 6
II. 9. Arborem quoque vitæ in medio horti, 38. 7
15. Tulit itaque Jehova Deus ipſum hominem, & poſuit eum, 45. 12. & 51. 3
19. Et adduxerat ad Adam, ut videret quomodo vocaret illa, 34. 16
III. 5. Eritis ſicut dii, 14. 14
6. Deditque viro ſuo ſecum, & comedit, 43. 27
16. In dolore paries filios, 65. 23
17. Maledicta terra propter te, 24. 6. & 32. 20
18. Spinaſque ac tribulos germinabit tibi, ibid.
22. Ecce Adam quaſi unus ex nobis, 16. 3
23. Et emiſit eum Jehova de horto Eden, 51. 3
IV. 7. Quod ſi non benefeceris, in foribus peccatum cubat, 59. 12
11. Quæ aperuit os ſuum ut ſuſciperet ſanguinem, 26. 21
13. Major eſt iniquitas mea quam ut feram, &c. 26. 11
26. Tunc cœpit invocari nomen Domini, 43. 22
VI. 5. Viditque Jehova quod multa eſſet malitia hominum, 22. 13. & 65. 25
VII. 11. Ipſo die rupti ſunt omnes fontes voraginis magnæ, 24. 17. & 47. 25
15. Veneruntque ergo ad Noah in arcam bina ex omni carne, 34. 16
VIII. 1. Adduxit ſpiritum ſuper terram, 25. 4
IX. 9. Equidem ego ſtatuo pactum meum vobiſcum, 45. 18
11. Statuam pactum meum quod pepigi vobiſcum, neque excidetur omnis caro, 54. 9
13. Ponam arcum meum in nube, eritque ſignum fœderis, 38. 7, 21
X. 11. E terra hac egreſſus eſt Aſſur, & ædificavit Niniven, 23. 13
XI. 5. Deſcendit Jehova ut videret civitatem illam, 63. 19
7. Agite deſcendamus, ibid.
29. Duxerunt autem Abram & Nachor ſibi uxores, 19. 21
31. Egreſſique ſunt cum eis de Ur Chaldæorum ut pergerent in terram Chanaan, 29. 22. & 37. 12. & 41. 2. & 44. 7
XII. 1. Dixit autem Dominus ad Abram, Egredere &c. 29. 22. & 41. 2
3. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicentibus tibi maledicam, 14. 30
Benedicam benedicentibus tibi, 49. 25
7. Ædificavit ibi altare Jehovæ qui apparuerat ei, 41. 2
17. Percuſſit autem Jehova Pharaonem percuſſionibus magnis, 14. 27. & 29. 22. & 34. 16. & 41. 2, 4
XIII. 15. Terram, quam vides, tibi dabo, & ſemini tuo uſque in ſeculum, 8. 21
16. Ponam quoque ſemen tuum ſicut pulverem terræ, 10. 22
18. Ædificavitque illic altare ipſi Jehovæ, 41. 2
XIV. 6. Et Horæos in monte eorum Seir, 21. 11
15. Et percuſſit eos, perſecutusque eſt eos, 41. 2
16. Reduxitque omnem ſubſtantiam atque etiam Loth fratrem ſuum, 29. 22. & 41. 4
17. Egreſſus eſt itaque Rex Sodomæ in occurſum ejus, 41. 5
XV. 1. Poſthæc fuit verbum Jehovæ ad Abram in viſione, 25. 9
Ego clypeus ero tibi, 37. 23
5. Suſpice nunc cælum & numera ſtellas, &c. 45. 25. & 51. 1. & 55. 3. & 56. 3
6. Credidit Abram Domino, 56. 3
13. Sciendo ſcias quod peregrinum erit ſemen tuum, 48. 3
14. Et etiam gentem cui ſervient ego judicabo, 52. 4
XVI. 2. Et nunc concluſit me Jehova ne parerem, 51. 2
XVII. 1. Ambula coram me, & eſto integer, 37. 23. & 58. 2
5. Neque vocabitur ultra nomen tuum Abram, ſed erit, &c. 51. 2
Patrem multitudinis gentium poſui te, 66. 20
7. Ut ſim tibi in Deum & ſemini tuo poſt te, 10. 23. & 14. 32. & 17. 6. & 19. 24. & 37. 23. & 40. 1. & 41. 8. & 45. 25. & 55. 3. & 64. 3. & 65. 1
8. Totam terram Chanaan in poſſeſſionem perpetuam, 8. 21. & 63. 18
XVIII. 20. Clamor Sodomæ & Gomorrhæ certe multiplicatus eſt, 34. 5
Peccatum eorum utique aggravatum eſt valde, 3. 9
21. Deſcendam nunc & videbo, 6. 8. & 63. 19
31. Non diſperdam propter decem, 65. 8
XIX. 5. Vocaveruntque Lot, &c. 3. 9
24. Jehova pluit ſuper Sodomam & ſuper Gomorrham ſulphur, 1. 9. & 13. 19. & 26. 11. & 34. 9
37. Ipſe eſt pater Moab uſque hodie, 15. 1
XX. 2. Miſit Abimelech Rex Gerar, 22. 22
3. En mortuus es propter uxorem quam accepiſti, 14. 27. & 34. 16. & 38. 4. & 41. 2
6. Non permiſi te ut tangeres eam, 14. 27
14. Reſtituitque Saram uxorem ejus, 29. 22
16. Profecto eſt tibi velamen oculorum, 4. 1
18. Claudendo clauſerat Jehova ſuper omnem vulvam domus Abimelech propter Saram uxorem Abrahæ, 41. 4
XXI. 2. Ac peperit Sara ipſi Abraham filium in ſenectute ejus, 29. 22
5. Quum centum eſſet annorum, ibid.
10. Ejice ancillam hanc & filium ejus, 4. 1
22. Dixit Abimelech &c. 22. 21
XXII. 1. Ecce ego, 6. 8
2. Tolle nunc filium tuum, unicum illum tuum quem diligis, 57. 5
10. Miſitque manum ſuam, & accepit gladium, ut jugularet filium, 37. 38. & 66. 3
12. Ne extendas manum tuam in puerum, neque facias ei quicquam, 57. 5
16. Quia non pepercisti filio tuo unigenito propter me, ibid.
17. Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cæli, & ſicut arenam quæ eſt, 10. 22. & 48. 19. & 51. 1. & 56. 3. & 61. 9.
18. Benedicent ſe in ſemine tuo omnes gentes, 42. 6. & 61. 3. & 61. 9
XXIII. 6. Princeps Dei es in medio noſtri, 41. 2
XXV. 1. Abraham vero aliam duxit uxorem nomine Cetura, 19. 21
14. Et Miſmah & Dinnah & Meſſah, 21. 11
23. Major ſerviet minori, 4. 1
26. Et manus ejus tenebat calcaneum Eſau, 44. 2
30. Idcirco vocavit nomen ejus Edom, 11. 14
XXVII. 38. Suſtulitque Eſau vocem ſuam, & flevit, 16. 11. & 28. 19
XXX. 11. Venit proſperitas & vocavit nomen ejus Gad, 65. 11
XXXII. 3. In terram Seir regionis Edom, 21. 11
10. Minor ſum miſerationibus tuis, & veritate, 26. 12
28. Non Jacob dicetur ultra nomen tuum, ſed Iſraël, quia Princeps, 1. 3. & 48. 1
XXXIV. 7. Quod fœdam rem operatus eſſet in Iſraël, 9. 17
XXXVI. 1, 8. Eſau, ipſe eſt Edom, 63. 1
9. In monte Seir, 21. 11
43. Eſau pater Edom, 11. 14. & 34. 5
XXXVII. 13. Ecce ego, 6. 8
XXXIX. 5. Factum eſt ex quo præfecit eum domui ſuæ, & omnibus quæ erant ei bonis, 65. 8
XLI. 50. Ipſi Joſeph nati ſunt duo filii antequam veniret, 9. 21
XLVI. 5. Surrexit ergo Jacob de Beer ſibah, tuleruntque filii Iſraël Jacob patrem, 52. 4
XLVII. 30. Quum dormiero cum patribus meis, tolles me, 38. 16
XLVIII. 4. Dabo quoque terram hanc ſemini tuo poſt te in hæreditatem perpetuam, 8. 21. & 63. 18
16. Et vocetur in eis nomen meum, & nomen patrum meorum, Abraham, 4. 1. & 43. 7

EXODUS.

I. 11. PRepoſuerunt ei principes tributorum ut affligerent eos, 45. 7
14. Et amaritudinibus affecerunt vitam illorum opere duro, 10. 24
II. 11. Egreſſusque eſt ad fratres ſuos, & vidit onera eorum, 52. 8
23. Suſpiraverunt filii Iſraël propter opus, 45. 7
24. Recordatus eſt fœderis, 55. 3
III. 6. Ego Deus patris tui, Deus Abrahæ, 8. 14. & 38. 10
8. Et educam eum è terra illa ad terram bonam & latam, ad terram, inquam, affluentem lacte & melle, 32. 13
12. Quum eduxeris populum iſtum ex Ægypto coletis Deum ſuper montem illum, 37. 38
14. Ego ſum qui ſum, 47. 8
15. Jehova Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus, 55. 3
17. Ad terram fluentem lacte & melle, 32. 13
IV. 22. Filius meus, primogenitus meus eſt Iſraël, 14. 1. & 43. 4
V. 3. Eamus quæſo viam trium dierum in deſertum, ut ſacrificemus Jehovæ, 52. 12
VII. 13. Et roboravit ſe cor Pharaonis, neque paruit, 26. 10
20. Et verſæ ſunt omnes aquæ quæ erant in flumine, in ſanguinem, 43. 19
VIII. 15. Videns Pharao quod eſſet reſpiratio induravit cor ſuum, 2. 17. & 28. 19
27. Viam trium dierum pergemus in deſertum, & ſacrificabimus, 52. 12
IX. 21. Sed non appoſuit cor ſuum ad verbum Jehovæ, 2. 17
34. Rurſum peccavit & induravit cor ſuum, ibid.
X. 22. Et fuerunt tenebræ caliginoſæ in tota terra Ægypti, 43. 17. & 50. 3
XII. 3. In decimo menſis hujus collent ſibi ſinguli agnum, 38. 7
13. Quumque videro ſanguinem præteribo vos & non erit in vobis plaga, 66. 19
23. Quumque viderit ſanguinem in ſuperliminari & in ambobus poſtibus, tranſiliet, 4. 5
26, 27. Et quum dixerint vobis filii veſtri, &c. 43. 18
29. Jehova percuſſit omne primogenitum in terra Ægypti, 37. 36. & 43. 19
31. Et vocavit Moſen & Aaronem noctu, & dixit, Surgite, 10. 24. & 52. 12
51. Hoc ipſo die eduxit Jehova filios Iſraël è terrâ Ægypti, 11. 11. & 44. 24. & 48. 8
XIII. 3. Mementote diei hujus, &c. 30. 1
5. Juravit Patribus tuis, ut daret tibi, terram fluentem lacte & melle, 32. 13
8. Narrabisque filio tuo &c. 30. 1
9. Et erit tibi in ſignum ſuper manum tuam, & in memoriale, 43. 16
16. In fortitudine manus eduxit nos Dominus ex Ægypto, 41. 5
17. Ne forte pœniteret eum, &c. & reverteretur in Ægyptum, 30. 2
21, 22. Et Jehova præcedebat eos interdiu in columna nubis, &c. 4. 5. & 16. 3. & 35. 8. & 38. 7. & 49. 10
XIV. 4. Glorificabor in Pharaone & in omni exercitu ejus, 43. 21
14. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis, 3. 15
17. Glorificabor in Pharaone & in univerſo exercitu ejus, 43. 21
18. Quum glorificatus fuero in Pharaone, ibid.
21. Recedere fecit Jehova mare vento Orientali vehementi, 11. 15. & 23. 11. & 43. 16. & 50. 2. & 51. 15
22. Ingreſſi ſunt igitur filii Iſraël intra mare, 23. 11. & 55. 12. & 63. 13
24. Et contrivit caſtra Ægyptiorum, 10. 24
27. Excuſſit Jehova Ægyptios intra mare, 52. 4
28. Reverſæ ſunt itaque aquæ, & operuerunt currus & equites, 10. 26. & 43. 17
29. Filii Iſraël ambulaverunt per ſiccum intra mare, 11. 16. & 44. 27. & 63. 13
XV. 1. Tunc cecinit Moſes & filii Iſraël canticum iſtud Jehovæ, 5. 1
10. Flavit Spiritus tuus, 25. 4
XVI. 35. Filii Iſraël comederunt Man quadraginta annis, 48. 21. & 49. 10
XVII. 2. Jurgatus eſt populus cum Moſe, 63. 10
6. Egredienturque ex ea aquæ quas bibet populus, 48. 21. & 49. 10
XVIII. 21. Tu autem conſidera in omni populo viros fortes timentes Deum, viros veridicos, odio habentes avaros, 32. 8
XIX. 5. Si audieritis, &c. eritis mihi in peculium, 24. 5
6. Vos eritis mihi regnum ſacerdotale, & gens ſancta, 1. 9, 21. & 17. 7. & 19. 24. & 41. 8, 14. & 43. 14. & 61. 6. & 62. 12
20. Deſcenderat Jehova ſuper montem Sinai, 2. 3. & 64. 1
XX. 1. Loquutusque eſt Deus omnia verba iſta, 25. 9
2. Ego Jehova Deus tuus, qui eduxi te è terra Ægypti, ibid. & 43. 18
4. Non facies tibi ſculptile neque omnem ſimilitudinem, 36. 10
5. Ego Jehova Deus tuus, Deus zelotes, 10. 15. & 42. 8
Viſitans iniquitatem patrum ſuper filios in tertiam & quartam, 14. 21
8. Memento ut diem Sabbathi ſanctifices, 58. 13
24. Altare de terra facietis mihi, 17. 8
Ubicunque memoriam fecero nominis mei, veniam, 37. 36. & 45. 15. & 56. 7
25. Quod ſi altare lapideum feceris mihi, non &c 17. 8. & 57. 6
XXI. 8. Si diſplicuerit hero ſuo qui jam ſibi deſponſavit eam, 9. 3
XXII. 22. Nullam viduam aut pupillum affligetis, ſi affligendo, 1. 17
27. Et erit quum clamaverit ad me, tunc exaudiâ, 26. 2

XXIII. 8. Mu-

XXIII. 8. Munus excæcat oculos ſapientum & pervertit verba juſtorum, 1. 23. & 5. 23
19. In domum Domini Dei tui, 15. 2
32. Non inibis cum eis fœdus, 7. 17
Nec cum Diis eorum, 30. 1
XXV. 18. Facies etiam duos Cherubim aureos, 6. 2. & 37. 15
22. Conveniamque tecum illic, 14. 13
XXVII. 1. Facies & altare e lignis ſittim, 17. 8
XXVIII. 1. Tu autem acceſſe ad te Aaronem fratrem tuum & filios ejus, 66. 21
XXIX. 14. Peccatum eſt, 53. 10
24. Exaltabiſque illam exaltationem coram Jehova, 67. 6
42. Ad oſtium tabernaculi Eccleſiæ coram Jehova quo conveniam, 14. 13
45. Et ero eis in Deum, 24. 5
XXX. 10. Et deprecabitur Aaron, ſuper cornua ejus ſemel per annum, in ſanguine &c. 53. 12
25. Et facies ex eo oleum unctionis ſanctitatis, unguentum unguenti, 45. 24
XXXI. 13. Sabbatha mea cuſtodietis, quia ſignum eſt inter me & vos in generationibus veſtris, 56. 2
17. Inter me & filios Iſrael ſignum eſt perpetuum, *ibid.*
XXXII. 13. Recordare Abraham, Iſaac & Jacob ſervorum tuorum, 64. 8
32. Aut dele me de libro vitæ, 4. 3
XXXIII. 1 Vade, aſcende huc tu & populus quem eduxiſti e terra Ægypti, 55. 3
3. Et intres in terram fluentem lacte & melle, 32. 13
9. Quando ingrediebatur Moſes tabernaculum deſcendebat columna nubis, 6 4
XXXIV. 6. Miſericors & miſerator, tardus ad iram, 37. 27
Jehova, Jehova, fortis, miſericors & miſerator, tardus ad iram, 28. 21
Miſericors & miſerator, 38. 13
7. Viſitans iniquitatem patrum ſuper filios & ſuper filios filiorum, 14. 21
15. Ne ineas pactum, cum hominibus illarum regionum: ne, quum fornicati fuerint cum Diis ſuis &c. 30. 1
30. Et ecce reſplendebat cutis faciei ejus, timueruntque appropinquantes ei, 29. 12

LEVITICUS.

IV. 4. ET admonebit manum ſuam ſuper caput juvenci, 53. 10
VI. 13. Ignis perpetuo ardebit in altari, non extinguetur, 6. 6
VIII. 29. Tulitque Moſes pectus, & agitavit illud agitatione, 67. 6
X. 1. Obtuleruntque coram Jehova ignem alienum de quo non præceperat, 6. 6
XVIII. 5. Qui fecerit hæc vivet in eis, 53. 11
XIX. 18. Diliges proximum tuum ſicut teipſum, 1. 11
XXIII. 39. Celebrabitis celebritatem Jehovæ ſeptem diebus, 54. 2
40. Lætabimini coram Domino Deo veſtro, 9. 3
41. In tabernaculis habitare feci filios Iſrael, 54. 2
XXV. 10. Sanctificabitiſque annum quinquageſimum & proclamabitis libertatem in terra, 61. 1
XXVI. 3. Si in decretis meis ambulaveritis, & præcepta mea ſervaveritis, 30. 23 & 34. 16
8. Perſequentur quinque ex vobis, centum: & centum ex vobis, decem millia perſequentur, 17. 9
10. Comedetis vetus inveteratum, & vetus propter novum, 65. 21
11. Habitabo in eis & ambulabo, 66. 1
12. Ambulabo in medio veſtri, eroque vobis in Deum, 24. 5
15. Si decreta mea ſpreveritis, & judicia mea, 24. 6
18. Addam corripere vos ſepties propter peccata, 9. 17, 21
19. Daboque vobis cælum deſuper ſicut ferrum, &c. 33. 16
21. Addam ſuper vos plagam ſepties, 9. 17, 21
22. Immittamque in vos beſtiam agri & orbabit vos, 65. 23
26. Dum confregero vobis baculum panis, 3. 1
36. Perſequetur eos ſonus folii impulſi, & fugient fuga gladii, cadentque nemine perſequente, In præfat.

NUMERI.

III. 12, 45. ERuntque Levitæ mei, 23. 18
IV. 3. Ut ſtent & miniſtrent in Tabernaculo fœderis, *ibid.*
XI. 1. Fuit populus, ſicut injuſte de aliquo conquerentes, 63. 10
XII. 6. Si fuerit Propheta Domini vobiſcum, in viſione cognoſcar ab eo 1. 1. & 19. 19
XIV. 14. In columna nubis ambulabas ante eos interdiu, & in columna ignis noctu, 16. 3
XV. 38 Faciant ſibi fimbrias in angulis veſtimentorum ſuorum, 57. 8
XX. 3. Et jurgatus eſt populus cum Moſe, 63. 10
11. Egreſſæ ſunt aquæ multæ, & bibit congregatio, 48. 21
12. Propterea quod non credidiſtis mihi ut ſanctificaretis me, 43. 27
XXI. 8. Fac tibi ignitum ſerpentem & pone eum ſuper vexillum, 38. 7
9. Fecit Moſes ſerpentem æneum, quem poſuit ſuper vexillum, 11. 10
XXIII. 10. Moriatur anima mea morte juſtorum, 38. 10
19. Non eſt homo Deus ut mentiatur: & filius hominis, 14. 27. & 26. 19
23. Non eſt augurium in Jacob, nec eſt divinatio in Iſraële, 3. 2
XXIV. 5. Quam pulchra tabernacula tua Jacob, habitacula, 26. 19
13. Quicquid Dominus dixerit, hoc loquar, *ibid.*
XXX. 3. Quicunque voverit votum, &c. 19. 21
XXXII. 34. Et Ataroth, & Aroër, 17. 2
XXXIII. 55. Tum erit ut quos reliqueritis ſint in cultros in oculis veſtris, & in ſpinas in lateribus veſtris, 14. 28
XXXVI. 13. Præcepit Dominus per manum Moſis, 53. 10

DEUTERONOMIUM.

I. 33. PEr ignem in nocte &c. & per nubem in die, 16. 3
II. 36. Ab Aroër quæ eſt juxta ripam torrentis Arnon, 17. 2
III. 12. Aroër, quæ eſt ſuper ripam torrentis Arnon, *ibid.*
IV. 7. Quæ tam nobilis & inclyta natio eſt, quæ Deos habeat, &c. 5. 13. & 41. 1
12. Vocem verborum vos audiebatis, at imaginem ullam non videbatis, 40. 18
20. Vos autem tulit Dominus, & eduxit &c. 29. 11
24. Jehova Deus tuus ignis conſumens eſt, 10. 17. & 33. 14, 15
33. Numquid audivit populus vocem Dei ſui loquentis, 57. 2
37. Quoniam dilexit patres tuos, elegit ſemen ejus, 19 11. & 41. 8. & 63. 9
V. 9. Viſitans iniquitatem patrum ſuper filios & in tertiam, 14. 21
32. Ne declinetis ad dexteram aut ad ſiniſtram, 47. 21
VI. 3. In terram fluentem lacte & melle, 32. 13
5. Diliges Jehovam Deum tuum, 1. 11. & 26. 9. & 65. 10
8. Ligabis ea in ſignum ſuper manum tuam, 49. 16
9. Scribes quoque illa in poſtibus domus tuæ & in portis tuis, 57. 8
13. Per nomen meum jurabis, 19. 18
VII. 2. Non inibis cum eis fœdus, 30. 1
6. Te elegit Dominus Deus &c. 19. 24. & 29. 11
7. Non quia plures eſſetis præ omnibus populis amavit vos Jehova, 41 8. 9
8. Sed quia diligebat vos Jehova & cuſtodire volebat juramentum, 63. 9
16. Non parcet oculus tuus eis, nec coles Deos eorum, quia laqueus eſſet tibi, 14. 28
IX. 3. Deus tuus ipſe tranſibit ante te, ignis devorans, 10. 17. & 33. 14, 15
5. Non propter juſtitiam tuam & rectitudinem cordis tui ingrederis ad, 41. 9
X. 12. Ecquid petit Deus tuus, niſi ut ipſi toto animo adhæreas? 1. 4
XI. 11. De pluvia cæli bibes aquam, 30. 20
20. Scribes quoque ea in poſtibus domus tuæ & in portis tuis, 57. 8
XII. 5, 6, 7. Sed ad locum quem elegerit Dominus &c. 16. 1. & 19. 21
13. Cave tibi ne offeras holocauſta tua in omni loco quem videris, ſed in loco quem, &c. 1. 19. & 41. 23
18. Coram Jehova Deo tuo comedes illa, &c. & lætaberis, 9. 3. & 62. 9
XIII. 3. Tentat enim vos Dominus Deus veſter an diligatis eum, 57. 11
5. Propheta autem ille, aut ſomniator interficietur, 11. 4
XV. 9. Clamet contra te ad Dominum, & erit in te peccatum, 10. 2
XVI. 19. Munus excæcat oculos ſapientum, & deſtruit verba, 1. 23. & 5. 23
XVII. 16. Tantum ne multiplicet ſibi equos, neque reducat populum, 2. 7. & 30. 17
Non revertemini iterum per viam iſtam poſthac, 30. 1
20. Neque declinent à præcepto ad dexteram aut ad ſiniſtram, 30. 21
XVIII. 10. Non invenietur in te divinans divinationes, præſtigiator & augur, 3. 2. & 8. 19. & 44. 25. & 65. 4
11. Neque incantator neque interrogans pythonem neque magus, 8. 19. & 44. 25. & 65 4
15. Prophetam è medio tui è fratribus tuis, ut ego ſum, ſuſcitabit tibi Jehova, In præfat. & 8. 19. & 37. 2. & 41. 27
18. Prophetam ſuſcitabo illis de medio fratrum ſuorum ſicut tu, & ponam, &c. In præfat.
XIX. 19, 21. Facietis ei quemadmodum cogitavit facere fratri ſuo, &c. 16. 3
XXIII. 19. In domum Domini Dei tui, 15. 2
21, 22, 23. Quum votum voveris Domino &c. 19 21
XXIV. 1. Et ſcripſerit ei libellum repudii ac poſuerit in manu ejus, 50. 1
15. Quia pauper eſt, &c. 10. 2
XXVII. 5, 6. Ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus quos &c. 17. 8
XXVIII. 10. Quod nomen Domini invocatum ſit ſuper te, 43. 7
11. Abundare faciet te Jehova in bonum, fructu ventris tui, 1. 19 & 30. 24
15. Si non obedieris voci Jehovæ Dei tui, ut cuſtodias, 24. 6
22. Percutiat te Dominus &c. & perſequatur, 22. 2
23. Sit cœlum quod ſupra te eſt, æneum, &c. 33. 16
25. Dabit te Jehova cæſum coram inimicis tuis, per viam unam egredieris ad illum, & per ſeptem vias fugies, 3. 12
28. Dominus conſtituet te in ſtuporem & horrorem, 18. 2. & 22. 2
30. Domum ædificabis & non habitabis in ea, 65. 22
Vineam plantabis & non communem facies eam, 17. 10. & 65. 22
33. Fructum terræ tuæ & omnem laborem tuum comedet populus quem non noveras, 62. 8
37. Et eris in ſtuporem & parabolam & fabulam omnibus, 18. 2. & 19. 17. & 43. 28
39. Vineas plantabis & coles, & vinum non bibes neque colliges, 17. 10
48. Et ſervies inimicis tuis quos immiſerit Jehova contra te in fame, &c. 33 16. & 65. 23
62. Et relinquemini cum viris paucis pro eo quod eratis ſicut ſtellæ, 30. 17
64. Diſperget te Jehova in omnes populos, 16. 4
65. Dabit illic Jehova tibi cor pavidum, & defectum oculorum, & mœrorem animi. In præfat.
66. Et erit vita tua ſuſpenſa tibi è regione, ac pavebis. *ibid.*
67. Mane dices, quis dabit veſperam? & veſperi, quis, 21. 12
XXIX. 4. Neque tamen dedit Jehova vobis cor ad intelligendum, 63. 17
XXX. 3. Et congregabit te de cunctis populis ad quos diſperſerit, 11. 12. & 43. 5
4. Si fuerit expulſus tuus in extremo cœli, illinc congregabit te Jehova Deus tuus. In præfat. & 11. 12
12. Ne dicas quis aſcendet in cælum, 51. 10
16. Ego præcipio tibi hodie ut diligas Dominum Deum tuum &c. ut vivas & multipliceris &c. 48. 17
19. Teſtor adverſum vos hodie cœlum & terram, quod vitam & mortem propoſui, 48. 17 & 53. 11
XXXII. 1. Audite cœli & loquar, & audiat terra eloquia oris mei, 1. 2. & 5. 1. & 34. 1
4. Deus veritas, & non eſt iniquitas in eo, juſtus & rectus eſt, 24. 16. & 26. 7
9. Pars Jehovæ eſt populus ejus, Jacob ſors hæreditatis ejus, 19. 24
11. Ut aquila quæ excitat nidum ſuum, ſuper pullos ſuos cubat, 31. 5. & 46. 3. & 63. 9
13. Equitare fecit eum ſuper excelſa terræ, 49. 11
15. Dilectus meus impinguatus recalcitrabit, 5. 2. & 44. 2. & 63. 8
21. Ipſi provocarunt me in eo, 65. 2
In gente ſtulta provocabo eos ad iram, 55. 6
22. Ignis ſuccenſus eſt in furore meo, 26. 11
27. Niſi iram inimici timerem ne forte extranee ſe gerat, 48. 11
29. Utinam ſaperent & intelligerent, 27. 11. & 48. 18
30. Quomodo perſecutus fuiſſet unus mille, 17. 9. & 41. 24
XXXIII. 10. Docebunt judicia tua ipſum Jacob, &c. 61. 6

JOSUE.

III. 16. COnſtiterunt aquæ quæ deſcendebant deſuper & aſſurrexerunt, 11. 16. & 43. 16. & 50. 2. & 55. 12
VII. 15. Quodque fecerit nefas in Iſraël, 9. 17
X. 10. Percuſſitque eos plaga magna in Gibeon & perſecutus eſt eos, 23. 11. & 28. 21. & 43. 19
13. Et expectavit Sol, & Luna conſtitit donec ulciſceretur ſe, 30. 26
XXIII. 10. Unus ex vobis perſecutus eſt mille, quia Dominus &c. 17. 9
XXIV. 2. Servieruntque diis alienis, 19. 22. & 43. 27

JUDICES.

VI. 17. FAc mihi ſignum quod tu loquaris mecum, 7. 12. & 38. 7
36. Si ſalvas per manum meam Iſraelem quemadmodum loquutus es, 38. 7
37. Ecce ego ſtatuam vellus lanæ in area: ſi ros fuerit, 7. 12
VII. 16. Dedit tubas in medio omnium eorum hydriaſque vacuas, 9. 4
19. Confregeruntque hydrias quas habebant in manibus ſuis, *ibid.*
22. Poſuit Jehova gladium cujuſque in proximum ſuum, 49. 26
25. Interfeceruntque Oreb, in valle Oreb, 10. 26
XIII. 22. Moriendo moriemur, quia Deum vidimus, 6. 5
XIX. 23. Ne faciatis nefas hoc, 9. 17

RUTH.

I. 4. ACceperunt ſibi uxores Moabitidas, &c. nomen alterius Ruth, 16. 1

I. SAMUEL.

II. 7. HUmilias & exaltas, 23. 17
III. 1. Sermo Jehovæ erat pretioſus in diebus illis, non erat viſio aperta, 1. 1
15. Et timebat indicare viſionem ipſi Eli, *ibid.*
18. Dominus eſt; quod bonum eſt in oculis ſuis, faciat, 39. 8
IV. 11. Et arca Dei capta fuit, 46. 2
V. 6. Aggravata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, *ibid.*
IX. 9. Prophetæ *videntes* dicti, 21. 6
Qui Propheta hodie vocabatur olim *videns*, 1. 1. & 22. 1
X. 10. Et requievit ſuper eum Spiritus Dei, & prophetavit in medio, 48. 14
XV. 22. Melior eſt obedientia quam victimæ, 1. 12, 29. & 38. 3. & 65. 4, 11
XVI. 11, 12. Adhuc reſtat minor & ecce paſcit oves, &c. 11. 1. & 36. 5

XXIV. 4. Spe-

XXIV. 4. Speluncam ingreſſus eſt Saul ad tegendum pedes ſuos, 7. 12
XXVI. 2. Tria millia virorum electorum, 42. 1
XXVIII. 20. Statimque Saul cecidit porrectus in terram: extimuerat enim valde &c. 39. 8

II. SAMUEL.

V. 20. VEnit itaque David in Baal perazim & percuſſit eos David, 28. 21
25. Et percuſſit Philiſtim à Geba uſquedum venias in Gazer, 28. 21
VI. 1. Omnem electum in Iſraële, 42. 1
VII. 8. Ego tuli te è tugurio poſt oves, ut eſſes Dux &c. 11. 1. & 16. 5
12. Statuam ſemen tuum poſt te quod egredietur è ventre tuo, 9. 7. & 10. 27. & 22. 22. & 37. 35. & 38. 5. & 55. 3
13. Firmabo ſolium regni ejus uſque in ſeculum, 9. 7. & 16. 5. & 29. 1
14. Ero illi in patrem & ipſe erit mihi in filium, 9. 6
Arguam cum virga hominum, & plagis filiorum hominum, 64. 8
XXIV. 1. Accenſus eſt furor Domini in populum, & immiſit in cor, 39. 5
14. Melius eſt incidere in manus Dei quam in manus hominum, 27. 7

I. REGUM.

I. 2. QUæ ſtet coram Rege, & eum foveat, 22. 15
II. 10. Dormivit itaque David cum Patribus ſuis, 38. 10
IV. 25 Habitabat Jehudah & Iſraël confidenter quiſque ſub vite ſua & ſub ficu ſua, 62. 8
V. 1. Miſit Hiram rex Tyri ſervos ſuos, 23. 12
VII. 2. Ædificavit quoque domum ſaltus Libani, 22. 8
VIII. 1. De civitate Davidis, ipſa eſt Sion, 33. 20
27. Si cælum & cœli cœlorum te capere non poſſunt, 40. 22
30. Tu quidem exaudies de loco habitationis tuæ, id eſt, de cœlis, 6. 1
33. Quum venient oratum in domo iſta, tu exaudies, 56. 7
IX. 3. Sanctificavi domum iſtam quam ædificaſti, ponendo nomen meum ibi, &c. 22. 11
11. Tunc dedit Rex Solomon ipſi Hiram viginti urbes in terra Galilæa, 9. 1
X. 21. Non reputabatur in diebus Solomonis quicquam, 61. 9
27. Et poſuit Rex argentum in Jeruſalem tanquam lapides, 61. 9
XI. 7. Ædificavit Solomon excelſum ipſi Chamos abominationi Moab, 15. 2. & 16. 12
14. Suſcitavit Jehova adverſarium ipſi Solomoni, 45. 7
23. Suſcitavit quoque Deus illi adverſarium Rezon, *ibid.*
26. Jeroboam autem filius Nebat Ephratæi de Seradach, 7. 2
XII. 16. Et abiit Iſraël in Tabernacula ſua, 7. 17
28. Rex fecit duos vitulos aureos, 22. 23
XVII. 1. Si erit annis his ros, & pluvia niſi ſecundum verbum meum, 38. 7
XIX. 11. Non in vento Jehova, & poſt ventum commotio, 1. 21. & 25. 4
18. Omnia genua quæ non incurvarunt ſeſe ipſi Baal, 45. 23
XX. 23, 28. Deus montium eſt Deus eorum &c. 14. 25
XXII. 21. Tunc egreſſus eſt ſpiritus qui ſtetit coram Jehova, &c. 19. 14
22. Egredere, & fac ita, 41. 22

II. REGUM.

III. 5. QUum mortuus eſſet Achab, defecit Rex Moab à Rege Iſraëlis, 16. 1
6. Egreſſus eſt itaque Rex Jehoram die illa de Samaria, *ibid.*
X. 27. Diruerunque ſtatuam Baal ac domum ejus, poſueruntque domum, &c. 30. 22
XV. 5. Percuſſit Jehova Regem, fuitque leproſus uſque ad diem quo, &c. 6. 1
29. Venit Thiglathpileſer &c. 9. 1. & 17. 3. & 37. 11
30. Conjuravit a. conjurationem Hoſea filius Elah contra Pecah, &c. 7. 16
XVI. 2. Et non fecit quod erat rectum in oculis Jehovæ Dei ſui, 32. 1
5. Tunc aſcendit Rezin Rex Aram & Pecah, &c. 7. 1. & 17. 4
7. Miſit a. Achas nuntios ad Thiglathpileſer, 30. 1
9. Et Rezin interemit, 7. 16. & 9. 11. & 17. 3
11. Extruxitque Urias Sacerdos altare, 8. 2
XVII. 1. Anno duodecimo Achas Regis Jehudah, regnare cœpit Hoſeah, 7. 16
6. Cepit Rex Aſſur Samariam, &c. 9. 1. & 17. 3. & 37. 11
In Habor juxta fluvium Gozan, 37. 12
XVIII. 2. Viginti novem annis regnavit, 38. 1
4. Ipſe ſuſtulit excelſa & contrivit ſtatuas & ſuccidit, 36. 1, 10
8. Percuſſit Philiſtæos uſque ad Gazam, 14. 29
11. Tranſtulitque Rex Aſſur Iſraëlem in Aſſur, 9. 1. & 37. 11
13. Aſcendit Sennacherib Rex Aſſur contra omnes urbes Juda, 8. 7. & 20. 1. & 22. 8
14. Peccavi, recede à me, quicquid impoſueris mihi feram, 33. 7. & 36. 2
17. Miſit autem Rex Aſſur Tharthan & Rapſaris & Rapſacen, 7. 3. & 8. 7. & 10. 25. & 20. 1
20. Dixiſti; Certè ſermo labiorum, 36. 5
21. Confiſus es in baculo arundineo confracto iſto, Ægypto, 36. 1
27. Et bibant aquam pedum ſuorum, 7. 20
37. Et Sobna ſcriba, 22. 15
XIX. 2. Et miſit Eliacim qui erat ſuper domum, & Sobnam ſcribam, 22. 15
12. Gozan, Aran, & Reſeph, 37. 12
20. Quæ deprecatus es &c. audivi, 37. 21
28. Redire faciam te per viam qua veniſti, 43. 3
35. Nocte illa egreſſus eſt angelus Jehovæ & percuſſit, 10. 3, 4. & 10. 27, 33. & 14. 25 & 22. 3, 15. & 30. 25. & 31. 8. & 33. 4. & 36. 11
36. Reverſus eſt Sennacherib Rex Aſſur, & manſit in Ninive, 31. 9
XX. 6. Addam diebus tuis quindecim annos, 38. 1
8. Dixerat autem Ezechias ad Jeſaiam, quod ſignum erit? 38. 7, 22
11. Et reduxit umbram per gradus quibus deſcenderat in horologio, 38. 26
XXI. 13. Ponam ſuper Jeruſalem funiculum Samariæ & menſuram domus Achab, 28. 17. & 34. 11
XXIII. 10. Contaminavit etiam Tophet quod erat in valle filii Hinnon, 30. 33
33. Et impoſuit mulctam terræ, centum tal. &c. 10. 27
XXIV. 12. Egreſſuſque eſt Joachin &c. & ſuſcepit eum Rex Babel, 22. 3
XXV. 49. Et rupta eſt urbs, &c. 10. 25. & 26. 1. & 46. 2

I. PARAL.

XIV. 11. AScenderunt itaque in Baal perazim & percuſſit eos ibi David, 28. 21
XXI. 13. Melius mihi eſt ut incidam in manus Domini, quia &c. 27. 7
XXII. 10. Firmaboque ſolium regni ejus &c. 10. 27

II. PARAL.

VII. 12. ELegi locum iſtum mihi in domum ſacrificii, 16. 1
XXVI. 21. Fuitque Uſias Rex leproſus uſque ad quo mortuus eſt, 6. 1
XXX. 5. Et conſtituerunt ut præconis voce divulgarent per Iſraelem, 36. 1
XXXII. 31. Attamen propter legatos principum Babel miſſos ad eum ut quærerent de portento quod factum erat, 39. 1
XXXVI. 3. Condemnavit terram centum talentis, &c. 10. 27
14, 15, 16, 17. Omnes etiam Principes Sacerdotum & populus auxerunt prævaricationem, 39. 5
19. Et combuſſerunt domum Dei, 25. 1
22, 23. Anno autem primo Cyri Regis Perſarum, &c. 10. 27. & 45. 13. & 52. 20

ESDRAS.

I. 1. ANno primo Cyri &c. 10. 27. & 43. 19
2. Ut ædificarem ei domum &c. 45. 13
3. Quis eſt inter vos de univ. &c. 52. 10
6. Adjuverunt manus eorum &c. 14. 2
II. 2. Qui venerant cum Zorobabel &c. 10. 27
III. 8. Cœperunt Zorobabel filius Salathiel & Jeſuah, 58. 12
10. Per manus Davidis &c. 53. 10
IV. 1. Audierunt a. hoſtes Judæ &c. 43. 19
4. Populus a. regionis &c. perturbabat eos, ne ædificarent, 14. 2
VI. 3. Cyrus Rex decrevit ut domus Dei ædificaretur, &c. 45. 13
8. Feſtinanter ſumptus dentur viris illis, ut non faciant ceſſare, 45. 14

NEHEMIAS.

II. 8. UT det mihi ligna ad contignandas portas, 45. 14

ESTHER.

IV. 3. LUctus magnus erat Judæis, & jejunium, & fletus, & planctus, ſaccus, & cinis ſternebatur multis, 61. 3
VII. 10. Suſpenderunt itaque Haman in ligno quod paraverat, 22. 17

JOB.

I. 1. ERatque vir ille perfectus & rectus ac timens Deum, 59. 15
V. 13. Apprehendit ſapientes in calliditate eorum, & conſilium, 31. 2. & 47. 10
VI. 19. Reſpexerant ſemitæ Themanitarum, 20. 5
VII. 1. Et ſicut mercenarii dies ejus, 16. 14
2. Sicut mercenarius præſtolatur mercedem operis ſui, *ibid.*
4. Si jacui, tum dixi, Quando ſurgam? & cor meum tortum eſt veſperam, 38. 15
IX. 15. Judicem meum deprecabor, *ibid.*
XII. 18. Et ligat cingulum in renibus eorum, 11. 5. & 22. 21. & 45. 1
XIII. 15. Etiamſi me occiderit, in eo ſperabo, 26. 8
24. Quare faciem tuam abſcondis? 38. 15
XIV. 5. Conſtituiſti terminos ejus quos præterire non poterit, 38. 5
6. Donec expetet ſicut mercenarius diem ſuum, 16. 14
XV. 35. Conceperunt afflictionem, 33. 11
XX. 26. Devorabit eum ignis, 26. 11
XXII. 20. Reliquias eorum devoravit ignis, *ibid.*
XXVI. 12. Potentia ejus quieſcit mare, 51. 15
XXXIX. 37. Manum meam appoſui ori meo, 52. 15

PSALMI.

I. 4. NOn ſic impii, ſed tanquam pulvis quem agitabit ventus. 37. 7. & 41. 16
II. 1. Ut quid tumultuantur gentes, & populi loquuntur inane, &c. 54. 15
7. Recenſebo decretum, &c. 42. 7
Filius meus es tu, 9. 6
8. Poſtula à me, & dabo gentes, 42. 7. & 66. 20
9. Conteres eos virga ferrea, 42. 3
10. Et nunc Reges intelligite, erudimini qui, &c. 49. 23. & 60. 16
12. Oſculamini filium, *ibid.*
V. 9. Domine deduc me in juſtitia tua, 45. 13
VI. 4. Et anima mea turbata eſt valde, 38 13
6. Non eſt in morte qui memor ſit tui, in ſepulchro, 38. 18
In ſepulchro autem quis confitebitur tibi? 24. 16
7. Madidum reddidi per ſingulas noctes lectum meum, 38. 13
VII. 9. Judica me Deus ſecundum juſtitiam meam, & ſecundum, &c. 38. 3
10. Probans corda & renes Deus juſtus, 24. 16
15. Ecce parturit iniquitatem & concepit perverſitatem, 10. 1. & 33. 11
16. Cecidit in foveam quam fecit, 33. 11. & 59. 5
18. Celebrabo Dominum ſecundum juſtitiam ejus, 45. 13
IX. 16. Demerſæ ſunt gentes in foveam quam fecerunt, 10. 21. & 33. 11. & 59. 5
XI. 7. Juſtus Dominus & juſtitias diligit, 14. 5. & 24. 16
XII. 6. Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum nunc exſurgam, &c. 16. 4
7. Eloquia Domini eloquia munda, argentum igne examinatum, à Domino, &c. 45. 19
XIV. 1. Dixit impius in corde ſuo, non eſt Deus, 40. 27
3. Omnes declinaverunt, ſimul abominabiles facti ſunt, &c. 53. 6
7. Captivitatem populi ſui, &c. 27. 31
XV. 1. Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis, &c. 11 9
2. Qui ambulat perfecte & operatur juſtitiam, &c. 48. 2
XVI. 5. Dominus pars mea, hæreditas mea, 57. 6
XVII. 3. Probaſti cor meum, viſitaſti nocte, examinaſti, non invenies, 39. 8
XVIII. 2. Diligam te Jehova fortitudo mea, 38. 9
8. Movitque ſe & contremuit terra, & fundamenta, 48. 21
10. Inclinavit cœlos & deſcendit, 63. 19
26. Cum manſueto manſuete ages, & cum viro integro, integrum, &c. 13. 9. & 27. 4
27. Cum puro purus eris & cum perverſo perverſe ages, 13. 9. & 14. 29
XIX. 5. In omnem terram exivit ſcriptura eorum, 28. 10
9. Sapientiam præſtans parvulis, 6. 10
11. Deſiderabilia ſuper aurum & ſuper obryzum multum, & dulciora, 65. 2
XXII. 10. Tu es qui me ex utero extraxiſti: in te fiſus ſum, 44. 1, 24. & 46. 4
11. Super te projectus ſum ex utero, 46. 3. 4
18. Dinumeraverunt omnia oſſa mea, 38. 13
19. Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, 51. 4
27. Edent pauperes & ſaturabuntur, 25. 6
30. Comedent, & adorabunt &c. *ibid.*
31. Venient & annunciabunt juſtitiam ejus, 45. 13
XXIII. 4. Etiamſi quum ambulavero per vallem umbræ mortis, 26. 8
XXIV. 3. Quis aſcendet in montem Domini, aut quis ſtabit, 11. 9
4. Innocens manibus & mundus corde, 48. 2
XXV. 3. Etiam omnes expectantes te non pudefient, 51. 4
8. Bonus & rectus Dominus, 26. 7
XXVII. 1. Jehova lux mea & ſalus mea, à quo timebo? 38. 9
8. Tibi dixit cor meum, Requirite faciem meam: faciem tuam Domine requiram, 38. 11
XXX. 6. Ad momentum ira ejus, vita in voluntate ejus, 12. 1. & 64. 4
7. Ego dixi in felicitate mea, non movebor in æternum, 38. 17
10. Quæ utilitas in ſanguine meo, ubi deſcendero in foveam, 38. 10
XXXI. 20. Quam magna bonitas tua quam abſcondiſti timentibus te? 32. 16. & 55. 1
XXXII. 6. Propter hoc orabit omnis ſanctus in tempore inveniendi, 55. 6
9, 10. In chamo & fræno maxillas eorum ut conſtringas, 30. 28
XXXIII. 3. Cantate ei canticum novum, 42. 10
9. Ipſe dixit, & facta ſunt, 48. 13
10. Dominus diſſipat conſilium gentium, reprobat cogitationes populorum, 22. 10
11. Conſilium Jehovæ in æternum permanebit, 14. 27
22. Sit miſericordia tua Domine ſuper nos, quemadmodum ſperavimus in te, 33. 2
XXXIV. 6. Aſpicient ad eum, & illuminabuntur, 20. 5
17. Vultus Domini contra facientes malum, ut ſuccidat de terra memoriam eorum, 14. 20
XXXVI. 7. Homines & jumenta ſervabis Domine, 30. 23
XXXVII. 1. Ne ſuccenſeas ob malos neque æmulatione tangaris, 26. 14. & 45. 16
3. Et paſce veritatem, 44. 20

Digitized by Google

5. Volve ſuper Dominum viam tuam, 26. 7. & 63. 16
9. Maligni excidentur, 26. 14
XXXVIII. 10. Gemitus meus à te non eſt abſconditus, 16. 4
XXXIX. 2. Dixi, Cuſtodiam vias meas, 3. 13
10. Obmutui nec aperui os meum, quoniam tu feciſti, 38. 2, 15
XL. 7. Aurem autem fodiſti mihi, 29. 18. & 50. 5
XLI. 2. Beatus qui intelligit ſuper pauperem, 16. 4
XLII. 3. Quando ingrediar ut appaream coram facie Dei, 38. 11
XLIV. 23. Propter te occidimur omni die, 25. 8
XLV. 8. Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis, 10. 27. & 11. 1
13. Et filia Tyri cum munere, 1. 8
XLVI. 5. Rivi fluminis exhilarabunt civitatem Dei, ſacrarium, 8. 7. & 45. 13
6. Deus in medio ejus non commovebitur, 33. 21. & 45. 13, 14
10. Sedat bella uſque ad extremum terræ, arcum conterit, 32. 18
XLVII. 3. Dominus excelſus terribilis Rex magnus ſuper omnem terram, 48. 13
XLVIII. 3. Mons Sion ad latera aquilonis, civitas Regis magni, 14. 13
9. Deus fundavit eam, 34. 11. & 37. 26
XLIX. 15. Velut oves in fovea poſiti ſunt, mors depaſcet eos, 50. 9
L. 8. Non ſuper ſacrificia tua arguam te, &c. 23. 18
10. Meæ ſunt omnes feræ ſylvarum, 66. 2
13, 14. Numquid comedam carnem taurorum aut ſanguinem hircorum bibam? ſacrifica Deo laudem & redde Altiſſimo vota tua, 1. 11. & 34. 7
15. Invoca me in die tribulationis, 38. 4. & 43. 22. & 56. 7
23. Qui ſacrificaverit laudem honorificabit me, 12. 2
LI. 17. Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit, 35. 5
19. Sacrificium Deo Spiritus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies, 66. 2
LIII. 4. Omnes averſi ſunt, pariter computruerunt, 53. 6
7. Converterit Deus captivitatem, 37. 31
LV. 22. Dulces ſunt ſermones ejus præ oleo, & ipſi jacula, 11. 8
LVI. 7. Quum expectant animam meam, 67. 9
LVII. 7. Foderunt in conſpectu meo foveam & inciderunt in illam, 26. 11. & 33. 11
LVIII. 11. Lætabitur juſtus quum viderit vindictam, &c. 41. 5
LIX. 11. Deus miſericordiæ meæ præveniet me, Deus oſtendet mihi in adverſarios, 47. 6
LXII. 10. Certe vanitas filii hominum, mendaces filii hominum, in ſtateris, 47. 17
LXIII. 4. Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, 26. 1
LXV. 2. Te expectat laus Deus in Sion, 29. 23
3. Tu Deus exaudiens orationem, ad te omnis caro veniet, 45. 24
LXVI. 10. Igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum, 27. 9
12. Tranſivimus per ignem & aquam, 43. 2
LXVIII. 6. Pater pupillorum, 1. 2
19. Aſcendit in altum, captivam duxit captivitatem, 53. 12
LXIX. 10. Zelus domus tuæ comedit me, 22. 4
LXXI. 6. Tibi innixus ſum ab utero, &c. 44. 1
9. Ne deſeras me in tempore ſenectutis, ubi defecerit, 46. 4
LXXII. 3. Et afferent montes pacem populo, & colles juſtitiam, 45. 8
LXXIII. 1. Quam bonus Iſraëli Deus, iis qui recto ſunt corde? 62. 21
3. Æmulatus ſum in ſtultis, pacem impiorum videns, 38. 10
13. Fruſtra mundavi cor meum, & lavi in innocentia manus meas, 13. 13
17. Donec veniam ad ſanctuaria Dei, intelligam, 24. 16. & 63. 17. & 64. 10
LXXIV. 1. Ut quid Deus repuliſti in finem, 14. 1
9. Signa noſtra non videmus, non eſt amplius Propheta, 40. 1, 5
LXXVI. 1. Notus in Judæa Deus, 24. 16. & 25. 6. & 26. 10. & 42. 1. & 45. 14. & 48. 14. & 54. 5
12. Vovete & reddite Domino Deo veſtro, 19. 21
LXXVIII. 38. Ipſe tamen miſericors, propitius fuit iniquitati eorum, 57. 16
39. Recordatus eſt quoniam caro ſunt, ſpiritus vadens & non revertens, 2. 22. & 57. 16
69. Velut terram quam fundavit in ſeculum, 37. 26
70, 71. Elegit David ſervum ſuum & accepit eum de caulis ovium, &c. 11. 1
LXXIX. 2. Dederunt cadavera ſervorum tuorum eſcam volatilibus cælorum, 14. 18
10. Ut quid dicent gentes, ubi eſt Deus eorum? 44. 7. & 48. 11
12. Redde vicinis noſtris ſeptuplum in ſinu eorum, 65. 6
LXXX. 9. Vineam de Ægypto tranſtuliſti, 3. 14. & 5. 1, 7
LXXXI. 6. Labium quod neſciebam audivi, 33. 19
LXXXII. 1. Deus ſtabit in cœtu Deorum, 3. 13, 14
6, 7. Ego dixi, dii eſtis, ac ſicut homines moriemini, 14. 10
LXXXIII. 14. Pone illos ſicut rotam, ſicut ſtipulam ante faciem venti, 9. 18. & 10. 3
LXXXIV. 5. Beati habitatores domus tuæ, 26. 17
11. Melior eſt dies in atriis tuis quam alias mille, ibid.
LXXXV. 11. Pietas & veritas ſibi obviam factæ ſunt, 45. 8
12. Fides è terra germinabit, & juſtitia è cœlis proſpiciet, 4. 2
LXXXVII. 4. Memor ero Rahab & Babylonis inter familiares meos, 51. 9
Ecce Philiſthæi, Tyrus, Æthiopia, ille natus eſt ibi, 44. 5
5. Ipſe fundavit eam Altiſſimus, 34. 11. & 37. 26
LXXXVIII. 11. Num mortui reſurgent, 26. 14
LXXXIX. 5. Uſque in æternum ſtabiliam ſemen tuum, 10. 27. & 2. 1
21. Oleo Sancto meo unxi eum, 10. 27
23. Filius iniquitatis, 9. 6
26. Ponam in mari manum ejus, 11. 13
37. Semen ejus in æternum erit, & thronus ejus ſicut ſol, 29. 1. & 38. 5. & 66. 22
38. Sicut luna ſtabilietur in æternum, & teſtis in cœlo fidelis, 38. 5. & 66. 12
39. Tu verò repuliſti, & ſprevisti, &c. 43. 28
40. Profanaſti in terram diadema ejus, 50. 1
47. Exardeſcet ſicut ignis ira tua, 27. 9
XC. 4. Mille anni in oculis tuis ſicut dies heſterna, 43. 19
5. Rapuiſti nos ut impetus aquarum, ſomnus ſunt, mane ſicut fœnum pertranſit, 64. 5
9. Cuncti dies noſtri te iraſcente dilabuntur, annos noſtros finimus dicto citius, 65. 20
10. Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni, 23. 15. & 65. 20
XCI. 7. Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, 1. 28
11. Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te, 26. 7. & 37. 36. & 62. 6
XCIII. 1. Dominus regnabit, ſtabilietur orbis, 54. 10
XCIV. 17. Propemodum habitaſſet in ſilentio anima mea, 6. 5
XCV. 8. Nolite obdurare corda veſtra, ſicut, &c. 37. 8
XCVI. 1. Cantate Domino canticum novum, 42. 10
4. Magnus Dominus & plurima laude dignus, formidabilis, 36. 18, 19
XCVII. 2. Nubes & caligo in circuitu ejus, 6. 4
8. Filiæ Jehudah, 37. 22
XCIX. 5. Adorate ſcabellum ſanctum ejus, quoniam ſanctum eſt, 60. 13
CI. 5. Elatum oculis & elatum corde, ipſum non potero ferre, 2. 11
CII. 15. Quoniam diligunt manſueti tui lapides ejus, & pulveris ejus miſerebuntur, 66. 10
17. Dum ædificaverit Dominus Sion, 49. 16
19. Populus qui creabitur laudabit Dominum, 29. 23. & 51. 18
21. Ut audiret gemitum vinctorum, 16. 4
27. Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ſicut, 51. 6. & 54. 10
28. Tu idem es, &c. 51. 8
29. Filii ſervorum tuorum habitabunt, & ſemen eorum, 37. 26. & 51. 8. & 54. 10
CIII. 5. Renovabitur ut aquilæ juventus tua, 40. 31
8. Miſericors & clemens Dominus, &c. 28. 21
11. Secundum altitudinem cœli erga terram prævaluit miſericordia, 55. 8
12. Quantum diſtat Oriens ab Occidente, longe fecit à nobis, 38. 17
13. Sicut miſeretur pater filiorum, miſertus eſt Dominus timentium ſe, 57. 16
14. Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum: recordatus eſt quoniam pulvis ſumus, ibid.
15. Homo ſicut fœnum dies ejus, 40. 6. & 57. 16. & 64. 5
17. Miſericordia Domini à ſeculo & uſque in ſeculum ſuper timentes eum, 51. 8
CIV. 2. Extendens cœlos ut pellem, 40. 22
3. Qui ponit nubes currum ſuum, qui ambulat, 19. 1
23. Egredietur homo ad opus ſuum & ad culturam ſuam uſque ad veſperam, 5. 11
29. Auferes ſpiritum eorum, deficient & in pulverem ſuum revertentur, 2. 22
30. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ, 32. 15. & 40. 7. & 44. 3, 4
CV. 14. Non permiſit hominem nocere eis, & redarguit, 41. 2, 4
CVII. 34. Terram fructiferam in ſalſuginem, 15. 18
CX. 3. Populus tuus ſpontaneus erit, 11. 7
6. Confringet caput ſuper terram magnam, 42. 3
CXI. 10. Initium ſapientiæ timor Domini, 27. 11
CXII. 6. In memoria æterna erit juſtus, 14. 20
9. Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi, 32. 8
CXIV. 3. Mare vidit & fugit, Jordanis converſus eſt retrorſum, 43. 20
4. Montes exilierunt ut arietes, & colles ſicut agni ovium, 43. 20. & 55. 12
CXV. 3. Deus noſter in cœlo, 66. 1
8. Similes illis ſunt qui faciunt ea, & omnes qui, 41. 29
17. Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes, 38. 18
CXVI. 10. Credidi, propterea loquutus ſum, 26. 19
12. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? 24. 15
15. Pretioſa in conſpectu Domini, mors Sanctorum ejus, 26. 21 & 57. 2
16. Ego ſervus tuus, filius ancillæ tuæ, 44. 1
CXVIII. 8. Melius eſt ſperare in Jehova quam confidere in homine, 51. 3
18. Caſtigans caſtigavit me Dominus, & morti non tradidit me, 21 17
22. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus, 8. 14. & 28. 16
CXIX. 24. Teſtimonia tua oblectationes meæ, viri conſilii mei, 39. 3
103. Quam dulcia facta ſunt faucibus meis eloquia tua, ſupra mel ori meo, 66. 1
105. Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis, 6. 10. & 34. 16. & 45. 19
CXX. 5. Heu mihi quia incola fui Meſech, 63. 18
CXXI. 4. Non dormitabit neque dormiet qui cuſtodit Iſrael, 5. 27
6. Per diem Sol non uret te neque Luna per noctem, 4. 6
CXXIII. 2. Sicut oculi ſervorum, &c. 37. 1
CXXV. 3. Quia non quieſcet ſceptrum impiorum ſuper ſortem juſtorum, 63. 17
CXXVI. 1. Quando redire fecit Jehovah captivitatem Sion, facti ſumus ſicut ſomniantes, 49. 7. & 66. 8
5. Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent, 25. 8. & 30. 19
CXXVII. 2. Vanum eſt vobis diluculo prævenientibus ſurgere, 17. 11. & 47. 13. & 57. 9
5. Beatus vir qui implevit pharetram ſuam ex ipſis, non confundentur quum loquentur cum inimicis in porta, 3. 4. & 48. 19
CXXVIII. 2. Laborem manuum tuarum quia comedes, beatus eris, 17. 11. & 62. 9
CXXIX. 3. Supra dorſum meum araverunt arantes, protraxerunt ſulcum ſuum, 51. 23
6. Sint ſicut fœnum tectorum quod priuſquam evellatur exaruit, 37. 27
8. Et non dixerunt qui tranſibant, Benedictio Domini ſuper vos, ibid.
CXXX. 3. Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit? 33. 16
CXXXII. 1. Memento Domine David, 63. 17
7. Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus, 60. 13
8. Ingredere in requiem, 66. 1
11. De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, 11. 22
13. Deus elegit Sion, &c. 22. 11
14. Hæc requies mea, hic habitabo, 11. 10. & 22. 11. & 29. 1. & 30. 4. & 37. 10, 26, 35. & 45. 13. & 66. 1
CXXXVII. 4. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? 26. 1
5. Si oblitus fuero tui Jeruſalem, oblivioni detur dextera mea, 33. 20
6. Hæreat lingua faucibus meis ſi non meminero tui, 53. 1
7. Memor eſto Domine filiorum Edom qui in die excidii, 63. 1
8. Filia Babylonis miſera, 1. 8
9. Beatus qui apprehendet & allidet parvulos tuos ad petram, 13. 12, 18
CXXXVIII. 6. Excelſus eſt Jehova & humilem reſpiciet, & excelſum à longe cognoſcet, 57. 15
8. Opera manuum tuarum non deſpicies, 22. 11 & 26. 12. & 46. 4
CXXXIX 7. Quo ibo à Spiritu tuo & quo à facie tua fugiam? 24. 21
CXL. 4. Venenum aſpidis ſub labiis eorum, 11. 8
CXLI. 2. Aſcendat oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo, 37. 4
CXLIII. 6. Anima mea eſt ſicut terra ſitiens tibi, 12. 3. & 44. 3. & 55. 2
CXLIV. 15. Beatus populus cujus Dominus Deus eſt, 51. 21
CXLV. 8. Clemens & miſerator Dominus, 9. 19
18. Prope eſt Dominus omnibus invocantibus eum, omnibus invocantibus eum in veritate, 1. 15. & 37. 4
CXLVI. 3. Nolite confidere in Principibus, in filio hominis in quo non eſt ſalus, 31. 3
4. Exibit ſpiritus ejus & revertetur in terram ſuam, 2. 22. & 31. 3
CXLVII. 2. Ejectos Iſraëli congregabit, 56. 8 & 60. 4
4. Qui numerat numerum ſtellarum, omnes illas nominibus vocabit, 40. 26
9. Qui dat jumentis eſcam ſuam, pullis corvorum quum clamaverint, 26. 7
20. Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non, &c. 19. 24. & 48. 14

PROVERBIA.

I. 7. Principium ſapientiæ timor Domini, 19. 12. & 27. 11. & 33. 6
II. 18. Ad mortuos ſemitæ ejus, 26. 14
III. 11, 12. Correctionem Domini ne abjicias, &c. 19. 22
IX. 10. Principium ſapientiæ timor Jehovæ, 19. 11. & 33. 6
18. Neſcit quod mortui ibi, 26. 14
X. 1. Filius ſapiens exhilarat patrem, & filius ſtultus triſtitia eſt matris ſuæ, 29. 22
7. Memoria juſti erit in benedictionem & nomen impiorum putreſcet, 14. 20
XIV. 13. Exitus lætitiæ triſtitia, 51. 11
16. Sapiens timet & recedit à malo, ſtultus autem, 59. 15
XVI. 1. A Jehova eſt reſponſio linguæ, 26. 7
12. In juſtitia confirmabitur ſolium, 22. 23
XVII. 22. Spiritus triſtis exſiccat oſſa, 66. 14
XVIII. 10. Turris fortis eſt nomen Domini, 22. 21
XXI. 16. In cœtu mortuorum requieſcet, 26. 14
27. Sacrificium impiorum eſt abominatio, 23. 18
30. Neque conſilium contra Jehovam, 8. 9
XXV. 5. Et firmabitur in juſtitia ſolium ejus, 22. 23
XXIX. 14. Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus in æternum, ibid.
18. Quum non eſt prophetia, diſſipatur populus, 3. 4
XXX. 19. Et veſtigium viri in adoleſcentula, 7. 14

ECCLE-

Google

ECCLESIASTES.

V. 3. QUæ voveris, redde, 19. 22
VIII. 11. Quia non fit ſententia de opere malo cito, ideo totum in hoc eſt cor filiorum hominum, ut faciat malum, 2. 11. & 24. 10. & 28. 24
X. 16. Væ populo cujus Principes mane comedunt, 5. 11

JEREMIAS.

I. 5. ANtequam prodires ex utero cognovi te, 49. 1
6. Et neſcio loqui, quia puer ego ſum, 6. 11
10. Ecce ego te hodie conſtitui ſuper gentes & regna, ut &c. 47. 1
18. Ecce ego dedi te hodie in urbem munitam, & in columnam ferream, 5. 7
II. 11. An eſt ulla gens quæ reliquerit deos ſuos? populus vero, 44. 14
21. Ego plantavi te optimam vitem, 3. 14. & 5. 1
III. 1. Tu fornicata es cum amatoribus multis, 57. 5
2. Prævaricari feciſti terram fornicationibus tuis, ibid.
IV. 31. Væ nunc, quia defecit anima mea propter interfectos, 22. 4
V. 8. Equi amatores & emiſſarii facti ſunt, &c. 30. 1
VII. 4. Nolite confidere in verbis mendacii, dicentes, Templum Domini, 1. 11. & 8. 18. & 22. 3. & 29. 1. & 64. 10
11. Num ut ſpelunca latronum facta eſt domus hæc, 56. 7
13. Loquutus ſum ad vos mane ſurgendo & loquendo, 65. 2
22, 23. Quum patres veſtros ex Ægypto redemi non juſſi ut mihi ſacrificarent, tantum præcepi ut me audirent & ſervarent mandata mea, 1. 11
IX. 1. Quis ponat caput meum aquam, & oculum meum fontem, 21. 4
X. 8. Eruditio vanitatum, lignum, 40. 18
14. Mendacium eſt conflatile ejus, neque eſt ſpiritus in eis, 2. 8
23. Scio Domine quod non eſt hominis via ejus, 26. 7
24. Corripe me Jehova, verum in judicio, 27. 8. & 30. 18. & 64. 8
XI. 7. Mane ſurgendo & conteſtando ut dicerem, Audite vocem meam, 65. 2
21. Noli prophetare in nomine Jehovæ, & non morieris manu noſtra, 30. 10
XVII. 1. Peccatum Jehudæ ſcriptum eſt ſtylo ferreo, 30. 8. & 65. 6
5. Maledictus qui confidit in homine, 2. 22. & 9. 6. & 31. 3. & 36. 6, 10. & 57. 13
XVIII. 12. Et dixerunt, Deſperatum eſt: ſed poſt cogitationes noſtras ibimus, 57. 10
16. Admirabitur, & movebit caput ſuum, 18. 2
XIX. 6. Non vocabitur locus iſte amplius Tophet & vallis filii Hinnon, 30. 33
8. In ſtuporem & in ſibilum, 18. 2
XXII. 19. Sepultura aſini ſepelietur, tractus & projectus, 14. 18
XXIII. 5. Suſcitabo Davidi germen, 9. 7
7, 8. Ecce dies veniunt, inquit Dominus, & non dicetur ultra, Vivit Dominus qui eduxit filios, &c. 43. 18
24. Annon cœlum & terram ego impleo, dixit Jehova, 66. 1
36. Et onus Jehovæ non memorabitis ultra, 13. 1
XXIV. 6. Ædificabo eos neque deſtruam, 49. 16. & 54. 12
9. Dabo eos in commotionem & malum omnibus regnis in opprobrium & parabolam, 18. 2
XXV. 9. In ſtuporem & in ſibilum, 18. 2
11. Servient ſeptuaginta annis, 9. 2
12. Cumque impleti fuerint ſeptuaginta anni, ibid.
15. Sume calicem vini furoris ejus de manu mea, 51. 17
18. In ſtuporem, & in ſibilum, 18. 2
XXVII. 10. Mendacium ipſi vaticinantur vobis ut elongent vos à terra, 27. 13
XXIX. 10. Cum impleti fuerint in Babel ſeptuaginta anni, 9. 2
14. Reducam captivitatem veſtram, 37. 31
XXX. 9. Servient Jehovæ Deo ſuo, & Davidi Regi ſuo quem, 2. 4. & 9. 7. & 37. 35
11. Non conſumam te, ſed caſtigabo te in judicio, 30. 18
XXXI. 9. Ero Iſraëli in patrem, 46. 3
15. Vox in Ramah audita eſt, ploratus & fletus, 29. 22
34. Non docebit quiſque proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, 11. 9 & 54. 13
XXXII. 18. Et reddis iniquitatem patrum in ſinum filiorum, 14. 21. & 65. 6
XXXIII. 15. Germinare faciam ipſi David germen juſtitiæ, 9. 7
XXXV. 14. Ego loquutus ſum ad vos mane ſurgendo & loquendo, 65. 2
XLIII. 2. Mendacium loqueris, 30. 10
XLVIII. 2. Etiam Madmen ſucciderit, poſt te ibit gladius, 25. 10
7. Egredieturque Chamos in tranſmigrationem, 15. 2
13. Et pudore afficietur Moab à Chamos, ibid.
14. Quomodo? dicitis: Fortes ſumus & viri robuſti ad bellum, 16. 6
29. Audivimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde, ibid.
Et ſuperbiam ejus & arrogantiam ejus & exaltationem cordis ejus, ibid.
32. Flebo propter te vitis Sibmah, 16. 8
Super vindemiam tuam vaſtator irruet, 16. 9
34. A clamore Heſebon uſque ab Elaleh & uſque ad Jahas dederunt vocem ſuam, 15. 5

THRENI.

I. 4. NOn ſunt qui veniant ad ſolemnitatem, 32. 10
7. Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt Sabbatha ejus, ibid.
20. Vide Jehova, tribulatio eſt mihi, viſcera mea intumuerunt, 41. 27
II. 5. Et multiplicavit in filia Jehudæ planctum & luctum, 29. 2
7. Repulit Dominus altare ſuum, abominatus eſt ſanctuarium ſuum, 32. 10
III. 22. Miſericordiæ Dei quod non ſumus conſumpti, 1. 9
29. Ponet in pulvere os ſuum, 29. 22. & 51. 8
38. An ſi ex ore Altiſſimi non egredientur mala & bona, 41. 23

EZECHIEL.

III. 8. ECce dedi faciem tuam fortem contra facies eorum, & frontem tuam, 50. 7
VIII. 3. Et adduxit me in Jeruſalem in viſionibus Dei, 48. 5
XVI. 3. Pater tuus Amorrhæus eſt: mater tua Hethæa, 1. 4. & 57. 3
XVIII. 2. Patres noſtri comederunt uvam acerbam, & dentes, 50. 1
20. Anima quæ peccaverit ipſa morietur, 14. 21. & 43. 27. & 65. 7
21. Impius autem ſi averſus fuerit ab omnibus peccatis ſuis, 31. 6
XX. 12. Sabbatha mea dedi eis, ut eſſent in ſignum inter me & eos, 56. 2
24. Dederam illis leges bonas in quibus victuri eſſent, ſed quia non fecerunt judicia mea & ſtatuta, 25. 13
49. Singuli poſt idola ſua ambulate & ſervite, 57. 6
XXIII. 3. Fornicatæ ſunt in Ægypto, 30. 1
XXIV. 21. Ecce polluo ſanctuarium meum, 50. 1
XXVI. 2. Propterea quod dixit Tyrus ſuper Jeruſalem, Euge confracta eſt porta populorum, 23. 1
XXIX. 3. Ecce ego ad te Pharao Rex Ægypti, draco magne, 51. 9
XXXIII. 31. Et ecce tu es illis velut canticum amorum pulchræ, 48. 1
XXXIV. 4. Dure dominati eſtis eis, & tyrannice, 56. 11
23. Servum meum David, ipſe paſcet eas, 2. 4. & 9. 7
24. Servus meus David Princeps in medio eorum, ibid.
XXXVI. 22. Non propter vos domus Iſraël hoc facturus, ſed propter me, 37. 35. & 43. 25
25. Effundam ſuper vos aquam mundam & mundabimini, 1. 16. & 44. 3
XXXVII. 12. Educam vos è tumulis veſtris, 9. 2
24. Et ſervus meus David erit Rex ſuper eos, 2. 4. & 9. 7. & 37. 35. & 45. 1
25. Et David ſervus meus erit Princeps eis in ſeculum, 2. 4. & 45. 1
XLIII. 15. Altare autem quatuor erat cubitorum, 29. 1
XLV. 22. Faciet vitulum peccati, 53. 10
XLVII. 1. Et ecce aquæ egrediebantur de loco qui erat ſub limine domus ad Orientem, 2. 3

DANIEL.

I. 6. FUerunt autem inter eos de filiis Jehudah, Daniel, Hananiah, 66. 14
II. 14. Tunc Daniel reſpondit conſilium & prudentiam, 46. 11
V. 2. Præcepit autem in guſtu vini ut afferrent vaſa aurea, 45. 9
28. Diviſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis, 21. 7
30. In ipſa nocte interfectus fuit Balſazar Rex Chaldæus, 13. 12. & 21. 4. & 47. 11
VI. 1. Placuit Dario, & conſtituit ſuper Regnum Satrapas &c. 13. 12
VII. 27. Regnum ejus, regnum æternum, & omnes poteſtates ei ſervient, 9. 7. & 16. 5
IX. 2. Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, 40. 1
24. Ad finiendum prævaricationem, & ad conſumendum peccatum, 10. 23
Et ungendum ſanctitatem ſanctitatum, 10. 27
27. Uſque ad conſummationem, 10. 23

HOSEAS.

I. 7. NOn ſervabo eos arcu & gladio & bello, equis & equitibus, 27. 12
10. Pro eo quod dicebatur eis, Non populus meus vos, dicetur, 9. 2. & 56. 3. & 57. 19
II. 2. Auferat fornicationes ſuas à facie ſua, 44. 9. & 57. 5
5. Fornicata eſt mater eorum, pudore affecta eſt, 2. 20
18. Feriam eis cum beſtia agri, cum volucre cœli & cum reptilibus, 11. 6. & 35. 9
19. Deſponſabo te mihi in ſempiternum, 1. 21. & 61. 10
Deſponſabo te mihi in miſericordia & miſerationibus, 56. 6. & 61. 4
20. Deſponſabo te mihi in fide, 1. 21. & 56. 6. & 61. 10
23. Dicam ad Loammi, Populus meus es tu, 9. 2
III. 4. Sine ſacrificio & ſine ſtatua & ſine Ephod & ſine Teraphim, 5. 2
5. Et requirent Jehovam Deum ſuum, & David Regem ſuum, 9. 7. & 37. 35
IV. 15. Si fornicaris Iſraël, Saltem ne delinquat Jehuda, 57. 5
VI. 6. Miſericordiam volo & non ſacrificium, 1. 18. & 58. 9. & 61. 8
XII. 1. Ephraim paſcit ventum, 44. 20. & 55. 2
XIII. 11. Aufert Reges in ira ſua, alioſque in indignatione ſua conſtituit, 3. 4

JOEL.

I. 13. MAnete in ſaccis miniſtri Dei mei, 20. 2. & 58. 5
14. Præparate jejunium, 22. 13
II. 12. Convertimini &c. & in jejunio, ibid.
13. Scindite corda & non veſtimenta veſtra, 22. 12
28. Prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ, & juvenes veſtri, 19. 19
31. Sol convertetur in tenebras & luna in ſanguinem, 13. 10
32. In monte Sion & Jeruſalem erit evaſio, 4. 2. & 14. 32

AMOS.

I. 3. SUper tribus prævaricationibus Damaſci & ſuper quatuor, 17. 3
III. 6. An eſt malum in civitate, & Jehova non fecerit? 26. 10. & 41. 23
7. Non facit Dominus Jehova quicquam niſi revelaverit ſecretum ſuum ſervis ſuis Prophetis, 41. 22
11. Tribulatio, & in circuitu terræ: & detrahet à te fortitudinem tuam, 7. 8
IV. 1. Audite verbum hoc vaccæ pingues, 17. 4. & 28. 1
V. 10. Oderunt corripientem in porta & loquentem recta abominati ſunt, 29. 21
11. Ædificaſtis domus ex cæſis lapidibus: ſed non habitabitis in eis, 5. 9
18. Væ deſiderantibus diem Jehovæ, ut quid hoc vobis, 13. 9. & 66. 5
19. Qui fugerit metu leonis, incidet in urſum, 24. 17
20. Nonne tenebræ dies Domini? 13. 9
VI. 11. Percutiet domum magnam in fracturas & domum parvam in ſciſſuras, 5. 9
VIII. 11. Mittam famem in terram, non famem panis, 30. 21
IX. 11. In die illa ſuſcitabo tabernaculum David quod cadit, & ſepiam, 9. 7

JONAS.

I. 2. SUrge, vade in Ninivem civitatem magnam, 14. 27. & 34. 16. & 38. 4
III. 4. Adhuc quadraginta dies & Ninive ſubvertetur, 38. 4
10. Et pœnituit Deum ipſum mali quod loquutus fuerat, 14. 27

MICHÆAS.

I. 3. DOminus egreditur, 26. 21
11. Non eſt egreſſa habitatrix Saanan ad planctum Betheſel, 20. 2
II. 11. Si quiſquam ambulet per viam venti, & mendacium mentitus fuerit dicendo, Stillabo tibi pro vino, 30. 10
V. 10. Succidam equos tuos de medio tui, diſperdamque quadrigas tuas, 2. 18
VI. 7. Numquid complacitum eſt Domino in millibus arietum, aut decem, 1. 11
VII. 8. Ne læteris inimica &c. Dominus lux mea eſt, 10. 17
9. Iram Domini portabo, 26. 20
16. Ponent manum ſuper os, 29. 22
19. Projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra, 38. 17

NAHUM.

III. 8. NUmquid melior es civitate Nopà populos habente multos, 19. 13
15. Multiplica te ut bruchus, multiplica te inquam ut locuſta, 33. 4

HABACUC.

I. 16. PRopterea ſacrificabit ſagenæ ſuæ & ſuffiet reti ſuo, 10. 10. & 36. 18, 19. & 45. 3
II. 1. Super ſpeculam meam ſtabo, 18. 4. & 26. 20
2. Scribe viſionem & explana in tabulis, ut percurrat qui legerit eam, 8. 1
11. Clamabit lapis de pariete, cui & lignum ex tabulato teſtimonium feret, 34. 14
18. Mendacium eſt conflatile ejus, 40. 18
III. 2. In ira miſericordiæ recordaberis, 30. 18, 19. & 47. 6. & 60. 10. & 64. 11
13. Egreſſus eſt Dominus cum Chriſto ſuo in ſalutem populi ſui, 26. 21. & 40. 3. & 45. 1

SOPHONIAS.

I. 5. ET qui adorant jurantes per Jehovam, & jurantes per Melchom, 8. 21

HAGGÆUS.

I. 4. NUmquid ô vos tempus vobis advenit ut habitetis in, 44. 28
II. 4. Quis eſt ex vobis reliquus qui viderit domum iſtam in gloria ſua priore? 9. 3

7. Adhuc

Digitized by Google

I N D E X   L O C O R U M

. Adhuc unum puſillum eſt, & ego commovebo cœlum & terram, 43. 19
10. Major erit gloria domus hujus poſterioris, 9. 3 & 54. 2, 11
14, 15. Quicquid pollutus quiſpiam attingit, polluitur, &c. 1. 16

ZACHARIAS.

I. 12. Reſpondit Angelus Jehovæ & dixit, O Jehova exercituum, quouſque non miſereberis Jeruſalem, 61. 7
15. Ira magna iraſcor contra gentes illas quietas: nam iratus eram parum, ipſi vero adjuverunt in malum, 47. 6
II. 5. Ego ero ei, dixit Jehova, murus igneus in circuitu, & in gloriam in medio ejus, 54. 2
8. Qui tangit vos tangit pupillam oculi mei, 14. 14. & 16. 4
VI. 12. Ecce vir cujus nomen erit germen, 4. 2
XIII. 4. Nec induentur ultra pallio piloſo ut mentiantur, 20. 2
XIV. 3. Et egredietur Dominus, 16. 21

MALACHIAS.

I. 4. Si dixerit Edom, Attenuati ſumus, revertemur, 34. 11
Ipſi ædificabunt & ego deſtruam, 23. 17
Populum quem deteſtatus eſt Jehova uſque in ſeculum, 34. 10
6. Si ergo pater ego ſum, &c. 46. 3
11. In omni loco incenſum offeretur nomini meo, & oblatio munda, 19. 19
II. 7. Labia Sacerdotis cuſtodiant ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus, 37. 2. & 42. 19
IV. 2. Orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ, 25. 7. & 54. 2. & 60. 3
4. Mementote Legis Moſis ſervi mei, quam ei, &c. In præf. & 40. 1

MATTHÆUS.

I. 5. Booz genuit Obed è Ruth, 16. 1
23. Et vocabunt nomen ejus Immanuel, 7. 14
II. 11. Obtulerunt illi munera, aurum & thus & myrrham, 60. 6
14. Aſſumpſit puerum & matrem ejus noctu & ſeceſſit in Ægyptum, 19. 1
III. 2. Pœnitentiam agite, 6. 10
3. Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, 40. 3
12. Cujus ventilabrum in manu ipſius, & repurgabit aream, 26. 2. & 30. 28. & 32. 6. & 60. 21
Paleam autem exuret igni inextinguibili, 18. 6
16. Et vidit Spiritum Dei deſcendentem tanquam columbam, 6. 1. & 42. 3
17. In quo mihi placui, 42. 1
IV. 14. 15. Ut impleretur quod dictum fuerat per Jeſaiam Prophetam, Terra, &c. 9. 2
16. Populus ſedens in tenebris, &c. ibid. & 42. 4
V. 10. Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, 16. 5
11. Beati eſtis quum probra jecerint in vos, & inſectati, ibid.
13. Vos eſtis ſal terræ: quod ſi ſal infatuatum fuerit, &c. 28. 7
44. Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, 41. 15
45. Qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, 5. 2. & 13. 10
VI. 8. Novit pater veſter quibus rebus opus ſit vobis, prius quam petatis ab illo, 37. 14
21. Ubi eſt theſaurus tuus, ibi & cor tuum erit, 10. 6
23. Si lumen quod in te eſt tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ? 29. 14
34. Ne ſitis igitur ſoliciti in craſtinum, nam dies, 39. 8
VII. 2. Qua menſura metimini, ea metientur vobis, 16. 3. & 21. 2. & 30. 31. & 41. 15
7. Petite & accipietis, quærite & invenietis, 55. 6
11. Si vos quum ſitis mali noſtis bona donadare, 49. 15
23. Tum confitebor illis, Nunquam novi vos, 43. 1
VIII. 4. Vide ne cui dixeris, 42. 2
17. Hic infirmitates noſtras ſuſcepit, & morbos portavit, 53. 4
IX. 13. Miſericordiam volo & non ſacrificium, 1. 18. & 58. 9. & 61. 8
30. Videte, ne quis ſciat, 42. 2
38. Rogate Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam, 49. 17
X. 1. Et accerſitis 12. diſcipulis ſuis, 60. 10
5. In viam Gentium ne abieritis, 6. 1
6. Ite potius ad oves perditas domus Iſraël, 42. 6
27. Quod vobis in aurem dictum eſt, prædicate ſuper tecta, 21. 1
28. Ne metuatis eos qui occidunt corpus, 2. 22
29. Nonne duo paſſerculi minuto aſſe veneunt? 41. 12
XI. 5. Pauperes euangelizantur, 11. 4
Cæci viſum recipiunt, & claudi ambulant, & leproſi mundantur, 35. 5
19. Juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis, 41. 26
27. Neque Patrem quiſquam novit, niſi Filius, 25. 9
28. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, 11. 4. & 28. 12. & 50. 4. & 61. 1
30. Jugum meum commodum eſt, & onus meum leve, 30. 6
XII. 7. Miſericordiam volo, & non ſacrificium, 1. 18. & 58. 9. & 61. 8
16. Præcepit eis nè manifeſtum eum facerent, 42. 2
17. Ut compleretur quod dictum erat per Jeſaiam Prophetam qui ait, Ecce, 42. 1
18. Ecce puer meus, quem elegi, &c. ibid.
29. Quomodo poteſt aliquis intrare domum potentis, & vaſa, 49. 24
39. Generatio prava & adultera, 42. 3
XIII. 25. Dormientibus hominibus venit inimicus illius, & ſeminavit zizania, 11. 13
31, 32. Simile eſt regnum cœlorum grano ſinapi, &c. 11. 1
XV. 7. Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum, 29. 13
9. Fruſtra colunt me docentes doctrinas, mandata hominum, ibid.
13. Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœleſtis eradicabitur, 60. 21
14. Sinite eos, cæci ſunt & duces cæcorum, 8. 20
Si cæcus cæcum ducat, ambo in foveam cadent, 9. 16
XVI. 18. Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, 49. 16. & 54. 12
19. Tibi dabo claves regni cælorum, 22. 21
XVII. 21. Hoc genus non egreditur niſi per deprecationem & jejunium, 58. 5
XIX. 8. Moſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis repudiare uxores veſtras, 50. 1
11. Non omnes capaces ſunt hujus dicti, ſed ii quibus datum eſt, 19. 21
12. Qui poteſt capere capiat, ibid.
XXI. 13. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum, 56. 7
23. Qua authoritate hæc facis, & quis tibi dedit iſtam authoritatem, 29. 21
42. Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt, 8. 14. & 28. 16
43. Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus, 65. 2
44. Qui ceciderit ſuper hunc lapidem conſtringetur: ſuper quem, 8. 15
XXII. 2. Simile eſt regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo, 25. 6
17. Dic nobis quid tibi videtur, licet cenſum dare Cæſari, an non? 29. 21
18. Quid me tentatis hypocritæ? 42. 3
23. Sadducæi qui dicunt non eſſe reſurrectionem, 29. 12. & 30. 33
32. Non eſt Deus mortuorum, ſed viventium, 26. 19
37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. 26. 9
XXIII. 13. Væ vobis Scribæ & Phariſæi, 42. 3
23. Reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis, judicium & miſericordiam ac fidem, 1. 18
24. Excolantes culicem, camelum autem glutientes, 58. 3
37. Quoties volui congregare filios tuos quemadmodum, 31. 5
XXIV. 38. 39. Sicut autem dies Noæ, &c. 32. 13
XXV. 12. Amen amen dico vobis, Non novi vos, 43. 1
XXVI. 66. At illi reſpondentes dixerunt, Reus eſt mortis, 53. 9
XXVII. 12. Et quum accuſaretur à Principibus Sacerdotum & ſenioribus nihil reſpondit, 53. 7
14. Et non reſpondit ei ad ullum verbum, ibid.
24. Innocens ego ſum à ſanguine juſti hujus, 53. 4
35. Diviſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper, 50. 4
51. Velum templi ſciſſum eſt, 56. 7. & 65. 24
60. Et poſuit illud in novo ſuo monumento, &c. 53. 9
63. Ille ſeductor, 50. 6
XXVIII. 18. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra, 14. 2. & 61. 6

MARCUS.

I. 3. Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, 40. 3
10. Vidit ſciſſos cœlos, & Spiritum tanquam columbam &c. 42. 1
IV. 32. Et jacit ramos magnos, ita ut poſſint ſub umbra ejus aves cœli nidificare, 11. 1
V. 43. Et præcepit illis vehementer, ne quiſquam id ſciret, 42. 2
VI. 3. Nonne hic eſt faber &c. 1. 1
XI. 17. Vos autem feciſtis illam ſpeluncam latronum. 56. 7
XII. 10. Lapidem quem reprobaverunt ii qui ædificabant, hic factus, 8. 14
18. Venerunt Sadducæi ad eum, qui dicunt reſurrectionem non eſſe, 29. 12
XV. 5. At Jeſus nihil amplius reſpondit, 53. 7
14. At illi vehementius clamaverunt, Crucifige eum, 53. 9
28. Et impleta eſt Scriptura quæ dicit, Et cum iniquis deputatus eſt, 53. 12
XVI. 15. Ite in mundum univerſum & prædicate Euangelium, 2. 3. & 10. 22. & 56. 3. & 65. 2
20. Profecti prædicaverunt, 10. 22. & 60. 8

LUCAS.

I. 33. Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis, 9. 7. & 16. 5
35. Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi, 53. 2
52. Detraxit potentes de thronis, & exaltavit humiles, 23. 17
75 Ut ſerviremus ipſi cum ſanctitate & juſtitia coram ipſo cunctis diebus vitæ noſtræ, 9. 7. & 32. 16. & 43. 21
II. 7. Reclinavitque eum in præſepi, 1. 3
35. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes, 32. 5, 6
46. Invenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, 2. 3
52. Et Jeſus proficiebat ſapientia & ætate & gratia apud Deum atque homines, 7. 15
III. 4. Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, 40. 3
17. Paleas comburet igni inextinguibili, 18. 6
22. Et deſcendiſſe Spiritum S. corporali ſpecie ſicut columbam in ipſum, 42. 3
IV. 18. Spiritus Domini ſuper me eo quod unxerit me, 61. 1
VI. 25. Væ vobis qui ridetis, 10. 2. & 22. 13
X. 16. Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, 11. 4
XI. 17. Ipſe autem quum ſciret cogitationes eorum, 11. 3
22. Si autem fortior illo ſupervenerit, 49. 24
XII. 32. Ne timeas puſille grex, quia complacuit, 1. 9. & 44. 2
47. Servus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis, 13. 1
XV. 7. Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore, 1. 21
XVI. 15. Quod altum eſt coram hominibus, abominatio eſt apud Deum, 45. 20. & 55. 8
29. Habent Moſem & Prophetas, 8. 20
XVII. 27. Edebant, bibebant, uxores ducebant, 22. 13
XVIII. 7. Deus non faciet vindictam electorum ſuorum, clamantium ad ſe, 26. 21
XX. 27. Acceſſerunt quidam Sadducæorum, qui negant reſurr. &c. 29. 12
XXI. 18. Capillus de capite veſtro non peribit, 47. 6
19. Per patientiam veſtram poſſidebitis animas veſtras, 1. 17. & 11. 14. & 34. 8. & 41 16. & 57. 2
28. Suſpicite & attollite capita veſtra, quia appropinquat redemptio veſtra, 25. 8. & 38. 10
XXII. 25 Qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur, 13. 2
36. Qui non habet, vendat tunicam ſuam & emat gladium, 2. 4
XXIII 4, 14, 22. Nullam invenio cauſam in homine hoc, 53. 4
30. Tunc incipient dicere montibus, Cadite ſuper nos, 2. 21
XXIV. 47. Initio facto ab Jeroſolymis, 2. 3. & 45. 14

JOANNES.

I. 13. Qui non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, 49. 21
14. Et verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, 7. 14, 15. & 52. 14
16. De plenitudine ejus nos omnes accepimus, 11. 2. & 12. 3. & 55. 1
18. Unigenitus Filius qui eſt in ſinu Patris ipſe enarravit, 9. 6. & 25. 9
21. Propheta es tu? Et reſpondit: Non, 40. 3
23. Ego vox clamantis in deſerto, Dirigite viam Domini, ibid.
29. Ecce agnus Dei, ibid. & 53. 7
32. Vidi Spiritum deſcendentem in ſpecie columbæ, 6. 1. & 42. 3
II. 22. Recordati ſunt diſcipuli quod hoc dixiſſet eis, & crediderunt Scripturæ, & ſermoni quem dixerat Jeſus, 43. 10
III. 14. Sicut Moſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita &c. 11. 10
16. Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret, &c. 12. 5. & 45. 22
29. Amicus autem ſponſi qui ſtat & audit eum, gaudet, 5. 1
IV. 10. Si ſcires donum Dei, & quis ſit qui dicit tibi, 55. 1
21. Venit hora quando neque in monte hoc neque Jeroſolymis adorabitis, 56. 7. & 65. 16
22. Nos adoramus quod ſcimus, 25. 9. & 45. 14
Salus ex Judæis eſt, 27. 6
23. Veri adoratores adorabunt Patrem ſpiritu ac veritate, 29. 13. & 46. 2. & 56. 7. & 66. 23
24. Deus Spiritus eſt, 29. 13. & 66. 1
V. 24. Tranſiit ex morte in vitam, 9. 6
29. Prodibunt qui bona fecerint in reſurrectionem vitæ, qui vero mala, 26. 19
35. Vos voluiſtis ad tempus exultare in luce ejus, 50. 11
VI. 27. Hunc Pater ſignavit Deus, 49. 5
44. Nemo poteſt venire ad me niſi Pater qui miſit me traxerit eum, 6. 10. & 8. 18
45. Scriptum eſt in Prophetis, Erunt omnes docti à Deo, 54. 13
Quicunque audivit & didicit à Patre, ille venit ad me, 50. 5. & 54. 13
VII. 12. Alii dicebant, Non, ſed ſeducit turbam, 50. 6
37, 38. Veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, &c. 11. 3
VIII. 6. Hoc autem dicebant tentantes eum ut poſſent accuſare eum, 29. 21
36. Si filius vos liberaverit, vere liberi eritis, 35. 10. & 42. 22. & 43. 8. & 53. 6. & 61. 1
44. Mendax eſt atque ejus rei pater, 41. 22
IX. 39. Veni, ut qui non vident, videant, & qui vident cæci fiant, 29. 18
X. 3. Et proprias oves vocat nominatim, 45. 3
11. Ego ſum paſtor bonus, 40. 9
16. Alias oves habeo quæ non ſunt ex hoc ovili, illas quoque oportet me adducere, & vocem meam audient, 16. 5. & 42. 4. & 49. 18. & 59. 20

27. Oves

Digitized by Google

27. Oves meæ vocem meam audiunt & ſequuntur me, 11. 11
28. Nec peribunt in æternum, neque rapiet eas quiſquam de manu mea, 8. 18
29. Pater qui dedit mihi, major, 40. 12
XI. 52. Sed ut & filios Dei diſperſos congregaret, 16. 5
XII. 35. Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos occupent, 55. 6
37. Quum multa ſigna feciſſet Jeſus coram eis, 53. 1
38. Ut ſermo Jeſaiæ impleretur, quem dixit, Domine quis, 53. 1
39. Propterea non poterant credere, quia dixit Jeſaias, Excæcavit, 6. 10
41. Hæc dixit Jeſaias quando vidit gloriam ejus, & loquutus eſt de eo, 6. 1, 10
48. Sermo quem loquutus ſum ille judicabit, 55. 11
XIII. 3. Sciens Jeſus quod omnia dediſſet ſibi Pater in manus, 42. 1
XIV. 6. Ego ſum via, veritas & vita, 22. 22. & 49. 6
7. Si cognoviſſetis me, & Patrem meum cognoviſſetis utique, 25. 9
17. Spiritum veritatis, 11. 2
27. Pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, 32. 18
XV. 1. Ego ſum vitis vera, 5. 7
2. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, avellet ac in ignem projiciet, *ibid.*
8. In hoc glorificatus eſt Pater meus, ut fructum copioſum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli, 49. 4
15. Non poſthac vos dico ſervos, quia ſervus, 9. 6 & 41. 8 & 43. 4
XVI. 8. Spiritus quum veniet arguet mundum de peccato, juſtitia & judicio, 2. 4
20. Triſtitia veſtra in gaudium vertetur, 30. 32
21. Quum autem pepetit puerum jam non meminit anxietatis, 26. 17
22. Gaudium veſtrum nemo tollet à vobis, 9. 3
XVII. 1. Pater glorifica filium tuum ut filius tuus glorificet te, 49. 3
3. Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum, 11. 9
6. Tui erant & mihi eos dediſti, 8. 18
10. Mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt, 42. 1
12. Quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex iis periit, 8. 18
19. Propter eos ſanctifico meipſum, ut & ipſi ſancti ſint, 53. 11
20. Non pro iis tantum rogo, ſed pro his omnibus qui credituri ſunt per ſermonem eorum in me, 53. 12
XVIII. 36. Regnum meum non eſt ex hoc mundo, 60. 10
38. Ego nullam invenio in eo cauſam, 53. 4
XIX. 9. At Jeſus non dedit ei reſponſum, 53. 7
16. Tunc ergo tradidit eum illis, ut crucifigeretur, 53. 9
17. Atque is bajulans crucem ſuam, 9. 6
24. Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, 50. 4
38. Rogavit Pilatum Joſeph ab Arimathia, 53. 9
XX. 8. Viditque & credidit, 43. 10
22. Flavit in eos & dixit, Accipite Spiritum ſanctum, 6. 1
23. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, 43. 25. & 63. 12

A C T A.

II. 3. Et viſæ ſunt illis diſſectæ linguæ velut igneæ, 4. 5 & 6. 1
16. Hoc eſt quod dictum eſt per Prophetam Joel, Et erit in noviſſimis, 19. 19
41. Et acceſſerunt in die illo animæ circiter ter mille, 43. 8
III. 12. Quid miramini ſuper hoc, aut nos quid intuemini quaſi noſtra virtute aut pietate effecerimus ut hic ambularet? 48. 5
21. Uſque in tempora reſtitutionis omnium quæ loquutus eſt Deus, 26. 19. & 35. 1. & 65. 17
22. Moſes quidem ad Patres dixit, Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus. In præfat.
24. Sed & omnes Prophetæ, &c. 43. 10
IV. 11. Hic eſt lapis ille qui rejectus eſt à vobis ædificantibus, 28. 16
V. 41. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilii, quoniam, 35. 10. & 51. 8
VII. 2. Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ, quum eſſet in Meſopotamia, 37. 12. & 44. 7
3. Exi &c. & veni in terram, quam tibi monſtravero, 41. 2
4. Tunc exiit è terra Chaldæorum & habitavit in Charran, 37. 12
48. Excelſiſſimus ille non in manufactis templis habitat, 66. 1
51. Vos ſemper Spiritui ſancto reſiſtitis, ſicut patres veſtri, 43. 27
VIII. 22. Si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui, 37. 4
X. 26. Petrus vero erexit eum dicens, Surge, & ego ipſe homo ſum, 49. 23
27. Et colloquens cum illo intravit, & offendit multos qui convenerant, 1. 1
34. Re ipſa comperio quod non ſit perſonarum reſpectus apud Deum, 56. 3
42. Ipſe eſt ille definitus à Deo Judex, 53. 8
43. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, 43. 10
XIII. 5. Annuntiaverunt ſermonem Dei in Synagogis Judæorum, 1. 1
46. Sed quoniam repellitis illud, voſque ipſos indignos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad Gentes, 43. 9
47. Poſui te in lucem Gentium, 49. 6
48. Et crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam, 8. 18. & 54. 13
XIV. 1. Factum eſt autem Iconii ut ſimul introirent ſynagogam Judæorum, 1. 1
14. Quod ubi audierunt Apoſtoli Barnabas & Paulus conſciſſis veſtibus, 49. 23
17. Quanquam non expertem teſtimonii ſeipſum eſſe ſinebat, dum beneficia conferret de cœlo nobis dans pluviam, 47. 21
XVI. 20. Hi homines conturbant civitatem noſtram quum ſint Judæi, 30. 6
XVII. 2. Secundum conſuetudinem autem ſuam Paulus introivit ad eos, 1. 1
10. Qui quum adveniſſent abierunt in ſynagogam Judæorum, *ibid.*
24. Non in manufactis templis habitat, 66. 1
25. Nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, quum ipſe det, 46. 5
28. In ipſo vivimus, movemur & ſumus, 10. 5 & 40. 17
29. Non debemus exiſtimare auro aut argento, 40. 18
XVIII. 4. Diſputabat autem in ſynagoga per omne ſabbathum, 1. 1
19. Ipſe vero ingreſſus ſynagogam diſputabat cum Judæis, *ibid.*
XX. 35. Beatius eſt dare quam accipere, 60. 16
XXI. 4. Repertiſque diſcipulis, manſimus ibidem diebus ſeptem, 23. 18
28. Inſuper & Græcos induxit in templum, & prophanavit, 56. 5
XXIII. 8. Sadducæi quidem dicunt non eſſe reſurrectionem, neque, 29. 12. & 30. 33
XXIV. 15. Reſurrectionem mortuorum juſtorum ſimul & injuſtorum, 26. 19
XXVII. 24. Ecce donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum, 65. 8
XXVIII. 25. Bene loquutus eſt Spiritus ſanctus per Jeſaiam, 6. 10
26. Aggravarunt aures & oculos compreſſerunt, *ibid.*

R O M.

I. 5. Ut obediatur fidei inter omnes gentes, 55. 5
8. Primum quidem gratias ago Deo meo per Jeſum Chriſtum, 37. 4
17. Juſtitia Dei per illud patefit, 10. 22
19. Quod de Deo cognoſci poteſt manifeſtum eſt in illis, 24. 15. & 42. 18
20. Quæ ſunt inviſibilia illius ex creatione mundi, dum, 38. 11 & 40. 21
28. Quemadmodum non probaverunt ut Deum agnoſcerent: ita tradidit eos Deus in reprobum, 44. 18. & 63. 17
II. 5. Juxta duritiam tuam & cor pœnitere neſcium colligis, 22. 14
17. Ecce tu Judæus cognominaris, & acquieſcis in Lege, 58. 1
25. Circumciſio tua in præputium verſa eſt, 52. 1. & 59. 8
26. Nonnè præputium illius in circumciſionem reputabitur? 59. 8
III. 1. Primum quidem illud quod illis commiſſa ſunt oracula Dei, 48. 14. & 61. 9
3. Num incredulitas illorum fidem faciet irritam? 46. 13. & 48. 12
4. Deus verax, omnis autem homo mendax, *ibid.*
12. Omnes deflexerunt, ſimul inutiles facti ſunt, 53. 6
17. Viam pacis non cognoverunt, 59. 8
20. Ex operibus Legis non juſtificabitur omnis caro, 53. 11
23. Omnes peccaverunt ac deſtituuntur gloria Dei, 41. 6
27. Ubi eſt gloriatio tua? excluſa eſt. Per quam legem? 45. 25
29. An Judæorum Deus tantum? nonne & gentium? 54. 5
IV. 2. Si Abraham ex operibus juſtificatus eſt, habet quod glorietur, at non apud Deum, 45. 25
15. Lex iram operatur, 53. 11
17. Patrem multarum gentium conſtitui te, 66. 20
18. Qui præter ſpem ſub ſpe credidit, 36. 15. & 40. 12. & 43. 12. & 56. 3
19. Ac non infirmatus fide, haud conſideravit ſuum ipſius corpus jam emortuum, 40. 12. & 51. 1. & 56. 3
20. Adverſus promiſſionem Dei non diſceptavit infidelitate, ſed &c. 40. 12. & 56. 3
24. Sed etiam propter nos quibus imputabitur, credentibus, 51. 3
V. 1. Juſtificati ex fide, pacem habemus apud Deum, 9. 6. & 28. 16. & 32. 18. & 45. 24. & 53. 5. & 56. 7. & 57. 2
2. Per quem habemus acceſſum per fidem, 45. 24
3. Nec id ſolum, verum etiam gloriamur ſuper afflictionibus, 14. 18. & 35. 10
10. Quum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem, 53. 11
19. Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores, 53. 7, 11
VI. 9. Non amplius moritur, 9. 7. & 53. 8
VII. 14. Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato, 50. 1
VIII. 3. Quod impoſſibile erat Legi quatenus imbecillis erat, 53. 10, 11
11. Propter ipſius Spiritum inhabitantem in vobis, 61. 1
15. Accepiſtis ſpiritum adoptionis per quem clamamus Abba pater, 56. 7. & 66. 7
18. Non dignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam, 26. 20
20. Vanitati creatura ſubjacet non volens, ſed propter eum, 65. 17
23. Nos ipſi in nobis ipſis gemimus adoptionem expectantes, 38. 10
24. Spe ſervati ſumus, ſpes autem quæ videtur, 26. 19. & 35. 7. & 45. 15
25. Si quod non videmus ſperamus, id per patientiam expectamus, 9. 6 & 36. 15
26. Ipſe ſpiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus, 26. 16. & 38. 2, 4, 14
28. Scimus quod his qui diligunt Deum omnia ſimul adjumento ſunt in bonum, 16. 5. & 26. 19. & 55. 13. & 65. 18
30. Quos præordinavit, eoſdem & vocavit, 8. 18
31. Si Deus pro nobis quis contra nos? 8. 9. & 51. 12
32. Qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis tradidit illum, 53. 10
33. Deus eſt qui juſtificat, quis eſt qui condemnet? 50. 8
38. Neque Angeli neque principatus neque poteſtates, 37. 36
IX. 3. Optarim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto, 17. 12
4. Quorum eſt adoptio & gloria, & fœdera & Legis conſtitutio, 41. 8. & 50. 7
6. Non omnes qui ſunt ex Iſraël, ſunt Iſraël, 1. 9. & 43. 6
7. Non omnes qui ſunt ex Abraham, 66. 20
18. Cui vult miſeretur & quem vult, 63. 17
21. Annon habet poteſtatem figulus luti, ut ex eadem maſſa, 45. 9
22. Tulit multa animi lenitate vaſa iræ, 13. 5. & 27. 7
25. Vocabo populum meum, eum qui non erat populus, 9. 2. & 57. 19
27. Eſaias autem clamat pro Iſraël, 10. 23
28. Sermonem enim perficiens & abbrevians cum juſtitia, quoniam ſermonem abbreviatum faciet Dominus, 10. 23
29. Niſi Dominus Zebaoth reliquiſſet nobis ſemen, ut Sodoma, 1. 9
33. Ecce pono in Sion lapidem offendiculi & petram offenſionis, 28. 16
Et omnis qui credit in eo non pudefiet, 8. 14. & 28. 16
X. 5. Qui fecerit hæc, vivet in eis, 53. 11
8. Prope te verbum eſt in ore tuo & in corde tuo, 53. 11. & 55. 6, 10
9. Si confitearis in ore tuo, 19. 18
10. Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, *ibid.* & 45. 23
11. Omnis qui credit in illum, non confundetur, 28. 16
12. Non eſt diſtinctio vel Judæi vel Græci, 49. 6
14. Quomodo invocabunt eum in quem non crediderunt? 1. 15. & 19. 21, 22. & 33. 2
15. Quomodo prædicabunt niſi mittantur? 62. 7
Quam ſpecioſi pedes Evangelizantium pacem? 52. 7
16. At non omnes obediunt Evangelio, Jeſaias enim dicit, Domine, 53. 1
17. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei, 55. 3. & 65. 12
19. Ego ad æmulationem provocabo vos per gentem quæ, 66. 18
20. Inventus fui ab his qui me non quærebant, 65. 2
XI. 1. Num repulit Deus populum ſuum? abſit, 59. 20
4. Reliqui mihi ipſi ſeptem millia virorum qui non, 45. 25
12. Si lapſus eorum divitiæ ſunt mundi, 6. 3
17. Tu vero quum eſſes oleaſter, inſitus fuiſti illis, 5. 7
24. Et præter naturam inſitus es in veram olivam, 56. 5
25. Excæcatio ex parte Iſraëli accidit donec plenitudo gentium, 66. 18
26. Adveniet ex Sion ille qui liberat, & avertet impietatem à Jacob, 59. 20
29. Dona quidem & vocatio Dei ejuſmodi ſunt, ut eorum illum pœnitere non poſſit, 14. 1. & 19. 25. & 41. 9. & 48. 12. & 59. 20
34. Quis cognovit mentem Domini, aut quis ei fuit à conſiliis? 40. 13
XII. 1. Præbeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, 18. 7. & 61. 6
Rationalem cultum veſtrum, 19. 21. & 60. 6. & 66. 20
8. Qui miſeretur in hilaritate, 23. 18
20. Hoc ſi feceris, carbones ignis coacervabis in caput illius, 11. 14
XIII. 1. Non eſt poteſtas niſi à Deo, 16. 5. & 22. 20, 23.
12. Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis, 56. 1
XIV. 10. Omnes ſtatuemur apud tribunal Chriſti, 45. 23
11. Mihi ſeſe flectet omne genu & omnis lingua, &c. 19. 18. & 45. 23
17. Non eſt regnum Dei eſca & potus, 1. 11
Pax & gaudium in Spiritu ſancto, 35. 10. & 56. 7
XV. 6. Ut unanimiter uno ore glorificetis Deum, 12. 1
8. Dico Jeſum Chriſtum miniſtrum fuiſſe circumciſionis pro, &c. 42. 6
16. Ut ſim miniſter Chriſti erga gentes, conſecrans Evangelium Chriſti, 11. 4. & 18. 7. & 61. 6. & 66. 20
21. Quibus non eſt annunciatum de eo, videbunt, & qui, 52. 15

XVI. 20. Deus

XVI. 20. Deus pacis conteret Satanam ſub pedes veſtros breri, 27. 1
26. In obedientiam fidei, 55. 5
Manifeſtati vero nunc, 61. 2

I. CORINTH.

I. 20. UBi ſapiens, ubi ſcriba, ubi diſputator ſeculi hujus? 33. 18
24. Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam, 9. 6
30. Qui factus eſt nobis ſapientia à Deo, ibid.
II. 9. Quæ oculus non vidit & auris non audivit, 64. 3
III. 2. Lactis potu vos alui, non cibo, 54. 13
7. Deus dat incrementum, 3 . 23. & 55. 10. & 61. 3
10. Ut ſapiens architectus fundamentum poſui, 54. 12
11. Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, præter hoc quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus, 18. 16
16. An neſcitis quod templum Dei eſtis, & Spiritus Dei habitat, 52. 11. & 61. 1
19. Qui comprehendit ſapientes in aſtutia ipſorum, 31. 2
IV. 4. Qui me judicat Dominus eſt, 49. 4. & 50. 8
9. Spectaculum facti ſumus mundo, Angelis & hominibus, 21. 8
11. Ad hoc uſque tempus & eſurimus & ſitimus, 15. 13
13. Veluti excrementa mundi facti, 51. 8
VI. 11. Vos quidem ejuſmodi fuiſtis, at nunc abluti eſtis, 41. 8
19. An neſcitis quod corpus veſtrum templum eſt habitantis, 52. 11
VII. 7. Unuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem, 19. 21
9. Satius eſt matrimonium contrahere quam uri, ibid.
26. Bonum eſſe propter inſtantem neceſſitatem, ibid.
39. Si autem dormierit vir ejus, 38. 16
VIII. 4. Novimus quod idolum nihil eſt in mundo, 41. 24
IX. 16. Væ mihi ſi non Evangelizavero, neceſſitas, 47. 6
X. 11. In quos termini ætatum inciderunt, 2. 2
13. Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ultra quam, 27. 8. & 45. 11
XI. 3. Vir caput eſt mulieris, 4. 1
30. Et dormiunt multi, 38. 16
32. Judicati autem, à Domino erudimur, ut non cum mundo condemnemur, 12. 1
XII. 3. Nemo dicere poteſt Dominum Jeſum niſi in Spiritu ſancto, 35. 5. & 48. 16. & 61. 1
4. Diviſiones donorum ſunt, ſed idem Spiritus, 48. 16. & 61. 1
12. Ita & Chriſtus, 49. 3
XIII. 3. Si inſumam in alimoniam omnes facultates meas, 58. 10
XIV. 20. Ne ſitis pueri ſenſibus, ſed malitia pueri ſitis, 48. 9
21. In Lege ſcriptum eſt, Variis linguis, & labiis variis, 28. 13
XV. 31. Edamus & bibamus, cras enim moriemur, 22. 13
36. Stulte, tu quod ſeminas non vivificatur, niſi mortuum fuerit, 6. 13. & 26. 19. & 28. 23

II. CORINTH.

I. 20. QUotquot ſunt promiſſiones Dei, per ipſum ſunt etiam, 7. 14. & 9. 6. & 42. 1, 6. & 63. 17
II. 16. His quidem odor mortis in mortem, 11. 4. & 14. 19. & 49. 5
Et ad hæc quis idoneus, 62. 7
III. 5. Non quod idonei ſimus ex nobis ipſis cogitare quicquam, 45. 4. & 49. 17
6. Qui idoneos fecit nos miniſtros novi Teſtamenti, non literæ, ſed Spiritus, 49. 17, 22
7. Quod ſi adminiſtratio mortis in literis deformata, 55. 3
16. At ubi converſus fuerit ad Dominum tolletur velamen, 29. 11
18. Nos omnes retecta facie gloriam Domini in ſpeculo repræſentantes, 2. 2
IV. 3. Quod ſi adhuc velatum eſt Evangelium noſtrum, 45. 19
6. Deus eſt qui juſſit è tenebris lucem illuceſcere, 25. 1
8. Dum in omnibus premimur, at non coarctamur, 40. 31
13. Credidi & ideo loquutus ſum, 26. 19
16. Quamvis externus homo noſter corrumpitur, internus tamen, ibid.
17. Momentanea levitas afflictionis noſtræ mire ſupra modum, 26. 2 . & 54. 7. & 61. 7
V. 6. Dum ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, 38. 11
15. Ut qui vivunt poſthac non ſibi vivant, 18. 7
17. Si quis in Chriſto, nova creatura, 61. 3. & 66. 22
18. Deditque nobis miniſterium reconciliationis, 2. 4
19. Poſuit in nobis ſermonem reconciliationis, ibid.
20. Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo obſecrante, 52. 11. & 57. 19
21. Eum qui non novit peccatum pro nobis peccatum fecit, 53. 10, 11
VI. 2. In tempore accepto exaudivi te, & in die ſalutis, 49. 8
Ecce nunc tempus acceptum, ecce dies ſalutis, ibid. & 61. 2
8. Per infamiam & bonam famam, 5. 6
15. Quæ concordia Chriſto cum Belial, aut quæ pars, 40. 1
16. Vos templum eſtis Dei viventis, 44. 28. & 52. 11
VII. 1. Mundemus nos ipſos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus, 52. 11. & 66. 21
10. Quæ ſecundum Deum eſt doloris, pœnitentiam ad ſalutem haud pœnitendam parit, 22. 13
IX. 7. Hilarem datorem diligit Deus, 32. 18. & 43. 22. & 56. 6
9. Diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi, 32. 8
X. 4. Arma militiæ noſtræ non carnalia, 11. 4. & 63. 6
6. Et in promptu habentes vindictam adverſus omnem inobedientiam, 11. 4
XI. 2. Zelotypus ſum erga vos Dei zelo, 5. 1
Adjunxi vos uni viro, ut virginem caſtam exhiberetis Chriſto, 62. 5
14. Ipſe Satanas transfiguratur in Angelum lucis, 36. 10
XII. 7. Datus mihi fuit ſtimulus per carnem angelus Satanæ, 39. 5
9. Virtus mea in infirmitate perficitur, 26. 20. & 40. 29, 31
Libentiſſime gloriabor potius ſuper infirmitatibus meis, 14. 18
10. Placeo mihi in infirmitatibus, in contumeliis, in neceſſitatibus, ibid.
XIII. 4. Quamvis crucifixus fuit ex infirmitate, vivit tamen, 53. 12

Ad GALATAS.

I. 8. SI Angelus è cælo aliud prædicaverit, anathema ſit, 8. 20
15. Quum placuit ei qui me ſegregavit, 49. 1
II. 8. Qui efficax fuit in Petro ad apoſtolatum circumciſionis, efficax fuit & in me, 1. 1
16. Non juſtificabitur ex operibus legis omnis caro, 53. 11
21. Si per legem juſtitia, Chriſtus gratis mortuus eſt, ibid.
III. 11. In lege nemo juſtificatur apud Deum, ibid.
12. Qui fecerit hæc vivet in eis, 53. 12
13. Chriſtus redemit nos à maledictione Legis, factus, &c. 53. 10
16. Abrahæ datæ ſunt promiſſiones & ſemini ejus, 49. 3
23. Prius quam veniret fides, ſub Lege cuſtodiebamur, concluſi in fidem eam quæ revelanda erat, 11. 9
24. Lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum, 65. 20
IV. 3. Ita & nos, quum eſſemus parvuli, ſub elementis mundi eramus ſervituti addicti, 11. 9
4. At ubi venit plenitudo temporis, 49. 8. & 61. 2
6. Emiſit Deus Spiritum filii ſui in corda veſtra clamantem Abba pater, 56. 7
26. Quæ eſt mater omnium noſtrum, 54. 9
28. Nos fratres ſecundum Iſaac promiſſiones filii ſumus, 60. 21
V. 6. In Chriſto Jeſu neque Circumciſio quicquam valet, 52. 1
22. Fructus ſpiritus eſt charitas, 58. 6
Gaudium, 35. 10
VI. 1. Inſtaurate hujuſmodi ſpiritu manſuetudinis, 11. 2
9. Bonum facientes ne fatigemur, 32. 8
10. Operemur bonum cum erga omnes tum vero maxime erga domeſticos fidei, 23. 18
14. Ego vero abſit ut glorier niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, 14. 18
16. Et ſuper Iſraelem Dei, 45. 25

EPHES.

I. 3. QUi benedixit nos omni benedictione ſpirituali, 32. 3
4. Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, 14. 1. & 37. 26. & 41. 8. & 43. 21. & 49. 1. & 60. 21. & 61. 3
5. Qui prædeſtinavit nos ut adoptaret in filios per Jeſum Chriſtum, 7. 14
6. Ut laudetur gloria gratiæ ſuæ, 46. 13
Qua charos reddidit nos per illum dilectum, 42. 1
8. De qua ubertim nobis impertivit in omni ſapientia & prudentia, ibid. & 54. 10
10. Ut ſummatim inſtauraret omnia per Chriſtum, & quæ in cælis, 11. 6. & 49. 5. & 51. 16
12. Ut ſimus in laudem gloriæ illius, 60. 21
17. Det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis, 9. 6
21. Supra omnem principatum ac poteſtatem & virtutem, 37. 36
23. Quæ eſt corpus ipſius, complementum ejus, 37. 26. & 45. 14
II. 2. Et ſpiritus nunc agentis in filiis contumacibus, 17. 6
10. Ipſius ſumus opus, conditi in Chriſto Jeſu, 19. 25. & 27. 11. & 37. 26. & 43. 1, 15. & 51. 13
12. Eratis in tempore illo ſine Chriſto, abalienati à rep. Iſraelis, 19. 25. & 42. 1. & 56. 3
13. Vos qui eratis procul, 54. 5
14. Ipſe eſt pax noſtra qui fecit ex utriſque unum, 14. 2. & 27. 6. & 49. 8. & 66. 20
Et interſtitium maceriæ diruit, ſimultatem per carnem ſuam, 20. 6. & 42. 6. & 45. 22
17. Et veniens evangelizavit pacem vobis qui procul, 42. 6. & 49. 8. & 57. 19
18. Per illum habemus aditum utrique in uno Spiritu ad Patrem, 65. 24
19. Eſtis cives Sanctorum & domeſtici Dei, 65. 7
21. In quo quæcunque ſtructura coagmentatur et creſcit in templum, 60. 13
III. 9. Quod erat abſconditum à ſeculis in Deo, 42. 9
10. Ut nota faciat nunc principatibus ac poteſtatibus, ibid.
12. Per quem habemus audaciam & aditum cum fiducia quæ eſt per fidem illius, 45. 24. & 65. 24
15. Ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, 44. 5
16. Secundum divitias gloriæ ſuæ, 45. 13
17. Ut inhabitet Chriſtus per fidem in cordibus veſtris, 45. 21
20. Ei vero qui poteſt cumulate facere ultra omnia quæ petimus, 55. 7
IV. 7. Unicuique noſtrum data eſt gratia juxta menſuram, 11. 2. & 54. 13
8. Quum aſcendiſſet in altum captivam duxit captivitatem, 53. 12
11. Et idem dedit alios quidem Apoſtolos, alios vero Prophetas, 49. 5
13. In virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, 54. 13
15. Veritatem ſectantes in charitate, adoleſcamus in illum per omnia, qui eſt caput, nempe Chriſtus, 28. 16
28. Qui furabatur, jam non furetur, ſed potius, &c. 23. 18
30. Et ne contriſtetis Spiritum Dei, quo obſignati eſtis, 63. 10
V. 8. Ut filii lucis, ambulate, 41. 8
14. Surge qui dormis, & excitare à mortuis & illuminabit te Chriſtus, 9. 2
29. Nemo unquam carnem ſuam odio habuit, 9. 19
VI. 9. Nec perſonarum reſpectus eſt apud illum, 24. 2
12. Non eſt nobis lucta adverſus ſanguinem & carnem, ſed, &c. 9. 6
17. Et gladium Spiritus, qui eſt verbum Dei, 8. 20

PHILIPP.

I. 6. QUi inchoavit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Chriſti, 22. 11. & 25. 12. & 35. 9. & 40. 31
II. 6. Qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam, 42. 1. & 52. 14
8. Factus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis, 53. 7, 12
9. Propter quod exaltavit illum Deus & dedit, &c. 42. 1. & 53. 8
13. Deus enim eſt qui efficit in vobis & velle & efficere, pro benevolentia, 26. 12
15. Sinceríque filii Dei irreprehenſibiles in medio nationis, 44. 21
IV. 1. Gaudium & corona mea, 49. 5
4. Gaudete in Domino ſemper, iterum dico Gaudete, 12. 13
5. Dominus prope eſt, 35. 4. & 55. 6
6. Ne ſoliciti ſitis, 35. 4
7. Pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum cuſtodiat, 9. 6, 7. & 32. 18. & 33. 20. & 61. 7
18. Odorem ſuavitatis, hoſtiam acceptam, beneplacentem Deo, 23. 18

COLOSS.

I. 9. UT impleamini agnitione voluntatis ejus in omni ſapientia, 9. 6. & 33. 6
15. Qui eſt imago Dei inviſibilis, 6. 1
Qui eſt primog. omnis creaturæ, 37. 26
20. Et per eum reconciliare omnia in ipſum, &c. 11. 6
II. 14. Delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, 53. 12
23. Quæ verbo tenus quidem habent ſpeciem ſapientiæ per ſuperſtitionem, 1. 14, 29. & 19. 21
III. 1. Ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, 6. 7
3. Vita veſtra abſcondita eſt, 9. 6. & 26. 19
4. Cum Chriſtus apparuerit, vita noſtra, ibid.
15. Pax Chriſti palmam ferat in cordibus veſtris, 9. 6, 7. & 12. 2. & 61. 7

I. THESS.

II. 19. QUæ eſt noſtra ſpes aut gaudium aut corona gloriationis? annon & vos, 49. 5
IV. 7. Non vocavit nos Deus immunditiæ cauſa, ſed ad ſanctificationem, 44. 21
V. 3. Quum dixerint, Pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, 15. 1. & 18. 4. & 29. 17. & 47. 11

II. THESS.

I. 6. ÆQuum eſt apud Deum reddere iis, qui vos affligunt afflictionem, 51. 23. & 61. 2
8. Quum venerit in flamma ignis, 66. 15
II. 3. Niſi venerit defectio prius & revelatus fuerit, 54. 9
7. Quem Dominus conficiet Spiritu oris ſui, & abolebit, &c. 11. 4
11. Mittet illis Deus efficaciam erroris, 41. 22. & 44. 18. & 57. 5. & 63. 17

I. TIMOTH.

I. 5. FInis præcepti eſt charitas ex puro corde & conſcientia bona, & fide non ficta, 38. 3
II. 8. Volo igitur orare viros in omni loco ſuſtollentes puras manus, 1. 15. & 56. 7. & 65. 16. & 66. 23
III. 15. Columna & firmamentum veritatis, 42. 9. & 43. 10. & 49. 3. & 65. 9

15. Magnum

16. Magnum eſt pietatis myſterium, Deus manifeſtatus eſt in carne, 2. 4. & 7. 14
IV. 1. In poſterioribus temporibus deficient quidam a fide, 54. 9
8. Ut quæ promiſſionem habeat vitæ præſentis ac futuræ, 57. 23. & 65. 10
VI. 10. Radix omnium malorum eſt avaritia, 57. 17
15. Ille beatus & ſolus Princeps, Rex regnantium, 37. 15
16. Qui lucem habitat inacceſſam, 25. 9

II. TIMOTH.

I. 7. SEd potentiæ ac dilectionis & ſobrietatis, 11. 2
12. Certus ſum quod is cui credidi potens ſit depoſitum meum cuſtodire, 40. 13
II. 13. Fidelis manet, negare ſeipſum non poteſt, 41. 10. & 64. 12
19. Solidum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc, Novit Dominus qui ſunt ſui, 63. 8
25. Si quando det illis Deus pœnitentiam, 1. 6
III. 16. Omnis Scriptura Divinitus inſpirata utilis eſt, 30. 8. & 50. 4

Ad TITUM.

I. 2. QUam promiſit is qui mentiri neſcit Deus, 15. 8
9. Ut potens ſit etiam exhortari per doctrinam ſanam & contradicentes convincere, 18. 4

Ad HEBRÆOS.

I. 3. QUi quum ſit ſplendor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ illius, 25. 9
5. Cui dixit unquam Angelorum, Filius meus es tu, 9. 6
14. Nonne ſunt omnes adminiſtratorii ſpiritus in &c. 62. 6. & 63. 9
II. 8. Omnia ſubjecit ſub pedibus ejus, 61. 6
13. Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus, 8. 18
14. Ut deſtrueret eum qui habet mortis imperium, 12. 5
17. Debuit per omnia fratribus ſimilis reddi, 42. 1
IV. 9. Relinquitur ſabbatiſmus populo Dei, 66. 13
12. Vivus eſt ſermo Dei & efficax, & penetrantior quovis, &c. 11. 4. & 37. 6. & 49. 2
13. Omnia nuda & reſupinata ſunt oculis ejus, 37. 4. & 41. 25. & 45. 23
15. Non habemus Pontificem qui non poſſit affici ſenſu infirmitatum noſtrarum, 7. 15
Pro ſimilitudine abſque peccato, 53. 6
16. Accedamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ, 65. 24
V. 4. Nemo uſurpet ſibi honorem: ſed qui vocatur, 49. 1
VI. 13. Deus, quoniam neminem habuit majorem per quem juraret, juravit per ſemetipſum, 45. 23. & 62. 8
16. Homines per majorem ſe jurant, 45. 23
VIII. 8. Conſummabo ſuper domum Iſraël & ſuper domum Jehudæ teſtamentum novum, 66. 22
13. Quod antiquatur & ſeneſcit in propinquo eſt ut evaneſcat, ibid.
IX. 7. Non ſine ſanguine, 53. 12
12. Per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſancta, æterna redemptione reperta, 61 6
X. 31. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis, 28. 19
XI. 3. Ut ex his quæ non apparebant, ea quæ videntur fierent, 38. 11
6. Qui accedit ad Deum hunc credere oportet eſſe Deum, & eſſe remuneratorem quærentibus ſe, 37. 15. & 40. 10
26. Majores arbitratus divitias probrum Chriſti, quam Ægyptiorum theſauros, 51. 8
27. Perinde quaſi vidiſſet eum qui eſt inviſibilis ita obduravit, 7. 4
XII. 3. Ne defatigemini animis deficti, 35. 4
5, 6, 7. Fili mi, ne parvi pende diſciplinam Domini, &c. 19. 12
12. Quapropter manus remiſſas & genua ſoluta erigite, 35. 4
17. Non reperit pœnitentiæ locum tametſi cum lachrymis quæſiviſſet eam, 26. 11. & 28. 19
26. Adhuc ſemel, ego concutio non modo terram verum etiam cœlum, 43. 19
29. Deus noſter ignis conſumens eſt, 10. 17. & 13. 14
XIII. 5. Dixit, non te deſeram, 64. 11
8. Jeſus Chriſtus heri & hodie, idem eſt etiam in ſecula, 30. 33
16. Talibus enim victimis delectatur Deus, 23. 18

JACOB.

I. 2. PRo ſummo gaudio ducite fratres mei quoties in varias tentationes incideritis, 43. 2
5. Si cui veſtrum deeſt ſapientia, poſtulet ab eo qui dat, 19. 11. & 47. 13
17. Apud quem non eſt transmutatio, 1. 13
18. Is deſtinata voluntate progenuit nos ſermone veritatis, 57. 26
II. 13. Judicium ſine miſericordia erit ei qui non præſtiterit miſericordiam, 10. 5. & 16. 4. & 47. 6
IV. 6. Deus ſuperbis reſiſtit, 10. 12. & 16. 7
12. Unus eſt Legiſlator & Judex, 33. 22
13. Age nunc qui dicitis, Hodie & cras ibimus in illam civitatem & faciemus ibi annum, &c. 14. 13. & 16. 7
V. 17. Precatione precatus eſt ne plueret, 38. 7
18. Et rurſum oravit, & cœlum dedit pluviam, ibid.
20. Qui converterit peccantem &c. ſervabit animam, 44. 20

I. PETRI.

I. 23. REnati non ex ſemine mortali, ſed immortali, 40. 8. & 49. 21
25. Hoc autem eſt verbum quod per Evangelium delatum eſt ad vos, 40. 8
II. 2. Ut modo nati infantes lac rationale, & dolo vacuum, 28. 9
4. Ad quem accedentes qui lapis eſt vivus ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum vero electus ac pretioſus, 8. 15
5. Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini, 60. 14
Offerentes ſpirituales hoſtias, 61. 6. & 66. 23
6. Ecce pono in Sion lapidem in ſummo potentem angulo, 28. 16
9. Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, 23. 18. & 41. 8. & 52. 15. & 61. 6. & 66. 21
Ut virtutes prædicetis illius qui e tenebris vos vocavit, 43. 21. & 60. 21
21. Relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus, 53. 7
22. Qui peccatum non fecit, 53. 9
23. Qui quum maledictis inceſſeretur non regerebat, 53. 7
III. 13. Quis eſt qui afflicturus ſit vos, ſi bonitatis æmulatores fueritis? 32. 17
14. Terrore eorum ne terreamini neque conturbemini: ſed Dominum, &c. 8. 12
IV. 11. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei, 21. 16
17. Tempus eſt, ut incipiat judicium à domo Dei, 17. 12. & 13. 1. & 21. 5
Quod ſi primum à nobis, quis finis eorum qui non credunt Evangelio? 21. 11
18. Si juſtus vix ſalvus efficitur, impius & peccator ubi comparebit? ibid.
V. 5. Deus ſuperbis reſiſtit, 10. 12. & 16. 7
6. Humiliamini ſub potenti manu Dei, 45. 9
7. Ipſi cura eſt de vobis, 1. 17. & 26. 7. & 41. 27. & 43. 5. & 60. 19. & 63. 13

II. PETRI.

I. 19. HAbemus firmiorem propheticum ſermonem cui benefacitis, 45. 10
21. Non enim voluntate hominis allata eſt unquam Prophetia, 40. 6
III. 4. Ex quo patres obdormierunt, 38. 13
Sic omnia permanent ab initio creationis, 5. 19
7. Et ſervatur igni in diem judicii, 66. 15
8. Unus dies apud Dominum perinde eſt ut mille anni, 45. 19
18. Creſcite in gratia & cognitione Domini noſtri & Servatoris, 13. 9

I. JOAN.

II. 18. SIcut audiſtis quod Antichriſtus venturus ſit, 11. 18
III. 17. Et clauſerit viſcera ſua ab eo, 58. 10

JUD.

I. 7. PRopoſitæ ſunt exemplo, ignis æterni pœnam ſuſtinentes, 34 9

APOCAL.

I. 6. ET fecit nos Reges & Sacerdotes, 23. 18. & 66. 21
V. 10. Et feciſti nos Deo noſtro Reges & Sacerdotes, 60. 21
VII. 4. Audivi numerum ſignatorum centum quadraginta, &c. 66. 19

Digitized by Google

LOCI ALIQUOT SELECTIORES

Summa rerum capita, vel potius generales doctrinas complectentes.

Numeri indicant caput & verſum, ſicut in Indice primo.

LOCUS AD

Conſolandos animos in ſumma Eccleſiæ deſolatione, 1. 9. & 18. 7
Animos noſtros ſuſtentandos, quum in nos animadvertet Dominus, 30. 30
Animos ſuſtentandos, quoties impiorum injuriis expoſiti ſumus, 37. 23
Animarum immortalitatem aſſerendam, 57. 2
Divinitatem Chriſti aſſerendam, 8. 14
Divinitatem Spiritus aſſerendam, 48. 16
Humanitatem Chriſti veram confirmandam, 7. 15
Verbi Dei commendationem faciens, 29. 11. & 30. 11. & 49. 8
Magiſtratuum piorum conſolationem, 22. 23
Vocationem Gentium aſſerendam, 45. [illegible]

LOCUS ADVERSUS

Eos qui potentiam Dei modulo ſuo metiuntur, 21. 10
Paſtores ignavos & indoctos, 56. 10, 11

LOCUS

Quem Apoſtolus ad Hebræos Chriſto accommodat, 8. 18

LOCUS QUO

Admonentur patres, ut curent erudiendos filios, 38. 19
Damnantur omnes rationes quas excogitant homines extra verbum Dei pro ſalute obtinenda, 45. 3. & 56. 2
Paſtores monentur officii ſui, 2. 6
Veluti clypeo uti poſſimus ad propulſandos omnium hoſtium terrores, 8. 10

LOCUS

Unde diſcimus à Deo probari, ut morituri de familia ſua conſtituant, 38. 1

LOCI ALII.

Ambitio maximum vitium eſt, 39. 5
Cultus Dei verus, & vera invocatio quæ ſit, 19. 21
Cum verbo Dei reputandam eſſe potentiam ipſius, 41. 5
Cur non ſatis honorifice de Dei potentia, aliiſque ejus virtutibus ſentiamus, 41. 1
De Eccleſiæ inſtauratione bene ſperandum, 58. 12
Deum alicui populo obſtrictum non eſſe, quin eligat quos volet, 49. 8
Deum non ſic contendere nobiſcum, quaſi ad extremum delicta noſtra perſequi velit, 1. 18
Deum velle perpetuo habitare in Eccleſia, 11. 10
Deo præter legis obſervationem nihil placere, 56. 2
Doctrinas impias non aliter profligari poſſe quam Evangelio, 11. 4
Dominum velle, gloriam ſuam illibatam manere, 42. 8
Eccleſiæ nullam eſſe formam ubi prophetiæ ceſſant, 41. 27
Eccleſiæ ruinas colligendas aliquando, atque erigendas eſſe, 58. 12
Eos qui Spiritus directione carent, tametſi ſe a Deo miſſos jactent, repellendos eſſe, 48. 16
Erga profugos & extorres, præſertim fideles, humanitatem omnem exercendam, 16. 4
Evangelii doctrinam non temere nationibus omnibus prædicatam eſſe, ſed decreto Dei à quo jam olim id ſtatutum erat, 45. 22
Externum cultum, ceremonias, externaque ſymbola gratiæ Dei parum prodeſſe, niſi ex animo ipſi pareamus, 29. 2
Fidem noſtram probari rebus adverſis, 33. 2
Jeſaiam adeoque Prophetas omnes humano ſpiritu minime loquutos, 41. 25
Impietatem hominum non inultam fore, qui ad creaturas honorem Deo debitum transferunt, 31. 3
In præſidiis humanis non eſſe recumbendum, 8. 7
In Sacramentis rem cum ſigno exhiberi, 6. 7
In tyrannorum gratiam à vero Dei cultu tantillum non deflectendum, 20. 13. & 52. 11
Licere nobis quoties ultra modum premimur adverſis rebus, conqueri cum Deo, eique proponere vocationem noſtram, 63. 19
Minas omnes quæ paſſim occurrunt in Scripturis, ad conſolationem piorum pertinere, 30. 29
Miniſtris bellum cum mundo ſuſcipiendum, ſi fideliter munere ſuo fungi velint, 5[illegible]. 6
Miracula omnia Domini in memoriam revocanda, ut veritatem ipſius in animis noſtris obſirmemus, 48. 16
Neminem de impetranda venia certum eſſe poſſe, niſi recumbat in mera Dei bonitate, 43. 25
Nihil eſſe periculoſius quam proſperis rebus excæcari, 39. 2
Nihil ſtabile aut firmum eſſe in hac vita, 38. 17
Non eſſe æſtimandas promiſſiones Dei à noſtro ſtatu, ſed à veritate ipſius, 49. 7
Non eſſe expectandum quod nos vocent homines qui officio noſtro indigent, 39. 3
Non eſſe ſuperbiendum quod fortes fuerimus, aut res nobis ſucceſſerit ex ſententia, 18. 9
Non ſemper cum impiis litigandum eſſe, ubi lacerant Dei nomen, & convitiis proſcindunt, 36. 21
Nos non aliter in vitam reſtitui: quam quum a Domino plantamur, 6[illegible]. 21
Omnia quæ verbo adduntur damnanda & rejicienda eſſe, 8. 20
Plena & ſolida fides oraculis Dei aſſeritur, 41. 25
Parum profeciſſe in Evangelio, quorum animi ad manſuetudinem revocati non ſunt, [illegible]. 4
Placide Dominum audiendum, non tantum cum hortatur ſed etiam quum damnat, 39. 8
Pœnas daturos qui Eccleſiam ab obſequio & fiducia Dei abduxerint, 19. 17
Pœnas duplices daturos, qui lumen quo eos illuſtravit Deus, negligunt, 44. 21
Providentiam Dei agnoſcendam in omnibus quæ hic geruntur, 40. 24
Quæcunque de præſcientia Dei in Scripturis legimus, eo dici ut ad ſalutem noſtram pertinere intelligamus, 46. 11
Qualis ſpes Judæorum fuerit, nec in terrena ſolum beneficia fuiſſe defixos, quemadmodum fanatici quidam opinantur, 32. 16
Quam aſſidue ac ſolicite in timore Dei continere nos deceat, 39. 2
Quam impiæ ſint eorum voces qui nihil certi ex Verbo Dei colligi poſſe ajunt, 45. 19
Quamvis pietatem colamus, ab omni moleſtia vacuos non fore, 36. 10
Quanta fides habenda ſit Deo loquenti, tametſi non ſtatim ea præſtet quæ promiſit, 49. 7
Quanti ſit apud Deum Eccleſiæ ſalus, 45. 1. & 51. 16
Quid agendum ſit cum hominibus abalienatis à Deo, 1. 16
Quid nobis accidere neceſſe ſit, niſi oblatam Dei gratiam in tempore amplectamur, 42. 22
Quid à nobis Deus poſtulet, quum ſe nobis gratia ſua patefecit, 56. 1
Quomodo tractandi ſunt impii, & quam ſevere arguendi, 57. 4
Quorſum Dominus tot beneficiis ornet Eccleſiam ſuam, 41. 21
Regibus tantum eſſe virium, quantum illis Deus tribuit ad conſervationem uniuscujusque gentis, 45. 1
Sacramenta nunquam à Verbo ſejungi, 6. 7
Salutis fiduciam in nulla alia re quam in ſolo Deo locandam eſſe, 31. 1
Sic Domino curæ eſſe pios omnes, ut pluris ipſos quam univerſum orbem faciat, 43. 3
Sic nos ab incommodis & periculis immunes eſſe, cum ſub tutela Chriſti ſumus, ut tamen variæ procellæ & tempeſtates nobis ingruant, 32. 19
Tametſi univerſus orbis deficiat, forti tamen animo pergendum eſſe, 8. 17
Tametſi Deus ſeverus ſit judex adverſus impios, tamen miſericordiæ ſuæ locum relinquere, 15. 9 & 60. 10
Unumquemque eo magis ad laudes Dei prædicandas intentum eſſe oportere, quo plus beneficiorum accepit, 41. 10
Vocationem Dei electis efficacem eſſe, 54. 13
Vocationem noſtram ſufficere nobis debere, ut ab inquinamentis hujus mundi cohibeamur, 41. 8

Reliquos Locos inter legendum notabit diligens Lector.

FINIS.

AMSTELODAMI,
Ex Typographia BORRITII JANSONII SMIT.
M. DC. LXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

10-2-3

Digitized by Google